ANNOTATA

AD

LIBROS

HISTORICOS

Veteris Testamenti.

Sive

Criticorum Sacrorum

Tomus II.

LONDINI,

Excudebat *JACOBUS FLESHER*, M DC L X.

Prostant apud
- CORNELIUM BEE
- GUILIELMUM WELLS
- RICHARDUM ROYSTON
- SAMUELEM THOMSON

Londini.

- GUILIELMUM MORDEN — *Cantabrigiæ.*
- THOMAM ROBINSON — *Oxonii.*

Nnn

ANNOTATORES

AD

LIBROS HISTORICOS

HI SUNT,

SEB. MUNSTERUS.

FRANCISCUS VATABLUS.

SEB. CASTALIO.

ISIDORIUS CLARIUS.

MASIUS in *Josuam.*

JO. DRUSIUS.

HUGO GROTIUS.

LUD. CAPPELLUS De Voto *Jephthæ,*
Insertus pag. 2075.

ANNOTATA AD JOSUAM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. HÆret principium hujus libri ad finem Deuteronomii, quia Jehosua, qui hunc librum scripsit, scripsit quoque finem Deuteronomii, ab eo scilicet loco ubi Scriptura commemorat mortuum Mosen. Et hinc est quòd hic liber incipit à conjunctione copulativa. ¶ *Filium Nun*] Scribitur in Hebræo *bin* pro *ban*, h. e. Hirec pro Sægol. Licèt in statu absoluto בן semper habeat Zere, propter virgulam verò Makaph mutatur Zere vox magna in Sægol aut Hirec vocem parvam. Ratio verò quòd solùm hic בן invenitur habere Hirec, est quòd duæ monosyllabæ copulantur per virgulam Makaph, cadúntq; sub unum accentum, ideo prioris monosyllabæ vox magna mutatur in parvam, Zere scilicet in Hirec, quod propter Grammaticos signare volui.

6. *Sis fortis & robustus*] Hebraismus est pro Age constanter, & imperterrito animo perge, ut occupes terram vobis promissam: Strenuè & viriliter exsequere injunctum officium. Nec est quod tibi metuas aut pusillanimis fias, cogitans apud te, En sanctissimus ille amicus Dei Moses non potuit præesse populo rebelli & genti exasperatrici, quin furiis populi perturbatus apud aquas Contradictionis in peccatum lapsus fuerit, atque ob id illi negatus introitus in Terram promissionis; sed potiùs virilem indue animum, & cogita me tibi nunquam defuturum: tu enim meo auxilio fultus introduces populum, & divides illis terram.

11. *Viaticum*] Quidam intelligunt de omnibus cibis præter panem, quoniam vescebantur adhuc mannâ cœlesti. Alii verò dicunt quòd moriente Mose desierit quoque descensus mannæ, atque ideò per *viaticum* intelligendus sic hìc panis & omnis alius cibus. Verùm textus infrà aliud habet.

14. *Trans Jordanem*] Potest etiam hìc עבר verti pro *citra* seu *cis*, cùm nondum transierint Jordanem. ¶ *Armati*] K. exponit חלוצים *accincti ad militiam.* Sunt alii qui legunt *quinquaginta.*

VATABLUS.

HIc liber primus est *Prophetarum priorum*, quos vocant Hebræi, qui ab illis inscribitur יהושע בן נון *Jehosua filius Nun*, à LXX verò Ἰησοῦς Ναυὴ, *Jesus Naue*. In eo ingressus filiorum Israel in Terram sanctam describitur.

1. *Et fuit*, ויהי] Pendet (ut scribunt Hebræi) hujus libri principium à fine Deuteronomii: quòd Josue, qui hunc librum scripsit, scripserit quoque finem Deuteronomii, ab eo scilicet loco in quo Scriptura commemorat mortuum Mosen. Et hinc est quòd hic liber incipit à conjunctione copulativa ו. Alioqui tantùm converteret futurum in præteritum, nec Latinè vertenda esset.

2. *Ad terram*, אל הארץ] Sub. ללכת *ut pergas*, vel לבוא *ut intres*, i. ut pergas ad terram &c. ¶ *Do*, נותן] Præs. Heb. pro fut. *daturus sum.* ¶ *Filiis Israel* לבני ישראל:] Per appositionem dictum, declarat enim quid pronomine להם, *illis* significet.

4. *A deserto*, מהמדבר] Nempe Sin in terra Edom, quod aliàs *Cades*, & *desertum Pharan* dicitur; i. ab Austro: *& à Lebanon*, i. Septentrione. ¶ *Flumen magnum*, הנהר הגדול] Sic dicitur Euphrates respectu fluminum quæ sunt in Terra sancta. ¶ *Hithæorum*, החתים] Unum populum nominat pro omnibus, vel (quod doctioribus magis probatur) istum solum nominat, quòd ille habitaverit in Occasu. ¶ *Usque ad Mare magnum*, ועד הים הגדול] Redundat ו in ועד. Etiam *Mare magnum* vocat Mare Ægyptiacum, sive Mediterraneum, quod & *Mare novissimum* dicitur. Deut. 11.24. Dicitur *Magnum* respectu aliorum marium quæ sunt in Terra sancta, nempe maris Salsi, & lacûs Genesareth. ¶ *Terminus vester:* גבולכם] i. Regio vestra: quæ scilicet finibus illis terminabitur.

5. *Ero tecum*, אהיה עמך] *Esse cum aliquo* est illi adesse, & favere. Chald. paraphrastes *adjuvabo te.*

6. *Confortate, & roborate*, חזק ואמץ] Idem significant duæ istæ voces, *corroborare*, & *indurare*. Quidam vertunt, *corroborare & viriliter age*; aut, *esto robustus*, i. forti, robusto ac infracto sis animo. ¶ *Possidere facies*, תנחיל] i. Divides, trades possidendam populo.

7. *Ut custodias & facias*, לשמור לעשות] *Ut observes facere*, i. ut diligenter adimpleas per omnia Legem, &c. Vide similem locutionem Deut. 28.1. ¶ *Nè declines ab eo*, אל תסור ממנו] *Nè deflectas ab eo*, scilicet *Mose legislatore*. Vel ut alii, *ab eo*, nempe *libro Legis*. Massoreth tamen qui varias lectiones Hebraici codicis Bibliorum collegit admonet positum esse pro *ab ea*. Hæc doctus inter Hebræos. ¶ *Ad dexteram, aut ad sinistram*, ימין ושמאול] *Ire ad dextram*, est addere verbo Dei; *Ire* verò *ad sinistram* detrahere. ¶ *Ut prosperè agas*, &c. למען תשכיל בכל אשר תלך] *Ut sis felix quocunque perrexeris.* Vox שכל propriè sign. *intelligere*. Quoniam autem qui sapiunt feliciter res suas administrant, & assequuntur vota, ob id *prosperè agere* significat.

8. *Ut custodias & facias*, תשמור לעשות] Vide v. 7. i. ut diligenter adimpleas quæcunque scripta sunt in eo. ¶ *Secundabis*, תצליח] *Prosperas reddes*, vel *prosperabis*, quo verbo utitur Livius. Alii vertunt, *prosperaberis in omnibus viis tuis*, ut את accipiatur pro ב, & verbum sit intransitivum; ut admonet doctus inter Hebræos.

9. *Annon præcepi tibi*, הלוא צויתיך] Est potiùs hortantis & excitantis oratio quàm interrogantis, ut admonet doctus inter Hebræos: sicut & illud Ruth 2. 8. *Annon audisti, filia mea? nè vadas*, &c. ¶ *Ne consternaris, neque terrearis?* אל תערוץ ואל תחת] *Nè formides, neque paveas.* Chaldæus paraph. *nè frangaris*, sub.

sub. *metu.* ¶ *In omnibus*, &c. בכל אשר תלך] *Quocunque perrexeris*, ut v. 7.

10. *Præfectis*, את שוטרי] *Caduceatoribus*, *satellitibus.*

11. *Annonam*, צדה] *Viaticum.* ¶ *Post triduum*, בעוד שלושת ימים] Non comprehenso scilicet die promulgationis. *Transituri estis*, עוברים] Ad verb. *transeuntes*, sub. *eritis*, i. parati eritis transire.

13. *Mementote verbi quod*, זכור את הדבר אשר] Vide Num. 32. 20. Sing. Heb. pro plur. ut etiam vertit Chaldæus Paraph. *Estote memores.* ¶ *Quiescere vos fecit*, מניח] i. Dedit vobis sedes quietas.

14. *Trans Jarden :* בעבר הירדן] *Citra Jarden.* Sic v. 15. ¶ *Transibitis*, תעברו] Fut. Heb. pro imperat. *transite.* ¶ *Omnes potentes fortitudine*, כל גבורי החיל] i. Quotquot valent viribus.

15. *Donec quiescere faciat*, עד אשר יניח] i. Donec sedes quietas dederit.

16. *Et quocunq; miseris nos*, ואל כל אשר תשלחנו] Ad verb. *& ad omnia ad quæ miseris nos.*

17. *Prorsus & obedivimus*, בכל אשר שמענו] Ad verb. *Juxta omnia in quibus obedivimus.* Quidam vertunt, *Sicut obedivimus in omnibus Mosi.*

18. *Quicunque rebellaverit ori tuo*, כל איש אשר ימרה את פיך] Ad verb. ut quidam volunt, *omnis vir qui mutaverit os tuum*, i. rebellis fuerit sermoni tuo. ¶ *Interficietur :* יומת] i. Sententiâ Judicum morti adjudicabitur.

CLARIUS.

1. **E**T *factum est*] Hæret principium hujus libri ad finem Deuteronomii, quia Josue, qui hunc librum scripsit, scripsit quoque finem Deuteronomii, ab eo scilicet loco ubi Scriptura commemorat mortuum Mosen. Et hinc est quòd hic liber incipit à conjunctione copulativa.

6. *Confortare, & esto robustus*] Hebraismus est, pro Age constanter, & imperterrito animo perge, ut occupes terram vobis promissam : strenuè & viriliter exsequere injunctum officium.

11. *Cibaria*] Quidam intelligunt de omnibus cibis præter panem, quoniam vescebantur adhuc mannâ cœlesti. Alii verò dicunt, quòd moriente Mose desierit quoque descensus mannæ, atque ideo per *viaticum* seu *cibaria* intelligendus hîc sit panis & omnis cibus. Verùm textus infrà aliud habet.

MASIUS.

1. **P***Ost mortem autem Mosis servi Domini, dixit Dominus*, &c.] Hebræum habet ad verbum, *Et fuit post mortem Mosis servi Domini, & ait Dominus ad Josuam.* Est enim in S. literis usitatum, illiusmodi copulas in historiarum initiis collocare, quibus illæ cum præcedentibus narrationibus continuentur atque hæreant. Sed quia id Hebræi suo quodam loquendi modo faciunt, rectè interpretes, orationis facie mutatâ, illas omittunt conjunctiones. Symmachus igitur ista convertit his verbis, Μετὰ ϡ τὴν τελευτὴν Μωυσῆ δούλου Κυρίου, εἶπε Κύριος, &c. eúmque nos sumus imitati. Mors Mosis descripta est in extremo Deuteronomii: Non est ergò hujus loci de ea multis agere. *Servus* autem *Domini* appellatur hîc Moses, non ut ab officiorum sedulitate laudetur modò, tanquam fidissimus Dei œconomus, sicut in Num. 12. 7, 8. neque rursus κατ' μονεξίαν, quâ ipsum Paulus Christo, Filio Dei, servum postponit, Heb. 3. 5. sed propter imperii munus; cui, cùm esset ille defunctus, vicarium succedere oportebat; nè, quod ipse etiamnum vivus Deum oraverat, populus absque duce, tanquam grex pastore carens oberraret. Cæterùm quanto temporis intervallo post Mosis obitum quæ hîc narrantur acciderint, nulla satis certa iniri posse ratio videtur. Talmudici quidem, qui sumunt, Neque luctu neque aliâ vehementiore perturbatione occupatum hominis animum prophetico spiritu umquam afflari, definiunt hoc spatium diebus triginta; quot scilicet Mosis funus fleverunt Israelitæ, Deut. 34. 8. Quia enim post luctûs illius narrationem continuò memoratur *Josuam plenum fuisse spiritu prudentiæ*, existimant illi, mox post eos parentales dies Deum hæc ad istum verba fecisse, & hunc fuisse diem septimum mensis Nisan, cùm post triduum ipse esset populum transportaturus in Chananæam. Sed quod illi sumunt, ego certè non facilè ipsis concessero. Potest enim Deus quasvis nebulas ab eo animo discutere quem Divino suo Spiritu vult informare atque illustrare. Ad hoc, prudentiæ illo spiritu cujus in Deuteronomio est mentio, non tandem post 30 dierum luctum, sed simul cum imposita Mosis manu afflatus atque imbutus fuisse videtur Josua. Verosimilius ergò esse puto, simulatque Moses è vita discessisset, memorem Josuam verborum Dei, quæ nuper ad ipsum de nube, in tabernaculo sacro, fecerat Deut. 31. 23. & simul spiritûs illius cœlestis pulsu percitum quem Mosis manu initiato collatum diximus Deut. 34. 9. illico die, nocte, toto animo in cogitationem administrationis maximi illius atque difficillimi imperii incubuisse. Cúmque aliæ atque aliæ difficultates hinc, illinc, ipsius menti obversarentur, quæ ipsum quamtumvis & Mosis & Dei superioribus monitis bene animatum perturbarent tamen, & subinde humanâ quâpiam diffidentiâ tantùm non suspenderent, Deum maturè hæsitanti succurrisse, atque hoc hortamento, novísque istis Divini sui auxilii promissis novos illi animos addidisse: Itáque illum in spem certam rursus erectum speculatores emisisse; quamvis nondum eluxisset Mosen; nè deinde ullius rei exspectatione otium esset diutiùs in campis Moabiticis terendum; sed Pascha, cujus anniversarius dies propè aberat, in promissa posset terra ritè celebrari. Sed erit de his agendum pluribus, ad v. 11. Porrò cùm nihil in S. literis occurrat frequentiùs, quàm Deum hæc, illa, ad mortales loqui; neque credibile sit eum verba, quæ in audiendi sensum incurrerent, toties fecisse, non fuerit fortasse à proposito alienum de ea re, quoad ejus fieri potest, paucis hoc loco semel disserere. Plerique omnes, & nostri, & Hebræi, censent duos fuisse ferè modos quibus suam Deus voluntatem atque consilium vatibus suis soleret patefacere, Visiones, & Somnia, præter peculiarem illum quo se propiùs atque clariùs uni Mosi exhibuit: eósque modos in Numeris esse ostensos his verbis, cap. 12. 6. *Agite, audite verba mea. Si fuerit propheta vester, ego Dominus per visionem me ipsi cognoscendum exhibebo; per somnium loquar cum ipso. Non ità servus meus Moses, qui in tota domo mea fidus est: ore ad os loquar cum ipso; speciémque iste, & quidem non per ænigma atque figuram, Domini videbit.* Sed nisi fallor, definit quidem illic Deus eas rationes, quibus solet suos vates affari, verùm simul etiam sui cognoscendi modos diversos ostendit, quorum alius alio sit perfectior; dicítque, Se cum cæteris quidem vatibus, interdum vigilantibus, interdum dormientibus agere; verùm illis nunquam nisi obscuram quandam sui visionem repræsentare; veluti cùm speciem humanam, aut etiam augustiorem illorum objicit oculis, aut aliud simulacrum menti ipsorum secundùm quietem exhibet: at Mosen se multò propiùs affari, ut cui ipsam etiam Divinitatis speciem multò perfectiùs quàm per illiusmodi ænigmata, h. e. quàm per incerta illa & obscura simulacra, ostendat. Etsi enim apud omnes in confesso est, nullam nè mente quidem fingi posse, nedum exsistere, Dei figuram; tamen exiguus ille gloriæ, majestatísque splendor, quem Mosen cernere tunc patiebatur cùm ipsi sua posteriora ostenderet, Exod. 33. 23. quodam modo *forma Dei* poterat dici, quamtumvis ἀμυδρὸς esset, præ illis obscurissimis visis quæ cæteris vatibus sunt patefacta. Quod autem ad propositum attinet; quando eosdem illos duos modos, quibus diximus omnia vatibus quæ opus sit à Deo significari, Jeremias etiam expressisse videtur, cùm falsorum prophetarum improbitatē perstringens inter alia ait, *Propheta apud quem est somnium narret somnium, & apud quem est verbum meum, narret verbum meum verè; quid palea cum ipso frumento? dicit Dominus*, Jer. 23. 28. perspicuum est, nihil aliud esse *verbum*

bum quo passim Deus suos vates alloqui memoratur, quàm eum instinctum afflatúmque cœlestem quem *visionem* & *insomnium* ipsius appellat in Numeris; dum earum rerum notione atque intelligentiâ, quas res vates suos præsentire atque etiam enunciare aliis vult, sic eorum animos informat, ut ipsas veluti coràm aut cernere aut audire sibi mentis sensu videantur. Id autem cùm vigilantibus evenit, tum *visio* ferè, atque *verbum Domini* appellatur; interdum etiam, *manus Domini*: at quando secundùm quietem, tum sæpius *somnium*. Atque ab hujusmodi mentis sensu illi חוזים, h.e. *Videntes*, dicti sunt, similiter atque נביאים, i. *Prophetæ*, ab eloquendo enunciandóque illa visa apud homines. Hâc igitur ratione Isaias *Dominum esse locutum* ait quæ *se vidisse de Juda & Jerusalem* paulò antè dixerat c.1.1. Et Jeremias falsos vates clamat *cordis sui visionem loqui, quam non acceperant ex ore Domini*, h. e. quâ ille mentem ipsorum non imbuerat, sed quam sibi finxerant ipsi, Jer 23.16. His consentanea sunt, quæ de voce Dei D. Basilius scripta reliquit, commentario in Psal. 29. hom. priore, *Est*, inquiens, *vox Dei generis diversi ab iis vocibus, quæ in audiendi sensum cadunt. Fit enim, cùm mens hominum, quos ille suam percipere vocem vult, visione quadam informatur, haud ferè aliter atque in somniis accidit. Nam ut in his secundum quietem animus noster quorundam veluti verborum memoriâ imbuitur, non pulso aere externo, neque voce ullâ in audiendi sensum illapsâ, sed ipsâ mente notis quibusdam rerum signatâ informatâque, talem existimandum est Dei esse vocem quam audire memorantur Prophetæ.* Sed ut dilucidiùs etiam ista explicata semel sint, adscribam quæ de ipsis vir perspicacis ingenii Moses Maimonius Africanus scripsit in eo commentario cui titulum fecit מורה הנבוכים h. e. *Doctori perplexorum*. Non enim esse puto in vulgus pervulgata. Igitur ille, cùm parte primâ ejus operis sui dixisset, *Id omne vel Loqui vel Dicere quod Deo in S. literis attribuitur, nihil aliud significare quàm vel ipsum Dei consilium voluntatémve, vel notionem rei cujuspiam, quâ à Deo mens humana informatur; sive illa generetur voce à Deo creatâ, quales fuere voces quæ apud montem Sinaum & alibi audiebantur; sive iis modis quibus prophetia fieri solet, sine ullo vocis sensu scilicet. Effici enim prophetiam, cùm vis quædam à Deo per intellectum, quem Agentem appellant, influit in eam animæ facultatem, quam λογικὴν, h.e. Rationalem, sive Mentem, vocant; & indè transmittitur in alteram, quam nominant εἰκαστικὴν, h.e. ut sic dicam, Imaginativam.* Hæc, inquam, & his similia plura cùm dixisset Maimonius in prima sui libri parte c.65. scribit deinceps in secunda in hanc sententiam, *Scito, de quocunque scriptum est in S. libris, Angelum cum ipso locutum esse, aut verba à Deo ad ipsum esse facta, illud perpetuò per administrum Angelum esse factum; & quidem vel per insomnium, vel per visionem propheticam. Solent autem prophetæ quatuor ferè modis diversis verba esse ad se facta memorare. Nam aut disertè dicunt Angelum, sive per insomnium, sive per visionem sibi esse locutum; aut Angeli quidem, sed nullam vel insomnii vel visionis mentionem faciunt: quippe statuunt, hoc in confesso esse, nisi alterutro eorum modorum, verba Angelum non fecisse. Rursus est ubi Deum se esse affatum dicunt, vel per visionem, vel per somnium; sed de Angelo verbum nullum. Postremò, sæpe aiunt, hac, illa, Deum ad se esse locutum; sed neque Angeli, neque visionis, neque somnii meminerunt; certi scilicet, prophetiâ neminem, nisi per Angelum, & quidem vel visione, vel insomnio, afflari posse. Primi modi exemplum est,* ET DIXIT AD ME ANGELUS DOMINI PER INSOMNIUM, JAACOB, Gen.31.11. *Secundi*, ET CLAMABAT ANGELUS DOMINI AD ABRAHAM SECUNDO DE COELO, Gen. 22. 15. *Tertii*, FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ABRAHAM PER VISIONEM, Gen.15.1. *Quarti*, ET DIXIT DOMINUS AD ABRAHAM, Gen.12.1. ET DIXIT DOMINUS AD JACOB, AD JOSUAM, AD GEDEONEM, *cujusmodi sunt in S. literis creberrima. Quocunque verò horum modorum memorantur verba esse à Deo facta, certum est ea prophetiam fuisse; eúmque, ad quem facta scribuntur, Prophetam. Atqui si dicatur Deus ad quempiam venisse per somnium noctu, prorsus neque illic prophetia fuit, neque propheta, sed monitio modo, quâ hominem Deus illum admoneri voluit per insomnium. Exempla exstant de Laban, & de Abimelech; quorum ille impius, hic etsi inter suos populares probus, minimè tamen propheta fuit. Quapropter accuratè est observanda differentia inter illiusmodi enunciata, Venit Dominus, &, Dixit Dominus; per somnium nocturnum, & per visionem nocturnam. Et sanè Chaldæus interpres Oncelus illorum alterum reddidit, Apparuit Dominus; alterum, Venit verbum à Domino. Quin nonnunquam scribitur, Dixit Dominus huic, illi, quibus hominibus non est locutus Dominus, & quorum mentes nullâ sunt propheticâ intelligentiâ informatæ à Domino; sed quibus Dei voluntas ab alio quopiam vate est nunciata.* Hæc Maymonius, & multò plura; quæ persequi non est necesse. Censet autem ille non pertinere ista ad Mosen; ut explicatè scripsit commentariis in caput 10. מסכת סנהדרין, dum tractat septimum Legis fundamentum; *Deus enim*, inquit, *cum solo vatum omnium Mose absque administro Angelo, & sine somnio visióneque locutus est.* Idque R. Joseph Albus, vir sanè doctus, explanavit ad hunc modum Orat.3.cap.10. *Sic*, inquit, *collocutus est Deus cum Mose de rebus, ut earum cognitione animam ipsius, quam vocamus rationalem, absque ulla phantasia media imbueret; similiter atque cum ipsis Angelis scilicet. Hoc enim illud est, Ore ad os loquar cum ipso*, &c. Num. 12.8. Nostri Theologi hanc appellant *visionem intellectualem*; & Mosi, atque etiam Davidi attribuunt. Illam autem quæ per mediam phantasiam efficitur, vocant *imaginariam visionem*; quam prophetarum propriam esse, cæterísque vatibus omnibus communem fuisse dicunt. Thom. 2.2.q.174. Sed ista sunt alterius loci. Igitur, ut ad id revertamur à quo paullulùm divertimus, sic locutus est ad Josuam Dominus, ut earum rerum quæ verbis hîc scriptis significantur informatione illiusmodi mentem Josuæ imbuerit, cujusmodi concipere animo ille potuisset si articulatim & disertè omnia ea verba fuissent clarâ voce coram ipso pronunciata; imò verò infinitis partibus evidentiore. Nam id pro certissimo statuendum est, Cùm à Deo in vatum, sive vigilantium sive dormientium, animis aliquarum rerum notiones signantur; sive eæ res jam tum evenerunt, sive longo pòst tempore futuræ sunt; tum earum rerum speciem ἐν φαντασίᾳ multò clariorem illis repræsentari, quàm si vel perspicacissimis oculis coràm res illas cernerent: Neque verò id modò, sed simul quandam veritatis evidentiam ità mentibus illorum offerri, itáque penitus affici, ut intelligant eam notionem esse revera Divinam, non autem à suæ ipsorum animæ imaginativæ, ut sic dicam, facultate motúque naturali formatam effectámque, nec etiam à malo quopiam genio inditam. Neque enim alioqui unquam satis ipsi sibi Prophetæ fidere, nedum justâ fidentiâ, quæ Divinus afflatus instinctúsque dictasset, propalam enunciare possent. Nunc verò videmus ipsos tam firmâ animi confisione cuncta, quamvis principibus & populo ingratissima, edicere, ut dubitare nemo possit quin conscii sibi ipsi sint se *in Dei consilio adfuisse*, ut loquitur Jeremias 23. 18. atque *vidisse & audisse sermones Divinos*, non fallaces. Idem existimandum est de visis sacris; suas ea scilicet habere peculiares notas quibus discerni à larvis falsísque spectris queant. Sed ista non sunt hujus loci. Nunc enim, ut rem omnem in pauca conferamus, satis est tenere, Hoc esse, Deum verba de aliquibus rebus ad Josuam, aut alium quemvis vatem facere; ipsorum mentem earum rerum notionibus ità informare, ut solùm res ipsas tanquam præsentes oculísque objectas animo cernant, sed simul intelligant eam suæ mentis agitationem cœlestem esse, neque aliter affecti sint quàm si coràm voce clarissimâ loquentem secum Deum audirent. Quanquam fatendum est omnino, verba quædam Divina audiendi etiam sensu percepta aliquando ab hominibus esse: Quod Mosi frequentissimè concessum fuisse existimatum est; nescio quàm probabiliter.

babiliter. Ego certè etiam hunc mente quàm auribus Divinos afflatus audiisse sæpius credibiliter dici posse putaverim. ¶ Porrò quòd Josua *Mosis minister* vocatur, id quoq; ad præsentem locum est accommodatissimum. Rectè enim cum eo loquitur Deus de suscipiendo imperii munere, quem Moses compluribus jam annis per familiarem consuetudinem ad ejus administrationem omnibus necessariis præceptis erudierat. Sed observandum est, Eum non vocari עבר, h. e. *servum Mosis*, sed משרת, *ministrum*. Neque enim vir inter suos tribules primarius servitutem Mosi servierat; sed eum officiosè comitatus, observaverat. Unde à LXXII interpretibus nunc *ὑπουργὸς*, alibi *λειτουργῶν*, semel atque iterum *παρεστηκὼς*, pro vocabulo משרת redditum est. Hæc eò moneo, nè quis Mosis exemplo cum servitiis reipub. consilia communicanda putet, quæ prudentissimi homines existimant his clàm haberi debere. *Servus enim*, inquit Christus, *nescit quid faciat dominus ipsius*, Joan. 15. 15.

2. *Moses servus meus mortuus est*, &c.] Moses, inquit, qui adhuc imperator populi mei fuit & Dux, atque in eo munere fidam & mihi gratam operam navavit, ut pro meo ipsum servo frugi habere non dedigner, is defunctus est; & proinde respub. Duce orba est; quare agè tu, quem dudum illi successorem designavi, & solenni ritu consecravi etiam, atque insuper spiritu sapientiæ auxi, trajicito hoc flumen Jordanem, & multitudinem istam universam tecum traducito in Chananæam. Ego enim, cujus est omnis terra, & quidquid à terra sustinetur, Psal. 24. 1. cujus est universus orbis cum suis habitatoribus, ego qui moderor imperiis hominum, & quibus volo ea do, Dan. 4. 29. terram istam jam nunc illorum esse jubeo; qui, cùm sint ex Israele prognati, hæredes sunt mearum veterum promissionum, quas præstandi jam tempus adest, &c. Admirabilis profectò hìc apparet Dei erga miseros mortales benignitas *καὶ φιλανθρωπία*, qui ipsos pro suis servis habere non dedignatur; quamvis, ut omnia præstiterint quæ jussi sunt, *servorum* tamen nomen mereri nunquam possunt, Luc. 17. 10. Neque enim ullis Dei utilitatibus servire queunt. Sed quis est omnium qui usquequaque mandatis Dei obtemperat? Certè Mosen id non fecisse constat; quem suum peccatum à Chananæa exclusit. Plurimùm ergò Josuæ animus, cæteroqui difficultate rei fluctuans, hoc dicto confirmari debuit, cùm intelligeret ille, sperare se posse, ut Mosis, ità suam operam, etiamsi tanto muneri longè impar foret, tamen Deo, pro ipsius benignissima indulgentia, acceptam fore. ¶ Particula illa ועתה, quam interpretatus sum *jam ergò*, crebra est apud Hebræos: significátque plerumque non tam præsens tempus quàm rei quæ narratur consequentiam *καὶ ἀκολουθίαν*, ut Gen. 3. 22. ועתה פן ישלח ידו, *Itaque nè extendat manum suam*, rursus 4. 11. ועתה ארור אתה *Jam ergò maledictus es*, & 21. 23. ועתה השבעה לי *Itaque jurato mihi*. Quin in hujuscemodi enunciatis, in quibus verbo modi mandativi jungitur, simul vim quandam urgentem & maturantem habet. Exempla ubique obvia sunt. Igitur quod ad præsentem locum attinet, Deus ex illa sumptione, quâ Mosen vitâ excessisse dixerat, quodam modo concludit, atque etiam urget Josuam, ut maturet capessere rempub. Imperatore orbam. ¶ Quin ipsum etiam verbum קום *Surge* hortandi potiùs adverbium esse videtur sæpe quàm ad erectum corporis habitum spectare; ac si dicas, *Eja, agé*, eámque ob rem fortassis hoc loco nulla copula est; nisi si *τὸ ἀσύνδετον* celeritatem & festinationem significare mavis existimare. ¶ Jordanis fluvius, Euangelicâ etiam historiâ nobilis, in Libani radicibus oritur, & quidem, ut plerisque scriptoribus placet, fonte gemino, dextro Dan, sinistro Jor; ut ità ex junctis istorum nominibus, sicut & confluentibus aquis, fiat *Jordanis*. Sed Talmudici, cùm aliis in locis, tum ubi de secundis decimis rei pecuariæ tractant, aliam ejus appellationis tradunt rationem; sic enim enodant *Jordanis* nomen, quasi ירדן significet יורד מדן, ac si dicas, *Descendens è Dan*. Nam oppidum Dan, quod antiquitus *Lais* & *Lesem* dicebatur, apud Panium exstabat, hoc est, præcipuum Jordanis fontem, ut Plinius est opinatus: quanquam Josephus Bel. Jud. l. 3. cap. 10. ex ipsa usque Trachonitide primam Jordanis originem repetat, è lacu quodam rotundo, quem *Phialam* vocant à figura: Indè enim terrâ conditas aquas ad Panium antrum, prope Dan, hoc est, Philippi Cæsaream, ferri, atque illic demum per scatebras erumpere in lucem. Cui certè rei argumento esse videtur ipsa etiam illius lacûs appellatio, quam ab illis qui loca ea perlustrarunt accepimus: aiunt enim vulgò vocari *Majedan*, hoc enim est ac si *aquas Dan* dicas. Porrò ubi ex Paneade ad millia pass. circiter 15. profluxit Jordanis ad Austrum versùs, diffunditur in locum palustrem, quem *Samechonitin* nostri, sed *Saichonitin* Talmudici, si exemplaria non sunt mendosa, vocant. Ibíque ità restagnat, præsertim quo tempore nives in vicinis montibus solvuntur, ut paludem putes: sed hoc stagnum crescente æstatis calore propè universum siccatur, & densâ fruticum materie obsitum feras nutrit atque occultat. Ab hoc deinde loco longius etiam emensus spatium, excipitur à lacu Genesara, quod nomen ab Hebræo כנרת factum esse arbitror; de cujus lacûs amplissima & fertilissima amœnitate non est nunc dicendi locus. Post Genesaram haud longè progressus recipit venientem à sinistris Galaaditidis montibus torrentem Jaboc, Jacobi historiâ nobilitatum, Gen. 32. 22. Tandem verò in mare Mortuum, sive lacum Asphaltiten receptus, laudatas suas aquas cum bituminatis & pestilentibus, ut ait Plinius, miscet; atque ab his ità impeditur ut fluere desinat. Sed plura de Jordane si quis requirit, legat Plinium l. 5. c. 15. & Josephum De bello Judaico, l. 3. c. 18. ¶ Pronomen demonstrationis *istum* propinquitatem fluminis ostendit; propè enim aberat à castris, quæ ad Sittim facta fuerunt: quod capite proximo explicabimus. Quanquam si quis illud זה esse emphaticum, non demonstrativum, existimare malit, non pugnavero contra. LXXII sanè, ut penè supervacaneum, non reddiderunt. ¶ Sequitur in ordine sacrorum verborum, *Tu & omnis populus iste*] Eadem facere jubetur Imperator quæ parentes; sed primo loco; ut suo exemplo hortetur cæteros scilicet. Quippe boni imperatoris est, non vitæ commodis, sed prudentiâ, fortitudine, aliis virtutibus antecedere subjectos. Iniquè enim postulet eos sibi parere quibus nihilo ipse sit ad rectè consulendum melior. Rursúsque mollis, ignavi, impudentis animi fuerit, ea imperare cæteris quæ ipsus vel aggredi vel perferre non sustineat. Cæterùm nota illa universitatis *Omnis* commodè accipienda est. Non enim debent illi etiam trajicere quibus citra flumen in Galaaditide considere permiserat nuper Moses, præter paucos, qui fratribus suis transeuntibus opem ferant; ut v. 12. audiemus: nisi si quis putet demonstrativum *iste* eos modò ostendere qui in castris præsentes erant; duas verò tribus & dimidiam adornandis possessionibus, quas paulò antè acceperant, occupatas abfuisse. ¶ *In terram quam ego do ipsis filiis Israel*] Pronomen *Ego* emphasin habet. Nemo enim præter unum Deum, nisi violatâ justitiâ, potuit ereptam veteribus possessoribus regionem donare novis. Hic enim, cùm sit totius mundi effector & Dominus, sic suas cuique genti sedes in terris attribuit, ut eas precariò quidem possideant, si donantem illum spectes; cæteroqui verò prorsus ut legitimi hæredes obtinere eas adversùs externas injurias debeant. Frustrà ergò Manichæi, dum Chananæorum causam agunt, culpant Deum, qui precarias possessiones flagitiosissimis & planè indignis clientibus beneficiariis suis ademit, eásque suo populo donavit; cùm debeant potiùs admirari, venerari, exosculari mirificam illius lenitatem & patientiam, Rom. 2. 4. qui annos plùs quàm quadringentos summâ suâ benignitate illos, ut ad meliorem mentem redirent, invitaverat, Gen. 15. 16. cùm interim ipsi, eâ ejus lenitate contemptâ, qui ipsorum erat durus & obstinatus animus, per omne improbitatis genus pergerent sibi ejus supplicii causas cumulare quod tandem justo Dei judicio dederunt. Sed D. Augustinus sermone 105. De temp. tom. 10. (ut hoc addam) aliam affert à Patribus traditam, atque, ut ait, verissimam caussam, cur eliminatis

eliminatis Chananæis justè Israelitas successisse existimandum sit. Nempe dum orbem terrarum inter se partirentur Noæ filii tres, eam partem quæ pòst *Chananæa* est appellata obvenisse Sem, atque ab hujus posteritate possessam diu cultámque fuisse; tandem verò Chananæos, homines feroces & barbaros, quippe ex impio Cham prognatos, & insuper avi sui detestatione efferatos, sive cœli clementiâ, sive soli ubertate, sive suâ quadam libidine incitati fuerint, per vim legitimos illos pepulisse possessores, sedésque tam felices occupasse: ac proinde nunc jure eas nepotibus Sem à Deo restitui. Nam Abrahamum ex Sem prognatum esse docet sacra historia. Eadem ferè ab Epiphanio, scriptore optimo, sunt literis mandata, lib. 2. contra hæres. tom. 2. hæres. 66. qui Melchizedeci regnum quod in Salem is obtinebat, pro certissimo ejus rei adducit argumento; cùm aut ipse esset Sem aut ex Sem natus. Sanè istius vetustæ famæ, quam Augustinus à majoribus esse acceptam ait, habuerunt etiam Syri olim, ut apparet, magnam opinionem. Nam Jacobus Orrhohaita, h. e. Edessenus, qui nobilissimi apud eam gentem scriptoris Ephraimi præceptor fuit, scriptum reliquit; Noam ante diluvium in regione quæ pòst *Chananæa* est appellata, habitavisse, & eam suo filio Sem post diluvium, hæreditatis loco assignasse; ut memorat Moses Bar-Cepha, in opere de Paradiso, quod nos nuper Latinum fecimus. Sed ut id non credatur: neque enim argumentis satis firmis probari potest; neque usquam ab Israelitis opponitur: quos tamen, juris æquitate, nulla præscriptio, propterea quòd vi fuissent olim de sua illa possessione dimoti, dejectíque à Chananæis, exclusisset: illud certè nemo, nisi impius, negaverit, meræ liberalitatis esse quidquid Deus largitur mortalibus ac proinde neminem unquam, nè probissimum quidem, & qui planè secundùm hujus voluntatem vivat, jure expostulare posse, si quid eorum quæ ab ipso acceperit amittat; nedum improbos & adversus eum contumaces, quales fuere multis modis Chananæi. Est igitur illud *Ego* ac si dicat, Qui universæ terræ Dominus sum, qui rerum humanarum vices pro æterno meo consilio justissimâ ratione moderor. Ad hoc, præcipua in illo verbulo vis est excitandi confirmandíque Josuæ; continet enim in se præcipuos locos suasorios ad præcedentem hortationem accommodos; ab utili, à facili, ab honesto, à contrario malo. Neque enim potest non esse utilissimum atque optimum quod ab optimo parente Deo nobis datur. Deinde, quid potest esse tam difficile quod non facilè consequamur atque obtineamus si Deus ipse objiciat? Postremò quod vel maximum est; quis non metu Dei, atque pudore percellatur, si quæ bona ille tam planè offert, ea negligat, & frustrà elabi patiatur? Observandum porrò est, *Dandi* verbum tempore præsenti hoc loco positum esse; ut intelligamus ad summam improbitatem jam pervenisse Chananæorum scelera, quartúmque esse exactum seculum, Gen. 15. 16. atque insuper annos quadraginta plectendis rebellibus in deserto consumptos; ac proinde adesse tempus quo ea quæ olim Abrahamo, Isaaco, Jacobo sunt promissa, præstentur: itaque jam nunc Deum, ut justum Judicem, pronunciare hoc verbulo, Israelitas esse Chananææ dominos, prioribus verò incolis omne jus adimere atque eripere: ut hi posthac non aliter in ea terra, quàm in alieno solo habitare existimandi sint. Nam quòd non è vestigio ab omni prorsus possessione dimoventur atque dejiciuntur Dei solo nutu, ejus rei gravissimæ sunt causæ. Dispensat enim ferè prudentissimus rerum moderator Deus res mortalium per humanas operas. Tum propensissimam ipsius benignitatem plurimùm etiam ipsa Israelitarum ignavia, aut improbitas veriùs, impediebat: Ad hoc, non erat ex ipsorum re ut subitò universa regio, pulsis cultoribus, vasta, ferísque habitanda relinqueretur; cùm ipsi totam nondum, præ sua paucitate, possent occupatum ire. Verissimè enim est à Cyro superiore apud Xenophontem dictum, Instit. Cyri l. 4. *simul à bonis rebus omnibus regionem vacuam nudámque fieri, quæ ab hominibus vacua fit.* Jam verò, quoties Abrahamo, Isaaco, Jacobo hujus hæreditatis spem fecit Deus; fecit autem sæpe; verbo temporis futuri toties est usus. Non igitur nunc temere præsentis temporis verbum esse scriptum puto, quanquam Latinus id in futuri commutaverit; nimirum ratus *dare* pro *tradere* positum esse, ut proximo versiculo. ¶ Quod in verborum sacrorum ordine sequitur, *ipsis filiis Israel*, Hebraismus est, dum ἐξηγητικῶς ea Nomina in oratione adduntur quæ alioqui per posita antè ipsorum loco pronomina satis expressa videri poterant: qualis est illa quoque in Exodo phrasis, 2. 6. ותראהו את הילד, *Et vidit ipsum, puerum*: in quo loquendi genere vulgus solet apud Latinos addere particulam, *scilicet*. LXXII interpretes, ut supervacaneum, non reddiderunt illud; sed non est profectò hîc otiosa *Israelis* mentio. Disertissimè enim tum hanc illis promittebat Deus terram cùm Jacobo *Israelis* nomen imponeret; his enim utebatur verbis, Gen. 35. 10. *Nomen tuum est Jacob: non vocaberis posthac nomine Jacob; sed Israel erit tibi nomen: indiditque ipsi nomen, Israel. Et ait ad ipsum Deus, Ego Deus fortis pollénsque: cresce & augesce; gens & cœtus gentium ex te nascetur, regésque ex tuis lumbis prodibunt: & terram quam promisi Abrahæ & Isaac, eam tibi dabo, & semini tuo post te dabo eam terram*, &c. Apposité igitur *filios Israelis* eos vocat cùm jam illa promissa ad rem confert. Sed posset hîc moveri quæstio, Fueríntne duo illa regna, Og & Sehonis, quæ duabus tribubus & dimidiæ nuper cis Jordanem donata à Mose sunt, pars Terræ promissæ; quando hæc, ut apparet, trans Jordanem nunc demum peti jubetur. Verùm ea de re erit alius dicendi locus aptior. Interim hic illud tenere satis sit; præcipuas Chananææ sobolis sedes trans Jordanem positas fuisse; atque ejus terræ partis rationem maximam fuisse habendam, quam legitimo suo cultui primùm dicari, & in qua deinde salutare dispensationis Filii sui Jesu Christi mysteriū olim peragi Deus volebat. Cæterùm diximus Josuam sive Jesum nobis adumbrasse Jesum Christum. Ei typo pulchrè profectò subserviunt verba horum duorum quos jam explicavimus versuum, si ἀναγωγικῶς accipiantur. Post mortem enim Mosis, h. e. post finem legis Mosaicæ, quæ Deo ut filiorum pædagogus servierat, missus est à Deo Patre Josua, sive Jesus Christus, minister Mosis. Fuit enim ille *minister circumcisionis, propter veritatem Dei, ut rata ea faceret quæ majoribus fuerant à Deo promissa*, Rom. 15. 8. fuit etiam Mosis *legi obediens*, *ut eos qui legi erant subjecti redimeret, atque per adoptionem in filiorum libertatem vindicaret*, Gal. 4. 4, 5. Missus, inquam, est Jesus Christus, ut eos quos Moses per loca vasta, invia, sterilia oberrantes adhuc circumduxerat, nec ad promissam quiverat hæreditatem introducere, h. e. qui in horrida, difficili & sterili Lege, atque *umbra futurorum bonorum* adhuc versati ad ipsam rerum perfectam repræsentationem pertingere non poterant, Heb. 10. 1. eos ipse per Jordanem, i. Baptismum, quo virtute sanguinis illius expiamur, & sacrosanctis æternæ hæreditatis mysteriis initiamur, duceret in terram semini Abrahæ promissam, ubi rebus ipsis, non rerum umbris potirentur fruerentúrque. Baptismum enim non obscurè significari per Jordanem, quis ex historia Christi & Joannis non intelligit? Matth. 3. Sed hæc hactenus. Nobis enim constitutum est, pro nostra mediocritate, ipsa sacri hujus commentarii verba potissimùm explicare, eáque sensa patefacere quæ ad historiam rerum gestarum pertinent: Ipsas verò anagogas & mysticos sensus non nisi parcissimè attingere, sed illis prolixiùs persequendos relinquere qui & majoribus ingenii luminibus à Deo præditi, & in illiúsce generis interpretatione pro concionibus dicendo exercitati sunt; præsertim cùm videamus copiosè hoc ab Adamantio esse præstitum: Quo viro nescio an post natum Christum vixerit quisquam vel ingenio majore, vel in Sacris literis exercitatiore.

3. *Omnem locum quem calcabit planta*, &c.] Poterat quidem ac debebat etiam Josua illo solo Dei verbo, *Ego do*, contentus, certissima cum fiducia quod jussus erat aggredi, atque in terram hostilem audacter cum omni populo trajicere, fretus ejus auctoritate cujus nemo inelucta-

 bili

bili poteſt voluntati obſiſtere. Sed profectò haud facilè humanus animus abſolutam illam Dei, ut ſic dicam, omnipotentiam capit. Et ut per fidem in ea tandem aliquando acquieſcat, ac, quod Apoſtolus de Abrahamo memorat, Rom. 4. 18. *fide contra fidem credat*, tamen vix fit ut ſecum non diſceptet ipſe atque luctetur, dum rerum propoſitarum difficultatem, &, ut ſibi videntur, ἀδυναμίας apud ſe expendit; útque modos ſaltem rationéſque quibus illæ confieri poſſint, aut alia adminicula pro fide illa ſua confirmanda, non requirat. Eſt enim ejus rei illuſtre nobis exemplum propoſitum in eo, quem modò dicebam, Abrahamo, Gen. 17. 17. Ejus enim fidei vigor, mirificus ſanè, vix tandem poſt iteratum Dei promiſſum potuit obſtacula gignendi ex Sara filii prorſus perrumpere. Præclariſſimum etiam alterum in ipſa D. Virgine Maria: quam non crediſſe verbis Angeli, præſertim ſuaviſſimo nuntio Divinæ gratiæ apud animum ſuum confirmatam, exiſtimare nefas ſit: Et tamen exquirit qui poſſit fieri quod nullâ niſi Dei potentiâ effici poſſe intelligebat, Luc. 1. 34. Igitur nè quid titubet Joſuæ animus, ſuccurrit Deus ultro: & quod implicitè atque abſconditè illis verbis, *Ego do*, ſignificarat, id jam patentiùs atque explicatiùs proximis iſtis ad decimum uſque verſiculis proſequitur. Nam quod ait, *Omnem locum quem calcabit*, &c. eſt ac ſi dicat; Ego non ſolùm jure omni veſtram eſſe volo eam terram in quam vos jubeo trajicere, verùm etiam omnia quæ vobis poſſeſſum illam euntibus obſiſtere poſſint, ea ità comparabo, ut in quamcunque illius partem pedes intuleritis, ea pars in veſtram poteſtatem facilè ditionémque ſit conceſſura. Eſt ergò iſta hortatio à facili, ídque v. 5. explicabitur apertiùs. Verbum igitur *Dedi* commodè hîc pro *tradere* ſive *dedere* accipiatur, interpretúrque per futurum tempus, ſicut factum à Latino eſt: Quanquam nihil abſurdi ſit ejus propriâ notione explicare, abſque temporis enallage, propter factam nuper, ut diximus, donationem. Nam quòd Moſes in Deuteronomio, dum hæc ipſa commemorat, verbo temporis futuri utitur (ait enim, *Omnis locus* &c. *veſter erit*) id facere ille debet; ut qui non rem vel præſentem vel præteritam, ſed futuram prædicit. Sed enim objiciat aliquis hîc nobis ipſum rei eventum, parùm, ut videtur, Dei iſtis promiſſis reſpondentem. Ad Hai enim primùm Iſraelitæ fugati, pars etiam cæſi ſunt. Deinde, ex Judicum hiſtoria certi ſumus, hoſtes non ſolùm ubique eliminari non potuiſſe, ſed etiam ipſum populum Iſraeliticum ab illis aliquando in anguſtias redactum eſſe. Atqui Deus in hiſce pollicitis de compacto agit. Receperant enim Iſraelitæ obſervare omnia quæ ille latâ lege mandarat: hoc ergò cùm ipſi parùm plenè atque probè præſtent, haud mirum eſt eum felicem rerum ſucceſſum quem Deus cùm ſæpe alibi, tum etiam hoc loco promittit, non perpetuo tenore pro illorum votis fluere, ſed ſubinde magnis calamitatibus pro maximis ipſorum flagitiis, interturbari. Non pendent quidem, fateor, Dei promiſſa ex hominum actionibus, quaſi cauſis neceſſariis: Quid enim ſummum rerum omnium atque immobilem cauſam impellat? ſed tamen poſita ſunt ſæpe illa in certa quadam ratione, quâ ſecundùm Divinam illius voluntatem procedant: quam voluntatem etiam ipſa cœleſtis doctrina nobis plerumque patefacit. Eóque fit ut ſi ſponte noſtrâ eam nos rationem non ſequamur, fruſtrà, quoad nos certè, ſint illa promiſſa: quanquam hoc interim tenendum eſt, nunquam prorſus irritum reddi conſilium Dei poſſe per hominum vitioſitatem: Quippe illi nunquam deeſt ratio ex mediis tenebris lucem producendi. Cæterùm quod de compacto & conditione, ſive de certa procedendi ratione jam dixi, cùm ex iis etiam quæ proximis verſibus de obſervanda univerſa lege memorantur, tum apertè conficitur ex illis dictis quæ Moſes cœleſti inſtinctu pronunciavit Deut. 11. 22. huc pertinentia. Sunt enim ex ipſa quæ præſens verſiculus citat, cùm habet, *Sicut locutus ſum ad Moſen*. Itaque hæc appendicula, ipſas dandi conditiones tacitè obſcuréque continet: quod etiam Theodoretus in Difficilibus Script. locis, ſenſit. Sic enim illic, veluti Dei ore, loquitur Moſes; *Nam ſi accuratè obſervaveritis omne hoc quod ego vobis mando, ut ametis Dominum Deum veſtrum, eatíſque per omnes vias ipſius, atque ipſi adhæreatis, exterminabit Dominus omnes gentes iſtas extra veſtrum conſpectum: vóſque occupabitis poſſeſſiones earum nationum, quæ majores fortiorèſque vobis ſunt. Omnis locus in quo figetur planta pedis veſtri, veſter erit à deſerto, & Libano, à flumine, flumine, inquam, Euphrate, uſque ad mare ultimum, pertinebunt fines veſtri. Non conſiſtet quiſquam coram facie veſtra. Terrorem metúmque veſtri incutiet Dominus Deus veſter univerſæ terræ per quam ituri eſtis, ſicut ad vos locutus eſt. En ego propono vobis hodie benedictionem & maledictionem; benedictionem quidem, ſi obediveritis mandatis Domini Dei veſtri quæ vobis hodie impero; maledictionem verò, ſi non parueritis præceptis Domini Dei veſtri, ſed deſciveritis à vivendi ratione quam ego vobis hodie præſcribo, atque ſequamini alienos & ignotos vobis Deos*, &c. Quis ex his non intelligit illa tanta Dei beneficia ex mutuis populi officiis pendere? Sed plura de his in explicando verſu proximo dicenda erunt. Eſt verò ex his etiam illud perſpicuum, cur Deus hîc Moſen potiùs quàm Abrahamum laudet, cui primò hæc promiſſa fecerat, & veluti ſolenni fœdere percuſſo ſanciverat etiam circumciſionis ceremoniâ, mutuum ab illo quoque ſtipulatus, ut vitam probam coram ſe viveret, Gen. 17. 8. Nimirum quia ipſiſſimis illis verbis Moſen ipſe affatus fuerat, & Moſes populum, quibus hîc Joſuam alloquitur. Huc addi poteſt & illud, quòd recens Moſis memoria Joſuæ gratiſſima, & intima cum Deo familiaritas eidem multis modis perſpectiſſima, auctoritatem multò graviſſimam apud ipſum iis oraculis quæ à Moſe prodita dicerentur, conciliare debebant, animúmque ejus concitare ac permovere magis quàm ſi vetera illa apud Abrahamum, Iſaacum, Jacobum denique acta commemorarentur, quæ per aliquot ſeculorum intervallum obſoleviſſe & reipſa refutata eſſe poterant videri, niſi apud Moſen in tam familiari cum Deo conſuetudine renovata fuiſſent. In vetuſtis commentariis quæ vocant ספרי, ſcripta in Exodum & Numeros, quorum auctor eſt R. Simeon Johai F. qui & librum Zohar in Pentateuchum ſcripſit paulò poſt everſam à Tito urbem Jeruſalem; in iis, inquam, commentariis, poſt multam diſceptationem Talmudicorum, qui illic citantur, de veritate iſtius enuntiationis, *Omnem locum quem calcabit*, &c. tandem ſtatuitur, ità demum permiſſum hîc eſſe Iſraelitis à Deo ut quaſvis regiones occupatum irent, atque ſub ſuam ditionem ſubjungerent, ſi univerſam Chananæam, quàm latè proximo verſu deſcribitur, antè ſuo imperio occupaſſent. Et proinde David apertè ab illis accuſatur, quaſi legem hanc violarit, cùm Meſopotamiam & Syriam Zoba debellaret, Jebuzæis etiam tum intra Jeruſalem, atque propè apud ipſam regiam, habitantibus. Sic ferè Talmudici illi, cæci, ſtupidi, bardi profectò homines, qui non intelligebant univerſitatem iſtam, *Omnem locum*, in proximo verſiculo certis definitam eſſe terminis. Sed excæcati ſunt miſeri, poſtquam Solem juſtitiæ ab ſe amoliti ſunt, uſque adeò ut neque oculis neque auribus percipere, animóque intelligere queant quod rectum probúmque ſit atque verum, Rom. 11. 8. Et indigna profectò eſſent ipſorum dicta pleraque omnia quæ proferrentur, niſi & illuſtriorem redderent Euangelicæ veritatis gratiam majeſtatémque tam tenebricoſæ atque inſulſæ nugæ, & deſipientium hominum ridicula ſomnia in apertam lucem protracta, & ſimul omnem Judaicæ ſuperſtitionis doctrinam re atque exiſtimatione condemnarent ac ludibrio exponerent. Quanquam fatendum eſt, eſſe etiam apud ejus gentis ſcriptores nonnulla quæ utiliter noſtris hominibus exponantur; partim quia noſtræ religionis dogmata affirmant; alia quia S. Scripturæ verba rectè interpretantur: quod etiam Thomas, Liranus, Porchettus, Burgenſis, Raimundus, Nebienſis, alii animadverterunt, & ſuis ſcriptis prodiderunt.

4. *A deſerto, & uſque ad Libanum iſtum, & uſque ad flumen*, &c.] Definit hîc Deus univerſam Iſraelitarum hereditatem, rudi modo, à tribus cœli regionibus. Deſertum

sertum enim, quod quà צִין *Sin*, quà קָדֵשׁ *Cades* vocabatur, hodie autem vulgò *Al-Hiset* dicitur, positum erat à Meridie. Libanus vero, & longè ultra Libanum Euphrates, partem Septentrionalem determinabant. Mare magnum, h. e. Mediterraneum, claudebat Occidentem: huic ideo *magni* cognomen attribuitur, quia lacubus & paludibus, quæ apud eam gentem etiam maria vocantur, majus est. Ab Oriente erat Jordanis: sed hîc jam non nominatur, quia ab eo fines isti à Deo ostenduntur Josuæ. Pertinebant enim castra, quæ in campis Moabiticis fecerant, propè ad Jordanem, è regione Jerichuntis, Num. 33. 48. ¶ Cæterùm illud, *Omnis terra Hetthæorum*, non designat terrenum aliud extra istos fines; sed ideo, nisi fallor conjecturâ, provinciæ Hetthæorum singularis mentio fit à Deo, quia de ea expugnanda quàm de aliis Chananææ partibus diffidere magis potuere Israelitæ, ut in qua Ænacinos giganteâ mole homines conspexerant speculatores Mosis: eorúmque fama extremo pavore universum populum perculerat, & propemodùm ad repetendam Ægyptum redegerat, Num. 13. 33. & 14. 1. Hetthæos enim ea loca quæ circa Bersabeam sunt, quæque sursum porriguntur, & latè circum Hebronem jacent, incoluisse, cùm historia emptæ speluncæ duplicis, Gen. 23. & 25. 9, 10. tum Rebeccæ ad maritum verba, quibus amandandi filii sui Jacobi magnam rationem prætendebat, Gen. 27. 46. atque etiam nuptiæ Esau clarè ostendunt, Gen. 26. 34. Nè igitur ulla Imperatoris animum difficultas perturbet, aut etiam populi, cùm evestigio sit in Chananæam trajiciendum, addit Deus explicatè, ea etiam loca redactum iri in potestatem Israelitarum, cùm primùm illuc pedes intulerint, quæ præ cæteris inexpugnabilia visa fuerant, nimirum quæ ab Hetthæis tenebantur, gente omnium Chananæorum bellicosissimâ. Fuisse enim Hetthæos viros bellicosos, satis magno argumento est Syrorum trepidatio, cùm eos à Rege Israelitarum adversùs se conductos esse suspicarentur, ut in Regum historia memoratur, 4 Reg. 7. 6. Si quis tamen existimare malit *Hetthæorum* nomen positum hoc loco esse pro omnibus 7 gentibus quæ capite tertio enumerabuntur, h. e. ut *terra Hetthæorum* sit universa Chananæa, sicut alibi omnes Chananæi vocantur *Amorrhæi*, alibi alio uno nomine ex 7 gentium nominibus συνεκδοχικῶς, haud ille fortassis à vero aberret: nobis tamen prior illa sententia visa est ad veri similitudinem esse propensior. ¶ Ad nomen הַלְּבָנוֹן *Libanum* accommodavi ἀπὸ κοινοῦ, ut loquuntur Grammatici particulam עַד, quæ mox sequitur; quòd ea mihi sententia aptior videretur, & alioqui non nescirem literam ה He sæpe etiam præpositam locorum nominibus vice præpositionis *ad* fungi, quanquam postpositam sæpius. Sed nè absurdam videar constructionem commentus esse, ostendam planè geminam in Regum historia, in istis verbis, 3 Reg. 4. 21. מִן הַנָּהָר אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים וְעַד גְּבוּל מִצְרָיִם׃. Est enim istorum verborum sententia, *Solomonem esse dominatum à flumine Euphrate usq; ad regionem Philistinorum, & usque ad Ægyptum.* Cæterùm demonstrativum הַזֶּה *istum*, ut nuper dicebamus, sic accipi potest ut κατ' ἐξοχὴν & præstantiam montis Libani significet: quanquam est credibile ex campis Moabiticis eum, ut est altissimus, oculis cerni facilè potuisse, atque à loquente Deo demonstrari. LXXII pro *Libano* dixere *Antilibanum*; ut alibi sæpe. Nec id mirum est, cùm sint re ipsâ unus mons, sed qui versùs mare Mediterraneum laxiore valle veluti dividitur. Plinius utrumque describit his verbis, l. 5. c. 20. *A tergo* inquit, *Sidonis mons Libanus orsus, mille quingentis stadiis Simyram usque porrigitur, quà Cœle Syria cognominatur. Huic par, interjacente valle, mons adversus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus.* At Strabo l. 16. ut videtur, meliùs explicatiúsque, Libanum apud Tripolim, & huic vicinum oppidum, quod Θεοῦ πρόσωπον vocant, Antilibanum verò apud Sidonem orsos describit. Porrò nominis לְבָנוֹן *Libani* notatio *thus* significat, ut Hebræis, ità Græcis. Constat enim Libanum cedrorum atque aliarum resinosarum feracem arborum esse; ex quibus credibile est, si non pretiosissimum illud Sabæum thus (cujus arboris faciem incognitam Romanis fuisse Plinius dixit l. 12. c. 14.) at thuris saltem speciem quandam excipi. Nam idem Plinius alio loco [l. 13. c. 6.] prodidit Terebinthum quoque masculam in Syria thus producere; quòd sanè Sabæo illi thuri, diversæ arboris resinæ, cognatum esse non potest: quam solam resinam *thuris* nomine dignatus est vates, cùm caneret, Georg. 2. *Solis est thurea virga Sabæis.* ¶ Euphrates etiam alibi *flumen magnum* appellatur in sacra historia: quo epitheto similiter Tigris insignitur à Daniele, 10. 4. fortasse quia ambo [orti] ex Paradiso, aliis fluviis præstantiores existimantur. Sed Euphrates non rarò κατ' ἐξοχὴν solius *fluminis* nomine significatur. Nam ei Tigris multis nominibus de præstantia concedere debet. Talmudici שְׁבוּעוֹת פ״ז c. 7. *De juramentis*, Eufratem *magnum* vocari *fluvium* statuunt, quia terram omnium præstantissimã, quam Israelitarum terram appellamus, terminat. Atqui eâ ratione Jordanis vel maximus dicatur meritò. Illi autem ipsi auctores, in commentariis quæ vocant בְּרֵאשִׁית רַבָּה *Bereschith rabba*, (non illis quidem quæ à R. Mose Hadarsan, h. e. *Concionatore*, sunt conscripta; hæc enim, ut nostræ crebrò doctrinæ consentanea, videntur Judæi conspiratione quadam suppressisse; sed in alteris, quæ R. Osaias, nisi fallor, congessit) nomen פְּרָת *Phrat* sic enodant quasi à verbo פָּרָה formatum *fertilitatẽ* significet; sanè non absurdè. Nam cæteras quas illic tradunt notationes, ut ridiculas, piget referre. Sed cur Græci Euphratem dicerent, quem Hebræi priores פְּרָת, q. *Phratem* dicas, appellabant, indè opinor evenisse quòd in Genesi, ubi primùm hoc nomen est à Mose proditum, vocula ἀρθρικὴ הוּא, quæ ferè sonat εὖ, nomini præposita, ab eo qui primus in Græcam linguam Mosen convertebat, sit inscienter ipsi nomini adjuncta. Describit autem Euphratem Geographus omnium diligentissimus Strabo his ferè verbis l. 11. *Est*, inquit, *Euphrates Tigride major, plúsque terra peragrat; ex iis Tauri partibus quæ ad Aquilonem vergunt confragoso ortu promanans: unde ad Occidentem versùs per majorem, quam vocant, Armeniam fluit usque ad minorem: & hâc à dextris, Liscenâ verò à sinistris relictâ, intorquet se deinde ad Meridiem, simulatque Cappadociæ montes attigit: Quos montes, atque etiam Commagenes dextrâ, levâ verò Asicinsinen & Sophenen majoris Armeniæ regiones præterlabens, proripit se in Syriam; rursúsque reflectitur versùs Babyloniam Persicúmque sinum:* hæc Strabo de Euphratis ortu, & cursu. Plura etiam Plinius lib. 5. c. 24. sed nihil attinet plura hîc proferre. ¶ De mari magno diximus, Mediterraneum illud esse: Quod ubi Ægyptum alluit, Nilúmque excipit, *Ægyptiacum* appellatur: unde sursum, h. e. versùs Aquilonem, porrectum, sed molliter tamen in Orientem se sinuans, universam Chananæam ambit ab Occidente; & *Syricum*, mox etiam *Phœnicum* dicitur; tandémque in Issico sinu apud Ciliciam desinit. Quia autem, ut dixi, Occidentem Terræ sanctæ claudit, sæpe pro ipso *Occidente*, cùm de hac verba fiunt, usurpatur. Igitur in his verbis, *A deserto usque ad Euphratem*, descriptio est à Meridie in Septentrionem, quanquam sensim ad Orientem versùs recedatur. In Genesi hoc spatium his verbis expressum legitur, *A flumine Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem.* Verùm enimverò difficilis hic nascitur quæstio, Quorsum spectat hujus tam amplæ regionis promissio, quæ ad Euphratem usque pertineat, quando certum est, longè citra Euphratem ab ipso Deo aliis definitam esse Israelitarum hæreditatem quam sortitò inter se partiri jubentur, Num. 34. 2. imò nè hanc quidem angustiorem adversùs priscos incolas obtinere totam illos potuisse, ut est in Judicum historia multis comprobatum exemplis? Sed responderi verissimè, nisi fallor, potest, Deum despondisse atque destinasse Israelitis suis fines diversos duos; alteros qui non ultra eum locum qui לְבֹא חֲמָת, h. e. *aditus ad Hamath*, appellatus est, extendebantur in Septentrionem; alteros verò qui ulteriùs ad Euphratem usque excurrebant; & illis quidem angustioribus primùm contentos vivere, sorte inter se distri-

butis

butis, voluisse, usque eò dum magis magisque augescentes spatio ampliore opus haberent. Cùm verò, freti Deo, illos universos occupavissent, neque barbaris Deóq; invisis gentibus quidquam illic reliqui fecissent, tunc demum fore tempus quo possent etiam ultrà progredi, atque ad Euphratem usque omnia sub suam ditionem loca, ut sedes proprias, exactis possessoribus pristinis, subjungere, sibique ut hæreditatem suo jure vindicare; si tamen interim perpetuâ suâ adversùs Deum pietate dignos se ampliore ejus liberalitate præstitissent. Sed D. Augustini sententia est Quæst. in Josu. c. 21. reliquum illud spatium, quod ultra angustiores illos limites ad Euphratem usque pertingit, vectigale quidem facere permissum Israelitis fuisse, sed non suæ ipsorum hæreditati adjungere, veteresque colonos eliminare. Verùm ei sententiæ non satis consentanea videntur ipsa Dei verba, dum ait, *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi*: & apertè pugnant illa quibus in Deuteronomio de tribus aliis asylis olim, si usus sit, constituendis agit. Sic enim loquitur, Deut. 19. 8. *Si verò amplificaverit Dominus Deus tuus terminum tuum, sicut juravit majoribus tuis, dederítque tibi universam terram quam dixit se daturum illis; nempe si observaveris omne hoc mandatum, réque ipsâ præstiteris, quòd ego tibi hodie impero, h.e. amaveris Dominum Deum tuum, & semper institeris viis ipsius; tum addito insuper tria oppida ad ista tria; nè fundatur sanguis innocens in media terra tua quam Dominus Deus tuus dat tibi hæreditatem*, &c. Ex his enim verbis duo conficiuntur: alterum, laxiores illos fines nequaquam Israelitas initio possessum ire debuisse, aut potuisse etiam, sicut angustiores; sed tum demum illos sperare fas ipsis fuisse ubi diutinâ in Deum observantiâ atque amore se ipsi liberalitate majore dignos præstitissent: alterum, illud auctarium, si quidem aliquando prioribus possessionibus adjunctum iretur, non minùs atque has, proprium Israelitarum & hæreditarium esse futurum, non autem vectigale, sunt enim explicatissima illa verba, *Quam Dominus Deus tuus dat tibi hæreditatem*. Haudquaquã igitur periclitatur, nedum labefactatur, veritas promissorũ Divinorum, etiamsi suas possessiones hæreditarias protulisse nunquã Israelitas ad Euphratem usq; fateamur; quando sacram historiam recolenti perspicuum est, eos plerumq; ità parùm coluisse pietatem adversùs Deum, atq; amorem, ut multò magis admiranda sit hujus indulgentissima facilitas & misericordia, qui tanto tempore illos in felicissima illa Chananæa manere passus sit, quàm promissorum ejus constantia & fides in dubium vocanda. Multi existimant tamen, tunc cùm David & Solomon agitarent imperium, qui Reges Christũ adumbrabant, Israelitas longè & latè omnia ad Euphratẽ usq; possedisse. Nam de Salomonis amplissimo regno sic scriptum est in Regum historia, 3 Reg. 4. 21. *Et Solomon dominabatur in omnibus regnis, à flumine* (Euphratem intellige) *usq; ad terrã Palæstinorũ, & usq; ad fines Ægypti: adferebant munera, & serviebant Solomoni quàm diu vivebat*. Mihi tamen, quod doctissimorũ virorũ pace dixerim, illud ex his verbis minimè effici videtur. Etsi enim negari non potest, cùm Davidẽ tum Solomonem, ultra eos fines quos Josua Israelitis sorte assignaverat, longè latéq; partim subactis partim voluntariis provinciis imperasse; probari tamen non posse puto, earum provinciarum ullis potitos esse Hebræos ut suis possessionibus, coloniásque suæ gentis illuc emisisse, & (quod Deus, ut nuper commemorabam, jusserat) nova in illis asyla ut in sua terra, instituisse. Quippe permiserat illis Deus eorum populorum dominationẽ, at nondum tamen excidium. Quod dico explicatissima S. verbis res est. Nam mox post illa quæ de Solomonis imperii amplitudine jam memoravi, hæc sequuntur v. 25. *Et sedit Juda & Israel securè, quisq; sub sua vite & sub sua fico, à Dan usq; ad Ber-sabeam, per omne tempus Solomonis*. Nec magno intervallo ista, cùm sacrã ædẽ dedicasset Solomon; *egit Solomon eo tempore festũ, & omnis Israel cum ipso, cœtus maximus, ab aditu Hamath usq; ad flumẽ Ægypti, corã Domino Deo nostro*, &c. 3 Reg. 8. 65. Quis, quæso, non videt populũ Israeliticũ etiam tunc, cùm Solomonis imperiũ esset maximũ, non latiùs habitasse quàm patuere termini intra quos Josua possessiones cuique tribui distribuerat? Ad hæc, si quis 12 præfecturas quas instituerat Solomon, quo tempore imperii gloria florebat maximè, nominatorũ locorũ observatione peragret, nullas fuisse extra Chananæã institutas videbit, 3 Reg. 4. 7. Externũ igitur illud Davidis Solomonísq; imperiũ, quod etiã ultra Euphratẽ illi habebant, securitatẽ modò Israelitis, non etiã ampliores possessiones parabat. Neq; verò absurdũ est, si quæ sub conditione promittuntur, ut forensibus verbis utar, eâ nunquã exstante conditioñe, nunquã præstentur. Neq; tamẽ negaverim, illam tantã Dav. & Solom. potentiã fuisse obscurũ quoddã atq; adumbratũ specimẽ promissæ istius amplioris hæreditatis; sed quam tandẽ re ipsâ veri Israelitæ & semen Abrahæ per fidẽ essent consecuturi tum cùm Christus regnũ obtineret: quod apertè Ps. 72. perscriptum est, dum ea de Solomonis imperio verba fiunt quæ ad nullũ Regẽ aliũ quàm Christum accommodari rectè possunt. Sic igitur statuendũ est, meo certè judicio, Israelitas nunquã adeptos esse plenè atq; perfectè universam Chananæam, quã sorte inter se, auctore Deo, fuerant partiti, nedum quantũ terræ supra illam ad Euphratẽ usq; jacebat: Neq; tamen ideo irritum fuisse Dei consilium, aut promissa hæc, atq; alia vana. Etsi enim illi, nè tantâ felicitate potirentur, multis modis semper ipsi sibi obstitere, usq; eò ut illâ etiam regione quã præcisè obtinebant tandẽ expellendi atq; in exsilium abducendi essent; tantũ abest, ut ampliorem assequi mererentur; attamen in Christi regno in quo solo absolutus Ecclesiæ status spectari potest, ut cætera omnia quæ in Lege & Prophetis scripta exstant, ità hæc quoque promissa prolixè atque abundè præstita sunt. Sed erit de his dicendi locus etiam cap. 21. ad v. 40. & fortassis alibi.

5. *Non consistet quisquã adversùs te*, &c.] Quod nuper in tertii versiculi initio dicebam, id etiam nunc agit Deus: h.e. pergit aliis atque aliis modis confirmare animum Josuæ ad capessendum quod ipsi assignaverat negotium. Est autẽ præsens locus, à facili; ac si dicat, Non est quòd adire terrã illã cum populo metuas, quamvis & numero & viribus longè hostibus impar sis; aut tecum ipse disquiras quã tandem ratione loca illa adire possis quæ à ferocissimis barbaris adhuc tenentur. Eorum enim hostium nullus vestrum conspectum feret, nedum resistere vobis poterit. Et nè hoc non credas repete memoriâ Mosis magistri tui victorias de potentissimis hostibus, quas nullo negotio, meo fretus auxilio, sæpe est adeptus. Tibi enim similiter atque illi adero: immò verò nusquam abs te abero, nusquam te meo præsidio destituam; quo dum eris adjutus, nullum fuerit tam difficile bellum quod non facillimè confeceris, nec ullus tam lubricus ad peccandum locus ut te non sustineam. Sed enim vero simile fit ex superioris serie orationis, id modò hoc versiculo agi, ut is metus ex animo Josuæ pellatur quẽ hostilium rerum consideratione poterat concipere; sequentibus verò versibus eas simul eximi difficultates quas imperii procuratio secum trahere solet. Neq; enim plùs sæpe ab adversariis quàm à suis militibus metuere sibi imperatores debent. Neq; ignorabat ille, Mosi ubique adversùs hostium vires multò minus quàm adversùs populi contumaciã fuisse negotii. Cæterùm facilè patiuntur sacra verba ut curam utramque conjungamus, hoc sensu, Non consistet quisquam, vel hostium, vel popularium tuorum, adversùs te; illi patriam defendendo, hi tuum imperium detrectando. ¶ Quod porrò additur, *Omnibus diebus vitæ tuæ*, continuum felicis successûs tenorem pollicetur. Neque enim expetendæ illæ victoriæ sunt, quibus primùm blandientibus, in maximas deinde clades provehimur. Nam quòd quidam existimant eas calamitates tectè innui in quas se Israelitæ suâ secordiâ & adversùs Deum impietate ipsi conjecerunt post Josuæ excessum, id verò parùm est consentaneum prolixissimis istis pollicitis quæ superiore versiculo audivimus. Et profectò absurda sit parúmq; efficax Dei hortatio, si ità dicat, Traducito populum in Chananæam, nihil veritus fortiores hostes: non enim hi, te vivo, resistere populo meo poterunt: verùm post tua fata quid populo meo futurum sit, ipse viderit. Cùm enim bonus princeps nihil differre debeat à parente bono, ut rectè apud

Xenophontem

Xenophontem Chrysantas censebat Instit. Cyr. l. 8. nemo verò, opinor, dubitaverit quin Josua longè optimus fuerit princeps, qui potuit non esse de populo suo post se solicitus? quando videmus parentes probos suæ liberorum curæ & solicitudinis partem maximam ultra fata sua extendere. Non ergò veluti metitur Deus, in his verbis, victoriam Josuæ vitâ, eâque definit; nam nuper propagandos etiam ad Euphratem usque fines dicebat. Ejus verò rei eventus non ex Josuæ vita qui solam Chananæam erat distributurus, sed ex populi probo in Deum officio, ut dicebamus, pendebat. ¶ Porrò illud, *Sicut fui cum Mose, ero tecum*, causam continet ejus quod præcedit: ac si dicat, Ideo tibi nemo poterit resistere, quia ego tibi adero, ut Mosi olim. Monemur ergò, neque Mosen suâ virtute atque industriâ res illas præclarissimas gessisse quas gessit, neque (quod in hujus commentarii initio dicebamus) incredibilem illam felicitatem quâ imperium omnium difficillimum est à Josua administratum, ejus dexteritati, aut aliis virtutibus, quibus alioqui præditus atque ornatus erat maximis, esse adscribendam, sed Deo. Imò verò in universum sic statuendum esse, Neminem mortalium suo consilio viribúsque magna atque pulchra facinora facere, sed ea omnia uni Deo, qui hominibus ut administris utitur, accepta referri debere, quatenus certè proba sunt. Nam extremæ improbitatis fuerit, improbi facti Deum, qui ipsissima est probitas, auctorem existimare. Neque illud modò in iis rebus verum est quæ patrantur ab hominibus qui puram religionem susceperunt, sed juxtà in illis etiam quæ à profanis fiunt. Nam, ut antè dixi, quamvis Cyrum suum Xenophon magnis artibus, quas ex recta institutione percepisset, & simul indolis suæ bonitate fretum existimaverit maximas & admirabiles illas res gessisse, támque facile & stabile imperium in nationes propè innumerabiles & quidem barbarissimas obtinuisse, tamen revera non solùm monitore atque præmonstratore, sed etiam adjutore, imò verò, ut sic dicam, effectore Deo illa omnia esse à Cyro acta, testatur Deus ipse apud Isaiam 45. 1. his verbis, *Sic ait Dominus ad unctum suum Cyrum, cujus dextram apprehensam confirmavi, ut gentes sub ipsius imperium subjungam, & regum lumbos discingam, ut aperiam ostia ante ipsum; Neque portæ occludantur: Ego tibi praeibo, & amfractus ut sint recti efficiam; ostia anea confringam, & claustra ferrea laxabo; dabóque tibi thesauros qui in tenebris latent, & res occultè abditas, ut intelligas me esse Dominum, qui te appello nomine*; & quæ deinceps sequuntur in eandem sententiam prædicta multò antè quàm Cyrus esset natus. Sed interim diversa ratio proborum atque improborum administrorum est. Illi enim Dei in se efficientiam agnoscunt, eámque suâ obsequiosâ voluntate atque arbitrio quodam modo efficienter adjuvant: hi verò semet, non Deum, efficere quidquid id est arbitrantur; Deíque ductum, non aliter atque cæci, sequuntur imprudentes, dum non ad ejus voluntatem sese applicant accomodántque, sed sui animi libidinibus satisfacere propositum habent. Hujus rei luculentum nobis proposuit exemplum idem Isaias in Rege Assyrio c. 10. 5. cùm Deum inducit dicentem, se illo usurum pro virga furoris sui ad castigandum Israelem; verùm interim illum longè alia animo agitaturum; nempe plurimas se gentes exscindere velle, cùm proceres habeat regibus pares; neque urbem Jerusalem suis posse viribus & potentiæ resistere, qui alia regna quamvis majorum deorum præsidiis defensa everterit; Deum ergò, ubi per illum quæ constituit effecerit, Israelémque satis puniverit, tunc illius etiam fastum atque arrogantiam se dignis modis tractaturum, qui suæ potentiæ & prudentiæ, non Deo, illa facinora adscripserit: Indignum enim esse ut securis glorietur adversùs eum qui eâ utitur ad secandum quippiam, aut ut serra se jactet contra eum qui ipsam sursum deorsum ducit, *&c.* Summa est, earum actionum omnium quæ præclarè à mortalibus fiunt solidam gloriam ad ipsum Deum pertinere, tametsi ipsorum quoque hominum, modo quodam, propriæ sint actiones, per liberæ voluntatis obsequium ad effectoris Dei nutum accommodatum. Non enim similiter atque securi aut serrâ opifex, in quorum natura nulla mens, nulla voluntas insita est aut arbitrium, nobis utitur Deus; sed occulto quodam consilio & ratione sic moderatur nostras actiones ut eas quò velit dirigat, & interim tamen nostrum nobis arbitrium liberum constet; quamvis Deus sic illas moderetur efficienter, ut ea securis & serræ comparatio, quæ apud Isaiam est, minimè sit absurda; nostríque vel animi vel corporis conatus & studia omnia absque illa Dei efficientia prorsus vana atque irrita, imò verò nulla, futura erint. Sed ex iis quæ modò diximus hoc efficitur etiam; dum in actionibus illiuscemodi aliò Deus effector, aliò administer homo spectavit, hunc non solùm propterea quòd improbas animi sui cupiditates secta-tus sit, verùm etiam quod Dei operationem sibi arrogarit, flagitium fecisse: Et proinde eandem unam actionem, si ad Deum referatur justam sanctámque, si ad hominem administrum, sceleratam & flagitiosam esse posse. Ad hoc, Deum sæpe profanis hominibus uti ut fuste & virgâ, quibus suos erudiat: atque ideo quoties damnis, injuriis, angustiis, aliísque malis afficimur vel ab improbissimis nebulonibus, in mentem revocare nos debere Divinam esse animadversionem castigationémque, quâ nos Deus à recta via aberrantes ad officium revocat corrigítque. Sed jam longiùs à proposito abducimur. Illud igitur, *Sicut fui cum Mose, ero tecum*, causam ostendit tantæ felicitatis & Mosis & Josuæ in bellis, quanta utriusque historiis prodita est. Nimirum, quis illi resistat à quo Deus stat? Rom. 8. 31. Non est ergò in his verbis comparatio familiaritatis, quasi Josuam se eodem quo nuper Mosen loco habiturum Deus promittat (nam eam sententiam refellit quod in Deuteronomii extremo scriptum est) sed Divini auxilii. Unde à Chaldæo hæc sacrorum verborum circumscriptio sic reddita est, *Sicut verbum meum fuit auxilio Mosi, sic erit verbum meum auxilio tibi.* Quâ loquendi formulâ plerumque utitur iste interpres ubicunque Hebræum memorat Jehovam, h. e. Dominum Deum, esse cum mortalibus, aut eorum rebus interesse; ut credibile sit, vel imprudentem, prodidisse sacrosanctum Divini Verbi ab æterno in Patris sinu geniti mysterium. Quoties enim Deus præsentiam suam declaravisse Patribus, vel mortalium rebus intervenisse, séque his exhibuisse memoratur, id per Christum, qui Dei Patris expressa imago est, & qui destinatus Mediator inter Deum Patrem & homines semper fuit, esse factum, Theologi plerique omnes censent. Nam, ut Tertullianus adversus Marcionem l. 2. scribit, *Christus semper egit in Dei Patris nomine, ipse ab initio conversatus est & congressus cum Patriarchis & Prophetis.* Rursus adversus Praxean, *Christus ad colloquia humana semper descendit, ab Adam usque ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate ordinem suum præstruens ab initio semper: & Deus in terris cum hominibus conversatus est, non alius quàm Sermo qui caro erat futurus.* Et alibi plura in hanc sententiam apud eum auctorem leguntur. Justinus quoque Martyr & Philosophus nobilis idem multis rationibus apud Tryphonem Judæum comprobat. Neque verò soli Græci atque Latini sacrarum rerum scriptores vetustissimi, verùm etiam Syri eam opinionem habuerunt, ut ex ipsorum scriptis percepi. Hæc ego pluribus hoc loco sum persecutus, propterea quòd illa Chaldæi interpretis paraphrasis de *verbo Dei* crebrò in hoc commentario occurret. ¶ Porrò appendix illa quæ sequitur, *Non deseram te, neque destituam te*, minimè est supervacanea. Neque enim humanæ imbecillitati satis est, si ad virtutis officia exercenda, eáque agenda quæ proba sunt, subinde à Deo adjuvetur, nisi etiam ipsius perpetuâ gratiâ, quasi manu, fulciatur, nè suæ naturæ vitiositate continuò ruat in omnia vitia. Nam usque eò perditâ sumus conditione ut sine illo non solùm nihil boni possimus efficere Joan. 15. 5. verùm etiam nullum malum omittere. Itaque ut rectè à Cœlestino Pontifice dictum est, *Epist. ad Episc. ad Gal. 6. Planè sicut Deo adjuvante vincimus, ità rursus*

sus eo non adjuvante vincimur. Atque hoc elegantissimè nobis expressit David, cùm suam quidem post res prosperas invaletudinem, sed simul interim omnium mortalium conditionem, his verbis depingeret, Psal. 30. 7. *O Domine, cùm faveres, firmo robore montem meum muniebas: sed simul atque occultasti faciem tuam, sum conturbatus.* Nullum ergò unquam tempus est cùm Deo præsente opus non habeamus, ut is nostram infirmitatem sublevet, qui sine illo non solùm non vincere, sed nè pugnare quidem, imò neque de capiendis armis cogitare possumus. Atque ejus nostræ impotentiæ conscius nobis Pontifex noster clementissimus Jesus Christus orare nos assiduè docuit Deum Patrem, non solùm ut sic actiones nostras omnes comparet, quò, quæ ipsius voluntati consentanea sint, ea à nobis patrentur, sed etiam ut nostram perpetuò infirmitatem ità sustentet suâ potentiâ ut nè acerrimorum hostium nostrorum perpetuis insidiis, Satanæ dico, & carnis, succumbamus, aut usquam à probitatis officio ad improbitatem abducamur. Duo igitur illa hîc ultro pollicetur Deus Josuæ, & adfuturum se illi ad res rectè ubique gerendas, & nusquam absuturum, necubi suo, h.e. humano, permissus ingenio à vera virtutis via aberret. Eadem populo universo, Dei nomine, promittebat Moses, cùm diceret, *Nè metuatis illos; quoniam Dominus Deus tuus ipse vadit tecum: non deseret te, neque destituet te*, Deut. 31. 6. Eadem optabat David, cùm sic caneret, *Fuisti mihi auxilio: nè deseras me, neque destituas me, O Deus justitiæ meæ*; Psa. 27. 9. Sed enim, quod nos sumus interpretati, *Non deseram te*, est Hebraicè לא ארפך ídque rectè etiam vertas, *Non patiar te esse viribus remissis, animóve negligente.* Verùm ipsa remissio atque relaxatio hîc ad Deum ipsum pertinere potiùs videtur. Et hoc quoque Hebraicum verbum facilè patitur: ac si dicat Deus, Ego non ero negligens aut parùm sedulus in te sustentando.

6. *Esto fortis & firmus. Nam tu mittes populum*, &c.] Hîc, ut nuper monebam, animatur Josua, non modò adversùs hostes, verùm præcipuè ad fortiter sustinendam ipsam imperii molem. Idque apertiùs ex versibus sequentibus intelligitur, quibus regendi populi normam Deus Imperatori præscribit. Multa sanè cura summo imperio inest, multi ingentes labores. Debet enim Imperator eorum omnium rebus consulere quos suo vult imperio lubenter obtemperare. Quare neque nox iis dispiciendis quæ die, neque dies quæ nocte agenda sint, satis est. Neque ullum illi à curis maximis vacuum esse tempus potest qui id munus probè gerat. Sed præter istas difficultates plurimas, nemini in re communi versato non notas, fuere aliæ vel gravissimæ causæ quibus meritò Josua deterreri potuit ab ea tanta administratione. Perspectam enim habebat parentium suorum pervicacissimam contumaciam, non solùm adversùs suos Duces, verùm etiam ipsum Deum. Neque ignorabat quantas hoc illorum vitium sæpe turbas dedisset; quas nè Moses quidem ipse, quamvis & apud Deum & apud homines vir longè gratiosissimus, absque maximis incommodis componere aut sedare quivisset. Nihil jam dico de hostilium nationum ferocitate atque immanitate, de locorum inexpugnabilibus munimentis, quæ omnia Josuæ explorata erant; nam istarum rerum metus præcedentibus versiculis discussus satis videri potest. Cùm se ipse consideraret, suásque dotes cum magistri sui Mosis dotibus, cujus erat futurus successor, contenderet, dubium non est quin plurimùm sibi displicuerit, suæque tenuitatis & inopiæ conscientiâ perculsus animum desponderit. Non igitur mirum est quòd tam prolixè à Deo confirmetur, quamvis magnâ alioqui fortitudine animi prudentiâque polleat, atque etiam ad capessenda Dei jussa alacritate. Non enim ad rem uno impetu unâque impressione conficiendam, sed ad diuturnum & multis de causis difficillimum imperium vocatur. Et quò est prudentiâ majore, eò luculentiùs difficultates omnes animo prævidet. Quantus igitur existimandus est eorum hominum stupor, qui non solùm nullo vel Dei vel hominum hortamine opus habent ut maximos atque amplissimos magistratus, si sibi mandentur, accipiant, sed ipsi eos ultrò miserrimâ etiam atque turpissimâ ambitione captant? Sed planè sic est statuendum, eos tales homines, qui tam stultè magistratus affectant, nunquam quibus artibus quâque suâ virtute illos gerant quidquam pensi habuisse, sed id modò unum, ut suas sibi cupidines expleant; & proinde nullos honoribus illiusmodi minùs dignos esse quàm qui eorum sunt maximè candidati. Non commemoratur quidem hîc ulla Josuæ recusatio; qualibus Moses se pluribus etiam quàm oportuit adversùs instantem atque urgentem Deum esse usum, ipsus non dissimulat in Exodo, 3. 11. & alibi; verùm tamen benignissimus Deus, qui ultrò illum hisce tam multis hortamentis atque pollicitationibus sublevat, satis ostendit quàm ipse de se sentiret humiliter. Nam quantò sibi minùs arrogant homines, tantò magis cœleste sibi auxilium demerentur. Et cùm se ut miserrimos mortales ab rebus omnibus imparatos agnoscunt, tum demum Divinâ ope, quam ex animo implorant, & in qua fiduciam suam omnem collocant, digni habentur. Sine qua ope ut prorsus nihil boni in rebus humanis patrari, ità omnium minimè magistratus rectè geri possunt. Cùm enim, ut antè quoque est à nobis dictum, omnes homines suapte naturâ sint ad ἀυτονομίαν propensissimi, qui posset fieri ut ullus omnium in magistratu officium suum tueri quiret, nisi singulari præsidio Dei esset munitus & veluti circumseptus? Et verò quàm parùm feliciter illiusmodi funguntur muneribus ambitiosi illi suarum rerum ostentatores, multa quotidie tristia exempla docent, dum tandem à Deo destituti totas sæpe respub. secum in exitium trahunt. Verba illa duo חזק & אמץ rem eandem significant, *fortitudinem* sive animi sive corporis; hoc tamen loco ad animum pertinent. Efficit ergò illa ejusdem rei repetitio hortationem vehementiorem. ¶ Quod sequitur, *Nam tu mittes populum hunc in possessionem terræ*, &c. alio atque alio accipi sensu potest; Vel ut sit pollicitum, ex quo magnam animo fortitudinem concipere queat Josua. Perinde ac si ad hunc modum explicatiùs loquatur Deus, Sis magno & fidente animo: planè enim futurum est ut tu conficias quod Moses non potuit. Neque enim tibi obstabit quidquam cur minùs huic populo promissam hæreditatem distribuas. Vel ut exercendæ fortitudinis materiam contineat, h.e. ut causam explicet Deus cur illum fortem firmúmque esse jubeat: q.d. Magno tibi est opus animo & forti, cùm debeas hunc populum ducere possessum eam terram quam juratus promisi olim ipsius majoribus. Si posteriorem sententiam sequamur, magna fuerit emphasis in demonstrativo *hunc*, ac si dicat, Populum nunquam Deo, nedum suis ducibus, satis morigerum, sed cervicis semper durissimæ; populum ex iis prognatum parentibus quorum ego annos jam quadraginta contumaciam atque vecordiam pertuli in deserto, neque tamen voluerunt ad meas vias animum advertere, Psal. 95. 10. populum qui suâ immodicâ petulantiâ etiam Mosis animum, alioqui constantissimum, ità conturbavit ut adversùs me ille peccaret, Deut. 1. 37. Num. 20. 12. has, inquam, atque his similes alias difficultates ostendet nobis, sed occultè, demonstrationis pronomen *hunc*, si posteriorem sententiam amplectimur; quam ego certè præ altera probo, ut genuinam. ¶ Illud porrò, *Quam juravi patribus*, &c. argumentum continet certissimi eventûs rei. Jam enim exacta fuerat quarta generatio; tempúsque aderat cùm ea fieri deberent quæ Deus Abrahamo aliísque hujus populi majoribus jurejurando promiserat eventura posteritati ipsorum post quartam generationem, Gen. 15. 16. Illorum enim posteros demonstrat pronomen להם *ipsis.*

7. *Prorsus esto fortis, & firmus*, &c.] Particula רק non est hoc loco exceptiva, sed potiùs affirmativa, *prorsus, omnino*; aut expletiva, similiter atque in Genesi 20. 11. רק אין יראת אלהים במקום הזה, *Utique, certè, profectò, non est metus Dei in hoc loco.* Cæterùm est in hoc versu conduplicatio, quæ amplificandæ rei gratiâ solet adhiberi, eámque non parùm etiam auget vocula *Valde.* Sed quod superiore versiculo factum non est, explicatur isto,

qua

qua in re animi Imperatoris fortitudo atque constantia versari potissimùm debeat, ut assignato sibi munere fungi rectè possit; nempe in religione pietateque adversùs Deum. Quarum virtutum norma id temporis erat Mosis lex; nunc est Christi. In eo ergò rectè administrandi imperii atque magistratûs prudentia est posita, ut Divinæ legis observationi opera detur. Nam si quis sui animi sensum, & quæ sua sibi dictat libido, ea in gubernanda repub. magnâ animi contentione sequi instituat, non is profectò fortis, constans, prudens, sed pertinax, temerarius, stultus fuerit appellandus; citiùsque rempub. perdiderit quàm servarit. Possunt quidem leges civiles peculiariter conditæ videri ad moderandum rectè respublicas; quales plurimæ certè apud Mosen, non tamen omnes sunt; & proinde nihil opus esse universâ Mosis aut Christi lege Principi ad rectè imperandum. Verùm quàm longè sæpe ab æquitate absit scriptarum legum civilium rigor, nisi is judicio Divinâ quadam probitate informato temperetur, proverbio est pervagatum. Ad hoc, quis nescit quàm variis modis illæ ad cujusque arbitrium voluntatémque interpretando extorqueri possint, aut etiam prorsus dissimulari? præsertim à viris Principibus, quibus ipsa voluntas atque libido pro lege est, si quidem Deum non reverentur. Etenim non jam de eo qui jus modò dicat, sed qui magistratum aut imperium gerat, agitur; quem profectò non ideo solùm oportet omnibus pietatis in Deum numeris esse absolutum, quò nihil improbi sciens ipse committat, sed vel magis etiam ut quod rectum probúmque est, id Deo monitore ubique videre, & ad id suos cives popularésque tum vitæ suæ exemplo tum auctoritate dirigere possit. Hebræi *Legem* vocant תורה, quasi *doctrinam* atque *institutionem* dicas; aptissimo sanè vocabulo. Siquidem Lex est vivendi ratio præceptis tradita, quibus jubentur ea quæ facienda sunt, prohibentúrque contraria: quæ profectò minùs plenè aut Græcorum νόμος, aut Latinorum *Lex* significant. Nam νόμος, vocabulum dictum à *distribuendo* cuique quod suum est, & *Lex* à *delectu*, solam naturâ omnibus insitam æquitatis rationem, quæ scriptis legibus adjuvatur, complecti videntur; at Hebræorum תורה, Mosis & Christi institutionibus respondet pleniùs, in quibus multa legislatorum solâ auctoritate voluntateque nituntur; qualia sunt Circumcisio, Baptismus, agnus Paschalis, Diligendi inimici, alia multa, quæ ad naturæ instinctum, nisi fortasse κατ' ἀναγωγὰς, referri nequeunt, sed in religione mera sunt posita, ut sacri ritus. ¶ Porrò duo illi infiniti modi, ut vocant Grammatici, לשמור לעשות sic ipsi inter se hærent ut ego reddidi: neque opus est copulam addere de suo, ut Latinus fecit, secutus LXXII interpretes, suo more. Quod dico, comprobat versiculus proximus, ubi explicatâ literâ ל Lamed verbi לשמור per למען, hæc ipsa verba sic connectuntur, למען תשמור לעשות, h.e. *ut observes facere*. Non sum tamen nescius interpositam esse aliquando copulam, ut in Deut. 7.12. ושמרתם ועשיתם אותם, *Et observaveritis atque feceritis mandata mea*. Est autem *observare agere*, idem quod Animum attendere ad agendum, Operámque dare nè quid eorum omittatur quæ lege sunt præscripta. Nehmannus Gerundensis, scriptor ut inter Judæos, doctus atque acutus, Comment. in Exod. 12. putat לשמור *observare* ad ea præcepta quæ vocant negativa, לעשות verò, h.e. *facere*, ad ea quæ affirmativa appellant debere accommodari; ut prius ad abstinentiam à vitiis, posterius ad virtutis actiones pertineat. Quod tum fortassis rectè dicatur cùm est, ut dixi, interposita copula. Atqui frustrà videtur moneri Josua ut *observet agere secundùm universam legem Mosis*, atque indè speret *felicitatem* & *prudentiam*, quando credibile apparet neque illum neque quenquam omnium hominum, præter unum Jesum Christum, præstare id potuisse. Erat enim, ut D. Petrus ait, Mosis lex *jugum quod neque majores Judæorum neque posteri ferre potuerunt*, Act. 15.10. Sed responderi potest ex Pontificis Leonis sententia, Serm. 5. de quadrag. *Deum talia interdum hortari, interdum jubere etiam, non quòd is qui jubetur illa præstare prorsus valeat dum carne mortali circumdatus est, sed ut nostrum excitet desiderium, rogatúsque præstet ipse auxilium*, h.e. ut corrupta nostra natura ex hujuscemodi mandatis agnoscat quantum suo Creatori debeat pro ea virtute quâ pollebat effecta ante vitiatum peccato arbitrium; simulque indè suæ quâ nunc est affecta inopiæ sibi conscia, ut quæ nè velle quidem aut cogitare quod bonum Deóque gratum sit, nedum perficere queat absque illius subsidio, perpetuis votis & mente, quoad ejus fieri potest, totâ ad Dei auxilium confugiat, atque ab eo petere nunquam desinat ut ipsus pro sua paterna clementia illam sic suâ cœlesti gratiâ informet atque comparet ut & velit & possit efficere quæcunque ejus Numini grata acceptáque sint. Hoc D. Augustinus tribus sic expedit verbis, *Deus*, inquit, *impossibilia non jubet: sed jubenda monet & facere quod possis, & petere quod non possis*. De nat. & grat. c. 44. Sed hæc quæstio, si vita suppetet, pluribus à nobis disputabitur ad c. 22. 5. Sed enim quid sibi vult quod ait Deus, *quam imperavit tibi Moses*? Non enim lex singulariter Josuæ, sed universè populo Israelitico imperata est. Et ipse legis liber primùm est Sacerdotibus portantibus arcam sacram traditus atque commendatus, Deut. 31.9. ut quorum esset legem docere atque interpretari, & difficiles in ea quæstiones explicare Deut. 17.9. quíque, ut nuntii Domini exercituum, de lege sunt interrogandi Agg. 2. 11, 12. Mal. 2.7. deinde verò omnibus Senioribus Israelis, h.e. Magistratibus reipub. quorum est legis interpretes tueri. Nimirum sibi præcipuè impositas esse leges, cùm sacras, tum civiles, meminisse Principes debent. Nam ipsorum vitæ probitas iis omnibus quos sibi subjectos habent omnis probitatis certissima lex est. Quæcunque enim mutatio in ipsis exstiterit, eadem mox sequetur in populo. Quare si magnis ipsi virtutibus & in religionis & in civilis vitæ cultu præditi fuerint, non ex illis solùm, tanquam suis bonis, præclari sunt existimandi, verùm etiam vel multò majorem laudem merentur ob eas virtutes quas tunc publicè omnes cives colunt, ut quarum ipsi suo exemplo causam dedere; sicut contrà, perniciosissimè de repub. merentur vitiosi principes, quia *non solùm vitia concipiunt ipsi*, ut inquit Cicero De leg. l. 3. *sed ea infundunt in civitatem*. Neque solùm vituperandi sunt quia ipsi corrumpuntur, sed multò magis quòd plurimos mortales corrumpant, plúsque aliis exemplo quàm sibi peccato noceant. Leges igitur potissimùm ipsis Principibus Magistratibúsve præsunt; hi verò deinde populo. Quapropter magnâ ratione dicitur, Mosen Josuæ præcipuè & quasi propriè legem imperasse. Præclarè enim apud Xenophontem, Instit. 8. Cyrus existimabat nullis legibus incitare se posse meliùs suos ad virtutis studia quàm si se ipse præ omnibus virtute egregiè ornatum exhibere parentibus niteretur. Animadvertere enim se dicebat, meliores quidem fieri homines per scriptas etiam leges; at bonum Principem oculatam legem hominibus esse, quippe qui ipsos facillimè & temperantes efficere, & intemperatè viventes notare castigaréque posset. Ac proinde dabat operam ut quæ ad Divorum cultum spectarent, ea in primis ipse curæ sibi esse ostenderet, Et quæ sequuntur apud eundem alia, quibus suis prælucebat Cyrus, virtutum exempla. Debent profectò sæpe ista apud animum suum cogitare quibus *imperium & potestas à supremo Domino est assignata: Hic enim ipsorum facta & consilia examinabit aliquando accuratissimè: Et cùm sint ejus regni administri, nisi legi paruerint ipsi, congruentérque se voluntati illius gesserint, horribiliter & celeriter invasurus est ipsos. Durum enim & præceps judicium exercebitur in eos qui aliis dignitate antecedunt; & in potentes potenter vindicabitur*, ut elegantissimè monet Sapientia, 6. 3, 4, 5, 6. Sed hæc hactenus. ¶ Sequitur in ordine sacrorum verborum, *Nè divertas ab ea ad dextram aut sinistram*. Ex iis quæ jam sunt dicta hoc dignum observatione est, quòd Deus jubet Josuam legibus religionis parere, eísque se habere quas Moses servus suus condidisset, non autem novas aliquas ipsum sibi suísque parentibus scribere, quamvis cum summo esset alioqui imperio. Ex his porrò verbis quæ jam adduntur, *Non divertas*, &c. conficitur, neque illud Principibus esse permissum, ejuscemodi leges, quæ ad sacros ritus

ritus præsertim cultúmque Divinum pertinent, bene à servis Dei, quibus hoc munus ille delegavit, conditas, suo arbitratu extorquere atque, ut nunc vocant, reformare. Qua in re, ut in pluribus aliis, nostrum hoc seculum sibi nimiò plùs quàm oporteat indulget. Sed hoc quoque hactenus. R. Levi F. Gersonis opinatur *ad dextram* eos *declinare* qui de suo aliquid Divinæ legi addunt; *ad sinistram* verò, qui detrahunt. Sic enim videtur Moses interpretari, Deuteronomio, hunc locum. Ego puto simul utroque significari, tum quàm rectissimè atque sincerissimè præstari à nobis mandata Dei, cùm simplicissimè præstantur, sicut nobis à majoribus per sacrosanctæ Ecclesiæ doctrinam continuâ successione sunt tradita, neque nobis protervi ingenii disquisitionibus huc illuc versantur. Nunquam enim profectò magis delirant homines, neque usquam periculosiùs, quàm cùm in sacris rebus sui animi sensum in consilium adhibent, suóque modo sapere sibi permittunt. Quod cùm in Josua non tulerit Deus, quem sui gregis summum Imperatorem ipsus delegerat, & singulari sapientiâ per Spiritum suum cœlestem amplificaverat, quid nobis fiet, qui majori fastu quàm pietate, & eruditionis cujusdam opinione magis quàm S. Spiritûs instinctu id audemus? ¶ Illud porrò ממנו, *ab eo*, quia masc. genere dictum est, non videtur ad nomen תורה *Legem* referri posse, cùm hoc sit generis feminini. R. D. K. ergò Mosen in eo spectare autumat, ac si dicat Deus, *Ne divertas à Mose* h. e. Mosis præscripto: vel ספר תורה *librum legis*, per synecdochen. Sed non est insolens in S. literis ea generis mutatio. Nam David filiam Regis, h. e. feminam, consolatus ait, תחת אבותיך יהיו בניך, *Pro patribus tuis erunt filii tui*, Psal. 45. 16. ubi utrumque pronomen est generis masc. Sin autem Davidem hîc ad Regem ipsum retulisse sermonem mavis existimare quem in Psalmi initio alloquebatur, certè vetus Hebræorum observatio sive traditio, quam vocant מסורת, notavit ממנו pro ממנה positum hoc loco esse. ¶ Sequitur in sacro textu, *Ut prudens sis in omni eo in quo versaberis*. Verbum תשכיל, quod reddidi *prudens sis*, interpretantur Hebræorum Magistri *felix sis*, Chaldæum, ut solent, secuti. Verùm *prudentiam* atque *intelligentiam* hoc loco notare, manifestum fiet ex verbis versiculi octavi. Sed parùm interest. Nam omnis ubique rei bene feliciterque gerendæ ratio in prudentia est posita. Est quidem nonnunquam felix temeritas; sed tunc ferè *fraus sibi fidem in parvis præstruit, ut cùm operæpretium fuerit majore cum mercede fallat*, ut apud Livium Q. Fabius Max. dicebat l. 8. bel. Punici secundi. Chaldæus verbum הלך, quod nos *versari* sumus interpretati, putavit *incessum* significare. Vertit enim, *Ut sis felix in omni loco in quo ambulaveris.* Atqui, ut sæpe alibi, ità hîc quoque non *ambulare*, sed *studium operámque in re aliqua ponere* significat. Et Deut. 29. 9. ubi hæc eadem sunt à Mose scripta, pro הלך est תעשון, h. e. *in omni re quam acturi estis*. Cæterùm nostræ sapientiæ atque prudentiæ summam in legis Divinæ observatione positam esse, monet etiam Moses Deut. 4. 1, 2. ubi istis consentanea verba ad populum facit, inquiens, *Jam verò, Israel, obtempera præscriptis & institutis quæ ego vos hodie exsequenda doceo, ut vivatis, possessúmque eatis terram quã Dominus Deus patrũ vestrorũ dat vobis. Nihil addatis ad illud verbum quod ego vobis impero, neque dematis quidquam abeo; ut observetis præcepta Domini Dei vestri quæ ego vobis mando.* Et post pauca, *En docui vos præscripta & jura, sicut mihi jusserat Dominus Deus meus; ut secundum ea agatis in terra quam itis possessum, eáque observetis & faciatis. Est enim ea vestra sapientia, & prudentia ob oculos nationum*; & quæ sequuntur. David quoque divinè cecinit, nos securiùs versari non posse in omnibus nostris actionibus quàm si verbum Dei prælucens sequamur, Ps. 119. in Nun; *Lucerna*, inquit, *pedi meo verbum tuum, & lumen itineri meo.* Sed est talibus dictis plena Sacra historia. Nam qui Dei verbum sequitur, æternam veritatem sequitur, quæ fallere nulla in re potest; ut semper ille certissimus esse queat de felice eventu, quantumvis interim multa accidant quæ hominum judicio non probentur. *Humana* enim *sapientia*, ut Cambyses apud Xenophontem dicebat, Instit. lib. primi extremo, *nihilo certiùs novit, quid optimum sit dispicere, quàm si quis forte ductâ, quod ea monstrarit, id exsequatur: At Deus æternus omnia perspecta habet, quæ facta sunt, quæ fiunt, quæ denique ex quibúsque sunt consecutura.*

8. *Non dimoveatur liber legis iste*, &c.] Jubetur Josua eum librum, aut potiùs ejus libri exemplum, in quem librum contulerat Moses universam legem quam cœlesti instinctu atque ab ore Dei didicerat, die noctéque legere, & meditando expendere singula; quò possit accuratè omnia vitæ suæ functionibus exprimere, neque usquam ab iis discedere quæ ille præscripsit: Ità enim fore ut & prudenter & prosperè omnia gerat. Est igitur eadem ferè hujus quæ superioris versiculi sententia. Sæpius enim res tanta, & ex qua omnis ratio magistratûs bene gerendi pendebat, fuit inculcanda. Infirmum autem est, nè dicam absurdum, quòd quidam hìc docendæ atque explicandæ legis curam demandari Josuæ contendunt, quia jubetur *librum legis non amittere ab ore*. Nam quid hoc sibi velit, proximis est verbis explicatum; his dico, *Sed meditare in eo die noctéque*, h. e. Assiduò eam vivendi institutionem, quam Moses conscripsit, legito; vel potiùs ore animóque versato; eam meditator, commentatórque. Etsi enim quod de *ore* dicitur, verba, quantum apparet, requirat; ea tamen non esse concionantis verba vocabulum הגה, quod est in sacro contextu, declarat. Est enim הגה ita mentem ipsarum rerum cogitatione pertrectare, ut ex ipsa veluti effervente verba etiam in ore nascantur, qualia qui secum meditantur solent susurrare. ¶ Jam verò quorsum ista sive lectio sive commentatio veriùs spectet, patefacit is qui subnectitur finis, *Ut observes agere secundùm omne quod scriptum est.* Non enim hoc ait, ut docere legem, quam meditando perceperis, queas; sed, ut ipsus omnes tuas actiones in colendo efficiendóque munere tibi assignato, h. e. imperio, ad eam normam instituas dirigáque. Quod dico, clariùs etiam perspicitur ex iis quæ apud Mosen Deuteronomio, his planè consentanea, sunt constituta de Rege olim eligendo, déque ejus officiis. Sic enim illic scriptum est, cap. 17. 18. *Cùm sederit* (de Rege agitur) *in solio regni sui, describito sibi exemplum legis hujus à sacerdotibus Levitis acceptæ in libro. Idque exemplum apud eum esto; & id legito per omnes dies vitæ suæ, ut discat revereri Dominum Deum suum, observétque omnia verba legis istius, & præscripta ista, ad præstandum ipsa; nè tollat animos supra fratres suos; nè deflectat à mandato ad dextram aut sinistram: quò extendat ætatem in regno suo, cùm ipse, tum filii ipsius inter Israelitas*, &c. Primùm enim ex his bona conjectura conficitur, Josuam quoque hìc juberi ut exemplum legis à sacerdotibus acceptæ sibi describendum curet; idque apud se perpetuò præstò habeat, legat, relegat, expendat. Nam ipsum αὐτόγραφον, ut diximus, Levitis sacerdotibus erat traditum, apud Arcam sacram servandum. Deinde & illud perspicuum fit, quas ob res legis studium tantopere commendetur Principibus reipub. Nempe ut ipsi quàm optimi evadant, probitatémque non concionando, aut sacra verba populo interpretando, sed suæ vitæ exemplo doceant; Néque in sui muneris functione ipsi à recto usquam aberrent. Est quidem alibi universis & singulis Israelitis mandatum, ut legis verba in cordibus suis insculpta habeant; in postibus portísque suis inscribant; in manibus, in oculis gestent; domi, peregre, stantes, jacentes de illis loquantur commententúrque, Deut. 6. 6. Sed, ut jam disseruimus, Principes, quantum cæteros excellunt dignitate, tantum hoc quoque studio debent excellere. Cæteroqui verò quatenus rerum Ecclesiasticarum procuratio ad civilem attineat Magistratum, & cur Reges ab Isaia c. 49. 23. אומנים, h. e. *educatores* sive *nutritii* Ecclesiæ appellentur non est præsentis loci disputare. Et David, Regésque & Magistratus alii, religionis & pietatis laude clari in Sacra historia, suis exemplis ista satis docuerunt. Sed decurram à præsentis versiculi initio breviter, ut veluti unâ complexione patefiat omnis ratio discendæ legis Divinæ. Principio jubet Deus,

Deus, eos præsertim qui respub. moderantur, nunquam legis librum de manibus deponere, cùm ait, *Nè dimoveatur liber legis iste*, &c. Deinde, parùm esse utilem lectionem ostendit, nisi multâ commentatione & meditatione omnia apud animum expendantur, dum inquit, *Et meditare in eo die noctéque.* Denique & lectionem & meditationem nihil prodesse docet, nisi ad res ipsas conferantur, atque ad vitæ actiones accommodentur, quando hæc addit verba, *Ut observes agere*, &c. Nam ut apud Talmudicos bene scriptum est, סנהדרין פ׳ יו, *Qui sacras literas legit, nec confert ad rem, similis est ei qui seminat crebrò, metit verò nunquam; aut feminæ quæ sæpe parit, sed continuò partus sepelit; aut denique cantori totos dies cantanti: nullum enim isti habent operæ pretium.* Postremò, amplissimum istius studii emolumentum promittit is qui fallere nescit, cùm versiculum his claudit verbis, *Tunc enim prosperabis viam tuam, & tunc prudens eris.* Malè ergò sano judicio, vel perversâ cupiditate veriùs, plerique omnes sacras literas nè à limine quidem salutamus, sed vitæ otium aut ad voluptatem, aut ad quæstum, aut denique ad ostentationem in aliis disciplinis consumimus. Et si qui fortè sacris studiis operam impendimus, non tam ad colendam pietatem, vitâque ipsa quæ didicimus repræsentanda, quàm ad detestabilem ambitionem & gloriosam ostentationem id agimus; contrà atque majores nostri fecerunt. Eóque fit ut promissum indè fructum minimè consequamur, h. e. neque felices neque prudentes evadamus; sed acerbo odio per summas contentiones mutuùm inter nos confligere, convitia invicem facere, & in summa, quamvis potiùs hæresin extremâ pertinaciâ asserere, & quæ semel somniavimus dogmata mordicus tueri non desistimus, quàm fraternæ caritatis & concordiæ Ecclesiæ, quæ ubique in illis literis nobis commendantur, ullâ ratione habitâ, alter alteri vel latum culmum cedere sustineamus; nè ullam scilicet vanissimæ gloriolæ jacturam faciamus. Sed ad institutum nostrum revertamur. ¶ Illud, *die noctéque*, proverbialis locutio est. Homerus dicere solet νύκτας τε ϗ ἤματα πάντα. Significat autem assiduitatem, quanta commodè atque opportunè præstari possit, h. e. quæ omnem prorsus negligentiam excludat, ac multò etiam magìs fastidium & satietatem. Hoc in Deuteronomio de Rege dicebatur, c. 17. 19. *per omnes dies vitæ suæ.* Quare non satìs scitè R. Ismael apud Talmudicos, פ׳ שתי הלחם cùm à sororis filio rogaretur, *Licerétne sibi Græcorum jam scripta legere, postquam Mosis institutionem universam percepisset*, jussit illum *dispicere, essétne hora aliqua quæ neque ad diem neque ad noctem pertineret. Eam enim solam, si ulla esset, fas esse aliis quàm Divinæ legis studio impendere.* Rectiùs aliquantò ibidem R. Samuel Nehemanni F. censebat, Non esse, quod hîc scriptum habetur, מצוה וחובה, h. e. *præceptum & debitum*, sed ברכה, h. e. ut loquimur, *benedictionem*, q. d. Non sic mandari ut prorsus & plenè præstari debeat, sed ut intelligamus in eo positam esse maximam felicitatem si quis assiduò Dei legem meditetur. Hoc enim David quoque divino expressit versu, Psal. 1. 2. cùm ad hunc aut similem alludens locum caneret, *Beatum illum esse & planè felicem, cujus animi voluptas in lege Dei est, quique hanc die noctéque meditatur: fore enim ut prosperè ei succedat quidquid ille egeriu; cùm improbi homines*, & qui Dei spiritu non ducuntur, temere ad quævis agenda nullo recto consilio sed libidinis suæ *vento rapiantur.* ¶ Demonstrativum *iste* κατ᾽ ἐξοχὴν notat earum legum librum quas leges Moses condiderat. Nam nugas nugantur Talmudici, cùm alii scribunt, Josuam, quo tempore his eum verbis Deus est affatus, exemplum legis Mosaicæ ante pedes habuisse; alii, pro vexillo manibus gestasse. Sic enim scriptum est in commentario בראשית רבה, h. e. *Genesis magna, Dixit R. Simeon F. Johai, Exemplum legis fuit vexillum Josuæ. Et quo tempore ei præsentiam suam declarabat Deus, reperit sedentem, & descriptam legem manibus tenentem: aitque ad ipsum, Esto fortis, Josua; esto validus, Josua: non dimoveatur liber legis iste ab ore tuo.* Sed enim si tantum momentum ad rei tum publicæ tum privatæ felicitatem in eo positum esse statuebat Deus, si Princeps assiduò observationi legis Mosis daret operam, quid nostris Principibus in Christi lege faciundum putabimus? quæ non est litera occidens, sed spiritus vitalis, & cœlestis gratia, quâ fit ut natura ipsa liberetur, & peccatum non dominetur, útque ad vitam denique perveniamus æternam, sicut ait D. Augustinus De gratia & lib. arbit. cap. 1. Annon eam à sacerdotibus Levitis, non autem παρὰ τ͂ νενλύδων ἀπο-βλεῶν τύτων, τ͂ λογοποιῶν ἀγυρτῶν, acceptam in suis animis inscribere curabunt, die noctéque apud mentem suam expendent commentabuntúrque? Sed, heu pudor, ipsi lubentiùs venabula, canes, accipitres, aleam, nè turpiora dicam, tractant. Atque hæc querela juxtà ad ipsos sacrarum rerum Antistites Pontificésque pertinet atque ad civiles Magistratus. Nam videre est etiam eos qui conceptis verbis, dum initiantur, spondent, se totâ vitâ operam daturos ut veterem Mosis novámque Christi legem rectè intelligant, perceptámque suum gregem doceant; eos, inquam, videre est ab hoc studio esse omnium alienissimos. Sed quibus interim rebus dediti sint piget dicere; neque dicto opus est, cùm res ipsa sit jam pervagatissima. ¶ Sequitur in ordine sacri texti, *Tunc enim secundabis viam tuam, & tunc prudens eris.* Ex hoc loco conficitur, verbum שכל propriè *prudentiam* significare: cui virtuti quia felicitas ferè consectanea est, fit ut hanc notare sæpe videatur. Tanquam enim diversa ponuntur צלח & שכל, nisi si contendas rem eandem unam duobus istius periodi membris dici. Cætera explicata sunt in extremo versûs septimi.

9. *An non præcepi tibi? Esto fortis*, &c.] Primum hujus versiculi membrum figurata interrogatio est, acriùs imperandi causâ adhibita; q. d. Facito ut memineris te à me jussum esse forti animo, meíque fiduciâ intrepidum quásvis difficultates sustinere & aggredi. Ego enim, qui sum Deus tuus, in omnibus tuis actionibus tibi adero monitor, præmonstrator, adjutor. Particula enim הלא crebrò affirmat acriùs, instigátque potiùs quàm interrogat. LXXII solent ferè reddere adverbio ἰδὲ, *Ecce*; quod ipsum quoque hortationis vim habet. Quin & Latini similiter interrogationibus nonnunquam utuntur; qualis est illa Phædriæ apud Terentium Eunucho, *Satin' hoc mandatum est tibi?* Mirificâ igitur vehementiâ concludit jam Deus hortationem quam indè à secundo versiculo adhuc tractavit. Neque enim solùm in figura quam Expolitionem vocant, quæ est in illis verbis, *Esto fortis, esto firmus, nè sis pavidus, nè frangare*, verùm etiam in ipsa Dei persona summa vis est. Quis enim præcipienti Deo non obediat? cujus indignatio ipsas cœli columnas conterit & quatefacit, ut ait Job 26. 11. Aut quis præsente atque opem ferente Domino Deo suo formidet? *Si ambulavero*, inquit David Psal. 23. 4. *per vallem ipsâ morte umbrosam, non timebo aliquid mali, quando tu mecum es:* & alibi Psal. 27. 1. *Dominus lux mea est, & salus mea, à quo timeam? Dominus munimentum vitæ meæ, quem metuam? Cùm accederent ad me grassatores, ut devorarent carnem meam, adversarii & hostes mei, ipsi offendebant atque cadebant.* Sed est hujusmodi sententiis plenà sacra pagina, quæ & Dei imperium inevitabile & subsidium inexpugnabile esse docent. Sed enim etiam illud magnâ pollet vehementiâ, quòd Jehovam dicit esse Deum ipsius. Est quidem certè Jehova omnium Deus; at hîc singularis quædam voluntatis, favoris, studii Divini propensio erga Josuam significatur. Cæterùm fortitudo, quæ, ut paulò antè semel atque iterum, ità rursus hic agitur, non alia est quàm quæ legi Divinæ sit consentanea, verbóque Dei nitatur. Ut enim quæ cum hoc non consentit, non fortitudo sed temeraria confidentia dici debet, & plerumque maximum tandem infortunium invenit, ità dum vocanti Deo paremus, atque ad ejus sacræ legis ductum nos applicamus, fidente atque adeò securo animo pergere possumus, quantumvìs difficilia atque inextricabilia specie impedimenta se offerant, de felici eventu successúque certissimi. Primùm igitur in omnibus rebus agendis id nobis accuratè dispiciendum est, Deúsne an no-

ſtra nos ambitio aut turpior alia animi affectio vocet incitétque; Deinde, eámne viam quæ ſecundùm virtutem, an quæ per vitiorum compendia ducit, in aggrediendo opere inſiſtamus. Et interim animo humili, neque ſuis dotibus fidente, ſed à cœleſti Numinis auxilio dependente, orandus Deus eſt, ut cœleſtis afflatu Spiritûs voluntatem nobis ſuam patefaciat, nóſque paternâ benignitate ad ea quæ ſint ſalutaria hortetur, pulſúque ſuo Divino animos noſtros dirigat: Sic enim futurum eſt ut noſtrâ ſpe quàm minimè uſquam fruſtremur. Verba ערץ & חתת, cùm ad animum accommodantur, parùm ipſa inter ſe differunt; ſed utrumque *vehementiſſimo metu percelli atque adeò conſternari, frangíque animo* ſignificant. Cæteroqui illud *per vim impellere*, ſive *quatefacere* & *labefactare*, hoc *frangere* atque *terrere* eſt. ¶ Porrò clauſulam illam, *Quia adeſt tibi Dominus Deus tuus*, &c. Chaldæus ſuo more παραφραστικῶς reddidit, *Adeſt tibi ſubſidio verbum Domini Dei tui in quocunque loco verſaberis*: Nimirum Verbum illud potentiæ Dei quo *cuncta ſuſtinet* ac moderatur, ut ait Apoſtolus Heb. 1. 3. Sed de hoc antè ſatis multa.

10. *Igitur Joſua monitoribus populi juſſit*, &c.] Vocabulum שטרים *Schoterim* ſolent LXXII ferè interpretari γραμματεῖς, h. e. *Scribas*: unde natum eſt frequens illud in Euangelio *Scribarum* nomen, niſi fallor. Eſt etiam ubi γραμματεισαγωγεῖς, q. d. *publicarum literarum promulgatores*, convertunt. Et ſemel, quod memini, τοὺς ἀναγκάζοντας dicunt, Prov. 6. 7. Horum officium erat, ut ex multis ſacræ hiſtoriæ locis colligitur, Principum, & Judicum, atque omnino ipſius Magiſtratûs placita & edicta ad populum divulgare pronunciaréque, & hunc illorum auctoritate, ſi opus erat, coercere, vel ad agendum aliquid impellere. Unde R. Solomon ipſos flagris & loris armat, ſicut Romani ſuos lictores; ſed quàm rectè, ipſe viderit: equidem certè vix puto hoc ex ſacris literis confici poſſe. Cæterùm illa poſitio שטר apud Chaldæos, quorum lingua eſt ex Hebraica nata, interdum ſignificat ſcriptum quod ſolenni modo ſignatum publica privatáve pacta aut conſtituta continet; interdum verò verbum eſt, atque *imperium exercere in alios* notat: Quæ ambæ notiones jam dictis officiis ſunt admodum conſentaneæ. In veteri illo commentario quem ספרי *Siphre* vocari dicebamus nuper, ſcriptum eſt, *Nemini niſi qui Levitici generis eſſet hoc munus aſſignari ſolere*. Quam opinionem ſuſpicor ex Paralipomenis allatam eſſe, in quibus ſic ſcriptum eſt, : ומן הלוים סופרים ושוטרים *Et de Levitis ſcribæ, & monitores*, 2 Par. 34. 13. Sed profectò hoc parùm firmum eſt: Nam quòd שטרים monitores illic ex Levitarum ordine petuntur, alia ratio eſt; Quia ſacrum opus, Templi inſtauratio agebatur. Similiter atque apud Nehemiam 8. 11. Levitæ ſilentium imperant populo: quæ functio ipſa quoque ad שטרים *monitores* pertinebat, quia Lex tum recitanda erat, atque religionis ergò convocata fuerat concio. Sunt etiam qui opinantur שטרים *Monitores*, præter jam dicta munera, in bellis aciem inſtruere ſolere. Et hoc colligi arbitrantur ex Deuteronomio, 20. 9. ſed illic ſcriptum habetur, *Cùm defecerint* השטרים *monitores loqui ad populum, tum ipſi Principes exercitûs curabunt in principiis populi*, h. e. Tunc Duces copiarum in prima acie rem gerent, neque poſt principia latebunt. Quare hujus quoque opinionis commentum rectâ ſacrorum verborum interpretatione deletur. In ſumma, quos Hebræi שטרים *Schoterim* vocant, iis fungebantur officiis quibus apud Romanos Apparitores, Statores, Præcones. Quapropter *apparitorum* nomine interpretari rectè poſſe vocem שטרים *Schoterim* exiſtimo. Aquilas Ponticus, *interpres*, ut ait D. Hieronymus, *curioſus*, ſolet convertere ἐκδικητὰς, q. *facinorum vindices* dicas: ſed parùm, ut mihi videtur, plenè vox hæc Græca illam Hebræam repræſentat. Inter alia Moſis præſcripta exſtat etiam hoc Deut. 16. 18. *Judices* & שטרים *monitores*, ſive *apparitores*, *conſtitues tibi in omnibus portis quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, per tribus tuas; qui jus adminiſtrent populo judicio juſto*. Unde effici videtur, ſingulos Judices ſuos habuiſſe שטרים *apparitores*, ſive *ſtatores*. Sunt quidam qui eo loco hoc nomen ſimpliciter pro *Magiſtratu* interpretentur. Atqui *Magiſtratûs* vocabulo etiam Judices ſubjiciuntur, quos tamen non rectè שטרים *Schoterim* vocari putarim. Sunt enim hi potiùs Magiſtratûs adminiſtri quàm Magiſtratus. Dixi de hoc verbo plura, quia frequens eſt in ſacra narratione. Videntur autem iſti Pontificum aliorúmque Judaicorum Magiſtratuum apparitores temporis progreſſu (ut ſe ſolet venditare ambitio) etiam ſacrarum rerum ſcientiam ſibi arrogaſſe, & majorem quàm pro ſua functione auctoritatem uſurpaſſe. Niſi ſi quis exiſtimare malit illos Scribas quorum in Euangeliis frequentiſſima eſt mentio non שטרים ſed סופרים fuiſſe. Nihil enim definire auſim. Neque neſcio quæ Epiphanius de Scribis tradidit, l. 1. contra hæreſes.

11. *Tranſite per medium exercitum*, &c.] Quo tempore mandata iſta ad populum dederit Imperator ſuis præconibus, difficilis videtur quibuſdam diſquiſitio, cùm tertius indè ad tranſmittendum Jordanem dies præſtituatur. Nam ſi dederit, v. g. die 7 menſis primi, quem *Niſan* Judæi vocant, (neque enim antè dare potuit, ut Hebræi ſtatuunt, cùm ſexto demum ejus menſis die Moſen eluxiſſet populus, qui ſeptimo ſuperioris menſis obierat; nam duravit luctus dies totos 30, eóque durante alias res, præſertim publicas, agere, nefas fuiſſe illi putant.) Igitur ſi dederit primi menſis ſeptimâ luce, ſimúlque ablegati exploratores Jerichuntem pervenerit, atque ſub veſperam ad Rahab diverterint, cùm memorentur iſti à Rahab dimiſſi triduum in monte latuiſſe, & exercitus ad Jordanem alterum triduum conſediſſe, efficietur ſeptem, ut minimùm, ab iſto edicto ad trajectionem uſque Jordanis eſſe elapſos dies; aut ſaltem quinque, ſi apud flumen non eſſe moratos plùs quàm noctem unam dicamus. D. Auguſtinus ergò non dubitat Joſuam, in præfiniendo hoc triduo, humanæ temeritatis reum facere, quaſi non conſulto Deo, nimis fidenter, certum tempus populo præſtituerit. Quæ mihi ſententia durior profectò videtur; quod pace divini viri dixerim. Quis enim credere poſſit Joſuam Imperatorem & ſapientiſſimum & religioſiſſimum, in tanta rerum omnium difficultate, cùm maxima parentium pars eſſet imbellis turba, neque flumen vado tranſire poſſet, neque naves haberentur, & verendum denique eſſet nè hoſtis cum armis ad ulteriorem ripam occurreret; ipſe autem diſertè eſſet à Deo juſſus in rebus omnibus agendis adire Eleazarem Pontificem Dei oraculum conſulturum, & pro Divinis reſponſis omnia agere, Num. 27. 21. quis, inquam, credat, in hac re omnium maxima Dei opertum eum non conſuluiſſe? Et poteſt ſanè, ut mihi videtur, multò veriſimiliore hic nodus ratione expediri. Nam, ut ad verſiculum primum dicebam, cùm Joſua dudum ante Moſis exceſſum eſſet à Deo Imperator populi deſignatus, dubium non eſt quin illico, poſtquam illum obiiſſe intellexiſſet, totâ mente in iſtam expeditionem intentus, ſedulò ea procuraverit quæ facto opus eſſe putabat; exploratoréſque iſtos in primis emiſerit interea dum populus lugendo Moſis funeri operam daret: ut credibile ſit, quæ toto capite ſequente memorabuntur de ſpeculatoribus & Rahab, ea ante iſtud edictum eſſe acta. Neque enim inſolens res eſt in hiſtoria ſacra τὸ ὕστερον πρότερον, h. e. ut rerum geſtarum ſeries interrumpatur longiore quapiam interpoſitione. Certè Joſephus hoc primum caput cum tertio conjungit, lib. 5. cap. 1. Antiq. Scribit enim, Imperatorem, ſimulatque exercitum de movendis caſtris per præcones monuiſſet, & triduum trajiciendo flumini præfiniviſſet, eduxiſſe copias de Sittim ad Jordanem, atque ibi tandem à reverſis ſuis ſpeculatoribus nuntium, commodum ſanè, accepiſſe. Nimirum ei, ut iſti non tam citò rediiſſent, tranſponere tamen populum certum deliberatúmque erat, Divinis reſponſis freto. Verùm ego exiſtimare malo, reverſos ad illum fuiſſe ſpeculatores priùs quàm in triduum pronunciari trajectionem juberet; hoc autem eum feciſſe die 7 menſis Niſan ſtatuo, cum pleriſque Judæis. Et hæc mihi ut ſimpliciſſima ità veriſſima hujus loci explicatio eſſe videtur. Sed quàm potero paucis expo-

exponam Hebræorum sententias. Igitur R. Isaias, vir sanè doctus, sic scribit, *Narrantur*, inquit, *exploratores latuisse in monte triduum. Fuerunt ergò emissi ante edictum de viatico comparando ad populum promulgatum, durante etiam tum luctu, quo demũ finito, jussus est populus se comparare ad transeundum flumen post triduum. Nam alioqui quintus dies advenisset priùs quàm Josua è Sittim castra ad Jordanem movisset, cùm illi triduum in monte consumpserint, & insuper diem unum eundo redeundóque, ut minimum.* R.D. Kimhi verò sic ferè scribit, *Die 30 post Mosis excessum, qui fuit septimus mensis Nisan, ait Dominus Josuæ, Surge, transi Jordanem, &c. Eodémque die mandavit Josua parari viaticum, quia esset die decimo Nisan trajiciendum flumen. Speculatores autem emiserat priùs quàm eluxisset populus Mosen: iique reverterant ad Imperatorem die octavo Nisan. Nono igitur summo manè surrexit ille, duxitque copias ad Jordanis ripam; & jussit ut se expiarent ad crastinam trajectionem.* R. Levi Gersonis uno loco sic habet, *Censeo*, inquit, *hoc ab Imperatore per præcones edictum esse de viatico comparando postquam exploratores ablegasset; cùm isti triduum in monte scribantur se occultasse. Itaque die quarto & quinto, cùm illi jam essent reversi, profectus est Imperator cum populo ad Jordanem; & postquam illic pernoctasset, trajecit. Quin & hoc*, inquit, *haud absurdè dicas, Eo ipso die quo per præcones ista edicebat, ablegasse eum speculatores; verùm eum diem haberi non debere pro tridui parte. Nam illud* בעוד שלשת ימים *significat Post triduum ab eo die. Itaque triduum finiebatur tandem quinti diei initio ab illo die. Speculatores autem eodem die quo emissi fuerant, ingressos Jerichuntem, divertisse ad Rahab. Jam verò quod ait Rahab, Latebitis triduum, id esse ac si diceret, Usque ad tertium diem: quo die integrum ipsis erat continuato itinere ad Josuam reverti.* Hæc ferè illo loco R. Levi. Rursus alio de eadem re sic scribit, *Redierunt ad Josuam duo exploratores die tertio ex quo fuerant amandati: isque erat dies secundus illius tridui de quo loquebatur cùm diceret, Post triduum transmittetis Jordanem istum. Die verò tertio hujus tridui surrexit Josua manè, profectúsque est cum populo ad Jordanem; ibique pernoctarunt priùs quàm trajicerent. Postero die, h. e. exacto jam tum triduo toto, transmiserunt flumen: isque dies erat decimus mensis Nisan.* Sic ille Comment. in finem c.2. Josuæ. Exposui breviter quid præcipui Hebræorum Magistri sentiant. Nunc paucis conabor sacrorum verborum veritatem, quo ordine scripta habentur, tueri atque defendere; h. e. docere minimè absurdum esse si existimemus, quo die Imperator triduum istud per præcones præstituebat populo, eodem die exploratores eum amandasse. Neque tamen è Sittim versùs Jordanem movisse nisi postquam isti ad se revertissent. Mosen die 7. mensis ultimi, quem אדר *Adar* vocant, è vita exivisse, ut & ortum esse, non solùm annalibus Hebræorum, quos סדר עולם *Seder olam*, h.e. *Seriem seculi*, appellant, est proditum, sed etiam à Talmudicis קדושים פרק א׳ ubi de sponsaliis agunt. Is autem mensis eo anno dies habebat 30. ut scribit Levi Gersonis, Philosophus & Mathematicus insignis, Comment. in c. 3. Josuæ. Ergò dies 6, ut nuper dicebamus, mensis Nisan finem luctui imponebat. Igitur die 7. sit monitus de se comparando ad trajectionem post triduum: sint simul emissi speculatores Jerichuntem: facile fuit expeditis viris Lx stadia è Sittim ad Jordanem usque (tantum enim intervallum esse scribit Josephus) & indè 5. passuum M. ad Jerichuntem intra paucas horas conficere, (neque enim longius esse hoc spatium tradit Eusebius) atque ante vesperam sic satis speculari urbem. Diverterint igitur ad Rahab sub noctem; atque mox ab ea per tenebras de muro demissi, ad diem usque tertium ex quo die ad Rahab diverterant, h. e. ad eam vesperam usque quæ diem 8. mensis Nisan sequitur, latuerint in montibus. Præscripti enim temporis numerus apud Hebræos, quando nulla adest expressa præpositio, sæpe ità est accipiendus ut postrema numeri pars secludatur: quod multis exemplis docet Levi F. Gersonis. Ergò quod ad speculatores ait Rahab infrà 2. 16. *Latebitis in monte* שלשת ימים *tres dies*, est acsi dicat, *Usque ad diem tertium; quo die vobis integrum erit pergere.* Jam verò eâ nocte quæ, ut dixi, 8. diem mensis claudebat, & secundùm Hebræos ad diem 9. pertinebat, redierint ad Imperatorem in castra ad Sittim, & comperta perceptáque exposuerint. Is porrò accepto læto hoc nuntio, manè castra ad Jordanem promoverit. Postero denique, h.e. 10. die trajecerit. Quid est hic absurdi? aut quid narrationis cursum potest interpellare? Atqui Josephus, inquies, scriptum reliquit, hæsisse Israelitas biduum apud Jordanem priùs quàm trajicerent. Verùm Josephus aliam sententiam secutus est, putavítque exploratores rediisse ad Imperatorem apud Jordanem morantem, totámque proximi capitis narrationem non suo positam esse loco, ut dixi: Et tamen nihil vetat etiam ipsum fateri, eodem uno die speculatores abivisse Jerichuntem & Monitores viaticum populo imperasse, triduúmque præfinivisse trajiciendi in Chananæam: dicat enim ille, Imperatorem postridie quàm edictum hoc promulgari jusserat è Sittim movisse. Sed urges, absurdum esse edici ut viaticum sibi quisque comparet, nullum autem comparandi spatium dari. Sed responderi potest, illa verba הכינו לכם צדה nihil aliud significare quam *vasa colligere*. Sic enim sentit Josephus; neque dissentit R. Solomon. Porrò si quis Latinum nostrum interpretem defendere velit, qui non ante triduum post hoc edictum è Sittim discessisse, & ad ripam fluminis alterum triduum esse commoratos Israelitas ait, is parvi pendens quid plerique Hebræi scribant, suos illos annales, quos dixi, secuti, neque certos neque probatos; cùm etiam Talmudici de die excessûs Mosis inter se ipsi dissentiant, multíque eum non mense Adar, qui Nisan proximè præcedit, sed Sebet, qui ante Adar est, obiisse putent; quod etiam Kimhi commemorat; is, inquam, dicat, die 3. mensis Nisan Monitores apud populum egisse de parando viatico, & trajiciendo post triduum; eodémque die emissos esse qui specularentur urbem: cúmque hi reversi essent die 6. productum esse populum è Sittim ad Jordanem ibíque tandem die 9. esse monitum ut se expiaret ad crastinam trajectionem. Illud verò, quod intra triduum esse transmittendum Jordanem proclamabant, sic intelligi debuisse, Ex illis castris intra triduum; aut, Post triduum esse versùs Jordanem abeundum, ut deinde cum prima occasione transeatur in Chananæam. Sed hæc ità à nobis tractata disputatáque existimet lector ut primam illam sententiam sciat nobis maximè, & penè solam, probari. ¶ Porrò illud, *Parate vobis cibum*, de manna accipi non potest, quod non nisi in diem servare fas erat; & quantum satis esset, quotidie cadebat è cœlo, quocunque se conferebat populus, usque ad diem 15. mensis Nisan, ut pòst dicetur. Neque enim fides Judaicis illis annalibus, quos modò dicebam, habenda est; in quibus scribitur, manna cum Mosis vita desiisse. Sed, ut erat gens illa voluptatibus dedita, non contenta solo cœlesti illo cibo, delicatis obsoniis inhiabat, neque horum moderatè ferre potuit desiderium. Nam testata res est Deut. 2. Moabitas & montis Seir accolas cibos illis pretio vendidisse; adeò maturè cœperat ipsos cœlestis cibi fastidium tantum ut vilissimum etiam æstimarent. Neque hoc dissimulat R. D. Kimhi. Scribit enim, *ipsis Manna panis loco fuisse*, צידה *verò obsonium esse*. At R. Solomon, quo gentiles suos à gulæ voluptatibus alienos faciat, quasi solo manna contenti vixerint, scribit צידה hoc loco significare quidquid ad iter esset opus & ad instans bellum. A qua sententia etiam Josephum non esse alienum dixi. Sed insolens est ista verbi ejus notio. Quare magis ferendi videntur Talmudici, qui עבודה זרה פרק א׳ ubi de Idolorum cultu tractant, ut ex Eliæ Thesbitis schola profectam sententiam hanc commemorant, *Cùm cibo nullo eguerint Israelitæ cadente etiam tum mannâ, nihil hic aliud verbo* צידה, h. e. *Cibi, debere intelligi quàm malè actæ vitæ pœnitentiam, & adversus Deum pietatem. Itaque moneri hic populum per apparitores ut his virtutibus se dignos præstent qui in terram promissam feliciter trajiciant*

ciant. Cæterùm צידה, *Zeda*, quamvìs ei propriè subjicitur is cibus qui venatione atque indagine captus sit, sæpe tamen pro quovis cibo usurpatur. ¶ Porrò voculam בעוד *Beod* converti *intra*: quia sic eâ utitur Jeremias 15. 9. cùm ait, בא שמשה בעוד יומם, *Occidit sol ejus cùm etiam tum esset dies*. Et in Davidis historia scriptum est, בעוד הילד חי צמתי, *Cùm puer etiam tum viveret jejunabam*, 2 Reg. 12. 22. Sed si, ut diximus esse probabile, hæc acta fuisse statuamus die 7. mensis Nisan, non fuerit hic ipse dies tridui pars, quod Latinum interpretem dicere est necesse, qui reddidit, *Post triduum*. Certum est enim die 10. transitum esse in Chananæam. ¶ Porrò illud, *Quam Dominus Deus vester dat vobis*, ad informandos populi animos certâ fiduciâ dictū est atq; alacritate. Nam nomine *Jehova*, pro quo de more *Dominus* reddimus, summa Dei potestas significatur; illo verò, *Deus vester*, benignissima & plùs quàm paterna voluntas, studiū, tutela, cura: Jam verò ubi voluntas cum potentia ac facultate est conjuncta, nihil tam difficile est quod non facilè præstetur. ¶ Ad hæc quæ sequuntur, לרשת, & לרשתה, *ad possidendum pro hæreditate*, vel *jure hæreditario*, maximum habent ad permovendos populi animos momentum; quippe qui ex iis verbis intelligat, se non ire populatum modò quâpiam felici excursione hostiles agros, aut prædam actum, veluti cùm Madianitas debellaret, Num. 31. (nam illiusmodi expeditiones, quamvìs secundæ, haud solent diuturnâ felicitate beare victores, sed sæpe sua commoda majoribus tandē pensant calamitatibus) verū ire possessum se quasi à majoribus sibi jure hæreditario relicta prædia, & veluti avita hæredia. Nam verbū ירש non simpliciter *possidere* atq; *occupare*, sed *hæredis jure tenere* propiè sign. Non igitur rectè à Latino est præteritū illud לרשתה quasi supervacaneum; sed ille, suo more, secutus est LXXII interp.

12, 13, 14, 15. *Ad Rubenitas verò & Gaditas*, &c.] Non satis erat populum universè per castra à præconibus monitum esse ut se ad trajiciendum compararet, nisi duas istas tribus & dimidiam privatim etiam & propriè Imperator commonefaceret ut Mosis, aut Dei veriùs, mandati memores unà cum aliis trajicerent. Cùm enim hæ tribus sedes nuper commodas nactæ essent, regna Sehonis atque Og, & Galaaditidem universam, auctore Mose, cujus jam fatis functi indignationem non ampliùs revererentur, credibile est, nisi seorsim monitos & propriè, non fuisse cum aliis sponte trajecturos flumen, sed in dulci & omnibus vitæ commoditatibus affluente nido apud uxores liberósque ac rem suam familiarem mansuros; præsertim cùm non ignorarent eas suas possessiones novas à vicinis iísque potentissimis hostibus non esse satis tutas. Sed enim digna est observatione prudentissimi Principis Josuæ modestissima in illis monendis ratio. *Memores*, inquit, *estote ejus rei quam mandavit vobis Moses servus Domini*. Potuisset quidem ipsus pro imperio illos compellere, &, nisi parerent, etiam jure acceptâ illâ à Mose hæreditate exuere. Hic enim tum demum ratam firmámque fore donationem voluerat, cùm ipsi subsidium, quod ultro fratribus suis promiserant, prorsus præstitissent; Num. 32. 29, 30. Potuisset etiam meritò hæc sua ipsorum promissa in ipsos ingerere, & eorum commemoratione solâ debiti ipsos officii acriter & duriter commonefacere. Sed ille mavult amicum monitorem quàm severum Imperatorem agere; contrà sanè atque nunc Magistratuum pars maxima assolet. Nunquam enim isti imperio suo abutuntur insolentiùs majoréque cum fastu quàm cùm primùm imperare incipiunt. Nihil ille superbè mandat, sed Mosis mandatum ipsis revocat in memoriam: & ut id quoque durum, utpote hominis in homines, videri non possit, nominat illum *Jehovæ*, h. e. Domini Dei, *servum*; q. d. non tam Mosis illud quàm ipsius Dei præceptum fuisse. ¶ Cùm porrò illa jussa ad rem accommodare pergit suis verbis, inquiens, *Deus vester dat vobis quietem*, & quæ sequuntur proximis duobus versiculis, initio statim quæ illis jucundissima gratissimáque auditu sint commemorat, quò sibi ipsorum animos conciliet. Quid enim illis potuisset esse jucundius recordatione donatæ sibi ab ipso Deo nuper amplissimæ & uberrimæ hæreditatis? Quid acceptius atq; suavius quàm uxoribus parvulísque liberis & pecudibus integrum posthac fore optatâ diu quiete frui, domi suæ? Ubi verò ulteriùs ad id ventum est quod mordere ipsorum animos possit, h. e. *Sed vos pergetis balteis succincti*, &c. tam id absolvit paucis, támque citò ad ea quæ acerbum hoc rursus leniant transvolat, ut veluti uno hiatu & ferire mentem ipsorum & sanare videatur. Sic enim transeundum illis in Chananæam esse pronuntiat ut simul ad perpetuam quietem redituros promittat. Hoc profectò est leniter quidem sed tamen cordatè imperio uti, tanta cum suavitate parentes ad officium impellere. Cæterùm historia quæ hoc loco attingitur perscripta est toto capite tricesimo secundo Numerorum; illinc repetat lector. Non recitat quidem Josua hîc ipsa Mosis verba, sed ex eis suam ipse monitionem magno, ut jam ostendi, artificio contexit. Quare illud לאמור *dicendo*, sive *dicens*, quod v. 13. scriptum est, non quidem loquentem Mosen facit, sed quæ deinceps sequuntur, ea ex Mosis sententia dici ostendit. ¶ Porrò infinitus modus זכור, pro mandativo זכרו positus est; quali figurâ sæpe utuntur Hebræi. ¶ Nomini טף *Taph* subjiciuntur pueri puellæque minores annis viginti, ut scribit R. Abraham F. Ezræ. Usurpatur autem ferè numero singulari, ut collectivum, pro plurali. At Symmachus hoc loco φορτίον *onus* est interpretatus, volens, opinor, significare ea quæ *impedimenta* vocantur apud milites. Videor enim meminisse LXXII quoque sic aliquando esse interpretatos id verbum. ¶ Nomen מקנה *Michneh*, pro quo dixi *pecudes*, est ab *acquirendo* dictum; ac si *opes facultatésque partas* dicas. Et quia veteres illi & prisci homines laboriosissimi frugalissimíque has in re pecuaria ferè habebant positas, ideo plerumq; pro *pecudibus majoribus minoribúsque* usurpatur hoc nomen; cui prorsus simile est Græcum illud κτήνη quod pro eo LXXII reddiderunt. Parùm ergò plenè *jumenta* dixit Latinus. Hæc enim ea sola animalia esse videntur quæ jugum subeunt, laborésque & molimina nostra adjuvant. ¶ Porrò quid חמושים *Hamusim*, quod interpretatus sum *succincti*, significet, non eandem habent Hebræi omnes opinionem. Plerique cum Chaldæo *armatos* dici existimant, ab חמש *Homes*, quæ ea corporis humani pars est in qua costa quinta locatur, in historia Abner 2 Reg. 2. 23. LXXII illic ψόαν, h. e. *lumbum*, sunt interpretati: *arma enim*, inquiunt illi, *ad eam fere partem usque tegunt corpus*. Et sanè ab חמש *Homes*, h. e. *lumbis*, dici חמושים *Hamusim* planè est credibile, cùm videamus חלוצים *Haluzim* ei prorsus geminum esse, si & formam & notationem spectes, quod nomen à חלצים *Halazaim*, h. e. *lumbis*, formari certissimum est. Sed an ista, *Hamusim* dico & *Haluzim*, *armis contectos ad quintam costam*, aut *ad lumbos usque*, significent, an verò *succinctos balteo militari*, non satìs possum constituere. Aquilæ prius placet, Septuaginta Interpretibus posterius; ille enim ἐνοπλισάμενοι, isti εὔζωνοι convertunt. Sed sanè εὔζωνοι, h. e. *succincti*, magìs mihi placet. Nam usitatissimum est in Sacra historia *cinctis lumbis* significare expeditum robur, atque alacre & paratum studium strenuámque fortitudinem. Et unde quæso, per tot annos miserâ oppressis servitute hominibus tanta armorum copia? Sed dicas fortasse hostiles exuvias fuisse. Multis enim indè ex Ægypto victoriis fuerant potiti, & præsertim nuper adeò adversùs duos Reges Sehonem & Og, atque adversùs Madianitas, Num. 31. Atqui non videntur mihi illi sacræ gentis existimationi satìs consulere, qui eam tanto se studio loricasse putant: debebat enim Dei præsidio satìs fidere; ideóq; nè equis quidem contra hostes uti ei licebat, ut pòst videbimus. Sed sit sua cuique libera sententia. Sunt etiam qui חמושים sic interpretentur quasi quinis viris ordines agminis densati fuerint. Sed hanc ego opinionem repudio prorsus, propter nominis חלוצים *Haluzim* similitudinem, cùm hoc ab illiusmodi notione sit alienum. ¶ Illud לפני אחיכם converti *coram fratribus vestris* potiùs quàm *ante fratres vestros*. Non enim existimo, ut LXXII & Latinus sensisse videntur, has duas tribus & dimidiam in prima acie ubique adversùs hostes consistere debuisse, & fratrum suorum veluti propugnatores

tores & antesignanos fuisse, sed socios potiùs. Neque memini in omnibus bellis Chananaicis id factum usquam memorari. Et nihil usitatius in lingua sacra quàm ut לפני Liphne non locum anteriorem sed præsentiam significet. Ad hoc videmus hîc passim לפני יהוה *coram Domino* & לפני אחיכם *coram fratribus vestris* pro eadem re usurpari. Igitur quod ait Imperator, *Vos pergetis cincti coram fratribus vestris*, est ac si dicat, Vos aderitis vestris fratribus expediti ad pugnandum, & socia arma cum illis conjungetis. ¶ Quod traduxi *viri militares* est Hebraicè גבורי חיל h.e. *viri fortes, & ad bellum gerendum idonei.* Sed non est existimandum eos omnes qui militare possent ex istis duabus tribubus & dimidia nomen dare debuisse. Certum est enim ex nupera recensione Num. 26. 7,18,34. fuisse maturos militiæ, Rubenitarum quidem quadragies & ter mille septingentos triginta, Gaditarum verò quadragies mille & quingentos, denique Manassitarum quinquagesies & bis mille atque insuper septingentos; & tamen non plures quadragies mille dicentur ex omnibus simul istis tribubus suppetias fratribus suis tulisse, infrà 4. 13. Ergò illa universitatis nota כל *omnes* significat quidem nullos nisi militares in hanc expeditionem fratres comitari debere, verùm non eos omnes qui sint militares debere comitari. Quæ porrò v.15. promittit Imperator, ea videbimus, si volet Deus, suo tempore bonâ fide præstari, infrà 22.1. ¶ Illud *versùs ortum solis* additur ad significandam Galaadiridem; sicut alibi *versùs Occidentem*, cùm Chananæa ostenditur, quia vox עבר *trans* ad utramvis ripam fluminis accommodari potest.

16,17,18. *Responderunt autem Josuæ, dicentes, Omne id*, &c.] Apparitorum præconio monita fuerat universa multitudo de movendis castris, trajiciendóque intra triduum Jordane: Propriè autem & seorsim Rubenitas, Gaditas & Manassenses Imperator monuerat, ut jam audivimus. Itaque hoc responsum ego certè non istarum trium sed omnium simul tribuum esse existimo; quæ jam per suos tribunos, aut alios primæ auctoritatis viros ad Imperatorem allegatos, solenniter ipsi deferunt imperium, & suam obedientiam atque obsequium, non in iis modò quæ jam imperata sunt ab illo, sed in omnibus in quibus æquum est parentes suo Imperatori esse morigeros. Planè enim constitutum omnibus esse, Mosis, h.e. summi Imperatoris, loco illum habere, neque minùs atque hunc antè revereri. Nimirum perspecta fuerat omnibus Dei voluntas in designando Josuam Mosi successorem; neque Dei solùm, sed ipsius etiam Mosis. Nam palàm pro concione, impositâ Mosis manu ejus capiti, fuerat dudum, sic jubente Deo, consecratus Imperator; tum quæ ad hoc munus pertinent mandata, ea ab ipso Deo, ex nube, populo inspectante & responsa sacra audiente, acceperat, ut antè ex Numeris, & Deuteronomio docuimus, Num.27.18. Deut.31.14. Ad hæc, recordabantur proculdubio verborum Mosis, atque adeò Dei ipsius, cùm ille diceret, *Prophetam ex te, ex tuis fratribus, talem qualis ego sum, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ei obeditote, Deut.*18.15. hîc verò subjiceret, *Quisquis non obediverit verbis meis quæ loquetur ille Propheta meo nomine, ego vindicabo, Deut.*18.19. ut jam nullus ipsis relictus videatur fuisse tergiversandi locus. Etsi enim ista de Christo præcipuè dicta sint, tamen ad ipsum etiam Josuam, ut Christi typum formámque pertinere, docuimus antè ex Justino, in Præfatione. Et tamen laudem non vulgarem meretur tantæ multitudinis tam concors obedientia, præsertim alacerrimo promptissimóque animo delata. Planè enim ex ipsis penè singulis responsi verbis hilare ac lubentissimum parendi studium intelligi potest. Ubique enim notam universitatis כל *omnia* in ore habent, ut prorsus nihil fore significent in quo sint ipsius justum imperium detrectaturi. Et illius obedientiæ comparatio quam Mosi præstiterant, non præcisum & in quibusdam modò rebus parendi modum significat, sed magis perfectum, plenum, prolixum. Proponunt enim Mosis, tanquam omnium maximi Imperatoris, exemplum, & quem nullus possit auctoritate antelre. Nam pro iis quæ in Deuteronomii extremo scripta sunt, nemo adhuc vixit apud Israelitas Deo tam familiaris, tantâque præditus potestate, ac tot tantisque prodigiis editis clarus, atque Moses fuit. Sed dices, Illorum adversus Mosen obedientia minimè fuit ἀνυπόκριτος, adeò ut aperta sæpe rebellio videri potuerit. Atqui universa illa generatio contumax, ut loquitur Sacra historia, jam interierat per solitudinem. Ad hoc, si quis unquam vel digitum movebat aut hiscebat contra Mosen, illicò noxæ pœna præstò erat. Cùm ergò nemo illi rebellarit impunè, haud absurdè obedientia ipsi integrè illibatéque præstita censetur. Neque verò hîc Israelitæ se de obedientia jactant; quod Latina tralatio, mendosè profectò, expressit; sed potiùs quantam Mosi obedientiam debuerint ingenuè fatentur, ac tantam Josuæ pollicentur: debuerant autem illi summam, cùm, ut dixi, nisi summam præstabant, continuò dabant supplicium. Atque hanc istorum verborum esse veram sententiam, patefacit versiculus postremus, cùm aiunt, *Quisquis fuerit rebellis*, & quæ sequuntur. Cæterùm in his verbis, *Sit Dominus Deus tuus tecum, ut fuit cum Mose*, [Chald. *Sit verbum Domini Dei tui auxilio tibi, sicut fuit auxilio Mosi*] votum est, meo judicio, nihil ad institutum de obedientia sermonem pertinens; sed quale animi læti affectio expressit abruptè, occasione nominati optimi omnibúsque chari Imperatoris Mosis, qui nuper è vivis excesserat, & qualia alioqui vota fieri assolent à populis cùm suis Principibus imperia deferunt: ac si dicant, Cæterùm optamus ut Deus tuus, qui te nobis Principem dedit, qui te tam benignè, nobis audientibus, ex nube est allocutus, qui te spiritu sapientiæ amplificavit, cujus tu in hoc imperio es administer, Mosísque successor, is Deus itá omnia prosperet tuo imperio ut Mosis imperio prosperavit, cui cum nullo hoste res fuit unquam quem non illius ope fretus facilè devicit. Est autem hoc loco observanda optantis populi proba religio, qui Mosis omnem felicitatem non ejus fortunæ sed Deo acceptam referunt, neque Josuam porrò posse res prosperè gerere nisi hujus ope adjutum agnoscunt. Si quis autem ista ad propositam obedientiæ materiem attinere contendat, equidem cum eo non pugnavero. Neque enim à vero aliena fuerit sententia, si quis dicat, eos perpetuum obsequium Josuæ, quale antè Mosi præstiterant, polliceri, modò ut sic illius Imperium à Deo dirigatur, nè quid aut imperare aut aggredi in animum unquam inducat quod non sit legi voluntatíque Divinæ consentaneum, sicut Mosis actiones omnes à Deo gubernabantur. Itàque vocula רק exceptivè, ut sic dicam, erit interpretanda. Promittunt enim, si istam sequimur sententiam, præcisè obsequium, quatenus à Deo ipse Imperator non desciverit, neque alia quàm recta atque utilia & cum lege Dei conjuncta præscripserit. Et sanè hunc sensum amplexi videntur Talmudici, in eo tractatu quem סנהדרין, h.e. συνέδριον, appellant, c. 13. quos sequuntur RR. David Kimhi, & Levi F. Gersonis. At objiciet aliquis, Notum est illud D. Petri, 1. 2. 18. *Parendum esse non solùm bonis & æquis, verùm etiam pravis dominis.* Et si parentibus permittatur in dominorum mores vitámque inquirere, vix unquam cuiquam defore quo suam excuset contumaciam. Verùm non jam agitur de vita Principis privata, sed de ipso imperio. Illa enim qualis qualis sit, parentium non interest; at hoc, si contra rempub. contra religionem probam, & in summa, contra jus fásque exerceatur, non debet aliorum hominum obsequio adjuvari. Sed hoc hactenus. Parcissimè enim illiusmodi locos communes tractare constitui, nè videar otio abuti. ¶ Sequitur in ordine verborum, *Quisquis rebellis fuerit ori tuo*, &c. Jam redeunt ad interruptum voto sermonem de obedientia. Quisquis, inquiunt, vel contrà atque tu jusseris egerit, vel aliquid eorum non egerit quæ tu mandaveris, occidatur. Ostendit ergò perspicuè hic locus quantam ad parendum alacritatem præ se ferant, & simul illam à Mosis imperio prolatam similitudinem significare summam &, ut sic dicam, capitalem

talem obedientiam. Tam enim certè verè atque ex animo obedientiam se promittere ostendunt ut ultro capitis periculum sibi statuant ipsi si usquam fallant, similiter atque Mose rempub. gerente, capitalis fraus fuit ei non paruisse. Discimus ergò, eos qui imperata non faciunt, multóque etiam magis qui contraria faciunt, imperiúmque legitimum demutant, morte mulctari à justo Magistratu posse. Sed neque hunc locum communem persequar longiùs, disputatum alioqui à multis copiosè. ¶ Illud *ori tuo* transnominatio est; ac si dicas *verbo tuo*, ut redditum à Chaldæo est. ¶ Postrema illa pars, *Cæterùm esto fortis & firmus*, aut votum est, quale illud quod nuper explicabamus, aut hortatio, quâ universa multitudo per suos allegatos quamvìs sponte suâ currenti Principi calcaria tamen subdit, aut potiùs quâ se illius fortitudini toto animo asservituram declarat: q.d. Tu modò sis forti & fidenti animo; in nobis nihil desiderabis; nos officium erga te, ut Imperatorem nostrum, ubique conservabimus. R. Levi F. Gersonis sic explicat ista, *Modò ut sis fortis firmúsque in administrando imperio secundùm legis Dei præscripta. Neque enim*, inquit, *si jussisset Imperator legem ullam violare, obtemperandum ei fuisset, nisi si pro tempore res ità postulasset.* Et hîc rursus ille Talmudicos sequitur. Hi enim eo quem modò indicabam loco, dum ista verba tractant disputántque, statuunt particulam רק, quæ hoc loco scribitur, exceptionem significare. Neque verò absurdum videri debet quòd fortitudo in observanda lege collocatur. Sic enim superiùs v.7. ipsum etiam Deum loquentem audivimus, cùm diceret, *Prorsus esto fortis & firmus, ut observes præstare universam legem quam imperavit tibi Moses*, &c. Nec est sanè privata illa & veluti domestica fortitudo, quæ in cujusque animo vitiis obstat, virtutem defendit, militari fortitudine inferior, sed longè etiam superior existimanda; quippe sine qua fortitudo illa bellica nunquam fructuosa, sæpe autem noxia est. Sed profert R. Levi alteram quoque sententiam, Quasi jubeat populus Imperatorem capessere rempub. nè ea gubernatore orba post Mosis excessum fluctuet. Et hactenus explicata à nobis ea ferè sunt quæ primo capite continentur. A quibus priùs quàm discedamus, persolvenda est subdifficilis, ut videtur, quæstio quæ hoc loco exsistit, Cur opus sit Rubenitas, Gaditas & Manassenses, quibus sua jam hæreditas attributa cis Jordanem est, trajicere cum cæteris suis fratribus armatos, & tanquam suppetias ferre ipsis ad debellandum Chananæos, quos se profligaturum Deus ipse sæpe est pollicitus, &, ut audiemus, erit totius belli præsentis tum inceptor tum confector? Ad ista responderi rectè posse puto, Nihil illorum quidem viribus opus esse ad exterminandos veteres terræ incolas habitatorésque, qui Divinis stratagematis magìs quàm armis superabuntur. Neque verò etiam ideò solùm voluisse Mosen, Divinorum consiliorum interpretem, ut fratribus illi suis adessent Num.32. quia Deus, etsi per se ipse satis pollens poténsque est, tamen humanas res operâ ferè hominum administrare assolet; sed multò magìs quia antè quàm & victoria bello, & respub. hæreditatis divisione, ac denique religio Arcæ collocatione sacrorúmque rituum factis initiis constituta essent, dividi populus absque magnis flagitiis non potuit. Primùm enim ea res mutuos inter se animos plurimùm abalienasset, si illæ tribus fortunas suas in communionem magnorum, ut videbantur, periculorum, quæ restabant, conferre noluissent; statuissentque nullam sibi societatem, communis utilitatis causâ, cum illis esse debere, quorum res nondum satis certæ erant. Ea verò abalienatio sensim legum & sacrorum communionem, quâ tanquam unius ejusdem civitatis cives inter se omnes conjuncti fuere, dissolvisset: porrò hæc sublata prorsus distraxisset Ecclesiæ unitatem, atque adeò Ecclesiam ipsam evertisset; quippe quæ nisi una est, nulla est. Deinde cùm sacra Arca omnino in Chananæam inferri deberet, ob causas quas opportuno loco explicabimus, non potuerunt illi eam, tanquam Deum ipsum, deserere priùs quàm locum suum cepisset, in quo sibi Deus vellet sacrificari; cùm quia ipsis quoque nusquam alibi sacris operari fas esset, tum maximè quia, cùm vera religio non legibus & judiciis, sed pietate hominum & quadam conjunctione, quæ ipsis cum Deo est, optimè conservetur, si illæ tribus sui commodi causâ Deum, veluti adhuc peregrinantem & ad suos hostes transeuntem, deseruissent, fieri vix potuisset quin ea res, quadam neglecti officii opinione, ipsos desertores paulatim à sacro illo delubro, & proinde à debitis ritibus & cultu legitimo, avertisset. Ità est enim ingenium hominum, ut quem suo peccato offenderunt, eum minùs amare, sæpe etiam fastidire, & porrò sensim odisse incipiant; præsertim si illiusmodi est peccatum ut ejus non facilè ipsos possit pœnitere. Præter istas autem causas, hæc quoque afferri potest, Verendum fuisse nè si in transeundo tergiversatæ fuissent istæ tribus, suâ illâ retractatione locum aperuissent totius populi diffidentiæ; ex qua deinde nova occupandæ Chananææ dilatio, errorésque vel superioribus perniciosiores fuissent consecuti. Quamvìs autem hoc in crimine magìs poni debuisset illis qui præ magna fiduciæ suæ inconstantia tam facilè in aliena culpa fuissent offensi, tamen Moses hâc ratione potissimùm in istis tribubus objurgandis uti videtur, cùm hæreditatem sibi cis Jordanem assignari illæ postulant Num.32. Nimirum Moses magno studio omnem ubique orationem ad vulgi captum popularémque intelligentiam accommodavit. Hæc autem postrema causa quàm superiores magìs perspicua est, imò verò ex illis, quæ nuper adeò cum omnium malo maximo acciderunt, planè evidens & ante omnium posita oculos. Sed hæc quoque hactenus.

IDEM.

Quas ob causas Origenes Theodotionis interpretationem cum ea quam fecerant olim LXXII Seniores admiscuerit, quibúsque notis usus id fecerit, explicatum à nobis superiore Præfatione est. Hanc autem Adamantii mistam atque ex duabus aptam interpretationibus editionem cùm nos jam in Josua, quoad ejus facere potuimus, emendatissimam dederimus; notásque illas, quæ dudum vel propter vetustatem vel librariorum potiùs inertiam obsoleverant scribíque desierant, renovaverimus, & in suos quásque locos restituerimus; visum nobis est rem omnem, quâ ratione quóque modo est acta, literis breviter consignare atque annotare, ut perpetuò in promptu sit unde queat librariorum culpa redargui. Proponam autem ejus interpretationis exemplum quæ est in pervulgatis libris, & quia ea est in omnium manibus, & quia minùs discessit à simplici puráque illorum LXXII interpretum editione: ipsámque tum ea supplendo Theodotionis verbis per appositos asteriscos, quæ desunt, tum jugulando obeliscis quæ supra Hebræum addita sunt, ità informabo, ut illius Origenicæ editionis speciem, in Josuæ certè historia, luculenter referre, & simul simplex liberatáque ab omni admistione interpretatio illa vetus qualis fuerit ostendere tanquam digito possit. Nam iis etiam quæ in illo quod dicebam exemplo jam antè adscripta ex Theodotione sunt, non sanè pauca illa, suos asteriscos reddam; & insuper limniscis varias scripturas indicabo, denique depravata quæ sunt, quantum certè potero, corrigam. Sequar autem in his cùm aliorum exemplarium, tum mei Syrici potissimùm, atque etiam Vaticani & Complutensis fidem. Continet autem Vaticanus codex, longè ille quidem vetustissimus, editionem simplicem τῶν ἑβδομήκοντα δύο, neque suppletam alienâ interpretatione, sed, nisi fallor, à Luciano martyre, emendandi studio nonnihil contaminatam, h.e. eam quam κοινὴν vocare solebant. Compluti autem editi à Ximenes libri satis noti sunt. Igitur, ut decurram ordine per capita & versus singulos, Capitis primi versiculo primo, illud δοῦλον Κυρίου debet asterisco apposito notari, hoc modo, ※ δοῦλον Κυρίου ↙ nimirum à LXXII. præteritum, atque ex Theodotionis interpretatione huc additum est. Mox

Mox pro λειτουργῷ est in bonis libris ὑπουργῷ; quare hoc scribendum censeo.

2. Post nomen Ἰορδάνην est in ed. mixta additum ex Theodot. apposito asterisco pronomen ✱ τοῦτον ⸓. & rursus in versus istius extremo, hæc clausula verborum, ✱ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ ⸓.

3. Post illa verba ποδῶν ὑμῶν est in mixta, ✱ ἐφ' αὐτῶν ⸓. In hoc versu Complutenses scribunt, ἐπιβῇ τὸ ἴχνη, quod est quidem Hebræo consentaneum. Sed Syrus id expressit quod est in vulg. libris, quare nihil hic muto.

4. Verbo Ἀντιλίβανον addit mixta demonstrationis pronomen ✱ τοῦτον ⸓. Rursus post Εὐφράτου hæc verba à LXXII præterita, ✱ πᾶσαν γῆν Χετταίων ⸓. Mox scribendum est τῆς θαλάσσης τῆς ἐσχάτης, addito altero articulo. Atque hic limniscus ostendit, in quibusdam libris esse ÷ μεγάλης pro ÷ ἐσχάτης. Hebræum quoque hic *magnum mare* habet; at in Deuteronomio, *ultimum* sive *extimum*.

5. Cùm dicitur, ⁒ καὶ ⸓ ὥσπερ ἤμην, debet Conjunctio jugulari obelo; non est enim in Hebræo. Similiter adverbium ⁒ οὕτως ⸓, quod paulò ulteriùs scriptum est, & rursus Conjunctio in his verbis, ⁒ καὶ ⸓ μετὰ σοῦ. Atque etiam quæ paulò ulteriùs posita est, cùm dicitur; ⁒ καὶ ⸓ οὐκ ἐγκαταλείψω σε.

7. Adverbium ✱ σφόδρα ⸓ asterisco signandum est, ut à LXXII omissum: atque ideo neque in Vat. habetur; continet enim, ut dicebam, ille codex editionem simplicem τῶν ἑβδομήκοντα δύο Mox conjunctio quæ est posita ante verbum ποιεῖν, debet jugulari obelisco. Cæterùm post hoc verbum habet ed. mixta per asteriscum, hanc verborum continuationem videlicet, ✱ κατὰ πάντα τὸν νόμον ⸓. Ulteriùs, post verbum ἐνετείλατο deest in nostris libris pronomen σοι, scribendum est ergò ἐνετείλατό σοι. Rursus juguланda obelisco est Conjunctio, cùm dicitur, ⁒ καὶ ⸓ οὐκ ἐκκλινεῖς. Ibidem pro εἰς ἀριστερὰ habet Vat. codex, οὐδὲ εἰς ἀριστερά. Sed Syrus est nostrorum codicum scripturam secutus, & nihil hoc ad sententiam.

8. Conjunctio initio scripta est juguланda obelisco. Ulteriùs post illa verba πάντα τὰ γεγραμμένα additur in mixta ✱ ἐν αὐτῷ ⸓. Paulò ulteriùs expungendum est illud εὐοδωθήσῃ καὶ, quod mendosè habetur in vulg. libris. Porrò pro εὐοδώσεις reddidit Syrus primam personam εὐοδώσω, sed id ei non assentiuntur alia exemplaria.

9. Scribunt Compl. εἰς πάντα τόπον οὗ ἐὰν πορεύῃ. Sed quando verbum τόπον neque Hebræum habet, neque alii boni libri, nihil muto. Si quis tamen adscribendum putet, is notet obelisco, sicut in extremo hujus capitis.

11. Post παρεμβολῆς expungendum est illud τοῦ λαοῦ, nam in bonis libris non est. Eodem versu post ἐπισιτισμὸν est in mista ed. pronomen ✱ ὑμῖν ⸓. Mox pro ὑμεῖς διαβήσεσθε, quod est in vulg. libris, scribe ⁒ καὶ ⸓ ὑμεῖς διαβαίνετε, sed conjunctio habeat obelum, quâ notâ sunt etiam juguланda illa, ⁒ τῶν πατέρων ⸓. Denique post illa verba, δίδωσιν ὑμῖν, additum est in mista ✱ κληρονομεῖν αὐτὴν ⸓.

12. In fine, post ista verba, εἶπεν Ἰησοῦς, est in mista ✱ λέγων ⸓.

13. Initio, Nomen ⁒ Κυρίου ⸓ signetur obelo, cùm dicitur, ῥῆμα ⁒ Κυρίου ⸓.

14. Post illa verba, ἣν δέδωκεν ὑμῖν, habet ed. mista per stellam addita hæc verba, ✱ Μωϋσῆς πέραν τοῦ Ἰορδάνου ⸓. Eodem versu ad illa verba, πᾶς ὁ ἰσχύων, addit mista per asteriscum ✱ τῇ δυνάμει ⸓.

15. Cùm dicitur καταπαύσῃ Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν. debet illud ⁒ ὁ Θεὸς ὑμῶν ⸓ confodi obelo: sed non etiam cùm denuo scribitur. Ulteriùs illud ἕκαστος debet appositâ stellâ notari, est enim à Theod. acceptum. Ibidem post illa verba εἰς τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ habet edit. mista additam hanc verborum clausulam, ✱ καὶ κληρονομήσετε αὐτὴν, eam enim ut supervacaneam prætermiserant LXXII interpretes. Rursus post nomen Μωϋσῆς habet additum ✱ ὁ παῖς Κυρίου ⸓.

16. Cùm dicitur, εἰς πάντα ⁒ τόπον ⸓, debet verbum τόπον habere appositum obelum.

17. Post illa, ἠκούσαμεν Μωϋσῆ, est in mista ed. adverbium additum, hoc modo, ✱ οὕτως ἀκουσόμεθά σου ⸓.

DRUSIUS.

1. *Post mortem Mosis*,] Quem luxerant XXX dies, quanto tempore & Jacobum Patriarcham luxerant. Erat enim uterque luctus publicus. Nam privatus tantùm durabat per VI dies. Vide Tropos.

4. *A deserto, & Libano*, &c.] Quatuor hic termini terræ Israel. Primus est desertum, de quo non ambigitur quin sit terminus Australis, nam cum articulo legitur in fonte, ut si dicat ἀπὸ τῆς ἐρήμου. Innuit autem desertum Tsin vel Cades, quod inter Judæam & Ægyptum, vel potiùs mare Rubrum. Id enim separabat desertum illud ab Ægypto. Secundus est Libanus mons, qui ab Occasu ad Orientem protenditur: unde credibile est ipsum terminasse partem Septentrionalem; de quo tamen ambigi video. Nam si Euphrates terminabat Septentrionem, cur meminit Libani? An unius plagæ duo termini? Non opinor. Inclino potiùs ut credam Euphratem fuisse terminum Orientalem, qui alioquin hic planè taceretur; quod nullam probabilem rationem habet. Sic igitur statuo, Euphraten esse terminum ab Oriente, ut mare Magnum est ab Occidente. Id caret omni omnino controversiâ. De mari loquor; Dicit ergò, *A deserto usque ad flumen magnum flumen Euphratis, & à Libano usque ad mare magnum*, h.e. Mediterraneum; quod *magnum* dicitur respectu aliorum marium in eadem regione, ut sunt mare Salis, & mare Gennesareth. Hic notabis elegantem dictionem; *fluvius Euphratis:* quod ità dicitur ut *herba Lapathi, urbs Roma, arbor fici*, & alia ejus generis. *Libanus* à *thure* appellationem habet. Euphrates autem Ebraicè vocatur *Pherath*, unde *Phora* & *Phoras*, ultimâ nominis barbari, ut fit, in ς versâ. Cæterùm latitudo Terræ, si non fallunt nos Doctores Ebræi, est ab Austro sive Meridie Septentrionem versùs, longitudo verò ab Ortu ad Occasum, h.e. ab Euphrate ad mare Magnum; si modò Euphrates terminat Orientem, & non potiùs Euronotum. Nam legimus, *à flumine Ægypti usque ad fluvium Euphratis*, Gen. 15. 18. Flumen autem Ægypti erat in Meridie illius regionis. Babylonia certè, in qua erat Euphrates, modò Septentrioni, unde illud, *Ab Aquilone omne malum*, modò tribuitur Orienti, unde *filii Orientis* vocantur Judæi qui in Babylonia habitabant, ut *Occidentis filii* dicebantur qui degebant in terra Israel.

5. *Non dimittam te*] Non faciam te remissum, non patiar ut sis remissior aut manibus remissis, q.d. Roborabo te, juxta illud Jobi 4. 3. Cæterùm רפה propriè usurpatur de iis qui ab operis contentione aliquid remittunt. Ad animum verò relatum sign. *animo concidere, ejúsque magnitudinem inflectere*, & q. *despondere ipsum*. Quando autem post se habet particulam מן, ut Exod. 4. 26. tunc sign. *abscedere, recedere, desistere, cessare*.

7. *Ne recedas ab eo*] Mose videlicet, aut libro Legis; ut sit oratio sensu congrua, non voce. Nam præcedit *lex*. unde in Vulg. nostro, *ne declines ab ea*, i. ממנה, quomodo legendum esse suspicantur Massoritæ. Suntque sex loca hujusmodi, de quibus סבירין, i. *falsò suspicantur*. Senes habent ἀπ' αὐτῶν *ab eis*, sub. *præceptis legalibus*. Sunt qui hic statuant enallagen generis, haud inusitatam Ebræis. Vide Psal. 45. 17. Ubi tamen pronomen masc. ad Regem Messiam referendum, meo judicio. ¶ *Ut prosperè agas quocunque iveris*] h.e. in omnibus viis & actionibus tuis. LXX ἵνα συνῇς ἐν πᾶσιν οἷς ἐὰν πράσσῃς, *ut intelligens sis in omnibus*, &c. Prius erat, *ut intelligas cuncta quæ agis*; quod pro eo habendum ac si diceret, *ut prudenter omnia agas*. Quocirca non nemo interpretatur, *ut prudens*

prudens sis in omni eo in quo versaberis. Nam ex prudentia felicitas. Non tamen qui prudens est, semper felix est. Ideo prætuli, *ut prosperè agas*, Chaldæum interp. secutus. *Quocunque iveris aut ambulaveris*, h. e. in tota vita tua. Nam *ire* vivere est. Porrò successum rerum verbo שכל significari notius est quàm ut probari debeat. Itaque משכיל 1 Sam. 18. interpretantur מצליח *prosperans*; quòd rerum prosperitas & felix successus ex prudentia plerumque proficiscatur, ait autor Synonymorum Ebraicorum. Deut. 29. 9. pro תלך est תעשון. Confer hunc locum cum illo. Nam pro ב ibi est את.

8. *Non recedat*, &c.] Hoc ità præceptum fuit Josuæ ut etiam aliis dictum sit; sed imprimis spectat ad eos qui cum imperio sunt, quorum interest habere notitiam Legis ad regendam remp. cùm privati Legem tantùm discant ad vitam secundùm ejus præcepta ritè instituendam. Quod autem ait, *ab ore tuo*, innuit semper de illo loquendum esse. Quod etiam significant verbo הגה, *meditor*. Nam id non tantùm cordis est, sed etiam oris & linguæ palatíve; Proinde Psal. 1. 2. Aq. reddidit verbo φθέγγομαι *loquor*. ¶ *Interdiu ac nocte*] Proverbiale est, ut apud Homerum, νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα. Sic

(*Nocturnâ versate manu versate diurnâ.*)

i. Semper cùm vacabitis à curis de victu parando. Quidam censent his verbis includi benedictionem: ut sciamus in meditatione legis Divinæ positam esse magnam felicitatem & beatitudinem, juxta illud Davidis Psal. 1. 2. *Sed in lege* Domini *voluntas ejus, & in lege ejus meditatur interdiu & nocte*, præcedit autem, *Beatus ille vir*, &c.

10. *Præfectis populi*] Priùs erat *principibus populi*, i. שרי העם. Senes habent τοῖς γραμματεῦσι τοῦ λαοῦ, *scribis populi*: unde in N. Federe γραμματεὺς *præfectum* denotat, ut Act. 19. 35. ubi Syrus interp. *caput urbis*. Alioqui *scriba* סופר dicitur, & tunc aliam sententiam continet; שוטר qui à Rege constituitur, aut alicui loco præficitur; item qui exsequitur jussa Magistratuum, *Lictores* appellant, aut *Apparitores*, qui res judicatas exsequebantur, baculóque & loro populum cogebant ad observantiam præceptorum. Hi Levitæ erant. In libro qui *Siphri* vocatur, *Soterin sunt Levitæ*. Sanè legimus 2 Par. 19. 11. *præfecti Levitæ ante vos*. Definiunt *Soterim* significare illos *qui vinciunt & percutiunt loro ad os Judicum*, vult dicere, *juxta præceptum Judicum*. Nam *ubi Soterim, ibi Sophetim*, i. Judices aut Magistratus. Thanhuma 89. 3. *Sophetim sunt Judices: Soterim autem, gubernatores aut moderatores qui ducebant cœtum.* Liber præceptorum major; *Soterim, qui castigant populum post præceptum eorum virgâ & loro, donec receperint in se judicatum.* Habentur hæc fol. 186. col. 2. vide quoque fol. 192. 2. & Phesictha 75. 4.

11. *Cibaria*] Omnem cibum præter Manna; quo cibo adhuc vescebantur, erátque eis panis loco usque ad 15 mensis Nisan; vide infrà 5. 12. *Viaticum* propriè dicitur צדה לדרך *commeatus ad viam*: & est liber hoc titulo. R. S. etiam *arma* significari putat hoc nomine, quæ iis necessaria ad hanc expeditionem. Quod autem Doctores dicunt eo die quo mortuus est Moses cessasse Manna, verum esse potest si *diem* pro *tempore* accipias. Nam circa illud tempus cessavit, quanquam paulò pòst. Alia tamen eorum mens. Nam aiunt die 7 mensis Adar mortuum esse Mosen eósque collegisse illo die tantum Mannæ quantum sufficeret ad 16 mensis Nisan. Fabulæ. Man enim in posterum tempus servare fas non erat. Tantùm in diem servabatur: postridie putrescebat. Credibilius ergo eos quotidie collegisse cibum illum usque dum frugibus Terræ vescerentur; quod accidit eo die quo dixi, videlicet 15 aut 16 mensis Nisan. ¶ *Intra tres dies*] Ità sumitur בעוד Gen. 40. 12. Sed & Jer. 15. 9. בעוד יומם *dum adhuc est dies*; *intra diem*, & 2 Sam. 12. 12. בעוד הילד חי *cùm adhuc puer viveret*. Hieron. *post diem tertium* אחר היום השלישי Lxx ἔτι τρεῖς ἡμέραι, *adhuc tres dies*: עוד, non בעוד. Id valet *post tres dies*. Simile, *Adhuc 40 dies, & Nive subvertetur*. Jon. *in fine trium dierum*. Hinc eruimus eos die tertio trajecisse Jordanem. ¶ *Ad possidendum*] Malim, *ad hæreditandum*, quod Græci dicerent κληρονομεῖν. Nam *possessio* propriè נחלה dicitur. Hic est ירש in fonte, quod sign. *possidere hæreditatem*, h. e. bona hæreditario jure à parentibus relicta. Res est, non conjectura.

13. *Mementote*] Sic rectè Hieron. nec. aliter Santes. Nam est זָכוּר pro זכרו ad verb. *meminisse* pro *mementote*. Quid autem moverit Ariam ut emendaret *memento*, divinare non possum, nisi quòd multa hujusmodi sunt in illa editione, quæ pravè correcta aliam correctionem insuper desiderant. Sanè quidem זכור *meminisse* pro ratione loci tam sonat *mementote* quàm *memento*.

14. *Parvuli vestri*] Hieron. hîc *filios* interpretatur, ut Gen. 34. 29. *parvulos*, quod nunc secutus sum. Sign. autem *minores annis viginti*, ut A. E. notavit. Ger. ait denotare *minorennes* קטני השנים, qui propè sunt ut instituantur in Catechesi. Aliquando sic vocantur *qui sugunt ubera*, quos יונקי שדים appellant. Lxx τὰ παιδία ὑμῶν, sed alibi aliter interpretantur. Nam in nulla voce minùs sibi constant. Tamen φορτίον, quod sciam, nunquam reddiderunt. Interpretamentum hoc Symmachi est, quod *onus* denotat; & fortè *impedimenta* eo nomine significantur. Nihil dico, si non Senes pro eo aliquando ediderunt ἀποσκευή, i. *supellex*. ¶ *Pecudes vestræ*] Priùs erat, *jumenta*, sed Græcè meliùs, τὰ κτήνη ὑμῶν. Appellatio ab *acquirendo*; unde Arias *acquisitiones* emendat. Scire licet *acquisitionem* קנין dici ab eadem radice. מקנה est pecus tam parvum quam magnum. ¶ *Manebunt*] Vel, *maneant*. Verbum è verbo, *sedeant*. *Sedere* pro *manere* sumitur cùm alibi tum Gen. 22. 5. *Sedete hîc*, i. manete. Cicero l. 9. epist. fam. *Si venti essent, nos hîc Corcyræ non sederemus*, Luc. 24. 49. *Vos autem sedete in urbe Jerusalem.* ¶ *Armati*] Vel, *succincti*, i. εὔζωνοι. Hoc Lxx; illud Hieron. edidit, Aquilam secutus, in quo ἐνοπλισάμενοι. Recentior interpretatio, *quini*. Nam sic milites ferè incedunt; qui *ordo militaris* dicitur; unde quidam hîc, *ordine militari*. Sed sciendum ab Ebræis exponi חלוצים in quo significatio *lumborum*; qui חלצים vocantur. Idem חמש, si credendum Senibus, qui ψόαν interpretantur, 2 Sam. 2. 23. & 3. 27. & 20. 10. unde חמשים. Lumbos autem accingi solere notius est quàm ut probari debeat. R. D. interpretatur dicens significare illos *qui quintam costam*, quam חמש vocant, *armis accinctam habent*: unde in Sante, *succincti armis*. Alii quinque armis accinctos incessisse scribunt. Sed unde tanta copia eis armorum? Prius magis se probat mihi. Quidam, *succincti balteo militari*. ¶ *Coram fratribus vestris*] Non anteriorem locum, sed præsentiam denotat, ut rectè observavit noster Masius. Non enim credibile est eos in prima semper acie fuisse, & reliquas tribus præcessisse, ut antesignani solent: Quod tamen innuere videtur Hieron. referens, *ante fratres vestros*. Sed & Senes, qui vertunt πρότεροι τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, *priores*, i. primi, *fratrum vestrorum*. ¶ *Omnes robusti exercitûs*] i. Robusti milites. חיל hîc *exercitum* designat, & dicit *omnes*, quia non vult adhiberi nisi à robore firmum. Hieron. hîc habet, *omnes fortes manu*, Lxx verò, πᾶς ὁ ἰσχύων. Sunt qui putant periphrasin esse virorum militarium. חיל etiam *potentiam* notat & *opes*. Nam in opibus potentia hominis. Hinc גבור חיל pro *divite*. Sign. etiam *eum qui robore valet*: unde quidam, *omnes valentes robore*. Malim, *militiæ potentes*, ut *belli potentes*, qui bello pollent; sic *militiæ potentees* qui militiâ valent.

18. *Qui rebellaverit ori tuo*] i. Sermoni. Sic Jon. Plinius de Mithridate, *ut duarum & viginti gentium ore loqueretur*: i. sermone. Nihil tritius, Lxx ὃς ἂν ἀπειθήσῃ σοι, *qui rebellis fuerit tibi*. Nam ἀπειθὴς *rebellis*. *Inobediens* non facilè uspiam invenies. *Imparens* exstat apud Festum, & *inobsequens* apud Senecam. Jon. usus fuit verbo סרב, unde סרבן *rebellis*; & *Sarbeth sarbaneel*, *virga rebellium Deo*. Titulus est, nisi fallor, prioris Machabæorum, quem Ebræi *librum Hasamonæorum* vocant. Quidam, *qui mutaverit os tuum*, i. ימיר. Edit.

Rom.

Rom. Latina, *quicunque incredulus fuerit tibi.* Minùs probo. Non enim hîc agitur de ἀπειθείᾳ quæ in intellectu, cùm videlicet quispiam doctrinæ veritatis non vult assentiri, sed de ea quæ posita est in voluntate ac moribus, quam *imparentiam vocant.* Sirach. 16. 28. οὐκ ἀπειθήσουσι τῶν λόγων αὐτοῦ, quod non nemo reddit, *non detrectant ejus imperium.* Lex. Vet. Ἀπειθῶ, *detrecto, recuso, inobedio.* Ibid. 2. 15. οὐκ ἀπειθήσουσι ῥημάτων αὐτοῦ. Alius ῥήμασιν αὐτοῦ, *non derogant fidem verbis ejus.*

IDEM.

1. וַיְהִי אַחֲרֵי מוֹת מֹשֶׁה עֶבֶד יְהוָה. Sym. Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Μωϋσῆ δούλου Κυρίου εἶπε Κύριος, *Post obitum verò Mosis servi Domini dixit Dominus*] Δούλου Κυρίου, *servi Domini.* Olim in quibusdam libris etiam LXX habebant, ut liquet ex quæst. Theodoreti ad hunc locum. Credo additum fuisse sub asterisco ex Theodotionis. Quanquam abesse potiùs videtur culpâ scribarum quàm ipsorum interpretum. Cur enim LXX illud omisissent, nisi alia multa similia in illa editione desiderarentur?

14. טַף. Sym. φορτίον, *sarcina*] i. Sarcinæ & onera. LXX hîc habent τὰ παιδία, *puerili.* Hieron. *filii.* Santes, *parvuli*, Esth. 3. 13. טף ונשים. Josephus, σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις. Hieron. *parvulos & mulieres.* Exod. 12. 37. לבד מטף. A. χωρὶς νηπίων, *absque infantibus.* Hieron. *absque parvulis.* R. D. קטנים *parvuli.* LXX πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, *absque viatoria supellectile.* Nam ἀποσκευὴ, τὰ πρὸς τὴν ὁδὸν χρησιμεύοντα σκεύη; *vasa viatoria & sarcina.* Sic & alibi reddunt hoc vocabulum. חמשים. A. ἐνοπλισάμενοι *armati*] *Instructi armis aut supellectili Ægyptiorum, quos spoliaverant.* Hieron. epist. ad Damasum. Vide quæ scripsimus Exod. 13. 18.

15. עֶבֶד יְהוָה. Th. ὁ παῖς Κυρίου, *puer Domini*] i. Servus. Mirum cur hîc verterit παῖς qui suprà δοῦλος posuerit.

GROTIUS.

1. AD *Josua filium Nun*] Quomodo nomen יהושע Græcè mutatum sit in Ἰησοῦς, vide quæ ad primum caput Matthæi diximus. Patris nomen Ναυῆ videtur scribarum esse vitium pro Ναυὴ. Fuit Josue ad belli imperium peridoneus, ingenio solers, fortis animo, Mose severior. Huic si quis ex aliis gentibus comparandus sit, salvo pietatis & Divini afflatus discrimine, sumam Catonem majorem.

3. *Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam*] Sicut in rebus quæ nullius sunt possessio jus dat, ità hîc, quia pro nullis habendi quos Deus pœnæ damnavit. Vide Deut. 11. 24.

4. *Fluvium magnum Euphraten*] Vide quæ ad Gen. 2. 14.

7. *Et facias omnem legem quam præcepit tibi Moses*] Quæ lex manere debebat ad Magnum usque Jubilæum, i. ad tempora Messiæ.

9. *Ecce præcipio tibi, Confortare*] Οἱ νόμοι ἀγορεύουσι πολλὰ πάντων, ait Aristoteles de Morib. 5. c. 3. etiam de fortitudine, τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν, οἷον μὴ λείπειν τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν, μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα, ut idem adjicit.

14. *Vos autem transite armati ante fratres vestros*] Inter cives omnes ut juris ità & armorum est societas. Verba autem hæc Mosis non reperiuntur alibi, sed sensus est Num. 32. 6.

17. *Tantùm sit Dominus Deus tuus tecum*] De nobis ne sis solicitus; Deus modò tibi faveat, omnia se bene habebunt. Optantium hoc est, non, ut quidam putant, restipulantium. Locutio hæc, *Dominus sit tecum*, quid valeat videbis Judic. 6. 12. Ruth. 2. 4. Jer. 1. 8. Matth. 28. 20. Act. 18. 10.

18. *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur*] *Contradixerit aut non obedierit*, nempe contumaciter. Hæc est lex Regis Hebræorum. Nam Rex à Principe apud ipsos, ut alibi diximus, pompâ, satellitio & opibus distinguebatur, pari de cætero jure. Qui ex hac lege damnatur, dicitur apud Hebræos damnari *causâ Regni*; sicut apud Romanos, *Majestatis*; apud Græco-Romanos, καθοσιώσεως. In hoc uno crimine bona confiscabantur, ut bona Saulis posterorum, Davidis tempore 2 Sam. 9. 7. & hoc obtentu, quanquam falsò, usi Judices in Nabuthem 1 Reg. 21. 14, 15. Mirum verò de hoc crimine ad Regum injuriam pertinente, tam Reges per præventionem, ut in foro loquuntur, quàm publicos Judices judicasse: ut apparet 1 Reg. 2. 29, 30, 31, 33, 34. & ibi notatur à Levi Bengerson & D. K. Tanta fuit Hebræorum de Regum suorum probitate existimatio.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. QUI *cum silentio explorarent*] h. e. Qui sine omni strepitu sese in terram insinuarent. Alii verò, qui Chald. interpretem sequuntur, sic exponunt hunc locum; *Misit Jehosua duos viros secretò, nescientibus Israelitis, nè corda illorum terrerentur, ut priùs sub Mose contigit.* Alii exponunt hîc חרש pro *fabro*, ut sit sensus; Intrate terram sub specie fabrorum, gestantes in manibus instrumenta fabrilia, & advertite consilia illorum. At tunc fuerat scribendum *haras*, & non *hares*, cum duplici scilicet Camez & non cum duplici Segol. ¶ *Meretricis*] Quidam ex Hebræis putant hîc זונה capi pro מוכרת מזון *quæ vendit cibum*, ut facit mulier cauponaria: ut sit זונה ejusdem formæ cum טובה. Sign. enim זן *cibare.* Sin à radice זנה derivaveris, זונה erit *meretrix*, & non *cibatrix.*

6. *Qui ordinati jacebant*] Posuerit mulier virgulta lini, seu, ut Hebraismus habet, *arbusta lini*, in tecto, ut illic exsiccarentur: & cùm exploratores istos aliter occultare non posset, abscondit eos sub his virgultis lini, quemlibet scilicet seorsum, ideo habet textus ותצפנו *& abscondit eum.* Delirant hîc Hebræi more suo, ex Pinhas facientes Angelum incorporatum: scribúntque in hunc modum, בדרש אלו שני המרגלים היו כלב ופינחס ועמד לפניהם פינחס ולא הכירוהו ולא ראוהו לפי שהיה מלאך ואמר ותצפנו על כלב לבדו.

12. *Signum verum*] h. e. Sponsionem firmam & certam, seu sponsionis symbolum haud fallax.

17. *Innoxii nos erimus*] h. e. Hâc conditione ingredimur hanc urbem, ut tu liges filum coccineum in fenestra, &c. Et si hoc neglexeris, nos immunes erimus ab isto juramento. Est verò תקות חוט *funiculus ex filis retortus.*

20. *Si prodideris hoc negotium nostrum*] K. sic exponit, *Si revelaveris hoc signum quod tibi dedimus, & alii quoque fila coccinea suspenderint ante domos suas, innocentes nos erimus ab isto juramento quo adjurasti nos, si mali quicquam tibi acciderit.*

24. *Dissoluti sunt*] h. e. Fracti sunt animo metu advenientis populi Israelitici, ut Jon. exponit.

VATABLUS.

1. MIsit autem, וישלח] *Miserat autem.* ¶ *Exploratores clàm*, מרגלים חרש] *Qui explorarent in silentio*, i. secretò, vel tacitè, i. qui explorarent silendo, sive tacendo: h. e. sine ullo strepitu, nè scilicet persentiscerent incolæ regionis. Chaldæus paraph. conjungit חרש verbo sequenti, *secretò dicendo:* nescientibus scilicet Israelitis, nè corda illorum terrerentur, ut priùs sub Mose contigit, Num. 13. 34. & 14. 1. ¶ *Et Jericho*, ואת יריחו] *Præsertim Jericho.* ¶ *Hospita*, זונה] *Cauponaria, quæ cauponariam artem exercet:* sic dicta quòd escas præparet ac vendat, à זון. Doctus inter Hebræos exponit מוכרת זון *vendentis escam.* Quidam à זנה *fornicari* deducentes, vertunt *meretricis*; quòd (ut

(ut ait Doctus inter Hebræos) hospitæ aliquando corpus suum prostituere soleant. ¶ *Et dormierunt*, וישכבו] *Et quieverunt*, aliquantisper scilicet.

2. *Dictum autem fuit*, ויאמר] *Renuntiatum autem fuit.* ¶ *Viri*, אנשים] *Quidam.*

4. *Et absconderat eos*, ותצפנו] Ad verb. *& abdiderat eum*, i. quemlibet ex eis separatim scilicet. ¶ *Profectò venerunt*, כן באו] *Verum est* quòd *venerunt.* ¶ *Sed non noveram*, ולא ידעתי] Ad verb. *& non novi.*

5. *Porta*, השער] Civitatis scilicet, aut hospitii. Clariùs sic vertas, *Cùm autem claudenda esset porta, quòd nox jam atra esset.* Chaldæus paraph. *Et fuit tempus ad claudendam portam*, i. in quo claudi solet porta. ¶ *In tenebris*, בחושך] *Propter tenebras.*

6. *In culmis lini*, בפשתי העץ] Ad verb. *in linis ligni*, vel *arboris*; inversæ dictiones, pro, *in lignis lini*, i. in culmis, vel stipulis linorum; quia adhuc linum erat in culmo, qui vocatur *lignum*, seu *arbor*, aut *culmus.* In Scriptura autem inveniuntur hujusmodi conjunctiones, ut idem sit conjunctum [i. quod est in regimine] & id cui conjungitur, ut Exod. 25. 4. *& vermiculum cocci*, & Lev. 14. 4. *& coccum vermiculi.* Chaldæus paraph. *in fasciculis lini.* ¶ *Ordinatis ab ea*, הערוכות לה] Ad verb. *ordinatis ei*; hîc ל pro מ positum esse annotant Hebræi.

7. *Usque ad vada*, על המעברות] Hîc על pro עד ponitur.

8. *Antequam autem dormirent, ipsa*, והמה טרם ישכבון והיא] *Illi autem nondum dormire cœperant, & ipsa*, &c.

9. *Cecidit terror vester super nos*, נפלה אימתכם עלינו] Hebraismus, *territi sumus propter vos.* ¶ *Defluxerunt*, נמגו] *Dissoluti sunt*, præ timore scilicet, i. remissò sunt animo propter vos.

11. *Et dissolutum est cor nostrum*, וימס לבבנו] Hebraismus, *fuimus territi admodum.* ¶ *Constitit*, קמה] Chaldæus paraph. *remansit.* ¶ *A facie vestra*, מפניכם] *Propter vos.* ¶ *In cœlo sursum*, &c. בשמים ממעל וגו׳] i. Ubique faciens mirabilia.

13. *Quòd vivos servabitis*, והחיתם] Ad verb. *Et vivificabitis.* Hîc ו pro *quòd* positum est, i. quòd vivos incolumésque servabitis, vitâ donabitis. Seipsum declarat postea.

14. *Anima nostra*, &c. נפשנו תחתיכם למות] Hebraismus, Servabimus vos, etiamsi nobis moriendum fuerit, faciemúsque vobiscum misericordiam, hâc lege quòd &c. ¶ *Sermonem nostrum* hunc: את דברנו זה] i. Hanc rationem quâ volumus vos servare, vel, hos sermones nostros quibus pollicemur nos servaturos te & patrem, &c. Vide v. 20. ¶ *Et erit*, והיה] Aut istud redundat, ut aliàs sæpe; aut positum est ad confirmandum quod præcessit, quódque sequitur. q. d. Fiet quod diximus, nè dubita: tibi rursum pollicemur, quòd ubi Jehova, &c. ¶ *Tum faciemus*, &c. ועשינו עמך חסד ואמת] i. Servabimus vos in vita, neque fallemus, verè præstabimus quod pollicemur. *Præstat misericordiam*, qui prior confert beneficium: *præstat veritatem*, qui beneficium refert.

15. *In pariete muri*, בקיר החומה] i. In ea parte domus habitabat quæ proxima erat muro urbis.

16. *Ad montem*, ההרה] Qui scilicet adjacebat urbi.

17. *Innoxii erimus*, נקים אנחנו] *Immunes erimus.* Si Latinè dici posset, *deobligati erimus.* Doctus inter Hebræos subaudit, *hâc conditione qua sequitur.*

18. *Funiculum fili coccinei*, את תקות חוט חשני] *Laciniam fili coccinei*, i. factam ex filo coccineo. Significat id quod vocamus Gallicè, *ung chordon* vel *bende.*

19. *Sanguis ejus*, &c. דמו בראשו] Hebraismus, erit reus & causa suæ mortis, cædésq; ejus illi imputabitur. ¶ *Si manus fuerit in eum*: אם יד תהיה בו] *Si quis in eum injecerit manum.*

20. *Prodideris*, תגידי] Vide v. 14.

21. *Illa respondit*, &c. ותאמר כדבריכם] Ad verb. *Et dixit, Secundùm verba vestra*, &c.

23. *Transierunt*, ויעברו] Nempe Jordanem. ¶ *Quæ sibi acciderant*, המוצאות אותם] Ad verb. *quæ invenerant ipsos.*

24. *Dissoluti enim sunt*, וגם נמגו] Ad verb. *& etiam dissoluti sunt*, i. sunt animo consternati, ut v. 9. Chaldæus paraph. *Fracti sunt*, timore scilicet.

CLARIUS.

1. IN *abscondito*] Vel, *cum silentio*, h. e. sine omni strepitu sese in terram insinuarent. Vel, *misit Josua duos viros secretò*, nescientibus Israelitis, nè corda illorum terrerentur, ut priùs sub Mose contigit. Alii exponunt dictionem Hebræam pro *fabro*; ut sit sensus, Intrate terram sub specie fabrorum, gestantes in manibus instrumenta fabrilia, & advertite consilia illorum. ¶ *Meretricis*] Quidam intelligunt *cauponariam*, quæ vendit cibos.

6. *Stipulâ lini*] Posuerat mulier virgulta lini, seu ut Hebraismus habet, *arbusta lini*, in tecto, ut illuc exsiccarentur; & cùm exploratores istos aliter occultare non posset, abscondit eos sub his virgultis lini.

12. *Verum signum*] h. e. Sponsionem firmam & certam.

20. *Et sermonem istum proferre in medium*] Si revelaveris hoc signum quod tibi dedimus, & alii quoque fila coccinea suspenderint ante domos suas, innocentes nos erimus ab isto juramento quo adjurasti nos, si mali quicquam tibi acciderit.

MASIUS.

1. C*Æterùm miserat Josua filius Nun è Sittim*, &c.] Diximus superiore capite planissimam esse historiæ seriem, si quod hoc toto capite refertur actum esse accipiamus antè quàm Imperator constituisset populo triduum ad trajiciendum in Chananæam, edixisétque ut se ad illud iter compararent. Ea igitur de causa utimur in his convertendis ferè verbis præteriti plùs quàm perfecti temporis, ut vocant Grammatici. Sed enim mirabile videri potest; quòd Imperator speculatores in hostilem terram præmittit, postquam ei Deus tam prolixè certissimam victoriam est recens pollicitus, ut confidere ei, atque in Divinis verbis acquiescere potiùs debuerit quàm per hujusce generis machinationum procurationem suâ prudentiâ atque industriâ niti. Verùm enimvero qui istam Imperatoris solicitudinem admirantur, haud illi profectò Divina promissa cujusmodi sint rectè existimant. Audivimus antè, *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi*: & rursus, *Non consistet quisquam adversùs te*: atqui in ipsis belli principiis videbimus Jerichunta clausam, atque exclusos Israelitas; videbimus Imperatorem in agro solum, quasi machinamentum quodpiam secum meditantem capiendæ urbis, neque capientem tamen, nisi novo quodam oppugnandi genere à Deo commonstrato; videbimus Haienses deinde non nisi militaribus artibus superari. Sed quid multis opus est? Secordis planè & stulti est animi, quæ à Deo promittuntur, ea hiando in cœlum, &, quod vetere adagio jactatum est, otiosis manibus implorando fortunam exspectare. Debent illa quidem fide sanctissimâ & certissimâ sperari, ut ab eo qui fallere nequit. Sed interim nobis quoque sedulò est adlaborandum, ut ubique illius Divinæ voluntatis rationem atque ordinem pro viribus sequamur, quibus Divina dona nobis dispensare æterno ipsius consilio visum est. Eò enim præclarissimâ illâ mentis vi quam Rationem vocamus pollere nobis dedit, tot artibus tantâque rerum cognitione vitam nostram instruxit, tam multis & quidem Divinis præceptis gratam sibi religionem nostram formavit, denique in his omnibus liberâ nos voluntate uti concessit, ut nè otiosâ atque supinâ credulitate omnia ab illius paterna benignitate exspectaremus bona, quasi ea nobis aut nihil

nihil aut aliud agentibus juxtà sint obventura; sed & actiones nostras omnes, & ipsam imprimis nostram voluntatem, congruenter illius Divinæ beneficentiæ compararemus, præsertim cùm ipse in his omnibus etiam nostros conatus promptè suo cœlesti favore & gratiâ adjuvet. Mittit igitur Imperator speculatores qui situs habitúsque locorum, ad quæ primùm ducendus est populus, explorent, non quòd hanc suam industriam promissæ à Deo victoriæ efficientem fore statuat, sed quò ritè Dei operationi obsequatur & subserviat, suóque arbitrio eam quodam modo adjuvet. Sed verò in eo meritò miretur aliquis non metuisse Josuam penè domesticum Mosis exemplum, cui malè cessit exploratores præmisisse. Verùm existimandum est, nihil nisi consulto Dei oraculo hic fecisse Josuam. At instas, Mosen quoque jubente Deo infelicissimam illam instituisse legationem: id enim disertè in Numeris scriptum est, 13. 3. Est quidem id illic scriptum, sed non tam ultro jussisse Deum Mosi ut speculatores præmitteret, quàm id importunè postulanti populo concessisse, dilucidè ostendunt ea quæ in Deuteronomio habentur, 1.20. Cùm enim Moses his verbis pro concione esset usus, *Pervenistis ad montem Amorrhæorum, quem Dominus Deus noster dat nobis. En proposuit tibi Dominus Deus tuus terram; invade, posside*, & quæ sequuntur, populus malè memor quàm præsentem adhuc Deum adjutorem esset expertus in transeundo mari Rubro, perdendóque exercitu Ægyptiorum, turpi diffidentiâ fidem verbis factísque Dei abrogavit, majorémque spem in sua legatione quàm in illius promissis posuit, cùm postularet uno ore ut exploratores præmittere sibi liceret. De qua re consultus à Mose Deus annuit ille quidem, sed ut meritas illi pœnas suæ diffidentiæ darent. At hìc nulla neque in populo neque in ipso Duce ἀπειθία cernitur. Sed urges etiam nunc, Si satis fidente omnes animo erant, nihil fuit opus speculatu. Atqui Deus nostræ nobis imbecillitatis intimè conscius succurrit ultro, modò ut nosmet nos dociles præstemus. Ejus enim rei memorabile exemplum nobis proposuit Sacra historia in Gedeone, admodum profectò huic loco consentaneum, Judic. 6, & 7. Postquam enim illum de victoria adversùs Madianitas certissimum reddidisset Deus pluribus ostentis; igne è petra excitato, qui madens sacrificium voraret; vellere nunc humido, nunc sicco ab rore; denique novo atque insuitato bibentium militum ritu; neque jam dubitaret ille ampliùs, sed fidenter planè, præter solos trecentos milites, cæteros omnes amitteret; tamen insuper confirmare ipsum ampliùs voluit, atque ad audienda etiam hostium somnia misit, quibus fieret certissimus quid illi metuerent. Quid igitur mirum si post superiora quæ audivimus promissa benignissimus Pater Deus suum Imperatorem, ut hominem, hoc insuper speculatorum bono nuncio animare voluit? Cæterùm cur duo modò, non autem quot à Mose, h. e. duodecim, mittantur, causa non longè petenda est. Illi universam regionem pervidere debebant, urbésque omnes & loca omnia observare; his non ultra pauca stadia est progrediendum: Illi, quamvìs multi, facilè securos etiam tum incolas fallere potuerunt; hi nè duo quidem perturbatam metu proximi exercitûs civitatem latere queunt. Sed hoc sanè obscurius videri potest, Cur eorum quos Moses mittebat nomina tribúsque prodantur, at hi quinam fuerint prorsus sit prætermissum silentio. Verùm probabile est, quia illic non à solo Mose sed à populo tributim creabantur, quibus id negotii mandaretur, ideo nomina ipsa ut è quaque tribu data sunt ità ex annalibus in hunc sacrum commentarium relata esse; hìc verò, quos Imperator suo arbitratu &, quantum apparet, clam populo, neque eos, ut est credibile, viros primarios, quales illi fuere, sed è vulgo cautos & solertes atque versutos amandat, mirum videri non debet si haud nominentur: Ad hoc, digni erant illi, decem quidem, quorum detestanda inertia mollitiáque animi; duo verò, quorum egregia fortitudo & sancta fiducia monimentis annalium proderentur propagarentúrque posteritati: at istorum nullum facinus magnopere vel prædicandum vel vituperandum apparet. Quid enim aliud quàm mandanti Imperatori suo parent, & quæ à muliercula audiverant, ea fide bonâ, ut debent, referunt? Sed quamvìs ipsa historia Sacra istorum tacuerit nomina, vetustiores tamen Hebræorum scriptores, in commentario cui ab auctoris sive compilatoris nomine titulus est תנחומה *Tanhuma*, alioqui autem ילמדנו *Jelammedenu* inscribitur, affirmare non dubitaverunt alterum Phineen Eleazaris Pontificis filium, alterum Calebum fuisse. Verùm ego illis, cùm nullo probabili argumento id conficiant, prorsus non assentior. Verisimilius enim puto, Imperatorem, excitatis atque intentis jam tum hostium animis, non nisi vulgares aliquos viros summo periculo objecisse; sed quos tamen astu atque cautione versutos, animóque forti & impavido præstantes esse sciret, non molli & ignavo, quali fuere Mosis exploratores, tametsi alioqui inter suos quisque tribules nobilitate excellerent. Nam qui stupido atque servili ingenio contemptibiles sunt speculatores, ut Xenophon scribit, Pædias lib. *6.* ii nihil nisi quod apud omnes est pervagatum rescire atque referre possunt; at qui solertiâ agendi cogitandíque pollent, præsertim si & dignitatem aliquam rectè simulare, & simulatæ existimationem sustinere possunt, etiam ipsa hostium arcana consilia sæpe explorant. Et huc sanè spectare putat R. D. Kimhi, quòd hi nostri vocantur אנשים h. e. *viri*, ut sit pluralis numerus à singulari איש, non ab אנוש. Sicut enim apud Latinos *vir* à *vi*, ità apud Hebræos איש, quod *virum* significat, ab אשש, h. e. à *firmitate* sive *fundamento*, dici videtur. Et LXXII νεανίσκους reddiderunt, quo verbo audaciam illorum hominum & strenuitatem potiùs quàm ætatem juvenilem significare eos voluisse existimo. ¶ Porrò quòd scribuntur missi *occultè*, in ambiguo est an ad exsequendum latenter officium spectet, an verò clam populo neque sciscente speculatum missos ab Imperatore esse significet. Mihi posterius placere solùm potest. Nam cùm ea sit omnium speculatorum vel præcipua conditio, ut sint taciti, neque effutiant quæ in mandatis habent, sed quidvis potiùs simulent, supervacaneum profectò fuerit, nè dicam ineptum, id monere. Ad hoc, si de ipsorum speculatorum taciturnitate ageretur, alia esset verborum constructio pro linguæ Hebrææ usu. Scriberetur enim מרגלי חרש, hoc enim *exploratores tacitos* significaret. Existimo igitur hoc adverbio indicari antithesin inter hos, qui clam populo, & illos Mosis, qui populo sciscente sunt emissi. Sed R. Levi F. Gersonis longè diversam sententiam affert. Ei enim verbum חרש significat *cogitationem, animique machinationem*, aut *propositum*. Nam verbum חרש significat interdum *machinari*, atque *agitare aliquid animo*, ut Prov. 3. 29. *Nè machineris malum adversùs amicum tuum:* & rursus 14. 29. *Misericordia & veritas iis qui machinantur bonum.* Explicat autem ille hunc locum in hanc sententiam, *misit*, inquit, *Josua duos viros explorantes cogitationem, h. e. qui dextri essent in explorandis iis quæ animis volvebant hostes. Nimirum nullâ re magìs hæsitant milites quàm ignoratione consiliorum hostis; nullàque rursus animantur juvantúrque magìs quàm cognito adversariorum metu & trepidatione. Atque huic rei argumento esse*, ait ille, *quòd nulla usquam explorata urbis mentio est; quòd non situs locorum, non propugnacula, sed unum hoc, quod in obscuro meretricis gurgustio didicerant, civitatem universam consternatis esse animis, id speculatores isti referunt. Nam si*, inquit, *aliud quàm quâ mente essent hostes, observare illi fuissent jussi; cùm præterea nihil renunciarent, excusassent saltem, se sub noctem ingressos urbem, & paulò pòst propter periculũ egredi coactos nihil aliud observare quivisse.* Hæc ferè Levi, non prorsus profectò absurdè; nisi ea nominis חרש notio, nisi fallor, exemplo careret, quamvìs verbum ipsum חרש ab illa non sit alienũ. Jam verò quòd de situ urbis locorúmq; opportunitate nihil neq; referunt speculatores neq; percontatur Imperator, credibile est multa inter illos ultrò citróque habita esse verba quæ non sunt hoc commentario perscripta. Nam ipsa quæ expressa est narratio apertè abrupta est, ut in extremo hujus capitis videbimus, ubi pluribus ista explicanda erunt.

Et

Et alioqui memorantur omnia ad Imperatorem retulisse quæ sibi acciderant; quod mihi videtur ad visa auditáque etiam pertinere. Et verò qui se haberent cætera haud multùm referre videbatur, unum hoc cùm certum esset, fractis animis esse hostes. Nam vulgari verbo, eodémque in re bellica longè verissimo, fertur, *Qui animis cadunt, eos excidere omnibus bonis rebus.* Alius autem loci hujus sensus est proditus iis commentariis quos nuper *Tanhuma* appellabam, quem, quia insulsus atque ineptus mihi videtur, non referrem, nisi à RR. Solomone & D. Kimhi seriò citaretur. Sic igitur Scriptum in Tanhuma est, *Quid sibi vult illud* חרש? *R. Juda ait, Fabrilia instrumenta habebant in manibus, ut fabri putarentur. R. Nehemias ait, Simulabant se figulos esse & fictilia per eam causam venalia promebant, nè alicui essent suspecti.* Hæc scriptores veteres quos laudat Tanhuma, ut sunt acuti ad comminiscendas nugas, quantumvis absurdas. Nimirum quia illa positio חרש alia atque alia significat. Etenim quia ei etiam Surditas subjicitur, existimarunt scriptores vetusti commentarii in historiam Ruth, imperasse suis speculatoribus Josuam ut surditatem præ se ferrent, quò quæ vulgò dicerentur possent nihil suspecti percipere omnia, quam opinionem laudare videtur R. D. Kimhi, præ aliis, in suis Radicibus; stultò sanè: quippe quam ipsa verborum constructio, ut de taciturnitate dicebamus, satis refellit. Sed mittamus excæcatorum hominum somnia veriùs quàm judicia; illúdque videamus, quod quæri solet, An tantæ probitatis, quanta erat Josuæ, fuerit, speculatorum operâ uti, quæ fraudi affinis videtur atq; improbitati, ac non potiùs aperto Marte & virtute bellicâ rem gerere? Habet quidem apud vulgus hominum laudem majorem victoria quæ corporis viribus paratur quàm quæ ingenii; quippe imperita multitudo quæ ad corporis robur attinent faciliùs æstimat quàm ea quæ in animi industria sunt posita. Sed profectò ubi justum bellum geritur, ibi non magìs hostium consilia explorare quàm vires viribus frangere in vitio est ponendum. Imò verò quantò animus corpori præstat, tantò laudabilius illo quàm isto adversarium oppugnaveris. Et quacunque ratione, modò ut nè fidem frangas, potiores tibi partes paraveris, gloriosum tibi fuerit. Nam prudenter Habradates apud Xenophontem Institut. l. 6. existimabat τὸ ἐν πολέμῳ πλεονεξίαν ἅμα σωτηρίαν τε εἶναι καὶ δικαιοσύνην καὶ εὐδαιμονίαν, h.c. *in bello potiores partes præoccupasse, cùm salutare, tum justum esse & felix.* Atque ut consilio valere, sic suas artes tegere, hostium verò mentem cogitationémque inquirere, & consilia callidè præripere; summa est Imperatorum virtus existimata semper à viris maximis. Estque illud Antigoni pervagatissimum, qui cùm rogaretur quâ ratione hostis esset superandus, respondit,

Ἢ δόλῳ ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν, ἠὲ κρυφηδόν.

Quanquam dolo malo uti, improborum esse ego certè dixerim, etiam adversùs hostem. ¶ Porrò quis locus fuerit *Sittim*, unde mittuntur speculatores, sive *Setim*, aut *Sattim*, ut Græci & Latinus reddunt, (mirè enim ubique vitiata sunt locorum nomina propria quibus Hebræi utuntur, propter incertas vocales) D. Hieronymus descripsit Commentariis suis in Joelem c. ult. *Est*, inquiens, Sittim *locus juxta Liviadem trans mare Mortuum, sexto ab illa distans milliario; ubi quondam cum Madianitis fornicatus est Israel.* Cæterùm Livias locatur à Ptolemæo trans Jordanem, suprà Callirrhoen memorabilem fontem, ad Septentrionem versùs circiter 16 mill. pass. Orienti verò propinquior ferè pass. millia quatuor. Idem ille in Michæam scribens c. 6. ait, Sittim esse locum cognominem celeberrimis illis Sacrâ historiâ arboribus, quæ ejus etiam seculo per eremum montis Sinæi nascebantur, spinæ, quam vocant, albæ simillimæ & colore & foliis, cæteroqui magnitudine tam grandes ut latissima tabulata (utor ejus verbis) ex ipsis cæderentur, materie verò firmissimâ, & incredibilis levitatis pulchritudinisque. Et tamen tam pretiosæ materiæ arbores nusquam ferè colebantur, sed per solitudinem nascebantur Arabiæ. Habuit igitur locus iste nomen hoc שטים *Sittim* ab illo arborum genere, quarum credibile est eum fuisse feracem. Cæterùm quia planities erat montium Abarim fastigio, ad Jordanem versùs submissa, ideo in Numeris 33.49. appellatus est אבל שטים *Abel Sittim*: Et apud Joelem 3.18. נחל השטים *Nahal Sittim*, quorum utrumque *planitiem Sittim* significat. In summa, Sittim fuit is locus ad quem usque pertinebant castra quæ ultimâ mansione factâ à Mose fuere in campis Moabiticis; abfuítque ab Jordane, si vera scribit Josephus Antiq. l. 5. stadiorum 60. intervallo: quod suprà quoq; diximus. ¶ Sequitur in Sacra narratione, *Ite, inspicite terram & Jericho.* Quorum verborum sententia, ut mihi videtur, aperta satìs atque exposita est; quâ autem ratione ea præcisiùs interpretetur R. Levi F. Gersonis, modò diximus. In vetustis illis commentariis ספרי *Siphre*, quæ jam semel atq; iterum sunt à nobis citata, est annotatum, Cùm universè datum illis esset in mandatis ut *terram explorarent*, addi deinde speciatim *& Jerichuntâ*; nimirum quia in ea urbe capienda maximum victoriæ momentum esset positum. Taléq; etiam illud esse loquendi genus, 3 Reg. 11. 1. *Rex Solomon amabat multas feminas alienigenas, & filiam Pharaonis.* Et illud Psal. 18. 1. *Liberavit* Davidem *Dominus de manu omnium hostium ipsius, & de manu Saulis*: præterea illud 2 Reg. 2. 30. *Desiderabantur è servis David novendecim viri, & Hasael.* Nimirum Pharaonis filia præ cæteris amabatur à Salomone; & Saul inter hostes Davidis, Hasael verò inter ejusdem ministros facilè fuere primi. Sed nos, quod de Terra exploranda præcipitur, id de proximorum locorum situ ad castra facienda, atque ducendum cautè populum, dici existimamus; quanquam alioqui non repudiemus quod è Siphre est prolatum. Nomen *Jericho* nos Hebræum secuti per *j* literam consonantem scribimus; & cum Stephano Bizantio aspirationem literæ Heth utcunque per *ch* repræsentamus: Nam literæ *K* sonus, quâ Strabo utitur l. 16. parùm illi Hebræorum literæ consentaneus est, nè dicam planè adversarius. Incertum est autem an à Lunæ nascentis forma, quâ illa planities est quæ Jerichuntem urbem habet, atq; etiam *Jericho* interdum appellatur non solùm in Sacra historia sed à Strabone quoque, an verò à balsami suavissimo omnium odore impositum illi hoc nomen sit. Certè balsamo & palmetis apud scriptores adeò est nobilitata, ut Plinius ei soli balsamum concedat: Quanquam Dioscorides, & nostri quoque seculi homines, qui ea loca peragrarunt, affirment, Ægyptum etiam id genus arbusculas ferre: Et Strabo Cavam quoque Syriam, quæ inter Libanum & Antilibanum jacet, nonnulli etiam maritima Sabæorum loca producere balsamum dicant. Describunt quidem Jerichuntem & Josephus & Strabo satis luculenter, ille lib. 5. De bello Judaico cap. 4. hic lib. 16. Verùm cùm sit locus etiam Euangelicâ historiâ nobilissimus, facere non possum quin breviter de eo quædam in medium afferam. Sita fuit Jericho in planitie, ut Josephus ait, longa spatio stadiorum circiter 70. lata verò 20. fertilitate atque amœnitate tantâ quantâ non facilè alteram toto terrarum orbe conspicias. A Septentrione enim (persequor Josephi, ut oculati testis, sententiam) oppositum habebat montem qui indè ad Scythopolitanos agros, h. e. prope urbem Beth-san, usque porrigebatur; nimirum eum qui valli quam vocant illustrem objectus ab Occidente, montes excipit Ephraimiticos. Versùs Austrum verò spectabatur ab Jerichunte mons usque ad lacum Asphaltiten sive mare Mortuum protensus; imò verò hinc ulteriùs propè ad desertum Maon usque. Nam montes Engadi tam longo jugo producti occurrunt à tergo Jerichuntis illi monti quem ei à Septentrione oppositum fuisse modò dicebam. Ab Oriente, h. e. quà Jordanis rectâ petitur, liber sic satis prospectus erat. Itaque ab ea parte ille quem dixi Lunæ orbis, qui fortasse urbi nomen dedit, non coit, sed sua quasi cornua distendit. Nam quos illic Josephus commemorat montes, longiùs absunt trans Jordanem, in ipsa Arabia: nimirum quos vocamus *Abarim*, *Phasga*, *Nebo*, &c. de quibus erit suus dicendi locus. In pede ejus montis qui ab Occidente Jerichunti propè adjacet, vulgus *Quarantanam* vocat, à Christianis datâ appella-

appellatione propter dies 40. quos in eo Christus memorabili suo jejunio consecravit; in ejus, inquam, montis pede, quâ parte Orientem spectat, scaturit fons ille ab Helizæo nobilitatus, mutatis aquis deterrimis in salubres, 4 Reg. 2. 21. Erat autem is quidem etiam olim extra veterem urbem, ut ipsa docet Sacra historia, quæ Vatem egressum memorat cùm emendatum fontem iret: verùm propiùs multò aberat quàm nunc ab illis abest ædiculis quæ paucæ in exigui pagi modum substructæ pro Jerichunte visuntur. Est autem ille aquis tam uber ut molam impellat: decurritque exiguo alveo versùs Orientem, præteriens Galgala à dextris, h. e. à Meridie; ac tandem à Jordane excipitur. Sed olim ab incolis in varios Paradisos per elices derivari solebat, & penè totus absumi. Præstantissimos enim, ut testatur Josephus, & densissimos locus ille hortos præbebat, palmetáque educabat nobilissima. Nunc loco deserto rivulum vix ullus interpellat hortus. Abesse scribit Josephus Jerichunta ab Jerosolymis 150 stadia, ab Jordane verò 60. sed hæc via æquabilis facilísque est, illa acclivitate multâ & declivitate etiam difficilis & molesta. Sed Talmudici מסכ׳ יומא eo libello quo de die quem *Propitiationis* vocant tractant, longius intervallum ab Jerusalem ad Jerichunta statuere videntur, si mendosi non sunt libri: Dicunt enim esse decem פרסאות q. *parasangas* dicas. Parasangam autem definit R. Solomon, Talmudis explicator apud Judæos primarius, 4 millibus passuum; quantum spatium nostræ milæ Germanicæ ferè continent. Græcis tamen videntur aliquantò breviores fuisse parasangæ, atq; stadia duntaxat continuisse 29. & insuper aliquot pedes, si quis ea expendat quæ apud Xenophontem sunt l. 5. De Cyri junioris ascensu in Persidem, si modò Xenophon ejus historiæ scriptor est; & rursus in ejus operis extremo. Sed neque stadia Græcis Latinísque paria sunt. Quare non pergam ista disputare acutiùs. Nostri seculi homines certè consentanea Josepho magis quàm Talmudicis de eo spatio ad nos referunt, postquam ea loca religionis ergô inviserunt. Si quis autem plura de Jerichunte aveat scire, is illos quos nuper dicebam scriptores in primis, Josephum dico & Strabonem, ipsos audiat. ¶ Porrò in Sacro contextu sequitur, *Et profecti venerant in domum mulieris meretricis*, &c. Nihil publici consilii principibus ad rem communem vel rectè constituendam vel benè constitutam conservandam est utilius quàm si iis quos sub imperio habent, ex animo parentibus utantur. Qua in re Josuam nostrum, ut ubique ità hîc quoque apparet mirificè fuisse felicem, cùm duo isti viri promptè capitalibus se periculis objiciunt simul atque ab Imperatore seorsim sunt moniti. Neque enim homines cordati, & perspicacis ingenii, quales speculatum mitti solent, potuerunt non existimare, intentissimos esse hostes, ad quos properabant, ut nè quis ab adversario exercitu, præsertim recentibus duorum Regum maximorum eversionibus terribili, suas ipsorum res exploratum impunè veniret: Et tamen videmus illos nè hiscere quidem adversus Imperatoris jussa, sed & cautè & fideliter quod in mandatis acceperant exsequi. Fidem enim ex iis quæ reversi exponent perspicere licebit: Ad cautionem pertinet, quòd se in obscurum abdunt locum & ab hominum frequentia remotum. Hærebat enim domus Rahab ipsis mœnibus urbis, aut potiùs inædificata muro mœnium erat. Et solebant ganeæ, receptis unis amatoribus, liminis obseratâ tabellâ, ut Catullus testatur, haud patere aliis. Quare facilè illi se latituros inibi sperabant usque eò dum aliquid rescirent earum rerum quarum causâ venissent. Nam quòd Judæorum plerique hoc loco vocabulum זונה, *Zona* non *meretricem*, sed *mulierem hospitem* interpretantur, valdè profectò falluntur, dum se id Chaldæo auctore putant facere. Convertit quidem ille פונדקיתא, q. πανδοκίαν, aut πανδοκεύτριαν dixisset; (utuntur enim sæpe Chaldæi Græcis vocibus) sed ut impurum *meretricis* nomen vitaret modò, pudicísque parceret auribus, non ut rem ipsam dissimularet, atque pro *muliere meretrice tabernariam* induceret. Nam plerisque etiam aliis locis idem ab illo verecundiæ gratiâ, factum esse constat. Ut enim hîc פונדקיתא, ità alibi נפקת ברא, q. d. *prostantem*, & quæ se intra ædes continere nequit, sed continuò pro foribus est; alibi טעיתא *vagam*, *oberrantem*; interdum מטעיא, *fallacem*, solet pro Hebræa voce זונה *Zona* dicere: at זניתא *Zunità*, h. e. *meretricem*, vix semel iterúmque. Cæterùm meretricem fuisse Rahab, testatum satis nobis est sacris literis. Neque ipsa, dum suis omnibus necessariis atque familiaribus salutem paciscitur, mariti meminit. Quin ipsi etiam Talmudici חטארת & מכילתא, totis 40. annis, quibus Israelitæ post relictam Ægyptum oberrarunt in deserto, corpus illam quæstui habuisse prodiderunt, & quidem ex quo annos nata fuerat decem: Jam verò quinquagenariam tandem meliora consilia cepisse. Cujus rei fides penès illos sit. Certè si Salmoni aliquando nupsit Davidis abavo (quod nostrorum quidam opinantur, sed nominis solâ similitudine, conjecturâ non satis bonâ, ducti) ut multò natu minor fuerit est necesse. Sed enim cupiunt, opinor, Judæi, dum à prostibulo abhorrent, vel speculatorum famæ consulere, quos turpe fuerit divertisse in ganeum, vel ipsam Rahab, tantâ prudentiâ animíque fortitudine ornatam feminam, ab illa tali infamia vindicare. Atqui haud illi suæ libidinis explendæ causâ, sed ejus quod sibi datum erat negotii conficiendi, fornicem subierant: ista verò clementissimi Dei gratiam omnibus seculis tantò illustriorem reddidit, atque etiam ipsos cœlestes choros eò majore gaudio exhilaravit, quantò vitia impuriora cum virtutibus majoribus commutavit. Sed de Rahab mox plura. ¶ Illud, *& cubaverant ibi*, significat ipsos illuc divertisse tanquam pernoctandi quietísque capiendæ causâ. Aut eò spectat, quòd sub lino jacentes ad somnum se compósuerant. Verbum enim שכב & *jacere* & *quiescere* significat. Illam sententiam secuti videntur LXXII, qui interpretati sunt κατέλυσαν ἐκεῖ, ut habent boni atque emendati codices, h. e. *illuc tanquam in diversorium se receperant*. Quanquam κατέπαυσαν, quod in vulgatis libris habetur, haud absurdum est, si absolutè pro ἀναπαύεσθαι putemus esse scriptum. Neque enim illi interpretes admodum sunt religiosi in verborum Græcorum usu. Est quidem שכב *concumbendi* aliquando verbum, verùm in alia verborum collocatione junctionéque.

2. *Et dictum fuerat Regi Jerichuntis*, &c.] Boni atque industrii Principis est, quovis quidem tempore passim habere suos oculos suásque aures, non modò ut eorum quæ scire opus sit certior fiat, & tanquam Deus aliquis omnia circumspiciat, intelligat, animóque & cogitatione expendat, & proinde omnia gubernare meliùs rectiúsque possit, verùm etiam vel multò magìs ut omnes ubique parentes illum quasi præsentem revereantur, neque aliquid vel dicere vel patrare audeant quod publicæ rei sit damnosum, eo cuncta tanquam vidente atque audiente: Sed in bello illud est cum primis necessarium, quando non minùs ab intestinis proditoribus atque ab externis speculatoribus periculum esse sæpe solet. Verùm hoc interest; quòd pace quidem illiusmodi emissarii, quos Græci ὠτακουστὰς & κατόπτας vocant, nisi privatâ Principis liberalitate parentur, & certâ præmii propositâ spe, haud ferè multi, neq; ii satis fidi certíque inveniantur. Nolim enim existimet aliquis me de improbis calumniatoribus loqui, quos magnâ profectò pœnâ dignos censeo, tantum abest ut Principis beneficentiâ sustentandos aut invitandos putem. At bello quia communis civium aut pernicies agitur aut salus, pro se quisque ultro, quæ suspecta vel videt vel audit, ea ad Magistratum studiosè diligentérque refert. Non est ergò quòd Jerichuntii Reguli laudemus hic industriam, quem ne in abdítissimo quidem recessu latere diu potuerint hi speculatores nostri. Credibile est enim ipsum, ut Balthazarem illum Babylonium, Dan. 5. 2. Isa. 21. 5. in consuetis deliciis etiam tum per summam vecordiam securè versantem, cœlesti decreto atque impendenti sibi

sibi suisque exitio minimè obstitisse, sed continuò magis magisque Dei adversùs se iram provocasse; illos verò à civium trepida solicitudine proditos esse. Nam si quid in Rege ipso sanæ mentis aut vigilis curæ fuisset, profectò, dispositis custodibus, nulli suspecto aditum permisisset ad urbem, cùm ex professo Chananæis infensus exercitus, præsertim multis tum victoriis tum miraculis formidabilis, tam propè abesset: Deinde, etiam flumen transeunti multitudini suas sociorúmque suorum copias opposuisset. Nuntiantur autem noctu advenisse, quia credibile est, sub noctem tandem, aliquo indicio cognitum esse ipsorum adventum, atque evestigio quidem rem ad Regem fuisse delatam; sed hujus socordiâ, quam modò dicebam, evenisse ut Rahab illos occultandi tempus haberet, cùm ipse in medio luxu iterum atque iterum interpellatus vix tandem ut apud Rahab quærerentur suis satellitibus & ministris mandaret.

3. *Educito viros venientes ad te, qui venerunt in domum tuam*] LXXII interpretes prius illud, *venientes ad te*, ut vitarent, opinor, ταυτολογίαν, omiserunt. Ego suspicor id à superbis aulæ ministris, & contumeliosis, vel ab iratis etiam civibus, de Venereo congressu dici, atque in mulierem cæteroqui famosam ingeri. Sic enim *veniendi* verbo utuntur Hebræi. Talis namque etiam est illa oratio 2 Reg. 3. 7. מדוע באת אל פלגש אבי, *Quare venisti ad concubinam patris mei?* & aliæ non paucæ in Sacra historia. At objicis mihi ipsam Rahab, quæ mox iisdem verbis respondet, *Venerant ad me viri*; neque enim est verosimile eam, quamvìs meretricem, tam apertè turpitudinem fateri. Atqui cùm ambiguum, ut dixi, verbum *veniendi* apud Hebræos sit, muliebris verecundiæ érat, quod à petulantibus nebulonibus turpiter dictum fuit, simulare ut non turpiter dictum se id accepisse. Si quis tamen existimare malit, usitatam alioqui in Sacris literis, ταυτολογίαν esse, non contendam contrá. Nam Participia illa quæ Hebræi vocant בינונים *Benonim*, cujusmodi est hîc באים *Baim*, *venientes*, sæpe nominum vicaria sunt, nullâque præsentis temporis significatione determinantur, ut jam hoc loco pro *venientes ad te* reddere *hospites tuos* possis.

4. *Sed acceperat mulier ipsos duos viros*, &c.] Ipsa narrationis series non obscurè indicat, exploratores paulò pòst quàm ad Rahab divertissent, fuisse ab ea subductos in tectum atque occultatos sub lino: Quippe mulier vel ex mussitantibus vicinis, vel alio indicio, conjiciens delationem, cùm metueret inquisitionem, eos viros ex quorum salute suam quoque & domûs suæ universæ salutem pendere cœlesti impulsu permota augurabatur, conservandos sibi aliquâ esse ratione statuebat. Itaque cùm impendens periculum ipsis patefecisset, facilè persuasit ut in solarium subirent, instratóque lino tegi se paterentur: atque interea se confirmat ipsa, comminiscitúrque quo astu fallat inquisitores, si veniant. Sed cur non illico emittebat per fenestram? neque enim aliâ quibat extrudere, jam tum obseratis urbis portis. Responsio expedita est; Verebatur nè subito inquisitorum interventu oppressa, priùs quàm demitti ambo possent, & sibi & illis certissimum crearet exitium. ¶ Cæterùm *accipere* Hebræi sæpe pro *secum ducere* dicunt. Id ergò hic est *acceperat* quod paulò pòst *subduxerat*. ¶ Quod reddidi *occultarat utrumque*, est Hebraicè *occultarat ipsum*. Eum autem numerum singularem putat R. Solomon & mulieris in occultando festinationem & loci quo abdebantur angustiam significare. RR. verò Kimhi & Levi, non eodem uno illos loco, sed seorsim quemque collocatum esse, nè vel ambobus instratum linum exstaret altiùs, essétque suspecta ipsa eminentia, vel simul ambo detegerentur. Quàm sint ista firma, judicet lector. Hoc certum est, hujuscemodi numerorum ἐναλλαγὰς Sacris literis esse usitatas, & plerumque ab Hebræis interpretari solere de utroque eorum quorum mentio est. Nam quod commentario, quem *Tanhumà* diximus vocari, proditur, Judaicum est somnium; nempe, ut Calebum abdidisset mulier, alterum Phineen ad illam dixisse, *Ego sacerdos sum. Sacerdotes verò, quippe Angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, non cernuntur*: itaque illum solum, non autem hunc ab ea abstrusum esse. ¶ Sed expendamus cautissimum summóque artificio contextum mulieris responsum, quo & inquisitores elusit, & sibi hospitibúsque suis vitam servavit. Primùm, *Ità est*, inquit, *venerant ad me viri*. Simpliciter & apertè, nihil tergiversata, nihil secum dubia mussans, aut perplexa hæsitans (nam dubitatio cogitationem significasset mendacii fraudísque) id quod intelligebat se consciis suis vicinis negare non posse, fatetur: eâque tam liberali, ingenuâ, promptâq; confessione fidem sibi maximam præstruit, ut ea quæ deinde est dictura persuadeat faciliús. Jam verò quod addit, *Sed nesciebam unde essent*, non proditorum atque delatorum hospitum culpam, cùm primùm ad se fuissent ingressi, ab se amolitur. Nam hostium & maleficorum hominum receptatores occultatorésque jure illorum crimina sustinent; sed ità demum, si conscii fuere, [*Receptatores maleficorum, C. de his qui latrones, l. 1.*] Quid enim illum culpes qui probum virum quem putabat, excepit improbum? aut quem amicum, hostem? Postquam verò & clarâ veritatis professione fidem, & conscientiæ dissimulatione civis probæ opinionem de se illis fecit, pergit audacter ad cætera, in quibus totius cardo actionis versatur.

5. *Cùmq;, inquit, claudenda esset porta in tenebris, viri illi egrediebantur*] Facilè intelligebat illos in nulla tam angusti gurgustioli sui parte diu latere posse si quærerentur; hoc igitur agit, ut ab sua domuncula inquisitionis periculum amoliatur. Atque hîc, nè vicinorum redargui possit testimoniis, suam tenebris involvit obtegítque fallaciam. Et verò quid credibilius dici queat, quàm viros speculatores è mediis se hostibus per tenebras proripuisse? Sed enim illud observandum est, quòd ambiguè dicit *egressos esse*, neque addit, an suâ domo, an urbe. Cæterùm *temporis claudendæ portæ* mentionem facit, ut quæsitorum animis opinionem afferat, urbe illos profugisse ad suos versús. Cur autem ista sic dicat mulier cautissima explicabo, ubi admonuero Latinum non satìs apertè, ut videtur, convertisse, *Cùm porta clauderetur in tenebris*, in quo secutus est LXXII interpretes. Neque enim hoc dicit Rahab, tum illos exivisse cùm porta clauderetur: sic enim in janitores, qui claudebant, incidissent: verùm, *ubi tempus claudendæ portæ adesset*, ut explicatè Chaldæus est interpretatus. ¶ Jam verò pergit Rahab, aitque, *Verùm non novi quò abierint viri*. Hic igitur patefacit cur ambiguè dixisset egressos esse. Perseverat enim quod antè dixerat, *Sed nesciebam unde essent*, h. e. se illos nè per suspicionem quidem pro speculatoribus aut Israelitis habuisse, ut quos neque pro foribus suis, nédum ad urbis portam usque, sit prosecuta oculis. Nam in quos talium rerum suspicio convenit, eorum solemus actiones viásque omnes observare. Ad hoc credibile est, ut est istius feminæ acumen admirabile, vel ideo quoque incertos relinquere eam voluisse inquisitores quò illi se convertissent, ut eò faciliùs simul omnes ab sua domo ablegaret, dum divisi, alius huc, alius illuc, Hebræos insequerentur. ¶ Tandem verò suam fallaciam eo fine concludit quo non aptior utiliórque alius excogitari queat, cùm ait, *Insequimini celeriter ipsos, comprehensuri enim estis eos*. Nullâ enim ratione aliâ se melius omni societatis & conscientiæ suspicione absolvere atque expedire poterat quàm si captos, ut communes patriæ hostes, cupere vehementer se simularet; neque acrioribus stimulis quæsitores procul à suis ædibus abigere, quàm si illorum assequendorum comprehendendorúmque spe incenderet. Atque hæc quidem fuit cautissimæ astutissimæque feminæ ad eos qui ab Rege missi erant responsio; Per quam responsionem an & proditionis & mendacii culpam in se admiserit, disputare paucis non erit abs re. Videtur enim eos per mera mendacia occulere quos patriæ civibúsque suis exitium machinari non nescit. Sed pro-

proditionis quidem accusari meritò posse mihi certè non videtur, quæ nihil aliud quàm quos exceperat hospites, eos, non ut patriæ per injuriam noceant, sed quò salvi ad suos queant reverti, non dedendos Regi sed dimittendos sibi statuit, cùm intelligeret illorum ut neque vitam exitio, ità neque mortem saluti patriæ futuram; quippe cœlesti afflatu præsagiens urbis excidium, quod ei impendebat, quidquid tandem istis hominibus fieret. Hoc enim illud est quod dicit, *Scio quòd tradiderit Jehova*, h.e. verus Deus, *vobis terram.* Imò verò si hospites istos suos illa indicasset, turpique tyranno objecisset, tum certè proditionis culpâ gravissimâ se devinxisset, qualis Moabitas acerbè accusat Deus apud Isaiam, dum εἰρωνικῶς ad illos hujusmodi verba facit, c.16.34. *Abscónde eos qui expelluntur; profugum nè prodas; maneant apud te exsules mei.* O Moab, esto illis latibulum adversùs populatorem. Cùm enim jam tum sciret certàque esset gentem suam à Deo ipso esse proscriptam, atque Israelitis cum suis possessionibus deditam; non debuit, neque potuit etiam, nisi improbè, vel patrocinari causæ injustæ, vel justæ adversari. Neque enim ullum necessitudinis vinculum esse tam magnum potest, quod adversùs probitatis officia peccare virum bonum rectè cogat. Aliud esset statuendum, si illa mercedis gratiâ eos hostes suo Regi, civibúsque suis eripuisset, quos patriæ intellexisset fraudem moliri; neque tam bonæ causæ, Deíque voluntati, quàm suis commodis subservivisset. Tantum de proditione, à qua ego Rahab tam abfuisse longè censeo, ut si contrà fecisset, civiúmque suorum causam, quam malam esse sciebat, juvisset, tum verò ei crimini obnoxiam fuisse dicerem. Cæterùm mendacium, quo usam esse perspicuum est, plerique ut officiosum excusant, in quo Liranum, post Originem, à se habent. Sed quia hic locus est à Divo Augustino prolixè, & accuratè explicatus, atque pertractatus; quæ sit ejus tanti viri sententia expediam ejus ipsius ferè verbis, sed contractis atque astrictis. Illud, inquit, *Utrùm sit aliquando pro cujusquam salute mentiendum*, cùm quæstio sit in qua solvenda etiam doctissimi fatigantur, longè illarum muliercularum (de obstetricibus Hebræis in Ægypto, & de nostra Rahab loquitur) in illis populis degentium, & illis moribus assuetarum, excedebat ingenii modum: Itaque hanc earum ignorantiam Dei patientia sustinebat. Nam Rahab, cùm illud officium, pro ejus vitæ conditione laudabile, exploratoribus præstabat, nondum erat talis ut ab ea exigeretur illud, *Sit sermo vester, Est, est; Non, non*, Matth.5.37. & Jacob.5.12. In obstetricibus autem illis Hebræis, quamvis nondum reipsa, at tamen spe jam atque indole animus erat laudandus, qui non nisi eo proposito mentiebatur ut prodesset alicui, noceret autem nemini. Sed cùm quæritur, *Sitne boni hominis aliquando mentiri*, non de eo quæritur qui adhuc ad Ægyptum, aut Jerichuntem, vel Babyloniam pertinet, aut *ad Jerusalem terrenam, quæ servit cum suis filiis*, sed de civitatis illius civibus *quæ libera est mater nostra in cœlis*: Respondetúrque, *Omne mendacium non esse ex veritate*, atque de filiis hujus civitatis scriptum esse, Apoc.14.5. *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Itaque hos filios, si quando ipsis, ut hominibus, obrepat qualecumque mendacium, poscere humiliter veniam. Cæterùm neque illas obstetrices, neque Rahab, quia mentitæ essent, ideo beneficiis esse affectas à Deo, sed quia in Dei servos fuissent misericordes; neque fallaciam sed benignitatem esse mercede compensatam; Neque iniquitatem mentientium, sed liberalitatem mentium. Hæc ferè Augustinus, & plura alia, eo opere quod ad Consentium scripsit propè totum hujus argumenti. Rursus Quæstionibus in Exodum, l.2.c.1. de obstetricibus & ipsarum mendacio verba faciens, In conservandis, inquit, infantibus opus misericordiæ exercuerunt, at mendacio pro se utebantur, ut nè noceret ipsis Pharao; quod potuit, non ad laudem quidem, sed tamen ad veniam pertinere. Neque hîc auctoritatem mentiendi propositam puto iis de quibus scriptum est, *Non est inventum in ore ipsorum mendacium.* Quorundam enim vita longè inferior, quàm pro sanctorum professione, si habeat ista mendaciorum peccata, provectu ipso & indole feruntur, præsertim si adhuc circa terrena occupantur. Quorum autem conversatio est in cœlo, non existimo eos linguæ suæ modum, quantum ad veritatem attinet, illarum obstetricum exemplo debere formare. Fuit igitur, ut mihi videtur, Augustino ea opinio, ut existimaret hominem perfectè probum nullo mendacio uti debere; omne enim mendacium esse in vitio ponendum, cùm Deus ipsa sit veritas. Et tamen, quia officiosè mentiri, h.e. ut per mendacium prosis alicui, noceas nemini, maximam habet probitatis speciem, quam facilè humanus animus misericordiâ permotus sibi sequendam statuit, præsertim quando ex contraria veritate certum cuipiam periculum aut incommodum iri creatum videt; ideo facilè à Deo ignosci iis maximè qui ad consummatam virtutis illius exactissimæ sapientiam nondum potuerunt pertingere. Adversùs hanc acutissimi simúlque sanctissimi viri sententiam etsi nihil dicendum putem, tamen variæ illæ artes quibus religione pietatéque insignes homines sæpe in Sacra historia usos legimus, aut ad Dei voluntatem exsequendam, aut ad pietatem exercendam, nullam verò cuiquam mortalium injuriam inferendam comparatæ, neque veri doli neque mendacii nomine, mihi quidem certè, videntur appellandæ, quandoquidem sinceræ simplicitati veritatísque usque adeò non adversantur, ut planè ad has ipsas virtutes vindicandas obtinendásque, nullo fallendi quenquam animo, usurpentur. Dum enim eorum quibuscum res est ejuscemodi est animus, ut ad id quod rectum est non possint directò induci, si ipsos nemini noxiâ circuitione atque anfractu aut ad rectum perducimus, aut certè à pravo avertimus, non intelligo qui magis adversùs simplicitatem veritatémque peccemus, quàm si incurvatam arborem in partem diversam reflectamus, ut deinde recta evadat. Et profectò illis talibus artibus ità plerumque sanctos homines simpliciter καὶ ἀφελῶς usos esse videmus ut dubitare non possis quin cœlesti impulsu ad eas sint adducti. Quod autem Deo auctore suscipitur, id cum ipsa veritate probâque simplicitate pugnare non potest. Quale illud est quòd Israelitæ commodati speciem opponere, atque ità Ægyptios suâ suppellectile spoliare jubentur; quam tamen fallaciam omnium detestabilissimam esse apparet. Sed de mendacio dolóque hactenus. Nam exempla passim in sacris literis obvia sunt.

6. *At ipsa illos subduxerat in solarium, & occultaverat ipsos*, &c.] Ædes illis regionibus ità fuisse constructas ut solario integerentur, quale apud Italos vulgò *Altana* vocatur, perspicuum est etiam ex Euangelii historia, Matth. 10.27. & Act 10.9. Græcè δῶμα id dicitur etiam hoc loco à LXXII; Hebraicè גג *Gag*. In ea igitur domûs parte Rahab sua lina ad solem exposuerat, quibus jam contegit hospites. Talibus enim usibus commodè partes illæ ædium serviunt. ¶ Sed quæ vocentur *lina ligni*, non est satìs certum. Fortassis enim id linum sic appellatur quod crudum adhuc & lignosum est, h.e. de quo cortices & stipulæ nondum sunt stupario malleo atque carminatione decussæ depexæque. Solent enim lina antè quàm tundantur insolari. Nam & LXXII vocabulo λινοκαλάμῃ, quo hîc utuntur, linum à suo calamo nondum detusum videntur significare voluisse. Quòd enim Latinus non *linum* ipsum sed *lini stipulas* interpretatur, vix ferri potest. Non enim scriptum est עץ פשתן, quod Latinus reddidit, h. e. *lignum lini*; sed *lina ligni*. Neque verò cortices decussi solent reponi, sed in clibanos & furnos abjici, ut ait Plinius. Verùm neque illud absurdum sit, si id linum significari existimemus quod *xylinum*, q. *ligneum* dicas, vocatur. Certum est enim eo frutice Syriam Assyriámque abundare, quem alii *gossipion*, alii *xylum* appellant, ut ait Plinius l. 19. c. 1. Sed ut ut est, haud mirum videri debet, si nomen עץ lino attribuatur, aut aliis plantulis quæ in culmum modò ascendunt, neque arborescunt, quando ipse etiam Juncus aliquando *arboris* vocabulo appellatus est, ut ait R.D.K. in Rad. & Hysso-

pus, qui nascitur in parietinis, inter עצים, h.e. *ligna aut arbores*, nominatur in Regum historia, 3 Reg. 4.33. Cæterùm iste versiculus quod strictim quarti versûs initio dictum fuerat, id explicat dilucidiùs.

7. *Itaque viri illi insecuti fuerant ipsos*, &c.] Non indicaverat quidem Rahab an urbe, nedum quâ portâ, exivissent sui hospites, veruntamen ità inquisitorum animos spe illos assequendi incenderat, ut nullam sibi interponendam putarent moram quin persequerentur, cùm urbe profugisse ex eo quod illa indicabat tempore conjicerent, atque ad suos versùs revertisse. Erat autem, quantum apparet, fluminis certus locus ad quem trajiciebant qui ultro citróque commeabant inter Jerichuntem & campos Moabiticos. Chaldæus pro *versùs trajectum* reddidit *usque ad trajectum*. Idque approbat R.D.K. contenditque τὸ על interdum vicarium esse τοῦ עד. Quod ut verum sit, non tamen satis ab illo adductis exemplis confectum puto. Est interim credibile ad trajectum usque esse insecutos, ut vel illic tandem ab navibus imparatos assequerentur. ¶ Quod sequitur, *Clauserant autem portam*, stultè D.K. vel ipsis speculatoribus vel familiaribus Rahab attribuit. Cur enim illi portam clauderent, quibus eâ re nihil posset accidere incommodius? Est igitur hoc absque ulla persona dictum, quodam loquendi genere Hebræis usitato; rectéque cùm à LXXII tum à Latino per verbum patiendi redditum: Nimirum emissis aulæ ministris qui persequerentur clausa obserátaque est porta à janitoribus. Cæterùm quia id constructionis genus quod est in אחרי כאשר, id autem est *postquam*, insolens est, ideo Aquilas Ponticus sic interpretatur, ut suggerat pronomen, quasi quod desit in Hebræo, post illud אחרי. Sic enim convertit hunc locum, καὶ τὴν πύλην ἔκλεισαν ὀπίσω αὐτῶν, ὡς ἐξῆλθον οἱ καταδιώκοντες ὀπίσω αὐτῶν, &c. Verùm R. Isaias, vir sanè doctus, literam כ *Caph* in כאשר supervacaneam esse censet; &, ut opinor, rectè. Nam nugas, quas D.K. adfert in medium, piget referre. Spectat autem hæc occlusæ illico post egressos persequentes portæ mentio ad insequentem de fenestra narrationem; nihil enim opus fuisset iis angustiis, si totâ nocte patuissent urbis fores. Simúlque illustrat Rahabæ fidem sanctam, quâ ejus muliebris alioqui animus sustentatus etiam tum, ut apparet, nihil perturbabatur. Expediverat quidem feliciter primam, si ità fas est dicere, fallaciam; atque inquisitionem eluserat quam sibi propositam habuerant Regis allegati; verùm ità ut in multò jam majus indè periculum venisse videri posset, cùm neque sibi neque hospitibus ullum pateret effugium. Verùm cordata femina nihil ullis difficultatibus commovetur; sed, ut certissima de illorum hominum salute quos Deo omnipotenti curæ esse intelligebat, suam ab ipsis sibi salutem sedatè atque otiosè paciscitur. Nam ità habet historia.

8. *Cúmque hi nondum dormirent, illa ascenderat ad ipsos*] Voculam טרם interpretatus sum *Nondum*. Sic enim sæpe usurpatur, præsertim cum verbo temporis futuri constructum: ut Gen. 2.5. *Et nulla planta agri adhuc erat in terra. Nec ulla herba agri adhuc germinabat*, & in Regum historia 1. 3.7. *Et Samuel nondum agnoscebat Dominum: Neque adhuc patefactum ei fuerat verbum Domini*. Cæteroqui solet reddi *priùs quàm*, vel Græcè πρὶν ἢ. Diximus ad quartum versiculum, existimare nos, in solarium esse subductos à Rahab speculatores paulò pòst quàm ad eam divertissent, cùm illa jam tum præsagiret impendens periculum. Videntur ergò illi omnium adhuc ignari quæ cum Regis ministris mulier egerat, solicitè eventum exspectare vigiles. Eos igitur illa, nè diu sinat esse in metu, simúlque nè rei maturè gerendæ occasionem amittat, atque à recurrentibus in urbem quæsitoribus opprimatur, illico adit, demissura in tempore per fenestram nocte intempestâ. Non facit quidem historia narrantem illis Rahabam quæcunque acciderant. Sed quis non intelligit multa insuper alia esse omissa? Certè illa verba, *Quia usa sum erga vos pietate*, tectè significant, rem actam omnem, atque adeo ipsum etiam demittendi consilium illis fuisse jam tum ab ipsa explicatum. Nam historia orditur apertè à medio sermone, cùm sic habet,

9. *Dixerátque ad ipsos, Scio quòd dederit Dominus*, &c.] Continent enim ista mulieris verba causam rei ab ea actæ; ac si dicat, Jam verò quòd ego Regis mei meorúmque civium partes deseruerim, vestrámque vitam cum meæ vitæ summo periculo tutata sim, id eò est à me factum quòd meos populares malâ, vestros bonâ causâ niti, certissimis indiciis cognoverim; quippe cùm nos ab ipso vero Deo, qui cœli terræque Dominus est, proscripti simus, vos contrà nostris possessionibus donati. Sed enim observanda est mulieris sancta fides pietásque, cùm Dei singulare illud in Israelitas beneficium donatæ illis Chananææ tantâ animi firmitudine complexa agnoscit quantâ ipsi Israelitæ vix unquam potuere, quamvis certissimâ doctrinâ à majoribus ad se propagatum, atque tum à Deo tum à Mose toties inculcatum. Neque enim cum Lirano sentio, qui verbum *dederit* per temporis enallagen pro *daturus*, sive *traditurus*, sit positum esse putant. ¶ Porrò reliquâ hujus versiculi parte affert Rahab causas duas cur ità credat, h.e. donatam esse Israelitis terram, proscriptis Chananæis, cùm inquit, *Et quia metus, sive formido, vestri incidit nobis, & quia dissoluti sunt*, &c. Earum prior ab ipsis Israelitis potissimùm, posterior à Chananæis sumpta est, ac si dicat, Quia vos Divinitus terribiles, nos contrà pavidi sumus. Divinitus enim ista accidere, facile erat ex virium utriusque partis comparatione existimare cuivis, nisi stupidissimæ fuissent turpissimorum & sceleratissimorum hominum mentes. Quæ enim alioqui causa esse potuisset cur Chananæi, gens & numerosissima & ferocissima, atque in locis munitissimis habitans, Hebræos, homines extorres, omniúmque rerum egenos, & XL annorum miseriis insuper fractos atque enectos, timerent? Nimirum illud erat quod apud Mosen dixerat Deus. Exod. 23.27. *Terrorem meum mittam ante te, & perturbabo omnem populum in quem venturus es*, &c. Eum autem Dei terrorem Divino afflatu illustratâ mentis acie videbat Rahab, neque eam cœlestem gratiam aut per vecordiam negligebat, aut per impietatem repudiabat, aut denique per stultitiam vel Pani Deo vel Fortunæ adscribebat: Sed rectè apud suum animum indè colligebat ratiocinabatúrque, Cujus Numinis vi atque potentiâ Israelitæ tanto essent gentilibus suis Chananæis terrori, quamvis armis viribúsque longè præstantibus, ut se ipsi per metum quasi quodam præjudicio jam condemnarent, ejusdem Numinis consilium voluntatémque esse ut hi possessionibus suis cedant, illi potiantur. Sed verendum profectò est, nè ad Dei tribunal illud postremum egregia ista Rahabæ fides multos condemnet impietatis adversùs Deum, qui nè per sacrosancti quidem Euangelii præclarissimum lumen satis cernere, atque apud suum animum statuere possunt, fortunarum suarum omnium & lætum & adversum successum ex Dei arbitrio pendere; qui cùm sit terræ cœlíque Dominus, omnium possessiones in sua manu habet, próque suo nutu justè aliis largitur, aliis aufert, atque omnino nut æterno suo consilio visum est dispensat; Cúmque solus in hominum etiam animis dominetur, alios fiduciâ erigit, alios metu prosternit: Et proinde quidquid acciderit, in illius esse Divina voluntate acquiescendum.

10. *Audivimus enim quòd exsiccavit Dominus aquas maris Rubri*, &c.] Duo hic commemorat Rahab quæ tantus ille popularium suorum metus est consecutus; Alterum, *siccatum mare Rubrum*. Et hoc quidem, quia naturæ modum excesserat, Deo apertè adscribit; non quidem ex eorum Deorum numero cuipiam quos gentiles sui colebant, sed *Jehovæ*, h. e. vero Deo, à quo pendet rerum omnium, ut sic dicam, essentia. Hoc enim nomen proprium Dei יהוה *Jehovah* significat, cùm respectus ad res creatas habetur: Cæteroqui Deo ipsi impositum est, quia is unus per se ab æterno existit, ipséque sibi essentia est. Alterum, devictos *deletósque duos Reges Amorrhæorum, Sehonem & Og*,

& Og. Sed hoc Israelitarum viribus attribuere videtur quidem, verùm reipsa etiam Jehovæ assignat, cùm eum esse Israelitarum Deum, & in cœlo terrâque dominari profitetur. Atqui dicebamus modò, Rahabam animadvertisse gentilium suorum animos Divinitus fuisse consternatos metu; Jam verò videtur non arcanam quandam & à Deo effectam mentium permotionem, sed conspicua miracula ejus tanti pavoris causas afferre. Verùm commemorat quidem mulier quæ propalam facta fuerant miracula, tanquam principia & antecessiones quasdam, atque etiam, si ità vis, quadam ex parte causas illius animorum consternationis; sed quis non intelligat ex iis quæ proximo versiculo facit verbis, eam sentire, unà cum illarum rerum gestarum fama insolitum quendam & mirificum, longéque quàm pro illo nuntio & pro Chananæorum strenuitate atque fortitudine vehementiorem timorem animos omnium perculisse totâ regione; quippe ex quo non solùm conciderint, verùm usque eò prorsus tanquam liquefacti diffluxerint ut colligere se denuo sibíque constare non possent. Erant quidem res illæ, quas commemorat hoc loco, maximæ, & quæ meritò hostibus terrorem afferrent, magnum quidem illum, at non prorsus implacabilem, qualem describit Rahab. Nam nisi simul Divina quædam vis illorum mentem intus arcano metu tanquam stupore quodam non solùm labefecisset, sed etiam abjectam pertinaciter tenuisset, multa erant quibus se colligere, metúmque tantùm aut prorsus deponere aut certè moderari quibant. Nam quod ad siccatum mare attinet, in quo natura ipsa ab adversariis superata videri poterat, quàm facilè homines omnibus dæmonum superstitionibus atque artibus assueti & exercitati hoc miraculum Magi cujuspiam precationibus attribuere potuere, aut existimare, Ægyptiorum deos vel tum non ritè placatos, vel Hebræorum diis forte quadam inferiores fuisse, atque interim in suis diis Baalim, Asteroth, Dagone, Chamos, aliis hujus farinæ commentis, quæ plurima colebant 4 Reg. 17. bonam spem collocatam retinere, ac proinde Ægyptiacæ illius cladis exemplo parùm permoveri? præsertim cùm ejus memoria annorum 40 intervallo propè exolevisset. Quin etiam, si metûs istius Divini ratio rectè subducatur, haud potest ille ex miraculo siccati maris natus videri, quippe qui post annos demum circiter 38 post illud sit ortus, cùm fluvium Arnonem transmitterent Israelitæ. His enim tum verbis apud Mosen usus legitur Deus, Deut. 2. 25. *Hoc ipso die incipiam immittere formidinem tui & metum tui ingentes*, &c. Nam quòd Rahab etiam illud miraculum repetit, eo hominum morem repræsentat, qui simul atque metu vehementiore conturbantur, eum sibi conquisitis undiquaque causis sive falsis sive remotissimis ipsi augent. Jam verò plures etiam fuerunt humanæ ratiocinationes quæ ipsis illorum duorum Regum subversionem, etsi recentem, minùs tamen reddere potuerunt terribilem. Nam sunt in omni bello momenta occasionum varia. Et qui victis favent, quamvis potiùs victoriæ causam, quâ eam elevent, ipsi fingere sibi solent quàm hostium virtutem admirari. Verùm enimvero majus quiddam erat Divinus ille terror, quo Chananæorum omnium mentes stupebant, quàm vel ex maris siccati vel captæ Galaaditidis auditione nata formido. Si enim Israelitas ut victoriosos, & proinde acerrimos hostes, timuissent modò, cur Jordanem trajicientibus non opposuissent obstaculum? Imò verò disertis verbis narrabitur in capitis quinti initio, tum demum seriò metuere ab Israele Chananæos cœpisse cùm flumen illi transmisissent sicco alveo. Nam antè ut miseros, imbelles, profugos, quantum certè apparet, contempserant, neque existimaverant unquam fore tam audaces ut se in illas Jordanis Mediterraneíque maris angustias conferrent. Et interim tamen cœlesti quodam pulsu agitabantur ipsorum mentes, afficiebantúrque desperatione mirifica rerum omnium, quoties de Israelitis seriò cogitabant. Eúmque animi motum sola Rahab, qualis esset, quídque sibi vellet, & quorsum esset evasurus, rectè expendit; eóque inducta est ut crederet Jehovam Israelitarum Deum esse Deum cœli & terræ, ut mox explicabimus.

¶ Mare Rubrum vocant Hebræi ים סוף *Mare Suph* à cujusdam herbæ genere quâ littora illius abundant. Nam quòd D. Hieronymus putat סוף *rubrum* significare, ego ut refellere nolo, ità approbare nequeo. Stephanus qui De Urbibus scripsit citat Uranium, scriptorem Punicum, dicentem ideo *rubrum* illud mare vocari quòd montium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum solis objectu reciprocatum undæ excipiunt, repræsentare videatur; atque insuper defluentem cum pluvia montes eos abluente colorem re quoque ipsâ bibat, indéque rubescat. Neque ab Uranio longè videntur dissentire nostri homines, qui per illa loca vagati referunt, per intervalla rubram ex littore arenam maris conspici, iisque ferè locis Curallium quoque reperiri. Et certè Curallium in eo sinu gigni auctor est Plinius, l. 32. c. 2. Sed hæc hactenus. ¶ Historia deletorum duorum Regum repetatur ex Deuteronomio, c. 2, & 3. quanquam à nobis quoque pòst de illis multa erunt dicenda. Cæterùm verbum חרם, quod converti *delere*, ferè id significat quod Græcis ἀναθεματίζειν. Nam interdum est *Deo consecrare*, ut Levitico, 27. 28. *Omne anathema, quod quis consecraverit Domino*, &c. aliàs, *Omnium detestationi, exsecrationi, injuriis devovere atque exponere; & planè, quantum fieri potest, occidione occidere prorsúsque abolere.* Quare Chaldæus hoc loco rectè est interpretatus גמרתן *confecistis, perdidistis omnino.*

11. Translatio *cordis liquefacti*, & *spiritûs*, sive *animi*, *non constantis*, quæ à cera sumitur, aperta satìs est, atque etiam ab aliis interpretibus explicata. Nam LXXII pro *liquefactum est cor nostrum* dixere *mente nostrâ emoti sumus.* Et Chaldæus Latinúsque pro *constare* reddiderunt *manere*, aut *reliquum esse.* ¶ Illud porrò, *propter vos*, est Hebraicè מפניכם *à facie vestra*, h. e. *vestrâ causâ*, vel *propter vestram præsentiam.* Non quidem quòd ipsorum præsentia, ut hominum, tam esset Chananæis genti fortissimæ formidabilis; sed quia is Deus quem colerent, & à quo diligerentur, esset *Deus in cœlo & Deus in terra: In cœlo* quidem, ut qui cœlestes hominum animos pro suo nutu regat, dum alios pavore consternat, alios audaciâ atque fortitudine firmat; *In terra* verò, ut qui terrena omnia pro suo arbitrio dispenset, aliis auferat, aliis assignet. Hæc enim est divina illa Rahabæ sapientia, hæc fides, quâ cùm ejusdem illius Dei potentiam, majestatem, benignitatem denique sic complectitur ut non solùm ipsum sed ejus etiam cultores ex animo amet & quâ potest pietate caritatéque prosequatur, meretur incredulorum hominum numero calamitatéque eximi, ut ait D. Paulus, atque in Abrahamitas referri, Heb. 11. 31. Nam Abrahamo etiam ante prædicatum Christi Euangelium nata per fidem ex Gentibus soboles est; quales numerant Talmudici feminas novem, Hagar, Aseneth Sephoram Mosis uxorem, Sephoram obstetricem, Phuam obstetricem, Pharaonis filiam, Rahab, Ruth, Jael. ¶ Erat proculdubio etiam cæteris Chananæis, si non omnibus, at certè multis, magna opinio de unius summi Dei in cœlo terrâque imperio, vel ex ipso naturæ instinctu nata. Nam legimus aliarum quoque gentium illiusmodi sententias, qualis ista Rahabæ videtur esse, cùm dicunt,

——Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

&, ——*O qui res hominúmque deúmque*
Æternis regis imperiis, &c.

Verùm illi, ut Apostoli verbis dicam, Rom. 1. 18, 21. *cùm Deum cognovissent, non ut Deum laude animíque pietate prosequebantur*, sed eam ipsam quam videbant *veritatem suâ injustitiâ impediebant. Dixerat Petrus*, inquit D. Augustinus, lib. Serm. hom. 17. *Tu es Christus Filius Dei vivi, audivitque illico à Domino, Beatus es, Simeon. Dixerant & dæmones, Tu es Filius Dei, & tamen non pronunciabantur beati. Quare? Quia hi dixerant præ timore, ille amore. Dæmones ergò*, inquit, *habuerunt quidem fidem, sed non eam quâ justus vivit, h. e. quæ per dilectionem operatur*, ut ait Apostolus ad Galatas 5. 6. *Hanc enim habent soli servi Dei, soli fide filii Abrahæ.* E quorum

quorum numero fuisse Rahabam diximus. Itaque cùm neque illud naturæ lumen, neque audita de Israelitarum Deo miracula, neque denique angor ille conscientiæ quo Divinitus omnium animi exagitabantur, illos à sua impietate abstinere possent, nec amorem pietatémque adversus verum Deum mentibus ipsorum ingenerare, nihil eis profuit illa opinio. Sed quantò æternam Dei potentiam atque Divinitatem propiùs cognoscebant, tantò majore supplicio digni evadebant. At Rahab & cognitum Deum gloriosè prædicabat iis quæ nunc tractamus verbis, & quâ adhuc potuit ratione charitatis officiis fidem suam ornabat fructuosámque præstabat, cùm receptos ad se illius nuntios aliâ viâ emitteret, ut ait Jacobus 2. 25. Chaldæus hunc locum παραφραστικῶς sic reddidit, *Eò quòd Dominus Deus vester sit Deus cujus Divinitas est in cœlo suprà, & dominatur super terram subter.* Sed eadem una est sententia, quâ Rahab fictitiis divis omnibus omnem cujusvis beneficentiæ facultatem detrehit, omnémque illorum cultum atque etiam opinionem prorsus pessundat, & unum Jehovam, h. e. verum Deum & rerum omnium Parentem, pro Deo agnoscit & cœli terræque Domino, qui bonos præmio, malos pœnâ remuneret. Quâ fide atque professione quid ipsa promeruerit, diximus Apostoli verbis. Veteres Hebræi autem in vetustis Commentariis in Exodum, quæ *Mechilta* vocant, scriptum reliquerunt, hoc promeritam esse ut octo Prophetæ & Sacerdotes ex ejus stirpe procrearentur, Jeremias, Helcias, Sarias, Maasias, Baruch filius Neriæ, Hanameel, & Sellum; fuit autem iste Hanameel filius Sellum patruelis Jeremiæ prophetæ. Quin & Ezechielem & Huldam quoque vaticinatione celebres viros referunt iidem illi in album posteritatis Rahab. Eámque aiunt quinquagesimo demum vitæ suæ anno per hanc sacram professionem Judaismo nomen dedisse, cùm abdicato turpi quæstu, quem adhuc à primis pueritiæ annis corpore fecisset, veniam à Deo flagitaret, & anteactæ vitæ flagitia per contrarias virtutes emendaret. Antè enim exceperat impuros amasios, nunc veri Dei cultores & nuncios; antè occultaverat alienos maritos, nunc Divini consilii procuratores; antè ad se mœchos funibus per fenestram subduxerat, nunc fune per eandem Chananaicæ turpitudinis vindices emittit. Sed hæc hactenus.

12, 13. *Jam igitur jurate, obsecro, mihi Dominum,* &c.] Superiori præclarissimo illi elogio, quo professa est Rahab Jehovam esse verum & quidem solum Deum, planè est consentaneum quòd eum ipsum jurari velit. Nam, præter Deum, jurare rem ullam quæ usquam sit, sive in cœlo sive in terris, nefas esse, lege Divinâ sancitum est, Exod. 23. 13. Deut. 6. 13. & 10. 20. &c. Nam quidquid dejeras, ei Divinum numen vel imprudens attribuis. Sed hoc alio disputabitur prolixiùs loco, infrà 22. 22. & 23. 7. Cæterùm quàm certâ fide statuerit Rahab, ut antè diximus, donasse Deum Israelitis Chananæam, eósque jam in possessionem missum ire, ex iis perspicuum fit quæ nunc sibi ab exploratoribus ipsa depaciscitur, non aliter quàm si illi in re jam præsente versentur, oppidóque potiti in cives vitæ necisque exerceant potestatem; cùm interim illorum salus in ipsius manu adhuc esse magis videri possit; & credibile sit, eos etiamnum trepidos usque adeò se non jactasse ut etiam supplices mulieri fuerint. Verùm ipsa haudquaquam præsentem hospitum suorum fortunam corporis oculis, sed Dei consilium fidei sensu intuebatur; in quo cùm toto animo acquiesceret, ipsum jurari poscebat, ut certissimum vindicem futurum, si illi fallerent. Atque ut hoc jusjurandum impetret, suum illis ponit ob oculos in ipsos beneficium, sed modestissimè, ut ab exprobratione aliena. *Bono enim viro nefas est beneficium non reddere, si modò reddere possit sine injuria,* ut ait Cicero l. 1. Offic. *Neque ullum est officium referendâ gratiâ magis necessarium,* præsertim si hæc magna fuit: fuisse autem Rahabæ in illos maximam nemo negaverit, quippe quæ cum præsentissimo vitæ suæ periculo illorum vitæ consulebat. Sed tamen modestissima femina verbulo nullo officii sui magnitudinem effert, sed admonet modò simpliciter. ¶ Deinde, ut singularem ipsius pietatem agnoscas, non tam sui capitis quàm parentum, fratrum, sororum denique curam habet. Nam inepta est, meo judicio, argutiuncula D.K. existimantis de se nihil ipsam dicere, quia id officii jus postulabat ut eam servarent, à qua essent servati ipsi. Meliùs fortasse dicatur, de suis eam necessariis fuisse solicitam maximè, quòd sciret illos nondum in eo Deo qui solus posset servare, spem habere collocatam. Sed illud notandum, de marito nullam esse mentionem, neque de prole; quorum prima alioqui habenda videbatur ratio. Nam *prima societas,* ut rectè dixit Cicero Offic. l. 1. *in ipso est conjugio; proxima in liberis; deinde* tandem in *una domo,* quæ in nos solos spectat, neque aliud ullum potest habere refugium. Verùm, quod antè quoque est à nobis dictum, mulier corpore quæstum facere consueta neque maritum habebat neque liberos. ¶ Porrò *pietatem* sive *benignitatem* quâ se usam dicit, ego non solùm pertinere autumo ad elusos Regis allegatos & inquisitores, verùm ad ipsam quoque evadendi rationem jam tum ab ea illis commonstratam atque promissam, ut nuper existimabamus. Perexiguum enim alioqui illud officium videri potuisset, cùm ipsi adhuc clausâ urbe hostili, quasi carcere, retinerentur. Nomen חסד in sacris literis frequens, quod *clementiam, pietatem, benignitatem* interpretamur, Judæi dicunt significare *officium quod planè gratuitò fit,* ubi scilicet nulla sunt merita. ¶ *Signum veritatis,* sive *certum signum,* vocat tesseram quâ in urbis excidio, quod sibi per fidem quasi ante oculos statuebat, & rerum omnium perturbatione ac promiscuâ clade, ipsa se suósque adversùs victoris militis insolentiam & temerarium inconsideratúmque furorem posset tutari. ¶ Porrò illud, *Et quidquid habent,* ad fratrum sororúmq; liberos etiam pertinere, constat ex v. 23. capitis sexti. ¶ *Anima* verbum, ut apud Græcos & Latinos, ità & Hebræos, pro *vita* accipi satis certum est.

14. *Viri verò ad illam dixerant, Anima nostra pro vobis,* &c.] Hæc est jurisjurandi formula, quâ exploratores coram Deo ipso in eam se obligationem deducunt, illúmque obtestantur ut à se juris pejerati pœnam capitalem sumat si fefellerint in eo quod Rahab est stipulata. Insulsa autem est, meo certè judicio, interpretatio R. D. K. quâ sic locum hunc explicat, *Nos nosmet trademus interficiendos pro vobis iis qui vos volent occidere.* Non est quidem in ipsa formula sacrum Dei nomen *Jehova* scriptum. Nimirum satis erat illud in Rahabæ stipulatione fuisse, cui plenè perfectéque respondent viri. Ad hoc, religio est piis viris sacrosanctum Dei nomen in illiuscemodi detestationibus, ut sic dicam, adhibere. Atque ob eam causam, si illud positum est, ipsa illa mala ominata & dira verba in talibus jurandi formulis subticentur; Velut in illis, *Sic faciat mihi Dominus, & sic addat. Vivit Dominus,* & quæ sunt his similes. Et verò quis in vulgi etiam verbis, cùm dicunt, *Emoriar, Peream, Malè sit mihi, nisi hoc, illud præstitero,* non continuò intelligat Dei vindictam eos imprecari sibi si fraudem committant? ¶ Pronomen *vobis* ad Rahabam & familiam ipsius paternam spectat. ¶ Porrò illud, *Nisi detuleritis hanc rem nostram,* sive *hoc verbum nostrum,* significat, ut RR. D. K. & Levi F. Gersonis autumant, Neque tesseram quam sint daturi, neque colligendæ in Rahabæ ædes familiæ paternæ consilium prodi debere. Nam ista si rescivissent cæteri cives, in ipso rerum discrimine, quotquot in mænibus habitassent similibus fuissent signis usi, alii in ædes Rahab irrupissent. Sanè id mihi hâc exceptione videntur velle speculatores, facturos se planè quod illa petit nisi ejus ipsius proditione obstaculum sibi opponatur. Nam se speculatum venisse sciebant minimè jam esse clam Rege populóque ut stultè hoc celari postularent. Verùm enimvero admonemur istâ illorum exceptione, ut nè ad jurandum nisi summa cum cautione atque religione deduci nos patiamur, postquam diligenter explorata usquequaque omnia habuerimus, an etiam præstare jurata possimus. ¶ Quod porrò sequitur, *& futurum est, ut quando tradiderit nobis,*

nobis, &c. illud ipsum est quod jurejurando promittitur. Nam exceptio quam modò explicavimus, per interpositionem dicta est; hoc verò rectè continet quidquid proximo versiculo mulier est stipulata. ¶ Cæterùm *uti pietate* vel *beneficentiâ* aut *clementiâ erga aliquem, & simul veritate* est Optimâ fide beneficum sive benignum aut pium in quempiam esse. Itaque τὸ חסד *pietas* aut *beneficentia* ad ipsum beneficium, τὸ אמת, h. e. *veritas*, ad præstandi beneficii certam fidem spectat. Sæpe autem duo ista sic conjunctè posita in sacris literis reperias. Nam ut unum locum ostendam, Abrahæ servus in Genesi 24. 27. ad Deum hæc facit verba, *Benedictus Dominus Deus heri mei Abrahæ, qui non prohibuit suam beneficentiam & veritatem ab hero meo.* Et paulò post v. 49. ad Rebeccæ parentes, *Jam verò si utimini beneficentiâ & veritate erga herum meum, facite me certiorem,* &c. R. D. K. verò existimat חסד eo differre ab אמת quòd illud sit *gratuitum beneficium*; hoc verò, *quod justum æquúmque est ut præstetur:* Itaque illud spectare parentes cognatósque Rahab, quorum nulla erant in exploratores merita; hoc verò ipsam Rahabam, cui æquum erat salutem pro salute rependere.

15. *Itáque demiserat illos fune per fenestram, &c.*] Hic versiculus & proximus videntur non suo positi loco esse, sed ad vicesimum primum locum usque differendi. Neque enim credibile est, nondum datâ tesserâ demissos esse à Rahab exploratores. Neque insolens est in Sacris literis perturbata confusáque narrationum series. Dici tamen posset, sic ista esse accipienda quasi Rahab se jam compararet quidem ad demittendos, atque cum ipsis de tota effugii ratione disceptet, nondum tamen demittat. Quo loquendi genere Josua memorabitur ad Galgala revertisse, profligatis ad Gabaonem hostibus, multò antè quàm revera revertit, c. 10. 15. Sed dices, Si nondum demittuntur, quid est cur mox dicant, *Textum fili coccinei alligabis fenestræ per quam nos demisisti?* Verùm facilis atque expedita est responsio, Temporum enallagen esse usitatissimam apud Hebræos, itaque *demisisti* pro *demiseris* positum esse, aut *demittere paras.* Sed neque illud fortassis absurdè dicatur, Solicitissimam de hospitum salute mulierem solâ jurisjurandi religione contentam, salutis verò illud suæ signum commodiore tempore exspectantem, properè illos urbe emisisse; ipsos verò jam securiores ea quæ proximis versibus memorabuntur verba pro mœnibus ad illam fecisse, cùm per fenestram auscultaret; ut quod dedissent jusjurandum, id pluribus atque explicatioribus cautionibus exceptionibúsque circumscriberent, quò ostensâ ratione omnis rei conficiendæ simul & illam de sua suorúmque salute certiorem facerent, & se ab errore atque culpa removerent. ¶ Sequitur porrò in Sacro textu, *Nam ipsius Domus erat in muro mœnium.* Nam alioqui ex privata mulieris domo non potuissent urbe emitti, clausis undiquaque portis: Quippe solent in oppidis populosissimis, qualis erat inprimis Jericho, fortunæ tenuioris cives, & præsertim qui artibus quæstum faciunt ab hominum frequentia abhorrentibus, ædiculas habere in ipsos inædificatas immolitásve urbis muros, aut etiam in mœnium fornicatis habitare parietibus. Quomodo cùm habitaret Rahab, essétque eadem una & mœnium & ejus gurgustii fenestra, quâ extra urbem spectabat, cùm illàc emissi essent viri, liberum ipsis erat abire quovis. Parùm ergò consideratè Josephus, contrà atque Sacra verba habent, domunculam Rahab non in muro sed prope murum urbis locat. Vocatur autem hoc loco חמה *ipse muri ambitus,* quem *mœnia* à *munienda* urbe dicimus. Veteres enim *mœnire* pro *munire* videntur dixisse: quod verbum in vetustis Fabii exemplaribus ego scriptum reperi. קיר vero ipse est *murus.* Sed ista vocabula sæpe confunduntur.

16. *Dixerátque ad ipsos, ad montem abite, &c.*] Jerichuntem & ab Aquilone & ab Austro montes habere, qui utrimque versus Jordanem porriguntur, diximus. Utros horum subire jubeantur, neque certum est, neque scire refert. Hoc enim modo suadet Rahab, nè rectum iter teneant trajectum versùs, neque citò se illuc recipiant, sed totum diem proximum abditi jaceant in monte quopiam, dum persequentes in urbem reversi tutum iter reliquerint; quod postero die futurum conjiciebat ex viæ spatio, quod ab urbe ad trajectum usque erat circiter 5000. passuum, ut Eusebio placet, aut paulò longiùs, ut aliis. Nam etsi multò majus eundo redeundóq; conficere potuissent illi nocte diéque continuato itinere, præsertim cùm eos gratiæ Regis ambitio incitaret, tamen inquisitioni non parùm quoq; temporis deputandum erat. Neq; enim rectâ redituros esse, sed passim dumeta, recessus, latebras omnes rimaturos facilè cogitabat prudens femina. Neq; abs re. Nam ità eos fecisse constat ex v. 22. De triduo enim quod ad latendum statuit, id ità esse accipiendum ut is etiam dies in rationem veniat quo die speculatores ad illam diverterant (nam eam noctis partem quæ ante somnum captum agitur, solet vulgus præcedenti diei adscribere) perendinus verò dies, h. e. tertius excludatur, cóque abire integrum sit, antè est à nobis explicatum, c. 1. 12. Talmudici verò (quos, ut solet, sequitur R. S.) opinantur Rahabam non conjecturâ triduum hoc præscripsisse, sed Divino afflatu: quod neque nos refellendum putamus. In Commentariis quæ בראשית רבה *Genesis magna* vocantur, ubi hic locus est à veteribus Hebræorum Magistris tractatus, scriptum legimus, Tribulationes & res adversas sæpe triduo definitas esse in Sacris literis: ut in illo Hos. 6. 2. *Restituet nos vitæ post biduum; tertio die suscitabit nos, & vivemus coram ipso:* & in illo Gen. 42. 18. *Ait ad ipsos Joseph die tertio, Hoc facite, & vivetis:* & in illo Jon. 1. 17. *Fuit Jonas in visceribus piscis triduum:* & in illo Est. 5. 1. *Factum est die tertio ut vestiret se Ester regali veste.* Cæterùm eam tertii diei velut prærogativam adscribunt, partim mysterio ejus diei tertii quo Lex è cœlo data proditur, Exod. 19. 16. alii illius quo Abraham sacrificaturus Deo filiū memoratur oculos suos sustulisse, Gen. 22. 1. Sed nos, quibus Deus ipse pro æterna sua misericordia, certissimam Divinorū mysteriorum veritatem per unigenitum Filium suum Servatorem nostrum patefacere dignatus est, quidquid eximium & singulare tertiis diebus in Sacra historia attribuitur, id omne ad festam illam & auspicatissimam lucem tertiam quâ Vita nostra Christus revixit referendum jure statuimus. ¶ Quod convertimus, *Nè fortè occurrant vobis,* rectè etiam reddatur, *Ne fortè incurrant in vos,* aut *vos invadant.* Nam hâc quoque sæpe notione usurpatur verbum פגע. ¶ In verbo modi infiniti שב posita est quarta vocalis loco quintæ. ¶ In verbo verò נחבתם desideratur tertium positionis elementum, sive illud sit Aleph, quod est usitatius, sive He: successítque in prima syllaba Patah in locum Hireck, propter literam Heth, quæ ex intimo gutture est pronuncianda.

17. *Viri verò dixerant ad illam, Nos innoxii ab hoc, &c.*] Hic ego explicatiùs dici puto illud ipsum quod 14. versiculus breviter & strictim continebat. Nam ex diversis compositâ annalibus Sacrâ historiâ, ut alibi à nobis disputatum est, sæpe fit ut rem eandem iterum atque iterum repetat aliis alisque verbis & narrandi modis. Sin autem quis malit existimare, illa ab exploratoribus nondum per fenestram emissis, hæc verò demissis esse dicta, non pugnabo. Cavent autem providéntque illi his verbis nè se perjurio obstrinxisse videri possint si quid non suâ culpâ mulieri aut ejus propinquis eveniat mali, cùm ea non fecerint scilicet quæ ipsi præscribunt. Est autē oratio illa, *Nos innoxii ab hoc tuo jurejurando,* curta, debéntque suggeri ista aut similia verba, *Esse volumus.* Est enim sententia versiculi, Nos planè præstare volumus, nè perjurii crimen faciamus, atque ideo hisce condicionibus quasi cancellis nostram obligationem circumscribimus. Monemur autem hâc tam accuratâ istorum virorum cautione atque provisione, non solùm colendum sedulò esse grati animi officium, cùm ingrato nihil detestabilius sit; verùm etiam, non temerè neque prolixè jurandum esse, sed summa cum religione, & præcisè; ut nè plus affirmatè Deóque teste promittas quàm rebus omnibus diligenter consideratis effectum te posse dare cognoveris. Maxima enim fuit semper apud omnes gentes jurisjurandi religio. Ejúsque rei vel unus Cicero testis est satis locuples, cujus hæc sunt in Officiis verba

verba l. 3. *Nullum*, inquit, *vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt. Id indicant leges in* XII *tabulis; indicant sacra; indicant federa, quibus etiam cum hoste devincitur fides; indicant notationes animadversionésque Censorum, qui nulla de re diligentiùs quàm de jurejurando judicabant*, &c. Quin credidit antiquitas, non eum solùm qui pejerasset daturum Deo pœnas, verùm ejus etiam posteritatem tantum scelus luituram esse. Unde est illud Hesiodi,

Ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
Ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας νήκεστον ἀάσθῃ,
Τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται·
Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

& illud Juvenalis Sat. 13. de Spartano quodam qui perjurium animo conceperat modò, re ipsâ nondum admiserat,

Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando: quærebat enim quæ numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergò metu, non moribus: & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, verámque probavit,
Exstinctus tota pariter cum prole domóque,
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Sed est de Jurejurando & Perjurio dicendi campus amplissimus; atque argumentum hoc à multis est tractatum copiosé. Et Deus ipse testatus prolixè est quàm iniquè ferat temere sacrosanctum suum nomen à mortalibus usurpari. Exo. 20. 7. Deut. 5. 11. Quare de his hactenus. ¶ In verbo השבעתנו positum est sub litera Tau vocalis Kametz pro Zere, propter accentum qui solet versuum finem occupare, ut opinor. Est enim secundæ personæ generis feminini, ut loquuntur Grammatici. ¶ Est & generis quoque enallage in illis verbis השבועה הזה. Nam demonstrationis pronomen masculinum jungitur nomini feminino. Cæterùm *jurandi* hoc verbum putant Cabbalistæ à *septenario* numero dictum esse, nimirum quia ea affirmatio tam rata certáque esse debet quàm si coram testibus septem esset facta. Et hanc notationem atque insuper alia de hoc verbo profert Bahaiaus Commentariis suis in Genesim 21. 24. cùm de Abrahæ jurejurando disserit, quo se ille in Sacra historia omnium primus obligabat Abimelecho. Sed ista nos alio loco explicabimus opportuniùs, si vita suppetet.

18. *En intrantibus nobis in terram*, &c.] Pro *in terram* reddiderunt LXXII εἰς μέρος τῆς πόλεως *in partem civitatis*, volentes, opinor, significare, cùm primùm irruptio fieret in urbem, illa procurari debere. Sed *terram* fortasse dicunt vicina urbi loca ex quibus illa circumsidebatur. Difficile enim fuisset, captâ urbe, in tanta omnium trepidatione & perturbatione cognatos omnes in unam domunculam convocare. ¶ Vocabulum תקוה, quod cum Judæis *textum* interpretamur, sæpe *spem fiduciámque* significat; ut non absurdè quis existimare posse videatur per translationem sic appellari hoc signum, in quo salutis spem omnem, humano more loquendi, mulieri erat collocata. LXXII, & eos secutus Latinus, atque etiam Aquilas & Symmachus, *signum* sunt interpretati, magis opinor pro sensu orationis quàm vocabuli notatione. Cæterùm quid Chaldæum moverit ut חוטא h.e. *fimbriam*, converteret, quæ Hebraicè שפה vocatur in Exodo 28. 32. non possum satis assequi conjecturâ. Neque enim *fimbriam* תקוה aut *vestis oram* significare usquam alibi existimo. R. D. K. putat hoc dicere voluisse Chaldæum, Conspectam fortè in mulieris domuncula fimbriam è filis coccineis contextam alligare fenestræ illos jussisse. Sed hoc divinare est. R. Isaias à positione קוה, quæ *collectionis* habet notionem, deductum nomen תקוה *funem* significare censet, quòd in fune multa fila contorta componantur. Mihi verò verbum קואי, quod Chaldæis *textorem* significare animadverti, persuadet ut credam הו קוה Hebræis non solùm *colligere* verùm etiam *contexere* olim significasse, (sunt enim cæteræ Orientis linguæ ex Hebræa natæ) ab eóque verbo & קו *lineam*, *funiculum*, & hoc nostrum תקוה descendere. ¶ Porrò ambiguum est in Hebræo, an dicant *per quam fenestram*, an verò *per quem funiculum*, sive *textum*, *nos demisisti*. Aptè tamen cadere videtur ut quo fune mulier suos hospites servarat, eodem ipsa quoque ad salutem utatur, præsertim propter arcanum sensum quem multi adumbratum hâc re esse censent, ut explicabimus opportuno loco, c. 6. in extremo.

19. *Illius sanguis sit in caput ipsius*, &c.] In hujuscemodi orationibus *sanguis* culpam fusi sanguinis significat, quod Chaldæus hoc loco explicatissimè dixit. Judæos igitur & se & suam posteritatem impiâ & nefariâ Christi cæde obstrinxisse intelligimus cùm immani voce inclamarent, Matth. 27. 25. *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*. Itaque exploratores hîc sese extra omnem culpam ponunt, si quid patiantur qui se intra fornicem illum non continuerint, eámque avertunt in ipsos; & rursus, non solùm mortis, verùm etiam omnis damni, incommodi, injuriæ, quæ iis acciderint qui intus manserint, sese, ut capitalium rerum, faciunt reos. Plus ergò promittunt quàm stipulata fuerat Rahab. Vitam enim modò sibi suísque servari, non etiam pugnos cæterásve id genus injurias prohiberi, illa poposcerat, cùm sic diceret, והחיתם את אבי, *Conservabitis in vita patrem meum*, &c. nisi si putemus verbum חיה *perfectam vitæ incolumitatem* significare, ut sanè videtur. In summa, apertè ostendunt hâc tam accuratâ támque præcisâ officii sui explicatione, cùm propter datum jusjurandum, tum pro referenda gratia, summâ se cupiditate studióque salutis Rahabæ & ejus familiarium teneri, quâ re proculdubio ejus animum singulariter confirmant. Nam quantò quis id quod se facturum recipit pluribus conditionibus atque exceptionibus præcidit, tantò plus sibi curæ esse nè fallat ostendit. Qui enim temere multa promittunt, iis plerumque nihil pensi est ut promissi munus conficiant; sed vani futilésq; homines nullo unquã honesti sensu cogitationéve tanguntur.

21. *Et responderat, Ut verba vestra, sic esto*, &c.] Accipit mulier conditiones quibus sua illi promissa circumscripserant, quippe æquissimas. ¶ Sed observandum est hîc scriptum esse *dimiserat illos*, non autem *demiserat*. Est enim verbum שלח hoc loco positum, quod sæpe pro *valedicere* atque *à se dimittere* usurpatur. Suprà verò erat הוריד, ac si dicas *fecerat descendere*, h.e. *demiserat*, sive *submiserat*, aut *deorsum miserat*. Putat ergò R. D. K. jam valedicere mulierem exploratoribus, eósque dimittere, cùm superiora verba ex inferiore loco pro mœnibus fecissent, antè demissi fune. De qua re nos suprà satis multa diximus. Nihil enim aliud affirmare hîc possumus nisi sententiam & opinionem nostram, imò vix eam, in re incertissima. ¶ Porrò quòd jam mulier memoratur *alligare signum* suæ *fenestræ*, id per prolepsin accipit idem Kimhi, quasi narretur id quidem hoc loco, ut intelligamus minimè ab illa esse neglectum, cæteroqui tum demum factum ab illa fuerit cùm urbem hostis obsidione cinxisset. Verùm ego nullam satis probabilem video causam cur non illico id facere mulier solicita potuerit.

22. *Profectique pervenerant in montem, & manserant illic triduum*, &c.] De triduo satis multa sunt à nobis suprà disputata. Sed quis latentibus significabat persequentium in urbem reditum, post quem conficere iter reliquum perrexerint? Neque enim credibile est Rahabam tanti periculi rem internuncio credidisse cuipiam. Sed fortasse ejusmodi locum in monte ad latendum ceperant ut indè possent ultrò citróque commeantes observare. Verùm ego existimo, Rahabæ conjecturam secutos præstitutum tempus latuisse, ac deinde iter continuasse. ¶ Porrò illud, *Vestigaverant autem per totam viam*, &c. muliebre consilium vehementer commendat, quo uno factum est ut non sint speculatores deprehensi, cùm de via in montem secessissent; & simul periculi magnitudinem illustrat: Quod quò majus illi evasere, tantò fiduciam majorem

jorem rei benè gerendæ animo concipere Imperator debebat, cùm secum reputaret, Nulla hominum studia, conatus, machinationes adversùs Dei consilium valere quicquam; nullâque esse posse pericula tam præsentia è quibus mediis non facilè suos Deus eripiat.

23. *Reverterant itaque duo illi viri*, &c.] Declinaverant, ut diximus, ab recto itinere, redire ergò in viam trajectum versùs oportebat. Cæterùm quòd Imperatori *exposuisse* memorantur *omnia quæ sibi acciderant*, h.e. quæ perceperant, in magna speculatorum hominum laude ponendum est. Nam, ut sunt res bellicæ, in minimis sæpe &, ut videntur, relatu indignis rebus momenta versantur maxima, de quibus Imperatoris & Ducum debet esse existimatio judiciúmque, non exploratorum. Quare prudentis Imperatoris est, suos ipsum exploratores seorsim primùm audire, & de tacendis dicendísque antè monere quàm in concionem producat, nè & variis ingeniis anceps mobilísque & judicio præceps multitudo temere ex illorum relatione majorem quàm oportuit aut confidentiam aut metum concipiat, quorum illa animorum elationem intolerabilem, hic stupidum pavorem parere solent, cùm magnas hominum copias invasere. Quæ animorum perturbationes in exercitu juxtà utræque solent Imperatoribus accidere intractabiles atque implacabiles. Et de formidine quidem exstat clarum & memorabile exemplum in Numeris, c. 13, & 14. Simulatque enim, auditis propalam speculatoribus, trepidare atque in motu metûs esse cœperat multitudo, usque adeò nihil Mosis, Aharonis, Calebi, Josuæ denique verba apud eam efficere potuere, ut nisi subitò Deus suam declarasset omnibus præsentiam per immensum gloriæ majestatísque suæ splendorem, monitores illi lapidibus obruti pro salutari consilio pœnam capitalem perturbato atque æstuanti populo dedissent. Ità enim ferè fit, ut quantò majore conatu pluribúsque rationibus consternatam multitudinem à metu revocare, fiduciámque afferre niteris, tantò illa se in majoribus positam esse periculis putet, tantóque confusiore trepidatione concitetur. De confidentia verò, si ea exercitûs animos occupaverit, quantam etiam ipsa secum perniciem facilè trahat, monebit nos Haitensium excidium; qui cùm ex felici eventu nuperæ victoriolæ temerariâ audaciâ immodicè exsultarent, obliti omnis militaris disciplinæ, tam cæcâ persequendi hostis cupiditate simul omnes urbe effundebantur, ut eam omni nudatam præsidio adversariis proderent. Credibile est ergò prudentissimum Imperatorem Josuam speculatores, quos non conscio nedum sciscente populo emiserat, seorsim etiam ad se reversos audivisse; atque ad utrumque spectare voculam חרש: de qua diximus multa ad v. 1. hujus capitis. Certè illi hîc jam narrantur *ad Josuam filium Nun revertisse, Josua omnia exposuisse*. Populi verò nulla est mentio, contrà atque in Numeris fit; ubi qui emissi fuerant, non modò *ad Mosen & Aharonem*, sed *ad universum cœtum Israelitarum* reversi locutíque memorantur, c. 13.26.

24. *Dixerántque ad Josuam, Nam Dominus tradidit in nostram manum*, &c.] Hæc narratio curta est; quod etiam R.D.K. annotavit. Multa enim præmissa videntur quibus respondeat illa particula כי *Nam*. Efficit enim ea, ut apparet, totius hortationis extremam partem. Verùm tamen negari non potest, ut Græcis ὅτι, ità Hebræis כי, sæpe supervacaneum esse. ¶ Sed quando addunt, *Atque etiam liquefacti sunt omnes incolæ*, &c. planè videntur alias quoque antè exposuisse facilis victoriæ conjecturas, quibus hanc insuper adjiciant, quam didicerant à Rahab, & quæ longè omnium certissima erat. Nam ut est verè ab Euripide dictum, Τοῦτο δὲ τὸ στρατηγεῖν ἐγὼ κρίνω καλῶς, Γνῶναι τὸν ἐχθρὸν εἰ μάλιστ' ἁλώσιμος. Sed enim videmus quàm sit istorum exploratorum dissimilis oratio ad illorum quos Moses, aut populus veriùs, emiserat à Cades-barne. Illi enim clamabant Num. 13.31. *Non poterimus invadere populum*, h.e. Chananæos; *quia fortior nobis est*. Hi verò clamant, *Tradidit eum Dominus in manum nostram; planè enim jam animos despondet*. Et tamen illi nulla passi pericula memorantur, quæ istos præsentissima circumvallarant. Nimirum est illud longè verissimum quod Paulus Romanis scribebat c. 8. 21. *Iis qui Deum diligunt, quidquid accidat, id cedere in bonum*. Itaque isti quantò majora discrimina evaserant, tantò certiorem sibi suísque opem Divinam adversùs hostem pollicebantur. Neque enim suas, ut illi, vires cum adversariorum viribus contendunt; sed quid Deus possit, quídque velit, id verò expendunt atque considerant, cùm aiunt, *Dominus dedidit illos nobis, qui admirabili formidine omnium animos prostravit*.

¶ Lubet hîc paucis jam auditam de Josua historiam ad verum Josuam nostrum, h.e. *Jesum Christum*, ab illo, ut diximus, adumbratũ, κατ' ἀναγωγὴν accommodare. Igitur Dominus & Servator mundi Jesus Christus, traducturus per Jordanem, h.e. Baptismi sacramentum, populum suum in beatissimam illam terram viventium, emittebat duos exploratores, i. tum Apostolos, tum qui hos secuti sunt, sacri verbi Doctores, in Jerichuntã, perditissimum vitiis omnibus mundum: Quos cùm excepisset Rahab meretrix, h.e. profanus Gentium populus qui variis se deorum simulacris prostituerat, est tum à consueta illa sua turpitudine abductus, tum in populum Dei ascitus & conservatus, & quidem per pendentẽ è cruce, tanquã sublimi fenestra & totius mundi specula, funem coccineum, ipsum Jesum Christũ, qui torcular illud omniũ laboriosissimũ cùm calcasset solus, rubebat indumentũ, i. corpus ipsius, Isa. 63. 2, 3. Verùm cùm mystica ista à multis sint piè pertractata, non persequar ego longiùs, ubi addidero, Illud meo judicio etiã aptissimè in Evangelicam historiam cecidisse, quòd paupercula Rahab in suũ gurgustiolũ Josuæ nuncios exceperit, non sapientes, non potentes, vel claro genere nati Jerichuntii; Similiter atque Jesu Christi nunciis accidisse monet Paulus apud Corinthios, 1. 1. 26. Atque insuper, nomen רחב *Rahab*, quod *latitudinem* significat, mirificè congruere typo Ecclesiæ Christi, non modò quia hæc infinitis partibus dilatata est, præut fuerat Mosis Ecclesia, de qua re præclarè vaticinatus est Isaias c. 49, & 54. verùm vel multò magis quia, ut ait D. Paulus Gal. 3. 23. *Priùs quàm veniret fides, custodiebamur sub lege conclusi in eam fidem quæ revelanda erat*, &c. Homines enim sub Mosis lege viventes & necdum per fidem in Jesum Christum consecuti promissionem Spiritûs, h. e. nondum adepti caritatem & justitiam, lege illâ non aliter atque carceris cancellis circumdati coarctabantur, & tanquam à pædagogo prohibebantur ab iis agendis quæ maximè cupiebant. Verùm ubi per fidem in Christum consecuti sunt à Spiritu S. caritatem, per quam fides operatur, atque indè justitiam, non jam cohibentur legis suæ cancellis, sive minis, à vitiis, sed per amorem, ut filii, observant æterni Patris mandata animo prompto, soluto, libero, h. e. corde dilatato, per caritatem scilicet, quam in id Spiritus S. infundit. Quod divinus Vates his verbis cecinit, Psal. 118. 32. *Per viam mandatorum tuorum curram, cùm dilataveris cor meum*. Nam, ut ait D. Augustinus dum hunc sacri Poetæ locum tractat, *cordis dilatatio, justitia est delectatio: quod manus est Dei, ut in præceptis ejus non timore pœna coarctemur, sed dilectione dilatemur*. Sed ista attigisse leviter satis est, piisque animis earum rerum jucundissimâ meditatione sese exercendi quantulamcunque occasionem dedisse. Porrò cujus rei sacrum sit symbolum, quòd Rahab intra suos parietes continere debet quos salvos cupit, audiat lector ex D. Cypriano cùm ad Magnum scribit, & rursus cùm adversùs Novatianum tractat de simplicitate Prælatorum. Ego enim, etsi sic sentiam, nullam anagogam quæ salutarem doctrinam explicet, animósque nostros secum in cœlum sublevet, esse repudiandam, etiamsi longiusculè petita atque accersita, pro Sacrorum verborum notatione, videri possit; cùm meminerim Paulum dicere, Omnia ea quæ Israelitis olim evenerunt, typos fuisse, eásque adumbrasse res quibus hæc postrema mundi ætas, h. e. אחרית הימים, & Christi regnum institueretur ad salutem; & simul quædam eum ex Mose ad certas doctrinæ Christianæ partes scitè atque adeò divinè accommodare, quas tamen illa minimè adumbrasse alioqui existimes; etsi, inquam, sic sentiam, tamen constitutũ habeo, anagogas, quoad ejus facere possum, parcissimè tractare, conscius & mihimet ipsi meæ mediocritatis ingenii, & plerisque doctis hoc seculo sui ipsorum fastidii, si paululùm à Sacris verbis digrediare.

IDEM.

1. POst verbũ κατασκοπεῦσαι est in m. ed. additũ cum asterisco adverbium ✱ κρυφῆ ↲. Quæ verò mox sequuntur verba, nempe, ÷ οἱ δύο νεανίσκοι ἦλθον εἰς Ἱεριχὼ ↲, ea sunt omnia jugulanda veru: quia cùm in Hebræo non essent, addita sunt a LXXII explicandæ sententiæ gratiâ. Pro κατέλυσε rectiùs scribas κατέλυσαν, ut habet Vat. & expressit Syrus.

2. Scribe, καὶ ἀπηγγέλη τῷ βασιλεῖ Ἱεριχὼ, λέγοντες, ✱ ἰδοὺ ↲, ἄνδρες, &c. Et hìc adverbium ἰδοὺ habeat asteriscum. Non erat enim à LXXII scriptum: sed mutuatus est Origenes ab Th. ¶ Post adverbium ὧδε est in edit. mista, ✱ τὴν νύκτα ↲, ἐκ τῶν υἱῶν, &c.

3. Illud ÷ καὶ εἶπε ↲ debet confodi obelo. Quod porrò sequitur, est in m. edit. ad hunc modum scriptum, τοὺς εἰσπορευθέντας ✱ πρός σε, τοὺς εἰσπορευθέντας ↲ εἰς τὴν οἰκίαν σου. Nimirum illa verborum, ut videbantur, eorundem repetitio omissa fuerat à LXXII. Quod autem hìc additur, τὴν νύκτα, debet obelo jugulari. Non enim est hoc loco in Hebræo. Denique in extrema clausula addita est in m. ed. nota universitatis cum asterisco, habet enim ad hunc modum, κατασκοπεῦσαι γὰρ ✱ πᾶσαν ↲ τὴν γῆν ἥκασι.

4. Est in m. τοὺς ✱ δύο ↲ ἄνδρας. Paulò ulteriùs signandũ est pronomẽ obelo, cùm dicitur, καὶ εἶπεν ÷ αὐτοῖς ↲. Mox, post illa verba, πρός με οἱ ἄνδρες, habet mixta cũ asterisco periodũ verborum à LXXII omissam, hanc, ✱ καὶ οὐκ οἶδα πόθεν ἦσαν ↲.

5. Post verbum πορεύονται est in mixta per asteriscum ✱ οἱ ἄνδρες ↲ & mox eodem signo apposito additũ est post verbũ καταδιώξατε adverbiũ ✱ ἐν τάχει ↲ quod LXXII omiserant.

6. Pro ἐντεταγμένης scribendum est ἐστοιβασμένης, sic enim habent optimi libri, & hoc traduxit Syrus.

8. Cùm dicitur, καὶ αὐτοὶ πρὶν ἢ κοιμηθῆναι, neque in Complutensium ed. neque in Vat. est pronomen αὐτοὶ, à Syro tamen lectum est, sed certum est esse superfluum.

9. Scribendum est, δέδωκε Κύριος ὑμῖν τὴν γῆν. Nam in vulg. libris non suo ordine collocata sunt verba. Ulteriùs, magna hujus versûs pars à LXXII ut supervacanea, omissa, in m. ed. apposita legitur cum asterisco, post illud ἐφ' ἡμᾶς, his verbis, ✱ καὶ ὅτι κατέπτηξαν πάντες οἱ κατοικοῦντες ἐν τῇ γῇ ἀπὸ προσώπου ὑμῶν ↲.

10. Illud ÷ ὁ Θεὸς ↲, debet jugulari veru. Et pro ὅσα ἐποίησε scribendũ est ὅσα ἐποίησαν, consentientibus emendatis libris.

11. Habet codex Vat. ἐν ὑμῖν ἡμῶν, quæ lectio si retinenda est, debet pronomen notari obelisco. Sed quia alia exemplaria, quæ vidi, non assentiuntur illi, non putavi esse scribendum. Eodem versu, extremam verborum complexionem explet m. ed. ad hunc modum, ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν ✱ αὐτὸς ἐστι ↲ Θεὸς ἐν οὐρανῷ, &c.

12. Illud ÷ τὸν Θεὸν ↲ veru notandum est. Mox scribito ὅτι ὑμῖν ἔλεος, additâ præpositione, ex bonis libris. Et quod sequitur, legito hoc verborum ordine, καὶ ποιήσετε καὶ ὑμεῖς ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρός μου ἔλεος. Atque deinceps habet m. ed. complexionem verborum à LXXII omissam, hanc, ✱ καὶ δότε ἐμοὶ σημεῖον ἀληθινὸν ↲.

13. Illud ÷ τὸν οἶκον ↲ signandum est obelisco. Cùm dicitur, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, debet præpositio ἐν expungi, non enim est in bonis libris. Syrus ostendit per limnisci notam hìc in quibusdam libris post καὶ τὰς ἀδελφάς μου, haberi hæc verba, ÷ καὶ πάντα τὸν οἶκον αὐτῶν ↲. & ejusmodi libros secuti sunt Compl. Sed ea verborũ circumscriptio non est in Hebræo: quapropter si addenda est, debet obelo notari.

14. Illud, ÷ καὶ αὐτὴ εἶπεν ↲ jugulandum est obelisco, & continuò addit m. ed. longum verborum ambitum per asteriscos. Sic enim locus iste in mixta legitur, ÷ καὶ αὐτὴ εἶπεν ↲ ✱ ἐὰν μὴ γνωρίσητε ὑμεῖς τὸ ῥῆμα ἡμῶν τοῦτο, καὶ ἔσται ↲ ὡς ἂν παραδῷ, &c. ¶ Pro τὴν πόλιν habent quidam libri ÷ τὴν γῆν ↲, ut Syrus per limniscum ostendit, & sanè in Hebræo est *terra* non *urbis* vocabulum.

15. Post illud κατεχάλασεν αὐτοὺς infarsit ed. m. ✱ ἐν σχοινίσματι ↲. ¶ Post nomen θυρίδος magnam etiam verborum complexionem, à LXXII præteritam, hanc videlicet, ✱ ὅτι ὁ οἶκος αὐτῆς ἐν τῷ τοίχει ἦν, καὶ ἐν τῷ τοίχει αὐτὴ κατῴκει ↲.

16. Illud ἔμπροσθεν ὑμῶν debet jugulari obelisco.

17. Post ἀθῷοι habet mixta ✱ ὑμεῖς ↲. Eadem etiam nota apponenda est ad demonstrationis pronomen τούτῳ, quod mox sequitur; & simul adscribenda sunt quædam verba quæ sunt à LXXII omissa. Sic enim locus iste legitur in m. ed. τῷ ὅρκῳ σου ✱ τούτῳ ᾧ ὥρκισας ἡμᾶς ↲.

18. In extrema versûs parte abolendum est pronomen σου, cùm in vulg. libris est εἰς τὴν οἰκίαν σου.

19. Scribe ἔνοχος ἔσται ἑαυτῷ. Mox illa verba, ÷ τῷ ὅρκῳ σου τούτῳ ↲, signanda sunt obelo, & similiter pronomen σου, cùm dicitur, ἐν τῇ οἰκίᾳ ÷ σου ↲. Mox post ἔνοχοι ἐσόμεθα habet m. ed. per asteriscum hæc verba adjecta, ✱ ἐὰν χεὶρ ἅψηται αὐτοῦ ↲.

20. Verba illa initio, ÷ τις ἡμᾶς ἀδικήσῃ, καὶ ↲ sunt obelo jugulanda, & pro ἀποκαλύψῃ scribendum est ἀποκαλύψῃς, sic enim habent cod. optimi. ¶ Cùm dicitur, ÷ τούτῳ ↲ ✱ ᾧ ὥρκισας ἡμᾶς ↲ debet τούτῳ jugulari veru, cætera verò verba habere appositam stellulam.

21. Ubi est in vulg. libris, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, debet pronomen expungi.

22. Post τρεῖς ἡμέρας additur in mixta hæc verborum clausula, ἕως ἐπέστρεψαν οἱ διώκοντες ↲.

23. Post διέβησαν addit mixta ✱ καὶ ἦλθοσαν ↲.

24. Expungendum est illud ὁ Θεὸς ἡμῶν, & quod sequitur legendum est mutato verborum ordine, ἐν χερσὶ ἡμῶν πᾶσαν τὴν γῆν. ¶ Pro κατέπτηχε scribendum est κατέπτηξαν, debetque pronomen ÷ ἐκείνην ↲, jugulari apposito veru.

DRUSIUS.

1. MIsit Josua] Intra terminum XXX dierum quibus Mosen lugebant, qui obierat VII mensis Adar. Videndi sunt hac de re R S. & Nicolaus de Lira. Miserat autem ante edictum de commeatu parando. ¶ *E Settin*] Nunc legunt *Sittin*, *Settin*, ut *Nimrod*, *Nemrod*. Græci habent *Sattin*. Sic *Namrod*, unde *Nabrod*, ex affinitate quæ inter μ & β in antiquo charactere. Locus erat non procul à Jordane in campestribus Moab. ¶ *Duos viros exploratores*] Satis erat, *duos exploratores*. Sed locutio est *vir explorator*, ut *vir piscator*, *mulier ancilla*, &c. Aut misit duos viros insignes, ut אנשים sit nomen ἀξιώσεως. A Tanhuma notatum, viros hos fuisse Phineen & Chalebum: quod mihi non fit verisimile. ¶ *Tacitè*] *Silenter*, vel *silentio*. Plenum esset בחרש, quod Jon. dixit ברז *secretò*; Th. κρυφῆ, Hieron. *in abscondito*, Santes *clàm*. Vult dicere, inscio populo: vel certè, misit eos qui clàm explorarent Jerichuntem cum territorio ejus. Qui figulos hic somniant, confundunt Sin dextrum cum Sin sinistro. Nam *testa* חרש dicetur. ¶ *Videte*] more exploratorum, qui singula diligenter inspiciunt & considerant. Paulò aliter Gen. 6.12. *Vidit Deus terram, & ecce, corrupta erat.* ¶ *Terram, & Jericho*] Locutio est, ut *Judæa, & Jerusalem*. Simile, *Dicite discipulis, & Petro*. Et *terram*, non universam, sed eam quæ circum Jericho, q.d. territorium ejus: [Imò terram totam, quod invenies infrà v. 3. *Ad explorandum universam terram venerunt.*] Ad hunc loquendi modum pertinent 1 Reg. 11.1. *Rex Salomo amabat multas feminas, & filiam Pharaonis*. Psal. 18. 1. *E manu omnium hostium ejus, & è manu Saulis*. 1 Sam. 2.30. *Desiderabantur è servis Davidis novendecim viri & Asael*. ¶ *Domum mulieris meretricis*, γυναικὸς πόρνης] *Mulier meretrix*, ut *mulier ancilla*: pleonasmus frequens apud autores Latinos. Ebraicè זונה *meretrix*, à זנה *scortor*. Qui *cauponam* interpretantur, ut Santes, deducunt à verbo זון, unde מזון *cibus*, *alimonia*, & est nomen זונה formæ טובה, significans *mulierem quæ esculenta vendit*, מוכרת מזון. Olim apud veteres cauponam exercere inhonestum erat. Quod erues ex Theophrasti libro qui *Characteres* inscribitur, cap. περὶ ἀπονοίας, *de desperatione* sive *perdita audacia*. Vide Notas Casauboni nostri ad eum locum, *Olim apud Græcos*, inquit, *sicut etiam hodie, ut audio, in quibusdam Italiæ locis, non multò erat honestior locus πανδοχεῖον sive taberna meritoria quàm οἴκημα*, h.e. *lenonis aut meretricis domus. Nec multò aliter apud Latinos, qui τὸ πανδοχεῖον Stabulum, & τὸν πανδοχέα Stabularium dixerunt; meretricem autem, Prostibulum. Eo factum ut viri quibus honestas curæ æquè in cauponis ædibus conspici erubescerent ac in lenonis: quod vel ex iis paret quæ de Stratonico citharœdo refert Ælianus Variarum l. 14. c. 14. Sed & Isocrates*, Ἐν καπηλείῳ, ait, φαγεῖν ἢ πιεῖν οὐδεὶς οὐδ' ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησεν. *Vide Athen. l. 13. hunc ipsum*

Isocratis

Isocratis locum proferentem. Sed quàm parùm interſit lenocinium inter & cauponam, declarat optimè Jus Rom: Nam ex Imp. conſtitutionibus domina caupona quæ viliùs à marito ſolita haberi, ſolvitur lege Juliâ De adulteris. Hucuſque amicus ille noſter vir doctiſſimus. Cui favet interpretatio Chaldaica פנדוקיתא [*Pandochita* tanquam à πανδοχεῖς. Sic Lunam vocat Plato, quòd totius generationis ſuſceptrix ſit] *πανδοκεύτρια, quæ promiſcuè omnes hoſpitio excipit:* quam eandem eſſe cum *meretrice*, atque ità uſurpari ab interprete illo, docuit nos Ebræus David quem *Camium* cognominant; cùm alioqui meretrix vocetur נפקת ברא *exiens foràs*, & טעיתא *oberrans*, & מטעיא *ſeducens*, rariùs זניתא, i. *meretrix*, h.e. זונה, quod vocabulum nunc in Ebræo, & paſſim pro *ſcorto* uſurpatur. Pro *caupona*, hoc loco excepto, qui ambiguus eſt, non memini legere. Quocirca non aſſentior ei qui ſcripſit, *Apud Ebræos eadem vox Zonah & Meretricem ſign. & Cauponam.* Nam ex loco controverſo & ambiguo nihil probari poteſt.

2. *Ad explorandum terram*] Hîc eſt חפר in fonte, quod *explorare* ſign. etiam Deut. 1. 22. Itaque paullò pòſt explicatur verbo וירגלו, unde מרגלים *exploratores.* Fruſtrà ergò reponunt *fodere*, aut *perrimare perveſtigaréque.*

3. *Venientes ad te, qui ingreſſi ſunt domum tuam*] Locutionem ambiguam explicat cùm ait, *ingreſſi ſunt domum tuam.* Sic *ivit ad Pompeium*, pro *ad domum Pompei.* Hieron. *& ingreſſi ſunt domum tuam*; ubi Vau ἐξηγητικὸν eſt. Alioqui *venire ad meretricem* etiam dicitur qui cum ea rem & conſuetudinem habet: ut 2 Sam. 3. *Cur veniſti ad concubinam patris mei?* Sed alia hîc mens, alia ſententia. Nam ſequitur, *Certè venerunt ad me viri illi, &c.* Maſius admonet poſſe exponi, *venientes ad te*, i. *hoſpites tuos.*

4. *Abſconderat eum*] Utrumque eorum, utrumlibet eorum, aut ambos illos. Quando ad plures refertur, ſign. *quemlibet eorum.* Quod ità notum ut nihil magìs. Ebræi ſcribunt ipſam ſingulos ſeorſim abſcondiſſe, ideóque Scripturam uſam fuiſſe numero ſing. Quæ præterea de Phinea fabulantur, indigna ſunt quibus charta commaculetur.

5. *Cùm porta claudenda eſſet*] Ad verb. *Et fuit porta ad claudendum.* Senſus eſt, Cùm jam claudenda erat. Minùs rectè alii, *dum porta clauderetur.* Nam ſi, cùm exirent, clauſa fuiſſet porta, facilè deprehendi potuiſſent à vigilibus, qui portam cuſtodiebant, aut claudebant.

6. *In tectum, ἐπὶ τὸ δῶμα*] Tecta enim Ebræorum plana erant, non in coni formam faſtigiata, ut noſtra: Itaque ibi culmos vel ſtipulas lini exponebant ad ſolem ſiccandi causâ. Hujuſmodi domata Romæ olim *ſolaria* & *meniana* vocabant. Unde hîc in Hieron. *fecit aſcendere viros in ſolarium domûs ſuæ.* Vide Præterita mea. ¶ *In linis ligni*] *Lina ligni* dici exiſtimant, q. per hypallagen, pro *ligno linorum:* Cui ſimile *viriditas herbæ* pro *herba viridis*, עץ & *lignum*, & *arbor.* Hîc *lignum* denotat, h.e. culmos aut ſtipulas lini. Nam etiam de Junco uſurpatur: & Hyſſopus quæ naſcitur in parietibus, inter *ligna* vel *arbores* recenſetur 1 Reg. 4. 33. Senes uſi ſunt vocabulo λινοκαλάμη, quo linum à ſuo calamo nondum decuſſum videntur ſignificare. Et certè ſtipulæ decuſſæ non ſolent inſolari, ſed in clibanum aut furnum abjici, ut fortaſſe ideo dicat *lina ligni*, non tam ſtipulas lini quàm ipſum linum lignoſum innuens, h. e. de quo cortices & ſtipulæ nondum ſunt ſtupario malleo atque carminatione decuſſæ depexæque. Solent enim lina priuſquam tundantur inſolari. Quod obſervavit noſter Maſius; Qui etiam improbare videtur Latinum interpretem referentem, *operuítque eos ſtipulâ lini.* Sed vide, ſi placet. Addit Maſius non abſurdum videri ſi id linum ſignificari putemus quod *xylinum*, q. *ligneum* dicas, vocatur. *Certum enim*, inquit, *eo frutice Syriam Aſſyriámque abundare, quem alii Goſſipion, alii Xylum appellant, ut ait Plinius.* Obiter noto, ξύλον in lingua Græcienſi non *lignum* denotare, ſed *arborem*; ídque ex ambiguo Ebræo עץ, quod utrumque ſign. Sanè ξύλον τῆς ζωῆς quod reddunt *lignum vitæ*, propriè eſt *arbor vitæ*, quæ vitam præſtat iis qui eâ veſcuntur, Ebraicè עץ חיים. R. D. ad hunc locum, *Dicit, In linis ligni, quia adhuc lina erant in calamis ſuis, quæ ſubduxit in tectum ad ſiccandum ea: & abſcondit eos in medio eorum, & Lina ligni*, ut *Ligna linorum.* Sic dicimus תולעת שני & תולעת שני pro eodem.

7. *Viri illi*] qui miſſi erant à Rege ad domum Rachab. ¶ *Eos*] exploratores, quos putabant ex urbe exiviſſe. ¶ *Ad vada*] Uſque ad loca per quæ tranſiri poteſt Jordanis. Hîc על valet עד *uſque ad.* Videndus R. D. Senſus eſt, Ad unumquodque vadorum. ¶ *Clauſerunt portam*] janitores. Non malè interpres noſter, *clauſa fuit porta.* Sic etiam Græci, καὶ ἡ πύλη ἐκλείσθη. Debet autem locus accipi de porta urbis, non de porta domûs, ut R. D. accepit: *Clauſerunt*, inquit, *exploratores, aut viri, portam domûs; quod credibilius eſt.* Cave ſequaris. ¶ אחרי כאשר *pòſt cùm egreſſi eſſent*] אחרי אשר *poſtquam*, כאשר *cùm.*

8. *Priuſquam dormirent*] Arias emendat, *jacerent.* alius, *cubarent.* Sed Ebræi notant שכב hîc idem eſſe cum ישן *dormio.* Nam jacebant, ut credibile eſt, calamis lini obtecti priuſquam mulier ad eos veniret: Cui firmando editio Hieron. *Necdum obdormierant qui latebant.* & LXX, πρὶν ἢ κοιμηθῆναι αὐτοὺς, *antequam ipſi dormirent.* R.D. in l. Rad. שכב *ſign. Dormire, Quieſcere, In morbo cubare, Concumbere, In ſepulcro jacere, ſeu mortuum eſſe.* Licet etiam exponere, *priuſquam cubarent ad dormiendum.* Nam antea jacuerant latitantes, ſed non ſe compoſuerant ad dormiendum. Sunt qui pronomen המה referunt ad cives, qui nondum à murmure planè ceſſarant.

10. *Maris Rubri*] *Maris Suph* eſt in Ebræo, quod Græci convertunt τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν *mare rubrum:* unde Hieron. ait *Suph*, *rubrum*, ſignificare: fallitur. *Suph* potiùs eſt *carex* aut *alga*; ut ſi *mare algoſum* dicas. Nam magna, ut perhibent, ejus herbæ copia in littore. Vide Obſervat. meas. *Rubrum* autem dicitur ex Græco ἐρυθρά, de cujus etymo variæ ſententiæ, quas brevitatis causâ nunc omitto. Aliàs memorabo.

11. *Liquefactum eſt cor noſtrum*] *Cor liqueſieri* dicitur in magno metu, unde Hieron. *pertimuimus, & elanguit cor noſtrum.* Alibi eſt, *liquefactum eſt cor noſtrum, & fuit in aquam.* Quod à cera ſumptum mihi non videtur. Nam cera liqueſcit quidem igni admota, ſed non ſolvitur in aquam. Poteſt fieri tamen ut tralatio inde ducta ſit. Maſius ità opinatur. Obvia hæc phraſis Nah. 2. 10. Joſ. 5. 1. & 7. 5. Ezech. 21. 7. Iſa. 13. 7. Deut. 1. 28. & 20. 8. Vide Adagia mea. ¶ *Nec ſtetit ultra*] *Conſtitit*, aut *perſtitit*, οὐκ ἔστη. Perperam Santes, *non ſurrexit.* Nam קם hîc *ſtare* ſign. non *ſurgere.* Hieron. *non remanſit ſpiritus.* Nam *ſtare* quandoque *manere* ſign. Contrà, *cor*, vel *ſpiritus*, *exire* dicitur in ſummo metu, 1 Sam. 17. 32. *Non manſit ergò*, i. *exiit è nobis.* Sed hic ſermo de morte dici reperitur Pſal. 146. 4. *Exibit ſpiritus ejus, revertetur in humum ſuam.* Alibi, *Omnem ſpiritum ſuum educit ſtultus.* Quod idem cum illo, *exire facit.* ¶ *In viro*] In quoquam eorum. Sed emphaſin habet quod ait *in viro*, q.d. Qui antea viri erant, nunc eis animus planè concidit, **De moedt is hun ontvallen.** LXX ἐν οὐδενὶ ἡμῶν, *in ullo noſtrum.* ¶ *A facie veſtra*] Hieron. enarrat, *ad introitum veſtrum*, alii, *metu veſtri.* Sic alibi, *fugit à facie Abſolomi*, metu Abſolomi. Thargum, *à coram vobis*, ſive *à conſpectu veſtro.* R. D. ad hunc locum, *Homo qui metuit, ac ſi caderet Spiritus ejus; juxta illud, Nè cadat cor hominis propter eum*, 1 Sam. 17. 32. Jonathan verò παραφέρζει, *non relictus fuit, non remanſit.* Maſius explicat, *à facie veſtra*; *veſtrâ causâ*, vel *propter veſtram præſentiam, propter vos.*

12. *Benignitatem*] Quam exercui erga vos, quibus nihil debebam, nec ullo modo devinctus eram. Sic ait, *Exercete vos etiam benignitatem:* non erga me, cui obſtri-

eti estis hoc beneficio; sed erga domum patris mei, cui si quid præstabitis, beneficium erit, non officium. Nam quamdiu præstamus quod à nobis exigi solet, officium; ubi plus quàm debemus, beneficium est. Sic dico חסד vocatur quando is dat qui potuit sine reprehensione non dare. Quædam enim sunt quæ leges nec jubent nec vetant facere: in his est materia benignitatis vel, si placet, beneficii. ¶ *Signum verum*] i. certum, quod non fallet. Sic, *sermo verus*, i. certus, ratus, stabilis. Scitum illud, *In ore duorum aut trium testium erit verum omne verbum*. Exstat in Euangelio Johannis.

13. *Animas nostras*] Nos ipsos. Gallicè, *nous personnes*. Aut *animam* dicit vitam animatam, quæ mori dicitur quando exstinguitur. *Anima vitalis* etiam appellatur.

14. *Anima nostra pro vobis ad moriendum*] Formula jurandi, ut vult Masius. Sed R. D. *Nos trademus nos ipsos pro vobis ad moriendum ei qui volet vos morte afficere.* ¶ *Pro vobis*] Jon. *Pro animabus vestris.* ¶ *Si non indicaveritis*] Aut *prodideritis*. Usi sunt verbo plurali, quia fortasse aliqui ex domo ejus paterna præsentes erant. Sed Hieron. *si tamen non prodideris*, i. תגידי. ¶ *Rem nostram hanc*] De qua inter nos actum. Signum intelligit è fenestra suspendendum, quo domus ejus à reliquis dignosci possit; tum etiam quod de familia ejus paterna in domum istam cogenda dictum fuerat, sive consilium de colligenda in ejus domum familia paterna. ¶ *Faciemus tecum benignitatem & veritatem*] De Benignitate dictum est. Veritas est constantia in servandis promissis. Quæ sæpe ità simul leguntur, ut Gen. 24. 27, 49. Cæterùm quia Veritas exercetur erga benemeritum, Benignitas verò erga eum qui non est de nobis benemeritus, ideo R. D. Benignitatem refert ad domum paternam, Veritatem autem ad ipsam Rachab, cui devincti erant ob recens beneficium.

15. *Descendere fecit eos*] Hieron. *dimisit eos*. Lxx κατεχάλασεν αὐτὺς, *demisit*, ut cùm fune aliquid demittitur è loco superiore. Act. 9. 25. χαλάσαντες ἐν σπυρίδι, *demittentes in sportula*. Marc. 2. 4. χαλῶσι τὸν κράββατον, *funibus demittunt*, è tecto videlicet. ¶ *In pariete muri*] *Paries* propriè domorum est, ut *murus* urbium. Est enim terreus aut lapideus muri ambitus. Quidam hypallagen hîc statuunt, *paries domûs ejus erat in muro*, sive, quod idem, *in mœnibus*. חומה *murus, mœnia*: קיר *paries*. Sic differunt apud Græcos τοῖχος & τεῖχος. Lex. vet. τεῖχος *murus*. Τείχη, *hæc mœnia. Singulare non habet*. Τοῖχος, *paries*. Sed in Latino-Græco, *Murus*, τοῖχος, puto legendum τεῖχος. Sanè in eodem, *Paries*, τοῖχος. ¶ *In muro ipsa sedebat*] i. Sita erat. *Sedere* transfertur ad inanima. Sic Nah. 3. 8. Alexandria dicitur *sedere in rivis*, i. sita aut posita esse. *Ipsa* ergò, domus. Sed fortè *ipsa* Rachab; & tunc vertendum *habitabat*. Nam *sedere* pro *habitare* nescio an Latinum sit.

16. *Dixerat eis*] Priusquam è fenestra demitterentur. Quò pertinent omnia quæ hîc habentur usque ad finem capitis. Sunt tamen qui hîc legunt, *Dixit eis*, nempe postquam demissi essent, quæ verba includunt parenthesi, unà cum superiore versiculo: Deinde vertunt, *Dixerant autem ei*, antea videlicet. ¶ *Ad montem*] Hieron. *ad montana*. Lxx εἰς τὴν ὀρεινὴν, *ad montanam regionem*. הר *locus montibus contentus*, non certus mons. Legitur hoc sensu Deut. 1. 7. & 2. 37. *in urbibus montis*, i. montanis. Similiter Jerem. 32. 44. & Luc. 1. 65. *Omnia montana Judæa*. Jos. 9. 1. item 10. 40. *Mons, & Meridies, & planities*, i. regio montana, Meridiana, & campestris. Hic locus adversatur iis qui putant terram montanam fuisse expositam Austro Jerosolymorum. Forte נגב est certa pars Judææ quæ in Austro, Austro obtenta, non universus tractus Australis. Vide Gen. 12. 8. ¶ *Nè occurrant vobis*, μὴ συναντήσωσιν ὑμῖν] Licet etiam vertere, *nè incurrant in vos*. Nam est פגע in Ebræo. ¶ *Persequentes*, οἱ καταδιώκοντες] Malim, *insequentes*. Quid vidit noster cùm verteret *revertentes*? Quid si *insecutores*? ut sit participium loco nominis. ¶ *Tribus diebus*] Mulier haud imperita facilè scivit intervallum quod inter Jericho & trajectum Jordanis, quò illi tendebant indagantes exploratores; unde conjecturam facere potuit intra quod tempus reversuri essent. Triduum ei visum ad hoc sufficere: Itaque monuit ut tanto tempore laterent in montanis. Cæterùm de spatio quod inter urbem & flumen non inter omnes convenit. Eusebius autor esse circiter V. M. passuum: aliis videtur esse paulò longius. R. D. scribit esse iter unius diei, aut eo plus. Iter unius diei continet 4 parasangas, quælibet autem parasanga 4 milliaria.

17. *Insontes nos*, &c.] Tres conditiones ei proposuerunt, quæ nisi observarentur innoxii essent à jurejurando quod ab eis exegerat. Prima præcessit, Nè res proderetur, duæ reliquæ sequuntur: quarum una est, Ut è fenestra suspenderetur filium coccineum; altera, Nè quis affinium abesset domo ejus. ¶ *Ab juramento tuo hoc*, משבועתך הזה] Oratio sensu congrua, non voce. Nam שבועה nomen est fem. & הזה pronomen masc. R. D. observat *juramentum* positum esse pro *verbum juramenti* i. דבר שבועה, quod ità dicitur ut *verbum mendacii* pro *mendacio*. Sic *verba fraudum, verba cantici*, &c. & apud Plautum, *res voluptatum*.

18. *Textum fili coccinei*] תקוה interpretatus sum cum Masio *textum*. Nam קוה *texere*, unde קוואי *textor*. Sed variè interpretantur Lxx, Aq. & Sym. σημεῖον. Hieron. *signum*; Santes, *chordam*; Arias, *lineam*; R. D. קו שזור, *lineam tortam*; Tremellius *funiculum*, i. חבל; Jon. חוטא, *fimbriam*. Vox Ebræa sign. communiter *spem, exspectationem*; ut possis vertere *spem fili coccinei*, in quo salutis spes omnis, humano more loquendi, mulieri erat collocata. R. Jesaias à verbo קוה, quod *collectionis* habet notionem, deductum nomen תקוה *funem* sign. censet, quòd in fune multa fila contorta componantur. Vide Masium. ¶ *Per quam demisisti nos*] δι' ἧς κατεβίβασας ἡμᾶς] Referunt ad fenestram quod potest referri ad textum fili, ut dicant, *quo filo demisisti nos*.

19. *Sanguis ejus in capite ipsius*] Sub. *sit*, vel *in caput ejus*, sub. *recidat*. Sic mox, *sanguis ejus in caput nostrum*, & est sensus, culpa fusi sanguinis, vel cædis, ejus. Nam *sanguinem* pro *cæde* usurpant: q. d. Culpam cædis ejus nos sustinebimus. Hieron. priore loco, *Sanguis ipsius erit in caput ejus*, & posteriore, *Cunctorum autem sanguis qui tecum in domo fuerint redundabit in caput nostrum*. Lxx ἔνοχος ἑαυτῷ ἔσαι, *reus sibi ipsi erit*. Sic Matth. 27. 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, i. Nos, & filii nostri rei erimus cædis ejus. Vide quæ notavimus ad hunc locum. R. D. hoc loco, *Ille culpam sustinebit cædis suæ, quia non servavit seipsum*. R. S. *Pœna* [*Iniquitas*] *cædis ejus erit super caput ejus, quoniam ipse occasionem dedit cædis suæ*. Jon. חובת קטולה, *culpa cædis ipsius*. ¶ *Si manus fuerit in eum*] Si quis eum manu occiderit. Quod alibi est, *Si quis emiserit in eum manum*, Esth. 6. 2. *Quæsiverunt emittere manum in regem Assuerum*. Job 1. 12. *Tantùm ad eum nè miseris manum tuam*. Hieron. *Si eos aliquis tetigerit*. Lxx ut est in ed. Complut. ἐὰν χεὶρ ἅψηται αὐτῦ, *si manus tetigerit eum*. *Tetigerit*, i. percusserit. Nam reus nemo cædis est de simplici percussione. Sic, *percussit reges magnos*, i. occidit. *Tangere* autem interdum valet *percutere*, unde *flos tactus aratro*. Jon. *si manus hominis fuerit in eum*.

21. *Demisit eos*] Non demisit è fenestra, quod exprimunt verbis הוריד & χαλάω, sed demisit à se, ut cùm alicui valedicimus. R. D. *Dimisit verbis, dixitque eis, Ite in pace*, i. Valete. Lxx ἐξαπέστειλεν.

22. *Sederunt ibi*] i. Manserunt. Sic alibi, *Sedete hîc*, i. manete, exspectate, Gen. 22. 5. Hieron. *manserunt*. Lxx κατέμειναν, *permanserunt*. Sic Luc. 24. 49. *Vos autem sedete in urbe Jerusalem*. Vide Jos. 1. 14. Lev. 12. 4. *Dies* (i. annum) *sedebit in sanguine purificationis suæ*.

23. *Reversi sunt*] In viam unde declinaverant propter insequentes. ¶ *E monte*] E montanis, ubi delituerant. ¶ *Transierunt*] Trajecerunt Jordanem. ¶ *Quæ evenerunt eis*] Ad verb. *quæ invenerunt eos*. Sic mala & pericula

pericula *nos invenire* dicuntur quando nobis accidunt. Scitum illud, *Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.* Esth. 8. 6. *Qui potero videre malum quod invenit populum meum?* Deut. 31. 17. *Invenerunt eum mala multa.* Vide & Gen. 44. 34. Rursum Num. 32. 23. *peccatum vestrum quod inveniet vos.* Psal. 116. 3. *Angustiæ sepulcri,* aut *inferni, invenerunt me.* Sic apud Plautum *invenire infortunium*; & Tacitum l. 1. *mortem*; & Ciceronem, *perniciem sibi & aliis.* Sic, *Adversitatem & mœrorem inveni.* Exod. 18. 8. *Omnem molestiam quæ invenit me.*

IDEM.

1. חֶרֶשׁ. Th. κρυφῆ, *occultè, clàm.* Scribitur & κρυφῆ Ruth. 3. 7. בלט, LXX κρυφῆ. Ephes. 5. 12. τὰ ἢ κρυφῆ γινόμενα.

7. וְהַשַּׁעַר סָגָרוּ אַחֲרֵי כַּאֲשֶׁר יָצְאוּ הָרֹדְפִים אַחֲרֵיהֶם. A. καὶ τὴν πύλην ἔκλεισαν ὀπίσω αὐτῶν, ὡς ἐξῆλθον οἱ καταδιώκοντες ὀπίσω αὐτῶν, *& portam clauserunt post eos, cùm egressi fuissent insequentes eos.*] Ad verb. *post eos.* Sic Ebræi loquuntur. Aliud obtinuit in Latio.

9. וְכִי נָמֹגוּ כָּל יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ מִפְּנֵיכֶם. Th. καὶ ὅτι κατέπτησσον πάντες οἱ κατοικοῦντες ἐν τῇ γῇ ἀπὸ προσώπου ὑμῶν *& quia perterrefiebant omnes habitantes in terra illa à facie vestra*] i. Metu percellebantur, terrore consternabantur.

12. וּנְתַתֶּם לִי אוֹת אֱמֶת. Th. καὶ δότε μοι σημεῖον ἀληθινόν, *& date mihi signum verum.*

15. בַּחֶבֶל. Idem. ἐν σχοινίσματι, *fune*] Accipio ut si esset ἐν σχοινίῳ. Nam σχοίνισμα hoc in loco aliud significare non potest. Adhæc חבל *funem* denotat, i. σχοῖνος, sive σχοινίον. בְּקִיר הַחוֹמָה. Idem. ἐν τῷ τείχει, *in muro*] קיר τοῖχος, *paries.* חומה τεῖχος, *murus, mœnia.* Igitur בקיר החומה *in pariete muri,* ἐν τοίχῳ τείχους, vel cum articulo החומה τοῦ τείχους.

17. אֲשֶׁר הִשְׁבַּעְתָּנוּ. Idem. ᾧ ὥρκισας ἡμᾶς, *quo nos obstrinxisti jurejurando.*

GROTIUS.

1. *Misit igitur*] *Miserat.* Ità faciliè conciliantur loca suprà 1. 11. & hic infrà 22. ¶ *Exploratores*] Exploratio, ut hic, & Num. 13. receptatio hostium, ut mox 4. consiliorum hostilium nuntiatio, ut 2 Sam. 17. 15. res sunt odiosæ, & si deprehendantur gravibus pœnis obnoxiæ; non improbæ tamen adversùs hostes Dei, aut ejus qui à Deo unctus est: cum talibus enim nulla est juris gentium communio. Itaque receptatio quæ jam sequitur celebratur ut actus fidei, Heb. 11. 31. animi scilicet πολυθείαν abdicantis ob audita miracula. Vide mox 9. 10, 11. ¶ *Meretricis*] Quod vitæ genus eo tempore apud illas gentes vile magìs quàm flagitiosum habebatur; cùm longè alia fuisset Hebræorum etiam ante legem disciplina Gen. 38. 24. Rahabæ non malè Aspasiam compares, quæ ex meretrice ad magnam potentiam venit: posterioribus autem seculis Theodoram, nuptam Justiniano. Videtur autem Rahab habitasse Jerichunte, sed non fuisse ex septem populis; quia nupta fuit Salmoni Hebræo, ut apud Matthæum habemus, imò & antè ipsi Josuæ, ut volunt Hebræi.

4. *Nesciebam unde essent. Cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt*] Ante Euangelium mendacium viris bonis salutare culpæ non ducebatur. Vide quæ collegimus De J. B. ac P. l. 3. c. 1. §. 16. & in Annotatis. Laudatur hoc factum ut illi tempori congruens, tum dicto ad Hebræos loco, tum Jac. 2. 25.

12. *Jurate mihi*] In talibus quæ publicum statum non violant missi à populo populum obstringunt. Quare & servata hæc est fides infrà 6. 25. & Math. 1. 5. Similem historiam vide Jud. 1. 25.

17. *Innoxii erimus à juramento hoc quo adjurasti nos*] *Cujus verba nobis præivisti,* ᾧ ὥρκισας ἡμᾶς. Th. Vide quæ ad Lev. 5. 1. & Math. 26. 63. Innoxii erimus, nisi ea quæ jam sequentur pacta incontinenti adjecta præstes. Similis illa exceptio Pyladæ in Taurica Iphigenea Euripidis.

> Ἐξαίρετόν μοι δὸς τόδ', ἤν τι ναῦς πάθῃ,
> Χ' ἡ δέλτος ἐν κλύδωνι χρημάτων μέτα
> Ἀφανὴς ὄληται, σῶμα δ' ἐκσώσω μόνον,
> Τὸν ὅρκον εἶναι τόνδε μηκέτ' ἔμπεδον.

19. *Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus*] Jure belli cadunt qui in urbe capta à resistentibus se non abjungunt.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. *A Fine trium dierum*] Postquam scilicet monuerat eos ut sibi præpararent cibum, id quod fuit post 30. diem luctûs Mosi. Tunc enim monuit populum ut sese pararent ad trajiciendum Jordanem, sicut & tertiâ die post expletum luctum siccis pedibus transierunt inundantem Jordanem, Domino mirabiliter retinente aquas in modum muri.

4. *Nec appropinquabitis ad eam*] Prohibet Dominus, ut non nimium vel accedant, vel recedant ab arca; sicut & ad montem Sinai non permittuntur accedere, nec longiùs recedere; ut ubique scilicet Domino debitum exhibeant honorem, & nihilominus ab illo se sciant pendere, qui ductor eorum fuit per Jordanem, sicut & per mare Rubrum.

5. *Sanctificate vos*] h. e. תהיו מוכנים sitis parati, nè quid vos impediat à transitu Jordanis. K. sic exponit, הוכנו כליכם ודבריכם.

8. *Cùm veneritis ad extremitatem aquarum*] Idem K. exponit, עבר שני *alterum latus,* seu *ripam,* Jordanis. Nostri verò intelligunt primam partem aquæ.

12. *Tollite ex vobis*] h. e. eligite duodecim viros, qui præparati expectent imperium meum. Jubentur enim infrà portare lapides de Jordanis alveo.

15. *Cunctis diebus messis*] Transierunt Hebræi Jordanem 10 die mensis Nisan, h. e. circa medium Martii nostri, aut potiùs circa finem Martii, cùm æquinoctium in calendario nostro in continuo motu sit, nec sedem habeat. Illo autem mense in Terra sancta incipit messis, resolvunturque tunc propter æstivales calores montium nives in aquas; unde Jordanis inundare incipit. Quòd autem hæc trajectio fuerit in Martio colligitur ex sequenti capite, & deinde ex Hebræis, qui constanter asserunt, Mosen mortuum 7 die mensis Adar, dicúntque se id habere ex Cabala; & hinc numerant 30 dies luctûs Mosi, qui desinent in 7 diem Nisan: quibus si addantur tres præparationis dies, habentur 10 dies Nisan. Sunt tamen quidam qui volunt Mosen mortuum in Schebat; sed quibus doctiores RR. non subscribunt. Cæterùm narrantur hìc duo magna miracula: 1. Quòd aquæ Jordanis cursum suum tenebant usque ad locum transitûs Judæorum, & illuc ascendebant in magnum acervum, veluti terminum illum transgredi non audentes; 2. Quòd aquæ sic conglobatæ non inundaverunt civitatem in propinquo sitam, quæ *Adam* vocabatur, sed deflectebant in latus aliud.

17. *Præparati*] i. Heb. הכן infinitivus, sed qui capitur pro מוכנים *parati.*

VATABLUS.

1. *ET profecti sunt, &c.* וישכו וגו Asserunt Hebr. Mosen mortuum fuisse 7. die Februarii & 7. Martii sequentis, nempe sub finem 30. dierum luctûs, Dominum allocutum Josue, & eodem die promulgationem factam populo de parandis cibis: Quintâ verò die ejusdem missos fuisse exploratores, & octavâ ipsos reversos fuisse; nonâ autem die filios Israel profectos à Sittim, & devenisse ad ripas Jordanis; ac decimâ illos transivisse Jordanem ipsum.

2. *A fine trium dierum,* מקצה שלשת ימים] A promulgatione scilicet de parandis cibis.

4. *In mensura:* במדה] *Ad mensuram,* sub. *sacram,* vel *regiam.* ¶ *Ne appropinquetis ei,* אל תקרבו אליו] Ne

Ne accedatis propiùs ad eam. Prohibet Dominus ut non nimiùm vel accedant, vel recedant ab Arca; ut ad montem Sinai non permittebantur accedere, nec longiùs recedere: ut scilicet ubique Domino debitum honorem exhibeant. ¶ *Ut cognoscatis viam*, למען אשר תדעו את הדרך] Sub. quâ ire possitis adorationem ante Arcam in Sabbatho, ut sit vobis iter apertum, & non impeditum tentoriis. Si enim propiùs accessissent, via non fuisset aperta, sed occupata, ut non facilè dignosci posset. ¶ *Ab heri & nudiustertius*, מתמול שלשום] i. Non ambulastis antea per hujusmodi profectiones, sive per hanc viam.

5. *Præparate vos*, התקדשו] *Expiate vos, sanctificamini, date operam sanctitati.*

6. *His verbis*, לאמור] Ad verb. *dicendo.*

7. *Dixerat autem*, ויאמר] Antequam scilicet Josue alloqueretur Sacerdotes. ¶ *Ut sciant*, אשר ידעון] Hic אשר pro למען positum. ¶ *Fui cum Mose*, &c. הייתי עם וגו׳] i. Adfui Mosi, ità adero tibi. Doctus inter Hebræos exponit, *Sicut divisi Mare rubrum ante Mosen, sic dividam Jordanem ante te, atque hâc re scient quòd ero tecum sicut fui cum Mose.* Vide cap. 4. 23.

8. *Usque ad extremum aquæ*, &c. עד קצה מי הירדן] i. Cùm perveneritis ad ulteriorem ripam Jordanis, in Jordane, h. e. in alveo Jordanis jam siccato, consistatis donec populus transierit in ulteriorem ripam.

10. *Dixit præterea*, ויאמר יהושע] Ad verb. *Et dixit Jehosua.* ¶ *In hoc*, בזאת] i. Hâc ratione, sive hoc pacto.

11. *Transibit*, עובר] Præs. Heb. pro fut. i. commonstrabit vobis viam.

12. *Singulos viros*, &c. איש אחד איש אחד לשבט] Ad verb. *virum unum, virum unum de tribu*, i. singulos viros de singulis tribubus.

13. *Cùm autem quieverint*, והיה כנוח] Ad verb. *Et erit, cùm quieverint*, i. cœperint quiescere, h. e. figentur. ¶ *Intercidentur*: יכרתון] *Dissecabuntur.* ¶ *Descendentes*, היורדים] i. Quæ antea defluebant superné. ¶ *Consistent*, &c. ויעמדו וגו׳] i. Assurgentes intumescent instar montis, & sic v. 16.

14. *Ante populum*, לפני העם] i. Præcedebant populum.

15. *Intincti fuerunt*, &c. נטבלו בקצה המים] i. Cœperunt tingi in extremitate aquarum, sive in primis aquis. ¶ *Erat plenus*, מלא] q. d. Erat maximus, quamvis essent dies messis, neque poterat capi alveo suo, sed replebat omnes ripas suas: quod miraculo erat, flumen in æstate non capi suo alveo.

16. *Procul*, הרחק] *Remota, recedentes.* ¶ *Mare salis*, ים המלח] *Mare salsum*, dicitur & *Mortuum mare.* Per appositionem *Mare solitudinis*, i. campestrium Jericho, vocat *Mare salsum.* Dicit totum alveum ab eo loco usque ad Mare mortuum siccatum fuisse.

17. *Preparati*, הכן] i. Pede fixo, aut de industria. Infinitivus est Heb. pro participio passivo, ut admonet doctus inter Hebræos. ¶ *Per siccum*, בחרבה] *In arida*, i. in alveo sicco.

CLARIUS.

4. Ne *appropinquetis ad arcam*] Prohibet Dominus, ut non nimiùm vel accedant vel recedant ab Arca; sicut & ad montem Sinai non permittuntur accedere, nec longiùs recedere; ut ubique scilicet Domino debitum exhibeant honorem, & nihilominus ab illo se sciant pendere, qui ductor eorum fuit per Jordanem, sicut & per mare Rubrum.

5. *Sanctificamini*] h. e. Sitis parati, nequid vos impediat à transitu Jordanis.

12. *Parate duodecim viros*] Qui scilicet præparati expectent imperium meum. Jubentur enim infrà portare lapides de Jordanis alveo.

15. *Tempore messis*] Transierunt Hebræi Jordanem 10. die mensis Nisan, quando in illa terra incipit messis, resolvunturque tunc propter æstivos calores montium nives in aquas, unde Jordanis inundare incipit. Et narrantur hîc duo magna miracula; 1. Quod aquæ Jordanis cursum suum tenebant usque ad locum transitus Judæorum, & illic ascendebant in magnum acervum, veluti terminum illum transgredi non audentes: 2. Quòd aquæ sic conglobatæ non inundaverunt civitatem in propinquo sitam, quæ *Adam* vocabatur, sed deflectebant in latus aliud.

16. *Steterunt aquæ*] In transitu Jordanis pars aquæ stetit, pars in mare lapsa est, nam baptizatorum pars perseverat in fide, pars recedit.

MASIUS.

1. I*Gitur Josua resurrexit diluculo*, &c.] Ex hujus versiculi parte postremâ apparet, noctem modò unam esse transactam apud Jordanem ante trajectionem. Nam Latinus quod ipse sentiret, non quod esset in Hebræo, expressisse videtur. Fuit ergò, ut ego certè opinor, dies iste 9. mensis Nisan, finis primi, h. e. illius nuper præfiniti tridui postremus; cujus dubiâ adhuc luce cùm surrexisset Imperator, castra è Sittim promovit ad Jordanem, 60. stadiorum spatio, teste Josepho, ut postridie, i. finito triduo illo, populum omnem transponeret in Chananæam. Existimant quidem RR. D. K. & Levi F. Gersonis, exploratores pridie hujus diei, h. e. 8. die Nisan, revenisse ad Imperatorem, perceptáque exposuisse; & his animatum eum surrexisse postridie bene manè; nimirum quia ipsa narrationis series, si capitis superioris postremos duos spectes versiculos, hunc sensum præ se ferre videtur. Verùm, ut antè est à nobis explicatum, atque etiam Josephi testimonio comprobatum, nihil vetat dicere illos antè reversos fuisse quàm Imperator per suos apparitores populum trajectionis præmoneret ad triduum, atque cum Rubenitis, Gaditis & Manassensibus seorsim de trajiciendo unà cum fratribus ageret, c. 1. 11. Sed sunt ista prolixè à nobis disputata capite superiore. Cur autem illud בבקר *diluculo* interpretatus sit Latinus *de nocte*, non satis intelligo. Certum est enim בקר significare, sed *primam diei*, à בקר *quærendi* verbo, ut volunt Hebræi, sicut ערב *extremam*, atq. à vicina nocte *caliginosam*. Significat ergò illud non *noctem*, sed *matutinum crepusculum*; ut hoc *vespertinum*: Quibus duobus temporibus, illo quidem domo prodeundum esse, hoc verò domum revertendum, monent veteres Hebræi in Commentario Mechilta, multis ex Sacra historia propositis exemplis: Adduntque illud, וישכם בבקר, h. e. *Et surrexit diluculo*, quia de Patriarchis Prophetisque, Abrahamo, Jacobo, Mose, Josua, Samuele, aliis sanctis viris scriptum exstat, qui actiones suas omnes secundùm Dei voluntatem instituerunt, confici argumento à minore ad majus, reliquis mortalibus idem esse faciendum; & talium virorum exemplo suum quemque torporem ad virtutum officia obeunda debere discutere, præsertim qui publicæ rei procurationem habent. Sic illi. Certè mirificam illis verbis proponi nobis Josuæ vigilantiam, dubium non est; atque ostendi, magis eum actuosâ quàm imperiosâ solicitudine populares in officio continuisse, neque minus exemplo quàm jussibus Imperatorem egisse. Surrexit ergò ipse diluculo, ut nemini suorum excusationem ignaviæ ullam faceret reliquam. Quippe Imperator præstantissimus somno utebatur non ad corporis voluptatem, sed ad naturæ necessitatem, cuique non parebat ipse, sed per vitæ actiones imperabat. Dispiciebat enim nocte quæ facto opus forent cùm dies esset; suósque non mollitie sed tolerantiâ excellebat. ¶ Porrò illud, *Ibi pernoctarunt*, posset quidem etiam reddi, *ibi manserunt*. Sic enim sunt interpretati LXXII. Nam verbum לין ferè illud est quod Græci *καλάλυω* dicunt; verùm quia est ubi præcisè pro *pernoctare* positum est in Sacris literis, & hîc unius modò noctis moram significare videntur illa quæ adduntur verba, *priùs quàm trajicerent*, volui ego *pernoctandi* verbo hanc sententiam repræsentare. Moneo autem ista ut intelligat lector, Latini

Latini translationem, etsi is de suo *tridui* mentionem addiderit, non temere quasi absurdam prorsus esse repudiandam; quod quidam gloriosi ostentatores nimis libenter & temere facere solent, ut Hebraicè scire videantur. Finitum jam quidem erat, inquit Levi Gersonis, illud triduum, incipiente istâ nocte, quæ ad diem mensis decimum cùm pertineret, præstituta videri poterat trajectioni: verùm lucem esse exspectatam, inquit, monent nos ista verba, *Et ibi pernoctarunt prius quàm trajicerent.* Cur autem in lucem dilata sit trajectio, has fere affert causas: Ut hoc tam insigne trajiciendi miraculum ab omnibus, tam Hebræis quàm hostibus, clarè perspectum exploratúmque fieret; & illis quidem religionem pietatémque majorem adversùs Deum, & reverentiam erga suum Ducem Josuam, his verò pavorem vehementiorem incuteret: Tum ut vel unam noctem haberet populus ad expiandum sanctitatis cultu quodam Divinum Numen, pro felici trajectione, bellíque auspicio: Denique, ut ipsâ hâc expiatione permoti omnium animi attentiores essent ad considerandum expendendúmque quod factum ibatur miraculum. Hæc ille. Sanè si per tenebras transpositus in Chananæam fuisset populus, præterquàm quòd nemini satis perspecta fuisset siccati fluminis ratio, & consistens aquarũ incredibilis moles, illa quasi furtiva & præ hostis metu tenebris tecta trajectio non dubium quin plurimorum animos consternasset. Semel autem in motu metûs posita multitudo mirum quàm difficiliter sedetur confirmetúrque rursus.

2, 3. *Post finem verò tridui transibant monitores,* &c.] Latinus de eo triduo dici ista existimavit quod post mota à Sittim castra ad ripam fluminis sit tritum: nos verò, qui putamus hîc unius modò noctis moram ad trajiciendum esse interpositam, dicimus de illo agi triduo cujus facta mentio est v. 11. superioris capitis, de quo satis prolixè disputatum à nobis illic est, ut & de verbo שטרים, quod interpretamur *monitores*. Cæterùm narrationis ordo admodum perturbatus, meo certè judicio, est hoc loco. Nam est vero simillimum, quæ à v. 7. ad 14. usque narrantur, ea omnia esse acta priùs quàm ista edicta quæ v. 3. & 4. continent promulgarentur. Dico credibile esse, Josuam primùm à Deo certiorem esse factum de transmittendi fluminis ratione, id quod v. 7. & 8. explicatur; deinde verò ipsam, quam à Deo acceperat trajectûs rationem, eam populo patefecisse, ut memorare videntur, v. 9. 10. 11. 12. & 13. ac tum demum esse populo edictum, ut simul atq; viderent præferri sibi Arcam, sequerentur, ut habet v. 3. & 4. moxque jussos esse Sacerdotes, sublatâ arcâ, præire populo, quod v. 6. narrat; atque deinceps eam succedere narrationem quæ v. 14. inchoatur. Nam quintum versiculum non ad hunc 10. diem mensis Nisan, quo trajicitur in Chananæam, sed ad nonum, h. e. hesternum, pertinere, ipsis Sacris verbis explicata res est. Si quis tamen contendat, neque Sacerdotibus præituris, neque subsecuturo populo, imò verò nè Imperatori quidem ipsi, nisi tum demum ubi omnes ad trajiciendum in procinctu constitissent, patefactum à Deo esse inusitatum illum quo transituri essent modum, sed exspectatione mirandi eventus in tanta omnium rerum non difficultate modò sed plana desperatione, si res humanas spectes, suspensos omnium simul animos, solâ Dei fiduciâ sese sustentasse & promissis, equidem non repugnabo, sed vehementer laudabo præclaram fidei constantiam in populo, præut fuerat majorum ejus dira atque adeò detestabilis diffidentia sub Mose. Eam enim fidem esse sanctissimam quæ prodigiosissima est, quæque verbis Dei habetur iis quæ quod prorsus fieri non posse videntur, id tamen aut fieri, aut fore posse dicunt, & ipsa nostra salus Jesus Christus docuit cùm ambiguam Thomæ fidem castigaret, Joan. 20. 29. & D. Paulus; ut memorabile illud Abrahæ aliorúmque sanctissimorum hominum exempla omittam. Atque utinam hoc nostro seculo nulli infinitam Dei potentiam cum eo quod ipsis sua dictat humana ratiocinatio contenderent, neq; nimiò plus quàm oportuit curiosè inquirerent, quî fieri possint ea quæ ipse Dei Filius fieri disertè atque explicatè pronuntiavit; imò verò scelerata audaciâ fieri ea posse negarent. Sed revocetur oratio ad Sacra verba, unde huc declinavit. ¶ *Arcam* vocari *fœderis* certum est à lapideis duabus tabulis Dei digito scriptis, quæ fœdus quo sibi ille populum apud montem Sinæum obligarat continebant: eæ enim tabulæ in illa capsa servabantur. Et quia hoc fœdus interdum appellatur *testimonium*, h. e. עדות, quippe quod testificationem voluntatis Divinæ sempiternam contineat, ipsa etiam Arca *testimonii arca* est nominata sæpe. ¶ Cæterùm epitheta illa, *Domini Dei vestri*, ideo adjecta sunt ut venerationem Arca majorem habeat apud populum, eóque lubentiùs is illam sequatur. Est enim ac si Deum ipsum præsentem viámque aperientem ostendat; quippe ille ex hoc suo sacrario tam perspicuè suam sæpe præsentiam Israelitis declarare solebat, ut viri sanctissimi ipsam capsam, quasi Deum, affari non dubitaverint. Sicut Moses cùm nunc promovendam alloquitur his verbis, Num. 10. 35. *Surge, Jehova*, h. e. Domine Deus, *& dispergantur hostes tui*, nunc reponendam istis, *Revertere, Jehova ad myriadas millium Israelis.* Sicut David, cum piis votis optans illam aliquando in sacram aliquam ædem inferri, nominat *Regem gloriosum, Deum fortem, Deum validum, Deum Zabaoth*, Psal. 24. Non illi quidem, quasi à simulacrorum cultu non essent alienissimi. Nè eos quoque tanti criminis insimulent nostri εἰκονοκλάσαι, sed ut præsentissimum Dei Numen significarent apud Arcam esse, eâque re populi animis religionem offerrent majorem; Qui cùm Deum in solo versari cœlo facilè statuit, ibíque tanquam otiosum obambulare, nec per tantum intervallum, & quasi *ex caligine*, ut ait Job 22. 13. judicare res humanas, aut etiam cernere, neque ullam ad illum pietatem adhibet, neque aliquâ religione à quovis scelere atque maleficio impeditur. Sed cur ad capsam illam voluerit Deus à superiore illa Ecclesia præstò semper esse existimari magis quàm aliis in locis quibusvis, non obscuræ sunt rationes: Primùm, enim volebat ipsius fœderis à se scripti custos videri, quod in illa servabatur. Magnam enim auctoritatem & pondus id ei legi adjungebat, cujus observationi perpetuam Israelitas dare operam jusserat. Ad hoc, cùm mirifica semper esset Hebræorum propensio ad idolorum cultum, more cæterarum nationum, instituit ille hoc veluti sanctum illis fanum, apud quod externo, ut vocant, cultu, religionem exercerent, & Divinam potentiam præsentissimam experirentur. Unde est illud Mosis, Deut. 4. 7. *Quæ enim gens ulla magna est, quæ habeat Deos sibi tam præsentes quàm est Dominus Deus noster* nobis *quoties ipsum invocamus?* Itaque hâc veluti sacrâ suâ æde populum electum prorsus à gentium cæterarum omnium multifariæ & nefariæ religionis communione secrevit avertitque; & simul ut nè ipse inter se diversis colendi Dei ritibus scinderetur, sed unitèr eandem religionem retineret colerétque, effecit; cùm ad hoc unicum sacrarium, è quo solo, tanquam suo operto, responsa dare, & potentiæ suæ signa potissimùm patefacere volebat, omnium spem bonam quasi affixam retineret: non quidem tanquam Arca ipsa aut beneficii aut damni dandi facultate polleret, aut per se venerationem illam ipsa haberet, cùm ex qua esset composita materie testatum consignatúmque antè Sacris literis esset; sed ut se Deum, tanquam qui inibi præstò semper esset, illic præcipuè adirent; illic cultus, honores, preces ipsi ritè adhiberent. Habet enim profectò mortalium animus, tantisper dum hoc terrenum corpus ei cœlestium rerum veluti caliginem offundit, opus illiusce modi aspectabilibus adminiculis & ceremoniis externi, ut appellant, cultûs, quibus subinde admonitus atque etiam adjutus se & faciliùs & studio majore in cœlum vertat, atque vel ipsâ permotus pompâ Dei verbum & sacramenta majore cum reverentia observet, penitúsque in ea suam aciem intendat. Denique, quia in priore illa Mosaica Ecclesia, quæ agebantur, pleraque omnia typi erant, eáque adumbrabant quæ in hac Christiana sunt deinde re ipsâ expressa, ideo benignissimus Deus suæ Divinitatis præsentiam luculentissimam in illa voluit patefacere capsa, ut eâ re nobis personam unigeniti Filii sui Jesu Christi, quam culturi essemus novâ lege, quadamtenus

tenus repræsentaret. *In hac enim habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ut ait D. Paulus Col.2.9. Hæc de Arca eò sum persecutus hoc loco longiùs, quia crebra ejus erit mentio. Cæterùm accuratissimam ejus fabricationem explicavit Moses in Exodo, c. 25. unde peti facilè potest. ¶ Quod sequitur in ordine Sacrorum verborum, *& sacerdotes Levitas*, ut LXXII, ità & Chaldæus copulâ interpositâ legit, *& sacerdotes, & Levitas*; verùm haud rectè, ni fallor. Hærent enim inter se illa nomina eâ verborum compositione quam Grammatici Appositionem vocant: rectéque expressit sententiam Latinus, cùm diceret, *Sacerdotes stirpis Leviticæ*. Erant quidem Sacerdotes nulli nisi Levitæ: Verùm quadragies quinquies modò in S. Scriptura hoc adjectivo esse appellatos Sacerdotes observatum est in libro quem בראשית רבה *Genesin magnam* vocari diximus. Fuerat quidem Cahatitis hoc munus assignatum, ut Arcam bajularent, Num.4.15. & 10.21. ii verò non erant Sacerdotes, sed Levitæ solùm. Verùm propter miraculi magnificentiam & pompam quod fact[illegible]batur, non Cahatitis, sed Aharonitis, h.e. Sacerdotibus, hoc jam onus imponitur, quod ter omnino esse diversis locis temporibúsque factum, annotarunt Talmudici in משנה *Suta*, פ׳ ז׳ dum de uxore ad alienum virum divertente disceptant; hîc, & in oppugnanda Jerichunte, & in reportanda à Davide, Absalonem fugiente, in Urbem Arca. Sed R.D.K. quartum addit, quando in exædificatam & jam dedicandam ædem Solomonis illa inferebatur è civitate Davidis. ¶ Illud porrò, *Sequemini ipsam*, non satis considerate Latinus videtur interpretatus esse, *Sequimini præcedentes*. Non enim Sacerdotes sed Arcam sequi jubetur populus; nimirum quæ, ut dixi, Christum adumbrabat. Quanquam enim Sacerdotes sint administri verbi, & sacrorum Dei mysteriorum interpretes, tamen haudquaquam in illos ipsos, sed in munus quod sustinent, est nobis intendendus animus. Cæterùm Talmudici, quo nuper dicebā loco, observarunt etiam, longè diversum in promovendo exercitu ordinem nunc atque antè institui. Nam adhuc, vivo certè Mose, columna nubis de die, ignis de nocte, itineris duces fuere populo. Arca verò mediam occupavit aciem, in locum recepta tutissimum: at nunc, imperante Josua, hæc, nube remotâ, omnibus præit; nempe non jam oberrantibus per invium, senticosum, inhospitale desertum, sed rectà se in promissam patriam inferentibus. Postquam enim populus Dei (ut paucis eam quæ se ipsa offert ἀναγωγὴν explicem) diu multúmque in horrida duris præceptis Lege Mosaica oberrasset, neque ad caliginosum & fumo multo mixtum illud nubis lumen quod sacri Vates subinde præferebant, satis certam salutis viam, quâ in cœlestem patriam evaderet, invenire potuisset, tandem vera illa Arca Jehovæ, h. e. Jesus Christus, & homo & Deus, discussâ caligine, populum suum ipse ducere, atque iter certissimum per Baptismi sacri Jordanem non solùm commonstrare sed facere dignatus est. Meminerimus igitur, hanc nos quoque Arcam perpetuis animi nostri oculis observare, & vitæ actione quoad certè possumus, sequi debere; neque fas esse ut aliò spectemus, aut alia ad beatissimam illam terram compendia, vel alios duces, quæramus. Nam simul atque illa nostræ mentis obtutum non ampliùs rexerit, in summa viæ vitæ ignoratione ut versemur necesse est; verendúmque nè mox rapidis aquarum verticibus, h. e. hujus mundi procellis, implicati, prono cursu in mare Mortuum deferamur. Sed ista hactenus. Mandatur ergò in summa hoc versiculo, ut populus omnis, cùm viderit Arcam à Sacerdotibus è mediis castris, ubi quiescebat, auferri, atque gestari ad flumen versus, relictis illico tuguriis, se quisque ad iter comparet, illámque suo ordine locóque sequatur; nemo verò præcedat, ut antè fieri solebat per desertum, cùm divisæ tribus, aliæ præire, subsequi aliæ jussæ essent, ut scriptum est in Numeris, c. 10.

4. *Sed esto intervallum inter vos & inter illam*, &c.] Unica erat populo illi Hebræo transeundi in Terram promissam ratio, si eam tenerent viam quam sacra Arca ostendisset, quámque ipsa illis aperuisset & præivisset. Nobis quoq; una sola ratio constat in cœlestem patriam nostram evadendi, si Arcæ nostræ Jesu Christi, *in quo habitat absoluta Divinitas corporaliter*, ut ait Paulus Col.2.9. insistamus. Frustrà illi, nec sine certo suo exitio, vel propriâ natandi peritiâ, vel portitoris alicujus operâ freti, transmittere flumen fuissent conati: Frustrà nos, & perniciosè, vel nostræ vel aliorum hominum justitiæ plus quàm oportuit confidentes, Rom.10.3. neque unius Christi justitiæ omni fiduciâ pertinaciter inhærentes, hujus vitæ undis superatis, in beatam illam viventium terram evadere studebimus. Illos Imperatoris edictum longo intervallo à præeunte Arca se jungebat; Nos nostræ carnis infirmitas multò longiùs abesse à Christi vestigiis, quæ sequimur, facit. Sed ista hactenus. ¶ Ad Sacra verba quod attinet, videtur hoc præscripsisse Imperator *duorum circiter millium cubitorum intervallum*, ut nè quis se in fluminis alveum inferret priùs quàm Arca ad ripam usque adversam per medium fluvium tralata vadum universum, quà futurus erat transitus, exsiccasset, itérque patefactum oculis omnium subjecisset, nè quis temerè aliâ contenderet. Hoc enim, præterquam quòd omnium animos à viæ rectæ liberabat errore, ipsis etiam miraculum istud maximum, quod omnibus fiduciam certissimam de præsentia atque potentia Dei afferre debebat, evidentius perspicuúmque magis faciebat, cùm ante oculos aquas superiores incredibili mole pedetentim suspendi, quatenus Sacerdotum humeris portata progrediebatur in alveo Arca, inferiores verò continuò delabi vadúmque siccum relinquere viderent, priùs quàm aliorum hominum quisquam aut pedem intulisset aut machinam ullam admovisset. Nam circiter duorum millium cubitorum spatio patuisse tunc redundantis fluminis latitudinem, bona conjectura etiam ex eorum hominum relatione qui nostro seculo illa loca videre potest capi. Cæterùm de eo agi intervallo potissimùm quo Arca in ipso alveo eos præcessisse debebat qui ex ordine proximi subsequebantur, est à R. D. K. rectè annotatum; atque ipsa quoque dictat castrorum ratio, quæ in fluminis jam ripa facta cùm essent, Arcam non nisi trans flumen sequi potuerunt. Sed enim non fuerit fortasse insulsum planè atque ineptum dicere, *Circiter bis mille cubita*, quæ præstituuntur à Josua, adumbrare annos circiter bis mille, quorū intervallo ille tum populus à vera Divinitatis Arca Jesu Christo aberat. Sed ad institutū. ¶ Literam כ Caph in verbo כאלפים nos *circiter* sumus interpretati. LXXII & Latinus quasi certam definiat mensurā accepisse videntur, sed illa ejus magis propria notio est: Et probabile est, non tam definitè spatium illud præscribi potuisse, quod oculorum modò conjecturâ non cubitis erat metiendum. ¶ Cæterùm illud במדה, *In mensura*, videntur & LXXII & Latinus, ut supervacaneum, præteriisse; nisi illos ejus loco legisse putemus עמדו, cùm reddant στῆτε, quanquam fieri certè potest ut hoc de suo addiderint, ut sæpe alia solent, rerum explicandarum gratiâ. ¶ Equidem facere non possum ut hîc non prodam veterum Hebræorum commentationem, quam ipsis injecit demonstrationis pronomen in verbo בינו per vocalem eam quæ pluralis est numeri scriptum. Quod enim nos convertimus *inter illam*, si pronominis vocalem inspicias, dicendum erit *inter illas*. Commentati sunt igitur illi duas fuisse arcas unà incedentes, alteram *Divinitatis*, alteram *Josephi*. Equidem putarem *Josephi arcam* hîc vocari ab eis loculos quibus condita Josephi ossa ex Ægypto asportabantur in Chananæam, ut in Sacræ istius historiæ extremo dicetur. Verùm quia non solùm stultitia sed etiam impietas fuerit, eos loculos ex æquo cum Dei sacrario, h.e. *Divinitatis Arca*, ut illi appellant, incedentes facere, suspicor commentum hoc illi geminum planè esse, quo duos Messias fecere, Davidis filium victoriosum alterum, alterum Josephi occidendum ab hoste; Nimirum vel imprudentes ex Sacris literis docti, Messiam & Deum & hominem fore. Diximus enim, sacram Arcam Christi prorsus typum fuisse: Eum autem Josephi esse filium existimabant Judæi, Talm. סוכה h.e. *De festo Tabern*. c.5. Et Galatinus de arc. cath. verit. l.4.c.2. Cæterùm vetus traditio quā מסרת appellant, bis omnino in universa Scriptura S. verbum hoc בינו literis quidē quæ numerū singularem, sed vocalibus quæ pluralem

præ

præ se ferunt, esse scriptum prodidit: Id quod in aliis quoque verbis sæpe factum in S. historia videmus cùm de Deo agitur: ut apud Hoseam 12.15. וחרפתו ישיב לו אדוניו, *Et contumeliam ipsius reddet ipsi Domini sui*, pro *Dominus suus*, ut apud Isaiam 44.2. כה אמר יהוה עשך, *Sic ait Jehova effectores tui*, pro *effector tuus*. Ut apud eundem 54.5. כי בעליך עשיך, *Quia heri tui factores tui*, pro *herus tuus factor tuus*. Sed sunt hujusmodi tam multa ut supervacaneum sit omnia persequi. Quæ ego haud temere sic esse scripta arbitror, quando nullus apex frustrà positus est in Divinis literis, sed partim ad Sacrosanctam Trinitatem, alia ad duplicem Christi naturam spectare. ¶ Sequitur in ordine verborum, *Ut sciatis viam eam quâ estis ituri*. Nimirum longo promissæ Terræ desiderio incensi omnes & incitati, studio admirabili alius alium antevertere conati fuissent, ægréque passi Sacerdotes decoro incessu cum Arca præcedere. Nunc autem patefactam antè viam & perspicuè videre & ex ordine tenere omnes potuerunt. ¶ Illud porrò, *Ab heri & nudiustertius*, idem est ac si dicas, *pridem*, aut *nuper*. Chaldæus plerumque convertit, *ab heri & antè*. Planè nimirum est Græco illi Homerico geminum, χθιζά τε καὶ πρωΐζα, quo vates utitur de plurium etiam annorum tempore, cùm Iliad. 2. χθιζά τε καὶ πρωΐζ', ὅτ' ἐς Αὐλίδα νῆες Ἀχαιῶν Ἠγερέθοντο. Jam tum enim novem circiter annos circumsederant Trojam Græci cùm ea verba faceret Ulysses. Et nescio an non alludant ista nostra verba ad illud iter quod per exsiccatum mare Rubrum fecerant Israelitæ ante annos XL q.d. Neque enim per exsiccata Divinitus aquarum vada nuper ambulastis. Multi enim etiamnum superstites erant qui mare illud transierant. Nam pernicies illa & labes ex rebellio nata ad eos non pertinuit qui minores annis XX erant, neque, ut multorum est opinio, ad Levitas.

5. *Dixerat autem Josua ad populum, Expiate vos*. &c.] Monebamus nuper, ista ad diem IX mensis Nisan pertinere, quo die populum Imperator, motis castris è Sittim, ad Jordanem duxerat: Ideóque reddidi verbum per præteritum, ut vocant, plusquam perfectum. Memorantur autem ista hoc loco, ut intelligamus ad hanc trajectionem Israelitas purè, castè, religiosè processisse. Nam ut hoc admirandum Dei opus interrupti fluminis apud eos eorúmque posteros in perpetuum justam haberet & reverentiam & celebritatem, necesse erat illiusmodi expiatione atque apparatione sanctimoniæ omnium animos ad religiosam mirationem antè informari. Admiratio enim quò est vehementior, eò majora diuturnioráque rerum quas admiramur vestigia animis nostris imprimit. Nam quæ res simpliciter & usitatè ac minimè insignitè fiunt, geruntúrque ità ut in ipsis mens nullâ cogitatione insistat aut moretur, earum rerum aut nullam retinemus memoriam, aut certè non diuturnam. Pridie igitur quàm trajiciendum esset edixerat Imperator ut quisque per sanctitatis exercitium sese *expiaret, quia Deus esset postridie facturus rem admirabilem*. Nimirum ut dum animos suos variis cogitationibus insitatæ trajectionis, quam exspectabant, pertrectarent, ipsos quàm maximè acuerent atque intentissimos efficerent ad Dei machinationem percipiendam, & perceptam æternâ deinde memoriâ conservandam. Præterea, ut eâ novi & insignis miraculi solicitâ exspectatione & meditatione mentes ipsorum majore adversus Deum religione tangerentur, dum secum ipsi reputarent illius immensam & insuperabilem potentiam facultatémque suos juvandi vindicandíque, & omnino mortalium res omnes Divino suo imperio moderandi. Talium enim rerum persuasio fidei species est, quæ animos hominum, ut sic dicam, sanctificat, comparátque ut in ipsos caritas Dei per Spiritum S. infundatur, atque inde bonis operibus fœcundi fiant illi, & Dei sociorúmque suorum amantes. Quapropter neque inepta est Chaldæi sententia, qui ut alibi ità hîc verbum התקדשו interpretatus est, *Comparate vos*, nimirum ad trajectionem, per operum & potentiæ Dei piam religiosámque meditationem. Atque hæ, ut ego certè existimo, sunt causæ, cur dum magni quippiam & inusitati patratum aut à Deo, aut coram Deo, itur, sanctitas atque expiatio ferè edicatur populo; quibus hæc vel præcipua rectè addatur; Cùm ipsa nos nostra vitiosa natura quotidie peccatis sordidet, admonendi sumus ut culpas nostras vitæ sanctimoniâ expiemus. præsertim quoties rebus Divinis danda nobis opera est. Earum enim capax animus, nisi purus sanctúsque, esse non potest. Loquitur quidem lex vetus, ut videtur, de corporis castimonia modò. Sed hoc intelligi oportet, cùm multum animus corpori præstet, observetúrque ut casto corpore ad Deum adeatur, multò esse in animis id servandum magis. Nam corporis labes vel aspersione aquæ, vel tempore tollitur, animi verò nec diuturnitate vanescit, nec manibus eluî potest. Cæterùm istas expiationes aut, ut vocant, sanctificationes credibile est iis modis fieri consuevisse qui in Exodo præscribebantur c.19.10,15. cùm legem suam promulgatum iret è monte Sinæo Deus, h. e. vestis lotione, & secubitu. Nam in sacræ aquæ aspersione, qui ritus alibi sancitus est Num.19. certo dierum spatio est opus, hic autem una sola nox interponi ad trajiciendum potuit. Vestis autem lotio ea procul dubio apertè satis significabat universum animi habitum & cultum debere purum esse ejus qui coram Deo vellet apparere; Secubitus verò, res sacras & Divinas esse ejusmodi ut totum sibi hominis animum mancipatum atque in se defixum esse postulent. Sunt quidem qui Chaldæi, quam dixi, tralationem non ad religionem spectare putent, sed ad vasorum collectionem, ut trajecturi parata expeditáque omnia habeant. Atqui hunc sensum apertè refellit quæ subjungitur expiationis causa, nempe rei gerendæ magnitudo & admirabilitas, non autem ipsa trajectio. Porrò an ista ad populum cùm promulgaret Imperator, simul admirabilem illum futuræ trajectionis modum ipsis significarit, aut etiam ipse noverit, non satis certa res est. Nos autem suprà nonnihil de illo disseruimus; & plura dicendi locus erit ad ver. 7.

6. *Ait itaque Josua ad Sacerdotes dicens, Tollite arcam*, &c.] Diximus nuper, videri nobis hunc versiculum hærere versiculo quarto, narrationis filo. Nempe cùm monitus esset populus Arcam observare, quam essent prælaturi Sacerdotes, tum hi jussi sunt eam tollere, populóque præire. Hanc ergò narrationis consequentiam ut aliquâ ratione declararem, reddidi copulam per causalem voculam *Itaque*. Cæterùm populo præire se debere monendi ideo erant Sacerdotes, quòd adhuc in medio agmine processerint. Consuetus enim ordo, ut dixi, jam mutatur; Cùm nisi Deo præeunte, qui solus hanc viam potest mortalibus aperire, nemo omnium in beatam illam terram penetrare possit. Sed enim magnam profectò & admirabilem fuisse Sacerdotum fidem, quam Deo habebant, necesse est qui nihil cunctantes aut tergiversantes, Dei potentiâ & promissis freti, intrepidè se ad vastum plenissimóque alveo redundantem fluvium conferunt cum Arca, pedésque in aquas inferunt; quæ tum demum cedere cœperunt, cùm essent calcatæ. Sed de his mox plura. ¶ Illud, *Et præcedebant populum*, sic est accipiendum, quòd Arcam è mediis castris protulerint ad Jordanis ripam, aquásque primi pedibus attigerint, & transmiserint alveum. Neque enim potuit ab illis duci populus versùs flumen, cùm castra pridie ad ipsum flumen posita fuisse suprà dictum sit. Sed non levis quæstio, neque ab his temporibus aliena, moveri hoc loco potest. Quo jure Josua, cùm Sacerdos non esset, sed populi Imperator, Sacerdotibus imperaverit ut Arcam populo præferrent, ut in Jordane insisterent, ut ex alveo in terram denique ascenderent. Contrà enim, ritus isti sacri à Sacerdotibus instituti debuisse videntur. Et cùm horum tantò præcellentior sit dignitas Imperatoris dignitate quantò præstantius est munus Divinarum rerum quàm humanarum procuratio functióque, eorum ipsum jussa exspectare & capessere, non illis jubere, æquum fuisse meritò existimet aliquis. Sed nos ista longiùs persequi quàm præsentis loci ratio postulat non constituimus, tum quia ab illiusmodi argumentis prolixè tractandis abstinere semel nobis est decretum, tum quòd nostræ non esse mediocritatis agnoscimus

ut

ut in talibus concertationum plenissimis disputationibus judices in partem alterutram sedeamus. Igitur quod ad præsens Josuæ in Sacerdotes imperium attinet, aperta res est, non tam Josuæ id esse quàm ipsius Dei, cujus diserta jussa, ut versiculus octavus patefaciet, ille hic exsequitur. Nefas enim profectò alioqui fuisset, eam quæ antè à Deo fuerat portandæ Arcæ præscripta ratio ipsum suâ auctoritate mutare; aut etiam in ea ceremonia, cujus nullum erat ad remp. rectè gerendam, quam ille habebat procurationem, momentum, quippiam Sacerdotibus præscribere quod non esset expresso Dei verbo aut sacrosanctæ Ecclesiæ bono usui consentaneum. At verò, si Sacerdotes vel sacris legibus vel usu sancitum approbatúmque colendi Dei ritum & sacra aut negligenter aut non ritè conficiant, aut etiam violent, aut denique improbis actionibus reip. statum conturbent lædántve, non alienum esse à profani Principis munere ipsos sui officii admonere, atque etiam, si opus sit, ab eo quod improbè faciunt suo imperio refrænare, videtur Sacrarum literarum testimonio atque exemplis confici posse. Cæteroqui utros alteris præmonstratores velit esse, luculenter testatum reliquit Deus Num. 27. 22. cùm & Imperatori Josuæ & universæ Israelitarum multitudini tanquam loquentem legem daret Pontificis Eleazaris os, à quo in omnibus suis illi penderent actionibus. Quamquam non est quòd ob id sese nimiùm jactent Pontifices, cùm ea modò Eleazarus illis præscribere debuerit quæ ipse, consulto Dei oraculo, fieri oportere percepisset, h. e. quæ ut sanctissimus interpres verbi atque consilii Divini, intellexisset ad conservandam religionem pietatémq; colendam, atq ad felicem reip. statum communémque Ecclesiæ salutem necessaria esse, non autem quæ ipsi sua animi affectio dictavisset. Cæterùm quantâ amplissimæ dignitatis auctoritatísque moderatione usus sit Imperator Josua, quamquam se nihil in tanta potestate extulerit, vel indè conjicias, quòd etsi disertissimis explicatissimísq; Dei oraculis proditum esset, ipsum esse ducturum Israelitas in terram illam optatissimam, in eaq; rei summa & immortalis gloria esse posita videretur, tamen ille nusquam antecessionis honorem captasse memoretur, sed ut unus è multis sacram Arcam subsecutus sit. Quis ergò possit existimare illum in Dei Sacerdotes imperium arrogantiùs exercuisse?

7. *Porrò Dominus dixerat ad Josuam, Hoc ipso die incipiam te*, &c.] Hæc Dei ad Imperatorem verba esse die 10. facta nemo dubitaverit qui modò v. 14. sequentis capitis cum his contulerit: Nondum tamen vel populus prælatam Arcam observare, vel Sacerdotes eam populo præferre jussi fuerant. Cæterùm ista honoris dignitatísque amplitudo haudquaquam Josuæ ambitionis fructus esse est existimanda: Fuit enim ille vir omnium modestissimus. Ut neque Pauli serviebat ambitioni curatio pedum Lystrii hominis, Act. 14. 9. etsi divinos illi honores pareret. Sed, ut quæ mox subjicitur causa, & quæ explicatiùs etiam v. 14. scripta habetur, patefacit, pertinent ista ad parentium obedientiam atque obsequium, sine quo obsequio nihil efficere potest vel maxima cujusquam Imperatoris virtus & industria. Verissimè enim apud Xenophontem Chrysantas dixit, Instit. l. 8. τὸ πειθαρχεῖν μέγιστον εἶναι ἀγαθὸν εἰς τὸ καταπράττειν τἀγαθὰ, καὶ εἰς τὸ διασώζειν, h. e. *Nihil esse præstantiùs ad res magnas aut patrandas aut conservandas subjectorum obedientiâ atq. observantiâ.* Nihil autem est quod homines efficiat suis Principibus obsequentiores, quàm si ipsos intelligant se esse meliores, atque ad ea prospicienda procurandáque quæ sint salutaria prudentiores. Quomodo autem ille Imperator non omnium optimus atque prudentissimus existimetur cui Deus in rebus omnibus præstò adesse perspicuè cernitur. Eò igitur spectat ista amplificatio, ut comparetur Imperatori præclara & sancta apud suos cives existimatio; quippe quem intelligant à Deo veluti in sinu gestari, & continuò alio atque alio dignitatis suæ fructu cumulari; bona verò existimatio reverentiam obsequiúmque pariat. Etenim similiter Deus, quos novâ Lege latâ populi sui Magistros ad Euangelii doctrinâ propagandam esse voluit, eis optimam existimationem per varia miracula conciliavit; & per ostenta declaravit muneris, cui illos præposuisset, veritatem atque constantiam: ut in Actis Apostolorum est perscriptum. Et cùm unigenæ Filii sui mandata & imperium nobis quàm commendatissima efficere vellet, tum Spiritu S. corporatâ specie demisso tum cœlesti voce testificabatur *eum esse Filium suum carissimum, quo mirificè delectaretur*, Mat. 3. 16. Nimirum admirabili bonitatis atque amoris abundantiâ benignissimus Pater noster Deus gratuita sua beneficia ut nobis fructuosa sint talibus modis efficere conatur. Cæterùm loqui videtur hîc Deus de exsiccando redundantis fluminis alveo, quasi in gratiam Imperatoris id faciat. Planè enim eâdem ratione Mosen antè amplificaverat, populi Ducem nuper factum, exsiccato maris Rubri sinu. Quanquam libenter opinor, arcano etiam modo illum à Deo in populi oculis augustiorem esse redditum; similiter atque Homerus suum Ulyssem fingit à propitia Pallade formosâ & illustri ac propè Divinâ specie subinde esse informatum: qui etiam Reges alios quodam majestatis splendore à Divino Numine decorari existimat, cùm sic scribit,

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν.

Nam & suos sic Sacerdotes se despicatos apud populum reddere velle ait Deus apud Malachiam 2. 3. cùm minatur *se stercore festorum conspersurum facies ipsorum.* Hoc enim profectò occultam aliquam efficiendi contemptus rationem significat. Fuerat quidem Josua pridem, atque etiam num vivo Mose, magnis honoribus divinísque donis auctus à Deo Deut 31. ut cùm simul cum Mose propalam è nube tabernaculo circumfusa ipsum alloqueretur; cùm Moses hujus jussu ipsum manu impositâ consecraret, suæ gloriæ participem faceret, Spiritu sapientiæ imbueret: Verùm si ipsam Imperii functionem spectes, jam nunc primùm admirabilis illius transvectionis gloriâ cohonestatur à Deo. Quare illud rectè dictum est, *Incipiam te magnum facere.* Posthac enim non solùm sapientiæ atq; amicitiæ Dei gloriâ, verùm aliis atque aliis Imperii & amplitudinis suæ fructibus continuò amplificatus ab illo florebit. ¶ Porrò illud, *Ut sciant me tecum esse*, &c.] Interpretatur Chaldæus, *Ut sciant sicut verbum meum fuit auxilio Mosi, ità verbum meum esse auxilio tibi.* Cujus interpretationis explicata à nobis suprà est ratio, c. 1. 5.

8. *Tu verò imperato sacerdotibus bajulis arcæ fœderis*, &c.] Audivimus v. 6. Josuam Sacerdotibus imperantem ut Arcam præferrent populo: Jam igitur ut intelligamus eum id non ostentatione imperii gloriosâ, sed magnâ ratione fecisse, explicatur quâ auctoritate quâque fiduciâ eis illud imperaverit. Est autem existimandum, plenè hîc Deum edocuisse rem omnem, ut esset agenda. Nam de 12. saxis, quæ ex Jordanis alveo sumi & ad Galgala ferri voluit, mandata eum dedisse Imperatori, patefaciet v. 8. proximi capitis; cujus tamen rei nulla apparet usquam mentio. Ad hoc, ipse Imperator, inter Dei verba, quæ mox populo referet, trajectionis modum omnem explicabit. Non igitur hoc loco verba Dei quæ ad Imperatorem fecit plenè perscripta sunt, sed ea modò particula quæ præ cæteris necessaria videbatur; ut ex qua constaret Imperatorem haudquaquam suâ sed Dei auctoritate jussúque Sacerdotibus sacræ ceremoniæ modum præscripsisse; cætera verò quæ ad narrationis filum contexendum pertinent, ea hinc inde colligi facilè possunt. Quæ narrandi ratio sæpe sanè in utriusque Testamenti libris est servata. ¶ Porrò de *extremitate Jordanis* quod ait, sic puto esse accipiendum ac si dicat, Ubi ad ripam usque adversam pertigeritis, emensi totam fluminis latitudinem, tum in alveo insistite, neque evadite in continentem, usque eò dum jussero. Nam eâ Arcæ morâ cohibendus erat aquarum cursus & suspendendus tantisper dum omnes trajicerent. קצה enim & *extremitatem* sive oram significat, & *partem.* Sed de his mox plura. LXXII pro ואתה *& tu*, legerunt ועתה *& nunc*, Ain pro Aleph.

9. *Dixerátq. Josua ad filios Israel, Accedite horsum*, &c.] Edoctus à Deo Imperator, ut superiore versiculo vidimus, omnem rationem transponendæ multitudinis in Chana-

Chananæam, evestigio eam patefaciebat populo atque Sacerdotibus. Hactenus enim satis explorata fuerat & probata Deo omnium fidei constans modestia, quâ, etsi ab rebus omnibus ad trajiciendum essent imparatissimi, tamen neque de Dei promissis atque potentia desperaverant, neque in ejus consilium curiosè inquisiverant; sed Imperatorem suum usque ad fluminis ripam obedienter secuti, adhuc exspectaverant religiosè quo tandem modo immensa Dei potestas multitudinem tam numerosam, & cujus, ut est credibile, pars longè maxima erat infirma puerorum & feminarum turba, trans rapidum & turbidum flumen, qualia sunt quæ novis undiquaque aucta aquis redundant, in terram hostilem esset portatura. Sunt igitur ista cum versiculo secundo sic aptanda, ut cùm ipsa pro concione ab Imperatore exposita essent, monitores deinde per media castra edixerint illa, *Cum videritis arcam*, & quæ sequuntur in v. 3, & 4. Neque enim unius hominis ulla vocis contentio tanta esse potuit quæ per amplissimam multitudinem ab omnibus exaudiretur. Nam ad concionem quod attinet cujus hoc versu mentio est, probabile est, permissum quidem fuisse cuivis interesse, verùm solos Senatores & insuper ex unaquaque tribu delectos à tribulibus viros quosdam primarios esse citatos: de qua re alio loco [infrà 7. 14.] plura, si volet Deus. ¶ Cæterùm illud *Horsum* sive *Huc* locum ostendit, opinor, in quo sacra Arca stabat posita in medio agmine. Erat enim solemne, cœtus ad tabernaculum convocare, ut nihil nisi Deo veluti spectante & conscio agi cum populo existimaretur. Et sanè qui in sacris concionibus verba vel faciunt vel audiunt, deberent non minore id religione agere utrique quàm si præsentem animósque ipsorum penitus perspicientem Deum oculis cernerent. ¶ Quòd autem dicit Imperator, *Verba Domini Dei vestri*, tum attentam cupidámque facit audientiam, tum fidem conciliat iis quæ dicturus est, ab auctoritate simul & potentia benignitatéq; personæ Dei. Nam si sunt verba *Domini*, h.e. Jehovæ, & summi Numinis, non possunt non esse & certissima, & de rebus auditu dignissimis. Si autem *Dei vestri*, h.e. qui vos sibi peculiarem populum delegit adoptavítque, & qui vestri curam semper, ut benignissimus Pater filiorum suorum, gessit maximam, quíque, utpote Deus, facilè quod vobis commodum atque utile sit præstare queat, fieri non potest quin sint, in hac omnium rerum summa difficultate, vestraque tanta solicitudine, omnis consolationis plenissima, & planè rebus vestris peropportuna. Cæterùm quòd ea quæ Divino afflatu intellexit, aut ex sacro edita oraculo percepit, tam planè Deo, ut debet, adscribit, non autem quasi profecta ex sui animi perspicacitate atque prudentia jactat, id animi ejus in summa potestate moderationem singulariter commendat; nobísque exemplo esse debet, nè propter abundantiorem Dei adversùs nos benignitatem nosmet efferamus, aliísque præferamus, sed candidè, quidquid est quo cæteros mortales excellimus, illi acceptum referamus, nostræ laudi non assumamus.

10. *Per hoc cognoscetis quòd vivat Deus fortis in medio vestri*, &c.] Jam his quatuor deinceps versiculis exponit Josua Dei consilium in transponendo populo, quod ab illo perceperat: sed capita duntaxat narrationis commemorata sunt Sacris verbis, ut nuper quoque factum ostendimus. Pronomen *Hoc* demonstrat id quod parcè versibus 11, & 13. indicatur miraculum, q.d. Ex hoc tam admirabili ostento, quo vestrâ causâ modò Deus ipsam rerum naturam, cæteroqui perpetuam, fixam, stabilem, commutabit, intelligere potestis perspicuè, ipsum Omnipotentem vobis præstò adesse, & eum quidem vivum, h. e. non otiosum, & veluti lentum, languidum, segnem, nihílque magnopere curantem, sed planè vegetum, acrem, intentum in omnium earum rerum procurationem quæ vobis utiles sint & commodæ, atque ad ea omnia præstanda conficiendáque quæ vobis antehac sæpe est pollicitus; ut jam nulla dubitatio hæsitatióve in vestris animis reliqua esse debeat, quin sit profligaturus ante vos eas gentes quarum ditionem occupatum nunc pergitis. Cùm enim Divinorum miraculorum omnium, præsertim insignium & inusitatorum, ea sit vis atque efficacitas, sicut & scopus quoque, ut mentibus hominum religionem afferant majorem; istud autem miraculum & maximum fuerit atque admirabilissimum, & prorsus accommodatum ad summam eorum promissorum quæ antehac Deus Israelitis sæpissime promiserat de obtinenda terræ Chananææ possessione; fieri profectò non potuit, ut neque debuit etiam, quin ex ipso statim plerique omnes intelligerent Deum sibi adesse præsentem, & ea jam effectum ire quæ toties pollicitus fuerat. Sed quamvis sua cuiq; ratiocinatio superiores illas Dei pollicitationes cum hoc admirando opere conferenti persuadere facilè potuit ut ista apud suos animos sic statuerent judicaréntque, tamen cùm mirifica sit in nostris mentibus semper stupiditas, tantisper dum carne sumus circumdati & humi strati, ad æstimandam ex veritate Divinam in nos benignitatem, seriémque consilii Dei prospiciendam observandámque, quo ille consilio nostram salutem procurat, ideo haudquaquam supervacanea fuit ista Imperatoris admonitio, imò verò planè opportuna, ut excusso illo mentium torpore, omnes ex hoc tam miro faustóque auspicio certissimam animis spem conciperent facilis aduersùs Chananæos, acerrimos, ut videbantur, hostes, victoriæ, non aliter atque si Deum omnipotente illâ manu, quâ incitati fluminis aquas sublimè suspendentem visuri sunt, hostes quoque illos suos sternentem conspiciant. Nam alioqui facilè evenire potuisset fortasse ut in tanta hominum turba ex aliquorum perversis cogitationibus rumores sinistri improbíque dissipati inerebrescerent, Jordanem transmittere, gentémque fortissimam adire undiquaque mari, montibus, fluminibus circumdatam, unde nullum pateret semel victis effugium, nihil aliud esse quàm se in potestatem hostium dedere. Qui rumores quantas subitò daturi fuissent turbas, ex ea animorum imbecillitate atque desperatione æstimare licet quæ capite septimo memorabitur cùm semel vel minimum quid adversi paucis è populo apud Hai accidisset. Sed enim videntur ista parùm esse consentanea præclaræ illi fidei quam superioris versiculi initio tantopere laudabamus in populo. Si enim ex ipso tandem miraculo cogniturì sunt Deum à se stare, hostésque profligaturum esse, effici videtur, adhuc ipsos dubitasse. Imò verò minimè id conficitur. Jam enim id eos re ipsâ esse cognituros dicit quod adhuc solâ fide persuasum sibi habuerunt. Deinde, potest istud de fidei augmento dictum accipi. Nam pauci, opinor, nostrûm, nè dicam nulli, eò perfectionis in fide progressi sumus, ut non sentiamus vel maximos ultrà progressus nos continuò facere posse, si Deum ritè pergamus precari cum Apostolis ut fidem nobis adaugeat. Denique in numerosissima illa turba probabile est fuisse non parùm multos qui partim hæsitarent, alii etiam planè diffiderent, tametsi communem multitudinis disciplinam factis colerent, & fidem specie præ se ferrent. Josua autem indiscriminatim loquitur. Nam qualescunque antè fuere, certè non potuit fieri ut hoc tanto miraculo ipsorum animus non vehementer permoveretur, & qui antè planè crediderant plurimùm confirmarentur, cæteri diffidentiam cum fidentia commutarent. Sed jam expendamus ipsa sacra verba. ¶ Illud תדעון *cognoscetis* ità accipi potest quasi sit futurum modi finiti pro mandativi *cognoscitote*, aut modi potentialis, ut vocant, *cognoscatis*. Sed ista aut nullam aut minimam adferunt ad sensum variationem. Illa autem Dei epitheta, אל חי *El Hai*, h.e. *omnipotens* sive *fortis*, & *vivus* vel *vivit*, ad præsentem locum sunt accommodatissima. Erat enim Imperatori hâc oratione propositum fidem & spem populi affirmare de victoria adversùs septem, quæ enumerantur, gentes obtinenda; quippe in qua persuasione & fide cardo omnis læti successûs vertebatur. Quæ causa est cur id tanto studio ab omnibus qui aliquando apud Israelitas cum imperio fuere inculcatum ipsis sit. Etenim quotiescunque toto animo in Dei ope & præsidio illi acquiescebant, ejúsque & potentiâ & benignitate freti hostes suos invadebant, toties victoriam reportabant lætissimam: at quando suas ipsorum vires cum hostium viribus contendebant, vel turpiter

turpiter cædebantur, vel fœdas perniciosásq; pactiones cum illis facere cogebantur, quibus deinde obstricti paulatim à proba religione ad cultum falsorum deorum abducebantur: eáque impietate suâ moram moliebantur, quantum in se erat, cùm cæteris omnibus lætissimis Dei promissionibus, tum generis humani etiam salutis dispensationi. Victoria autem parari solet fortitudine: Est ergò aptissimum illud epithetum אל *El, fortis, potens, pollens.* Sed quando frustra est omnis potentia, si desit prompta voluntas atque industria, additur חי *Hai, vivus,* sive *qui vivit* (perinde enim verbum atque nomen est) quod agilem Dei industriam atque actuosam providentiam curámq; significat, quâ semper opem maturè suis fert, succurrítq; in tempore ipsorum saluti. Vita enim, ut ait Aristoteles De animal. actio est, atque ex motu potissimùm cognoscitur. Et quorum nulla actio motúsq; apparet, ea mortua aut certè languida torpentiáque esse censentur. Deus igitur cùm suâ efficientiâ gubernet moderetúrq; omnia, & in primis suorum cultorum solicitudini subveniat, rectissimè חי *vivus, agilis, vegetus* appellatur: quod divinus Vates significabat cùm caneret Psal. 121. 3, 4. *Non permittet ut pes tuus labascat: non dormitabit qui custodit te; ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israelem.* Nam etsi ideo quoque *vivus*, imò *vita* ipsa rectè nominetur, quia per ipsum omnia *vivunt & moventur & exsistunt,* ut ait Paulus, Act. 17. 28. tamen ea quam dixi notatio præsenti loco servit. Multa disputata sunt etiam ab Hebræorum Philosophis, quos *Cabbalistas,* quasi qui à majoribus traditam per manus doctrinam acceperint, appellant, de istis Dei nominibus אל, חי, *El, Hai,* cùm multis in locis aliis, tum in eo etiam libro quem *Portam lucis* inscripserunt. Hîc enim scribunt, יהוה *Jehovam,* quem nos *Deum Patrem* dicimus, invocatum appellatúmque hoc nomine אל חי *El Hai,* largiri per אדני *Adonai,* h. e. *per Dominum,* quem nos appellamus *Filium,* benignissimè cùm cætera quæ opus sunt, tum vitam incolumem & ab hostibus tutam. Addúntque, ideo Imperatorem Josuam hoc loco nomen istud אל חי usurpasse ut suorum animos ejus commemoratione redderet de ferocissimis hostibus, quos adibant, securos. Sed revertamur ad contextum. ¶ Illud בקרבכם, quod convertimus *in medio vestri,* rectè etiam reddatur *apud vos.* Nam קרב, à verbo קרב *propinquitatem* propriè significat. ¶ Quæ porrò sequitur verbi geminatio, הורש יוריש, *expellendo expellet,* continuatas alteram post alteram victorias promittit. Est autem observatum, verbum hoc ירש si subjicitur ei מפני, h. e. *à facie,* sive *è conspectu,* tum significare *possessione depellere atque dejicere;* cæteroqui vero, *possidere;* aut, si formâ Hiphil inflectatur, *mittere in possessionem.* Sed enim ista de expellendis 7. gentibus Dei promissa esse aliquando ad rem collata, docet hoc nostrum commentarium, & testatur Paulus, cùm Antiochiæ Pisidiæ sic loquitur pro concione Act. 13. 19. *Et deletis septem gentibus in terra Chananæa, hæredes terræ illarum fecit ipsos* Israelitas. Sed dicat aliquis, Abrahamo promiserat Deus decem gentium possessiones Gen. 15. 18. non ergò promissorum munus plenè conficitur expellendis gentibus septem. Verùm expedita est responsio; Josuam de iis agere possessionibus quas ipse esset Israelitis distributurus, h. e. quæ ultra לבא חמת *Labo Hemath* non jacebant; at in illis liberalioribus promissis loca omnia esse ad Eufratem usque, de qua re memoriâ repetat lector quæ sunt à nobis prolixè disputata ad v. 4. c. 1. Præterea 7. istæ gentes aliquando pluribus aliquando paucioribus nominibus significantur, ut suis locis monebimus. Nam in populosissima regione familias habitasse diversas plurimas, est credibile: Neque verò easdem semper iisdem esse appellatas nominibus, certum est. Qui enim in Abrahamico fœdere dicuntur רפאים, videntur à Josua jam vocari חוי *Havei.* Quarum appellationum rationem alibi explicabo, si vita suppetet.

11. *En Arca federis, Dominus universæ terræ præit,* &c.] Latinus Græcos secutus, ut solet, libenter convertit hunc locum sic, *Arca federis Domini universæ terræ.* Quin Aquila quoque & Symmachus casu gignendi sunt usi; ille enim κυρίου, hic δεσπότου reddidit. Verùm appositivè, ut loquuntur Grammatici, hærere nomen ארון *Domini* cum præcedentibus, patefacit accentus aut interpunctio זקף *Zakeph* insistens verbo ברית *federis,* lectionísque cursum sistens. Habet enim inter eos accentus qui regum nomine dignantur vim pausæ maximam, post Soph-pasuc, & Athnactam. Neque verò insolens esse ut Arca sacra *Deus* vocetur, satis multis est à nobis antè confectum v. 3. Veruntamen si quis Latinum & Græcos sequi malit, is cum D. K. existimet nomen ארון *Aron,* h. e. *Arca,* ἀπὸ κοινοῦ repetendum esse, quasi sic scriptum sit, הנה ארון הברית ארון אדון כל הארץ, *Ecce arca federis, arca Domini universæ terræ;* aut si mavult, putet verbum ברית esse ipso sensu iterandum, *Arca federis, quod fedus est Domini universæ terræ.* Quanquam tanti esse nobis accentus non debent, quos priscis temporibus nullos fuisse etiam Judæi fatentur, ut veterum interpretum bonas alioqui & probas sententias verbísque sacris consentaneas satis refellant. Cæterùm appositissimè ad rem nominat Imperator Arcam *Dominum universæ terræ,* ut penitus omnem ex animis populi non dicam diffidentiam sed hæsitationem eliminet. Quis enim dubitet eum qui omnium rerum Dominus est, omniáque habet in manu, atque gubernat & moderatur, posse ipsam quam condidit aquæ naturam, quámque ei imposuit legem, ad breve tempus vel mutare, vel certè suspendere?

12. *Nunc ergò legite vobis duodecim viros,* &c.] Hic versiculus interrumpit narrationis miraculi ordinem cursúmque: essétque illa dilucidior si proximum is versiculum sequeretur. Significat autem, Deum, cùm Imperatori patefaceret traducendi populi rationem, simul id jussisse quoque quod initio proximi capitis memorabitur explicatiùs.

13. *Et futurum est ut simulatq; quiescent plantæ pedum,* &c.] Suprà dixit Arcam, sive Deum, quem Arca, ut aspectabile signum, repræsentabat, præituram in Jordanem populo. Jam verò quid tum postea futurum sit exponit, nempe simulatque Arcam portantes humeris Sacerdotes institerint in aquis, eas quæ infrà sunt, excisum iri, h. e. ablatum ex alveo, sive defecturas. Nam superiores subsistent in acervum collectæ, & tanquam utre contentæ. Itaque dum inferiores prono cursu labentur in mare Mortuum, necesse erit vada illico nudari. De inferioribus enim accipienda sunt illa verba, *Aquæ Jordanis exscindentur,* sive *deficient.* Copula autem quæ verbo יעמדו præposita est, sensu ipso collocatur ante nomen המים, aut est, ut opinatur R. Isaias, supervacanea. Esset quidem, ut videtur, haud incommoda interpretatio loci istius hæc, *Aquæ Jordanis discindentur, aquæ, inquam, illæ quæ ex supero descendunt, & subsistent cumulo uno.* Idem enim prorsus efficitur, nempe alveum inferiorem exsiccari. Nam dum superiores aquæ, tanquam mole oppositâ, dividuntur ab inferioribus, hæ verò libero cursu defluunt in Asphaltitem, planè consequens est ut indè à subsistentibus superioribus ad lacum usque denudentur vada. Verùm verbum כרת hîc non *secari* aut *discindi,* sed *exscindi,* h. e. auferri, perdi, aboleri, sive *deficere,* ut reddidit Chaldæus, significare, ostendit ver. 16. apud quem de his plura sumus dicturi.

14, 15, 16. *Factum igitur est, cùm discederet populus è tentoriis,* &c.] Quæ post versum sextum adhuc dicta sunt, quasi interpositio quædam, interruperunt narrationem: ea autem jam continuatur ad hunc modum. Cùm Sacerdotes, receptâ in humeros Arcâ, per mediam multitudinem sese conferrent versùs ripam Jordanis, populus, ut erat jussus, relictis suis tuguriolis, sese comparabat ad sequendum, suo quisque ordine, Arcam, fluviúmq; transmittendum. Ubi porrò illi cum Arca ad fluvium pervenissent, qui id temporis plenissimo alveo inundabat, simulatque pedes mergere in aquas cœpere, quatenus procedebant, eatenus illæ quæ suprà erant quasi aggere cohibitæ, sistebantur, atq; usq; eò coacervabantur ut magno cumulo retro ad urbem Adam usq; exstarent; quæ verò infrà erant, eæ facili & pronâ fluxione abripiebantur in mare Salsum.

Itaque paullatim evadentes Sacerdotes propè ad oppositam ripam usque, sensim superiorum aquarum sistebant cursum, & delabentibus inferioribus, vada paullatim exsiccabant. Ac tum denique, cùm illi, quàm latè patebat alveus, vada, pedetentim progressi, denudassent, & juxta oppositam ripam instituissent, jámque circiter bis mille passibus populum præcessissent, hìc, quo solebat ordine iter facere per desertum, subsequi Sacerdotes per siccum flumen cœpit, atque in Chananæam transire, & quidem è regione urbis Jerichuntis, h. e. quà erat ad Jerichuntem ab Jordane brevissima via. Solent quidem plerique, & in iis etiam Talmudici, opinari, Sacerdotes, qui Arcam sustinebant, constitisse apud eam ripam ex qua in flumen descenderant; quidam etiam, progressus fecisse ad medium usque alveum, atque ibi institisse. Sed nobis quod modò diximus & similius vero & universæ narrationi congruentius esse videtur, cùm ob alias causas, quæ proximo capite afferentur, tum maximè quia illi præcedere populum circiter bis mille passuum intervallo jussi fuerant; quod de alvei latitudinis spatio esse accipiendum, suprà conficere sumus conati. Cæterùm hìc sese factis ostendit egregia illa Sacerdotum fides quam ad v. 6. laudabimus, cùm non dubitant plenum rapidúmque amnem pedibus tentare, solâ promissorum Dei fiduciâ, quæ non quidem ipsi audierant cùm ex oraculo sacro ederentur, sed ab Imperatore modò relata perceperant. Simul etiam quale sit Sacerdotum non ignavorum munus declaratur, nempe Arcam federis Divini, h. e. cœlestem illum thesaurum sacræ doctrinæ & verbi Dei, præferre profano populo, cùm sincerâ interpretatione explicationéque, tum probæ vitæ exemplo; neque ab his rebus agendis deterreri ullis quantumvìs altis aquis, h. e. rebus tristissimis atque tribulationibus, sed obstacula omnia fortiter perrumpere Divinarum promissionum fiduciâ, populo viam ad cœlestem hæreditatem adeundam patefacere. ¶ Porrò illa interpositio, *Jordanis autem inundat super totas ripas suas per omnes dies messis*, cùm miraculum ipsum, tum eam quam modò dicebam Sacerdotum fidem constantiámque non mediocriter amplificat, atque illustrat. Nam quò auctiora sunt flumina, eò & rapidiora & turbidiora fluunt, ac proinde difficiliùs ullis machinamentis cohibentur, periculosiúsque ipsorum vada cæca & non exspectabilia tentantur. Sed Dei consilio vis nulla obsistere potest; & sancta fides in turbidissimis rebus sese sustentat, atque in obscurissimis maximè illucet. ¶ *Dies messis* cum primo mense incipiunt: quodpropter ille חדש האביב *mensis spicæ maturescentis* vocatus est in Exodo 13. 4. Nam in Paralipomenis 1. 12. 15. scriptum exstat, Jordanem mense primo inundare solere super ripas suas. Voco autem mensem primum quem Hebræi appellant ניסן *Nisan*, h. e. eum quo Pascha quotannis celebrare ob felix auspicium relictæ Ægypti sancitum lege Divinâ erat. Eum enim mensem Deus ipse pro primo, & anni initio habere jussit, ut sanctior esset memoria beneficii quo ille Israelitas è durissima servitute Ægyptiaca asseruerat in libertatem, quæ libertas ipsis quasi vitæ initium esse videbatur, cùm antè servitutem vel ipsâ morte graviorem servivissent Barbaris. Cœteroqui primum mensem vocant Judæi qui ab hoc septimus est, cùm eum putent conditi orbis fuisse principium. Unde & verbo Chaldaico תשרי *Tisri* eum appellant; est enim *Tisri* Chaldæis *initii* vocabulum, à verbo שרה. Inchoat autem mensem Nisan nova luna ea quam nos Martio nostro attribuimus; Tisri verò, quam Septembri. Cæterùm Martio mense calidioribus illis regionibus maturescere solere fruges, testata Sacris literis res est. Jubetur enim populus in Levitico 23. 10. quotannis, dum Pascha facit, messis arvis, novarum spicarum offerre manipulum Sacerdoti; vetatúrque antè frugibus hornis vesci quàm iis primitiis oblatis, atque coram Deo religiosè à sacrifico agitatis, universè fruges omnes, quasi communicatâ cum omnibus primitiarum illâ consecratione, Deo veluti dedicatæ sint. ¶ Sed cur eo tempore inundare solitus sit Jordanis, credibile est liquescentes verno tepore in vicinis montibus nives in causa esse. Nam idem Euphrati Tigridíque accidere in scriptis reliquit Jesus Sirach, Eccles. 24. 25, 26. ¶ Porrò observandum est, pro eo quod v. 13. dicebatur, *Simulatque quiescent plantæ pedum sacerdotum in aquis Jordanis*, hoc loco scriptum esse, *Dum mergerentur pedes sacerdotum in extremo aquarum*. Nimirum illic semel & strictim atque unâ complexione ob oculos ponebantur & nudatum inferius vadum & tanquam obice uno repulsæ è supero affluentes aquæ, cùm jam tum constitissent juxta ripam ulteriorem fluminis Sacerdotes; hìc verò ut paullatim à proxima ripa in adversum usque superiores aquæ in cumulum cogi, inferiores verò curriculo auferri, vadáque exsiccari cœperint, quatenus proximam quamque fluminis partem pedetentim procedentes illi pedibus suis contingerent, describitur. ¶ Illud porrò, *Acervo uno*, aliter redditum ab aliis est. Chaldæus enim *utre uno* dixit, atque etiam Symmachus ἀσκωμα ἓν, quasi scilicet ab inflato distentóque utre similitudo ducatur, aut ità coactæ aquæ constiterint tanquam magno utre fuissent conclusæ. Sed mihi ista positio, cùm *utrem* significat, per quartam ferè vocalem scribi visa est, נאד *Nod*; cùm autem *cumulum*, per secundam נד *Ned*. Quanquam non ignorem esse ubi נד *Ned* LXX ἀσκωμα sunt interpretati. Sed illi vocalium observationi operam nullam dedisse videntur, quarum fortasse nullæ erant eo tempore notæ. ¶ Quod sequitur, *Longo admodum tractu ab Adam urbe, sita ad latus Sarthan*, sive *in Adam urbe*, (Nam utroque modo in exemplaribus scriptum invenitur, באדם, & מאדם) id hanc habet, meo certè judicio, sententiam, Quòd repulsæ ab Arcæ Dei præsentia aquæ è supero affluentes tantâ mole coacervabantur, cùm continuò novæ prioribus supervenirent, ut ea moles ad urbem Adam usque, quæ prope Sarthanam sita erat, h. e. ad usque Genesaram, continuo tractu exstaret, sive, quod perinde est, ab urbe Adam usque ad hunc trajectionis locum. Sed aliter interpretantur Judæi, Chaldæum, ut libenter solent, secuti, Nempe aquas eas quæ suprà erant ità in cumulum unum proximè ad eum locum ubi trajiciebant Israelitæ fuisse collectas ut procul inde ab oppido Adam vicino Sarthanæ remanerent, neque propiùs illud alluerent quàm tum cùm usitato cursu intra alveum suum delaberentur; quod oppidum alioqui facilè tantâ mole restagnantes inundassent, si non cumulatim congestæ constitissent, sed pro liquidi natura diffluxissent. Atque ab hac sententia haud abhorrere videtur tralatio LXXII interpretum, nisi quòd ea longùm constituat inter urbes Adam & Sarthanam intervallum, quas urbes Hebræa verba inter se vicinas collocant, atque adeò Adam, ut ignobile oppidum, Sarthanæ confinio designant. Nimirum illi interpretes pro voce עיר, quæ *urbem* significat, videntur legisse עד cùm ἕως, h. e. *usque ad*, reddiderint. Nam montis vocabulum ὄρος, quod apud eos quoque nullo sensu legitur, equidem opinor olim ad homine non minùs temerario quam imperito in margine scriptum, qui putabat priorem syllabam verbi הרחק *montem* significare, tandem librariorum errore in ordinem sacrorum verborum esse relatum. Esse autem mendum hoc pervetustum, argumento est, quòd & Latinum & eo longè antiquiorem Syrum fefellerit. Atqui aquas è supero adlabentes non consurrexisse in altissimam unam molem, quasi in montem angustum, aut murum in cœlum exædificatum, quæ moles proximè ad trajiciendi locum extiterit modò, atque inde quàm longissimè spectabilis fuerit, ut opinatur Latinus, aut procul abfuerit ab urbe Adam ut Judæi putant, sed inde repulsas aversásque retrò per Arcæ sacræ præsentiam sensim crevisse usque ad Genesaram lacum, prope quem sita erat urbs Adam, sic tamen ut quamvìs altè supra riparum crepidines exstarent undæ, tamen non dispergerentur, sed tanquam gelu concretæ coactæque non am lius quàm alvei sui spatium occuparent, atque ità fuisse unam continuam aquarum molem, non quidem latam sed longam, à loco in quo trajiciebatur usque ad oppidum Adam, cùm ipsa verborum simplicissima eóque verosimillima compositio ostendit, tum sacri Vatis est verbis consentaneum Psal. 114. 3. quibus canit *Jordanem aversum retro esse*. ¶ Cæterùm Adam

esse Tiberiadi stagno vicinam urbem ostendit צרתן *Sarthan*, apud quam collocatur. Erat enim Sarthan in ultimis finibus agri Bethsanitici aut Scythopolitani, qui fines ad Tiberiadem pertinebant. Nam in Regum historia 3. 4. 12. ubi in Banæ filii Ahiludis præfectura describenda limites Scythopolitanæ ditionis undiquaque designantur, opposita est Jesrael Sarthanæ; Jesrael autem Scythopoli erat ab Occidente: conficitur ergò eidem Sarthanam fuisse ab Oriente. Jam verò quòd lacus ille Scythopolitanam regionem ab Oriente terminaverit, aperta res est. Sed adscribam ipsa ex Regum historia verba quàm potero explicatissimè; sunt enim alioqui obscuriora. *Bana*, inquit, *filius Ahilud* (hîc suggere, *præfectum agebat in) Taanach & Megiddo, atque per universam Bethsanis regionem, qua porrigitur usque ad Sarthanam, ex eo loco qui est sub Jesrael; & rursus à Beth-san usque ad Abel-Meolam, & usque ultra Jecmaam*, &c. Erat igitur Scythopolis veluti media inter Jesraelem ab Occidente & Sarthanam ab Oriente, atque inter Abel-meolam Meridionalem & Jecmaam Aquilonarem. Sed de istis urbibus erit alius disserendi locus. Quid autem in mentem venerit illis viris qui Sacra Biblia in Germanicam linguam traduxerunt, & Lutheri nomine inscripserunt, ut verbum אדם hîc non urbem sed homines significare existimarent, nescio. Certè per Grammaticorum leges id illis minimè licebat. ¶ Sequitur porrò in Sacra historia quid factum sit illis aquis quæ trajicentibus Sacerdotibus erant à sinistris: nimirum illæ cùm prono alveo decurrerent in mare Mortuum aut Salsum, neque ex supero ullæ succederent in defluentium locum, mox prorsus absumptæ atque ablatæ sunt in illum lacum, & quidem, ut egò certè opinor, celerrimè, cùm earum cursus naturalis Divinâ potentiâ ob Arcæ præsentiam vehementer incitaretur; atque id significatum etiam esse verbo illo *exscindi* arbitror; tam enim eas subitò defluxisse ut quasi terrâ dehiscenti absorptæ atque ablatæ viderentur. ¶ Cæterùm illud ים הערבה, quod nos traduximus *mare planitiei* cum Chaldæo, interpretatus est Symmachus *Mare solitudinis*, h. e. τῆς ἀοικήτου, cúmque secutus est Latinus. At LXXII & Aquilas Hebraicam vocem *Araba*, quasi propriam loci appellationem, retinuerunt; potest autem à *planitie* nomen habere, quia quæ nunc occupat loca fuere olim campi amœnissimi, & quæ cum Paradiso Dei poterant comparari, Gen. 13. 10. A *solitudine* verò, quia post memorabilem omnibus seculis quinque urbium deflagrationem loca circumquaque vicina tetro virosarum aquarum vapore & halitu, quali illæ perpetuò fumant, ità continuò inficiuntur ut penitus sterilia, atque hominibus simul & pecudibus alendis infesta sola maneant. *Mare* autem *salis* vel *salsum* dicitur propter salsilaginem quam gustata habet. Nam igneum illum imbrem quo Dominus sceleratas civitates perdebat, non ex solo ardente sulfure, verùm etiam admixto sale compositum fuisse, Sacris literis proditum est. Legimus enim in Deuteronomio 29. 23. *Et videbunt clades terræ illius atque morbos quibus ipsam afflixit Dominus, sulfur, & sal urens per universam terram. Non seminabitur, neque proferet quidquam; aut ulla herba in ipsa exsurget: qualis fuit eversio Sodomæ & Gomorrhæ*, &c. Et verò uxor Loth, dum vitiosâ curiositate pluviam illam non effugeret, in salis statuam est conversa Gen. 19. 26. Si quis tamen existimare malit à fodinis salis, quæ illis locis manserе, mare ipsum *salis* esse vocatum, non pugnavero contrà. Nam memini vatem Sophoniam dicere 2. 9. *Quoniam Moab ut Sodoma erit, & Ammonita ut Gomorrha, promptuarium spinarum & fodinæ salis, vastitásque æterna*, &c. Sed de hujus lacûs magnitudine & natura cùm multa scripserint multi, tum inprimis accuratè & diligenter Josephus De bello Jud. l. 5. c. 5. Et Tacitus Annalium l. 21. nonnulla etiam Strabo l. 16. apud quem tamen in vulgatis certè libris *Sirbonis* pro *Asphaltite* librarii errore legitur. Et nobis quoque erit alio loco de isto sive mari sive lacu differendum. Quapropter hoc unum modò monebimus, ex istis sacris verbis apertè refelli eorum dicta qui Jordanem negant laudatissimas suas aquas cum fœtidis hujus lacûs commiscere; antè enim sub terram se condere, tam insuavem conjunctionem confusionémque dedignatum. An autem subterraneis meatibus se rursus inde subducat, atque in Elaniticum Rubri maris sinum penetret, quod à nonnullis proditum est, equidem obscurissimum esse puto, & cognitionem habere difficillimam. Certè propalam non effluere, id argumento est, quòd eum Israelitæ, cùm ex Cades versùs torrentem Jared contendentes inter Elaniticum sinum & Asphaltiten iter facerent, nusquam transivisse memorantur. Sed revertamur ad miraculum exsiccati fluminis, ídque cum divisi maris Rubri miraculo conferamus. In Exodo scriptum est, per mare Rubrum Israelitis iter patuisse, cùm excitato ab Oriente vento vehementiore ejus aquæ fuissent diductæ atque disjectæ; at hîc nulla flantis venti mentio est. Neque enim dividere fluminis undas opus erat, cùm cohibitis superioribus inferiores suapte naturâ delaberentur. Illic (nondum enim habebatur sacra Arca) extenta quam Deus Mosi dederat virga aquas à dextris & sinistris altis molibus, tanquam fluxæ suæ naturæ oblitas, cogebat consistere, & veluti suspendebat, neque dilabi, nisi transmisso populo Dei, patiebatur; hîc sacræ Arcæ præsentia solas eas quæ à dextris erant sistebat cohibebátque, alteras cùm per se ipsæ cederent per declivem alveum decurrentes, tum celeriore cursu incitatas subitò & raptim removebat. Sed utrobique non quæ oculis aspectabilia erant virtutis Dei instrumenta, verùm ipsa illius Divina potentia nobis est consideranda, & grato animo amplectenda bonitas, quæ tam benignè nos per illiuscemodi ostenta ad se admirandum, amandum, colendum, h.e. nostræ ipsorum felicitati & saluti consulendum, invitat & allicit. Et sanè nisi mirificè nostra nos vitiositas occæcaret, & quibusvis rebus potiùs quàm Dei operibus perpendendis judicandísque distringeret, animadverteremus quotidie nihilo illis minora miracula, quæ nos meritò ad suspiciendum reverendúmque cœlestem nostrum Parentem inducerent. Ecce enim quotidie suspensas sublimè in æthere aquas videmus, nec nisi guttatim distillantes; nimirum ut terram fœcundent, non obruant. Quotidie vastissimâ mole mare impetu frementi littus ferit humile, neque id firmum atque solidè compactum, sed ex arena modò tenuiter levitérque congestum, & tamen tanquam à præsentis Dei numine frænatum, ibi in se ipsum reciprocatur, quantumvis furens atque tumultuans, sistitúrque. Sed, quæ nostra est vesania, faciliùs ista naturæ ipsi quàm naturæ Parenti atque Opifici Deo adscribimus. ¶ Sequitur in ordine Sacrorum verborum, *Trajiciebat autem populus è regione Jerichuntis*. Nempe postquam Sacerdotes cum Arca ad ripam usque adversam progressi essent, jámque patefactâ per aquas, quàm latus erat alveus, viâ, institissent, cœpit populus subsequi, inque Chananæam trans siccatum flumen ire, ut proximo versu dicetur explicatiùs. LXXII interpretes pro *trajiciebat* reddiderunt *stabant*, nimirum illi aut pro verbo עברו, quod *trajicere* est, legerunt עמדו, quod *stabant* significat, literarum quadam similitudine errantes; aut, quod ego credere malo, *trajicere* pro *intentum ad trajiciendum stare* acceperunt, eò quòd animadverterent ipsum trajectum proximo commemorari versu. Cæterùm illud, *è regione Jerichuntis*, significat trajecisse populum omnem per eam Jordanis partem quæ proximè erat Jerichunti objecta, quam equidem partem opinor deinde appellatam esse ab hac trajectione בית עברה *Beth-abara*, nimirum ubi D. Joannes baptisabat, Joan. 1. 28. mendosè enim *Beth-ania*, locus ab aquis remotus, in quibusdam exemplaribus, meo certè judicio, scriptus est. Et profectò aptissimè in rem cecidisse existimandum est, neque sine nutu consilióque Divino, ut quo loco sacer Baptismus primùm isto trajectu fuerat adumbratus, eodem quoque primùm perficeretur. Memorantur autem ideo trajecisse Israelitæ è regione Jerichuntis, ut intelligamus: quamvis vada inde ad mare Mortuum usque delapsis aquis nudata fuissent, tamen multitudinem omnem non tumultuosè & temere, ubi cuique lubitum esset, verùm servato ordine transivisse quà Arca præcesserat.

17. *Itaque sacerdotes bajuli arcæ federis Domini stabant in sicco*, &c.] Non satis erat viam fuisse patefactam, nisi

nisi aperta mansisset usque eò dum universi trajecissent. Igitur iste versiculus ostendit, bajulos Arcæ Sacerdotes, cùm suo, ut diximus, progressu à proxima ripa ad oppositam usque aquas superiores suspendissent atque delapsis inferioribus alveum usque ad mare Mortuum exsiccassent, tum intra ipsum alveum juxta ripam adversam institisse, neque in eam conscendisse priùs quàm multitudo universa evasisset in Chananæam. Nimirum tantisper dum in fluminis alveo Arca manebat, allabentes ex supero undæ, tanquam Deum præsentem conspexissent, retro cedebant, ut canit sacer Vates Psal. 114. simulatque verò flumine illa fuit elata, quasi remoto obice, redierunt ad naturam consuetámq; fluxionem, ut proximo dicetur capite. LXXII & Latinus sic interpretantur illud Hebraicum verbum בתוך quasi *in medio Jordanis* institerint Sacerdotes, in trajectu, atqui תוך Hebræis non *mediam rei partem* significat, sed *quod intus in re ipsa est*, sive in medio sive in ora aliqua atque extremitate hæreat. Talmudicos verò, qui juxta priorem ripam mansisse cum Arca Sacerdotes somniant veriùs quàm judicant, proximo capite refellendi locus erit. ¶ Porrò illud *Parando* est ac si dicat, Parando multitudini commodam trajectionem. Suâ enim illi morâ, ut diximus, refrænabant superiores aquas. Sumus autem infinitum verbum הכן sic interpretati eò lubentiùs quòd proximo capite planè eam habeat notionem. R. Isaias, vir sanè doctus, interpretatur *figendo*, pedes suos videlicet; nec absurdé. At cæteri Judæi Chaldæum, ut solent, sequentes, quasi patiendi illud verbum sit, explicant in hanc sententiam, *stabant fixi firmique, & certâ stabilique ratione dispositis pedibus nisi*. Aquilas quoque & Symmachus ἕτοιμοι converterunt, h. e. *parati:* quos videtur imitatus Latinus, cùm *accincti* diceret. Nam à LXXII est illud verbum omissum. Atqui insolens est ut forma tertia, quam Hiphil vocant, patiendi notione verba afficiat. ¶ Quod subjicitur, *Donec finivissent omnis gens trajicere Jordanem*, hæret verbo *Stabant*. Latinus, nisi mutilus est hic locus, hoc planè præteriit; quod sanè minimè oportuit. Efficit enim ut intelligamus, ex tanta hominum multitudine nullum vel infimæ atque abjectissimæ sortis, quíque Israelitæ nomine vix dignus censeri posset (hoc enim τὸ גוי, h. e. *gentis*, vocabulum significat, opinor, quod alioqui haud temere de Israelitis solet dici) nullum, inquam, omnium esse relictum, sed patientissimè omnes ab Arca, quasi Deo ipso, esse exspectatos, nè ab incurrentibus Jordanis undis cujusquam transitus in optatissimam feliciss imámque terram impediretur. Quippe tantus est Dei erga humanum genus amor atque benignitas ut nullum omnium perire velit, sed omnes salvos esse cupiat; neque alacres modò conatus adjuvet nostros, sed etiam admirabili patientiâ nostram socordiam ignaviámque toleret. Quapropter tam longâ saltem & prolixâ patriâque indulgentiâ invitatos pudeat aliquando nos neglectæ propriæ salutis; properemúsque, dum trajiciendi in terram viventium via nobis patet, dum tempus est εὐπρόσδεκτον, ut vocat Paulus 2 Cor. 6. 2. h. e. dum nos Deus benignè adhuc respicit, & dies durant salutis; nè ille nostræ tandem moræ pertæsus benignum vultum suum subducat, & suo simul discessu suspensas adhuc maximas gravissimásque peccatorum nostrorum undas in nos ingruere sinat, quibus deinde mersi atque obruti in fœdissimum inferorum lacum abripiamur. Sed enim operæ pretium est hîc paucis explicare quàm luculenter in ista Josuæ historia adumbratus sit Jesus Christus. Mortuo Mose lugent Israelitæ dies triginta. Nempe cùm jam tempus adesset ultimorum dierum, h. e. אחרית הימים, ut vocant Sacræ literæ, & Messiæ tempus, ut interpretantur Talmudici, Mosísque lex, quæ *Mosis* nomine sæpe significatur, tanquam sepulta jaceret negligereturque, neque ferè alia doctrina quàm humanæ traditiones & ineptissimæ משניות, h. e. δευτερώσεις, in Ecclesia Dei audirentur, lugebat populus Dei, nullius sacri Vatis consolatione recreatus, donec tandem misertus suæ Ecclesiæ clementissimus Pater Deus filium suum unigenam surgere jussit, & Ducis Jesu personâ sumptâ populum unà secum per Baptismi Jordanem in promissam cœlestem patriam trajicere. Tum mox Joannes divinus præco, & monitor populi strenuissimus, omnes ut se compararent ad transeundum cum Jesu Jordanem, h. e. omnes ad eum Baptismum quo Jesus per Spiritum suum sanctum ipsos erat baptisaturus, hortabatur. Porrò triduò deinde præconii Joannis elapso Jesus ad Jordanem à Deo Patre honore tanto in oculis universi Israelis amplificabatur, ut intelligerent omnes eum cum ipso esse, & quidem multò conjunctiùs quàm fuisset cum Mose, cùm sic eum alloqueretur è cœlo, *Tu es Filius meus carissimus quo unicè delector*, Matth. 3. 17. Quamvis enim Divinâ gloriâ ex æquo cum Patre abundasset ille ab æterno, ante conditum orbem, Joan. 17. 5. tamen oportebat eam gloriam nostrâ etiam causâ patefieri, ut ipsius imperio atque præceptis essemus obsequentiores, ut de nostro Josua quoque diximus. Itaque per ejus Arcæ præsentiam in qua habitabat tota Divinitas corporaliter consecratæ deinceps aquæ aditum cuivis ad promissam illam cœlestem hæreditatem dederunt, quem modò Jesu imperio parentem trajicere illuc non pigeret. Sed hæc hactenus. Facile enim erit piis Philosophis ab his rudimentis profectis commentari meditaríque prolixè cætera eodem pertinentia.

IDEM.

1. QUia pars ea pagellæ codicis Syrici in qua primi sex versus scripti erant mutila est, non queo satis certò in his notas omnes ostendere. Interim constat v. 1. illa verba, αὐτὸς καὶ πάντες οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, esse asterisco signanda, tanquam quæ à LXXII non fuere reddita.

2. Addit m. ed. copulam per asteriscum. Habet enim ※ καὶ ↙ διῆλθον. Et mox eadem nota apponit nomen μέσης. Est enim in mixta διὰ ※ μέσης ↙ τῆς παρεμβολῆς.

3. Scribendum est, Κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *Dei nostri*. ¶ Cùm porrò sequitur καὶ τοὺς ἱερεῖς ὑμῶν, debet hoc pronomen ὑμῶν aboleri; & conjunctio quæ ibidem scripta est, cùm dicitur ÷ καὶ ↙ τοὺς Λευΐτας, est veru jugulanda. ¶ Mox post αὐτὴν addit m. ed. per asteriscum ※ καὶ ὑμεῖς ↙, *Et vos discedetis*. ¶ Pro ἐκ τῶν τόπων scribendum est ἀπὸ τῶν τόπων, sic enim habent emendata exempl.

4. Pro πορεύεσθε αὐτῇ scribendum est πορεύεσθε ἐν αὐτῇ ¶ ἡμέρας debet habere appositam stellulam.

6. Post ἱερεῦσιν est in m. ed. adscriptum cum asterisco. ※ λέγων ↙ ἄρατε, &c. ¶ ÷ Κυρίου ↙, quod bis scribitur, bis est obelisco notandum; & similiter, ÷ οἱ ἱερεῖς ↙.

7. Jugulandum veru est nomen υἱῶν, cùm dicitur πάντων ÷ υἱῶν ↙ Ἰσραήλ, & similiter particula οὕτως & quæ deinde sequitur conjunctio ÷ καὶ ↙.

8. Lege καὶ νῦν ἔντειλαι, &c. ità enim habent emendati libri. ¶ Cùm dicitur, ÷ καὶ ↙ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, &c. debet copula habere obeliscum.

9. Scribe τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *Dei nostri*.

10. Omissum est à LXXII principium quod in mixta his verbis scriptum legitur, ※ καὶ εἶπεν Ἰησοῦς ↙, ἐν τούτῳ, &c. sic enim legendum est, non autem ἐν τούτοις, ut habent vulg. codices. ¶ Pro ὅτι Κύριος ζῶν scribendum est ὅτι Θεὸς ζῶν. ¶ Legendum est, καὶ τὸν Εὐαῖον, καὶ τὸν Φερεζαῖον, καὶ τὸν Γεργεσαῖον, &c. mutato verborum ordine.

11. Habet m. ed. διαβαίνει ※ ἔμπροσθεν ὑμῶν ↙ τὸν Ἰορδάνην, &c.

12. Omissum est initium à LXXII, quod sic addendum in m. ed. est. ※ καὶ νῦν ↙ προχειρίσασθε, &c. ¶ Post Ἰσραὴλ repetit m. ed. cum stellula ※ ἄνδρα ↙ ἕνα ἀφ', &c.

13. Illud τῆς διαθήκης jugulandum obelo est. ¶ ※ πάσης ↙ debet appositam stellam habere. ¶ Post τὸ καταβαῖνον additum est in mixta ※ ἄνωθεν ↙. ¶ Post στήσεται adscriptum est ※ εἰς σωρὸς ↙ *unus acervus*. Mendosè autem in plerisque antigraphis est ὡς σωρὸς.

 14. Debet

14. Debet ✻ ἐξῆλθεν ὡς ↓ adscriptam stellam habere. Non enim est à LXXII dictum, & legendum est verbum numero plurium ἀπῆραν *discesserunt.* ¶ Expungendum est Κυρίου, cùm dicitur διαθήκης Κυρίου φέροντες.

15. ⁻ οἱ ἱερεῖς ↓ debet obelisco notari. ¶ Cùm scribitur in libris vulg. τῆς διαθήκης Κυρίου, debet Κυρίου prorsus auferri, reliquum verò obelo confodi. Rursus eadem illa verba, τῆς διαθήκης Κυρίου, scripta in vulg. libris ante ἐβάφησαν, sunt expungenda. ¶ Illud, ⁻ τοῦ Ἰορδάνου ↓, jugulandum obelisco est; & similiter in extremo, ⁻ πυρῶν ↓. Et pro ὡσεὶ ἡμέραι scribendum est ὡς ἐν ἡμέραις.

16. Cùm habent vulg. libri μακρὰν σφόδρα σφόδρα, delendum est alterum σφόδρα. Hunc locum sic legit Syrus, ἀφεστηκότα ὄρος μακρὰν σφόδρα ἀπὸ Ἀδαμὶ, &c. sed, nisi fallor, mendosé. Est autem credibile, Nomen ὄρος in margine scriptum ab aliquo fuisse qui verbi הרחק priorem syllabam imperitè avulsam interpretari volebat eo vocabulo. Porrò post Ἀδαμὶ additum est in m. ed. ✻ τῆς πόλεως, ἥ ἐστιν ↓ ἕως μέρους. Atque hîc pro Καριαθιαρὶμ scribendum est Σαρθάν. Hoc enim ei urbi nomen erat; & hoc est in probis antigraphis. ¶ ⁻ κατέβη ↓ signetur obelisco, & similiter dictio ⁻ ἕως ↓ quæ sequitur. Debet etiam pro ἁλῶν scribi ἁλός.

17. Post ἐν μέσῳ τοῦ Ἰορδάνου apponit m. ed. ✻ ἑτοίμως ↓. ¶ ⁻ υἱοὶ ↓ jugulandum est veru, cùm dicitur, καὶ πάντες οἱ ⁻ υἱοὶ ↓ Ἰσραήλ.

DRUSIUS.

1. Surrexit manè manè] i. Summo manè. Vulgò, *surrexit manè*, השכים, quod uno verbo *manitare* dicunt. Id accidit tertio die, qui erat 9 mensis Nisan. Nam 10 trajecerunt Jordanem, cùm noctem unam ibi traduxissent. ¶ *Pernoctarunt*] Defessi ex itinere quieverunt ibi unam noctem. Nihil opus alias causas quærere hujus moræ.

2. *A fine trium dierum*] Quorum fit mentio suprà 1. 11. Noster eos *moratos* existimat apud Jordanem *per tries dies*, quod mihi non fit vero simile.

3. *Sacerdotes Levitæ*] h. e. Levitici generis, aut stirpis Leviticæ. Notatum ex Genesi magno, quadragies quinquies hæc simul legi. Senes & Jon. inserunt copulam, *Sacerdotes & Levitæ*. Omnes quidem Sacerdotes Levitæ erant, h. e. ex tribu Levi; sed tamen est ubi Levitæ à Sacerdotibus distinguuntur, ut cùm dicimus, *Sacerdotes, Levitæ, & Israel.* Cæterùm Arcam gestare Cahathitarum erat. Ter quatérve id fecisse leguntur Sacerdotes; ut hîc, cùm Jordanem transirent; & cùm Jericho urbem circuirent; & cùm reducerent eam in locum suum, quo tempore David fugiebat metu Absalomi filii sui. Quartum locum addit R. D. cùm è domo Davidis eam inferrent in Sanctum sanctorum sub principatu Solomonis. Vide si placet. ¶ *Portantes eam*] Arca portabatur humeris, non jumento, non plaustro. Et portabatur à quatuor: Duo ab uno latere portabant eam, & duo ab altero latere, facie contra faciem, & posteriora eorum erant foris, לחוץ. Habentur hæc in סמג III. 2. ¶ *Ibitis post eam*] Arca nunc antecedebat, cùm hactenus eam antecesserint duo vexilla.

4. *Inter illam*] Scriptum בינו, & lectum ביניו, quod in idem recidit. Nam particulæ induunt formam nominum pluralium, ut עליו *super illum:* neque tamen pronomen affixum propterea plurale est, ut inepti planè sint qui hîc legunt *inter illas*, ביניהם, duas arcas innui existimantes, quarum altera fuerit urna in qua Josephi ossa condita. Si Judæi omnes boni Grammatici essent, non sic ineptirent. Sic est profectò; Qui parva contemnit, sæpe in magnis hallucinatur. Ideo rectè dixit Sirachides, *Neque in parvo neque in magno quicquam ignores.* ¶ *Spatium*] Alii, *intervallum*; alii, *interstitium*. Ebr. רחוק, i. *Longè erit inter vos & illam*; aut *longinquum*, ut *spatium* subintelligatur. Valde se hoc probat mihi. ¶ *Circiter duorum millium cubitorum*] Vel, *duorum millium cubitorum*, ut sit Caph ἀληθινόν. Sic sanè Vulg. noster, *spatium cubitorum duûm millium.* Hoc videtur velle. Sit spatium inter vos & arcam duûm millium cubitorum, itá ut longiùs ab ea non absitis, propter instans sabbathum, quo venire debetis ad arcam precandi causâ. Proditum est memoriæ, Arcam, quæ erat in medio castrorum, abfuisse ab extremis castris tanto intervallo & spatio. Unde *iter sabbathi*, quod erat duorum millium cubitorum, Nec licebat Judæis eo die ulteriùs progredi aut longius iter conficere propter illam causam quam dixi. ¶ *In mensura*] ἐν τῷ μέτρῳ cum articulo, qui hîc planè otiosus non est. Nam innuit mensuram certam & notam ipsis, quâ fortasse usi fuerant in opere tabernaculi. Videndus R. D. ¶ *Non transiistis per viam*] Emenda *per viam hanc*, h. e. per flumen. Nam per mare quidam transierant, sed non per fluvium, videlicet qui minores erant viginti annis cùm pœna de non ingrediendo Terram propter contumaciam & rebellionem in eos statuta esset in deserto adhuc degentes & commorantes. Vide Masium. R. D. exponit *per aquam.* ¶ *Ab heri & nudiustertius*] i. Antea. Proverbiale. Masius explicat, *pridem* aut *nuper*. Cato eo sensu dixit *pridie*. Vide Adagia mea sacra, p. 267. Apud Homerum Il. 2. χθιζά τε καὶ πρώϊζα, de plurium annorum tempore. Jam tum enim novem circiter annos Trojam obsederant. LXX ἀπὸ ἐχθὲς καὶ τρίτης ἡμέρας. Hieron. *prius.* Thargum, *ab heri & à die qui eum antecessit.* Sic infrà 4. 21.

5. *Dixitque Josua*] Die tertio. Primus horum trium dierum, ut R. S. annotat, erat 30 luctûs Mosis. Nam luctus Mosis qui publicus erat durabat per 30 dies, ut cùm diem suum obiisset Jacob Patriarcha. Hinc liquet ab obitu usque ad transitum intercessisse 33 dies. Cæterùm luctus mortui privatus durabat duntaxat 7 dies, ut liquet ex Sapientia Jesu Sirach. Quidam vertunt, *Dixeràtque Josua*, nempe cum è Settin moverent. ¶ *Sanctificamini*] Vel, *Sanctificate vos*, i. præparate vos. Sic Jon. & R. D. LXX ἁγνίσασθε, *Purificamini.* Quod non nemo exponit, *Abstinete ab uxoribus.* Vide Liram. De vestis lotione, quam *sanctificationis* vocabulo sæpe significant, & secubitu accipiunt hoc verbum Exod 19. 10, & 15. item Num. 19. R. D. *Estote parati ad trajectionem, & preparate vasa vestra & omnes res vestras.* Pro lotione facit illud quòd *sanctificare manus* accipiatur pro *lavare.* ¶ *Cras*] Quando Jordanem transibitis, qui erat 10 mensis Nisan. ¶ *Mirabilia*, θαυμαστά] Nam aqua stabat in cumulum, & siccis pedibus transibant per flumen. Quæ omnia non sine miraculo acciderunt; siquidem humanâ operâ vel industriâ talia fieri nequeunt. *Mirabilia*, inquit Augustinus, *vocantur quæ Deus facit, contra solitum cognitúmque nobis naturæ cursum*, & aliàs, *Mirabilia præter naturam fiunt. Naturam* hîc dicimus solitum cursum rerum, aut causas occultas eventuum, quorum ratio reddi non potest.

6. *Dixit ad sacerdotes*] Hoc accidit die decimo, cùm Jordanem transirent. Ecce princeps jubet, & Sacerdotes parent, etiam contra præscriptum Dei, qui præcepit ut Cahathitæ Arcam portarent. Potuissent ergò se facilè excusare: Nam res non carebat omni omnino periculo. Sed operæ pretium est audire Andream Masium hominem politicum saniùs de hac re prophetantem quàm fortasse nostri Prophetæ facerent, qui se itá vocant, cùm sint rerum sacrarum imperitissimi, ultra catechismum עַם יְגַע nihil aut parùm admodum sapientes. Verba Masii habentur in Commentario ipsius ad hunc locum, *Igitur quod ad præsens Josuæ in Sacerdotes imperium attinet, aperta res est non tam Josuæ id esse quàm ipsius Dei, cujus diserta jussa*, [Nusquam à Deo Josuæ hoc præceptum disertè legitur] *ut vers.* 8. *patefaciet, ille hîc exsequitur. Nefas enim profectò hîc alioqui fuisset, eam quæ antè à Deo fuerat portanda Arca præ-*

præscripta ratio, ipsum suâ autoritate mutare, aut etiam in ea ceremonia cujus nullum erat ad rempub. rectè gerendam, quam ille habebat procurationem, momentum, quippiam Sacerdotibus præscribere quod non esset expresso Dei verbo aut sacrosanctæ Ecclesiæ bono usui consentaneum. At verò si Sacerdotes vel sacris legibus vel usu sancitum approbatúmque colendi Dei ritum & sacra aut negligenter aut non ritè conficiant, aut etiam violent, aut denique improbis actionibus reip. statum conturbent lædántve, non alienum esse à profani Principis munere ipsos sui officii admonere, atque etiam, si opus sit, ab eo quod improbè faciunt, suo imperio refrenare, videtur sacrarum literarum testimonio atque exemplis confici posse. ¶ *Tollite*] In humeros vestros; vel, portate humeris: quomodo sanè Arcam portandam esse Deus antea in Lege præceperat.

7. *Hodie*] Qui erat 10 Nisan. ¶ *Magnificare*] Magnum facere. Lxx ὑψῶσαί σε, *extollere te*, Hieron. *exaltare te*. לְהָרִימְךָ. Vide infrà 4. 14. ¶ *Sicut fui cum Mose, ero tecum*] Ut coram Mose mare fidi, sic findam coram te Jordanem: Ità cognoscent me tecum esse sicut fui cum Mose.

8. *Usque ad extremitatem aquarum Jordanis*] Quam extremitatem intelligat incertum reddunt interpretes, aliis de ripa citeriore, aliis de ulteriore locum exponentibus, in queis R. D. & Masius; quibus ego adsentior, ut dicat, Cùm ad ripam adversam perveneritis, Jordane trajecto, consistite ibi in flumine donec universus populus transierit. Ferebant autem secum 12 lapides; & alios 12 statuit Josua in loco ubi Sacerdotes stabant Arcam ferentes, ut pòst indicabitur. In Comment. Camii perperam עב legitur pro עבר. Est autem העבר השני *ripa altera ulterior*, sive *adversa*, ubi alveus non citerioris, sed adversæ ripæ. עבר enim utrumque significat.

10. *Per hoc*] i. Per hanc miraculosam trajectionem, ubi alveus fluminis exficcabitur, & pars superior aquarum consistet firma instar muri. ¶ *Deus vivus*] Cur *vivus*? An ad differentiam idolorum, quæ simulacra sunt hominum mortuorum? Aut potiùs *vivus*, i. sempiternus, qui propterea etiam vocatur *vivus seculorum* חי עולמים. Sic *aqua viva*, i. perennis. Job 19. 25. *Scio Redemptorem meum vivere*, i. æternum esse, quod Senes expresserunt per nomen ἀέναο͂ς. *Vivus*, quasi vividus, i. multo vigore præditus; aut *vivens*, ut *viventia signa*. Masius opinatur ideo *vivum* dici quòd sit agilis, vegetus, acer & industrius. חי, inquit, *sign. agilem Dei industriam atque actuosam providentiam curamque, quâ semper opem fert suis, succurrítque in tempore ipsorum saluti. Vita enim, ut ait Aristoteles De animal. actio est, atque ex motu potissimum cognoscitur. Et quorum nulla actio motúsque apparet, ea mortua aut certè languida torpentiáque esse censentur.*

11. *Domini totius terræ*] Vel, *arca Domini totius terræ*; vel, *federis Domini totius terræ*. Antiquæ translationes Lxx, Aq. & Sym. habent Κυρίε, vel κυριεύοντο͂ς, vel δεσπότε τῆς γῆς. Hieron. quoque *Domini omnis terræ*. Sed accentus qui in Ebræo nos admonet de alia versione, quam Masius secutus fuit, *arca federis, Dominus totius terræ*. Vocatur enim Arca hîc *Dominus totius terræ*, ut alibi dicitur *Elohim, Deus venit in castra*. Arca vocatur *Deus*, quia Deum ut aspectabile signum repræsentabat. Nam symbolum erat præsentiæ Divinæ. Sic etiam *Dominus* vocatur nomine tetragrammato, ut cùm legimus, *Surge Domine*; &, *Revertere, Domine*. Neque tamen inde sequitur nomen illud tribui creaturis. Nam non tribuitur Arcæ simpliciter; sed quia Deus in ea præsens erat, ideo sic vocatur. Sic *coram Domino*, quod passim occurrit, Ebræi exponunt *coram arca*. Videndus R. D. ad hunc locum. Contrà Deus *cœlum* vocatur, quia in cœlo habitat. Aliter; *Ut mons Domini*, i. Domus *Domini*; & *clavis David*, i. domus David; sic fortè *Dominus* pro Arca Domini, & Deus pro Arca Dei.

13. *Aquæ descendentes*] Quod sequitur מלמעלה, id quidam referunt ad participium *descendentes*, q. d. Descendentes ex superiore loco. Alii hoc pertinere putant ad verbum *exscindentur*; ut dicat, *exscindentur aquæ descendentes ab iis quæ ex supero venient*, h. e. ab aquis superioribus, *quæ stabunt* (Vau pro אשר insolens non est) *in acervum unum*. Quæ interpretatio mihi coacta videtur. Veritas, *descendentes desuper*, i. ex loco superiore. Nec obstat Vau copula, quæ sæpe redundat. Aut ordo & constructio est, *Et aquæ descendentes desuper stabunt*, &c. Vide infrà v. 16. ubi vertunt *descendentes supernè*. Vide Tremellium.

15. *Tincti erant in extremitate aquarum*] Tres hîc sententiæ. Quidam putant eos constitisse in ea ripa ex qua in flumen descenderant. Alii censent processisse ad medium usque alveum. Masius eos pervenisse arbitratur ad oppositam ripam, ibique constitisse dum populus transsiisset. ¶ *Jordanis repletus erat juxta omnes ripas alvei sui* [Imò *replebat omnes ripas suas*. Nam in Deut. est מַמלֵא sequente על] *omnibus diebus messis*] De hoc fluvio idem scribit Aristeas, *Messis*, inquit, *tempore alveos excedit & redundat ut Nilus*: vel certè, *perinde ut Nilus circa tempus messis exundans multum terræ irrigat*, p 38. ex versione Sarbitii. Idem proditum Sirach. 24. 26. R. S. Dies messis sunt in diebus Nisan, h. e. mense primo, qui *Nisan* Ebræis. Nam eo tempore propter æstum nix dissolvitur, atque ità replentur flumina, exundántque. Quidam existimant ad bis mille cubitos aquam exundasse. Cubitus autem, ut Lira notat, continet pedem cum dimidio; ut alii, duos pedes. Quæ dicta sunt de exundatione Jordanis, firmabis ex 1 Par. 12. 15. *In mense primo ipse* Jordanis *replebat omnes ripas suas*.

16. *Ab Adam urbe*] Hæc urbs in Græcis quibusdam Ἀδαμὶ vocatur. Quidam eandem faciunt cum *Adama*, cujus mentio Jos. 19. 36. Tiberiadis stagno vicina erat; Masius ad hunc locum. Videtur fuisse oppidum ignobile. Cod. Latini variant: nam in aliis est *Edom*, & in aliis *Adam*. ¶ *In mare solitudinis*] Lxx εἰς τὴν θάλασσαν Ἀραβὰ. Sic etiam Aquila interpres. Sym. τῆς ἀοικήτε. Jon. *in mare planitiei*. Quod Masius expressit. Trem. *mare campestrium*. Eusebius De locis Ebr. *Araba, Aquila Planam* (ὁμαλὴν fortè) *Sym. Campestrem interpretantur*. Mercerus annotat vocabulo *Araba* denotari *locum planum non desertum omnino, nec planè fertilem, sed mediæ cujusdam naturæ, ubi tantùm pabulum jumentis aptum crescat, quod μίγμα vocatur*, Amos 6. 14. Sed vide sodes Notas meas ad Dictionarium Ebra. Forsteri. Nicolaus, *Locus iste erat magnus lacus: & vocatur Mare juxta modum loquendi Ebraicum, quo omnis congregatio aquarum Mare vocatur. Sic stagnum Genesareth vocatur mare Tiberiadis & Mare Galilææ. Vocatur autem mare Solitudinis, quia est juxta desertum Sin.* Sed vide Masium. Vocatur etiam *mare Mortuum*, eò quòd nullus piscis ibi possit vivere. Videndus Lira hoc in loco. Vocatur etiam *lacus Asphaltites*, & *lacus Sodomenus*. ¶ *Mare salis*, θάλασσαν ἁλὸς] i. Salsum, propter salsilaginem quam gustata refert. Nam aqua ejus excessivè salsa, ut observat Lira. Quidam à salis fodinis appellationem habere putant. Sciendum verò, cùm Deus Sodomam perderet, sulfuri admixtum fuisse sal propter ejus gravedinem, ut fortasse indè salsuginem illam contraxerit ejus aqua. Sunt etiam qui *mare solitudinis* indè appellatum censent.

17. *In medio Jordanis*, ἐν μέσῳ τῶ Ἰορδάνε] i. intra Jordanem. Sic Tyrus legitur sita *in corde maris*, i. intra mare, nam non procul aberat à continente. *Cor* autem pro *medio* poni amat. ¶ *Parando*] commodam trajectionem. Quidam *firmi*, i. נכונים. Sic alibi נכון כסאך *firmum solium tuum*, vel certè מוכנים. Hieron. *accincti*, i. parati ad omnia. Tharg. מתקנים *præparati*. Alius, הכן *rectè, firmiter, solidò, constanter*, ut sit adverbium, sicut אכן *verè, profectò*. Hoc ultimum mihi præ cæteris placet. Fruatur quisque judicio suo. ¶ *Omnis gens*] Lxx πᾶς ὁ λαός, & Hieron. *omnis populus*. כל עם. Nota גוי de Israele dici. Sic Exod. 19. 6. *Gens sancta*. Communiter usurpatur de populo infideli sive de infidelibus, quos veteres Christiani *Gentiles* & *ethnicos*

nicos & *paganos* appellarunt. Hodie Judæi גוי vocant hominem Christianum; ut cùm dicunt, *Gens & Ismael*, innuentes Christianum & Turcam Arabem. Sic גויה *mulier Christiana*.

IDEM.

4. מִתְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם. Th. ἀπὸ ἐχθὲς καὶ τρίτης ἡμέρας, *ab heri & nudiustertius*.

11. אֲדוֹן. A. κυριεύοντος, *dominantis*, sive *dominatoris*. Sym. δεσπότου, *Domini*] Locus plenior, δεσπότου πάσης γῆς, *Domini totius terræ*, & est periphrasis Dei.

13. מִלְמָעְלָה. Th. ἄνωθεν *desuper*. ¶ נד אחד. Sym. ἄσκωμα ἕν. Th. εἰς σωρός] Quod Theodoretus Quæst. in Jo. qu. 1. explicans, ἐπεχομένη, inquit, τῶν ὑδάτων ἡ ῥύμη οἷον ἠσκοῦτο καὶ ἐκορυφοῦτο, Psal. 33. 7. כַּנֵּד, idem Sym. ὡς ἐν ἀσκῷ, *ut in utre*. LXX ὡσεὶ ἀσκὸν, nisi leg. ὡς εἰς ἀσκὸν, *quasi in utrem*. Confundunt נד cum נאד, quorum hoc *utrem*, illud potiùs *acervum* aut *cumulum* denotat. Si divinare licet, ἄσκωμα est *acervus utris in morem assurgens*. ¶ Εἷς σωρὸς, *unus acervus*. Oratio plena erit si addas notam assimulantem, ut sit, *quasi unus acervus*. Talia sunt, *Catulus leonis Juda*. *Nec excitatur classico miles gravi*, pro, *ut miles*. Porrò σωρὸς *cumulus, acervus*, optima interpretatio.

16. יָם הָעֲרָבָה. Hieron. *in mare solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum*. A. Ἄραβα. Sym. τοῦ ἀοικήτου] Ἄραβα. εἰς τὴν θάλασσαν Ἄραβα, LXX. ¶ Ἀοικήτου, *loci inhabitabilis sive inculti*. Lex. vetus Ἀοίκητος, *inhabitabilis*. Id communiter & usitatè dicitur ἀνοίκητος. Sed ἀνοίκητος reperitur etiam in Aq. Deut. 32. 10.

17. הָכֵן. A. Sym. ἕτοιμοι, *parati*.

GROTIUS.

4. *Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duûm millium*] Confer Num. 2. 2. Cùm è castris ad Arcam Sabbatis maximè iri deberet, hinc sumpsere argumentum sapientes definiendi iter Sabbati, in ipsa Lege non definitum. Inter labores sunt magna itinera, quæ non permitti Sabbato satis constabat, Matth. 24. 20. Ovidius,

——— invitos currere coge pedes.
Nec pluvias opta: nec te peregrina morentur
Sabbata.

Omnem egressum vetare, durum fuerat: nec eum sensum esse legis de sabbato, ex hac lege constabat. Vide Act. 1. 12.

7. *Incipiam exaltare te coram omni Israele*] A Mosis temporibus ad Saulis tempora Deus aut miraculis aut factis humanam spem excedentibus monstrabat quos Principes esse populi sui vellet. Vide infrà 4. 14. & passim in Judicum libro.

16. *Steterunt aquæ*] Quidni Deo facile quod Magis tribui solet? Ovidius,

Inque caput liquidas arte recurvat aquas.

Lucanus,

——— de rupe pependit
Abscissa fixus torrens, amnisque cucurrit
Non quà pronus erat.

¶ *In mare solitudinis*] *Mare campestre* potiùs, quod camporum in locum successit. Nam ערבה ἄραβα, quod hîc ponitur, *loca* sign. *plana*, πεδινὴν ἀοίκητον Aq. non tamen sterilia: in iis enim pabulum nascitur, quod μίγμα dicitur.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

9. *Sub statione*] h. e. Juxta locum ubi Sacerdotes præparati stabant, & exspectabant donec omnia Dei jussa perficerentur; ibi, inquit, erecti sunt quoque 12 lapides in perpetuum signum stationis Sacerdotum & Arcæ. Necesse autem est ut hi lapides magni fuerint, quos impetus aquæ à suo loco amovere non potuit, quippe qui *in præsentem usque diem* (dicit textus) *ibi manserunt*. Et cùm signum fuerint miraculi Divini, necesse est ut capita erexerint supra aquam. Quomodo aliàs signum ab homine adverti potuisset, si lapides sub aqua delituissent?

10. *In medio Jordanis*] h. e. Intra Jordanem, cùm ad alterum latus seu ripam Jordanis concessissent, sicut dicitur capite priori quòd *steterint Sacerdotes in extremitate Jordanis*, & non in medio alveo.

11. *Sacerdotes ante populum*] Non in Jordane, sed cùm populus Jordanem transisset, exspectavit in littore, donec Arca & Sacerdotes ipsum transissent, secuturi ipsi Arcam & Sacerdotes.

18. *Transposita*] Capitur hîc נתק pro העתיק *transferre*. Motis, inquit, pedibus Sacerdotum de alveo Jordanis in terram siccam, mox concurrerunt aquæ, & vadum illud est exinanitum per quod Israelitæ transierant. Et secundùm Hebræos vadum illud spatio 12 milliarium tendebatur, cùm Jordanis eo tempore inundaret.

23. *Timeretis*] Scribitur hîc præteritum loco futuri, id quod & Chald. interpres observavit, qui תדחלון interpretatus est.

VATABLUS.

1. *Dixerat autem*, &c. ויאמר] Observanda parenthesis, usque ad finem secundi versûs, de qua admonet doctus inter Hebræos.

2. *Viros singulos*, איש אחד איש אחד] Ad verb. *Virum unum, virum unum*, ut c. 3. 12.

3. *E loco ubi stant pedes Sacerdotũ*, ממצב רגלי הכוהנים הכין] Ad verb. *De statione pedum Sacerdotum præparatorum*, i. De loco ubi consistunt pede fixo. ¶ *Et deponatis*, והנחתם] Ad verb. *Et collocetis*. ¶ *Nocte*, הלילה] Sub. *sequenti*, i. in loco ubi figetis tentoria sequenti nocte, finis est parenthesis.

5. *Et tollite*, &c. והרימו וגו'] i. Imponite humeris vestris.

6. *Signum in medio vestri*, אות בקרבכם] *Signum inter vos*, i. quod revocabit vobis in memoriam tantum beneficium. ¶ *Cras*, מחר] i. Posthac, in posterum, in futurum. ¶ *Vobis?* לכם] Sub. *significant*, i. quid sibi volunt lapides isti?

7. *Quòd interciderunt*, אשר נכרתו] *Quomodo intercisa fuerunt*. ¶ *Ante arcam*, מפני ארון] *Ad conspectum* [sive *ad adventum*] *arcæ*. ¶ *In memoriam*, לזכרון] *In memoriale, in monumentum*.

9. *Sub loco ubi steterant pedes Sacerdotum*, תחת מצב רגלי הכוהנים] Ad verb. *Sub statione pedum Sacerdotum*, ut v. 3. i. in loco ubi stabant Sacerdotes deferentes, &c. Quidam exponunt תחת *in imo alveo*.

10. *Stabant*, עומדים] *Steterunt*. ¶ *Prorsus ut præceperat*, ככל אשר צוה] Ad verb. *Juxta omne quod præcepit*. ¶ *Itaque festinanter*, &c. וימהרו העם ויעבורו] Ad verb. *Et festinavit populus, & transivit*.

11. *Ante populum*, לפני העם] i. Qui præcesserant populum. Quidam Hebræorum exponit, *inspectante populo*. Alii, *ut irent ante populum*.

13. *Ante Jehovam*, לפני יהוה] Sic sæpe in Scripturis vocatur arca federis Domini.

16. *Ut ascendant ex Jarden*, ויעקו מן הירדן] i. Ut veniant in ulteriorem ripam Jordanis.

18. *Et translata fuissent*, &c. נתקו וגו'] Cùm primùm recesserunt ex alveo. ¶ *Et fluxerunt*, וילכו] Ad verb. *Et iverunt*, i. decurrerunt eodem modo quo antea facere consueverant.

21. *Isti?* האלה] Sub. *sibi volunt*, aut *significant?*

22. *Per aridam*, ביבשה] i. Pedibus siccis.

CLARIUS.

6. *Filii vestri cras*] Hebraismus est, h. e. in posterum.

11. *Pergebant ante populum*] Non in Jordane, sed cùm populus Jordanem transisset, exspectavit in littore donec Arca & Sacerdotes ipsum transissent.

MASIUS.

MASIUS.

1, 2, 3. *Amque absolverant omnis gens trajectum Jordanis,* &c.] Hoc capite commemorantur ea quæ post trajectionem, cùm apud Jordanem, tum in Galgalis, ubi castra sunt posita, gerebantur uno illo ferè die. Et primò quidem de sublatis è fluminis alveo 12. saxis agitur, quæ rem mirabiliter actam æternæ memoriæ mandarent; mox de aliis 12. quæ in illorum locum in ipso alveo sunt posita. Deinde Sacerdotum exitus è Jordane, & aquarum ad suam naturam reditus describitur. Et interim in totam narrationem confunduntur ea quibus Imperator populi animos religione atque pietate adversùs Deum perfundere laborat. Jam verò nè monumentum illud 12. lapidum in Galgalis ponendorum quasi inani quadam superstitione aut gloriæ ambitu constitutum ab Imperatore videri possit, exponitur initio, ejus rei agendæ auctorem fuisse Deum, ut qui Josuæ, cùm eum cætera quæ ad trajectum attinebant edoceret, id simul in mandatis dederit. Existimandum est igitur, cùm Imperator trajiciendi rationem modúmque populo explicasset, atque hoc etiam de lapidibus consilium Dei exposuisset, delectos illico esse viros 12. à suis quemque tribulibus, simul Imperatore approbante, qui hoc munus exsequerentur, cùm jussi ab Imperatore essent, cujus deberent nutum ad eam rem exspectare atque observare. Cur autem suus cuique tribui lapis statueretur, non est obscurum. Suum enim quamque tribum statuere trophæum de superato mirabiliter flumine erat utile, ut unaquæque ad suos posteros rei memoriam tantò certiùs posset propagare. Ad hoc, erat illud monimentum quasi scriptura quædam quâ tribus omnes & singulæ hæredes terræ Chananææ scribebantur à Deo; aut, si mavis, singuli lapides tanquam divinæ illiusmodi scripturæ sigilla. Quâ ratione Moses quoque Exod. 24. 4. cùm sacras leges Divinitus in monte Sinæo accepisset, conscriptásque jam populo recitaret atque imponeret, 12. statuebat saxa, quibus scilicet quasi sigillis tribus singulæ leges illas obsignabant, comprobabant, sanciebant, & tanquam jurabant in ipsas. Quanquam enim duabus tribubus & dimidiæ sua hæreditas obvenisset citra Jordanem, tamen sicut eadem una omnium tribuum communis manebat religio, ità & hæreditatis quoque communicatio atque societas minimè per interlabentem fluvium interrupta censeri debebat. Quis enim unquam existimavit illas tribus promissionum Divinarum fructu prorsus caruisse, quæ promissiones Chananææ hæreditatem electo populo pollicebantur? Sed an Galaaditis ad Chananæam pertinuerit, & actum suprà paucis est, & copiosiùs disputabitur à nobis alio loco, si vita suppetet. Porrò מצב *statio*, h. e. locus in quo stabant pedes Sacerdotum, vocatur proculdubio hîc, non ipsa vestigia quibus Sacerdotes insistebant. Credibile est enim eos magnâ religione se non movisse loco, ut semel fixissent pedes, usque dum efferre Arcam jussi essent, nè proximè impendens cervicibus aquarum illa ingens moles moveretur etiam ipsa. Ad hoc, videbimus mox Imperatorem alia saxa in eorum quæ ablata fuerant loca supponentem; quæ sanè Sacerdotum plantis subjicere non potuit, nisi scrupos potiùs quàm saxa fuisse putemus. *Stationem* ergò *pedum sacerdotum* vocat Sacra narratio, non quem locum pedes illorum circumscribebant vestigiis, sed propinquum, intra alveum fluminis tamen.

4. 5. *Igitur Josua vocavit duodecim viros, quos paraverat,* &c.] Hîc luculenter apparet verbi illius הכין, de quo nuper multa, notatio. Significat enim non *figere*, aut *figi*, sed *parare*. Paraverat autem eos 12. viros Imperator, quia paratos adesse jusserat ad suum nutum, ut diximus cùm eos tribules ipsi designassent; vel quia eas designationes ipse approbasset, & quodammodo unà designasse videri poterat. Jam ut diximus, emensi erant omnes flumen, evaserántque in oppositam ripam, h. e. in Chananæam, præter bajulos Arcæ, cùm Imperator, memor jussorum Dei, istis viris mandat, ut redeuntes in alveum apud Arcam, quisque lapidem sustollat in humeros atque indè asportet. Hæret igitur iste quartus versiculus narrationis filo cum primo; secundus verò tertiúsque parenthesis sunt; quod à R. D. K. quoque est annotatum. ¶ Epitheta illa, *Domini Dei vestri*, rursus religionis causâ dicta sunt, nè rem non maximè seriam agere se existiment delecti isti viri. Eodem spectat illa quoque clausula, *pro numero tribuum filiorum Israel*. Intelligunt enim, se reipub. totius munere fungi, in quo sacrum aliquod mysterium versetur. Piget me profectò referre Talmudicorum nugas de lapidum istorum magnitudine, quos Rabbinos quosdam suos esse dimensos fabulantur, eo libro quem סוטה vocant, c. 7. Quid enim hoc aliud est quàm in rebus seriis pueriliter ludere? Illud certum est, non majores eos fuisse quàm quos viri singuli asportare indè ad Galgala usque possent.

6. *Ut sit hoc signum apud vos. Quando interrogabunt,* &c] Explicatur jam quæ fuerit asportandorum atque in Galgalis ponendorum lapidum causa, sed paucis, atque præcisiùs, quippe potissimùm ad 12 viros modò; prolixiùs autem pleniúsque in hujus capitis extremo. Sed lubet admirari hoc loco immensam Dei erga humanum genus benignitatem, qui cùm nostræ nos salutis, quæ in ipso agnoscendo, amando, colendo tota est posita, plurimis quotidiè maximísque beneficiis admonet, atque ad se animos nostros revocat, adeò ut nisi essemus mente obstinatissimâ atque in carnis nostræ voluptatibus affirmatissimâ, nunquam aliò cogitationes nostras averteremus, insuper etiam adminicula commonstrat ultro quæ præclarissima quæque sua in nos beneficia nobis nè negligentissimis quidem excidere patiantur. Erat profectò tam insigne hoc transvectionis beneficium, quo perpetuam naturæ legem perfregerat ut populo suo commoditatem crearet, ut meritò absque aspectabilibus monimentis ad sempiternam posteritatis memoriam grato animo propagari debuerit; verùm ille conscius suis humanæ incuriæ atque vecordiæ, jubet rem tantam 12 notari saxis, quorum quotidianus aspectus ab oblivione eam vindicaret saltem. Sic pro memorabilissimo illo fœdere recordando cogitandóque quod post orbem submersum cum humani generis reliquiis inibat jam tum placatior, arcum suum in nubibus observare jussit, Gen. 9. 13. Monimentum sacrosanctæ pactionis quam cum Abrahamo fecit Circumcisionem esse voluit, Gen. 17. 11. Liberationis Ægyptiacæ nè quando Israelitas caperet oblivio, sacrum Pascha instituit μνημόσυνον, Exod. 12. Sed nè vetera persequar; sunt enim plurima; ab eadem causa esse profecta existimandum est quæ sacrosancta atque amabilissima nostra mater Ecclesia nobis proposuit, sive in anniversariis Festis, sive in Imaginibus & Statuis atque Simulacris Christi Jesu, & reliquorum sanctissimorum hominum monimentis: nempe ut quæ ille salutis nostræ gratiâ & fecit & passus est, ea assiduo & grato animo recolentes ipsius amore inflammemur magis magísque, & tanquam unicum salutis nostræ auctorem adoremus; quæ verò Divorum quisque per virtutem & in Christum fidem patravit observantes, ad eorum exemplum vitam nostram instituamus componamúsque. Quapropter in nefario crimine ponendum ego certè existimo, quòd quidam ista sacrarum rerum monimenta non religiosè sed rabiosè, non piè sanctéque sed petulanter & protervè è sacris ædibus non removent modò sed cum contumelia & ludibrio ejiciunt. Quod facinus quanta in moribus licentia, in Deum impietas, adversùs Magistratum rebellio, &, ut semel dicam, in omni genere deformatio reip. consequatur, non solùm ipsâ experientiâ acerbum & triste, sed cogitatione etiam luctuosum est piis & antiquæ probitatis hominibus. Sed est illico in ore Ezechias à pietate atque religione laudatus Rex, qui æneum serpentem à Mose Divino conflatum consilio confregit, 4 Reg. 18. 4. Atqui id ille faciebat, ut Sacra narrat historia, quia Israelitæ ei serpenti adolebant barbaro ritu, próque Deo eum colebant, quem נחשתן *Nehustan*, q. *ahenenum Deum* dicas, nominatim compellabant. At idem ille à Mose ipso, à Josua, à Davide, ab aliis sanctissimis Imperatoribus & Principibus viris non confractus sed conservatus fuerat. Quare similiter id cautum potiùs etiam nunc per sacras con-

conciones admonitionésque oportuit, nè bene & pro reip. salute constitutis rebus pauci quidam malè uterentur, quàm in commune omnibus tam commoda pietatis adminicula tanta cum petulantia, nullâ auctoritate bonâ, ire ereptum. Sed revocanda est oratio ad institutum. ¶ Particulam כי interpretatus sum *Quando*, quod etiam LXXII fecerunt. Posset tamen æquè commodè accipi ut caussam ostendat ponendi monumenti; quo sensu esset retinenda exprimendáque conjunctio quæ in proximi versûs initio est scripta. Nam ea alioqui, ut supervacanea, potest omitti. ¶ Adverbium *Cras* ut hoc loco ità alibi sæpe omne tempus quod futurum est significat Hebræis ἀορίσως. q. d. *Quandocunque posteris temporibus interrogaturi sunt qui è vobis nascentur.*

7. *Et dicetis illis, Quia defecerunt aquæ Jordanis,* &c.] Hæc doctrinæ ratio, quâ præclara Dei opera parentes inculcent filiis, legúmque & constitutionum atque ceremoniarum sacrarum rationes ipsis exponant atque explicent, tam crebrò in S. literis jussa legitur ut locos indicasse nullum sit operæ pretium. Nimirum cùm nihil mortalibus debeat esse antiquius verâ religione, quæ sola ad immortalitatem aditum dare potest & beatos efficere, nulla potest à parentibus hæreditas potior utiliórque liberis relinqui quàm si ipsos probâ religione ac pietate adversùs Deum informari, sanctísque colendi Numinis ritibus institui curent: Ut neque contrà ullius rei melioris exhæredes facere filios suos, aut ipsos negligere perniciosiùs illi possunt, quàm si istarum rerum expertes educari sinant. Observanda est autem hoc loco sanctissima Josuæ pietas, dum gratissimum animum suum in Dei majestate simul & beneficentia, qui suâ præsentiâ flumen exsiccaverat, ità defixum habet, ut iterum iterúmque repetitis verbis rem tantam commemorando magnâ suavitate recordationis perfundi, séque vix satiare posse videatur. Quare non satis rectè ut à LXXII ità & Latino illa verborum repetitio tanquam βαττολογία non est repræsentata sed silentio dissimulata. ¶ Quòd porrò lapides dicuntur *monimentum fore Israelitis usque in seculum*, significat eam tam insignis beneficii Dei, quo Patres affecerat, propagationem ad omnem posteritatem usque in sæculum, esse veluti vinculum quoddam quo universum Israelis genus, quotquot per omnes futuras ætates essent nascituri, conjunctos se atque consociatos esse beneficentiarum Dei communione intelligere possent, atque ad numerum filiorum Dei, quos ille semel gratuitâ benignitate adoptasset, se pertinere. Rectè ergò Augustinus monet, illud, *usque in seculum*, aut, ut ipse ex LXXII convertit, *usque in æternum*, ad rem per lapides significatam pertinere, cùm ipsi æterni non essent, Quæst. in Josuam. Quanquam certè τὸ עולם *Olam* Hebræis non semper *æternum* est, ut neque Græcis αἰών, sed sæpe *seculum*, atque etiam temporis spatium seculo brevius significat.

8. *Itaque filii Israel fecerunt ut jusserat Josua,* &c.] *Filii Israel* vocantur per Synecdochen 12. illi viri ad ferenda 12. saxa delecti, quia suam quisque tribum, à qua fuerat designatus, repræsentabat; ac proinde simul omnes, populum universum, quem *filios Israel* solent S. literæ nominare. ¶ Sed cur LXXII interpretes illam S. verborum comprehensionem, למספר שבטי בני ישראל, h. e. ad verbum, *Pro numero tribuum filiorum Israel*, sic redderent, ἐν τῇ συντελείᾳ τῆς διαβάσεως τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, h. e. *cùm absolverent trajectum filii Israel*, ego certè causam justam nullam videre possum. Nam ut demus ipsam trajectionem veluti recensionem quandam populi fuisse, atque ideo pro verbo מספר, quod alioqui *numerum* significat, illos reddidisse διάβασιν *trajectionem*, certè Deus ista non mandârat Imperatori postquam absolvissent, sed priùs quàm auspicati essent Israelitæ trajectum. Sed referunt, dices, illi interpretes eum verborum ambitum non ad id tempus quo Deus mandata illa Josuæ dederat, sed quo viri ea conficiebant; conficiebant autem peracto trajectu. Atqui nuperrimè, v. 5. scilicet, rectè converterant, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν φυλῶν τοῦ Ἰσραὴλ, eadem prorsus verba; quæ ergò erat ratio cur nunc ea sensu tam diverso interpretarentur, quæ minimè sunt ambigua? Sed ego existimo, quod semel dictum fuerat, neque alioqui magnopere dictu necessarium videbatur, cùm res ipsa per se satis esset perspicua, id ab illis interpretibus hoc loco esse præteritum, & pro eo aliud redditum quod narrationem faceret dilucidiorem, nempe, Tum demum sublatos asportatósque à viris esse è Jordane 12. lapides cùm universa multitudo trajectionem absolvisset. Ego verò de his prolixiùs jam disserui quàm instituta ratio mea postulabat: sed volebam ostendere, eos interpretes nonnunquam certo consilio, non errore, aliud quàm Hebræum habet reddidisse. Id enim compluribus in locis ab illis esse factum, visus mihi sum animadvertere. Cæterùm an delecti illi, simulatque suum quisque lapidem in humeros sustulissent, depositum onus ad Galgala properarint, quam R. D. K. opinionem habere videtur, an verò Arcæ pompam suo quisque ordine locóque prosecuti sint, quod ego esse verosimilius puto, neque satis explicatum est, neque scire magnopere refert. Sed Imperatorem saxa in Galgalis spectabili situ statuisse, & veluti dedicasse, id verò ad v. 20. ostendemus.

9. *Duodecim item lapides statuit Josua intra Jordanem,* &c.] Quin à Deo mandatum istud habuerit Imperator, equidem dubitare neminem debere arbitror, cùm in rebus omnibus ab ore Eleazaris Pontificis, tanquam interpretis & administri Dei, totus pendere semel jussus fuerit. Sed mirum profectò videri potest quorsum isti in fluminis fundo lapides. Scitè quidem, ut videtur, Augustinus, Serm. de tempore 106. sepultos illos per baptismum Jordanis interpretatur Veteris esse legis Patriarchas; asportatos verò atque in Galgalis servatos, legis Novæ Apostolos. Sed quando præter anagogen, ipsa quam S. verba præ se ferunt historia quoque rationibus non absurdis conservanda est, equidem existimo notatum istis saxis esse, tanquam æterno monimento, locum in quo insistens S. Area inundantem rapidúmque amnem suâ præsentiâ interrupit. Institisse autem eam in extrema alvei ora diximus suprà. Itaque in ea extremitate, quæ raró nisi inundante flumine aquis obruebatur, saxa illa plurimâ anni parte fuisse aspectabilia. Nam cùm illud flumen altiùs quàm latiùs fluat, quod referunt oculati testes, quis existimet vel in medio lapides illos fuisse positos alveo, ubi nunquam apparerent, vel tam fuisse magnos ut supra profundissimi fluminis aquas exstarent? Neque enim penitus latuisse, argumento est ille qui subjicitur verborum ambitus, *Et fuerunt illic usque ad hunc diem.* Jam verò illud quàm est absurdum, quod tamen Judæis quibusdam placet, Situ quidem ipso obscuros fuisse, sed famâ nobiles! Atqui quem admoneat monimentum quod appareat nunquam? aut quid omnino opus sit si sola fama memoriam rei posteris abundè prodat? ¶ Porrò illa verba, *Et fuerunt illic usque ad hunc diem*, sic interpretatur quidem D. Augustinus quasi id modò significent, eo esse proposito à Josua collocatos in flumine lapides illos ut perpetuò inibi manerent. Sed ille ea verba Josuæ esse existimat, qui sua ipse gesta conscripserit; quod est profectò longè secùs. Quis enim eum audire posset, qui cùm aliquod monimentum statueret, simúlque ejus memoriam literis consignaret, diceret id suo statu mansisse usque ad eum diem quo statuisset? Sed sunt ista à nobis aliis locis disputata.

10. *Cæterùm sacerdotes sustinentes arcam stabant intus in Jordane,* &c.] *Quæ jusserat Deus Imperatorem loqui ad populum*, ea erant, inquit R. D. K. quæ ad bis duodenos lapides, alteros asportandos è fluminis alveo, alteros ibidem reponendos, attinebant. In iis autem jussis fuisse etiam, ut ad populum concionaretur de tanti beneficii memoria ad omnem posteritatem propaganda, est credibile. Nihil enim neque fecisse neque locutum esse Josuam divinum planè virum existimo nisi cœlesti afflatum Spiritu. Sed illa, *quæ præceperat Moses Josuæ*, cujusmodi tandem fuerint, non perinde facile explicatu esse videtur. Nusquam enim commemoratum est Mosen verbum unum fecisse, Josuámque edocuisse, de trajectûs ratione, aut lapidum

lapidum vel asportandorum vel ponendorum modo. Igitur idem ille R. D. K. ea dici Mosis mandata existimat, quæ de statuendis 12. saxis calce oblitis in monte Hebal scripta sunt in Deuteronomio, c. 27. nimirum nullo judicio secutus Talmudicorum errorem, qui in סוטה c. 7. scriptum reliquerunt, ea omnia quæ c. 8. hujus commentarii post deletam urbem Hai memorabuntur, acta esse hoc ipso trajectionis die, qui fuit mensis Nisan decimus. Verùm hoc quàm sit non modò absurdum sed stultum ostendemus suo loco. Neque verò est quòd Kimhi excuses, quasi opinantem, Sacerdotes non mansisse quidem usque eò intra alveum dum longâ illâ ceremoniâ defunctus esset populus apud Hebal, sed donec eam verbis populo exposuisset Imperator, cùm illud עד תם כל הדבר de rebus ipsis confectis, non de verbis, etiam Kimhi interpretetur, ut nos. Quare mihi probabilius videtur, nulla hic singularia Mosis jussa significari, sed ea monita quibus ille Josuam sub extremum vitæ actum ad se vocatum erudiebat universè, ad morigerandum magnâ animi fortitudine præeunti Domino, qui se nunquam esset deserturus; ut hujusmodi sit istorum verborum sensus, Josuam fortiter exsecutum esse ea omnia in traducendo populo quæ à præsente Deo acceperat esse facienda, planè ut Moses eum magno esse animo jusserat, cùm Deum esset habiturus in rebus omnibus monitorem præmonstratorémque. Sed enim laudabamus suprà Sacerdotum fidem, qui amnem profundum, turbidum, rapidum tentare pedibus, solâ verbi Dei fiduciâ nisi, non dubitarunt. Hic verò prædicanda etiam proponitur illorum incredibilis patientia, cùm æquissimo animo sustinent non solùm maximæ multitudinis diutinam trajectionem, verùm etiam lapidum deinde tum excipiendorum tum subjiciendorum ceremoniam, & insuper Imperatoris conciones; neque vel evadendi unà cum cæteris in Chananæam desiderio, neque impendentis suis cervicibus immensæ aquarum molis metu dimoventur ab officio. Neque verò dubium est quin præclarissimum Sacerdotibus omnibus exemplum in istis S. Arcæ bajulis statuere voluerit Spiritus S. quantâ debeant patientiâ uti ut omnium saluti consulant. Cujus etiam vel maximè insigne illud exemplum est, quòd optabat Paulus anathema esse atque abalienari à Christo pro suis fratribus, Rom. 9. 3. Quod sequitur in S. verborum ordine, *Populus verò festinarant, & transierant*, R. D. K. præcisè accipit de 12. viris delectis. Opinatur enim ille Imperatorem cum istis mansisse cis flumen tantisper dum cæteri omnes in Chananæam transivissent, ac tum demum ipsis imperasse ut in alveo progressi ad Arcæ usque stationem saxa indè tollerent; hócque ab eis propriè festinantérque esse factum. Sed populum universè dici, patefacit qui insequitur versiculus. Quare superiorem nostram sententiam tenendam censeo. Festinarant igitur omnes evadere è fluminis alveo, quamvìs sicco, in continentem, quia verebatur pro se quisq; nè horrificum illum aquarum montem à dextris exstantem non satis citò subterfugeret. Nam etsi fide transirent Jordanem, ut antè Rubrum mare, quod attestatur Apostolus Heb. 11. 29. tamen quàm soleat mutare fides nostra, præsertim in manifestariis discriminibus, neminem esse opinor qui in se ipse non sæpe experiatur. Et verò etiam Petrus, cùm per fidem aquas Genesaræ calcaret, simul atque ventum flare vehementiùs animadvertebat, cœpit hæsitare & mergi, Mat. 14. 30. Properemus igitur etiam nos, fratres; neque improbo aut diffidente animo absistamus ab eo quod nobis noster Josua, sive Jesus Christus, proposuit itinere; *Sed exhortemur incitemúsq; nos mutuùm dum durat dies hodiernus*, Heb. 3. 13. quo patet via, tantisper videlicet dum nos exspectat intra hujus mundi alveum Arca illa *in qua habitat ipsa Divinitas corporaliter*, neque dum fluxa corporis nostri moles dilapsa dissolutáque nos à progressu arcuit. Festinemus, inquam, intrare in terram illam nobis promissam, terram felicem & beatam, quam Deus ipse *suam* vocat *requiem*, apud sacrum Vatem ad præsentem narrationem alludentem, Psal. 95. 11. nè dum obstinatè ad carnis nostræ ductum nos applicamus, prætermissâ intrandi occasione, frustrati in posterum, concidamus per diffidentiam, ut Israelitæ olim, Hebr. 4. 1. prostratíque in horrida illa & tenebricosa infernorum solitudine perpetuò pereamus.

11. *Cúmq; absolvisset omnis populus trajectionem*, &c.] Videntur quidem ista in hanc sententiam dicta, Sacerdotes cum Arca justa priorem illam ripam, è qua flumen primò attigerant, adhuc institisse in fluminis alveo; nunc verò demum per transversum evadere in Chananæam. Unde natum est Talmudicorum commentum quod illo quem nuper citabam loco, סוטה c. 7. scriptum reliquerunt, Cùm jam universus populus transivisset in Chananæam, Sacerdotes retulisse Arcam in eam ipsam ripam è qua primùm in aquas descenderant, cùm proximè ad eam institissent; cúmque subitò diffusâ aquarum illâ mole, quæ adhuc fuerat Arcæ præsentiâ cohibita, repletus fuisset alveus, tum demum tranavisse per interlabentes aquas Arcam in Chananæam, spectante ex adversa ripa populo, atque suos bajulos secum transvexisse, ut jam ipsa portaret à quibus fuisset nuper portata. Sed insulsum hoc commentum etiam K. exagitat. Nimirum isti homines quidvis potiùs comminiscuntur quàm ut patiantur se non ineptos videri. Atqui *Arcam & Sacerdotes transire ante populum* non est flumen trajicere, sed eos qui adhuc fixis vestigiis institerant è fluminis alveo jam in continentem ascendere, atque in Chananæam transire. ¶ Sed illud *Ante populum* anceps est. Commodè enim sic interpretetur ut significet Arcam se denuò itineris ducem præbuisse, atque per exspectantem apud transmissum flumen populum ad principia penetravisse: rursus non minùs aptè ut *ante populum*, sit, populo spectante; nimirum ut intelligamus multitudinem populi oculis observasse atque notasse, aquas evestigio cursu consueto fluere iterum cœpisse cùm ex alveo exportaretur Arca. Id enim miraculi non minima pars erat, atque ad amplificationem gloriæ Imperatoris mirificè erat utile, ut mox explicabimus. Nam illa Kimhi interpretatio, Sacerdotes, & unà Arcam, qui ante populum primíque in alveum descenderant, ultimos excessisse, quamvìs quod res est dicat, extorta tamen est neque S. verbis satis consentanea. Atque hìc rursus proborum Antistitum munus quale sit, ostenditur: debent enim illi in procuranda communi salute populi & primos se atque antesignanos præstare, & stationem locúmque suum non deserere, nisi à Deo jussi, alióque vocati.

12, 13. *Transierant etiam Rubenitæ, Gaditaque*, &c.] Quæ ad hanc narrationem attinent, ea sunt à nobis pertractata capite primo. Si quis tamen, aliter atque nos, existimare malit, istas duas tribus & dimidiam in prima acie fuisse, reliquámque multitudinem omnem procedendi ordine antevertisse, is verbum ויעברו reddat per præteritum perfectum *& transierunt*, sive *processerunt*, *Rubenitæ*, &c. illud verò *ante Dominum* interpretetur cum Chaldæo *ante populum Domini*. Neque enim probabile est illos proximè ante Arcam incessisse. Ego tamen in mea sententia maneo, atque hoc, *ante Dominum*, sive *coram Domino*, (Est enim Hebraicè לפני יהוה, ac si dicas, *in conspectu Domini*) planè eo sensu accipiendum arbitror quo illud de Nemrod Gen. 10. 9. גבור ציד לפני יהוה, *robustus venator coram Domino*: nimirum ut [illegible] insignis præstantia roboris & militaris alacritatis illorum sociorum commendetur; aut, si id malis, spectabilis ordo aciésque instructissima quâ illi procedebant, notetur; quod Latinus sensisse videtur, cùm diceret, *per turmas & cuneos*. Neque enim alioqui *cuneorum* aut *turmarum* ulla est in S. verbis notatio. Et in Regum historia Gabaonitæ narrantur suspendisse septem Saulis nepotes *in monte* לפני יהוה *coram Domino*, 2 Reg. 21. 9. quod profectò est ac si dicatur *illustri loco, & excelso atque celebri*. ¶ Porrò quod nos convertimus *campos*, est Hebraicè ערבות. De quo verbo disseruimus ad v. 16. Aquilas rursus, ut loci proprium nomen, non mutat. Symmachus verò, ut antè, *solitudinem*, h. e. ἀοίκητον, convertit, sed absurdè profectò. Neque enim ullus, opinor, locus totâ Chananæâ

manaña erat amœnior Jerichuntis agro, quamvis etiam tum aquas haberet insalubres. Cæterùm in planitie atque æquabili loco sitam fuisse eam urbem, diximus antè. Theodotion autem cur pro *campis* redderet πόλιν *urbem*, nullam, opinor, justam causam ipse afferre potuisset.

14. *Illo die magnum fecit Dominus Josuam in oculis*, &c.] Jam videmus quæ causa Deo fuerit ut Josuæ honorem amplificaret; nempe ut cum honore cresceret auctoritas apud populum. Cùm enim Deus in gubernandis suis, atque ad ea quæ sint suo Divino consilio consentanea, ipsis verò salutaria, dirigendis, hominum administrorum operâ utatur, pro admirabili sua benignitate eos administros augustiores omnium existimatione reddit, quò his illi lubentiùs obsequantur, tanquam se melioribus, quibus alioqui suæ utilitatis gratiâ sponte morigerari, ut ad felicitatem ducibus, deberent. Tanta enim vecordia hominum mentibus insidet ut pauci aliis hominibus, quantumvis justa, æqua, utilia, salutaria monentibus, parere animum facilè inducant. Quare prudenter Cyrus censebat, *Non satis esse si Imperatores re ipsâ essent parentibus meliores, sed debere insuper affectato cultu elegantiore, quasi præstigiis quibusdam, curare ut augustiores videantur*, Xenoph. Instit. l. 8. Sed sanè quovis cultu efficacior est sancta illa veneratio quam illis Divina conciliat occultè providentia. Cæterùm quantopere interfuerit reip. Israelitarum ut Josua, cùm hoc miraculo, tum aliis deinceps rebus gestis, & in primis arcanâ illâ majestate quâ ipsum afflavit Divina benignitas, tam esset universo populo venerabilis, perspicuè declarant res turbulentissimæ & tempestates maximæ quæ mox ut ille è vita excessisset sunt consecutæ, ut in hujus sacri commentarii extremo audiemus. Quare summæ beneficentiæ loco amplecti populus debet, & tanquam ex singulari erga se Dei amore profectum existimare, si sibi contingat venerandus gravitate atque majestate verendus Magistratus, eúmque ut singulariter sibi à Deo commendatum meritis honoribus & debitis atque omnis obsequii cultu prosequi. Contrà verò, si vel lenitate ineptâ, vel secordi negligentéque ingenio, vel pravis moribus, vel rerum imperitiâ atque imprudentiâ, aut totius denique vitæ cultu contemptus & despectus detur gubernator, debet quidem eum ut à Deo sibi præfectum revereri, sed interim apud animum suum existimare judicaréque, eam Principis sui secordiam cœlestem iram magnúmque communis rei infortunium portendere; ac proinde assiduis precibus Divinum numen placare, oraréque, Sapientis illius exemplo, *O Deus patrum, & misericors Domine, qui hunc populo tuo præfecisti, & Judicem filiorum tuorum filiarúmque constituisti, manda è sancto cœlo & à solio gloriæ tuæ assistentem tibi sapientiam, ut illi præstò adsit laborum socia, eáque illi suggerat quæ tibi sint grata & accepta, nobis verò salutaria, & omnino ipsius actiones prudenter dirigat: quò grata tibi fiant opera ipsius, nósque tuum populum justè legitiméque gubernet. Imbue illum, Domine, sanctissimo tuo atque cœlesti Spiritu, ut nostros mortalium mores corrigat; quo edocti quæ tua sint voluntati consentanea, servemur per tuam, quâ illum informaveris, sapientiam*, &c. Sap. 9. Cætera quæ ad hunc versiculum explicandum pertineant, sunt à nobis dicta partim ad v. 17. primi capitis, alia ad septimum hujus.

15, 16, 17, 18. *Dixerat enim Dominus ad Josuam hac verba, Jube Sacerdotibus*, &c.] His quatuor deinceps versiculis explicatiùs narratur quod v. 11. inchoatum fuerat. Quoniam autem mirificè illustrat miraculum, quòd Imperatoris jussu Sacerdotes, ut antè ingressi in aquas subitò eas divisere, ità egressi rursus committunt, similiter atque in trajectu maris Rubri Moses suâ virgâ ut aquas antè diduxerat, ità eâdem cùm vellet denuò conjungebat, ideo copulam sumus interpretati quasi causalem conjunctionem, *Enim*: Quippe non dubitamus quin ideo, ut antè in aquam pedes mergere, atque in alveo insistere, ità nunc egredi disertè à Josua esse Sacerdotibus imperatum memoretur, quò res tam admirabiles (dico aquas refrænatas atque cohibitas, & rursum laxatas) ipsius auspiciis adscriberentur, tanquam Divino nutui consentaneis, ac proinde ipsum omnes ut Dei consiliarium atque administrum revererentur. Nam tum quoque demum Israelitas credidisse Deo & Mosi narrat S. historia, Exod. 14. 31. cùm hic denuo protensâ manu aquas maris, quas antè diviserat, consociasset. Nisi enim & illic Rubri maris, & hic fluminis undæ, quorum nutu repressæ coactæque adversùs suam ipsarum naturam in cumulos constiterant, pro eorum rursus arbitrio solutæ usitato more fluxissent, ingrati homines, & ad detrahendum Dei ministrorúmque ejus laudibus & gloriæ nimis proni, facilè rerum illarum eventum vel ad fortuitum casum vel ad occultas quasdam naturæ causas retulissent potiùs quàm ad Dei immensam potentiam & erga suos munificentiam, studium, providentiam. Nam cùm in fretis etiam marinísque æstibus accessus & recessus aquarum admirabilitatis maximæ fieri videamus, quos tamen ideo non vehementer miramur quia usitati sunt statásque observant vices, in istis novis quasi æstibus causarum ignorationem & rei novitatem fecisse mirationem dixissent. At nunc erepta cuivis omnis calumniæ ansa videri debet, posteaquam in utriusque manu fuisse cognitum est, ut diducere aquas, ità quo visum esset momento rursus contrahere. Cæterùm ponitur hic iterum nobis ante oculos & Sacerdotum & Imperatoris Josuæ consultissima modestia, dum neutri temere properasse, sed hic Dei, illi Principis sui jussa patienter exspectasse memorantur. ¶ Cur autem Arca vocetur ארון העדות, h.e. *arca testimonii*, diximus suprà 3. 3. LXXII interpretes uberiùs hunc locum reddiderunt κιβωτὸν τῆς διαθήκης τοῦ μαρτυρίου, *arcam testamenti, sive federis, testimonii Domini*; quia ut ait D. Augustinus Quæst. in Jos. *ipsa Mosis lex, quæ eâ capsâ servabatur, testimonium erat justitiæ Dei, quæ per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes credentes successit.* ¶ Porrò illud, *Ascendentibus sacerdotibus*, sive, *dum ascenderent sacerdotes*, explicatè redditum à Chaldæo est, *dum vellent ascendere sacerdotes*; nimirum ut Divinum momentum in Sacerdotum pedibus positum, qui Arcam sustinebant, exprimeret apertiùs, à quibus ut vix dum contactæ aquæ substiterant antè, ità nunc vix ab iisdem liberatæ profluunt. ¶ *Siccum* autem, cujus hic est mentio, continentem significat, h.e. eam terræ extremitatem quæ alveo proxima ab inundante flumine non obruebatur tegebatúrque. Nam alioqui in ipso etiam alveo institerant in sicco, ut suprà vidimus. ¶ Sed enim, quando jubentur jam Sacerdotes, relictâ statione suâ, *ascendere è Jordane*, non autem *transire Jordanem*, quis non videat ipsos in extrema Chananaici lateris ora stetisse, ut vel primo passu prolato, primóque facto vestigio novo extra alveum in Chananæam evaderent? quod antè contendebamus. ¶ Porrò cùm dicuntur *revertisse aqua in locum suum, atque fluxisse, ut ante, alveo pleno*, verosimile est, ità moderatum esse Deum immensam illam congestarum aquarum vim ut nè cum impetu prolaberentur, sed vel paullatim decrescente illo ingente cumulo, vel alioqui Dei nutu sensim evanescente, aut per occultos terræ meatus diducto, nulla admodum major copia apparuerit quàm ante inchoatum miraculum. Etenim si semel tanta moles laxata prorupisset séque profudisset, proculdubio minimè contenta fluminis alveo omnia longè latéque loca obruisset. Quòd autem dicuntur *revertisse aqua ad locum suum*, significat eas per prona vada descendisse ad Asphaltiten versùs, eò enim tendere antè solebant. Nisi existimare malis hoc dici, priùs retrorsum actas ab Arcæ præsentia, quod Davidem canere diximus Psal. 114. nunc prorsum illuc quò suapte naturâ ducebantur revertisse.

19. *Porrò populus ascendebat ab Jordane decimo mensis*, &c.] h.e. Populus, cùm trajecisset universus, relicto Jordane secutus est Arcam usque ad Galgala, atque ibi castra fecit, eodem illo die decimo primi mensis, quem diximus *Nisan* vocari. Quod commodùm sanè accidit Dei provi-

providentiâ, ut tempus superesset quo se ad Pascha faciendum per circuncisionem compararent, quod festum die 14 ejus mensis agere Divinâ lege erat sancitum: Nefas enim fuit non circuncisos Pascha facere, Exod. 12. 48. & nisi sacris illis ritibus expiato Numine, bellum Chananaicum auspicari, ut proximo capite dicemus. Ad hoc, agnus ad Paschale sacrificium erat hoc decimo die deligendus è grege, Exod. 12. 3. quod per iter fieri vix potuisset. De mense primo multa sunt à nobis disputata suprà; quibus hoc modò addam, Ad primi istius mensis rationem omnia quæ S. lege sancita sunt festa celebrari solere, atque etiam num à Judæis celebrari, quæ quidem celebrantur in exsilio, præter Jubilæi & anni septimi ceremoniam. Nam ut temporum omnium rationem supputant ad mensem quem, ab hoc septimum, *Tisri* vocant, ut diximus suprà 3. 15. quòd eum conditi orbis fuisse initium putent, ità & Jubilæi quoque & anni septimi: quod quæstûs & compendii causâ est à Talmudicis sancitum. Nam si Jubilæus, & annus septimus terræ quieti dicatus, à Nisan numeraretur, necesse esset multos frugum duorum annorum proventu multari, quando in plerisque regionibus ante eum mensem, quo tempore metenda esset messis anni sexti, illæ haud essent maturæ, septimo verò toto anno neque metere neque sementem facere fas esset. Solebant autem veteres Hebræi nulla habere mensium suorum nomina, sed eos ex ordine *Primum*, *Secundum*, *Tertium*, atque ità deinceps, dicere. Sed quibus nunc ferè utuntur Judæi nominibus, ea à Persis, Medis, Babyloniis in exsilio accepere. Quæ causa est ut in S. literis nusquam nisi in eorum historiis qui post memorabile illud exsilium celebres vixere nova ista nomina appareant, ut apud Zachariam, Danielem, Ezdram, Esther. ¶ Galgala locus erat ab Jordane versus Occidentem remotus stadiis 50, ut ait Josephus; 10 verò citra Jerichuntem positus. Erant ergò Galgala, ut est in S. verbis, *in finibus Orientalibus Jerichuntis*. Mansere autem illic castra multis annis, ut sæpe dicetur. Erat enim locus perappositus, & aquis, ob vicinos undiquaque montes, atque etiam Jordanem, & fructibus abundans. Nomen autem *Galgal* unde loco manserit, audiemus proximo capite. Nunc enim per anticipationem sic appellatur, ut *Lavina litora* à Poeta, Æneide 1.

20. *Statuitque Josua in Galgalis duodecim lapides illos*, &c.] Tertullianus opinatus est lapides istos in ipsa S. Arca conservatos esse. His enim usus est adversus Marcionem verbis, l. 4. *Et duodecim*, inquit, *lapides ab Jesu de Jordane lectos, & in Arcam testamenti conditos deprehendo, totidem enim Apostoli portendebantur*. At R. Levi F. Gersonis existimat apud Arcam quidem perpetuò esse asservatos, ut cùm ter ut minimùm Israelitæ quotannis ad eam conuenirent, (hoc enim Lex jubebat) memoriam rei gestæ monimenti præsentia omnibus renovaret: cæteroqui in ipsa Arca apud Manna & Aharonis virgam minimè fuisse locatos contendit: Neque enim id dicere S. narrationem, neque etiam consentaneum fuisse ut ista monimenta consimili cum illis Mosaicis honore dignarentur, omnium divinissimis: Ad hoc, in manna atque illa virga perpetuum fuisse miraculum, cùm illud nullâ solis vi aut temporis diuturnitate dissiparetur aut computresceret, hæc semper amygdalis fœcunda esset; at lapidibus nihil mirationе dignum ipsis quidem accidisse, sed admirabilis rei monimenta eos fuisse modò: Denique majora fuisse illa duodecim saxa quàm pro S. capsæ spatio. Sic ferè Levi Gersonis. Ego verò, quia *statuisse* eos Imperator memoratur *in Galgalis*, non apud sacrarium Dei, puto esse verosimillimum in Galgalis positos mansisse, ut loco & celeberrimo, & flumini vicino, ad quod illa maximæ admirabilitatis res, cujus ipsi memoriam conservare debebant, patrata à Deo fuerat. Et verò D. Hieronymus in Paulæ Epitaphio dicere videtur eos etiam tum in Galgalis visi solere. Et quod unum satis magno debet esse argumento, perspicuè apparet ex S. verbis, illos non temere esse in Galgalis depositos modò ex humeris bajulorum, sed ab ipso deinde Imperatore statutos, nimirum spectabili quodam situ, quali statuas statuere est moris, atque ut primo quemque aspectu admonerent insignis alicujus se rei notas esse. Quin religiosam quoque veluti dedicationem consecrationémque esse adhibitam, probabilis conjectura ex concione ducitur quam Imperator cùm illos statueret habebat ad populum. Sequitur enim in S. texto.

21, 22, 23. *Et ait ad filios Israel, dicens; Quando interrogabunt*, &c.] Etsi non dissimilis sit ista conciuncula à superiore illa quam v. 6. & 7. commemorari audivimus, diversa tamen est. Nam illa dum tollerentur lapides, & potissimùm ad ipsos 12 bajulos habebatur; hæc verò cùm ab Imperatore illi statuuntur, & ad populum universum. Sed quando utriusque adhortamenti eadem una est sententia, nihil opus est explicare denuo. Vetat quidem S. lex statuas ponere; sed ità ut Divinam apud populum habeant venerationem, eámque ille ad ipsas adhibeat reverentiam quæ uni Deo debetur, & *adoratio* à Theologis vocatur. Sed de sacrarum rerum monimentis satis multa diximus suprà. Cæterùm ex iis verbis quæ ad populum facit Imperator apparet, saxa ista præcipuè quidem exsiccati Jordanis, propter similitudinem tamen atque convenientiam siccati etiam maris Rubri fuisse monimenta, cùm hujus ostenti, quod tamen omnibus seculis esse celeberrimum oportebat, nullum exstaret usquam aliud signum nisi illud signum quod Moses divino suo carmine posuerat, quo sanè nullum neque illustrius neque diuturnius cujusquam hominis industria potuisset efficere. Cur autem nullum apud mare illud saxeum poneretur monimentum, diximus, nisi me fallit memoria, antè. Nempe illa loca erant mansura sola, cùm Ægypti et am nomen deberet Israelitis triste ac destabile videri; nedum ut illuc sæpe redirent. ¶ Porrò quod de mari Rubro ad præsentes loquitur illis verbis, *quod nostrâ causâ*, sive *à facie nostra, exsiccaverat, donec transivissemus*, quorum, ut credibile est, pars longè maxima non transmiserat exsiccatum mare Rubrum, cùm pòst nati essent in deserto, illi verò qui transmiserant plerique concidissent, nefario rebellionis crimine obstricti; quòd, inquam, sic loquitur, id eò facit, quia intelligebat divinus homo Dei beneficia non ad eos solos pertinere qui illorum temporum æquales iis præsentes afficiuntur, verùm ad omnem ex æquo posteritatem. Hoc enim ità esse quis non videat, cùm jubet populum his uti olim verbis apud suos nepotes, *Exsiccavit Dominus Deus vester aquas Jordanis propter vos, donec trajecissetis?* neque enim nondum nati, nisi in parentum lumbis, ut alibi in S. literis est, trajicere potuerunt. Ea igitur ratio est cur nullo discrimine nunc primæ personæ nec secundæ utatur pronomine. Parùm enim plenè, mihi certè, sensa S. Scripturæ videntur exponere qui censent de Jordanis trajectu dictum esse *vestrâ causâ*, sive *propter vos*, de Rubri maris verò *nostrâ causâ*, quia Jordanem siccatum transmiserant omnes ad quos ista verba fiebant, mare verò Rubrum patres, in quorum numero is erat qui verba faciebat. Sed pergamus.

24. *Ut agnoscerent omnes populi terræ manum Domini*, &c.] Duplicem ostendit Divini consilii in patrandis miraculis atque ostentis scopum; alterum, ut omnes mortales agnoscant propiùs veri Dei inevitabilem potentiam, eóque ad credendum in illum inducantur; alterum, ut credentes religionem pietatémq; adhibeant ad illum majorem. In utroque autem abundantia duarum præcipuarum Dei virtutum cernitur, Misericordiæ, & Justitiæ, quæ in Divina illius procuratione salutis hominum primas partes agunt. Nam quòd *omnes homines ille cupit, agnita veritate, salvos fieri*, 1 Tim. 2. 4. est id quidem ejus Divinæ misericordiæ. Sed cùm eam *veritatem*, atque adeò semetipsum, *quatenus* quidem à mortalibus *cognosci potest*, h. e. *sempiternam suam potentiam Divinitatémque*, omnibus semel *patefecerit*, per contemplationem videlicet hujus rerum universitatis, Rom. 1. 19. quam & condidit & deinceps certis & perpetuis naturæ legibus gubernat, eóque satis magnam sui amandi colendique (in quo *absoluta justitia, & radix immortalitatis*, Sap. 15. 3. atque omnino beata vita est posita) ansam omnibus dederit; non potest pro-

profectò non censeri summa misericordiæ abundantia, quòd insuper usitato illo & perpetuo conditarum à se rerum cursu subinde mutato aut flexo socordes mortalium animos excitare, atque ad suspiciendum vel sic tandem in cœlum compellare ipsos dignetur. Jam verò ex contrario, cùm ignorationis excusationem non habeant quâ meritas pœnas effugiant ii qui ex illa mundi creatione gubernationéque cognitum Deum non dignâ ipso gloriâ gratâque pietate prosequuntur; sed quos Creatori debebant honores, eos rebus ab illo creatis reddunt; quomodo non longè justissimæ ejus iræ supplicium dare eos existimabimus qui nè per hujuscemodi quidem inusitata & insignia miracula atque ostenta expergefacti, insipientis sui animi cæcam caliginem discutere, Deíque cognitione illâ rectè uti, in animum inducunt? Neque verò non eadem ratio est eorum qui afflatu atque illustratione Spiritûs S. *bonum Dei verbum* sunt jam fide semel amplexati, Hebr. 6. 4. Nam etsi ejus verbum *vivum* sit *atque efficax*, & omnino ejusmodi ut per occultam quæ in eo est cœlestis Spiritûs efficientiam ipsum abundè satis esse illis deberet ad affirmandam stabiliendámque fidem in Deum, (hoc enim illud est quod canit sacer Vates, Psal. 119. 7. *Profitebor te sincerâ mente, cùm didicero leges justitiæ tuæ*) tamen inusitatis sæpe prodigiis atque miraculis insuper sua illa effata comprobare, & credentium fidem fulcire atque adaugere non desinit; nimirum ut pro immensa sua clementia illos sibi arctiùs atque arctiùs conjungat obligétque; Sin autem istâ etiam tam paternâ benignitate spretâ, aut certè neglectâ, fidem fallant, justiore judicio damnentur. ¶ Porrò quod reddidi *Timeretis*, est in Hebræo præteritum modi finiti יראתם, h. e. *timuistis*. Sed talis enallage & temporum & modorum frequens est in S. literis. *Timoris* autem vocabulo cultum omnem atque religionem adversùs Deum significari in V. T. alibi à nobis explicatum est.

IDEM.

1. Scribe numero plurali, συντέλεις. ¶ Pro διαβαίνων scribe διαβαίνειν.

2. Scribe ordine verborum mutato, παράλαβε ἀπὸ τοῦ λαοῦ δώδεκα ἄνδρας. Et illud ἄνδρα, quod continuò sequitur, habeat adscriptam stellulam, est enim ascititium.

3. Pronomen, cùm dicitur, ἀνέλεσθε * αὐτοῖς ↙ notetur asterisco. Est enim etiam ipsum ex aliis interpretibus acceptum. Et deinceps scribatur, ἐντεῦθεν ἐκ μέσου τοῦ Ἰορδάνου. Atque hîc jam apponit mixta per asteriscum hanc verborum clausulam * ἀπὸ στάσεως ποδῶν τῶν ἱερέων ↙, deinde sequitur, ἑτοίμους, &c. Quod porrò hîc scribitur magno librorum consensu, ἅμα ὑμῖν αὐτοῖς. Sed nolui adversùs consensionem τῶν ἀντιγράφων quidquam mutare. ¶ Pro θήσετε legit Syrus modo mandativo θέτε, &, nisi fallor, rectè. ¶ ἐν τῇ στρατοπεδείᾳ ÷ ὑμῶν ↙ debet pronomen habere obeliscum.

4. Addit mixta articulum per asteriscum, hoc modo, * τοὺς ↙ δώδεκα ἄνδρας, & paulò ulteriùs nomen ἄνδρα, habet enim, * ἄνδρα ↙ ἕνα ἀφ' ἑκάστης φυλῆς.

5. Post εἶπεν αὐτοῖς adscribito nomen Ἰησοῦς, ità enim scriptum est in bonis libris. ¶ Post illa, πρὸ προσώπου Κυρίου, addit. m. ed. * τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ↙. ¶ Scribito ἕκαστος λίθον ἕνα, mutato verborum ordine. Mox habet Vat. codex τῶν δώδεκα φυλῶν; sed nomen δώδεκα non est in aliis exempl. quæ vidi, si tamen adscribendum est, debet obelo notari: nam Hebræum non habet.

6. Scribe, ἵνα ὑπάρχωσιν οὗτοι ÷ κείμενοι ↙ ἐν ὑμῖν εἰς σημεῖον ÷ διαπαντὸς ↙ atque illud κείμενοι & διαπαντὸς, ea sint veru confossa. Eâdem notâ insigniatur quoque verbum εἰσιν.

7. Scribe, καὶ ÷ σὺ ↙ δηλώσεις; habeátque Pronomen obelum appositum. Eadem nota scribatur quoque apud Participium ÷ λέγων ↙, & ulteriùs apud nomen ÷ ποταμὸς ↙, quod nomen tamen à Syro non est lectum; denique etiam apud illa verba, πάσης τῆς γῆς. Mox ubi est in vulg. libris, ὡς διέβαινεν αὐτὸν, habet m. ed. loco Pronominis αὐτὸν ipsum Jordanis nomen cùm asterisco; quo etiam ea verba signari debent quæ sequuntur; est enim hic locus in m. ed. sic scriptus, ὡς διέβαινεν * τὸν Ἰορδάνην, καὶ ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ τοῦ Ἰορδάνου ↙, nam illam verborum iterationem vitarant LXXII. Dum sequitur, καὶ ἔσονται ÷ ὑμῖν ↙, signetur Pronomen obelo. ¶ Cùm dicitur, ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, Compl. omittunt ἐν. Augustinus quoque videtur non legisse, sed Syrus assentitur nostris vulg. libris.

8. Cùm dicitur, ἐνετείλατο ÷ Κύριος τῷ ↙ Ἰησοῦ, debet illud ÷ Κύριος τῷ ↙ jugulari veru apposito. ¶ Lege, καὶ διεκόμισαν αὐτοὺς ἅμα ἑαυτοῖς.

9. Scribe mutato ordine, καὶ ἄλλους δώδεκα λίθους ἔστησεν Ἰησοῦς ἐν αὐτῷ, ex Syro. Debet autem illud ἄλλους notari obelisco & similiter, ÷ Κυρίου ↙.

10. Lege ad hunc modum, οἱ ἱερεῖς δὲ οἱ αἴροντες τὴν κιβωτὸν ÷ τῆς διαθήκης ↙ εἱστήκεισαν ἐν * μέσῳ ↙ τῷ Ἰορδάνῃ, &c. sed illud, τῆς διαθήκης, signetur obelo, & μέσῳ stellâ, tanquam ascititium. ¶ Scribe, ἕως οὗ συνετέλεσεν· & Ἰησοῦς expungatur. Hîc autem adscripta est in m. ed. per asteriscos longior verborum continuatio hujusmodi, * πᾶν τὸ ῥῆμα, sive, ὅσα ἐνετείλατο Κύριος τῷ Ἰησοῦ ἀναγγεῖλαι τῷ λαῷ, κατὰ πάντα ὅσα ἐνετείλατο Μωϋσῆς τῷ Ἰησοῦ ↙. ac tum demum sequitur, καὶ ἔσπευσεν, &c. Indicatur autem à Syro, per limniscum, in nonnullis libris post τῷ λαῷ adscriptum esse, ÷ καὶ διέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ↙. Sed ego hoc librariorum errore esse factum puto.

11. Notetur rursus illud ÷ τῆς διαθήκης ↙ obelisco. Compl. hîc pro οἱ λίθοι, habent οἱ ἱερεῖς, & sic est in Hebræo. At in margine Syrici codicis annotatum est, LXXII dixisse οἱ λίθοι, cæteros verò omnes Græcos interpretes οἱ ἱερεῖς. Nihil ergò mutandum: est enim interpretatio τῶν ἑβδομηκονταδύο nostræ editionis fundamentum.

13. Habet m. ed. πρὸς * πόλιν ↙ Ἱεριχώ. Nimirum verbum Hebraicum ערבות conversum est in Græcum πόλιν, inscite sané. Significat enim illud *locum æquabilem*, atque etiam *desertum*, unde solet ab Aquila pro ea reddi ὁμαλή, qui tamen hîc ipsam vocem Hebraicam *Araboth* servavit. Symmachus verò convertit κοίλην.

14. Nomen γένους est obelisco signandum. ¶ Cùm dicitur, ὥσπερ ἐφοβοῦντο Μωϋσῆν, verbum ἐφοβοῦντο debet habere appositam stellulam, tanquam alienum ab. edit. LXXII.

15. Post illa verba, καὶ εἶπε Κύριος, additum est in m. ed, * πρὸς τὸν Ἰησοῦν ↙.

16. Illud ÷ τῆς διαθήκης ↙ debet rursus notari obelo. ¶ Post μαρτυρίου habet codex Vat. Κυρίου, *testimonii Domini*. sed id ei non assentiuntur alia exempl. Si tamen adscribendum est, non est sine obelisco adscribendum, neque enim in Hebræo habetur.

18. Post τοὺς πόδας αὐτῶν est in m. ed. * οἱ ἱερεῖς ↙. ¶ Cùm dicitur, * καὶ ↙ ὥρμησε τὸ ὕδωρ, apponendus est asteriscus ad copulam, est enim ex aliis interpretibus accepta. ¶ Post κατὰ χώραν adscribendum est pronomen αὐτοῦ in locum suum. ¶ ἡμέραν jugulandum obelisco est. Atque hîc verbo κρηπῖδος additum in mixta est pronomen * αὐτοῦ ↙ *ripam suam*.

19. Illud, ÷ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ↙, debet jugulari obelo.

23. Lege οὓς ἔλαβον ἐκ τοῦ Ἰορδάνου, posito verbo in plurium numero.

21. Versûs initium est à LXXII omissum; ídque in m. additum est his verbis per asteriscum, * καὶ εἶπε πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ↙, λέγων, Ὅταν, &c. ¶ Post οἱ υἱοὶ ὑμῶν additum in mixta est * αὔριον ↙, *cras*. ¶ Cùm dicitur, τί ÷ εἰσιν ↙ οἱ λίθοι, debet verbum εἰσιν obelo jugulari.

22. Post τοῖς υἱοῖς ὑμῶν adscribe λέγοντες, & particulam ÷ ὅτι ↙, quæ proximè sequitur, signa obelo. In versiculi extremo additum in mixta est demonstrationis pronomen, τὸν Ἰορδάνην * τοῦτον ↙, *Jordanem istum*: quod tamen in Vat. habetur; tanquam absque asterisco, ut à LXXII dictum, scribi debeat.

23. cribe,

23. Scribe, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *Dei nostri.* Et rursus ulteriùs, ὁ Θεὸς ἡμῶν, *Deus noster.* Et tertiò quoque, cùm dicitur, ἀπεξήρανε Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ἔμπροσθεν, &c. Sed hoc loco debet illud Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν jugulari obelisco.

24. Scribe ex Syro, τῆς γῆς τὴν δύναμιν Κυρίου, ὅτι ἰσχυρά ἐστι. Mox cùm dicitur, ÷ καὶ ↙ ἵνα ÷ ὑμεῖς ↙ σέβησθε, jugulanda sunt conjunctio & pronomen obeliscis. Atque hîc rursus scribendum est, τὸν Θεὸν ἡμῶν, *Deum nostrum.* ¶ Pro χειρὶ est in Vat. codice ἔργῳ. Sed alii libri, & Syrus, illud probant: ídque Hebræo consentaneum est. Quapropter nihil censeo mutandum.

DRUSIUS.

1. **D***Ixerat Dominus Josua, dicendo*] Dixit ut diceret filiis Israel. Nam verba illa, *Sumite vobis*, &c. sunt verba Josuæ ad Israelitas, suprà 3. 12. quæ huc referenda. Nam primùm jussi sunt hæc facere cùm Jordanem transissent. Hoc dictum filiis Israel; & quia per Josuam hoc factum, ideo hîc dicitur, *Dixerat Dominus Josua, Sumite vobis*, nempe quia dixit ut diceret eis.

3. *E statione pedum*] E loco ubi stant pedes Sacerdotum parando commodam trajectionem: aut, *ubi stant firmiter.* Sed הכין est *præparavit*, liquet è v. 4. ¶ *In diversorio*] Tremellius, *in stationem* במצב. Ego locum intellexerim in quo diversabantur & pernoctabant eâ nocte.

6. *Cras*] In posterum. Sic Num. 14. 25. Exod. 13. 14. *Quòd si interrogaverit te filius tuus cras.* Prov. 27. 1. Gen. 30. 33. *Exaudiet me cras justitia mea.* Omne tempus quod futurum est significat ἀορίστως. Tremel. *posthac.* Huc refer Matth. 6. 34. *Ne sitis soliciti de crastino.* Vide sis Annot. nostras ad illum locum.

7. *Usque in seculum*] Vocabulo *seculi* aliquando longum tempus significant, quod vel determinatum est, ut cùm accipiunt pro 50 annis, vel indeterminatum, ut hoc loco. Sign. etiam humanæ vitæ tempus, quod 70. annorum numero supputari tradit Hiero. Ezech. 27. pag. 416. in extremo, *Usque in seculum*] inquit, *Unius seculi tempus ostendit, quod juxta ætatem hominis annorum 70. circulo supputatur.* Senes hîc habent ἕως τοῦ αἰῶνος, quod noster reddit *usque in æternum*, eodem sensu. Sic apud Poetam,

Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

i. quamdiu vivet, aut usque ad vitæ exitum. De עולם vide Hieron. in Sophon. 2. pag. 214.

8. *Filii Israel*] 12. viri electi ex singulis tribubus, quæ numero duodecim erant. Nam suam quisque tribum à qua fuerit electus repræsentabat.

9. *Erexit*] Vel, *statuit.* Nihil hac de re præceptum, & tamen non est dubium quin Josua hoc fecerit jussu Dei. Sic cùm præciperet Sacerdotibus ut Arcam portarent humeris suis, jussus hoc fecit, cùm alioqui videatur esse contra Dei præstitutum, ut antea monuimus. ¶ *Sub statione pedum*, &c.] Non sub pedibus, sed sub loco in quo stabant pedes Sacerdotum. Nam Sacerdotes non moverunt se inde donec omnia perfecta essent. Hoc significat cum ait, *donec completum esset omne verbum*, i. omnis res, videlicet erectio lapidum in Jordane, & translatio lapidum aliorum ad diversorium.

11. *Coram populo*] Vel. *in conspectu populi*, & non *ante populum*: quod apertè falsum. Sacerdotes, inquit, qui cum Arca populum præcesserant, & in ripa adversa substiterant donec omnes Jordanem trajecissent, post absolutam trajectionem egressi etiam sunt, populo universo vidente ac spectante. Ideo R. S. לפני hîc interpretatur לעיני, quod R. D. non improbat.

12. *Transierant filii Ruben*, &c.] Explicata hæc sunt suprà 1. 14. ¶ *Coram filiis Israel*] In conspectu eorum. Quidam, *ante filios Israel.* Sic interp. vetus, *præcedebant fratres suos filios Israel.* LXX ἔμπροσθεν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

13. *Accincti ad militiam*] Vel, *expediti.* Sed חלצים *lumbi*, unde חלוץ *cujus lumbi succincti armis bellicis.* Ideo Santes interpretatur, *armatorum militum.* LXX εὔζωνοι εἰς μάχην, *accincti ad pugnam.* Sed Num. 32. 21. כל חלוץ vertunt πᾶς ὁπλίτης, *omnis armatus.* Jos. 6. 7. & 9. & 13. οἱ μάχιμοι *bellatores*, & 2 Par. 17. 18. δυνατοὶ πολέμου, & 1 Par. 28. 34. δυνατοὶ παρατάξεως. Rursum 2 Par. 28. 14. οἱ πολεμισταὶ, *bellatores.* Sunt qui etymon accersunt ab *extrahendo*, quòd extracti & exempti sint ex aliorum numero per electionem ad militiam. Non enim quilibet ad eam aptus & idoneus judicabatur. Num. 32. 20. *Accingimini coram Domino ad bellum*, vel *ad prælium* תחלצו. Hinc etymon. ¶ *Coram Domino*] Vel, *ante Dominum*, i. Arcam, quæ repræsentabat Dominum. Sic Num. 32. 21. Melius, *coram Domino*, quem Arca repræsentabat, quæ erat præsentiæ ipsius quasi symbolum. Jon. *ante populum Domini.* Sic *mons Domini*, i. domus Domini. Quidam trahunt ad sensum illius, Gen. 10. 9. *robustus venator coram Domino*: alii ad illud quod 2 Sam. 21. 9. *suspenderunt eos in monte coram Domino*, i. in excelso & illustri loco. ¶ *Ad campestria Jericho*] Nam Jericho sita erat in planitie atque æquabili loco. Ebra. *Araboth* sunt *campi.* Hîc non potest significare ἀοίκητον aut *solitudinem.* Vulg. *per plana atque campestria urbis Jericho.* Sic *Araboth Moab*, *quod Aq. interpretatur Humilia sive Æqualia Moab*, *hanc habens consuetudinem*, inquit Eusebius De locis, *ut eremum propter planitiem* ὁμαλὼ, *i. Æqualem, interpretetur, & Planam. Denique Symmachus pro Araboth Moab Campestria Moab transtulit. Et est usque hodie locus juxta montem Phogor euntibus à Libyade in Esbum Arabiæ contra Jericho, qui appellatur Araba. Hanc Aq. transtulit Planam; Sym. interdum Campestrem, interdum Inhabitabilem; Th. Occidentalem.* Hæc Eusebius, De locis Ebraicis. Mentio hujus loci Jer. 52. 8. *Assecuti sunt Sedeciam in campestribus Jericho*: ubi Santes *in desertis Jericho*, & LXX ἐν τῷ πέραν Ἰεριχώ. In fonte ibi scriptum ירחו *Jerecho*, non *Jericho.*

16. *Arcam testimonii*] In qua repositæ erant tabulæ legis, unde Exod. 40. 20. *& posuit testimonium in Arca*, i. *tabulas*, inquit, R. S. Sic etiam Abenmelech Exod. 39. Hæ tabulæ vocantur *tabulæ federis*, & ipsa Arca dicitur *arca federis.* Sed *fedus* διαθήκη ברית Ebræis, & *testimonium* עדות, i. μαρτύριον, unde hîc in LXX κιβωτὸν τῆς διαθήκης τοῦ μαρτυρίου. Vulgò reddunt *arcam testamenti testimonii.* Sed διαθήκη *fedus.* Sic *tabernaculum testimonii* ob tabulas quæ in eo. Cur lex *testimonium* vocetur docet Albo sermone 3. c. 21. Sunt qui opinantur etiam librum legis fuisse in Arca, sed in eo non omnes consentiunt; & ego verum non puto. Videndi sunt R. S. Deut. 31. 26. R. D. 1 Sam. 4. 3. Tabulas integras & tabulas fractas in ea fuisse facilius credo. Porrò *testimonium* aliquando usurpatur pro ipsa Arca testimonii, ut Exod. 16. 34. & Num. 17. 10. Masius autor ipsum fedus dici *testimonium*. Per *fedus* autem intelligit lapideas tabulas duas. *Arcam*, inquit, *vocari federis certum est à lapideis duabus tabulis Dei digito scriptis, quæ fedus quo sibi ille populum apud montem Sinai obligarat continebant: eæ enim tabulæ in illa capsa servabantur. Et quia hoc fedus interdum appellatur Testimonium, i.* עדות, *quippe quod testificationem voluntatis Divinæ sempiternam contineat, ipsa etiam Arca Testimonii Arca est nominata sæpe.* Hucusque Masius. ¶ *Et ascendant è Jordane*] Non dicit, *transeant*, aut *trajiciant*, *Jordanem*; sed, *ascendant ex eo.* Locus iste arguit eos stetisse in adversa ripa, unde ascenderunt in siccum.

18. *Avulsæ sunt plantæ pedum*] נתקו, & כפות hîc sunt *plantæ*, nam *volæ* manuum sunt propriè. ¶ *In siccum*] In continentem, sive in terram, quæ החרבה dicitur, i. *arida*, vel *siccum*, i. ξηρόν. Sanè Hiero. *& siccam humum calcare cœpissent.* Alioqui alveus in quo steterant, etiam siccus erat priusquam aquæ eum operirent. Infrà v. 22. *Per aridam* יבשה *transivit Israel Jordanem hunc.*

19. *Decimo mensis primi*] Qui *Nisan* Ebræis. Erat autem primus anni Ecclesiastici à Mose instituti, ad quem festorũ ratio computabatur. Alius annus, qui *civilis* dicebatur, & *Ægyptius*, incipiebat à Thesri, in quo significatio *principii.* Nam eum conditi orbis principium fuisse putant, si non

omnes pleriq; tamen. Ad hunc ut omnium temporum ratio supputabatur, ità jubilæi quoq;, & anni septimi. Quod quare fuerit institutum docet Masius ad h.l. Cæterùm nomina mensium olim nulla fuere, sed ab ordine computabantur, Primus, Secundus, &c. Post captivitatem Babylonicam nomina indita fuerunt, quæ ferè à Chaldæis & Syris accepta, ut dicerentur *Nisan, Jar, Chaslen, Sabath, Adar,* &c. qua de re aliàs, si Deus voluerit. ¶ *In Galgal*] Qui locus aberat à Jordane 50. stadiis, ut Josephus ait. Judæi autem dicunt abfuisse 60. milliaribus; quantum iter uno die conficere non poterant sine miraculo. Videndus R. D. ad h. l.

20. *Statuit Josue Galgal*] Tertullianus existimat positos fuisse in Arca. Verba ejus hac de re sunt lib. 4. contra Marcionem, *Et* 12. *lapides ab Jesu de Jordane lectos & in Arcam testamenti conditos deprehendo.* Arcam testamenti vocat arcam federis, quam Græci appellant κιϐωτὸν τῆς διαθήκης, διαθήκην pro συνθήκην usurpantes, h.e. *testamentum* pro *federe*, 1 Reg. 8. 9. legimus *nihil fuisse in arca præter duas tabulas lapideas.* Si verum hoc, ut est verissimum, ergò in ea non erant 12. hi lapides. Unde igitur hoc deprehendit bonus ille Pater? An ex Antiquitatibus quæ vulgò Philoni Judæo adscribuntur? In iis lectum, *positos fuisse hos lapides in Arca à Cenez, Et sunt,* inquit, *in arca testamenti* Domini *usque in hodiernum diem.* Sed quomodo à Cenez, si à Josua? An Josue usus fuit operâ Cenez in hac re? Sed quis iste Cenez? Nam Gen. 36. 42. memoratur Dux quidam Idumææ hoc nomine, cujus mentio & 1 Par. 1. 53. Quid hîc laboramus? Tanti nobis non debet esse Philo ille, ut nec Tertullianus, contra manifestam Scripturæ autoritatem. Vide nunc, si placet, quæ scripsimus Ebr. 9. 4. R. Levi addit Arcæ capsam angustiorem fuisse quàm ut potuerit capere hos 12. lapides. Negat etiam positos fuisse ante Arcam, ubi erat urna Mannæ, & virga Aharonis, & habet rationem probabilem, quam brevitatis causâ nunc omitto.

23. *Donec transiremus*] Solus Josue cum Calebo transiit mare Rubrum: reliqui qui tum superstites erant non transierunt illud nisi in lumbis patrum suorum.

IDEM.

3. מִמַּצַּב רַגְלֵי הַכֹּהֲנִים. Th. ἀπὸ στάσεως ποδῶν τῶν ἱερέων, *à loco in quo steterunt pedes sacerdotum*] Ad verb. *à statione pedum.*

7. נִכְרְתוּ מֵימֵי הַיַּרְדֵּן. Idem, ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ τοῦ Ἰορδάνου, *defecit aqua Jordanis.*

11. הַכֹּהֲנִים. Οἱ ἱερεῖς, *sacerdotes.*

13. אֶל עַרְבוֹת יְרִיחוֹ. Th. πρὸς πόλιν Ἱεριχώ. A. ἀραϐώθ. Sym. αὐλῶνον] Πρὸς πόλιν, אֶל עִיר. Sic LXX, πρὸς τὴν Ἱεριχὼ πόλιν. ¶ Ἀραϐώθ. In libro nomin. de Jesu Nave, *Araboth, Humilia, plana atque campestria.* de Deuteronomio, *Araboth, Humilem, planam atque campestrem.* Arbitror leg. *Araba.* Interpres vetus, *per plana atque campestria urbis Jericho.* ¶ Αὐλῶνον] Vide supra 3. 16.

GROTIUS.

5. *Singuli singulos lapides*] De hoc genere monumentorum vide Gen. 31. 46. & infrà 21.

11. *Transivit & arca Domini, Sacerdotesque pergebant ante populum*] i. Post transitum Jordanem Arca & Sacerdotes in primo fuerunt agmine, non in medio agmine, ut in deserto.

13. *Incedebant*] In Hebræo additur, *coram Domino,* i. *Arca.*

25. *Ut discant omnes terrarum populi*] Dubitari non debet quin vehementer perculsæ fuerint vicinæ gentes auditis ostentis quæ contigerant in Ægypto, in exitu, in deserto, & in Terræ introitu. Vide Job 12. in fine.

CAP. V.

MUNSTERUS.

2. *Cultros acutos*] Exponunt hîc communiter Hebræi צור pro חדוד *acutum*, sequentes expositionem Jonathan Chal. interpretis. Invenitur autem in eadem significatione Psal. 80. 9. Propriè verò sign. צור *petram*: & quoniam cultri acuuntur petris, hinc videtur esse quòd efficiens capitur pro effectu. Habet autem Hebraismus sic, *Fac tibi cultros petrarum.* Suprà quoque Exod. 4. habetur quòd Zippora uxor Mosi circumciderit filium *petrâ.* ¶ *Circumcide filios Israel secundo*] Notandum quòd Hebræi communiter asserunt hîc præcipi פריעה, h.e. *distensionem pelliculæ* quæ post præputii ablationem in mentula relinquitur. Faciunt enim Judæi in circumcisione tria. Primum est quòd cum novacula acuta amputant præputium. Secundum, quòd relictam pelliculam digitis distendunt & retro cogunt, ut mentulæ corona (sic enim vocant) appareat. Et hæc pelliculæ repressio infantulo longè majorem infert dolorem quàm circumcisio ipsa. Tertium est מציצה *exsuctio.* Nam is qui infantem circumcidit, sugit ore suo sanguinem à membro sauciato. Observant & alias stultissimas ceremonias; nempe, quòd adornant duas sellas, unam pro Elia, & alteram, si rectè memini, pro Mose. Habent & vasculum pulvere repletum, in quo sepeliunt amputatum præputium, quod offerunt Serpenti devorandum qui totum genus humanum infecit. De quo ampliora videre poteris in R. Abraham Hispano super Gen. 3. Dicunt itaque hîc Hebræi, filios Israel in deserto quidem circumcisos, sed non accepisse pelliculæ distensionem: ideo jubentur hîc denuo circumcidi. Alii verò aiunt ante hanc circumcisionem quæ sub Jehosua facta est, aliam quoq; sub Mose factam in deserto, anno scilicet secundo post exitum de Ægypto, quando & Pascha celebrare jussi fuerunt: sed ab illa circumcisione, nullus ex his qui nati fuerant in deserto, fuit circumcisus, donec transierunt Jordanem, quòd incerta illis fuerit mansio, ducente illos nube, quam præeuntem sequi jussi fuerant. Et si masculos circumcidissent, illi in magnum vitæ periculum venissent, cùm ob dolorem & sauciatum corpus castra minimè sequi potuissent. Denominatus est verò locus hujus solennis circumcisionis *Collis præputiorum,* ut textus habet.

8. *Pariter in castris*] Heb. *manserunt subter se in castris quousq; convalescerent:* h.e. manserunt omnes in loco suo, in Colle scilicet præputiorum, donec circumcisi sanarentur.

9. *Amovi opprobrium*] Heb. *devolvi.* Et ab hoc verbo vocatus est locus ille *Gilgal.* Vocat autem *opprobrium* ipsam præputii obturationem.

11. *Comederunt de frumento terræ*] Notandum quòd עבור est propriè *frumentum anni qui præteriit.* Nondum enim licuit eis comedere de novo frumento, donec offerrent manipulum spicarum 16. die mensis Nisan, h.e. alterâ die Paschæ: & tunc licuit eis vesci קלוי *granis & spicis coctis & tostis.* Et eo ipso die quo cœperunt comedere de frumento & fructibus terræ, desiit manna.

VATABLUS.

1. *Liquefactum est,* [וימס] *Dissolutum est,* i. cœpit remitti animus eorum. ¶ *Neque fuit in eis,* &c. [ולא היה בם עוד רוח] i. Cœperunt destitui prorsus animo ad adventum filiorum Israel.

2. *Eo tempore,* [בעת ההיא] Posteaquam scilicet ingressi sunt Terram sanctam transmisso Jordane.

3. *Cultros acutos,* [חרבות צורים] Ad verb. *cultros acierum,* i. præditos acie acutissimâ. Chald. Paraph. *novaculas acutas.* Notandum quòd intermissa fuerat Circumcisio ab eo tempore quo celebraverant Pascha, nempe à secundo anno post egressum ex Ægypto: quòd quamdiu fuerunt in deserto, subinde figebant castra, & movebant illa ad imperium Domini; neque sciebant quamdiu manendum esset in eodem loco, at motio loci nocebat admodum recenter circumcisis. ¶ *Circumciditque,* [וימל] i. Curavit circumcidendos. ¶ *In Colle præputiorum,* [אל גבעת הערלות] *In Gibeath araloth,* nomen loci sic dicti quod illic circumcisi fuerint filii Israel.

4. *Masculi,* [הזכרים] *Mares, generis masculini.* ¶ *Viri bellatores,* [אנשי המלחמה] i. omnes apti ad militiam, qui excesserant jam vicesimum annum.

8. *Qui*

6. *Qui non audierant*, אשר לא שמעו בקול יהוה] *Qui non paruerant voci* [i. imperio] *Jehovæ.*

7. *Quos ſubſtituit in locum ipſorum*, הקים תחתם אותם] Ad verb. *Quos ſtare fecit pro eis.*

8. *Cùm autem*, &c. ויהי כאשר תמו וגו'] Ad verb. *Et fuit quando completa* [*finita*] *fuit univerſa gens circumcidi.* ¶ *Donec ſanarentur*, עד חיותם] i. Donec inciperent convaleſcere, ac rectiùs habere, manſerunt in tentoriis ſuis.

9. *Devolvi opprobrium*, גלותי את חרפת מצרים] i. Abſtuli *opprobrium* ſive *ignominiam Ægypti*, h. e. præputium, cui ignominiæ obnoxii eratis propterea quòd diu habitaveratis in Ægypto. Quidam Hebræorum interpretantur *ignominiam*, opinionem quam alii habebant quòd deos Ægyptiacos coluiſſent. Potiùs interpretaberis ignominiam & probrum quod Ægyptii jaciebant in Iſraelitas, nempe Dominum eduxiſſe ipſos Iſraelitas ut eos perderet: quod verum non fuit, & ceſſavit probrum cùm ipſe Dominus induxit eos in Terram promiſſam.

10. *Menſis*, לחודש] Nempe primi, i. Martii. ¶ *Ad veſperam*, בערב] Quod erat initium diei 15.

11. *De fructu*, מעבור] *De frugibus*: anni ſcilicet præcedentis. Non licebat enim illis veſci novis frugibus quouſque obtuliſſent primitias Domino. ¶ *In craſtino Peſah*, ממחרת הפסח] *Poſtridie Paſchæ*, i. 16. die Martii, nam nox eſt diei ſequentis. ¶ *Et polentam*, וקלוי] *Et ſpicas toſtas.*

12. *Et ceſſavit*, &c. וישבות המן וגו'] *Nam ceſſavit man poſtridie cùm comederent de frugibus terræ*, &c.

13. *In Jericho*, בירוחו] *In regione Jerichuntina*, ſive *in agro Jericho.* ¶ *In cujus manu*, &c. וחרבו שלופה בידו] Ad verb. *Et gladius ejus evaginatus in manu ejus*, i. tenens manu evaginatum gladium. ¶ *Ex noſtris es*, &c. הלנו אתה וגו'] *Pro nobis es*, vel *Noſter es*, *an adverſariorum?* Quidam Hebræorum dicunt id accidiſſe ipſi Joſuæ per viſionem, dum ſcilicet ipſe cogitaret de expugnanda urbe.

14. *Non*: לא] Sub. *ſum pro adverſariis veſtris.* ¶ *Princeps exercitûs Jehovæ*, שר צבא יהוה] i. Michael Angelus, qui præſum exercitui Jehovæ. ¶ *Veni*, באתי] Quidam præt. vertunt in præſens, *venio.* ¶ *Loquitur*, מדבר] Præſ. Heb. pro fut. ut nonnulli vertunt, *dicturus eſt ſervo*, i. mihi.

15. *Calceamentum*, &c. נעלך מעל רגליך] Sing. Heb. pro plur. ut quibuſdam placet, *calceamenta tua de pedibus tuis.* ¶ *Super quo tu ſtas*, אשר אתה עומד עליו קדש הוא] Ad verb. in *quo tu ſtas ſuper eum*, *ſanctitas eſt*, i. ſanctus, propter præſentiam meam ſcilicet.

CLARIUS.

2. *Circuncide ſecundò*] Hebræi communiter aſſerunt hîc præcipi diſtenſionem pelliculæ quæ poſt præputii ablationem relinquitur. Dicunt itaque, filios Iſrael in deſerto quidem circumciſos, ſed non accepiſſe pelliculæ diſtenſionem & repreſſionem; ideo jubentur hîc denuo circumcidi. Alii verò aiunt, ante hanc circumciſionem quæ ſub Joſue facta eſt, aliam quoque ſub Moſe factam in deſerto, anno ſcilicet ſecundo poſt exitum de Ægypto, quando & Paſcha celebrare juſſi fuerunt; ſed ab illa circumciſione nullū ex iis qui nati fuerunt in deſerto fuiſſe circumciſum, donec tranſierunt Jordanem, quòd incerta illis fuerit manſio, ducente illos nube, quam præeuntem ſequi juſſi fuerant. Et ſi maſculos circumcidiſſent, illi in magnum vitæ periculum veniſſent, cùm ob dolorem & ſauciatum corpus caſtra minimè ſequi potuiſſent.

8. *Donec ſanarentur*] Circuncisi filii Iſrael ſederunt in caſtris donec ſanarentur: nam recedenti à conſuetudine peccati ſentitur primò dolor, donec conſuetudo in naturā vertatur.

9. *Abſtuli opprobrium*] Vel, *devolvi.* Et ab hoc verbo vocatus eſt locus *Galgal.* Et vocat *opprobrium* ipſam præputii obturationem.

11. *De frugibus terræ*] Intelligunt frumentum anni præteriti: Nondum enim licuit eis comedere de novo frumento, donec offerrent manipulum ſpicarum 16. die menſis Niſan, h.e. alterâ die Paſchæ: & tunc licuit eis veſci granis & ſpicis coctis & toſtis. Et eo ipſo die quo cœperunt comedere de frumento & fructibus terræ, deſiit manna. Myſticè. Exeuntes de Ægypto filii Iſrael attulerunt ſecum panes, liberales ſcilicet diſciplinas, quibus deficientibus, h. e. contemptis manna Divinæ legis datum in deſerto, hoc ſcilicet vitæ ſtatu. Cùm autem venerunt ad Terram promiſſam, cœperunt edere de fructibus terræ, & ceſſavit manna. *Cùm enim venerit quod perfectum eſt, abolebitur quod ex parte eſt.*

14. *Princeps exercitûs Domini*] Sicut Jacob terram Chanaan ingreſſuro, & Moſi aggreſſuro illam, ſic nunc Joſuæ eam impugnaturo apparet Angelus Domini, monens adeſſe ei Divinam virtutem.

MASIUS.

1. *Porrò factum eſt, ut cùm audirent omnes Reges Amorrhæorum*] Cap. 2. v. 10. audivimus Rahabam meretricem cùm diceret omnium animos fuiſſe præ metu liquefactos ſimul atque allata eſſet fama exſiccati maris Rubri, & profligatorum deinde duorum Regum Galaaditidis annunciata clades; & tamen neminem vidimus arma ad Jordanem trajicientibus hoſtibus opponentem. Nimirum, quamvis non ſolùm tantarum rerum auditione perterriti, verùm multò etiam acriùs Divino quodam terrore occultè percuſſi ipſorum animi mirabiliter intus vexarentur, tamen inſatiabiles voluptates in iis tam potenter regnabant ut ſanis conſiliis nullus eſſet locus, tantâque liqueſcebant fluebântque mollitiâ ut non facilè ullius periculi cogitatione ad virilia poſſent revocari, aut potiùs mentis ſuæ vitiis omnibus occæcatæ ſtupore pericula quamvis vicina non ſentirent. Cùm porrò nè nunc quidem ſe movent poſtquam hoſtis Jordanem tranſmiſit, neque vicinus modò eſt, ſed ipſis inhæret cervicibus, quis non intelligat admirabilem Dei erga ſuos benignitatem atque beneficentiam, cujus numine non modò vires adverſariorum ſuperantur, ſed omnes planè motus conatúſque tantiſper prohibentur dum illi in regione alioqui prorſus incognita paululum conſueti, & captæ etiam, nullo defendente, urbis unius victoriâ confirmati, auderent hoſtis conſpectum ferre, pugnâque cum eo decertare? ¶ Cæterùm Chananææ gentes omnes duobus hîc nominibus ſubjectæ ſunt, quæ c. 3. ſeptem appellationibus diſtinguebantur. Nam cùm illa inter Jordanem & mare Mediterraneum à Septentrione ad Meridiem versùs obliquo tractu in longum porrecta anguſtè jaceat, *Amorrhæi* nunc vocantur quicunque propiùs abſunt ab Jordane, *Chananæi* verò qui mari ſunt viciniores. Etenim illo, *trans Jordanem versùs mare*, ſive *versùs Occidentem*, ut Latinus & Chaldæus exponunt, excipiuntur modò ii Amorrhæi qui cis Jordanem in Galaaditide habitaverant, atque nuper cum ſuis Regibus Sehone & Og fuerant debellati. Uſitatum enim eſt Chananaicum Jordanis latus iſtis verbis ſignificare, ut Galaaditicum dicere *trans Jordanem ad Orientem.* Sed enim *Chananæos* eſſe vocatos peculiariter eos qui oram illam maritimam habuerunt quæ etiam eſt *Phœnicia* dicta, conficitur ex ſpeculatorū Moſis relatione, Num. 13. 29. cùm dicunt *Chananæus habitat juxta mare*, quod propter LXXII interpretes hoc loco pro *Regibus Chananæorum* reddiderunt *Reges Phœniciæ.* Eadémque ratione mulier quæ apud Matthæum 15. 22. *Chananæa*, apud Marcum eſt *Syrophœniſſa* vocata 7. 26. Nam ut profani ſcriptores Phœnicum vafritiem atque induſtriam in mercatura navigatione facienda celebrant, itâ S. literæ Chananæorum. Homerus enim ſcriptum reliquit, Odyſſ. 15.

Ἔνθα δὲ Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες,
Τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηῒ μελαίνῃ.

& alibi,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς,
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισιν ἐώργει.

Oſeas verò de Chananæis ſic ait 12. 7. *Chananæus in manu habet trutinam fallacem; amat injuriam facere.* Et Iſaias teſtatus eſt 23. 8. *negotiatores Tyri eſſe principes, Chananæóſque ejus eſſe viros in terris præclaros*, h. e, Tyri mercatores. Denique Solomon mulierem frugi laudans, *Linteum*, inquit, *fecit, ac vendidit; & cingulum tradidit Chananæo*, h. e. mercatori aut negotiatori, Prov. 31. 24. Quin, ut planè intelligas utriuſque vocis inter ſe notationis convenientiam, ſicut apud Hebræos

præcisè sunt *Chananæi* maris accolæ illi qui supra Palæstinos, h.e. supra פלשתים, recedunt ad Septentrionem, sic apud Græcos Φοίνικες. Rursus, ut interdum apud illos Palæstini etiam usque ad Ægyptum subjiciuntur *Chananæorum* nomini, veluti in Genesi c. 10. & in præsente etiam, opinor, loco; sic Græci τὴν Φοινίκην ad Ægyptum usque producunt aliquando. Dionysius enim Afer Gazam in Phœnicia locare non dubitavit, neque Moses in Chananæa. Estque hoc etiam à Strabone scriptum l.16. Est igitur prorsus eadem una gens, si propriè loquamur, *Chananæorum* apud Hebræos & *Phœnicum* apud Græcos, faciendâ naviculariâ καὶ ἐμποεικῇ τέχνῃ celebris, propter portuosum mare, quod accolunt. Sed progrediamur ad reliqua. ¶ *Reges* vocantur singularum ferè civitatum domini. Priscis enim illis temporibus, cùm nondum ex orbe terrarum profligata esset modestia, cujus imperio se quæque civitas ob præcellentioris prudentiæ opinionem submiserat, is eam suo dominatu tenere contentus in ipsa sola regnabat. Sed moderatior ille temperantiórque dominatus deinde gloriæ, nè quid pejus dicam, facibus inflammatus, exardescere cùm occœpisset ad latiùs regnandi cupiditatem, mox circumquaque vicinos etiam hominum cœtus corripuit; Regésque non urbium modò sed regionum cœpere dici, ac tandem etiam provinciarum, cùm non ad vicinos solos sed ad exteros quoque protulisset homines imperium immensa dominandi libido. ¶ *Cor* vocata est ea pars animi in qua fortitudo atque constantia est posita; *Spiritus* verò, h. e. רוח, animi illa vis quâ sapimus, & quid agendum, quid omittendum dispicimus deliberamúsque, h. e. τῶν ποιητέων καὶ οὐ ποιητέων διαγνωστικὴ δύναμις, quam LXXII nominant φρόνησιν. Nam corde liquescente, videlicet cùm per metum labascit fortitudo, perturbari simul & sapiendi facultatem necesse est. ¶ Cæterùm iterum atque iterum *gratiâ Israelitarum* esse facta ea quæ contigerunt commemoratur, ut illustrior appareat benignitas Dei, & studium, atque providentia, quâ suos complectitur, tutatur, amplificat, dum ipsorum causâ naturæ perpetuum cursum interrumpit, ordinémque invertit, & ipsorum humilitatem, ut sic dicam, celsissimæ aliorum dignitati atque amplitudini reddit formidabilem.

2, 3. *Eo tempore aiebat Dominus ad Josuam, Fac tibi gladiolos*, &c.] Id tempus significatur cùm primùm ad Galgala esset perventum. Nam pauci admodum dies, neque plures quatuor, supererant ad eum usque diem quo Pascha fuit faciendum; & debebat interea circumcisionis plaga sanari. Cohærent ergò ista cum iis quæ extremis versiculis superioris capitis sunt narrata: Illa verò de Regulorum omnium maximo pavore per digressionem sunt interposita. Sed priùs quàm S. verba exponamus, duæ sunt pertractandæ quæstiones quæ plerosque interpretes hoc loco exercere solent. Earum altera est, Quæ causa esse potuerit Israelitis cur totis 38. annis, aut eo pluribus, circumcisionis ceremoniam omitterent, sanctâ lege sic sibi imperatam diligenter ut capitalis pœna esset intra dies octo non obtemperasse, aut capitali pœnâ longè gravior, exemptio nominis de tabulis Divini federis, Gen. 17.14. obtemperasse autem, præmium Chananææ possessio. Nam ut pœnam omittamus, quâ sæpe non satis deterrentur flagitiosi homines à peccando; cùm jam rectà in possessionem promissæ terræ proficisci se intelligerent, debebant profectò ejus ritûs observationi operam in primis dare in quo Divinæ illius promissionis cardinem versari non ignorabant ex pacto & federe Dei cum Abrahamo inito, Gen. 17.8, 9. Altera est, Quid sibi velit illud, *circumcidere Israelitas secundò*, quando neque ipsa rei natura neque Divina religio permittit ut idem homo circumcidatur iterum. Neq; enim præsectum semel præputium succrescit, neq; sacramentum hoc sine flagitio iterari potest. Quod ad priorem attinet, equidem existimo eam omissæ circumcisionis veram esse causam quæ vulgò afferri solet, nempe, Quia ad Dei nutum, quem nube motâ ipse annuebat, proficiscendum continuò esset, nullius certæ quietis spe. Atque hanc causam opinor ipsi quoque Deo probatam sic fuisse ut in crimine illis non poneret præputium: Nec enim posuisse memorat usquam S. historia. Neque verò illi negligebant circumcisionem, sed profectionis continuæ necessitate ab ea excludebantur; retinebántque interim circumcidendi propositum, cum prima opportunitate data. Ad hoc, quòd filii non circumciderentur, pœnæ species fuisse videtur, quâ Deus non tam ipsos plectebat filios quàm impiorum parentum urebat animos, cùm viderent liberos suos sacrosancti federis symbolo carere. Huc enim, mihi certè, videntur spectare illa in Numeris Dei verba 14. 33. cum dicit, *Vestra ipsorum corpora cadent per desertum istud. Filii verò vestri erunt pastores in deserto annis quadraginta, & ferent pœnam defectionis vestræ, tantisper dum vos consumpti fueritis in deserto*, q.d. Quia abdicastis vos à mea familia per rebellionem, filii quoq; vestri adoptionis notâ carebunt quàm diu vos in vivis eritis. Quin ipsum etiam Pascha, non minus severâ rigidâq; lege mandatum atque Circumcisio, ut statuto die quotannis celebraretur ab omnibus, differre tamen licuisse itineris faciendi causâ respondit ipsum Dei oraculum à Mose consultum, Num. 9, 13. Sed objiciat nobis Mosen quispiam qui in vitæ periculum incidit, cùm filium non circumcidisset per iter, & quidem non ejus ipsius voluntate sed Dei jussu institutum atq; susceptum, Exod. 4. 24. Atqui dudum antè oportebat circumcisum esse à Mose filium quàm iter illud invaderet. Neq; enim tum natus ei recens fuerat Eleazarus, ut videtur. Et ut fuerit ille non antè dies octo editus, certè nullâ Mosen Deus festinatione usq; adeò urgebat ut non posset vel triduum circumcidendo curandóq; infanti dare; cùm esset absurdissimum, Legislatorem atque Imperatorem populi futurum nè in exigua quidem familia sua Divinæ religionis jura coluisse. Sed quid opus multis? Ipsa verba sacra, cùm quoties ferè omissæ circumcisionis toties & itineris faciunt mentionem, satis apertè causam videntur attribuere continuæ profectioni. Neq; verò dubitans dixerim, in stativis illis ad montem Sinæum, in quibus cùm ob Legem Divinitus accipiendam, tum ob construendum Sacrarium Dei & Tabernaculum, fuit morandum diu, ut Pascha de more agitarunt Israelitæ, ità & circumcidisse quoque suos liberos, quotquot vel illis 47. diebus quibus ex Ægypto illuc pervenerant, vel interea dum inibi hærerent, fuerant editi in lucem: Illa verò verba quæ memorant *neminem fuisse circumcisum inter proficiscendum ab Ægypto per desertum*, præcisè accipienda esse de ea profectione quam auspicati sunt die 20. mensis secundi, anno eo qui ipsis fuit à libertate adepta secundus, cùm monte Sinæo relicto ad nubis momentum sunt profecti ulteriùs, Num. 10. 11. Quanquam alioqui illud, *inter proficiscendum*, & rursus illud, *in itinere*, non patiuntur sanè ista verba cum nostra sententia pugnare. Nam quod in stativis in itinere est actum, neque inter proficiscendum neque in itinere actum censeri debet. Dignum profectò Talmudicis, h.e. ad tractandas literas S. absurdissimis hominibus, est commentum, quod יבמות tractatione de jure Leviri c.8. scriptum ipsi reliquerunt, Per omnes illos 40. annos non spirasse Boream, ventum nubibus inimicum, nè illa Sanctuario familiaris nubes dissiparetur scilicet; atque ideo abstinuisse Israelitas à circumcisione, cùm eum ventum sibi putent observandum, ut qui plagis medeatur. Sed nugacissimas istas nugas silentio tegerem, nisi R. D. K. bene multis verbis eas esset persecutus, cujus commentarii sunt in omnium manibus: putavit enim locum esse indicandum ex quo ille tam præclaram doctrinam scilicet accepisset. Posset fortassis suspicari quispiam, homines præfractæ cervicis, postquam per flagitiosum illud rebellium, quo auditis speculatoribus reditum in Ægyptum fuerant moliti, indignos se promissis Dei fecissent, atque propalam ab eo judicati damnatique fuissent, præ impietatis obstinatione sanctum illud federis Divini monimentum, cùm sibi deinde prodesse non posset, etiam posteris suis invidisse, ideóque eos non circumcidisse. Sed profectò ea immanior fuisset pravitas quàm quæ in populo Dei tamdiu hæsisse existimari

mari debeat. Et, ut antè dixi, filiorum præputium dolori illis non voluptati fuisse videtur. Ad hoc, scelerati parentes illi antè transmissum torrentem Zared perierant omnes, Deut. 2. 14. & tamen neque suos liberos postmodum natos circumciderunt illi (quantum certè S. verba præ se ferunt) qui minores, aut certè non majores, annis duodeviginti Ægyptum cùm reliquissent, neque rebellionis scelere obligati, neque à Deo damnati fuerant, nisi nunc demum per otium in Chananæa. Sunt quidem magnæ apud me auctoritatis scriptores Theodoretus Quæst. in Jos. Damascenus l. 4. c. 16. qui statuunt circumcisione opus non fuisse quamdiu solitudo ipsa populum Hebræum ab aliis populis satis secernebat. Sed mihi sanè probari id non potest; qui persuasum habeo, ponendi præputii insigne non solùm ad segregandum populum selectum à reliquis gentibus, inter quas versaretur, institutum à Deo fuisse in prisca illa Hebræorum ecclesia, ut neque S. Baptismi ritum in nostra, verùm in primis ut corruptæ depravatæque ab ipsa origine hominum naturæ mysterium simul & expiatio esset, moneretque opus esse ad salutem alio Divino quodam nascendi modo, quem *regenerationem* vocant sacrarum rerum scriptores; deinde verò, ut gratiæ Divinæ sacræque professionis & religionis probæ signum esset, quo adoptatus gratis à Deo ad cœleste regnum peculiaris populus ab aliis dignosceretur nationibus. Sed sunt ista alterius loci. Progrediamur ergò ad alteram quæstionem, Cur secundò circumcidere Israelitas jussus sit Josua. Certa ut S. verbis explicata res est, Eosdem viros iterum circumcidi non debere, sed illos qui antè circumcisi non essent. Est enim in S. texto, *Liberos ipsorum substituerat in eorum locum: hos circumcidit Josua, cùm essent præputiati, eò quòd non circumcidissent ipsos in via.* Illud igitur videndum est, quò spectet adverbium *secundò*. Memoratum est in Geneseos historia 17. 23. Abrahamum, cùm jussus esset masculos omnes suæ familiæ, liberos, servos, vernas, emptitios circumcidere, evestigio eodem illo die circumcidisse simul omnes. Erat autem tum universa peculiaris populi Dei, h. e. Ecclesiæ, ut vocamus, summa in una Abrahami familia posita. Semel igitur tunc universè populus Dei circumcisus ab Abrahamo, cùm hoc insigne, tanquam pignus certissimum promissæ possessionis Chananææ, à Deo institueretur. Nunc verò secundò circumciditur populus Dei universè à Josua, cùm promissa illa, quorum circumcisionem fuisse pignus diximus, ad rem à Deo conferuntur, h. e. cùm idem ille origine quidem populus, at ob exstinctam nuper universam patrum multitudinem quodam modo novus, in possessionem Chananææ mittitur. Dicam, si potero, explicatiùs. Deus olim per circumcisionis insigne peculiarem sibi cœtum, sive, ut appellamus, Ecclesiam constituerat; is cœtus cùm fuisset continuâ parentum & sobolis successione, eorundémque rituum & sacrorum observatione, ad Mosen usque propagatus, nunc tandem, occisis semel omnibus quorum in solennibus recensionibus ratio habebatur, cæteris verò qui totis 38. annis editi fuerant non circumcisis, illa consociationis atque conciliationis ratio quodam modo intercidisse videtur: Imperat igitur Josuæ Deus ut eam denuo instauret. Et verò præsentem populum quasi cœtum novum videri, atque consociationis communionísque illud vinculum Circumcisionem tanquam intercidisse nunc, ex illis potest perspicuè intelligi verbis quæ superiùs commemorabam, præsertim si paulò altiùs repetantur; ex istis dico, *Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes, viri bello apti, obierant in deserto. Verùm liberos ipsorum substituerat in eorum locum: hos circumcidit Josua, cùm essent præputiati*, &c. Credibile quidem est, vixisse etiam tum plurimos qui in Ægypto nati circumcisíque fuerant. Neque enim flagitiosæ illius rebellionis crimen, quod anno qui à libertate Ægyptiaca secundus erat apud Cades-barneam admissum labem illam maximam & perniciem reipub. Israeliticæ intulerat, ad eos pertinuit qui annum vicesimum nondum attigerant. Et eximunt ab eadem culpa Judæi tribum quoque Leviticam universam.

Sed ex eorum conditione æstimatur populus qui ejus pars longè maxima erant. Nam simpliciter *periisse in deserto masculi omnes Ægypto egressi, qui quidem militari erant ætate*, memorantur: Et tamen certo certiùs est, si non alios plurimos, at Calebum, Josuam, Eleazarem saltem non periisse. Sed unum est huic nostræ, quam modò explicavimus, sententiæ acriter, ut apparet, adversarium. Non enim Abraham olim *filios Israel* semel circumciderat, cùm nè natus quidem tum fuisset Israel: haud ergò possunt à Josua *circumcidi secundò filii Israel*. Verùm est profectò expeditissima responsio, Non insistere Spiritum S. in *Israelis* appellatione. Sed *filios Israel* vocari simpliciter cœtum atque Ecclesiam Dei, cui hoc nomen post Jacobi ætatem ad Christum usque datum ferè est in S. historia. Præterea, si hîc argutiis in arguendo locus est, hoc quoque argutè responderi possit, *Filios Israel* per Abrahamum fuisse olim circumcisos, similiter atque *Levitas decimatos fuisse*, ut sic dicam, à *Melchizedeco* scripsit Apostolus Hebr. 7. 9. Sed enim D. Augustinus Quæst. in Jos. nihil re ipsâ, opinor, à me dissentiens, iterationem istam excusat schemate quod Synechdochen vocant: Populus enim, inquit, antè circumcisus erat, quia nonnulla ejus pars carebat præputio, ut Calebus, ut Josua, ut Eleazarus, & fortassis Levitæ omnes, & qui apud Cades-barneam nondum fuerant 20. annorum. Circumciditur autem populus jam iterum, quia ejus maxima pars circumciditur. R. Levi F. Gersonis autem, cum plerisque Judæis, hunc locum sic exponit, ut existimet Mosen, cùm in Ægyptum revertens, futurus gentilium suorum Dux, periculo suo didicisset quàm ægre ferret Deus adoptionis illud insigne negligi, illico multitudinem universam circumcidisse, quæ durissimæ atque laboriosissimæ servitutis causâ jamdiu id facere non curarat. Neque enim Pascha celebrare, non deposito præputio, potuisset, Exod. 12. 48. neque in possessionem Chananææ proficisci, quæ circumcisis fuerat promissa Gen. 17. 8. Cùm porrò, quos ille sic in Ægypto circumciderat, longo errore per iter essent plerique omnes exstincti, & qui interea editi fuere, non circumcisi, jam opus esse iterum circumcidere multitudinem universè. Hæc fere ille, & multi quoque cum eo Judæi. Fuisse autem in Ægypto neglectam circumcisionem, & à Mose illuc reverso instauratam, opinatus est etiam Tertullianus noster: Utitur enim adversùs Judæos his ferè verbis; *Providens*, inquit, *Deus, quòd hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, idcirco filium Mosis Ducis futuri instigat circumcidi, ut cùm cœpisset per eum populo dare præcepta circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in Judicis filium jam celebratum.* Sed R. D. K. longè aliud est commentus effugium, verùm acutius argutiúsque, meo judicio, quàm S. verborum simplicitati & usitatæ significationi congruentius. Ait enim verba illa שוב & שנית, quæ *iterationes* significant, non ad ipsam circumcisionem sed ejus procurationem spectare; idque mandari Josuæ, ut iterum atque iterum, ultro citróque per castra commeans, omnésque & singulos adiens, curet nè quis omnium maneat præputiatus. Positionem enim שנית, à qua illa formantur, non bis modò sed sæpe iterare aliquid significare; itaque שנית non *secundò*, sed *crebrò* esse convertendum. Sed hoc profectò est extorquere Scipturam, atque ad suam interpretari sententiam. Denique Talmudici, eo quem nuper indicavi loco, & prolixiùs quoque in Capitulis Eleazaris, non insulsè modò, sed etiam impiè, si ipsorum nuda verba intueare, fingunt, non absolutum circumcidendi præputii ritum fuisse Abrahamo traditum à Deo, & proinde illud *secundò* ad ceremoniæ perfectionem, quæ jam tandem Josuam doceatur, pertinere. Hunc enim eos etiam qui Abrahami ritu antè fuerant semel circumcisi debuisse curtare secundò, perfectiore modo. Verùm ista fortassis à veteribus Hebræis rectè dicta sunt, qualia in Talmude multa passim reperias, non de adumbrato Josua filio Nun, sed de expresso, Jesu Christo, à quo vetus illa circumcisio perfecta est, Col. 2. 11. cùm homines

mines per eum circumciderentur *circumcisione non factâ manu*, & quæ præputium carnis solùm deponeret, sed quæ *peccatorũ exueret corpus*, quippe Spiritu peractâ, non literis descriptâ: Quâ quidem circumcisione eos etiam debuisse circumcidi qui Abrahami ritu semel fuissent initiati, quid attinet ostendere rationibus, quando satis est Christi exemplum. Afferunt Talmudici illic alias etiam secundæ circumcisionis causas & rationes; sed quas, ut verecundis auribus parcam, consultè prætereo. Facere tamen non possum quin earum unam proferam, quia puto rem in hominum eruditorum vulgus non esse pervulgatam. Aiunt enim illis temporibus fuisse multos qui, etsi à suis parentibus fuissent in tenella ætate rite circumcisi, tamen iterum circumcidi debuere, si modò sacrorum communione consociari cæteris Judæis vellent; nimirum qui immanitate Ægyptiacæ servitutis pressi arte quadam medicâ, subductâ atque distentâ pelliculâ, novum sibi præputium comparaverant, glandémque eo iterum contexerant. Appellant autem eos tales Talmudici משוכים, q. *ἐπισπαστὰς* dicas, ab attracta pellicula scilicet. Similiter, inquiunt, atque cùm Romani rerum in Judæa potiti Templum funditus iterum evertissent, plurimi Hebræi hostium injuriis exagitati & vexati eâdem illâ ratione religionis suæ professionem dissimularunt, qui Bar-Chuzibæ jussu postea denuò sunt circumcisi, cùm ille occupatâ urbe Bitter annis duobus & dimidio apud eam gentem dominaretur, & maximâ libertatis spe omnium animos excitavisset. Erat autem id nomen impudentissimæ audaciæ nebuloni, qui Messiæ sibi nomen assumebat atque arrogabat, cùm suo appositissimo nomine בר-כזיבא *Bar-Chuziba, mendacii filius*, diceretur. Sed dedit miser temeritatis suæ pœnas Ælio-Adriano, qui, expugnatâ Bitter, quadragies centena Hebræorum millia cecidisse memoratur, apud Talmudicos, ubi de libellis repudii disserunt c. 5. Et nè quis fidem Talmudicorum dictis nullam putet adjungendam, planè illis consentanea sunt quæ Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus, Doctor singularis, scripta reliquit, cùm de S. literarum interpretibus Græcis dissereret. Affirmat enim illic, quisquis Judæorum ad Samaritanos, aut horum ad illos deficeret, eum novo præputio comparato novâ circuncisione initiari solere: idque Symmacho quoque, cujus inter Græcos S. historiæ interpretes celebre nomen est, inter alios, accidisse, Imperatore Severo, cùm ob affectatum regnum ille apud suos Samaritanos odio maximo laborans, se ad Judæos contulisset, atque his nomen dare constituisset. Et quis non existimet Paulum quoque illam creandi præputii rationem spectasse, cùm diceret ad Corinthios suos 1. 7. 18. Περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω. h.e. *Vocatus est aliquis à Deo cùm esset circumcisus? nè paret sibi attractione præputium. Vocatus est aliquis præputiatus? nè circumcidatur.* Sed jam nimis multa de secunda circumcisione fortassis. Addenda tamen est paucis scita sanè & sacris sensis perapposita anagoge, quâ hanc narrationem ad nostram religionem accommodat Justinus Martyr apud suum Tryphonem. *Memoratur*, inquit, *Josua populum circumcidisse alterâ circumcisione, & quidem lapideis gladiolis. Nimirum ea res prænuncia erat hujus circumcisionis quâ ipse Jesus Christus circumcidit nobis saxeas statuas aliaque idola. Sunt enim ea præputia, h.e. mundi hujus deliramenta, amputata lapideis gladiolis, Jesu Domini nostri verbis, & passim coacervata in cumulos.* Et paulò post, *O beatos*, ait, *nos, qui lapideis gladiolis sumus secundâ vice circumcisi! Ad vos enim (Judæos alloquitur) pertinebat prior circumcisio, quæ ferro fiebat, atque etiam num fit. Duri enim pertinacésque manetis. At ea circumcisio quæ secundùm vestram illam est instituta, nostra est. hæc acutissimis lapidibus, verbis videlicet Lapidis angularis & sine manibus cæsi Apostolorum operâ per orbem terrarum divulgatis, abstulit à nobis omnem cultum idolorum, & planè omnem improbitatem. Sunt enim à nostris mentibus sic amputata vitia ut præ gaudio gestiamus si vel mors oppetenda sit pulchri illius atque amabilis Lapidis gratiâ, ex quo Lapide vitales aquæ effusè profluunt in pectora eorum qui per illum ducuntur in amorem Parentis rerum omnium, potúmque præbent affluenter omnibus qui bibendæ aquæ vivæ desiderio tenentur.* Hæc divinus ille Philosophus. Sed revertamur ad S. verba. ¶ Illud חרבות צורים, quod nos convertimus *gladiolos saxeos*, interpretatur Chaldæus *acutos gladiolos*, aut *novaculas*. Eúmque sequitur vulgus Judæorum, ut solet. At veteres גלבין דטינרי, i. *novaculas saxeas*, dicendum esse putaverunt, in eo commentario qui *Genesis magna* est appellatus. Atque ille Chaldæus qui Mosis libros convertit, quem *Onkelum* vocant, illud צור quo Mosis uxor filio præcidebat præputium, Exod. 4. 25. טינרא h.e. *silicem*, convertit, non *aciem*. Quin ego affirmare ausim צור nusquam in S. literis *aciem* significare, sed *silicem* aut *saxum* ubique. Nam, ut dem in illo Davidis versu אף תשיב צור חרבו *aciem* esse צור, tamen dicam id translatitiâ significatione à silicis duritie, non ex vi ejus verbi propria, intelligi. Neque verò aut Græci aut Syri *aciem* ibi sunt interpretati cum Judæis, sed *auxilium*. *Saxum* enim & *rupem*, sive *silicem*, sæpe dicunt S. literæ *propugnaculum* & *auxilium*. Sed & Moses Maimonius quoque, singularissimus apud Judæos Doctor, Moreh Nevochim, par. 1. c. 16. duris silicibus usum esse Josuam, non acutis gladiolis opinatur. Et verò non præcidi etiam modò præputia, sed amputari etiam posse testes ipsos acuto silice, proditum à scriptoribus profanis est. Catullus enim, in elaborato illo carmine de Berecynthia & Aty, scripsit de Cybeles sacerdote,

Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.

Et Juvenalis Sat. 6. de similis vesaniæ sacrifico dixit,

Mollia qui ruptâ secuit genitalia testâ.

Ego verò hanc sententiam & verbi צור notionem eò pertinaciùs tutandam mihi putavi adversùs Judæos, propter scitam illam atque aptissimam anagogen quâ *Petra* Christus dicitur 1 Cor. 10. ¶ Pro verbo שוב videntur LXXII interpretes legisse שב, cùm pro *iterando* reddiderint *Sede*, quanquam שוב & ישב etiam aliàs non nusquam confunduntur, ut solent simillimæ inter se positiones. ¶ *Collis præputiorum* גבעת הערלות dictus est locus ille hîc per anticipationem. Ex re ipsa enim hoc tandem nomen accepit. In commentario antiquo qui inscribitur ויקרא רבה h. e. *Leviticus Rabba*, scriptum est ex veterum Hebræorum sententia, tantam fuisse abjectorum in locum unum copiam præputiorum ut collem repræsentarent loco cæteroqui plano & æquabili. At Chaldæus existimat colliculum qui antè fuit ex re ista nomen hoc accepisse. Nam convertit ille Hebraica verba explicatiùs, *Et circumcidit filios Israel in colle quem nominaverunt Collem præputiorum.* Sic enim habent boni libri.

4. *Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes*, &c.] De iis agitur qui ante rebellionem illam quæ in tertiis castris post relictam solitudinem Sinai accidit annum vicesimum ætatis attigerant: Hæc enim ætas bello primùm apta censebatur: Neque alii rebellionis à Deo sunt damnati. His enim utitur ille verbis in libro Numerorum, 14. 29. *In solitudine ista cadent corpora vestra. Et quotquot vestrûm numerati estis, per universam multitudinem, ætatis annorum viginti, & suprà, qui murmurastis adversùs me*, &c. Etsi autem universè dicantur omnes illi periisse, debet tamen, ut suprà probavi, id de iis solis accipi qui illo rebellii & defectionis scelere se astrinxerant, auditis exploratoribus.

5. *Nam fuerant quidem circumcisi omnes quotquot erant egressi*, &c.] Eo ferè ingenio sumus mortales, perverso sanè, ut in malis religionis Divinæ rationem pietate colamus majore quàm cùm res secundæ sunt. Neque dubium est quin nonnulli, quantò duriore servitute opprimebantur in dies ab Ægyptiis, tantò ardentioribus votis exorandam sibi esse Divinam misericordiam statuerent, tantòque colendum religiosiùs illud fœdus quo Chananææ promissio sancita fuit, ut antè dixi, i. ipsam circumcisionem, Gen. 17. 9. hoc enim satis luculenter, opinor, testantur illa verba, *Exaudivit Deus gemitus eorum*, qui in Ægypto intolerabili servitute oppressi gemebant: *& recor-*

recordatus est federis sui quod pepigerat cum Abrahamo, Isaac, & Jacob. Verùm fuisse omnes sacræ illius legis tam observantes ut suos liberos circumciderent antè quàm redisset Moses ex Madian eum imperio, nuntiassétque adesse jam libertatis tempus, spéque certiore hæreditatis promissæ omnium animos excitasset, id verò minimè est credibile, neque gravissimis aliis sceleribus consentaneum quæ Ægyptiorum consuetudine infecti admiserant multi. Nam ut sunt qui cœlestibus plagis emendantur, ità rursus invenias qui callum obducant, &, tanquam asini, verberibus assueti, contumaciores reddantur, tandémque aut detestabili diffidentiâ omnem felicioris vitæ spem abjiciant, aut certè à proba religione cultúque Dei se ad alias superstitiones facilè traduci patiantur. Quare probabilis videtur ea sententia quam suprà exponebam, Mosis tandem admonitionibus & iis quæ per eum fiebant prodigiis inductam esse populi partem maximam ut in tam propinquæ libertatis exspectatione se suósque liberos compararent per federis Dei illud insigne ad possessionem felicissimæ terræ sibi olim promissæ. Porrò an per desertum, istâ tantâ pietate subitò cum majore impietate commutatâ, circumcisionem neglexerint contemptim, an verò fas ipsis fuerit ob iter differre federis symbolum, similiter atque anniversariam Paschatis cæremoniam, disputatum satis est à nobis suprà: Ubi hoc etiam constituebamus, Neminem per desertum fuisse circumcisum post relicta stativa montis Sinai, h. e. post duodecima castra; in quibus & Pascha celebratum fuerat, & Lex è cœlo data, arca item, tabernaculum, cætera vasa sacra fabrefacta.

6. *Quadraginta enim annis ambulaverant per solitudinem*, &c.] Desertum istud, quasi suo nomine, appellant LXXII interpretes Μαδβαρίτιδα. Fortassis vulgus eo seculo quo hi scripsere Hebræum verbum מדבר *Midbar*, quod *desertum* significat, ei solitudini, ut proprium ejus nomen, attribuerat, quodam loquendi usu; nisi imperiti hominis audaciâ adscriptum hoc nomen olim in illa editione Græca putemus. Iidem interpretes supra quadraginta annos addunt duos. Nimirum habuerunt, ut videntur, illi eam opinionem, ut existimarent eos 40 annos quos Deus in Numeris 14. 33. præfiniebat soboli impiorum parentum agitandos in deserto, ab illo ipso funesto die numerandos fuisse. Jam tum enim duos à relicta Ægypto, & insuper pauculos menses, in solitudine egerant. Et profectò, si quis illa Dei minacia & fatidica verba simpliciter intueatur, hæc dico, *Filii vestri erunt pastores in solitudine annis quadraginta: pro numero dierum quibus speculati estis terram, singulis diebus in annos singulos relatis: h. e. annis quadraginta, ferent pœnam defectionis vestræ*, si quis, inquam, ista per se, neque curiosè legat, facilis in eam illorum veniat sententiam. Atqui quadraginta, non ampliùs, annos computat ipse Moses ad campos usque Moabiticos; nisi putes eum non à relicta Ægypto sed à progressu è Sinai supputare tempus. Sed erit de his disputandi locus etiam c. 11. ad v. 18. Porrò animadvertendum est, scelestos illos & defectionis reos non *populum*, sed גוי, h. e. *gentem*, hoc loco vocari, verbo odioso scilicet, & quod plerumque profanos homines atque ab Abrahami S. illo fœdere alienos significat: Meritò sanè, ut qui se per detestabile flagitium ab eo federe abalienassent. Nihil enim profuit ipsis esse circumcisis cùm Deo neque fiderent neque morigerarentur. Nam, ut D. Paulus rectè Galatis scripsit 5. 6. & 6. 15. *Neque circumcisio aliquanti est, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur, & nova creatura.* ¶ Sequens verborum ambitus, hunc dico, *Quibus juraverat Dominus non ostensurum se ipsis eam terram*, & quæ eodèm pertinent cætera, ea, inquam, verborum complexio implicatior est, habet autem hanc sententiam, Quos dico periisse per desertum his annis 40, quia non obtemperassent voci Domini, illi ipsi sunt quibus jurejurando Dominus affirmaverat, propter ipsorum flagitia, se non daturum ipsis beatissimam illam terram lacte mellèque affluentem, quam alioqui olim semini Abrahami, Isaaci, Jacobi juratus promiserat se concessurum; quorum illi semen quidem & filii fuere, sed ipsi sibi per sua scelera obstitere, séque abdicavere, & promissis illis indignos fecere, ac proinde priùs per desertum exstincti passim sunt quàm ad illam terram possent pertingere, nedum in possessionem ejus ingredi. Latinus hoc loco minimè expressit quod est in Hebræo, si quidem integra superest scriptura, & nisi conjecturâ fallor, à priore verbo נשבע *juraverat* errore transiliit ad posterius. Cæterùm personæ mutatio, quâ dictum est *daturum se nobis* pro *daturum se ipsorum semini*, explicandæ antitheseos gratiâ videtur facta esse, quæ est inter eorundem patrum eos posteros qui ab illis per vitia degenerant, & eos qui illorum vestigiis insistunt, virtutémque & pietatem imitantur. Quippe gratuita Dei adoptio, quâ Abrahæ genus facta est gens sancta, ad eos non pertinet qui se ipsi suapte voluntate abdicaverunt, beneficiúmque Divinum repudiarunt. Quò minus mirum est si cum cæteris filiis paternam hæreditatem isti non adeant. Atque hâc ratione exagitat Christus Judæos apud Joannem, 8. 39. cùm se de sanguine Abrahami jactarent, cæteroqui verò ejus facta non imitarentur, sed Diaboli cupiditatibus libenter operam darent. Cæterùm sacræ narrationes quæ hoc loco attinguntur, altera quidem de exitio rebellium cùm in Numeris 14. 32. tum in Deuteronomio 2. 14, 15. altera verò de Divinis promissis, passim in Genesi scriptæ sunt.

7. *Verùm liberos ipsorum substituerat in ipsorum locum*, &c.] Sunt ergò isti qui in promissam terram introducuntur, tanquam novus populus, ut antè diximus: Qui cùm essent plerique præputiati, circumcisio quasi de integro instituenda fuit. Illustrat autem hic locus veritatem atque constantiam verbi Dei, cùm ea jam esse facta memorat quæ facturum se promiserat Deus in Numeris 14. 31. cùm diceret, *Parvulos vestros, quos dixistis prædæ futuros, introducam; noscéntque terram illam quam vos contempsistis: sed vestra ipsorum corpora concident in deserto isto.* Sed enim mysterio non vacat (ut cùm à multis aliis, tum à Theodoreto est annotatum) quòd circumcisi sub Mose patres per suam ipsorum diffidentiam perierunt, impingentes in lapidem ad offensionem positum; at ipsorum successores, non à Mose, sed à Josua, sive Jesu, circumcisi, sunt potiti Divinis illis promissis, Rom. 9 30, 33. Quis enim non intelligat adumbratum esse eâ re, quòd gentes olim in Hebræorum successuræ essent locum, duce Jesu, cùm illæ promissum Dei Filium, in quo æternæ hæreditatis fructus est positus, amplecterentur per fidem, isti verò repudiassent? Sed ista sunt à D. Paulo multis locis luculenter explicata & pertractata.

8. *Porrò cùm circumcisa omnino esset gens universa*, &c.] Rursus appellat eos qui circumcidebantur גוי *gentem*, nimirum quia adhuc barbarorum modo præputiati fuere. Magno autem ex circumcisionis vulnere affici homines dolore, exemplum maximè insigne est clades illa universæ civitatis Salem à duobus solis patrata viris, Gen. 34. 25. Quò magis mirum est, nè per hanc quidem tam commodam occasionem movisse Chananæorum Regulos arma adversus jam intrò receptos, & undiquaque cinctos, atque insuper etiam gravissimè saucios hostes. Sed Divino perculsæ metu illorum mentes stupebant, atque à nocendi Israelitis consilio, tanquam Dei manu, prohibebantur. Discamus ergò nullius vel maximi periculi, nedum levium rerum, metu atque exspectatione adduci ad ea omittenda quæ nobis sunt à Deo imperata: Eáque dum exsequimur, securè recumbamus in hujus tutela, illo Davidis nobis ipsi accinentes, *Dominus à me stat: nihil metuam quid faciat mihi homo*, Psal. 118. 6. *Dominus lux mea & salus mea; à quo metuam?* & quæ sequuntur in eam sententiam Psal. 27. 1. Sed enim moveri hoc loco potest difficilis quæstio, Cur non potiùs in campis Moabiticis vel Israelitæ celebrandam à se esse hanc circumcisionis ceremoniam ipsi statuerint, vel Deus ut illic celebrarent jusserit, ubi devictis duobus potentissimis Regibus otium & securitatem satis commodam nacti fuerant; præsertim cùm religioni & sancto federi congruere atque convenire magis videretur ut in S. terræ possessionem,

nisi ante circumcisi, pedem non ponerent. Equidem Israelitis causam fuisse opinor eandem quam per solitudinem fuisse satis justam diximus. Semper enim in expeditione atque itinere fuerunt, incertique quantulam essent usquam habituri moram, tantisper dum trajecissent Jordanem. Quod verò ad Dei consilium attinet, quod nulla humanæ mentis acies conjecturâ satis certâ consequi, nedum explicare, unquam potest; præstituerat ille annos XL quibus ferrent filii pœnam defectionis parentum in solitudine, ut anni responderent dierum numero quibus diebus impii Speculatores versati per Chananæam fuerant, Num. 14.33.34. *Solitudinem* autem vocabat, ut videtur, loca quævis quæ inter Ægyptum & Chananæam jacebant, quippe in quibus tanquam in alieno solo vivendum ipsis esset. Tantisper igitur dum expiata nondum esset illa defectionis culpa, circumcisio celebrari non debebat, quæ erat gratiæ Divinæ reconciliatio quædam. Ad hoc, consentaneum erat ut, cùm jam de integro esset veluti instituenda circumcisio, id in Chananæa fieret, terrâ omnibus sacris ceremoniis dicatâ, in qua & prima circumcisio fuerat Divinitus instituta celebratáque. Præterea sic meliùs adumbratio cum perfectione congruebat, cùm Josua in Chananæa, non Moses in campis Moabiticis, secundam istam circumcisionem faceret. Verus enim Josua, qui fuit Jesus Christus, populum suum, cùm Imperator & Dux factus esset, initiare cœpit circumcisione non manu factâ intra Chananæam. Quod autem dictum est, non circumcisos religione prohiberi debuisse à terræ S. possessione, est id quidem verissimum. Nam, ut antè diximus, promissio tam beatæ terræ ex circumcisionis fœdere pendebat. Atqui Chananææ possessionem tum demum usurparunt Israelitæ cùm, facto Paschate, ejus terræ frugibus vescerentur, ut mox sumus dicturi explicatiùs v.12. Sed in iis quæ modò diximus, Rubenitas, Gaditas & Manassensium dimidiam tribum excipio. Istos enim instaurasse circumcisionem credibile est, cùm primùm suas adepti peculiares possessiones, extra solitudinem atque etiam reatum illum esse judicarentur. Nisi si quis existimare malit illorum res ex cæterorum rebus planè pependisse, cùm Moses eâ conditione possessiones illas ipsis attribuisset, si fratribus suis usque eò adessent opémque ferrent dum etiam ipsi in suis sedibus quiete fruerentur, Num. 32.20. &c. quod alio loco, si vita suppetet, exponemus pluribus. Unum superest hoc loco non prætereundum, ut videtur, silentio, sed quadamtenus explicandum, Quid illis factum sit qui cùm non essent circumcisi, neque defectionis scelere obstricti, è vita exierunt priùs quàm in Chananæam pervenissent, circumcidíque potuissent. Sunt enim explicatissima Dei verba, cùm ait, *Cujus masculi præputiati caro non fuerit præcisa, exscindetur ejus anima è populo suo*, Gen. 17.14. Nihílne ergò ad horum salutem pertinuit profuítque quòd Abrahami sanguine nati essent? Sed tanquam alieni à populo selecto exclusi sunt à gratuita Dei beneficentia? Equidem sic existimo, Non esse quidem continuò filios Dei, si qui ex Abrahami sanguine orti sunt; sed si promissionis simul sint filii, ut ait Paulus Rom. 9.7. Cæterùm ad illos tales, cùm vel suapte voluntate, si adultiores erant, vel parentum, si per ætatem ipsi non sapiebant, in circumcidendi proposito manerent, desideriúmque sincero animo simul cum ea fide, in qua totius cardo salutis vertebatur, & cujus ipsa circumcisio erat veluti sigillum Rom. 4.11. retinerent; neque negligentiâ, nedum contemptu, sed continuæ profectionis necessitate rem differrent; ad eos, inquam, Divini illius decreti rationem, quæ ei continuò subjuncta est, hanc dico, *Quia pactum meum irritum fecit*, accommodari non debere: Neque enim pactum violasse is rectè dicatur qui cur minùs pactas leges præstitisset paciscentis imperio fuerat impeditus. Quanquam credibile videri potest, talium virorum neminem per desertum obiisse mortem, nisi si quis propriâ culpâ exitium sibi peperit; cùm Moses memoret adeò nullis incommodis esse affectos per eos XL annos, ut ne vestes quidem aut calceamenta cujusquam obsoleverint. Et David canit, valetudine tam firmâ fuisse omnes cùm Ægypto relictâ iter ingrederentur, ut in nulla tribu quisquam omnium labasceret, Psal. 105.37.

9. *Dixitque Dominus ad Josuam, Hodie devolvi opprobrium.* &c.] *Devolvere opprobrium ab aliquo* est Probro atque dedecore eum liberare, suámque ei dignitatem reddere, ut apud Davidem, Psal. 119.22. cùm ait, *Devolve à me opprobrium & contemptum.* Sunt quidam qui ipsum præputium dici *opprobrium* hoc loco putent; ut quod sic sit appellatum à filiis Jacob Gen. 34.14. cùm responderent capto Dinæ amore Sichem, *Non fas est ut demus sororem nostram viro qui habet præputium; est enim illud apud nos opprobrium.* Verùm ego hoc sic potiùs interpretandum reor, *Esset enim ea res nobis opprobrio.* Sed ut demus præputium non ineptè *opprobrium* vocari, quid tandem est cur *Ægypti opprobrium* vocetur, cùm nulla gens præter Hebræos præputia circumcidere soleat? Neque enim R. Levi F. Gersonis, qui alioqui non malè existimat libidinem refrænandam significari circumcisione, conjecturam affert satis bonam intemperantiæ singularis Ægyptiorum, Quia Deus in Levitico, 18.3. leges connubiorum institurus præfatur, *Non esse Israelitis sic agendum ut Ægyptus soleret agere.* Aliud est enim Intemperantem esse, aliud Sanguinis atque affinitatis rationem in connubiis non habere, id quod illic Chananæis similiter atque Ægyptiis à Deo in crimine ponitur; Nimirum quia Israelitæ, quibus leges ille dabat, nuper Ægyptum reliquerant, atque ad Chananæos ibant. Sed profert Levi alteram quoque sententiam; Fieri potest, inquit, ut Ægyptii conviciis consectati fuerint Israelitas, quasi eductos à Deo ut malè perderentur, non ut possessione Chananææ locupletarentur; Quibus conviciis cùm jam indies magis magísque urgerentur post tot frustrà consumptos per desertum annos, planè nunc eos liberabat Deus, cùm certum faceret ipsis per imperatam circumcisionem, brevi omnino futurum ut in possessionem Chananææ mitterentur, quam præputiatos usurpare nefas erat. Quin, ut est copiosus scilicet, addit & tertiam sententiam, quam ex commentariis vetustis אלה שמות רבה *Exodo Rabba*, ut vocant, eum compilasse video: Ea est; *Probrum Ægypti* esse improbam Ægyptiorum religionem, à qua jam Deus populi sui animos prorsus avertit, cùm ad faciendum Pascha eos admitti per circumcisionem. Hoc enim festum adversùs Ægypti superstitiones potissimùm indè ab initio esse institutum; ídque hâc ratione; Colebant, inquit, Ægyptii in primis Arietem; eúmque Deum igne armatum credebant, quo se à contemptu vindicaret. Itaq; Deus, ut palàm faceret quàm essent illa vana religionis ludibria, jussit suis selectissimos arietes passim mactare, eósque suis ipsorum armis, h.e. igne, percoquere, atque deinde etiam devorare solidos: Insuper postes quoque sanguine oblinere. Id autem cùm fecissent illi non solùm impunè, verùm etiam & cum suo commodo, & cum cultorum talium deorum maximo malo, nullus potuit nisi prorsus insanus putare Ægyptiorum diis cæteris aliquid inesse numinis aut facultatis. Huic commento non admodum dissimile est quod Nehmannus scriptum reliquit, Ideo jussos esse Israelitas arietem mactare & devorare hoc primo mense medio, quo Ægyptum relinquebant, ut intelligerent se Dei providentiâ non astrorum efficientiâ esse liberatos, cùm id sidus summâ affecissent ignominiâ quod eo tempore in cœlo obtinebat principatum. Hæc vana quidem at non prorsus inscita commenta eò lubentiùs adscripsi, quòd ad proximum versiculum erit explicanda Paschatis instituti ratio. Sanè Ægyptios coluisse Oves pro diis, ostendit Moses, cùm diceret ad Pharaonem, Exod. 8.26. *Non possumus in Ægypto sacrificare. Nam abominationem* (h.e. deos) *Ægyptiorum debemus sacrificare Domino Deo nostro*, &c. Et pervagatum est illud Juvenalis de portentis quæ demens Ægyptus colere solebat,

——Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ &c.

Sed insulsissima est fabula quæ veteribus Hebræis attribuitur in eo commentario qui vocatur ויקרא רבה *Leviticus Rabba*, à R.S. autem Mosi Concionatori, quẽ *Hadarsan* vocant:

vocant: Putat enim ille hunc ejus commentarii esse scriptorem: exponam tamen, ut potero, paucissimis, quia Lirano placuisse videtur. Obnunciaverat, inquiunt, Pharao, cùm esset Astronomus, abituris Israelitis cruentum fatum & cladem, ex affectione syderis cujusdam, cui רָעָה, h. e. *malo*, nomen fuit. Eâque de causa Moses, cùm peccasset populus cultu Vituli, his interpellabat Deum verbis, *Cur dicent Ægyptii*, בְּרָעָה, h. e. *In malo, eduxit ipsos, ut occideret in montibus?* q.d. Cur conferent Ægyptii in nos prædictionem Pharaonis, ut ipso eventu comprobatam? Deus ergò, misertus suorum, illud impendens ex mali astri affectione fatum cruentum in salutarem circumcisionis cruorem vertit, eóque consumpsit atque exhausit. Hoc igitur est, inquiunt illi, quod ait, *se devolvisse ab ipsis Ægyptiorum opprobrium.* Quasi verò cæteroqui non plurimum sanguinis Hebræi per solitudinem fusum sit, ac non meritò posset Astrologus ille insultare ipsis ut adverso cœlo profugis, si astris, ac non potiùs ipsorum sceleratæ voluntati culpam assignare fas esset. Sed concedamus Pharaoni Astrologiam. Videt ille quidem cladem maximam; sed suo & populariùm suorum capiti imminere eam, id verò videre non potuit. Sed omissis aliorum sententiis, hæc mihi, ut simplicissima est, ità verissima esse videtur, Idcirco evolutos infamiâ & opprobrio Ægypti Israelitas dici, quia adhuc Ægyptii magis quàm Hebræi potuere videri, cùm per annos plùs quàm ducentos in Ægypto morati, corúmque hominum moribus prorsus assueti, toto proculdubio vitæ cultu Ægyptios referrent, & nec dum circumcisi nullâ ferè re ab illis secerni possent. Jam verò per circumcisionem, quod Hebræorum insigne erat, quasi ex Ægyptiis, gente profana & probrosa, Hebræi de integro facti videntur. Spectant autem huc ista Dei verba ut meminerit populus Ægypti desiderium posthac penitus ex animo delere, ac vitiosis flagitiosísque illius populi moribus relictis vitam suam ad præscriptam sibi à Mose normam dirigere & instituere. Sunt inter Hebræos, atque etiam nostros, qui putant ablatum Ægypti opprobrium ab Israelitis per circumcisionem esse, quia illi hâc notâ vindicati à Deo in libertatem pristinam, nullo posthac jure poterunt ab Ægyptiis in servitutem asseri. Atqui nè antè quidem ullam unquam jure servitutem debuerant Ægyptiis. Meliùs sanè Theodoretus, Quæst. difficilib. in Josuam, servitutis rationem, si omnino *opprobrium* illud ad servitutem pertinet, explicasse videtur, cùm diceret, Hodie Israelitas liberatos esse opprobrio Ægypti, quia missi per circumcisionem in Chananææ possessionem, jam promissæ terræ domini sunt, qui nuper fuere Ægyptiorum servi. Neque enim Abrahami, Isaaci, Israelis denique legitimi filii, ac proinde promissæ ditionis hæredes, censeri potuerunt, nisi cùm essent circumcisi. ¶ Sequitur in ordine S. verborum, *Et vocatum est nomen loci illius Galgala.* Verbum גלל *Galal, devolvere*, & *amovere* significat: indè formatum est hoc loci nomen גלגל *Galgal.* Solet enim in verbis quorum posteriora duo elementa gemina sunt, sæpe primum repetitum interponi inter illa: & alioqui propria hominum locorúmque nomina crebrò non planè referunt eam unde derivata sunt positionem. Exempla sunt נח, à verbo נחם, ubi una litera est abjecta; שמואל, à שאל, ubi una est ascita. Sed non est opus pluribus: sunt enim ubique obvia. Nescio quid Josepho in mentem venerit, ut *Galgal libertatem* significare diceret. Sed sunt ejusmodi apud eum virum, cæteroqui magnum & doctissimum, sexcenta, ex quibus intelligas quanta fuerit illo seculo Hebraicæ linguæ inscitia atque ignorantia. ¶ Pro ויקרא, h. e. *& vocavit, nomen dedit*, dixi *vocatum est.* Nam sic sæpe hoc verbum, absque persona cui hæreat, positum est in S. literis. ¶ Quid porrò illud sibi velit, *usque ad hanc diem*, exposuimus alibi satis multis.

10. *Igitur dum castra haberent Israelitæ in Galgalis, &c.*] Diximus nuper, circumcisionis ceremoniam distulisse Israelitas per desertum, cùm assiduò aut esset proficiscendum, aut proficiscendi necessitas exspectaretur. Et hoc consequens erat, ut anniversariam Paschæ ceremoniam differrent quoque. Neque enim hanc fas fuit agere nisi circumcisos, Exod. 12.48. ut semel iterúmque ostendimus. Nam qui putant hanc legem in Exodo scriptam ad alienigenas modò pertinere, eâque solutos fuisse Israelitas, audent iidem, cum Pelagianis, S. Baptismum ei non esse necessarium dicere qui ex Christiano sanguine sit ortus cùm ipso sit ortu sanctus, vel Paulo teste, qui ait 1 Cor. 7.14. *Alioqui filii vestri impuri essent, cùm nunc sint sancti.* Atqui idem Paulus eodem propè hiatu dicit, *virum cæteroqui non initiatum, fieri sanctum per uxorem; & uxorem per virum*; num obsecro sic ut eis Baptismus non sit opus? O inerudita, inepta, absurda, atque aliena à Pauli sententia commenta. Sed religio est istis scilicet Israelitas tantæ socordiæ atque negligentiæ, nè dicam impietatis, damnare, quasi sanctissimam & nuper adeò tantùm non in omnium mentes incisam à Deo ipso legem de Paschate quotannis observando tam citò violare ausos. Atqui si Paschatis omissio in crimine aliquo ponenda illis fuisset, cur non in multò majore, circumcisionis? cùm hæc ceremonia ad sacrosanctam adoptionem & fedus, illa ad memoriam duntaxat liberationis duræ servitutis pertineret. Sed quid est cur tantopere per desertum fecisse illos Pascha contendant, quando de faciendo constituta atque inculcata lex ad solam terram promissam spectare videtur? Est enim ea omnium Hebræorum sententia, ipsis etiam S. verbis testata, ut apparet, quibus illam suam legem Deus tanquam præcisione quadam concludit, inquiens, Exod. 12.25. *Cùm perveneritis in terram quam dabit Dominus vobis, sicut prædixit, observabitis cultum istum.* Nam quod etiam ad montem Sinæum fecerunt Num. 9.2. id singulariter jussi à Deo fecerunt, non lege, sed privilegio, ut honorem facerent Dei sacrario, quod tum recens compositum consecrabatur. Neque enim profectò novo jussu illiusmodi opus fuisset si lege etiam illic fuissent astricti. Non enim mandat Deus simpliciter ut Pascha faciant modò, sed accuratè quasi de integro omnes illos præscribit ritus observandos qui alioqui satis priore lege fuerant sanciti. At verò certum est, aiunt, Israelitas per desertum cæteris sacrificiis quæ Lex præscripserat usos esse: non ergo, quamvis præputiati, ut immundi, prohibebantur ab atrio Dei; quare neque à Paschate faciendo. Equidem certè non prorsus pro immundis fuisse habendos existimo, qui assiduæ profectionis necessitudine, non voluntate aut socordiâ differebant, non vilem habebant circumcisionem: Sed tamen nondum fuisse tam mundos puto ut adversùs Dei sanctionem, Exod 12.48. præputiati cùm essent, de agno Paschali gustare possent. Et verò quod usque adeò certum esse illi affirmant, nescio quibus freti Scripturis (nullas enim laudant) id negare prorsus videtur divinus Vates Amos 5.25. cùm ait, *Numquid sacrificia & oblationem obtulistis mihi in deserto per annos quadraginta, ô domus Israel?* Nam illi de stativis ad montem Sinæum non loquuntur, cùm in illis Pascha esse factum aperta res sit, sed non à præputiatis, ut antè diximus. Igitur, ut ad propositum redeat oratio, sicut paulò antè circumcidendi ritum, ità nunc Paschatis ceremoniam instauratam esse memorant S. verba, ut intelligamus sanctè & religiosè auspicatos esse Israelitas possessionem terræ promissæ: quò majore studio atque observantiâ nobis similiter esse faciundum statuamus, cùm nosmet comparamus in mundi hujus stativis ad proficiscendum in possessionem illius cœlestis nostræ hæreditatis. Cæterùm locus & tempus nominatim expressa sunt, ut constet eos nusquam extulisse pedem è castris usque eò dum sacris istis fuissent operati. Tempus autem alioqui illud planè observatum est quod à Mose atque adeò ab ipso Deo passim fuerat lege præstitutum, Exod. 12.18. Levit. 23.5. Num. 28.16. Sed de Paschatis mysterio non est hujus loci prolixè disserere; & res est à plurimis pertractata accuratè, atque à D. etiam Paulo scitissimè explicata. Quare id solum monebimus, Duas esse res quarum potissimùm repræsentandarum gratiâ Paschatis sacrificium est à Deo institutum; alteram, Quòd sanguis agni superliminaribus & postibus ædium illitus saluti fuit omnibus qui se intra eas ædes continebant; alteram,

ram, Quòd populus eâ re ab Ægyptiaca servitute in libertatem est vindicatus. Harum autem utramque ad sacrificium illud universo mundo salutare, quo se Christus obtulit in ara crucis, pertinere satis constat. Sed a priore nomen ei festo est impositum. Vox enim פסח, i. *Pascha*, ut à nostris molliùs redditum est, *saltum* significat qualem Germani hupf dicunt; nimirum quia Angelus ille exterminator qui Ægyptiis ultimam cladem inferebat, domus sanguine agni notatas, veluti transiliens, servabat Exod. 12. 27. Philo Judæus διάβασιν, interdum etiam διαβατήρια, est interpretatus; Josephus ὑπέρβασιν. Symmachus plurium numero ὑπερβάσεις dicere maluit. Posterioris verò multò crebrior in S. literis est commemoratio, usque adeò ut quinquagies Israelitarum animos ad summi illius beneficii memoriam esse revocatos sit observatum. Etsi enim, sanguinem agni fuisse saluti Israelitis adversùs grassatoris Angeli plagas, augustius fuerit mysterium, atque adeò insecutæ libertatis & transitionis in promissam terram causa, tamen quia occultius erat, ipsa verò illa libertas apertissima, ut quæ omnes gravissimæ & intolerabilis servitutis levatione suavissimâ affecerat, ideo hujus potiùs quàm illius crebrâ commemoratione excitare rudem illum populum, ut religiosâ pietate gratum se præberet, voluit Spiritus S. Porrò in hoc Paschatis sacrificio tantum inesse mysterium ut eo primùm Deus suam Divinitatem quadantenus cum hominibus communicaverit, Hebræorum etiam nonnulli rectè existimaverunt. Nam quidam R. Judas scriptum reliquit in eo libro quem De disciplina inscripsit c. 4. per Paschæ sacrificium tam arctè Deum consociasse sibi homines, ut in eo per ipsius Divinum nomen, similiter atque lucernæ ellychnium in lumine, inhæreant; idque occultè illis etiam significatum esse verbis quæ in Levitico exstant 11. 45. *Ego sum* יהוה *Jehova, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum*, esse enim hoc ac si dicat, Ut meam vobis impertirer Divinitatem. Et istam esse rationem cur tam magnificè toties jactet S. historia liberationem Ægyptiacam. Atque his consentanea etiam videntur esse illa quæ Philo scripsit in eo libro quem de Caini & Abelis sacrificiis composuit, cùm his uteretur verbis, διάβασις γὰρ ἐπὶ Θεὸν τοῦ γεννητοῦ καὶ φθαρτοῦ τὸ πάσχα εἴρηται, h.e. *Pascha transitio dicta est, quâ quod per se ortu atque interitu fluxum est in Deum evadit.* Sed hæc quâ fiant ratione à Christo ipso ejúsque discipulis in S. Euangeliis, & in primis luculenter apud Joannem c. 6. explicata sunt. ¶ Sequitur in ordine texti, *Die decimo quarto mensis in vespera.* Est quidem hoc tempus S. lege definitum, ut primo Paschati, quia sic se res ipsa tum dabat, ità & reliquis deinceps omnibus celebrandis quotannis. Verùm Christiani, propter Dominici diei, quo Christus noster resurrexit, & simul dierum Lunæ observationem, ut D. Augustinus exposuit Epist. 119. ad Januar. non eodem perpetuò vertentis anni die nostrum Pascha agere possumus. Nam Τεσσαρεσκαιδεκατῖται, quos *quartadecimanos* vocare licet, olim damnati profligatique sunt, quamvis D. Joannis præceptiones suis nugis conarentur opponere. Sed quanta & qualis fuerit olim inter Ecclesiæ Principes de Paschatis die contentio atque controversia qui cognoscere volet, is legat Eusebii l. 3. Hist. Eccles. & l. 3. De vita Constantini, atque, si placet, Lucidum Samosateum, Paulum Mittelburgensem, aliósque similis argumenti scriptores. ¶ Porrò illud, *in vespera*, Hebraicè est בערב. quod tamen in Exodo 12. 6. atque Levitico 23. 5. בין הערבים scriptum est, ac si dicas *inter duas vesperas*. Sed idem tempus utroque notari certum est ex iis quæ Exodi 16. & Deuteronomii 16 scripta habentur. At enim, cùm illud constet, vesperam apud Hebræos attributam esse diei insequenti, Israelitásque mactato agno Exod. 12. cùm jussi essent excedere Ægypto, adeò properasse, urgentibus Ægyptiis, ut farinam jam tum madefactæ quidem sed nondum fermentatæ nedum coctæ massam secum asportare in mactris ad primam usque mansionem in Succoth cogerentur, & tamen S. historia memoret die 15 ipsos discessisse, eúmque diem postridie Paschatis fuisse, Num. 33. 3. absurdum illud esse videtur, eam vesperam ad diem 14 referri. Neque enim credibile est, ab ea vespera quæ diem 14 antecesserat, ad eúmque pertinuerat, usque ad diem 15 eos moram, quando omni festinatione properabant, fecisse. Nam & maximâ abeundi cupiditate per se ipsi incitabantur, & insuper ab Ægyptiis vehementer ad festinandum urgebantur. Sic ergò statuendum est, בערב & בין ערבים, h. e. *vesperam*, illud dici tempus quo nondum quidem è nostro orbe finiente excessit sol, sed tamen inclinatissimus propè ab occasu abest; agnúmq; Paschalem mactari solere die quidem decimâ quartâ, sed ejus extremâ parte; cùm autem mactatus jam deinde esset assandus, cœnáque comparanda, noctem interea advenisse, quæ ad diem 15 pertineret; itaque in epulo accubuisse omnes eâ nocte quæ lucem diei decimi quinti cùm præcederet, ejus diei esse pars censebatur. Hoc enim Euangelicæ etiam historiæ consentaneum est, quæ memorat Christum emisisse duos discipulos ante eam noctem quæ diei passionis suæ imminebat scilicet, ut agnum mactarent cæteráque ad epulum apparatent; ipsum autem cum cæteris discipulis tandem, ὀψίας γενομένης, h. e. nisi fallor, *cùm serum esset*, sólque dudum occubuisset, advenisse, & accubuisse. Nisi si quis malit opinari, in celebrandi Paschatis narratione noctem insequentem esse attributam diei præcedenti; à qua opinione videor videre R. Mosen F. Nehmanni non fuisse alienum. Sed Hebræorum sententias mox exponemus. Sanè nostros Euangelistas sic esse locutos fateri cogimur, cùm eum diem quo Christus jubebat suos abire paratum cœnam vocarent *azymorum diem*. Decimum enim quintum diem fuisse azymis consecratum res est S. literis testata, Lev. 23. 6. edebantur enim azyma simul cum agno eâ nocte quæ ad diem 15 pertinens dicimum quartum finiebat. Et quid mirum est sic esse locutos Euangelistas, cùm Deus ipse jusserit azymis omnes vesci die 14 vesperi, quæ vespera erat revera diei 15 initium. His enim utitur verbis in Exodo 12. 18. *Primo mense, dicimo quarto die mensis, in vespera, comedetis azyma, usque ad diem vicesimum primum mensis in vespera.* Sed jam videamus quæ sint Judæorum sententiæ; qui non in magna varietate atque dissensione constituti videntur. Plerique enim omnes consentiunt die 14 jugulandum esse agnum; nocte verò eâ quæ deinceps sequitur, h. e. quæ diei 15 lucem antecedit, edendum. Cæterùm quodnam fuerit mactatùs tempus, & cur illud בין ערבים *inter duas vesperas* definitum sit S. verbis, non est una omnium opinio. Pars major quidem statuit, fas fuisse mactandis agnis operam dare ab hora 6, h. e. à meridie diei 14, usque ad 12 horam ejus diei, h. e. usque ad solis occasum; pòst verò, nefas; tum enim inchoato die 15 festum fuisse agitandum, ac vorandum cum azymis agnum. Hæc opinio autem prodita primùm videtur memoriæ & literis in eo commentario vetusto qui *Mechilta* inscriptus est. Etenim inter alia illic legimus, *Dixit R. Nathan, Quæ potest afferri causa cur illud,* בין הערבים, *Inter duas vesperas, accipiendum sit de eo tempore quod à sexta hora ad finem usque diei labitur? Ei responsum est, Non quidem posse afferri causam; sed ità traditum esse à majoribus.* Hæc in Mechilta. Huic consentaneum illud quoque est quod R. Simeon F. Johai scriptum reliquit in libro Zohar, & ipse auctor cùm primis antiquus, ערב, *vesperam* dici universum illud temporis intervallum quo sol à meridie in occidentem devexus fertur; similiter בקר, id quo ortus conscendit ad cœli fastigium usque. Diem enim totum dividi in בקר *mane*, & ערב *vesperam*. Cæterùm cur illud pomeridianum tempus universum vocetur בין הערבים *inter duas vesperas*, hanc affert rationem R. S. *Quia id tempus*, inquit, *inter obscurationem diei, horâ septimâ inchoatam, & noctis obscurationem, quæ noctis est initium, labitur.* At Levi F. Gersonis autumat ערבים *duas vesperas*, sive *duo crepuscula*, significare crepusculum matutinum, quod tamen שחר potiùs ab obscuro lumine appellari solet, & crepusculum vespertinum, quod pro-

propriè ערב à mixtis confuſiſque cum luce tenebris dictum eſt. Inter illa autem duo crepuſcula, inquit, medium tempus eſt meridies, meridie ergò auſpicari mactatū fas eſt, at ultra occaſum extendere nefas, cùm dies XIV in quo agnus eſt mactandus, ſole occumbente finiatur. Atque hanc habuiſſe opinionem Chaldæus Onkelos videtur, qui illud בין ערבים interpretatur בין שמשיא, h.e. *inter ſoles*, orientem ſcilicet & occidentem. Nehmannus verò ſuo aſſenſu R. Solomonis ſententiam approbat. At Aben Ezdras eandem refellens concludit *duarū veſperarum* appellatione ſignificari tempus illud quod à ſole occumbente ad ipſum uſque tenebroſæ noctis initium intercedit, h.e. quàm diu ſolis ex noſtro orbe finiente egreſſi lumen à nubibus repercuſſum tenebras avertit, neque prorſus noctem eſſe ſinit; quod intervallum, inquit, eſt ferè horæ unius & tertiæ partis horæ; Una enim caligo efficitur cum ſole occumbente; altera verò, condito prorſus eo quod dixi lumine. Laudat deinde quendam R. Sadaiam, ex inclytorum numero, quos גאונים vocant, quem alioqui libenter ſolet honoris causâ nominare: hunc, inquam, Sadaiam citat, qui ſcripſerit, Traditum quidem eſſe à majoribus, mactatum Paſchalis hoſtiæ fas eſſe auſpicari ab eo temporis momento quo certi ſumus ſolem ſuperato medio cœlo ad Occidentem vergere; propterea quòd ara illa in Solomonis æde, in qua una Paſchales hoſtiæ jugulabantur, ſolos quinque cubitos longa, & totidem lata, cùm pauculos ſacrificos admitteret, à ſanguine pecudum expurgari non potuiſſet, ſi tantillo tempore horæ unius & tertiæ partis ſimul omnes agni fuiſſent mactandi: cæteroqui verò ſolum illud tempus à ſole occidente uſque ad conditos ejus radios & fulgores fuiſſe legitimum. Illam Aben-Ezdræ ſententiam, quam ſanè magnis rationibus ipſe affirmavit, ſecutus partim eſſe videri poteſt Jacobus Faber Stapulenſis, vir doctiſſimus atque acutiſſimus, cùm ſcribit in Joan. 18. veſperas illas duas explicans, Alteram eſſe quæ cœpta à Solis occaſu durat quàm diu crepuſculū, alteram quæ à crepuſculi fine ad inſequentis uſque diei initium pertinet: in prima mactandum fuiſſe agnum, in altera ſanctè convivandum. Sed non perſequar ejus ſententiam longiùs: eſt enim ab ipſo luculenter perſcripta, & in vulgus pervulgata. Hoc modò moneo, Cùm et Aben-Ezdras, ità & Stapulenſis, poſt ſolis occaſum tandem, ſed ante noctis tenebras, jugulent agnum, eam temporis partem ab ipſis diei decimo quarto attribui debere, quod ſanè haud eſſe abſurdum, argumento ſunt illa quæ ſuprà exponebam Dei verba. Quare non facilè ſtatuerim, iſtorúmne qui poſt ſolis occaſum mactandum eſſe agnum cenſent, an illorum qui ante, opinio ſit ad veri ſimilitudinem propenſior. Sed quod à R. Sadaia proditum eſt, Ad aram in Solomonis templo mactari debuiſſe omnes agnos Paſchales, id verò non facilè illi conceſſero. Nam quod de Joſiæ Paſchate affert, parùm firmum eſſe videtur argumentum, ſi ipſa narrationis ſacræ verba inſpiciantur, quæ in Paralipomenis ſcripta extant, l. 2. c. 35. Igitur ut rem in pauca conferamus, aut debebat mactari agnus Paſchalis ante occumbentem ſolem diei decimi quarti, ut plerique Judæi putant; aut ſi poſt occaſum mactabatur, ut Aben-Ezdras & Faber autumant, erat hoc tempus, ratione ceteroqui inſolitâ, decimo quarto diei adſcribendum. Nam in Numeris ſcriptum eſt 33.3. *Profectos eſſe Iſraelitas è Rameſſe menſe primo, die decimo quinto menſis, poſtridie Paſchatis*: Quod de mactatu, non de ipſo feſto, eſſe accipiendum aperta res eſt, cùm in eodem libro 28.16,17. ſcriptum ſit, ipſo die XV feſtum Paſchatis eſſe celebrandum, his verbis, *Menſe primo, die decimo quarto menſis Paſcha eſto Domino. Decimo quinto die verò menſis iſtius, feſtum. Diebus ſeptem azyma eduntor.* Sed enim illud quoque videndum ſupereſt, qui poſſit eſſe verum, *Profectos eſſe Iſraelitas è Rameſſe die decimo quinto, qui erat poſtridie Paſchatis*, & quidem, *in oculis*, ut habet hiſtoria Num. 33.3. *univerſæ Ægypti*; quando in Deuteronomio ſcriptum eſt 16.6. *Sacrificandum eſſe Paſcha in eo loco quem ſuo nomini dedicaſſet Deus, non autem in qua quiſque habitaret urbe*, idque veſperi, h.e. בערב, ſive *in caligine, occumbente ſole, quo tempore egrediebaris ex Ægypto*. Certum eſt, cùm vel ante ſolis occaſum, in extremo diei decimi quarti, vel condito quidem ſole, nondum tamen ablatâ luce, h.e. inchoato die decimo quinto, mactatus fuiſſet agnus, atque multâ jam nocte epularentur Iſraelitæ, ſubitò tumultuatam eſſe univerſam Ægyptum ob funera ſuorum liberorum primigenarum; ibi procul dubio, nullâ interpoſitâ morâ, non ſolùm Rex Iſraelitis diſcedendi poteſtatem faciebat, ſed pro ſe quiſque, quantum potuit, ipſos à ſe extrudebat atque exturbabat, penes quos tanti mali cauſam eſſe intelligebant omnes. Eâ igitur nocte diſceſſum inſtituere coacti ſunt Iſraelitæ. Apparationem ergò hanc vocat hiſtoria *egreſſum*; ut etiam alibi in Deuteronomio 16.1. ubi ſic loquitur Deus, *Quia menſe matureſcentium frugum eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto, nocte.* Nam inepta ſunt Judæorum quorundam commenta, qui vocabulum מצרים *Mizraim* non Ægyptum ipſam ſed urbem Ægypti primariam, quæ etiam nunc *Mezrem* vocatur, ſignificare contendunt, quoties S. narratio memorat Hebræos nocte egreſſos eſſe ex Mizraim. Solos enim Moſen & Aharonem eâ nocte clàm ſe ſubduxiſſe ex Mezrem, urbe regiâ, nè à furente tyranno propter filii ſui caſum occiderentur. Etenim illud Moſis edictum, quo iſti ad hujuſmodi ineptias comminiſcendas inducuntur, *Nè quis illâ nocte pro foribus domûs ſuæ prodiret*, tantiſper modò obſervandum fuit dum cædes illa per graſſatorem Angelum patraretur: Cæterùm cùm jam luceret, tum demum denſo agmine procedere viſi ſunt. Atque hoc eſt quòd memorantur *die decimo quinto, poſtridie Paſchatis, è Rameſſe egreſſi eſſe, manu excelsâ, in oculis univerſæ Ægypti.* Vocatur enim lux illa *poſtridie Paſchatis*, quia ipſe, ut dixi, Paſchatis mactatus vel extremo die XIV factus erat, vel inſequentis noctis pars decimo quarto diei fuit adſcribenda. Sed jam longiùs iſta proſequor quàm præſens locus poſtulare videtur. Quare hoc unum addam memorabile ſanè, quod in Thalmude ראש השנה c. 1. ſcriptum reperi, ubi de anni principio diſputatur, *Celebrem fuiſſe & veterem opinionem apud priſcos Judæos, Qui dies vertentis anni Iſraelitis fuiſſet libertatis Ægyptiacæ initium, eundem olim ipſis fore initium quoque libertatis quam eſſent à Meſſia recepturi.* Quàm id autem pulchrè cum noſtræ religionis conſentiat doctrina, nemo non videt. Adepti ſunt enim illi in Ægypto libertatem menſe primo medio, h. e. cùm luna ex adverſo oppoſita ſoli toto ſuo luceret orbe; Chriſtus quoque eodem illo menſe, lunâque ſimiliter affectâ, nobis ex cruce libertatem ſuâ morte dedit. Sed pergamus.

11. *Edebántque de frumento terræ poſtridie Paſchatis*, &c.] Non ſatìs certum eſt quis dies hoc loco vocetur *poſtridie Paſchatis*; an decimus quintus, qui erat poſtridie quàm mactatus fuiſſet agnus, ut jam dixi, an verò decimus ſextus. Nam toto XV die feſtum Paſchatis agebatur. Certè quod ad azyma attinet, dubitatio nulla eſſe poteſt quin ea ſimul cum agno edenda fuerint die XV, & deinceps per dies ſeptem. At toſta certè ex novis frugibus non potuere edi priùs quàm conſecratæ fuiſſent meſſis primitiæ, h.e. manipulus, qui jubetur offerri poſtridie Sabbati, i. poſtridie ejus diei (quantum apparet) qui ſacro Paſchate feſtus erat. Fuiſſe autem decimum quintum feſtum, non decimum quartum, negari non poteſt. Sed adſcribam legis verba ex Levitico, 23.5,6. *Menſe*, inquit, *primo, die decimo quarto menſis, inter duas veſperas*, ſive *duas caligines, Paſcha Domino. Atque decimo quinto die menſis iſtius, feſtus dies azymorum Domino; ſeptem diebus azyma comedetis.* Rurſus de manipulo, poſt pauca, v. 10. *Loquere* (inquit Deus ad Moſen) *cum filiis Iſrael, dicitóque ad eos, Cùm veneritis in terram quam ego do vobis, meſſuri meſſem ejus, afferte manipulum, primitias meſſis veſtræ, ad ſacerdotem: Is agitabit manipulum coram Domino, pro veſtra voluntate*, ſive, *quod vobis fauſtum ſit; poſtridie ſabbati agitabit illum ſacerdos.* Et Talmud quidem Jeroſolymitanum חלה c. 2. de placenta quæ ex quaque maſſa ſacerdoti debebatur diſputans, quorundam Rabbinorum opinionem profert, qui hoc loco diem decimum quintum conſtituebant eſſe *poſtridie Paſchatis*. In eadem

dem etiam sententia est R. D. K. Cùm autem nefas fuerit ustulatis novis spicis vesci ante eum diem quo, ut dixi, consecrabatur manipulus (sunt enim explicatissima legis verba, Lev. 23. 14. *Et panem, & tostum, & spicas tritas non comedetis usque ad eum ipsum diem quo obtuleritis oblationem Deo vestro*) debent qui hanc habent opinionem aut *Sabbatum* superioris legis accipere de nocte illa quâ agnus edebatur, quæque lucem diei decimi quinti præcedebat, eámque superiori diei adscribere, ut decima quinta lux possit *postridie Sabbati* rectè vocari; aut cum Kimhi ex istis verborum angustiis aliâ se ratione facilè expedire. Ait enim Kimhi tostum cujus hîc est mentio non esse ex horna fruge; Nam עבור superioris anni modò frumentum significare; Itaque ut manipulus nondum oblatus sit hoc die xv, tamen tostis ex veteri fruge vesci licuisse. Et sanè קלוי aut קלי, h.e. *tostas* sive *ustulatas*, aut *frixas* fruges, nullas apparari solere nisi hornas, quod R. S. existimare videtur, equidem puto nullis S. Scripturæ dictis satis firmè confici posse. Quare si tosta ista, ut & azyma, ex superioris anni frumentis facta fuisse statuamus, non nefas erat eis vesci ante oblatum manipulum, h. e. die xv mensis Nisan, qui sacro Paschate festus agebatur. Verùm Talmud Babylonicum in Mesichta ראש השנה *de anni principio*, & R. Levi F. Gersonis, cum plerisque aliis Judæis, existimant de novis frugibus locum hunc accipiendum esse, quibus interdictum erat, usque dum manipulus esset oblatus, postridie festi Paschalis, qui dies erat xvi mensis Nisan, ut isti statuunt. Et in hac sententia fuisse videntur LXXII interpretes. Nam quod nos *tostum*, id ipsi converterunt τὰ νέα, h. e. *fruges novas*. Etenim quod R. D. K. scribit עבור præteriti anni frumenta significare, id parum firmum est. Chaldaicâ enim linguâ nullo discrimine fruges omnes quibus vescimur vocantur עבורא, quod ex Josephi historia in Chaldaicam linguam conversa luculentissimè apparet. Sed utra sententia verior sit, incertum mihi esse fateor. Et proinde rem in medio relinquo. ¶ Porrò illa clausula verborum, *Eo ipso die*, videtur significare, populum avidissimè affectum de gustando fructu terræ promissæ, simul atque fas ei fuit, desiderium suum egregiè explevisse. Nam usurpare illius possessionem antè quàm sacris Paschalibus operati fuissent, religio erat. Si verò de hornis frugibus agitur, vesci eis lex ipsa vetabat, nisi consecrato postridie festi Paschatis manipulo.

12. *Et cessavit manna postridie, dum ederent de frugibus terra*, &c.] Quin de eodem die loquatur hîc versiculus de quo præcedens, sive eum fuisse xv statuamus, sive xvi mihi nulla est dubitatio. Multi tamen Judæorum existimant eum jam dici diem qui fuerit postridie superioris illius diei. Neque enim potuit, inquiunt, cessare manna quo die manipulus offerebatur. Nam etiam tum eo opus habebat populus, cùm frumenta adhuc nulla messuisset. Atqui in uberrima regione vetus frumentum deesse non potuit quo vel ad paucas horas vescerentur, & fortassis ex campis Moabiticis secum asportarent, cùm jussi fuissent viaticum comparare. Cæterùm credibile est, pluisse quidem perpetuò adhuc manna, præterquam diebus Sabbati; vulgóque id panis loco fuisse; tametsi ut erat fastidiosum genus hominum atq; ad æstimanda Dei dona parùm attentum justúmq;, alio interim pane quoque vescerentur quibus obtingere alius usquam potuit. Nam pretio cibum illos per viam comparasse constat ex S. historia, Deut. 2. 5. Verùm à frugibus Chananææ religiosè omnes abstinuisse usque dum circumcisi Paschatis festũ celebrassent; ideóque adhuc manna opus fuisse. Nunc porrò pluere desiisse, cùm Deus, quem ob inopiã cibũ fuerat benignè largitus, eum oblatâ alterius cibi copiâ subtraheret, ne cœleste donũ fastidio esset ingratis hominibus, quod ne in ipsa quidem summa necessitate satìs grato animo habuerant. Sed dices, Mosen attestari pane non esse usos per desertum Num. 11. 6. Deut. 29. 6. ergò solo manna. Atqui Moses hoc modo volebat, Pane nullo alio eos eguisse per vastam solitudinem; nunquam enim defuisse manna. Sed enim eò quoq; pertinet, quòd subitò cessat manna cùm alius cibus suppetit, ut intelligant omnes, non naturali quapiam aeris temperie, ut grandinem, rorem, pluvias, nives, cætera quæ ex terræ halitu procreantur, illum quoque cibum concretum decidisse, sed ex mera Dei liberalitate atque misericordia, veluti ex aperta cœli penaria cella exprõptum in populi fuisse penuriam. Nugantur autem, ut solent, Talmudici in auctario Mesichtæ סוטה, atque etiam in commentario מכילתא *Mechilta*, cùm dicunt Manna desiisse pluere cùm Moses exiret è vita, sed inde conservatum in vasis adhuc pro cibo Israelitis fuisse, jam verò tandem defecisse prorsus. Neque enim hîc nunc memoratur *defecisse*, ut rectè à R. Levi F. Gersonis est notatum (quanquam Latinus, secutus LXXII, ut solet, hoc reddiderit) sed *cessavisse*, h.e. pluere desiisse. Quòd verò illi commentum hoc suum magnopere ad Mosis gloriam pertinere putant, ineptum est profectò. Neque enim ex Mosis sed Dei benignitate sacram illam pendere cœlestis cibi pluviam oportebat omnibus esse persuasum. ¶ Sequitur, *Neque habuerunt deinde filii Israel manna; ederúntque de proventu terræ Chananææ*, &c. h.e. Post illud tempus nunquam deinde pluit manna pro victu Israelitarum. Neque enim opus fuit, cùm traducti in terram lacte & melle affluentem, h.e. fertilissimo solo uberrimam, eâque hæreditatis loco donati à Deo essent. Talmudici rursus eo quem nuper ostendebam loco statuunt, ista ad mannæ laudem spectare, quasi memorentur Israelitæ ideo Chananaicas fruges edisse quia manna caruerint; Similiter ac si dicam me pane hordeaceo vesci quia non habeam triticeum. Quasi verò illi cœlestem cibum insolentiâ atque contumaciâ detestabili non pridem fastidierint. At enim facilè concedo Talmudicis, singulari quadam suavitate præ cæteris cibis conditum manna fuisse. Eò enim detestabilior erat populi adversùs Divinam beneficentiam animus ingratus, cùm citissimè non tam fastidio & satietate quàm, ut dixi, insolentiâ ab illo alienarentur, atque Ægypti cucumeres, pepones, porrum, cepas, allium pani Angelorum non verecundarentur præferre, Num. 11. 5. Cæterùm *Chananaam* hîc nominatim vocari *terram*, cujus deinde fructibus pro cibo usus sit populus, ideo arbitrantur multi, quòd superioribus duobus versiculis non de Chananææ modò frugibus accipienda fuerit narratio, sed magis de iis quas secum ex Galaaditide & campis Moabiticis asportarant, cùm jussi fuissent ante fluminis trajectum comparare viaticum. ¶ Quod additur, *in illo anno*, haud ferè dissimile illi est quod superiùs dicebatur, *Eo ipso die*. Nimirum pertinet ad celebrandum æternâ memoriâ faustum illud auspicium, quo ventum est in possessionem terræ ut diu desideratissimæ ità & felicissimæ.

13, 14. *Accidit porrò cùm esset Josua in Jericho, ut sustolleret oculos*] Visum quod hîc Josuæ objicitur propè geminum esse ei quod Mosi in rubo apparuerat, potest existimari. Par enim utriusque ratio, & idem in utroque Dei consilium esse videtur; ut utriusque Imperatoris animus in ipso rerum gerendarum initio simul & certâ fiduciâ firmetur, & ab insolente arrogantiâ prohibeatur, cùm intelligant illi imperia ardua & difficilia quæ suscipiunt Dei consilio, nutu, potentiâ, non suis viribus suâque prudentiâ esse gerenda. Ut autem dissimiles ipsis offerrentur species dissimilium rerum agendarum ratio postulabat. Josua enim, cui perpetuò inter medios hostes versandum foret, nudata gladio armatum virum fortissimum sibi opportunè adesse præstò vidit: At Moses, cui non tam cum armatis hostibus quàm cum sævo populi dominio, atque etiam cum ipsis naturæ elementis, in Ægypto, in mari, in vasta solitudine pugnandum luctandúmque totâ vitâ esset, vidit rubum, populum videlicet cujus ipse esset futurus Imperator, è media calamitatum atque ærumnarum flamma incolumem superesse, sed præsente Deo, rubúmque in ipso incendio conservante. Sic enim R. Simeon F. Johai, scriptor apud Judæos cum primis vetus, & arcanorum indagator subtilissimus, in libro Zohar, & eum, opinor, secutus R. Levi F. Gersonis, illud Mosis visum sunt interpretati. ¶ Sed enim memoratur Josua fuisse *in Jericho*, cùm esset non in urbe, quæ clausis

clausis portis custodiísque ac vigiliis munita admittebat neminem, sed in planitie in qua illa erat posita. Nam eam quoq; illi nomini esse subjectam diximus. Quanquam hoc etiam dici rectè potest præpositionem *in* Vicinitatem significare aliquando apud Hebræos. Nam Josua alibi narratur, c. 10. 10. hostes cecidisse in *Gabaone*, qui Gabaonem cinxerant obsidione, vel, quod R. Levi Gersonis placet, Josuam non re ipsâ sed animi cogitationibus fuisse in Jerichunte, cùm de ea capienda secum meditaretur; Similiter atque Daniel scribit, 8. 2. se *in Susis* fuisse cùm sibi illud Arietis visum offerretur memorabile, qui tamen in regia Babylone fuisse tum videtur, si ejus narrationis extremum audias. R. D. K. putat jam è Galgalis eductum fuisse exercitum ad obsidendam Jerichuntem, atque castra ante urbem posita; ibíque Deum confirmandi Imperatoris gratiâ, & simul capiendæ urbis rationem edocendi, visum istud illi obtulisse. Atqui satis obsessa videri urbs poterat ex ipsis stativis, ut quæ decem, teste Josepho, stadia tantùm ab ea abessent. Fieri ergò potest ut, cùm Imperator oppugnandæ urbi locum opportunum ivisset speculatum, aut alioqui in agro suburbano in rerum agendarum meditatione versaretur, iste ei lætus nuncius & belli inchoandi præmonstrator atque adeò confector sit oblatus, ut fluctuantem rerum difficultate animum ipsius sedaret confirmarétque. Nimis enim facilè hominum mentes, quantâvis magnâ fiduciâ præparatæ, præsentium discriminum metu permoventur; sicut rursus, felicium rerum cursu efferuntur inani fiduciâ, Deíque obliviscuntur. ¶ Sequitur, *ut sustolleret oculos*. Crebrò in S. historia hoc scriptum est cùm res nova atque improvisa se obtulit; ut de Abrahamo Gen. 18. 2. *Et sustulit oculos suos, & vidit, & ecce tres viri stabant*, &c. De Jacobo, Gen. 33. 1. *Et levavit Jacob oculos suos, viditque venientem Esau*. De Esau, v. 5. *Et levavit oculos suos, & vidit mulieres*. De Daniele, 10. 5. *Et sustuli oculos meos, & vidi, & ecce vir quidam indutus lineis*, &c. Sed est ejusmodi propè infinita ὑποτύπωσις, quâ ego nihil aliud quàm repentinam atque insperatam visionem significari existimo; veluti cùm quis aliis rebus intentus, fortè circumspiciens, rem antè non opinatam adesse cernit. Nam quod quidam putant *sublatos oculos* ad cœlestium rerum considerationem contemplationémque spectare, non potest ea interpretatio ad omnes personas accommodari, quare extortam esse certum est. At enim illiusmodi visa semper, congruente analogiâ, eas res quarum gratiâ apparent repræsentare debent, alioqui enim absurda essent. *Strictus* ergò *gladius in viri fortis manu* Dei potentiam repræsentat Josuæ; ut is agnoscat verum populi Imperatorem, cujus virtute bellum quod instat universum facilè confectum ibitur. ¶ Cæterùm quòd ipse tam audacter contra virum quem armatum videt, & proculdubio augustâ specie insignem, pergit, iísque affatur verbis quæ planè aut pugnam aut amicitiam decernant, fortis quoque & fidentis animi est; quibus virtutibus egregiè pollebat Imperator præstantissimus. Chaldæus interrogationem illam, *Num noster tu, an adversariorum?* explicatiùs reddidit; *Num ut nobis opem ferres venisti, an ut hostibus nostris?* Sed cùm diversa duo interroget ille conjunctè, parùm aptum videri possit responsum simpliciter datum ab Angelo. Verùm hic falsam ex animo illius opinionem eximere primùm volebat. Nihil enim adhuc in mentem Josuæ venerat quàm hominem esse. Respondet ergò, hominem se non esse, neque Hebræum, neque Chananæum. LXXII interpretes pro לא videntur legisse לו, reddunt enim pro negatione pronomen αὐτῷ, non sanè prorsus absurdé. Nam Judæorum Massoreth observavit quindecies לא pro לו in S. libris esse scriptum. ¶ Sequitur, *Sed sum Princeps exercitûs Domini*. Sum, inquit, summus populi Dei Imperator, cujus nutu & moderatione istæ quas tu ducis copiæ reguntur & gubernantur. Aut, ut alii explicant, *Ego cœlestis exercitûs Imperator sum*. Sed ut ut est, eò pertinent magnifica ista verba ut iis consiliis, aut mandatis veriùs, atque etiam promissis quæ de oppugnanda & capienda Jerichunte exponet Angelus proximo capite, auctoritas & fides comparetur, & simul (quod nuper dicebam) ut Josuæ animus adversùs arrogantiam in futuro cursu rerum prosperrimo præmuniatur: Quo vitio vix aliud detestabilius invisiúsque Deo concipere homines queant. Nam si pro maximo scelere habetur falsorum deorum cultus, ut est sanè maximum, non video cur pecces graviùs turpiúsque si vano cuipiam simulacro accepta referas quæ à Deo profecta sunt, quàm si tibimet ipsi. Chaldæus posteriorem sententiam approbavit. Reddidit enim sic, *Ego sum Angelus missus à Domino*. Esse enim quosdam in cœlo principes Angelos, consentaneum est Danielis verbis 10. 13. cùm ait, *Et ecce Michael unus principum primorum venit mihi subsidio*. Vocantur autem illi *principes primi*, ut videtur D. Hieronymo, quos *Archangelos* aliàs vocamus; aut fortasse, qui Regnis nationibúsque à Deo sunt præfecti, quales fuere apud Danielem *Princeps Persarum* & *Princeps Græcorum*, c. 10. 20. Judæi ergò hunc Principem Angelum statuunt Michaelem fuisse; cui alioqui Israelitarum cura fuit à Deo demandata, teste Daniele 10. 21. & 12. 1. Atque eandem habet Theodoretus quoque opinionem in Quæstionibus, Promiserat enim, inquit, Deus, missurum se suum Angelum qui populo præiret. Ego verò existimo fuisse quidem hunc eum ipsum Angelum de quo Deus ad Mosen verba illa faciebat, *Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, ut servet te per viam, & perducat te ad locum quem paravi. Caveto à vultu ejus, & obtemperato voci ipsius, nè rebelles ei. Neque enim ignoscet iniquitati vestræ. Est enim nomen meum in ipso*, Exod. 23. 20. Sed eum Angelum esse puto, non Michaelem, verùm æternum Dei Filium, & perpetuum Principem Directorémq; populi Dei. Quanquã enim tum demũ propriè Nuncius Patris ille factus est κατ' οἰκονομίαν cùm ex B. Virgine carnem indutus planè ad nos accessit, & in terris visus atq; nobiscũ versatus est, tamen indè à condito lapsóq; Adamo ejus perpetua curatio fuit humanum genus Patri reconciliare, atq; Ecclesiæ sanctæ religionẽ constituere; ut rectè, etiam antè quàm homo esset factus, *Dei Angelus* sit vocatus, cùm per eum Deus Pater de rebus omnibus semper cum mortalibus communicaverit, de qua communicatione suprà 1. 5. disputavimus prolixiùs. Ad hæc prisci Patres, viri sanctissimi, legationẽ istam, quâ corporatus ad nos ille tandem accessit, quasi jam tum præsentem, & quæ re ipsâ gereretur, amplectebantur per fidem. Unde est illud Joan. 8. 56. *Abraham vidit diem meum, & gavisus est*. Non ergò mirabile est quòd *Angelum* vocarent etiam tum Dei Filium. Et sanè quod dico, id ab ipsis etiam priscis Hebræis, sed occultè, dictũ esse videtur. Nam in commentario vetusto Tanhuma; quem librum sæpe ut laudem facit varia quam complexus est doctrina; In eo, inquã, commentario, dũ locus ille de Angelo præituro Israelitis qui in Exodo 23. 20. scriptus est, tractatur, hæc legimus, *Dicebat Deus Mosi*, ECCE EGO MITTO ANTE FACIEM TUAM ANGELUM. *At Moses respondebat, Ego Angelum nolo, sed teipsum volo. Porrò Josua filius Nun cùm primùm videret Angelum, dicebat*, NOSTER NE ES, AN ADVERSARIORUM NOSTRORUM? *Tum ad eum Angelus*, EGO, *inquiebat*, SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI. JAM VENI. *Ac si diceret, Ego jam secundò adsum, ut Israelitas in possessionem suæ hæreditatis ducã. Veneram enim etiam cùm Imperator esset Moses magister tuus: sed ille, cùm me videret, nolebat me secum ire, sed à se repulit. Hæc autem simul atque audisset Josua, procumbebat in faciem, adoránsque dicebat*, QUID DOMINUS MEUS LOQUITUR AD SERVUM SUUM? Hæc prisci Judæi, quo dixi libro, & his similia plura; Quæ mihi certè visa sunt alludere ad Judaici populi Ecclesiam, quæ de Mose magistro se jactabat, & ad eam quæ nunc à Josua, h. e. Jesu Christo, regitur. Illa enim allegatum ad se Angelum Christum, ut ipsi ad cœlestem hæreditatem patefaceret aditum, repudiavit, atque urbe etiam ejectum cruci affixit: Hæc verò simul atque cùm ex doctrina tum ex miraculis intellexisset eum à se non ab adversario Beel-zebub stare, adoravit, ejúsque jussa submissè & obedienter amplexata est. Sed quando me ad Judæorum Philosophiam deduxit præsens commentatio adscribam etiam illa quæ

de hoc Angelo apud R. Mosen Gerundensem Nehmanni F. reperi, virum profectò acutum, & qui in Cabalistarum philosophia exercitatus non uno loco nostræ redemptionis mysteria quasi per cancellos animadvertere mihi visus est, tametsi gentili pertinaciâ ad ipsam usque veritatem penetrare, & eam amplecti profiterique neglexerit. Scribit igitur ille de Angelo qui à Mose in rubo visus est in hanc ferè sententiam: Iste, inquit, Angelus, si rem ipsam dicamus, est Angelus redemptor, de quo scriptum est, *Quoniam nomen meum in ipso est*, Exod. 23.21. Ille, inquam, Angelus qui ad Jacob dicebat, Gen. 31.13. *Ego Deus Beth-el.* Ille de quo dictum est, Exod. 3.4. *Et vocabat Mosen Deus de rubo.* Vocatur autem *Angelus* quia mundum gubernat. Scriptum est enim Deut. 6.21. *Eduxit nos Jehova* (h.e. Dominus Deus) *ex Ægypto*, & alibi Num. 20. 6. *Misit Angelum suum, & eduxit nos ex Ægypto.* Præterea scriptum est Isa. 63.9. *Et Angelus faciei ejus salvos fecit ipsos.* Nimirum ille Angelus qui est Dei facies; de quo dictum est Exod. 33.14. *Facies mea præibit, & efficiam ut quiescas.* Denique ille Angelus est de quo Vates, Mal. 3.1. *Et subitò veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus federis quem cupitis.* Et rursus alio loco, ubi illum versiculum exponit, Exod. 33.14. *Facies mea præibit, & efficiam ut quiescas*, sic scriptum reliquit, ut in pauca conferam; *Animadverte*, inquit, *attentè quæ ista sibi velint. Moses enim & Israelitæ semper optaverunt Angelum primum, cæterùm quis ille esset verè intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque propheticâ notione satis assequebantur. Atqui* FACIES DEI *ipsum significat Deum, quod apud omnes interpretes est in confesso. Verùm nè per somnium quidem ista intelligere quisquam possit, nisi sit in mysteriis legis eruditus.* Et post pauca. FACIES MEA PRÆCEDET, *h.e. Angelus federis, quem vos cupitis: in quo videbitur facies mea: de quo dictum est*, TEMPORE ACCEPTO EXAUDIAM TE. NOMEN ENIM MEUM IN EO EST, FACIAMQUE UT QUIESCAS, *sive, Efficiam ut ipse tibi sit lenis & benignus: Neque te ducat per jus rigidum, sed placidè & clementer.* Hæc Gerundensis: Quæ quàm sint nostris mysteriis consentanea, nemo, opinor, non videt. *Nomen* autem *Dei* ipsa est Dei essentia: hæc enim nomine יהוה *Jehova*, quòd, ut peculiariter suum, Deus ipse Mosi patefecit, significatur. Esse autem Dei essentiam in Christo, inter nostra mysteria vel primum habetur. Sed quod *Angeli* nomen ad mundi moderationem spectare existimat Nehmannus, haud absurdè id quidem dicit. Est enim æternus Dei Filius Rector Moderatorque, atque adeò Architectus, mundi, vel Apostolo Heb. 1.2. Prov. 8.22. & Solomone testibus. Augustius tamen, mihi quidem certè, illud esse videtur quod nos dicebamus, propterea quòd à Patre indè à condito orbe ad nos est destinatus allegatus, idcirco *Angelum* vocari. Atque eâdem ratione etiam *facies Dei* dictus videri potest, cùm in ea legatione Patris sui faciem, post Adæ peccatum humano generi ignotam, in se ipse nobis repræsentaverit. Verè enim ab ipso dictum illud est Joan. 14.9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Sed dimittamus Judæos. Certum est, Dei faciem præivisse Israelitis, cùm Moses dux esset populi; eámque faciem fuisse Deum ipsum. Id enim & Moses, ut fieret, flagitabat, & Deus præstiturum se spondebat, Exod. 33.14,17. Ad hoc Paulus apud Corinthios 1.10.4. *Christum esse comitatum* illos apertè testatur: Qui cùm sit *Imago substantiæ Patris expressissima* Heb. 1. 3. propriè profectò *facies* ejus dicitur. Præterea Deum ipsum fuisse, non Angelum quempiam ministrum, qui suam in rubo præsentiam declarabat, Moses quoque attestatus est; cùm *habitatoris rubi favorem*, Hebraicè רצון, Josepho precaretur, Deut. 33.16. Quis enim non existimet Dei gratiam, non Angeli cujuspiam, eum illi conciliare voluisse? cùm *omne donum perfectum descendat à Patre luminum*, Jac. 1. 17. Cur ergò non idem ille qui Mosis principatu præibat populo, nunc quoque obtinente imperium Josuâ ducem se præstare existimetur? præsertim cùm Moses testatus sit, Exod. 33.15. frustrà fore omnes populi conatus, frustrà progressus in terra promissa, nisi præeat Dei facies, *Nisi*, inquiens, *facies tua nobiscum eat, ne nos hinc subducas.* Aut cur non, ut in rubo Mosi, ità se hîc Josuæ Deum, non Angelum, patefacere credamus? Certè priscos illos Patres *Dei Angelique* vocabulo juxtà usos esse, insigne est exemplum in Jacobi divinis votis quæ de nepotibus suis Josephi liberis faciebat, Gen. 48.15,16. cùm diceret, *Deus qui pascit me ex quo ortus sum usque ad hunc diem; Angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris*, &c. æquè pari enim benedicendi facultate pollere eum statuit quem *Angelum* nominat, & quem *Deum*. Jam verò quis nescit omnem benedictionem à solo Deo, ut fonte, petendam esse? *Angelum* igitur appellavit æternum Dei Filium, cujus in res humanas semper fuisse moderationem intelligebat divinus senex. Ille ergò idem hîc quoque *Princeps exercitûs Domini* vocatur; quippe qui est non solùm Moderator & Gubernator Ecclesiæ Dei, sed etiam universi cœlestis exercitûs Princeps & Dominus, atque adeò Conditor & Effector. Sed jam illud videndum est, Quónam tandem modo Christus antè sumptam carnem, aut cœlestes illi spiritus Angeli, patefecerint se & ostenderint, vel Josuæ hoc loco, vel Mosi in rubo, vel Abrahamo ad quercetum Mamre, vel Jacobo ad torrentem Jaboc, vel aliis denique viris sanctis. Verùm quando ejus rei subtilior & contentiosior disputatio non solùm supervacanea sed etiam lubrica ad peccandum est, expediam paucis quod mihi verisimillimum est visum. Et de iis quidem visis quæ vel ipsa sibi intus phantasia format, vel quibus externo aliquo pulsu informatur, cujusmodi sunt propheticæ visiones, & his similes aliæ, nihil est quod dicam; (habent enim illa, qualia sint, cognitionem facilem, & à Physicis satis explicatam:) sed de illis quæ corporis sensus movent, veluti cùm Angelorum pedes lavaret Abraham, Cùm Lot ipsorum manibus eriperetur civibus Sodomæ, Cùm Jacob luctaretur, Cùm Moses rubum videret ardentem, & hujus generis aliis. Neque verò etiam subtiliter inquiram de Angelorum natura; Habeántne corpora; à qua sententia haud alienus fuisse videtur D. Augustinus, atque etiam Plato, & ex recentioribus Michael Psellus Ephesinus: An verò spiritus corporum prorsus expertes sint; quod vulgò Theologis rectè probatur. Nam ut habeant illi corpora (& si est id quidem parùm probabile) tamen ut habere eos demus, certè Dei Filium non habuisse antè quàm καθ' ὑπόστασιν fieret filius Davidis, formámque servi acciperet Dominus, in confesso apud omnes est. Anthropomorphitæ enim jam olim explosi sunt. Ad hoc, nemo, opinor, omnium est qui Angelis ejusce generis aut modi corpora attribuenda putet quæ in nostros sensus cadant. Quare nihil Platonica illa opinio ad id quod modò agimus. Mihi igitur quod Tertulliano placuit, Contra Marc. & De carne Chr. aut verum, aut certè vero simillimum esse semper visum est, cùm Dei Filium antè quàm homo factus esset, tum Angelos, ità carnem revera induisse ad tempus, ut videri & congredi cum hominibus possent, suásque per illa corpora proprietates, ut sic dicam, nobis adumbrarent, & quadam tenus repræsentarent; neque ullis ea in re præstigiis sensus nostros fallerent. Thom. part. 1. q. 51. art. 2. ad 2. Cæterùm an ex nulla materia ea corpora sumpserint, ut Tertullianus affirmare non dubitat, an verò ex aliqua, ut est credibilius, & quanam illa, aeréne, an alia, hanc quoque ego disquisitionem in medio relinquam. Neque verò ex iis quæ dixi confici potest homines illos fuisse, similiter atque fuit Christus homo verus cùm carnem ex B. Virgine sumpsisset, factus Davidis nepos. Neque enim sola caro quamvis in hominis figuram conformata hominem facit, nisi ei consociata sit per ortum anima humana, ut ex hisce duabus rebus fiat una, ut vocant, ὑπόστασις atque, ut nos dicere solemus, persona: quo modo Spiritus illi cum carne quam ad tempus, ut dixi, sumpserant minimè fuerunt colligati; neque enim cum ea nascendo orti erant. Atque eam ob rem Sacrarum rerum scriptores, cùm propriè loquuntur, non *homines* vocant eos Spiritus, qui

qui sic apparent, sed *similitudines*, aut *imagines*, vel *species hominum*. Et proinde cùm carnem illam rursus relinquerent, mori haud quaquam rectè dici potuerunt. Quid porrò factum illiuscemodi corporibus sit postquam Spiritus excessere, nihil est quòd soliciti simus, quando Divinæ potentiæ tam fuit facile illa subitò dissolvere, sive in aerem, sive aliud elementum, quàm antea fuerat conglutinare atque conformare. Atqui ex iis quæ dicimus forsan occurrit illud, Hominum oculos falsâ specie à Spiritibus illis fuisse præstrictos, si homines non fuere cùm esse homines viderentur. Sed hoc non est ita. Ea enim species quæ videndi sensum movebat talis re ipsâ species erat qualis esse videbatur; cæterùm opinatio de ipsa rei substantia, ea ad mentem pertinebat, quæ suo judicio falli potuit. Sed in re admodum obscura, & quæ cognitionem habet difficillimam, sic sententiam atque opinionem nostram affirmavimus ut facilè passuri neque molestè laturi simus si quis nos bonis rationibus refellat, certioràque doceat. ¶ Sequitur in contextu S. verborum, *Modò veni*, sive *jam*, vel *nunc*, *veni*. Id quomodo exponant Talmudici & prisci Judæi, suprà diximus. Illos sequi videtur, ut plerumque assolet, R. Solomon. Sed omissis istis, Si Angelus idem ille est qui imperante Mose Dux populi fuit, ipsa Dei Patris facies videlicet, & expressa imago substantiæ ejus, quid est cur *se modò venisse* dicat, qui adhuc in medio est versatus populo, quémque mox post Mosis excessum Deus promittebat non minùs Josuæ adjutorem fore atque antè Mosis fuisset, suprà 1.5. (præsertim si Chaldæi interpretationem probamus, quæ illic est à nobis exposita) denique qui nuper in traducendo per siccum flumen populo tam luculenter præsentiam potentiámque suam declaravit? R. D. K. quidem autumat emphasin habere Adverbium עתה *Nunc*, *modò*, *jam*, nempe ut subitaneo interventu significet se Spiritum non hominem esse, cùm humana aliàque corpora non nisi sensim se sistere ullo in loco possint. Satis ille quidem acutè, at parùm, ut mihi videtur, firmé. Nam, ut ex aliquot Danielis dictis luculenter apparet, significant ista verba eum qui sic loquitur de re quapiam singulari adesse, suámque præsentiam declarare: Ut in non dissimili huic nostræ visione, Dan. 10.11. cùm vir vestitus lineis sic loquitur ad Danielem, *Daniel vir gratiose, intellige verba quæ ego loquor ad te; & consiste: quia nunc missus sum ad te.* Et post pauca, v. 14. *Ego veni ut significarem tibi quæ accident popularibus tuis in ultimis diebus*, &c. Et in alia visione, c. 9. 22. cùm Gabriel ad illum hæc facit verba, *Daniel, modò egressus sum ut te erudirem informarémque intelligentiâ. In tuæ precationis initio res est decreta; & ego veni ut nuntiarem. Es enim gratiosus*, &c. Et si igitur Princeps iste cœlestis exercitûs, vel Ecclesiæ Dei, adhuc est Josuam & populum comitatus, tamen rectè *se nunc advenisse* ait, quia de re singulari jam Josuam adit, nimirum expositurus omnem capiendæ urbis Jericho rationem; de qua re credibile est tunc magnis precibus interpellatum fuisse à Josua Deum; sicut Danieli quoque offerebantur visa illa quæ modò memoravi in precibus. ¶ Sequitur, *Ceciditque Josua in faciem suam*, &c. Hoc Josuæ cum aliis viris sanctissimis commune accidit. Nam Moses quoque Exod. 3. 6. cùm primùm loquentis ex rubo audisset Dei verba, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, occulebat faciem suam: nimirum verebatur obtueri Deum.* Et Daniel de se ipse memorat, simul atque audisset vocem verborum viri illius lineis induti cujus modò mentio est facta, repentè, quasi sopore mens attonita fuisset, pronum se in terram cecidisse, c. 10. 9. Sed sunt in S. historia hujuscemodi exempla plurima; Ex quibus luculenter apparet quantam habuerint Divina apud priscos Patres oracula reverentiam, & quæ contrà apud nostri seculi homines tantæ sit sceleratæ audaciæ ac impudentiæ causa, quâ multi in omnia vel abditissima mysteria penetrare conari non verentur; atque de iis pro putidi sui corporis sensibus potiùs quàm pro ipsis Dei oraculis existimare. Nimirum isti non satis animadvertunt, & illum esse Deum, & se homines humi stratos, atque ideo tam impudenter in illius arcana omnia, tanquam in res naturæ legibus subjectas, inquirunt. Sed Moses & Josua usque eò dum intelligunt quis sit quo cum ipsis res est, intrepidè accedunt, obtuentur, percontantur, respondent: Verùm è vestigio ubi Divinum esse Numen audiunt, nè attollere quidem oculos sustinent. Quippe quò se Deus viris verâ pietate præditis patefacit propiùs, eò suam ipsi humillimam conditionem, contrà verò illius sublimem & Divinam magnitudinem majestatémque magis agnoscunt, & reverentur. Discamus ergò nos quoque his exemplis moniti ad Deum adire humiliter, castè, sobriè, pietatem adhibere religiosam, amovere arrogantiam, h. e. *Dejicere omnem ingenii nostri celsitudinem quæ sese effert contra cognitionem rerum Divinarum*, 2 Cor. 10. 5. quæ sunt à superborum atque arrogantium hominum intelligentia longissimè disjunctæ, acommodatæ verò ad eorum qui, sui despicientes cùm sint, in ea doctrina quæ à sacrosancta Ecclesia est tradita acquiescunt, suas verò cogitationes ad auscultandum oraculis Christi & Ecclesiæ auctoritati mancipant, castóque timore timent, Rom. 11. 20. August. in Joan. 8. neque *magnificentiùs de se ipsi sentiunt quàm oporteat, sed sobriè, pro fidei modo qui cuique à Deo datus est*, Rom. 12. 3, 4. ¶ Illud, *Et incurvavit se*, Hebraicè est וישתחו, quod verbum honoris est, quo vel Deum vel homines proni afficimus. Utriusque exempla plura sunt in S. historia quàm ut locos ostendere sit operæ pretium. Quare nihil attinet quærere quem hic adoraverit Josua. Nam scrupulus ab Augustino motus, cui se prostraverit, non video qualis sit, hoc enim fuit perculsi formidine subitâ animi, ut videtur. Et ut fuerit reverentiæ, (libenter enim hoc fatemur) tamen mos fuit semper illi genti non solùm Deo sed etiam Angelis, sed etiam hominibus, se prosternere honoris causâ. Illud enim verbum Hebraicum prorsus respondet Græcorum προσκυνεῖν, quod apud Orientis populos semper fuit solenne & usitatum, ut ex Xenophonte constat, Institut. l. 5. Quem morem homines illi adhuc observant, ut sæpe vidimus. Demittunt enim se pronos in terram; eámque ubi ore attigerunt, rursus se erigunt; & semel iterúmque venerabundi salutantésque incurvant corpora. ¶ Quæ sequuntur verba, *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* promptissimæ voluntatis significationem ad parendum Divinis jussis continent; quæ voluntas nata est ex Divinæ magnitudinis & humanæ parvitatis contentione. Nam sive Deum ipsum in Filii persona sive administrum Dei Angelum esse arbitrabatur, eâ proculdubio notione illius animus erat Divinitus informatus ut planè intelligeret non inane spectrum, aut cacodæmonem, sed Dei legatum esse. Verùm enimverò ut hæc ad nosmetipsos accommodemus, docet nos hic locus ut, ad percipienda Divini verbi sensa, & ipsius præstantiam dignitatémque & nostram parvitatem atque inscitiam primùm agnoscamus; eóque sensus nostros atque intelligentiam nostri ingenii abjiciamus humi, neque impudenter in illud intendamus, quasi in humanam philosophiam; deinde verò pio in Deum animo, ut ipse nos fide firmâ imbutos sublevet, suâque Divinâ gratiâ fulciat ac sustentet, mentémque nostram illuminet, deprecemur; atque ità demum *quid Dominus noster loquatur ad nos* interrogemus; idque ut sanctus ipsius Spiritus nobis explicet, qui solus veritatem cordibus hominum suggerit atque persuadet, cum docili voluntate petamus.

15. **Detrahe calceamentum tuum de pede tuo, &c.]** Nondum exponit Princeps exercitûs Dei quarum rerum gratiâ allegatus sit; sed narrationi suæ auctoritatem priùs captat & fidem. Etenim *calceamentum exuere* nudísque pedibus insistere jubetur Josua, ut ipsius mens religione percellatur, promoveatúrque etiam atque etiam præsentiæ Majestatis Divinæ opinione, ac proinde attentior sit

sit ad visionem, tanquam rem Divinam, expendendam cogitatione & secum diligenter pertractandam; tum verba sicut Dei oracula penitus percipienda, & ut verissima certissimáque amplectenda; quæ alioqui vanissimis somniis similia videri, & proinde neglecta excidere facilè potuissent. Quid enim minùs simile vero dici queat quàm circumeunte otiosis manibus milite urbis munitissimæ muros sponte suâ esse collapsuros? Præterea, ut intelligat Dei gladio victoriam universam esse attribuendam, nihil arrogandum suis viribus, ut qui humi stratus nè suspicere quidem cœlestem illum Principem audeat. Hanc ceremoniam, ut Moses Gerundensis prodidit, Judaici populi Sacerdotes, Josuæ exemplo, deinceps perpetuò usurparunt in Templo ministrantes, aut sacris operantes. Et sanè etiam nunc apud plerasque Orientis nationes piaculum est calceato pede templorum pavimenta calcasse. Sed enim si Moses, si Josua, viri sanctissimi & divini, illiusmodi ceremoniis ad religionem permovendi fuere, quâ, quæso, sui fiduciâ multi jam in cultu Divino summa cum petulantia, imò verò contumelia, ceremonias omnes, quamvis antiquas, quamvìs à sanctissimis Patribus inde à religionis nostræ cunabulis usurpatas & traditas, rident, damnant, repudiant, profligant? Nimirum isti repentè hominem exuerunt; nullis distringuntur humanarum rerum cogitationibus, sed animo libero solutóque cum cœlestibus Spiritibus per cœlum volitant, Deúmque coram intuentur. O dementiam atque insaniam! Nihil est, fateor, cur Deo nudi pedes quàm calceis circumdati, cur retecta capita quàm operta, aut omnino alius habitus gestúsve corporis alio magìs placere debeat. Sed tamen nostrâ causâ utiliter ista instituuntur externæ pietatis, ut sic dicam, exercitia, ut dum iis propalam utimur, & tanquam rebus Divinis operam damus, animum nostrum rerum humanarum despicientiâ coerceamus reprimamúsque, qui se alioqui perpetuò aliis atque aliis pravis cupiditatibus, quamdiu in his inclusus est compagibus corporis, insolenter effert, atque ad pietatem & religionem convertamus; simúlque etiam exemplo proximos ad laudandum prædicandúmque Deum vocemus atque invitemus, secundùm illud Christi, Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. Dum in genua, dum in faciem procumbimus, dum manus in cœlum tendimus, aut palmas quasi vinctas consociamus, oculos sustollimus, caput detegimus, nudis pedibus ambulamus, humi cubamus, cilicium induimus, ovinas, caprinas pelles, ut ait Apostolus Hebr. 11. 37. atque omnino tanquam sordidatos nos sistimus ante Dei oculos, quid aliud agimus quàm nostram parvitatem &, ut sic dicam, indignitatem cum Divinæ majestatis magnitudine comparamus? eóque & nostram & eorum qui nos fortè intuentur mentem ad dispiciendum res nostras, suspiciendum verò admirandúmque & expetendum cœlestes & Divinas flectimus? Quid crucis signum, *quo ipsa etiam antiquitas*, ut ait Tertullianus, ipse auctor inter nostros sanè cum primis antiquus, *quacunque illam conversatio ulla exercebat* (utor ejus verbis) *terebat frontem*, quid, inquam, hoc signum aliud est quàm ingenua crucis professio, atque adeò, ut de glorianda prædicandâque re, sancta jactantia? Quare illud dum ex animo in omnibus nostris actionibus usurpamus, atque in re per se probrosa salutis nostræ memoriam & imaginem nobis sæpe proponimus, & veluti hoc Christi trophæo hostem, nè ea quæ aggredimur impediat, deterremus, Christum ipsum proculdubio nostrâ tam liberali professione atque fiduciâ in ea quam ipse nostrâ causâ sustinuit ignominia, ut ea quæ agimus auspicatiora faciat provocamus. Verùm abesse volo ab his omnibus fictam simulationem, in qua sicut nec reliquæ virtutes ità neque pietas inesse potest; est enim illa in ceremoniis omnibus cultúque externo maxima pestis. Debent enim hæc, ut proba sint, neque gloriæ & laudis cupiditate, neque etiam magicâ superstitione exerceri, sed cum animi pietate conjuncta esse, atque ab ea veluti procreari. Sed neque salutis nostræ spem atque fiduciam in istis collocatam habere debemus, quæ Christi meritis planè est attribuenda. Sed hæc hactenus. Solent plerique Calceamentis significatas esse dicere pravas corporis cupiditates, sive *animalem* hominis partem, quæ *non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt*, ut ait Paulus, 1 Cor. 2. 14. semper humi strata terrenísque affixa rebus. Eæ enim perturbationes mentis, quò ad ejus fieri potest, exuendæ sunt iis qui Divinas res contemplari meditaríque volunt. Hæc allegoria etiam à quibusdam est Hebræis prodita. Et fortassis eodem spectat quòd Christus suorum discipulorum pedes lavat priùs quàm eos sacrosancti sui corporis & sanguinis participes faciat. Quin illud quoque non inscitum est, ut mihi videtur, quod à Cypriano est proditum (si is est auctor librorum ad Quirinum inscriptorum) hoc ritu significari, unum Christum esse Ecclesiæ verum Sponsum, cæteros verò omnes, quantumvìs sanctos Deóque probatos viros, amicos modò Sponsi; Cùm, ut in Deuteronomio & historia Ruth scriptum est, qui alteri propinquiori magísque necessario in ducendæ sponsæ jure cedebat, exuere calceum lege debuerit. Quidam inter recentiores Judæorum scriptores celebris famæ, & sanè acutus & eruditus, Isaac Æramæus observavit, Lib. De colligato Isaac, Mosi dictum esse, *Exue calceamenta tua è pedibus tuis*, numero plurium, at Josuæ *Calceamentum tuum è pede tuo*, quia illi duplex cura incumbebat, quarum utramque ab se in Deum rejicere jubebatur; huic verò unica. Moses enim, quamdiu cum imperio apud populum fuit, non solùm Imperatoris officio sed etiam patrisfamilias & nutritii facere debuit, cùm per vastam solitudinem illi alioqui cibo, potu, veste caruissent, Deut. 22. 5. at Josua in regione omnibus rebus quæ ad humanos usus necessariæ sint affluente nullam nisi bellicarum rerum curationem habuit. Alius Judæus in Cabalistarum philosophia eruditus & versatus, nomine Bahaiaus, ad uberiorem rerum Divinarum intelligentiam quâ Moses præ Josua informandus à Deo esset, atque ad altiorem gradum quo esset propiùs in illius familiaritatem admittendus, spectare existimat numeri differentiam. Sed hæc argutiora sunt quàm firmiora. ¶ Quod porrò sequitur, *Quia locus in quo insistis, res sacra*, sive *sacer, est*, (Sæpe enim substantivis pro adjectivis, ut Grammatici loquuntur, utitur Hebræa lingua) causam continet exuendi calceamenti, atque dilucidiùs quid sibi illa ceremonia voluerit explicat; nempe ut præsentiæ Majestatis Divinæ opinio animum Imperatoris magnâ religione perfunderet atque obligaret, quò is non solùm ad ea quæ mox est moniturus Deus mentem acriùs intenderet, verùm etiam augustissimi illius ostenti memoriâ se ipse in posterum subinde confirmaret. Quò enim spectet *loci sanctitas* si non ad Divini Numinis præsentiam? Nam quòd quidam existimant ad universæ Chananææ dignitatem pertinere, vanum nimis est & ex inconsiderantia profectum. Etenim locus ille quoque in quo Moses ardentem rubum videbat similiter atque iste *sacer* esse dicebatur, Exod. 3. 5. quamvìs procul à Chananæa abesset. Tum si universæ Chananææ sanctitas istis verbis perhibetur, quid restat nisi ut omnes simul Israelitæ unà cum Imperatore calceos abjiciant, nudísque pedibus ambulent? Est igitur quod ait hujusmodi, Memineris te coram Deo ipso stare, iisque quæ & vides & porrò audies consilium voluntatémque summi Numinis tibi declarari. Et si enim Deus ubique est, atque hic mundus omnis templum domúsque ipsius habetur, neque certis concludi locis ejus infinita Majestas potest, tamen non perinde ubique præsentiam suam declarat, sed prout Divina ejus rerum humanarum moderatio postulat. Ad hoc, quædam eum loca singulariter suo cultui consecrata dedicatáque velle præ aliis, tam sæpe ipsus est testatus ut supervacanea sint siqua proferam argumenta. Et sunt ejus rei exempla inprimis insignia, sacra Arca, & memorabile illud Solomonis Templum, in quibus ut se singulariter coleremus, precaremur, veneraremur voluit. Affert enim ea res religionem utilem populis, civitatibus, cœtibus hominum aliis, quippe qui ejusdem loci pre-

precationibus & colendo Deo dicati atque eorundem rituum & sacrorum communione arctiùs inter se consociantur, mutuâque caritate obligantur. Neque enim est, opinor, ullus nostrûm qui non sæpe in se ipse experiatur pietatem atque religionem majorem incessere animum suum cùm in templa eáque loca ingreditur quæ sanctitatis opinione habent venerationem, præsertim tum quando in ipsis publicè hominum cœtus rebus Divinis operam dat. Rectè igitur locus ille in quo stabat Josua *sacer* à Deo vocabatur, & quia ipse suâ eum præsentiâ revera consecrabat, & quia Josuæ erat utilis ea sanctitatis opinio ob caussas quas jam attulimus. Nam si *res omnes consecrantur*, ut ait D. Paulus 1 Tim. 4. 5. *per verbum Dei & sacras preces*, quæ ad illas adhibentur, quantò magis per Deum ipsum, quando se apud ipsas efficienter præsentem sistit? Nam ut ex Nova quoque Lege exemplum unum afferam, an non singulari sanctitate affectam à Deo fuisse piscinam illam putabimus, Joan. 5. 4. quæ Jerosolymis בית חסדא *Beth-hesda*, h.e. *misericordiæ*, aut *benignitatis, locus*, vocabatur, in cujus aquas ab Angelo commotas atque agitatas qui primus descendisset, is à quovis morbo curabatur? Sanè in elementi natura tantam infuisse efficacitatem nemo sanus dixerit. Sed concludam hunc locum D. Augustini verbis, qui in Epistola 137. sic scriptum reliquit, *Ubique quidem Deus est*, inquit, *& nullo continetur aut includitur loco, qui condidit omnia. Oportétque eum à veris adoratoribus spiritu & veritate adorari; ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet & coronet. Verùm tamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci ubi B. Felicis Nolani corpus conditum est*, & quæ sequuntur plura in eam sententiam. ¶ Postrema hujus capitis clausula, *Fecitque Josua sic*, nobis ante oculos ponit ad imitationem promptam & alacrem in parendo verbis Dei obedientiam. Nam, ut nuper dicebamus, ejusmodi S. Spiritûs inflatu informata Josuæ mens intus erat ut planè intelligeret Divinam esse visionem, non præstigias aut fallacias cacodæmonis. Discamus igitur & nos quoque Dei verbis, quibus nobis per S. Euangelia quotidie loquitur, credere simpliciter, ut ipsa Ecclesiæ perpetua consensio ea explicavit. Et si quando humano judicio nostro illorum sensa non satis probata videntur, nè in animum inducamus calumniando velle pervertere doctrinæ à patribus ad nos propagatæ pulcherrimum consensum concentúmque; sed existimemus Deum illa nos intelligere noluisse, sed credere. Itaque credamus, neque ullis modis abducamur ut putemus sanctissimos illos viros, qui tam longâ serie, alii post alios, omnem nostræ religionis disciplinam nobis quasi per manus tradiderunt, aut delirasse, aut fallaciter verba Sacra interpretatos esse; cùm iidem essent verbis quidem docendi, moribus autem totiúsque vitæ suæ exemplo rectè faciendi vivendíque magistri.

I D E M.

1. EST initio addita universitatis nota in m. ed. Habet enim, ὡς ἤκουσαν * πάντες ↙ οἱ βασιλεῖς, &c. ¶ Post πέραν τοῦ Ἰορδάνου additum est in m. * παρὰ τὴν θάλασσαν ↙, & mox post copulam rursus nota universitatis, καὶ * πάντες ↙ οἱ βασιλεῖς, &c. ¶ Cùm dicitur, οἱ ἦσαν παρὰ τὴν θάλασσαν, expungendum est ἦσαν. ¶ Illud ÷ ὁ Θεὸς ↙ jugulandum obelo. ¶ Pro κατέβησαν scribe κατετάκησαν ¶ ÷ καὶ κατεπλάγησαν ↙ confodiendum est obelisco.

2. Scribe, μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, καὶ καθίσας, &c. Sic enim legit Syrus, & Augustinus quoque, atque auctor docti opusculi De vera circumcisione quod D. Hieronymo tribuitur.

3. Illud, τοῦ καλουμένου, debet jugulari veru, & τόπου prorsus expungi.

4. Lege ordine converso, περιεκάθηρε Ἰησοῦς τοὺς υἱοὺς, &c.

5. Ante ἐν τῇ ὁδῷ habent quædam exemp. ἐν τῇ ἐρήμῳ, ut notavit Syrus per limniscum. Sunt autem versiculi isti quartus & quintus jugulandi obeliscis, quia non sunt de Hebræo expressi: in quo longè alia est sententia; quæ in m. ed. asteriscis appositis reddita est his verbis, * καὶ οὗτος ὁ λόγος ὃν περιέτεμεν ὁ Ἰησοῦς, πᾶς ὁ λαὸς οἱ ἐκπορευόμενοι ἐξ Αἰγύπτου, τὸ ἀρσενικὸν, πάντες ἄνδρες πολέμου, ἀπέθανον ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐν τῇ ὁδῷ, ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Et hactenus versiculus quartus. Deinde sequitur

5. Quintus, his verbis, * ὅτι περιτετμημένοι ἦσαν πᾶς ὁ λαὸς ὁ ἐξελθών. καὶ πᾶς ὁ λαὸς οἱ γεννηθέντες ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ ὁδῷ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου οὐ περιετμήθησαν.

6. Illud, ÷ καὶ δύο ↙, notandum est obelo. Mox scribe, τῇ ἐρήμῳ ÷ τῇ Μαδβαρίτιδι ↙, signáque τῇ Μαδβαρίτιδι obelisco. ¶ Post Κυρίου habent quidam libri τοῦ Θεοῦ, sed si id adscribatur, debet jugulari obelo. In Vat. autem omissum est Κυρίου, atque pro eo scriptum τοῦ Θεοῦ, & sic videtur D. Augustinus legisse hunc locum. Hebræum tamen habet יְהוָה, pro quo reddi solet Κυρίου. Ulteriùs scribe, δοῦναι ἡμῖν, γῆν, *dare nobis, terram*, sic enim habent boni libri, & in Hebræo quoque scriptum est primæ personæ pronomen.

7. In libris emendatis habetur hæc verborum collocatio, τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἀντικατέστησεν ἀντὶ τούτων, οὓς περιέτεμεν Ἰησοῦς, * ὅτι ἀκρόβυστοι ἦσαν ↙, &c. Vat. tamen non habet hanc postremam clausulam verborum, ὅτι ἀκρόβυστοι ἦσαν. Neque eam videtur etiam legisse Augustinus apud LXXII, quapropter est notanda asterisco, ut ab aliis interpretibus accepta, ídque à Syro factum est.

8. Post περιτμηθέντες δὲ est in m. * πᾶν τὸ ἔθνος ↙. ¶ Debet autem ÷ ἡσυχίαν εἶχον ↙ jugulari obelo.

9. Nomini Ἰησοῦ addit Vat. codex υἱῷ Ναυή. sed id in aliis exemp. non apparet, neque potest sine obelo ascribi, non enim est in Hebræo. ¶ Post τόπου additum est in m. * ἐκείνου ↙. ¶ Illa verba, * ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης ↙, sunt asterisco signanda. Nam non sunt editionis LXXII interpretum. Idem censendum est de iis quæ initio versûs decimi scripta leguntur, nempe,

10. * Καὶ παρενέβαλον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν Γαλγάλοις ↙. LXXII enim, ut supervacanea, omiserant ista: atque ideo non leguntur in Vat. codice. ¶ Illa, οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, quæ post ἐποίησαν scribuntur, sunt signanda obelisco. Quâ notâ insignivit Syrus etiam illud quod in extremo versûs est, ÷ ἐν τῷ πεδίῳ ↙. Nimirum voci Hebraicæ בערבות respondet ἐπὶ δυσμῶν. Meo tamen judicio hoc potiùs jugulandum ab Adamantio erat. Nam illud, ἐν τῷ πεδίῳ, magis est ei verbo Hebraico consentaneum: verùm, si conjecturâ uti liceat, dicam, hoc, ἐν τῷ πεδίῳ, ab aliquo Hebrææ linguæ perito in margine scriptum fuisse pro illo, ἐπὶ δυσμῶν, quod ille judicabat non satìs congruere verbo illi Hebræo; atque ità errore librariorum in ipso textu tandem scribi cœpisse.

11. Post σίτου τῆς γῆς, additur in m. * τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα ↙, *postridie Pascha*.

12. Post ἐξέλιπε τὸ μάννα additum est in m. * τῇ ἐπαύριον ↙ μετὰ, &c.

13. Cùm dicitur, καὶ ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, non habet Vat. neque copulam καὶ, neque pronomen αὐτοῦ, eíque assentiri videntur tum Origenes, tum Cyprianus; quapropter arbitror utrumque esse asterisco notandum: quanquã id à Syro factum non apparet; quod fortasse librarii negligentiâ accidit. ¶ Habent Compl. εἶδεν φανέντα ἄνθρωπον, verùm unde natum sit illud φανέντα non video. Suspicor tamen, cùm explicandæ rei gratiâ fuisset in margine à quoquam adscriptum, in ipsum S. verborum ordinem deinde perperam esse relatum. ¶ καὶ ἡ ῥομφαία αὐτοῦ, debet rursus pronomen habere stellulam appositam. Neq; enim in Vat. est, neq; vel ab Origene vel Cypriano est lectum. ¶ Post προσελθὼν addit m. * αὐτῷ ↙, *aggressus eum Jesus, dixit ei*, &c. Rursus in versiculi extremo alterum additur in m. pronomen, hoc modo, ἢ τῶν ὑπεναντίων * ὑμῶν ↙.

14. In ipso initio post αὐτῷ addenda est particula ὅτι, & scribendum, ὅτι ἐγὼ, &c. ¶ Post πρόσωπον additur in m. ※ αὐτοῦ ↙, *in faciem suam*. ¶ Scribendum est, ※ προσεκύνησεν, καὶ ↙ εἶπεν αὐτῷ· debétque verbum προσκυνήσεν atque insequens copula habere appositum asteriscum: nam LXXII omiserant adorandi ritum. Quod deinceps sequitur, lectum est à Syro ad hunc modum, ※ τί ↙ δέσποτα ※ μου ↙, τί προστάσσεις τῷ σῷ οἰκέτῃ; signato videlicet priore τί & μου asteriscis.

15. Post τὸ ὑπόδημα additum est in m. ※ σου ↙. ¶ ※ καὶ ἐποίησεν Ἰησοῦς οὕτως ↙, tanquam à LXXII prætermissa, debent asterisco apposito notari.

DRUSIUS.

1. R*Eges Amorræorum*, &c.] Amorræi & Chananæi gentium illarum 7 præcipuæ erant; quibus consternatis & perculsis, credibile est & alias quoque, & quidem magis, perculsas fuisse, quæ à robore ac potentia non ità valebant. Fuit autem Amorræus filius Chanaan, à quo gens Amorræorum descendit ad Orientem Judææ habitans. Quanquam sunt qui Amorræos Orientales diversos faciant ab Occidentalibus, inter quos Abenezra. *Orientales appellant qui trans flumen habitabant, quorum Reges Og & Sehon Moses devicit. Occidentales habitabant cis Jordanem, quâ parte est Jerosolyma: de quibus capiendum illud Josua, Cur hunc populum transire fecisti Jordanem, ut nos traderes in manum Amorræorum?* Sic Abenezra Amos 2.9. Mercerus ad eundem locum hanc distinctionem improbat, eundem faciens Amorræum & quem Moses subegit, & à quo populus sub Josua sibi metuebat. *Terra Amorræi*, sive *Amorræorum*, latè sumitur, pro terra 7 gentium videlicet, Amos 2.10. Vide Observ. meas l. 14. c. 12. Valet autem *Emori*, interprete Hier. λαλούμενος, i. *multo sermone celebratus*, Comment. Ezek. 16. ¶ *Qui trans Jordanem ad Occidentem*] Vel, *Occidentem versus*. Ad verb. *ad mare*. Intelligit autem mare Magnum, quod in Occidente: unde pro ipso ponitur Occidente. Hi sunt quos Abenezra vocat *Amorræos Occidentales*: nam Orientales habitabant cis Jordanem. Quod cur Mercerus improbet nescio. Og certè Rex Basan & Sehon vocantur *duo Reges Amorræorum*, Deut. 3. Vide Masium h. l. *Usitatum*, inquit, *est Chananaicum Jordanis latus istis verbis significari, ut Galaaditicum dicere Trans Jordanem ad Orientem*. Hæc ille. ¶ *Qui ad mare*] Sic loquendo significat Chananæos propriè dictos, quos *Phœnices* appellant Græci: unde terra eorum ab iisdem dicitur μέρος τῆς φοινίκης, vel *Phœnicia*. Procopius certè Chananæos ait esse Sidonios, & Eusebius l. 9. Προπαρασκ. Chanaan appellat *patrem Phœnicum*. Et Senes hoc loco ediderunt οἱ βασιλεῖς τῆς φοινίκης· quod non fecissent nisi Phœniciam & Chananæam eandem esse putassent. Marcus quoque *Syrophœnissam* appellat 7.26. quam Matthæus 15.22. *Chananæam*. Cæterùm quia mare accolebant, ideò mercaturæ dediti erant, unde *Chananæus* pro *mercatore* ponitur Hos. 12.7. Jes. 23.8. & Prov. 31.24. Quod Homerus etiam prodidit de Phœnicibus Od. 15. ità scribens,

> Ἔνθα δὲ Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες,
> Τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηῒ μελαίνῃ.

Porrò *reges* dicit regulos & singularum civitatum dominos. ¶ *Ad mare*] Verbum è verbo, *super mare*, & est sensus, Juxta, vel propè, mare. Hinc intelligentiam habet illud, *Super maria fundavit eam*. Hier. *Qui propinqua possidebant magni maris loca. Magnum mare* vocat mare Mediterraneum, quod circa Phœnicem *Syriacum* vocatur. ¶ *Non erat in eis ultra Spiritus*] i. animus, q.d. Concidebant animo penitus. Hier. *Non remansit in eis spiritus. Non remanere spiritum*, ut & *cor dissolvi*, dicitur in magno metu, suprà 2.11. *Nec stetit spiritus in viro*, ubi Hier. *non remansit*, Lxx ἔστη, hic habent, οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς φρόνησις οὐδεμία, *non erat in eis prudentia ulla*, unde Masius, *Spiritus est animi illa vis quâ sapimus, & quid agendum quid omittendum dispicimus deliberamúsque*, h. e. τὴν ποιητικὴν καὶ ἐν πρακτικὴν διαγνωστικὴν δύναμιν, quam Lxx nominant φρόνησιν. Sic, *Stultus omnem spiritum suum educit*, i. Quicquid scit, apud omnes profert, omnibus indicat, nullâ habitâ ratione loci, temporis aut personarum.

2. *In tempore illo*] Quo erant adhuc in Galgal. ¶ *Fac tibi*] Cura fieri. Et *tibi* redundat, ut cùm dicimus, *vade tibi*, aut *habe tibi*, h.e. in usum tuum. ¶ *Cultros acutos*] Quidam, *gladios acutos*. Sed חרב tam *cultrum* sign. quàm *gladium*. Sanè gladiis usos fuisse in circumcisione non est credibile. Ideo vir doctus emendat *gladiolos*, q. *parvos gladios* dicas, qui nihil aliud sunt quàm cultri, quibus utimur ad scindendum aliquid. M. Ger. ait חרב *usurpari de omni instrumento ferreo aciem habente quæ scindat*. Autor libri qui vocatur *Ohel Moed* scribit *transferri ad omnem rem quæ scindit, sive ferrum fuerit, sive lapis durus: unde etiam de Novacula dicitur, & de Malleo quo lapides cæduntur, quem* כשיל *vocant: in summa, transfertur*, inquit, *ad omne instrumentum appropriatum ad dejiciendum ac demoliendum ædificia*. Si *omne quod scindit* significat, ergò etiam *cultrum*. Sed pro *acutos* alii referunt *lapideos*, ut interpres noster; aut *saxeos*, ut Masius; aut denique πετρίνας, ut Lxx., qui vertunt μαχαίρας πετρίνας, quod reddunt *cultros petrinos*, & additum in nonnullis ed. ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, *de petra acuta*. Nam צור *petra durissima*, quæ Græcè dicitur ἀκρότομος, quam nos Latinè *silicem* dicere possumus, ait Hier. in Comment. Amos 3. Sanè hujusmodi petrâ usa fuit Sepphora cùm circumcideret filium, Exod. 4.25. Non petra erat, sed culter petrinus. Sic *ferrum* ponitur pro *nervo ferreo*. Vide Ohel Moed, in אבן *lapis*. Psal. 89.44. צור חרבו Ebræi exponunt *acumen gladii ejus*, i. gladius ejus acutus, q. per hyllapagen dictum: sicut dicimus *viriditas herbæ* pro *herba viridis*. Sic Græcè, ὀξύτης τοῦ ξίφους, pro ξίφος ὀξύτατον, i. ὀξὺς, *gladius acutus*. Aut fortè legendum, *petra cultri ejus*, ut sensus sit, *Culter ejus petrinus* quo usa fuit Sepphora in filii circumcisione: nisi potius ut fuerit *culter acutus*; ut sit *acumen* pro *cultro acuto*. R. Levi, Significat *cultros acutos ex chalybe*. *Chalybem* autem hîc נחשת appellat ex communi opinione Judæorum, qui eo nomine ferrum forte ac durum denotari putant. Ego magis inclino in *petram*. Meam sententiam de *saxo*, aut *petra*, *cultróve petrino* firmat Moses Ægyptius lib. Nebuchim part. 1. c. 16. ubi scribit *Josuam usum fuisse duris silicibus, non acutis cultris*. Quod robur accipit ab autoribus profanis qui acuto silice non modò præcidi testes sed etiam penitus amputari prodiderunt. Catullus enim certè de Cybeles sacerdote quodam ità scripsit, *Devolvit ipse acuto sibi pondera silice*, & Juven.

> *Mollia qui rupta secuit genitalia testa.*

¶ *Iterum*] Ad verb. *redi*, aut *revertere*. Sanè Doctores שוב usurpant pro *iterum*, *denuo*, *rursum*. Sic ראה *vide* repertum pro adverbio demonstrandi *ecce*. Hîc notabis post verbum *redeo* sequi aliquando copulam, ut Jud. 2.19. aliquando non, ut hîc, & Job. 10.16. ¶ *Circumcide*] i. Da operam ut circumcidantur. Nam non ipse Josua eos circumcidit, sed ejus jussu id factum. Ità Salomo ædificavit Templum. ¶ *Secundò*] Quod Græci dicunt ἐκ δευτέρου. Vide Lyram, & additionem Burgensis, & replicam. Hæc est secunda circumcisio quæ facta fuit ex quo egressi sunt ex Ægypto, propter Pascha, quod intra quatuor dies celebrandum erat. Nam præputiati non poterant illud celebrare. Prima circumcisio fuit in Ægypto antequam Pascha celebrarent. Ab eo tempore nemo circumcisus fuit propter quotidianas migrationes & profectiones. Nam quiescendum est circumcisis, si non diutiùs, saltem ad triduum: Tertio enim die dolor maximè ingravescit. Ideo Deus metum injecit Chananæis, nè illo triduo populum adorirentur in Galgala versantem. Puto hanc esse genuinam hujus loci explicationem, in quo tamen multi se multùm torquent. Sunt alii, in queis Nicolaus, qui adverbium *secundò* ad Abrahamum referunt patrem circumcisionis; q. circumcisio jam diu intermissa nunc demum restaurata fuerit. Simplicius est quod dixi. Nam quod de vento Borea Septentrionali fabulantur, nugæ sunt meræ. Siquidem ut-

demus

demus circumcisis eum prodesse, unde sciunt toto illo tempore quo in deserto fuerunt, per annos 38. non spirasse? cùm primis annis flaverit. ALITER, *Secundò*] Secundâ vice. Loquitur autem de circumcisione generali omnium eorum qui in deserto circumcisi non fuerant. Prima circumcisio generalis fuit Abrahami ævo, cùm juberetur totam familiam suam circumcidere. Hæc ab ea secunda est; instauratâ quasi circumcisione, quæ aliquot annos intermissa fuerat ob quotidianas profectiones. Nam ritus ille quietem poscit, saltem tridui, cùm tertio die dolor recrudescat. Quid si שנית hîc vertamus *iteratò*? q.d. Itera circumcisionem donec omnes fuerint circumcisi. Nam שנה hoc significat. Sic stultus שונה *iterans stultitiam suam*. Sic עם שונים *cum iterantibus*. Vult dicere, Qui subinde iterant improbitatem suam. Non igitur שנית valet *secundò* præcisè, sed *iteratò*, i. sæpius, aut multis vicibus: q.d. Circumcide iterando, donec totum opus absolveris & ad finem perduxeris.

3. *Ad collem præputiorum*] *Apud collem*, vel *in colle*, אל pro ב (vide Camium Davidem) qui sic appellatus fuit ab eventu. Plur. ערלי ab alia forma. Nam à ערלה est ערלות, ut à חכמה *sapientia* est חכמות *sapientiæ*. LXX ἐπὶ τοῦ καλουμένου τόπου βουνὸς τῶν ἀκροβυστιῶν, *in loco qui vocatur Collis præputiorum*, Jon. *in colle quem vocant Collem præputiorum*. Fortè quòd illic Israelitæ amisissent sua præputia. Aut quòd præputia Judæorum in acervum conjecta collem efficerent qui propterea dictus est *Collis præputiorum*.

4. *Hæc res est ob quam*] דבר *res*: ut ibi, *Non est impossibilis apud Deum ulla res*, πᾶν ῥῆμα, nam est *verbum* in fonte. Sed videndum an אשר ponatur pro אשר בעבורו *propter quam*. Alii elegerunt, *Hæc est causa*, vel *ratio, cur circumciderit*, &c. Sic Gen. 12. *Percussit Pharaonem* על דבר אברם *ob causam Abrahami*, propter Abrahamum. Affine quod דבר ponitur pro *causa, lite, negotio*, Exod. 18. 16. ubi Onc. & Jon. דינא, & Hieron. *disceptatio*. ¶ *Omnes viri bellicosi*] *Viri belli*, ad bellum seu militiam apti, ab anno videlicet vigesimo ætatis. Ideo Thalmud, *Annos natus viginti ad bellum*, sive *militiam*. In fonte est לרדוף *ad persequendum*, & *hostem* subintelligitur, quod idem cum illo, *ad militiam*. Sumptum ex Num. 1. 3. *A filio viginti annorum & suprà, omnem egredientem ad militiam*. Videndus Hiscuni, ad h.l. Sunt qui לרדוף interpretantur *ad sectandum divitias*: & ità nos olim.

7. *Quos statuerat*] Deus videlicet. Hîc particula אשר desideratur.

8. *Sederunt*] i. Manserunt. LXX καθήμενοι. ¶ *Donec sanarentur*] Ad verb. *Dum viverent ipsi*, i. convalescerent & sanarentur, Jes. 38. 21. ויחי *& sanabitur*. Quò pertinet illud. *Non est vivere sed valere vita*. Nam *vivere* idem quod *valere*. LXX ἕως ὑγιάσθησαν, *donec sanati sunt*. Sic etiam Jon. interp. Chaldæus.

9. *Devolvi opprobrium Ægypti à vobis*] חסירותי. Sic Ebræi exponunt. *Amovi, removi*. גל מעלי חרפה *Abstuli à vobis probrum Ægypti*, h.e. præputium. Nam ut Ægyptii præputiati erant, sic vos hactenus fuistis. Præputium autem probro ac dedecori erat iis qui circumcisione utebantur. Quin filiam elocare præputiato, aut sororem, probrosum habebatur. Vide Gen. 34. 14. Aut *probrum Ægypti* vocat, quòd præputiati Ægyptiis non dissimiles essent, moribus atque institutis eos referentes. *Devolvere* autem *probrum* invenitur, Psal. 119. 22. *Devolve à me probrum & contemptum*, i. גלל, unde *Galgal*, repetitis duabus literis. Sic à בלל est *Balbel*, & contractè *Babel*.

10. *Vespere*] בערב *in vespera*. Inter duas vesperas agnus mactabatur, vesperi comedebatur. Hæc vespera initium erat diei 15. nam diem à vespera inchoant. Cæterùm in Græca ed. pro ἀφ᾽ ἑσπέρας legerim libentiùs ἐφ᾽ ἑσπέρας, si auderem quid immutare contra codicum fidem.

11. *De provemtu terræ*] עבור propriè *proventus anni præteriti*, ut תבואת *futuri*, unde R. D. colligit eos edisse fruges veteres quas negotiatores eis vendiderant, non novas illius anni, quibus ante oblatum manipulum, h.e. ante diem 16 illius mensis, ità vetante Lege, vesci non poterant. LXX ἀπὸ τοῦ σίτου τῆς γῆς, *de frumento terræ*. Hier. *de frugibus terræ*. Argumentum ab etymo nescio an firmum sit. Nam עבורא Chaldæis *quodvis frumentum*; item triticum: nam eo בר & דגן interpretantur. Id ex Josephi historia ex Thargum Onceli in Genesin evidenter liquet. Vide Masium ¶ *Postridie Paschatis*] *Altero die*, h.e. 15 Nisan, aut die 16. quando novis frugibus vesci licebat post oblatum manipulum. Sanè LXX *tostum* sive *polentam* hîc convertunt τὰ νέα, unde & mensis iste dictus *mensis* τῶν νέων *novorum*, i. novarum frugum. R. D. *Est nox decimi quinti mensis Nisan & dies ejus. Nam Pascha appropinquat 14. & posterus dies ejus est 15. Sic legimus, Decimo quinto die mensis primi, postridie Paschatis, egressi sunt filii Israel.*

12. *Cessavit manna postridie*] Decimo quinto mensis, an 16? quod opinati sunt veteres Ebræi. Nam decimo quinto, inquiunt, vescebantur simul mannâ & frugibus: postero die, cùm liceret illis vesci novis quarum tunc ob anni tempus magna copia erat, desiit manna penitus. Videndus R. D.

13. *In Jericho*] *In agro urbis Jericho*. Hier. *in termino ejus*. R. D. *in territorio ejus*. Nam territorium vocatur de nomine urbis: *ad Jericho*, alius. Nam ב aliquando Vicinitatem denotat, ut infrà 10. 10. *Percussit eos plagâ magnâ in Gabaon*. Loquitur de iis qui Gabaonem obsidebant, qui utique non erant in urbe, sed ante illam; vel sensus est, *In territorio Gabaon*. R. Levi censet, cùm de ea capienda meditaretur, animi cogitationibus fuisse in Jericho. ¶ *Et ecce vir*] Angeli *viri* vocantur, Gen. 18. 2. & 19. 5. Luc. 24. 4. Act. 1. 10. *Virum* vocat qui Angelus erat, nempe quia in specie viri apparebat. Sic diabolus vocatur *Samuel*. Et Angelus dicit apud Tobiam, *Ego sum Azarias filius Ananiæ*: nam Azariæ speciem seu formam referebat, ut observat Athanasius. Quò pertinet canon ille Augustini, *Species rerum appellantur de nominibus ipsarum rerum*. Sunt qui opinantur hunc Angelum fuisse *magni consilii Angelum*. Vocatur יהוה 6. 2. quem *Dominum* vocant, nomine tetragrammato: & ideo Josua pronus eum adoravit, quod non fecisset si merus Angelus fuisset. Saltem Angelus creatus hoc non fuisset passus, ut ex aliis Scripturæ locis colligere possumus. Adoratio etiam civilis est usitata olim Orientalibus populis. Vide sequentia.

14. *Non*] Respondet ad alteram partem interrogationis, *Non sum pro adversariis, aut à parte ipsorum: neque etiam sum vir, ut existimas, sed Princeps*, &c. Quidam plenè ipsum respondere censet, *Non sum nec ex Israele, nec ex adversariis, sed sum Princeps*. Senes vertunt αὐτῷ *ei*, i. לו; quo sensu לא quindecies accipi notatum à Massorethis. ¶ *Princeps exercitûs Domini*] Videndus R. S. hoc loco. *Summus Imperator exercitûs Domini*. Qui inter alios duces primum locum obtinet. LXX ἀρχιστράτηγος δυνάμεως Κυρίου, quod reddunt, *Princeps militiæ virtutis Domini*: ἀρχιστράτηγος *princeps militiæ*, δυνάμεως autem *virtutis*, h.e. *exercitûs*. Sic *Dominus virtutum*, i. exercituum: &, *Virtutes cœli commovebuntur*, i. exercitus cœli. Jon. *Ego sum angelus missus à coram Domino*. Hunc Michaelem fuisse putant, qui populi Judaici Princeps erat. Nam unaquæque gens proprium & peculiarem Angelum habet, qui eam custodiat, Hier. Zach. 1. 8. ECCE VIR ASCENDENS SUPER EQUUM RUFUM. *Hunc Ebræi Michaelem Angelum putant, qui ultor iniquitatum & peccatorum sit Israel*. Sunt qui per Michaelem in utroque Federe ubique Christum significari censent. Quibus favet, quòd Michael vocetur ab Ebræis *Pontifex cœli, offerens preces justorum Deo*, Manah. 131. 3. imò *animas justorum offert*, ibid. *Pontifex* etiam vocatur in libro Aboth, 84. 2. Hunc Angelum dicunt apparuisse Balaamo, eundémque populi σωτῆρα fuisse, Theodoretus in Num. quæst. 42. Liber qui inscribitur *Munus novum*, 84. 2. *Michael pontifex supernus offert animas justorum*. רמ״הק *Principium*

pium sapientiæ 11. 2. ex Zohar, *Michael sacerdos supremus est qui offert animas justorum.* Hic *Mosi apparuit in Rubo*, Manahem 80. 2. de quo M. Ger. *Iste*, inquit, *Angelus*, *si rem ipsam dicamus*, *est Angelus redemptor*, *de quo scriptum est*, *Quoniam nomen meum in ipso est*, &c. *Vocatur autem Angelus quia mundum gubernat*, &c. Quæ invenies apud Masium, pag. 1539. Vide, si vacat, & quæ ex vetusto commentario Thanchuma ibi adducuntur. Cæterùm ut dem Angelum increatum aliquando vocari Michaelem, ità nego semper id fieri. Nam Apoc. 12. *Michael & angeli ejus pugnant pro Agno*, qui Christus est. *Archangelus* vocatur Judæ 9. Vocatur *unus ex principibus primis*, Dan. 10. 13. Vocatur *Princeps Judæorum*, Dan. 10. 21. *Nemo se firmavit mecum contra hos nisi Michael princeps vester.* Verba sunt Angeli ad Danielem, qui Judæus erat & gente & tribu etiam, Dan. 12. 1. *Michael qui stat pro filiis populi tui.* Videndus R. S. Jes. 5. 14. & Masius ad h. l. Christus vocatur *Angelus federis*, & *Angelus magni consilii*, & *Angelus redemptor*, & *Michael*, & *Pontifex cœli* (quod etiam dicitur de Michaele). & *Princeps exercitûs Domini*, qui est exercitus Israel, ut sit *Domini* pro *populi Domini*. Sic *mons Domini*, *domûs Domini*; *claves David*, *domûs David*. *Exercitus Domini* vocatur exercitus Israel, qui sunt populus Domini. Nihil certius. Manahem 145. 3. Reliquæ terræ habent Principem: sola terra Israel, quæ in medio habitabilis, non habet. Expende. Aut *exercitus Domini* & *exercitus Israel* convertuntur & synonyma sunt, ut *populus Domini* & *populus Israel*. Licet etiam exponere *Princeps exercituum Domini*, ut sit sing. pro plurali. *Exercitus Domini* sunt omnes creaturæ tam cœlestes quàm terrestres, unde *Dominus exercituum*. Sed *exercitus Domini* vocantur 12 tribus Exod. 12. 41. כל צבאת יהוה. ¶ *Adoravit*] Civiliter? an eo modo quo Deum adorare solemus? Civiliter Angeli adorari possunt: aliter non. Si hic Angelus fuit increatus, ut apparet ex c. 6. 2. nam ibi vocatur יהוה, adorari potuit. Tob. *unus ex septem angelis qui offerunt preces Deo.* Vide Liram. Zach. 4. 10. Angelus à Johanne adorari non vult, Apoc. 19. 10. & 22. 9. Nec holocaustum sibi offerri vult, Jud. 13. 16. ¶ *Quid Dominus meus*] Ut hic Josua Angelum federis, h. e. Messiam, vocat *Dominum suum*, sic David Psal. 110. 1. Christum vocat *Dominum suum*, inquiens, *Dixit* Dominus *Domino meo*.

15. *Solve calceum tuum*, &c.] Rationem reddit cùm ait, *Locus in quo stas sanctus est.* Quare sanctus? quia Deus eum præsentiâ suâ sanctificavit. Nam apparitio Divina sanctificat locum, ut videre est Exod. 3. 5. & Act. 7. 33. An etiam Angelica? Si purè angelica, non: Si angelica Divina, ut cùm Angelus increatus apparet, videtur. Imò hic locus docet Principem exercitûs *Domini* Deum verum fuisse, ut aliâ probatione non sit opus. ¶ *Sanctus est*] Imò *sanctitas*; quod ἐμφατικώτερον. Hinc est quòd Mahumedis sectatores cùm suas Moscheas intrant calceamenta exuant. Vide Bartholomæum Georgiomets De Turcis. Hanc ceremoniam, ut M. Ger. prodidit, Judaici populi Sacerdotes deinceps perpetuò usurparunt in Templo ministrantes, aut sacris operantes. Et sanè etiam nunc apud plerasque Orientis nationes piaculum est calceato pede templorum pavimenta calcasse.

IDEM.

1. עַל הַיָּם. Th. παρὰ τὴν θάλασσαν, *juxta mare.*

4. וְזֶה הַדָּבָר אֲשֶׁר מָל יְהוֹשֻׁעַ כָּל הָעָם הַיֹּצֵא מִמִּצְרַיִם הַזְּכָרִים כֹּל אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה מֵתוּ בַמִּדְבָּר בַּדֶּרֶךְ בְּצֵאתָם מִמִּצְרָיִם: Alius, Καὶ οὗτος ὁ λαὸς ὃν περιέτεμεν Ἰησοῦς· πᾶς ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος ἐξ Αἰγύπτου, τὸ ἀρσενικὸν πάντες ἄνδρες πολέμου, οἳ ἀπέθανον ἐν τῇ ὁδῷ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ἦσαν, *Et iste populus quem circumcidit Jesus*, *omnis populus profectus ex Ægypto*, *masculini generis*, *omnes viri bellici*, *qui mortui fuerant in via cùm egressi fuissent ipsi ex Ægypto*] Ὁ λαὸς, העם. In fonte הדבר ὁ λόγος. ¶ *Jesus*] Josua, sive Josue.

5. כִּי מֻלִים הָיוּ כָּל הָעָם הַיֹּצְאִים וְכָל הָעָם הַיִּלֹּדִים בַּמִּדְבָּר בַּדֶּרֶךְ בְּצֵאתָם מִמִּצְרַיִם לֹא מָלוּ. Idem, ὅτι περιτετμημένοι ἦσαν καὶ πᾶς ὁ λαὸς οἱ γεννηθέντες ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ ὁδῷ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου οὐ περιετμήθησαν, *Nam circumcisi fuerunt*, *& omnis populus qui geniti sunt in deserto in via cùm egrederentur ipsi ex Ægypto non fuerunt circumcisi.*] *Nam circumcisi fuerunt*] Desiderantur hæc verba, *omnis populus qui egressi fuerant.* Quæ Græcè dicas, πᾶς ὁ λαὸς οἱ πορευόμενοι, ἤτοι ἐξελθόντες.

7. עֲרֵלִים. Th. ἀκρόβυστοι, *præputiati*] i. Præputium habentes, ἀπερίτμητοι, *incircumcisi.*

GROTIUS.

3. *Circumcidit filios Israel*] Boni principis est ritus intermissos revocare. Vide 2 Reg. 23.

7. *Horum filii in locum successerunt patrum*] Adepti sunt ea promissa quibus patres exciderant.

8. *Donec sanarentur*] Vide Gen. 34. 25. μετὰ χαλεπῶν ἀλγηδόνων, Philo περὶ περιτομῆς.

12. *Defecitque manna*] *Cessant extraordinaria ubi ordinariis locus est*, aiunt J C.

13. *In agro urbis Jericho*] Bene explicavit quod in Hebræo est *in Jericho*, i. apud Jericho. Sic Luc. 13. 33.

14. *Sum princeps exercitûs Domini*] Michael, Dan. 12. 1.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. *Clausa obserata*] Ponuntur hic duo participia ab uno verbo, unum scilicet in Kal neutrum, alterum in Piel passivum. Et est sensus, Erat urbs clausa, & diligentissimè clausa. Jon. verò sic vertit, *Erat clausa portis ferreis*, *& munita repagulis æneis.*

4. *Arietinas*] Exponit Chald. interpres יובלים pro קרן דיכריא *cornu arietum.*

5. *Murus civitatis*] Scilicet in illo loco ubi exercitus Israelitarum manebat. Non enim totus murus cecidit, cùm domus Rahab hæreret ad murum civitatis, & tamen non collapsa est.

9. *Cœtus collectus*] Hebr. *& congregans ibat post Arcam*: quod intelligunt de tribu Dan, quæ postremo loco incedens colligebat ignavos & tardiores quosque. Alii vertunt, *extremum agmen.*

15. *Septimus dies*] Hunc putant fuisse Sabbatum. Nec violarunt eâ die Sabbatum cùm incenderent civitatem, quando Domino in jussis suis paruerint.

17. *In exterminium*] Sive *in anathema*. Vocatur autem *anathema*, quod penitus aboletur: Et sic abolita est civitas illa ut nunquam reædificaretur. Omnes quoque facultates & opes ejus suppositæ fuerunt anathemati, ut nulli scilicet mortalium hinc commodum aliquod obveniret, nisi quòd metalla cedebant in usum tabernaculi.

20. *Subter se*] Jon. *Et cecidit murus civitatis*, *absorptúsque est infra se*, *nè ingressuris ullum esset impedimentum.*

23. *Pueri*] Vocat Hebraismus ministros quosque etiam si senes fuerint, *pueros.* ¶ *Dimiserunt eos extra castra*] Id fecerunt donec in lege Domini erudirentur, & Hebræorum ritus discerent.

25. *Permisit vivere*] Est verbum החיה ambiguum ad *vivificare* & *victum præbere.* Unde quidam hunc locum sic interpretantur, quod *Jehosua dederit illis alimoniam & hæreditatem in Israel.*

26. *In primogenito suo fundabit eam*] h. e. morientur omnes filii ejus interim quo exstruet hanc civitatem, à majori usque ad minorem; id quod tertius liber Regum c. 16. factum testatur.

VATA-

VATABLUS.

1. *Clausa erat diligentissimè,* סוגרת ומסוגרת] Ad verb. *Claudens, & clausa.* Duo participia feminina ab eodem verbo, quorum prius est activæ significationis, posterius verò passivæ, & conjugationis quam Hebræi vocant Pihel. Doctus inter Hebræos exponit, *Claudebat viros intra se, nè quispiam egrederetur civitatem: & claudebatur, nè quis ingrederetur.* Unde exponens quod dixerat, ait, *Non erat egrediens, neque ingrediens.* Vel idem geminat, ut indicet penitus fuisse clausam & cum summa diligentia.

2. *Vide, dedi,* ראה נתתי] *Attende, tradidi.* ¶ *Potentes exercitûs,* גבורי החיל] *Fortes virtutis,* i. vertute bellicâ illustrissimos.

3. *Eam semel,* את העיר פעם אחת] Antecedens pro relat. Heb. *circumdando eam semel,* singulis scilicet diebus.

4. *Tubas arietinas,* שופרות היובלים] Ad verb. *cornua arietum,* i. tubas factas ex cornibus arietum; tametsi quidam שפר *tubam,* sive *buccinam* exponant sed *corneam.*

5. *Protrahent* sonitum *cornu aretino,* במשוך בקרן היובל] *Prolixiùs clangent tubis arietinis.* ¶ *Sub se,* תחתיה] *In loco suo,* i. absorbebitur in terram. Sic v. 20. ¶ *Et ascendet,* &c. ועלו העם איש נגדו] i. Intrabit populus urbem, singuli per partem muri filo oppositam.

7. *Et armatus,* והחלוץ] Singul. Heb. pro plur. *armati,* i. tribus Ruben, tribus Gad, & dimidia tribus Manasse. Sic v. 9.

9. *Et congregans,* &c. והמאסף הולך אחרי הארון] *Congregantem* vocat tribum Dan, ut videre est Num. 10. 25, ubi sic legitur, *Proficisci insuper cœpit vexillum castrorum filiorum Dan, recolligens omnia castra per exercitus suos.* Chaldæus paraph. *& tribus familia Dan.* Alii vertunt, *& qui erant in extremo agminis, sequebantur arcam.*

11. *Circuivit itaque,* ויסב] *Circuire fecit itaque,* sub. *Josue,* i. curavit ut circuiret. ¶ *Et reversi sunt,* ויבאו] Ad verb. *& venerunt.* V. 14. legitur, *Et reversi sunt.* ¶ *In illis,* במחנה] *In castris.* Antec. Heb. pro relat.

15. *Cùm autem septimus,* &c. ויהי ביום השביעי וישכמו וגו'] Ad verb. *Et fuit in die septimo, & surrexerunt cùm ascenderet aurora.*

16. *Hac inquam,* &c. ויהי בפעם השביעית וגו'] Ad verb. *Et fuit vice septimâ, clanxerunt sacerdotes tubis: dixitque Jehosua,* &c.

17. *Sit autem urbs anathema,* והיתה העיר חרם] i. Prorsus deleatur ac perdatur. *Esse anathema* est prorsus deleri, perdi, destrui ac exterminari Vide Lev. 27. 21. ¶ *Jehovah,* ליהוה] i. In gratiam Jehovæ.

18. *Et ponatis castra Israel anathema,* ושמתם את מחנה ישראל לחרם] Hebraismus, *ne sitis causa perditionis castrorum Israel.*

19. *Sanctitas est Jehova,* &c. קודש הוא ליהוה אוצר יהוה יבוא] *Sanctitas sunt Jehova, in thesaurum Jehova deveniant,* i. tanquam consecrata Jehovæ, in ærarium ejus inferantur.

20. *Tubarum,* השופר] Singul. Heb. pro plur. ¶ *Sub se: tum,* &c. תחתיה ויעל וגו'] Vide v. 4. Chaldæus paraph. *cecidit murus civitatis, absorptúsque est infra se.*

21. *Desolaverúntque* ויחרימו] *Perdiderúntque.*

22. *Eam, & quæcunque habet,* האשה ואת כל אשר לה] Ad verb. *mulierem & omnia quæ ei.* Antec. pro relat.

23. *Familias ejus,* משפחותיה] *cognationes ejus,* sive *affines.* ¶ *Ac posuerunt eos,* ויניחום] *Ac collocaverunt eos,* &c. donec scilicet edocti essent Legem.

25. *Vivere fecit,* החיה] *Vivificavit,* i. servavit incolumia. Alii referunt ad victum, *assignavit eis victum, deditque eis unde vivere possent.*

26. *Adjuravit autem,* וישבע] Sub. *filios Israel.* ¶ *Qui surget, & ædificabit,* אשר יקום ובנה] i. Qui tentabit, studebit, conabitúrque instaurare Jericho. ¶ *In primogenito suo,* &c. בבכורו ייסדנה וגו'] *Cum primogenito suo jaciet fundamenta illius: & cum minimo liberorum suorum statuet portas ejus.* Hebraismus, Cùm incipiet eam instaurare, etiamsi tum multos liberos habuerit; cùm tamen finem imponet operi, paucos habebit, aut certè unicum vel potiùs nullum: h. e. evadet orbus, & privabitur liberis: quemadmodum accidit ipsi Hiel, 1 Reg. 16. 34.

27. *Fuit autem,* &c. ויהי יהוה וגו'] Hebraismus, *Adfuit autem Jehovah ipsi Jehosua, & fama ejus* sparsa *fuit per totam terram.*

CASTALIO.

4. *Septem tubas buccinas*] יובל adjectivum est, quo tubæ sonus notatur. Inde *Jubile* dictum est, quòd eo anno tubæ clangore libertas promulgabatur. Indidem *Jubilare* verbum Latinum videtur deductum. Ego, cùm melius non haberem, *buccinas* adjectivè dixi. Nam si *clangentes* pro *clanctoriis* (ut ità loquar) dixissem, ambiguitate non caruisset oratio.

CLARIUS.

5. *Et muri funditus corruent*] Scilicet in illo loco ubi exercitus Israelitarum manebat, non enim totus murus cecidit, cùm domus Rahab hæreret muro civitatis, & tamen non collapsa est.

9. *Reliquum vulgus*] Heb. *congregans ibat post Arcam.* quod intelligunt de tribu Dan, quæ postremo loco incedens colligebat ignavos & tardiores quosque.

15. *Die autem septimo*] Hunc putant fuisse Sabbatum. Nec propterea violarunt eâ die Sabbatum cùm incenderent civitatem, quando jubenti Domino paruerunt. Tu verò interea ipse per te (nam huic operi illud tantùm propositum est, iis locis quæ in litera videntur difficiliora lucem aliquã afferre) & hic & in ejusmodi Scripturæ locis memineris interdum à litera attolli, & cogitare necessariò magna hîc latere mysteria: Alioqui quid necesse fuit sex diebus circuire semel, septimo verò septies, ídque cum sacerdotibus, qui septem tubas ferrent, eásque arietinas, quarum erat usus in jubileo? Et invenies hæc in spirituali, h. e. Christi, regno spiritualiter impleri ab his qui in illam veram Terram viventium introire contendunt. *Hæc* enim *omnia* (ait Theologorum Magister Paulus) *contingebant illis sub figura.*

17. *Sitque civitas hæc anathema*] Vel, *in exterminium.* Vocatur autem *anathema,* quod penitus aboletur: Et sic abolita est civitas illa ut nunquam reædificaretur. Omnes quoque facultates & opes ejus suppositæ sunt anathemati, ut nulli scilicet mortalium hinc commodum aliquod obveniret, nisi quòd metalla cedebant in usum tabernaculi.

23. *Extra castra Israel*] Id fecerunt donec in lege Domini erudirentur, & Hebræorum ritus discerent.

25. *Fecit Josue vivere*] Est verbum Hebræum ambiguum ad *vivificare* & *victum præbere.* Unde quidam hunc locum sic interpretantur, quòd *Josue dederit illis alimonium & hæreditatem in Israel.*

26. *In primogenito suo*] h. e. Morientur omnes filii ejus interea dum exstruet hanc civitatem, à majori usque ad minorem.

MASIUS.

1. *Jericho autem concludebat, & occlusa erat,* &c.] Sic interpretandum esse *occludendi* verbum hoc loco ut ego sum interpretatus, cùm ipsæ quibus aliter atque aliter inflexum est formæ postulant, tum illud quod subjicitur, *Nemo egrediebatur, aut ingrediebatur,* declarat. Est enim, ut ego autumo, hoc illius ἐξήγησις atque explicatio; ac si dicat, Tam acribus vigiliis custodiísque septam munitámque fuisse urbem ut & cives suos ità includeret ut nemo omnium emitteretur, & hostes sic excluderet ut nè quà se in ipsam insinuare possent. Concludebat ergò suos cives, præclusa autem erat Israelitis hostibus. Chaldæus utrique verbo patiendi notionem attribuisse videtur, atque etiam Græci,

Græci, quos Latinus, ut libenter solet, est secutus. Nimirum existimavere isti geminationem verbi acriores custodias, vigilias munitionésque significare, quod Chaldæus etiam dilucidè explicavit: reddidit enim totum locum παραφραστικῶς his pluribus verbis, *Erat autem Jericho occlusa foribus ferreis & obserata vectibus aheneis ante filios Israel. Non erat qui exiret ex ea, neque qui intraret in eam. Non erat qui exiret ex ea ad pugnandum, neque qui intraret ad paciscendum de pace*, sic enim habet MS. exemplar Complutense quod penes me est. Arbitratus est ille scilicet suas cuique *claudendi* verbo claustrorum machinas & obices respondisse. Est autem iste versiculus opportunè admodum interpositus ei narrationi quæ de illo viso erat instituta, dilucidè enim ostendit cur novâ istâ confirmatione eguerit Imperatoris animus. Nimirum recentibus illis Dei promissis, suprà cap. 1. *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi*, &c. *Non consistet quisquam adversùs te*, istis, inquam, magnificis Dei promissis parùm videtur esse consentaneum quòd hæc tam firmis prima urbs custodiis & munitionibus operibúsque clausa atque septa se fortiter tuetur. Etenim quàm facilè humanus animus quantâvis certâ fiduciâ suffultus labascat despondeatúrque cùm res adversùs exspectationem ire incipit, quisque de se conjicere potest. Et fortassis complusculos jam dies obsessa urbs, atque oppugnationibus aliquot frustrà fuerat tentata, ut esset tantò illustrius Dei subsidium quod mox audiemus, utque planè intelligerent omnes à Dei gratia atque potentia Chananaici istius belli successum eventúmque pendere. Nam Josuæ animum, quamvis fortissimus esset Imperator & procul dubio egregiâ præditus audaciâ, parùm tamen constantem firmúmque fuisse adversùs incommodos rerum successus, res ipsa declarabit apud Haienses infeliciter primùm acta, cùm tamen jam tum ex Jerichuntina admirabili victoria animos majores sumpsisse debuerat. Quamquam illa ejus affectio non timiditas & ignavia sed sancta quædam solicitudo fuit, ut suo loco explicabimus. Ad hæc, illustrant mirabiliter istæ tam acres & vigiles urbis custodiæ atq; amplificant miraculum quo mox Dei solo nutu capietur, quippe quæ omnem proditionis suspitionem longè submovent, quando clandestina consilia inter se conferre nulla hostes oppidaníque possunt. ¶ Porrò illud, *Propter præsentiam filiorum Israel*, argumentum esse videtur securitatis Jerichuntiorum, quâ ante Jordanis trajectum non nisi ingruentibus tenebris claudebant portas, ut in Speculatorum historia suprà 2. 5. audivimus. Aut significat circumsessum esse jam oppidum ab hoste, quamquam quæ in Galgalis posita fuere castra illud obsidione satis arctâ premebant, ut antè diximus: erant enim in conspectu urbis.

2. *Porrò Dominus ait ad Josuam, Vide, tradidi in manum tuam*, &c.] Qui se paulò antè *Principem exercitûs Domini* nominabat, nunc יהוה *Jehova*, quod Divinæ essentiæ nomen est, vocatur. Nimirum idem unus est Deus qui & est *omnia in omnibus*, 1 Cor. 15. 28. & *omnia in omnibus efficit*, 1 Cor. 12. 6. verùm quâ Mediatoris personam tenet, h.e. reconciliandi nos Deo Patri curationem habet, quodammodo administrum se Patris esse profitetur, eíque sua omnia accepta refert. Atque ad hunc modum Divinæ operationes non rarò in S. literis per nominum Dei mutationem occultè tectéque distinguuntur varietate Personarum. Nam ut alterum locum huic nostro parùm dissimilem exempli causâ ostendam, Deus in Exodo, 3. 15. ad Mosen cùm dixisset primùm, *Sic dices filiis Israel*, אהיה, h. e. *Is qui perpetuò exsistit, misit me ad vos*, mox subjicit, *Sic dices filiis Israel*, יהוה *Jehovah, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, misit me ad vos*. Prius enim illud אהיה ad Divinam essentiam, quâ ab omni æternitate in se beatus ille exsistit, spectat. Cùm verò deinde se *Deum patrum*, *Abrahami, Isaaci, Jacobi* nominat, evolvit se illis suæ Divinitatis integumentis, atque bonitatis & beneficentiæ suæ inexplicabiles illos thesauros ostendens, quibus gratuitò mortales complexus salutari fœdere eos sibi consociavit, Filii & Mediatoris personam induit. Cæterùm si quis cum Judæis, imò etiam nostris, opinari malit, fuisse è cœlitum beato choro Angelum quempiam, non Dei Filium, qui hîc Josuæ occurrit aspectabili specie, potest is dicere, aut nomen legantis esse legato impositum, auctoritatis gratiâ, quâ opus erat sanè maximâ, ut absurdissimis specie consiliis jussísque fides adjungeretur atque obsequium; aut illum exercitûs cœlestis Principem, ubi se Josuæ tanquam præsentem propugnatorem exhibuisset, animósque addidisset, evanuisse, ac tum evestigio hæc effata non auribus Josuæ, sed menti inflatu Divino esse illapsa, quo modo antè c. 1. 1. explicavimus Deum cum viris piis colloqui sæpe solere. ¶ Porrò mandativum verbum *Vide* excitantis est, ut aliàs sæpe *Ecce*; &, nisi fallor, arguit labascentem jam sensim Imperatoris spem atq; fiduciam. Videtur enim dare significationem victoriæ si non prorsus desperatæ at certè insperatæ atque inopinatæ. Sic enim solet Deus opem atque auxilium suum plerumque in ipso rerum summo discrimine de improviso proferre; nempe ut nos adversùs extremam desperationem durare doceat; & simul ut Divina ejus potentia cum nostra imbecillitate propiùs collata appareat luculentior; eóque pietate majore eam nos amplectamur. Mirè enim animus noster perpetuò est ad assumendum ea sibi quæ Deo tribuenda sunt propensus: quod quia gravissimum est flagitium, & idolorum cultui simillimum, aut geminum potiùs, ut antè diximus 5. 14. nusquam non ab eo avertere nos multis modis conatur Spiritus S. à quo S. historia est dictata. Et hinc est quòd hoc loco non ait Deus, *En ego tibi opem feram ad expugnandam Jerichuntem*, sed, *Ego tradidi eam in manum tuam*. Solidam enim victoriam sibi ipse assumit, sic tamen ut communicare eam cum Josua se velle profiteatur, modò ut ille se ad ipsius nutum ductúmque accommodet. Currendum quidem nobis est per præscriptum designatúmque à Christo stadium, ut brabium ab ipsius benigna manu accipiamus: Verùm illud brabium amplissimum, atque in quo æternæ gloriæ & beatitudinis fructus est positus, non nostrâ virtute sed illius sanguine comparatum est; neque nostro cursui aliter quàm ex gratuita ejus benignitate, quæ Divinis ipsius promissis fixa fundatáque est, debetur. Theologi quod dico totum paucis conficiunt verbis, cùm aiunt, Omnem salutis nostræ causam in Deo constare ut effectore, sed interim à nobis requiri fidem quæ per caritatem ea operetur quæ sint illius voluntati consentanea atque ad ductum cœlestis gratiæ accommodata, quò illam ipsius efficientiam suscipere & quodam modo per liberi nostri electionem arbitrii adjuvare possimus. Neque enim, ut ad Jerichuntinam victoriam redeamus, si Josua facere ea neglexisset quæ præscribit Deus, quibúsq; actis ruitura mœnia promittit, cùm faciendi etiam facultatem ille accepisset, aut concidissent muri, aut oppido ipse potitus fuisset; tametsi illæ ejus actiones re ipsâ murum non impulere, neque ejus casum efficienter præcessere. Clamant quidem nunc omnes, victoriam omnem a Deo esse: Sed utinam, ut hoc se sapere atque intelligere præ se ferunt verbis, ità & re ipsâ quoque ostenderent; Profectò non tam funestis bellis concuteretur orbis terrarum, & esset major religio in vulgi animis, cùm à Dei consiliis dependerent, & quæ ille mandaret, non quæ sua cuique dictaret libido, ea sequerentur. Sed hæc hactenus. ¶ *Jericho* hîc non urbem sed civitatem significat, cùm Jericho & ejus Rex *viri fortes* dicuntur. Verùm Latinus videtur secùs existimare, quando copulam interponit; quæ tamen nulla est in Hebræo. Quam opinionem habet etiam R. Isaias, vir sanè eruditus. Cæterùm quòd Jerichuntii nominantur *viri fortes*, amplificat Dei victoriam, cujus consilio nulla fortitudo, nulla vis potest obsistere, cùm sit inevitabile. Neque verò istorum hominum fortitudo, quæ nunc prædicatur, fidem abrogat verbis Rahabæ, quæ abjectissimis omnes totâ regione animis esse dixerat, cùm hostis etiam tum citra flumen castra haberet. Erant enim Jerichuntii naturalis cujusdam audaciæ & fortitudinis viri, hominésque bellicosi; at jam pridem pavore quasi panico perculsi Divinitus stupebant. Variis enim certè pugnis alioqui Israelitas

elitas exagitassent priùs quàm obsideri se atque includi mœnibus passi fuissent.

3, 4. *Nam circuibitis urbem omnes viri militares, cingenda urbem,* &c.] Ceremonia quam præscribit Deus istis versibus proximis, tertio, quarto, quinto, hujusmodi est. Jubet ut diebus septem circumeant urbem Israelitæ, senis quidem diebus vicibus singulis, at die septimo septenis circuitionibus, fore promittens ut tum muri concidant aditúmque in urbem patefaciant: Ad hoc, ut Arcam circumferant, eámque septem Sacerdotes præcedant, buccinis continuò canentes; reliqua turba taceat, usque dum ululandi signum detur. Ista est oppugnandæ urbis universa à Deo commonstrata ratio; nimirum talis ut planè intelligere omnes debeant, & fateri cogantur, solius Dei virtute atque potentiâ vinci hostes; quando illæ actiones, si ex se ipsæ judicentur atque æstimentur, non autem ex Dei jussu & voluntate, Ludionum ludibria potiùs censeri debent quàm bellatorum stratagemata. Et profectò, si verum dispicere animi nostri possint, penè par ratio est in omnibus nostris operis, iis etiam quibus cœlestis regni præmium nos consecuturos promittit is qui fallere non potest. Quæ enim, quæso, illa vis est quâ violenti rapiunt illud, si modò nulla Dei jussa cum promissis conjuncta esse fingas? Quo, obsecro, vel summa atque liberalissima nostra studia aut officii aut beneficii genere obligare nobis Deum queant, qui αὐτάρκης neque bonorum nostrorum eget, neque nostra ad illum beneficentia pertinere ullo modo potest? Psal. 16. 2. Sed ea est Dei erga miseros mortales gratuiti amoris benignitatísque immensitas, ut & si planè nihil nobis sit quo gratos ulla ex parte nos præstare valeamus, nedum ejus demereri nobis benevolentiam, quippe qui nihil habeamus à nobis ipsis nisi vitiositatem & pravitatem, tamen ipse ultro nobis commonstrare gratificandi sibi modos, & insuper iis utendi cùm voluntatem tum facultatem suppeditare dignetur: Quorum omnium una ratio posita in eo est ut ipsius Divinæ voluntati obsequamur. Quare stultissimum, nè dicam impium, mihi videtur, in ea sacra ceremoniásque & ritus colendi Dei, quos à majoribus nostris in Ecclesia sanctissimis Deóque probatissimis viris traditos habemus, inquirere curiosiùs; quando nulla causa afferri potest ob quam Deus ullam nostram operam alicujus pretii deputet, præter solam ipsius clementissimam voluntatem. Laudanda ergò est maximè nobísque imitanda Josuæ & populi obedientia, qui tametsi ineptissima absurdissimáque oppugnandæ urbis munitissimæ ratio præscribi à Deo videretur, tamen nihil cunctantes, sed summâ securitate in illius consilio recumbentes, rei ut videbatur ludicræ seriò & sedulò operam dant, certâque fide promissum eventum non frustrà exspectant. Copulam quæ est in tertii versiculi principio reddidi per causalem, ut vocant, particulam, *Nam*. Sæpe enim litera ו *Vau* non tam res ipsas conjungit quàm orationi continuandæ servit. Debet autem illa ejus iteratio, *Et circuibitis urbem, & corruet murus*, sic resolvi, *Simul atque circuiveritis urbem, corruet murus.* Est enim illius modi Hebraismus frequens in S. literis, ut per geminatam copulam alterum ex altero consequi significetur. Sed hoc semel monuisse sat esto. ¶ Porrò quod Hebraicè est פעם אחת, nósque convertimus *semel*, id Aquilas reddidit μιᾷ ὁδῷ *unâ viâ*, Symmachus μιᾷ μεθόδῳ *unâ circuitione*; quia positio פעם apud Hebræos *gressum* aut *incessum* significat. Hoc enim adverbium *semel* cùm apud multas nationes simplici vocabulo careat, conjunctis vocibus ab aliis aliter repræsentatur. Hebræi igitur pro *semel* dicunt *uno progressu*; similiter atque Italorum vulgus, *una volta*. Latinus interpres, nisi corruptus olim est hic locus, quarti versiculi prius membrum, quod cum superioris versiculi sensu implicitum & cohærens est, disjunxit, sícque est interpretatus quasi septimo solùm die Sacerdotes debeant tubis canere. Quod longè secùs esse cùm ipsa verba sacra tum res acta clarè ostendit. ¶ Cæterùm *buccinæ jubilorum* vocantur Hebraicè שופרות היובל, quod est ac si *tubas jubelis* dicas. Aquilas interpretatur *tubas remissionis*. Et R. Abraham Ezdræ F. quoque opinatur יובל *Jobel remissionem* significare; quia eo anno qui *Jubilæus* vocatur remissio debitæ servitutis dari servis solebat. Sed Nehemannus, & post eum Bahaiaus, existimant *Jobel aditum* sive *accessum* dici, à verbo יבל; annúmque *Jubilæum* indè esse nominatum quòd eo ad suam cuique hæreditatem, quam antè vendidissent, reditus pateret & accessus, ut servis quoque ad suam libertatem. At Doctores Hebræi cùm aliis in locis tum Tractat. ראש השנה ubi de anni initio disceptant, c. 1. tradiderunt, apud Arabas Arietem vocari יובל *Jobel*. Id Judæi plerique, nullo suo adhibito judicio, ratum habent. Tanti est apud eos illorum hominum auctoritas scilicet. Atque hinc est quòd & Chaldæus & Symmachus reddiderint *buccinas arietinas*. Quin mysterium insuper illi in arietina buccina esse docent. Hoc enim cornuum genus læto & fausto illo anno quinquagesimo usurpari solere aiunt ut & memoriam liberati Isaaci per suppositum arietem referret, & simul spe libertatis eo exemplo adumbratæ, quâ libertatem olim Israeliticus populus per cornua arietina sit recepturus, animos omnium recrearet. Hæc enim in eo libro qui בראשית רבה *Bereschit rabba* inscriptus est bene multis verbis prodita sunt. Neque sanè abs re, si rectè intelligantur, ut rectè dicta de eo Ariete qui *coram tondente se nihil mutivit*, Isa. 53. 7. & *qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. 29. Sed ut meam ego opinionem non dissimulem, vox יובל *Jobel* prisca mihi visa est, atque indè à primo musicorum instrumentorum deducta inventore Jubal; sicut etiam Latinorum vocabula *jubilo* & *jubilum*. Ac voces quasque canoras illas quidem & grandes, sed rusticas, duras & agrestes, quasique ululantes significare puto; quales inchoata illa sed non perfecta primi artificis instrumenta edebant, h. e. quales sunt tubarum & buccinarum rauci clangores: quanquam non ignorem apud Varronem *Jubilum* esse *rusticam quiritationem*. Annum autem remissionis, Levit. 25. 9. ideo *Jubilæum* esse vocatum autumo quòd eum, ut festum & solennem, hujusmodi clangoribus longè latéque diffusis indicere Sacra lex jusserit. Nam qui יובל *Jobel* aut *remissionem* aut *aditum* sive *accessum* interpretantur, nullo id exemplo, nisi fallor, faciunt. Et quòd Doctores Hebræi ab Arabibus suæ linguæ vocabulum repetunt, in eo admodum incertâ niti conjecturâ mihi videntur. Satis quidem apparet ex S. verbis buccinas istas cornua fuisse, non argenteas illas tubas quas Moses Deo jubente, Num. 10. 2. dudum conflari fecerat. Sed profectò non fuisse arietina cornua est vero simillimum, cùm hæc solida tota sint, buccinam verò cavam esse oporteat ut inflari possit. Sed hîc Marcion inconstantiam in Deum ingerit ore impio, ut qui antè severissimè edixerit Sabbatis esse quiescendum, nunc verò etiam Sabbato circuire urbem cum Arca & cornibus imperet. Nam in septem dierum numero Sabbatum est. Verùm respondet Tertullianus l. 2. *Sabbato die opera humana prohiberi, non Divina. Esse autem Divina quæ Dei jussu fiant.*

5. *Et quando productiore sono inflabunt cornu jubili,* &c.] Omnium ferè interpretum sententia est, verbum משך, quod ego converti *productiore sono inflare*, id, inquam, verbum singularem quendam tubæ clangorem significare, utpote tardiorem & longiùs productum, qui solâ septimâ vice die septimo unicâ tubâ editus signum dederit populo ululandi atque ingentes excitandi ἀλαλαγμούς. Similiter atque nunc aliis numeris miles ad pugnam cietur, aliis à pugna revocatur ad receptum. Propriè enim משך *trahere* est. Cæterùm cùm Hebræi ex libro Numerorum c. 10. duplicem clangorem esse statuant, alterúmque vocari תקיעה, alterum תרועה, quorum ille æquabilis sit vox, hic citus concisúsque fragor; ille ad convocandos cœtus, hic ad accendendos militum pugnandi cupidine animos faciat; denique (quod à Cabbalistis Philosophis est traditum) ille ad misericordiam & clementiam, hic ad rigidam justitiam spectet; videtur Latinus præsentem clangorem quasi tertii mixtíque generis sonum ex ambobus illis temperatum putare, dum vertit, *vox tubæ longior atque concisior*, quod video à quibusdam Judæis quoque pro-

probatum esse. Sed ego, cum LXXII, autumo verbum illud משך simpliciter usurpari pro תקע; neque singulari quopiam cantu signum ululandi populo datum esse, ut ad v.16. explicabimus. Cæterùm vocabulo תרועה, quod à verbo רוע formatum est, subjicitur non solùm concitatus fractúsq; strepitus buccinarũ, & aliarum rerum animâ carentium fragor, sed etiam populi clamor, præsertim quando illi lætam animi sui affectionem sublatâ voce tumultuariâ testantur: quem clamorem Græci ἀλαλαγμὸν etiam hoc loco vocant: Cæsar verò *ululatum* dixit. ¶ Porrò illud, *Cadétque murus urbis subter se*, sive *loco suo*, Chaldæus sic explicavit, *Cadétque murus urbis, & absorbebuntur mœnia ejus.* Et hinc plerique Judæi ad eam veniunt opinionem ut statuant murum Jerichuntis non esse collapsum, sed desedisse, terrâ dehiscente. Hanc autem opinionem omnem esse à Doctoribus Hebræis profectam suspicor. Isti enim libro ברכות, h.e. *De benedictionibus*, c.9. sub initium, his utuntur verbis, *Quisquis viderit murum urbis Jericho absorptum, debet ille faustâ precatione uti. Atqui non absorptus sed collapsus esse scribitur. Scribitur id quidem; sed quando latitudo & altitudo ipsius etiam tum sibi constitere, conficitur, absorptum, non collapsum fuisse.* Hæc illi. Sed quibus, quæso, argumentis aut conjecturis efficiant latitudinem altitudinémque muri salvas mansisse sub terrâ? Verùm nihil est istis hominibus vanius futiliúsque. LXXII pro *subter se* dixerunt αὐτόματα, h.e. *suâ sponte*, nullâque impellente machinâ aut impetu: cui interpretationi subscribit Aquilas. Sed quod ego reddidi cum usitata verborum significatione magis congruere mihi visum est. Sed quid Rahab factum esse dicemus? quam aut in gurgustio quod ipsis urbis mœnibus esset immolitum atque inædificatum, aut in mœnium fornice habitare dicebamus suprà 2.15. Non enim potest ipsius habitatio simul cum urbis muro esse collapsa, cùm pòst à suis illis hospitibus speculatoribus illa indè educta esse memoretur. Fortassis hæc ratio Josephum movit ut illius domunculam non in muro sed propè collocaret. Verùm ea res non habet, ut videtur, explicatum tam difficilem ut S. verba ejus causâ ad alienas interpretationes debeant detorqueri. Non enim universa per ambitum mœnia corruisse dicentur: &, ut hoc demus, tamen ædes quæ alienis muris hærent non continuò cum illis corruere est necesse.

6. *Igitur Josua filius Nun inclamavit sacerdotes, & ait*, &c.] Josua planè nihil dubitat aut hæsitat: Neque Dei oracula, quamvis ab urbis expugnatione, ut videbantur, absurda atque aliena, suis ratiocinationibus pertractat, aut de eis ità interpretatur ut aliquâ ratione meliùs ad promissum eventum ipsa accommodare velit quàm pro vi verborum accommodata esse videbantur; sed quod apertè præ se ferebant, id credendum sibi atque accuratè exsequendum esse statuit. Hanc ergò viri sanctissimi in adjungenda fide Divinis effatis religionem nos quoque imitemur: Nihil nostris rationibus nostróque judicio in illis metiamur, sed mente simplici acquiescamus in iis sensis quæ nobis sanctorum Patrum auctoritas explicavit, Ecclesia approbavit, vetustas roboravit; Dei voluntate, consilio, potentiâ confidentes, eum quæcunque loquitur facilè etiam præstare posse, & omnino esse præstiturum, cùm sit ipsa veritas.

7. *Dixit præterea ad populum, Pergite, & circuite*, &c.] Est in quibusdam libris scriptum, *Dixerunt ad populum*; quasi Imperator unà cum Sacerdotibus ad se vocatis verba ista ad populum faciat. Sed Chaldæus & Latinus numerum singularem expresserunt. Quid autem LXXII, non satis certum est. Est enim istorum tralatio hoc loco nimis confusa. Non audivimus Deum cùm præciperet aliquid de *succinctorum & claudentis agmen* discreto ordine in pompa, quem ordinem modò ab Imperatore institui videmus; & tamen ista ad verba Dei additamenta, cùm eò spectent ut illustrior augustiórque Divinus hic evadat triumphus, & majore omnium animos religione afficiat, adeò non displicuisse Deo, ut etiam vehementer grata fuerint, ipse exitus docet. Quod propter non video cur à multis tam petulanter rideri debeat omnis in templis Dei ritus atque apparatus non disertè præscriptus à Deo, si quidem ad excitandam pietatem utilis sit. Incertum est an populus universus circuire urbem debuerit, an verò soli milites. Mihi vero similius esse videtur, debuisse quidem milites omnes ire circum urbem suo quique ordine: nam id ut fieret jubebat Deus v.2. at in reliqua plebe permissum cujusvis voluntati fuisse ut aut Arcam subsequeretur aut in castris maneret. De verbo חלוץ dictum satis est c.1.14.

8. *Et fuit cùm loqueretur Josua ad populum*, &c.] Mirifica profectò & Sacerdotum & populi obedientia nobis ante oculos hîc ponitur, qui simulatque Imperator loqui incipit se comparant ad parendum, itàque avidi capessunt jussa ut simul & audire ea & facere videantur. Et qualia tandem jussa? certè quæ absurdissima videri poterant cordato cuique, præsertim ignoranti à quo auctore essent profecta & quorsum spectarent. Nam tum demum videtur Josua illis Dei consilium patefecisse cùm postrema instaret circuitio, ut dicemus ad v.16. Sed recens fluminis miraculum reddebat homines, cæteroqui refractarios, obsequentiores. Et simul ipsa præsens rerum necessitas in belli faciendi initio tentare omnia suadebat; nè si primam urbem frustrà circumsiderent diu, pereundum esset fame atque inopiâ rerum omnium.

9. *Et qui succinctus erat ibat ante sacerdotes*, &c.] Opinantur quidam *succinctos* dici Rubenitas, Gaditas & tribum dimidiam Manassitarum, quos c.4.12,13. memoravimus succinctos armis processisse. At מאסף, h.e. *eos qui agmen claudebant*, arbitrantur fuisse Danitas. Sic enim ista tribus in Numeris 10.25. appellata est; idque hoc loco expressit suâ interpretatione Chaldæus. Danitæ enim *postrema*, ut loquitur Virgilius, *coercebant*, & præcedentia signa veluti ante se cogebant, cùm essent postrema acies; atque eos qui necessitate quapiam suos ordines reliquerant excipiebant. Græci aptissimo vocabulo οὐραγοῦντας dixerunt, h.e. *agmen extremum*, & veluti *exercitûs caudam, claudentes*. Alii existimant, quotquot ex quavis tribu armis instructi ornatíque essent, eos ante Arcam incessisse; inermes verò, & qui è vulgo unà circuire volebant, eos Arcam esse secutos. Et hanc opinionem habuit, ut videtur, Latinus; atque etiam fortassis LXXII: nam & hi verbum מאסף convertunt tandem, ὁ λοιπὸς ὄχλος, h.e. *reliquum vulgus*. Neque ego eam damnaverim, cùm sit S. verbis minimè dissentanea. Similius tamen vero mihi videtur, pulcherrimum illum à Deo institutum atque per solitudinem observatum ordinem Num.10.14 hîc denuò quadamtenus esse repræsentatum; itàque *succinctos* dici modò Judæos, Issacharianos & Zabulonitas; מאסף verò, h.e. οὐραγοῦντας sive *postremam aciem claudentes*, Danitas. Sed explicabo paucis ordinem illum universum, qualis fuerit. Igitur per desertum tribus Juda cum Issacharina & Zabulonia acies prima erant, exercitúmque totum præcedebant. Deinceps sequebantur Levitæ qui Gersonitæ & Meraritæ vocabantur, cum tabernaculi apparatu omni. Secundum agmen constabat ex Rubenitis, Simeonitis & Gaditis: atque hos rursus subsequebantur Levitæ alii, quos Cahatitas nominabant, cum ipsa Arca. Ponè Arcam incedebat Ephraim cum Manasse & Benjamin. Denique ultimum agmen erat Danitarum cum Aserianis & Nephthalitis. Quatuor enim omnino signis militaribus dispertiebatur universus exercitus dirigebatúrque: Quorum primum tribui Judaicæ, ut antesignanæ, datum habebat effigiem Leonis pro insigni: Alterum, quod Rubenitæ in secunda ferebant acie, Hominis imaginem cum Mandragoris, h.e. eo fructûs genere quod ad matrem attulisse memoratur Ruben in Genes. 30.14. Tertium, quod Ephraimitæ gestabant ponè Arcam, Bovis simulacro erat insignitum. Quartum denique quod postremam dirigebat aciem gestatum à Danitis Aquilæ figurâ agnoscebatur. Hæc ex Hebræorum adytis protuli, ut agnoscas adumbratam Divinitatis Arcam Christum, quam quatuor Euangelistarum signa per universum orbem terrarum deduxerunt. Sed istarum rerum accuratior tractatio non est hujus

hujus loci. ¶ Porrò illud, *Procedendo inflandóq; buccinas*, neq; ad præcedentes armatos neq; ad postremos pertinet, sed ad solos septem Sacerdotes. Est igitur ac si sic dicatur, *atq; inter procedendum canebatur buccinis.* Etenim Sacerdotum modò erat, non aliorum hominum, buccinis canere, quæ Dei vocem populo repræsentabat, ut cum Judæis sentit Theodoretus, Quæstionib. in Josuam, & hanc sententiam planè expressit Chaldæus, cùm sic converteret eam verborum complexionem, *& sacerdotes procedebant inflando buccinas.* Sed Latinus, Græcos, opinor, secutus, *vulgo* etiam *cornua*, ut videtur, permittit. Verùm id apertè refellit imperatum populo silentium. Sequitur enim

10. *Edixit etiam Josua populo, inquiens, Nè ululetis, neq; facite ut,* &c.] Silere modis omnibus jubet populum, solius enim Dei vox audiri debebat. Nam ridiculum est quod R. Levi F. Gersonis autumat, caveri oportuisse nè oppidani ululatu populi excitati in mœnia subirent saxísq; circumeuntes hostes peterent. Quasi verò tantæ copiæ circũ muros quotidie ire, & quidem cum septem buccinarum clangore perpetuo, clam civibus potuerint. Atqui ille à Sacerdotibus excitatus clangor quid sibi voluerit si rectè existimetur, non fuerit obscura silentii populi ratio. Igitur cùm ille tanquam præsentis opémq; ferentis Dei vocem repræsentaret, consentaneum erat ut silentio audiretur, neque ei obstreperetur. Quòd autem ille clangor eam significationem dederit, S. verbis sancita res est. Scriptum est enim in Numeris 10.9. *Quando venturi estis in bellum in terra vestra adversus hostes vestros, ubi clanxeritis tubis, erit memoria vestri coram Domino, & liberabimini ab hostibus vestris,* &c. Ergò cùm Deus veluti loqueretur se memorem populi sui præstò adesse, frustrà profectò locutus ille fuisset si non auscultasset populus, h. e. si non audiendis tubarum quas Sacerdotes inflabant clangoribus, in memoriam rediisset illorum Dei promissorum, eáq; amplexatus certâ fide fuisset. Nam qui contra loquentem mutuum voces mittit, non potest ille loquentis sensa satis expendere atque intelligere. *Beatus,* inquit divinus Vates Psal. 89. 15, &c. *populus qui novit clangorem: Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt. In nomine tuo exsultabunt solidos dies, & de tua justitia sese jactabunt. Nam ornamentum fortitudinis ipsorum tu es: & benigno tuo favore eriges cornu nostrum,* &c. q. d. Is populus beatus est qui attentè vocem Dei apud suum animum pertractat, neq; obloquitur, sed in illa toto animo acquiescit, ad illius nutum & ductum se applicat, & promissis fidit, séque iis sustentat. Isto igitur imperato silentio captatur populi attenta religio, nè, dum ululatu se ipse exagitat, non possit animum ad sacras illius modi meditationes revocare; vel nè existimet etiam, non solum Deum arcanâ & cœlesti efficacitate muros perrumpere, sed se quoq; suo strepitu & clamore aliquod ad victoriam conferre momentum. Et sanè *silere* in S. literis modestam animi quietem, quæ in cœlestium rerum contemplatione posita est, significare, dum mens videlicet rerum humanarum parvitatem cum Divina majestate apud se comparans in Dei gratia & bonitate acquiescit, certa afferri possunt testimonia: quale est illud Jeremiæ in Næniis 3.26. *Bonum est silentio exspectare eam salutem quam Dominus afferat.* Et illud Davidis Psal. 4. 4. *Dicite in corde vestro, in lecto vestro, & silete.* Et rursus illud Psal. 131. 2. *Faciebam ut sileret anima mea.* Sed non est opus plura adjungere.

11. *Circuivit igitur arca Domini urbem, eam cingendo vice unâ,* &c.] Verbum יסב positum est eâ inflexione quàm Grammatici Hiphil nominant, quæ solet actionem transferre in alteram personam. Id propter, D. K. existimat hanc esse verborum sententiam, Quòd Josua curaverit à Sacerdotibus circumferri Arcam. Sed illa diversarum inflectionum alia atque alia vis à Grammaticis observata in verbis non est usquequaque certa. Ego igitur sequendos putavi reliquos interpretes, Græcos, Latinum, Chaldæum. ¶ Illud porrò, *Et intrarunt in castra, pernoctarúntq; in castris,* LXXII & Symmachus, atque istos imitatus Latinus, reddunt numeri singularis verbis, *intravit, pernoctavit,* q. de Arca non de hominibus sit accipiendum. Sed nihil refert, cùm certum sit Arcam ab hominibus non esse relictam. Cæterùm statuunt Hebræi hanc primam circuitionem factam esse eo die quem nos *Dominicum,* quia eo Dominus & Servator noster revixit, illi *primum Sabbati* appellant; murósque urbis ipso demum Sabbato corruisse: Neque enim nefas esse Sabbatum violare, quando ejus id jussu fit cujus voluntate idem dies quieti est dicatus; cum etiam Sacerdotes in Templo victimas immolent die Sabbato. Hæc D. K. quæ ferè ad verbum ille compilavit ex c. 1. libri sive Mesichtæ quæ de Sabbato inscribitur in Talmude Jerosolymitano, planè consentanea iis quæ Christus noster respondebat Pharisæis Mat. 12. 2. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1. cùm ejus discipulos notarent quòd spicas die Sabbato carpsissent: ut planè judicari possit eum ad illas Judæorum deuteroses sive traditiones allusisse, quod sanè sæpe etiam aliàs fecit.

12, 13, 14. *Et surrexit Josua mané. Sustulerúntq; sacerdotes arcam,* &c.] De Imperatoris vigilantia mirifica diximus suprà 3. 1. Porrò secundi diei, & reliquorum deinceps usque ad septimum, apparatus rursus ab integro describitur. Nimirum ut dilucidè planéque constet nihil totis sex diebus actum aliud esse quàm inani illi, ut videbatur, pompæ operam datam; quo urbis evertendæ ratio videlicet soli potentiæ cœlesti & occultæ Dei efficientiæ debeat adscribi, & posteritatis cogitationes ab aliis machinationibus quibusvis avertantur. ¶ De illa porrò particula, *Procedendo inflandóq; buccinas,* quid esset sentiendum, exposuimus suprà, ad v. 9.

15. *Cúmq; esset dies septimus, surrexerunt oboriente crepusculo,* &c.] R. D. K. sic hunc versiculum interpretatur, ut putet eum dicere circuitionem illam quæ septimo die cum prima luce fiebat fuisse septimam; cæterùm eo die non hanc modò esse factam, sed septies circumitum esse. Et sunt ista certè ab ipsa re non dissentanea. Sed quod ego reddidi magis consentaneum S. verbis esse mihi visum est. Porrò quando præsens ceremonia septenario potissimùm numero peragitur & celebratur, ut & multæ aliæ in S. historia; sunt enim hîc 7 Sacerdotes, 7 buccinæ, 7 dies, & in iis 7 circumitiones, denique in uno die septimo circumitiones 7, non fuerit fortassis alienum prorsus ab instituto si in ejus numeri mysterium paulisper inquiramus. Igitur hæc primùm quidem apud omnes confessa res est, Deum orbis effectorem hunc numerum in septimo die, quo ipse à condendis rebus se abstinuit, veluti consecrasse: ut inde factum videri possit quò nusquam non iste numerus præ reliquis observetur in rebus plurimis. Sed roget quispiam, Cùm Deus minimè opus habuerit sex dierum spatio ad creandum hunc mundum, cur non uno die, aut nutu uno absolvit? deinde, Cur toties, támque severè & capitis periculo homines feriari ab omni opera eo die jubet? Ad hæc, majus aliquod mysterium ejus numeri sit oportet, qui apud profanos etiam scriptores magnam & singularem semper habuit venerationem, tanquam reliquis numeris excellentior; adeò ut cum Cicero non dubitet *rerum omnium nodum* vocare, in Somn. Scip. & vetustissimus Poetarum Linus cecinerit eum esse *cunctarum rerum originem.* Sed supervacaneum sit in tanta copia plurium scriptorum prædicationes Septenarii afferre. Posset quidem facilè &, ut ego censeo, non ineptè ad ista responderi, In Dei arcana non esse inquirendum, cujus æterna voluntas & consilium certissima rerum omnium ratio est: Ad profanos verò Philosophos quod attinet, Doctrinam Divinarum rerum omnem ad eos ex Mosis monumentis esse derivatam, qui septimi diei consecrationem primus celebravit. Id enim cùm ab aliis tum egregiè à Theophilo, in iis libris quos ad Autolycum scripsit, est demonstratum & confectum. Nos tamen, quod cum bona eorum venia fiat qui hæc nostra fortassis legent (si tamen legent aliqui) conabimur quadamtenus tanti mysterii sacrum fontem persequi. Quod dum facimus, si probabile aliquid à nobis in medium proferetur, æquum erit lectores nihil ultrà à nobis requirere in re quæ explicatus habet difficillimos; si modò ullos habet; atque

existimare, & me, qui disseram, & se, qui judicent, homines esse. Igitur hoc est ante omnia statuendum, Solum Deum, quà Deus est, unum esse: Neque unitatis rationem ulli rerum omnium quæ ab illo sunt effectæ (est autem ab illo procreatum quidquid ipsus non est) attribui rectè verèque posse; cùm illius solius essentia una, simplex, immutabilis atque in omni æternitate sui similis eademque exsistat: At res cæteras omnes quæ usquam sunt, sive illæ sub videndi sensum sive sub solam intelligentiam cadant, quodam modo compositas colligatásque ex partibus esse, itáque ex numero constare, non ex simplici unitate. Igitur cùm hæc universitas rerum atq; pulcherrima & modis omnibus absolutissima fabricatoris Dei machina, quam ab ornatu *Mundum* nuncupamus, sex omnino diversi generis discreta partibus, & rursus earundem partium inter se admirabili & planè divino consensu nexúq; copulata constet, sic ut huc nihil addi nihilq; rursus adimi queat, quò illa perfectior evadat quæ ab optimo Parente est perfectissimè condita, consequens est ut ipsa ista mundi integritas, quam habere ille debebat ut esset Dei opus & absoluta perfectio, Senarium efficiat. Sunt autem universitatis partes illæ sex quas dixi, Cœlestes spiritus corporatæ materiæ expertes, quos *Angelos* ab officio vocamus. Deinde ipsa rerum corporatarum Elementa; inter quæ Cœlestes etiam orbes rectè numerantur. Post hæc, ut jam ab ultimis ad id quod medium est omnium veniamus, illud corporum genus censeatur quod Judæi דוממ nominant, compositum quidem ex illis quæ elementa dicuntur, sed animæ omnis & vitæ expers; qualia sunt quæ Metalla dicimus, Lapides, Gemmæ, alia infinita. Quarto loco numerentur ea quæ alente quidem animæ vi sunt prædita, sed eâ tamen animatione non sunt informata à qua possint *animalia* vocari, quippe cùm sensu motúque careant. In hoc genere sunt Arbores, Herbæ, cætera quæ varia gignit humus alítque nullo se sensu moventia, & à Græcis φυτὰ, à nostris autem quibusdam non omnino malè *stirpes* appellantur. Deinceps locentur ea quæ animantia Bruta vocamus. Denique in istarum rerum omnium quasi meditullio exsistat Homo. Est enim homo illarum quas diximus partium omnium veluti nodus & vinculum: Quæ ratio est cur post illas omnes conderetur. Nam in Homine Architectus ille rerum Deus Animam quam rationalem vocamus, cœlestis originis spiritum, & suapte naturâ, nullâ corporatâ materie informatum, sed simplicitate Angelis parem, cum Elementorum, Metallorum, Plantarum, Animantium denique naturis ità admirabili temperamento & εὐκρασίᾳ, cùm conderet, colligavit, ut ipsa se rerum universitas in Homine concordi amicitiâ & pulcherrimo consensu concentúque amplecteretur. Unde meritò ab illo Ter maximo Mercurio *mundi miraculum* & *mundus alter* Homo est appellatus. Quæ enim alioqui simplicium rerum cum corporatis, cœlestium cum terrenis esse potuisset necessitudo aut communicatio? Atque hanc ego veluti integritatem Universi in Homine, ut dixi, ab optimo Parente simul & Artifice Deo consociatam repræsentatámque existimaverim occultè & tectè significatam esse iis verbis quibus Moses facit utentem Deum quando Hominem creare parat Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Nimirum sic Timæus quoque Locrensis apud Platonem hunc majorem, quem cernimus, mundum *Dei æterni* esse *simulacrum* ait; Nempe quia in illa simplicissima unitate quæ Deus est modo non solùm admirabili sed etiam nullius mentis acie comprehensibili ipsa rerum universitas ab æterno fuit, atque ex illa Idea, ut vocant, κατὰ μέρος & particulatim profluxit effectáque est. Quare cùm in Hominis natura, ut diximus, συνεκδοχικῶς universæ naturæ integritas contemperata exsistat, meritò ad Dei imaginem ipse conditus dicitur. Quæ tamen imago rursus, ubi per peccatum ille à Dei voluntate discessit, vitiata est, quòd illa εὐκρασία & summus rerum omnium in hominis natura concentus per peccatum perturbatus labefactatúsque sit. Atque hinc fortassis illud est, quòd D. Paulus ad Rom. 8. *ipsam rerum conditarum naturam*, h.e. τὴν κτίσιν, ait *unà cum homine subjectam esse vanitati*, ac proinde *solicitè & cum gemitu exspectare ut*, quando per hominis naturam, in qua ipsa quodammodo universa erat, illud passa est, rursus simul cum homine *liberetur à servitute corruptionis*, *vindicetúrque in libertatem gloriæ filiorum Dei*, ad quam aditus nobis per Christum est patefactus: Qui, cùm esset ab omni æternitate *splendor gloriæ*, *& expressa imago substantiæ Dei*, &c. ut sic dicam, *primogenitus omnis creaturæ*, voluit modo admirabilitatis maximæ cum homine consociari, qui ad Dei imaginem factus universam in se rerum naturam complexus tenebat, quò hanc simul cum illo quodam modo perturbatam atque violatam ipse, cùm esset imago Dei æterna & rerum omnium naturæ effector, repararet: ut ad pristinum statum atque concentum per nostram resurrectionem rediret, cùm foret placidissima illa harmonia, quâ sese in homine ante peccatum complectebatur, non solùm instaurata denuò sed infinitis partibus melior atque concinnior effecta. Etenim post resurrectionem futurus est homo longè perfectior Dei imago quàm tum erat cùm nondum peccasset; itáq; universa rerum natura cum illo quadamtenus beatam consequetur immortalitatem. Cùm igitur, ut propiùs ad rem accedamus, illa Unitas simplicissima Deus, in æternitatis suæ immensitate latens, tandem aliquando pro sua summa probitate & gratia sex illas dualitates, ut sic dicam, rerum procreasset, quæ partibus omnibus absolutissimam istam mundi machinam constituerent, necessum erat ut ea quæ sic effecta fuerant, quò subsisterent, ac non eodem momento temporis in nihil redirent, ad suam ipsorum originem referrentur, ut à qua continuò essent sustentanda. Itaq; dum hunc dualitatum, h.e. rerum procreatarum, senarium numeramus, ut ab ipsa prima & simplicissima Unitate Deo tanquam origine & fonte proficiscimur, sic rursus septimo loco ad eam ipsam revertimur, atq; in ea definimus. Nam ut ab ejus sinu, quà prima est, res omnes ortum habent, ità in ejusdem sinu, quà septima est, ut conserventur & veluti conquiescant est necesse. Hoc igitur ipsum est septimæ unitatis mysterium, ut ego certè censeo, Sabbatum videlicet & Quies quâ Deus à condendis quidem rebus abstinuit, & velut in suum illum æternitatis, ut sic dicam, abyssum rediit, quasi ad quietē, sed ità ut res jam tum à se conditas, nexu necessario sibi devinctas atq; ab ipsius efficacitate continuò dependentes, secum ad quietē illam suam quodam modo abduceret, neq; à se dimitteret, quippe quæ Divinæ ejus virtutis sinu foveri continuò sustentariq; deberent. Id propter, efficacem hanc quietem ipse Dei Filius *operam* vocat Joan. 5. 17. cùm ait, *Pater meus adhuc operatur, & ego operor*. Hanc ergò quietē quâ rerum universitas semel condita à Conditoris efficientia continuò dependet, nè evanescat prorsus, qui non toto animo amplectitur, observat, colit, is ipsam Divinam providentiam re ipsâ negat. Atq; hoc est quod Hebraici philosophi Cabbalistæ tradunt, *Eum qui Sabbatum non colit, neq; de conditi orbis ratione neq; de futura vita rectè sentire*, h.e. funditus naturam ipsam, Divinámq; vim & providentiam tollere: ut meritò talem Deus morte damnarit apud Mosen, Exod. 31. 14. Ex his ergò perspicuum utcunq; esse puto cur Septenarius *rerum omnium nodus* sit à veteribus appellatus. Nisi enim eo nodo cuncta constricta retinerentur, in nihilum protinus abirent. Igitur ut concludamus rem omnē paucis, Nihil aliud videtur velle Deus dum Septenarium nobis ubique ante oculos statuit, quàm perpetuò menti nostræ obversari debere suam ipsius bonitatem & gratiam, quâ, ut res omnes procreatæ sunt, ità ut subsistant, foventur; ínque illam omnia nostra consilia, molitiones, operas, & in summa, animi corporísque actiones omnes esse referendas. Sed tempus est ut ad Jerichuntem revertamur. Nimis enim jam longè aberravimus.

16. *Factúmq; est septimâ vice ut cùm sonarent sacerdotes*, &c.] Hujus versiculi sic explicanda sententia est. Cùm septimo die circuitio septima adornaretur, quæ omniū postrema erat futura, jámq; Sacerdotes buccinas inflare pararent, tū Imperatorē mandasse populo ut simul atq; audirent buccinarum clangorem sublatis simul omnes vocibus ulularent, victoriam enim in manu esse. Hunc enim sensum patefacit nobis v. 20. Non igitur singulari aliquo cantu litui aut cornu cujuspiā datū populo signū est prorumpendi in ululatū; sed

sed jussit Imperator ut cùm primùm audirent in postrema ista circuitione consuetum clangorem quem Sacerdotes inflando buccinas excitabant, omnes pleno gutture, quantum possent, canerent victoriam, quam adhuc silentio exspectarant. ¶ Cæterùm ex illo verborum ambitu, *Nam dedit Dominus vobis urbem*, atq; iis mandatis quæ nunc primùm proximis versiculis exponuntur, bona conjectura capi posse videtur, Imperatorem adhuc spe quidem, sed incertâ, circumduxisse populum circum urbem; neque ea quæ ipse à Principe illo exercitûs Dei certissima acceperat, nisi nunc demum, pervulgasse. Quò ampliore prædicatione digna est omnium, ut dixi, obedientia, qui tam alacres illi morigerati sunt, cùm vana potiùs somnia sua quàm quæ ad capiendam urbem utilia essent videretur imperare. Sed de his satis multa suprà.

17. *Sit autem urbs anathema, ipsa, & quidquid est in ea*, &c.] Vox חרם hoc loco significat *rem Deo devotam*, & proinde à nullo homine utendam; alibi verò *ipsam rerum perniciem*; aut *res exsecrabiles detestabiléśq; & pernicie dignas*, ut proximo versu. Sed eadem una est istarum diversarum notionum ratio, Quòd quæ Deo dicata sunt, ea in nullius hominis bonis esse possint: Planè ergò idem est חרם *Herem* apud Hebræos quod ἀνάθεμα apud Græcos. Plura de isto verbo diximus capite 2. 10. Doctores Hebræi tractatione Sabbati c. 1. scriptum reliquerunt, Opinari quosdam, Josuam suopte sensu hanc duram sententiam adversùs Jerichuntios pronunciasse, vel quia statueret Sabbato, h.e. sacro die, captam urbem Deo esse consecrandam & veluti immolandam, vel quia existimaret pari eam casu esse debere cum iis urbibus de quibus lata lex à Mose est Deut. 13. vel deniq; quòd putaret legem de primitiis sancitam in Numeris c. 15. etiam in capiendis urbibus observandam esse. Hæc ferè à Kimhi quoq; hoc loco proferuntur. Isq; existimat credibilius esse, Nihil Josuam Dei injussu hac in re fecisse. Quod mihi etiam probatur, cùm capite proximo Deus hanc de urbis & civium anathemate legē sibi apertè sumat, *suúmq;* eam *fedus* vocet. Fuit quidem dudum antè instituta à Mose lex & sancita, In captis Chananæorum urbibus nulli prorsus esse parcendum: at verò de ipsa etiam urbe perdenda atq; delenda, quod mandat Josua, id singulare est; neq; ad alias Chananæorum urbes exemplū pertinet. Sed enim crudeliora ista videntur quàm pro Divina lenitate. Atqui cujus *benignitate plenus est orbis terrarum, is idem amat justitiam & judicium*, ut canit sacer Vates Ps. 33. 5. Sola enim & perpetua misericordia disciplinam labefactaret, & ignavam pareret securitatem: Solius autem justitiæ rigor & severitas desperatione omnium animos afficeret. Jam suprà 400 annos frustrà distulerat Deus hæc Chananæorum supplicia, melioris vitæ exspectatione, cùm illi interea majore indies contumaciâ adversùs illius patientissimam lenitatē decertare pergerent. Est enim illud pervulgatū quod ad Abrahamum dicebat Gen. 15. 16. *Quia adhuc non est perfecta iniquitas Amorrhæorum*. Sed erit de his disputandum sæpius. Neq; verò ipsos Israelitas meritò quis insimulaverit immanitatis, quippe qui in istis cædibus atq; incendiis patrandis Dei jussa exsequuntur, & ut habet vulgare Hebræorum proverbium, *molitam farinam molunt, cæsos leones occidunt, ardentibus urbibus flammam subjiciunt*, h.e. judicatam atq; addictam exitio nationem perditum ipsi, ut Divinæ justitiæ administri, eunt. Ipsa igitur urbs Deo devovetur consecratúrque, quia ut conspurcatum detestabili cultu & omnium flagitiorum genere domicilium funditus evertitur, & ut invisa illi, dum superstes manebat, victima adoletur. Cives verò itidem veluti mactantur Deo ob sua ipsorum scelera quibus jam omnem impietatis modum excesserant, longéq; majoribus suis ipsi nequiores *progeniem daturi* erant *vitiosiorem*. Denique etiam supellex omnis unà aboletur, nè in hoc belli initio omnium rerum egestate avidus miles immodicis factis manubiis, ut erat civitas opulentissima, se nimis oneret, atq; ad otium deinde luxúmq; quàm ad bellum proclivior fiat. Sed Levi Gersonis ait, Nè quibus olim Israelitæ potientur opibus in Chananæa, earum causam hujus primæ urbis manubiis attribuere possint, tanquam in iis occulta quædam felicitatis vis fuerit; eóque bene existiment de Jerichuntiorum religione atque communi vita. Sed ista mihi causa subtiliùs quæsita quàm firmior esse videtur. Potest autem etiam illud dici, Ideo Deum universam sibi prædam addicere, ut eò evidentius fit, ac propiùs omnes, ipso damno amissæ prædæ admoniti, intelligant, illius solius potentiâ victoriam istam esse partam, nihílque suis viribus suæque laudi assumptum arbitrentur. Addunt quidam etiam illud, Detestabiliorem videri eorum religionem quorum res omnes unà cum ipsis perditum ire jubet Deus. Sed quid facias vasis argenteis, aureis, æneis, ferreis, quæ adeò non detestatur ille ut in suum ea thesaurum inferri jubeat? Et quæ causa sit cur non similiter aliarum civitatum opes perdantur, quarum superstitiones nihilo Jerichuntiorum ritibus meliores fuisse est credibile? Hoc sanè vero non dissimile videri potest, Hâc tantâ severitate primæ animadversionis terrorem incutere voluisse Deum reliquis hostibus, cùm superesset bellum difficillimum; & simul vel metu impendentis exitii eos à vita turpissima flagitiosissimâque ad pœnitentiam & veri Dei cultum revocare. Neque enim etiam tum seram aut inutilem futuram fuisse pœnitentiam, quamvìs completa esset omnium iniquitas, ut habet Scriptura, satis magno argumento sunt exempla Rahabæ & Gabaonitarum. Sed de hoc suus erit disputandi locus. ¶ Sequitur in texto, *Duntaxat Rahab meretrix salva sit*, &c. Verbum חיה alii *vivere*, ego *salvum esse* interpretor lubentiùs, quòd illam verborum complexionem *Et quidquid cum ea est in domo* non de solis hominibus sed etiam de supellectile conservanda accipiendam esse videantur efficere ea quæ v. 23. dicentur. Sed enim observandum est, Josuam non jusjurandum illud quo Rahab obstrictos tenebat exploratores, sed beneficentiam quâ ipsa adversùs populum Dei usa fuerat, causam ejus salutis afferre; nimirum quam etiam D. Apostoli Paulus & Jacobus, Hebr. 11. 31. Jac. 2. 25. *Fides* enim *illam ea servabat quâ justus vivit*, ut ait D. Augustinus, h. e. *ea quæ per caritatem fructuosa est*. Sed hoc satis tractavimus c. 2. 11. Cæterùm est ista Rahabæ & simul affinium atque cognatorum ejus omnium conservatio exemplum maximè insigne mirificæ benignitatis & clementiæ Dei erga humanum genus, qui unius piæ mulierculæ gratiâ tam multis aliis parcit. Sic Paulo quoque donantur 276 vectores Act. 27. Et pepercisset Dominus populosissimæ Sodomorum civitati si decem in ea justos invenisset homines Gen. 18. 32. Sed est hujusmodi exemplis plena historia S. Nam quòd sæpe etiam boni cum malis involvi calamitatibus videntur, sic existimandum est, cum D. Cypriano De Mortalitate, Ex illius modi communibus cladibus minimè confici, conditionis communitatem probis esse cum improbis. Nam *dum justi eo mortis genere vocantur ad refrigerationem*, ut ait ille, *injusti eodem abripiuntur ad supplicium*. Sed hoc argumentum sæpius se offeret; neque propriè ad hunc locum pertinet.

18. *Et tantùm vos cavete ab anathemate: Nè fortè*, &c.] In hoc versiculo vocabulum *anathema* non unam significationem habet. Primò enim, ut nuper, significat *res Deo devotas*; mox in illis verbis *Et exponatis castra Israel anathemati* sign. *ipsam perniciem quæ dira vota consequi solet*. Verbum autem תחרימו *anathematizetis*, ut sic dicam, ex eadem formatum positione, hìc significat *capere rem Deo dicatam, & sibi sumere*, ut ea quæ subjicitur particula explicat; at v. 20. significat *rem devotam abolere*. LXXII interpretes autem, qui pro eo reddiderunt ἐνθυμηθέντες, videntur paragrammatismo decepti pro תחרימו legisse תחמדו; trajectis literis, & Daleth pro Resch posito. Nam ἐνθυμηθέντες pro ἐπιθυμοῦντες, h.e. *concupiscentes*, dixerunt, opinor. Sic enim converterunt verbum חמד capite proximo. ¶ Porrò in verbo עכר *Achar*, quod *conturbare* reddidimus, est κατ' παρονομασίαν veluti præludium ejus rei quæ proximo capite narrabitur. עכר *Achar* enim ei viro nomen erit qui hanc legem violabit; quamvìs idem etiam *Achan* vocetur.

19. *Atqui omne argentum & aurū, vasáq; ænea & ferrea*,

rea, &c.] Pro *vasa ænea* dixerunt LXXII *omne æs*, nimirũ illi כְלִי legerunt absq; Jod כל. ¶ Pro illo *in thesaurũ Domini veniet* reddidit Chaldæus, *In thesaurum domûs sacrarii Domini inferentur.* Etenim thesaurus Domini servabatur in tabernaculo sacrarii, quod *domus sacrarii* usque eò vocatum est dum ædes Deo à Solomone est exædificata. In Numeris c. 31. scriptum est, aurum quod tribuni & centuriones de manubiis victoriæ memorabilis à Madianitis reportatæ offerebant Deo, Mosen & Aharonem similiter in tabernaculum illud intulisse, ut esset monimentum Israelitis in conspectu Domini, quod eorum animos revocaret scilicet sæpe in memoriam præclarissimæ victoriæ, quâ cæsis tot hostium millibus neminem suorum desideraverant. Quis ergò dubitet quin hîc quoque eadem fuerit asservandi ista metalla eodem illo loco causa? Judæi quidem plerique omnes, atque etiam Josephus, & ex nostris Theodoretus Cyri Episcopus, ad primitiarum ceremoniam pertinere rem universam existimant: Et sanè ei sententiæ congruere videtur quòd de spoliis urbis Hai nihil sibi sumit Deus, sed universa militi permittit, quasi istis suis contentus primitiis. Atqui non par ratio est in utraque victoria: Solus enim Deus hîc pugnat, at illic etiam milites. Sed ista explicabuntur c. 8, 2. ¶ Porrò קדש *sanctitatem*, sive *rem sanctam*, hîc nominatam videmus, quam antè חרם *devotam.* Res enim devotæ, quas Græci ἀναθήματα & ἀνακείμενα nominant, tam eæ sunt quæ in locis sacris dicantur quàm quæ adolentur atque abolentur. Hebræi ipsas posterioribus temporibus vocaverunt קרבן *Corban*, & elisâ durioris soni literâ קובן *Coban*, eâdem notationé scilicet quâ Græci ἀναθήματα dicunt. Est enim קרב *offerre.* Unde exstat apud Doctores Hebræos, Tract. De jurejurando & de votis, hæc jurandi aut vovendi potiùs solennis formula, קרבן כל מה דתהנא מני h.e. *Anathema & res devota esto quidquid illud sit quo ego tibi prosim*; aut, *quam tu utilitatem ex me capias.* Quo voto cùm quis apud aliquem usus est, quantâvis ei necessitudine obligatum, atq; adeò erga suum ipsius parentem, nefas esse statuunt RR. illum ullo beneficii aut officii genere hunc juvare; nè quod Deo devovit videlicet id humanis commodis serviat. Atq; hæc ipsa est illa traditio quã citat damnátq; Christus apud Matth. 15. 5. & Marc. 7. 11. tanquã Mosis legi adversantẽ, à nostris interpretibus formulæ illius ignaris adhuc parùm bene, ut mihi videtur, explicata, sive Græcis, sive Latinis. Nam in Syricis Euangeliis dilucidior apparet sententia.

20. *Ululabat itaq; populus, cùm canerent buccinis*, &c.] Sensus est, In diei septimi septima circuitione, quæ omnium postrema fuit, cùm primùm Sacerdotes buccinis canere inciperent, cœpit populus ululare, & simul urbis mœnia concidebant. Illud enim, *Nam simulatq; audivit populus vocem buccinæ, ululavit populus clamore ingenti*, est per parenthesin legendum, tanquam ἐξήγησις atque explicatio superiorum verborum. LXXII non adnumerarunt hîc quidem verba Hebræa, sed sanè sententiam luculenter expresserunt. Laudabamus nuper populi obedientiam, cùm imperio, ut videbatur, absurdo & penè ridiculo tam obtemperarent alacriter ut vix ultima loquentis Imperatoris verba exspectarent quin jussa facere inciperent. Hic autem ejusdem prædicanda fides est, quæ ipsa muros prosternit, teste Apostolo Hebr. 11. 30. Nisi enim firmâ fide apud animum suum ille statuisset Deum quod promiserat planè effecturum, haudquaquam profectò tam lætâ acclamatione, tanquam non sperans atque exspectans, sed in manu victoriam habens, cecinisset triumphum, priùs quàm labentem murum vidisset. Nam & David ululare quidem jubet universum orbem terrarum, sed ob res jam tum prosperè gestas adversùs Ecclesiæ Dei hostes. Cùm enim dixisset Ps. 66. 1 *Ululate Deo omnis terra, canite decus nominis ejus*, mox subjicit, *Ite considerate opera Dei, qui rem terribilem patravit contra filios Adæ.* Voluerat quidem Deus, tantisper dum ipse veluti oppugnaret urbem sacris Sacerdotum vocibus, populum tacitâ meditatione fidem cum sanctâ spe apud animos suos exercere; at nunc eidem permittit ut illius suæ meditationis fructûs specimen edat. Et verò ipsa etiam natura talem ferè sensum animis nostris indidit, ut interea dum rei magnæ cujuspiam eventum exspectamus silentium præstemus, verùm simulatq; illã evadere jam putamus, tum diutiùs ora continere non possimus, sed in clamores & gesticulationes effundamur. R. Levi F. Gersonis de isto ululatu populi sic interpretatur, *Visum est*, inquit, *Deo ut miraculum hoc fieret cum ingente isto clamore, qui Israelitas è torporis sui somno excitaret, & ad inusitati operis Dei magnitudinem animo expendendam vocaret.* Sed adjungit insuper id quod ridiculum mihi certè videtur, vehementem istum ululatum aliqua ex parte efficientem miraculi fuisse, atque adjuvasse ad dejicienda mœnia: *Magna enim vox*, inquit, *magno impetu aerem impellit; caterùm vi occulta & Divina, ut cujus pracipua fuerit efficientia, miraculum esse attribuendum.* Nimirum existimat ille, Deum ubiq; in patrandis rebus illius modi inusitatis uti mediis quodam modo ad eas efficiendas oppositis & commodis. Quod ut sæpe verum esse fatendum est, veluti cùm Elizæus jubet ut Naaman leprosus se lavet in Jordane 4 Reg. 5. 10. cùm cæci oculos curat Christus sputo cum terra misto illitos, ablutósq; deinde aquis Siloe, Joan. 9. 6. & in multis aliis exemplis, ità aliter illum miracula nulla facere usq; adeò falsum est ut mediis nonnunquam non solùm alienis sed etiam repugnantibus naturæ rei efficiendæ utatur, ut Elias, cùm sacrificium faceret, victimam simul & ligna quæ cupiebat à cœlesti igne vorari, largiter semel, iterum, tertiùm perfudit aquâ, 3 Reg. 18. 33, 34. & Elizæus aquas quæ sterilitate terram afficiebant sale injecto emendavit, 4 Reg. 2. 21. sed hæc ex multis exempla sufficiunt.

21. *Et perdiderunt quidquid erat in urbe, à viro ad feminas*, &c.] Dictum à nobis est ad v. 17. quidquid ferè ad hunc locum pertinere videatur. Sed non profectò hîc silentio prætermittenda militum continentia singularis, qui cùm essent omnium rerũ egeni, in tanta opum copia quantam credibile est fuisse in urbe omnium situ amœnissima agríque bonitate uberrima, unico ab Imperatore verbulo jussi cùm essent, non solùm manus ab omnibus rebus abstinere, verùm etiam alacriter omnia prorsus perditum ire potuerint, adeò ut nè in posterum quidem per aliam occasionem ullius ex illis lucri faciendi spes relinqueretur. Qua in re non solùm temperantis sed fortis quoque animi specimen singulare ediderunt, addam etiam prudentis. Nam cùm sapienter cogitarent, si contra Imperatoris sui, atque adeò Dei, jussa rem facerent, stabilem eam & diuturnam minimè esse posse, perdere quod ad manum erat sustinuerunt, ut id sibi compararent unde solidæ illæ opes provenire solent quæ & durent & cum felicitate etiam ad posteros transmitti possint, h.e. veram probitatem. Et quamvis innata omnibus mortalibus habendi cupiditas, temeraria animorum dominatrix, variis ipsos affectionibus (ut credibile est, & quisque de se conjecturam facere potest) oppugnaret, tamen passi non sunt pecuniam, quæ ignavis quidem hominibus imperat, sed fortibus servit, obstaculo sibi ad præstandam Imperatori suo quam debebant obedientiam esse; Nimirum statuentes illud Xenophontis Instit. l. 7. esse verum, μηδὲν εἶναι κερδαλεώτερον τῆς ἀρετῆς, i. *nullum ipsâ virtute melius esse ad lucra compendium.* Verùm enimvero, quando non soli illi qui hostiliter facere aliquid potuerunt, sed etiam puerorum, feminarum, senum imbellis turba, atque adeò infantes, qui per ætatem nondum peccarant, nullo discrimine jugulantur, talísque, ut videtur, crudelitas & immanitas olim per Marcionitarum & similis impietatis hominum ora Dei probitatem & justitiam traduxit, atq; utinam non etiam hoc nostro seculo per multorum impias cogitationes traducat, quando ora nunc Magistratûs auctoritas pœnæ metu nonnihil coercet, non fuerit, opinor, alienum à proposito ejus argumenti explicatione æternam Dei justitiam pro virili hoc loco tueri; præsertim cùm proximo etiã capite similis querelæ causam daturi sint filii Achan cũ patre, qui solus peccaverat, exusti. Deberent quidem Dei judicia, quæ nunquã non sunt æquissima, modesto & submisso animo ab omnibus mortalibus suspici, neq; ad multiplici caligine & errore perplexas nostras ratiocinationes exigi. Nam, ut ipse apud Job 39. 35. ait, *Qui cum Omnipotente litigat, non eum erudiet: neq; qui*

cum

cum Deo argumentatur, *ei respondere poterit*. Et proinde conditionis nostræ esset, cum Job agnoscere atque fateri, Omnem operum Dei rationem longè supra intelligentiæ nostræ vim & notionem esse positam, Job 42.3. Id enim esset, vel ipso Deo teste Job 42.7. probè de Deo loqui, & bene de ipso existimare. Sed ea est ingrati animi nostri stultitia & vecordia, ut in arcana etiam illius consilia, quæ omnia ad generis humani salutem & commoda atq; utilitates spectare certissimum est, nihil nos pudeat inquirere; &, quod est maximè indignum, atq; adeò prorsus impium, ea etiam sæpe damnare, quando nostris rationibus non satis videntur servire. Igitur ut ad rem veniamus, Equidem puto apud omnes probæ opinionis homines in confesso esse, Deum à nemine pœnas immeritò sumere, nedum injustè; sed quemcunq; aut morte aut ærumnis aliis plectit, penès eum noxiam esse aliquam tali pœnâ dignam; si modò unus Jesus Christus excipiatur, qui per mysterium humillimo animo venerandum, nequaquam autem cum aliis rebus humanis contendendum, percussus est propter nostra non sua scelera. *Eum enim qui pœnas meritus non sit condemnare*, ait Sapientia c.12.15,16. *alienum esse censes, ô Deus, à tua potentia. Justitiæ enim caput est tua potestas: & quòd dominaris omnibus, hoc ipsum facit ut parcas omnibus.* Quin hoc etiam non dubitans dixerim, Deum punire neminem quin ea pœna cùm semper ejus qui plectitur tum sæpe etiam simul aliorum multorum utilitatibus conducat. Nam sanè de morte ipsa, si quod res est judicare velimus, mortalium nemo queri potest, sive matura, sive immatura; cùm quidquid oritur, eâ conditione ortum habeat ut intercidat rursus; & vita ipsa gratuitum planè Dei donum sit, ac proinde quantulacunq; fuerit, magnæ pro ea gratiæ illi debeantur; nedum ut jure conqueri ullus possit, quocunq; tempore, quàve occasione, is qui gratis dedit rursum repetat. Ad hoc, ego quidem certè eam semper habui habeoque de immensa Dei misericordia opinionem, ut putem ipsum neminem donatâ semel vitâ orbare rursus nisi tum cùm ei ut è vivis excedat expedit maximè. Qui enim omnia novit id etiam novit, qui cujusq; vitam exitus sint consecuturi. Sed ne hoc longiùs persequar, de justis exstat luculentum in Sapientiæ libro testimonium c.4.v.7. unde argumentum de injustis, à contrario, firmum rectè sumatur. Restant cæteræ calamitates quibus humanum genus variis exercetur vexatúrque. Spero autem tam iniquum esse in Deum neminem, ut flagitiosorum hominum querelis, si crucientur, aures æquas præbeat. Eorum autem qui hominum opinione probi sunt, quis, quæso, omnium tam vivit innocenter ut in ipso nihil videat ejus opifex Deus quod non severissimâ quâque animadversione castigationéque dignum sit? ut taceam quòd ea quæ istis existimat vulgus mala accidere, plerunq; sunt salutaria adversùs vitia medicamenta, atq; utilia exercitia, per quæ illi formantur comparantúrq; ad pietatis disciplinam. Nam, ut ait Sapientia 3,4,5. *cùm hominum opinione puniri videntur*, *spem habent immortalitatis plenam. Et paulùm castigati, magna beneficia accepturi sunt.* Etenim quis non lucro deputet morbum quo nè navem conscenderet mox naufragio perituram sit prohibitus? aut quis matrē familias culpet quæ carum vasculum smegmate conspurcat, quò defrictum emaculatúmque pulchriùs niteat? Sed malè te habent puerorum in cunis aut matrum ulnis vagientium miseriæ, quas sæpe perpetiuntur gravissimas priùs quàm possint è vita exire. Verùm illi si sacro lavacro non sunt ab originis humanæ communi vitio expurgati, expedita responsio est. Tam enim est fœda res peccatum quodlibet ut nullo satis digno supplicio expiari pro Dei justitia queat. Sin autem per sacram ἀναγέννησιν mundati sunt, tum eò dolores non facere illis Deum ut puniat est existimandum, sed ut eâ ratione pro æterno suo consilio & misericordia ipsos gloria ampliore beet. Jam verò absurdissimum fuerit eum laborem pœnæ & non, cum D. Paulo 2 Tim. 4.7. pulchri legitimíque certaminis loco deputare cui immensa illa Dei liberalitas immensa proposuit præmia. Sed instat urgétque Carpocratianus aliquis, aut Valentinianus, vel Marcionita, qui nimis libenter per exsecrabilem impietatem cum Effectore & Parente suo litigat, Deum de se ipsum prædicare Exod. 20.5. & 34.7. Deut. 5.9. quòd *visitet patrum peccata in filiis, ad nepotes usque & pronepotes, sive in tertiam & quartam generationem*: unde statim hoc effici videtur, Id scelus quod parentes impunè patrarunt puniri in filiis aut nepotibus, h.e. Quas pœnas maleficiorum suorum quorundam effugerunt morte parentes, eas pœnas exspectari à nepotibus & posteris. Ad hoc respondet Theodoretus, acutus sanè S. literarum interpres & probatissimus, Deum pro sua clementia & misericordia, quâ cupit omnes homines salvos evadere, graviora supplicia minari quàm sumere solere; itáque locutum esse, ut vel sic à flagitiis deterreret eos qui filiorum suorum sunt amantiores: Nuda ergò hîc spectare verba esse irreligiosum, cùm Deus contraria lege statuerit Deut.24.16. *Non debere mori filios pro parentibus, neque parentes pro filiis; sed suum cuique peccatum exitii causam esse*: & rursus apud Ezechielem dixerit 18.2. *Quæ est vestra ista parabola, cùm dicitis, Patres nostri ederunt uvam immaturam*, &c. Paulò pòst verò idem auctor aliâ ratione, &, ut ait, suo judicio, veriore, nodum expedit: Sed ego, inquit, potiùs opinor eas minas Dei erga homines amoris magnam significationem facere, cùm illam habeant adjunctam clausulam, *qui me odio habent*. Est enim hoc perinde ac si dicat, Sustineo me à plectendo peccantes patres, atq; à puniendo filios delinquentes. Si porrò tamen etiam nepotes atq; pronepotes pergant majorũ suorum improbitatem imitari, sumo tandem supplicium. Et hanc, inquit, sententiam res ipsa comprobat. Quintâ enim generatione memorantur Israelitæ Ægyptum reliquisse. Jam verò horum majores, qui Ægyptiorum Deos coluerant, neq; ipsi pœnas dederant, neq; eorum patres, aut avi; sed isti tandem qui sunt quintâ generatione egressi, cùm majorum suorum vestigiis impietatis insisterent, luerunt supplicium; quippe qui post tanta quæ acceperant beneficia, post tot miracula quæ conspexerant, non se abstinuere ab avita improbitate. Porrò horum posteri, cùm servatorē Deum amarent, iis quæ majoribus suis promissa fuerant ipsi sunt potiti. Hæc ferè Theodor. Quæst.40. in Exod. Quibus etiam illa sunt consentanea quæ a plerisque Judæis qui eum locum tractaverunt scripta legi. Dicunt enim isti, Differre Deum patris supplicium, si fortè resipiscat, aut probum filium gignat; at si posteritas majorũ suorum vitia non declinaverit, tum demũ illum pœnas poscere, memorem eorum quæ majores continuâ serie patrarunt maleficia. Unus tamen Nehmannus aliter sentit, arbitratur enim parentũ idololatriam quam vocamus, luere filios, si etiam ipsi colant idola; at in cæteris peccatis vera esse quæ sunt ab Ezechiele dicta. Similiter atq; civiles leges minutæ majestatis crimen, non autem alia maleficia, vindicant in filiis. *L.* Quisquis 5. filii verò. *C.* ad Leg. Jul. Majest. Ego verò, cùm animadverto illud, *visitare scelera patrum in filiis*, &c. inter alia magnæ Dei misericordiæ argumenta commemoratum esse in Exod.34.7. non possum facere ut non vehementer probem posteriorem Theodoreti sententiam. Sed cùm me non nihil offendat verbũ פקד, h.e. *vindicare*, quippe quod non satis rectè videtur ad dilatam procrastinatámq; ultionē posse extorqueri, ut existimant illi qui interpretantur *recordari*: Quis enim illud Isa.27.1. *In die illa visitabit Dominus gladio suo rigido & magno firmóq; Leviathan serpentem sinuosum*, &c. non sic accipiat ut putet illo die daturum pœnas serpentem, non autem memorē modò illius futurum Deum? Cùm igitur illius verbi vis, quæ *vindictæ* non autem *memoriæ* significationem facit, refellere videatur quod à Theodoreto acutè & præclarè dictum est, equidem putarim ejus sententiam sic explicari posse; Deum vindicare patrum maleficia in filiis, nepotibus, pronepotibus, quia magna sæpe flagitia in parentibus dissimulat, ad filios, nepotes aut pronepotes usque, de quibus in hac vita nullum poscit supplicium, nimirum exspectans clementer ut resipiscant atque se ipsi emendent: Verùm si iisdem sceleribus & filii & nepotes cæterique posteri se quoq; obstringere pergunt, tum demum connivere atq; exspectare diutiùs ille non potest; sed quæ in majoribus impunita mansere in hoc mundo, ea filii, nepotésve, aut pronepotes non impunè habent. Nam ex perpetua impunitate

atque licentia opinio facilè in omnium animis nasceretur, Nullâ Dei providentiâ regi mundum; quâ opinione nulla possit esse ad quietam hominũ vitam pestilentior. Hinc ergò perspicuum, opinor, evadit, primò, Ad Divinam pertinere misericordiam quòd majorum scelera patienter sæpe ferat usq; ad tertiam aut quartam generationem; Quòd autem tunc tandem posteros plectit, id ad providentiæ ejus opinionem planè in repub. necessariam spectare; deinde, Posteros non ipsas parentibus debitas ob sua flagitia pœnas pendere (eas enim hi in altera vita justissimas daturi sunt; & eò graviores quò tardiores) sed sua delicta luere, quæ parentum suorum delictis similia in se ipsi admisere. Etenim ità ferè est hominum judicium, ut, si quis, quod sui majores impunè fecerunt, id dum ipse quoque facit, plectatur, illico clamitet in se non tam quod ipse quàm quod illi commiserunt vindicari. Summa est, Pœnas tandem dare filios aut alios posteros de majorum suorum sceleribus, non quidem iis ipsis sceleribus quorum noxia penes majores erat, sed similibus, si similia patrent, & majorum vestigiis insistant. Et hâc ratione, nisi fallor, cùm Theodoreti sententia sustinetur, tum sua verbo פקד vis atque significatio conservatur. Sed enim ogganniunt etiamnum contentiosi homines, Eum qui cæcitatis malo apud Joannem 9. 3. laborabat, *neque suorum parentum neque sui peccati pœnas dedisse, sed illo corporis vitio fuisse affectum ut operum Dei in ipso specimen ederetur.* Non ergò dabat ille pœnas noxiâ quapiam suâ dignas, quod axioma antè à nobis positum est. Sed facilis est responsio, Cæcitatem, præsertim si ab ipso ortu insit homini, non tam pœnam dici debere quàm ad multa vitia declinanda utile umbraculum & latebram. Cæcus enim, etsi alba nigráque discernere non potest, at bona, mala, æqua, iniqua, honesta, turpia potest. Idq; adeò verùm est ut sapientes homines putaverint impediri etiam animi aciem, in qua summæ felicitatis posita est ratio cùm in Deum intenditur, eam, inquam, impediri oculorum aspectu; & Tiresiam cæcum Homerus Odyss. κ. *solum sapere* apud inferos finxerit, cùm *cætera omnes animæ umbrarum modo vagarentur.* Et verò quis puniri se à Deo possit jure queri, si non perfectissimi hominis partes atque naturæ instrumenta omnia nascens accepit, quando, quantulumcunq; id est quod accepit, gratuitum planè hoc esse fateri debet? Sed ut rem propiùs attingamus, quæ est illa inscitia, existimare Christum illis verbis aut cæcum aut ejus parentes omnis peccati expertes facere & puros, cùm ait, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus?* Volebat ille discipulorum suorum intempestivam curiositatem, quâ de aliorum hominum peccatis inquirebant, convertere ad id quod agebatur, h.e. ut ex re inaudita omnibus seculis atq; insolita intelligerent tum ipsi tum cæteri homines æternum Dei filium æquè pari cum Patre potentiâ pollentem venisse in mundum. Quamvis enim, ut dixi, nihil unquam adversi patiantur homines de quo queri meritò possint: tamen ipsis ærumnis plerumq; sic utitur Deus ut non tam peccatorum pœna sint quàm ut utilitatem cùm ei qui illas sustinet, tum sæpe multis simul aliis, & interdum etiam reipub. afferant. Sed jam revertamur ad S. verba, nè prolixiores quàm par sit simus.

22. *Dixerat autem Josua duobus illis viris qui speculati fuerant,* &c.] Utor præterito plusquam perfecto, ut Grammatici loquuntur. Non enim credibile est Josuam captâ jam urbe, grassantéque promiscuâ omnium cæde, sed maturè, cùm alia moneret, quæ v.17. sunt exposita, simul ista edixisse; Et rectè quidem *duobus illis speculatoribus*, ut qui remotam abditámque in extremo quopiam urbis angulo pauperculæ mulieris domunculâ soli facilè invenire, atque vel ex rubro filo, quo effugium illud suum fenestram notatam meminerunt, internoscere possent. Sed nescio an non ipsi hanc sibi provinciam dari ultro postularint ab Imperatore, cùm ad suam fidem pertinere scirent, nè sacramentum simul cum hospitii jure violarent. Certè Imperator integerrimus ipsis jusjurandum suum in memoriam reducit. Etsi enim eo, quod privatim dederant, Imperatorem aut exercitum non obligassent, tamen cùm ipsi saltem sacro nexu obstricti tenerentur, summa optimi Imperatoris religio etiam de duorum gregariorum militum suorum fide solicita fuit. Quòd si nostri seculi Ductores atq; exercituum Imperatores hujuscemodi exempla sibi imitanda esse statuerent, profectò minùs funesta bella gererentur, quæ nunc ad omnem omnium barbarorum immanitatis speciem nihil sibi, non solùm apud hostes, sed, quod est indignissimum, apud socios atq; amicos etiam, faciunt reliqui. Scribit quidem Josephus Antiq. l. 5. illud speculatorum jusjurandum pòst ab Imperatore atque Pontifice reliquóque Senatu approbatum sancitúmque fuisse; quàm verè, ipse viderit, mihi certè non fit verisimile, quando Josua ait, *Sicut illi jurastis*; non autem dicit, *juravimus.*

23. *Et ingressi fuerant pueri exploratores, eduxerántque ipsam,* &c.] R. Solomon autumat exploratores נערים *pueros* aut, ut interpretatur Chaldæus, *adolescentes* aut *juvenes* hoc loco vocari, quia opus fuerit juvenili alacritate atque agilitate ad eripiendam præsente periculo mulierem in promiscua civitatis clade & furore militari. At Kimhi ait apud Hebræos omnem ministrum vocari נער, similiter videlicet atque Latini *puerum* dicunt; exploratorésq; illos aut Josuæ aut alius viri magni famulos fuisse. Ego in re incertissima accedere malo Solomoni, cujus conjectura melior videtur. Stipulata quidem fuerat Rahab etiam sororibus suis salutem, & tamen earum nulla hîc est mentio. Existimandum igitur est eas *fratrum* nomine intelligi, aut eâ quæ subjungitur universitatis clausulâ contineri, aut denique salutem voluptatibus suis posthabuisse. In vetustissimis Commentariis quæ in historiam Ruth scripta inscribuntur מדרש רות proditum est R. Simeonem F. Johai dixisse, cùm illam verborum complexionem tractaret, *Omnes cognationes ipsius eduxerant*, Rahabam illâ suâ fide tantam esse consecutam apud Deum gratiam, ut etiam si ducentos homines cognatione sibi conjunctos illa habuisset, atque illi cum ducentis alienis prosapiis affinitatem contractum ivissent, omnes illæ familiæ fuerint illius gratiâ futuræ salvæ. Et sanè fuisse non parùm multos ejus gentiles qui se salutis causâ ad ipsam receperant, conjectura admodum probabilis sumi potest ex plurali numero nominis משפחות *cognationes* sive *prosapias.* Itaq; etiam hîc lucu lentissimè apparet typus imperii Josuæ illius nostri expressi, h. e. Jesu Christi: Cui cùm se Rahab, h.e. Ecclesia, ut antè diximus, submisisset, mox catervatim ad eam confugerunt gentes undiquaque salutis causâ. Antè nè duo quidem generi, h. e. summâ necessitudine devincti homines, ut Loth socerum suum maximæ auctoritatis virum sequerentur induci potuerant, sed illum vera præmonentem ludibrio habuerant, Gen. 19. 14. & Abrahamum suus parens trans flumen ut comitaretur persuasus non fuerat Gen. 11. 32. ad Rahabam autem mulierculam multis nominibus contemptam, ut videbatur, & sortis infimæ atque despicatissimæ, cùm primùm salutis ipsa spem ostendit, omnes qui quidem aliquâ affinitatis necessitate eam attingunt se conferunt promptissimè. ¶ Porrò quòd Rahab extra castra cum suis collocatur, id ad Religionem spectat, ut aiunt Hebræi. Et si enim illa jamdudum Israelitarum fidem animo colebat, ut suprà audivimus, tamen solenni professione nomen adhuc non dederat. Hoc porrò ubi factum erit, habitabit inter Israelitas. Hæc ferè Kimhi. Nemo certè Israelitarum nesciebat, alienigenas esse Rahab, cum suis cognationibus; an verò colere alienos Deos desiissent, & Mosis legem accepissent, id non erat pervulgatum: Ad hoc, opus erat non solâ fide, sed etiam sacris ritibus initiari, priùs quàm in numerum populi Dei quis referretur. Nam etsi mulieres non circumcidebantur, tamen certum est aliis eas ceremoniis Deo, veluti dicari solere, cùm nomina ipsis imponerentur. Castra autem sancta existimari volebat Deus, tanquam in quibus ipse mediis versaretur, cùm in Arca quasi quodam prætorio habitaret. Afferebat enim opinio præsentiæ illius religionem universo utilem populo, cùm putaret se quisque perpetuò in Divinæ Majestatis conspectu versari. Atque hujus opinionis gratiâ confirmandæ augendæque in populi animis institutæ potissimùm sunt leges illæ de segregandis semovendísque à castris quicunque essent certis morbis affecti certísque polluti

polluti sordibus, quæ in Numeris scriptæ sunt. Id enim apertè ostendit quæ subjicitur ratio, Num. 5. 3. *quoniam ipse Dominus in castris habitaret.* Eodem etiam spectat illud, quòd à Madianitarum cæde revertens miles, quamvis ipsius Dei jussu patrata, septem solidos dies manere extra castra debet, neque nisi interea bis expiatus intrò admittitur, Num. 31. 19, 24. Non ergò mirum est si jam homines recèns ab impio deorum cultu venientes removentur à castris. Accedit autem huc alia quoque ratio cur isti aliquantisper à sacro cœtu prohibendi essent. Nimirum eâ re sua probæ religioni dignitas conservabatur, & contrà superstitionis indignitas, aut turpitudo veriùs, declarabatur, cùm alieni ab Israeliticis ritibus sacrisque illi, tanquam profani, à castris, quasi sacro cœtu arcerentur. Neque verò dubium est quin id animos istorum non parùm usserit, majoreque desiderio suscipiendi cultum veri Dei purámque religionem incenderit. Similiter atque veteris Ecclesiæ melior illa disciplina lapsos, quos vocabant, addmittebat quidem, verùm neque citò neque temerè, ad sui communicationem, de qua re plenæ sunt D. Cypriani doctissimæ epistolæ. Sed dices, Turbam illam Ægyptiorum quæ Israelitas discedentes sequebatur, Exod. 12. 38. submotam à castris non esse, in quibus tamen etiamtum suam Deus præsentiam declarabat, *die quidem per columnam nubis, nocte verò ignis,* Exod. 13. 21. Verùm respondetur, Post conditam demum & consecratam Arcam, atque designatam certam castrorum faciendorum rationem, voluisse Deum peculiariter in castris præsentem se existimari; ideóque priùs de castrorum sanctitate nihil fuisse constitutum. Neque verò dubium est quin Ægyptii illi comites apud montem Sinæum partim Hebræis sacris per circumcisionem initiati sint, Deóque nomen dederint, alii deinceps à castrorum communione prorsus exclusi atque in Ægyptum rejecti fuerint. Sed enim ex his dilucidè quivis intelligere potest quàm maximè à nostrorum exercitius castris abhorrere Deum, à quibus non solùm profani non submoventur (manerent enim deserta & sola) sed probrosum etiam habetur pietatem & religionem vel verbis vel factis ullam præ se ferre, ac non se omnis generis sceleribus magno studio contaminare. Sed quales rerum exitus consequantur nemo pius non videt summo cum animi dolore. Verùm de his nunc hactenus, plura alibi.

25. *Itaque Rahab meretricem, & domum patris ipsius, & quicquid,* &c.] Verbum חיה rursus converti *conservavit.* Sæpe enim non tam *vivere* quàm *sanum salvúmque esse,* cùm leniter inflectitur, significat. Sed Kimhi hoc loco interpretatur *suppeditare victum,* putat enim ille id dici, quod etiam Josephus Antiq. l. 5. est opinatus, Josuam donasse mulieri possessiones & opes quibus se suósque aleret: atque eodèm accommodat etiam illud quod subjicitur, *Mansitque in Israel ad hunc usque diem.* Verùm id profectò vi verbi חיה confici non potest; ut multò etiam minùs illud quod Doctores Hebræi somniasse veriùs quàm judicasse videntur, Josuam duxisse Rahabam uxorem; ad seminis enim propagationem pertinere hoc verbum, cùm sit ab eo ductum nomen matris generis humani חוה *Eva.* Sed piget adscribere quibus deinde excusent rationibus violatam legem quâ interdictum fuit Israelitis Chananæorum affinitate. Porrò quod Rahab memoratur *mansisse in Israele usque ad hanc diem,* sic est accipiendum, meo certè judicio, Quòd Rahabæ posteritas inter Israelitas etiam tum communi jure atque religione vivebat quando ista historia, post aliquot ætates ex quo tempore res gesta fuerat, conscribebatur, sive ab Ezdra ex sacris annalibus, sive alio quopiam, ut in Præfatione dicebamus. At D. Augustinus Quæst. in Jos. suo more explicat, quasi Rahab sic jure communicationis Israelismi donata sit ut cùm ipsa tum ejus posteritas eo in perpetuum uti possint, neque ea donantium liberalitas certo definita circumscriptáque tempore fuerit. Theodoretus cum Origene ἀναγωγικῶς scitè exponunt de illo Pauli oleastro qui oleæ ramis est insitus, Rom. 11. 17. ¶ Quod porrò sequitur, *eò quòd absondisset nuncios,* &c. antè etiam dictum est. Sed sæpius monere nos voluit Spiritus S. eam fidem quæ per charitatem operosa est salutis æternæ efficientem esse. Non sanè tanti fuit viros hospites non prodidisse; vulgare enim id officium, si per se æstimetur, videri potest, eorum salutem defendisse quam ei crediderant. Verùm illa cùm apud animum suum statuisset, Israelitarum Deum in cœlo terrâque solum regnare, neque in majorum suorum diis quidquam esse præsidii, gratiæ, opis, ac proinde spem suam omnem in illo collocavisset, hoc sic affecto animo pro viribus voluntatem consiliúmque illius adjuvabat, eáque quæ potuit officia libenter faciebat, vel cum vitæ suæ præsentissimo periculo. Sed de his plura c. 2. nunc hactenus. Verùm enimvero moveri magnâ ratione quæstio potest hoc loco. Quî licuerit Israelitis mulierem hanc Chananæam cum suis conservare adversùs apertissima atque explicatissima Dei jussa, & quidem sæpe inculcata, quibus ille sanciverat legem, nè cum Chananæis aut fedus inirent, aut vitæ eorum parcerent, sed internecione omnes delerent, Exod. 23. & 34. Deut. 7. & 20. & aliis locis. Sed hanc quæstionem quia in Gabaonitarum historia tractabimus, si vita suppetet, hoc solum nunc dicam, Meo judicio, legem illam hâc æquitate moderandam interpretandámque esse, ut ad eos qui pacem petant suásque superstitiones cum pura religione mutare parati sint non pertineat. In hanc enim opinionem inducor cùm ipsis S. historiæ exemplis rebúsque gestis, tum illis etiam verbis quæ c. 11. 19. legimus, *Non erat urbs quæ pacem faceret cum filiis Israel, præter Hevæos cives Gabaonis;* & insuper ipsâ legis ratione quæ ab ipso Deo est allata, hanc dico, Nè Chananæorum superstitionibus inficeretur populus Israeliticus. Neque enim contagio ab illis metuenda est qui sani prorsus facti sunt. Et hanc opinionem habent etiam Hebræi, quamvis rigidi Scripturæ interpretes, præsertim quando ipsorum gentiles aliis nationibus sunt præponendi. Inter alios enim Nehmannus tractans illa in Exodo verba 23. 32. *Non feries cum eis fedus, neque cum diis ipsorum,* Hoc, inquit, est, Tantisper dum adhuc colunt suos deos, non sancias fedus cum ipsis. Verùm si conditionem acceperint non colendi ampliùs falsos deos, jam non fuerit nefas fedus cum ipsis inire. Sed plura c. 9. si volet Deus.

26. *Imprecabatur autem Josua eo tempore, dicens, Maledictus,* &c.] Quod est Hebraicè וישבע, interpretor *imprecabatur.* Animadverti enim hoc verbum, quod alioqui *jurisjurandi* habet notionem, usurpari interdum pro *imprecari cuipiam,* sed adhibito Dei nomine; quâ re jurijurando affine est. Etenim jusjurandum nihil aliud est quàm quædam precatio, quâ nobis ipsi mala precamur, si fallamus; aut bona, si fidem servemus. Sic in Numeris 5. 19, & 21. Sacerdos precatur mulieri de adulterio accusatæ, ut ei innocenti innoxia sit præparata potio, at nocenti pestilens & exitialis, neque enim jurijurando illic locus esse potest. Et sunt qui illud Davidis Psal. 102. 9. מהוללי בי נשבעו interpretentur, *Qui laudabant me, illi dira mihi precabantur, & tanquam Deo invisum detestabantur.* ¶ Porrò illud *surget* Latinus, Theodotionem, opinor, secutus, convertit, *suscitabit,* tanquam יקים per tertiam vocalem in secunda syllaba legerit, cùm sit nunc in omnibus libris eo loco vocalis quinta. Est autem Hebraismus ille frequens, *Qui surget,* pro *qui nascetur,* aut *qui olim futurus est.* ¶ Pleonasmum autem illum, *Urbem istam, ipsam Jericho,* quem LXXII & Latinus, ut supervacaneum, non expresserunt, Doctores Hebræi in Synedrio, c. 11. sub extremum, ad hunc modum explicaverunt, *Neque hanc ipsam urbem instauret quispiam, alio ei imposito nomine, neque aliam urbem hoc nomine struat.* Atque hanc Doctorum Hebr. sententiam Kimhi quoque laudat. Sed R. Moses Maymonius apud Judæos scriptor insignis, putat Josuam hâc dirâ detestatione hoc potissimùm egisse, ut æternum exstaret monimentum Divinæ potentiæ & vindictæ, quod in muris, qui subter se dedederant in terram, luculentissimè conservabatur, tantisper dum illi intacti manerent. Et sanè sive illi sic desederint, quod Doctores Hebr. somniasse videntur, ut antè dixi,

dixi, sive collapsi fuerint, quàm diu locus non eruderabatur, sed ruinæ indicia manebant, tamdiu manebat & miraculi Divini memoria. Nam cæteroqui locum ipsum non fuisse per se exsecrandum & detestabilem, argumento satis magno est, quòd, etsi pessimè ei cessit qui diras istas quæ per Josuam nunc obnunciantur neglexit, ipsa tamen semel instaurata urbs commodam deinceps habitationem hominibus præbuit, neque à sanctissimis viris & vatibus Elia atque Elizæo evitata est: Imò Christus ipse virtutis suæ Divinæ miraculis eam cohonestavit. Quare Maymonii sententia mihi magis probatur quàm eorum qui statuunt dirâ hâc exsecratione notari insignem Jerichuntiorum præ cæteris Chananæis turpitudinem & adversùs Deum impietatem: Similiter videlicet atque Romani dirâ detestatione sanciebant nè eversa Carthago imposterum ab ullo unquam habitaretur, quæ suæ reipub. semper fuisset adversissima atque infestissima; ut memorat, post alios, Zonaras. ¶ Quod sequitur, *In primogenitum suum*, &c. hanc habet sententiam, Quisquis olim aggressus fuerit urbem istam instaurare, id ei in liberorum suorum omnium cedat exitium; sic ut operis auspicium ipsi sit mors filii natu maximi, inter ædificandum verò intereant cæteri, neque extremam addat manum nisi cum minimi natu filii pernicie. Nam ut fundamenta jaci prima solent ædificiorum, ità fores postremæ locari. Quàm dira autem tristísq; res sit orbitas, quam imprecatur Josua instauraturo subversam à Deo urbē, rectè judicari potest atq; æstimari ex dulcissima illa, ut sic dicā, benedictione quâ Deus eos qui se ritè colunt bonorum liberorū numero veluti beat, apud divinum Vatem Psal. 128. & aliis locis. Quæ autem hoc loco LXXII de suo adscripserunt, sunt ea ex tertio libro Regum petita, ubi sic scriptum est c. 16.34. *In diebus ejus* (de Rege Achab mentio est) *exstruxit Hiel civis Beth-el Jerichuntem. In Abiram filium suum natu primum jecit fundamenta ejus, & in Segub filium suum minimum locavit fores ipsius, secundùm verbum Domini quod locutus fuerat per Josuam filium Nun.* Dei ergò operta hîc proferebat Josua, non autem ex sui animi affectione quapiam aut perturbatione malè precabatur urbi quam vastabat; & si id in S. historia est silentio dissimulatum, ut sæpe alia, quæ suis locis notavimus. At enim quòd in Regum historia nominetur *Segub* quem LXXII hoc in loco διασωθέντα vocant, ipsa nominis *Segub* notatio in causa est. Significat enim שגוב *Segub* τὸ διασωθέντα. Sed cur isti *Osam* vocent qui in Hebræo *Hiel* dicitur, nondum mihi satis liquet. Verùm hoc constat, multos in S. historia binomines memorari.

27. *Dominus porrò erat cum Josua; & fama ipsius erat per universam terram*] Hunc versiculum pluribus verbis explicavit Chaldæus in hanc ferè sententiam, *Erat autem verbum Domini auxilio Josuæ: Et erat fama ipsius multa*, sive ut habet meum exemplar ms. Complutense, *Et verbum ipsius multiplicabatur augescebátque, per universam terram.* Est autem anceps omnino oratio, Deine fama an Josuæ per omnem regionem & hominum ora celebris fuerit. Ego tamen de Josuæ fama accipiendum puto quod dicitur. Nam Chananæorum, de quorum terra mentio est, vix ulli; qui erat ipsorum stupor, aut cordis durities, ut vocatur, ex eo nata quòd per diutina sua flagitia aditum efficaci gratiæ Dei in suos animos præclusissent; eorum, inquam, vix paucissimi permovebantur ad agnoscendam Dei potentiam. Sciens hoc loco prætereo quæ Judæi veteres in Bereschith rabba sive *magna Genesi* fabulantur de divulgata Abrahæ, Josuæ, Davidis, Mardochæi denique fama per signatam illorum insignibus monetam. Sed quodnam fuerit illud *Dei verbum* de quo Chaldæus, disputatum satis est à nobis suprà 1.5. Ut autem paucis, & tanquam uno digito, attingam hujus universi loci angogen, Arca, ut diximus, adumbrabat Jesum Christum, *in quo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter.* Is cùm ex Jordane ascendisset Matth. 3.16. in quo cum Joanne Baptista steterat, cœpit mox Satanæ munitionibus circumdatum mundum atque occlusum, cùm suâ ipsius tum suorum discipulorum circuitione & sacerdotum tubis, quarum Isaias meminit 58. 1. oppugnare, quod cùm per septem dierum spatium facere non desistit, h.e. toto isto *tempore accepto*, ut Paulus cum Isaia vocat 2 Cor. 6. 2. Isa. 49. 8. & hisce *diebus salutis*, qui septenarii numeri vicissitudine vertuntur, muri illi corruunt. Et qui in domum Rahab confugerunt, ex qua pendet salutare illud contortum plagis & doloribus ac sanguine quasi cocco tinctum signum, h.e. in Catholicam Ecclesiam, quæ crucifixum Christum pro insigni habet, in eáque se continent, ii salvi sunt: reliqui cum rebus suis omnibus malè perduntur. Si quid tamen in istorum bonis est quod Dei thesaurum, legitimum Dei cultum purámque & probam religionem, ornet, id sic conservari oportet ut in Dei tabernaculum inferatur, & Ecclesiæ utilitatibus serviat. At si quis quod vel abolitum, ut piaculare & impurum, vel in Dei thesaurum repositum oportuit, id sibi privatim usurpaverit, eóque se præ aliis in populo Dei superbè jactaverit, is à sacro cœtu lapidibus est obruendus, ut Achan, de qua re multis egit D. Augustinus libro De doctrina Christiana, atque etiam alibi.

IDEM.

1. POst συγκεκλεισμένη addendum est ἦν, ex Syro & Vat. ¶ Post ὠχυρωμένη habet m. ed. complexionem verborum hanc, cum stellula, ✱ ἀπὸ προσώπου υἱῶν Ἰσραὴλ ↙. ¶ Illud, ÷ ἐξ αὐτῆς ↙, signandum obelo est.

2. Omittatur ἐγὼ, atque dativus σοὶ locetur post ὑποχείριον. Mox illud, ÷ τὸν ἐν αὐτῇ ↙, signetur obelisco. Est quidem hîc in Vat. codice scriptum, δυνατοὺ ὄντας ἐν ἰσχύι, apud Compl. verò, καὶ δυνατοὺ ἐν ἰσχύι, verùm Syrus planè secutus est vulg. librorum scripturam, nisi quòd videtur legisse articulum, τοὺ δυνατοὺς, &c. & hæc lectio cæteris melior est, meo certè judicio. In proximis versiculis, usque ad decimum, est interpretatio LXXII admodum curta, eóque dissimilis Hebræo, & ferè hujusmodi qualem Scriptura vulg. codicum nobis ante oculos ponit. Quapropter unico contextu dicam qualis hîc sit editio mixta; & quæ à LXXII omissa sunt, ea asteriscis notabo; quæ verò illi de suo addiderunt, obeliscis. Igitur auspicando à versu tertio, sic habebat ed. m.

3. ÷ Σὺ δὲ ↙ περίστησον αὐτῇ πάντας τοὺς μαχίμους κύκλῳ, ✱ καὶ κυκλώσατε τὴν πόλιν πάντες ἄνδρες πολέμου, κύκλῳ τῆς πόλεως, ἅπαξ. οὕτω ποιήσετε ἓξ ἡμέρας ↙.

4. ✱ Καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας τοῦ ἰωβὴλ ἐνώπιον τῆς κιβωτοῦ. καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ κυκλώσατε τὴν πόλιν ἑπτάκις. καὶ οἱ ἱερεῖς σαλπιοῦσιν ταῖς κερατίναις ↙.

5. Καὶ ἔσται ὡς ἂν σαλπίσητε τῇ σάλπιγγι ✱ τοῦ ἰωβὴλ, ἐν τῷ ἀκοῦσαι ὑμᾶς τὴν φωνὴν τῆς κερατίνης ↙, ἀνακραγέτωσαν πᾶς ὁ λαὸς, καὶ ἀνακραγόντων αὐτῶν πεσεῖται ÷ αὐτόματα ↙ τὰ τείχη τῆς πόλεως ✱ ὑποκάτω αὐτῶν ↙, καὶ εἰσελεύσονται ÷ πᾶς ↙ ὁ λαὸς ÷ ὁρμήσας ↙, ἕκαστος κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ ÷ εἰς τὴν πόλιν ↙.

6. Καὶ εἰσῆλθεν Ἰησοῦς υἱὸς Ναυὴ πρὸς τοὺς ἱερεῖς ✱ καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, Λάβετε τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης. καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας τοῦ ἰωβὴλ πρὸ προσώπου τῆς κιβωτοῦ τοῦ Κυρίου ↙.

7. Καὶ εἶπεν ÷ αὐτοῖς, λέγων, παραγγείλατε ↙ τῷ λαῷ περιελθεῖν, καὶ κυκλῶσαι τὴν πόλιν. καὶ οἱ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ÷ ἐνωπλισμένοι ↙ ἔναντι ✱ τῆς κιβωτοῦ τοῦ ↙ Κυρίου.

8. ✱ Καὶ ἐγένετο ὡς εἶπεν Ἰησοῦς πρὸς τὸν λαὸν ↙, καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς ἔχοντες ἑπτὰ σάλπιγγας ἱερὰς, ÷ παρελθέτωσαν ὡσαύτως ↙ ἐναντίον τοῦ Κυρίου, παραπορευέσθωσαν, καὶ σημαινέτωσαν εὐτόνως· καὶ ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης Κυρίου ἐπακολουθείτω ✱ αὐτοῖς ↙.

9. Οἱ δὲ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ἔμπροσθεν, ÷ καὶ ↙ οἱ ἱερεῖς ✱ οἱ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις ↙, καὶ οἱ οὐραγοῦντες ὀπίσω τῆς κιβωτοῦ ÷ τῆς διαθήκης τοῦ Κυρίου ↙, πορευόμενοι, καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις.

10. Post ὑμῶν infarcit ed. m. per asteriscum hanc verborum periodum, ✱ καὶ οὐ διελεύσεται ἐκ στόματος ὑμῶν λόγος ↙. ¶ Pro ἡμέρα scribe ἡμέραν. ¶ Pro αὐτὸς scribe ὑμῖν, ex Syro, nisi si magis probas Vat. codicis scripturam, quæ est hoc loco hujusmodi, ἕως ἂν ἡμέραν διαγγεῖλαι αὐτὸς ἀναβοῆσαι ¶ Scribendum est, mutato ordine, καὶ ἀναβοήσετε

ὅτε ÷ τότε ⸓, posito verbo in futuro modo finiti, & particulâ τότε notatâ obelisco.

11. Illud, ÷ τῆς διαθήκης ⸓, jugulandum obelo est; illud verò κύκλῳ, asterisco. ¶ Pro ηὐλίσθη habent quædam exempl. ἐκοιμήθη.

12. Illa verba, ÷ τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ ⸓, debent obelisco signari. ¶ Illud, τῆς διαθήκης, est expungendum.

13. Post σάλπιγγας addit m. cum asterisco ※ ἱερεῖς ⸓, & similiter post ἔναντι addit ※ κιβωτοῦ ⸓. Legendus est igitur hic locus trajecto verbo hoc modo, φέροντες τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας ※ ἱερεῖς ⸓ ἔναντι ※ κιβωτοῦ ⸓ Κυρίου προεπορεύοντο. Cùm autem continuò sequitur, καὶ ÷ οἱ ἱερεῖς ⸓ ἐσάλπιγξαν, &c. debet illud, οἱ ἱερεῖς, obelo jugulari. Mox illud, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος ἅπας, est quidem à Syro lectum: verùm tamen expungendum procul dubio est, ut pote ex margine mendosè admissum in S. textum, tanquam interpretatio altera Hebraici vocabuli החלוץ, pro quo à LXXII rectè redditum est οἱ μάχιμοι. ¶ Post μετὰ ταῦτα legit Syrus καὶ ὁ λοιπὸς λαὸς, pro eo quod est in libris vulgatis, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος. ¶ Illud, ÷ τῆς διαθήκης ⸓, signetur obelo. Quod autem hic post Κυρίου sequitur, nempe ※ πορευόμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις ⸓, debet appositum asteriscum habere. Non est enim ipsorum LXXII. Quæ verò deinceps sunt, hæc dico, καὶ οἱ ἱερεῖς ἐσάλπισαν ταῖς κερατίναις σάλπιγξι, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος, ea sunt omnia expungenda ex S. verbis, ut perperam ex margine adscripta.

14. Initium versûs, nempe, καὶ περιεκύκλωσε τὴν πόλιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ ἅπαξ ἐγγύθεν, (sic enim scribendum est) debet habere asteriscum, est enim omissum à LXXII. Mihi tamen hoc loco illud ἅπαξ suspectum est, quamvis & Compl. & Syrus legerunt. Suscipor enim esse alteram interpretationem illius Hebræi פעם אחת, quam aliquis Hebraicè doctus in margine adscripserit, cùm ei parùm placere posset illud ἐγγύθεν. ¶ Pro οὕτως ἐποίουν scribendum est numero sing. οὕτως ἐποίει, sic enim est in libris bonis.

15. Verbum ἐγένετο initio positum debet notari asterisco, atque etiam illud, ἐν τῇ ἀναβάσει. ¶ Post πόλιν, additum in m. ※ κατὰ τὸ κρίμα τοῦτο ⸓, deinde sequitur, ἑπτάκις, & post hoc adverbium rursus addita est in ed. m. hæc verborum complexio, ※ πλὴν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐκύκλωσε τὴν πόλιν ἑπτάκις ⸓.

16. Rursus verbum ἐγένετο debet notari stellulâ appositâ.

17. Illud, ÷ τῶν δυνάμεων ⸓, debet jugulari obelo. Quæ porrò in hujus versiculi fine leguntur verba, nempe, ὅτι ἔκρυψε τοὺς ἀγγέλους οὓς ἀπεστείλαμεν, ea sunt ab aliis interpretibus accepta, & proinde signanda asterisco.

18. Scribatur φυλάξασθε, modo mandativo, *custodite*, estque ei adjungendum ÷ σφόδρα ※, sed obelo jugulatum. ¶ Cùm dicitur, ὑμεῖς λάβετε, confodiendum est pronomen obelo. Vat. codex habet, ὑμεῖς αὐτοὶ λάβετε, sed perinde est utrum scribas. ¶ Illud, ÷ τῶν υἱῶν ⸓, debet similiter jugulari obelisco.

19. In extremo, pro Κυρίῳ scribatur Κυρίου.

20. Versûs principium à LXXII omissum suggeritur in m. ed. per asteriscum, his verbis, ※ καὶ ἠλάλαξεν ὁ λαὸς ⸓, deinde sequitur, καὶ ἐσάλπιγξαν, &c. ¶ Debet illud, οἱ ἱερεῖς, obelum appositum habere. Ulterius scribe, ἠλάλαξαν ÷ πᾶς ⸓ ὁ λαὸς, ut verbum sit numeri plurium, & nota universitatis habeat appositam obelisci notam, quâ notâ etiam illud insigniri mox debet ÷ καὶ ἰσχυρῷ ⸓. Quod autem mox sequitur, ἅπαν, expungendum est, & similiter illud πᾶς, quod paullò ulteriùs positum in vulg. libris est. Atque hic post λαὸς addendum est εἰς τὴν πόλιν. Quæ verò deinceps sequuntur verba, ※ ἕκαστος ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ, καὶ κατελάβοντο τὴν πόλιν ⸓, ea omnia, ut à LXXII prætermissa debent asterisco signari. Cæterùm illud ἔξω, quod in quibusdam vulg. libris est, expungendum est.

21. Initio versûs expungendum quoque est nomen Ἰησοῦς, & verbum numero plurium scribendum, hoc modo, καὶ ἀνεθεμάτισε ÷ αὐτὴν καὶ ⸓ ὅσα, &c. Pronomen tamen & insequens copula sunt juguranda veru. ¶ Pro πρεσβυτέρου habet Vat. codex πρεσβύτου, & rectè. ¶ Cùm est in vulg. libris, καὶ ἕως πρεσβύτου, expungendum est illud ἕως, reliqua verò sunt juguranda obelo.

22. Illud, τὴν γυνὴν, debet signari asterisco; & similiter τῆς πόρνης. Ulterius scribendum est trajectis verbis, οἰκίαν αὐτῆς. Denique in fine apposita est in ed. m. per asteriscum hæc oratio, ※ ὡς ὠμόσατε αὐτῇ ⸓.

23. Illa verba, ÷ τὴν πόλιν, εἰς τὴν οἰκίαν τῆς γυναικὸς ⸓, debent jugulari obelo; similiter illud, ÷ τὴν πόρνην ⸓. Ulterius lege trajectis verbis, καὶ πάντα ὅσα ἦν αὐτῇ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτῆς.

24. Pro ἐν πυρὶ est in Vat. ἐμπυρισμῷ. ¶ ἔδωκαν signandum asterisco est. Quæ autem deinceps sequuntur, ea sunt scribenda ad hunc modum, εἰς θησαυρὸν εἰσενεχθῆναι Κυρίου, sic enim legit Syrus. Vat. tamen habet, εἰς θησαυρὸν οἴκου Κυρίου εἰσενεχθῆναι. Sed utrum rectius sit, non potest facilè ullâ conjecturâ colligi. Compl. à Syro stant, nisi quòd Κυρίῳ habent.

25. Lege καὶ ÷ πάντα ⸓ τὸν οἶκον ※ πατρικὸν αὐτῆς, sed nota universitatis habeat appositum obelum. Post ista autem verba suggerit m. ed. hæc, ※ καὶ πάντα τὰ αὐτῆς ⸓.

26. Scribe ὁ ἄνθρωπος cum articulo. ¶ Illud ἀναστήσει καὶ, sive, ut Syrus legit, ἀναστήσει ἤ, habeat appositam asterisci notam, & similiter illud, τὴν Ἱεριχώ, quod ulteriùs positum est. Porrò universa illa narratio interposita, usque ad v. 27. nempe, ÷ καὶ ἐποίησεν οὕτως Ἀζωζάν, sive, ut meliùs habent alii libri, Ὀζάν, ὁ ἐκ Βαιθὴλ, ἐν τῷ Ἀβειρὼμ τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, καὶ ἐν τῷ διασωθέντι ἐλαχίστῳ ἐπέστησε τὰς πύλας αὐτῆς ⸓. (sic enim à Syro lecta ista sunt.) Hæc, inquam, narratio debet tota obeliscis jugulari: nam est à LXXII huc importata ex cap. 16. tertii libri Regum.

DRUSIUS.

2. DIxit Dominus] Per Angelum qui apparuerat. Sed si Christus erat, rectè vocatur יהוה, quod est nomen quadriliterum Jod, He, Vau, He, ac soli Deo tribuitur. R. D. ad h. l. *Dixit per Angelum qui visus ei fuit & ipse vocatur nomine* Domini *mittentis ipsum. Et sic de Angelo qui apparuit Gedeoni, qui dixit*, ERO TECUM, *Dixerunt Doctores nostri*, NOMEN MEUM IN MEDIO EIUS. *Dixit R. Simeon F. Lakis, Docet Deum benedictum communicare & participare nomen suum cum quovis Angelo.* ¶ *Vide*] *Ecce*. Verbum pro adverbio. Sic enim certè Hieron. interpretatur. LXX ἰδὲ. Jon. חזי *Vide*, Zach. 3.4. *Vide, abstuli à te iniquitatem tuam.* ¶ *Jericho*] Cives Jerichuntinos & regem eorum. Scholion, אנשי יריחו, continens pro contento. Sic *Jerosolyma* ponitur pro ipsis incolis; *terra*, pro habitatoribus ejus.

4. *Septem sacerdotes portabunt septem tubas ante arcam: & die septimo circuibitis urbem septem vicibus*] *Numerus septenarius mysticus est, cujus arcanum norunt optime intelligentes*, ait R. D. Sic septem Altaria; septem Juvenci; septem Arietes; septem Species, Triticum, Hordeum, &c. Septem dies Nidda, i. menstruati, & totidem Partûs, & סוכה Tabernaculi, Numerus plenitudinis & perfectionis, numerus Deo charus & acceptus. Septem dies Paschatis, & Tabernaculorum. Excellit in diebus, in mensibus, in annis. Septem dies hebdomadæ, & septimus Annus vocatur *annus remissionis*, השמטה septem Planetæ, qui vocantur *stellæ ministrantes*; septem Columnæ, Prov. 9. 1. septem Archangeli. Septimus ab Adam Henoch; septimus filiorum Davidis Salomo; septimum cœlum *Araboth* ערבות, septimus mensium Thesri. Moses erat septimus à Patriarchis, & Henoch septimus ab Adam, ut diximus. De mysterio ac proprietate hujus numeri videatur Hier. Amos 5. De septenario numero, quid valeat, quantáque mysteria contineat, Augustinus De civ. Dei, l. 11. c. 31. & Vives ad illum locum, Phesictha, 41.4. & 83.1. Liber Musar, 19. 1. Manahem Ebræus, 103.2. Mercerus Job 42.8. Die septimo capta fuit Jericho. ¶ *Septem buccinas arietinas*] *Arietum* est in Ebræo ad verbum, si modò יובלים sunt *arietes*, de quo dubitare

dubitare nôs facit Andreas Masius. Nam, *cornu arietis*, inquit, *solidum est, cùm esse oporteat cavum ut inflari possit*, quasi verò arte cavari non possit. In Arabia, inquit R. Aquiba, vocant arietẽ *Jubla*; inde annus *Jobilaeus*, quòd tunc hujusmodi buccinâ clangerent & personarent. Hier. h. l. *septem buccinas, quarũ usus est in jobilao*, q.d. *buccinas jobilaeas*. Sed Graeci maluerunt reddere σάλπιγγας, i. *tubas*, & quidem ἱερὰς *sacras*: cùm tuba potiùs חצצרה dicatur. Ea ex argento fiebat. Thargum Jon. *septem buccinas cornu*, sive *ex cornu arietum*, sive *arietino*. Interpres iste vixit circa tempora Christi, diu ante Aquibam Pharisaeum, à quo Judaei putantur accepisse quod scribunt de cornu arietis. R.D. ad h. l. *Jobelim sunt Arietes. In monumentis Doctorum nostrorum dicit R. Aquiba, Cùm irem per Arabiam audivi qui vocarent arietem Jobela.* Etiam Sym. vertit *buccinas arietinas*. Quin ipsa buccina talis היובל vocatur, Exod. 19. 13. q. κεράτινη dicas, unde & קרן היובל Jos. 6. 5. *cornu arietinum*. In Gemara, *Quid significat Jobela? significat Arietem.* Gerundensis annotat Lev. 216. 1. *non omnem buccinam ex cornu arietino fuisse*. R. Abraham qui *Abenezra* cognominatur ait *Jobel* habere sensum *dimissionis*, quia tunc omnes dimittuntur ad fundum suum, vel quòd tunc bona & possessiones fundíque ad pristinum dominum reducerentur, quod הוביל dicunt. Sanè Senes habent ἐνιαυτὸς ἀφέσεως σημασίας, quia eo anno possessiones fundíque elocati redibant ad suos dominos, servi dimittebantur, captivi relaxabantur. Quidam, *buccinas jubilantes*. Nam *jubilum* deducunt à *Jobel*, & *Jobel* à *Jubal*, qui Musica instrumenta primus invenit.

5. *Cùm protrahetur cornu arietino*] *Cùm producetur clangor*, התקיעה R.D. *Quando tractim*, aut *productiore sono, clangetur*, במשוך passivè, ut לקרא *invocari*, & alia ejus generis. Hîc *cornu* dicit quam priùs *buccinam* vocavit. Rectè ergò ab Aquila *buccina* redditur κερατίνη quod à *cornu* derivatum. *Cornu* enim κέρας. Santes, *Quando protrahent sonitum*. Hier. *Cùm insonuerit vox tuba longior atque concisior*. Vide Masium. ¶ *Vox buccina*] Sonitus buccinae. ¶ *Ululabit ululatu magno*] תרועה est *genus clangoris, citus concisúsque fragor, ad militum animos accendendum*; item *ululatus vincentis exercitûs*: quem Chaldaei יבבא, Graeci ἀλαλαγμὸν appellant. Vegetius *barritum*, nisi fallor. Ejusmodi clamorem edunt milites in congressu acierum, aut quando urbem aliquam expugnaturi sunt. Hier. Amos 2. 2. תרועה *ululatus vincentis exercitûs*. ἀλαλαγμὸν Senes interpretantur Psal. 89. 15. Aq. quoque & Th. Job 33. 26. Videndi sunt R. Levi Lev. 23. 24. Autor libri Musar, 61. 2. & Phesictha 30. 1. Rursum Psal. 27. 6. in Lxx θυσίαν ἀλαλαγμοῦ, ubi in fonte זבחי תרועה *sacrificia jubili*. Quanquam in libris quibusdam αἰνέσεως. Senes σημασίαν reddunt, Num. 10. 5. ¶ *Et cadet*] *Et* hîc valet *tunc*, vel, *cadet enim*. ¶ *Murus*] Pars muri. Nam in muro erat domus Rachabae, quae unà cecidisset si totus murus corruisset. Ideo credibile est tantùm eam partem muri cecidisse quae castra Israelitarum spectabat. ¶ *Sub se*] *Hac verba indicant non tantùm collapsum fuisse murum sed etiam absorptum ex parte*, R.D. *pars enim superior exstabat*, inquit idem R. Fides penès ipsum esto. Verior interpretatio, *sub se*, in loco suo.

7. *Et dixit*] Scriptum, ויאמרו *& dixerunt*, sub. *Josua & sacerdotes*, & lectum, ויאמר *& dixit*, Josua tantúm. ¶ *Expeditus*] Expeditus quisque, qui lumbos armis accinctos habebat. Ebraei ferè restringunt ad filios Ruben, Gad & dimidium tribum Manasse, qui expediti procedebant coram fratribus suis. Alii latiùs extendunt ad omnes eos qui in castris armati & expediti erant; quasi verò & tribus Dan non habuerit suos armatos & expeditos. Masius hîc repraesentatum existimat ordinem castrorum qui observatus fuit in deserto, quem invenies notatum ab eo ad v. 9.

9. *Colligens*] *Extremum agmen claudens*. Lxx οἱ ἱερεῖς οἱ οὐραγοῦντες. Paulò pòst, ὁ λοιπὸς ὄχλος, ut hîc Hieron. *reliquum vulgus*. Thargum, *tribus domûs Dan*. Nam haec tribus claudebat extremum agminis, & q. caudam exercitûs. Phesictha, 44. 2. *Vexillum castrorum Dan colligebat omnia castra*. R. S. *Qui vadit post castra vocatur Colligens*. Jes. 52. 12. *colligens vos*, i. extrema vestra acies. ¶ *Eundo & clangendo*] Pertinet ad Sacerdotes buccinis clangentes, non ad extremum agmen, & est sensus, Magìs magísque clangendo. Sic, *Ibat & crescebat aqua*, Magìs magísque crescebat.

13. המאסף] Tribus modis interpretantur Lxx; Num. 10. 25. ἔσχατος πασῶν τῶν παρεμβολῶν, *extremi castrorum* Jos. 6. 9. οὐραγοῦντες, & hîc, ὁ λοιπὸς ὄχλος ἅπας, ubi Hier. *vulgus reliquum*.

17. *Anathema*] i. res exitio devota, quam non licebat in suum usum convertere. Graecè ἀνάθεμα, & Chald. חרמא. ¶ *Meretrix*] Alii, *caupona*; alii, *meretrix caupona*. Potuit simul esse & meretrix & caupona, non tamen ea vox simul utrumque denotat. Nam si à זנה, sign. tantùm *meretricem*; si à זון, sign. tantùm *cauponam*: unde & מזון *alimentum, cibus*. ¶ *Vivat*] *Salva sit*. Sic, *Vivat Rex*. ¶ *Quicquid cum ea domi*] Sub. *vivat*. Supellectilem etiam conservatam esse docet v. 23. Nota *vivere* dici de re inanima. Aut leges, *quicunque cum ea domi sunt*, ut ad personas tantùm referatur. Hieron. *vivat cum universis qui cum ea in domo sunt*. Lxx, περιποιήσασθε αὐτὴν, *incolumem servate eam*, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῆς, *& omnia qua sunt in domo ejus*. ¶ *Abscondit*] *Occultavit probé*. Nam est החבאתה, cum duplici signo feminino; quod non caret suâ emphasi. Nam *omnis duplicatio*, inquit R. D. *pertinet ad auxesin, & intendit significationem nominis aut verbi*. Sic ישועתה *omnimoda salus*, עזרתה. Videndus R.D. ad h.l.

18. *Cavete*] Ad verb. *custodite*, & *vos* subintelligitur, quod usitatiùs dicunt השמרו in Niphal. Caeterùm *cavete* hoc loco vertit interp. vetus. ¶ *Ab anathemate*] Nè quid in usum vestrum ex eo seponatis aut convertatis, ut Achan fecit. *Anathema* autem hîc dicit rem Deo aut exitio devotam. Mox, *nè anathematizetis*, sign. Rem Deo dicatam auferre; itaque Vau, quod sequitur, in exegesi positum, *Nè anathematizetis, hoc est, nè capiatis de anathemate*, ità R.D. Tremellius, *Ne efficiatis vos anathema, accipientes de isto anathemate*. ¶ *Et exponatis castra Israel anathemati*] Ad verb. *& ponatis castra Israel in anathema*, q.d. & subjiciatis exitio & internecioni. Sanè apud interpretes nonullos pro ἀνάθεμα est ἐξολόθρευσις *exterminatio, internecio*. Quin simul leguntur Jud. 1. καὶ ἀνεθεμάτισαν καὶ ἐξωλόθρευσαν, quae videntur esse duae interpretationes, quae in unam coaluerunt. Ἀναθεματίζω, *extremis diris & exsecrationibus devoveo*, quod Augustinus uno verbo dixit *devoto* & *anathemo*, quaest. 40. Vide Rom. ed. Lat. Num. 21. & Lev. 27. ubi & Liram vide, si vacas. Hier. epist. ad Algasiam, *Anathema interpretatur Occisio*, quaest. 9, p. 432. Sic saepe interpretes Chaldaei. ¶ *Turbetis ea*] *Turbare*, *Achar* dicunt: allusum ergò ad nomen *Achar*, qui & *Achan*, de quo pòst.

19. *In thesaurum* DOMINI, εἰς θησαυρὸν Κυρίου] Sic loquendo significat tentorium conventûs, ubi erant spolia gentis Madian, & aurum quod dederant tribuni & centuriones. Thargum, *in thesaurum domûs, vel sanctuarii, Domini*. Vide nunc, si placet, Masium.

21. *Pueri exploratores*] Ut *puer* sic etiam נער aetatem puerilem denotat suprà 21. *à puero ad senem*. Hîc aliam significationem habet. Nam potiùs denotat *ministros*. Sic in Latio omnes servos *pueros* vocant. Sanè 1 Sam. 25. 9. *pueri Davidis*, pòst v. 10. vocantur *servi Davidis*. Sic alibi, *pueri regis*, ministri ejus. Vide Gen. 14. 24. Fortean exploratores hi Josuae aut alicui ex principibus ministrabant, ità R.D. opinatur. Sed non est necesse eò confugere. *Naar* enim de Josepho dicitur annum XXX agente, & de Reboamo annum agente XLI; & de Josua cùm faceret annum LV. Vide More Nebuchim, fol. 112. p. 1. & Ger. Gen. 37. 3. Abenmelech Exod, 33. *Qui minorennis est vocatur Naar: & quia tales solent ministrare majoribus natu, ideo minister vocatur Puer, etiam atate provectior.* Eadem scribit R.D. ad h.l.

25. *Fecit Josue vivere*] Conservavit in vita, vitam dedit,

dit. Qui ex hoc loco colligunt Josue ipsam duxisse in uxorem, valde falluntur. Nam non Rachab tantum החיה, *in vita conservavit*, sed etiam *domum patris ejus*. Melior expositio החיה מחיה *dedit eis* מחיה, i. *victum*, h.e. agros & possessiones unde vitam sustentare possent. Cæterum extra castra locati fuerunt, quia nondum in fedus Dei recepti, sed adhuc impuri erant. Extra castra fuerunt tantisper dum initiarentur & reciperentur in populum Dei. Vide Num. 31. 19. ubi milites cæde polluti jubentur castrametari extra castra. Quod exemplum alienum videtur ab hoc loco. ¶ *Sedit in medio Israel*] h.e. *mansit*, vel *habitavit*. Quæ ad domum paternam & cognationes ejus extendes, totámque adeò posteritatem. Mansit enim in posteris. ¶ *Usque ad diem hunc*] Particula *usque* non excludit tempus sequens.

26. *Adjuravit*] Vel *obtestatus est*, quo sensu *adjurandi* verbum reperiri testatur Budæus. Vulg. *imprecatus est*. Sic alibi, *per me jurant*, i. exsecrantur, q.d. sum eis formula exsecrationis. ¶ *Coram domino*] Ut, *justus coram Domino*, Sic, *venator robustus coram Domino*. Quidam explicant, *ex decreto Domini*, quod mihi se non adeò probat. ¶ *Surrexerit*] Exstiterit. Sic, *Non surrexit major Johanne Baptista*, i. exstitit. ¶ *In primogenito suo, & in minimo suo*] i. morte liberorum suorum omnium, à primo usque ad ultimum natu, à maximo usq; ad natu minimum. Vide Græcam ed. in qua *Hosan* vocatur qui *Hiel*, 1 Reg. 16. 34. Nicolaus, *Et sic accidit Abieli, qui eam readificavit*, 3 Reg. 16.

27. *Fama ejus*] שמעו ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ *auditio ejus*. Ad verb. *audire ipsius*, aut est nomen שומע *auditio*, formæ אורח *semita*. Sic in N. F. ἀκοὴ τοῦ Ἰησοῦ *fama de Jesu*. Gen. 29. 13. שמע יעקב *rumor de Jacobo*. Vide quoque Job 28. 22.

IDEM.

3. פַּעַם אֶחָת. A. μιᾷ ὁδῷ, *unâ viâ*. Sym. μιᾷ περιόδῳ, *uno circuitu*.

4. שׁוֹפְרוֹת הַיּוֹבְלִים. A. *tubas remissionis*. Sym. *buccinas arietinas*] *Tubas remissionis*, σάλπιγγας ἀφέσεως. Sic alibi LXX שנת היובל, ἐνιαυτὸς ἀφέσεως, *annus remissionis*, sive *dimissionis*. Vulgò *annus Jubileus*. *Dimissionis* autem ideo dicitur, quia tunc possessiones undique elocatæ redibant ad pristinos dominos, servi dimittebantur, captivi relaxabantur, &c. Ad hanc interpretationem firmandam facit M.G. qui Heb. 25. 10. יובל exponit *emissionem* seu *dimissionem*. Id enim verba illa לשון שלוח Latinè valent. ¶ *Buccinas*, κερατίνας. Sic etiam Hieron. ¶ *Arietinas*] Jon. *Buccinas ex cornu arietis*. Arietem autem דכרא vocat R. Aquiba, *Cùm iter*, inquit, *facerem per Arabiam, vocabant ibi Arietem* יובלא. Igitur in hoc significatu vox Arabica est. Contra istam sententiam disputat Andreas Masius in Comment. ad hunc locum. Qua de re dixi aliquid in Quæsitis meis.

27. יְקוֹם. Th. ἀναστήσει, *erexerit*] Exstruxerit, excitaverit. Legit Joth in loco Vau, i. יָקִים.

GROTIUS.

2. D*Ixitque Dominus*] Per Angelum.

5. *Conclamabit omnis populus*] Is clamor ἀλαλαγμὸς Græcis, *barritus* Vegetio & Tacito.

17. *Sitque civitas hac anathema*] Ex voto: sicut ex Lege punitur civitas à Deo deficiens, Deuteronom. 13. 12, & seq.

20. *Muri illico corruerunt*] Sponte, quod alioqui magnâ vi oppugnantium quæri solet: nec ex parte, sed undique facta ruina, ultimum urbibus malum. ¶ *Et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat*] Coronâ factâ.

23. *Et extra castra Israel manere fecerunt*] Donec scilicet Rabab & feminæ per baptismum, mares de domo ejus per circumcisionem populo aggregarentur.

25. *Et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem*] Simile suprà 4. 9. A Josua hoc, an ab Ezdra additum?

26. *Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho*] Nempe ut tam celebris victoriæ memoria semper in conspectu esset. Hoc καταρᾶσθαι dicunt Græci. Strabo l. 13. de Ilio, οὕτω καὶ κατηρασμένου τοῦ Ἀγαμέμνονος κατὰ παλαιὸν ἔθος, καθάπερ καὶ ὁ Κροῖσος ἐξελὼν τὴν Σιδήνην εἰς ἣν ὁ τύραννος κατέφυγε Γλαυκίας, ἀρὰς ἔθετο κατὰ τῶν τειχούντων πάλιν τὸν τόπον. Josuæ autem diras ratas Deus habuit, ut apparet 1 Reg. 16. 34

CAP. VII.

MUNSTERUS.

5. S*Ebarim*] Putant esse nomen loci à clade quam Judæi illic perpessi sunt sic denominati: nam sonat *fractiones*. Fuit verò locus ille declivis, & descensus quidam, ut habet Hebraismus.

7. *Placuisset nobis*] K. hîc dicit hoc verbum significare רצה וחפץ *acquiescere & desiderare*. R. S. verò exponit pro *consilium inire*. Chald. interpres exponit שרי *incipere*; ut sit sensus, Utinam ut statim cœpimus, habitassemus, &c.

9. *Et conspirabunt*] In Hebræo ponitur נסבו in passiva voce; ut sit sensus, *Conglobati veluti in circulo*, sive *gyro, constituentur adversùm nos*.

13. *Sanctifica*] Capitur hîc *sanctificare* pro זמן *præparare*, ut scilicet honestè comparerent ante conspectum Domini. Nam secundùm Hebræos, singulæ tribus transierunt ante arcam Domini, & deprehensa fuit indicio quodam tribus Jehuda. Vel secundùm alios, per pectorale quod summus Sacerdos gerebat, in quo continebantur Urim & Thummim & 12 lapides cum 12 nominibus filiorum Israel, deprehensa est tribus Jehuda. Cognationem verò, domum & personam aiunt per sortem deprehensas. Non tamen singulæ personæ de singulis cognationibus sunt applicatæ, sicut nec singuli de 12 tribubus, sed capita duntaxat tribuum, & cognationum & domorum.

19. *Da, quæso, gloriam Deo*] Confitere, inquit, Deo peccatum tuum, qui priùs novit quid feceris; & da illi gloriam istam, quòd ipse omnia noverit; & tunc erit mors ipsa tibi in expiationem peccati.

21. *Indumentum Babylonicum*] Omnes Hebræi exponunt שנער pro *Babylonia*. Sed אדרת quidam exponunt pro *purpura*, alii pro *stola*, tertii pro *sarabella* seu *clamyde*. *Linguam* verò exponunt pro *virga aurea habente formam linguæ*.

23. *Ponentes ante Dominum*] Hebr. *fundentes antè Dominum*.

24. *In vallem Achor*] Sign. *Achor turbationem*, & quia Achan turbaverat Israelem, vocatum est nomen illius loci ubi lapidatus & combustus fuit, *Achor*. Dicunt tamen Hebræi quòd lapidatus non fuerit; sed cùm educeretur ad locum combustionis, multi concitati contra eum quòd tantam in populo excitaverat turbationem, lapides jecerunt in eum. Et postquam igne exanimatus fuit, lapidibus oppresserunt eum, atq; acervum lapidum posuerunt super cadaver ejus atque super cadavera suorum. Rationem verò utriusque pœnæ reddunt Hebræi, quòd violator fuerit Sabbati, & sacrilegus; Sacrilegium autem igne punitur, & profanatio Sabbati lapidatione. Quòd autem sabbatum violaverit, patet ex hoc quòd ipso die quo Jeriho capta fuit sacrilegium commisit: Jeriho autem sabbato capta est, ut ex superioribus liquet.

VATABLUS.

1. E*T accensus est furor Jehovæ*, ויחר אף] Hebraismus, *vehementer iratus est Jehova*.

2. *In Ai*, העי] Duplex fuit Ai, altera Amorrhæorum, altera Ammonitarum. Amorrhæorum hæc fuit, quæ major erat: propterea tam diligenter ejus situm describit. ¶ *In hac verba*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Ascendite*,

ſcendite, &c. עלו ונו] i. Hinc diſcedentes explorate regionem : Itaque illinc diſcedentes viri illi, exploraverunt Ai.

3. *Et percutient Ai*, ויכו את העי] i. expugnabitur Ai.

5. *A porta*, לפני השער] i. à loco qui erat ante portam. ¶ *In deſcenſu*, במורד] h. e. in loco declivi. ¶ *Proinde liquefactum eſt*, &c. וימס לבב העם] i. fuit animo valde remiſſo.

6. *Et poſuerunt*, ויעלו] Ad verb. *& aſcendere fecerunt*, i. conſperſerunt capita ſua pulvere, more lugentium.

7. *Voluiſſemus & manſiſſemus*, הואלנו ונשב] Hebraiſmus, placuiſſet nobis habitare.

8. *Quid dicam*, מה אומר] i. Quid reſpondebo iis qui volent detrahere nomini tuo, h. e. hoſtibus perſequentibus nos ?

9. *Diſperdéntque*, והכריתו] *Exſtirpabúntque.* ¶ *Sed quid facies*, &c. ומה תעשה לשמך] Qui ſcilicet pollicitus es te daturum nobis hanc regionem : dicéntque Gentes te non potuiſſe id facere, q. d. Conſule nomini tuo.

10. *Ut quid tu cadis*, למה הו אתה נופל] *Cúrnam tu corruiſti pronus ?* ſub. *in terram.*

11. *Mentiti ſunt*, כחשו] i. negaverunt ſe accepiſſe. ¶ *Inter vaſa ſua*, בכליהם] i. Cum ſupellectile ſua.

12. *Stare coram inimicis*, לקום לפני אויביהם] i. reſiſtere inimicis. Sic v. 13. ¶ *Fuerunt in anathemate*, היו לחרם] i. polluti ſunt anathemate. Vel, ut alii, *acceperunt de anathemate.* Perinde id eſt quod v. 13. inverſo ſermone dicit, *Anathema eſt in medio tui*, Iſrael. ¶ *Non addam eſſe vobiſcum*, לא אוסיף להיות עמכם] Hebraiſmus, *non adero*, i. nou favebo poſthac vobis.

13. *Surge*, קום] q. d. *Rumpe moras.*

14. *Accedetiſque manè per tribus veſtras*, ונקרבתם בבוקר לשבטיכם] i. Convenietis ſinguli ad tribum veſtram. ¶ *Quam deprehendet Jehova*, אשר ילכדנו יהוה] i. quæ deprehendetur indicante Domino accepiſſe de anathemate : h.e. ſuper quam ſors temperata à Domino ceciderit.

16. *Et deprehenſa eſt*, וילכד] Sub. *reſervaſſe de anathemate.*

17. *Per viros*, לגברים] Significat principes familiarum.

19. *Da, quaſo, gloriam Jehova*, שים נא כבוד ליהוה] Ad verb. *Pone, quaſo*, [vel *nunc*] *gloriam Jehovæ.* Hebraiſmus, i. glorifica Deum cujus nutu cecidit ſors ſuper te. ¶ *Et da ei confeſſionem*, ותן לו תודה] Hebraiſmus, fatere peccatum in gloriam ejus & laudem. ¶ *Nè abſcondas à me*, אל תכחד ממני] Hebraiſmus, nè me celes.

20. *Et tale & tale*, וכזאת וכזאת] *Et ſic & ſic*, vel, *& hoc & hoc.*

21. *Pallium*, אדרת] *Chlamydem, veſtem. Stolam Babylonicam.* ¶ *Bonum*, טובה] *Pulchrum, elegans.* ¶ *Et virgam*, ולשון] *Ligulam*, vel, *laminam.* ¶ *Sub eo*, תחתיה] Scilicet pallio.

24. *Filium*, בן] Pro *nepote* poſitum. ¶ *Deduxerunt ea*, ויעלו אתם] Ad verb. *& aſcendere fecerunt ea.*

25. *Turbet te*, יעכרך] *Turbabit te*, i. ſumet de te pœnas. ¶ *Ac lapidaverunt*, &c. ויסקלו אתם באבנים] i. poſteaquam lapidaverunt eos. Alii ità exponunt, *& conjecit in eum univerſus Iſrael lapides* ; dum ſcilicet duceretur ad ſupplicium ; *& combuſſerunt eos igni, & conjecerunt ſuper illos*, i. ſuper cineres illorum, *magnam vim lapidum.*

26. *Et auerſus eſt*, &c. וישב יהוה מחרון אפו] i. placatus eſt Jehova, ſedata eſt ira ejus. ¶ *Vocauit*, קרא] Sub. *is qui indidit nomen loco.* Quidam, *vocaverunt*, vel, *vocatum fuit.*

CASTALIO.

24. V*Allem Achoris*] Idem *Achor* & *Achan eſt.*

CLARIUS.

5. U*Sque ad Sabarim*] Putant eſſe nomen loci à clade quam Judæi illic perpeſſi ſunt ſic denominati, nam ſonat *fractiones.* Fuit verò locus ille declivis, & deſcenſus quidam.

13. *Sanctifica populum*] Capitur hîc *ſanctificare* pro *præparare*, ut ſcilicet honeſtè apparerent ante conſpectum Domini. Nam ſecundùm Hebræos, ſingulæ tribus tranſierunt ante arcam Domini, & deprehenſa fuit indicio quodam tribus Juda. Vel ſecundùm alios, per pectorale quod ſummus Sacerdos gerebat, in quo continebantur Urim & Thummim, & XII lapides cum XII nominibus filiorum Iſrael, deprehenſa eſt tribus Juda. Cognationem verò, domum, & perſonam aiunt per ſortem deprehenſas. Non tamen ſingulæ perſonæ de ſingulis cognationibus ſunt applicatæ, ſicut nec ſinguli de XII tribubus, ſed capita duntaxat tribuum, & cognationum & domorum.

19. *Da gloriam Domino*] Confitere, inquit, Deo peccatum tuum, qui priùs novit quid feceris ; & da illi gloriam iſtam, quòd ipſe omnia noverit ; & tunc erit mors ipſa tibi in expiationem peccati.

24. *Ad vallem Achor*] Sign. *Achor turbationem*, & quia Achan turbaverat Iſraelem, vocatum eſt nomen loci ubi lapidatus & combuſtus fuit, *Achor.* Rationem autem utriuſque pœnæ reddunt Hebræi, quòd violator fuerit Sabbati, & ſacrilegus : Sacrilegium autem igne punitur, & profanatio Sabbati lapidatione. Quòd autem Sabbatum violaverit, patet ex hoc quòd ipſo die quo Jericho capta fuit ſacrilegium commiſit, Jericho autem ſabbato capta eſt, ut ex ſuperioribus liquet.

MASIUS.

SUperiore capite poſuit nobis ante oculos S. hiſtoria admirabile exemplum vindicationis, quâ Deus acerrimè in eos vindicat improbitatem qui neque maximis ejus oſtentis deterrentur à maleficiis, neque diutinâ ipſius lenitate & patientiâ revocantur ad pœnitentiam ſcelerum ſuorum : Simúlque luculenter oſtendit qualia & quanta facinora ille per immenſam ſuam patret potentiam in illorum gratiam qui ejus Divinis juſſis alacri animo & firmâ fide obſequuntur, atque ſpe certâ in ipſius benignitate recumbunt. Denique & illud perſpicuè vidimus, Nè in ſummis quidem periculis deeſſe Deo rationes conſervandi ſuos. Neque enim aliter Rahabam communi clade eximebat atque Noam diluvio, Jonam maris altiſſimo gurgite, Danielem lacu famelicorum leonum, cæteros alios atque aliis diſcriminibus præſentiſſimis. Jam verò hoc capite non minùs memorabili exemplo animadverſionis ſeveræ caſtigationiſque, ſed in recenti flagitio, nos rurſus monet, quàm ſit Deo inviſa res peccatum, & quantâ curâ cùm publicè ab omnibus tum privatim ab unoquoque cavendum nè illud admittatur. Sed ipſam aggrediamur narrationem.

1. *Commiſerunt autem filii Iſrael peccatum contra anathema*, &c,] Verbum מעל *Maal* reddidit hoc loco Symmachus καταγινώσκειν, h.e. *contemptim negligere* ; quomodo etiam uſurpabitur c. 22. & aliis S. paginæ locis. Neque verò etiam hîc abſurda eſt ea verbi ſignificatio ; quamquam ſimplicior eſt ſententia, ſi laxiùs interpretetur pro *maleficium admittere. Anathema* autem, h. e. חרם, de quo antè ſatis multa diximus, rectè accipiatur hoc loco pro ipſa lege de Anathemate inſtituta, vel pro ipſo ſacrilegii facinore. Cæterùm LXXII interpretes, ut eſſet ſententia explicatior, addiderunt de ſuo verbum ἐνοσφίσαντο, id eſt autem *furtim detraxerunt, ſibíque uſurparunt.* Eóſque eſt imitatus, ut lubenter ſolet, Latinus. ¶ Porrò *Iſraelitæ* hîc dicuntur *peccaſſe* κατὰ συνεκδοχήν : quo loquendi ſchemate ſæpe utitur S. narrratio, præſertim: quando de cœtu hominum ſocietate vitæ ità inter ſe conjunctorum eſt mentio ut tanquam corpus unum ex membris diverſis coagmentatum eſſe videatur. Tunc enim ut communis vitæ conditionis ità & virtutum & vitiorum, h.e. actionum omnium, ſocietas omnibus cum ſingulis eſſe cenſetur. Itaque

Itaque Matthæus 26. 8. *discipulos esse indignatos* ob profusum in caput Jesu unguentum memorat, quamvis ejus culpæ *unum Judam* faciat reum Joannes 12. 4. Sed nihil opus est pluribus exemplis adductis, quando etiam vulgò sic loquimur. ¶ Quod porrò sequitur, *Et excanduit ira Domini in Israelitas*, id verò non etiam per synecdochen dictum esse videtur. Dicet enim Phinees cum cæteris allegatis ad Rubenitas, Gaditas & Manassenses, ut c. 22. 20. audiemus, *Nonne Achan filius Zara commisit maleficium per sacrilegium, atque ad universum cœtum Israeliticum spectavit ira?* Atqui præter Divinam justitiam esse dicas, cùm unus Achan peccarit, Deum irasci in commune omnibus. Exstat quidem de hoc loco sententia Adamantii, quæ est à Gratiano relata in Decreta Pontificia, ad dist. 45. Can. 17. ea est, *Unius culpâ provocari iram Dei adversus cœtum, quando qui peccant nimis indulgenter habentur à Magistratu, nec coercentur justâ severitate. Nam & Apostolus hanc ob rem Corinthios acriter objurgavit*, 1 Cor. 5. 1. Hanc sententiam equidem veram esse fateor de iis flagitiis quæ in populum pervulgata sunt. Nisi enim in illa graviter Magistratus vindicet, atq; etiam conscius pro se quisq; ea redarguat, omnes neglecti officii sunt rei; & sensim pernicies illa in civium illapsa animos corrumpit plurimos. Verùm cùm Achanis hoc peccatum, ut Sacris est verbis testatum, clam omnibus patratum sit, non video cur debeat Deus vel Magistratui vel insciis sociis ob id succensere. Quare, meo judicio, in hac specie facti & similibus illa Dei sive ira sive indignatio adversùs remp. (ut vocat S. narratio pro hominum existimatione loquens) si res ipsa judicetur, nihil nisi mera misericordia est, quâ ille vel per parciorem suam erga eam remp. liberalitatem, vel per privatorum hominum pro sua ipsorum aut salute aut meritis, quæ illius Divino consilio sunt perspecta, animadversiones castigationésq; cum publicæ rei damno eatenus conjunctas quatenus ii qui multantur antè fuere communi rei utiles, disciplinam in eo populi corpore, ut sic dicã, sancit atq; acuit. Et omnino id efficere vult, ut non se solum quisq; curet, sed mutuũ inter se omnes, tanquã unius ejusdẽ corporis membra, sint cautione intentã soliciti; intelligántq; quàm sancto atque individuo inter se nexu & vinculo sub uno Capite Deo constricti teneantur, eóque pro virili quisque adlaboret nè non solùm suâ verùm neque socii sui culpâ sacrum illud Caput offendatur, a quo soleat communis in omnia membra dolor derivari: Quæ profectò non tam morosi & imperiosi Domini ira quàm clementissimi Patris benignissima cura est existimanda. Ità enim hîc, dum non solùm non vincunt, sed vincuntur fugantúrque etiam Israelitæ ab hostibus, & nonnulli interimuntur, non quidem ob alienum, h. e. Achanis, peccatum (quamvis hanc vulgus opinionem habeat) sed arcano illo, quod dixi, judicio Dei, universi populi mentes magno metu percelluntur. Neque dubium est quin illico pro se quisque Deum precibus interpellaverit, ut ejus suæ iræ (ira enim esse existimabatur) caussam proderet, omnibúsque votis cupiverit admissam culpam pro virili vel in sese ipse vindicare, Deúmque non tam sibi privatim quàm toti exercitui placare atque expiare. Certè Josua Imperator Senatúsque reliquus publicè ipsi se sordidant. Tanta profectò omnium animos religio haud quaquam incessisset, si Deus eum unum qui peccaverat, Achanem simpliciter multasset. Jam verò cùm non solùm in reum culpæ inquiritur vindicatúrque, sed exercitus universus iræ Dei opinionem concipit, fit ut propiùs intelligant omnes quàm detestabilis apud Deum res sit peccatum in hominum cœtu, cùm unius solius culpâ admisso maleficio ille nuper non placidus modò sed adversùs totum exercitum multò benignissimus, & propugnator acerrimus, repentè sit tantopere offensus ut planè ad hostiles partes transivisse videatur. Et verò quantum etiam ista res sic acta solicitudinis attulerit in commune omnibus, nè quem deinde paterentur privatim delinquere, apertè proloquuntur ipsi per suos allegatos c. 22. Porrò si, postquam constabat flagitium esse patratum ab Achane, Magistratus deinde aut negligentior aut indulgentior connivisset, neque privati quoque homines culpæ conscii in arguendo monendóque noxio officium fecissent, tum demum ei sententiæ quam Origenem dicere commemoravi locus erat futurus. Quanquam nè sic quidem illi qui sceleris nullo modo fuissent affines ullam Dei adversùs se iram experturi erant, maléque perituri, etiam si exercitus universus in hostium traditus fuisset potestatem. Novit enim Deus, ut frugi agricola, titurantium boum pedibus protrita acerique ac paleis exurendis permixta grana secernere, & areæ solo impressa everrere, inque sua inferre granaria. Cæterùm disciplinæ instaurandæ gratiâ, deterrendíque universè ab improbitate populi, tam rigida Deum subinde exercere judicia, ut unus aliquis reus aut duriores quàm pro vulgato cognitóque ejus facinore pœnas dare, aut eos qui alieni, ut putantur, à crimine sunt in suam secum perniciem rapere videatur, apertè, meâ quidem sententiâ, docuit Servator noster Christus Jesus apud Lucam 13. 1. cùm diceret de Galilæis quos immani crudelitate tractaverat Pilatus, *Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccaverint, quia talia sunt perpessi? Minimè, dico vobis. Imò verò, nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.* Et similia rursus de XVIII hominibus quos turris Siloe ruina oppresserat. Enimverò quis tam bene sentiat de nunquam satis ad veram pietatem permoto populo Israelitico ut putet in numerosissima illa hominum turba, non dicam plurimos, sed nè unum quidem fuisse qui non multò graviorum flagitiorum reus coram Deo tunc erat quàm censeri merebatur illud paucarum recularum furtum quod Achan fecerat? Et tamen hunc, quasi solum maleficum, ad tribunal raptum, reum peragi videmus, eique uni culpam aversi Numinis imputari. Nimirum, ut suprà diximus, nè providentiæ Divinæ existimatio amittatur ex hominum animis atque opinione, & res mortalium omnes sursum deorsum misceantur, ostendit se subinde clementissimus Deus Judicem actionum nostrarum omnium esse, exemplum statuens in uno quopiam, quò omnes intelligamus nullum nos facinus adversùs ipsius mandata impunè commissuros, etiamsi in ista vita non pendamus pœnas. Sed jam prolixiores quàm oportuit fuimus. Nomen עכן *Achan* non dubium est quin à verbo עכר *Achar*, quod *conturbare* significat, formatum sit unius literæ commutatione. Hoc enim etiam Paralipomena, in quibus *Achar* vocatur 1 Par. 2. 7. sicut & à LXXII hoc loco, dilucidè ostendunt his verbis, ובני כרמי עכר עוכר ישראל אשר מעל בחרם, h. e, *Filii Carmi, Achar, conturbans Israelem, qui deliquit per sacrilegium*, simul enim etiam nomen ipsum enodant. Cæterùm parentum illius usque ad proavum & indè ad ipsam tribum commemorata retrò series spectat ad inquisitionis rationem, quæ pòst explicabitur; simúlq; sceleris infamiam auget, quasi ejus turpitudo non in ipso auctore solo hæreat, sed quodammodo ad majores quoque atque adeò ad tribum ipsam universam pertineat. Cùm enim variis modis aliis prodere facinus potuerit Deus, tamen hunc præscribere voluit, quo ad universam retrò prosapiam dedecoris pars traheretur. Non quòd re ipsâ majores alieno scelere obligati essent, nisi si fortassis indulgentiùs filium parentes quàm oportuit educavere; sed ut ad communem infamiæ maculam evitandam communis excitaretur omnium solicitudo, neque sibi rectè conscius quisq; proximi flagitia supinus negligeret, nedũ foveret. Eadẽ est observata ratio in propagando turpissimi illius Zamri stupro, in Numeris 25. 14. Sed alibi ad universæ stirpis gloriam spectat similis majorum commemoratio; veluti in celebrando artifice divino Bezeleele, Exod. 31. & 35. aliisq; exemplis plurimis.

2. *Cæterum Josua mittebat viros ab Jericho ad Hai*, &c.] Eodem consilio videtur Josua hosce exploratores præmisisse ad Hai quo duos illos in Jerichuntem missos fuisse diximus; non quòd de promissis Dei diffideret, (Quid enim absurdius post recentissimum illud eversæ Jerichuntis miraculum?) sed quia intelligeret Deum, etsi vel nobis dormientibus facilè quæ pollicitus est præstare possit, operam tamen simul nostram & voluntatem ad suum nutum ductúmque intentam in plerisque rebus requirere.

Sed hæc satis multis sunt à nobis exposita c. 2. Cæterùm hîc credibile est, Divino insuper pulsu motum esse Josuam ad mittendos istos speculatores, ut ipsorum relatio levioris cladis accipiendæ causa esset; ex qua deinde clade communis animorum consternatio, & ex hac inquisitio patefactióque commissi sacrilegii consequerentur. Ut enim ex Divinæ providentiæ arbitrio res ipsæ eveniunt, ità & rerũ causas certo ordine seriéque ex eodem fonte profluere aptásque esse est existimandum. Quantum autem fuerit loci spatium inter Jerichuntem & Hai, scriptum exstat in vetustis commentariis in Exodum, quæ nominantur שמות רבה *Semoth rabbah.* Illic enim ad c. 23. hæc leguntur verba, *Regio Chanaan appellatur terra desiderabilis, quia expetebatur ab omnibus Regibus. Nam inter Hai & Jerichuntem tria duntaxat sunt milliaria, & tamen urbs utraque suum habebat Regem*, &c. Ei consentanea sunt quæ nostri homines qui loca illa perlustrarunt scripsere, Positam fuisse Hai tribus circiter leucis à fonte Elisæi versùs Septentrionem, in Occidua parte montis quem *Quarantanam* nunc vulgus nominat à Christi jejunio quod eò loci dies quadraginta pertulit nostrâ causâ. Fontem enim illum in agro Jerichuntio esse, certum est ex S.historia 4 Reg.2.21. Et quod spatium à Gallis *leuca* vocatur, id ab Hebræis מיל *Mil*, sumpto à Latinis vocabulo, ac si *milliarium* dicas, appellatum est, continens circiter bis mille & quingentos passus, h.e quantum itineris homo pedes horæ spatio conficiat usitato progressu, quamquam est ubi pro mille passibus positum hoc verbum ab Hebræis invenias. Porrò ab Hai ad Beth-el non longius ferè intervallũ quàm leucæ fuit unius. Ut autem ab Oriente auspicium belli factum est, cùm superato Jordane prima occurrisset Jericho quæ resisteret, ità adhuc progressum est versùs Occidentem. Beth-el enim ab Hai vergit ad Occidentem, sed ità ut parumper in Septentrionem declinet. Jerusalem verò, quæ à Beth-el abest 12 millib.pass. pro harum urbium situ est ad Meridiem posita, atque etiam nonnihil ad Occidentem. Cæterùm Beth-aven fueritne oppidulum vel vicus qui deserto vicino dederit nomen, an verò desertum ipsum, cujus deserti mentio erit c. 18. 12. incertum est. Appellata est quidem ipsa urbs Beth-el insequentibus temporibus tetro illo nomine à S. Vatibus Hos.4.15. & 10.5. sed per antithesin; propter vitulum aureum Jeroboami, qui in historia Regum memoratur, accommodatâ urbi appellatione vicini loci, postquam exsecrabili idolo contaminata esset 3 Reg. 12. 29. quæ antè sacro Jacobi viso & positâ ab eo statuâ fuisset religiosa. *Beth-el* enim *Dei domum*, at *Beth-aven Iniquitatis domum* significat. Cæteroqui reipsa alium fuisse locum Beth-el, alium Beth-aven, nemo jure potest dubitare qui modò hujus versiculi quem tractamus verba sacra intelligat. Sed de Beth-el, quæ olim *Luza* à frequente arborum genere vocabatur, erit alius dicendi locus. Igitur ut ad Hai revertar, ad historiæ fidem pertinet tam accurata loci descriptio. Sitam autem fuisse Beth-el ab Hai versùs Occidentem, proditum quoque est in Gen. 12.8. Fuit & altera cognominis Hai apud Ammonitas, cujus apud Jeremiam mentio est, 49. 3. Sed hæc nostra plerumq; per excellentiam העי *Habai*, præposito articulo, appellatur: quod apud Nehemiam 11.31. quoq; observatum videre est. Nominat enim ille עיא *Haia*, sed Chaldæo sermone utens. Chaldæi enim, ut ait Elias Grammaticus, literâ Aleph in fine collocatâ emphasin significant, planè ut Hebræi literâ He positâ in principio.

3. *Revertebantúrq; ad Josuam, & dicebant ad ipsum*, &c.] Observanda est hîc singularis Dei erga suam Ecclesiã cura & paterna benignitas, qui eâ opinione speculatorum animos informavit, ut dum quieti suorum consulere cuperent (hoc enim illud, *nè fatiges*, patefacit) ea referrent ex quibus id parvarum copiarum periculo consequeretur quod pro sancienda militari disciplina in maximo bello parato erat necessarium; h. e. expiaretur memorabili exemplo sacrilegium adversùs Dei & Imperatoris jussa admissum. Magnæ enim copiæ sine omnium extrema desperatione in discrimen illiusmodi non potuissent adduci. Nam quòd tria virorum millia ab unius urbis integro præsidio fugantur, si tantopere omnium animos conturbat, quid futurum erat si universus exercitus in expeditionem productus terga hosti ostendisset? *Sed fidelis Deus*, ut ait Paulus 1 Cor. 10.13. *qui non sinit suos tentari suprà quàm ferre possint.* ¶ *Percutere urbem* pro *expugnare* frequens est loquendi modus in S. historia. Rectè ergò LXXII reddiderunt ἐκπολιορκεῖται. ¶ Illud, *Nè fatiges*, spectat, ut videtur, acclivitatem montis. Erat enim Hai in monte, Jericho in plano, ut dixi. Sed LXXII *fatigationem*, quæ in Hebræo est, non expresserunt. Latinus ad molestiam quæ in pugnando est accommodasse videtur. Chaldæus ad tumultum strepitúmque & fremitum retulit qui excitari solet in maximarum copiarum expeditione: convertit enim Chaldæus, *Nè facias illuc tumultuari omnem populum.* Sed Aquilas & Symmachus à me stant.

4. *Ascenderunt igitur de populo illuc tria circiter virorum millia*, &c.] Prudentissimus Imperator de duobus numeris propositis majorem eligit, nimirum hostem minimè contemnendum existimans; quæ res maxima sæpe in bellis dat damna. Fuisse autem singularis fortitudinis viros ad hanc expeditionem delectos, cùm vocabulum איש argumento est, tum Josephus prodidit Antiq. l. 5. Nam nisi fortes viri fuissent fugati, facilè culpa omnis in ipsorum ignaviam collata fuisset, neque animadversa Dei offensio, quod opus erat. ¶ Pro illo, *ante viros Hai*, haud absurdè posset id reddi quod LXXII dixerunt, *à facie virorum Hai*, quasi litera Lamed posita sit pro Mem, aut ut Mem suggeratur tanquam præteritum. לפני enim pro מלפני etiam proximo versiculo dicetur. Nam verosimile est nè conspectum quidem hostium urbe erumpentium sustinuisse Israelitas, nedum congressum, quando non in pugna eorum quisquam, sed in fuga aliquot cæsi sunt.

5. *Cadebántque viri Hai illorum circiter triginta sex*, &c.] Ex situ utriusque urbis, quem exposuimus, conficitur declivem fuisse & pronam viam ab Hai versùs Jerichuntem, quò refugiebant Israelitæ; eóque fuere etiam injuriæ opportuniores. ¶ Cæterùm *Sebarim* sive *Sabarim*, locus inter Hai & Jerichuntem medius, nomen accepisse videtur à *fractis* istis Israelitis. Nam שבר *Sibber frangere* atque *atterere* est. Chaldæus tamen & LXXII non ut proprium loci nomen, sed tanquam appellativum sit, ità interpretati sunt; nisi fortassis legere illi עד השבירים, hoc enim est id quod illi dixerunt, *donec fregerunt*, sive *contriverunt*, *ipsos*. Dixi proximo versiculo, לפני pro מלפני usurpari interdum. Rectè ergo *ab ante portam* diximus cum Kimhi; h. e. cùm ad portam usque oppugnandæ urbis causâ progressi fuissent Israelitæ, illico ab erumpentibus oppidanis fugati sunt usque ad Sebarim. Neque enim longiùs ab oppido suo discedere isti hostémque persequi sunt ausi, quamvis mirificam animis audaciam concepissent, contrà verò fugientes Israelitæ pavorem. Sed vide, obsecro, ut iis quos Deus amat omnia feliciter, quos odit infeliciter eveniant. Pulchra hæc, ut videtur, victoria Haiensium & gestiens lætitia brevi ipsis exitium creabit; Israelitis verò sua fuga dabit præclaram victoriam. Quapropter non est quòd mali in prosperis rebus aut boni in adversis vel gaudio vehementiùs efferantur vel dolore nimio concidant: Sed discant illi, suæ sibi adversùs Deum impietatis conscii, metu insecuturæ calamitatis præsentem lætitiam refrænare, quódq; sibi fortè obvenit boni id in occasionem pietatis vertere; hi verò in Dei, ut benignissimi Patris, salutari consilio acquiescere, atq; cum D. Paulo existimare *momentaneam levémq; hujus vitæ calamitatem æternâ olim gloriâ pensatum iri* 2 Cor. 4.17. atq; etiam eas quæ vulgò existimantur tribulationes sæpe ad magnam felicitatem in hac quoq; vita conducere, sic moderante res humanas divino suo consilio Numine. Neq; enim bonus parens virgis filium cædit ut cruciet dolore, sed ut repressis malis in eo cupiditatibus meliore ac tranquilliore vitâ ipsum ornet & beet. ¶ Quæ de *liquefacto & in aquam mutato populi animo* memorantur, per hyperbolam translata sunt significántque vehementem animorum consternationem. Ut enim animus, dum fiduciâ nititur, firmus & constans dicitur; ità de ea dejectus, mollis, liquidus & veluti

veluti huc illuc fluctuans videtur. Sed quæ tantæ, dices, fuit perturbationis justa causa? Neque enim mirum videri debebat, à numeroso firmissimóque urbis unius præsidio, quale est credibile contractum comparatúmque fuisse adversus exsultantem vicini oppidi nuperâ eversione exercitum, non erat, inquam, mirum profligatos esse ter mille viros, atque etiam locis iniquis pauculos cæsos. Esset quidem trepidatio ista tanta maximæ ignaviæ certissimum argumentum, si in suis viribus spem victoriæ collocatam habuissent Israelitæ: verùm quando solius Dei potentiâ & ope niti debuerunt, mirandum non est si tantùm non desperent cùm ille ab hostibus jam stare videatur. Sed hæc in versiculis proximis dicentur explicatiùs.

6. *Igitur Josua scindebat indumenta sua,* &c.] *Senes,* sive *Seniores,* ipse est senatus, h.e. ii quorum consilio plurimùm utebatur Imperator in rebus omnibus, quique prudentiâ dignitatéque antecedebant vulgus potiùs quàm ætate. ¶ Cæterùm Vestes dilacerare ceremonia est vetus, quâ prisci homines animum suum dolore lacerari testificabantur; Sive dolor ille ex luctu quopiam esset natus, ut Gen. 37. & 44. Item Lev. 21. Job 2. alibi; Sive ex rei alterius indignitate atque atrocitate; veluti si quis impiè & contumeliosè adversùs Deum vel loqui vel facere esset visus, ut Num. 14. Matth. 27. Act. 14. *&c.* Igitur hoc loco dolor maximus notatur, quem concepere animis illi potissimùm qui rem qualis quantáque accidisset meliùs quàm cæteri existimare potuerunt, cùm intelligerent in quas se angustias Divini auxilii spe atque promissorum fiduciâ contulissent, & quàm parum illa quæ evenerant modò his consentanea essent. Nam, ut omittamus oracula vetera, quæ plurima inter ipsos celebrabantur, quî potest non vanum videri illud suprà 1.5. *Non consistet quisquam adversùs te,* & rursus illud 1.3. *Omnem locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi?* Tum illud 3.10. *Per hoc cognoscetis quòd vivat Deus fortis in medio vestri, & prorsus expulsurus sit è conspectu vestro Chananæos,* &c. Verùm enimvero, quod ex ipsa narratione apparet, haudquaquam de Deo tam impiè illi quidem cogitabant ut ludificaturum eum sua promissa putarent, sed cùm piè prudentérque ex re nata colligerent suis ipsorum peccatis offensum illum opem suam denegasse, sine qua nullos se esse sciebant, magnâ sanè ratione perturbatissimis & de rerum summa solicitissimis fuere animis. Verùm illis tantis solicitudinum aculeis opponebant quantum potuere spem salutarem quam in Dei placabilitate atque clementia positam retinebant. Eò enim spectat quòd *coram sacrario Dei procumbunt,* ubi præsentissimum ipsius Numen sæpe aliàs in rebus dubiis & afflictis exoratum esse meminerunt; quòd *se humi abjiciunt* seriò *ad vesperam usq;* h.e. totum diem à cibo potúq; abstinentes. Jejunium enim eâ verborum clausulâ significari manifestum est ex simili ratione lugendi quâ David Sauli & Jonathæ funus fecisse memoratur in Regum historia, 2 Reg. 1.12. deniq; quòd *pulvere capita sua sordidant.* Sunt enim isti gestus hominum humiliter & demissè precantium Deum, non ignavè atq; effeminatè suam deplorantium calamitatem, ut vel ex Ninivitarum exemplo constat, Jon. 3.6. In spississima igitur illa perturbationis caligine fidei lumen adhuc sublucebat, quo ducebantur illi ad Deum, cum animo fracto atq; contrito, qualem is non solet aversari, teste Vate divino Psal. 51.17. Nimirum clementissimus Deus perturbat quidem subinde variis tentationibus suorum mentes, sed ità ut dum alterâ manu veluti oppugnat, simul alterâ ipsos tutetur atque *sustentet; nè, etiam si cadant, prorsus animos despondeant,* Psal. 37.24. Est autem Caput pulvere inspergere gestus hominis humiliter de se sentientis; sicut sentiebat Abraham cùm diceret ad Deum, *Quia pulvis sum & cinis,* Gen. 18.27. Eodem pertinet Humi procumbere. Utramque autem ceremoniam credibile est ex illis Dei ad Adamum verbis natam esse, *Pulvis es, & in pulverem revertêris,* Gen. 3.19. è S. porrò historia propagatam esse ad Gentes, sicut plurimas hæ alias ab Hebræis acceperunt. Nam Achillem quoque virum fortissimum, auditâ morte Patrocli sui, memorat Homerus & pulvere caput fœdavisse, & distentum in pulvere ipsum jacuisse, his verbis, Iliad. σ.

> Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
> Χεῦα ο κακκεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον·
> Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
> Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
> Κεῖτο, &c.

7. *Dicebátque Josua, Eheu Domine Jehova, cur traducendo,* &c.] Quod converti *Eheu,* est Hebraicè אהה dolentis & deprecantis interjectio. Aquilas volens repræsentare vocem Hebræam reddidit ἆ ἆ ἆ. LXXII ejus loco posuere verbum δέομαι, h.e. *obsecro.* Chaldæus explicatiùs dixit, *Suscipe precem meam.* Compellat autem Josua Deum duplici nomine, dum, ut Imperator, pro omnibus verba facit: alterum est אדני *Adonai,* alterum יהוה; illud ad Dominationem pertinet; hoc Dei Essentiam, ut alibi dixi, intuetur. Solent autem duo ista nomina sæpiùs in vehementioribus precationibus isto modo conjungi à viris sanctis in S. historia: Quod eodem illi Spiritu afflati fecere, ut ego certè existimo, quo sacrosancta Ecclesia Deū Patrem omnia orat per Filium. Nam cùm nomen *Adonai,* ut dixi, Dominationem intueatur, planè Filio congruit, eúmque nobis repræsentat per quem Deus Pater, ut *fecit mundum,* sic mundum *moderatur,* Heb. 1.2,3. Idque adsentiuntur nobis etiam, verbis saltem, diviniores Hebræorum Philosophi, quos *Cabbalistas* vocant, cùm tradunt *Illud nomen* ADONAI *esse tanquam clavem quâ patefit aditus ad Deum Jehovam,* h.e. *ad Deum in sua essentia veluti latentem; Esse thesaurum in quo ea quæ ab Jehova nobis impartiuntur omnia sunt recondita; Esse insuper Oeconomon illum magnum qui res omnes dispensat, nutrit, vegetat per Jehovam;* Denique, *Neminem ad Jehovam penetrare posse nisi per Adonai: Neque enim ullam aut viam aut rationem ad illum perveniendi aliam esse prorsus, atque ideo Ecclesiam preces suas sacras sic auspicari,* ADONAI, h.e. DOMINE, LABIA MEA APERIAS, ET OS MEUM ANNUNCIABIT LAUDEM TUAM. Hæc enim & his similia alia scripta exstant in eo libro cui titulum illi fecere *Portam lucis,* & in libro quem vocant שם המפורש, i. *Nomen explicatum.* Sed hæc hactenus. ¶ Porrò ista Josuæ oratio apparet quidem fronte primâ jurgantis cum Deo hominis, neque dissimilis querelæ illi qua Israelitæ cum suo maximo malo Deum irritabant in Numeris 14.2. auditâ speculatorum relatione; verùm tamen si propiùs penitiúsq; omnia spectes, dissimillima est. Nam de fide promissorum déq; potentia Dei atque adeò de misericordia ipsius minimè desperans Josua, cum suis, ad illius se tanquam pedes abjicit, præsentium malorum consolationem aliquam exspectans; cùm illi non ad Deum supplices confugiant, sed Dei administros sacros, Mosen & Aharonem, protervè accusent; neq; ab ipso Deo consilium exspectent, aut accipere parati sint, sed ipsi inter se consilium capiant atque ineant, relicto Deo, ad Ægyptios, h.e. turpissimorum deorum cultores & alioqui sibi infensos hostes, cæco furore refugiendi, nimirum existimantes vana esse Dei sui omnia promissa, cùm minimè posset ipsis subjugare tam potentes nationes. Igitur quæ ait Josua, *Ut traderes nos in manus Amorrhæi? ut curares nos perdendos?* haudquaquam existimandum est ex illiusmodi mente profecta esse cujusmodi Moses attribuit Ægyptiis Num. 14.16. cùm veretur nè Deo exprobrent quòd suos mactasset in deserto, cùm præstare nequivisset quæ ipsis promiserat; aut tam impiam in sanctissimi viri pectus penetrare potuisse suspicionem ut cogitarit dolo malo traduxisse Deum suos per siccum Jordanem quò perderet. Sed hanc habent illa verba sententiam, Scis, Domine, populum hunc abs te huc perductum esse ut profligatis Amorrhæis c. 3.10. ipsum terræ universæ dominatu beares, c. 1.2. non ut ipsi Amorrhæis proderes. Obliquè igitur per interrogationē à contrariis ponit Deo ob oculos sua ipsius promissa. Hunc enim esse verū Josuæ sensum, mihi certè explicatū videtur iis quæ proximè sequuntur verbis, cùm ait, *Atq; utinâ contenti fuissemus, mansissemúsq; cis Jordanem.* His enim hoc dicit, Si tua illa promissa, quantū ad nos attinent, propter nostrū peccatū frustrà forent, ut omnino erunt; frustrà

strà nisi te placari finas, satius esset nos cis Jordanem cum Rubenitis, Gaditis & Manassensibus consedisse in Galaaditide, quàm tanta cum gloria Jordanem traductos tibi hic talis vindictæ per nostra flagitia causam dedisse, qualis nobis vindicta impendet nisi propitius ipse nobis affueris. Nostro enim nomine turpiter exstincto, tuum quoque nomen apud impias gentes malè audiet. Sed hoc mox expli catiùs dicetur. Quis enim de viro divinissimo Josua tam iniquè sentiat ut credat eum his indignissimis cum Deo verbis jurgare? Si ideo nos huc malitiosè & callidè transposuisti ut perderes, consultius nobis erat tibi morem non gerere cùm diceres, *Surge, transi Jordanem*, &c. c. 1. 2. Quasi verò tam cæcâ æstuare potuerit caligine sanctissimi viri & prudentissimi pectus ut putaret nullam cis Jordanem fuisse futuram Deo perdendi populi rationem, qui quid nuper patribus omnibus per desertum accidisset memoriâ tenebat recente; aut quasi ob levem cladem, quam sui accepere, animum induxerit respuere illas Dei promissiones de terra Chananæa obtinenda, tum Patribus tum sibi datas, in quibus promissionibus longè majus quiddam & sublimius quàm fluxas hujus vitæ opes positum esse in Magistri sui Mosis schola didicerat per annos ut minimum 38. Memini equidem Talmudicos libro De magni Senatûs collegio (illi סנהדרין, h. e. *συνέδριον*, vocant) cap. 6. sic hunc locum esse interpretatos ut fateantur Josuam cum contrario eventu Dei promissa contendentem facere expostulationem, atque adeò ad impium usque votum manendi extra terram sanctam prorumpere. Et hanc opinionem ex nostris etiam non paucos habere non sum nescius. Libenter quoque ipse fateor, neminem carne circumdatum, quantumvis ubere alioqui spiritu Dei afflatus sit, non aliquando ex illius infirmitate titubare, ambigere, vacillare in Dei promissis secum recolendis. Nam & Abraham ille divinus vir Gen. 17. 18. promittenti Deo ex Sara uxore filium magnâ felicitate cumulandum, atque vix dum verba finienti, per temerariam incogitantiam ingerit, *Utinam vivat Ismael coram te*; q. d. Tantum abest ut ista quæ promittis eventura sperem ut etiam de Ismaelis vita sim solicitus. Est enim mortalium fides omnis per se tam infirma ut res Divinas nunquam satis complectatur, nedum in ipsis acquiescere satis firmè possit, nisi continuò Dei gratiâ confirmetur corroboreturque. Sed ipsa verborum atrocitas, quæ fuerit immanis si expostulationem esse dixeris, me movet ut eam quam modò explicavi sententiam probiorem esse censeam. ¶ Cæterùm *Amorrhaeorum* appellatione hoc loco significari videntur omnes illæ septem gentes quæ promissam Israelitis terram tenebant. Rectè tamen etiam eam solam nationem accipias quæ loca trans Jordanem proxima incolebat, ut initio capitis quinti diximus. ¶ Verbum הואלנו est à יאל, Latinus convertit *cœpimus*. Nam cis Jordanem, vivo adhuc Mose, plusculum temporis triverant in campis Moabiticis, & quodam modo habitare cœperant, ut ex Deuteronomio constat. LXXII verò pro eo reddiderunt *κατεμείναμεν*. Chaldæus utram harum duarum secutus sit interpretationem est incertum. Nam verbum שרא, quo ille utitur, tum *incipere* tum *manere* significat. Judæi à Latino stant plerique omnes. Mihi videtur verbum יאל in S. literis perpetuò significare *acquiescere in re quapiam, eámque totâ voluntate amplecti*, atque ideo dixi, *contenti fuissemus*. Nam *jurandi* significatio non à יאל sed ab אלה est.

8, 9. *Mi Domine, quid dicam, posteaquam Israel*, &c.] Insulsum est & absurdum quod quidam hoc loco existimant, Josuam solicitum esse quid iis possit respondere qui objiciant fugam illam esse parùm consentaneam iis verbis quibus antè ab eo gratia atque favor Dei prædicabatur. Hunc enim sensum apertè refellit sequens oratio. Ergò *dicere* pro *cogitare* positum est, ut sæpe. Nam reddit Imperator rationem ejus perturbationis animi quam & gestu habitúque & verbis superioribus præ se ferebat; eámque totam explicare nunc incipit, dum sic fere loquitur, Mi Domine, quid cogitabo, quid consilii capiam, postquam Israelitæ terga dedere hostibus? Indè enim certus sum te nobis offensum esse, neque opem ferre. Hoc verò ubi Chananæi animadverterint, atque omnes istæ nationes ferocissimæ, quæ adhuc tuâ majestate tuóque numine sunt repressæ, & partim etiam domitæ, cingent nos undiquaque, & facilè, si tu non protegis, delebunt prorsus. Et nos quidem nostris flagitiis dignas fortassis pœnas dabimus: Verùm illud erit indignissimum, quòd gloriosum nomen tuum traducetur per ora profanarum gentium; quæ cùm non ignorent quàm mirificè nos adhuc foveris, & per quanta miracula nos huc introduxeris, dicturæ sunt dolo malo abs te facta esse omnia, ut nos sibi proderes, semélque perderes, vel non eam fuisse tuam potentiam ut nos posses adversus suos deos defendere, & promissa præstare. Jam ergò obsecro, Domine, ostende nobis tui placandi rationem, &c. Est enim ista Josuæ oratio curta & imperfecta, atque propero Dei responso interpellata; qui priùs quàm se orent mortales novit quæ sint petituri, & promptè occurrit in ipsis precibus benignus. Neque enim dubium est quin ad illius precationis exemplum suam hanc instituerit Imperator quâ ipsius præceptor Moses feliciter fuerat usus in Numeris 14. 13. cùm disertè pronunciasset Deus se gentem Israeliticam *universam peste percussurum exterminaturúmque*; & in Exodo 32. 11. post cultum à populo vitulum. Cæterùm illiuscemodi sancta solicitudo vindicandi nominis Dei à gentium injuriis tam crebrò attributa est Patribus in S. historia ut nihil opus sit plura adjungere exempla. Istis autem Patrum piissimis animis quàm parùm æmulemur nos hodie, res ipsa clamat, cùm impunè fæx hominum sacramenta quævis impiis vocibus profanat, polluit, deridet; Magistratus popularem gratiam sanctæ religioni anteponit. Sed exstincta est in nobis vera pietas. ¶ Illud porrò, בי ארני, quod est ad verbum, *In me Domine*, blanda est appellatio, quâ dum demulcet Josua Deum, satis, quod dixi, ostendit se de illius placabilitate non desperare. De nomine *Adonai* dixi superiùs. ¶ *Chananæum* esse hoc loco appellatum eundem populum quem paullò antè *Amorrhæum*, apparet. Sed quarum gentium istæ sint propriæ appellationes diximus in principio capitis quinti. ¶ Quod convertimus, *In orbem convenient contra nos*, est Hebraicè נסבו עלינו. Sunt quidem qui סב pro שב dictum putent, hoc sensu, Convertentur contra nos, cùm paullò antè præ metu ad fugam se comparaverint, simulatque intelligent nos tuâ ope destitutos esse. Sed simplicius est illud quod à me redditum est pro ipsis verbis, nam de populo prorsus delendo loquitur Imperator. Id autem accidere iis solet qui à potentioribus hostibus undiquaque sunt circumdati.

10. *Dominus porrò dicebat ad Josuam, Surge*, &c.] Hoc insigne exemplum est maximæ ad omnem benignitatem facilitatémque proclivitatis Dei, quoties ex animo fracto attritóq; ejus opem imploramus. Occurrit enim ille nobis in nostris precibus atque optatis ultro, & Divinâ gratiæ suæ nos consolatione, quasi manu, sublevat. *Ego*, inquit Dominus apud Isaiam, 65. 24 *priùs quàm clamabunt, respondebo; dum etiam tum loquuntur, ego exaudiam.* Illud enim, *Quid hoc tu prostratus jaces in faciē tuam?* non est objurgantis, quasi precandi ritum illum reprehendentis, quo ritu Christus ipse usus est, Mat. 26. 39. sed jamdudum se paratum esse significantis ad opitulandum. Tanta enim est ejus erga nos misericordiæ abundantia ut preces nostras, quamvis nunquam satis vel prolixas vel intentas, tamen veluti nimias, benignè amplectatur. Est enim acsi dicat, Noli tu te diutiùs cruciare atque affligere, jamdudum scio quid velis; jámque faxo scias quid facto opus sit. Eodem sensu dicta sunt illa in Exodo 14. 15. ad precantem Mosen, *Quid clamas ad me?* At verò ista tanta Dei bonitas & facilitas haudquaquam debet nostram in ipso orando sedulitatem remittere, non magis quàm liberalissimi Regis munificentia æquum est ex strenuo servo ignavum fieri, sed magis atque magis provocare & intendere; præsertim cùm à Christo ipso didicerimus nihil esse Deo acceptius quàm assiduas preces nostras, modò ut sanctè & piè sint conceptæ. In Hebræo est, *Surge tibi*, at tales dativi, ut alibi dixi, possunt sæpe omitti; quanquam non prorsus supervacanei sint, sed

ferè

ferè incitandi vim habeant. ¶ Participium נופל reddidi per nomen adjectivum. Sic enim sæpe participia usurpantur. Neque enim tum se primum abjiciebat humi Josua, sed totum diem affixus solo jacuerat.

11. *Israel deliquit, atque etiam transgressi sunt*, &c.] Superiore versiculo Deus Josuam surgere jubebat, nimirum ut malis remedium adhiberet quale ipse esset præscripturus: verùm priùs quàm hoc, quale sit, explicet, digreditur hîc & versu proximo ad ipsa mala, quæ sint, ostendenda: atque ideo ver. 13. dum redit eò unde paullisper discesserat, denuò verbum illud *surge* repetit. Malis enim tum demum rectè medemur postquam ipsa probè perspecta habemus. Porrò rursus quod ab uno Achane est patratum sacrilegium toti Israeliticæ gentis corpori attribuitur. Ipsa enim corporis soliditas atque integritas vitiatur & quodam modo dissipatur cùm pars una vitiata est: Neque coire rursus & consistere ea integritas potest nisi vitiosâ, illâ parte aut curatâ aut resectâ. Unde est illa tam frequens in Lege monitio Dei, *Auferte malum è vobis*. Sed hæc prolixiùs tractabamus in hujus capitis initio. Talmudici c. 6. סנהדרין *Israelis* nomine unum Achanem hîc notari scribunt, eúmque quamvis sacrilegum tamen *Israelis* nomen obtinere; sicut proverbio dicitur, *Myrtum esse, vocarique myrtum ab omnibus, etiam si inter urticas stet myrtus*. Sed illi verbis solis à nobis differunt, re consentiunt. Cæterùm quia Deus isto sacrilegio violatum esse suum statutum pronunciat, conficitur, Imperatorem illam de anathemate legem non suopte arbitrio sed Dei jussu tulisse. ¶ Porrò vocula גם *etiam*, quæ sæpius hoc loco iteratur, auxeses continuas significat, ut Hebræis quoque videtur. Hæc igitur thesis, *Israel deliquit*, sic quasi per gradus amplificatur, Graviter deliquit Israel. Nam quod nuper jusseram, ut urbem cum rebus omnibus, perderent, præter Rahabam cum suis familiaribus, prætérque aurum, argentum, æs, ferrum, id non observarunt. Fecerunt enim nonnullas reliquas res quas perdidisse oportuit; Et, quod gravius est, non reliquas modò fecerunt, sed sibi etiam privatim usurparunt; Tum, quod etiam majus est flagitium, furtivè usurparunt; perinde ac si me clam patrari quidquam possit; Ad hæc, mendaciis insuper fallere conati sunt; Denique quod malorum est extremum, obfirmarunt animum, rebus subtractis in suam supellectilem relatis, sic enim ego interpretor illam particulam, וגם שמו בכליהם, *atque etiam reposuerunt inter sua supellectilia*: quamvis non nesciam R.D.K. de defossis in tentorio rebus furtivis accipere. Neque enim mihi videtur כלי *tentorium* significare, cæteroqui hoc ipsum vel apertiùs propositi pertinaciam arguat. Sed observandum est hoc loco quàm graviter accuset Deus id peccatum quod cum nullius mortalium injuria conjunctum leve alioqui possit videri. Et proinde pensitandum quæ nobis ad salutem spes reliqua esse queat si in extremo judicio jure summo nobiscum agat Deus, Psal. 143. 2. eóque ardentiore pietate assiduò orandum ut ille *remittat nobis debita nostra*, neque *intret in judicium cum servis suis*, quando nè ipsa quidem quæ videtur nostra justitia satis apud illud tribunal justa est futura; &, ut ait D. Bernardus, *omni humilitate ad illius misericordiam confugiendum, quâ solâ possunt servari animæ nostræ*, Serm. 1. in festo Omnium, S S.

12. *Neq; poterunt filii Israel consistere contra hostes suos*, &c.] Particula לפני secundo loco posita sic accipienda videtur ut litera Mem initio suggerenda sit, h.e. ut plenè scribatur מלפני, quod sæpe fieri diximus alibi. Cæterùm iis quæ ad v. 1. hujus capitis disputata à nobis sunt satis esse explicatum arbitror cur Deus ob hoc Achanis, gregarii, ut apparet, militis, peccatum pronunciet se populi sui curam abjecturum, nisi expietur, quamvis credibile sit multò atrocioribus antehac criminibus contaminatam fuisse tantam hominum multitudinem; & cùm dicamus illos 36 viros qui desiderati sunt non Achanis sed suam culpam luisse, cur non perindè illos antè, ut nunc Achanem, accusaverit. Præterquam enim quòd certis atque constitutis apud æternam suam sapientiam temporibus judicia exercet, non quidem ob singularia, quæ tunc commissa sint, maleficia præ omnibus aliis digna talibus judiciis (nunquam enim illiusmodi in ullo hominum cœtu non committuntur; quæ nostra est vitiositas) sed ut providentiæ suæ opinionem in mortalium animis conservet, solet illa sua judicia sic plerumque instituere ut ob ea potissimùm delicta exerceri videantur quæ contagio facilè pervagentur ad omnes, & in quibus ad evertendam publicæ illius rei constitutionem atque ad legitimi ordinis & disciplinæ dissipationem momenta magna sint; Qualia sunt Regum, Principum, Pastorum, cæterorum qui primi in Rep. habentur, vitia; item contumaciæ seditiosorum hominum, desertorum, susurronum, & omnino ea flagitia in quæ publicis legibus, ubi patefacta sunt, animadverti solet. Cùm igitur hoc Achanis sacrilegium adversùs recens latam & certæ pœnæ denunciatione sancitam legem esset admissum, facilè disciplinam omnem in his maximi belli initiis quatefacturum fuerit sui impunitate, visum est æterno Dei consilio exemplum edere in illum quod omnibus utile foret; quanquam dubium non sit quin eodem illo tempore multa vel similia vel detestabiliora etiam vitia in populo fuerint quæ propalam à Deo non castigabantur. At verò cur magis in Achanem quàm alium quemvis sacrilegum aut maleficum publicè tunc animadverteret, id in Divino ipsius curationis dispensationísque rerum humanarum arbitrio positum erat. Et credibile est Achani grave illud supplicium, quod dabat, magis fuisse salutare quàm multis aliis suam ipsorum impunitatem, si beatam æternámque vitam intueamur. Sed quando disertè pronunciat Deus se posthac non affuturum Israelitis nisi anathemate abolito quo se contaminarant, magna & perdifficilis, ut videtur, quæstio oritur, Quâ fronte catholica Ecclesia gloriari audeat de perpetua apud se Spiritûs S. præsentia, cujus afflatu ità dirigatur ut in iis dogmatis quæ ad probæ nostræ religionis fidem pertinent errare non possit, quando in ea non apud unum aliquem Achanem semel pauculæ res per sacrilegium sublatæ atque in tuguriolo in terram defossæ clàm habentur, sed Pontificum, Episcoporum, Presbyterorum, aliorum Sacerdotum, atque etiam Principum virorum superbissima tecta, aulas, equos, nè dicam scorta & vilissima mancipia, jam olim propalam exornent ingentia sacrilegia, & quidem non earum rerum sacrilegia quas res alioqui abolitum ire oportebat (esset enim hoc tolerabilius) sed quibus Christi ipsius famem explere, nuditatem tegere atque omnino urgentem egestatem sustentare jus erat. Sed difficilis illa atque, ut Ecclesiæ hostibus videtur, inexplicabilis quæstio solvitur facillimè, si modò expendamus quæ sit Dei in illis verbis sententia, cùm dicit, *Non ero posthac vobiscum*. Nam sanè id eum non sentire, abjecturum se posthac omnem populi sui curam, luculenter ipsus apud Isaiam 49. 14, 15. testatur his verbis, *Et ait Zion, Deseruit me Jehova, & Dominus oblitus est mei. An oblivisci queat mulier fœtûs sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiam ut illa obliviscantur, ego certè tui non obliviscar*. Et verò quis sanæ mentis dicat Deum, etiam tum quando maleficio recens commisso ipsa ejus indignatio videbatur esse maxima non prorsus materna solicitudine Ecclesiam illam suam curasse, cùm leviculâ clade affectam ad procurandum expiandúmq; ingens malum permovit? planè sicut mater optima, si peccet filius, virgis cæsum leviter corrigit atq; emendat. Non igitur, quando ait, *Non ero posthac vobiscum*, suam se illis Divinam gratiam sacrúmque Spiritûs sui instinctum, quibus ipsorum corda illuminentur ad agnoscendam sacrorum suorum veritatem eflatorũ, dicit subtracturum; sed de sua ope ad vincendos continuo successu hostes loquitur; quam dum illis negat, eóq; ad se implorandum revocat, non magis deseruisse ipsos videri debet quàm mater fœtum suum, si dulci tæniarum & lumbricorum nutrimento subtracto amaris eum cibis interdum vexet, aut si cùm indulgentiâ corrumpi ipsum animadvertit, flagris avertat ad obedientiam. Cæterùm ponit nobis ob oculos hic

hic locus luculenter causam calamitosissimorũ bellorũ quibus multis jam annis perpetuò infelicissimè confligimus cum Turcis, & quid porrò nobis futurum sit prænunciat, si Christo sua anathemata subtrahere eáque in nostras voluptates avertere pergemus. Sed hoc hactenus. Chaldæus suo more illud, *Non ero posthac vobiscum*, explicat his verbis, *Non faciam ut sit verbum meum posthac vobis auxilio*, de quo loquendi modo jam semel iterúmque diximus.

13. *Surge, expia populum, & dicito*, &c.] Postquam exposuit Deus ipsum facinus, quale & quantum esset, superioribus duobus versiculis, jam revertitur ad id quod cœperat dicere v. 10. h. e. ad exponendum quæ sit illi malo facienda medicina. Ideóque repetit mandativum illud, *Surge*. Verbum קדש non satis commodè possum uno vocabulo Latino reddere, utuntur autem Hebræi planè ut Plato usus esse, mihi quidem, videtur verbo ex conjunctione facto ἀποδιαπομπῆς, cujus vis neque *expiandi* verbo, quod ego reddidi, neque *lustrandi*, quod alii, neque *purgandi*, quod item alii, satis exprimitur; neque verò omnino *consecrare* est, sed *comparare ad sanctitatem, Deóque conjunctiorem efficere*, qui solus verè sanctus purúsque est. Chaldæus suo more interpretatur זמן, h. e. ut forenses loquuntur, *citare*; quasi jubeat Deus Imperatorem tempus locúmque populo præstituere quibus parati adsint. Hunc Judæorum turba, ut solet lubenter, sequitur. Sed quando is Dei sensus est, ut velit populum postridie tanquam ad suum tribunal adesse, credibilius est id eum juberi velle, ut corporis castimoniæ operam publicè & privatim pro se quisque dent; sive quia manus habebant sanguine humano infectas ex recente Jerichuntiorum cæde, sive quia tota castra illato anathemate polluta quodam modo censebantur, sive denique vel ob id solùm, quòd coram sacrario Dei comparere judicii̇que Divini aleam subire deberent postridie; similiter atque in Exodo 19. 10, 14, 15. cùm essent Dei effata audituri. Nam de iisdem ritibus accipiendum esse hunc ἁγιασμὸν existimo quos illic Moses præscripsit. Erant autem ii, ut vestes suas sordibus eluerent, & ut secubarent. Hæ enim ceremoniæ religionem animis populi magnam offerebant, cùm quisque facilè intelligeret multò sibi servandum magìs esse ut castis animis sub Dei veluti aspectum prodirent quàm corporibus, quando his illi infinitis modis præstantiores sunt. Non ergò damnanda sunt externa pietatis adminicula, quibus opus habemus tantisper dum homines sumus humi strati. Sed hæc pluribus sunt à nobis dicta ad v. 5. c. 3. Sed enim quis hîc Deum reipsa succensere Israelitis aut ipsos deseruisse dicat, cùm videat quanta cum benignitate omnem sui reconciliandi rationem per Divinum suum Spiritum ipsis commonstrat? Deberet autem hoc exemplum mirificè nos consolari, atque ad amandum Deum hortari. Neque enim ille minùs nobis, dum sæpe multúmque delinquimus, congruos modos quibus ad se revertamur, h. e. redeamus in viam salutis, tum per sacra sua verba tum per Spiritûs sui Divinos afflatus quotidie suggerit & ante oculos animi nostri ponit.

14. *Sistetis vos igitur manè per tribus vestras*, &c.] Verbum נקרבתם est quidem in ea formula positum quam Niphal vocant Grammatici; sed voluit usus ut in ea non meræ sed reciprocæ passionis haberet notionem, qualem solent alioqui verba in Hithpael habere. Sed quo sit ista inquisitio acta modo non una est Hebræorum sententia. Veteres enim in Capitulis, ut vocant, R. Eleazaris scribunt, tribus omnes coram rationali sive pectorali judiciario, quod Moses Exod. 28. 15. vocat חשן המשפט, Græci λόγιον κρίσεων, h. e. coram illa veste sacerdotali in qua erant gemmæ duodecim concinnatæ dispositæque certo ordine, & in singulis singula tribuum insculpta nomina, productas esse; Ibique eam gemmam quæ sontis tribûs habebat nomen culpam prodidisse splendoris sui obscuratione; Deinde verò in deprehensæ jam tribus prosapias, familias, capita deinceps sorte ductâ esse inquisitum. Idque illis assentiuntur etiam R. D. K. & Liranus noster. Alibi verò somniant RR. Arcam ipsam sacram primùm eos qui noxiam tribum repræsentabant, deinceps qui prosapiam, mox qui familiam, denique furem ipsum, cùm se ante illam sisterent, veluti injectâ manu retinuisse, ut ne pedem loco movere possent. Mihi verò credibilius apparet *apprehendendi* sermonem non eam vim hoc loco habere, sed pro *arguere* sive *indicare* positum esse, ut sunt LXXII interpretati. Porrò R. Levi F. Gersonis existimat disquisitionem istam omnem sorte actam esse; Sortitionem autem adscribi Deo, quia ejus nutu rectè cadit sors; quod Salomon testificatur, Prov. 16. 33. inquiens, *In sinum projicitur sors; & à Domino est omne judicium*, sive *ratio, ipsius*. Et quò hæc tanti momenti sortitio certiorem haberet fidem, opinatur idem Levi Prophetæ manibus coram Arca sacra, tanquam in Dei conspectu, mistas atque extractas esse sortes. Josephus etiam Antiq. l. 5. & interpres Latinus sortitos esse censent. Idque mihi etiam probabilius videtur, quando & Saulem quoque 1 Reg. 14. 41, 42. & vectores apud Jonam 1. 7. constat esse sortitos, & quidem ad pœnam, ut hîc. Nam sortem, si religiosè tractetur, numine Divino regi atque pro Dei arbitrio cadere, & esse, quod ait Solomon, *Dei judicium*, præter alia S. historiæ exempla, ille sortitus satis magno argumento nobis est qui Matthiam in collegium sanctissimorum Apostolorum cooptavit Act. 1. 26. Rectè ergò Augustinus dixit *sortem esse rem quæ in dubitatione humana Divinam patefacit voluntatem*. Verùm enimvero hæc ad eas sortes minimè pertinent quibus homines stultè imò impiè curiosi rerum futurarum exitus prænoscere laborant. Sunt enim illæ tales indignæ Christiano homine sortes; vix enim ullâ re incautiùs simul & graviùs offenditur Deus quàm vanissimis illiuscemodi superstitionibus, quæ re ipsâ falsi cultus sunt cum veri Numinis neglectu conjuncti. Ut neque illæ sortes sunt ferendæ quibus malè religiosum vulgus ad suas nundinationes & ad quæstum faciendum Divina oracula solicitat. Aliud est, cùm de compacto fortunæ alea exspectatur. Eas enim solas sortes benigno suo nutu regere & temperare existimandus est Deus quæ pro re nata ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam, justa cum reverentia & religione committuntur Divino arbitrio, præsertim ab hominum cœtu piorũ. Sed ut ut hoc est, quando de hominis vita atq; fama hîc agebatur, haud potuisset judicium solâ sortitione factum tanti apud universum populum esse ut omnem effugeret calumniam, nisi accessisset ipsa etiam sontis confessio: Quod & veteres Judæi existimaverunt, qui libro Tanhuma non dubitarunt dicere tribum Judaicam arma adversùs reliquas tribus de ista re sumpsisse, neque deposuisse nisi postquam ipse suum facinus confessus esset Achan. *Nam*, inquiunt, *si duo vel innocentissimi homines cogantur de capitali re sortiri inter se, damnabitur alteruter, injustè tamen.* Idem scribitur c. 6. סנהדרין τῶ συνεδρίω, ubi plurima de hoc loco inter RR. desceptatio est. Atqui quod ad hujusmodi sortitionem attinet qualem Talmudici objiciunt, eã periculum de re certa tanquam incerta facere nihil esset aliud quàm Deo illudere. Nos autem sortitionem nullam nisi cum religione conjunctam probamus. Sed enim cur non uno sortitu tota absolvatur quæstio, verùm tanquam gradatim à tribubus ad prosapias, à prosapiis ad familias, à familiis ad singula capita descendatur, equidem opinor vitandæ confusionis causâ id fieri. Nam in tanta capitũ multitudine vix ulla hydria singulorum nomina potuisset capere, & extrahendi finis nullus fuisset. Tum facilè potuisset quivis alienum nomen pro suo dare, vel prorsus nullum dare, & nescio quid non facere, nè sors se proderet. At in præscripta à Deo formula fraus nulla fieri potest, Ipsæ enim tribus quot & quæ essent aperta res erat & nota omnibus. Jam verò quis non existimet singulas tribus suarum cognationum, cognationes suarum familiarum, familias suorum capitum numerum habuisse cognitum & nomina calluisse. Fuere enim omnino φύλαρχοι sive Tribuni 12, quorum suæ quisque tribûs ut veluti Dux & Princeps erat, itè quot & quæ in ea essent cognationes nominatim tenebat. Similiter singulæ cognationes

sive

sive gentilitates, ut sic dicam, suos habebant δημάρχους, qui earum familiarum quas sub se quisque habebat nomina numerúmque non nesciebant: Ut neque singularum familiarum patres quibus essent præfecti capitibus poterant ignorare. Itaque in prima sortitione sortes solæ 12 conjectæ in urnam sunt, quæ singulas tribus referrent; In secunda, tot quot habebat tribûs Judæ φύλαρχος sub se cognationes; In tertia, quot gentis Zaraitæ Demarchus sub se habebat familias; Denique in quarta, quot familia Zabdi continebat capita. Igitur parvo labore nullóque errore res omnis acta est; quæ prorsus inexplicabilis erat futura si sexies centena aut eo plura nominum millia simul in hydriam conjecta fuissent. Quin illud quoque probabile est, Imperatorem, cùm populum per suas tribus, ut est in contextu, produceret, non quidem universam produxisse multitudinem, sed eos solos, quos dixi, 12 Tribunos sive Phylarchos; Cúmque Judæ tribus notata infamiæ esset, eos eum deinde solos citasse qui singularum hujus tribûs cognationum capita erant, h. e. ipsos Demarchos, ut nuper appellabam: Mox patefactâ cognatione eâ in qua erat sacrilegus, solos familiarum Patres sorte experiri coactos esse, & coram Arca prodire jussos; Denique proditâ familiâ, omnes tandem & singulos in medium venire atque sortiri debuisse qui in ea familia erant. Nihil igitur in his actionibus inordinati, nihil confusi erat; sed discreta explicatáque omnia, ut facilis esset doli cautio. Atque hanc in aliis etiam cœtibus celebrandis citandi solos primores rationem esse observatam crediderim. Sed quod ad præsentem quæstionem attinet, si quis existimet ideo gradatim universitatem ad pauciores contrahi voluisse Deum, & postremò deduci ad singulos, ut is qui in noxia se esse non ignorabat, cùm se continuò peti, primùm in tribu, deinde in gente, mox etiam in familia, neque judicium Divinum usquam aberrare videret, ultro se ipse supplex proderet priùs quàm à sorte nominatim proderetur, veniámque oraret; cui etiam tum planè fuisset locus; illi ego non repugnavero, Quippe qui nullâ re magis quàm misericordiâ Dei per omnem occasionem prædicandâ delecter, quâ ut mortales omnes itá ego inprimis maximè opus habeo. Et profectò vehementem & duram fuisse hominis obstinationem necesse est, qui perinde ac si ejus quod quærebatur facinoris conscius sibi non esset, Dei judicium, quod jam tribus antè pronunciatis sententiis certissimum esse intelligebat, de se nominatim fieri sustinuerit. Sed prorsus geminam, vel majorem etiam, impudentiam proditoris Judæ nobis commemorant S. literæ, qui cùm audisset Christum disertè dicentem, Matth. 26.21. *Unus vestrum me prodet*, atque insuper quis ille esset tanquam digito ostendentem, his verbis, *Qui intinxit unà mecum manum in catino, is me tradet*, nihil erubuit etiam tum interrogare ore durissimo, *Egóne ille sum, Magister?* Sed non desunt Satanæ artes mille quibus hominum mentes affirmet, nè ipsos scelerum, quæ vel jam patrarunt, vel obstinatis animis conceperunt, possit pœnitere. Illum igitur credibile est Judæ persuasisse, nihil Christum mali passurum à Judæis etiam si tradatur, ut qui sæpe esset è mediis hostibus furentibus facilè elapsus; atque interim se improbos illos Pharisæos & Sacerdotes argento eo quod sibi fuerat depectus multaturum, & facilè deinde cum placabilissimo clementissimóque Hero rediturum in gratiam. Similiter Achanem nostrum in eam primùm opinionem induxisse ut putaret adversus expressam aliis verbis voluntatem Dei non esse novo isti Imperatoris edicto de anathemate obtemperandum. Deum enim in Deuteronomio 20.14. edixisse, cùm de expugnandis urbibus verba faceret, *Quidquid fuerit in urbe, prædam omnem, diripies tibi; comedésque spolium hostium tuorum*. Deinde verò, cùm re ipsâ cerneret offensum Deum quæstionem jam exercere, & rectâ in se collimare, tum sic existimaverit, complures præter se alios esse qui se ejusmodi impiâ fraude obligassent, furtúmque in tam splendidis manubiis vel multò grandius fecissent; eos Divinâ sorte peti ad pœnam, non se. Mirum enim quàm variis technis eludat veterator ille probas nostras cogitationes quas Dei Spiritus mentibus nostris suggerere non cessat. Nam ut aliquando fucus ipsius omnis, quo maleficiorum turpitudinem mirificè dissimulare novit, per veritatis splendorem sit detersus, tamen vel solo pudore atque pernicioso infamiæ metu vel gloriosâ ostentatione homines ut improbum suum institutum teneant, neque inde ad id quod rectum probúmque est decedant, urget, donec tandem sera atque inutilis fiat pœnitentia. Nos igitur ista & hujus generis alia exempla ante oculos habeamus, atque in tempore nosmet ad fontem misericordiæ recipiamus priùs quàm judicati ducamur; Neque à malo dæmone persuaderi nos sinamus ut ullis tenebris aut dissimulationum integumentis, qualia nobis ille varia fingit, speremus quidquam omnium quæ agimus à Dei conspectu posse occultari, &c.

15. *Et fiet ut qui deprehensus fuerit*, &c.] Quod convertimus *rem fœdam* est Hebraicè נבלה, quæ positio propriè *marcescere* significat; veluti cadavera, quæ amissâ animâ, tanquam sale, computrescunt. Pertinet etiam ad folia, quæ ut naturali humore destituuntur defluunt ex arboribus. Transfertur quoque ad ipsum animum, cùm ille divinis suis virtutibus orbatus desipit; quem ejus morbum Græci ἀφροσύνην, nos *dementiam* & *vecordiam* appellamus. Inde est ergò quòd Theodotion hoc loco ἀφροσύνην dixit. Sed LXXII ἀνόμημα converterunt, planè quo sensu Chaldæus interpretatus est דלאכשר, h.e. *improbum*. Idque mihi placet; ut per translationem accipiamus *improbitatem*, ea enim per se fœda res est. Unde nostrâ linguâ **schelmeren** dicimus. Sic enim etiam de stupro dictum est Gen. 34.7. & Jud. 20.6. Affert igitur Deus caussas diversas duas cur in sacrilegum istum tam grave statui exemplum velit. Prior est, quia legem ab Jehova, h. e. à summo Numine, institutam violavit. *Fœdus* enim pro *lege* sive *constitutione* hîc accipitur. Nam, ut antè dixi, quod Imperator de anathemate edixerat, id Deus sibi sumit. Altera est, quia rem patravit quæ exemplo, quasi tetro odore, populum universum facilè inficeret, vel, ut simpliciùs dicam, quia furtum commisit, *rem* per se *improbam*, & maximè *in Israele*, h. e. in eo populo quem præ cunctis totius orbis nationibus ad probitatem per plurimas leges, beneficia, miracula ipse erudiverat atque conformaverat. Quantum enim sit flagitium, Jehovæ, h.e. ejus Dei ex cujus, ut sic dicam, essentia res omnes ortum habent atque dependent, legem frangere, etiam si quod ille vetuit per se neque malum neq; bonum sit, argumento est acerbissimus ille casus quem in universum genus humanũ invexit primus parens. Quid enim referebat de arboribus aliis an de ea quæ in medio Paradiso enata stabat ederet Adamus, nisi hâc interdictum ei fuisset? Et ut exemplum ei de quo agimus penè geminum adjungam; Jusserat Deus Sauli ut de iis rebus quæ Amalecitarum essent nullam prorsus faceret reliquam, 1 Reg. 15. Ille verò Regem ad Triumphum, & optima quæque pecora ad sacrificia conservarat; eâque re Divinis se jussis pulchrè satisfecisse rebatur, quantum apparet. Verùm Deus pronunciabat eam rebellionem non minùs in vitio esse atque cultum fictitiorum deorum, quod flagitium est omnium maximum; simúlque illum Regni fortunâ privabat, quamvis cæteroqui nihil interesse videretur in ipsa pugna an paulò pòst in sacrificiorum pompa caderent Rex & pecudes. Rursus, quis omnium, qui quidem mente non sit motus, non putet furtum, stuprum, adulterium, alia ejus generis facinora esse per se improba, ut nulla unquam quæ ea prohiberet lex scripta fuerit? Sed enim quando hîc flammis addicit Deus eum qui in noxia fuerit, unà cum rebus suis omnibus, meritò quæstionem movet D. Augustinus, cur lapidatus sit Achan, ut v. 25 dicetur; atque in ea quæstione expedienda argutiùs, meo judicio, quàm ad explicanda historiæ sacræ verba appositiùs versatur vir alioqui divinus. Huc autem ferè recidit omnis ejus ratio; Josuam, ut Vatem Divino afflatum Spiritu, quæ à Deo de igne dicta sunt ea aut ad illam pœnam quæ Achanem post hanc vitam manebat retulisse, aut *ignis* sermonem de lapidatione accepisse, quia hoc supplicio tanquam igne expurgaretur Achan omni culpâ.

Eodem enim etiam spectare vasorum expiationem quam in Levitico & Numeris fieri per ignem jussit Deus. Sed R.S. longè aliud quærit effugium. Censet enim sic interpretandum esse hunc locum, *Et fiet ut quod deprehensum fuerit in anathemate, id cremetur igne*] nimirum, inquit, tentorium Achanis, in quo anathema defoderat, & cætera ejus supellex, ad quam anathema adjunxerat. *Porrò ipsum*] videlicet Achanem; *& omnia quæ habet*] h.e. ejus familiam & pecudes, *obruetis lapidibus*, inquit. Ut sit oratio imminuta, & in posteriore membro ὑποσιώπησις. *Nam accentus*, inquit, זקף Zakeph *positus supra nomen* אש i. *igne*, *insistendum illic atque interspirandum esse ostendit*. Et ut hæc non sua sed Talmudica commenta; leguntur enim in sexto etiam capite סנהדרין τῆ συνεδρίῳ; ut, inquam, ista commenta exemplo affirmet, cæteroqui nimis profectò absurda, citat locum, ut ipse putat, huic prorsus simillimum ex Regum historia 2 Sam. 5.8. ubi David sic loquitur, *Omnis qui percusserit Jebusæum, & attigerit ad canalem*. Nec addit quo sit ille donandus præmio, hoc enim demum in libris Paralipomenωn explicatur, *futurum scilicet ut pro Principe populi habeatur qui primus ad canalem evaserit*. Sed nos orationem tam mutilam minimè hîc ferendam putamus, aliámque suo loco solutionem simpliciorem proferemus, infrà v.25.

16, 17, 18. *Igitur Josua manè surrexit, produxitque Israelem*, &c.] Obsequium & diligentia Imperatoris commendantur; quæ quanta hîc fuerint de hesterna consternatione conjectura fieri potest. Sed enim credibile est adfuisse jam quidem quos oportuit omnes apud Arcam, tamen quò ritè atque ordine omnia agantur, producit ipse Imperator gradatim eos qui quosque ordines repræsentabant, atque sortiri jubet; primùm, Tribunos sive φυλάρχους XII; deinde, δημάρχους, qui singulas tribûs Judæ cognationes sive gentes referebant; post, patres familiarum cognationis Zareiticæ; Denique, singula capita familiæ Zabdi. Cæterùm cujus manu sortes mistæ ductæque sint incertum est. Nam in S. historia est ubi ab iis contrectantur in quos fit sortitio, ut 1 Par.24.31. Est etiam ubi ab aliis, &, ut opinor, Sacerdotibus, Nam, *Jacite*, inquit Saul 1 Sam. 14.42. *inter me & inter filium meum Jonathan*. Aliquando ipse Princeps sortitionis Divinæ administer est, ut c.18. videbimus. ¶ Nomen משפחת v.17. aut ut collectivum est accipiendum, aut ut sit numerus singularis pro plurali positus. In eodem versu illud לגברים h.e. *viritim*, καλ᾽ ἀχενικῶς dictum est pro לבתים *per familias*. ¶ Qui hîc זבדי *Zabdi* vocatur, habet in Paralipomenis l.1. c.2. v.6. nomen זמרי *Zamri*, ubi istæ prosapiæ explicantur: fuit ergò binominis.

19. *Et ait Josua ad Achanem, Fili mi, constitue*, &c.] Ut nihil in Principe viro turpius quàm effrænis ira & stomachans, præsertim adversùs eos quorum habet potestatem, etiam si graviter peccaverint; cur enim æstuet bile animus quando in promptu est vindicta? ità nihil in illo laudabilius lenitate atque clementiâ. Quibus virtutibus quàm egregiè claruerit noster Imperator Josua, præsens locus attestatur, dum suavissimis verbis Achanem compellat qui per suum scelus paulò antè populum universum tantùm non in extremam desperationem adduxerat. Nimirum imitabatur ille Magistri sui Mosis virtutes quasque præclarissimas, qui, teste Deo, fuit *mortalium omnium mitissimus*, Num. 12.1. Discant igitur qui potestate & dominatu aliorum hominum pollent eâ modestiâ temperare animos suos ut neque indulgentiâ collabi disciplinam sinant, neque rursus iræ suasu, aut impulsu veriùs, pœnas justas crudeliùs persequantur; sed medicorum exemplo medeantur morbis, non indignentur ægrotis. Nam præclarè illud profectò, ut multa, à Philone dictum est in eo libro quo De immutabili Deo disseruit, πηγὴν εἶναι τῶν ἁμαρτημάτων θυμὸν· λογισμὸν δὲ, τῶν κατορθωμάτων, h.e. *malarum actionum fontem esse præcipitem iram; bonarum*, *deliberationem*, quod nostrorum Poetarum quidam non minùs acutè breviterque sic dixit,

— Diis proximus ille est
Quem ratio non ira regit.

Porrò illud, *Constitue, quæso, gloriam Deo Israelis*, existimant quidam formulam esse obligandi hominem sacramento, quâ etiam usi sint Pharisæi apud cæcum in D. Joannis Euangelio 9.24. ut eum vel jurisjurandi religione deterrerent à prædicando illo admirabilitatis maximæ beneficio quod à Christo recèns acceperat. Sed ego ut hoc funditus repudiare aut refellere nolo, ità non admodum probare possum, cùm nihil appareat in illa Joannis narratione quod juramento dicere cæcum voluerint Pharisæi; qui potiùs accusatâ Christi humanitate, quâ offendebantur, studebant hominem avertere ab ejus Divina virtute prædicanda, atque ad transcribendum omne beneficium in solum Deum inducere. Cæterùm quis sit verus illorum verborum sensus intelligi potest ex iis quæ ab Ezdra dicuntur l.3. c.9. v.8. Illic enim rem difficillimam quidem sed prorsus necessariam ad tuendam religionem & verum cultum suasurus populo, ait, *Vos peccastis ductis uxoribus externis plùs quàm antè peccarant Israelitæ. Jam verò edite hanc, quæso, confessionem, & constituite gloriam Domino Deo patrum nostrorum, ut morem gerentes ejus voluntati, discedatis à connubio barbararum mulierum*. Nimirum benignissimus Deus suæ laudi assumere dignatur quòd homines ingenuè sua peccata confitentur, atque ad illius se voluntatem accommodare student. Volebat autem, quod ad præsentem narrationem attinet, Deus quarum rerum esset factum furtum planè resciri, cùm eas res abolitum iri oporteret. Dixerat enim, *Anathema est in medio tui, Israel: Non poteris consistere contra tuos hostes usque dum amoveritis anathema*. Ad hoc, cùm Divinâ sorte proditus esset Achan tanquam sacrilegus, utile erat ad sanciendam militarem disciplinam in istis novi imperii auspiciis, re patefactâ testatissimam esse indicii Divini veritatem; Eo enim intelligere potuerunt omnes nihil tam occultè à quoquam committi posse quod Dei oculos falleret. Talmudici in eo quod jam sæpe cito capite τῆ συνεδρίῳ scribunt ideo laborare tam sedulò Imperatorem ut certam hæc sortitio fidem in omnium opinione habeat, quia non ignorat se olim sortitò hæreditatem distributurum populo. Nam, ut in Talmude Jerosolymitano scriptum est, ubi de Tentoriis disputatio est, ad hunc modum ratiocinabatur ille apud se, *Si intelliget populus certam esse sortem cùm de hominis vita agitur, planè fidem ei adjunget in iis judiciis quæ de opibus & possessione bonorum exercebuntur*. Sed enim ad Dei gloriam conducere mortalium confessionem sacer etiam Vates cecinit, cùm diceret Psal. 50.23. *Qui sacrificat confessione, honorat me*. Neque verò aliud sincerius Divinæ laudis sacrificium à nobis fieri potest quàm ut nostrarum sordium ingenuâ confessione Dei sublimem majestatem efferamus, vitia culpásque nostras detestemur, illius Divinam justitiam & simul immensam misericordiam prædicemus, sive meritas pœnas à nobis exigat sive remittat. Sic enim Daniel c.9. *post fidei atque innocentiæ suæ multiplicem gratiam*, ut Cypriani verbis utar Serm. De lapsis, *jejuniis, sacco, cinere, confessione adhuc Deum demulcebat*. Quippe cultus nullus absque illiusmodi confessione satis plenus pietatis esse videtur ac sanctus. Quare apud Matthæum 3.6. qui à Joanne erant S. baptismo initiandi peccata sua primùm confitebantur. Atque alibi Act.19. constitutâ jam tum Ecclesiâ, Apostolis sua confitentur flagitia qui admirabilibus nominis Jesu miraculis territi cultum religionémque Christi susceptum veniebant. Denique D. Cyprianus Serm. De lapsis, nihil dubitat dicere, *Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, vim afferri corpori Dominico & sanguini, si quis audeat sumere, & plùs in Christum manibus atque ore delinqui quàm deliquerunt illi qui ipsum abnegarunt Dominum*: & rursus, *Confessionem esse custodem spei, fidei retinaculum, salutaris itineris ducem, fomitem nutrimentúmq; bonæ indolis, ac deniq; virtutum omnium magistram; quam sectari salutare sit, aversari verò, aut negligere, lethale*. Hoc igitur sanctissimo sacrificio Achan Dei gloriam hîc illustrat, dum ejus judicium esse rectum, se verò pravum ac sontem confitetur,

tur; Atque etiam, ut nostrorum plerique post Talmudicos cap. Eleaz. existimant, se per Dei misericordiam ab æterno supplicio vindicat, dum sui ipse accusator contrito demissóque animo sacra illa verba omnibus piis præit, *Verè ego peccavi in Jehovam Deum Israelis.* Nam *ut contumax dissimulatio*, inquit Tertullianus De pœnit. & adv. Marcion. *scelera exaggerat, sic simplex humilisque confessio relevat.* Qui auctor confessionis præstantiam ab ipsis humani generis repetens primordiis, Adamum primùm, deinde ejus filium Cain, ideo esse à Deo interrogatos ait *ut aut spontaneâ confessione leviora, aut inficiatione graviora facerent sua maleficia. Nam cùm alter*, inquit, *pudenter confitetur, alter pernegat impudenter, illi spem salutis reliquam facit Deus, hunc exitio æterno addicit.* Sed jam longiùs evehor. Cæterùm qualis esse debeat vera confessio, ipse Achan nobis versu proximo explicabit. Sed vox תודה, inquiunt Confessionis hostes & fictæ pietatis astuti simulatores, non *confessionem* sed *gratiarum actionem laudisque prædicationem* significat. Atqui ego pernego vel gratias vel laudem aliam illâ voce significari, in S. certè historia, quàm in quibus ità versamur ut simul ei quem laudamus, aut cui gratias agimus, nosmet tanquam sontes subjiciamus; & sicut ejus quædam benefacta, ità vicissim nostra maleficia commemoremus; h.e. quæ laudes quæque gratiæ cum confessione sint conjunctæ, aut potiùs ex confessione compositæ & coagmentatæ.

20,21. *Achan verò respondit Josue, & dixit, Verè ego peccavi*, &c.] Quod ait *verè* est ingenuè & apertè confitentis crimen; contrà atque hypocritæ solent, qui etiamsi manifestò flagitii teneantur, tamen quovis colore illud infucare, atque ut variis causis à se commissum excusare satagunt. Item Epicurei, qui pulchrè defunctos se confessione putant si in Sacerdotis cujuspiam aures, quem sibi vel vitæ improbitate parem nebulonem, vel beneficiis obstrictum assentatorem, vel alioqui in doctrina Ecclesiastica rudem ad id delegerunt, sua scelera turbidè & generatim vocéque obscurâ & confusâ, neque ullo cum vero gemitu mussarunt; & simulatque impositam suo capiti manum illius sensere, quasi omni reatu soluti sint, ità sibi blandiuntur ipsi. At Achan nihil dissimulat omnium, sed, *Verè*, inquit, *ego peccavi*, q.d. Non est quòd elevem quæ commisi. Sunt ea gravissima & quovis supplicio digna. Sed neque est quòd in alium culpæ partem transferam, ego enim ipse deliqui, meum solius facinus est. Cùm porrò subjungit, *In Dominum Deum Israelis*, ipsum veræ confessionis fundamentum locat. Sic enim ait, Peccavi in verum Deum, illum rerum humanarum Judicem atque Inspectorem, à quo factus, & innumeris beneficiis affectus sum, quippe Israelita; ut meritò ingratissimus censeri debeam. Deinceps pergit explicatè atque distinctè & illuminatè rebus verbísque dicere peccata, illud enim, *& sic & sic feci*, tacitam continent hypotyposin omnísque rei actæ evidentem & illustrem explicationem. In qua explicatione progreditur ordine, ab ipso videndi sensu, tanquam malarum rerum face, ad inflammatum cupiditate animum; deinceps ab æstuante atque incitato nimiâ appetitione animo, ad opus; ab opere, ad conscientiæ morsum, unde occultatio demum est consecuta. Qualem seriem connexionémq; rerum in omnibus ferè peccatis esse animadvertimus. Certè in omnium prima, quæ est à primis parentibus commissa, culpa talem nobis luculenter depinxit S. historia Gen.3. Sciens hoc loco prætereo quæ Talmudici ἐν τῷ συνεδρίῳ, c.6. alia sacrilegia Achanis colligunt, ineptè sanè, ex istis certè verbis, à D.K. & R.S. hîc laudata. Illud tamen non possum non damnare impietatis quod ibidem prodere non verentur, Imperatorem Josuam simulatè promissâ impunitate hanc confessionem ab Achane elicuisse, quâ fidem sorti confirmaret, cùm hâc ipse esset aliquando suas cuique possessiones distributurus. Audivi equidem blanditiis & fictâ veniæ spe Magistratus nostros solere multa conquirere, elicere, cognoscere ex fontibus. Verùm putare divinum virum Josuam dandæ adversùs pronunciatam à Deo sententiam veniæ simulationem induisse, id verò nefas esse statuo. ¶ Porrò quod sum interpretatus *paludamentum Babylonicum*, est Hebraicè אדרת שנער. Significat autem nomen אדרת *Addereth*, si ipsa notatio spectetur, vel *tapetum*, vel *vestem magnificam & quæ gloriam conciliat ei qui utitur.* *Paludamentum* autem procerum fuisse, præsertim in expeditionem exeuntium, attestatur Juvenalis, cùm de parùm verecunda femina sic loquitur, sat.6.

Cúmque paludatis Ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui, rectâ facie, &c.

Et apud Jonam 3.6. Rex Nineves *exuebat se* אדרתו *Addereth, ut saccum indueret.* LXXII ψιλὴν converterunt; nimirum quia paludamentum vestis genus leve & expeditum est, utpote militare. Nam ψιλὰς vocant Græci *levis armaturæ milites.* Est tamen ubi minimè splendidum cultum significet, sed *Philosophicum* potiùs *pallium*, quale fuit illud celebratum Eliæ quod Elisæo è sublimi demittebat, vel *villosum tapetem.* Sed cum sæpe אדרת שער *Addereth Sear*, h.e. *pilosum & rude pallium*, vel *stragulum*, per antithesin, opinor, illius alterius אדרת שנער *Addereth Sinar*, *Babylonici pallii*, vel *straguli*, vocatur verbi ad literam immutati similitudine graviter & præclarè ob oculos posito utroque cultu, & superborum hominum, & humilium demissorúmque. Exempla exstant Gen.25.25. Zach.13.4. & alibi. Nimirum homines cœlestium rerum contemplatione solâ districti villosâ veste corpus ab aeris injuria defendere atque insternere satis habebant, exquisitum cultum aulæ relinquebant. Cæterùm שנער *Sinar* Babylonicam regionem vocari, in qua famosam illam turrim moliebatur tum gloriæ avida tum diluvii metuens Noæ posteritas, testatum in Genesi est 11.2. Babylonicas autem vestes & peristromata ob mirificum texturæ artificium in pretio fuisse antiquissimi quique scriptores prodiderunt. Et inter alios Plutarchus memorat, frugalem illum M. Catonem, cùm ei ex hæreditate ἐπίβλημα τῶν ποικίλων Βαβυλώνιον obvenisset, mox divendidisse. Variis enim coloribus intertexta splendebant magnificè, ut etiam T. Lucretius l.4. scripsit. Et ob hanc causam puto LXXII pro שנער reddidisse ποικίλην. At Aquilas cum Chaldæo vertit στολὴν Βαβυλωνικὴν. Symmachus ἔνδυμα Σεννάρ. Josephus χλανίδα, h.e. *elegantiorem vestem militarem.* Denique Latinus pro *Synar*, h.e. *Babylonico*, dixit *Coccineum.* Nam Persarum finitimarúmque gentium luxum eo colore se ostentare solere vel indè constat quòd captis ab Alexandro Susis inventa illic fuerint, ut refert Plutarchus Alexandro, quinquaginta millia pondo, sive talenta purpuræ Hermionicæ. Quin etiam veterum Hebræorum nonnulli, ut proditur in בראשית רבה *Genesi magna*, illud אדרת שנער *Addereth Sinar purpuram Babylonicam*, nonnulli *stolam rubram* sunt interpretati. Nam cocci & purpuræ liquores eundem ferè colorem rubrum efficiunt: unde alterum pro altero usurpatum videmus apud Euangelistas Matth.27.28. & Joan.19.2. cùm vestem describunt quâ Christo tanquam Regi convitia faciebant impii carnifices. Sed jam ista nimis fortasse prolixè persequor. ¶ Sequitur in S. texto, *Et ducentos siclos argenteos.* Id dimidium est ejus pretii quo Abraham redemit sibi suísque speluncam duplicem ab Ephrone Hetthæo, Gen.23.16. Definit autem S. historia Siclum sanctuarii pretio Obulorū viginti, quos Obulos גרה vocat Exod.30.13. Josephus verò l.3. Antiq. c.10. scribit, *Siclum esse Drachmas Atticas quatuor*, h.e. Staterem unum, sive semunciam. Unde & Symmachus hoc loco pro *Siclis* dixit στατῆρας, ut solet plerumque Aquilas quoque. Et hoc verum Sicli argentei pondus esse ostendunt vetustissimi Sicli justissimâ trutinâ appensi: Quorum unum mihi amicitiæ gratiâ olim dono dedit vir ob Hebraicam typographiam, & ejus linguæ non solùm studium sed egregiam scientiam, atque in primis ob singularem animi probitatem & candorem, æternâ memoriâ dignissimus Daniel Bombergus. Eorum lemma utrinque literis priscis Hebraicis sive, ut Talmudici appellant, Libanicis vel, ut alii, Samaritanis scriptum in ea facie quæ virgam Aharonis ostendit, tale est, ירושלים הקדושה. h.e. JERUSALEM SANCTA, in altera verò facie,

facie, quâ vasculum illud quo manna servabatur in Arca spectatur, tale, שקל ישראל, i. SICLUS ISRAEL. Supra autem illum mannæ calicem duæ visuntur literæ, ש Schin, & מ Mem, quarum ego enodationem esse reor שלמה מלך *Solomon Rex*. Sed ut ad rem redeam; Conficiunt ergò ducenti Sicli Daleros justos Germanicos centum. Justos dico, non quales nunc passim cuduntur, tam dilutæ temperaturæ ut chrysurgica non possit citrà consistere, sed quales superiore ætate D. Joachimi imagine signari solebant. Budæus vir doctiss. Siclum æstimat Solidis Gallicis circiter 14. Sed eos quoque Solidos oporteat melioris esse indicaturæ quàm sunt ii qui nunc apud Gallos pervagati sunt. Cæterùm quia in S. historia mentio est *Sicli sanctuarii*, credibile est alium fuisse *vulgarem Siclum* sive *profanum*. Hunc ergò existimant quidam illius dimidium valuisse, h. e. Drachmas duas; quâ æstimatione LXXII hîc Siclum sunt interpretati. Sed, ut hoc quoque obiter explicem, est & *aureorum Siclorum* mentio in Paralipomenis l. 1. c. 21. v. 25. qualibus David aream locandæ domui sacræ ab Ornan, sive Areuna, Jebusæo redemit. Hos ego pondere quidem æquales & lemmate similes argenteis illis Siclis fuisse, sed pretio pro auri ad argentum ratione & analogia præstitisse dixerim; atque indè esse quòd in eadem una illa narratione in Regum libris & in Paralipomenis tam diversa pretii areæ summa sit prodita. Quinquaginta enim siclis rem esse transactam memorat Regum historia l. 2. c. 24. v. 24. at sexcentis Paralipomena, quæ proportio comparatióque ea fuerit quam habent Duodecim cum Uno, h. e. ut aurum sit argenti duodecuplum, quòd sanè ità esse attestatur etiam Hipparchus apud Platonem. Nam quod in Paralipomenis dici videtur, *appensos fuisse & numeratos aureos Siclos sexcentos*, id non est ità si verba Hebræa rectè interpretentur. Sic enim illa habent, *Et dedit David ipsi Ornan pro loco siclos aureos*, atque hîc insistendum est, factâ interspiratione per accentum quem זקף *Zakeph* vocant, inter reges non minimum: deinde sequitur, *pondere sexcentos*, sive *pondere sexcentorum*, h. e. qui valerent sexcentos Siclos, argenteos videlicet. Hi enim vulgò *Sicli* vocabantur, ut usitatiores. Quinquaginta autem aurei sexcentis argenteis Siclis æquè pares erant pretio. Rursus quod in Regibus dicitur בכסף non conficit argenteos fuisse Siclos illos quinquaginta quos numerabat David: est enim בכסף ac si dicas, *pro pecunia*, aut *argenti pretio*. Nimirum ille quod fuerat pactus argentum exsolvit auro, pro pretii ratione. ¶ Sequitur in texto, *Et linguam auream unam*. Quid sibi velit *lingua* vocabulum hoc loco non satis certum est. R. D. K. existimat cum Latino *laminam*, sive *regulam, ex auro in linguæ figuram conformatam fuisse*. Et Josephus quoque Antiq. l. 5. tametsi aurum hoc cum argento confundat, videtur opinatus rudis auri fuisse frustum massámque. Idque credibile est. Nam & scopuli & flamma vocantur *linguæ* nomine ab Hebræis. Judaicum autem somnium est quod Talmudici fabulantur in Capitulis Eleazaris, Achanem ex statuæ cujuspiam ore vulsisse hanc auream linguam, ante cujus pedes offenderit etiam positum honoris causâ Babylonicum illud stragulum, & oblatos argenteos Siclos, quos surripuit. Sed de re incertissima non est magnopere laborandum. Vetustissimus Poeta Nævius gladiolum etiam *lingulam* vocavit, ut testatur Gellius l. 10. c. 25. Fuit igitur fortassis gladiolus aureus quo Deum aliquem suum armarant Jerichuntii. ¶ Cæterùm vox שקל, cùm dicitur *lingua pependisse Siclis quinquaginta*, de Sicli pondere, h. e. Statere, accipi potest. Nam & numum illum argenti significati, quem dixi, & ejus pondus atque etiam pretium significat. Etenim ista verborum complexio, *quæ pendebat quinquaginta Siclis*, potest duplici sententiâ intelligi, vel quòd id linguæ aureæ pondus fuerit ut valeret quinquaginta Siclis argenteis, vel quòd quinquaginta Stateras pependerit. Si illam sententiam sequimur, 25 Dalerorum; si hanc, 300 fuerit ejus pretium. Mihi posterior videtur esse credibilior. ¶ Porrò cùm dicitur, *Et argentum sub illo*, demonstrationis pronomen pertinet ad paludamentum sive stragulum Babylonicum. Non enim rectè reddiderunt LXXII, vel etiam Chaldæus (ut certè habet meum exemplar scriptum manu) numerum pluralem, *Sub illis*. *Argenti* igitur verbo hîc etiam aurum subjectum est. Quis enim non existimet vel in fundo ipso abditam fuisse auream linguam? Idem dicendum est etiam proximo versiculo de ista verborum clausula.

22. *Mittebat ergò Josua nuncios, & cucurrerunt*, &c.] Duabus magnis de causis mittendi erant nuncii qui res abditas proferrent in medium. Altera, ut comprobaretur sontis confessio. Nulla enim, quantumvìs multa ac magno studio conquisita, indicia pro supervacaneis haberi debent cùm de hominis capite agitur. Vix enim ulla est resp. in qua non sit reliqua tristissimorum suppliciorum quæ de innoxiis hominibus per falsas nominum delationes sumpta sunt acerbissima recordatio. Altera, ut res allatæ unà cum fure comburerentur; quod jusserat Deus. Sed quòd curriculo properarunt nuncii, id eos credibile est Imperatoris jussu fecisse, nè quis ex necessariis aut tribulibus Achanis anteverteret, rebúsque amotis actionem totam incertam & dubiam faceret. Quanquam est verisimile per se ipsos magnâ alacritate ad cursum esse incitatos, ut quàm citissimè remp. maximo malo liberarent, cùm scirent dixisse Deum *nisi abolito anathemate se non affuturum populo*.

23. *Itaque tollebant ea è tentorio, & adferebant ad Josuam*, &c.] Pro eo quod est Hebraicè, *& ad omnes filios Israel*, reddiderunt LXXII *& ad omnes Seniores Israel*. Neque enim credibile est nuncios cum rebus inventis ad populum universum adivisse atque obivisse, sed rectâ ad Imperatorem, qui cum Senioribus apud Arcam stabat, ubi Deus per sortitionem judicium exercuerat, properasse. Nam Seniores atque φύλαρχοι, δήμαρχοι, patrésque familiarum, ut dixi v. 14. populum universum repræsentabant in comitiis. ¶ Porrò quod convertimus *profundebant*, Chaldæum imitati, est Hebraicè ויציקום. Significat autem verbum יצק *fundere*, usurpatur tamen etiam pro affinibus verbis יצב & יצג, quorum utrumque significat *statuere, ponere, figere*, sive *locando constituere & affirmare rem quampiam*. Putat quidem R. D. K. nostri verbi thema esse צוק. Verùm nè id ei assentiar obstant Grammaticorum præcepta. Summa igitur sententiæ est, Nuncios reculas illas explicatè antè oculos omnium collocasse, ut cum iis consentiens Achanis confessio Dei judicium sorte factum apertiùs comprobaret; eóque & justiorem illius indignationem omnes propiùs agnoscerent, & à similibus flagitiis accuratiùs cavendam sibi quisque intelligeret, quando nihil omnium Divinos illius oculos posset latere. Latinus dixit *projecerunt*, quasi illi indignabundi res furtivas in medium abjecerint; haudquaquam ille quidem cum impiis Talmudicis sentiens, sed existimans nuncios ipsos indignè tulisse Achanis sacrilegium. Talmudicos enim nihil pudet, in sexto illo capite τῆ σανεδρίν, quod in hac historia sæpe cito, nihil, inquam, eos illic pudet commemorare quosdam suorum dixisse, Josuam, ut reculas illas furtivas conspexisset, stomachantem, & tantam Dei offensionem ob res tantillas ægrè ferentem, illas ante Arcam in solum excussisse cum his verbis, *Túne, mundi Domine, ob ista occisurus eras magnam Senatûs Israelitici partem?* Nam verbum illud *profundebant* literis quidem numerum singularem præ se fert, verùm legitur plurali. Sed illi homines turpissimi & à proba religione Christi odio abalienati de se conjiciunt quâ sint alii mente in Deum.

24. *Josua porrò apprehendebat Achanem filium Zare*, &c.] Omissis jam proximis parentibus transilitur ad Zaram prosapiæ totius auctorem, compendii gratiâ, cùm nascendi series universa nuper satis sit explicata. Sed durum videtur, & Divinæ lenitati atque etiam scriptæ legi parùm consentaneum, quòd filii scelus patris luunt. Nam in Deuteronomio 24. 16. semel pronuntiavit Deus, *Neque parentes pro liberis, neque liberos pro parentibus esse morituros*. Sed illud de humano judicio constitutum est: Josua verò Dei jussa nunc exsequitur. Quamquam nè ipse quidem Deus alieni peccati pœnam à quoquam exigit, quod est antè satis prolixè à nobis disputatum. *Quo igitur judi-*

judicio Dei, inquit Augustinus Quæst. in Jos. *vel quâ ejus misericordiâ fuerit irrogata mors aut filiis Achan aut illis triginta sex viris, quos suo ille scelere clam omnibus patrato minimè obligaverat, latet apud eum apud quem non est iniquitas.* Id verò certum est, ut idem Augustinus hoc loco scriptum reliquit, filiorum Achanis necem fuisse utilem ad refrænandam similem reliqui populi audaciam; quod in periculosissimis novi imperii & lautioris fortunæ primordiis planè erat opus. Quodnam enim potest cuiquam facinus videri gravius magísque detestabile & pestiferum quàm quo non se solum sed omnem suam secum posteritatem in exitium abrepturum se præcipitaturúmq; intelligat? Dicunt quidem Talmudici tum in Capitulis Eleazaris tum ἐν τῷ συνεδρίῳ, liberos fuisse patri conscios sui sacrilegii, atque ideo suas meritò culpas ipsos pependisse, at nullam causam afferunt quâ id affirment. Pars etiam putant illos non fuisse abreptos cum parente ad supplicium, sed ad spectaculum, terroris causâ. Idque istis assentiuntur RR. Isaias & Levi F. Gersonis, quorum hic argumentum rationémque etiam affert, quod proximo versu scriptum est, *Et lapidabant illum omnis Israel*, non *illos*. Atqui mox subjectum est, *& lapidabant ipsos lapidibus. Fateor*, inquit Levi; *Sed hîc numerus plurium ad animalia & supellectilem pertinet.* Quàm sint hæc parùm firma quis non videt? Nos igitur cum D. Augustino existimare malumus, justissimo Dei judicio, nec sine Divina misericordia, occisos cum patre esse liberos; neque tamen paterni maleficii pœnas illos solvisse. Et quando hoc argumentum prolixiùs tractavimus ad v. 21. c. 6. id modò hîc monebimus denuò, Hujuscemodi judicia Dei haudquaquam nostro sensu nostrísque legibus esse metienda, sed ut planè justissima reverenter suspicienda atque amplectenda. *Quantò enim est cœlum terrâ altius, tantò sunt sublimiores viæ Dei nostris viis, & consilia Dei nostris consiliis*, ut est apud Isaiam scriptum 55. 9. Quippe statuendum est, nisi impii simus, immensum esse Dei erga genus humanum amorem, & proindè neminem aut morte aut calamitate aliâ multari, nisi quatenus id Divina justitia dictat, & simul misericordia eùm illi qui multatur re ipsâ tum aliis exemplo utile esse cognoscit. Cui rei cùm alia plurima quæ S. literis prodita sunt, tum illud cum primis argumento satis magno est quòd apud Jonam 4. 11. ille ignoscentissimum se esse declarat, neque id solùm adversùs *homines*, præsertim *eos qui non norunt discrimen inter dextram suam & sinistram*, h.e. qui per ætatem sunt innocentes, verùm etiam erga *brutas pecudes*, cùm sit omnium opifex & parens. Sed jam pergamus. Accurata illa rerum omnium enarratio quas cum fonte abolitum eunt commendat Imperatoris diligentiam curámque pro salute populi. Nihil enim de anathemate reliquum fieri debuit: anathema autem esse censebatur quidquid ad eum qui in noxia erat pertineret, quasi pauculæ illæ res per sacrilegium subtractæ non ipsum sacrilegum modò sed simul ejus liberos, opes fortunásque omnes contaminavissent. Afferebat enim ista opinio metum utilem populo, cùm intelligerent quantum esset peccati contagium. Quò etiam illud spectat, quòd furtivum hoc aurum argentúmque inferri in suum thesaurum non vult Deus, sed unà flammis tradi. Similis aut majoris etiam, ut videtur severitatis exemplum statuitur Dei lege Deut. 13. 12, 17. in eas civitates quas Judæi ערים נדחות vocant, quæ totæ cum rebus omnibus abolentur funditus, cùm fœda religio pervagata in illis longiùs latiúsque est, nè sensim eadem pernicies in aliorum atque aliorum animos illapsa repentè populum omnem evertat. ¶ Porrò illud, *Comitabatur autem illum omnis Israel*, interpositio est, quâ populi alacritas & studium ad expiandum facinus Deúmque placandum commendatur. Et fortassis obliquè simul tribus Juda à contumaciæ suspicione vindicatur; quæ non torpet indignatione ob acceptam propter suum tribulem ignominiam, sed pari cum aliis alacritate pompam supplicii prosequitur. ¶ Sed cur *subducebant illos in vallem Achor?* Nimirum nefas erat in castris ulla de causa interimere hominem. Ut enim antè est à nobis expositum, immanis per se res est humana cædes. Vocatur autem supplicii locus *vallis Achor* κατὰ πρόληψιν. *Achan* enim etiam *Achar* appellatum esse ostendimus suprá. Sed enim parùm congruere dicas *subducendi* verbum cum valle. R. D. K. ergò suspicatur inter castra & eum locum fuisse collem aliquem superandum: sicut contrà in Judicum historia 15. 12, *descenditur* ad rupem in quam Samson fugerat. Sed nulla est causa istarum angustiarum, cùm pro *subducebant* rectè possis dicere *inducebant*. Verbum enim עלה in levi formula, quam Kal nominant Grammatici, sæpe significat *intrare*; ergò etiam in Hiphil *inferre* & *inducere*. Chaldæus pro *valle* dixit *planitiem*. Equidem puto de illa planitie aut valle agi quæ ab Jerichunte continuo tractu ad Sichem usque procurrit, fertilis cum primis & pascua, ut ex Isaiæ verbis 65. 10. constat, qui sicut Sarona campum ab ovibus, ità vallem Achor commendat à pinguibus bobus. Nam etiam Oseas 2. 15. quamvìs tectè, in ista valle primum apparuisse Israelitis specimen fœcunditatis Terræ promissæ, spémque ipsos concepisse animis fortunæ lautioris ex hujus ubertate vallis, mihi certè, videtur dicere, cùm Deum inducit his utentem ad suum populum verbis, *Et dabo ipsi indè vites suas, & vallem Achor pro janua spei.* Sed erit de Valle Achor plura dicendi alius locus.

25. *Dicebátque Josua, Eheu, conturbasti nos*, &c] Verbum עכר *Achar*, quo ad *Achanis* sive *Acharis* nomen alluditur, propriè significat *conturbare*, ut mecum Aquilas, Symmachus, Theodotion, Chaldæus, Latinus denique sunt interpretati: attamen usurpatur aliquando pro *corrumpere, perdere, abolere*, h. e. ὀλοθρεύειν, ut LXXII converterunt. Nam quæ conturbantur, ea amittunt nativam gratiam ac decus. Vocula autem מה sæpe illa quidem interrogationis dat significationem: at hoc loco, ut mihi videtur, lamentationis & querelæ nota potiùs est cum interrogatione conjunctæ, ac si dicas, *O quantum! Eheu quibus modis!* &c. Nam sic etiam ab Ezechiele usurpata semel atque iterum est 16. 30. & 19. 2. sed per Kametz scripta. Cæterùm futurum יעכרך *conturbabit te*, per finitum modum lubentiùs quàm optativum aut imprecativum, ut sic dicam, reddidi, nè ista ab Josua per iram agi viderentur. Quis enim non existimet mitissimum Imperatorem summa cum misericordia ad sumendam hanc ab Achane pœnam descendere? & quod scitè Philo Judæus de ipso Deo scribit, cujus Spiritu Josua regebatur, δικάσαντα ἐλεεῖν, καὶ ἐλεήσαντα δικάζειν, h.e. ut paullùm explicem, judicii constituti severitatem non sine misericordia exsequi, & tamen per misericordiam cur minùs justitiæ atque judicio suum reddat tenorem cursúmq; minimè impediri? Turpis enim mollities est & crudelis misericordia in Principe viro, vel magistratu, præ nimia animi teneritate justas de sceleratis pœnas non exigere, atque maleficiorum impunitate effrænatum alere hominum furorem, h. e. malis parcendo perdere bonos; Sicut rursus belluina immanitas, in hominem vinctum, inermem, pœnitentem, & planè miserum ac miserabilem, quantumvìs alioqui multis gravibúsque coopertum culpis adhibere sævitiam, eúmque per iræ libidinem punire. Quis enim ità prorsus omnem exuat humanitatem ut in hominum carnificinis ipse sibi veluti delicias faciat? Sanè talem animi intemperiem opinor Anabaptistas, fanaticum genus hominum, attribuere Magistratui, cùm eum adversùs Christianam charitatem peccare ogganniunt quando noxios vitâ multat. Sed ut eò revertar unde paullùm egressus sum; Non damno tamen Latinum, qui reddidit, *Exturbet te Dominus*, modò ut sit ea Judicis oratio sententia pronunciantis, non exitium imprecantis. Cæterùm cùm Jehovam vindicem culpæ facit Josua, ostendit Dei opus esse supplicium quod de nocentibus legitimè sumit Magistratus, ut illius administer, ídque Paulus quoque Romanis scripsit, 13. 4. Quòd si verò eam ad rem suam etiam & privatam iram adhibet, jam se humanæ cædis reum facit, dum non tam Dei quàm suæ bilis administer est, atque ut hostis hominem percutit. ¶ Porrò ex eo quod sequitur, *In hoc die*, colligunt Talmudici ἐν τῷ συνεδρίῳ, c. 6. Achanem in hac vita non item in altera pœnam dedisse Deo, atque in hanc sententiam Judæi omnes pedibus vadunt. Nobis verò credibile id quidem videtur, sed non ob ista verba,

verùm

verùm potiùs propter ingenuam illam confessionem. Nam istud ביום הזה *In hoc die* nihil significare aliud censemus quàm illud crebrò usurpatum כיום הזה *Sicut hoc die*, vel *sicut iste dies*, quod LXXII hoc quoque loco expresserunt. Est autem id ferè affirmandæ rei nota, tanquam per evidentiam quandam, ac si dicas, *planè, omnino, prorsus, clarè, apertè, & tam certò quàm præsentis diei lucem vides, quâ frueris.* ¶ Sequitur, *Et lapidabant eum omnis Israel lapide.* Diximus ad v. 15. quid de hoc loco sentiret D. Augustinus, & quid R. S. quorum neutrius sententiam probabamus. Sunt igitur alii qui hanc particulam ab illa altera in versiculi extremo posita non differre sensu putant; Hoc enim pronomen singularis numeri *illum* καὶ ἐναλλαγὴν, ἢ κατὰ συνεκδοχὴν, pro *illos* positum esse, utramque verò hoc ipsum significare quod insequentis versiculi initium, i. obrutos esse tum Achanis tum rerum cæterarum cineres lapidibus à vulgo conjectis; Itaque narrari nunc ante exustionem quod post fiet. Hanc ego sententiam non quidem prorsus repudio, verùm neque planè approbo. Insolens enim videtur ista verbi *lapidare* significatio. Quare verius simpliciúsque existimo esse, Achanem cum rebus suis omnibus atque liberis exustum quidem esse, pro Dei jussis; Nam alioqui etiam solenne erat igne sacrilegia expiare; neque anathema magis prorsus, ut sic dicam, potuit aboleri quàm si in flammam fumúmque abiens dissiparetur atque evanesceret; Verùm interea dum ille ducitur, dum rogus struitur, inceditur, conscenditur, populum placandi Numinis avidum à jaciendis lapidibus non continuisse manus; ut fit, dum quisque pro se conatur maximè strenuus videri in publica pernicie propellenda. Sed neque illa fortassis absurda fuerit sententia, si exustionem à Deo mandatam ad cadavera spectare dicamus, cæteroqui viva corpora esse lapidibus enecata, & lapidum denique cumulo obrutos & contectos cineres. In libro Tanhuma sive ילמדנו scripta est veterum Hebræorum hæc sententia, Solum Achanem fuisse lapidatum priùs quàm exureretur, idque propter violatum Sabbatum; (Cùm enim, inquiunt illi, capta die Sabbato esset Jericho, Achan suam rem, non Dei, agens, sive, ut Isaias loquitur 58. 13. *suam voluntatem faciens*, diem sanctam profanavit, cui flagitio pœnam consultus Deus constituerat lapidationem in Numeris 15. 35.) deinde verò cum rebus aliis in ignem esse conjectum, quippe qui simul impiâ sacrilegii fraude esset obligatus. Hi ergò pronomen pluralis numeri *ipsos* pro singulari accipiunt. Quæ est igitur causa, dices, illarum angustiarum in quibus versabatur D. Augustinus, vir alioqui acutissimus? Nimirum ille LXXII interpretum secutus fidem & auctoritatem, quæ apud ipsum erat summa, nullam hîc exustionis mentionem audiebat. Illi enim interpretes eam verborum complexionem quæ in Hebræo est וישרפו אותם באש, *Et comburebant ipsos igne*, nullo verbo repræsentarunt, cùm putarent esse supervacaneam.

26. *Exstruebántque super eum tumulum lapidum*, &c.] Dixi nuper, R. Levi F. Gersonis existimare liberos Achanis non esse affectos supplicio, quia uni soli tumulus struitur. Atqui numerorum ἐναλλαγὴ [illegible]tatissima est in S. literis. Ad hoc, unus Achan ut nocens hoc supplicio interfectus est, liberi verò ejus résque aliæ ceu accessio adjunguntur; non ergò mirum si unius tumuli mentio fit. Sed enim ut Achanis hîc funeri, ità mox Regis Hai, & alibi Absolonis, atque ali[illegible]rum cadaveribus lapidum acervi esse impositi memorantur. Id autem ego sic esse accipiendum existimo, ut, quæ fuit religiosa antiquitatis pietas, injecta primùm corporibus gleba fuerit humúsque, ne solis illa lapidibus, sed terrâ ritè tecta véreque sepulta & humata jacerent. N[illegible]que enim lapidibus quasi operimento fuisse obducta ipsa, sed ex lapidibus statutum esse ipsis tumulum narratur. Est enim in S. texto hîc verbum הקים, alibi הציב, quæ verba *erigere* & *statuere* significant. Ejusmodi enim monimentis non minus malorum consignari memoriam quàm bonorum hominum utile erat, ut in utrisque proposita posteritati exempla essent quæ mentes tum ad virtutes incitarent tum à vitiis reflecterent. ¶ De clausula, *usque ad hanc diem*, satis multa antè. ¶ Sequitur, *Et rediit Dominus ab indignatione iræ suæ.* Usitatum in S. historia est Deo personam hominis circumdare, multáque ad similitudinem imbecillitatis humanæ in ipsum traducere. Itaque ea nunc placidum, nunc iratum describit, tametsi ille sui semper similis & planè ἀτρεπτος sit. Ut enim noster captus est, non ut illius sensus, ità illa loquitur; & ad nostras perturbationes emendandas Deum animo perturbato inducit. Igitur quòd hoc loco memoratur *decedere ab indignatione* sic est accipiendum, meliore eum nunc spe animos populi confirmasse, séque rursus, ut antè, benignum rebus omnibus declarasse. Hebraicè est חרון id quod converti *indignationem.* Nam *furorem* dicere, cum multis, religio mihi erat, Tantum enim animi morbum Deo attribuere vel verbo tenus impia consuetudo videtur. Neque verò *furor* etiam illi voci subjicitur, quæ *excandescentiam* propriè significat, & alioqui sæpe non pro *bile commota* sed pro *animi molestia tœdióque* usurpatur. ¶ Porrò verbum קרא reddidi passivè, ut sic dicam, quia crebrò in illiuscemodi orationibus sic video esse positum, aut certè absque persona cui hæreat. Si quis tamen Imperatoris nomen *Josua* suggerendum esse malit existimare, non contendam contrà. De *Valle Achor* nuper dicebamus.

IDEM.

Auferendum è medio est illud, μεγάλην. Mox illud, ÷ καὶ ἐνοσφίσαντο ↙ jugulandum est obelo. ¶ Pro Ζαμβρὶ legit Syrus Ζαβδὶ, atque sic habent Compl. sícque est in Hebræo. Nominatur tamen idem ille vir Ζαμρὶ in Paralipomenis.

2. Illa verba, πρὸς ἀνατολὰς Βαιθὴλ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, suggesta sunt in m. ed. Nam LXXII ea prætererant, debent ergò signari asterisco.

3. Scribatur, μὴ ἀναβήτω πᾶς, &c. Ulteriùs illud, ÷ ἀλλ' ἢ ↙, notetur obelo. ¶ Post δισχίλιοι suggerit m. ed. ※ ἄνδρες ↙. Nimirum bis illud est in Hebræo. Ulteriùs scribe mutato verborum ordine. ἄπαντα τὸν λαόν.

4. Illa, ἀπὸ τοῦ λαοῦ ἐκεῖ debent apposito asterisco notari, ut aliena ab edit. LXXII.

5. Post συνέτριψαν αὐτοὺς additur in ed. mixta ※ καὶ ἐπάταξαν αὐτοὺς ↙. Legitur autem hic locus in quibusdam exempl. hoc modo, ἀπὸ τῆς πύλης ἕως Σεβαρείμ, καὶ συνέτριψαν αὐτοὺς ἐπὶ καταφερεῖς, &c. eáque scriptura est Hebræo magis consentanea.

6. καὶ εἶπεν ÷ Ἰησοῦς ↙, notandum est nomen Ἰησοῦς obelo. Quódque sequitur, debet mutato ordine scribi, ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. ¶ Post ἔναντι infarcit ed. m. ※ κιβωτοῦ ↙, *Coram arca Domini.* ¶ Cùm dicitur ÷ χοῦν, expungendus est articulus τὸν.

7. Suggeritur in m. ed. repetitio verbi, hoc modo, ἵνα τί ※ διαβιβάζων ↙ διεβίβασεν, &c. ¶ ὁ παῖς σου notari debet obelo.

8. Deest initium: sic enim scribendum est Δέομαι, Κύριε, τί ἐρῶ; Nam conjunctio καὶ expungenda est, quam ego suspicor olim natam esse ex nomine Κύριε curtè scripto & præcisè, hoc modo, κε.

9. Scribendum est περικυκλώσουσιν ἡμᾶς, addito pronomine: sic enim est in emendatis libris omnibus quos ego vidi.

11. Scribe, additâ copulâ, καὶ παρέβησαν, &c. ¶ Post πρὸς αὐτοὺς refertur in ed. m. per asteriscum periodus verborum prætermissa à LXXII hujusmodi, ※ καὶ γε ἔλαβον ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος ↙. Cùm autem deinde sequitur καὶ κλέψαντες ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος ↙, debent illa verba ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος obelo jugulari. Et continuò post ista rursus explet m. ed. scriptum, his verbis cum stellula additis, ※ καὶ ἐψεύσαντο, καὶ ἐνέβαλον, &c.

13. Pro ἁγνίσον habet Vat. ἁγίασον, & paullò pòst pro ἁγνίσθητε habet ἁγιάσθητε. Syrus vulgatorum librorum scripturam repræsentavit; utri meliùs, non facilè constitui posse puto. ¶ Post ἐν ὑμῖν addit. ed. m. ※ Ἰσραὴλ ↙.

14. Πάντες

14. Πάντες jugulandum obelisco est. ¶ Cùm dicitur κατὰ φυλὰς, adscribendum est ὑμῶν, *per tribus vestras.*

15. Post ἐνδειχθῇ suggeritur in mixta ※ ἐν τῷ ἀναθέματι ↙, id enim LXXII omiserant. Similiter post τινὶ additur αὐτοῖς cum stellula. ¶ Ante ἐποίησεν additur cum eadem nota ὅτι, hoc modo, καὶ ※ ὅτι ↙ ἐποίησεν, &c.

16. Καὶ ὤρθρισεν Ἰησοῦς, addit m. ed. ※ τὸ πρωὶ ↙. ¶ Post κατὰ φυλὰς suggerit rursus ※ αὐτοῦ ↙.

17. Cùm dicitur καὶ προσηνέχθη κατὰ δήμους, addit mixta ※ Ἰούδα ↙. ¶ Pro ἐνεδείχθη scribe ἀνεδείχθη, atque similiter paulò ulteriùs. ¶ Pro κατ᾽ οἴκους scribe κατ᾽ ἄνδρα. Quod verò sequitur, nempe, καὶ ἀνεδείχθη οἶκος ὁ Ζαμβρεὶ, debet habere appositam stellam, est enim à LXXII præteritum, sed οἶκος est expungendum : & pro Ζαμβρεὶ habent multi libri Ζαβδὶ, de quo nomine dixi initio hujus capitis.

18. Principium à LXXII omissum suggeritur in m. ed. his verbis, ※ καὶ προσηνέχθη ὁ οἶκος αὐτοῦ κατ᾽ ἄνδρα ↙. ¶ Pro Ζαμβρὶ scribe Ζαβδὶ. ¶ Post υἱοῦ Ζαρὰ addita in mixta est hæc verborum clausula ※ ἀπὸ φυλῆς Ἰούδα ↙. LXXII enim id, ut semel antè dictum, omiserunt.

19. Post Ἀχὰρ est in mixta ※ υἱέ μου ↙. Et similiter post verbum δὸς est particula, ut sic dicam, expletiva, ※ δὴ ↙, quæ vim quandam urgendi habet, ut scripsit vir doctiss. Theodorus Gaza. Cæterùm illud adverbium temporis σήμερον locandum est ante ipsum verbum δὸς, & signandum obelo. ¶ Post δὸς secundo loco scriptum suggeritur in ed. m. ※ αὐτῷ ↙.

20. Post ἀληθῶς habet mixta ※ ἐγὼ ↙.

21. Post ποικίλην est in mixta ※ μίαν ↙, *Variam unam.* ¶ Scribendum est mutato verborum ordine, καὶ γλῶσσαν χρυσῆν μίαν. ¶ Post διδράχμων adjectum est in ed. m. ※ ὁλκὴ αὐτῆς ↙. ¶ Post ἔλαβον habet mixta ※ αὐτὰ ↙. ¶ αὐτὰ scriptum ante prius verbum κέκρυπται signandum est obelo. Et similiter ipsum verbum κέκρυπται secundo loco scriptum.

22. εἰς τὴν σκηνὴν, adscribe αὐτοῦ, *in tentorium ejus*, atque tum hoc Pronomen, tum illud quod continuò sequitur, videlicet εἰς τὴν παρεμβολὴν, jugulentur obeliscis. ¶ Cùm dicitur, ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ, debet hoc pronomen habere asterisci notam.

23. Scribe καὶ ἐξήνεγκαν, numero plurium. ¶ Post ἐξήνεγκαν suggerit m. ed. ※ αὐτὰ ↙, & mox notam universitatis, hoc modo, καὶ πρὸς ※ πάντας ↙ τοὺς πρεσβυτέρους ↙.

24. Illa verba, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν εἰς φάραγγα Ἀχὼρ, sunt juguland obelo. ¶ Cùm dicitur, καὶ πάντα τὰ πρόβατα, debet universitatis nota expungi. ¶ Scribendum καὶ ἀνήγαγεν αὐτοὺς, posito verbo numero singulari.

25. Deleri debet τὸν Ἀχάρ. ¶ Scribe mutato verborum ordine, πᾶς Ἰσραὴλ ἐν λίθοις. Et continuò post hæc verba suggeritur in ed. m. hæc periodus verborum, ※ καὶ κατέκαυσαν αὐτὰ ἐν πυρὶ, καὶ ἐλιθοβόλησαν αὐτοὺς ἐν λίθοις ↙.

26. Tum enim demum sequitur versus 26. ut est in vulgatis libris, καὶ ἐπέστησαν, &c. Post μέγαν, aut, ut habent quidam libri, μεγάλων, addita est in editione mixta hæc verborum complexio, ※ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης ↙. Et ulteriùs post ὀργῆς suggestum est ※ αὐτοῦ ↙.

DRUSIUS.

1. FIlii Israel] Unus aliquis eorum, nempe Achan, qui & *Achar*, quod *turbare* sign. unde מים עכורים *aqua turbata*, vel *turbida*. Sic Matth. 26. 8. *Videntes autem discipuli*, de uno Juda, ut videre licet Joh. 12. 4. Vide Masium. ¶ *In filios Israel*] Iratus fuit Deus toti multitudini propter unius peccatum; quæ ira duravit dum is qui peccaverat punitus fuit. Cæterùm quod in Græca editione ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος reddendum *interverterant de anathemate*, aut *surripuerant furtim & in suum usum converterant.* Sic Act. 5. 2. de Anania, ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς *intervertit aliquid de pretio*, pro quo vetus interpres noster *fraudavit*, &c.

2. *Haai*] Vel *Hagai*, quod scribunt העי. LXX εἰς Γαὶ, & Jon. לעי. Videtur ה accepisse pro ל. Hieron. *Hai*, quod contractum ex *Haai*. Aberat à Jericho tribus leucis. Vide Masium, qui He putat articuli vim habere, quasi per excellentiam, *illa Ai*. Sed articulus nominibus propriis præponi non solet. Alibi est Ἀγαί. Ut Ain per γ exprimatur, sicut in *Gaza*, *Gomorra*, *Raguel*, & similibus. Etiam עי invenitur absque He. Infrà את העי, & מלך העי *regem Hagai.* ¶ *Juxta Beth-aven*] Hîc עם *cum* redditur *juxta*, i. אצל, vel סמוך *prope*. Nota etiam Beth-aven à Bethel distingui, nec obstat quòd Prophetæ interdum *Beth-aven* usurpent pro *Bethel*. Nam id fit per contemptum, cùm jam in Bethel Vituli colerentur. Ideo quæ priùs erat *domus Dei* postea facta est *domus iniquitatis*, aut *idoli*, pro quo Aquila ἀνωφελὲς *inutile*. Cæterùm עם *eum* pro *juxta*, *prope*, sumitur & Gen. 25. 11. item Gen. 35. 4. Senes hîc ediderunt κατὰ *contra*. Ità sumitur hæc particula Psal. 94. 16. Videndus R. David ad hunc locum. ¶ *Ascendite*] Nam Hagai erat in monte, ad quam explorandam ascendebant; Jericho, in plano.

3. *Percutiant Hagai*] *Deleant*, *expugnent*. Prius habet Hieron. posterius οἱ LXX, ἐκπολιορκησάτωσαν. Sic *percutere agrum* est vastare ac depopulari Gen. 14. 7. *Percusserunt omnem agrum Amalecitarum.*

5. *Percusserunt*] *Occiderunt*, ut Psal. 136. 17. *Qui percussit reges magnos.* Mox se explicat cùm ait, *Qui occidit reges inclytos.* Sic Gen. 4. 15. & 14. 5. *Percusserunt Raphaim.* Editio Jerosolymitana יקטילו *occiderunt*. LXX ἀπέκτειναν. Sic autores Latini *percussorem* vocant homicidam, aut qui conducitur ad aliquem occidendum, quem vulgò *assasinum* appellant, Zach. 9. 7. *Percute pastorem.* Non tamen semper significat *occidere*. Exod. 21. 12. *Qui percusserit virum & mortuus fuerit.* ¶ *Ante portam*] A loco qui erat ante portam urbis usque ad locum *Sabarim* postea dictum ab eventu; qui locus erat inter Jericho & Hai. ¶ *Sabarim*] Vel, *Sebarim*. *Sebarim*, *Sabarim*, ut *Rephaim*, *Raphaim*; *Semuel*, *Samuel*; *Selomo*, *Salomo*, & alia sexcenta. Appellatio à *frangendo*. Nam ibi fractæ fuerunt copiæ Israelitarum. Figura est quam Prolepsin appellant. ¶ Potest esse appellativum à שבר *confractio*, שברים *confractiones*. ¶ *Fuit in aquam*] *Quasi aqua.* Sic *erunt in carnem unam*, quasi una caro. Cor *in aquam abire* dicitur in summo metu, ut etiam *dissolvi* aut *liquefieri*.

6. *Scindebat*] Vel *lacerabat*. Mos antiquus lugentium, 2 Sam. 1. 11. ubi David Saulis & Jonathæ funus luget. Lacerabant autem vestes in luctu quà publico quà privato; etiam cùm audirent blasphemiam in Deum, aut aliquem qui Deum blasphemaret. ¶ *Cecidit pronus in terram*] *Pronus* interpres noster posuit pro eo quod Ebræus dicit, *in faciem suam*, Jacebat autem ità cernuus per totum diem. Id enim hâc circuitione verborum *usque ad vesperam* innuitur. ¶ *Senes Israel*] Intelligit Judices magni synedrii, qui numero erant LXX, quibus qui præerat נשיא dicebatur. Præerat autem eo tempore Josua. Quos *Senes* illi vocant, eos nos diceremus *Senatores*; unde & *Senatus*, & γερουσία. Non tam ætate senes erant quàm dignitate ac sapientiâ. Sanè *senes* aliquando vocantur sapientes. Qua de re aliàs, si Deus voluerit. ¶ *Ascendere fecerunt pulverem super caput suum*] Ut moris erat in luctu, pulvere caput aspergebant, quò sordidiores apparerent. Etiam sedebant in

in pulvere, 2 Sam. 1. 2. *Terra erat super caput ejus*, 2 Sam. 13. 19. Thamar à fratre Ammon stuprata *sumpsit cinerem super caput suum*, Jon. 3. 6. *Ninivitarum Rex sedet in pulvere, centone*, vel *sacco amictus*. Mich. 1. 10. Propheta movet Ephraitas ut *in pulvere se volutent*. Vide Tropos, & Diodorum Biblioth. l. 1. Abben-Gorion c. 16. *Sparserunt cinerem super capita sua*. Idem ibid. *Pontifex stabat conspersus cinere, indutus sacco, & vestibus scissis*, sive *aceratis*. Vide Masium in h. l.

7. *Aha*] Dolentis & obsecrantis interjectio. ¶ *Domine Deus*] Perperam emendant *Domine Domine*, hoc primum. Deinde malè hîc legunt *Jehovah*, cùm in lectione sit *Jehovi*; quæ sunt puncta nominis *Elohim*, ideo Hier. reddidit *Deus*, optimè sanè ac rectissimè. Mirum ad hæc caligare oculos qui in alienis erratis *tam cernunt acutum quàm aut aquila aut serpens Epidaurius*. Sed profectò ità est: Tales in suis erratis talpâ cæciores sunt. Nec se admoneri patiuntur, imò succensent iis qui eis facem prælucent in tenebris. Parùm hoc esset, nisi etiam hæresis crimen intentarent bene meritis. Non facerent nisi pectus haberent plenum imperitiâ, quæ mater est omnis hæreseωs. ¶ *Voluissemus & mansissemus*] Libenter mansissemus. Verbum הואיל post se habet copulam hîc, & Jud. 15. Construitur & sine copula Deut. 1. & Hos. 5. & post se habet gerundium לשבת Exod. 2. Hieron. *Utinam, ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem*.

10. *Surge tibi*] *Tibi* eleganter redundat. ¶ *Cadis*] *Prostratus jaces*, alius, *tu manes dejectus*. Hieron. *Cur jaces pronus in terra?* Lxx σὺ πέπτωκας.

11. *Peccavit Israel*] Vel, *Israelitæ peccarunt*, vel, *Peccavit Israelita unus*, videlicet Achan, &c. *Israel* pro *Israelita* nescio an reperiatur in textu, pro *Israelitis* passim obvium est. Ego totam gentem significari putarem, ut *Israel* sit idem cum *filiis Israel*. Nam vitium unius membri toti corpori sæpe imputatur. ¶ *Transgressi sunt fedus meum*] Quia contra interdictum meum fecerunt. Nam in federe, *Facietis omnia quæ ego præcipio vobis*: quod etiam in se receperunt, sic enim legimus, *Accepit librum federis, & legit eum in auribus populi, qui dixerunt, Omnia quæ locutus est* Dominus *faciemus*. Transgressi ergò sunt fedus, quia obedientiam quam promiserant in federe non præstiterunt, Exod. 19. 8. & 24. 7. ¶ *Acceperunt de anathemate*] Quod acceperunt, clàm acceperunt, *& furati sunt*, vel, si mavis, *furtim acceperunt*, ut solent qui aliquid surripiunt clàm iis quorum interest. ¶ *Mentiti sunt*] Mentiendo negaverunt se aliquid surripuisse aut intervertisse. ¶ *Posuerunt in vasis suis*] In usum suum converterunt, quod Græci uno verbo dicerent ἐνοσφίσαντο. *Vasa* autem dicit supellectilem, vel certè supellectilia omnia. Fortè aliquis de anathemate ipsum interrogaverat. Aut dicit, *mentiti sunt*, quia animus erat mentiendo negare si quis interrogasset. Hieron. *absconderunt inter vasa sua*. Sunt qui tentoria significari putant.

12. *Stare*] *Consistere*, ὑποστῆναι *subsistere*, q. d. *Cadent coram hostibus suis*. Verbum est קום, quod propriè *surgere* sign. sed & pro *stare* usurpatur, unde *stare*, seu *consistere*, *in judicio* dicitur qui vincit: ut contrà, *cadere*, qui vincitur; unde *cadere causâ*. Sic accipies Psal. 1. 5. *Ideo non stabunt improbi in judicio*. Nam idem verbum in fonte. ¶ *Sunt anathema*] Ad verb. *in anathema*. Lxx ἐγενήθησαν ἀνάθεμα *facti sunt anathema*. Hieron. *pollutus est* Israel *anathemate*. Alius, *sunt rei anathematis*. *Esse in anathema* notus Ebraismus est, ut cùm dicunt, *fuit ei in uxorem*, i. uxor verè, aut revera. Sic, *Ego ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum*, i. Deus, & populus, revera. Sic, *Ero eis in patrem, & ipsi mihi erunt in filios*. In hoc sermone ל aliquando rei veritatem, aliquando tantùm similitudinem notat. Ergò *in uxorem* valet interdum *pro uxore*, aut *uxoris loco*. Sic *erunt in carnem unam*, quasi caro una, i. corpus unum. Nam *caro* hîc significat *corpus*. ¶ *Anathema*] Eum qui anathema surripuit. Hieron. *eum qui hujus sceleris reus est*. Ergò *anathema*, qui reus est anathematis. Sed latiùs hîc patet. Nam etiam res surreptas eo nomine significat.

13. *Sanctifica populum*] Da operam ut se sanctificet; qui pollutus erat cùm ex cæde recenti, tum ex furto Achanis. Sed & coram Deo non comparebant nisi sanctificati, quod fiebat lotione vestium & secubatione, cùm abstinerent ab uxoribus. Vide sis Exod. 19.

14. *Per familias*] Per viros capita familiarum, quos δημάρχους vocari diximus. ¶ *Per domos*] Domos patrum intelligit, quæ plures erant in una familia. Cæterùm familias Senes hoc loco vocant δήμους, & Hieron. *cognationes*; licèt sint qui *familiam* inter & *cognationem* distinguant, inter quos Masius, A δῆμος est δήμαρχος, quod ità dicitur ut φύλαρχος *præfectus tribuum*; sic δήμαρχος *præfectus familiarum*, *populi princeps*, *tribunus plebis*. *Cognatio* συγγένεια dicitur, quomodo Senes aliquando reddunt vocem משפחה, quam nos *familiam* vertimus.

15. *Qui fuerit deprehensus*] Per sortem. Et quia hæc sors erat à *Domino*, ideo superiore versu dicit *Dominum* eum *cepisse* aut *deprehendisse*, h. e. Indicasse & arguisse. Sunt tamen qui aliter eum deprehensum fuisse putant. Vide Masium hoc loco, R. David, *Aiunt, quòd transire fecerit eum coram Arca; & qui deprehendebatur, eum Arca retinebat nè posset se loco movere aut indè abire. Ampliùs dixerunt, quòd statuebat tribus*, capita tribuum, *coram Urim ac Thummim, & lapides pectoralis, in quibus scripta erant nomina tribuum; & cujus lapis caligabat*, Splendor obscurabatur, *ipsa capiebatur; & caligabat*, sive *obscurus erat, lapis Juda. Familia verò & viri singuli capiebantur per sortes quæ è pyxidibus educebantur*. Hactenus R. David. Hieron. etiam tribus sorte deprehensas fuisse putat. Nam ità hunc locum interpretatur, *quamcunque tribum sors invenerit*. Sic etiam Josephus & R. Levi, quibus ego quoque assentior. Legimus enim Prov. 16. in extremo, *In sinum projicitur sors, sed à Domino omne judicium ejus*. Sic sanè Saul sorte usus fuit 1 Sam. 14. 42. Vide & Jon. 1. 7.

17. *Applicuit familiam Juda*] i. Tribum. Sic Judic. 13. 2. *Familia Danitica*. Ad verb. *familia Dani*, i. Danitarum. Act. 3. 25. πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς, i. *familiæ*. Sed alia exemplaria habent φυλαὶ *tribus*. Jer. 10. *contra omnem familiam quam eduxisti e terra Ægypti*, i. tribum. ¶ *Per viros*] לגברים *viritim*, i. per domos patrum. Hîc alio sensu sumitur quàm in aliis locis. Nam hîc sign. *domos patrum*, & alibi *capita singula domorum*. Sic משפחה aliquando *tribum* notat, in qua plures familiæ, & aliquando *familiam*, quæ plures sunt in una tribu. Vulgata hîc habet *per domos*. Sensum expressit, non verba. ¶ *Zabdi*] 1 Par. 2. 6. *Zamri* vocatur, i. זמרי, mutatione duarum literarum. In ed. Rom. Ζαμβρὶ, *Zambri* pro *Zamri*, ut *Mambres* pro *Mamres*.

19. *Da gloriam*, &c.] Ad verb. *pone*. *Dare* & *ponere* se invicem explicant. Sic שת usurpatur: unde *Seth* nomen accepit. Nam mater dicebat, *Posuisti mihi semen pro Habel*, i. dedisti. *Sath* & *Sam* synonyma sunt. Etiam שוה hoc significatu usurpatur Hos. 10. 1. *fructum quem ponit ei*, i. dat. Contrà נתן designat *pono* i. שם. *Da nunc gloriam Domino Deo Israel*] Nam confitendo peccatum suum tribuebat gloriam Deo, qui eum per sortem indicaverat ac prodiderat. Ideo sequitur, *Da ei laudem*, nam hinc laus Deo. Sed תודה potiùs denotat *confessionem*: ideo malim, *Da ei confessionem*; quod idem cum illo, *confitere illi*. Sic interpres vulg. Lxx δὸς τὴν ἐξομολόγησιν *ede confessionem*. Sirach. 17. 27. καὶ διδόντων ἐξομολόγησιν *& edentium confessionem*.

21. *Pallium Babylonicum*] Nam *Sinar* sive *Sinear* Babylonia: quod notum vel ex Genesi. אדרת verò sunt qui reddunt *paludamentum*. Aq. στολὴν Βαβυλωνικὴν *stolam Babylonicam*, Sym. ἔνδυμα Συναρ. Josephus χλανίδα. Lxx ψιλὴν ποικίλην. Cyrillus, ψιλὴν ποικίλην putat esse στρατιωτικὴν στολὴν, *militarem stolam*. Masius, ψιλὴν *converterunt, quia Paludamentum vestis genus leve & expeditum est, utpote militare*. Nam ψιλὰς vocant Græci levis

levis armaturæ milites. Hieron. *pallium coccineum*. Cui firmando quod in Genesi magno, ubi אדרת שנער *purpuram Babylonicam*, vestis purpurea *Babylonica* exponitur, sunt interpretati. Cæterùm χλανίδα quidam *chlamydem*, alii *penulam*, nonnulli etiam *elegantiorem vestem militarem* exponunt. Videndus R. D. ad hunc locum. Rab dicit, *stola & lana pura*; & Samuel dicit, *sarabara pura candida Stola ex lana pura*. R. S. addit *Babylonica* בבלי.
¶ *Et ducentos siclos argenteos*] Siclus continet 20 Obolos. Obolum vocant גרה & מעה. Sapientes adjecerunt sextam partem, ut idem valeret cum סלע, videlicet 24 Obolis, unde dictitant, *Siclus continet quatuor Denarios*, *& Denarius, sex Obolos*. Obolus, i. מעה, pondus est 16 granorum hordeaceorum. Budæus ait Siclum esse tetradrachmum, quantum vel Stater valet. Sanè Aqu. & Sym. *siclum* στατῆρα reddunt. Siclus duplex erat, sacer, profanus: Sacer erat tetradrachmus; profanus, didrachmus tantùm. Ducenti Sicli æstimati ad Germanicam monetam valent centum Daleris Joachiminis. Sed alii argentei erant, & alii aurei. De argenteis hîc sermo est. Sicli prisci lemma reperies cùm alibi, tum in Masio ad hunc locum. ¶ *Linguam auream*] Vel, *lingulam auream*. Nam ità Nævius poeta, teste Agellio, vocat gladiolum. Sic *lingula maris*, quæ ab aliis dicitur *lingua maris*, i. לשון ים. Osorius l. 9. De rebus ab Emmanuele gestis, *Adena in radicibus montis editi, qui in mare lingula procurrit, sita est*. R. D. existimat fuisse laminam vel regulam ex auro in linguæ speciem conformatam. Alii opinantur fuisse rudis auri frustum massámque, quæ à forma linguæ sic appellata fuit. Hieron. *regulam auream*, Lxx γλῶσσαν χρυσῆν μίαν. ¶ *Quinquaginta siclorum pondus ejus*] Duobus modis intelligi potest; vel ut lingua illa pondus habuerit quod valuit quinquaginta siclis, vel ut quinquaginta siclos penpenderit: ità pretium ejus fuerit 300 Talerorum. Sed vide Masium. ¶ *Argentum sub eo*] Pallio Babylonico videlicet. Nam אדרת formam habet fem. cui respondet pronomen ejusdem generis quod reperitur etiam in Thargum edit. Venetæ secundæ. Habeo tamen aliam Venetam in qua *sub illis*. Vide sis And. Masium hoc loco. Græci quoque habent ὑποκάτω αὐτῶν *sub eis*.

23. *Ad omnes filios Israel*] Ad Seniores qui repræsentabant omnes filios Israel. Sic enim certè Lxx, καὶ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους Ἰσραήλ.

24. *Et linguam auream*] R. D. *virgam auream qua similis erat linguæ*. ¶ *Ascendere fecerunt eos in vallem Achor*] Ut עלה *ascendo* ponitur pro בא *eo, venio*, sic fortè העלה *ascendere facio* pro הביא *induco, abduco*, ut si Latinè dicas *subduco* eo sensu. Sanè Græci ἀνάγω *subduco tanquam in editum locum*. Suidas apud Xenophontem inveniri scribit pro ἀπάγω *abduco*. *Subduxerunt* ergò, i. *abduxerunt, in vallem Achor*. Alioquin in vallem non ascenditur, sed descenditur. Contrà legimus Jud. 15. 11. *Et descenderunt tria millia virorum de Juda in summitatem Petræ*: ubi dicendum erat potiùs *ascenderunt*. Nam in rupem ascenditur, non descenditur. R. D. opinatur montem fuisse inter castra Israel & hanc vallem, ut propterea dicat *subduxerunt*, aut *ascendere fecerunt*. Lxx ἀνήγαγεν *subduxit*. Hieron. *duxerunt*. Joh. 4. 47. *rogabat eum ut descenderet*. Fortè regulus ille in decliviore loco montis habitabat: nam Christus erat in Capharnaum, quæ urbs in monte sita erat. In montem autem ascenditur, non descenditur. Ad hunc locum Theodorus, *Ut descenderet, i. Ut veniret. Sic enim utuntur Ebræi verbis Ascendere & Descendere, etiam non habitâ situs locorum ratione. Nam urbs Caphernaum erat in monte sita, ut alibi dicitur*. ¶ *In vallem Achor*] i. *Turbatoris*. *Achor, turbator*, ut קטול *occisor*. Sunt alia ejus farinæ. Lxx Ἐμεκαχώρ. Sunt verba Ebraica. Nam ἐμὲκ *vallis* in ea lingua: ratio nominis habetur infrà v. 26.

25. *O quàm turbasti nos*] מה hîc valet *O quantum, Eheu, Quibus modis*. Sic Ezec. 16. 30. & 19. 2. Vide Masium. ¶ *Conturbabit te*] Alii, *conturbet te*. ¶ *In die hac*] *In tempore hoc, in hoc seculo*. Hinc eliciunt Achanem in hac vita tantùm pœnas dedisse. Quod eò credibilius quia solemnem pœnitentiam egit de suo scelere Sed vide Masium. ¶ *Lapidaverunt eum*] Cùm ad supplicium duceretur, quidam putant in eum conjectos fuisse lapides à furente populo. Alii censent eum primùm lapidatum fuisse propterea quòd violasset Sabbatum, furtum eo die committendo, & in tentorium suum quod furatus erat portando. Combustus autem fuit cum omnibus suis ob surreptum anathema, ex lege quam Deus ea de re tulerat suprà v. 15.

26. *Aversus est furor Domini*] Ad verb. *aversus est Dominus à furore iræ suæ*; si modò *furoris* vocabulo uti licet. Masius maluit *ab indignatione iræ suæ*; ego, *ab excandescentia iræ suæ*. Nam חרון *excandescentia*, quæ & חמה. Cæterùm religio fuit Masio dicere *à furore*. *Tantum enim animi morbum*, inquit, *Deo attribuere vel verbo tenus impia consuetudo videtur*. Scire licet *furorem* dici à Hieronymo qui à Græcis θυμός. In Stoicis definitionibus θυμὸς est ὀργὴ ἀρχομένη *ira incipiens*. Sic etiam θυμὸν interpretatur Politianus apud Herodianum. Budæus alicubi *furorem iracundiæ* reddit. Hieron. Ephes. 5. *Furor est incipiens ira & fervens in animo indignatio*. Idem Ezec. 41. *hoc est, hominis & leonis, quorum primum ad rationem pertinet, sequens ad furorem, qui significantiùs Græcè θυμὸς appellatur. Furorem autem dicimus non eum qui perturbationi & vitio proximus est, sed qui mentis consolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis*. Quòd si vitandum *furoris* vocabulum, cur non etiam iræ? nam, ut Horatius canit, *Ira furor brevis est*. Cæterùm *furorem* in vitio posuit Lucanus, inquiens,

> *Quis furor, ô cives? quæ tanta licentia?*

Videlicet pro nimia & vitiosa ira. θυμὸν Horatius *animum* appellat in illo, *Animum rege, hunc frænis, hunc tu compesce catena*, i. θυμόν. Huc refer, *Furor est ubi cum potestate habitat iracundia*. ¶ *Vocavit*] Josua aut. *vocatum est*. Simile, *nunciavit Davidi* pro *nunciatum est*, *reputavit ei*, h. e. interprete Apostolo, ἐλογίσθη *reputatum est*.

IDEM.

7. אהה. A. ἆ, ἆ, ἆ.

21. אדרת שנער. A. στολὴν Βαβυλωνικὴν, *stolam Babylonicam*. Sym. ἔνδυμα Συνάρ, *indumentum Synar*] *Stolam Babylonicam*. Consentit cum interp. Chaldæo qui Jonathan vocatur. Hieron. *pallium coccineum*. Lxx ψιλὴν ποικίλην. Sic apud Plutarchum, ἐπίβλημα τῶν ποικίλων Βαβυλωνίων. ¶ *Babylonicam*] Zach. 5. 11. בארץ שנער. Lxx ἐν γῇ Βαβυλῶνος. Dan. 1. 2. εἰς γῆν Σενναάρ. Schol. Βαβυλῶνος. ¶ *Συνάρ*] Malim Σεννάρ vel Σενναάρ. Quanquam in fonte *Sinar*. Gen. 14. 1. *Amraphel rex Sennaar*. Onc. *rex Babylonis*. ¶ *Stolam*] Theodoretus, Τὴν δὲ ψιλὴν ὁ Ἀκύλας Στολὴν ἡρμήνευσεν· ὁ δὲ Ἰώσηπος, χλανίδα. Cyrillus, Ψιλὴν ποικίλην οἴονται εἶναι στρατηγικήν, καὶ πλεονεξίας σύμβολον. ἐπιτρίβει γὰρ ἀεί πως τῷ στρατηγικῷ γένει τὸ ὡς ἥκιστα πλεονεκτεῖν. ¶ שקלים. A. Sym. στατῆρας *stateres*] Josephus σίκλους dicit. Erat autem Siclus τετράδραχμον, h. e. valebat Drachmas Atticas quatuor, ut idem ait. Similiter Stater: cujus dimidium Siclus communis sive vulgaris valet tantùm duas Drachmas. Quocirca *didrachmum* appellatur. Siclus Ebraicus argenteus erat. Ideo ἀργυρεῖς nomine significatur, ut Matth. 26. 15. τριάκοντα ἀργύρια, pro quo in Eusebio lectum τριάκοντα στατῆρας. Vide Parallela mea.

25. עכר. A. Sym. Th. συνταράξειν *conturbare*.

GROTIUS.

1. *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum*] Ex crimine unius in Deum commisso tenetur populus donec punierit. Sic apud Virgilium exuritur classis Achiva

> *Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei*,

nempe quia cùm Cassandram Ajax raperet,

> Οὐδὲν γ' Ἀχαιῶν ἔπαθεν οὐδ' ἤκουσ' ὕπο,

ut Euripides loquitur.

10. *Surge*,

10. *Surge, cur jaces pronus in terra?*] Nullus hîc deprecandi locus: neque nisi pœnâ sontis expiari populus potest.

15. *Comburetur igni*] Hominibus priùs lapidatis, infrà 25.

19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel*] Videtur hinc rectè colligi spes aliqua de animorum permansione post mortem. Quâ enim aliâ spe adductus hic homo est ut crimen capitale fateretur? Est autem sententia Judæorum, Confessione & morte criminum talium veniam à Deo impetrari. Formulam hic habemus examinis reorum. Sic & testes interrogabantur. Vide quæ notata ad Joan. 9. 24.

21. *Pallium coccineum*] Heb. אדרת שנער, i. *pallium Babylonicum*, nam שנער *Babylonia*. Vide Gen. 11. 2. Σεναάρ τῆς Βαβυλωνίας apud Histiæum Milesium, *Singara* Ptolemæo & Plinio, *Singarana* Sexto Rufo. *Colores diversos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen imposuit*, ait Plinius lib. 8. cap. 48. Hinc *Babylonica* etiam Poetis. ¶ *Et concupiscens abstuli*] Bene, nam ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν, Jac. 1. 15.

24. *Filios quoque & filias ejus*] Potest exponi, eos adductos ut cum omni populo simul ab Josua erudirentur, monerenturq; sibi à talibus cavere; non ut interficerentur cum patre. Qui sic sentiunt, id quod sequitur, *lapidarunt eos* (ità enim habet textus Hebræus, non *eum*) intelligunt de Achane & jumentis ejus.

25. *Quia turbasti nos*] Est in Hebræo allusio vicinarum vocum עכן & עכר. Ab hoc dicto Josuæ locus nomen accepit.

26. *Acervum magnum lapidum*] ταφιῶν ἄπιμον, ut hîc loquitur Josephus.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

6. **E***Ducemus eos*] Est התיק verbum Hiphil à primitivo נתק *evulsit*, seu *extraxit*, formatum.

7. *Devastabitis*] Multi Hebræorum post Jonathan Chal. exponunt תורישום *ejicietis eos, & perdetis eos de civitate, cùm apprehenderitis eam*. Alii interpretantur *occupabitis*.

12. *In insidiis*] Insidiæ istæ aliæ fuerunt à prioribus, atque in alio loco urbi propinquiori positæ.

13. *Et posuerunt populi*] Sensus est, Populus Israeliticus qui fuit in castris, & qui fuit in insidiis, simul moverunt se contra civitatem, hi quidem in propatulo, isti verò clanculum; isti ab Occidente, illi verò ab Aquilone. Exponunt autem Hebræi hîc עקב pro *insidiis*.

15. *Simulabant se cædi*] Heb. *plagis cædebantur*. Qui enim fugit, cædi videtur, etiam si corpore non lædatur. Et quoniam hîc fit mentio de *deserto*, sciendum quòd hîc *desertum* capitur pro מרעה *pascua pecorum*.

18. *Hastam*] Capitur hîc כידון pro רמח שבו נס *vexillo*, seu *hasta cui adhæret vexillum*.

20. *Conversus est in persequentes*] h.e. Israelitæ faciem vertentes irruerunt in persecutores suos, quos hactenus fugere videbantur.

30. *Altare*] Altare istud, sicut & omnia altaria quæ passim in variis locis exstructa sunt, alio nomine במות vocantur, i. *excelsa*. Nec ullum erat licitum nisi quod à sancto Propheta esset ædificatum.

32. *Repetitionem legis*] Sive *doctrinam Legis*. Est autem משנה *summarium quoddam Legis*. Unde scripsit solùm ea quæ pro tempore & loco necessaria erant. Sunt qui alteram partem hujus versiculi referunt ad Mosen, ut sit sensus, *Quam scripserat* (scilicet Moses) *ante filios Israel*. Hujus Legis epitomen scripsit Jehosua in lapide.

33. *Montem Gerizim*] Sunt duo illi montes ultra Jordanem in terra Moab, sicut Deut. 27. docetur: Filii autem Israel erant citra Jordanem; quomodo ergò hîc jubentur stare ad montes illos, qui ex alio Jordanis latere erant? Respondent Hebræi, quòd filii Israel fecerint sibi citra Jordanem duos acervos ex pulvere & terra congestos, & hos vocaverunt *Ebal* & *Gerizim*; atque ex illis benedixerunt Sacerdotes observantibus Legem, & maledixerunt prævaricantibus eam.

VATABLUS.

1. **T***Errearis*, תחת] *Formides*. ¶ *Omnem populum bellatorem*, את כל עם המלחמה] i. universos milites.

2. *Prædabimini*, תבוזו] *Diripietis*. ¶ *A tergo ejus*, מאחריה] i. ad plagam Occidentalem, ut v. 9.

4. *Videte vos, insidiabimini*, ראו אתם ארבים לעיר] *Attendite vos, insidiabimini*. Præs. Heb. pro fut. ¶ *Elongetis vos*, תרחיקו] *recedatis*.

6. *Avellamus*, התיקנו] *Abducamus, abstrahamus*.

7. *Vos autem surgetis*, ואתם תקומו] *Vos interim surgetis*. ¶ *Et expelletis*, והורשתם] *Et propelletis*, i. perdetis.

8. *Videte, præcepi vobis*, ראו צויתי אתכם] i. attendite diligenter quod præceperim vobis.

10. *Numeravitque*, ויפקד] *Recensuitque*, aut *visitavit*, i. attentè consideravit an omnes parati essent. ¶ *Atque ascendit*, ויעל] i. præcessit populum ut pergeret, comitatus Senioribus Israel, qui erant ei à consiliis.

11. *Ab Aquilone*, מצפון] *In parte Septentrionali*, ad quam deflexerant. ¶ *Vallis autem*, והגי] Insignis scilicet; aut ea in qua priùs cæsi fuerant Israelitæ.

12. *In insidiis*, אורב] Has secundas insidias misit ut falleret cives urbis, nè scilicet suspicarentur alias esse insidias.

13. *Et propiùs accessit*, וישימו] Sub. *ad urbem*, *appropinquavit urbi*, Ad verb. *Et posuerunt*, sub. *sese propinquiores*. ¶ *Populus*, i. *omnia castra*, העם את כל המחנה] Per appositionem dictũ, *omnia castra*, q.d. Populus, h.e. universus exercitus qui erat, &c. ¶ *Et insidiæ ejus*, ואת עקבו] Sic dicuntur ab astutia & calliditate, q.d. Conjunxerunt sese insidiæ quinque millium cum castris. ¶ *Perrexitque*, וילך] i. deduxit exercitum. Alii vertunt, *perrexitque Jehosua per medium vallis*, ubi erat exercitus, curando scilicet quæ ad illum spectabant.

14. *Cùm videret* כראות] i. cùm intelligeret quæ fierent. ¶ *Festinaverunt*, וימהרו] Ipse scilicet cum suis. ¶ *In occursum*, לקראת] i. ut occurrerent, h. e. invaderent. ¶ *Ante campestria*, לפני הערבה] *Ante solitudinem*. Chaldæus paraph. *in planitie*, quæ scilicet erat ante vallem in qua erat exercitus.

15. *Et cæsi sunt*, וינגעו] *Et percussi sunt*, i. finxerunt se non posse sustinere impetum eorum, & fugerunt viâ quæ ducit ad desertum. ¶ *Solitudinis*, המדבר *Deserti*. Doctus inter Hebræos dicit nomine *Deserti* intelligi etiam locum quemcunque pascuorum.

16. *Et convocati sunt*, &c. ויזעקו כל העם אשר בעיר לרדוף אחריהם] *Itaque congregatus est universus populus qui erat in urbe, ut persequeretur eos*. ¶ *Avulsique sunt*, וינתקו] *Abductiq;*, vel *abstracti*.

18. *Eleva*, נטה] Hæc vox *tendere*, sive *extendere*, aut *expandere* sign. hîc autem *elevare*, ut etiam Chald. interpres vertit. In fine hastæ erat vexillum. *Eleva* igitur dixit, ut daret signum iis qui erant in insidiis.

19. *Manum suam*, ידו] Quæ scilicet tenebat lanceam. ¶ *Ac festinantes succenderunt*, וימהרו ויציתו] Ad verb. *ac festinaverunt, & succenderunt*, pro *festinanter succenderunt*, vel *festinaverunt succendere*.

20. *Convertentes autem sese*, &c. ויפנו אנשי העי וגו׳] Porrò cives Ai retro spectantes viderunt fumum urbis in cœlum usque ascendentem. ¶ *Et non erant eis loca*, &c. ולא היה בהם ידים לנוס הנה והנה] *Et non erat in eis locus ad fugiendum*, &c. vel, ut Chaldæus paraph. vertit, *& non erat eis virtus ut fugerent*.

22. *Illi præterea*, ואלה] Sign. insidias quæ incenderant urbem, quæ delituerant. ¶ *Fuerúntq; Israeli in medio*, ויהיו לישראל] Hebraismus, Intercepti sunt ab Israelitis, ità ut à fronte & à tergo cingerentur ab Israelitis. ¶ *Usquequo*

quequo non remaneret, &c. עד בלתי השאיר להם] *Ità ut nemo illorum superstiterit*, aut *evaserit*.

23. *Et obtulerunt*, ויקריבו] Ad verb. *& accedere fecerunt*, vel *appropinquare*.

24. *Quò persecuti fuerant eos*, אשר רדפום בו] Ad verb. *quò persecuti fuerant eos in eo. Eos*, nempe Israelitas. ¶ *Consumerentur*, תומם] *Finirentur*, i. perderentur ad unum omnes.

26. *Non reduxit manum suam*, &c. לא השיב ידו אשר נטה] *Non retraxit manum*, &c. i. non deposuit lanceam quam manu tenebat.

28. *Tumulum*, תל] Sub. *lapidum*. ¶ *Desolationem*, שממה] *Solitudinem*, vel *ruinam*.

29. *Pracepit Jehosua, & deposuerunt*, צוה יהושע ויורידו] Hebraismus, pro *pracepit Jehosuah ut deponerent*. ¶ *Ad ostium porta*, אל פתח שער] i. in foveam quandam quæ erat juxta portam urbis. ¶ *Et statuerunt*, ויקימו] *Et erexerunt*.

30. *Tunc*, אז] Expugnatâ scilicet urbe.

31. *Sicut scriptum est*, ככתוב] Vide Exod. 20.24. & Deut. 27.3. ¶ *Integris*, שלמות] i. non cæsis, aut dolatis, mox se ipsum declarat. ¶ *Levavit*, הניף] Sub. *latomus*.

32. *Iteratam Legem*, את משנה תורת] Vide Deut. 17.18.

33. *Hinc & inde ad arcam*, מזה ומזה לארון] i. ex utraque parte arcæ.

34. *Omnino ut*, ככול] Ad verb. *Juxta omne quod*, &c.

35. *Verbum*, דבר] *Quicquam*. ¶ *Ambulantibus*, &c. ההולך בקרבם] *Incedentibus in medio eorum*, i. qui versabantur inter illos, & conversi erant ad fidem illorum.

CLARIUS.

12. ET *posuerat in insidiis*] Insidiæ istæ aliæ fuerunt à prioribus, atque in alio loco urbi propinquiori positæ.

29. *Suspendit in patibulo*] Suspensus est rex Hai in patibulo, vel, ut Lxx habent, *in gemino ligno*. Crux enim Domini geminâ ratione constat. Nam visibiliter in carne crucifixus est, invisibiliter, ut Deus, diabolum affixit cruci. Hujus geminæ rationis Paulus mentionem fecit, inquiens, *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*.

30. *Altare*] Altare istud, sicut & omnia altaria quæ passim in variis locis exstructa sunt, alio nomine vocantur *excelsa*. Nec ullum erat licitum nisi quod à sancto Propheta esset ædificatum. Ædificavit Jesus altare de lapidibus quos ferrum non tetigit, h.e. de cordibus integris, quæ peccatum non violavit: & scripsit in eo Deuteronomium, *secundam legem*, scilicet Euangelium. *Omnis autem populus stabat ex utraque parte arcæ, media pars eorum juxta montem Garizim*, in quo benedictiones prolatæ sunt, *& media juxta montem Hebal*, ubi maledictiones. Nam alii timore pœnæ, alii amore justitiæ viam Domini ingrediuntur.

32. *Et scripsit super lapides*] Intelligit, scriptum fuisse summarium quoddam legis. Unde scripsit solum ea quæ pro tempore & loco necessaria erant.

33. *Montem Garizim*] Sunt duo illi montes ultra Jordanem, in terra Moab, sicut Deut. 27. docetur; Filii autem Israel erant citra Jordanem, quomodo ergò hîc jubentur stare ad montes illos, qui ex alio Jordanis latere erant? Respondent Hebræi, quòd filii Israel fecerint sibi citra Jordanem duos acervos ex pulvere & terra congestos, & hos vocaverunt *Hebal* & *Garizim*: atque ex illis benedixerunt Sacerdotes observantibus Legem, & maledixerunt prævaricantibus.

34. *Post hac legit Josue omnia verba*, &c.] Jesus enim nobis revelat arcana Scripturarum.

MASIUS.

SUperiore capite audivimus, post captam eversámque Jerichuntem bellum fieri cœpisse civitati Hai, quæ proxima occurrebat continuò versùs Occidentem penetrantibus in Chananæam Israelitis. Sed eam expeditionem cùm mox accepta clades impedivisset, consumpta adhuc est omnis narratio in procuratione & expiatione Divinæ iræ exponenda. Jam igitur hoc capite ad Haiense illud bellum reditur: ídque memorabili stratagemate conficitur, partâ nobili & incruentâ victoriâ. Ponitur autem nobis ante oculos in primis summa Dei erga miseros mortales benignitas atque beneficentia; qui non solùm cùm est nostris offensus vitiis, per sacrum suum verbum & Divinum afflatum nos ab errore revocat, reducit, restituit denique secum in gratiam (quod luculenter nos docuit superior narratio) verùm etiam placatus jam nobis vel benigniùs quàm antè facit; adeò ut reconciliata ejus gratia quàm nunquam imminuta major videri possit. Itaque nunc ritè expiatus Achanis supplicio non patitur diutiùs suorum animos tristes afflictósque jacere; sed suavissimis maturè consolationibus succurrit, sublevat, fulcit, confirmat. Neque enim dubium est quin Josuæ aliorúmque prudentiorum mentes etiamnum cogitationes plurimæ solicitas habuerint, quamvìs essent Dei jussa sedulò exsecuti. Perspexerant enim satis popularium suorum vitiositatem, quam sæpissimè quidem punitam a Deo, nunquam tamen satis domitam viderant; reputabant etiam secum quo essent loco, & quàm inexplicabilibus undiquaque difficultatibus circundati; intelligebántque nihil prorsus nisi Deo propitio geri ullis viribus rectè posse. Haud igitur mirandum in eo est, quòd novâ rursus Dei confirmatione opus habet Josua, quamvìs fortissimus atque cordatissimus Imperator. Sed enim, dicet aliquis, cur militem universum educere in expeditionem jubet Deus adversùs tam parvas hostium copias? Neque enim plures duodecies mille utriusque sexûs homines in Hai fuisse videntur; ut existimandum sit vix millia sex armatorum pugnatorúmque defendisse urbem. Atqui ego illud, *Assumito tecum omnem populum bello aptum*, sic esse accipiendum opinor, Neminem qui militari virtute non polleat educi in hanc expeditionem oportere. Nam universa multitudo magis impedimento quàm usui futura erat, cùm esset simulanda fuga, ut audiemus. Quanquam ad numerum Haiensium quod attinet, an tam exiguus ille fuerit pòst videbimus. Sed hæc opinio mea si fortè alicui minùs videtur probabilis, existimet ille produci omnes in rem præsentem debuisse, ut pulchræ victoriæ aspectu ad se redirent, discusso metu qui propter adversam nuper pugnam in omnium mentibus penitus insederat, atque ut ipso usu cresceret virtus; ad hoc, ut par esset omnium conditio in præda, quæ prima trans Jordanem militi permittitur. Nam ad stratagema quod attinet, in quo confusa multitudo inutilis futura fuisse videtur, dici probabiliter potest, Imperatorem nocte cum parte copiarum non magna in vallem processisse ad urbem, reliquum exercitum in castris ab Aquilone factis mansisse. Sed hæc mox explanabuntur. Sanè ut ut ista sunt, illud constat, Deum aliàs adversùs maximas hostium copias paucos è suis mitti voluisse, qui rem gererent, cæteris in castris otiantibus; nimirum, quò non in suis viribus consiliisque sed in ipsius benigna ope spem ponere homines discant. Adeò multis diversísque modis optimus parens utilitatibus suorum providet. ¶ Verbum *Surge* hortantis est, ut sæpe alibi. ¶ Porrò *conscende* argumento est Hai fuisse loco editiore, ut diximus antè. ¶ Denique *vide*, & *dedi* insperatam quidem sed quasi præsentem & jam partam victoriam Imperatori ponunt ante oculos. Quia autem *se dedisse hostem in manus Josua* Deus ait, admonet illum nè suis viribus suæque gloriæ assumat victoriam; Qualem arrogantiam solent plerumque infelicitates maximæ atque infortunia consequi. ¶ Extrema clausula, *& regionem illius*, ea loca intuetur quæ Rex Hai extra urbem posita in potestate & ditione sua tenebat.

2. *Facies autem ipsi Hai & ejus Regi sicut fecisti ipsi Jericho*, &c.] Urbium nominibus hoc loco subjiciuntur simul cives; quòd ex clausula extrema ver. 24. constat. Quanquam si hos *Regum* appellatione significatos esse malis opinari, per Hypallagen, non contendam contrà. Sed non est existimandum de supplicii certo genere

præcipere hîc Deum. Tantùm perdendos esse ait Haienses, ut perierunt Jerichuntii, unà cum urbe. Nam de Jerichuntiorum Rege, quòd actus in crucem sit, nusquam, quod sciam, est memoriæ proditum; at Haiensis ex patibulo suspenditur. Neque devotum esse urbis Hai instauratorem ab Imperatore, si quis fortè olim existeret, legimus. Jerichuntem tamen qui aliquando esset refecturus, eum exsecrabatur ille, orbitatémque ei exoptabat. Pronomina quæ nominibus *præda* & *pecudis* hærent, ea urbem ipsam demonstrant, cùm sint genere feminina. Diximus autem c. 6. ad v. 17. cur de spoliis urbis Jerichuntis nihil militi permitteretur. Hujus autem prædâ urbis vel ideo recreandum exercitum putabat Deus, ut nè frustra se perpetuò congressuram cum hoste putans animum prorsus despondéret gens præsentibus opibus mirificè inhians. Ad hoc, nullam operam contulerant milites ad expugnandam Jerichuntem, at hîc aliquis est militaris virtutis usus; non quò Dei solius potentiâ res confici non possit, sed ut ipsi excitentur officio ab ignavo torpore ad alacritatem. ¶ Sed enim observandum illud est, *diripietis vobis*. Non enim vel soli Imperatori vel paucis Tribunis aut Centurionibus concedetur ut ipsi partes faciant, & quantum velint priores sibi de manubiis sumant. Ubi enim pericula, ibi & commoda quoque esse communia æquum est. Et Principes viros eniti decet ut verâ virtute factísque præclaris cæteros antecellant magis quàm opibus. Neque ferè quidquam est quod Imperatorum atque Ducum in exercitu existimationem magis minuat apud milites quàm si illi, horum fraudatis circumscriptísque laboribus, maximam prædæ partem domum suam avertant. ¶ Porrò illis verbis, *Collocato tibi insidias adversùs urbem*, quid facto opus sit breviter commonstrat Deus: Cætera prudentiæ Imperatoris cogitanda relinquit. Nisi quis malit existimare istam verborum complexionem esse præcisè scriptam, atque deesse reliquam stratagematis à Deo commonstratam rationem, quæ v. 4. ab Imperatore exponetur apud milites. Sanè certum est omnem Josuæ prudentiam in Spiritûs Divini instinctu atque afflatu positam fuisse, à quo in actionibus omnibus dirigebatur, ut in hujus commentarii initio vidimus. ¶ Cæterùm illud *post ipsam* ostendit collocari insidias urbi debere ab Occidente. Hæc enim oracula prodebantur in ipsis castris apud Jerichuntem, aut, si mavis, Galgala, h. e. ab Oriente. D. Augustinus movet hoc loco de insidiis quæstionem, an virum probum justúmque uti illis fas sit, cùm fraudi sint affines & occultæ circumscriptioni, respondétque, Nihil referre aperto Marte an insidiis & stratagemate vincas, modò ut quod facies bellum sit justum. Esse autem illud bellum justum ait quod *vindicandæ injuriæ causâ susceptum est, aut à Deo ipso imperatum, qui & vacuus est ab omni iniquitate, & novit quid cuique fieri rectè debeat*: Tale enim bellum qui faciunt, eos non tam esse ejus *auctores* quàm *Dei administros*. Et rectè, meâ quidem sententiâ, Augustinus nodum illum, quantum certè ad præsentem pertinet locum, dissolvit. Jam olim enim delere bello Chananæam gentem jussi fuerant Israelitæ. Sed quæ de mendacio hîc prolixè ille disputat, non satis video quî possint ad istam accommodari rerum narrationem. Quæ enim hîc est mendacii species? nisi verò sua hostem celare consilia mentiri est. Neque enim falsis dictis aut promissis vel pactis adversarii circumscribuntur; quod nè in justissimo quidem bello probos viros decere dixerim: Sed ut id teneatur tamen ratúmque ac fixum maneat, Improbum nihil censeri posse quod à Deo sit mandatum. Sed si quis plura de mendacio requirit, is ea relegat quæ ad v. 5. c. 2. diximus. Sed enim miretur quispiam, neque abs re, cur hanc etiam urbem delere funditus jusserit Deus, cujus consilium & voluntas tamen erat ut Israelitæ non solùm Chananæos totâ regione exterminarent, verùm etiam loca eorum ipsi habitarent Deut. 19. 1. Et exstat apud Xenophontem Instit. l. 6. prudentissima deliberatio summi Imperatoris Cyri, quâ ostenditur ad bellum in aliena ditione rectè gerendum esse consultissimum, non solùm hostibus, quantum fieri potest, plurima castella eripere, verùm sibi suísque plurima etiam comparare; quippe qui hoc non faciant, eos nihil differre ab illis qui per vastum pelagus navigant. Nam navigant illi quidem perpetuo cursu, sed quam undarum partem navigatione semel percurrerunt, eam non magis tenent quàm adhuc intactam. Verùm nolebat Deus Israelem suum humanis fidere rationibus, sed suâ unius ope & gratiâ niti, suos observare nutus, in se solo fiduciam omnem habere collocatam, suam unius benevolentiam ut tutissimum receptaculum intueri. Volebat quidem ut, paullatim profligatis veteribus colonis, habitationes sibi in Chananæa ipsi compararent, urbésque ab illis relictas colerent. Verùm nondum usque eò repressus erat hostis ut consultum esset locos ullos munitos manere qui illi possent rursus esse receptui, præsertim cùm ipsi nondum defuncti essent imperatâ ceremoniâ ad montem Hebal & Garizim, quò universa multitudo erat abducenda. Et alioqui præsidiis tenere castella atque oppida priùs quàm magna belli pars confecta esset, nihil fuisset aliud quàm sui fiduciam augere, Dei minuere. Cæteroqui credibile est ad conservandam hanc urbem quàm ad vastandam fuisse propensiores milites, quando tam acriter jubet Imperator eam exurere, ut v. 8. audiemus.

3—8. *Josua igitur surrexit, & universus populus*, &c.] Stratagema quod his proximis aliquot versibus continetur, non satis dilucidè planéque descriptum esse, mihi certè, videtur. Quis enim existimet triginta hominum millia diem solidum clàm civibus Haiensibus locum ad urbem proximum insidere potuisse, atque insuper alia quoque millia quinque, præsertim cùm à tergo proximè exstaret Haiensium socia urbs Beth-el? quare credibilius esse puto non productum in hanc expeditionem fuisse populum universum militarem, sed solos trecies mille delectos ex toto exercitu, & horum quinquies mille collocatos in insidiis. Nam hujuscemodi narrationes etiam alibi in S. historia confusè, permistè obscuréque sunt expositæ; Qualis est vel in primis ea quæ in Judicum libro scripta habetur c. 20. huic nostræ quàm simillima. Quæ narrationum confusio inde, nisi fallor, nata est, quòd cùm illiusmodi res memorabiles à pluribus sanctissimis viris in sacra illa diaria atque annales, quorum antè facta à nobis mentio est, relatæ, alio atque alio ordine verbísque, ut fit, diversis legerentur, is verò qui sacram tandem historiam universam in eos quos jam habemus libros Divino consilio redegit, enixiùs laboraret nè quid eorum quæ à sancta antiquitate in illis diariis annalibúsque prodita inveniebat imprudens omitteret, ipse rem eandem unam non unâ continente atque æquabili oratione sed ex diversis narrationibus confusâ permixtâque conscripserit. Quanquam non pugnavero, si quis hîc religiosiùs ipsis S. verbis insistens occæcatus usque eò fuisse à Deo Haiensium & oculos & animos dixerit ut nè tantum exercitum post urbem latentem per tot horas ullo sensu perciperent. Sed explicabo tamen historiam ut mihi credibilior visa est. *Surrexit ergo Josua, & universus populus militaris, ut ascenderent Hai.* h. e. Comparabat se Josua ut delectum militum ageret quos in Haiensem expeditionem esset ducturus: quotquot verò fuerunt in populo viri militares, promptè atque alacriter ad eam rem nomina sua offerebant. Ex omnibus igitur ille cùm 30 millia selegisset qui singulari virtute cæteris præstare videbantur, *eos amandabat nocte*, non quidem omnes illos tricies mille viros delectos, sed, κατ' συνεκδοχὴν, eorum quosdam, nimirum quot v. 12. dicentur, h. e. quinquies mille; quos jussit in insidiis esse à tergo urbis, i. ab Occidente. (Nam ista aguntur, ut dixi in castris, ab Oriente) & quoad ejus fieri posset, locum oppido proximum capere, atque ad omnem nutum attentos esse. ¶ Sequitur, *Ego verò & universus populus qui mecum erit*, &c. quibus verbis cur paratos illos atque intentos in insidiis esse voluerit pergit explicare. *Ego*, inquit, *& qui vestrûm apud me erunt*, h. e. Ego cum cæteris 25 millibus vestrûm, nostro ad urbem aperto accessu prolectabimus oppidanos, cùm nos fugere existimabunt; nam fugam simulabimus. Tum porrò vestrum, quinque millium scilicet, munus erit, nudatam

datam præsidio urbem de insidiis invadere. Neque enim id frustra conabimini, quippe dedet eam vobis Deus. Sed expugnatam direptámque concrematote tandem; atq; planè ità agite ut imperatum nobis à Deo est, &c. ¶ Animadvertendum est autem ista jussa, *Cúmq; ceperitis urbem, incendetis*, &c. non ad solos eos qui in insidiis erant, sed ad delectos tricies mille spectare. Hi enim urbem erant eversuri incendio, sed captâ atque ablatâ priùs omni prædâ. Nam quòd soli illi quinquies mille memorabuntur urbem incendisse, id de indicio quod sociis excitato fumo faciebant est accipiendum, ut dicemus ad v. 19. Cæterùm, quòd noctu mittit insidias, circumspecti Imperatoris est; qui ut hostem non ignaviter formidat, ità neque temerè contemnit. Non dubitabat ille quidem de victoria, cùm ejus esset ipso Dei oraculo factus certissimus: At ob Dei effata non debet hominum industria ad illa accommodata pro supervacanea atque inutili haberi; non magìs quàm ob ejusdem præscientiam, ut vocant, sive prænotionem. Ad hoc, Deus insidias urbi collocari jusserat: Jam verò nisi clam urbe locum suum illi cepissent, non fuissent insidiæ. Jubet autem ipsos propè abesse ab urbe, ut præsidio nudatam illico possint invadere. ¶ Porrò cùm dicat, *Ego & universus populus qui mecum erit*, quis putet eum loqui de universis Israelitarum copiis? Sanè quantàvis temeritate informatos oppidanorum animos ab nupera victoriola fuisse dicas, non est credibile prodituros ad pugnam fuisse si innumerabilem illam adversariorum multitudinem conspexissent. ¶ Illud verò, *Donec extraxerimus ipsos extra urbem*, monet nè nimis citò se moveant insidiæ, sed exspectent dum persequendi studio longiusculè evecti cives fuerint. ¶ Denique illud, *En jussi vobis*, tectè videtur ad Achanis exemplum alludere; cui exitio fuit, non paruisse Divinis jussis.

9, 10, 11. *Dimisitq; illos Josua, & profecti sunt*, &c.] Repetit explicátque quod dicere cœperat tertii versûs extremo. Addit enim profectos illos quinquies mille viros cepisse insidiis locum inter Beth-el & Hai, h. e. ab Occidente, si urbem Hai spectes. Nam Beth-el ab Hai aberat circiter horæ unius itinere versùs Occidentem, sic tamen ut nonnihil in Septentrionem declinaret, ut suprà diximus. Et quia utraque urbs in montosis exstabat locis, fuere sinuosi collium anfractus insidiis collocandis opportuni. Porrò cùm nocte illos à se dimisisset Imperator, ut tenebris tecti urbem hostilem præterire locúmque ad fallendum aptum insidere possent, ipse proximæ diei lucem in castris exspectabat; Quæ simul atque apparuisset, recensuit reliquos quos pridie delegerat & conscripserat milites; atque deinde comitatus Tribunis militum, qui *Seniores* ob prudentiæ in re militari præstantiam vocantur, ducem sese versùs Hai præbuit. Illi verò alacriter omnes Imperatorem sunt secuti usque prope urbem. Ubi castra fecerunt ab Aquilone; inter quæ & oppidum media erat vallis. Possent autem S. verba etiam in hanc sententiam interpretari, Quòd Imperator manè populum recensuerit, h. e. ea constituerit quæ in populo opus erat; ac deinde לפני, i. e. *coram & spectante populo*, conscenderit, comitatus Senioribus, versùs Hai; illíque sint eum subsecuti quos ad eam expeditionem pridie delegerat. Illa enim verborum complexio *populus qui cum eo erat*, iis quinquies mille viris opposita est quos nocte à se dimiserat ad insidias. Cæterùm existimandum hoc loco est castra ista ab Aquilone facta non tam prope urbem fuisse ut oppidanis in conspectu essent, sed potiùs vel post colles vel in solitudine latuisse, quando certum est postridie demum patefactam esse Haiensibus Israelitarum præsentiam, cùm Josua de nocte in vallem propiùs ad urbem de industria accessisset.

12. *Acceperat autem circiter quinquies mille viros*, &c.] Absurdum profectò est existimare novas hìc insidias instrui, &, ut somniant Judæi, propiùs aliquanto ab urbe quàm priores insederant. Non enim video quâ id fieri potuisset ratione clarâ luce, quando illi qui minùs propè, ut isti volunt, aberant non nisi per tenebras locum occupare clam civibus potuere. Neque verò etiam nisi de unis insidiis in captæ urbis narratione mentio erit. Id ergò modò explicatur hoc versiculo quòd suprà de insidiis fuerat dictum, expresso hominum numero. Affert autem obscuritatem orationi quòd Hebraica verba nullum præteriti plusquam perfecti habeant discrimen.

13. *Jámq; disposuerant populum, exercitum universum*, &c.] Cùm Imperator & Seniores sive Tribuni militum disposuissent universum populum quem in hanc expeditionem eduxerant; h. e. Cùm jam alios in insidiis à tergo urbis, i. ab Occidente, alios in castris ad Aquilonem factis collocatos haberent, processit Josua nocte propiùs ad urbem in eam vallem cujus paulò antè meminimus; nimirum ut hostibus suam præsentiam patefaceret, ipsósque urbe proliceret. Credibile est autem ipsum non magna multitudine, sed quantam contemnere Haienses possent, comitatum processisse; præsertim cùm constitutum haberet non conserere manus, sed refugere versùs illa quæ ad Aquilonem habebat castra. Cur autem de nocte, ac non clarâ potiùs luce, in vallem se contulerit Josua, cùm ab oppidanis conspici vellet, ego hanc eum habuisse causam existimo, Ut cùm ipsa locorum ratio castra ad Aquilonem facere suasisset, quæ castra etiam tum latere Haienses volebat, nè ipsis terrori essent, ab Jerichunte verò sive Galgalis aliud esset consuetum iter quod Hai duceret, faciendum sibi putavisse callidum Imperatorem ut hostes nihil aliud quàm se rectà ab Jerichunte profectum adesse cum paucis illis quos secum duxerat suspicarentur, unde nuper illi quoq; venerant quos devicerant. Verùm enimvero posset iste versiculus explicari quoq; hâc sententiâ, Jámq; populus perniciem moliebantur, urbi videlicet, tum per castra illa ad Septentrionem posita, tum per insidias quæ ad Occidentem insederant. Nam verbum שם talem habere vim significationis videtur etiam in Regum historia l. 3. c. 20. v. 12. ubi Ben-adad servos suos cohortatur ad excidendam Samariam. Sic enim illic scriptum est, ויאמר אל עבדיו שימו וישימו על העיר: quod ad hunc modum est interpretatus Chaldæus, *Et ait ad servos suos, Omni studio incumbite*, ad capiendam urbem scilicet. *Et incubuerunt in urbem*, &c. Et rursus 1 Reg. 15. 2. ubi Deus memorat *Amalecitas malum Israeli esse machinatos per viam*, & 2 Reg. 13. 32. ubi Jonadab Davidi aperit odium quod Absalom adversùs Amnonem gerebat ob constupratam sororem. Alias hujus loci sententias, quas commemorant Rabbim, Solomon, Kimhi, Levi F. Gersonis, alii, sciens prætereo ut nimis argutas atque extortis verbis formatas. ¶ Cæterùm quod converti *Insidias* in hoc versiculo, est Hebraicè עקב, quæ positio *decipere* & *fallere* interdum significat. Insidias autem ad fallendum hostem comparari nemo nescit. Latinus autem interpres pro extrema castrorum parte accepit, quia *calcaneus* quoque illi voci subjicitur, quæ est pedis postrema pars. Nimirum existimare videtur iste sic ad Septentrionem facta fuisse hæc castra ut ad insidias usque pertinerent quæ ad Occidentem latebant, quam sententiam ut non lubet refellere, ità minimè probare possum. Verùm illud faciliùs concesserim, insidias illas *calcaneum* vocari quia post urbem, h. e. ad Occidentem, erant: nam pronomen *ejus* pertinet ad *exercitum*.

14. *Factúmq; est, ut vidisset Rex Hai, properarunt*, &c.] Credibile est *videre* hìc pro *percipere* positum esse, atque à vigilibus qui excubias eâ nocte agebant, & strepitum fremitúmque militum cum Imperatore in proximum urbi campum descendentium senserant, perlatum ad Regem fuisse nuncium præsentiæ Israelitarum. Neque enim silentio suos continuerat Josua, cùm suum adventum oppidanis esse notum vellet. Rex igitur re cognitâ illico cum suis deliberat de hoste cum prima luce invadendo. Itaq; alacri studio manè unà cum Rege quotquot ad hanc pugnã delecti ab eo nocte erant, urbem egressi versùs eum locũ quem in illa nocturna deliberatione præstituerant, nempe qui erat pro deserto, & in quo adesse Israelitas senserant hostem petiere; cùm nescirent insidias sibi constructas latere post urbẽ. ¶ Sunt qui illud למועד non de *loco* sed de *tempore præstituto* accipere malunt. Putátque Levi F. Gersonis Haienses eam diei horam observare voluisse quâ nuper pugnarant feliciter,

feliciter, superstitiosâ spe similis fortunæ. R. S. verò opinatur illos artibus magicis horam sibi pugnæ certam designasse, ut fortunatiorem. Mihi ad locum potiùs spectare visum est quem ex vigilum relatione constituerant; ídque quod subnectitur, *ante solitudinem*, ἐξήγησιν illius esse atque explicationem. Et R. Isaias quoque locum notari existimat eum quo superiore velitatione fuerant feliciter cum Israelitis congressi. Sed neque absurdè, opinor, accipiatur pro *tessera militari*, sive *signo* portis erumpendi dato. Nam sic in Judicum etiam historia 20. 38. positum est hoc verbum, si eidem R. Isaiæ credendum est. ¶ Rursus illud לפני הערבה, quod converti *ante solitudinem*, eam videlicet cujus proximo versiculo erit mentio, alii *planitiem* interpretari malunt, atque de eo accipere loco qui paulò antè est, עמק vocatus, huic enim verbo non solùm *vallis* sed etiam *campus* subjicitur. Quam sententiam qui probant, iis τὸ לפני est non *ante*, sed *ad* vel *versùs*. Et sanè nomen ערבה non solùm significat, ut videtur, idem quod מדבר *solitudinem*, sed etiam *locum æquabilem, planum, campestrem*; unde à Symmacho nunc πεδινὴ nunc ἀοίκητος redditur, ab Aquila verò plerunque ὁμαλή. Sed ut ut ista sunt, dubium non est quin in eum illi locum contenderint in quo hostem versari senserant. ¶ Porrò cùm sequitur, *Nesciebat enim ille*, &c. Rex ipse ut socors, segnis, iners, imprudens tectè notatur. Nam qui vult imperio atque principatu, debet ille etiam consilio & prudentiâ præstare aliis. Tam justè enim cives ab Imperatore imperium salutare quàm Imperator à civibus promptam obsequentiam requirunt. Fuit profectò Regis Haiensis munus, in tanta potentissimi hostis vicinitate, & recente sociæ urbis calamitate, nullum tempus curâ maximâ vacuum prætermittere, sed die cogitare quæ de nocte, & nocte quæ de die facto opus esset; habere apud hostes qui consilia eorum occultè perciperent, habere circum urbem longè latéque dispositas excubias & speculatores, quibus loca omnia, præsertim montosa illa & confragosa insidiísque apta, continuò explorata essent. Quæ omnia cùm ille neglexerit, videmus quanta cum sua & populi pernicie abusus sit principatu. Nimirum superiore victoriolâ stultè inflatus securè voluptatibus suis se dederat. Atque hîc observandum est quàm sit stupidus mortalium animus, quàm incautus omnium malorum, quando Dei gratiâ destituitur, neque ejus instinctu quasi manu dirigitur.

15. *Fingebant autem se cædi Josua & omnis Israel*, &c.] Sic sum interpretatus verbum inflexionis Niphal וינגעו, quasi ad formulam Hithpael pertineret. Sæpe enim istæ formulæ commutantur inter se. Mihi enim probabile videtur incruentam prorsus fuisse Israelitis istam victoriam, státque à me R. S. Nam si vel paucissimi eorum fuissent cæsi, esset id damnum apertè commemoratum; ut in simillima huic narratione factum est in Judicum lib. 20.31. Veruntamen non pugnavero si quis cum R. D. K. malit opinari, non sic Israelitas fugam expeditè simulare potuisse ut prorsus nullius tergum plecteretur. ¶ Cæterùm *desertum* quod fugâ petebant illud esse opinor quod paulò antè ערבה *Araba* vocabatur; & inter hoc desertum atque urbem Hai mediâ fuisse vallem eam sive planitiem in quam nocte Josua processerat è castris ad Aquilonem factis. Fuit autem hoc desertum, quantū sanè ex descriptis finibus Benjaminitarum, c.18. videre videor, illud quod *Beth-aven* vocabatur, urbíq; Beth-el suum infame nomē posteris temporibus aliquando accommodavit, cū ei esset ab Aquilone vicinū, &, ut est credibile, propè ad Hai usq; pertineret. Unde etiam conjecturam facio atq; suspicor in hoc deserto posita fuisse castra ea quæ nuper Josuam ad Septentrionem facere dicebamus; Ideóq; fugam illò nunc fieri ab Israelitis, ut qui in castris fuere relicti, cùm Imperator paucis, ut diximus, comitatus se hosti ostensum ivisset, facilè se possent, cùm usus esset, cum suis fugam simulantibus conjungere, & in hostes ire ad urbem ab insidiis incensam conversos.

16, 17. *Itaq; exciti sunt populus omnis qui erat in urbe*, &c.] Verbum ויעק *vociferari* significat; sæpe tamen in vocandis aliquò per classicum militibus usurpatur. Ideóq; videor non ineptè *exciti sunt* interpretari potuisse. Græcus, sive ille Theodotion sive alius fuit (nam à LXXII hic locus est omissus) reddidit ἐνίσχυσε, h. e. *invaluit*. Nimirum ejus menti observabatur verbum חזק, propter vocis similitudinem: nisi existimare malis illum ad mutuas populi inter se cohortationes (ut fit in tam bona spe) respexisse; eis enim vires animíque augescunt. Certè hoc ipsum sensisse Latinus videri potest. Dictum quidem antè est, Regem & populum ejus omnem manè prodiisse urbe adversùs Israelem; at id de illis modò accipiendum erat quos ad eum conflictum sibi Rex delegerat: neque enim illico urbs omni præsidio temerè nudabatur. Porrò nunc, cognitâ hostium fugâ, omnes evocantur prorsus milites, tanquam nihil jam aliud opus sit quàm hostem persequi & cædere. Sed imbellem turbam intra portas mansisse tamen ex vicesimi quarti versûs clausula conjici potest. Nimirum vecors atque amens Rex, vanâ gloriolæ dementatus spe, cùm putaret se non modò Haiensium suorum liberatorem verùm universæ Chananææ vindicem fore, profligatis atque exterminatis Israelitis, classico evocari jussit quotquot arma ferre possent, non solùm Haienses, sed etiam Beth-elitas. Consentaneum tamen S. verbis est, Beth-elitas, relicto suo oppido, dudum in Hai fuisse, ut urbem munitiorem communibus viribus tutarentur, cùm alioqui in hujus Regis ditione essent. Est enim in S. verbis, *Populus omnis qui erat in urbe*, non autem, *in urbibus*. Quin pro illo *in urbe* habent nonnulli codices *in Hai*, ut ex Chaldaica versione certum est, quam ego manuscriptam habeo emendatissimam; ídque etiam ab auctoribus מסרת est proditum. Sed objicias, Ex Judicum historia 1. 24. apparere Beth-el fuisse oppidum munitissimum, ut quod non nisi proditione potuit capi. Atqui credibile est, cùm à Josua funditus deletæ essent Jericho & Hai, Chananæos insequentibus temporibus vicini illius oppidi muros difficilibus atque arduis operibus molitos esse atque obvallasse, ut eam sibi stabilem certámque sedem adversùs Israelitas illâ regione haberent.

18. *Ait itaque Dominus ad Josuam, Protende clypeum*, &c.] Quod *clypeum* interpretamur, est Hebraicè כידון, quâ voce in Regum quoque historia l.1. c.17.v.6. *clypeus* significatus est, aut certè *arma quæ humeros tutantur*. Josephus quoque & Symmachus ἀσπίδα dixerunt; at LXXII γαισὸν, quod Gallici & Libyci teli ferrei genus esse scribunt auctores boni. Est tamen ubi LXXII clypeum γαισὸν vocarunt. Porrò Jesus Syrah 46. 3. ῥομφαίαν fuisse censuit. His enim verbis allusit ad istum locum, ut in bonis libris scripta exstant, ὡς ἐδοξάσθη ἐν τῷ ἐπᾶραι χεῖρας αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ ἐκτεῖναι ῥομφαίαν ἐπὶ πόλεις· h.e. *Quantam consecutus est gloriam cùm sustolleret manus suas & extenderet romphæam adversùs urbes?* *Romphæam* autem *teli genus Thracum esse* docet Gellius l.10.c.25. Et Chaldæus quoq; *lanceam*, aut *telum*, est interpretatus; dixit enim רומחא; atq; hunc universa Judæorum synagoga sequitur. Quorum pleriq; audent etiam de suo addere, *vexillum ex ea hasta, sive telo, fuisse suspensum, quò facilius dari insidiis signum posset.* Sed parùm referre puto *clypeúmne* an *hastam* fuisse dicas. Neque enim existimo eos qui in insidiis fuere tam hoc Josuæ aspectabili nutu quàm Dei pulsu tempus surgendi urbémque invadendi adesse intellexisse. Monuerat quidem illos Imperator ut simulatque pellecti fugæ specie extra mœnia oppidani longiùs forent, ipsi urbem ex altera parte invaderent. Et credibile est eruptionem civium potuisse ab insidiis aliqua saltem ex parte videri, cùm fugientes Israelitas persequerentur versùs Septentrionem: veruntamen nè ipse quidem Josua, qui sive clypeum sive hastam protendebat, scire satis potuit quando vacuefacta omni præsidio atq; opportuna insidiis tandem urbs esset, nisi Deo submonente. Igitur quod jubet Deus, clypeum sive hastam protendere, aut veluti innuere versùs oppidum, ego certè ad arcanam potiùs & Divinam quandam efficacitatem referendum esse opinor, quâ ille suo populo omnis rei gerendæ opportunitates suggesserit, consilia in mentem miserit, animos addiderit; contrà verò adversariis dementiam, pavorem, desperationem rerum omnium incusserit; Et in summa, planè

planè geminum esse hunc Josuæ gestum cum illo Mosis quo Amalecitæ vincebantur in Exodo c. 17. Nam & ille congressus cum hoste primus fuit Mosis principatu, ut iste Josuæ. Jerichuntem enim absque ferro expugnaverat Deus suâ Divinâ potentiâ, sicut Pharaonis copias aquis suffocarat. Neque Josua manum suam reducit cum clypeo, aut hasta, nisi confectâ pugnâ; neque Moses suas demittebat quin simul de suorum alacritate plurimum remitteretur, atque adeò victoria ipsa amitteretur. Vidit hoc Augustinus quoque, ut mihi certè videtur, cùm scitè, Serm. 93. De temp. utramque narrationem inter se conferret, sed tectè; cujus analogiam, quâ utitur, ut potero, paucis explicabo. Moses qui pugnam cum Amalecitis inirent non deligebat ipse, sed Josuæ, quem Jesu Christi personam sustinere diximus, id negotii dedit: Et hoc quoque loco Josua ipse triginta illa virorum millia ad istam expeditionem è toto exercitu deputavit. Scilicet Jesus erat qui dicebat Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Moses manus suas sustollebat in cœlum non protendebat; quippe ejus erat postulare è cœlo auxilium, cùm ipsus de suo afferre nullum posset: at Josua, sive Jesus, protendit versùs Hai manus efficaces; versùs istum, opinor, terrarum orbem Satanæ tyrannide vastum; (*Hai* enim *vastitatem* significat) neque retrahit, cruci tanquam hastæ affixus, donec consummata sint omnia. Sed hæc hactenus. ¶ Sequitur in S. texto, *Nam in tuam manum dedam illam*, i. Ex ista tua exporrecta cum clypeo manu victoriam hanc pendere volo. Nam alioqui satis jamdudum certus erat Imperator superioribus Dei promissis se victorem fore. Cur autem Deus fortissimum atque animo invictissimum Imperatorem à pugna cohibere, & veluti ad protensum clypeum alligatum insistere uno loco otiosum voluerit, magnæ causæ afferri facilè possunt. Cùm enim Dux ipse nihil suâ virtute patrat, sed feriatus à pugna, & manum modò versùs urbem hostilem protendens, veluti digito præsentem Deum ostendit, cujus Numine res feliciter geratur, nullus arrogantiæ locus militibus relinquitur, sed solida victoriæ gloria Deo reservatur, æquè atque Jerichuntis eversæ. Nihil enim aliud, quàm hostem non repugnantem sed Divino stratagemate conturbatum cædunt illi, atque adeò commissum profligatúmque ab ipso Deo bellum manu ipsi conficiunt. ¶ Cùm porrò sequitur, *Protenditq; Josua clypeum*, prompta Imperatoris obedientia ad omnem Dei nutum declaratur. Ut enim quisque animi magnitudine præcellit, atque inter alios optimus est, ità maximè cupiditate gloriæ ducitur, & ejus oblatæ occasionem ægerrimè de manibus amittit. Jam verò quid aliud esse videbatur, Imperatorem in hac tam præclara vindicta manum ab hoste feriendo abstinere, & ridiculo, ut certè videbatur, gestui interim vacare, quàm non dicam gloriam contemnere, verùm turpem etiam ignaviam profiteri? Sed ille Dei jussis omnia posthabet, neque suam aliam atque Dei gloriam esse statuit.

19. *Et insidiæ surrexerunt properè de statione sua*, &c.] Insidiæ collocatæ fuerant ab Occidente, ut audivimus suprà; qui verò hostem prolexerant, inter quos erat Imperator, ii refugiebant versùs desertum, quod ad Septentrionem esse diximus. Fieri igitur quidem potuit ut ab insidiis conspiceretur protensa Imperatoris manus; at id surgendi signum observare illæ nusquam jussæ videntur. Et ut demus fuisse jussas, illud ratum fixúmque manet, non ejus solius symboli causâ exporrectam fuisse illam Imperatoris manum, cùm, ut videbimus, eum ille gestum continuò egerit ad profligatum usque prorsus hostem, neque destiterit simulatque per fumum intellexisset functos esse suo sibi assignato munere insidiatores. Quare hos Divino instinctu potiùs, quam manûs illius efficientiam esse dixi, surgendi tempus sensisse existimo. ¶ Porrò illud *Pervenerunt ad urbem* rectè etiam interpreteris *intrarunt in urbem* cum Chaldæo & LXXII. Verbum enim בא utrumlibet significat. ¶ Quòd autem *incendisse urbem* memorantur, id quatenus fumum modò una aliqua in parte excitarent accipiendum est. Hoc enim de compacto signum dabant sociis fugam simulantibus, ut se in hostem converterent; quod ex simili historia quam in Judicum libro cap. 20. esse scriptam dixi intelligitur. Neque enim oppido injectæ flammæ perdendi causâ sunt, nisi cæsis priùs omnibus qui eruperant, direptâque oppidanorum universâ prædâ, ut ad v. 24. dicetur.

20. *Porrò viri Hai respexerunt post se*, &c.] Quod dico, *Haienses non habuisse locum fugiendi*, potest etiam de viribus animi corporisve accipi. Nam יד *manus* non raró pro facultate agendi aliquid usurpatur; quasi pavore consternati cum animi robore corporis quoque vires, ut fit, amisissent. Nam id etiam Benjaminitis in pari casu accidit, ut est in illa quam sæpe cito historia Judicum perscriptum 20. 40, 41. *Respiciebat*, inquit, *Benjamin: & ecce fumus urbis sursum ferebatur. Itaq; Israelitæ, qui adhuc fugam simulaverant, convertebant se: Benjamin verò conturbatus est*, sive *obstupuit*, &c. Ego tamen *locum* interpretatus sum, quòd ea quæ sequuntur hanc videantur particulam explanare, causámque afferre cur neque huc neque illuc fugiendi locus esset; nempe quia hostis hinc atque illinc ingruebat. Neque verò insolens est verbum illud ידים pro *spatio* dicere. Sed perinde est utram sententiam sequare; cùm probabile sit, & quia ab hoste interclusi utrinque essent, & quia formidine genua labascebant, fugere illos nequivisse. Nimirum exporrectæ illius manûs vim non minùs ipsi adversam sibi quàm Israelitæ prosperam sentiebant.

21. *Josua enim omnisq; Israel, cùm vidissent insidias cepisse*, &c.] *Omnis Israel* dicuntur ii qui cum Josua se oppidanis ostenderant, ipsósque fugâ simulatâ urbe extraxerant; aut si hoc mavis, isti *Josuæ* appellatione significantur; *Omnis* autem *Israel* cùm dicitur, illi etiam his adjunguntur qui cùm in castris ad Septentrionem factis mansissent, jam se sociis fugam simulantibus addunt ubi captam esse urbem ex fumo intelligunt. Nam ipsum Imperatorem, quamvis nominetur, pugnæ tamen non interfuisse certum est, sed seorsim usquam fixum institisse, manum cum clypeo aut hasta protendentem ad urbem.

22. *Illi verò prodibant ex urbe his obviàm*, &c.] Pronomen *illi*, demonstrat eos qui in insidiis latuerant, jámque urbem occupaverant; *his* verò, ipsos Haienses, qui & à conversis Israelitis repulsi, & viso patriæ fumo perturbati, se versùs urbem recipiebant. ¶ Porrò illa שריד & פליט ego sic differre inter se arbitror, ut τὸ שריד significet τὸ ζωγρηθέντα, h. e. *eum qui vivus ab hoste capitur*; פליט verò, *qui fugâ evadit*. Et certè captis parcere cùm vetera tum nupera Dei mandata vetabant. Effugium verò patere nulli potuit, quod undiquaque ab hoste esset interclusum. Atque hîc palàm videmus verum esse quod nuper monebamus, Puniri à Deo pios ad salutem, impiis verò & sceleratis suam sibi quæ apparet felicitatem esse exitio. Fugerant ante paucos dies Israelitæ cum magno, ut videbantur, malo: at ea res occasio ipsis fuit egregiæ adversùs Deum pietatis; pietas autem, hujus victoriæ. Vicerant verò Haienses: sed eâ quantumvìs modicè prosperâ fortunâ tam fuere dementati ut præ vecordia animi neque suas exiguas vires neque hostium maximas copias & admirabilem aliàs felicitatem secum reputare possent. Itaque factum est ut horum insolentem gestientémque lætitiam repentè luctus tristissimus occuparet, illorum verò brevissimus luctus maximo gaudio pensaretur. Nimirum sunt omnes viæ Dei misericordia, veritas, & judicium. Quare æquo animo ipsi permittamus rerum nostrarum procurationem. Neq; nostris rationibus metiamur quæ piis adversa, impiis prospera videntur evenire; sed illius immensam misericordiam cum salutari justitia temperatam amplectamur, in eáque acquiescamus.

23. *Regem verò Hai ceperunt vivum*, &c.] Sive jussi antè ità facere, sive sponte suâ Regem, ut majestate verendum, perducunt vivum ad Imperatorem, existimandum est cœlesti id instinctu fieri, ut præ cæteris eximio supplicii genere ille periret ad terrorem aliorum Regum. Nam à Regum sensu populares pendent, ut in reliquo vitæ cultu,

ità

ità in religione vel maximè. Necdum enim misericordiæ januam occlusisse Deum Chananæis, si quos pœniteret impietatis, docebit nos proximi capitis historia. Deberent sanè Reges Principésque rerumpubl. sæpe ea cum animo suo reputare quæ præclarè prudentérque, ut omnia, sunt à Cicerone dicta De leg. l. 3. quod *quacunque ipsi vitia concipiunt, ea infundunt in civitates; plúsq; exemplo quàm peccato nocent.* Sunt enim plerique omnes illorum vitæ imitatores magis quàm legum cultores. Ut nihil illi effecisse videri possint, quantumvis bonas leges parentibus præscripsere, nisi bonis etiam moribus præiverint. Quare jure, ut est à Sapiente illo nostro bene dictum c. 6. qui dignitate præ cæteris amplificati sunt judicio severiore damnabuntur. Et ut vulgus veniâ dignum videri possit, potentes certè potenter torquebuntur, si non in hac, at in altera vita. Nam pereuntis populi animæ ab illorum manu exigentur.

24, 25. *Cúmq; absolvissent Israelitæ occisionem*, &c.] Cùm Israelitæ, inquit, ad internecionem usque cecidissent barbaros, quotquot ipsos fuerant pro portis insecuti, invadebant simul omnes urbem, h. e. & illi qui antè apud Josuam fuerant, & illi qui in insidiis delituerant; cùm captâ urbe, etiam ipsi obviàm Haiensibus processissent; atq; turbam imbellem quæ intra mœnia manserat universam gladio perimebant, prædámque diripiebant, & pecudem abigebant; quod in Jerichunte delenda fas non fuerat. Conficitur igitur, illos qui ex insidiis urbem primi ceperant eam non delevisse incendio, ut dixi, cùm nunc tandem simul omnes ut integram invadant. ¶ Nominatur *desertum*, quia, ut suprà audivimus, illò in fugam simulatè se contulerant Israelitæ. Lxxii videntur legisse במורד *in descensu* pro eo quod est hîc in Hebræo במדבר *in deserto:* dixerunt illi enim ἐπὶ τῆς καταβάσεως, nimirum, quia sic scriptum habetur v. 5. capitis superioris, de clade quam Israelitæ ab Haiensibus primùm acceperunt. ¶ Porrò cùm *duodecies mille* numerantur, *qui eo die perierunt*, *Haienses omnes*, existimant quidam eos solos qui in ipsa urbe sunt interfecti *Haienses* vocari. Quis enim existimet, inquiunt, in urbe regali, præsertim regionis populosissimæ, non plura fuisse civium capita? Ad hoc, certum est Beth-elitas quoque in hoc conflictu similiter atque Haienses cecidisse. Ego verò non solos Haienses, tum qui extra oppidum eruperant, tum qui se domi ut imbelles continuerant, esse numeratos, sed simul etiam Beth-elitas eósque omnes non fuisse plures duodecies mille, credibilius esse dixerim, propter speculatorum qui antè missi fuerant relationem. Etenim fuerit eò Haiensium dementia major, qui vix sexies mille pugnatores cùm essent, tam temerè se magno populo & felici rerum successu celebratissimo opposuere; & Dei quoque consilium admirabilius, qui suos, quamvis numero infinitis partibus superiores, tamen stratagemate non viribus vincere voluit, ut nè contumax in ipsum suopte ingenio populus videlicet sibi non illi victoriæ gloriam adscriberet.

26, 27. *Porrò Josua non reducebat manum suam*, &c.] Aliter, ut ego certè existimo, Josua delere hoc loco Haienses memoratur, aliter P. Cornelius Scipio Carthaginem à profanis scriptoribus. Neque enim ille suo ductu & imperio modò Haienses delet, sed extentâ manu, h. e. non ingenii, nedum corporis viribus, suâque virtute, sed nutu Divino, cujus efficientia, ut dixi, in illo Imperatoris protenso brachio posita erat, sicut in sublatis Mosis manibus adversùs Amalecitas in Exodo c. 17. Cæterùm, quia non reducit manum nisi re omni confectâ, satis certum est non evocandi solùm ex insidiis militem signum dare illum voluisse. Sed de hoc suprá. ¶ Quod porrò dicitur *urbis ejus*, propter Jerichuntem dicitur, à cujus spoliis, ut Deo devotis, abstinere manus milites debuerant. Est autem hoc illi consentaneum Deut. 20. 14. *Comedes spolia hostium tuorum.*

28. *Ipsam verò Hai exussit Josua*, &c.] Ad v. 2. explanavimus Dei consilium in exscindenda subvertendáq; hac urbe. Sed enim apparet, non in perpetuum vastam mansisse. Nam in Nehemiæ historia 11. 31. memorantur Benjaminitæ eam habitavisse post instauratam Jerusalem. Verùm responderi potest, verbum עולם sæpe non perpetuum, sed longum tempus significare, quod tamen insigni quapiam rerum conversione tandem interrumpatur. Jam verò à Josua ad Nehemiæ ætatem mille & circiter centum annorum fuit intervallum. Ac quod ad Hebræos attinet, planè erat nova rerum omnium facies, alii mores, alia lingua. Et omnino novum quoddam ævum post grave illud Babylonicum exsilium auspicari ab integro videbantur ad priscas sedes reducti. Quod autem de verbo עולם dico, id mihi assentiuntur etiam Talmudici cap. פרה חטאת ubi disceptant de sacrificiis. Tria enim illic עולמים, h.e. *secula*, definiunt: Quorum primum à mundi exordio auspicati adventu Messiæ determinant. Alterum universum Messiæ tempus complecti statuunt; idque ad resurrectionem corporum, ut vocamus, producunt. Tertium indè à resurrectione extendunt in perpetuum. Quin & hoc dici probabiliter potest, eam Hai quam Benjaminitæ habuerunt posteris temporibus, non in veteris urbis area atque vestigio, sed in propinquo solo fuisse exædificatam. Cæterùm cur Nehemiæ seculo עיא diceretur, quæ nunc העי est, explicavi suprà 7. 2. Illud autem observandum est, ipsam urbis incensionem non grassanti militi sed Imperatori adscribi. Indè enim efficitur, quod iterum atque iterum dixi, haud temere primo impetu ab insidiatoribus injectas esse flammas, sed consultò crematam esse, confecto tandem hoc bello, direptísque spoliis. Nam haud incitato atque acri fervore & præcipiti tumultu, sed sedatè acta esse omnia in hac pugna atque expeditione ab Israelitis, vel indè quoque conjicias, quòd ipsa interfectorum cadavera non solùm numerari potuere, sed etiam numerata sunt, ut nuper audiebamus. ¶ De illa clausula verborum, *usq; ad hanc diē*, satis multa diximus alibi. Sed objicias, Ezdræ ætate habitabatur à Benjaminitis Hai; non ergò Ezdras, aut ejus æqualis quispiam, istorum verborum scriptor est, quod in hujus commentarii initio opinabamur. Atqui quid vetat urbē istam usq; ad Ezdræ reditū in terrā sanctam fuisse non solùm vastam sed ipsam vastitatem, tum verò demum esse instauratā, habitatámque à Benjaminitis? Sed ista minimè obscura sunt aut explicatu difficilia.

29. *At Regem Hai suspendit ex ligno usq; ad vesperam*, &c.] Pro *ligno* dixerunt Lxxii ξύλον δίδυμον, h.e. *lignum geminum*, quibus verbis opinor ipsos illud patibuli genus significare voluisse quo Christus Jesus est enectus, constabat enim illud gemino ligno. Nam quòd ex nostris quidā, viri illi quidem pii, è tribus partibus compositam fuisse Christi crucem prodiderunt, est id quidem verum si tabella quæ suspensi pedibus de more suffixa erat adnumeretur. Chaldæus apertè *crucem*, sive *patibulum*, reddidit. Sed hoc fortassis dicere fuit viris illis religio quia hoc mortis genus esset turpissimum. Certè Judæi ad hanc usque ætatem obscuriore etiam περιφράσει Crucem significant potiùs quàm nominant, cùm dicunt השתי והערב, h.e. *stamen & subtegmen*. Sed apud istos nebulones fortassis vocabulum *crucis* propter Christi crucem habet offensionem. Offendunt enim ad illam Judæi plerique, ut ait D. Paulus 1 Cor. 1. 23. ¶ Porrò quòd suspensi Regis cadaver deponitur cùm advesperascit, atque etiam humatur, id lege fit, quæ in Deuteronomio his ferè verbis est instituta c. 21. 22. *Si fuerit quispiam flagitii capitalis reus, isq; morte afficiatur, suspendérisq; eum ex ligno, non facies ut cadaver ejus pernoctet in ligno; sed prorsus sepelies eum illo ipso die: quia maledictio*, sive *contumelia*, *Dei est homo suspensus: ut nè polluas terram tuam quam Dominus Deus tuus tibi dat hæreditatem.* Sed quando in hunc locum incidimus, obscurum profectò & multis multorum verbis parùm adhuc illustratum atque patefactum, non fecerim, opinor, abs re si paucis de ista ceremonia disseruero. Igitur Chaldæus paraph. opinatur hominem suspensum ideo vocari *contumeliam*, aut *maledictionem*, *Dei*, quia id supplicium in eos modò constitutum sit qui Deo aut verbis aut improbo cultu probrum inferunt: Quippe ejus fœdissimæ noxiæ memoria renovatur suspensi hominis aspectu. Hanc opinionem laudat Levi F. Gersonis, & præter eum alii complures Judæi. At R. Isaac Æramæus, in eo opere cui titulum fecit

cit עקידת יצחק, h.e. *Isaaci vincula*, aut *Isaac vinctus*, arbitratur suspensum vocari *exsecrationem*, non *Dei*, sed *Judicum*. Nam & hi אלהים, h.e. *dii*, vocantur aliquando in S. literis. *Quia*, inquit, *ità comparati sunt hominum animi ut cùm cruci affixum aliquem conspiciunt detestentur Magistratûs severitatem*. Sed, meo judicio, propensior est ad veritatem Mosis Gerundensis oratio, qui in illum locum hæc ferè scribit, *Tametsi*, inquit, *sontis scelus dignum sit diuturniore suspendio quàm diei unius est spatium, tamen deponendum est ex hominum conspectu cadaver, quia omnium hominum exsecrabilissimus detestabilissimusq; habetur qui suspendio necatus est. Neque est ullum mortis genus eo turpius & probrosius*. Sic ille. Et verò crucis mortem fœdissimam fuisse, vel una illa Pauli ἔμφασις satis magno argumento est quâ apud Philippenses utitur 2.8. cùm dicit, *Mortem autem crucis*. Tum illud quod ad Galatas scribit 3.13. ad hunc spectans locum, *Christum pro nobis factum fuisse κατάραν*, h.e. *maledictionem*, *ut nos a legis maledictione & diris comminationibus vindicaret in libertatem sancti Spiritûs, & fidei justitiam, quæ fuerat promissa Abrahamo*. Sed non satis explicat Gerundensis cur suspendium sit quovis alio supplicii genere turpius, neque diu ferendum in hominum oculis. Deinde illud etiam absurdum videri possit, *Deponenda humandáque esse suspensorum cadavera nè terra polluatur*, cùm hanc sepulti, non pendentes, contingant; ut si qua est in suspensis contagio, ea minùs inficiat terram dum illi sublimè pendent quam dum humati in illius visceribus sunt. Dicam igitur quod mihi de ista re tota cogitanti aliquando venit in mentem. In aliis suppliciorum speciebus quæ apud Hebræos in usu fuere, & à Talmudicis commemorantur in συνεδρίῳ c.7. nullum cadavera hominum oculis proponebat diu præter Suspendium. Cùm igitur ex eo diutino spectaculo facilè deduci quis in exstinctæ animæ opinionem posse videretur, atque ut minùs rectè de futura olim corporum resurrectione cogitaret, lege sancitum est ut exanimus homo non diu in cruce penderet, sed humaretur. Semper enim non modò populus Dei Israelitæ, sed omnes gentes ideo sepulturam curæ habuisse videntur, eósque infelices & miseros judicasse qui hoc honore fraudarentur, quòd immortalitatis atque etiam resurrectionis notio quædam in omnium animis fuerit impressa: quamvis de resurrectione nulli illam animi sui informationem explicare potuerint præter eos quos Dei Spiritus erudivit, propterea quòd illa omnem naturæ rationem longè excederet. Quò enim, quæso, Poetarum spectat commentum, cùm fingunt eos ad alteram vitam non transvehi à portitore illo sene quorum corpora inhumata sint, nisi ut ostendant sepultum corpus ad animi sui immortalitatem pertinere, neque animum in altera vita satis commodè atque perfectissimè consistere posse nisi rursus cum suo corpore consociatus fuerit? Quò illud, cùm eis qui ex hac luce excessere sua membra omnia tum apud superos tum apud inferos attribuunt? Sed ista, si vita suppetet, dicentur pluribus capite ultimo hujus commentarii v.3. Igitur quia à sepulcro prohiberi exanimum corpus, atque oculis hominum diu exponere, in rudiore præsertim illo Divinarum rerum seculo, videbatur esse brutis propè animantibus æquare hominem, quorum animus simul cum corpore occidit, illúmque perinde ac si neque ad immortalitatem natus, neque olim victurus iterum esset, habere; planè eâ re magna Deo ignominia inferri putabatur, qui illum ad suam imaginem condiderat, ut esset animus ipsius immortalis aliquando ad suum corpus reversurus. Atque hujus opinionis significationem Talmudici quoque dedisse videntur c.6. τῶ συνεδρίῳ exemplo duorum fratrum proposito corporis formâ atque lineamentis simillimorum, quorum alter cùm esset creatus Rex, alter fortè captus ab hostibus atque in crucem actus, qui hunc in cruce pendentem videbant, Regem ipsum esse suspensum existimabant. Nam Bahaius scriptor sanè doctus, & qui interiores atque reconditas literas libenter scrutatur, Talmudicum hoc exemplum explicavit ad hunc modum, *Rex ille*, inquit, *Dei majestas est, ea quæ vocatur Imago Dei. Cùm igitur ejus imago suspensa est, Dei majestas probro afficitur, nisi suo tempore illa auferatur è medio*, h.e. *eo die. Nox enim Divino judicio dicata est*. Sic ille. Jam verò, ut pergam quò cœpi, terra ipsa suspensi hominis spectaculo polluitur, quia homines terræ habitatores perniciosissimâ illâ atque omnem prorsus religionem subvertente mortalitatis animi opinione informantur, quando bestiarum loco humana corpora esse vident. Igitur, ut concludam, ego illam deponendorum humandorúmque corporum ceremoniam, illáque quæ mortuis jura religiosa alia sacris legibus tribuuntur, ad immortalitatis & resurrectionis persuasionem pertinere putaverim. Quòd si verò aliquis existimare malit, illud sic olim à Deo institutum esse propter Christi οἰκονομίαν, quem eo die sepeliri oportebat quo pro nobis fuerat suspensus, ut tertiâ deinde luce, h.e. S. Paschate, resurgeret, ei ego facilè assentiar. Nam ad terram non contaminandam quod attinet, quis non intelligit tristissimum per se spectaculum esse hominis cadaver sublimè pendens, & quo publicæ rei serenitas obnubilari atque turbari videatur? Id quod in terra illa sancta parùm consentaneum videri debet ei felicitati quâ victuros esse illic pios homines promiserat sæpe Deus. Et hæc hactenus. Sed enim ex iis quæ dicimus forsan occurrat illud, Davidem, cæteroqui Divinarum rerum observantissimum, graviter peccasse, cùm septem filios Saulis suspensos non antè ex patibulo deponi terrâque condi permitteret quàm cœlesti aquâ essent conspersa, 2 Reg.21.9. Respondet quidem ad ista Nehmannus, *Gabaonitas, qui illos suspenderant, lege istâ solutos fuisse, cùm non essent Israelitæ*. Atqui Davidis jussu, & in terra sancta pendebant. Ad hoc, legum & jurium communio Gabaonitis cum Israelitis esse debebat profectò, cùm essent horum tanquam adscriptitii cives, ut proximo capite dicemus. Probabiliùs ergò dici ad illa posse arbitror, Quia illorum septem filiorum Saulis supplicium ad magnæ illius famis procurationem spectabat, & piaculum offensi Dei erat, non sine Dei oraculo consulto, usque eò in cruce relicta esse ipsorum corpora dum pluviâ cœlum stillans placatum esse Deum ostenderet. Jam enim triennium erat cùm ille familiæ Saulis propter occisos Gabaonitas infensus intolerabili & perpetuâ fame per siccitatem affligeret Israelitarum terrena. Cæterùm præsens locus apertè refellit multorum Judæorum vanam gloriationem, qui prædicant illam de sepeliendis suspensis legem Israelitarum modò corporum honori consuli voluisse. Non enim Rex Haiensis Israelita erat; ut neque Gog, aut hujus milites, quos tamen, ut terra mundetur, sepultum iri vaticinatus est Ezechiel c.39. ¶ Sequitur in S. texto, *Et exstruxerunt super ipsum lapidum cumulum*. Equidem opinor, ut antè quoque dixi 7,26. injectis lapidibus non jam sepeliri Regis funus, sed glebâ priùs fuisse tectum, ac deinde monimenti causâ statutum esse tumulum. Hoc enim vis verbi ויקימו significare mihi videtur, similiter atque in Absalonis sepulcro ויצבו. Significant enim ista verba, non *temere conjicere lapides*, sed *statuere*. ¶ Porrò LXXII interpretes, dum pro *ostio* reddunt βόθρον, i. *fossam*, aut trajectis literis פחת pro פתח legerunt, aut præsentem locum ad illam, quam modò dicebam Absalonis sepulturam accommodare voluerunt. In ea enim *fossa* mentio est, in quam illius cadaver abjiciebatur 2 Reg.18.17. At Rex Hai non in fossam sed ad urbis portam abjectus est, vel quia illic multa persæpe judicia improba exercuerat, vel quia deflagrante jam tum totâ urbe incendio inferri intra mœnia non potuit.

30,31. *Tunc exstruebat Josua aram*, &c.] Verbum *exstruebat* est in Hebræo temporis futuri. Sed sic ferè solent usupari verba cùm appositam habent particulam אז nimirum quia hæc anceps est, & præteriti atque futuri temporis significationem continet, ut est in vetustis commentariis מכילתא *Mechilta* proditum. Præscripta est autem hæc quæ nunc agitur ceremonia à Mose duobus locis in Deuteronomio, c.11. & c.27. atque ità præscripta ut uti eâ debuisse Israelitæ videri possint simul atque Jordanem transmisissent. Et sanè cùm ad solenne fœdus pertineat, quod ante inchoatum adversus barbaros bellum cum Deo

Deo inire æquum erat, jure in eo miretur aliquis quòd post captas demum eversásque duas insignes hostium urbes usurpata memoretur. Talmudici ergò in סוטה c.7. dum prolixè de isto ritu disceptant, non dubitantes dicunt hæc omnia eo die peracta esse quo Jordanis siccato alveo superatus est. Verùm id profectò fieri vix potest ut verum sit. Magnam enim diei partem transitione fluminis absumptam esse quis dubitet? præsertim cùm maxima fuerit hominum multitudo, & lapides bis duodeni alii excipiendi, alii statuendi in fluminis alveo. Jam verò in scribenda lege recitandáque, in struenda ara, in sacrificando, quis non intelligit quantum sit temporis consumptum? Fortasse igitur similius vero videatur, si quis dicat hanc narrationem mox post Circumcisionem & Pascha exponendam fuisse; Quemadmodum de statua Michæ & stupro Benjaminitarum mentio est in fine libri Judicum, quæ, si rerum gestarum ordinem spectes, ad ipsum pertinent principium. Est enim frequens in S. historia τὸ ὕστερον πρότερον. Putat quidem Josephus Antiq. l.5. c.2. acta demum ista quæ tractamus esse post quintum à transmisso Jordane annum. Et quidam R. Ismael, ut memini me in Talmud Jerosolymitano legere, multis se rationibus confecisse existimat, post decimum quartum tandem annum ex quo in Chananæam penetrassent, h.e. divisâ jam tum atq; occupatâ hæreditate, istis sacris operatos esse Israelitas. Nam ad Mosis jussa quod attinet, putat ille ea de statuendis duodecim apud Galgala saxis modò esse accipienda. Verùm ego opinor istos falli ejus federis commemoratione quod ultimo capite hujus commentarii dicetur, quod præsentis federis instaurationem esse ego certè censeo. Repudiatis ergò & Talmudicorum & Josephi & Ismaelis sententiis, cæterarum duarum utra sit ad veri similitudinem propensior, in medio relinquo. Etenim si pro narrationis serie gesta esse ista lubet existimare mox post eversam Hai, facile erit ad Mosis jussa respondere, Iis non tam primum post trajectionem diem quàm occasionem primam quæ commoda obventura esset præstitutam fuisse. Nam absurdum profectò fuerit, his tam sacris rebus operam dare debuisse præputiatos; quod planè erat necesse, si simulatque trajecerunt properandum ipsis fuisset ad hæc sacra peragenda. Sin autem credibilius videtur, mox ut circumcisi Pascha fecissent fedus hoc cum Deo percussisse, pro felici auspicio maximi belli faciendi, novarúmque sedium condendarum, non est quòd magnopere etiam tum incursionem hostium metuere debuerint, ut quos audivimus initio capitis quinti tanto fuisse perculsos per id tempus pavore ut nusquam auderent apparere. Videtur quidem sive ex Galgalis sive Hai longius fuisse ad Hebal & Garizim usque spatii intervallum quàm quod in terra hostili cum universa populi turba, nondum domitis aut repressis hostibus, confici tutò posset, si montes istos, ut est probabile, & vulgò creditur, apud Sichem exstitisse putemus. Atqui vel multò minus tutum videri illud debebat, universum robur militum circumcisis præputiis sauciare, & veluti vinctum dolore maximo atque impeditum hosti objicere; præsertim cùm exstaret veteris Sichimitarum cladis memoria apud eam gentem ab Israelitis pari casu effectæ, Gen.34. Et tamen Imperator illico jussus à Deo intrepidè exercitum universum circumcidit. Præterea, etsi longiusculum erat illud iter, tamen per continuam vallem minimè impeditum facilè confici potuit. Sed quando non una omnium sententia est de hac re, primùm illud est inquirendum differendúmque, ubi locorum montes isti Hebal & Garizim exstiterint. Igitur vir in Mathematicis artibus eruditus, atque in orbis regionibus describendis studiosè & multùm versatus, mihíque multis nominibus carus Gerhardus Mercator seriò contendere apud me solet, utrumque montem propè ab Hai abfuisse, atque adeò Hai in jugo Garizim fuisse positam, Hebal verò intercurrente valle paululùm ad Occidentem versùs Bethel exstitisse; atque aram cujus in hac historia est mentio planè veteris illius aræ vestigio fuisse substructam quam vir sanctissimus Abram inter Hai & Beth-el posuisse memoratur, Gen.12.8. Et hanc suam opinionem ille exquisitis etiam rationibus conabatur confirmare, quarum duplex ferè, quantum memini, argumentum erat; alterum ductum ex positu 12 lapidum qui è Jordanis alveo asportati sunt ad Galgala; alterum à tempore, quo, nondum repressis hostibus, turba imbellis abduci longè à castris, quæ in Galgalis posita fuerant, non potuerit. Huc addebat conjecturam quoque ex Mosis verbis quæ in Deuteronomio 11. 30. scripta leguntur; cùm ille tanquam ex castris apud Sittim conspectos, & ipsâ vicinitate notissimos istos montes quasi digito ostendens, ait, *Nónne ipsi sunt trans Jordanem, retrò, quà iter est ad occasum solis*, &c. Denique, solet etiam ingenuosè & scitè, nec minùs piè, multa congerere, quibus locum illum inter Hai & Beth-el admodum religiosum & huic nostræ ceremoniæ multis nominibus aptissimum congruentissimúmque esse probet. Postremò etiam Hieronymi auctoritate pugnare, qui in libello De locis Hebr. confidenter atque affirmatè pronunciat montes istos haud procul ab Jerichunte & Galgalis abesse, atque Samaritanos magni & manifesti erroris damnat, qui apud Neapolim, h.e. Sichem, eos ostendant. Neque verò terret Mercatorem meum, quòd in Judicum historia 9.7. mons Garizim urbi Sichem dicitur imminere, quódque illic etiam Allon aut Quercus Moreh statuitur. Producit enim ipse montem Garizim longo & perpetuo jugo indè à Sichem ad Hai usque, atque ulteriùs etiam ad Jerichuntem, & propè ad Galgala; atque ei subjectam vallem *Moreh* appellatam esse statuit. Sic ferè sentit Mercator. Quæ si vera sunt, ut sunt sanè minimè absurda, erit expeditissima ratio, cur post eversam tandem Hai his sint operati sacris Israelitæ. Sed quando apud omnes jam olim pervagata opinio montes illos prope Sichem collocat, ut dixi, facere non possum ut planè illi assentiar, neque ut nullis argumentis vulgi sententiam comprobem, Mercatoris infirmem. Primùm enim Moses illos describit his ferè verbis Deut. 11.30. cùm in campis Moabiticis castra habet, *Nónne sunt ultra Jordanem, retrò, quà iter est versùs occasum solis, in terra Chananæi habitantis in planitie*, aut *solitudine*, è *regione Galgalorum, apud Elon Moreh?* Jam verò ex Abræ historia Gen.12.6. constat, Elon Moreh aut ipsam esse urbem Sichem aut ei proximum locum. Memoratur enim ille jam tum recèns ex Mesopotamia veniens *penetravisse per terram Chananæorum usque ad Sichem, usq; ad Elon Moreh*. Et ipsam quidem Sichem esse Elon Moreh statuunt Talmudici in סוטה c.7. Ego verò ei oppido propinquum potiùs fuisse locum dixerim, in quo Abram secessum quærens, primam omnium in Chananæa aram ei Deo struxerit à quo excitus patriâ illuc venerat; cùm Jacob quoque eodem illo itinere ex Mesopotamia in patriam revertens memoretur & ipse pro urbe Sichem substitisse, aramq; struxisse, haud dubiè eodem solo quo antè avus suus Abram. Nimirum locus ipse eum avitæ pietatis admonebat, dulcíque recordatione tanti viri atque etiam religione retinebat. Movemur enim omnes atque delectamur eorum locorum conspectu in quibus hominum quos admiramur aut singulariter amamus adsunt ulla vestigia. Et alioqui solenne semper fuit ut quem locum majores religiosum fecissent eum posteri pietatis ergò lubenter reviserent. Cur autem locus ille *Elon* & *Elon Moreh* vocaretur, hanc ego verissimam afferri posse causam censeo, Quia fuerit illic אלה *Ela*, *arbor*, sive ea Quercus sit, sive Terebinthus, vel ἐλάτη, aut alius speciei quæpiam: (nam varia est apud Hebræos opinio.) Hoc enim certum est vel ex Jacobi historia Gen.35.4. defodit enim ille ibidem sub Ela familiarium suorum deos priùs quàm ad Beth-el indè migraret. Et Jesua noster, paulò antè quàm exiret ex hac vita, cùm præsentis federis instaurationem celebraret, eodem loco sub Ela statuam posuit c.24.26. ut dicemus in hujus commentarii extremo, si volet Deus. Quamobrem deinceps Judic. 9.6. appellatus est locus ipse אלון מצב *Elon Muzab*, h.e. *Quercus*, sive *Terebinthus*, aut *Abies*, *statuæ*. Nemo enim dubitare potest quin אלה *Ela* & אלון *Elon*, atque etiam אלון *Allon*, eadem una positio sit. Sed antè ab Abramo *Elon Moreh*

Moreh nominatus fuerat, quia cum illuc ipse pervenisset Deúsque ei apparuisset & simul terram cujus ipsum esset possessione olim amplificaturus ostendisset, inquiens Gen. 12.7. *Semini tuo dabo terram istam*, à tam fausto monstratore hoc illi nomen posuit מורה. *Moreh* enim *monstratorem* significat. Et de his hactenus. Nam explicatiùs dicentur iterum c. 24. 26. si vita suppetet. Porrò quòd Mercator montis Garizim longum jugum à Sichem ad Hai & ultrà producit, id sanè illi facilè nemo concesserit, opinor, nisi certis rationibus probet. Certè Josephus non uno loco hanc quam explicamus ceremoniam apud Sichem actam esse pronunciat; ibíque montes istos collocat. Cui profectò, ut in illis regionibus nato atque educato, vix ausim ea in re fidem negare. Ad hæc, Talmudici, ut minimùm, diversis duobus in libris, סנהדרין c. 6. & סוטה c. 7. eosdem hos montes circiter 60 mille passuum ab Jordane abesse scribunt, apud quos sunt hoc ritu atque his sacris Israelitæ defuncti. Denique nostrorum hominum qui loca illa peragrarunt ad unum omnes, quos ego certè legi, exiguo intervallo illos à porta Australi novæ Sichem distare prodiderunt. Sed inter alios Burchardus sanè diligens scriptor, qui decennium totum in illis regionibus studiosè est volutatus, ait, propè ab illa Urbis novæ porta abesse fontem celeberrimum quem *Jacobi* nominant; & supra fontem exstare duobus verticibus assurgentem montem, quorū verticum alterum Garizim, alterum Hebal etiamnum accolæ putant fuisse olim. Sed dicis hanc accolarum atq; etiam Talmudicorum & Josephi opinionem inde à Samaritanis illis esse profectam, & mansisse in vulgo, quos à D. Hieronymo inscitiæ damnatos fuisse dicebat Mercator. Atqui ego Hieronymum libelli illius interpretem non auctorem fuisse contendo, est enim ab Eusebio Græcè primùm scriptus, & deinde à Hieronymo traductus; quanquam aliquot etiam locis hunc de suo nonnihil addidisse fateor. Eusebius autem Hebraicæ linguæ imperitus, malam illic Græcorum librorum fidem religiosè secutus, quod in Hebræo est *è regione Galgalorum*, id credidit solùm esse quod habent libri Græci, ἐχόμενον τοῦ Γαλγάλ, h.e. *apud Galgal*; cùm illud *è regione* de locis etiam procul inter se dissitis usurpetur. Est enim Hebraicè מול *Mul* quod aliquando *juxta*, aliquando *è regione* significat: idque in Deuteronomii initio *mare* Rubrum cum ea camporū Moabiticorū planitie committit in qua Moses paulùlum ante excessum suum populo Legem explanabat: quæ loca quàm longo inter se absint intervallo quis nescit? Magis ergò accusandus inscientiæ Eusebius videri potest quàm Samaritani. Porrò ad cætera Mercatoris argumenta quod attinet, quis ei det quod ipsus sumit, Eosdem esse lapides qui è Jordane asportati sunt & in Galgalis statuti, atque quibus in Hebal calce oblitis inscriptum est Deuteronomium? Sanè illos viri singuli tollere humerísq; gestare potuerunt; hos prægrandes sumi debere præscripsit Moses, ut tam multis versibus excipiendis sufficerent scilicet. Conantur quidem Talmudici, quibus ipsis quoque ea opinio est ut putent eadem esse saxa, conantur, inquam, illi, sed ridiculis commentis, excusare quòd tantas moles viri singuli gestasse memorantur. Sed profectò conatu maximo nihil aliud quàm nugas maximas proferūt. Ad hoc, illi in Galgalis lapides statuti sunt pro sempiterno monimento siccati vicini fluminis; quare absurdum fuerit tam citò indè aliò translatos esse: nè dicam quòd Hieronymus Epitaph. Paulæ, ipsos à Paula sua visos in Galgalis, suâ etiam ætate memorat. Denique lapides in Hebal statuendos esse monuerat pridem Moses; at de his ex Jordane sumendis subitum videtur esse Dei mandatum atque improvisum. Et hæc de lapidibus. Jam verò ad profectionis longiusculæ difficultatem responsum à nobis suprà est, majus periculum in circumcisione fuisse. Et verò etiam priusquam ipsi Israelitæ hostiliter se gererent, neminem vidimus qui se hostem ipsis opponeret. Neque verò admodum longum est ex Galgalis ad Sichem iter, & alioqui planissimum est, ut dixi. Nam 60 illa passuum millia, quibus Talmudicos definire id intervallum quod à Jordane ad Hebal usque est diximus, brevioribus spatiis mensa sint oportet quàm vulgò passus solent. In populi enim Romani Itinerariis, ut vocamus, quæ Antonini nomine circumferuntur, scriptum est, cùm *à Neapoli*, h. e. è Sichem, itur *Ascalonem, tricies millesimo passu Æliam*, i. Jerusalem, occurrere. Certum est autem Æliam à Neapoli abesse longiùs quàm Galgala. Quòd porrò Mercator montes illos, ut ipso conspectu notissimos, Mosen tanquam digito monstrasse putat, quos si ad Sichem usque abfuissent vix oculis è Sittim assequi potuisset; ego tam certam totius Chananææ cognitionem animadvertere videor in Mose, dum moriturus suas cuique tribui assignat in ea stationes, ut animo ipsum potiùs illorum locorum descriptione Divinitus informato quàm videndi sensu perspexisse Chananæam existimem. Denique pia illa meditatio atq; commentatio, quâ religiosissimum faciebat Mercator locum illum qui erat inter Beth-el & Hai, ac planè dignum in quo sanctissimum hoc fedus cum Deo ferirent Israelitæ, cùm ibi Abram antè structâ arâ Deum coluisset Gen. 12. Jacob cœlestem scalam vidisset Gen. 28. atq; etiam pòst ipse aram posuisset Gen. 35. ut alia quæ ille accuratè commemorat religionis monimenta prætemployeream; ea, inquam, ejus commentatio plus pietatis quàm firmitatis habere, mihi certè, visa est. Cur enim non vel multò probabiliùs illud videatur dici, Mosen Divino Spiritu afflatum eodem prorsus soli vestigio substruendam aram mandasse Josuæ, cùm primùm in Chananæam perduxisset populum, quo Abram, cùm ipse primùm Chananæam relictâ patriâ attigisset, aram olim posuerat? h.e. ut antè ostendi, apud Sichem. Nam quid magis consentaneum, congruens, aptum dici queat, quàm possessionis Chananææ auspicia Israelitas eo loco facere quo Abram ejusdem rei olim futuræ nuntium illum lætissimum acceperat primùm? atq; ubi ille hæreditatis promissæ fedus cum Deo positâ arâ iniverat priùs quàm in eam terram progrederetur longiùs, ibi ejus posteros quoque, cùm jam illa promissa ad rem conferrentur, instauratâ priscâ prioris federis arâ, novo se federe Deo obligare priùs quàm ipsam hæreditatem cernant? illa enim inter Beth-el & Hai structa ab Abrahamo ara non prima sed secunda fuit. Huc illa quoque addi possunt quæ modò dicebam, Jacobum & ipsum ex Mesopotamia reducem eodem isto loco apud Sichem avi sui illam aram instauravisse; atq; simulacra, ut falsos deos, sub Ela arbore, ad quam verus Deus suam Abræ præsentiam primùm patefecerat, & hanc hæreditatem monstrarat, defodisse & tanquam sempiternæ oblivioni dedisse; Josuam denique sub ultimum vitæ actum ad hanc ipsam Elam erexisse statuam quâ iterum atque iterum fedus illud antiquum Abræ renovaret, & posteritatis memoriæ in perpetuum mandaret. Mihi certè ista vel multò augustoria quàm illa Mercatoris esse videntur. Nolo tamen quisquam existimet hæc me affirmatè tanquam certa & fixa dicere, illa verò Mercatoris præ his repudiare. Neque enim ultrà in talibus progredi possumus, tam longâ vetustate obliteratis, quàm ut probabilia sequamur conjecturâ, atque verosimilia proferamus. Et de his hactenus. Cæterùm universam hanc ceremoniam eò spectare ut mutuū obligentur Deus & Israelitæ, Moses ipse patefecit verbis disertis, quibus eam jubebat, cùm diceret Deut. 26. 17. *Dominum professus es hodie* (h. e. *profiteberis*, sic enim interpretor verbum האמרת) *tibi fore Deum, téque graditurum per vias ipsius, & observaturum præscripta, mandata, atque judicia ipsius, deniq; obtemperaturum ipsius voci. Dominus item professus est hodie* (h. e. *profitebitur*) *te sibi fore populum peculiarem, sicut tibi dixit, ut observes omnia præcepta ipsius; séque effecturum te sublimiorem cunctis gentibus à se conditis, laude, famâ, gloriâ; atque te futurum populum sacrum Domino Deo tuo, sicut dixit.* Et rursus post pauca; *Attende & audi, Israel, hoc die factus es populus Domini Dei tui*, &c. Deut. 27. 9. Nimirum maxima pars eorum qui ad montem Sinæum præsentes pepigerant cum Deo jam perierant in deserto, ut c. 5. diximus, quapropter de integro populus, nunquam satis sæpe multúmq; monitus, universè nomen Deo dare novóque militiæ sacramento ei se addicere debuit priùs quàm ad sacrum bellum cum hoste gerendum, deinde ad hæreditatem, & omnino ad Divinorum promissorum, quæ olim Patribus promissa fuerant, dulcissimum & salutarem usum fructúmque ad-

admitteretur. Summa autem totius officii quod spondent in eo posita est, ut solum Deum ament, ejúsq; mandata colant ex animo, neque proximos injuriis afficiant. Sed ut de ipsis ritibus aliquid dicam, qui ideo usurpantur ut augustiore pompâ sancitum fœdus animos magis afficiat, atque in memoria omnium altiùs insideat; Primùm eriguntur duodecim prægrandes statuæ. Duodecim enim positas esse pro numero tribuum Israel, vel hinc conjicere licet, quòd Moses ipse hujus ceremoniæ præmonstrator totidem ad montis Sinæi radicem, cùm esset populo Legem scriptam recitaturus, statuerit. Porrò in iis statuis leges fœderis inscriptæ oculis omnium subjiciuntur. Deinde struitur ara, in qua publicè sacris operantur Sacerdotes; Nempe ut pietas atq; religio major in omniũ animis versetur, cùm rebus Divinis opera datur. Nam ex aliis lapidibus aram fuisse compositam, in aliis inscriptam Legem, satis ex Mosis apparet verbis atque etiam eo quod jam commemoravi exemplo. Quin aræ lapides asperi esse, at ii in quibus erat scribenda Lex tectorio lævigari debuere. Et est sanè aliud lapides statuere, aliud aram struere. Non sum equidem nescius Josephum censere in ipsa ara inscriptam fuisse Legem. Verùm ille auctor Sacrorum codicum fidem bonam sæpe malâ fide secutus videtur. Quanquam nolim hanc meam sententiam anxiùs cuiquam persuadere voluisse videri. Deniq; quæ scriptione in lapidibus repræsentata erat Lex, eadem vivâ voce per Levitam tanquam fecialem pronunciatur, & quidem cum stipulatione assensionis approbationísque omnium. Sacra autem quibus operari Sacerdotes dicebamus, est sacrificatio hostiarum quas עולות *holocausta* vocant, & quas שלמים, h. e. *pacifica* sive *prospera*; quarum illæ ad scelerum expiationem, hæ ad lætos rerum successus pertinebant, ut mox dicturi sumus explicatiùs. His enim duabus de causis illiusmodi præcidaneæ hosteæ mactari solebant ante solennia fœdera. Sícq; à Mose sacrificatum est cùm esset Legem apud montem Sinæum recitaturus Exod. 24.5. & cùm Amalecitas sublatis in cœlum manibus debellasset Exod 17.15. ¶ Cæterùm cur lapides ex quibus ara construitur lævigari aut poliri & omnino attingi ferro vetentur, tanta sunt in varietate constitutæ scriptorum sententiæ ut eas annumerare molestum sit. Hebræorum nonnulli, & inter eos R. Abraham Benezdræ, opinantur; stultè illi quidem; nefas fuisse eorum lapidum, qui ad rem tam sacram essent adhibendi, particulas scalpello abrasas in terram aut sterquilinium decidere. R. Moses Maimonius, in eo libro cui titulum fecit *Monstratori perplexorum*, putat verendum fuisse nè ex frustis sacrorum lapidum simulacra formarent sibi idololatræ ad superstitiosos cultus aut magicas artes. Nehmannus, quem plenis approbationis velis sequitur Bahaiaus, non dubitat dicere, poliri quidem nefas non fuisse, sed ferrum, rem ad perniciem comparatam, Divino servire cultui non debuisse, à quo rerum salus dependeat: Huc enim spectare, quòd pro *ferro* positum est חרב, *perdendi* vocabulum, ubi ista lex primùm instituitur à Deo in Exod. 20.25. quódque in exædificando Solomonis templo nullus ferri fuit usus, sive pro materie, sive pro instrumento 3 Reg. 6.7. ut nè clavi quidem ferrei sint adhibiti, sed ænei, cæteroqui ex ferro aptiores futuri. Nam cultri, inquit, quibus hostiæ jugulabantur à Sacerdotibus, ad cultum non pertinebant, non magis quàm herbæ quibus pecudes fuerant nutritæ; denique quòd ipsi Esau ferrum pro hæreditate assignatum Dei instinctu est, cùm ei parens diceret Gen. 27.40. *Per gladium tuum vives.* Hanc opinionem habuere etiam vetustiores Hebræi in commentario מכילתא, sic enim illic scriptum reliquerunt, *R. Simeon F. Eleazaris dicebat, Aram comparari ad extendendam prorogandámq; hominis ætatem; at hac ferro amputatur: nulla ergò horum est inter ipsa societas.* His gemina sunt quæ in תנחומה *Tanhuma* leguntur, atq; etiam in Talmude סוטה. Quin Cicero ipse De Leg. l. 2. sic quoque; sensisse videtur, quando suis legibus æs ferrúmq; arcet à delubris, ut *duelli instrumenta, non fani*. Nostris hominibus ferè placet, Ideò semel jussisse Deum eas aras quæ interea fierent dum ipse habitaret in tentoriis, h.e. ante exædificatum à Solomone Templum, loco in perpetuum electo, vel ex terra congesta, vel rudibus modò lapidibus construi, ut vel citò dilaberentur, vel temerè accumulatæ moles potiùs quàm altaria olim viderentur; nè religionum confusio scilicet ex diversis aris in quibus majores sacrificassent consequeretur apud posteritatem: Cujusmodi malum metuebant Israelitæ cùm audissent Rubenitas, Gaditas & Manassenses ingentem aram posuisse ad Jordanem; quod suo loco dicetur c. 22. Atqui R. Judas in Talmude מסכת סוטה ipsum etiam Solomonis templum totum ex rudibus constructum fuisse lapidibus censet, cùm *neq; malleus, neq; securis, aut ullum prorsus ferreum instrumentum sonare auditum sit in illo exædificando*, 3 Reg. 6.7. Commemoratur quidem alibi *lapides grandes magniq; pretii dedolatos ad fundandam domum esse advectos; & Solomonis Hiramiq; fabros Giblimósq; scalpsisse atque aptavisse ligna & lapides adstruendam domum*, 3 Reg. 5. 17, 18. Sed illiusmodi lapides, inquit R. Judas, non Templi, sed palatii regalis materies fuere: quod palatium *domus* vocabulo illic est significatum. Verùm enimverò non est satis firmum hoc Talmudicum argumentum. Probabiliter enim dici potest, non esse quidem auditum ullum ex ferro factum instrumentum in eo loco in quo ædificabatur Templum; sed apud ipsam lapicidinam, unde lapides, & in Libano, unde ligna dedolata concinnatáq; advehebantur Jerusalem. Nam hoc quoq; à veteribus Hebræis proditum in מכילתא *Mechilta* est. Quin id etiam sacra illa narratio 3 Reg. 6.7. si integra proferatur, sentire videtur, sic enim habet κατὰ λέξιν, *Et domus dum struebatur, ex lapide integro advecto struebatur: neq; malleus, vel securis, aut ullum ex ferro instrumentum audiebatur in ipsa domo dum ædificabatur.* Lapides igitur non planè dicit שלמות, h. e. *integros*, fuisse, sed ità integros ut advecti fuerant esse collocatos in opere. Nam verbum מסע, quod illic habetur, sic interpretatus est etiam Nehmannus, & plerique Judæi. Sed cùm hoc loco disertè videatur edicere Deus profanos esse lapides atq; ineptos struendæ aræ ad quos fabrile scalprum est admotum, aliam sententiam commentus est R. Levi F. Gersonis, sanè non inscitam; Ab omnibus altaribus, etiam eo quod in Solomonis æde ponebatur, prohibenda fuisse scalpra, ut intelligerent qui ad ea cœlestem sibi favorem & gratiam demereri sacris faciendis & conciliare satagerent, Deum suâpte naturâ perfectum bonúmque esse, neque ad sui absolutionem perfectionémque externum aliquid accipere; sicut Dei ara nullo opere artificióque sed suâpte materiâ perfecta est. Ab hac sententia haud alienus videtur esse R. Isaac Æramæus, cùm scribit, Ideo artificem manum prorsus ab altarium lapidibus abesse debere, nè id boni quod apud aras à Deo impetrant homines humano operi ferre acceptum possint. Rectiùs sanè, nisi fallor, isti quàm è nostris quidam, qui hoc significari magno cum supercilio censent, Deo nullum placere cultum quem ipsus suo verbo non præscripsit, aut opus quod sibi humana prudentia ad colendum Deum instituit; vel, Deum manibus hominum coli nolle. Quasi verò ingrata sint Deo omnia quæ homines sibi ad veram pietatem adminicula ipsi nulla cum superstitione sed ex animo pio & Dei amante formant, nisi clarè verbo Dei præscripta legantur. Sed quid dicturi sunt isti, vel Judæi, vel nostri, de Cherubinis quæ supra Arcam alas expandebant, aut omnino de elegantissimo Arcæ totius opere? Jam verò ad Nehmanni sententiam quod attinet, & aliorum, qui cum eo ferrum ut diram materiem prohibebant à templis, scimus adeò non displicuisse hoc metallum Deo ut in suum etiam thesaurum id inferri de spoliis Jerichuntiorum jusserit c. 6. 19. Sed ego in hac tanta doctissimorum virorum varietate sententiarum, quæ vera aut falsa sit dijudicare nolo: Neque enim ullam sine omni dubitatione aut defendere aut refellere satis possum. Mihi verò visa est omnis antiquitas, h. e. & illi Patres qui in V. T. celebrantur, & qui in Novo primordia nostræ religionis stabiliverunt, aras pro præcipuo totius Divini cultûs fundamento habuisse; Hi, quòd super eas pretiosissimæ & gratissimæ hostiæ quâ humanum genus est ab æterno cruciatu vindicatum, i. e. corporis & sanguinis Jesu Christi, sacrificium fieri scirent; Illi, quòd fore aliquando tempus

tempus cùm hoc fieret præscirent; Et proinde quàm simplicissimas aras parari, neque in ipsis aliquid nos admirari voluisse præter salutis nostræ pretium. Quò illud etiam spectare opinor, quòd majores nostri tantopere detestabantur si ullum simulacrum aut imago in aris conspiceretur, ut est ab Optato Pontifice Milevitano literis proditum. Memorat enim ille Donatistas, eâ re per fraudem procuratâ, catholicorum hominum religionis & sacrorum existimationem violare conatos esse. Et D. Augustinus, illius, opinor, æqualis, quosdam habere statuas pro Deo, indè conficit, quòd eas in aris collocent, Serm. 6. Sed hæc hactenus. ¶ Verbum הניף, h. e. *elevaverat*, sic redditur à Chaldæo ut nulli certæ personæ hæreat. Est enim ille modus loquendi usitatus Hebræis, ut alibi de verbo קרא me dicere memini. Nos ad Imperatoris Josuæ personam retulimus, hoc sensu, Quos lapides Josua non curaverat admoto ferro scalpendos aptandósque ad structuram; h. e. rudes, nec nisi suâ naturali formâ inter se quadrantes. ¶ Sed jam duo illa sacrificiorum genera paulùm exponamus. עולות, quæ ὁλόκαυστα Græci interpretantur, & interdum ὁλοκαυτώματα, in cineres tota redigebantur, & veluti è terris ad Deum amandabantur, cum fumo in cœlum sublata. Itaque ab *ascendendo* Hebræum nomen, *à concremando* Græcum est positum. Erat autem in Mosis institutis præcipuum hoc genus sacrificiorum omnium. Neque aliud majoris pietatis indicium esse credebatur, quippe quo mortales se totos Deo consecrare, & tanquam corpore pessum dato animum cum hostiæ suæ fumo in cœlum sustollere putabantur. Quia autem speciosissima ista religionis species ut fit hypocrisi maximâ raro vacabat (Simulare enim magis quàm præstare veram pietatem adversùs Deum plerique omnes solemus) ideo à sacris Vatibus, tanquam parùm Deo accepta, sæpissime reprehensa & exagitata est. שלמים verò, quæ nos *pacifica* diximus, Græci quoque aliquando εἰρηνικὰ, interdum verò σωτήρια, hoc est, *salutaria*, vocant, genus erat victimæ cujus solum adipem adolebant, carnem autem epulo absumebant, & quidem eodem quo mactata erat die, ut nè in crastinum servari ullæ possent reliquiæ, nisi in una quadam specie; de qua in Levitico leges perscriptæ sunt pluribus in locis c. 7. & 19, & 22. Hinc Moses, dum in Deuteronomio 27. 7. præsentem tractat locum, *Sacrificabis*, inquit, *pacifica & comedes lætaberisq; coram Deo tuo*. Sunt autem Hebraicè appellata ista sacrificia שלמים, quia fiebant pro felicibus rerum successibus, quos pii aut flagitabant à Deo, aut ipsi acceptos referebant: unde & *gratulatoria* quoque dici possunt. Cæterùm qui hoc ritu sacrificabant, ii tanquam publicè attestabantur profitebantúrq; Deum esse unũ omnis felicitatis & eorum commodorum quæ mortalibus possunt obtingere auctorem largitorémq; atque, ut sic dicam, promum & condum. Nam שלום, unde istius nomen sacrificii ductum est, omnem prosperitatem commoditatésq; omnes vitæ complectitur. Sed enim præter ista duo sacrificiorum genera fuere & alia duo cruenta, חטאת, & אשם, sed hæc ad certa duntaxat peccata expianda fiebant.

32. *Et inscribebat illic in lapidibus exemplum legis*, &c.] Quod nos *exemplum legis* Latinè convertimus, id Hebraicè est משנה תורה, h.e. si verbum reddas verbo, *iteratio legis*. Græci, & eos imitatus, ut libenter solet, Latinus, dixere, *Deuteronomium*; quo nomine si quintum Mosis librum significare illi voluerunt, non rectè sensisse mihi quidem videntur. Existimo enim *legis* vocabulo hîc notari formulam illam maledictionis atque benedictionis (nam benedictio qualis fuerit ex proposita maledictione dilucidè intelligitur) quam formulam Moses pridem præscripserat in istis lapidibus inscribendam cùm perventum in Chananæam foret. Ipsus enim illam *Legis* nomine appellavit, cùm eam traderet, his ferè verbis Deut. 27. 8. *Scribes in lapidibus omnia verba legis istius, explicando eam bene.* Et rursus, cùm eam concluderet, *Maledictus qui non observaverit verba legis istius, ut ea opere exsequatur*. Ad hoc, explicatè atq; dilucidè mox dicetur cujus legis verba ad populum pronunciata sint, nimirum benedictionis & maledictionis; (utor vocabulis quæ sacrorum Philosophorũ propria sunt.) Non est autem probabile, neq; etiam credibile, aliam legẽ in saxis inscriptam, aliam recitatam esse. Mera ergò somnia sunt otiosorum hominum, quæ Doctores Hebræi in סוטה c. 7. fabulantur de totis quinque Mosis libris, & quidem LXX diversis linguis, ut ab omnibus hominibus legi possent, in his saxis inscriptis; & quæ his addit auctor libri qui inscribitur ספר תאני *De apicibus*. Indè à libri creationis initio usque ad extremum Deuteronomii versiculum nè apiculum quidem unum aut notulam omissam esse. Nam, ut rectè Nehmannus, deridens illorum futilitatem & stultitiam, ait, fieri illud non nisi in supra modum magnis saxis potuisset, neque sine occulta quadam & Divina potentia, pro ostento. Alii igitur *Legis* nomine vocari hîc putant decem præcepta, quæ c. 5. Deuteronomii scripta extant: quorum præceptorum illa quam diximus benedictionis maledictionísq; formula tanquam explicatio quædam est, præsentis præmii spe aut pœnæ metu singula animis auditorum intimè commendans. Multi etiam Judæorum arbitrantur de omnium legum agi compendio; quale ex universis Mosis libris contractum in suis synagogis legunt quotannis dum festum Pentecostes celebrant. Sed nihil attinet omnium sententias commemorare, quando quod diximus est verissimum. Illud verò obscurius mihi videtur, Duodenæne illæ benedictiones maledictionésq; solæ in lapidibus scriptæ fuerint, an simul etiam expressa literis omnia illa verba quæ toto c. 28. Deuteronomii prolixè tum pollicentur fausta piis tum dira minantur impiis. Nam quin hæc ad populum pronunciata sint equidem nihil dubito. Hoc igitur in medio arbitrandum dijudicandúmque relinquo. Quod enim non satis exploratè mihi percepisse videor, non faciam ut in eo aut affirmando aut refellendo temeritatis meritò accuser. Jam verò etiam illud quæri potest, cùm nuper constitutum à nobis probabiliter sit, duodecim fuisse positas statuas, unicúmne ejus, quam diximus, formulæ exemplum incisè & membratim in omnibus saxis inscriptum sit, an verò singula exempla solida in singulis. Sed hîc ego vix quenquam futurum existimo qui membratim discerptam legem, diversísq; lapidibus illitam per partes, credere volet, potiùs quàm solidam singulis esse repræsentatam saxis. Cæteroqui neq; hîc utrum prorsus verùm sit, sed utrum vero similius modò, conjecturâ consequi possumus. Certè augustius videtur & hoc tam solenni federe, quod ex æquo ad tribus singulas pertinebat, dignius, in sua quamque tribum statua legem perscriptam legisse. Porrò quando S. historia sæpe memorat, à priscis illis viris pietate claris positas esse lapideas statuas, adscribam Clementis Alexandrini viri undecunque doctissimi verba quæ ille de ea re scripta reliquit, cùm de columna quæ per inviam atque inexplicabilem solitudinem Israelitas præibat dissereret. Sic igitur apud eum legimus Stromat. l. 1. Σημαίνει δὲ ὁ στῦλος τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ Θεοῦ· ὁ δὲ πεφωτισμένος στῦλος πρὸς τὸ ἀνεικόνιστον σημαίνειν, δηλοῖ τὸ ἑστὸς καὶ μόνιμον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς καὶ ἀσχημάτιστον· πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους, ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. Hæc Clemens: quibus docet, rudibus illis & duris quasi Divini numinis simulacris antiquitatẽ significare voluisse Deum esse omnis figuræ atq; formæ expertem, atq; insuper stabilem firmúmque, neque ullis mutationibus obnoxium. Sed pergamus.

33. *Omnis autem Israel, & senatus ejus, & monitores*, &c.] שטרים, quos *monitores* sumus interpretati, dixerunt LXXII, suo more, *Scribas*; Latinus, cum Chald. *Duces*. Sed nos satìs multa de isto verbo diximus c. 1. 10. ¶ Rursus illud, עמדים *stabant*, reddiderunt illi παρεπορεύοντο, quasi עברים legerint. Et perperam fecerunt interpunctionem post τὸ ἀπέναντι, dicendũ enim erat, ἀπέναντι τῶν ἱερέων τῶν Λευιτῶν τῶν αἰρόντων τὴν κιβωτὸν, &c. Sed ista ex nostra tralatione perspicua sunt. ¶ Porrò illud, אל מול, quod nos *è regione*, illi πλησίον converterunt: ídque imitatus est Latinus neque nos refellimus; cùm ejus loco Deut. 27. scriptum sit על, quod *juxta* interpretantur Judæi. Sed una eadémque manet orationis sententia, utrovis modo illud convertas. Nempe, dimidiatam populi partem occupasse eam regionem quâ erat mons Garizim; dimidiatam, quæ

quâ mons Hebal; sive utraque in ipsis montium acclivitatibus quasi in theatro constiterit, sive montes ipsos neutra attigerit, sed in laxiore inter utrosque valle manserit. Cæterùm ora omnium fuisse obversa ad Arcam, quæ medio loco à Sacerdotibus Levitis sustinebatur, atque promiscuè stetisse advenas cum indigenis, h. e. adscriptitios cum Israelitis, nullo discrimine, & hujus generis alia, sunt à Mose in Deuteronomio explicata, qui aliis tribubus locum benedictionis ad Garizim, aliis maledictionis ad Hebal assignavit. Nam, ut Nehmannus probabili sanè conjecturâ opinatur, fuit mons Garizim versùs Meridiem positus (quod dextrum mundi latus semper est existimatum, Liv. l. 1. dec. 1. Ad Orientem enim spectamus; dextra autem auspicatiora atque feliciora habentur) at Hebal versùs Aquilonem; quam malè ominatam esse mundi plagam Jeremias sæpe solet clamare 1, 4, 6, 46. & aliis locis; ut quæ magnam aliquando in genus humanum perniciem sit emissura. ¶ Postrema versiculi pars, *Sicut præceperat Moses servus Domini benedicere populum*, ostendit eos esse ritus observatos qui fuerant à Mose præscripti. Neque enim ad errorem multitudinis fingi religionis simulacra debent, sed ab iis accepta & posteris tradita usurpari quos certum est Domini servos atque interpretes Dei fuisse in Ecclesia. Positum est autem solum *benedicendi* verbum, quia sola benedictio agebatur. Maledictio verò, tanquam πάρεργον, subserviebat benedictioni, cujus impedimenta avertebat.

34. *Post hæc legit omnia verba legis, benedictionem & maledictionem*, &c.] Verbum *legit* hærere personæ Josuæ patefacit sequens versiculus. Imperatori enim adscribitur quod ejus fit jussu. Nam alioqui certum est, non Josuam recitasse populo Legis verba, sed è Levitarum ordine aliquem. Hoc enim præscripserat Moses Deut. 27. 14. cùm diceret, *Et inclamabunt Levitæ, & dicent ad omnes Israelitas voce altâ, Maledictus*, &c. ¶ Cùm autem dicitur, *post hæc*, significatur, primùm structam aram, atque super eam sacrificatum fuisse, deinde Legem in lapidibus descriptam, mox populum in suas quosque classes distributos; & Arcam in medium receptam, cum Levitis & Sacerdotibus; ac tum demum à Levita, tanquam feciali quopiam, voce recitatam eandem Legem esse. Nimirum majore religione Dei verbum animi percipiunt postquam rebus Divinis opera data est. Refellitur ergò apertissimè Doctorum Hebræorum error, qui in סוטה c. 7. quem locum totâ hac narratione sæpe cito, à Legis recitatione auspicatos fuisse hanc pompam prodiderunt.

35. *Nulla erat res earum rerum omnium quas jusserat Moses*, &c.] *Advena qui diversatur inter Israelitas* is est, non qui negotiorum vel mercaturæ faciendæ, sed religionis gratiâ illos sectabatur: quales Græci tanquam voce propriâ, appellarunt προσηλύτυς, quia ex Israele prognati illi quidem non essent, sed ad Israelitarum sacra ceremoniásque se contulissent, & circumcisi vero Deo nomen dedissent, quem Israelitæ colebant. Ipso autem genere Israelitas iidem nominabant nuper αὐτόχθονας, quanquam huic verbo patria potiùs quàm parentum stirps sit subjecta: nimirùm quia inter indigenas & advenas oppositio est. Monet autem nos hic locus, nullam ætatem, nullum sexum à verbo Dei audiendo arcendum esse, quippe in quo inest doctrina vitæ; vita autem ex æquo ad omnes spectat. Atque hîc illud quoque animadvertendum est, Non modò inani sono atque murmure, sed ità ab omnibus esse audiendum hoc sacrum verbum, ut per ipsas penetret aures, in mentémque descendat. Hoc enim sibi vult illa particula *coram*, quæ non temere est à LXXII reddita εἰς τὰ ὦτα, *in aures*. Nam sic Moses ipse est eam alio interpretatus loco Deut. 31. 11. cùm diceret, *Recitabis legem istam coram omni Israele, in auribus ipsorum*. Quem enim consequatur fructum vel ex optima concione surdus? Et quî potest non surdus existimari in eo quisque sermone quem vel non intelligit vel non satis animo assequitur? Sed non eò hæc à me dicuntur quòd mysteria omnia quæ in sacris faciendis effantur Sacerdotes auribus vulgi ingerenda putem: nam hoc ab nascentis Ecclesiæ primordiis factum non esse, veterum Liturgiarum, ut vocantur, formulæ ostendunt, in quibus multa voce submissâ mussanda veriùs quàm pronuncianda traduntur. Nam mysteria illa secretiora enunciare atque in vulgus pervulgare, quid aliud quæso esset quàm profanare, & religiosâ veneratione, in qua alioqui habentur, ut debent, prorsus spoliatum ire? Plurimùm quidem refert, aut potiùs ad justam religionem necessarium est, scire atque opinari populum maxima esse in nostris sacris mysteria. At in quibus ea verbis ritibúsque posita sint, id verò nescire vulgus rude & imperitum consultius est, nè non satis religiosè scientérque perspecta contemnat ea quæ per admirationem debebat piè venerari. Verùm jam à præposito nonnihil declinasse mihi videor. Nam de Legis scriptæ verbis cœperam agere. Eò igitur redeat sermo. Dicet ergò aliquis, Si nullo discrimine quilibet Israelita atque advena ad audiendam Mosis legem admittebatur, quanta sit eorum vel impudentia, vel invidia, vel denique inscitia, qui Christianis hominibus non nisi perangusto cum delectu Christi legis lectionem permittant, vulgúsque universum semel prohibendum statuant? Atqui longè aliud est ex Sacerdotis ore, qui Dei administer atq; interpres est, Legem audire, aliud de scripto eam cognoscere. Et ut lectio etiam, similiter atque auditio, concessa populo Israelitico fuerit, (neque enim ego hoc negare audeam, quamvis negent plerique Judæi) alia est Mosaicæ legis ratio, alia Christi. Illa enim propè universa in civilibus sanctionibus versabatur, neque in ritibus sacris supra actuosum sive, ut vocant, externum cultum progrediebatur. Nam secretiorem ejus interpretationem tam haberi arcanè volebat Deus (est enim Ezræ l. 4. c. 14. adhibenda fides) ut eam non aliis quàm paucissimis spectatæ virtutis viris tradendam putaret, & quidem, ut Judæi dicunt, verbotenus modò; nè scripta videlicet casu aliquo excideret in vulgus. Hæc verò penè tota in illiús secretioris interpretationis explicatione distringitur. Equidem tamen, etsi hæc ità se habent, neminem Christianum à legis Christi lectione arcuerim, qui modò imperare animo suo possit ut quorum dictorum sententias aut non planè intelligat, aut catholicæ Ecclesiæ decretis parùm consentanea existimet, ea dicta non pro suo sensu interpretari velit, (sumus enim pleriq; omnes nostrapte vitiositate, nunc verò etiam vitioso more, ad prodenda Ecclesiæ dogmata, quæ planè certissima veri rectique norma sunt, proclivissimi) sed piâ humiliq; mente judicium suum sustineat, dum ab iis quos Deus suorum verborum interpretes & internuncios in Ecclesia esse voluit, Divina sensa percipiat. Sed hæc hactenus. Est enim ista quæstio multorum adversariis libris pertractata disputataque. Nunc pauca addam quibus eam quæ proximis versiculis descripta est ceremoniam universam semel ante oculos ponam. Igitur cùm jam substructa ara esset, atq; erecti incrustatique lapides, & in his accuratissimè picta Lex; insuper ritè sacrificatū, quibus antè diximus sacrificiorum generibus; tum demum Levitici generis aut perpetuò idem unus, aut vicissim plures viri, (utitur enim Moses numero plurium) è medio loco, ubi Arca sustinebatur à suis bajulis Sacerdotibus, obvertebant se primùm ad montem Garizim, h. e. ad dextrum latus; atq; sublatâ quantùm potuerunt voce, tanquam feciales & solennes stipulatores, pronunciabant duodenas illas benedictionis verborum complexiones, quæ ex maledictionis formula ea quæ à Mose erat præscripta facilè concinnabantur; post singulas interposito silentio approbationem populi utrinque adstantis veluti stipulantes; quâ auditâ, pergebant deinceps singulatim ad reliquas. V. gr. Spectans Levita ad Garizim clamabat primùm, *Benedictus est à Deo, quisquis unum Jehovam, sive solum Dominum, non etiam deos alienos, coluerit; neq; opus artificis factum manibus, quod abominatur Dominus, occultè sibi positum habuerit.* Et hæc dum ille silentio insisteret, universus utrinque populus, tam qui ad Hebal quàm qui ad Garizim constiterant, succinebant, *Amen.* Deinde pergebat ille ad secundam benedictionē verbis hujusmodi, *Benedictus est à Deo, qui parentes suos honorat, non spernit aut negligit.* Atq; hic iterum tacens audiebat ex utraq; parte acclamantē populum, *Amen.* Itaque decurrebat deinceps Levita per duodenas benedictiones,

dictiones, cùm singulas universus populus singulatim approbaret. Deinde avertebat se versùs montem Hebal, pariq; ritu duodenis illis exsecrationibus defungebatur; in singulis, ut dixi, insistens, concionísq; universæ assensionem exspectans. Cùm porrò & benedictiones primùm & deinde maledictiones sic percensuisset, & utrarúmq; approbationes audisset, subnectebat deinde illam Deuteronomii partem quæ toto vicesimo octavo capite est perscripta, tanquam præcedentium pactorum explicationem; atq; ità jusjurandum sancitum, fedúsque ritè cum Deo factum censebatur. Ex æquo igitur ad omnes tribus cùm benedictiones tum detestationes pertinebant. Quæ ratio, opinor, est cur Moses duodenarium numerum, qui & tribuum est, observaret. Nam etsi alias spectarent Levitæ tribus cùm benedictiones pronunciarent, alias cùm maledictiones, tamen simul ab omnibus approbationem tacitè stipulabantur; neque ulla erat in parte alterutra prærogativa; sed pari omnino fuere conditione qui ad Hebal cum iis qui ad Garizim consistere jussi fuerant. Uno enim eodémque sacramento & fœdere se obligabant ex æquo omnes Deo, non aliter quàm si militum legio, conceptâ verborum formulâ, quæ per apparitorem aliquem pro Imperatore stipulantem pronuncietur, & in militari concione atque communi confusáq; multitudinis voce & acclamatione approbetur, Imperatori det nomen: æqua enim omnibus incumbit militiæ necessitas, paríque auctoramento obligati omnes habentur, quemcunque locum quisque, dum confluunt, ceperit. Videntur quidem eæ tribus quæ ex justis nuptiis sunt procreatæ, loco potiore, h. e. ad dextrum montem Garizim, habuisse subsellia. Nam Rubenitica & Zabulonitica, quæ ipsæ quoque ex liberis matribus propagatæ cùm essent, tamen ad sinistrum Hebal cum ancillarum prole sunt collocatæ, ideo eam, ut videbatur, indignitatem sustinebant, ut arbitrantur Judæi, quia Ruben paternum lectum commaculasset, Zabulon autem filiorum Leæ natu fuisset minimus: parem enim utrinque numerum esse oportuit; verùm in participando fœdere sacramentóque certum est æquam fuisse omnium sortem. Sed cur, inquies, promiscuè ipsos se circumfundere Arcæ passus non est Moses? neque enim alibi reperias in comitiis sic tributim discretos Israelitas. Respondet Levi F. Gersonis, nec inscitè, ut mihi videtur, Deum, ut pressiùs ob oculos omnium poneret quantum esset inter benedictionem maledictionémque dissidium, adversa populo subsellia assignari voluisse, quasi nefas esset eâdem utramque cœli regione pronunciari. Itaque alteri ad dextram benedictorum, alteri ad lævam maledictorum quidem personam sustinuerunt, at non conditionem, ut apud Matthæum 25.33. cùm Filius hominis pro illo augustissimo tribunali judicium exercebit totius orbis terrarum; sed tanquam in scena modò, pro rei specie exhibenda.

IDEM.

1. Dictio * πάντας ↙, ut mixtæ editionis, & à LXXII prætermissa, notetur asterisco. Similiter illa verborum periodus, * καὶ τὸν λαὸν αὐτοῦ, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῦ ↙. Debet autem ista tota verborum complexio scribi ante illam, καὶ τὴν γῆν αὐτοῦ.

2. Notentur etiam illa asterisco, * καὶ τῷ βασιλεῖ αὐτῆς ↙. ¶ Suggeruntur in m. ed. duo pronomina per asteriscos, hoc modo, καὶ τὴν προνομὴν * αὐτῆς ↙, καὶ τῶν κτηνῶν * αὐτῆς ↙. ¶ Post κατάστησον expungenda est particula οὖν, nam à Syro non est lecta; si tamen scribenda est, debet habere obeliscum appositum. ¶ Cùm dicitur εἰς τὰ ὀπίσω, adde αὐτῆς.

3. Pro καὶ ἐπίλεξεν scribe ἐπίλεξε δέ.

4. Post λέγων supplendus est locus ex m. ed. atque scribendus ad hunc modum, ἴδετε ὅτι * ὑμεῖς ↙ ἐνεδρεύετε * τὴν πόλιν ↙ ὀπίσω τῆς πόλεως. ¶ Addita est in mixta præpositio, hoc modo, γίνεσθε * ἀπὸ ↙ τῆς πόλεως· quanquam, si Vaticano fidendum potiùs est, debet ea absque asterisco adscribi. Est autem in mixta post illud τῆς πόλεως additum cum stellula * σφόδρα ↙.

5. Pro πᾶς ὁ λαὸς scribe πάντες οἱ μετ᾽ ἐμοῦ, sic enim habent omnia exempl. quæ vidi. ¶ Illa verba ÷ οἱ κατοικοῦντες Γαὶ ↙ jugulentur obelo; illa verò, * καθάπερ καὶ πρότερον ↙, asterisco.

6. Οὗτοι debet habere appositum obeliscum. Eodem versu omissus est finis qui in m. ed. suggeritur post ἔμπροσθεν, his verbis, * καὶ φευξόμεθα ἀπὸ προσώπου αὐτῶν ↙.

7. Illa, ÷ καὶ πορεύσεσθε εἰς τὴν πόλιν ↙, sunt signanda obelo. Deinde suggeruntur in ed. m. per asteriscos hæc omnia, * καὶ ἐκβλέψετε τὴν πόλιν, καὶ δώσει αὐτὴν Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν ἐν χερσὶν * ὑμῶν ↙.

8. Initium versiculi adscriptum in mixta hujusmodi est, * καὶ ἔσται ὡς ἂν συλλάβητε τὴν πόλιν, ἐμπρήσατε αὐτὴν ἐν πυρὶ ↙. Deinde sequitur, κατὰ τὸ ῥῆμα, &c. Nam illa omnia præterierant LXXII. Mendosè ergò in libris vulgatis est ἐμπρήσετε, tempore futuro. Cùm autem LXXII dixerunt ῥῆμα τοῦτο, legerunt הזה pro יהוה: alioqui debebant dicere ῥῆμα Κυρίου. ¶ Pro ἐντέλλομαι scribe ἐντέταλμαι.

9. Illa verba, ἀπὸ θαλάσσης Γαὶ, debent asterisco discerni, tanquam aliena ab editione LXXII interpretum. Quod autem deinceps est, usq; ad finem versiculi, debet suggestis ex m. ed. verbis sic scribi, καὶ ηὐλίσθη Ἰησοῦς τὴν νύκτα * ἐκείνην ↙ ἐν μέσῳ * τοῦ λαοῦ ↙. Vat. codex videtur hoc loco mutilus esse.

11. Additur in principio articulus per asteriscum in ed. m. sic, ὁ πολεμιστὴς * ὁ ↙ μετ᾽ αὐτοῦ. ¶ Illa verba, ÷ ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ τὰ ἔνεδρα τῆς πόλεως ἀπὸ θαλάσσης ↙, sunt jugulanda veru; neque enim sunt hoc loco in Hebræo. Quæ verò deinceps scripta sunt, hæc dico, * καὶ παρενέβαλον ἀπὸ βορρᾶ τῆς Γαὶ ↙, debent apposito asterisco secerni; non sunt enim ipsorum LXXII. Quin ad ea insuper addit mixta per eandem notam hæc * καὶ κοιλὰς ἀνὰ μέσον αὐτοῦ καὶ τῆς Γαὶ ↙.

12, 13. Quæ porrò sequuntur v. 12, & 13. ea quoque omnia sunt abs Theodotione accepta, & ideo signata asteriscis à Syro; in Vaticano verò rectè omissa. Legit autem Syrus ad hunc modum versum 12. * καὶ ἔλαβεν ὡς πέντε χιλιάδας ἀνδρῶν, καὶ ἔθετο αὐτοὺς ἔνεδρον ἀνὰ μέσον Βηθαὺν καὶ τῆς Γαὶ, θάλασσαν τῆς Γαὶ ↙· versum verò 13. sic, * καὶ ἔθηκαν τὸν λαὸν, πᾶσαν τὴν παρεμβολὴν, ἣ ἦν ἀπὸ βορρᾶ τῆς πόλεως, καὶ τὰ ἔσχατα αὐτῶν, θάλασσαν τῆς πόλεως, καὶ ἐπορεύθη Ἰησοῦς τὴν νύκτα ἐκείνην ἐν μέσῳ τῆς κοιλάδος ↙. Deinde sequitur versus

14. In quo illud, καὶ ὤρθρισε, ascititium est, & proinde asterisco signandum. ¶ Scribendum est numero singulari ἐξῆλθεν. Nam illud, οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως, in plerisque antigraphis non habetur, ut annotavit Syrus interpres; éstque etiam in Vat. omissum. Si tamen adscriberetur per asteriscum, deberet etiam verbum poni numero plurium, ut est in vulgatis libris. ¶ Illud, ÷ ἐπ᾽ εὐθείας ↙, est obelo confodiendum. ¶ Illa verba, * εἰς τὸν καιρὸν κατὰ πρόσωπον τῆς Ἀραβὰ ↙, debent per appositum asteriscum notari, tanquam ascititia, quapropter in Vat. non habentur. Quòd autem in vulgatis libris pro Ἀραβὰ est ὄνειδος, id arbitror imperiti hominis annotatione evenisse, qui ארבה pro ערבה interpretatus fuerit. ¶ Pro ὄπισθεν ἔνεδρα αὐτῷ scribe ἔνεδρα αὐτῶν, & pro ἐστὶν scribe ἦν.

15. Καὶ εἶδε notandum obelo est. ¶ Pro πᾶς ὁ λαὸς scribe πᾶς Ἰσραήλ. Quæ verò deinceps sequuntur hoc versu, nempe, καὶ ἔφυγον ὁδὸν τῆς ἐρήμου, & similiter hoc initium versûs

16. Καὶ ἐνίσχυσε πᾶς ὁ λαὸς τῆς Γαὶ καταδιῶξαι ὀπίσω αὐτῶν, hæc, inquam, omnia sunt ab aliis interpretibus accepta, neque sine asteriscis scribenda. Hoc versu, cùm dicitur, κατεδίωξαν ὀπίσω υἱῶν Ἰσραὴλ, rectiùs scribas ὀπίσω Ἰησοῦ, quanquam illud in multis libris reperiatur. ¶ Αὐτοὶ debet jugulari obelo.

17. * Καὶ ἐν Βαιθὴλ ↙ ascititium est & stellâ signandum. In hujus versûs extremo scribe numero plurium, καὶ κατεδίωξαν.

18. ÷ Τὴν χεῖρά σου ↙, juguletur obelo. ¶ Καὶ τὰ ἔνεδρα ἐξαναστήσονται ἐν τάχει ἀπὸ τοῦ τόπου αὐτῶν, debent similiter confodi obeliscis. ¶ Scribito, καὶ ἐξέτεινεν Ἰησοῦς τὸν γαισὸν καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ.

19. Ἐν τῷ γαισῷ expungito prorsus. ¶ Pro ὅτε ἐξέτεινε, habent quidam libri ὅτι ἐξέτεινε, sed temporis adverbium rectè exprimit id quod in Hebræo est. Est autem hîc nomini χεῖρα adscribendum pronomen

 αὐτοῦ.

ἀυτῶ. ¶ Ἐνέπρησε ἀυτίω, loco pronominis scribe ipsum nomen, τ̀ πόλιν.

20. Scribe ἐθεώρυν ἀναβαίνοντα τ̀ καπνὸν τ̀ πόλεως εἰς &c. Porrò hujus versûs pars extrema tota, nempe, καὶ ὁ λαὸς ὁ φεύγων εἰς τὴν ἔρημον ἐστράφησαν ἐπὶ τοὺς διώκοντας, debet adscriptâ stellulâ notari, ut omissum à LXXII.

21. Post καπνὸς adscribito τῆς πόλεως, *fumus urbis.* ¶ Illud verò, εἰς τ̀ οὐρανὸν, confodito obelisco. ¶ Pro τοῦ Γαὶ scribito τ̀ Γαί.

22. Cùm dicitur εἰς συνάντησιν ἀυτῆς, est apponendus asteriscus ad pronomen. ¶ Expungatur τῷ Ἰσραήλ.

24. Cùm dicitur, καὶ τοὺς ἐν τοῖς πεδίοις, καὶ debent ⁛ καὶ τοὺς ↙, & rursus alterum ⁛ καὶ ↙ jugulari obelo. Mox scribito οὗ κατεδίωξαν, *ubi persecuti fuerant*, &c. ¶ Illa, καὶ ἔπεσον πάντες ἐν στόματι ῥομφαίας ἀπ' ἀυτῆς, debent signari asteriscis. Equidem non satis constituere possum unde illud ἀπ' ἀυτῆς natum sit. Tamen cùm viderem magnâ consensione approbari ab exemplaribus, non debui amovere.

25. Cùm dicitur, καὶ ἐγενήθησαν πάντες, signandum est hoc πάντες asterisco, ut alienum.

26. Versum totum signato stellulis, est enim ex aliis interpretibus adscriptus; debet autem sic emendari, ✳Καὶ Ἰησοῦς οὐκ ἐπέστρεψε τ̀ χεῖρα ἀυτοῦ ἣν ἐξέτεινεν ἐν τῷ γαισῷ, ἕως ἀνεθεμάτισε πάντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν Γαὶ ↙.

27. Κτηνῶν ἀυτῆς, expungendum est pronomen. ¶ Ἐκείνη habeat appositam asterisci notam. Et πάντα, quod sequitur, auferatur è medio, scribatúrque ejus loco relationis pronomen ἃ. Rursus notetur stellulâ pronomen ἑαυτοῖς, quod ulteriùs positum est. Móxque scribatur numero singulari κατὰ τὸ πρόσταγμα. ¶ ⁛ Κύριος ↙ notetur apposito veru.

28. ⁛ Ἐν πυρὶ ↙ confodiatur obelo. Quæ porrò deinceps habentur, ea hâc verborum collocatione scribantur, καὶ ἔθηκεν ἀυτὴν χῶμα εἰς τ̀ αἰῶνα ἀοίκητον, ἕως τ̀ ἡμέρας ταύτης.

29. Διδύμου jugulandum obelo est; puto tamen à Vaticano omissum esse. Similiter jugulandum illud est, καὶ ἦν ἐπὶ τοῦ ξύλου. ¶ Supplet m. ed. quod scriptum à LXXII præcisè est, hoc modò, ἕως ✳ καιροῦ τ̀ ↙ ἑσπέρας. ¶ Illa quoque verba, πρὸς τ̀ πύλην τ̀ πόλεως, sunt ed. mixtæ, & signanda asterisco; sicut etiam illud, μέγαν, quod ulteriùs positum est.

31. Ἐκ λίθων, deleatur præpositio: illud verò, ἐπ' ἀυτοὺς, notetur asterisco, est enim alienum. In extremo, scribe, καὶ ἔθυσε ✳ εἰρηνικὰ ↙ σωτηρίου, apposito asterisco ad verbum εἰρηνικά. In nonnullis antigraphis est, ut notavit Syrus, καὶ θυσίαν σωτηρίου.

32. Ἰησοῦς juguletur obelisco. Mox scribe aliâ verborum collocatione, ἐπὶ τ̀ λίθων τὸ δευτερονόμιον.

33. Similiter scribe, trajectis colis, καὶ οἱ γραμματεῖς ἀυτῶν, καὶ οἱ δικασταὶ ἀυτῶν. Et mox ἀπέναντι τ̀ κιβωτοῦ. Ulteriùs scribe καὶ οἱ ἱερεῖς οἱ Λευῖται, sublatâ conjunctione, ut legit Syrus. Et deinceps hoc ordine verborum, καὶ ὁ αὐτόχθων ⁛ ἦσαν ↙, ἥμισυ ἀυτῶν ✳ ἐπὶ ↙ πλησίον ὄρους Γαριζὶν, καὶ ἥμισυ ἀυτῶν ✳ ἐπὶ ↙ πλησίον ὄρους Γαιβάλ· verùm debet verbum ἦσαν apposito obelisco signari, & utraque præpositio ἐπὶ asterisco.

34. Ἀνέγνω Ἰησοῦς, deleatur Ἰησοῦς. Mox τούτου signetur obelisco. Et similiter Μωϋσῆ, quod est in versiculi extremo.

35. Τῷ Ἰησοῦ obelo signandum est. ¶ Υἱῶν expungi debet; mox verò hoc, ⁛ τοῖς ἀνδράσι ↙, confodi obelo.

DRUSIUS.

1. A*Scende in Hai*] Abenezra Exod. 33. 1. *Ascendere dicitur qui Septentrionem versùs tendit; ut descendere, qui ad Austrum concedit.* Sic *ascendit Babylonem.* Hos. 8. 9. *Ipsi ascenderunt in Assyriam.*

2. *Facies Hai*] לעי. Hic locus arguit He in העי articulum esse.

3. *Pone tibi insidias*] ארב *insidiæ*, ἔνεδρα. Sic אבד *perditio:* unde כלי אבד *vas perditionis*, i. perditum. Infrà v. 7. *vos surgetis* מן הארב *ex insidiis.* Chaldaicè מכמנא. Ergò כמנא i. *insidiæ.* Ab iis *insidiatorem*, i. insidiatores. Reperitur & ארב formæ גרן *area.* In hoc loco pronomen *tibi* eleganter abundat.

4. *Videte urbi*] i. Providete urbi à posteriore ejus parte, nè videlicet indè quis ei ferat suppetias, אתם ארבים *vos insidiantes*, qui insidiatores estis: aut vos qui insidiamini urbi, providete ei à posteriore ipsius parte, aut cavete ab ea parte nè quis vos circumveniat. *Videre* providere sign. etiam apud autores Latinos, Cicero ad Treb. *Mea negotia videbis.* in Lucullo, *Tribunum aliquem censeo videant.* Ad Atticum, *ut prandium nobis videret*, i. curaret, provideret. Sic, *In monte Domini videbitur*, i. providebitur. Sign. etiam *cavere.* Cohel. 7. 14. *In die mali vide*, i. præcave aut provide. Sic βλέπετε *cavete*, Marc. 12. 38. & 13. 9. Phil. 3. 2. *Videte canes.* Cicero 4. Acad. *Sapientis est nè fallatur videre*, i. cavere, notavi aliás. ¶ *Insidiantes*] Qui insidiaturi estis urbi. Hier. *ponite insidias post civitatem*, i. שימו, & ארבים *insidiæ* à sing. ארב, de quo suprá. Sic אבן & אבנים *lapidarunt eos*, אבן *lapide*, & mox *lapidibus.* Licet etiam vertere, *Videte, vos insidiaturi estis civitati*, &c. Ut sit idem quod *ecce.* Sic ראה sumitur Zach. 3. 4. Gen. 41. 41. & 27. 27. item suprà Jos. 6. 2. Vel sensus, *Videte*, i. Cavete nè procul discedatis ab urbe, &c. Non displicet. Similis locus v. 8. *Videte, præcepi vobis.* Monentis est ut sibi caveant à periculo si aliter fecerint quàm jussi sint, memores ejus quod Achani accidit.

7. *Surgetis ex insidiis*] ארב *Insidiæ nomen est*, inquit R.D. *idem valens quod* מארב. Talia sunt in hac forma, cum accentu in ultima, יותר *residuum*, & שורק genus vitis. ¶ *Expelletis civitatem*] Eos qui remanserunt in civitate, reliquias urbis, habitatores qui in civitate erunt reliqui.

9. *Ad insidias*] Hier. *ad locum insidiarum.* Hîc est מארב in fonte. LXX, εἰς τ̀ ἔνεδραν. Chald. לכמנא *ad insidias.*

13. *Posuerunt populus*, &c.] Insidiæ & castra posuerunt semet urbem versùs, & ad eam propiùs accesserunt. Sic verbum השים usurpatur 1 Sam. 15. 2. & 2 Sam. 13. 32. & 1 Reg. 20. 12. Hier. *aciem dirigebat.* Vide sodes. ¶ *Et insidias ejus*] Verbum עקב *fallere* ac *decipere* sign. indè עקב *insidiæ*, ἔνεδρα, ad fallendum comparatæ. Sic sanè interp. Chaldæus. Eadem vox sign. *calcem* sive *calcaneum*, qui est extrema pars pedis unde & pro *extremo* ponitur; & hinc Hier. in mente habuit ut verteret *novissimi multitudinis*, eo innuens extremam partem castrorum. Sunt qui putant insidias *calcaneum* dici, quia erant post urbem in occidua ejus regione. Vide Masium.

14. *Ad tempus statutum*] Ad horam quam Rex præstituerat eis. Alii, *Ad locum statutum.* ¶ *Ante planitiem*] Quidam elegerunt, *versùs planitiem.* Planitiem autem intelligit eam quam paulò antè *vallem* dixerat, in qua Josua cum suis. Vox Ebræa etiam sign. *solitudinem:* unde in Vulg. nostra, *contra desertum.* Sunt qui putant eos adoriri voluisse Israelitas à latere, atque ità reditum ipsorum ad castra intercludere. *Nam planities*, inquiunt, *illa civitati ad Orientem adjacebat.*

15. *Clade affecti sunt*] Simularunt se clade affectos esse. Nam verba conjugationis Niphal quandoque vim habent eorum verborum quæ in Hithpael. Fictionem & Simulationem denotant; cujusmodi sunt מתעשר *simulat se divitem*, & מתרושש *fingit se pauperem.* Fieri quidem potest ut inter fugiendum cladem aliquam acceperint: sed ego hîc potiùs simulatam cladem significari putarim, cùm loco cederent metum simulantes, ut Vulg. noster interpretatur. Senes hîc usi sunt verbo ἀνεχώρησαν, quod *recedere* sign. ¶ *Viâ deserti*] Quâ itur ad desertum quod inter Hai & Jerichuntem. Desertum autem hîc מדבר dicitur, & erat locus in quo pecora pascebantur, unde & nomen accepit. דבר enim in lingua Chaldæorum,

dæorum *ducere* sign. R.D. *Locus in quo pecudes pascebantur vocatur* מדבר, &c. Vide sodes.

16. *Classico exciti sunt & convenerunt*] Vel, *congregati sunt*, i. יתקבצו. Id quia non fit sine clamore & vociferatione, ideo dixit ויזעקו, à verbo זעק *clamavit, vociferatus est*. Masius, *exciti sunt*. Trem. *Conclamati sunt*. q.d. In unum convocati sunt. Santes, *vociferati sunt*. ¶ *Qui in urbe*] בעיר est in scriptura, & in lectione בעי *in Hai*. Quod notatum à Massorethis & D. Camio. Dicit autem *in urbe*, & non *in urbibus*: unde colligere est cives Bethel tunc fuisse in urbe Hai, ad communibus viribus eam tuendam.

18. *Extende clypeum*] ἀσπίδα. Hier. Josephus, Symmachus, γαισὸν, quod teli ferrei genus esse scribunt. Lxx ῥομφαίαν *Rhomphaam*, Sirach. 46.3. i. *gladium: lanceam* vel *hastam*, Jonathan; R.D. *vexillum* sive *hastam vexillarem*. Tremellius. Putant autem signum fuisse quo monebantur & fugientes & qui erant in insidiis; illi, ut in hostem se converterent; hi, ut ex insidiis prodirent Hai urbem, quæ patebat, incensuri. Lex. Græco-Lat. vetus, Ῥομφαία, *framea, gladium*, & Lat. Græcum, *Framea*, ῥομφαία. Senes, quibus hic כידון est γαισὸς, 1 Sam. 17.6. & 45. eandem vocem ἀσπίδα reddunt i. *clypeum* (ubi vide Nicolaum) & Jer. 6.23. ζιβύνην *lanceam*, & 50.42. ἐγχειρίδιον. Vide nunc, si placet, Liram ad hunc locum. Lex. Vet. Ζιβύνη, *venabulum*, idem quod σιβύνη, ut ζειρὰ idem quod σειρά. Est autem jaculum seu spiculum ferreum. Hesychio & Suidæ ὁλοσίδηρον ἀκόντιον ἢ λόγχη. i. *lancea*. Jes. 2.4. ϰ τὰς ζιβύνας αὐτῶν εἰς δρέπανα. Tertul. *concident sibynas in falces*. Hier. *conflabunt lanceas suas in falces*, ex Ebræo חניתותיהם.

19. *Cùm extendisset manum suam*] Hastam quæ in manu, sive quam manu, gestabat. ¶ *Succenderunt eam igni*] Non totam (nam sic præda omnis combusta fuisset) sed partem aliquam, ut fumum excitarent quo viso fugientes Israelitæ se in hostem converterent.

20. *Non erat eis locus ad fugiendum*] ידים *manus*, i. *locus*, vel *loca*. Jon. *Non erant eis vires*. Sic etiam R.S. nec improbat R.D. Lxx οὐκ ἔτι εἶχον ποῦ φύγωσιν, *non ultrà habebant quò fugerent*. Sic, *mare latum manibus*, i. spatiis, spatiosum. Ut יד *manus* pro *loco* ponitur Num. 2.17. Jes. 10.5. & 56.5. Job 37.7. Sic etiam ידים Job 1.14. *pascentes juxta manus eorum*, i. juxta eas. Hic videtur potiùs *vires* denotare, propterea quòd ait בהם *in eis*: alioqui dixisset, meo judicio, להם *eis*; *Non erat in eis facultas ad fugiendum*: non poterant fugere undiquaque interclusi ab Israelitis hostibus.

22. *Superstes aut qui ex fuga evaserat*] שריד propriè *qui vivus ab hoste capitur*, quem ζωγρηθέντα Græci vocant, פליט *qui ex fuga evasit*. Lxx σεσωσμένον ϰ διαπεφευγότα, *salvus, & qui evaserit*. Jon. שאר *residuus*, ומשיזב *& servatus*. Hæc differentia an perpetua sit, nescio. Abd. 18. שריד, Lxx πυρφόρος *ignifer*, Aq. ἀπολειφθεὶς, Symm. ἐκφυγών. Theod. κατάλοιπος. Sic etiam Lxx Jer. 47.4. Sed alibi vertunt σεσωσμένος vel διασεσωσμένος, item πεσὼν *superstes* Job 27.15. & ζωγρεῖα sive ζωγρία i. *vivus*; & κατάλειμμα & ὑπόλειμμα *reliquiæ*; & σπέρμα *semen*.

28. *Tumulum seculi*] Hier. *sempiternum*; alius, *perpetuum*, עולם enim aliquando longum tempus denotat. Tria sunt secula; Primum est à mundi exordio usque adventum Christi; Alterum universum Christi tempus complectitur usque ad resurrectionem carnis; Tertium à resurrectione extendunt in sempiternum. Hai autem habitata pòst fuit à Benjamitis Neh. 11.31. ubi עיא terminatione Chaldaicâ vocatur.

29. *Suspendit* (על est *super*) *in ligno*. Vox Ebræa etiam *arborem* sign. ut possis vertere, *suspendit in arbore*, vel *arbori*; quale illud, *Arbori infelici suspendito*. Nam crux in ritualibus libris Latinorum *arbor* simpliciter & *arbor infelix* dicitur. Similiter ξύλον *arborem* denotat. Sed *lignum*, i. קיסא, interpretatur Chaldæus Esth. 7.9. hic vertit צליבא *crucem* aut *patibulum*. Sic etiam Hier. h.e. interpres vetus. Lxx ξύλον, ϰ ξύλον δίδυμον, i. *lignum geminum*, quod *lignum suspendii* quidam appellant, Gen. 40.19. *suspendet te in ligno*; Onc. על צליבא *in patibulo*, Esth. 7.10. *suspenderunt Hamanem super lignum*, Lxx ἐπὶ τοῦ ξύλου, Hier. *in patibulum*. ¶ *Usque ad vesperam*] Ex lege quæ habetur Deut. 21.23. Vide infrà 10.26. Ex eadem lege Christus depositus fuit illo ipso die quo crucifixus fuit. ¶ *De cruce*] Quod Judæi vocant boni ominis causâ השתי והערב *stamen & subtegmen*.

30. *Tunc*] Cùm Jordanem trajecissent. Nam ità scriptum in Lege, *Quo die transibitis Jordanem*, &c. *statues*, vel *eriges, tibi lapides magnos, & oblines eos calce, exstruésque ibi altare*, &c. *Cæterùm licita fuerunt excelsa toto tempore quo fuerunt in Galgal*, R.D. *Quo tempore trajecerunt Jordanem, & venerunt ad montes Garizin & Ebal, adduxerunt lapides, quos obleverunt calce, & scripserunt in eis omnia verba Legis; & exstruxerunt altare, obtuleruntque holocausta & pacifica, comederunt & biberunt, & lætati sunt*, &c. Veteres Ebræi Doctores; qui etiam dixerunt non esse licitum extruere excelsum nisi per Prophetam. Vide Masium, qui hanc sententiam refellit. *Post quintum à transmisso Jordane annum*, Josephus. *Post decimum quartum annum ex quo in Chananaam venerunt, post divisam atque occupatam hæreditatem*. R. Ismael. *Post eversam Hai*, Masius. *Postquam circumcisi Pascha celebrassent*, alii. ¶ *Exstruxit*] Verbum est futuri temporis in Ebræo, quod nos per præteritum reddidimus ob particulam אז *tunc* præcedentem, cui hoc tribuunt ut fut. in præt. mutet. Exempla sunt apud D. Camium, אז ישיר *tunc cecinit Israel*, אז יבדיל *tunc divisit Moses*, אז ידבר *tunc locutus est Josua*, אז יבנה *tunc ædificavit Salomo*, אז תבאנה *tunc venerunt*, אז יקהל *tunc concionem coegit Solomo*. ¶ *In monte Ebal*] Vel *Gebal*, qui Senibus Γαιβὰλ dicitur. Nam hi sæpe αι pro ה legerunt. Sic *Aingaddi* & *En-gaddi*, *Ain-rogel* & *Enrogel*. Mons iste prope Sichem erat. Meminit Benjamin Tudelensis in Itinerario suo, *A Samaria distat duabus leucis Nebilas, Sichem olim dicta, in profunda jacens valle inter Garizin & Ebal montes*, mox, *Est autem Garizin mons fontibus amœnus; contrà Gebal, aridus, saxis & lapidibus plenus: atque inter utrumque urbs ipsa Sichem sita est, uti diximus*. Sententia hæc firmatur ex Jud. 9.6, 7. & ex Burchardi autoritate. Vide Masium. Obiter noto, Nebilas corruptum videri ex *Neapolis*, quomodo urbs illa medio tempore, teste Hieronymo, vocabatur.

31. *Sicut præcepit Moses*, &c.] Deut. 27. ¶ *Lapidum integrorum*] Ex lapidibus integris. Multi putant hos lapides ex Jordane sublatos & asportatos fuisse à filiis Israel, in qua sententia videtur quoque fuisse Benjamin Navarræus Tudelensis. Vide illum, si placet p. 70. edit. Plantini. Sed & Mercator idem opinatus fuit, quem refellit Masius, vel ex eo quòd Moses jusserit ut lapides magnos erigerent ad exstructionem hujus altaris: Lapides autem qui ex Jordane sumpti à singulis viris singuli portari poterant. Adhæc collocati fuerunt ad memoriam in Galgale, ubi adhuc Hieronymi tempore conspecti fuerunt. sed vide Masium, si vacas. ¶ *Holocausta*] Ad scelerum expiationem. Vocantur etiam *holocautomata*, & Ebraicè *Oloth*, quòd tota in fumum ascenderent comburerentúrque. ¶ *Pacifica*] Quæ εἰρηνικὰ & σωτήρια Græcis, i. *salutaria*, & χαριστήρια, de quibus aliàs, si Deus volet. Sed vide Masium.

32. *In lapidibus*] Aliis. Id enim credibilius est quàm ut dicamus Legem scriptam fuisse in lapidibus aræ sive altaris. Nam aræ lapides asperi erant & rudes, hi tectorio lævigati. Scio Josephum in aliâ sententia esse; sed nos hic verum sequimur, non Josephum. Masium consule. Diximus super lapides altaris non agitatum fuisse ferrum, hoc est, non lævigatos fuisse aut politos instrumento ferreo. Nam ferrum ad perniciem humani generis comparatum videtur. Eo enim hominem occidimus. Sed alias rationes hujus rei reperies apud Masium. Nam nè quidem in Templo Solomonis ferri ullius usus fuit, neque pro materia neque pro instrumento, ut nè quidem clavi ferrei sint adhibiti, sed ænei. Legimus Deut. 27.2. de his lapidibus, *& linies ex*

 calce

calce. Itaque quærunt Doctores utrùm Lex scripta fuerit in lapidibus illis antequam calce illiti essent an postea. Qua de re alii aliter sentiunt, ut liquet ex D. Camio ad hunc locum ità scribente, *Dissident inter se Doctores nostri, quorum fausta sit memoria. Quidam enim dixerunt quòd super lapides scripserint Legem, & postea linierint eos calce: alii verò dixerunt primùm, sive initio, litos fuisse lapides, & postea Legem scriptam fuisse in iis.* ¶ *Deuterosin legis Mosaicæ*] Vel, *iterationem legis*. MISNA *Deuterosis*, h. e. *lex iterata*, vel *secundaria*, est iteratio legis, quæ מתניתא Doctoribus. תנא enim illis idem quod שנה, Sin in Thau versâ ex dialecto Chald. unde תנו רבנן δευτερῶσιν οἱ διδάσκαλοι ἡμῶν, *tradiderunt Magistri nostri*, & תנאי δευτερωτὴς, *traditionum Judaicarum Doctor*. Ergò משנה *secundaria lex*. Alium sensum habent cùm traditiones suas δευτερώσεις vocant; unde δευτερῶσι, *docent traditiones*. Quidam hîc vertit *Deuteronomion legis*; quod non adeò placet. *Misne* R. D. significationem habere putat qualis est in verbo *Sanan*, ושננתם לבניך *docebis ea filios tuos*, cui in eo non assentior. Cæterùm credibile est in his lapidibus sculpta fuisse præcipua capita Legis, non Legem universam. Cui firmando quod scribit R. Saadia, *Scripserunt in eis numerum præceptorum, sicut ea scripta sunt in Halachoth & Aharoth*, quod R. D. approbat. Nicolaus tantùm decem præcepta in ea scripta fuisse censet. Dicunt etiam Doctores verba Legis scripta fuisse in LXX linguis, quò possent ab omnibus populis intelligi. Tenent enim sermonem priscum, qui unus idémque erat, divisum fuisse in LXX linguas præcipuas, quæ quasi matres sint aliarum linguarum. Sed hæc fabulosa. Illud credibilius, In his lapidibus insculptam fuisse formulam benedictionis & maledictionis præscriptam à Mose Deut. 27. 8. ubi etiam *legis* nomine insignitur, *Scribes*, inquit, *in lapidibus omnia verba legis hujus, explicando eam bene*. Vide Masium.

33. *Senes ejus*] Vel, *seniores ejus*, qui in N. F. πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ vocantur. Sunt qui hîc ediderunt *senatus ejus*, ut Hieron. *majores natu*. Videtur innuere senes magni Synedrii, qui res tractabant maximi momenti. ¶ *Præfecti*] Hos Hieron. *Duces*, LXX οἱ γραμματεῖς, alii *moderatores*, alii *monitores* appellant. Senes eos postponunt Judicibus, & rectè ut videtur, nam iis inserviebant: erant enim quasi lictores aut apparitores, h. e. ministri eorum. Cur autem in Ebræo præponantur, aliis discutiendum relinquo. ¶ *Judices ejus*] Israel videlicet: qui sedebant in parvo Synedrio numero 23. & qui in singulis vicis terni jus dicebant, quos *triumviros* appellant. ¶ *Dimidium ejus*] Dimidia pars populi, h. e. sex tribus, videlicet, Simeon, Levi, Juda, Issaschar, Joseph & Benjamin; qui omnes ascendebant in montem Garizin. ¶ *E regione montis Garizin*] LXX πλησίον. Hieron. *juxta* pro quo in Deuteronomio על, quod *juxta* interpretantur. Sign. dimidiam populi partem occupasse montem Garizin, sive in ipso monte fuerint, sive in valle, quæ proxima illi monti, qui Meridiem, h. e. dexteram mundi partem, respiciebat. Ideo benedicebant eam intuentes. ¶ *Et dimidium ejus è regione montis Ebal*] Alia pars dimidia, videlicet Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan & Naphthali respiciebant montem Ebal, qui erant in parte mundi sinistra, h. e. in Aquilone aut Septentrione; unde omne malum Israelitis. Ergò & maledictones ab ea parte pronunciabantur. Sacerdotes autem & Levitæ in valle erant inter hos montes apud Arcam. Dico, Levitæ qui ministrabant & inserviebant Sacerdotibus: nam alii cum tribu sua erant in ipso monte. Levitæ qui Sacerdotibus aderant vertebant faciem versùs montem Garizin, & dicebant, *Benedictus vir qui non facit sculptile aut fusile*, &c. Postea vertebant faciem suam versùs montem Ebal, & dicebant, *Maledictus qui facit sculptile aut fusile*, &c. Et populus utrinq; respondebat, *Amen*, donec completæ essent benedictiones & maledictiones.

34. *Legit*] Curavit legi.

35. *Qui ambulabat*] Qui versabatur. Sunt qui putant, postquam Levitæ recitassent benedictionem & maledictionem, ipsum Josue legisse in auribus populi præcepta omnia tam jubentia quàm prohibentia. Videndus R. D. *Advenas* autem hîc dicit advenas justitiæ, qui & *advenæ filii federis*, & interdum *proselyti* vocantur, qui nomen dederant Mosi & sacris ejus.

IDEM.

18. בכידון Sym. ἀσπίδα *clypeum*] Similiter & Joseph. 1 Sam. 17. 6. כידון LXX ἀσπὶς. Hier. *clypeus*, gloss. nom. prop. *Chidon*, *jaculum*. Hîc LXX reddunt ἐν γαισῷ. Theodor. Τὸν μὲν δὴ Γαισὸν, Ἀσπίδα ἡρμήνευσεν Ἰώσηπος, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ Σύμμαχος. De γαισῷ aliàs. כידון interpres Chald. רמחא convertit, i. *hastam* sive *lanceam*; Latinus quem Vulgatum dicimus, *clypeum*; Jesus Sirach, ῥομφαίαν, *frameam*. Lex. vetus, Ῥομφαία, *framia*, *gladium*. Sunt qui ῥομφαίαν *jaculum* interpretentur, éstque usus hoc vocabulo Ennius. Hesychius, Ῥομφαία, μάχαιρα, ξίφος, ἢ ἀκόντιον μακρὸν, *Machæra*, *gladius*, *aut jaculum longum*. Livius l. 1. *Thracas quoque rhomphææ impediebant*. Hinc firmantur qui scribunt esse telum Thracicæ nationis. Ut ut sit, non dubito quin Jesus ille gladium significare voluerit, 21. 4. Sanè ῥομφαία δίστομος eidem est *gladius anceps*.

26. עד אשר החרים. Alius, ἕως ἂν ἀναθεματίσῃ, *donec internecione delevisset*] *Alius*, Aquila. Vide quæ scripsimus Deut. 3. 6.

GROTIUS.

2. *Pone insidias*] Nam

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

Vide quæ dicta nobis De J. B. ac P. l. 3. c. 1. §. 6. & seq.

12. *Bethel*] Sic & Hebræi libri quibus utimur. At Orientales libri בית און, & Græci quidam cod. Βηθαών, quod nomen probri loco datum Betheli ex quo profanis ritibus serviit. Ideo ubi in Osea 4. 15. est in textu בית און Jon. posuit *Bethel*, quam expositionem firmat Amosus 5. 5. ¶ *Ex Occidentali parte ejusdem civitatis*] Ex Hebræo quo utimur, in quo לעיר. At Orientales cod. לעי, ut suprà 9. Sic & Græci, ἀπὸ τῆς θαλάσσης τῆς Γαί. Nec aliter hîc Chaldæus.

13. *Et stetit in vallis medio*] Meditandi & precandi causâ, ut videtur, extra castra, quæ in eadem valle erant, progressus. Vide Gen. 24. 62.

18. *Leva clypeum*] Ἀσπίδα Josephus hîc, & Sym. Et certè videtur ea esse propria vocis כידון significatio ex loco 1 Sam. 17. 6. & Jer. 6. 23. Alii tamen vertunt γαισὸν, & explicant quidam ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον, aut κόντιον.

23. *Apprehenderunt viventem, & obtulerunt Josue*] Mos populorum est ut Rex captus cedat Regi aut Duci exercitûs, qui præmium persolvit captoribus; imò & supellex Regis victi victori cedebat, ut notant Talmudistæ, tit. De Rege. Vide quæ ad hanc rem adducta De J. B. ac P. l. 3. c. 6. §. 24.

25. *A viro usque ad mulierem*] Non usitatum id, nisi in pœnam magnæ impietatis, Num. 31. 15.

28. *Fecit eam tumulum*] In loco ubi urbs fuerat lapidum congeriem posuit.

29. *Regem quoque ejus suspendit in patibulum*] Interfectum priùs. Neque enim suspensio pœna ibi erat, sed corpora eum in modum ostentui exponebantur, ut dictum ad Deut. 21. 22. Sic etiam interpretare quæ infrà 10. 26.

30. *Altare Domino*] Tunc quidem in sacrificii usus, in posterum verò monumenti causâ, [illegible] & seq.

32. *Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi*] Imò *exemplum Legis*, quomodo vox משנה sumitur Deut. 17. 18. *Legem* verò hîc intellige id quod Legis præcipuum est, Decalogum.

33. *Majores natu, ducésque*] זקנים *Majores natu* sive *Senes* sunt Senatores LXX, γερουσία Josepho. שטרים, quos hîc *Duces* vertit, Græci γραμματεῖς, sunt qui Senatui apparebant, שופטים hoc loco, illi qui millenis & centenis præfecti, minores causas dijudicabant; Josepho modò φύλαρχοι, modò ἄρχαι.

CAP.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

4. LEgatos] Est verbum ויצטירו de conjug. Hithpael, à radice צור, mutatúmque est Tau in Teth propter literam Zade. Et cùm dicitur, *Qui & ipsi astutè egerunt*, putant quidam Hebræorum Gibeonitas fallaciâ quadam circumventos à Judæis, ideo & ipsi astutè cum illis agere decreverunt. Qualiter verò à Judæis fuerint circumventi, variæ sunt opiniones, quas brevitatis causâ hîc resecamus.

5. *Maculosa*] h.e. habentia in locis attritis fragmenta assuta, quod maculam calceamento induceit. Porrò per *panem punctis respersum* quidam intelligunt panem עפוש i. *mucidum*, in quo ob vetustatem apparent notulæ seu maculæ virides, rubeæ & nigræ. R. Levi verò dicit panem illum tam siccum fuisse, ut si quassatus fuisset mox concidisset in multas micas, & veluti in notulas quasdam.

7. *Hivæo illi*,] Fuerunt Gibeonitæ de 7. gentibus illis quas Dominus exstirpari jusserat. Unde Principes Judæorum noluerunt cum eis inire fedus si essent de terra quæ ipsis pollicitatione Divinâ debebatur; sicut & à Domino illis inhibitum fuit, nè facerent pacem aut inirent fedus cum gentibus illis quarũ terram juraverat se daturum illis. Voluit autem Dominus exstirpari omnes gentes de terra illa propter immensas abominationes quas fecerant, & ob nefandam idololatriam quam commiserant, atq; propter periculum Judæorum, nè & ipsi gentium exemplo, inter quas habitaturi erant, desererent Dominum verum, & idola colerent. Nec poterant Israelitæ cum Gibeonitis inire fedus, nisi hâc conditione ut observarent 7. præcepta filiis Noah data, h.e. eliminarent idololatriam, observarent Sabbatum, abstinerent ab incestu, exsecrarentur homicidium, *&c.* & tandem tributarii fierent Israelitis; sicut & tempore Salomonis adhuc multi ex Jebusæis, Hivæis, Hitthæis & Pherisæis in terra Israel reperti fuerunt qui tributa penderunt Regi Israel. Et quandiu illis subditi fuerunt, ferri poterant: Sed quando tumultum bellicum excitabant, trucidabantur omnes imperio Divino, etiam mulieres & parvuli. Secùs de aliis gentibus per circuitum Israel habitantibus: Si enim illi pacem violassent, occidi poterant, mulieribus & parvulis reservatis. Unde lex Mosaica jubet, primùm externis gentibus denunciari pacem, exceptis Moab & Ammon; quam si acceptare renuerent, occidi poterant, sed viri tantùm, mulieres autem & parvuli in prædam veniebant. Secùs de 7. gentibus: Hæ enim oblatâ sed spretâ pace in universum deleri jubentur. Et quòd hîc Gibeonitæ propter juramentum vivere permittuntur, id non tantùm factum est, secundùm Hebræos, nè violaretur nomen Dei si juramentum illud rescinderetur, cùm dolus & fraus intervenerint (non enim est standum juramento aut voto quod errore factum est, etiam secundùm Hebræos; licèt aliqui aliter sentiant, quòd etiam hosti juramentum sit servandum, nè nomen Dei, quod juramento confirmatum est, blasphemetur) at cùm Gibeonitæ non ut hostes sese insinuaverint, sed pacem quæsierint, & illam juramento interveniente obtinuerint, citra violationem nominis Divini juramentum illud dissolvi non poterat: Licèt quidam aliter sentiant, nempe quòd prætensus error à [illegible] poterat, sed illum dissimulari conve[illegible]bat propter infirmos, qui pro qualibet causa pejerandum non abhorruissent si juramentum illud violatum fuisset.

21. *Vivant, & cadant ligna*] Heb. *Vivant, & fuerunt cadentes ligna, atque haurientes aquam*, &c. Unde Hebræi dicunt hîc esse מקרא קצר *lectionem abbreviatam*. Nam cùm Principes dixissent, *Vivant, & cadant ligna*, tum sequitur, *Illi igitur facti sunt cæsores lignorum*, &c.

23. *Non tolletur ex vobis servus*] Sensus est, Nemo ex vobis poterit à se excutere jugum servitutis, quin semper, quamdiu Israel fuerit in castris, vos cogamini illis adducere ligna & aquam. Postquam verò terram in hæreditatem acceperit atque possederit, tunc cæderis ligna & haurietis aquam pro domo Domini; sicut & fecisse comprobantur in Gilgal, Silo, Nobe, & Gibeon, atque in domo Sanctuarii.

VATABLUS.

1. TRans, בעבר] *Ultra*, respectu scilicet campestrium Moab. ¶ *Et in toto littore*, &c. ובכול חוף הים וגו] i. in toto illo tractu qui adjacet Mari mediterraneo, & respicit Libanum, qui est in parte Septentrionali.

2. *Consensu uno*, פה אחד] Ad verb. *ore uno*. Hebraismus pro *consensu unanimi, & eâdem sententiâ*, ut exponit doctus inter Hebræos.

4. *Egerunt etiam ipsi callidè*, ויעשו גם המה בערמה] *Usi sunt & ipsi astutiâ*, ut & Josue fuerat usus in expugnatione Ai. Quidam Hebræorum exponit, *sicut etiam fecerant filii Jaacob*, בערמה, *in dolo cum filio Sichem filio Hamor, qui fuit Hevæus*, Gen. 34. 13. *Et habitatores Gabaon ex Hevæis fuerunt*, ut habes v. 7. Quæ subauditio longiùs petita videtur. ¶ *Finxerunt se legatos esse*, ויצטירו] Ad verb. *fecerunt se legatos*. ¶ *Veteres*, בלים] *Putridos, vetustos*, i. vetustate consumptos, quibus straverunt asinos suos. ¶ *Et scissos, atque colligatos*, ומבוקעים ומצוררים] *Et ruptos*, præ vetustate scilicet, *& colligatos*, præ ruptura.

5. *Et resarta*, ומטולאות] i. quæ varia frusta corii assuta habebant. ¶ *Viatici eorum*, צידם] Hæc vox sign. *cibum*, sive *escam*, propriè *venationem*. Seipsum explicat v. 12. cùm pro una dictione *Viatici* dicit *Cibum pro itinere*.

6. *Et ad virum Israel*, ואל איש ישראל] Phrasis Hebræa, pro *Israelitis*, ut & seq. v. nisi quendam ex Israelitis exponas. ¶ *Et nunc percutite*, ועתה כרתו] *Obsecrantes ut percutiatis*. ¶ *Fedus*, ברית] Pacis scilicet.

7. *Ad Hivæum*, אל החוי] i. ad Gabaonitas qui erant Hevæi. ¶ *In medio mei*, בקרבי] i. in terra quam Dominus dedit mihi.

8. *Servi tui sumus*, עבדיך אנחנו] Hebraismus, Volumus tibi servire.

11. *Seniores nostri*, וקינינו] Significant Senatum. ¶ *Servi vestri sumus*, עבודיכם אנחנו] q. d. Agnoscimus vos dominos ac victores, volumúsque esse servi vestri.

12. *Paravimus nobis*, הצטידנו אתו] Ad verb. *Paravimus ipsum*, i. ex eo adhuc calente viaticum adornavimus.

14. *Viri illi*, האנשים] Nempe Israelitæ comederunt de viatico illorum in signum federis initi. ¶ *Et os Jehova*, &c. ואת פי יהוה לא שאלו] Hebraismus, Dominum non consuluerunt, Judic. 1. 1. legitur, *Interrogaverunt filii Israel Dominum*.

15. *Quòd sineret eos vivere*, לחיותם] Ad verb. *Ad vivificandum eos*, i. quòd non occideret eos. ¶ *Juraveruntque*, וישבעו] Se scilicet servaturos pactum initum cum illis.

16. *Post tres autem dies*, &c. ויהי מקצה שלושת וגו] Ad verb. *Et fuit in fine trium dierum postquam percusserunt cum eis fedus*.

18. *Universa synagoga*, כל העדה] i. totum vulgus.

20. *Servabimus eos vivos*, והחיה אותם ולא יהיה] Ad verb. *Et faciendo vivere eos, & non erit*, &c. i. ut non irascatur contra nos propter transgressionem juramenti. Verti non debet ו in והחיה.

21. *Dixerunt præterea*, ויאמרו] Quidam vertunt, *Et addiderunt principes*, q. d. Dixerunt illis & hæc. ¶ *Et cadant ligna*, ויהיו חוטבי עצים] Ad verb. *Et sint cadentes ligna*. Quidam ut expleant sententiam, vertunt, *Sed sint cæsores lignorum, & haustores aquæ toti congregationi*: (i. in usum totius multitudinis) *fuerunt itaque cæsores lignorum*, &c. ¶ *Locuti sunt eis*, דברו להם] *Dixerunt eis*, vel, *de eis*.

22. *Lon-*

22. *Longinqui sumus,* רחוקים] *Remoti sumus.* ¶ *In medio nostri,* בקרבנו] i. In medio regionis nostræ.

23. *Et non delebuntur ex vobis servi,* ולא יכרת מכם עבד] Ad verb. *Et non delebitur* [vel *excidetur*] *ex vobis servus.* Singul. pro plur. i. Non deficiet à vobis servus, h. e. de stirpe vestra, q. d. Semper eritis servi, & cæsores lignorum, &c. ante divisionem Terræ sanctæ scilicet.

24. *Timuimus,* ונירא] Ad verb. *Et timuimus,* ו non convertit noster interpres, quòd hæc præcedentibus connectantur. ¶ *Animabus nostris,* לנפשותינו] i. Vitæ nostræ.

26. *Ità,* כן] Nempe ut dictum est.

27. *Constituitque,* &c. ויתנם יהושע ביום ההוא] Ad verb. *Et dedit eos Jehosue in die illa.* i. Eo die, vel ex eo die constituit eos ut comportarent ligna, & haurirent aquam in usum congregationis, ut dictum est v. 21.

CLARIUS.

7. HEvæo] Fuerunt enim Gabaonitæ de 7 gentibus illis quas Dominus exstirpari jusserat. Unde principes Judæorum noluerunt cum eis inire fedus, si essent de terra quæ ipsis pollicitatione Divinâ debebatur, sicut & à Domino illis inhibitum fuit, nè facerent pacem aut inirent fedus cum gentibus illis quarum terram juraverat se daturum illis.

20. *Si pejeraverimus*] Quòd hîc Gabaonitæ propter juramentum vivere permittuntur, id non tantùm factum est, secundùm Hebræos, nè violaretur nomen Domini si juramentum illud rescinderetur, cùm dolus & fraus intervenerit; sed id factum propter infirmos, qui pro qualibet causa pejerare non abhorruissent si juramentum illud violatum fuisset.

23. *Non deficiet de stirpe vestra*] Nemo, inquit, ex vobis poterit à se excutere jugum servitutis, quin semper, quandiu Israel fuerit in castris, vos cogamini illis adducere ligna & aquam. Postea quàm verò Terram in hæreditatem acceperit, atque possederit, tunc cædetis ligna & haurietis aquam pro domo Domini; sicut & fecisse comprobantur in Galgal, Silo, Nobe, & Gabaon, atque in domo sanctuarii.

MASIUS.

1, 2. CUmque audissent omnes Reges qui erant trans Jordanem, &c.] Post captas deletásque cæde & incendio duas urbes, Jerichuntem & Hai, quæ, ut est credibile, tanquam propugnacula totius Chananææ habebantur, sparsâ jam longè latéque famâ, Reges omnes qui trans Jordanem, h. e. in Chananæa, regnabant, coiverunt in unam sententiam, atque se belli societate implicuerunt adversùs Josuam copiásque Israeliticas faciendi. Cæterùm ista commemorantur hôc loco quasi προθεωρία ad eas res quæ proximis capitibus enarrabuntur. In illis enim audiemus Regum multorum conspirationes collatásque vires ad Israelitarum progressus reprimendos. Nam adhuc non delectus habere, nedum copias cogere, sed de communi re deliberare modò, atque societatis federa jungere videntur, ut de mutuis subsidiis, si opus fuerit, certi sint. Quasi verò nè nunc quidem rei gerendæ tempus urgeat, sed illiuscemodi federibus faciendis morâ satis tuta inertissimo possit otio parari. Sed hic est stupor ille cæcitásque & planè perturbatio atq; confusio mentis & intelligentiæ Chananæorum, quæ ex terrore illo nascebantur quem se omnibus injecturum promiserat Deus, Exod. 23.27. cùm diceret, *Et mittam terrorem meum ante faciem tuam, & terrebo omnem populum ad quem accedes,* &c. Quali terrore similiter vicinorum omnium animos rationésq; perturbarat Gen. 35.5. cùm pacis specie filii Jacob Sichimitas cecidissent, Gen. 34. Nimirum postquam admirabilibus illis trajectionibus maris Rubri, vastæ & inexplicabilis solitudinis, Jordanis denique, insuper portentosâ illâ Jerichuntis eversione; ut plurima alia prætercam miracula, quorum fama etiam apud vulgus Chananæorum erat pervagata, quod ex Rahab diximus; quando istis, inquam, & similibus mirandis Dei factis non avertebantur ad ejus majestatem agnoscendam, neque benignitate ipsius invitabantur ad meliorem mentem induendam, Rom. 2.4. *Dedit ipsis mentem insipientem, ut ea facerent quæ minimè ex usu erant,* Rom. 1.28. & quæ facto opus essent ea non animadverterent, sed etiamnum securi voluptatibus suis moras necterent. Quâ re simul id efficiebat Deus, ut suorum Israelitarum animos paulatim ipso hostium locorúmque regionis alioqui incognitæ aspectu usúque duraret atque confirmaret, cæteroqui magnâ potentiæ adversariorum opinione nimiùm præoccupatos, neque satis unquam fidentes Divinis promissis adversùs tam validas, ut ipsi opinabantur, nationes. Quin ista tanta Chananæorum & planè θηλυκός secordia atque ignavia rei bene gerendæ, non in istis modò belli principiis, quo de capite & prorsus fortunis illorum omnibus agebatur, sed ad ipsum usque finem perspicuè apparet. Neque enim ipsos usquam, captatâ occasione, quales credibile est magnas sæpe esse oblatas, ultro invadere Israelitas, sed ubique ab his invadi videbimus. Nimirum admirabilis & immensus semper fuit Dei adversùs Ecclesiam amor atque benignitas, & ad eam tuendam amplificandámque tanta procurationis sedulitas, quantam mortalium nemo grato unquam animo satis poterit æstimare. Quò mihi magis desipere, nè dicam insanire, videntur ii qui illi per aliquot jam superiora secula cum hac amatissima sponsa sua dissidium fuisse audent dicere, tanquam deformitate ejus nimis offenso. Fuit scilicet aliquando tempus cùm plurimis illa vitiis non esset deformis, præsertim singillatim, non universè, toto corpore spectata. Sed qualis, rogo vos qui Deum amoris erga Ecclesiã suam satietate unquam teneri posse putatis, qualis, inquam, illa tunc toto corpore erat cùm ipse ex abundantissima caritate sic eam consolaretur, Isa. 49.15, 16. ut diceret, *Etiamsi mater ventris sui partum obliviscatur & negligat, tu ex mente mea excides nunquam: sed tuos muros,* quibus videlicet munita adversùs hæreticorum insultus es, *semper in oculis habiturus sum,* nè Satanæ astutiis labefactentur, aut universæ portis inferni emissæ furiæ te superare queant. Sed aggrediamur S. verba. ¶ Mare *magnum* dici Mediterraneum, illud quod Syriæ latus Occiduum alluit, *Magnique* cognomen lacuum stagnorúmq; comparatione habere, (hæc enim illi genti etiam *maria* sunt) notius est quàm ut longiore explicatione opus sit. ¶ Pro *litore* autem si quis *portum* dicere malit, non refellam. Est enim Ebraicè חוף, cui verbo ab *occultando* dicto locus omnis subjicitur in quo naves à vento latere stationémque tutam habere possint. ¶ Porrò illud *è regione Libani,* aut *prope Libanum,* (nam sic quoque commodè interpretari potest) Chaldæus ad mare magnum ostendendum spectare putat. Addidit enim ille Pronomen relationis, inquiens, *Quod est è regione Libani.* At Latinus & LXXII opinantur omissam esse nexûs particulam, eámque suggerendam; & ipsam significari Phœniciam, peculiarem Regum sedem, in qua Berytus, Sidon, Sarepta, Tyrus, alia oppida Libano Antilibanóque objecta ad mare jacent. Nam eos duos montes uno *Libani* nomine contineri dictum à nobis alibi est. Equidem eò spectare ista verba crediderim, ut cùm antè dictum esset, *trans Jordanem,* altiùs etiam quàm Jordanis tractus sursum extenditur famam illam secundùm maris litus volasse intelligamus; aut quod universè de *maris litore* positum fuerat, id istis verbis definiri ad Libanum. Cæterùm de illis gentibus quæ hîc sex, alibi septem, interdum pluribus sæpe etiam paucioribus nominibus repræsentantur, sunt quædam à nobis scripta c. 3. 10. LXXII, quod nonnulla exemplaria testantur, *Gergesæos,* in Hebræo propter ejus gentis paucitatem, ut Judæi existimant, præteritos, de suo addiderunt. Quod autem nos, ut Hebræum exprimeremus, *uno ore* convertimus, id Latinus his explicavit verbis, *Uno animo eádemque sententiâ,* Chaldæus, *unâ societate* est interpretatus. Sed quid dicatur satis perspicuum est.

3, 4, 5. *Incolæ Gabaon quoque audierant quæ fecerat Josua,* &c.] Postquam paucis verbis indicatum est, hactenus prospexisse rebus suis Reges Chananæos adversùs Israelitas ut federa inter se sanciverint de belli societate, transitur,

transitur ad Gabaonitarum historiam, quæ sanè memorabilis est cum primis, tum propter Nathinæos, aquatores lignatorésque sacræ ædis, quorum nobis originem aperit; tum maximè quòd testetur luculentissimè Divinam misericordiam paratissimam esse iis quos scelerum suorum potest pœnitere; atque etiam quia, ad præsentem locum quod attinet, nobis apertè ante oculos ponit eam oppositionem quæ inter Dei filios & impios homines est, dignissimam profectò accuratissimâ notatione animadversionéque. Nam audierant quidem reges Chananæi opera Dei admirabilissima quibus ille omnes clementer invitabat ad pœnitentiam, ut ex quibus æternam ipsius potentiam Divinitatémque perspicere atque intelligere poterant. Sed adeò non permovebantur ad pietatem, ut consilia etiam conferrent quibus possent modis Divino ejus numini ampliùs resistere. Audierant & Gabaonitæ; atque iis auditionibus sic fuerunt illicò commoti ut quacunque tandem ratione in eorum amicitiam societatémque insinuare se oportere constituerent quos viderent tam potenti támque in suos benigno Deo esse caros. Sunt etiam qui ex ista historia confici putant, Optimatum politiam Regno esse meliorem; quod ego longè secùs esse autumo, quando ipsa rerum natura omnibus suis operibus Regnum nobis commendare videtur, quæ ubique summâ consensione ab uno dominatu constricta dependent. Nam ad Chananæos Reges quod attinet, non fuere illi Reges sed pessimi tyranni, quippe qui suâ libidine omnia metirentur. Sed id disputare non est hujus loci. Igitur ut ad S. verba veniam; *Egerunt*, inquit, *etiam ipsi callidè*. Variæ hîc sunt & discrepantes scriptorum sententiæ, quorsum spectet comparatio illa quæ vi voculæ *etiam* continetur. Neque enim nuper aliquorum hominum dolus atque astus est commemoratus, cum quo iste Gabaonitarum conferatur. Et Talmudici quidem, quorum opinionem nimis profectò longè repetitam refert R. Solomon, putant hanc Gabaonitarum fraudem veluti talionem esse illius quâ usi olim fuerant filii Jacob ad opprimendos Sichimitas, Gabaonitarum gentiles, Gen. 34. Fuerunt enim Sichimitæ Hevæi, ut & Gabaonitæ. Nam dum hi in Regum historia l. 2. c. 21. v. 2. nominantur *Amorrhæorum reliquiæ*, nomen *Amorrhæorum* pro quibusvis Chananæis positum est, sicut alibi quoque. D. Kimhi, non satis certus, duas dicit diversas sententias. Earùm altera est, Gabaonitas sic se fraude adversus Israelitarum vim velle munire ut Jerichuntii nuper muris & Haienses viribus fuerant conati. Altera, Gabaonitas putavisse simulatâ pace ab Israelitis deceptos fuisse victósque tum Jerichuntios tum Haienses, atque ideo eos constituisse simili arte uti adversùs impostores. Sic ferè Judæi. Sed enim demiror stupidis istis Judæis non venisse in mentem fugam illam simulatam quâ nuper admodum Haienses sunt ab Israelitis prolecti in insidias. Eò enim profectò magis scitè fraudis comparatio illa referri potuisset. Verùm omissis istis, sententia, meo judicio, aperta & expedita est. Nam cùm superioribus versiculis expositæ essent Regulorum per Chananæam consultationes conspirationésque, quibus sibi consulere contra Israelitas illi cogitabant, subnectitur, neque Gabaonitas quoque sibi defuisse, non quidem pugnandi consiliis, ut illi, sed prudentiâ sive astu. Verbum enim Hebraicum ערמה æquè *honestam prudentiam* atque *versutum vaframentum malitiámque* significare, notius est ex S. literis quàm ut necesse sit hoc exemplis probare: quin Chaldæus quoque hoc loco *prudenter* est interpretatus illud בערמה. ¶ Porrò verbum ויצטירו, quod convertimus *simulare legationem*, si pro litera Resch scribatur, quæ formâ est simillima, Daleth, significabit *cibum*, aut *viaticum*, *comparare*. Atque de hac scriptura expressum est quod reddiderunt Chaldæus, Latinus, atque etiam LXXII, nam apud hos lego, cum Syro, ἐπεσιτίσαντο, non autem ἐπεσίσαντο. Est illud quidem quod nunc in omnibus Hebraicis libris habetur haud alienum à præsente historia. Mittunt enim Gabaonitæ allegatos ad Josuam. Sed quando paulò pòst utuntur ipsi Gabaonitæ Verbo הצטידנו, credibile videtur παράγραμμα esse hoc loco, atque similiter ויצטידו scribi debere. Id autem est *cibum sumpserunt*, sive *viaticum*. Cæterùm Græcum verbum quod in Vulg. libris est, ἐπεσίσαντο, an credi possit non esse mendosum, atque accipi pro *repentè & de improviso adesse, rémque constitutam aggredi*, aliorum esto existimatio. Mihi certè dubium nullum est quin per paragrammatismum errore librariorum sic scriptum sit pro ἐπεσιτίσαντο. Hoc enim vetus admodum interpres Syrus expressit de Græco libro qui Eusebii manu fuerat emendatus ex Hexaplis Originis. Nomen מטלא significat *id quod ex aliis atque aliis frustis sive*, ut vocant, *pittaciis consutum compactúmque est*. Nam apud Doctores Hebræos טלאי pro *pittacio* usurpatum me legere memini. Chaldæi מרקע, Syri קרמא dicunt, Germani **ampletz**. Sunt igitur נעלות מטלאות *calcei diversis solorum frustis suppacti*, quod Græci expresserunt cùm dicerent, καταπεπελματωμένα, ducto verbo ἀπὸ τοῦ πέλματος, h. e. *à solea*. Et alibi pecus vocatur טלוא, cujus vellus est majusculis notis varium, tanquam ex diversis pittaciis consutum sit, Gen. 30. 32. ¶ Porrò נקודים, quod à nobis conversum est *mucore maculosus*, (Est enim mucidus panis multis coloribus, tanquam punctis, varius) existimat R. S. à יקד, quod *adurere* est, dici. Interpretatur enim *nimis excoctum atque adustum panem*. Idque ei assentiuntur Aquilas, Symmachus, Chaldæus: convertit enim Chaldæus כסנין, quam vocem interpretatur idem ille R. S. in Misnaioth Tract. כתובות scribens, *spicas nondum maturas quidem, sed in furno adustas, quales moris erat puerulis dare cùm sponsa domo paternâ educeretur*. Latinus & R. Levi F. Gersonis existimant *frustra* significare *panis aridi, quique in micas friatur*. Græci à me stant, dum βεβρωμένοι convertunt, h. e. *situ ipso & mucore olidi atque virosi*. R. D. K. nihil certi definit. Et sanè parùm refert quàm hîc sequare sententiam, sunt enim omnia in pane vetustatis indicia.

6. Profectique sunt ad Josuam in castra ad Galgala, &c.] Quæ verba faciunt Gabaonitæ hoc versiculo, ea non ad Imperatorem, sed ad alios Israelitas facere videntur, cùm obvios quosque suppliciter prehensant priùs quàm ad Imperatorem penetrarunt. Nam versu demum octavo privatim cum Josua loquentur; quantum certè apparet. Utuntur autem gravi ac firmo argumento, cùm pacem secum sanciendam esse indè conficiunt, quia *ex terra longinqua veniant*. Legem enim in Deuteronomio 20. 11. edixit verbis disertis Moses, quâ constitutum est ut quæ civitates extra Chananæam positæ offerrent pacem, séque dederent, eæ solis tributi pendendi & servitutis serviendæ conditionibus reciperentur in fidem. Et hinc Doctores Hebræi, acuti homines scilicet, in סוטה c. 6. colligunt, Non solas benedictionis & maledictionis formulas in lapidibus ad Hebal fuisse inscriptas, sed omnes prorsus Mosis constitutiones; Gabaonitas enim in illis lapidibus ipsas legisse, aut à Barbarorum scribis, qui descripserant, accepisse, quid de servandis exteris perdendísque incolis mandatum à Deo esset per Mosen. Atqui Gabaonitæ v. 24. dicturi sunt, non ex scripto se ista cognovisse, sed nunciata sibi esse. Quare credibilius est, hujusmodi pacis & belli leges, quas Deus præscripserat, ab ipsis Israelitis quibuscunque fieri potuit modis divulgatas fuisse apud quosvis. Pertinebat enim ea res ad totius belli æquitatem, ut in hujus capitis extremo sumus dicturi. Et quis non existimet vel Rahabæ cognatos, qui jamdudum inter Israelitas versabantur, de gentilium suorum salute solicitos, ea quantum poterant sparsisse in vulgus quæ vel spe vel metu quosque possent ad deditionem invitare? Non ergò mirandum in eo est quòd apud Barbaros pervagata sit Dei voluntas, quam per Mosen patefecerat atq; Israelitis de isto bello mandarat. De particula illa ועתה, quam interpretati sumus *itaque*, disseruimus c. 1. 2.

7. Et dicebant quisque Israelita ad Hevæum, Fortasse intra me, &c.] Hevæi nomine intelliguntur Gabaonitæ. Erant enim hi, ut dicebam nuper, Hevæi. Rectè autem putabant Israelitæ nefas sibi esse cum iis ferire fedus qui intra ipsos habitarent, h. e. intra Chananææ fines, quos ipsis Deus pro sedibus donaverat. Nam illud disertis verbis à Deo vetitum fuerat, tum Exod. 22. 32. tum Deut. 7. 2. cùm dixisset, *Non percuties cum ipsis & diis ipsorum fedus*;

fœdus; neque habitabunt in terra tua: nè fortè inducant te ad peccandum in me, & rursus, *Non pacisceris cum ipsis, neque misereberis ipsorum.* At de exteris alia ratio erat, quippe cum quibus nulla Israelitis vitæ necessitudo atque familiaritas esset intercessura, etiamsi federati forent. Sed de his rebus mox plura dicenda erunt. Est autem hoc loco observanda Israelitici populi modestia, quâ erga legatos, quamvis hostium, utuntur. Neque enim molestâ curiositate in illorum res inquirunt, nedum ipsos convitiis exagitant, sed urbanè & comiter cùm respondissent ad ea quæ illi petebant, à se dimittunt, ad Imperatorem videlicet rem omnem rejicientes.

8.—13. *Ad Josuam item dicebant, Nos servi tui sumus,*] Adhuc dictum est quid ad vulgus Israelitarum locuti sint legati, & quale ab illis responsum acceperint: Nunc verò colloquium quod cum Imperatore habuerunt explicatur. In quo prolixiùs ut debent, mandata sua omnia exponunt. Primùm enim benevolentiam captant apud eum in cujus arbitrio exorandi momentum omne positum esse prudenter existimant. Deinde, cùm exteros se atque longinquos esse subjecissent (nullâ enim aliâ ratione fedus se impetrare posse credebant, ut pòst dicturi sunt) conscii sibi sui mendacii illico ea addunt quibus mentem illius misericordiâ impediant; nè libero animo videlicet tum de ea re, tum de cæteris, quas mox sunt simulaturi, accuratiùs inquirere atque severiùs existimare ille possit. Quæ enim oratio ad permovendum misericordiâ hominis animum queat esse vehementior quàm quâ se quis alteri dedit in servitutem, ut de se ille pro suo statuat arbitrio? Deinceps à se ad Dei personam transeunt, ejúsque magnifica & præclara facinora commemorant, iísque se motos deditionem istam instituisse dicunt, non autem metu aliquo perculsos. Ut enim metu hostis ad deditionem impelli, ignavorum est, neque gratiam promeretur; ità illius virtutum admiratione ultrò duci, generosorum, & laude atque amicâ benevolentiâ dignum existimari debet. Magnâ igitur illud arte faciunt, ut & hoc summa cum astutia, quòd neque Jordanis siccati neque Jerichuntis eversæ miracula commemorant, quasi longinquæ regionis incolæ nihil istarum rerum nuper gestarum vel per famam audierint. Quin ipsius quoque Imperatoris laudes cum Dei laudibus, sed tacitè & citra adulationis vitium, miscent, cùm dicunt, *Ad nomen Domini Dei tui.* Quæ enim major Josuæ gloria esse possit quàm potentissimi Dei Imperatorem appellari? Post hæc tandem suæ legationis commentarium recitare incipiunt, his verbis, *Dicebántque ad nos Seniores nostri*, & quæ sequuntur. Atque hic quoque non minùs artificiosè orationem instituunt, dum popularium suorum paratissimos ad deditionem animos prædicant, ut qui se ultro ad id agendum obviàm Israelitis miserint, quod alii ad ultimam usque necessitatem solent differre; dúmque exquisitissimè rationes omnes colligunt quibus se exteros atq; longinquos esse persuadeant. Tale igitur ferè est totius orationis illorum artificium; quæ in genere deliberativo versatur. Porrò quod nos sumus interpretati *ad nomen Domini Dei tui*, tanquam ea quæ adjiciuntur sint ἐξήγησις ejus atque explicatio (*fama* enim & *nomen* ut apud Latinos ità & Hebræos sæpe idem significant) id malunt alii ad religionem referre. Neque sanè id levi argumento facere videri possunt quando Rahabam iisdem penè verbis fidem suam declarantem audivimus, c. 2.10. Isti ergò reddunt, *In nomine Domini Dei tui*, sicut LXXII & Latinum fecisse videmus. Hocque explicat Liranus in hanc ferè sententiam, Maximis & admirandis Dei tui facinoribus, quæ fama ad nos pertulit, adducti sumus ut eum velimus verum agnoscere Deum; atque ideo huc profecti federi vobiscum jungi cupimus, & vestram cum societate religionem amplecti. Quin & Nechmannus quoque, inter Judæos egregiè doctus scriptor, eandem sententiam secutus Comment. in Exod. 23. scribit, Gabaonitas, animo ab idolorum cultu abalienato, ad dandum vero Israelitarum Deo nomen venisse. Mihi verò videtur quidem illud alterum quod ego de Hebræo expressi simplicius; idque etiam Origeni placuisse intelligo. Verùm tamen nolim istud pertinaciùs refellere, cùm ab Augustino probetur. Quanquam quod ad Rahab attinet, multò sanè illa fidem suam declarabat apertiùs, cùm illo pulcherrimo uteretur epiphonemate, *Dominus Deus vester est Deus in cœlo suprà, & subter in terris.* Cæterùm historia rerum in Ægypto gestarum ex secundo Mosis libro petenda est; illa verò Regum Sehonis & Og, ex quarto.

14. *Sumpserunt igitur viri de illorum viatico*, &c.] Verbum צֵיד interpretatur Chaldæus hoc loco ipsa Gabaonitarum *dicta* quippe *insidiosa*. Sic enim explicat, *Assensi sunt*, inquit, *viri dictis illorum, & non consuluerunt oraculum Domini.* Nimirum quia positio צדה *insidiari* significat. Idque illi assentitur etiam R.S. Atqui insolitus prorsus est iste verbi ציד usus; quod alibi perpetuò vel de *venatione*, vel de *cibo* & *viatico* dicitur. Nam צדה alterius ordinis positio est, ut norunt Grammatici. Tum hoc quoque absurdum est, hìc aliam ejus vocabuli notionem comminisci quàm quâ est nuperrimè in hac ipsa narratione usurpatum. Quare magis ferenda videri possit quorundam interpretum sententia quam Kimhi profert, qui verbum לקח, quod nos convertimus *sumpserunt*, interpretantur *didicerunt*, quasi ex viatico propiùs inspecto didicerint Israelitæ Gabaonitas rem ipsam dicere. Sed omissis istis commentis, ut simplicissima ità verissima sententia est quam nos, post LXXII & Latinum, de Hebræo expressimus. Eáque sola probatur etiam à Kimhi. Est enim veluti oppositio quædam inter illa, *sumere panem* Gabaonitarum in manus, suisque oculis satis fidere, & *os*, sive *oraculum*, *Domini interrogare:* quod R. Isaias quoque, vir sanè doctus, ut inter Judæos, sensisse videtur, quanquam obscuré. Liranus putat ad amicitiæ conciliandæ ceremoniam pertinere & federis sanciendi, quòd Israelitæ panem à peregrinis hominibus sumunt, atque, ut est credibile, de prægustato paululum degustant. Nam ritu non dissimili fedus firmasse Jacobum & Libanem certum est, Gen. 31.46. & apud Salustium, Curtium, alios historiæ profanæ scriptores exempla exstant federum, in quibus sanciendis populares de eodem vel cibo vel potu gustare solebant. Sed alii hanc Lirani sententiam, ut insulsam atque ineptam, rident: ipsi interim ineptissimè atque stultissimè censent ità enectos fuisse inediâ Israelitas ut nè tantisper quidem sustinere se potuerint dum Deum consulerent, quin aridum illum & exsuccum mucidúmque panem acceptum vorarent. Scilicet post eversas duas maximas urbes, cùm latè vicinis agris potiti essent, in regione omnium rerum feracissima, paucis micis mucidi panis inhiabant, qui simulatque in Chananæam pervenissent, neque dum manus cum hoste conseruissent; ità victu abundabant ex hostili agro parabili ut cœlesti manna ampliùs non indigerent. Sed sunt ineptiora ista quàm ut refelli mereantur. Porrò *viri* ii sunt, ut est credibile, qui mox *principes cœtûs* vocabuntur, primates scilicet populi, qui apud Imperatorem cùm essent, Legatos audierant, atque opinione persuasi ab eis fuerant. Rectè ergò LXXII ἄρχοντες redditum est quod in Hebræo est אנשים, nam Principum inconsiderantiam à plebe damnari audiemus. Et alibi me dicere memini, vocabulum איש Hebræis *egregium præ cæteris atque eximium virum* significare. Cæterùm an Imperator ipse quoque inter eos fuerit qui se hìc tam credulos præbent, neque Deum, ut debebant, consulunt, non planè constituere possum. Opinarer quidem certè libenter alios, cùm faciliùs & priùs quàm Josua fidem Gabaonitarum simulationi adjunxissent, huic quoque deinde fuisse assentiendi auctores. Secerni enim in hac historia Imperatorem nonnunquam à Principibus cœtûs videor animadvertere. Verùm tamen pugnare haud velim si quis contra sentiat. Memini enim à Josua adversùs Haienses missa primùm fuisse tria virorum millia, non consulto Deo, cùm relationi suorum nunciorum ille credidisset. Nimirum, ut eventa ipsa ab æterna Dei providentia pendent, ità ab eadem eventorum causæ continuâ serie aliæ ex aliis aptæ fluunt. Erat æterno Dei consilio constitutum ut Gabaonitæ aquatores lignatorésque fierent olim in sacra æde. Hoc ergò servitutis

genus

genus ut suis sibi fallaciis ipsi jam comparent, non consulto Dei oraculo in fedus ab Israelitis recipiuntur; seméque recepti, potiùs quàm violato jurejurando rursus repudientur, ad molestam illam operam perpetuò damnantur. Neque tamen Dei providentia vel Gabaonitas simulationis fictæ vel Israelitas temerariæ credulitatis necessitate constringebat. Erat enim in utrorumque positum libera voluntate aut, si mavis, arbitrio, Illorum quidem, ut apertâ atque ingenuâ fidei professione Israelitis sociatum se irent, sicut Rahab; vel dolo uterentur, quod fecerunt; Horum verò, ut aut consulerent Deum, sicut jure debebant; aut non consulerent. Ipsa enim, quam dixi, Divina providentia illiusmodi mortalium actiones fataliter potiùs præcedit quàm efficienter. Sed enim D. Ambrosius lib. De Officiis 3. istam credulitatem Israelitis non ponendam in vitio putat, sed potiùs in laude integritatis. Scribit enim hæc ferè verba, *Adeò sancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant; fallere quid sit ignorant.* Et mox, *Non vituperanda*, inquit, *facilitas, sed laudanda est bonitas.* Et in hanc sententiam ille plura, quæ ex ipsius libro peti possunt, est enim in omnium manibus. Equidem, & si probabile est nè Deum ipsum quidem, si consultus esset, responsurum fuisse, Gabaonitas, cùm pacem peterent, non esse recipiendos, existimo tamen illis verbis, *Neque os Domini interrogaverunt*, Principes neglecti officii non leviter esse insimulatos. Debemus igitur nos quoque, hoc exemplo admoniti, in iis actionibus quas instituimus, præsertim si non sint de rebus levissimis, haudquaquam inconsultè properare ac ruere; sed animo, quantũ possumus, dispicere, excutere, expendere res omnes; memoriâ repetere atque æstimare præteritas, intueri præsentes, futuras conjicere, atque ex his omnibus quid facere conveniat non solùm nobiscum ipsi deliberare, sed in primis Deum suppliciter orare, ut quod faustum felixque sit id nobis in mentem mittat, operásque nostras ad suam ipsius gloriam, nostram verò salutem dirigat. Non enim nos, sed Deus novit, quid nobis ex usu sit; ac piè religiosèque consultus, promptè atque benignè, quæ salutaria sint, nutu impulsúque Divino suggerit, &, ut Aratus cecinit, ἤπιος ἀνθρώποισι δεξιὰ σημαίνει. Cæteroqui si solius nostri animi ductũ sequamur, nihilo agamus consideratiùs quàm si quid agendum nobis sit sortiamur, ut est à Xenophonte prudenter dictum Pæd. l. 1. Debet insuper hoc exemplum cautos facere Principes & Magistratus, h. e. qui Rebuspub. præfecti sunt, ut ne eos concionatores urbibus atque aulis suis temerè & inconsideratè sibi socient, quotquot splendidè ac magnificè de Deo concionantur, atq; Dei miranda opera continuò in ore habent, quasi nuper ex cœlesti aliquo consessu adsint. Est enim multis istius generis hominibus id nunc propositum, ut cùm se in Magistratûs gratiam insinuaverint, & partim magnæ pietatis adversùs Deum prætextu, partim fictis accommodatísque ad opiniones imperitorum doctrinis animos omnium sibi conciliaverint, antiquis bonísque constitutis, aliis sublatis, aliis labefactatis aut perversis, Remp. sursum deorsum miscere, ut ipsi, quod vulgò dicitur, in aqua turbida, quasi aliud agentes, piscari tacitè queant, atque aliorum hominum fortunas involare.

15. *Fecitque Josua cum illis pacem, & percussit ipsis fedus*, &c.] *Pacem facere* ad hostilem voluntatem atque offensionem deponendam pertinet; *fedus* verò *percutere* ipsa pacis pacta atque leges & conditiones intuetur, ut est alibi à Nehmanno scriptum. Conditiones autem quibus cum exteris civitatibus, è quarum numero se Gabaonitæ simulant esse, depaciscendum erat, perscriptæ sunt in Deuteronomio, 20. 10. *Cum accesseris*, inquit, sive Deus, sive ejus interpres Moses, *ad urbem ejus oppugnandæ causâ, atque pacem illi obtuleris, si vicissim ipsa pacatis te verbis exceperit, portásque tibi aperuerit, omnis populus qui in ea fuerit inventus erunt tibi tributarii, & servient tibi.* Et hæc lex, ut volunt Hebræi plerique omnes uno ore, æquè pertinet ad Chananææ colonos atque ad exteros & longinquos. Nam quod proximis deinceps versiculis discrimen inter indigenas & alienigenas positum est, id de iis civitatibus modò accipiendum esse aiunt quæ pacem oblatam recusant. In his enim, si externæ sint, mares quidem militares occidendos esse, at parvulos & feminas cum præda universa, diripi servaríque posse; at si non longinquæ, sed intra Chananææ fines sint positæ, quos Deus Israelitis pro hæreditate assignavit, tum nullius prorsus ætatis aut sexûs vitæ parcere fas esse. Quæ opinio Judæorum si vera est, quid est cur Gabaonitæ exteros se simulare debeant? cùm pacem etiam ultro oblatum veniant, neque exspectent ut rogentur. Sed dicent Judæi, Illos non satis fuisse legum Mosis peritos. Atqui Israelitæ ipsi dicunt, Se cum suarum sedium incolis, etiam si pacem ambiant, pacisci de pace non posse. Sed fuerit sanè etiam Israelitarum vulgus ignarum illius instituti Mosaici, quid de Imperatore Josua dicemus, qui queritur impositum sibi à Gabaonitis esse, eò quòd se exteros atque longinquos simulassent, eâque ratione pacem à se impetrassent? quando, si rectè Judæi sentiunt, etiam, ut indigenæ illi fuissent, pax eis, quam ultro petebant, jure non debuit denegari. Ego igitur verius esse existimo, recipi quidem etiam Chananæos, si pacem petant, in amicitiam posse; sed non continuò iis conditionibus quibus admittuntur exteri: His enim, etiam salvis sibi suis superstitionibus, pacem pro mutua pace & insuper tributo pendendo dare fas esse; Illis verò nè sic quidem, nisi falsâ religione cum vera commutatâ; & hoc propter contagii superstitionis periculum ex propinqua familiaritate. Sed hæc mox persequemur latiús. Hîc tamen facere non possum quin addam, nonnullos existimare neque exteros neque domesticos, h. e. Chananæos, si pacem ultro petant, quod Gabaonitas facere videmus, neque exspectent dum pacem poscantur, ullâ servitutis specie, quale est tributum, mulctari deberi; modò ut domestici qui sunt, & Chananæam incolunt, probum Dei cultum simul cum pace amplectantur. Atque ad hanc suam opinionem firmandam tum Rahabæ exemplum proponunt, tum præsens Gabaonitarum. Sed ista quoque fortassis pòst à nobis disputabuntur. Fecit ergò Josua cum Gabaonitis pacem, & sancivit fedus, tanquam cum exteris videlicet, salvâ ipsis suâ religione avitâ. Aut si hoc minùs probas, malísque assentiri illis qui putant Gabaonitas ultro veri Dei religionem fuisse amplexatos, dicemus, ut vectigales socios esse dimissos; cùm & fraus illa & insuper patriæ conditio duriorem servitutem promererentur: aut nè vectigales quidem, quippe cum se ultro deditum venissent: ídque Nehmanno placet, in Exod. 23.

¶ Porrò quod additur, *conservandi ipsos salvos*, est Hebraicè לחיותם, h. e. *faciendi ut viverent*, quo ego caveri modò puto, nullum ipsis vitæ periculum fore ab Israelitis; non etiam, Israelitas debere ab illis omne periculum propulsare. Audiemus quidem proximo capite, Josuam promptissimè opem illis tulisse adversùs ipsorum hostes, cùm eam implorassent: sed id ille Dei oraculo monitus fecisse videtur potiùs quàm de compacto. Quanquam nihil moror quò minùs contrà, si lubet, sentias. Illud tamen certissimum esse debet, mutuum subsidium sibi suísque non esse depectum Imperatorem à Gabaonitis. Nam in nefario crimine positum Israelitis est à sacris Vatibus, quoties non in solo Deo sed simul in re alia ullam haberent confidentiam. Exstant quidem in S. historia aliquot exempla federum quæ viri sancti cum profanis & barbaris inierunt: Cujusmodi sunt, fedus Abrahami cum Mamre, Eschol, & Aner, Gen. 14. 13. Cum Abimelechóque Gen. 21. 23. & Isaaci cum eodem Rege, Gen. 26. 31. tum Jacobi cum socero suo Labane, Gen. 31. 53. Et, ut multa prætaream, Davidi & Solomoni cum Hiram Rege Tyri quanta fuerit amicitia testatissimum est. Neq; enim nefas est homines, quamvis diversas religiones colant, inter se amicitiam gerere; quâ est ab ipsa rerum natura universum genus humanum quodam modo consociatum, sed usque ad aram, ut est in proverbio. Nullius enim societate sic se implicare fas est ut ejus causâ de via veræ virtutis sit declinandum, aut ulla ex parte polluenda religionis jura. Id quod Regi Achas evenisse

4 A proditum

proditum S. literis est, 4 Reg. 16. 10. qui cùm sibi regem Assyriorum adjunxisset belli socium, ejus gratiâ aram & alia quæ in sacra æde Divino consilio bene constituta fuerant, mutavit. Et Regi Josaphat obnunciavit vates Jehu iram Dei, quia *impio* Achab *auxilium tulisset, eúmque quem Deus oderat amasset*, 2 Par. 19. 2. Rursus cùm idem coivisset societatem cum Ochozia impiissimo Rege, vaticinabatur ei Eliezer Maresaus, ob eam rem infeliciter cessurum quod instituisset. Idque itâ evenit. Naves enim quas ad Tharsen miserat frangebantur, neque cursum tenere potuerunt, 2 Par. 20. 37. Sed non est opus plura malarum illiusmodi pactionum exempla adjungere: sunt enim plurima in S. historia. At Abraham, Isaac, Jacob suis illis federibus nihil aliud quàm pacem dabant atq; constituebant Barbaris petentibus, in quorum regione vivendum amicè ipsis erat, cùm nondum essent jussi hostiliter se erga illos gerere. *Non enim adhuc pervenerant ad summam improbitatem Amorrhæi*, Gen. 15. 16. Nequaquam autem pacem ab illis turpiter aut flagitiosè redimebant, cùm vel suis ipsi rebus ab eis timerent, neque Deo suo satis confiderent, vel ullos hostes suos ulciscendi, vel aliorum denique fortunas invadendi subsidium quærerent. Itaque ad reip. tranquillitatem conservandam, absque ulla Dei offensa, illorum federa spectabant. Jam verò Hirami amicitia, quâ tum Davidem tum Solomonem esse usum diximus, quis nescit quàm fuerit illis utilis ad ea comparanda quæ ad cultum Divinum pertinebant? Hæc eò à me monentur, ut vitandam nobis esse intelligamus arctiorem, quæ lubrica sit atque periculosa præsertim, conjunctionis necessitudinem cum iis quos à proba religione alienos esse scimus; nè videlicet eodem cum eis devincti jugo illuc simul abripiamur quò ipsi prava sua studia secuti feruntur. Cæteroqui pacem atque tranquillitatem in rep. quantum possumus, colamus & conservemus. ¶ Sequitur in S. verbis, *Et juraverunt ipsis principes cœtus*, &c. Certum est, Hebræorum federa eo ritu fieri solere quem Abrahamo olim Deus monstrarat, cùm ipsus inter partes sectorum per medium animalium transivisset, eâque ceremoniâ promissa sua, quæ paulò antè illi vigili, tum verò rursus secundùm quietem promittebat, confirmasset, Gen. 15. Nisi quòd Abraham quinque animalium genera capere jussus est, nimirum quæ sola olim ad sacrificia forent utilia; cætera autem federa uno animali secto ritè fiebant. Atque hæc est causa cur Hebræi fedus facere dicant כרות הברית, h. e. *dividere*, aut *dissecare fedus*: Sicut Latini suum repræsentantes ritum dicunt *percutere fedus*; de quo ritu vide Livium decad. 1. l. 1. Ejus quod dico optimus testis est Jeremias, 34. 18, 19. cùm ait, *Dedam viros qui fregerunt fedus quod diviserant* (h. e. fecerant) *coram me, vitulum quem diviserant in duas partes, & transierant inter partes ejus*, &c. *Eos, inquam, dedam in manus hostium ipsorum*, &c. Sed præter eum ritum, non dubium quin solennes etiam precationes adhiberi consueverint, in quibus jusjurandum quoque continetur; sicut in sponsionibus dari sponsores, aut etiam obsides. Itaque hìc jurarunt, non solus Imperator, verùm etiam senatus populi. Nam in repub. bene constituta, in qua non ex libidine unius hominis omnia gerentur, sed ex optimorum consilio unus res moderatur, solent legitima federa firmari unius quidem auctoritate; sed qui antè sibi senatûs auctoritatem adjunxit. De populi jussu nihil dico: cujus ego judicium semper existimavi incertissimum esse. Cæterùm illius ceremoniæ mysterium quâ inter dissecti animalis duas partes transibant qui federe conjungebantur, non jam explicabo, longum enim esset, & præter scopum. Ritum autem spargendi sanguinis victimæ, quo usus est Moses in Exod. 24. 6. credibile est hìc non esse adhibitum. Est enim ille eorum qui veluti initiantur sacris rebus. Sed de hoc pòst dicemus idoneo loco. Memorantur etiam Jacob & Laban cùm fedus facerent lapidum cumulos congessisse, Gen. 31. 45. Verùm id non tam de more eos fecisse ego certè opinor, quàm veluti terminos constituisse quos neutri fas esset aliquando nocendi alteri causâ transire. Et de federe hactenus.

16. *Factum est porrò post finem trium dierum*, &c.] Quo nuncio fraus sit patefacta scire nihil refert. Est tamen credibile Israelitas apud Galgala in stativis castris minimè otium trivisse post eversas duas urbes Jerichuntem & Hai, sed assiduis excursionibus loca latè vicina explorasse, cùm frumentandi, aliásque res ad victum necessarias quærendi, tum regionis cognoscendæ causâ. Vocantur autem Gabonitæ rectè *vicini*. Nam, quod proximo capite dicetur, ut plurimùm unius diei & noctis itinere ad eos usq; exercitus è Galgalis traduci potuit. Scribit quidem auctor compendii historiæ Josephi, is qui Egesippi nomine se venditat, distare Gabaonem à Jerosolymis stadia non ampliùs quinquaginta, secutus, ut videtur, in eo etiam suum Josephum, qui lib. De bello Judaico 2. c. 23. literis prodidit, *Cestium à direpta Lydda cum exercitu Jerosolyma per Beth-horon petentem castra fecisse in Gabao, stadiis quinquaginta ab Jerosolymis posita*. Sed incertum est an Josephus Saulis Gabaam an hanc nostram dicat. Verùm demus, nostram dicere; cùm absuerint Jerosolyma à Galgalis plùs minùs stadiis 160, ut idem Josephus scriptum reliquit, conficietur, à Galgalis ad Gabaonem decem & ducentorum stadiorum fuisse intervallum, h. e. vicies sexies mille passuum, & stadiorum duorum. Exstabat autem Gabaon ista in parte montis ejus quem *Silo*, vocat S. historia; qui mons ferè ad Occidentem positus est cùm Jerosolyma intuemur. Cæterùm quid sit illud, *Intra Israelitas habitare*, nuper exposuimus.

17. *Profectique sunt Israelitæ: & venerunt ad illorum urbes*, &c.] Non fuisse tridui iter ex Galgalis ad Gabaonem, satis certum est ex iis quæ proximo narrabuntur capite. Pervenerunt ergò illuc die tertio ex quo rescitum fuerant illos esse indigenas Chananæos; & quidem, ut est probabile, cum exercitu: quo, positis oportuno loco castris, terrorem maximum simul omnibus illorum urbibus attulerunt. Erant enim inter se vicinæ, unde & simul recensentur tres illæ, *Caphira, Beeroth & Kariath-Jaarim* apud Ezdram, l. 1. c. 2. & l. 2. c. 7. Et Cephira quidem atque Beeroth sorte obtigerunt Benjaminitis, ut suo loco dicetur, in Terræ partitione; Kariath-Jaarim verò, Judæis. De Cephira כפירה, non multa est alibi mentio. Beeroth בארות Remmonem patrem Rechab dedit, ut proditum est in Regum historia, l. 2. c. 4. v. 2. Habet hæc nomen à *puteis*, sicut alia quædam ei cognominis Deut. 10. 6. At Kariath-Jaarim קרית יערים multis est historiis celebris. Eusebius in libello De locis Heb. hanc collocat mille duntaxat passibus ab Jeros. quà Lyddam iter est; nisi mendum est in numero. Certè Burchardus circiter quatuor horarum & dimidiæ itinere ab Urbe sancta abesse scribit, h. e. ferè decem millib. pass. Sed erit, opinor, alius locus de his disserendi paulùm accuratiús. Nomen ipsum significat *urbem sylvarum*; quod ei datum est à vicino atque adeò adjacente monte, qui יערים *Jaarim* vocatur, utpote sylvosus & multâ materie obsitus, opinor. In eo monte exstabat illa, quam modò dicebamus, Cephira. Abfuisse autem Kariath-Jaarim propè admodum ab urbe Beth-semes, de historia sacræ arcæ à Palæstinis remissæ discimus, 1 Reg. 6. 21. & 7. 1. 1 Par. 13. 5, 6. Vocata est etiam קרית בעל *Cariath-baal*, & non nunquam בעלה *Baala*. Sed erit sæpius de ista urbe dicendum. Jeremias vatem Uriam in ea natum fuisse prodidit, 26. 20.

18. *Et non percusserunt ipsos Israelitæ, eò quòd*, &c.] Cùm jam ad Gabaonitarum ditionem armatâ manu perventum esset, locúsque, ut dixi, opportunus castris captus, unde invadi illorum urbes facilè possent, vulgus quidem militum vel prædæ, vel vindictæ, vel utriusque rei avidum, suæque libidini, ut solet, non rationi, obsequens, fremebat desiderio gentis invadendæ. At Tribuni aliique Duces & Præfecti consilio priùs quàm armis de tota re decernendum esse prudenter existimabant. Itaque hi deliberatione habitâ constituerunt, nefas esse eos hostiliter aggredi quos interposito per Dei Israelis sanctissimum nomen jurejurando jussissent vitæ suæ securos esse. Quare populi tumultuantis

multuantis impetum oratione reprimendum putaverunt, quæ oratio proximis duobus versiculis exponetur. Rursus hoc loco incerti sumus an isti deliberationi præsens interfuerit cum cæteris Ducibus Imperator Josua; an verò illorum decreta ipse in Galgalis approbaverit, cùm ad se de re tota relatum esset; atque illuc etiam Gabaonitas evocarit, sententiam audituros. Equidem utrum verum sit non satis video constitui posse. Quanquam verisimile esse videatur, ipsam militum concionem adversùs præsentem Imperatorem suum non tam insolenter fuisse murmuraturam. Neque enim id alibi ab eis esse factum apparet. Verum enimvero, quando *non esse* ideo *percussos ab Israelitis* Gabaonitas scriptum est *quia principes cœtûs ipsis jurassent*, illud videndum primò est, Si isti non jurassent, num fas fuisset homines ultro pacem petentes seséque dedentes armis invadere atque opprimere. Et sanè si per dolum pacem illicitam impetravissent, h. e. ut salvis sibi suis superstitionibus tanquam exteri vivere domi possent, dubium non est quin datam contra legem Dei pacem eripere illis Israelitæ rursus debuissent. Sunt enim ista legis verba, *Non ferias cum ipsis & diis eorum fedus*, Exod. 23.32. & 34.15. & Deut. 7.2. Sin autem non se solùm dedidissent, sed etiam vero Deo dedissent nomen, (nam hanc quosdam habere de ista deditione opinionem dixi) atque his conditionibus data ipsis pax fuisset, scelus fecissent, meo certè judicio, Israelitæ, si, etiam injurati, manus illis intulissent. Nam ad militum murmur quod attinet, ignorabant illi, homines imperiti, æquiorem duræ illius legis interpretationem de occisione occidendis exterminandísque Chananæis toties à Mose decantatæ. Non enim debebat ea ad illos pertinere qui Israelitarum sacra amplecterentur, adscriptitiíque Israelitæ fierent; ut mox dicemus. Deinde & illud quæritur, An si jusjurandum non conservassent Israelitæ quod Gabaonitis domesticis dederant, cùm exteros esse crederent, perjurii scelere se obligassent. Hîc ego planè statuendum puto absque ulla dubitatione, Si summo agatur jure, ipsáq; stipulantium verba spectentur, non magis obligatos fuisse Israelitas Gabaonitis, qui se alienigenas simulabant, indigenæ cùm essent, quàm si quis rei venditæ pretium ei se numeraturum, per errorem, promittat, qui sibi nihil vendidit. Sed prisci illi homines, non solùm qui veræ religionis, sed qui falsarum etiam superstitionum cultores fuere, ut parcè atque religiosè admodum ad jurandum descendebant, ità sua promissa, quorum semel Deum suum sponsorem nuncupassent, quovis modo servare se debere putaverunt. Atque ea est ratio videlicet cur & Gabaonitæ magnum sibi operæpretium fore statuerent, si vel dolo jusjurandum ab hoste accepissent; & Israelitæ, quam temere dedissent fidem, eam haud temere mutare se debere existimarent. Cæteroqui neutros ignorasse, vitiosum esse illud sacramentum quod per fraudem datum acceptúmq; fuerat, vel ex illo intelligas, quòd alteri castigant dolum, alteri pœnam metûs excusatione sic deprecantur ut interim quavis se dignos esse fateantur. Et mihi quidem certè videtur tale quiddam hîc accidisse Principibus cœtûs quale sanctissimo viro Isaaco, cùm à filio Jacobo benedictione circumduceretur, Gen. 27. Nam cùm Dei consilium esset ut *major* Esau *minori* Jacobo *cederet*, Gen. 25.23. facilè pater in agnoscendo filio deceptus est, quamvis tum vox ipsa tum præpoperus atq; immaturus redditus erroris illum satis admonerent. Et licèt bene precantis animus totâ cogitatione in majorem natu filium intentus fuisset, ut cujus & nomine & personâ stipulatio benedictionis fiebat, tamen neque stipulatoris fraus neque benedicentis error obstiterunt cur minùs cùm à Deo tum à parente fausta illa precatio rata haberetur efficáxque esset. Sed objicis mihi, Planè jusjurandum quod cum Dei verbo pugnabat firmum ac fixum esse minimè debuisse. Deus enim mandarat ad internecionem cædere Chananæos omnes, nullo discrimine, idq; repetitâ sæpius lege, ut dixi. Atqui ea lex, quamvis universè edicta esset, propter eorum paucitatem qui vitæ anteactæ pœnitentiâ essent meritas pœnas effugituri, tamen, quod in plerisq; omnibus legibus usu venit, æquitate quadam erat interpretanda, ut cùm æterna Dei clementia congrueret conveniretque. Neminem enim ille quidem unquam patitur serò ad se confugere, qui modò ex animo id faciat. Sed ea est rursus Divinæ justitiæ ratio, ut qui nimis diu illius lenitate ad peccandi licentiam abutuntur, & *divitias patientiæ ejus contemnunt*, Rom. 2.4. ii ferè nunquam in animum inducant seriò gratiam ab illo suorum delictorum petere. Nam, ut demus, ne ipsos quidem jurantes Principes Israelitas tum quando jurabant de æquiore illa interpretatione Legis cogitasse, tamen ità moderatus est ipsorum animos suo instinctu Spiritus ille cœlestis ut vel imprudentes consilium Dei sequerentur. Etenim, ut ad Isaaci exemplum revertar, dubitatio nulla esse potest quin lex illa de prærogativo filii qui patri suo primus esset natus, jam tû in Isaaci animo sic Divinitus inscripta fuerit ut pòst est à Mose in Deuteronomio 21.17. mandata literis, cùm ille Jacobum pro Esau deceptus benedictionis prærogativo amplificaret, &, si æternæ legis verba intueare, contra jus fásque eum qui *suarum erat virium principium*, ut est in sacris verbis, natúque major illi qui minor erat posthaberet. Et tamen, cùm mox errorem in quem filii astu delatus fuerat intellexisset, adeò factum non mutavit ut extemplo comprobaret etiam, cum diceret, Gen. 27.33. *Benedixi ei, eritque benedictus*. Nimirum viri sanctissimi animus similiter occulto quodam Divinæ approbationis sensu ducebatur. Sed rogas quo argumento conficiam illud Principum jusjurandum Deo fuisse probatum. Nam quin Isaacus rectè Jacobo pro Esau benedixerit, quamvis contra æternam legem id fecisse videretur, non audebis, opinor, negare. Sanè illi approbationi satis multa magno sunt argumento, & in primis illud quod in Regum historia, l. 2. c. 21. v. 1. consultus de fame Deus respondet, ejus mali culpam in Saullem & hujus progeniem esse conferendam, propterea quòd occidisset Gabaonitas quibus Israelitæ jusjurandum dedissent, cùm ille tamen his quidam æmulatione studuisset. Sed jam me acriùs urges, Saullem immeritò juris pejerati pœnas luisse sanguine suæ posteritatis, cùm dixerim illud Israelitarum jusjurandum non fuisse legitimum. Verùm est expedita responsio; Ut primâ actione illud ratum non fuerit, cùm dolus intervenisset, tamen eâ quæ deinde secuta est pactione ipsos se Israelitas obligavisse firmè Gabaonitis, & quod antè juraverant ut id ratam haberi deberet effecisse. Porrò quia diximus approbasse Deum fedus quod per fraudem Gabaonitæ ab Israelitis impetrassent, usque adeò ut à Saulle violatum graviter vindicaverit, nè quis isto exemplo licere sibi putet quenquam mortalium fallaciis sibi obligare, monendum hoc loco putavi, Deum quidem, qui in ipso rerum omnium ortu ex tenebris lucem procreavit, pro immensa sua bonitate & erga homines benevolentia, interdum ea quæ improbè à nobis fiunt sic moderari ut bono & saluti nobis sint, præsertim si non ut actio ipsa sic & animi nostri propositum fuit improbum. Sed cùm eò id ille faciat ut intelligamus non nostras actiones & operas quâ nostræ sunt mereri prosperos rerum eventus, sed causam omnis boni ad ipsum vertere discamus, tanquam ad *Patrem luminum*, ut inquit Jacobus 1.17. *à quo omne bonum donum & perfectum munus* nobis obtingit; & simul ut nos in thesauri bonitatis suæ admirationem rapiat, atque ad se amandum colendúmque convertat; quanta fuerat nostra perversitas, si tantam illius erga nos clementiam, quâ pro meritis pœnis tribuit præmia, nos in peccandi adversùs ipsum licentiam convertamus, ac non potiùs immensam ejus bonitatem amplectamur, jussísque eò alacriùs obsequendum nobis esse statuamus? qui cùm sit ipsa simplicissima veritas ipsáque virtus perfectissima, non potest non ei displicere quidquid fraudi vitióve est affine. Sed de ista re plura diximus ad v. 5. c. 2. Illud quidem in Gabaonitis placere Deo potuit, quòd non obstinatis animis cæcoque furore ejus æterno decreto obsistere, cum aliis Chananæis, in animum inducerent, sed potiùs cum eo populo quem ille amaret federe consociari cuperent. Verùm fraus ipsa quâ hoc consequi studebant placere quidem nullâ ratione ei potuit, quâ fraus erat. Sed facilè ignovit, gratiámque erroris fecit hominibus de sua ipso-

ipsorum salute, nisi ità agerent, prorsus desperantibus, & alioqui à veræ virtutis perfecta sapientia longissimè adhuc remotis. Et hæc modò hactenus: mox enim pluribus erunt explicanda. Igitur, *murmurabant omnis cœtus adversùs Principes.*

19. *Dicebant autem omnes Principes ad universum cœtum,* &c.] Objurgabat, inquit, universum vulgus suos Duces atque Tribunos, quòd in expeditionem non educeretur castris; quippe nuperâ victoriâ Haiensi bene animatum, & prædæ dulcedine inescatum, atque, ut est credibile, ejus causæ quæ illos à pugna retinebat prorsus ignarum. Nam in omni hominum cœtu plerumque fieri assolet ut quò quisque à Magistratûs dignitate consiliisque abest longiùs, eò fit ad huic obtrectandum propensior. Nimirum cùm ejus ordinis homines ferè non ratione, non judicio, quo non pollent, sed solis suis affectionibus ducantur, atque ad præsentem se fortunam semper accommodare cupiant, non possunt non ferre molestè ea quæ hisce suis cupiditatibus adversantur imperia. Ad hoc, quantò sunt rerum omnium imperitiores, tantò plùs sapere se arbitrantur, minùsque Magistratûs suæ prudentiæ concedunt confidúntque. Denique eò est etiam confidentius vulgus quò minùs potest adversorum casuum momenta expendere atque prævidere. Multitudo autem confidens semper est superbiâ intolerabilis; sicut contrà pavens, stupore indocilis atque intractabilis. Postremò indè quoque populi temeritas nasci videtur, quòd quæ adversa eveniunt, ea inglorios atque obscuros homines parùm tangant. Omnis enim rei malè gestæ culpa & ignominia in Principes solet rejici. Quamvis autem fatendum est, in eo quoque ordine viros multos esse aut indole ipsâ aut educatione probos, tamen isti aliorum clamoribus, tanquam flabellis, facilè ad temeritatem inflammantur. Hoc autem ideo dico quia in S. verbis universè scriptum est, *Omnem cœtum murmurasse*; Sicut rursus, *omnes Principes adversùs* importunitatem *cœtûs respondisse.* Atque hîc sanè observanda est sancta Principum omnium inter ipsos concordia. Eâ enim factum est ut suam in populum auctoritatem facilè tenerent. Nihil enim est quo magìs levetur, imminuatur, abjiciatur denique Magistratuum auctoritas atque imperium, quàm si ex eo ordine nonnulli, ut sæpe fit, nimis populares à suorum collegarum rectis salutaribúsque sententiis ad civium perversa studia voluntatésque se adjungant. Quod sanè probus nemo unquam fecerit. Tanti enim viro bono debet esse recti atque honesti species, ut ab ejus scopo nullius multitudinis vel metu, vel gratiâ patiatur aliquando voluntatis suæ oculos dimoveri. Nimirum hoc est, quod Deus per Mosen in Exodo 23. 2. edixit, *Ne sequitor multitudinem in malis.* Est quidem, quod dici solet, *Vulgus bellua multorum capitum*, quæ suo fremitu atque tumultu sæpe terribilis admodum videri potest. Verùm debet Magistratus existimare, veritatis, h.e. ipsius Dei, præsidio satis se tutum esse, ac proinde constanti gravitate in sua auctoritate tuenda pergere; atque etiam si planè frustrà se in præsenti urgere propositum intelligat, & obtinere se posse desperet, tamen minimè cedere, vel rectam sententiam ullâ simulatione deserere. Ità enim omnino fiet ut evincat tandem insanum populi furorem, sibíque multò etiam quàm habuerat antè auctoritatem conciliet majorem. Planè ut cùm aut maris aut fluminum inundantes magno æstu aquæ oppositos aggeres tuos jam jam perrupturæ videntur, si non majoribus objectis molibus illarum impetum repuleris, aut saltem veteres aggeres continuò sarciendo interpolandóque sustinueris, sed cedendo, novósque loco remotiore moliendo laxamentum inundationi illarum dederis, nihil profectò aliud quàm ipsas, ut in dies majore violentiâ in tuas novas machinas incurrant, eásque oppugnent, provocaveris. Quare scitè, ut omnia, illud à Platone dictum est, De leg. l. 1. *Egregiâ victoriâ ipsas se vincere civitates, quoties qui in iis prudentiâ antecellunt multitudinem vincunt.* Igitur Israelitici populi Duces atque Tribuni uno animo simul omnes pravæ militum cupidini, quamvìs universi fremant, nihil concedendum statuunt, & quod illi flagitant facere se non posse apertè pronunciant. Verùm tamen nè solo imperio (quod per se omnibus hominibus grave videtur) illorum animi exacerbentur magìs perturbentúrque quàm sedentur, justam cùr à Gabaonitis abstinere manus debeant causam præmittunt; hanc scilicet, *Quia jurarint ipsis per Dominum Deum Israelis, ideo nefas esse tangere,* ubi illud *Deum Israelis* magnam habet emphasim, perstringit enim populi animos religione, cùm eum Deum sponsorem impunitatis esse datum audit quem ipsus colit. ¶ Cæterùm verbum נגע non solùm simpliciter *tangere*, sed etiam *vulnus infligere, sauciare, percutere,* atque etiam alio afficere incommodo significat. Idque perspicuè apparet ex nomine נגע, cui *vulnus, ulcus, morbus, damnum,* aliáque hujusmodi mala subjiciuntur. Quare Chaldæus non inscitè pro *tangere* reddidit *nocere*, sive *damnum dare.*

20. *Hoc faciemus ipsis, & conservabimus eos salvos,* &c.] Verbum infiniti modi ex formula Hiphil החיה positum est pro futuro tempore modi finiti. Quare cum Chaldæo convertimus, *Conservabimus ipsos salvos,* sicut etiam LXXII fecerunt, si Syro interpreti credendum est. In pronomine *Hoc* existimo tectè contineri ea quæ proximo versiculo explicabuntur, conditiones videlicet quas ferre Gabaonitis constituebant Principes. Habet itaque ea orationis pars duo argumenta ad sedandos militum animos pugnæ cupidine æstuantes accommodatissima: quorum alterum est à compensatione pœnæ quam illi de Gabaonitis sumere desiderabant. Debet enim servitus homini ingenuo & liberali morte ipsâ videri gravior: alterum ab utilitate. Sunt enim in lignatorum aquatorúmque officiis publicæ rei commoditates maximæ. Sed duobus istis argumentis bene magnis addunt etiam tertium, quod vel maximum atque gravissimum videri potest, ductum à contrario malo, & religione, cùm dicunt, *Ne recidat in nos ira,* &c. Et si enim summo jure, ut diximus, illud jusjurandum, quod mendaciis circumducti dederant, ratum non erat atque firmum, tamen homines simplices & antiquæ probitatis, cùm illiusmodi juris acumen argutiis minimè expenderent, sed secum ea reputarent quæ Deus suis ipse digitis inscripsisset in tabulis federis, nempe quòd *non esset daturus impunitatem ei qui suum nomen frustrà usurparet,* non abs re iram illius vindicem metuebant. Et profectò non potest Divina majestas non læsa videri, quoties sacrosanctum illud nomen, quo Deus pro immenso suo erga nos amore quadam tenus se patefacere nobis dignatur, vel ad promissorum nostrorum sponsiones temere adhibuimus, vel alioqui leviter in rebus nihili & absque justa veneratione usurpavimus. Quare nos quoque, cum Principibus cœtûs, animum inducamus, quidquid tanto sponsore promisimus, etiamsi circumventos esse nos intelligamus, illud tamen præstare atque ratum facere. Et si quod indè nobis damnum evenerit, hoc aliis potiùs honestis rationibus sarcire quàm fallendæ fidei causam ullam quærere. De illis promissis loquor quæ cum lege Dei non pugnent, eóque inoffenso præstari possint. Non lubet hîc in nostri seculi mores multis verbis invehi, quo mortalium cupidines ex carne indomita & effrænata ortæ, afflatu Satanæ excitatæ atque inflammatæ, voluptatum deniq; usu irritatæ, pro causis justissimis habentur fidem conceptis verbis & mente sanâ Deo ipsi datam facillimè frangendi. Sumus enim nunc ità morati ut ferè, cùm Corporis adversùs Animum causa disceptatur, non rationem utriusque dominam feramus judicem; sed quam ipsa Caro pronunciat sententiam, eam obviis amplectamur ulnis, probemus, sequamur, atque ad eam firmandam Dei etiam sacra verba mirandis interpretationibus extorqueamus. Quid enim, pro Deum immortalem! auditum est unquam Sardanapali acumine scilicet magìs dignum, quàm sic argumentari, sic colligere, sic statuere, Lex jubet *Neminem interficere*; & Christus dixit, *Satis esse cuique diei suam ærumnam*: non sunt ergò observanda jejunia quæ

quæ etiam votis nuncupatis ipsi nobis constituimus? Rursus; Paulus semel pronunciavit, *Satius esse connubio jungi quàm uri libidine*: apage ergò vitam istam cœlibem quam Deo vovisti postquam saturum te, nè dicam ebrium etiam, tua caro titillat voluptate. Sed pudet profectò levissimæ vanitatis ad quam viri alioqui docti sunt delapsi, dum undique flagitiorum suorum patrocinia quærunt.

21. *Dicebant, inquam, principes ad illos, Vivant, & sint cæsores*, &c.] Versiculus iste in alias atque alias sententias potest interpretari, propterea quòd ipsa verborum structura non satis est explicata. Nos quæ simplicissima nobis visa est eam expressimus, neque enim ullis verbis tanquam præteritis quod scriptum est supplevimus. Literæ Vau duntaxat quæ est in verbo ויהיו, quamvis vocalem Patah habeat, non eam vim attribuimus ut futurum tempus in præteritum mutaret. Sed hoc minimè insolenter fecisse videmur. Nam etiam alibi sic usurpatur, & assentitur hoc nobis tum Latinus, tum Chaldæus in præsenti loco. At R. D. K. qui literam Vau ex futuro fecisse præteritum putat, curtam esse orationem ait; suggerítque post verbum *vivant* hæc omnia verba, *Et sint lignatores & aquatores totius cœtûs*: atque deinceps sequi illud existimat, *Et fuerunt cæsores lignorum & haustores aquarum*, &c. Atque hunc sensum expresserunt etiam LXXII interpretes, ut certè à Syro lecti sunt. Habent enim illi ad hunc modum, *Vivent, & erunt lignatores & aquatores universo cœtui. Et facti sunt lignatores & aquatores universo cœtui, sicut dixerant ipsis Principes*. Atqui intempestivum erat hîc dicere, *Fuerunt*, sive *Facti sunt, lignatores & aquatores*, &c. Tum enim demum fient cùm Imperator sententiam pronunciaverit; ut audiemus. Quare causam non video cur nobis desistendum sententiâ illâ nostrâ sit. Nam illam verborum complexionem quæ in extremo versûs posita est, כאשר דברו להם הנשיאים, nisi ad eam consultationem referas quâ Principes inter se deliberaverant quî possent suum jusjurandum tueri, ut est à nobis interpretata, prorsus supervacanea certè videbitur. Et Pronomen illud להם pro *inter se*, aut *apud se ipsos*, vel *secum*, h.e. ἀυτοπαθῶς atque, quod Grammatici dicunt, reciprocè, positum alibi quoque esse certum est; ut apud Ecclesiasten 3. 18. cùm is ait, שהם בהמה המה להם, *quòd ipsi sint bestiæ sibi ipsi*. Neque opus est pluribus exemplis in re aperta. Nam si *ipsos* accipias de Gabaonitis, necesse est ut dicas Principes cum Gabaonitis seorsim de dura illa servitute egisse prius quàm eâ ad ipsos uteretur Imperator objurgatione quæ proximo versu dicetur; quod non est quidem absurdum planè, sed profectò incertum. Quapropter Latinus hanc clausulam ad proximum versiculum transtulit; & hîc dictionem illam כאשר non Similitudinem sed Tempus significare, atque pronomen non Gabaonitas sed Israelitarum milites demonstrare censuit; commodo ille quidem sensu, sed interpunctationi quæ nunc est in Hebræorum libris non satis congruente. Sunt etiam qui sic interpretentur ut assensionis & approbationis militum, qui antè fremuerant, det significationem. Sed certè nimis trunca atque imminuta fuerit illa oratio, & divinare hoc est potiùs quàm interpretari.

22, 23. *Vocavit ergò illos Josua, & locutus est ad ipsos*, &c.] Probabile est, quæ adhuc dicta sunt, ea ad Israelitarum inter ipsos pertinere deliberationem, neque quidquam cum Gabaonitis actum adhuc esse; sed quæ de communi Principum consilio atque etiam populi assensione sunt constituta nunc demum ab Imperatore coram istis reis evocatis edici. Cæterùm an illi deliberationi Josua interfuerit, & in castris apud Gabaonitas factis ista edixerit, an verò quæ à Tribunis cæterísque Præfectis apud milites acta deliberatáque fuerant, ea sint deinde ad ipsum relata, & evocati Gabaonitæ ad Galgala, non usquequaque certum esse diximus suprá. Quanquam simul adfuisse apud Gabaonitas Imperatorem, & cupidos pugnandi milites eum cohibuisse, dici videatur v. 26. Verùm hoc mox quale sit exponetur. Sed enim cùm interrogatione aggreditur Gabaonitas, inquiens, *Cur nos decepistis?* mirificè accusationem per se alioqui gravissimam auget. Maxima enim vis est in illiusmodi interrogationibus atque acerbitas. Quanquam autem doli & falsi eos apertè convincat, ob quæ peccata rescindi factum fœdus atque irritum fieri jure posset, tamen, quam dixi priscorum illorum fuisse hominum religionem, præstare datam fidem quibus fas est rationibus pergit, inquiens, *Jam ergò maledicti estis*, &c. Diximus antè, & iterum dicturi sumus, nullâ prorsus conditione Chananæos tolerari ab Israelitis debuisse, nisi religionem puram cultúmque sacrum susciperent, cui ea regio peculiariter à Deo dicata fuit; quippe in qua desideratissimum ab omnibus seculis mysterium olim esset perficiendum celebrandúmque; quo cœlum ipsum mortalibus recluderet Dei Filius æternus ab æterno Patre in mundum missus. Igitur Imperator Josua cum reliquo Senatu rationes ineunt quibus & suum jusjurandum conservent, neque tamen sacram legem violent. Atque à majorum suorum superstitionibus ut posthac illi desistant, verúmque Deum colant, in primis statuunt. Deinde haud ignari veteris etiam Noæ vaticinii, Gen. 9. 25. quo ille Chananæos fratribus ipsorum mancipaverat in servitutem, ipsis servitutem quoque imponunt. Non fit quidem in S. verbis apertè religionis mentio; ídque ideo, ut arbitrantur nonnulli, quia Gabaonitæ ultro suas superstitiones cum Israelitarum religione commutassent, verùm, ut id secùs esse putemus, quis non intelligit eos à fœdo dæmoniorum cultu debuisse alienissimos esse qui in æde Dei Opt. Max. officio atque muneri alicui præessent? satis ergò de religione depectus videri potest Josua, cùm Dei sui ædem nominat, in qua illi perpetuam debeant servitutem servire. Doctores Hebræi tract. כתובות *De mulieribus*, c. 8. statuunt istam Josuæ maledictionem quâ utitur adversùs Gabaonitas, excludere ipsos prorsus in perpetuum ab Israelitarum affinitate atque connubiis. Id an verum sit, ipsi viderint, nullo certè satis firmo argumento conficiunt. Cæterùm calonum & lixarum, sive lignatorum & aquatorum deterrimam fuisse conditionem, & locum ultimum in populo, cùm ex ipsa regionis natura, in qua & lignorum & aquarum magna erat penuria, tum ex Mosis verbis quibus est in Deuteronomio 29. 11. usus, satis certum est. Israelitas enim alloquens, *Vos*, inquit, *statis hodie omnes coram Domino Deo vestro; principes vestri, tribuni vestri, seniores vestri, atque apparitores vestri, omnis denique Israelita, parvuli vestri, uxores vestræ, & advena vester qui in castris tuis est, ab lignatore vestro usque ad aquatorem vestrum; ut transeas in fœdus Domini, atque in sacramentum ipsius, quod Dominus Deus tuus ferit tecum hodie*, &c. Ordine enim decurrit ille à summis ad infimos; atque hos facit lignatores & aquatores, ubi illud insuper est animadvertendum, Etiam istos cum cæteris ordinibus federatos Deo esse debuisse, id quod nos de Gabaonitis quoque dicimus. At enim mirabitur fortassis in eo aliquis, quòd hîc Josua Gabaonitas facit calones & lixas ædis sacræ, cùm hujus antè nulla fuerit in deliberatione mentio, sed *universi cœtûs*. Verùm credibile est, in primis sacræ domûs rationem habuisse Principes, viros sanctissimos, cùm de ista re inter se consultarent. Neque enim cœtui illos servire potuisse videtur postquam sorte divisâ terrâ distractus ad suas quisque possessiones esset populus universus, sed solis tum Levitis, h. e. sacrorum in Templo administris, addictos mansisse, quod ab Ezdra quoque literis proditum est l. 1. c. 8. v. 20. Sed cùm istam orationem illi adhiberent ad tranquillandos tumultuantis populi animos, ut diximus, prudenter eam servitutem ostentabant verbis quæ ipsi esset populo futura utilis & commoda. Erat enim hoc magis populare quàm si officium in sacra æde faciendum prædicassent. Et existimat Nehmannus, etiam tum illos cuivis è vulgo Israelitæ aquatores lignatorésque esse debuisse, cùm distributæ fuissent possessiones, qui modò ipsos de eo officio interpellasset; quanquam non planè gratis, ut ipse censet, sed exiguâ mercede con-

conductos, quâ victum sibi possent parare. Nam qui sacræ serviebant aræ, ii cum Levitis alebantur. Sed enim ego probabilius esse dixerim, nunquam Gabaonitas singulis Israelitis servitutem servire debuisse, sed universo duntaxat cœtui, h.e. rei communi; propriúmque illorum munus fuisse aquam & ligna Levitis in Templo atque in sacrificiis & epulis publicis subministrare. Hoc enim profectò erat operam dare universo cœtui. Quanquam nolim hoc defendere pertinaciùs, si quis contrà pugnet.

10 24,25. *Et responderunt Josua, dixerúntque, Quia famâ perlatum*, &c.] Ex isto Gabaonitarum responso confici videtur, fidem ipsos adjunxisse iis quæ & de mirandis factis & de promissis Dei communi famâ sermonéque audierant: Porrò, ex hac qualicunque fide procreatum esse in ipsorum animis timorem; non illum quidem planè pium, obsequiosum, & cum justa reverentia conjunctum fortasse, qualis est bonorum filiorum adversùs suos parentes, & qualem in Rahab perspicuè videre erat; sed servilem potiùs, & tamen qui ipsis viam ad salutem aperuerit, ac veluti manu à majorum superstitionibus ad fidem
20 sanctam & puram religionem averterit. Solet enim ille talis timor mentes hominum iis informare cogitationibus quibus paulatim in spem veniæ ducantur; quâ spe deinde erecti fultíque rationem vitæ melioris ineundam meditari, ac demum caritatem ipsam exercere, neque jam servili metu Deum timere, sed ut clementissimum Patrem piè revereri incipiant. Itaque fit ut servilis ille timor se tandem ipse pellat; quod D. Augustinus scientissimè per collationes his ferè verbis ostendit, cùm in Joannis epistolam scriberet; Si nullus, inquit, est timor, non est quà
30 charitas intret. Sicut videmus per setam introduci filum, dum suitur aliquid: seta quidem intrat prior; sed nisi rursum exeat, non succedit linum; sic timor occupat mentem prior, verùm non ibi manet; quia ideo intravit ut introduceret charitatem. Et post pauca alterâ utitur non minus scitâ similitudine a Chirurgo ulcus secante, scalpellóque abradente. Sed hæc hactenus. Est autem ipsum responsum universum ad gratiam misericordiámque mirâ arte compositum. Mirifica enim vis in singulis penè verbis
40 inest; dum se *servos* vocant, dum *Jehovam*, h.e. verum Deum, prædicant, eúmque peculiariter Josuæ *Deum* appellant; denique *Mosis* auctoritatem laudant, & hunc quoque à Dei familiaritate commendant. Ac tandem cùm ad ipsum crimen ventum est, nullo id nomine proferunt, tanquam ejus recordationem detestentur; sed, *Hanc*, inquiunt, *rem egimus*. Postremò, cùm se totos in arbitratum Imperatori dedunt. Cæterùm verbi הגד geminatio ad ostendendam nunciorum frequentiam famæque certitudinem spectat. Eâque re ut Gabaonitæ metu se justiore percul-
50 sos, tantóque magis ad dolum adhibendum incitatos esse ostendunt, ita luculentissimè arguitur aliorum Chananæorum stupor, quo Divinitus ipsos fuisse occæcatos diximus. ¶ Refellitur etiam hoc verbo Doctorum Hebræorum jactatio, qui, ut dixi, gloriosè ostentant Legis scriptionem in lapidibus apud Hebal, quam LXX linguis factam ferunt, ut nè qua gens posset ignorationem excusare; & ex ea Gabaonitas quoque ista Dei jussa didicisse absque omni dubitatione dicunt. ¶ Porrò *terra* vocabulum hîc de sola Chananæa est accipiendum. Neque enim de univer-
60 so terrarum orbe agitur. Itaque LXXII interpretes ejus rei patefaciendæ gratiâ addiderunt de suo demonstrationis pronomen ταύτην *terram istam*, omiserúntque notam universitatis *omnem*. ¶ Postremò illud est hoc loco observandum, Gabaonitas ipso jurejurando, quod ab Israelitis per dolum acceperant, minimè niti ad salutem conservandam. Neque enim tam erant rerum imperiti ut vitium non agnoscerent. Interim tamen boni æquíque admonere Imperatorem videntur, fiduciâ quadam priscæ illius quam dicebamus probitatis atque erga jusjurandum
70 religionis, q.d. Fatemur quidem peccatum à nobis esse; sed præ magno metu; Verùm quando Deum salutis nostræ sponsorem fecistis, bonam spem habemus vos peccati quidem nostri pœnas æquas petituros, quas etiam libenter solvemus; cæterùm fedus sic sancitum conservaturos.

26,27. *Fecit ergò illis sic: liberavítque ipsos à manu*, &c.] *Sic*, uti dixerat videlicet verbis superioribus, *Neque deerit è vobis servus*, &c. Idque insequente versu explicatum est, cùm dicitur, *Constituítque ipsos Josua eo die cæsores lignorum*, &c. Commodè tamen particula כן accipiatur tanquam nomen, significans *id quod rectum, honestum & ipsâ æquitate firmum est*. Nam, ut diximus,
10 scelus admisissent Israelitæ si Gabaonitas interemissent, cùm salvâ religione possent suum jusjurandum quod illis dederant commodis rationibus tueri. Porrò lignatores aquatorésque isti sunt posteris temporibus tanquam peculiari appellatione dicti נתינים *Nathinai*, à verbo נתן, quasi *dedititios* dicas, & cœtui atque aræ Dei mancipatos. At enim objicias, Nathinæos à Davide primùm esse institutos, id enim apud Ezdram 8. 20. esse scriptum. Non ergò Gabaonitas fuisse Nathinæos; quippe quos Josua hîc muneri illi præponit, & in
20 eam servitutem dedit. Respondet ad hoc R. Solomon, Davidem fuisse quidem novæ illius appellationis auctorem, ut pro *Gabaonitis* dicerentur *Nathinai*; at non officii aut servitutis. Mihi verò videtur esse verisimile, Ezdram ideo Davidis, tanquam auctoris, mentionem facere, quia hic plerasque omnium servitiorum & munerum rationes filio suo Solomoni sub extremum vitæ actum certo ordine modóque præscripserat, quæ observari atque effici in sacra æde, postquam ea foret exædificata, voluisset; ut est in Paralipomenis l. 1. c.
30 23. scriptum; quamvis non solùm noster hic Josua de Gabaonitis, quo deberent ipsi munere fungi, constituisset, verùm etiam ipse Moses nonnullas leges de aliis quoque officiis condidisset. ¶ Porrò illæ verborum circumscriptiones, *Usque ad præsentem diem*, &, *In eo loco quem esset electurus*, non definiunt certum tempus certúmque locum præstitutum servituti Gabaonitarum: Sed prior significat, etiam tum quando ista historia conscribebatur, durasse illorum hanc muneris functionem; Posterior verò non de ultima atque perpetua, ut vocatur in S.
40 literis, electione modò loquitur, quâ tandem electus est locus in Jerusalem, sed æquè de aliis electionibus, quibus diversas stationes suo sacrario, aliis atque aliis temporibus ante constructum Solomonis templum, Deus delegit. Quamvis enim, ut D. Augustini verbis Epist. 137. utar, *Ubique sit Deus, & nullo contineatur loco, qui condidit omnia*, quíque cœlum implet & terram, *eúmque à veris adoratoribus oporteat adorari spiritu & veritate*, tamen dedicata sibi esse voluisse semper certa quædam loca, in quibus quasi uno ore à piis hominibus coleretur, nemo qui S. hi-
50 storiæ monimenta aliquando inspexit negare potest. Qua in re existimandum est illum imbecillibus sensis nostris benignè consulere voluisse. Adfert enim religionem pietatémque majorem animis nostris ea opinio, dum Deum nobis veluti præsentem, & ante oculos positum, hoc, illo loco ejus cultui dicato adoramus, ibíque rebus Divinis & ipsi operam damus, & dantes simul alios intuemur, quàm si mens nostra per istam rerum universitatem, quasi quæ tota illius templum atque ædes sit, ut sanè est, vagetur cogitatione. Hujusmodi enim cogitatione vix unquam
60 se satis colligere, atque ad illius admirationem & amorem intendere totam illa potest. Sed est ista res multis verbis à D. Augustino tractata epistolâ 137. Quare de ea nunc hactenus. Jam verò explicatis à nobis utcunque sacris verbis, superest ut quæ passim hoc capite & aliis insuper locis de Chananææ gentis excidio atque servitute scripta extant, semel, quoad ejus fieri à nobis potest paucis, ob oculos ponamus. Nemo, opinor, ignorat universi generis humani parentem alterum Noam, Gen. 9. 25. sive dirâ devotione, ut videtur, sive vaticinatione ex arcanis Dei con-
70 siliis profectâ, ut ego existimo, detestatum esse filii sui Cham progeniem eam quæ ex Chanaan esset nascitura. Ea autem fuit quæ loca ista trans Jordanem Israelitis à Deo hæreditatis loco assignata occupavit: quam gentem S. historia sæpe *Chananæos*, interdum *Amorrhæos*, nonnunquam diversis septem

septem nominibus, aliquando pluribus, aliquando paucioribus vocat. Cùm ergò Israelitæ prognati ex Sem essent, cujus olim nepotibus illos esse servituros Noa prædixerat, consentaneum profectò fuit ut nè prorsus omnes Chananæi ab his internecione exscinderentur. Nam si armatos in bello, inermes supplicésque in pace occidissent, quibus tandem potuissent pro servis uti? Conficitur ergò leges illas quæ aliis atque aliis locis scriptæ, & animis Israelitarum veluti inculcatæ, jubent illam nationem internecino bello funditus delere, neque ulli aut ætati aut sexui parcere, planè aliquâ esse æquitate temperandas. Quæ æquitas qualis sit, ipsa nos ratio Divinæ illius constitutionis optimè doceat. Est enim *ratio*, ut Jurisperiti aiunt, *legis anima*. Erat autem in sanguinaria illa lege instituenda hoc Dei propositum, quod ipsus patefecit; nè sacer populus, cui loca ista pro habitatione fuerant data, à pura religione abduceretur ad istarum gentium superstitiones, si simul habitarent, Exod. 33. & 34. Deut. 7. & 20. Quis ergò non intelligat, ubi nullum esset à tali contagio periculum, ibi neque illi sanctioni locum esse? Ego verò jam de consilio & voluntate Dei loquor illius legis sanciendæ. Cæteroqui certissimum est, fuisse Deo justissimas jam dudum causas, etiamsi nusquam gentium vixissent Israelitæ, perdendi prorsus omnem illam Chananis progeniem, cujus nefaria scelera per aliquot jam secula patienter tulerat, Gen. 15. 16. Quæ autem potuit esse metuenda contagio ab illis Chananæis qui majorum suorum fœdam cum pura Israelitarum religione commutaverant, & sacrorum cæterorúmque jurium communione se Israelitis junxerant, ac planè adscriptitii Israelitæ facti fuerant? Non jam hoc contendo, Chananæos, si Israelitarum ritus amplecti fuissent parati, continuò cæterorum advenarum jure admitti debuisse. Firmum enim ac fixum esse oportuit illud Dei opertum quod Noa, ut dixi, olim protulerat, cùm *ipsos servos servorum futuros esse fratribus suis* diceret, quibus verbis vilis omnino servitus significata esse videtur; quanquam fortassis non omnium vilissima, qualis erat lignatorum & aquatorum, quam suo etiam dolo promeruere Gabaonitæ. Nam si illi qui longinqua incolebant loca, ut pax ipsis dari posset, & vectigales & servi fieri debebant, quis putet meliore conditione devotos istos fuisse? Sic enim in Deuteronomio 20. 11. scriptum est, *Si pacificis verbis tibi responderit, aperueritque tibi*, civitas videlicet, *omnis populus qui in ea fuerit repertus erunt tibi vectigales, & servient tibi.* Scio equidem sic sentire plerosque Judæos, ut existiment tributum hîc ad exteros pertinere, at servitutem ad solos Chananæos. Nam, quod suprà quoque dixi, nisi fallor, omnes ista verba accipiunt tanquam promiscuè & communiter de Chananæis & de longinquis dicta. Sed id jam non laboro, modò ut confectum satis à me putes, indigenas, h. e. Chananæos, nisi in servitutem mancipatos conservari non potuisse. Sed ex hac mea disputatione forsan occurrat illud, Si Chananæis nisi servis non potuerunt parcere Israelitæ, Rahabam quoque servam fuisse; quod nusquam memoriæ proditum est. Atqui non sunt omnia literis consignata quæ in prisca illa gente acciderunt. Scio equidem Judæos illam è Chananæorum numero eximere, & alienigenam fuisse dicere; in quo oscitantium Talmudicorum dictata reddunt modò, non etiam eorum quæ dicunt causas ullas afferunt. Veruntamen si Rahabam libertatem tenuisse mavis omnino existimare, quid vetat cur minùs dicamus, privilegium fuisse quod illam servitio omni exemit, quæ animo apertissimo, atque ultro, atque priùs quàm in Chananæam Israelitæ trajecissent, atque cum propriæ etiam vitæ præsentissimo periculo fidem suam & Deo & ejus populo probaverat? aut tum demum eâ lege Israelitas agere debuisse cùm in Chananæam trajecissent (quod Deut. 7. 1. videtur esse scriptum) Rahabam autem sibi vitam fuisse depectam antè, ut c. 2. hujus commentarii vidimus? Sed hoc hactenus. Cæterùm interpretandam explicandámque esse illam de Chananæorum exitio legem eâ quam modò diximus æquitate, illud insuper argumento est quòd pòst dicetur, c. 11. 19. Ideo *omnes Chananæorum urbes esse excisas, præter Gabaonitarum, quia nullæ aliæ pacem cum Israelitis fecissent.* Item illud quod Regum memorat historia, l. 3. c. 9. v. 20. Solomonem sat habuisse reliquias Chananæorum redegisse in servitutem, cæteroqui non occidisse. Quis enim illum talem támque potentem Regem, & quidem quo tempore ob egregiam pietatem Deo erat familiarissimus, atque duobus Regibus, Tyrio fraternâ amicitiâ, Ægyptio etiam affinitatis arctissimo vinculo conjunctus; ut quas cum reliquis finitimis gentibus, Syris, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, habebat necessitudines prætercam; quis, inquam, opinetur eum Regem, & pietate & opibus tum suis tum amicorum florentem maximè, reliquias gentis Chananææ aut debellare non potuisse, quas tamen sibi vectigales & servos efficiebat, aut noluisse, si severam illam Dei legem id jubere intelligebat? Denique audiemus, à Josua nihil non esse factum eorum quæ eum facere Deus jusserat per Mosen. Non ergò adversùs Dei jussa vel Rahabæ vel Gabaonitis pepercit. Sed hoc jam satis multis egisse videmur. Ad illud verò, Cur exteros se simularint Gabaonitæ, si indigenis licebat esse tutis qui servitutem servire & puram religionem amplecti vellent; tum, Cur Israelitæ negaverint se pacem dare posse domesticis, ac deinde patefactâ fraude vix ab armis abstinuerint; ad illa, inquam, antè est à nobis responsum, ut spero, satis. Tamen ut paucis repetam, mirum non est, Gabaonitis, hominibus barbaris & misericordiæ veri Dei insciis, illam æquiorem legis interpretationem in mentem non venisse. Nam quæ fuerit illorum de consilio Dei opinatio ipsi apud Josuam declarant. Neque verò etiam satis firmum illud est, quòd vero Deo nomen dare parati venerint illi; quamvis ità Augustinus, Liranus, Nehmannus sentiant. Et *servorum* nomen, quod suæ fraudi opponunt, per submissæ potiùs appellationis causam, ut fit, atque ad gratiam, quàm quòd se illico in servitutem conceptis verbis dederent, usurpasse videri possunt. Porrò quòd Israelitæ *sibi fas esse negant cum indigenis pacisci*, id est de iis conditionibus accipiendum quibus exteri, quales se illi esse simulabant, potuere admitti. Ad hoc, non nefas est existimare, nè Israelitis quidem illico venisse in mentem illam quam dixi æquiorem legis interpretationem, sed tum demum ubi de tuendo suo jurejurando disceptare inter se occœpissent. Magna enim de causa Principes ut suum jusjurandum tueri possent fuere soliciti; Nè videlicet dum alienam perfidiam ipsi punitum venissent, sua ipsorum fides apud omnes fieret dubia, & quasi præ credulitate sacra omnia súsque déque habentes suspecti omnibus essent, qui justitiam verámque pietatem supra omnes mortales colere, solíque verum Deum scire volebant videri. Equidem non sum nescius D. Augustinum eam habere opinionem, ut censeat Israelitas prævaricatos esse adversùs illam, quam nunc tracto, legem de Chananæis perdendis universè latam, potiùs quàm ut jusjurandum datum fallere in animum suum inducerent. Sed ille rigidior duræ istius legis est interpres quàm pro meo sensu. Scio equidem universè dictum esse, *Nulli animæ illarum septem nationum esse parcendum.* Sed id eò esse factum interpretor, quòd paucissimi essent futuri quos consuetorum scelerum pœniteret; ut suprà dixi: tamen si qui pro occulto Dei judicio resipiscerent, eos unà cum cæteris pari exitio involvendos fuisse, neque ullis pacis conditionibus vel invitari vel admitti potuisse, mihi certè religio est existimare, qui sic de æterna Dei misericordia sentio ut putem eum nullos mortales ità perpetuò addicere exitio ut, si pœnitere possint, veniam tamen consequi non possint. Quam opinionem videor etiam ipsius Augustini, viri profectò divini, auctoritate posse tueri, cùm is dicat, *Qui prædestinatus non est*, (sic enim Theologi loquuntur) *videat ut prædestinetur.* Et plenus Divinis oraculis liber, quem SAPIENTIÆ vocant, c. 12. v. 10. prodidit, ideò tractum esse longiùs bellum Chananaicum, Dei consilio, *ut paulatim puniendo locus daretur pœnitentiæ.* Sed hîc illud fortassis occurrat, Perdi planè voluisse Deum gentem illam, etiam si quos pœniteret, in hac vita; cæterùm ejus misericordiæ locum fuisse in altera. Ille enim, ut alibi à nobis est expositum, quemvis mor-

mortalium jure mulctare potest præsente vitâ. Verùm id non esse ità quid attinet contendere? cùm Deo non invito servatos esse Gabaonitas in hac vita, dilucidè testetur severa illa ejus vindicatio quâ Saulis stirpem eum esse persecutum suprà diximus. Ut taceam suppetias quas proximâ narratione ferri illis jubebit. Sed jam fortassis lectori molestus sum hisce tam multis verbis. Ego tamen facere non potui ut non prolixiùs pugnarem adversùs eam sententiam quam intelligebam à plurimis non tam defendi quàm teneri. Hoc igitur modò addam, Multa exstare apud veteres Judæos, cùm in prioribus libris Misnaioth, tum in vetustis commentariis quæ vocantur אלה הדברים רבה, h.e. *Deuteronomium magnū*, atque etiam in תנחומה *Tanhuma*, prodita de literis publicis quibus Josua, simul atque in Terram promissam pervenisset, omnes ubique urbes, priùs quàm bello eas invaderet, ad pacem deditione redimendam, quibus æquum erat conditionibus sit cohortatus: Jam verò Gabaonitas propterea indignos veniâ Israelitis visos esse, cùm rescitum esset eos esse Chananæos, quia literis illiusmodi invitati non venissent ad depaciscendum, nisi demum ubi Haiensium exitio territi etiam fuissent. Ego verò ut non planè possum ei rei de publicis literis fidem adjungere, ità non omnino nihil esse illud quod prisci illi de offerenda pace scriptum reliquerunt facilè crediderim. Nam sanè ipsa æquitas dictat, bellum nullum nisi denunciatum videri justum: éstque hoc ità apud omnes gentes semper existimatum. Quin Moses ipse, Dei interpres, jubet Deut. 20. 10. Cùm ad urbem accesseris, non priùs oppugnare eam quàm pacem ipsi obtuleris. Idque Nehmannus, Levi F. Gersonis, Kimhi, atque adeò universa ferè Judæorum turba, non solùm de peregrinis urbibus verùm etiam de Chananaicis accipiendum esse censent. Neque ullam gentem præter Moabitas & Ammonitas non esse ad pacem invitandam putant: De his enim duabus nationibus singularia exstant Dei jussa in hanc sententiam, Deut. 23. 6. *Non petes ab illis pacem, neque id quod ipsis commodum sit.* Cur autem erga istos homines inclementior videatur esse Deus (non est autem ille adversùs ullum unquam inclemens) quàm erga alios, præsertim Idumæos, qui similiter atque illi fuere ei rebelles, id verò in æterno ipsius arbitrio positum nos latet, neque hujus loci est inquirere curiosiús. Sed dices, Quid attinebat Chananæos ad pacem cohortari & provocare, quibus semel omnibus afferre necem Deus jusserat? Ego verò te vicissim interrogando clavum, quod dicitur, clavo pellam; Cur Moses homo planè divinus, cùm ei Sehonem Regem dedidisset in manum Deus, & simul urbes ejus omnes non aliter atque Chananæas occupare verbis disertis jussisset, Deut. 2. 24. tamen pace priùs experiri ausus est oblatâ Regi quàm armis eum invaderet? imò eas pacis conditiones proponere quæ si acceptæ ab illo fuissent, Dei promissa rata esse non posse videbantur? & tamen minimè tulisse Deum ægrè eam importunam, ut videbatur, Mosis humanitatem, ipse eventus rei docuit. Quanquam ad Josuam & Chananæos quod attinet, ut bellum ab illo his denunciatum non fuerit, excusari tamen potuisse videtur; quia bellum ipse non inferret, sed Deus, cui per aliquot jam secula hi nefariis suis sceleribus primi bellum fecissent, neque adhuc longâ ejus patientiâ ad meliorem mentem revocari potuissent. Sed jam in his pertractandis nimium me esse sentio.

IDEM.

1. Cùm dicitur, ⸓ ἀκοῦσι ⸔ οἱ πρὸς Ἀντιλίβανον, debet copula cum articulo jugulari obelisco. Similiter omnes illæ Conjunctiones quæ deinceps sequuntur, præter eam quæ ante *Amorrhæos* & eam quæ ante *Jebusæos* posita est. In ipso autem initio debet etiam illud, ⸓ τῶν Ἀμοῤῥαίων ⸔, confodi obelo. Cæterùm colon illud, καὶ οἱ Γεργεσαῖοι, in multis exemplaribus non habetur, ut ostendit Syrus per limniscum. Neque sanè sine obelisco adscribi debet, non enim est in Hebræo.

2. Scribe καὶ συνήλθοσαν, additâ copulâ. ¶ εἰς τὸ non est in Vaticano.

3. Delendum est βουνῶν, & mox πάντα confodiendum obelo. ¶ Pro Κυρίῳ rectiùs scribas Ἰησοῦς. Esse tamen in quibusdam antigraphis Κύριος, ostendit per limniscum Syrus.

4. Pro ἐπεσιτίσαντο scribe ἐπισιτίσαντο, h. e. *cibum*, sive *viaticum, compararunt*. Illud verò alterum, ἡτοιμάσαντο, debet jugulari obelo, quanquam ego suspicor olim mendosè in ordinem S. verborum esse relatum, cùm fuisset ab aliquo adscriptum in margine, tanquam altera interpretatio Hebraici vocabuli. ¶ Pro ἐπὶ τῶν ὄνων legit Syrus & habent Complutenses ἐπὶ τῶν ὤμων *in humeros*. In Hebræo tamen est *in asinos*. ¶ Legendum est καὶ κατεῤῥωγότας, adjectâ copulâ.

5. Καὶ τὰ κοῖλα τῶν ὑποδημάτων αὐτῶν debent obelo apposito jugulari. Equidem etiam de istis idem evenisse judico quod nuper de verbo ἡτοιμάσαντο dicebam. Porrò pronomen αὐτῶν, cùm dicitur σανδάλια ⸓ αὐτῶν ⸔, & rursus; ἱμάτια ⸓ αὐτῶν ⸔, similiter jugulandum est. ¶ Legendum est, τὰ οἱ ἄρτοι τοῦ ἐπισιτισμοῦ αὐτῶν ξηροὶ ⁎ ἐγένοντο ⸔ ⸓ καὶ ⸔ βεβρωμένοι, sed verbum ἐγένοντο ascititium est, atque asterisco notandum; copula verò quæ proximè hoc verbum sequitur, obelisco.

6. Cùm dicitur, παρεμβολὴν Ἰσραὴλ, habere debet *Israelis* nomen obeliscum appositum. ¶ Pro ἕως scribe εἰς.

7. Pro Χοῤῥαῖον reponendum est Εὐαῖον. Habere tamen quædam exemplaria Χοῤῥαῖον, ostendit limniscus apud Syrum. Certè Chorræos fuisse incolas montis Seir, constat ex Gen. 14. 6. & Exodo. Non ergò pertinebant isti ad Gabaonitas. Mox suggeritur in mixta pronomen, hoc modo, ἐν ἐμοὶ ⁎ σὺ ⸔ κατοικεῖς. ¶ Scribito καὶ πῶς διαθῶμαί σοι διαθήκην;

9. Cùm dicitur, καὶ ἅπαντα ὅσα ἐποίησεν, debet ἅπαντα asteriscum appositum habere.

10. Debet similiter illud πάντα notari asterisco; verbum verò κατῴκει obelisco. Quâ notâ etiam postremum hujus versiculi membrum est insigniendum, nempe, ⸓ καὶ ἐν Ἐδραεὶ ⸔, sic enim scribendum est, non autem Ἀδραείν.

11. Expungatur ἀκούσαντες, atque etiam τὴν, cùm dicitur, τὴν διαθήκην.

12. Cùm dicitur, οὗτοι οἱ ἄρτοι ἡμῶν, nota asterisci adscribenda est pronomini ἡμῶν. Eandem notam habere quoque debent illa verba, ἀπὸ οἴκων ἡμῶν, sic enim legendum est. ¶ Suggeritur in m. ed. adverbium ἰδοὺ, habet enim, νῦν δὲ ⁎ ἰδοὺ ⸔ ἐξηράνθησαν, &c.

13. Demonstrationis pronomen ταῦτα notandum stellulâ est, cùm dicitur, καὶ ⁎ ταῦτα ⸔ τὰ ἱμάτια, &c.

14. Pro καὶ Κύριον monet Syrus per limniscum esse in quibusdam libris καὶ τὸ στόμα Κυρίου.

16. Scribi debet διαθέσθαι πρὸς αὐτοὺς, additâ præpositione πρὸς.

17. Pro ἦλθον scribe ἐξῆλθον. ¶ Τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ signetur asterisco, ut aliunde acceptum. ¶ In fine scribe πόλις Ἰαρείμ, numero singulari.

18. Cùm dicitur, ⸓ πάντες ⸔ οἱ ἄρχοντες, juguletur obelo nota universitatis. ¶ Scribe διεγόγγυσαν, numero plurium.

19. Adde πάντες post verbum ἦσαν.

20. Post ποιήσομεν suggerit m. ed. ⁎ αὐτοῖς ⸔, *faciemus ipsis*. ¶ Pro modo infinito ζωγρῆσαι legit Syrus futurum modi finiti ζωγρήσομεν. Hebræum tamen infinitum habet.

21. Ipsum initium, ⁎ καὶ εἶπαν αὐτοῖς οἱ ἄρχοντες ⸔, est signandum asterisco, est enim à Theodotione acceptum. Quod verò deinceps sequitur, est à Syro lectum ad hunc modum, καὶ ἔσονται ξυλοκόποι καὶ ὑδροφόροι πάσῃ τῇ συναγωγῇ· καὶ ἐγένοντο ξυλοκόποι καὶ ὑδροφόροι πάσῃ τῇ συναγωγῇ, καθάπερ εἶπαν αὐτοῖς οἱ ἄρχοντες. Neque aliter Complutenses habent, nisi quod hi omittunt illa repetita verba, καὶ ἐγένοντο ξυλοκόποι, & quæ deinceps sequuntur usque ad similitudinis adverbium καθάπερ. Quod si ità sunt interpretati LXXII ut Syrus legit, debet prior illa verborum complexio notari obelisco, ut in Commentariis explicabimus.

Sed

Sed mihi fit verisimile, repetitionem istam errore factam esse, admissis illis in contextum quæ fortasse aliquis in margine annotaverat.

22. Λέγων signandum est asterisco. ¶ Lege, trajectis verbis, μακρόν ἐσμὲν ἀπὸ σοῦ. ¶ Mendosè scriptum in nonnullis libris vulgatis est ἐχώμενοι, debet enim dici ἐγχώριοι.

23. Οὐδὲ ὑδροφόρος ascititium est, & debet asterisco notari.

24. Illud quoque, ἀπαγγελία, sive, ut habent Complutenses, ἀγγελία, eâdem notâ est insigniendum, ut aliunde acceptum: debétque ante ipsum scribi particula rationalis, ut vocant, ὅτι. ¶ Ante τὸ γὰρ suggerit ed.m. ✳ παῖς ⸔. ¶ Ταύτην jugulandum veru est. ¶ Καὶ ἐξολοθρεῦσαι ÷ ἡμᾶς καὶ ⸔, pronomen & copula similiter jugulentur.

25. Post δοκεῖ suggerit mixta ✳ ποιῆσαι ⸔ ὑμῖν, &c.

26. Illa, Ἰησοῦς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, confodi debent obelo; & mox scribi numero plur. ἐκ χειρῶν.

27. Debet universitatis nota obelo jugulari, cum dicitur, ÷ πάσῃ ⸔ τῇ συναγωγῇ, & similiter omnia illa quæ mox sequuntur, nempe διὰ τοῦτο ἐγένοντο οἱ καλοικοῦντες, &c. usque dum dicitur, ἕως τῆς σήμερον,&c. Hîc verò ipsa quoq; copula, cùm dicitur, ÷ καὶ ⸔ εἰς τόπον, & denique extremum nomen ÷ Κύριος ⸔, obeliscis jugulentur.

DRUSIUS.

1. *Qui in montanis*] Sub. *degebant* aut *habitabant*. Sic, *Pater noster qui in cœlis*, sub. *es* vel *habitas*. In Ebræo est ad verb. *in monte*, i. in regione montana, οἱ ἐν τῇ ὀρεινῇ. ¶ *In littore maris magni*] Vel, *in portu maris magni*, i. maris Mediterranei; quod *magnum* dicitur comparatum ad alia maria, qualia sunt mare Mortuum,& mare Galilææ sive Gennesareth. Nam etiam stagna & lacus vocant *maria*: חוף autem alii *portum*, alii שפה, i. *littus*, interpretantur. *Portus* autem נמל dicitur, i. λιμὴν, inversis literis. Lxx ἐν πάσῃ τῇ παραλίᾳ, quod sign. *loca maritima*, sive *regionem quæ ad mare sita*. Nam χώρα subintelligitur aut γῆ, ut Deut. 1. 7. καὶ παραλίαν γῆν Χαναάν, *& maritimam terram Chanaan*. In N.T. παράλιος *maritimus*; pro quo Jer. 47. 7. παραθαλάσσιος. Est etiam ubi חוף αἰγιαλὸς reddunt, videlicet Jud. 5. 17. & לחוף אניות Gen. 49. 13. παρ᾽ ὅρμον πλοίων, id valet *portus navium*. ¶ *E regione Libani*] Vel *juxta Libanum*, quem hîc Ἀντιλίβανον Græci vocant. Alii, *contra Libanum*. Chald. די לקביל, quod est, *è regione Libani*. Quidam, *prope Libanum*. Alii Phœniciam hîc significari putant. Tremel. *usq; ad regionem subjectam Libano*. ¶ Mox ex septem gentibus enumerat sex tantùm: septimam omisit, fortè propter ejus gentis paucitatem. Græci addunt, καὶ οἱ Γεργεσαῖοι.

2. *Ore uno*] Proverbiale. Id explicant, *uno animo eâdemq; sententiâ*; vel *uno consensu*. Lxx ἅμα πάντες. Jon. סיעא חדא *societate unâ*. R. D. *consensu uno & consilio uno*. Vide Proverbia mea Sacra.

4. *Astu*] בערמה *astutè*, quod & *astu* dicunt: ut, *astu rem tractavit*. Sic hi astu salutem suam procurarunt, saluti consuluerunt. Hemor pater Sichem Hevæus erat, ut etiam Gabaonitæ. Ut olim Israel decepit Hevæum sic nunc Hevæus Israelitam, ut R.S. Sed cur ait, *etiam ipsi*. An hoc dicit propter gentes alias Chananæas, quæ etiam saluti suæ consuluerunt, sed alio modo, videlicet virtute, non dolo, non astu? Jon. בחוכמא *in sapientia*, i. sapienter. Nam comes astutiæ sapientia. Quò pertinet illud Salomonis, *Ego sapientia cohabito calliditati*. Quò fit ut se invicem explicent. Nam *astutia* pro *sapientia* ponitur, & è contrario *sapientia* pro *astutia*. Sic serpens dicitur *callidus*, & in alia editione *sapiens*; & apud Euangelistam, *Estote prudentes sicut serpentes*. Est autem calliditas in serpente naturalis inclinatio ad evitandum malum. R. D. *etiam ipsi* refert ad Israelitas, qui astu & dolo circumvenerant Haienses; *Sic*, inquit, *etiam ipsi rem suam astu tractarunt*. Non displicet. ¶ *Finxerunt se legatos*] ויצטירו verbum conjugationis quartæ, quæ sæpe Fictionem & Simulationem denotat, ut התעשר *finxit se divitem*, התרושש *simulavit se pauperem*. Deductum autem videtur à nomine ציר, quod *legatum* sonat; unde plur. צירים *legati, nuncii, apostoli*. Sed enim unius literæ immutatione Jonathan legit ויצטידו cum Daleth, quod vertit *viaticum compararunt sibi*, ut Hier. *tulerunt sibi cibaria*: nec aliter Senes Lxx, nam in iis ἐπεσιτίσαντο *paraverunt cibaria*: צידה enim ἐπισιτισμός. Quanquam in nonnullis cod. ἐπεσκεύσαντο, quod reddunt *instituerunt se*. ¶ *Saccos veteres*] Vel *tritos*. Nam sacci vetustate teruntur & consumuntur. Belgicè *versleten schoen*. Psal. 32. 3. בלו Hier. *attrita sunt*. Aq. κατετρίβη. Lxx & Sym. ἐπαλαιώθη *inveterata sunt*. Hinc בלי *consumptio*, & Jes. 38. 17. שחת בלי *fovea consumptionis* (alii *putredinis*) h. e. sepulcrum, in quo corpus hominis aboletur & consumitur. Lxx ἀσκὺς οἰνοπότας καὶ παλαιὰς ἀσκὺς βαστάζοντας, *utres putridos & veteres utres bajulantes*: σάκκυς ἰσως. Jon. בלן. ¶ *Asinis suis*] Imponebant eos asinis suis, ἐπὶ τῶν ὄνων αὐτῶν *super asinos suos*, quod alia lectio habet ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν *super humeros suos*. Vide Rom. edit. in qua σάκκυς παλαιὰς ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν, καὶ ἀσκὺς οἴνυ παλαιὰς. ¶ *Scissos*] Ruptos, κατερρωγότας, *fractos, disruptos*. ¶ *Et colligatos*] Hier. *consutos*. Lxx ἀποδεδεμένυς, *alligatos, colligatos*, צרר *ligo, colligo*. Videndus R.S.

5. *Interpolata*] *Interpolare* est quod nos Belgæ dicimus *lappen* quod & *sarcinare*; unde veteramentarius sutor à nonnullis vocatur *interpolator* & *sarcinator*, qui veteres calceos interpolat, sive, ut alii, resarcit: unde in editionibus nuperis *resarta & resarcita*. Dicunt etiam *reficere* & *reconcinnare*. Nam *resarcio* de veste usurpatur, ut apud Terentium, *Discidit vestem? resarcietur*. Ebraicè מטלאות, quod non nemo vertit *maculosos*. Hier. *calceamenta perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant*. Est autem *pittacium* frustum panni an etiam corii? vulgò *segmen* aut *segmentum*, pars abscissa panni, telæ aut corii. Belg. *eenen lap*. Notat Masius apud Doctores se legisse טלא eo significatu, nempe pro *pittacio*, Chald. מרקע, & Syriacè קרמא. *Sunt*, inquit, *calcei diversis solearum frustis suppacti, quod Græci expresserunt cùm dicerent καλοπιτταμαλωμάτα, dicto verbo ἀπὸ τοῦ πιτταλιον*, i. *solea*. Belg. *lap vanden schoen*. Baal Aruch autor Lexici Thalmudici טלאים רוקעתא exponit qui sunt panni partim nigri partim albi coloris. Idem רוקעא interpretatur *frustum panni consutum in scissura*, atque illo significatu usurpari ab Ismaelitis. Matth. 9. 16. pro ἐπίβλημα ῥάκυς ἀγνάφυ, Syrus habet אורקעתא חדתא *panniculus novus*, vel *assumentū panni novum*, frustum panni quod insuitur atque immittitur, unde fortè Græcum ῥάκος. Lex. Chald. Munsteri, מרקע *frustum panni*. R. David in libro Radicum מטלאות *sunt calceamenta coagmentata ex frustis coriaceis in loco vetustatis eorum, i. ubi detrita sunt: & sic dixerunt Doctores nostri de frusto corii, Cum pittacio super pittacium; ubi Pittacium vocant טלא. Similiter panni frustum appellant מטלית, & sic maculæ colorum videntur esse frusta frusta*. Hucusque. ¶ *Erat punctis respersus*] Ebr. נקדים *in quo significatio punctorum*. *Panis enim mucidus punctis respersus est albis, viridibus & nigris*: vel sic, *Mucor in pane albus est, viridis & niger per puncta*. Sic R. D. in lib. Rad. Quidam נקדים *micas* exponit, sed quàm rectè viderit. Nam *mica* aliud est. Panis enim frustulum quod emicat *micam* appellamus. Ad hæc *mica* sunt etiam panis non mucidi. Vulgatus tamen, *Panes quoque quos portabant ob viaticum duri erant & in frusta comminuti*. Malim, *aridi erant*, vel *aruerant*, quod יבש Ebræi dicunt. Tharg. הוה כסנין. R. D. *In monumentis doctorum, Buccea sive panis quæ venit cum* כיסנין *placentis, & est panis è quo faciunt placentas aridas* (si modò כעכים sunt *placentæ*. Aruch in כעך ait טרתא in lingua Ismaelitica significare חלה גדולה *placentam magnam*) *& vescuntur eo in domo convivii. Et sunt qui exponant ex significatione* נקוד. *Nam panis mucidus erat; & panis mucidus habet puncta seu maculas. Siquidem est in pane mucido color rufus, viridis*

vidis & niger per puncta. Masius, *mucore maculosus, est enim mucidus panis multis coloribus, tanquam punctis, varius. R. S. existimat à* יקד, *quod Adurere est, dici. Interpretatur enim, nimis excoctum atque adustum panem, Idque ei assentiuntur Aq. Sym. & Chaldeus. Convertit enim Chald.* כיסנין, *quam vocem interpretatur idem R.S. in Mischnajoth scribens, Spicas nondum maturas quidem, sed in fumo adustas, quales moris erat puerulis dare cùm sponsa domo paternâ educeretur. Latinus & R. Levi existimant frusta significare panis aridi quique in Micas friatur. Græci à me stant dum βεβρωμένοι interpretantur, h.e. situ ipso & mucore olidi & virosi.* Hactenus Andreas ille. Sunt qui *panem biscoctum* exponunt: quod notatum in margine libri Radicum. Elias Levita, כסנין *significationem habet* ככר וחלות. Munsteri λέξεις, *Sunt fercula leguminum, vel, ut R. D. ait, sunt sicca placenta quæ comeduntur in domo convivii.* Autor Aruch dicit quòd Germanicè **oblaten** vocentur. Vide Mercerum Gen. 40.16. Ubi R. S. פת כיסנין exponit אובליש *oblies*, i. crustula seu pemmata è farina, melle, lacte & similibus confecta opere pistorio, πεμμάτα, Alemanicè **oflaten**. Meminit R. Juda in lib. Musar sive παιδείας, 124. 2. Si נקדים à יקד tunc potest significare panem adustum quem *Biscoctum* appellant. Pemmatia nihil ad hunc locum, נקדים *adustionum*, à יקד, ut הקיף à יקף, *panis adustionum*, i. *adustus*, *biscoctus*. Cæterùm pro נקדים Senes habent καὶ εὐρωτιῶν καὶ βεβρωμένος *& cariem passus & corrosus*.

6. *Ad virum Israel*] Ad Israelitam, i. Israelitas. Quidam, *ad primores viros*. Nam איש aliquando est nomen ἀρετῆς, *virum insignem* declarans. Hier. *omni Israeli.* Lxx, καὶ Ἰσραήλ. Ergò *vir Israel* idem quod *Israel*: valde probo.

7. *Et dixit*] In scriptura est *dixerunt*, perinde est. *Dixerunt vir Israel*, i. viri Israelitæ. Sanè Hier. *Responderúntque viri Israel*, &c. & Lxx, Καὶ εἶπαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. ¶ *Hevæo*] Nam Hevæi erant, quæ una ex 7 gentibus terræ Chanaan. Senes hîc habent πρὸς τὸν Χορραῖον *ad Chorræum*. Vide Onomasticon sacrum. *Hemor pater Sichem Hevæus erat*, ait R.S. Quò non nemo refert, *fecerunt etiam ipsi astu*; nempe quemadmodum antea Simeon & Levi astu egerant cum Sichemitis Hevæis. In חוי significatio est *serpentis*. Nam *serpens* חויא dicitur, i. נחש. Vocat ergò eos *serpentinos*, quia deceperunt Israelem, quemadmodum olim serpens deceperat Hevam matrem communem nostram: quod notatum in Dras. ¶ *Quomodo feriam tecum fedus?*] Nam id vetitum disertè Exod.23.32. & Deut.7.2.

9. *Auditionem ejus*] ἀκοὴν αὐτοῦ, i. *famam ejus*, aut *rumorem ejus*.

12. *Calidum eum sumpsimus pro viatico*] Locus iste docet non fuisse panem biscoctum; nam ille non facilè arescit.

14. *Viri*] Primarii, Principes cœtus. Lxx ἄρχοντες, *primores populi.* ¶ *Os Domini*] i. Dei oraculum, vel ipsum Dominum, i. Κύριον, ut Senes reddunt. Consulebant autem Dominum per Urim ac Thummim; item per Prophetas. Jon. *Doctrinam à Domino non quæsiverunt.* ¶ *De viatico eorum*] Vel ut cognoscerent an ità esset quemadmodum dixerant; vel comederunt cum eis, ut fieri solet in federibus. Unde ברית *pactum* quidam deducunt à ברה *comedo.*

18. *Non percusserunt*] Non occiderunt. De ritu percutiendi federa apud Judæos usitato vide Masium. Ea uno animali secto ritè fiebant; quanquam Abraham plura secuerit: deinde per animal sectum utraque pars transibat; unde usus verbi כרת *exscindo* in hac re. Vide Jer. 34. 18, & 19. *Dedam viros qui fecerunt fedus quod fregerant coram me, vitulum quem diviserant in duas partes, & transierant inter partes ejus.* Nec dubium quin solennes precationes adhiberi consueverint, in quibus jurandum quoque continetur.

19. *Tangere*] לאנוקי. Jon. *lædere, nocere*, vel *occidere*, ut suprà 2.19. in edit. Vulg.

21. *Dixerunt ad eos*] Ad filios Israel. להם *de illis*, vel *sibi*, i. inter se. Vide Masium. ¶ *Vivant*] Sint salvi: ut, *Vivat rex*, i. valeat, salvus sit. Notum illud, *Non est vivere sed valere vita.* Sed consule Masium hoc loco.

23. *Non exscindetur è vobis*] *Non deerit de stirpe vestra*, Hier. ¶ *Domini Dei nostri*] i. Tabernaculo, aut templo. Qui templo serviebat, etiam cœtui serviebat. Quocirca hæc non pugnant cum eo quod habetur v. 21. *fuerunt cadentes ligna & haurientes aquam toti cœtui.* Quidam existimant cœtui ministrasse antequam divisa esset terra; postea cùm quisque ad possessiones suas se contulisset divisione factâ, ministrasse Levitis in tabernaculo. Cæterùm hi Davidis ævo vocati sunt *Nathinæi*, i. נתינים, quasi *dedititios* dicas & cœtui atque aræ Dei mancipatos. Vide Masium. Cæterùm calonum & lixarum sive lignatorum & aquatorum vilissima conditio erat in populo, imò ultimus locus, ut liquet ex Deut. 29. 11. *A lignatore vestro usque ad aquatorem vestrum.*

27. *Posuit eos*] Ad verb. *Dedit eos.* Hinc fortè dicti sunt *Nathinæi*, i. נתינים, quòd *dati*, i. positi aut constituti essent cœtui & altari Domini lignatores & aquatores. Dicti autem sunt primùm, ut videtur *Nathinæi* Davidis ævo. Vide sis Ezræ 8. 20. ¶ *In loco quem Dominus electurus esset*] In Galgal, in Silo, in domo Obededom, &c. Peculiariter autem templum Salomonis vocatur בית הבחירה *domus electa*, quòd Deus eam sibi elegisset in longum tempus. Quocirca & *domus seculi* vocatur, h.e. æterna. Nam *æternum* est quod diu durat. Sic, *Serviet æternum*, i. quamdiu vivet. Hîc quæri solet utrùm Josua & Principes debuerint servare hoc juramentum. Et videtur quòd non; Primùm, quia erat contra expressum Dei mandatum; Deinde, quia conceptum cum hac conditione, Si è terra longinqua essent, quemadmodum dixerant, & non è terra Chanaan. Sed vide Nicolaum, qui tribus rationibus docet servandum fuisse.

IDEM.

4. להמוריהם ἐπὶ τῶν ὄνων αὐτῶν, *super asinos suos*] Hieron. *saccos veteres asinis imponentes.* Græca exemplaria τῶν ὁ hîc variant. Alia enim habent ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν, & alia ἐπὶ τῶν ὄνων αὐτῶν. Utramque autem lectionem agnoscit Augustinus.

GROTIUS.

7. NE *fortè in terra quæ nobis sorte debetur habitetis*] Fama jam longè pervenerat à Deo terras illas 7 populorum Hebræis datas. ¶ *Et non possimus fedus inire vobiscum*] Nempe fedus sociale, quo terræ & plena libertas ipsis relinquerentur. Vide de tota hac re quæ diximus l.2. De J. B. ac P. c. 13. §.4.

11. *Dixerúntque nobis seniores & omnes habitatores terræ nostræ*] Senatoribus προβούλοις secutus populi consensus. Multæ erant eo tempore δημοκρατίαι μετ' ἀριστοκρατίας.

15. *Pollicitus est quòd non occiderentur*] In deditionem eos accepit, ut subditi essent Israelitis: quod licuisset etiam si veritas rei fuisset cognita. Nihil ergò factum hîc contra Legem. Vide 2 Sam. 21. & 1 Reg. 9. 20.

18. *Eò quòd jurassent eis principes multitudinis*] Eleazarus μετὰ γερουσίας, ut hîc ait Josephus, auctore nempe Josue suprà 15. qui vel solus jus habuerat in talibus populum obligandi. Cavillari hîc aliqua potuissent Hebræi: Sed, ut Livii ex l. 3. utar verbis, *nondum hæc quæ nunc tenet seculum negligentia Dei venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum & leges aptas faciebat, sed suos potiùs mores ad eos accommodabat.*

23. *Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquásque comportans*] Deditos puniendi jus est victori, ut subditos factos. Si dolus abfuisset, subditi tantùm mansissent, ob dolum operis servilibus addicuntur, ut olim à Romanis Bruttii,

Bruttii, à quorum similitudine *Brutiani* dicti, qui officia servilia Magistratibus præstabant, eò quòd Bruttii Hannibali se tradidissent, & cum eo perseverassent usque dum recederet de Italia. Vide Festum. Aquam portare, servile. Athenæus, Ὁ Ἐπειὸς ὑδροφορεῖ τοῖς Ἀτρείδαις, ὡς καὶ Στησίχορός φησιν,

——ᾤκτειρε γὰρ αὐτὸν

Ὕδωρ αἰεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσι.

CAP. X.

MUNSTERUS.

4. Fecit pacem cum Jehosua] Dicunt Hebræi quòd Jehosua, cùm ingrederetur terram Chnaan, denunciaverit tria Regibus ejus atq; universo populo: 1. Ut qui cum eo pacem inire vellet, veniret; 2. Ut qui secum bellum inire deliberasset, veniret; 3. Ut qui vellet recedere, recederet. Gibeonitæ verò, cùm vidissent subverti Jeriho & Hai, dubitare cœperunt de fide Jehosuæ, scientes quidem priores conditiones illis urbibus quoque oblatas, quæ tamen postea subversæ fuerunt; & idcirco, quò tutiores essent, callidè extorquendum censuerunt juramentum.

10. *Conturbavit eos*] Hebræi interpretantur שבר *contrivit eos.*

12. *Sol, quiesce*] Jon. *Sol, moram trahe*, vel *exspecta*: ut sit דום idem quod המתן. Porrò Gibeon fuit in tribu Biniamin, & Aialon in tribu Dan. Fuítque circa meridiem cùm Jehosua juberet stare Solem, sicut textus indicat. Sed quomodo dicitur Sol *stetisse super Gibeon*, cùm exercitus Israel fuerit prope Gibeon? Respondent Hebræi, quòd illa pugna contigerit תקופת תמוז, *in solstitio æstivali*, quando Sol in summo cœli fastigio hominum capitibus impendere videtur, præsertim in illa terra, quæ haud procul à Cancri abest tropico. Stetit autem Sol in illo loco immobilis tanto temporis intervallo quo aliàs cursu suo diem creasset, h. e. spatio 24. horarum, si capiatur pro die naturali, sicut Hebræi exponunt. Unde dicunt hunc diem habuisse 36 horas: nam stetit Sol 24 horis; & cùm in Meridie steterit, jam effluxerant sex horæ; & cùm iterum moveri cœpit, spatio sex horarum pervenit ad Occasum. Verùm errant hîc Judæi; cùm plures horæ fuerint à Meridie ad ortum Solis, & similiter ad Occasum, quàm sex tempore solstitii æstivalis, nisi maluerint totum istud intelligere de horis inæqualibus. Dicunt proinde vespere Sabbati illam incidisse pugnam, atque ideo prolongatum diem nè Sabbato cogerentur abstinere à cæde hostium, aut nè Sabbatum ipsum violarent. Quando verò citatur *liber Recti hominis*, Hebræi intelligunt per illum Legem Mosi, in qua Dominus promisit populo quòd *facturus esset mirabilia*, &c.

19. *Cadite extremos quosque*] Vertimus hîc Hebraismum, qui sic habet, *decaudabitis eos*, h.e. ultimos quosque interficietis, quos apprehendere potueritis. Jon. tamen sic vertit, *adhærebitis eis jugiter, nec permittetis eos ingredi civitates suas.*

24. *Qui iverant secum*] Adjicitur hîc litera Aleph otiosè verbo plurali, haud secus quàm He non rarò adjicitur primæ personæ futuri temporis utriusque numeri.

26. *In quinq; arboribus*] Jon. Chaldæus vertit צליבין *cruces.*

38. *Et reversus est*] Hoc ideo dicitur quòd prius transisset juxta civitatem istam cùm festinaret oppugnare Hebron, eámque bello non petivit, sed postea reversus illam expugnavit.

40. *Declivem*] Secundùm Hebræos est hîc אשדה idem quod מדרון ההר *terra montibus adjacens*, h.e. quæ nec montosa est nec plana, לפי שהמים היורדים על ההר נשפכים למטה דרך המדרון. Est autem verbum שדה frequentius apud Chaldæos quàm apud Hebræos, & hinc fit Hæmanthicum אשדה idem ferè significans quod מדרון, quæ vox est Magistralis, sed quam Magistri à Chaldæis mutuaverunt.

VATABLUS.

1. Cepisset, לכד] i. Expugnasset. ¶ *Et desolasset eam:* ויחרימה] *Et delevisset eam, perdidisset, exterminasset:* ¶ *Pacem fecissent*, השלימו] i. Fedus pacis inivissent. ¶ *Et essent in medio eorum:* ויהיו בקרבם] Hebraismus, *habitarent cum illis.*

2. *Tunc timuerunt*, ויראו] Ipse scilicet cum suis. ¶ *Veluti una è civitatibus regni:* כאחת ערי הממלכה] *Velut una è civitatibus regiis*, i. in quibus est sedes regni.

6. *Nè contrahas manus tuas*, אל תרף ידיך] *Nè remittas manus tuas*, i. negligas, vel negligens fueris ferre opem servis tuis. ¶ *In monte*, ההר] In *montanis.*

7. *Et universus populus bellator*, וכל עם המלחמה] i. Cum universa turba militum suorum.

10. *Et persecutus est eos*, וירדפם] Nempe Israel. ¶ *Usq; Azecah*, עד עזקה] Nonnihil subaudiendum, *percussit eos persequendo usque Azeca.*

11. *Lapides magnos*, אבנים גדלות] i. Grandine quæ erat instar lapidum.

12. *Locutus est*, ידבר] Sub. *canticum.* Chald. paraph. *laudavit*, cantico scilicet, i. gratias egit. ¶ *Coram filiis Israel*, לפני בני ישראל] Hebraismus, *in potestatem filiorum Israel.* ¶ *Dixerat autem in oculis*, &c. ויאמר לעיני וגו'] i. Fuderat orationem ad Deum, præsentibus Israelitis. ¶ *Exspecta*, דום] *Consiste, siste gradum*, i. Sol, qui es supra Gabaon, consiste; & tu, Luna, consiste in planitie Aialon, q. d. O Domine, permitte ut Sol & Luna non deserant nos luce suâ donec devicerimus hostes nostros.

13. *Donec ulcisceretur se gens*, עד יקום גוי] *Tantisper dum ulciscebatur se gens*, i. populus Israeliticus, ut vertit Chaldæus paraph. ¶ *Hoc*, היא] Sub. *canticum*, vel *miraculum istud.* Chaldæus paraph. dicit *librum rectitudinis* esse librum Legis: nam quæ sunt in Lege, recta sunt. Doctus inter Hebræos dicit esse Exod. 34. hoc canticum, ubi sic legitur, *Faciam mirabilia quadam quæ creata non sunt in universa terra.* Ait enim illud prædicere istud miraculum. ¶ *In medio cœli*, &c. בחצי השמים וגו'] i. In linea illa Septentrionali, in medio scilicet Orientis & Occidentis, h. e. in Meridie: *nec properavit occumbere spatio unius diei integra.* Quidam dicunt canticum illud, hîc non memoratum, sed in libro Jasar, qui quidem periit in captivitate. Alii verò dicunt initium Cantici esse illud, *Et stetit Sol*, &c. Quidam præterea Hebræorum putat Solem & Lunam revera non stetisse, sed quòd visi fuerint stetisse, ob brevitatem scilicet temporis quo Israelitæ devicerunt hostes suos: quod quidem erat negotium multorum dierum, q. d. Da, Domine, ut isto tam brevi intervallo ulciscamur nos de hostibus nostris, quanto sol hodie stabit supra Gabaon, & luna hàc nocte supra Aialon. Per *diem integram* sive *perfectam* doctus inter Hebræos intelligit diem longissimam, quanta scilicet est in solstitio æstivali.

14. *Voci viri:* בקול איש] Petentis scilicet cursum naturæ immutari.

15. *Reversus autem est*, וישב] Quidam per anticipationem dictum volunt, & vertunt, *Reversus autem fuerat.*

19. *Et caudam eorum cadite:* וזנבתם אותם] i. Percutite eos qui fuerint in extremo agmine eorum.

20. *Plagâ*, מכה] *Percussione.* ¶ *Consumerentur:* תומם] *Consummarentur:* vel *finirentur*, i. ad internecionem usque. *Ingressi essent urbes*, ויבואו אל ערי] i. Se recepissent in urbes.

21. *In pace:* בשלום] Hebraismus, *salvus & incolumis.* ¶ *Quisquam*, לאיש] Hic ל redundat. Alii volunt esse articulum dativi, & vertunt, *non movit* quisquam *contra filios Israel, nè uni quidem linguam suam*, i. nemo ausus est mutire contra filios Israel: h.e. nemo læsit eos, nè verbo quidem.

24. *Principes*, קציני] *Dominos, præfectos.* ¶ *Ponite pedes*

pedes vestros, &c. 'שימו את רגליכם וגו] i. Calcate pedibus vestris cervices illorum, in signum subjectionis & victoriæ.

26. *Et interfecit eos ac suspendit*, וימיתם ויתלם] i. Jussit interfici ac suspendi. ¶ *Lignis*, עצים] *Patibulis, crucibus.*

27. *Tempore quo occumbit sol*, לעת בוא השמש] *Sub occasum autem solis. Cùm autem occubuisset sol.*

28. *Eo die*, ביום ההוא] Quo scilicet interfecit illos Reges. ¶ *Et percussit eam*, ויכה] i. Propugnatores ejus. ¶ *Et omnem animam*, ואת כל הנפש] i. Omnes alias personas. ¶ *Superstitem*, שריד] Sub. *unicum*, ità ut nullus evaserit.

29. *Et pugnavit cum Libnah:* וילחם עם לבנה] i. Oppugnavit Libnah. Et sic infrá.

32. *Die secundâ*, ביום השני] Oppugnationis scilicet. ¶ *Prorsus ut fecerat*, בכל אשר עשה] Ad verb. *juxta omnia quæ fecerat:* sic infrá.

35. *Ceperúntque eam die ipsâ*, וילכדוה ביום ההוא] i. Expugnaverunt eam primo die oppugnationis.

37 *Et Regem ejus*, ואת מלכה] Qui scilicet suffectus fuerat in locum interfecti. ¶ *Urbes ejus*, עריה] i. Illi subditas; erat enim metropolis.

40. *Et Asedoth*, והאשדות] *Et declivia*, i. regionem quæ erat in declivitate montium.

41. *Terram Gosen*, ארץ גשן] Altera erat terra Gosen in Ægypto.

42. *Vice unâ:* פעם אחת] *Semel*, i. uno impetu, sive unico bello, non interrupto: h.e. unâ expeditione. ¶ *Pugnabat*, נלחם] Præt. Heb. quod meliùs per præt. imperf. redditur.

43. *Ad castra in Gilgal:* אל המחנה הגלגלה] i. Ad locum castrorum, ubi scilicet erat tabernaculum, ut illic gratias ageret Deo de tanta victoria.

CLARIUS.

5. *Quinque reges*] Expugnant quinque Reges Gabaonitas; sensus carnis, carnales homines: Sed post occisos quinque Reges, multò plures surgunt contra Israel: quò enim quis spiritualior fit, majorem ei luctam suscitat adversarius.

12. *Sol, contra Gabaon*] Gabaon fuit in tribu Benjamin, & Ajalon in tribu Dan. Fuítque circa Meridiem cùm Josue juberet stare Solem, sicut textus indicat. Stetit autem Sol in loco illo immobilis tanto temporis intervallo quo aliàs cursu suo diem creasset, h.e. spatio 24 horarum, si capitur pro die naturali, sicut Hebræi exponunt.

13. *In libro Justi*] Hebræi per hunc librum intelligunt legem Mosis, in qua Dominus promisit populo quòd *facturus esset mirabilia*, &c.

38. *Indè reversus*] Hoc ideo dicitur quòd priùs transisset juxta civitatem istam cùm festinaret oppugnare Hebron, eámque bello non petivit, sed postea reversus illam expugnavit.

MASIUS.

1.--5. *Ut verò audisset Adoni-zedek rex Jerusalem*, &c.] Superioris capitis initio monebam Regulos Chananææ alios atque alios, ut quosque suarum sedium ditionúmque vicinitates & confinia conciliabant, in fœdera mutui subsidii, si usus esset, coivisse; cæteroqui delectus militum adhuc non instituisse; ut erant mirificâ inertiâ atque stupore à perpetuis suis voluptatibus imbuti & planè occæcati. Jam verò, postquam rescitum ab eis est Gabaonitas, gentem validam & munita oppida incolentem, cum hostibus, alioqui propriis viribus atque suâ fortunâ nimis potentibus, pace conjunctos consociatósque esse, expergiscuntur illi quidem tandem ad arma. Verùm ea tamen adversus Israelitas capere non audent: ut dilucidè videamus quàm suos omnibus terribiles fecerit Deus, & quàm verè promissi illius sui munus confecerit, quo dixerat, *Non futurum quenquam qui consisteret adversus Israelem*, c.1.5. Sed ipsos Gabaonitas invadere constituunt; nimirum ut exemplo alios deterreant à simili defectione, & loca hostibus opportunissima commodissimáq; ipsorum amicitiæ atque conjunctioni tempestivè eripiant. Is enim erat urbium Gabaoniticarum situs locorum, ut Regulis istis, si ipsas obtinerent, maximum ad defensionem propugnationémque momentum, sin amisissent, certissimam perniciem viderentur allaturæ. Nam ut ab Jerosolymis propè admodum, ità ab reliquorum quatuor Regum sedibus parùm longè aberant. Has enim ego istis Regulis belli adversùs Gabaonitas faciendi causas fuisse potiùs arbitror, quàm quòd odium acerbius in gentiles suos, quàm alienigenas conceperint, ut nonnulli explanatores existimant. Sed enim cur Rex Jerosolymæ primus excitet cæteros, in promptu ratio est. Fuit enim ille periculo proximus. Nam medius erat inter Israelitarum stativa castra in Galgalis posita & Gabaoniticas urbes. Quin credibile etiam est hunc dignitate alios antecessisse. Cæteroqui dubium non est quin de compacto ista jam fiat belli apparatio. Commemoratur autem simul cum Gabaonitarum defectione clades etiam urbium *Jerichuntis* & *Hai*; quia his malis permotos Chananæos fœdera inter se primùm fecisse certum est; sed quorum fœderum pacta nunc demum ad rem conferunt postquam suos etiam gentiles transire ad hostes ultro vident. ¶ Pro *Adoni-zedek* habent LXXII interpretes *Adoni-bezek*. Sed hunc non Jerosolymæ verùm oppidi בזק *Bezek* fuisse Regem, scriptum est in Judicum historia 1.4,5. Mendum igitur est in Græcis libris, sed, ut videtur, olim admissum. Nam Eusebius quoque *Adoni-bezek* legit. Et verò sunt illiusmodi multa alia, præsertim quibus appellationes hominum vel locorum propriæ sunt deformatæ, menda tam vetusta ut nullius exemplaris antiquitate possint corrigi. Vocabantur autem Reges Jerosolymæ plerique omnes illis priscis temporibus, ut autumant Judæi, vel *Malchi-zedek*, vel *Adoni-zedek*; quorum illud *Regem justitiæ*, hoc *Dominum justitiæ* significat, unde bona conjectura capi potest, urbem illam primùm צדק *Zedek*, h.e. *Justitiam*, fuisse nominatam; postea verò *Salem*, ac tandem *Jerusalem*. Nam *Jebus*, quæ appellatio ipsi est aliquando à vulgo attributa, incolarum non urbis propria erat. Nimirū propter sacrosanctum œconomiæ Christi mysterium, quod illic olim peractum iretur, tam augusta nomina sunt huic loco Divinitus posita, planè κατ' ἀρ-δότητα, ut Plato loquitur. In eo enim mysterio justitia & pax atq; felicitas totius orbis posita fuit. *Salem* autem esse dictam, quod nomen à שלום *Schalom*, h.e. *pace*, ducitur, testatur divinus Vates Ps.76.2. cùm canit, *Et fuit in Salem tabernaculum ipsius, & in Zion ejus habitatio. Jerusalem* autem pòst appellata est, sive à Davide, ut Josephus existimare videtur Antiq.l.7.c.3. sive ab alio quopiam, facto ex conjunctione nomine. Nam cùm Abraham sacrificaturus filium suum loco dedisset nomen יהוה יראה, h.e. *Dominus providebit*, Gen.22.14. ex illo יראה *Jereh*, i. *providebit*, & vetustiore appellatione *Salem*, formatum est *Jerusalem*, h.e. *Providebit*, aut *Videbit, pacem*. Nugæ enim sunt quas fabulatur Josephus, cùm alibi, Belli Jud.l.7.c.18. à Melchizedeko positum esse hoc nomen dicit, qui ad vetus *Salem* addiderit τὸ ἱερὸν, propter exædificatum illic à se fanum, quasi verò Melchizedek Græcè locutus sit; alibi verò, Antiq.l.7.c.3. à Davide, propter murum quo urbem cinxerat. *Hieron* enim Hebræos *mœnia* vocare. Sunt enim ista tam insulsa ut à Josephi obtrectatoribus & adversariis inspersa in ejus libris potiùs quàm à tam erudito viro scripta existimarem, nisi eum in Hebraicorum nominum enodationibus etiam alibi usque adeò hallucinantem animadvertissem ut jure ignarus suæ linguæ, & in sola Græca educatus eruditúsque videri possit. Longè etiam errat Stephanus Byzantius, qui hanc urbem *Solymorum* nomen à montibus Solymis accepisse scribit. Sunt enim Solymi, quorum etiam Homerus meminit, in Pisidia apud Telmessum quærendi, ut auctor est Strabo scriptor diligentissimus, l. 13. in extremo. Nam profectò, si *Solymorum* nomen unquam est

est à bonis scriptoribus isti urbi nostræ accommodatum, à vetere *Salem* corruptũ potiùs esse quàm à procul dissitis montibus acceptum quis non existimet? ¶ Porrò illa sacræ orationis circumscriptio, *Et agerent inter illos*, significare modò videtur, Gabaonitas juris legúmq; ac vitæ totius communione cum Israelitis conjunctos fuisse; aut, si id malis, assiduos in Israelitarum castris familiariter versatos esse; erant enim aquatorum lignatorúmque officia quotidiana. Debebat autem hæc res suspecta esse Chananæis, cùm viderent sua omnia hostibus proditum iri à suis gentilibus. ¶ Verbum *Timuerunt* positum est numero plurium, quia *Regis* vocabulo per metonymiam cæteri quoq; Jerosolymæ cives continentur. ¶ *Urbes regni*, structurâ verborum Hebræis familiari, sunt *urbes regales*, ut Latinus rectè convertit; h.e. quantæ illæ ferè solent esse in quibus Reguli splendidè dominantur. ¶ Pro urbe *Eglon*, v.3. reddiderunt LXXII *Odollam*: Et tamen aliam esse Eglon, aliam Odollam perspicuum fiet c. 12. Suspicor ergò etiam hunc locum in Græcis libris jam olim esse corruptum. Eusebius tamen excusat mendam, cùm dicit, libello De locis Hebraicis, urbem Eglonem fuisse binominem; *Odollam* enim quoque dictam esse; nimirum consensione exemplarium victus. Ut autem obiter nonnihil de istis urbibus dicam: Pertinebunt illæ omnes ad possessiones tribûs Judæ; quippe quæ ab Jerusalẽ ferè versùs Meridiem sunt positæ. Et Hebronem חברון quidem locat libellus De loc.Heb.22. millib. pass. ab Jerosolymis versùs Austrũ & Meridianam plagam. Ea nunc à vulgo *Calil* appellatur; & in valle habitatur, cùm olim exstaret in monte. Sed de ista urbe multa erunt alibi dicenda. *Jerimuth* verò sive *Jarmuth* ירמות duarum urbium nomen est: altera ad Issacharianos pertinebit, de qua agetur c. 21. At ista nostra sita erat, ut in libello De loc. Hebr. proditum est, quarto ab Eleutheropoli lapide, non procul à villa Esthaol. Meminit tamen etiam idem ille libellus Jarmuthæ positæ decimo milliario ab Eleutheropoli, quà versùs Jerusalem ascenditur. Utra fuerit istarum nostra, Deus viderit; illa longiùs, hæc propiùs multò abfuerit ab Jerosolymis, ego certè mendosũ esse posteriorem hunc numerũ puto; Jarmuthámq; esse eandem unam. Sed quando de Eleutheropoli mentio incidit, cujus urbis ego positum, diu multúmque quæsitum in illo Eusebii De locis Hebr. libello, nondũ inveni; is auctor qui ex populi Romani actis varia itinera certis intervallis distincta collegit, quem vulgus, nescio quàm rectè, *Antoninũ* nominat; is, inquam, auctor locat Eleutheropolim circiter septuagesies septies millesimo passu à Cæsarea Palæstinæ, (nisi in subducta ratione mendum est. Certum est enim libellum esse mendosissimum & tantùm non perditum incuriâ librariorum) ab Jerusalem verò sive, ut ipse nominat, Ælia vicies millesimo; ab Ascalone porrò vicies & quater millesimo; denique à Diospoli, quæ Lydda est in S. historia, decies & octies millesimo. Quæ ideo exponenda hîc semel putavi, quia libellus ille De locis Hebraicis, quem sæpe citare cogemur, etsi nusquam Eleutheropolim ubi sit locorum ostendat, tamen in plerisque aliis locis monstrandis eâ urbe tanquam quodam Chananææ umbilico utitur; fortassis quia scriptoris sui Eusebii tempore nota omnibus erat. Porrò לכיש *Lachis* aberat ab Eleutheropoli millia passuum septem versùs Daromam, interiorem videlicet; si quidem vicus, quem etiamnum exstare scribit Eusebius, verum est illius urbis monimentum. Et Burchardus, quem suprà quoque semel atque iterum laudavi, prodidit Lachin positam fuisse duabus leucis, h.e. plùs quàm quinquies mille pass. à Cariath-Jaarim versùs Occidentem ferè. Est hujus urbis mentio in Regum historia l.4.c.18.& in Paralip. l.2. c.32. atque etiam Isa.c.36, & 37. Denique עגלון *Eglon* 10, aut 12. mill. pass. ab Eleutheropoli ad Orientem distabat. Nam scriptum est illo De locis Heb. libello, prægrandem adhuc vicum nomine *Adollam* illic loci Eglonem repræsentare. Sed sanè ista conjectura, mihi certè, incerta nimis videtur. Nam illud constat, aliam fuisse regiam urbem Adollam, sive Odollam, ab Eglone diversam, quanquam, ut apparet, non procul ab ea dissitam. Utramq; munivit Roboam Solomonis filius, postquam decem tribus juvenili consilio usus ab se alienasset atque ad secessionem verbis insolentibus impulisset; ut est in Paralipomenis scriptum l. 2. c.11. v. 8. Exstabant autem istæ omnes quas modò commemoravi urbes in montosis illis locis quæ *montana Judææ* vocantur in S.lit.Luc.1.39,65. Sed erit rursus de singulis agendum accuratiùs suis locis. Quamvis ad Eglonem quod attinet, puto eam ab Eleutheropoli partim quidem ad Orientem versùs, sed simul ad Austrum, h. e. ad Eurum, recessisse; ut mox dicemus. ¶ Porrò cùm quinque isti Reges vocantur *Amorrhæorum reges*, positum est hoc gentis vocabulum, ut sæpe aliàs, pro gente Chananaica. Certum enim est Hebronis cives fuisse Hettæos; ut ostendimus c.14. Amorrhæi enim dispersè & diffusè per universam Chananæam habitabant. Nam, quantum assequi conjecturâ possumus, cùm ea natio primùm felicissima illa regna Sehonis & Og occupassent, mox numerosissimâ prole aucti colonias multas emisere in diversas Chananææ partes: Alii enim circa Antilibanum consederunt, Deut. 2.20. Alii non procul à Cades-barnea & Amalecitis, atque ad Hasason-Thamar, Gen. 14. 7. quæ est vel ipsa En-gaddi, vel huic vicinus locus, 2 Par. 20. 2. alii denique, quod certè apparet ex Speculatorum Mosis relatione, in istis Judææ montanis, ut vocantur, Num. 13.29. Quare mirum videri non debet hanc appellationem sæpe ad quosvis Chananææ incolas accommodari.

6. *Porrò Gabaonitæ mittebant ad Josuam in castra*, &c.] Non antè mittebant Gabaonitæ imploratum opem Israelitarum quàm circumsessi ab hostibus essent atq; etiam oppugnati, ut conjicimus de S. verbis. Quod propter dici posse videtur probabiliter, certam fiduciam ipsos in ejus Dei potentia habuisse cujus religionem & sacra nuper susceperant; & proinde ad eos accommodari non debere illud Jeremiæ 17. 5. *Exsecrandus est quisquis fidit homini, & statuit carnem sibi brachium, cùm à Domino Deo discedat mens ejus*, &c. Nam si in hominum sociorum armis & viribus spem omnem collocatam habuissent, multò antè oratum eos misissent, ut se ad difficilis pugnæ societatem compararent. Neq; enim quinque Regum copiæ de improviso conscribi, convenire, obsidere, oppugnare denique Gabaonitas potuisse videntur. Quin sanctam illam fiduciam tantùm non apertissimè præ se fert verbum illud, *Serva nos*, quo utuntur apud Josuam, tanquam prorsus nihil dubitantes de sua salute, modò ut ille adesse velit, quem tamen nunquam adversùs Chananæos Reges simul plures pugnantem viderant vel audierant. Cæterùm utuntur ad permovendum misericordiâ Imperatoris animum solo *servorum* submisso & abjecto nomine. Nimirum intelligunt apud quem virum agant. Impii enim, immanes & barbari homines ad eam appellationem dubitarent, hæsitarent, cunctarentur potiùs, quàm maturarent suppetias, dum hujusmodi secum inirent rationem, Quanti tandem nobis esse debent servi isti, ut res nostras quietas atque pacatas cum illorum turbatis commiscere, periculáque communicare debeamus? Levis est servorum jactura. Et belli alea semper incerta est & anceps. Igitur aut se defendant illi, aut pereant. At quos pura religio ut Dei amore ita verâ humanitate informavit, iis omnis vitæ conditio, quantumvis humilis, suorum hominum sibi ob oculos posita inexplicabilem injicit ferendæ opis necessitatem. Neque enim potest is penes quem est Principatus suos populares aut cives, neque herus suos servos, citra turpem crudelitatem, in periculis vel animi vel corporis negligere; non magis quàm parens suos liberos. Nam quos quisque sibi parere æquum censet, eorum se rebus consulere æquum esse debet existimare. Et leges civiles servum in libertatem vindicant quem morbo periclitantem domo suâ herus ejecit publicè, neque eum ipse procurans, neque alii commendans, vel alio quo potuit modo juvans, C. de Latin. lib. tolle. d. 5. Talis itaq; servus. & l. 2. ff. Qui sine manumiss. ad lib. perv. Neq; profectò abs re apud omnes tam profanos quã sacros scriptores ii qui in alios homines dominatione utuntur *patres* atq; *pastores* vocantur. Est autem pastorũ munus, non solùm pascere sed etiam tueri suas oves, atque eas omnino procurare. Et patribus natura ipsa prolium suarum curam imposuit. Exstat quoque in

Regum historia l. 1. c. 30. memorabile exemplum de servo, qui ab hero suo Amalecita cùm invalitudine laborans crudeliter inediæ atque adeò morti destitutus fuisset in via, recreatus cibo atque potu à Davidis comitibus, tum impio domino suo tum universo illi exercitui attulit exitium. Sed de his nunc satis. ¶ Universitatem Amorrhæorum, quam dicebant Gabaonitæ, ut acriùs urgerent Imperatorem, eam contrahunt ad *montis incolas*; quod de montosis Judææ locis accipiendum esse censeo. Nam ad Antilibanum quoque & in aliis montibus complures habitabant Amorrhæi (etiamsi præcisè hoc nomen dictum putes de sola una ex septem gentibus, non universè) qui sub istis quinque Regulis non militabant. ¶ Illud אלינו pro עלינו usurpari non est insolens.

7. Josua ergò conscendit è Galgalis, & ipse, & omnis populus, &c.] Utinam de hac Josuæ solicita pietate Magistratus nostri seculi exemplum sibi caperent, ac non suarum voluptatum (quas ferè ex rebus plùs quàm puerilibus, certè eo fastigio dignitatis indignissimis comparant) curam majorem quàm suorum parentium civiúmque haberent. Poterant sanè, ut apparet, multa retinere Josuam cur minùs ad eam expeditionem se illico accingeret. Nam ei Gabaonitarum fides non satis cognita nedum explorata adhuc erat; quorum fraude in insidias facilè potuisset pertrahi. Neque suorum militum animos fore alacres ad pugnandum pro illis quos nuper ipsi lubenter oppressissent armis, sperare posse videbatur. Verùm Imperator cordatissimus, quod suum officium est, id solum spectat; idque summâ fide, curâ, diligentiâ præstat, cætera Deo permittit, à quo omnium victoriarum eventus pendet, & bellorum exitus. Memoratur quidem *omnem populum militarem omnésque viros strenuos* eduxisse secum in expeditionem: sed ego hoc ad fortissimos quosq; & strenuissimos ex uniuersa multitudine delectos puto pertinere modó. Quis enim credat, non plurimos pro tutandis, si opus sit, castris & defendenda imbelli turba mansisse in Galgalis? Quanquam autem Latinus, Græcos secutus, inter populum bello aptum & viros strenuos nihil discriminis fecerit, copulámque quæ in Hebræo est omiserit, ego tamen illud עם המלחמה significare puto eos milites qui è vulgo pugnacissimi habebantur, at גבורי החיל eos viros qui non solùm manu prompti & animo imperterriti adversùs hostes essent, verùm etiam consilio atque industriâ ad res deliberandas constituendásque pollerent. חיל enim apud Hebræos non magìs ad corporis vires quàm ingenii pertinet. Sæpe enim *industriam*, *sedulitatem* ac *cum prudentia consociatam diligentiam* significat; & tres ferè virtutes continet, Fortitudinem, Justitiam, Prudentiam. Quare optimè & Latinissimè *frugalitas* dici posse videatur, ut certè hoc *frugalitatis* nomen est à Cicerone expositum, l. 5. Tusc. quæst. Nam Pharao cupit suis gregibus præfici אנשי החיל h. e. *gnavos, sedulos, industrios viros*, Gen. 47. 6. Et Ruth vulgò habebatur אשת חיל *frugi mulier*, Ruth. 3. 11. qualem Solomon alibi dicit *viro suo esse pro corona*, Prov. 12. 4. alibi, ut inventu difficillimam, non tam de corporis quàm animi virtutibus mirificè deprædicat, Prov. 31. 10, &c.

8. *Dixerat autem Dominus ad Josuam, Nè metuas ab illis*, &c.] Ego verbum interpretatus sum per tempus præteritum plusquam perfectum, ut Grammatici loquuntur; quia probabile mihi videtur & Josuæ virtuti consentaneum, non ante consultum datúmque à Deo oraculum milites eum castris eduxisse in expeditionem. Sic enim statuo, Illum audito suorum clientum tristi nuncio illico omni curâ & studio incubuisse nè boni Imperatoris officio in defendendis novis civibus deesset. Itaque in ea apparatione illo occupato, & totâ interim mente voluntas Dei qualis in ea re esset requirente, instinctu afflatúque Divino hoc oraculum in ipsius intelligentiam esse infusum; h.e. planè ipsi in mentem venisse ea Dei promissa quæ ille initio imperii dederat: cúmque illis promissis spem victoriæ admovisse tam certam, ut non ad ullam deliberationem ejus jam animus sed ad rem ipsam exsequendam esset comparatus, prorsus non aliter atque si ex Divino oraculo verba illa quæ in S. texto sunt dici audivisset. Quanquam si Eleazarum Pontificem exposuisse Imperatori responsa Dei malis existimare, non refragabor. D. Augustinus non petitum à Deo, sed datum ultro esse hoc oraculum censet. Nimirum sentit ille, opinor, quod ego modò dicebam, cœlesti instinctu spem victoriæ certissimam concepisse Imperatorem priùs quàm Pontificem consuleret. Nam etiam tum fuisse incertum cùm copias suas educeret, itérque invaderet, mihi certè non fit verosimile. Erat enim recentissima memoria angustiarum in quas & ipsum & Principes cæteros dictis Gabaonitarum inconsideratè adhibita fides adduxerat. Cæterùm quòd Deus tam promptè támque prolixè victoriam pollicetur de Gabaonitarum hostibus, satis magno est argumento non sine illius Divino nutu hos fuisse conservatos ab Israelitis. Nam nemo nescit quàm tulerit ægrè quòd Saul Regi Agag pepercisset contra sua jussa, 1 Reg. 15. Quod autem ait ad Imperatorem, *Nè metuas ab illis*, significare videtur, nonnihil ipsum angoris cepisse ex nuncio insperato. Neque enim viri quantumvìs sanctissimi, & Dei, ut Homerus & Plato vocant, ὀαεισαὶ, prorsus ab omni metu vacui semper sunt, etsi certissimis promissis animos suos Divinitus fultos habeant. Nimirum benignissimus Deus, & undiquaque humanæ saluti occasionem offerens, ità suorum mentes comparat, ut interdum tam excelsi, firmi & omnium rerum securi sint quasi in cœlo ipso jam nunc cum illo versentur, interdum rursus molliores, infirmiores, demissiores quàm pro exploratissima illa spe quâ jure niti promissionibus Divinis debebant. Atque his rebus dilucidè ille nobis ante oculos ponit admirabilem suam erga nos benignitatem; ostendit enim, securam illam & jocundissimam fidentiam, quâ beata immortalitas nobis quadamtenus adumbratur, suum esse munus, & virtutis nostræ præmium fructúmque; diffidentiæ verò, aut hæsitationis potiùs, quæ humanæ est infirmitatis, se benignè nobis gratiam facere; atque adeò eâ animos nostros levare quoque paratum adesse, si modò nostram imbecillitatem agnoscentes in ipsum nos totos rejiciamus. Itaque si quas angoris nebulas Josuæ animo nuncius ille rerum turbulentarum offuderat, eas jam Deus hoc suo oraculo prorsus discutit, mentémque illius confirmat.

9. *Supervenitq; illis Josua de improviso*, &c.] Ostendimus ad v. 16. c. 9. millia pass. fuisse 26. & insuper stadia 2, ut minimum, ex Galgalis ad Gabaonem. Non est ergò incredibilis celeritas & festinatio illa, quâ Josua, cum suis copiis, unius noctis spatio è castris ad obsessam Gabaonem pervenit; præsertim cùm per S. verba liceat præcedentis diei quantam velis partem nocti addere. Nihil enim aliud illa significant quàm ejus noctis partem nullam quieti datam esse, sed universam in faciundo itinere consumptam, itáque primo manè de improviso perventum esse ad hostes. Magna igitur cura diligentiáque Imperatoris hîc laudatur. Nempe intelligebat vir prudentissimus, nunquam faciliùs hostem opprimi quàm si inopinans & vacuus metu atque ab rebus omnibus imparatus invadatur. Quâ arte Julium Cæsarem tot victoriis clarum fuisse nè ipsus quidem dissimulavit. Notum est enim illud ejus responsum, Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, & illud Themistoclis, *Amicos patientiâ, hostes celeritate*, cùm uterque de suis victoriis fuisset interrogatus. Sed suppetunt S. historiæ exempla. Abraham enim, ut fratris sui filium Loth à Barbaris captum reciperet; in ipsis tenebris hostem improvisò oppressit ceciditque, Gen. 14. 15. Gedeon, per diverticula facto itinere castra secura nihilque mali metuentia Regum Zebee & Salmana adortus delevit, Judic. 8. 11. David, ut captas ab Amalecitis tum suas tum comitum suorum uxores & bona recuperaret, hostem dubiâ luce invasit, epulis & gestiente lætitiâ solutum, 1 Reg. 30. 16. Quippe improvisum malum semper eò gravius difficiliúsque accidit illo quod exspectatum est quò est securitas injuriis opportunior quàm cautio atque provisio. Sed existimet fortasse quispiam, nihil Josuæ tantâ diligentiâ, nihil occasionis commoditate observandâ opus fuisse,

fuisse, cùm illi Deus certissimam pollicitus esset victoriam, atque hostes tantùm non in manus jam tradidisset. Illa enim, Milites lectissimos ducere in expeditionem, Properare, De nocte iter facere, Improvisò invadere, suâ industriâ nitentis potiùs quàm Dei pollicitationibus fidentis esse videntur. Atqui fortunam admotâ manu esse invocandam, me alibi etiam monere memini. Non est profectò existimandum, Dei benignitatem ad fovendam nostram ignaviam spectare. Nulla dubitatio est quin Josua illis Dei promissis fidem integerrimam adjunxerit, inque illis perinde acsi in re præsenti versaretur acquieverit: sed quò illa certiùs eventura credebat, hoc suum sibi enixiùs exsequendum esse munus rectè cogitabat. Deus enim ad pleraque beneficia, quæ gratuitò in nos confert, nostram ipsorum operam, neque eam levem aut segnem, sed acrem, navam, industriam requirit; non quidem quò nostro auxilio egeat, cùm sit omnipotens, sed ut nostram voluntatem atque arbitrium ad suum consilium accommodet, eâque re mutuum in se amorem nostrum excitet. Neque tamen eo fit ut non solidum beneficium, quantum quantum est, ipsi acceptum debeat referri; cùm illud ipsum etiam in accepto beneficio collocandum à nobis sit, quòd nostrâ ille operâ uti dignetur, atque adeò ipsa etiam omnis actio nostra illius sit beneficium. ¶ Porrò ille verborum ambitus, *Totam noctem conscenderat ex Galgalis*, tanquam interpositio debet legi; nisi verbum commutetur in participium, quod Symmachus fecit; quem est Latinus imitatus, convertit enim Symmachus, ὅλην τὴν νύκτα ἀναβὰς ἐκ Γαλγάλων.

10. *Et perturbabat illos Dominus coram Israele*, &c.] *Perturbandi* verbum est in Hebræo ויהמם, quod ego existimo ad primam inflectendorum verborum formulam, quam *Kal*, h.e. *lenem*, vocant, pertinere, atq; esse ex eorum ordine in quibus secunda & tertia positionum elementa sunt gemina: Vocalem autem Kametz sub litera Jod, quæ futuri est nota, mutatam esse in Scheva, propter affixum pronomen: Holem verò aut Schurek in vocalem parvam esse versum, ut Dagges admitteretur, quòd medium thematis elementum desiderari ostenderet. Kimhi tamen in sua Grammatica censet ex tertia esse formula, quæ *Piel* vocatur. Porrò ad significationem quod attinet, Judæi Chaldæum secuti interpretantur *conterere, frangere, dissipare*: at LXXII cùm hîc tum alibi sic transferunt quasi *mente permovere quempiam* significet; quæ notio est quidem verbi המה propria. Sed quia המה & המם cognatæ sunt voces, nihil absurdi est alteram pro altera usurpatam esse existimare. Hanc ergò sententiam ego quoque amplexus sum, & quidem eò lubentiùs quia Deus in Exodo 23.27. cùm se terrorem Divinitus immissurum in animos gentis Chananaicæ pollicetur, hoc ipso utitur verbo; sic enim loquitur, *Terrorem meum mittam ante te*, והמתי את כל העם, h.e. *& perturbabo*, sive *in cæcos tumultus conjiciam, omnem populum contra quem venturus es; efficiámq; ut omnes hostes tui terga tibi vertant*. Mihi enim certè illud sui promissi munus videtur hîc nunc efficere Deus, atque etiam istius narrationis scriptor ad illa verba alludere. Diximus autem nonnulla de ista animorum perturbatione & veluti Panico terrore ad v. 9. c. 2. Solet quidem plerumque sic evenire ut qui de improvisò invaduntur, quamvis alioqui fortissimi sint & bellicosissimi, impressionem tamen hostium & vim subitariam aut non planè aut ægrè sustineant; & quantò sunt copiæ majores, tantò perturbatiores, nullo ordine, & propè nullo cum sensu ruant, eóque minùs aut Imperatoris aut Tribunorum suorum jussa monitáque audiant; denique intractabiles planè & indociles sint, dum quisque ex alterius trepidatione majus vero sibi periculum fingit, & quò majore vocis contentione à suis Ducibus inclamatur revocatúrque, eò propiùs à se abesse malum putat. Atque hæc isti collectitio exercitui jam accidisse videmus. Verùm tantæ hujus formidinis causam non tam subitum inopinatúmque Israelitarum interventum quàm occultum terrorem, qui Divinitus illis incidit, fuisse, ipsa attestantur S. verba. Sed nihil vetat, opinor, Dei consilio, ut principali perfectæque causæ, pavorem illum attribuere; & simul Josuæ strategemati, ut causæ adjuvanti. Neque enim causæ naturales Divinam providentiam excludunt, sed ad hujus ductum sese applicant: Cujus ignoratione priscorum hominum superstitio Pana Deum istius generis affectionum auctorem finxit; ut multorum aliorum eventuum, Fortunam; cùm præter proximas causas divinior quædam efficientia quærenda esset: Nec tamen illi absurdè, si se ipsi intellexissent. Magni enim illius Panis, qui Tiberii principatu (Plut. lib. De defectu orac.) κατ' οἰκονομίαν moriebatur cum dæmonum omnium admirabili gemitu, ut Thamus Ægyptius, qui audierat, narrabat; Nimirum gemebant illi casum sui imperii, quod illâ morte frangebatur; Sed illius, inquam, Panis nutu & ratione universus iste mundus, & quà est aspectabilis, & quà fugit omnem sensum, regitur & gubernatur. Deus enim est qui, quòd rebus omnibus ut effector moderatórque adsit, *Pan* à vetustissimis illis Philosophis est appellatus: Sicut idem *Apollo*, quando ipsum mens humana ut perfectè unum solúmque & æternâ felicitate per se beatum admiratur & veneratur. Est enim *Apollo* solitudinis nomen, sicut *Pan* universitatis. Atque hoc à doctissimo illo Clemente Alexandrino quoque proditum est in Stromatis, l. 1. *Unus*, inquit, *Deus in mysteriis* Ἀπόλλων *intelligitur*, κατὰ στέρησιν τῶν πολλῶν, h. e. *quia omnis ab eo multitudinis ratio absit*. Cui etiam illud est consentaneum quod scripsit Plutarchus, Apollinem vocatum esse ἰήιον, h. e. *unum solúmq;*, lib. De ει consecrato Delphis. Sed jam à proposito deflectimus. ¶ Habet autem præsens locus dubitationem, utri nomini hæreant verba illa in S. texto, *cædebat, persequebatur, percutiebat*, Deíne, an Israelis. Et LXXII quidem primum Deo, cætera duo Israeli accommodant. Nam quin illud *perturbabat* sit ad Deum referendum, nulla dubitatio est. Verùm meo certè judicio illa omnia Deo, omnia etiam Israeli rectè attribuantur. Deus enim, ut trepidationis, ità fugæ, cædis, persecutionis auctor fuit. Ejus autem voluntati consilióque operam suam Israelitæ accommodabant, hostésque Divino terrore perturbatos cædebant, persequebantur, percutiebant denique. ¶ Illud porrò, *In Gabaone* positum est pro *ad Gabaonem*, aut *in agro Gabaonitico*; planè sicut c. 5. 13. memorabatur Josua esse in *Jerichunte*, quæ etiam tum occlusa munitáque erat. De Gabaonis situ diximus nuper. ¶ Duæ autem fuere urbes nomine בית חורון *Beth-horon*, sed altera Superior dicta est, altera Inferior. Illa cùm Ephraimitis fuisset sorte assignata, Levitis deinde attributa est: Hæc videtur Beniaminitis obtigisse. In Par. l. 1. c. 7. v. 24. memoriæ proditum est, utramq; à Sara quadam filia Ephraimi esse conditam: Pòst autem à Solomone utramq; *munitam esse muris, portis, vectibus* testatur alter Paralipomenon liber, 8. 5. Sed Regum historia solius inferioris meminit tanquã à Solomone instauratæ, l. 3. c. 9. v. 17. Videntur autem ambæ haud magno loci intervallo disjunctæ prope Nicopolim sive Emaunta extitisse, nonnihil versùs Septentrionem, si è Gabaone spectes, ut certè à D. Hieronymo sunt in Paulæ Epitaphio descriptæ, ad montem Silo. Nicopolim autem ab Jerusalem abfuisse stadia 60. proditum à D. Luca est, 24. 13. Sed enim libellus ille Itinerum populi Romani, quem nuper dicebam, cùm iter à Cæsarea Stratonis ad Eleutheropolim metitur, primam mansionem nominat urbem Betoro, vel, ut habent alia exemplaria, Bethocro: háncque collocat millibus pass. circiter 31 à Cæsarea. Indè ad Disopolim, quam Lyddam esse diximus, facit passuum millia plùs minùs 28. & hinc ad Eleutheropolim pass. mil. 18. Illam igitur Betoro sive Bethocro nostram esse Beth-horon arbitratur Jacobus Ziglerus, descriptor Palæstinæ diligentissimus quidem, sed qui in multis locis tanquam digito ostendendis, ad quæ nè bona quidem conjectura unquam perduci potuit, nimium sibi licentiæ, nè dicam intolerandæ audaciæ, vel temeritatis potiùs, permisit. Sanè si vera sunt quæ Hieronymus de Paulæ itinere, & Josephus de Cestii, ut nuper dicebam, memorant, neutra nostrarum esse potest illa Betoro quam in Romanorum itineribus modò notatum

notatum esse dixi. Et de Beth-horon nunc hactenus; plura enim in divisione Terræ dicenda erunt. ¶ מקדה *Maceda* autem posita erat, ut ait Eusebius, millibus pass. 8. ab Eleutheropoli, contra Orientem; nonnihil tamen erat declinandum ad Aquilonem, ut ego arbitror. ¶ Porrò עזקה *Azecam* inter Gabaonem & Macedam sitam fuisse ipsa præsentis fugæ ratio dilucidè ostendit. Atque hic illud quoque dignum animadversione est, quòd cùm ferè ab Oriente hostibus superveniret Josua, illi non rectà subitò versùs suas ipsorum urbes, Azecam, Macedam, Eglonim, Lachim, Jarmutham, Hebronem, fecisse fugam videntur, erant enim illæ urbes Gabaoni partim Occiduæ, aliæ Australes; sed primùm rectà versùs Septentrionem sese effudisse, ac mox, veluti agnito errore, ad Occidentem Meridiémque se recepisse. Nam Beth-horon Aquilonarem fuisse Gabaoni, firmè ex Hieronymi dictis conficitur, cùm memorat Paulam à Nicopoli conscendentem Beth-horon vidisse Gabaonem & Aialonem à dextris. Nimirum ità fieri assolet, ut qui subitò consternantur in fugam, ii ferè incertissimam viam illico arripiant. Quanquã verum esse potest, eam declinationem illos fecisse, viæ anfractus flexúsq; secutos. ¶ Cæterùm quia hoc versu mentio est *clivi Beth-horon*, proximo autem *declivitatis Beth-horon*, apparet ex Gabaone tendentibus Beth-horon clivum fuisse conscendendum; quamvis Gabaon, ut dixi in monte exstaret: Et rursus ex Beth-horon versùs Azecam & Macedam fuisse declivem viam. Verùm si cui hoc minùs probatur, cùm Beth-horon inferior, de qua hic fieri mentionem multi probabiliter existimant, sub Silontis monte fuerit posita, Gabaon autem super; is putet eundem unum fuisse locum qui modò *acclivis* modò *declivis* nominatur inter Beth-horon & Azecam: Nam clivo Beth-horon ei nomen quidem fuisse, verùm *declivitatem* rectè esse appellatum cùm per eum hostes prono cursu Azecam versùs deferrentur. Quanquam neque illa absurda fuerit sententia, si opinemur, ut Gabaonem super Siluntem, sic Beth-horon super alium quempiam collem exstitisse. Certum est enim, illa quæ ab Jerusalem in Occidentem atque Meridiem vergunt loca admodum esse montosa.

11. *Accidit autem ut dum fugientes illi Israelem*, &c.] Admirabilis est sanè & gratissimo animo semper deprædicanda hæc tanta Dei clementia erga suos, qui jam non contentus Israelis hostes ità permovisse mentibus ut præ timore & trepidatione non solùm pugnandi ratio ipsis non constaret, verùm nè fugæ quidem, nisi insuper suâ ipse tanquam manu in cædendis fugientibus operam victoris levaret. Scribit Livius l. 1. decad. 1. cùm Rex Tullus, devictis Sabinis, magnâ gloriâ multísque opibus rem auxisset Romanam, in monte Albano lapidibus pluisse, neque aliter quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebros cecidisse è cœlo lapides. Et alibi quoque meminit similis lapidei imbris, cùm Scipio ad Carthaginem res feliciter gereret l. 10. Decad. 3. Verùm illas insitatas pluvias aut certa aeris intemperies peperit, aut malus Satan, Dei in plerisq; rebus simia & fraudulentus imitator, generavit, ut à malè religioso populo cultum sibi novemdialem compararet. Hanc verò nostram Deus ipse, ut S. verba disertè monent, produxit, ac, veluti collimatis oculis manibúsque, tam certo ictu dejecit in hostes, ut mistos cum his victores, aut certè ipsorum tergo inhærentes, ea calamitas non attingeret. Quod sanè admirabilius fuit quàm terram Gosen immunem grandinis ejus fuisse quà reliqua Ægyptus universa concutiebatur, Exod. 9.26. Sed enim Josephus in Antiquitatibus rerum Judaicarum l. 5. c. 2. narrat, non solùm inusitatâ grandine verùm etiam tonitru & fulmine terribilem fuisse istam tempestatem; similiter atque erat illa Ægyptiaca. Idque ei videtur assentiri vates Habakuk quoque. Hic enim, cùm Solis Lunæque miraculum, quod mox dicetur, attigisset oratione, hæc subjunxit verba, c. 3. 11. *Ad lumen telorum tuorum incedebant, ad splendorem fulgoris hastæ tuæ:* q.d. Cœlestia fulgura, quæ hostibus terrorem, ea Israelitis alacritatem cum lumine attulisse. Neque verò dissimilem accidisse rem M. Aurelii Imp. exercitui scribit Eusebius, Hist. Eccles. l. 5. c. 5. cùm ad Christianæ legionis preces, quas ad Deum suum illa adhibebat, largè profuso cum fulgoribus imbre, ille potu recrearetur, hostes verò Germani in fugam pavore agerentur. Et nota est narratio de Theodosii victoria, quam Claudianus lepidissimis versiculis æternæ memoriæ consecravit, cùm sic caneret,

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad prælia venti.

Sed non adjungam plura exempla. Est enim semper sui similis Divina clementia atque benignitas. Cæterùm quòd lapides isti è cœlo demitti dicuntur, ex vulgi sermone sumptum est; sive quia Divinitus cadebant, sive quia ex ea regione quæ supra nos est. Nam utrumque verum est. Descendebat enim lapidosa ista grando ex media aeris regione, ut vocant nostri Philosophi, quam vulgò *cœlum*, abutentes vocabulo, sæpe dicimus; in qua regione, Divino nutu, affectio temperatióque talis è terræ halitu sursum educto generatatũ fuerat, ut saxis veriùs quã grandine pluere omnes existimarent. Grandinem tamen fuisse argumento est vox Hebraica ברד. Et LXXII interpretes *grandinem* vocarunt. Sed credibile est materiem illam majore frigoris vi constrictam validiùs quàm pro usitata grandine fuisse, & multò etiam majoribus particulis decidisse; quippe quæ facilè quosvis casu interimerent. Id quod in Ægypto quoque accidit.

12. *Tunc loquebatur Josua Domino, quo die dedebat*, &c.] Particulam אז convertere futurum tempus aliquando in præteritum, dixi c. 8. 30. Judæi plerique *loqui* pro *canere* aut *cantu prædicare* dictum esse censent. Neque enim Josua ad Deum, sed ad Solem verba facit, ut videtur. Et Kimhi quidem carminis verba aut non esse adscripta, aut illa esse, *Et institit Sol, & Luna substitit, donec ulcisceretur gens hostes suos*, putat. Nam illa, inquit, *Sol in Gabaon insiste, & Luna in valle Aialon*, vota modò sunt precésque. Sic ferè Kimhi, cui assentitur vetus Commentarius Mechilta in Exodum scriptus, dum in explicando cap. 15. districtus est. Enumerat enim illic cantilenas decem ex S. historia, & inter eas quinto loco hanc Josuæ. Sed adscribam eas paucissimis; conducunt enim ad pietatem. Primam, inquit, canebant Israelitæ in Ægypto: quod Isaias abscondité significavit c. 30. 29. cùm diceret, *Et canticum erit vobis sicut in nocte, quâ consecratur festum, & gaudium animi*, &c. Secundam canebant iidem transmisso mari Rubro, Exod. 15. Tertiam ad puteum, cujus est in Numeris mentio c. 21. Quartam condidit Moses paulò ante suum excessum, Deut. 31. Quintam canit hic Josua noster. Sextam cantabant Debbora & Baracus Judic. 5. Septimam David, cùm eum ab omnibus hostibus atque etiam à Saule liberasset Dominus, 2 Reg. 22. Octavam Solomon dedicatâ æde sacrâ, Psal. 30. Nonam universus cantorum ordo, cùm eum Josaphat recèns instituisset, 2 Par. 20. Decimam cantabunt beati in altera vita: Erítque ea qualis illa Isaiæ 42. 10. *Cantate Domino canticum novum, laus ipsius indè ab ultimis finibus terræ*; vel illa altera, 48. 20. *Dicite, Redemit Dominus servum suum Jacob*, &c. Et superiores quidem omnes illas novæ eæque gravissimæ insecutæ sunt calamitates: at postrema ista nullo per omnem æternitatem malo interpellabitur. Hactenus Mechilta. Sed Chaldæus illud verbum *loquebatur* convertit *laudabat*. Idque etiam faciunt veteres Hebræi in commentario Tanhuma. Scribunt enim illic in hanc sententiam; Sol tantisper dum cœli orbem percurrit, Deum tenore perpetuo laudat. Id enim S. Vates sensit, cùm caneret Psal. 113. 3. *Ab ortu Solis usq; ad ejus occasum laudatur nomen Domini.* Atq; ideo Josua, dum tacere illum jubet, simul cogit insistere. Neq; enim tacere laudes Dei potest dum movetur, quare ille interea pro Sole Deum deprædicabat. Hæc illi pluribus quo dixi libro dum persequuntur, ostendunt non unum Solem sed universam istam mundi Machinam hominum servire utilitatibus atque commoditatibus. Sed omissis Judæis, credibile est Josuam, ubi præcipitem hostium fugam animadvertisset, veritum nè persequendis cædendísq;

tam

tam multis parùm temporis supereſſet ad noctem uſque, adhibuiſſe primùm Deo pias preces; deinde certiſſimâ fiduciâ benignitatis illius, quem videbat ſibi adeſſe præſentiſſimum, ea verba eſſe prolocutum, *Coram Iſraele, Sol, in Gabaone inſiſte*, & quæ ſequuntur cætera; & quidem tali mente quali Thesbites ille Elias cœleſti imperabat igni ut eos conſumeret quos Ochoſias cum ſuperbis mandatis ad ſe miſerat, 4 Reg. 1. Quòd ſi verò malis *Deo loqui* pro *in Dei nomine*, ſive *Dei fiduciâ*, *dicere* poſitum eſſe exiſtimare, non contendam contrà. Nam verbum illud דבר, cùm ſimpliciter *verba facere* ſignificat, haud ferè ſolet abſque interpoſita præpoſitione uſurpari. ¶ Porrò illa pars orationis, *ob oculos Iſraelis*, incertum eſt utri verbo hæreat, *Loquebatur*, an *inſiſte*. Mihi poſterius ideo magis placere poſſe videtur, quia non ſatis aptè dicatur *loqui in oculis*, ſive *ob oculos*: quod tamen à Latino approbatum eſt. Quanquam parùm refert utrum probes. Huc enim certè tendit oratio, Omnes debere animum advertere ad tantum miraculum, atque indè alacritatem mentibus concipere ab bene cœptum bellum, ſub tam felici, læto, auguſto auſpicio conficiendum. Cæterùm quòd Kimhi tam eſt incertus, adſcriptáne ſint carminis verba, an minimè, id argumento eſt in quanta verſentur ſuæ linguæ ignoratione nunc Judæi, & quàm prorſus nullum habeant de ea judicium. Nulla enim obſcuritas aut dubitatio eſſe poteſt quin verba illa numeris ſint ligata, & ex libro Recti tranſcripta. Iſta dico,

שמש בגבעון דום וירח בעמק אילון

& rurſus illa,

וידם השמש וירח עמד עד יקם גוי איביו
ויעמד השמש בחצי השמים ולא אץ לבוא ביום
תמים)

Ipſum enim orationis genus & verborum conſtructio ſe illico prodit apertiſſimè. Quanquam quod ad ſingularum ſyllabarum numeros atque menſuras ſive tempora attinet, haud ſcio an hodie aliquis uſquam ſit qui iſta in illa lingua habeat ſatis cognita; licèt D. Hieronymi ſeculo earum rerum ſcientia atque ars nondum prorſus interciderat, ut apparet non ex hujus ſanctiſſimi viri ſcriptis ſolùm, ſed etiam ex Deuteroſi. Nam hoc quoque Hebræorum doctrinæ genus illis ferè temporibus eſt conſcriptum quibus floruit Hieronymus, aut certè paulò pòſt. Etenim in tractatione cui titulus eſt מסכת סופרים verſus illorum carminum quæ paſſim in S. hiſtoria ſunt, non pauci in ſuum ſtatum menſuræ ratione reſtituti leguntur, cùm antè fuiſſent à librariis confusè & permixtè ſcripti, ut etiamnum ſunt in noſtris libris. Poſui ego certè (cur enim non confitear meam curioſitatem?) nonnihil ſtudii in ea re invenienda, ſed fruſtrà. Nihil enim ſatis certi abſque præmonſtratore video me de Hebraicarum ſyllabarum numeris, ac proinde neq; de verſuum menſuris modíſque, poſſe percipere. Sed eſt profectò ingenium meum minimè acutum & perſpicax: quapropter nolim alios meo exemplo terreri. Nè tamen prorſus diſſimulem quale habeam judicium; ſed quid dico, judicium? imò quamnam habeam obſcuram opinionem de tribus illis verſibus quos modò poſui; Equidem eos numeros in illis animadvertere videor quibus ligati ſunt noſtri iambici tetrametri acatalectici, ut vocamus; ſi modò in primo ſcribatur השמש & והירח, in tertio verò שמש & שמים, illic appoſitâ, hîc ablatâ literâ He; quales librariorum mendas complures notarunt etiam Doctores Hebræi illâ quam modò dicebam tractatione. Verùm ſi hâc meâ cogitatione conjecturâq; longè à vero aberro, debet certè venia à lectoribus mihi dari, cùm iſta neq; arroganter dicam, neq; pro certiſſimis affirmem. Sed hæc hactenus. ¶ Porrò verbum דום etſi *tacere* interdum ſignificet, háncq; notionem ſecuti ſint illi quos nuper dicebam Doctores Hebræi in commentario Tanhuma, atq; etiam Aquilas Ponticus, tamen verior mihi viſa eſt Chaldæi & LXXII interpretum Symmachíq; & Latini ſententia, qui omnes pro *inſiſtere, morari, interquieſcere* acceperunt. Hanc enim dilucidè oſtendit veram eſſe verbum עמד *ſtetit*, quod Lunæ eſt attributum in pari caſu. Verùm enimvero quod ad præſens miraculum retenti Solis Lunæque attinet, R. Levi F. Gerſonis, acutus ſanè Philoſophus, ut habetur inter ſuos gentiles, in ea eſt ſententia ut exiſtimet haudquaquam re ipſâ uſitatū atq; conſuetum iſtorum aſtrorū motum fuiſſe impeditū aut interruptum: neq; enim Moſen perpetuæ orbium cœleſtium legi vim unquam attuliſſe, quē tamen miraculorū gloriâ cæteros viros divinos omnes antecelluiſſe ſacra teſtatur hiſtoria Deut. 34. 10 &c. Quin, inquit ille, Solem non ſubſtitiſſe, conjici poteſt ex ipſis S. verbis, hiſce, *Et non maturavit occumbere*: properantiam enim illa, non motum tollunt. Neq; verò Joſua juſſit Solem niſi in Gabaone morari: Et qui in urbe quapiam manere aliquē jubet, non quovis illi progreſſu interdicit. His ille rationibus ferè utitur; putátq; huc modò tendere votum Joſuæ, ut unicus ille dies & nox ſatis ſint profligandis hoſtium tantis copiis; perinde ac ſi his uſus eſſet verbis, Da, Pater omnipotens, ut priùs quàm Sol & Luna occidant tuus populus ab hiſce tam multis hoſtibus tuis pœnas ſumere poſſit. Hócq; miraculi ſolum habuiſſe eum diem, quòd ad hominis preces tantam ſtragē tam parvo temporis ſpatio Deus ediderit. Eadem multò antè Moſes Maimonius Ægyptius prodidit in illo libro quē inſcripſit מורה הנבוכים, quaſi *Doctorē dubitantium* dicas part. 2. c. 35. Sed quid acuti iſti Judæi faciant, inquis, illis decē gradibus per quos Solis umbra retrorſum acta eſt Regis Ezechiæ gratiâ? 4 Reg. 20. & Iſa. 38. Illi verò nihilo majore negotio hîc quoq; æquabilem in Solis motu tenorem tuentur. Negat enim Levi apertè illam umbram ob retro actum Solem propè ab ultima horologii linea ad primam eſſe rejectam; ſed illius aſtri radiorum lumen ſic fuiſſe nubium obſtaculo repercuſſum ait. Atqui in Paralipomenis l. 2. c. 32. v. 31. memorantur Babylonii ad Ezechiam viros de illo oſtento interrogatum allegaſſe quod in terris acciderat. Certum eſt igitur rem in rerum natura inuſitatam in ipſa cœli converſione animadvertiſſe Chaldæos, quippe aſtrologiæ aſſiduò vacantes homines. Et vates Habakuk, inter alia Divina miracula quæ orans enumerat, Solem Lunámque memorat ſubſtitiſſe c. 3. 11. cujus verba nuper à nobis prolata ſunt. Denique Jeſus Syrah in aureo illo ſuo Sapientiæ libro, cùm hunc noſtrum cognominem ſuum prædicat, his utitur verbis, c. 46. 5, 6. *Nonne per eum ſubſtitit Sol? & dies unus evaſit in duos? Invocavit Altiſſimum præpotentem cùm undiq; urgeretur ab hoſtibus, & exaudivit ipſum magnus Dominus: atq; lapidibus grandinis violentiſſimæ prorupit in bellum contra gentes, & in declivitate perdidit adverſarios; ut agnoſcerent gentes ipſa arma, ſéque bellum adverſus Deum gerere intelligerent*. Sic Syrah luculenter univerſam hanc præſentem narrationem explicat. Omitto Dionyſium illum Areopagitam, cujus omnia, mihi certè, admirabilia & quadam vetuſtatis majeſtate veneranda videntur; omitto Nemeſium in omni philoſophia eruditiſſimum Chriſtianum: Quorum ille, Epiſt. 7. iſtâ perpetui cœleſtium rerum ordinis mutatione Apollophanem ſophiſtam induci debuiſſe, ait, in admirationem maximæ atq; oratione inexplicabilis potentiæ Dei, qui res omnes & condiderit & conſervet próq; ſuo nutu moderetur; Hic verò, De hominis natura c. 38. Deum ideo ſemel ſuo imperio perpetuum alioqui & quadam naturæ neceſſitate ſemper æquabilem Solis Lunæque curſum cohibuiſſe, ut oſtenderet nullis ſe neceſſitatis legibus teneri, ſed ipſum omnis neceſſitudinis ut opificem ſic & dominum eſſe. Non ergò credendum eſſe illis Judæis cenſeo, quamvìs ſubtiliter, ut ſuis gentilibus videntur, adverſùs pervagatam apud pleroſque omnes bonos ſcriptores ſententiam diſſerentibus; ut neque tertio ejuſdem nationis philoſopho, nomine שם טוב *Sem Tob*; cui cùm Maimonis illa opinio haud ſatis probaretur, cenſuit dici credibiliùs poſſe, Deum novi generis corpus in cœlo condidiſſe quod Solem, poſtquam ille occidiſſet, repræſentaret, & uſquè eò orbem terrarum illuſtraret dum depugnatum ab Iſraelitis eſſet. Imò verò exiſtimandum eſſe potiùs opinor, non modò Solem Lunámque, verùm cæteros etiam omnes globos cœleſtes, interruptâ converſione, re ipſâ interquieviſſe; nè videlicet ab ipſo rerum ortu conſtitutus omnium inter ipſos perpetuus ille tenor & conſenſus unius aut duorum aliquando inæquabili progreſſione perturbaretur. Quanquam ſi quis non alios

quàm Solis & Lunæ orbes stetisse autumet, non pugna vero contrà; quando hoc etiam admirabilius fuerit, cùm supremum cœlum atque extimum, imò machina universa cœlestis, continuâ conversione torqueretur, non simul duas istas partes raptas in orbem esse. Sed enim non est quòd miretur aliquis rem tantam & prorsus summâ admirabilitate spectabilem non esse gentium etiam literis proditam memoriæ. Quid enim istæ nobis omnium quæ ante bellum Trojanum acciderunt commemorant, præter pauca quæ ipsa ex S. historiis cùm percepissent alieni à vera religione homines, suâ conspurcarunt vanitate? At bello Trojano vetustiores sunt res ab Josua gestæ annis circiter mille, si Theophilo Alexandrino ad Autolycum scribenti credimus, auctori probatissimo. Jam verò ad Mosen quod attinet, cujus gloriam sibi defendendam putabat Levi Gersonis; nihil profectò illi laudis detrahit hoc Josuæ in Solem Lunámq; imperium; ut neque admirabilia Eliæ, Elizæi, aliorum sanctissimorum virorum facta. Sunt quidem Rabbini qui somniantes veriùs quàm percepta narrantes scribunt, etiam Mosis jussu quievisse aliquando Solem, nè à Josua superatus videatur; ut prodidit ille quem nuper dicebam שם טוב. Sed magis ferendus Maimonius est, qui More nevochim, l. 2. c. 35. hòc majorem fuisse Josuâ Mosen scribit quòd hic & plura & diuturniora & à pluribus aspectabilia fecerit. Nam de Mose, inquit, scriptum est לעיני כל ישראל, h. e. *ob oculos omnium Israelitarum*, Deut. 34. at de Josua, לעיני ישראל, *ante oculos Israelitarum*, omissâ universitatis notâ. Rursus idem in Deuterosi, pressiùs, ut mihi videtur, rem attingens, censet Mosen quatuor modis cæteros vates omnes excelluisse: Aliorum enim mentes non nisi per administrum Angelum Divino afflatu unquam esse concitatas, Mosen verò suo ore ex Dei ore affatus Divinos excepisse; Cæteros in somnis & secundùm quietem, hunc vigilem sacra visa vidisse; Illos non sine pavida animorum consternatione Divinos percepisse monitus, hunc autem perinde atque si amicus cum amico colloquatur; Denique reliquos vates non nisi certis intervallis, modò crebris, modò raris; at Mosen quovis tempore suis oraculis dignatum esse Deum. Sic Maimonius. Sed R. Joseph. Albus lib. Fundament. orat. 3. cap. 8. hanc inter Mosen & alios vates constituit differentiam; Cæterorum vatum, inquit, ea animæ vis quæ Imaginativa vocatur (Græci εἰκαστικὴν dicunt) Divino primùm afflatu pellitur, & deinceps per hanc illa quæ Rationalis appellatur; at Moses ipsâ vi rationali planè percipiebat affatus cœlestes absque ulla imaginatione, postquam Angelum vidisset in rubo: & proinde in ipsius verbis ænigmata nulla erant. Sed omissis Judæis, ego, quod ad miracula attinet, Mosis prærogativum, quo in Deuteronomio 34. 10. ejus gloria amplificatur, in eo positum esse dixerim, quòd nemine mortalium, vel antè, vel pòst, ad Christum usque Dei Filium, tam sit familiariter usus Deus atque illo usus est; non autem in earum rerum quæ gererentur præter usitatam naturæ legem magnitudine atque admirabilitate; quippe quas nemo ignorat, non humanis viribus aut industriâ, sed potentiâ Divinâ patrari, quocunque tandem in iis efficiendis utatur Deus administro, tanquam instrumento quopiam. Quam ob rem Christus suos discipulos erudiens Luc. 10. 20. *non eo magnopere placere ipsos sibi debere* ait, *quòd ipsorum imperiis dæmonia servirent, sed quòd in regni cœlestis albo inscripti essent*. Quin memoratum est ab Euangelistis, Mar. 9. 38. Luc. 9. 49. fuisse qui Christi nomine miracula faceret, neque tamen Christum sectaretur. Nimirum cùm Mosen Ecclesiæ veluti pædagogum esse oporteret, à quo illa ad Christi mysteria erudiretur, & cujus legibus tantisper se haberet dum advenissent dies salutis, summam necesse erat esse ejus auctoritatem; quam sanè ipsi non tam miraculorum facultas quàm intima Dei familiaritas conciliare potuit, apud eos certè qui res ipsas judicarent. ¶ Porrò quòd Sol jubetur *insistere in Gabaone*, Luna verò *in valle*, sive *campo*, *Aialonis*, (עמק enim & *vallem* & *planitiem* significat) hoc Kimhi sic explicat: Erat, inquit, jam tum meridies quando apud Gabaonem conserens cum hoste manus Josua Soli imperabat ut cursum sisteret. Itaque substitit ille unius longissimi diei intervallo, quanti dies sub æstivam conversionem aguntur, priùs quàm indè ad occasum versùs more usitato iter cœptum continuaret. Cúmque jam confecto duorum dierum spatio ille occideret tandem, hostes fugâ ad Aialonem jam evaserant. Ibi ergò succedens Soli Luna, cæteroqui vicina occasui (erat enim nova Solíque propinqua) tantisper fixa hæsit dum profligati hostes prorsus essent; nonnulli etiam, quos pedum celeritas servabat, in sua se præsidia recepissent. Talia ferè Kimhi; sed quàm rectè jam videndum est. אילון *Aialon* ubi extiterit, his ferè verbis expositum est in libello De loc. Hebr. *Aialon vallis atq; præruptum est, juxta villam quæ etiam nunc Aialon dicitur, contra Orientem Siluntis* (sic enim cum Ziglero pro *Beth-elis* legendum censeo) *tribus ab ea pass. millibus distans, haud procul à Gabaa & Rhama Saulis urbibus. Porrò Hebræi affirmant Aialonem vicum esse juxta Nicopolim, in secundo lapide, pergentibus Æliam*. Hæc ibi. Ego autem Hebræorum, quam profert sive Eusebius, sive ejus interpres Hieronymus, opinionem esse veriorem arbitror. Neq; enim ista nostra Aialon admodũ vicinam habere potuit Saulis Gabaam, quæ in Beniaminitarum finibus posita erat, cùm ista pertineret ad Danitas; sed Gabaonẽ, quæ profectò longè diversa urbs est à Gabaa Saulis. Recedebat autẽ Aialon a Gabaone ad Austrum versùs, positáq; erat in recto itinere quo ex Nicopoli itur Æliam, h. e. Jerusalem; unde conficitur, eam ab Jerusalem abfuisse stadiis non ampliùs 44. vicinior enim erat stadiis 16 quàm Nicopolis; hanc autem ab illa dissitam fuisse stadiis 60 scriptum in Luca est, 24. 13. Porrò sub Gabaone & Aialone planitiem fuisse certissimum est; in quam è Beth-horon descendebatur per illud cujus suprà est facta mentio clivum. Eáque planities, ut hic *Aialonia*, ità apud Isaiam *Gabaonia* nominatur, cùm ille Vates ad hanc alludens pugnam ait, c. 28. 21. *Sicut in valle Gabaonis irascetur Dominus, ut faciat facinus suum, inusitatum facinus suum; & ut patret opus suum, extraneum opus suum*. Quippe erat ea planities utrique urbi communis, atque propè ad Macedam usque pertinebat; ut est à nostris hominibus proditum qui ea loca sunt contemplati. Illud igitur credibile est, hujus narrationis scriptorem, eum dico qui istud miraculum sonoro hoc metro retulit in librum Recti, ludentem poeticâ copiâ, locum eundem significare voluisse cùm diceret *in Gabaone* & *in valle Aialonis*, eam videlicet quam modò dicebam planitiem; atque ab eadem quoque scribendi uberiore ratione profectum esse, quòd præter Solem etiam Lunam ille nominavit. Nam hæc duo præ cæteris aspectabilia astra pro iis orbibus posita sunt quorum conversione diei noctísque vicissitudo efficitur; imò verò pro universa fortassis cœli machina. Hujusmodi enim ferè prece usum esse Josuam, significare, nisi fallor, ille poeta voluit, O vos cœlestia lumina, subsistite; neque propero cursu vestro lucem hanc nobis in ista opportunissima valle ablatum pergite, tantisper dum Dei hostes cædimus. Stultum ergò est & ex absurda locorum æstimatione natum commentum, quo Kimhi sesquidiei tandem aut eo longiore temporis intervallo à Gabaone ad Aialonem tumultuariâ fugâ evasisse victos cum victore facit; cùm neque magna esset inter Gabaonem Aialonémque loci intercapedo, neq; ab Gabaone Macedam versùs fugientibus occurreret Aialon, præsertim iis qui clivo Beth-horon institissent; hæc enim vrbs Gabaoni Aquilonaris erat, Aialon verò eidem Australis. Nam Aialonem stadiis aliquot viciniorem Æliæ fuisse quàm Gabaonem, consentaneum est iis quæ suprà diximus; ex quo etiam efficitur, magis ad Orientem recessisse. Jam verò ex Gabaone Macedam petere, est ab Oriente versùs Occidentem ire. Neque verò minùs stultum illud, quod non unus Kimhi sed plerique etiam alii Judæi existimant, Lunæ vicarium lumen Solis lumini, postquam is occubuisset, fuisse suppositum; nè in tenebris, Andabatarum more scilicet, pugnaretur. Ex ipsis enim S. verbis nemo, nisi stupidissimus, non intelligat, Solem non ante confectam pugnam è nostro orbe finiente excessisse;

cessisse; atque ea causa est cur proximo versiculo unus Sol substitisse memoretur, Lunæ verò nulla sit mentio. Quod propter rectè Josephus diem esse productum scribit, nè nox succedens Hebræorum impetum cohiberet, l.5. Antiq. c.2. Sed illud si quis credibile esse censuerit, Lunam illo tempore novam fuisse, neque procul ab Sole measse, & proinde utriusque astri moram conspici in cœlo potuisse, non pugnavero, nam id R. Isaiæ quoque placuit, cordato scriptori.

13. *Et moratus est Sol, & Luna substitit, donec,* &c.] LXXII Interpretes, quasi gentis vocabulum nollent Israelitis accommodare, quòd ei ferè subjici soleant profanæ nationes in S. historia, converterunt clausulam versiculi in hanc sententiam, *Donec ultus esset Deus hostes ipsorum.* Nimirum putaverunt illi גוי, h. e. verbum illud *gens*, in accusandi casu positum esse: quod Symmacho quoque visum est, qui his est interpretatus verbis eam verborum complexionem, ἕως ἠμύνατο τὸν λαὸν τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν, *donec punivißet* (Deus videlicet) *populum hostium ipsorum.* Chaldæus verò, tanquam etiam ipse simili constrictus religione fuerit, pro *gens* reddidit *populus Israeliticus.* Atqui cùm, ut dixi, hæc oratio certis sit vincta numeris, non est mirum גוי *gentis* vocabulum pro *Israelitis* esse positum, hoc enim etiam in soluta oratione non semel esse factum, certissimum est. ¶ Sed de *libro Recti*, cujus cùm hîc tum alibi mentio est in S. literis, incredibiliter nugantur Auctores Gemaroth in עבודה זרה ea tractatione quâ *De cultu alieno* disputant, c. 2. & rursus in vetusto illo commentario cui titulus est בראשית רבה *Genesis Rabba.* Sed proferam acutissimorum hominum scilicet commentum unum, de quo conjicias facilè cætera; *Liber Recti*, inquiunt, *est Mosis primus liber, quem* GENESIN *vocamus; quia ille continet res gestas Abrahæ, Isaaci & Jacobi, qui præ cæteris mortalibus* ישרים, h. e. *recti, sunt vocati: cùm Balam diceret,* MORIATUR ANIMA MEA MORTE RECTORUM, Num. 23. 10. *In illo enim libro scriptum est de Ephraim,* ET SEMEN EIUS ERIT ABUNDANTIA GENTIUM. *Iisque verbis hoc mirabile facinus Josuæ est prædictum, qui ex Ephraim est prognatus; cùm ille imperium habuerit in Solem & Lunam, quæ omnium gentium vitam moderantur naturali quadam suâ efficientiâ; aut quia sui nominis famâ ob hoc tam præclarum factum gentes omnes implevit.* Non facerem profectò ut hanc tantam illorum hominum vanitatem scriptione dignarer, nisi cuperem testatissimum omnibus esse quàm sint absurdi atq; inepti ad tractandas S. literas, & in quantis versentur tenebris, postquam Solem justitiæ Christum semel repudiarunt atque pro viribus perditum iverunt. Et tamen tam stultum támque longè quæsitum figmentum, neque ullâ etiam probabilitate explicatum, Lirano placere potuit. Sed exornat ille fortassis meliore colore, imò profectò longè etiam deteriore; ut illis hircum mulgentibus hunc cribrum supponentem videas. Hanc enim reddit Liranus vaticinii illius rationem; *Erat Josua*, inquit, *congregatio gentium* (sic enim ille interpretari vocem מלא mavult quàm *abundantiam* aut *plenitudinem*) *quia Israelitæ congregati erant cùm ille Solis Lunæque cursum sisteret.* Quasi verò vel tunc imbellis Israelitarum turba pugnæ illi interfuerit, vel non sæpe aliàs apud universam Israelitarum multitudinem res magnas gesserit Josua, veluti cùm Jordanem exsiccaret perviúmque faceret. Sed neque illud solidius est aut melius quod D. Kimhi, etiam parentis sui Josephi adjutus acumine scilicet, profert, cùm universos quinque Mosis libros, quos תורה, h. e. *doctrinam*, vocant, sive *legem*, statuit esse *librum Recti.* Sed omissis istis, Josephus mihi propiùs ad veritatem accedere visus est, qui in suis Antiquitatibus l.5.c.2. pro *libro Recti* scripta in Templo asservata dicit. Nam, ut in hujus commentarii exordio scripsi, ego eam habeo opinionem ut credam, priscis illis temporibus, quæcunque in Ecclesia Dei agebantur digna apud posteros memoriâ, ea eruditos & ab ingenio atque arte scribendi paratissimos viros in annales retulisse. Inter illos igitur annales fuisse unos qui ספר הישר, i. *liber Recti*, ideo vocabantur quòd optimâ fide atque serie res apud Dei cœtum gestas perstringerent, aut quia Israelitici populi facta continerent, quem populum ישורון tum Moses Deut. 32. 15. tum Isaias 44. 2. vocarunt; sive idem ille liber fuerit qui in Numeris 21. 14. *liber Bellorum Domini* vocatus est, sive ejus pars quædam, aut etiam diversum opus. Neque verò est quòd miremur illiusmodi annales jam nullos superesse. Postquam enim historia Sacra, ut nunc habetur, ex illis sive per Ezdram, ut mihi fit verisimile, sive per alios fuit compilata, levior visa est illorum jactura. Et quis nescit, qui modò Regum historiam & Paralipomena vel oscitanter legit, quàm multa alia sacrarum rerum scripta monimenta interierint? Sed quæ ejus diræ literarum cladis fuerit causa, an quòd præfractæ cervicis gens Judæorum tam sæpe ob sua scelera solum vertere coacta est, an verò Divino consilio acciderit, non est præsentis loci disputare. Illud sanè constat, qui etiamnum in manibus sunt Sacri libri, eos ad agnoscendam Dei voluntatem atque æternæ vitæ viam inveniendam abundè satìs esse, modò ut nos dociles simus. Scripsit Nathan Vates, scripsit Gad Videns, scripsit Achias Silonita, Jaddi, Semaias, Iddo, alii multi, proculdubio viri divini &, ut Philo eos vocat, θεοφράδμονες. Sed quis non rideat dementiam si quis istorum scripta in nostris, ut vocamus, Bibliis quærat? vel si quis contendat, & nescio quibus argutiolis nitatur, tria illa Elogiorum sive Sententiarum millia, vel quinque supra millia Cantica à Solomone conscripta, quibus universam propè rerum naturam ille persecutus esse memoratur, 3 Reg. 4. 32. istis circiter octingentis versibus esse comprehensa qui soli jam divinam Solomonis sapientiam nobis repræsentant? Sed objicias, Ineptum videri, Josuam æqualis sui testimonio atque auctoritate uti ad probandum hoc Solis miraculum. Imò verò minimè absurdum est si publicarum literarum testimonio res à se gestas comprobavit; quales certè habebantur annales illi in sacro tabellario asservati. Verùm ego haud cum illis sentio qui præsentis commentarii, quem explicandum suscepimus, scriptorem esse Josuam putant. Nam, ut alia multa prætermeam modò quæ passim à me annotata sunt certissima signa, quis existimare possit, quod sæpe dicitur, hoc, illud, *ad præsentem usque diem durare*, id à Josua dictum esse, in cujus diebus ipsum evenit, ac non potiùs ab eo scriptore quæ sibi in iis quæ jam tum vetustate obliterata exolevisse videbantur fidem velit comparare ex aliis quæ, cùm sint illis vetustis consentanea, aut etiam eorum monimenta, adhuc exstent? Sed satis multa antè quoque de hac re à me dicta sunt. ¶ Sequitur in S. texto, *Et substitit Sol in medio cœlo,* &c.] Nulla hîc Lunæ mentio est. Nimirum non priùs occidit Sol quàm depugnatum esset. Eóque refellitur, ut dixi, Judæorum opinio, qui Soli Lunam tanquam vicariam facem successisse putant. Quia verò *medium cœlum* dicitur, existimat, ut suprà exposuimus, Kimhi; cui etiam alii astipulantur; meridiem fuisse quo tempore Josua Solis cursum suâ prece impediebat. Idque ego refellere nolim, nam rei gestæ series minimè videtur ab illo tempore dissidere. Est enim credibile, Josuam cum prima luce aggressum esse hostes de improviso, cùm totam noctem iter fecisset; Atque in prima illa impressione, dum alii cæduntur, alii arma armis opponere parant, alii sua convasant, denique alii trepidam & tumultuariam fugam moliuntur, aliquot abiisse horas priusquam simul omnes aversi in fugam sese effusè darent, atque à Gabaone ad illam planitiem, sive Aialoniam sive Gabaoniam vocare lubet, evaderent; Eóque cùm esset fugiendo cædendóque perventum, illâ Josuam precatione usum esse. Sed quando, ut dixi, illa planities ab Aialone & Gabaone per longius intervallum pertingebat propè ad Macedam usque urbem hostilem, hoc etiam videtur probabiliter dici posse; Imperatorem fortissimum non antè solicita ista vota fecisse quàm diem in vesperam esse inclinatiorem, victoriæ verò magnam adhuc partem restare animadvertisset, veritúsque fuisset nè appetens nox prælium citiùs dirimeret & securam hostibus fugam afferret. Nam *medium cœli* pro cœli parte non omnino ultima, sed in qua spectatus Sol haud dubiâ luce terras

etiam-

etiamnum illustrat, non in versu solùm sed etiam solutâ oratione non ineptè dicitur. ¶ Porrò illud, *Circiter die integro*, convertit Aquilas, *usque ad diem perfectum*. Hic rursus illud ambiguum est, Substiteritne Sol diei integri morâ, an verò inde ex quo jussus est insistere usque dum occideret unius diei tempus triverit: denique an id modò dicatur, eum non properasse ad occasum usitatâ aliis diebus, qui perfecti habentur, conversione, sed solito diutius in nostro orbe finiente hæserit. Syrah, cujus apud omnes summa debet esse auctoritas, solidi spatio diei fixum constitisse censuit, & tantundem temporis motu quoque consumpsisse, itaque diem illum geminatum fuisse; ut ex ejus, quæ suprà sunt à nobis citata, verbis constat c. 46. 5. Maimonius, qui, ut dixi, autumat nihil insueti passum esse Solem, sed æquabili, ut solet, motione diem eum absolvisse, novâ quadam istorum verborum explicatione, tanquam parvâ declinatione, hunc scopulum devitat, More Nevochim, par. 2. c. 35. *Perfectus*, sive *integer*, *dies vocatur*, inquit, *longissimus; qualem efficit cotannis solstitiali conversione Sol. Tantus enim, aut eo etiam longior, visus est dies iste victori populo, pro rerum à se gestarum multitudine atque difficultate, quamvis re ipsâ multò fuisset contractior*. Hunc sequitur suus astipulator R. Levi F. Gersonis, astrologus astrologum, plenis approbationis velis. Neque inusitatam fuisse in Sole moram, sed in pugna expeditam victoriam existimans, ait, ideo *medii cœli* mentionem esse, quia Sol dum in ea parte versatur tardissimè videtur prorepere. Sed mihi profectò videntur astrologi isti Hebræi nimiùm de æquabili cœlestium orbium conversione atque concentu soliciti, de effectoris Dei potentia non satis bene & parùm liberaliter existimare. Universus enim S. verborum tenor rem novam atque inusitatam præ se fert. Quare censeo id verissimum esse quod שם טוב *Sem Tob* de istorum argutiis dixit, cùm in Maimonium scriberet, *Verba esse ventosa*, h. e. prorsus inania.

14. *Neque fuit dies similis illi ante ipsum aut post ipsum, &c.*] Plerique interpretes istum diem hîc pro longitudine contendi cum reliquis omnibus diebus, qui ab orbe condito fluxere fluéntque, existimant. Unde varia inter ipsos nata est disceptatio & discrepantes sententiæ. Quot horas ille omnino complexus fuerit. Nam ille Ezechiæ ægrotantis dies plerisque omnibus videtur horas 32 habuisse, 4 Reg. 20. Isa. 38. Si enim Sol, inquiunt, ad decimam lineam jam tum pervenerat, h. e. horas decem diei confecerat, cùm indè reciprocaretur, ac totidem horis sensim primam repetivit lineam, à qua deinde rursus ad decimam, in partem anticam, & tandem ab hac ad duodecimam, h.e. ad ultimam, atque ad occasum progressus est, planè horas 32 ultro citróque commeando consumpsit. Doctores Hebræi igitur עבודה זרה פ׳ ב׳ & in פרקי ר׳ אלעזר, cùm in tractatione De alieno cultu tum in Capitulis R. Eleazaris, post perplexissimas altercationes in hanc tandem opinionem ferè conveniunt, ut censeant, hoc nostro die bis interquievisse Solem, semel in cœli media parte, iterum in ultima, i. cùm occasui proximus esset, hoc enim (ut dignum tanto illorum conatu acumen cognoscas) illis confici verbis putant, cùm semel dicitur, *Substitit in medio cœli*, & cùm rursus, *Non maturavit occumbere*. Itaque istorum alii hunc diem 36, alii 48 horarum spatio definiunt, ut cuique non tam certa ratio quàm opinandi libido dictat: Atque hoc modo facilè eum illi Ezechiæ diei præferunt. Quin Justinus quoque noster, Martyr atque Philosophus, non dubitat apud Tryphonem, istum diem nostrum ad horas 36 producere. Statuit enim ille, Solem fixum hæsisse perfecti, h.e. ut vocant, naturalis, diei morâ, i. horis 24. Quibus si addideris horas 12 quas ab ortu ad occasum motu transegit, confeceris horas 36. Verùm ego certè non video cur dare illis debeamus quod à se ipsi sumunt, qui tam longum fuisse diem Ezechiæ conantur conficere ut horas duraret 32; cur, inquam, id concedere ipsis debeamus, illâ Solis reciprocatione, quâ ab linea decima ad primam revocabatur, decem solidas horas esse consumptas. Potuit enim, ità jubente architecto Deo, temporis minimo, aut etiam nullo, momento transilire, ac deinde à prima linea sensim ad duodecimam alias horas duodecim conficere: Sícque totus ille dies horis 22 fuerit absolutus; cùm hic noster ut minimùm 24 duraverit. Sed si quis istis, propè dixerim, de asini umbra, quæstiunculis delectatur, is Liranum audiat cùm hoc in loco commentantem tum in narratione illa rerum ab Ezechia gestarum. Nihil enim est cur in istis angustiis laboremus diutiùs, quando de hujus nostri diei longitudine non agitur comparatio, sed is eò solùm antefertur diebus quibusvis, quòd nullum alium diem Deus ad ullius hominis preces, cædendi hostis gratiâ, interrupto Solis motu sic produxerit, ut hunc produxit. Jam verò ad Ezechiam quod attinet, haud ille votis à Deo flagitavit ut lux sibi adversùs hostes, sed ut vita adversùs morbum diuturnior daretur. Cúmque ipse voti compos Divino tamen responso parùm fideret, Deus ultro tali ostento ejus diffidentiam arguit magis quàm integritatem animi probavit; Similiter atque Mosis vitiosum metum prodigiis quibusdam emendavit, sed non sine indignatione, cùm ille in Ægyptum reverti ad liberandos Hebræos retractaret atque tergiversaretur, Exod. 4. & Zachariæ linguam impedivit usque dum eveniret id cujus promissi ille parùm credulus signum ab Angelo poscere fuerat ausus Luc. 1. Nascebantur enim illiusmodi signorum petitiones ex fidei infirmitate: quare neque pro exemplis ad imitationem nobis in S. historia esse propositas existimandum est, sed ad cautionem potiùs. Atqui alia ratio est eorum ostentorum quæ arcano quodam cœlestis Spiritûs instinctu à Deo postularunt viri sanctissimi & plenâ fiduciâ atque confisione ea datum iri ab illo credebant: quale illud Eliæ de cœlesti flamma, 4 Reg. 1. cujus nuper memini; & de cohibita primùm, 3 Reg. 17. 1. deinde producta pluvia, 3 Reg 18. 44. atque etiam hoc præsens nostri Josuæ. ¶ Postrema pars, *Nam Dominus pugnabat pro Israele*, causam affert (ut nonnulli Doctorum Hebr. qui de horarum numero minùs soliciti sunt, autumant) cur dies ille parem non habuerit aut habiturus sit: *Neque enim alio*, inquiunt, *depugnavit unquam Deus pro Israele lapidosa grandine*. Ego verò existimo vel reddi rationem cur Deus Josuæ in prece illa occurrerit. Nempe præter petentium fiduciam, ipsa etiam rerum quæ petuntur conditio, & ipsa promissa Dei maximum habent, ut preces audiantur, momentum; ac si sic dicatur, Ut promissi sui munus conficeret Deus, diem produxit, cohibito Sole, dixerat enim, *Tradidi ipsos in manum tuam*. Jam verò ingruentis noctis beneficio elapsuri videbantur hostes, nisi substitisset Sol. Vel particulam כי non Causæ sed Temporis significationem dare; dicendúmque esse, *Cùm Dominus pugnaret pro Israele*. Verùm enimvero priùs quàm ab hoc memorabili ostento transeamus ad reliquam narrationem, admonendus lector est ut hîc pii gratique animi meditatione expendat immensam illam Dei adversùs suam Ecclesiam benignitatem, quâ tam variis támque admirabilibus modis perpetuò voluit nostras mentes in sui admirationem rapere, atque ex admiratione ad se amandum colendúmque, non quidem suâ sed nostrâ causâ, inducere. Semel hominum gratiâ universam istam aspectabilem machinam condidit, eámque stabili & perpetuâ lege impositâ ad illorum prorsus usus accommodavit. Sed hoc multorum libris satis est explicatum, qui de Divina conscripti sunt providentia. Jam verò immutabilem illam in omni æternitate cœlestium corporum, tam immenso spatio à nobis semotorum, legem & tenorem ad unius hominis humi strati preces interrumpit; &, si fas est ità loqui, ipse rerum omnium Opifex & Dominus unius servuli sui desiderio obsequitur, atque, ut populo suo hostibus cædendis tempus proroget, ipsam cœli naturam, cæteroqui inviolatam, ab suo usitato cursu refrænat coercétque: hoc est, stabili potiùs quam rerum naturæ semel indidit legi vim adfert quàm ut suæ Ecclesiæ commodis utilitatibúsque non provideat. Cùm igitur in hac infelici & ærumnosa undiquaque vita tantas creet commoditates iis quorum animos vel adumbratâ quadam pietate permovere potest, ut rerum naturæ dominari videantur, quales quantásque tandem

dem existimandum est fore eas jucunditates quibus nos perfundet beabítque cùm perfectâ pietate sanctitatéque ipsum in cœlesti colemus regno? Sanè *nullus unquam oculus vidit, nec auris audivit, vel animus humanus cogitare possit, qualis quantáque nobis beatitudo parata à* benignissimo Parente nostro *Deo* sit, modò ut eum *redamemus*, qui admirabilibus modis & quidem planè gratuitò nos amat, Isa.64.4. 1 Cor.2.9. Sed hactenus digitum tanquam ad fontem intendisse sufficiat.

15. *Et revertebatur Josua, & universus Israel cum ipso*, &c.] Hunc ego versiculum esse supervacaneum existimo hoc loco, atque ad hujus capitis finem rejiciendum. Neque enim ipse narrationis tenor fert ut credi possit Josuam ad Galgala jam, cum universis copiis revertisse, licèt hoc Davidi Kimhi probetur, sed inconsiderantiâ non judicio: Longius enim erat à Galgalis ad Macedam viæ spatium quàm ut tam facilè ultro citróque traduci illæ possent: quod ex iis quæ de istorum locorum situ antè à nobis dicta sunt facilè potest intelligi. Quanquam illud dici, neque absurdè, opinor, posset, Verbum *revertebatur* pro *reverti constituebat* usurpatum esse. Nam Num.24.25. simili prorsus loquendi modo Balaam *ad suos rediisse* memoratur, h.e. reverti cogitasse. Vide infrà 13.22. Quippe imperator, cùm profligatum putaret hostem, militémque diuturnâ pugnâ fatigatum, quanquam Sol ad occasum provectus nondum esset, statuebat fortasse receptui canere; sed cùm improvisò nuncium acciperet de quinque Regulis in specu abditis, déque magno fugientium hostium numero adhuc reliquo, aliud consilium ex re cepit, hostésque etiam longiùs persequendos, & illos interea in specu esse asservandos decrevit.

16, 17, 18. *Fugerant autem quinque reges illi, & absconditi fuerant*, &c.] Illud, *in Maceda*, similiter dictum est atque c.5. *in Jerichunte*, & nuper in *Gabaone*; ut urbis nomen ad agrum suburbanum pertineat. Ferunt autem qui loca illa religionis ergò perlustrarunt, adhuc in colle quodam haud procul à Maceda, quæ in montosis posita locis erat, specum illam ostendi ab accolis, ejúsque jam olim obstructum os muro esse, conservandi monimenti causâ. Credibile est autem, speluncam istam, cùm Regi Eglonis, qui vicinis habitabat, notissima esset, ab omnibus istis Regulis simul fugientibus communi consilio ut tutissimam latebram esse appetitam: Nam in urbes ipsas aut non satis citò evadere se posse, aut non satis se in illis tutos ab exercitu victore futuros, existimasse. Sed nesciebant miseri, vindicem oculum Dei effugere neminem posse; Quod divinus Vates Amos luculenter edixit c.9.2,3. his ferè verbis, *Non effugiet neque reliquus fiet ex ipsis quisquam*, de impiis loquitur. *Si se apud inferos defoderint, illinc illos extrahet manus mea, sin autem in cœlum conscenderint, indè ipsos deducam. Et si in Carmeli se vertice abdiderint, ibi investigatos comprehendam: denique, si in ipso maris fundo fallere meorum oculorum conspectum conati fuerint, illic jussu meo serpens ipsos mordebit*, & quæ sequuntur. Similia etiam apud Davidem dicta leguntur, Psal.139.8. Nimirum adversùs Dei iram nullum mortalibus præsidium est, nullum effugium, nisi in ejus ipsius placabilitate atque clementia; ad quam nobis perpetuò aditus patet certissimus per fidem in Christum cruci affixum, & antè actæ vitæ pœnitentiam. Sed enim animadvertenda hoc loco est Divina providentia, quæ quinque istos Regulos simul in eandem unam speluncam, quasi nassam, agit, ut vivi in Israelitarum potestatem veniant, suóque singulari supplicio & victoriam plurimùm illustrent, & reliquis per Chananæam Regibus metum afferant majorem; denique Israelitis animos addant. Cujus quidem Divinæ providentiæ consilium cùm cœlesti afflatu intelligeret Imperator, latibuli os occludi asservarísque jussit. Participium illud נחבאים præter Grammaticorum legem habet in secunda syllaba Scheva pro Kametz, quod eò factum ego certè autumo ut expeditior pronunciatio ad ultimam syllabam, quæ accentu est efferenda, posset properare, cùm mora longiuscula in literæ Heth suspirio antè facienda fuisset.

19. *Vos verò nè stetis, persequimini hostes vestros*, &c.] Pro illo, *pervenire ad urbes suas*, reddas rectè, cum LXXII, Chaldæo atque Latino, *intrare in urbes suas*. Verbum enim בא etiam *intrare* est; quod alibi me dicere quoque memini. ¶ Quod converti, *cadite caudam ipsorum*, est Hebraicè וזנבתם, id verò est, si ità liceat loqui, *decaudare*, *auferre caudam*; planè sicut שרש *eradicare* atque *radicem auferre* dicunt Hebræi. Estque illud per translationem dictum pro *carpere postremum agmen*. Chaldæus interpretatus est *assequi postremos, iisque inhærere*. Est autem credibile, Imperatorem ista verba facere non ad unum atq; alterum à quibus prælatus ad ipsum nuncius ille de abditis quinque Regulis fuerat, sed ad eas cohortes quæ jam lassæ frequentes ad eum se conferebant, tanquam debellatum esset. Hoc enim *standi* verbo significari videtur. Postea enim quàm comperit nè Reges quidem ipsos, qui solent ab omnibus rebus ad fugam, si usus sit, esse paratissimi, in sua præsidia adhuc esse elapsos, propiùs apud animum suum Dei promissa revolvens, atque Divinum ejus consilium voluntatémque ex re nata rectiùs intelligens, excitat rursus omnium animos atque acuit ad pugnæ tanquam reliquias persequendas; & quidem his argumentis: à desidiæ Turpitudine, cùm ait, *Nè stetis*; à Justo & Æquo, cùm dicit, *Hostes vestros*; à Facili, cùm *cauda* meminit; ab Utili, & simul Contrario malo, cùm hortatur *nè sinant ipsos pervenire ad urbes suas*, quippe maximum præsentis belli conficiendi momentum in eo versari videbatur, si isti hostes non elaberentur in sua præsidia atque arces, unde rursus bellum redintegrare, aut certè non facilè expugnari possent; denique à certissima Spe victoriæ, cùm addit, *Nam Dominus Deus vester tradidit ipsos in manum vestram*. Est enim ac si dicat, Ipsis jam manibus victoriam partam tenetis; quid est ergò cur eam abjiciatis? Atque hîc rursus illud mirificam habet adhortamenti vim, quòd *Jehovam*, sive *Dominum*, nominat, *ipsorúmque Deum* esse eum dicit: quippe cui nihil factu sit difficile, cùm sit omnium rerum *Dominus* & prima causa; cujúsque oblata beneficia frustrà esse sinere, cùm sit *eorum Deus*, summum fuerit nefas. An porrò simul ipse Imperator hostes sit longiùs prosecutus, an verò, expeditissimis quibusque à se ad eam rem dimissis, ipse castra cum reliquis apud Macedam fecerit, non satis certa atque expedita res est. Mihi posterius veri similitudinem majorem habere videtur ex iis quæ ad v.21. dicentur.

20, 21. *Cúmque absolvissent Josua & filii Israel cædem illorum*, &c.] Apparet quidem ex his verbis, Josuam ipsum non antè quàm debellasset prorsus hostem insequi desiisse. Sed nihil usitatius quàm quæ à milite fiunt ea Imperatori attribuere. Certè quòd milites, postquam pugnandi finem fecissent & insequendi, *in castra ad Macedam reverti* memorantur, facit ut existimem illum pugnâ abstitisse ad Macedam, castráque illic fecisse, & eorum qui hostem longiùs prosequebantur reditum exspectavisse. ¶ Quòd autem nonnulli elabuntur in urbes & præsidia, est *πρόληψις* ad insequentem narrationem. Divinitus autem id accidisse putandum est, tum & Israelitæ post istos longos labores ad oppugnandas urbes illas essent alacriores in quas elapsos sibi è manibus hostes dolerent, tum ut urbes ipsæ communi eorum quos excepissent pavore consternatæ expugnatu faciliores fierent. ¶ Illud, *Nec canis acuisset in quenquam filiorum Israel linguam suam*, explicavit Chaldæus his ferè verbis, *Neq; ullum accidisset damnum Israelitis, ut quisquam esset animo afflicto*. Mihi planè gemina huic locutio esse videtur ea quæ in Exod. 11.7. legitur his verbis, ולכל בני ישראל לא יחרץ כלב לשונו וגו׳, i. *Et in ullum Israelitarum non acuit canis linguam suam*, &c. Est enim, ut rectè, meo certè judicio, exponit Levi F. Gersonis, vetus proverbium, *Nè canem quidem acuisse linguam in quenquam*, cùm eum adeò nihil mali passum esse dicere volumus ut nec canis ipsum allatrarit, animal cum primis irritabile, sed dentibus non linguâ metuendum. Quo proverbio similiter usa est Judith apud Olophernem, cùm vellet ei persuadere nihil metuendum ipsi ab Israelitis mali esse, Judith 11. Nam cùm

cùm paulò antè dixisset, οὐκ ἔστιν ὃς ἀντιστήσεταί σοι ἐξ αὐτῶν, mox subjungit, καὶ ἄξεις αὐτοὺς ὡς πρόβατα οἷς οὐκ ἔστι ποιμὴν· καὶ οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ ἀπέναντί σου, h. e. *Et duces eos tanquam oves orbas pastore: neque latrabit canis linguâ suâ adversùm te.* His igitur ego argumentis adductus sum ut nomine *canis* addito de meo, quia præteritum esse videbatur, scriptum supplerem, cùm verbum חרץ nulli alioquin nomini hæreret. Neque enim est insolens in pervagatis illiusmodi proverbiis verba quædam omitti. Si quis tamen *hostis* quàm *canis* nomen potiùs suggerendum esse malit existimare, non contendam contrà. Non enim incommoda fuerit sententia si dicatur, *Neminem hostem* in tanta omnium trepidatione *linguam petulantem*, nedum arma, *acuisse in Israelitas.* Interpretatur quidem R. D. K. verbum חרץ *movit.* Ego verò *acuit* dicere malui, sic enim alibi certum est usurpari. Neque mihi placet diversas res uni eidémque sermoni temere subjicere, quando una ipsius simpléxque significatio vel per translationem saltem aut alium loquendi tropum conservari potest. At enim notanda observandáque est hoc loco singularis militum continentia atque obedientia, qui non illico subactis hostibus ad prædam longè latéque populabundi sese diffundunt, sed ad Imperatorem suum se recipiunt, ad alia imperia, si usus sit, accipienda. Deinde & illud animadvertendum, Pugnare eos felicissimè qui Dei auspiciis bella gerunt; infelicissimè verò, quorum illi causa non probatur. Id enim eâ ἀντιθέσει, quæ in hisce duobus versiculis est, luculenter nobis ponitur ante oculos, cùm Chananæi ad internecionem cæsi memorantur, contrà verò Israelitæ adeò nullâ affecti clade ut nè oblatrantem sibi canem quidem audierint.

22, 23, 24. *Tunc dicebat Josua, Recludite os specûs, & producite,* &c.] His proximis versiculis describitur triumphus quem Josua ex captis quinque Regulis agit, quos ad eam rem in specu vivos servari jusserat. Apparet ille quidem superbus triumphus, nè dicam immanis & plùs quàm barbaricus: sed si consilium voluntatémque Dei expendamus propiùs, planè talis est qualem agere conveniebat Imperatorem sanctissimum. Sed ista mox exponentur dilucidiùs. Singulorum Regum nomina denuò commemorantur, ut narratio certior sit, & victoriæ amplitudo gloriáque major appareat, & omnino res gestæ admirabiliores apud posteros videantur, ex admiratione porrò ista tanta Dei in suos benignitas justam habeat venerationem. Certum est autem ista acta esse in castris apud Macedam in conspectu totius exercitûs. Ideóque dicitur Josua *advocasse omnem virum Israelitam.* איש enim, ut diximus, *egregium hominem* significat; quales procul dubio solos secum ille duxerat in hanc expeditionem. Chaldæus tamen & LXXII de omnibus Israelitis accepisse videntur hæc verba: Ille enim *omnem hominem Israel*, hi *omnem Israelem* convertere maluerunt. Verbum ההלכוא habet à fine Aleph παραγωγικόν. Initio autem He litera, quæ addita est, fungitur vice pronominis relationis אשר *qui*. Idque etiam in aliis verbis non rarò fit. Sed illiusmodi παραγωγὴ à fine duodecies omnino in S. literis invenitur, ut observatum est à curiosis Hebræorum Magistris, quos בעלי המסרת vocant. At R. D. K. existimat tale perpetuò esse Aleph pronominis הוא *ipse*. Sed hoc Grammatici viderint. Nos de isto triumpho paulùm videamus. Audivimus quidem etiam in narratione captæ Hai, Regem ad singulare & fœdissimũ supplicii genus vivum fuisse asservatum. Et nihilo quoque clementiùs actum esse cum Jerichuntis Rege dictum est in hujus decimi capitis principio. Nimirum Regum & Principum omnium flagitia; quia non solùm ipsa per se gravissima sunt, eò quòd illos oportebat esse tantò probiores quantò fuissent cæteris hominibus ad omnem virtutem instructiores, sed etiam plurimis exemplo nocent, quippe quæ in summa dignitate támque excelso loco & clarissimâ luce patrata latere neminem possunt; & quia illorum vita omnis est parentium vitæ animata lex, norma atque præscriptio, ut alibi est à nobis explicatum; ideo acerbiore supplicio debent meritò illa expiari. Sed quòd Josua suos Tribunos insultare cervicibus Regum jubet, qui victi, capti, prostrati, supplices antè ipsius pedes jacebant, magnam profectò insolentis & barbaricæ immanitatis, atque per superbam tyrannidem crudeliter exercentis victoriam Imperatoris speciem habere existimet aliquis. Sed quis credat eum virum qui fuerat in Mosis schola eruditus, quo nemo omnium mortalium vixit omnibus in terris mitior, ut est in S. literis, Num. 12. 3. sic supra modum insolescere potuisse? Planè ergò est existimandum, hac in re Josuam, ut in cæteris quoque, nihil fecisse nisi cœlesti instinctu; atque adeò graviter peccaturum fuisse nisi ità fecisset; similiter atque Saul & Achab peccarunt, cùm ille Amalecitarum Regi, 1 Reg. 15. hic Benadado, 3 Reg. 20. malè pepercissent. Quin hanc triumphandi speciem, quamvis, ut apparet, nimis superbam & inhumanam, Moses sub excessum suum vaticinans non solùm prædixit, verùm etiam ut maximum dignitatis & felicitatis populi Israelitici argumentum mirificè extulit, Deut. 33. 29. cùm sic caneret, *Beatus es tu, Israel. Quis similis tibi, popule servate per Dominum, qui est clypeus tibi auxiliaris, & gladius dignitatis tuæ? Subjicientur enim tibi hostes tui; & tu illorum excelsa calcabis. Excelsa* enim hîc colla dici, omnium interpretum sententia est. Atque ad hanc Mosis, nisi fallor, alludens vaticinationem David Psal. 149. cùm Israelitas ענוים, & חסידים, h. e. *mites, lenes* sive *humiles*, & *benignos* atque *misericordes*, appellasset, hâc tamen ipsos gloriâ amplificatos à Deo esse ait, quòd sint armati *gladiis ancipitibus ad exercendam vindictam in gentibus, atque ad castigandos populos, vinciendosque Reges catenis, & Principes ferreis compedibus.* Quis ergò nisi insanus populo Dei id vitio vertat ob quod tantâ gloriâ atque prædicatione à sanctissimis duobus Vatibus effertur? Summa est; Hoc ritu non immanem & barbarum aliquem sed Dei auspiciis dignum atque absolutissimum triumphum significari. Idque multis insuper aliis S. literarum testimoniis probari potest: Quale est illud, Psal. 110. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* & illud Malachiæ 4. 3. *Conculcabis impios: erunt enim cinis sub pedibus tuis.* Rursus illud Davidis Psal. 91. 13. *Super leonem & aspidem calcabis: conculcabis leunculum & draconem.* Et ut nonnulla ex Christi suavissima atque mitissima lege adjungam, cùm ille discipulis suis dominationem summam se in Satanam concessisse vellet significare, sic loquebatur Luc. 10. 19. *En dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, atque super omnes vires adversarii.* Denique Paulus hâc quasi pulcherrimæ victoriæ & triumphi Divini spe consolatur suos Romanos, c. 16. 20. cùm ait *brevi fore ut Deus pacis conterat Satanam pedibus ipsorum.* Sic enim eum locum explicat D. Chrysostomus. Voluit igitur Deus in hisce maximi & difficillimi belli initiis hoc amplissimo gloriosissimóque triumpho semel suorum animos acriter excitare inflammaréque, atque similis successûs spe ad ea quæ gerenda restabant confirmare, omnísque prorsus adversæ fortunæ metu vacuos facere, quod dilucidè proximus versiculus testatur. Huc addi etiam illud potest, Singulari istâ animadversione gravíque supplicio, quo nè Regibus quidem parcitur, armari debuisse populi animos adversùs pravam vitiosámque misericordiam, quâ alioqui fortassis erga nonnullos usuri Chananæos fuissent; deinde & illud, Deterreri illos non leviter potuisse tam horrendo spectaculo à Barbarorum superstitionibus, quos viderent ob fœdam illam & flagitiosam religionem tam graves Deo pœnas dare. Sed hîc fortassis occurrat illud, Condocefieri quoque potuisse Israelitas his tantis pœnis sumendis ad vindictæ cupiditatem; quæ affectio hominum animis alioqui nimiò plùs quàm oportuit familiaris plenissimè in S. literis passim vetatur; & quidem usque adeò severè ut si qua nobis sit illata injuria, eam non solùm mutuâ injuriâ vindicare nefas sit, verùm etiam beneficium pro illo rependere jubeamur. Atqui meminisse oportet, aliam privatim acceptæ injuriæ vindicandæ rationem esse, aliam ejus ad quam puniendam gladius ab ipso Deo nobis tanquam in manus porrigitur. Alioqui funditus omnem

Magi-

Magistratum sustuleris, qui maleficia in repub. moribus atque judiciis vindicare, & officia omnia moderari debet, si modò ulla omnino respub. est futura & hominum inter ipsos vitæ societas. Nam fanaticum genus hominum Anabaptistæ jam pridem sunt omnium bonorum consensione rejecti; & ferè desitum est contra eos disputari.

25. *Et ait ad ipsos Josua, Nè timeatis, neque frangamini,* &c.] Hic versiculus disertissimis verbis luculenter ostendit quorsum illa spectaverit, ut videbatur, insolentior & crudelior triumphandi ratio, nimirum ut non aliter animarentur milites atque si jam universam Chananæam protererent & conculcarent, h. e. suis victoriis premerent, subjectámque sibi haberent, quarum victoriarum hoc veluti specimen erat: quod cùm posthac semper esset illorum mentibus obversaturum, mirificè audaciâ atque fortitudine eos confirmaret, neque sineret ad Chananæorum Regum audita nomina expavescere, aut populum illum invictum & tanquam giganteo robore sibi fingere, qui metus patribus ipsorum exitio fuerat, Num. 13. & 14. Quippe credibile est non solùm vulgus militum, verùm etiam fortes spectatósque, & in quorum auctoritate cæteri erant, in tanta rerum omnium difficultate apud suos animos interdum metu & diffidentiâ quadam conflictatos esse; ut qui præsentem Dei opem tam certâ fide complecti nequiverint atque nunc Josua; & ideo hujuscemodi confirmationibus opus habuisse. Nam Josuam ipsum cervicibus Regulorum pedem imposuisse non audimus. Porrò verba quibus hanc ceremoniam Josua prosequitur, eámque alioqui per se inutilem veluti animatione quadam atque efficientiâ informat & ad usum accommodat, ejusmodi ferè sunt cujusmodi Deus ipsum cohortatus fuerat initio mandati imperii c. 1. 9. quæ illic sunt à nobis exposita. Illud tamen notandum est, Josuam ea priore loco dicere quæ metum animis militum eximant, deinceps quæ robur addant; cùm Deus contra fecerit. Scilicet Dei verba suapte vi fortitudinis efficientia sunt, neque causarum, ut vocant, adjuvantibus aut mediis præparatoriis egent. ¶ Nominat autem *Jehovam* sive *Dominum*, ut auctorem à quo omnis victoria proficiscitur, cujúsque solius ope res rectè geri possunt; ut illi nihil suæ laudi sumant, sed modesti gratíque beneficiorum Dei memoriam secum recolant. ¶ Cæterùm *hostes ipsorum* vocat, non à quibus ipsi sunt lacessiti provocatíque injuriis (id enim esset, quod nuper dicebam, vindictæ ipsos cupidine stimulare) sed, ut insequens versiculi clausula ostendit, eos cum quibus bellum gerunt, non quidem ullo privato susceptum odio, sed Dei imperio. Nam illud, ut est probabile, memoriâ satis retinebant quod Moses sæpissime inculcarat, Deut. 9. 1. &c. non propter suam ipsorum justitiam venturos in possessionem felicis illius terræ, pulsis veteribus colonis; sed cùm propter horum impietatem, tum ut promissa sua quæ Patribus promiserat Deus, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, ea perficeret tandem. Neque verò etiam alioqui cuiquam ullæ in mentem venire potuerunt privatæ inimicitiæ cum ea gente susceptæ, cum qua ipsis nulla unquam vitæ ratio antè intercesserat. Intelligebant ergò facilè Chananæos non alio nomine *hostes suos* dici ab Imperatore quàm quia Dei hostes essent; & proinde se Dei in hoc bello esse administros.

26, 27. *Deinde percussit ipsos Josua, & interfecit ipsos,* &c.] Quòd interfecti Reges in crucem aguntur, non ad pœnæ illorum cumulum, quæ mortuis nulla infligi potuit; sed ad pœnæ existimationem, atque omnino ad famam & exemplum spectat. Nam ut Principum virorum dignitas præclara quasi lumen ad omnes vitæ ipsorum actiones affert, neque ullas sive rectas sive improbas in occulto esse patitur; ità si meritas pœnas persolvunt suorum scelerum, de illo suæ amplitudinis gradu deturbati, has quoque quàm plurimis notissimas esse utilissimum est; ut illi gloriosæ dignitati ista supplicii opposita indignitas illustrius maleficiorum puniendorum statuat exemplum, majorémque omnium animis terrorem afferat, & cuivis spem omnem impunitatis vitiorum suorum præcidat. Huic rei satis magno argumento est illud in Numeris 25. 4. cùm populo à prostitutis puellis Moabiticis ad falsos cultus pellecto, vehementer indignatus Deus jubet Mosi ut *principes scelerati populi apprehensos suspendat Jehovæ,* sive *Domino,* h. e. ut alibi me explicare memini, suprà 4. 13. in celebri & illustri loco, ubi omnibus sint conspicui. Sic enim addita illic particula *ad solem* disertè hoc interpretata est, meo judicio. ¶ Cæterùm reliquam ceremoniam, quâ sub Solis occasum auferebantur humabantúrque, prosecutus sum satis prolixè c. 8. 29. Hoc ergò in præsenti monebimus modò, Damnari hoc loco magnæ stultitiæ, aut cæcitatis veriùs, Judæorum Magistros, qui præclarâ religione scilicet legem instituerunt, Fas non esse uno die viros duos in crucem agere; quia singulari numero dictum est à Mose Deut. 21. 22. *Si fuerit in quoquam peccatum morte damnandum, & is interficiatur, suspendatúrque ex ligno,* & quæ sequuntur. Josua enim simul quinque viros suspendit. Sed illi fortassis de suis gentilibus loquuntur. Quasi verò non prolixiùs animadvertendum sit in eos qui viam virtutis semel ingressi datâ operâ ab ea decedunt, quàm qui illam nunquam novere. Sed nugantur illi plura de isto Crucis supplicio, & de patibulo cum corpore humando, vel multò etiam aniliùs; ut sunt miseri in hujusmodi tricis toti impediti, dum syllabas stultè venantur, corticémque contrectant verborum, neque ad fructum intendunt animum. Sed sepultis Achanis cineribus & cadaveri Regis Hai saxa, quasi statuæ, imponebantur pro monimentis, ut in illorum historia exponebamus; at hic specus ipsum, quod, ut est credibile, erat eo seculo celebre, pro monimento simul omnibus est: atque ideo nihil aliud quàm ejus os occluditur, nè à feris protracta corpora, in hominum conspectu, sed occultata intus, tanquam humata, jaceant. Adamantius hanc de quinque istis Regulis narrationem, quos Josua militum suorum pedibus subjecit, per anagogen accommodat suo more ad nostrum Josuam, h. e. Jesum Christum; Qui corporis nostri quinque Sensus, omnium vitiorum administros, imperio nostræ Rationis subdit, modò ut ipsi conculcare illos velimus. Sed hæc apud illum prolixiùs tractantur. Tum præsens quoque Gabaonitarum historia uberrimum piæ meditationis campum ponit ante oculos sacrorum Philosophorum. Illi enim, simul atque à Chananæis ad Josuam sive Jesum transiverunt, invaduntur à maxima hostium multitudine; Sed dum in fide constanter manent, uniúsque Jesu potentiâ & ope freti, neque ad diversa consilia animos adjiciunt, neque ad alia auxilia oculos vertunt, non solùm paratissimum præsidium adversùs hostium suorum vim inveniunt, sed gloriosè triumphantem de illis victorem Jesum læti vident. Sed ista attigisse mentione satis est.

28. *Macedam quoque cepit Josua eo die, & percussit ipsam,* &c.] Josua, profligatis jam hostibus, actóque de captis Regibus triumpho, cùm non nullos fugâ evasisse in proximas urbes intellexisset, prudenter existimans maximum eam rem habituram momentum ad illas facilè expugnandas si subitò invadantur, diro nuncio cladis quinque Regum conturbatæ, priùs quàm se colligant atque ad defensionem majore apparatu instruant, moram nullam esse interponendam ratus est. Sed illico Macedam, ad quam proximè castra, ut audivimus, fecerat, tentavit, urbem, ut est credibile, egregiam; suum enim ea quoque habebat Regulum; atque eo ipso die quo tentavit cepit. Non enim hoc de longo illo die quo Sol substiterat accipiendum esse censeo; sed vel crastino, vel perendino, aut certè non magno intervallo temporis ab illo remotè. Deus enim suo exercitui post longam illam pugnam non solùm novum robur & vires sed voluntatem quoque alacrem suppeditabat. ¶ Illud אותם usurpatur quidem interdum pro אתם, h.e. *cum ipsis:* Estque etiam verborum hîc conjunctio per se apertior si sic accipias. Verùm ego sequi malui accentuum interspirationes atque interpuncta quos *pausantes* vocant, Segol in verbo החרים, & Rebia in illa ipsa particula אותם, atque propriam hujus notionem conservare. Putavi enim hunc accusandi casum Pronominis *ipsos*, & eum qui sequitur, *omnem animam,* rectè

rectè ἀπὸ κοινοῦ, ut dicunt Grammatici, ad verbum החרים, i. *anathemate perdidit*, referri posse. Debet autem hoc *omnem animam* de solis hominibus accipi. Nam pecudes in prædam concessas esse militibus, audiemus proximo capite. Ut enim antè diximus, lex illa quæ in Deuteronomio 20. de capiendis urbibus sancita est, ea à v. 10. ad 14. tam pertinet ad Chananæos quàm ad longinquos & exteros; est autem illic scriptum, *Omnem prædam ejus diripies tibi; comedésque spolia hostium tuorum.* Quanquam in peregrinis urbibus mulieres & puellos fas erat mancipare in servitutem, at in Chananæis nefas, atque ideo hic promiscuâ cæde trucidantur omnes. Quod facinus quî possit, & debeat etiam, à crudelitatis opinione vindicari, diximus alibi. ¶ Porrò supplicium singulare de urbis istius Rege sumptum esse, indicatur quidem exemplo *Regis Jerichuntii* cursim attacto, nimirum ut rerum gestarum celeritas narratione ipsâ deproperatâ nobis poneretur ante oculos, sed quo mortis genere perierit Rex Jerichuntius id verò nusquam satis est explicatum: Ex verbis tamen versiculi primi hujus capitis conjectura fieri potest, tales eum pœnas dedisse quales sunt de Rege Hai captæ, quanquam hoc Kimhi absque ulla dubitatione neget, & in promiscua cæde trucidatum dicat. Sed ego conjecturâ niti malo ex S. Scripturæ quàm ex Kimhi verbis factâ, cùm hic nullum opinioni suæ dicat argumentum.

29---32. *Transivitque Josua, & omnis Israel cum ipso ex Maceda,* &c.] Credibile est לבנה *Lebnam*, sive *Libnam*, aut *Lobnam*; non enim eadem una ubique est prioris syllabæ vocalis litera; est, inquam, credibile, illam occurrisse proximam à Maceda inter eas urbes quas deinceps victores aggrediuntur atque evertunt. Quis enim non existimet ordine fecisse progressum, neque hostem à tergo reliquisse, Imperatorem prudentissimum? Distabat Maceda 8 millibus pass. ab Eleutheropoli versùs Orientem, ut Eusebio auctore diximus: quanquam, ut ego existimo, plurimùm ad Septentrionem declinabat. Jam verò Lobna, ut idem scriptum reliquit, propiùs ab Eleutheropoli aberat, quippe in ipsa Eleutheropoleos posita regione. Ducebat igitur principio Josua exercitum inter Occidentem & Meridiem, ferè contra Africum sive λίβα. Nam ab Ælia, quæ est Jerusalem, rectâ Eleutheropoli ibatur Ascalonem; ut in populi Romani Itineribus, quorum suprà memini, notatum est. ¶ Cùm porrò ex Lobna לכיש *Lachin* petit, ferè versùs Euronotum contendit. Nam Lachis, ut diximus, ab Eleutheropoli aberat pass. mill. 7. ad Daromam versùs, h. e. ad Austrum, non nihil tamen ad Orientem. Et in Regum historia l. 4. c. 19. v. 8. memoratum est, Regem Assyriæ Senacherib post oppugnatam Lachin castra fecisse ad Lebnam, nempe ille, ut quæ suis allegatis mandata ad Ezechiam dederat persequi re ipsâ videretur, sensim versùs Jerosolyma promovebat suas copias. Nondum enim acceperat nuncium tristem de Regis Æthiopum adversùs se apparatu. Josua verò magis magísque ab Jerosolymis. ¶ Cæterùm diem illum quo capta est Lachis dici *secundum* ab obsidione autumat Kimhi, ídque ego ei assentior. Neque enim probabile potest videri, postridie quàm expugnata fuerat Lobna, nedum Maceda, Lachin quoque in potestatem Israelitarum venisse, cùm tantillum tempus prædæ istarum urbium faciendæ agendæque vix satis esse potuerit. ¶ Illud, *Et omnis Israel cum ipso*, de iis modò est accipiendum qui in expeditionem Gabaoniticam illam educti fuerant.

33. *Per id tempus ascenderat Horam Rex Gazer,* &c.] Equidem statui vix posse certum existimo quo tempore Rex iste Israelitis supervenerit, an cùm jam circumsiderent Lachin nondum expugnatam, an paulò ante cœptam obsidionem, an denique post captam direptámque urbem. Apparet quidem non nulla causa cur suspicemur primum esse verius. Nam quia *secundo* demum *die* narratur illa *capta esse*, videtur Rex suo interventu primum oppugnationis impetum in se avertisse. Æquè incertum est etiam illud, Quæ hunc Regem moverit ratio ut isti urbi ferret suppetias, à qua longiùs abfuisse ipsius ditionem ut fateamur necesse est, si ejus ille נזר *Gazeris* dominus fuit quæ inter Ephraimitarum possessiones numeratur, atque Levitis conceditur; ut fuisse scripsit Eusebius libello De locis Hebr. Sed quando hoc sine causa scriptum ab Eusebio est, ego credibilius esse puto, illius eum Gazeris fuisse Regulum quæ in Paralapomenis l. 1. c. 14. v. 16. verbo ad literam immutato, נזרה *Gazera* est appellata; usque ad quam cecidit David Philistæos, cùm illi per vallem Rephaim fecissent excursiones: hanc enim Gazeram à Lachi haud procul positam fuisse illa ipsa Davidis expeditio & Philistinorum fuga luculenter ostendunt. Periculi igitur propinquitas Regem istum excivit suppetias Lachi; quas Jerichuntiis & Haiensibus tulisset potiùs si illius alterius Gazeris Princeps fuisset.

34---37. *Progressúsque est Josua, atque cum ipso omnis Israel,* &c.] Ex libello Eusebii De locis Hebr. dictum à nobis suprà est ענלון *Eglonem* 12 millib. pass. ab Eleutheropoli versùs Orientem, לכיש *Lachin* verò 7 millib. pass. ab eadem illa, sed contra Austrum, fuisse positam. Unde conficiatur, Josuam ab Lachi propè ad Macedam nuper expugnatam revertisse cùm Eglonem oppugnatum veniret; atque indè rursus, repetito ferè eodem itinere, contendisse Hebronem. Scribit enim ille auctor, ut Eglonem 12, ità Macedam 8 millib. pass. abfuisse ab Eleutheropoli; & quidem versùs Orientem utramque. Quando igitur illiusmodi ultro citróque tanquam vagatio, nisi certâ ratione (qualis nusquam apparet) instituta fuerit, videri inepta atque absurda debet, planè inducor ut credam aut librariorum mendam esse cùm Eglon versùs orientem Solem ab Eleutheropoli locatur; est enim ille libellus mendosissimus; aut scriptorem ipsum nomine urbis *Adollam* in errorem esse delatum. Cùm enim; ut jam de præsentis narrationis non satis concinna consequentia nihil dicam; cùm, inquam, ubique Lachis & Eglon, tanquam propinquæ inter se urbes nominari simul soleant, quis non intelligat quàm sit absurdum dicere, alteram planè ad Orientem, alteram ad Austrum, & quidem tanto utramque locorum intervallo, ab eadem una urbe recedere? Quòd si verò propemodum versùs eandem illas cœli partem ab Eleutheropoli sitas fuisse statuerimus; & Lachin quidem 7, Eglonem verò 12 millibus pass. illam versùs Daromam interiorem videlicet, feréque Euronotum, istam autem non prorsus versùs Orientem, sed Eurum potiùs, omnia his Josuæ gestis & progressui consentanea dicentur; fuerítque ab Eglone quàm Lachi brevior ad Hebronem via. Hebron enim Eleutheropoli ad Eurum est ferè, cùm sit Jerosolymæ Australis, sive ad Meridianam plagam, ut in libello de locis Hebraicis scriptum est. ¶ Sed enim miretur meritò aliquis de hac *capta Hebronis & interfecti ejus Reguli* narratione, quando hanc urbem Caleb demum sibi deposcet expugnandam, ut c. 15. audiemus, & nuper in memorabili illo triumpho Rex quoque Hebronis conculcatus, interfectus, suspensus est. Verùm ad Regem quod attinet, fieri potest ut illa ejus cædes huic communi urbis cladi sit annumerata; aut, quod opinatur D. K. in hostilis exercitûs adventu alius à civibus raptim creatus Rex sit, nè urbis propugnatio atque defensio nullius imperio administraretur. Quòd autem Calebus subjugatâ Hebrone gigantes ejecturus est, id verò post Josuæ obitum tandem fiet, ut apparet ex Judicum libro cap. 1. Quare mirum videri non debet si interea Hebronitæ gens fera & potens, vires suas revocaverint recreaverintque. Non hîc addo, quòd Calebo non urbs sed urbanus ager & municipia concedentur. Nam Lirani commentum de duabus diversis Hebronibus, quarum alteram in valle expugnarit Josua, alteram in monte Calebus capturus sit, vanissimum, mihi certè, videtur. Cùm enim *omnia* etiam *Hebronis municipia* hîc eversa legantur, pessimè de Josuæ virtute existimantis sit opinari τὴν ἀκρόπολιν eum intactam reliquisse. Sed quæ causa est, inquis, cur nulla hîc Gigantum mentio fiat, quod genus hominum illos circum Hebronem montes incoluisse certum est? Et de Gigantibus quidem dicendi locus erit in proximi capitis extremo: Interim verò illud respondisse satis fuerit, Josuam hâc expeditione

trans-

transcurrisse potiùs raptim armatâ manu Australem istam regionem quàm eam prorsus atque omnino populasse. Satis enim habebat eatenus terrorem suâ victoriâ omnibus incussisse ut nè sibi populóque Dei quisquam deinde ultro molestiam exhiberet. Itaque quos assequebatur, eos pro Dei jussis perimebat, nemini que parcebat; cæteroqui non omnes omnium locorum latebras extremâ diligentiâ peragrabat. Hoc enim veluti spicilegium cujusque tribûs propriæ virtuti relinquebatur, in sua hæreditate cernenda. Neque verò etiam utile erat terram cultoribus vacuam prorsus fieri priùs quàm Israelitæ suam quisque partem colere inciperent, Exod. 23.29. Nam, ut ait Xenophon Instit. l. 4. ἐρήμη ἀνθρώπων γῆ, ἐρήμη καὶ τῶν ἀγαθῶν. Latuere igitur fortassis interea Gigantes, montivagum genus, in speluncis suis, aut se receperant ad suos gentiles urbium Gazæ, Geth atque Azoti cives. ¶ Porrò quod converti, *Et omnia municipia ipsius*, si verbum pro verbo reddas, est, *Et omnes urbes ipsius*. Significari autem urbes municipales, etiam Kimhi auctor est. Quo autem loco fuerit Hebron suprà 1. 3. diximus paucis. Est is locus etiam hodie diversarum religionum nationibus celeberrimus, ob monimentum sanctissimorum virorum Abrahæ, Isaaci & Jacobi, quod illic religionis causâ catervatim frequentant. Quin ipsos etiam humani generis parentes Adamum & Evam illic humatos esse, persuasum jam olim multis est, de qua re disputandū nobis erit in extremo capitis 14. cùm istius urbis nomen enodabimus. Cæterùm Hebron in Num. 13. 22. vetustissimâ Ægypti totius metropoli annis septem antiquior esse proditur, ea autem erat צען, i. ut LXXII & Chaldæus putaverunt, *Tanis*; ut Josephus verò De bello Jud. l. 5. c. 7. *Memphis*; qui ab Hebrone condita fluxisse scribit suâ ætate annos bis mille & trecentos. Sed plura de ista urbe alibi.

38, 39. *Et rediit Josua cum omni Israele ad Dabir*, &c.] Quâ regione sita urbs ista fuerit, non una est scriptorum omnium sententia. Plerique citra Hebronem collocant, h. e. minùs longè à Galgalis, aut potiùs minùs propè ab Austro; statuúntque mari aliquantò quàm Hebron est viciniorem fuisse. In quo positu video eos Ziglerum secutos esse, cui etiam S. verba adstipulari videntur; cùm Josua memoretur ab Hebrone *revertisse Dabir*. At Borchardus descriptor Palæstinæ, ut mihi videtur, diligentissimus, *positam fuisse Dabir* ait *duabus*, vel, ut alia habent exemplaria, *tribus, leucis*, h. e. circiter quinque aut sex millibus pass. *ultra Hebronem, contra Austrum*; nempe, ut opinor, versùs Libonotum, aut Liba. Idque mihi profectò videtur probabilius. Ordine enim progressum esse Imperatorem prudentissimum puto. Et videre videor eum non rectà ab Hebrone Dabiram petivisse. Neq; enim ut *à Maceda Lebnon, à Lebna Lachin, ex Lachi Eglonem, ab Eglone* denique *Hebronem*, sic *ex Hebrone Dabiram traduxisse copias* memoratur, sed *Dabiram reversus esse*. Unde conjecturâ auguror, illum ab expugnata deletáque Hebrone ulteriùs nonnihil ad sinistram propè ad Idumæorum fines usque excurrisse, & indè ad Philistinorum. Mox enim audiemus usque ad Cades-Barneam, & usque ad Gazam esse grassatum armis. Cùm ergò ab Hebrone versùs vicinam Cades-Barneam, & indè ad dextrum latus per illas Chananææ extremitates ad Gazam procurrisset infestis armis, *reversus* demum *est*, relictis Philistinorum urbibus, *Dabiram*. Illas enim non attingebat. Sed de Dabir plura erunt dicenda c. 15. quare nunc hactenus.

40. *Et cecidit Josua universam regionem montosam*, &c.] Hic epilogus amplissimam istam expeditionem atq; victoriam generatim explicat atque ob oculos nobis ponit, ostenso semel maximo locorum spatio quod modò transcursum est & armis subactum. Nominantur autem quatuor terreni genera naturâ inter se propè contraria, certè multùm diversa, הר, נגב, שפלה, אשדות, h. e. *loca montosa*, *arida*, *humilia* sive *aquabilia* aut *campestria*, & *devexa* sive *valles cava*. Montosis opponuntur æquabilia, aridis opacæ valles. Significatur ergò in summa, nullum tota regione locum cladis illius immunem fuisse. Cæterùm נגב *loca arida* propriè significare Hebræis, dilucidè ostendit lingua Chaldæa, quæ ex Hebraica est nata. Nam quòd pro *Australi plaga cæli* eadem vox sæpe usurpatur (quâ notione etiam hoc loco ab Aquila, Symmacho & Chaldæo interprete exponitur) id quadam translatione fit & migratione in causæ locum, quia indè siccitas terræ provenit, meridiani Solis apricatione exsucta. Sed verbum אשדות *Asedoth* LXXII interpretes, quos secutus est Latinus, quasi proprium loci cujuspiam nomen, conservarunt integrum. Judæi interpretantur *profluvia*; qualia colles fundunt videlicet, nimirum id Chaldæum dicere interpretem autumant; cujus auctoritatem in plerisque sermonibus explicandis libenter solent comprobare. Reddidit autem Chaldæus pro אשדות hæc verba Chaldaica משפך מרמתא. Huc etiam illud addunt, quòd אשר apud Chaldæos, quos dicebam ab Hebræis suam linguam esse mutuatos, significat, ut aiunt, *effundere*. Atqui debebant Judæi intelligere, Chaldæum interpretem non ferè unquam uti verbo שפך cùm *profluere* aut *profundi aquam* vult dicere, sed שרא. Id quod ab Elia Levita Germano Grammatico acutissimo etiam est annotatum l. מתורגמן. Et errant sanè pueriliter cùm אשר existimant id esse Chaldæis quod *fundere* Latinis. Ea enim est vis verbi שרא, cui Aleph in formula Hiphil solet præponi. Ego igitur Chaldæum illis quæ produxi verbis significare voluisse puto ea loca quæ à Græcis ὑπώρειαι dicuntur, h. e. ubi montes collésve in campos se porrigunt projiciúntque. Nam *porrectionem* sive *projectionem* aut *effusionem loci elevati* illa ejus verba interpretor. Quæ sententia mirificè cum proposito consentit; atque etiam cum illo Deuteronomii loco 3. 17. in quo idem verbum Hebræum est positum, cùm תחת אשדות הפסגה, *à Genesara usque ad mare solitudinis* (sive *mare campestre*) *mare, inquam, salsum, sub declivitate* (sive *radicibus montis*) *Phasga, ad Orientem*. Sunt enim plerumque sic sita loca cæteris cultiora lætioráque, quia ex montium destillatione rigantur. Sed quando אשדה Chaldæis propriè *axis* est *rota*; ut ex interprete Chaldæo, 3 Reg. 7. 32. constat, & Aquilas Ponticus idem verbum interpretatur *excisum*, ut est à Syro meo annotatum, atque etiam, ut meminisse videor, ab Hieronymo; non erraverit, opinor, si quis putet in præsenti verbum אשדות significare *convalles*, quæ montibus aut collibus interjectæ jacent; sive quia illæ quodam modo axis speciem præ se ferunt, ut quæ citimæ sunt montium colliúmve utrinque assurgentium partes, sicut axes rotarum; sive potiùs quia quasi intercisis montibus factæ videntur. Sanè hæc notio etiam appositissima est in Numeris 21. 14. ubi verba ex libro Bellorum Domini proferuntur hujusmodi, ואשר הנחלים אשר נטה לשבת ער. Videtur enim hîc אשר pro *fluminis alveo* esse positum, qui tanquam convallis est, assurgente utrinque ripâ. *Convalles* autem opponi rectè *Australi* & *arida terra*, præsertim in calidis alioqui regionibus, quis dubitet? Sunt enim illæ solo ubere & semper læto, quippe quæ satis ex montibus humoris accipiant, neque diuturno æstu affligantur, propter montium umbras, unde tum *opaca*, tum *virentes* à Poetis sunt appellatæ; & à vulgo *amœna* dicuntur. Si quis tamen Judæos sequi malit, neque eos à me satis confutatos putaverit, fruatur is suo judicio, & pro *convallibus* dicat in S. texto *loca irrigua*. ¶ Porrò clausula hujus versiculi, *Sicut præceperat Dominus Deus Israelis*, ad leniendam apud posteros tantæ stragis acerbitatem addita videri potest. Quis enim animo sit usque adeò ferreo ut non exhorrescat ad auditionem tam copiosi sanguinis humani profusi, dum in ampla & populosissima regione omnis ætas, sexus omnis, nullo discrimine jugulatur? quis eum in gente Hebræa animi rigorem non plus quàm barbaricam, imò belluinam immanitatem esse censeat, nisi persuasum ei sit illos non suam sed Dei causam egisse, Dei vindictæ administros fuisse? Neque verò dubitatio ulla esse potest quin ejus numine id quoque effectum sit quòd militum animi, cæteroqui nullâ injuriâ lacessiti, nullâ tamen misericordiâ labascerent, sed uno perpetuóque tenore ad innumeras illas & quidem omnium generum promiscuas cædes, sive in homines imbelles inciderent & supplices, sive in feminas, sive in mares,

mares, sufficerent durarentque. Non igitur illi aut privatis odiis aut imperandi libidine aut denique cupidine prædæ, quæ solent plerisque mortalibus nefariorum bellorum esse causa, tam immanem crudelitatem exercebant; sed Dei jussa voluntatémque secuti eam gentem cujus ille multis jam seculis continuò augescentem impietatem, nunc autem omnibus modis perfectam, patienter sustinuerat, funditus perditum & exstinctum ibant. Dominus præceperat, qui nihil nisi quod justissimum sanctissimúmque sit jubere potest, cuiúsque imperium quisquis demutat minuítve, nè dicam detrectat aut respuit, scelus facit; quantò magis Israelitis nefas fuit non modis omnibus ei morem gerere, quorum ipse Deus erat, h. e. quos sibi ille gratuitò in populum peculiarem delegerat ex omnibus totius orbis nationibus, ac tot tantísque beneficiis ornaverat, &, quod omnium bonorum caput est, qui leges ipsis præscripserat quibus à cæterarum gentium fœdissimis superstitionibus ad veram pietatem exculti, non solùm sanctè vivendi rationem acceperant, sed etiam cum certissima spe vitæ æternæ moriendi?

41. *Percussitque illos Josua à Cades-Barnea usque ad Gazam*, &c.] קדש ברנע *Cades-Barnea* extimam terræ sanctæ oram claudebat à Meridie. Id enim cùm ex possessionibus Judæ ostendendis, tum ex Mosis verbis quæ exstant in Deuteronomio 1. 19. certum est. Sic enim illic suos alloquitur Mosis, *Perveneramus ad Cades-barne. Et dicebam ad vos, Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster dat nobis. En obtulit Dominus Deus tuus in conspectum tuum ipsam terram: invade, posside*, &c. Illinc igitur, ut ex ipsis finibus, missi sunt exploratores; qui mox ad Hebronem pervenisse, & rursus perlustratâ terrâ illuc ad suos regressi esse videntur. Chaldæus pro *Cades-barne* plerumque reddit *Rekem-Gea*; quod est, si Latinè dicas, *Rekem superba, inclyta, nobilis, magnifica*. Nimirum ille Petram nobilem Arabiæ urbem vult significare, cui Cades-barneam fuisse confinem proditum ab Eusebio est in libello De loc. Hebraicis. Petram enim urbem *Rekem* esse vocatam à quodam Regulo suo Madianita nomine רקם *Rekem*, auctor est Josephus in suis Antiquitatibus, l. 4. c. 5. Opinor autem à Chaldæo *Gea*, h. e. *magnificam & inclytam* dici, tum quia per se urbs egregia erat Petra, tum ut ab altera Rekem ignobili oppido distingueretur, quod situm erat in Benjaminiticis possessionibus. ¶ Porrò Gaza erat olim, teste Strabone, mediterranea civitas. Distabat enim à portu passibus paulò minùs mille. Fuisse autem potentem urbem, satis magno indicio est nomen ipsum: עזה enim est, ac si *duram, pertinacem, fortem & multo robore firmam* dicas. Nam quòd *à Cambyse thesauris* nomen acceperit, ut Mela libro primo suæ Geographiæ, nescio quâ fretus auctoritate, prodidit, vanum prorsus est commentum. Persæ enim *thesauros* non עזה sed גנא vocant. Nam quod Græci pro Ain Gamma scripsere, id ad repræsentandam ejus literæ anhelatam vocem fecerunt, similiter atque in *Gomorrha*, & pluribus aliis. Cæterùm quo tempore Christus in terris versabatur, desertam fuisse Gazam ex Actis Apost. 8. 26. constat. Nempe, ut scriptum est apud Curtium l. 4. Alexander eam, geminato suo periculo, everterat actis cuniculis. Atque ex eo tempore desertam mansisse ad suam usque ætatem Strabo testatur. Sed augustissimus Imperator Constantinus novam exædificavit, verùm maritimam, ad portã Maionìam, ut Sozomenus scriptum reliquit. Exstátque etiam nunc illic forum rerum venalium, celebre quidem & amplum, nominéque veterem *Gazam* referens, quanquam non nihil, ut tempore fieri assolet, mutato. *Gazera* enim nunc dicitur à vulgo. Sed non in ipso maris litore, verùm ut per fossam merces facilè scaphis ultro citróque convehi possint. Abest autem Gaza circiter sex millib. pass. aut eo amplius ab Ascalone, secundùm maris litus ad Austrum recedens. Atque ut olim ità nunc quoque Palæstinæ terminus & extremitas habetur versus Ægyptum: Indè enim secundâ mansione in desertum Ægypti, quod *Alhiset* nominant, pervenitur. Sed de Gaza hactenus, cujus distantiam ab Jerusalem, & planè situm omnem, quantum certè ad ea quæ nunc tractamus illustranda satis sit, ex iis facilè quivis intelligat quæ nuper de Ascalone ex Romanorum descriptis Itineribus, sive Antonini libello, produximus. Descriptionem autem istam, *ex Cades-barne ad Gazam*, oræ Australis Chananææ partem magnam terminare tum videbimus cùm Judææ totius fines constituentur certis limitibus. ¶ Sed גשן *Gosen* fuisse urbem in montosis Judææ locis positam intelligemus ex cap. 15. Quo autem exstiterit loco, non satis certis potest argumentis ostendi. Apparet tamen circumjacentis agri bonitate celebratam fuisse. At enim Gazam non cepit, nedum vastavit, ac nè tentavit quidem Josua; ut proximo audiemus capite: Quippe non habebant eam Chananæi, sed Philistini, gens ferox & valida, quam oportebat post Josuæ mortem infestis armis subinde Israelitarum turpia otia interpellare; ut suo loco explicatum est. Similiter neque Gabaonem vel cepit vel vastavit, quia se ipsi dederant Gabaonitæ. Eáque causa est cur addita sit illa clausula, *Et usque ad Gabaon*.

42. *Omnes autem istos reges & ditionem ipsorum*, &c.] Quod converti *unâ vice* Hebraicè est פעם אחת. Id Chaldæus interpretatur *uno tempore*; Symmachus, *uno impetu*. Et hunc secutus est Latinus. Quod si verbo reddendum sit verbum, dicas *uno incessu*; quo loquendi modo etiam vulgus uti solet cùm rem quampiam unâ continuâque operâ facilè actam esse significat. Continuatâ igitur expeditione res istæ omnes à Josua gestæ sunt, postquam semel Gabaonitis suppetias venire cœpisset: neque usquam longâ obsidione moræ multum est interpositum. Victoriæ igitur gloria istis verbis augetur, per contentionem angusti temporis cum rerum gestarum amplitudine. Et de victoriæ magnitudine tum potentia Dei tum ejus erga suos benignitas conjicitur, cujus ope atque favore tot Reges, tot urbes ditionésque tantillo temporis spatio devicerunt Israelitæ, ut minore nè visere quidem potuissent, si non hostes sed amici fuissent. Nullæ ergò res humanis rationibus tam videri difficiles possunt ut non facillimè in iis promissorum suorum ille munus possit exsequi. Nota est omnibus exploratorum Mosis oratio Num. 13. 28. cùm reversi apud populum & urbes Barbarorum munitissimas & gentem ferocissimam potentissimámque deprædicarent, séque tanquam locustas visos esse, præut illorum hominum vasta corporis moles fuisset, clamitarent; usquè eò ut desperatione regionis promissæ potiundi, de repetenda infestissima sibi Ægypto omnes tandem cogitarent consiliúmque caperent. Sed quid contra hæc ad Josuam Deus? *Omnem*, inquit, *locum quem calcabit planta pedis vestri, eum vobis dedi. Neque consistet quisquam adversùs te*: Quàm autem isti promisso Deus prolixè jam satisfecerit, & quàm facilè invicta illa, ut videbantur, hominum monstra urbésque inexpugnabiles & vicerit & expugnaverit, expeditissima ista expeditio nobis posuit ante oculos. Quare est quòd hujusmodi exemplis confirmati magnis atque excelsis animis simus adversùs ea omnia de quibus victoriam in manu nostra fore, si strenuè sub suo sacramento militaverimus, pollicitus est Deus. Non enim nos frustrabitur, etiam si Mundus ipse superandus sit, atque adeò vincenda Mors, omnium acerrima terribilissimáque, ut videtur, naturæ hostis. ¶ Porrò istius versiculi clausula, *Nam Dominus Deus Israelis pugnabat pro Israele*, causam affert manifestariam cur narrationi cæteroqui incredibili fidem abrogare nemo debeat, vel res tantas militum virtuti arrogare. Nam cùm *Israelis Deus* nominatur, tectè omnia quibus ille adhuc Israelitarum gratiâ rerum naturæ vim fecit miracula in memoriam revocantur; quæ quisquis secum reputat, profectò haud ille istum expeditissimæ victoriæ successum supra infinitam Dei potentiam fuisse existimaverit. Sed cùm *pugnare* Deus *pro Israele* dicitur, non debemus Israelem tanquam otiosum pugnæ spectatorem cogitatione fingere; verùm existimare Deum audaciam, vires, voluntatem, atque omnino prosperum successum suis suppeditare, hostibus verò metum ac trepidationem, ignaviam, inertiam, atque planè adversa omnia objicere. Chaldæus istum verborum ambitum reddidit

reddidit παραφραστικῶς his ferè verbis, *Quoniam Dominus Deus Israelis per verbum suum belligerabat pro Israele*, de quo loquendi genere semel satis multa diximus.

43. *Reversúsque est Josua, & cum ipso omnis Israel, in castra ad Galgala*] Hic postremus versiculus est etiam decimo quinto loco positus; sed quàm aptè, diximus illic. Certè dubitatio nulla esse potest quin domicilium ei proprium sit in hoc loco. Non ergò rectè est etiam hîc à LXXII interpretibus omissus: Neque enim nunc supervacaneus videri potest. Significat enim, exercitum maximâ (quod est credibile) prædâ onustum, postquam ad extimam Chananæorum transcursum esset, ad stativa esse reversum; Nimirum ut paulisper corpora reficerent, conjuges natósque reviserent, spolia apud suos deponerent, denique ad novam expeditionem sese compararent.

IDEM.

1. Debent illa, ÷ πρὸς Ἰησοῦν καὶ ↙ obelo notari. ¶ Post Ἰσραὴλ suggeruntur in m. ed. quæ sunt à LXXII prætcrita, hæc, ✳ καὶ ἐγένοντο ἐν μέσῳ αὐτῶν ↙.

2. Syrus legit, ut habent Complutenses, ἐφοβήθησαν ÷ ἐν αὐτοῖς ↙, verùm ego suspicor rectiùs scribi, ἑαυτοῖς; sed ut ut est, debet hoc signari obelo. ¶ Pro ἤδεισαν scribo ἤδει, atque hoc ipsum verbum, cum sequente particula ὅτι, jugula veru. ¶ Post μητροπόλεων adduntur in ed. m. hæc verba, ✳ τῶν βασιλέων· καὶ ὅτι αὐτὴ μεγάλη ὑπὲρ τὴν Γαὶ ↙.

3. Pro Ἐλὰμ legit Syrus meliùs Ὀχάμ. Nimirum negligentiâ librariorum factum est λ ex χ, & ε ex ο. ¶ Pro Δαβρεὶ scribe Δαβὶρ, & pro Ἀφὲ Ἰαφιέ. Complutenses hîc pro Ὀδολὰμ scribunt in quod in Hebræo est, Αἰγλὼν, sed malè, opinor. Certè Syrus Ὀδολὰμ legit.

4. Illud δεῦτε juguletur veru. ¶ Legunt Complutenses ηὐτομόλησεν, numero unius; at Syrus, sicut Vulg. codices habent, reddidit numerum plurium.

5. Ipsum initium sic suggeritur in mixta, ✳ καὶ συνήχθησαν ↙, καὶ ἀνέβησαν, &c. ¶ Pro Ἰεβουσαίων reposuerunt Compl. Ἀμορραίων, quam sententiam expresserunt quidem Aq. Sym. & Theod. ut monet Syrus, at LXXII dixerunt Ἰεβουσαίων, ut est in vulg. libris. Nam hoc D. Augustinus annotavit. Rectè ergò Syrus vulg. codicum scripturam probat. ¶ Pro Αἰγλὼν Syrus denuò legit Ὀδολὰμ, ut antè; & rectè: nam ei id assentitur etiam Vat. codex.

6. Nomen Ἰσραὴλ debet obelo confodi. ¶ Mutetur verborum collocatio, hoc modo, καὶ ἐξέλου ἡμᾶς, καὶ βοήθησον ἡμῖν.

9. Illud ✳ ἐπὶ ↙ notatum a Syro asterisco est. Ibidem scribe, ordine verborum mutato, ἐπ' αὐτοὺς Ἰησοῦς. ¶ Nomen Ἰησοῦς post εἰσεπορεύθη debet expungi.

10. Notetur Κύριος obelisco, cùm dicitur, καὶ συνέτριψεν αὐτοὺς ÷ Κύριος ↙. ¶ Pro Βηθωρὼν est in Vat. Ὡρωνείν, atq; similiter proximo versiculo; verùm Syrus id secutus est quod habent vulg. codices: ídque est Hebræo consentaneum. Et certè Ὡρωνείν, nisi fallor, ad Moabitas pertinebat, ii autem procul ab his locis absunt.

11. Abolendum est μεγάλους, est enim ex margine receptum in ipsum textum, cùm illic tanquam melior interpretatio fuisset ab aliquo ex Aquila adscriptum. ¶ Post Ἀζηκὰ addit m. ed. ✳ καὶ ἀπέθανον ↙. ¶ ÷ Καὶ ἐγένοντο ↙ jugulandum est veru; & similiter ÷ ἐν τῷ πολέμῳ ↙.

12. Παρέδωκε Κύριος, expunge nomen Κύριος. ¶ Post ὑποχείριον addit mixta ✳ υἱῶν ↙. Quæ deinceps sequuntur, nempe ἡνίκα συνέτριψεν, &c. usque ad illa verba, καὶ εἶπεν, sunt à Complutensibus omissa; quippe quibus studium fuisse majus videtur ut Hebræum exprimerent quàm ut editionem LXXII repræsentarent. Meliùs ergò Syrus, qui appositis obeliscis ea quoq; reddidit. Hîc porrò trajectis verbis legendum est, Ὁ ἥλιος κατὰ Γαβαὼν στήτω. ¶ Pro Ἀλλὼν scribendum est Αἰλὼν, ex Syro, atque etiam Tertulliano, lib. contra Psychicos.

13. Ille verborum ambitus, οὐχὶ τοῦτο γεγραμμένον ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς; debet, tanquam à Theodotione acceptus, asterisco notari. ¶ Syrus legit cum copula καὶ οὐ προεπορεύετο.

14. Nomen φωνῆς est notandum stellulâ ut alienum. Et mox scribendum est συνεπολέμησε.

15. Versum totum legit Syrus notatum obeliscis. Est ille quidem etiam in Hebraicis libris nunc; verùm non suo, ut videtur, loco positus: de qua re dicam in Commentariis, si volet Deus.

18. Illud μεγάλους est appositâ stellâ signandum.

19. Debent illa deleri, ἀλλ' ἀλλὰ, & quod sequitur, scribi, καταδιώκοντες. ¶ Illa etiam expungenda sunt, καὶ μὴ ἀφῆτε αὐτούς. Copula autem, cùm dicitur, καὶ μὴ ἀφῆτε, obelisco, pronomen verò αὐτοὺς asterisco signari debent.

20. Pro καὶ πᾶς scribe καὶ οἱ υἱοί. ¶ Illa, ἀπ' αὐτῶν, καὶ εἰσῆλθον, accepta sunt ex aliis interpretibus, debéntque stellulas appositas habere.

21. Illa rursus similiter sunt signanda asteriscis, εἰς τὴν παρεμβολήν. ¶ Cùm dicitur, καὶ οὐκ ἔγρυξεν, jugulanda est copula obelisco.

22. Post καὶ ἐξαγάγετε suggestum est in m. ed. ✳ πρός με ↙.

23. Rursus suggeritur in mixta, ✳ Καὶ ἐποίησαν οὕτως ↙· & post ἐξήγαγον suggeritur ✳ πρὸς αὐτὸν ↙. In extremo rursus scribendum est Ὀδολὰμ pro Αἰγλὼν, ex Syro. Debent autem hoc loco Conjunctiones quæ inter Regum nomina sunt positæ, præter ultimam omnes notari obeliscis.

24. Initium scribe hoc modo, καὶ ἐπεὶ ἐξήγαγον αὐτοὺς, &c. Mox habet m. ed. additum ἄνδρα, hoc modo, πάντα ✳ ἄνδρα ↙ Ἰσραήλ. Et continuò hîc adscribendum est, λέγων αὐτοῖς. Debet autem αὐτοῖς & insequens copula καὶ jugulari obelo. Illud autem, λέγων πρὸς αὐτοὺς, est expungendum. Sic enim Syrus hunc locum legit, & meo judicio castigatiorem quàm est à Complutensibus scriptus.

25. Μὴ φοβηθῆτε ÷ αὐτοὺς ↙, pronomen debet obeliscum habere.

26. Καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς Ἰησοῦς, hîc adscribito, ÷ καὶ ↙ ἐπεὶ δὴ ἐθανάτωσεν αὐτούς, καὶ ἐκρέμασεν αὐτοὺς ἐπὶ πέντε, &c. Sed signetur copula, cùm dicitur καὶ ἐπεὶ δὴ, obelisco.

27. Λίθους μεγάλους. Hoc adjectivum non est sine asterisco scribendum, est enim ascititium.

28. Quædam exempl. habent, ut ostendit Syrus per limniscum, καὶ τὴν Μακηδὰν ἔλαβεν Ἰησοῦς ἐν τῇ, &c. & hanc scripturam secuti sunt Compl. ¶ Post ξίφους expletur scriptum in ed m. hâc verborum complexione, ✳ καὶ τὸν βασιλέα αὐτῆς. ¶ Pro αὐτὴν est scribendum αὐτοὺς· sed hoc αὐτοὺς, & insequens copula καὶ, ascititia sunt & asterisco signanda. ¶ Copula ante verbum κατελείφθη debet jugulari obelisco, ut & illud ÷ ὃς ἦν ἐν αὐτῇ ↙, sive potiùs ἐν αὐτῇ ὃς ἦν, & similiter illud ÷ διαπεφευγώς ↙.

29. Pro Λεμνὰ scribendum Λεβνά· & ἐπολιόρκει numero plurium. In eo autem quod sequitur suggesta est in m. ed. præpositio ✳ ἐπὶ ↙ Λεβνά.

30. ✳ Καὶ ↙ αὐτόν. Conjunctio debet appositam stellam habere; illud verò, ÷ καὶ ἔλαβον αὐτὴν ↙, obeliscum: ¶ Illud ÷ ὃς ἦν ↙ rursus obeliscum, & similiter ÷ διαπεφευγὼς ↙.

31. Scribe παρενέβαλεν numero sing.

33. Pro ἀνέβη habent quidam libri ἔβη. Pro Ὡράμ habent Compl. Ἐλάμ. Syrus legit Ἀρμών. Ego pro Hebræa voce censeo retinendum quod vulg. libri habent; hoc autem est Ὡράμ. ¶ ÷ Ἐν στόματι ξίφους ↙ & ÷ καὶ διαπεφευγότα ↙ debent jugulari obeliscis; & pro αὐτῇ scribendum est ἐξ αὐτῶν.

34. Pro Αἰγλὰν rursus scribendum est Ὀδολὰμ, ex Syro. ¶ ÷ Καὶ παρέδωκεν αὐτὴν Κύριος ἐν χειρὶ Ἰσραὴλ ↙, jugulanda obelisco.

35. Post ἐμπόλεων suggeritur in mixta per asteriscum, ✳ τὰ ἐν αὐτῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ↙ ἐφόνευσαν, &c.

36. Post μετ' αὐτοῦ expletur in m. locus sic, ἀπὸ Εγλὼν ↙.

37. Initium versûs signandum asterisco est, ut ascititium; hoc dico, ✳ καὶ ἔλαβον αὐτὴν ↙. ¶ Post ξίφους denuò suggeruntur in m. ed. hæc, ✳ καὶ τὸν βασιλέα αὐτῆς, καὶ πάσας τὰς κώμας αὐτῆς ↙. ¶ Pro τῇ Εγλὼν legit rursus Syrus τῇ Ὀδολάμ. ¶ Post αὐτὴν legit Syrus, καὶ ✳ πᾶν ἐμπνέον ↙, ὅσα ἦν ἐν αὐτῇ, signátque πᾶν ἐμπνέον asterisco.

38. Pro ἐκάθισαν scribendum ἐκάθισε.

39. Addenda initio est copula, καὶ ἔλαβον. ¶ Post ἐξωλόθρευσαν debent αὐτὸν & καὶ notari obelo, similiter ÷ ἐσῆγα ↙ quod mox sequitur. ¶ Illud, καὶ τῷ

βασιλεῖ

βασιλεῖ αὐτῆς, positum post Χεβρὼν, debet expungi.

40. In m. ed. est nota universitatis, καὶ ✻ πάντας ↙ τοὺς βασιλεῖς αὐτῆς ↙. ¶ ÷ ἐν αὐτῇ ↙ debet confodi veru; similiter ÷ ζωὴν ↙ quod verò ei adjunctum est, nempe ἐξ αὐτῆς, prorsus auferendum est. In extremo versiculi non legit Syrus articulum τοῦ, sed accepit nomen Ἰσραὴλ tanquam gignendi casu positum, *Deus Israelis*, idque Hebræo consentaneum est.

41. Post Γάζης suggeritur in ed. m. copula, ✻ καὶ ↙ πᾶσαν γῆν Γοσὸν· est enim hoc nomen per literam Ni scribendum.

42. Καὶ τὴν γῆν, adde αὐτῶν.

43. In m. ed. adscriptus habetur versiculus qui in Hebræo est hujus capitis postremus, his verbis, ✻ Καὶ ἐπέστρεψεν Ἰησοῦς, καὶ πᾶς Ἰσραὴλ μετ' αὐτοῦ, εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἰς Γάλγαλα ↙. Est autem is idem ille qui suprà decimo quinto positus loco est.

D R U S I U S.

1. ADonai-sedec] Jod in ארני, quale in *Melchisedec*, quod scribunt מלכי צרק. Id sonat *Rex Sedec*. Aiunt priscum nomen urbis *Sedec* fuisse; quæ & *Salem*; unde *Rex Salem*, aut *Sedec*, i. *justitia*. Nam erat locus ubi olim justitia exercebatur. Vetus interpretatio, *Rex justus*. צרק *justus*, ut כבר *gravis*, ארך *longus*, & alia ejus generis. Sic *Adonai-sedec*, *Dominus justitiæ*, aut *justus*. R. D. annotat Reges Jerusalem communi nomine olim ità vocatos fuisse, videlicet *Melchi-sedec* & *Adoni-sedec*: pro quo in Lxx *Adoni-bezec*, sed exemplaria variant. Nam in Complut. *Adoni-sedec*. Credo emendatum ibi fuisse ex cod. Ebræis. Adoni-bezec alius est. Vide Jud. 1. 4, 5. Locus iste facit contra eos qui codices Ebræos ubique corrigunt ad Græcos. Quid hoc aliud est quàm fontem ex lacunis emendare? Insipientia mera est. Cave sequaris. ¶ *Et essent in medio eorum*] Israelitarum videlicet, ut cap. 9. 16. Nam non Israelitæ erant in medio Gabaonitarum, sed Gabaonitæ in medio filiorum Israel.

2. *Ut una civitatum regiarum*] *Ut una civitatum regni*, i. regiarum. In Vulg. legitur *&* pro *ut*. Puto mendum esse scribarum. Lxx ὡσεὶ μία τῶν μητροπόλεων, *ut una earum quæ sunt metropoles*. Edit. Compl. ὡσεὶ μία τῶν βασιλείων. Malim βασιλειῶν. Sed ut alibi מלכים reddunt βασιλείων, ità hîc ממלכה βασιλείων. *Civitas regum*, i. regia, in qua Reges commorantur. Jon. *sicut una è civitatibus regnorum*. Hieron. *regalium*, h. e. Rege dignarum; quales illæ solent esse in quibus Reguli dominantur. Erant autem hi Reges singulatum civitatum nihil aliud quàm Reguli, i. βασιλίσκοι. *Regalis*, i. βασιλικός. ¶ *Omnes viri ejus*] Quidam, *omnes cives ejus*. Nam *viri urbis* sunt cives ejus. Sed cives possunt etiam esse feminæ civium, de quibus *viri* nomen non usurpatur. Hieron. *omnes bellatores ejus*. Bellatores sunt אנשי מלחמה. Lxx πάντες οἱ ἄνδρες αὐτῆς. Jon. כל גברהא *omnes viri ejus*. Viri urbis etiam *filii urbis* dicuntur.

3. *Eglon*] Lxx Ὀδολλὰμ, consentientibus libris. Unde in lib. Nominum, *Eglon, qui & Odollam*. Verba sunt Eusebii, qui ex Græca editione, cui plus æquo tribuebat, putavit *Odollam* eandem esse cum *Eglon*. Tu aliam esse disces ex v. 15. c. 12. Nam Odollam peculiarem habuit Regem diversum à Rege Eglonis.

5. *Quinque reges Amorrhæorum*] i. Chananæorum, Nam latè hîc sumitur, ut sub eo nomine comprehendantur etiam aliæ gentes terræ Chanaan. Sic Gen. 48. 22. Sanè incolæ urbis Hebron Hettæi erant. Sic *terra*, vel, *regio*, *Amorræi* pro *terra Chanaan*. Vide Observ. lib. 14. cap. 12.

6. *In monte*] In montanis locis.

7. *Populus belli*] i. Bellicosus: qui & *viri belli*, i. Bellicosi. *Potentes* aut *fortes robore* dicuntur qui non tam corporis viribus quàm animi valent, viri graves, seduli, strenui & industrii. Sic Pharao cupit gregibus suis præfici *viros roboris*, i. industrios & virtute præditos, Gen. 47. 6. & Ruth vocatur אשת חיל *mulier strenua*, Ruth. 3. 11. qualem Salomo laudat Prov. 12. & *raram inventu* esse dicit, Prov. 31. 10.

8. *Et dixerat*] Ità vertendum, non *dixit*. Nam hæc antè dicta sunt quàm Josua se pararet ad expeditionem. ¶ *Non stabit vir*] i. Quisquam, q. d. Omnes cadent coram te. Hîc est לא יעמד, quod verbum propriè *stare* sign. Suprà 7. 12. *Non poterunt stare coram hostibus suis*. Ibi est לקום, quod propriè *surgere* notat, sed pro *stare* usurpatur etiam.

10. *Et contrivit eos*] Jon. *confregit eos*. Hieron. *conturbavit eos*. Lxx, ἐξέστησεν αὐτοὺς, quod reddunt *exturbavit eos*. *Mente permovit*, Masius. Vide Trem. *fudit eos*. Thema המם, non הים ut notatum in Bibliis interlinearibus. Hoc verbo usus fuit Moses, Exod. 23. 27. ¶ *In Gabaon*] In territorio urbis, non in ipsa urbe obsessa, vel *ad Gabaon*, in agro Gabaonitico. Sic suprà 5. 13. Josua dicitur fuisse *in Jericho*, quæ tunc obsessa erat. ¶ *Viâ ascensûs*] quâ ascenditur.

12. *Tunc locutus est*] i. cecinit. Sic, *Locutus est David Domino verba cantici*. R. D. sanè notat verbum דבר de *cantico* usurpari, & hîc fuisse decantatum canticum post precationem; *quod tamen*, inquit, *non memoratur*. Aut canticum est, *Et siluit sol*; precatio autem sive votum, *Sol, in Gabaon quiesce*. Sed vide Masium. Nam inter decem cantica sacra hoc Josuæ canticum quinto loco recensetur. ¶ *Quo die dedit*] i. Dedidit, tradidit. Sic Hieron. Sed & Chald. ביומא דמסר, itemque Lxx παρέδωκεν. Tamen est qui maluit, *posuit coram filiis Israel*, i. exposuit eis, תת propriè *dare* sed & *ponere* significat. ¶ *In oculis Israel*] Imò in auribus. Sed *videre* aliquando est audire; sic *in oculis* dixit hoc loco pro *in auribus*. Nam auris audit quæ dicuntur propriè. Dixit ergò *in oculis*, h. e. *in auribus*. Sed prætulerim, *In oculis Israelis, sol, in Gabaon sile*, i. quiesce. Quam distinctionem accentus comprobare videtur. Hieron. *Dixitque coram eis*. R. D. utrumque ponit, & prius ità enarrat, *Precatio hac erat*, *Dicebat voce coram Israele*. ¶ *Sile*] Vel *tace*, i. quiesce, intermitte cursum, siste gradum, nè te loco moveas: quod Hieron. dixit, *nè movearis*. Jon. אריך *prolonga*, i. longiorem fac cursum tuum. *Insiste morator, interquiesce*. Masius. Lxx στήτω, *stet sol super Gabaon*. R. D. *exspecta*, i. המתן, ut ibi דמו, *Exspectate dum attigerimus ad vos*, 1 Sam. 14. 9. ac si diceret, *Stet orbis solaris in loco suo, & non currat more consueto*, R. S. Juxta simplicem sensum דם habet significationem המתנה, ut ibi, *Si sic dixerint vobis*, *Nos exspectate*. Et sic, דם ליהוה *Exspecta Dominum*. Autor libri Radicum, *Sign. Silere, aut Exspectare. Silere autem est Quiescere*; ut Psal. 4. 5. *Dicite in corde vestro, in cubili vestro, & silete*, i. quiescite. Sic Jon. 1. 12. *siluit mare*, i. quievit, וישתק. *Mare silens*, i. tranquillum, ubi nullum murmur, quale venti excitare solent. Sed vide Masium. Quidam existimant non stetisse Solem sed cursum duntaxat tardiorem fuisse. ¶ *Et luna in valle Ajalon*] Lunæ etiam dixit ut *subsisteret in valle Ajalon*; licèt Gabaon fuerit in termino Benjamin, & Ajalon in termino Dan. Videtur quòd insecuti sunt & percusserunt eos à Gabaon usque ad Ajalon. In Gabaon autem erat Josua cùm precaretur ut staret Sol, qui stetit in medio cœli diem integrum, qui erat dies longissimus totius anni, in revolutione Thammuz: & cùm occumberet Sol, erat in Ajalon, &c. Videndus R. D. Hæc refutat Masius. De valle Ajalon, vel, si mavis, planitie tres opiniones sunt: Una est D. Camii, qui eam collocat in termino tribûs Dan; cui favet locus qui habetur c. 19. 42. Nam ibi Ajalon recensetur in illo termino. Secunda opinio est Eman. Tremellii, qui eam pertinere putat ad tribum Zabulon: cui firmando est locus qui habetur Jud. 12. 12. *Sepultus est in Ajalon in terra Zabulon*. Ecce duæ Ajalones, una in tribu Dan, & altera in tribu Zabulon. Tertia opinio est Andreæ Masii viri doctissimi, cujus exstat doctissimus commentarius in hunc librum. Iste vallem eandem esse putat quæ hîc dicitur *Ajalonia*, & Jes. 28. 21. *Gabaonia*: *Sicut in valle*, inquit,

inquit, *qua in Gabaon irascetur*. Quæ si vera tum certè Ajalon vicina erat oppido Gabaoni, & vallis intermedia, in qua pugnatum fuit, modò *vallis Ajalon* vocatur, modò *vallis Gabaon*. Mihi hæc sententia non displicet, ut idem dicat aliis verbis, & *in Gabaon*, h. e. in agro vel territorio Gabaonis, ut paulò antè, *percussit eos plagâ magnâ in Gabaon*. Nam Gabaon obsessa erat: ideò non potuit eos percutere in urbe, sed in eo loco ubi erant urbem obsidentes. Sic apud Jesaiam, *in valle in Gabaon*, vult dicere, *In valle Ajalon, quæ in agro Gabaon*, inter Gabaonem & Ajalonem. Unde & illud sequitur, fuisse aliam Ajalonem in tribu Benjamin, vicinam Gabaoni, quæ in ea parte sita erat. De hac re viri docti censebunt, judicabunt. Israelitæ *persecuti sunt* hostes *usque Azeca & Maceda*; quæ ambæ erant in tribu Juda, si non fallit nos Eusebius: Gabaon autem in tribu Benjamin. Extra has non sunt egressi.

13. *Donec ulcisceretur se gens de inimicis suis*] Hîc desideratur מן in Ebræo. Nam est איביו pro מאיביו. Sic alibi, *Cavete vobis ascendere in montem*, עלות pro מעלות, *nè ascendatis*. Tremel. *donec vindicata esset gens ab hostibus suis*. Quid si, *donec ulcisceretur gens hostes suos*? valde placet: nam est יקם, non ינקם; tunc nihil subaudiendum. Lxx ἕως ἠμύνατο *donec ultus esset*. Sed Jon. עד דאתפרע מבעלי דבביהון, *donec ultus se fuisset*, aut *vindicatus esset, populus Israel*. Hîc *gentem* dicit populum Israel. Quanquam sunt qui in accusandi casu legant, *donec ulcisceretur* (Deus videlicet) *gentem hostium suorum*. Itâ Symmachus. ¶ *In libro Recti*, ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς] Hunc librum intercidisse plerique omnes fatentur: forensem autem fuisse qui asserit, credemus ubi hoc probaverit. Nam quâ dicitur autoritate, eâdem negari potest. Qui negat, nihil probare debet, sed qui affirmat. Hieron. *Nonne hoc scriptum est in libro Justorum?* Sic Ebræi vocant librum Bresith, h. e. Geneseos, nam historias continet Patriarcharum, qui peculiariter *justi* dicebantur. *Justorum* an *Rectorum* dicas parùm interest. Nam *rectus* idem quod *justus*, & εὐθύτης aliud nihil est quàm *æquitas* & *justitia*. Sunt qui autumant in hoc libro conscriptas fuisse res gestas populi Israel, qui peculiariter ישרון i. *rectulus*, appellatur. Ut ut sit, liber intercidit; nec audiemus eos qui contrà disputant. Minùs audiendi sunt qui hæc scripta exstare putant, imò contendunt, in libris mysticis. Quorum dementiam (sic enim appellat) ridendam ab omnibus jure merito censet noster Masius: Qui, cùm Politicus esset & Jureconsultus, re ipsâ ostendit prophetiæ donum non esse penès solos * * *, quasi ipsorum judicio res Divinæ solæ starent, nec alii præter ipsos, licèt in sacris versatissimi sint, de iis judicare possent. *O pepones!* Ampliùs in quæstione est, An hic liber canonicus fuerit; & respondeo, Si canon constitutus fuit à viris Synagogæ magnæ, ut communis opinio est; non fuisse unquam canonicum. Nam eo tempore non exstabat, ac proinde non potuit referri in canonem. Si verò unquam canonicus fuit, tum illud sequitur, Aliquos libros canonicos interiisse. ¶ *In medio cœli*] Intra cœlum, vel in cœlo. Dicunt etiam *in corde cœli*, eodem sensu, quomodo Tyrus sita legitur *in corde maris*. Sunt qui propriè accipiunt, meridiem fuisse asserentes quando Josue Soli imperitabat ut cursum sisteret, nam tum Sol est in medio cœli propriè loquendo. Mihi argumentum hoc valde invalidum videtur. Nicolaus, *Ex hoc videtur quòd erat tunc in puncto meridionali, nisi dicatur quòd Medium Cœli aliquando vocatur totum quod est supra hemisphærium nostrum*. ¶ *Quasi die integro*] Vel, *circiter die integro*: h. e. interprete Hieron. *spatio unius diei*. Aqu. *usque ad diem perfectum*, citat Masius: sed ego vix credo Aquilam itâ vertisse. Nam *usque ad diem perfectum* valet *usque ad meridiem*, tunc enim dies luce itâ perficitur, Prov. 4 18. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem*. Hîc est עד נכון היום in fonte. Aut *perfectum diem* appellat vesperam, quando dies perficitur. Sed in fonte non est ἕως, & puto Aquilam scripsisse ὡς. Hilarius, *Inchoationem diei non manè lux reddita, sed vespere nox facta perficit*. Jesus Syrach 46. 5. solidi spatio diei solem fixum constitisse censuit. Sed vide sodes Masium. Nam & hoc dubium, an dies iste computari debeat ab eo tempore quo jussus est Sol quiescere: mihi sic videtur.

14. *Sicut dies illa*] Vel, *similis diei illius*. Mox se explicat cùm ait, *ut auscultaret Dominus voci hominis. Talis*, inquit, *dies antea non fuit, neque posthac erit*. Nunquam enim postea ad preces hominis Sol cursum suum intermisit; nè quidem Ezeciæ tempore, ubi umbra horologii recessit ad decem gradus, in signum recuperandæ valetudinis quam Deus ipsi promiserat; licèt ipse signum illud non petiisset. Vulgata tamen versio hîc habet, *Non fuit antea & postea tam longa dies*. Quod disputandi occasionem præbuit interpretibus, utra dies longior fuerit, hæcne an illa cujus mentio in historia Ezeciæ. Quam disputationem invenies apud Nicolaum. Mihi non lubet eam commemorare utpote supervacaneam, cùm in Ebræo nihil tale habeatur, nè quidem apud Lxx interpretes, qui tamen ab ipsis fontibus deviare sæpenumero solent. Burgensis ait diem Ezeciæ non fuisse prolongatam.

15. *Revertebatur*] Reverti cogitabat. Vide & huc refer quæ notavimus infrà 14. 5. & Notas ad Gramm. Cevalerii. Revertebatur non actu, sed cogitatione. Nam priùs quàm reverteretur ad castra in Galgal acciderunt ea quæ pòst narrantur, cùm nunciatum esset Josuæ quinque Reges latere in spelunca Macedæ. Sic Balaam *ad suos rediisse* memoratur, h. e. redire cogitasse. Aut lege in sequentibus, *Priùs fugerant*, nempe priusquam rediissent Israelitæ ad castra quæ erant in Galgal.

16. *In spelunca in Maceda*] Quæ erat in termino Maceda; vel, si mavis, *Macceda* cum duplici c. Quomodo sanè Ebræi hoc nomen scribunt: nam geminant Coph literam per Dages, quæ est nota geminationis apud eos. Sita erat Macceda in tribu Juda, cui commixta erat tribus Benjamin. Igitur extra has duas tribus non sunt egressi hostem persequendo. Terminus enim fugæ erant Azeca & Macceda, ubi hi reges in spelunca se abdiderunt. Frustrà ergò vallem Ajalon collocant in tribu Zabulon. Ut hîc, *in spelunca in Macceda*, pro *qua erat in Macceda*; sic apud Isaiam *in valle in Gabaon*, pro *qua erat in Gabaon*. Quod suprà memini notatum à me. Græcè Μακηδά. Ergò scribendum & pronunciandum *Maccéda* penultimâ productâ, non *Macedâ*. Cæterùm spelunca hæc erat non in vico aut urbe Macceda, sed in agro suburbano; ubi hodiéque in colle quodam haud procul à Macceda ostenditur. Dictum ergò *in Macceda*, ut suprà *in Gabaon*, & *in Jericho*.

19. *Nè stetis*] *Stare* dicitur & qui manet in loco. Nè igitur hîc manete stantes, sed ad persequendum hostes ulteriùs vos accingite. Aut, *Nè state*, i. moramini; q. d. Sine mora persequimini eos. Sic *stare* sumitur, Num. 9. 8. ubi Onc. & Jon. אוריכו *Exspectate*. Vel, *Nè state*, nè cessate, ut Gen. 29. 35. *stetit à pariendo*, cessavit parere. ¶ *Cadetis caudam eorum*] i. Extremum agmen exercitûs eorum, זנב *cauda*; unde verbum זנב *truncavit caudam*, q. d. *decaudavit*. Sic à *radice*, quæ שרש dicitur, est verbum שרש *eradicavit*. *Decaudare* itâ dicitur ut *decollare, decapitare*. *Decollat* qui collum amputat; sic *decaudat* qui caudam, & *decapitat* qui caput amputat.

20. *Et venerunt*, ויבאו] Hîc Vau convertit, non copulat: ideo redundat in sermone Latino. Nam sensus, *Superstites qui superfuerunt ex eis venerunt ad urbes munitas*. Talem usum habet Phe raphe apud Arabes.

21. *Non movit contra, &c.*] Sunt qui in לאיש Lamed redundare putant, ut in שלישי לאבשלום *tertius Absalom*, הרגו לאבנר *occiderunt Abnerum*, & similibus locis. Hi vertunt in Latinum, *Non movit contra filios Israel vir*, i. quisquam, *linguam suam*. Alius pro *non movit*, transfert *non acuit*, & *canis* subaudit: *Non acuit*, inquit, *canis contra filios Israel, nè virum quidem*, i. unum eorum, *linguam suam*. Proverbium est vetus, *Nè canis quidem linguam acuit*, aut *movet*. Id invenies Exod. 11. 7. *non movebit canis linguam suam*, &c. Adagium esse ad-

admonet R. Levi. Exstat & Judith. 11. ubi Judith ad Holophernem, οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ ἀπέναντί σου, quod vertunt, *Non latrabit canis linguâ suâ contra te.* Latinus interpres, *non mutiet.* Vide Adagia mea Sacra, clas. 2. lib. 3. ad 123. Hieron. hîc edidit, [*nullúsque contra filios Israel mutire ausus est.* *Non vir*, i. nullus, vel nemo. LXX minùs bene, οὐκ ἔγρυξεν οὐδεὶς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ, *non mutivit quisquam de filiis Israel linguâ suâ*; probarem si esset *contra filios Israel.* Jon. *Nec ullum accidit damnum Israelitis, ut quisquam esset animo afflicto.* Verbum è verbo, [*Non fuit damnum filiis Israel, ut affligeret vir animam suam.* למרחק *ad affligendum.*

24. *Posuerunt pedes suos super colla eorum*] Prout antè prædictum fuerat Deut. 33. *Subjicientur tibi hostes tui, & tu illorum excelsa calcabis*, i. colla. Sic Psal. 110. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & 91. 13. *Super leonem & aspidem calcabis, conculcabis juvenem leonem & draconem*, Mal. 4. 3. *Conculcabis impios*, Luc. 10. 19. *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnes vires adversarii*, Rom. 16. 20. Apostolus aït, *brevi fore ut Deus conterat Satanam sub pedibus ipsorum.*

26. *Percussit eos, & morte affecit eos*] Percutit etiam qui non occidit: ideo adjecit *morte affecit eos*, pro quo in Vulg. nostra, *interfecit eos.* Jon. *occidit eos.* Sic alibi, *percusserit, & mortuus fuerit.*

27. *Deposuerunt de lignis*] Vel, *de arboribus.* Id fiebat nè terra pollueretur. Nam ideo suspensi sepeliebantur, etiamsi non essent ex filiis Israel, quemadmodum dicitur, *Et non polluatur terra vestra.* Nam insepultus est pollutio terræ, sive polluit terram. Sic de Gog & Magog temporibus futuris dictum est, *Sepelient eos domus Israel, ut mundetur terra.* Vide Camium.

28. *Cum eis*] אותם pro אתם. Vel, *regem anathemate perdidit*, i. eum interfecit, *& eos*, quod Hieron. dixit, *& omnes habitatores ejus.* ¶ *Omnem animam*] Omnem hominem. ¶ *Sicut fecerat regi Jericho*] Qui suspensus fuit itidem ut Rex Hai. Res certa ex v. 1. hujus capitis, ut mirum sit D. Camium hoc negare.

32. *Die secundo*] Quo eam obsederat.

33. *Rex Gazer*] Quæ 1 Par. 14. 16. גזרה *Gazera*, non procul aberat à Lachis. Vide Masium.

37. *Et regem ejus*] Hebronis videlicet. At hic inter quinque illos Reges erat qui à Josua victi postea suspensi fuerunt. Dicendum, alium Regem in deperditi locum creatum fuisse, quem nunc Josua percussit captâ urbe. ¶ *Et omnes urbes ejus*] Id non nemo explicat, *& omnia municipia ejus.* Sign. enim *urbes municipales.* R. D. *& viros urbium quæ in termino ejus, quæ vocantur de nomine ipsius.*

38. *Reversus est Dabiram*] Quasi antea eam obsedisset, aut ibi fuisset. Forte Hebronem obsessurus iter fecit per eam; postea expugnatâ Hebrone, reversus est ad illam. Vide Camium & Masium. Tremel. *Meridianâ parte relictâ, Gilgalem versùs tendens.*

40. *Terram montis*] i. Montanam. ¶ Sic *terra Meridiei*, i. Meridiana sive Australis. *Meridies* hîc נגב dicitur à *siccitate.* Nam pars ea mundi ob vicinum Solem siccior est reliquis. Alibi vocatur *Darom* & *Themam*; item *Jamin*, i. *dextera.* Nam qui Solem orientem respicit, Meridiem habet ad dexteram. ¶ *Terra planitiei*] i. campestris. ¶ *Asedoth*] Ἀσηδώθ, ac si esset nomen proprium urbis: quod existimasse videtur etiam Eusebius De locis Ebr. ità scribens, *Asedoth, alia civitas, licèt eodem nomine vocetur, quam expugnavit quondam Jesus, Rege ejus interfecto.* Aliis est nomen appellativum, *loca irrigua*, aut *convalles*, denotans. Sed variè interpretantur. Jonathan, *effusionem loci elevati*, sive *porrectionem*, aut *projectionem.* Lexicon Munsteri, משפך *effusio, & locus declivis unde defluunt aquæ, declivitas.* Masius existimat *significari ea loca quæ à Græcis ὑπώρειαι dicuntur*, h. e. *ubi montes collésve in campos se porrigunt projiciúntque. Sunt enim plerumque*, inquit, *sic sita loca cæteris cultiora lætioráque, quia ex montium distillatione rigantur.* Arias, *effusiones.* Sed *effundere* שרא Chaldæis; unde in Aphel אשדי *effudit.* Etiam אושיד invenitur Joel. 3. 13. In Lexico Munsteri, אֲשַׁד *fudit, effudit*: Malim אֲשַׁד. Masius itémque Munsterus opinantur esse Aphel à שרא, sed obstat אשרין *effundentes* Hos. 6. 8. in Benoni. Trem. *decursibus irriguam*, putat אשדות sign. *decursus.* Sanè אשד הנחלים est *effusio torrentium*, aut *fluminum.* R. D. *Declivitas montis aut collis, devexitas.* Sed vide illum in libro Rad. & in Comment. ad hunc locum.

41. *Usque ad Gazam*, ἕως Γάζης] Ebraicè & Stephano *Aza* dicitur. ¶ *Terram Gosen*] Quæ erat in montanis Juda, ut habetur infrà 15. 51. Erat alia Gosen in terra Ægypti. Senes hîc habent *Gosom*, mendum quale in *Edem* & *Madiam.* In quibusdam Latinis est *Gessen.* Quæ varietas etiam est in alio nomine. Nam & *Gosen* Ægypti *Gessen* in libris vocatur.

IDEM.

5. הָאֱמֹרִי. A. Sym. Th. τῶν Ἀμορραίων, *Amorrhæorum.*

11. אֲבָנִים גְּדֹלוֹת. A. λίθους μεγάλους *lapides magnos.*

12. דּוֹם. A. σιώπα, *sile, tace.* Sym. ἡσύχασον, *quiesce*] *Sile.* Sic Arias, Psal. 83. 2. אל דמי. Hieron. *nè taceas.* Psal. 4. 4. דמו. A. ἡσυχάσατε, *silete*, aut *quiescite.* Ut דמם Ebræis, ità ἡσυχάζω Græcis, & *sileo, taceo*, & *quiesco.* Sæpius tamen ἡσυχάζω *quiesco*, & דמם *sileo, taceo.* ¶ *Quiesce.* Interp. noster, *nè movearis*, idem aliter. Santes, *exspecta*, ut si esset à radice דמה. Non laudo.

40. הָאֲשֵׁדוֹת. A. *Excisum*] Descripsi olim è schedis meis: nunc suspicio, ut ille ait, de mendo. Auget suspicionem Eusebius in lib. Locor. ità scribens, *Asedoth, urbs Amorrhæorum, appellatur, addito cognomento, Asedoth phasga, quod in lingua nostra resonat Abscissum.*

GROTIUS.

3. *Misit ergò Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon*] Commune periculum causam dat federibus. Vide infrà c. 11. in principio, & Epistolam Mithridatis ad Regem Arsacem in fragmentis Historiarum Sallustii.

6. *Nè retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum*] Subditi defendendi. Livius l. 7. *Fides agi visa, deditos non prodi.*

11. *Dominus misit super eos lapides magnos*] *Lapides pluit*, sæpe in historiis.

13. *Nónne scriptum est hoc in libro Justorum?*] Videtur poema aliquod fuisse ἐπινίκιον, in quo ישראל contractè ישר dicebatur, quasi cæteris gentibus æquitate præstans. ¶ *Spatio unius diei*] Heb. *ut in perfecta die*: i. æstiva, qualis tunc erat illa illis in locis. Ità Maimonides & Hebræi quos citat Masius, nullum hîc miraculum agnoscentes, sed phrasim poeticam, quasi Sol exspectasset donec occidio hostium perfecta foret, cùm potius Israelitæ non destiterint insistere hostibus quamdiu aut Sol aut Luna lumen præbebant: sicut sæpe in historiis insequendi finem nox adfert. Scriptor ad Hebræos fidei præmia ingentia referens c. 11. 30. dejectæ Hierichuntis meminit; mutati cœlestis cursûs, quod multò majus fuerat, non meminit. Et jam sequitur, *Deum voci hominis se accommodasse*, non quidem Solem sistendo, sed pugnando, i. pugnantibus vires & invictum contra labores animum subministrando, immittendo præterea lapides pro grandine. Hæc ità non improbabiliter dici possunt; quanquam impossibile Deo non est Solis cursum morari, aut etiam post Solis occasum speciem ejus in nube supra horizontem exstanti per repercussum ostendere.

15. *In Castra Galgale*] In æstiva.

17. *Quinque reges latentes in spelunca*] *Quidam deserere vicos & in avia degredi: ac fuere qui se speluncis,*

eis, & carissima secum abderent, Tacitus Annal. 14. in rebus Armeniæ. Vide Jud. 6. 2.

18. *Ad os speluncæ*] *Ora & exitus specuum* dixit Tacitus eodem loco.

19. *Extremos quosque fugientium cædite*] Id זנב Hebræis, *carpere agmen* Tacito & aliis, καταλαμβάνειν τὴν οὐραγίαν Græcis hoc loco.

21. *Ubi tunc erant castra*] Stativa sive subitaria.

28. *Et omnes habitatores ejus*] Heb. *Omnem animam quæ in eo:* πᾶν ἐμπνέον Græci hîc. Confer suprà 6. 21.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

2. IN *terminis*] Exponitur ab Hebræis נפה pro מחוז ut nos vertimus.

3. *Subter Hermon in terra Mizpa*] Videtur hæc esse Mizpa ubi posteris diebus Israelitæ semper convenire solebant, quòd Dominus tantam salutem in eo loco populo suo concesserat.

8. *Combustiones aquarum*] Putant alii salinas illic fuisse, alii, thermas.

9. *Succidit*] Noluit Dominus ut equi & currus in prædam venirent, nè Israelitæ, more gentium, magis confiderent in equis & curribus quàm in Domino Deo: ideo jubentur equi & currus perdi. Non quidem jubentur interfici, sed succidi seu mutilari sub genibus, h. e. ut quidam volunt, nervi sub genibus fuerant incidendi, unde inutiles fierent ad gressum.

13. *In munitione sua*] Est חל propriè *acervus*, sed Hebræi post Jonathan exponunt pro תקיפה *munitione & fortalitio*, ut sit sensus, Nulla earum civitatum quæ integra fuit capta, & in muris atque fortalitiis nullum illatum fuit damnum, igne est exusta; sed filii Israel, occisis habitatoribus, illas occuparunt: præter unam Hazor, quæ quidem cremata est, licèt in nullo priùs læsa.

16. *Montem Israel*] Ubi scilicet olim habitaverat Jacob, à quo mons ille *mons Jacob* & *mons Israel* fuit denominatus. *Montem* verò *divisionis* dicunt Hebræi fuisse montem cujus medietas una in unum inclinabatur latus, & altera in aliud. Sunt tamen qui per חלק intelligunt *calvitium*, nempe quòd mons ille caruerit arboribus, sicut collum Jacob pilis.

18. *Diebus multis belligeravit Jehosua*, &c.] Non est contra id quod paulò superiùs dicitur, *Vice unâ cepit cunctos reges*: quia diebus continuis sine ulla intermissione gessit bellum contra cunctos Reges terræ antequam rediret in Gilgal, ubi erat locus castrorum. Quòd Dominus autem *roboravit cor illorum*, dicunt Hebræi id commeruisse scelera eorum; & præterea, nè essent populo Israelitico in offendiculum, voluit Dominus ut exterminarentur.

VATABLUS.

2. IN *montanis*, בהר] Ad verb. *in monte*. ¶ *Chinneroth*, כנרות] i. Maris Chinnereth, sive Genesareth. Dixit autem pluraliter aut propter sinus ejus, aut propter loca illi adjacentia. Chaldæus paraph. singulariter, *Ginosar*. Vide Deut. 3. 14. ¶ *Et in planitie*, ובשפלה] *Et in campestribus, in locis planis*, sive, *in regione humiliore*. ¶ *Et in Naphoth Dor*, ובנפות דור] Quidam vertunt, *& in climatibus* [*regionibus*] *Dor*.

3. *Ab Oriente*, ממזרח] Paucula subaudienda, *qui habitabat ab Oriente*, vel *ad Orientem*, aut *versùs Ortum solis*, sic in seq. Singul. Heb. pro plur. *Chananæos*. ¶ *Sub Hermon*, תחת חרמון] i. Ad radices montis Hermon.

4. *Et omnia castra eorum*, וכל מחניהם] *Et omnes exercitus eorum* vel *turmæ*.

6. *A facie eorum*: מפניהם] *A conspectu eorum*, vel *propter illos*, aut, *ab illis*. ¶ *Tradam*, נותן] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Subnervabis*, תעקר] *Enervabis*, i. equis eorum suffragines, vel crura, aut nervos præcides. Gallicè, *tu leur couperas les jarets*: nè posthac scilicet utaris illis in bello, & fiduciam ponas in eis.

8. *Et persecuti sunt eos*, וירדפום] Eos scilicet qui evaserant è prælio. ¶ *Magnam*, רבה] i. Populosam. ¶ *Misrephoth*, משרפות] Sign. *adustiones*, propterea quidam vertunt, *usque ad salinas*. Doctus inter Hebræos exponit etiam *aquas calidas*, i. locum in quo scaturiunt aquæ calidæ: & hâc ratione locum istum vocatum fuisse *Misrephoth-maim*. ¶ *Ad campum*, בקעת] *Ad planitiem*.

9. *Subnervavit*, עקר] Vide v. 6.

10. *Et regem ejus*, ואת מלכה] Qui scilicet ad eam sese receperat, aut alium quem nuper suffecerant, in locum demortui. ¶ *Antea fuit*, לפנים היא] *Olim fuerat*.

11. *Interficiendo*: החרם] *Perdendo*, omnia scilicet, i. usque ad internecionem. V. 14. dicit, *donec perdiderunt eos*.

13. *Tantummodo*, רק] *Veruntamen*. ¶ *Quæ adhuc stabant in robore suo*, העומדות על תלם] Sic & Chaldæus paraph. vertit, i. quæ non fuerant dirutæ in ipsa expugnatione. Alii vertunt, *quæ adhuc stabant in cumulo suo*, i. ut erant sitæ: nam tum temporis ut plurimùm sitæ erant in loco edito.

15. *Nihil omisit*, &c. לא הסיר דבר וגו'] Ad verb. *non removit verbum ex omnibus*, &c.

17. *Lævi*, החלק] *Glabro*, i. Carente arboribus. Chaldæus paraph. *diviso*. ¶ *Qui assurgit*, העולה] i. assurgendo tendit. ¶ *Usq; Baalgad*, &c. ועד בעל גד בבקעת וגו'] *Usq; ad planitiem Gad*, quæ est *in campestribus* [aut *valle*] *Lebanon, ad radices montis Hermon*.

20. *A Jehovah fuit*, מאת יהוה היתה] i. Jehovah hoc fecit. ¶ *In occursum belli cum Israel*, לקראת המלחמה וגו'] Hebraismus, imminente bello cum Israelitis. ¶ *Ut non esset eis misericordia*: לבלתי היות להם תחנה] i. Ut non miserentur illorum, h. e. sine ulla misericordia. ¶ *Disperderet eos*, השמידם] Nempe Israel.

21. *Et excidit Anacim*, ויכרת את הענקים] *Et exterminavit gigantes*.

22. *De Anacim*, ענקים] De *gigantibus*, aut, ullus *gigantum*.

23. *Et tradidit eam*, ויתנה] Per Synecdochen dictum, pro *maximam partem*. Hebraicè hîc rursum ponitur *Jehosua*. ¶ *Juxta divisiones eorum*, כמחלקותם] *Juxta partitiones eorum*. ¶ *Et terra quievit à bello*: והארץ שקטה ממלחמה:] i. Josue cessavit à bello inferendo.

CLARIUS.

3. IN *terra Maspha*] Videtur hæc esse Maspha ubi posteris diebus Israelitæ semper convenire solebant, quòd Dominus tantam salutem in eo loco populo suo concesserat.

9. *Subnervavit*] Noluit Dominus ut equi & currus in prædam venirent, nè Israelitæ, more gentium, magis confiderent in equis & curribus quàm in Domino Deo: ideo jubentur equi & currus perdi.

16. *Montemq; Israel*] Ubi scilicet olim habitaverat Jacob, à quo mons ille *mons Jacob* & *mons Israel* fuit denominatus.

MASIUS.

1, 2, 3. PORRO cùm *audisset Jabin Rex Hasor*, &c.] In hujus capitis initio convertendo longè videntur LXXII discessisse ab Hebræo; judicione an aliis libris abducti, incertum est. Nam pro מצפון, quod est à *Septentrione*, dixerunt *à Sidone*, quasi מצידון olim scriptum fuerit. Et pro נגב quod est *Australis regio*, reddiderunt

diderunt ἀντίναντι, acsi legerint נגד. Nisi existimare velimus *Sidonem*, urbem celeberrimam, pro *Septentrionali plaga* dicere eos maluisse, cùm esset illa prorsus Aquilonaris tum Hasori tum etiam Galgalis; verbum verò נגב omisisse, cùm Australis regio satis indicaretur mentione *Genesare*. Est enim Genesara Hasori Australis. Ad cætera verò quod attinet in quibus illi interpretes hîc dissentiunt à nostra tralatione, sunt ea ex interpunctionibus nata, aliis quàm nunc in Hebraicis libris habentur. Nam illud מים, h.e. *à mari*, bis illi conjunxerunt insequenti orationi, cùm pertineret ad præcedentem. Porrò verbum ערבה *Araba*, quod LXXII ut nomen loci conservarunt hîc, pòst interpretabuntur Occidentem v. 16. Aquilas verò pro eo reddidit hoc loco τῆ ὁμαλῆ, Symmachus τῆ πεδινῆ. Ego Aquilam secutus sum, *planúmque* dixi, quòd id mihi videretur *montosis* esse *locis* oppositum: neque enim nescio aliàs sæpe pro *locis incultis* usurpari. Rursus illud נפות דור existimaverunt LXXII esse loci appellationem propriam, ipsámque expresserunt vocem, cùm dicerent, Ναφὲθ Δώρ, ut est in bonis libris scriptum. At Symmachus convertit τῆ ἀκτῆ τῆ θαλάσσης τῆ Δώρ, *litus maris Dor*; neque, opinor, omnino malè. Nam & Chaldæus & Kimhi verbum נפה sic accipiunt tanquam *terminum*, *oram*, *regionem* significet. Et profectò Hebræis נוף *terræ tractum* esse, quem Germani **glend, & gegne**, sive **gelegenheyt**, dicimus, mihi certè confici planè videtur Davidis verbis, Psal. 48. 2. cùm ille montem Zionem laudans, eum appellat יפה נוף, vult enim dicere eum esse *situ ipso pulchrum*, sive *in amœno terræ tractu positum*. Quin eos terrarum tractus quos Græci κλίματα, Judæorum vulgus vocat נופין. Sed de vocabulis hactenus, jam ad sententiam S. texti veniamus. *Cùm audisset Jabin Rex Hasoris*, illam videlicet amplissimam victoriam communium hostium Israelitarum, quæ superiore est capite exposita, mittebat ad omnes eos Reges, cum quibus salutis periculíque societatem dudum coiverat; ut in capitis noni initio dicebamus. Erant autem illi Reges, quotquot ferè inde ab Jerosolymorum Regis ditione per superiorem Chananææ partem passim dominabantur. Ut enim nuper universa Australis plaga Israelitarum armis subacta est, ità nunc non minùs gloriosa atque ampla per omnem Aquilonarem regionem adornatur eorundem victoria. Cur autem Jabin cæteros ad arma primus convocaret, cùm abesset ipse à periculo longiùs, causa est, quòd ejus urbs in illis regionibus obtineret principatum, ut mox dicetur, v. 10. Verùm enimverò, priùs quàm pergamus, expendenda nobis paulisper est admirabilissima Dei benignitas, quâ Ecclesiæ suæ res ità perpetuò moderatur atque gubernat, itáque humanam imbecillitatem tanquam manu ducit, ut Divinæ ejus providentiæ consilio nostri arbitrii facultatem, quantulacúmque ea in nobis est, accommodare ubique possimus, & quod bonum probúmque est illius freti auxilio patrare, nisi nostrapte vitiositate contrà retractemus tergiversemúrque. Quis nescit quæ ferocitatis existimatio opinióque de gente Chananæa, atque adeò difficultatis rerum omnium, pervagata multò antè fuerit apud Israelitas quàm ad Jordanem pervenissent? Igitur nè cujusquam animus nimio metu concideret, atque ad diversa consilia spectaret, ille expugnandis primùm, vivo etiam tum Mose duobus Regibus Amorrhæorum qui cis Jordanem dominabantur, tanquam velitatione quadam, suorum fortitudinem exercere antè voluit quàm in Chananæam eos introduceret rumoribus terribilem, Num. 21. Deinde hostis trepidatione per speculatores Josuæ nunciatâ animos suis maximos addere etiam, atque rumores illos, quos dixi, prorsus extenuare, aut exstinguere potiùs, c. 2. Insuper in ipsis trajiciendis tantam suam potentiam omnibus manifestam facere ut jure quidvis tali auspicio audere deberent, c. 3. Jam verò trajicientibus nullum se hostem opponere finit, nullum circumcisione sauciis etiam, aut diem festum agitantibus; ut dum antè terrâ ipsâ potiuntur quàm hostem vident, paulatim sese confirment ipsi animósque sumant, c. 5. Porrò in belli principio, cùm de oppugnanda Jerichunte deliberatur, ipse præsentiam suam patefacit Imperatori, armatúmque se offert, tanquam paratissimum Ducem & Præmonstratorem, c. 5. 13. hostem verò intra mœnia cohibet, nè vel conspectu quenquam terreat; denique ipsus urbem expugnat, c. 6. Dehinc ad Hai tale suis stratagema commonstrat ut non nisi cum aversis hostibus pugnam conserere debeant, c. 8. Denique ubi jam Haiensi victoriâ confirmatus cum pluribus simul Regibus committendus esset exercitus, primùm ipse admirabili terrore hostium animos consternat, ipsósque in fugam vertit; deinde cœlesti grandine profligat occidítque; & Solis etiam insigni miraculo, auspicio sanè optimo, spem certissimam felicis eventûs omnibus facit c. 10. Postremò, cùm jam illud victoriosissimum bellum est confectum, non priùs novos se hostes movere patitur quàm sui ad stativa cum spoliis amplissimis reversi vires animósque probè recreaverunt. Et quanquam illâ nuperâ victoriâ satis jam per se animati esse, ac meritò turpis ignaviæ timiditatísque damnandi videri possint si posthac sibi à Chananæis timeant, tamen rursus antè quàm in expeditionem educantur spem certissimam victoriæ injicit: Et quò minùs dubitent, quid victis hostibus fieri velit præscribit, tanquam constitutâ jam victoriâ. Nimirum ea est nostræ fidei imbecillitas ut continuò aliis atque aliis Dei adminiculis egeat, neque unquam se queat sustinere ipsa, ut satis firmè Divinis promissis insistat. Fuisset quidem Deo nihilo difficilius universos semel Chananæos per se exterminare occideréque, & suos Israelitas in Terræ promissæ possessionem vacuam & tanquam caducam mittere, quàm sic alios post alios aggredi. Sed habenda erat infirmitatis fidei Israelitarum ratio, quos oportebat per liberæ voluntatis assensionem Divinæ subservire gratiæ, quâ gratiâ patratum præclara illa facinora ibant, ut ipsorum ea virtus propria etiam esset. Nam ut sacrarum rerum interpretes loquuntur, *Deus quod bonum est in nobis non sine nobis operatur, sed una operantibus nobis*, August. ad Simplic. lib. 1. quæst. 2. Et doctissimus ille Clemens Alexandrinus, Strom. l. 5. fidem esse scribit ψυχῆς αὐτεξούσιον λογικὴν συγκατάθεσιν, h. e. *liberæ animæ assensionem ratione constitutam*. Cui astipulatur Bernhardus cùm ait, *Quod à solo Deo & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest accipientis quàm absque gratia dantis*. Quin ipse etiam Cicero hoc ingenii sui lumine vidisse videtur Academ. l. 1. Contendit enim, *ut peccatum nullum esse nostrum sine assensione, ità neque virtutem posse*. Assentiri autem, & Divino consilio auxilióque operam navare, atque (ut Gregorius ille Theologus loquitur De natalib. Christi, & rursus Apologetico) ipsâ suâ voluntate ea quæ Deus suppeditabat virtutis semina excolere haud illi quivissent, si rerum gerendarum difficultatis opinione laborassent, alióque mentem quàm quò à Deo vocabantur avertissent; h. e. si non certâ fide in promissis Dei acquievissent, séque totos ad illa applicassent. Sed revertamur ad S. verba. Quando jam, ut dixi, in ea Chananææ parte versamur quæ Galgalis est Aquilonaris, certum est ejus חצור *Hasoris* esse mentionem quæ haud procul à Cedes posita fuit, in superiore Galilæa, quam *Gentium* vocant. Aqua Hasore campi illi habuere nomen, inter ipsam & Cedes jacentes, in quibus Jonathas Machabæus singularis suæ fortitudinis specimen adversùs Demetrii copias aliquando edidit, ut à Josepho proditum est Antiq. l. 13. c. 8. atque etiam in Machabæorum historia scriptum l. 1. c. 11. in qua mendosè vulgò legitur Νασὼρ pro Ασώρ. Fuere enim aliæ etiam Hasores in Judæ hæreditate, quæ suo loco ostendentur. Sunt qui existimant hanc nostram fuisse Tobiæ patriam; quod mihi non fit verisimile. Habebat enim Tobiæ urbs, quæ à LXXII Θισβὴς vocata est (sic enim scribi debet pro Θίσβης. De Θισβὴς vide Judic. 9. Posita erat non procul à Sichem, ad Occidentem) habebat, inquam, patria Tobiæ urbem Sephet, ut est in Latino Tobia scriptum, atque Cedes Nephthalim, ut in Græco (est enim illic Κύδεως pro κυδίως legendum) à sinistris, at nostra Hasor istarum urbium utramque spectat à dextris. Est autem in Regum historia l. 4. c. 15. v. 29. de Hasore memoriæ proditum, captam

captam eam esse à Theglath-phalasar unà cum vicina Cedes, cùm ille Naphthalimitas solum vertere atque in Assyriam exsulatum abire cogeret. Sunt qui dicunt urbis istius olim potentissimæ vestigia adhuc exstare circiter 30 millib. pass. à Tyro, ad Orientem versùs; alii 24. millium pass. duntaxat id intervallum faciunt. De urbe *Madon* מדון nihil dum habeo ex S. historia comperti, quo loco sita fuerit, non est enim celebrata. At *Samaria* שמרון celebratissima & planè trita. Dedit enim ea toti regioni nomen quæ inter Judæam Galilæámque interjacens accuratè est à Josepho descripta in opere De bellis Judaicis l.3.c.2. Sed unde id nomen acceperit ipsa, disertè prod.tum est in Regum historia l.3. c.16. v.24. his ferè verbis, *Anno tricesimo primo Regis Judæorum Asa imperabat Amri Israelitis; duravit autem hujus imperium ann. duodecim. Nam cùm Thersa regnasset ann. sex, emit montem Semeris à Semere, duobus talentis argenti: eúmq; cultum reddidit ædificiis. Et urbem, quam sic exstruxerat, appellavit Samariam de nomine Semeris, cujus fuerat mons ille.* Hæc S. historia. Cæterùm montem istum in quo exædificabatur ab Amri Samaria, cùm pedem illius muro per ambitum cinxisset, eâ esse formâ narrant oculati testes ut coni pinûs planè figuram referat. Ejus summum verticem arx habitatióque Regis occupabat, reliquas undiquaque partes civium ædes confertim cooperiebant, ut totus mons pulcherrimæ uvæ ex densis compactæ racemis speciem undiquaque repræsentaret. Fuisse autem munitissimam & propè inexpugnabilem testata res est. Nam Benadad quidem, quantumvis longâ obsidione, nullo modo 4 Reg. 6. 24. Salmanasar verò, demum postquam per triennium circumsedisset, capere eam potuit: captâ autem, decem tribus abduxit in Assyriam, quarum illa jam diu regia fuerat, 4 Reg. 17. 5, 6. Rursus posteris temporibus sacrilegus ille Hyrcanus, qui Davidis sepulcrum recludere ausus ter mille talenta indè sustulit, annali demum obsidione ad extremam famem redactam expugnavit solóque æquavit. Quam deinde Magnus Herodes denuò exædificatam *Sebasten* nominavit, cùm multis modis Augusti gloriæ & laudi studeret, Joseph Antiq. lib. 13. cap. 17. & lib. 15. cap. 10. Ejus cives semper fuere ab Judæorum ritibus alieniores, ex quo post Solomonis excessum semel ab his defecerunt. Nam præterquam quòd hoc ipsum dissidium animos illorum vehementer primùm abalienavit, plurimi etiam peregrinæ religionis homines illuc pòst immigrarunt, à Salamanasare, sive Senacherib, tanquam colonia quædam, missi; Quos כותיים appellant Judæi, h.e. *Cuthæos*, à flumine כותה *Cutha*, cujus fuerant illi in Perside accolæ, ut scribit Josephus, qui plura prodidit de ista gente extremo libri noni suarum Antiquitatum. Et multa quoque R. Abraham Levita, libro suæ Cabbalæ, quo ante annos abhinc plures quàm quadringentos luculenter est suæ gentis historias prosecutus. Sed de Cuthæis hactenus; quos ego suspicor *Cossæos* à Diodoro Siculo esse nominatos lib. 17. sub extremum, quanquam is in Mediæ montosis locis hos collocaverit. Nam & Josephus non ex Perside solùm sed simul etiam ex Media Cuthæos emissos fuisse ait. Porrò Samaria exstabat circiter quatuor aut quinque horarum itinere à Sychem versùs Ortum ferè. Thersa verò תרצה quæ ante conditam ab Amri Samariam fuerat Regum Israelitarum sedes post secessionem quam diximus, aberat à Samaria circiter trium horarum itinere versùs Vulturnum, in edito monte etiam ipsa conspicua, ut ait Burchardus. ¶ Porrò urbs *Achsaph* אכשף fuit Aseritarum terminus ad Septentrionem, aut potiùs Circium, supra Hasor. Quare error est in libello De loc. Heb. cùm villa Chasalus substructa illius vestigiis dicitur, quæ exstat ad radices montis Thabor, millib. pass. 8. duntaxat à Diocæsarea, h.e. Sephori. Multò enim longiùs ad Septentrionem recessisse Achsaph intelligemus ex iis locorum descriptionibus quæ c. 19. ponentur ante oculos. Quin scriptum alibi in eodem libello est, Chasalum repræsentare urbem Achaseluth in Issachaiitarum ditione positam. Rursus minùs quidem longè sed aberrant tamen etiam illi qui hanc nostram Achsaph collocant novies millesimo passu à Ptolemaide, quà Tyrum iter est. Illa enim urbs *Achziph* non *Achsaph* nomen habet. Sed hæc alio iterum loco disputabuntur. ¶ Illam verborum conjunctionem, *Et ad reges qui erant à Septentrione*, existimo continere universitatem eorum Regum omnium qui istam Chananææ partem suis ditionibus obtinebant de qua in præsenti agimus; eámque deinde universitatem diduci atque distrahi diversorum locorum qualitatibus, ut sic dicam, nominatis. Illud enim, *in monte*, ad eos Reges qui in Libano aut ad Libanum regnabant spectare, hoc enim etiam Josephus sentire videtur. Illud verò, *in plano*, ad superioris Galilææ dominos. Aut, si mavis, hanc etiam particulam esse universè positam pro iis Regibus omnibus qui plana loca usquam in ista Chananææ parte habebant. Eáque deinde loca plana dividi in ea quæ *ad Meridiem* sive *Genesaram* spectabant, (est enim Genesara Libano Australis) & in ea quæ ad Vallem illustrem pertinebant, sive regiam. Nam est hæc submissior secundùm Jordanis ripam porrecta. Denique in ea quæ in *Dora regione* jacebant, sub Carmelo videlicet, & versùs Cæsaream Palæstinæ. ¶ Quod ego *Genesaram* converti, est hoc loco in Hebræo positum numero plurium, כנרות. Et quia hoc insolens est, existimat Kimhi ideo fieri ut non solùm vicinissimos atq; adjacentes illi stagno campos notet, sed etiam paulùm remotiores, pari glebæ bonitate fertiles. Est enim illud *ubertatis* vocabulum, ut alio explicatum est loco. Omissæ sunt autem, ut videtur, præpositionis in illis verbis נגב כנרות, dicendúmque est מנגב בכנרות, similiter atque paulò pòst est scriptum בנפות דור מים, *in regionibus Dora à mari*, sive *ab Occidente*. *Mare* enim in describenda Chananæa *Occidentem* significare, pervagatum & tritum est. *Doram* autem דור Genesaræ ad Occidentem versùs objacere, ad littus maris Mediterranei, inter Carmeli promontorium & Palæstinæ Cæsaream, memini me etiam alibi dicere. Stephanus masc. genere Δῶρος dicit; nisi mendosus liber est: Plinius neutro, *Dorum*. Terminabit ea urbs hæreditatem Manassensium. Genesara lacus כנרת aliàs, *Tiberiadis mare*, interdum etiam *Tarichea* vocatur. Habet enim ab Occidente insignem urbem Tiberiada, à Meridie verò Taricheam. Longus est, si verum dicit Plinius, pass. millia 16. latus verò 6. Sed erit de eo sæpius dicendum. ¶ Quæ porrò versu tertio dicuntur, *Chananæos ab Oriente, & à mari*, &c. ipsa continent gentium earum nomina quarum Regulos fuisse à Jabin evocatos universè dictum jam est. Illustratur enim ut victoria ità Dei gloria tot gentium simul devictarum enumeratione. Sunt autem eæ sex, quas præcipuè Chananæam tenuisse est notissimum. Fit autem mentio *Chananæorum qui ad Orientem & qui ad Occidentem* habitarunt; quia, ut exploratores referunt in Num. 13. 29. *Chananæi* vocabantur, quasi proprio nomine, qui *ad Jordanem incolebant* (is autem *Orientis* nomine hoc loco significatus est) & qui *ad mare*, quod *Occidentem* diximus notare. Sed redeat hîc lector in memoriam eorum quæ de Chananæis prolixè disseruimus initio capitis quinti. *Amorrhæi* verò, *Hettæi*, *Pherezæi* & *Jebusæi* tanquam *montium* incolæ recensentur. Nam de tribus quidem hoc ipsum est ab illis Mosis speculatoribus relatum. Pherezæos autem habitavisse circa Samariam certum est; quæ loca etsi non planè aspera at certè montosa esse constat. Cur autem præcisè *Hevæi sub Hermone* nominarentur, hæc ratio est, opinor, Nè quis existimare posset Gabaonitas cum istis se hostibus conjunxisse, quos nuper dictum est Hevæos fuisse. Est autem חרמון *Hermon* iste Libani pars versùs Orientem, supra Jordanis fontes, atque ad Trachonitidem pertinens, ut dicetur ad v. 17. Cæterùm alius minor Hermon exstat apud fluviolum Chison, non procul à monte Gelboe. Habitasse autem Hevæos in illo Hermone, proditum est Judicum historiâ 3. 3. his ferè verbis, *Et Hevæus incolens montem Libanum, à monte Baal-Hermon, usq; ad aditum Hamath.* Idem enim mons est *Hermon*, & בעל חרמון *Baal-Hermon*, atque etiam שניר *Sanir*, & שריון *Sarion*, & שראון *Siron*,

quarum

quarum appellationum rationes idoneo loco, si vita suppetet, conabor explicare. Errat ergò nimis longè Kimhi, qui locum מצפה *Masphah*, cujus hîc est mentio, eum esse statuit ad quem Israelitæ convenire sæpe solebant faciendorum comitiorum causâ, non procul ab Rama positum. Aberat enim Rama stadiis duntaxat 40 ab Jerusalem, si Josepho credimus Antiq. l. 8. c. 12. At ista nostra Maspha ad Libanum pertinet, quâ parte ille spectat Orientem.

4, 5. *Et egressi sunt illi, & omnis exercitus ipsorum*, &c.] LXXII videntur מלכיהם legisse pro מחניהם. Reddiderunt enim βασιλεῖς, & affixum pronomen ad sex memoratas gentes spectare putarunt; cùm potiùs Reges ipsos demonstret. ¶ Cæterùm illa collatio hyperbolica de *arena litoris maris*, familiaris admodum S. historiæ, quâ innumera hominum multitudo significatur, pertinet ad amplificandam victoriam, & simul terræ fœcunditatem mirificè commendat quam Abrahami se daturum semini promiserat Deus, quod ipsum quoque terræ pulveri par futurum esset innumerabilitate. Cùm igitur impia gens tam illic fœcundè sit propagata, ut infinitate conferri possit cum arena maris, quis metuat nè angustiores illi fines sint pro innumerabili sobole promissa Abrahamo? Josephus in suis Antiquitatibus l. 5. c. 2. definit ille quidem istarum copiarum numerum *ter centum peditum millibus, decem equitum, & duobus curruum*, aut, ut Zonaras, sed malè, opinor, legisse videtur, qui hunc Josephi locum compilavit, *triginta millibus curruum*. Sed fides penès auctores esto. Certè liber Judicum memorat solius Regis Hasor Præfectum Sisaram nongentos currus falcatos, sive ferreos, h.e. δρεπανηφόρα ἅρματα, ut à Xenophonte vocantur, in bellum produxisse adversùs Israelem. ¶ Verbum יעד, quod hîc patiendi formulâ expressum est, non simpliciter sed de compacto *congregari* sive *coire* significat. Ideóque dixi, cum Chaldæo, *Congregati sunt statuto tempore*. Posset autem in hanc quoque sententiam interpretari, *pactis*, sive *sponsionibus*, *mutuum inter se obstricti sunt*. Nam & *pacisci* verbum illud יעד significat, & Aquilas Symmachúsque ὡμολόγησαν, h.e. *pacti sunt*, reddiderunt. Et fortasse idem dicere voluerunt LXXII quoque illo suo verbo συνέβησαν, quo hîc utuntur. Nam quod in Vat. codice est, συνῆλθον, id suppositititium esse puto, & ab aliis de Hebræo expressum, quibus illud quod apud LXXII legebant non satis placebat. Certè Syrus legit συνέβησαν. ¶ Cæterùm ubi fuerint *aquæ Merom* conjecturâ nondum assequi satis potui. Eusebius libello De loc. Hebr. existimat haud procul à Dothaim abfuisse, h. e. millib. pass. 12. à Samaria ad Aquilonem versùs; quia illic loci etiamnum vicus exstat nomine *Merus*. Atque hoc secutus, opinor, Jacobus Ziglerus paludem Merum vicinam locat urbi Beth-san; neque ab ea ultra tria pass. millia abesse versùs Occidentem significat, ubi proximè. Josephus verò *ad Merothum* (sic enim legendum censeo, non *Berothum*) Superioris Galilææ oppidum coitionem hanc factam scribit, Antiq. l. 5. c. 2. Nimirum statuit ille Aquas Merom urbem quandam non lacum esse. Rursus alii contendunt paludem Samachonitidem dici *Aquas Merom*; de qua dixi c. 1. v. 2. Ego certi nihil possum constituere. Videntur quidem Barbari eo animo ad Aquas Merom copias conjunxisse ut indè acie instructâ continuò impressionem facerent in Israelitas. Sic enim est in S. verbis, *Et simul castra fecerunt ad aquas Merom ad pugnandum cum Israele*. Ad hoc, Deus, cùm Josuam victoriæ fiduciâ animat, unius duntaxat diei moram ad confligendum vincendúmque interponit, quantum certè apparet. Ex his autem illud confici videtur, haud longo à stativis Israelitarum abfuisse intervallo eum locum. Sed facilè respondeat Josephus, cæterique qui aut apud Samachonitidem paludem, aut certè alibi in Superiore Galilæa coivisse Regulos arbitrantur; dicántque illud *ad pugnandum cum Israele* de administrandi belli consiliis esse accipiendum, quæ inter se Barbari conferre debebant priùs quàm versùs hostem venirent, finibúsque ejus appropinquarent; Josuæ verò spem crastinæ victoriæ Deum dedisse non in ipsis castris ad Galgala, sed hosti obviàm jam tum longè progresso cum exercitu, atque magis magísque solicito de belli eventu, cùm quò accederet propiùs, eò certiores continuò nuncios acciperet de tanta adversariorum támque instructâ multitudine. Et certè hanc habuisse opinionem Josephum, id argumento satis magno esse potest, quòd quinto tandem die è Galgalis Josuam hostibus supervenisse scribit.

6. *Dicebat autem Dominus ad Josuam, Nè metuas*, &c.] *Cæsos* est Hebraicè חללים. Hoc interdum *occisos*, sæpe etiam *vulneratos* modò, aut *magno dolore saucios* significat. Mihi cum Chaldæo & Symmacho hîc *occisos* dicere placuit, Latino cum LXXII *vulneratos*. Sed enim parùm refert, in castrís ne ad Galgala morantem etiamnum Josuam, an verò, ut erat vigilantissimus Imperator, ad famam venientis hostis, aliquousque jam tum illi obviàm cum suis egressum hâc suavi spe victoriæ confirmaverit Deus. Illud sanè apparet, in metu ipsum fuisse, nimirum ob immensam Barbarorum multitudinem atq; inusitatum belli apparatũ. Equitatus enim maximus & falcati currus meritò formidabiles erant peditatui, præsertim nudo; quales fuisse maximam Israelitarũ partem est credibile. Hîc in memoriam redeat lector eorum quæ sunt à nobis dicta suprà c. 10. 8. Possunt enim illa appositissimè ad hunc quoque locum accommodari. Loquor de sanctissimorum virorum metu, & de consolationis oraculo, quo id modo ediderit Deus. Debet autem nos hujusmodi rerum narratio admonere quàm parùm firmam habeamus omnes confidentiam in Deo, nisi ejus continua nos fulciant responsa. Sæpe antehac spoponderat Deus, nullos fore hostes qui vel conspectum Israelitarum non vererentur; ídque verissimum esse re ipsâ compertum jam multis modis habebant. Et tamen perinde ac si suo adhuc Marte vicisset Imperator, Divinorum promissorum si non oblitus at certè immemor, de suis viribus, non de potentia Dei, cogitare videtur, suásque vires cum illo tanto hostium apparatu contendere, vir alioqui Spiritu S. plenus; neque satis potest, ut apparet, noxiam anxitudinem, quam caro ingerit, Dei fiduciâ à se depellere, nisi novis promissis confirmatus. Nimirum, nihil est in rebus nostris omnibus cujus fiduciâ possimus fieri securi. Neque usque eò, dum in his *luteis domibus habitamus*, ut ait Job 4. 19. terrenis fundati rebus, fidei ullis exercitiis ad eam absolutionem perfectionémque evadere possumus, quin eo in bello quod planè ἄσπονδον cum potentissimo vigilantissimóq; hoste nostro Satana gerimus, continuis Dei responsis opus habeamus; quibus nisi perpetuò erigantur animi nostri, nè minimum quidem adversarii insultum possimus sustinere. Quare debemus *oculos nostros* semper *in illum montem sublatos habere, ad effectorem cœli & terræ, à quo omne auxilium nobis defertur*, Psal. 121. 1, 2. Sed dices, Nulla jam è cœlo redduntur oracula, quæ in rebus dubiis mentes nostras affirment. Imò verò omnium certissima è cœlestis sui Patris sinu nobis semel operta protulit benignissimus Dominus noster Jesus Christus, quæ nos in omnibus quantumvis inexplicabilibus rerum difficultatibus abundè instruant, dirigant, confirment, expediant, si Divina verba piâ atq; religiosâ meditatione ad omnem casum in promptu habuerimus. Sed ea ex libro petenda sunt quem solus ille aperit *qui habet clavem David*, Apoc. 3. 7. *penes quem est sapientia & fortitudo, consilium atque prudentia*, Job 12. 13. Hic igitur nobis perpetuò adeundus castâ mente est, hic orandus, ut nobis *libri illius sigilla resignet*, Apoc. 9. & cœlestis sui Spiritûs afflatu nos S. verborum vim atque censa doceat. Quod faciet profectò promptissimè, cùm etiam sanguine suo nos Deo Patri comparaverit atque conciliaverit. Itáque fiet ut solertissimus hostis noster Satanas atque acerrimus non possit tam varias aut tam violentas excogitare nocendi artes, quibus nos oppugnet, quin S. illæ literæ & consilium & fortitudinem nobis suggerant quibus illius impressiones non modò facilè sustineamus, verùm etiam quasi offusam nebulam illico discutiamus. Sed jam evagati sumus longiùs. ¶ Cæterùm quod præstituitur victoriæ tempus, illis verbis, *Cras, hoc circiter*

circiter tempore, certissimi eventûs significationem dat. Estque magna vis in pronomine *Ego:* ac si dicat Deus, Nihil est quòd instantis belli molem cum tuis viribus expendas. Ego enim istam rem providebo, meâ potentiâ, quæ immensa est, quam tibi toties patefeci, meóque nutu, quo cœlum terráque concutiuntur, ista gerentur. Ad hæc, verbum præsentis temporis *reddo* rem ipsam tanquam in manibus sit, ponit in Imperatoris conspectu. ¶ Quod sumus interpretati *enervato*, est Hebraicè תעקר, ac si *fundamentum* vel *radicem auferre* dicas. Nam, ut bene ait Kimhi, *equorum pedes sunt ipsorum fulcimenta; quorum si nervos incideris, nullus deinde fuerit ejus animalis usus.* Est ergò acsi jubeat equos prorsus perdere. Nimirum nolebat Deus ut sui illis ab hostibus captis in bello uterentur aliquando. Atque huc quoque illa spectabat lex à Mose edicta Deut.17.16. nè suum Regem paterentur *multos sibi equos comparare.* Illiusmodi enim adminicula opinionem auxilii Divini minuere facilè potuissent, quo uno fidere planè oportebat. Unde est illud S. Vatis, Psal. 147. 10. *Non placere Deo equorum robur, aut fortia virorum crura; sed eos qui se reverentur, quiq; in sua misericordia spem positam habent.* Et alibi idem canit, *Hi curribus, illi equis; nos autem nomen Domini Dei nostri animo versabamus. Itaq; illi succubuerunt; nos verò stetimus & magnificati sumus*, &c. Psal.20.7,8. Cæteroqui enim nefas minimè erat animalia hostium pro præda habere. Nam devictis Madianitis, supra sexagies mille asinos abegerunt Israelitæ, Num.31. At equi currúsque falcati instrumenta bellica erant. Sed enim si anagogen hîc spectare lubet, monemur, Non solùm Satanæ impetum fortiter fidei scuto sustinendum frangendúmque esse, sed etiam ejus arma, quibus nos potissimùm oppugnat, perditum nos ire debere. *Equum* enim, ut ait Adamantius, *enervamus, quando lascivum corpus jejunio frangimus.* Idem de aliis pietatis exercitiis dici potest, quibus medemur vitiis nostris, fomitémque eorum maturè dissipamus pro viribus. Neque enim inculcavit temere nobis Christus, docuítque eas corporis nostri partes esse resecandas quæ nobis offensioni sint, Mat. 5. & 18. Marc. 9. Sed hæc hactenus.

7. *Supervenit itaque illis Josua, & omnis populus*, &c.] LXXII interpretes addidere de suo ad finem hujus versiculi istam verborum clausulam ἐν τῇ ὀρεινῇ, ut certè testantur quotquot ego vidi codices; quasi regionis illius gnari viri illi pugnam istam in montosis factam locis fuisse velint significare. Atqui quid montoso loco cum aquis? Et verò quis nescit, castra, præsertim in quibus sit tantus jumentorum numerus, aquationis causâ, in montosis fieri locis non posse? Neque est quòd putemus illos cognito Israelitarum adventu, propere in editiora loca se recepisse, pugnæ utiliùs faciliúsque conserendæ causâ, cùm Israelitæ improvisò ipsis supervenerint. Quin Chaldæus illud *ad aquas Merom* explicat quasi per interpositionem dictum, hoc sensu, *illi autem manebant ad aquas Merom:* sed librariorúmne errore, an illorum interpretum consilio, & quonam illo, sic in omnibus libris scriptum sit, Deus viderit. Nos verò rursus monet præsens locus, nè Dei prolixa promissa in segnem vertamus securitatem, quasi ille supinè stertentibus quæ semel est pollicitus aut debeat aut velit etiam præstare. Qui error cum primis gravis multorum hominum nostro seculo animos occupavit. Nam etiam profani homines intellexerunt, τὰν χεῖρα προσφέροντα δεῖν τὴν τύχην ἐπικαλεῖν, h. e. *Admotâ manu fortunam esse invocandam.* Et Euripidis sunt illi senarii, Φιλεῖ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν τὸ θεῖον, &, Τῷ πονοῦντι καὶ Θεὸς συλλαμβάνει, i. *Solet Deus iis ferre opem qui ipsi incumbunt operi.* Quod Æschylus sic extulit, Ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς, χ' ὠ Θεὸς συνάπτεται. Promiserat quidem certè Deus Josuæ, *crastino se die daturum Barbaros cæsos Israeli*; atque in solis *equis curribúsque perdendis* operam Imperatoris requirere poterat videri: At ille, quippe Dei numine afflatus, Divinam voluntatem rectiùs cùm intelligeret, maturato opus esse putabat; eâque diligentiâ suos ducebat, ut hostem improvisò opprimeret, omni, ut est credibile, metu solutum, atque inferendi belli non depellendi consiliis occupatum, aut fortasse corpori ab itinere fesso imprimis curando deditum, & in delicias profusum. In quo stratagematis genere maximum semper fuisse ad præclaras victorias momentum, omnes omnium temporum historiæ testantur.

8,9. *Tradiditque illos Dominus in manum Israelis*, &c.] Solent qui vicinis suis bellum propriis freti viribus faciunt, ut magnâ eos invadere audaciâ qui intra suos ipsorum fines manentes depellere modò à se hostem cogitant ità vix sustinere unquam eorum impetum qui ipsis extra suos limites occurrunt obviàm, captâq; occasione primi pugnam committunt. Idque Barbaris istis jam accidere ab Israelitis videmus; sic utrorumque consilia moderante Deo, à cujus solius numine victoria omnis pendet. Is autem in præsenti non solùm animos hostium consternat in fugam, sed etiam suorum pectora singulari fortitudine atq; audaciâ imbuit, quippe qui tam longè fugientes per loca incognita persequi nihil dubitant. Urbs *Sidon* צידון *magna* vocatur sæpe in S. historia, non alicujus minoris collatione, qualis nusquam exstare memoratur, ut ait Adamantius, olim hujus urbis habitator; sed ob veterem celebritatem & gloriam. Semper enim cùm artificum industriâ tum portûs maximâ commoditate celebrata est. Nam & Homerus Sidonios πολυδαιδάλους vocat, i. ut Strabo l. 16. interpretatur, πολυτέχνους καὶ καλλιτέχνους, *artificiosos artifices.* Usque eò enim claruit ut jam olim dubitetur ipsáne an Tyrus pro Phœniciæ metropoli sit habenda. Certè Homerus, qui sæpe Sidonem laudat, Tyri nè meminit quidem. Exstat autem Sidon in littore maris Mediterranei sub Antilibano, qui illinc versùs Orientem porrigitur. Abest autem à Beryto aut, ut hodie nominant, Baryto stadiis 400 ut Strabo scribit, versùs Tyrum, à qua distat stadiis circiter 200. Josephus opinatur nomen hoc urbi impositum esse à *Sidone* Chanaanis filio natu maximo: ídque ego ei assentior. Justinus tamen, is qui Trogum compilavit, Phœnices sic eam appellasse scribit à *piscibus*, quorum illic maxima esse soleret copia. Quod ipsum quoque magnam habet similitudinem veri. Nam certum est illas gentes piscatorem dicere ציד *Said.* Et sanè urbs ipsa hodie *Said* nominatur à vulgo. Cæterùm pertinebat Sidon ad fines Aseritarum, ut suo dicetur loco. ¶ Porrò illud משרפות מים, quod ego interpretatus sum *ustrinas aquarum*, Chaldæus convertit *fossas*, sive *lacunas, aquarum*, ut est in meo manuscripto cod. Compl. aut *fossas maris*, ut habent codices pervulgati typis. Hunc autem secuti, ut solent, Judæi scribere non dubitant, lacunas illic ad mare fuisse, in quas deductæ salsuginosæ aquæ excoquebantur Solis fervore in salem. Verbum enim שרף à quo nomen משרפות *Misrephoth* formatum est, *urere* atque *cremare* significat. Aquilas & Symmachus *Misrephoth* quidem, ut proprium nomen, retinent integrum; at מים *Maim* convertit Aquilas, ut sanè debuit, τῶν ὑδάτων *aquarum.* Symmachus verò, tanquam מִיָּם pro מַיִם legerit, mutatis vocalibus, reddidit ἀπὸ θαλάσσης *à mari.* Aquilam imitatus est Latinus. At LXXII utramque vocem intactam reliquerunt, dixerúntque Μασερεφὼθ-μαείμ. Ego, etsi Judæorum sententiam non repudiem, probabili tamen conjecturâ augurari posse videor *vitrarias officinas* istis verbis esse significatas. Constat enim eas apud Sidonem fuisse plurimas; sive illic etiam loci vitrariæ arenæ effoderentur, sive à Pagida vel Belo rivulo, qui prope Ptolemaidem ex Carmelo defluit, illuc importarentur. Nam eam arenam, ut in vitrum duci queat, perpetuo igni necesse est excoqui: quod apud Venetorum Murranum ipsi vidimus: Illuc enim navibus pro saburra ex Palæstina usque devehitur. Sed ubi ubi hic tandem locus fuerit, certum est haud procul à Sidone abfuisse: unde ad *Orientem* usque transitur, cùm deinceps *convallis Maspha* nominatur. Nuper enim vidimus Maspham sub monte Hermone collocatam, in Nephthalitarum possessionibus videlicet. ¶ Porrò qui locus hîc בקעת מצפה *convallis Maspha* dicitur, is v. 17. appellabitur בבקעת הלבנון *Vallis Libani.* Putant quidem eam vallem multi indè à Cæsarea Philippi, h. e. ab Jordanis fontibus ad paludem usque Samechonitidem describendam

bendam esse, secundùm illius fluminis ripas. Ego verò potiùs existimo ad Orientem versùs secundùm Libanum esse extendendam. Sed ut ut hoc est, sanè ex istorum locorum consideratione, ad quæ refugientes Barbaros insequuntur Israelitæ, duci ad suspicandum aut opinandum posse videmur, Aquas Merom, de quibus suprà diximus, aut in ipsa Superiore Galilæa fuisse, ut Josephus censuit, aut certè ei regioni proximas. ¶ Porrò versiculi hujus clausula, *donec nullum fecisset ex ipsis reliquum*, illi promissioni Divinæ consentanea est quam suprà audivimus, cùm diceret Deus, *Ego ipsos omnes reddo cæsos Israeli.* At enim si quis existimet credi vix posse ex tanto numero evasisse neminem, is in hanc sententiam interpretetur illa verba, ut dicat Israelitas nullius vitæ pepercisse quotquot assequi potuere. ¶ Quod porrò additur, *Josuam paruisse Divinis jussis, equósque enervasse, & currus cremavisse*, tum Imperatoris obedientiam adversùs Deum tum militum erga Imperatorem commendat, quâ disciplinâ optimè geri bella certissimum est. Et est sanè præclara laus exercitûs, in quo ità omnes suis animis temperaverunt, ut neque equi neque currûs alicujus pretio ad violanda Imperatoris sui jussa quisquam induceretur, quamvis in maximo Barbarorum luxu pretiosissimos fuisse & currus & equos credibile sit.

10, 11. *Et reversus est Josua eo tempore, & cepit Hasor*, &c.] Iis quæ de istorum locorum situ suprà à nobis dicta sunt consentaneum est quòd Imperator *reverti Hasorem* memoratur, cùm longè suprà hanc urbem quaquaversus fuisset hostes prosecutus. Cæterùm apparet quidem Regem Jabin in istam suam regiam elapsum esse ex percussorum manibus; atque eam ob rem illico huc recurrisse Josuam ut illum hujus tanti belli inceptorem, unà cum sua regia, opprimeret, etiam tum à fuga trepidum. Verùm si quis putet neminem hostium fuisse factum reliquum, ut octavus versiculus dicere videbatur, is dicat hunc Hasoris Regem non in capta urbe sed paulò antè in pugna aut fuga percussum esse. Nam idem de cæteris quoque Regulis proximo versiculo narrabitur, quos tamen non omnes elapsos in suas urbes esse credibile est. Ego verò conjecturâ quadam augurari videor, Etsi non admodum longum attamen nonnullum fuisse ab illa pugna & persecutione ad captam eversámq; Hasorem temporis intervallum, & pluribus etiam longioribúsq; spatiis reliquas deinceps urbes, aliam post aliam, expugnatas direptásque esse. Illud enim *per id tempus* laxiusculum tempus significare, nemo non intelligit: etsi Latinus pro eo reddidit *illico*. Et mox audiemus, Josuam *multis diebus*, h.e. longo tempore, *belligerasse cum istis regulis*. Posset igitur id quoq; probabiliter hoc loco dici quod de Hebronis aliarúmq; urbium Regulis nuper dicebamus, cùm illi memorarentur in suis urbibus cæsi esse, quos ex specu extractos necatósq; fuisse certum erat; id autem est, Subitò alios à civibus dictos creatósque fuisse propter periculi propinquitatem. ¶ Cæterùm quòd Hasor *caput omnium istorum regnorum fuisse* dicitur, id de ea Chananææ parte est accipiendum in qua nunc versamur. Quare non satis rectè, opinor, proditum est in libello De loc. Hebr. illam fuisse *omnium regnorum Philistiim*, h.e. Palæstinorum, *metropolim*. Palæstini enim præcisè dicebantur qui à Cæsarea Palæstinæ, sive Stratonis turri, secundùm maris littus ad Gazam usq; tenebant Chananæam. Sed enim hîc illud occurrat fortasse, Regem Jabin in Judicum historia 4. 3. *annis viginti Israelitas duro premere imperio suo*; non ergò hîc cæsum fuisse. Verùm in promptu est quod respondeatur. Etsi has gentes propè ad internecionem delevisset Josua, tamen paulò post ejus excessum denuò vires urbésq; renovarunt atque instaurarunt suas, Regésque sibi novos crearunt, ut Israelem vexarent, & aliis atque aliis molestiis ad redeundum subinde in beneficiorum Dei memoriam permoverent; cùm ille simul atque otium ab hostibus esset nactus se omnibus vitiorum generibus facillimè manciparet. Idem autem nomen perpetuò Regibus suis, alii post alium, imponere consuevisse Barbaros illos, satis certum est, similiter atque Ægypti Reges *Pharaones* dicebantur.

12. *Præterea omnes urbes istorum regulorum*, &c.] Post captam exustámque metropolim narrantur jam reliqua etiam municipia, cum suis Regulis, qui in superiore expeditione fuerant, subacta esse. Pronomen אותם, quod converti *ipsos* ad civium cœtum spectat, & simul Regulos. Nam urbes ipsæ conservatæ sunt, ut mox dicetur. At enim Reguli in fuga interierint, an in suis urbibus, disputatum nuper est. ¶ Quod additur, *Sicut præceperat Moses servus Domini*, approbatio est confecti belli: Quâ Israelitæ vindicantur à crudelitatis existimatione; & simul ab observatione in Deum commendantur, ut qui adhuc nihil Dei injussu fecerint, nihil etiam jussi neglexerint. Quippe magna pietas est perdere cùm mandavit Deus; contrà verò inepta, imò verò impia lenitas, parcere. Etenim cùm Moabitidem ille vastitati addixisset, exsecrabatur eos qui non gnaviter suo fungerentur officio in funesto illo quod ipsus jusserat opere patrando, cùm his ferè verbis uteretur, Jer. 48. 10. *Exsecrabilis est quisquis opus Domini non plenè perficit, & gladium suum abstinet à sanguine.* Rursus cùm Achab fraternum fedus cum Ben-adad fecisset, quem interimere debuerat, hæc ad illum verba Divino ore Vates faciebat, 3 Reg. 20. 42. *Sic ait Dominus, Quia dimisisti virum quem ego exitio addixeram è manu, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Sed nihil necesse est plura adjungere exempla. Sunt enim plurima in S. literis: quæ profectò effeminati isti Magistratus nostri ante oculos versare assiduâ cogitatione deberent, qui per crudelissimam illam suam misericordiam (maximo enim & perniciosissimo vitio præclaræ virtutis nomen imponunt) paucis improbis parcendo innumeram proborum multitudinem violari divexaríque sinunt. Sed ista etiam alibi sunt à nobis inculcata: atque utinam aliquo cum fructu, ut ipsa horum temporum diritas postulat.

13, 14. *Verùm earum urbium quæ stabant in tumulo suo*, &c.] Explicatur quod proximè dictum est, nè quis malè arbitretur unà cum Regulis civibúsq; ipsas etiam urbes esse eversas. Sunt enim hæ conservatæ, ut Israelitis aliquando essent receptacula. Nam satis erat in ipsam metropolim potentiæ Dei exemplum memorabile statutum esse, quo hostes reliqui terrerentur. ¶ Illud, *quæ stabant in tumulo suo*, propter pagos villásq; dictum fortassis est, qualia loca credibile est passim per agros incensa vastatáque esse plurima. Nam LXXII pro eo reddidere κεχωματισμένας, h.e. *aggeribus munitas*; & Theodotion, ὀχυρὰς *fortes*. Sed Judæi, neq; ipsi absurdo sensu, sic hunc locum interpretantur ut putent eas modò urbes conservatas esse quarum mœnia, dum expugnarentur, non fuissent per vim furorémve militũ diruta; h.e. earum urbiũ quibus furor atq; impetus primus pepercisset, nullâ deinde consultò esse dirutã perditámque, præter unã Hasorem. In qua sententia dicenda videntur illi Chaldæum secuti esse. Convertit enim Chaldæus Hebraica verba sic, *Quæ manebant in sua firmitate.* Sed esto cuiq; libera sua existimatio. Mihi verbum תל, i. *tumulus*, non tam *aggerem*, quales muniendis oppidis homines manu faciunt atq; industriâ, significare videtur quàm *soli eminentiam*, cujusmodi areæ struendis oppidis aut deligi aut datâ operâ parari solent. Idq; vel ex illa suavissima Jeremiæ consolatione potest intelligi, cùm ait c. 30. 18. *Sic dicit Dominus, En restituo capta tabernacula Jacob, & habitationũ ejus miserebor; exædificabitúrque urbs super* תלה, h.e. *tumulum suum, & ædes vetere solo collocabitur.* Id enim *vetus urbis solum* dicere videtur Vates quod *tumulum ejus* antè nominaverat. Sed enim non temerè hîc modò *Josua* nomen modò *Israelis* positum putes. Israelitæ enim nullâ incensione vastasse urbem memorantur, ut mirifica militum Dei continentia omnibus testata sit, qui nihil incitatè & temere, sed sedatè omnia, gesserint. At *Josua* narratur *exussisse Hasorem*, ut intelligamus isti urbi non esse injectam flammam militari aliquâ licentiâ atque petulantiâ, sed consultò, atque ex Imperatoris deliberatione: ad quam deliberationẽ credibile est Dei inprimis oraculũ esse adhibitũ. Quod veteribus quoq; Judæorum Magistris placuisse video. Nam hi in בראשית רבה *Bereschith rabba* scriptum reliquerunt, Deum Mosi, Mosen porrò Josuæ, veluti per manus, tradidisse, urbem Hasorem esse olim à Josua exurendam, quippe quæ esset earum

earum trium urbium una quas sibi Barbari ad faciendum indè populo Dei bellum præstituissent. Porrò prædam Chananaicarum civitatum diripere fas fuisse Israelitis, jam sæpe diximus. At simulacra quæ ad alienorum deorum conflata cultum à Barbaris erant, ea servare atque asportare nefas fuit, quantumvis pretiosa esset eorum materia. His enim verbis edicta lex est ab interprete Dei Mose in Deuteronomio 7. 25. *Simulacra deorum illius gentis comburitote flammis, nè concupiveris argentum aurùmve ex quo illa sunt coagmentata, neque tibi acceperis, nè te illaqueet. Est enim detestabile apud Dominum Deum tuum. Neque inferto rem detestabilem in domum tuam, nè sis æquè detestabilis ipse; sed exsecrando exsecrator illud, & abominando abominator ipsum: est enim res devota.* Hæc Moses. LXXII præsentem locum de spoliis unius urbis Hasor perperam interpretantur.

15. *Sicut Dominus præceperat Mosi servo suo*, &c.] Hæc approbatio explicatior est quàm quæ v. 12. dicebatur; cæteroqui prorsus illi gemina est, nisi fallor. Nam quòd quidam putant istam ad utramque expeditionem spectare, & Australem & Aquilonarem, id mihi non fit verisimile. Est ergò sententia S. verborum, Josuam in hoc bello omnia ex Mosis præscripto administrasse; h.e. nihil per iram, avaritiam, libidinem, aut ullas omnino animi sui perturbationes temere gessisse, aut per pigritiã socordiámve quidquam omnium neglexisse; sed prorsus atque omni ex parte Mosis se legibus habuisse, mandatáq; omnia exsecutum esse; quippe qui sciret ea non humana, in quibus sæpe multa improba, multa inofficiosa insunt, sed Divina & cœlestia esse præcepta, quæ nunquam abducant à recto. Fuerat enim ipse Mosi in sacro illo colloquio proximus, & tantùm non in cœleste cum eo admissus adytum in monte Sinæo, & proinde voluntatis consiliiq; Dei probè conscius de Mosis legibus, quin planè essent Divinæ, haud potuit dubitare. Docemur autẽ hoc obsequentissimo Josuæ obsequio ipsi quoq; Divina oracula S. literis prodita & à Catholica atq; Apostolica Ecclesia explicata planè ἀφελῶς observare, neq; in ea curiosè inquirere, aut eorum rationem nostro captũ expendere metirique; sed humili ac reverente animo eam doctrinam quæ à Christo tradita Ecclesiæ est, & deinceps ab Apostolis aliisq; sanctissimis viris, Dei interpretibus & administris, continuatâ serie, tanquam per manus, ad nos usq; propagata, modis omnibus amplecti, & ut rectissimam normam & regulã sequi. Neq; enim profectò dubiũ est quin Josuam virum in Mosis schola ad omnem mansuetudinem eruditum variæ subinde animi affectiones subierint, & tantùm non permoverint perturbarintq; in tam rigida passim exercenda victoria, per omnis generis hominum mortes grassandum cùm esset; & tamen obfirmato obstinatóq; animo id persequendum sibi putavit quod Moses præscripserat. Hoc igitur exemplo nostram quoq; nos curiositatem cùm in omnibus Divinis præscriptionibus, tum in iis maximè quæ ad religionis nostræ mysteria attinent, in auctoritate sacrosanctæ & Catholicæ Ecclesiæ acquiescere compellamus; Cujus *auctoritas*, ut D. August. contra Manich. scriptum reliquit, *miraculis est inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata*, deniq; perpetuæ successionis tenore indè à Petro ad nos continuata, atq; plurimorum populorum pulcherrimâ consensione comprobata. In hujus igitur nostræ Matris, ut sacri scriptores appellant, sincerissimâ sapientiâ religiosè acquiescamus; ejus dictis fidem adjungamus, jussis obtemperemus, ductum usquequaq; sequamur: ità profectò à recta æternæ vitæ via nusquam aberraverimus. ¶ Sed observanda est in verbis istis tradendæ cœlestis doctrinæ series & ratio. *Sicut*, inquit, *mandarat Dominus Mosi servo suo, sic mandarat Moses Josuæ; atq; ità fecit Josua.* Apertè sanè ostenditur, eam doctrinam quâ Deus Ecclesiæ patefacit suam voluntatem ab ipsius Divino afflatu proficisci quidem, sed per homines, quos ipse consilio voluntatísq; suæ certos interpretes & administros sibi delegit, cæteris hominibus tradi explicaríque. Quod D. Paulus quoq; ad Romanos scripsit, c. 10. 14. Rectè igitur exploduntur & meritissimò inprimis omnes illi fanatici homines qui ut olim ità nostro quoq; seculo magnas turbas in Ecclesia Christi dederunt; Deinde & illi qui divinum hoc munus inire profiterique non verentur, cùm neque Dei neque Ecclesiæ auctoritate ei sint præfecti, neque sacrarum literarum scientiâ & pietatis exercitiis ad ipsum satis instructi. Posset quidem facilè Deus arcano afflatu mentes suorum iis præceptis quibus ad piè congruentérq; ipsius voluntati vivendum est opus informare, atq; cujusq; vitam cœlesti instinctu pulsúque, quasi manu, regere: verùm optimo sapientissimóq; Parenti visum est hominum operâ eam ad rem uti; neque verò quorumvis hominum, sed eorũ quos ipse *vocat*, *ut Aharonẽ*, inquit Paulus Hebr. 5. 4. Fieri enim alioqui non posset quin Dei Ecclesia per infinitos mox circumduceretur errores, confusióq; consequeretur religionũ, res omnium perniciosissima: Quandoquidẽ itũ est mortalium ingenium, ut quò quisq; est ineptior atque ab omnibus bonis rebus imparatior, eò majore licentiâ in divini illius muneris functione versetur. Rectè ergò Mosen, per quem sua Deus mandata Josuæ patefecit, suásq; leges edixit, *servum Jehovæ*, sive *Domini*, S. ista verba appellant. Nam qui sua commenta, quæ ipsi ad libidinem accommodata imperitorum finxerunt, non autem perpetuâ Ecclesiæ consensione proditam doctrinam, obtrudere populo atq; persuadere satagunt, ii profectò haudquaquam Jehovæ, h. e. veri Dei, sed Satanæ & gloriosæ ostentationis suæ servi atq; mancipia debent existimari. Idq; ipsum rursus luculenter S. contextus ostendit, cùm habet, *Non omisit verbum ex omnibus quæ mandarat Dominus Mosi.* Postulare enim videbatur orationis series ut diceretur, *Quæ mandarat Moses Josuæ.* Sed Mosis dicta merum fuisse Dei sensum, id clarum atq; testatum esse oportebat. Adamantius hic, ut solet, Josuam adumbrare Christum Jesum ait, qui factus est Mosis legi obnoxius, cùm servi formam sumpsisset; illámq; non abrogavit, evertit, aut perfregit, sed ipsi paruit, ut homines eâ implicatos solveret assereretque Phil. 2. 7. Gal. 4. 5. Et rectè Adamantius.

16. *Cepit itaq; Josua omnem terram istam, montosam*, &c.] Chaldæus verbum לקח, quod ego *cepit* reddidi, interpretatur *possedit*, sive *apprehendit tanquam hereditatem.* Nam de captis Regibus expugnatísque urbibus dictum est לכד. Ego verò, etsi Chaldæi sententiam refellere nolo, videre tamen videor promiscuè usurpari interdum illa verba לקח & לכד: Nam in Deuteronomio 3. 4. Moses quod semel dixerat, ונלכד את כל עריו, *Et cepimus omnes urbes ejus*, mox iterum dicit, לא היתה קריה אשר לא לקחנו מאתם, *Non erat urbs quam non cepimus ab eis.* Est autem in istis versiculis epilogus, opinor, rerum omniũ adhuc in Chananæa gestarum ab Israelitis. Ei enim rei videtur esse argumento ipsa quæ proximo versu explicatur descriptio locorum. Demonstrativum ergò *istam* δεικτικῶς accipiendum est, neq; sine emphasi; ut quo multorum Regum populorúmq; ditiones quasi oculis lectorum subjiciuntur, ut veluti uno aspectu tantam operum tam facilè patratorum copiam complexi, intelligant clariùs Deum promissorum suorum munus prolixè confecisse. Debet autem interpuncto sisti lectio in hoc ipso pronomine. Appositus est enim ei accentûs nota quem *Rebia* vocant Grammatici. Primùm enim universè omnis terra, h.e. Chananæa tota, aut certè quatenus per eam cum armis pervasit Josua; deinde variĩ locorum situs habitúsque ponuntur in conspectu planè ut v. 40. superioris capitis; ubi pleraque nomina à nobis explicata sunt quæ hic usurpantur denuò. Sed הר ישראל *mons Israel*, inquit R. D. K. *is mons est in quo habitavit Jacob, cui Deus Israelis nomen imposuit.* Sed velim deinde mihi exposuisset Kimhi quonam in monte habitasse Jacobũ potissimùm existimet, habitavit enim in pluribus. Equidem scio urbem Jerusalem esse vocatam hoc nomine ab Ezechiele c. 17. 23. cùm *tenellum cedri ramum* à Deo *depactum iri in monte Israel* vaticinatur; & rursus c. 20. 40. cùm illic Israelitas purum cultum adhibituros ad Deũ prædicit. Extitisse enim eam urbẽ altiore loco quàm ullam aliam totâ Chananæâ certissimũ est, & nos in describendis singularũ tribuum possessionibus ostendemus. Verũ quando mox *Juda mons* tanquã ab Israelis monte diversus dicetur, statuendũ absq; omni dubitatione puto, *Israelis montẽ* voca-

ri loca illa montosa omnia quæ circa Samariam ac Neapolim & omnino per illum tractum posita erant, quem decem tribus post secessionem incolebant. Hæ enim, cùm à Juda secessionē fecissent post Solomonis excessum, *Israelis* nomen quasi propriam appellationē peculiariter usurparunt. Neq; verò est quòd mihi temporum discrepantiam opponas, quia hæc Josuæ bella seculis aliquot ante Solomonis divisum regnum gesta sunt, usus est enim qui istam historiam ex sacris annalibus, ut dixi, conscripsit, sui seculi nominibus, quod etiam à Mose factum esse ostendimus alibi; & alioqui certissima res est.

17. *A monte glabro, qui sursū porrigitur versùs Seir*, &c.] Hic universa Chananæa duobus concluditur terminis, altero ad Austrum, ad Aquilonem altero. Nam tota secundùm Jordanis cursum & maris Mediterranei litus obliquè ab Hellespontio vento & Aquilone tenditur longitudine ad Africum & Libonotum versùs: latitudine enim admodum est angusta. Jam verò שעיר *Seir* montem Idumææ esse, atq; Idumæam ab Austro Chananæam terminare, satis certum est. Igitur הר חלק *montem glabrum* istum existimo ad montem Seir pertinuisse, prope Cades-Barneam. Nam illuc usq; superiore expeditione victoriam protulisse Israelitas, dictum est suprà 10. 41. Neq; ab hac mea opinione dissentire videntur RR. Solomon & Kimhi, collocant enim isti hunc montem ad desertum Sin. Quin ipsum etiam nomen favere mihi videtur; quod credibile est isti monti datum esse κατ' ἀντίθεσιν à vicino Seir. Nam שעיר *comosum*, ut sic dicam, significat; cui planè opponitur חלק *glabrum* & *læve* atque, ut Symmachus dixit, λεῖον. Hæc enim mihi interpretatio probatur magìs hoc loco quàm Aquilæ, qui convertit *Montem dividentem*, vel Chaldæi, qui *divisum*, vel denique Latini, qui *partem montis* dixit; parùm sanè rectè pro S. verborum conjunctione, ut certè ea scripta habentur. Nam LXXII ipsam vocem Hebraicam retinuerunt, cùm ἀχὰλ dicerent. ¶ Porrò בעל גד *Baal-gad* existimant plerique partem esse Antilibani Sidoniis objectam. Ego verò partem quidem Libani esse, sed versùs Orientem existimo, cùm Sidon proxima Occidenti sit. Nam terram Masphe ad Orientem positam vidimus v. 8. eam verò monti Hermoni fuisse subjectam, v. 3. Jam verò Baal-gad affinis Hermoni describitur, ut etiam c. 13. Quapropter sunt qui in eo exædificatam fuisse augurantur, nescio quâ conjecturâ, magnificam illam ædem è candido marmore quam Magnus Herodes non procul à Panio Jordanis fonte dicavit Cæsaris Augusti honori. Sed ista disputabuntur alibi accuratiùs à nobis, si volet Deus. Nunc enim illud scire satis est, Baal-gad ad Libanum pertinuisse, quem esse Chananææ extremitatem versùs Septentrionem, dictum est in ipso initio hujus commentarii, c. 1. 4. Sed enim cur Chaldæus בעל גד *Baal-gad* converterit *campum* sive *planitiem Gad* nondum satis constituere possum. Neque enim memini positionem בעל id significare Hebræis quod nos *campum* aut *planitiem* dicimus. Cæterùm quòd universa Chananæa in Josuæ nunc redacta potestatem dicitur, id sic accipiendum est ut putemus nullos fuisse reliquos qui bellum movere atque partitionem terræ impedire auderent. Cæteroqui multas fuisse adhuc in illa gentes nullâ affectas ab Israelitis clade, ipsa nobis sacra patefaciet, suo loco, historia, c. 13. 1.

18. *Multis diebus gessit Josua cum omnibus regibus istis bellum*, &c.] Totius narrationis series rerum adhuc gestarum ab Israelitis, ex quo transmiserunt Jordanem, eo processit tenore ut paucorum dierum spatio hæc tanta bella confecta existimari possint. Hoc igitur nè quis opinetur, & ut sua quoque certior constet historiæ fides, dicitur multum in his bellis consumptum esse temporis. ימים *diei* enim vocabulum, numero plurium, pro *tempore* aut pro *annis* usurpare solent Hebræi. Et Josephus quidem hoc tempus quinquennio definit, Antiq. l. 5. c. 2. Judæi verò in sua chronologia quam סדר עולם *Sedar olam*, h. e. *Seriem seculi*, vocant, septennio. Nam Calebus, inquiunt, quadragesimum agebat annum quando à Mose speculatum Chananæam mittebatur è Cades-barnea. Jam verò hæc bella ubi confecta fuere, præterierant ex illo tempore anni 45. id enim ipse Calebus dicet c. 14. 7,--10. de quibus si demas annos 38. quos ab exploratorum reditu oberrarunt in solitudine Israelitæ, cùm dignas suo rebellio pœnas Deo darent, reliqui fuerint anni 7. Sic Judæi istam subducunt rationem, &, ut mihi videntur, rectè. Josephus verò non 38. demere sed 40 videtur; quippe qui existimet, ut conjicio, post reversos Mosis speculatores erratum per solitudinem esse totis annis 40. In qua sententia fuisse etiam LXXII interpretes, dixi ad c. 5. v. 6. verùm id non est ità. Narrat enim disertè S. historia Deut. 1. 3. *Mosen anno quadragesimo, die primâ mensis undecimi, verba fecisse ad populū in campis Moabiticis, post devictos Reges Sehonem & Og, atq; universam Dei legem explanasse*: & alibi, Deut. 2. 14. *à Cades-Barnea relicta ad transmissum torrentem Zared intervallum fuisse temporis annorum* 38. Et verò annos illos 40. non ab illa rebellatione dira quæ ad Cades-Barneam acciderat esse computandos sed à relicta Ægypto, luculenter explicant verba quibus Aharonis mors prodita est in Numeris 33. 38. Habent enim *è vivis illum excessisse mense quinto anni quadragesimi ab excessu Ægyptiaco*. Sed de his jam satis multa. Nam tractatus est hic locus à nobis etiam c. 5. v. 6. Superest ut quibus de causis tractum tam diu hoc bellum sit videamus. Hìc impuros Judæos dicere nihil pudet, Josuam datâ operâ belli hujus conficiendi moram fecisse longioris vitæ cupiditate, cùm non nesciret mox è vivis excedendum sibi fore postquam profligatis Chananæis terram suo populo distribuisset. Sed mittamus absurdissimos ad tractandas literas sacras homines. Certum quidem est, facilè potuisse Deum, atq; etiam jure & meritò, Chananæos, quorum turpissimam vitam aliquot jam seculis patienter tulerat, vel lue, vel fame, vel aliâ re adversâ, solo nutu, funditus exstirpare, aut ipsos ad solum Israelitarum conspectum exterminare, & trans mare, trans Libanum, trans Jordanem, trans solitudinem denique, metu perculsos attonitósq; abigere, & suum populum in possessionem vacuam mittere. Verùm id ad sacram istam rempublicam firmè constituendam minimè expediebat; cujus omnis salus in cognitione Dei & perpetua adversùs illum observantia atque obsequio posita erat. Nunquam enim Judæi potuerunt ullis miraculis ad considerandam Dei potentiam & supra Barbarorum Deos præstantiam satis excitari, ut ejus beneficiorum memoriam gratis animis perpetuò usurparent. Tanto enim superstitionum profanæ gentis támq; insano amore impediti tenebantur, ut etiam si interdum prodigio quopiam insigni velut expergefacti in cœlum mentis oculos paulisper attollerent, mox quasi veternosi in profundam illius oblivionem relaberentur. Nihil opus est exemplis, sunt enim ubique obvia in S. literis. Quapropter semel diutinis bellis istis, veluti perpetuis miraculis, condocefaciendi erant atque exercendi ad amandum stabiliore firmioréque ratione Deum, eum solum spectandum, ex eo uno dependendum, cùm pietas sanctitásque longiore temporis spatio in ipsorum animis inveteravisset, & tanquam in venis medullísque insedisset. Ad hoc, quò ex illatis moris atque impedimentis magìs ardua videtur possessionis Sanctæ terræ occupatio, eò illustrior ad omnem posteritatem transmittitur memoria curæ & studii Dei, quo is suam Ecclesiam condidit, magísque splendescit ejus erga hanc amor. Præterea, discunt istius reip. cives durare in rebus adversis, neque continuò despondere animum, si qua sibi posita ad salutem obstacula videant; quin potiùs existimare nihil esse tam difficile quod non possit Deo duce perrumpi. Insuper ista bellorum diuturnitas spectatam magìs cognitámque reddebat omnibus gentis Chananææ vitiositatem atque impietatem, quæ tam pertinaciter & obstinatè pergeret Deo cujus in toto bello præsentia multis modis apparebat, repugnare; neque in animum induceret, pace factâ, sub tam benigni erga suos cultores támque potentis adversùs hostes suos Numinis jugum sese dedere: præsertim cùm maturè omnes intellexissent quàm id feliciter Gabaonitis evenisset. Denique, quod vel primo loco dictum oportuit, ista belli conficiendi procrastinatio luculentissimum nobis

nobis immensæ Dei misericordiæ dat testimonium, ut bene multis & quidem suavissimis verbis in libro qui *Solomonis Sapientia* inscribitur est explicatum, c. 12. 3--10. *Priscos enim*, inquit auctor ad Deum verba faciens, *colonos terræ tuæ sacræ exosus, quia pessima veneficiorum patrarent facinora, & impiis sacris operarentur; cùm essent liberorum suorum parricidæ, & humanorum viscerum carnes per scelus cruentis dapibus epularentur, suorum indefensorum liberorum ipsi per se carnifices; illos, inquam, perdere voluisti manibus majorum nostrorum: ut quæ terrarum omnium in pretio apud te maximo erat terra, ea coloniam filiorum Dei reciperet dignam. Verùm etiam tales cùm essent, pepercisti tamen: quippe quia homines essent. Misisti q; præcursores exercitûs tui vespas, quæ paulatim ipsos profligarent. Non quò nequires acie impios dedere piis in manum; aut immanibus feris, vel brevi verbo semel delere: sed ut paulatim puniendo pœnitentiæ locum concederes*, &c. & mox v. 19, 20, 21. *Docuisti porrò populum tuum illiusmodi factis, Eum qui justus sit humanum quoque esse oportere; & bonâ spe animos tuorum informasti, ut qui in peccatis locum esse sinas pœnitentiæ. Nam si tuos hostes & mortem promeritos tanta cum considerantia punivisti, concesso tempore locóque quibus recederent à vitiis, quantâ curâ gubernas filios tuos, quorum majoribus jusjurandum & federa dedisti bonarum promissionum?* & quæ sequuntur, piget enim plura adscribere. Ista autem eò lubentiùs propè κατὰ λέξιν convertimus, ut lector nostrorum codicum animadverteret mendas. Nam pro σπλαγχνοφάγων legendum est accusandi casu σπλαγχνοφάγους: & pro ἐκ μέσου dicendum ἐκ μύσους, ac deinceps pro ἀφείσω, ἐφείσω· pro προσδοχῆς, προσοχῆς. Et quod hîc sequitur καὶ δεήσεως expungendum est. Deniq; pro πάσης scribendum est πόσης. Affert quidem ipse Moses causam cur paulatim expelli oporteret Chananæos, Deut. 7. 22. nempe, Nè feræ bestiæ frequentes exsisterent in locis solis, populóque Dei infestæ essent. Neq; enim Israelitæ illico occupare omnia potuissent. Sed illa causa videtur magìs ad ea spectare tempora quæ sunt post Josuæ excessum consecuta: quanquam huc quoq; non ineptè accommodari posse fatear. Sed & illud dici potest, Hanc diuturni belli commemorationem pertinere ad laudem Imperatoris Josuæ & universi exercitûs, qui magno & invicto animo tanta pericula tantásque molestias tamdiu sustinuerint donec pervincerent. Nam & Christus nobis inculcavit, *Eos qui ad extremum perseverarint fore salvos*, Mat. 10. 22. & 24. 13.

19. *Non erat civitas quæ pacem faceret cum Israelitis*, &c.] LXXII interpretes contrariam prorsus sententiam reddidisse videntur; nisi si existimemus corruptum olim esse locum, atq; expungendam negandi particulam in illis verbis, ἥτις οὐ παρέδωκε, aut certè παρέδωκε dictum ab illis esse pro *concessit*, Israelitis scilicet; h.e. victa ab eis fuit. Sed Latinus simpliciter id repræsentasse videtur quod ipse apud LXXII scriptum esse existimabat, cùm diceret, *Non fuit civitas quæ se non traderet filiis Israel*: quod quantum discrepet ab iis quæ in Hebræo habentur, nemo non intelligit: verùm ego hunc quoq; corruptum esse existimo. Continet autem hic versiculus causam diuturnioris belli. Nempe manu res gerenda erat adversùs obstinatissimum hostem καὶ ἄσπονδον. Facilè enim amplissimæ percurruntur subiguntúrq; provinciæ quando unâ quapiam victoriâ sic percelluntur simul omnium hostium animi ut victori exercitui ultro undiquaq; supplices se illi offerant dedántq;. Verùm ubi propè ad singula vestigia insistendum, explicandi ordines, expedienda tela, conserendæ cum hoste manus, atq; omnia ubiq; apud adversarios desperationis ultimæ plena sunt, quâ nullũ est difficilius atq; pertinacius malum, neq; quisquam omnium nisi ipsâ morte depacisci vult, longa profectò & laboriosa expeditio fit necesse est. ¶ Quod porrò additur, *omnes ceperunt bello*, qui potest verum esse, quando necdum sub Judicibus aut Regibus captæ omnes Chananæorum civitates fuere ab Hebræis? Hunc nodum sic dissolvit Augustinus *Omnes esse captas per vim ad quas Josua cum armis accessit*; aut, *Omnes quæ sunt suprà commemoratæ*. ¶ Cæterùm nominantur *Hevæi Gabaonis incolæ*, quia, quod antè diximus, plurimi fuere alii Hevæi.

20. *Quia à Domino erat ut obfirmarent cor suum*, &c.] *Obfirmandi* verbum hoc loco est modi infiniti, לחזק, qui modus quoniam neq; personis neq; numeris distinguitur, redditus est à LXXII & eos imitato Latino per patiendi verbũ. Est enim anceps per se oratio, Deúsne cor Canaanitarũ, an verò ipsi suum obfirmaverint. Et sanè utrumvis rectè dicitur. Legimus enim in Exodo, *Dominum obfirmasse cor Pharaonis*, c. 9. 12. *Dominum obstinasse cor Ægyptiorum*, c. 14. 17. & in Deut. 2. 30. *Dominum obstinasse spiritum Sehonis, & obfirmasse cor ipsius, ut eum traderet in manus Israelis*. Rursus alibi scriptum est, *Pharaonem obstinavisse cor suũ*, Exod. 9. 34. Sed nihil attinet plura adjungere exempla: sunt enim utriusque formulæ loquendi multa in S. literis, unde conficitur, perinde esse sive à se sive à Deo ipso obstinari homines dicantur; utrumq; enim fit, quando ipsi suis flagitiis atq; improbâ voluntate, quâ Divinis legibus parere recusant, eásq; petulanter perfringere pergunt, eam contumaciam quam *duritiem* appellant S. literæ sibi promerentur, tanquam sceleribus suis dignam pœnam: Illorum autem flagitiorum faciendorum libido ex Dei lenitate atq; patientia nascitur, quibus isti non ad peccandi licentiam sed ad resipiscendi occasionem uti debebant. Ego verò meâ interpretatione causam in homines vertere malui, ut apertiùs Divinam justitiam in illiusmodi pravitatibus animorũ tuerer. Neq; enim earũ ille magìs dici auctor debet quàm Magistratus suppliciorum quibus sontes ob sua peccata condemnant plectúntq; aut quàm benignus & lenis herus, augescentis in servo improbitatis pro qua tandẽ pœnam ab illo meritam sumit. Sed adscribam D. Basilii verba, ut certè ea Latinè consequi potero, quibus ille mihi videtur rem istam strictim quidem sed luculenter tamen dixisse. *Obstinavit*, inquit, *Pharaonem Deus, cùm per longam hujus patientiam & supplicii procrastinationem illius flagitia augescerent; ut tandem, ubi ad ultimum terminum excrevissent ejus peccata, illustrius fieret Divinum, quo periturus esset, judicium. Itaq; cũ à minoribus progressus flagellis Deus majoribus atq; majoribus eum plectere pergeret, neq; emolliret tamen obstinatũ, comperit patientiæ lenitatísq; suæ illum esse contemptorẽ, atq; ipso usu adversùs plagas occalluisse. Et tamen nè sic quidem morte ipsum mulctavit, donec se ipse submergeret, cùm ausus esset præ superbia eadẽ quâ justi insistere viâ, atq; existimasset, ut Dei populo, sic sibi pervium fore Rubrum mare*. Hæc ferè Basilius, & multa insuper alia in eandem sententiam divinè scripsit oratione eâ quâ docuit *Deũ non esse causã malorum*. Et plura etiam D. Augustinus, cùm multis in locis strictim, tum copiosissimè lib. De prædestinatione & gratia. Hos auctores probatissimos audiat qui plura de ista animorum obstinatione requirit. Ego enim semel sic statui, Ea quæ ad Divinam pertinent prædestinationem, ut vocatur à Theologis, quia *abstrusa sunt in profundo sapientiæ & cognitionis Dei*, teste Paulo ad Rom. 11. 33. & *æquitate quadam occultissimâ atq; ab humana intelligentia remotissimâ dispensantur*, ut scripsit Aug. ad Simpl. l. 1. quæst. 2. procul religiosè & submissè adoranda, non autem curiosioribus mentis oculis investiganda nobis esse, nè cũ insolenti ingenii confidentia accedere conantes propiùs in barathrum erroris absorbeant. Quod nostrâ memoriâ evenisse viris alioqui doctissimis videre videor. Sed nihil attinet quenquam nominare, ipsæ enim illæ horrendæ voces quas edidere in Ecclesia Dei satis eos produnt. Sed ut ad S. verba revertar, existimandum est Chananæos nequaquam per Dei præscientiam, ut sic dicam, aut ullo cœlesti pulsu adactos esse ad illam animorum suorum pravitatem, aut, ut vocamus, duritiem & obstinationem, sed spontè ipsos per sua scelera obfirmasse sibi animos, ut meritò justóque Dei judicio non resipiscerent; cùm ipsorum tantò altiùs radices ageret impietas quantò Divina lenitas diutiùs pœnas meritas differret. Atque hanc immedicabilis pravitatis naturam scitâ figurâ expressit Zacharias vates 5. 8. dum ei *plumbeam in ore massam* posuit, ut quæ suopte pondere altiùs atq; altiùs sidit mergitúrque. Non solùm ergò justam, sed etiam evidenter justam, ut loquitur Augustinus l. 2. Quæst. in Exod. pœnam de illorum peccatis sumebat Deus, quæ ultra quartam jam generationem maturuerant, neque diutiùs ferenda erant

cum ulla melioris vitæ spe. Et tamen non ità sumebat libenter ut non pro æterna sua misericordia locum concederet pœnitentiæ, quod exemplis rationibúsq; satis, opinor, antehac ostendimus. ¶ *Cordis* verbum pro *mente*, ut sæpe aliàs, positum est. Nam versiculi totius sensus est, Nullos Chananæos deditionem fecisse præter solos Hevæos Gabaonitas; nam Divino judicio factum esse ut omnes obstinatissimis animis perseverarent bellando adversùs Israelitas, quò ab his stirpitus exscinderentur absque ulla miseratione, quâ solemus non erga repugnantes sed supplices commoveri. ¶ Sed quia de innumerabili hominum cæde agitur, rursus à crudelitatis suspicione vindicantur Israelitæ, cùm additur clausula, *Sicut mandarat Dominus Mosi*, q.d. Nullam eos in ista tanta carnificina exercuisse iracundiam aut crudelitatem in Chananæos, sed Dei jussa executos esse, quæ à Mose acceperant. Movet hoc loco Augustinus quæstionem, Quid opus fuerit Chananæos suâ pervicaciâ omnem à se misericordiam avertere, ut exitium quo prorsus delerentur sibi accerserent, quando, ut maximè fuissent supplices, tamen lege Divinâ erant exterminandi. Deinde respondet, Fas quidem non fuisse ut illis Israelitæ parcerent, cùm id facere prohibuisset Divina lex; verùm tamen parsuros fortassis fuisse multis præ misericordia, si supplices occurrissent, ut pepercere Gabaonitis; &, ut demus Josuæ animum permoveri misericordiâ iniquâ non potuisse, tamen credibile esse etiam ipsum lentiorem fuisse futurum, nisi illi per suam contumaciam ad vindictam illum stimulassent. Porrò si Josuâ superstite atque imperante non fuissent illi deleti, facilè deinde à divisis tribubus manendi veniam consecuturos fuisse; cùm ipso etiam tum vivo, sed præ senio bellum non administrante, populus in Dei mandatis observandis negligentior non paucis Chananæis pepercerit, subjugasse eos contentus; quosdam subjugare, nedũ exterminare nequiverit etiam. Sic ferè Augustinus. Sed nos aliam sententiam secuti sumus, quam c.9.v.27. satis multis verbis explicavimus; ut supervacaneum sit huc plura apponere.

21,22. *Et venit Josua per id tempus, & excidit Ænacinos*, &c.] Ex multis S. historiæ locis certum est ענקים *Ænacinos* hominum genus fuisse magnitudinis inusitatæ, qui videntur quodam viro nomine ענק *Ænac* prognati ejus nomen retinuisse. Nam quòd Judæi pleriq; putant hoc nomen esse appellativum, ut vocant Grammatici, q. *torquatos* dicas, atq; à vasti corporis cultu quodam hominibus illis attributum, id levi nimis conjecturâ, quippe solâ verbi significatione, ab eis judicatur. Sed proferam locum unum ex quo illud quod dixi omnino possit videri credibilius. His utuntur verbis speculatores Mosis reversi Num.13.33. *Vidimus*, inquiunt, *Gigantes, filios Ænac, è gigantum genere: & videbamur nobis quales locustæ*; *taléq; videbamur etiam illis*: בני ענק, h.e. *filios Ænac*, vocant illos gigantes. Et paulò antè dixerant v. 28. *Atque etiam prognatos Ænac vidimus ibi*, h.e. ילדי ענק. Quis hîc non putet *Ænac* dici primum illius stirpis parentem? ¶ Cæterùm quod converti *gigantes*, est Hebraicè נפילים, quo verbo à *cadendo*, ut videtur, dicto vocantur etiam in lib. De rerum ortu c.6.v.4. ista naturæ monstra. Et haud scio an non iidem sint quos Ennius dixit, Cicerone teste l.1.Quæst.Tuscul. *Cascos* esse à priscis vocatos. Constat enim Antiquitatem multa ex S. literis compilasse. Judæi נפילים dictos esse scribunt, quòd ut violentâ tempestate labes & calamitas fit in segetibus, ità isti in hominum cœtibus strages faciant. Quod sanè consentaneum relationi speculatorum est, qui narrant, cùm de hoc hominum genere verba faciunt, *terram suos vorare incolas*, Num.13.32. Atq; ob hanc quoq; causam, ut Judæis placet, iidem vocabantur אימים Deut.2.10,11. q. *terrores* dicas, cùm essent cæteris hominibus formidabiles. Sed רפאים ego certè appellatos esse existimo, Gen.14.5. quòd quasi *inferi* in antris & cavernis sub terra habitarent pleriq; eorum. Inepta enim est antiphrasis quam quidam commenti sunt. Sed de his mox plura. Cæterùm gigantes istos potissimùm eos montes obtinuisse qui circa Hebronẽ exsistebant, disertè referunt illi, quos nuper dicebã, speculatores, Num.13.22. Et proditum S. historiâ est Deut. 2, ipsos à posteris Loth atq; etiam Esau pulsos indè aliquando fuisse. In illis igitur locis etiamnũ ea progenies reliqua erat, & præterea in aliis quoq; per Chananæam, montosis præsertim; quam nunc memoratur novâ expeditione profligasse Josua. Etsi enim antè per universam Chananæam cum exercitu longè latéq; esset grassatus, eúmq; omnibus incussisset metũ Barbaris ut mutire ampliùs nemo auderet, tamen credibile est immanes illas belluas potiùs quàm homines iterũ ad res novas animum adjecisse, & diversis locis, in quibus sua latibula habebant, ostentare jam denuò se cœpisse: ut reprimendi viderentur, nè partitionem terræ mox novis motibus impedirent. Quanquam si quis opinari malit duos istos versiculos corollarium continere maximarũ duarum expeditionũ quæ hoc & superiore capite sunt enarratæ, eásque historias hoc veluti auctario, de fortissimis etiam Gigantibus à Josua exterminatis absolvi modò, is me sibi facilem astipulatorem est habiturus. Quòd porrò Calebus, ut 14 & 15 capite audiemus, sibi Hebronis montem, quasi etiam tum integrũ atq; intactum ab armis Israelitarũ, deposcet, atq; Gigantes indè ejiciet; ut etiam è Dabir Othoniel; id cũ hac narratione non pugnat. Nam illæ Calebi & Othonielis victoriæ post Josuæ demum contigere excessum; quantũ certè ex Judic. historia apparet. Et hanc opinionem habent etiam RR. Sol. & Levi F. Gers. Interea autem verisimile est, gentem illam ferocissimam, cùm antè, partim in suis antris abditi, alii in vicinas urbes Gazam, Geth, Azotum profugi, manus Josuæ evasissent, denuo illas majorum suorum sedes occupasse, & ad res novas alios solicitasse, donec tandem à Calebo post Josuæ obitum sunt prorsus deleti. Existimat quidem R.D.K. Calebum id etiam tum vivo Josuâ gessisse, cùm Judaica tribus suam hæreditatem crevisset, & ipse dudum Hebrone donatus fuisset: Ei autem & tribulibus ipsius præ cæteris Israelitis victoriam illam adscribi, quia illi majore studio in id bellum incubuerint, cùm sua ipsorum res ageretur maximè; Hîc verò Josuæ etiam, ut Imperatori, attribui, cujus auctoritate res esset gesta. Et huic assentitur etiam R. Isaias. Interpretantúrque isti qui hanc habent opinionem illa quæ in Judicibus scripta sunt verba in tempus præteritum plùs quàm perfectum, ut vocant Grãmatici, *Perrexerat Juda ad Chananæum habitantem Hebrone, Percusserat Sesai, Dixerat Calebus, Ceperat Othoniel*, atq; ità cætera, usq; dum memoratur Judas cum Simone profectus contra Gazam esse. Sed demus sanè istis, Calebũ cum suis tribulibus ex Hebrone, Othonielem ex Dabire exterminasse Gigantes, ut scriptũ est in Judicibus etiam tum superstite Josuâ atq; imperante; quid, quæso, faciant de cæteris locis quæ hîc memorantur, *Anab, monte Israel, universa* deniq; *terra filiorum Israel*? an ista etiam ad illam Judicum narrationem pertinere dicent? Ad hoc, liber Judicum prodit, Mortuo Josuâ consultum esse oraculum Dei, quæ tribus prima adversùs Barbaros exire deberet: cúmque ex operto cœlesti responsum esset, Judaicam debere bellum auspicari, hanc cum socia Simeonitica primùm invasisse Regẽ Adonibezek, deinceps urbem Jerusalem; mox descendisse ad Meridiem versùs, atque Hebronem contendisse infestis armis, ibiq; tres illos Gigantes cecidisse: Othonielẽ verò suâ virtute cepisse Dabiram: indè unà profectos Sephat, occidisse ejus loci habitatores Chananæos; deinceps cepisse Gazam, Ascalonem, Accaronẽ. Quæ universa narratio cùm pulchro tenore procedat, ipséq; locorum situs optimè rebus ex ordine gestis respondeat, non potest profectò non ineptum videri ipsam diversi temporis verbis interrumpere. Huc etiam illa addi possunt, Quòd isti post debellatum Regẽ Adonibezek & captam Jerusalem memorantur in Judic. hist. Hebronem esse profecti; Rex autem Adoni-bezek nusquã inter eos enumeratur quos vicit Josua. Quódq; Gazam expugnarunt, quam præsens locus quem tractamus non esse captam à Josua apertè ostendit. Quòd si verò etiam auctoritate pugnandum est, certè D. Augustinus mecum facit. Censet enim illã Calebi de Hebronis Gigantibus victoriam in Josuæ quidem libro κατ' ἀνακεφαλαίωσιν, at in Judicibus suo tempore locóq; narrari. Observandum est autem, Ænacinos è *montibus*, non etiam vallibus aut campis, ejectos dici: Quippe hominum genus ab omni humanitate alienum,

&,

&, ut est credibile ex iis quæ speculatores retulisse nuper dicebā ἀνθρωποφάγον, montes potissimùm ferarū in morem habitabat, in quibus cuniculos sibi effodiebat; quales in campis fieri non patitur humor. Unde Homerus de simili hominum genere, Cyclopibus, cecinit Ὀδυσ. ι.

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες·
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων· οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι, &c.

Et alibi Nestorem sic loquentem facit, Ἰλ. α.

Κάρτιστοι μὲν ἔσαν, καὶ καρτίστοις ἐμάχοντο
Φηρσὶν ὀρεσκῴοισι, &c.

Centauros ille *montium incolas feras* appellat. Quòd si autem in vallibus quibusdam etiam manebant Ænacini, aut campis, quales videntur fuisse qui falcatis curribus sese adversùs Judæos defendebant in Judicum historia 1.19. existimandum est, hîc montium modò, non etiam summissiorum locorum, mentionem esse, quia illorum pars maxima versabatur in montibus; Aut Divino nutu præteritos esse quosdam à Josua, qui aliquando molesti populo Israelitico essent, ne is nimio otio Dei sui oblivisceretur, atq; in omne vitium sese dederet; Aut deniq; illos qui in Gaza, Geth, Azoto se servarant, pòst in valles illas misisse colonias. ¶ Cæterùm quod est in S. texto, *è monte*, complectitur universè ea quæ deinceps speciatim enumerantur loca, *Hebronē, Dabir, Anab*; hæc enim ferè loca sunt quæ ὀρεινὴν vocat Luc. 1.39. ¶ Paulò etiam ampliùs patet illud, *ex omni monte Juda*; omnes enim illos montes significat qui in ea Palæstinæ parte usquam sunt quæ ab Jerusalem ad Austrum jacet. ¶ De *monte Israel* suprà satis multa diximus, v.16. ¶ De *Hebrone* quoq; & *Dabir*, pauca c.10.36,38. & erit de istis urbibus alibi rursus dicendum. ¶ At ענב *Anab* locatur ab Eusebio libello De loc. Hebr. quarto, aut ut alios censere dicit, octavo lapide à Diospoli, h.e. Lydda, ad Orientem versùs: ejúsq; urbis repræsentare adhuc vestigia ait villulam nominatam *Beth-Anobam*. Ex qua ego descriptione conjicere probabiliter mihi videor, eandem unam fuisse urbem quæ primùm ענב *Anab*, deinde verò κατ' ἀφαίρεσιν נב *Nob* vocata sit. Nam nostri homines qui illa loca peragrarunt religionis causâ, prodiderunt memoriæ, Nob dici nunc vulgò *Beth-anobe* & *Beth-anopolim*; sitámq; eam esse in declivi montis cujusdam; & iis qui ab Joppe Jerosolymam petunt apparere à dextris, cùm non procul à sinistris se Lydda conspicienda offert, h.e. Diospolis. ¶ Porrò illud, *unà cum suis urbibus delevit ipsos*, dissentaneum esse videtur ei quod modò dicebatur v. 13. unam Hasorem inter hostiles urbes esse deletam in ista expeditione. Atqui responderi potest, hanc adversùs Ænacinos novam fuisse expeditionem, quæ paulò pòst alteram fuerit suscepta; aut Ænacinorum urbes, utpote à fortissimis defensas viris, non nisi subversis mœnibus capi potuisse, ideóq; deletas esse. In eâ enim sententiâ interpretari quosdā illa de sola Hasore cremata verba monebam. Quin hoc quoq; dici potest, vocabulū ערים hîc non *urbes* sed *civitates* significare; Ænacinósq; cum suis civitatibus, in quibus dominatum habebant, perditos esse. ¶ Tres urbes, עזה *Gaza*, גת *Geth*, & *Azotus*, maritimæ fuere. Et de Gaza quidem, quæ proximè versùs Ægyptum posita erat, suprà disseruimus 10. 41. Geth autem sunt qui Plinii *Gettam* esse censent. Verùm cùm ille hanc locet inter Carmeli promontorium & Ptolemaida sive Acen, fieri non potest ut illud verum sit. Neque enim Philistinorum urbes quinque, è quarum numero nostra Geth una est, tam longè à Gaza sursum recedebant. Sunt etiam qui Anthedonem & Agrippinam fuisse putant. At Ἀνθηδὼν, ut Stephanus scriptum reliquit, Gazæ erat admodum propinqua; ut nomina ista aut ipsam Ascalonem aut proximam Ascaloni urbem quampiam significare potiùs videri debeant. Nam & Strabo Anthedonem septem duntaxat stadiis abfuisse à portu Gazæ, suâque ætate eversam jacuisse scripsit. At Josephus illis regionibus natus, cùm l. 5. c. 3. tum rursus l. 9. c. 21. suarum Antiquitatum, prope Jamniam collocat Geth. Nostri verò qui illa loca adierunt scriptum reliquere, istam Geth in rupe exstitisse, in qua etiamnum ejus cernantur ruinæ, inter Jamniam, quam Veneti hodie *Zaniam* vocant, & Castrum Beroaldi; sed nonnihil introrsum à maris litore recedere, atq; abesse ab Joppe versùs meridiem millia passuum circiter 12. h.e. quatuor horarum itinere pediti. Ascalonem verò à Geth dissitam esse versùs Austrum quantum itineris conficiat pedes horis 10. h.e. millia passuum circiter 30. & vulgò Geth nunc vocari *Beyselea*; quod ego nomen significare autumo *Domum rupis*, déque Hebræo בית סלע formatum esse. Sed quando Castrum Beroaldi attigi mentione, exsistebat illud propè à maris litore, sub Jamnia, versùs Gazam, h. e. inter Jamniam & Accaronem, à Godefrido Bullionio structum. Sed de Geth idoneo loco plura sumus dicturi. Habuit hæc urbs ex gigantea illa sive Ænacina progenie cives monstrosæ magnitudinis ad Davidis usque memoriam. Nam & Goliath ille gigas quem David admodum adolescens memorabili duello occidit, 1 Reg. 17. & ejusdem nominis alter, quem idem post Saulis necem, cum tribus fratribus quartum interemit 2 Reg. 21. Getthæi fuere. At longè diversa ab hac fuit Jonæ patria, dicta גת חפר *Geth Hepher*. Erat enim hæc urbs prorsus mediterranea, posita circiter bis mille passibus à Diocæsarea sive Sephori, quà ibatur Tiberiadem, ut suo loco dicemus. Post Geth sequebatur non procul à maris litore pergendo versùs Gazam & Ægyptum, urbs עקרון *Accaron*, & deinceps, circiter duodecimo lapide אשדוד *Azotus*, post Azotum אשקלון *Ascalon*; ac demum Gaza. Ut autem Strabo libro 16. scriptum reliquit, vicinæ admodum fuisse inter se videntur Azotus & Ascalon. Facit enim ille itineris spatium inter Jamniam & Azotum Ascalonémque penè par; id autem est 200 stadiorum. Sed Azotus, ut minùs mireris, introrsum à mari recedebat, Ascalon autem in maris exstabat litore. Est autem Azotus receptâ Arcâ Dei nobilitata urbs. Et Philippus, cùm Eunuchum Christiano lavacro tinxisset, in hanc urbem deportatus est ab Angelis, Act. 8. 40. unde maris litus propè relegens Cæsaream Palæstinæ pervenit; & indè in Samariam est reversus, ex qua primùm sublatus fuerat. Sed de istis urbibus nunc hactenus, plura c. 13. si volet Deus.

23. *Itaque accepit Josua universam terram, secundùm omnia*, &c.] Continet iste versiculus epilogum omnium adhuc actorum à Josua, & simul argumentum eorum quæ deinceps agentur. Fuisse quidem magnam Chananææ partem reliquam, neque adhuc subactam à Josua, dicetur capitis 13. initio. Sed ille κατὰ συνεκδοχὴν omnem ceperat, h.e. & montosam, & planam, & devexam sive valles, & apricam; vel eatenus omnem sibi subegerat ut nemo esset reliquus usquam adversarius qui motis armis distributionem fieri prohibere posset; hoc enim versiculi clausula significare videtur, his verbis, *Et quievit terra à bello*. q.d. Nullæ usquam hostiles conspirationes aut motus per universam terram audiebantur ampliùs; ut jam nulli metuendi viderentur qui dividendæ hæreditatis otium interpellarent. Et sanè credibile est, cùm quosdam superstites & tanquam integros manere voluisset Deus, qui olim flagitiosa Israelitarum otia bellis factis interrumperent, sic Divinitus comparatum fuisse Josuæ animum ut illos ante partitionem exscindere non esse opus existimaret. Itaque omnia ubique jam fuisse tranquilla. ¶ Quod ego dixi *secundùm distributiones*, id Latinus non satis apertè interpretatus esse videtur *secundùm partes*. Neque enim Josua singulis viris sed tribubus suas assignavit portiones; sive, ipsis Israelitis pro tribu in qua quisque censebatur dedit hæreditatem.

IDEM.

1. PRo Ἀχιὰφ scribe Ἀχσὰφ, ex Syro, cui astipulatur Eusebius lib. De locis Heb.

2. Pro εἰς Ῥαβὰθ scribendum καὶ εἰς τὴν Ἀρβά· sic enim habent optimi quique libri. ¶ Pro Χενερὲθ non malè scribas Χενερὸθ, ut sit quarta vocalis ultimo loco, id enim Hebræo consentaneum est; & sic videtur legisse Origenes.

3. Καὶ τοῦ νότου, copula illa expungenda est. ¶ Cùm dicitur, εἰς γῆν Μασσηφὰ, Syrus legit, εἰς τὴν Μασσηφά· verùm alterum illud de Hebræo est expressum.

 4. Post

4. Post μετ' αὐτῶν additum in mixta est ※ λαὸς πολύς ↙.

5. Post ἐπὶ τὸ αὐτὸ expungi debet καὶ παρενέβαλον.

6. Post παραδίδωμι suggeritur in mixta ※ πάντας αὐτοὺς ↙. Illud verò αὐτῶν, quod pòst in vulg. libris est, non habent emendati codices.

7. Post πολεμιστὴς expletur locus in mixta his verbis per asteriscum additis, ※ μετ' αὐτοῦ ↙, deinceps sequitur, ἐπ' αὐτούς. Nam mendosi sunt codices Argentorati excusi, cùm habent ἐπ' αὐτῶν. Ultima clausula, ÷ ἐν τῇ ὀρεινῇ ↙, debet confodi obelisco.

8. Scribendum est κατέκοψαν, numero plurium, & mox καὶ διεπορεύοντο expungendum.

9. Scribe, appositâ præpositione, ἐν πυρί.

10. Cùm dicitur ※ τὸν ↙ 'Ασὼρ, debet articulus habere appositam stellam. ¶ Post καὶ τὸν βασιλέα αὐτῆς addit m. ed. ※ ἀπέκτεινεν ἐν ῥομφαίᾳ. Est autem deinceps scribendum, ἦν τὸ πρότερον 'Ασώρ, &c. ¶ Pro βασιλέων debet scribi βασιλειῶν *regnorum*.

11. Scribe καὶ ἀπέκτειναν πᾶν, &c. numero plurium. ¶ Illud, ÷ πάντας ↙, jugulari debet obelisco; similiter illud, ÷ ἐν αὐτῇ ↙. ¶ Deleatur nota universitatis cùm dicitur, πᾶν ἐμπνέον.

12. Pro βασιλειῶν debet reponi βασιλέων *regum*, atque hìc suggerit m. ed. pronomen ※ τούτων ↙, & mox, notam universitatis, καὶ ※ πάντας ↙ τοὺς βασιλεῖς, &c. Mox legit Syrus ἐξωλόθρευσε αὐτούς, ut verbum sit numeri pluralis.

13. Οὐκ ἐνεπύρισεν 'Ισραήλ, pro 'Ισραὴλ legit Syrus 'Ιησοῦς, sed illud est in Hebræo. Mox est in mixta articulus additus, πλὴν ※ τὴν ↙ 'Ασώρ. Rursus cùm dicitur, ※ αὐτὴν ↙ ἐνέπρησεν, pronomen hoc peregrinum est, & asterisco signandum.

14. Signandum asterisco est etiam illud, ※ καὶ τὰ κτήνη ↙. ¶ Post οἱ υἱοὶ 'Ισραὴλ sunt à Syro lecta hæc per obeliscos, ÷ κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦ Κυρίου, ὃ συνέταξε τῷ 'Ιησοῦ ↙. Deinde sequitur quod in Vulg. libris est, αὐτοὺς δὲ πάντας, &c. sed hìc pro αὐτοὺς scribi omnino debet ἀνθρώπους. Nimirum natus olim error est ex eo quòd hoc nomen sæpe solet præcisè scribi his solis literis ἀνους. Est enim in Hebræo, *Cunctos homines ceciderunt acie gladii.* ¶ Sunto verba numero singulari posita, ἐξωλόθρευσεν, & ἀπώλεσεν. ¶ 'Εξ αὐτῶν jugulandum est obelisco.

15. Pro καὶ καθὼς debet reponi ὡσαύτως. ¶ Post τῷ 'Ιησοῦ addenda est Conjunctio, scribendúmque καὶ οὕτως ἐποίησεν, &c. Denique extremum versiculi redditum à LXXII erat his verbis, ὧν συνέταξεν αὐτῷ Μωυσῆς. At in m. ed. hoc sic est expletum, ὧν συνέταξεν αὐτῷ ※ Κύριος ↙ τῷ Μωυσῇ.

16. Pro 'Ιησοῦς legit Syrus 'Ισραήλ, sed illud est in Hebræo. Debet autem post hoc nomen continuò scribi τὴν πᾶσαν γῆν: & articulus τὴν bis positus ante universitatis vocem πᾶσαν debet bis signari asterisco. Nomini autem γῆν addit m. ed. demonstrationis verbum ※ ταύτην ↙ per asteriscum. ¶ Post ὀρεινὴν scribi debet ※ καὶ τὴν ↙ πᾶσαν Ναγέβ, deleto nomine γῆν, & posito asterisco apud copulam atque articulum. Pro Γοσὸμ autem scribi debet Γοσόν. Denique nomini πεδινὴ additur in ed. mixta pronomen ※ αὐτῆς ↙.

17. Initio hujus versiculi secutus est Syrus eam scripturam & verborum collocationem quæ in Vulg. libris habetur: quapropter censeo eam retinendam esse. At Vat. liber & Complutensium editio habent τὰ πρὸς τῷ ὄρει, ἀπὸ ὄρους 'Αλμὰκ, ὃ προσαναβαίνει, &c. Mendosè enim in Vat. est 'Αχέλ. Nam etiam in libello De locis Heb. vocatur mons iste 'Αλμάκ. Pertinet autem pronomen illud τὰ, quod initio istius versiculi scribitur, ad verbum πεδινὰ positum in extremo versiculi superioris. ¶ Cùm ulterius dicitur, καὶ πάντας τοὺς βασιλεῖς, debet copula habere appositam asterisci notam. Demum in ipsa extremitate suggeritur in mixta pronomen, hoc modo, ἀπέκτεινεν ※ αὐτοὺς ↙.

18. Conjunctio in istius versiculi principio posita, est jugulanda obelisco. Addita est in m. ed. πάντας, hoc modo, πρὸς ※ πάντας ↙ τοὺς βασιλεῖς, &c.

19. Atque in hujus quoque versiculi principio scripta conjunctio debet veru confodi. Vaticanus tamen eam prorsus omisit. ¶ Post παρέδωκε adscribendum est pronomen σοὶ ex Vaticano. ¶ Post 'Ισραὴλ suggerendum ex m. ed. est ※ πλὴν ὁ 'Ευαῖος ὁ κατοικῶν ἐν Γαβαὼν ↙. Nam etsi id in Vat. quoque scriptum est, tamen certum est non esse τῶν ἑβδομηκονταδύο; sed ab aliis interpretibus acceptum. Legit etiam Syrus πάσας pro πάντας, & sanè aptius est ut ad urbes pertineat, absque ulla transnominatione.

20. Verbum ἐξολοθρεύσωσιν debet bis mutari in patiendi verbum ἐξολοθρευθῶσιν *exterminarentur*: nam sic est in bonis libris, & ità hic locus à D. Augustino lectus est: debétque pronomen αὐτοὺς auferri.

21. Duo illa nomina 'Ιούδα & 'Ισραὴλ sic sunt trajicienda ut illud priore, hoc posteriore loco collocetur. Debent quoque illæ copulæ, ÷ καὶ ↙ ἐκ Δαβεὶρ, ÷ καὶ ↙ ἐξ 'Ανὼβ, ÷ καὶ ↙ ἐξωλόθρευσεν, confodi obeliscis.

22. Pro τῷ scribendum est πλὴν, & pro Γαζὴβ, Γαζῇ. Denique pro plurali κατελείφθησαν ponendus sing. κατελείφθη.

23. Cùm dicitur μερισμῷ αὐτῶν, pronomen, ut peregrinum, debet asterisco secerni. Equidem hoc loco pronomen αὐτοὺς libenter commutarem cum αὐτήν. Terra enim data est hæreditatis loco, non homines, qui exterminandi erant; & est in Hebræo femininum pronomen, sed adversùs mirabilem exemplarium consensum non putavi faciendum ut aliquid mutarem.

DRUSIUS.

1. REX Hasor] Vel *Chasor*. Perperam *Asor* in Vulg. nostra. Urbs erat in Galilæa superiore quam *Gentium* vocant, non procul à Cades: In quarum medio campus erat qui vocatur πεδίον 'Αζώρ, pro quo *Nasor* lectum 1 Mach. 11. 67. sed legendum esse 'Αζὼρ docet nos Josephus, ubi hanc historiam recenset; quod aspirandum, ut sit 'Αζὼρ *Hasor*. *Hasor*, *Chasor*; ut *Hermon*, *Chermon*; *Hebron*, *Chebron*; *Ham*, *Cham*. Vide Masium. ¶ *Semeron*] Vel potius *Semron*, quod nunc legunt *Simron*. *Simron*, *Semron*, ut *Nimrod*, *Nemrod*. *Simron* autem est Samaria, quæ & *Someron*, unde *Somronim*, Samaritæ sive Samaritani. Sed vide 1 Reg. 16. 24. Nam si tunc à Semere montis priore domino fuit appellata, quomodo hìc vocatur *Simeron*, cùm Semer nondum natus esset? Adhæc si Samaria erat Josuæ ævo, quomodo pòst condita fuit ab Amri? De hac re aliàs, si Deus voluerit.

2. *Qui ab Aquilone in monte*] צפון בהר vertunt *Septentrio regionis in montanis*. Aliquid subaudiunt sine causa necessaria. Nam *Septentrio in monte* valet *Septentrio montis*, i. regionis montanæ. *Vallis in Gabaon*, i. *Gabaonia*: quæ & *Ajalonia*. Simile חוסי בו *sperantes in eo*; quod idem cum illo, חוסיו *sperantes ejus*. Nam particulæ non impediunt constructionem. Quod notum iis qui Grammaticam norunt. Sunt qui per *montem* Libanum significari putant. Hier. *ad reges Aquilonis qui habitabant in montanis*. Sic Jud. 8. 11. השכוני באהלים *qui habitabant in tentoriis*; *habitatores tentoriorum*, ubi notabis participium generis passivi eandem vim habere cum activo שוכן *habitans*. Sic NASVI *qui uxorem duxit*, רכוב *equitans*, & alia ejus generis. Vide Observ. meas. ¶ *Et in planitie*] A Septentrione in planitie, i. regionis planæ. Ebraicè *Araba*, quod hìc *planitiem* reddunt, cùm possit reddi *in solitudine*, i. solitudinis. Vox enim Ebræa utrumque significat, & mox sequitur, *à Meridie Cinneroth*, & *in planitie*. Ubi *Sephela* in fonte. Fortè planities alia erat in Septentrione, & alia in Austro sive Meridie. Masius *superioris Galilææ dominos* hìc significari putat. ¶ *Ad Austrum*] Malim *ab Austro*, ut מן repetatur ex præcedentibus. ¶ *Gennesar*] Hìc est *Cinneroth*, & alibi *Cinnereth*, eodem sensu. Chaldæi utrumque גינוסר interpretantur. Terminatio pluralis non caret emphasi. Nam regio erat valde pinguis, de qua mira referunt Ebræi, admodum eam laudantes à pinguedine. Id R. D. annotat; quem noster Masius non rectè intellexisse videtur. Pluralis

ralis autem indicat plura loca & varia ejus generis fuisse. Sonat autem *Genesar, Hortus principum*, pro quo in libro Nominum, *Ortus principium*, duplici archaismo; *ortus* pro *hortus*, & *principium* pro *principum*. Hieron. *contra Meridiem Ceneroth*. LXX ἀπέναντι Κένερώθ, i. נגד pro נגב. Nomine *Cineroth* quidam intelligunt regiones sitas in utraque ripa Gennesareth, cis ac trans Jordanem. Cæterùm Genesar lacus varias appellationes habet: Nam vocatur *mare Galilææ*, & *mare Tiberiados*, & *mare Tarichea*. Nam & Tiberias insignis urbs ab Occidente, Tarichea verò à Meridie. ¶ *In tractibus Dor*] *Tractus* Ebraicè נוף dicitur. Sed & נפה, unde *Naphoth*, *tractus*, *regiones*, quas פּילכין vocant Chaldæi, qui à נוף, ideo Camets manet invariatum in נפות sequente genitivo casu. In cod. Græcis nomen hoc corruptum est, emendatiores habent Ναφὲθ Δώρ, sed malim, Ναφὼθ Δώρ. *Dor* autem Latinè declinatur *Dora*: & Stephanus extulit genere masc. Δῶρος, & Plinius neutro *Dorum*. Sita erat hæc urbs inter Carmeli promontorium & Cæsaream Palæstinæ, Occidentem versus, ad littus maris Magni. Ab hac voce Doctores Ebræi septem climata נופות appellant.

3. *Chananæos ab Oriente*] Jordanis erat in Oriente terræ Israel: ejus accolæ erant Chananæi, ut habetur, Num. 13. 29. Alii prope mare habitabant Mediterraneum, quod erat in Occidente illius regionis: unde passim pro *Occidente* usurpatur. Res notior est quàm ut probari debeat. ¶ *Sub Hermon*] Montis nomen qui & *Chermon*. Hieron. *qui habitabat ad radices Hermon*. LXX ὑπὸ τὴν Ἀερμών. Malim ὑπὸ τὸ Ἑρμών, nam ὄρος subintelligitur. Jon. בשיפולי חרמון *in imis*, aut *humilibus*, *locis*, vel certè *in radicibus*. Mons iste varias appellationes habet. Nam vocatur *Baal-Hermon*, Jud. 3. 3. *Et Hevæus incolens montem Libanum, à Monte Baal-Hermon usque ad aditum Hemath*, ubi *Baal-Hermon* est Hermon: qui & *Sanir*, & *Sarion*, & שריון *Siron*.

4. *Currus*] Currus ferreos intelligit sive falcatos, quos Xenophon appellat δρεπανοφόρα ἅρματα. Vocantur etiam δρεπανοφόρα τέθριππα. Livius *falcatas quadrigas* dixit, & Lucretius *falciferos currus*. De falcatis curribus vide Brissonium De regno Persarum l. 3. p. 309, &c. ¶ *Multi valde*] Ad verb. *currus multus valde*. Sed ut *equus* copiam equorum denotat, ità *currus* sign. multitudinem curruum. Ideo usus fui numero multitudinis. Quantus autem fuerit numerus curruum equitúmque & peditum disces ex Josepho.

6. חללים] Et *occisos in bello* significat, & *vulneratos*. Nunc igitur *occisos* intelligemus, sensu ità postulante. Nam non saucios tantùm tradebat eos, sed cæsos & interfectos. Sanè Jon. hic edidit קטילין *occisos*; nec aliter Symmachus. Quanquam in LXX vulgatæ editiones τετροπωμένους, & apud interp. Origenis *sauciatos*. Libri tamen veteres τετροπωμένους *fugatos*, quod emendatum ità esse credo à sciolo nescio quo. Hieron. *vulnerandos*, pro quo malim *vulneratos*. *Saucii*, i. ex vulnere mortui, ex eo quod præcedit id quod sequitur. Gen. 34. 27. חללים, Onc. קטיליא, & Jon. קטוליא. Psal. 88. 5. כמו חללים, Hieron. *sicut interfecti*: Hinc & Ezec. 31. 17. חללי חרב *interfecti gladio*, ità Hieron. ubi LXX τετραυματισμένους ἐν μαχαίρᾳ. Trem. *confossi*; Leo Judæ, *occisi*. In lingua Hellenistica τραυματίαι valet *interfecti*. Nam ità ferè semper Senes reddunt vocabulum Ebraicum. Rariùs νεκροὺς interpretantur, & semel πεσόντες. In historia Ebraica לפשט את החללים *spoliare cæsos in bello*. In 1 Machab. ἔπεσον τραυματίαι πολλοί, i. חללים. Thren. 2. 12. כחלל. LXX ὡς τραυματίαι. Hieron. *quasi vulnerati*. Chald. *ut occisos gladio*. 3 Reg. 11. 15. θάπτειν τοὺς τραυματίας, & 1 Par. 5. 22. σκυλεῦσαι τοὺς τραυματίας, &c. Jesa. 22. 2. οἱ τραυματίαι σου, οὐ τραυματίαι ἐν μαχαίρᾳ. Thren. 4. 9. τραυματίαι λιμοῦ. Sed vide Concord. Græcas. ¶ *Ego do*] i. Dabo, vel tradam. Simile, *Ego commoveo cœlum ac terram*, i. commovebo. Sic, *quò ego vado*, i. vadam. ¶ *Subnervabis*] Malim *enervabis*. Ebr. תעקר, q. *radicem*, aut *fundamentum*, *auferes*. Nam, ut ait R. D. *equorum pedes sunt eorum fulcimenta: quorum si nervos incideris, nullus deinde fuerit ejus animalis usus*. Vide illum, si placet, in lib. Rad. Trem. *equis eorum suffragines succidito*, LXX, τοὺς ἵππους αὐτῶν νευροκοπήσεις, *equis eorum nervos præcides*.

8. *Usque ad Sidonem magnam*] *Magnam* appellat, non quòd alia minor esset, quod suspicatur R. D. sed quòd esset antè quàm à Persis caperetur maritimarum urbium maxima, ut Mela testatur. Nomen accepit, ut ego existimo, non à copia *piscium*, sed à *Sidone* primogenito Chanaan, qui memoratur Gen. 10. 15. Hodie *Said* vel *Saida* dicitur. Benjamin in Itinerario, *Saidam vani*, ציידא, *quæ Sidon olim, urbem maximam*. *Said* scribunt Niger & Postellus; etiam Masius: quem vide ad hunc locum, si tibi otium est, & si vis. ¶ *Usque ad combustiones aquarum*] Masius, *ustrinas aquarum*. Thargum, *fossas*, sive *lacunas*, *aquarum*. Sic edit. Complutensis. Veneta, *usque ad lacunas maris*, i. עד חרציימא. Videndus R. D. Vulg. *ad aquas Masrephoth*. LXX in libris melioribus, Μασερεφὼθ μαιμ, quod Chaldæus, *inter salinas aquarum*, i. loca ubi aquæ salsæ excoquebantur in salem. Aq. Μασερεφὼθ τῶν ὑδάτων. Sym. Μασρεφὼθ ἀπὸ θαλάσσης, i. *à mari*, מים. Masius existimat *vitrarias officinas* his verbis denotari. ¶ *Campum Maspha*] Vel, *convallem Maspha*, quæ infrà v. 17. vocatur *vallis Libani*.

9. *Equos eorum enervavit*] Cur hoc fecerit, docet R. D. in Comment. ad hunc locum. Non occidit eos, sed inutiles reddidit ad bellum, Deo ità jubente nè Israelitæ fiduciam in illis ponerent. Nam, ut Solomon inquit, *equus ad bellum*, &c. *sed à Domino salus*. Quocirca fiducia ponenda in solo Deo. Itaq; lex est Deut. nisi fallor, 17. *Non multiplicabis tibi equos*.

13. *Quæ stabant in tumulo suo*] Quorum mœnia nondum erant diruta. Hieron. *absque urbibus quæ erant in collibus ac tumulis sitæ*. LXX πάσας τὰς πόλεις τὰς κεχωματισμένας, *omnes urbes aggeribus munitas*. Sym. ὀχυρὰς *fortes*. Jon. *quæ stabant in robore suo*, aut *in firmitate sua*. R. D. *Quorum muros non diruerant cùm eos caperent, quósque non combusserant*. Trem. *Quæ manserunt cum aggere suo*, & vide quomodo interpretetur, *Quæ obsidionem quidem exspectarent, sed antequàm aggeres vi dejicerentur se dediderunt, ex lege Deut. 20. 10*. Sed vide Masium.

16. *Et cepit*] Ità Hieron. Malè quidam *tulit*. Nam לקח hîc est quod mox v. 17. dicit לכד. LXX tamen ἔλαβεν. Jon. ואחסין *& possedit*, seu *apprehendit ceu possessionem atque hæreditatem*. Deut. 3. 4. ונלכד *& cepimus omnes urbes ejus*: mox, *Non erat urbs quam non cepimus ab eis*, לקחנו. ¶ *Et Araba*] Hieron. *Occidentalem plagam*. *Araba* propriè *solitudo*: item *loca plana* sic vocantur. Ideo in nuperis editionibus, *& campestria*, sive *campestrem*, sub. *regionem*. LXX καὶ τὴν πρὸς λίβα. ¶ *Montem Israel*] Trem. *h. e. montana Israelis*, LXX τὸ ὄρος Ἰσραήλ. Hieron. *Montémque Israel*. Sic urbem Jerosolymam vocat Ezechiel 17. 23. & 20. 40. Hîc significatur regio montana quæ circa Samariam & Neapolin, quam *Sichem* vocant, in quo tractu olim decem tribus habitarunt, quæ post schisma vocatæ sunt *Israel*. Sic Masius. R. David existimat montem fuisse in quo Israel, i. Jacob, olim commoratus est. *Montana Israel*, ut *montana Juda* v. 21. utrobique *regio* subintelligitur. Ex hoc loco Masius probabiliter colligit Josuæ librum fuisse conscriptum post divisionem tribuum, h. e. post Solomonis Regis tempora, cùm decem tribus à reliquis duabus secessissent. ¶ *Et planitiem ejus*] Montis, an Israel?

17. *A monte levi*] Vel, *glabro*. Perperam *levi* est in Sarite. Sed fortè scripsit *Levi*. חלק sign. *lævi*, si cum diphthongo scribas, quod idem cum *glabro*. Mons glaber, qui nullus arboribus aut herbis vestitus est. Aliis vocalibus חלק est *pars*, unde in Vulg. nostra *& partem montis*, i. וחלק ההר. Græci codices variant. Nam in ed. Rom. Χελκά, & Masius citat ex iis Ἀαλάκ, quod purum putum nomen est Ebraicum, & est melior lectio quàm Χελκά, quod rectiùs scribes Χελκὰ & *partem* significat, cùm Ἀαλάκ

λαὰκ fit id quod Sym. vertit λεῖον *lave* vel *glabrum*. Nam *dividentem*, quod Aquila posuit, & פלינא, i. *divisum*, quod in Jonatha, non adeò se probant mihi. R. David, *Jonathan vertit* A MONTE DIVISO. *Vult dicere, qui erat divisus in duas partes, medium ejus hàc, & medium ejus illàc. Et sunt qui exponunt &* איש חלק VIR LÆVIS *aut* GLABER, *ac si diceret, Nulla erant in eo arbores. Vir levis*, & *Sair* opponuntur. Nam *Sair* est *pilosus*, unde *Seir*. Erat ergò mons glaber versùs Seir. Eum collocant prope Cadesbarneam ad desertum Sin. ¶ *Usque Baalgad*] In Græcis est Βαλαγὰδ pro Βααλγάδ. Id Jon. interpretatur *planitiem*, sive *campum*, *Gad*: quod interpretes Ebræi laudant, nec improbant. Ego non video causam cur *Baal*, *campum*, reddat.

18. *Diebus multis*] *Quinquennio*, Josephus; *septennio*, autor Seder Olam; *sexennio*, Trem. quem vide ad hunc locum. Sed Masius ad cap. 14 v. 7. septennium fuisse colligit ex annis Mosis.

19. *Omnes ceperunt bello*] Omnes quas ceperunt ceperunt bello, præter Gabaonem Hevæorum urbem maximam. Hic rursum est לקחו, quod idem cum illo לכדו. Id suprà notavimus.

20. *A Domino erat ut obfirmarent cor suum*] Vel, *ut obfirmarentur corda eorum*. Simile, *Tunc cæptum est* לקרא *invocari*. Sunt alia exempla quæ brevitatis causâ omitto. Videndus R. D. ad hunc locum. Hieron. *Domini sententia erat ut indurarentur corda eorum*. LXX διὰ Κυρίε ἐγένετο κατισχῦσαι αὐτῶν τὴν καρδίαν, *per Dominum factum est ut confortaretur cor eorum*. Santes, *ut induraret cor eorum*; malim, *ut obfirmaret cor eorum*, videlicet Deus. Quo loquendi genere usa fuit Scriptura de Pharaone, *Induravit*, inquit, *cor Pharaonis*, i. הכביד, Exod. 9. 12. & de Ægyptiis, *Induravit cor Ægyptiorum*, Exod. 14. 17. & de Sehone Deut. 2. 30. *Dominus obstinavit spiritum Sehonis, & obfirmavit cor ejus*. Sed & legimus Exod. 9. 34 *Pharaonem indurasse cor suum*. Quæ quomodo intelligenda sint docebit nos Basilius oratione QUOD DEUS NON SIT CAUSA MALORUM. *Induravit Pharaonem Deus, cum per longam ejus patientiam & supplicii procrastinationem illius flagitia augescerent, ut tandem, ubi ad ultimum terminum excrevissent ejus peccata, illustrius fieret Divinum, quo periturus esset, judicium*.

21. *Enakim*] Jon. גבריא, i. *gigantes* in genere, cùm videntur potiùs esse genus gigantum qui ex Anac descenderunt. Sic etiam Lyra vertit *gigantes*. Ità dicti à quodam *Enac* vastæ magnitudinis viro, cujus posteri appellati sunt *filii Enac*, & *nati Enac*, i. ילודי ענק, Num. 13. 33. Hinc Græcum ἄναξ, & pl. ἄνακες. Nam debilioribus imperitabant propter vastam corporis molem, quâ terrorem incutiebant aliis, unde & *Emim* dicti; & ab *irruendo*, *Niphilim*. Quidam à *torque* sic appellatos censent, q. *torquatos dicas*. Qui ab *Enochia*, quam *gigantum domicilium* appellat Berosus Annii, dictos putant, falluntur. Nam *Henoch* חנוך scribitur, per Heth & Chaph; *Enakim* autem ענקים dicuntur, per Ain & Coph. Num. 13. 33. *Vidimus Nephilim filios Enac*. Ergò *Nephilim* sunt *gigantes*. Theodoretus Quæst. in Gen. p. 34. Ἐνὰκ ἀπόγονος ἦν τῶν γιγάντων, potest ità esse. Benjamin Jonæ F. Hispanus Tudelensis, *Vidi intra palatium in Damasco pendentem hominis costam unius ex Enakim novem Hispanicorum palmorum longitudine, duorum verò latitudine. Dicitur autem ille fuisse ex antiquissimis Regibus Enac, nomine Aschanias; ut ex sepulcri illius lapide inscripto est indicatum, in quo scriptum etiam, Ipsum toto orbe regnasse*. Hæc ille. Pausanias refert in Asteria Insula cadaver Asterii jacuisse (fuisse autem hunc Anactis, qui è terra natus sit, filium æstimatum) quod nihilo decem cubitis brevius esset. Sed vide Masium & D. Camium. Enakim eos montes obtinebant qui circa Hebronem, Num. 13. 22. Falcatis curribus se defendunt, Jud. 1. 19. ¶ *Hebron*] *Olim in monte, post in plano exstructa*, Benjamin in Itin. 47. Vide & Masium & Onomasticon sacrum. ¶ *Anab*] Hanc Masius cum Nob confundit, civitate sacerdotali, quam Davidis historia & Sacerdotes ibidem interempti celebrarunt: cui firmando quod à vulgo nunc *Bethanobe*, & à Benjamino *Bethnobi* vocatur. ¶ *Ex omni monte Juda, & ex omni monte Israel*] Hinc probabiliter colligunt Josuæ librum compositum fuisse post divisionem tribuum. Vide Tremellium.

23. *Omnem terram*] Particulam *omnis* de majore parte dici notius est quàm ut probari debeat. Aut *omnem*, i. omnis generis terram, planam, montosam, campestrem, devexam, &c.

IDEM.

2. עֲרָבָה. A. Τὴν ὁμαλὴν *planam*. Sym. πεδινὴν *campestrem*] Amos 6. 14. נחל ערבה. A. *Torrens qui est in planitie*. Sym. *Vallis campestris*. Th. *Torrens Arabia*. ¶ *Planam*] בערבה. Hieron. *in planitie*. Jes. 40. 3. Jon. במישרא. Mercerus alibi, *Nomine* ערבה *significatur locus planus, non desertus omnino, nec planè fertilis, sed media cujusdam naturæ, ubi tantùm pabulum jumentis aptum crescat, quod* μίγμα *appellatur. Nam* ערב *est Miscere*. Vide lib. Loc. in *Araba*. A. *In humili*, seu *plano*. Sym. *in campestri*. ¶ *Campestrem*] Andreas Masius in Josuam, ערבה *non solùm significat idem quod* מדבר *Desertum, sed etiam locum æqualem, planum, campestrem: unde à Symmacho nunc* πεδινὴ, *nunc* ἀοίκητος *redditur, ab Aquila verò plerumque* ὁμαλή. Zach. 14. 10. כערבה. Tremellius, *quasi campestria*. Santes, *veluti planities*. Psal. 68. 6. בערבות. Sym. ἐν τῇ ἀοικήτῳ. בְנָפוֹת דּוֹר מִיָּם: Sym. Τὴν ἀκτὴν τῆς θαλάσσης τῆς Δώρ, *Littus maris Dor*] *Littus* נפת Jos. 17. 11. *tractus terræ. Peculiariter usurpatur*, inquit Masius, *pro sola illa regione in qua Doræ municipia exstant. Nonnunquam paulò laxius* accipitur *pro universo tractu Dorio*. ¶ Τῆς θαλάσσης τῆς Δώρ, ים דור. Nam Dor regio maritima erat.

6. חֲלָלִים. Sym. *Occisos*] Thren. 2. 12. כחלל Chald. *ut gladio cæsus*. Gen. 34. 27. חללים. Onc. & Jon. *occisi*, *interempti*. Psal. 88. 5. חמו כללים. Hieron. *sicut interfecti*. Sym. ὡς οἱ τετρωμένοι *ut saucii*, aut *vulnerati*. A. ἀνῃρημένοι, *sublati è medio*.

8. מִשְׂרְפוֹת מָיִם. A. Μασρεφὼθ τῶν ὑδάτων, *Masrephoth aquarum*. Sym. Μασρεφὼθ ἀπὸ θαλάσσης, *Masrephoth*] Μασρεφὼθ, antiquitas lectionis pro Μισρεφὼθ, ut alibi Μαγδὰλ, pro Μιγδάλ. Sic Μαειὰμ pro Μειὰμ, *Phasga* pro *Phisga*. Exemplorum talium plena Scriptura. ¶ *Aquarum*. alibi *aqua*, i. τῶ ὕδατος. ¶ *A mari*, lectio varians, *maris*, i. ים. Prior verior, meo judicio. Quanquam utraque corrupta. Eusebius De locis, *Masrephoth-Maim: pro quo Aquila, Masrephoth aqua: Symmachus, Masrephoth maris, interpretati sunt. Maris*, i. τῆς θαλάσσης. Reperitur & *Masserephoth*. Perperam autem in Origene *Massephoth*, & in LXX Μασρὼν. Hieron. *ad aquas Masrephoth*, עד מי משרפות.

13. הָעֹמְדוֹת עַל תִּלָּם. Th. ὀχυρὰς *munitas*] Verbum è verbo, *qua stabant super tumulum suum*. Interp. vetus hoc retulit, *qua erant in collibus & in tumulis sita*. Santes, *qua stant juxta tumulum eorum*.

17. מִן הָהָר הֶחָלָק. A. ἀπὸ ὄρους μεριζομένου, *à monte diviso*. Sym. ἀπὸ ὄρους λείου, *a monte lavi*] LXX ἀπὸ ὄρους Χελκὰ. Id Sym. dixit λεῖον. & Aq. μεριζόμενον. Pro Χελκὰ lectum scriptum Χελχὰ in ed. Rom. sed minùs bene. Santes, *à monte levi*, prætulerim *lavi* pro *levi*. Nam *levis* potiùs קל dicitur. Eusebius de locis, *Achalac* (ità leg.) *montem Aquilas interpretatur Dividentem; Sym. lævem montem*, i. *Limpidum sive lubricum*. ¶ *Diviso*] Nam חלק *divido*.

GROTIUS.

10. *Inter omnia regna hac principatũ tenebat*] Ubi regna sunt exigua, solet unus Regum deligi qui belli ductum habeat: quod & in Japane, Java aliisque locis Orientis fieri testantur historiæ.

13. *Absque urbibus qua erant in collibus & tumulis sita*,

sita, ceteras succendit Israel] *Quia nec tenere sine valido præsidio: nec id nobis virium erat quod firmando præsidio & capessendo bello divideretur*, ait in re simili Tacitus Annal. 13.

14. *Prædam istarum urbium ac jumenta diviserant*] Neque enim præcesserat חרם ἀνάθημα.

20. *Domini sententia erat ut indurarentur corda eorum*] Non immisit in eos Deus qualem potuit terrorem: imò & prudentiæ multum ademit.

23. *Cepit ergò Josue omnem terram*] Debellavit.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. Subter *scatebras collium*] Vel, *sub effusione collis*: cujus loci quoque fit mentio Deut. 3. Explicatur & supra c. 10. 40. nomen istud אשדה.

5. *Gilead*] Hic mons partim intrabat terminum regni Og, & partim terminum regni Sihon.

7. *A planitie Gad*] Sic ubique exponit Jon. Hebræam vocem בעל ubi jungitur nomini גד.

8. *Hitthæus*] In quibus scilicet locis habitaverunt Hitthæus, Æmoræus, *&c.* Narrantur verò hîc 31 Reges ab insignioribus urbibus quas inhabitaverunt, præter oppida, villas & alia loca quæ erant de ditione eorum. Non enim habebant tam parva regna ut cujuslibet imperium unius urbis arctaretur mœniis, sed ampliora erant.

18. Pro *Rege Lassaron* Vulg. editio habet *rex Saron*, quasi Lamed articulus esset, cùm tamen propriis nominibus nunquam adjiciatur He demonstrativa litera, quam hîc Lamed & Pathah includunt. Quin & Jon. legit literam Lamed radicalem, præmittens scilicet illi articulum Daleth. Nam vertit דלשרון, & non דשרון.

VATABLUS.

1. Terra, [הארץ] i. Ejus regionis. ¶ *A torrente Arnon*, &c. [מחנל ארנון וגו׳] i. Ad Austrum & ad Septentrionem.

3. *Chineroth*, [כנרות] Vide c. 11. 2. ¶ *Deserti*, [הערבה] *Solitudinis, campestrium*, i. Cui adjacet planities magna. Vide Deut. 3. 17. ¶ *Sub effusionibus*, &c. [תחת אשדות הפסגה] Vide Deut. 3. 17 & 4. 49.

4. *Ex residuo Rephaim*, [מיתר הרפאים] *Ex reliquiis* [i. de stirpe] *gigantum*.

5. *Usque ad terminum*, [עד גבול] Nonnihil subaudiendum, *quà parte protendebat sese usque ad*, &c. ¶ *Gessuri & Maachathi*, [הגשורי והמעכתי] *Gessuræorum & Maachathæorum*.

7. *A Baal-gad*, [מבעל גד] *A planitie Gad.* ¶ *Usque ad montem Lenem*, [ועד ההר החלק] i. Quæ adjacet radicibus montis Lenis. Vide c. 12. 17. ¶ *Secundùm partes eorum*, [כמחלקותם] *Secundùm divisiones* [vel *distributiones*] *eorum*.

8. *Et in Asedoth*, [ובאשדות] *Et in acclivitatibus.* ¶ *Et in Austro*, [ובנגב] *Et in parte Australi*, q. d. in regione fertili.

9. *Rex Jericho*, [מלך יריחו] Ista sunt nomina urbium metropolitanarum quæ habebant alias sub se.

22. *Charmeli*, [לכרמל] i. Quæ erat juxta Charmelum.

23. *Ipsius Naphath-dor*, [לנפת דור] *Climatis* [vel *provinciæ*] *Dor.* i. Quæ erat in provincia Dor.

CLARIUS.

5. Dimidiæ *partis Galaad*] Hic enim mons partim intrabat terminum regni Og, & partim terminum regni Seon.

8. *Hethæus*] In quibus scilicet locis habitaverunt Hethæus, Amorræus, *&c.* Narrantur verò hîc 31 Reges ab insignioribus urbibus quas inhabitaverunt, præter oppida, villas, & alia loca quæ erant de ditione eorum. Non enim habebant tam parva regna ut cujuslibet imperium unius urbis arctaretur mœniis, sed ampliora erant.

MASIUS.

1. Sunt *autem hi reges terræ quos ceciderunt Israelitæ*, &c.] נחל, quod nos *torrentem*, Græci φάραγγα, h. e. *vallem*, aut *convallem*, interpretantur, locus est in alvei speciem depressior, sive aquis coopertus sit, sive humore careat. Symmachus hîc χείμαῤῥον, i. *torrentem*, convertit. ¶ Verbum autem ערבה explicatum alibi est à nobis. LXXII rursus, ut loci proprium nomen, vocem ipsam conservarunt. Latinus *desertum* interpretatus est. Ego verò cum Symmacho *planitiem* dicere malui, quòd animadverterim sic locum istum à Mose descriptum esse in Deuteronomio, 3. 8. cùm diceret, *Accepimus illo tempore terra de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem, à torrente*, sive *valle*, *Arnon, usque montem Hermonem; quem Sidonii vocant Sarion, Amorrhæi verò Sanir; omnes urbes* המישור, h. e. *planitiei, & universam Galaad, universámque Basan, usque ad Selecha & Edrai urbes regni Og in Basan*, &c. ¶ Porrò quia propositum est deinceps universæ terræ distributionem exponere, tam ejus quæ citra quàm quæ ultra Jordanem jacet, primùm tanquam epilogo quodam in conspectu proponuntur loca omnia quæ, ad distributionem cùm pertineant, vel Mosis vel Josuæ imperio sunt subacta; idque nominatis Regibus potiùs quàm locis ipsis. Est enim hoc & ad narrationem compendiosius, quia in unius Regis ditione multa fuerunt loca, & ad victoriæ gloriam illustrius atque augustius, cùm fuerit semper apud omnes gentes amplissimum Regis nomen & dignitas. Existimat autem R. Levi F. Gersonis, *filios Israel* nominari, non Mosen, à quibus cæsi sunt Reges cis Jordanem, ut intelligamus eam victoriam non Mosis virtuti sed gratuito federi Dei, quod ille cum Israele ejúsque majoribus & posteris pepigerat, acceptam referri debere. Et piè quidem Levi, sed an satis firmè, nescio. Cur enim in iis victoriis percensendis quæ trans Jordanem de Chananæis partæ sunt, non item soli Israelitæ, sed ipse Imperator ante hos, Josua, nominatus est? Verùm, diceret, opinor, ille, majus periculum fuisse nè vulgus Mosen existimatione Divinitatis supra hominem coleret, quàm nè Josuam. Ego verò malim sanctius aperiret de vero Josua, i. de Jesu Christo, mysterium. Sed omissis mysteriis, equidem puto Josuæ mentionem fieri magis quàm Mosis, quia hoc commentario res ab Josua gestæ potissimùm explicandæ sunt. Mosis enim præclara illa facinora suis locis sunt perscripta. Diximus suprà 11. 3. Hermonem montem esse Libani partem versùs Orientem, id autem verè dictum à nobis esse, conficitur ex hujus versiculi verbis, quæ planè de locis in Galaaditide positis fiunt. ארנון *Arnon*, sive fluvius sive torrens, Moabitas sejungebat ab Amorrhæis cis-jordaninis, ut sic dicam. Id enim Num. 21. 13. scriptum est. Is, ut ait Josephus Antiq. 4. c. 14. ab Arabicis montibus per prærupta delapsus, in mare Mortuum, sive Asphaltiten lacum, se exonerabat, non procul ab Jordanis ostio. Etenim Israelitæ partim per loca deserta, partim per ea quæ in posterorum Esau & Loth erant ditione, profecti, post transmissum tandem Arnonem arma expediverunt ad quærendas sibi possessiones: Ibíque præclaris istis victoriis sunt potiti quæ nunc commemorantur. Nam neque eos qui ad montem Seir habitabant, utpote progeniem Esau, neque Moabitas, aut Ammonitas, posteros Loth, lædere fas fuerat Deut. 2. ¶ *Planities* autem *versùs Orientem*, cujus est mentio, ea est quæ *campestria Moab* sæpe solent nominari, h. e. campi illi qui ab Arnone sursum porrecti jacent adversùs sinistrum Jordanem & dextros montes Arabicos. Sed describentur mox ipsis S. verbis. Ad quæ explicanda priùs quàm accedam, videndum est, An fas fuerit Israelitis considere cis Jordanem in hisce locis, quando Divinæ illæ promissiones omnes ad eam solam spectasse

spectasse terram videntur quæ Jordane claudebatur ab Oriente? Nam pro rebellii pœna fuit Mosi & Aharoni quòd in hanc pervenire non possent. Id enim Deus ipse testatus est. Num. 20.12. & 27.13. Deut. 32.48.---52. Quare istam occupare regionem nihil aliud videri potest quàm terminos hæreditatis ab ipso Deo olim positos refigere, &, quod omnium malorum maximum est malum, Ecclesiæ corpus dividere, sêque à communi societate fœderis Divini subducere atque emancipare. Ad ista non malè, opinor, responderi possit, Promissiones illas Dei has etiam provincias esse complexas, tanquam cum reliqua Chananæa conjunctas, quamvis interlaberetur Jordanis; quandoquidem in eas usque se propagarat à Noe devota illa posteritas Chanaanis, quorum terram universam Deus olim Abrahæ donaverat, cœlestíque decreto sanciverat illos ab Israelitis esse exterminandos. Erant enim Sehon & Og Amorrhæorum Reges ambo: Amorrhæos autem Chananæ prognatos esse, testata res est, Gen. 10.16. Nam quòd illa quæ trans Jordanem tota posita est terra plerumque sola potest promissa videri, cùm Jordanis trajiciendus populo præstituitur; id ideo factum existimari licet, & quia præcipua illa portio erat, & quia mysterium salutis humanæ in ea olim patefieri mundo debebat, atque ideo etiam Dei sacrarium illic collocari. Ad Mosen verò & Aharonem quod attinet, Pro magno quidem illud ipsis fuisse supplicio quòd prohiberentur à transmittendo Jordane, non quia illa sola terra Israelitis promissa esset, sed quia sola sacro cultui dicata, ob eam quam modò dicebam rationem. Non enim viri sanctissimi tantopere affixas terreno alicui mentes habebant; sed Dei promissa ad rem planè conferri, purúmque cultum ad eum adhiberi, id verò erat cujus videndi maximo tenebantur illi desiderio, & pro quo tot gravissimos exantlaverant labores. Ad hoc, ingens illos cura & solicitudo angebat nè, ut ad Cades-barneam acciderat, nova aliqua populi contumacia novæ dilationis felicissimi eventûs novorúmque errorum causam daret. Certè ad hanc Mosis solicitudinem aliqua ex parte levandam videtur illi Deus à montis vertice sacram illam ostendere transjordaninam regionem; & simul mandare ut Josuæ addat animos populum pro se traducturo, q. d. Non est, mi Moses, quòd nimiùm sis solicitus, en tibi ob oculos loca illa sacra, in quæ mox duce Josuâ populus inducetur. Quis enim putet Deum solo aspectu divitis regionis animum Mosis, tanquam avari cujuspiam hominis, demulcere voluisse, ac non potiùs certâ spe præsentis eventûs promissionum veterum? Sed dices, Si ista regna Sehonis & Og ad terram promissam pertinebant, non erat quòd de eventu promissionum solicitus esset diutius Moses, cùm ipse jam in magnam promissæ terræ partem induxisset populum. Atqui hoc non est itá. Nam hæc pars tum demum jure hæreditas populi futura erat, cùm altera illa sacratior trans Jordanem occupata, & Dei cultus in ea constitutus esset, Num. 32. 22, 28. Verùm nondum me dimittis, sed etiam urges, inquiens, Mosen acerbissimè invectum esse in eas tribus quæ hanc partem sibi donari poscebant, quamvis minimè petulanter sed submissè id facerent. Primùm enim ignaviæ eos arguebat, quasi pugnam fugerent; deinde improborum illorum similes exploratorum esse dicebat qui populum à promissa terra ante annos 38 deterruerant. Immeritò enim tam duriter ab illo tractati sunt, si hæc quoque pars ad promissam terram pertinet: in qua cùm ipsi manere cupiunt, multum profectò abest ut reliquum populum ab ipsa avertant. Ego verò respondeo, Mosen non tam graviter illos accusasse quia istam regionem pro hæreditate ambirent, sed quia dicerent, *Nè nos facias transire Jordanem*. Nam, ut nuper dicebam, hæc pars sine altera, in qua sacri ritus atque religio constitui debuerunt, obtineri pro hæreditate non potuit. Reputare igitur illi apud animum suum debebant, facilè hujus suæ retractationis exemplo fieri posse ut omnes à trajiciendo refugerent, propter rumores quos dissipaverant illi speculatores. Et sanè simulatque, re meliùs deliberatâ, eas rationes Mosi proponunt, quibus neque sacrarium Dei deserant, quod illuc translatum oportuit, neque socios, facillimè id impetrant ob quod antè non satis consideratè petitum acerrimè fuerant objurgati. Neque hîc Moses, dum annuit, vel fedus Dei, tanquam eâ re violetur, vel termini hæreditatis moveantur, vel denique Ecclesiæ corpus discindatur, ullum facit verbum. Sed enim quòd ista, ut his vocibus utar, cisjordanina pars ad promissam terram pertinuerit, ex ipsis Dei verbis effici posse videtur, Deut. 2.24. cùm ille ait ad Mosen & populum, *Dedi in manum tuam Sehonem regem Hesebon Amorrhæorum, & terram ejus: incipe possidere*, & paulò pòst, v. 31. *En jam cœpi tradere tibi Sehonem, & terram ipsius: incipe, possìde; ut possideas ditionem ipsius.* Et rursus de Og similia facit verba. Itaque planè id dicere videtur, Promissæ terræ possessionem hîc auspicandam esse. Nam verbum *possidendi* ירש solet jus hæreditarium significare. Neque verò sic loquentem adhuc Deum audivimus aut de Amalecitarum aut aliarum nationum terris adversùs quas per iter pugnaverunt Israelitæ: Neque quenquam Israelitarum petentem usquam hæreditatem vidimus. Ad hæc, ut ego certè existimo, duæ illæ divisæ per Jordanem regiones, in quibus separatim populus Dei consedit, vel ideo ambæ terra promissa videri possint, quia appositissimâ figurâ duas resp. populi Dei adumbrarunt, quarum alteram constituit Moses, alteram Christus. Nam Moses eos qui primi fuerant nati, Ruben, Gad, & Manassen, cis Jordanem collocavit: Et qui per Mosis legem Deum coluerunt, primus fuerunt Ecclesiæ partus. Qui porrò post illos nati sunt, eos Josua, h.e. Jesus Christus, per Jordanis sacrum Baptismum introduxit in eam terram quæ κατ' ἐξοχὴν *promissa* vocatur, & in qua sola verus Deo cultus fit. Rursus ut illi qui cis Jordanem collocati fuere sacris ritè operari non potuerunt nisi Jordanem transmitterent, atque ad eorum se cœtus adjungerent quos in S. terram introduxerat Josua; itá neque ii qui se Mosis lege habebant, verè Deum colebant, nisi per fidem ad Josuam, h. e. Jesum Christum, ejúsque sacra mysteria transirent, Gal. 2, & 3. Quid quòd Manassis tribus partim cis Jordanem collocatur à Mose, partim cum Josua transit in terram sanctiorem? an non pulchrè nobis adumbrat quòd multi etiam Judæorum secuti sunt Christum? Sed hæc hactenus à me itá sunt dicta ut tamen pugnare nolim si quis existimare malit duas illas tribus & dimidiam antiquum Dei fedus suis ipsorum commodis postposuisse, & flagitiosâ cupiditate eas sedes extra terram promissam à Mose sibi dari postulasse; Deum verò arcano quodam consilio vetus promissum auxisse novâ liberalitate, & simul pro immensa sua misericordia petacibus filiis delicti ejus gratiam fecisse: h. e. cæcam illorum cupiditatem in illustris sui in omnes beneficii occasionem vertisse. Sic enim solet immensus ille misericordiæ thesaurus ex cæcæ mortalium mentis tenebris lucem producere. Id igitur in hac re sequatur quisque quod ad verisimilitudinem putabit esse propensius. Sed animadvertat interim, eas tribus quæ præ cæteris abundabant divitiis extra sanctiorem terram manere voluisse. Nimirum illud verissimum est, *Divites haud facilè in cœlum ire*, Matth. 19.24. Marc. 10.25. Quare si à Deo aucti opibus sumus & divitiis, Psal. 62.10. itá comparemus animum nostrum ut nè illis addictior vel gratus adversùs datorem Deum, vel beneficus erga proximos, & præsertim egenos, unquam esse cesset.

2, 3. *Sehon rex Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon*, &c.] Eam universitatem regionis cis Jordanem occupatæ ab Israelitis, quâ superiore versu propositam vidimus, jam singulis locorum descriptionibus explicatum itur. Primùm autem agitur de Sehonis regno, quia is primus hostiliter cùm occurrisset Arnonem transgressis, primus & vitâ & regnû amisit. Cujus regni descriptio, quæ istis duobus versic. continetur, est etiam in Deuteronomio 2.36. sed verbis paucioribus, exposita. Possunt autem S. verba in hanc ferè sententiam interpretari; Sehonis regni latus id quod Orienti oppositum erat protensum fuisse *ab* urbe *Aroer, quæ est ad Arnonem posita*, sursum per *Galaaditidem, usque ad torrentem* יבק *Jabok*: qui torrens istam ditionem ab *Ammonitarum* ditione sejungebat, similiter atque Arnon

non à Moabitarum: Porrò fines Aquilonares secundùm Jabok, propè *ad lacum usque Tiberiadis* sive Genesaram, quà is spectat *Orientem*, descendisse. Atque hinc latus illud quod Occidenti objectum fuit procurrisse secundùm Jordanem *usque ad mare Salsum*, quod *Asphaltiten lacum* vocamus; quâ parte id mare spectat *Orientem*, *quâque iter est ad Beth-Jesimoth:* Denique ab illo maris Salsi loco usque *ad Phasga* montis *radices* patuisse fines *Australes*. Josephus lib. Antiq. 4. eadem hæc loca sic paucis est complexus; *Situm est*, inquit, *regnum Sehonis inter tria flumina, quasi insula. Nam à Meridie cingitur Arnone, à Septentrione, Jabok: at Occidentem ripa Jordanis terminat.* Hîc si Josephus Arabiæ montes opposuisset Orienti, nihil omisisset de expressissima descriptione. Cæterùm ex ejus id verbis conficitur, Quos fines nos, sacrum textum secuti, fecimus ad Meridiem, eos ab Asphaltite ferè adversùs Arnonis cursum extendi ad Phasgæ usque radices. Ista loca priscis temporibus habuerant Moabitæ. Nam & ii trans Arnonem habitaverant, ut Moses versibus ex sacris annalibus prolatis attestatur in Numeris 21. 26. Sed illis profligatis, Amorrhæi jam olim tenebant cùm Israelitæ advenirent. Quare iniquè Ammonitæ ea ab Israelitis repetunt in Judicum historia cap. 11. tanquam per vim olim illorum isti majoribus eripuissent. ¶ Porrò urbem חשבון *Hesebon* his ferè verbis describit Eusebius libel. de loc. Hebr. *Est*, inquit, *Hesebon civitas Sehonis regis Amorrhæorum in Galaaditide; quæ cùm fuisset antè Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure possessa est. Meminit ejus Jeremias, & Isaias quoque in visione contra Moab. Porrò nunc vocatur Esbus: urbs insignis Arabiæ, in montibus qui sunt contra Jericho, viginti ab Jordane millib. pass. distans. Fuit autem in tribu Ruben seperata Levitis.* Hæc ille. Videtur quidem in hæreditate Gaditarum annumerata esse in hoc commentario: quod plerique existimant ideo factum quia in confinio Rubenitarum & Gaditarum exstaret. Sed ista disputabuntur idoneo loco, c. 21. Cæterùm Solomon in Canticis 7. 4. oculos amicæ suæ comparat cum *piscinis Hesebon, quæ ad portam* בת רבים *Bath-rabbim erant*, h. e. ut opinor, ad eam portam quâ ibatur ad vicinam Philadelphiam. Huic enim urbi רבת עמון *Rabbath-Ammon* erat nomen apud Hebræos. Mihi enim dubitatio nulla esse videtur quin Hesebon hæc nostra sit Ptolemæi *Esbuta*. ¶ Jam verò ערער *Aroer*, quæ sæpe solet dimidiato verbo dici ער *Ar*, ea est urbs, ut ego censeo, quam Græci Ἀρεόπολιν nominant, Hebræi verò etiam רבת מואב *Rabbath-Moab*, q. *Moabitarum urbem frequentissimam* dicant. In Stephano scriptum est, mendosè opinor, Ῥαϐαθμωμὰ, pro Ῥαϐαθμωὰβ, aut Ῥαϐαθμωὰμ, solent enim sæpe μ & β inter se commutari. Videtur autem ista urbs ità ad Arnonem posita fuisse ut in medium usque alveum fluvii exstructæ ædes magnæ partis essent. Nam vanus est & inconsideratus R. Solomon, dum illa S. verba *intra torrentem* sic interpretatur ut dicat Sehonis imperium per medium torrentem ad ripam usque adversam fuisse extensum: cùm alibi expresè scriptum sit, *civitas intra torrentem*, Deut. 2. 36. Sed an altera intra torrentem fuerit Aroer, id pòst videbimus. ¶ Porrò montis גלעד *Galaad* mentio etiam est in Jacobi historia. Ad hoc enim nomen allusisse videtur vir sanctissimus cùm lapidum acervum illic loci structum appellaret, גל עד Gen. 31. 47. nisi cum Josepho, atque etiam Hieronymo nostro, existimare malis, ex illo jurisjurandi sive fœderis monimento nomen monti mansisse. Porrigitur autem Galaad sursum ad Libanum usque, cujus est veluti appendix, aut, ut D. Hieronymus verba Jeremiæ interpretatur, initium. Vocat enim eum Jeremias *caput Libani* 22. 6. feracissimúmque ejus *resinæ* esse dicit quam ab Hebræis accepto vocabulo nostri *Styracen* appellant, cap. 8. 22. & 46. 11. Hebræi enim צרי dicunt. Est ab hoc monte læta amœnáque regio quæ inter ipsum & Jordanem patet vocata *Galaaditis*, ut auctor est Josephus Antiq. l. 1. c. 27. Exsistit & urbs nomine Galaad in eodem monte, quam Machiritæ armis ceperunt, ut est scriptum in Numeris 32. 39. Sed יבק *Jabok* fluviolus, etiam ipse à Jacobo nobilitatus, Gen. 32. ortus ex Arabiæ montibus, Philadelphiam Ammonitarum clarissimam urbem præterit, quam Hebræi עמון *Ammon* &, ut nuper dicebam, רבת עמון *Rabbath-Ammon* appellant; & tandem commiscetur Jordani non procul ab eo loco ubi iste Genesaram reliquit. Et ista quidem loca ad illud pertinent latus regni Sehonis quod Orienti & Arabiæ objacet. ¶ Cùm porrò sequitur, *Et in planitie usque ad mare Tiberiadis, versùs ad Orientem*, transitur ad eam partem quæ Septentrioni est opposita. Deinceps ad illam quæ Occidenti, cùm additur, *Et usque ad mare campestre, mare salsum, quà iter est ad Beth-Jesimoth.* Continetur autem his duabus descriptionibus campus ille quem solemus *Moabitarum* dicere; quia Moabitæ olim, ut nuper dicebamus, eum habuerunt antè quàm ab Amorrhæis per vim indè trans Arnonem pellerentur. Jacet enim ille campus inter duo maria, Tiberiadis & Mortuum, pertinétque ad utrumque ab Oriente. Idque sibi vult illa verborum clausula, *versùs Orientem*, nam ab Occidente universus clauditur eo Jordanis tractu quo iste fluvius è lacu Tiberiadis elapsus in mare Mortuum influit. Sed cur hoc mare vocetur *campestre* expedita ratio est, Quia loco plano & æquabili exstitit, qui amœnitate olim *paradiso* comparabatur, & *Ægypto*, priùs quàm cœlesti igne subversis quinque celeberrimis in eo urbibus, & altiùs flammarum vi exeso solo, aquæ illic Jordanis stagnare cœpissent, Gen. 13. 10. *Salis* verò *mare* dictum est à salsuginoso & acri sapore aquarum; quas in salem excoqui etiam sunt qui scriptum reliquerunt. Sed de istius lacûs sive stagni natura satis multa Josephus, & alii; ut otio abusus videri possim si ego prolixiùs pergam describere. בית הישימות, *Beth-Jesimoth*, quod est ac si *Domum* aut *Locum vastum desolatúmque* dicas, fuit locus in campis istis Moabiticis, unde postrema quæ Mosis fecit castra explicabantur ad Abel-Sittim usque, Num. 33. 49. ¶ Porrò extrema verborum complexio, istam dico, *ab Austro verò, sub devexis Phasga*, designat nobis fines Australes regni Sehonis, ab Jordanis, sive Arnonis ostio (sunt enim ista inter se vicina) adversùs Arnonis cursum, usque ad radices montis עברים *Abarim* productos. Nam hinc sursum auspicabamur Orienti oppositos terminos. פסגה *Phasga* enim, sive loci proprium nomen est, sive *verticem*, sive *præruptum* aut *cavum saxum* significat, planè montis Abarim pars intelligi debet, ea videlicet sub qua Aroer urbs sita erat, quam nuper dicebamus. Latini interpretis quædam exemplaria malè legunt, *quæ subjacet Asedoth, usque Phasga*. Nam illud *Asedoth* ità verbo *Phasga* constructione hæret ut adverbio loci interposito minimè fuerit ab eo separandum. Certè eadem ille verba alibi rectè convertit *radices montis Phasga:* Nam אשדות *Asedoth radices montium eásq; partes quibus illi devexiores fiunt* significare, diximus c. 10. 40. Sed enim jam vidimus quàm accuratè istis Israelitarum possessionibus fines certi sint circumdati. Nimirum voluit benignissimus Deus suos Israelitas seorsũ à profanis gentibus, quasi in peculiari mundo, collocatos esse; ut eâ etiam re perspicuum omnibus fieret quanti ille sacrum suum cœtum faciat; Cujus admirabilis fuerit impietas, nisi ipsum mutuo amore observet colátque. Ad hoc, opus erat Ammonitarum atque Moabitarum vicinas ditiones ab Israelitarum possessionibus undiquaque secludere, cùm his solos Amorrhæos eliminare fas fuerit, ut diximus.

4, 5, 6. *Item terminos Og regis Basan, de reliquiis Gigantum*, &c.] Propositum quidem erat enumerare devictos Reges; at hîc pro Rege Og regnum ipsum describitur, quæ causa, opinor, est cur LXXII, *terminorum* verbo præterito, Regis nomen supposuerint. Fuisse autem בשן *Basan* uberrimo solo regionem, & potissimùm pascuis lætam, multa sunt in S. historia quæ attestentur. Quin proditum memoriâ est in Deuteronomio 3, 4, 5. *Sexaginta* illic *urbes*, *altis muris*, *portis*, *vectibus munitas*, *fuisse captas & eversas* ab Israelitis. Chaldæus hanc ubique vocat מתנן *Mathanan*; sed quam secutus sit nominis rationem, id verò nondum satis possum constituere. Suspicor tamen literam Mem pro Beth posuisse: quod apud

pud Græcos sanè minimè insolens est: cùm fortassis ejus interpretis memoriâ sic vulgò vocaretur. Ptolemæus enim nisi fallor, *Batanæam* appellat. Nam Schin in Tau convertere usitatissimum est Chaldæis & Syris. Non sum equidem nescius Eusebium in libello De loc. Hebr. meminisse urbis Mathanan: sed quando hanc ille locat ad Arnonem, non est credibile eam illi regioni nomen suum imposuisse, in qua non exstabat ipsa: nisi si pro *Arnone* illic *Jabok* scribi debet. Continet autem Basanitis partem Galaaditidis quæ à Jabok in Septentrionem porrigitur, atque insuper Trachonitidem & Gaulonitidem. Sunt enim illi ejus fines Australes quos Sehonis regni Aquilonares esse dicebamus. Septentrionem verò claudit mons Hermon. Occidenti oppositus est Jordanis, denique Orienti mons Galaad & procurrentia montis Hermonis juga. ¶ Porrò quòd Og memoratur *fuisse ex Gigantum reliquiis*, id R. Solomon, & cum eo Judæi multi, spectare putant ad tempora Abrahami, quibus Chodorlaomer cum sociis profligarunt Rephaim, aliáque id genus monstra hominum, ad Astaroth-Carnaim, Gen. 14. 5. Hunc enim eundem unum fuisse locum qui hîc jam *Astaroth* simpliciter vocatur, censet tum D. Hieronymus, tum R. M. Gerundensis. Equidem & si negare nolim ex illorum Gigantum stirpe fuisse istum Og, tamen quòd *reliquus fuisse* dicitur, id spectare potiùs autumo ad eam cladem quæ ab Ammonitis longo pòst intervallo, ut apparet, monstroso illi hominum generi, cùm denuò in illis majorum suorum sedibus consedissent, est illata; sicut proditum est in Deuteronomio, 2. 20, 21. Id enim certè significare videtur lectus ille ferreus quem Ammonitæ etiamnum ostentabant in sua Rabba, ut illustris victoriæ de Gigantibus partæ monimentum; cùm Og fortassis ad vicinos Amorrhæos esset elapsus, atque ob singulare corporis robur & præstantiam ab his in Regem creatus. ¶ Verbum רפאים *Rephaim*, quod *Gigantes* sumus interpretati, plerumque intactum servant Aq. Sym. & Theodotion; eósque sequitur Latinus. At LXXII & Chaldæus à me stant. Putat quidem vulgus Judæorum admirabilis magnitudinis homines sic esse dictos, formatâ à verbo רפה *Rapha* appellatione, quia viribus destituantur quotquot illos aspiciunt, præ formidine scilicet. At Nehmannus, probabiliter sanè, existimat Hevæorum id esse cognomen. Nam cùm חוים, h. e. *Hevæi*, à *serpentibus* dicti sint qui in terræ cavernis habitant, rectè appellantur iidem רפאים *Rephaim*, q. *inferos* dicas & *sub terra agentes*. Hâc enim notione usurpavit hoc verbum Isaias 26. 14. alisque. Quin eos etiam quos חורים *Hurim* nominat S. historia, h. e. *τρωγλοδύτας cavernas incolentes*, cognatam fuisse Hevæis gentem idem ille Nehmannus autumat; omnésque illos Barbaros raræ magnitudinis homines exstitisse, ut non planè de nihilo finxisse Homerus videri debeat illud quod nuper de Cyclopibus producebam, 'Οδ. ι.

Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι, &c.

Sed ista attigimus etiam suprà 11. 21. ¶ עשתרות *Astaroth* eam quæ cognomento קרנים *Carnaim*, h. e. *bicornis*, vocatur, non eodem perpetuò loco ponit Eusebius libello De loc. Hebr. Modò enim existere ait *in supercilio Sodomorum*; modò in Basanitis angulo, *sex mill. pass. ab Adara urbe Arabiæ*, ubi etiam nunc superesse prægrandem villam dicit, quæ urbem illam nomine referat, *Carneaque* vocetur, additque inibi priscis temporibus habitasse Job. Rursus alibi affirmat *duo superesse hodie castella in Batanea, 9 inter se mill. pass. dissita, inter Adaram & Abilam*; & utrumque *Astaroth* vocari. Igitur verum esse potest, non unam esse Astaram, sed geminam, ideóque utramque nomine pluralis numeri *Astaroth* appellari, atque etiam *Carnaim*, h. e. *bicornem* dici. Nam quod Nehmannus prodidit, solam verborum, opinior, notionem secutus, Astaroth montem fuisse *bicornem*, h. e. duobus fastigiis eminentem, cui à *pecoribus*, quæ multa in eo pascebantur, nomen erat (עשתרות *Astaroth* enim *pecora* dicunt Hebræi) parùm firmum est, nè dicam apertè falsum. Etenim Astaroth pro urbe Levitica recensetur in Paralipomenis, l. 1. c. 6. v. 71. Scribit autem D. Augustinus Quæst. in Judic. & quidem affirmatè, עשתרות *Astaroth Junones* significare, sicut בעלים *Baalim, Joves*: Id enim ex lingua Punica certum esse. Et Cicero in libris De natura deorum, quos sanè mirabiliter in tantis ille tenebris veritatis scripsit, Astarten sive Astareten facit *quartam Venerem, Syriâ Tyróque conceptam*. Sunt etiam scriptores qui Lunam esse putant. His ego conjecturis auguror, à Junonis vel Lunæ fanis, quæ fortassis quarta illa Venus fuit quam Syria suis superstitionibus peperit, urbibus illis nomen hoc impositum fuisse. Prodidit quidem Stephanus, Rabbam Ammonitarum *Astarten* quoque appellatam esse. Sed ut ei hoc demus (nam & illic fortassè pulchra ista Venus culta est, & delubrum celebre habuit) certè non potest ea nostra esse Astaroth. Nam Ammonitarum urbes nefas erat occupare Israelitis. ¶ Porrò אדרעי *Edrai* fingit idem ille Nehmannus positam fuisse urbem ad pedem illius montis quem à pascendis pecudibus *Astaroth* appellabat. Illud enim, *habitabat in Astaroth & Edrai, significat*, inquit, *eum regnasse in Edrai urbe ad montem Astaroth posita*. Sed est nimis incerta illa conjectura. Mihi planè videtur Edrai esse Ptolemæi *Adra*, quam Eusebius, quo dixi libello, locat *6 mill. pass. ab Astaroth, & 25 à Bosra*, sed 15 scribendum esse existimo. Recedebat autem Bosra propiùs ad Septentrionem, atque etiam Orientem, quàm Adra, pro Ptolemæi descriptione. Neque verò mirari in eo quis jure debet quòd Og duas habuerit regias in amplissimo & populissimo regno. ¶ Cùm porrò dicitur, *in monte Hermone dominatus, & in Salecha*, finis ejus ditionis qui sunt ad Septentrionem ostenduntur. Et de Hermone quidem monte pauca diximus suprà c. 11. 3. Sed dicendum iterum est. Existimant quidam, non istam solam Libani partem quam hâc nostrâ descriptione attingimus, cis Jordanem positam ad Orientem, *Hermonis* vocari nomine; sed alias etiam, quæ ad Sidonem vergunt. Hieronymus verò suum laudans præceptorem Hebræum, scribit, *Hermonem Paneadi*, h. e. Cæsareæ Philippi, imminere: quo loco à nonnullis Baal-gad poni dicebamus, c. 11. 17. Atque ego quoq; facilè credo eum illuc usque pertinuisse, & fortasse paulò etiam ulteriùs versùs Occidentem. Sed Nehmannus autumat hoc verbum חרמון *Hermon* non proprium certi loci nomen, sed Libani epitheton esse, ab *inhospitalitate* sive *vastitate* ei attributum. Nam חרם *corruptam ac perditam* significare *rem, quæ nulli sit usui*; sæpe diximus. Libanus autem, in iis certè locis, quæ plurima sunt, in quibus nive coopertus jacet, & frigore rigidus, nullum præbet hominibus sui usum. Quin & שניר *Sanir* quoque, inquit ille, dictus idem mons est, à *nivibus*. Nam & Chaldæus hoc nomen *nivosum* interpretatur. Quæ Nehmanni sententia si vera est, ut est sanè admodum verisimilis, mirum non est Libanum longè latéque *Hermionem* vocari. Quanquam & hoc credibile videri potest, partes eas quæ ad Orientem exstant reliquis esse rigidiores, & ob id peculiariter sibi hoc nomen *Hermonis* sumere. Sed enim esse nivosum Libanum ubi *Hermonis* nomen habet, vel id argumento est quod Hieronymus scriptum reliquit, ab Hermone Tyrum nives deferri solere, ut suaviùs potarent voluptatum architecti. ¶ Porrò סלכה *Salecha* sive *Selcha* urbs posita fuisse videtur in extrema Basanitidis ora, quæ supra Philippi Cæsaream est. A cujus tergo introrsum jacuisse apparet גשורי *Gessuræos* & מעכתי *Maachathæos*, in montosis illis quidem locis, sed fertilibus tamen & populosis, quæ ad ארם דמשק, i. *Syriam Damasci*, sive *Damascenam*, vergunt, & propriè ארם מעכה, *Syria Maachæ* vocantur. Nam etsi alios etiam Gessuræos propè Amalecitas fuisse certum est, ad quos David sæpe prædatû excurrere solebat cùm in Siceleg habitaret, 1 Reg. 27. 8. & quorum Rex fuit Ptolemæus Absalonis avus maternus, 2 Reg. 3. 3. tamen ipse Absalon Gessur in ארם, h. e. *Syria*, locat, cùm ad patrem hæc facit verba, 2 Reg. 15. 8. *Quia votum vovit servus tuus cùm habitarem in Gessur in Aram*. ¶ Pro *Maachathæis* reddit Chaldæus *Epicæreos*, fortassis à fluvio Epicæro, cujus tamen latitudo, ut Cosmographi loquuntur, pauciorum graduum apud Ptolemæum esse videtur

detur quàm pro Maachathæis istis. Metitur enim Epicærum Ptolemæus gradu tricesimo primo, cùm Maachathæos locet libellus De loc. Hebr. supra Jordanis fontes ad montem Hermonem. ¶ Porrò *in dimidia Galaaditide* regnabat Og. Nam dimidiatam hanc nuper Sehonis ditioni attribuimus. Torrens enim Jabok inter Sehonem & Og dividebat Galaaditidem. Ista igitur loca, quæ partim Sehonis, alia Og antè fuerant, assignarat Moses Rubenitis, Gaditis & Manassensibus, cùm ea Regibus illis interfectis eripuisset; sic jubente Deo. Verùm eâ conditione assignarat ut merum jus ex Josuæ & Pontificis reliquique Senatûs arbitrio usquè eò penderet dum illi promissum fratribus subsidium præstitissent, ut in Num. 32.29. scriptum est, h.e. dum in tuto collocata Arca, atq; religio & sacra cum repub. constituta essent. Nam alioqui præfractæ cervicis gens haud facilè tam dulcem nidum relictura videbatur. Et ista respub. planè ab altera illa in sacratiore terra constituenda pendebat, ut dixi. Quippe Mosis Ecclesia in Josuæ, h.e. Jesu Christi, Ecclesiam intueri, in eâq; defixa esse debebat. Sed de hoc nuper paulò explicatiùs. ¶ Demonstrationis pronomina, *Hos* ad Reges, *Illam* ad Regum ditionem terrámq; spectant.

7, 8. *Hi verò sunt reges terræ quos percussit Josua*, &c.] Quæri possit, cur hîc non perinde Josua *servus Dei* iterum atque iterum vocetur, sicut Moses superiore versiculo, quando pari uterque munere functus esse memoratur; imò verò Josua præclariore etiam, ut videtur, quippe qui triginta & unum Reges subjugavit, Moses verò duos modò. Sed responderi, opinor, rectè potest, Cùm hîc de Josua tanquam etiamnum vivo agatur, ipsum virtutis tam absolutæ elogio non esse celebrandum. At verò illud etiam constat, Mosi præ cæteris omnibus viris sanctissimis hoc honoris prærogativum attribui plerumque in S. historia ut *Dei servus* vocetur: id autem est q. *interpres Dei & administer* dicatur: nimirum propter Dei legem, quam ipse edixerat. Eam enim sacrosanctam haberi atque existimari ab omnibus opus erat; ut quâ se habere Ecclesia universa, & in qua acquiescere ad Christum usque debebat. Nemo enim omnium quotquot fuere post Mosen, vel Vates, vel alioqui viri sancti, aliam legem scribere instituit; sed in illa una explicanda omnes operam suam posuere. Quod propter & Apostolus Heb. 3.5. *fidum illum in Domo Dei ministrum* vocat, & cum Christo quodam modo comparat: uterque enim Dei Domum, quæ est Ecclesia, gubernavit & moderatus est; sed Moses ut *minister*, & pars Domûs; Christus ut Caput, *Conditor*, & *Dei Filius*. ¶ Illud, *trans Jordanem versus mare*, non maritimam modò Chananææ oram, h. e. Phœniciam, & eam quæ propriè *Palæstina* vocatur, significat, sed universam Chananæam, quæ Jordane ab Oriente, mari verò ab Occidente concluditur, ab Libano usque ad Idumæorum fines in longum porrecta. Has enim extremitates longitudinis utrimque notari *montis Baal-gad* & *Glabri* nominibus antè exposuimus. ¶ Quod porrò additur, *In monte, in summisso, in planitie*, omne genus loca ostendit, de quorum vocabulis suprà satis multa diximus. ¶ Illi genitivi casus, *Hetthæorum*, *Amorrhæorum*, &c. hærent nomini *reges*, quod repetendum est. Quos si in accusandi casum malis convertere, ut fecere LXXII, nihil mutaveris sententiam.

9. *Rex Jericho unus, Rex Hai, quæ est ex latere Beth-el*, &c.] Quando in hoc catalogo nominantur Reges aliquot quorum adhuc nulla fuit in victoriis commemoratis mentio, conficitur, Ipsa rerum gestarum veluti capita duntaxat esse enarrata. Monet autem hoc loco D. Kimhi, minimè existimandum esse singulos Reges unis solis urbibus imperavisse: Multa enim ad unamquamque urbem pertinuisse municipia, pagos, villas. ¶ Porrò *Hai* per vicinam *Beth-el* veluti ostenditur, quia fuit altera eodem nomine urbs apud Ammonitas, ut Jeremias memoriæ prodidit, 49. 3. ¶ Eandem ob causam existimandum est *Jacanam* sive *Jacnam Carmelo* vicinam dici. ¶ Sed Samaria *Meron* cognominatur, quia, ut auctor est Josephus, Ant. l. 8. c. 12. hoc olim ei urbi nomen erat priùs quàm à montis venditore Semere dicta esset *Samaria*. ¶ *Gader*, *Horma*, *Arad* urbes fuere in Judæ possessionibus; & quidem posteriores duæ in extremis ad Austrum finibus, Num. 21. 1, 3. Judic. 1. 16, 17. ¶ Ad eandem tribum pertinebat etiam תפוח *Taphua*, à *pomis* dictum oppidum; sed *Hepher*, ad Zabulonios. ¶ *Aphec*, אפק posita erat inter *Thaanach*, *Jezreel* & *Magedo*, urbs multùm celebrata S. litteris. Sed de omnibus istis urbibus plura dicentur cùm cujusque tribûs hæreditas describetur. In לשרון *Lassaron* censet Latinus, nisi mendum subsit, literam ל ad ipsam positionem non attinere, sed gignendi casûs notam modò esse; *Saron* enim nomen loco ei fuisse: Quo nomine significari planitiem inter montem Tabor sive Tabyrium & lacum Tiberiadis, quam ut fertilitate excellentem laudavit Isaias 33. 9. proditum est libello De loc. Hebr. Ego verò Saron fuisse planitiem soli ubertate celebrem non nego quidem, verùm hoc nostrum לשרון *Lassaron* urbis esse nomen assentior Chaldæo. Et hanc fuisse eam existimo quæ in Actis Apostolorum Ἀσαρὼν appellata est. Posita autem erat haud procul à Lydda. ¶ *Gentes Galilææ* sunt quæ eam Galilæam habitant quam *Superiorem* ideo vocant quia in Septentrionem recedit. *Gentium* enim ea cognominata est *Galilæa* גוים לגלגל quòd portuosa mercaturæq; faciendæ accommoda varias gentes reciperet: ex quibus, ut fit, multos etiam homines inibi mansisse est verisimile. Atque etiam illud est credibile, Thadal, qui cum sociis Sodomam depopulabatur, in istis oris regnasse, cùm *gentium Rex* sit appellatus, Gen. 14. 1. De cæteris urbibus qui hîc enumerantur partim suprà dictum est, partim agetur in Terræ partitione, si volet Deus. Est profectò tantus exterminatorum Regum numerus in regione angustissimis finibus circumscripta admirabilis soli ubertatis certissimum argumentum; præsertim si cogitemus quàm multi insuper reliqui in illa fuerint Reguli & populi nondum subacti, ut proximo capite audiemus. Vix enim centies & sexagies mille passus sui longitudine, qua ab Dan ad Barsabeam porrecta jacet, continere scribit Hieron. ad Dardanũ; latitudine verò, quam ab Joppe ad Jordanem metimur, sexagies mille. Debet ergò permovere non leviter atque adeò percellere animos nostros cogitatio gravis & severi judicii Dei, quo regionem omnium fertilissimam, usque adeò ut lacte & melle fluere diceretur, propter Israelitarum, quibus eam gratuitò donarat, ingratum atq; impium animum tam reddidit infœcundam ut pro lacte & melle conspersa jam sale videri possit. Sanè animadvertimus hoc nostro quoque seculo, quo cum labefactatâ semel Ecclesiæ auctoritate vera pietas & religio cultúsque Dei sensim interit, nováque religionis simulacra impunè & temere vel à cerdonibus finguntur ad sensum imperitorũ hominum, vetera autem dogmata à certis & sanctissimis viris accepta, & posteris tradita, subversum à quovis pro libidine euntur; animadvertimus, inquam, imò verò luculenter videmus, in annos singulos minui terræ & aquarum proventus, crescere pretia rerum omnium, ipsius etiam cœli faciem fieri tristiorem, auras pestilentiores, atq; omnino omnia in pejus mutari. Quæ mala profectò non tam lassatæ senectâ & tanquam effœtæ rerum matri naturæ adscribenda videntur, quod suis culpis blandientes dicere quosdam audio, quàm offensi nostris sceleribus Dei justissimo judicio. Quare ille multis est precibus exorandus ut nos clemens respiciat, atque ad amabilem concordiam & religionis consensionem inducat, quo Filii ipsius purissimam & salutarem doctrinam submissis animis omnes ubique à sacrosancta matre Ecclesia accipere atque amplecti velimus, & congruenter ad eam vivere, mutuâ inter nos charitate, quæ Christianos maximè decet, tanquam in unum corpus consociati, cujus Caput Christus sit.

IDEM.

1. Ἀνεῖλε mutandum est in numerum plurium ἀνεῖλον. ¶ ⁻ Μωυσῆς καὶ ⸔ debet confodi obelisco. ¶ Cùm scribitur καὶ πᾶσαν τὴν γῆν Ἀραβὰ, nomen γῆν auferendum è medio est.

2. Post ἢ ἐὰν suggeritur in m. ed. ✱ ἐπὶ χείλους ⸔. ¶ Ἀρνὼν quoque notandum stellulâ est, ut ascititium, próque eo quod continuò sequitur, κατὰ μέρος, reponendum est μετὰ μέσον. Mihi tamen propter Hebræa verba fit verisimile veram scripturam esse καὶ μέσον, facilè enim ab ignavis librariis sem-

per commutata sunt ϰ & ϰγ. ¶ Pro Ἰαχὼβ scribendum est Ἰαζὼκ, atque hoc loco additur in ed. m. ✱ τῶ χειμάῤῥε ↓.

3. Pro θαλάσσαν scribe θαλάσσης. ¶ Pro Βηθσιμὼθ legit Syrus Βηθασιμὼθ. Sed Latinus videtur legisse quod est in vulgatis libris. ¶ Pro τὴν ἀπὸ scribe τ̄ ἀπὸ, & pro Σηδὼθ, Ἀσηδὼθ.

4. Initio ostendit Syrus per limniscum pro ϰ Ὢγ scriptum esse ϰ ἤκεια Ὢγ,& hanc scripturam secuti sunt Compl. estque ea consentanea Hebræo; sed tum pro βασιλεὺς dicendum quoque erit βασιλέως, atque ità in tribus exempl. fuisse scriptum annotavit Syrus. ¶ Post Βασὰν adscribito ὃς, *qui reliquus erat*.

5. Πᾶσ τ̄ γλῶ Βασὰν, auferri debet γλῶ. ¶ Ante ὁρίων scribendum est ÷ ἕως ↓, sed cum obelo.

6. Ὁ παῖς Κυρίε, quod secundo loco positum est, debet habere asteriscum.

7. Ostendit Syrus in quibusdam libris esse τῆς γῆς, in quibusdam τῶ ἀμοῤῥαίων, sed prius consentit cum Hebræo.

8. Pro Ναγὰβ scribendum est Ναγὲβ, aut, ut habent Compl. Νεγὲβ. Monet hîc Syrus in nonnullis libris post τὸν Ἰεβουσαῖον adscriptum fuisse ϰ τὸν Γεργεσαῖον, sed hoc in Hebræo non habetur. ¶ Porrò in iis quæ deinceps sequuntur Regum nominibus hoc universè monuisse satis sit, suggeri in m. ed. post singulos Reges ipsum numerum ἕνα per asteriscum, hoc modo, τὸν βασιλέα Ἰεριχὼ ✱ ἕνα ↓, &c. Cæterùm nomina ipsa sic sunt mutanda, ut pro Γαδὲς scribatur Ἀρὰδ, aut Ἀρὲδ pro Ἀπφοῦ, Ταπφοῦ, pro Ὀφὲς, Ἐφὲς pro Χεσαρὼμ, Λεσαρὼμ. Et deinceps sic collocentur, Μαρὼν, pro quo est apud Compl. Μαδὼν, idque Hebræum exprimit; Ἀσὼρ, Σομρὼν Μαδὼν, Ἀχσὰφ, Θανὰχ & deinde ut habentur in vulgatis libris, nisi quòd pro Γερμὲλ scribi debet Χερμὲλ, & pro Ἀδὼρ, Δὼρ.

24. Οὗτοι jugulandum obelisco est.

DRUSIUS.

1. A *Torrente Arnon*] Arnon Josephus ποταμὸν vocat, i. *fluvium*, Antiq.l.4.c.4. Videndum ergò an נחל etiam *fluvium* designet. Multi opinantur, & Senes aliquoties ità reddunt, ut Prov. 18. 4. & Ezech. 47. 7. &c. Id movit, credo, nuperum interpretem ut hoc loco reddiderit *à flumine Arnon*. Vulg. Latinus ubique *torrentem* vocat. Senes hîc habent ἀπὸ φάραγγος Ἀρνὼν *à convalle Arnon*; cùm potiùs sit nomen fluvii. Sed vox Ebræa נחל etiam *vallem* denotat, sive in ea sit aqua sive non. Eusebius de Arnone, *Ostendunt regionis illius accolæ locum vallis in prærupta demersæ satis horribilem & periculosum, qui à plerisque usque nunc Arnonas appellatur (Arnon, Arnona, Arnonas*, ut Satan, Satana, Satanas; *Saron, Sarona, Saronas) extenditùrque ad Septentrionem Areopoleos*. Idem ait esse *rupem quandam in sublime porrectam in finibus Amorræorum, inter Moab & Amorræos*. Phesictha, 55. 3. *Arnon terminus est Moab, inter Moab & Amorræum*. Vide Num.21.28. Etiam urbs est ejus nominis. Gerundensis Moses 259. 1. Salomo Abrahami F. Salomonis nepos Urbinas in libro Synonymorum ait *fluvium* etiam נחל dici; & ex pro exemplo adducit ex Cohel. 1.7. כל הנחלים *Omnia flumina abeunt ad mare*. Arnon fluvius an torrens fuerit incertum, nusquam vocatur נהר, quod sciam, sed נחל. Id alii *torrentem*, alii *fluvium* hoc loco interpretantur. Sic etiam reddunt hoc nomen Cohel. 1.7. nam ibi est הנחלים in fonte. Salomo Abrahamides inter synonyma fluminis ponit etiam נחל, quod tamen noster semper *torrentem* interpretatur. *Fluvius* נהר dicitur, & perennis est: *torrens*, נחל, qui æstate siccatur. Sed נחל etiam *fluvius*. ¶ *Omnem planitiem*] *Araba* & *solitudinem* sign. & *planitiem* sive *locum campestrem*. Hic ergò *planitiem* intelligemus, adjuti loco qui pro nobis facit & habetur, Deut.3.10. *omnes urbes* המישור, i. *planitiei*, nam hunc locum ibi significari putat doctis. Masius.

2. *Super ripam torrentis Arnon*] Vel, *juxta ripam*. Ripam autem hîc vocat *labium*: quæ vox etiam usurpatur de litore maris. Nam *labium maris* est ejus litus. Locus iste subnervat Græcam interpretationem ἀπὸ φάραγγος Ἀρνὼν. Nam quid *labium vallis*, aut *convallis*? Meliùs ergò Sym. illic χειμάῤῥον reddit. ¶ *Usque ad Jaboc torrentem*] Eadem vox in fonte quam alii *fluvium* interpretantur, nec malè. Nam ità vocat Eusebius in lib. Locorum; *Jaboc*, inquit, *fluvius, quo transmisso luctatus est Jacob adversùs eum qui sibi apparuerat, vocatúsque est Israel*. Masius *fluviolum* appellat, quem ait *ex Arabia montibus ortum* habere. Josephus quoque sub nomine *fluvii* meminit, ità scribens Antiq. l. 4. *Situm est regnum Sehonis inter tria flumina. Nam à Meridie cingitur Arnone; à Septentrione, Jaboc: at Occidentem ripa Jordanis terminat*. Antea diximus נחל etiam *fluvium* denotare, qui perennis est, cùm torrens æstate siccetur: Vide igitur num sit vertendum hoc loco, *usque ad Jaboc flumen*. ¶ *Hesebon*] Vel, *Hesbon*; unde *Hesbos*, ultimâ nominis barbari inversâ. Sic קרן κέρας, *Annibal* Ἀννίβας. Inde *Hesbus*, immutatione unius literæ. Vide sis Eusebium De locis. Putatur esse *Esbuta* Ptolemæi.

3. *Usque ad mare Cenneroth*] Quod & *mare Cennereth*. Et est *mare Genesareth* in N.F. appellatum alio nomine *mare Tiberiadis*, & *mare Galilææ*. Dicitur etiam *mare Tarichæ*, ut alibi notavimus. Vocatur etiam *stagnum Genesareth*. ¶ *Usque ad mare campestre*] Sic vocant mare Mortuum; quod & *mare Salis* vel *Salsum*, & *lacus Sodomæus, & lacus Asphaltites*. Hieron. *mare deserti* & alius *mare solitudinis*. Sic enim Arias Santem emendavit; egregiè sané: nam *solitudo & desertum* synonyma sunt. Adhæc *Araba*, quod in LXX, non sign. hîc *solitudinem*, sed potiùs *planitiem* aut *campum*, unde cum aliis interpretati sumus *mare campestre*. Est qui maluit *mare campestrium*, i. *Araboth*. Mox se explicat cùm ait, *mare Salis*, h.e. salsum. Vocatur autem *campestre*, quia loco plano & æquabili situm est; & *salsum*, à salsuginoso sapore aquarum. Senes habent ἕως τῆς θαλάσσης ἄραβα. Sed vide Masium. Jon. *usque ad mare planitiei*. ¶ *Bethisimoth*] In textu *Lira* Bethesimoth: unde suspicor legendum *Bethjesimoth*. Locus est in campis Moabiticis; & sonat ut si dicas, *Domus desolationum*. In LXX Ἀσειμὼθ *Asimoth*. Ebræus habet *Beth-hajesimoth*, sed in Thargum *Beth-jesmoth*. ¶ *Asedoth Phasga*] Pars est montis Abarim. Sonat autem *Asedoth decursus* aut *devexitates*, vel, si placet, *radices*; & *Phasga*, *collis*. Sunt qui dicunt significare *saxum præruptum*. Vide Deut.3.17.

4. *De reliquiis Raphaim*] Jon. *de residuo gigantum*, quos גבריא vocat à *robore*, quo pollebant. Masius appellatos censet q. *inferos*, quòd in antris & cavernis habitarent plerique eorum. Nicolaus, *de reliquiis Raphaim*, i. *gigantum, prout habetur Deut*.3. Liber nominum, *Raphaim, gigantes*. Hi erant de stirpe Rapha sive Harapha, 2 Sam.21.18. *Saph de stirpe Harapha, de genere gigantum*, ubi LXX *Repha*. Eucherius p.71. *Quatuor reges profecti de Babylonia interfecerunt gigantes*, i. *Raphaim, robustos quosque Arabiæ*. Ammonitæ illos *Zomzommin* vocant, Deut. 2. 20. Vide sis Onomasticon sacrum. Prov. 21. 16. רפאים, Lxx. γιγάντων, Hieron. *gigantum*, A. Ῥαφαεὶμ, Sym. θεομάχων, Theod. γίγαντες, Gen. 14.5. A. Ῥαφαεὶμ, cæteri, *gigantes*. Gerundensis existimat Hævæorum esse cognomen, qui in antris & cavernis habitabant; quorum vicini חורים, i. τρωγλοδύται.

6. *Rex Hai quæ ex latere Bethel*] Nam erat alia Hai apud Ammonitas, Jer.49.3. Hæc vicinam habebat Bethel; cujus cives Regi Hai suppetias tulerunt, ut suprà dictū est.

18. *Rex Lassaron*] In Vulg. nostra, *rex Saron*: cujus loci mentio 1 Par. 27. 29. & in N.F. *Saronas* dicitur. *Saron, Sarona, Saronas*, ut *Satan, Satana, Satanas*. In duobus manuscriptis est *Lasaron*. Thargum quoque דלשרון, i. *Lassaronis*. Nam ד est articulus genitivi. Nomen est urbis. *Saron* verò dicebatur planities inter montem Thabor & lacum Tiberiadis, quam ut fertilem valde laudavit Isaias cap.33.9. In Actis Apostolicis vocatur *Assaron*, i. השרון, non procul à Lydda.

20. *Rex Semron Meron*] *Meron* cognomen est Samariæ, ut autor Josephus Antiquit. l. 8. c. 12. Imò sic vocata fuit Samaria priusquam à montis venditore *Someron* dicta est. A plerisque Latinis abest *Meron*, quod scribunt מראון duabus literis quiescentibus in Holem. Thargum habet

habet מרעון. Hi Reges urbium alios pagos & vicos sub se habebant quibus imperitabant.

IDEM.

23. דור לנפת. Sym. *Dor maritima*] Eusebius de locis, *Dor Napheth, quod Sym. transtulit Dor maritima*, &c. ¶ גוים לגלגל. A. & Sym. *Gentes in Gelgel*] Eusebius, *Goim in Gelgel, quod A. & Sym. interpretantur Gentes in Gelgel.*

GROTIUS.

1. *HI sunt reges*] Summa hîc colligitur Regum quos Moses & Josue cis & ultra Jordanem devicerant. *Intra suam cuique patriam regna finiebantur*, ait de antiquissimis temporibus Justinus. Speciatim autem de his populis Strabo, τὸ παλαιὸν μὲν ὥσπερ οἱ Ἀρκάδιοι καθ' αὑτοὺς ἐβασιλεύοντο παραπλησίως, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη πόλεων Φοινικίδων.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

3. *NIlo*] Licèt Hebræi interpretentur *Nilum*, non tamen propriè est Nilus, sed rivulus quidam ex Nilo derivatus, qui ab Occidente versùs terram Israel deflectitur, terminum urbis Aza, quam nostri *Gazam* vocant, circumscribens. Est verò *Aza* unus ex quinq; principatibus Phelistæorum. Reliquorum principatuum insigniores civitates sunt, juxta Latinorum appellationem, *Azotus, Ascalon, Geth*, & *Accaron*. Nos, ut in Hebræo habentur, hæc scripsimus nomina. His additur adhuc alius principatus, nempe *Avæorum*, sed qui quinque principalioribus non adæquatur.

19. *In monte vallis*] h. e. Quæ sita erat in monte collocato in libera planitie. De loco *Scatebrarum collium* jam suprà diximus.

21. *Duces fuerunt Sihon*] h. e. Erant Reges in Midian, sed subjecti erant imperio magni Regis Sihon.

22. *Cum interfectis illorum*] Inventus fuit Bileam idololatra inter reliquos interfectos. Et licèt fuerit de alia regione, tamen pro assequendo præmio sibi promisso non destitit dare consilium Regi Balac quibus insidiis & astutiâ deciperet filios Israel.

27. *Terminum ejus*] Jon. תחומיה *regionem ejus*; q. d. civitates quæ illi sunt vicinæ.

VATABLUS.

1. *CUM autem Jehosua jam senuisset*, &c. ויהושע זקן בא בימים ויאמר] Ad verb. *Et Jehosua senuit, venit in dies. Venisse in dies* dicitur phrasi Hebraicâ quem Latini *annosum* vocant; & ipsi Hebræi aliàs *plenum*, sive *saturum dierum* vocant. Vide Gen. 25.8. ¶ *Et valde multa*, &c. והארץ נשארה הרבה מאוד לרשתה] *Et plurimum terræ relictum est ut possideatur*, i. magna pars regionis superest debellanda, ut postea possideatur. Ad verb. *Et terra relicta est multa valde ad possidendum eam.*

2. *Quæ relicta est*, הנשארה] i. Quæ superest debellanda. ¶ *Et omnis Gessuri*, וכל הגשורי] *Et omnes Gessuritæ.*

3. *A Nilo qui est super faciem Ægypti*, מן השיחור אשר על פני מצרים] *A Nilo qui est contra Ægyptum*, i. qui terminat eam partem Terræ sanctæ quæ respicit Ægyptum ab Austro scilicet. Alii, *Ab amne turbido*, i. rivulo quodam Nili: qui scilicet influit in mare Pelusiacum ad Gazam. ¶ *Ipsius Chenanæi*, לכנעני] *Chananæorum.* ¶ *Quinque*, חמשת] Subaudiendum aliquid, *& illic sunt*, vel *habitant, quinque*, &c. Recenset sex satrapias, cùm dicat esse quinque; Avæam autem, sive Hevæam, non esse de satrapiis Palæstinis. Alii dicunt enumerari quinque præstantiores; Avæam esse ignobiliorē, quod doctis non probatur.

4. *Universa terra Chenanæi*, כל ארץ הכנעני] Sub. *superest debellanda.*

5. *A Baal-gad*, מבעל גד] *A planitie Gad, quæ est ad radices montis Hermon.* Vide c. 11.17.

6. *Montis*, ההר] i. Montanorum, sive regionis montanæ. ¶ *Misrepoth aquarum*, משרפות מים] Vide c. 11.8. ¶ *Cadere fac eam*, הפלה] i. Missis sortibus divide eam Israeli.

8. *Cum ea*, עמו] i. Cum alia media tribu Manasse. ¶ *Partes suas*, נחלתם] *Possessionem suam.*

9. *Ab Aroer*, מערוער] Sub. *acceperunt.*

12. *Hic supererat*, &c. הוא נשאר מיתר הרפאים] *Hic supererat ex reliquiis gigantum*, i. hic unus ex omnibus gigantibus supererat.

13. *Gesuri & Maachathi*, הגשורי ואת המעכתי] *Gesuræos & Maachathæos.*

14. *Tantùm*, רק] *Veruntamen.* ¶ *Sacrificia*, &c. אשי ונו'] i. Capiet ex hostiis vice possessionis suæ: vide v. 33. ¶ *Ei*, לו] *De illa*, nempe tribu Levi.

15. *Dedit ergò*, ויתן] Sub. *possessionem.*

16. *Terminus*, הגבול] Sub. *regionis assignatæ*, &c. i. Regio illis assignata, q. d. Regio illa continet, &c. ¶ *In medio vallis*, בתוך הנחל] *In ipso torrente.* ¶ *Juxta Medebah*, על מידבא] i. Quæ adjacet urbi Medebah. Chaldæus paraph. quæ protenditur *usque ad Medeba.*

17. *Urbes ejus*, עריה] i. Illi subditæ.

19. *In monte vallis*, בהר העמק] Quæ sita est *in monte planitiei*, i. In tumulo qui est in planitie.

20. *Et Asdoth*, &c. ואשדות הפסגה] Vide Deut. 3.17.

21. *Planitiei*, המישור] i. Campestres. ¶ *Percussit*, הכה] i. Debellavit. Vide Num. 31.7.

22. *Divinatorem*, הקוסם] *Ariolum.* Heb. Diminutivum. ¶ *Cum interfectis suis*, אל חלליהם] i. Unà cum aliis à se trucidatis.

23. *Terminus*, גבול] *Limes*, sub. *regionis assignatæ*, &c. ¶ *Et terminus*, וגבול] *Cum termino*, sub. *ejus*, i. & regio adjacens illi.

24. *Deditque*, ויתן] Sub. *possessionem.*

25. *Terminus*, הגבול] *Limes*, regiones scilicet assignatæ. ¶ *Et dimidium terræ*, וחצי ארץ] i. Media pars regionis filiorum Ammon, h. e. quæ fuerat olim Ammonitarum, & postea occupavit eam Sehon rex Amorrhæorum.

27. *Et in valle*, ובעמק] *Et in planitie*, vel *in loco campestri.* ¶ *Residuum*, יתר] Nonnihil subaudiendum, cujusmodi, *& ut uno verbo dicam, residuum*, &c. ¶ *Et confinium*, וגבול] *Et terminus*, vel *limes*, sub. *ejus regionis, adjacens illi, quæ protendebatur usque*, &c.

29. *Dedit præterea*, ויתן] Sub. *Possessionem.*

30. *Terminus eorum*, גבולם] i. Terminus regionis assignatæ illis.

31. *In Basan*, בבשן] i. In regione Basan, vel qui regnabat in Basan. ¶ *Filiorum*, לבני] Sub. *fuerunt*, i. nepotum Machir. ¶ *Dimidio*, לחצי] i. Dimidiæ parti, q. d. non omnium, sed aliquot.

32. *A transitu Jarden ipsi Jeriho*, מעבר לירדן יריחו] *Citra Jarden Jericho. Citra* dicit, quòd meminit Jericho, i. citra Jordanem quâ parte non procul distat ab Jericho.

33. *Hæreditas eorum*, נחלתם] i. Est illis vice hæreditatis: debent enim accipere quæcunque Deo offeruntur. Vide v. 14. ¶ *Illis*, להם] i. de illis.

CLARIUS.

3. *A Fluvio turbido*] Alius vertit, *de Nilo*: & licèt Hebræi interpretentur *Nilum*, non tamen propriè est Nilus, sed rivulus quidam ex Nilo derivatus, qui ab Occidente versùs terram Israel deflectitur, terminum urbis Gazæ circumscribens.

19. *In monte convallis*] Hoc est, quæ sita erat in monte, collocato in libera planitie.

21. *Duces Seon*] h. e. Erant Reges in Madian, sed subjecti erant imperio magni Regis Seon.

22. *Cum cæteris interfectis*] Inventus fuit Balaam idololatra inter reliquos interfectos. Et licèt fuerit de alia regione, tamen pro assequendo præmio sibi promisso non destitit dare consilium Regi Balac, quibus insidiis & astu deciperet filios Israel.

3. *Tribui autem Levi*] Non dedit Moses Levitis habitationem cùm daret terram duabus tribubus & semis, non enim poterat dicere Moses, *Vade, & vende omnia quæ habes*, &c.

MASIUS.

1. J*AM Josua consenuerat, processeratque in dies, &c.*] Eorum quæ hoc capite exponuntur hæc summa est. Primùm monet ex oraculo Josuam Deus, quia jam natu grandis sit, & senectus eum urgeat, ut ipsam terræ partitionem aggrediatur, & quidem universæ, quamvis nondum tota devicta sit; se enim hanc rem provisurum, atque eliminaturum eos suo tempore qui nondum subacti sunt. Deinde quia solæ novem tribus & dimidia propositæ erant, inter quas dividi Chananæam istam oporteret, commemoratur quas possessiones reliquæ duæ & dimidia nactæ sint à Mose. Nam ad decimam tertiam tribum quod attinet, ea autem est Levitica, huic Deum ipsum loco hæreditatis futurum. Copula quæ est initio scripta continuat narrationem istarum rerum cum superioribus. Nam tum demum urgere senectus Josuam cœpit postquam ea quæ adhuc dicta sunt gessisset. Non est autem supervacaneum illud, *processerat in dies*; sicut aliàs absque tautologiæ vitio quis dicitur *senex & plenus dierum*. Nam præterquam quòd *senectutis* verbum ingravescentem modò ætatem significat, illud verò alterum maturiorem & propè ultimam, haud temerè alii *in dies processisse* aut *pleni dierum esse* dicuntur quàm ii qui sanctè vixerunt; quippe quibus exacti dies non perierunt, neque frustrà sunt traducti per vana studia, sed per egregia virtutum facinora. Nam ignavi & voluptatibus corporis servientes, atque umbratilem viventes vitam, vitiis tanquam perpetuâ caligine cooperti, nunquam sobriæ mentis oculos ad justitiæ Solem Christum attollunt seriò, in quo uno lux vera est & vita hominum, sed dies suos omnes tanquam somno transeunt; atque ideo cùm illi effluxere, quia nullius rei in ipsis bene gestæ ulla est suavis recordatio, quasi nullos fuisse existimant. At Josua *processerat in dies*, nimirum ejus veneranda senectutis maturitas tantùm non singulos retro actos dies singulis benefactis claros recordari poterat. Confert autem Deus Josuæ ætatem parùm ad bellicos labores aptam, cum amplissima bellandi, quæ supererat, materia; ut ansam habeat sanctissimi senis animum & consolandi, & leniter quò vult flectendi inducendique. Credibile enim est Josuam existimasse omnes sibi prorsus Chananæos antè esse exterminandos quàm partitionem posset auspicari, nè sensim aliis atque aliis, ut cuique esset primùm de hæreditate prospectum, ad suas possessiones dilabentibus, ipse justo exercitu destitueretur. Cùm ergò jam senectutis incommoda increbescerent, magnas autem provincias debellandas superesse ille videret, nulla dubitatio est quin variæ & graves viri religiosissimi animum cogitationes fodicarint. Ei ergò succurrit Deus, & fluctuantem curis sedat, Tu quidem, inquiens, senuisti; & multi hostes subigendi restant. Sed non est quòd idcirco distributionem differas diutiùs, quam ego tibi olim imperavi. Ego enim ipse reliquos exterminabo suo tempore. Nam eorum mihi operâ usus erit, post tuum excessum etiam, ad castiganda populi mei flagitiosa otia. ¶ Verbum ירש, quod ego converti *occupare*, positum est hoc loco pro *in potestatem redigere*. Quare non rectè Latinus interpretatus est *sorte dividere*. Necdum enim ulla omnino divisa est terra.

2, 3. *Hæc terra relicta est. Omnia litora Palæstinorum, &c.*] Latinus vocabulum גלילות interpretatur *Galilæam*: quo vocabulo non opinor eum hîc regionem quam *Galilæam* vocamus ostendere velle, hanc enim ditionem nuper vidimus bello subigi à Josua. Significat autem גלילות, ut RR. Kimhi & Solomon testantur, *fines & limites quibus loca circumscribuntur*; quales Galli *marques*, Germani Grentzen vocant. Mihi verò videtur usurpari propriè hoc verbum de iis oris quæ ad maria aut flumina sunt, vel propter sinuosos litorum & riparum recessus, vel quia fluctus illic ventis aut æstu reciprocantur volutantque ludunt, vel denique à congestis ibi passim arenarum tumulis. Nam & utriq; Galilææ hoc nomen impositum esse arbitror à maris litore ad quod adjacent illæ. ¶ Porrò גשורי *Gessuræa* hæc utra sit, illáne in ארם, h.e. *Syria*, de qua nuper agebamus, an altera Ægypto & Amalecitis propinqua, Davidis excursionibus atque etiam uxore nobilis, dubitari non potest, cùm hîc de Chananæa, quæ trans Jordanem est, agatur. Nimirum, ut ad Amalecitas non accesserat cum armis Josua, quos tandem Saul delere jubetur, 1 Reg. 15. 3. ità neque eorum vicinos Gessuræos attigerat. ¶ שיחור *Sihor* Nilum esse etiam Hebræi censent. Neque profectò ulla debet esse dubitatio, quando Jeremias sic cecinit 2. 18. *Quid tibi vis per viam Ægypti? ut bibas aquas Sihor? aut quid tibi vis per viam Assyriæ? ut bibas aquas Euphratis?* Nimirum quâ ratione à Græcis olim is fluvius vocatus est μέλας, h.e. *niger*, & indè ipsa Ægyptus μελάμβωλος, i. *nigrigleba*, ut sic dicam, teste Eustathio in Dionysium, eâdem dictus est & ab Hebræis שיחור: nam id quoq; verbũ *nigri* habet notionem, propter turbidas limo aquas videlicet. Equidem non sum nescius eam plerosq; habere opinionem ut putent alium quendam fluviolum discernere Ægyptiorum ditionem à Chananæa quàm Nilum. Id enim etiam Hieronymus prodidit. Verùm quando apud probatos, quod ego sciam, Cosmographos nulla usquam ejus fluvii mentio est, Strabo autem in ea arte omnium diligentissimus supra magnum Pelusiacũ Nili ostium aliud parvum facit apud montem Casium, à quo ad magnum usq; stadiorum tercentũ sit intervallum, l. 16. idémq; auctor Judæam ad Casium usque montem profert, à quo monte propè admodũ abest Rhinocolura urbs à *præcisis civium naribus* sic dicta, apud quam Hieronymus illum suum fluviolũ in mare deducit, Plinius etiã Rhinocolurã Judææ extimã urbẽ esse constituit, planè existimo non alium esse fluviolum illum à Nilo, sed ab eo derivatũ, atq; ideo *Nili* hoc nomen retinere. Nam à nostræ etiã memoriæ scriptoribus proditũ est, qui loca ea ipsi perragrarunt, itinere circiter dierum quinq; à Gaza versùs Ægyptum citimum Nili brachium à mari excipi, vulgóq; *Carabum* vocari; & ab eo ad Damiatã usq; h.e. Pelusium, viæ tantum intercedere quantũ horis 20 pedes queat conficere: quod sanè Strabonis dictis consentaneũ esse mihi videtur. Quin RR. Solomon & Kimhi nihil dubitantes dicunt eundẽ unum esse terminũ qui hîc per *Nilum* & qui c. 10. per *Gazam* designatus est. Verùm putant illi hyperbolen esse cùm ad Nilum usq; fines Judææ extenduntur. Sed enim ista verba, *A Sichor, usq; ad fines Accaron, versùs Aquilonem, Chananæorum censenda est*, quæ per interpositionem κατὰ παρένθεσιν dicta accipi debent, præsumptionem, quam Græci πρόληψιν sive προκατάληψιν vocant, continent. Occupant enim quæ objici possent cur litora Philistinorum & Satrapiæ adnumerentur terræ Hebræis promissæ, cùm hæc gens non ex Chananis illa devota stirpe, sed ex מצרים *Mezraim*, sit prognata, qui Ægyptum primus incoluit, eiq; regioni nomen suũ reliquit, ut in historia De rerũ ortu c. 18. v. 15. memoriæ proditũ est. Atqui, inquit S. textum, quamvìs illic *Palæstini* habitent, tamen regio ipsa *pro Chananæorum terra est habenda*. Cujus rei hanc afferri causam justã posse puto, quòd illa olim Chananæi loca habuerint, atq; per vim tandẽ à Palæstinis ejecti inde fuerint. Nam Deut. 2. 23. proditum est, *Hevæos*, qui planè Chananis posteri fuere, *olim habitavisse in villis usq; ad Gazam, sed à Caphthorim eliminatos esse, qui eas sedes deinde occuparunt*. Jam verò Caphthorim certũ est Philistinorũ fuisse gentiles. Jure ergò & hîc & in Gen. 10. 19. universa illa Philistinorũ ora Chananæis attribuitur. ¶ De quinq; Præfecturarũ urbibus, *Gaza, Azoto, Ascalone, Geth, & Accarone*, diximus suprà 11. 22. quæ si hîc ordine recenseantur ut positæ fuere, aliæ sanè pro aliis jam olim ostenduntur, nimirum pro Accarone Geth, & pro Ascalone Azotus. Neq; id mirũ fuerit post tam multa seculorũ intervalla. ¶ Illud סרנים, quod nos *regulos* convertimus, videtur sermo Philistinorũ proprius fuisse, atq; *satrapas, principes* aut *magnates* apud eos significare. Hîc autem per metonymiã usurpatur pro ipsis Ditionibus sive Præfecturis. ¶ Sed cur *Hevæorũ* jã fieret mentio, causã fuisse existimo, quòd, ut est credibile, eorum multi, quamvìs ignobiles & rustici, ad Josuæ usq; tempora in illis locis manserint è quibus olim majores ipsorum à gente Caphthorim fuerant pulsi, ut jam dicebamus. Latinus tamen, imitatus LXXII interpretes, istos traduxit ad insequentis versiculi principium, ut à Philistinis diversos faceret scilicet; quod à nonnullis quoque Doctoribus Hebræis factum esse observavi. Tract. פי׳ אלו טרפות Cæterùm in verbo עוים posita

posita est litera Ain pro Heth, ut multis argumentis conficit Nehmannus. Sunt enim admodum cognatæ illæ literæ; quales sæpe commutari inter se solere certa res est.

4. *Ab Austro omnis terra Chananæorum, & prata*, &c.] Proximo versiculo ora maritima à Rhinocolura sursum ad Accaronem usque est descripta, tanquam quæ armis nondum erat subacta. Videtur enim Accaron supra Geth posita fuisse ad Septentrionem versùs, pro eo ordine quo hic enumerantur; & si hodie aliter existimet vulgus. Nunc verò rursus ad Austrum alia loca, sed mediterranea, ostenduntur, quæ adhuc sunt in hostium potestate. Ego enim quod de *terra Chananæorum* dicit accipi posse puto de ditione Regis Arad & vicinorum Regulorum qui in Judææ extremitate dominabantur, ad deserta Pharā, Sin, Kades, cætera. Id enim ei consentaneum est quod in Numeris 21. 1. scriptum exstat. Vicerant quidem istos populos Israelitæ memorabili clade cùm ad montem Hor castra fecissent. Verùm non fuisse tum prorsus exterminatos, satis magno argumento est urbs Sephat, quam denuò post Josuæ mortem Judæi, ut in sua positam hæreditate, everterunt, Judic. 1. 17. Et quamvis Josua, ut nuper commemorabatur, à Kades-Barne ad Gazam usque regionem illam omnem cecidisset, tamen neque ille prorsus profligarat incolas, sed veluti victoriosus transcurrens terruerat modò atque represserat, ut ne distributionem auderent impedire; sic nimirum illius consilia moderante cœlesti instinctu Deo, ut superstites manerent qui olim Israelitas malè feriatos exagitarent, ut diximus. Sin autem existimare quis malit eos hic Chananæos dici quos *Phœnicas* vocamus, quasi à Philistinorum Præfecturis ad hos, tanquam ab Austro in Septentrionem, progressus fiat, ejus ego libens adstipulator ero. Certum enim est, atque à nobis alibi explicatum multis verbis, universum illum tractum maritimum à Philistinis sursum peculiariter *Chananæam* esse vocatam. Et fuerit hoc modo narrationis series multò aptior. Nam ab austri extremitate ad prata Sidoniorum transilire non est profectò ordine progredi. Et nusquam adhuc memoratum est illam maris oram esse ab Josua armis domitam. *Prata* autem *Sidoniorum* מערה אשר לצידונים suspicor eos esse campos virore lætos qui à Sidone deorsum secundùm dextrum maris Mediterranei litus porriguntur usque ad Aphecam. Nam ערה *viriditatem* sæpe significat: à qua positione formatum nomen מערה interpretatur Chaldæus *campum* sive *planitiem* in Judicum historia 20. 33. etsi hic *spelunca* dicere idem maluit. Quare neque ego refellere possim, si quis insignem specum quampiam non procul à Sidone notatam esse malit opinari. Sed quando hoc vocabulum, מערה *vicinitatem* quoque significat, ut censent Judæi in Regum historia l. 3. c. 7. v. 36. fortassis non inepta fuerit sententia si *viciniam Sidoniorum*, aut ipsos circumquaque Sidonios, hoc loco dici putemus. LXXII pro מערה legisse videntur מעזה, converterunt enim *à Gaza*, nam litera ז facilè potest ר videri. ¶ Cæterùm אפקה *Apheka* non illa est urbs quam nuper inter Thaanach & Megedo collocabamus in tractu Dorio; nam hujus Regem profligatum fuisse dicebamus; sed alia, quæ ad tribum Aser pertinebit, quæque alibi אפיק *Aphik* per tertiam vocalem secundo loco scribitur, Judic. 1. 31. Posita autem erat ista haud procul ab Albo promontorio, ut vocant, loco maritimo. ¶ Porrò illud, *usque ad fines Amorrhæorum*, videtur id intervallum loci significare quod est ab Apheka usq; ad montis Hermonis eam partem quæ Paneadi & fonti Jordanis imminet. Illuc enim usque Amorrhæos habitasse indè ab regnis Og & Sehonis, scriptum est ab Eusebio in libello de loc. Hebr. & quæ in ista ora habitabant gentes, eas neque ab Aseritis neque Nephthalitis post Josuæ excessum ejici potuisse, memorat Judicum historia, 1. 31, 32, 33.

5, 6. *Præterea terra Gabalenorum, & totus Libanus ad Orientem*, &c.] גבלי, h. e. *Giblinos*, aut *Gabalenos*, ego Byblios esse censeo, aut certè Byblo vicinos populos. Nam hæc antiquissima urbs Phœnicum, & ab ipso, ut ferunt, Saturno condita, etiam hodie hoc nomen vulgò retinet. Vocatur enim *Giblet*; ac si גבלית dicas. Et LXXII in Ezechiele 27. 9. illud זקני גבל interpretati sunt οἱ πρεσβύτεροι Βύβλων. Denique Plinius in illa Bybli ora promontorium existere scribit cui *Gabale* nomen est, l. 5. c. 20. Atq; ista consentanea iis sunt proximis verbis, quibus de Libano agitur. Nam Byblios ad Libanum habitasse, res est certissima. Ad hæc, Ezechiel Giblinos sive Gabalenos, h. e. Byblios, Tyriis, quippe vicinis, operam in sarciendis navibus egregiam navasse dixit. Fuere enim Giblini artifices cum primis industrii, unde in æde Solomonis exædificanda laudati sunt, in Regum historia, l. 3. c. 5. v. 18. Fuerunt tamen etiam alii Giblini sive Gabaleni ad Austrum: quorum regionem Gabalenen fuisse olim Idumæam scripsit Eusebius libello de loc. Hebr. unde & mons ipse שעיר *Seir*, qui ab Idumæo Esau nomen habet, in ea interpretatione quæ linguâ Jerosolymitanâ Genesin explanat, גבלא *Gabloio*, q. *Gabalenum* aut *Giblinum* dicas, est appellatus. Et in Psalmis, *Gabaleni* unà cum cæteris illorum finium barbaris gentibus, *Idumæis*, *Ismaelitis*, *Amalecitis*, aliisque recensentur, 83. 7. Denique Bersabeam urbem in illis finibus sitam, ut suo loco ostendemus, hodie appellant accolæ *Giblin*. Et LXXII quidem de istis Giblinis videntur præsentem locum esse interpretati, cùm *Philistinorum* nomen de suo addunt: at id absurdum est, cùm apud Libanum jam versemur. Neq; verò rectè Latinus, qui verbum גבלי *terminum* sive *confinium* significare putavit, similiter atque גבול, quod superiore versiculo scribebatur. ¶ Porrò illud, *& totus Libanus ad Orientem*, cum iis quæ sequuntur, reliquos, nisi fallor, Libani accolas & incolas notat, ab eo loco in quo quarti versiculi descriptio desiit, h. e. à Panio & Jordanis fontibus, usque ad eos fines Hermonis montis qui ab Oriente terram Sanctam claudunt. Nam לבא חמת *Labo Hæmath*, h. e. *aditus ad Hæmath*, mediâ circiter parte oræ Septentrionalis quæ terram Sanctam terminabat ad Libanum, fuisse videtur, quâ iter erat Epiphaniam Cœlesyriæ. Hanc enim Hæmath fuisse dicit se compertum multâ investigatione habere Hieronymus. Etenim ut hic *à Baal-gad sub Hermone*, h. e. ab extremitate Orientis proceditur *ad Labo Hæmath*, sic in Numeris 34. 7. à *mari Mediterraneo*, tanquam ab Occidente, ducitur funiculus mensorius per montes versùs Orientem, *ad Labo-Hæmath*, *Sedadam*, *Sephronam* & tandem *Hasor-ænam*. Sed erit, ut puto, de Labo-Hæmath alius dicendi locus. Neq; rursus ista dissentanea sunt illis Josuæ victoriis, quibus loca hæc videri potest longè lateq; subjugasse: cùm ad aquas Merom tot Regibus improvisò supervenisset: nam profligaverat ille quidem hostes ad Sidonem usque & Libanum, ut non prorsus exstirpaverat: imò verò, citra Sidonem, citráque Libanum substitisse tunc videtur, hic verò ab ipso *Libano*, h. e. à Septentrione, usque ad *Sidonem* & *ustrinas aquarum* describitur indomita adhuc regio. ¶ Sequitur in S. verbis, *Ego ipsos exterminabo*. Quod à secundi versiculi initio scriptum ad hanc usque clausulam est, id ità accipi potest quasi per parenthesin non ab ipso Deo sed istius historiæ scriptore dictum sit. Hæc enim demū est illa consolatio, quâ dicebam Deum Josuæ solicito occurrere. Est igitur magna emphasis in pronomine *Ego*, q. d. Ego, cujus ineluctabilem potentiam tute nosti, quod reliquum est, quî valeat quisque quod sibi sors obtulerit adipisci, providebo. Tu modò terram universam, sive subactam jam, sive nondum etiam, distribuito inter tribus, ut tibi antehac mandavi. Est quidem in meis jussis, promissis, consilio, ut distributio per te Josuam fiat, qui & rebus gerendis & nomine Filium meum JESUM olim venturum adumbras; at reliquas gentes debellare, non in tua unius fortitudine prudentiáque posui. Meorum enim consiliorum eventus à nullius hominis vita pendet. Hujusmodi enim admonitiones ex istis S. verbis percipere possumus, quibus nostræ arrogantiæ medeamur. Dum enim in arte quapiam excellere nos putamus, si quod opus præclarum, ut nobis videtur, sumus aggressi, de vita ipsi nostra sumus soliciti, nè si quid humanitus patiamur illud interruptum maneat, quod & Deo gratum & reip. utile & nobis gloriosum fore nobis ipsi persuademus. Atqui Deo nunquam deerunt aliæ efficiendi rationes quod æternâ suâ voluntate constitutum habet. Nam si cujus ille operâ ad ullam rem solius opus haberet, ejus vitam facilè usque eo prorogaret dum confecta res ea esset.

Quis non existimasset desperatam fuisse adeptionem victoriæ de Chananæis cùm Moses, in cujus pietate, prudentia, gratia omnia posita esse videbantur, cùm ille, inquam, in ipso rei gerendæ articulo è vita exiret? Fungatur igitur quisque strenuè suo munere sibi assignato, dum vita suppetit: At cùm denunciari sibi à Deo videt ut ex ea exeat, lætus pareat, & emitti se è custodia, levarique gravibus vinculis arbitretur, ut in æternam & planè suam domum possit evolare: Cæteroqui Deo aliarum rerum omnium curam permittat, qui novit quibus rationibus generi humano consulere debeat. At enim quod dicit, *Ego*, Josuæ modò operam excludit, non aliorum hominum. In Judicum enim historia 2.18,19. scriptum est, *Constituit enim Dominus illis Judices. Et fuit Dominus cum Judice & servavit ipsos à manu hostium ipsorum*, &c. Deus enim, ut alibi quoque diximus, res humanas per homines suæ voluntatis administros dispensat ac moderatur, alioqui enim ad Divina ejus judicia nimiùm obstupesceremus attoniti. ¶ Verbum ירש quod converti *exterminare*, aut *possessione exuere*, hanc habet notionem quoties post ipsum sequitur præpositio מן *de*, *ab*, *ex*, &c. nam alioqui significat *mittere in possessionem*, aut *possidere*. Debet autem illud, *Ego ipsos expellam*, sub hac conditione sensum putari, Si populus meus sibi ipse non obstiterit, quod sanè Moses crebrò explicavit. Homines enim sæpe cælestia beneficia ultro ipsi repudiant atque ab se abdicant, neque tamen ob id Dei promissa frustrà esse videri debent. Sed hoc quoque alibi expositum à nobis est, nisi me fallit memoria. Manserunt enim usque ad ipsa Davidis tempora multi in Chananæa veteres coloni; neque id solùm, nè feræ bestiæ damnum darent electo populo nondum satis aucto, sed propter istius scelera, ut nuper dicebam, quæ subinde à domesticis hostibus debebant puniri. Scilicet *tantæ molis erat* selectam *condere gentem*, ut obiter illud Poetæ ad propositum accommodem. ¶ Cùm enim dicit, *Sortire modo eam*, &c. haud sanè ludificare vult suos Israelitas, qui ipsissima probitas atque integritas est; sed certissimam illis spem dare suæ benignitatis, & victoriæ, si sibi non desint ipsi. Sed enim fuit utilis etiam ista ditionum nondum subactarum sortitio ad alendam perpetuam inter Israelitas & Barbaros odii flammam, quæ perniciosas inter ipsos amicitias atque necessitudines prohiberet. Nam eo ferè ingenio sunt homines, ut cùm sua ab aliis vident possideri, non aliâ conditione pacisci velint quàm quâ quod suum est obtineant. Ad hæc, si vacuæ modò possessiones inter tribus istas fuissent distributæ, sua quisque privatâ hæreditate contentus, atque otio deditus, eorum causâ quæ ad omnes in commune spectassent, atque adhuc penès hostes fuissent, nemo facilè pugnare in animum induxisset. Nam privatâ ambitione leviter ad quævis tentanda excitamur, nullósque labores recusamus, si modò rem facere atque augere spes ulla ostenditur: at quæ ad remp. attinent, ea paucissimi volunt attingere; certè negligentiùs tractant omnes. Et ut demus, pugnaturos fuisse, nunquam profectò amicè inter se partiri potuissent quod eripuissent hostibus. ¶ Extrema clausula, *sicut jussi tibi*, spectat ad id quod initio dicebat Deus, 1.6. *Tu enim mittes populum hunc in possessionem terræ quam juravi patribus ipsorum*. Habent enim illiusmodi prædictiones Dei, ut videntur, in S. historia naturam atque vim mandatorum. Eáque causa est cur tam frequentes sint modorum finiti & mandativi inter ipsos ἐναλλαγαί.

7. *Et jam divide terram hanc in hæreditatem novem tribubus*, &c.] Adhuc in eo potissimùm versata oratio est ut intelligeret Josua perinde distribuenda esse inter tribus istas loca nondum capta atque ea quæ jam fuere occupata. Nunc porrò de universa illa regione semel dividenda agitur, quæ ab Jordanis ripa ad mare usque Mediterraneum jacebat, ut LXXII luculenter suâ interpretatione explicarunt. Inculcatur autem iterum atque iterum *hæreditatis* nomen; nimirum ut de ipso agi patrimonio populus intelligat. Projectissimæ enim ignaviæ atque detestabilis socordiæ fuerit paternum & avitum jus negligere. Nam cùm, ut nuper dicebam, homines qualecunque jus suum tueri satagant, quo opes suas & divitias augeant, tum ubi de patrimonio agitur atque avita hæreditate, quâ nihil æquè proprium esse hominibus videtur, ibi non aliter atque pro aris, quod dicitur, & focis decertant, próque piaculo ducunt id non quavis ratione consequi quod hæreditariâ successione deberi sibi putant. Jam verò Chananæis olim capite damnatis atque exitio addictis à Deo, & à suo quoque ipsorum avo exhæredatis, illa hæreditas jure optimo ad Israelitas pervenerat, cujus ipsorum majores fuerunt hæredes instituti. Itaque nunc intelligunt, in eas possessiones, quæ cuique sortitò obtingent, etiam si quædam adhuc penès hostes sint, non tanquam in rem alienam, pudendâ quadam spe sibi esse inhiandum, sed veros se earum omnium & legitimos hæredes esse, atque adeò dominos.

8---12. *Cum ista Rubenita & Gadita acceperunt hæreditatem*, &c.] Pronomen demonstrationis *ista* hæret *dimidia tribui Manassis*, quod tamen, non ut dictum est, de ea dimidia tribu intelligitur cui modò dividi hæreditatem trans Jordanem jussit Deus, sed, ut sensum est, nempe de altera, ut sic dicam, medietate quæ cis Jordanem manserat. Sunt autem ista non Dei sed scriptoris verba historiam prosequentis; quibus explicat cur novem & dimidiæ duntaxat tribubus dividenda sit trans Jordanem Chananæa. Fuere enim omnino tribus tredecim, nam Josephi prosapia duas faciebat. Cùm igitur duabus & dimidiæ assignata sit à Mose hæreditas cis Jordanem, & Levitica expers terrenæ hæreditatis manere debeat, efficitur, novem & dimidiam reliquas esse quibus sit de possessionibus prospiciendum. Sed ista cognitionem habent facilem. ¶ Porrò illud, *Sicut ipsis dedit Moses servus Domini*, non est prorsus tautologia: Sed cùm Moses illis duabus & dimidiæ tribubus certâ conditione assignasset hæreditatem, ut nuper dicebamus, ostendit hæc clausula, eam Mosis distributionem planè sic ut ab eo facta fuerat ratam fuisse Josuæ cæterisque distributoribus. Describitur autem primùm universè tota regio quæ, auctore Mose, cis Jordanem est data illis duabus tribubus & dimidiæ, prorsus ut suprà quoque factum est, ab Arnone incipiendo, usque ad Libanum; deinceps verò singillatim explicatur quæ pars cui obvenerit tribui. ¶ De ערער *Aroer* diximus superiore capite. Sed quod ibi obscurum videbatur, an una eadémque urbs & in ripa esset posita Arnonis & in alveum usque producta ædificiis, id hîc explicatiùs dictum videri potest. Et sanè geminam fuisse Aroer apparet Isaiam quoque sensisse 17.2. cùm plurium numero diceret, *desertas urbes Aroer fore gregum stabula*. Potest quidem hoc de municipiis Aroer dictum intelligi; verùm tamen geminam fuisse, & partim ad ripam partim intra alveum exstitisse, mihi ipsum etiam nomen geminatum argumento magno esse videtur. Nam cùm ער illis gentibus *urbem* significet, apparet sanè ערער geminam esse urbem. ¶ מידבא *Medabam* locat Eusebius, De loc. Heb. scribens, non procul ab Hesebon. Sed cùm hæc Ptolemæi *Esbuta*, illa ejusdem *Medava* sit, fateri necesse est Medavam longiùs ad Austrum, & partim etiam Occidentem, ab Hesebone recessisse, atq; Rabbathæ Moab, quam Aroer esse multi suspicantur, viciniorem fuisse, si quidem vera est Ptolemæi descriptio. Facit enim ille Rabbatham istam paulò quàm Medavam Australiorem. ¶ דיבון *Dibon* ea omnino urbs est, ut ego existimo, quæ pòst est à Gaditis exædificata illis locis ubi quarta ante Mosis excessum castra posuerant Israelitæ; quæ loca Num. 33.45. κατ' ἐπωνυμίαν urbis hujus nomine sunt nominata; similiter atque *Lavina litora* Æn. 1. ante Laviniæ nuptias. Neque enim illis assentior qui ista quæ dico castra longè citra Arnonem ponunt; sicut etiam Deblathaim: ut neque rursus illis qui hanc urbem Dibon procul ab Arnone in campis collocant Medabæ. Nam exstabat illa quidem in iis campis, sed juxta Arnonem quod etiam Eusebius testatur. Nimirum non animadvertunt qui loca ista ex sacra describunt historia, brevissimis spatiis paulatim promovisse castra Israelitas, & quidem per adversam ferè Arnonis ripam, simul atque hunc fluvium transivissent, & Amorrhæorum fines attigissent, usque dum Sehon hostiliter ipsis occurreret. Meminit autem *Dibonis* & *Medaba* Isaias 15.2. cùm

cùm Moabitidis caneret calamitatem: fuerant enim olim ambæ Moabitarum priùs quàm eas Amorrhæi cepissent, Num. 21. 30. De aliis urbibus suprà disseruimus c. 12. ¶ Postrema pars, *Percusseràtque illos Moses*, &c. non ad Rephaim & Gigantes, sed ad Reges Sehonem & Og spectat. Illos enim ceciderat primùm Chodorlaomer, & pòst Ammonitæ; sed hos Moses paulùm antè quàm è vita emigraret, delevit.

13. *Israelitæ porrò non exterminarunt Gesuræos*, &c.] De Gesuræis & Maachatæis dictum suprà est. Fuere omnino etiam isti Amorrhæi, & ex devota Chanaanis stirpe orti: quod LXXII explicandum sibi putavisse videntur, cùm de suo adderent τὸν Χαναναῖον; nam copulam καὶ ab imperito quopiam lectore adscriptam esse suspicor. Latinus, nescio quâ fretus auctoritate, sic hunc locum interpretatur, ut dicat *Israelitas noluisse* Barbaros illos *exterminare*: quod sanè nec confici ex S. verbis potest, nec fas etiam est de Mosis aut Josuæ imperiis suspicari. Quare ego existimare malo, Mosen, cùm Sehonem & Og profligaret, ipsum utriusq; regni angulos omnes non pervasisse cùm exercitu: cur enim alioqui privatæ expeditiones Jair & Nobe atque Machiritarum laudarentur in Numeris? c. 32. itaque tum in montosis illis locis & Basanitidis extremitatibus gentes istas ab Israelitarum armis intactas mansisse. Cùm porrò duæ illæ tribus & dimidia ad suas possessiones reversi essent, quia satis amplè & commodè in fertilissimis illis regnis habitarent, non temerè ad proferendos fines suos animum adjecisse. Quanta verò mox omnium Israelitarum ignavia sit consecuta post Josuæ excessum, clara atque testata res est. ¶ De illo, *usq; ad hunc diem*, satis multa diximus alibi.

14. *Cæterùm tribui Levi non dedit hæreditatem, Sacrificia*, &c.] Verbum *dedit* hærere nomini *Mosis*, apertè ostendit ultimus hujus capitis versiculus. Dicitur autem Moses *non dedisse Levitis hæreditatem*, quia non dari oportere edocuerat Josuam. Cæteroqui enim neque novem tribubus & dimidiæ dedit. Sunt quidem Levitis assignatæ urbes pro habitationibus, & simul suburbana prædia pecori alendo; qualia suo loco ostendentur c. 14. 4. verùm ei tribui non est una aliqua regio attributa, ut cæteris, in qua ex terræ cultu rem facere posset. Causam autem unam afferunt S. verba, Quia potuit ea tribus, ac debuit etiam, contenta esse *sacrificiis Dei*, quo nomine καταχρηστικῶς significantur hoc loco oblationes quæ Deo debebantur; in quarum numero etiam Decimæ erant & Primitiæ. Nam alioqui vox אשה, pro qua dixi *sacrificia*, ea propriè significat *quæ adolebantur*. Est enim ac si *ignita* dicas: nam ab אש, h.e. *igne*, ducitur illud verbum. Quanto autem studio hanc Deus legem omnibus persuasissimam esse voluerit, satis intelligi potest ex eo quòd ipsam Moses tot verbis tàmque sæpe edixerit. Nimirum omni invidiâ carere ille voluit suos administros; quos cùm sacris muneribus præfecisset, ex sacrarum rerum proventu ali oportuit, nè profanis studiis vacare eos cogeret inedia: vulgus autem hominum, ut est maledicum, facilè proscindere solet conviciis quos publicè ali videt, q. ipsum suo labore illorum pascat otium atque inertiam; nihil pensi habens quibus & quantis illi in rebus reip. utiles sint. Quod dum fit, non solùm sua non constat Sacerdotio atque ordini Ecclesiastico dignitas, maléque audit sacra doctrina, sed etiam subtracto malignè proventu & vectigali, victus ipse Dei ministros deficit, nullis aliis opibus adversùs famem munitos. Istam igitur calumniarum ansam præripere malignis convitiatoribus voluit Deus, cùm se ex suo pœnore sacerdotes & Levitas alere inculcaret. Nam cùm semper apud omnes nationes, quamvis barbaras, quadam naturali æquitate receptum fuerit ut cives suo Regi decimas rerum suarum darent, eâque re patronum eum suum & tanquam patrem agnoscerent; hoc enim & sacra Melchizedeci historia testatur Gen. 14. & Samuel eo jure uti Reges in populum monet Hebræos suos 1 Reg. 8. minimè debebat certè Israelitis ea lex gravis videri quâ Deus sibi decimas aliáque vectigalia dari imperaverat; cujus meræ liberalitati quidquid in bonis haberent acceptum se ferre debere non ignorabant, cùm ipse eos rerum omnium egenos his tam uberibus fundis locupletavisset. Jam verò detestabilis fuerit impudentia, si Deo obstrepant, cùm quod in ipsius erat ærarium aut horreum inferendum id suis elargitur ministris; & quidem iis ministris quibus ad illos ipsos qui eà pendunt salutari doctrinâ pascendos veràque religione instituendos utitur, quibúsq; hoc nomine jure illi ipsi victum suppeditare deberent. *Quis enim pascit gregem, & non edit de lacte?* 1 Cor. 9. 7. Sed hæc satis multis prosecutus est Apostolus apud Corinthios. Alibi dicit Deus *suum sacerdotium esse Levitarum hæreditatem*; alibi, *seipsum*. Atque hoc profectò luculentissimè Sacerdotum amplitudinem dignitatémque illustrat: Quanquam ad eos quoque omnes possit accommodari qui animum suum uni Deo addixerunt, neque res fluxas curant: qualis erat David, cùm caneret Psal. 16. 5. *Dominus est portio hæreditatis meæ, & calix meus: tu sustines sortem meam; funiculi obtigerunt mihi in locis amœnis*, &c. Nam profectò, qui Deum ipsum possidet, omnia possidet: éstque infinitis modis hujus cultus quàm omnium fundorum cultus delectationis plenior, atque etiam fructuosior. Non ergò legitimâ hæreditatis portione defraudatos se esse possunt queri Levitæ, quando pro terreno *Deum* ipsum sunt adepti, & quidem *Deum Israelis*, h.e. clementissimum benignissimúmque illum Patrem & Patronum, qui Israelem gratuitò in populum peculiarem adoptavit, suóque sanctissimo cultui addixit, &, ut cœlo assereret, admirabilibus prodigiis excitavit, sanctissimis legibus instruxit, magnificentissimis denique promissis invitavit atque animavit. Quæcunque enim exstabant Dei in posteritatem Abrahæ beneficia; exstabant autem infinita & maxima; ea omnia populo veluti in conspectu animi ponuntur cùm *Deus Israelis* nominatur. Sed enim quamvis isthæc Levitarum exhæredatio ob perfidiam & crudelem cædem, quam hujus tribûs auctor & primus parens apud Sichimitas fecit, justè facta in pœnam videri debet, si morientis Jacobi ultima verba memoriâ recolas Gen. 49. 7. cùm de Levi & Simeone sic loquitur, *Detestabilis ira ipsorum, quia vehemens fuit; & furor ipsorum, quia fuit pertinax: dividam ipsos inter Jacobaos, & dispertiam ipsos inter Israelitas*; tamen quia Deus pro immensa sua misericordia illi jam peccato ignoverat, sancivit quidem dispertiendos inter cæteras tribus illos esse, nè frustrà esset Jacobi vaticinatio; sed sic ut lucem præclarissimam ex meris produceret tenebris, fieretque illa dispersio & cum summa atque amplissima ipsorum dignitate & cum totius Israelitici generis maxima utilitate. Neque enim illi *docere legem Dei Jacobum, & judicia ejus Israelem* Psal. 147. 19. potuissent, nisi passim totâ regione dispersi habitassent. Jam verò, cùm summam, ut dixi, Sacerdotum esse oporteat auctoritatem, altera illa dispersionis causa, quæ ignominiosa est, ubique dissimulatur, altera gloriosa ostentatur. Quam enim habere potuisset Levitica gens venerationem apud populum, si hic existimasset illum sceleribus majorum suorum obligatum exhæredem esse? Porrò contemptis semel sacerdotibus quo loco futura fuerit sacra doctrina, tristia hoc seculo exempla certissimo sunt argumento, quibus, ut quisque magis profanus est, eò applausu multitudinis majore simulacra religionis fingit, & audaciùs, ut Ennius dicebat, sui quæstûs causâ fictas suscitat sententias. ¶ Postrema verborum complexio, *sicut locutus fuerat ad illum*, ea verba Dei significat quæ ille ad Aharonem faciebat in Numeris, 18. 20, &c. cùm se ipse Levitico ordini offerret pro hæreditate, neque sanè fefellit. Largè enim ac liberaliter ipsos ex sacrificiis atque sacris, ut sic dicam, oblationibus, tanquam è sua mensa, alendos esse, plurimis iisque severissimis constitutionibus sancivit, usque eò ut sibi surripi, quocunque defraudarentur Levitæ, & sæpe & apertè sit testatus, pœnámque capitalem esse jusserit, si quis *sanctitates Israelis pollueret*, h.e. quæ sibi ab Israelitis offerri debere edixerat, ea aliò averteret & in profanos insumeret usus Num. 18. 32. Quod si verò fuit aliquando tempus cùm minus lautè pascerentur illi, aut fortassis famerent etiam, existimandum est ipsorum culpâ id accidisse cùm populum neque vitæ probæ exemplo

neque salutari doctrinâ (quorum utrumque ad functionis ipsorum munus pertinebat) in officio pietatis continere satagerent: hoc enim Deus ipse apud Malachiam 2. 5. edixit; his ferè verbis, *Pactum meum fuit cum Levi, vitæ & pacis*, &c. *Vos autem declinastis de via: effecistis ut multi laberentur in lege: corrupistis fedus Leviticum*, *ait Dominus exercituum. Et en ego vicissim reddidi vos contemptos & humiles apud omnem populum*, &c. Atqui nihilominus, quò institutum hunc à se in Ecclesia ordinem conservaret, illico populum ad officia revocavit; & quia tam facilè oblivionem Legis inculcatissimæ sibi obrepere passus esset, graviter incusavit, cùm rursus apud eundem Vatem 3. 7. diceret ad profanum vulgus. *Vos jam olim discessistis à meis institutis, neq; ea servastis: revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus exercituum: & dixistis, Qua in re revertamur? Nunquid defraudabit homo Deum? vos enim me defraudatis, & dixistis, Qua in re te defraudavimus? In decimis & in aliis sacrificiis. Prorsus detestabiles estis, cùm me defraudatis gens universa. Afferte integras decimas in thesaurum, & sit victus in domo mea; atque ità periculum facitote de me, annon recludam vobis cataractas cœli*, &c. Quæ utinam nunc nostri homines utriusque ordinis propiùs apud animos suos pensitarent, minùs, opinor, multis calamitatibus tenuitatibúsque frugum continuò mulctaremur, de anno in annum, à Deo.

15--20. *Dederat autem Moses tribui Rubenitarum in suas familias*, &c.] Jam singulatim commemorantur duarum tribuum & dimidiæ possessiones, suísque finibus describuntur, quas Moses singulis assignaverat, non sorte sed Divinâ auctoritate; cujus in perpetuum tanta vis esset ut non aliter illas tribus à mutua violandorum finium injuria cohiberet, atque si natura ipsa montibus fluminibúsque interpositis sejunxisset. Nam Moses ipse non semel professus est Deum hujus partitionis fuisse auctorem. *Dederat* ergò *Moses*, h. e. assignarat, sed Deo præmonstrante, & veluti manu terminos figente, ac urbes singulas Divino pulsu ostendente. Apparet quidem in Numeris c. 33. Gaditas in his regnis poscendis primas egisse partes: Rubenitæ tamen hîc, nascendi, opinor, prærogativo, illis anteponuntur: nam Ruben & natu major erat, & ex libera matre editus; Gad autem minor, & ex serva. Nam quamvìs Ruben ob turpem incestum cætera primogenituræ, ut pervagato verbo utar, jura amisisset, tamen nascendi ordinis, etiam post illud tempus, rationem multis in rebus habitam esse constat. ¶ Particula illa orationis, *in suas familias*, sive in *suas gentilitates*, aut *stirpes*, quâ posthac sæpe utemur, est ac si dicas, *pro omnibus singulisque familiis*. Moses enim & Josua tributim assignabant hæreditates quæ pro omnibus familiis cujusque tribus satis essent, non etiam suas possessiones stirpibus singulis, nedum familiis viritim, distribuebant. Hoc enim munus deinde Tribunorum, Decanorum, aliorúmque Magistratuum, quos quæque tribus suos habebat, proprium erat. Diximus suprà semel iterúmque istas regni Sehonis urbes plerasque fuisse olim Moabitarum. Quare non est quod miretur qui eas audiet à sacris Vatibus, quorum verba mox laudabo, in Moabitide collocari. Amorrhæi enim, avito aliquo, opinor, jure freti, illas Moabitis eripuerant. Alioqui enim fas non fuisset Israelitis occupare, cùm jussi essent abstinere à Moabitarum propriis terris. Unde quamvìs in exsilium abducti cùm essent Israelitæ, hi tanquam postliminii jure eas occupatum rediissent, tamen rursus ipsos solum vertere mox coegit Senacherib. Verùm enimverò miretur quis cur דיבון גד *Dibon-Gad* sit Rubenitis attributa, quam à Gaditis structam esse certum est, Num. 32. 34. Sed facile est respondere, In confinio positam fuisse urbem, ideóque nunc uni nunc alteri tribui ascribi. Ego verò suspicor, simul atque conjunctis precibus eæ tribus à Mose impetrassent ut sibi in illis sedibus manere liceret, mox pro se quemque urbes ac caulas substruxisse, ut receptum cum familiis gregibúsque suis haberent; eas tamen deinde habitationes Mosen pro Divino arbitrio inter illos dispertivisse. ¶ במות בעל *Bamoth Baal* ea, opinor, urbs est quæ in Numeris 21. 28. depingitur à poeta quodam his verbis, בעלי במות ארנון, *Baale Bamoth Arnon*, h. e. *Dii Bamoth Arnonis*: unde bona conjectura capi videtur ad Arnonem fuisse positam, aut certè in iis montibus per quos præcipitat ille fluvius: nimirum ubi castra posita habebat Moses cùm missis legatis a Sehone transitum peteret. Sunt enim במות *Bamoth* Hebræis *loca altiora*, in quibus solenne fuit gentibus suos deos colere. Et est credibile fanum illic celebre fuisse, sive Saturni, sive Jovis, aut alius divi. בעל *Baal* enim Suidas Saturnum fuisse putat; Augustinus verò, ut dixi, Jovem. Mihi autem videntur quivis dii sic appellari; quamvìs fortasse Juppiter aliquando per antonomasiam: significat enim *dominum*. ¶ Eadem fere nominis enodatio est urbis ejus quæ deinceps sequitur, בית בעל מעון *Beth-baal-meon*: significat enim *habitationem*, h. e. fanum, aut ædem, *Saturni*, vel *Jovis*, aut alterius *dei tutelaris*. Ezechiel omisso *Beth*, quod *ædem* notat, appellavit ipsam בעל מעון *Baal tutelarem*, aut *Larem* c. 25. 9. atque cum *Beth Jesimoth* & *Cariathaim* locavit in extremis Moabitarum finibus; *terræq; decorem* istas urbes appellavit, quasi præ cæteris Moabiticis urbibus egregiæ & magnificæ fuerint. Et D. Hieronymus scriptum reliquit Comment. in Ezech. *Baal Meon* ad suam usque memoriam *pagum* fuisse *apud Moabitas maximum*. Rursus Jeremias, omissâ alterâ parte, appellat *Beth-Meon* c. 48. 23. ¶ Porrò יהצה *Jaasa*, sive *Jassa*, aut *Jahas*, exstitit, ut ait Eusebius libello De loc. Hebr. inter Medabam & Deblathaim. Atque hujus etiam urbis memoriam scribit Hieronymus suo tempore in ruinis celebratam esse. Alibi Comment. in Isa. 15. idem prodidit, *Mortuo eam mari imminere apud terminum Moabitidis*, quod ego sic accipio, Fuisse eam ad montes sitam qui sunt Mortuo mari ab Oriente oppositi; apud quos Israelitæ adversùs Arnonem pedetentim se promovebant cùm nuncios ad Sehonem misissent; neque dum sese in subjectis campis diffunderent. Occurrit autem ipsis hîc Sehon cum armis Num. 21. 23. Deut. 2. 32. captatâ, ut est credibile, ex ipso loci situ feliciter pugnandi opportunitate. Sed inevitabilia sunt consilia Dei. ¶ In hac vicinia fuit & קדמות *Cedemoth*, aut *Cademoth*; A quo oppido hæc circa Arnonem confragosa & salebrosa loca nomen *solitudinis Cademoth* habuisse videntur Deut. 2. 26. unde allegati illi Mosis ad Sehonem abibant. ¶ Apud eandem solitudinem posita quoque fuit מפעת *Mephaath*: In qua urbe Romani præsidium alebant, ut scribit Eusebius. ¶ Porrò קריתים *Cariathaim* exstabat, ut in libello De loc. Hebr. scriptum est, decem mill. pass. à Medaba, ad Occidentem versùs prope locum vulgò *Bare* dictum, illic enim veteris urbis, ut videtur, appellatio, *Cariathe*, adhuc celebratur vulgi memoriâ. Jeremias 48. 1. istam appellat משגב, i. *munitionem*; unde credibile est locum fuisse olim munitissimum. ¶ שבמה *Sebama*, quantum de Isaiæ verbis conjici potest fuit olim apud Moabitas vitibus nobilis. Quare ego conjecturâ quadam auguror, ad pedem montis Abarim in apricis collibus fuisse positam; similiter atque eam quæ deinceps in S. verbis recensetur, צרת השחר *Sarath-Sahar*, à *matutino Sole* dicta, ut videtur; sic enim ego interpretor illud בהר העמק, ut putem significari κατ᾽ ἐξοχὴν eam vallem montis Abarim, sive Nebo, aut Phasga (sunt enim, nisi fallor, ista ejusdem unius montis nomina) quæ vallis est summi viri Mosis nobilitata funere; cùm id in ea sepultum à Deo ipso esset, nè officiosiores quàm par erat Israelitæ in terram Sanctam illud inferrent, quam attingere non debebat. Nam in Deuteronomio 3. 27, 29. scriptum est, *Mosen mansisse in valle è regione Beth-phogor*; & indè *conscendisse Phasgam*. Rursus, cùm moriturus subiisset Phasgam, atque ibi è vita excessisset, memoratur *in valle è regione Beth-phogor humatus à Domino esse* Deut. 34. 1--6. ¶ Jam verò in præsenti è vestigio post nominatum hunc *montem vallis* mentio est *Beth-phogor*, ut propinqui loci videlicet. Est autem בית פעור *Beth-phogor* ac si *ædem*, aut *fanum*, vel *locum*, *Phogor* dicas. Phogor autem sive Phegor mons erat Phasgæ proximus, quantum certè de historia Balaam potest

potest conjici Num. 23. Existimat quidem Suidas in hoc monte Saturnum coli solere, atque indè בעל פעור *Baal-phegor* vocatum eum esse. Sed mihi probabilius videtur hoc nomen datum esse Priapo, & hunc illic cultum fuisse à gentibus. Nam פעור *detectum ac nudatum esse* significat; & *Baal* quemvis deum dici posse nuper monebamus. Verùm enimvero illud quoque non minùs probabiliter dicatur, *Montem vallis* eas esse montis Abarim partes quæ campis Moabiticis, ut vocant, imminebant, per quas dixi Israelitas paulatim processisse priùs quàm Sehon hostem se ostenderet: Itaque *montem* istum *vallis* ad omnes urbes pertinere quæ post Hesebonem sunt commemoratæ; & esse tanquam antithesin illius quod v. 17. dicebatur, *quæ erant in planitie*, h. e. ut dicatur istas urbes positas fuisse in illius planitiei monte in qua superiores exstabant. ¶ De *Asedoth* & *Beth-Jesimoth* suprà actum est.

21, 22, 23. *Atque omnes urbes planitiei, quæ omnes fuerant regni Sehonis*, &c.] Cùm jam indè à Dibone commemorata oppida pleraque omnia in montosis illis locis, quæ ad Arnonis tractum campis illis Moabiticis imminebant, exstiterint, denuò, sed universè duntaxat, ostenditur hæreditas Rubenitarum ea quæ latè per ipsos campos diffusa Moabiticos jacebat. ¶ Cæterùm illud וכל ממלכות סחון interpretatus sum tanquam gignendi casu dictum, *quæ omnes fuerant regni Sehonis*, quia clara res est, non universum sed dimidiatum Sehonis regnum Rubenitis esse concessum. Sehonis autem fuisse loca ista omnia ideo monent S. verba ut nè quid Moabitis ereptum esse possit quispiam suspicari. Erat enim adhuc nefas posteritatem Loth violare. Nam ut in offensa sunt apud Deum improbi hominis nepotes *usq; ad tertiam quartámve stirpem*, ità gratam probi memoriam conservat ille erga ejus posteros *usq; in stirpem millesimam*, Exod. 20. 5, 6. ¶ In reliqua porrò versiculi parte digressio est, occasione nominati Sehonis, ad cædem quinque procerum Madianitarum, quâ isti pœnas Mosi dedisse videntur auxilii quod Sehoni tulerant adversùs Israelitas. In hanc enim ego sententiam illud accipio quòd *Sehonis Præfecti* fuisse dicuntur. Neque enim cum Sehone apud Jaassam ceciderant, sed cùm fortasse fugâ tunc evasissent ad suos Madianitas, unà cum his periere paululùm antè Mosis obitum. Vocantur quidem isti in Numeris 31. 8. *Madianitarum Reges*. Sed solent Hebræi sic illo verbo uti ut Latini *regulos* dicunt, qui quamvis angusto aliquo loco dominatum habent. R. D. Kimhi opinatur Sehonem, cùm ejus res florerent, etiam apud Madianitas imperasse; atque ideo istos dici נסיכים i. *magnates*, aut *præfectos*, *Sehonis*, cùm Madianitæ essent. Et proinde interpretatur illud יושבי הארץ casu gignendi, atque de suo copulam suggerit, quæ in Hebræo nulla est; quasi scilicet illi magno loco fuerint cùm apud Sehonem tum apud incolas Madianitas. Sed id profectò divinare est, atque in suam sententiam extorquere S. verba. Quis enim *terræ* nomen de Madianitarum regione, ac non de ea terra quam in præsenti tractamus, accipiat, h. e. de Sehonis isto regno? Nam, quod Davidem Kimhi movet, mirandum profectò non est in eo quòd viri magnates Madianitæ operam Sehoni Amorrhæorum Regi dedere, cùm etiam Balac Moabitarum Rex & consiliariis & allegatis usus sit Madianitis in conducendo hariolo Balaam, Num. 22. 4. Habebantur enim Israelitæ apud istas gentes omnes pro communi hoste. Et credibile est Madianitas præ cæteris illarum regionum nationibus singulari industriâ excelluisse in rebus tractandis. Josephus in suis Antiquitatibus l. 5. c. 5. monet, ab eo qui *Recem* hîc nominatur urbem Arabiæ Petram *Ar Recem* esse appellatam. Et nos suprà 10. 41. diximus Chaldæum interpretem vocare solere Cades-barneam, urbem Petræ confinem, *Recem inclytam*. ¶ Porrò quia in Numeris narrationi cædis istorum quinque magnatum adjecta est etiam historia Balaam, ideo hîc quoque eadem assuitur, cæteroqui parùm ad propositum argumentum pertinens: Sed nunquam satis sæpe commemorari possunt Dei ut erga pios liberalissima beneficia, ità adversùs impios justa severáque judicia; ut alii ad virtutem incitentur, alii deterreantur à vitiis. Illud certum est, Mosen ab istis rebus apud Madianitas gestis ad hanc quam tractamus distributionem profectum esse. Cùm igitur in sacris diariis junctæ & cohærentes istæ legerentur historiæ, credibile est præsentis commentarii scriptorem eas hîc quoque conjungere voluisse, ut explicatior universa esset narratio. Nomen קוסם *hariolum* propriè significat: Isaias tamen 3. 2. usus est pro *divino*, vel qui subtilioris ingenii sui perspicacitate posset futura conjicere & quod facto opus est prævidere. Nam inter alios qui apud Jerosolymitanos suâ prudentiâ remp. conservarent, adnumeravit etiam קוסם, h. e. *bonum conjectorem*. Quamvis autem haud expers cognitionis veri Dei fuisse Balaam videri possit, & rerum omnium eventum ex hujus solius nutu pendere agnovisse; nulla etiam nisi Divina oracula de statu populi Dei aliarúmque gentium, déque regno Davidis & Christi ediderit, tanquam sacer aliquis vates; tamen siquis universam historiam pressiùs [illegible] illius omnia excutiat, profectò intelliget eum ambitione eum atque avaritiâ plenum fuisse & à pro[illegible] numero quàm longissimè esse submovendum; & [illegible] oraculis edendis Dei fuisse organum fatemur. Nam ut Maimonius Moses, libro cui titulum fecit *Monstratorem dubitantium*, l. 2. c. 36. inter alia multa quæ ad [illegible] nationes pertinent scriptum reliquit, *Oportet veri Prophetæ mentem ab omni gloriæ, dominationis, lucri, voluptatis deniq; cupidine, atq; ambitione prorsus vacuam esse, & ità hominum consuetudine familiaritatéq; uti, ut ipsos pro cujusq; vitæ conditione ex vero æstimans, ob nullam se patiatur rem ab eo quod rectum probúmq; est dimoveri.* Quibus sanè virtutibus parùm congruunt animi Balaam passiones; dum quovis modo regalibus promissis inhiat, & facultatem gratificandi impio Regi per tam varia diverticula captat, aliâ atque aliâ procrastinatione & suam & illius spem suspendens; si fortè interea benè precandi necessitate, quâ Divinitus erat constrictus, se posset ipse expedire, aut mutato Dei æterno stabilique consilio (pro nefas) res quiret pro votis utriusque aliquâ tandem ratione confici. Sacrorum enim Vatum diversa planè est conditio: Hi amore Dei inflammati totos se ad hujus obsequium comparant, animúmque suum quantum possunt ad perspicienda ejus consilia applicant, res fluxas & terrenas despiciunt; eóque fit ut quarum rerum species cœlesti afflatu concipiunt, eas res & ipsi apud se in illo revelationis lumine probè intelligant, & cum utili doctrina ad alios mortales perferre possint, tanquam Dei internuncii & interpretes. Horum enim, ut idem ille Maimonius scripsit, & ea vis animi quam Intellectum vocamus, & illa quam appellare solemus Imaginativam (h. e. quæ res ipsis perceptas sensibus aliis atque aliis pertrectat modis) cœlesti illo instinctu & Divinis visis imbuuntur illustranturque. At Balaam, Caiphas, hujúsque conditionis alii, quibus quamvis vitiosis instrumentis Deus ad suæ Ecclesiæ utilitatem aliquando uti dignatus est, Divinorum consiliorum rudes atque expertes homines, non aliter atque si mente moti fuissent, *dederunt sine mente sonos*, ut Poetæ verbis utar. *Eructavit*, inquit sacer Vates Psal. 45. 1. *cor meum verbum bonum*: At Balaam nihil se in corde, sed ore duntaxat tenus oracula, quæ fundit, concepisse ipsus fatetur. Sed jam à proposito deflectit oratio. Nondum tamen dimittere Balaam possum. Mirum enim videtur quî potuerit ille in Madianitarum clade occisus dici, quando paulò antè ab Rege Balac explosus *reverterat ad locum suum*, ut narrant S. literæ Num. 24. 25. qui locus toto cœlo à Madianitarum regione, in qua pugnatum fuit, dissitus existimatur. Nam *Aramæum* se esse, & indè *ex montibus Orientis usque excitum à Balac*, jactitat Num. 23. 7. & habitavisse ipsum in פתור *Pethor, apud flumen*, attestatur S. historia, Num. 22. 5. Flumen autem illud esse Euphratem tum Chaldæus tum Josephus censent, κατ' ἐξοχὴν scilicet. Hunc scopulum parvâ declinatione devitat Kimhi; cùm ait, illum revertisse quidem domum à Balac, sed illico ad Madianitas recurrisse mercedis exigendæ causâ, quam sibi pro flagitioso consilio depectus fuerat, Num. 31. 16.

Apoc.

Apoc. 2. 14. Suaserat enim Madianitis ut in Israelitarum castris suas filias prostituerent, eâque re gentis Hebraicæ religionem labefactarent, quâ adhuc ejus res secundæ steterant; itáque deprehensum illum in cætera turba cecidisse. Sed alii, ut mihi certè videntur, probabiliùs opinantur Balaam fuisse Madianitam. Longiùs enim à Moabitide Euphratem fluere, quàm ut credibile sit per tantum loci intervallum famam vaticinandi artis istius homunculi percrebuisse apud Madianitas; nedum ut ad procurandum malum præsentissimum bis ab eis tam longè evocaretur. Et profectò me parùm movet quòd *Aramæum* se ipse vocat, atque *à montibus Orientis accitum* gloriatur. Nam, ut solet hoc hominum genus, quò imperitæ multitudini imponat faciliùs, jactare se magnificentissimè, credi potest eum se Chaldæum prædicasse, quia hujus gentis divinatio semper apud omnes fuit celeberrima: aut verbo ארם *Aram* subjici loca omnia usque ad mare Rubrum. Nam ad קדם quod attinet, hoc nomine etsi *Orientem* significari sæpe certum est, tamen in Judicum historia 6. 33. *filii* קדם cum *Madianitis* & *Amalecitis* annumerati sunt. Et fieri potest ut ille *montes* קדם non ad Orientem positos montes dixerit, sed primos, h. e. vetustissimos. Nam & Madianitas suos vocat *principium gentium*, q. populum toto mundo vetustissimum dicat. Jam verò de Euphrate quod dictum est, fateor equidem *fluminis* nomine, cùm per se positum est, per antonomasian Euphratem interdum significari. Verùm ille non præcisè *apud flumen*, sed *apud flumen popularium suorum*, scribitur habitasse, Num. 22. 5. In qua oratione non potest profectò antonomasiæ locus esse. Latinus enim illic mendosè עמון pro עמו videtur legisse, cùm diceret, *qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon*; debebat enim dicere, *filiorum populi sui*. Et ut demus illum Euphratis accolam fuisse, atque Aramæum, poterit id, quod fertur *ad suos revertisse*, in eam sententiam dictum accipi quo Josua memorabatur suprà 10. 15. *rediisse cum exercitu ad Galgala*, ante cæsos ad Macedæ specum quinque Reges; h. e. reverti quidem constituisse, sed novâ lucelli spe apud Madianitas mansisse diutiùs, ut unà cum suis consultoribus pœnas daret nefarii consilii Deo. Nam quòd quidam per camelorum genus quos à celerrimo cursu *dromadas* vocant, vectum ultro citróque somniant veriùs quàm judicant, quàm sit stultum quis non intelligit, cùm ille non dromade sed tardâ vectus asinâ ad Balac festinarit? Sed de Balaam hactenus. ¶ Illud, *Jordanis, & fines*, in hanc sententiam est accipiendum, Jordanem, cum suis finibus, i. urbibus adjacentibus, terminasse hæreditatem Rubenitarum ab Occidente. Omissum igitur est suggeríque debet pronomen; q. d. *Jordanis & fines ipsius*. Sic enim hunc locum explicant post Chaldæum RR. Solomon & Kimhi. ¶ Porrò חצרים, pro quo *vicos* dixi, convertit Symmachus *agros*; cùm vellet, ut opinor, suburbana prædia significare. Sed magis assentior R. Solomoni, qui ei verbo subjici scribit *loca nullis munita muris, in quibus tamen cœtus hominum degunt*: qualia Græci dicunt ἐπαύλεις, nimirum minimè operosis substructa ædificiis, & veluti nocturnæ duntaxat quietis, vitandæque cœli injuriæ gratiâ pro hominibus & pecudibus comparata.

24--28. *Dedit præterea Moses tribui Gad, ipsis Gaditis*, &c.] His quinque versibus discernitur tribui Gad sua portio hæreditaria. Ea ab Austro confinis erat Rubenitis; ab Ortu, Ammonitis, & montibus Arabicis; ab Occasu, Jordani; denique à Septentrione extendebatur ultra Jabok, usque Mahanaim; unde descendebat ad ipsum ostium Jabok, propè in ea maris Tiberiadis extremitate quâ Jordanis effluit. Igitur יעזר *Jazer* terminum Australem designat ut à qua urbe ad Aroer usque ductus funiculus dirimat Rubenitarum possessiones à Gaditicis, sitque his pro terminis Australibus, illis pro Aquilonaribus. Posita enim erat יעזר *Jazer*, circiter quinque mill. pass. ab Jordane, 15 verò ab Hesebone, ut in libello De locis Hebr. scriptum est. Nam Hesebon à Jordane aberat mill. pass. 20. Unde ortus satis magnus fluvius versùs Jazer labitur, & hanc propè abluens, tandem Jordani commiscetur, quem multi, magno errore profectò, Arnonem esse putaverunt. A Philadelphia porrò aberat Jazer, ut eodem libello proditum est, mill. pass. 10. Erat enim Philadelphia quàm Hesebon Occidenti & Jordani vicinior, ut ex Ptolemæi descriptione constat. Fuisse autem Jazarem priscis temporibus in Moabitarum ditione, patefaciunt Isaiæ & Jeremiæ verba. ¶ Porrò illud, *Et omnes urbes Galaad*, universè possessiones Gaditarum complectitur, præsertim quotquot in superioribus finibus versùs Septentrionem positæ fuerunt. Illic enim Galaaditidis erat initium. Verùm quia omnes urbes Galaaditidis non pertinent ad istam tribum (dabitur enim mox dimidiata Galaaditis tribui Manassensium) illico præciditur illa universitas his additis verbis, *Dimidiáque terra Ammonitarum*. Est enim istorum sensus, Eatenus modò sursum in Galaaditidem exporrectam jacuisse Gaditarum hæreditatem, quatenus dimidia Ammonitarum ditio Galaaditidem ab Oriente ambiebat. Neque enim existimandum est Ammonitarum terras hîc Gaditis attributas esse, quas nefas fuit, ut diximus, occupari ab Israelitis. Dici fortassis probabiliter posset, Amorrhæorum Reges istos non solùm Moabitas sed etiam Ammonitas de suis possessionibus olim pepulisse: Neque sine causa postliminii jure Ammonitas cum Jephthe contendisse in Judicum historia 11. 13. Sed me movet quòd Num. 21. 26. nulla Ammonitarum mentio est, sed Moabitarum modò, quibus exactis hîc consederint Amorrhæi, quorum nunc Israelitæ loca occupatum eunt. ¶ Jam verò illud, *usque Aroer*, clarè ostendit quousque Ammonitæ Galaaditidem versùs Austrum cinxerint ab Oriente. Nam & in Judicibus 11. 33. memoratum est, Jephthe Ammonitas cecidisse *ab Aroer usque ad Abel-Ceramim*. Igitur prope Aroer tum Moabitis & Ammonitis tum etiam Madianitis confinia fuere. Sed contendes, fieri non potuisse ut Ammonitæ ad Aroer usque pertinerent, quos torrentem Jabok à Sehonis regno secrevisse, certa & S. literis testata res est. Verùm in promptu est quod respondeã. Jabok non procul ab illis salebrosis locis profectum per quæ Arnon præcipitat, longo primùm tractu ad Septentrionem versùs ferri, eóque cursu magnam Sehonis regni partem ab Ammonitis secludere, quamvis non universam illam quæ ab Aroer usque ad Mahanaim jacet. ¶ Cæterùm dicitur *Aroer esse è regione Rabba*, Ammoniticæ videlicet, h. e. Philadelphiæ: quia secundùm istud Ammonitarum latus, de quo agimus, Aroer ad Austrum posita Rabbam Aquilonarem è regione spectat. Et de *Rabba* quidem *Ammonitarum* רבת עמון scripsit Stephanus in hanc ferè sententiam, *Rabbath-ammana*, inquit, *urbs est in Arabicis montibus*. Et rursus, cùm Philadelphiam tractat, *Tertia*, inquit, *Philadelphia Syriæ est inclyta urbs, quæ primùm Ammana, deinde Astarte, demum Philadelphia est cognominata, à Ptolemæo Philadelpho*. His consentanea quoque sunt quæ passim prodidit Hieronymus commentariis suis in Prophetas. Cur autem *Astarte* dicta fuerit suprà exposuimus. ¶ Cùm porrò sequitur, *Et ab Hesebon usque ad Ramath-Masphe*, rursus ducitur funiculus ab Austro versùs Septentrionem, qui latus illud Orientis describat, non tamen ab extrema ad Austrum ora: alioqui non ab Hesebone sed ab Aroer auspicandum fuisset. Existimo autem ideo plus operæ consumi in istis finibus qui Orientem claudunt designandis quàm cæteris, nè ulla suspicio reliqua maneat esse aliquid Ammonitis ademptum. Nam ad Australes limites undique erant Rubenitæ; Aquilonares excipiebant Manassenses; Occidentis oræ autem fuere extra omnem controversiam, quippe quas Jordanis designabat. רמת מצפה *Ramath Masphe*, h. e. *collis specula*, urbs erat trans Jabok quidem sita versùs Septentrionem, at minimè procul, ut est in libello De loc. Hebr. scriptum, ubi etiam illud proditum est, Exstare etiamnum vicum à Philadelphia dissitum mill. pass. 15. qui & nomine & vestigio istam Ramath-Masphe repræsentet. Dabitur hoc oppidum Levitis, eritque pro asylo, sed hoc suo loco explicabitur. Qui autem ex uno isto nomine duas urbes sibi fingunt, quarũ alteram *Ramath*, alteram *Masphe* faciunt, ii Grammatices

matices Hebrææ imperiti sunt. ¶ Porrò בטנים *Betonim* credibile est propè ab Ramath Masphæ abfuisse. Videtur ab arboris certa specie dictus esse locus, sed cujus arboris planè nesciunt Judæi, neque ego divinare possum. Verùm si litera Nun pro Mem posita dici posset, planè statuerem Terebinthum esse, de Syrorum lingua conjecturam faciens. ¶ Cùm porrò sequitur, *Atque à Mahanaim usque ad fines Dabir*, describitur finis extimus Aquilonaris. Nam מחנים *Mahanaim* haud procul ab ea Rama de qua modò loquebamur posita fuit, in extremo hujus hæreditatis angulo qui Septentrioni ad Orientem proximus erat, apud montem Galaad. דביר *Dabir* verò super Jordanem, ut est in lib. De loc. Hebr. nimirum propè ad ostium Jabok, quo is in Jordanem effunditur. Nam de Mahanaim ubi exstiterit, & quæ ejus nominis causa fuerit, satis certum est ex Jacobi historia Gen. 32.2. Is enim, cùm in monte Galaad cum socero suo Labane fedus fecisset, simul atque progressus indè erat, obvias habuit duas Angelorum turmas, à quibus loco nomen מחנים, h. e. *Duorum castrorum*, imposuit. Sed enim vel hæc sola urbs luculenter ostendit Gaditarum hæreditatem non præcisè finitam fuisse fluviolo Jabok; ut quem tandem apud Phanuel transmiserit Jacob. De altera Dabir, quæ ultra Hebronem exstabat in montosis Judææ locis, diximus suprà 10. 38. ¶ Jam verò cùm sequitur, *Praterea in planitie Beth-aram*, &c. enumerantur nonnullæ urbes Gaditicæ, indè à Jazer, unde hujus hæreditatis descriptionem sumus auspicati, h. e. ab ea ora quâ Gad apud Austrum proximè Occidentem & Jordanem attingebat, sursum pergendo versùs Septentrionem per amœnissimam illam planitiem quæ ad Jordanem jacebat usque ad lacum Genesaram. Id enim significant illa verba, *Reliqua pars regni Sehonis, regis Hesebon, ipse Jordanis & fines, usque ad oram maris Tiberiadis, cis Jordanem versùs Orientem.* Dicitur autem *reliqua pars*, quia proximam versùs Austrum Rubenitæ habebant. Illud verò, *cis Jordanem versùs Orientem*, nihil aliud quàm ripam Jordanis sinistram ostendit. Nam dextra pertinebat ad novem tribus & dimidiam. Sunt igitur istis verbis designati fines Occidui hæreditatis Gaditicæ, ab Austro versùs Septentrionem. Est autem credibile, has urbes quo ordine adnumerantur, eodem in progressione quamque occurrisse. Fuit ergò בית הרם *Beth-aram* inter alias maximè Australis, & Jazeri proxima; deinceps verò בית נמרה *Beth-Nimra*; post hanc סכות *Succoth*; tum postremo loco צפון *Saphon*, & sanè hujus quoque nomini consentaneum est, quod *Septentrionem* significat, ipsam cæteris Aquilonariorem fuisse. Quin ipsa etiam סכות, quantum certè ex Jacobi itinere possumus conjecturâ augurari, non alio potest loco apud Jordanem commodè statui quàm ordo ille quem modò diximus postulat. Ille enim à Phanuel, transmisso illic Jabok, ad hanc urbem profectus, cùm fixis tabernaculis paululùm quievisset, Jordanem hîc trajecit, & usq; ad Salem progressus est. Saphonem quoq; super Jordanem exstitisse, auctorem laudare possum Eusebium De loc. Hebr. Sed de reliquis duabus, an in fluminis ripa an paulùm interiùs exstiterint, nihil laboro. Est enim res incerta. Illud verò certum, meo quidem judicio, videri debet, positas fuisse omnes cis Jabok; quando Jordanis *planities* nominatur, in qua exstiterint: At *Dabir, Mahanaim, Betonim, Ramem-Masphe*, de quibus nuper agebamus, eas fuisse sitas trans Jabok. Sed ut paucis nomina istarum enodem atque explicem, סכות *Succoth* à *tabernaculis* Jacobi vocata est, in quibus se suósque nonnihil recreavit cùm ex Mesopotamia revertens à fratre suo Esau se expedivisset, Gen. 33.17. בית הרם solent interpretari *Domum excelsam*: sed quia in Deuteronomio habet literam Nun pro Mem ultimo loco, mihi probabilius videtur urbem hanc à viro quopiam cui nomen הרם aut הרן *Harem* aut *Haran* fuerit appellatam esse. בית נמרה, *Beth-Nemra, Pardi domus* est, unde נמרים, h.e. *Pardos*, eam nominavit Isaias 15.6. cùm ab aquis & lætis pascuis prædicaret. Erat enim, ut sæpe diximus, universa ista planities ad Jordanem lætissimo fœcundissimóque solo, quippe summissiore, & quòd quotannis redundantis fluminis aquis recreabatur.

29, 30, 31. *Dedit denique Moses dimidia tribui Manassis, &c.*] Nusquam, quod equidem sciam, patefacta explicatáque causa est in S. literis quæ Mosen moverit ut Manassensibus possessiones sedésque assignaret cis flumen: Non enim videntur cum Rubenitis & Gaditis fuisse candidati in Numeris 32.1. Existimare autem, ipsos istarum tribuum exemplo provocatos, armis sibi in regione felicissima possessiones pòst quæsivisse, Mosémque facilè annuisse, id verò cum eorum injuria conjunctum esse videatur quibus duo illa regna jam antè donata fuerant. Mihi quidem eà consideranti quæ ad istam rem pertinent, tum in Numeris commemorata, tum initio capitis 17. hujus commentarii, credibile videtur Machiris virtuti hoc præmium à Mose delatum ultro esse, cùm simul Rubenitis & Gaditis quod ambiebant concederet; quippe vir divinus & Dei Spiritu mirabiliter afflatus intelligebat, & singularem fuisse in debellando Og Manassensium virtutem, & tam ampla duo regna à solis duabus tribubus neque tota occupari neque satis adversùs Barbarorum incursiones defendi posse. ¶ Ad *pagos* autem illos *Jair*, sive mavis *urbes*, quod attinet, & simul ad Canath vel Noben, hæc ego loca opinor tum demum propriâ Jairis & Nobæ virtute expugnata paulatim esse postquam Manassensibus superior regni Og pars universè permissa fuisset à Mose. Nam quod in Deuteronomio 3.4. Moses, tanquam uno impetu primóque cum hoste congressu capta sit universa ditio Og, unà cum pagis Jair & Argob, sic contexere narrationem videtur, id non est itá. Moses enim strictim percenset illic quæ ad eum usque diem gesta fuerant, non etiam distinctè seriem rerum gestarum explicare laborat. Sed Aben-Ezdras existimat Manassenses simul cum Rubenitis & Gaditis flagitavisse hanc hæreditatem, verùm quia dimidiata modò tribus essent nullam esse in Numeris factam petitionis ipsorum mentionem. Rursus Nehmannus opinatur, Cùm Rubenitis atque Gaditis attributæ fuissent possessiones, quod horum usibus superfuit, id in medium omnibus reliquis tribubus esse propositum: Itaque Manassenses & Jairum singulari audaciâ suâ & fortitudine fretos eam Dei Mosísque liberalitatem arripuisse, cùm essent etiam ipsi re pecuariâ divites. Per me igitur libera est sua cuique existimatio in re obscura & incerta neque maximi etiam momenti. Mosen autem nihil in his rebus temere constituisse, id verò testatissimum est. Sed neque illud satis expeditum est ad explicandum, Minórne an æqua pars Manassensium fuerit quæ cis Jordanem consedit cum ea quæ transivit. Enumerantur quidem stirpes septem quæ transierunt; at totidem in Paralipomenis 1.1.c.5.v.24. prosapiæ nominantur quæ cis mansere. Nam verbum חצי tollere istam dubitationem non potest. Non enim *dimidiata* modò sed *divisa quomodocunque* rei partem alterutram significat. Sed istud iterum tractabimus c.17. quare nunc hactenus. ¶ Rursus illud, *Et fuit dimidia tribui filiorum Manassis*, &c. minimè supervacaneum est; sed ratam fuisse istam Mosis donationem ostendit, quamvis sub conditione, ut diximus, facta esset. Atque in istorum hæreditate describenda ut in aliorum, progressus fit ab Austro in Septentrionem. Gaditarum enim fines terminabamus à Septentrione ad Mahanaim: Itaque hinc auspicamur Australes Manassensium. Etsi autem hîc nulli certi limites Aquilonares nominati sunt, tamen in Paralipomenis 1.1.c.5.v.23. scriptum est, Manassensium possessiones pertinuisse *usque ad Baal-Hermon, & Sanir, & montem Hermon*. ¶ De *Pagis* sive *Havoth Jair* redeat lector in memoriam eorum quæ prodita sunt in Num. 32. 38. Positi fuerunt illi in regione ea quæ *Argob* est cognominata: de qua suus erit dicendi locus. Sed admirabile profectò est quòd Jair totas *sexaginta urbes* adipiscitur in Manassensium hæreditate, quem certum est Judæum non Manassensem fuisse. Erat enim Segubi filius, Hesronísque nepos, 1 Par. 2.22. Sed responderi posse puto, Jairum virum fortissimum Manassenses secutum esse, cùm esset ex Manassensis Machiris viri celeberrimi filia procreatus,

creatus, ob quàm causam ipsæ etiam S. literæ *Manassis filium* appellavere in Num. 32. 41. Hæc enim tanta sanguinis necessitudo satis esse potuit ad adipiscendam apud eos hæreditatem quibus hæc non sorte sed Mosis, vel Dei veriùs, arbitrio assignabatur. Porrò Nobe quin Jairis filius fuerit, aut certè proximâ illi cognatione copulatus, vix puto ambigendum esse: cùm ille Paralipomenôn locus luculenter sanciat Noben urbem sive *Canath* in illorum *60 pagorum* numero fuisse. Cæterùm nugæ meræ sunt & indignæ relatu prorsus quibus Doctores Hebræi nituntur efficere, alium Jairum Segubi filium, alium hunc Manasseum fuisse; cùm clara res sit, utrumvis fuisse possessorem istorum 60 pagorum. Rursus illud quoque dubitationem magnam habere videtur, quòd qui primò *dimidia tribus Manassis* vocantur, ii mox dicuntur *dimidium filiorum Machir*, cùm ex Paralipomenis l. 1. c. 7. v. 14. appareat, Manassen filios genuisse duos, *Ezrielem* ex uxore, *Machirum* ex pellice. Sed hoc secùs est si eas interpunctiones sequamur quæ in Hebræo nunc habentur. Sunt enim verba Hebræa, si κατὰ λέξιν reddantur, hujusmodi, *Filii Manassis, Ezriel; quem peperit: concubina illius Aramæa peperit Machir, patrem Galaad.* Quæ eo sensu esse accipienda censet Kimhi ut putemus Ezrielem non ex concubina illa Aramæa sed ex alia quapiam matre procreatum fuisse; & quidem patre Galaad, avo verò Manasse: noménque matris illius in hoc scripto præteritum esse; itáque Ezrielem non fuisse filium Manassis, sed pronepotem. Et sanè hoc esse verum, conficitur luculenter ex Numeris 26. 30, 31. Et Machirem Manassis fuisse primogenitum, ut sic dicam, audiemus c. 17. Cur autem in Manassis stirpe recensenda pronepos ante filium commemoraretur, fieri potest ut illius tum gloria major fuerit ex rebus gestis. Quòd si ista minùs probabilia tibi videntur, per me licet existimes Machiri etiam nomen *Ezriel* fuisse: Aut si Latini tralationem non lubet repudiare, quando ea approbatorem habet R. Solomonem, & certum est interpuncta non esse vetustissima, dicas licet, Ezrielem ex legitimo connubio natum obiisse absque liberis, itáque universam Manassis stirpem ad Machirem ancillæ filium recidisse; atque ideo in illa Mosis recensione quæ fit in Numeris nullam esse posteritatis Ezrielis mentionem, ut neque in hoc commentario quem in manibus habemus, cùm c. 17. ista repetuntur. Quòd si neque istorum quidquam satis placere potest, existimemus, cùm duos haberet filios Manasses, alterius modò, Machiris, neque hujus universam, sed dimidiatam, posteritatem cis Jordanem mansisse. ¶ De *Astaroth* & *Edrai* suprà dictum est.

32, 33. *Hi sunt quibus hæreditatem distribuit Moses,* &c.] Pronomen demonstrationis אלה anceps est: Nam incertum est an ipsas possessiones & terrena demonstret, an tribus eas quibus regio ista est concessa. Verbum enim נחל tam *hominem ipsum instituere hæredem* quàm *hæreditatem ei assignare* significat. ¶ De *campis Moabiticis* diximus superiùs, Planitiem fuisse à Jordanis & Arnonis ostiis, quibus isti fluvii in Asphaltitem intrant, longè per Sehonis regnum porrectam, inter Jordanem ab Occidente, & montes Arabicos Abarim, Nebo, Phasga, cæteros, ab Oriente: quam planitiem olim Moabitæ occuparant priùs quàm ab Amorrhæis pulsi trans Arnonem cessissent. ¶ *Jordanis* autem *Jerichuntis* dicitur, quia hi campi ad Jordanem positi ex adverso spectabant Jerichuntem trans flumen sitam stadiis, ut minimùm, 60. quod alibi est à nobis expositum. ¶ Ultimo versiculo *ipsus Dominus Deus* dicitur *esse hæreditas Levitarum*; quo autem sensu, diximus nuper. Chaldæus id his ferè verbis explicat, *Dona quæ dedit Levitis Dominus Deus Israelis, ea sunt ipsorum hæreditas.* ¶ Verbum דבר haud temere usurpatur de aliis quàm maximi momenti sanctionibus: quale pondus non est in verbo אמר.

IDEM.

1. **P**Ost Σὺ suggeritur in m. ed. alterum verbum per asteriscum, post quod est interponenda etiam copula cum obelisco, hoc modo, Σὺ * γεγήρακας ↓ ÷ καὶ ↓ προβέβηκας, &c. Et post πολλὴ additur per asteriscum * σφόδρα ↓.

2. Habet ed. m. * πάντα ↓ ὅρια Φυλιστιεὶμ, * καὶ πᾶς ↓ ὁ Γεσουρί. Illud autem quod continuò sequitur, nempe ÷ καὶ ὁ Χαναναῖος ↓, debet confodi obelo.

4. Obelo signanda est copula, cùm dicitur, ÷ καὶ ↓ πάσῃ & mox expungendum est ἐναντίον.

5. Πᾶς jugulandum est veru, & pro Γαμβλὶ rectiùs scribas Γαβλὶ, aut, ut legit Syrus, Γαβὴλ. ¶ Φυλιστιεὶμ hîc jugulandum est obelisco. ¶ Cùm rectè est in libris vulg. καὶ πάντα τὸν Λίβανον, legit Syrus, & habent Compl. κατὰ πάντα τὸν Λίβανον; nimirum errore vetusto scriptum repererunt κατὰ pro καί. ¶ Pro Γαγγὰλ debet reponi Βαλγάδ.

6. Scribe verbis trajectis, ἐγὼ ἐξολοθρεύσω αὐτούς. ¶ Ante Ἰσραὴλ additum est in mixta * υἱῶν ↓. Ulteriùs scribe, τῷ Ἰσραὴλ ἐν κλήρῳ.

7. Universa illa pars, ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, usque ad finem versiculi, est confodienda obelo: non est enim in Hebræo, quanquam non ideo omittenda erat, ut factum à Complutensibus est.

8. Sunt obelisco signanda illa, ÷ τῶν δ' δυσὶ φυλαῖς, καὶ τῷ ἡμίσει φυλῆς Μανασσῆ ↓. ¶ Post τῷ suggeruntur in mixta hæc verba * ἔλαβον κληρονομίαν αὐτῶν ↓, ἔδωκεν, &c.

9. Pro Μαδαβὰν scribe Μεδαβὰ, & hîc continuò additur in mixta * ἕως Διβὼν ↓.

10. Additur copula, * καὶ ↓ πάσας, &c.

11. Pro Μαγαθὶ scribi debet Μαχαθί. Syrus legit hîc articulum gignendi casu τοῦ Μαχαθί· sed parùm interest utrum scribas. ¶ Scribe ἕως Σελχά.

12. Expletur scriptum in m. ed. hoc modo, ἀπὸ * τοῦ λείμματος ↓ τῶν γιγάντων. Mox, cùm dicitur, καὶ ἐπάταξεν αὐτὸν, debet hoc pronomen habere adscriptum asteriscum. Et mox verbo ἐξωλόθρευσεν adscribendum est alterum pronomen, αὐτόν.

13. Illud, ÷ καὶ τὸν Χαναναῖον ↓, debet confodi obelisco. Equidem malim abesse copulam, si mihi assentirentur exemplaria. Rursus jugulandum est obelo βασιλεύς.

14. Malè scripserunt Compl. ἔδωκεν pro ἐδόθη. ¶ Κύριος in ipso fine positum debet confodi obelo.

15. Quæ in hujus versiculi initio sunt, usque ad illa verba, καὶ ἔδωκε, &c. debent omnia habere adscriptos obeliscos, sunt enim à LXXII explicandæ sententiæ gratiâ addita. Temere ergò sunt à Compl. omissa eò quòd non essent in Hebræo. ¶ Cùm dicitur υἱῶν Ῥουβὴν, debet illud υἱῶν habere asteriscum.

16. Initium versûs scribendum est hâc verborum collocatione, καὶ ἐγενήθη τὰ ὅρια αὐτῶν ἀπὸ, &c. Et paulò pòst dicendum, καὶ ἡ πόλις ἡ ἐν τῇ, &c. addito altero articulo. Debet autem hîc nomen Ἀρνῶν confodi obelisco. ¶ Post Μισὼρ suggerit m. ed. * κατὰ Μεδαβὰ ↓. Sic enim scribendum est, etsi tum Syrus, tum Compl. veterem errorem secuti, legerint, καὶ Μεδαβά. ¶ Dictio ἕως jugulanda obelisco est.

17. Monet Syrus in quibusdam libris scriptum esse, καὶ πάσας τὰς πόλεις αὐτῶν, τὰς οὔσας, &c. & hanc scripturam secuti sunt Compl. ¶ Pro Δαιβὼν scribe Δηβὼν, aut Διβὼν, & copulam quæ præcedit confodito veru. ¶ Próque Βελμὼν scribe Βεελμὼν, aut potiùs Βεελμεὼν, sicut in Numeris rectè scriptum est.

19. Pro Σιὼρ scribe Σαιὼρ, ut legit Syrus; & præcedentem copulam rursus jugulato veru. ¶ Pro Αἰνὰκ reponendum est Αἰμάκ.

20. Pro Βεθσιμὼθ rursus legit Syrus Βηθασιμὼθ, ut v. 3. capitis superioris.

21. Post Ἀμορραίων addit ed. m. hanc verborum continuationem, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν Ἐσεβὼν ↓. Cùm porrò dicitur ÷ καὶ ↓ τὸν Εὐί, jugulanda obelisco est copula. ¶ Pro Ῥεβὲκ habent boni libri Ῥοβέ.

22. Scribe numero plurium, ἀπέκτειναν. Post hoc autem verbum continuò suggeritur in m. ed. * οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν ῥομφαίᾳ ↓.

23. Post τὰ ὅρια est additum in mixta * υἱῶν ↓. ¶ Αἱ πόλεις, adde pronomen ÷ αὐτῶν ↓, sed jugulatum obelisco.

25. Scribe

25. Scribe, addito articulo & copulâ, ϰ̀ πᾶσαι αἱ πόλεις Γαλαάδ' ϰ̀ τὸ ἥμισυ, &c.

27. Pro Ἐνσμὲκ scribendum est Ἐνεμὲκ, ut habent Compl. aut diviso verbo, ἐν Ἐμὲκ, ut habet Hebraicum; aut denique ϰ̀ Ἐμὲκ, ut legit Syrus. Est autem Ἐμὲκ Hebræis *vallis*, aut *planities*, & sic reddidit hunc locum Aq. atque Sym. & etiam Latinus. Quia autem mentio loci Ἐνεμὲκ est apud Eusebium libro De locis Hebr. ideo censeo sic esse scribendum.

28. Pro ϰ̀ ϰτ̀ πόλεις scribe αἱ πόλεις ⸓ αὐτῶν ↙, ϰ̀ αἱ, &c. sed apponatur veru ad pronomen αὐτῶν quod hæret nomini πόλεις.

29. Post Μανασσῆ adduntur in mixta per asteriscum hæc verba, ⁎ ϰ̀ ἐγένηθη τῷ ἡμίσει τ̃ φυλῆς τῶν υἱῶν Μανασσῆ ↙ ea enim, ut minimè necessaria ad sententiam repræsentandam, omiserant LXXII.

30. Cùm dicitur, ϰ̀ πᾶσα βασιλεία Βασάν, ϰ̀ πᾶσα, debent tum utraque copula, tum nomen hoc βασιλεία positum priore loco, confodi obelisis.

31. Scribe Ἐδραεὶ, absque litera Ni. Expunge etiam præpositionem utroque loco, cùm dicitur, ἐν Ἀσαρὼθ, & ἐν Ἐδραεὶ. ¶ Verbum ἐδόθησ cum præcedente copula hîc à Compl. omittitur, neque etiam habetur in Vat. à Syro tamen lectum est obelisco jugulatum. ¶ Scribito, ⸓ ϰ̀ ↙ τοῖς ἡμίσεσιν υἱῶν Μαχὶρ υἱῦ Μανασσῆ, ϰτ̀ δήμους, &c. sic enim est in emendatiss. libris: sed conjunctio est obelo signanda.

32. Ἐν τῷ πέραν τ̃ Ἰορδάνου collocandum est post Μωάβ.

33. Postremus versiculus est à LXXII totus omissus, tanquam supervacaneus, cùm non sit diversus à 14. Itaq; in m. ed. per asteriscos suggeritur his verbis, ⁎ Καὶ τῇ φυλῇ Λευὶ ὐκ ἔδωκε Μωυσῆς κληρονομίαν· Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ αὐτὸς κληρονομία αὐτῶν, ὃν τρόπον ἐλάλησεν αὐτοῖς ↙.

DRUSIUS.

1. **S**Enex, *provecta ætatis*] *Qui ætate processit*, ut cum Cicerone loquar. Senes hoc dicunt, interpretantes προβεβηκὼς τῶν ἡμερῶν. Græcis προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ, vel τῷ χρόνῳ, & sæpius προβεβηκὼς simpliciter. In Lex. Vet. προβεβηκὼς τ̃ ἡλικίαν. Gen. 24. 1. Hier. *Dierúmq; multorum*. Videtur in otio cubare. Nam qui senex est, processit ætate. Videre licet senectam triplicem esse, primam, mediam, & ultimam. Prima dicitur זקנה vel זקנים, ab anno sexagesimo ætatis usque ad septuagesimum. Secunda vocatur שיבה, q. *canities*, quòd tunc pili canescant, ab anno septuagesimo usque ad octogesimum. Tertia incipit ab anno octogesimo, & durat usque ad finem vitæ. De hac Thalmudici, *natus annos octoginta ad summum*. Sic interpretantur quidam quod Psal. 90. 10. *& si* בגבורות *in robustissimis*, sub. *corporibus*, ad verb. *in roboribus*, *octoginta anni*: ubi Hieron. *si autem multum*. Fortè tralatio est à Sole, de quo in usu verbum בא, ac tunc *occumbere* significat. Qui ergò in occasu dierum est, is dicitur *processisse diebus*. Expende, lector. ¶ *Processisti diebus*] *Provecta es ætate*. Pro quo in Hier. *longævus es*, quod Ebraicè diceretur הארכת ימים *produxisti dies*. LXX, προβέβηκας τ̃ ἡμερῶν, quod reddunt *provectus es in diebus*. Sic alibi, *senex & plenus dierum*: ubi *senectutis* verbum ingravescentem ætatem significat; illud verò alterum, maturiorem & prope ultimam.

2. *Limites Philisthæorum*] Thargum, *termini*; LXX, ὅρια *fines*. Sic Jes. 9. 1. גליל גוים, quod reddunt *Galilæa gentium*, Sym. ὅριον τῶν ἐθνῶν. Aquila ferè Θῖνας interpretatur, quos *arenarum tumulos* esse ait Hieronymus Joel. 3. 4. גלילות Jon. *termini*, ut hîc. Sic etiam Sym. & Hier. quorum posterior perperam hoc loco *Galilæam* posuit interpretans, ut etiam Senes Joel. 3. R. D. גבול *limes*, *terminus*, *aut* מחוז *regio*, *portus*. R. S. *Marques*, id Gallis *limites* denotat, qui à Germanis **graintzen** vocantur. Ezec. 47. 8. גלילה, Aq. Θῖνας, Sym. μεθόριον *confinium*. Ergò גלילות μεθόρια, i. *confinia*. ¶ *Universam Gessuri*] Quæ vicina Ægypto & Amalecitis, non eam quæ in Syria. Deuter. 3. 14. הגשורי. Oncel. הגשורי נשוראה. Jon. קורוי. Jerosol. קרייתי. Est הגשורי pro הגשורים, h. e. sing. pro plurali. Emenda igitur, *& omnem Gessuræum*. Quanquam in Eusebio, *Gessuri, regio alienigenarum in Syria*; emenda *Gessur*. ¶ *Omnis Gessuri*] i. Gessuræus. Licet etiam vertere *omnes Gessurai*; vel, *omnium Gessuræorum*, ut cum גלילות construatur. Sic Deut. 3. 14. *omnis terminus Gessurai*, i. Gessuræorum. Hieron. *universa Gessuri*; & alius haud paulò melius, *universa Gessuræa* כל הגשור. Confundunt nomen regionis cum ejus gentilitio. Nam regio *Gessur* dicitur, unde gentile *Gessuri*, i. *Gessuræus*. Mentio hujus regionis 2 Sam. 3. 3. & 13. 8. & 14. 23, 32. Rectè Jonathan hoc loco, *& omnes Gessurai*, vel *omnium Gessuræorum*, i. כל גשוראי. Sunt qui malunt *Gesur*.; & sic Ebræi nunc scribunt hoc nomen; olim aliter גשור *Gessur*, ut משיחא *Messias*, דבורה *Debbora*.

3. *A Sihor*] Nomen est fluvii à *nigredine*. sic appellati; fortè quòd aqua ejus nigra esset. Sic Nilus à Græcis *Melas* vocatur, i. μέλας, & *Melonis albam paginam* qui dixit, Nilum intellexit. Unde multi putant *Sihor* Nilum esse. Fruatur quisque judicio suo. Sed quia Ægyptum à Palæstina disterminat, videtur alius esse quem S. literæ vocant *fluvium Ægypti*, cùm Nilus potius dicatur *rivus Ægypti*. *Fluvius Ægypti*, i. נהר מצרים, vel נחל מצרים. Sunt etiam qui arbitrantur hunc fluvium ex Nilo derivatum esse, in queis ille qui Quæstiones scripsit in libros Præteritorum, quæ exstant inter opera Hieronymi. Vide Masium ad hunc locum; item Beroaldum Chronol. l. 2. c. 7. sed & Abenezram Gen. 15. 18. ad locum *à flumine Ægypti*, & Observationes nostras l. 9. c. 17. In ripa hujus fluminis ponunt quidam Rhinocoruram. Tremellius, *Sihor amnis est qui Petram Arabia præterfluit, & in Sirbonim paludem influit, & Ægyptum à Terra promissa disterminat*. Jodocus à Gistella scribit, *Itinere circiter dierum quinque à Gaza versus Ægyptum citimum Nili brachium à mari excipi, vulgò q; Carabum vocari*. ¶ *Qui est ante Ægyptum*] על פני, idem quod לפני *ante*, *coram*. Hier. *A fluvio turbido qui irrigat Ægyptum*, quod non potest exponi nisi de Nilo. Fuit ergò in ea sententia ut putarit hîc Nilum designari cum plerisque Judæis. ¶ *Quinque satrapæ Philisthæorum*] Malè vertunt *quinque satrapiæ*, Græcos fortè secuti, qui hîc legunt πέντε σατραπείας. Sed iidem alibi ἄρχοντες eandem vocem reddunt, ut Jud. 16. 5, 23. Nomen hoc peculiariter usurpatur de Philisthæis, quos Hieronymus nunc *regulos* dicit, & R. D. *principes*, & Jon. טורני, i. *tyrannos*. Sic enim olim in laude usurpabant id nomen. ¶ *Gazæum*] Vel *Azæum*; qui erat satrapa urbis Azæ, quæ & *Gaza*. *Azam* appellat Stephanus De urbibus. Minus rectè quidam *Azathæum*; quanquam in Ebræo העזתי. ¶ *Azotium*] Nam *Azotum* vocant Græci & Latini quam Ebræi *Asdod* appellant: unde in aliis editionibus *Asdodium* vel *Asdodæum*. Licet etiam vertere *Azotæum*. Sed in Græcis, τῷ Γαζαίῳ, ϰ̀ τῷ Ἀζωτίῳ, & in Latinis, *Azotios*. ¶ *Ascalonitam*]. Sic Græci Ἀσκαλωνίτῃ, & Hier. *Ascalonitas*. Sed alii maluerunt *Ascalonæum*. Hinc oriundus fuit Antipater Ascalonites. ¶ *Et Evæos*] Qui alibi *Hevæi*, cum aspiratione. In scriptura Ebraica est *Avim*, quod antiquitus legebant *Evim*. Sic *Hava*, *Heva*, mater viventium. Deut. 2. 23. *Et Evæi, qui habitant in pagis usque Gazam*. Sic dicimus חויא & עויא pro *serpente* in Genesi magno. Evæi sunt gigantes, i. Raphaim. Id firmat Gerundensis in Pentateuchum scribens 288. 1. Idem ait חוי comprehendere gigantes Horæos & Evæos, 288. R. Salomo ex hoc loco colligit Evæos quondam habitasse in terra Philisthæorum: quem immeritò eo nomine carpit Gerundensis. Nam è veteribus locis expulsi fuerunt à Caphthoræis, quorum gentiles erant Philisthæi. Quapropter universa hæc ora Palæstinorum Chananææ assignatur attribuitúrque. Sunt qui העוים referunt ad sequentem versum, in queis Vulgatus noster, *Ad Meridiem verò sunt Evæi*. R. David, *Evæi quos memorat non sunt è numero satraparum*. *Et in verbis Doctorum*

nostrorum, id est m. sex satrapas ipse recenset, & ab initio dicit quinq; tantum. Dicit R. Johanan Idonreki, Eorum, i. החשובים שבהם quinque tantum erunt, & Evai non erant ex præcipuis. Amplius dixerunt, Evai ex Austro venerunt; conjungentes hoc cum versu proximo qui sequitur. Hucusque R. D. Prisco vocabulo Eve dici ab Evae filio Chanaan refert Guilielmus Tyrius l. 11. cap.

4. Et Maara quæ est Sidoniorum] Maara quidam urbis nomen esse putant. Alii fluvium esse dicunt quem Plinius Magoram vocat l. 5. c. 20. Sunt etiam qui prata, ut Masius, alii speluncam interpretantur, ut Arias; in qua sententia videtur fuisse Jonathan. Idem tamen in Judicum historia campum reddit.

5. Et terra Giblii] הגבלי, i. Gibliorum. Sic vocantur incolæ oppidi Gebal, quam Ptolemæus Gabala vocat, unde Masius hoc loco, Gabalenorum. Mentio hujus Gebal Ezec. 27. 9. ubi Lxx senes Βύβλου. Ergò Giblii sunt Byblii, aut certè vicini populi. Eadem vox extat 1 Reg. 5. 18. Byblus etiam hodie vocatur Giblet, q. גבלית. Byblum Hieronymus in Locis Ebraicis ait Gobel Ebræis appellari. Brocardus Giblec scribit, fortè Gibleth. Giblii vocantur ejus incolæ, Ezech. 27. Fuerunt alii Giblini sive Gabaleni ad Austrum, de quibus vide sis Masium nostrum.

13. Habitabat Gessur & Maachath in medio filiorum Israel] Hic est גשורי Gessur pro Gessuri, & Maachath pro Maachati, i. Gessuræus & Maachatæus, aut vertendum, habitabatur Gessur. Sic alibi, Jerusalem ישב habitabitur. Sanè Jonathan habet גשוראה. Pro Maachath autem vertit אפיקרוס Epiceros, vel Apiceros. Lxx i i Βασιλεὺς Γεσιρὶ καὶ ὁ Μαχαθί. De Epicæros vel Epicæræis vide Masium in cap. 12. v. 5. Fluvius est ejus nominis.

14. Ignita Domini] Latè hìc sumitur, unde Jonathan interpretatur oblationes, & Hieron. sacrificia & victimas. Sunt qui Decimas & Primitias eodem nomine comprehendi putant. Ut ut sit, significat ea quæ reservabantur in cibum Levitarum, qui ex igne absumptis aut absumendis vivere non poterant.

16. Et civitas quæ in medio vallis] ἡ φάραγξ. Senes habent ἐν τῇ φάραγγι Ἀρνών, in valle Arnonis. Suprà notavimus נחל tam fluvium quàm torrentem significare. Hìc pro valle usurpari videtur. Sic Gen. 26. Et foderunt servi Isahac in valle, ubi alii, in torrente. Nam cùm siccus est, fodi potest in eo, Deut. 2. & urbs quæ erat in valle, ubi eadem vox in fonte. Sic Doctores dictitant, Mulier quæ habitat in valle: Nam in torrente habitari non potest, nisi ad tempus, cùm aqua nulla in eo, ut solet fieri æstatis tempore. R. David, Vallis per quam fluunt aquæ vocatur נחל, etiamsi nulla aqua fuerint in eo. Nam locus vocatur Nahal. Videtur hoc velle, נחל propriè vallis, deinde torrens qui per eam decurrit, torrens dico, aut fluvius: nam utrumque id nomen significat ut diximus. Mirari autem libet interpretes qui hìc vertunt civitas quæ est interamnis. Nam interamnis civitas, quæ inter duos amnes; ut Syria interamnis, quæ media inter Tigrin & Euphraten à Græcis Mesopotamia dicitur. Masius, oppidum quod est intra torrentem. Sunt qui Arnonem vallem fuisse putant, & non torrentem aut fluvium, in queis οἱ ἑβδομήκοντα, qui vertunt φάραγγα Ἀρνών. Sed adversatur hic locus. Nam שפה, quod propriè labium notat, non vallium est, sed fluminum vel torrentium. Sic enim certè ripa eorum appellatur. Putarim igitur ad ripam Arnonis vallem fuisse in qua civitas hic memorata. Id significat Hieronymus qui hunc locum sic in Latinum convertit, Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle ejusdem torrentis media. ¶ Super Medaba] i. Juxta vel prope. Masius, apud Medabam. Hieron. quæ ducit Medaba. Thargum, usq; Medaba. Videndum an על pro עד usurpetur. Nam etiam Santes ità interpretatur. Cui firmando quod in libro Synonymorum; על idem quod עד usque, Gen. 49. על צידון Sidonem usque, Psal. 48. על מות usque ad mortem. Cæterùm super pro juxta, prope, Livius etiam usurpat, ut cùm ait, super Numicum amnem. Licet etiam vertere, secus Medaba. Plinius, nascitur secus fluvios populi folio.

17. Hesebon] Infrà 21. 39. data fuit Levitis à filiis Gad: unde quidam suspicantur utriq; tribui communem fuisse. Sed si communis erat, non potuit dari à solis Gaditis. ¶ Dibon] Quæ & Dimon appellatur, Jes. 15. 9. Ejus interpretamentum Num. 32. 3. est in Oncelo Malbestha, & in Jonatha Madbestha. Locus pascuus erat trans Jordanem. Rubenitis attribuitur, cùm videatur potiùs pertinuisse ad Gaditas: unde Dibon Gad Num. 33. 45. ubi tamen Jon. Dibon domûs fortunæ. Siquidem Gad, bona fortuna. R. David ait esse nomen turris in quo εἰδωλεῖον idolium. A filiis Gad exstructam esse liquet ex Num. 32. 34. Fortè in confinio erat utriusque tribûs. Vide Tremell. hoc loco. ¶ Bamoth-Baal] Sonat Excelsa Baal. Baal autem est Jupiter; unde Baal-Phegor, Jupiter Phegorius. Sed latiùs patet: nam etiam de aliis Diis usurpatur. In Syria varii Dii erant qui Baalim vocantur, quasi κύριοι καὶ δεσπόται. Cæterùm hanc urbem innui putant Num. 21. 28. Baale Bamoth Arnon, unde colligunt ad Arnonem fuisse sitam. ¶ Domus Baal-Meon] Vel Bethbaal-meon. Hier. oppidum Baal-meon. Ego non memini oppidum uspiam dici בית domum. Lxx, καὶ οἶκοι Μεελβώθ. Ezec. 25. 9. vocatur Baal-Meon, sine Beth. Pro eo est בעון Num. 32. 3. Baal-meon, v. 38. Beth-meon, Jer. 48. 23.

19. In monte vallis] Quis iste mons? Quidam interpretatur, in montanis illius convallis. Jon. in monte planitiei. Masius existimat significare vallem montis Abarim, sive Nebo, aut Phasga, in qua Moses humatus fuit. Hier. in monte convallis. Aut significat eas montis Abarim partes quæ campis Moabiticis imminebant.

21. Et omne regnum Sehonis] Non totum regnum Rubenitis est concessum, sed dimidium duntaxat. Ergò particula omne hìc dicitur de media parte, ut alibi de majori, & alibi de minori parte. Masius hìc transtulit, quæ omnes fuerant regni Sehonis. Vau pro אשר, quod insolens non est: sed hìc durum mihi videtur coactúmque. ¶ Et Principes Madian] Qui Sehoni suppetias tulerant. Paulò pòst vocantur Duces Sehonis: Nam ei militabant in bello contra Israelitas communes hostes. Erant autem numero quinque, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rabe sive Reba. Pro Evi, i. אוי, in Hieron. est Hevaum. Jon. magnates Madian; & postea, magnates Sehon.

22. Divinum] Hier. ariolum, quod nomen Ebraicum, teste Masio, propriè significat. Santes, divinatorem. Lxx τὸν μάντιν, i. vatem, aut ariolum. Jon. קסמא, malim קסמא, ut sit Benoni, à קסם divinare. R.D. dicit non fuisse Prophetam, sed divinum. Nam prophetia ejus erat ad horam, aut ad honorem Israel venit ad eum Angelus Domini suggerendo prophetias illas. Quæri potest quomodo venerit ad Madianitas, cùm scriptum sit, Rediit in locum suum. Forte rediit eò ad petendam mercedem suam, cùm videret consilium suum quod dederat ratum esse. Videndus R. David. Sunt qui opinantur Balaam fuisse Madianitam, quibus ego assentiri non possum. Porrò קסם, quem hìc & alibi Senes vocant μάντιν ariolum, Esa. 3. 2. στοχαστὴν reddunt, i. conjectorem. Iisdem קסם est μαντεία & μαντεῖον vaticinium, & semel οἰώνισμα ariolatio. Quin ipsum verbum reddunt per μαντεύω vaticinor. Ciceroni divinatio, quam Græci μαντικὴν appellant, est præsensio & scientia rerum futurarum. ¶ Cum interfectis suis] Cum iis qui ab ipsis occisi erant, q.d. Occiderunt eum cum aliis quos occiderunt. Hìc אל valet עם cum, pro quo in Numeris על, ut hic in Thargum.

25. Dimidia terra filiorum Ammon] Credibile est hanc ab Amorrhæis olim occupatam fuisse, in quorum possessionem venerunt postea Israelitæ victores. Tamen Numeris 21. 26. nulla mentio eorum, sed tantùm Moabitarum. Judic. 11. 15. Non cepit Israel terram

terram Moab, & terram filiorum Ammon.

33. *Dominus Deus Israel ipse possessio eorum*] Jon. *Dona quæ dedit eis Dominus Deus Israel, ipsa sunt possessio eorum.* Suprà dixerat *ignita Domini*, i. sacrificia & victimæ. Vide, si placet.

IDEM.

20. הַפִּסְגָּה. A. λαξευτὴν *excisam*] i. λελαξευμένην. Eusebius De locis, *Asedoth, urbs Amorrhaeorum, quæ cecidit in sortem tribûs Ruben. Appellatur autem, addito cognomento, Asedoth-Phasga, quod in lingua nostra resonat Abscissum.* Vide quæ scripsimus cap. 10. 40. Nam *excisum* ibi, i. λαξευτὸν, quod ad פסגה potiùs quàm ad אשדות pertinet. Locus iste omnem omnino dubitationem tollit.

23. חַצְרֵיהֶם. Sym. ἀγροὶ αὐτῶν *agri eorum*] Psal. 10.8. חצרים. Sym. αὐλὰς, *atria*. Infrà c. 19. 38. חצריהם, alius, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν. Sign. potiùs *pagos*, unde Jes. 42. חצרים תשב pro quo Zach. 2. 4. פרזות תשב *pagatim*, sive *per pagos*.

27. בָּעֵמֶק. A. Sym. ἐν τῇ κοιλάδι, *in valle*.

GROTIUS.

3. A *Fluvio turbido qui irrigat Ægyptum*] Heb. *à Sichor qui supra Ægyptum est. Sichor* fluvium quemvis *nigrum*, i. turbidum, non liquidum, significat. Crediderim indè à Pœnis dictum in Hispania *Sicorim*. Nilum hoc nomine vocat Jeremias 2. 18. Dionysius Afer,

> Σύηνις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
> Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Et hinc *Sirio* nomen, quòd eo sidere moveatur Nilus. At Græci pro שיחור videntur legisse שאון. Vertunt enim, ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου. ¶ *Regulos*] Satrapas sub Regibus positos: quales alibi סרנים ut hîc, alibi נשאים, alibi נסיבים vocabantur, ut infrà 21. ¶ *Philisthiim*] Terræ modò à novissimis possessoribus, ut hîc, modò ab antiquioribus, ut infrà 21. nominantur.

4. *Ad meridiem verò sunt Hevæi*] Bene illud והעוים trahit ad novam periodum, contrà quàm habet Hebræa distinctio, quæ cùm promisisset se quinque numeraturam, numerat sex.

6. *Universiq; Sidonii*] *Sidon* gentis nomen, antequam urbis, Gen. 10. 15. *Sidones* Curtio, *Sidonii* Stephano aliisque.

17. *Hesebon*] Hæc loca communiter data Rubenitis & Gaditis. Vide infrà 21. 39.

20. *Asedoth, Phasga*] Posteriorem hanc vocem pro epitheto Azoti accipit Aquila. Vertit enim λαξευτὴν, i. *è lapide munitam*.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

3. L*Evitis non dedit*] Si Levitæ quoque accepissent hæreditatem, jam terra in 13 & non in 12 partes fuerat distribuenda, cùm duo filii Joseph integraverint duodenarium.

4. *Possessione eorum*] Hebræi exponunt *animalia grandiora & minora*, h.e. jumenta & pecora.

7. *Sicut fuit in corde meo*] Putat K. hoc propterea addi quòd, cùm rediret cum aliis exploratoribus, non ausus fuerit in itinere aliud loqui quàm quod ipsi decreverant; sed cùm venisset ad castra, & jam mortis evasisset discrimen, liberè prædicabat veritatem ut erat in corde suo.

8. *Dissolverunt*] Notandum quòd המסיו scribitur hîc pro המיסו. Est enim Hiphil in ordine quiescentium in media Vau. ¶ *Et ego secutus sum Dominum*] Heb. *& ego implevi post Dominum Deum*: qui loquendi modus in Levitico est frequens. Capitur verò hîc *implere* pro *perficere*, sicut Jon. exponit, seu *perfectè sequi*.

10. *Istis quadragintaquinq; annis*] Missi fuerunt exploratores secundo anno post exitum de Ægypto, & manserunt deinde in solitudine 38 annis, atque 7 annis subjugaverunt Terram. Transierunt igitur ab eo tempore quo missi fuerunt exploratores in terram Chnaan 45 anni, ut hic textus dicit. Quòd autem 7 annis pugnarint pro acquisitione Terræ, id probant Hebræi ex Jubilæorum supputatione.

13. *Hebron*] Fuit Hebron una ex civitatibus refugii, quam Sacerdotes & Levitæ inhabitabant: Ideo intelliguntur hîc per *Hebron* agri & vici qui priùs fuerunt sub Hebron.

15. *Quievit terra à præliis*] Non est intelligendum quòd omnes hostes fuerint subacti, sed major pars; cœperúntq; Israelitæ languescere & tædium habere in præliis.

VATABLUS.

1. I*Sta sunt autem*, &c. ואלה אשר וגו'] *Hæ autem sunt* hæreditates *quas jure hæreditario possederunt filii Israel in terrâ Chenaan, quas tradiderunt illis jure hæreditario possidendas.* ¶ *Et capita patrum*, וראשי אבות] *Et principes familiarum.*

2. *Per sortem hæreditatis eorum*, בגורל נחלתם] *Per sortem hæreditatis suæ.* Istud jungitur præcedenti versui, i. quæ possederunt missis sortibus, sive per sortem, quæ indicabat & assignabat unicuique suam hæreditatem. ¶ *Per manum Moseh*, ביד משה] i. Per Mosen, sive Mose internuntio. ¶ *Novem tribubus*, &c. לתשעת המטות וחצי המטה] Quidam distinguunt post *Daret*, ut præcedentibus jungatur: & vertunt sequentia sic, *de novem tribubus & dimidia tribu.*

4. *Pro jumentis*, &c. למקניהם ולקניניהם] *Pro armentis & gregibus eorum*, pascendis scilicet.

5. *Et diviserunt*, ויחלקו] *Dividendo.*

6. *Tu nosti verbum quod*, אתה ידעת את הדבר אשר] *Tu nosti sermonem quem*, i. quid locutus sit Jehova, &c.

7. *Verbum*, &c. דבר כאשר עם לבבי] Hebraismus, responsum prout sentiebam in animo meo, h.e. veritatem ipsam.

8. *Et fratres mei*, ואחי] Alios exploratores significat. ¶ *Dissolverunt cor*, &c. המסיו את לב וגו'] Hebraismus, deterruerunt populum, & ademerunt eis animos: *ego verò implevi* voluntatem *Domini, eundo post ipsum*, cùm conarer addere illis animos.

9. *Si non*, אם לא] Jurantis sermo, in quo subaudiendum, *Dispeream*, aut aliquid simile, de quo aliis locis. ¶ *In æternum:* עד עולם] i. Longo tempore. ¶ *Adimplevisti*, &c. מלאת] Ut ver. 8.

10. *Jehovah concessit mihi vitam*, החיה יהוה אותי] Ad verb. *vivere fecit Jehovah me*, i. servavit me salvum & incolumem. ¶ *Ex quo*, אשר] Pro אשר עמו *cum quo*, i. quo duce, *obambulavit*, sive *vagatus est.* ¶ *Et nunc quidem*, &c. ועתה הנה אנוכי היום בן חמש וגו'] Ad verb. *& nunc ecce ego hodie filius sum quinq; & octoginta annorum*, pro, *natus sum octoginta quinque annos.*

11. *Quanta erat fortitudo mea*, &c. ככוחי אז וככוחי עתה] Ad verb. *sicut fortitudo mea tunc, sicut fortitudo mea nunc.* Hebraismus, quanta erat tunc fortitudo mea, tanta nunc est: & quanta est fortitudo mea nunc, tanta erat tunc. q.d. Tunc non erat major, neque minor est nunc. ¶ *Et ad exeundum*, &c. ולצאת ולבוא] i. Ad iter capessendum. Gallicè, *aller & venir*.

12. *Ut locutus est*, אשר דבר] *De quo locutus est.* ¶ *Anacim*, ענקים] i. Gigantes. ¶ *Fortè*, אולי] Non est dubitantis, sed dixit modestiæ causâ, nihil sibi arrogans, *Fortè aderit mihi*, sive *favebit, & perdam, exterminabóque eos.*

13. *Hebron*, חברון] Nempe agrum & provinciam, cum urbibus quæ erant sub ejus ditione. Nam Hebron fuit urbs perfugii.

14. *Adimplevit*, מלא] Vide ver. 8.

 15. *Antea*

15. *Antea*, לפנים] i. Olim, antiquitus. ¶ *Magnus inter Anacim*, הגדול בענקים הוא] *Maximus gigantum fuit*, i. clarissimus. ¶ *Quievit à bello*: שקטה מםלחמה] i. Non amplius vexata fuit præliis, sed quievit ad tempus.

CLARIUS.

10. **Q***uadraginta & quinq; anni*] Missi fuerunt exploratores secundo anno post exitum de Ægypto,& manserunt deinde in solitudine 38 annis, atq; 7 annis subjugaverunt Terram. Transierunt igitur ab eo tempore quo missi fuerunt exploratores in terram Chanaan 45 anni, ut hic textus dicit. Quòd autem 7 annis pugnarint pro acquisitione Terræ, id probant Hebræi ex Jubilæorum supputatione. Ubi observa, Primum,qui accepit hæreditatem in Terra promissa fuisse *Caleb*, h.e. *quasi cor*,filium *Jephone*, h.e. *conversionis*. Hic primus petiit,& petiit montem in quo erant urbes munitæ, nihil enim humile tales quærunt. Dixit etiam, *Hodie valeo, sicut valebam eo tempore*, &c.


13. *Hebron*] Fuit Hebron una ex civitatibus refugii, quam Sacerdotes & Levitæ inhabitabant: Ideo intelliguntur hîc per *Hebron* agri & vici qui priùs fuerunt sub Hebron.

15. *Et terra cessavit à præliis*] Non est intelligendum quòd omnes hostes fuerint subacti, sed major pars; cœperúntque Israelitæ languescere & tædium habere in præliis.

MASIUS.

1--5. **H***ÆC verò sunt quæ hæreditatis loco acceperunt Israëlitæ*, &c.] Post expositam assignationem hæreditatis cis Jordanem quæ duabus tribubus & dimidiæ est distributa à Mose, & ostensas cujusque tribus proprias possessiones, venitur jam ultra Jordanem in sacratiorem Chananæam & patefactum itur quid hîc quoque cuiq; tribuum reliquarum obtigerit sorte. Nam cùm in hac neque magna regione neq; solo ubique similiter læto commodóq; tribus multæ separatim essent collocandæ, opus sortitione erat, ut suas cuique sedes Deus ipse tanquam digito metatus esse videretur, nè diversa terreni conditio rixarum & odii inter fratres causa esset, dum alii silvas, montes, litus arenosum tanquam relegati haberent, alii amœnis uberibúsque locis fruerentur; ad hoc, aliorum hæreditas vacua, aliorum in potestate fortissimorum hostium adhuc posita esset. Sed quando sortitio, etsi Divinæ voluntatis indicium certum esse videretur, tamen ab hominibus administrari regíque debuit, ut horum fidem cæteroqui suspiciosam faceret omnibus perspicuam, designarat olim Deus ipse certos viros nominatim qui isti præessent muneri, Eleazarum Pontificem max, Josuam Imperatorem, ac deinceps è singulis decem tribubus viros singulos, Num.34. 16. atque ii sunt qui nunc *capita patrum tribuum filiorum Israel* dicuntur, quos cùm per tot bella pérque tam varios casus & rerum discrimina incolumes omnes ille conservarit, cui non persuasissimum sit, Divino consilio, non etiam hominum vel favore vel gratiâ, rem istam agi, & tanquam mensoris Dei radio hæreditates singulas describi? Verùm enimvero existimant quidam, longè majus difficiliúsque munus istos 12 viros divisionis faciundæ habuisse,quàm ut sortem modò procurarent,judicaréntq; sortitionem; quando ipsi *dedisse hæreditatem Israëlitis* memorantur. Sortem enim, tanquam Dei nutum, significasse quidem quâ regione quæq; tribus esset collocanda; sed istorum deinde divisorum fuisse operis, regionem quamque pro tribuliū numero ejus tribus cui quæq; sorte obvenerat, finibus aut amplioribus aut angustioribus circumscribere.Id enim esse illud quod in Num.33.54. edixit,jubente Deo, Moses, *Ei qui magno numero fuerit ampliorem dabitis hæreditatem; ei verò qui exiguo, minorem*. Sed ista res obscura per se & incerta tractabitur à nobis c.18. ad v.4. explicatiùs. Quare id modò nunc dicemus, Parùm firmum esse argumentum hoc ipsos 12 viros cuiq; tribui vel auxisse vel diminuisse hæreditatem quam Divina sors designarat, quia dicuntur ipsi *dedisse Israelitis hæreditatem*. Nam & Sacerdotes *pastores* dicimus, cùm cœlestibus sacramentis piorum hominum pascunt animos, quia Dei sunt administri atq; interpretes: quales fuisse etiam illos Divinæ sortitionis, nemo, opinor, negaverit. Porrò cur tantâ religione tantâq; cautione opus esset in ista distributione facienda,præut fuerat in illa cis Jordanem, ego hanc afferri causam justissimam posse arbitror, Quia cùm Christus, qui universæ S. historiæ fundamentum est & scopus, ex his tribubus trans Jordanem collocatis olim esset nasciturus, necessarium prorsus fuerit eas quàm distinctissimas,in suis quamq; sedibus,usq; eò manere dum ille in lucem tandem felicissimo partu editus sacrorum Vatum prædictiones comprobasset. Nam si confusis tribubus in dubium incertúmque revocari potuisset D. Virginis, quæ illum peperit, prosapia, Deus bone, quanta cum mercede Satanas omnibus seculis mortalium omnium fidem solicitasset? Et verò ad illam etiam alteram designationem opus fuisse approbatione istorum 12 virûm, ut rata planè esset, explicatum à nobis suprà est. Cæterùm ipsam sortitionem non esse fortunæ temeritatísque ludum,si justa cum religione fiat,sed certissimum Divini consilii indicium, ostendimus c.7. & res ipsa in hac quæ modò agetur partitione declarabit luculentissimè. Quales enim regiones plerisq; tribubus olim obventuras vaticinatus fuerat in extremo vitæ actu Jacob ante annos propè 250 & nuper etiam Moses, cùm è vita esset exiturus, tale cuiq; terrenum sors quoque objiciet. Judæ enim obtinget terra vitibus & pascuis abundans; Zabuloni & Issachari, portuosum litus maris; Aseri, ferax frumenti,olei,metallorum regio; Benjamino, vicina Templo habitatio,ut veluti *inter Dei humeros sedere* videri possit; Ephraimo & Manassi, solum modis omnibus, ut sic dicam, benedictissimum; deniq; Nephthalimo,cultus lætúsq; tractus ab Occidente ad Austrum versùs procurrens. Postremò Levi exhæres erit; Simeon quasi in aliena hæreditate apud Judam collocabitur.Cùm ergò illas Jacobi Mosísque prædictiones tam certo casu sors ipsa comprobaverit, profectò ipsâ Impudentiâ fuerit impudentior, si quis vel cœlestem afflatum in Jacobo Moséque, vel Dei judicium in sortibus, vel denique Divinam providentiâ utrobiq; nolit agnoscere;aut ipsâ Stupiditate stupidior, si non animadvertat. Sed dicat aliquis, Quid opus fuit sortitione, si ex Jacobi Mosísq; prædictionibus, tanquam testamenti cujuspiam tabulis, cernere suam quæq; tribus hæreditatem satis certè potuit? Atqui fuere quidem illorum Patrum oraculis omnino sic designata unicuiq; tribui sua loca ut ex eventu earum prædictionū sortiúmq; inter ipsas consensionem mirificam quivis posset agnoscere; verùm obscuriùs quàm ut iis tolli aut sedari controversiæ omnes inter homines avaros pertinacésque potuissent, præsertim cùm multorum verborum explanatio ex rebus post multa secula venturis penderet. Qui enim intelligi potuit quid esset *Benjaminum inter Dei humeros habitaturum* antè quàm delectus exædificando Templo locus fuisset? Nulla ergò melior ratio iniri potuit quâ Israelitis vel veritas promissionū Dei, quas à majoribus suis tanquam per manus traditas acceperant, persuaderetur firmiùs, vel ejusdem providentia & paternum erga suam gentem studium apparerent atque exstarent manifestiùs, quàm ut per sortes nullo modo suspectas, sed undiquaq; Divinas apertè intelligerent, Deum nè Vinum quidem, aut Frumentum vel Oleum, Lac, Metallum, aut si quid minoris est, olim uni tribui præ alia pollicitum esse quod non planè præstitisset. Si enim in illis promissis nihil fefellit, quis putet in aliis quæ ad universum cœtum spectant,& in quibus omnium salus posita est, non servaturum fidem? Nam nisi illa Patres sanctissimi prædixissent, fortuna casúsque in sortitione lusisse existimari potuissent. Rursus, si prædictiones illas non sors sed 12 virûm consilium comprobasset, nihil puduisset calumniatores impios dicere, Quæ Moses pro sui animi affectione, quâ tunc erga quamque tribum erat, pro oraculis moriens Jacobi jactitavisset, & suis ultimis effatis approbavisset, ea nunc istos de compacto suis judiciis rata facere, quòd Divinitatis existimationem cùm Mosi tum sibi apud populum parerent. Sed de sorte nunc hactenus, plura enim dicta sunt c.7. ¶ Porrò cur Josephi filii *Manasses* & *Ephraim* duas constituerent tribus, nepotes cùm essent Jacobi,

Jacobi, non autem filii, causa afferri nulla, opinor, alia certa potest quàm Dei æternum consilium, cujus instinctu Jacobus moriturus duos istos in filiorum, h.e. ut vocamus, Patriarcharum, locum adoptavit solenni ritu & conceptis verbis, Gen. 48.5. Illud tamen absq; dubitatione dici potest, quod S. verbis est in Paralipomenis l. 1. c. 5. v. 1, 2. proditum, Ætatis prærogativam, quam Ruben per scelus violati tori paterni meritò amiserat, eam Josephi liberis donatam fuisse, quantum quidem ad duplicem hæreditatis portionem attineret. Nam jus illud alterum, quo natu primi longissimè fratres suos præcellebant, & omnino tanquam Principes familiæ erant, ad Judam fuerat delatum; nimirum, quia ex hujus posteritate olim Christus esset oriturus. Non igitur rectè à Latino dictum est, *filios Josephi in Levitarum successisse locum*. Neq; enim Levitæ desierunt esse una tribus; neq; Josephæi Levitarum, sed Rubenis alterâ unciâ, cùm ei ut natu maximo deberentur duæ, sunt donati. ¶ Nomini קנין, pro quo dixi *bona*, subjiciuntur *omnia quæ nobis comparavimus atq; acquisivimus*; planè quæ Græci *κτῆσιν* dicunt. Sed מקנה, etsi ab eadem ductum est positione, tamen plerumq; pro *pecoribus* usurpatur. Quippe priscis hominibus ab omni quæstu improbo alienis divitiæ pecudes erant. Unde & Latinis mansit *pecunia* nomen. Chaldæus tamen hoc loco מקנה *armentitium pecus*, קנין verò *minorum animalium greges* est interpretatus. At LXXII pro utroq; reddiderunt *κτήνη*, ut certè habent emendati libri; hoc autem verbum commune esse & majoribus & minoribus pecudibus apud Græcos scripsit Demet. Tricl. Sophoc. explanator. Porrò in Num. 35.3. ubi lex ista instituitur, pro מקנה scriptum est בהמה, quod omne genus animalia bruta sign. Et pro קנין est רכוש, id autem quasvis facultates & bona parta complectitur. Neq; enim in diem Levitas sic vixisse opinandum est ut, cùm pecora alerent, non etiam casulis, in quibus butyro caseisq; parandi atq; asservandis opera daretur, opus habuerint. Nam quod Doctores Hebræi Tract. עירובים פ׳ ה׳ tanquam oscitantes, effutiunt, Nefas fuisse in illis Levitarum suburbanis aut plantare arborem aut ullum ædificium exædificare; quis eis hoc credat, nullam causam afferentibus, nisi fortassis Judæus aliquis? ¶ Vocantur autem *suburbana* מגרש, ab *ejiciendo amovendóque*; quia pertinent quidem ea loca ad habitationum commoditates, sed tamen ab ipsis habitationibus tanquam seposita & semota sunt. Eorũ spatia sunt in Num. 35.4. definita certis cubitis, est enim illic scriptum in hanc sententiam, *Et suburbana earum urbium quas dabitis Levitis sunto à muro urbis extrorsum mille cubitorum quoquoversus. Metiemini autem extra urbem eam partem quæ ad orientem est bis mille cubitis, & eam quæ est ad Meridiem bis mille cubitis, tum quæ est ad Occidentem totidem cubitis, deniq; eam etiam quæ ad Septentrionem totidem: ipsáq; urbs erit in meditullio. Talia habebunt urbes Levitarum pomœria.* Ista autem ego certè sic accipio, ut putem circum urbis muros ducendam esse lineam à cujus quovis puncto ad proximam murorum partem mille cubitorum sit intervallum: Ejusmodi autem lineam sic optimè posse per ambitum urbis describi, si primùm rectà versus Orientem à muro spatium mille cubitorũ notaveris, ac deinde ab ea nota aliud mille cubitorum in obliquum versus Septentrionem, aliud totidem versus Meridiem descripseris; similiterq; feceris versus Austrum, versus Occidentem, versus Septentrioné denique. Sic enim, si non prorsus circulũ effeceris qui suburbana undiquaq; complectatur, at certè satis clarè ostenderis quà ubiq; ducenda sit illa linea, ut illorum circumscriptio absolvatur. Sed ut rem exemplo patefaciam, Demus rotunda esse urbis mœnia atque ab illis ad quatuor cœli regiones quatuor protendantur lineæ rectæ quarum quælibet mille cubitos longa sit: notetúrque ejus quæ ad Orientem ducitur extremum punctum literâ A; ejus verò quæ ad Meridiem, B; ad Occidentem, C; denique ad Aquilonem, D. Deinde ab A obliquè versus Meridiem notetur intervallum mille cubitorum literâ E; sed ità ut E absit à muro urbis, quà parte proximè, cubitis item mille. Rursus ab A alterum intervallum mille cubitorum versus Septentrionem obliquè notetur literâ F, eâdem prorsus ratione quâ E versus Austrum: erit intercapedo inter E & F bis mille cubitorum. Jam verò si idem fiat simili symmetriâ utrinque à B, item à C, & à D, videbis si non prorsus circulum effectum at delineatum



esse, quo pomœria comprehensa quoquoversus ab urbis muris pateant cubitos mille; sicut præsente figurâ adumbratum cernis. Alii aliter suburbana ista dimetiuntur. Nehmannus enim ea quadro definit versus quasque cœli plagas, cujus quadri latera quingentis cubitis singula sint dimensa. Sic enim contineat quodque quadrum bis mille cubitos. Sed Judæorum pars major opinatur bis mille cubitis suburbana esse à quavis muri parte extrorsum terminanda. Mille autem cubitos eos qui mœnibus proximi sunt, propriè מגרש vocari, quia præter hortorum commoditates ipsis etiam sordibus egerendis serviant: Quod verò alteris mille cubitis continetur terrenum, id pecudibus pascendis esse deputatum. Atque in hac sententia sequi Doct. Heb. videntur, qui Tractat. עירובים cap. 5. ubi de hominum congressibus, quatenus iis fas sit uti diebus festis, disceptant hunc ipsum locum bene multis verbis parum explanant. Sed ista sententia mihi quidem cognitionem habere faciliorem videtur quàm S. verbis congruentior est. Diximus suprà c. 13. v. 14. Levitis non esse assignatam unam aliquam regionem, ut ubique adessent qui Legem Dei docerent populum atque explanarent, & tanquam vivendi præceptores essent. Nunc verò etiam illud quæri posse videtur, Cur certæ ipsis urbes sint assignatæ, neque permissum ut passim habitarent ubi collibitum esset. Verùm expeditissima responsio est. Sic enim vitæ commoditates secuti, facilè se omnes in amœnissimas regiones contulissent. Ad hoc nisi seorsim habitassent qui peculiariter cultui Divino dicati erant, verendum fuisset nè vulgi vitiis assuescerent: eorum enim facillimè moribus informamur quorum assiduo utimur contubernio atq; convictu. Jam verò multi uno juncti collegio ad eas virtutes magis incitabantur mutuâ cohortatione, doctrinâ, exemplo, æmulatione, quæ ipsorum ordinem in primis decebant. Erántq; illiusmodi civitates quasi *γυμνάσια καὶ φροντιστήρια* pietatis, in quibus Dei colendi & sacrorum rituum doctrina optimè conservaretur, ac unde civitates vicinæ cœlestis disciplinæ semina sanctiorisq; vitæ exempla petere possent. Sed ista nunc hactenus. Nam hic locus libri Numerorum proprius est.

6. *Accesserunt autem filii Juda ad Josuam in Galgalis*, &c.] Rursus abrumpitur proposita divisionis narratio, idque rerum gestarum serie, ut ego certè opinor, postulante. Est enim credibile, Judæos cum suo tribuli Calebo tum primùm interpellasse Josuam de Hebrone, cùm eum aggredi sortitionem velle animadverterent; quippe verentes nè locus qui Calebo extra sortem debebatur, is si cum cæteris locis in hydriam conjectus esset, alteri cuipiam obveniret. ¶ Illud *in Galgalis* dictum est propter alteram partitionem, quæ post apud Siluntem peragetur. ¶ Sed cur Caleb *Cenezæus* cognominatus sit (quanquam in Hebræo anceps est oratio, ad Calebúmne an ad Jephone id pertineat) multæ & discrepantes sunt Judæorum opiniones, neque ullæ, ut mihi certè videntur, satis firmis probatæ

batæ argumentis. Doctores Hebræi autumant, partim à vitrico, alii à fratre, qui fuerit Othonielis pater, sic esse appellatum: Hic enim *Cenez* dici videtur proximo capite. At Kimhi mavult existimare Cenez tum Calebi tum Othonielis fuisse vel avum vel proavum. Atque hanc ego sententiam ad veri similitudinem esse propensiorem censeo. Is verò qui Quæstiones in Paralipomena scripsit, minimè ineptè sanè, putat *Cenezæum* à loco quopiam esse cognominatum. Sed mittamus rem obscuram & incertam; illúdque videamus, Qui possit Calebus *Jephonæ filius* dici, cùm in Paralipomenis Hesrone natus memoretur. Certum est, Hesronem inter eos fuisse qui cum Jacobo in Ægyptum descenderant, annis circiter 216 antè quàm Caleb quadragenarius mitteretur à Mose speculatum Chananæam. Estque etiam illud testatum S. literis, Calebum inter eos Hesronis filios recenseri debere quos ille ex priore conjuge procreavit, non autem ex Machiris filia, quam demum sexagenarius duxit uxorem, 1 Par. 2. 18, 21. Planè ergò ex his confectum est, Calebum *Hesronis* quidem *filium* dici, at certè nepotem ex priore uxore esse. Alioqui enim plùs quàm ter quadraginta annorum fuisset cùm è Cades-barnea mitteretur speculator. Neque verò insolens est ut nepotes inter filios adnumerentur, præsertim si sunt rerum gestarum gloriâ clari. Rectè ergò *filius Jephonæ* dicitur, cùm Hesronem non patrem sed avum, aut fortasse proavum, vel abavum, habuerit. Quare insulsum est eorum commentum, & ab historiæ ignoratione profectum, qui fingunt Hesroni etiam *Jephonæ* fuisse nomen. Ineptius etiam Doctorum Hebræorum, qui tractat. תמורה פ׳ ג׳ ubi tractant de hostiis in sacrificio non permutandis, dicunt Calebum *Jephonæ filium* esse appellatum, non quia parente aliquo cui id nominis fuerit natus esset, sed quia fuit ipse *circumspectus*, cùm ad sceleratæ speculatorum conspirationis societatem se nollet adjungere. Nota est enim verbi פנה significatio. Sed illud eorundem non ineptum modò verùm plùs quàm puerile est quod Tractat. סנהדרין פ׳ ח׳ *ἐν τῷ συνεδρίῳ*, c. 8. effutiunt, Fuisse homines qui anno ætatis octavo liberos procrearunt. Sed profectò nihil erat cur se Rabbini isti stupidi atque amentes in has conjicerent angustias. ¶ Porrò illud *verbum quod locutum esse Deum ad Mosen de se atque de Josua* ait Caleb, quale fuerit, id verò obscurum atque incertum est, quando montem Hebronis eo promissum sibi esse dicit, cùm inquit, *Dato mihi montem istum, de quo loquebatur Dominus illo die.* Sunt ergò qui existimant promissa illa quæ Calebo Moses tanquam Dei interpres tum promiserat, cùm ille fortissimè causam hujus adversùs sociorum calumnias defendisset, non esse S. literis prodita memoriæ; quippe quæ seorsim, unóque Josuâ conscio, fuerint dicta. Quæ opinio haud facilè profectò in controversiam adduci queat. Certum est enim, non omnia quæ acta sunt etiam S. literis esse consignata. Nos tamen aliâ ratione illud investigare conabimur. Dei verba quæ ad istam rem spectantia ille de Calebo fecisse memoratur, hujusmodi ferè in Numeris 14. 24. & Deuteronomio 1. 36. scripta leguntur, *Servũ autem meum Calebum, quia alio fuit animo, & perstitit mihi adhærere, introducam in terram ad quam accessit: habebitque eam illius semen hæreditatem.* Ista verba, inquiunt Judæi, acuti scilicet Scripturæ explanatores, de Hebronis monte sunt planè accipienda, quia ad eum solus Calebus accessit, cùm cæteri non auderent unà ire propter Gigantes. Scriptum est enim Num. 13. 22. *Ascenderunt per Austrum, & venit Hebronem,* non autem, *venerunt Hebronem.* Ità nihil illos pudet fortissimum & divinum virum Josuam unà cùm aliis damnare timiditatis & ignaviæ. Quasi verò insolens res sit in S. verbis enallage numerorum. Sed omissis Judæorum puerilibus argutiis, certum est de singulari quopiam loco præcisè verba illa Dei intelligi debuisse. Non enim universam Chananæam habere potuit Calebi semen. Jam verò S. verbis testatum est, cæteros speculatores, ob eos potissimùm Gigantes quos in Hebronis monte viderant, turbas illas in populo dedisse; Calebum autem contrà, Nihil illos esse metuendos, clamasse. Unde probabile, mihi quidem certè, videtur, hunc, ut vanum esse aliorum metum luculentiùs ostenderet, in turbida illa altercatione, peculiariter sibi pro suæ hæreditatis portione eum locum depoposcisse quem ignavi homines & improbi præ cæteris locis inexpugnabilem esse clamitabant. Mosen ergò, virum divinum, [illegible] præsciret illam regionem in qua Hebron exstabat obventuram tribui Judaicæ, cujus erat tribulis Calebus, illa Dei verba tum de Hebrone interpretatum esse. Nam, ut nullum sibi Calebus certum locum depoposcerit, profectò non aliter videntur illa Dei promissa fuisse accipienda quàm ut existimaretur *κατ' ἀντίθεσιν* dicere, in eo se loco Calebum ejúsque posteros collocaturum quem locum cæteri prorsus obtineri non posse persuasissent populo. Ad hoc, nisi illud, *terram ad quam accessit*, præcisè dictum à Deo fuisset, quid erat cur unum Calebum nominaret, & non simul Josuam, similiter atque utrumque nominat cùm universè de terra paulò pòst Num. 14. 30. verba facit hujusmodi, *Non pervenietis ad terram in qua ut vos collocarem levaveram manum meam, præter Calebum filium Jephonæ, & Josuam filium Nun.* ¶ At enim cur non etiam Josuæ peculiarem promitteret Deus fidei & constantiæ mercedem si quæras, in promptu est quod respondeam, Promisisse, & quidem amplissimam. Hoc enim rectè significatum esse illis Calebi verbis ego certè opinor, cùm ait, *de rebus meis, & de rebus tuis.* Quis enim non putet, denuò hîc Josuæ promissum esse imperium, sicut Calebo Hebronem? Nam perveniendi in Chananæam spes in veteribus promissis fuit, & utrique cum cæteris omnibus communis, qui eam ultro non abjiciebant. Neque verò erat quòd spes ea privatim istis jam daretur denuò, quam satis firmè & tanquam in manibus retinebant. Sed ista hactenus. ¶ Cæterùm quòd Calebus *Jehovam*, h. e. *Dominum* Deum nominat, quódque Mosen *virum Dei*, h. e. divinum & Deo familiarem, dicit, ea mirificè ad causam quam agit accommodata sunt. Neque enim potest is cui Deus promisit frustrà esse, neque interpres atque internuncius Dei vanus existimari. Argumenta igitur sunt ab auctoritate ducta tum Dei, tum Mosis. Chaldæus pro *viro Dei* dixit *Prophetam Dei.* ¶ De *Cades Barnea* & diximus alibi, & erit dicendum sæpius.

7. *Filius quadraginta annorum eram, cùm mitteret Moses,* &c.] Calebus annos 45 præteriisse ait ex quo Speculatorem egit. Unde efficitur, annos jam exactos esse circiter 7 post Mosis excessum. Nam amandati fuerant exploratores circiter post sesquiannum ab relicta Ægypto. Deinde populus rebellii sui pœnas dedit per desertum annis circiter 38. Nam obiit Moses anno quadragesimo postquam excessisset Ægypto. Erat enim octogenarius cùm popularium suorum causam ageret apud Pharaonem, Exod. 7. 6. centum autem & viginti annorum cùm exiret è vita, Deut. 31. 2. Jam verò si ad annos 38 addas 7 confeceris summam 45. Cur verò Josephus quinque modò annorum faciat intervallũ à transmisso Jordane ad Terræ partitionẽ usque, alibi est à nobis explicatum c. 11. 18. ¶ Porrò illud, *Referebam ad illum rem ut erat apud animum meum,* LXXII interpretes reddiderunt numero plurium, quasi reliqui exploratores sui animi sensum, improbum videlicet, effutiverint coram Mose, eóque populum terruerint. Sed id etsi ità est, tamen illud Hebraicis verbis planè dicitur quod ego expressi. Est enim contentio fidei Calebi cum reliquorum perfidia. Cùm autem dicit *se ex animi sui sententia retulisse rem ad Mosen*, citra omnem arrogantiam mirificè commendat eam quam in Deo repositam habuerat fiduciã. Est enim acsi dicat, Nullius se gratiam hominis aucupatum fuisse suis verbis, neque cujusquam furorem expavisse; sed quod planè sentiret, id se fuisse prolocutum. Sensit ergò, Deum sua promissa omnino esse perfecturum, & quidem facillimè, cùm diceret Num. 14. 9. *Vos nolite timere populum illius terræ: sunt enim cibus noster: amiserunt præsidium suum; & Dominus apud nos est.* Utinam verò Calebum imitari aliquando in animũ inducant qui magna cum dignitate in Principũ aulis versantur, quíq; reipub. præfecti sunt, aut eam tractant, atq; suis ambitionibus levitatibúsq; Dei causã, h. e. ipsam veritatẽ, anteponant; neq; per tot simulationes dissimulationésque, nè dicam turpissima mendacia, tum apud impru-

imprudentes Principes gratiâ, cum in vulgus imperitũ commendationem tam fœdè atq; sceleratè veneantur. At enim detestanda est veterum Judæorum improbitas, quorum recentior quoque synagoga tanquam dictata reddit, probátque commenta; qui de se conjicientes aliorum hominum mentes dicunt *Calebum retulisse rem ut fuerat apud ejus animum*, non autem ut fuerat paulò antè in ore; cùm per iter verbis quidem tum ipse tum Josua ad collegarũ suorum conspirationem se adjunxissent, sed animo tamen rectam sententiam retinuissent. Quod profectò tantorum virorum sanctâ fortitudine est longè indignissimum.

8. *Fratres verò mei qui erant mecum, liquefaciebant cor populi*, &c.] In *liquefaciendi* verbo metaphora est, quæ animi firmitudinem dissolvi significat, sicut cera ad ignem liquescit. Chaldæus *frangere* dixit; in quo verbo item translatio est. Ipsum autem verbum Hebraicum המסיו more Chaldaico scriptum est, ut auctor est R. Judas Davidis F. cognominatus חיוג, primus apud Judæos Grammaticus; aut, ut censet R. Moses Kimhi, positum est Vau loco He in fine. Sed si huic assentimur, dicendum est singularem numerum pro plurali esse scriptum. ¶ *Complare post Deum* est non solùm privatim piè sanctéque vivere, sed Dei etiam gloriam & proximi salutem quibus fieri potest modis ad ultimum usque vitæ actum procurare, & omnino munere eo cui quemque Deus præfecit attentè, gnaviter, constanter defungi. Neque enim ullus cursus quantumvis alacriter cœptus magnam laudem meretur, si per ignaviam aut levitatem citra metam sistatur. Est autem oratio imminuta, quam LXXII rectè supplent addito verbo infinito ἐπακολουθῆσαι, h. e. *sequi*. Dixerunt enim, *Ego verò pergebam sequi Dominum*. Sed quibus verbis, quantâ animi constantiâ, quámque obnixè causam Dei adversus improbos socios defenderit Calebus, si quis requirit, is ea relegat quæ in Numeris c. 13, & 14. perscripta sunt. Sed fortasse videatur alicui istâ commemoratione officii & pietatis propriæ laudem sibi assumere Calebus arroganter nimiùm. Verùm id non est ità. Oportet enim existimare longè aliâ mente sanctos homines, aliâ improbos, de suis virtutibus vel apud Deum vel apud homines loqui. Hi enim vanæ gloriolæ avidi se ipsi prædicatione efferre student: Illi ab omni rerum suarum inani ostentatione alieni, si quas fortè suas virtutes commemorant, id prorsus ἀφελῶς faciunt & minimè malitiosè; ut vel seipsos eâ recordatione animent confirméntque, quò superioris vitæ suæ rectè facta continuò aliis atque aliis melioribus tutatum ornatúmque pergant; vel ut audientium animos ad memoriam Dei erga se benignitatis revocent, cujus gratiâ adjuti talia ipsi patraverint, & simul quadam æmulatione ad rectè vivendum incitent; vel denique, quia humanâ quadam simplicitate existimant se, positâ Deo tanquam ante oculos suâ ipsorum pietate, posse illum inducere faciliùs ut iis quæ modò ab ipso piè flagitant annuat; (quod Ezechiæ evenisse S. literis est consignatum, ut sæpius etiam ipsi Davidi) aut postremò, quia ex publicæ aut privatæ rei usu esse intelligunt ut ingenuè rationem vitæ suæ reddant. Idque nunc nostro accidit Calebo; Qui se unum in pietatis officio constantem mansisse ideo commemorat, ut intelligant Israelitæ cur extra sortem portio ipsi hæreditatis sit à Deo Moséque promissa. Fuisse enim illud promissum tanquam mercedem illiusmodi constantis pietatis, satis indicat, quando continuò addit,

9. *Jurabátque Moses illo die, dicens, Profectò terra quam*, &c.] q. d. Illo meo pietatis officio permotus est ut talia juratus promitteret. Sed sunt ista ad *v.* 6. à nobis tractata. Quare id modò explicabimus, Cur *jurasse Mosen* dicat, &, Qualis sit illa jurisjurandi formula quæ verbis אם לא, h. e. *Si non*, continetur. Certum est Mosen Dei interpretem verissimum & fuisse & ab omnibus existimatum esse; quippe in quo Dei Spiritus loquebatur. Nullo igitur discrimine verba Dei sæpe Mosi & vicissim Mosis Deo attribuuntur in S. historia. Itaque Calebus, ut promiscuè nunc Mosen nunc Deum de isto monte loquentem inducit, sic & Mosen jurasse dicit, quia Deus illa sua verba quæ de præsente re faciebat in Numeris 14. 21. jurejurando sanciverat, cùm diceret, *Vivo ego, & implebitur gloriâ Domini universa terra. Profectò omnes viri qui viderunt gloriam meam, & signa mea quæ feci in Ægypto & in deserto, atque tentaverunt me jam decies, neque obedientes fuerunt voci meæ, non sunt visuri terram quam juraveram patribus ipsorum: & quicunque me aversantur, non videbunt illam. Servum autem meum Caleb, quia fuit in eo animus alius, & complevit post me, inducam in terram ad quam accessit: & semen ipsius possidebit eam pro hæreditate*. Pendent enim omnia ista continuo orationis filo ab illo Dei jurejurando quod per Vitam suam, rerum omnium quæ usquam sunt effectricem & conservatricem, juraverat multò sanctissimum. Cæterùm ipsam jurandi formulam Calebus, ut est in S. literis usitatissimum, profert curtam, istis duobus verbulis אם לא, quæ si Latinè dicantur, erunt, *Si non*, aut *Nisi*. Nimirum religionis causâ sic loquuntur viri sanctissimi per ἀποσιώπησιν sive Præcisionem, nè sacrosanctum Dei nomen temere usurpent; aut potiùs, quæ à Dei summa atque immensa probitate & natura sunt aliena, ea nè verbis dicant. Nam cùm Deum sic loquentem facimus, *Vivo ego, si non hoc, illud fiat*, &c. aut etiam omisso vivendi verbo, *Si non hac, aut illa faciam*; Perinde est ac si dicat Deus, *Nè vivam*, aut, *Nè sim verax, nisi illa præstentur*. Nefas autem est tale quid de Deo concipere animo; multò etiam magis, effari verbis; atque ideo ἐλλειπτικῶς & præcisè efferuntur illiusmodi orationes. Jurant autem etiam in S. historia homines interdum hâc formulâ, ut dicant, *Sic faciat mihi Deus, & sic addat*; h. e. *Sic magis magísque facere pergat*: ubi solâ similitudinis particulâ dira verba tegunt. Id enim si explicetur, hanc habet sententiam, *Me malè perdat Deus, & porrò perditum eat, si hoc aut illud fecero, aut non fecero*: quod dicere cùm religio fit, (nemo enim verbis, nedum animo sibi malè precari debet) præciduntur malè ominata illa verba. Volebam autem hoc loco semel ista exponere, quia imminutum illud loquendi genus sæpe obscurissimum est, præsertim si quis Hebraicè legat. Nam interpretes non inepti solent explicatiùs reddere. ¶ De עולם, h. e. *perpetuo tempore*, sive *seculo*, diximus alibi satis, opinor, multa.

10, 11, 12. *Jam verò en conservavit me Dominus in vita*, &c.] Postquam argumento gravissimo & firmissimo usus est Calebus, ipsis Dei Mosísque promissis, quibus non parere sine scelere non possent distributores, nititur etiam sententiarum quadam congerie atque amplificatione, occulto incremento altiùs atque altiùs insurgens; *Conservavit*, inquit, *me Deus adhuc superstitem, post illa promissa*; & quidem *per solidos quadraginta quinque annos*; & quidem *per desertum*, in quo æquales mei plerique omnes conciderunt: Neque verò conservavit modò, verùm etiam homini *octaginta quinque nato annos* eas ipsas *vires* animi corporísque adversùs naturæ jus integras manere voluit quæ tum erant cùm illa mihi promissa daret. Cùm ergò ista sint constantissimæ Dei voluntatis certissima signa, quæ alioqui solet hominum vitiis mutari aliquando, non est quòd vos mihi denegetis quæ ille benignissimè obtulit, atque etiamnum offert quodam modo. ¶ Porrò illud, *Cum versaretur Israel in deserto*, Chaldæus reddidit, *qui versabatur cum Israele in deserto*, Mosen significans; ut certè est in meo codice Compl. scriptum, & ut à Kimhi verba illius proferuntur. ¶ *Ingredi & egredi* est in omni vitæ munere officio suo fungi. Non ergò plenè satis dixit Latinus *ad gradiendum*. LXXII ad bellicos labores tolerandos utrumque accommodarunt. Nam in Regum historia l. 1. c. 18. v. 5. scriptum est, *Davidem feliciter egredi solere quocunque mitteretur à Saule*; *ideóque rei militari præfectum ab illo fuisse*. Significat ergò his verbis Calebus, nihil se ab sua ætate alienum petere, quamvis arduam sibi deposcat provinciam. ¶ Jam verò illud, *Nam tu audisti illo die*, si longiore intervallo interpungendum putamus atque ab insequentibus distinguendum, planè idipsum erit quod *v.* 6. dicebat, *Tu nosti verbum illud quod loquebatur Dominus ad Mosen*. Nimirum rursus Josuæ, ut Judicis, conscientiam testem citat,

citat, Hebronem esse locum quem ei Deus olim promisit, & ut in memoriam ille redire meliùs possit, continuò addit, *Erant enim illic Ænacini, & urbes magnæ munitæ*, q. d. Scis Deum ideo mihi eum locum præ cæteris pollicitum esse, quia improbi nostri collegæ, cùm gigantum, qui illum obtinebant, terribilem aspectum, urbésque munitissimas, quæ illic erant, multitudini tanquam ob oculos seditiosis suis verbis posuissent, hanc desperatione potiundi promissâ terrâ affecerant. At enim nihil vetat cur minùs continuatis verborum conjunctionibus sic convertamus hunc locum, *Nam tu audivisti illo die quòd illic essent Ænacini, urbésque magnæ & munitæ*, q. à rei quam ambit conditione argumentum ducat Calebus; quippe quæ sit ejusmodi ut, etiam si impetret, nihil nisi quod cum summa difficultate, periculis, laboribus conjunctum sit accepisse videri possit. Atqui existimabis absurdum esse si Josuam *audisse de Ænacinis déque munitis urbibus Hebronis* dicat, q. non unà cùm aliis speculatoribus ipse illuc accesserit. Verùm facilè responderi potest, *audire* pro *cognoscere* positum esse; aut, Calebum ad 12 viros divisionis faciundæ verba ista facere, quorum præter Josuam nemo Ænacinos viderat. Nam aut non eduxerat illos secum in expeditionem Imperator cùm loca illa armatus percurreret, aut abdiderant se tum Ænacini vel in suis antris, vel in Philistinorum urbibus; ut alibi exposuimus. ¶ Porrò illud, *Si fortè Dominus sit mecum*, spem cum difficultate mistam continet; & difficultas quidem doni æstimationem minuit, spes verò donandi voluntatem provocat. Sed hîc occurrat illud, Parùm consentaneam esse istam Calebi orationem maximæ illi fiduciæ quam præ se ferebat verbis cùm apud Mosen atque universam multitudinem collegis suis resisteret: dubitanter enim nunc de auxilio Dei loquitur. Atqui hoc non est itá. Illic enim nihil de se privatim, sed universè de populi Dei victoria dicebat: hîc autem de se modestè sentit, minimè ignarus, mortalium quemq; sæpe vel propensissimâ Dei erga se voluntatem & gratiam avertere suis vitiis. Est quidem Ecclesiæ universitati fiducia certissima in Deo per Christum, *per cujus Spiritum clamat, Abba Pater*, Rom. 8. 15. at singulis videndum est nè se efferant, *néve insolescant, sed timeant*, Rom. 11. 20. *casto*, ut vocat Augustinus tract. in Joan. 85. *timore*; *nè fortè rejectanei fiant*, 1 Cor. 9. 27. Chaldæus hunc locum expressit his ferè verbis, *Si fortè verbum Domini sit mihi auxilio*. Illud nimirum Verbum quod indè à condito Adamo per admirabilem suum amorem erga mortales ipsorum suscepit patrocinium apud Deum Patrem. Sed hæc alibi explicata sunt pluribus.

13, 14. *Et benedixit illi Josua: deditque Hebronem Calebo*, &c.] Verbum ברך, quod Theologi suo verbo *benedicere* interpretantur, est *boni quippiam in alium conferre, eóque illum ornare & amplificare*. Itaque Deus *benedicere* homini dicitur in quem paternam suam benignitatem re ipsâ confert, palámque facit, quæ ad illius commoda salutémque pertinent, ea sibi curæ esse omnia. Interdum tamen hoc ad futurum tempus spectat, propter promissorum Dei constantiam & veritatem. Nam cùm promittit ille cuipiam aliquid, ísque eam promissionem fiduciâ amplectitur, *benedictionem* vocant. At cùm Deo benedicitur, quia nihil in hunc conferri à quoquam potest, quippe qui ipsam rerum universitatem solidam possidet, nihil aliud *benedicere* est quàm *grato animo Divinum numen & nomen prosequi atque prædicatione efferre*; quod Græcè εὐχαριστεῖν dicitur in S. literis. Sed enim est & tertium benedicendi genus, quo Dei gratia efficaciter in Ecclesia dispensatur, dum ritè invocato per administrum hominem super cœtum piorum nomine Dei, tanquam æternæ salutis & omnis boni unico pignore, ipse Deus efficitur propitius, atque ad misericordiam benignitatémque sanctè provocatur recordatione suorum ipsius promissorum, & quodammodo adigitur; si ità fas est loqui. Atque hoc benedicendi munus proprium esse suorum Sacerdotum ipse, latâ lege, voluit; & formulam ipsam conceptis verbis faciendam præscripsit, ipsúmque verum benedictionis fontem commonstravit, cùm in Numeris 6. 23, 27. diceret, *Loquere ad Aharonem & ad filios ipsius, dicens, Sic benedicitote filiis Israel, utentes his ad ipsos verbis; Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Illustret te facie suâ, & misereatur tui: Adhibeat vultum suum ad te, pacémque ad te afferat. Cùm enim nomen meum ponent super Israelitas, ego ipsis benedicam.* Primùm enim Sacerdotes isti muneri præficit (ii enim ex una Aharonis familia creabantur) qui tanquam ταμίαι & promi bona nobis ex ipsius Divina penuaria cella queant proferre: deinde clavem quâ hoc suæ gratiæ promptuarium reserent ostendit, suum videlicet nomen sanctissimum, quod sacrâ precatione nobis concilient adjungántque. Sed hîc opus est quoque ut nos nosmet *filios Israel* præstemus, h. e. Dei promissionibus, ut Israel, fidem adjungamus: denique fontem ipsum sacrum veluti recludit, cùm addit, *Ego ipsis benedicam*. Quippe *omne bonum munus & perfectum donum ex alto descendit à Patre luminum*, Jac. 1. 17. Homines enim, quà homines sunt, nullâ nos cœlestis gratiæ particulâ imbuere possunt; at quà Dei sunt administri, & thesauri benignitatis Christi dispensatione ritè funguntur, possunt, propter ipsa Dei promissa, quæ ille gratuitâ bonitate probitatéque mortalium generi promisit: ex illis enim vis universa atque efficientia illius Sacerdotalis benedictionis apta dependet. Sed jam à proposito aberrare videmur. Ego verò ideo huc declinavi, quia eò impietatis, aut veriùs insaniæ, multos jam ferri, stultarum opinationum libidine, animadverti, ut statuere nihil eos pudeat, Scelus esse, si quis aut sibi ipse aut alteri per Dei nomen bene precetur. Id quod ab omni memoria viros pios factitasse, proditum S. etiam literis est. Benedixit ergò Imperator Calebo, quia ei concessit quæ ambiebat, nisi si quis existimare malit solennem hîc ritum quempiam significari quo illi Hebronem hæreditario jure addixerit tradiderítque; Qualem ritum forenses nunc *investituram* vocant. Et huc spectare accuratam illam nominum & cognominum repetitionem. Dicitur autem *Hebron* non ea modò pars montis in qua exstabat Cariatharbe, sed universa illa vicinia. Nam & Dabir cum Hebrone data censetur, ut mox audiemus.

15. *Nomen autem Hebronis olim fuerat Cariath-arbe*, &c.] *Hebronis* nomen acceptum refert D. Hieronymus Hebroni filio Calebi, cujus mentio est in Paralipomenis, l. 1. c. 2. v. 42. Quod quàm sit firmum equidem nescio. Nam sanè illa verba quibus Calebi iste filius appellatur אבי חברון, id autem est *Pater Hebronis*, non satìs magno sunt argumento ei rei. Nam Machir quoque dictus est אבי גלעד *Pater Galaad*, 1 Par. 2. 21. non quia Galaaditidi nomen suum imposuit, sed quia illic imperavit. Veruntamen cùm tam multis in locis illud *Cariath-arbe* pro vetusto nomine jactetur, bona conjectura est alterum hoc *Hebronis* recens esse. Id autem si est à Calebi filio profectum, planè efficitur, Mosis quinque libros, ut certè nunc habentur, non esse ab ipso conscriptos. De qua re alibi disputavimus, suprà Præfatione. Sed קרית ארבע *Cariath-Arbe*, si Latinè dicas, est *Civitas*, aut *Urbs*, *Arbæ*. Cur autem vir iste Arba *inter Ænacinos magnus* fuisse scribatur, an quia corporis mole in illo gigantum genere excelluerit, an verò quia penès eum fuerit apud eam gentem principatus, non satìs explicata res est. Audiemus quidem eum alibi nominari אבי ענק, h. e. *Patrem Ænac*: verùm hoc æquè de imperio atque de generis origine accipi posse, modò dicebam. Et, ut superiùs quoque est à nobis expositum, c. 11. 21. videntur Ænacini à quodam viro nomine *Ænac* potiùs prognati quàm ab Arba. Nam quòd quidam Ænac *Arba* vocatum dicunt quia *quartus* cum tribus filiis, Achiman, Sesai & Tholmai, dominatum Hebrone habuerit, puerilis mihi conjectura videtur. Rursus neque illud expeditum est, An Arba hanc urbem primus condiderit: quod sanè fieri non potest ut verum sit, si fuit illorum gigantum pater qui Josuæ principatu vivebant: sed hoc suo loco videbimus, c. 15. 13. An verò idcirco sit *illius* appellata *urbs* quia eam diu suo dominatu tenuit; quod mihi videtur credibilius. Nam & R. Solomon illam à Cham Noæ filio exædificatam esse putat.

Sed

Sed ista subtiliùs atque accuratiùs persequi curiositas fuerit, cùm sint per se obscurissima & propter maximam vetustatem prorsus inexplicabilia. Quare his omissis, exponam paucis quæ de hoc nomine קרית ארבע *Cariath-Arba* in antiquis Hebræorum commentariis quæ illi nominant בראשית רבה *Bereschit Rabba* legi. Scriptum enim illic est, Ideo ab ארבע *Arba*, h.e. *quatuor*, nomen isti urbi esse, quia priscis seculis quatuor illic viri pii habitaverint, Aner, Eschol, Mamre & Abraham, iidémque illic sint circumcisi: quatuor item matronæ celeberrimæ famæ sepultæ, Eva, Sara, Rebecca, Lea; & quatuor Patriarchæ quoque, Adam, Abraham, Isaac, Jacob: ad hæc, quia Abraham indè quatuor Reges insecutus percusserit. Sed piget referre cætera: sunt enim nimis multa, & parùm firma. Quamvis non ignorem etiam D. Hieronymum in ea fuisse sententia ut putaret primum humani generis parentem Adamum illic esse humatum. Quin præsentem locum sciens, ut videtur, in aliam sententiam est interpretatus quàm Hebræa verba præ se ferant, (si modò ipse est Latinæ tralationis auctor) ut illam suam opinionem de Adami sepulcro affirmaret. Sed quod ille de Adamo sentire videtur, id in vetustis commentariis quæ in Cantica Solomonis scripta exstant, מדרש שיר השירים, de Abrahamo explanatur à Judæis; Qui ut ex *homine* isto *magno* Abrahamum efficiant, tam multas afferunt illic nugas ut datâ operâ ridiculi esse voluisse videri possint. Illud tamen unum relatu non est indignum, quòd aiunt Abrahamum sub mediam conditi orbis ætatem in hoc mortalium theatrum à Deo esse productum, ut suâ ipse virtute & quæ antè fuissent & quæ pòst ventura essent secula veluti fulciret. Columnam enim non in angulo quopiam domûs, sed in ipso collocari meditullio, quæ ædificium sustineat. Certè suavissima illa placatoris Dei vox quæ spem salutis humano generi ostendit, indè ab offenso per peccatum Numine, ab Abrahamo primùm clariùs est audita atque apertiùs. Sed hoc hactenus, non est enim præsentis loci. ¶ Extrema hujus capitis pars, *Terra quiescebat à bello*, explicata est à nobis in fine capitis undecimi. Ideo autem hoc loco repetita est, quia cùm faciendæ divisionis narratio adhuc per alias atque alias digressiones dilata sit, nunc verò tandem ad eam tractandam accedatur, monendum iterum fuit, nullos hoc tempore usquam hostes fuisse reliquos qui distributionem bello impedirent.

IDEM.

1. PRo οἷς scribe οἷς, & pro φυλῆς, φυλῶν.

2. Scribe ἐκληρονόμησαν. ¶ Expunge Μανασσῆ.

3. Initium in vulg. libris est omissum: est autem hujusmodi Ἔδωκε γὰρ Μωυσῆς κληρονομίαν τῆς δύο φυλαῖς· atque hîc suggeritur in mixta ✱ καὶ τῷ ἡμίσει φυλῆς ⸔· ac tum demum sequitur quod est in vulg. libris, ἀπὸ τοῦ πέραν, &c.

4. Cùm dicitur, καὶ Μανασσῆς, auferatur copula. ¶ Scribe mutato verborum ordine, τοῖς Λευίταις ἐν τῇ γῇ, &c. ¶ Ἀφορισμένα αὐταῖς, mutetur pronominis casus, scribatúrque αὐτῶν. Cùm autem hîc Compl. dicunt περίσσια αὐτῶν, Symmachi interpretationem sequuntur: sic enim dixisse Symmachum monet Syrus. Deinde scribe continuò, τοῖς κτήνεσιν ✱ αὐτῶν ⸔, καὶ τὰ κτήνη αὐτῶν· sed habet prius pronomen appositam sibi notam asterisci. Hæret autem illud τὰ κτήνη verbo ἔδωκαν, quod est repetendum sensu.

6. Scribe Κενεζαῖος, omisso articulo.

7. Est in Vat. ἀπεκρίθην αὐτῷ λόγον· sed eam interpretationem adscribit Syrus Aquilæ & Symmacho, ipse verò eam sequitur, tanquam quæ sit ipsorum LXXII propria, quam vulg. libri habent. Ulteriùs autem scribendum est κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ, ut pronomen hoc hæreat Nomini λόγον.

8. Initio addenda est particula discretiva, hoc modo, οἱ δὲ ἀδελφοί μου. ¶ Copula cùm dicitur, καὶ μετέστησαν, expungenda prorsus est. ¶ Pro ἐπλήρωσα habet Vat. προσετέθην. Sed certum est in aliis atque aliis provinciis, imò etiam codicibus, diversas multorum locorum scripturas fuisse: est enim D. Hieronymo adjungenda fides. Et Vaticanus liber multa recepit quæ ab Aquila aut Symmacho quàm à LXXII meliùs dicta esse videbantur, cujus causam vide in Præfatione mea.

9. Post λέγων suggeritur in mixta ✱ ὅτι ⸔, habet enim, ✱ ὅτι ⸔ ἡ γῆ ἐφ᾽ ἧς, &c. & post ἐπέβης additur ✱ ἐν αὐτῇ ⸔, quod alioqui ut absit facilè patitur sententia. In extremo notat Syrus esse in nonnullis libris Θεοῦ σου.

10. Suggeritur per asteriscum excitandi particula, ἰδοὺ, hoc modo, καὶ νῦν ✱ ἰδοὺ ⸔ διέθρεψε, &c. ¶ Post σήμερον suggeritur ✱ υἱὸς ⸔.

12. Τὸ ῥῆμα τοῦτο debet obelo jugulari. ¶ Scribe μεγάλαι καὶ ὀχυραί trajectis videlicet verbis, & deinde, ἐὰν Κύριος μετ᾽ ἐμοῦ.

13. Pro τῷ Κενεζαίῳ scribe ÷ υἱῷ Κενὲζ ⸔, ut habet Vat. & legit Syrus, sed adscribatur obeliscus istis verbis.

14. Scribe, mutato casu, & omisso articulo, Κενεζαίῳ.

15. Addatur articulus, τῇ Χεβρὼν. Vaticanus etiam verbum habet, hoc modo, τὸ δὲ ὄνομα τῆς Χεβρὼν ἦν τὸ πρότερον, &c. ¶ Pro Ἀρβὸ habent Compl. rectè Ἀρβαί. Nam sic etiam Syrus legit, qui interim monet, in quibusdam libris esse Ἀρβὸκ, atque hanc scripturam memorat etiam libellus De locis Heb. sed damnat ut minimè probam.

DRUSIUS.

1. QUÆ *possidere fecerunt*] Aut, *possidenda tradiderunt*, Videlicet per sortem cuique tribui obtigit certa portio terræ Promissæ, quam deinde singulis dederunt pro numero tribulium. Hoc ultimum non sorte factum est, sed prudentiâ divisorum. ¶ *Capita patrum tribuum*] Hieron. *principes familiarum per tribus*; alius, *primores paternarum familiarum*. Malim, *paternarum tribuum*. Non enim primores familiarum hîc significat, sed tribuum; qui numero erant duodecim. Nam singulæ tribus habebant suum Principem. Dices *familiam* aliquando pro *tribu* accipi, licèt in una tribu plures familiæ fuerint. Concedo, tamen in fonte מטות legitur, quod *tribus* denotat, & non משפחות *familia*.

4. *Erant filii Joseph duæ tribus*] Jus primogenituræ, quod Ruben ob violatum thorum paternum amiserat, cessit Josepho quoad portionem duplicem, quæ data filiis ejus Ephraimo & Manasse, cuique una pars: unde 12 tribus, exclusâ Leviticâ, quæ alioqui tantùm 11 fuissent. Mansit quidem Levi tribus, sed in hæreditate adeunda nullam portionem accepit, contenta urbibus quibusdam, & ipso *Domino*, qui eis hæreditas erat, h.e. oblationibus, decimis & primitiis. Cæterùm ætatis prærogativa quoad honorem & dignitatem (nam primogeniti tanquam principes erant familiarum, & longè fratres suos antecellebant) cessit tribui Juda, quòd ex ea nasciturus esset Messias, h.e. Christus Patribus promissus. ¶ *Suburbana earum*] Τὰ περισπόλια αὐτῶν, vel certè περισπόρια αὐτῶν, interpretantur LXX vocem quæ nunc in fonte, 1 Par. 6.56. & Jos. 21.1. Est etiam ubi referunt τὰ περίσσια αὐτῶν, i. *suburbia earum*. Hic habent τὰ ἀφορισμένα αὐτῶν, ut Num. 35.3. τὰ ἀφορίσματα αὐτῶν, *separata*, vel *separationes earum*. Nam ab ipsis habitationibus segregata & semota erant. Non possum te celare in ed. Compl. hoc loco esse τὰ περίσσια αὐτῶν, quomodo & Symmachus, Jos. 21.2. Porrò autem מגרש spatium erat extra urbem cubitorum mille tam in longitudine quàm in latitudine, cujus extremitates singulæ habebant cubitos D. ità quadratum continebat cubitos bis mille. Vide Gerundensem Num. 35. 38. & Masium hoc loco. ¶ *Pro pecoribus eorum & possessionibus eorum*] קנין & מקנה licèt sint ab eodem themate sive radice, tamen ità differunt ut מקנה sign. *pecora tam majora quàm minora*, קנין autem *quicquid in bonis possidemus*, quam Græci κτῆσιν vocant & κτήματα, *pecudes* autem appellant κτήνη. Apud Psalmographum legimus, *Plena est terra possessione tua*, τῆς κτήσεώς σου, i. *Rebus à te possessis*, pro quo in nonnullis cod. τῆς κτίσεώς σου, *creaturis tuis*, quod eodem redit quoad sensum. Nam creaturæ omnes à Deo possidentur, unde dicitur Gen. 14.18, 22. *possessor cœli & terræ*. Quin *possidere* sive *acquirere* interdum idem est quod *creare*, h.e. *gignere*

gignere aut *parere*. Sic Heva dicit, *Acquisivi virum cum Deo*, i. peperi; & *virum*, i. marem sive masculum. Gaudebant enim magis de masculo quàm de femella. Sed ad rem. Codices vulgati ed. Chaldaicæ hîc habent, *pro armentis & pecudibus*; quam lectionem etiam R. D. agnoscit exponítque, *bestias crassas & bestias tenues*, sed in MS. libro quem Masius laudat habetur, *pecoribus & bonis*; quæ lectio in omnes partes melior verior est. Nam certè Num. 35.3. pro קנין est רכוש, quo vocabulo facultates omnes omniáque bona significari solent.

5. *Partiti sunt terram*] Non actu, sed decreto aut cogitatione. Sic Jon. 1.16. *Sacrificarunt sacrificia*, i. dixerunt se sacrificaturos: nam in mari quî poterant? Sic fortè 1 Mach. 1.6. *divisit regnum*, dividere statuit aut cogitavit. Gen. 37.21. *Liberavit eum*. Hieron. *nitebatur liberare:* Nam non successit quod agebat. Exod. 12.48. *Et fecerit Pascha*, i. voluerit facere. Jes. 53.9. *Dedit*, sive *posuit*, על המחשבה, ait Abenezra, i. voto dedit, non re; voluit dare, aut cogitavit. Sic *pugnavit Balac contra Israel*, c. 24.9. pugnare cogitavit. *Reversus est Josua*, c. 10.15. reverti cogitabat.

6. *Caleb filius Jephunne*] Vel, *Jephonne*. Lxx ὁ τοῦ Ἰεφοννῆ. Ità scribendum potiùs quàm Ἰεφονῆ. Sunt qui arbitrantur patrẽ Chaleb binomiũ fuisse. Nam 1 Par. 2.18. *Hesrone natus* memoratur. Sed alii dicunt *filium* aliquando pro *nepote* usurpari: quod verum est: Tamen Abenezra mavult hunc ab illo diversum esse; quod claris rationibus constare ait. Ei ego assentior, dum certiora & veriora edoctus fuero: nam veritati semper cedendum est: Id enim honorificum. ¶ *Cenezeus*] ὁ Κενεζαῖος. Unde sic dictus sit, incertum. Variæ sententiæ, Gen. 36.42. & 1 Par. 1.53. quidam קנז *Cenez* memoratur Dux Idumææ. Sunt qui à loco sic appellatum putant. Fortè avi aut proavi habuit nomen, R. S. הורו *privignus ipsius Cenez erat*. Jon. *Cenizaeus*. ¶ *Verbum quod locutus est Dominus*] Num. 14. 24. Deut. 1. 36. ¶ *Virum Dei*] Hieron. *hominem Dei*. Lxx ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ. Jon. *prophetam Dei*. Sic Deuteron. 33. 1. *Mosis vir Dei*, & Psal. 90. 1. De aliis prophetis dicitur, ut de Elcana, Davide, Samuele, Semaja, Addo, Elia, Elisæo, &c. Decem numerantur in Pesiktha 90. 3. Vide quoque Seder Olam c. 20. Med & Observ. meas 11. 5. Gerund. in Pentateuch. 338. 2. *Moses vocatur* VIR DEI; *ut etiam Elias, & reliqui Prophetæ; non autem*, VIR DOMINI: *contrà legimus* SERVUS DOMINI, *& non* SERVUS DEI. Abenezra, *Non invenitur in libris nostris* VIR DEI *nisi de Propheta*. Davidem Prophetam fuisse probat R. D. ex eo quòd *vir Dei* dicatur. Legitur quoque 1 Reg. 13. 1. ubi *vir Dei* vocatur, qui pòst aliquantò נביא, i. *propheta*, dicitur, 1 Sam. 2. 27. *Et venit vir Dei ad Eli*. *Homo Dei* exstat etiam, 1 Tim. 6. 11. & 2 Tim. 3. 17.

7. *Filius quadraginta annorum eram*, &c.] Paulò pòst annos 45 præteriisse ait ex quo missus est exploratum terram. Moses tunc agebat annum 82, aut præterpropter. Nam sunt qui sesquiannum duntaxat intercessisse putant ab relicta Ægypto. Ex quo conficitur annos exactos fuisse post Mosis excessum circiter 7. Moses enim octogenarius eduxit populum ex Ægypto: mortuus autem est cùm ageret annum 120. Jam verò si ad annos 38 addideris 7, confeceris quadragesimum quintum, annum quem Chaleb memorat infrà v. 10. ¶ *Servus Domini*] Sic Josua vocatur *servus Domini*. M. G. vir alioqui doctus, negat dici aut uspiam inveniri *servus Dei*. Fallitur: nam ecce Neh. 10. 29. *Moses servus Dei* עבד האלהים. Sæpius tamen reperitur עבד יהוה *servus Domini*. ¶ *Ut erat cum corde meo*] Ut ex animo sentiebam, nullâ simulatione usus: *retuli omnia ex animi sententia*, vel, *ut animus mihi dictabat*. Hieron. *nunciavi ei quod mihi verum videbatur*. Lxx κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ *secundùm mentem ejus:* legerunt Vau pro Jod. *Os loquitur cum corde*, quando ea refert quæ in corde clausa habet, *Loquitur corde & corde*, quando os à corde, h. e. ab animo, dissentit.

8. *Fratres mei*] Gentiles mei. Nam qui sunt ex eadem gente *fratres* vocantur. Sic Judæi omnes *fratres* erant inter se. Innuit autem decem exploratores qui cum illo missi erant, & cor populi reversi liquefecerant. ¶ *Dissolverunt*] Vel, *liquefecerunt*. Cor liquefit in magno metu. Quo sensu etiam *in aquam abire* dicitur. *Dissolutum est, & fuit in aquam*. De המסיו vide Camium. ¶ *Complevi post Dominum Deum meum*] Plenè secutus sum Dominum, &c. Hieron. *secutus sum*. Jon. *perfeci post timorem Domini*, i. perfectè secutus sum timorem Domini.

9. *Si non*, &c.] Formula jurandi: *Si Davidi mentiar*. *Si introibunt in requiem meam*. Sic, *Si non erit hæreditas tua*. Et subintelligitur aliquid, puta, *sim vanus*; aut, *nè sim felix*; aut, *malè mihi sit*, aut aliquid tale. Vide quæ Masius notavit ad hunc locum. ¶ *Quam calcavit pes tuus*] Quam pedibus calcasti. Ea erat Hebron; juxta id quod legimus, *Et venit in Hebron*. Hîc quæri potest utrùm solus eam terram calcaverit, an cum reliquis exploratoribus. Nulla causa est cur Josuam excludamus. Sed & reliquos visitasse illam terram certum est. Nam, *Vidimus*, inquiunt, *filios Enac, quorum comparatione locustæ eramus*. Vanum ergò quod Ebræi annotant, Cæteros exploratores non ausos fuisse metu gigantum eò concedere: nam ità Josuam timiditatis insimulant. Neque ex verbo singulari ויבא confici potest quod volunt: Nam sæpe illa verba referuntur ad totum cœtum, i. עדה, qui constat minimùm decem hominibus. Dices, donationis hujus apud Mosen nullam memoriam esse. Non omnia scripta sunt quæ tamen facta non dubitamus; ut, quòd Angelus in lucta cum Jacobo fleverit. Sic legimus in libro Judicum, *Dederunt Chalebo Hebronem, sicut locutus fuerat Moses*. Ergò à Mose sic antea decretum fuerat.

10. *Filius octoginta quinque annorum*] Nam missi fuerunt exploratores anno secundo egressionis ex Ægypto: Supersunt anni quibus fuerunt in deserto 38, quibus si addideris annos 7, quibus occupati fuerunt in subigenda Terra, sunt simul anni 45. Hinc eruunt Doctores septennium illud quo terram subegerunt. Rursum alios 7 impenderunt in partienda Terra: de quibus videndus R. D. ad hunc locum. ¶ *Quibus ambulavit Israel*] Vel, *quicum ambulavit Israel*, i. versatus est, *in deserto*. Vide Masium & R. D.

11. *Sicut fortitudo mea tunc, sic fortitudo mea nunc*] כ repetitum valet *sicut* & *sic*. Sic כעם ככהן *Sicut populus, sic sacerdos*, & alia ejus generis. Hieron. *Illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat*. Videndus R. D. ad hunc locum. *Sicut servus, sic Dominus ejus, & sicut Dominus, sic servus*. ¶ *Ad bellum, & exeundo & intrando*] Omnia munia bellica obeundo. Vide Proverbia mea sacra, in *Exire & ingredi*. Nam proverbiale est.

12. *Mecum*] אותי pro אתי. Vide Camium.

13. *Benedixit*] Bene precatus est. Tremel. *approbavit petitionem ejus*. Vide illum. ¶ *Dedit Hebron Chalebo*] Non tam ipsam urbem quàm agrum ejus & municipia, totámque adeò viciniam. Nam & Dabir cum Hebrone data putatur. Hebron enim fuit urbs refugii, & cessit Sacerdotibus. Vide R. D.

15. *Nomen Hebronis*] Antiquum nomen erat *Cariatharba:* Hoc pòst impositum putatur ab Hebron filio Chalebi, qui propterea vocatur *Pater Hebron* 1 Par. 2. 42. Quod tamen parùm firmum est: nam potuit ideo dici *pater Hebron* quòd in ea cum imperio fuerit. Sic Machir appellatus est *pater Galaad*, non quia Galaaditidi nomen suum imposuit, sed quia illic imperavit. ¶ *Cariath-Arbæ*] *Urbs*, vel, *civitas*, *Arbæ*; *qui magnus erat inter gigantes*, quos *Enakim* vocant: *magnus*, dico, staturâ, vel autoritate; vel certè הגדול ὁ μέγας, quia illis imperitabat. Sic גדולים *magnates*. Et nota locutionem: *magnus inter gigantes*, i. maximus gigantum: sicut dicimus, *pulchra in mulieribus*, pro *mulierum pulcherrima*. Sic, *Parvum posui te in gentibus*, i. minimum. Sic, *Benedicta in mulieribus*, i. mulierum benedictissima. Arba pater erat Achiman, Sesai, & Thalmai, R. S. Masius in c. 15. 13. *maximus Enacim*.

IDEM.

IDEM.

4. מִגְרְשֵׁיהֶם. Sym. προάστεια αὐτῶν; *suburbia earum*] Vel, *suburbana earum*, quod in Hieronymo. Lxx hîc habent τὰ ἀφωρισμένα αὐτῶν, & alibi περιπόρια, & Num. 35. 3. προάστεια.

7. וָאָשֵׁב אוֹתוֹ דָּבָר A. & Sym. ἀπεκρίθην αὐτῷ λόγον: *respondi ei verbum.*

8. אֶת לֵב הָעָם * τὴν καρδίαν τοῦ λαοῦ, *cor populi*] Uterque locus ità legitur hodie in editione τῶν ὁ.

GROTIUS.

1. **E**Leazar *sacerdos & Josue filius Nun & principes familiarum*] Vide suprà 8. 33. & 9. 15, 18. & infrà, 19. 51. ¶ *Sorte*] Vide quæ dicta ad Num. 34.

4. *Suburbana earum ad alenda jumenta & pecora sua*] Non arva, non vineta, sed pascua, eáque ipsa usui magis quàm fructui.

6. *Locutúsque est ad eum Caleb*] Nè nomen bonum non interpellando malum fieret.

7. *Quod mihi verum videbatur*] Ex animi sententia, ut Romani loquebantur.

12. *Et potuero delere eos*] Vult publicâ auctoritate privatis viribus bellum suscipere, ut Romanorum Fabii. Josue autem æquum censuit ut publica fides publicis opibus liberaretur. Est enim hîc ἐπάνοδος ad id quod dictum suprà 10. 36. Ut Caleb, ità Josue urbem habuit ἐξαίρετον infrà, 19. 50.

17. *Antè vocabatur Cariath-Arbe*] Vide quæ dicta ad Gen. 23. 2. & infrà 15. 13. ¶ *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*] *Homo magnus etiam inter gigantes.* Versio hæc quæ nomen proprium pro communi posuit, mirum quantis fabulis originem dederit. Vide mox 15. 14.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

2. **A** *Petra*] Heb. *à lingua.* Sed Hebræi post Chal. interpretem exponunt *petram.* Alii dicunt, *à littore*, vel *extremitate.*

4. *Terminus eorum*] Heb. *terminus vester.* Sed capitur hîc לכם pro להם, ut K. interpretatur.

7. *Rogel*] Jon. vertit קצרא *ablutionem*, præsertim quæ fit pedibus & calcatione.

8. *Vallis gigantum*] Chal. *planities fortium:* sicut & תאר exponit ea translatio pro סחר *circuire.*

15. *Sepher*] Est *Sepher* Hebraicè *liber*, quemadmodum & in lingua Persica *Debir librum* sign. ut dicunt Hebræi.

18. *Incitavit eum*] Uxor incitavit maritum ut peteret à socero fundum irriguum; sed cùm ille hoc facere nollet, delapsa est ipsa, & rogavit patrem. Sunt tamen qui hîc per גלות intelligunt בריכות *piscinas.* Jon. בית שקיא *campum irriguum.*

21. *Civitates extremæ*] Numeravit Jehosua solùm civitates illas quæ erant in terminis seu limitibus Jehudæ, & non mediterraneas.

45. *Æckron*] Hanc nostri vocant *Accaron*; sicut & Azam vocant *Gazam*, & Asdod *Azotum.*

47. *Mare magnum*] Alii legunt *mare terminans*, sicut & duplex lectio signata est in textu Hebraico.

63. *Potuerunt*] Quidam hîc exponunt *potuerunt* pro ראשים, *non audebant* delere Jebusæos, propter juramentum scilicet quod antiqui patres illis fecerant. Alii verò dicunt Jebusæos istos aliam fuisse cognationem ab illis Jebusæis qui inter VII. numerantur gentes. Tertii dicunt quòd expulsio eorum fuerit reservata ipsi David, ut ab illo locus eorum vocaretur *civitas David.*

VATABLUS.

1. **J***Uxta terminum*, אל גבול] Hîc אל pro על Positum, *juxta limites.* ¶ *Ab extremo Austri.* מקצה תימן] *In extremitate Austri*, i. in latere illo quod aspicit Austrum. h.e. tribus illa à parte Australi habuit *pro limite Idumæam & Desertum Sin.*

2. *Eis*, להם] Filiis Judah scilicet, vel, ei, nempe, tribui, h. e. habuit tribus illa *pro termino Australi extremum Maris salis.* Sive, incipit terminus Australis ejus ab extremitate Maris mortui. ¶ *A petra*, מן הלשון] Ad verb. *à lingua. Linguam* vocat promontorium, quòd longiùs excurrat in mare. Chaldæus paraph. *petram*, sive *promontorium*, vertit. Alii, *ab excursu maris:* scilicet in terram: quòd longiùs ac strictiùs instar linguæ excurrat in terram. ¶ *Quæ respicit*, &c. הפנה נגבה] i. quod promontorium vergit ad Meridiem.

3. *Et egreditur*, &c. ויצא אל מנגב וגו'] i. Et hinc excurrit ad locum qui est *ad Meridiem* loci qui dicitur *Maale acrabim*, i. *Ascensus scorpionum.* Montana sunt quæ se in modum scorpionum incurvant. ¶ *Sin*, צנה] Urbs est quæ deserto *Sin* nomen dedit. ¶ *Progrediens autem*, &c. ועלה מנגב וגו'] Ad verb. *& ascendit* [i. ascendendo progreditur] *à Meridie in Chades-barnea, & illinc vertit sese* [i. tendit] *in Hesron.*

4. *Et egreditur*, ויצא] *Et excurrit.* ¶ *Torrentem*, נחל] Quidam volunt *Nahal*, quod *torrentem* sign. esse nomen loci: aut est Nilus. Vide 47. ¶ *Egressus*, תוצאות] *Fines*, i. limites. q.d. definit ad Mare mediterraneum.

5. *Usque ad extremitatem Jarden:* עד קצה הירדן] i. usque ad eum locum in quo Jordanis influit in Mare salsum. ¶ *Anguli Aquilonaris*, לפאת צפונה] *Lateris Septentrionalis.* ¶ *A petra*, מלשון הים מקצה הירדן] Incipit *à promontorio* [vel *excursu* altero] *Maris* salsi *ab extremitate* [sive, *termino*] *Jarden*, i. ab ea parte qua Jordanis influit in Mare salsum. Vide v. 1.

6. *Lapidem Bohan*, אבן בוהן] *Eben-bohan.* Nomen loci.

7. *Ad Gilgal*, אל הגלגל] *Versus Gilgal.* ¶ *Suntque exitus ejus*, והיו תוצאותיו] i. Desinit in En-rogel. ¶ *En-rogel*, עין רגל] Sign. *fontem*, sive *oculum*, *fullonis*, sic dicti quòd pedibus vestes mundet.

8. *Jebusæi*, היבוסי] *Jebusæorum.* ¶ *Ipsa est Jerusalaim:* היא ירושלים] i. Jebusæi habitant in Jerusalem. ¶ *Ascendit insuper*, ועלה] i. Progreditur.

9. *Circuit autem*, ותאר הגבול] *Et describitur*, [sive, ut quidam, *figuratur*] *terminus.* Alii, *ducitque lineam terminus*, i. lineam arcuatam sive obliquam quasi circino facit. Vel, *Lineâ arcuatâ* [sive *obliquâ*] *tendit terminus*, i. sese confert. Alii, *Deflectit autem limes iste.* ¶ *Et egreditur*, ויצא] *Et excurrit.* ¶ *Circuitque*, ותאר] *Ducitque lineam*, i. sese confert. Alii, *vergitque*, aut *deflectit.* Idem verbum quod in principio hujus versûs, & infrà, 18. 14.

10. *Gyrat*, ונסב] Alii, *vertit sese*, i. tendit. ¶ *Ad latus*, אל כתף] *Ad extremitatem.* ¶ *Ab Aquilone*, מצפונה] *Ad plagam Septentrionalem.*

11. *Egrediturque*, ויצא] *Excurritque.* ¶ *Et circuit*, ותאר] Idem verbum quod, v. 9. ¶ *Et illinc egreditur* ויצא] *Et excurrit*, i. pergit. ¶ *Suntque exitus*, &c. והיו תוצאות] i. Tandem desinit in Mari.

12. *Ad Mare magnum*, הימה הגדול] Sub. *contendit. Mare magnum* vocat Mare mediterraneum, i. terminus Occidentalis situs est juxta Mare mediterraneum, & terminum ejus, h. e. regionem finitimam Mari mediterraneo, q. d. Mare mediterraneum & regio illi finitima efficiunt terminum ac limites Occidentales ejus. ¶ *Iste est terminus*, וזה גבול] *Ista est regio suis terminis definita.*

13. *In medio*, &c. בתוך וגו'] i. In tribu Juda. ¶ *Juxta sermonem*, &c. אל פי יהוה ליהושע] Ad verb. *Ad os Jehovæ ad Jehosua*, i. de mandato Domini facto Josue. ¶ *Patris Anac*, אבי הענק] *Patris gigantum*, i. celeberrimi inter gigantes.

14. *Indè*,

14. *Indè*, משם] i. Ex agro Hebron. Hæc sequentia de Caleb per anticipationem dicuntur: nam mortuo Josue facta sunt, ut legimus Judic. 1. 12. ¶ *Filios Anac*, בני הענק] *Filios gigantum*, i. tres gigantes, sive tyrannos. Alii, filios Arba gigantis celebratissimi. Et sic in fine versûs.

15. *Cujus nomen*, ושם דבר] Ad verb. *& nomen Debir.*

17. *Fratris Caleb*, אחי כלב] *Frater Caleb*, i. cognatus, vel nepos.

18. *Fuitque cùm veniret ipsa*, ויהי בבואה] *Fuitque cùm ingrederetur ipsa*, sub. *domum sponsi.* q. d. Cùm deduceretur in domum sponsi sui. ¶ *Suasit illi*, ותסיתהו] *Incitavit eum*, i. cœpit illi suadere ut peteret à patre suo agrum aliquem, h. e. regionem aliquam arabilem ac fertilem. ¶ *Et descendit*, ותצנח] *Et desiliit, dejecit sese de asino*, i. descendendo de asino quo vehebatur, conjecit sese in pedes: cùm scilicet pater non acquiesceret petitioni ejus.

19. *Benedictionem*, ברכה] i. Munus aliquod. ¶ *Aridam*, הנגב] Ad verb. *siccitatis*, i. arentem, siticulosam. ¶ *Fontes aquarum*, גלות מים] *Scaturigines aquarum*: unde scilicet possim irrigare terram arentem. ¶ *Fontes superiores*, &c. את גלות עליות וגו׳] i. Agrum in quo erant fontes in parte superiore & inferiore. Quidam *Scaturigines superiores* interpretantur fontes erumpentes è terra; & *inferiores scaturigines*, puteos.

20. *In extremitate tribûs filiorum Jehudah*, מקצה למטה בנו יהודה] Hîc enumerantur 38. urbes, quarum 9. erant de tribu Simeon, quæ quidem possessionem habebat intra limites tribûs Juda. Postea enumerantur 15. dicunt tamen Gederah & Gederothaim eandem urbem esse.

45. *Ecron*, עקרון] Metropolis scilicet, & urbes illi subditæ. Sic in seq.

46. *Ad latus*, על יד] i. quæ adjacent.

47. *Usque ad torrentem Ægypti*, עד נחל מצרים] Quidam Nilum significari volunt. Alii tanquam nomen proprium vertunt, *usque ad Nahal Ægypti*. Vide v. 4. ¶ *Et terminus*, וגבול] *Et fines*, sub. *ejus*.

48. *Et in monte*, ובהר] i. Et in montanis.

62. *Et Civitas salis*, ועיר המלח] Quæ scilicet sita est juxta Mare salsum, & dedit nomen mari.

63. *Porrò Jebusæos*, ואת היבוסי] Jebusæi illi non erant de septem illis populis, sed originem trahebant à Jebus qui erat de stirpe Philistæorum. ¶ *Cum filiis*, את בני] *Juxta filios*, erant enim contigui tribui Jehuda. ¶ *Usque ad diem hanc*, עד היום הזה] *Usque in hodiernum diem.* Hoc dicitur respectu temporis quo hæc scripta sunt.

CLARIUS.

2. A *Lingua*] Hebræi post Chal. interpretem exponunt *petram*.

3. *Ascensum scorpionis*] Mons est qui *scorpionum* dicitur, ab Austro ascensum habens.

18. *Suasit ei*] Uxor incitavit maritum ut peteret à socero fundum irriguum; sed cùm ille hoc facere nollet, delapsa est ipsa, & rogavit patrem.

21. *Ab extremis partibus*] Numeravit Josue solùm civitates illas quæ erant in terminis Juda, & non mediterraneas.

63. *Non potuerunt filii Juda delere*] Quidam hîc exponunt *non potuerunt* pro *non audebant delere Jebusæos*, propter juramentum scilicet quod antiqui patres illis fecerant. Alii verò dicunt Jebusæos istos aliam fuisse cognationem ab illis Jebusæis qui inter 7. numerantur gentes. Tertii dicunt quòd expulsio eorum fuerit reservata ipsi David, ut ab illo locus eorum vocaretur *Civitas David*.

MASIUS.

1--4. F*Uit itaq; sors tribûs filiorum Juda, pro suis ipsorum prosapiis*, &c.] Semel iterúmque cœpta sed adhuc interrupta divisionis narratio ejus terræ quæ trans Jordanem jacebat jam tandem continuatur. Sed priùs quàm explicare S. verba aggrediamur, disserendum paucis videtur de iis quæ universè ad ipsam terræ divisionem attinent; præsertim cùm ad eam hîc abruptè accedat historiæ istius scriptor, illud unum superioris capitis initio præfatus, *Eleazarum Pontif. max. Josuam, & capita patrum Israeliticæ gentis fuisse divisores; factámque esse sorte distributionem inter novem tribus & dimidiam.* Illud enim vel imprimis requiret non oscitans lector, Quorum arbitratu partes istæ sunt factæ de quibus nunc sortiendum est. Nam ad Siluntem certè nihil agetur nisi descriptis primùm ipsis portionibus. Tum illud, Quo ritu, quóque modo facta sit sortitio; &, Fuerítne ulla tribuum inter ipsas prærogativa, an verò simul in unam hydriam omnium conjecta sint nomina. Igitur ad primum quod attinet, apparet, istam Chananæam non antè esse ab ullis metatoribus in certas partes divisam, de quibus partibus sortirentur inter se tribus, quàm ventum ad Siluntem est. Quapropter existimo duas istas portiones, quarum altera Judæis, altera Josephitis jam sorte obveniet, rudiore quadam designatione primùm ad sortiendum propositas fuisse, vel judicio XII. virûm divisionis faciundæ, vel communi omnium tribuum deliberatione; ut castra in Galgalis ab improvisis hostium incursionibus essent tutiora: cùm parùm etiam tum animi Israelitis ad adeundam suam cuique hæreditatem esset, ut c. 18. audiemus. A suo enim præsidio suísque dominis defensâ eâ parte quæ ad Austrum versùs posita erat, tum eâ quæ ad Aquilonem, nullus aut ab Oriente aut Occidente hostis timeri potuit, cùm alterum latus vastum mare clauderet, ad alterum & Jordanis esset, & Rubenitæ, Gaditæ atque Manassenses. Et versùs Austrum quidem fuisse designatam omnem illam regionem quæ indè à stativis ad deserta Sin & Kades atque ad fluvium Ægypti pertinet, ut mox describetur, porrecta inter duo maria, Mediterraneum & Mortuum: Similitérque versùs Aquilonem, eam quæ inter Jordanem & idem illud mare Mediterraneum ab stativis extenditur usque ad Genesaram. Quamvìs enim partes istæ majores non obscurè viderentur quàm pro æstimatione totius Chananææ, quæ inter novem tribus & dimidiam erat distribuenda, h. e. quàm ut septem aliæ his pares ex reliqua terra confici possent, tamen rudi hujusmodi atque inchoatâ divisione tutanda nunc castra fuere, æquabilis autem universæ terræ partitio ad illud rejiciebatur tempus quo mensores mitterentur qui quantum superesset accuratè atque exquisitè describerent. Neque enim, quantum certè apparet, hæc prior sortitio omni prorsus jure possessiones illas addicebat iis quibus sorte cadebant. Ei enim rei testimonio videntur esse illa Imperatoris verba quæ c. 18. facit, cùm ait, *Judas manebit in suis finibus à Meridie*, &c. quorum illic sententiam explanabimus. Jam verò an de istis duabus propositis portionibus sortitæ sint ex æquo tribus omnes, an verò solæ duæ & dimidia Judæorum & Josephitarum, quodam prærogativo jure, ut sic dicam, non satis constituere possum. Posterius tamen mihi probabilius videtur. Nam cùm partes, ut dixi, præter modum majores factæ sint, & Judæi longè quamvis aliam tribum numero superarint, Josephitísque aut duplex aut certè sesquiportio debita fuerit, ratio aliqua atque modus sic in ista partitione habitus esse potest videri. Et ut demus Judæos, quamvìs principatum ea tribus obtineret, tamen ex æquo cum aliis tribubus sortiri debuisse, certè iniquum fuisset si Josephitarum unica sors, ut cæterarum singularum tribuum singulæ sortes, fuisset in urnam conjecta. Unius autem sortis, non duarum, casu sive tractu suam istam totam hæreditatem esse adeptos Manassenses & Ephraimitas, quam deinde inter se ipsi divisere, luculenter patefacient ea quæ proximo capite dicentur. Atque hæ sunt rationes ob quas hæc mihi sententia ad veritatem propensior esse videatur. Cæteroqui facilè intelligo admirabiliorem sortis casum iri visum si, omnium tribuum nominibus in urnam unam conjectis, commistis, versatis,

Judæ

Judæ primùm extractum esse statuamus, & deinde Josephitarum. Porrò ad sortitionis ritum modúmque quod attinet, nescio an eum non studio nobis occultarit ubique S. historia, nè superstitiosè imitaremur in rebus nostris. Illud enim unum non dissimulavit, Pro foribus tabernaculi, tanquam in Dei conspectu, ductas esse sortes; nimirum ut sanctiores existimarentur. Sed Doctores Hebræi in eo libro quo De hominū ipsos inter pactis variis agunt, qualia sunt Emptio, Venditio, item Societates, atque etiam de Hæreditatibus, hæc ferè de sortiendi isto ritu prodiderunt, *Fuerunt*, inquiunt, *coram Arca posita urnæ duæ, in quarum alteram cùm sortientium tribuum, in alteram descriptarum regionum nomina fuissent injecta; Eleazar Pont. max. spectante Senatu & universâ Ecclesiâ, quassatis & sursum deorsum agitatis urnis, ex altera tribûs cujuspiam nomen, ex altera regionis, prout Dei arbitrium offerebat, cæcâ manu extraxit.* Sic Doctores Hebræi tractat. בבא בתר׳ פ׳ ח׳ quàm verè, nescio; certè probabilius, ut mihi quidem videntur, quàm Josephus Antiq. l. 5. c. 3. Hic enim, quantum ex ejus verbis conjicio, opinatur eam tribum quam sors cunque priorem nominasset optione aliquam ex propositis portionibus delegisse. Scribit enim, Judæos, sorte cadente superiorem sibi Idumæam sumpsisse. Sed quæ sic fuerit sortium & prædictionum sacrarum divina consensio? Profectò clament illico calumniatores, eam delegisse portionem quamque tribum quam sibi à Jacobo destinatam intelligebat, cùm sanctissimi viri judicio omnes omnia tribuerent. Quapropter si omnino unica hydria est statuenda, quod ego verius esse puto, equidem regionū in ea fuisse nomina dixerim, & hæc singillatim cuique tribui extracta esse, ut illæ, altera post alteram, pro cujusque prærogativa sortiebantur. Nam sanè in prius posteriúsq; sortiendo fuisse tribuum inter ipsas prærogativam, multa sunt indicia. Videmus enim tribus Judaicæ sortem omnium exire primam, quia illa Rubenis loco princeps erat; deinde Josephitarum, quibus etiam ipsis Rubenis jus in parte concessum fuerat; deinceps verò cæterarum quæ ex liberis matribus ortæ fuere; ac tandem earum quæ ex ancillis. Nam cur inter liberos non planè habita ætatis ratio sit, ut neque inter ancillarū filios, causam justam afferemus suo loco. Sed fruatur suâ quisque existimatione, modò ut ea sit S. literis consentanea. Me certè vehementer & singulariter delectat, cùm mecum recolo seniculum illum Jacobum eas regiones, quas neque ipse neque ejus unquam majores nisi precariò possederant, & à quibus etiam tum ipse exsulabat, nuncupato testamento, non aliter atque patrios & avitos agros inter suos liberos admirabili fiduciâ verbísque magnificentissimis partientem. Et cùm porrò animadverto illas non, ut videbantur, ridiculas sed Divinas prædictiones aptissimè cadentibus sortibus ità comprobari ut nihil casu aut fortuitò factum esse appareat, incredibiliter confirmor ut statuam nihil quod S. Vates nobis aut polliciti aut minati sunt tam vanum aut ludicrum videri debere quin planè eventurum sit. Nimirum Dei consilium & voluntas verbíque Divini veritas nullo unquam casu labefactari possunt. Et de divisione hactenus. Porrò vereor nè barbara ista locorum nomina, ex quibus pleraque omnis insequens divisionis narratio est composita, magnum lectori fastidium afferant, ut in quibus nullum esse operæ pretium videbitur, quando & urbes ipsæ quæ commemorantur, aliæ (quarum pars maxima est) funditus periere, aliæ prorsus deformatæ agnosci non queunt; ad hoc, loca illa omnia à barbaris occupata jam atque insessa frequentari à nostris hominibus non possunt: Denique non solùm confusis adeò jam tribubus ut nullum inter alios atque alios tribules supersit discrimen, sed etiam in sempiternum de illis suis possessionibus dejectis, ac longè latéque per orbem dispersis, nullus omnino fructus in discernendis cujusque hæreditatis finibus esse positus videtur. Verùm meminisse oportet lectorem, multò aliter de iis quæ sunt Divinis literis prodita & consignata existimandum esse quàm quæ profanis. Nam cùm, teste Paulo, 2 Tim. 3. 16. illæ sint θεόπνευστοι & quasi ipso Dei ore pronunciatæ dictatæque; ad formandum hominem justum atque integrum, cúmque comparandum ad omnem probitatem, quis dubitet quin nihil otiosum aut supervacaneum, nedum inutile, contineant? Scitissima est apud D. Chrysostomum comparatio ab illis sumpta quos Græci μεταλλεῖς vocant, Latini cum Plinio *metallicos* dicere possunt. Hi enim aridos atque steriles, ut videntur, montes non prætereunt, quasi parùm fructuosos; sed in eos perfossos cavatósque penetrant, vagantésque per silices & glaream venas auri, argenti, æris, stanni, plumbi, aliorum metallorum persequuntur atque rimantur; deinde cuneis malleísque ferreis passim abrasos scrupos tundunt, lavant, urunt, molunt denique in farinam; ut per tantos labores tantáque pericula tandem aliquid metalli eliquent, quod totum brevi est periturum. Cur ergò ullum S. scripturæ locum, quantumvis specie horridum, jejunum, siccum, prætermittamus inexploratum? cùm nullus non sit, non dico auri, argenti, alius metalli (quæ omnis fluxa caducáque materies est) sed cœlestium mysteriorum venis ditissimus, si præeunte nobis Spiritu S. penitiùs inspexerimus rimatíque altiùs fuerimus tum quæ se obtulerint micas apud animum verâ pietate æstuantem percoxerimus. *Multi*, inquit Chrysostomus, *mechanicorum* (sic enim vulgus hominum imperitum appellat) *cùm sumpto in manus libro, vel subducta numerorum ratio, vel nominum contextus longior catalogus se offert, mox evolutis raptim multis paginis ad alium locum oculorum atque animi intentionem convertunt: & si fortè incusentur, respondent, Nihil aliud quàm nomina esse; neque fructuosum aliquid in iis quæ sic prætervolant inesse.* Sed, *Quid*, inquit, *tu ais, bone vir? nullàne tibi verecundia est dicere, Eorum quæ ipse Deus loquitur nullam esse cognitionis utilitatem?* Atqui utinam soli mechanici tam essent S. literarum fastidiosi; quibus etiam sæpe noxium est in illis esse nimiùm curiosis, quando hoc hominum genus suum judicium, quod nullum de Divinis sensis habent, ubique interponere, suo stare, Ecclesiæ nihil permittere volunt. Sed ut ad barbara nomina revertar; Adamantius, vir in S. literis mirabiliter eruditus, adeò non vult fastidiosè nomina ista legi, ut ipsis adumbratum esse cœlestis nostræ hæreditatis exemplar statuat, occultioráque in ipsis mysteria esse posita quàm quæ possit vel sermo humanus explicare, vel mortales aures percipere; nimirum qualia Paulus tum audiebat cùm esset in tertium usque cœlum subductus. Sed plura ab ipso auctore petantur. Sunt enim apud eum multa & lectu jucunda & suavia cognitu. Cæterùm quòd multæ istarum urbium funditus interiere, neque ipsa locorum facies agnosci satis potest, quòd Hebræorum respub. dissipata est, & jam olim sublatum omne tribuum discrimen; unde effici videtur, nihil referre prorsus scire qui cujusque limites hæreditatis fuerint; ad ista, & si qua sunt ejusmodi alia, in promptu est quod respondeam; Esse quidem illarum rerum inutilem per se cognitionem, at pro rectè percipienda S. historia non modò utilem verùm etiam necessariam. Etsi enim non omnium locorum in Chananæa situs habitúsque quales fuerint investigari potest, (est enim hoc fatendum apertè) at celebriorum possunt bonis conjecturis probabiliter inveniri; quorum si prorsus sis ignarus, fieri nequit ut rerum memorabilium priscis illis seculis gestarum rationem vel mediocrem assequare. Igitur si non plùs quàm insanæ curiositatis damnamus eos qui, ut Livii, ut Cæsaris, Taciti, aliorum scriptorum commentarios & Romanæ tyrannidis odiosa monimenta rectiùs intelligamus, summo studio nituntur barbara locorum nomina, quæ illi scriptores pleraque corruptissima repræsentarunt, quibuscunque conjecturis ad nostræ memoriæ urbes aliáque loca accommodare, certóque definire qui Brannovices, qui Tribores, qui Segusiani, qui mille alii fuerint; in qua tamen re, ut ætatem consumant, certi aut prorsus nihil aut parùm admodum assequantur; cur nos pœniteat ea locorum vocabula expendere quæ integerrima sunt adhuc in S. comment. conservata? atq; illorum locorum

persequi cognitionem quæ ad monimenta exordii æternæ salutis nostræ explicanda conducunt? Verùm tamen non est quòd tractatam à me Chananææ totius χωρογραφίας lector hîc exspectet. Neque enim eam ego artem profiteri possum; neque quenquam omnium mortalium, qui usquam sunt, post tot secula, urbium singularum positiones ullis posse conjecturis ostendere existimo. Vehementérque admiror quâ fronte vir cæteroqui doctus Jacobus Zieglerus tot loca, in quorum notitiam nullo indicio duci potuit, non aliter atque si astrolabio, quod vocant, aut σκιοθήρῳ ea dimensus esset, ausus sit non modò suis gradibus verùm graduum etiam minutissimis particulis per longitudinem latitudinémque describere. Ego verò, quod adhuc feci, præcipua quæque loca & ad S. historiæ intelligentiam cum primis utilia probabilibus, quoad ejus à me fieri poterit, conjecturis conabor indicare, ut & curioso Lectori quadamtenus faciam satis, & ad investigationem accuratiorem alios excitem commoveámque. Igitur ut ad S. textum veniamus, quatuor primis versiculis describuntur fines Australes hæreditatis Judaicæ tribûs; qui iidẽ totius Chananææ sunt ex ea parte, ut certè illa à Mose in Numeris c. 34. definita est. Inchoatur autem descriptio ab eo angulo qui Orienti proximus est. Ibíque desertum צן *Sin* locatur, quâ id parte est *Idumææ* affine. Nam illuc usque ad Orientem versùs solitudo illa vasta pertinebat. Quod vel indè conjicias, quia Moses Num. 20. 14. cùm tricesimâ tertiâ mansione in hoc deserto consedisset apud Kades, mittebat allegatos ad Regem Idumææ, petitum Israelitis viam per ejus ditionem. Maximo enim compendio illac in Chananæam pervenire potuissent; neque opus fuisset mare Mortuum ambire. Sed longè aliud esse hoc Sin atque erat illud in quo octava castra fecerat Moses, videtur. Illud enim סין *Sin* per literam Samech, at hoc nostrum צן *Sin* per Zade scribitur. ¶ Præpositio אל pro על posita est. Sic enim est in Numeris. Illa, *versus Meridiem*, &, *ab extremitate Austri*, prorsus idem significant, h. e. extimos fines Australes describi. Quapropter in Numeris istorum duorum loco unum hoc scriptum est, פאת נגב, quod est ac si *oram Australem* dicas. ¶ Porrò illud, *Habebántque terminum Australem ab extremitate maris salsi, à lingua quæ respicit Meridiem versùs*, explicatio est præcedentis versiculi; ostenditque descriptionem istam inchoari ab extimo sinu maris Salsi, qui sinus Austro proximus sit. Atque hîc rursus posterior verborum complexio prioris est ἐξήγησις. Ideóque in Numeris idipsum paucioribus dictum est, hoc modo, *Et erit vobis terminus Australis ab extremitate maris salsi ad Orientem*, h. e. Esto vobis descriptionis initium ab Oriente, à sinu maris Salsi, quo ad Austrum finitur. Chaldæus pro *lingua* reddidit כיפא, eóque vocabulo fortassis rupem aliquam significare voluit quæ in illa Mortui maris extremitate exstiterit; ut & LXXII, qui λοφιαν sunt interpretati. Ego verò *lingua* verbum, quando de mari dicitur, sinum potiùs significare dixerim, quo in continentem angustior pars excurrit linguæ specie. Sic enim Isaias quoque videtur usurpasse 11. 15. cùm canit, *Et perdet Dominus linguam maris Ægypti*. De eo enim mari loquitur, nisi fallor, quod sinûs Arabici pars citima, & tanquam sinus est, atque linguæ figurâ Ægyptum alluit. Et haud scio an non etiam Chaldæus hanc habuerit opinionem, cùm verbo illo כיפא *linguam* interpretaretur. Certè Chaldæi כיפין interdum dicunt *aquarum congestus*, quales in illiusmodi angulis vi ventorum appulsi ad terram ludere solent. ¶ Cùm porrò sequitur, *Et exibat ad partẽ Australem ascensus Acrabim*, producitur mensorius funiculus, ut sic dicam, ab illa maris Salsi ultima ad Austrum ora, tanquam ab Oriente, sensim versùs Occidentem. Est autem in Numeris pro ויצא, h. e. *exibat*, scriptum ונסב *circumducebatur*, sive *gyrabat*. Monet autem R. Solomon tria ista verba נסב, יצא, ותאר, quæ in istis descriptionibus crebrò usurpantur, ea, inquam, verba significare normam dimensionis aut introrsum aut extrorsum sinuari, non prorsum rectâ duci. Et in præsenti quidem, inquit, dum ad ascensum sive collem Acrabim, h. e. scorpionum, trahitur ab Asphaltitidis extremitate, flectitur extrorsum in Meridiem; sic ut Collem Acrabim ab Austro ambiat, atque Judæorum hæreditati adjiciat. Equidem video plerosque Chorographos qui Palæstinam descripserunt sic collocasse hunc clivum Acrabim ut Aquilonarior sit quàm ultima illa Salsi maris ora. Id si rectè ab illis factum est, falsus est R. Solomon. Verùm quando ex Ptolemæi tabulis constat, Petram esse Australiorem multò quàm sit illa maris Mortui lingua; atque indè efficitur, Cades-barneam quoque Australiorem esse, ut quæ sit Petræ affinis, quod alibi diximus; profectò dispicere non possum quâ ratione queat מעלה עקרבים *clivus Acrabim* esse Aquilonarior, cùm iidem illi Chorographi Australiorem eum esse statuant, quàm Cades-barneam. Cæterùm, cùm Latinus reddidit *contra ascensum scorpionis*, in eo secutus est LXXII, qui quod est Hebraicè מנגב, *ab Austro*, legisse videntur mutatâ unâ literâ, מנגד; dixerunt enim ἀπέναντι, h. e. *contrà*. Similiter eosdem imitatus est ille cùm *Sina* diceret: dicendum enim erat explicatiùs *in Sin*: nam in verbo צנה *Sina* litera He vim habet præpositionis. Equidem existimo hîc nomen *Sin* loci cujuspiam celebris propriam appellationem esse, à quo magnum illud desertum nomen acceperit. ¶ Cùm porrò sequitur, *Et ascendebat ab Austro ad Cades-barneam*, pergitur non nihil ab Austro ad Septentrionem, cui declinationi argumento est *ascendendi* verbum. Loca enim Aquilonaria pro altioribus habentur, quia ad mundi verticem, quem *polum Arcticum* vocamus, videntur accedere. Posset tamen hæc etiam de Hebraicis verbis sententia exprimi, Ipsam dimensionis lineam ambivisse latus Australe Cades-barneæ, & hanc intra Judæorum fines collocasse. Erat enim hic locus, quantum certè de Mosis verbis quæ c. 1. Deuteronomii v. 20. facit conjici potest, terræ Promissæ pars, sed extima. Est autem ferè omnium sententia, hanc Cades-barneam longè dissitam fuisse ab illa Cades ad quam tricesima tertia castra in solitudine צן *Sin* fuere posita. Videntur enim decimâ quintâ mansione Israelitæ ad Cades-barneam consedisse. Sed quando incertis admodum & perplexis gyris per inviam solitudinem Pharan circumductos esse constat totis illis 18 mansionibus, non est profectò incredibile ut nomen ità & locum unum eundémque esse apud nobilem illam urbem Petram. Idque etiam Chaldæus opinatus esse videtur, qui pro utravis *Kades* reddidit *Recem*, de quo verbo dixi alio loco. ¶ Porrò חצרון *Hesron* nominatur inferiùs etiam חצור *Hasor*. Sed est ista Hasor toto cœlo diversa ab illa nobili urbe Galilææ; de qua suprà locuti sumus. Neque verò etiam aut אדר *Adar* aut קרקעה *Carcaa* celebres urbes sunt. Quare posterior in Numeris prorsus omissa est. Symmachus pro ejus nomine reddidit *γῆν terram*, q. non esse loci certi proprium putaverit. Significat enim קרקע *Carca* Hebræis *solum, fundamentum, fundum*. ¶ Jam verò עצמון *Asmon* nescio an non is locus sit in quo vicesimis sextis castris manserunt Israelitæ. Scio equidem eum locum per literam Heth initio scribi, hunc per Ain. Sed solent ista duo elementa inter se commutari interdum, ut alibi diximus. Illud minùs expeditum videtur, qui potuerint post tam multas mansiones non longiùs esse progressi. Ista enim nostra עצמון *Asmon* propè abfuit ab illo parvo Nili brachio quod c. 13. 3. dixi apud Rhinocoluram exire in mare Mediterraneum. Sed certum est, per inexplicabiles illas ambages, occæcatos suis peccatis, rursum, prorsum oberrasse; ut planè credibile sit ad easdem mansiones sæpius esse reversos. Summa igitur istius descriptionis hæc est; Australes Judaicæ hæreditatis fines inchoari ab extremitate maris Salsi, quâ id ad Austrum definit: atque indè sensim versùs Occidentem tendi, primò ad clivum Acrabim, inde ad Cades-barneam, deinceps ad Hesron, ulteriùs ad Addar; indè porrò gyrare ad Carcaam, ex Carcaa Asmonem; ab Asmone incidere in Nili parvum brachium, atque cum eo desinere in mare Mediterraneum haud procul ab Rhinocolura. Est ergò istorum finium longitudo universum illud intervallum quod ab extremitate Asphaltitidis ad Rhinocoluram usque patet. Sunt quidem qui Mortuum

tum mare à Mediterraneo abesse dicant 40 duntaxat passuũ millia. Quod fortasse verum est, quà proximè. At ego propter multiplices gyros atque varios recessus, tum etiam quia maris Mediterranei littus continuò in Occidentem retrocedit, præsertim post relictam Gazam ad Ægyptũ vergens, longè majus esse puto quod modò emensi sumus spatium. ¶ Porrò illa verborum clausula, *Iste erit vobis limes Meridionalis*, apostrophen continet, ut videtur, absurdam. Sed alludit, opinor, commentarii istius scriptor ad illa verba quibus in Numeris hi ipsi fines sunt descripti: alloquitur enim illic Moses Israelitas. LXXII pro secunda persona posuere tertiam, tanquam לכם pro להם legerint: & hanc personarum enallagen etiam Kimhi probat.

5---12. *Limes verò ad Orientem erat mare salsum*, &c.] Descriptis limitibus Australibus, ostenduntur Orientis fines tribus verbis, ipsum scilicet *mare Salsum*, h.e. Asphaltitis lacus, ab ea ejus extremitate à qua auspicabamur oram Australem, usque ad eam quà recipit Jordanem. *Extremum* enim *Jordanis* dicitur ejus fluminis ostium, quo cum fœdis Mortui maris aquis se admiscet. Quare absurdè Symmachus illud קצה *initium* interpretatur. Sunt enim fluviorum ostia, fines, non initia. Est autem ista ejus maris ab Austro in Septentrionem longitudo, si Josepho credimus, stadiorum 580. Nam latitudo, ut idem ait, non amplior est stadii 150. Sed ista, atque insuper alia multa de hoc lacu, admirabilia profectò & scitu jucunda, ab eo auctore petantur, descripsit enim satis accuratè l.5.Antiq.c.5. Porrò tertii limitis, qui ad Aquilonem Judæos ab aliis distinguebat tribubus, descriptio est omnium operosissima, propter urbium multitudinem videlicet & cæterarum tribuum confinia: Judæos enim prorsus ab aliis tribubus distinctos esse oportebat; cujus rei causam justam, opinor, suprà attuli c. 14. initio. Hanc ergò finium designationem auspicatur ab ostio Jordanis, h. e. ab extremitate maris Salsi, quà terminaverat fines Orienti oppositas: ac indè progreditur sensim ad Occidentem versùs usque ad mare Mediterraneum. Est autem illud in S. verbis animadvertendum, *Ascendendi* sermonem ferè usurpari usque eò dum ad Jerusalem perventum est; indè verò, *descendendi*: unde conjectura probabilis sumi potest, illam urbem excelsissimo exstitisse loco. ¶ De vocabulo *lingua* dixi nuper. Profectò vix credibile est, & in Australi illa maris istius extremitate, & rursus in Aquilonari hac, rupem aut scopulum fuisse quem *lingua* verbum significarit: sinum autem utrinque fuisse, certum est. Igitur ut παραφραστικῶς S. verba explicem, fines Aquilonares Judæorum *ab Jordanis ostio* inchoati *ascendebant Beth-Haglam*; eàque à dextris, h. e. foris, relictâ, *transibant Beth-arabam*, in solitudine positam urbem: & hanc intrò recipiebant sive ambiebant *à Septentrione*. Hinc *ascendebant ad Eben*, h. e. *lapidem*, *Bohan*. Indè *ascendebant Dabir ex valle*, sive, ut Chaldæus interpretatur, *planitie*, aut *campo*, *Achor*. Quippe ea vallis, sive is campus, porrigebatur usque inter Dabir & Eben-Bohan. Et hinc *ad Septentrionem*, h. e. à dextris, *conspiciebantur Galgala*; aut, ut R. Solomon hunc locum explanat, post Dabir, cùm è regione Galgalorum ventum esset, *spectabant fines*, h. e. protendebantur, *versùs Septentrionem usque ad Galgala*. Et hæc sententia congruentior est iis verbis quibus ista loca depingentur c. 18. Porrò Galgala *objacebant clivo*, sive *ascensui*, *Adummim*; *qui clivus est à parte Australi torrentis*, aut *convallis*. Jam verò, relictis ad dextram Galgalis, producebantur isti fines *ad aquas Ensemes*, i. *Fontis*, aut *Oculi*, *solis*; *excurrebántque in Enrogel*, h. e. *Fontem fullonis*; cùm declinarent nonnihil in Aquilonem, ut ex descriptione finium tribûs Benjamin constat. Porrò ab isto Fullonis fonte *ascendebant per vallem filii Hennom ad latus Australe Jebusæi: ea est Jerusalem*: sic ut Jebusæum excluderent, *ascendebántque sursum in verticem*, aut, ut c. 18. scriptum est, *ad oram ejus montis qui objacet valli Hennom ab Occidente*; *qua vallis*, sive potiùs *qui mons*, (est enim anceps verborum constructio) *erat in extremitate vallis*, sive *campi*, *Gigantum*. Porrò *à vertice istius montis* deinceps *flectebantur obliquè ad fontem aquarum Naphthoa*, atque illinc *procurrebant ad urbes montis Hephron*: unde gyrabant *ad Cariath-Jaarim*, h.e. *Urbem sylvarum*; quæ *Baala* quoque dicebatur. Post istos gyros proferebantur *à Baala* rectà *versùs Occidentem*, *ad montem Seir*. Indè *producti juxta montem Jearim*, h. e. *urbem Chesalon*, eóque monte intrò recepto, *descendebant Beth-semes*, h. e. *Solis domum*; indè porrò *Thamnam*. De Thamna *procurrebant ad latus Aquilonare Accaronis*: & hâc ad sinistram relictâ, h. e. intrò receptâ, gyrabant *in Sechronam*. *Atque præterito monte Baala, exibant in Jabneel*. *Ac tandem desinebant in mare Mediterraneum*. Jam verò ut locorum nomina explicemus quæ sunt in hoc Aquilonari tractu commemorata; בית חגלה *Beth-Hagla*, quæ ad Benjaminitarum hæreditatem pertinet, aberat ab Jordanis ostio circiter horæ unius itinere; ab Jerichunte, duarum; Eusebius libello De locis Hebr. dicit, tertio ab Jerichunte lapide, secundo ab Jordane. Existimatum est hanc fuisse גרן האטד *aream Atad*, ad quem locum prosecuti sunt Ægyptii funus Jacobi, Gen. 15. 10. quod mihi non fit verisimile: neq; enim illac iter erat ex Ægypto Hebronem. Nominis explicatio est, *Domus obsidionis*. ¶ Porrò בית ערבה *Beth-araba*, h. e. *Domus solitudinis*, à situ nomen habet. Posita enim erat in vasta solitudine; In qua putant nonnulli D. Hieronymum aliquot annos duriter vixisse & pietatis studia coluisse. Chaldæus & Symmachus *campestrem domum* interpretari maluerunt. Nam etiam *aquabilem locum* subjici vocabulo ערבה diximus alibi. Sed illud alterum probabilius est. Nam annumeratur ista urbs cum illis quæ in deserto exstabant. Quanquam autem hîc Judæis adscripta sit, tamen pòst assignabitur etiam Benjaminitis: quippe hæ duæ tribus in confinio positas urbes nonnullas videntur communi jure tenuisse: de qua re loco idoneo plura dicentur. ¶ אבן בחן *Eben-Bohan*, ac si dicas *Lapidem Bohanis*, videtur hoc nomen accepisse à quodam Rubenita qui *Bohan* fuerit appellatus, ex quo efficitur, recentem esse appellationem. Nempe is perpetuus ferè sacrarum rerum scriptoribus mos est ut recentissima quæque nomina usurpent; vetustiora, nisi locorum celebriorum, dissimulent silentio. ¶ Porrò דבירה *Dabir*, hæc, tertia est. Longè enim diversæ sunt, illa prope Hebronem, & altera cis Jordanem, apud Jabok: hæc enim non procul ab Jerichunte abest. LXXII pro דבירה videntur paragrammatismo decepti legisse רביעה. Nam interpretantur hunc locum, *Ascendebat terminus ad quartam partem vallis Achor*; ut certè habent emendati codices. ¶ De *valle*, aut *campo*, *Achor*, עמק עכר diximus cùm de Achanis supplicio ageremus. R. Solomon in hanc sententiam interpretatus est ista verba, ut dicat funiculum ductum esse inter lapidem Bohan & Dabir per vallem Achor. Id si est ità, ut sanè præ se ferre videntur Hebræa verba, conficitur, istam sive vallem, sive campum, Achor, (est enim vocabulum עמק anceps) haud universam fuisse Aquilonarem urbi Jerichunti; quod libello De locis Hebraicis videtur esse proditum. Esset enim alioqui Jericho Judaicis inclusa finibus, quam certum est Benjaminitarum fuisse. Quin etiam illi qui loca ista adierunt, referunt, vallem Achor Australem esse Galgalis. Unde conjicere licet, vallem istam aut campum ab Austro in Septentrionem longiusculè porrectum jacere versùs Acrabitinam toparchiam. ¶ Quòd porrò memorantur isti fines *aspexisse Galgala versùs Septentrionem*, id explicatiùs scriptum est dum ostenduntur fines Benjaminitarum; nempe, eos *se sinuasse in Septentrionem usque ad Galgala*. *Aspicere* igitur pro attingere quidem, sed tamen non amplecti, neque intrò recipere, dictum est. Sunt qui existimant diversa esse hæc Galgala ab illis in quibus multo tempore stativa castra posita mansere; cui rei argumento etiam non solùm situs ipse videtur esse, cùm hæc vicina clivo Adummim statuuntur, verùm etiam nomen ipsum, quod cap. 18. non גלגל est sed גלילות. Nam מעלה אדמים *clivum Adummim* certum est inter Jerusalem exstitisse & Jerichuntem; illa autem altera Galgala propiùs quàm Jerichuntem abfuisse ab Jordane. Memorat enim D. Hieronymus Epitaph.

taph. Paulæ, suâ etiamnum memoriâ loco illi *Adummim* fuisse nomen, q. *rufos* dicas; propterea quòd sæpe illic viatores saucii à latronibus sanguine ruberent; atque eum ipsum esse ad quem alludit Christus, cùm parabolâ utitur de homine qui inter Jerusalem & Jerichuntem incidit in latrones, Luc.10.30. Aberat autem Adummim circiter quatuor horarum itinere ab Jerichunte. ¶ Cæterùm in illo verborum ambitu, *Qui est ab Austro torrentis*, sive *convallis*, ambiguum est relationis pronomen, spectétne ad *ascensum Adummim* an ad *Galgala*, ego ad propinquius retuli; Latinus ad *Galgala*. Zieglerus existimat verbum נחל *torrentem* significare eum ad quem Elias à corvo pastus est, 3 Reg.17. Is autem est כרית *Carith*. Mihi magìs fit verisimile convallem hoc loco dici inter montes illos positam. Neque enim à quoquam proditum literis memini, esse prope Adummim ullum torrentem, quamvis multi loca illa & viderint & mentione attigerint. ¶ עין רוגל *En-rogel*, h.e. *Fontem fullonis*, scripserunt quidam positum fuisse in valle Gehennom. Id si ità est, debet illud, *Et ascendebat terminus vallem filii Hennom*, in aliam interpretari sententiam, tanquam omissa sit & suggerenda præpositio *ex*, vel *per*; *Ascendebat terminus ex valle*, vel per *vallem*, *filii Hennom*. Cæteroqui S. verba, ut scripta sunt, hoc videntur sensu accipienda, ut existimemus designationem istorum finium factam fuisse *ab En-rogel versus*, aut *secundùm*, *vallem filii Hennom*. Nam certa res est, istam vallem ad dextram extra hos limites relictam esse; nisi si quis contendat dimidiatam pertinuisse ad Judæos & Benjaminitas. Fuisse autem En-rogel proximè ad urbem Jerusalem, conjici certò potest de epulo illo regali Adoniæ filii Davidis quod is apud illum fontem fratribus sociisque suis dabat, cùm illuc usque tubarum crepitus & Urbis plausus de creato Solomone Rege exaudiretur, 3 Reg. 1.9.41. Cur autem à *fullone* nomen fons iste habuerit, obscurum est & incertum. Fortassis exceptæ elicibus ejus aquæ fullonum officinis serviebant. ¶ Porrò גי־הנם *Ge-hennom*, *Vallis Hennom*, locus fuit suburbanus, olim amœnus admodum, & Cedronis aquis riguus. Eáque amœnitas multorum fuit scelerum occasio; ut fieri assolet in celeberrimarum urbium viciniis. Sed Dei observantissimus Rex Josias 4 Reg. 23. 10. cùm nefarias superstitiones non ferret, fœdis cadaveribus atque aliis sordibus delicias illas contaminavit, & imprimis eam vallis partem quæ תפת *Topheth* appellabatur, à *tympanis*, cùm illic vivos suos liberos Deo Moloch sacrificarent impii parentes, (unde etiam גי ההרגה *vallis occisionis* ab Jeremia 7.34. vocatur) atque ad tympana interim saltarent, nè miserabilis ejulatus inmanes aures lacesseret. A qua nefaria carnificina factum fortassis est ut *Ge-henna* infelix animorum post mortem conditio diceretur; sicut & *Topheth* apud Isa.30.33. Meminit etiam Jere. 7.31. istorum locorũ, & impiæ parentum crudelitatis. Sed nunc hactenus. ¶ Porrò יבוס *Jebus*, & יבוסי *Jebusæum*, vocatam esse olim Jerusalẽ, nomine filii Chanaanis, testatissima res est & pervagata. Sed unde dicta tandẽ *Jerusalem* sit exposuimus alibi. ¶ עמק רפאים *Vallis*, aut *campus*, *Rephaim*, aut *Gigantum*, propè ad Jerusalem pertinuit, quantum certè ex iis apparet quæ in Reg. hist. commemorantur de cæde quâ Philistæos illuc excurrentes occidit David 2 Reg. 5. Videtur autem ad Meridiem versùs ab Jerusalem planities illa sic porrecta jacuisse ut extremitas ipsius Aquilonaris propè abesset ab ora vallis Hennom, eâ quæ ad Occidentem spectabat; atque ibi *montem* illum exstitisse cujus hîc mentio est; & quem, nescio quâ conjecturâ ductus, Zieglerus Achaldema fuisse nihil dubitans statuit. Quem autem ego suspicer esse dicam in finibus Benjaminis. Credibile autem videtur istum *campum Gigantum* versùs Meridiem pertinuisse ad Eleutheropolim usque, atque ejus partem fuisse eam quæ Eusebii memoriâ שפלה *Sephela*, h.e. *æquabilis campus*, vulgò vocabatur. ¶ Verbum תאר, de quo nuper pauca, interpretantur Judæi plerique omnes *agi in obliquum*, *gyrare*, *circuire*; LXXII plerumque, *excurrere* atque etiam Aquilas. Ego verò existimo id esse quod nos *describere*, *figurare*, & *ductis lineis designare* dicimus; cùm certum sit תאר significare *formam* cujusque rei & *figuram*. ¶ Porrò de *fonte* נפתח *Naphthoa* nescio an ulla alibi in S. literis mentio sit. Monet quidem R. D. Kimhi apud veteres Hebræorum scriptores hunc fontem vocari עין עיטם *Fontem Ætam*. Ego verò; cur enim non fatear? nihil me de hoc fonte memini legere. Scio equidem עיטם *Ætam* oppidum in Judæ aut Simeonis hæreditate fuisse 1 Par. 4. 32. quod Roboam Solomonis F. pro tutando adversùs Jeroboam regno muniebat, 2 Par.11.6. Sed quòd illic fons Naphthoæ fuerit, id verò non est verisimile. ¶ Sed neque de *monte* עפרון *Ephron* aliquid compertius habeo, nisi hoc nomine urbem fuisse quam Abia Rex Judææ, victo Jeroboam, recepit, 2 Par. 13. 19. Ab ea an iste mons sit appellatus nescio. Suspicor equidem certè, & quidem eò magis quia memoriæ proditum est in Paralipomenis, habuisse eam urbem in sua ditione *vicos* aut *municipia*: hîc autem non unius modò urbis, sed *urbium*, numero plurali, mentio fit. Nam κῶμαι & vici interdum *urbes* dicuntur. ¶ De בעלה *Baala* & קרית יערים *Cariath-Jaarim* dixi suprà 9.17. ¶ Jam verò *mons* שעיר *Seir* iste toto cœlo diversus ab illo est qui ab *hirsuto* Esau nomen hoc accepit, in Idumæa existens. Suspicor autem hunc à sua *coma Seir* esse appellatum, sicut & vicinum montem יערים à *sylvis* quibus obsitus fuerit. ¶ Dicitur autem hîc *flecti terminus in Occidentem*, ut existimat probabiliter R. Solomon, quia, cùm indè ab illo monte quem *objacere valli Hennom* dicebamus, adhuc excurrerit obliquè versùs Septentrionem, jam tandem rectà in Occidentem dirigitur. ¶ De כסלון *Chaslon* id modò proditur libello De loc. Hebr. *vicum esse prægrandem in finibus Æliæ*, h.e. Jerusalem. Sed credibile est illam urbem parvo abfuisse loci intervallo à Cariath-Jaarim, tamen paululùm versùs Occidentem. Certum enim est utramque apud montem Jaarim exstitisse; & quidem Chaslonem ad latus Aquilonare; quæ fortassis hoc nomine dicta est quia tanquam *ile* hæreret in ejus montis latere. ¶ Rursus בית שמש *Beth-semes* quoque non longè abfuisse à Cariath-Jaarim, tum Josephus auctor est Antiq. l. 6. tum de historia receptæ à Philistinis S. Arcæ satìs conjici potest 1 Reg.6.19.21. In libello De loc. Hebr. locatur Bethsemes 10 millib. pass. ab Eleutheropoli, versùs Nicopolim, contra Orientem. Burchardus verò distare eam à Cariath-Jaarim affirmat pass. quinque mill. ferè ad Austrum versùs. ¶ Porrò de תמנה *Thamna*, à qua *Thamnitica* toparchia nomen posteris temporibus accepit, hoc prodidit Eusebius libello De loc. Hebr. superesse prægrandem vicum eo nomine in finibus Diospoleos, quà itur Æliam. Ut autem eam præsens descriptio ostendit, recedebat à Bethsames ad Occidentem. Similiter atque etiam עקרון *Accaron*; quæ urbs in eadem illa toparchia exstabat, sed à Beth-sames aberat longiùs quàm Thamna, nimirum 10 decem mill. pass. ab illa dissita. Equidem propemodum in ea sum sententia ut putem Accaron illic loci ferè exstitisse ubi nunc Geth ostenditur; & posteros istarum duarum urbium nomina inter se commutasse. Nam antè c.13.3. factis etiam verbis animadvertimus Accaronem suprà Geth collocari. Quanquam de ea re non ausim adhuc cum quoquam magnopere pugnare. ¶ De *Sechrona* porrò & *monte Baala* nihil satis compertum habeo. ¶ Sed יבנאל *Jebneel* quin sit duarum Jamniarum altera nihil dubito. Nam solent Græci literam Beth in suum Mi sæpe convertere. Sitæ enim erant ambæ Jamnes sive Jamniæ inter Diospolim & Azotum. Strabo maritimam Jamniam κώμην vocat, h.e. *castellum*, aut *pagum*, vel certè *oppidulum*; facitque ab ea ad Ascalonem stadia 200, & Gadaram interponit. Sed nostram Jabneel eam fuisse Jamniam apparet quæ maritima erat, non autem quæ intus, ut Plinius loquitur, exstabat. Atque hîc, cùm ab Jordanis ostio, sive ab Asphaltitidis capite, ad mare usque Mediterraneum perventum sit, absoluta est designatio finium Aquilonarium hæreditatis Judaicæ. ¶ Porrò fines Occidui tribus ostenduntur verbis, quippe quos *mare Magnum*, h.e. Mediterraneum,

quo

quo nullum attingit Chananæam majus, designabat suo *litore*, sive suâ *orâ*; quantum est spatium videlicet à Jabneel usque ad ostium illius fluvii Ægypti in quo desinebant limites Australes, quem Nili derivatione factum esse diximus.

13--17. *Cæterùm ipsi Caleb filio Jephonæ data fuerat pars*, &c.] Patefacit hic locus, Josuam & Senatum non temerè Calebi oratione inductos fuisse ut ei Hebronem extra sortem petenti concederent, sed jussu & oraculo Dei eos id fecisse. Cur autem ista de exterminatis Calebi fortitudine Gigantibus narratio ad hunc locum adhiberetur, cùm gesta sit ea res, ut probabiliter dixisse videmur, post Josuæ obitum, hanc affert causam Rabbi Levi F. Gersonis, Ut intelligamus, dum ista legimus, neque Dei promissa neque Calebi spem frustrà fuisse. Huc etiam illud addi possit, Achsæ dotem, ad cujus mentionem nos istius series narrationis ducit, ad divisionis materiam pertinere. ¶ De *Ænacinis* satis multa antè 11. 21. & 14. 15. Apparet quidem ex hoc loco *Arbam* fuisse *parentem Ænac*: Hujus verò *filios* fuisse *Sesai*, *Ahiman* & *Tholmai*. Verùm si quis id negare velit, facilè dicat nomen *Ænac* pro gente Ænacinorum esse positum, & *parentis* vocabulo etiam Principatum subjici. Equidem certè propè statuerim Arbam fuisse patrem Sesai, Ahiman & Tholmai, à quo Hebron *Cariath-Arba* olim dicebatur; at Ænac universi istius hominum generis primum auctorem. Sed in rebus tantâ vetustate obscuratis temerarium fuerit, quod non satis exploratè perceptum cognitúmque est, id sine ulla dubitatione velle defendere. Neque verò esset, si illud affirmatè dicerem, quòd mihi objiceret aliquis, Priscum illum virum Arbam parentem eorum gigantum esse non potuisse, quos certum est ad Josuæ usque tempora vixisse, cùm eos Speculatores apud Hebronem viderint, atque Calebus tandem exterminarit. Ego enim prorsus in ea sum sententia ut putem quod nominatim de Sesai, Ahiman & Tholmai scriptum vel in Numeris 13. 22. vel hoc loco est, id de illorum trium gigantum posteritate esse accipiendum; similiter atque *Israelem* pro *Israelitis* dicere sæpe solemus. ¶ De *Dabir*, h.e. דביר, diximus suprà 10. 38. Tradunt Doctores Hebræi Tractat. עבודה זרה פ׳ ב׳ ubi De alieno cultu disceptant, דביר *Dabir* Persis id esse quòd Hebræis ספר *Sepher*, h.e. *literas* & *libros* significare; atque ideo pro prisco nomine *Cariath-sepher* urbem istam esse dictam à Persis *Dabir*. Rursus Tractat. תמורה פ׳ ב׳ ubi De non commutandis sacrificiis disputant, aiunt, Othonielem Legis doctrinam jam tum exolescentem, post Mosis excessum, instauravisse ingenii sui acumine ad istam urbem; atque ideo esse vocatam *Cariath-sepher*, i. *Literarum urbem*. Ità isti nunc hoc nunc illud oscitantes hallucinantur, ut quæque non judicio sed casu aliquo, aut certè somnio, in mentem veniunt. Quid enim hîc Persis fuit rei? & quis nescit olim ante Othonielis memoriam id urbi nomen fuisse? Quòd si in his rebus conjecturis uti non firmissimis licet, dicam quod fortasse videatur probabilius; Appellatam esse olim קרית ספר *Cariath-sepher*, h. e. *Literarum*, aut *Librorum*, *urbem*, quia priscorum Patrum veluti archivum, i. tabellarium, fuerit, in quo multa vetustatis monimenta post orbis diluvium reposuerint; cùm in vicina Hebrone homines illi primi habitarent. Est enim Hebron, Dabiræ propinqua urbs, antiquior Tani Ægyptiorum annis septem, ut diximus; h. e. omnium urbium vetustissima. Et sanè huic rei vehementer congruit ipsum quoque nomen דביר *Dabir*. Significat enim id *locum secretissimum*, & veluti *sacrosanctum*, atque *penetrale adytum*; qualia profectò habentur τὰ ἀρχεῖα & tabellaria. Atque haud scio annon Chaldæus hoc ipsum dicere voluerit, cùm pro קרית ספר *Cariath-sepher* redderet קרית ארכי *Cariath-arche*. Mihi certè verbo ארכי Græcorum ἀρχεῖον videtur repræsentare ille voluisse. Nam Principes, quos Judæi eo vocabulo esse significatos putant, ii ארכונא & ארכינין à Chaldæis vocantur; tanquam ἄρχοντες dicas. Sed satis multa de re obscura & incerta. Cur autem istud oppidum etiam קרית סנה *Cariath-sena* vocatum sit v. 49. dicam inferiùs, si volet Deus. Neque enim cum illis adhuc sentire possum qui à *spinarum* quodam genere nomen hoc ei esse impositum putant. ¶ Jam verò illud quoque nobis est disquirendum, Cur Calebus filiam desponderit ei qui Dabir expugnaret. Neque enim credibile est virum fortissimum, & qui certissimam in Deo fiduciam nuper habebat collocatam, præ turpi jam ignavia aut diffidentia ex alius hominis viribus pendere spe; præsertim maximâ nunc belli difficultate superatâ, post pulsos Hebrone gigantes. Doctores Hebræi igitur Tract. תענית פרק א׳ libro De jejuniis, ad hunc fortè locum delati, dicunt, Hujus generis vota atque promissa, ut temeraria, esse vitanda. Eveniunt enim, inquiunt, interdum quidem feliciter; at sæpe secùs. Adjunguntque sacræ narrationis exempla aliquot: de Eleazaro Abrahæ servo uxorem herili filio veluti augurante, Gen. 24. 14. ei enim non animi aut corporis vitiis turpificata puella, sed Rebecca omnibus bonis dotibus ornatissima est oblata: tum de Saule filiam suam promittente ei qui Goliathum interimeret, 1 Reg. 17. 25. huic enim David obtigit gener, quo nemo potuit melior: denique de hoc Calebo; cui vir fortissimus Othoniel gener contigit: postremò de Jephte Judic. 11. 30. cui sacrificium omnium tristissimum occurrit. Eadem ferè scripta exstant in Levitico Rabba c. 27. Et rectè quidem illi, abstinendum esse ab inconsultis promissis, censent. Ego verò, ut cum Eleazaris sancta divinatione hoc Calebi factum conferri aliquo modo posse fatear, nulla tamen in re voto Jephtæ esse simile existimo. Nam de Saulis promissis quod adferunt, equidem in sacra id scriptum esse historia non video; sed vulgi modò existimatione facinus tam pulchrum regiâ affinitate dignum fuisse. Calebum enim, ego certè, puto, victis profligatísque ad Hebronem gigantibus, cùm ipse ex ea victoria satis se gloriæ & laudis consecutum esse arbitraretur, hanc quasi levioris operæ expeditionem sociis suis, viris optimis, demandare voluisse: ut quorum virtutem atque fidem expertus nupero bello fuerat, cum eis rerum gestarum laudem communicaret; eóque & invidiam à se amoliretur, & simul illorum fortitudini summo quod habebat βραβεῖον in medium proposito, quemque singillatim maximâ remuneratione dignum se censere declararet, atque adeò eodem uno præmio quodam modo singulorum in se merita & officia remuneraretur. Verùm enimverò credibile est, Calebum ea in re non modò suum liberale & dignum Principe viro ingenium esse secutum, sed magis arcanum Dei instinctum, qui eâ occasione Othonielis virtutem in vulgus pervulgare populóque spectatam commendare volebat, cùm hic esset post Josuam, jam senem, conservator reipub. futurus. Quæ etiam, opinor, causa est cur hoc factum tam accuratè sit S. literis semel iterúmque consignatum, Judic. 1. 12. Hac igitur in parte noster iste ἀγωνοθέτης & munerarius Calebus non inscitè fortassis cum Eleazaro illo queat comparari. Nam & eum non sine cœlestis Spiritûs occulto pulsu illam suam instituisse divinationem ut dicamus necesse est, si à superstitiosi conjectoris crimine hominem, ut apparet, minimè malum velimus asserere. Sed de his satis jam multa. ¶ *Achsa* fuit Calebo ex concubina nata, quantum certè apparet ex iis quæ sunt in Paralipomenis de ea tradita, l. 1. c. 2. v. 49. ¶ De *Cenez* & *Calebi* prosapia disputavimus capite superiore. Sed *fratris* verbum hoc loco multi existimant gignendi casu reddi omnino debere, nè connubium Lege vetitum ista narratio videatur approbare. Est enim Hebraicorum verborum constructio ambigua. Et sanè codex Vaticanus ἀδελφοῦ habet; atque vulgata etiam exemplaria, in Judicibus 1. 13. quo fiat ut Othoniel & Achsa patrueles sint; quos non erat nefas matrimonio conjungi. Nam Fratris filiam ducere uxorem etsi connubiales leges quæ in Levitico sunt scriptæ c. 18, & 20. apertè non vetent, tamen id tacitè obscuréque faciunt, consectariâ quadam ratione, cùm Amitam, item Materteram, item Patrui uxorem duci prohibent: sunt enim illæ paris cum Fratris filia propinquitatis necessitudine nobis conjunctæ. Quam enim Burgensis Paulus has nuptias ab illis habere dissimilitudinem

militudinem contendit, ea argutior quàm probabilior, mihi certè, videtur esse; ut est vir ille acutissimus. Atqui nihil profectò est cur non casu nominandi dicamus Othonielem fuisse Calebi fratrem; cùm testata res sit atq; etiam pervagata in S. literis cognatos vocari *fratres*, quamvis ex diversis parentibus prognati sint. Et est à Nehmanno observatum Comment. in Num. c. 10. ea nomina, ut vocantur, adjectiva quæ in illiuscemodi verborum constructionibus posita sunt ultimis locis, referenda esse ad id cujus in ea oratione præcipua mentio est. Veluti cùm scriptum est Isa. 37. 2. ישעיהו בן אמוץ הנביא, sensus est, *Isaias filius Amoz propheta*, non *prophetæ*: de Isaia enim potissimùm illic agitur. Similiter Jer. 28, 1. חנניה בן עזור הנביא *Ananias filius Azoris propheta*. Rursus 3 Reg. 16. 7. ביד יהוא בן חנני הנביא *per Jehu filium Ananiæ prophetam*. Denique Num. 10. 29. לחובב בן רעואל המדיני *ad Hobab filium Revelis Madianitam*. Nam quòd Othoniel in Judicibus dicitur *frater Calebi minor*, q. inter liberos unius parentis comparatio fiat, id non est ità. Sed propter Calebi ætatem, quæ tum erat annorum plusquam 85, *minor* ille vocatur, qui novus fit maritus, & illius alterius gener.

18, 19. *Cùmque veniret ipsa; incitaverat autem illum ad petendum*, &c.] Quia Achsa verecundiâ quadam muliebri, & simul parentis reverentiâ, dotem aliam ipsa petere non audebat, virum incitaverat. Cùm ergò à patre domum vir eam ducturus in asinum imposuisset, desiliit rursus, nè sine dote meliore veniret. Itaque pater nondum à genero interpellatus precibus, illam quid velit interrogat. At R. Levi F. Gersonis in hanc sententiam verba ista explanat; Petiverat, inquit, sponsæ monitu Othoniel dotem à suo socero, atque impetraverat etiam. Sed cùm ager siccior doti dictus esset, illa insuper aquas poscebat quibus rigari fundus totalis posset; eámque ad rem temporis occasione utebatur. Solet enim parentum animus tum in filias esse indulgentior cùm eas nuptui collocantes tanquam amissuri videntur. Sed posset, omissâ conjunctione disjunctivâ, reddi verbum *incitandi* tempore non perfectè præterito, *Cùm veniret ipsa*, h. e. cum sponso suo domum duceretur, *incitabat sponsum ad petendum à parente agrum* meliorem, suâ tergiversatione scilicet, cùm *se rursus de jumento demitteret*. Atque hæc cæteris simplicior melióroque sententia videri potest. Plures enim proferri solent; quas nihil attinet annumerare: recidunt enim pleræque omnes eodèm: neque quid omnino dicatur obscurum est. Sed quod Latinus expressit, id sanè Hebræis verbis effici non potest, quanquam secutus ille quidem est, nisi fallor, interpretationem LXXII, quâ isti eundem hunc locum reddiderunt in Judicum libro 1. 14. Verbo autem *veniendi* בוא etiam Latini utuntur, cùm sponsam *domum duci* dicunt. LXXII hîc ἐκπορεύεσθαι, alibi εἰσπορεύεσθαι converterunt; quorum alterum ad parentis domum è qua, alterum ad sponsi, in quam, ducebatur potest referri. Sed illud obscurius est, quid verbum צנח significet. Quod nusquam, nisi fallor, in S. literis usurpatum alibi est, nisi in ista narratione, & illa de adacto per Sisaræ dormientis caput clavo Judic. 4. 21. Judæi partim *propendere ad casum* interpretantur; q. puella non descenderit in terram, sed descensum aut casum inclinato corpore minata sit: alii, *magnâ se vi dejicere*. Ego Chaldæi secutus fidem *demittere* dixi. Nam id ipsum significare, mihi certè, videtur, quando Jael narratur *clavum demisisse per Sisaræ caput in terram*, sicut palus malleo adactus pangitur videlicet. Nam de *suspiriis* non ausim LXXII interpretibus, quos Latinus est secutus, absque exemplo credere. Neque erat profectò quòd in eo miraretur pater si graviter gemebat filia, quæ ad novum maritum extrudebatur. Illud sanè credibilius, aliâ re majoris momenti simulatam ab ea esse retractationem, atque de asino descendisse in quem fuerat imposita ad iter. Sed ut ut hoc est, feminarum indoles avara & procax, animúsque, si qua cupido inciderit, effrænis impoténsque sui, denique artificiosæ querimoniæ, atque opportuna, importuna votorum solicitatio nobis in Achsa depingitur. ¶ *Benedictionem* ברכה interpretatur R. Solomon *victum*, sive *alimentum*: Chaldæus, per metonymiam, *possessionem*, aut *hæreditatem*: Kimhi, *accessionem fortunarum*: quæ ejus verbi propria est notio, ut ex iis constat quæ suprà sunt à nobis dicta, c. 14. 13. Existimat interim iste dici quoque rectè posse בְּרָכָה pro בְּרֵכָה esse scriptum, verbo ad vocalem unam modò immutato; ut *piscinam* significet, ex qua aridior ille fundus quem jam acceperat rigari posset. Sed enim certa & pervagata in S. literis res est, Morem fuisse priscis patribus ut solennibus votis favorem benignitatémque Dei suis liberis, pro cujusque conditione, veluti dispensarent, cùm ipsis assignarent suam hæreditatem; quam dispensationem vocabant ברכה h. e. *benedictionem*, ut nunc loquimur. Ad eum igitur morem alludere Achsam opinor; q.d. Nihil dum dotis abs te accepi: nam illud terrenum, quod doti dixisti, siccius est quàm ut fructuosum esse possit, nisi aquas quibus rigetur addideris. Conficitur autem ex hoc loco apertè, etsi filiæ paternorum bonorum hæredes non essent, veteri lege Num. 27. 7, 8. nisi nullos haberent fratres, tamen dotem ipsis dari solere cùm nuptui collocarentur; atque etiam fundos doti potuisse dici cùm illæ tribulibus suis nuberent; quod alioqui nefas erat, ut in libro Numerorum est constitutum c. 36. 6. ¶ *Solum Australe* siccum dici, exposuimus alibi c. 11. 16. ¶ Porrò illud נתתני dictum esse pro נתת לי censent Judæi. At LXXII ut scriptum est sic interpretantur, *dedisti me*; verùm illud ארץ הנגב putant præcisè dictum esse: præpositionem enim אל deesse. Hanc enim reddunt sententiam, *In terram Australem dedisti me*. Sed unus idémque est omnium sensus. ¶ גלות מים propriè *vertices aquarum* significat, opinor: Nimirum illas scatebras è quibus, quasi terræ venis, ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur. Græci λύτρωσιν ὑδάτων dixerunt, quam vocis notionem secuti nescio, nisi si positio hæc *libertatem* significat; quod Josephus alibi scriptum reliquit quidem Antiq. l. 5. c. 1. verùm ego adhuc ex S. literis conjicere non potui. Auxit ergò Calebus filiæ dotem scatebris duabus, quarum altera superiore loco, altera inferiore fuisse videtur. Neq; verò vulgare donum æstimari debuit jus eliciendi derivandíque aquas in suum agrum è fonte quopiam, cùm universa Chananæa siccior esset, & pluvialibus aquis opus perpetuò haberet, vel ipso Deo teste, Deut. 11. 11. Est enim minimè obscurum quanta fuerit priscis Patribus Abrahamo & Isaaco cum Chananæis contentio de aquis Gen. 21. & 26. Verùm si quis existimare malit non fontes modò sed agros, aut alia prædia, illis verbis esse significata, cum eo non pugnavero de re obscura & incerta. Porrò credibile est hanc promptam & facilem Calebi liberalitatem non tam filiæ precatione quàm præclarâ existimatione de genere sui Othonielis virtute provocatam esse; quippe quem divino quodam præsagio jam tum augurabatur futurum aliquando populi Ducem. Hæc enim, meo certè judicio, omnia sunt illius dignitatis præludia, & veluti rudimenta, quibus sensim gratiosus ille fit apud populum, & vulgi numero eximitur. Sic enim benignissimus Deus qui Ecclesiæ suæ utilitatibus in posterum quàm longissimè providet, varias & mortalibus plerumque incognitas digerit causas quibus arcana sua consilia ad rem in tempore deducat. Quare discamus illius Divinum judicium in rebus omnibus omni observantiâ colere &, tanquam nobis salutare, amplecti ex animo, etiamsi (quod sæpe fit) parùm nostris congruere votis videatur, existimantes non fortunæ libidine res nostras sed Divinâ providentiâ gubernari, eâ ratione quæ nobis optima sit maximéque expediat.

20. *Hæc est hæreditas tribûs filiorum Juda*, &c.] Repetitur illud quod ver. 12. dictum fuerat; quia quæ indè sunt adhuc narrata de Calebo & Othoniele atque Achsa, ea per digressionem & tanquam παρέργως dicta sunt propterea quòd ad Judaicæ hæreditatis distributionem pertineant, ut est antè à nobis explanatum.

21--31. *Eránt q; urbes ab extremo tribûs filiorum Juda*, &c.] Jam singillatim enumerãtur urbes quæ intra Judaicos fines

fines nuper descriptos exstabant, illis temporibus celebriores; non quidem, ut videntur, omnes ordine, sed plurimæ tamen. Earum magnus numerus certum est & luculentum fœcunditatis Promissæ terræ indicium. Nos singulas non persequemur describendo. Frustrà enim ea sumeretur à nobis opera, cùm quia multarum situs atque conditio non magnopere ad S. historias rectè percipiendas conducit, tum etiam quia à nobis ipsis parum cognitæ sunt; quod antè quoque sumus confessi. Fit autem catalogi initium ab eo ferè loco à quo & finium, h. e. ab ultima ora maris Mortui versùs Occidentem, ubi Chananæa est *Idumaea affinis*, propè apud extremam oram maris Mortui. Illic enim posita erat קבצאל *Kabseel* urbs natalibus Banaiæ filii Jojadæ, viri longè fortissimi, nobilis, 2 Reg. 23. 20. ¶ Hinc non aberat procul versùs Occidentem ערערה *Adada*; quam LXXII *Gadgada* appellant, Solent enim illi ferè Ain per suum Gamma repræsentare. Ejus monimentum fuisse scribit Eusebius libello De loc. Hebr. *villam* suâ memoriâ *in extremis finibus Daroma*, h. e. Austri, *qua Mortuo mari imminebat*. Est enim in eo libello pro *Gadda* scribendum, nisi fallor, *Gadgada*. ¶ קדש *Kedes*, ea, opinor, urbs est quæ *Cades-barnea* in finium descriptione dicebatur, prope Petram posita, ut alibi diximus. ¶ Porrò, חצור *Hasor*, trium urbium nomen est in hujus tribûs hæreditate. Nam alia est quæ v. 23. nominatur, alia quæ 25. Denique tertia, quæ etiam, חצרון *Hesron*, dicitur. Cur enim eadem una urbs in uno catalogo numeretur sæpius? LXXII mediam illam vocant *Hasor novam*; quippe vocem, חדתה *Hadatta* id significare arbitrati sunt: & eos secutus est Latinus. Estque eorum etiam astipulator R. Isaias: quod sanè miror. Certum est enim, istud verbum חדתה *Hadatta* Chaldæis quidem *novam* significare, at non item Hebræis. Quare rectiùs RR. Solomon Jarchi & D. Kimhi *Hadatta* propriam alterius urbis appellationem esse censuerunt. Ponit autem istam Hasor, quam dixi *Novam* ab aliquibus vocari, Eusebius *in finibus Ascalonis ad Orientem versùs*; alteram verò, quæ *Hesron* interdum nominatur, juxta Eremum; Pharan, opinor. At enim vocabulum חצר *Hasar*, quod plurium locorum propriis nominibus apponi solet, ut *Hasar-Sual*, *Hasar-Gadda*, &c. significat ea loca non esse muris cincta, sed pagos aut vicos esse. Sic enim ipse Moses verbum hoc est interpretatus in Levitico 25. 31, 32. ¶ Porrò זיף *Ziph* duarum urbium appellatio est in Judæ possessionibus. Nam altera ab hac diversa in locis montosis exstitit prope Carmelum Nabalis patriam, de qua suo loco plura, v. 55. Hæc verò ubi sita fuerit incertus adhuc sum. Planè tamen existimandum est in istis ad Austrum extremitatibus, in quibus adhuc versamur, exstitisse. ¶ טלם *Telem* suspicarer equidem eam esse urbem quam Eusebius appellat *Tela*, atque 16 millib. pass. ab Eleutheropoli rectà versùs Orientem locat; nisi ineptum videretur subitò ab extremitate Austri tam longè ad Orientem transilire. ¶ קריות *Carioth*] Existimat R. Isaias non esse proprium urbis unius nomen, sed *urbes* significare, eas videlicet quæ deinceps annumerantur. At hoc minimè consentaneum est interpunctionibus quibus S. verba distincta modò videmus. Quare credibilius est certæ urbis appellationem esse in his ipsis oris Australibus. ¶ באר שבע *Beer-saba* vulgus nunc vocat *Guiblin*. Aberat ea urbs à Gaza quatuor ferè horarum itinere, h.e. circiter 8, aut 10 millibus pass. non planè versùs Orientem, sed nonnihil ad Austrum, h. e. ferè ad Euronotum. Eusebius abfuisse eam ab Hebrone scribit 20 mill. pass. Sed qui illa loca peragrarunt, iter hoc plùs quàm longi diei spatio definiunt. Et sanè, si tridui via est ex Geraris, in qua regione etiam Gaza erat posita, usque ad montem Moriah, h. e. usque ad Jerusalem, Gen. 22. 4. efficitur, longiùs abesse Hebronem à Beersebea quàm 20 millib. pass. Est autem Beersaba rebus ab Abrahamo atque Isaaco gestis nobilitata. Ptolemæus eam vocat *Berzavam*: sic enim lego pro *Berzana*. Ab illo ergò urbis istius certissimus situs peti potest. ¶ חרמה *Herma* ille locus est, opinor, qui in Judicum historia 1. 17. צפת *Sephat* dicitur, apud ditionem Regis Arad, ubi Israelitæ memorabili strage ceciderunt Chananæos Num. 21. 3. cùm nuper ad montem Hor sepelivissent Aharonem Pontif. max. ¶ צקלג *Sicelag* priscis temporibus fuerat in ditione Regis Geth Philistini: à quo cùm David dono accepisset, mansit deinde Judæorum, ut est in Regum historia scriptum, l. 1. c. 27. v. 6. Pertinuit à Septentrione ad Amalecitarum fines, quantum certè apparet ex cladis narratione quâ est ab his vastata 1 Reg. 30. 1. ¶ מדמנה *Madmanna*, sive *Medemena*, haud procul aberat à Gaza. Posteri *Menoin* vocarunt, ut scribit Eusebius libello De loc. Heb. ¶ עין *Ain* Levitis dabitur. Videtur quidem Eusebius istam urbem collocare 4 millib. pass. ab Hebrone, & duob. mill. pass. à Terebintho sive Quercu Mamre, h.e. à tabernaculo Abrahæ. Sed ea descriptio urbis Enam est, ut mox dicemus. ¶ Neque verò eam etiam ejus auctoris conjecturam probare possum quâ urbem Judaicam רמון *Remmon* existimat exstitisse 15 millib. pass. ab Jerusalem. Mihi enim nulla dubitatio est quin adhuc commemoratæ urbes omnes in extremitatibus illis Australibus fuerint positæ, & quidem pleræque ordine, indè ab sinu ultimo maris Mortui usque propè ad Gazam & mare Mediterraneum.

32. *Omnes urbes viginti novem, & villæ earum*] Parùm rectè subducta ista urbium summa videri potest, quando non 29, sed 38, si Judæos plerosque, aut 37, si LXXII interpretes & Latinum, aut denique 36, si R. Isaiam sequamur, sunt enumeratæ. Sed respondent Judæi, Solas 29 in his fuisse Judæorum; cæteras verò novem, Simeonitarum, has scilicet, *Beer-sabe*, *Malada*, *Hasar-sual*, *Esem*, *Eltholad*, *Herma*, *Siceleg*, *Ain & Remmon*. Atqui nondum secernimus Simeoniticas urbes à Judaicis; Sed eam describimus regionem quæ ab stativis castris ad Austrum posita cùm esset, tota Judæis primâ sortitione obtigit. Probabiliùs ergò dici posse puto, In ista recensione quosdam etiam pagos sive vicos celebriores commemoratos esse, aut alia municipia; at quæ loca urbium nomine digna essent, ea 29 fuisse.

33, 34, 35. *In humili*; *Esthaol*, *& Sarea*, *& Asena*, &c.] Illud *in humili* est Hebraicè שפלה *Sephela*, quo verbo omnis *campus* & *planities* significatur: Quanquam ille campus qui circa Eleutheropolim longè latèque porrigitur, & עמק הרפאים *vallis*, aut *planities* potiùs, *Gigantum* in S. Historia dicitur, peculiari appellatione *Sephela* vocatus est posteris temporibus, ut suprà diximus. Igitur quæ urbes deinceps recensebuntur, eæ omnes in campis Judaicis positæ fuere; similiter atque eæ quæ pòst, in montosis locis. ¶ אשתאול *Esthaol* aberat ab Eleutheropoli, ut prodidit Eusebius, 10 millib. pass. quà ibatur Neapolim, h. e. ad Aquilonem versùs. Sed videtur ille auctor etiam urbem Esthaol ponere inter Ascalonem & Azotum. ¶ Urbi Esthaol vicina fuit צרעה *Sarea*. Estque inter istas urbes & natus & sepultus Israelitarum robustissimus vir Samson, Judic. 13. & 16. ¶ זנוח *Zanoam* idem Eusebius ponit in finibus Eleutheropoleos, quà itur Æliam. ¶ עין גנים *Engannim* plurium oppidorum nomen est. Sed id cujus hîc est mentio in finibus quoque Eleutheropoleos exstitit, propè ab Zanoa, ut credibile est. ¶ תפוח *Tapphua*, urbs à *pomo* dicta, maximo errore collocatur à Zieglero pari cum Rhinocolura ad Austrum gradu. Ea enim descriptio non huic urbi convenit, sed בית תפוח *Beth-tapphua*, quæ non in plano sed in monte exstabat, trans Raphiam 14 millib. pass. versùs Ægyptum, h. e. in illa Palæstinæ extremitate. Hæc autem nostra in campo illo posita erat quæ latè ad Eleutheropolim porrectus jacet. Est & altera Tapphua in Ephraimitarum hæreditate, de qua suo loco agetur. Sunt quidem qui Ptolemæi *Thenam* statuant fuisse Tapphuam; sed quàm verè nescio. ¶ עינם *Ænam* vocant Græci Ἠναείμ. Hanc Eusebius dicit abfuisse bis mille pass. à Terebintho sive Quercu Mamre, quater verò mille ab Hebrone atque

etiamnum illic exstare villam nomine *Beth-enim.* Verùm ego existimo istam nostram Ænam fuisse vicinam Thamnæ vico grandi inter Æliam & Diospolim; apud quam erat fons eodem nomine, frequens admodum cultu vicinorum populorum, cùm apud eum positum esset celebre simulacrum, ut proditum ab Eusebio est libello De loc. Hebr. ¶ De ירמות *Jarmuth*, sive *Jeremoth*, diximus c. 10. atque etiam de עדלם *Adollam.* Hanc putat Eusebius sitam fuisse 10 millib. pass. ab Eleutheropoli versus Ortum. Illic enim villam ait etiam nunc hoc nomen habere. ¶ שכה *Socho* autem nunc vicum esse scribit idem ille Eusebius, in campo, ad viam publicam, quâ ex Eleutheropoli itur Jerusalem, passu circiter novies millesimo. Addítque ibidem exstare alterum vicum illi cognominem in monte. ¶ Neque verò hinc procul distabat עזקה *Azeca*, quod tum ex iis quæ c. 10. diximus efficitur, tum ex Regum historia, in qua scriptum est *Palæstinos castra fecisse inter Socho & Azecam*, adversùs Israelitas, qui ad quercum Mamre substiterant, l. 1. c. 17. v. 1, 2. ¶ De גדרה *Gedera*, sive *Gadera*, & גדרתים *Gederothaim*, an vel Strabonis *Gadarim*, vel Ptolemæi *Gadoram* referant, nondum satis certus sum. Eusebius scripsit Gaderam esse nunc villam non procul à Quercu Mamre, sive Terebintho, versùs Jerusalem. ¶ *Urbes quatuordecim, & villæ ipsarum*, &c.] Neque hæc summa recensioni par esse videtur. Sunt enim urbes xv enumeratæ. Igitur R. D. Kimhi censet *Gedera* & *Gederothaim* unius urbis duo nomina esse. Rursus RR. Solomon & Isaias existimant *Ænam* non esse urbis appellationem, sed fontis apud urbem Tapphuæ, cujus erit proximo capite mentio. Verùm quando illud incertissimâ conjecturâ nititur, hoc verò vix credibile est, cùm ea Tapphua quæ fontem habebat non intra Judaicos fines sed apud Josephitas posita fuerit, probabiliùs dicamus, Inter ista nomina unum aliquod esse quod non urbem sed pagum sive aliud municipium significet; planè ut in superiore catalogo respondimus. Sed enim monendus semel hoc loco mihi lector est, Mirandum non esse si eadem nomina in diversis catalogis occurrant. Sunt enim ea diversis imposita locis. Nam Socho & Zanoa, quæ modò ut in campo sita oppida commemorata sunt, alibi dicentur in montibus esse collocata.

36--41. *Sanan, & Hadassa, & Magdal-Gad*, &c.] Quæ deinceps sequuntur urbes 16 sunt partim obscuriores in S. historia quàm ut earum situs & loca investigare conjecturis & consequi possimus: Quarundam verò positus est antè à nobis demonstratus: nam de *Lachi, Eglone, Maceda* egimus c. 10. ¶ Porrò חדשה *Hadassam*, scribit Eusebius hodie repræsentari ejus nominis vico apud Gufnas posito. Aberant autem Gufnæ stadiis circiter xxxv à Beth-horon inferiore. ¶ מצפה *Massepha*, sive *Maspha*, pluribus urbibus impositum nomen est. Sed eam quæ ad tribum Judæ pertinebat descripsit Eusebius his ferè verbis libello De loc. Heb. *Exstabat*, inquit, *Massepha tribûs Juda in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Æliam.* Rursus alio loco ait Maspham Judaicam fuisse urbi Cariath-Jaarim vicinam. ¶ Porrò יקתאל *Jektheel* urbs ubi fuerit non possum certò definire; quanquam probabile est in campo ab ista Massepha non procul abfuisse. Cæteroqui hoc idem nomen imposuit Amasias Rex præcipiti saxo cuidam, cùm de eo Idumæorum x millia dejecisset, quos ceperat vivos in bello. ¶ בית דגון *Beth-dagon*, i. *Dagonis ædes*, appellantur urbes duæ. Nam in Aseris tribu altera est, de qua dicetur c. 19. Hæc verò Judaica, si vera est Eusebii conjectura, posita erat inter Diospolim & Jamniam, ubi, ut ille ait, pagus exstat nomine כפר דגון *Caphar-dagon*, h. e. *Dagonis pagus.* Fuisse autem Dagonem apud Palæstinos celebrem deum, testatur S. historia, 1 Reg. 5.

42--44. *Lebna, & Ether, & Asan*, &c.] De *Lebna* diximus c. 10. ¶ Sed עשן *Asan*, quod est ac si *Fumum* dicas, videtur Eusebius existimare positam fuisse quo loco nunc vicus superest nomine *Beth-asan*, xv millib. pass. ab Ælia. ¶ De עתר *Ether* dicemus c. 19. ¶ נציב *Nesib* verò idem locat viâ quâ ex Eleutheropoli petitur Hebron, ad septimum lapidem; ¶ קעילה *Ceilam* autem, urbem Davidis habitatione nobilem, eâdem viâ, ad octavum circiter lapidem. Atque in hoc oppido ait monimentum Abacuc Prophetæ ostendi. ¶ Porrò מרשה sive מראשה *Maresa* urbis frequens est in S. literis mentio. Estque in primis celebrata clade Æthiopum, quâ eos affecit parvâ manu Asa Rex in valle Sephata ei vicina 2 Par. 14. Eusebius prodidit ipsam abfuisse ab Eleutheropoli bis mille pass. Est enim *Maresa* pro *Masera* scribendum in libello De loc. Heb. Et Hieronymus Præfatione in Vatem Michæam, cujus ista urbs patria erat, scripsit, ad suam usque memoriam vicum apud Eleutheropolim illius ruinas repræsentasse.

45, 46, 47. *Accaron, & filiæ ipsius, & villa ipsius*, &c.] Filiarum nomen equidem opinor pro *municipiis* positum esse. Chaldæus כפרנא h. e. *pagos*, interprteatur, q. utroque nomine significata sint loca non cincta muris. ¶ De עקרון *Accarone* diximus jam semel atque iterum, nobis fieri vero simile hanc eam esse urbem quæ jam olim existimatur fuisse Geth. Non dico arcem illam Bei-selea, quæ in excelsa rupe posita est; erat enim Accaron loco plano; sed urbem illi rupi vicinam: altiùs enim versus Septentrionem fuisse sitam Accaronem quàm Geth. Cæterùm qui nunc ostenditur Accaronis locus, sive ille urbis Geth fuerit sive verè Accaronis (nolim enim cum quoquam pugnare) is non longè a mari abest, mediâ circiter viâ inter Bethsames & Azotum, à quibus utrinque distat millib. pass. plùs minùs x. Et illam quidem spectat ab Oriente positam, hanc verò ab Austro. Sed ut ut hoc est, describitur hisce versiculis universus ille tractus Philistinorum ab Accarone secundùm littus maris usque ad ultimam Palæstinæ oram, quæ prope Rhinocoluram, ut diximus, parvo Nili brachio terminatur. In Accarone μυίαγρος sive בעל זבוב *Beel-zebub*, in Azoto Palæstina Venus, h. e. quarta Venus sive Astareta, singulariter colebantur, nefariis superstitionibus. ¶ De *Gaza* quoque & *flumine Ægypti* satis multa suprà sunt à nobis dicta. ¶ Porrò illud, *Mare magnum & terminus*, præcisè dictum est; deest enim pronomen; dicendúmque plenè est, *Mare magnum & terminus ipsius:* quod à Chaldæo est explicatum. *Terminus* autem *Maris* est ipsum maris littus cum suis urbibus & pagis villísque. Nam quod R. Solomon existimat *insulas* dici *maris*, id non est ità; quando prorsus similiter de *Jordane* & *ejus termino* scriptum antè est, quod sanè de insulis, quæ nullæ in Jordane erant, accipi non potest.

48--60. *In monte quoque, Samir, & Jether, & Socho*, &c.] Adhuc enumeratæ sunt urbes campestres, Nunc porrò quæ exstabant in excelsioribus locis. ¶ שמיר *Samir* à LXXII vocatur *Saphir.* Nam, nè mendum esse putemus, ipse etiam Eusebius sic nominat; locátque inter Eleutheropolim & Ascalonem. ¶ יתיר *Jether* verò exstitisse scribit juxta Malatham, 20 millib. pass. ab Eleutheropoli ad Daroma interiùs, h. e. ad Notum, sive Meridiem, aut potiùs Euronotum. Illic enim suâ memoriâ reliquam fuisse hoc nomine villam à solis Christianis hominibus cultam. ¶ De שכה *Socho*, quæ in monte exstabat prope alteram in plano positam dicebamus nuper. ¶ De דביר *Dabira*, quæ hoc loco dicitur קרית סנה *Cariath-senna*, quo loco exstiterit, dictum suprà semel atque iterum est. Plerique putant à *spinis* nomen hoc ei urbi datum esse. Atqui *spina* non סְנֶה sed סְנָה vocatur ab Hebræis. Quapropter ego probabili, ut mihi videor, conjecturâ auguror literam Samech pro Schin positam in hoc nomine esse; ut illæ sæpe solent inter se commutari; atque prorsus eandem esse hujus nominis enodationem quæ illius alterius, קרית ספר erat. Nam verbum שנן ad literatorum hominum disputationes disceptationésque spectat in Deuteronomio 6. 7. atque apud Doctores Hebræos. Et sanè LXXII similiter explicarunt utramque appellationem. Nam ut

קרית

קרית ספר קרית סנה ita interpretantur πόλιν γραμμάτων *urbem literarum.* ¶ Porrò ענב *Anab* sita erat, inquit Eusebius, in finibus Eleutheropoleos, ubi adhuc vicus ejus extat. Sed nos de ea diximus superiùs nostram sententiam. ¶ Idem ait אשתמה *Esthemo* etiamnum esse prægrandem Judæorum vicum in Daroma, h. e. ad Austrum, pertinentem ad Eleutheropoleos regionem. ¶ ענים *Anim* quoque in Daroma vicum esse Christianorum circiter 9 millib. pass. ab Hebrone positum. ¶ De גשן *Gosen* diximus c. 10. in extremo. ¶ ארב *Arab*, aut *Ereb*, ut LXXII proferunt, similiter in Daroma exstabat, h. e. in illa regione quæ ab Hebrone versùs Meridiem jacet, &, ut autumat Eusebius, dicebatur eo seculo *Heromith*. ¶ Idem ait urbem דומה *Dumam* quoque in Daroma sitam fuisse 17 mill. pass. ab Eleutheropoli. LXXII hanc *Rumam* vocant: legerunt enim Resch pro Daleth. ¶ בית תפוח *Beth-Tapphua* trans Raphiam exstabat in Palæstinæ extremitate, ut suprà diximus, cùm de Tapphua disputaremus. אפקה *Apheca* nomen est plurium urbium per Chananæam. Sed ista Judaica ubi locorum fuerit non possum certò dicere. Est tamen credibile, ut in ipsa recensione cum Beth-tapphua conjungitur, ità loci quoque spatio vicinam ei fuisse. ¶ De *Cariath-Arba* antè dictum est. ¶ ציער *Sior* erat, inquit Eusebius, inter Jerusalem & Eleutheropolim sita. ¶ מעון *Maon* autem in Daroma, sed versùs ortum Solis, h. e. in ea Chananææ parte quæ ad Austrum tendit, prope maris Mortui extremitatem. Credibile igitur est ab hac urbe nomen positum esse illi deserto in quo David latebat cùm à Saule profugisset, 1 Reg. 23. 25. Nam in hoc quoque eminebat ille mons כרמל *Carmelus* cujus hîc oppidum Nabalis patria commemoratur; quod ab Hebrone circiter 10 millia pass. aberat, ferè ad ortum Solis, ut proditum ab Eusebio est. ¶ זיף *Ziph* autem duobus millibus pass. erat Hebroni quàm Carmel vicinior: quæ urbs suo etiam monti nomen dedit. Neque hinc longè distabat collis ille חכילה *Hachila*; quantum certè de proditione Ziphæorum conjici potest 1 Reg. 26. 1. sed de hoc mox. ¶ Rursus יוטה *Jota*, quæ Levitis dabitur, decimo octavo lapide ab Eleutheropoli recedebat ad Daroma, h. e. Austrum. ¶ יזרעאל *Jezreel* ista Judaica nullis certis conjecturis à me inveniri adhuc potuit. Longè enim alia est illa Manassensium, à qua magnus campus *Ezdrelon* nominatus esse videtur. ¶ זנוח *Zanoam* recensuimus nuper inter urbes campestres. Est ergò ista diversa, & fortassis prope illam in excelsiore posita loco; similiter atque de duabus Socho dictum est. ¶ גבעה *Gabaa* ista Judaica sita erat, ut videtur Eusebius significare, prope Maonem, de qua nuper dicebamus. Unde auguror eam esse urbem quæ in Regum historia l. 1. c. 23. v. 19. vocatur גבעת החכילה *Gabaa*, sive *collis*, *Hachila*, cujus etiam nuper memini. ¶ De תמנה *Thamna* diximus in describendis finibus Judaicis ad Aquilonem. ¶ חלחול *Halhul*, sive, ut LXXII dicunt, *Elul*, suspicatur Eusebius repræsentari villâ quadam *Alula* nomine, non procul ab Hebrone, sed versùs Æliam. ¶ Idem prodidit בית צור *Beth-sur* non unam videri urbem esse in Judæorum possessionibus. Unam enim exstitisse ad vicesimum lapidem, viâ quâ ex Ælia petitur Hebron, h. e. proximè apud Hebronem; eique nunc vulgò nomen esse *Beth-soron*. Vicum enim superesse, juxta quem ebulliens fons ad ipsas montis radices mox absorbetur humo: atque in hac aqua baptizatum esse à Philippo Eunuchum illum reginæ Candacis, Act. 8. 36. Alteram verò passibus non plùs mille distare ab Eleutheropoli. Utra autem nostra ista sit, Deus viderit. Certè prior propiùs abfuerit ab Halhul, apud quam recensetur. ¶ גדור *Gedor* superest in prægrandi pago, cui nomen est *Gedrus*, ut existimat Eusebius, 10 millib. pass. à Diospoli, viâ quæ ducit Eleutheropolim. ¶ אלתקן *Elthekon* alibi dicitur אלתקה *Eltheke*. Sed quo sita fuerit loco non queo conjicere. Temere enim à Zieglero locatur 9 millib. pass. ab Jerusalem versùs Austrum. Imprudens enim Thecuam patriam Vatis Amos ille pro Elthecon describit. ¶ De קרית יערים *Cariath-Jaarim* antè dictum semel iterúmque est. Est autem ex isto loco manifestum, ipsam in monte, aut certè colle, positam fuisse.

61, 62. *In deserto, Beth-Araba, Meddin, &c.*] Post annumeratas urbes quæ altioribus locis exstabant recensentur ea quæ in locis desertis fuere positæ; qualia loca Hebræi מדבר dicunt, h. e. ut Kimhi exposuit, quæ vasta sunt, neque coluntur aut habitantur; aut quæ solis pecoribus nutriendis utilia sunt, non etiam segetibus; sive ab hominum cœtibus sint remota, sive aliquot habeant civitates atque pagos. ¶ De בית ערבה *Beth-araba* diximus in finibus Aquilonaribus. ¶ עין גדי *Engaddi* aliàs dicebatur חצצון תמר *Hasason-Thamar*, 2 Par. 21. 2. à *lapillis dactylorum*; aut, ut alii censent, à *densatis* illic *palmis* arboribus. Nam, ut Plinius l. 5. c. 17. de ista urbe scripsit, fuit olim *secunda ab Jerosolymis fertilitate atque palmetorum nemoribus*, antè videlicet quàm loca ista omnia longè latéque circum Sodomam & hujus culpæ socias urbes jacentia cœlesti afflarentur incendio. Locat autem Plinius Essenos, quantum pestilens aura patitur, ad maris Mortui Occiduum littus proximos; deinceps infra illos, Engaddam. Habet hæc ab Austro propinquum desertum Cades; ab Occidente, Maon; at juxta se longo procurrentes jugo versùs Septentrionem & Meridiem montes quos vulgò *montes Engaddi* nominant, mirabiliter præruptos, & variis anfractibus atque præcipitiis horridos, ipsóque aspectu fœdos. Proditum autem est libello De loc. Hebr. hîc etiam opobalsamum colligi, atque ab hoc fructu per translationem *vineas Engaddi* à Solomone in Canticis 1. 14. celebrari. Qui ea loca peragrarunt narrant arbores quæ his locis propiùs ad littus Mortui maris nascuntur, specie quidem pulcherrima proferre poma, sed quæ discerpta intus favillâ & cinere plena sint: ut etiam nunc Dei iram quâ urbium illarum scelera persecutus est agnoscamus. Sunt qui ab En-gadda ad Jerusalem stadia metiantur 300, h. e. passus tricies septies mille & quingentos. Sed de En-gadda hactenus.

63. *Et Jebusæos incolas Jerusalem non potuerunt filii Juda, &c.*] Tum ex superiore finium Judaicorum designatione tum ex iis quæ c. 18. dicentur certissima res est, urbem Jerusalem intra fines Benjaminis fuisse positam. Jure ergò miretur quivis in eo quòd memorantur Judæi pellere non potuisse illinc Jebusæos: Et sanè in Judicum historia 1. 21. de Benjaminitis planè id dicitur quod hîc de Judæis: sic enim illic scriptum est, *Et Jebusæos habitatores Jerusalem non expulerunt filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque ad hunc diem.* Ad hoc, urbem istam sacris dicatam ceremoniis habituros Benjaminitas esse prædixerat moriturus Moses his verbis, Deut. 33. 12. *Dilectus Domini habitat securè apud ipsum: Tegetur enim ab eo totâ die, & inter humeros ipsius morabitur.* Rursus Judæorum fuisse eam habitationem apertè cecinit Vates sacer, cùm diceret, Psal. 78. 67. *Et repudiavit tentorium Josephi: neque tribus Ephraim ipsi placuit. Sed elegit tribum Judæ, montem Sion, quem amabat; Et exædificavit ad instar excelsorum ædificiorum sacrarium suum, sicut terram, quam in perpetuum stabilivit.* Hanc ergò controversiam dijudicari rectè posse existimant quidam, si statuamus urbem istam in medio relictam fuisse. Atqui id designati limites Benjaminiticarum possessionum apertè refellunt. Alii ergò utrique tribui suas in ea partes assignant, quà excelsiores, quà submissiores. sed interim de eo loco in quo sacra ædes est exstructa mirificè digladiantur inter se, dum alii eum Judæis, alii Benjaminitis attribuere nituntur. Sed quis nescit Davidem redemisse eam aream atque id solum à Jebusæo Areuna? 2 Reg. 24. 24. Verùm enimvero credibile est atque etiam probabile, plerasque urbes mutatas plurimùm esse postquam in Israelitarum potestatem sunt redactæ. Quod sanè imprimis existimari de Jerusalem debet, quæ absque dubitatione ex angusto oppido in amplissimam exstructa est civitatem postquam eam Deus tanquam peculiarem

liarem habitationem sibi delegit. Cùm igitur ille qui posterioribus temporibus sacram historiam universam, ut alibi dixi, supra Præfat. per annales & diaria atque alia commentaria priùs dispersam collegit, & in eos libros quos nunc habemus digessit composuitque, iis locorum nominibus ferè utatur quæ in vulgus ejus seculi pervulgata fuerunt atque usitata, non mirum est si eandem unam urbem à diversis tribubus possessam videamus, cùm olim duæ fuerint, quæ deinde unis sunt mœnibus inclusæ. Sed de hac re dicendum iterum erit cap. 18. ¶ Quod porrò dicitur, *filios Juda non potuisse expellere Jebusæos*, videtur fortissimæ & regiæ tribûs gloriam plurimùm obscurare, nè dicam, pugnare etiam cum Dei promissis felicissimi ubique successûs. Doctores Hebræi igitur Tractat. פרקי ר׳ אליעזר *in capitulis R. Eleazaris*, quorum sententiam multis hîc verbis explicavit Kimhi, existimant ista non ad vires Judaicæ tribûs spectare, sed ad jus & fas. Neque enim licuisse Israelitis vexare armis Jebusæos propter fedus quod Abimelech cum Abrahamo fecerat, Gen. 21. Jebusæos enim istos fuisse Abimelechi nepotes; neque *Jebusæos* à Chanaanis filio, sed ab urbe quam incolebant, vocatos esse: Porrò Davidem eo federe non fuisse obstrictum, quando jam tum sanguinis illa propinquitas, cui pacem securitatémque ab Abrahamo depectus fuerat Abimelechus, longiore nascendi serie esset prætenta atque exstincta. Sed quis det Doctoribus Hebræis, quod ipsi sumunt, hos Jebusæos non fuisse Chanaanis sed Abimelechi posteros? Omissis ergò commentis anilibus, existimemus quod res est, Judæos, sicut etiam plerasque alias tribus, post Josuæ excessum, suâ sibi socordiâ ipsos obstitisse, atque etiam suis sceleribus promeritos esse ut hostibus suis essent inferiores. Similiter enim atque fortunam prosperam pollicitus fuerat Deus si pietatem adversùs se colerent, minatus erat etiam adversa omnia si sua jussa violarent. Et quid opus est puerilibus nugis contaminare S. literas, quando Deus ipse apertè testatus est in Judicum historia cur hostes suos eliminare nequirent Israelitæ. Loquitur enim ad hunc modum, Judic. 2. 20. *Quia*, inquit, *peccavit gens ista, violando fedus meum quo obstrinxeram majores ipsorum, neque obsecuti sunt voci meæ, non pergam expellere à facie ipsorum ullum hominem earum gentium quas reliquit Josua moriens: ut tentem per eas Israelem*, &c. Manebant ergò Jebusæi invitis tum Judæis tum Benjaminitis: facilè enim se tutabantur munitionibus arcis Sion; cùm etiam Davidi insultare non vererentur, post tot illius gloriosissimas victorias; quasi nè cæcis quidem & claudis illam defendentibus ipse expugnare posset, 2 Reg. 5. ¶ De clausula *usque ad hanc diem* sæpe diximus. Neque verò hinc efficitur, ante Davidis Principatum hunc commentarium esse conscriptum. Nam nec David prorsus eliminavit Jebusæos. Erat enim Jebusæus Areuna, à quo solum ædificandæ sacræ domui argento ipse, quamvis jam tum Rex esset, redemit. Sed existimandum tamen est, subactos à Davide Jebusæos inibi mansisse nullos nisi qui ut in jus ditionémque ità & in sacra atque religionem Israelitarum concessissent: Qualem fuisse Areunam non obscurè præ se ferunt ejus ipsius verba, quibus Davidis voluntatem sacrificandi in sua area prosequitur, in Regum historia, l. 2. c. 24. v. 22. Igitur, ut præsentem narrationem ἀναγωγῇ concludamus; Quòd Judæi non expulerunt Jebusæos, id cum illa Christi de Zizaniis parabola, Matth. 13. conferri rectè posse existimat Adamantius. Sed, mihi certè, dissimillima ista videntur. Neque enim illi Jebusæos Tritici, h. e. proborum hominum, gratiâ manere sinebant; sed exstirpare nequibant. Magis igitur consentaneum est ut existimemus illiusmodi narrationes memoriæ proditas à Spiritu S. esse atque nostris animis inculcatas, ut intelligamus quanta nobis ipsi comparemus incommoda dum nostris vitiis clementissimam Dei voluntatem à nobis abalienamus. Eo enim fit ut nos inter reprobos, h. e. eos quos ipse rejecit, vivere sinat; è quorum contubernio atque contagiosa consuetudine dum nosmet expedire nequimus, sæpe unà cum ipsis ad æterna abripimur supplicia. Sed si quis omnino τῇ ἀναγωγῇ delectatur, dicamus, Domestica animorum nostrorum vitia Jebusæos esse; quæ nostrum Judaismum h. e. fidei & pietatis adversùs Deum professionem variis modis perturbant, vexant, proculcant; (habet enim *Jebusæus à calcando* nomen) neque tamen nostris illa viribus expelli possunt. Davide opus est: Is est Christus Jesus ex Davidis sanguine ortus. Sed neque is illa prorsus exterminat, verùm subigit; ut in fidei pietatísque nostræ ditionem concedant. Sed hæc hactenus. Non enim propositum nobis est allegoriis insistere, quod sæpe diximus, sed S. contextum pro ingenii modo explicare.

IDEM.

1. Locorum nomina ubique esse corruptissima sæpe monuit D. Hieronymus: quò ego fastidiosiùs in ipsis emendandis sum versatus. Sed utinam hanc saltem à lectore habeam gratiam, ut istis meis laboribus amico animo faveat: quod sanè facere debebit, si sibi fructuosos esse senserit. Sed ut rem aggrediar: Post φυλῆς suggerit ed. m. ✱ υἱῶν ⁄. ¶ Πρὸς νότον expungenda sunt: nam pro iis dixerunt LXXII ἕως Κάδης.

2. Pro ἐπὶ νότον scribe ἐπὶ λίβα.

3. Scribe προσαναβάσεως, continuâ dictione. ¶ Pro Σενὰ scribe εἰς Σίν. ¶ Ubi est, ἀπὸ νότου ἐπὶ λιβὸς, ἐπὶ Κάδης, scribe ἀπὸ λιβὸς, ἐπὶ Κάδης· cætera verò expungito. ¶ Illa, καὶ ἐκπεπορεύεται τὴν κατὰ δυσμὰς Κάδης, omittit Syrus. At Vat. & Compl. iis retentis, rejiciunt quæ sequuntur, nempe, καὶ ἐκπεπορεύεται Ἀκαρκὰ, sive εἰς Καρκὰ, ut legit Syrus. Utri meliùs, non satis possum constituere. Symmachus pro Καρκὰ dixit γῆν nam Hebræis קרקע *solum* sive *terra* est.

4. Αὐτοῦ est collocandum post ὅριον, & signandum obelisco: quod, si mihi per exemplaria liceat, expungam: suspicor enim certè errore adscriptum olim esse inter S. verba.

5. Πᾶσα jugulandum est veru. ¶ Post ἕως suggerit ed. m. ✱ μέρους ⁄ τοῦ Ἰορδάνου. ¶ Cùm dicitur καὶ τὰ ὅρια αὐτῶν, notetur etiam hoc pronomen obelisco; atque etiam Conjunctiones, καὶ, cùm deinceps sequitur, ÷ καὶ ⁄ ἀπὸ τοῦ λοφίας, &, ÷ καὶ ⁄ ἀπὸ τοῦ μέρους, &c.

6. Pro Βαιθαγλαὰ scribe Βηθαγλαὰ. Symmachus hoc proprium loci nomen interpretatus, dixit, ἐν τοῖς πεδίοις. ¶ Pro ἐπὶ λίθου Βαιὼς scribe ἐπὶ λίθον Βαιών.

7. Pro ἐπὶ Δαβηρὰ τοῦ φάραγγος est in bonis libris ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς φάραγγος: atque ità Syrus locum istum reddidit. Nimirum legerunt LXXII רביעה pro דבירה. ¶ Suggeritur in m. ed. loci nota, hoc modo, καὶ ✱ κατὰ βορρᾶν ⁄ κατέβαινε. &c. ¶ Pro προσβάσεως scribe προσαναβάσεως, & pro Ὀδδαμὶν, Ἀδωμίμ. ¶ Pro κατὰ νότον repone λίβα. ¶ Post διεκβάλλει additur in m. ed. ✱ τὸ ὅριον ⁄.

8. Εἰς φάραγγα, hîc suggerit mixta ✱ υἱοῦ ⁄. ¶ Pro ἐπὶ νότου scribe ἐπὶ νώτου *super dorsum*. ¶ Pro Ἐννὸν scribe Ἐννόμ.

9. Scribe ἀπὸ κορυφῆς. Mox, καὶ διεκβάλλει ὄρος Ἐφρών, Vat. habet, καὶ διεκβάλλει εἰς τὸ ὄρος Ἐφρὼν atque ità puto eum locum à LXXII esse redditum. At in m. ed. suggestis verbis, quæ prætenta fuerant, sic est concinnatus, καὶ διεκβάλλει ✱ ἐπὶ κώμας ⁄ ὄρους Ἐφρών. Apud Compl. tamen verbum est futuri temporis, διεκβαλεῖ.

10. Cùm dicitur, ÷ καὶ περιελεύσεται ⁄ εἰς πόλιν Σηείρ, debet copula cum verbo jugulari veru; & pro πόλιν scribendum est ὄρος. ¶ Pro ἐπὶ νότον πόλιν Ἰαρίμ, ἐπὶ βορρᾶν scribe ἐπὶ νώτου πόλεως Ἰαρὶμ, ἀπὸ βορρᾶ. ¶ In extremo, pro ἐπὶ νότον scribe ἐπὶ λίβα: sic enim LXXII תמנה *Thamna*, quod est urbis proprium, sunt interpretati: nimirum quia תימן *Austrum* significat.

11. Pro κατὰ νότον Ἀκκαρὼν repone κατὰ νῶτον Ἀκκαρών. ¶ Scribe Σακχαρωνὰ, sublato κ. Mox, dum est in vulg. libris ὅριον γῆς, scribe ὅριον τὸ. ¶ Pro Ἰαβνὴλ habent Compl. Ἰαμνὴλ. Sed Græci literas β & μ sæpe inter ipsas commutant.

12. Pro θάλασσα αὐτῶν ἀπὸ θαλάσσης legit Syrus ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη ὁρίζει· & rectè meo certè judicio.

13. Scribe

13. Scribe Ἰεφοννῆ, ablatâ literâ θ, atque ita inferius quoque. ¶ Illud, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ Ἰησοῦς, debet jugulari obelisco. ¶ Pro πατρὸς Ἐνὰκ habet Vat. & Compl. μητρόπολιν Ἐνὰκ atque ea scriptura videtur etiam Origeni placuisse, illud tamen consentaneum magis est Hebræo; idque Syrus reddidit: alteram tamen scripturam per limniscum indicavit: sicut etiam Ἀρβὸκ esse in nonnullis libris pro Ἀρβοὶ.

14. Υἱὸς Ἰεφοννῆ notetur obelo. ¶ Cùm dicitur καὶ τὸν Σεσσαῒον, scribe absque copula, τὸν Σεσαΐ. Et mox, scribe Ἀχιμὰν. ¶ Post Θολμαὶ est in mixta additum * γεννήματα τοῦ Ἐνὰκ ⸓.

15. Χαλὲβ, debet obelo jugulari. ¶ Cùm dicitur, ἦν πόλις, sublato verbo ἦν, reliquum scribe mutato ordine, τὸ πρότερον, Πόλις γραμμάτων.

16. Vat. habet, ὃς ἂν λάβῃ, καὶ ἐκκόψῃ τὴν, &c. verùm ei non suffragantur alia exemplaria, neque mihi dubium est quin ex margine illud irrepserit in ordinem verborum, cùm quispiam verbum יַכֶּה h. e. *percutiet*, sic esse interpretandum privatâ annotatione significasset. ¶ Cùm dicitur, καὶ δώσω, aufer copulam. Et pro Ἀχὰν scribe Ἀχσὰν, & ita ubique.

17. Ὁ ἀδελφὸς, articulus est expungendus. In Vat. est gignendi casus ἀδελφοῦ illud verò, ὁ νεώτερος, abest: verùm neque hic astipulatores ei sunt alii libri: & Origenes sic legit istum locum ut est in vulg. libris. Est quidem Hebræum anceps, neque in eo illud est, ὁ νεώτερος, hoc loco, sed est ex Judicum historia huc importatum, atque ideo signandum obelisco. Quâ notâ jugulari etiam debet pronomen αὐτῷ positum secundo loco.

18. Λέγουσα debet habere appositum veru.

19. Αὐτῷ, juguletur obelo. ¶ Cùm dicitur, εἰς γῆν νότε, habent Compl. & Vat. εἰς γῆν Ναγὲβ, servato verbo Hebraico: & eam scripturam esse in quibusdam exempl. annotavit per limniscum Syrus. ¶ Καὶ ἔδωκεν αὐτῇ Χαλὲβ, jugulandum est nomen Χαλὲβ obelo.

20. Post υἱῶν Ἰούδα suggeritur in mixta hæc verborum clausula, * κατὰ δήμους αὐτῶν ⸓.

21. Quæ porrò sequuntur, ea corruptiora confusioraque sunt quàm ut commodè per versus singulos possim procedere. Quare constituam certa spatia longiora per quæ decurram ordine, tanquam per versum unum, ne nimis sæpe insistendo & mihi & lectori sim molestus. Esto igitur primum spatium à v. 21. usque ad 32. Illud αἱ πόλεις αὐτῶν, quod occurrit v. 21. jugulandum veru est. Mox ubi est in vulg. libris, πόλις πρώτη φυλῆς, scribe numero plur. πόλεις πρὸς τῇ φυλῇ, &c. ¶ Pro ἐπὶ τῆς ἐρήμου legit Syrus ἀπὸ τοῦ λιβὸς quæ scriptura, meo judicio, proba est: sed sententia ferè eadem est. Nam *desertum* pro *Austro* usurpatur in terræ Sanctæ situ describendo, quia versus Ægyptum maxima solitudo ei est opposita. ¶ Pro Ἐδραὶ scribe Ἐδὲρ & pro Ἀσωρ, Ἰαγοὺρ, v. 22. V. 23. cùm dicitur καὶ Κάδης, scribe deinceps nomina sic, καὶ Κάδης, καὶ Ἀσὼρ, καὶ Ἰθνὰ, Ζὶφ, καὶ Τελὲμ. ¶ Post Βαλὼθ adde illa καὶ Ἀσὼρ ἡ καινή. Deinde perge, καὶ πόλις Ἐσρὼν. ¶ Post αὕτη suggeritur in mixta * ἐστὶν ⸓. V. 26. Pro Σεμὰ scribe Ἀμὰμ, & expunge illud, καὶ Θαμαὰ atque pro Μωλαδὰ scribe Μωλαδὰ. Illud verò, καὶ Ἀσαρὰδ, jugula obelo: non est enim iste ejus locus. Nam v. 28. rursus dicitur, nomine pleniore, Ἀσαρσουλὰ. ¶ Scribe Ἐσεβοὺλ. Sic enim etiam Eusebius habet hoc nomen in Locis Hebr. Quæ autem hic sequuntur in vulg. libris, nempe, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν, ea prorsus auferenda è medio sunt. V. 29. Pro Βακὼκ, legit quidem Syrus Ἐλὶμ, Compl. Αὐλὶμ, sed Βαλὰμ, nisi fallor probum est: sic enim locus ille etiam ab Eusebio est appellatus. V. 30. Pro Ἐλβωλὰδ repone Ἐλθωλὰδ nam mendosè puto in Eusebii libello illo De locis esse scriptum *Elolath*, est enim opusculum illud mendosissimum. ¶ Pro καὶ Χασὶρ scribe * Χεσὶλ ⸓, sic enim appellatur ille locus etiam ab ipso Eusebio, sed debet, ut adscititium, asterisco hoc signari. ¶ Illa, καὶ Μαχαρὶμ, καὶ Σεθεννὰκ, καὶ Λαμαὼθ, καὶ Σαλαλὴν sunt auferenda è medio. ¶ V. 32. Pro καὶ Ἀλβὼν, καὶ Σελεμεεὶμ, scribendum est, καὶ Λεβαὼθ, καὶ Σελεὶμ. ¶ Scribe ἐννέα καὶ εἴκοσι, interpositâ copulâ.

Secundum spatium constituatur usque ad v. 39. ab 33. Igitur v. 33. pro Σαραὰ scribe Σαραὰ. ¶ Illud, καὶ Ῥαμμὼ, expunge. ¶ Pro Ὀγγονεὶμ scribe Ἡνγονείμ. ¶ Καὶ Νεμρὶ auferendum est. ¶ Pro Ἀδιαθαΐμ scribi debet Ἀδιαθαΐμ. ¶ Cùm dicitur, καὶ αἱ πόλεις, expungatur copula.

Jam verò pergamus sine interspiratione à v. 39. usque ad 48.

Igitur v. 39. pro Ἀγκὼμ scribe Λαχὶς & v. 40. pro Χαββὰν, Χαβὼν. V. 44. pro Κειλὰ scribe Κεϊλὰ & pro Ἀχχὶμ, Ἀχζὶβ, aut Ἀχζίμ. Nam, ut memini me dicere, sæpe commutantur literæ β & μ. ¶ Καὶ Μαλαὼμ expungatur. ¶ V. 46. καὶ ἀπὸ, expunctâ copulâ, scribe ἀπὸ Ἀκκαρὼν, καὶ εἰς θάλασσαν, * καὶ ⸓ πᾶσαι, &c. atque hæc copula habeat appositum obelum. Notat tamen Syrus in quibusdam libris esse ἀπὸ Ἀκκαρὼν Γεμναὶ, καὶ πᾶσαι, &c. Compl. utramque scripturam simul proferunt, mendosa, opinor, exemplaria secuti: debet enim omnino altera omitti. Habent autem Compl. ἀπὸ Ἀκκαρὼν καὶ εἰς θάλασσαν Ἰεμναὰ, καὶ πᾶσαι, &c. Quæ verò deinceps sequuntur sunt ad hunc modum scribenda, πλησίον Ἀσδὼδ, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, atque hic est insistendum. Deinde inchoandus versus 47. his verbis, Ἀσδὼδ καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῆς. Γάζα καὶ, &c. Et hactenus tertium spatium confecimus.

Porrò quartum constituatur usque ad v. 58. In hoc spatio primùm, v. 48. pro Σαφεὶρ habent quidam libri Σαμεὶρ, hoc est, Hebræo magis consonum, illud autem ab Eusebio in lib. De locis Hebr. proditum est. V. 50. Pro Ἀνὼκ habent Compl. Ἀνεὶμ, & rectè: nam sic sonat Hebraica vox, & sic nominatur is locus ab Eusebio. V. 51. Pro Χιλουὰ scribe Χολὼν, sic enim est apud Eusebium. Syrus tamen videtur Χολὼν legisse: & hujusmodi vocalibus utitur Hebræus. V. 52. In Ῥεμὰ reddiderunt LXXII literam ρ pro Hebraico Daleth; sicut paulò antè quoque dixerunt Ῥεννὰ pro Δαννὰ, est enim in Hebræo Δουμά. V. 53. Pro Βηθθαπφοὺ repone Βηθθαπφοὺ. V. 54. Pro Σαρθὶ scribe Ἀρβὶ, ablatâ literâ σ. V. 55. Pro Χερμὲλ scribe Χερμέλ. V. 56. Pro Ἐζεαὲλ, Ἰεζραὲλ. Pro Ἰεκδαὰμ, Ἰεκαδαὰμ. Quod autem deinceps positum nomen est, debet diduci in duo, hoc modo, καὶ Ζανώ. Initio versûs 57. collocandum est Ἀκὶμ. ¶ * Καὶ ⸓ Γαβαὰ, ubi copula est obelo jugulanda. ¶ Illud καὶ Ἐδνὶ, abolendum est.

Porrò quod sequitur spatium extendetur à v. 58. usque ad capitis finem. Ergò v. 58. Pro Αἰλοὺ scribe Γεδὼρ. Quæ porrò deinceps sequuntur v. 59. post illa verba, πόλεις ἕξ usque post illa verba πόλεις ἕνδεκα, ea sunt omnia in Syro obeliscis jugulata. Hieronymus quidem Commentariis in Michæam censet fuisse à LXXII scripta: verùm non liquidò se scire ait num post sint de veteribus libris Hebraicis malitiâ Judæorum erasa, nè Christus de tribu Juda ortus videretur; an verò, ut multa, supra Hebræum, addita ab ipsis LXXII. Est autem in iis pro Θεκὼ scribendum Θεκωὲ, & pro Βηθὴρ Θεθὴρ. V. 60. Pro Καριαθβαὰλ scribe Καριαθβαάλ. Mox deleto illa verba, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν. Compl. tamen iis servatis, alteram clausulam omittunt; ea est, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν. V. 61. Βαδ, seorsim positum, est abolendum, unà cum insequente Conjunctione καὶ. ¶ Scribe Μαδδὶν pro Μαδὼν, ex Syro & Eusebio. Syrus tamen in margine ostendit aliud nomen ejus loco, nempe Βαδδεγὲς. Est autem etiam ea conjunctio quæ ante Μαδὼν posita est abolenda. ¶ Pro Ὀχοχὰν debet scribi Σχαχὰ, ut habent Compl. & legit Eusebius. V. 62. Scribe numero sing. καὶ ἡ πόλις τῶν ἁλῶν, ut legit Syrus, & habet Hebræum. V. 63. Post καὶ κατῴκησεν Ἰεβουσαῖος suggeruntur in ed. mixta * μετὰ τῶν υἱῶν Ἰούδα ⸓, ἐν Ἱερουσαλὴμ, &c.

DRUSIUS.

1. D*Esertum Sin*] Quod scribunt צִן per ʃ, Sade. In hoc deserto trigesimâ tertiâ mansione castra habuit Moses; ut in Sin quod scribunt סִין per ʃ, Samech, octavâ. Sunt tamen qui hæc loca confundunt. Vide Phesiclia, fol. 47. col. 3.

2. *A lingua quæ respicit ad Meridiem*] Linguam intelligit

telligit maris Salsi sive Mortui, quam Osorius *lingulam* appellat l. 9. De rebus ab Emmanuele gestis, *Adena*, inquit, *in radicibus montis editi qui in mare lingulâ procurrit sita est.* Sinum significare videtur quo in continentem angustior pars excurrit linguæ specie, aut sinum qui speciem linguæ habeat. Jonathan כיפא reddit, innuens linguam petræ, h. e. eam promontorii partem quæ linguæ in modum excurrit ad mare. Obvia hæc locutio Jos. 18. *ad linguam maris salsi.* & Jes. 11. 15. *linguam maris Ægypti*, i. sinum maris Ægyptii, qui excurrit in terras, habens linguæ similitudinem aut speciem. Et jam de igne usurpatur Jes. 5. *Sicut devorat stipulam lingua ignis.* Infra v. 5. *à lingua maris.* Lxx hîc ἀπὸ λοφιᾶς, *à summitate* aut *vertice*.

3. *Ad locum qui ab Austro*] Verbum è verbo, *ad ab Austro*. Nota geminationem particularum, quæ crebra est in Ebraismo. Sunt qui reddunt *adversus Meridiem*. Hieron. *contra ascensum*. Sic Græci, ἀπέναντι, i. מנגד. ¶ *Ad ascensum Acrabbim*] Vel, *Scorpionum*. Nam *Acrab*, *scorpio*, sive *scorpius*. Lxx τ̃ προσαναβάσεως Ἀκραβὶν vel Ἀκραβίμ. Hieron. *scorpionis*, i. *Acrab*, עקרב. Quidam, *ad clivum Acrabbin*: alii, *collem Acrabbin*. ¶ *Ad Sin*] צינה dictum pro לצין ex usu linguæ. Videtur autem esse loci nomen à quo desertum Sin nomen accepit. Perperam Hieron. *Sina*, & Lxx Σεννά, ac si ה pertineret ad ipsum nomen, cùm potiùs motum ad locum designet. R. S. Trecensis. Sic mox אדרה pro לאדר.

4. *Asmonem*] Hîc rursum peccavit Hieronymus transferendo *Asemona*, cùm sit עצמונה pro לעצמון. Id Masius suspicatur esse, חצמון, quæ mansio erat vigesima sexta Israelitarum. Nam Heth & Ain alternant. Sed inquire diligentiùs. Mihi nunc otium non est. ¶ *Ad torrentem Ægypti*] Vel *flumen Ægypti*. נחל enim utrumque significat. Hoc flumen disterminabat Ægyptum à Palæstina: de quo multa Fullerus Anglus Miscel. sacrar. l. 2. c. 8. Senes hîc habent ἕως φάραγγος Αἰγύπτου sed in edit. Compl. χειμάῤῥου. Masius opinatur fuisse *parvum brachium Nili haud procul à Rhinocolura*. Jon. לנחלא דמצרים. Sunt qui fluvium ipsum *Rhinocoluram* appellant; sed malè. Nam *Rhinocolura* est nomen urbis. Vide Observ. Vocatur etiam נחל הערבה.

6. *Beth-agla*] Hodie Beth-ogla. Senes habent Βαιθαγλαὰμ pro Βαιθ-αγλά. *Aberat à Jordanis ostio circiter horæ unius itinere, ab Jericho, duarum.* ¶ *Beth-araba*] Hîc Judæis adscribitur, pòst assignabitur Benjamitis. Nam hæ duæ tribus urbes aliquas communi jure tenebant. Sonat ut si dicas *Domus solitudinis*. Nam in deserto exstabat.

7. *Ascensus Adommin*] Vel, *Adummin*. Clivus est inter Jericho & Jerusalem latrociniis infamis, ad quem respexit ὁ Σωτὴρ Luc. 10. 30. & Matth. 4. 1. Vide Annot. nostras. ¶ *A Meridie torrentis*] Vel potiùs *convallis*. Nam vox Ebræa utrumque significat. Tremel. *qui est ipsi valli à Meridie*. Lxx, ὅ ἐστι κατὰ λίβα τῇ φάραγγι. Tharg. *qui est à Meridie* לנחלא *torrenti*. Masius negat ullum ibi torrentem esse, sed vallem inter illos montes.

13. *Arba patris Enac*] Ergò *Arba* nomen viri; & *Cariatharba* significat *urbem Arba patris Enac*, atque Sesai, Achiman & Tholmai. Peccant igitur qui *Arba* interpretantur *quatuor*: unde nomen urbi esse fabulantur quòd ibi quatuor Patriarchæ sepulti essent. Lxx τὴν πόλιν Ἀρβὸκ μητρόπολιν Ἐνάκ. ineptè. Sunt qui exponunt, *patris Enac*, i. *Enacinorum*, ut *Israel* ponitur pro *Israelitis*.

15. *Dabir*] דביר. Vox hæc sign. ἄδυτον, qui locus in templo *Sanctum sanctorum* dicitur, q. oraculum aut λαλητήριον. Sed in lingua Persica *Dabir librum* designat. Vocatur etiam *Cariath-sepher*, i. *Civitas literarum*; pro quo in Thargum ארכי, fortè quòd ἀρχεῖα ibi essent & tabellaria.

17. *Frater Chaleb*] i. cognatus. Sed alii malunt *fratris Chaleb*. Nam patrueles poterant contrahere. Jud. 1. 13. *frater Chalebi minor eo*. Nam ætate major erat Othoniele. Quæritur an nuptiæ cum fratris filia licitæ sint. Et videntur licitæ esse, quia nusquam vetantur. Est enim matrimonium, ut sequuntur, juris permissivi. Quod non est prohibitum, id licet. Respondeo, Palàm non esse vetitum, sed consectariâ quadam ratione, cùm prohibeatur conjugium cum Amita & Matertera, item cum Patrui uxore: sunt enim in pari gradu cum Fratris filia. Burgensis dissimilitudinem esse contendit. Vide illum & Lyram hoc loco. Neptis cum avunculo nubere poterat consuetudine Judæorum, Paulus Burg. Addit. ad hoc caput. Codices Gr. vulg. ἀδελφοῦ Χάλεβ. Sic etiam exemplar Vat. Si vera interpretatio, fuit Othoniel fratris filius & duxit patruelem suam. Sed LL. AA. ὁ ἀδελφὸς Χάλεβ ὁ νεώτερος. Sic etiam Compl. & alii, itémque Orig. hom. 20. Hieron. quoque *frater Chaleb junior*. Illud *junior* sumptum ex Jud. 1. 13. Quod advertatur iis qui *fratrem* hîc pro *cognato* accipiunt. Fortè *frater junior* est filius fratris, ut *filius minor* est nepos. Sic Chanaan vocatur in historia Noe. *Minor* dicitur propter Chalebi ætatem, quæ tum erat annorum plusquam LXXXV. *Minor ille vocatur qui novus sit maritus, & illius alterius gener.* Masius.

18. *Cùm veniret ipsa*] Cùm itura esset ad domum sponsi: in quo sensu Latini autores utuntur verbo *veniendi*. בא & *venio*, sign. & *eo*, i. הלך, sed propriè *venio*. Cæterùm non *veniebat* sed *ibat* ad domum sponsi. Nam eò deducebatur asinæ imposita. Trem. *Cum conventura esset* συνελθεῖν. Vide Matth. 1. 18. *Priusquam convenissent in domum unam.* ¶ *Incitavit eum ad petendum*] Hortata est eum ut peteret à patre benedictionem: aut persuasit ei ut sibi liceret eam petere. Sic Tremellius. ¶ *Desiliit*] Ità desiliit ac si terræ infixa esset. Vide Ohel in תקע.

19. *Da mihi benedictionem*] ברכה pro *munere* sumitur Gen. 33. 11. *Cape benedictionem à me*. Jon. certè דורון interpretatur, i. *donum meum*, & R. S. מנחתי *munus meum*. Hinc *benedixit* pro *muneravit* Jes. 66. 3. מביא מנחה, ait R. D. Plautus, *Ut beneficium benemeriti nostro merito muneres*. Ebræi vocant ברחת החנייה, unde aliquis utilitatem accipit, vel ברכת הנהנין. Prius legitur in ס״מג 110. 4. posterius in lib. Musar, 121. 1. ubi quatuor benedictionum genera recensentur: 1. Benedictio Precum, 2. Benedictio Præceptorum, 3. Benedictio Utilitatis, 4. Benedictio Laudis & Confessionis. Eadem ferè habentur apud Mosen de Kotsi, loco citato. Erat & benedictio quæ in nuptiis fieri solet, quam vocant ברכת חתנים *benedictionem sponsorum*: de qua vide dictum librum, videlicet Sepher מ״ג 126. 1. *Benedictus tu*, DOMINE, *qui lætificas sponsum & sponsam*, & quæ deinceps sequuntur. Jonathan hoc loco, *Da mihi hereditatem* אחסנתא. R. S. פרנסה *victum & alimentum*. R. D. *accessionem boni*, aut *fortunarum*. Sed vide sis illum. Idem observat posse verti, *Da mihi piscinam*, i. ברכה, quâ locus aridus quem dedisti irrigari possit. ¶ *Terram Australem*] At proinde siccam; unde & nomen habet. נגב enim apud Chaldæos *siccum esse* significat: ut cùm dicunt, נגיבי מיא *siccatæ fuerunt aquæ*, quod Ebræus dicit חרבי המים. *Terram siccitatis*, i. siccam: ergò נגב *siccitas*, & indè plaga illa denominata. Nam siccior est reliquis plagis mundi. Sanè Ebræi exponunt ארץ צמאה ויבשה *terram siticulosam & aridam*. Hier. *Terram Australem & arentem dedisti mihi*. Jon. לארע דרומא *terram Australem*. LXX εἰς γῆν Ναγὲβ (aliàs νότου) *dedisti me*, i. posuisti. ¶ *Fontes aquarum*] Vel *scaturigines*, aut *piscinas*. Sic גל נעיר *fons conclusus*. Jon. בית שקיא *locum irriguum*. Sic etiam interpres noster LXX τὴν Βοθθανὶς. sed in aliis codicibus γολαθμαΐμ, quod sonat *fons aquarum*. Malim tamen γωλαθμαΐμ, i. *fontes*, גלה *scaturigo*, *fons scatebra*, è quibus, quasi terræ venis, ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur. Masius ex LXX citat τὴν Γωλαθμάϊμ, cùm in ed. Rom. sit τὴν Γογαιθλάν.

25. *Hadattha*] Hieron. *nov*. Sed *nova* potiùs חדשה diceretur. Nam חדתא in eo sensu magis Chaldaicum est. Potius ergò ut sit nomen urbis alterius. Plures sunt urbes

Hasor

Hasor nomine. Una ex iis eadem est cum *Hesron*. Vide Masium hoc loco. *Hasor novam* memorat Eusebius.

32. *Urbes viginti novem*] Plures sunt, sed tantùm XXIX *urbium* nomine dignæ: cæteræ villæ aut pagi erant, non urbes. Sunt qui opinantur reliquas pertinuisse ad tribum Simeonis.

36. *Urbes quatuordecim*] Imò quindecim: sed vide Masium & D. Camium.

45. *Accaron & filiæ ejus*] Trem. *pagi ejus*. Santes, *oppida ejus*. Masius, *municipia ejus*: examina. Hieron. *cum vicis suis*. Jon. וכפרנהא. Sic mox v. 47. *Asdod & filiæ ipsius*. LXX, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, quod reddunt *& oppida ejus*.

63. *Non potuerunt filii Juda expellere illos*] Variæ causæ adferuntur cur id non potuerint facere; de quibus vide D. Camium & A. Masium. Ratio vera exstat Jud. 2, 20. *Quia peccavit gens ista violando fedus meum*, &c.

IDEM.

3. הַקַּרְקָעָה Sym. εἰς γῆν, *in terram*] Maluissem εἰς ἔδαφος. Nam קרקע ἔδαφος *solum, pavimentum, fundus*, ut cùm dicimus קרקע הים ἔδαφος τῆς θαλάσσης *fundus maris*. Eusebius De locis, *Accara, vicus in deserto situs in possessione tribûs Juda, pro quo Sym. interpretatur Pavimentum*.

6 לְבֵית הָעֲרָבָה Sym. ἐν τοῖς πεδινοῖς ἢ ἀοικήτοις, *in campestribus aut inhabitabilibus*.] In libro locorum, *Betharaba, pro qua Sym. transtulit, In locis quæ juxta inhabitabilem sunt, significans eremum*. Legitur & v. 61. & cap. 18. 22. Masius in Josuam, ערבה *à Symmacho nunc πεδινή, nunc ἀοίκητος redditur*.

7. עֵין שֶׁמֶשׁ A. *Fons solis*.] Eusebius De locis, *Sames Sym. & Theod. transtulerunt Solis*.

9. וְתָאַר A. *& excurrit*.

GROTIUS.

1. *Igitur sors filiorum Juda*] Valde accuratè termini describuntur tribûs Judæ, ut tribuum principis, ubi futura erat urbs regia, unde Reges, nè quis eos terminos transgrediendo popularibus injuriam faceret. Facta autem divisio non æquali mensurâ, sed pro eo quod terræ valebant: τιμητοὺς μᾶλλον ἢ μετρητοὺς τοὺς κλήρους dixit Josephus.

3. *Contra Ascensum-scorpionis*] Græci עקרבים & hîc & Num. 34. 4. vertunt, ut proprium, Ἀκραβίν. Sed nomen etiam hoc proprium videtur factum à frequentia scorpionum. Vide Deut. 8. 15. Est pars Idumææ dicta Ἀκραββατίνη scriptori Maccabæorum 5. 3. Ptolemæus in Mesopotamia ponit *Acrabam*.

8. *Per convallem filii Ennom*] Unde *Gehennæ* nomen ex similitudine incendii quo pueri necabantur.

13. *Cariath-Arbe*] Non ipsam urbem, sed agrum. Urbs enim ipsa Levitarum erat infrà 21. 13.

14. *Tres filios Enac*] Reliquias eorum quos Josue interfecerat, suprà 11. 21.

15. *Cariath-Sepher*] i. *Civitas literarum*. Chaldæo בריה ארכי *Urbs bibliothecarum*. *Gymnasium Phœnicum* Xenophonti.

16. *Dabo ei Axam filiam meam in uxorem*]. Ingens potestas patria apud illas gentes in filiarum matrimoniis. Vide Jud. 1. 13. 1 Sam. 17. 25. Similia in Græcorum historiis habes de Oenomao, Schœneo, & aliis.

18. *Suspiravitque ut sedebat in Asino*] Meliùs alii videntur vertere *descendit de asino*. Id enim reverentiæ signum. Gen. 24. 64. Vide Valerium Max. l. 2. c. 10. num. 4.

19. *Arentem dedisti mihi*]

Sicca domus queritur nullo se rore foveri.

Martialis l. 9. Epigr. 18. ¶ *Dedit itaque ei Caleb irriguum*] In dotem; neque id ex lege aut more, sed ex liberalitate, qualem Agamemnon Achilli pollicetur.

21. *Ab extremis partibus filiorum Juda*] Possis vertere, *partim filiorum Juda*: nam partim erant Simeonis infrà 19. 1-9. ità ut XXIX oppida fuerint Judæ, ut dicitur infrà 32. IX autem quæ restant, Simeonis.

32. *Et Aen, & Remon*] Quæ in unam urbem coaluere processu temporis & ædificiorum Neh. 11. 29.

38. *Jecthel*,] Hoc nomen urbi Arabum datum non ante Amasiæ tempora discas 2 Reg. 14. 7.

63. *Usque in præsentem diem*] Hinc quoque apparet neque à Josue neque propè ejus tempora scriptum aut certè consummatum hunc librum.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

9. *Segregatæ*] Est hîc מבדלות participium præt. in Hiphil, scribitúrque Hirec pro Surec. Et est sensus, Præter descriptam hæreditatem habet hæc tribus & alias urbes intra limites tribûs Menasse: non quòd tribus permixtæ essent, sed quòd in limitibus aliquando anguli essent extra rectam lineam in aliam tribum ingressi, oporterétque ob occurrentes montes vel stagna digressiones in mensuratione facere; sicque angulus qui huic tribui annumerabatur, ingrediebatur aliam tribum. Sic pars Templi Jerosolymitani ingrediebatur tribum Benjamin, & tamen erat de tribu Jehuda.

VATABLUS.

1. *Egressa est autem sors*, ויצא] Quidam per præsens vertunt, *Egreditur autem* [sive *excurrit*] *sors filiorum*, &c. ¶ *Jericho*, יריחו] i. quà parte fluit juxta Jericho. ¶ *Ad aquas Jerihó*, למי יריחו] Nomen loci. ¶ *In montem Beth-el*, בהר בית אל] *In montanis* [*per montana*] *ad Beth-el*.

2. *Luz*, לוזה] Non est illa cui indidit nomen Jaacob. ¶ *Archi*, הארכי] i. Archæorum.

3. *Ad Mare, ad terminum Japhleti*, ימה אל גבול היפלטי] *Versùs Occidentem, ad fines Japhlitæorum*. ¶ *Suntque exitus*, &c. והיו תוצאותיו ימה] i. tandem desinit vel finitur in Mari, nempe mediterraneo.

5. *Ad Orientem*, מזרחה] *Ab Ortu solis*, i. incipit à latere Orientali. Describitur latitudo hæreditatis filiorum Ephraim, quæ respicit Ortum solis.

6. *Et exit* ויצא] *Et excurrit*. Describitur longitudo ejus ab Occasu, vergendo ad Ortum. ¶ *Terminus ille* הגבול] Occidentalis scilicet. ¶ *Ab Aquilone* מצפון] i. quæ quidem vergit ad Septentrionem. ¶ *Et circumit terminus*, ונסב הגבול] *Et vertit sese terminus*, i. linea describens terminum ac fines. ¶ *Ab Oriente ad Janoah*, ממזרח ינוחה] Quidam Hebræorum exponunt, *ab Oriente Janoah*.

7. *Egreditúrque*, ויצא] *Excurritque*:

8. *A Thappuah pergit*, מתפוח ילך] Describitur regressus longitudinis versùs Occasum. *Pergit terminus*, i. regreditur linea describens terminum ac fines, *ad Occasum*: unde scilicet venerat. ¶ *Súntque exitus ejus*, &c. והיו תוצאותיו הימה] i. ac tandem excurrit, h. e. finitur Mari mediterraneo.

9. *Et urbes separatæ*, והערים המבדלות] *Et urbes segregatæ*, i. sunt in ea hæreditates & urbes separatæ. ¶ *Omnes urbes*, &c. כל הערים וחצריהן] Nonnihil hîc subaudiunt quidam, *omnes inquam urbes quæ ad eos pertinent*, &c.

10. *Tributo serviens*, למס עובד] Ad verb. *in tributum servientis*, i. fuerunt illi tributarii & servi.

CLARIUS.

9. *Urbésque separatæ*] Sensus est, Præter descriptam hæreditatem habet hæc tribus & alias urbes intra limites tribûs Manasse, *&c.*

MASIUS.

1. *Filiis autem Joseph exibat sors à Jordane Jerichuntis*, &c.] Diximus superiore capite, medium terræ Sanctæ locum, in quo stativa castra habebant Israelitæ, muniendum excubitoribus utrinque in primis fuisse adversùs inopinatos hostium insultus. Ut ergò Judæi à Meridie jam sunt collocati, tanquam præsidiarii, ità nunc Josephitæ Divinâ sorte constituuntur à Septentrione in magna


magna ejus regionis parte quæ à posteris *Samaria* est vocata. Describuntur autem primum limites Australes hæreditatis Josephitarum universæ, ab Oriente in Occidentem. Unica enim fuit amborum fratrum, Manassis & Ephraim, sors in ista sortitione, ut explicatum à nobis suprà est. Porrò ipsa locorum quæ memorantur ignoratio descriptionem facit obscuriorem, præsertim quæ primo versiculo fit: sed eam R. Solomon ad hunc modum explanat, *Fines*, inquit, *Josephitarum Australes inchoabantur ab Oriente apud eam Jordanis partem cui urbs Jericho objacet è regione; ascendebántque ad desertum ex Jerichunte, & porrigebantur versùs Occidentem in montem Bethelem.* Igitur existimat R. Solomon literam He verbi המדבר pro præpositione esse accipiendam, & illud עולה hærere verbo גורל. Atque huic astipulari videntur LXXII. At Chaldæus dicit, *Sortem Josephitarum exivisse ab Jordane Jerichuntis ad aquas Jerichuntias ab Oriente, in desertum; quod desertum ascendebat*, h. e. sursum porrigebatur, *è Jerichunte, per montem Beth-el.* Et hanc sententiam nos quoque nostrâ interpretatione propè expressimus; nisi quòd *sortem*, cum R. Solomone, diximus *ascendere*, non autem *desertum*. Animadvertimus enim sic hæc ipsa explicata esse cap. 18. ad ver. 12. Latinus autem *deserti* verbum accepit tanquam nominandi casu positum. Est enim desertum hoc, Beth-aven; quod Jerichunti fuisse Occiduum ex illo 18. capite intelligemus; sicut & illud quoque, cùm *aqua Jerichuntis* dicuntur alium locum significari atque cùm *Jordanis Jerichuntis* memoratur; quæ res à R. Solomone non est animadversa. *Jerichuntia* enim *aqua* sunt quæ ex Helizæi fonte profluunt. Ab eo enim potissimùm Jerichuntia arva per elices & lacunas rigantur, sub radicibus ejus montis posito qui ad Beth-el porrigitur, & *Bethelis* quoque nomen habet. Quod enim hîc dicitur, *ad aquas Jerichuntis*, planè illud est quod cap. 18. scribitur *ad latus Jerichuntis à Septentrione.* Erat enim fons ille quem Elizæus injecto sale emendavit positus ab Jerichunte versùs Occidentem & Septentrionem. ¶ Sed illud est hoc loco observandum, in verbo מזרחה, quod convertimus *ab Oriente*, literam He notam esse progressionis ab loco, non ad locum, ut solet. Id enim modò hoc verbo significatur, hanc finium designationem inchoari ab Oriente. Jordanis enim, à quo fit initium, claudit istius Chananææ latus, ut sic dicam, Orientale. Porrò non mirum est ab Jerichunte ascendi in montem. Nam ostendimus antè urbem istam sive veriùs planitiem (nam hanc potiùs quàm oppidum ipsum significari puto) circumquaque montibus tanquam theatro cinctam fuisse. ¶ Diximus autem *montem Bethelem*, non *Bethelis*, quia nomen הר magnam vocalem retinet.

2, 3. *Et excurrebat à Beth-el versùs Luzam*, &c.] Ex Jacobi historia Gen. 28. apparet quidem eundem unum locum esse qui olim *Luza*, pòst *Bethel*, de Jacobi viso, fuit dictus. Sed alium locum fuisse Beth-el alium Luzam priscis illis temporibus perspicuè jam videmus. Igitur RR. Kimhi & Isaias existimant duas fuisse Betheles. Eíque rei argumento esse etiam ait Kimhi, quòd illa Jacobi Beth-el, quæ & *Luza* vocabatur, annumerabitur cum Benjaminis possessionibus. Sed sanè ridiculus est Kimhi cùm sic ratiocinatur. Disertis enim verbis Luza excluditur finibus Benjaminiticis. Ego verò unicam fuisse בית אל *Beth-el* statuo, eámque modò diversam à לוזה *Luza*, modò eandem dici: quia cùm re ipsâ locus ille in quo Divinum visum Jacobo se patefaciebat, paululùm abesset ab oppido Luza primùm, posteris temporibus adeò est celebratus quadam religionis opinione ut Luzæ propinquæ nomen diluerit atque obscuraverit. Itaque cùm adhuc *Bethelis* nomen minimè pervagatum esset, dicebat se Jacob *in Luza visum vidisse* Gen. 48. 3. quamvis certissimum sit non in oppido sed in agro dormienti illud apparuisse. Sed Luzam alteram fuisse apud Hethæos conditam ab hujus Luzæ proditore, nemo nescit. Judic. 1. 26. Cæterùm בית אל *Beth-el* aberat ab Jerosolymis, ut prodidit Eusebius, 12 mill. pass. relinquebatúrque ad dexteram ab iis qui Neapolim ibant. ¶ Nomen עטרות ארכי *Archi Ataroth* dividit Chaldæus tanquam duorum locorum complexum sit appellatione; interpretatur enim in hanc sententiam ista verba, *ad limitem Arachai in Ataroth*, q. præcisè scripta sint, desítque præpositio. Et huic sententiæ consentaneus est, ut videtur, accentus Tiphca, quo peculiariter interpuncta est vox *Archi*. Ego Græcos & Latinum secutus sum. Neque tamen Chaldæi opinionem damnaverim. Sed certum est, nomen *Ataroth*, cujus explicatio est *corona*, pluribus urbibus accommodari in S. historia. Ad hoc, locus iste in designandis finibus Benjaminiticis dicitur *Ataroth Addar*; neque illic τοῦ *Archi* mentio est, quare unicus videri locus potest. Eusebius libello De locis Hebr. duarum Ataroth meminit: alteram ait Ramæ vicinam urbem esse; alteram 4 millib. pass. à Sebaste, h. e. Samaria, repræsentari vico cui nomen est *Atharus*. Istarum igitur prior absque dubitatione nostra est. ¶ De *Beth-horon inferiore* diximus suprà. ¶ Sed גזר *Gazer* diversa omnino ab illa est quam antè descripsimus in Judaicis possessionibus longè ad Austrum positam. Eusebius hanc nostram locare videtur quater mille passibus à Nicopoli, sive Emaunte, versùs Aquilonem. Dabitur ista Levitis. ¶ Porrò ubi desierint isti fines in *mare* Mediterraneum, id ex descriptione finium Daniticorum confici posse videtur; nempe, supra Joppen. Fuerunt enim Danitæ affines Josephitis ad mare. Hi igitur fuere fines Josephitarum Australes. Nam Aquilonares nihil attinet ostendere antè quàm aliis quoque tribubus suæ assignentur possessiones. Necdum enim refert quàm altè excurrant, modò ut stativa tutentur à Septentrione. Est autem credibile, ab his finibus Australibus Josephitarum intervallum universum, quod ad fines Aquilonares Judæorum usque pertinet, occupatum à castris fuisse. Nam id pòst dabitur Benjaminitis, ut suo loco explanabitur.

4. *Diviserunt itaque hæreditatem filii Joseph, Manasses & Ephraim*] Mihi non fit verisimile istam fratrum inter ipsos sortitionem singularem antè factam esse quàm cæterarum quoque tribuum suas quæque possessiones sortitò accepisset. Neque enim priùs videntur certis à Septentrione limitibus fuisse inclusi. Sed non magni interest, illico, an pòst, diviserint privatim ipsi inter se hæreditatem quam in commune unicâ sorte, ut dixi, acceperant. Dividere autem ideo omnino debuere, quia duæ diversæ tribus erant Ephraimitarum & Manassensium. Sed neque illud maximi est momenti, an ipsi sortes privatim jecerint, an verò, ut est credibilius, res ista quoque acta sit à 12 viris. Hoc verò observandum est, Quando Manassenses cum fratribus suis Ephraimitis compositi sunt, priore loco extractam esse horum quàm illorum sortem; Itaque Ephraimitas regionem quæ S. Templo olim foret vicinior esse nactos, ut agnoscamus hîc quoque sortem aptissimè in eam rem cecidisse quam beatus ille senex, oculis quidem cæcutiens at mente perspicacissimus, agebat, cùm transversas manus dexteram quidem Ephraimi, sinistram verò Manassis imponeret capiti, Gen. 48. 14.

5--8. *Fuitque terminus filiorum Ephraim in ipsorum gentilitates*, &c.] Descriptio hæreditatis Ephraimitarum nimiâ brevitate obscurissima est. Sed unus R. Solomon conatus est ipsam his ferè verbis explicare; *Inchoabatur*, inquit, *istorum finium designatio ab Oriente apud Ataroth Addar; atque ab ea urbe procedebatur ad Beth-horon. Et hactenus quidem descripta est latitudo. Jam verò longitudo hinc designabatur versùs Occidentem ad urbem Machmethath, qua ad Austrum paululùm relinquebatur. Rursus latitudo Septentrionalis sic describebatur, ut funiculus ab Oriente ambiret urbem Thanath-silo: eáque relicta prateriret Janoam ab Oriente, ab Janoa porrò duceretur ad Ataroth, & Naarathum: & hinc incideret in Jerichuntem: tandémque consideret in Jordanem. Hoc autem spatium quantum est à Thanath-silo, usque ad Jordanem, sinuosa erat latitudo: & hîc exstabat urbs Tapphua, à qua rursus ducebatur funiculus versus*

versùs Occidentem ad torrentem caricosum. Hæc ferè R. Solomon: quæ mihi ipsis etiam sacris verbis obscuriora videntur: & parùm quoque consentanea esse iis, quæ in Manassensium finibus ostendendis dicentur. Neque verò intelligi posse puto, quâ ratione Ataroth Addar in istius hæreditatis extremitate apud Orientem exsistere queat; cùm claudat occiduam oram possessionum Benjaminiticarum. Nam duas hoc nomine urbes fingere; duásque Machmethath; & plures etiam Tapphuas, quid aliud est, quàm pravum, atque distortum opus Lesbiâ adhibitâ regulâ corrigere, aut approbare velle? Sed profectò melius fecisset R. Solomon, si quod nesciret, confessus fuisset, se nescire; quàm ut sic hallucinaretur. Igitur, ut quid mihi videatur dicam. Existimo eam lineam, quæ ab Ataroth-Addar, ad Beth-horon superiorem ducitur, metiri quidem latitudinem istius hæreditatis ab Austro in Septentrionem, aut Aquilonem veriùs, sed non extimam Orientis oram designare. Nam ea verborum complexio, *ad Orientem Ataroth-addar*, ostendit illa quidem, hanc urbem indè ab Jordane primam occurrere in ista hæreditate, in finibus certè australibus. Verùm ad Jordanem minimè collocari ipsam posse, efficitur, ut dixi, ex finium Benjaminiticorum designatione; atque etiam ex ea, qua nuper Josephitarum australes limites ostendimus. In hac enim prima ab Jordane urbs occurrebat Jericho, sive aquæ Jerichuntiæ. Deinde Beth-el; ac tandem Ataroth. Jericho autem, & Bethel ad Benjaminitas pertinebant. Luza verò erat quidem ipsa intra Ephraimitarum fines, sed post celebratam Beth-el in numero urbium esse desiit. ¶ Cùm porrò sequitur, *Et exibat terminus versùs mare, Machmethath ab Aquilone*, puto describi quidem longitudinem Aquilonarem indè à Bethhoron superiore versùs Occidentem & mare Mediterraneum, sed quæ v. 8. tandem absolvatur. Itaque Machmethath in ista designatione paululùm ad Septentrionem relinquebatur: Neque longè, quantum certè conjecturâ augurari possumus, aberat à Beth-horon superiore; ut neque à Sichem. ¶ Rursus his verbis, *Et reflectebatur terminus versùs Orientem*, ab illa Beth-horon, nisi fallor, describitur longitudo Aquilonaris versùs Orientem; sed quæ sensim in latitudinem Orientis descendat. Atque in hoc tractu occurrit post Beth-horon prima urbs תאנת שלה *Thanath-silo*; secundùm eam ינוח *Janoa*, quæ ab Sichem aberat 12. millib. pass. versùs Orientem; post Janoam *Ataroth*, non illa quidem Atarothaddar, sed diversa. Plures enim fuisse testatur Eusebius libello De loc. Heb. qui istam Ataroth locat 4. millib. pass. à Samaria, demum נערתה *Naaratha*; quæ aberat quinquies mille pass. ab Jerichunte, ut ex reliqua illic eo nomine villa est manifestum; postremò *Jericho*, sed quæ ad Austrum relinquebatur in Benjaminitarum finibus. Post Jerichuntem verò *desinebat ista linea in Jordanem*. ¶ Porrò cùm v. 8. dicitur, *De Tapphua ibat terminus versùs mare*, &c. reditur, quantum certè ego videre possum, ad absolvendos limites longitudinis Aquilonaris, clariúsque ostendendos, indè à Machmethath usque ad mare Mediterraneum. Nam תפוח *Tapphuam* illic loci fuisse; non autem apud Jordanem, ut R. Solomon opinari visus est, certum est ex descriptis finibus Manassensium. Credibile est igitur Tapphuam haud procul abfuisse à Machmethath, neque longè à Tapphua *torrentem caricosum* sive *cannosum*; eúmque indè usque in mare Mediterraneum descendisse haud procul à Cæsarea Palæstinæ sive Stratonis turri. In hoc enim tractu & מכמתת *Machmethath* positam fuisse, quæ nunc vulgò *Cathon* vocatur, & non procul indè torrentem illum versùs mare fluxisse, ab eóque sub Cæsarea receptum esse, luculenter ostendit charta depictæ Chananææ quæ in cœnobio montis Sion exstat; cujus mihi exemplum dono misit Gerardus Mercator Ripelmondanus Mathematicus celeberrimus. Tapphuam autem in istis locis fuisse quæ fontem habebat insignem, intelligemus ex verbis proximi capitis; à qua tamen diversa longè est Judaica illa Tapphua, quam Ptolemæi *Thenam* esse quidam putant. Porrò Australes limites Ephraimitarum nihil attinet describere seorsim, neque etiam Occiduos: Sunt enim illi quos Josephitarum universè diximus esse. Sed subjiciam typum quamvis rudem ejus descriptionis quæ modò est à me explanata.



Non sum equidem nescius quæ fuerit Latini sententia. Is enim opinatus est mare illud in quod isti fines cum torrente Caneti considunt, esse Asphaltitidem lacum, quæ causa fuit ut multi suspicarentur torrentem Caneti esse כרית *Carith*, apud quem latuit Elias 3 Reg. 17. Sed mihi insolens sermo esse visus est & alienus à S. narratione, sic *mare* simpliciter pro *Asphaltitide* dicere. Is enim lacus *mare Salsum* aut *Campestre*, non autem *mare* simpliciter, dici solet. Neque verò etiam fines Ephraimi usquam ad mare Mortuum pertinebant. Denique refellitur hoc apertissimè ipsâ Manassensium finium descriptione, in qua similiter atque hic cum torrente cannoso exitur in mare, quod sanè de Asphaltitide accipere delirantis fuerit.

9. *Et urbes quæ separatim designatæ erant filiis Ephraim*,

&c.]

&c.] Fuisse urbes quasdam intra Manassensium positas terminos, quas tamen Ephraimitæ habebant, dicetur apertiùs capite proximo. Credibile est igitur, cùm ante privatam istam sortitionem universa hæreditas, quæ simul Manassensibus & Ephraimitis obvenerat, divisa fuisset in duas partes, pro locorum ratione, neque illæ viderentur æquales, tum alteri adjectas esse aliquot urbes intra alterius limites positas, atque ità exæquatas esse ambas sortes: Eam autem partem, cui hoc additamenti accesserat, obtigisse sortitò Ephraimitis.

10. *Et non exterminabant Chananæum habitantem in Gazer*, &c.] Idem memoratur in Judicum atque etiam Regum historia, Judic. 1. 29. 3 Reg. 9. 16. Tandem enim Pharao Ægypti Rex, captâ crematâque Gazer, trucidavit Chananæos cives, & locum filiæ suæ dedit doti, quæ Solomoni nupserat: quam narrationem LXXII interpretes huc addiderunt. Magna sanè fuit Ephraimitarum impietas potiùs quàm ignavia, cùm adversùs Dei legem nefariam gentem Chananæam habitare apud se finerent mercedis pactione. Erat quidem difficile ex illis urbibus quæ maritimæ fuerunt, atque à diversis gentibus mercaturæ faciendæ causâ perpetuò frequentabantur, omnino exterminare illos superstitiosos homines: nam nè à Davide quidem fuisse prorsus ejectos certum est, quando Solomone regnante tandem sunt à Pharaone deleti: verùm lucri faciendi gratiâ tam turpes pati atque tolerare vicinos, id verò in nefario crimine Ephraimitis poni debuit. Gregorius appositâ, ut mihi videtur, allegoriâ hunc locum interpretatur. Sed ejus ipsius verba adscribam, sunt enim minimè inepta. *Sæpe*, inquit, *magnis virtutibus terram promissam invadimus, quia spe intimâ æternitatis confirmamur. Sed dum inter altas & sublimes virtutes quædam vitia retinemus, veluti Chananæum vivere in terra nostra sinimus; qui tamen tributarius fit, quando ea ipsa vitia quæ prorsus subigere non possumus in nostrum compendium vertimus: nimirum ut mens nostra in excelsis virtutibus humiliter de se sentiat, quippe quæ suis viribus vel parva vitia non possit penitus expugnare. Bene ergò scriptum est*, Judic. 3. 1. HÆ SUNT GENTES QUAS DOMINUS RELIQUIT, UT ERUDIRET PER IPSAS ISRAELEM. *Ideo enim vitia quædam parva retinentur ut se mentis nostræ intentio sollicitam semper certamine exerceat, neque de victoria superbiat, cùm hostes adhuc intra se vivere sentiat, à quibus superari formidet. Israel igitur à relictis gentibus eruditur, quando per carnis nostræ vitia superbia spiritûs reprimitur; atque hîc ex parvis quæ sibi adversa sunt discit se suis viribus majora non subigere.* Hæc ille: quæ eò lubentiùs adscripsi, quòd hoc argumentum sæpius in istis partitionibus occurrat, & benè piéque dicta esse ab illo, mihi certè, videantur.

IDEM.

1. POst τῆς κτ' Ἰεριχὼ suggeruntur in m. ed. hæc per asteriscum, ※ ἀπὸ τῆς ὕδατων τῆς κτ' Ἰεριχὼ ↙. ¶ Cùm dicitur, ⁒ καὶ ἀναβήσεται ἀπὸ, &c. jugulanda est copula. ¶ Post τὴν ὀρεινὴν expungendum est, quod habent vulg. libri, τὴν ἔρημον, est enim ex cujuspiam inepta emendatione natum.

3. Post ... ἐστιν adscribitur in mixta, ※ ἕως Γάζερ ↙.

4. Scribendum est ordine verborum mutato, Μανασσῆς καὶ Ἐφραΐμ.

5. Cùm dicitur, Ἀταρὼθ καὶ Ἀδὰρ, est auferenda copula. ¶ Illud, ⁒ καὶ Γαζαρὰ ↙, jugulandum est.

6. Post παρελεύσεται supplet mixta per asteriscum, ※ τὸ ὅριον ↙, pro quo est in Vat. τὸ τέρμα. Mox scribe addito pronomine, καὶ παρελεύσεται αὐτῶ ἀπ' ἀνατολῶν. ¶ Pro Ἰανὼθ scribe Ἰανωά. Eusebius tamen videtur legisse Ἰανών.

7. Omissum est à LXXII initium versûs, quod in m. ed. suggeritur per asteriscum his verbis, ※ καὶ καταβήσεται ἀπὸ Ἰανωὰ εἰς ↙ Ἀταρὼθ, &c. ¶ Illud, καὶ Νααραθὰ, loco movendum est, & collocandum post αὐτῆς, addendáque præpositio, ut sic legas, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, καὶ εἰς Νααραθὰ καὶ διελεύσεται, &c. Debent autem illa verba, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, jugulari obelo: equidem ea lubentiùs tollerem è medio; puto enim mendosè adscripta esse; verùm obstat mihi exemplarium consensio.

8. Pro Δαπφὼθ scribe Θαπφώθ.

10. Initio nomen Ἐφραΐμ jugulari debet obelisco. Porrò quæ hîc adscripta sunt in pervulgatis cod. ab illis verbis inchoando, ἕως ἀνέβη Φαραώ, usque ad finem, debent obeliscis jugulari: sunt enim ex Regum historia l. 3. c. 9. huc traducta. Cæterùm postrema hujus capitis verba à LXXII omissa suggeruntur in ed. m. per asteriscum, hoc modo, ※ καὶ ἐγένοντο ὑπόφοροι δοῦλοι ↙.

DRUSIUS.

1. AD *aquas Jerichuntis*] Vel *Jerichuntinas*, quæ ex Elizæi fonte profluunt, Cap. 18. dicitur, *ad latus Jerichuntis à Septentrione.* Erat enim fons Elizæi quem Elizæus emendavit injecto sale, positus à Jericho versùs Occidentem & Aquilonem. ¶ *Ad Orientem*] מזרחה. Hieron. *ab Oriente.* LXX ἀπὸ ἀνατολῶν. Quod secutus Masius vertit *ab Oriente*, & addit ה interdum sign. motum à loco. Quod an verum sit, nescio. Notatum fuit in libello nostro De literis servilibus, ubi & נגבה *ab Austro*, ימה *à mari*. Sanè hæc finium designatio incipit ab Oriente. ¶ *In montem Bethelem*] Non *Bethelis*, nam הר Camets notatur. Quidam *per montana Bethelem*. Bethulia eadem putatur cum Bethel. Ea in monte sita erat, qui hinc *mons Bethel*.

2. *A Bethel Luzam*] Vel, *Luzam versùs*. לוזה *ad Luz*, quam posterior ætas *Bethel* dixit, quia Deus apparuit Jacobo Patriarchæ in vicino loco ipsius Luz, ubi postea Bethel ædificata.

GROTIUS.

3. J*Ephleti*] Qui *Phelethi*, 2 Sam. 8. 18. & 15. 18.

10. *Tributarius*] Sic & infrà 17. 12. 1 Reg. 9. 16. Credibile est impositas eis leges Adamo & Noæ datas.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

1. Q*UI primogenitus fuit*] Hebr. *Quia ipse primogenitus fuit*, h. e. Eò quòd ipse primogenitus fuit Joseph, & Machir fuit primogenitus ejus, qui & vir bellicosus fuit, obtinuit per hæc ut sibi daretur hæreditas in terra Gilead, quam cupierunt habere filii Gad atque filii Ruben, &c.

5. *Funiculi decem*] Erant enim sex cognationes masculorum, scilicet filii Abiezer, filii Helec, &c. & quatuor filiæ Zelophad, quibus singulis singulæ obveniebant portiones.

14. *Filii Joseph*] h. e. Hi qui erant de tribu Manasse, qui post exitum de Ægypto plurimùm erant aucti, conquesti sunt de sorte sua, quòd videlicet illis non major daretur portio terræ quàm alteri tribui minori. Nam dicunt Hebræi Terram divisam in 12 æquales partes pro 12 tribubus, quæ inæquales erant in numero hominum. Alii tamen aliter sentiunt, nempe quòd sortes per dispositionem Divinam sic fuerint temperatæ ut majoribus tribubus etiam majores obvenerint portiones. Facta verò fuit hæc distributio Terræ secundùm magnitudinem & exiguitatem tribuum ut egressi sunt de Ægypto: Et si interim crevisset aliqua tribus in personis, non dabatur propterea major portio terræ, sicut contigit tribui Menasse, quæ parva numero fuit cùm egrederetur de Ægypto, sed plurimùm aucta fuit in deserto. Unde jubentur hic excidere sylvam Ephraiim

Ephraim, cujus vallem ipsi inhabitabant. Exponit autem hîc K. verbum ברא, quod est de Piel, per ברת *succidit*, & Jon. per תקין *adaptavit*. Significat verbum ipsum alioqui *creare & aliquid de novo facere*.

VATABLUS.

1. *Sors*, הגורל] i. Hæreditas sorte assignata.

2. *Fuit item filiis*, ויהי לבני] i. Nepotibus Manasse fuit hæreditas. ¶ *Reliquis*, הנותרים] i. Alteri dimidiæ tribui Manasse. ¶ *Filii*, בני] i. Nepotes.

3. *Quarum ista sunt nomina*, ואלה שמות בנותיו] Ad verb. *Et ista sunt nomina filiarum ejus*.

4. *Hæ accesserunt*, ותקרבנה] Ad verb. *Et accesserunt*. De his filiabus Salphaad vide Num. 27. 1. & 36. 1. ¶ *In medio fratrum nostrorum*, בתוך אחינו] i. Inter cognatos nostros.

5. *Et ceciderunt*, &c. ויפלו חבלי מנשה עשרה] i. Habuit decem portiones. Dicunt Hebræi, *Sex illæ familiæ suprà memoratæ acceperunt sex portiones; & filii Salphaad, quatuor; nempe portionem patris sui; & duas pro avo suo Hepher, quòd fuerit primogenitus; & unam pro fratre patris sui, qui mortuus erat in deserto absque liberis. Et illi tres egressi fuerant ex Ægypto: ideo debebatur illis portio in distributione hæreditatis*.

6. *Filiis Menasseh reliquis*, לבני מנשה הנותרים] i. Alteri dimidiæ tribui Manasse.

7. *Fuit autem terminus*, ויהי גבול] Describitur situs hæreditatis tribûs Manasse ad latus Australe. *Fuit autem*, i. pervenit, sive tendit, *terminus*, h. e. linea finiens ac terminans, *ab* ea parte quâ habet tribum *Aser* sibi conjunctam. ¶ *Et pergit terminus*, והלך הגבול אל הימין] *Et abit terminus*, i. [qui inde progreditur] ad partem Australem. ¶ *Ad habitatores*, אל יושבי] i. Ad civitatem. Sic infrà.

8. *At Tappuah*, ותפוח] Urbs scilicet ipsa. ¶ *Ad terminum Manasseh*, אל גבול מנשה] *Juxta fines Manasse*, i. contermina tribui Manasse.

9. *Descenditque terminus*, וירד הגבול] i. Et hinc, à Tappuah scilicet, descendit retrocedendo, h. e. revertendo unde venerat. ¶ *Civitates istæ*, ערים האלה] *Urbes istæ*, quæ scilicet sunt à Tappuah usque ad Torrentem arundinis. ¶ *In medio civitatum*, בתוך ערי] i. Includuntur in tribu Manasse. ¶ *Suntque exitus ejus*, &c. ויהי תוצאותיו הימה] Ut c. 16. 8. q. d. Hinc excurrit ad Occasum unde cœperat.

10. *Ad Meridiem*, נגבה] i. Quod vertitur ad Austrum, est sors ipsius Ephraim. ¶ *Estque mare*, &c. ויהי הים גבולו] i. ad Occasum terminatur Mari mediterraneo. ¶ *Et in Aser occurrunt*, ובאשר יפגעון] Fut. Heb. pro præs. *Et in Aser incurrunt*, nempe filii Manasse, i. ad plagam Septentrionalem conjungitur tribus Manasse cum tribu Aser, & eam sibi conjunctam habet.

11. *Et habitatores*, ואת יושבי] *Et cives*, i. & civitas. ¶ *Tres regiones*, שלושת הנפת] *Tria climata*, ipsius Dor scilicet.

12. *Et non potuerunt*, ולא יכלו] Sub. *in principio*, vel *tum*. ¶ Habitatores *urbium istarum*, את הערים האלה] Ad verb. *urbes istas*. ¶ *Sed cœpit*, ויואל] *Sed* [*proinde*] *voluit, optavit*.

13. *Cùm autem roborati essent*, ויהי כי חזקו] Ad verb. *Et fuit, cùm roborati essent*, vel *fortiores facti essent*, i. collegissent vires. ¶ *Posuerunt Chenaanæum tributarium*, ויתנו את הכנעני למס] Ad verb. *Dederunt Chenaanæum in tributum*, i. reddiderunt tributarios Chananæos contra præceptum Domini.

14. *Locuti sunt autem*, וידברו] i. Expostulaverunt autem filii Joseph, maximè qui erant de tribu Manasse, cum Josue. ¶ *Ità quòd hucusque*, &c. עד אשר עד כה ברכני] *Intantum hucusque benedixit mihi Jehovah?*

15. *Si populus multus es*, אם עם רב אתה] i. Cùm populus multus sis, ascende in sylvam, i. ad montem qui plenus est nemoribus. ¶ *Et succide tibi illic*, ובראת לך שם] *Et præcide tibi illic*, sub. *arbores, ut ædifices illic*: præpara inquam tibi locum habitationis in regione Pherezæorum & gigantum. Alii, *& prapares tibi illic*, sub. *locum habitationis*. Alii, *& elige tibi illic*, sub. *locum ad habitandum*, vide v. 18. ¶ *Si angustus est tibi*, כי אץ לך] *Si videatur tibi angustus*.

16. *Non sufficiet*, לא ימצא] Sub. *Ad habitandum*. ¶ *Ferrei*, ברזל] i. Falcati. ¶ *In terra vallis*, בארץ העמק] *In terra planitiei*, i. apud omnes Chananæos qui habitant in regione plana & campestri. ¶ *In valle*, בעמק] *In planitie*, ultra montem scilicet.

17. *Unica*, אחד] Definita scilicet ac præcisa, quam habitare non possis.

18. *Mons enim*, &c. כי הר יהיה לך כי יער הוא] *Nam mons erit tuus: est enim sylva*, q. d. Est inutilis fratri tuo, est enim plenus arboribus. ¶ *Succides ergò eam*, ובראתו] *Præcide ergò illam*, i. repurga illam arboribus. ¶ *Et erunt tibi exitus ejus*, והיה לך תוצאותיו] i. Hâc ratione ultrà poteris progredi. ¶ *Quia expelles*, כי תוריש] *Cùm expuleris*, sub. *quandoquidem poterunt alioqui tibi nocere*. ¶ *Quanquam*, כי] Quidam vertunt, *cùm expuleris*, istud כי per *quia* vertunt, *quia currus ferrei illis*, & *quia fortes sunt*, i. quia habent currus falcatos; sive, quos dicis habere currus falcatos, eósque fortes esse.

CLARIUS.

1. *Primogenito Manasse*] Machir, inquit, fuit primogenitus Manasse, & vir bellicosus, qui obtinuit per hæc ut sibi daretur hæreditas in terra Galaad.

5. *Funiculi Manasse decem*] Erant enim sex cognationes masculorum, scilicet filii Abiezer, filii Helec, &c. & quatuor filiæ Salphaad, quibus singulis singulæ obveniebant portiones.

14. *Filii Joseph*] h. e. Qui erant de tribu Manasse, qui post exitum de Ægypto plurimùm erant aucti, conquesti sunt de sorte sua, quòd videlicet illis non major daretur portio terræ quàm alteri tribui minori. Nam dicunt Hebræi Terram divisam in 12 æquales partes pro 12 tribubus, quæ inæquales erant in numero hominum. Alii tamen aliter sentiunt, nempe quòd sortes per dispositionem Divinam sic fuerint temperatæ ut majoribus tribubus etiam majores obvenerint portiones. Facta verò fuit hæc distributio terræ secundùm magnitudinem & exiguitatem tribuum ut egressi sunt de Ægypto: & si interim crevisset aliqua tribus in personis, non dabatur propterea illi major portio terræ, sicut contigit tribui Manasse, quæ parva numero fuit cùm egrederetur de Ægypto, sed plurimùm aucta fuit in deserto. Unde jubentur hîc excidere sylvam Ephraim, cujus vallem ipsi inhabitabant.

MASIUS.

1, 2, 3. *Obtigit autem sors tribui Manassis, is autem erat*, &c.] Post descriptos fines Ephraimiticæ tribûs (quam, ut dixi, sors tribui fraternæ prætulerat, propiúsque ad Templum locarat) consequens est ut Manassensis tribûs hæreditas suis limitibus determinetur, non quidem undiquaque, sed quâ parte affinis erat Ephraimiticæ. Nam fines Septentrionales quàm angustè sint contrahendi, id verò tum demum scietur quando cæteris ex ea parte tribubus assignabuntur possessiones. Sed quia tribus Manassensis se ipsa in duas partes diviserat, alteráque cis Jordanem manserat, ut cap. 13. vidimus, hoc primum explicetur S. verbis, ut intelligamus alteri duntaxat parti hîc jam esse assignandam hæreditatem. Cur autem dicatur Manassem natu majorem fuisse Ephraimo, causam esse equidem existimo, ut animadvertat lector,

 præ-

præclarè isto sortis casu comprobatum esse Jacobo judicium, Gen. 48. 14. quod nuper dicebam. Verùm si particulam כי Causæ notam esse malis putare, rectè, nisi fallor, dixeris, Nascendi conditionem commemoratam esse tanquam causam tantæ opulentiæ quâ est Manasses à Deo amplificatus, acceptis & cis & trans Jordanem possessionibus. Nam, quod suprà quoque diximus, magni fuit apud priscos illos homines momenti natum primum esse. Videmus enim quàm multa sit Ismaelis in S. historia mentio, cùm interim de Cethuræ liberis vix verbum fiat. Et quanta illius gentis semper fuerit amplitudo & gloria, quæ ad nostram usque memoriam crescit indies atque augescit, minimè est obscurum. Neque verò etiam posteri Esau, quamvis rejectus à Deo ille videretur, nullis opibus floruerunt. Sed hæc nunc hactenus. Apparet quidem ex S. narrationis verbis universam Manassis posteritatem ex solo Machire propagatam esse, & hunc illi unicum fuisse filium, de qua re antè satis multa sunt à nobis disputata, c. 13. 31. Sed ea posteritas per diversa cognomina in diversas gentes sive familias diducta est. Alii enim Machiris & ejus filii Galaad sibi nomina gentilitia sumere maluerunt, dictique sunt *Machiritæ* & *Galaaditæ*: Atque hi cis Jordanem manserunt, divisi etiam ipsi per septem stirpium capita, quæ erant, *Epher*, *Jesi*, *Eliel*, *Ezriel*, *Jeremias*, *Odoias*, & *Jediel*, ut scriptum est in Paralipomenis, l. 1. c. 5. v. 24. Alii filiorum Galaad referre nomina in animum induxerunt: Et hi appellati sunt *Jezeritæ* sive *Abiezeritæ* (est enim hoc unum cognomen) *Helecitæ*, *Ezrielitæ*, *Sechemitæ*, *Semedaitæ*, denique *Hepheritæ*. Nam à Salphaad, qui nullos mares genuerat, nullum, ut sic dicam, patronymicum est ductum. His igitur sex familiis (nam sive *Salphaaditas* sive *Hepheritas* nomines quinque filias Salphaad nihil interest) datum itur jam hæreditatem. Sed utri majore numero fuerint, id verò incertum est, ut diximus c. 13. unde plura etiam repetat lector quæ ad præsentem locum attinent. ¶ Porrò ille verborum ambitus, *Hi sunt filii Manassis filii Josephi mares*, παρα-σκευὴ est ad insequentem digressionem, quâ de filiabus Salphaad agetur. Cæteroqui satìs notum erat solos mares enumerari solere cùm de hæreditate distribuenda sermo est.

4. *Et accesserunt in conspectum Eleazaris sacerdotis* &c.] In Numeris c. 27. scriptum est, Istas quinque filias Salphaad coram Mose & Eleazaro atque universa Ecclesia petivisse, ut patris sui, qui nullius turpis flagitii reus è vita excesserat absque prole mascula, ratio haberetur; nè ipsius memoria in sua tribu & populo Dei prorsus intercideret. Hoc enim fieri posse, si id jus hæreditatis adipiscendæ quod patri ante excessum fuerat ex Dei promisso quæsitum (ut forensium verbis utar) in ipsas transferatur. Mosen verò eam causam, ut dubiam, ad Dei oraculum retulisse; ex eóque responsum esse secundùm puellas: atque eâ occasione institutam quoque esse legem perpetuam, Ut quoties è vita exiret vir quispiam absque suo hærede masculo, ejus filiæ essent hæredes, aliísque agnatis omnibus præferrentur. Sed eo casu feminæ quibus sic obvenisset paterna hæreditas (Græci eas ἀγχιστευύσας vocant) non nisi suis tribulibus nuberent; nimirum nè ad tribum alienam fundi dotales transferrentur, & Divinâ sorte discretæ possessiones confunderentur. Cæteroqui quæ suis dotibus contentæ nullam paternæ hæreditatis partem capiebant, eis ex quavis tribu sponso nubere licebat. Ego verò ista ideo nunc persequor prolixiùs quia Latinus non satis explicatè videtur illam sanctionem esse interpretatus. Si enim nulli puellæ nisi suo tribuli nubere fas fuisset sacrâ lege, cur cæteræ tribus, in Judicum historia 21. 7. solum jusjurandum quo constricti tenebantur opposuissent, causam quidem magnam, ob quam non possent suas filias nuptum dare Benjaminitis; at non solam, ut ipsi videntur sentire? Sed ut ad propositum revertamur. Ejus cœlestis responsi jam admonent filiæ Salphaad 12 viros. Neque enim adhuc Moses hæreditatem ipsis assignaverat (quod Liranus inconsideratè opinatur) sed suâ auctoritate interpositâ interpretatus oraculum Dei fuerat, Debere eas olim cum suis patruis consortes avitæ hæreditatis esse. Quare id laudi cum primis verti istis puellis debet, quòd tantâ fiduciâ Dei promissionem de obtinenda olim Chananæa fuerint amplexatæ priùs quàm transmissus esset Jordanis, nedum hostes debellati, ut similiter atque de vacuæ hæreditatis cretione essent solicitæ. Illi ergò cœlesti responso (hoc enim illud est, *secundùm os Domini*) facilè nunc paret Senatus 12 virûm, cui hæret verbum *dedit*: nisi ipsum absque persona passivè, ut Grammatici loquuntur, interpreteris, *Data est illis hæreditas inter patruos ipsarum*.

5, 6. *Ceciderunt itaque funiculi Manassis decem*, &c.] *Funiculum* per transnominationem pro *terreni dimensis portionibus* sæpe usurpant S. literæ, quia funibus agri dividebantur metabantúrque. Sed enim, quando sex duntaxat sunt enumeratæ Manassis stirpes, & una feminarum (nam eorum qui cis flumen manserunt nulla hic habetur ratio) mirum videatur cur decem portiones sint septem assignatæ prosapiis. Et ut putemus singulis puellis partes singulas esse attributas, jam non decem sed undecim faciendæ partes fuerint. Hunc nodum ut dissolvant Doctores Hebræi, Deus bone! quas nugas comminiscuntur in eo libro quem *Portam ultimam* בבא בתרא פ׳ ח׳ vocant. Eorum, inquiunt, virorum modò in partitione terræ habenda fuit ratio qui Ægypto vivi exiverant, quamvis essent per iter vitâ functi. Jam verò sex illis masculis familiis obvenerunt portiones sex: Quinque verò filiæ patris sui nomine quidem unam nactæ sunt; sed insuper duas nomine Hepheris avi paterni, qui inter fratres suos natu maximus cùm esset iter fuerat ingressus ex Ægypto; denique quartam etiam portionem sunt adeptæ nomine patrui sui, qui in deserto absque liberis obierat. Sed quis vera esse ista omnia credat Doctoribus Hebræis, nisi fortassis stultus Judæus quispiam? Et cur patrui hæredes non fuere fratres? Sed, omissis anilibus nugis, existimemus Abiezeritas, Helecitas, Ezrielitas, Sechemitas, denique Semidaitas portiones singulas accepisse; Hepheritas verò nullos fuisse præter istas quinque filias Salphaadis, qui fuerat unicus Hepheris filius. Jam verò, etsi istæ filiæ simul omnes non plus terreni acceperunt quàm ipsarum patrui singuli, tamen quia hæc ipsarum unica portio in quinque dividenda partes est, cùm singulæ viris singulis sint nupturæ, & suam quæque portionem in aliam familiam translaturæ, censentur quinque esse funiculi. Sed R. Isaias opinatur *funiculos* appellari decem hipparchias quæ in Manassensium hæreditate fuerint; quo vocabulo suspicor ipsum præfecturas diversorum locorum voluisse significare. Verùm particula causalis, ut sic dicam, quæ v. 6. posita est, vix fert hanc sententiam. Et verò cur præfecturæ Manassensium quàm aliarum tribuum magis enumerentur?

7. *Erat autem terminus Manassis ab Aser versùs Machmethath*, &c.] Ineptum, atque ex ignoratione linguæ Hebraicæ natum omnino est, quod Zieglerus unius loci vocabulum facit, *Aser-Machmethath*. In quem ego errorem delatum illum esse suspicor ex Santis Pagnini tralatione, cùm non intelligeret illud *Hamachmethath* esse accusandi casu dictum. Zieglerum autem, tanquam saltantem ovem, imitati sunt plerique alii, quamvìs nihil esset offensionis. Equidem non ignoro LXXII interpretes dixisse ἀπὸ Ἀσὴρ τῆς Μαχθὼθ, h. e. *ab ea Aser quæ ad Machthoth spectat*. Sed sanè magnâ sunt interspiratione disjuncta illa duo nomina, cùm prius appositum habeat accentum quem vocant זקף *Zakeph*. Igitur D. Kimhi existimat illud אשר *Aser* significare Aserem, h. e. Aseritarum hæreditatem. Ea enim à Septentrione contigua erat Manassensibus apud Beth-san, ut mox videbimus: & sanè paulò pòst sic accipiendum erit hoc verbum. Verùm quando ab Eusebio proditum est libello de locis Hebr. אשר *Aser* fuisse urbem positam ad lapidem decimum quintum à Sichem, viâ regiâ quâ ibatur Scythopolim sive Beth-san, ab hac ego urbe inchoari istam descriptionem credibilius putarim, atque ab ea funiculum mensorium trahi ad illam Machmethath quam in designatione finium Ephraimitarû vidimus.

vidimus. Nam Australes hic limites Manassis, quibus erat fratri suo affinis, præcipuè describi, certum est. Itaque ea descriptio, quæ est *ab Aser ad Machmethath*, ostendit ferè limites oppositos Orienti, à Septentrione ad Austrum versùs, pergendo viâ publicâ quæ à Beth-san ducit Sichem. Machmethath enim posita erat è regione Sichem, ut est S. verbis testatum. ¶ Jam verò cùm dicitur, *Et procedebat terminus ad dextram, ad habitatores fontis Tapphua*, &c. planè à תפוח *Tapphua* per torrentem Cannosum descenditur in mare, ut in designandis finibus Ephraimiticis factum est. Nam iidem fines fuerunt Ephraimitis Aquilonares qui Manassensibus Australes. Sed enim quis hîc non videat Tapphuam non esse apud Jordanem quærendam, & proinde neque torrentem Caricosum כרית *Carith* esse posse? quando propè à Bethsan pergentibus Sichem & Machmethath, divertendum ad dexteram est, h. e. ad Occidentem, ut Tapphuam veniatur. Et quis tam absurdus atque alienus est ab istarum regionum cognitione, ut credere possit Manassensium fines ad mare Mortuum pertinuisse?

8, 9. *Terra Tapphua erat Manassis: verùm ipsa Tapphua*, &c.] Ager Tapphuanus, inquit, cum suis municipiis videlicet & pagis, fuit in ditione Manassensium: at ipsa urbs Tapphua, quamvis sita esset intra fines Manassensium, tamen erat in hæreditate Ephraimitarum: cujus rei causam suprà diximus. Nam funiculus, inquit, qui discernebat fratrum istorum possessiones, ambiebat ille quidem torrentem Cannosum à Meridie, atque eum attribuebat Manassensibus: verùm tamen urbes quæ illi torrenti ab Austro adjacebant, etsi essent re ipsâ intra Manassensium positæ terminos, nihilominus jure fuerunt Ephraimitarum; quæ verò à Septentrione torrentis exstabant, eas obtinebant Manassenses. Atque hæc, meo certè judicio, vera est istorum verborum sententia. Nam quod Latinus convertit, *In Meridiem torrentis civitatum Ephraim*, id non est nunc ità scriptum in Hebræo. Verbo enim נחל appositus est accentus Rebia, qui illud longiore interspiratione distinguit à sequente vocabulo *civitatum* ערים quàm ut ei sic hærere possit sicut visum est Latino. Sed LXXII interpretes admirabiliter hallucinati videntur. Nam pro ערים expresserunt יעיר, pro אֵלֶּה verò אֵלָה sive אַלָה. dixerunt enim *Jair*, & *terebinthus*.

10. *Atque in Aser incidunt à Septentrione: in Issachar verò*, &c.] Verbum *incidunt* numero plurium positum spectat, opinor, universè ipsos Josephitas. Nam fieri nullo modo potest ut Ephraimitæ usquam attingant Aseritas. Cæterùm quâ ratione Manassenses sint ab Aquilone affines Aseritis, atq; ab Ortu Issacharitis, expressit suâ tabellâ chorographicâ Wolfgangus Wisenburgius, luculenter sanè, sed peculiari designatione, & quæ cum aliorum descriptionibus minimè est consentanea. Cæteri enim omnes, Josephum secuti auctorem inter Manassenses & Aseritas interponunt Issacharianos & Zabulonios. Nos verò hanc controversiam nunc non dijudicabimus; sed rem totam quî se habeat tunc explicare conabimur cùm istarum tribuum fines S. verbis describentur. Nam quod ad præsentem locum attinet, hoc dixisse satis fuerit, Certum atque compertum esse, Manassenses prope Doram incidere in Aseritas, cùm illic attingant montem Carmelum, ad quem pertinere etiam Aseritas scriptum est c. 19. 26. Monte igitur illo tanquam communi confinio conjunctæ sunt istæ duæ tribus, eo loquendi modo videlicet quo Nephthalimi dicuntur *attingere Judæos ab Oriente*, c. 19. 34. propter Jordanem utrique tribui communem; cùm sint alioqui magno locorum intervallo & aliquot aliarum tribuum interpositis hæreditatibus separatæ. Cæterùm fines Aseris atque Issacharis hîc nominantur κτ̀ πρόληψιν: nec dum enim illis tribubus fines ulli sunt assignati.

11. *Habebátque Manasses in Issachar & in Aser*, &c.] Et hîc quoque πρόληψις est. Tum enim demum ista constituta sunt cùm aliis tribubus suæ sunt assignatæ hæreditates. ¶ בית שאן *Beth-san*, urbs olim celeberrima, sita erat haud procul ab extrema ora Genesaræ, quâ Jordanis effluit, inter hunc fluvium & montem Gelboe, itinere circiter mediæ horæ ab Jordane, in amœna planitie: unde & *campestris* esse & *maritima*, h. e. Genesaræ vicina, dicitur à Josepho. In ea suspensum fuerat pro muro Saulis trucidati cadaver à Palæstinis 1 Reg. 31. 10. Josephus, Strabo, Stephanus Byzantius, alii, *Scythopolim* vocant. Plinius l. 5. c. 18. addit, olim *Nysam à Libero patre* dictam fuisse, cùm suam illic nutricem sepelivisset, quæ illo nomine vocabatur. Et sunt qui etiam nunc vulgò appellari *Nysam* scribunt. Fuit Decapolitanæ regionis urbs maxima, ut ait Josephus, Antiq. l. 3. c. 16. Paululùm supra eam inchoatur vallis illa amœnissima quam *Illustrem* dicunt, quæ deinceps ad Asphalitidem usque porrigitur. Sed est in Josepho semel iterùmque, & nescio an non tertiò, scriptum *Beth-semes* pro *Beth-san*. ¶ Porrò reliquæ urbes quæ hic commemorantur, *cum suis filiabus*, h. e. municipiis pagísque, positæ omnes fuere in illo campo maximo quem vocabant olim *Ezdrelonem*, ab urbe *Jezreel*, opinor, corrupto nomine; nunc verò etiam *campum Saba*, à castro *Saba*, quod prope Aphecam exædificarunt posteri. ¶ Et יבלעם *Jeblaam* quidem haud procul à Magedo abfuisse, de Ochoziæ historia conjici potest. Is enim, cùm apud Jeblaam letale vulnus accepisset, *ad Magedo evasit, ibíque obiit*, 4 Reg. 9. 27. ¶ מגדו *Magedo* autem, quam nostrâ memoriâ appellat vulgus *Subimbre*, exstabat apud Torrentem Cison; Qui ab ea in carmine Debboræ, Judic. 5. 19. dictus est *Aqua Magedo*. Atque illic quoque sitam fuisse תענך *Thaanach* ex eodem carmine confici videtur. Certè hanc Magedoni proximam fuisse ex Regum historia l. 1. c. 4. v. 12. & Paralipomenis l. 1. c. 7. v. 29. satis certum est. ¶ De דאר *Dora* antè diximus. ¶ Porrò עין דור *Endor*, quod est ac si *Fontem Dora* dicas, existebat in jugo quod à monte Thabor decurrit versùs Austrum atque Hermonem minorem: urbs nobilitata excito ab inferis Samuele per veneficium, 1 Reg. 28. Et hanc quoque prope torrentem Cison positam fuisse, argumento sunt divini Vatis verba Psal. 83. 10. quibus eam memorat cladem quâ Sisera Præfectus Regis Jabin apud illum torrentem est afflictus à Debbora & Baraco. ¶ De vocabulo נפת diximus c. 11. initio. ¶ R. Solomon illud שלשת הנפת, quod nos diximus *tertiam partem regionis*, interpretatur *tres regiones pertinentes ad Doram atque En-doram*. Symmachus de suo addidit copulam, vertitque, *Et tria litora maris*. Latinus copulam quidem etiam ipse suggessit, tanquam præteritam; sed *Napheth* putavit urbis nomen esse. Ego verò arbitror tres illas urbes, Endoram, Thaanach & Magedonem, cum suis quamque municipiis & pagis, dici שלשת הנפת, quia sunt tanquam tres regiones in tractu illo Dorio ad Manassenses pertinentes. Nam etsi נפת, ut antè dixi, quemvis *tractum terræ* significat, tamen peculiariter interdum usurpatur de sola illa regione in qua Doræ municipia exstant, nonnunquam verò paulò etiam laxiùs de universo tractu Dorio. Cæterùm *incolæ Doræ, Endoræ, Thaanach, Magedo* dicti sunt pro ipsis urbibus per transnominationem.

12, 13. *Cæterùm non valebant Manassenses exterminare*, &c.] Nomen *urbium* per hypallagen pro ipsis civibus dictum est. De Manassensium ignava impietate eadem memorantur in Judicum libro 1. 27. Quid autem istis atque aliis obstiterit cur minùs facilè suos hostes vincerent, jam semel iterúmque exposuimus. Et res ipsa Dei verbis testata est, Judic. 2. 20. cùm diceret, *Quia violavit gens ista fœdus meum quo obstrinxeram majores ipsorum, neque morem gesserunt voci meæ, ego posthac non exterminabo à conspectu ipsorum ullum hominem earum gentium quas reliquit Josua moriens*. Nimirum cùm neque miraculis neque beneficiis neque promissis neque minis adduci possent ut veram pietatem stabili firmáque ratione colerent, semel pronunciavit Deus quâ deinceps conditione habitaturi in terra illa felicissima essent, nempe non in pace & quieto otio, quibus non invitabantur ad virtutem, sed inter immanes & turpissimas gentes, à quibus subinde

exagitati oculos interdum in cœlum attollerent. Quod quoties ex animo faciebant, toties maximis suis & undique circumfusis molestiis levationem inveniebant, atque insperatâ alicujus Judicis ope, ductu, consiliis superiores hostibus suis evadebant, tantisper dum rursus consuetis se vitiis per otium & luxum dederent. Atque ea fuit perpetua Ecclesiæ conditio, indè post Josuæ excessum, usque ad Davidis Principatum. A quo Rege, ut qui vir fuerit qualem Deus amabat, cùm domitis Barbaris, aurea sperari posse secula viderentur, non diutiùs ea rerum tranquillitas stetit quàm usque dum illius filius Solomon imperium amplissimum cum vita amitteret. Postea enim divisâ, aut dilaceratâ atque discerptâ veriùs, in duas partes Ecclesiâ, nullus discordiarum modus fuit, donec tandem omnes solum vertere coacti, & in exsilium abducti abstractíque sunt in Orientem. Sed pervagatissimas persequor historias. Verùm id eò facio ut lector mecum se convertat animo cogitationéque ad præsentem nostræ Ecclesiæ conditionem longè miserrimam; & unde ad ista tanta mala hæc devenerit, quóque se modo extricare possit, consideret. Æquabili enim tenore, mihi certè, ista priscæ illi respondere videtur. Nam olim etiam ipsa gentibus permixta graves ab illis contumelias perferebat; quibus tamen ad pietatem mirificè stimulabatur, quod multorum Martyrum, ut vocamus, præclarissimis certaminibus est testatum. Porrò simul atque ab illis liberata est, mox odiis intestinis atque dissidiis conflictari cœpit. Sed ubi etiam ista utcunque exstirpata tandem sunt sacris Conciliis, continuò se otio & luxui dedit; ex quibus turpissima ambitio est nata, extincta pietas, neglecta disciplina, ad pompam solam compositi ritus, & in summa, religionis juribus omnibus pollutis, superstitio omnium ferè animos oppressit, atque imbecillitatem hominum occupavit. Quæ mala cùm diutiùs tolerare ac pati lenissimus alioqui Pater Deus nollet, denuò nos in acerbissimam relabi discordiam passus est, eámque tam variam & multiplicem, atque inauditarum opinionum insolentiâ tam pertinacem, ut salutaria majorum nostrorum remedia, Concilia dico, jam prorsus respuantur: cùm plerique, contemptâ Ecclesiæ auctoritate, eò audaciæ provecti sint, ut impietas quam tuentur non tam inimici hominis, h. e. Satanæ, astu & technis inspersa ipsorum mentibus videri debeat, quàm veræ pietatis religionísque fastidio atque contemptu ultro arcessita: h. e. ut deditâ malitiâ magis quàm errore videantur insanire, agnitámque veritatem aversati quadam novitatis libidine ad absurdissima quæque dogmata ferri. Quapropter frustrà posthac, meo certè judicio, disputationes instituuntur; frustrà multi immanibus tormentis carnificantur; frustrà Principes, ut religionem q. Dei arcam, boum, h.e. Sacerdotum, petulantiâ nutantem, tanquam manu admotâ fulciant, Ozæ exemplo, formulas sacrorum novas singuli condunt; ad quas dum Ecclesiæ res corrigere volunt, planè dissipant, & vetera Patrum instituta novis suis commentis convellunt. In solius Dei misericordia spes bona reliqua est. Hic continuis precibus est interpellandus ut *memor esse velit placabilitatis suæ:* sic enim etiam Habacuc precabatur c. 3. 2. Et quidem ab illis maximè est implorandus qui magis vitæ suavioris & umbratilis cupiditate quàm sacræ doctrinæ propagandæ amore adhuc magistratum in Ecclesia Dei quibusvis artibus adepti, istorum malorum causas cum primis dederunt, neque etiam nunc dare desinunt. Hi enim si novum possent ingenium induere, atque eorum se re ipsâ affectibus informare quorum gestant personas: & cum Daniele 9. 4. &c. orarent, *O Domine Deus noster, peccavimus, & à mandatis tuis*, nostras secuti voluptates, *declinavimus*; itaque propter nostra scelera tua sancta Ecclesia contemnitur. Tu ergò, Domine, memor placabilitatis tuæ atque clementiæ, respice sponsam tuam quam sanguine Filii tui tibi comparasti, propter nomen tuum sanctum, quod in ea sola ritè invocatur celebratúrque. Si, inquam, illi penès quos Ecclesiæ gubernacula sunt, & unà cum ipsis populus reliquus, veram pietatem ad Deum toto animo adhibere instituerent, nihil dubito quin hoc præsentissimum foret omnium malorum nostrorum remedium. Alioquin verendum est ne tandem ille nostrorum etiam flagitiorum pertæsus, similiter atque olim Israelitas, Orientis aut Aquilonis immani imperio nos subjiciat. Sed jam nescio quò me tristem abduxit istarum rerum cogitatio. Quare ad propositum revertamur.

14. *Locuti sunt autem Josephitæ ad Josuam dicentes,* &c.] Existimat Nehmannus Manassenses, simul atque hæreditatem suam nacti per sortitionem fuissent, conatos esse eliminare prorsus Chananæos; sed cùm id frustrà tentassent, tum comitatos fratribus suis Ephraimitis questum adiisse Josuam de sortis suæ angustia. Atqui absurdum profectò est ullos omnino Israelitas, vivo etiam tum Josuâ atque imperante, sordidi tributi pactione Chananæos apud se tolerasse, ut antè dixi. Quare censendum est illa quæ superiore versu dicta sunt ad ea spectare tempora quæ post Josuæ mortem usque ad Davidis Imperium sunt insecuta, quibus disciplina in populo Dei miris modis collapsa omnis domi militiæque infelicitatis & miseriarum causa Israelitico populo fuit. Neque verò etiam istas querelas adhibuisse eos ad Imperatorem antè quàm reliqua Chananæa per metatores in septem partes divisa, eâque re ipsorum hæreditas certis limitibus à Septentrione definita esset, mihi fit verisimile. Neque enim antè scire potuerunt quàm angusta aut lata esset sua ditio futura. Verùm credibile est, cùm jam rescissent quibus finibus essent circumscripti ab illis mensoribus à Septentrione, & antè perlustratis proximis quibusque locis animadvertissent quales in eis hostes reliqui essent, tum demum ista questos esse, & alteram insuper sortem ambivisse priùs quàm septem illas partes nuper factas reliquæ septem tribus sortirentur. Sed enim illud etiam video controversum inter explanatores esse, Soline Manassenses questi sint, an simul cum his Ephraimitæ. Et plerique quidem Judæi autumant, Manassensium res non etiam Ephraimitarum, habuisse querelam, cùm illi magno numero aucti essent post relictam Ægyptum, hi verò etiam imminuti. Credunt enim Judæorum Magistri Doctoribus Hebræis, ejus modò summæ in Terræ distributione habitam esse rationem quæ virorum in quaque tribu erat quando Ægypto excedebatur. Proximo enim ab exitu anno numerata fuerant Ephraimitarum 40 millia & quingenti; Manassensium verò, 32 millia & ducenti: At in campis Moabiticis, cùm paulò pòst in Chananæam esset transeundum, factâ recensione, reperta sunt illorum quidem 32 millia duntaxat & quingenti; horum verò, 52 millia & septingenti. Atqui non solos Manassenses questos esse, debebant Judæi ex Imperatoris responso intelligere, quo ille utramque simul tribum alloquitur. Quòd si verò contenderent isti, querendi auctores fuisse Manassenses, sed non nisi fratribus suis Ephraimitis comitatos adiisse Imperatorem dicerent, non admodum repugnarem. Hoc enim etiam Nehmanus sensit. Et apparet, nullius tribûs hæreditatem majoribus fuisse difficultatibus impeditam quàm Manassensium: Nulla enim plures memoratur urbes in Chananæorum potestate reliquisse. ¶ Tum illud quoque, *prout adhuc mihi benedixit Dominus*, ad Manassenses non ad Ephraimitas spectare videtur, ut jam ostendi. Quanquam alioqui certissimam etiam fœcunditatis spem habuere Ephraimitæ ex avi sui oraculo, aut cœlesti testamento veriùs, Gen. 48. 19. Sed ut ut hoc est, ego existimo, cùm ista quererentur Josephitæ, nondum divisam fuisse inter ipsos hæreditatem; quam, ut dixi, simul unius sortis tractu acceperant: atque ideo pariter eos causam istam orasse, cùm adhuc pari essent casu. Jam verò cur quererentur unicam sibi sortem esse datam, expeditissimam rationem vides. Illud enim universum terrenum quod deinde ipsi inter se partiuntur unicâ sorte simul ambobus obtigit, ut est à nobis satis explanatum suprà. Re ipsâ tamen tam erat amplum ut utrisque satis esset. Neque enim credibile est, adversùs Jacobi decretum, quo duas ille tribus diversas, Manassensium alteram, alteram Ephraimitarum,

fece-

fecerat, quidquam esse constitutum à 12 viris. Si quis tamen existimare malit *sortem unam* illos dicere tam angustam hæreditatem ut ea non duabus sed uni tribui debeat assignari, non contendam contrà. Sed R. Levi F. Gersonis sic hunc locum explanat, ut dicat Josephitas esse questos suam hæreditatem iis undiquaque finibus determinatam esse quos olim nullâ ratione proferre possint sine fratrum suorum injuria: Meritò enim id eis grave videri, cùm indies numero hominum augescant: Plerasque enim alias tribus ità locatas fuisse ut sua pomœria ampliare, vicinis Barbaris subjugatis, possent; neque iis limitibus quos ipsarum sors designasset inclusæ penitus viderentur. Atqui si id de ullis omnino, certè de paucis tribubus, verum est: quapropter probare istam Gersonis opinionem ego certè non possum.

15. *Josua verò dicebat ad ipsos, Si populus multus es*, &c.] Per consensionem, quod schema ironiæ species est, *neque sine adversariorum vitio accidit*, inquit Fabius l. 9. c. 2. refellit Imperator Josephitarum petitionem. Nam quod illi pro sua ipsorum causa dixerant, id pro se arripit; Bene est, inquiens, quòd multus estis populus. Si enim virorum numero, ergò & viribus abundatis: quibus efficere potestis nè habitetis angustè, solo monte Ephraim conclusi; si profecti sylvosa illa loca quæ adhuc Pherezæi & Rephaimi obtinent, eradicatâ materie, pulsísque Barbaris, ad habitationes vobis agrósque excolueritis. ¶ *Pherezæi* hominum genus erat agreste, procul ab urbibus degens. Nam & פרזות *loca non cincta muris* vocantur, ut censent Judæi. Ego verò existimo פרזים *Pherezæos* potiùs grassatores fuisse, & homines qui ex rapto vivebant; eósque à *viribus* aut *violentia* sic esse vocatos. Animadverti enim verbum פרז reddi solere Græcè ἰσχύειν. ¶ רפאים *Raphaimos* verò ex Gigantum genere fuisse qui in antris & cavernis terræ habitarent, diximus suprà 11. 21. & 12. 4. R. D. Kimhi hunc versum explanat in hanc sententiam; Jubet, inquit, Imperator Manassenses conscendere in montem fratrum suorum Ephraimitarum, sylvásque illic exscindere, & urbes prædiáque sibi comparare: aut si longiùs ab se montem illum abesse putent (sic enim ille accipit verbum אץ, ut idem sit quod רחוק) tum ejiciant Pherezæos & Raphaimos, ac horum occupent loca. Itáque unum ille absolvit verborum ambitum in illo adverbio שם. Et quod sequitur, *In terram Pherezæi & Raphaim*, putat præcisè dictum esse, suggeríque debere verbum *ascende* aut *invade*. Neque ab hac sententia sunt dissentanea quæ à R. Levi F. Gersonis dicuntur. Verùm mihi aliena prorsus ista videntur à S. verborum constructione: quare non faciam ut prosequar illam opinionem longiùs. Cæterùm הר אפרים *mons Ephraim* κατὰ πρόληψιν hoc nomine dicitur: Quippe utitur sacri commentarii scriptor eâ appellatione quæ suâ memoriâ erat usurpata. Nam, ut dixi nuper, nec dum fuisse Ephraimitarum magìs quàm Manassensium, quo tempore ista agebantur, credibile est. Aiunt autem homines peregrini etiam hodie illum vocari *Gebal Ephraim*, h. e. *Montem Ephraim*.

16. *Rursus Josephitæ dicebant, Non obtinebitur à nobis mons*, &c.] In duas diversas sententias commodè interpretari posse hunc versiculum ego certè existimo. Earum altera est, Tu nos jubes loca sylvosa excolere. Atqui ea si montosa sunt, non poterimus expugnare; faciliùs enim montes ab hostibus defenduntur: Sin plana; nè ea quidem eripere nostris adversariis quibimus, quippe qui ista falcatis obtinent curribus armati. Altera est, quam R. Isaias probat, ut copula Causam significet; Hortaris nos ut in terram à Pherezæis Raphaimísque habitatam, h.e. in montem quendam incultum, qui in nostris finibus exstat, conscendamus, eúmque repurgemus. Sed non est in nostris viribus positum ut eum obtinere queamus: nam fortissimi Chananæi aditus omnes ad eum montem tuentur falciferis quadrigis. Si posteriorem sensum probamus, videbuntur de monte Gelboe ista dici, quem ab Oriente Beth-sanitæ, ab Occidente Jezreelitæ defendebant. Sed plerique Judæi cum Chaldæo verbum ימצא interpretantur *satis erit*; ut etiam LXXII hoc loco; existimántque de eodem illo monte Ephraim agi: ac si respondeant Josephitæ, Nequaquam satìs loci esse utrique tribui in monte Ephraim: Frustrà autem se remitti ad Pherezæos & Raphaimos, armatiores ferreis curribus quàm ut de sua statione pelli possint. Mihi superiorum sententiarum alterutra probatur magìs. Nam observasse videor & comperisse verbum מצא, dum patiendi formulâ usurpatur, aut, ut loquuntur Grammatici, dum absolutè, plerumque significare *in promptu esse*, aut *esse in rerum natura*, & omnino παραγίνεσθαι· cùm autem actionem significat, tum esse id quod *exhibere*, *repræsentare*, &c. Sed fruatur suo quisque judicio. ¶ *Currus ferreos* ego falcatos currus esse censeo; quos Xenophon aliíque δρεπανηφόρα ἅρματα appellant & δρεπανηφόρα τέθριππα, h. e. ut Livius dixit, *falcatas quadrigas*, aut, ut Lucretius, *falciferos currus*.

17, 18. *Iterum Josua ad Josephitas aiebat, ad Ephraim & Manassem*, &c.] Refellunt ista apertè eorum sententiam qui solos Manassenses esse questos dicebant. Nam frivolum est quod Kimhi comminiscitur, Imperatorem ad Ephraimitas etiam verba facere, ut fratres suos non solùm patiantur apud se de habitationibus sibi accommodare, sed in eo etiam adjuvent atque invitent. Cæterùm prorsus id respondet Imperator quod antè, sed planiùs explicatiúsque; Cùm, inquit, populus multus sitis, magnísque polleatis viribus, nisi estis ignavissimi, facilè montem obtinebitis: Et quamvìs sylvis obsitus sit, eum repurgabitis. Neque verò montem solum, sed etiam alia quæ ei adjacent loca expugnabitis. Nam tantis copiis instructi ipsos etiam Chananæos, quamvìs ferreis curribus armatos, facilè superabitis. Si de uno quopiam monte loqui Josuam, ipso videlicet Gelboe, statuimus, cum R. Isaia, *exitus ipsius* fuerint utrinque urbes Bethsan & Jezreel cum suis ipsarum municipiis, & si qua sunt præterea ad eum montem oppida. Mihi tamen fit verisimilius, *montis* verbo significari quævis loca montosa; qualia plurima fuisse in Josephitarum hæreditate certissima res est: *Exitus* autem esse valles & campos in quos è montibus descenditur. Kimhi rursus in suam sententiam verba ista extorquet, q. Imperator hortetur Manassenses, ut postquam montem Ephraim habitabilem effecerint, tum vicinos Chananæos expulsum pergant, cæteroqui graves vicinos futuros. ¶ Particulam כי ego interpretatus sum *quamvìs*: est enim sæpe adversativa conjunctio. Sed RR. Solomon & Nehmannus causam significare censent cur loca ista tribui Manassensi, non autem aliis, assignari debeant; nimirum, quia difficilia sunt; Manassenses autem magnis viribus & militum numero pollent. Sed hìc mihi non videtur Imperator Manassenses cum aliis tribubus contendere. Porrò Doctores Hebræi (ut fabellam plùs quàm anilem audias) בבא בתרא פרק ח׳ c. 8. *Baba batra*, h. e. *Porta ultima*, scriptum reliquerunt, Josephitas in sylvam mitti ab Imperatore ut invidi oculi fascinum evitent, cùm sint tantâ fœcunditate amplificati à Deo. Sed, omissis nugis, parùm videtur consentaneum esse pietati Imperatoris, quod Josephitis spem victoriæ ex magnis ipsorum copiis facit, non autem defigere fiduciam omnem in Dei benignitate & ope jubet. Verùm ille eos suis ipsorum verbis redarguere voluit; & simul ostendere, admotâ, quod dicitur, manu fortunam, h. e. Dei benignitatem, invocari debere. Turpissimæ enim ignaviæ erat, cùm nihil dum adversus hostes experti fuissent de sorte sua, quam Deus dederat, queri, tanquam nimis angusta, déque Dei auxilio tam socorditer diffidere. Quapropter meminerimus etiam nos, nunquam de corporis animíve bonis, quæ à Deo nobis donata sunt, quasi parùm largis, molestè queri. Nam si nobis non desimus ipsi, neque acceptis donis parùm rectè utamur, semper abundè satis fuerit quod sapientissimus ille rerum omnium promus condus, idémque benignissimus parens, Deus cuique contulit ad vitam tolerandam, & rectè instituendam etiam.

IDEM.

IDEM.

1. **C**UM dicitur, φυλῆς υἱῶν Μανασσῆ, expungendum est υἱῶν. ¶ Scribe, υἱῷ ※ ἀνὴρ πολεμιστής· sed habeat pronomen stellulam, tanquam alcititium.

2. Pro Ἀχιεζὲρ scribe Ἀβιέζερ· & pro Ἔχεμ Συχέμ. denique pro Σεμιρὰ Σεμιδὰ. ¶ Cùm dicitur, ἔτι ἄρσενες, &c. expletur locus in mixta ad hunc modum ἔτι υἱοὶ Μανασσῆ, υἱοῦ ※ Ἰωσὴφ ↙, ἄρσενες, &c.

3. Post υἱῷ Ἐφὲρ suggerit ed. m. ※ υἱῷ Γαλαὰδ, υἱῷ Μαχεὶρ, υἱῷ Μανασσῆ ↙ οὐκ ἦσαν, &c. ¶ Adscribendus est articulus, τῇ Σαλπαὰδ, & pro Μαλαὰ scribendum Μααλά.

4. Expungatur κληρονομία, cùm dicitur, καὶ ἐδόθη αὐταῖς κληρονομία.

5. Aboleatur αὐτῷ post σχοινισμός. ¶ Notat Syrus per limniscum, pro Λαβὰδ esse in quibusdam libris Λαβέκ. & hanc scripturam habet Vat. sed alterum est Hebrææ voci consonum, quæ est לבד *Levad*: hæc tamen vox hoc loco non est loci proprium nomen, sed exceptiva, ut vocant, particula. Videntur autem LXXII legisse ערבה vel מישרה, pro עשרה, cùm πεδίον dicerent, pro eo quod Hebraicè est *decem*. Quanquam ego & istum & alios similes errores non illis interpretibus, sed stultis emendatoribus, qui olim ausi sunt cornicum oculos velle configere, adscribo.

7. υἱῶν notandum est obelo. ¶ Post Μαχθὼθ expungendum est ἡ Δανάθ. ¶ Cùm dicitur, καὶ Ἰασσὴμ, notetur copula obelo, & pro Ἰασσὴμ scribatur εἰς Ἰωσὴφ. & mox pro Δαφθὼθ, Θαπφού.

8. Post τῷ Μανασσῆ ἔσται, quæ perperam sunt à Compl. omissa, suggeritur in mixta, ※ γῆ Θαπφὲ ↙, deinde sequitur, καὶ Θαπφὲ ἐπὶ, &c. ut est in pervulgatis libris scriptum. ¶ Post Μανασσῆ suggerit m. ed. ※ τοῖς υἱοῖς Ἐφραὶμ ↙.

9. Initium versiculi suggerit m. ed. his verbis, ※ καὶ καταβήσεται τὰ ὅρια ↙. deinceps sequitur, ἐπὶ φάραγγα, &c. Mox legit Syrus τῷ Ἐφραίμ. Notat tamen esse in quibusdam exempl. τῷ Ἐφραίμ. ¶ Pro πόλεως mallem πόλεων numero plurium: sed refragantur plerique libri. Profectò credibile non est tantos viros, quanti fuere LXXII interpretes, sic esse hallucinatos ut ea redderent pro Hebraicis verbis quæ hoc nono versu leguntur modó. Nam pro pronomine אלה legimus *Terebinthum*, quæ arbor אֵלָה aut אַלָּה vocatur; & pro ערים *Arim*, quæ vox *urbes* sign. scriptum est *Jair*. ¶ Scribe καὶ ἔσται ἡ διέξοδος αὐτῶν· atque ità inferiùs quoque.

10. Pro ὅρια αὐτ. scribendum est ὅρια αὐτῆς.

11. Est quidem in exempl. miro consensu Βηθσὰν, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν. Sed res ipsa loquitur, dicendum esse, κῶμαι αὐτῆς, ut est in Hebræo. Suggerit autem post ea verba ed. m. hæc, ※ καὶ Ἰεβλαὰμ, καὶ αἱ θυγατέρες αὐτ. ↙. & mox post κώμας αὐτῆς, hæc, ※ καὶ τοὺς κατοικοῦντας Ἐνδὼρ, καὶ τὰς κώμας αὐτῆς, καὶ τοὺς κατοικοῦντας Θαανὰχ, καὶ τὰς κώμας αὐτῆς ↙. Est enim etiam ista posterior verborum complexio, quæ in pervulgatis libris habetur, asterisco signanda, ut aliena. ¶ Copula, cùm dicitur, καὶ τὸ τρίτον, & illud quod in extremo positum est, καὶ τὰς κώμας αὐτῆς, debent obeliscis jugulari.

13. Particula δὲ, cùm dicitur, ὀλοθρεῦσαι δὲ, est asterisco notata à Syro. Est etiam hîc pronomen αὐτοὺς, priore loco scriptum, prorsus è medio auferendum; at in extremo versiculi positum, debet jugulari veru.

14. Post ἐκληρονόμησας ἡμᾶς addit ed. m. ※ κληρονομίαν ↙, κλῆρον, &c. Nimirum LXXII illiusmodi repetitionem putabant esse supervacaneam. ¶ Delendum εἰμὶ, quod est in vulg. libris. Et quæ deinceps sequuntur debent mutato ordine verborum scribi, καὶ εὐλόγησέ με ὁ Θεός.

15. Pro ἐκκάθαρον habent boni libri ἐκκάθαρον. ¶ Post σαυτῷ suggeritur in mixta hæc verborum continuatio, ※ ἐκεῖ ἐν τῇ γῇ τοὺς Φερεζαίους, καὶ τοὺς Ῥαφαεὶμ ↙, sic enim legit Syrus: sed Compl. scripserunt casu gignendi, τῷ Φερεζαίῳ, καὶ τῷ Ῥαφαεὶμ. ¶ Legit Syrus, τὸ ὄρος τῷ Ἐφραίμ. Vat. nisi fallor, τὸ ὄρος, τὸ Ἐφραίμ. sed parvi refert utrum scribatur.

16. Pro ἀρέσκει habent pleraque exempl. ἀρκέσει. Syrus verò legit temporis præsentis verbum, ἀρκεῖ· atque ità hic locus ex Origene profertur. ¶ Ἐφραὶμ jugulandum est; & similiter ἐπίλεκτος. ¶ Pro σίδηρος legit Syrus σιδήρεος. Sed puto illud esse probum; nam & Origenes videtur legisse σίδηρος· debet tamen asterisco hoc vocabulum notari. Nam eùm LXXII illud quod Hebræum habet, רכב ברזל, essent interpretati *equus electus*, additum ex Theodotione est *ferri* vocabulum & simul universitatis nota παντί. Est enim sic in mixta scriptum, ἐπίλεκτος, ※ καὶ σίδηρος, aut σιδήρεος, παντὶ ↙ τῷ Χαναναίῳ, &c. Quod autem deinceps est, κατοικοῦντι ἐν ἐμοί, corruptum est: debet autem hic locus scribi ut Compl. ediderunt, κατοικοῦντι ※ ἐν τῇ γῇ ↙ Ἐμὲκ, ἐν Βηθσὰν, &c.

17. Post Ἰωσὴφ adscribe ※ τῷ ↙ Ἐφραὶμ καὶ Μανασσῆ, λέγων ÷ Εἰ ↙ λαὸς, &c. & nota articulum τῷ asterisco, ut alienum; conjunctionem verò εἰ, obelisco.

18. Post καὶ ἔσται σοι suggeritur in ed. m. ※ ἡ ἔξοδία αὐτοῦ ↙. ¶ Post αὐτῷ ἐπὶ suggeritur ※ ἔτι ἰσχυρὸς ἐπὶ ↙. σὺ γὰρ, &c.

DRUSIUS.

3. **N**Isi *filiæ*] Quæ nubebant viris in eadem tribu, cùm hæreditatem adirent, nè fundi dotales ad aliam tribum transferrentur. Aliàs poterant nubere & viros accipere ex alia tribu.

5. *Funiculi Manasse*] Portiones sive partes in quas terra illa per funiculos dividebatur. Sic dico, *Funiculos* appellant terræ dimensas portiones, quia funibus agri dividebantur metabantúrque. Itaque in nupera versione est *partes Manasse*. Jon. *sortes Manasse*. ¶ *Decem*] Sex viri erant, quorum sextus reliquit filias quinque: quæ pars in quinque divisa cum aliis quinque facit decem. Res est, non conjectura.

11. *Tres regiones*] Vel *tractus*. נפת enim quemvis *terræ tractum* sign. peculiariter autem usurpatur de sola illa regione in qua Doræ municipia exstant, nonnunquam de universo tractu Dorio. Masius hîc *tertiam partem regionis*, Sym. *& tria littora maris*. R. S. *tres regiones*.

IDEM.

16. לא יִמָּצֵא · οὐκ ἀρκέσει, *non sufficiet*] Lectio varians, οὐκ ἀρκεῖ, *non sufficit*. Utraque invenitur in codicibus edit. LXX.

GROTIUS.

1. **I**Pse *enim est primogenitus Josephi*] Res quidem aliquando majores Ephraimo vaticinatus erat Jacobus Gen. 48. 19. sed jus primorum natalium Manassi non abstulerat: neque id meritus erat Manasses.

4. *Et Dominus præcepit per manum Mosi*] Vide Num. 27. 7.

5. *Et ceciderunt funiculi Manassi decem*] Sex pro Abiezeri, Heleci, Ezrielis, Sechemi, Hepheri, Semidæ familiis. Selophcadi filiæ quatuor partes cepere; duas pro avo, utpote primogenito, unam pro patre, unam pro patruo, qui omnes ex Ægypto egressi jus ad posteros transtulerant. Sic Hebræi quidam.

14. *Succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia; & poteris ultrà procedere cùm subverteris Cananæum*] Qui de finium angustiis queruntur, non populares sed hostes debent expellere, aut loca vacua occupare & colere. Adde quod 19. 47.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

1. **S**Ilo] 14 anno postquam ingressi sunt in Terram, erexerunt tabernaculum in Silo. Nam 7 continuis annis pugnaverunt contra habitatores Terræ, & per 7 annos

annos diviserunt Terram; mansitque interim tabernaculum in Gilgal.

2. *Septem tribus*] Notandum quòd tribus Ruben, tribus Gad, & dimidia tribus Menasse jam acceperant possessiones suas ultra Jordanem; citra verò in terra Chnaan acceperant possessiones tribus Jehuda, tribus Ephraim, & dimidia tribus Menasse, ut hactenus textus explicuit: Manserunt igitur adhuc septem tribus residuæ, quibus providendum erat de terra.

17. *Fontem Solis*] Sive, *ad Beth-Samesch*. Scribuntur enim hîc multa locorum nomina quorum interpretatio clara & aperta est, sed ratio impositionis ignoratur: ut sunt, *Kiriath-Jeraim*, *Civitas Sylvarum*; *Beth-lebaoth*, *Domus leænarum*; *Hazarsusa*, *Villa equitatûs*, &c. Sunt tamen aliqua quorum ratio constat; ut sunt *Bethel*, *Beersaba*, &c.

19. *Ad linguam maris salsi*] Jam suprà diximus per *linguam* intelligi כיפא *petram*, ut Jon. vertit, 15.2.

VATABLUS.

1. Congregata, &c. ויקהלו כל עדת וגו׳] Ad verb. *Congregati sunt autem totus cœtus*, &c. ¶ *Postquam terra*, והארץ] Ad verb. *Et terra*, i. posteaquam terra, *fuit subjugata ab illis*.

2. *Remanserant autem*, ויותרו] *Supererant autem*. *Reliqui autem erant*.

3. *Cessatis*, מתרפים] *Segnes estis*, *remissi*, *negligentes*, i. Quousque tandem estis animo remisso, & non ingredimini ad possidendam terram? sive, non accingimini ad occupandam terram?

4. *Per tribum*, לשבט] *Per singulas tribus*, i. ex singulis tribubus. ¶ *Quos mittam*, ואשלחם] Ad verb. *Et mittam eos*. ¶ *Surgéntque*, ויקומו] i. Accingent sese itineri. ¶ *Juxta hæreditatem suam*, לפי נחלתם] i. Juxta rationem hæreditatis quam accipere debent.

5. *Et partientur*, &c. והתחלקו אתה לשבעה חלקים] Ad verb. *Et partientur sese in ea juxta septem partes*. ¶ *In finibus suis*, על גבולו] *In provincia sua*. Ad verb. *Juxta terminum suum*. ¶ *Et familia Joseph*, ובית יוסף] i. Tribus Ephraim cum dimidia tribu Manasse, q. d. seclusâ tamen terrâ quam jam possident tribus Juda & Joseph.

6. *Vósque*, ואתם] *Vos ergò*, qui scilicet estis mihi oblati à fratribus vestris. ¶ *Et afferatis ad me*, הבאתם אלי] Sub. *Descriptionem*. ¶ *Tum projiciam vobis*, &c. וירתי לכם גורל] i. Missis sortibus assignabo singulis hæreditatem coram Deo vestro, à quo temperantur sortes.

7. *Non est enim*, &c. כי אין חלק] i. Nullam partem capient Levitæ inter vos. ¶ *Sacerdotium Jehovæ*, כהנת יהוה] h. e. A Domino institutum, q. d. Vice hæreditatis habebunt quæ Sacerdotes accipere debent ex præcepto Domini. ¶ *Citra*, מעבר] Refert ingressum filiorum Israel in Terram sanctam.

9. *In libro*, על ספר] *In tabulis*.

11. *Et exivit terminus sortis eorum*, ויצא גבול גורלם] i. Evenit ut provincia illis sorte assignata sita fuerit inter filios Juda & Joseph.

12. *Fuitque eis*, &c. ויהי להם וגו׳] Describit longitudinem sortis Benjamin, & incipit à latere Aquilonari, sive quod Aquilonem respicit. ¶ *Ascenditque*, &c. ועלה הגבול אל כתף] i. Tendítque per montana Jericho versùs Mare, sive Occidentem.

13. *Ipsa est Bethel*, היא בית אל] Duplex est Bethel, altera filiorum Benjamin, altera in tribu Ephraim, quæ est Luz.

14. *Et designatur terminus*, ותאר הגבול] *Et lineam circularem* [sive *obliquam*] *ducit*, i. ducendo lineam circularem, tendit & vertit se per angulum Occidentalem ad Meridiem, &c. Is angulus est Australis-Occidentalis, i. fit ex linea Australi & Occidentali: contrà prior erat Aquilonaris-Occidentalis. Quidam vertunt, *Et circuit*. Idem verbum quod suprà, c. 15. 9. Describit latus Occidentale latitudinis.

15. *Ab extremo*, מקצה] Sub. *est*, vel *incipit*. Describit terminum, sive latus Australe, quod quidem vergit ab Occasu ad Orientem. ¶ *Itaque exit*, ויצא] *Itaque egreditur*. Ad verb. *Et exivit*.

16. *Et descendit terminus*, וירד הגבול] i. A termino Occidentali ducitur funiculus, vel linea ad, &c. ¶ *In valle Rephaim*, בעמק רפאים] *In planitie Rephaim*. Quidam vertunt, *in Emec Rephaim*, ut sit nomen loci, i. qui est in parte Aquilonari vallis Rephaim. ¶ *Jebusæi*, היבוסי] i. Ad latus Australe Jebusæorum habitantium in Jerusalem. Dicunt quidam Jerusalem esse in duabus tribubus, in tribu Juda & Benjamin, sed maximam partem esse in tribu Benjamin.

17. *Et circuit*, ותאר] *Et lineam circularem ducit*, sub. *illinc à Septentrione*, q. d. relicto Septentrione. ¶ *Geliloth*, גלילות] Alias dicitur *Galgal*.

18. *Illinc pertransit*, ועבר] Ad verb. *Et pertransivit*. ¶ *Arabah*, הערבה] Hæc etiam *Beth-arabah* dicitur: non est autem ea quæ enumeratur in catalogo urbium.

19. *Beth-hogla*, בית הגלה] Non est ea quæ recensetur in catalogo urbium. ¶ *Ad limitem Maris salis*, אל לשון ים המלח] *Ad excursum Maris salis*, i. ad locum illum in quo mare illud salsum excurrit in terras. ¶ *Ad extremum Jarden*, אל קצה הירדן] i. Ad locum ubi Jordanis influit in mare.

20. *Et Jarden*, והירדן] Descriptio alterius lateris latitudinis quod respicit Orientem.

24. *Et villa Haamonai*, וכפר העמוני] *Et Chepher & Haamonai*. Omnes istæ urbes sitæ sunt inter tribum Judah & tribum Ephraim.

28. *Jebusi*, היבוסי] *Jebusæorum*. Sub. *urbes*, i. quam Jebusæi incolunt: quæ alio nomine dicitur *Jerusalem*: cujus major pars est in tribu Benjamin, minor verò in tribu Juda, ut nonnulli aiunt.

CLARIUS.

1. *IN Silo*] 14 anno postquam ingressi sunt in Terram, erexerunt Tabernaculum in Silo: Nam 7 continuis annis pugnaverunt contra habitatores Terræ, & per 7 annos diviserunt Terram: mansítque interim Tabernaculum in Galgal.

2. *Septem tribus*] Notandum quòd tribus Ruben, tribus Gad, & dimidia tribus Manasse jam acceperant possessiones suas ultra Jordanem; citra verò in terra Chanaan acceperant possessiones tribus Juda, tribus Ephraim, & dimidia tribus Manasse, ut hactenus textus explicuit: Remanserunt igitur adhuc septem tribus residuæ, quibus providendum erat de terra.

17. *Fontem solis*] Etsi aliqua sunt locorum nomina quorum ratio constat, multa tamen scribuntur hîc quorum interpretatio quidem clara & aperta est, sed ratio impositionis ignoratur, ut est *Chariat Jarim*, *civitas sylvarum*, &c.

MASIUS.

1. *POrrò convocati sunt omnis cœtus Israelitarum ad Silo*, &c.] Ad v. 7. c. 14. diximus, annos circiter 7 elapsos fuisse à Mosis excessu ad cœptam usque distributionem. Quantum porrò indè ad hanc migrationem temporis fuerit intervallum, vix posse certò definiri existimo: Fuisse tamen longiusculum, argumento est Imperatoris jurgatio quâ reliquarum tribuum cessationem graviter incusat, quasi jam diu post inchoatam distributionem nihil pensi habeant de suis hæreditatibus. R. D. Kimhi nihil dubitans dicit, præteriisse jam annos 14 à transmisso Jordane; 7 enim belligerando, & totidem distribuendo esse consumptos. Quasi verò non etiam nunc maxima faciendæ distributionis pars superfit. Sed ille secutus est suorum gentilium χρονολογίαν, quam סדר עולם *Seder olam* illi nominant. In ea enim hæc ferè ad verbum scripta exstant; *Calebus dicebat ad Josuam, Quadraginta annos natus eram cùm me mitteret Moses speculatum terram. Nunc verò en sum hodie annorum octoginta quinque*, &c.

Sunt

Sunt igitur anni septem bellando consumpti. Sed unde conficitur, septem insuper exactos esse distribuendo, priùs quàm inciperent aut Decimas aut Remissiones, aut denique Jubilæos numerare? Nimirum octingentis quinquaginta annis egit populus in terra promissa, ex quo in eam venerant, usq; dum rursus reliquere: Quod tempus 17 *solidos Jubilæos complectitur. Et ab Ezechiele dictum est*, c.40.v.1. *Anno vicesimo quinto exsilii nostri, in ipso anni initio, die mensis decimo, anno decimo quarto post excisam urbem*, &c. *Ista autem Ezechieli acciderunt in Jubilæi principio. Atqui si illud tempus continet* 17 *solidos Jubilæos, quî fit ut supersint anni* 14? *Nimirum id ostendit, annos* 14 *Israelitas egisse in Galgalis, septem belligerando, septem distribuendo; post verò indè ad Siluntem cum Arca transivisse, atque tum primùm Decimas, Remissiones, & Jubilæos computare cœpisse.* Et post pauca, *Josua celebravit cum Israelitis primam remissionem; at secundam non potuit absolvere, cùm antè è vivis excessisset.* Hæc ibi Judæi, quorum ego calculos errorum non subducam. Neque enim id operæ pretium, neque mihi necessarium est. Hoc modò dicam, non satis me intelligere cur in Galgalis absolutam esse distributionem scribant; nisi fortassis statuant è Galgalis missos esse metatores, neque antè ad Siluntem discessum esse quàm ducendæ modò sortes essent: ea autem sortitio cùm aut unius aut paucissimorum dierum spatio sit confecta, tam exigui temporis rationem nullam esse habendam. Sed qualiscunque tandem Judæorum de ista re sententia sit, illud efficitur quod dicebam, longo tempore cessatum esse ab inchoata divisione, nempe, propè annis septem priùs quàm pergerent sortiri in Silunte. Nimirum diutino bello fessus populus, cùm collocatis utrinque Judæis & Josephitis, quasi præsidiis, sibi tutus videretur, otio se dedit; & communem illam in castris stativis vitam potiorem duxit, quàm ut peculiarium possessionum gratiâ novas rursus molestias subire luberet. Facilè enim existimabat, reliquos passim hostes, etsi bellum non esse facturi viderentur, tamen de suis sedibus nisi per vim depulsum non iri & eliminatum. Et hanc insuper socordiam atque ignaviam mirificè fovebant, ut est credibile, mille commoditates, quas sibi in tam diutina statione omnes comparaverant. Hanc igitur segnitiem atque desidiam ut castigaret Imperator, prudenter aliò movenda esse castra putavit, aut dissipanda potiùs, & quemque ad suas possessiones extrudendum. Nam an motâ Arcâ etiam castra è Galgalis mota sint dubitari potest. Sed existimandum est, illum vel Divino oraculo, vel Eleazaris, tanquam interpretis Dei, consiliis monitúsque hæc fecisse; cùm vellet Deus & Josephitas & Judæos (quas tribus præ reliquis amplificaverat, ut diximus, nascendi prærogativa, quod Rubenitis erat ademptum) suâ tanquam præsentiâ alteros post alteros cohonestare, & ampliore honore decorare. Silo enim erat in Josephitarum hæreditate. Itaque apud eos primùm collocari suum Sacrarium volebat, cùm penes ipsos tunc esset etiam Principatus, fuit enim Josua Josephita. Mansit autem apud eos, ut in illa Judæorum chronologia scriptum est, annis *369*; ut mihi videtur, paulò paucioribus. Verùm hujus rei ex-[illegible] consideratio disputatióque non est istius loci. Cur porrò Siluntem tandem desereret, magnæ causæ S. literis proditæ sunt, Jer.7.12. Psal. 78. 56. 1 Reg. 3. Sed cùm ab Josephitis veluti discessisset Deus, peregrinatus aliquamdiu, tandem ad Judæos commigravit, cùm jam ipsi rerum potirentur, regnante Davide. Sed ista hactenus. Illud observandum est, Cùm è Galgalis Siluntem traducitur opertum Dei, propiùs ad Jerusalem ipsum admoveri; in quo loco tandem aliquando est mansurum: ut intelligamus quàm bello ordine gerantur omnia quæ Dei consilio fiunt, neque humanis rationibus perturbantur. שילה *Silo* enim circiter trium duntaxat horarum itinere aberat ab Jerusalem, in eo posita monte quem posteri vocarunt *montem Samuelis*. Sed dicam S. verbis ubi Silo fuerit, sic enim de ejus positu scriptum est in Judicum libro 21. 19. *En festum Domini celebratur in Silunte anniversarium, quæ sita est à Septentrione Beth-eli, ad ortum solis versùs, ad semitam quâ ascenditur è Beth-el Sichem, & ab Austro Lebona.* Sita igitur erat Silo ad ventum Thrasciam, si spectes ex Jerusalem. Credibile est autem, inter omnia loca quæ prope Jerusalem posita fuere longè amœnissimum fuisse Siluntis montem, atque etiam tutissimum: nam nullus vicinorum montium extabat excelsior: unde & Josephus scripsit, Antiq.l.5.c.2. è Galgalis ad Siluntem amœnitatis gratiâ translatam esse Arcam, ut inibi adservaretur usque dum exædificatum per otium esset Templum. Quibus ille verbis, etsi parùm scienter Dei consilium interpretatur, tamen luculentum de loci amœnitate testimonium dicit. Cæterùm verbum קהל id est quod ἐκκλησιάζειν Græci dicunt, Latini *convocare in concionem.* Non igitur temere aut à seditioso quopiam & turbulento homine motos esse Israelitas, ut Siluntem confluerent, intelligimus, verùm imperatoris jussu illuc esse convocatos. Sed an castra simul mota sint, an verò in Galgalis manserint, de eo disputari possit. Certè videor animadvertisse, *Galgala* nonnunquam pro *Silunte* dici in S. historia, quasi in Galgalis etiam tum fuerint Israelitæ quando sacrum delubrum habebatur in Siluntis monte: sed obscurior ista res est quàm ut à me dijudicari possit. ¶ Sequitur in S. contextu, *Et collocaverunt ibi tabernaculum solenne.* Si non sola Arca, sed castra ipsa promota sunt Siluntem, ut existimant Judæorum Magistri, laudanda profectò est populi religio, cui ante omnia curæ est Dei Sacrarium & cultus Divinus. Tunc enim demum feliciter succedunt res humanæ quando Divinæ præcesserunt: Et frustrà atque perversè nostra nos commoda quærimus ante procuratas res sacras, ut cecinit Aggæus 1.2. Sed de Tabernaculo solenni, quod apud montem Sinæum Beseleel & Ooliab, Divinâ ambo arte instituti, aut imbuti veriùs, construxere, Exod. 26. in cujus adyto custodiebatur Arca federis, eam habent opinionem Doctores Hebræi quidem ut autument, id adhuc post transmissum Jordanem in Galgalis non fuisse compositum instructúmque pro Arca inferenda, sed jam in Silunte primùm: Nimirum quia nunc demum ejus mentio est. Atqui cùm per desertum iter quotidie facerent Israelitæ, inferebant in suum Tabernaculum Arcam, quoties interquiescebant, Num.10.21. cur ergò non etiam in Galgalis, qui locus fuit electus, ut S. narratio loquitur Deut.12.6,13. cùm ibi celebratum sit Pascha? Sed addit, inquiunt, Deus, *Et requiem dederit vobis ab omnibus hostibus vestris undiquaque.* Fateor, sed id ad perpetuum locum spectat. Interim alia atque alia ante exædificatum Templum loca per Chananæam electa fuisse, testata res est: alioqui nè in Silunte quidem collocari Tabernaculum solenne potuisset. Neque verò nunc demum audimus, *terram quiescere à bello:* sed ante inchoatam apud Galgala sortitionem id semel iterúmque dictum est. Verùm enimvero Doct. Hebr. alii qui omnem ingenii aciem acerrimè in istam rem intendunt, scilicet nè hîc quidem illud Beseleelis tabernaculum esse positum hallucinantur, sed ædiculam parietibus lapideis substructam & velis sive linteis tectam fuisse, in quam sacra Arca sit illata. Sed quibus tandem hoc efficiunt argumentis? gravissimis scilicet. Davidis, inquiunt, verba sunt, *Et arca Domini habitat in linteis*, 2 Reg.7.2. Et Anna memoratur filium suum Samuelem *adduxisse ad domum Domini*, 1 Reg.1.24. Rursus alibi canit David, *Reliquit tabernaculum Siluntis, tentorium quod collocaverat inter homines*, Psal.78.60. *Domus* igitur erat, & erat *tentorium*: Si *domus*, habebat parietes; si *tentorium*, velis & linteis contegebatur. *Mirabile est*, inquit ille, *quòd aruspex non rideat cùm aruspicem viderit.* Sed profectò hoc longè mirabilius est, quòd Judæi inter se risum tenere possunt quoties Doctrinalis sui venit in mentem. Est enim ille liber hujusmodi puerilibus nugis & anilibus fabellis plenus. Ex qua re intelligi potest quàm cæci sint quibus Sol justitiæ Christus non lucet. Equidem non negaverim, post repudiatam Siluntem, frigescente jam tum in omnium animis religione, nudatam sæpe extra suum Tabernaculum mansisse Arcam. Ejus enim rei indicia apparent nonnulla in S. narrationibus. Sed de Galgalis & Silunte idem dicere, commenticium prorsus & futile est. Sed hæc hactenus. ¶ Verbum והשכינו quod

quod sumus interpretati *collocarunt*, planè est Græcorum σκηνόω. Et si cæteras linguas ex Hebræa esse natas fatendum est, planè ex verbo Hebraico שכן Græcum σκηνόω & σκηνὴ ductum est. Dicitur autem *tabernaculum* מועד, ut plerique putant, quia apud ipsum cœtus populi agitari solebant. Nam יעד, à quo verbo ducitur מועד, *congregari* & *convenire* significat, præsertim pacto & constituto tempore. Mihi credibile videtur, hoc nomine alludi ad illa Dei verba quæ de isto suo Sacrario ille faciebat in Exodo 25.22. cùm multa de ipsius apparatu ad Mosen locutus, tandem adderet, ונועדתי לך שם ודברתי אתך, h.e. *Et adero tibi*, sive *conveniam te*, *illic*, *atque loquar tecum*, vel, ut eum locum interpretatur R. Solomon, *constituam tibi tempus conveniendi*, *ut tecum illic loquar*, aut, *præstituam tibi locum istum*, *ut ex eo verba ad te faciam*. Itaque à Dei præsentia, quam ipse illic sæpe declarabat, dictum esse tabernaculum מועד existimo; quod ego *solenne* sum interpretatus, parùm quidem plenè, fateor; sed non habebam verbum commodius. Apud Job 30.23. ipsum etiam sepulcrum vocatum est בית המועד: & apud Isaiam 14.13. cœlum, הר המועד: nimirum quia illud frequens domus est & celeberrima, quam adire mortales omnes debent; hoc verò, mons nobilissimus atque omnium votis expetitus. Sunt quidem qui existimant fanum hoc vocari מועד eâdem ratione quâ lex Mosis dicitur עדות, quia scilicet contestatur Deus Israelem nè pacti fœderis obliviscatur. Atqui עדות est à verbo עוד ductum, מועד verò à יעד. Fatendum tamen est, apud Hebræos, verba quæ tam cognata inter se sunt, ea sæpe commutari. Quanquam quod ad LXXII interpretationem attinet, & hos imitati Latini, qui dicere solent *tabernaculum testimonii*, videri possunt illi quidem non tam interpretari voluisse nomen מועד quàm significare illud tabernaculum in quo עדות, h.e. ipsa lex quæ *testimonium* appellata est, conservabatur. ¶ Porrò illud, *Cæterùm terra subacta erat coram ipsis*, R. Levi F. Gersonis interpretatur in hanc sententiam, *Terra*, inquit, *quam armis subegerant*, *jam propiùs ipsis erat ante oculos quàm cùm in Galgalis castra haberent*. Quod verum esse, fatendum quidem est, nam Galgala in Chananææ extremitate erant; Silo verò interior. Sed ego nihil dubitans dixerim, hoc planè illud esse quod jam semel iterúmque commemoratum est. *Terra autem quiescebat à bello*. Id enim denuò dicendum fuit propter metatores, qui mox in omnes Chananææ angulos emittentur, ut ubique insistentes omnia loca metiantur atque describant accuratissimè: Quod sanè, nisi omnes ubique hostes tanquam Divinitus consternati atque attoniti quievissent, minimè illi potuissent facere. Ad hoc, quoties divisionis narratio proposita antehac est, toties illa bellorum cessatio & quies ab hostibus est inculcata: ut dubitatio nulla esse possit quin idipsum hîc rursus fiat, cùm absolutum tandem distributionem itur.

2, 3. *Supererant autem inter Israelitas quæ hæreditatis suæ partem*, &c.] Fuere tribus omnino 12, quibus debebat assignari hæreditas. Jam verò duæ & dimidia pridem collocatæ sunt cis flumen, duæ item & dimidia nuper trans flumen: Supersunt ergò septem. Porrò quia Imperator incusat populi ignaviam in adeunda hæreditate, non in flagitanda sortitione, apparet verissimum esse illud quod nuper dicebam, & novorum periculorum metum & præsentis habitationis commoditates avertisse animos omnium à propriarum possessionum cupiditate. ¶ Cùm autem illis utitur verbis, *Quam vobis donavit Dominus Deus patrum vestrorum*, occultè perstringit ipsorum diffidentiam. Est enim ac si dicat, Ille Deus qui vestris majoribus promisit se istam hæreditatem vobis daturum, neque adhuc ulla in re fefellit, putatísne jam vos in ipso rerum articulo frustrabitur? ¶ Sed Pronomen illud *vos* aut comparationem tacitam continet cum cæteris tribubus, quæ, ut modò dicebam, hæreditatem suam tum cis, tum ultra Jordanem, alacriter antehac creverant; aut culpam avertit à Deo atque Duodecimviris in ipsas ignavas tribus. ¶ De verbo רפה diximus alibi. Quia autem hîc eâ formulâ dicitur quam *Hithpael* vocant Grammatici, significat istam animi mollitiam atque segnitiem & retractationem ipsos sibi peperisse, & ignaviæ causam in ipsis positam esse.

4. *Date ternos viros tributim*, *& amandabo ipsos*, &c.] Futilis est sententia R. Levi F. Gersonis, opinantis, nunc distribuendam esse terram quam adhuc tenent hostes, antè verò fuisse distributam omnem eam quæ ab hostibus erat vacua. Nam profectò iniqua fuerit Imperatoris jurgatio, si istæ tribus ad hostiles terras extrudantur, superiores verò in pacatis regionibus collocatæ sint. Sed non meretur illud refelli. Cæterùm admiranda est hîc Josephi ἀνιστορησία in iis rebus quæ sunt S. literis planissimè traditæ. Scribit enim ille Antiq.l.5.c.3. decem modò viros esse missos descriptum terram. Atqui clarius luce est quod dicitur S. verbis, ternos è quaque tribu esse missos. Fuere igitur ut minimùm viginti & unus: minimùm, dico. Nam si quis contendat, cæteras quoque tribus è suis quamque tribulibus ternos dedisse, quando communi adhuc & fraterno studio res omnes aguntur, eum putarim non facilè firmis rationibus refelli posse. Sunt autem terni, non singuli, ex singulis tribubus dati, propter judicationis difficultatem. Nam, quod est vero simillimum, imò verò ex ipsis descriptionibus certum, non spatio sed bonitate terreni exæquari portiones debuere. Sed dices, si partes fuere æquales, quid est cur in Numeris, 35.54. præciperet Deus ut majoris numeri tribui hæreditas amplior, minoris angustior daretur? Plerique respondent, Ista Dei jussa non ad primas sortitiones, quibus cuique tribui sua assignabatur hæreditas universè, sed ad secundarias spectare, quibus deinde Tribuni singulis familiis suas dabant partes. Alii, factas quidem fuisse metatorum arbitratu partes septem æquales pro ratione fœcunditatis soli, fatentur; sed dicunt, simulatque sors partem quampiam alicui tribui assignasset, tum proprium fuisse muneris Duodecimvirûm, ejus portionis limites, ut ea tribus cui obvenerat vel magna vel parva erat, tum extendere, tum contrahere. Sed hanc opinionem, ut ineptam, quam tamen hoc loco adprobat; conatur R. Levi F. Gersonis refellere cùm scribit in Numeros, hoc argumento, Fieri, inquit, ità potuisset, ut universa tribûs unius hæreditas augendis aliis absumeretur. Rémque exemplo adjuncto explanans, Si enim, inquit, quatuor istæ tribus, Issachariana, Judaica, Danitica, Zabulonitica, contiguas possessiones sorte fuissent adeptæ; eùm toto dimidiato sextante, si tribulium numerum spectes, h.e. plùs quàm unâ unciâ, quæ portio est unius tribûs, excesserint illæ trientem omnium tribuum, debuisset dispertiri inter eas tota illa pars quæ pro quinta tribu fuerat determinata. Aliam igitur sententiam dicit Levi, existimátque istam metatorum descriptionem districtam modò fuisse in observandis annotandísque locis omnibus; ut septem designatis regionibus, quæ, quales, quot urbes, pagi, villæ, cuique regioni accommodæ viderentur, memorare ipsi possent, cùm Duodecimviri quamque regionem, quæ pro quaque tribu extracta esset, vellent certis urbibus, pagis, villis denique, magnis, parvis, multis, paucis, pro singularum tribuum numero definire. Sed sanè infirmum est hoc, meo judicio, argumentum. Nam, ut quarundam tribuum fines amplificare, ità rursus aliarum diminuere oportuisset. Neque illud verendum erat quod profert de quatuor maximis tribubus, nè in contiguis eas regionibus sors collocaret. Erat enim omnino hæc casura aptissimè in rem communem populi, cùm ipsam Divinum gubernaret & moderaretur arbitrium. Præterea tribus Judaica, quæ sola cæteras multum excedebat, ea seorsim in Galgalis nacta fuerat suas possessiones, cum Josephitis utrisque composita, cùm solæ duæ partes factæ fuissent, ut suprà exposuimus. Nos autem de septem modò portionibus agimus: quanquam fatendum est, præcisam novâ istâ descriptione partem illam Judæorum esse. Sed ut ut est, disputari in utramque partem res ista potest. Mihi videtur patrimoniorum inter septem istas tribus distribuendorum æqualitas magnâ ratione constitui posse. Nam pro præsente numero tribulium aliaam tribum aliâ locupletiorem facere, id sanè parùm æquum

videri poterat; quando res ipsa docuit, parvo annorum spatio alias maximo numero augeri, alias imminui. Sed dices, similem quoque in familiis accidere perpetuò mutationem, atque ideo neque in illis mandata Dei, quæ ex Numeris protulimus, confici potuisse. Atqui fas erat familiis inter se suas alienare possessiones, tribubus verò nefas. Sed ego rem obscuram atque incertam in medio relinquere malo quàm sine ulla dubitatione defendere quod non satis explorate perceptum cognitúmque habeo. Illud verò non verebor dicere, Satis superque spatiosam fuisse Chananæam pro universi populi numero; neque opus fuisse ullâ amplificatione portionum, etiam si omnes æquales fuere; cùm sua cuique tribui abundè sufficeret, modò ut sibi per ignaviam atque impietatem non deessent tribules ipsi. Nam si pro sua pietate adversùs Deum maximis olim copiis gens universa crevisset, tum verò Deus ipse fines ampliores dedisset, in quas potuissent emittere colonias, usque ad Euphratem. Id enim etiam erat in S. promissis, c. 1. 4. ut suprà explicatum à nobis est multis verbis. Neque verò est quòd mihi Simeonitas opponas, qui post Davidis imperium usque eò aucti sunt popularibus atque opibus ut exire finibus suis coacti sint ad quærenda pascua suis gregibus, 1 Par. 4. 38. dicam enim, eos suis finibus non esse egressos, sed in iis progressos; non aliter atque Josephitas facere Imperator jubebat, cùm querimoniam haberent de suarum possessionum angustia. Sed neque queri jure potuerunt ullæ tribus quòd sua quàm aliarum hæreditas à pluribus aut potentioribus hostibus teneretur. Horum enim exterminandorum curam sibi Deus ipse sumpserat, modò ut Israelitæ gratum piúmque præstarent adversùs se animum. Gerundensis igitur, vir sanè acutus & bene peritus, non solas septem istas portiones fuisse æquales autumat, sed omnes omnino 12. Verùm si quis cum illo pugnet, & Judæorum regionem amplissimam fertilissimámque, tum locupletissima illa regna Sehonis & Og ipsi opponat, haud facilè, opinor, litem obtineat Gerundensis. Sed ista nunc hactenus: cætera dicentur passim suis quæque locis. Et sunt etiam nonnulla exposita à nobis initio capitis 14. Sed priùs quàm progrediamur, postulare hic locus videtur ut videamus quo præsidio quibúsve artibus tuti aut etiam securi metatores isti pauculi eas regiones, quarum pars maxima etiam tum ab adversariis tenebatur, non modò pervadere, sed tanquam partitores, ad partiendum inter fratres patrimonium missi, penitus perspicere soli naturam, urbium, pagorum, villarum numerum observare, locorum spatia metiri, omnia annotare, denique singula cum singulis contendendo æquales partes septem designare quiverint. Scimus enim, bello moto, etiam amicorum curiosiores oculos, non hostium modò, suspicionem sustinere. Nam de illis speculatoribus quos Moses mittebat è Cades-barne longè diversa ratio est; quippe qui nondum lacessitis Barbaris, facilè quidvis simulare atque dissimulare, aut occultis itineribus diversi, huc, illuc penetrare, ac regionis habitum atque incolarum mores utcunque cognoscere potuerint: Nihil enim ultrà in mandatis habebant. Igitur existimandum est, sic volente Deo, & sua promissa confectum eunte, id temporis Chananæos omnes, non tam ex cladibus nuper acceptis, quàm occulto quodam & divino terrore, usque eò fuisse attonitos, & tanto belli affectos fastidio, ut omnia suæ quieti posthabenda putaverint: hócque esse illud, *Terra subacta erat coram ipsis*. Contrà verò, mirificâ quadam & prorsus cœlesti fiduciâ Israelitarum animos subitò fuisse imbutos. Quis enim alioqui & Imperatorem ipsum, qui tam manifesta pericula suis objicere, & Tribunos, qui delegere, & delectos ipsos, qui adire non dubitarunt, non prorsus insanos ac stupidos existimet? Fuit igitur hoc Dei & consilium & opus, quo istis reliquis tribubus nimis diuturnam cunctationem per admirabilem illam mensorum ἄδειαν securitatémque eximere, ipsásque ad cernendum suam hæreditatem animare volebat, cùm viderent pauculos suos populares tam impunè in omnes dividendæ terræ angulos penetravisse, atque incolumes revertisse. Adoranda est ergò admirabilis illa Dei erga suum populum benignitas & paterna cura, dum nusquam cessat ad amplectenda quæ ultro ipse offert beneficia nostros animos quibusvis modis comparare atque invitare. ¶ Porrò illud *secundùm hæreditatem suam ipsorum*, ego certè hoc ipsum esse puto quod mox dicetur explicatiùs, *in septem partes*. Ex quo etiam illud effici videtur, è solis septem tribubus ablegatos esse mensores. Sed R. Solomon existimat illis verbis significari, portiones illas septem minimè æquales, sed pro cujusque tribûs vel multitudine vel paucitate determinari aut majores aut minores debuisse: stultè profectò, nisi ego stultus sum. Quî enim potuerunt mensores hanc illam regionem pro hac illa tribu magnam parvámve designare, cùm ex sortis casu penderet omnis eventus? Sed dicat fortassis Judæus ille, Deum ità deinde moderatum esse sortem ut eam metatorum ἐπιγραφὴν ipsa comprobaret. Atqui talem actionem quis non intelligit futuram fuisse suspiciosissimam?

5. *Judas manebit in suis finibus à Meridie*, &c.] Ratam faciunt Duodecimviri eam sortitionē quæ in Galgalis facta fuerat; sed eatenus ut duæ illæ & dimidia tribus in suis stationibus ab Austro & Septentrione maneant; non etiam ut portiones eæ, quæ tunc rudi quadam designatione pro stativorum castrorum tutamento determinatæ fuerant, solidæ atque universæ eorum sint quibus sortitò obvenerant: alioqui enim Josephitæ ad Libanum usque habitassent; neque enim certis finibus à tergo fuerant primùm conclusi. Non ergò iniquè mensores, postquam loca omnia diligenter perlustrassent, observassent, inter se contulissent, septimam partem de Judæorum hæreditate praeciderunt; cùm animadvertissent eos fines tam esse amplos ut absque ullis regalis tribûs angustiis portio una cæteris par deputari inde posset. Quæ portio non sine singulari profectò nutu Divino Simeonitis sorte obtigit. Hi enim cùm tribulium numero quavis aliâ tribu pauciores essent, minùs angere Judæos potuere. Simúlque eâ ratione pulchrè evenit quod olim de Simeone prædixerat Jacob, Gen. 49. 7. fore ut ille *dispergeretur inter Israelitas*. Quodam enim modo Simeonitæ inter alios habitare videntur, cùm intra eos locantur fines qui pridem pro Judæorum possessionibus fuerant designati. Sed hæc tractanda iterum erunt capite 19. quare nunc hactenus.

6, 7. *Vos verò describetis terram in septem partes* &c.] Ipsam concionem alloquitur: nondum enim delecti metatores fuere. Addit autem, *Coram Domino Deo vestro*, quia affert ea opinio religionem non solùm utilem verùm necessariam populo. Siquidem nunquam illi suis sortibus contenti vixissent, homines durissimæ cervicis, nisi Dei arbitratu sic cecidisse fuissent persuasissimi ut ceciderunt. Cur autem S. Arca *Deus* interdum diceretur, expositum à nobis alibi satis, opinor, prolixè est, c. 3. 3. Hîc sanè ea appellatio est ad Imperatoris propositum accommodatissima; quippe qui tantùm non contrectari dirigíque à Deo ipso sortes vult existimare populum. ¶ Quod porrò sequitur de Levitis aliísque tribubus, causam continet cur septem duntaxat partes fieri jusserit. Sed ea res cognitionem habet facillimam. Et de Levitarum conditione satis multa sunt à nobis pridem dicta, c. 13. 14. ubi etiam illud explicatum est, Quâ ratione *sacerdotium Domini sit Levitarum hæreditas*. Dicitur enim *Sacerdotium* μετωνυμικῶς pro Hostiis, Decimis aliísque rebus, quas cùm populus Deo persolvere deberet, sanciverat ille ut Levitarum esset proventus.

8. *Surgebant ergò viri, & abibant. Mandabat autem Josua*, &c.] Non solùm libenter sed etiam alacriter & suscepisse & exsecuti esse difficillimum hoc &, ut existimari poterat, periculosissimum munus videntur isti metatores: quippe, quod modò dicebam, Deus animos ipsis addebat, securósque reddebat; cùm ex ipsorum alacritate penderet multitudinis animorum affectio. Legimus quidem viros etiam sanctissimos quæ à Deo jussi fuere timidè cunctantérque aggressos esse, imò verò retractavisse etiam tergiversatos. Nota est enim de Mose Exod. 4. de Jona, c. 1. de Anania, Act. 9. de aliis historia sacra: nimirum

Deus

Deus fluctuari interdum etiam pios, & fidere quoque, sed nunquam penitus mergi finit. Eò enim illustrior est ipsius erga homines miserrimos clementia, quò infirmiora sunt instrumenta per quæ res admirabiles ille patrat. Et est mortalium omnium mens ad æstimandas ex veritate res Divinas nimis hebes, nisi singulari earum perspicientiâ à Deo ipso illustretur atque informetur. Quapropter non est mirabile, cùm non illico animum advertunt quanta sit Dei potentia, quàm parùm ille egeat hominum vel viribus vel dexteritate ad efficiendum quidquid vult, sed in suis ipsorum rebus considerandis occupantur & distinentur, in quibus omnia humilia, imbecillia, fragilia esse intelligunt; non est, inquam, mirum si non prosiliunt simul atque jussi sunt, sed modestè subterfugere conantur. Verùm tamen cavendum hîc est nè fides vacillet: esset enim ea cunctatio quæ Deo diffideret in nefario crimine ponenda.

9, 10. *Descripserúntque ipsam per urbes in septem partes*, &c.] *Urbium* vocabulo etiam pagi vicique, opinor, hîc subjiciuntur. Apparet autem etiam ex istis verbis, soli bonitatem non spatium esse æstimatum. Nam in uberi regione frequentiores sunt hominum cœtus quàm in sterili & parùm fructuosa. Atqui si urbes spectentur, longè impar cœteris videbitur fuisse Simeonitarum hæreditas, inquies. Sed ex descriptionum catalogis minimè debet urbium numerus æstimari, ut à nobis dicetur explicatiùs in hujus capitis extremo. Porrò quàm diu in istarum rerum procuratione abfuerint metatores, etsi non est id S. literis consignatum, tamen Josephus nihil dubitans dicit *post septimum mensem reversos esse*, Antiq. l. 5. c. 3. Aberant quidem Mosis speculatores dies duntaxat quadraginta, Num. 14. 34. at illis nusquam insistendum, aut multa opera consumenda erat, qui videre modò terræ conditionem, fœcunda an infœcunda, nuda an sylvosa esset, jussi fuerant; & urbes, murísne circumdatæ an apertæ; denique, viri bellicosi an imbelles, frequentes an rari viderentur, Num. 13. 19.

11, 12. *Ascendebat ergò sors tribûs Benjaminitarum*, &c.] Lyranus *sortem ascendere* interpretatur, *ab Jordane, ut loco summissiore, porrigi sursum versùs Jerusalem*. Hæc enim urbs excelso posita loco erat, ut diximus. Sed nihil opus est ὑπαλλαγῆ. *Sors* enim *ascendit* dum urnâ extrahitur; & *fines prodeunt* quodam modo ex ipsa hydria unà cum sorte, quia hæc quinam illi sint designat. Sed enim perangustis circumdari finibus Benjaminitarum hæreditas videtur; si loci spatium cum multitudine tribulium conferas: verùm si terreni ubertatem æstimes, dices non angustè illos habitasse. Nam, ut Josephus scribit Antiq. l. 5. c. 1. (est autem ei fides habenda de sua loquenti patria) sicut Chananæa superabat soli bonitate quævis in orbe loca, ità ipsius partes cæteræ ab iis vincebantur fœcunditate quæ circa Jerichuntem & Jerusalem jacebant. Verùm enimvero observanda hoc loco est Divina providentia, quâ evenit ut Benjaminitæ quà Josephitis, quibuscum arctissimâ generis necessitudine conjuncti fuere, quà Judæis, quorum olim in tuendis majorum suorum sacris, adversùs cæterarum tribuum defectionem, socii essent futuri, locentur proximi. Deinde & illud animadvertendum; Aptissimè sortem istam cadere in Mosis prædictionem, Deut. 33. 12. *Collocatur* enim Benjamin *juxta Deum*, & tanquam *inter ejus humeros*; quia in illius finibus exædificabitur olim sacra ædes, in loco ab ipso Deo electo. ¶ Porrò describuntur primùm limites Aquilonares ab Oriente versùs Occidentem, qui quadantenus iidem propè sunt cum Australibus limitibus Josephitarum. Inchoantur igitur fines isti ab Jordanis ea ferè parte quà siccatum transierant Israelitæ; unde ascendunt molliter inter Septentrionem & Occidentem ad Jerichuntem, eámque urbem amplectuntur & intrò recipiunt, h. e. ambiunt à Septentrione. Ab Jerichunte porrò, dum *versùs mare*, h. e. Occidentem, pergitur, *ascendendum est in montem* in quo urbs Bethel existebat; proceditúrque, *ad desertum Beth-aven:* atque hîc subsistitur; non quidem tanquam prorsus consi-

dant fines Aquilonares istius hæreditatis ubi ad desertum hoc perventum est, sed ità ut non longiùs excurratur versùs Septentrionem, verùm deinceps sensim redeatur in Meridiem. Est autem jam perventum propè ad Beth-el, quæ illi deserto vicina erat; à quo infame nomen posteris temporibus ipsa est mutuata. Cùm enim falsos deos recepisset coluisſétque, appellata est *Beth-aven*, h. e. *ædes iniquitatis*, pro *Beth-el*, i. pro *Dei domo*. Sunt tamen qui hoc loco *Beth-aven* oppiduli, non deserti, nomen esse statuant. Putant enim gignendi casu positum esse. Huícque rei argumento esse ait Kimhi vocalem Patah quæ sub litera ב est, in verbo מדברה. Verùm quando illic accentus est appositus, quo fieri solet interdum ut parvæ vocales pro magnis habeantur, non est illud firmissimum argumentum.

13. *Illinc porrò transibat terminus ad Luzam*, &c.] Deinceps ad Meridiem deflectimus. Relinquitur autem, לוזה *Luza*, à dextris h. e. in Josephitarum hæreditate. Nam ambit eam funiculus *à Meridie*. Et hinc *descenditur*, h. e. versùs Austrum aliquantulùm pergitur, *usque ad Ataroth-adar, juxta montem qui à Meridie adjacet urbi Beth-horon inferiori*. Ut enim Aquilonaris plaga altior, ità Australis summissior existimatur. Cùm autem perventum jam sit ad fines Ephraimitarum, non proceditur ultrà versùs Occidentem, rectâ certè. De *Luza* & *Beth-el* quæ sit nostra existimatio, explicavimus ad v. 2. c. 16. Plerique Judæi, & inter eos etiam R. Isaias, opinantur, ut dixi, duas esse Beth-eles: alteram enim, quæ *Luza* etiam vocatur, positam fuisse in hæreditate Ephraimitarum; alteram apud Benjaminitas, propinquam urbi Hai. Sed nihil esse istis commentis opus, satis, opinor, ostensum à nobis est. ¶ De *Ataroth-adar* & *Beth-horon* egimus in ostendendis finibus Josephitarum.

14. *Designatúsque terminus circumducebatur è regione maris*, &c.] Ab Ataroth-adar describuntur fines Occidui istius hæreditatis, reducto fune *versùs Austrum* usque *ad Cariath-baal, h. e. Cariath-Jaarim, urbem* in *Judæorum* finibus positam. Neque enim possessiones Benjaminitarum ad mare usque pertinebant. Sed observandum est, verbum נגבה, quod bis hoc versu scriptum est, priore quidem loco significare *versùs Meridiem*, sive *Austrum*; posteriore verò, *à Meridie*, sive *ab Austro*. Nam hujus loco dicebatur superiore versiculo מנגב, cùm illius montis apud Beth-horon positus describeretur. Sed non observarunt istam rem aut LXXII, aut Latinus, quorum illi perverso ordine sunt interpretati hæc verba, hic prius non satis commodè reddidit, posterius verò prorsus omisit. At rectè Chaldæus: nam is pro priore dixit לדרומא, h. e. *versùs Austrum*, pro altero מדרומא, i. *à parte Australi*. Sic enim absque præpositione perpetuò ille loqui solet Chaldæus. ¶ De קרית בעל *Cariath-baal*, quæ & *Cariath-Jaarim* dicitur, disputavimus in hæreditate Judaica. Aberat ea ab Jerosolymis circiter quatuor horarum itinere, non autem mille duntaxat passib. ut est mendosè in libello De locis Hebr. scriptum, sed circiter 10 millib. pass.

15, 16. *Plaga verò Meridionalis erat ab extremo Cariath-Jaarim*, &c.] His quinque deinceps versiculis reducitur funiculus ab Occidente versùs Orientem, quo termini Australes hæreditatis Benjaminitarum notantur. Sunt autem iidem ostensi in describendis finibus Aquilonaribus Judæorum, sed contrario ordine. Sicut enim prorsum ab Asphaltitide ad Cariath-Jaarim illic pergebamus, ità rursum nunc à Cariath-Jaarim regredimur ad Asphaltitidem: Atque ideo ubi illic *ascendendi* verbum usurpabamus, hîc *descendendi* utimur. ¶ Quod dicimus *à mari*, Hebraicè est ימה, nam diximus sæpius, literam He non rarò motum ab loco significare, cùm finibus vocabulorum adhæret. Interpretatur quidem R. Solomon *ad mare*; existimátque lacum quempiam inter Cariath-Jaarim & fontem Naphthoæ fuisse. Atqui *Maris* vocabulum per se sic positum non solet lacus significare; neque ullius hîc lacus mentio fuit, cùm

Judaicos terminos designaremus. Certum igitur est, id esse *à mari*, quod *ab Occidente* dicimus. Erat enim Cariath-Jaarim in ultima Benjaminitarum ora versùs Occidentem, sed ità ut intra Judæorum fines exsisteret. Prætermittuntur autem hîc inter *Cariath-Jaarim* & *fontem Naphthoa* urbes montis Hephron; nimirum quia illæ Judæorum erant, neque omnino ad Benjaminis fines pertinebant. ¶ Porrò quod hîc dicimus *extremitatem*, sive *partem*, *montis*, h. e. קצה ההר, id in Judæorum finibus vocabatur ראש ההר, *caput*, aut *vertex*, *montis*. Equidem arbitror eam montis partem quâ valli Hennom ab Occidente ille impendebat significari. Sed quisnam iste mons fuerit, obscura & incerta res est. Zieglerus absque dubitatione statuit esse Chalcaldema: verùm mihi hoc nomen æquè ignotum est, atque mons ipse. Suspicor tamen eum חקלא דמא *Hakla-dema*, sive, ut in Euangelio scribitur, *Achal-dema* dicere voluisse. Nam hoc nomine extabat altissimus mons ad urbem Jerusalem, ab adjacente agro, qui pretio sanguinis Christi emptus est ad sepeliendos peregrinos, sic appellatus. Sed quando constat istum & montem & agrum inter Orientem & Austrum, si urbem spectes, exstitisse, nos autem adhuc in Occidua regione versamur, (necdum enim ad Jebusæum pervenimus à Cariath-Jaarim profecti) ego certè putarim similius vero esse, istum montem fuisse eum in quo Solomon, nimio mulierum amore demens senex, fanum deo Chamos struxit 1 Reg. 11. 7. & posteritas de istoc, ut est credibile, flagitio *montem offensionis* appellavit. Sub hoc enim monte *vallis Hennom*, etiam ipsa nefariis superstitionibus contaminata jacebat. Sed quia multi montes undequaque Urbi olim fuere proximi, & probabile est, imò verò certum, multis vastationibus illorum locorum faciem prorsus esse mutatam, temerarium fuerit id planè constituere quod parùm exploratè perceperis. ¶ Porrò cùm dicitur, *ad latus Jebusæi à Meridie*, apertè includitur Jebusæum finibus Benjaminis: quam urbem tamen etiam Judæos tenuisse certissimum est. Sed nos istam controversiam tractabamus c. 15. v. 63. Videntur sanè tam arctâ inter se amicitiæ necessitudine fuisse conjunctæ diu tribus istæ insequentibus temporibus, ut tanquam una existimarentur: quod ei perspicuum satis est qui Regum historias legit; 3 Reg. 11. 13, 32. & 12. 20. atque aliis in locis. Quare mirabile non est si multis, & præsertim iis urbibus quæ in confinio positæ fuerunt, communiter sint usæ. Nam & in Euangelica historia penè universos istos Benjaminitarum fines Judæis attribui videmus. Verùm enimvero si quis existimare malit montem Zionem, atque etiam Moriam, in quorum altero exædificatum est sacrum templum, in altero regia ipsa, eos, inquam, montes fuisse his finibus exclusos, atque apud Judæos relictos, cum eo non pugnavero. Erant enim montes isti ab Austro Urbi. Nam partem eam quæ *Civitas David* appellata à posteris est 3 Reg. 11. 27. constat vastâ voragine à reliqua urbe divisam fuisse ad Solomonis usque principatum. Sed de re admodum incerta hactenus. ¶ Porrò גלילות *Geliloth*, sive *Galgala*, quorum mentio est v. 17. diversa videri ab illis prope Jordanem, quæ primis & stativis castris nobilitata sunt, diximus capite 15. Haud fortasse aberret longè, siquis existimet ista Geliloth sive Galgala fuisse ea quorum est mentio in historia Aod & Eglonis, Judic. 3. 19. Videntur enim illa, pro narrationis serie, exstitisse in via quà ex Jerichunte versùs montem Ephraim ibatur. Sed neque hîc aliquid certiùs constitutum habeo. ¶ Quod sequitur, *Et porrigebatur ad latus appositum deserto*, hoc sensu est accipiendum, Productum esse funiculum à *lapide Bohan* versùs Orientem, secundùm illum tractum qui ad *desertum ab Aquilone* pertinebat, h. e. ut desertum maneret ad dextram in finibus Judaicis, atque incideret funiculus tandem in *Arabam*, h. e. in eam urbem quæ mox *Beth-araba* vocabitur. Sic enim Chaldæus hunc locum ferè explicavit; qui tamen pro ערבה *Araba*, dixit *planitiem*. Sed certum est, urbem Beth-arabam in deserto, h. e. במדבר, fuisse: quod suo loco exposuimus, c. 15. v. 6.

¶ Jam verò illud v. 19. quod dicitur, *versùs Aquilonem*, non sic est accipiendum ut putemus funiculum ab Aquilonari urbis Beth-haglæ latere productum esse; ità enim exclusisset eam ab ista hæreditate, cùm esse includendam ostendat recensio quam mox audiemus; sed ut intelligamus, eum tractum quo ex Beth--araba ad Beth--haglam pergitur non prorsum rectâ in Orientem vergere, verùm nonnihil ad Septentrionem declinare. Et hanc sententiam expressit profectò Chaldæus, cùm pro Hebraico צפונה diceret לציפונא. Nam si non *versùs Aquilonem*, sed *à parte Aquilonari* dicere voluisset, omisisset præpositionem. Hunc enim esse perpetuum loquendi morem Chaldæo, etiam nuper monebam v. 14. Quòd si tamen ista, ut argutiora commenta, respuat aliquis, per me licet ut existimet בית חגלה *Beth-haglam* apud Judæos relinqui; quòd autem ea mox cum Benjaminiticis urbibus adnumeratur, id eò fieri quia est in confinio posita. Nam Beth-araba quoque, quam c. 15. vidimus intra Judaicos fines collocari ipsâ designatione terminorum, hîc in Benjaminiticis possessionibus recensebitur. Cæterùm vocabula locorum quæ in istis versibus scripta sunt, ea explicavimus c. 15. Sed ut in pauca conferam descriptionem universam hæreditatis Benjaminitarum; Ejus longitudo Aquilonaris ab Oriente in Occidentem porrigebatur ab Jordane usque ad Ataroth-adar, juxta eum montem qui à Meridie objacet urbi Beth-horon inferiori: Et hi limites secernebant Benjaminem ab Ephraimo. Australis verò longitudo erat extensa ab Jordanis ostio, quo influit in Asphaltitidem lacum, usque ad Cariath-Jaarim: Et hoc toto tractu fuit Benjamin affinis Judæ. Porrò latitudo opposita Orienti porrigebatur ab eodem Jordanis ostio, tanquam ab Austro, sursum ad eam usque partem ejusdem fluminis in quam incidebant fines Ephraimitarum, h. e. quæ ferè objacet Jerichunti. Id enim est quod v. 20. dicetur, *Porrò Jordanis terminat ipsum ab Oriente*. Denique latitudo Occidua patebat à Cariath-Jaarim, ut ab Austro ab Ataroth-Adar, ad Septentrionem versùs. Quòd si verò per mediam quoque hæreditatem metiri latitudinem velis, ascendendum erit ab Jerusalem ad Beth-el: Quod spacium 12 millib. pass. definitur ab Eusebio, libello De locis Heb. Non est igitur audiendus Josephus Antiq. l. 5. c. 3. qui longitudinem ab Jordane ad mare usque Mediterraneum profert. Ille enim auctor sæpe suum sensum quàm S. Scripturam sequi mavult: nisi hujus ignoratione id ipsum fecisse velimus existimare; Quod mihi sanè multis de causis fit verisimile. Sed subjiciam urbium Benjaminiticarum catalogum, ut eæ enumerantur ordine; & ut potero, explanabo.

CATALOGUS URBIUM BENIAMINIS.

De *Jerichunte* & *Beth-Hagla* disseruimus idoneis locis. ¶ De עמק קציץ *Amec-Kasis*, sive *valle Casis*, aut *abrupta valle*, vel *planitie discissa*, nihil certi adhuc percipere vel conjecturâ potui. ¶ De *Beth-araba* diximus in Judæorum hæreditate. ¶ Porrò צמרים *Semaraim* urbs nomen aut dedit, aut debet potiùs, monti cuidam qui monti Ephraim ab Austro hæret, ut est in Paralipomenis scriptum l. 2. c. 13. v. 4. Est enim in pervulgatis libris Latinis scribendum, *qui erat in monte Ephraim*. Stabat autem aliquando in hoc monte Rex Abias cum instructa acie adversùs Jeroboam, eúmque salutaribus monitis priùs quàm armis aggrediebatur. Videtur autem id nomen illi impositum esse à gemino cacumine. Ad hunc ergò montem positam fuisse ab Austro urbem istam, est credibile. ¶ De *Beth-el* satis suprà dictum est. ¶ עוים *Avim*, urbs est in historia ignobilis. הפרה *Aphra*, nomen habet à *fœcunditate*, aut, si mavis, à *vacca*. Eusebius videtur existimare eam exstitisse quinque millib. pass. à Beth-el versùs Orientem; quia superest illic pagus hoc nomine. Sed עפרה *Hophra* sita, opinor, fuit in ea parte Chananææ quam S. historia appellat ארץ שועל *Terram Sual*, 1 Reg. 13. 17. (est enim *Sual* pro *Saul* scribendum in Latinis libris) Nam memorantur Palæstini hostes,

hostes, per turmas tres diversi, alii aliò contendisse, ut Saulem lacesserent atque exagitarent, in sua Gabaa, tanquam in statione, manentem; unáque turma è tribus ingressa esse *viam Ophræ versùs terram Sual*. Sed longè ab hac diversa erat Ophra Gedeonis, cujus est mentio in Judicum libro, c. 6, & 8. Ea enim ad Manassenses pertinebat, & *Ezritica Ophra*, aut *Ephra*, dicebatur, ab *Ezri*, à quo viro Gedeonis stirps propagata erat. ¶ De כפר העמוני והעפני *villa Ammonitica*, *& Ophnitica* nihil habeo certi quod dicam. ¶ At גבע *Gabaa*, sive *collis* Benjamin quæ Levitis attribuetur, notissima urbs est, cùm de Saulis ortu, tum de nefario stupro, ob quod penè universa tribus Benjamin est deleta, Judic. 20. Distabat ea non procul à Machmas, ubi Palæstini castra fecerant, quando tantùm non obsidebant Saulem cum Israelitis in illa sua Gabaa trepidantem. Machmas autem, h.e. מכמש, posita erat ab Oriente Beth-aven, ut scriptum est in illa Saulis historia 1 Reg. 13. 5. &, ut ait Eusebius, nonies mille pass. aberat ab Jerusalem, propè autem ab Rhama. ¶ רמה *Rhama* verò, quæ ab *excelso loco* nomen habet, exsistebat in monte Silo; aberátque ab illa Saulis Gabaa, de qua modò agebamus, horæ unius itinere, versùs Austrum ferè; relinquebatúrque aliquantulo intervallo ad sinistram, cùm è Gabaa ibatur Jerosolymam. Erat autem ex Rhama ad Jerusalem spatium stadiorum 40, ut ait Josephus Antiq. l. 8. c. 12. At Eusebius sex millib. pass. definit hoc intervallum. Fieri igitur potest ut in alterutro auctore mendum sit. Cæterùm quia multæ urbes excelsis locis positæ fuere per Chananæam, est hoc nomen pluribus impositum. Sed de aliis agitur suis locis. ¶ De *Gabaone* diximus satis multa c. 9. atque etiam de Beeroth. ¶ Porrò מצפה *Maspha* Benjaminitica non procul distabat à Rhama, in eodem monte Silo. Narrat Josephus hanc, & simul Gabaam illam, duo munitissima oppida fuisse, constructa ab Rege Judæorum Asa ex ea materie quam Israelis Rex Baasa comportarat ad muniendam Ramam, quam ipse nuper Judæis eripuerat armis. Equidem opinor istam fuisse Maspham ad quam plerunque comitia populi fiebant; quippe quæ non procul abesset à S. Arcæ statione. Erant enim Ephraimitæ & Benjaminitæ affines, ut ostendimus. Quanquam si quis contendat ipsam Siluntem, in qua habebatur Arca, vocatam esse מצפה *Maspham* interdum, non repugnavero. Nam *Maspha speculam* significat: fuisse autem Dei Sacrarium excelso loco positum credibile est, cùm mons Silo esset excelsissimus. Fuere etiam aliæ Masphæ & cis & trans Jordanem; sed de illis dictum est suis locis: ut & de כפירה *Cephira*, quæ ad metropolim Gabaonem pertinebat. ¶ De המוצה *Amosa*, sive *Mosa* (*a* enim præpositum articulus est) nescio an usquam alibi mentio sit in S. literis: quare neque ullis vestigiis locum ejus indagare possum. Atque hoc ipsum quoque fateri cogor de cæteris quæ deinceps sequuntur urbibus: Quare non faciam ut levissimis conjecturis lectorem suspensum detineam. Nam de *Jebusæo*, *h.e. Jerusalem*, & nos alibi diximus, & nemo non scripsit. Sed enim nè quis tribuum commoditates ex catalogis hujusmodi æstimet, quasi pro numero urbium quæ in eis recensentur aut locupletes aut pauperes illæ fuerint, existimandum est, non omnes urbes omniáque loca in illis commemorata esse, sed celebriora modò & præsertim quæ vel ad fines ostendendos conducebant, vel de historia quapiam memorabilia erant, & quæ primùm tribules incolere incipiebant. Quapropter neque in eo mirandum est, quòd passim in S. narrationibus urbium nomina in hac, illa tribu positarum occurrunt quarum in istis catalogis nulla mentio est. Plurimæ enim præteritæ sunt: multæ etiam posteris temporibus structæ. Et hæc universè de omnibus catalogis semel dicta sunto.

IDEM.

2. **P**Ost κατεκληρονομήκασιν est in ed. m. ✱ τὴν κληρονομίαν αὐτῶν ↓.

3. Post ἐκλυθήσεσθε est in eadem ed. ✱ εἰσελθεῖν ↓.

4. Scribe τρεῖς ἄνδρας, mutato verborum ordine. ¶ Post φυλῆς, habet ed. m. ✱ καὶ ἀποστελῶ αὐτοὺς ↓. ¶ Ἐναντίον μου jugulandum obelo est. ¶ Pro καθὰ δυνήσῃ est scribendum καθὰ δεήσει. ¶ Pro διελθεῖν habent quidam libri διελεῖν, quod Hebræo magis congruit. Syrus tamen διελθεῖν reddidit.

5. Pro στήσονται ἀπὸ βοῤῥᾶ scribe στήσονται ✱ ἐπὶ τὸ ὅριον αὐτῶν ↓ ἀπὸ βοῤῥᾶ ex Syro & Compl. Sed illud, ἐπὶ τὸ ὅριον αὐτῶν, debet, ut alienum, habere oppositam asterisci notam.

6. Scribe, trajectis verbis, πρός με ὧδε. ¶ Post κλῆρον rursus ὧδε suggeritur in ed. m. per asteriscum.

7. Pro μερὶς αὐτῶν scribe μερὶς αὐτοῦ. ¶ Pro καὶ τῷ ἡμίσει scribe καὶ τὸ ἥμισυ. ¶ Pro ἐλάβοσαν scribe ἔλαβον.

8. Illud, τοῖς ἀνδράσι jugulandum veru, & similiter illud ÷ διέλθετε, καὶ ↓, quod post λέγων scribitur. ¶ Ὧδε suo loco movendum est, traijciendúmque usque post ὑμῶν, hoc modo, καὶ ἐξοίσω ὑμῖν ὧδε κλῆρον, &c.

9. Post ἐπορεύθησαν suggeruntur in ed. m. ✱ οἱ ἄνδρες, καὶ διῆλθον τὴν γῆν ↓. ¶ Illud τὴν γῆν quod denuò scribitur post ἐχωροβάτησαν, mutat eadem editio in pronomen αὐτὴν. Est autem nota illa verborum complexio, ÷ καὶ ἐχωροβάτησαν αὐτὴν, καὶ εἶδον αὐτὴν ↓, jugulanda obeliscis: & similiter ipsum pronomen, eùm sequitur. πόλεις ÷ αὐτῆς ↓. ¶ Post Ἰησοῦν suggerit mixta ✱ εἰς τὴν παρεμβολὴν ↓.

10. Post Κυρίου multis verbis supplenda est ex m. ed. scriptura quæ est in vulg. libris, his scilicet ✱ καὶ ἐμέρισεν ἐκεῖ Ἰησοῦς τὴν γῆν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, κατὰ τοὺς μερισμοὺς αὐτῶν ↓.

11. Πρῶτος jugulari debet obelisco.

12. Τὸ ὅριον mutandum est in plur. numerum, τὰ ὅρια. ¶ Scribendum est, trajecto pronomine, ἡ διέξοδος αὐτοῦ. ¶ Scribe Μαδβαρίτις.

13. Quidam cod. mendosè habent ἐπὶ νότου Λουζὰ pro ἐπὶ νῶτου Λουζά. ¶ Expungenda est præpositio ἀπὸ, cùm dicitur, ἀπὸ Ἀταρὼθ Ἐδδάρ· est enim loci nomen casûs accusandi hîc. ¶ Scribe τοῦ κάτω.

14. Illud, ÷ τὸ βλέπον εἰς ↓, juguletur obelo. ¶ Cùm dicitur, ὄρους ἐπὶ πρόσωπον, &c. scribe, τοῦ ὄρους, τὰ ἐπὶ πρόσωπον.

15. Pro Καριαθβαὰλ legit Syrus Καριαθιαρείμ· & hoc in Hebræo est: sed utrumque unius ejusdem urbis nomen est. ¶ Scribendum est, καὶ διελεύσεται τὰ ὅρια θαλάσσης, ✱ καὶ ἐξελεύσεται ↓ ἐπὶ πηγὴν, &c. sed illud, καὶ ἐξελεύσεται, notandum est asterisco. In Hebræo tamen pro θαλάσσης est εἰς θάλασσαν· atque itá Sym. convertit. Illud igitur, Γαὶν, quod habent pervulgati libri, aut Γασὶν, quod est apud Compl. abolendum est.

16. Ἐπὶ νότου Ἰεβοὺς, scribe, ἐπὶ νῶτον Ἰεβοῦς.

17. Initium versiculi omissum à LXXII sic suggeritur in mixta, ✱ καὶ διεκβαλεῖ ἐπὶ βοῤῥᾶν ↓, καὶ διελεύσεται, &c. ¶ Scribe Σαμὲς, addito Sigma: Aquilas nomen hoc interpretans dixit *Solis*. ¶ Pro Ἐδωδεὶμ scribe Ἀδωμείμ.

18. Rursus pro κατὰ νότου scribe κατὰ νῶτον *per dorsum*, ut est in Vat. & pro Βηταραβὰ, Βηθαραβά. atque hîc adde ἀπὸ βοῤῥᾶ. ¶ Post καταβήσεται supple ex m. ed. per asteriscum ✱ ἐπὶ Ἀραβά ↓.

19. Et post hæc verba subjice versum 19 his verbis ex m. ed. quoque suggestis, ✱ καὶ παρελεύσεται τὰ ὅρια ↓. Deinceps sequitur, ἐπὶ νῶτον Βηθαγλά. sic enim scribendum est, *per dorsum*, &c. ¶ Pro ἐπὶ λοφία scribe ἐπὶ λοφίαν.

20. Scribe ἀπὸ μέρους, τῆς ἀπ' ἀνατολῶν, addito altero articulo.

21. Pro Ἀμεκασὶς scribe, adjecto insuper altero Cappa, Ἀμεκ-κασίς.

22. Pro Βαιθαραβὰ scribe Βηθαραβά. ¶ Pro Σεμρὶμ habent Compl. Σαμαρίμ· sed illud alterum secutus est Eusebius.

23. Pro Ἀφαραθὰ scribe Ἀφαρὰ, aut potiùs Ἀφρὰ, ut est apud Eusebium: & trajice, ut ponatur ante Ὀφρά.

Quæ autem deinceps sequuntur, ista dico, καὶ Αικαρέμ, καὶ Καθησαμείμ, ea sunt prorsus auferenda.

24. Habent quidem Compl. Καφὰς Ἀμμωνά, pro eo quod est in vulg. libris, ἐποίκιον Ἀμμωνά verùm hoc, nisi fallor, probum est, videtur enim & Syro & Eusebio placuisse. Est autem ἐποίκιον interpretatio Hebræi vocabuli Καφάρ. Significat enim hoc *locum ruri paucis ædificiis constructum*, h. e. *villam*, aut etiam *vicum*. Mox aufer articulum cùm est in vulg. libris, καὶ ἡ Ἀφνεί.

26. Pro Χερσιτεθ scribe Χεφιρέθ, & pro Μαωθὶ, Ἀμωσαί.

28. Cùm dicitur καὶ Γαβαάθ, καὶ πόλεις, notentur copulæ obeliscis. Sunt autem hîc LXXII prævaricati. Nam quod convertere πόλεις, id proprium loci nomen *Cariath* est, & quod tanquam proprium retinuere, Ἰαρείμ, sive Ἀρείμ potiùs, id appellativum est, ut vocant Grammatici, & significat πόλεις, h. e. *urbes*. Sed ego imperiti alicujus hominis audaciâ corruptum esse locum arbitror, ut passim plurima alia. Est autem hoc quoque hîc notandum, cùm in Hebræo summa urbium dicatur 14, solas 13 numerari à LXXII. Nimirum quia hi ex *Sela* & *Aleph*, quæ duæ sunt, unam fecere per nominum compositionem. Verùm credibile est etiam hoc temerariâ inscitiâ eorum qui sibi nimis multùm permittunt in auctoribus quos non satis intelligunt emendandis factum esse. Nam apud Eusebium *Sela*, absque adjecto *Aleph*, inter urbes Benjaminis annumeratur; atque etiam *Cariath*, pro quo, ut dixi, πόλεις hic scriptum est. Quanquam non est hoc, fateor, satis firmum argumentum. Dici enim posset Eusebium in iis secutum esse alios interpretes, Aquilam, Symmachum, Theodotionem: quod tamen mihi non fit verisimile, propter summam ipsorum LXXII interpretum auctoritatem. Tantum enim apud veteres illos habuerunt venerationem ut Divinitus interpretati esse S. literas crederentur, neque interpretes modò sed vates fuisse existimarentur. De qua re satis multa in Præfatione diximus.

DRUSIUS.

1. TEntorium conventus*] Dictum quòd ibi conventus haberetur populi; aut, quòd Deus ibi conveniret eos. Vide sis Exod. 25. 22. *Conveniam te illic, & loquar tecum*. Ut hic *tentorium conventûs*. Sic Job 30. 23. בית מועד *domus conventûs*, ad quam omnes conveniunt, i. sepulcrum, quò omnibus semel conveniendum. Ideo *domus communis* dicitur ab autoribus Latinis. Et Jes. 14. 13. *Mons conventûs*, i. cœlum. Hieron. *tabernaculum testimonii*, i. τὸ μαρτυρίου, fortè quòd in eo testimonium esset, h. e. tabulæ Legis, quæ sic aliquando vocantur, ut ubi legimus, *Arca testimonii*, &, *Pones testimonium in arca*.

7. *Sacerdotium Domini*] Hostiæ, decimæ, primitiæ, Levitarum proventus erat, ità Deo sanciente. Sic dico, Populus dabat decimas, quæ Deo debebantur, Levitis: Levitæ deinde ex decimis suis dabant decimas Sacerdotibus, quæ propterea *decimæ decimarum* dicebantur. Alii *sacerdotium* hoc accipi putant pro ministerio Levitico, ex quo vivebant. Alibi lectum in hoc libro, *Ignita Domini hæreditas ejus*, & alibi, *Dominus hæreditas ejus*. Ego *sacerdotium Domini* exponerem ministerium sacerdotale Levitarum, qui Sacerdotibus inserviebant ac ministrabant. Thargum, *Dona quæ dedit eis Dominus, ea sunt ipsorum hæreditas*, LXX, ἱερατεία τοῦ Κυρίου μερὶς αὐτοῦ.

12. *Ad desertum Bethaven*] Ergò *Beth-aven* nomen deserti. Sunt qui putant esse nomen oppidi, quia sub *Beth* in מדברה est (ˉ) & non (ˊ) Videndus R. D. *In desertum Beth-avenis*. LXX, ἡ Μαδβαρῖτις Βαιθών. Retinent voces Ebraicas, בית און מדבר ἡ Μαδβαρῖτις, & Βαιθών, ut *Bethel* Βαιθήλ. Alibi est Ὤν Nam בית Ὤν. *Aven* autem in regimine facit Ὤν *On*. Sic *Maveth*, *Moth*. Vide codicem in quo Βηθαύν. Emendo Βεθαυὲν, Vau per υ expressâ, ut in Δαυίδ, & *Levi* Λευί. Aut *Bethaim* pro *Bethon*, ut alibi *Auz* pro *Ouz*, & *Hause* pro *Hose*, & *Naun* pro *Nun*. Mentio hujus oppidi Jos. 7. 2. in cujus vicinia erat Bethel, quæ post institutum ibi cultum Vitulorum à Prophetis *Bethaven* vocata est, i. *Domus iniquitatis*, ἀδικίας. Sunt qui Ἀυν exponunt interpretantes *idolum*. Aquila reddit ἀνωφελὲς *inutile*.

13. *Ad latus Luza*] Hîc est לוזה in textu Ebraico, unde Λουζὰ in libris vet. Nam si ה motum ad locum significaret, deberet reddi *versùs*, vel *ad*, *Luz*. Jon. *quæ in latere Luz* דלוז *Austrum versùs*. ¶ *Ipsa est Bethel*] Eusebius De locis, *Luza in tribu Benjamin, quam postea cognominavit Bethel. Est autem usque hodie villa in sinistra parte via de Neapoli pergentibus Æliam*. Masius à Bethel distinguit, Jos. 16. 2. Forte Bethel exstructa in territorio Luz. Sed plures erant ejus nominis. Vide Onomasticum Sacrum. In lib. Nom. *Luza*, *Amygdalon: licèt quidam interpretentur* κλοιὸν, *torquem videlicet damnatorum; quam vulgò Bloian* (*bojan* fortè, unde *Bojen* in Belgio) *vocant*. *Potest autem interpretari & Hic ipse*: forte *Huic ipse* לו זה. Vide Masium & hic & Jos. 16. R. Jesaias opinatur duas fuisse Betheles. ¶ *Descendit terminus*] Nam Austrum versùs descenditur. Ut enim Aquilonaris plaga altior est, ità Australis summissior existimatur.

14. *A Meridie*] Hîc מנגב interpretantur *à Meridie*, ac si esset מנגב, pro quo in Jonatha דרומא, cùm priùs dixisset לדרומא, ubi eadem particula redditur *ad Meridiem*. Sic suprà מזרחה *ab Oriente*.

15. *A mari*] *Ab Occidente*. Hic rursum ימה pro מים, Jonathan tamen לימא *ad mare*. Hieron. *contra mare*.

IDEM.

15. יָמָּה. Sym. Εἰς θάλασσαν, *ad mare*.

17. עֵין שֶׁמֶשׁ. A. Πηγὴ ἡλίου, *Fons solis*] Hieron. *Ad Ensemes*, i. e. *Fontem solis*: rectè. Nam עין sive עין *fons*. In libro nom. *Endor*, *fons generationis*. *Engaddi*, *fons hœdi*. *Engallim*, *fons vitulorum*, i. עגלים. *Engannim*, *fons hortorum*. *Enrogel*, *fons fullonis*. Cæterùm *Endor* Masius interpretatur *fons Dora*. Eusebius De locis, עין שמש, i. *Fons Sames in tribu Benjamin; pro quo Aquila interpretatur, Fontem solis*.

GROTIUS.

4. TErnos viros*] Γεωδέτας. Vide infrà 8. 9.

28. *Quæ est Jerusalem*] Vetus urbs in parte Benjaminis, sed accessio facta ex parte Judæ.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

13. GIttha*] Hæc est *Gath-Hepher* unde Jona Propheta oriundus fuit. ¶ *Methoar*] Jon. exponit appellativè pro מסתחר, i. *reflectitur*, seu *gyrat*, in *Neah*.

41. *Civitas solis*] Sive *Ir-schemes*, si vis Hebraicam vocem habere.

47. *Ab eis*] h. e. Defecit filiis Dan locus sufficiens; ideo coacti sunt ascendere contra Læsem, quæ alio nomine vocatur *Lais*. Alii verò dicunt quòd filii Dan egressi sint extra terminum suum, & quòd Læsem non fuerit de terra 7 gentium, &c.

VATABLUS.

1. ET *fuit*, ויהי] Sub. *inclusa*.

2. *In hæreditate eorum*, בנחלתם] Nempe filiorum Judah.

8. *Ramath Australem*, רמת נגב] *Ramath Negeb*.

9. *De portione*, מחבל] Ad verb. *De funiculo*. ¶ *Ipsis*, מהם] i. Quàm pro numero eorum, h. e. quàm ut occupari & habitari possit ab illis.

11. Et

11. *Et pertingit*, ופגע] *Et incurrit*, vel *incidit*, *in Dabaseth*. ¶ *Ad flumen quod est è regione*, אל הנחל] *Ad torrentem qui est contra*, [sive *coram*] *Jocneam*.

13. *Quæ gyrat*, המתואר] *Quæ circuit*, i. Per lineam circularem tendit ad, &c.

14. *Gyrat item idem terminus*, נסב אתו הגבול] Ad verb. *Et circuit ei idem terminus*, pro, *vertit sese idem terminus*, &c. Redundat *ei*.

15. *Et Beth-lehem*, ובית לחם] Alia est à Beth-lehem tribûs Judæ.

16. *Urbes istæ*, &c. הערים האלה וחצריהם] Istud tanquam expositio ponitur, q. d. Urbes, inquam, istæ & villæ earum sunt tribûs filiorum Zabulon.

17. *Ipsi Issachar*, ליששכר] Notandum quòd tribus Issachar Orientalior est tribu Aser; quæ quidem vergit magìs ad Aquilonem respectu tribûs Manasse.

22. *Et pervenit*, ופגע] *Et incurrit*, vel *incidit*.

25. *Terminus eorum*, גבולם] i. Tractus possessionis eorum.

26. *Et pervenit*, ופגע] *Et incidit*, *incurrit*, aut, *vergit*. Sic v. 27.

27. *Et exit*, ויצא] *Et egreditur*, i. devenit. Notandum quòd tribus Aser erat Aquilonior, tribus verò Zabulon Orientalior. ¶ *A sinistra*, משמואל] i. Ab Aquilone.

28. *Et Ebron*, ועברון] Nonnihil subaudiendum, *Præterea in eo tractu*, sive *provincia*, *sunt urbes*, *Ebron*, &c.

29. *Petra*, צור] i. Quæ sita erat in rupe alta. ¶ *Suntque exitus*, &c. ויהיו תוצאותיו הימה מחבל אכזיבה] i. *Et de tractu in quo sita est Achzib*, *desinit versùs Mare* sive *in mare*. Alii, *tandem devenit pergendo versùs Mare ab Hebel ad Achzib*.

31. *Urbes istæ*, &c. הערים האלה וחצריהן] Sub. *sunt possessio filiorum Aser*.

33. *In Saanannim*, בצעננים] i. Quæ urbes sunt in regione Saanannim. ¶ *Suntque exitus ejus*, ויהי תוצאותיו] i. Hinc pervenit ad Jarden.

34. *Postea revertitur*, ושב] Ab ortu scilicet. ¶ *Et pervenit*, ופגע] Ut v. 26. ¶ *In Jarden*, הירדן] *Juxta Jarden*, q. d. Non magnâ distantiâ incurrit in Jordanem ipsum.

35. *Et urbes*, וערי] Sub. *Sunt in eo tractu*. ¶ *Et Chinnereth*, וכנרת] Ab hac urbe denominatum fuit *mare Chinnereth*.

41. *Terminus hæreditatis eorum*, גבול נחלתם] *Tractus possessionis eorum*.

46. *Cum termino*, &c. עם מול הגבול יפו] i. Cum toto illo tractu qui erat coram, sive è regione, Japho, h. e. qui adjacebat Japho, hæc est Joppe.

47. *Et exivit terminus filiorum Dan ab eis*, ויצא גבול בני דן מהם] i. Subtractus fuit illis, q. d. destituit illos, h. e. fuit minor & angustior quàm ut eos capere posset, sive, non habuerunt regionem capacem tantæ multitudinis. ¶ *Filii Dan*, בני דן] i. Aliquot ex filiis Dan. ¶ *Et hæreditate acceperunt eam*, ויירשו אותה] *Et possederunt eam*. ¶ *Lesem Dan*, ללשם דן] Scribunt Hebræi, *Lesem*, sive *Dan*, esse fontem sive originem ipsius Jordanis, assignántque illi etymon, שיורד מן דן ירדן, i. *qui descendit ex Dan*. Estque Dan extremum Terræ sanctæ. ¶ *Secundùm nomen*, כשם] *Juxta nomen*, *de nomine*.

49. *Cùm autem*, &c. ויכלו לנחול את הארץ לגבולותיה] Ad verb. *Compleverunt autem in hæreditatem dividere terram per terminos suos*, *dederúntque*, &c. ¶ *In medio sui*, בתוכם] i. In medio hæreditatis suæ.

50. *Juxta sermonem Jehovæ*, על פי יהוה] *Juxta præceptum Jehovæ*, i. de mandato Jehovæ. Videntur filii Israel dedisse tantummodo ipsi Josue locum, in quo tamen postea ædificata fuit urbs.

CLARIUS.

47. **E***T egreditur terminus filiorum Dan ex ipsis*] h. e. Defecit filiis Dan locus sufficiens; ideo coacti sunt ascendere contra Lesem, quæ alio nomine vocatur *Lais*. Alii verò dicunt quòd filii Dan egressi sint extra terminum suum, & quòd Lesem non fuerit de terra gentium, &c.

MASIUS.

1. **P***Orrò exivit sors secunda Simeoni*, &c.] De sortitione Siluntica agitur: In qua prima sors Benjaminis, secunda Simeonis est extracta. Dixi antè cur de Judæorum hæreditate portionem quæ uni tribui sufficeret deputarint metatores. Neque sine nutu Dei singulari accidisse ut ea obveniret Simeonitis. Nimirū perpetuus & inevitabilis est decretorum Dei tenor. Nam stupor est, ne dicam impietas, non autem inscientia, R. Solomonis, qui existimat, Israelitarum consilio, patris sui prædictiones secutorum, Simeonitas intra eos fines qui alteri fuerant tribui assignati collocatos esse, atque ità quodam modo *dispersos inter Israelitas*. Scribit enim, eos consultè esse præteritos, ut exsortes hæreditatis, secundùm Jacobi tabulas; sed alias tribus, cùm suam quæque nacta hæreditatem fuisset, tum inter se ipsas esse sortitas quæ illos deberet ad se recipere; itáque sorte recepisse Judæos. Atqui quid opus erat septem portiones ut determinarent metatores, si una tribus è septem debebat exsors manere? Sed omisso Judæo, quòd sors collocat Simeonitas, non seorsim in portione alia, sed in ea quæ Judæis detracta erat, id non humano sed Divino fit consilio. Est enim quoddam paterni criminis piaculum, & veluti cicatrix illius vulneris quo suum ipse sauciaverat animum Simeon, quando cum fratre Levi crudeliter & perfidè Sichimitas interfecerat, Gen. 34. Neque enim absurdum aut alienum est à Divina justitia, quæ parentes meruere, ea luere filios; quando non illis, sed se dignis modis luunt, pro Divino judicio admirabili misericordiâ temperato. Nam dispersi etiam sunt Levitæ, & quidem multò quàm Simeonitæ magis, ob idem facinus. Atqui quàm istis acciderit ea dispersio honorifica, aperta res & nota omnibus est, atque à nobis etiam suo loco explicata. Ea scilicet est summi Numinis justitia, ineffabilis, ut Plinii verbo utar, atque immensæ misericordiæ & pietatis suavitate delinita delibutáque, quâ res mortalium illud moderatur, ut sicut in ipso rerum ortu lucem producebat ex tenebris, ità eas pœnas quas de nostris peccatis jure & meritissimò sumit sæpe sic moderetur ut pœnæ esse non videantur, sæpe etiam convertat in amplissima beneficia. At enim arbitretur aliquis gravius quippiam accidisse Judæis quàm Simeonitis, cùm illi suas possessiones cum his communicare debuerunt. Etsi enim proverbio celebratur, *Amicorum esse omnia communia*, tamen id vix sine communicantis omni molestia ad rem confertur atque præstatur. Nam illud quoque vel verius est, quippe ipsâ comparatum naturâ, *Omnes sibi meliùs malle quàm alteri*. Sed existimandum est, amplissimam regionem Judæos, quamvis magno numero essent, occupare totam non potuisse; atque ut Barbari vel ultro excessissent omnibus finibus, magnum à feris belluis futurum fuisse periculum, præsertim propter maxima quæ adjacebant ab Austro deserta. Potiùs ergò tantæ provinciæ tutandæ molestiâ levabantur Judæi, cùm Simeonitas ad se reciperent, quàm aliquid de sua hæreditate amittebant. Nam, ut satis expositum antè est, non eâ conditione fines tam amplos nacti sorte fuerant ut universa illa hæreditas ipsorū propria maneret. Verùm enimverò opinantur Rabbini, de se conjicientes, tandem aliquando Simeonitas a Judæis esse de istis suis possessionibus depulsos, quasi molestos hospites & inquilinos, non dominos. Cui rei argumento esse aiunt quod in Paralipomenis l. 1. c. 4. v. 31. scriptum exstat, Simeonitas obtinuisse *istas urbes usque ad Davidis tempora*. Tum enim, inquiunt, ipsâ dominatione elati atque amplificati Judæi, & pridem pertæsi Simeonitarum, ipsos ad quærendas novas sedes adegerunt. Et hanc sententiam R. Solomon, ut magnâ etiam auctoritate firmet scilicet, adscribit nescio cui R. Eleazaro, atque R. Solomoni, ei qui fuit filius Levi, fratris R. Mosis Hadarsan. Atqui ut universæ suæ synagogæ auctoritate

mecum pugnet ille, nunquam tamen eò me rediget ut putem religiosissimum & justissimum Regem Davidem, adversus istud familiæ herciscundæ judicium quod Divina sors nunc de cujusque tribûs hæreditate facit, Simeonitas per potentiam eliminasse. Quin ipsa narratio sacra eos memorat, uberiorum *pascuorum* gratiâ longiùs esse profectos, non autem fuisse à Judæis propulsos: ut jam credibile sit, ea ipsa etiam loca quæ illi occupatum ibant, ad suam ipsorum hæreditatem pertinuisse, quamvis adhuc Barbari ea occupassent. Quid quòd non Davidis principatu, sed Ezechiæ, qui annis plusquam trecentis post Davidem regnavit, etiam ipse æquitatis amantissimus Rex & Divinæ legis observans, memorentur Simeonitæ, non quidem universi, sed tanquam emissis coloniis, ad uberiora *pascua* migrasse? Nam quod in Paralipomenis est, *ad Davidem regem usque*, quod Judæis istis magnum ingenii acumen scilicet præstringit, certum est adverbium עד, h. e. *usque*, sæpe moræ longitudinem, non finem, significare in S. literis. Sed is qui traditiones in Paralipomena scripsit; quem ego Hieronymi non ineptum omnino compilatorem fuisse puto; is, inquam, existimat illud, *ad Davidem usque*, ideo dictum esse quia hic duas urbes, Siceleg, & Beersabeam, restituerit tribui Judaicæ. Porrò, quia tribus Simeonitica omnium minima erat, ut in qua vicies modò & bis mille ac ducenti viri sunt postremâ recensione numerati, eíque urbes jam non plures 17 attribuuntur, probabilis videri potest eorum sententia qui existimant, Duodecimvirûm arbitratu regiones, quas sors dederat, alias ampliatas, contractas alias esse, pro cujusque tribûs vel multitudine vel paucitate. Atqui diximus, soli bonitatem esse spectatam. Fieri ergò potest ut istæ 17 urbes, propter municipiorum, pagorum, villarum frequentium, quæ in cujusque ditione erant, cum magno aliarum urbium numero in aliis hæreditatibus comparari potuerint. Sed ut hoc non sit ità: quanquam conjecturæ optimæ possint afferri, ità esse; tamen illud est certissimum, non omnes urbes in catalogis annumerari ut antè exposui: Et proinde credibile est, eas modò hîc recenseri quas primùm ibant occupatum & habitatum Simeonitæ: nam alias multas nominare nihil attinebat ostendendorum finium causâ, cùm iisdem circumdati terminis illi essent quibus Judæi, qui termini pridem sunt notati suis urbibus & locis. Cæteroqui certa res est, plurima fuisse loca versùs Gedor & montem Seir recedentia, in quibus amplissimæ atque uberrimæ regiones à Chamitis alíisque barbaris gentibus occupabantur, quas exterminare júsque fásque ut Judæis sic & Simeonitis fuisse est probabile. Sed ista hactenus: nam satis multa etiam suprà.

2. *Obtigitque ipsis in suam hæreditatem Beer-sabea, &c.*] Ab enumeratione urbium incipitur. Nulli enim sunt peculiares fines describendi, cùm locentur Simeonitæ intra Judæorum fines. Recensentur autem continuò tredecim; deinde adduntur aliæ quatuor. ¶ באר שבע *Beer-sabea* igitur & שבע *Sabea* unam modò urbem significant. Hoc enim & facta summa ostendit, & ex Paralipomenis, l.1.c.4.v.28. intelligi potest, ubi alterum nomen ut supervacaneum omittitur. Sed hîc ideo duo esse scripta nomina existimat R. Isaias, ut in celebris illius putei memoriam redeamus apud quem fedus percussit Abraham cum Abimelecho, quæ res & urbi & puteo nomen dedit, Gen.21. Est enim באר שבע *puteus jurisjurandi*, aut potiùs *puteus septem*, agnorum videlicet, quos selectos dabat Abraham Abimelecho. Cæterùm de urbis istius positu satis dictum suprà est, c.15.v.31. ¶ De מולדה *Molada* nihil, quod sciam, præter nomen in S. literis exstat, de quo conjicias ubi ea urbs fuerit: sed neque de חצר שועל *Hasar-Sual*: hoc *Vulpis pagum* vel *atrium*, illud *Ortum* significat. ¶ בלה *Bala* dicitur in Paralipomenis, verbo ad literam mutato, בלהה *Bilha*, quo nomine vocabatur ancilla Rachaelis, quæ Dan & Nephthalim Jacobo peperit. Græci per vocalem quartam *Bola* dicunt. Ego eam esse urbem auguror quæ in Judæorum catalogo dicebatur בעלה *Baala*. Nam, quod D. Kimhi rectè alibi monet, appellationes sive locorum sive hominum propriæ unâ sæpe aut etiam alterâ literâ variantur. Nisi enim ità illud sit, aut hanc in Judæorum catalogo esse prætermissam, aut nomine magis alieno vocatam, fateri necesse est. ¶ אלתולד *Eltholad* in Paralipomenis καὶ ἀφαίρεσιν nominata est תולד *Tholad*. ¶ Rursus בתואל *Bethuel* illic dicitur, quæ hîc κατὰ συναίρεσιν בתול *Bethul* vocatur. Hanc ego in Judaico catalogo existimo esse כסיל *Cesil*. ¶ De חרמה *Horma*, sive *Harma*, & צקלג *Siceleg*, diximus suprà. ¶ בית המרכבות *Beth-Marcavoth* & חצר סוסה *Hasor-susa* videntur in Catalogo Judaicarum urbium non esse adnumeratæ cum aliis. Sed id non esse mirandum, satis antè docuimus, opinor. Est autem istorum duorum nominum eadem propè explicatio atque notatio; nam illud *Domum equitatûs*, hoc *Atrium*, sive *Pagum*, vel *Villam*, *equitatûs* significat. ¶ Rursus בית לבאות *Beth-lebaoth* quoque inter Judaicas urbes, isto certè nomine, non est audita recenseri. Hanc vocant Paralipomena בית בראי *Beth-biri*. Illius enodatio est, *Domus leænarum*; hujus, *Domus obesi*, aut, si est literarum metathesis, *Domus putei*. ¶ Porrò pro שרוחן *Saruhen* videntur LXXII legisse שריהן, nam reddiderunt *agri earum*: nisi à positione שדה, non sanè inscienter, hoc eos verbum deduxisse putemus, à quo & שרון *Saron* formatum vocabulum *campum fœcundum* significat. Sed nominata est hæc eadem urbs in Judæorum catalogo non prorsus dissimili voce שערים *Saaraim*, sicut & in Paralipomenis: Est autem hoc ac si *geminam portam* dicas. Sita erat ista urbs in loco plano, ut constat ex catalogo Judaico. ¶ Illud porrò, *Et villæ*, sive *municipia*, vel *pagi*, *earum*, pro ea interpunctione quæ in Paralipomenis facta est, pertinet ad versum insequentem, quasi quatuor istæ urbes fuerint municipia eorum locorum quæ superiùs sunt commemorata; quamvis ipsæ quoque sua habuerint municipia villásque & pagos. Neque verò solùm quatuor, sed quinque recensentur in Paralipomenis, l. 1. c. 4. v.32, additur enim עיטם *Ætam*. Nimirum, ut diximus, omnes isti catalogi haud pleni sunt, sed plurimæ ubique urbes tacitæ relinquuntur: sæpe etiam, quæ alibi in urbium numero fuere, alibi cum municipiis aut חצרים annumerantur. ¶ De *Ain* & *Remmon* diximus c.15. Is qui Traditiones in Paralipomena compilavit, magno errore ex his duabus urbibus unam facit, cùm in Judæorum catalogo interpositâ copulâ sint distinctæ. Sed hoc non unum illius scriptoris peccatum est. ¶ Urbs, עתר *Æther* vocatur in Paralipomenis תכן *Thocen*. Eusebius putat pagum quendam nomine *Jethira* repræsentare istum locum. Ego verò eum pagum magis referre Judaicam urbem יתיר dixerim; de qua suo loco. Cæterùm עתר *Æther* & עשן *Asan* vicinas fuisse urbes credibile est, tum quia recensione conjunguntur, tum quia simillima est utriusque nominis notatio: prius enim *vaporem densum*, posterius *fumum* significat. Ego Asan eum fuisse locum existimo qui in Regum historia, l. 1. c.30. v. 30. dictus est בור עשן *Bor-Asan*, i. *Puteus*, aut *lacus*, *Asan*. Eusebius verò prodidit à posteris nominatum esse בית עשן *Beth-asan*, h. e. *Domum*, aut *locum*, *Asan*, sive *fumi*. Dabitur autem Levitis, ut dicetur loco opportuno.

8. *Et omnes villæ, quæ erant circum istas urbes, &c.*] Insolens est in ejusmodi orationibus nota universitatis. Quapropter credibile est, hîc appositum esse indicium magnæ multitudinis municipiorum, pagorum, villarum, quæ circum istas vrbes erant, ut in solo fœcundissimo fertilissimóque. ¶ Urbs בעלת באר *Baala putei* fortassis est Beer-sabea. Est enim ac si dicas *Habentem puteum*. Jam verò constat apud Beersabeam puteum insignem fuisse, eámque urbem à *puteo* esse appellatam. Huic autem opinioni etiam illud consentaneum est quod sequitur de Rama Australi. Nam certum est Beersabeam in ipsa extremitate versùs Austrum exstitisse. Non sum equidem nescius, esse urbem cui בעלת *Baalath* nomen est. Eam enim instaurasse Solomon memoratur in Regum historia l.3.c.9. v. 18. & fuisse positam in confinio Simeonitarum & Danitarum proditum à quibusdam scio. Sed id nomen habet vocalem Kametz ultimo loco, hoc autem nostrum per Patah

scriptum

scriptum est; & ipsâ constructione hæret insequenti nomini, à quo neque ullo interpuncto distinguitur. Si quis tamen Græcos sequi malit, atque à באר *Beer* sive *puteo* divellere, fruatur suo sensu, & existimet *Beer* esse Beersabeam. Ego scripturam ipsam & Grammaticorum leges libenter sequor: idque probi interpretis officium esse puto, ni qua obstet major auctoritas, quæ locum mendi redarguat atque convincat. ¶ Porrò de ista רמה *Rama* Australi nihil certi habeo quod dicam. LXXII hic nescio quem locum Ἰαμνὶθ de suo adscripserunt. Non enim puto eos *Jamniam* dicere voluisse: hanc enim alibi Ἰαβνιὴλ appellant. Et altior erat Jamnia utraque quàm ut ad hanc Australem extremitatem pertinerent. Sed nihil attinet de re incerta pluribus agere.

9. *Ex funiculo filiorum Judæ fuit hæreditas filiorum Simeonis*, &c.] Ista sunt à nobis antehac satis explicata, opinor. Quare hoc solum monebo, Sortes adhuc ordine esse extractas. Nam post Judæos, qui principes erant, & Josephitas, quibus jus duplicis portionis Rubenis fuerat concessum, educta primo loco est sors Benjaminis, qui erat dilectæ Rachaelis filius: Secundùm eam autem sors Simeonis, quippe qui post Rubenem incestûs damnatum maximus natu liberorum Leæ fuit.

10. *Ascendit & tertia sors ipsis Zabulonitis*, &c.] Cur Zabuloniæ tribûs sors educta sit ante Issacharianæ, cùm esset Issachar major natu Zabulone, ego causam nullam afferre possum, sed Divino id consilio factum esse existimo; similiter atque illud, quòd istos filios in faciendo testamento eodem ordine nuncupavit pater Jacobus. Nè enim opinemur ipsos Duodecimviros hac in re secutos esse Jacobi ultima verba, in causa est, quòd insequens ordo iis non similiter respondeat. Certè non humano sed Divino arbitrio procurari ista, vel indè intelligi perspicuè potest, quòd aptissimè etiam ista sors in ipsas tum Jacobi tum Mosis prædictiones cadat. Dixerat enim Jacobus Gen. 49. 13. *Zabulonios apud littus maris habitaturos, & versaturos apud stationem navium; Et oram ipsorum spectaturam versùs Sidonios.* Moses verò, Deut. 33. 19. *sucturos maris copiam, & ingentes ex arena thesauros esse comparaturos.* Quàm autem planè & certò ista evenerint, ex ipsa finium descriptione fiet manifestum. Nimirum benignissimus Deus ideo voluerat res hujusmodi per suos Vates prænunciare, ut exstaret illustre paterni sui in Abrahæ posteritatem studii & providentiæ testimonium, atque ut sacrosanctæ adoptionis illius, quâ Israelem in populum peculiarem delegerat, memoriam bonâ spe in ipsorum animis continuò reficeret firmarétque. Quò fuit detestabilior illorum diffidentia, cùm eas possessiones quas longissimâ retro serie Divini consilii præfinitas sibi, & tandem etiam ad se delatas apertissimè videbant, tam ignavè invaderent, imò verò turpis lucri pactione cum hostibus Dei communicarent. Enitamur igitur nos ut majore cum fiducia cœlestem nostram hæreditatem appetamus. Quibus enim se bonis illi exhæredes, cùm essent adversùs Deum ingratissimi, fecerunt, eorum nos Christus suo sanguine scripsit hæredes, & quidem planè gratuitò Rom. 11. Sed ista hactenus. Porrò, ut ad descriptionem accedamus; *Fuit*, inquit, *limes hæreditatis ipsorum apud Sarid.* Voculam עד pro על sæpe usurpari ab Hebræis, dubium non est: quapropter nos pro ea diximus *apud*. Difficilis autem est istius designationis explicatio: latet enim involuta obscuritate locorum, quæ in ipsa cùm nominentur, nullis aliis S. historiæ indiciis possunt investigari. Ego eorum sequar sententiam qui Manassensibus proximos locant Issacharianos, his verò deinceps Zabulonitas, & post hos demum Aseritas. In qua Josephum quoque fuisse video, Antiq. l. 5. c. 3. qui in illis locis natus atque educatus non prorsus, opinor, nescivit quibus quæque tribus regionibus olim habitavissent; quamvis regionum terminos rectè eum non tenuisse fatendum est. Existimant igitur quidam שריד *Sarid*, sitam in ipso Carmeli promontorio, ultimum fuisse hujus Zabuloniæ hæreditatis terminum Occiduum versùs Austrum: Itaque designentur proximo versu fines Occidui, ab Austro versùs Aquilonem, cùm dicitur; *Ascenditque terminus ipsorum ad mare*, &c. Sarid enim posita fuerit sub monte Carmelo, quâ parte ille ad Meridiem spectat, atque indè productus funiculus per montem ipsum usque *ad mare*, & deinceps secundùm maris oram *ad Marelam*, atque *Dabaseth*, ac demum usque in *torrentem, qui objacet* urbi *Jecnam*, sive *Jeconam*, universum Carmeli promontorium amplectatur. Sin autem Sarid, ut alii putant, in ultima Carmeli extremitate ad mare posita fuit, debet illud *ad mare* interpretari *secundùm maris littus.* Cæterùm in Latinis libris *Madala* pro *Marala* librarii, opinor, errore scriptum est. Sed דבשת *Dabbeseth* in ipso Carmeli tanquam gibbo exstitisse, de nomine conjicimus: significat enim דבשת *tuber illud quod in camelorum eminet dorsis.* ¶ יקנעם *Jeconam* autem ad Carmelum pertinuisse, certos nos facit versiculus 22. capitis 12. Statuamus ergò Jocnam positam fuisse in ea Carmeli extremitate quà ad Septentrionem ille spectat, h. e. quà objacet Ptolemaidi; ubi *torrens*, Belus, opinor, sive Pagida, vitri arenâ fructuosus, excipitur à mari: de quo torrente dixi etiam alibi c. 11. 8. & dicam mox, v. 26.

12. *A Sarid verò revertebatur in partem anticam*, &c.] Jam verò describuntur termini Australes, ab Occidente versùs Orientem progrediendo à Sarid usque ad Remmon. ¶ LXXII hic nomen שמש, quod *Solem* significat, interpretati sunt *urbem Beth-semes*, sanè ineptè admodum, nisi locum ab homine indocto olim corruptum esse putemus. כסלות תבור *Cheseloth Thabor*, quod est ac si *ilia Thabor* dicas, significat, ut censent Hebræi, eas partes montis istius quæ circiter medio loco sunt, quas, ut ait R. Solomon, Galli vocant *les flancs*, Græci autem τὰς ὑπώρειας. Chaldæus tamen, atque etiam LXXII, quos & Latinus est secutus, existimaverunt *Cheseloth* esse proprium loci nomen monti illi adjacentis. Prodidítque Eusebius libello De loc. Hebr. etiamnum exstare pagum ad radices montis Thabor, in campo, octo mill. pass. à Diocæsarea, i. à Sephori, versùs Orientem, cui nomen est *Chesalum.* Potest ergò is pagus loci illius monimentum videri qui locus תבור *Thabor* quoque dictus sit in Paralipomenis, l. 1. c. 6. v. 77. Est autem mons Thabor Euangelicâ historiâ nobilitatus etiam. Situs erat in Galilæa inferiore: atque ad ejus radices fluebat torrens Cison, ille qui Genesaram petebat. Aberat autem ab illo patria Christi Nazareth circiter duarum horarum itinere versùs Corum, h. e. Occidentem æstivum: quæ ipsa quoque hujus Zabuloniæ hæreditatis pars erat. Igitur jam perventum est à Sarid ad eas montis Thabor partes quæ ad Septentrionem sunt positæ, ubi ille prope ad Carmelum pertinet, tam longo jugo à mari in mediterranea procurrentem. ¶ Hinc verò pergitur דברת *Dabbereth* urbem; sed ea relinquitur ad dextram intra fines Issacharianos. ¶ Post Dabbereth conscenditur Japhiam: nam Japhia, sive Japhe, loco excelso posita erat; sicut & vicina Jotapatha. Erant autem ambæ istæ munitissimæ urbes, ut ait Josephus, Belli Jud. l. 3. c. 11. Quare יפיע *Japhiam* hoc nomine appellatam esse auguror, quia longè latéque illustris appareret, ut in eminente loco sita. Dabbereth dabitur Levitis: sed hoc suo exponetur loco.

13, 14. *Rursus illinc pergebat prorsum versùs Orientem*, &c.] A Japhia porrò continuò versùs Orientem pergentibus occurrebat *Geth-Hepher*; post hanc עת קצין *Itta-Casin*; & tandem *Remmon.* Atque hæc urbs ultima, nisi fallor, fuit in hisce finibus Australibus versùs Orientem; nam ab ea curvo gyro sensim versùs Septentrionem, & mox Occidentem, redibatur ad mare Mediterraneum. In hoc autem ambitu primùm perveniebatur ad הנעה *Neam*, sive *Noam*; deinceps ad חנתן *Hanathon*; & hæc à finistris relinquebatur intra istos fines scilicet: ac tandem in vallem *Jephtha-el*; nimirum ad eum torrentem, qui cùm objaceret urbi Jecnaam, terminabat oram Occiduam hujus hæreditatis à Septentrione. Itaque cum hoc eodem torrente considebant limites Septentrionales in mare Mediterraneum. ¶ Cæterùm illud המתאר existimat Symmachus epitheton esse urbis Remmon: interpretatur enim hunc

hunc locum, *Exibat in Remmon inclytam.* LXXII verò, & eos secutus Latinus, censent loci cujuspiam esse appellationem; quasi ἀνυπότως dictum sit, *Exibat in Remmon, Hamthoar, Neam.* At Chaldæus, quem ego hîc sequor, cum RR. Solomone, & Kimhi, interpretatur, *Indè gyrum faciebat versùs Neam*, sunt enim ejus verba, מתמן מסתחר לניעה. Nam illud quod est in pervulgatis Chaldaicis libris, דמתאר, certum est expungendum esse. ¶ גתה חפר *Geth-Hepher* patria est Jonæ vatis: nam litera He in verbo גתה est loco præpositionis ad: similiter in עתה & נֵעָה. Distabat, ut ait Hieronymus Prolog. in Jonam, Gath-Hepher bis mille pass. à Sephori, viâ quâ ibatur Tiberiadem: ostendebatúrque in ea Jonæ monimentum. ¶ De עתה קצין *Itta-Casin*, & *Nea* sive, ut Græci dicunt, *Annua*, nihil habeo quod dicam. ¶ רמון *Remmon* est plurium oppidorum nomen, à *malis punicis*, ut videtur, positum: sed ubi hæc nostra sita fuerit, à nemine, quod sciam, proditum est. Ego exstitisse puto in ea hujus hæreditatis ora quæ erat Orienti proxima. Nam ad Jordanem non videntur hi fines usquam pertinuisse. Non enim profectò tam nobilem terminum reliquisset tacitum qui descripsit. ¶ Porrò pronomen אותו, cùm dicitur ונסב אותו הנביל, positum est pro לו per enallagen casuum, ut certè Chaldæus existimasse videtur. Nam quod recentiores Judæi sic nunc loquuntur, ut dicant, איתו הנבול, pro הנבול ההוא, *terminus ille*, id ego ipsos nullo veterum Hebræorum exemplo facere opinor. ¶ Illud quod dixi, *à Septentrione Hanathon*, ambiguum est. Potest enim sic interpretari ut significet, funem istum mensorium ambivisse urbem Hanathon à Septentrione, & Zabuloniis possessionibus adscripsisse; vel descendisse versùs Hanathon in Austrum, cùm antè nonnihil declinasset in Septentrionem. Quia autem nusquam, quod certè nos scimus, alibi hujus urbis est mentio, utra sententia verior sit dijudicare non quimus. ¶ Sed neque de *valle Jephtha-el* יפתח אל præter levem conjecturam aliquid proferre possumus. Josephus *vallis Carmeli* mentionem facit: quæ videtur secundùm maris littus in Aquilonem porrecta esse. Ejus ergò nos vallis hanc esse partem suspicamur; per quam torrens ille oppositus τῷ Jecnaam decurrit in mare.

15. *Et Catet, & Naalol, & Semeron,* &c.] Credibile est, has quinque urbes sparsim per loca mediterranea hæreditatis Zabuloniæ positas fuisse; at superiùs dictas, in ipsis undequaque finibus. Porrò cùm summa sit urbium duodecim, existimandum est, earum quæ sunt commemoratæ quasdam in affinium tribuum hæreditatibus exstitisse. Id enim certè de דברת *Dabbereth* constat: nam fuit ea apud Issacharianos; à quibus data est Levitis. Cæterùm istarum quinque nulla certis conjecturis quæri potest. Nam שמרון *Semeron* sive *Samaria*, & בית לחם *Beth-lehem*, quæ hîc nominantur, diversæ sunt ab illis notissimis urbibus, quarum altera apud Josephitas exstat, dicta *Sebaste* posterioribus temporibus, ut dudum exposuimus; altera Christi natalibus clara, Judæorum erat. Igitur finium Zabulonitarum longitudo erat à monte Carmelo & mari Mediterraneo, versùs Orientem, usque ad Remmon; Josephus scribit Antiq. l 5. c. 3. usque ad Genesaram lacum. Ego verò, ut dixi, ideo hoc probare non possum, quia nulla aut Jordanis aut Genesaræ mentio est. Latitudo verò Occidua à Sarid, tanquam ab Austro, usque ad torrentem qui objacet Jecnaam. At latitudo opposita Orienti videtur obliquè ab Remmon, tanquam ab Austro, ad Noam describi. Latitudinem autem per mediam hæreditatem hanc rectè metiri possemus, nisi fallor, ab latere illo montis Thabor ubi *Chesiloth* nuncupabatur usque ad Hanathon. Est autem universum hoc terrenum ut fertilissimum, ità & populosissimum, urbibúsque & pagis frequentissimum, in Galilæa inferiore. Quamvis enim urbes paucissimæ recensentur, plurimas tamen fuisse est certissimum. Qui enim potuissent sexagies mille viri, & eo plures, quot nobis postrema recensio Zabulonios numerabat, in solis 12 urbibus habitare? Et quis non putet קטרון *Ceteron*, egregiam & vel primariam urbem, in istorum hæreditate fuisse, cùm ex ea Chananæos pellere nequirent? ut est scriptum in Judicum historia 1. 30, & tamen hîc tacita est relicta. Sed de ista re satis multa antè. Et, ut hoc addam, quod nunc in mentem venit, fieri potest ut in istis catalogis eæ solæ nuncupatæ sint urbes & nominatim scriptæ quarum nomina metatores raptim annotaverant; cùm cæterarum in quaque portione, similiter atque pagorum & villarum, frequentiam amplitudinémque oculis animoque observasse & universè annotasse contenti fuissent. Sed dices, Jacobum fuisse vaticinatum Gen. 49. 13. *Latus Zabulonis futurum versùs Sidonem*; nos verò nè ad Ptolemaida quidem sive Acen produxisse fines Zabulonios. Sanè hâc ratione potissimum esse inductum Wolfgangum Wisseburgium ego suspicor ut Zabulonios supra Aseritas inter Sidonem & Berythum collocaret, in Galilæa Gentium. Mihi verò, quamvìs ejus consilium damnare minimè constituerim aut prorsus refellere, tamen non fit verisimile, urbem omnium nobilissimam Sidonem, & simul antiquissimam, in descriptione eorum finium ad quos pertinebat tacitam esse præteritam. Nos igitur illâ Jacobi prædictione, quidquid dicant Judæi, minimè adscriptam esse hæreditati Zabuloniorum Sidonem censemus. Neque enim divinus senex nuncupatis urbibus, sed regionum modò, ut sic dicam, qualitatibus, sedes cujusque tribûs obscurè designabat. Hoc ergò volebat ille fatidicis suis verbis quæ jam citabamus, & quæ illic habentur aliis, Zabulonis posteros habitaturos ad mare, versaturósque frequenter in portibus & navalibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis, qui toto orbe mercatores fuere celeberrimi; quippe qui in eadem illa maris ora habitarent. At verò, nè quis hoc, ut mei commentum capitis jure contemnat, ipse Moses, optimus omnino Jacobi & Dei interpres, non aliter eum locum explanasse, mihi certè, videtur, cùm diceret Deut. 33. 18. *Lætare, Zabulon, in egressu tuo.* Significat enim Zabulonios feliciter enavigaturos esse ad fora rerum venalium, rémque foris & peregrè facturos; at Issacharianos domi. Sed de his hactenus modò: sunt enim alterius loci.

17--23. *Issachari exibat sors quarta: Issacharitis* &c.] Fuit quidem Issachar, ut diximus, major natu Zabulone: sed & Jacobus, cùm testamentum faceret Gen. 49. 14. & sors ipsa suo casu hunc illi anteponebat; sic volente Deo. Prædixerat autem Jacobus, Issacharianos habituros solum felix atque amœnum; ideóque non facilè passuros se indè pelli, sed potiùs vectigales futuros superioribus hostibus: similiter atque clitellarii muli, quamtumvìs onusti, si læta gramina, quæ carpant, per iter nacti sint, neque onere, neque facilè fustibus propelluntur. Tum Moses Deut. 33. 18. *gaudere* jusserat *Issacharianos in suis tabernaculis*, significans videlicet, lætâ eos regione habitaturos, domíque libenter mansuros, contra morem Zabuloniorum. Opinor enim illud, *sugere maris affluentiam*, solos intueri Zabulonios, Quanquam, si Issacharitarum quoque fines ad mare pertinuisse fatendum est, quis non putet plurima etiam eos è mari commoda percepisse? cùm plurimis rebus maritimis fruerentur uterentúrque, etiam si non negotiarentur ipsi navigationibus. Solent enim domi periculosis aliorum laboribus ditescere maximè ex mercatura qui ad mare habitant, quamvìs ipsi non navigent. Jam verò quàm aptè sors ista ciciderit quámque planè prædictiones utriusque vatis suo eventu comprobaverit, norunt ij qui in magno illo campo versati sunt quem *Ezdrelonem*, immutatis, opinor, literis, ab urbe *Jezreel* appellabant, posteriores verò *campum Sabe* dixerunt; ut est à nobis suprà expositum. Nullus enim eo totâ Chananæâ locus est amœnior: Abundat enim frumento, vino, oleo, atque omnium rerum copiâ quæ ad victum cultúmque hominum pertinent. Ejus autem campi pars maxima in Issacharianorum erat hæreditate. Porrò in istis finibus

bus designandis fit initium, similiter atque in describendis Zabuloniorum limitibus, ab angulo Australi apud Occidentem, proceditúrque indè ad Ortum versùs: idque fit duobus illis versiculis, 18, & 19. Itaque ductâ lineâ per Australes terminos ab Occidente ad Orientem, pingitur etiam Occidua ab Austro versùs Septentrionem. Atque in hac recensentur ordine urbes *Rabith*, *Cesion*, *Abes*, *Rameth*, atque *En--gannim*. Pòst describuntur ab Occidente in Orientem termini Aquilonares; qui sunt *En--hadda*, *Beth--pheses*, mons *Thabor*, *Schesima*, *Beth-semes*, & denique *Jordanis*. Nam Orienti oppositus erat Genesara lacus, & partim fortasse Jordanis. Quando igitur nulla usquam maris mentio est, credibile videri potest, istius tribûs hæreditatem ad mare non pertigisse. Rursus ideo fortassis tacitum relinquitur mare, nominatímque recensentur urbes nonnihil ab illo remotæ, quòd ora illa minimè esset portuosa. Sanè res obscura est, neque satis explorate percipi posse videtur: quare à me non dijudicabitur. Wolfgangus Wisenburgius nullam partem propiùs mare fuisse putat quàm montem Thabor. Ducit enim ille funiculum suum propè à Samechonitide lacu sensim inter Occidentem & Austrum, versùs ventum Africum, usque ad montem Thabor. Indè porrò paullatim versùs Austrum; & ab Austro versùs Euronotum procedit ad Beth--san. Sed nihil attinet singulorum Chorographorum judicia exponere. ¶ Urbs יזרעאל *Jezreel* exstabat in summissiore extremitate montis Gelboe, quà is Corum ventum excipiebat, aut certè θρασκίαν sed memini me alibi de Jezreel dicere. Vidimus quidem etiam Jezreel apud Judæos; sed ea nihil ad hanc nostram nobilissimam urbem. ¶ כסלות *Chesuloth*, sive *Casaloth*, aut, ut LXXII nominant, *Acaseloth*, si ordine sunt annumeratæ urbes, sita erat inter Jezreel & Sunem. Sed longè diversa est ista Chesaloth ab illa sita apud Aquilonares partes montis Thabor, de qua dicebamus apud Zabulonios: hæc enim eidem monti Australis est. ¶ Jam verò שונם *Sunem*, celebris est Helizæi hospitio, & ortu Abisag formosissimæ puellæ, quæ Davidis senectutem fovebat. Posita erat hæc urbs circiter tribus pass. millibus ab Aphec, versùs Orientem. Eusebius autem scripsit, etiamnum superesse vicum quinquies millesimo passu à monte Thabor spectante Austrum: eum igitur ego vicum referre hanc urbem existimo. Nam propè abfuisse Sunem à monte Gelboe atque à Jezreel, satis certum est de historia illius belli quo Saul & Jonathas ceciderunt, 1 Reg. 28, & 29. ¶ חפרים *Hapharaim* ignotus alibi in S. literis locus est; cæteroqui etiam nunc amœnus, & ubere glebâ, dissitus à Nazareth circiter 15 millia pass. atque à Barbaris nunc, literis parùm immutatis, dictus *Hapharcan*, ut referunt qui ea loca diligenti observatione perlustrarunt. ¶ שיאון *Seon*, aut *Sion*, haud procul aberat à monte Thabor, ut ex villa eo nomine conjicit Eusebius: nimirum inter Thabor, & Genesaram positum oppidum. ¶ קשיון *Cesion* videtur torrenti Cison nomen dedisse. Nam pleræque istarum urbium quas modò diximus prope eum torrentem exstiterunt, quà ad Orientem, quà ad Occidentem. Dabitur ista urbs Levitis, atque etiam ea quæ sequitur, עין גנים *En-gannim*. Est autem & altera En-gannim in Judaica hæreditate; & tertia quoque cis Jordanem: sicut & plures per Chananæam exstabant בית שמש *Beth-semes*. Nimirum magna fuit apud eam gentem & fontium gratia & Solis religio: est enim *En--gannim*, *fons hortorum*; *Beth-semes* autem, *Solis ædes*, vel *fanum*. De cæteris quæ hîc nuncupantur locis nihil habeo quod afferam. Igitur habuere Issachariani affines à Meridie Manassenses, à Septentrione Zabulonios; at ab Occidente pertinebant vel ad mare Mediterraneum, vel ad montem Carmelum, in angulo quidem Australi quà Doram, in angulo verò Aquilonari quà Castrum peregrinorum sive Ecdippam ille spectabat. At ab Oriente oppositus erat lacus Tiberiadis. Perluit autem istorum hæreditatem torrens קישון *Cison*, nam humor partim ex monte Thabore, partim Hermone minore, ut vocant, atque etiam ex Gelboe destillans & defluens in loca ἐπαμφοτερίζοντα καὶ ἰσοῤῥοποῦντα, h. e. *pari utrinque momento inclinata*, hunc torrentem geminum facit; dum pars ad Occasum versùs labitur, & à mari Mediterraneo prope Sarid excipitur, pars ad Ortum in Genesaram influit. Thabor autem quasi mediam per transversum secat longo jugo ab Austro ad Septentrionem procurrens.

24---26. *Prodibat & quinta sors tribui filiorum Aser*, &c.] Rursus, Deum habere humanarum rerum procurationem, & cœlesti providentiâ dispensari cuncta, ex hac Aseriticæ hæreditatis descriptione luculenter intelligitur. Nam fortuna, si usquam, in sorte certè dominari existimatur. At hæc tam apertè comprobat quod anno trecentesimo quinquagesimo, aut eo diutiùs, prædictum à Jacobo fuerat, ut nihil casu aut fortuitò factum esse, sed planè Divinitus evenisse omnia, perspicuum sit. Sed istam sortis oraculorúmque consensionem post explanata S. verba meliùs ostendemus. Fuit autem Aser secundus ex Zilpha Leæ ancilla filius: sed Gad natu majori cis Jordanem prospectum jam de hæreditate erat. Hæc ergò etiam sors ordine exit. Ex liberis enim matribus nati omnes jam sortiti sunt. Et Zilpha prioris conjugis, ut dixi, ancilla erat: ut jure Aseritæ Danitis & Nephthalitis præpositi esse videri debeant. Porrò in describendis istius hæreditatis circumquaque finibus ducitur funiculus fere secundùm maris Mediterranei oram, à Septentrione ad Meridiem versùs, facto initio indè à pass. millibus circiter decem aut duodecim supra Ptolemaidem, descendendóque usque ad Zabulonem & vallem Jephtha-el; unde gyro, non sanè magno, reditur sursum, describendo latus Orienti oppositum, ferè contra Hellespontium ventum, sive Orientem æstivum, usque ad Sidonem; sed relicto inter hanc tanquam Aquilonarem lineam & priorem Australem tanto loci intervallo quanto patet ista hæreditas inter Orientem & Occidentem. Jam verò, cùm ad Sidonem est perventum, descenditur ab ea per oram maris usque dum reditum est ad eum locum à quo descriptionem istius hæreditatis auspicabamur, h. e. usque ad Achzib, quæ inter Tyrum posita est & Ptolemaidem. Cæterùm urbes quæ primæ memorantur usq; ad Carmelum incognitæ sunt in S. historia: earum חלקת *Halchat* & משאל *Messal* dabuntur Levitis. Hæc in Paralip. 1. 6. 74. absque Aleph scribitur משל. Censent tamen plerique eo positas sub Tyro deinceps ordine fuisse quo enumerantur, in maris ora versùs Ptolemaida: & certè Eusebius ipsam בטן *Beten* locat octies millesimo passu à Ptolemaide. Nominum singulorum enodationes non persequor: sunt enim in vulgus pervulgatæ multorum libris. ¶ Quòd porrò dicitur funiculus *incidisse in mare ad Carmelum*, non ità est accipiendum quasi adhuc non descenderimus secundùm maris litus, nunc autem demum ad mare perventum sit: sed eam nobis verba illa partem Carmeli ostendunt quà is mons procurrit in mare; cùm alterâ parte porrigatur in mediterranea loca, propè ad Thaborem montem usque. ¶ Jam verò שיחור לבנת *Sihor labnath* multi putant Ptolemaida esse, h. e. עכו *Acho*, ut ea urbs in Judicum libro appellatur 1. 31. sive *Acen*, ut Strabo, Plinius, Stephanus, alii, nominant, aut certè ei urbi vicinam aliam quampiam. At LXXII, & eos secutus Latinus, interpositâ copulâ, duarum urbium nomina esse censent: sed propter summam recensitarum urbium est illud verisimilius. Quòd si mihi liceat ex ipsis vocabulis atque etiam loco conjecturam facere, dixerim illis nominibus eum torrentem significatum à priscis viris esse quem suprà v. 11. *Belum* & *Pagidam* nominabam, Plinii testimonium secutus. Is enim, quia supra modum laxo fluit alveo pro aquarum exigua altitudine, quippe cujus latitudinem centum circiter cubitorum esse scripsit Josephus, ut vallis potiùs quàm fluvioli instar habere videatur, mirificè Nilum refert, qui ab Hebræis שיחור *Sihor* nominatur. Quia verò vitri fertiles arenas trahit, quod est certissimum & pervagatum, non potuit aptiore vocabulo nuncupari quàm, si לבנת diceretur: nam & *crystallum* sic appellant Hebræi. Fuerit igitur SIHOR LABNATH *Nilus*

Nilus crystallinus aut *crystallifer*: si non est inepta mea conjectura.

27, 28. *Et redibat ad orientem Solem Beth-dagon* &c.] Hîc jam pinguntur fines Australes ab Occidente in Orientem, peranguſti ſanè & breviſſimo gyro determinati; nempe à Ptolemaide, aut, ſi mavis, à Sihor labnath, h. e. ab oſtio Beli ſive Pagidæ, uſque ad vallem Jephtha-el: quo toto tractu affinis eſt iſta Aſeritarum hæreditas Zabuloniis poſſeſſionibus. Occurrit autem poſt Ptolemaida primùm בית דגון *Beth-dagon*, h. e. *fanum Dagonis*; quo nomine altera quoque urbs exſtat apud Judæos. Deinde *Zabulon*; ac demum *vallis Jephtha-el*. Hæc enim Beth-dagon, ut auctor eſt etiam Euſebius, exſtabat in confinio Zabulonitarum Aſeritarúmque. Nam mendosè in vulgatis libris *Iſſachar* ſcriptum eſt pro *Aſer*. Et זבולון *Zabulonem* urbem non procul à Ptolemaide poſitam, Tyri, Sidonis, Berythi æmulam fuiſſe ædificiorum magnificentiâ atque frequentiâ civium, prodidit Joſephus, Belli Jud. l. 2. c. 22. ¶ Sed illud, *ad Aquilonem Beth-emec & Nehiel*, anceps eſt: poteſt enim accipi ut ſignificet, ſic incidere fines hoſce in vallem Jephtha-el ut Beth-emec & Nehiel relinquantur à Meridie apud Zabulonios: Rurſus, ut inchoata hîc nova periodus dicat, à valle Jephtha-el ſurſum versùs Aquilonem ducendum eſſe funiculum, qui latus hujus hæreditatis oppoſitum Orienti deſcribat; in quo tractu occurrat poſt relictam vallem Jephtha-el, primùm Beth-emec, deinde Nehiel. Prior ſententia magìs conſentanea eſt interpunctioni Hebraicæ ſcripturæ; alteram videtur expreſſiſſe Latinus. Ego rem obſcuram atque incertam in medio relinquo quidem, tamen diſſimulare non poſſum, placere mihi magìs id quod Hebraica ſcriptura præ ſe fert. Nam è valle Jephtha-el non eſſe progrediendum ulteriùs versùs Orientem, ſed revertendum ad Aquilonem, ſignificatum eſſe, mihi certè, videtur, illis verbis, *ad ſiniſtram*. Ab Ptolemaide enim ſi in vallem Jephtha-el progreſſus es, divertendum tibi ad ſiniſtram eſt, ut facto gyro Sidonem revertare. Et Chaldæus, ut certè habet meum exemplar ſcriptum manu, pro *ſiniſtra* reddidit *Septentrionem*. Quanquam ſic quoque hunc locum interpretari poſſe fateor quaſi ſignificatum ſit Chabul ad ſiniſtram relinqui, dum è valle Jephtha-el ſecundùm oram iſtius hæreditatis Orienti oppoſitam redis Sidonem. Sed Symmachus illud, *ad Aquilonem Beth-emec*, in hanc explanat ſententiam, ut dicat funiculum incidiſſe in vallis Jephtha-el partem Aquilonarem, atque in Nehiel. Itaque ille ſtatuit Nehiel ultimum terminum fuiſſe finium Auſtralium Orienti proximum, à quo deinceps fuerit aſcendendum ad Septentrionem versùs; vallem verò Jephtha-el partim ad Aſeritas pertinuiſſe partim ad Zabulonios, quà ad Septentrionem, quà ad Auſtrum. Atqui עמק *Emec* non ſolùm *vallem* ſed *planitiem* quoque ſignificare, fateor quidem; ſed בית *Beth* locum dici in hujuſmodi verborum conſtructione, id verò, mihi certè, inſolens eſſe videtur. Quare Symmacho non poſſum aſtipulari, cùm ille Beth-emec exiſtimat eſſe locum campi illius qui *Jephtha-el* dictus ſit Aquilonarem. Sed potiùs cenſeo hoc urbis eſſe proprium nomen; quanquam neſciam an alibi ejus mentio ſit in S. hiſtoria. ¶ נעיאל *Nehiel* vocant Septuaginta duo interpretes Ἀνιὴλ, per literarum metatheſin. Putat quidem Euſebius urbis iſtius monimentum eſſe *villam Bethoaaneam*, poſitam *decimo quinto lapide à Cæſarea* Palæſtinæ, *versùs Orientem, in monte*, atque à balneis aquarum *ſalubrium* commendatam: verùm is ſitus parùm cum noſtra congruit deſcriptione. ¶ כבול *Chabul* ſunt qui urbis certæ appellationem eſſe putent. Ego autem potiùs eam dici regionem exiſtimo in qua viginti exſtabant oppida, quæ cùm Hyramo Tyri domino donata à Solomone eſſent, eique parùm placuiſſent, appellavit כבול *Chabul*, ſive quia argilloſis eſſent locis, per quæ non ſatis expeditum pedibus iter erat, ut cenſet Kimhi; ſive quia non magni eas eſſe pretii ille ſignificabat, cùm ſuo gentis vocabulo uteretur, ut Joſephus prodidit: cui ego ea in re libenter accedo. Manſit autem hoc nomen deinde loco apud poſteros. Quare ſi ab Hyramo eſt iſtud vocabulum, profectò effectum planè eſt quod alibi diximus, longo poſt Joſuæ ætatem tempore commentarium hunc eſſe conſcriptum. ¶ Porrò *Abran*, *Rehob*, *Hammon*, *Chana* deinceps poſitæ erant in hiſce finibus Orientem ſpectantibus, quos ex valle Jephtha-el profecti ſurſum versùs Septentrionem, & ſenſim gyrando revertentes versùs mare, uſque ad Sidonem, deſcribimus. Non fuere tamen omnes in hæreditate Aſeritarum. חמון *Hammon* enim aſſignatur tribui Nephthalim in Paralipomenis. Hæc atque etiam רחוב *Rohob* dabuntur Levitis. קנה *Cana* duarum urbium nomen eſt. Altera apud Zabulonios exſtabat in Galilæa inferiore, quatuor circiter horarum itinere ab Ptolemaide, versùs Euroauſtrum, ſupra vallem Carmeli: ea *minor* dicebatur; celebris in Euangelio de aqua in vinum mutata. Altera, quæ nunc agitur, poſita erat in Galilæa ſuperiore, ſive Gentium, non procul à Sidone: atque hæc *majoris* cognomentum habuit. ¶ De צדון *Sidone* multa paſſim apud ſcriptores leguntur. Nam Sidonii πολυδαίδαλοι, cùm ſingulari artificio plurimas res ad hominum uſus accommodas conficerent & alioqui magnâ negotiandi induſtriâ pollerent, ad quævis longè latéque per orbem fora rerum venalium enavigantes, non mirum ſi ubique terrarum noti celebréſque fuerint: atque ab iſta famæ claritudine equidem opinor urbi *magnæ* cognomentum eſſe additum. Erat exædificata Sidon æquabili ſolo, ad littus maris, ſub monte Antilibano; cujus citima extremitas aberat ab urbe propè tribus millibus paſſuum. Sed memini me de iſta urbe plura dicere, ſuprà 11. 2.

29. *Et redibat terminus ad Ramam, & uſque ad urbem*, &c.] Quia inchoavimus iſtorum finium deſcriptionem ſub Tyro, hæreditas autem Aſeritarum ſupra Tyrum uſque ad Sidonem extendebatur, reliquum erat illud intervallum deſignare quod indè à Sidone uſque ad eum locum fuit unde primùm auſpicabamur. Id ergò fit hoc verſiculo. Ducitur enim funiculus à Sidone ſecundùm maris littus per *Ramam*, *Tyrum*, *Hoſam*, uſque ad *Achzib*. Ramam hanc fuiſſe inclytam urbem, indicio eſt præpoſitus nomini articulus: eſt enim הרמה *Harama*. Equidem libenter dixerim fuiſſe eam quæ poſteris temporibus צרפת *Sarepta* à *purgandis conflandiſque metallis* eſt dicta. Nam Ramam fuiſſe poſitam loco edito, nomen ipſum ſatìs magno argumento eſt: Sareptam autem etiam altiore exſtitiſſe loco, indè conjectura probabilis capi poſſe videtur, quòd à vini præſtantia ſit celebrata. *Bacchus* enim, ut ait Poeta, *amat colles*. Cæteroqui inter Sidonem & Tyrum tria recenſet oppida Plinius l. 5. c. 19. Euhydram Tyro proximam, Sareptam medio loco, & Ornithon polin, h. e. avium urbem Sidoni viciniorem: verùm ſolius *Sarepta* nomen vetuſtatem præ ſe fert. ¶ Porrò צור, quod ipſum *Tyri* nomen eſt, literâ Zade in Tau converſâ, *rupem* & *ſaxum* propriè ſignificat. Nam à ſcopulo undiquaque altiſſimo mari circumdato, in quo urbs iſta erat exædificata, nomen ei eſt à priſcis hominibus impoſitum; quod etiam hodie habet; vulgò enim Barbari *Zur* appellant. Aberat Tyrus, ut ait Strabo l. 16. à Sidone ſtadia CC. h. e. millia paſſuum circiter 25, quod ſpatium his intervallis conficitur: Ex Sidone ad Sareptam per maris littus iter eſt horarum circiter trium, h. e. ferè 9 millium paſſ. aut paullò longius; à Sarepta porrò ad Eleutherum fluvium, quem *Valaniam* hodie nominant, mill. paſſ. circiter 8. atque ab hoc fluvio totidem, aut paullò plurium, uſque ad Tyrum. Scribit autem de Tyro Strabo l. 16. dubio eam certamine cum Sidone contendiſſe de primatu. Et ſanè gloriatam ſemper eſſe Tyrum de originis ſuæ vetuſtate, certiſſimus teſtis eſt vates Iſaias, qui de ea verba faciens 23. 7. inquit, *Num iſtam gloriantem à diebus priſtinis ſe vetuſtatis originem ducere, ferent pedes, ut longè peregrinetur?* Et Alexandrinus Dionyſius eam ὠγυγίην, h. e. *priſcam*, nuncupat. Quin Plinius vetuſtiſſimarum etiam urbium eam parentem eſſe non dubitat dicere, quas ex Tyro

Tyro deductas colonias commemorat. Sed quando ab Isaia *Sidonis filia* est appellata, non dubium quin huic concedat antiquitatis palmam. Cur autem Homerus Tyri non meminerit, vetustatis alioqui admirabilis indagator, hæc, opinor, causa afferri potest, quòd universa illa Phœnicum ora Sidoniorum olim nomine celebris esset. Id enim Sacrâ etiam historiâ testatum est. Sed nimis jam multa de Tyro. Non fuit autem Tyrus terræ Sanctæ pars; sed insula: quæ demum ab Alexandro Magno conjuncta cum continente est. Atque ideo Hyram Solomoni non paruit, sed amicitiæ necessitudine conjunctus fuit. Quin ipsa etiam Sidon, quam tamen plerique fuisse Aseritarum existimant, nunquam se habuisse Hebræorum legibus videtur, sed ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν semper retinuisse; adeóque Israelitis nihil concessisse, neque ipsorum accepisse imperium, nedum religionem, ut etiam ultro molesta ipsis semper fuerit, similiter atque quivis alii vicinorum Barbarorum. De qua re multa scripsere vates Ezechiel & Isaias, cùm Tyriis & Sidoniis, similiter atque Ægyptiis, cladem obnunciarent ab Assyriis, quia infesti semper fuissent domui Israelis, Ezech. 26, & 27, & 28. Isa. 23. Neque verò etiam Christus alio loco Sidonios quàm Tyrios habuisse videtur, cùm suorum popularium civitates aliquot cum barbaris Gentibus compararet, Matth. 11. Nimirum loca illiusmodi maritima, ab exteris perpetuò frequentata nationibus, vix à negotiosa illa & quæstuosa vita ad religiosam excoli unquam condocefieríque, aut susceptam etiam semel religionem & sacra tueri possunt adversùs tot alienigenarum hominum & superstitiones & flagitiosam vitam moresque vitiosos. Igitur illud, *usque ad urbem munitam Tyrum*, non ipsam Tyrum, quæ extra Chananæam erat, sed oram Tyro objacentem significat. ¶ De חסה *Hosa* nihil me alibi legere memini. Dicitur autem *terminus reverti* à Tyro *Hosam*, propter incurvatum illic littus maris, ut ego certè existimo. ¶ Quod autem sequitur, *E regione qua Achzib spectat*, id de Chaldæi sententia expressimus. Pertinebat scilicet ea ora, ubi funiculus iste considebat in mare, finiebatúrque ad regionem urbis Achzib. Nomen autem חבל *regionem* significare, certum est vel ex illis Mosis verbis Deuteronomii 3. 4, 13. cùm ait, וכל חבל ארגב, *& omnis regio Argob, regni Og*, &c. Cæterùm urbs אכזיב *Achzib* est ipsa Ecdippa, ut Eusebius affirmatè dicit. Aberat autem ea circiter 9 millibus pass. à Ptolemaide, versùs Tyrum, posita, ut ait Plinius, inter Tyrum & album promontorium: nam longè alia est Achzib Judaica.

30, 31. *Et Amma, & Aphec, & Rohob*, &c.] Ut in aliis hæreditatibus ità hic quoque adnumerantur quædam urbes post designatos undequaque limites. Sed quibus in locis exstiterint istæ, nullam satis certam fieri posse conjecturam puto. Nam עמה *Amma*, sive *Umma*, nisi hoc loco, nusquam in S. historia reperias, si mea non me fallit memoria. ¶ אפק *Aphec* verò hæc diversa est ab illa quæ prope Sunem sita est apud Issacharianos; Multò etiam magìs à Judæorum Aphec. ¶ Denique רחב *Rehob* ista non est, opinor, illa quæ nuper in ostendendis limitibus Orienti oppositis nominabatur. Cur enim eadem una urbs recenseretur bis? Videtur quidem Eusebius hanc locare 14 millib. pass. à Beth-san. Verùm id non potest ità esse, nisi Wisenburgii descriptionem probemus. Jam superest ut prædicta Jacobi Mosísque cum soli natura & regionis conditione quæ Aseritis sorte obtigit comparemus. Jacobus Gen. 49. 20. vaticinatus est, *pinguem*, aut potiùs *oleo delibutum, fore panem Aseris; & regalibus eum deliciis usurum*. Moses verò, Deut. 33. 24, 25. huc addidisse videtur *ferri & æris* copiam, cùm diceret ברזל ונחשת מנעליך, hoc enim plerique interpretantur his verbis, *Ferrum & æs calcei tui*; & in hanc sententiam, *Ferro æreque dives erit solum quod pedibus tuis calcabis*. Egò verò *ferrea atque ænea claustra* dicere Mosen existimo, h. e. pertinaces Barbarorum vires, quas Aseritæ non poterunt frangere. Quis enim nescit quanta manserit perpetuò Barbarorum copia in Galilæa gentium? Ea autem maxima fuit hæreditatis Aseritarum pars. Huic enim sententiæ pulchrè consentit quod in Mosis verbis continuò sequitur, וכימיך דבאך, cujus periodi simplicissima verissimáque interpretatio est, *Et quot dies tui, tot ærumnæ tuæ*, q. d. Tibi certamen perpetuum est futurum cum veteribus tuarum possessionum colonis; à quibus tanquam ferreis & æneis claustris submoveberis. Quin huc quoque allusisse Debbora videri potest, Judic. 5. 17. cùm caneret, *Aserem mansisse apud suas ruinas*, h. e. in urbibus continuo bello ruinosis. Sed demus de ferro & ære locutum Mosen esse. Sanè id quoque sic cecidit. Nam, ut de Carmelo, Libano, Antilibano, aliis montibus, nihil dicam, ad quos Aseritarum hæreditas pertinebat, quósque credibile est metalli venis abundavisse, certè *Sarepta* nomen à *metalli officinis* habet. Jam verò ad Frumentum, oleum aliásque Delicias quod attinet, proditum ab iis est qui illa loca peragrarunt, vallem Aseris admirabili amœnitate esse omnis generis fructuum frugúmque feracissimam. Et Josephus Belli Jud. l. 4. c. 4. scriptum reliquit, Giscalæ cives, quæ urbs D. Pauli ortu nobilis in Aseritarum erat ditione, plerosque omnes fuisse agricolas, atque in terreni fructu fortunas suas habuisse. Quod profectò ubertatis glebæ certissimum est argumentum.

32, 33. *Filiis Nephthali exibat sors sexta*, &c.] Aseritæ excludebant Nephthalitas à mari Mediterraneo. Antilibanus autem, sive Libanus, ad Septentrionem & Boream objectus erat, usque ad Jordanis fontem. Inde verò Jordanis ipse Orientis claudebat latus. Nam secundùm hunc fluvium descendebat illorum hæreditas, usque ubi exit ille è lacu Samechonitide, ut quidem multi opinantur; ut verò rectiùs, nisi fallor, alii, usque ad urbem Tiberiadem. Igitur descriptio quæ ab *Heleph* fit usque ad *Leccum*, sive *Lacum*, est lateris Orientem claudentis, inde à Jordanis fontibus, tanquam Septentrione, secundùm ipsum flumen descendendo versùs Meridiem. Chaldæus & LXXII pro *Heleph* habent *Meeleph*; pro *Elon Meelon*; pro *Saananim, Besaananim*. Nimirum illi ipsas præpositiones putaverunt nominum istorum partes esse; mendosè profectò. Nam *Elonis in Saananim*, non autem *Meelonis in Besaananim*, mentio est in Judicum libro, 4. 11. Sed urbis חלף nulla video in S. historia usquam vestigia, quæ sequar ad investigandum ejus locum. Credibile tamen est eam non procul à Jordanis fontibus abfuisse. At אלון בצעננים *Elon in Saananim* vicinam fuisse urbi Cedes, intelligitur de historia cladis Sisaræ: Habitabat enim illic Jael uxor Haber Cinæi, quæ illum haud muliebri manu perimebat. Chaldæus in illa historia Judicum interpretatur hoc nomen *planitiem stagnantem & aquosam*. Existimat enim, ut dixi, literam Beth, h. e. ipsam præpositionem, esse vocabuli partem: בצע autem apud Doctores Hebræos *sulcum* significat, ut ait Kimhi, quales fiunt in agris subducendi humoris causâ, nè segetes in porcis exstantes lædantur; aut, ut putat R. Solomon, *locum paluſtrem*. Interpretatur enim ille suorum popularium linguâ *liu marescageux*. Videtur ergò Chaldæus *Elonem in Saananim* pro Samechonitide stagno habuisse. Id enim nihil aliud est quàm humilior planities, quæ inundante Jordane facilè obruitur aquis. LXXII verò converterunt δρυὸς ἀναπαυομένων. Nimirum pro צעננים legerunt illi שאננים, quæ scripturâ magìs quàm sono diversa sunt. Ego verò suspicor quercetum illic loci fuisse, quod à צעננים, h. e. *vagis* & sæpe *transmigrantibus* hominibus, appellatum est, cùm illic tabernacula sua diu collocata habuisset Haber Cinæus cum suis gentilibus, qui fuerunt ex posteris Hobab soceri Mosis. Fuisse enim illos homines vagos, certum est ex ea narratione quæ in Judicum libro est scripta 4. 11. ¶ Porrò אדמי *Adami*, si ad Genesarem usque deducimus Nephthalimos, probabiliter dici posse videtur eam esse urbem usque ad quam constiterant aquæ Jordanis, tanquam utre constrictæ, dum transiret populus siccatum alveum, c. 3. 16. Illa enim narratur ad latus urbis צרתן *Sartan* exstitisse: Sartan autem propè aberat à Beth-san, ut in Regum historia, l. 3. c. 4. v. 12. proditum est. Sin autem apud palu-

dem Samechonitidem finitur ista hæreditas, nullum video usquam indicium quo in istius urbis cognitionem adducar; ut neque in earum quæ deinceps nuncupantur, *Neceb, Jebneel, Leccum.* ¶ De נקב *Neceb* tamen eam habeo opinionem ut putem non esse nomen proprium, sed Adami urbis epitheton de *fistula*, aut *exsecratione*, vel *recensione* ei appositum. ¶ Est altera יבנאל *Jebneel* apud Judæos, quam diximus Jamniam esse. ¶ Porrò illud, *Desinebátque in Jordanem*, planè geminum est illi quod in designatione finium Aseris dicebatur, *incidit in Carmelum ad mare.* Nam etsi adhuc secundùm Jordanis oram descendimus, tamen nominatim tandem fluvius dici debebat, ut id ipsum intelligeretur, nos in ejus ripa versatos adhuc esse. Et fieri potest ut ille hoc loco incurvatus obstiterit nè ulteriùs ad Meridiem versùs descenderetur.

34. *Et revertebatur terminus versùs Occidentem*, &c.] Hîc jam ostenduntur termini Australes ab Jordane versùs Occidentem; qui sunt *Azanoth-Thabor*, & *Hucuca.* Nam si non longè ultra Samechonitidem extendimus versùs Meridiem funem Orienti oppositum, nihil est opus operosâ descriptione lateris Australis, quippe quod idem est cum Aquilonari Zabuloniorum. Sin autem ad Tiberiadem usque descendimus; quod certè mihi videtur faciendum, quando Zabulonii, ut diximus, non videntur eò usquè versùs Orientem pertinuisse; si igitur ad Tiberiadem usque deductus funiculus est, quo descripsimus latus Orienti oppositum, illud modò spatium est depingendum quod inter Jordanem, sive lacum istum, & Issacharis fines jacet. Nam simulatque inde emersimus, perventum est ad Remmon terminum Zabuloniorum, quorum deinceps sequi oportet fines Septentrionales: erant enim Nephthalitæ affines Zabuloniis à Meridie, & Aseritis ab Occidente. ¶ אזנות תבור *Azanoth-Thabor* significat, inquit R. Solomon, *Aures montis Thaboris*, h. e. fastigium montis; sicut *Chesaloth*, *ilia*, ut diximus. Eusebius verò scribit vicum suâ memoriâ exstitisse hoc nomine in *regione Diocæsarea*, h. e. Sephoris. Et sanè is situs haud alienus videtur à nostra designatione, cùm mons Thabor ad fines Australes Zabuloniorum pertinuerit, ut in illorum hæreditate explicatum à nobis est. ¶ Sed mirabile videtur cur Nephthalii *Judæis* dicantur affines *apud Jordanem versùs orientem Solem*, à quibus sunt interpositis aliquot tribubus divisi, cùm ista affinitatis ratio non videatur in plerisque aliis tribubus conquisita. Sed ego autumo id ad Jacobi oraculum spectare; quod mox explicabo. ¶ חוקק, *Huccok*, quantum conjecturâ auguror, sita erat in eo Australi angulo quo Aseritæ simul & Zabulonitæ attingebant Nephthalitos.

35--39. *Cæterùm urbes munitæ Assedim, Ser, & Hamath*, &c.] Jam adnumerantur urbes quæ sparsim in Nephthaliorum hæreditate fuerunt. Eæ autem pleræque sunt in S. historia ignotæ. LXXII, ineptè sanè, *Tyrum* pro *Ser* reddiderunt; nisi locus olim corruptus est ab iis qui hoc nomen legerunt per quartam vocalem *Zor*: id enim diximus Tyri esse nomen. ¶ חמת *Hamath*, sive *Æmath*, nobilis urbs est posita in regione Damasci, ut testantur vates Jeremias, c. 49. & Zacharias c. 9. Hieronymus ait compertum se habere, esse Epiphaniam non procul ab Emesa positam: hoc enim de suo addit, cùm Eusebii libellum De locis Hebr. interpretatur. Rursus commentariis tertiis in Prophetam Amos scribit, *magnam Hamath* ab eo Vate appellari *Antiochiam*; quia est etiam *minor Hamath*, *Epiphania*, quæ occurrit primâ mansione iis qui in Mesopotamiam pergunt, appellata nunc vulgò *Emmas*, corrupto quidem nomine, sed in quo tamen antiqui nominis vestigia apparent. Additque, regionem in qua hæc exstat dici *Reblatam*. In regum quoque historia l. 4. c. 23. v. 33. proditum est regionem quandam ab *Hamath* esse cognominatam, in qua exstiterit urbs רבלה *Rebla*, sive *Reblata*, ubi Ægypti Rex Pharao Nechao vinciebat Regem Judæ Joachaz, ad Euphratem contendens, ut Reg. Assyriorum faceret bellum. Mihi autem narrarunt homines Syri illarum regionum bene, ut videbantur, periti, urbem Emmas longè supra Damascum exstare; ulteriùs autem in Alapiam, ut vocant, atque Mesopotamiam pergenti occurrere etiam alteram urbem nunc à vulgo *Hamath* nuncupatam. De quibus omnibus ego conjicio (nescio quàm rectè, sed conjicio tamen) *majorem Hamath*, quam dicit Hieronymus, & quam Syri *Hamath* nominant, esse Ptolemæi *Antiochiam*; quam verò utrique nuncupant *Emmas*, eam esse ejusdem *Epiphaniam*. Sed harum alteram esse quam vates illi Jeremias & Zacharias ut Damasci municipium celebrarunt, id verò mihi non fit verisimile quando Ptolemæus Antiochiam duobus gradibus & dimidio, Epiphaniam verò propè sesqui gradu altiùs collocat quàm Damascum: Quamobrem conjecturâ auguror, etiam tertiam urbem dictam fuisse *Hamath*, & alteram רבלה *Reblam*. Nam urbem quandam nomine רבלה *Rebla* exstitisse post Sephamam, infra Jordanis ortum, ex Numeris certum est, c. 34. 11. atque etiam ab ea non longè abfuisse apparet לבא חמת, h. e. *aditum ad Hamath*; quem ego locum etiam *Hamath* nuncupatum esse suspicor. Sed multùm fortassis, atque eò turpiùs quò diutiùs, in istis rebus jam hallucinor. Nam fieri potest ut Nephthalitarum hæreditas longè supra Jordanis fontes versùs Aquilonem & Orientem porrecta jacuerit. Quare ad notiores regiones descendam. ¶ כנרת *Cinnereth* duas significat urbes, ut ait Eusebius; alteram apud Nephthalitas; alteram, quæ ab Herode Magno *Tiberias* vocata dedit mari Galilææ suum nomen. Hoc enim *Cinnereth* olim dicebatur, sed posteritas pro eo dixit molliùs *Genesara*. Atqui si Nephthalitarum fines usque ad Tiberiadem deducimus, ut ego faciundum censeo, nulla causa est cur duas Cinnereth fingamus. ¶ אדמה *Adama*, sive *Edema*, nisi fallor, ea est quæ nuper dicebatur הדמי *Adami*, unicâ literâ immutatâ. ¶ Porrò הרמה *Arama* non potest ea esse quam vidimus in Aseritarum finibus propè ad mare Mediterraneum. Sed multæ fuerunt hoc nomine urbes; ut alibi me dicere memini. ¶ De חצור *Hasor* suprà satis multa. ¶ קדש *Cedes* aberat circiter 10 millia pass. à Sephet, urbe olim in Galilæa ista celebri, at avorum nostrorum memoriâ castro munitissimo, quo Christiani universam Galilæam tutabantur adversùs Barbaros. A Tyro autem distabat Cedes millia pass. 20, erátque posita in regione Beirim, ut est in Sacra Regum historia commemoratum l. 2. c. 20. v. 14. ubi Latinus tamen legit חברים pro הברים. Referunt peregrini etiam nunc in ruderibus priscam Cedes amplitudinem & magnificentiam apparere. ¶ אדרעי *Edrai* non procul aberat à Kedes: diversa enim est ista ab ea quam vidimus in regno Og. De cæteris nihil habeo quod dicam. Putat quidem Eusebius בית ענת *Beth-anath* fuisse ubi nunc est villa Beth-anea, 15 millib. pass. à Cæsarea versùs Ortum. Sed id ità esse non potest, si Palæstinæ Cæsaream dicit, propter longius intervallum. Sin autem Philippi Cæsaream putat, fateri necesse est hanc hæreditatem ut minimùm 15 mil. pass. ultra fontes Jordanis recessisse ad Orientem. Qua propter nescio an non *Diocæsarea* pro *Cæsarea* scribi debeat. Certè hanc lectionem secutus est Jacobus Zieglerus. Sed is, inconsideratè sanè, censet istam villam ad Occidentem versùs à Diocæsarea positam fuisse. Et hactenus de urbibus. In quibus explicandis atque ostendendis si parùm satisfecimus lectori, debet ille nobis ignoscere, atque existimare, in rebus tantâ vetustate obliteratis, & quæ exploratè percipi nullâ jam ratione possunt, satius esse non multa dicere quàm incertissima pro veris absque ulla dubitatione afferre. Sed jam videamus Jacobi Mosísque de Nephthalitarum conditione prædictiones, & an omnia ut prædicta ab illis sunt ità ceciderint expendamus. *Nephthali*, inquit Jacob Gen. 49. 21. *ut cerva dimissa, dans verba elegantia.* Moses verò Deut. 33. 23. *Nephthali*, ait, *gratiosus*, sive *satur favore, & plenus benedictione Domini*; *mare*, h. e. Occidentem, *& Meridiem posside.* R. Levi Gersonis Jacobi verba ad Barac accommodat: Is enim, inquit, cùm esset Nephthalita, natus urbe Cedes, facilè atque expeditè, tanquam velox cerva, mitti se passus est à Debbora in expeditionem adversùs Sisaram, ut est in Judicum libro scriptum,

ptum, c. 4. ac deinde unà cum Debbora triumphans edidit ore verba illa elegantissima atque suavissima quæ in epinicio carmine leguntur. Hanc Judæi sententiam multis placere video. Mihi verò visa semper est ineptissima. Quis enim tam esse potest inconsideratus ut existimet augustissimam illam Patriarchæ de universa posteritate Nephthalimi prædictionem unius hominis victoriâ, cæteroqui ignobilis & obscuri, paucisque decantatis versiculis confectam atque exhaustam esse? Ad hoc, ipsa narratio Sacra minimè promptum prosiluisse Baracum ad eam expeditionē apertè testatur, sed tergiversatum esse; neq; mandatis Dei, quæ à Debbora perceperat, nisi se illa periculi sociā adjungeret, voluisse obtemperare: ob quam rem victoriæ etiam gloria ipsi est à femina prærepta, Jud. 4. 9. Jam verò versus illi à Debbora potiùs, quæ ex Josepho prognata fuisse videtur, quàm à Baraco Nephthalita sunt cantati. Postremò absurdè profectò fortis atq; audax Imperator comparetur cum cerva animante fugacissima; nisi verò existimamus ad probrum tribûs Nephthalitæ, non ad gloriam, spectare Jacobi prædicta. Nam certè Baracus non obscurè timiditatis incusatur à Debbora. Ego igitur opinari malo Jacobi pauca verba à Mose esse explicata, atque eundem unum sensum in utriusque prædictis inesse; hunc dico, Nephthalios in tuta atque ubere collocatos regione, exsultaturos suavi libertate, similiter atque cervæ nullis indaginibus conclusæ, sed in herbosis amœnisque saltibus liberè versantes pascentésque, exsultim ludunt: Præterea blandis appellationibus & humanitatis artibus gratiam sibi conciliaturos apud omnes, ac proinde in summa pace Divinis illis donis fruituros; quæ maxima est Dei benedictio. Et quamvìs ad extremos Chananææ fines apud Boream, tanquam in exsilium, relegati sorte videri possint, nihil tamen ipsis defuturum earum rerum quibus cæteræ tribus ad Occidentem Austrúmque habitantes abundant: Tuti enim habitabant, cùm à Septentrione Libanum pro muro haberent, ab Oriente Jordanem, à reliquis partibus socias tribus. Liberè autem evagari potuerunt, cùm ad Septentrionem & Boream, atque etiam, ut opinor, Thrasciam, nulli supra eos habitarent Israelitæ, quibus damnum suis excursionibus darent. Jam verò ad commercia quod attinet, ea cum plerisque tribubus facillima ipsis fuerunt, cùm multis essent affines aliqua ex parte. Nam cum Judæis, à quibus videri poterant quàm longissimè separati, per Jordanem facillimè communicabant. Atque hæc, opinor, causa est, cur suprà v. 34. S. verbis diceretur eos *incidisse in Judam ad Jordanem*. Jam verò ad soli fœcunditatem quod attinet, est ea per universum illum Jordanis tractum, & Decapolitanam regionem, indè ab ipsis fontibus, aut eò etiam altiùs, agrorum ubertas ut jam multorum sit scriptis celebrata. Quod propter & Danitarum exploratores, in Judicum historia 18. 9, 10. referunt, universam illam regionem, quæ circa Paneada est & Jordanis fontes, nullius bonæ rei egere, earum rerum quas terra producit. Et si ad Tiberiadem usque descendimus, quis nescit quæ amœnitas, copia, vilitas rerum omnium fuerit in Genesaræ oris, longè latéque? Tum ex diversa parte, Libani, Antilibani valles culturæ omne genus cum maximo operæ pretio compensant; ut narrant quotquot eas terras adierunt; cùm sint vinetis, pomariis, agris, pascuis lætissimæ. Quòd si porrò ulteriùs etiam transcendere jus fásque fuisse isti tribui, ad Antiochenam usque regionem, existimamus, quam *Tetrapolim* & *Seleucida* nominant, hanc quoque provinciam universam fuisse fœcundissimam testatur Dionysius De situ orbis, cùm de ea canit his verbis,

Πᾶσα δέ τοι λιπαρή τε καὶ εὔβολος ἔπλετο χώρη.
Μῆλά τε φερβέμεναι, καὶ δένδρεσι καρπὸν ἀέξειν.

Sed enim contendat fortassis aliquis, illa Mosis verba, Deut. 33. 23. *Mare & Meridiem posside*, sic esse accipienda, quasi habitaturos Nephthalitas prædixerit ad mare Mediterraneum & versùs Austrum. Ego verò ei auctoritatem Chaldæi interpretis opposuero; Is enim quod Moses de *mari*, h. e. Occidente, dixit, interpretatur de ora maris Tiberiadis. Verùm quando insolens videri potest *maris* vocabuli ista usurpatio, dicam, si ità vis, Nephthalitas supra Sidonem ad mare pertingere potuisse. Nam certum est, Aseritas non ultra hanc urbem habitavisse. Mihi tamen dubium non est, quin *mare & meridiem possessuros illos* ideo dixerit Moses, quia quamvìs ad diversam prorsùs partem, h. e. Aquilonem & Orientem, habitarent, tamen per societatem & commercium ab aliis tribubus essent participaturi quidquid apud illas boni haberetur. Sed ista sunt superiùs à nobis explanata. Adscribunt quidam Nephthalitarum hæreditati etiam Damascum, Abilam, Chalcidem, Palmiram, Emesam, aliásque urbes nobilissimas positas versùs Euphratē. Quibus ego libenter assentiar: Mirificè enim hoc congruit cum ea sententia in quam ego Jacobi prædicta sum interpretatus: modò ut nè hoc sit extra eos fines excedere quibus Deus ipse primùm Chananæam determinavit. Nam ad Euphratem usque habitare nondum ipsis concessum erat, ut c. 1. v. 4. multis est à me ostensum. Quare ista nunc hactenus.

40---46. *Tribui filiorum Dan pro ipsorum familiis exibat sors*, &c.] Non est quòd miretur quis cùm audit Danitas habuisse urbes quæ antè sunt Judæis attributæ. Diximus enim, tam amplam regionem Judæis primùm esse assignatam, magìs ut in ipsorum tutela atque præsidio ea esset quàm ut totam perpetuò haberent hæreditatis loco. Sed Danitæ non penitus intra Judaicos limites neque sparsim collocantur, sicut Simeonitæ: quibus ea res tanquam piaculum aviti facinoris fuit, ut diximus: Particulam enim duntaxat ab illis accipiunt ad Meridiem; cæteroqui ab ipsis recedunt in Septentrionem, & quidem, ut Josephus tradit, usque ad Doram; ut autem S. verborum descriptio postulat, paululùm modò ultra Joppen. Nam profectò ad Doram pertinere non potuerunt Danitarum limites, cùm essent Ephraimitæ Manassensésque interpositi. Sed Josephus magìs in armis quàm S. literis versatus esse videtur, tametsi de utraque disciplina se ipse æquè jactet. ¶ Urbes צרעה *Saraa* & אשתאול *Esthaol* in campestribus locis positas fuisse audivimus, c. 15. Nimirum campus ille שפלה *Sephela*, quæ & עמק הרפאים *Vallis gigantum* appellatur, apud Eleutheropolim, quà ad Septentrionem, quà Occidentem Meridiémque porrectus, ex magna parte est attributus Danitis. In eo igitur sita erant etiam ista duo oppida, non magno separato intervallo, in quo sepultus est Samson, in patris sui monimento, qui erat Danita, Judic. 16. 31. Eusebius locat Esthaol 10. mill. pass. ab Eleutheropoli, versùs Aquilonem, quà itur Nicopolim, sive Emaunta. Paulò autem citeriorem Saraam. ¶ עיר שמש *Hir-Semes*, h. e. *Solis urbem*, putant esse eam quæ in Judaico catalogo dicebatur בית שמש *Ædes solis*, positáque erat supra Cariath-jaarim & Chesson, versùs Occidentem. ¶ שעלבין *Selabin* & אילון *Ajalon* exstabant in monte Hares, vicinæ inter se; quod ex Judicum historia 1. 35. apparet, in qua LXXII pro *Selabin* dixerint *vulpes*, nimirum שועלים pro שעלבין interpretantes. Sed cur pro אילון *Ajalon* dicerent *ubi erant ursi*, non possum satis constituere. Hebræi enim *ursum* דוב vocant, non autem לון, quod equidem sciam. ¶ De *Ajalone* diximus, c. 10. Paralipomena eam asylum faciunt: in quibus Latinus mendosè *Helon* pro *Ajalon* habet. Esse enim eas diversas urbes patefacit hic locus. ¶ אילון *Elon* autem, verbo ad vocales immutato, in Regum historia, l. 3. c. 4. v. 9. memoratur fuisse, unà cum urbibus Selabin & Beth-sames, in præfectura Ben-decaris: unde & illud effici videtur, *Hir-semes* esse *Beth-semes*; quod modò dicebam. Significat autem אילון arboris genus, ut alibi multis disserui. Atque ideo, quoties ut loci proprium nomen usurpatur, solet certâ quapiam appositâ notâ definiri. Exempla sunt; אילוני ממרא *Quercetum Mamre*, אילון מורה *Quercus monstratoris*, אילון מצב *Quercus statua*, אילון בצעננים *Quercus in Saananim*, aut *Quercus apud transmigrantes & vagos homines*: deniq; præsens locus in regum historia dicitur אילון בית חנן *Quercus Bethhananis*: quamvìs illic Latinus alium locum *Elon*, alium *Beth-hanan* faciat. ¶ De תמנתה *Thamna*, sive *Themna*, aut *Thamnatha* diximus in Judaica hæreditate. Longè aberrare mihi videntur qui hanc in monte Ephraim collocant,

cant, cùm exstitisse infra Saraam appareat de Samsonis historia, Judic. 14. Diversa enim ab ista est illa Ephraimitica, cui cognomentum *Hares* & *Sarah* est attributum, quámque sibi deliget Josua, proximis versiculis. ¶ De *Accarone* & *Elthecone* diximus alibi. ¶ Porrò de גבתון *Gebbethon* scriptum est in Regum libro, fuisse eam Palæstinorum urbem, quam cùm obsideret Nadab Jeroboami filius, est à Baasa interfectus. Nominis enodatio est *eminens locus:* de quo conjicias eam in colle quopiam exstitisse. ¶ Porrò בעלת *Baalath* nescio an sit Judæorum Baaloth, an verò Baala, i. Cariath-Jaarim. Hoc certè Doctoribus Hebræis placuit, qui urbem hanc, ipsam quidem Judæorum fuisse, at suburbanum ejus agrum Danitarum, prodiderunt; hâc, opinor, ducti conjecturâ, quòd Danitæ, cùm novas sedes quæsitum irent, memorentur ità apud Cariath-Jaarim nocte castra fecisse, ut non in urbe, quippe quæ Judæorũ esset, sed in suburbano agro consederint Jud. 18. 12. ¶ בני ברק *Bane-barac* dividitur à Latino in appellationes duas: at מקח, h. e. τὸ ὑψὲν, conjungit. Eusebius, qui etiam ipse diduxit in duo nomina, scribit exstare vicum haud procul ab Azoto nomine *Bareca:* fieri ergò potest ut is nostræ hujus urbis sit monimentum. Nam si Josepho credimus, Danitarum fines ad Azotum usque pertinebant. ¶ Geminæ fuerunt גת רמון *Gath-Remmon.* Altera Manassensium erat. Hujus verò Daniticæ reliquias fuisse prodidit Eusebius in grandi villa 12 millib. pass. citra Diospolim exstante, cùm ex Eleutheropoli illuc iretur. Nescio an longè aberret, si quis hanc fuisse Geth putet, de qua dixi, c. 11. v. 22. ¶ De cæteris urbibus nullam facere possum conjecturã, quia obscuræ sunt in S. historia. ¶ Porrò illa clausula, *Cum limite è regione Joppes,* generatim opinor urbes eas complectitur quæ in conspectu Joppes erant positæ. ¶ Sed de יפה *Joppe,* quam adhuc Barbari nominant voce Hebraicâ *Japho,* at Veneti, suo more, *Zapho,* tam multa multi scripserunt ut meis verbis nihil sit opus. Quare hoc unum monebo, quod Strabo etiam, Maris littus adhuc ab Ægypto ad Ortum versùs inflexum, ab Joppe reflecti planè in Septentrionem. In hunc portum appellunt nostri homines qui Jerosolymam petunt. Est enim is rectissimus ex Cypro cursus.

47, 48. *Porrò egressus est terminus filiorum Dan, ab ipsis,* &c.] Sententia verborum Sacrorum hæc est; Danitas olim extra se, h. e. extra eam hæreditatem in qua collocati Divinâ sorte fuerant, emigrasse, aliásque possessiones quæsitum esse profectos. Cùm enim illas sedes adversùs Amorrhæos obtinere non possent, sed è planis locis, quæ plurima erant, cogerentur in montes, ac nè indè quidem diu prohiberi hostes quirent, profecti versùs Boream, urbem Lesem, quam sors quidem Nephthaliorum esse fecerat, sed Sidonii ditione tunc suâ tenebant, ceperunt, occuparunt, habuerunt; mutatísque veteribus nominibus, quibus modò *Lesem,* modò *Lais* dicebatur, appellaverunt *Dan,* ut ejus viri à quo originem ipsi ducebant grato animo memoriam conservarent. Sed hujus rei narratio in Judicum libro c. 18. est perscripta. Neque enim vivo Josuâ contigit, sed quo tempore nemo Israelitarum remp. gubernabat, h. e. ut ego certè autumo, post Josuæ excessum, nondum creato principe Othoniele. Planè ergò ex hoc loco rursus efficitur, Non esse à Josua conscriptum hunc commentarium; quippe post cujus fata acciderunt quæ hîc scribuntur. Sed cur, inquies, commemorantur nunc? Nempe ut semel quibus locis habitaverint Danitæ ostendatur. Verùm urges, dicísque, ista ante sortitionem gesta videri, cùm scriptum sit Judic. 18. 1. *Ad eum usque diem Danitis non cecidisse sortem hæreditatis inter cæteras tribus.* Atqui hoc de sorte, quâ contenti vivere possent intra suos fines, debere accipi, præsens nos locus admonet, cùm dicuntur *ex se esse egressi;* hoc enim est, ex suis finibus, quos sorte fuerant nacti. Et quis non videt Danitas etiam tum Saaram & Esthaol habuisse cùm sexcentos viros in illam expeditionem mitterent? Sed cur suâ sorte minus contenti Danitæ quàm aliæ tribus esse potuerunt? Nimirum cùm parùm pii gratiq; adversùs Deum essent, infestas sibi nationes barbaras non satis repellere quiverunt, cùm esset universum illud littus portuosissimum, ut Strabo annotavit, & Debbora cecinit. Dicit enim Debbora *Danitas in navibus latuisse,* Judic. 5. 17. cùm prælio non interfuissent. Et alioqui suopte ingenio raptores, & alieni appetentes fuisse, testatus est & Jacob, & Moses. ¶ Sed לשם *Lesem,* sive ליש *Lais,* posita erat ad radices montis Libani, in ea valle aut planitie quæ *Rehobæa* dicebatur ab urbe רחב *Rehob:* ubi præcipuus Jordanis fons est; à quo flumini isti positum esse nomen tradunt Doctores Hebræi. Est enim, inquiunt, explicatio ירדן *Jordanis* יורד מן דן *Jored min Dan:* id autem est, *fluens ex Dan.* Vocatus est is locus insequentibus temporibus *Paneas,* ut Plinius cum Doctoribus Hebræis scribit. Stephanus appellat Πάνιον. Sed Philippus Herodis frater, cùm Tiberii imperio illic Tetrarcham ageret, instauratam urbem de Cæsaris & suo nomine *Cæsaream Philippi* appellavit. Ferunt nunc *Pelin,* corrupto scilicet *Panii* nomine, dici. Abest à Sidone versùs Orientem millia pass. circiter 35. Et quia à tergo, id autem est, versùs septentrionem, habet montem Libanum, quo constat finitam esse Chananæam, ideo sæpe *Dan* pro termino Terræ sanctæ Aquilonari dicitur; sicut *Beer-sabea,* pro Australi. Sed enim loco isti jam tum nomen *Dan* fuisse videtur cùm Abraham illuc usque hostes persequeretur qui fratris sui filium Loth captum abducebant, Gen. 14. 14. Est quidem hoc nuncupatus nomine is locus in Mosis libro. Verùm nè Mosis quidem memoriâ sic fuisse dictum, est ex iis verbis perspicuum quæ nunc tractamus. Quare certum est illud quod in hujus commentarii initio suprà præfatione, & c. 10. atque alibi dicebam, Neque Mosis libros sic ut nunc habentur ab illo esse compositos, sed ab Ezdra, aut alio quopiam divino viro, qui pro vetustis & exoletis locorum vocabulis nova, quibus rerum gestarum memoria posset optimè & percipi & conservari, reposuerit. ¶ Sed illud est hoc loco monendum, in Latinis libris, cùm dicitur, *vocantes nomen ejus Lesem Dan,* expungendum esse pronomen *ejus.* Neque enim urbi ex conjunctione factum nomen *Lesem-dan* est impositum, sed ipsa Lesem vocata est *Dan.* Qua in re miror viros etiam Hebraicè doctos esse hallucinatos. Fuit igitur Danitarum hæreditas ab occidente maris littore terminata, indè ab Azoto, aut certè propè ab ea urbe, usque ad Joppen. Ad Orientem verò versùs extendebatur latus Australe ab Azoto ultra Eleutheropolim, atque ità reflectebatur versùs Cariath-Jaarim, & indè Joppen. Cæterùm quia Jacobi & Mosis prædictiones de Danitis ad hominum ingenia moresque potiùs quàm ad hæreditatis situm spectare videntur, supervacaneum fuerit eas hîc explanare, cùm sint alterius loci. Quapropter hoc solum dicam, existimare me ideo extractam postremo loco sortem tribûs Daniticæ esse, quamvis alioqui Dan major natu fuerit quàm Nephthali, quia infausta quædam de ista tribu prædixisse videtur Jacob, atque etiam Moses; &, ut D. Augustinus censet, ejusmodi ex quibus conjecturâ augurari possimus Antichristum ex Danitis nasciturum esse. Neque enim ego certè aliã hîc rationem dispicere possum satis firmam mutati ordinis: cujusmodi in aliis sortis casibus inventæ sunt. Sed ista nunc hactenus.

49, 50. *Cùmque absolvissent partitionem hæreditatis terræ,* &c.] Audivimus Calebum dicentem, non de suis solùm rebus, verùm etiam de Josuæ, Deum verba ad Mosen fecisse, cùm sibi montem Hebronem promitteret, c. 14. v. 6. Fieri ergò potest ut huic quoque extra sortem promissa tunc fuerit hæreditas quam sibi cunque deligeret ipse: verùm egò magis censeo eum Pontificis Eleazaris monitis ad petendam esse inductum, cùm huic de ea re oraculum esset datum. Hoc enim illud esse videtur, *Secundùm os Domini.* Admonet igitur nos hic locus ut in rebus omnibus Dei nutum observemus. Christi enim doctrina & Sacræ literæ oracula sunt longè certissima, si ea sequamur, non autem nostrorum animorum affectiones, gloriæ opúmque ambitionem, voluptatum cupidinem, odium, invidiam, alias. Et idem ille *Spiritus* qui Christo auctor fuit ut *in desertum* secederet, indè *in Galilæam rediret,* nihil denique non faceret, Luc. 4. 1, 14 18. qui Paulum *in Asia vetuit loqui verbum* Dei, neque vel *conantem sinit in Bithyniam iter facere,* Act. 16. 6, 7. *Jerosolymam* verò, quasi *vinculis prehensum,*

hensum, attraxit, Act. 26. 22. Denique qui *nostram* obvius *sustentat infirmitatem*, *& precandi Deum imperitos* regit, Rom. 8. 26. is, inquam, Spiritus in rebus omnibus Dei voluntatem ex operto conscientiæ animi nostri, tanquam ex tripode, nobis patefaciet, ut nisi volentes aberrare à Dei consilio non possimus. Sed enim prædicanda est seculis omnibus singularis Josuæ modestia & temperantia, qui cùm summo imperio difficillimis temporibus perfunctus esset, æcúmque videretur ut penès quem maximi fuissent labores apud eundem prima quoque essent præmia, non antè rebus suis privatis consultum cupivit quàm publicarum procurationem prorsus absolvisset. Ac nè tunc quidem locum aliquem palmarem arroganter ipse occupavit, in quo, tanquam in regia, præ cæteris popularibus suis, superbè & splendidè habitaret; nedum possessiones alicui suas ereptum per vim ivit; sed modestissimè inter suos tribules (erat enim Ephraimita) possessionem nullis præ quavis alia commoditatibus insignem (hoc enim est illud, בתוכם *in medio ipsorum*) sed, quod est vero simillimum, multis rebus deteriorem, sibi optavit; in qua posset, non lautè & regali cùm luxu versari, sed *sedere*, i. multis curis & laboribus fessam suam senectutem humiliter traducere: Pulchro scilicet & memorabili exemplo id præstans quod cognominis Josua Sirah, ad illius, opinor, modestiam alludens, monet Eccl. 32. 1. cùm ait, *Si te ducem constituerunt, nè te efferas, sed talem te gerito quasi unus sis è multis: habeto ipsorum curam, ac tum demum sedeto: quaque tibi opus sunt procurato, gloriámque consecutus requiescito.* Sic enim est mendosus ille locus legendus. Certè montanæ possessiones in siccis illis locis deterrimæ sunt, & campestribus posthabentur. In qua re D. Hieronymus Paulam illam suam esse miratam scribit, cùm ad Josuæ monimentum viseret, quòd ipse possessionum omnium distributor sibi montana & aspera loca delegisset. Sed neque ab ædificiis paratum fuisse locum argumento est, quòd *urbem* ipse *exædificavit* priùs quàm *in ea consideret*. Possent autem ista ad verum Josuam nostrum Christum scitâ ἀναγωγῇ accommodari; qui cùm esset omnium Dominus, videri voluit minimus virorum, Isa. 53. 3. & *in forma Dei exsistens, formam servi sumpsit*, Phil. 2. 7. partâque nobis per suos labores maximos & ærumnas, per crucem, per mortem denique hæreditate cœlesti, nullum amplius à nobis operæ pretium reposcit quàm ut sibi locum in medio nostri, h. e. in animis nostris, concedamus, & in nostris cœtibus; quem locum ipse sibi suâ benignitate & gratiâ pro habitatione comparet ædificétque, cæteroqui prorsus incultum, imò vitiorum nostrorum pedore fœdum. Thamnatæ enim isti attributum est cognomentum סרח *Sarah*, vel ab *aritudine*, vel à *situ & pedore*. Sed ista tanquam digito uno indicasse satis est. Ipsa enim deinde lectoris pietas facilè penitiùs eum abducet in divina sensa.

51. *Ista sunt possessiones hæreditariæ quas assignarunt*, &c.] Hæc sunt à nobis explanata initio capitis 14. Sed hîc additum est, *Coram Domino, pro foribus tabernaculi solennis*, ad sanciendum & veluti obsignandum religione quidquid adhuc actum est, quasi præsidente atque coràm inspectante Deo annuentéque sic gesta omnia sint ut sunt gesta. LXXII illam verborum complexionem, *absolverunt divisionem terræ*, sunt interpretati his verbis, ἐπορεύθησαν ἐμβατεῦσαι τὴν γῆν, h. e. abierunt cernere hæreditatem, sive possessum terram. Nimirum pro eo quod est Hebraicè ויכלו *absolverunt*, illi trajectis duabus mediis literis legerunt וילכו *abierunt*. Nos igitur freti paratissimo semper Divino auxilio, sic comparemus animos corporáque nostra, ut domitis pravis cupiditatibus, per virtutes hoc breve iter vitæ transeamus; quò deinde à Christo Josua nostro, qui unus simul Eleazarum Pontificem max. repræsentat, cùm sit æternus Sacerdos; atque à 12 capitibus patrum tribuum Israeliticarum, ipsis 12 Apostolis, coram Deo Patre, pro foribus cœlestis sacrarii, promissæ nobis portionem hæreditatis accipiamus, eâque perpetuò inter beatos spiritus fruamur. Amen.

IDEM.

1. Scribendum est, trajectis verbis, & uno articulo addito, ὁ κλῆρος ὁ δεύτερος. ¶ Post τῷ Συμεὼν est in m. ed. cum asterisco ※ τῇ φυλῇ ↙, & deinceps adjungenda sunt absque asterisco insuper hæc verba, υἱῶν Συμεὼν, κατὰ δήμους αὐτῶν. Ulteriùs mutandus est pronominis numerus, & scribendum, κληρονομία αὐτῶν. Et paulò pòst scribendum est numero plurium, κλήρων.

2. Post ἐγενήθη additum est in mixta ※ αὐτοῖς ↙.

3. Expungendum est καὶ Βαθούλ. ¶ Pro Ἀσὼμ habent Compl. Ἰασώμ· sed malè, ut opinor. Nam etiam in Paralipomenis locus iste Ἀσὼμ vocatur à LXXII interpretibus: ubi etiam non Βωλὰ sed Βαλὰ scriptum est, & quidem rectè.

4. Pro Ἐλθουλὰδ legit Syrus Ἐλουθλάδ. Apud Eusebium verò in libello De locis Hebr. est *Elolad*; sed hoc fortassis corruptum à librario est. Quòd si Hebraicam vocem repræsentare oporteat, dicendum sit Ἐλθωλὰδ, sive Ἐλθουλὰδ, ut habent Compl. Post hoc autem nomen est omissum in pervagatis libris unius urbis vocabulum, quod nuper, ut non suo loco positum, v. 3. expungebamus, nempe Βαθούλ.

5. Pro Σικελὰ scribe Σικελάγ. ¶ Pro Βαιθμὰρ, καὶ Χασσβὰθ, repone, Βαὶθ, καὶ Ἀμαρχαβώθ· sic enim etiam apud Eusebium ista loca nominantur. Syrus tamen legit Βαιθμαρχαβὼθ, unico vocabulo: & rectè, si Hebræum spectes: verùm oportet urbium nomina 13 esse: & unum, nempe *Saruhen*, est à LXXII, aut ab ineptis emendatoribus, non ut loci nomen sed ut appellativum redditum, οἱ ἀγροὶ αὐτῶν, cujus rationem explicavi in meis Commentariis. ¶ Pro Ἀσερσουλὰ scribe Ἀσερσουσείμ· sic enim est in Paralipomenis, & apud Compl. Cæteroqui pro Hebræo rectiùs dicatur Ἀσερσουσί· atque haud scio an non sic scribendum hoc loco sit.

6. Pro Βεθλαβὰθ scribe Βηθλεβαώθ.

7. Quod habent vulgati libri, ὁμοῦ φυλαὶ αἱ Συμεὼν δεκαεπτὰ, id prorsus est expungendum.

8. Versûs initium mancum est: nam ultima verba versûs septimi sunt αἱ κῶμαι αὐτῶν. Post ea igitur sic inchoandus est versus octavus, καὶ ※ πᾶσαι ↙ αἱ ἐπαύλεις αἱ κυκλόθεν, &c. sed universitatis nota, ut aliena, notari debet stellâ appositâ. ¶ Pro Βαλὲθ scribe Βαλάθ. ¶ Illa ÷ πορευομένων Ἰαμνὴθ ↙ debent obelo confodi. Compl. Ἰαμνὴθ omittunt; Idque mihi placeret, nisi Syrus legisset.

10. Cùm dicitur, καὶ ἔσται τὰ ὅρια, in bonis libris abest copula: verùm quando in Hebræo habetur, censeo esse adscribendam; præsertim cùm Syrus notet per hypolimniscum in uno aut altero antigrapho esse, καὶ ἦν τὸ ὅριον τῆς, &c.

11. Initium suggeritur in ed. m. hujusmodi, ※ καὶ προσαναβαίνει ↙ τὰ ὅρια αὐτῶν, &c. ¶ Pro ἡ θάλασσα scribendum est εἰς θάλασσαν. ¶ Pro Μαειλλὰ scribe Μαραλὰ, & pro Δαβαθαὶ Δαβασαὼθ. Est quidem in libello De locis Eusebii, ut nunc habetur, *Dasbath*; verùm mendosè, ut opinor, pro *Dabasath*. ¶ Post hoc nomen continuò suggeritur in mixta, ※ καὶ ἀπαντήσει ↙ εἰς τὴν φάραγγα, &c.

12. Pro ἀνασρέψει scribe ἀνέστρεψαν. Et pro σλα legit Syrus, & habet Vaticanus, Βηθσαμὲς· at Compl. omittunt illud βὴθ, &, ut existimo, rectè. Nam apud Eusebium *Sames* dicta est urbs Zabulonitarum, non *Bethsames*: quanquam *Sames* revera non sit loci nomen, sed *Solem* significet in Hebræo, ut certè hîc usurpatur. Mox scribendum est Χασαλὼθ, ablatâ literâ α ab initio; & pro Ἀφιὲ, Ἰαφιέ.

13. Pro ἐπὶ ἀνατολὰς scribe ἀπὸ ἀνατολῶν; quamvis altera scriptura sit Hebræo congruentior. ¶ Pro Γεθθαεφθὰ scribe Γεθαεφέρ. ¶ Cùm est in antigraphis vulgatis ἐπὶ πόλιν Κασεὶμ, expungendum est ἐπὶ πόλιν, & scribendum Θακασίν. Nam mendosè habent Compl. Καισὶν pro Κασίν. Pro Ἀμμαθὰρ Ἀννουὰ scribe Ἀμματὰρ Ἀννουά.

14. Scribe initium his verbis, καὶ διελεύσεται τὰ ὅρια ἐπὶ βορρᾶ ἐπὶ Ἀναθὼν, καὶ ἔσται, &c.

15. Pro Νααλὼθ repone Νααλώλ. Hujus versiculi finis cæteroqui omissus suggeritur ex ed. m. per asteriscum, sic, ⁎ πόλεις δώδεκα, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν ⁒.

16. Illud, ⁎ φυλῆς, jugulandum obelo est. ¶ Pro αἱ πόλεις αὐτῶν scribe αἱ πόλεις αὗται.

17. Copula in ipso initio juguletur obelo. ¶ Illa verba ⁎ τοῖς υἱοῖς Ἰσσαχὰρ, κατὰ συγγενείας αὐτῶν ⁒, habeant adscriptam stellulam.

19. Pro Ἀφεραρὶμ dicendum est Ἀφεραΐμ. & expungendum est, Ρεὰθ.

20. Pro Ἀαμὶ scribe Αἰμὲς.

21. Pro Ραμαὶ scribe Ῥαιθὼμ, aut, ut quidam habent, Ῥοθώμ.

22. Præpositio ἐπὶ, cùm dicitur ἐπὶ Σασιμὰ, & illud κατὰ θάλασσαν, sunt jugulanda obeliscis. Dum autem sequitur Βαιθσμὰς, menda est librarii, debétque scribi Βαιθσαμὺς. Hujus versiculi finis ex mixta suggeritur per asteriscum, his verbis, ⁎ πόλεις ἑξκαίδεκα, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν ⁒.

23. Post δήμους αὐτῶν scribe αἱ πόλεις, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν, expunctâ copulâ, & sublato illo, καὶ αἱ κῶμαι.

24. Post ὁ κλῆρος suppletur locus verbis aliquot ex m. ed. suggestis, sic, ⁎ τῇ φυλῇ τῶν υἱῶν ⁒ Ἀσὴρ, &c.

26. Cùm dicitur, καὶ Λαδαμὰθ, est jugulanda copula obelisco.

27. Habent Compl. & legit Syrus, ἡλίου καὶ Βηθδαγὼν, interpositâ copulâ; verùm, ut ego puto, mendosé. neque enim ea in Hebræo est, neque ad sententiam ullam utilis esse videtur. Si tamen adscribenda est, debet obelisco notari. Deinceps multa sunt expungenda quæ in pervulgatis libris habentur. Est enim post Βηθδαγὼν sic scribendum, καὶ συνάψει τῷ Ζαβουλὼν καὶ ἐν Γαὶ Ἰεφθαὴλ, κατὰ βορρᾶν Βηθαεμὲκ, ÷ καὶ πορεύσεται τὸ μεθόριον ⁒ καὶ ÷ εἰς ⁒ Ἀνιὴλ καὶ διελεύσεται, &c. In quibus verbis illa clausula καὶ πορεύσεται τὸ μεθόριον est jugulanda obelisco, atque etiam sequens præpositio εἰς. Compl. omiserunt illa verba τὸ μεθόριον, sed lecta sunt à Syro.

28. Pro Ἀχεσὰφ scribe Ἀχεσὰφ, ablato Sigma: in quo nomine legerunt interpretes literam Caph pro Beth. ¶ Pro Καναὶ scribe Κανὰ, aut per diphthongum Καναί.

29. Pro Σωσὰ scribe Ὡσά. ¶ Scribe ἡ διέξοδος αὐτῶν. ¶ Juguletur copula obelo, cùm dicitur, καὶ ἀπὸ τοῦ χοινίσματος.

30. Verba illa, πόλεις εἴκοσι δύο, notanda sunt asterisco, & ad ea adjungenda cum simili nota etiam hæc, ⁎ καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν ⁒.

32. Post ἕκτος sunt suggesta in ed. m. hæc verba, ⁎ τοῖς υἱοῖς Νεφθαλεὶμ, κατὰ δήμους αὐτῶν ⁒.

33. Pro Μηλὼμ καὶ Βεσενανὶμ legit Syrus, ἀπὸ δρυὸς Σενανὶμ, & rectè sanè, si Hebraica verba interpretari velis: verùm, quantum ex Eusebii verbis quæ in libello De locis Heb. sunt apparet, legit ille hunc locum sic, Μεελὲφ, καὶ Ἠλὼν Σεενανὶμ. Sed copula signanda est obelo. Vide de his quæ in Commentariis sunt à nobis dicta. ¶ Pro Ἀρμαὶ scribe Ἀδαμαί. ¶ Et cùm sequitur, ÷ καὶ ⁒ Νακὲβ, jugula Conjunctionem obelo. ¶ Pro Ἰαβνὴ scribe Ἰαβνὴλ, addito Lambda; & pro Λακκοὺν, Λακούμ.

34. Pro κατὰ θάλασσαν legit Syrus ἀπὸ θαλάσσης: at ego nihil mutandum censeo. Nam illud approbatur ab Eusebio in libello De locis Hebr. cùm nomen *Icoc* explicat: dicit enim, ad Occidentem. ¶ Cùm porrò deinceps est in libris vulgatis, καὶ ὁ Ἰορδάνης, &c. suppletur locus ex Theodotione in mixta sic, καὶ ⁎ τῷ Ἰούδα ⁒ ὁ Ἰορδάνης, &c.

35. Illud, τῶν Τυρίων, non est à Syro lectum; quare censeo esse expungendum, præsertim si nomen Ἀσσηδεὶμ retinetur; ut certè Eusebius retinuit, quem ego sequendum esse puto. Quidam enim libri hoc repudiant, illud verò retinent. Ego sanè conjecturâ auguror hominem aliquem audacem, qui pro הצדים, h. e. Ἀσσηδεὶμ, malè oculatus, legit הצרים, Resch pro Daleth, hujus interpretationem in in margine adscripsisse, Τυρίων, atque ita textum ipsum esse vitiatum tandem à librariis imperitis.

37. Pro πηγαὶ Ἀσὸρ est in bonis libris Ἢν Ἀσώρ, & eam scripturam probat etiam Eusebius. Syrus tamen per limniscum monet esse exemplaria quæ habent πηγὴ Ἀσώρ. Est autem Ἢν h. e. עין Hebræis idem quod Græcis πηγή.

38. Pro Ἐρὼν scribe Ἰερὼν, & pro Ὠεὰν, Ὠρὰμ, pro Θασμοὺς, Βηθσαμὺς. Illud autem quod deinceps est, πόλεις δεκαεννέα, debet signari asterisco apposito, tanquam suggestum ex aliis interpretibus, atque insuper addi ex iisdem interpretibus, ⁎ καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν ⁒.

39. Post υἱῶν Νεφθαλεὶμ suppleri debent ex ed. m. hæc verba, ⁎ κατὰ τὰς συγγενείας αὐτῶν ⁒, deinde addi insuper absque asterisci nota hæc, αἱ πόλεις, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν.

40. Cùm dicitur initio, καὶ τῷ Δὰν, est copula obelo signanda. Syrus per limniscum ostendit in quibusdam libris esse, ÷ καὶ ⁒ τῇ φυλῇ υἱῶν Δάν. & hanc scripturam secuti sunt Compl. debet autem post Δὰν adscribi κατὰ δήμους αὐτῶν. deinceps verò sequitur, quod vulgati libri habent, ἐξῆλθεν ὁ κλῆρος, &c.

41. Post τὰ ὅρια suggeritur in mixta, ⁎ τῆς κληρονομίας ⁒ αὐτῶν, &c. ¶ Cùm dicitur, καὶ πόλεις Σαμὲς, neque Syrus neque Compl. copulam legerunt: quasi videlicet Saraa & Esthaol *urbes Solis* fuerint: verùm si, quod in Hebræo est, repræsentare velis, scribendum est, καὶ πόλις Σαμὲς, servatâ copulâ, & *urbis* vocabulo posito numero singulari, ut est in Compl. libris. Certè etiam Eusebius urbem *Sames* attribuit Danitis.

42. Pro Ἰαλὼν scribe Αἰλὼν est tamen in Hebræo *Aialon*.

43. Pro Αἰλὼν scribe Ἰαλὼν, trajectis literis: sic enim locus ille vocatur apud Eusebium, & sic habent Compl.

46. Illud, καὶ ἀπὸ θαλάσσης Ἱερακὼν, esse quidem in quibusdam libris, notat Syrus: ipse tamen reddidit, καὶ ὕδατα Ἱερακὼν atque hic omissum aliud nomen suggeritur m. ed. per stellulam, nempe, ⁎ καὶ Ἀιρεκκὼν ⁒, ὅριον, &c.

Porrò deinceps perturbatus est ordo in Græcis libris. Nam versiculus 48 scriptus est ante v. 47. Cæterùm post absolutum versum 46 suggerit ed. m. hæc verba versiculi 47. ⁎ καὶ ἐξῆλθεν τὸ ὅριον τῶν υἱῶν Δὰν ἀπ' αὐτῶν ⁒.

Deinceps verò scribitur versiculus 48. sed, ut ego existimo, non rectè; quandoquidem pôst suggeritur denuò in ed. m. suo loco. Quare putarim hîc continuò esse subjicienda illa, quæ sunt in vulgatis etiam libris, καὶ οὐκ ἐξέθλιψαν οἱ υἱοὶ Δὰν, &c. quæ omnia sunt obeliscis signanda, usque dum dicitur, καὶ ἐπορεύθησαν οἱ υἱοὶ Δὰν, &c. non enim sunt in Hebræo, hoc certè loco, sed in Judicum historia scripta; atque ideo sunt à Compl. omissa; verùm non rectè. Syrus enim ea in Hexaplis fuisse ostendit, sed obeliscis notata. ¶ Porrò illa, καὶ ἐπορεύθησαν οἱ υἱοὶ Δὰν, pertinent ad versiculum 47. ¶ In iis autem, post illud, ἐν στόματι μαχαίρας, suggerendum ex aliis interpretibus est, ⁎ ἐκληρονόμησαν αὐτὴν ⁒. ¶ Cùm dicitur, τὸ ὄνομα αὐτῆς, scribe τὸ ὄνομα τῆς: atque hîc post nomen Δὰν rursus suggeritur in ed. m. ⁎ κατὰ τὸ ὄνομα Δὰν πατρὸς αὐτῶν ⁒. Et post hæc verba adscribitur, ut dixi, per asteriscos versiculus 48. Quapropter suspicor eum superiùs omittendum fuisse, ut præteritum à LXXII. Sunt autem hæc ejus verba, αὕτη ἡ κληρονομία φυλῆς υἱῶν Δὰν κατὰ δήμους αὐτῶν αἱ πόλεις αὗται, καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν.

Deinceps verò sequitur v. 49. cujus principium à LXXII omissum scribitur in mixta cum asteriscis sic, ⁎ καὶ συνετέλεσαν διελεῖν κληρονομεῖν τὴν γῆν ἐν ὁρίοις αὐτῆς ⁒. Deinde interrumpitur ille versiculus iis verbis quæ sunt in vulgatis libris, καὶ ὁ Ἀμορραῖος ὑπέμεινε, &c. quæ à Compl. sunt rursus temere omissa: debebant enim, sed cum obeliscis, adscribi. Est autem in illis pro Ἐλὼμ scribendum Αἰλὼν, & Σαλαβεὶν, per literam β. ¶ Cùm dicitur, καὶ ἔδωκαν οἱ υἱοὶ, &c. omittendi sunt obelisci: pertinent enim ista ad v. 49.

50 Cùm dicitur, καὶ ἔδωκαν αὐτῷ, notetur copula obelisco. ¶ Pro Σαρὰχ scribendum est per diphthongum Σαραὶ, aut potiùs, ut habet Eusebius, Σαράχ. ¶ Illud verò quod sequitur, ÷ ἥ ἐστιν ⁒ jugulandum obelisco est.

51. Scribe

51 Scribe κατακληροδότησιν, numero unius, quamvis in Hebræo sit pluralis numerus. ¶ Scribe Σηλώ, ablato μ. Videntur autem LXXII pro ויגלו, h. e. *absolverunt*, legisse וילכו, transpositis literis, cùm dixerint ἐπορεύθησαν.

DRUSIUS.

12. *Cheseloth Thabor*] כסלת תבור. Hieron. *Ceseleth Thabor.* Nicolaus, *Ebraicè* **Ciseloth Thabor** : *& est* **Ciseloth** *nomen commune significans Pendulum montis, qui est locus intermedius summitatis & vallis; Gallicè Pendant.* Alii exponunt, *Ilia Thabor.* Sign. autem, ut censent Ebræi, eas partes montis quæ circiter medio loco sint, quas, ut ait R. S. Galli vocant *les flancs.* De Thabor monte, quem *Tabyrium* vocant, vide Onomasticon sacrum, & etiam Masium hoc loco.

13. *Ad Geth-Hepher*] Malè hic legunt *Gittha-Hepher.* Nam He in גתה notat motum ad locum, q. d. *Gettham-Hepher.* Patria erat Jonæ prophetæ. Sic עתה pro לעת, ut sit *ad Eth-casin*; quam cum Geth-hepher quidam confundunt. Distabat Geth-Hepher bis mille pass. à Sephori, viâ quâ ibatur Tiberiadem: ostendebatúrque in ea Jonæ sepulcrum. Sed vide Itinera Benjamin. ¶ *Hamthoar*] Vel certè *Hamthar*, quod in Vulg. nostrâ *Amthar.* Sed in fonte המתאר, ac si participium esset generis passivi: quomodo sanè Jonathan reddit, citante Canio, דמסתחר *quæ gyrat versus Hannea*; cùm in textu Jonathæ sit דמתואר ומתמן מסתחר *inde gyrat.* Sed vide Masium, Tremell. *Methoarum, alias Neam.* Suspicatur Methoar alio nomine dictam esse *Nea*, sed quo jure ipse viderit. Santes, *quæ terminatur Nea.* Malim, *quæ cognominatur Hannea.* Antea תאר idem *designare* verterat.

26. *Sihor Lebnath*] De his nominibus vide conjecturam Andreæ Masii. Hieron. *& Sihor, & Labanath.* Trem. *in Sihorem ad Libnatham.* Putant autem esse nomen fluvii quem *Belum* vel *Pagidam* vocant.

28. *Cana*] Hæc est Cana major, quæ non procul aberat à Sidone, in Galilæa Superiore sive Gentium. Erat alia Cana minor in tribu Zabulon, in Galilæa Inferiore. In hac ὁ Σωτὴρ aquam in vinum mutavit, ut vult Masius; à quo dissidet Eusebius, in libro Locorum ita scribens, *Fuit autem Cana in tribu Aser* (hæc est minor) *ubi Dominus noster atque Salvator aquam convertit in vinum*, Joh. 2. *Unde & Nathanael verus Israelita Salvatoris testimonio comprobatur: & est hodie oppidum in Galilæa gentium.* Vide Joh. 21. 2. *Nathanael qui erat à Cana Galilææ.* Cana i. קנה in tribu Aser. Quod in Eusebio, *usque ad Sidonem majorem*, non est mendum. Sic enim certè Sidon vocatur hoc loco עד צידן רבה *usque ad Sidonem magnam.* Alioqui posset etiam legi, *Cana, non procul à Sidone majori.* ¶ *Usque ad Sidonem magnam*] Eusebius in loco citato vocat *majorem*, sed minus rectè. Nam *major* non dicitur nisi comparaêt ad aliam quæ minor est. Sic *Cana major*, & *minor.* *Magna* esse potest sicut cùm Ninive dicitur *civitas magna coram* DOMINO, propter urbis amplitudinem. Rectè igitur Hieron. *usque ad Sidonem magnam*, & LXX, ἕως Σιδῶνος τῆς μεγάλης. רבה est in fonte sacro. Vide Masium. In Eusebio *major* valet *magna*, ut sæpe comparativus ponitur pro positivo. Sic *senior* pro *senex.*

47. *Vocantes nomen ejus Lesem-Dan*] Sic interpres vetus; Quem in viam reduces, si deleto pronomine *ejus*, legas, *vocantes nomen Lesem, Dan*, Hoc vult dicere, *Cum cepissent Lesem, vocaruut eam de nomine patris sui Dan.* Hinc medicinam facies Borchardo ita scribenti, 41. *Lesedam, prius Lachis dicebatur. Vocatur & simpliciter Dan.* Hîc duo insignia menda. Prius est librariorum, in *Lesedam* pro *Lesemdan*, & in *Lachis* pro *Lais*: posterius est ipsius Borchardi, ex corrupta nostra versione Latina, quam Vulgatam appellant, cujus autor, ut vidimus, ex antiquo nomine *Lesem* & recentiore *Dan* unum fecit *Lesemdan.* Vide quid sit non habere correctam editionem; Quâ qui utuntur, toties hallucinantur quoties erravit is cujus ductum sequuntur, ut fieri solet cùm cœcus cœcum ducit. Nam ductor eum quem ducit in foveam secum pertrahit. Felices qui suis non alienis oculis vident. Suis vident, qui linguarum peritiam habent; ut alienis, qui tantùm ex commentario sapiunt, aut ex aliena versione. Lesem sive Lais i. ליש, posita erat ad radices montis Libani in valle Rehobæa, ubi præcipuus Jordanis fons est, unde *Jarden*, q. יורד מן דן *descendens ex Dan.* Posterior ætas *Paneadem* dixit. Vide Onomasticon sacrum.

IDEM.

13. וְיָצָא רִמּוֹן הַמְּתֹאָר, Sym. *exibat in Remmon inclytam*] *Remmon.* Archaismus pro *Rimmon*, ut *Hellel* pro *Hillel*, *Hennon* pro *Hinnon.* Est ubi *Remmon* reperiatur, quod non ita placet.

27. בֵּית הָעֵמֶק. Sym. *locum vallis.* In lib. Locor. *Bethemec, quod interpretatur Sym. Locum vallis.*

29. עַד עִיר מִבְצַר צֹר. A. & Sym. *usque ad urbem munitam Tyrum.*

38. וְחַצְרֵיהֶן. καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν, *& villæ earum*] Siquidem ἔπαυλις villa; unde ἐπαύλιον *villula.* Santes post Hieron. *& villæ earum.* Arias correxit, *atria earum*, non probo. Quaquam חצר *atrium*: & Psal. 10. 8. חצרים. Sym. αὐλάς, i. *atria.* R. D. חצרים, inquit, *sunt oppida sine muro*, i. pagi, vici rustici, κῶμαι. In lib. Nom. *Astharoth, atria, caulæ, præsepia, ovilia.* Glossarium vetus, *Asthari, ovile meum, vel, Cubiculum meum.*

GROTIUS.

1. *ET Sabee*] שבע in Hebræo nunc legitur: sed שמע legisse LXX apparet, qui vertunt Σαμαά. Et שמע hic locus vocatur suprà 15. 26. ubi in Græco malè Σαλμαά scribitur pro Σαμαά. Videtur idem esse locus qui Neh. 11. 26. scribitur ישוע, ubi fortè fuerit ישמע præpositâ ad vocem Jod literâ ut suprà 16. 3. & alibi.

6. *Villæ*] Bene vertit חצרים. LXX κῶμαι. Rectius fuerat ἐπαύλεις.

9. *In possessione & funiculo filiorum Juda; quia major erat*] Adæquatio. Vide quæ dicta ad Num. 34.

27. *Ad lævam Cabul.*] Quod nomen terra illa vicina Tyriis ab Hiromo accepit tempore Solomonis, 1 Reg. 9. 13. unde de tempore quo scriptus hic liber conjectura capi potest.

47. *Ascenderúntque filii Dan*] Post mortem Josuæ hæc facta. Vide Jud. 18. Accedat hoc ad conjecturas temporis quo scriptus hic liber, de quo aliquid diximus suprà ad 15. 63. ¶ *Ex nomine Dan patris sui*] i. ex nomine tribûs victricis, quæ à generis sui principe nomen ferebat.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

2. *REfugii*] Jon. שיזבותא *salvationis*, vel. *evasionis*, de quo Num. 35. quoque nonnihil diximus.

6. *Donec steterit*] Cùm quis, inquit, fugerit ad unam harum civitatum, manebit in ea donec per judices vocatus fuerit ut facti sui rationem reddat. Et si deprehenderint eum innocentem, nempe quòd ignoranter & per imprudentiam occiderit proximum, remittant eum ad civitatem refugii, ut in ea resideat usque ad mortem summi Sacerdotis, veluti ad exsilium damnatus.

7. *Sanctificaverunt*] Jon. וזמינו *& paraverunt.*

9. *Urbes constitutæ*] *Jon.* מזמנן *præparatæ.* In Hebræo verò המועדה est nomen ejusdem formæ cum מוסרה, ut sit sensus; *Istæ fuerunt urbes conventionis.*

VATABLUS.

2. DAte, &c.] תנו לכם את ערי וגו׳] *Tradite* [*Assignate*] *urbes perfugii de quibus dixi vobis per Mosen*, i. Mose internuntio, sive interprete, מקלט propriè sign. *susceptionem*, sive *recollectionem*. Vide Num. 35.6. Deut. 19.3.

3. *Animam*, נפש] i. Quempiam. ¶ *Per errorem, absque scientia*, בשגגה בבלי דעת] *Per ignorantiam, citra scientiam*, i. imprudenter, & non deditâ operâ. ¶ *A propinquo*, מגואל] *A consanguineo*, vel *cognato*. Vide Num. 35.12. i. Nè fortè interficiat eum proximus ejus qui interfectus fuerit. Notanda phrasis Hebraica, *propinquus sanguinis*, pro *propinquo interfecti*.

4. *Et fugiet*, ונס] i. Ut cùm fugerit ad, &c. stet ad, &c. ¶ *Ad ostium*, פתח] i. In introitu, sive ingressu. ¶ *Ac loquetur in auribus Seniorum*. ודבר וגו׳] Hebraismus, exponet audiente Senatu causam suam.

5. *Absque scientia*, בבלי דעת] *Citra scientiam*, i. per imprudentiam, & non deditâ operâ. ¶ *Ab herì & nudiustertius*, מתמול שלשום] i. Antea.

6. *Ante cœtum*, לפני העדה] *Coram concilio*, i. senatu, hoc est donec ab asylo revocetur à Judicibus urbis suæ, & ipsi judicent de causa ipsius: q.d. donec audiat jus.

7. *Et paraverunt*, ויקדשו] *Et præparaverunt*, i. designaverunt.

8. *De trans Jorden autem Jeriho*, ומעבר לירדן יריחו] *Citra Jordanem autem Jericho*, respectu scilicet ingressûs filiorum Israel in Terram sanctam, quâ parte Jordanis fluit non procul ab urbe Jerichuntina. ¶ *In deserto in planitie*, במדבר במישור] i. In solitudine campestri.

9. *Conventionis*, המועדה] i. Perfugii, sive refugii, ad quas debet convenire qui occidit quempiam per errorem. ¶ *Qui peregrinatur in medio eorum*, הגר בתוכם] i. Qui habitat inter illos. ¶ *Quicunque interfecerit aliquem*, כל מכה נפש] Ad verb. *Omnis percutiens animam*. ¶ *Propinqui sanguinis*, גואל הדם] i. Consanguinei interfecti. Vide v. 3. ¶ *Stetisset coram cœtu*, עמדו לפני העדה] *Stetisset coram concilio*, vel *senatu*, i. cognitum esset de causa ejus.

CASTALIO.

6. DOnec causam in concilio dixerit] Postquam primùm in porta Senatoribus causam suam solus exposuerit, recipietur ille quidem, sed eâ conditione ut, si sanguinis vindex veniat, ille se judicio sistat, & ante id judicium sit in urbe tutus. Quòd si vel non veniat accusator, vel causam non obtinuerit, vivat illic percussor usque ad decessum Pontificis.

CLARIUS.

6. DOnec stet] Cùm quis, inquit, fugerit ad unam harum civitatum, manebit in ea donec per Judices vocatus fuerit ut facti sui rationem reddat. Et si deprehenderit eum innocentem, nempe quòd ignoranter occiderit proximum, remittant eum in civitatem refugii, ut in ea resideat usque ad mortem summi Sacerdotis, veluti exsilio damnatus. Et verè per solam summi sacerdotis Christi mortem ab æternæ mortis exsilio revocamur. Et vide, ut veritatis mysteria ità obiter historiæ interserantur.

MASIUS.

JUS τῆς ἀσυλίας, h. e. sanctitatis locorum, quod hoc capite agitur, seriò quidem est à Deo in Lege per Mosen non solùm verbis præceptum, sed etiam cis Jordanem ad rem collatum, simulatque tribus duæ & dimidia illic sedes suas nactæ erant, Deut. 4.41. Verùm tamen, nisi postquam hæreditatem suam crevissent etiam cæteræ tribus, ipsæ asyla designare nec debuerunt nec potuerunt. Hoc enim ex iis quæ de isto jure à Deo sunt constituta in Deuteronomio 19.1. certum est. Suo igitur ordine asylorum hìc leges tractantur post distributas inter tribus possessiones: quæ vetustissimæ fuerunt insontium homicidarum vindiciæ, non etiam sceleratorum; qualia sunt ab Romulo, Hercule, horúmque nepotibus constituta asyla. Est autem hujus juris hæc maxima ratio. Nè insontis hominis fundatur sanguis: quo terra usque eò contaminatur ut expiari, nisi scelerato sanguine ejus qui innoxio sanguine ipsam fœdavit, non posse Deus pronunciaverit, Gen. 9.6. Num. 35.33. Nam cùm iis qui cognationi conjuncti fuere cum eo qui interfectus erat, licuerit, propter rei immanitatem, ubi in cognati sui interfectorem incidissent, eum quoque trucidare, Num. 35.21. facilè accidisset ut etiam minimè scelerati homicidæ justo cognatorum dolore, cæco impetu illico facto, perimerentur, nisi in certos illi se locos potuissent recipere, quorum sanctitate vel eò usque essent tuti dum dictâ causâ suam innocentiam Judici probavissent. Asyla igitur quæ Deus sancivit solos insontes tutabantur homicidas, h. e. eos quorum animus ab omni mala voluntate consilióque cædis ejus patrandæ fuerat alienus: quod luculenter, exemplo adjuncto, in Sacris constitutionibus est explicatum, Deut. 19. Nam bene Adrianus respondit, *In maleficiis voluntatem spectari, non exitum*, L. D. *Adrian*. ff. ad l. Corn. de sicar. Et, *Eum qui hominem occiderit, si non occidendi animo id fecerit, absolvi posse*, l. 1. eodem tit. Est enim naturâ ipsâ nobis insitum, ut malam mentem odio habendam esse judicemus; bonam, etiam si peccet, non item. Sed posteritas, partim gloriæ cupidine atque superbâ arrogantiâ, ut suam ipsa majestatem amplificaret, alii imprudente religionis opinione, jus τῆς ἀσυλίας, apud statuas, apud quævis templa, apud ipsa etiam cœmiteria, apud Episcopos, & nescio ubi non, constituerunt. Et haberent quidem fortassis ista tam frequentia asyla majoris misericordiæ speciem si innoxiorum hominum salutis gratiâ instituta essent: Verùm quòd homines cuivis flagitio obnoxios, imò omnibus sceleribus coopertos, tutentur, id, mihi certè, videtur longè indignissimum esse, & Romuli instituto quàm Dei legibus istis magìs consentaneum. Sed publicos latrones & nocturnos depopulatores agrorum excipit Innocentius, C. inter alia, extr. de immunit. Eccles. Scilicet ut alius nemo, quantumvìs sceleratus, qui modò ad passim obvia asyla confugerit, noxæ dedi possit, sed quamvìs grave & impium scelus admisit impunitatem, corpore saltem, habeat. Parùm clementer scilicet dictum à Deo est Exod. 21.14. *Si quis studio occidit proximum suum, ab altari meo avelles eum, ut moriatur*. Melior profectò in repub. ut certè nunc morati homines sunt, sanctio Justiniani est, quâ sceleratos homicidas, adulteros, virginum raptores ab asylis abstrahendos suppliciisq; afficiendos censet, *Auth. de mandat. Princ.* §. *Neq; autem*. Quis enim æquo animo ferat, Deum ipsum homicidii, quo nullum facinus magìs detestatur, patronum defensorémque statui? aut Principes, quorum munus erat facinorosos meritis pœnis coercere, facinorosorum receptatores protectorésque esse? Certè res ipsa clamat, indulgentiores istos legum latores, dum clementiæ laudem ex scelerum impunitate affectaverunt, optimos quosque atque innocentissimos homines maleficorum libidini exposuisse; cùm nulla sit peccandi illecebra major quàm impunitatis spes. Adeò ut jam ea quæ ipsa etiam horrere deberet natura flagitia assiduitate & consuetudine peccandi vix gravia esse videantur; & præ delinquendi licentia καὶ ἀδείᾳ multi nè ad asyla quidem, etiamsi atrocissimè peccaverint, festinandum sibi putent; frustráque Tiberius, si ad imperium ex inferis redeat, asyla omnia sublaturus possit videri. Atque asyla Dei nè ipsos quidem vel maximè insontes homicidas ità defendebant, ut immane facinus, quamvìs aliena omnino ab eo fuisset ipsorum voluntas, prorsus impunè ferrent; verùm suæ etiam inconsiderantiæ pœnas dabant, in exsilio vivere coacti, murísque asyli quasi carcere conclusi, tantisper dum viveret ejus temporis Pontifex max. Sed ista suis quæque locis, in explicandis S. verbis, tractabuntur.

1, 2, 3. *Cæterùm locutus est Dominus ad Josuam dicens*, &c.] Non est quòd existimes incusari tacitè vigilantissimi

mi Imperatoris cessationem, quasi, qui mentem suam diurnâ nocturnâque cogitatione pertractabat nè quid eorum quæ à Deo aut Mose in mandatis habebat omitteret, is jam asyla constituere neglexerit, toties antè imperata, in Exodo, Numeris, Deuteronomio. Hoc enim modò ista verba significant, Illum, ut adhuc omnia quæ ex usu fuere, ità nunc hæc quoque de constituendis asylis mandata, instinctu afflatúque Divino, in tempore procurasse, atque de ipsis ad populum retulisse. Neque enim, ut nuper dicebam, nisi post distributam Terram constitui asyla potuere. Vocant autem Hebræi asyla ערי מקלט, quod est ac si dicas *urbes receptûs.* קלט enim *excipere* atque *retinere* quippiam significat; ut certè ea vox à veteribus Judæis in Doctrinali usurpatur. Nam & conjunctionem eam quâ surculus in arboris truncum insitus coalescit cum trunco à quo est receptus, vocant קליטה. Et in S. literis קלוט vitium est corporis, cùm membrum quod naturâ separatum esse debebat alteri est membro agnatum; veluti si duo digiti in unum sunt concreti, aut quæ bifida esse debebat ungula est enata solida. ¶ Dativus casus *Vobis* est, ut sæpe solet, otiosus, modo quodam loquendi. Nisi existimare mavis eo significari, ad solos Israelitas pertinere jus asylorum; de qua re in extrema hujus capitis parte disputabitur. ¶ Porrò in illis verbis, *per errorem, insciens*, non est vitium τῆς ταυτολογίας, ut existimasse videntur LXXII, & eos secutus Latinus, qui alterum reddidisse contenti fuerunt: Sed geminatâ sententiâ omnis, quoad ejus fieri potest, defensio scelestis homicidis præciditur. Quò magis mirum est, his tam multa perfugia & præsidia, ab iis etiam qui interpretum Dei dignitatem obtinuerunt, esse concessa. Sed & illud observandum est, Homicidii modò, non etiam aliorum flagitiorum asyla dari à Deo. Nimirum alia peccata vix ulla sunt aliquando cum innocentia conjuncta, sed studio, voluntate deditâque operâ patrantur: Improbam autem voluntatem Deus minimè impunem voluit haberi. Cæterùm *animam* pro *homine* dicere, synechdoche est; quia anima hominis præcipua pars est. Nam mox רעה, h. e. *socium*, vocat quem nunc *animam* dicit. ¶ *Percutere* autem pro *interficere* sæpe dicunt Hebræi; sicut Latini *percussorem* interfectorem. ¶ Pro *vindice sanguinis*, quod Hebraicè est גואל הדם, reddiderunt LXXII ἀγχιστεύοντα τὸ αἷμα, h. e. *jure cognationis vindicantem sanguinem*; explicatè sanè & commodè: Perinde scilicet atque si occisi hominis sanguis manu homicidæ oppressus asseratur per vindictam in libertatem. Nam etsi licuit lege Dei impunè occidere interfectorem, tamen ea vindicta iis solis permissa fuit quos justus dolor impelleret, h. e. qui sanguinis necessitudine devincti interfecto homini erant.

4. *Fugientem enim ad unam quampiam istarum civitatum*, &c.] Jam ipsa cæremonia exponitur quæ in hoc jure usurpando adhibetur; sed ea est in Numeris c. 35. perscripta explicatiùs, atque etiam in Deuteronomio c. 19. Est autem ejus summa ferè hæc; Qui imprudens, non deliberato animo, aut voluntate, hominem interfecerat, is ad proximum asylum confugiebat, atque in ipsa urbis porta subsistebat: in eáque senatoribus, quorum illic perpetuò aliquot tanquam pro tribunali sedebant ad audiendas popularium suorum causas; iis igitur senatoribus cùm ille factum suum paucis verbis & summatim exposuisset, ex quo apparebat insontem esse, admittebatur in urbem, & in tutelam Magistratûs recipiebatur; ut securè inibi habitare ei liceret usque eò dum occisi hominis cognati ipsum persequentes accusarent. Tum enim senatus frequens utrique parti dabatur, ut solenni judicio altera accusaret, responderet altera. Ibi si dictâ causâ percussor insontem se esse probavit, absolvebatur quidem à capitali crimine: sed tamen inibi tanquam in exsilio manendum ei erat tantisper dum viveret ejus temporis Pontifex max. Quo vitâ functo, ad suos ille demum reverti potuit, à propinquorum occisi hominis vindicta securus. Nam ante id tempus extra asyli muros deprehensus impunè ab illis potuit trucidari, etiam si superioris judicii sententiâ absolutus fuisset. Sin verò noxiæ convictus erat, tum Magistratus ejus urbis in qua facinus admiserat à Magistratu asyli ipsum repetebat, receptúmque in manus vindicis sanguinis noxæ dedebat. Putant quidem plerique cum Doctoribus Hebræis מסכת מכו פ׳ ב׳ non in asylo dari debuisse in profugum capitis judicium, sed ubi cædem fecerat: illic enim de tota re cognosci certiùs potuisse. Et hanc suam sententiam sacris etiam verbis planè affirmare se posse credunt. Scriptum est enim, inquiunt, in Numeris 35. 24. *Et judicabit cœtus inter percussorem & inter vindicem sanguinis secundùm istas leges, & liberabit cœtus homicidam è manu vindicis sanguinis; & reducet ipsum cœtus ad urbem receptûs sui ad quam confugerat: manebitque in ea usque dum moriatur Pontifex max.* &c. Quo enim, inquiunt, modo absolutus reducetur ad urbem ad quam confugerat, si in ea ipse causam dixit, atque ejus urbis Senatus judicium exercuit? Rectè sanè: sed ego vicissim interrogo, Cur in culpa cùm esset, damnatum, ut noxæ dederetur, mittebat repetitum ab asyli Senatu ejus urbis Senatus in qua facinus fecerat, (nam & hoc in Deuteronomio 19. 12. scriptum est luculenter) si in hac non in illa urbe judicatum judicium est? neque enim capitis judicium nisi in præsentem constitui potuit, postquam semel ad asylum perfugisset. Debebat enim ipse stare coram Senatu, & pro se causam dicere. Ad hoc, quis non existimet ideo potissimùm in Levitarum urbibus solis constituta asyla esse, quò illiusmodi capitalia judicia majore cum religione atque justitia fierent? Nam quod illos unum movet, cùm se judicio à vindice sanguinis absolvit, reducitur, ut ego certè existimo, in urbem in quam confugerat, non ex altera illa urbe in qua peccarat, sed ex asyli porta, aut alio quopiam asyli loco, in quo causam dixit judiciúmque redditum est. Puto enim istam reductionem absoluti esse antithesin ejus traditionis condemnati quæ in Deuteronomio, ut dixi, scribitur. Atque hanc ego S. verborum simplicissimam verissimámq; esse sententiam existimo. Cæteroqui non magnopere lubet de ea re cum quoquam contendere. Quin hoc quoque fortassis non ineptè dicat aliquis, Ea verba quæ ex Numeris proferebantur accipienda quidem esse de cœtu ejus loci in quo homicidium fuerat admissum; sed tum demum si homicida ad ejus urbis Magistratum, non ad asylum, confugisset, vel itineris periculo vel aliâ re prohibitus. Nam illud, *ad urbem receptûs sui*, videtur non incommodè interpretari posse de urbe ad quam confugere debuisset. Neque enim homicidæ innoxii cæco propinquorum furori prorsus relinquendi à Magistratu alterius urbis erant, cùm ad asylum evadere non potuissent; sed juvandi potiùs, ut in tuto essent.

5, 6. *Quia imprudens percussit socium suum, quem non*, &c.] A contrario sensu, si prudens percussisset socium suum, h. e. quemvis hominem, quem secundùm leges Divinas odio prosequi non poterat; est enim naturâ omnibus hominibus inter ipsos societas; igitur si sciens hominem percussisset, dedendus erat in manus vindicis sanguinis: non tamen temere vel leviter, sed postquam coram Senatu causam dixisset, solennique judicio damnatus fuisset. Atqui nè sic quidem tradebatur à Levitis vindici sanguinis, sed alterius urbis Senatui in qua peccaverat: ut hîc demum vindicis illum justæ iræ permitteret: usque eò scilicet sacrarum rerum administri Levitæ, qui asylorum omnium cives fuere &. judices, à sanguine fundendo sese abstinebant. Tutatur autem præsens locus æquitatem adversùs summum jus, ostendítque pro illa omnes leges interpretari debere: Cæteroqui enim si ad quævis ἁμαρτήματα uno eodémque rigore, pro verborum quibus latæ sunt tenore accommodentur, sæpe iniquissimæ sint. Docet insuper, laudem & culpam, quæ cum actionibus hominum conjunctæ sunt, in deliberatione atque voluntate ipsa potissimùm consistere; pœnáque judiciorum liberam esse innocentiam. ¶ *Quem non prosequebatur odio ab heri & nudiustertius*] Atqui ex illa impunitate quam asylorum peperit multitudo ea est jam nata impietas ut multi sint sicarii qui pauculis nummis operam suam locitent ad sauciandum vel occidendum hominem quem nunquam viderunt,

runt, & *percussorum* se nomine venditent; *Bravi* in Italia vocantur. Cæterùm quid sit *ab heri & nudiustertius* alibi est à nobis expositum. ¶ Cùm porrò sequitur in S. verbis, *usque ad mortem summi pontificis*, curta est narratio ipsâque brevitate obscura. Nam, ut antè dixi, tutus in asylo erat usque dum causam accusatus dixisset. Jam verò dictâ causâ si absolvebatur, tamen manere etiam in asylo debuit tantisper dum viveret ejus temporis Pont.max. Hoc enim definito exsilio plectebatur ipsa inconsiderantia in re tam atroce; ut major esset cautio. Præteritum ergò est quid illo fieri debuerit qui damnatus esset. Est autem animadvertendum, immensam Dei sapientiam, simul & misericordiam, dum alienum à culpa homicidam ad tempus coercet muris asyli, mirificè consulere propinquorum hominis occisi oculis, nè immaturo percussoris aspectu illi violentur; sed ipsorum animi dolor interea tempore ipso sanetur. Videntur autem hanc legem secuti esse rerum capitalium æquissimi judices Areopagitæ, cùm imprudentem neque sceleratum homicidam ἀπενιαυτισμῷ, h.e. *annuo exsilio*, damnare solerent. Nimirum tam immanis res apud omnes homines semper habitum est Homicidium, ut etiam ii qui imprudentes inscientésque id fecissent tamen certis piaculis opus habere sint existimati, quo à furiarum exagitatione, h.e. à suæ ipsorum conscientiæ terrore, possent conquiescere. Neque verò id mirum est, cùm hominem perimere sit ipsam quodam modo rerum universitatem, atque adeò ipsum Deum, violare. Est enim homo ad imaginem Dei creatus: quæ res quanta sit explicatum à nobis alibi bene multis verbis est, c. 6. v. 15. Hoc enim illud est quod in ipso rerum ortu dictum est à Deo, Gen. 9. 5, 6. *Sanguinem vitæ vestræ requiram; requiram, inquam, ipsum ab omni animanti, & ab homine: requiram hominis animam à viro qui ipsius frater est. Qui fuderit sanguinem hominis, per hominem fundetur sanguis ipsius.* Sed audiamus tanti piaculi causam: *Quia*, inquit, *ad imaginem Dei factus est homo.* Sed hoc hactenus. Cur autem Pontificis morte hoc exsilii tempus definiretur, multæ sunt doctorum virorum sententiæ, atque eæ in magna varietate constitutæ. Ego paucas eásque præcipuas annumerabo. Vir magnâ doctrinâ, & summâ etiam apud suos gentiles auctoritate, Moses Maimonius, in eo commentario quem inscripsit מורה הנבוכים *moreh nevochim*, h.e. *Doctorem eorum qui dubii hærent*, l. 3. c. 40. scriptum reliquit in hanc sententiam: *Quòd*, inquit, *is qui imprudens fecit homicidium, exsulat, id eò fit ut tranquilletur interea animus vindicis sanguinis, dum non videt eum qui facinus fecit. Pendet verò ipsius in patriam reditus ex morte ejus viri, qui cùm cæteros mortales omnes dignitate præcellat, atque ab omnibus Israelitis summè ametur, consentaneum est ejus acerbo casu sedari dolorem quem sanguinis vindex ex cognati sui cæde conceperat. Quippe sic comparatum est hominum ingenium, ut quisquis habet infortunium, si par aut majus alteri accidisse viderit, minùs doleat de suo. Nullius autem omnium hominum calamitas gravior, apud nos certè, existimatur quàm Pontificis maximi mors.* Hæc ille, propè ad verbum: quem secutus, ut videtur, Levi Gersonis, *Prudenter*, inquit, *voluit Lex restinguere fervorem animi vindicis sanguinis de morte propinqui conceptum, eò quòd cerneret principem virum, quantus est Pontifex, etiam morte esse peremptum.* Atque huic subscribit Bahajaus. Sed Doctores Hebræi מסכת מכה פרק ב׳ quo libro De pœnis tractant, hanc afferunt causam; *Pontificis*, inquiunt, *proprium munus erat, imploratâ Dei misericordiâ avertere tristes illiusmodi casus à sui seculi hominibus. Jure igitur admissi delicti piaculum in ejus morte positum est cujus in exorando Deo negligentiâ illud est admissum.* In commentariis vetustis quæ ספרי vocantur redduntur aliæ rationes, quas hoc loco laudat Kimhi. Sed quia parùm firmæ mihi videntur, piget adscribere. Et Paulus Fagius eas compilavit exposuítque in iis annotationibus quas in caput 35. Numerorum scripsit, à se ex Chaldæo conversum. Porrò R. Isaac Æramæus, vir egregiè doctus & acutus, de ista re sic scripsit, in Isaaco colligato; *Mihi*, inquit, *videtur*, *ideo nisi mortuo Pontifice homicidam exire asylam non potuisse, quia cùm asyla omnia, utpote urbes Leviticæ, fuerint in ditione Pontificis, debuerintque ei servitutem & officia, ut Primati ejus tribûs, probabile est homicidam, postquam illuc se receperat, similiter atque alios cives, omne genus officia Pontifici debuisse, eáque quam diu iste viveret præstare debuisse, cùm ei civis nexu vinctus esset: cæterùm Divinam misericordiam voluisse ut, quando ille innoxius esset, illiusmodi servitute ab uno solo premeretur Rege: Itaque mortuo Pontifice, qui tanquam Rex Levitarum erat, exire illum eo servitio, atque ad suas possessiones redire licuisse.* Hæc Æramæus, ingeniosiùs, meo judicio, quàm firmiùs. Sic igitur ferè Judæi, cordatiores certè, sentiunt: nugatores enim omitto. Nostri plerique omnes, cùm rationem aliam reddere non possunt, tanquam in aram, confugiunt ad anagogen. Nam D. Ambrosius, in eo opere quo seculi fugam & doctè & piè suadet, c. 2. postquam de asylis multa disputasset, *hærere* tandem dixit *interpretationem secundùm literam* in eo quod de exspectanda Pontificis morte constitutum est. Ego verò, etsi verear, nè parùm sit placiturum quod afferam; nihil enim satìs liquere potest in re tam obscura; dicam tamen quod sentio: Igitur, sicut exsilium ipsum, ità etiam hanc de exspectanda Pontificis morte legem, ad cædis humanæ immanitatem declarandum pertinere censeo: quasi scilicet homicida, ut impurus, quippe humano pollutus sanguine, intra asylum, tanquam intra præscriptas latebras, occultari tantisper debeat, neque inter alios homines liberum efferre caput possit, dum superstes is est quem in terris Dei primarium interpretem, & ejus Divinæ majestatis personam quodam modo adumbrantem, atque omnino omnis religionis, pietatis, sanctitatis ἀρχηγὸν ac principem, è sublimi muneris sui solio reipub. statum semper contuentem, ille facinoris illius sui diritate omnium gravissimè offendit. Mihi enim certè prorsus spectare huc videtur quod in Numeris 35. 25. tanquam causa affertur cur tanta superstitis Pontificis debeat esse reverentia, his verbis, *Qui unctus est oleo sancto.* Est enim id, ut videtur, hoc sensu accipiendum, Usque eò dum in vivis manet ille Pontifex, in quo ipsa Dei majestas est violata per illiusmodi facinus, quod interea dum ille pro Deo fungebatur summo sacerdotio est patratum. Scio equidem esse qui libertatem revertendi post mortem Pontificis acceptam referri debere statuunt renovationi gratiæ, quâ novus succedit Sacerdos ad reconciliandum Deo populum; quasi hæc offensas superiores placare magìs possit; eósque qui solius erroris pœnas dabant, non malitiæ, in integrum restituere. Quorum ego sententiam laudo quidem, ut acutam & subtilem; verùm cur probare non possim causa est, quòd videre videar legem istam nullam prorsus novi Pontificis rationem habere, sed rem omnem ad ejus excessum referre quo vivo patrata cædes fuerat. Verùm enimvero ipsa ἀναγωγὴ ut certissima ità aptissima est. Significat enim genus humanum, nisi per mortem summi Pontificis Christi, in cœlestem patriam suam reverti non posse, undè semel per Adæ errorem exsulare cœpit: Aut, primum nostrum parentem Adamum, postea quàm omnem posteritatem errore suo interfecisset, patriâ suâ extorrem, sperare nullum reditum potuisse nisi per Pontificis Christi mortem, adversùs quem maximè peccaverat, tanquam Deum & hominem. Quin veteres etiam Judæorum Magistri illud Adæ facinus rectè &, ut opinor, imprudentes in hanc sententiam interpretantur, in במדבר רבה iis commentariis libri Numerorum quæ *Rabba* vocant.

7. *Consecrarunt igitur ipsam Cedes in Galilæa*, &c.] Verbum קדש significat quidem sæpe *rem quampiam constituere, designare*, atque *in usum aliquem destinare accommodaréque*; sed tum solùm quando adhibentur quædam religionis ceremoniæ. Optimè igitur *consecrandi* verbo reddi videtur. De urbibus quæ nominantur diximus alibi. Eusebius diversam esse hanc שכם *Sychem* existimat ab illa Dinæ stupro, Josephi sepulcro, aliísque multis rebus nobilitata urbe, quam, ut diximus, posteritas dixit *Neapolim*, vulgus nunc *Naplozam* vocat. Sed veteres Judæi,

Judæi, in commentariis inscriptis *Tanhuma* sive *Jelammedenu*, Neapolim fuisse asylum censent. Idque ego esse credibilius opinor, cùm de duabus Sychem nihil certi proditum S. literis esse videatur. Fuit quidem, ut apparet, Sychem apud montem potiùs quàm super monte posita. Sed satis fuisse puto ut urbis indiciū mons procul videri posset. Nam ideo in montibus constituta fuisse asyla certum est, ut obviam iretur errori miserorum hominum qui quâdam infelicitate in facinus illud incidissent, cùm certo itinere conspectam procul asyli urbem possent petere. Usque eò enim Deus istorum calamitati succurrendum putavit, nè innoxio suo sanguine pœnas vindicibus darent, atque ita terra magis magisque pollueretur, ut ipsas etiam vias quæ ad asyla ducerent sternere accuratè jusserit. Quò spectat etiam ipsa commodissima asylorum dispositio per universam regionem, atque æquabilis distantia. Propè enim par est viæ spatium ex quovis Terræ sanctæ angulo ad unum illorum quodlibet. Nam Hebron urbs exstabat ad Meridiem, Cedes ad Septentrionem, Sychem inter illas medio loco. Etenim sic fieri voluerat Deus: Dixerat enim, cùm de tribus asylis verba faceret, *Dividite fines terræ vestræ, cujus vobis possessionem daturus est Deus vester, in partes tres*; nimirum æquales, quantum certè ipsa locorum ratio permittat. Quin à Doctoribus Hebræis existimatum est, in illo quem nuper dicebam libro, מסכת מכה פ׳ ב׳ & quidem probabiliter, ut puto, paria fuisse intervalla ab extremitate Australi Terræ sanctæ ad Hebronem, ab Hebrone ad Sychem, à Sychem ad Cedes, denique à Cedes ad extremitatem Aquilonarem.

8. *Trans Jordanem verò Jerichuntis ad Orientem*, &c.] Fuerant quidem tria ista asyla cis Jordanem à Mose constituta; verùm, ùt est à Doctoribus Hebræis proditum, religiosum illud sanctitatis jus non habuerunt nisi tum demum cùm etiam altera illa trans Jordanem essent consecrata. Eâque caussa est cur jam denuò, nullâ Mosis factâ mentione, hæc designentur. Scribunt porrò iidem Doctores Hebræi, utraque perfugia sic altera alteris ipso positu respondisse ut in pari essent altitudine sive latitudine Cosmographica Hebron & Bosor, tum Sychem & Ramoth, denique Cedes & Gaulon: sed ejus rei fides sit penes illos. Neque enim veritas nisi sciotheris facilè inveniatur. Sed multa illi alia de asylis illic nugati sunt quæ non fuerit operæpretium adscribere: Sunt enim digna illis hominibus quos Deus multavit *amentiâ & cæcitate atque stupore animi, quique ita palpant in meridie sicut cæci in tenebris*, Deut. 28. 28. Si quis tamen curiosior etiam illa desideret, eum jubeo Fagium, quem nuper laudabam, adire. Facere tamen non possum quin unum commemorem. Mirabile videtur cur non plura apud novem tribus & dimidiam instituta sint asyla quàm apud duas & dimidiam. Hoc ergò facillimè expediunt Doctores Hebræi illi, homines acutissimi scilicet: *In Galaaditide*, inquiunt, *frequentiora fiebant homicidia*. Et hoc nè somniasse videantur, ut multa, certissimum laudant auctorem Oseam vatem, qui c. 6. v. 8. dixit, *Galaad civitas maleficorum, callida in sanguine*, fundendo videlicet. Quasi verò asyla pro maleficis & callidis latronibus sint comparata. Sed hoc est istorum hominum singulare acumen. Meliùs Nehmannus, *Duo*, inquit, *regna, Sehonis & Og, etsi paucis tribubus sint attributa, cum ea regione quæ propriè Galaaditis nominabatur, tamen cùm amplissima essent, non paucioribus asylis opus in eis erat, ut innocentum hominum saluti consuleretur, quàm in reliqua Chananæa universa*. Sed cùm addit Nehmannus, *Hoc quoque responderi posse, Mosis gratia concessum à Deo esse ut non pauciora ipse quàm Josua asyla constitueret*, non minùs quàm Doctores Hebræi pueriliter nugari mihi videtur. Amplitudinis enim loci rationem esse habitam, inde efficitur apertissimè, quòd tria insuper alia asyla instituenda fuerint si olim fines ampliores populo concederentur à Deo, Deut. 19. 8. ¶ Civitas *Bosor*, quæ ab Hebræis בצר *Bezer* & בצרה *Bozra* dicitur, posita erat in Moabitidis planitie, ut ait Jeremias 48. 24 h. e. iis campis quos *Moabiticos* vocare solemus. Ex Machabæorum verò historia l. 1. c. 5. v. 26, 27, 28. certum est eam extitisse in deserto. Nam illic *Galaaditidis* nomine vocatur universa regio quæ cis Jordanem est, Israelitis assignata. Erat ergò ista urbs in Reubenitarum hæreditate posita trans Arnonem longiusculo intervallo; sicut Hebron, non in ipsa Judaicæ hæreditatis extremitate, sed interiùs, pro primo à Meridie asylo designababatur. Nam longè alia est illa בצרה *Bozra*, opinor, quam Isaias 34. 6. & 63. 1. apud Idumæos collocat. ¶ De ראמות *Ramoth* diximus c. 13. v. 26. ¶ Porrò גולן *Golan*, sive *Gaulon*, superest in prægrandi vico, ut ait Eusebius, in Bathanea, h. e. Basanitide. Hæc urbs nomen dedit amplæ atque uberi regioni quæ *Gaulonitis* appellatur. Hanc duplicem esse statuunt: Superiorem inde à Libano monte ad lacum Genesaram deducunt; Inferiorem autem littore Genesaræ ad Gadaram usque urbem definiunt.

9. *Istæ fuerunt urbes publicè constitutæ pro omnibus*, &c.] Quod dico, *urbes publicè constitutæ*, est Hebraicè ערי המועדה. Diximus autem superiùs c. 18. v. 1. cùm vocem מועד exponeremus, positionem יעד usurpari de *loco* aut *tempore præstituendo*. Fuerunt ergò Asyla de communi omnium sententia constituta loca ad quæ perfugerent insontes homicidæ. Nam quod R. D. Kimhi interpretatur *urbes congregationis*, quia illuc, ut ait, conveniebant homicidæ, parùm plenè videtur ille rem ipsam dicere. Neque enim percussorum tantam illuc frequentiam convenisse est credibile, ut à convenis istis vocarentur *urbes congregationis*. ¶ Quod porrò additur, *pro omnibus Israelitis, & pro peregrino*, id excludere quosvis ab asylis qui Israelitæ non sint, aut certè communi cum illis sacrorum jure non utantur, autumant Doctores Hebræi, מסכת מכה פ׳ ב׳ & eorum astipulatores Judæi plerique omnes. Sed vocabulum גר non solos eos significare quos προσηλύτους appellamus, sed sæpe simpliciter *hominem peregrinum*, certa res est. Nam ipsi etiam Israelitæ fuerunt גרים, h. e. *peregrini*, in Ægypto. Et in Numeris præter גר etiam תושב h. e. *inquilinus*, hâc lege censetur. Sed quando vetuit Deus Israelitis nè alienæ religionis homines apud se habitare sinerent, credibile quidem est Legem De iis peregrinis potissimùm loqui quos dixi προσηλύτους vocari. Verùm eo non efficitur, ut Doctores Hebræi pro sua mala mente volunt, si quis alienigena, neque Mosis institutis initiatus, forte quadam, non malo animo, aut voluntate, cædem fecisset apud illos, necari eum illico debuisse etiam si ad asylum evasisset. Deus enim simpliciter detestatur omnem innoxii sanguinis effusionem: Neque quosvis alienigenas à suo populo impunè interfici voluit, sed Chananæos, & rebelles. Sed priùs quàm digrediamur ab asylis, monendum est, ea omnia Levitis assignari pro habitationibus: Nimirum, ut sacerdotii dignitate vis injusta meliùs prohibeatur, útque à viris Divini humanique juris peritis illiusmodi capitalia judicia sanctiùs rectiúsque judicentur. Quare longè à vero aberrare mihi videntur qui contendunt in ea civitate in qua patratum facinus fuerat redditum judicium hoc esse. Sed de ista controversia disputatum suprà satis est.

IDEM.

2. POst Δότε adscribatur ὑμῖν. ¶ Ibidem lectum à Syro est, numero singulari, τοῦ φυγαδευτηρίου.

3. Post ἀκουσίως additum est in mixta ※ ἄνευ προνοίας ↙. ¶ Scribe, mutato ordine, ὑμῖν ÷ αἱ πόλεις ↙. & illud αἱ πόλεις, habeat notam obelisci appositam. quâ notâ etiam signanda sunt illa quæ deinceps sequuntur, nempe, ÷ καὶ οὐκ ἀποθανεῖται ὁ φονευτὴς ↙. & rursus illa, ÷ ἕως ἂν καταστῇ ἐναντίον τῆς συναγωγῆς εἰς κρίσιν ↙.

4. Scribe, ἐπὶ τὴν θύραν τῆς πύλης τῆς πόλεως· atque expungito pronomen illud αὐτοῦ. Mox scribe τοὺς λόγους αὐτοῦ. ¶ Cùm autem interpretes hoc loco dicunt ἡ συναγωγή, legerunt העדה pro העירה.

6. Pro εἰσελεύσεται εἰς τὴν, &c. scribe καὶ ἐλεύσεται πρὸς τὴν πόλιν. ¶ Cùm porrò ulteriùs est, καὶ ἐλεύσεται πρὸς πόλιν debet conjunctio veru jugulari.

7. Scribe

7. Scribe numero unius διδεγλεν, quamvis sit plurium numerus in Hebræo. ¶ Suggeritur in mixta articulus, ※ τὴν ↓ Συχὲμ. ¶ Pro Ἀρβὸ legit Syrus, atque etiam Compl. Ἀρβὸκ, sed mendum id esse testatur D. Hieronymus: debet enim dici Ἀρβὶ aut Ἀρβαὶ ubique certè in Vat. est Ἀρβὶ.

8. Illud, ἀπὸ ἀνατολῶν, notandum est apposito asterisco, tanquam alienū. ¶ Post Γαλαὰδ adscribito ἐκ τῆς φυλῆς Γάδ.

9. In ipso initio post αὐτῇ suggerit mixta ※ἦσαν ↓. Et mox cum eodem signo addit universitatis vocabulum, hoc modo, ※ πᾶσιν ↓ τοῖς υἱοῖς, &c. ¶ Pro ἐκ χειρὸς scribe ἐν χειρί. ¶ Denique ipsa extremitas, ÷ εἰς κρίσιν ↓, juguletur obelisco.

DRUSIUS.

2. Date vobis] τὸ *vobis* eleganter abundat ex usu linguæ. Sic, *Faciamus nobis, Vade tibi*, & alia ejus generis. Quidam, *ex vobis* מכם. Apud Plautum, *Quid ego tibi deliqui?* pro, *Quid ego deliqui?* ubi similiter *tibi* παρέλκει. ¶ *Urbes refugii*] Vel *perfugii*. Cicero Pro domo sua, *Hoc perfugium ità sanctum est omnibus ut inde abripi neminem fas sit*. Ebr. ערי מקלט, quod reddunt, *urbes receptus*, eodem sensu. קלט *excipere, recipere, retinere*. In Ohel exponitur *colligere*, לשון אסיפה. Hieron. *urbes fugitivorum*. Lxx, Δότε (hic omissum pronomen) τὰς πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων. *Date civitates refugiorum*. Lex. Vet. φυγαδεύω, *exsulo, fugio*. φυγάδευσις, *fugitatio*. potiùs, *exsulem facio, pello in exsilium*. Hinc φυγαδευτήριον *refugium*, & πόλις φυγαδευτηρίου *urbs quæ habet asylum quò rei confugiunt & exsules*. Malim, πόλις τῆς καταφυγῆς *urbs refugii*, vel *perfugii*, quod & κρησφύγετον, dicitur, *latebra, asylum*. *Jon*. קירוי שיזבותא *urbes liberationis*, in quibus is qui cædem commisit liberari potest, nè à propinquis occisi perimatur. Dictum autem putarim τῶν φυγαδευτηρίων pro φυγαδευτήρια *asyla*, vel εἰς φυγαδευτήρια, *in asyla*. Sic loquuntur infra 21. 13. ἔδωκε τὴν πόλιν φυγαδευτήριον τῷ &c. & Num. 35. 15. πόλεις αὗται εἰς φυγαδευτήριον. ibid. v. 12, 13. ἔσονται αἱ πόλεις ὑμῖν φυγαδευτήρια. ibid. v. 25. εἰς τὴν πόλιν τοῦ φυγαδευτηρίου. Reperitur & φυγαδεῖον Num. 35. 15. & πόλις καταφυγῆς, ibid. v. 27, & 28. R. D. קלט etiam *colligere* & *congregare* interpretatur; & ערי מקלט, *in quibus se colligebant & congregabant qui fugiebant eò*. *Asylum* ἄσυλον, sub. ἱερὸν *templum*. Potest enim dici πόλις ἄσυλος, q. *intemerata* & *inviolata*, vel *inspoliata*: ut ἄσυλος τόπος 2 Mach. 4. *locus tutus à violentia & sacrosanctus* Livius l. 35. *Eâ religione & eo jure sancto quo sunt templa, quæ Asyla Græci appellant*. Cicero, *Qui in illud asylum confugisset*, h. e. in templum Dianæ, *ex quo abripi nefas erat eum qui eò confugisset*. Servius apud Verg. *Junonis asylo* exponit, *templo, unde nullus posset extrahi*. subjungens, dictum *asylum* q. *asyrum*. Homines etiam ἄσυλοι dicuntur *quos violare nefas*. Urbes ergò ἄσυλοι, *ad quas confugientes nefas erat abducere*. Hoc autem certis urbibus consecrationis lege concessum erat. non omnibus. ¶ *De quibus locutus sum per Mosen*] Num. 35. 9. Deut. 19. 1. Sunt qui קלט *retinere* vertunt: ergò *urbes retentionis*, in quibus homicida qui eò confugerat retinebatur, nec exire inde licebat ante obitum Pontificis.

3. *Percutiens animam*] Occidens hominem. ¶ *Per errorem inscienter*] Vel *imprudenter*. Quidam, *errore per imprudentiam*. Videtur tautologia esse in his verbis: nam quod quis *per errorem* facit *inscienter* facit. Ideo Hieron. *quicunque animam percusserit nescius* & Lxx, τῷ πατάξαντι ψυχὴν ἀκουσίως, i. *non sponte*. Jon. *per errorem absque scientia*, i. inscienter. Sic etiam est in fonte ad verbum. Masius, *Non est tautologia: sed geminatâ sententiâ omnis, quoad ejus fieri potest, defensio scelestis homicidis præciditur*. Fortè locutio est ἐκ παραλλήλου, quâ duo ἰσοδυναμοῦντα simul junguntur; ut cùm dicimus, *lutum cœni, citò celeriter, terra pulveris*, &c. ¶ *Erunt vobis in perfugium*] למקלט, εἰς φυγαδευτήριον, vel certè καταφυγήν. Latinè, *erunt vobis perfugium*, vel certè *asylum*, *ubi tuti eritis à vindice sanguinis*. Lxx, ἔσονται ὑμῖν αἱ πόλεις φυγαδευτήριον. Jon. לשזבא *ad evadendum à vindice sanguinis*. ¶ *A vindice sanguinis*] Ab eo qui ultor est sanguinis, videlicet propinquus, quam Græci ἀγχιστεύοντα τὸ αἷμα vocant, h. e. *jure cognationis vindicantem sanguinem*. Lxx, Καὶ οὐκ ἀποθανεῖται ὁ φονευτὴς ὑπὸ τοῦ ἀγχιστεύοντος τὸ αἷμα, quod reddunt, *& non morietur homicida à persequente sanguinem*. Santes, *à propinquo sanguinis*. Arias, *à redemptore*. Jure Divino, h. e. lege Mosis, licebat occidere homicidam non cuivis, sed illi tantùm qui jure propinquitatis occiso devinctus erat.

4. *Ad ostium portæ urbis*] In portis olim judicia exercebant, unde *porta* pro loco judicii, quem *curia* vocabulo significavit. Sic, *arguunt judicem in porta*. Hinc, *Portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam*, i. omnis jurisdictio Satanæ. Vide Tropos in *Porta*. ¶ *Loquetur verba sua*] aget causam suam. *Loquitur in judicio* qui se ibi defendit: quod olim per se faciebant; nunc fit per advocatum. ¶ *Senum*] i. Senatorum, aut Magistratûs, *urbis illius*. Hieron. *Loquetur Senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem*. *Loqui* ergò *in porta* est innocentiam suam tueri, & declarare se innoxium aut extra noxam esse. Lxx verbum è verbo, ἐν τοῖς ὠσὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς πόλεως, *in auribus Seniorum urbis*, i. senum. Vult dicere, *audientibus illis*. Thargum, *coram senibus urbis illius*. ¶ *Colligent eum*] *Recipient eum*.

5. *Socium suum*] i. alium quemvis. Nam *socium*, i. רע, vocant Ebræi eum quicum nobis res est, sive amicus ille fuerit sive non, nihil refert. Quocirca locum illum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, Apostolus vertit τὸν ἕτερον, *alium*. Vide Observ. meas, si vacat. Pro *socium* sunt qui malunt *amicum*. Nam vox Ebræa utrumque sign. Sic, *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum*, eadem vox est in Ebræo.

6. *Donec steterit coram cœtu*] Nam rei stabant, Judices autem sedebant. Advocati etiam stabant ad dexteram rei. Sic Jes. 50. 8. *Stemus simul*, nempe ante Judicem, aut ante tribunal. Nam litigantes stabant. Exod. 18. 13. *Sedit Moses ad judicandum populum, & stetit populus juxta Mosen à manè ad vesperam*. Zach. 3. 1. *Ostendit mihi DOMINUS Josuam sacerdotem magnum stantem coram angelo*, nempe ut reus stat coram Judice. Liber Musar, 115. 1. בעלי דינין בעמידה *Partes litigantes stabant*, שופטים בישיבה *Judices sedebant*. Stabant etiam advocati, ut diximus, dum causam agerent. Plautus Casinâ, *Dum adsto advocatus*. Menæchmis, *Hinc stas, illinc causam agis*. Horatius,

intercam, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

In historia Ebraica Jannai Rex, cùm sederet in judicio, stare jubetur super pedes suos (tanquam reus an testis? Nam etiam testes stabant) à Simeone filio Selach, qui dicebat, *Non coram nobis tu stas, sed coram Deo laudando, sicut dicitur, Et steterunt duo viri qui litem habebant coram Domino*. Vide Manahemum, 114. 2. ¶ *Ad judicium*] Judicium hoc institutum quidam putant in urbe in qua homicidium patratum fuit. Videndus R. D. ad hunc locum. Alii existimant in ea urbe fuisse in quam homicida confugerat. Si reus erat, h. e. si sciens aut volens hominem occiderat, capitis pœnâ afficiebatur: Si non erat reus, manebat in urbe ad quam confugerat: ità Masius. ¶ *Usque ad mortem*, &c.] Manebat in urbe perfugii, tanquam in exsilio, usque ad mortem Pontificis qui tunc erat. Cur hoc? Vide Masium, qui plures causas hujus rei adducit ex libris Doctorum; & Num. 35. 25.

7. *Sanctificarunt*] In asylum aut perfugium consecrarunt, decreverunt ut esset urbs refugii. Hieron. *Decreverunt Cedes*. Lxx, καὶ διέστειλεν τὴν Κάδης *distinxit Cades*. Thargum, *Præparaverunt*. Santes, *paraverunt*. ¶ *Cedes*] Vel *Cades*. ¶ *In Galilæa*] גליל est *Galilæa*. In voce significatio *termini* aut *limitis*. Duplex erat, Superior, Inferior. Superior à Græcis vocatur ἡ ἄνω Γαλιλαία, ab Ebræis גליל העליון, Juch. 68. 1. & גלילאה עילאה, Sanhedrin c. 1. Dicitur etiam *Galilæa Gentium*. Eusebius

Eusebius De locis, *Una Galilæa Gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, ubi & Solomo viginti quinque urbes donavit Hiram Regi Tyri, in sorte tribûs Nephthali.* Hîc dubitatio aliqua. Nam sunt qui *Galilæam Gentium* dici putant pro *Galilæa populosa*, & de Inferiore, non de Superiore intelligunt; sed quàm rectè, viderint. Nam Galilæa populosa potiùs diceretur *Galilæa populorum*. *Gentes* à *populis* communiter eo differunt quòd *Gentes* dicantur populi qui non receperunt legem Mosis. Tales erant Tyrii & Sidonii, populíque vicini. Inferior Galilæa à Judæis habitabatur, quocirca *Galilæa Judæorum* vocatur. Erat autem *circa Tiberiadem & stagnum Genesareth, in tribu Zabulon.* A Græcis dicitur ἡ κάτω Γαλιλαία, & à Doctoribus Ebræis, גליל תחתון, Juch. 57.2. & גלילה תתאה, ut in illo, *Scribe fratribus nostris filiis Galilææ inferioris, Pax vestra multiplicetur in seculum.* Porrò Capharnahum, quam nonnulli scribunt fuisse in Galilæa inferiore, erat in confinio utriusque. De duabus Galilæis, una quæ dicitur *Judæorum*, & altera quæ dicitur *Gentium*, vide sis Anselmum, Matth. 4. fol. 48. ¶ *Sichem*] Vide Masium. ¶ *In monte Juda*] In regione montana Judææ propriè dictæ, cujus mentio Luc. 1.39,65. Item Num. 13.17. Τὴν ὀρεινὴν vocant quæ in Meridie Jerosolymorum, ut etiam Hebron; ut Cedes in Septentrione; & Sichem inter illas medio loco.

9. *Civitates conventûs*] מועדה, formæ מוסדה. Hieron. *civitates constitutæ.* Masius, *Urbes publicè constitutæ.* Santes, *civitates congregationis.* LXX, αἱ πόλεις αἱ ἐπίκλητοι, *civitates celebres.* ¶ *In manu propinqui vindicis*, &c.] Hieron. *in manu proximi effusum sanguinem vindicare cupientis.* ¶ *Donec steterit coram cœtu*] Ad judicium videlicet, h. e. dum causam suam egerit in judicio, sive, ut suprà loquitur, *dum locutus fuerit verba sua in judicio.* Hieron. *donec staret ad populum expositurus causam suam.* Vide quæ scripsimus ad v. 6. Senes addunt εἰς κρίσιν, ut suprà v. 6.

GROTIUS.

3. *PErcusserit nesciùs*] בשגגה Græci vertunt ἀκουσίως. Vide quæ dicta Num. 35.4. Deut. 19.2.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

11. *ARba*] Fuit hic Arba homo magnus, à quo descenderunt Anakim gigantes, homines magno & robusto corpore.

30. *Cum suburbanis suis*] Jon. vertit רווחא *spatium*, quod scilicet mille cubitis extra mœnia versùs quatuor mundi plagas porrigebatur. Et in his suburbanis prædiis nutriebant Levitæ pecora sua. Terram verò non colebant, cùm tantilla terra illis non satis fructum afferre potuisset, sed vivebant ex decimis filiorum Israel. Unde & per omnes 12 tribus erant Levitæ dispersi, nè, si in una solùm habitassent, illa propter tot homines nutriendos incommodata fuisset. Deinde, cùm illorum officium esset vacare cultui Divino, & homines instituere in lege Domini, voluit Dominus ut singulæ tribus suos haberent Levitas, per quorum ministerium ad suum cultum exstimularentur.

45. *Cecidit*] h. e. Nihil non est impletum: Quicquid Dominus promisit Patribus, adimpletum est.

VATABLUS.

2. *PER manum Moseh*, ביד משה] Hebraismus, de quo aliis locis, *per Mosen*, sive internuntio *Mose.* ¶ *Pro animalibus nostris*, לבהמתנו] i. Pro alendis pecoribus nostris.

4. *Egressa est autem*, &c. ויצא הגורל למשפחות וגו'] Hebraismus, Cahathitæ missis sortibus acceperunt possessionem suam. ¶ *Fuerúntque*, ויהי] Singul. Heb. pro plur. Propterea quòd usus hujus verbi est frequentissimus, non attenditur in eo numerus aut genus. ¶ *De Levitis*, מן הלוים] i. Qui erant de genere Levitico, & ex Cahath, sed patre Amram: erántque omnes sacerdotes.

5. *Reliquis*, הנותרים] i. Aliis ab Aharonitis, h. e. filiis Aharonis: quandoquidem erant tantummodo Levitæ.

9. *Dederunt ergò*, ויתנו] i. Assignaverunt Levitis urbes istas quas acceperunt de tribu, &c. ¶ *Quas vocavit nomine*, אשר יקרא אתהן בשם] *Vocavit*, inquit, sub. *is qui illis dedit nomina*, i. Quæ ità vocantur ex nomine, q. d. Quarum sequuntur nomina.

10. *De familiis Cehathi*, &c. ממשפחות הקהתי מבני לוי] i. De Cehathitis Levitis. ¶ *Illis enim*, &c. כי להם וגו'] i. Illis primùm, sive primo loco cecidit sors, h. e. pro illis sors prima egressa est.

11. *Patris Anoc*, אבי הענוק] i. Maximi gigantum, sive inter gigantes & tyrannos.

13. *Filiis inquam Aharon*, ולבני אהרון] i. Qui fuerunt Sacerdotes, ut pater. ¶ *Homicidæ*, הרוצח] Sing. Heb. pro plur. *homicidarum*, i. Ad quam fugere solebant homicidæ. ¶ *Hebron*, חברון] Quoad habitationem scilicet: nam dominium retinuerat Chaleb.

20. *Sortis eorum*, גורלם] i. Quas missis sortibus acceperunt à filiis Israel.

25. *Gath-rimmon*, גת רימון] Duæ erant Gath-rimmon. Multæ enim sunt urbes in Terra sancta iisdem nominibus.

26. *Familiis*, &c. למשפחות וגו'] Verbum aliquod subaudiendum, *Omnes urbes quæ sunt decem, & suburbana earum, fuerunt familiarum filiorum Cahath*, i. Cahathitarum, *reliquorum*. Vel, *Omnes urbes fuerunt decem, & suburbana earum, quas dederunt familiis filiorum Cahath residuis.*

27. *De familiis Levitarum*, ממשפחות הלוים] i. Qui fuerunt etiam Levitæ, dederunt de dimidia tribu Manasse: quæ scilicet erat citra Jordanem, ad Ortum solis. ¶ *Homicidæ*, הרוצח] Vide v. 13.

32. *In Galil*, בגליל] i. Quæ sita erat in Galilæa.

34. *Residuorum*, הנותרים] *Reliquorum*. Vocat Meraritas *Levitas reliquos*, quòd postremo loco enumerentur.

40. *Omnes civitates*, &c. כל הערים וגו'] Deest & hîc verbum, ut v. 26. *Omnes urbes istæ fuerunt Meraritarum*, vel, *Omnes urbes istas dederunt filiis Merari, per cognationes suas, qui reliqui erant*, i. qui restabant, *ex cognationibus*, h. e. ex numero, *Levitarum*: fuerunt enim postremo loco numerati.

42. *Fuerunt civitates*, &c. תהיינה הערים וגו'] i. Singulæ harum urbium habuerunt sua suburbana: ità se res habuit per omnes istas urbes, q. d. Omnibus istis urbibus adjuncta fuerunt suburbana.

44. *Requiem quoque*, &c. וינח וגו'] i. Summam pacem ac tranquillitatem. ¶ *Prorsus ut juraverat*, ככל אשר נשבע] Ad verb. *Juxta omnia quæ juraverat.* ¶ *Neque fuit quisquam*, &c. ולא עמד איש בפניהם] Ad verb. *Et non stetit vir in conspectu eorum.* Hebraismus.

45. *Non cecidit*, &c. לא נפל דבר וגו'] *Non intercidit* [i. Non evanuit, non fuit irritum] *quicquam ex omnibus rebus bonis quas dixerat*, i. pollicitus fuerat, *domui Israel*, i. filiis Israel, *omnia evenerunt*, ut pollicitus fuerat scilicet: ídque ut ostendatur Deus verax in omnibus promissis suis.

CASTALIO.

5. *REliqui Cahathini ex cognationibus tribuum Ephraimi*] h. e. Ex cognationum finibus.

CLARIUS.

11. *Arbe*] Fuit Arba homo magnus, à quo descenderunt Enacim gigantes, homines magno & robusto corpore. ¶ *Et suburbana*] Spatium quod mille cubitis extra mœnia versùs quatuor mundi plagas porrigebatur.

MASIUS.

1, 2. *Accesserunt autem primates inter patres Levitarum*, &c.] Levitis, ut exsortibus hæreditatis, attribuendas esse civitates pro habitationibus, & suburbana arva pro pecore ipsorum, de cujusque cæterarum tribuum hæreditate, cùm alibi tum disertissimè in Numeris c. 35. sancitum à Deo est; qui eas urbes numero, & earum suburbana spatio certo definivit, nè dantium tenacitas scilicet cum accipientium cupiditate contenderet, alterísque alteros ullâ re fraudarent. Id igitur nunc agitur, & quidem in tempore. Neque enim potuere tribus cæteræ de sua quisque hæreditate urbes decidere, quas Levitis darent, priùs quàm ipsæ accepissent. Jam verò debebant in primis assignari Levitis illæ sex urbes quæ pro asylis fuerant deputatæ: Erant ergò etiam asyla antè nominanda quàm de Levitarum habitationibus ageretur. Sed dicat aliquis, in extremo capitis 19 dicebatur *absolutam fuisse partitionem terræ*; nihil ergò opus est istâ distributione. Atqui cùm Levitæ exhæredes essent, nihil ad eos illa divisio attinebat. Illud verò dubitationem habere aliquam videtur, fuerintne Levitæ urbium suarum & prædiorum domini, an verò usufructuarii modò, ut loquuntur Jurisconsulti. Sed mihi quidem videtur Deus hoc dubium sancivisse satis apertè, cùm in Levitico 25. 33, 34. diceret, *Si quis emerit à Levitis, desinat possidere domum emptam & urbem in jubileo; quia domus urbium Levitarum sunt ipsorum possessio inter Israelitas. Ager autem suburbanus urbium illorum nè venditor, est enim æterna ipsorum possessio.* Verùm enimvero videntur rursus 12 viri accusandi cessationis, qui non ultro Levitis prospiciunt, sed dum interpellentur exspectant. Atqui quis credat Pontificem max. Eleazarum suos tribules, atque adeò seipsum, fuisse neglecturum, ut cæteri collegæ, viri sanctissimi, indiligentes fuerint? Igitur quòd primates inter patres Levitarum memorantur adire Duodecimviros, eósque mandati Dei admonere, id modò significat, Illos, cùm res ad eam opportunitatem perductæ fuissent, accessisse ad divisores communi suorum tribulium nomine, ut designatas ab illis urbes sortirentur. Simpliciter enim Dei jussa exponunt, dum se sistunt: ac si dicant, Se adesse à populo Levitico allegatos, ut eas 48 urbes sortiantur; cum suis pomœriis, quæ pro illa tribu sunt designatæ. Non est quidem allegatorum numerus S. literis significatus. Sed credibile est, fuisse duodecim ut minimùm, ternos videlicet è quaque gente. Erant enim Levitarum gentes quatuor, Caathitæ ex Aharone prognati, Caathitæ non nati Aharone, Gersonitæ, & Meraritæ. Cæterùm, quæ causa fuerit, cur tribui Leviticæ non una aliqua assignaretur regio, sicut cæteris, explicatum à nobis est, c. 14. v. 4. ut & multa alia quæ ad Levitarum conditionem attinent. Illuc igitur lectorem remitto. ¶ Nomen אבות, cui *patres* subjiciuntur, interpretatur rursus Latinus *familias* & *cognationes*, profectò non apté. Non enim singularum cognationum primates divisores erant, sed singularum novem & dimidiæ tribuum, Num. 34. 17. ¶ De verbo מגרש dixi ab *ejiciendo* esse ductum, quia locus esset extra urbis muros positus. LXXII hîc dicunt τὰ περισπόρια, h. e. *agros anteurbanos semente excultos*; alibi autem, τὰ ἀφωρισμένα, & τὰ ἀφορίσματα: quibus verbis planè exprimitur notatio vocabuli Hebraici. Est etiam ubi περιπόλια reddunt, quia pomœria illa urbem circumquaque ambiebant. Symmachus προάστεια, h. e. *suburbana*, dixit, eúmque nos sumus imitati. Sed de istorum suburbanorum amplitudine disputavimus, cap. 14.

3. *Dederunt igitur Israelitæ Levitis de sua ipsorum hæreditate*, &c.] *Os Domini* est ipsum Dei oraculum, quod per Mosen ediderat Deus, Divino suo instinctu atque afflatu. Non est autem existimandum populi arbitratu deputatas esse urbes Levitis. Neque enim nisi deterrimas atque incommodissimas sibi quæque tribus ademisset, quas Levitis daret. Planè autem sicut in asylis constituendis observandum erat æquabile intervallum, ità & in Levitarum habitationibus, nè illi ab ullis hominum cœtibus abessent longiùs; quippe apud quos *scientia* rerum Divinarum humanarúmque custodiebatur, & *ex quorum ore lex Dei erat petenda*, Mal. 2. 7. Fuit ergò divisorum prudentiæ proprium munus de singularum tribuum hæreditate urbes certas detrahere; ipso positu ad Levitarum sedes accommodas; atque eas, cùm 48 designassent, in classes quatuor distribuere; ut deinde quatuor illæ Levitarum gentes inter se illas sortirentur. Quod autem jubet Deus in Numeris 35. 8. ut locupletiores tribus plures urbes conferant in Levitarum usum, egentiores pauciores, id de terreni vel ampliore vel angustiore spatio accipiendum est, meo certè judicio. Erat enim omninò, ut dixi, videndum, nè illa Sacerdotum veluti collegia ab ullis hominum cœtibus abessent longiús. Et probabilis videbatur nobis eorum sententia qui dicerent, omnium tribuum portiones, soli bonitate æstimatâ, æquales fuisse. Nam ut demus cuique tribui, pro tribulium numero, non sortitò sed divisorum arbitratu, vel auctas vel diminutas fuisse suas partes, eâque ratione alias tribus aliis ditiores factas; non potuisset sanè ea inæquabilis varietas efficere ut aliæ aliis minùs incommodè pluribus urbibus carerent: Tam enim opus habent sex habitationibus familiæ sex quàm tres tribus.

4---7. *Evenit autem sors cognationibus Caathitarum*, &c.] Cùm tres essent cognationes ab una stirpe, Levi prognatæ, Caathitæ, Gersonitæ, & Meraritæ; Caathitas verò rursus in gentes duas ipsa dignitas diduxisset; his quatuor deinceps sequentibus versiculis exponitur apud quas tribus istarum quatuor cognationum unaquæque nacta sit suas possessiones. Sed explicabo paucis genus universum; ità enim faciliùs omnia intelligentur. Igitur Levi tertius Jacobi ex Lea filius genuit filios tres, Gerson, Caath, Merari. Ex Caath nati sunt Amram, Isaar, Hebron, Uziel. Porrò Amram genuit Aharonem, & Mosen, atque Mariam. Ex Aharone, præter Nadab & Abiu, qui malè perierunt, prognati sunt Eleazar & Ithamar: atque ex his duobus solis est propagatus Sacerdotum & Pontificum ordo, de Dei sententia, quam florente Aharonis virgâ significarat, Num. 17. Caathitarum ergò alii sunt qui *Aharonitæ* vocari possunt; atque hi soli Sacerdotes sunt: alios sacra verba plerumque appellant *reliquos Caathitas*, acsi dicant, *non Aharonitas*: hi ad Sacerdotii dignitatem non ascendebant, sed in Levitarum numero censebantur; quos Divina lex Aharonitis, h. e. Sacerdotali ordini, subjectos esse voluit, & propè mancipio dedit. Scriptum autem reperi apud Hebræorum Magistros, amplissimum dignitatis Sacerdotalis gradum, h. e. Pontificatum, perpetuâ successione apud Eleazaris posteros mansisse usque ad Heli, qui ex Ithamare fuit ortus: Sed ob flagitia filiorum hujus denuò rediisse ad Eleazaris genus, Solomone regnante. Zadoc enim, qui in Abiatharis amoti locum sufficiebatur, ex Eleazaris natum nepotibus fuisse. Quod quia minimè pervagatum est, volui annotare.

8, 9, 10. *Dederunt ergò Israelitæ Levitis urbes istas*, &c.] Jam nominatim enumerantur urbes quas quæque cognatio Levitarum ex quaque tribu accepit. Tribus autem Simeonitica unà cum Judaica censetur, quia unis finibus habitabant conjunctæ. Sed enim animadvertendum rursus in hac sortitione est, quantâ providentiâ Deus electi populi sui res gubernaverit. Permittebant quidem Levitarum quatuor istæ cognationes sorti suarum possessionum divisionem: At illam sic moderatur benignissimus Deus ut nihil casu aut fortuitò factum esse appareat luculentissimé. Anteibat enim quidem Gerson ætate fratrem suum Caath, at hic propter Aharonis summam dignitatem præfertur illi.

illi. Rursus inter Caathitas Aharonitæ anteponuntur cæteris eandem ob causam. Ad hæc, locantur sortis casu Aharonitæ, quippe Sacerdotes, non cis Jordanem, neque apud tribum quampiam unam è multis, sed apud Judæos & Benjaminitas, quorum illi tum Regni dignitate præ cæteris tribubus omnibus eximii, tum ob Messiæ promissos natales venerandi erant; utrique verò Templi vicinitate decorandi olim, & paribus animis adversùs cæteras tribus avitam probámque religionem defensuri. Deinde reliqui Caathitæ, ut illis genere ipso conjunctissimi erant, ità proxima loca sortiuntur, nimirum apud Ephraimitas, Manassenses & Danitas. Denique Gersonitæ anteponuntur Meraritis: hos enim ipsa natura ultimos nasci voluerat. Et hactenus de ordine quo Levitarum possessiones dispensavit atque disposuit sors ipsa, profectò divinissima. Nunc de ipsis urbibus pauca.

11---16. *His, inquam, dederunt Cariath-arbe*, &c.] De *Arbe* & *Ænac* satis multa sunt à nobis dicta, c. 14. in fine. LXXII existimant illud אבי ad urbis dignitatem pertinere; reddunt enim μητρόπολιν. Mirabile autem videri hoc loco potest, cur magno, quantum apparet, studio iterum atque iterum dicatur, Non urbem ipsam Hebronem, sed montem modò fuisse Calebo donatum: quasi verò absurdum sit, urbem, quæ antè alteri, eam nunc Levitis assignatam esse; ac non omnes urbes, quæ his modò dantur, antè aliis tribubus sortitò obtigerint. Atqui obtigerant quidem universé: Verùm nondum inter familias cujusque tribûs singillatim distributæ fuerant. Alioqui enim, quibus familiis urbs Levitica fuisset attributa, eas suis possessionibus exhæredes prorsus fieri necesse fuisset. Quod propter existimandum est, illico post sortitionem tribuum, & priùs quàm quod cuique obvenisset tribui id deinde inter tribules esset distributum, designatas esse cùm sex illas pro asylis urbes tum cæteras quadraginta duas, quas omnes Levitæ essent habituri. Sunt qui hoc loco miris modis extollunt Calebi raram modestiam, tam æquo animo ferentis privari se urbe amplissimâ. At ego nihil video quod Calebo sit detractum. Neque enim urbs Hebron ei fuerat donata, si S. verbis credendum est. Sed dicent, Dabiram illi esse ademptam, quam maximâ mercede obtinuerat, filiæ suæ nuptiis. Atqui in S. verbis est, חצרים, h. e. *loca non munita muris*, unà cum agro Hebronis, fuisse data Calebo. Dabiram autem quis neget fuisse munitissimam? ad quam capiendam præmio tam pulchro ille suos commilitones provocabat. Sed cur urbi alienæ capiendæ præmia proposuit? inquis, Profectò si suo agro potiri volebat, expugnandæ urbes exterminandíque hostes fuere. Cæterùm de urbibus quæ hîc enumerantur disseruimus in hæreditate Judaica. Est sanè in multarum nominibus magna discrepantia, si cum his catalogis conferas ea quæ in Paralipomenis l. 1. c. 6. scripta sunt. Nam urbs *Iota*, quæ hoc loco nuncupatur, in Paralipomenis tacita relinquitur. Et pro *Ain* illic scripta est *Asan*. Cujus rei causam hanc afferunt Doctores Hebræi מסכת מכה פ'ב *Cùm designatis, inquiunt, Levitarum certis habitationibus, earum nonnullæ etiam tum in Chananæorum essent manibus, datæ sunt, tanquam commodatò, illis aliæ, quibus tantisper uterentur dum, eliminatis hostibus, suis possent frui: Itáque factum est ut in Josuæ commentario ea sola sint nuncupata quæ Levitarum propriæ fuerunt; at in Paralipomenis, quas vel suo jure vel commodatò possidebant.* Adjungentésque exemplum, *Cedes*, inquiunt, *cùm diu in hostium potestate maneret, Levitæ pro ea vicinam Gamalam habebant.* Hæc Doctores Hebræi. Nos verò alibi diximus, multis de causis proprias locorum hominúmque appellationes mutari tempore. Et est etiam ubi uni loco, aut uni homini, diversa sint ab initio imposita nomina. Neque dubium est quin diversi S. historiæ libri non ex iisdem omnes annalibus sint conscripti: quæ res est à nobis disputata suprà c. 10. v. 13. Denique libros Paralipomenon multis in locis curtos esse, nè dicam confusos, nemo non animadvertit qui vel leviter legit.

17---19. *De tribu filiorum Benjamin, ipsam Gabaon*, &c.] In Paralipomenis tacita præteritur Gabaon. Et pro עלמון *Almon* scriptum est עלמת *Alemeth*, verbo ad literam unam immutato. Est autem utriusque nominis notatio *juventus*. Unde hæc eadem urbs in Davidis historia, 2 Reg. 3. 16. nominata est בחורים *Bahurim*; quod ipsum quoque *juventutem* significat. Collocant autem quidam Bahurim sive Almon bis mille pass. ab Anathoth versùs Orientem; putántque castellum fuisse in deserto, recedens à monte Olivarum ad Boream; quàm verè, ego nescio. Cæterùm ענתות *Anathoth*, Jeremiæ vatis ortu claram urbem, scribit D. Hieronymus abfuisse ab Ælia tribus millibus pass. versùs Septentrionem. Videntur autem istæ duæ urbes Alemeth sive Almon aut Bahurim atque Anathoth sua nomina accepisse à duobus Benjaminis nepotibus, filiis Bechor, 1 Par. 7. 8. Horum enim alter *Alemeth*, alter *Anathoth* dicebatur, unde est credibile, istos sorte nactos fuisse loca illis urbibus vicina.

20---26. *Cognationibus autem filiorum Caath Levitarum, qui*, &c.] Jam de iis Caathitis agitur qui ex Aharone genus non ducebant. Cùm autem essent Aharonitis proximâ sanguinis necessitudine conjuncti, collocavit ipsos Divina sors proximis etiam locis. Ephraimitæ enim & Manassenses à Septentrione, Danitæ ab Occidente adjacebant Judæis & Benjaminitis Aharonitarum hospitibus. Atque hîc rursus in Paralipomenis de urbibus decem desiderantur duæ, Elthece, & Gabathon. Atque pro *Cibsaim*, *Jecmaam*, pro *Thaanach*, *Aner*, denique pro *Geth-Remmon* apud Manassenses, *Balaam* scriptum est. De קבצים *Cibsaim* nihil certi habeo quod dicam. Mihi tamen non videtur ea esse יקמעם *Jecmaam* quæ in Regum historia, l. 3. c. 4. v. 12. quantum apparet, haud procul abest ab Abel-Meola; cùm memoratur Bana, procurator annonæ Solomonis, præfecturam obtinuisse *à Beth-san usque ad Abel-meolam, usque ultra Jecmaam*; nisi si hoc intervallum intrr אבל מחולה *Abel-meolam*, quæ in Manassensium finibus exstabat versùs Beth-san, & hanc Jecmaam longiusculum fuisse fateri velimus; Cibsaim enim Ephramitarum erat. Sed urbem תענך *Thaanach* esse dictam *Aner*, scribit ille qui Traditionum in Paralipomena auctor est, ab Abrahæ puero, qui illic olim habitarit, & sepultus sit. Sed quem puerum dicat, ipse viderit. Equidem scio Aner fœdere conjunctum cum Abrahamo fuisse, Gen. 14. 13. serviviſſe verò non memini me legere. Itaque quod ille dicit, mihi non fit verisimile.

27---33. *Porrò filiis Gerson ex cognationibus Levitarum*, &c.] Gerson maximus natu filiorum Levi duos procrearat filios, Lobni sive Libni, & Semei sive Simi: ex priore numerantur nepotes sex in Paralipomenis l. 1. c. 6. v. 20. à quibus existimandum est multas esse propagatas familias. Huic ergò cognationi nunc dantur urbes 13, in quatuor tribuum hæreditatibus, in dimidia Manassensi cis Jordanem, in Issachariana, in Aserina, & in Nephthalima. ¶ De גולן *Gaulone* dicebamus nuper. ¶ Pro בעשתרה *Beesthera*, quod nomen in Latinis libris *Bozran* mendosè, opinor, legitur, habetur in Paral. עשתרות *Astharoth*. Sed de ista urbe diximus satis multa c. 13. v. 4. ¶ Pro קשיון *Cesion* est in Paral. קדש *Cedes*. Sed hæc ea Cedes esse non potest quæ Nephthalitarum erat. Disseruimus autem de *Cesion*, *Dabereth* & *En-gannim* capite 19. ¶ Porrò quæ nunc ירמות *Jarmuth* vocatur, ea in Issacharis hæreditate dicebatur רמת *Rhamath*, in Paralip. verò ראמות *Rhamoth*: quæ nomina etsi ad literas nonnullas immutata sunt, tamen ab eadem positione ducuntur. Sed longè diversa urbs est illa Jarmuth Judæorum, non procul ab Esthaol posita. ¶ Pro עין גנים *En-gannim* est in Paralip. ענם *Anem*. Fuit igitur hæc quoque urbs διώνυμος. LXXII pro isto nomine dixerunt πηγὴ γραμμάτων *fons literarum*, cùm potiùs *hortorum* dicere debuerint, nisi si fortasse illo tempore quo isti scribebant à *literis* non ab *hortis* vocabatur. ¶ De Asériticis urbibus dictum est in ejus tribûs hæreditate ostendenda; ubi tamen nulla erat mentio τῆς עבדון *Abdon*, cujus urbis locum ego nullâ conjecturâ consequi possum. ¶ Pro חלקת *Helkath* habet liber Paralip. חוקק *Hucoc*; quo nomine memorata est urbs apud Nephthalitas. Nimirum cùm affines essent Aseritæ Neph-

thalitis, fieri potest ut apud hos pro finibus ostendendis nominata modò in illorum fuerit hæreditate. Aut, si verum est quod Doctores Hebræos opinari dicebam, habitarunt fortassis Levitæ in Hucoc, cùm vicinam suam Helcath obtinere non possent. ¶ Quæ hoc loco חמת דאר *Hammoth-dor* nuncupatur, ea in describendis possessionibus Nephthalitarum dicebatur חמת *Hamath*, atque eadem in Paralipomenis appellatur חמון. ¶ Porrò קרתן *Carthan* est in Paralip. קריתים *Cariathaim*; q. *geminam urbem* dicas. Exsistebat etiam hoc nomine urbs apud Rubenitas cis Jordanem, cujus meminit Jeremias, in campis Moabiticis, c. 48. v. 1.

34--37. *Cognationibus verò Meraritarum Levitarum qui residui*, &c.] Merari trium filiorum Levi natu minimus genuit מחלי *Moholi* sive *Mahli*, & משי *Musi*, Exod. 6. 19. Ex quibus prognata est ea cognatio cui jam assignantur urbes 12, partim ex Rubenis & Gadis hæreditate cis Jordanem, aliæ ex Zabulonis trans Jordanem. Observandum est autem, desiderari hoc loco in Hebræo eas urbes quas Rubenitæ contulerunt. Nam etsi in nonnullis antigraphis post commemoratas Zabulonias duobus versiculis illæ adscriptæ legantur, his verbis, וממטה ראובן את בצר ואת מגרשיה ואת יהצה ואת מגרשיה את קדמות ואת מגרשיה ואת מיפעת ואת מגרשיה ערים ארבע, h. e. ut verbum reddam verbo, *Et de tribu Reuben Bosor & ejus suburbana, & Jassa & ejus suburbana, Cedemoth & ejus suburbana, & Mephaath & ejus suburbana, urbes quatuor*; atque totidem etiam verbis isti duo versus à Chaldæo quoque expressi habeantur in codice manuscripto Complutensi, quod in mea Bibliotheca est; tamen in מסרת, h. e. *traditione*, Judæorum, sanè vetusta, affirmatè scriptum est, in antiquissimis S. Bibliorum Hebraicorum exemplaribus non exstare. Idque etiam à R. D. Kimhi observatum & proditum est. Et sanè Latinus noster interpres, quæ dedit, ea de LXXII tralatione Græca expressit, non de illis Hebraicis versiculis, in quibus nulla est vel *Jordanis* vel *Jerichuntis* vel denique *asyli* mentio. Sed ut ut ista se res habet, certum est desiderari: Neque enim alioqui summa confici potest. Et dictum suprà est, Meraritis datum iri urbes ex Rubenis hæreditate. ¶ De urbibus quæ hîc enumerantur diximus suprà. In Paralipomenis duæ solæ nuncupantur, quæ à Zabulonitis sunt Levitis attributæ, & quidem, quantum apparet, diversæ ab illis quatuor quarum hîc nomina habemus. Sunt autem רמונו *Remmono*, & תבור *Thabor*. Fieri scilicet potest, quod Doctores Hebræi dicebant, ut has duas commodatò acceperint, cùm illas quatuor Barbari haberent. Sed illud mirabile videtur, cur חשבון *Hesebon* in præsenti Gaditis adempta fuisse dicatur, cùm antè fuerit Rubenitis attributa. c. 13. 17. Sed certum est eam in confinio istarum tribuum positam fuisse; Quales urbes sæpe nunc uni nunc alteri tribui solere ascribi diximus. Hoc igitur de ista quoque urbe existimare malo quàm nullâ auctoritate duas Esbutas fingere.

38--42. *Omnes urbes Levitarum inter possessiones Israelitarum*, &c.] Tribum Leviticam fuisse omnium minimam certum est: Vicies enim & ter mille duntaxat numerati sunt Levitæ, alterâ recensione in Numeris, c. 26. v. 62. Et tamen 48 urbes assignatæ ipsis sunt. Quid est ergò cur quibusdam tribubus in quibus plùs quàm altero tanto major fuit tribulium numerus, aliis 12, aliis 16, aut 19, vel 20 oppida modò attributa sint sortitò? Atqui jam diximus semel iterúmque, in illis sortitionum catalogis non omnes urbes enumeratas esse quæ cuique tribui obvenerunt in suis finibus: at Levitarum omnes sunt nominatim dictæ. Ad hoc, illud reputandum est, Levitis non licuisse habitare rure, neque in suarum urbium municipiis, pagis, villis, ut cæteris tribubus.

43. *Dedit itaque Dominus Israelitis omnem terram*, &c.] De ea terra dicuntur ista quæ solet paucis verbis à Dan usque ad Bersabeam definiri, Jordane & Asphaltitide ab Oriente, mari verò Mediterraneo ab Occidente inclusa. Necdum enim tempus advenerat quo extendi fines ad Euphratem usque deberent: De qua ampliatione diximus in hujus commentarii initio, c. 1. v. 4. Sed dices, hanc quoque ut acceperint Israelitæ universam multum deesse. Magnam enim partem Deus ipse nuper commemorabat quam adhuc tenebant Chananæi, suprà c. 13. initio. Tum quid Josephitæ questi sint, non est obscurum. Ad ista respondet D. Augustinus his ferè verbis, *Omnem Israelitis terram esse datam; quia etiam illæ portiones quas nondũ possidebant datæ fuerant ad quandam exercitationis utilitatem.* Aliâ ratione nodum eum dissolvisse se putat R. Levi F. Gersonis, nec sanè ineptâ, pro Judæorum consuetudine; *Tametsi*, inquit, *multi adhuc reliqui fuere Chananæi, tamen nullos fuerant Israelitæ bello adorti quos non profligassent: ut jam non Deum suis usquam promissis non stetisse dicere ille possint, sed suam ipsi ignaviam mollitiémque culpare debeant, cur minùs soli in vacua Chananæa regnent.* Sed hæc, & si sunt illa quidem verissima, tamen non satis præsentem locum, meo judicio, explicant. Videntur enim S. verba significare, Deum re ipsâ solvisse jam Israelitis sua promissa. Idque ità esse ego etiam censeo. Cùm enim ille promitteret, sic sua ipse verba interpretabatur ut diceret, *Se non* statim, *anno uno*, h. e. brevi temporis spatio, & continuo impetu, *exterminaturum* priscos habitatores omni terrâ; cùm eam Israelitæ universam occupare non possent; *nè fera bestia deserta loca invaderent*, multiplicatæque damnum populo darent; *sed eliminaturum paullatim è conspectu populi sui, dum illi augesceret*, ut posset tandem universam possidere, Exod. 23. 29. Jam verò si numerum postremæ recensionis cum illo conferas numero qui tum erat cùm ad montem Sinæum verba illa Deus faceret, non sanè multò majorem invenias. Nam ab eo tempore quo in campis Moabiticis sunt postremò numerati quis putet magnis copiis esse auctos? cùm pauci illi anni qui deinceps sunt consecuti continuis bellis & expeditionibus transacti sint. Promissum igitur omne atque conventum effecit jam Deus. Dedit enim illis terram ab hostibus vacuam, quantam adhuc occupare possunt: & quas partes Chananææ hostes etiamnum tenent, eas Israelitis, ut dominis, coloni conservant modò colúntque, nè sylvescant & à belluis habitentur; tum cessuri, cùm illi prole auctiores occupatum suos fundos venire ipsi poterunt. Neque verò etiam Dei promissa unquam frustrà erunt. Sed quia de compacto, & sub ea conditione ab illo promissa sunt, ut vicissim Israelitæ suum officium colant, si fallant ipsi, (ut sanè multis modis fallent) non cedent quidem Barbari Chananæâ: Deo tamen ratio constabit suorum promissorum efficiendorum.

44. *Reddiditque ipsos quietos undiquaque, prorsus ut juraverat*, &c.] Quî possunt ista esse vera, inquit Augustinus, cùm Chananæi Danitas in montes compulerint, ipsi valles pingues occuparint? Respondet autem, vera esse κατὰ συνεκδοχήν· quia pleræque aliæ tribus fuerunt hostibus suis superiores. Sicut D. Paulus scribit, 1 Cor. 15. 6. *Christum apparuisse τοῖς δώδεκα duodecim Apostolis*, cùm Judas jam tum suspensus crepuisset. Et 12 filii Jacob *in Mesapotamia nati* memorantur Gen. 35. 26. cùm editus esset Benjamin inter Beth-el & Bethlehem. Sed ego nihil dubitans dixerim, Neque Danitas neque alios infeliciter pugnasse cum suis hostibus nisi post Josuæ & seniorum excessum, quando cum labascente pietate atque disciplina res Israelitarum quoque inclinari cœpit. Itaque qui pietate adversùs Deum & certâ ejus fiducia armati sunt, etiam si ab aliis rebus sint imparatissimi, ii feliciter bella gerunt. Quibus autem in suis viribus atque opibus spes est, fluxis se rebus fidere sentiunt tandem.

45. *Non omissa est res ulla ex omni bona re*, &c.] Nota & pervagata res est, *benedictionem & maledictionem*, ut sic loquar, *proposuisse* Deum *Israelitis*, *illam morigeris*, *hanc rebellibus*, Deut. 11. 26. Inter alia autem benedictionis effecta illud quoque annumerabatur, Neminem fore qui audeat se illis opponere. Cùm ergò adhuc ea benedictio non esset violata; hoc enim illud est, *omnem rem bonam evenisse, neque aliquid ejus omissum esse*; consequens erat, neminem Israelitarum adhuc malè pugnasse cum hostibus. Nam ad fugam apud Hai quod attinet &

paucorum

paucorum cædem, pertinebant illa quidem quadam tenus ad maledictionem; verùm sunt illico Imperatoris & totius Senatûs precibus, atque etiam sontis hominis supplicio expiata, usque eò ut quidquid erat illud incommodi victoriâ longè pulcherrimâ sit mox compensatum. Tum Josephitarum querelas non ex maledictione sed ipsorum ignavia fuisse natas luculenter patefaciebat Imperatoris responsum. Antè enim illi de hostium suorum potentia questum veniebant quàm de ea periculum fecissent. *Bona* igitur *res* hoc loco dicitur Divinæ illius benedictionis effectus: quod etiam Augustinus sentit.

IDEM.

2. Scribendum est, verbis trajectis, Κύριος ἐνετείλατο. ¶ Post περισπόρια additur in mixta, ✱ αὐτῶν ⁄.

3. Post τὰς πόλεις rursus additur demonstrationis pronomen, ✱ ταύτας ⁄.

4. Scribe κληρωτί.

5. Est in ed. m. ἐκ τῆς ✱ συγγενείας ⁄ φυλῆς. ¶ Scribe rursus κληρωτί.

6. Iterum scribe ex mixta, ἀπὸ τῆς ✱ συγγενείας ⁄ φυλῆς.

7. Copula initio posita est obelo jugulanda, atque sub finem etiam illud ÷ κληρωτί ⁄.

8. Post τὰς πόλεις rursus suggerit mixta ✱ ταύτας ⁄.

9. Illud, ÷ καὶ ἀπὸ τῆς φυλῆς υἱῶν Βενιαμὶν ⁄, debet obelisco signari; neque debebat profectò omitti à Compl. cùm vellent mixtam ed. repræsentare. Nam mera inscitia est, cùm dicunt se puram LXXII interpretum tralationem dedisse. ¶ Rursus post τὰς πόλεις est in mixta ✱ ταύτας ⁄. ¶ Post ἐπεκλήθησαν adscribendum est ἐν ὀνόματι.

10. Principium à LXXII omissum suggeritur à mixta, hoc, ✱ καὶ ἐγένοντο ⁄ τοῖς υἱοῖς, &c. ¶ Cùm dicitur ὁ κλῆρος, additur in mixta, ✱ πρῶτος ⁄.

11. Scribe initio, καὶ ἔδωκαν, numero plurium. ¶ Post περισπόρια est in mixta ✱ αὐτῆς ⁄. Equidem existimo locum hunc jam olim corruptum esse, & mendosè particulam adversativam δὲ pro copula καὶ scriptam esse, dicique debere καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς. Certum est enim unamquamque urbem Leviticam sua habuisse περισπόρια. At initio insequentis versûs locandam esse illam adversativam, dicendúmque illic τοὺς δὲ ἀγροὺς τῆς πόλεως, &c. Sed adversùs consensum exemplarium nolui scripturam mutare.

12. Nomen Ἰησοῦς notari debet obelo. ¶ Post κατασχέσει est in mixta additum ✱ αὐτοῦ ⁄.

13. Post τοῦ ἱερέως habet mixta ✱ ἔδωκαν ⁄ nam mendosè habent Compl. numerum singularem. ¶ Scribe, casu mutato, φυγαδευτηρίου & pro τὰ πρὸς αὐτὴν quod priore est loco positum, scribe σὺν αὐτῇ verùm paullò ulteriùs rectè est, τὰ πρὸς αὐτῇ.

14. Pro Ἰεσθεμὼ scribe Ἰσθιμώ.

15. Scribe Ἀιλών.

16. Pro Ἰεττὰ scribe Ἰεττά. ¶ Scribe Βεθσαμύς.

18. Scribe Ἀλμών.

19. Scribe, mutato verborum ordine, δεκατρεῖς πόλεις.

20. Pro τῶν ὁσίων legit Syrus, aut certè reddidit, τῶν ἱερέων, mendosè sanè: quanquam neque alterum illud satis exprimat Hebræum, in quo est τοῦ κλήρου *sortis*, ut Aquilas & Symmachus sunt interpretati. Multò etiam meliùs scriberetur hoc versu numero plurali αἱ πόλεις quàm singulari ἡ πόλις, nisi obstaret consensio librorum.

21. In fine scribe τὰ πρὸς αὐτῇ & hìc suggeritur in mixta, ✱ ἐν τῷ ὄρει Ἐφραὶμ ⁄.

22. Scribe Καβσαίμ. ¶ Cùm dicitur, καὶ τὴν ἄνω Βηθωρών, expungito illud ἄνω.

23. Scribe Γαβεθών.

25. Scribe Θαανάχ· & mox pro Βαιθσάν, Γεθρεμμών.

27. Post Γηρσὼμ suggeritur in ed. m. ✱ τοῖς συγγενέσι ⁄ *cognatis*. ¶ Pro Βεεθρὰ legit Syrus Ἀσταρώθ, quo nomine urbs ista nuncupatur in Paralipomenis. verùm non censeo illud est mutandum. Nam & Eusebius in Locis appellat urbem hanc *Beesthra*.

28. Scribe Κισιών, & Δαβερώθ.

29. Adde copulam hoc modo, καὶ πηγήν.

30. Pro Μασαὰλ, ut Legit Syrus & habent libri pervulgati, dicunt Compl. Μισάλ· at in libello De locis est *Masal*: nam mendosè est in nonnullis libris *Masan*. ¶ Scribe Ἀβδών.

31. Scribe Χελκάθ, & Ῥοώβ.

32. Mendosè habent Compl. initio τὰς πόλεις τὰς, numero plurium; scribendum est enim τὴν πόλιν τὴν, &c. ¶ Cùm dicitur καὶ τὴν Κεδὲς, auferenda est copula; neque enim à Syro lecta est. ¶ Expungenda sunt illa, καὶ τὴν Νοεμμὼν, καὶ τὰ ἀφωρισμένα τὰ πρὸς αὐτῇ.

34. Confodi debet obelo υἱῶν. Legendum etiam Ἰεκνάμ, & Καρθά. Syrus tamen habet Καρθάν, sed, opinor, mendosé.

35. Omnia illa, καὶ τὴν Δαμνὰ, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ναααλὼλ, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς, sunt suggesta ex mixta, atque ideo notanda asterisco.

36. Illa, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, usque dum dicitur, καὶ ἀπὸ τῆς φυλῆς Γὰδ, h. e, usque ad v. 38. debent notari obelo. Nam LXXII de suo ea addiderunt, explicandæ sententiæ causâ cæteroqui curtæ, ut dixi in commentariis. Habent autem quædam exemplaria πόλεις τοῦ Ἰορδάνου, pro πέραν τοῦ Ἰορδάνου sed malè, opinor: nam & Latinus interpres πέραν legit. ¶ Pro κατὰ Ἱεριχὼ legit Syrus, & etiam Compl. τῆς Ἱεριχώ· sed hoc ferè idem unum est. ¶ Expungendum est ἔδωκε, & scribendum casu gignendi, τοῦ φυγαδευτηρίου & τῆς Μισώρ. ¶ Pro Ἰαζὴρ autem certum est scribi debere Ἰασσά, ex libro Paralipomenωn. Nam Ἰαζὴρ mox dabitur ex tribu Gad.

37. Pro Γεδσὼν habent Compl. Κεδσών· sed Syrus illud reddidit; quare nihil arbitror esse mutandum. ¶ Pro Μασφὰ scribendum Μαφά.

39. Scribendum est ex Syro τοῖς καταλελειμμένοις, casu mutato. ¶ Notetur pronomen asterisco, cùm dicitur, τὰ ὅρια ✱ αὐτῆς ⁄.

40. Scribe aliâ collocatione verborum, πόλεις τεσσαράκοντα ὀκτώ.

42. Scribe πόλις καὶ τὰ, &c. numero unius. ¶ Post περισπόρια suggerit mixta ✱ αὐτῆς ⁄. ¶ Scribe κύκλῳ, ✱ οὕτως ⁄ πάσαις ταῖς πόλεσι ταύταις. Quæ verò dehinc sequuntur in vulgatis cod. nempe, καὶ συνετέλεσεν Ἰησοῦς, &c. usque ad v. 43, cujus initium est, καὶ ἔδωκε Κύριος τῷ Ἰσραὴλ, &c. ea omnia sunt obeliscis notanda. In iis autem pro Θαμναθσαχὰρ scribi debet Θαμναθσαρὰ, & mutato verborum ordine, καὶ ᾠκοδόμησεν τὴν πόλιν Ἰησοῦς. ¶ Illud verò quod deinde habetur, ἣν ᾐτήσατο, est auferendum. Compl. rursus ista omisere: at à Syro lecta sunt in eo antigrapho quod Eusebii manu emendatum erat ad Origenis hexapla.

44. Syrus legit, καὶ οὐκ ἀνέστη, & rectè. Mox scribe παρέδωκε Κύριος, sublato pronomine.

45. Post διέπεσεν suggeritur in ed. m. ✱ ῥῆμα ⁄.

DRUSIUS.

1. *Capita patrum Levitarum*] LXX, οἱ ἀρχιπατριῶται τῶν υἱῶν Λευὶ, quod reddunt *principes familiarum filiorum Levi*. Nam πατριὰ *familia*. Sic Hieron. *Principes familiarum Levi*, i. Levitarum; ut cùm *Israel* ponitur pro *Israelitis*. Patres Levitarum erant qui familiis eorum præerant. Erant autem familiæ sive gentes quatuor, Caathitæ ex Aharone prognati, Caathitæ non prognati ex Aharone, Gersonitæ, & Meraritæ. Qui his præerant dicebantur *capita patrum*, sicut Patriarchæ vocabantur *capita* seu *primores tribuum*, Simeon, Levi, Judas, &c. Sed hoc pono, non statuo. Quæritur de numero eorum qui accesserunt ad Eleazarum nomine Levitarum; & Masius existimat duodecim fuisse, videlicet ex singulis familiis tres. Erant autem familiæ sive gentes quatuor, ut dixi. Sed hæc incerta. ¶ *Ad Eleazarum, & Josuam*] Hic Eleazar præponitur, fortè quia

quia Pontifex erat. Sed an Pontifex major Duce cui parebat? Sanè Mosis dignitas major erat quàm Aharonis. Nec ex ordine de præstantia judicari potest: alioqui argentum præstantius esset auro; nam sæpe auro præponitur. Sic Num. 34. 17. *Eleazar sacerdos, & Josua filius Nun*: similiter 32. 28. & Jos. 17. 4. In his omnibus locis Eleazar primo loco nominatur. ¶ *Ad capita patrum tribuum*] Hieron. *ad duces cognationum per singulas tribus*. *Cognationes* dicit familias, cùm hoc loco *capita patrum* sint primores tribuum, quos Græci ἀρχιφύλας appellant. Sic enim certè hunc locum interpretantur, καὶ πρὸς τὰς ἀρχιφύλας πατριῶν ἐκ τῶν φυλῶν Ἰσραήλ. Porrò in singulis tribubus plures erant familiæ, ut in singulis familiis plures domus, quas & *domos patrum* vocant.

3. *Dederunt de possessione sua*] Hic quæritur utrùm Levitæ domini fuerint harum possessionum, an tantùm usufructuarii; h. e. an usum duntaxat earum habuerint, manente domino penès ipsas tribus. De hac re interpretes non omnes idem sentiunt. Nam Tremellius opinatur *usum & habitationem* fuisse penès Levitas, *dominium* autem *penès tribus quibus* illæ possessiones *sorte obvenerant*. Id probat *exemplo Hebronis infrà v.* 11, & 12. qui loci potiùs contra ipsum faciunt. Nam textus ibi dicit *Hebronem datam fuisse* Levitis *cum ejus suburbanis*; *agrum autem urbis & villas ejus*, *Chalebo in possessionem*. Quid indè sequitur aliud quàm possessionem urbis fuisse penès Levitas, agrum autem penès Chalebum? Quod ampliùs firmatur ex Lev. 25. 33, 34. ubi disertè dicitur, *Si quis emerit à Levitis, desinat possidere domum emptam & urbem in Jobilæo: quia domus urbium Levitarum sunt ipsorum possessio inter Israelitas. Ager autem suburbanus urbium illorum nè venditor; quia est æterna ipsorum possessio.* Qui locus me sentire facit cum iis qui aliter sentiunt: itaque statuo dominium harum urbium penès Levitas fuisse.

4. *Cognationibus Caathitarum*] Tres familiæ Levitarum erant; *Caathitæ, Gersonitæ, Meraritæ.* Caathitæ dividebantur in *Aharonitas*, qui Sacerdotes erant, & *Caathitas* absolutè ac simpliciter sic appellatos, qui non erant Sacerdotes, sed Levitæ tantùm, & Sacerdotibus ministrabant, ut Gersonitæ & Meraritæ; peculiariter autem humeris portabant Arcam, quod onus eis à Deo impositum erat. Quatuor ergò familiis aut cognationibus hîc urbes assignantur; Caathitis Sacerdotibus, Caathitis Levitis, Gersonitis, & Meraritis. Ut hoc meliùs intelligas, sciendum ex Levi genitos esse tres filios, Gerson, Caath, Merari. Ex Caath natus est Amram pater Mosis & Aharonis. Sed Caath tres præterea habuit filios, Isaar, Hebron, Uziel: Ex his manarunt Caathitæ Levitæ, ut ex Aharone Caathitæ Sacerdotes, apud quos summa dignitas erat in gente illa. ¶ *De tribu Simeonii*] i. Simoniorum vel, si mavis, Simeonitarum, quod Ebraicè dicitur השמעני, q. d. *è tribu Simonitica*, vel potiùs *Simeonitica*, vulgò, *de tribu Simeonis* ממטה שמען. Paullò pòst, v. 9. *ex tribu filiorum Simeonis.*

5. *Filiis Caath reliquis*] Qui non erant ex filiis Aharon. Ecce altera familia Caathitarum, de qua dictum est.

11 *Cariath Arbæ patris Enach*] Arba erat pater Enac, h. e. Enacitarum: quem cur LXX Ἀρβὸκ vocent, fateor me nescire. Iidem Cariath-arbæ vocant μητρόπολιν τῶν Ἐνὰκ, i. *filiorum Enac*, qui & *Enacita*.

18. *Almon*] Alibi est *Alemeth*. Utrumque ab *Alam*, unde & *Alma, virgo, puella* & עלם *adolescens, juvenis.* Quocirca & בחרים vocatur in historia Davidis 2 Sam. 3. 16. Sign. enim *Bahurim, juventutem.* Videndus R. D. ad hunc locum.

36. *De tribu Ruben*, &c.] Versus iste non habetur in libris antiquis, ut nec in ed. Veneta, nec in Masora. Legitur tamen in margine Venetæ editionis. Videndus R. D. Sed & Masius ad hunc locum. Ego eum reperi his diebus in ed. Veneta altera, quæ in folio folium complicat, quam Felix Pratensis procuravit.

43. *Dedit Dominus Israeli omnem terram*] Hoc verum non videtur. Nam Chananæi multa loca tenebant è quibus Israelitæ non potuerunt eos expellere. Potuissent si voluissent, si non per ignaviam maluissent quiescere quàm bello reliquias expellere. Fortè Chananæi relinquendi erant nè terra penitus inculta maneret. Sed vide Masium hoc loco; Sed & Augustinum, & Gersonis F. Judæum.

IDEM.

20. ערי גורלם. A. & Sym. πόλεις τοῦ κλήρου αὐτῶν, *civitates sortis eorum.*

GROTIUS.

4. *De tribubus Juda & Simeon & Benjamin*] Territorium manebat penès tribus; habitatio verò in oppidis, & agri juxtà pascui Levitis cedebant. Sic apud Siculum, *Jurisdictio in agris qui assignati sunt penès eos remansit ex quorum territorio sumpti sunt.* Vide De J. B. ac P. l. 2. c. 3. §. 4.

36. *De tribu Reuben*] Duo hæc commata in antiquissimis Hebræorum cod. non fuere: itaque nec Masora hos numerat. Quare adjecti videntur ex Paralipomenis, ut censet K. unde venere in versiones Græcam, Syram, Latinam, & in Chaldaicorum codicum quosdam. Reperiuntur & in libris quibusdam voces paulùm mutatæ, ut מנרשיה pro מגרשה, item קדמת aut קדימת pro קרמות.

41. *Fuerunt quadraginta octo*] Nempe sex illæ ab initio confugio dicatæ, & deinde hæ XLII quæ & ipsæ jus confugii habuere, sed ità si habitatores urbium vellent, & sumptu confugarum.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

19. *Immundam*] Quòd scilicet non sit altare Domini in ea, destituatúrque cultu Dei peculiari, cùm Tabernaculum, Arca, & omnia sancta ultra Jordanem apud reliquas novem tribus fuerint.

22. *Deus deorum*] h. e. *Deus Angelorum*, ut K. exponit; vel, *fortis Deus & Dominus.* ¶ *Iniquè egerimus*] Id addit Jon. Chaldæus expositionis gratiâ.

24. *Ex solicitudine*] K. sic interpretatur, *Si non soliciti fuimus super hac re, posteris nostris providentes, nihilque temere & sine ratione agentes.*

31. *Jam liberastis*] Heb. *tunc eripuistis*, cùm scilicet sincero animo id egistis.

33. *Benedixerunt*] Jon. ואודיאו *& gratias egerunt Deo.*

34. *Testimonium nostrum*] Est hic textus Hebraicus abbreviatus: unde Hebræi sic legendum censent, *Et vocaverunt aram illam, Testem, eò quòd testis sit inter nos quòd Dominus sit Deus.*

VATABLUS.

1. *Tunc*, אז] Adimpletis scilicet promissionibus Divinis.

3. *Jam diebus multis*, ימים רבים] *Jam à multo tempore.* ¶ *Sed custodistis custodiam*, &c. ושמרתם את משמרת וגו׳] Hebraismus, observastis præceptum Jehovæ quod erat vobis observandum.

4. *Requiem dedit*, הניח] i. Sedes quietas.

5. *Tantùm observate diligenter*, &c. רק שמרו מאוד לעשות את המצוה] *Ità duntaxat ut custodiatis diligenter* [vel *attentè*] *& faciatis præceptum.* ¶ *In omnibus viis ejus*, בכל דרכיו] *Per omnes vias ejus.*

6. *Bene-*

6. *Benedixitque*, &c. ויברכם] Hoc dicitur per anticipationem.

7. *Dederat*, נתן] Sub. *possessionem.* ¶ *Alteri autem ejus parti*, ולחציו] Ad verb. *dimidio vero ejus.* ¶ *Et etiam*, וגם] *Praeterea, insuper.*

8. *Et cum possessione multa valde*, ובמקנה רב מאוד] *Et cum pecoribus* [*armentis*] *multis admodum.*

9. *A filiis Israel*, מאת בני ישראל] Sub. *Reliquis.* ¶ *In qua possessionem*, &c. אשר נואחזו בה] i. Cujus possessores facti fuerant, i. quam possederant. ¶ *Juxta sermonem*, &c. על פי יהוה ביד משה] Hebraismus, *de mandato Domini per Mosen.*

10. *Ad limites Jarden*, אל גלילות הירדן] *Ad regionem quae adjacet Jordani.* ¶ *Magnum visu*, גדול למראה] i. Spectandae magnitudinis.

13. וישלחו] Sub. *Interim.*

14. *Singulos principes*, &c. נשיא אחד נשיא אחד לבית אב] Ad verb. *Principem unum, principem unum per domum patris.* ¶ *In millibus Israel*, לאלפי ישראל] i. Totius populi Israelitici qui erat in magno numero. Nota quòd regio quam possidebant filii Israel circa Jordanem in campestribus Moab, vocatur etiam interdum *terra Chanaan*, quòd Amorrhaei, qui priùs habitabant in ea regione, vocabantur etiam *Chananai*, quòd descendissent omnes à patre Chanaan.

16. *Sic dixerunt universus coetus Jehovae*, כה אמרו וגו'] *Sic dicit universa congregatio Jehovae*, q. d. Haec mandaverunt vobis dicenda viri Israel religiosi qui honorem Domini maximè diligunt. ¶ *Quae est praevaricatio ista*, &c. מה המעל הזה וגו'] *Quanta est* [vel, *Quid sibi vult*] *praevaricatio ista?* i. Quantam putatis esse praevaricationem istam quam admisistis contra Deum Israel, ut hoc tempore deficeretis à Domino, exstruendo vobis altare, ut essetis rebelles hoc tempore Domino? ¶ *Nè eatis post Jehovam*, מאחרי יהוה] Ad verb. *De post Jehovam.*

17. *An parum*, &c. המעט לנו את עון פעור] *An parva nobis sit iniquitas cum Peor*, i. An parva nobis videri debeat? q. d. Nónne contenti esse debemus iniquitate illâ, nisi etiam aliam adjungamus? Dilucidiùs sic vertas, *An parvum nobis videtur scelus quod admisimus in colendo idolum Peor?* ¶ *A qua necdum sumus*, &c. אשר לא הטהרנו ממנו עד היום הזה] Ad verb. *A qua non sumus purgati usque ad diem hanc*, i. propter quam necdum hactenus placatus est Dominus. ¶ *Et tamen fuit plaga*, &c. הנגף בעדת יהוה] i. Propter illud afflictus fuit coetus Domini, h. e. multos perdidit Dominus.

18. *Nè eatis post Jehovam*, מאחרי יהוה] Ad verb. *De post Johovam.* Quidam sic vertunt totum versum, *Vos autem derelinquetis hodie Jehovam, & evenit, vos eritis rebelles*, &c. i. quòd si derelinquatis Dominum, & deficiatis ab eo, *mox* [id significat *Cras*] *parata erit ultio adversùs omnes filios Israel.*

19. *Si immunda*, אם טמאה] *Si polluta, contaminata*, opinione vestrâ scilicet, propterea quòd in ea non sit altare Domini. ¶ *Habitat*, שכן] i. Erectum est. ¶ *Et possessiones accipite*, והאחזו] *Et possessores estote*, i. habete possessionem. ¶ *Neque à nobis deficiatis*, ואותנו אל תמרודו] *Et nobis nè sitis rebelles.* i. neque à Domino, neque à nobis deficiatis, nè subtrahatis vos à consortio nostro.

20. *In anathemate*, בחרם] i. Reservando sibi aliquid de anathemate. Vide c. 7. 1. ¶ *Fuit ira?* היה קצף] Sub. *Jehova*, i. iratus est Jehova. ¶ *Unus*, אחד] *Unicus*, i. Solus. sub. *quantò magis propter peccata multorum multi peribunt?*

21. *Millium*, אלפי] i. Populi Israelitici qui erat in maximo numero.

22. *Deus deorum*, אל אלהים] i. Qui unicus dici debet Deus: repetitur autem ad majorem confirmationem. ¶ *Novit*, יודע] Sub. *Quo animo fecerimus.* ¶ *Cognoscet*, ידע] Sub. *Postea.* ¶ *Nè serves nos*, אל תושיענו] Sub. *O Jehovah*, q. d. Perdat nos Deus si eâ mente id fecimus ut deficeremus à cultu Divino & à consortio aliorum.

23. *Ut averteremur*, &c. לשוב מאחרי יהוה] Eâ mente ut delinqueremus Dominum. ¶ *Ad faciendum*, לעשות] i. Offerendum. ¶ *Requirat*, יבקש] Sub. *nos, & postea animadvertat in nos.*

24. *Dicendo*, לאמור] Sub. *apud nos.* ¶ *Cras*, מחר] i. Posthac, in posterum. ¶ *Quid vobis*, &c. מה לכם יהוה] q. d. Nihil est vobis commune cum Jehova. Jehova non est Deus vester. Seq. v. seipsum declarat.

25. *Praeterea terminum*, וגבול] Ad verb. *Et terminum*, i. *Praeterea dicent, terminum*, &c. ¶ *Et cessare facient*, והשביתו] i. Et ità avertent filii vestri filios nostros à timore Domini, efficient ut non timeant Dominum.

26. *Demus nunc operam*, &c. נעשה נא לנו לבנות] Ad verb. *Faciamus nunc nobis aedificando*, i. Demus operam ut exstruamus altare, &c. q. d. Eâ ergò mente dedimus operam ut exstrueremus altare, &c.

27. *Sed ut testis sit*, כי עד הוא] *Sed testis erit*, &c. ¶ *Generationes nostras*, דורותינו] i. Sobolem nostram, progeniem. ¶ *Ut serviamus servitutem Jehovae*, לעבדאת עבודת] *Ut exerceant* [*compleant*] *cultum Jehovae*, i. ut agere possint rem Divinam. ¶ *Cras*, מחר] i. Posthac, vel aliquando, sic & mox.

28. *Et erit, si dixerint*, והיה כי יאמרו] *Si futurum est ut* sic *dicant.* Vel, *si accidat ut* sic *dicant*, nempe *nos non habere partem*, sive *portionem, in Domino.* ¶ *Tum dicemus*, ואמרנו] i. Tunc filii nostri dicent. ¶ *Non pro holocausto*, לא לעולה] *Non ad holocaustum*, i. non ut offerant in eo holocaustum.

29. *Absit à nobis*, חלילה לנו ממנו] Ad verb. *Absit nobis à nobis.* ¶ *Aedificando altare*, לבנות מזבח] i. Exstructo altari.

30. *Placuit in oculis eorum*, וייטב בעיניהם] Hebraismus, responsio fuit illis grata.

31. *Quòd non praevaricati sitis*, &c. אשר לא מעלתם] i. Quòd alieni estis à praevaricatione quae vobis imputabatur. ¶ *Tunc liberastis*, &c. אז הצלתם וגו'] i. Alioqui animadvertisset Dominus in illos.

32. *Rem*, דבר] Ad verb. *Sermonem*, sive *verbum*, i. responsum.

33. *Placuitque res*, &c. וייטב הדבר וגו'] Hebraismus, Et grata fuit responsio filiis Israel, laudaveruntque Deum, & gratias egerunt illi. ¶ *Neque dixerunt*, &c. ולא אמרו וגו'] Hebraismus, & nequaquam cogitaverunt ultrà ascendere contra eos tanquam dimicaturi. ¶ *Ut disperderent*, לשחת] Ad verb. *Ut corrumperent.*

34. *Ed*, dicendo, *Quia*, כי עד] *Ed* sign. *testis. Quia* vacat hoc loco.

CLARIUS.

QUòd *si putatis immundam*] Quòd scilicet non sit altare Domini in ea, destituatúrque cultu Dei peculiari, cùm Tabernaculum, Arca, & omnia sancta ultra Jordanem fuerint.

22. *Deorum Dominus*] h. e. *Deus Angelorum*, ut quidam Hebraei exponunt.

22. *Ut serviamus Domino per holocausta*] h. e. Ereximus hoc altare ut sciant posteri nos de eodem populo esse, qui jus habet sacrificandi in eodem altari quod stat in tabernaculo Mosis.

34. *Testimonium nostrum*] Vocaverunt aram illam *Testem*, eò quòd testis esset inter eos quòd Dominus sit Deus.

MASIUS.

1, 2, 3. TUm *vocabat Josua tribum Rubeniticam*, &c.] Cùm reddidisset jam Deus caeteras tribus quietas undiquaque, prorsus ut juraverat olim Patribus (id enim superioribus versiculis dictum est) aequum erat ut duae tribus & dimidia dimitterentur ad suos. Planè enim promissum atque conventum effecerant quo in Numeris

meris, c. 32. eos obligarat Moses, atque etiam Principatûs sui initio Josua, suprà 1. 15. Exautorantur, jam ergò, & quidem cum honestissima missione. Laudat enim ipsos Imperator ab obedientia, à fide, à constantia, denique à pietate; Quæ sanè sunt omnium militum virtutes ut rarissimæ ità præclarissimæ. Nam cùm ait, *obedientes fuistis voci meæ*, simul neque se imperiosum fuisse, & illos facillimè sibi auscultasse atque promptissimè obsequelam fecisse ostendit. Meritò autem obedientia primum locum obtinet: hæc enim vel sola universam militarem disciplinam sustinet. Porrò à fide commendat, cùm ait, *Non deseruistis fratres vestros*, h. e. nullius metu periculi nullâque rerum gerendarum difficultate illorum fortunas deseruistis. Deinde hanc laudem per se maximam amplificat à diuturnitate atque constantia, cùm ait, *Per multos hosce dies usque ad hunc diem*; q. d. Haudquaquam levi aliquâ affectione commoti ad ferendam illis opem paulò pòst destitistis, sed constanter ad ipsum usque laborum finem perduravistis. Quæ constantia atque patientia quanta fuerint, is demum rectè existimet qui secum reputaverit illos domi reliquisse conjuges suas, liberos, fortunas denique omnes cis flumen, in parùm tutis adhuc locis, utpote nuper bello captis. Sed quot jam anni sint elapsi ex quo unà cum fratribus trajecerant Jordanem, disputavimus c. 18. constituimúsque de Judæorum sententia 14 præteriisse. In qua sententia manendum esse video dum nos rationes meliores ex ea movebunt. Certum est enim Josuam vixisse annos 110. Exiisse autem eum è vivis priùs quàm secunda שמיטה, h. e. *septimus annus terræ quieti dicatus*, iterum reverteretur, proditum est libello qui *Mundi series* inscribitur. Jam verò imperavisse illum annos circiter 27, aut 28, multi scripsere. Fuerit igitur annos quinque major Calebo cùm speculator unà mitteretur è Cades-barnea, sintque consumpti anni 14 debellandâ dividendâque Terrâ, & vixerit ille annos 13 post partam quietem, (Nam anno decimo quarto redibat altera שמיטה, ad quam ille vivendo non pervenit, ut aiunt) omnia cum totius rationis summa mirificè videas congruere. Neque enim, quod quidam putant, brevi post divisas possessiones obiisse eum est probabile. Nemoratur enim *urbem Thamnath-sara exstruxisse, in eaque sedisse*, Sed ista nunc hactenus; cum verò explicatiùs cùm de Josuæ morte dicendum erit. Denique laudat Imperator suos milites quos dimittit à pietate & religione adversùs Deum, cùm ait, *Atque coluistis observantiam mandati Domini Dei vestri*. Hæc autem virtus omnium cæterarum virtutum uberrimus fons est, tantóque in istis viris prædicabilior quantò in iis qui castra sequuntur solet esse rarior. Nam ut eorum sint multi quos vel disciplinæ militaris metus vel amplissimorum præmiorum spes in officio contineat, & nonnulli etiam qui gloriæ cupidine res præclaras fortiter gerant, tamen qui pietatem in Deum ex animo sibi colendam esse statuant, nostrâ certè memoria nè parùm multi sint milites vereor, quando quò se quisque improbiorem nebulonem præstat eò magis strenuus habetur; & efferata immanitas fortitudo, contrà verò religiosa modestia mollities effeminata existimatur. Istis autem suis militibus non vulgarem Imperator pietatem attribuit, sed summam; si modò summa dici aliqua potest; ait enim *eos ipsam observasse observantiam jussorum Dei*.

4. *Jam verò quietem dedit Dominus Deus vester fratribus vestris*, &c.] De ista quiete diximus in extremo capitis superioris. Commemorat autem Imperator eam, tanquam tempus quod ipsis præstituerat quamdiu militare deberent, c. 1. v. 15. ¶ *Tabernacula* porrò vocat, non *militaria gurgustia*, aut *rustica tuguria*, quales habitationes vocabulo אהל subjiciuntur, sed ipsorum *domos*, ut interpretantur LXXII, aut *urbes*, ut Chaldæus: neque enim in tentoriis reliquerant suas fortunas, sed in *urbibus*, Num. 32. 17. verùm utitur vocabulo militari apud milites.

5. *Cæterùm observate admodum ut exsequamini præceptum*, &c.] *Præcepti* & *legis* vocabula sic interpretatus est Nicolaus quasi illud *mores*, hoc *judicia* & *ceremonias*, ut vocant Theologi, significet. Sed eam non esse illorum verborum vim quis nescit? Omissâ igitur subtilitate nimis exquisitâ neque satis firmâ, existimemus ambabus vocibus significatam esse universam illam doctrinam quâ Moses vitam populi Israelitici in Terra promissa degendam formaverat: Quæ doctrina in quinque nunc redacta libros legitur. Et quia illa tota in uno *primario & magno mandato*, sicut Christus appellat Matth. 22. 38. posita est, ut *Deum ex animo amemus colamúsque* (qui enim hoc facit, is omnes reliquorum omnium officiorum numeros explet) ideo hoc unum inculcat iis quos à se dimittit Josua; idque diversorum verborum congerie, quam συναθροισμὸν vocat Fabius, continuò per amplificationem altiùs altiúsque insurgendo. Jubet enim ut Deum ament, & quidem ità ament ut universæ vitæ suæ ratione eum amorem præ se ferant, nihilque quod ei gratum sit facere omittant; neque ista agant aut simulatè aut leviter vel interruptè, sed ex animo, graviter, sine intermissione, sic ut penitus ei rei inhæreant omni cogitatione ac voluntate, itàque in Deum intenti sint ut nullam aliùnde utilitatem, nedum salutem, exspectent. ¶ Appellat autem Mosen *servum Domini Dei*, ut ejus legi conciliet auctoritatem, tanquam interpretis & internuncii Dei. ¶ *Ambulare in viis Dei* pervagatissima est metaphora, significans imitationem, quâ se quis totum ad Dei obsequium comparat & componit. Esse autem *Dei vias universas* חסד ואמת, h. e. *rectam probitatem*, sive *justitiam*, *cum liberali religiosáque clementia conjunctam*, cecinit David, Psal. 25. 10. Pertinet ergò hoc pietatis studium etiam ad proximos nostros: ut jam perspicuum sit, in illo uno primario mandato utramque Mosis tabulam contineri; atque constitutiones illius omnes, sive illæ Judiciales sint, sive Ceremoniales, ut vocant, in hunc veluti scopum tendere. Nam, ut ait Paulus, 1 Tim. 1. 10. Rom. 13. 10. *Finis præcepti est caritas ex corde puro, & conscientia bona, fidéque non simulata*. ¶ Nomen *cordis* pro ipsa mente atque intelligentia vel voluntate hominis, ut sæpe, positum est; *animæ* verò, pro ea animi parte quæ corporis perturbationibus concitari in primis solet. Græci τὸ ἐπιθυμητικὸν, Theologi ψυχικὸν dicunt. Deuteronomio c. 6. v. 5. unde ista repetita videri possunt, additum est & tertium membrum, ובכל מאדך, id autem est *pro omnibus viribus tuis*, ut LXXII, Latinus & Abraham F. Ezdræ interpretantur; vel cum *omnibus opibus tuis*, ut R. Solomon & Chaldæus explanant. Sunt etiam qui hoc ad corporis officia spectare putant, quibus animus hominis universus, h. e. καὶ τὸ νοητικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, declaratur; q. d. Moses, Deum ità à nobis amari colíque debere toto animo ut ipsum etiam corpus omnibus officiis eum nostrum animum præ se ferat. Et rectè sanè. Sumus enim ità creati à Deo ut non solùm animum sed corpus etiam ipsius cultui dicatum habere debeamus. Sunt rursus alii qui existimant hoc tertium membrum exigere ut superiora duo quàm perfectissimè præstentur; & hoc Matthæum significasse illo verbo, διανοίᾳ, c. 22. v. 38. Deum ergo sic amandum esse toto corde totâque animâ ut, quacunque in re animus & mens nostra versetur, perpetuò in Dei amorem sit intenta. Sciens prætereo Ludovici Rhodogini viri docti argutias de sacrosancta Trinitate, ut vocatur. Nihil enim opus esse existimo fidei nostræ mysteria illiusmodi subtilitatibus affirmare. Sed dicat hic aliquis, Quid est cur tantâ verborum exaggeratione vel olim legem istam Moses ediceret, vel nunc Josua repeteret atque inculcaret abeuntibus tribubus? cùm mortalium nemo unquam præstare hæc omnia potuerit propter *aliam legem* quæ *in membris* omnium, post vitiatam naturam, semper *repugnavit legi mentis*, ut ait Paulus, Rom. 7. 23. Et quis est qui non quotidie variis animi sui perturbationibus abripitur à viis Domini, & si non totam mentem, at certè magnam cogitationum suarum partem rebus externis vel invitus applicat? carnísque suæ ductum sequitur? cujus *affectio inimicitia est adversùs Deum, Deique legi non subiicitur, ac nè potest quidem subiici*, ut idem Paulus loquitur, Rom. 8. 7. Et tamen nefas est existimare gravius à Deo miseris mortalibus impositum esse pondus quàm ferre possint. Sed responderi, &

& quidem non abs re, posse puto Augustini verbis, l. 1. Retract. c. 19. Deum proposuisse *vehementem* illam *perfectionis expressionem*, non quò mortales, dum carne circumdati sunt, ad illam pertingere possint, (Est enim verum illud, *Neminem utentem voluntatis suæ libero arbitrio, vivere sine peccato*) sed ut omnes illò connitantur quò cum vita immortali tandem sunt perventuri. Et quantò se minùs ad illud præstandum pollere sentiunt, tantò Divinæ gratiæ opem ardentioribus votis imploret. Ea enim non solùm peccatis admissis ignoscit per Jesum Christum, sed etiam nè peccemus, atque ut Dei voluntati congruenter vivamus, nos adjuvat. Quod est à Melevitano Concilio sancitum, c. 3. Nam illud Pauli, quod Cerdoniani Manichæique arripiunt, *carnis sensum atque affectum non posse Divinæ legi subjici*, in hanc sententiam debent interpretari, Eos qui ad carnis ductum sese applicant, tantisper dum id faciunt, legem Dei observare non posse. Quod profectò minimè mirum est, cùm *nemo possit duobus dominis servire*. Ad hoc, ut idem ille Augustinus scriptum reliquit, Si præstari non potest in hac mortali vita caritas tanta quantam cœlestis illa rerum Divinarum cognitio præstabit, id jam in crimine non est ponendum. Non enim lex violari censetur dum finis scopúsque legis animo retinetur. Nullus enim sanctorum & justorum prorsus à peccato vacuus est, August. De dogm. Eccles. c. 86. Et tamen non ideo desinunt esse justi sanctíque, dummodo animo sanctitatem retineant. Est quidem illud ità, usque eò humanum genus effectori atque parenti suo Deo obstrictum esse, ut ea omnia quæ in isto præcepta insunt ad illius officium pertineant. Sed quando tanta est carnis nostræ infirmitas ut quæ lex Divina præscribit ea à nullo perfectissimè præstari possint, respondet Augustinus Retract. l. 1. c. 19. cùm hunc Matthæi locum tractat. c. 5. v. 8. eundem illum Deum, qui tam gravis, ut videtur, legis præcepta dedit, hoc etiam jussisse, ut se oremus, *Remitte nobis debita nostra*: eâque oratione usque ad mundi finem usuram esse Ecclesiam universam. Hanc enim illum tanquam medicinam nobis præscripsisse non facti plenè officii nostri. Summa est; Deum, suo jure, nos sibi soli totos, quanti quanti sumus, mancipatos, atque in amandi colendíque officio omnibus animi nostri viribus perpetuò intentos, manere velle quidem; sed dum nostrapte vitiositate de fuga subinde cogitamus, eámque molimur etiam interdum, si culpam mox agnoscamus, & cœlestis Spiritûs implorantes opem ad Dominum ex animo revertamur, benignè illum errata nobis condonare. Itaque quodam modo mandata omnia à nobis facta esse existimari, quando quidquid non est factum ejus nobis gratiam Deus facit, ut ait idem Augustinus; qui sæpe illud in ore habet, *Domine, da quod jubes, & jube quod vis*. Nimirum rectè existimat, Deum, dum jubet, monere ut faciamus quæ possumus; petamus autem ab ipso auxilium ad ea facienda quæ ipsi non possumus: illum enim ut possimus effecturum suâ gratiâ, cùm sit ipsius *jugum suave, & onus leve*. Quomodo enim graue sit, quod est caritatis? Sed diximus de ista re nonnulla c. 1. ad v. 7. Et dies me deficiat, si quæ ab Augustino de ea sunt divinè scripta persequi omnia velim. Quare hoc unum addam, Non ea exspectare Deum officia à nobis hîc militantibus, ut Theologi loquuntur, quæ in cœlesti regno ipse mercedis loco in nobis efficiet, ubi vicerimus; sed boni consulturum, si tantum fidei caritatísque, & quidem ejus cœlesti gratiâ adjuti, præstiterimus, quantum carne circumdati humíque strati possumus.

6. *Itaque bene precatus ipsis Josua, dimisit, &c.*] De *benedicendi* verbo ברך diximus suprà c. 14. v. 13. Id cùm tribuitur hominibus adversùs homines, significat *bene precari, & fausta omnia optare à Deo*, qui solus *bona dona* mortalibus conferre potest, Jac. 1. 17. Cùm verò adversùs Deum, quia nihil ei à nobis aliud dari potest, idem est quod εὐχαριστεῖν *agere gratias*: at cùm Deus benedicit nobis, tum significat *bona largiri*. Sed hoc nunc hactenus, plura enim alibi.

7, 8. *Nam dimidia tribui Manassis assignaverat hæreditatem Moses. &c.*] Quia Manassensium mentio inciderat, explicatur per parenthesin ratio cur ea tribus sit divisa in partes duas. Quod orationis genus non satis rectè perceptum à Judæis mirum quàm pueriliter nugari ipsos coegerit. Nam in בראשית רבה *Genesi Rabba* statuunt, bis ab Imperatore dimissas esse istas tribus, vel quia post priorem missionem dies aliquot in castris hæsissent, vel quia ab ipso Imperatore, benevolentiæ ergô, ad Jordanem usque deducti, eum rursus domum reduxere, nè parùm stipatus rediret scilicet. At R. Solomon, æquè insulsè, autumat, cùm jam Rubenitæ & Gaditæ dimissi abscederent, Imperatorem seorsim Manassenses appellasse, eísque imperasse ut spolia sua cum Rubenitis & Gaditis participarent communicaréntque: quasi verò isti prædam alioqui nullam fecerint. Atqui perspicua est S. verborum sententia, Jussisse Josuam eos quos dimittebat, Rubenitas, Gaditas & Manassenses, de suis spoliis, quæ trans flumen nacti fuerant, impertiri suis gentilibus qui cis flumen apud impedimenta manserant. Manserant autē propè altero tanto plures quàm militatum cum fratribus transierant: quod ex postrema recensione constat. Quadragies enim mille duntaxat trajecerunt: At si dimidiam Manassensium partem à Mose collocatam fuisse in Galaaditide putemus, & simul (quod est probabilissimum) statuamus Israelitarum numerum non esse post recensionem ultimam imminutum, fateamur necesse est, mansisse cis Jordanem septuagies mille viros, & insuper quingentos atque octoginta. Sed quo jure prædam suam dividere debeant, qui bello & periculis atque laboribus perfuncti sunt, cum iis qui domi in otio atque umbratili vita remanserunt, non est quòd multis disputemus. Certum est enim hoc jubere Josuam vetere Mosis exemplo; Hunc verò id fecisse Dei oraculo, Num. 31. 27. cùm pauci delecti profligassent Madianitas, onustíque spoliis domum revertissent. Sed dices, Æquum saltem fuisse ut apud eos præmium majus esset apud quos fuerat & labor. Atqui neque verbum חלק, quo Josua utitur, neque חצה, quo Moses, aut Deus apud Mosen verius, eam vim habent ut æquas fieri partes necesse fuerit. Et ut demus id ità esse, tamen cùm dimidium sibi servant qui prædam fecerant, longè plus viritim capiunt quàm resides illi: sunt enim multò pauciores. Atque hujus æquitatis rationem habuisse Deus etiam videtur, cùm decuplo plus sibi de illis Madianitarum manubiis decidi juberet quas otiosi accepissent quàm de aliis. Neque igitur qui capita sua periculis supposuerant, præmii prærogativo sunt defraudati; neque illi qui non per ignaviam, sed vel sorte, vel delectu habito, apud impedimenta manserant, omnis victoriæ fructûs, non sine contumelia, expertes, inertiæ damnantur; sed, divisâ æquabili ratione prædâ, utrique grati animi officio adversùs Deum victoriæ auctorem obstringuntur. Quin illa quoque Davidis lex 1 Reg. 30. quam & res sancivit & verbis edixit, cùm Amalecitas cecidisset, his exemplis instituta videtur. Sed cur illic æquabilis in singulos, sive qui pugnarant, sive qui impedimenta servarant, divisio fieret, alia erat ratio. Par enim fuerat omnium periculum. Cùm enim soli ducenti fuissent relicti, quadragenti verò hostem incerto itinere persecuti; facilè potuissent pauci illi apud sarcinas opprimi, si hostis usquam in insidiis substitisset, atque insequentes fefellisset. Nam æquas partes sumpsisse viros singulos, non autem prædæ universæ dimidium alterutras copias, certum est. Quis enim probare possit legem perpetuam, quâ exiguus militum numerus, qualis apud impedimenta relinqui solet, tantum capiat quantum magnæ copiæ quæ pugnatum ducuntur in expeditionem? Sed ista de hoc loco, in quem fortè incidimus, dixisse satis sit.

9, 10, 11. *Revertebantur ergò, atque discedebant Rubenitæ, &c.*] *Galaaditis* vocatur hoc loco universa regio quam Moses concesserat duabus tribubus & dimidiæ cis Jordanem. Aliàs hoc nomine dicitur certa illius pars, quam suo loco ostendimus. ¶ Vocabulum גלילות, quod ego interpretatus sum *aggeres*, Symmachus reddidit ὅρια, h. e. *terminos*. Sed nos ejus vim explicavimus alibi satis multis verbis. Nulla dubitatio esse potest quin isti ab Imperatore

tore dimissi cùm mirificâ adversùs Deum pietate gestirent, & sancto gaudio, quòd & salvis & onustis spoliis domum reverti concessum esset, planè animo constituerint à Mose traditam religionem, cujus eos denuò Imperator admonuerat, modis omnibus tueri & servare; atque ideo aram illam ingentem in confinio posuerint, ut ea, tanquam unicæ aræ Dei symbolum, apud posteros testaretur, Eos qui construxere, idem cum illis apud quos exstaret Numen, iisdem sacris & religione, tum semper coluisse tum colere porrò debere. Sic enim ipsi suum hoc propositum explicabunt. Carebat igitur monimentum omni prorsus vitio; & qui statuerant, nullâ improbi cultûs instituti culpâ se obligarant; quamvis malè primùm atque inaniter de omni re existimarent fratres. Hi enim, depulso tandem errore, non solùm dirui constructum opus non jusserunt, sed vehementer collaudarunt etiam. Quò magis demirari licet multorum hac tempestate animi intemperiem, qui nimis immoderatè in sacrarum historiarum monimenta, quæ majorum nostrorum pietas in templis aliisque locis religiosè passim collocavit, debacchantur; cùm ea obesse nulli, prodesse autem plurimis ad permovendam pietate vulgi mentem possint, si quem præbeant usum pro concionibus populo inculcetur. Planè enim hic locus docet, non nefas fuisse, præter solennem aram, alias habere quæ illam referrent, & veri cultûs eos admonerent qui ab illa abessent longiús: Sed in diversis aris operari sacris, id verò vetitum fuisse Divinâ lege, Deut. 12. Nimirũ, *ut nè sibi quisq; sacerdos esset*, inquit Augustinus, Quæst. in Levit. l. 3. c. 56. Hoc autem est, nè indè cultus dispar, atque ex dissimilibus ritibus confusio religionum paulatim nasceretur; quâ re nulla est alia quæ communi pietati tranquillitatíque officiat magís. Neque verò ut hoc adjunctis exemplis ostendam ità esse opus est. Quæ ante oculos sunt, ea cujusvis animus facilè circumspicit. Quare me reprimam; neque hoc prosequar longiús. Non igitur rem ipsam sed fratrum suorum animos atque consilium spectare debebant Israelitæ priùs quàm iram tam gravem adversùs illos conciperent. Sed cur non nunc, ut olim, in una omnes ara cultores suos operari sacris vult Deus? roget aliquis. Sanè postquam longè latéque *ab oriente Sole usque ad occidentem* patefactum esset *gentibus* à Christo Jesu æterni Patris *nomen*, eóque labefactata, aut profligata potiùs, ubique πολύθεος δόξα, h. e. *multorum deorum opinio*, tum nefas non fore, amoto periculo scilicet, Deum *quovis in loco*, sed ritu uno, colere, quem æternus ejus Filius mortales docuisset, prædictum est à Malachia vate, 1. 11. Quod propter dicebat Jesus Christus, cùm ipse apud nos versaretur, jam tum *adesse illud tempus quo non solùm Hierosolymis, aut in uno monte* Garizim, sed ubique *adorarent Patrem veri cultores spiritu & verè*, Joan. 4. 21, 23. Ad hoc, unica illa sacrificandi ritè ara adumbrabat unicum Conciliatorem, qui futurus esset inter Deum & homines; cui uni imponi ritè victimæ nostræ possent, ut cœlesti Patri essent acceptæ: neque in alia ara litare posse quemquam. Postquam ergò per Euangelii lucem res ipsa est patefacta atque conspecta, nihil ampliùs adumbratione opus est. Verùm enimvero iis quæ de una ara dicimus parùm videtur illud consentaneum, quòd Elias in monte Carmelo aram struxit, sacrificavit, litavit, post exædificatum Solomonis Templum, 3 Reg. 18. Sed respondet Augustinus Quæst. in Levit. l. 3. c. 56. eâdem hoc Eliæ factum ratione excusari quâ illud Abrahæ, cùm is filium suum immolare constituisset. Quod enim legislator jubet, id privatæ legis loco est certè, & *privilegium* rectè vocatur. Verùm cùm Samuel Sauli præstitueret Galgala, immolaturus inibi holocausta & pacifica, cùm jam diu Siluntem translata Arca esset, dubium nullum est quin *Galgala* pro *Silunte* dixerit. Nugæ autem, mihi certè, videntur meræ, quas Doctores Hebræi sunt commenti. Dicunt enim, In quibusvis aris fas fuisse rem sacram facere quoties Arca non esset in suo tabernaculo reposita. Sed quando semel in mentionem de aris incidimus, quas nostro seculo multi subversas sublatásque volunt, certa res est, eas in templis omnibus, more antiquissimo, apud Christianos homines fuisse. Nam Tertullianus, cum primis vetus auctor, inter homologeseωs officia annumerat, *Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari*, lib. De pœnitentia. Et eo posterior sed non deterior scriptor Ambrosius in illa memorabili epistola ad sororem Marcellinam narrat, Valentiniano Principe, cùm turbatæ in templo essent res sacræ, milites tandem irruisse in altaria, osculísque fixis signum pacis dedisse. Verùm illud fateor piaculum esse, & cum falso cultu conjunctum, aras non uni Deo, sed aliis etiam divis consecrare. Idque etiam D. Augustinus sæpe monuit. Neque enim ara, nisi cui sacrificatur, dicari debet. Sed hoc hactenus: non est enim hujus loci.

12. *Audiverunt, inquam, Israelitæ, & congregati sunt*, &c.] Incenduntur Israelitæ, h. e. major Israelitarum pars, suspicione atrocis rei adversùs fratres suos, usque eò ut bello ipsos invadere parent, atque eâ lege agere quæ in Deuteronomio c. 13. scripta est. Qua in re sicut vindicandæ avitæ religionis zelus laudem meretur maximam, ità, quod parùm exploratè cognitum habebant, id eos præcipiti existimatione prorsus condemnare, dignum profectò est magnâ reprehensione. Sed bene est quòd se sustinent, collatísque in comitio sententiis consilium capiunt de cognoscendo priùs fratrum suorum animo, ex quo res omnis dijudicari debebat, quàm arma expediant. Ponitur igitur hîc nobis ante oculos memorabile exemplum, nè temere moveamur suspicionibus quæ nobis de fratrum nostrorum factis dictísque veniunt in mentem. Quò pertinent etiam illa Christi & Apostolorum monita de *non judicando:* Quæ utinam multi hác tempestate sæpe animis suis pertractarent, qui odio magis quàm judicio, de fratrum suorum doctrina vitáque tota existimant. Sed quando S. narratio memorat convenisse Israelitas belli faciendi causâ ob violatam religionem, postulare videtur hic locus ut paucis disputemus, Ferrone, an gladio spiritûs, h. e. Dei verbo, vindicanda sit religio. De qua re quid vetus lex censuerit minimè est obscurum. Disertis enim verbis cùm alibi tum in Deuteronomio c. 13. jubet ea interfici illos qui docent statuúntve quod à Dei cultu abducat, vel qui alios incitant ad alienos cultus. Quin privatis non contenta suppliciis, totas etiam civitates delet in quas invasit ea impietas. De nova ergò, i. de Euangelica, lege, & ea disciplina quæ à Christianis colitur, omnis controversia est. Hanc igitur plerique existimant solùm spiritûs gladium stringere, non etiam seculari coercere vel improbissimam cujusvis de religione sententiam doctrinámque. Nam illud veteris & severioris legis regnum, inquiunt, mundanum erat; Christi verò cœleste. Sed quo sensu hoc dicant, ipsi viderint. Mihi certè verissimum esse videtur, sicut Christi ità & Mosis legis scopum fuisse, non mundi regna grassando parare, sed amorem, pietatem, caritatem hominibus adversùs Deum & homines conciliare atque commendare. Unde confici videtur, Non magis lege Mosis præter modum punire improbos fratres licuisse fratribus quàm lege Christi; Neque vicissim lege Christi per improborum impunitatem prodi salutem proborum magis debuisse quàm Mosis lege; cùm utriusque idem unus fuerit finis, ipsa caritas in Deum & proximos. Fuit quidem Mosis lex tanquam *pædagogus*, ut ait Paulus Gal. 3. ducens populum per vitæ probitatem ad Christi perfectiorem doctrinam amplectendam. Pædagogi autem est, fateor, puerorum mores non solùm verbis sed etiam plagis castigare, atque omnino metu compescere insolentiam; præceptoris verò, non tam virgis quàm bonâ doctrinâ illos instituere atque informare. Sed quæ tanta, rogo, sit ullius effrænatio, ut existimet nos per Christi Euangelium esse ab illo pædagogo ad scelerum licentiam atque impunitatem liberatos? Et quódnam scelus esse majus atque sceleſtius potest quàm à proba religione aliquem non modò desciscere ipsum, sed alios etiam pro viribus seductum ire, h. e. in Deum simul & homines summè injurium esse? Existimandum ergò videtur, haudquaquam à novæ legis lenitate alienum esse,

esse, probam atque à sanctissimis majoribus acceptam posterisque traditam de tota religione sententiam non solo spiritûs gladio, sed, ubi ille efficere nihil potest, eo etiam quo Deus Magistratum armavit, vindicare, veteris legis exemplo; in iis præsertim hominibus qui animi malitiâ καὶ ἀυτοκαταρίτῳ πονηρίᾳ, ut Græci Theologi loquuntur, atque novitatis quadam libidine, aut gloriosâ ostentatione, aut denique aliorum hominum odio, agnitam veritatem aversantur, & *sublatâ manu*, ut est in S. literis Num. 15. 30. discedunt in sententias à pulcherrimo consensu atque concentu gregis Christi, qui ab omni retro memoria in Ecclesia fuit, usque eò dissidentes ut illo salvo retineri non possint. Hoc enim profectò est, *relicto fonte vitæ, aridas cisternas effodere*, Jer. 2. 13. atque in ipsum peccare Spiritum S. & prorsus non ferenda in repub. protervia. Equidem minimè sanguinarius sum, neque facilè explicaverim quàm mihi apud meum animum videatur immane atque à Christiana misericordia alienum, miserrimos homines, qui pietatis studio, non autem *malâ malitiâ*, ut inquit ille, neque improbâ mente, à majorum suorum religione paululùm deflectunt, & non tam dogmata quàm ritus quosdam diversos sequuntur, quos persuasi sunt verbo Dei esse magis consentaneos; eos, inquam, infelicissimos homines ad crudelissima supplicia abripi illico; imò ullos omnium qui gladio spiritûs corrigi possint vitâ à magistratu puniri. Nam etiam nostros hoc loco Israelitas paratissimos esse videmus suos fratres, quos tamen existimant falso cultui operam dedisse (quod in religione est omnium flagitiorum gravissimum flagitium) si resipiscant, non solùm peccati gratiam facere, verùm etiam cum maximo fortunarum suarum dispendio multitudinem hominum propè infinitam in suas secum possessiones admittere, suásque cum illis urbes agrósque communicare. Sed de iis loquebar qui ipsa religionis nostræ fundamenta, quantum possunt, convulsum eunt, vel id ut efficiant dant operam, nè quid prorsus certi relinquatur quo gratissima illa Deo populi consensio niti possit; neque ab hac sua improbitate moveri ullis argumentis queunt. Talibus enim spiritualibus sicariis, ut sic dicam, per causam lenitudinis Christianæ (hanc enim opponebant alii) parcere, quid quæso aliud est quàm fovendâ peste contagiosissimâ alios fratres perdere? Verùm enimvero si qui ex famosis opinationibus moveantur, atque deposito errore resipiscant, non ego tales continuò impunes in Ecclesiam recipiendos putaverim, sed vel more majorum emendatos priùs, vel novo quopiam ritu publicè expiatos; videlicet nè temere sibi alii in simili flagitio vel impunitatem vel veniæ facilitatem audeant promittere, aut sperare etiam. Non ignoro equidem, veteres, viros sanctissimos, pœnam satis magnam existimavisse, si aut sacri cœtûs communione abstenti essent hæretici, atque excommunicati, ut loquuntur; aut bonis omnibus exuti, quibus usque eò dum ipsi resipiscerent uterentur pauperes; aut denique si essent in exsilium missi. Et rectè sanè illi lolium, quod ejusmodi erat ut vel tritico noxium non esset, vel in triticum videretur educatione posse commutari, in ignem ante tempus non conjiciebant. Sed tempora fiunt in dies diriora, & miris modis augescit humanorum ingeniorum protervitas. Nunc enim multi pietatis contemptu, & fastidio magis quàm errore, videntur non solùm ipsi ad omnem impietatem projecti clarissimis monumentis testatam consignatámque antiquitatem, & ab ipsis Apostolis aliisque sanctissimis Patribus accepta posterisque tradita dogmata insolenter repudiare, verùm apud quosvis, maxime autem apud imperitum vulgus, ea calumniando insectandóque suis argutiis, id perpetuò dant operam ut quàm plurimos secum in eandem adducant vesaniam. Adversùs quorum deploratam non dico vitiositatem sed pessimam malitiam ego certè Justiniani legibus agendum censeo, quintâ, & octavâ, quas de hæreticis Manichæis tulit, si remp. diu esse salvam volumus. Sed opponunt mihi D. Augustinum, qui nè profligatissimos quidem hæreticos vitâ multari debere censuit. Atqui nego id eum censuisse; sed de Ecclesiasticorum virorum procuratione locutum eum esse aio. Scribit enim Augustinus epist. 50. ad Bonifacium, Licere prorsus legibus Imperialibus uti adversùs hæreticos, cùm verbis emendari non possunt; sed citra mortem tamen: non quò eam non sint illi commeriti, sed quia mansuetudinis Ecclesiasticæ non sit ulli misero mortem procurare. Quare si ille jussionem, ut vocatur, trabalem Theodosii junioris & Valentiniani tertii, quæ in Novellis constitutionibus, titulo secundo, scripta est, legisset, credibile est eum non fuisse repugnaturum quò minùs illam Magistratus conferret ad rem, adversùs nocentissimos Ecclesiæ Christi nebulones. Neque enim solo Dei verbo sed Magistratûs quoque ferro coerceri posse hæreticos idem Augustinus ostendit, eâ epistolâ quam scripsit quadragesimam octavam, ad Vincentium Rogatistam, monens quidem nè Donatistæ occidantur; cùm necis potestatem leges Imperiales, quibus agendum sit, non fecerint in hæreticos; cæteroqui verò à Magistratu coerceantur. Nimirum trabalis illa constitutio aut nondum edicta aut non audita ab Augustino erat. Sed hanc opinionem ego ità habeo ut eam nullius privati hominis meliori judicio, nedum Ecclesiæ, opposuisse velim pertinaciùs quàm oportuit.

13, 14, 15. *Cæterùm allegabant Israelitæ ad Rubenitas*, &c.] Posset quidem pro accusandi casu *sacerdotem* reddi genitivus, ut vocant Grammatici, dicíque *sacerdotis*. Est enim oratio anceps. Sed versiculus tricesimus ostendit Phineen Sacerdotem fuisse. Et, quod exposuimus, c. 15. v. 17. in illius modi verborum constructione ambigua quod adjectum est referri ad id debet cujus potissimùm mentio fit. Sapienter consilio priùs quàm armis rem tentant Israelitæ. Quod ipsa etiam humanitas postulare ab hominibus videtur; cùm belluarum sit, nullâ dictâ causâ armis confligere, & cæco impetu, tanquam rabie quadam, alios in alios incurrere. Moses certè, quantumvis à Deo jussus invadere Sehonem Regem, tamen mittit qui cum eo agant, & quidem conditionibus æquissimis, Deut. 2. 16. Sed plenæ sunt omnes omnium historiæ exemplis. Israelitas autem tum ipsa etiam necessitudo sanguinis, tum nuper accepta beneficia deterrere ab armis debebant; & vel in primis illud apud omnes pervagatissimum, quòd nullum bellum civili funestius est. Præclarè enim est ab Homero dictum Iliad. 9.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

¶ Delegitur autem Phinees, vir Levitici & Sacerdotalis ordinis, summíque Pontificis Eleazaris filius, præterea insigni atque in communi utili facinore edito tum clarus, tum gratiosus, qui sacræ istius legationis sit princeps. Nimirum, quòd rectè, ut omnia, scripsit Aristoteles lib. 2. De arte dicendi, φρόνησις, ἀρετὴ, καὶ εὔνοια, h. e. *prudentia, probitas, & gratia maximum habent ad persuadendum momentum*. Illæ enim virtutes ad res ipsas rectè tractandas, hæc ad transigendas componendásque utilissima est. Et cujus virtutem amamus aut admiramur, ei facillimè fidem accommodamus. Adjunguntur autem illi viri decem, ex quaque tribu singuli; non cujusvis loci, sed primates; non quidem ad pompam, neque de more, ut apud Romanos, sed ut res ardua de omnium tribuum voluntate totiúsque ecclesiæ consilio ageretur. ¶ Illud autem, *Erant enim hi sua quisque familiæ primarii inter principes Israeliticos*, explanat Kimhi in hanc sententiam, *Miserunt*, inquit, *decem primarios viros qui comitarentur Phineen, ex singulis tribubus singulos; quorum quisque præfectus erat mille tribulibus suis*. Nimirum vocabulum אלפים modò *mille* significat, modò *eos qui mille viris imperant*, h. e. τοὺς χιλιάρχους, nonnunquam etiam *principes viros, qui aliis hominibus duces ad res gerendas sunt*. Neque desunt etiam qui illud לאלפי ישראל interpretentur, *inter copias Israeliticas*, tanquam positus sit numerus certus pro incerto. Sed parùm admodum discrepant inter se istæ sententiæ: & quid omnino dicatur satis planum est.

16. *Sic dixerunt universus cœtus Domini*, &c.] Constitutio

stitutio juridicialis est absoluta, ut Rhetores vocant. Nam rei, de quo accusantur, id à se factum improbè esse negant. Status autem legitimus est, Structáne sit ara qualem Lex prohibet, an non talis. Exordium ad causam est appositissimum; & simul aptissimum ad conciliandam orationi auctoritatem, cæteroqui duræ & odiosæ. Nam cùm se *cœtus* sive *ecclesiæ*, *Domini* allegatos esse dicunt, ex ipso cœlo mandata afferre videri possunt. Et Ecclesia omnino audienda est, cùm religionis causa agitur. Quàm vehementem autem opinionem mente comprehendissent decem tribus de fratrum suorum peccato, satis magno argumento est dura ista allegatorum expostulatio, planè sic instituta quasi confessum & manifestum sit crimen; à quo tamen rei prorsus sunt alienissimi. Videmus ergò etiam viros sanctissimos, quales fuere Eleazar Pontifex max. Josua Imperator, cæteri, ad falsissimas interdum opiniones labi, & suspicionibus temere incendi posse: nimirum homines sunt. Sed illi continuò aut se recipiunt ad suum ingenium melioribus cogitationibus, aut rationibus auditis emendari se facilè patiuntur. At longè alia mens est eorum qui pietatis quidem speciem opponunt, sed reipsa gloriosæ ostentationis & contentionis spiritu ità agitantur ut quidquid semel sive errore sive melioris sententiæ odio arripuerunt, ex eo nullius hominis oratione, quantùvis gravi & probabili, se moveri patiuntur. Sic Moses, vir alioqui omnium mortalium lenissimus, cùm asperrimè invectus in has ipsas tribus duas & dimidiam fuisset, petentes ut cis Jordanem manere sibi liceret, simul atque consilii sui rationem ipsæ exposuissent, illico placatus est, Num. 32. Quanquam ad Mosis indignationem quod attinet, potest illa multis de caussis justa fuisse videri; Quales causæ à nobis quædam sunt post principium capitis 12 explicatæ; & plures commemorantur à R. Isaaco Æramæo cap. 85. ejus libri qui inscribitur *Isaac colligatus*. Sed ex istis quæ dicimus forsan occurrat illud, Si hallucinatus est cœtus Domini falsâ opinione, non rectè vocatur à D. Paulo *columna & firmamentum veritatis*, 1 Tim. 3. 15. Atqui non errabat Ecclesia Dei suo judicio quod de ipsa re faciebat, sed de voluntate & consilio hominum non rectè existimabat. Solus autem Deus introspicere in mentes hominum potest. Nam si eo proposito aram struxissent illæ tribus quo esse structam suspicabatur Ecclesia, meritò defectionis à proba religione illas accusasset; atque si non potuisset rectè monendo revocare, per vim etiam in ordinem bene, opinor, coegisset. ¶ Verbum מעל plenè sumus interpretati *delinquere*. Sed Symmachus præcisè *καταγινώσκειν* reddidit, h.e. *contemnere*, *vilipendere*, sive *per contemptum negligere atque rejicere*; ut defectionis vitium exprimeret videlicet. Sic in Numeris 5. 27. de muliere quæ cum alio viro corpus miscuit, honestâ loquendi formâ scriptum est ותמעל מעל באשה, q. d. *à suo viro, cùm eum sperneret, defecit ad alium virum, prævaricatáque est*. Chaldæus dixit שקר, h. e. *fraudem committere*. ¶ Porrò nomen *Israelis* magnam habet emphasin: unâ enim complexione ponit ante oculos omnia illa præclarissima beneficia quæ Deus adhuc in Israelis posteros contulit; eóque animi ingratissimi illos incusat qui à tam benigno Domino deficiant. ¶ Porrò cùm universè primùm *peccasse* illos *adversùs Deum* dixissent, ipsam deinde peccati universitatem ad duas deducunt species, *defectionem*, & *rebellionem*, quarum illa in abdicato cultu veri Dei, hæc in falsorum Deorum cultu instituto consistit. Et sunt sanè ista quadam necessitudine sibi mutuùm copulata. Nam ità comparatus est mortalium animus ut prorsus ab omni religione vacuus esse non possit. Monstra enim hominum fuere potiùs quàm homines Diagoras, Theodorus, alii pauci, qui ἄθεοι cognominati sunt. ¶ Adverbium היום *Hodie* rei potiùs evidentiam quàm tempus significat; ut sæpe aliás. Nisi quis existimare malit hoc loco ad præproperam defectionem ostendendam pertinere; cùm mox dicant *se nondum à flagitio Phegor esse expiatos*. Sic enim aiunt,

17, 18. *Num parùm nobis erat admisisse scelus illud Phegor*, &c.] Increpant reorum idololatriam, ut vocamus, fœdissimo & calamitosissimo exemplo, quod in Numeris c. 25. est perscriptum. Meritò autem hoc exemplo utitur Phinees, ut cujus ipse pars magna fuerat, quippe qui unus Dei indignationem sedaverat, trucidato Zambri cum Madianitide Cozbi corpus miscente. At enim si ille placaverat Deum, facinúsque expiaverat, quid est cur ab illo flagitio nondum esse purgatum populum dicat? R. Levi F. Gersonis opinatur tantam fuisse illius mali contagionem ut etiamnum animi multorum eòdem propenderent. Alii ad infamiam illius sceleris ista spectare putant, quâ nondum sint liberati Israelitæ. Sed istæ profectò sententiæ nimis molles sunt. Non enim de animorum affectionibus, aut de peccati memoria, sed de ipsa impietate patrata agitur. Quare, meo certè judicio, rectiùs illi sentiunt qui placatum quidem fuisse Deum zelo Phinees putant, sed eatenus modò ut plures illo tempore mutuâ cæde nollet cadere, verùm eos qui se illâ impietate obstrinxerant nihilominus in reatu mansisse, olim pœnas Divino judicio daturos. Nam profectò qui culpæ gratiam, quam facit Deus mortalibus, à pœnæ gratia separari non posse contendunt, ii nimiò plus suæ ipsorum sapientiæ, adversùs S. literas & sanctissimorum Patrum consensionem, tribuunt quàm oportuit. Non jam loquor de gratia pœnæ mortis æternæ: de ea enim, nisi fallor, nulla Theologis inter ipsos controversia est. Quid enim? an non huic loco planè geminus est ille Num. 14. 20, &c. cùm Deus his ad Mosen utitur verbis, *Condonavi, ut tu petis. Verùm tamen vivo ego, & implebitur gloriâ Domini universa terra. Omnes viri qui viderunt gloriam meam & ostenta mea quæ feci in Ægypto atque in deserto, & jam me denis vicibus tentaverunt, neque auscultarunt voci meæ, non conspicient terram de qua juravi patribus ipsorum*, &c. Sed extat etiam D. Augustini de ista re sententia multis in locis luculentissimè dicta: Ego verò loci unius verba modò protulisse in medium satis habebo. Ait enim ille Commentariis in Joannem, *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis ut in eam veniret miseriam prima fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quàm culpa. Et parva putaretur culpa si cum illa finiretur & pœna. Atque ideo vel ad demonstrationem nostræ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa*. Sed quis adeò est alienus à sacris historiis ut nesciat in quantas ærumnas David propter admissum adversùs Uriam scelus inciderit postquam ei ignovisse Deum vates Nathan nunciasset? Non ergò purgatus adhuc erat populus eo flagitio, quia multi etiam tum superstites erant qui illo contaminati nondum pœnas Deo persolverant: & tamen illud egregium Phinees factum usque eò culpam sceleris expiaverat ut hoc neque in populum universè, neque singillatim in eos qui ei erant affines, ipso vindicatum exitio Deus iret, tanquam offensus & commotus hostis, sed castigatum suo tempore calamitatibus & pœnis quibusdam, veluti clementissimus parens, qui filium, cujus peccatis ignovit, certis tamen modis corrigit; ut prorsus omni ex parte sarciatur & planè perfectéque coeat pristina gratia benevolentiáque. De Baal-phegor diximus alibi. Atque etiam de ira Dei quâ ob unius peccatum videtur multitudini infensus esse, suprà c. 7. v. 11, &c.

19. *Atqui si immunda est terra possessionis vestræ*, &c.] Non eò hæc dicuntur quasi regio cis Jordanem ad fedus Dei non pertinuerit: Pari enim gratiâ & hanc & alteram illam suis cultoribus Deus attribuerat. Sed *possessio Domini* vocatur ea quæ trans flumen est, quia Deus Sacrarium suum, tanquam *tabernaculum*, in ipsa collocatum esse voluit. Igitur illud, *Si immunda est terra possessionis vestræ*, ad opinionem modò spectat; q. d. Si existimatis Deum non perinde vestram regionem atque nostram suo favore complecti propterea quòd apud nos habitare videatur, & idcirco peculiarem cultum institutum iris, vertite

solum,

solum, atque transite ad nos. Nostras enim possessiones potiùs vobiscum participabimus quàm ut vos patiamur tum in Deum ipsum tum in nos peccare, h. e. religionis consensionem, sine qua nulla res publica consistere potest, violare. Præclara profectò & digna sacro cœtu sententia. Ex qua primùm illud intelligi potest, Fratres, si resipiscant, recipiendos in gratiam esse; neque ipsorum errata quibus veniam suppliciter petunt ferro vindicari oportere. Tum etiam illud, Reipub. & fratrum saluti nos nostra commoda debere postponere. Talia exempla sunt etiam nobis proposita in Loth Gen. 19. 8. & in sene illo Ephraimita Judic. 19. 24. qui suas filias turpissimorum hominum libidini prostituere quàm viros hospites nefariè violari maluerunt. Credibile est, plerasque tribus non nimis laxè habitavisse, cùm tot passim reliqui essent Chananæi; & tamen gentem cùm ab hominum multitudine tum à re pecuaria copiosissimam suis sedibus atque possessionibus recipere, sibíque urbes atque agros, quæ illis attribuant, detrahere malunt, quàm ut à Deo tradita religionis jura mutari aut pollui ab illis paucis tribubus sinant. Quippe non ignorant vel privatim admissa facinora, præsertim autem fœdas religiones, nisi aut emendentur monitis, aut vindicentur à Magistratu, non modò privatis sed publicis etiam expiari solere calamitatibus à cœlesti Judice. Hoc enim adjuncto exemplo ità esse docent. Jam verò illi structâ arâ non solùm in Deum verùm etiam in Ecclesiam ipsam injuriosi fuisse videbantur; Quia religionum confusio dissipat Ecclesiæ consensionem, quod ejus est præcipium insigne, & sine quo nulla esse potest.

20, 21. *Nonne Achan filius Zara patravit scelus*, &c.] Hoc exemplum referendum est ad v. 18. nam v. 19. per occupationem est interpositus. Est autem hoc argumentum à minore; Si Achan, cùm fecisset sacrilegium, non solus est exstinctus, sed indignatus est Deus universæ Ecclesiæ, quid futurum existimatis si vos, tantus hominum numerus, tam graviter peccaveritis in Deum? Græci, quos partim secutus est Latinus, ut hanc argumentandi rationem facerent planiorem, ità converterunt postremam versiculi partem ut in duas diducerent verborum complexiones, sed quarum utraque dicta sit S. verbis præcisé: priorem enim finiunt nomine *unus*, ibíque deesse statuunt verbum ὑπαρκτικὸν *fuit*; in altera autem desiderari dicunt *solus*. Plenè igitur perfectéq; sic dicendum existimant, *Et ipse vir unus fuit*; *Num exspiravit per suum peccatum solus*? Hæc sententia videtur etiam R. Davidi Kimhi placuisse: Nec sanè cum verbis Hebraicis pugnat. Sed quod nos expressimus, simplicius certè est, & satis opinor, planum. ¶ Latinus voculam לא per quintam vocalem legit, ut optandi adverbium sit. Sed nihil ejus sententia discrepat à nostra. Cæterùm quæ ad Achanem attinent, sunt ea pertractata à nobis c. 7.

22. *Potens Deus Dominus, potens Deus Dominus*, &c.] Defensio est ista reorum, fatentium quidem aram à se esse structam, sed legitimé; aut negantium se ejusmodi aram posuisse cujusmodi accusantur, h. e. in qua novis sacris operando, patriam religionem violare, alienósque ritus colere in animo habeant; aut potiùs harum rationum utrâque sese excusantium. Diximus suprà v. 9. istas tribus magnâ pietate & animo adversùs Deum grato gestientes domum revertisse, arámque istam posuisse. Ex illa igitur tali affectione hæc tam vehemens, ut sic dicam, abjuratio objectæ impietatis nascitur. Nam cùm ipsa trium præcipuorum Dei nominum congeries maximum per se habet pondus, tum id in immensum augetur etiam per ἀναδίπλωσιν quâ illa repetuntur: tanquam nullâ oratione satis præsensentem suæ integritatis atque innocentiæ testem Deum sistere possint, quamvis cupiant maximé. Quò magis admiranda est sanctissimorum virorum modestia, qui nulla cum indignatione, nullo mutuo convitio, sed placidè, quietè, sedatè refellant atrocissimum crimen, à quo tam fuere alieni ut eâ ipsâ molitione quâ in illius suspicionem inciderant, ipsum à se atque sua in perpetuum posteritate avertere prohiberéque essent conati. Quod exemplum utinam diris istis temporibus multi homines, ut appellantur, Christiani, quorum vel maxima pro suo ipsorum loco & dignitate deberet esse moderatio, imitarentur; neque suos adversarios impiis maledictis lacerarent lubentiùs quàm firmis argumentis modestè docerent, aut certè confutarent. Cæterùm jusjurandum, quo Deum appellantes suam isti declarant innocentiam, tum demum adhibere fas est cùm factum alioqui incertum est, & in hominum animis clausum latet, ut est Divinis sancitum legibus in Exodo 22. 11. præsertim si res magna agatur. Nam in levissimis causis Deum continuò appellare præter tanti Numinis majestatem esse videtur; neque perjurii periculo caret consuetudo atque adeò cum præcepto illo pugnat, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, Deut. 5. 11. Sed reverenter atque religiosè in gravibus justísque causis usurpare Dei nomen, id verò colere Deum est, atque credere, ei omnia esse cognita perspectáque, ipsúmque vera jurantes præmio, falsa pœnis afficere. Unde Isaias, cùm fore aliquando prædiceret ut *quinque Ægypti urbes* Deo nomen darent, dicebat illas *juraturas per Deum exercituum*, c. 19. v. 18. Et alibi de Gentibus agens, quæ olim culturæ Deum essent, sic loquentem Deum facit, *Mihi curvabitur omne genu, jurabit omnis lingua*, c. 45. v. 23. Sed nihil opus est plura exempla adjungere: sunt enim sexcenta. Ex quo illud efficitur, Ullam omnino rem præter Deum jurare, speciem esse falsi cultûs, cùm nulla pro Deo coli possit. Et huc spectat illud Deuteronomii 6. 13, 14. *Nomen illius jurabis, non sequemini deos alienos*. Et 10. 20, 21. *Jurato nomen illius: ipse est laus tua, & Deus tuus*. Hinc etiam Socrates, cùm popularium suorum deos tectè rideret, jurare solebat quercum, hircum, canem, ut ait Tertullianus, Apolog. contra Gentes. Igitur dum istæ tribus Deum suæ innocentiæ testem appellant, non solùm se purgant per inficiationem, sed simul re ipsâ declarant patriam se religionem colere, neque aliam fœdam admisisse. Sunt autem qui tria illa Dei nomina, אל אלהים יהוה, sic interpretantur, quasi primum postremúmque verum Deum, at medium falsos deos significet, atque hoc gignendi positum casu sit, hoc sensu, *Deus Deorum Jehova*, sive *Dominus*. Is enim ex quadam vulgi consuetudine natus loquendi mos est in S. literis, ut Dominus Deus vocetur *Deus Deorum*; quamvis certissimum sit nullos esse alios præter ipsum Deos. Sic enim scriptum est in Deuteronomio, 10. 17. *Quoniam Dominus Deus vester, ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominorum*. Sunt etiam inter Hebræos qui Deum esse deorum interpretantur, quia Angelorum Deus est, atque Principum virorum quoque. Sed illa quam nos vertendo expressimus sententia hoc certè loco & verissima est, ut mox ostendemus, & veteribus Hebræorum probatur, atque etiam Latino, Aquilæ, Symmacho. Observarunt autem Cabbalistæ, Philosophi apud Hebræos non sanè prorsus vani, neque semper superstitiosi, sed sæpe etiam arguti & fructuosi, illi, inquam, observarunt reos istos appositissimé ad se prorsus purgandum hisce tribus nominibus appellasse Deum testem. Sed adscribam ipsa eorum verba, ut certè ea Latinè assequi potero, ex eo libro quem שער אורה *Portam lucis* vocant, sunt enim ad hunc locum illustrandum utilia. Igitur, *Scito*, inquiunt, *ipsam causam poposcisse ut Rubenitæ, Gaditæ & Manassenses tria illa Dei nomina*, אל, אלהים, יהוה, El, Elohim, Jehova, *simul pronunciarent. Debebant enim* אל El, *h. e. Fortem, sive Potentem, dicere; quia hoc nomine mysterium Benignitatis & Clementiæ Divinæ continetur. Debebant etiam*, אלהים Elohim *appellare: nam istius nominis notatio ad Judicium & pœnam spectat. Denique oportebat quoque ut nomen* יהוה Jehova *usurparent; quia hæc appellatio Justitiam Dei temperat Clementiæ & Benignitatis æquitate, atque inter superiores duas appellationes veluti conciliatrix media est. Itaque si rem totam explices, sic illi dixisse videri possunt, Si istam aram posuimus Deo, ut sit monimentum modò, non autem ut in ea rem Divinam faciamus per holocausta aliave sacrificia, prosequatur nos ille suâ benignitate, tanquam* אל *Fortis Potènsque Deus. Sin autem Aram hanc improbâ mente posuimus, animóque deficiendi ab illo atque ab ejus sacrario per aliena sacra, ipse* אלהים Elohim, *qui simul Te-*

stis,

stis, Judex & Accusator est, pœnas à nobis exigat, supplicium que sumat hoc tam gravi delicto dignum. Denique ipse יהוה, JEHOVA, *qui Conciliator est, moderetur judicium pro eo animi nostri proposito quo aram struximus, sive pœnam eo sive præmium sumus promeriti. Debebant ergò tria illa simul usurpare nomina, quippe quibus mysteria magnitudinis, potentiæ & gloriæ Dei continentur. Nam & Asaph in eo Psalmo quo condendi mundi rationem decantat, illa quoque conjunxit, cùm diceret,* אל אלהים יהוה דבר, POTENS DEUS JEHOVA LOCUTUS EST, ET APPELLAVIT TERRAM. *Nimirum Deus, cùm conderet mundum, triplici erat veste amictus; veste summæ Misericordiæ, & summæ Justitiæ, ac denique veste quæ media illas utrasque miscet temperátque. Eorum enim quæ à Deo sunt effecta, alia extremæ misericordiæ, alia rigidissimæ justitiæ, denique alia simul utriusque rationem præ se ferunt.* Hæc Cabbalistæ; à quibus quæ res *Dei vestis* vocetur non est obscurum. Illum enim tum demum aliquo modo intelligentiâ intuemur quando ea quæ effecit sensibus nostris usurpamus. In summa, certum est tria ista vel præcipua esse Dei nomina. Is enim solus אל EL, h. e. *potens pollénsque* est. Nam præter ipsum quidquid usquam est nihil nisi illius virtute potest efficere. Is quoque solus est אלהים ELOHIM, *Deus*; quippe qui solus cœlum, terram, & quidquid his continetur, effecit. Denique is unus est יהוה JEHOVA, h. e. *Essentia*. Cæteræ enim res omnes, quales quantæque tandem sunt, suam ab illo essentiam acceperunt. Præclarè igitur de Deo sentiunt, qui istis eum nominibus appellant. Præclarè etiam, qui deinceps dicunt, *Ipse novit*, &, *Non serves nos*, denique, *Ipse vindicet*. Nam qui Deum omnia cognoscere & videre profitetur, atque insuper servandi perdendíque potestatem ei attribuit, is profectò breviter universæ Theologiæ summam est complexus. ¶ Porrò illud, *Et Israel sciet*, minimè est ex supervacaneo ab illis additum. Plerique enim, quo præsens fallant aliorum hominum de se judicium pœnámq; evitent, Deum ut suæ innocentiæ conscium testem, atque etiam vindicem, appellare non dubitant neque verentur, sed per hypocrisin modò, ut cujus in vindicando tarditatem atque cunctationem contemnunt. Ejus igitur malitiæ suspicionem à se removent illi istis verbis, cùm dicunt non solùm Deum ista scire, qui introspicit in hominum animos, sed fore aliquando tempus cùm universus Israelitarum cœtus luculenter intelliget se nihil minus quàm defectionem aut sacra aliena cogitasse; nimirum quando omnes animadvertent, magnâ ipsos constantiâ majorum suorum religionem tueri. ¶ Quæ porrò deinceps sequuntur, *Si per rebellionem, aut si per defectionem à Domino*, &c. ipsâ verborum constructione obscura sunt. Non enim facilè animadvertit quivis quò spectet illa apostrophe simul & parenthesis, *Non serves nos hodie*, quam ex vehementissima animi perturbatione effundunt illi potiùs quàm pronunciant, cùm auditam defectionem abominantur; neque tam atrox crimen repetitis verbis nominare sustinent, nisi continuò eâ conditione sese devovendo illud à se rejiciant. Itaque Deum secundâ personâ tanquam præsentem appellant, & quasi animi sui brachiis amplexi eum precantur ut se illico perdat si tam improbi sint. Minus scitè igitur, ut à LXXII interpretibus, ità à Latino eos secuto, pro secunda persona reddita est tertia; cùm multò major in illa quàm in hac sit emphasis. Sed isti verba Sacra ut præcisè dicta acceperunt, cùm non putarent per interpositionem quædam esse scripta; & nonnulla de suo addiderunt. Posset quidem, fateor, illud, *Nè serves nos hodie*, ad Phineen, tanquam legationis principem, dictum videri, hoc sensu, Non deprecamur quin vel hodie nos bello invadas, & lege agas, si tale facinus patravimus. Sed altera illa sententia, quam exposuimus, tantis respondentium affectibus, quantos universâ oratione præ se ferunt, magis congruit; atque etiam ab Hebræis probata est.

23. *Struximus nobis aram, ut deficeremus*, &c.] Verbum infinitum לבנות reddimus per finitum. Ille enim modus, ut Grammatici tradunt, cæterorum omnium modorum vim habet. Nam alioqui verbum aliud suggerendum fuerit, sicut dixi LXXII atque Latinum fecisse. Continet autem iste versiculus aræ vetitæ definitionem; ex qua pendet causa universa. Erat enim hæc accusatio, Quòd aram struxissent Lege prohibitam, eâque re defecissent à sacri cœtûs communione. Jam verò illi eas solas aras contra Legem poni definiunt quæ faciendis sacrificiis exstruantur; hanc autem ejusmodi non esse. ¶ Commemorant autem tria præcipua sacrificiorum genera pro cæteris omnibus. Primum est עולה *Ola*, quod ab *ascendendo* dictum solet Græcè vocari ὁλόκαυστον & ὁλοκαύτωμα, q. *solidum sacrificium* dicas, quia ignis victimam totam absumebat, atque sursum in cœlum per flammam fumúmque auferebat. Hujus lex perscripta est in Levitico c. 1, & 6. Alterum est מנחה *Minha*, hoc solent interpretari *munus*; quod Deo adducitur videlicet. Nam videtur à verbo נחה, quod *ducere* significat, dictum esse. Sed si *fertum* vocaveris, propiùs rem expresseris. Erat enim ex simila & oleo confectũ hoc sacrificium: qualia liba Græci vocant πέμματα, teste Athenæo l. 4. Dipnosoph. De eo scriptum est c. 2, & 6. Levitici. Vocantur quidem etiam Abelis victimæ ex ovili oblatæ hoc nomine à Mose Gen. 4. 4. sed καταχρηστικῶς. Tertium genus est זבחי שלמים, h. e. τὰ σωτήρια, & *pro felice rerum successu bonaque fortuna oblata sacrificia*. Hæc cruenta quidem erant: sed nihil præter adipem, omentum, lactes, renes, & jecoris fibram dabatur flammæ: reliquam carnem læti absumebant epulo sacrificantes. De his victimis agitur c. 3. Levitici. ¶ Verbum בקש propriè quidem *quærere* significat. Sed quia sæpe quæstiones exercentur ut meritæ possint pœnæ sumi, factum est ut pro *vindicare* usurparetur. Sic apud Job scriptum est, *Ut vindices maleficium meum, & animadvertas in peccatum meum*, c. 10. v. 6. Similiter aliis in locis non rarò.

24. *Et si non potiùs præ solicitudine rei id fecimus*, &c.] Ut sunt in refellendo crimine nefario vehementissimi, non satis habent refutasse id cujus accusabantur, nisi etiam ostenderint factum suum prorsus cum accusatione pugnare. Continebat enim accusatio, Ipsos Ecclesiæ Dei consensionem novâ arâ positâ dissipare voluisse: At illi hunc omnem suum struendæ illius aræ molitionem spectasse docent, ut non modò apud se verùm etiam omnem suam posteritatem perpetuò retineatur religionis atque sacrorum omnium communio cum cœtu qui trans flumen est. Neque ab hoc se exclusum esse interlabente aquâ ulla unquam ætas suorum posterorum possit persuaderi, cùm videat exstantem trans flumen aram in confini ripa, ejusdem unius religionis monimentum, à majoribus suis, h. e. à nobis, ea de causa constructum. ¶ Nomen דאגה *solicitudinem ex metu mali rei natam* significat. Quæ solicitudo, si rationem non nimis perturbat, sed ad evitanda modò adversa excitat, ut hic, cautionem parit. Rectè igitur LXXII εὐλάβειαν sunt interpretati. Est enim εὐλάβεια, ut Stoici definiunt, τῆς κακοῦ εὔλογος ἔκκλισις. At Latinus, qui *cogitationem* dixit, parùm plenè vim verbi expressit. ¶ Verbum infinitum, sive Gerundi, לאמר interpretor *reputando*: quia Hebræi sæpe *dicendi* verbum pro *cogitare* atq; *apud animum suum statuere* ponunt. ¶ Adverbiũ *cras* significat tempus futurum ἀόριστον. ¶ Illud, *Quid vobis rei est cum Domino*, si verbum pro verbo reddas erit, *Quid vobis & Domino*, quo modo etiam Græci loquuntur. Dixit enim Demosthenes, τί νόμῳ καὶ βασάνῳ; *Quid legi cum quæstione?* Similiter Christus apud Joannem locutus est, c. 2. v. 4. cùm diceret *Quid mihi & tibi, mulier?*

25. *Cùm terminum posuerit Dominus inter nos & inter vos*, &c.] Existimant plerique ista ad Terræ promissæ descriptionem spectare. Cujus terminus ab Oriente cùm Jordanis sit constitutus Num. 34. 12. non mirum debeat videri, si qui his limitibus seclusi ab illa habitant, ii olim ab ignara rerum priscarum posteritate existimentur ab iis quoque sacris, auctore Deo, exclusi esse atque abalienati, quibus ipse peculiariter in illa terra coli voluit. Et hæc sententia nobis quoque probatur. Sed eâ tamen illud non efficitur, Regionem, ut sic dicam, Cisjordaninam non esse Terræ sanctæ partem, sed à veteribus promissis prorsus alienam. Loquuntur enim istæ jam tribus, non de ipsa re, sed de posterorum falsa existimatione. Sic enim fieri plerunque

rumque assolet, ut sequens ætas majorum suorum dicta, facta, instituta, monimenta denique omnia malè interpretetur; & quidem tantò libentiùs quantò minùs ut eorum religiosam integritatem vitâ & moribus sequatur imiteturque potest animũ inducere. Ei igitur malo, h.e. nè ex illa Terræ sanctæ descriptione olim dilcidium religionis oriatur, ire obviàm se per structam aram voluisse respondent hæ tribus, tanquam per publicum communionis omnium sacrorum monimentum, quâ communione qui ultra citràque Jordanem habitant Israelitæ inter se sunt conjuncti. Nam *partem in Domino habere* est esse populum Domini, & in eorum numero qui thesaurum benignitatis ipsius, ut hæredes, participant; sive, ut Chaldæus interpretatur, *inter quos est verbi Divini communitas.* Non est ergò mirum si Petri animum vehementer permovit Christus paucis illis verbis, cùm diceret, *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*, Joh.13.8. Tum & illud perspicuum fit, quantam defectionem instituerent qui in Regum historia inclamabant, Non est nobis pars in Davide, l.2.c.20.v.1, & l. 3. c.12.v. 16. ¶ Cæterùm *timere*, sive *revereri Dominum*, etsi animi modò cultum intueri videatur, tamen ad ritus quoque & universè ad omnem cultum pertinere solet in S. literis. Neque enim, ut hi Cisjordanini, tanquam homines alieni, prohibiti fuissent ab ara Dei atque sacrario, ulla tamen vis ipsorum animis afferri potuisset. Sed ità est mortalium ingenium, ut adminiculis opus habeant, quibus humi stratas mentes suas erigant intendántque in cœlum. Quod propter plerumque evenire videmus ut ubi sacri ritus ceremoniæque negliguntur, quem vocant *cultum externum*, ibi animorum quoque religionem sensim labascere, minui, exolescere; Contrà verò, tum maximè pietatem atque religionem versari in animis hominum quando rebus Divinis operam dant. Rectè igitur, si ritualis olim cultus impediatur, colligunt, simul spiritalem, ut sic dicam, h.e. animi pietatem, sublatum iri. Sed hoc quoque rectè, opinor, dicatur, *Timoris* verbo in veteri lege ideo omnem cultum subjici, quia tunc colebant homines Deum ut servi dominum, per timorem & metum; at nunc, novâ lege, ut filii parentem, per amorem: quod à Divo Paulo sæpe expositum est, Rom.8. Gal.4. 2 Tim. 1. Unde illa *Mosis*, hæc *Christi lex* vocari solet: quarum utriusque conditionem paucissimis expressit verbis idem Paulus, Rom. 8. 2. cùm diceret, *Lex spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Rursus, ibid. v.15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater.* Qui est quidem unus idem spiritus, sed *alter ille in tabulis lapideis*, ut ait Aug. Ep.95. *timorem, hic in tabulis cordis caritatem atque amorem excitat.*

26, 27. *Proinde diximus, Agitè faciamus ut statuamus nobis aram*, &c.] Particula נא sæpe hortandi est potiùs quàm instantis temporis adverbium. ¶ Verbo זבח subjiciuntur *victimæ cruentæ*; hîc tamen etiam τὸ מנחה, quod *libi* genus esse dicebamus nuper. Neque enim cum Doctoribus Hebræis & eorum explanatore Maimonio sentio, qui מנחה inter קרבנות, h. e. *oblationes*, non adnumerant; sed sola quatuor cruenta sacrificia; quæ sunt עולה *holocaustum*, & זבחי שלמים *pacifica*, atque חטאת, & אשם. Sed ista sunt alterius loci.

28. *Aspicite figuram aræ Domini, quam fecerunt patres nostri*, &c.] Sic sacrosancta Ecclesia nobis ante oculos ponit crucis Christi figuram; cujus vetus ara fuit adumbratio; non ut eam adoremus, sed ut, dum aspicimus, in memoriam redeamus veræ illius & salutaris aræ in qua Sacerdos secundùm ordinem Melchizedec, Deíque Filius, se ipse gratissimam Patri pro nobis victimam obtulit; atque ad eandem nostras quoque hostias, spiritum contritum, & mentem humilem fractámque, atq; fructum labiorum nostrorum, afferre nos debere intelligamus; simúlque ut ea figura adversùs hostes nostros non aspectabiles, qui nos corporis deliciis districtos à Dei cultu prohibere student, testis nobis perpetuò adsit, & nos moneat, partem nos habere cum crucifixo, atque ad ipsum nobis trans Jordanem & ærumnarum aquas esse religionis gratiâ accedendũ. Quod enim aliud, quæso, si non hoc mysterium, in causa fuit cur tantam haberet apud vetustissimos Christianos venerationem hæc crucis figura ut eâ se in omnibus actionibus signarent? eam etiam sæpe utiliter adversùs malorum dæmonum terrorem opponerent? quod Lactantius, Tertullianus, Nazianzenus, Basilius, alii sacrarum rerum scriptores antiquissimi testatum reliquerunt. Sed pergamus.

29. *Absit à nobis rebellare Domino, & deficere*, &c.] Conclusio est, continens inficiationem criminis, pro ea ratione quâ fuerat objectum; neque verò simplicem inficiationem, sed quadam, ut sic dicam, detestatione affirmatam. Vocabulum enim חלילה, quod *profanæ & impuræ rei* notionem habet, tum usurpatur cùm rem diram atque atrocem abominamur. ¶ Dativus לנו otiosus est, ut sæpe. Kimhi tamen illud ממנו, pro quo nos diximus *à nobis*, interpretatur *nostrâ causâ*. Putat enim hoc illi esse responsum quod allegati dixerant, *Nè rebelles sitis nobis*; ac si sic respondeant nunc isti, Absit ut rebelles simus Domino, non vestrâ modò gratiâ, nè à vobis dissentiamus; verùm nostrâ causâ, quibus ea res perniciem esset allatura maximam. Sed hoc ille nimis argutè: Neque ea est verbi ממנו vis atque notio. ¶ *Ara* autem *Domini, quæ erat ante tabernaculum ipsius*, nominatim dicitur, quia in ea sola fas erat sacrificare. Erat autem ea constructa ex lignis Sittim ære obductis, ut est in Exodo scriptum, c.27. & 38. Illud tamen intelligi debet etiam de illis aris quæ, cùm res posceret, αὐτοσχεδίασι ex terra aut rudibus lapidibus substruebantur, sed præsente sacrario Dei; veluti in monte Hebal suprà 8. 30. Est autem S. literis testata res, præter aram ad cruentas victimas comparatam, de qua sola hîc mentio est, alteram exstitisse intus in tabernaculo, etiam ipsam ex lignis Sittim constructam, sed auro puro incrustatam. Philo Judæus quoque in libello De Sacrificantibus, postquam disseruit, magis oblectari Deum animi cultu quàm cujusvis pretii sacrificiis, scribit in hanc sententiam; *Declarat*, inquit, *hoc ipsum Lex, quæ duas aras & materie & loco & usu diversas construi jussit; alteram ex selectis lapidibus, sed rudibus & impolitis, quæ sub dio statuebatur, quâ prodibatur è templo, cruentísque serviebat sacrificiis; alteram ex auro, quæ locabatur in ipso adyto intra velum prius, nulli hominum, nisi solis Sacerdotibus, iisque sanctis & puris, aspectabilis: hac utebantur duntaxat ad odores adhibendos ad Deum. Manifestum ergò est, paulum thuris, si vir integer offerat, pluris fieri à Deo quàm mille pecudes quas non admodum probus aliquis sacrificet.* Hæc & plura in eam sententiam illic Philo; quæ elegantiùs certè ab illo disputantur explicantúrque quàm ad S. literas congruentiùs. Sed erat, opinor, illâ tempestate, quâ umbra Legis ab exorta nuper Euangelii luce sensim minuebatur, idem sacri ordinis viris mos (fuit enim Philo sacerdos) qui jam pridem nostris sacerdotibus est; ut mirâ vecordiâ quibusvis potiùs quàm quæ sui ipsorum muneris propria essent studiis incumberent.

30. *Igitur cùm audiret Phinees sacerdos, & magnates cœtûs*, &c.] Jam audivimus quàm ingenuè, quàm probabiliter, se excusaverint rei. Adversùs ergò tam justam fratrum suorum defensionem non esse morosiùs instandum putaverunt allegati. Igitur nos quoque, hoc exemplo moniti, si qua proximorum nostrorum facta dictáve suspiciosa nobis visa sunt, lubenter excusationes idoneas & probabiles admittamus, neque pertinacibus contentionibus crimen urgeamus. Nullum enim, non solùm in religionis causa, sed in omnibus reip. partibus, hominum genus perniciosius est atque illorum qui suo judicio tantum tribuunt ut ab eo nullius hominis oratione, sive doctioris, sive melioris, abduci se patiantur; sed quidvis potiùs conquirunt, arripiunt, carpunt, quàm ut se suâ opinatione falsos fuisse confiteantur. Atqui sæpe fit ut quos vel meritissimò reprehendimus, eos si se excusantes blandè audiamus, nostrámque conscientiam veluti redargui patiamur, illi deinde ultro ab suo errore in viam se recipiant, séque corrigant ipsi; quos si amarulenti culpare non destitissemus, sed acriùs aliis atque aliis indiciis pressissemus, nostrâ importunitate à proborum consortio abalienati, ex uno vitio in aliud atque aliud, & tandem ad omnem improbitatem se contulissent.

31. *Hodie*

31. *Hodie intelligimus Dominum inter nos esse*, &c.] Christus apud Matthæum 18. 19. mirificè nos ad consensionem animorum cohortans, eam quæ de vera religione & cultu Dei est, (hoc enim est *congregari ejus nomine*) pollicetur *Patrem cælestem omnia concessurum eorum precibus* qui illam coluerint, *se* verò perpetuò *inter ipsos medium affore*. Rectè ergò colligunt allegati *Jehovam*, h. e. Dominum Deum, *apud Israelitas præsentem adesse*; quia religionis consensus adhuc ab ipsis colitur. Si verò existimare malis, id Phineen dicere, Ex eo intelligi Deum adesse Israelitis quia ipsi nondum peccarint, non pugnabo. Certum enim est, mortales in omne vitium præcipitare cùm primùm Dei tutelâ destituuntur, neque ejus adjutrice manu tanquam retinentur. Et solent S. literæ tum præsentem statuere Deum quando perspicuè opem fert nostris rebus; absentem verò fingere, quoties nos nostræ permittit imbecillitati. ¶ Particula אז *Tunc* vel pronominis loco est. q. d. *eo ipso*, vel *eâ re*; nimirum, *quia non fuistis rebelles*; vel vim vocis συμπλεκτικῆς habet, ut ἤτοι apud Græcos, significatque *planè, certè, omnino*, sicut אוי sæpius usurpatum Psalmo 124. Pertinet autem hæc clausula versiculi ad tuendum illud quod initio dixerant allegati, *Certè accidet ut, dum vos hodie rebellatis Domino, cras universo cœtui Israelitico ille indignetur*. Nam absurda est eorum sententia qui opinantur hoc ad faciendi belli consilium spectare, quod non potest non esse omnibus calamitosum, cùm est intestinum. Non enim credibile est, illud Ecclesiæ propositum non esse prorsus ab allegatis dissimulatum, postquam excusationes tam justas atque legitimas audivissent.

32, 33. *Visáque est res bona Israelitis, gratiásque egerunt*, &c.] Longè profectò alia mens est, si modò mens, & non dementia, imò furor, dici debet, nostrorum εἰκονομαχων, quorum in omnium sacrarum historiarum monimenta vesanum odium, quæ certè rudi vulgo poni possunt, nulla causâ quantumvis justè dictâ placari potest, ut non prorsus illa eversa atque sublata velint: tantum abest ut res bonæ ipsis videantur. ¶ De verbo ברך, h. e. *benedicere*, satis multa suprà. Proponitur autem hìc nobis memorabile exemplum; ut meminerimus fratrum nostrorum constantiam in religione, atque adeò sancta consilia omnia Deo accepta referre grato animo, qui unus suâ benignissimâ gratiâ hominum vitiositatem coercet, & benefacta tuetur. Et sanè, si Angeli, quorum conditio longè supra humanam naturam est, adeò tamen nihil humani à se alienum putant ut mirificè gaudeant si hominum unum improbæ vitæ pœnituerit, Luc. 15. 7, 10. quàm sit immanis noster stupor, si illorum nos salus nihil moveat qui carnis sanguinísque communione nobis sunt conjuncti? Gratias igitur semper agamus Deo, qui & nos ipsos & proximos nostros cœlesti suo Spiritu in via veritatis retinet, & si quando aberravimus, ut sanè aberramus sæpissime, clementer nos revocat atque reducit.

34. *Cæterùm Rubenitæ & Gaditæ nomen imposuerunt*, &c.] Existimat RR. Solomon, Kimhi, Isaias, alii, præcisè ista esse dicta; deesse enim nomen עד; plenéque sic scribenda esse, ויקראו בני ראובן ובני גד עד למזבח כי עד וגו׳, *Et vocarunt filii Ruben & filii Gad testem aram; quia testis est*, &c. Atque ita reddidit hunc locum Chaldæus, ut certè habet meum exemplar manuscriptum. Sed LXXII longè diversam secuti sunt sententiam: sic enim explanant istum locum quasi ara sit appellata *ara Rubenis & ara Gadis*, &c. Nos illam Judæorum opinionem probamus quidem: verùm id quoque dici posse existimamus, Aræ nomen non esse S. verbis expressum; sed indicatum modò, id ejusmodi fuisse quod suâ notatione moneret, Aram esse monimentum Israelitis, Jehovam pro vero Deo coli ab omnibus debere. ¶ Porrò ex eo quod hìc scriptum est, כי יהוה האלהים, *Quòd Jehova sit Deus*, manifestum fit, in illa jurandi formula quam superiùs audivimus, istam dico, אל אלהים יהוה, nomen *Elohim* Dei veri vocabulum fuisse, non Angelorum, aut falsorum Deorum, nedum Principum. Est autem etiam hìc rursus laudanda istarum tribuum sedula cura ad prodendum deinceps posteris suis avitam religionem, & tuendum in perpetuum sacra à majoribus accepta, dum non satis habent mole illâ ingenti veram Divini cultûs aram repræsentasse, illúcque nepotum suorum animos per significationem direxisse atque intendisse, sed tale insuper nomen imponunt quod suâ notatione totius Theologiæ summam perpetuò omnium mentibus objectam retineat. Qui enim *Jehovam esse Deum* recolit, is eum sibi ut Deum colendum statuit, eum audit, ejus denique sanctissimo verbo obsequitur.

IDEM.

2. Reddiderunt LXXII ἀκηκόατε, cùm dicere debuissent ἐφυλάξατε· nimirum legerunt שמעתם pro שמרתם. ¶ Pro καὶ τὰ πάντα scribe κατὰ πάντα.

3. Cùm dicitur ἡμέρας ⁻ καὶ ⁄ πλείους, juguletur copula obelisco.

4. Scribe, mutatâ pronominum personâ, Θεὸς ἡμῶν, & ἀδελφοὺς ἡμῶν. ¶ Post nomen Μωυσῆς habet m. ed. per asteriscum ✳ δοῦλος Κυρίου ⁄.

5. Syrus habet pronomina primæ personæ, ἐνετείλατο ἡμῖν, &, Θεὸς ἡμῶν sed in Hebræo sunt secundæ.

6. Καὶ εὐλογήσας, &c. boni libri habent, καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Ἰησοῦς, καὶ ἀπέστειλεν αὐτούς.

7. Scribendum est numero sing. καὶ τῷ ἡμίσει & similiter paulò ulterius. Mox scribendum est, ἀδελφῶν αὐτῶν, ἐν τῷ πέραν τοῦ Ἰορδάνου παρὰ θάλασσαν, &c. ¶ Post ἐξαπέστειλεν αὐτοὺς adscribe Ἰησοῦς.

8. In ipso initio, pro λέγων legit Syrus καὶ εἶπεν idque est in Hebræo, & etiam, opinor, Vaticano. Sunt sanè ista à LXXII admodum inscitè, ut videntur, conversa, aut ab emendatoribus perversa. ¶ Cæterùm illa verba, ✳ καὶ χαλκὸν, καὶ σίδηρον ⁄, sunt notanda asteriscis, ut aliena. ¶ Καὶ διείλαντο expungatur copula. ¶ Notetur pronomen asterisco, cùm dicitur, τῶν ἐχθρῶν ✳ αὐτῶν ⁄.

9. Initium omissum suppletur in mixta sic, ✳ καὶ ἀπέστρεψαν ⁄. ¶ Pro ἐκ γῆς scribendum est ἐν γῇ.

11. Legit Syrus, ἐν Γαλιλὼθ ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου· & rectè, ut equidem censeo; quamvis altera scriptura sit Hebræo congruentior.

12. Initium est à LXXII omissum, ut supervacaneum, quod sic suggerit m. ed. ✳ καὶ ἤκουσαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ⁄.

13. Pro ἱερέως scribendum est ἀρχιερέως. ¶ Cùm dicitur, πρὸς φινεὲς, expungatur illud encliticon, τι. Illud autem, ⁻ υἱοῦ Ἀαρὼν ⁄, notetur obelo.

15. Scribe καὶ πρὸς τὸ ἥμισυ.

16. Cùm dicitur, ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ, &c. auferatur illud Κυρίου. ¶ Est in mixta, ἀπὸ ✳ ὄπισθεν ⁄ Κυρίου. ¶ Expungatur Θεοῦ Ἰσραήλ. ¶ Scribe ἀποστῆναι ὑμᾶς ὑμᾶς quódque illico sequitur adverbium, ✳ σήμερον ⁄, notetur asterisco, ut alienum.

17. Scribe μὴ μικρὸν ἡμῖν, *nobis*.

18. Ἐὰν ἀποστῆτε in mixta est ἐὰν ✳ ὑμεῖς ⁄ ἀποστῆτε. ¶ Cùm dicitur ἔσται ἡ ὀργὴ, expungatur illud Κυρίου quod adjungitur in vulgatis libris.

19. Καὶ νῦν εἰ μικρὰ ὑμῖν auferatur ὑμῖν. In Hebræo est *polluta* loco μικρά. unde conjicio scriptum olim fuisse ab ipsis interpretibus μιαρά. Certè Aquilas dixit ἀκάθαρτος, Symmachus βέβηλη· & nemo nescit illos interpretes sæpe uti verbis parùm aptis. ¶ Scribe διάβητε ὑμεῖς εἰς τὴν γῆν τῆς κατασχέσεως Κυρίου. Notat autem Syrus quosdam libros habere ἀποστρέφετε, pro διάβητε at hoc aptè exprimit quod est in Hebræo עברו. ¶ Scribe κατακληρονομήσατε ἐν ἡμῖν, *in nobis*. Et mox addatur copula, scribatúrque καὶ ἀφ' ἡμῶν μὴ. &c.

20. Cùm dicitur, καὶ οὗτος εἷς μόνος ἦν, illud μόνος debet obelo adscripto notari; verbum autem ἦν quædam exempl. non habent, ut notavit Syrus: & sanè à Compl. non

non est adscriptum. ¶ Μὴ ⁻ τοῦ μόνου ⌄ ἀπέστησαν, &c. scribendum est: debétque illud τοῦ μόνου notari veru apposito.

21. Notetur similiter obelo illud λέγοντες.

22. Notentur obelo illa quoque, τοῦ καὶ.

23. Rursus illa obelo signentur, ⁻ καὶ εἰ ⌄. ¶ Post ἀπὸ Κυρίου expungito τοῦ Θεοῦ ἡμῶν deinde interpone disjunctivam particulam, ut vocant, hoc modo, ἢ ὥστε ἀναστῆσαι atque hîc expunge pronomen ἡμᾶς.

24. Scribe ῥήματος λαλούντων. ¶ Illud, ⁻ ἵνα μὴ ⌄, notetur obelisco. ¶ Cùm dicitur, τοῖς τέκνοις ἡμῶν, ⁎ λέγοντες ⌄, habeat hoc participium adscriptum asteriscum, & similiter illud Κυρίῳ, quod mox sequitur. Habent autem multi libri καὶ Κυρίῳ: ídque melius est. Non est tamen in omnibus copula, ut notavit Syrus.

25. Scribe ἡμῶν καὶ ὑμῶν & hîc suggerit m. ed. ⁎ οἱ υἱοὶ Ῥουβὴν, καὶ οἱ υἱοὶ Γάδ ⌄. Deinde sequitur, τὸν Ἰορδάνην, &c.

26. Pronomen ⁻ τοῦτον ⌄ juguletur obelo.

27. Rursus trajectis personis scribe ἡμῶν, καὶ ὑμῶν. ¶ Pro ἀνὰ μέσον τῶν τέκνων scribe ἀνὰ μέσον τῶν γενεῶν ἡμῶν. ¶ Scribe μεθ' ἡμᾶς *post nos*. ¶ Scribe καὶ ἐν ταῖς θυσίαις ἡμῶν, καὶ ἐν ταῖς θυσίαις τῶν σωτηρίων ἡμῶν. ¶ Scribe τὰ τέκνα ὑμῶν αὔριον τοῖς τέκνοις ἡμῶν.

28. Scribe, mutatâ personâ, καὶ ἐροῦμεν, Ἴδετε, &c. sic enim legit Syrus, & habent boni libri omnes; & ita in Hebræo, ut mirabile videri possit quid Latinum moverit ut tertiam personam redderet. ¶ Scribendum est, ἀνὰ μέσον ὑμῶν, καὶ ἀνὰ μέσον ἡμῶν. ¶ Illud, καὶ ἀνὰ μέσον τῶν τέκνων ἡμῶν, debet confodi obelo.

29. Scribe ἐν ταῖς σήμερον ἡμέραις. ¶ Cùm dicitur, καὶ ταῖς θυσίαις σαλαμεὶν, aufer hoc σαλαμείν. Mox scribe, ⁻ τοῦ σωτηρίου ἡμῶν ⌄, mutato numero, & addito pronomine: signetúrque hoc totum obelisco.

30. Scribe καὶ ἤκουσεν Φινεὲς ἱερεύς. ¶ Nota universitatis πάντες signetur veru. ¶ Post συναγωγῆς suggeritur in ed. m. ⁎ καὶ οἱ χιλίαρχοι ⌄ debet autem insuper addi post hæc verba absque asterisci nota, Ἰσραὴλ, οἳ ἦσαν, &c. ¶ Pro τὸ ἥμισυ φυλῆς scribe οἱ υἱοὶ Μανασσῆ, &c.

31. Scribe καὶ εἶπε Φινεὲς ὁ ⁎ υἱὸς ⌄ τοῦ Ἐλεάζαρ, ἱερεὺς sed verbum υἱὸς habeat oppositam asterisci notam. Atque hîc rursus pro καὶ τῷ ἡμίσει φυλῆς debet scribi καὶ τοῖς υἱοῖς Μανασσῆ. ¶ Post πλημμέλειαν addit mixta ⁎ ταύτην ⌄.

32. Post ἱερεὺς additum est in mixta, ⁎ υἱὸς Ἐλεάζαρ ⌄. ¶ Expungatur πρέσβεων. ¶ Illud quoque auferatur, καὶ ἀπὸ τοῦ ἡμίσους φυλῆς Μανασσῆ.

33. Illud ὁ λόγος debet appositam asterisci notam habere. Paulò ulterius desunt quædam in pervulgatis libris: sic enim est legendus locus iste totus, καὶ ἤρεσεν ⁎ ὁ λόγος ⌄ τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ. ⁻ καὶ ἐλάλησαν πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ⌄, καὶ εὐλόγησαν, &c. Interim illud quod addimus, nempe, καὶ ἐλάλησαν πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ, debet jugulari obelisco. Dum verò paulò pòst habentur ea ipsa verba, sunt expungenda. ¶ Scribe καὶ μηκέτι εἶπαν ἀναβῆναι, &c. ¶ Expunge illud, καὶ τοῦ ἡμίσους φυλῆς Μανασσῆ.

34. Versum ultimum scribito ad hunc modum, καὶ ἐπωνόμασαν τῷ Ῥουβὴν, καὶ τῷ Γὰδ τὸν βωμόν ⁻ καὶ εἶπαν ⌄, ὅτι μαρτύριόν ἐστιν ἀνὰ μέσον ἡμῶν, ὅτι Κύριος ⁻ αὐτὸς ⌄ Θεός ⁻ αὐτῶν ἐστι ⌄. Sed illud, καὶ εἶπαν, tum αὐτὸς, &, αὐτῶν ἐστι, jugulentur obeliscis.

DRUSIUS.

1. RUbenitas & Gaditas] Ad verb. *Rubenitam & Gaditam*. Sic suprà השמעני *Simeonita*. Senes hîc habent *filios Ruben & filios Gad*. Trem. *Rubeniticam & Gaditicam*: sensum expressit, non verba. Sic Jon. *tribum Ruben & tribum Gad*. Idem aliter.

3. *His diebus multis*] His 14 annis. Septem enim consumpti fuerunt in expugnanda Terra, & totidem in ea dividenda. Hæc est communis opinio Ebræorum, à quâ temere discedendum non est. Dico, temere; quia ubi ratio suadet, si à recepta sententia recedimus, non temere id fit, sed cum ratione. ¶ *Custodiam præcepti Domini*] Satis erat *custodiam DOMINI*. Nam itâ loquendo significant quicquid custodiendum DOMINUS nobis reliquit. Aut, *custodiam præcepti*, i. præceptum, custodiendum. Quidam, *custodiam & præceptum*, ut sit ἀσύνδετον quod non itâ se probat mihi.

4. *Ite vobis*] Pronomen eleganter παρέλκει, ut suprà *date vobis*, 20. 2. Ideo Vulg. interpres & Lxx omiserunt illud. Sed Chaldæus אזילו לכון *abite vobis*. ¶ *In tentoria vestra*] Lxx εἰς τοὺς οἴκους ὑμῶν *in domos vestras*: optimè & rectissimé. Nam non reliquerant ibi tentoria sua; sed ædes intelligit quas inhabitaverant. Sic *tentoria* οἴκους reddunt Lxx Job. 15. 34. Nam latè sumitur pro quovis domicilio, ut Hos. 9. 6. & Jud. 19. 9. Cujus rei causa est quòd prior fuit usus Tentoriorum quàm Domorum: deinde cùm domus ædificarentur manebat idem nomen. Quemadmodum Latinè *libros* dicimus, qui tamen libri non sunt; manente hoc vocabulo, quoniam initio in *libro* h. e. in arborum cortice, scribi solebat. Jonathan hîc edidit, *ite in urbes vestras*. Sic Mal. 2. 12. *è tentoriis Jacob*. Idem, *ex urbibus Jacobi*. Huc refer ex 2 Sam. 18. 17. *fugerunt in tentoria sua*, i. in ædes, vel urbes, suas.

5. *Præceptum & legem*] *Legis* vocabulum hîc angustiùs accipitur, pro Judiciis & Statutis. Alibi generis nomen obtinet. *Judicia* propriè ad forum pertinent; *Statuta* ceremonias & ritus Ecclesiasticos denotant: τὰ νόμιμα vocantur. ¶ *Ambulando in omnibus viis ejus*] Mox se explicat, cùm ait, *custodiendo præcepta ejus*. Nam *via DOMINI* sunt præcepta ejus, quæ nos ducunt ad DOMINUM. ¶ *Toto corde vestro*, &c.] *Cor*, inquit Masius, est *ipsa Mens atque Intelligentia, vel* certè *Voluntas hominis*; *Anima verò, ea pars animi quæ corporis perturbationibus concitari solet*. *Græci* τὸ ἐπιθυμητικὸν, Theologi ψυχικὸν *vocant*. Epiphanius in Ancorato, τὸν νῦν εἰπόντα ἡ χαρὰ καλεῖν Καρδίαν, &c. Significat etiam Cogitationem, Voluntatem & Intellectum. *Si cor tuum rectum*, i. voluntas cordis. Sed Cogitatio differt ab Intellectu, qui potiùs שכל dicitur. *Cor* autem est cogitatio: unde *assecutio cordis*, & *assecutio intellectûs*; quæ distinguit Sem Tob, in More, part. 1. c. 4. *Cor est medium, voluntas, consilium, intellectus*, i. שכל. Ibid. c. 39. *Diliges DOMINUM ex toto corde tuo*, alii enarrant de vi ac facultate Concupiscendi; alii de Scientia, quâ cognominatur *anima intelligens*, Gerundensis in Mosen, 294. 2. Hinc dictitant, *Deus cor requirit*: & is ait, *Si dederis mihi cor tuum & oculos tuos, meus eris*. E corde omnes cogitationes manant; unde non mirum si pro *cogitatione* sumatur. *Cor & Cerebrum sunt membra capitalia quæ in homine, à quibus pendent vita & cogitatio*, רוח חק 32. 2. ¶ *Et totâ animâ vestrâ*] *Anima* etiam est Mens; ut cùm dicimus, *Displicet anima mea*, i. sensui meo, Hieron. Habac. 2. pag. 109. pro *animo* etiam ponitur: sed differunt; nam *anima* vitæ, *animus* est consilii. *Animus* ὁ νοῦς, *anima* ψυχὴ propriè. Sic dico, *Animus* est quo sentimus & sapimus, *anima* quâ vivimus. Ut verbo dicam, *Animus* est *animæ* officium. Tremellius hîc habet, *ex toto animo vestro*. *Animus* pro *anima*. Cicero, *Retinendus animus est in custodia corporis*: pro *mente*. Idem, *His animus datus est ex illis sempiternis ignibus*. Vives ad Augustinum De civ. Dei, col. 783. *In anima mens est, quæ ad rationalem partem spectat; & animus, qui ad inferiorem animalem seu brutalem, ubi est mare illud sævis affectuum tempestatibus assiduò agitatum*.

7. *Benedixit eis*] Non tam bene precatus est eis quàm dedit munera ob navatam insignem operam in bello contra Chananæos. Vide Tremell. *Benedicere* aliquando sign. *munerare* seu *munera conferre*, ut suprà à nobis ostensum fuit. Vide, si vacas, & si vis. Hinc sanè *benedictio*, i. munus, δῶρον, *donum*.

8. Cum

8. *Cum fratribus vestris*] Qui apud impedimenta manserunt. *Cum reliquis novem tribubus*, Trem. Videndus R. D.

9. *Ad terram Galaad*] Ad regionem Galaaditin. Sic vocatur hoc loco quicquid Moses concesserat duabus tribubus & dimidiæ cis Jordanem. Alibi aliter.

10. *Ad limites*] Masius, *ad aggeres*. Sym. ὅρια *terminos*. Arias, *confinia*. Lxx, εἰς Γαλαάδ. Hieron. *ad tumulos*. Jon. גלילין genere masc.

11. *Ad latus filiorum Israel*] Ad latus Jordanis quod in parte filiorum Israel, ubi habitabant novem tribus cum dimidia. Ebr. אל עבר, quæ particula de utraque ripa usurpatur, significatque *trans* & *cis* Jordanem.

14. *Decem principes*] Novem erant tribus cum dimidia: Ergò dimidia etiam Principem suum emisit. Et nota, missos esse qui reliquas tribus Cisjordaninas de altari exstructo monerent consiliúmque eorum expiscarentur. Laudabile hoc factum utinam hodie imitarentur Christiani, qui fratribus suis non monitis calumniando plùs nocent quàm si apertum bellum eis indicerent. Quod palàm non audent, faciunt clàm. Spargunt in aures quæ non auderent in os dicere. Et inveniunt similes labra lactucas. Sed reprimam me. ¶ *Domûs patris omnium tribuum*] Trem. *ex quaque domo paterna*: quod apertè falsum, *Pater tribuum*, i. φυλάρχης, *qui tribui præerat*; quem suprà *principem* nuncupavit. ¶ *Quisque caput domûs patrum suorum*] Et princeps erat domûs suæ, & chiliarches. Id significat cùm ait, *in millibus Israel*. Sic, *Parva es ut sis in millibus Juda*, in chiliarchis. Masius, *Dictio* אלפים *modò sign. Mille, modò eos qui mille viris imperant*, τοὺς χιλιάρχας, *etiam Principes viros, qui aliis duces ad res gerendas sunt*.

18. *Cras*] Non *mox*, sed *in posterum*, aut *postea*. Vide Tremellium.

20. *Non expiravit propter iniquitatem suam*] Non expiravit solus: aut legendum cum interrogatione, *non exspiravit propter iniquitatem suam? Exspiravit*, i. mortuus est. Hieron. *Utinam solus periisset in scelere suo*. Videtur legisse לו *utinam*, aut accepit לא pro לו. sed לו non sign. *utinam*, quod sciam. Santes, *non obiit tantùm propter*, &c. Quid si, *Et ille vir unus*, i. *solus*, *non exspiravit propter iniquitatem suam?* Nam accentus qui interponitur non semper impedit hujusmodi constructionem. Sic, *vel uni*, i. soli. Vel sensus est, *Et ipse vir unus cùm esset, non tamen obiit* (repete *unus*, i. solus) *in iniquitate sua*. q. d. Plures propter illum puniti fuerunt. Quid ergò nobis nunc fiet si tam multi contra Deum prævaricati fuerits? לבדו desiderari docet R. D. Vide illum.

21. *Ad capita millium*, seu *chiliadum*, *Israel*] i. chiliarchas Israel. Nam אלפים *millia*. Vertendum hic *cum capitibus*. Nam est את in fonte. Itaque Jonathan reddit per עם *cum*. Nam *ad* est אל.

22. *Deus Deus Dominus*] אל *Deus fortis*, אלהים *Deus Judex*, aut *Vindex*. Unde quidam, *Fortis Deus DOMINUS*, ac si אל esset epitheton τοῦ *Elohim*: quod non placet. Malim, *Deus fortis Deus*, &c. Quid si, *Deus Deorum DOMINUS*. *Deorum*, i. Angelorum; ità R. D. Infrà 34. יהוה האלהים *Dominus Deus*. Ergò אלהים non sunt *Angeli*. Habetur hoc & Psal. 50. 1. Hieron. *Fortissimus Deus DOMINUS*. Lxx, Ὁ Θεὸς, Θεὸς Κύριος ἐστι, *Deus, Deus DOMINUS est*. Sic etiam Aq. & Sym. Licet etiam exponere, *Deus Deorum*, i. Principum aut Judicum. Nam Judices *Dii* vocantur; ut ibi, *Adduces eum ad Deos*, i. Judices. Sic alibi, *Deus in medio Deorum judicat*. Sic, *Rex regum*, & אדון האדונים *Dominus Dominorum*. R. D. R. S.

23. *Et munus*] Priùs erat, *& sacrificium*. Sed מנחה propriè *munus*. Hiscuni, מנחה לשון דורון. Eodem modo קרבן interpretantur. Et tamen Moses Egyptius negat *Manaa* (sic ἀρχαϊκῶς legebant hoc nomen) oblationem esse. Genus erat sacrificii incruenti ex farina cruda &c. constantis. Ipse autem inter Corbanoth tantùm numerat quatuor sacrificia cruenta quæ ex mactatis carnibus constabant, videlicet, Holocaustum, hostiæ Pacificorum, Peccatum, & Delictum. His adversatur locus in Genesi 4. 4. ubi Habelis sacrificium ex ovibus מנחה vocatur. Dicunt hoc fieri abusivè & καταχρηστικῶς. Propriè *Manaa* ex simila & oleo conficiebatur. *Fertum* nonnulli vocant à *ferendo*. Nam à נחה, quod *ducere* sign. deducunt, dubito an rectè. Hujusmodi liba Græci πέμματα vocant, teste Athenæo, lib. 4. Dipnosoph.

24. *Præ solicitudine*] דאגה *solicitudo*, *mœror*, *anxietas*. Salomon Urbinus in libro Synonymorum ait דאגה propriè de futuro esse, יגון autem de præterito. יגון, i. *mœror*, qui & תוגה: unde, *Filius stultus mœror est matris suæ*. Usus fuit hoc vocabulo Ben Sira in dicto illo, *Ne dederis cor tuum mœrori*; *quia multos occidit mœror*. Vult dicere, Nè esto minium solicitus aut anxius de futuro: Nam solicitudo hæc occidit hominem quandoque. Adducit enim ad tabem, atque ita occidit. ¶ *Quid vobis & Domino Deo Israel?*] Latinè, *cum DOMINO*, &c. Matth. 8. 29. *Quid nobis & tibi, Jesu Fili Dei?* Joh. 2. 4. *Quid mihi & tibi, mulier?* Dubitari potest sitne hic Ebraismus an Hellenismus? Nam etiam Græci sic loquuntur. Demosthenes, Τί νόμῳ καὶ βασάνῳ; *Quid legi cum quæstione?* Anacreon, Τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; *Quid mihi cum longis tibiis?* Hieronymus æmulatus est epist. 22. c. 7. *Quid [illegible] & voluptati, quæ citò perit?*

25. *Non est vobis pars in Domino*] Non estis populus DOMINI. Sic infrà v. 27. Sed 1 Reg. 12. 16. & 2 Sam. 20. 1. *pars in David*, & *in filio Isai*. Legimus etiam, *Non est tibi pars mecum*, i. אתי Deut. 14. 27. aut עמי 18. 1. &, *Non habebis partem mecum*, Joh. 13. 8. h. e. Non eris meus discipulus. ¶ *Quo minùs timeant Dominum*] *Timere* hìc est *vereri* DOMINUM; quod est hominis pii. Nam propriè loquendo *timet* superstitiosus & *veretur* religiosus. Jam verò sub hoc vocabulo continetur universus cultus Divinus; & *timor Domini* aliud nihil est quàm Pietas, θεοσέβεια, ut ibi, *Timor Domini, principium sapientiæ*. Nam sapientia incipit à pietate ac cultu Divino. Ubi non est reverentia, ibi non est sapientia. Timet Deum, qui colit; & colit, qui timet, i. veretur eum. Masius annotat, *ideo per Timorem omnem cultum innui, quia prisci homines colebant Deum ut servi dominum, per timorem*. Imò etiam ut filii patrem, per amorem: unde Abraham vocatur *cultor amoris*. Sed hac de re aliás.

26. *Altare*] Ad memoriam ædificare altare, licitum erat; non item ad sacrificandum in eo. ¶ Pro *faciamus nunc* Masius habet *Agitè, faciamus*. נא enim, inquit, *hortandi potiùs quàm instantis temporis adverbium est*.

27. *Testis*] Vel, *testimonium*. Vox Ebræa עד utrumque sign. Nam exstat in illo, *Non dices falsum testimonium*. Lxx sanè μαρτύριον.

30. *Principes cœtûs & capita millium Israel*] Trem. *id est, primores millium Israelis*: ut Vau hìc sit ἐξηγητικόν. *Capita millium*, i. Chiliarchæ, tribuni, qui mille viris præerant.

34. *Vocarunt altare*] Quod hìc desiderari videtur, suplevit Jonathan, citante Camio, referens, *Vocaverunt filii Reuben & filii Gad Testem altare*, i. סהיד. Nam *testimonium* סהדותא. Masius autor se idem reperisse in libro MS. Quod noto, quoniam illud סהיד abest à libris vulgatis. Hieron. *Vocaverunt altare Testimonium nostrum*. Existimavit nomen altaris esse לי עד הוא בינותינו *Testis ipse est inter nos*. Vide Tremellium.

IDEM.

10. גְּלִילוֹת Sym. ὅρια, *termini*, *fines*] Joel. 3. 4. גְּלִילוֹת A. θῖνας, i. *arenarum cumulos*. Sym. *terminos*. Sic & Hieron. hìc vertit, *tumulos*; Santes *limites*; Arias, *confinia*. Jonathan Joel. 3. 4. תחומים *terminos*, *fines*.

19. טְמֵאָה A. ἀκάθαρτος, *immunda*. Sym. βέβηλος, *profana*.

GROTIUS.

GROTIUS.

2. *Fecistis omnia*] Heb. שמרתם, at שמעתם legere Græci: vertunt enim ἀκηκόατε.

8. *Dividite prædam hostium cum fratribus vestris*] i. Læti abite cum ea parte prædæ quæ vos contingit.

11. *Quod cùm audissent filii Israel*] Universitatis jus est in suas partes, & major pars jus habet universitatis: ut dictum De J.B. ac P. l. 2. c. 5. §. 17. & Deut. 13. 12.

16. *Hæc mandat omnis populus Domini*] Denuntiatio sicut jure gentium inter duas gentes requiritur, ità etiam orto inter cives dissidio ex æquo usurpatur, vel ut civitas accusata se purget, aut satisfaciat, vel ut innocentes à nocentibus se separent.

18. *Et cras in universum Israel ira ejus desæviet*] Vide suprà 7. 1.

27. *In testimonium*] Vide suprà 8. 30.

30. *Et principes legationis Israel qui erant cum eo*] Heb. *& principes cœtûs, & Chiliarchi.* Gr. πάντες οἱ ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς, i. senatus & minorum magistratuum summi. Hi πρόβουλευμα faciunt, quod sequitur populus infrà 33. Vide suprà 8. 33. & 9. 11.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

4. *Ego subjeci*] R. S. sic legendum docet post Jon. *Ecce ego sortem projeci*, aut *sorte divisi, vobis gentes istas quæ adhuc residuæ sunt, ut cedant tribubus vestris in hereditatem*, &c.

13. *In flagellum*] Sic exponit Kimhi. R. S. verò interpretatur, *ut discurrant ad prædandum*: & pro *spinis* exponit מחנות *castra*.

14. *Non cecidit ex eo verbum ullum*] Heb. *Nihil non est impletum ex omnibus bonis quæ promisit Dominus vobis.* Cùm enim ille fidelis & verax sit, fieri non potest ut non omne quod suis pollicetur præstet. Cavendum igitur ut post tanta accepta beneficia illi non ingrati sitis.

VATABLUS.

1. *Fuit autem*, &c. ויהי מימים רבים וגו׳] *Transacto autem multo tempore, postquam quietem dedisset Jehova Israeli ab omnibus inimicis ejus per circuitum, & senuisset Josua, essétque jam provectæ ætatis: vocavit*, &c. ¶ *Venit in dies*, בא בימים] Hebraismus, *venire*, sive *procedere, in dies* sign. esse grandævum ac provectæ ætatis. Sic Gen. 24. 1.

2. *Ego senui, & veni in dies*, אני זקנתי באתי בימים] i. Ego quidem jam senio confectus sum, & ætatis provectæ, q. d. Ego brevi moriturus sum.

4. *Sorte distribui*, הפלתי] Ad verb. *Cadere feci*, q. d. *Considerate*, revocate in animum, quòd jactis & missis *sortibus distribui vobis* patriam *harum gentium quæ supersunt* [i. quæ nondum superatæ sunt] *in possessionem, per tribus*, &c.

6. *Roborate igitur vos*, &c. וחזקתם מאוד לשמור ולעשות] *Estote ergò forti admodum animo ad observandum & opere complendum*, vel, *in observando & faciendo quæcunque scripta sunt.* ¶ *Ab eo*, ממנו] Sub. *libro*, i. ab illis quæ in eo scripta sunt.

7. *Neque commisceamini inter gentes*, לבלתי בוא בגוים האלה] Et *ut non commisceatis vos gentibus istis*, i. Nè conversemini cum gentibus istis. Ad verb. *Ut non ingrediamini ad gentes istas.* ¶ *Quæ remanent vobiscum*, הנשארים האלה אתכם] *Quæ relicta sunt apud vos*, i. Quæ necdum sunt superatæ. ¶ *Nec adjuretis*, ולא תשביעו] Sub. *alios per idola eorum.* ¶ *Neque serviatis*, &c. ולא תעבדום ולא תשתחוו להם] *Neque colatis eos, neque adoretis eos.*

9. *Nec stetit*, &c. לא עמד איש בפניכם] i. Non potuit vobis resistere quisquam usque ad hoc tempus.

11. *Præcavete ergò diligentissimè vobis*, ונשמרתם מאוד לנפשותיכם] Ad verb. *Et custodite valde animabus vestris.* Frequens est Hebræis istud, *Animabus vestris* verbo *Custodiendi* conjungere loco pronominis secundæ vel tertiæ personæ: quod aliud non significat quàm, *Præcavete diligenter ut diligatis*, &c. Quidam tamen sequentibus adjungunt, *Videte diligenter ut ex animo diligatis Jehovam.*

12. *Quia si advertendo*, &c. כי אם שוב תשובו] *Quod si desciscatis* [sub. *à Deo*] *& adhæreatis*, &c. ut v. 7. ¶ *Et affinitatem contraxeritis cum eis*, והתחתנתם בהם] *Et connubia misceatis cum eis.* ¶ *Et misceatis*, &c. ובאתם בהם] Ad verb. *Et ingressi fueritis cum eis*, &c.

13. *Jam nunc scitote*, &c. ידוע תדעו וגו׳] Ad verb. *Sciendo scitote quòd non addet Jehova Deus noster ut expellat*, &c. ¶ *In lateribus vestris*, בצדיכם] i. Quo pulsentur, sive percutiantur latera vestra. Num. 33. 55. legitur, *Et in spinas in lateribus vestris.* ¶ *Et in spinas in oculis vestris*, ולצננים בעיניכם] *Et in cultros in oculis vestris.* Num. 33. 55. Moses dixit, *Spinas* [vel *cultros*] *in lateribus vestris*: vide illic annotationem, i. quibus pungantur oculi vestri, q. d. mirum in modum affligentes vos.

14. *Vado hodie*, &c. הולך היום בדרך כל הארץ] Præs. Heb. pro fut. *ingressurus sum hodie per viam universæ terræ*, i. carnis, q. d. Hodie moriturus sum, quemadmodum constitutum est omnibus hominibus. ¶ *Non cecidit*, לא נפל] *Non intercidit, non fuit irritum.* ¶ *Verbis optimis*, הדברים הטובים] i. Bonis promissionibus quas, &c. ¶ *Super vos*, עליכם] *De vobis.* ¶ *Non cecidit*, &c. לא נפל ממנו דבר אחד] *Non intercidit ex eis quicquam.*

15. *Sicut ergò*, &c. והיה כאשר בא עליכם] Ad verb. *Et erit, sicut evenit*, &c. Hebraismus, ut adimplevit vobis omnes bonas promissiones suas. ¶ *Omne verbum malum*, כל הדבר הרע] i. Quicquid malorum comminatus est.

CLARIUS.

13. *Et offendiculum ex latere vestro*] Alius vertit, *Flagellum in lateribus vestris, & in spinas in oculis vestris.*

14. *Unum non prateribit*] Cùm præstiterit, inquit, omnia Deus quæ promisit vobis, cavendum est nè post tanta accepta beneficia illi ingrati sitis.

MASIUS.

1. *Factum porrò est post multos dies*, &c.] Cùm jam aliquot præterirent anni ex quo per Chananæam domiti hostes metu conquiescebant, populus verò interea bellorum pertæsus umbratilem vitam amplecti potiùs quàm suam hæreditatem ab hostibus paulatim vindicatum ire velle videretur, optimus Imperator Josua, quem jamdudum ætas affecta bello faciendo abstinebat, verens nè (quod post evenit) ille tum ex ignavo otio in multa alia vitia, tum ex amica Barbarorum consuetudine ad suscipiendam horum fœdam religionem & cultus laberetur, convocatum, ut credibile est, Siluntem, memorabili istâ oratione hortatur, non quidem apertè ut ad laboriosam militiam revertatur, & Chananæos passim reliquos eliminet, (Ea enim oratio nimis dura visa fuisset propensis ad quietem; sed neque dum etiam utile erat, universam terram veteribus colonis vacuam esse) verùm ut lege Dei se habeat, & à Chananæorum familiaritate atque consuetudine sibi quàm diligentissimè caveat. Sed ad ista suadenda iis maximè utitur argumentis quæ obliquè & tectè omnes ab otio ad belli cogitationem, & à familiari usu Barbarorum ad inimicitiam cum ipsis gerendam excitare atque incendere debeant; ut audiemus. Possent fortassis existimare aliqui non esse diversam hanc concionem ab ea quæ proximo capite dicetur; Nam cùm sacræ narrationes ex aliis atque aliis annalibus

longo post res gestas temporum intervallo sint conscriptæ (quod est alibi multis disputatum à nobis) non rarò accidit ut res eadem una diversis locis nunc fusiùs nunc breviùs memoretur. Sed aliam esse hanc concionem, alia illa comitia magnis argumentis probabimus idoneo loco. Nimirum credibile est, solicitissimum Patrem & Principem Josuam per omnem occasionem cohortatum sæpe suos esse ad probitatis & pietatis officia, quamvis ista duo monita sola sint literis consignata & memoriæ prodita. Id enim D. Petrus quoque se fecisse testatur brevi moriturus, cùm his utitur verbis, Epist. 2. c. 1. v. 12. *Non negligam vos de his semper monere, quamvis scientes, atque etiam confirmatos in ista veritate: æquum enim esse puto, quantisper sum in hoc tabernaculo, ut vos excitem monitis*; & quæ sequuntur plura, sunt enim pervulgata. Existimemus ergò istam δηγόρησιν vel apud Siluntem vel in Josuæ urbe adhibitam esse ad populum; quod etiam RR. David Kimhi, & Levi F. Gersonis putant; illa verò altera comitia apud Sichem esse facta, ob eas res quas illic exponemus.

2. *Ut convocaret Josua omnem Israelem*, &c.] Diximus alibi, in concionibus non semper populum universum coire solere, sed omnium ordinum primates & veluti capita. Igitur cùm dictum esset *Omnem Israelem fuisse convocatum*, ipsa deinde universitas ad eos deducitur qui populum omnem repræsentabant. Erant autem illi זקנים, h. e. *seniores:* nimirum ipse Senatus; sive is primarius solus fuerit, quem Judæi veteres Græco vocabulo appellabant סנהדרין, i. συνέδριον, ad quem de summa rerum gentis universæ referebatur; sive etiam municipalis quisque: id enim non satis liquet. Deinde ראשים, h. e. *capita*; qui erant singularum tribuum primates atque tribuni: hi aliàs vocantur *capita populi*. Postremò שפטים, & שטרים. Illud *Judices* significat; non eos solos dico qui lites dijudicant, sed qui præcipuum in populo magistratum gerunt, & tanquam viva lex civibus sunt. Hujus vim & notationem explicavi multis c. 1. v. 10. diximus enim *apparitores* vocari rectè posse, & administros fuisse τῶν שפטים, h. e. *ipsius Magistratûs*.

2, 3. *Ego senui, provectus sum ætate. Vos verò vidistis*, &c.] Hoc exordium est orationis quam Imperator habet ad convocatum populum. Redduntur autem eo auditores benevoli, attenti, dociles. Nam plerique omnes vel tacito quodam naturæ instinctu senes reverentur & colunt, libentèrque auscultant; præsertim si sint in rebus magnis versati, & gloriâ clari, aut certè auctoritate graves. Existimantur enim, cùm diu in vita fuerint ipsi, & brevi sint abituri ex ea, longè optima vivendi præcepta & monita iis quibus in vita manendum diutiùs est dare & posse & velle. Versatur autem oratio tota in genere demonstrativo, quod Honestum appellant; ut est ex iis manifestum quæ paulò superiùs exposui, cùm dicerem qua de causa conventum hunc habuerit Imperator. Primùm igitur breviter quidem sed disertè refert memoriam beneficiorum Dei quæ in Israelitas ille adhuc contulit, præsertim se Principe, & quæ porrò conferre paratus est; atque indè conficit, æquum esse ut mutuam ipsi pietatem atque sanctitatem adversùs illum colant, omníque studio id præstare conentur quod ab eo jussi sunt. Ingrati enim & detestabilis ingenii fuerit tam mirificè liberalem & beneficum amatorem non modis omnibus redamare, præsertim qui tuus Deus atque effector & parens sit. Hoc enim illud toties repetitum significat, *Dominus Deus vester*. ¶ Porrò quia ille Deus non fert rivalem, monet etiam ut Barbarorum deos nè nominent quidem, nedum colant aut adorent. Et nè vel imprudentes ad hanc impietatem prolabantur, jubet nè familiariter utantur Barbaris. Nam, ut ait Paulus, 2 Tim. 2. 16, 17. *prava colloquia gangrænæ ritu agent contagio impietatem.* ¶ Ad hæc, adhibet stimulos acerrimos. Et primùm quidem proponit ipsorum laudem, cùm ait, *sicut fecistis ad hunc usque diem*, *Crescit* enim *laudata virtus, & immensum gloria calcar habet*, ut ait poeta noster Naso De Ponto l. 4. Mox utilitates maximas, dum v. 9, & 10. ostendit, ex ea necessitudine quâ se Deo obligarunt ipsi, atque adhuc conjuncti sunt, præclaras illas victorias esse profectas: ut minimè ingratis amasse possint videri. Deinceps verò v. 12, & 13. gravissima explicat incommoda quæ passuri sint si secùs fecerint. Atqui hìc illud observandum est, virum sanctissimum non dicere, *Si Dominum non amaveritis:* erat enim id ei religio: cùm ipsa natura omnes, qui certè ratione utuntur, ad amandum suum Effectorem ducat: sed, *Si affinitate*, inquit, *aut aliis necessitudinibus vos cum Barbaris istis conjunxeritis*. Hujus enim erat illud consectarium. Sed vehementissimè illorum animos tanquam fodicat, cùm omnium incommodorum summam proponit, eámque iterum & tertiò repetit: ea autem est, præsentium possessionum amissio. Ait enim, *Usque dum pereatis ex bona ista terra quam dedit vobis Dominus Deus vester.* Cùm enim post maximas ærumnas, quas indè ab excito è Chaldæa Abrahamo gens universa in alieno solo perpessa fuerat, tandem proprias adepti possessiones sibi felicissimi viderentur, atque in his suavissimè acquiescerent, nullus ipsis potuit casus acerbior ob oculos poni quàm novum exsilium. Deinceps ad finem usque orationis id affirmat argumentatione à simili quod modò dixerat de eventuris maximis malis, nisi justam pietatem adversùs Deum adhibere pergant. Si evenit, inquit, quidquid per benedictionis formulam vobis promiserat Deus; ut certè evenisse, ipsâ re estis experti; non est cur minùs sperare possitis eventura & illa quæ per maledictionem est vobis interminatus, Deut. 28. Et hic denuò inculcat, adesse suæ vitæ finem; nimirum ut hæc, tanquam novissima, verba penitus animo mandent & memoriâ conservent; & simul ut intelligant, posthac suo sibi modo vivendum fore, & proinde cautiores sint & ad omnia vitæ officia magis intenti, quippe non habituri diutiùs omnium suarum actionum monitorem & præmonstratorem, in cujus diurna nocturnâque solicitudine adhuc potuerunt acquiescere securi. Sed jam revertamur ad explicanda passim S. verba.

4, 5. *Videte, sortitus sum vobis gentes istas*, &c.] *Videre* ad animi oculos, ut sæpe, referendum est. Verborum collocatio est hìc conturbatior. Nam illud, מן הירדן *à Jordane*, non est suo loco positum. Est autem universæ complexionis verborum hæc sententia, *Ego vobis per sortem in singulas tribus distribui tam eas gentes quæ nondum sunt exterminatæ quàm quas ipse jam excidi per universam Chananæam, quanta patet inter Jordanem ab Oriente & mare Mediterraneum ab Occidente*. Commemorat autem, simul eas gentes per sortem esse ipsis attributas quæ nondum erant eliminatæ, ut ad eas profligandas ipsis addat animos; à facili. Nam ipsa sors Divina fuit, tanquam arrha & pignus certissimi consilii Dei: hoc enim proximo sic versiculo explicatum est. Quare non rectè Latinus hanc partem tacitam reliquit tanquam supervacaneam, cùm sit palmaris; nisi putemus à librariis omissam esse.

6. *Eritis igitur fortes admodum ab observandum*, &c.] Usitatissimum est apud Hebræos tempus futurum modi finiti pro mandativo usurpare, *Eritis* pro *estote:* quo modo etiam Latini nonnunquam loquuntur. ¶ Cæterùm ea *fortitudo* quâ ad observandam Dei legem opus est paratur firmâ fide in Deum & caritate erga proximos: His enim duabus rebus Dei nobis gratiam conciliamus, quæ non solùm admissis delictis ignoscit, sed etiam vires ad probè vivendum suppeditat, nósque tuetur nè porrò peccemus, sed lege Dei nos habeamus. ¶ *Ad dextram aut sinistram declinare* translatio est ab iis qui iter faciunt. Significat autem, nos Divinæ legis verba debere rectâ sequi, h. e. ut intra earum sententiarum cancellos maneamus quibus sacrosancta Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, illa circumscripsit atque definivit. Sed de hac re satis multa dixisse videmur c. 1. v. 7.

7. *Nè consuetudinem habeatis cum gentibus istis*, &c.] Si verbum pro verbo reddas, dixeris, *Nè veniatis*, sive, *nè intretis, ad Gentes istas*. Sed Chaldæus id explanat, *Nè commisceamini cum Gentibus istis*. Certum autem est, & à nobis alibi disputatum, c. 2. v. 3. illud verbum בא usurpari de re Venerea: quam notionem ab hoc loco non esse

esse alienam, videor conjicere de verbis v. 12. Et est sanè multis ubique exemplis testata res, quantum illa turpis consuetudo semper detrimenti attulerit pietati. Per me tamen licet ut omnem prorsus familiaritatem hoc loco prohiberi putes quæ quidem conjunctionem amicitiámque cum Barbaris conciliare possit: Solet enim inde quasi societas quædam & communicatio religionis facilè inter homines nasci. Quam ob rem bene prudentérque Paulus, ut omnia, monuit suos Corinthios nè *voluntate essent propensiore* in eos qui à Christi religione erant alieni quàm in se, qui justitiam lucémque, h. e. Christum ipsum Deum vivum, docebat, 2 Cor. 6. 14. Sic enim ego certè verbum illud ἑτεροζυγεῖν, quo ille utitur, interpretor; ut tralatio sit à libra, cujus lanx altera propendeat in unam partem: hæc enim à Græcis σαθμὸς ἑτερόζυγος dicitur. ¶ Jam verò illud quod deinceps est, *Neque commemoretis nomen deorum illarum*, iis est consentaneum quæ idem Paulus ad Ephesios 5. 3. scripsit, cùm eos moneret ut *neque stupra, neque obscœnitates alias, aut avaritiam inter se nominarent*. Fieri enim vix potest ut nihil nos afficiant, neque ad nostrum sensum adhærescant, quorum sæpe usurpamus memoriam. Itaque ex ipsa deos appellandi consuetudine afferri tandem suspicio in animum facilè posset, esse eos aliquid. ¶ Sed quod insequitur majus etiam est, *Neque juretis*. Quod enim juramus, ei Numen inesse quodam modo vel imprudentes statuimus: quod est à nobis nuper pluribus explicatum. ¶ Porrò illa, *colatis, adoretis*, multò etiam graviora sunt. Itaque ordine fit progressio, à familiaritate Barbarorum ad nominandos ipsorum deos, à nominum usu ad jusjurandum, hinc ad cultum, à cultu denique ad adorationem. Solet enim istorum sequens quodque ferè ex præcedente gigni, nisi magna cautio adjungatur, & sanctus Dei Spiritus animos nostros regat atque ab errore tueatur. Sed neque refragabor, si quis dicat in hoc loco σχῆμα esse quod ἐξήγησιν, i. *Interpretationem*, vocant, & posteriora quæque explanare priora. Nam *colere* & *adorare* parùm sanè inter se differunt. *Jurare*, autem pro *colere* poni interdum, nuper dictum est. Jam verò, *nominare Deum*, id quoque idem esse quod *colere*, ostendunt illa Pauli verba, 2 Tim. 2. 19. *Alienus esto ab iniquitate quisquis nominat Christum:* & illa Davidis, Psal. 16. 4. *Non libabo libamenta eorum cruenta, neque sumam nomina ipsorum in labra mea:* quod alioqui mirificè cum hoc loco congruit etiam.

8, 9. *Sed adhærebitis Domino Deo vestro, sicut fecistis*, &c.] Rursus futurum modi finiti pro mandativi positum est. ¶ *Adhærere Domino* est Omnem spem in eo solo collocatam habere, nihílque opis aliunde, sive ex cœlo sive terra, exspectare cujus ipse non sit fons & auctor. Quòd eò à me additur ut nè quis existimet ægrotos medicorum operâ non debere uti (quod olim quidam malè opinati sunt) aut alios homines aliis causis mediis atque adjuvantibus, quas Deus pro admirabili sua erga genus humanum benignitate nobis concessit ad nostræ animæ corporísve salutem, dummodo ab illo solo, tanquam boni omnis origine, summa spei nostræ dependeat. ¶ Adjungit porrò Imperator, *illos ità fecisse usque ad hunc diem*; non quòd illa omnia plenè perfectéque adhuc præstiterint Israelitæ; quis enim nescit quàm pauci mortales se eâ pietate eóque amore applicent adjungántque ad Deum quo æquum esset? sed quia religionis jura à Mose tradita populus adhuc universè coluit, interea dum penes Josuam fuit Principatus: de singulorum enim hominum peccatis non agitur. Sed ista cognitionem habent facilem: quare pergamus.

10, 11. *Unus vir vestrum persequi solet mille*, &c.] Hebræum habet, *persequetur mille*. Nempe enim usitatum est apud Hebræos, ut futuri temporis verbū significet frequentem rei alicujus usum. Sunt autem ista referenda ad illa promissa Dei quæ in Levitico 26. 3. his ferè verbis perscripta sunt, *Si præcepta mea observaveritis atque exsecuti fueritis, largiar vobis pluvias idoneo tempore*; & post multa, *Persequemini inimicos vestros*; *cadéntque illi ante vos gladio. Vestrum quini persequentur centenos, centenique vestrum agent ante se decies millenos*, &c. Et quæ in Deuteronomio 28. 7. *Efficiet Dominus ut hostes tui qui te invadunt cadant coram te: unâ viâ venerunt adversùm te, septem autem viis fugient à conspectu tuo.* Sed cur illi suis hostibus tam terribiles viderentur, id verò edixit Moses elegante versu, cùm caneret, *Quo modo persequeretur unus mille, & duo fugarent decem millia, nisi petra ipsorum mancipasset illos, & Dominus eos dedidisset*, Deut. 32. 30.

12. *Nam si per pœnitentiam propositum mutaveritis*, &c.] Verbum שוב *redire* significat, sed sæpe transfertur ad animum, éstque *A proposito absistere, Institutum vitæ mutare.* Eam porrò consuetudinem familiaritatémque Barbarorum, quàm superiùs solo verbo בא indicarat, nunc explicat aliis insuper duobus verbis, דבק, & התחתן, quorum illud *adhærere* significat, & de ea conjunctione quæ inter maritum atque uxorem est dicitur à Mose, in illis verbis, *Et adhærebit uxori suæ: fiétque caro una*, Gen. 2. 24. hoc verò, *affinitatis necessitate jungi*. Omnia igitur ad eam necessitudinem quæ contrahitur connubiis spectare videntur. Ea autem lege Mosis vetita erat cùm alibi tum in Deuteronomio 7. 3. Existimemus ergò hanc conjunctionem maximè, sed non solam, prohiberi hoc loco. Nam quòd Paulus 1 Cor. 7. divortium facere non debere censuit eum hominem qui matrimonio consociatus esset alteri non initiato Christi mysteriis, nisi is qui initiatus non esset ipse discidium faceret, id ad hunc locum non pertinet, de illis enim loquebatur Paulus qui cùm alieni à religione essent nuptias contraxerant, pòst verò alter Christo nomen dedit, alter non dedit. Nam si ei qui dedit facere divortium impunè ille concessisset, Deus bone, quantam aperuisset improbæ licentiæ fenestram! Ut enim quenque conjugii tœduisset, præclaram speciem quisque faciendi discidii habuisset, Christi sacra. Sunt enim semper plurimi in omni religione impii. Christianos autem matrimonii sanctitatem cum primis colere debere, testata res est Christi verbis Math. 19. 9. Contrahenda igitur cum profanis hominibus matrimonia vetantur; at contracta per causam religionis discindere non licere Christianis hominibus, tum Paulus sensit, 1 Cor. 7. tum Petrus Epist. 1. c. 3. Sed ista sunt prolixè tractata disputatáque à Tertulliano, l. 2. ad uxorem: quare non prosequar longiús.

13. *Planè scitote, non futurum ut pergat Dominus Deus vester*, &c.] Hæc eadem mala obnunciata sunt à Mose in Numeris c. 33. & Deuteronomio c. 7. sed illic origo omnium calamitatum statuitur, non ejecisse atque ab se depulisse Barbaros; hìc verò, affinitates cum illis contraxisse. Sunt enim ista mutuæ inter se consequentiæ nexu copulata. ¶ Latinus legisse videtur פחת pro פח, dixit enim *foveam* pro *laqueo*. ¶ Verbum מוקש deductum à יקש omne id est quo irretire & capere aliquid volumus: שוטט autem id significat quo fodicamus pulsamúsque aliquem ut ad cursum incitemus. LXXII igitur ἥλους, h. e. *clavos*, pro *stimulis* dixerunt. Cur autem pro *lateribus* dicerent πτέρναις, h. e. *calcibus*, non satìs dispicio. Suspicor tamen hoc mendosum esse, & πλάγιαις olim scriptam fuisse. Chaldæus locum hunc circuitione longiore interpretatus pro *flagro* dixit *copias sumentes arma adversùs vos* & pro *spinæ in oculis* reddidit *exercitus vos cingentes:* nimirum quia verbum שטט interdum significat *Prædæ faciendæ causâ huc illuc discurrere & grassari*; & צנה, cùm non solùm *spina* sed etiam *clypeus* dicatur, ille traduxit ad *exercitus*, qui hostes suos circumdant, ut clypeus hominis corpus, inquit R. Solomon. Porrò illæ translationes à Laqueis, Retibus, Flagris, Spinis satìs perspicuum est cur ad idololatras, ut vocantur, spectent. Laqueis enim & retibus blandæ voluptatis impeditur primùm progressus in Dei cultu. Deinde postquam illâ semel devinctus est animus, facilè ad omne flagitium ab ea, tanquam flagro, impellitur. Mox vero etiam usque eò occæcatur ut veritatis splendorem deinde videre ampliùs nequeat. Hæc autem omnia evenisse populo electo, Sacris historiis proditum est; Qui etiam ob eas res felix illud solum exsilii causâ sæpe vertere est coactus.

14. En

14. *En ego ingredior hodie viam universæ terræ*, &c.] *Terra* vocantur ipsi mortales, quorum omnium *via* est mors, ad quam tendere illi quidem incipiunt tum cùm vitam auspicantur; sed cùm illam obeunt, éque vita excedunt, tunc demum *ingredi* illam *viam* dicuntur. Nimirum, quia vita hæc nostra videtur morti opposita esse, cùm sit veriùs θάνατος atque commentatio mortis, neque vita dici mereatur, nisi quatenus in ea animus placidâ pace cum corpore conjunctus speciem quandam umbræ vitæ illius immortalis quam post resurrectionem, ut vocamus, unà cum illo est acturus in cœlo, per contemplationem cernere potest. Sed ista alterius loci sunt.

IDEM.

1. CUM dicitur in vulgatis libris, τὸ Θεὸν Ἰσραὴλ, auferendum è medio est verbum Θεόν. ¶ Scribe ἐχθρῶν αὐτοῦ.

2. Illud, τοὺς υἱούς, notetur veru: & similiter copula quæ illico sequitur, cùm dicitur, καὶ τὴν γερουσίαν & rursus copula in versûs extremo, ubi est καὶ πρεσβύτερα.

3. Syrus legit ἐποίησε Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν. Sed in Hebræo est secundæ personæ pronomen. ¶ Scribendum est, ἐκπολεμήσας ὑμῖν, *vobis*.

4. Initio legit Syrus, ἴδετε ὅτι ἐπέρριψα ὑμῖν τὰ ἔθνη, &c. & rectè. Compl. autem addunt, ἴδετε, ὅτι εἶπα, ἐπέρριψα, &c. sed quantum videre possum, mendosè. ¶ Cùm dicitur, τὰ καταλελειμμένα ÷ ὑμῖν ↓, juguletur pronomen veru apposito. ¶ Scribe καὶ πάντα τὰ ἔθνη ἃ ἐξωλόθρευσα. ¶ Verbum ὁρίων signetur obelisco.

5. Cùm dicitur ὁ Θεὸς ὑμῶν, Syrus legit rursus primam personam ἡμῶν. ¶ Hæc omnia ÷ ἕως ἂν ἀναπόλωνται καὶ ἀποστείλῃ αὐτοῖς τὰ θηρία τὰ ἄγρια, ἕως ἂν ἐξολοθρεύσῃ αὐτούς, καὶ τοὺς βασιλεῖς αὐτῶν, ἀπὸ προσώπου ὑμῶν ↓, sunt signanda obeliscis. Cæterùm eorum loco suggerit m. ed. per asteriscos ista, ✱ καὶ ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου σου ↓. ¶ Rursus in fine legit Syrus, ὁ Θεὸς ἡμῶν, *Deus noster*.

6. Post ἐκκλίνητε additum est in mixta, ✱ ἀπ' αὐτοῦ ↓.

7. Scribe εἰς τὰ ἔθνη ταῦτα τὰ καταλελειμμένα· atque hîc ex mixta suggere, ✱ μεθ' ὑμῶν ↓. ¶ Cùm dicitur, ἐκ ὀνομασθήσεται ÷ ἐν ὑμῖν ↓. juguletur obelo hoc ÷, ἐν ὑμῖν ↓. Atque hîc continuò subjicit mixta per asteriscum, ✱ καὶ ἐκ ὀμεῖσθε, οὔτε μὴ λατρεύσητε, οὔτε μὴ προσκυνήσητε αὐτοῖς ↓. Cæterùm prius pronomen αὐτοῖς, quod habent libri pervagati, est expungendum.

9. Initio scribe καὶ ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς Κύριος· habeat autem pronomen appositum obeliscum.

10. Suggerit mixta ✱ ἀνὴρ ↓ εἷς, &c. ¶ Pro συνεκπολεμεῖ scribe ἐξεπολέμει. ¶ Legit Syrus καθάπερ εἶπεν ἡμῖν at in Hebræo est secundæ personæ pronomen.

11. Post σφόδρα suggerit m. ed. ✱ ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν ↓. Mox legit rursus Syrus τὸν Θεὸν ἡμῶν, quamvìs in Hebræo sit ὑμῶν.

12. Initio verbum omissum à LXXII suggeritur in mixta hoc modo, ἐὰν γὰρ ✱ ἀποστροφῇ ↓ ἀποστραφῆτε, &c. ¶ Scribe προστεθῆτε τοῖς ὑπολειφθεῖσι ἔθνεσι τούτοις, τοῖς μεθ' ὑμῶν. Syrus ostendit in quibusdam libris esse, τούτοις τοῖς καταλελειμμένοις μεθ' ὑμῶν· idque est Hebræo consentaneum, & plenius.

13. Γνώσεσθε debet habere appositum asteriscum. ¶ Post Κύριος ὁ Θεὸς suggerit mixta ✱ ὑμῶν ↓, *Deus vester*. ¶ Sub finem scribendum est ἕως ἂν ἀπόλησθε, additâ particulâ potentiali, ut vocant.

14. Cùm dicitur, καὶ γνώσεσθε, addit mixta per stellam ✱ ἐν ὅλῃ ↓ τῇ καρδίᾳ, &c. & mox denuò, ✱ ἐν ὅλῃ ↓ τῇ ψυχῇ, &c. Rursus post τῶν λόγων addit ✱ τῶν καλῶν ↓. ¶ Scribe Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν ✱ πρὸς ἡμᾶς ↓. ¶ Scribe πάντα τὰ ἀνήκοντα ὑμῖν, ἐ διεφώνησεν ἐξ αὐτῶν ✱ ῥῆμα ἓν ↓. adscriptâ stellulâ ad illa verba, ῥῆμα ἕν.

15. Cùm dicitur, ἐλάλησε Κύριος, adjunge, ὁ Θεὸς ὑμῶν ἐφ' ὑμᾶς.

16. Legit rursus Syrus τοῦ Θεοῦ ὑμῶν *Dei nostri*. ¶ Scribendi sunt pro modis subjunctivis modi finiti, λατρεύσητε, &, προσκυνήσετε. ¶ Illa, καὶ ὀργισθήσεται θυμῷ, &, quæ deinceps sequuntur ad finem usque, ea, ut ex aliis interpretibus accepta, & mixtæ editionis, sunt notanda asteriscis. Eáque causa est cur Vaticanus omitteret. In iis autem pro ἀπορεῖσθε scribendum est ἀπολεῖσθε & expungendus in extremo ille nominandi casus Κύριος. Mendum est enim apud Compl. cùm eum adscribunt: non est enim in Hebræo: quapropter, non potest ex m. ed. suggeri.

DRUSIUS.

2. TOtum Israelem] Seipsum explicat cùm ait, *senes ejus*, &c. Nam non est credibile populum universum, h. e. singulos è populo, ab eo vocatum fuisse. ¶ *Senes*] Judices Synedrii. ¶ *Capita ejus*] Primores populi, Principes, & Phylarchæ, qui singulis tribubus præerant, qui & *capita millium*, h. e. Chiliarchæ & Tribuni, vocantur. ¶ *Judices ejus, & præfecti ejus*] Senes singularum urbium, h. e. Magistratus, eorúmque administri & apparitores lictorésque, quos *Soterim* vocant. Judices autem appellant *Sophetim*: unde Consules Carthaginensium *Suffetes* vel *Suffeti* olim dicti.

6. *Neque ad dexteram, neque ad sinistram*] h. e. in nullam partem: proverbiale. Hîc Vau valet או *aut*; *ad dexteram & ad sinistram*, pro *aut ad sinistram*. Simile, *Qui maledixerit patri & matri*, h. e. interprete Matthæo, *aut matri*. R. Levi per *dexteram* intelligit quicquid additur legi; per *sinistram* verò, quicquid ei demitur. Vide sis Adagia mea Sacra.

7. *Nè congrediamini cum eis*] Ad verb. *in eis*, vel *inter eas*. Sign. familiariter uti gentibus, & consuetudinem habere cum eis, unde periculum non leve. De congressu Venereo qui accipiunt, videant an verbum בא eo sensu cum ב construatur. Nam usitatè cum אל construitur, הבא אל אשת רעהו *qui congreditur cum uxore proximi sui*. Cum ב legitur & infrà v. 12. ¶ *Nomen deorum earum nè memoretis*] Sic David, *Non usurpabo nomina eorum* (idolorum videlicet) *labiis meis*. Nam ad sensum adhærescunt quorum memoriam sæpe usurpamus. Ideo Judæi apud pueros suos nè nominant quidem Porcum, nè appetant carnem ejus, nam cùm de illo sermonem faciunt, dicunt דבר אחר *res alia*. Meminit Elias in Thesbite, & nos in Quæstionibus nostris. Hinc est quòd Deus ait apud Prophetam, *Non vocabis me Baali, marite mi, sed* אישי, *vir mi*. Utrumque idem sign. sed *Baal* commune idolis. Ideo Deus non vult vocari eo nomine. Nam sæpius deos compellandi consuetudine tandem putamus eos aliquid esse. Quocirca noster Apostolus, *Scortatio*, inquit, *& omnis immunditia, aut avaritia nè nominetur in vobis*, vel *inter vos*, Ephes. 5. 3. ¶ *Et nè adjuretis*] Nè adigatis eos ut jurent per deos suos. Mirum est Santem hîc habere, *nè juretis*, לא תשבעו, patiendi verbum agendi significatione: Quod frequens antiquis. Sic in Latio, *juratus est* pro *juravit*. Cæterùm *adjurare* pro *jusjurandum exigere* vulgò utuntur: in quem sensum videtur dixisse Livius, *ut præter commune civium jurandum hac adjurarent*.

9. *Et validas*] Multas, aut robustas.

12. *Conveneritis cum eis*] Suprà explicatum est. Hieronymus hîc habet, *si volueritis cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare*. Pro *affinitatem contrahere* dixit *miscere connubia*: pro quo LXX, καὶ ἐπιγαμίας ποιήσητε πρὸς αὐτοὺς, *& connubia feceritis ad eos*. Idem pro *convenire cum eis*, *amicitias copulare*: LXX, συγκαταμιγῆτε αὐτοῖς, καὶ αὐτοὶ ὑμῖν. *Convenire*, in amicitiam, vel in coitum: quod Græci dicunt συνελθεῖν. Vide Præterita mea. *Adhærere* eódem pertinet. Nam maritus adhæret uxori, quasi glutine cum ea conjunctus: quod Ebræi verbo דבק exprimunt. Id Græcis est προσκολλᾶν, unde דבק *viscus, gluten*, κόλλα.

13. שוטט *flagrum*] Aut *flagellum*, idem videlicet quod שוט. ¶ Quod autem sequitur, *in lateribus vestris*, ideo additum quia antiquitus latera cædebant: ut videre est Sirach. 30. 12. & 42. 5. Senes hîc habent πλευρὰς *calcibus* pro

pro πλευρᾶς. Nam sic interpretantur hoc nomen Exod. 30. 4. & alibi. Dicimus autem πλευρὸ vel πλευρόν.

14. *Ingredior viam universæ terræ*] Sic 1 Reg. 2. 2. *Ego ineo viam universæ terræ*, i. morior. *Terram* autem dicit homines qui in terra. Nam via quam ineunt omnes homines est ipsa Mors, quæ & *via seculi* dicitur, seu *æterna*, Psal. 139. 24. *deduc me in viam seculi*. Hieron. *in via æterna*. Lxx, ἐν ὁδῷ αἰωνίᾳ. Sic ipsum sepulcrum vocatur *domus seculi*, vel *æterna*, vel, si places, *æternum iter*, Job. 22. 15. est *semita seculi*, ubi Lxx, τρίβον αἰώνιον, אורח עולם. Plautus dixit, *Qui nunc abeunt in communem locum*: &, *Penetravit se ad plures*. Nam plures mortui quàm viventes. Quanquam ille dicebat plures vivos esse; & causam addebat, eò quòd mortui non essent, ludens in abiguo verbi *esse*. Nam *esse* dicitur qui est in vivis, & qui est in rerum natura. *Via terræ* aliquando coitum notat: sive actum Venereum, Gen. 19. 31. *qui ad nos ingrediatur juxta viam totius terræ*. Sic *separare se à via terræ*, i. à notitia uxoris & viri, ab actu Venereo, R. S. Num. 12. 2. Reperio & *via non revertenda*, eodem sensu, Job. 16. 22. Cæterùm *via terræ* apud Magistros vocatur etiam vita civilis aut politica, & ratio quærendi ea quæ necessaria ad vitam sustentandam: unde in lib. Aboth, c. 2. *Pulchrum est Legis studium cum via terræ*, i. cum opificio aliquo unde te & familiam alas. In Jure Pontificio, *via universæ carnis*, pro eo quod nos diceremus *omnium hominum*, quam omnes terunt. Id non intellexit Alciatus: ideo sic scribit Parerg. l. 10. c. 13. *Leges Pontificiæ*, inquit, *dicunt*, *Viam universæ carnis ingressus est*: *quasi solam carnem vorax ille Saturnus absumat*, *& non cætera quoque*. *Elegantior verò & aptior est Plautina phrasis*, &c. Innuit phrasin quæ in Trinum. *Quin priùs me ad plures penetravi*. Nam *plures*, i. πλείονες, pro *mortuis* dicebant. ¶ *Non cecidit verbum unum*] Suprà 21. 45. *Non cecidit verbum*: & 1 Sam. 3. 19. *Non cecidit ex verbis ejus in terram*. Hujus contrarium, *evenit omne verbum*: nam quod non evenit *cadere* dicitur. Eucherius, p. 14. *Sign. quia nihil ex iis quæ locutus est irritum fuit*, *sed omnia sunt rebus completa quæ dixit*. Scribit hoc ad locum Samuelis modò citatum. Mox ait seipsum explicans, *Omnia evenerunt vobis*; *non cecidit ex iis verbum unum*. Trem. *non excidit res ulla*, i. כל דבר. Sic, *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, i. ulla res. *Non una*, i. nè una quidem res, aut nè unum quidem verbum. Simile, *Non est qui faciat bonum*, *non etiam unus*, i. nè unus quidem.

GROTIUS.

2. *ET magistros*] Heb. שטריו. Vide suprà 8. 33. Infrà 24. 1.

7. *Juretis in nomine Deorum earum*] Heb. *Ne commemoretis nomen deorum earum*, *neque juretis*. Vide Exod. 23. 13.

12. *Miscere connubia*, *atque amicitias copulare*] Contra legem Exod. 34. 15, 16. Deut. 7. 2. In has post Josuæ tempora peccarunt Israelitæ Jud. 3. 5, 6.

13. *Offendiculum ex latere vestro*] Heb. *Flagellum in vestris lateribus*. Loro enim latera cædi mos erat, Eccl. 30. 12. & 42. 5.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

2. *TRans fluvium*] h. e. ultra Euphraten in Mesopotamia.

6. *Eduxi vos*] Loquitur ad seniores, qui adhuc superstites fuerunt, & in pueritia mare Rubrum transierant. Quando verò dicit, *Eduxi patres vestros*, loquitur ad eos qui in deserto nati fuerunt.

7. *Operuit eos*] Heb. *adduxit super eum mare*, *& operuit eum*: quod referendum est ad totum exercitum Pharaonis. Frequens est in Hebraismo ut post plurale sequatur singulare collectivum, & rursum post singulare plurale.

9. *Pugnavit*] Per hanc *pugnam* dicunt intelligi imposturam illam quâ Balac vocavit Bileam ut malediceret populo. Nec invenitur quòd *viri Jeriha pugnaturi venerint contra Israel*, cùm civitas ipsa undique clausa & obserata fuerit; sed emiserunt aliquos ex magistratu qui euntes ad Reges Chnaan solicitarunt illos ad pugnandum contra Israel.

12. *Qui pepulerunt eos*] Vel, ut in Hebræo habetur, *vespa*, *quæ pepulit eos*, nempe duos Reges Æmoræorum: hi sunt Sihon & Og: Contra quos misit Dominus vespas venenatum habentes aculeum, quæ tam infestæ fuerunt faciebus eorum ut nullo pacto se defendere potuerint contra filios Israel.

19. *Deus enim sanctus*] Heb. *quoniam Dii sancti ipse*: ubi & pluralitas & unitas, quæ in Divinis invenitur, exprimitur. Hebræi verò, more suo Trinitatem negantes Personarum, aiunt hîc קדושים additum ad אלהים propter לשון תפארת *linguæ elegantiam*, & congruitatem numeri pluralis. Pendet autem hic versus ad sequentem, *Si deserueritis*, &c.

23. *Deos alienos*] h. e. imagines aureas & argenteas, quas in depopulationibus civitatum sustulerunt, & simpliciores aliquid Numinis illis inesse crediderunt; Sicut & hodie apud Christianos à quibusdam dementibus aliquid tribuitur Imaginibus, quibus vota faciunt, & peregrinationes ad ea instituunt; atque ad hæc dormitant proceres Ecclesiæ.

25. *Decretum & judicium*] h. e. proposuit eis compendio statuta & judicia legis Divinæ.

30. *Gaas*] Putant quidam hîc *Gaas* appellativè capiendum pro *tremore*, quo concussus fuit mons quidam in sepultura Jehosuæ, ut fingunt Hebræi, quòd Judæi qui præsentes erant non fleverant super morte Jehosuæ, per quem Dominus tanta beneficia præstitit populo. Præfuit autem Jehosua populo, ut scribit autor libri Sedar Olam, 28 annis; mortuúsque est anno sexagesimo octavo aut nono post exitum de Ægypto.

32 *Centum nummis*] Alii vertunt *centum agnis*: de quo Gen. 33. 19.

VATABLUS.

1. *COngregavit autem*, ויאסף] Sub. *Iterum*. Secundò convocat populum Josue commemorans beneficia Dei, ut faciliùs colendum Dominum persuadeat. ¶ *Omnes tribus*, כל שבטי] i. novem tribus cum dimidia. ¶ *Et capita ejus*, ולראשיו] *Et principes eius*. ¶ *Coram Deo*, לפני האלהים] i. coram arca, quæ tum erat in Sichem. Eo tempore fuerat translata Arca federis è Silo in Sichem, ad tempus, ut ante Arcam iniretur fedus: quod deprehenditur è fine hujus libri. Nam liber erat conclusus in Arca federis, dicit autem eum scripsisse in libro Legis.

2. *Sic dicit*, כה אמר] Præt. Heb. pro præs. i. hæc dicit: per me scilicet. ¶ *Trans Flumen*, בעבר הנהר] *Ultra fluvium*. Euphratem intelligit, i. in Mesopotamia. ¶ *Habitaverunt*, ישבו] *Habitabant*. ¶ *A seculo*, מעולם] i. olim, vel initio.

3. *Et dedi ei Ishac*, ואתן לו את יצחק] i. posteaquam dedi illi Isaac, h. e. per Isaacum dedi illi prolem numerosam.

5. *Ægyptum*, את מצרים] Subaudiunt Hebræi אנשי, ut vertas, *homines Ægypti*, h. e. Ægyptios. ¶ *Quemadmodum feci*, כאשר עשיתי] i. prout, aut secundùm quod feci, sub. *plagas in medio eius*, h. e. tantisper ut immitterem in eos plagas varias.

6. *Et eduxi*, ואוציא] Declarat quod v. 5. dixerat.

7. *Et posuit caliginem*, וישם מאפל] i. nube caliginosâ separavit Ægyptios ab Israelitis. ¶ *Super eum*, עליו] Nempe Pharaonem, vel *Ægyptum* i. Ægyptios.

9. *Et præliatus est*, וילחם] Animo scilicet & voluntate.

11. *Pugnaveruntque contra vos viri Jericho*, וילחמו בכם בעלי יריחו] Non pugnaverunt cives Jericho, sed clausis portis propugnarunt & restiterunt: ob id dicuntur pugnasse, aut cùm muri essent dejecti. ¶ *Emoraus*, &c. האמורי וגו׳] Hi sese receperant in eam urbem ut resisterent filiis Israel: quòd urbs illa esset clavis terræ sanctæ.

12. *Crabrones*, &c. את הצרעה ותגרש] Singul. Heb. pro plur. *crabronem, & expulit*, i. crabrones ipsi verterunt eos in fugam.

13. *Terram*, ארץ] i. fructum terræ.

14. *In perfectione*, בתמים] *In integritate.* ¶ *Trans Flumen*, בעבר הנהר] Euphraten intelligit, sic v. 15.

15. *Quòd si molestum est*, ואם רע בעיניכם] Ad verb. *Et si malum est in oculis vestris.* ¶ *Quos colatis*, את מי תעבודון] *Quem colatis*, vel, *cui serviatis*, aut, *quibus serviatis.*

16. *Serviendo diis alienis*, לעבוד אלהים אחרים] *Ut colamus deos alienos.*

17. *E domo servorum*, מבית עבדים] i. de loco ubi serviebamus duram servitutem. ¶ *Ista magna*, הגדולות האלה] Prædicta scilicet.

18. Præsertim *Emoraum*, ואת האמורי] Ad verb. *& Emoraum.* Quidam vertunt, *& præsertim Emoraum.* ¶ *A facie nostra*, מפנינו] i. ante adventum nostrum.

19. *Non poteritis*, לא תוכלו] *Non potestis*, sub. *cum simulacris vestris.* ¶ *Sanctus est, Deus æmulator est*, קדושים הוא אל קנוא] *Sanctus est, Deus zelotes*, sive *zelotypus*. q. d, Si coleretis simulacra unà cum Domino, pollueretis sanctitatem ejus: Deus est qui non patitur rivalem in amore.

20. *Si dereliqueritis*, &c. כי תעזבו את יהוה וגו׳] *Cùm deserueritis Jehovam, & colueritis deos alienos, tunc avertetur*, i. mutatâ sententiâ affliget & perdet vos. ¶ *Postquam benefecerit vobis*, אחרי אשר היטיב לכם] *Posteaquam benefecit vobis.*

21. *Cui respondit populus*, ויאמר העם] Ad verb. *Et dixit populus ad Jehosuam.*

22. *Testes estis*, עדים אתם] *Testes eritis.*

23. *Qui sunt in medio vestri*, אשר בקרבכם] i. simulacra quæ cepistis expugnatis urbibus, aut extulistis ex Ægypto.

24. *Cui respondit populus*, ויאמרו העם אל יהושע] *Et dixerunt populus ad Jehosuam.*

25. *In die illa*, ביום ההוא] *Eodem die*, vel, *tempore illo.* ¶ *Et proposuit ei præceptum & judicium*, וישם לו חוק ומשפט] *Et statuit* [i. dedit] *eis statutum & judicium.* Singul. Heb. pro plur. i. proposuit eis præcepta moralia & ceremonialia: nihil adjecit legi, sed conditiones hujus federis docuit eos.

26. *In libro*, בספר] Qui scilicet erat in arca. ¶ *In sanctuario Jehovæ* במקדש יהוה] i. in loco in quo erat arca Domini qui sanctificabatur præsentiâ arcæ: propterea *sanctuarium* vocat.

27. *Erit nobis in testimonium*, תהיה בנו לעדה] *Erit inter nos in testimonium*, i. vice testimonii: h. e. testabitur hîc initum fuisse fedus cum Domino Deo, eâ lege ut semper colamus ipsum. ¶ *Verba Jehovæ*, אמרי יהוה] i. verba federis quod pepigimus cum Domino, h. e. leges illæ fuerunt latæ juxta lapidem istum. ¶ *Eritque contra vos*, &c. והיתה בכם לעדה וגו׳] q. d. Suo modo accusabit vos, nè fortè postea mentiamini, h. e. dicatis vos non pepigisse fedus his legibus cum Domino.

29. *His autem gestis*, ויהי אחרי הדברים האלה] Ad verb. *Et fuit, post verba hac.*

30. *In termino hæreditatis*, בגבול נחלתו] *In finibus possessionis ejus*, i. in possessione sua.

31. *Diu vixerunt*, האריכו ימים] Ad verb. *prolongaverunt dies.*

32. *Nummis*, קשיטה] *Agnis*, i. nummis, fortasse quòd formam agnæ impressam haberent. ¶ *Et fuerunt filiis*, &c. ויהיו לבני יוסף לנחלה] *Et fuerunt* [i. cesserunt] *filiis Joseph in possessionem*, sub. *suam*, h. e. ità factum est ut haberint ossa patris sui sepulta in possessione sua.

33. *Qui datus fuit illi*, אשר נותן לו] i. qui locus datus fuit illi à populo Israelitico.

CLARIUS.

8. TRans *fluvium*] Scilicet ultra Euphratem in Mesopotamia: unde aliquando appellatur Abraham *transfluvialis.*

6. *Eduxique vos*] Loquitur ad seniores, qui adhuc superstites fuerunt, & in pueritia mare Rubrum transierant. Quando verò dicit, *Eduxi patres vestros*, loquitur ad eos qui in deserto nati fuerunt.

9. *Pugnavit contra Israelem*] Per hanc *pugnam* dicunt intelligi imposturam illam quâ Balac vocavit Balaam ut malediceret populo. Similiter non invenitur quòd *viri Hiericho pugnaturi venerint contra Israelem*, cùm civitas ipsa undique clausa & obserata fuerit; sed emiserunt aliquos ex magistratu, qui euntes ad reges Chanaan solicitaverunt eos ad pugnam contra Israel.

19. *Non poteritis servire Domino*] q. d. Magno opus est studio ac diligentia ut præstetis quod pollicemini. ¶ *Deus enim sanctus*] Heb. quoniam Dii sancti ipse, ubi & pluralitas & unitas quæ in Divinis invenitur exprimitur.

23. *Averte deos alienos*] h. e. imagines aureas & argenteas, quas in depopulationibus civitatum sustulerunt.

29. *Mortuus est Josue*] Ferunt Josue præfuisse populo 28 annis, mortuúmque esse anno sexagesimo octavo aut nono post exitum de Ægypto.

MASIUS.

1. COngregavit etiam *Josua omnes tribus Israel*, &c.] Dixi superiore capite, alium esse conventum qui hîc habetur, alium qui illic. Id autem ità esse, satis magno argumento sunt diversæ orationes quibus Imperator ad populum hîc atque illic utitur. Illic enim, commemoratis modò nuperis Dei in ipsos beneficiis, ad colendam pietatem fugiendáque vitia omnes cohortabatur: Hîc verò, postquam revocavit animos ipsorum ad memoriam ejus benignitatis quam indè ab Abrahamo excito è patria Deus contulit in istam gentem, atque ostendit eum suo jure mutuum hoc ab ipsis officium reposcere, ut se solum colant, repudiatis illis diis quos nullo cum fructu majores ipsorum in Mesopotamia & Ægypto coluere, non hæret in hac conclusione, tanquam scopo, neque eandem per locos contrarios affirmat, ut in superiore concione; sed contrariæ rei optionem ipsis etiam permittit: Nimirum ut ad fedus sanciendum viam faciat, quod nisi de libera populi voluntate firmari non potuit. Igitur cùm superiore concione semel, iterum, tertiò populus gravi proposito periculo amittendæ hæreditatis deterreatur à cultu alienorum deorum, hac verò adeò non deterreatur ut facilior etiam ille quàm Jehovæ, h. e. veri Dei, cultus esse quadam tenus simuletur, quis non existimet diversas esse conciones duas, non eandem unam? Rectè ergò videor copulam, quæ initio posita est, interpretatus esse *Etiam*, h. e. *prætereà.* Advocatur autem rursus in concionem populus, ut solet, per Tribunos & Primates suos, atque Senatum. Sed ista explicata satis sunt superiore capite. ¶ De urbe שכם *Sychem* diximus quidem suprà. Sed dicendum iterum est. Exstabat illa, ut ait D. Hieronymus, ad latus montis Garizim, circiter sex millib. pass. à Samaria. Ejus ruinæ nunc *Istar* vocantur ab accolis. Nam Neapolis aut, ut vulgus dicit, Naploza non eodem solo substructa nunc visitur. Ut autem & urbis hujus & quarundam aliarum in S. historia celeberrimarum loca certiùs cognoscat lector, describam indè à Damasco ad Ascalonam usque universum iter, ut est illud certis mansionibus notatum in populi Romani Actis, quæ nescio quis Antoninus compilavit. Igitur à Damasco ad 32 mill. pass. occurrit Aere:

Post

Post hanc ad tricies millesimum passum, Neve: Post Neven ad 36. mill. pass. Capitolias, quæ urbs hodie *Suvete* vocatur, anniversariis Arabum nundinis celeberrima: Post Capitoliada ad 16 mill. pass. Gadara, apud quã Christus Dæmonia immittebat in porcos, Matth. 8. 28. Post Gadaram ad 16 mill. pass. Scythopolis, h. e. Beth-san, transmisso jam Jordane: A Scythopoli ad 19 mill. Neapolis, h. e. Sychem: A Neapoli ad 30 mill. pass. Ælia, sive Jerusalem. Hinc ad 20 mill. pass. Eleutheropolis. Ab hac ad 24 mill. pass. Ascalon. Cæterùm cur sub vitæ suæ finem Imperator Sycimam convocarit populum, hæc una satis, opinor, justa afferri causa potest, quòd eo loco redintegrandum esse fedus sacrum existimaret quo ab Abrahamo primùm ac deinde universis Israelitis fuisset sancitum; ut c. 8. prolixè expositum à nobis est. Nos enim præsente ceremoniâ hoc potissimùm niti sanctissimum virum existimamus, ut post suum excessum populares sui quàm diutissimè fedus illud religionis memoriâ retineant recente, quippe ex quo non solùm ipsorum reipub. felicitas pendet, sed ipsum etiam illud à condito orbe speratum mysterium in quo universi mortalium generis salus posita est. Debebat enim profectò omnium animos non parùm movere etiam locus ipse in quo adhuc aderant vestigia Abrahami; qui postquam patriam reliquisset, illic omnium primùm eâ fuerat religione iisque sacris initiatus quæ ipsi indè adhuc colunt, & porrò colere debent, atque etiam hujus terræ hæres à Deo institutus cujus possessione ipsi jam suaviter fruuntur. ¶ Cùm additur, *Constiterúntque coram Deo*, sacra Arca *Deus* vocatur ob eas causas quæ sunt alibi explicatæ. ¶ Videntur autem his verbis moti esse quidam, homines parùm periti, ut pro *Sychem* scriberent *Silo* in Græcis libris: qui error deinde per omnia exemplaria pervagatus est. Neque enim existimo hoc dixisse LXXII interpretes. Atqui certa & multis exemplis testata res est, non nefas fuisse, præsertim Imperatori, aut Regi, delubrum Dei huc illuc transferre cùm ita usus esset. Nam Pontificatu Eli, cùm ab hostibus premerentur Israelitæ, solius Senatûs jussu est è Silunte asportatum in castra, 1 Reg. 4. 3. Et cùm David ab Absalonis conjuratione metuens Urbe fugeret, Levitæ Arcam sacram unà exportabant, 2 Reg. 15. 24. Sed nihil opus est pluribus exemplis.

2. *Et ait Josua ad omnem populum, Sic dicit Dominus*, &c.] Exordium hoc mirificè debet excitare auditores, cùm propter summam Dei auctoritatem, quem ipsum loquentem inducit Imperator, tum ob nomen *Israelis*. Cùm enim *Israelis Deum* dicit, perinde est ac si sic loquatur, Is Deus qui non solùm vos omnes creavit & in rerum naturam produxit, verùm insuper cumulatissimis beneficiis vestrum genus universum est complexus, & his tam pulchris possessionibus fortunísque locupletavit. Est etiam ad insequentem narrationem accommodatissimum, quippe quæ tota in explicanda Dei benignitate versatur quam ille in Israelis genus contulit. Quod porrò ait, *Majores ipsorum trans flumen coluisse deos alienigenas*, id ad proximos majores modò pertinere illico ostendit. Nam Sem, Noham, alios remotiores fuisse ab hoc tanto flagitio alienos credibile est. Neque etiam quales illi fuerint, ad causam pertinet. Hoc enim solùm agitur, ut constet, gratuitò ipsos esse à Deo adoptatos pro populo; neque gratis solùm, verùm cùm etiam hostes essent, & eos honores cultúsque quos ipsi tanquam suo parenti & effectori debebant, adhiberent ad deos alienos. Nominatim autem ponitur ante oculos *Thara*, & ejus duo filii, *Abraham* atq; *Nahor*, quia ex his universa Israelis stirps est prognata. Nam à Nahore maternum genus ducitur per Rebeccam, Lyam, Rahaelem. Neque enim eos audire possum qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpissimo scelere vindicare, nescio quibus argutiis, student. Quasi verò non tantò illustrior fit Dei gratia quâ illum est complexus, quantò ipse fuit sceleratior minúsque tanto dignus favore; ac non pro admirabili beneficio Dei toties commemoret inculcétque animis nostris S. historia, quòd illum, quasi manu arreptum, è patria, & idololatrarum, ut vocamus, consortio extraxerit. Nam Judæi, qui fabulam de אור *Ur* Chaldæorum, h. e. *igne*, ut aiunt, commenti sunt, quem Abrahamus noluerit patriis ritibus adorare, refelli non merentur; cùm sit certissimum, אור *Ur* loci nomen esse. ¶ *Flumen* autem κατ' ἐξοχὴν Euphrates dicitur: ídque Chaldæus nominatim expressit. ¶ Quod dixi *olim* est Hebraicè מעולם, ac si dicas *ab olim*, sive *à seculo*. Nam mihi certè fit verisimile, Latinorum *Olim* ab Hebræorum עולם *Olam* esse factum.

3. *Ego verò accepi patrem vestrum Abrahamum*, &c.] Hæc iis apud Mosen verbis scripta habentur, Gen. 11, & 12. ut appareat Abrahamum à Deo tum primùm esse vocatum quando apud Charan morabatur, parente suo jam tum nuper orbatus: sed hoc non est ità. Nam in ipsa ejus patria, h. e. apud Ur Chaldæorum, Divino pulsu commotus primùm ejus animus est ut illinc exiret in Chananæam. Cùm autem seniculum patrem Tharam & fratrem Nahor fratrísque alterius filium Loth simúlque uxores induxisset persuasionibus ut unà secum abirent, jámque חרן *Charan* perventum esset; Id autem oppidum est in Mesopotamiæ extremitate prope Euphratem, *Carra* vocatum à Ptolemæo, & Crassi clade nobilitatum; huc igitur cùm pervenisset, substitere aliquot annos. Nam *opibus, & animis*, h. e. hominibus, *aucti esse in Charan* memorantur, Gen. 12. 5. sive præ illius loci commoditatibus paulatim exolescente desiderio Chananææ, stimulísque Divinis in Abrahæ animo sensim vanescentibus; sive quia jam reliquos propositi pigeret, & ut Euphrate transmisso tanquã in alium se orbem conferrent persuaderi ab illo non possent. Ipsum enim facilè retinebat pietas, cùm patrem natu admodum grandem deserere nollet. Hoc enim esse verissimum conjicias de Stephani verbis, Act. 7. 4. dum ille hanc historiam explicat. Porrò simul atque ejus pater è vita emigrasset; si modò antè ille emigravit è vita: sed hoc mox videbimus: nunc autem ità esse putemus: postquam igitur Abrahæ pater è vita excessisset, ipse vel novo instinctu à Deo afflatus, aut superioris etiamnum probè memor, & chari parentis jam curâ levatus, necessitates alias præ Divinis monitis postputavit; fratreque Nahore, cùm ille tergiversaretur, relicto, trans flumen in Chananæam cum uxore & fratris filio Loth se contulit. Nam quod in libro De ortu rerum c. 12. v. 1. est scriptum, post memoratum Tharæ excessum, dixisse Deum ad Abrahamum, *Egredere*, id vel de novis monitis est accipiendum, vel tanquam per ὑστερολογίαν dictum debet verbo temporis præteriti plus quàm perfecti, ut vocant Grammatici, interpretari, *Dixerat Dominus ad Abrahamum*, nempe cùm etiam tum esset in sua patria. Satis enim magno argumento esse potest ad hujus sententiæ veritatem, quòd non multò pòst Deus ipse ab Abrahamum verba faciens, ait, *Ego is sum qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, Gen. 15. 7. Suam enim Deum præsentiam ipsi Abrahamo declarasse apud Ur, non hujus parenti Tharæ, apertè exposuit Stephanus, Act. 7. 2. cùm diceret, *Deum apparuisse Abrahæ cùm etiam tum esset in Mesopotamia, priùs quàm moreretur Charan, atque dixisse, Exi de terra tua*, &c. Nam illud ab omnibus quæsitum atque disputatum, Quî potuerit exire Carris Abraham annos natus duntaxat 75. cùm pater defunctus nuper esset, qui annos vixerat quinque supra ducentos, atque illum genuerat septuagenarius; illa, inquam, quæstio optimè atque verissimè, ut apparet, soluta est à Lirano, sed D. Augustini vestigia secuto, Non esse natum Abrahamum quando pater non major erat septuagenario. Illud enim, Gen. 11. 26. *Vixit Thara annos 70, genuitque Abram, Nahor, & Haran*, non satis firmum est ad efficiendum, Abrahamum fuisse inter illos tres natu maximum. Nam neque Sem fuisse primum inter Nohæ liberos plerique omnes Judæi existimant, & tamen scriptum est in eodem libro, Gen. 5. 32. *Noha cùm quingentos esset natus annos genuit Sem, Cham, & Japheth*. Et quis tam absurdus est ut putet Isaac natum esse ante Ismaelem quia in Paralipomenis, l. 1. c. 1. v. 28. legitur, *Filii Abraham sunt Isaac & Ismael*? aut Jacobum fuisse quàm Esau seniorem quia mox audiemus dicentem Deum, *Ipsi Isaac dedi Jacobum & Esau*? Sed quamvis ista sunt admodum probabilia, tamen dissimulare

non possum, propendere me plurimum, & quidem propter temporum seriem, in Judæorum sententiam, qui dicunt Abrahamum à Thara septuagenario genitum esse, atque annos natum 75 è Carris transivisse in Chananæam, relicto etiam tum vivo patre apud fratrem suum Nahor; cùm neuter progredi trans flumen vellet, ipse autem Divinis jussis urgeretur. Neque enim hic quidquam est incommodi, modò ut illud Stephani Act. 7.4. excusetur, qui apertè & planè dicit, *Indè è Carris, postquam obiisset pater ejus, traduxit ipsum in terram hanc.* Equidem alienus sum ab argutiis omnibus cùm S. verba tractantur, nisi illæ sint sacræ Ecclesiæ definitionibus sancitæ. Et tamen ad similitudinem veri, mihi certè, illud multò videtur esse propensius, si dicamus Stephano videri Tharam tum è vita excessisse cùm obstinatissimâ tandem voluntate constituisset in Chananæam, quò Deus omnis vitæ parens vocabat, non trajicere, sed apud suos deos manere, atque filio suo Abrahamo illius profectionis spem omnem incidisset; quàm si, quod Hieronymus quidem Quæst. in Gen. sed dubitanter, scripsit, fingamus, Abrahami ætatem cùm Carras relinqueret esse computatam ab eo tempore quo primùm in Chaldæa probam religionem suscepisset, fœdam abdicasset. Hâc enim sententiâ illud confici videatur, vel Isaacum in Carris esse natum, vel cùm nasceretur, parentem ejus fuisse non centum annorum, quod literis Sacris testatum est, sed centum sexaginta. Sed jam fortassis ista prolixiùs tracto quàm oportuit. Traduxit igitur Deus Abrahamum ex altera fluminis Euphratis regione, nimirum ex ipsa Mesopotamia, vel quia apud Ur cœlesti inflatu primùm permoverat illius animum, quo pulsu tandem trans flumen actus est, vel quia Carris morantem denuò pepulit novis monitis. Verbum enim *accepi* pro *evocavi* positum esse censeo, ut illustrius appareat Dei beneficium atque admirabilius, qui non solùm gratis illum, sed retractantem etiam & tergiversantem, cùm adversarios deos coleret, quasi manu injectâ ad se adduxit, atque ex obscurissimis errorum tenebris in lucem æternæ veritatis protraxit; nimirum nè illius posteritas aut suis aut majorum suorum meritis tantam gratiam olim posset assumere. Hæc enim opinio non solùm verissima est, sed etiam ad Josuæ causam, quam agit, utilissimam affert Israelitis religionem: ut antè explanavi. ¶ Illud porrò, *Et feci ut iret*, sive *deduxi, per omnem terram Chanaan*, reducit Israelitas in memoriam admirabilis illius benignitatis quâ Deus olim parentem ipsorum Abrahamum, hominem alioqui peregrinum, inter medios Barbaros non solùm incolumem conservavit, verùm etiam maximis fortunis & opibus amplificavit, venerandúmque ab ipsis etiam Chananææ Regibus reddidit. D. Augustinus observavit notavítque, Græcos interpretes LXXII hic non temere omisisse nomen *Chanaan*, atque dixisse præcisè, *per omnem terram*; quasi, Divino afflati Spiritu cùm essent, intellexerint, Abrahæ fidem atque religionem olim per universam terram esse propagandam. ¶ Sequitur, *Et multiplicavi semen ipsius, dedique ei Isaac.* Hic ego *seminis* verbum intueri puto unius Saræ sobolem, illúdque, *ac dedi ei Isaac*, ἐξηγητικὸν, cùm scriptum sit in Geneseos libro, c.21.12. *In Isaac vocabitur tibi semen.* Hoc enim D. Paulus suis Romanis interpretatus est his verbis, τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα, Rom. 9. 8. quod Latinè dici potest, *Filii illi ad quos attinet promissio pro semine sunt habendi.* Jam verò quòd unus Isaac ut Abrahæ semen producitur, reliqui ex alia vel ancilla vel uxore nati tanquam nothi silentio prætereuntur, mirificam habet vim ad ostendendam Dei erga Israelitas gratiam, caritatem, beneficentiam, qui repudiatis aliis, unius Isaaci, ex quo ipsi sunt prognati, tanquam legitimæ prolis rationem habuerit, planè gratuitò: ut jam omnium mortalium ingratissimi debeant ipsi videri, si non mutuâ erga illum caritate pietatéque teneantur. Sed miraris fortasse in eo quòd *multiplicatum* Abrahami *semen* dicitur, cùm ei unus Isaac natus memoretur. Atqui multitudo ad Isaaci posteritatem & perpetuam illam natorum seriem qui deinceps ex illo sunt propagandi spectat. Porrò cur cum Jacobo enumeraretur etiam Esau, cui neque ipsi communitas conditionis cum illo fuit, si Dei promissa spectemus, alia ratio est, quam vates Malachias explicavit, c. 1. v. 2. Ipsum enim Esau ex iisdem cum Jacobo natum parentibus, & quidem priore loco, cùm Deus à sua familia abdicaverit quodam æterno suo consilio, Jacobum verò, qui secundùm illum erat editus, hæredem instituerit, & quidem priùs quàm ulla esse potuerunt alterutrius benefacta, Rom. 9. 11. an non ex istarum rerum commemoratione admirabilis meritò gratificationis Dei adversus se existimationem omnes animis suis concipere debuerunt, atque ad illum mutuò amandum colendúmque singulariter permoveri? Sed R. Levi Gersonis aliam quidem, verùm, ut mihi videtur, nimis longè repetitam, causam affert cur Esau nominaretur cum Jacobo, non item Ismael cum Isaaco. Etenim, credibile est, inquit, Josuam in ista narratione omnia & singula prolixè atque accuratè esse verbis persecutum quæ dum ex Ægypto reverterentur Israelitis accidere; cùm ergò montis Seir etiam esset facienda mentio, nominandum fuisse Esau. Sic ille; sed parùm, ut videtur firmé.

4--10. *At Jacob & filii ipsius descenderunt in Ægyptum*, &c.] Callidè profectò & peritè res in Ægypto per annos plures quàm ducentos actæ dissimulantur, atque unicâ complexione tum ipse in Ægyptum descensus tum liberationis institutio commemorantur. Cùm enim propositum id esset, maximis quibusque Dei in Israelitas beneficiis in memoriam reductis, ipsos quàm arctissimè illi obligare, silentio tegenda servitus illa durissima erat; nè perpetuam felicitatem ex ea communitate quæ ipsis adhuc cum Deo fuit, h.e. ex hujus gratia & beneficentia, illorum autem pietate & religione, natam rei tam tristis recordatio interrumperet. Quam ob rem illud item tacitum esse relictum opinor, quæ in Ægyptum descendendi illis causa fuerit; diro enim malo, fame illuc acti sunt. Sed historias ipsas repetat lector ex Mosis libris. Verùm enimvero mirabitur meritò aliquis in eo quod dicitur, *Et viderunt oculi vestri quæ patravi in Ægypto*, cùm res certissima sit, plerosque omnes qui in Ægypto fuerant periisse in deserto. Atqui hoc non est itâ: sed illi perierunt qui majores annis viginti in Ægypto fuerant. Jam verò credibile est, Senatores, Tribunos, cæterósque Primates populi, ad quos ista verba adhibentur, si non omnes, at certè eorum plurimos, in Ægypto fuisse; cùm soleant in istarum dignitatum sedes ascendere qui alios ætate antecedunt. Ad hoc, tribus Levitica universa creditur à murmuris noxia fuisse aliena, quia nullus ex ea speculator fuerat missus. ¶ Cùm porrò sequitur, *Mansistis in deserto dies multos*, non est quòd quis opinetur hoc quoque tacendum fuisse, cùm multas per desertum annis quadraginta ærumnas perpessus sit populus. Nam si quis rectè existimet quantam contulerit Deus in illos benignitatem in deserto, intelligat profectò nusquam eum usum esse majore atque illustriore. Pavit enim modis admirabilibus, cùm panem è cœlo suppeditaret, potum ex durissimo silice; vestem conservavit integram; viam ipse præcedens monstravit; præsentiam suam sæpe declaravit; legem suis digitis præscripsit, eâque ratione non solùm beatè vivendi sed etiam cum spe meliore moriendi commonstravit; &, nè omnia beneficia singillatim persequar, ipsorum morositatem plùs quàm impiam tam multis illis annis clementer patienterque tulit, Psal. 95. 8. &, ut Apostolus loquitur, Act. 13. 18. ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ. Sed hæc hactenus. Quod deinceps de *terra Amorrhæorum* dicitur, de regnis Sehonis & Og est accipiendum, quæ historia in Numeris est perscripta c. 21. & à nobis quoque quadamtenus explicata suprà c. 12. & 13. cùm Rubenitis, Gaditis & Manassensibus suam hæreditatem assignaremus. Jam verò etiam *Regis Moabitarum Balac* mentionem facit, secutus eam narrationis seriem quæ est in Numeris. Hócque imitatus quoque est vates Michæas c. 6. Nam & is, cùm Deum sua beneficia ingrato populo exprobrantem inducit, hos Regis Balac & arioli Balaam elusos conatus inter alia commemorat: qui conatus *bellum* vocantur hoc loco. Neque enim usquam memoriæ proditum est, Regem Balac manum cum Israele conseruisse. Quin neque eum id fecisse, neque

neque verbis etiam cum illo jurgasse, certissimum testem Jepte laudare possumus, Judic. 11. 25. Cùm enim Balac animadverteret viribus se inferiorem esse, magicis artibus enervari posse hostem stultè putavit.

11. *Trajecistis deinde Jordanem, venistisque ad Jerichuntem*, &c.] Quod Hebraicè est בעלי יריחו, nósque verbum pro verbo reddentes diximus, *Domini Jerichuntis*, id LXXII & Chaldæus interpretati sunt *Habitatores Jerichuntis*, nec inscitè. Patet enim latè verbum בעל. Sed mihi videtur hoc loco significare eos ad quos cura reipubl. Jerichuntiæ pertinebat, h. e. primates ejus urbis. Quærit hoc loco D. Augustinus qui posset esse verum, Jerichuntios bellasse contra Israelem, cùm se muris continuerint, suprà c. 6. v. 1. Sed ait bellum esse & quodammodo armatam defensionem cùm portæ præcluduntur alicui, etiam si non pugnetur. Ego artificii esse puto, quòd *belli* vocabulo cùm hìc tum paulò superiùs de Balac loquens utitur orator iste, cùm adversariorum conatibus Dei propugnationem defensionémque opponit. Tantò enim hanc apparere fortiorem præclarioremque necesse est quantò illi videntur fuisse majores. Quæ autem deinceps sequuntur nominatim commemoratæ gentes septem, non est existimandum eas Jerichuntios cives fuisse. Deest enim conjunctio post *Jerichuntis* nomen; plenéque ac perfectè dicendum erat, *Domini Jerichuntis, & Amorrhæi*, &c. Nisi si quis cum Lirano suum R. Solomonem secuto malit opinari promiscuam omnium nationum Chananaicarum multitudinem confluxisse Jerichuntem, ut illic, tanquam in limine, communibus viribus hosti obsisterent; quod est etiam in libro תנחומא *Tanhuma* scriptum; vel cum Doctoribus Hebræis quos R. Levi F. Gersonis laudat, omnes universæ Chananææ Regulos suos habuisse in ea urbe, ut omnium amœnissima (qualis revera erat,) ædes & regias. Sed ista incertæ conjecturæ sunt; illud simplex ac certum. Sunt autem septem illæ gentes Chanaanis soboles; quarum sedes passim in S. historia promissæ sunt Israelitis. Procreaverat quidem ille liberos undecim, iique Chananæam occuparant, eliminatâ, ut quidam opinantur, progenie Semi, cui illa regio fuerat à Noha attributa post diluvium. Sed gentilitia nomina facilè confunduntur, numero familiarum atque cognationum nunc augescente, nunc decrescente. Verùm sunt ista à nobis alibi, nisi fallor, disputata.

12. *Misique ante vos vespam, quæ abegit illos*, &c.] Vocabulo צרעה *Zirra* ego & vespas & crabrones, h. e. ϗ τὰς σφῆκας ϗ τὰς ἀνθρήνας, subjici puto, atque etiam alia ejus generis animalia quæ aculeis armata cùm sint ac hominibus infesta, volatu & alarum remigio strepitum cient. Ab eo enim *stridore* factum esse illud verbum ego certè opinor. Quare non mirum est si Latinus *crabrones*, LXXII σφηκίαν dicere solent. Cæterùm non est quidem S. literis proditum, in hisce Chananaicis bellis faciendis fugatos esse hostes à vespis aut crabronibus, sed armis, pavore, grandine. Quod propter D. Augustinus opinatur, hæc vel per translationem esse dicta, & *vesparum* nomine acres terroris aculeos intelligi debere, aut aerios non aspectabiles spiritus; vel evenisse quidem revera, sed non esse literis consignata. At Solomonis illa Sapientia, liber sanè mirabiliter & divinè scriptus, ista non solùm accidisse testatur, sed cur acciderint causam etiam affert. Postquam enim multa Chananæorum scelera commemoravit, quæ ipsos meritò invisos Deo fecerant, hæc adjungit verba, c. 12. 8, 9, 10. *Sed tamen etiam istis ut hominibus pepercisti, cùm mitteres exercitum tuum præcurrentes vespas, quæ ipsos paulatim eliminarent: non quòd non posses acie impios justis in potestatem dedere, vel per ferocissimas belluas, vel per breve denique verbulum illos simul perdere: sed id agebas, ut sensim puniens locum dares pœnitentiæ; cùm meminisses ipsos suapte naturâ esse malos, atque innatâ laborare vitiositate, neque futurum ut mens ipsorum aliquando mutaretur*, &c. Cùm autem ista sic gesta esse videantur ante Israelitarum adventum, minimè mirandum est, nusquam in hoc commentario esse inter alias res gestas prodita, quo quæ Josuæ Imperatoris ductu acta modò sunt explicantur. Deest autem hìc rursus conjunctio: Plenè enim scribendum erat, *Quæ abegit illos extra tuum conspectum, & duos Reges Amorrhæorum*, &c. Idque ità esse argumento sunt verba, v. 18. ¶ Porrò illud, *Non per tuum gladium, neque per tuum arcum*, hoc sensu dictum est, Frustrà Israelitarum arma fuisse futura nisi Deus hostes occultâ quadam vi perculisset. Neque enim alioqui verum est, nihil gladio, nihil arcu illos effecisse in bellis superioribus. De omnibus enim adhuc factis in Chananæa bellis mentio est, non de solis vesparum sive crabronum molestiis. Sic enim hunc locum explicavit sacer Vates Psal. 44. 2, 3. cùm diceret, *Tu manu tuâ gentes exterminasti*, (Deum alloquitur) *illos verò* (Israelitas dicit) *consevisti; malo affectas nationes excidisti, at illos submisisti. Neque enim per gladium suum occuparunt terram, neque brachium ipsorum salutem ipsis peperit; sed tua dextera, tuúmque brachium, atque lumen vultûs tui: quippe favebas ipsis*, &c.

13. *Dedique vobis terram, in qua non laboraveras*, &c.] Plerique interpretes subitam istam numeri enallagen, ut duram, vitantes, convertunt *Laboraveratis*. Sed existimandum est ad Ecclesiam verba fieri, atque ideo parùm referre utro utaris numero. Sunt autem ista illis consentanea quæ in Deuteronomio prædicta sunt, c. 20. v. 14. *Comedes spolia hostium tuorum*. Et superiùs, c. 11. v. 13. narratum est, captarum urbium nullas esse eversas præter solam Hasorem; ut essent populo Dei pro habitationibus scilicet. Quanti autem ista Dei benignitas existimari meritò debeat, vel ex eo intelligas quòd David Psal. 128. 2. *Eos qui timent Dominum, ejúsque doctrinam sequuntur, beatos fore* canit, *quia fruentur labore manuum suarum*; eâque re bene ac suaviter vitam agent, quippe liberi ab iis maledictis quibus primi parentis sudores sic Deus perstrinxit ut iis ille esset ægrè sibi victum comparaturus. Etenim si bene cum illis agi putandum est quos suus labor sudórque non frustratur, eáque res pro singulari favore Dei est habenda, (ut sanè est) quantis se illi beneficiis Deo esse obligatos existimare debent quibus quasi supinè stertentibus, manu largâ, & copiæ cornu, ut est in proverbio, affundit ille divitias? Sed prô dolor, ut nunc sumus homines, plerique aut majoribus nostris, aut patronis, aut nostræ ipsorum industriæ, aut denique, quod est detestabilissimum, fortunæ nescio cujus benignitati ista accepta referimus: Deum verò nudum & famelicum pro foribus nostris inclamantem, & aliquam mutuæ pietatis significationem à nobis pro tanta beneficentia reposcentem, aversamur, negligimus, abigimus denique.

14. *Jam igitur timete Dominum, ipsúmque colite*, &c.] Hæc conclusio est [illegible], quæ ex commemoratis Dei beneficiis rectè conficitur. Sed is nondum est, ut dixi, præcipuus orationis institutæ scopus: & propterea hìc non insistit Josua; sed ultrà progrediens, eligendi optionem concioni concedit, Dominum Deúmne (quod jam conclusit æquum esse) an verò alienos deos colere velint. Neque enim aliter, ut dixi, fedus sancire potuit. *Timere* & *colere* in veteri lege idem significare, disputatum superiùs est satis multis: quibus hoc addi potest, quod in Darii decreto, Dan. 6. 26. est scriptum, *A me statuitur lege ut per universam regni mei ditionem tremant ac metuant Deum Danielis*, &c. h. e. colant. Sed sunt sexcenta in eam rem testimonia. Nomen תמים, ut monet Kimhi, pro ipsa *integritate probitatéque* positum est. Integritas simulatæ pietati opponitur, vitio mortalium animis hodie tam familiari, ut ingeneratum à natura videri possit. Veritas ad constantiam spectat; aut, si mavis, ad cultûs probitatem: hæc autem in eo est posita ut de universa nostra religione vera sentiamus. Id autem est, ut omnibus in rebus Ecclesiæ normam sequamur, atque doctrinam eam quæ ab Apostolis deinceps est continuâ successione ad nos usque propagata; non autem ritus novos instituamus, aut novas sacrorum dogmatum interpretationes stultâ & perversâ curiositate quæramus, ex quibus religionum confusio nascitur, pestilentissimum in repub. malum.

15--18. *Quòd si verò displicet vobis servire Domino*,

mino, &c.] Quæ coacti recipimus, ea nullâ verecundiâ frangimus: quibus verò nos ultro obligavimus ipsi, quæque deliberato animo promisimus, ea si temere violemus, impudentissimi simus. Ergò ut gentis animos ad fœdam religionem proclivissimos arctiore nexu in probam alligaret prudentissimus imperator, principio ostendit quænam fuisset majorum religio cùm in Mesopotamia illi habitarent, eámque fuisse positam in cultu alienigenarum deorum dixit: deinde addidit, quibus auspiciis illa cum cultu Jehovæ, h. e. veri Dei fuisset commutata. His itaque religionibus duabus propositis, jam illos quodam modo solvit utrâque, & velut manu emittit, optionémque dat, non solùm ut harum duarum utram velint suscipiant, sed tertiam etiam insuper addit, eam nempe quam tenent eæ gentes inter quas nunc versantur: à qua profectò vel maximè opus erat ut abalienarentur. Quamvis autem optionem istam illis velit esse liberrimam, nè olim causari possint ullis se suasionibus esse deceptos, atque idcirco nullo verbo adhuc aliorum deorum sacra cultúsque culpaverit, tamen veritus, ut videtur, nè laxatis habenis gens fidei fluxæ prono cursu ad Chananæorum deos se proriperet, adjungit quid ipse cum sua familia sit facturus: Quâ re nullam quidem ipsis imponit necessitatem alterutrius optationis, sed profectò mirificâ, ut mihi videtur, mentes omnium arte atque efficacitate ad veram religionem vocat. Cur enim non statuant, ejus Imperatoris religionem sibi esse imitandam cujus prudentiam summam in rebus omnibus, atque insuper sanctitatem felicitatémque incredibilem adhuc essent experti? Sed digna est profectò Principe sanctissimo sententia, cùm dicit *se familiámque suam culturum Jehovam*, h. e. verum Deum. Deberent quidem mortales omnes Jehovæ cultum sibi propositum habere, eúmque omni vitâ victúque exprimere, ut à quo, tanquam rerum omnium Essentia (quæ nominis notatio est) non solùm vitam ipsam acceperunt, verùm etiam tum beatè & cum lætitia vivendi, tum insuper cum spe multò meliore moriendi rationem sunt edocti. Sed quòd ille non de se solo verùm de sua quoque familia voti istius sponsionem facit, in eo exemplum vel maximè insigne nobis proponitur gubernandæ familiæ nostræ. Equidem sic semper statui, Conjunctionem eam quæ famulis nostris nobiscum est permagnam esse, & prope filiorum conjunctioni parem; Neque id solum nobis esse videndum, ut illi sint ad nostras utilitates quàm appositissimi, & in nos officiosissimi, verùm etiam ut in sua ipsorum vivendi ratione omni ad frugem bonam sint quàm correctissimi: frugi autem atque integer nemo vel ipse sibi vel aliis esse potest qui probâ religione non tenetur. Sed hæc hactenus. ¶ Porrò postquam ex responso exploratam habet Imperator omnium voluntatem, tum audacior, ultrà progressus, non solùm non vituperat alienorum deorum cultum, verùm etiam eum probo cultui, ut faciliorem, præferre videtur, cùm ait; Non impunè ipsos, si Domino Deo nomen semel dederint, deinde peccaturos, aut ad alios Deos defecturos. Cùm porrò neque istis tantis incommodis deterrentur, tum demum ipsorum apertissimam atque testatissimam voluntatem fœdere mutuo obligat Deo: quod exponetur ad v. 22. cùm antè explanaverimus S. verba. Igitur illi, *Quòd si displicet servire Domino, deligite vobis hodie cui serviatis*, non dissimile fuisse videtur illud Christi Joan. 6. 67. cùm diceret ad Apostolos, *Num etiam vos vultis abire?* Neque verò etiam id quod Petrus pro omnibus respondebat, discrepat longè ab isto Israelitarum responso. Sed ista nunc tractare accuratiùs nihil attinet. Nicolaus Liranus putat hæc κατ' ἀναγωγὴν spectare ad arbitrii nostri libertatem, quâ possumus quidem peccare, si velimus, sed idoneo tempore daturi pœnas Deo. ¶ Cùm porrò aiunt, *Nam Dominus Deus noster is est qui subduxit nos*, &c. ea modò commemorant quibus benignè ipsis factum à Deo est. Superiora in suos majores beneficia altiùs non repetunt.

19, 20, 21. *Non poteritis servire Domino, eò quòd sit Deus sanctus,* &c.] Augustinus existimare videtur his Imperatoris verbis notari arrogantiæ responsum populi, perinde atque si de Dei justitia non rectè existimans suæ justitiæ nimium tribuerit; quod ab Apostolo est reprehensum, Rom. 10. 3. atque insuper hoc agi, ut eâ tantâ Dei sanctitate propositâ, ad quam humana conditio se suo cultu nunquam potest pro dignitate accommodare, illi magis incitentur, non modò ad tantæ majestati serviendum præ vilibus idolis, verùm etiam ad petendum ab illa subsidium, atque in ejus misericordia spem collocandum; similiter atque divinus Vates faciebat, cùm diceret, *Nè adsis ad judicium adversùs servum tuum*, Psal. 143. 2. Sic ferè Augustinus. Sed quando illi simpliciter, ut videntur, Imperatoris sententiæ subscribunt adstipulantúrque, neque alia loquuntur aut voce aut mente atque loquentem illum audierant, cùm dicunt, *Nos quoque serviemus Domino* (Id enim illa particula גם *quoque*, in qua significatio quædam inest similitudinis, ut mihi certè videtur, satis ostendit. Est enim perinde ac si dicant, *Similiter atque tu domúsque tua*) ego in illis verbis arrogantiam nullam animadvertere possum: & quidem eò minùs possum, quòd adjungant meritæ atque debitæ servitutis suæ causam maximam, cùm dicunt, *Nam ipse est Deus noster*. His enim verbis, nisi ego fallor, quidquid officii cultúsque tribui ab illis Deo potest, id totum ejus Divinæ majestati assumitur. Quapropter potiùs existimo Imperatorem illis verbis, *Non poteritis servire Domino*, & quæ sequuntur, occultè tectéque perstringere inconstantiam mutabilitatémque animorum, quâ ab Jehovæ cultu ad aliorum deorum sacra semper illos fuisse propensissimos testatissima S. historiis res est; & simul istâ tantâ difficultate propositâ, id efficere velle, ut ipsorum hæc susceptio atque professio religionis sit quàm deliberatissima: quasi hæc sit Imperatoris oratio; Audio quidem vos promptos animo paratósque ad serviendum Deo nostro Jehovæ esse: Sed vereor ut hæc vestra alacritas sit diuturna. Debent enim illi qui serviunt sanctissimè servire, offensionémque omnem vitare: at vos in omnia estis proni vitia; quæ cùm ille non feret, facilè ab eo ad alios deos deficietis, quibus vitia ipsa cultus sunt gratissimus. Proinde etiam atque etiam videtote quid agatis. Nam si semel illi nomen dederitis, haud impunè fuerit vobis deinde deficere. Tantis enim vos calamitatibus premet, quantis adhuc amplificavit beneficiis. Habet quidem, fateor, omnis oratio quâ mortalis humíque stratus homo servire se Deo profitetur, confidentiæ speciem; cùm nostra humilitas, imò vitiositas, nihil grati per se officii præstare illi Majestati possit: Sed quando sic loquuntur qui dei gratiam bonitatémque animorum suorum sensu complexi non solùm confidunt illi grata acceptáque esse sua studia, sed planè se ad ipsius ductum & nutum ex amore applicare propositum habent, equidem non puto ejuscemodi sive orationem sive opinionem in crimine esse ponendam. Argumentatur quidem Josua à Dei sanctitate, colligitque, colendum eum esse sanctissimè; ut ostendat, rem esse perdifficilem, sicut modò dicebam: & itâ est sané. Sed ille pro sua immensa bonitate atque clementia, quàm facilè nostris vitiis offenditur, tam facilè pœnitentiâ nostrâ & supplicibus precibus placatur. Neque hoc temere sibi mortales ipsi persuadent, sed illius sanctissimis verbis credunt. ¶ Porrò quia in Hebraicis verbis est, אלהים קדשים הוא, id autem est, si verba exprimas verbis, *Dii sancti ipse*, existimant plerique numerum plurium Personas, ut vocant Theologi, singularem autem Essentiam Divinam, quæ una est, significare. Ego verò, etsi hoc refellere neque velim neque possim etiam, cùm putem cœlesti instinctu sic esse scriptum, tamen opinor pluralem numerum ad comparationem cum alienis diis visum esse aptiorem. Est enim hujusmodi collatio, si tota explicetur, Dii alienigenæ impuri sunt, & proinde impuros sceleratósque cultores amant; at nostri dii sancti, amat ergò sanctitatem, odit scelera. In vetustis commentariis quæ *Tanhuma* inscribuntur scriptum est, multitudinis numerum קדושים *sancti* spectare ad

ad absolutissimam Dei sanctitatem. ¶ Cæterùm illud, *Ipse animum mutabit*, sive *vertet se*, ad vulgi opinionem dictum est, alias atque alias Dei affectiones ex rerum vario eventu fingentis; quas ille moderatur alioqui æquabili tenore æterni sui consilii, nullis subjectus animi perturbationibus.

22, 23, 24. *Vos testes de vobis estis, quòd vos delegeritis*, &c.] Postquam Imperator satis deliberasse concionem censet, procedit ulteriùs; & tanquam Dei fecialis, stipulatur conceptis verbis quæ ad sanctissimam obligationem existimat esse necessaria: In primis, ut clarè atque apertè profiteantur, consultò & spontè electum à se esse Jehovam quem colant; deinde, ut abdicent atque rejiciant à se deos alienos; denique, ut animum totum illi vero Deo addictum habeant. Horum primum ipsa est federis, ut sic dicam, substantia; cætera duo ejus conditiones videri possunt. D. Augustinus, atque etiam R. Levi F. Gersonis, quod de rejiciendis alienis diis præcipitur, id accipiunt de cogitationibus hominum absurdis atque alienis à Dei majestate, aut certè parùm congruentibus illi Numini. Neque enim verisimile esse putat Augustinus, fuisse illo tempore ulla Deorum simulacra apud populum, cujus nuper tantopere prædicata est religio c. 23. 18. Nam si fuissent, inquit, vindicatum jam diu esset tantum scelus, quando Achanis multò levius peccatum tam graviter esse punitum constat. Ad hæc, nulla videmus abjici simulacra; quod in hoc eodem loco jussi olim facere Jacobi familiares illico fecerunt. Sic ferè Augustinus. Nam Levi suæ sententiæ, ut per se satis certæ, nullam causam affert. Ad illa autem addi etiam hujusmodi alia posse videntur, Quòd in Regum historia, cùm primùm jussus & monitus à Saule esset populus eadem quæ hîc à Josua, illico edebat quæ apud se habebat idola, Baalim, Astarotásque; Quòd decem tribus eam aram quam ad superstitiones positam esse putabant, fraterno sanguine expiare constituerunt procuraréque; Denique, quòd *Israel* memoratur *serviviſſe Jehovæ omnibus diebus Josuæ*, v. 31. non ergò simulacris. Sed ut ut ista sunt, ego pace divini viri Augustini dixerim, Josuam hoc loco non solùm absurdas ἐννοίας, h. e. notitias, de rebus religionis amotas ex omnium animis velle, sed de ipsis potissimùm simulacris deorum alienigenarum loqui: Non quasi affirmatè dicat, talia nunc habere apud se populum, sed quòd nè clam atque occultè habeat vereatur, & simul sanciat edicátque ea unquam habere nefas esse. Nam quæ sunt allata argumenta, cur nulla habuerit illo tempore populus idola, ea religionem quidem fuisse majorem imperante Josuâ in illa republica, quàm antè unquam, videntur significare; cæteroqui verò non planè efficiunt illud, neminem tum inter Israelitas privatim vel habuisse vel coluisse alienos deos. Nam ad Achanis supplicium quod attinet, dixi c. 7. v. 1. & 12. credibile esse, multos tunc majoribus flagitiis affines latuisse, neque in medium protractos Divino indicio esse, cùm ille unus furti paucarum rerum pœnas gravissimas daret. Sic enim arcano suo judicio, justissimo illo quidem, res mortalium regere ac moderari Deum, cùm omnes homines salvos esse velit, ut sæpe qui minùs sontes sunt supplicia luant quibus alii sceleratissimi emendentur. Si enim uniuscujusque facinora sic persequeretur ac proderet Divina justitia ut Achanis, aut si par infortunium ferrent omnes fures, sicarii, latrones, adulteri, quis est nostrum qui se diu impunem fore speret? Jam verò illam nuper ab Josua laudatam universè religionem populi non eximere singulos omni noxâ, nemo, opinor, tam stultus est ut non intelligat. Ei autem illud quoque geminum est quod mox dicetur, *Serviviſſe Israelitas Domino omnibus diebus Josuæ*; & item illud, quòd decem tribus bello vindicare decreverant alienos ritus, ob quos positam fuisse aram illam suspicabantur. Alia enim est universæ multitudinis, & veluti corporis totius, ratio, alia singulorum aut paucorum hominum. Eam enim remp. bene esse constitutam existimamus, non in qua nullus civium laboret vitiis, sed in qua non multi. Denique exempla de prolatis in medium simulacris; ostendunt illa quidem, sanctis principum virorum monitis sedulò tunc obtemperasse cives & populares; sed quis non videt quàm vanâ argumentatione indè concludatur, hîc idem non esse factum, quia literis non sit consignatum? Nullus est, quantum certè memini, in Mosis libris locus quo memoretur Israelitas, cùm per annos 40 versarentur in deserto, circumtulisse umbraculum idoli, atque etiam simulacrum stellæ instar, quod tanquam deorum omnium Regem colebant quidam homines privati; & tamen hujus tam insignis flagitii incusat illos vates Amos c. 5. v. 26. arguítque Stephanus Act. 7. 43. Quin potiùs, cùm eadem verba hîc scripta sint de abdicandis rejiciendísque diis alienis quæ illis locis, in quibus projecta in medium esse simulacra illi dicunt, quòd tam diverso sensu eadem verba interpretari audeant, id verò multò mirabilius est. Sed de his plùs satis. Nam confessa, opinor, res est, cùm falsorum deorum imagines, tum imaginationes, ut Plinius loquitur, alienas esse à probo cultu & religiosa sanctitate. Illud autem hoc loco admonendum est, Pronomen relations אשר, quod per se anceps est an ad *nationes* an verò ad *deos* spectet, ideo à nobis ad *deos* esse accommodatum per genus masculinum, quia Moses in simili oratione illud בתככם, *inter vos* interpretatus est בידם, *quos habebat in manibus suis*, Gen. 35. 4. quod sanè de Barbaris hominibus intelligi non potest. Abs re ergò in istis laboravit D. Augustinus, cùm essent ipsius Mosis interpretatione sancita.

25. *Percussit igitur Josua fedus populo die illo*, &c.] Hebraicè est *dissecuit*, aut *discidit*, *fedus*: quæ dicendi ratio est à me explicata c. 9. ad v. 15. Est autem verisimillimum, hîc nullum esse solennem ritum omissum; ut esset omnibus modis sanctissimum fedus: & quia istâ pactione rursus veluti initiabatur populus sacrâ religione, non solùm sacrificatum esse, verùm etiam, tanquam nexu quodam, victimæ sanguine partim aram Dei, quasi Deum ipsum, partim populum esse inspersum solenni ritu; quando à Mose sic factum esse constat Exod. 24. 5--8. cùm illud fedus pangeret primùm cujus nunc renovatio agitur. Aram enim aut novam exstructam hoc loco esse, aut veterem instauratam, credibile est, cùm Sacra adesset Arca. ¶ Porrò illud, *Imposuit ipsi statutum, & legem in Sychem*, federis conditiones continet, & quidem paulò explicatiùs quàm antè, cùm solo magno illo mandato proposito, *Amandum esse deum ex toto animo*, tectè universa Mosis lex significabatur, quæ nunc hisce duobus vocabulis חק & משפט expressa est. Scitè enim, meo certè judicio, proditum est à R. Josepho Albo, Mosis legem totam ex tribus diversis constitutionum generibus constare, ex דברים, quæ ego *oracula* dici posse puto; ex חקים, quæ interpretor *statuta*; denique ex משפטים, quæ voco *judicia*, sive *leges*, aut *normam judicialem*: & primum quidem genus spectare ad Dei sapientiam; alterum, ad ejus voluntatem; tertium, ad potentiam: Positum enim esse primum in scientia veritatis rerum, præsertim Divinarum: Cujusmodi sunt, *Deum esse unum*; & *Providere, moderari, procurare res omnes*; *Esse in eo gratiam & beneficentiam*; *Delectari placarique nostrâ pietate*; *Ab eo conditum de nihilo esse mundum, nostrâ causâ*, & quæ sunt his similia oracula: Quorum aliqua Dei ipsius voce aut ab ejus interpretibus edita è cœlo sunt; quædam etiam instinctu afflatúque Divino in hominum animos fusa, & tanquam Divinitus insita. Alterum verò genus ex sola Dei voluntate pendere; cùm cæteroqui nulla possit dici ratio; qualia sunt illa, *Agrum non esse conserendum diversis seminum generibus*; *Non esse utendum veste variâ*; *Quædam sacrificia hoc, illo ritu, alia, alio esse facienda*. Quid enim aut Dei aut hominum referat si ritus commutentur; si vestis sumatur quæ optimè corpus tegat? si ea semina terræ committantur quæ uberrimè sit reditura? nisi quòd parendum est Divinæ voluntati. Denique genus tertium pertinere totum ad justitiam atque ad judiciales & forenses causas; quippe quibus constitutionibus vindicantur at-

que remunerantur probi, improbi coercentur puniunturque. Igitur quando hoc loco sola sua posteriora genera commemorantur pro universa Mosis lege, existimandum est ideo prius genus esse omissum quia illud solidum sponte confessi jam professique Israelitæ esse videntur, cum dixerint, *Dominus Deus noster is est qui eduxit nos patresque nostros ex Ægypto*; & quæ alia illic deinceps responderunt. Ab his non multum discrepant quæ apud Lyranum sunt. Kimhi autem opinatur dandi casum *Ipsi* supervacaneum esse, & id modò dici; Josuam rei actæ memoriam monimentis mandasse: quæ monimenta sunt, statutus sub arbore lapis, & inscripta federis verba in libro Legis. Magna aliorum Judæorum pars sic ista accipiunt, quasi Josua generatim Mosis legis capita populo in memoriam revocarit. Quod sanè credibile est factum esse Mosis exemplo Exod. 24. 7. quamvis ex S. verbis id confici non possit. *Imponere* enim non est *recitare*. Nominatim autem dicitur *in Sychem*, quia res memorabilis, ostenso loco, majore cum fide proditur posteritati.

26. *Scripsit autem Josua verba ista in libro legis Dei*, &c.] Loquitur, opinor, de stipulationis Dei & sponsionis populi formulis. Nam similiter in Mosis federe memoratum est, *Mosen omnia verba Dei scripsisse* Exod. 24. 4. Etenim utile erat ut literis ista consignarentur sacris, non solùm quòd perpetua ipsorum exstaret memoria, sed extare eam populus recordaretur etiam, eóque religione majore datam sponte fidem in posterum coleret. Atque ideo non seorsim, sed in sacratissimis illis Mosaicæ legis tabulis inscripta sunt, quæ apud Arcam Dei custodiebantur, Deut. 31. 26. ¶ Jam verò etiam illud ad Mosis exemplum fieri videtur, quod *lapidem grandem ponit* Imperator. Nam cur Moses statueret plures lapides alia ei ratio erat. Cùm enim maxima esset hominum multitudo, quam oportebat in primo illo federe faciendo adesse, & alii propiùs ad montem admissi, alii longiùs, & tantùm non cum bestiis prohibiti viderentur, Divino prorsus consilio Moses omnium tribuum statuas proximè ad Dei aram collocandas putabat, ut eo saltem symbolo intelligerent, quamvis gradu altiore alii, alii inferiore consisterent, tamen ex æquo caros Deo omnes esse: At hîc capita duntaxat populi citata sunt, & proinde nihil opus est diversis subselliis: possunt enim facilè omnes simul juxta Arcam consistere. Et credibile est, etiamnum extitisse 12 illa saxa quæ hoc ipso loco ponebantur, cùm inter montem Garizim & Hebal sacrificaretur, ut exposuimus c. 8. Ad hoc, lapis iste qui modò statuitur nihil aliud quàm monimentum est rei actæ: Mosis verò illi 12 lapides repræsentabant 12 tribus: cæteroqui nullo illic monimento erat opus in locis solis, ad quæ reverti aliquando Israelitæ minimè deberent. ¶ De arbore אלה *Ela*, sive אלה *Alla*, sub qua hanc statuam statuit Imperator, diximus pauca c. 8. Plerique Hebræorum opinantur eam ipsam esse arborem sub qua olim Jacob deorum simulacra condidit quæ sui familiares ex Mesopotamia asportarant Gen. 35. Hoc enim ita esse, proditum à Doctoribus Hebræis est. Sed cujus generis arbor fuerit, nihil certi à quoquam affertur: multi enim Quercum fuisse arbitrantur; alii Pinum, aut Abietem, cui opinioni favere videtur Græcum nomen ἐλάτη. LXXII *terebinthum* solent vocare. Sunt etiam qui Ulmum, sunt qui Castaneam, nescio an usi conjecturâ aliquâ, an temere, statuant fuisse. Isaias c. 6. v. 13. dicere videtur hoc genus hyeme abiicere folia; quod plerisque quidem accidere solet arboribus, sed non Abietum generi. Sic enim ego interpretor verbum שלכת, cùm ille ait, כאלה וכאלון אשר בשלכת מצבת בם צרע קדש מצבתה, ut id tempus significet quo arbores comam amittunt. q. d. Sancti seminis vim atque efficacitatem reliquam fore in Israelitis cùm erunt in exsilio, similiter atque inest arboribus *Ela* & *Allon*, quo tempore foliis omnibus nudatæ sunt, vis revirescendi. Ego verò cum Aquila, Symmacho atque Latino ex Quercuum sive Roborum genere fuisse suspicor. Nam referunt homines peregrini, etiam nunc אלון *Elon* sive *Ilicem* ostendi apud illam Abrahæ memorabilem habitationem; & folia illi esse paulò majora quàm Lentisco, fructus verò quales Quercubus. Neque verò solùm id Hebræis assentior, eam hanc esse arborem ipsam sub qua Jacob falsos illos deos sepeliebat, verùm etiam eam, ut c. 8. disputavi, apud quam Deus suam primùm præsentiam patefecerat in Chananæa Abrahamo Gen. 12. 7. cùm diceret, *Semini tuo dabo terram hanc*; si quidem manebat adhuc illa arbor. Nam mansisse haud incredibile videri potest post annos nondum quingentos: Certum est enim, glandiferarum illud genus naturâ quàm diutissimè stare posse. Sed cur mirabile sit si post annos tam paucos manebat, quando illa Abrahæ apud Mamre sedes ad hunc usque diem tenere potuit suam Ilicem? Nempe quæ apud tantorum virorum monimenta satæ sunt arbores, eæ sempiternæ sunt, & ipsâ commemoratione perpetuò manent vigéntque. Porrò ab ista statua cœpit arbor hæc deinceps appellari אלון מצב *Elon Muzab*, h. e. *Quercus*, sive *ilex*, *statua*, ut constat ex Judicum historia 9. 6. Et ista jam hactenus; plura c. 8. ¶ Sed quid tandem existimabimus dici *Sacrarium Domini*, in quo ista exstabat arbor? Non extitisse quidem in ipso sacrario, sed juxta, censent Judæi. Neque enim insolens est ejusmodi præpositionum, ut vocantur, commutatio. *Sacrarium* autem vocari putant domum quampiam quæ fortè ibi erat, in quam intulerant Arcam sacram, nè sub dio maneret. Atqui probabiliùs dicere possent, meo certè judicio, allatum fuisse tabernaculum illud solenne, ut augustior videretur istorum maximi momenti comitiorum pompa. Ego verò auguror *sacrarium Domini* eum dici locum quem Abraham, positâ apud istam arborem arâ, & factâ re Divinâ, primùm in omni Chananæa consecraverat, cùm illic lætissimum illum à Deo nuncium accepisset; prorsus similiter atque à Jacobo locus ille est *Beth-el*, i. *Domus Dei*, sive *Fanum Dei*, nuncupatus, in quo ipse primùm Divina visa vidisset, & oracula audivisset illius Abrahæ oraculis similia Gen. 28. 12. Sed de ista re sic existimet quisque ut volet. ¶ Illud verò majore consideratione dignam dubitationem habere videatur, cùm Deuteronomio 16. 12. lege sancitum sit, *Nè quis serat lucum ullius arborum generis apud aram Domini Dei; neque statuat statuam, quam odit Deus*, quî possit ea lex non dupliciter violata videri hoc loco ab Imperatore Josua. Sed responderi rectè, opinor, potest, simulacra deorum alienorum prohibita lege illâ esse; eas enim esse *statuas quas odit Deus*; at sacrarum rerum monimenta & pietatis adminicula adeò non esse vetita ut sæpe etiam jussa sint fieri. Cujus autem rei monimentum fuerit ista nostra statua, mox Sacris exponetur verbis. Ad lucum verò quod attinet, is nullus hîc conseritur; neque quem fortè natura sevit, deligitur: Sed simpliciter, nullâque cum superstitione, apud eam ilicem apud quam Deus præsentiam suam Abrahamo primùm declaraverat in Chananæa, ille statuam erigit; non profectò ut eam ullus unquam mortalium adoret, aut pro Deo colat; non magis quàm Moses 12 illas apud montem Sinæum; Sed ut posteri ejus aspectu tanquam admonitu in memoriam redeant tum auspicatissimorum illorum initiorum quibus Abraham hîc primùm Divino Spiritu afflatus, & Chananææ hæres institutus est, tum suorum promissorum, quibus hoc in loco bis in Dei legem solenniter ipsi jurarant; & his cogitationibus excitentur ad religiosam pietatem adversùs Deum, &c.

27. *Deinde ait Josua ad omnem populum, En lapis iste*, &c.] Moses, cùm Dei legem literis à se consignatam Levitis daret servandam, his utebatur verbis Deut. 31. 26. *Accipite librum legis hunc, ac ponitote eum à latere arca federis Domini Dei vestri, & sit illic adversùm te testis. Novi enim rebellionem tuam & cervicem tuam duram. En me hodie apud vos vivo: contumaces fuistis in Dominum: quantò magis futuri estis post mortem meam?* & quæ sequuntur. Igitur ut Moses ipsam Legem, tanquam publicas tabulas, voluit testem manere ad omnem posteritatem perfidiæ populi, si in colendi Dei officio ille non perseveraret,

perseveraret, sic Josua hanc statuam, quasi conscium, factæ sponsionis testem fore ait; ut cùm illæ Mosis tabulæ apud Dei delubrum reconditæ latent, ista quotidie in multorum oculos incurrat. Et verò usitatum fuisse priscis illis seculis ut statuas sive lapidum tumulos ponerent qui fedus fecissent, quasi actæ rei testificationem diuturnam, satis magno argumento est Gala-ad Jacobi & Labanis, Gen. 31. 46. ¶ Cæterùm προσωποποιΐαν, quâ lapidi *audiendi* sensus attribuitur, quia absurda videtur, Chaldæus explicandam sibi multis verbis esse putavit. Convertit enim locum istum in hanc sententiam, *En lapis iste erit nobis quasi dua tabula lapidea federis: fecimus enim ipsum pro testimonio. Verba enim qua in eo sunt inscripta referunt omnia verba qua Dominus locutus est ad nos. Erit ergò apud vos pro monimento & pro testimonio, si fortè fefelleritis Deum vestrum*: sic ille. At enim à multis scitè, ut videtur, existimatum est, hujusce generis fictiones personarum, quibus sensum Divini verbi tributum iis rebus videmus quæ animis vacant, vim potentiámque mirificam illius verbi significare, & simul tectè hominum stuporem incusare; cùm illud sit tam vehemens atque acre ut dura saxa; aut res alias quæ non solùm intelligentiâ & ratione sed prorsus omni vitâ carent, quodam modo afficiat, & tamen hominum animos non percellat aut permoveat. Sed de verbi Dei efficacitate pervagatum est illud Jeremiæ 23, 29. *Nonne verbum meum est ut ignis, ait Dominus, & ut malleus dissipans petram?* & illud Apostoli, Heb. 4. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax, atque acutior quàm ullus gladius anceps, penetránsque usque ad divisionem anima & spiritûs, compagúmque & medullarum*, &c. Neque verò mirum est verbum illud tantâ pollere efficientiâ, cùm sit ipsa Christi Filii Dei virtus, in cujus potestate Pater cœlestis omnia posuit quæ usquam sunt sive in cœlo sive in terra. D. autem Augustinus illam προσωποποιΐαν, quia figura per se absurda est, refert ἀναγωγικῶς ad Christum, qui, ut dictum est à D. Petro 1. 2. 8. *lapis est offensionis iis qui Dei verbo offenduntur; cùm sint ad fidem ei adjungendam destinati atque comparati*. Philosophatur idem piè sanè de arbore sub qua lapis ista statuitur; putátque Christi crucem eâ esse adumbratam. Sed ista ab illo esse petenda censeo. Quin R. Moses Nehmannus quoque, vir acutus, & qui sæpe in scrutandis interioribus & reconditis literis est admirabilis, scriptum reliquit, Eum ipsum hoc loco significari lapidem de quo Jacob fuerat vaticinatus, Gen. 49. 24. cùm diceret, *Indè pastor lapis Israel*: & de quo David sic cecinit Psal. 118. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, &c. denique de quo Zacharias hæc ad Jesum filium Josedech divina verba fecit, *Ecce ego adducam servum meum orientem: quia ecce lapis quem dedi coram Jehu: super lapidem unum septem oculi*, &c. c. 3. v. 8, 9. Quæ omnia esse consentanea D. Augustini sententiæ nemo non intelligit.

28. *Et dimisit Josua populum ad suam quemque possessionem*, &c.] Hic versiculus cum tribus deinceps sequentibus denuò leguntur in Judicum historia καθ' ὑστερολογίαν c. 2. v. 6. &c. Sed illic hæc addita clausula verborum est, לרשת את הארץ, h. e. *vindicatum sibi terram in hæreditatem*, sive *occupatum terram*: unde bona capi conjectura posse videtur, Non nunc simpliciter dimissum esse populum ut in suis quisque possessionibus quas adepti jam erant vitam per otium transigeret, sed simul seriò monitum esse ut pro viribus, pulsis paulatim Barbaris, suos sibi fines singuli solidos acquirere pergerent. Quod consilium eos cepisse etiam illico post Josuæ excessum, testimonio luculento sunt illa quæ initio historiæ Judicum prodita literis sunt. Quæsitum hoc loco à D. Augustino est cur Imperator postremâ hâc suâ oratione non sit acriter invectus in eos qui tributi pactione Chananæos in suis possessionibus manere passi fuerant, cùm essent ipsi his fortiores. Dictum enim suprà est 17. 13. Israelitas, *cùm invalescerent, adegisse Chananæos ad pendendum tributum; cæteroqui non eliminasse*. Existimare autem videtur ille id in crimine illis non posuisse Josuam, quia non negligentiâ jussorum Divinorum sed metu Barbarorum eos non exterminassent: adjungítque exemplum Pauli, qui 2 Tim. 4. 14. *Alexandro fabro precatur dignam à Deo suis maleficiis mercedem*; at iis qui se *in prima defensione deseruerant* optat *nè Deus id ipsis culpæ det*: nempe ille animi improbitate, hi metu peccarant. Sed mihi, pace summi viri dico, similius vero esse videtur, nihil improbâ indulgentiâ adversùs Chananæos vivo & superstite Josuâ peccasse Israelitas, sed κατ' πρόληψιν illa esse dicta de tributi pactione. Nam si, cùm superiores essent, hostem lucelli cupidine adversùs Dei jussa apud se habitare passi fuissent, profectò neque præclarâ illâ laude Imperator ipsos ornasset, neque absurdâ comparatione adhortatus ad colendam pietatem fuisset, cùm diceret, *Adhærete Domino Deo vestro, sicut fecistis ad hunc usque diem*, c. 23. v. 8.

29. *Post has res evenit ut moreretur Josua filius Nun*, &c.] Credibile est Josuam post ista comitia non diu vixisse, sed paulò pòst, reversum domum, excessisse è vita. Sic enim etiam Mosen accepimus, simulatque perscriptam legem in ultima concione populo commendasset, & Divino carmine cœlum terrámque testes appellasset adversùs illius in proba religione inconstantiam, ipso eo die ab omnium conspectu secedere in montem à Deo jussum esse in quo emigraret è vita. Quin ipsa S. verba, si pressiùs tractentur, satis apertè illius vitæ tempus his rebus actis definiunt. Est enim in S. texto ויהי אחרי הדברים האלה, *Post istas res evenit*, δεικτικῶς. Nam qualecunque insequens tempus solet ad hunc modum describi ויהי אחרי כן, h. e. *Pòst accidit*. ¶ Non potuit autem narratio excessûs sanctissimi Imperatoris præclariore elogio concludi quàm ut *servus Jehovæ*, h. e. Domini Dei, ille vocaretur. Hoc enim omnis virtutis laude funus ejus exornat, & ipsum rectâ in cœlum atque ad æternam vitam subvehit. Sunt enim illi *beati qui in Domino*, h. e. Deo addicti, *moriuntur; quippe qui deinceps à suis laboribus requiescent, & virtutum suarum fructu fruentur, ut habet oraculum ex ipso redditum cœlo*, Apoc. 14. 13. ¶ Additur porrò etiam morientis ætas quanta fuerit. Nimirum qui per præclara facinora & veras virtutes vitam suam transegere, ii, quia minimè frustrà vixerunt, digni sunt quorum vel momenta horarum observentur annumerentúrque. Illi enim, ut præclarè historicus dixit, De conjurat. Catilinæ, *vivere demum atque frui animâ videntur qui* bonis *negotiis intenti* virtutis veram gloriam *quærunt. Quibus* verò *corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum vitam mortémque juxtà æstimare* debemus: nam æquè *de utraque siletur*. Sed de Josuæ ætate mox.

30. *Sepelierúntque ipsum intra fines hæreditatis suæ*, &c.] Magnorum virorum & feminarum illustrium monimenta, quibus mortui conderentur, non solùm fuisse comparata studiosè, sed etiam quibus in locis constructa fuerint, proditum sæpe S. literis videmus; ut hic Josuæ, Eleazaris, Josephi; alibi Abrahæ, Saræ, Isaaci, Jacobi, Samuelis, Davidis, aliorum. Neque verò ista de bonis modò (quanquam de his sæpiùs) sed etiam de improbis observata sunt. Quorum illud eò potissimùm Spiritum Sanctum S. historiæ auctorem fecisse arbitror, ut omnibus seculis testatum esset quantus fuerit ab omni retro memoria de altera vita consensus hominum; Hoc verò, cùm ut historiæ fides esset sanctior, tum maximè ut, quoniam sola ferè literarum monimenta æterna sunt, his tales tantíque viri, commonstratis ipsorum sepulcris, quasi in iis ipsi essent reliqui, perpetuò posterorum oculis, tanquam sequenda virtutum, vel fugienda vitiorum exempla, quodam modo repræsentarentur. Ad solam enim vitæ bene actæ imitationem, non etiam ad religiosum cultum, quem adorationem vocant Theologi, divorum monimenta conservare fas est. Neque enim solus animus homo est, quod Socrates existimabat, cùm Critoni de ejus sepultura quærenti responderet, Post mortem nihil sui reliquum fore quod sepeliri posset. Sed quamvis elapsus ille corpore sit, ea tamen etiam tum necessitudo occulta cum hoc ipsi intercedit ut, nisi denuò consocietur, perfectissimè beatus esse nunquam possit. Quæ ex re profectas esse eas quæ apud omnes nationes semper usitatæ sunt in humandis corpori-

bus

bus religiosas ceremonias, certissimum est. Et si enim, præter paucos eos quorum mens cœlesti doctrinâ informata fuit, nemo omnium, quantumvis acutus & sagax Philosophus, illam dissipatorum post mortem corporum redintegrationem, quam resurrectionem vocare Theologis placuit, intelligentiâ est assecutus, tamen ipsa, quam Deus omnibus mortalibus indidit, communis natura futurum ut aliquando reviviscerent corpora, suísque animis redderentur, tacita semper judicavit, cùm omnes non doctrinâ, non ratione, sed suo quodam arcano sensu ad sepulturæ curam incitaret, atque ad humo contegenda abdendáque corpora, quasi ea sic quodam modo suis animis restituerentur; quæ tamen satis compertum erat æquè à vermibus dilaniari atque si nullâ glebâ tecta feris bestiis patuissent. Hinc etiam apud Poetas animæ nisi conditis ritè corporibus conquiescere non possunt; hinc res suas omnes apud inferos quasi corporatæ obeunt. Nimirum omnes occulto illo naturæ sensu perfectè felicis post mortem vitæ, atque infelicis, qualis post illam quam dixi redintegrationem demum futura est, imaginem viderunt. Nam contumeliosæ quorundam in humationem voces, quales perpaucæ literarum monimentis proditæ memorantur, magìs ex stulta singularis doctrinæ ostentatione quàm judicio pronunciatæ videri debent; similiter atque illæ quas nostrâ memoriâ cynici quidam effutiunt, vani & futiles homines, digníque qui cum Cyrenæo ille Theodoro non humi sed sublimè putrescant. Quanquam ille non ignobilis Philosophus non tam exsequiarum justa quàm ipsam mortem insolentibus illis verbis contemnere videri volebat. Sed tractavimus ista etiam c. 8. v. 29. quare hoc unum addam modo, Non jam laudare me anxiam nimis sepulturæ curam, ut ægrè patiamur si quo fato illâ sit carendum; cùm certi simus, quantumlibet dissoluta atque distracta corpora dissipatáque tamen suo tempore iterum esse colliganda & conglutinanda. Hoc certè tenendum censeo, Ni qua vis obstet, sepulturæ atque exsequiarum honorem corporibus nostris deberi, olim rursus revicturis; & maximè iis quæ oculos & manus ad effectorem suum Deum aliquando sustulerunt, quæ pedibus ad audiendum Dei verbum processerunt, &, ut omnium primum dicam, quæ carne & sanguine Christi pasta sunt, quæque *membra Christi* & *templa* fuerunt *Spiritûs Sancti*, ut ait Paulus 1 Cor. 15. 19. ¶ De תמנת סרח *Thamnath-Sara* diximus c. 19. ¶ *Montis* געש *Gaas* mentio est in Regum historia, l. 2. c. 23. v. 30. Sed nullum, quod sciam, usquam satìs certum loci indicium exstat literis consignatum. Credibile est fuisse partem montis Ephraim, urbi illi ab Austro oppositam, Judic. 2. 9. Ea enim nominis notatio quam liber qui סדר עולם *Series mundi* inscribitur profert, quæque etiam in vetustis commentariis in librum Ruth scriptis prodita est, vanissima est, nisi fallor, & anilis fabella. Aiunt enim sic dictum esse illum locum quia terra moverit cùm Josua sepeliretur, געש *Gaas* enim *tremere* & *commoveri* significat. Illud fortasse credibilius videri possit quod iisdem auctoribus proditum est, Nomen תמנת סרח *Thamnath-Sara* aut, ut trajectis literis dicendum erat, תמנת חרס *Thamnath-Hares*, Judic. 2. 9. hoc, inquam, nomen impositum urbi Josuæ fuisse à Solis simulacro, quod Israelitæ super Josuæ monimentum collocarant ad conservandam memorabilis illius miraculi memoriam, de quo suprà c. 10. multis actum est: חרס *Hares* enim *Solem* significat, תמונה *Themuna* verò *figuram*. Septuaginta duo Interpretes hoc loco memorant, illos *gladiolos saxeos quibus Josua* post transmissum Jordanem *populum circumciderat unà cum ipsius funere humatos esse*. Nam antè ab illo asservatos eos fuisse in Thamnath-Sara dixerant. Apparet ergò, permagni momenti gladiolos illos fuisse, existimasse istos Interpretes. Sed an ista ità esse illi à majoribus proditum acceperint, aut quâ tandem freti auctoritate dixerint, nescio. D. Augustinus κατ' ἀναγωγὴν refert ad Christi mysterium, quod priscis illis temporibus altâ ignoratione sepultum posteris olim proditum iretur ad salutem.

31. *Servivit autem Israel Domino omnibus diebus*, &c.]

Postulat hic locus ut iterum de Josuæ imperio disseramus, quàm id fuerit diuturnum. Neque enim alioqui ratio iniri ulla potest quamdiu post ejus excessum Israelitæ officium pietatis adversùs Deum coluerint. Sacra igitur historia in Regum libris, 1. 6. 1. universum illud tempus quod à liberate Ægyptiaca ad quartum usque imperii Solomonis annum intercessit, quo anno sacram ille ædem exædificare Deo incipiebat, annis quadringentis octoginta definivit. Hoc autem tempus hisce intervallis notari conficíque probabiliter posse, mihi certè, videtur, ut post Mosis 40 annos attribuamus Josuæ 28; quod plerique etiam Judæi faciunt: Deinde annos duos vixisse post illum Seniores, quorum hîc mentio est, putemus; aut si hos vixisse diutiùs est credibile, quantum istis addiderimus suprà duos annos temporis, tantum Josuæ imperio detrahamus. Huic deinceps summæ adjiciamus annos 8, quibus Chusan-Resathaim vexavit Israelem, Judic. 3. 8. Tum Othonielis annos 40; Ehud 80; Barac & Deboræ 40; totidémque Gedeonis; Abimelechi 3; Tholæ 23; Jairis 22; Jephtæ 6; Abesiani 7; Elonis 10; Abdonis 8; Eli 40; Samuelis totidem; atque etiam Davidis; denique Solomonis, usque ad Templi auspicia, 3. Hi enim omnes collecti anni illam S. narrationis summam conficiunt. Nam de Samsonis Principatu ego sic existimo, illum nunquam imperasse Israelitis; sed eos annos 20, quibus ipse memoratur *judicasse Israelem*; sic enim S. narratio habet Judic. 16. 31. cùm eum fuisse illo tempore inter Israelitas virum fortissimum, quique unus se Palæstininis hostibus opponere, eósque lacessere auderet, significare vult, eos ergò Samsonis 20 annos dimidiato Pontificatui Eli esse adscribendos. Memoratur enim Eli gubernasse Israelem annis 40. Verùm LXXII interpretes, cùm, ut opinor, etiam ipsi illud animadverterent quod nunc dico, pro *quadraginta* scripserunt *viginti*. Sic enim apud illos scriptum est de Eli, in codicibus emendatis certè, καὶ αὐτὸς ἔκρινε τὸν Ἰσραὴλ εἴκοσι ἔτη. Tum istos 40 annos quibus fuit Pontifex Eli, eos esse ipsos quoque existimo per quos narrantur Israelitæ post Abdonis Principatum servivisse Palæstinis, Judic. 13. 1. Nusquam enim profectò functum ullo Principis officio Samsonem esse memini. Tantúmque abfuit ut liberaret ille populum à Palæstinorum jugo ut vinctus ipse istis, tanquam dominis, dederetur à suis popularibus Judic. 15. 10. Sed neque liberaturum esse promiserat parentibus Angelus Dei, Judic. 13. 5. verùm *libertatem inchoaturum* modò; quam deinde Samuel, post illius & Eli excessum, esset perfecturus videlicet. Atque hæc ratiocinatio mirificè etiam congruit cum Jephtæ verbis, Judic. 11. 26. qui ab occupatis Sehonis & Og regnis ad suam dominationem usque *annos* intercessisse *trecentos* respondet Ammonitis. Parùm enim de ea summa deesse videbis si hoc calculo subduxeris; de qua tamen nimis magna sit facienda decessio si Samsonis annos numeraveris, eósque de illo tempore detraxeris quod Jephtæ imperium antecessit. Quod enim insecutum est usque ad inchoatum Templum nullis, nisi Samsonis, annis minui potest. Neque enim Judæos audire possum nimis profectò absurdos, qui Samuelis gubernationi annos duntaxat undecim adscribunt, & duos insuper Saulis regno, adducti, nisi fallor, unâ conjecturâ exigui temporis quo arca Apud Cariath-Jarim servata memoratur, 1 Reg. 7. 2. Si enim hæc solos 20 annos illic mansit, usque dum à Davide efferretur magnâ pompâ ad ædes Obed-edom, quod Regum historiâ l. 2. c. 6. v. 1. dici existimant illi, non hallucinantur. Sed quis nescit Samuelem ad reip. gubernacula juvenem admodum accessisse, nec nisi senem ab iis recessisse? Jam verò quis non planè stultus dicat annis undecim è juventutis illum flore ad affectam ætatem subitò pervenisse? Sed profectò non solos 20 annos mansit apud Abi-nadab Dei delubrum, ut Judæi falsò credunt; verùm jam tum 20 prætererant anni cùm Samuel ad rerum gubernacula sedens populum sanctâ concione ad abdicanda rejiciendáque falsa deorum sacra induceret, Deóque vero conciliaret, & ad hujus cultum adjungeret denuo, 1 Reg. 7. 2. Verùm tamen adscribam R. Levi F. Gersonis rationem, quam ille

ille conficit, cùm trecentos illos quos Jephtæ numerabat annos Judic. 11. 26. ad calculos vocat. Ex hujus enim unius verbis de aliorum Judæorum sententia existimare lector poterit. Nam eorum plerique omnes suum *Sedar-olam*, h. e. *Chronicon*, sequuntur. Sic ergò ratiocinatur Levi; *Gubernavit*, inquit, *Othoniel Israelem annis* 40; *in quibus insunt etiam servitutis anni. Post hunc Ahud annis* 80; *& in his quoque continentur servitutis anni. Deinceps Debbora & Barac annis* 40; *& totidem Jerobaal. Neque verò de his etiam deducendum non est illud tempus quo interim populus fuit in hostium potestate. Post hunc Abimelech annis tribus*; *Thola* 23; *Jair* 22. *His adde annos* 18, *quibus serviebant Israelitæ Ammonitis antè quàm ad Jephtam imperium summámque rerum suarum detulissent, confecerisque numerum annorum* 266. *Deinde pergito annumerare annos imperiorum Jephtæ, Abezanis, Elonis & Abdonis, collegerisque annos* 31. *His adde annos Samsonis* 20, *Eli* 40, *Samuelis & Saulis* 13, *Davidis* 40, *denique Solomonis, antequam struere Templum inciperet, tres, eritque summa annorum* 147. *Nam* 40 *illi anni quibus populus in potestate Palæstinorum fuit, partim ad Samsonis, partim ad Eli dominationem pertinent. His omnibus si adjeceris annos* 40 *Mosis, &* 27 *Josuæ Seniorúmque, confecta fuerit summa annorum* 380; *quot intercessisse ab relicta Ægypto ad inchoatum Templum, S. literis est consignatum.* Hæc igitur ferè est universa Levi ratio, in qua desunt quidem anni septem de trecentis quos Jephta numerabat. Verùm, inquit, tam paucorum ille annorum rationem non habebat. Sed R R. Solomon & Kimhi, ut veram undiquaque fuisse rationis Jephtæ summam ostendant, paulò aliter istos calculos subducunt: quos ipsos etiam non me pigebit adscribere, cùm res paucis possit absolvi. Igitur, *Gubernavit*, inquit Kimhi, *Israelem Josua annis* 28, *Othoniel* 40, *Ahud* 80, *Debbora & Barac* 40, *Gideon totidem, Abimelech tribus, Thola* 23, *Jair* 22. *En tibi annos* 276; *in quibus anni servitutis insunt. Adde annos* 18, *quibus Ammonitæ dominabantur Israelitis priùs quàm Jephta surgeret, confectáque erit summa annorum* 300, *si annos* 6 *Jephtæ addideris.* Sic Kimhi. Atqui absurdius est annos istos sex adjicere quàm 7 deesse putare. Certum enim est, Jephtam initio sui Principatûs annos illos trecentos opposuisse Ammonitarum querelæ. R. Solomon ergò ad hunc ratiocinatur modum; *Legimus*, inquit, *in Sedar-olam, imperasse Josuam annis* 28: *sed nullus est in S. literis locus qui me idità esse doceat. Othoniel autem rexit annis* 40, *cum iis annis quibus Chusan-resathaim vexavit populum. Ahud* 80: *sed in his sunt anni* 18 *Eglonis. En tibi annos* 148. *Debbora annis* 40, *simul cum annis Regis Jabin. En tibi annos* 188. *His adde annos septem, quibus deinceps Madianitæ oppresserunt Israelem, tum* 40 *Gedeonis, trésque Abimelechi, habes annos* 238. *Adjice insuper annos Tholæ* 23, *Jaris* 22: *Sed de istorum duorum imperio facienda est anni unius decessio: Demum his omnibus annumerato annos* 18 *dominationis Ammonitarum, priùs quàm Jephta ad gubernacula accederet: En tibi annos trecentos.* Hæc R. Solomon. Sed sentio jam me nimis longum fieri: facere tamen non possum quin Maimonii quoque sententiam, quia longissimè ab istis discrepat, paucis adjungam. Existimat ergò Maimonius Moreh nevochim l. 2, c. 32. Josuam vixisse post Mosen annos duntaxat 14. Nam apud montem Sinæum cùm excessisset Moses annum 81, illum fuisse natum annos circiter 57. Neque pluribus hanc suam sententiam explicat Maimonius. Existimat igitur, ut videtur, ille, mox post Terræ partitionem è vita emigrasse Josuam. Quod profectò non esse ità, satis magno argumento illa sunt verba quæ c. 23. v. 1. leguntur, *Josuam post multos dies ex quo quietis esse Israelitis dederat Deus ab hostibus, conventum illum habuisse.* Neque enim dubitant qui Hebraicè norunt quin *multi dies* aliquot annorum tempus sit. Ut jam nihil dicam de exædificata ab eo post divisam Terram urbe Thamnath-sara, atque etiam habitata. Et hæc hactenus. *Seniores qui produxere ætatem post Josuam* opinantur R. Levi F. Gersonis eos dici qui vetera illa miracula in Ægypto conspexerant; memoriáque tenebant qualia coram Pharaone patrarat Moses, tum ad mare Rubrum, cætera. Idque ei ego assentior. Nam parùm mihi probabilis videtur opinio Davidis Kimhi, qui *opus à Domino patratum* de iis rebus admirabilibus interpretatur quæ Josuæ auspiciis gestæ sunt, veluti de siccato Jordane, de muris Jerichuntis, de Solis cursu cohibito, & hujusmodi aliis. In Judicum enim libro 2. 10. ubi hæc eadem καθ' ὑστερολογίαν scripta sunt, proditum memoriæ est, post Josuæ excessum exstinctam esse etiam universam illam Seniorum generationem; & tum, veluti novo seculo, ad novos ritus aliámq; religionem Israelitas animum adjecisse. Cùm ergò hoc non admodum multis post Josuæ obitum annis accidisse certum sit, quis credat eos omnes tam citò sublatos morte esse qui aut in deserto fuerant nati, aut admodum pueri Ægypto excesserant? quorum nemo cùm moreretur Josua annum ætatis octogesimum longè potuit excessisse. Cæterùm docet hic locus luculentissimè quantum sit in unius hominis probitate positum monimentum qui in repub. dominatur. Dicebat nuper v. 15. Imperator sanctissimus, ut colat populus universus Deos alienigenas, constitutum sibi cùm sua familia esse, Jehovæ religionem tenere. Jam verò eundem esse parentium sensum videmus quàm diu illius vitæ exemplum ante oculos habent. Imitationis enim studio & quadam conjunctione, quæ ipsis cum suo Imperatore est, inducuntur ad servandum eosdem ritus; non autem metu severioris imperii. Nam prævaricantibus idem illo mortuo quod vivo malum impendebat: Neque enim Imperator sed Deus vindex erat futurus fœdæ religionis. Et tamen mox, ubi ille unus ex oculis sublatus non jam præsens vivendi normam suâ ipse vitâ præscribebat, nihil illi neque promissorum neque minarum Dei habentes pensi, animorum suorum libidinem continuò præcipiti vesaniâ sectari cœperunt. Nimirum est illud Claudiani verissimum,

Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentis.

Et prudenter Plato in Legibus l. 4. existimavit non operoso studio, non longis temporum spatiis opus esse Regulo qui civitatis suæ mores vivendíque instituta mutare vellet, sed ipsum oportere primùm eà incedere quà civibus ut eant persuasum esse cupit, sive ad virtutum officia, sive ad contraria vitiorum, ipsáque actione illis cuncta præscribere. Cui illud quoque Ciceronis geminum est, l. 3. De Legib. quod è Platone se traduxisse fatetur, *Quales in repub. Principes essent, tales solere reliquos esse cives.* Illud verò Cyri apud Xenophontem lib. Pæd. 3. vel omnium scitissimum est, *Principem esse parentibus legem oculatam.* Quod Cicero sic dixit De legib. l. 3. *Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.* Sed ista non admodum videntur apud suos animos cogitare qui nostro seculo in amplissimis imperiis amplissimam gloriam felicitatémque sibi pollicentur ipsi; & probè suo se munere defunctos esse statuunt, si civibus suis, doctorum aliquorum virorum operâ usi, leges præscripserunt, cæteroqui nullis virtutibus ipsi prælucentes, nè dicam vitiis maximis offendentes etiam. Non est quidem hic expressum, desiisse servire Domino Israelem post Josuæ & Seniorum obitum, at id in Judicum historia c. 2. v. 13. apertè dicitur. Et in libro Nehemiæ 8. 17. proditum memoriæ est, indè ab Josuæ excessu usque ad Ezdram festum Tabernaculorum fuisse neglectum: Quod cùm celeberrimum antè fuerit, de eo facilè coniicias quo studio cætera majorum suorum sacra populus illo tempore coluerit.

32. *Cæterùm ossa Joseph, quæ Israelitæ sustulerant, &c.*] Josephus, cùm paulò pòst è vita esset emigraturus, jurejurando obligavit fratres suos ut sua ossa olim in Chananæam asportarent, Gen. 50. 25. cujusmodi religione ipse quoque antè à suo parente obstrictus Gen. 49. 29. ritè se exsolverat. Illa igitur fratris sui mandata cùm fuissent exsecuti Israelitæ, humaverant ejus ossa apud Sychem. Non est quidem consignatum scripturâ huma-

humationis hujus tempus; sed extrema versiculi clausula argumento est, ante sortitionem eam fuisse factam, cùm sortis casu acciderit ut filii hæredes essent ejus agri in quo paternum funus locatum jam fuerat. Credibile ergò est, cùm primùm apud montes Hebal & Garizim fœdus Deo sancirent Israelitæ, tum simul istas fratri exsequias solvisse: erat enim vicinus sepulturæ locus. Cur autem id nunc tandem commemoretur, expedita ratio est; Quia aliorum hîc magnorum virorum sepulcra ostenduntur. Sed enim quærat aliquis, quæ tanta sanctissimos viros causa moverit, ut non solùm efferri in Chananæam postularent, sed sanctissimâ etiam religione id contenderent, & quidem ab iis de quorum officio non possent dubitare. Nimirum id illi talibus jussis agebant, ut apud suorum popularium animos fidem promissis Dei firmarent, qualem sibi nè mors quidem potuisset eripere. Sed ista sunt alterius loci. Et piget Doctorum Hebræorum nugas adscribere, quas contulit R. Jacob in suum commentarium אבקת רוכל. Hallucinantur enim illi, futurum ut revivi scant primi qui in terra illa sacra fuere humati. Cur verò Josephi ossa illic loci conderentur apud Sychem, obscurum non est. Illam enim agri partem voluerat Jacobus esse Josephi extra sortem; solenne autem fuit priscis illis patribus ut quisque in suam inferretur possessionem. Et ut longè diversa regio obtigisset sorte Josephitis, tamen hunc simul agrum ipsi ut paternum jure hæreditario erant habituri. Opinatur quidem Kimhi Josephum sibi illum locum, quo humari vellet, delegisse, fratribúsque suis de eo in mandatis dedisse: sed nullam affert causam ejus suæ opinionis. Doctores Hebræi verò in סוטה פרק א׳ scribunt, Prudenter Israelitas existimavisse in eum sibi locum esse inferendum Josephum ex quo sublatum vendiderant; vendidisse autem è Sychem; itaque ad Sychem referre voluisse: similiter atque si nebulones furto asportatam vini lagenam, ut ebibere, eò rejiciant vacuam unde plenam sustulerant. Atqui S. historia memorat, non in agro Sychimano sed apud Dothaim divenditum fuisse Ægyptiis Josephum, quò greges suos è Sychem abegerant fratres. ¶ Cæterùm empti istius agri à Jacobo narratio Gen. 33. 19. cum narratione emptæ duplicis speluncæ confundi videtur à Divo Stephano Act. 7. 16. nisi si vitiata olim esse omnia exemplaria existimare potiùs velimus quàm virum Divino Spiritu non afflatum modò sed plenum non rem ipsam dixisse; præsertim cùm Syrici codices mendosum eum esse locum apertè ostendant. Sic enim in iis scriptum est, ut verbis verba reddam, *Et descendit Jacob in Ægyptum; defunctúsque est illic ipse, & patres nostri: Et translatus est in Sychem, & positus est in sepulcro quod emerat Abraham argento à filiis Hemor. Cùm autem appropinquaret.* Sed nihil attinet plura reddere. In hac igitur narratione si pro *Sychem* scribas *Hebron*, nihil erit absurdi. At nè nunc quidem est, si ad tanti viri exsequias cohonestandas, ductum esse funus ad Sychem usque primùm, utpote locum in quo ille olim habitasset, & etiam tum prædium suum haberet, ac deinde Hebronem ad patrium monimentum, putemus non esse incredibile. Nam ad Hemorem quod attinet, fieri potest ut is Hephronis, qui speluncam duplicem Abrahamo vendidit, vel parens vel avus fuerit. Sed ego nunc Syricorum codicum probitatem non constitui defendere: neque mihi necessarium id est. Satis enim mihi illud est, Græcos codices mendosos videri, cùm Syrici ab ipsis dissentiant. Quòd si verò mihi conjectura uti liceat in re tanta, dixerim, Stephanum illic de Josephi sepultura locutum esse; atque ad hunc modum emendari debere codices Græcos, ut pro *Abraham* scribatur *Jacob*, illúdque τοῦ Συχὲμ expungatur, tanquam supervacaneum, & non minore audaciâ quàm inscientiâ olim à quopiam additum S. verbis. Neque enim temere omissum à Syro esse opinor, interprete longè vetustissimo. Quòd si verò retinendum est, scribendum omnino esse non τοῦ Συχὲμ, sed πατρὸς Συχὲμ, ut est in Geneseos libro 33. 19. Etenim quòd plurium numero memorat Stephanus, *Patres in Sychem esse translatos, sepultósque*, cùm sint illic unius Josephi condita ossa, est id ex Hebræorum loquendi consuetudine quadam dictum, quam alibi exemplis, nisi fallor, explicavimus: quanquam 12 Patriarcharum ossa in Sychem sepulta esse scriptum disertè ab Hieronymo est; nec fortasse abs re: verùm est hoc alterius loci. Non sum equidem nescius quibus alii hunc locum rationibus à mendo vindicare conentur. Sed ego nefas non esse puto iis mendis admovere manus quæ S. literis apertè testata & veluti digito indicata sunt. ¶ Porrò קשיטה *Cessita* nummi genus esse, non *agnas* significare, quod Chaldæus, LXXII, Latinus arbitrati sunt, ipse Stephanus sancivit, cùm pro eo diceret τιμῆς ἀργυρίου, h. e. *pretio argenti*. Et R. Levi F. Gersonis alibi scriptum reliquit, veterum Hebræorum sententiam esse, קשיטה nummum valere quatuor סלעים, & insuper quatuor מעות. Quinque autem סלעים argenti puri pendere uncias quatuor Gallicas, alio loco prodidit idem Levi: מעה verò argentea una pendit grana hordei 16, ut ait R. Solomon, commentariis in Tractatum חגיגה *Hagiga*, c. 1. Verùm enimvero, quî potest illud ità esse, centum Cessitis redemptum ab Hemore fuisse agrum quem Jacobus, cùm eum filio donat, ait *se suo gladio & arcu Amorrhæis eripuisse*? Gen. 48. 22. R. Abraham F. Ezdræ, & eum secutus Levi Gersonis, putant hoc à Jacobo κατὰ πρόληψιν dictum esse, ut à vate, quia ipsius posteri olim essent eum agrum cum universa Chananæa erepturi Amorrhæis, h. e. Chanaanis soboli. Nehmannus addit, Credibile esse, cùm filium suum hoc agro præ cæteris amplificaret Jacobus, eum projectis ad illum versùs aliquot sagittis, gladióque protento, solenni quodam ritu, Barbaros specie tenus exuisse suâ possessione, belli jure; similiter atque Helizæi jussu memoratur Joas, emissis sagittis, percussóque terræ solo, Armeniam sive Syriam certâ spe veluti debellasse, 4 Reg. 13. 15. Acutè sanè Nehmannus; quàm autem verè, nescio. Sed afferunt quos modò dicebam Hebræi etiam hanc sententiam, *Gladium & arcum Jacobi* Divinum rectè favorem intelligi, quo ille apud Hemoris filios, h. e. populares & cives, gratiosus agellum, in quo fixo tabernaculo consideret, obtinuit pretio illo, cùm esset alioqui homo peregrinus, & qui plurimo pecore gravis videri potuit advena. Divus verò Hieronymus, eodem penè, ut videtur, sensu ait pecuniam sive pretium fuisse Jacobi *gladium & arcum*. Et profectò hanc sententiam ut ineptam nemo, opinor, facilè refellet, aut damnabit, qui Jacobi lenitatem perpetuam & ab armis alienum animum memoriâ recolet. Jactat ille alibi *scipionem suum cum quo Jordanem transierat*, at gladium, arcum, tela nusquam; quippe *vir* erat, ut ait S. historia Gen. 25. 27. *simplex* integérque, & domesticus ac sedentarius. Quare mihi inscitissimum esse videtur eorum commentum qui existimant eum crudelem illam & perfidam filiorum suorum victoriam, quam tantopere etiam tum detestabatur cùm illa de empto à se agro verba ad Josephum faceret, eam, inquam, victoriam sibi assumere, eóque jure agrum illum suum esse dicere. Et ut demus virum à cæde & sanguine alienissimum re ipsâ probare filiorum crudele facinus, quod verbis atrocibus damnat, quæ tandem inscitia est opinari Simeonem & Levi etiam agrorum Sycimorum jus usurpasse, qui illico post perpetratam perfidiam illinc profugerunt cum parente? Gen. 35. 2. Ego verò credibilius esse censeo, virum sanctissimum, quando *arcûs & gladii* sui verba usurpat, tectè perstringere sanguinariam filiorum prædam; nedum ut eam suæ utilitati assumere velit. Verùm si quis ista esse argutiora putat, neque probare potest, is existimet licet Jacobum redemisse primùm pretio ab Hemoris popularibus exiguum fundum, in quo cum suis manere posset, centum nummis, qui *Cessitæ* dicebantur; deinde verò paulatim ex vicino agro pepulisse Amorrhæos, quem illi non jure sed armis eripuerant Sycimitis, cùm Jordanem transmisissent populabundi. Neque enim ait Jacob se eum agrum *ab Hemore* gladio & arcu quæsivisse, sed *ab Amorrhæis*: Hemor autem & Sychem Hevæi fuere, quod

quod est ipsis sacris testatum verbis, Gen. 34. 2. Quibus verò altera illa sententia placet, ii *filios Hemor* eos dicunt vocari qui in Hemoris ditione erant; similiter atque *patris* vocabulum sæpe eum significat penès quem est principatus in aliqua gente. Nam unus Sychem tanquam ex Hemore natus memoratur in S. Historia. Sciens hîc prætereo quæ Judæi afferunt de aucto Josepho duplici portione, aut aliâ quapiam re donato, quam Jacobus abstulerit victis Amorrhæis, quando certum est nihil aliud hoc donum fuisse quàm Sycimanum istum agrum, D. Joannis testimonio, 4. 5. Opinatur autem scitè Kimhi Jacobum sepulturæ causâ dedisse Josepho eum locum, cùm ejus animum, quem quasi parentem & monitorem virtutúmque omnium magistrum pro se moriens relinquebat aliis filiis, vellet modis omnibus ab Ægyptiacis rebus abalienatum in Promissæ terræ cogitationem avertere videlicet. ¶ Sequitur porrò in S. texto, *Et obtigerunt Josephitis in hæreditatem.* De Josephi ossibus sepultis agitur; & rectè præsentionis Divinæ, quâ Jacobus eum locum destinarat sepulturæ filii, atque sortis consensus, quæ illum Josephitis assignavit, ostenditur. Erant quidem Josephi ossa meritò veneranda ab omnibus Israelitis propter conservatam in Ægypto universam gentem; sed maximè ab ipsius nepotibus. Nam, ut nuper dicebam, sicut cæteris nationibus ità & Hebræis solenne fuit ut apud suos quisque conderetur, præsertim qui rebus gestis clarus esset: Sic enim domestico exemplo quæque familia & gens ad virtutem maximè incitabatur, cùm eorum memoriam quorum apud se habebant ossa, quasi quodam modo præsentium, colerent usurparéntque assiduè. Nam ingeneratus ille hominibus sensus, quem dixi, non patitur ut de præstantissimorum hominum ossibus atque cineribus similiter atque de aliis rebus prorsus inanimis existimemus; quippe qui in illis suo quodam modo sentit immortalem vigorem reliquum esse, per quem cum anima sua, quamvis jam separata & absente, quadamtenus vivunt, certè eâ necessitudine devincta manent ut, quantumvis dilabantur, tamen redintegranda olim sint & rursus cum illa consocianda. Quam ob causam credibile est istam ossium curam indè ab ortu generis humani hominibus fuisse. Nam Jacobus Orrhohaita, sive Edessenus, scriptor apud Syros cum primis nobilis, & magni Ephraimi olim doctor, memoriæ prodidit, Noham ossa primi parentis Adami religiosè in arcam ad se recepisse, & post siccatum à diluvio terrarum orbem illa inter suos tres liberos cum orbe ipso distribuisse; Semóque, quem anteferebat cæteris, calvariam donasse, & cum ea regionem illam quam modò *Judæam* appellamus. Quæ à priscis Syris tanquam per manus tradita posteris esse, est credibile. Non eò hæc commemoro quòd ulla superstitiosè ossa coli velim: Scio enim præter unum Deum nihil neque in cœlo neque in terris esse adorandum; & in solo Christo ut Redemptore nostro spem salutis omnem debere collocari: Verùm dissimulare non possum, cùm præsens hoc à me locus postulet, videri mihi magnis rationibus sanctissimorum hominum ossa justam apud omnes pios semper habuisse venerationem. Sed hoc hactenus.

33. *Obiit & Eleazar filius Aharonis: eúmque sepelierunt,* &c.] Credibile est, Imperatorem atque Pontificem, cùm in omni vita conjunctissimi fuissent, eodem penè tempore ex ea emigrasse; sed Pontificem posteriorem, pro historiæ serie. Sic enim moderatur res humanas clementissimus Deus ut alio seculo virorum magnis virtutibus clarissimorum maximus sit proventus, alio contrà admirabilis raritas & penuria. Quia enim benignitatem illiusmodi, cùm præsens est, negligunt mortales, abutuntúrque sæpe ad socordiam, claudit ille subinde largam manum; atque ità multis illos vitæ commodis privatos imò malis etiam sæpe gravibus oneratos, rursus fodicat excitátque ad pietatem. ¶ Sed dictum superiùs est c. 21. Sacerdotes ex Aharone prognatos hæreditatem suam esse sortitos apud Judæos, Simeonitas & Benjaminitas. Non ergò abs re collis iste Phinees, in quo humaretur Eleazarus, donatus esse memoratur. Neque enim poterat jure hæreditatis obvenisse, cùm esset pars montis Ephraim. Credibile est autem, postquam Imperator sibi urbem Thamnath--sara delegisset, communi deliberatione populi studióque ac favore Pontifici de habitatione accommodatum esse in loco Imperatoris possessioni vicino; ut nè procul ab eo abesset, cum quo de republica assiduò habere sermonem deberet; nihil enim Imperator nisi ex Pontificis ore, ut interpretis Dei, statuere jussus fuerat, ut est scriptum in Numeris c. 27. & simul ut proximè ad Dei delubrum habitaret, cùm esset summus Pontifex. ¶ Sed dices, si Eleazaro donatus fuit, cur ab ejus filio *Phinees* nomen habet? Atqui jam sæpe diximus, S. historiæ scriptores plerumque sui seculi nominibus loca nominare. Cùm ergò Phinees post parentem Pontifex longo illic tempore habitarit (vixit enim diutissimè) non est mirum ab hoc mansisse loco nomen, non ab Eleazaro, qui paucis eum annis incoluerat. Porrò quia donantis nomen non est editum, mirum quantis concertationibus plenas disputationes de re non magni momenti contulerint Doctores Hebræi in נבא בתרא c. 8. sed quæ huc ferè recidunt, Dotalem fuisse fundum quem stirpis Ephraimiticæ puella vel Eleazaro vel Phinei in dotem attulerit. Atqui *donatus*, non doti dictus, collis esse memoratur: & nefas erat feminas fundis paternis dotatas non suis tribulibus nubere; quod alibi multis explicatum est à nobis. Quare omissis ejusmodi anilibus fabellis Doctorum Hebræorum existimemus, quod dixi, communi gentis deliberatione & studio procuratum esse ut eum locum, sanè aptissimum, haberet Pontifex, usque dum Arca è Silunte emigraret aliò. ¶ Quæ porrò in Græcis hoc loco prolixè narrantur de iis rebus quæ post Josuæ excessum sunt consecutæ usque ad Æglonis tyrannidem, ea ego notha esse existimo ut in meis Emendationibus dixi. Quare finem hîc commentandi facio, ipso meo natali die; Quo D. Andreæ memoria anniversaria à Christianis piè colitur; Anno à Christo nato CIƆ. IƆ. LXIII.

IDEM.

1. PRO Συχὲμ est in Vat. Σηλώ· & eam scripturam secutus est quoque D. Augustinus. Notatúmque à Syro est, quædam exemplaria Σηλώ habere. At quin hoc mendum vetus sit, nulla potest esse dubitatio; qualia sunt profectò in Græca editione propè infinita. ¶ Post πρεσβυτέρους addit mixta * Ἰσραὴλ ↓. Sed in Vat. est πρεσβυτέρους αὐτῶν· & hanc ego esse LXXII scripturam non dubito. ¶ Scribe cum copula καὶ τοὺς γραμματεῖς αὐτῶν. ¶ Dele illud Κυρίῳ quod est in vulgatis libris. Vat. hunc locum habet addito pronomine, καὶ ἔστησεν αὐτοὺς ἀπέναντι τοῦ Θεοῦ· quæ scriptura mihi vehementer placet. Nam planè exprimit vim verbi Hebraici ad formulam Hithpael formati.

2. Auferendum est participium λέγων.

3. Illud Χαναὰν est asterisco signandum. Nam etiam D. Augustinus scriptum reliquit, à LXXII fuisse omissum; propterea quòd Abrahami fides atque religio non per Chananæam solam, sed per universum terrarum orbem esset propaganda.

4. Initio adde verbum, hoc modo, καὶ ἔδωκα τῷ Ἰσαὰκ, &c. ¶ Pro κληρονομίαν est in Vat. κληρονομῆσαι. ¶ Illa verba, καὶ ἐγένοντο ἐκεῖ, & quæ sequuntur, usque ad illa, καὶ ἐπάταξα, debent obeliscis signari.

5. Initium à LXXII omissum sic suggeri debet ex m. ed. * καὶ ἀπέστειλα Μωϋσῆν καὶ Ἀαρὼν ↓. deinde sequitur, καὶ ἐπάταξα τὴν Αἴγυπτον ἐν οἷς ἐποίησα ἐν αὐτοῖς· sic enim scribendum est: & nomen illud Κύριος expungendum. Porrò post finem hujus versiculi, h. e. post illa verba, καὶ μετὰ ταῦτα ἐξήγαγον ὑμᾶς, debet rursus suppleri ex. ed. m. initium versûs

6. His verbis, * καὶ ἐξήγαγον τοὺς πατέρας ὑμῶν ↓· deinde sequitur quod est in vulgatis libris, ἐξ Αἰγύπτου, καὶ εἰσήλθετε,

ἐκβάλλοντι, &c. Habet autem Vat. pro ἐκβάλλοντι verbum tertiæ personæ, ἐξέβαλον, ut ad ipsos patres referatur: idque Hebræo congruentius est. ¶ *Ubi est* ὅπου τῶν πατέρων ὑμῶν, Syrus legit personam primam ἡμῶν & rectè, nisi fallor; quandoquidem mox sequitur, καὶ ἀνεβιβάσαμεν.

7. Illud νεφέλην καὶ debet jugulari obelisco. Deinde legit Syrus οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν *oculi nostri*: & ulteriùs, ἐνώπιον ÷ Κύριος ὁ Θεὸς ↙ ἐν ÷ γῇ ↙ Αἰγύπτῳ. interrim notat illa, Κύριος ὁ Θεὸς & γῇ obeliscis.

8. Scribe καὶ ἤγαγεν ὑμᾶς εἰς γῆν, *duxit vos*. ¶ Omittit Syrus verbum Κύριος· notátque in nonnullis libris esse χεῖρας ἡμῶν *manus nostras*.

9. Post τὸν Βαλαὰμ suggerit mixta ⁎ υἱὸν Βεὼρ ↙.

10. Scribendum est ÷ Κύριος ὁ Θεός σου ↙· debéntque ista verba obelo jugulari. ¶ Scribe numero plurium, εὐλογίαις. ¶ Illa, καὶ παρέδωκεν αὐτούς, sunt apposito obelisco notanda.

11. Expunge Κύριος, cùm dicitur, Κύριος εἰς τὰς χεῖρας, &c.

12. Scribe ἀπὸ προσώπου ὑμῶν *à nostra facie*. ¶ Pro δύο est in quibusdam libris δώδεκα, ut notavit Syrus. & hanc scripturam videmus in Vaticano: sed dissentit ea ab Hebræo.

13. Rursus legit Syrus καὶ ἔδωκεν ἡμῖν *nobis*.

14. Scribe verbis trajectis, ἐν εὐθύτητι, καὶ ἐν δικαιοσύνῃ. ¶ Illud ÷ ἀλλοτρίους ↙ notetur obelisco. ¶ Cùm est, λατρεύοντες ⁎ τῷ ↙ Κυρίῳ, debet articulus appositam stellam habere.

15. Idem rursus hìc fieri debet, nam est scribendum, λατρεύειν ⁎ τῷ ↙ Κυρίῳ. ¶ Scribatur ἀρέσκει in modo finito. ¶ Scribe τῶν πατέρων ὑμῶν τοῖς ἐν τῷ πέραν, ut articulus hæreat nomini θεοῖς. ¶ Illa, ÷ ὅτι ἅγιός ἐστι ↙, debent obelo jugulari. Compl. non rectè omiserunt, quamvis in Hebræo non sint.

17. Scribe Κύριος γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν ÷ ἐστιν ↙, αὐτὸς ἀνήγαγεν, &c. sed ἐστιν habeat obelum. ¶ Post illa, ἐκ γῆς Αἰγύπτου, suggeritur in mixta ⁎ ἐξ οἴκου δουλείας καὶ ὅσα ἐποίησεν ἡμῖν τὰ σημεῖα τὰ μεγάλα ταῦτα ↙, deinde sequitur quod est in vulgatis libris, καὶ διεφύλαξεν, &c.

19. Cùm dicitur, Κυρίῳ τῷ Θεῷ, debet τῷ Θεῷ expungi: & ante nomen Κυρίῳ suggerit mixta articulum, ⁎ τῷ ↙ Κυρίῳ, ὅτι Θεὸς, &c. ¶ Post ἐστι supplet ⁎ καὶ Θεὸς ↙ ζηλώσας ἐστί. Compl. hunc locum sic proferunt, καὶ Θεὸς ζηλωτὴς ἐστιν οὗτος· quæ sunt ipsa Symmachi verba, ut annotavit Syrus. ¶ Scribe, ordine verborum mutato, τὰ ἀνομήματα ὑμῶν, καὶ τὰ ἁμαρτήματα ὑμῶν. Vat. habet τὰ ἀνοήματα pro ἀνομήματα, opinor, librarii errore.

22. Scribe μάρτυρες ὑμεῖς καθ᾽ ὑμῶν, posito utroque pronomine personâ secundâ. ¶ Post ἐξελέξασθε addit m. ed. ⁎ ὑμῖν ↙ *vobis*. ¶ Omissus est à LXXII finis, qui in mixta suggeritur his verbis ⁎ καὶ εἶπαν, Μάρτυρες ↙.

24. Est in mixta, Κυρίῳ ⁎ τῷ Θεῷ ἡμῶν ↙ λατρεύσομεν.

25. Rursus est in Vat. Σηλὼ pro Συχὲμ· & ità Augustinus etiam eum locum profert: notátque Syrus sic in nonnullis libris esse scriptum: sed error vetus est, ut dixi. Quæ verò deinceps sunt, ÷ ἐνώπιον τῆς σκηνῆς τοῦ Θεοῦ Ἰσραὴλ ↙, ea debent confodi obeliscis, non autem omitti prorsus, quod Compl. existimaverunt.

26. Καὶ ἔγραψε mixta suggerit nomen ⁎ Ἰησοῦς ↙. ¶ Pro νόμου habent quidam libri casum accusandi, νόμον· mihi magis placet gignendi casus; quem video etiam Augustinum legisse. ¶ Cùm dicitur, καὶ ἔλαβεν Ἰησοῦς λίθον, debet Ἰησοῦς expungi, & locari cum obelisco inferiùs post αὐτ, unà cum adverbio loci, hoc modo, καὶ ἔστησεν αὐτ ÷ Ἰησοῦς ↙ ἐκεῖ ὑπὸ, &c. ¶ Est in mixta additus articulus, τερέβινθον ⁎ τὴν ↙ ἀπέναντι, &c.

27. Scribe initium hoc modo, καὶ εἶπεν Ἰησοῦς πρὸς ⁎ πάντα ↙ τὸν λαὸν, suggestâ ex. ed. notâ universitatis. Adverbium ÷ σήμερον ↙ juguletur obelo, scribatúrque mutato ordine verborum, καὶ ἔσται ÷ ἐπ᾽ ↙ ἐν ὑμῖν· & obeli nota ponatur apud illud, ἐπ᾽. ¶ Eâdem quoque notâ signentur illa, ÷ ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ↙, & rursus nomen ÷ Κυρίῳ ↙. Quæ autem deinceps sequuntur in vulgatis libris, καὶ ἀπέστειλεν Ἰσραὴλ, &c. usque dum dicitur, καὶ ἐγένετο μετ᾽ ἐκεῖνα, h. e. usque ad v. 29. sunt mendosè huc trajecta: debent enim collocari post narrationem de gladiolis cum Jesu defossis: pertinent enim ad v. 31.

29. Cùm dicitur, καὶ ἀπέθανεν, expungatur conjunctio καί. ¶ Mox addit mixta verbum ⁎ υἱὸς ↙ ἑκατὸν, &c.

30. Pro Θαμναθσαχὰρ scribe Θαμναθσαρὰχ, aut Θαμναθσαρέχ. Et hìc suggerit in mixta articulus, ⁎ τῷ ↙ ἐν τῷ, &c. ¶ Porrò historia gladiolorum conditorum, quæ deinceps à LXXII adscripta est, ea debet obeliscis tota signari, non autem omitti ut à Compl. factum est. Nam Augustinus & alii veteres legerunt in Græcis libris. Finitâ autem eâ narratione, h. e. post illa verba, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, collocanda sunt illa quæ nuper dicebam esse trajecta, h. e. inchoandus est versiculus

31. His verbis, καὶ ἐλάτρευσε Ἰσραὴλ, &c.

32. Post Ἰωσὴφ est in mixta relationis articulus ⁎ ἃ ↙ ἀνήγαγον, &c. ¶ Cùm dicitur, καὶ κατώρυξαν, juguletur copula obelisco. ¶ Scribendum trajectis verbis, ἑκατὸν ἀμνάδων.

33. Initium versûs, illud dico, ÷ καὶ ἐγένετο μετὰ ταῦτα ↙, debet jugulari obeliscis. ¶ Similiter illud quod mox sequitur ÷ ὁ ἀρχιερεὺς ↙· sic enim est scribendum pro ἱερεύς. ¶ Porrò quæ post finem versûs istius sequuntur in libris pervagatis, ea etiam à Syro lecta sunt. Sed admonet ille, scripta fuisse post absolutam interpretationem LXXII interpretum. Ex quo conjectura satis bona duci videtur, non pertinere ea ad editionem τῶν ἑβδομήκοντα δύο. Possunt autem ex verbis Syri, quibus ille quæ Græcè legit convertit in suam linguam, sic corrigi. Primùm cùm est in nostris libris, λαβόντες οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, Syrus non legit illud, οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. Neque mox illud, τῆς διαθήκης. Et pro περιέφερον ἐν αὐτοῖς, legit Syrus περιέφερον αὐτὴν ἐν Ἰσραὴλ καὶ Φινεὲς, &c. ¶ Pro τῷ ἑαυτοῦ est in Vat. γῇ ἑαυτοῦ· verùm Syrus scripturam vulgarium librorum secutus est. Ulteriùs legit Syrus casu gignendi τοῦ βασιλέως Μωάβ· idque mihi rectius esse videtur. Et hìc esto finis Annotationum.

DRUSIUS.

1. **I**N *Sichem*] In agro Sichem; h. e. in Silo, quod in agro illo. Sic *Gabaon* ponitur pro agro ejus; & *Jericho* quoque. Notavi alias. Sic, *Hebron Chalebo data*, i. ager ejus. Nam ipsa urbs Levitis data in asylum, suprà 21. 12. Sic infrà v. 32. *ossa Josephi sepulta sunt in Sichem*; cùm sequatur, *in parte agri quam emerat Jacob*, &c. Agrum autem illum non fuisse in oppido apparet ex Gen. 33. 18. Græca exemplaria hìc variant. Nam in aliis εἰς Σηλώ, & in aliis εἰς Συχὲμ. Eadem varietas pòst, ubi scribitur *Josuam dedisse legem populo & judicium in Selo*, sive *Silo*. Vide notas ad Rom. edit. hoc loco. ¶ *Coram Deo*] Coram Arca: quæ pro re nata moveri loco potuit. Vide Masium. Nota *Deum* dici pro *Arca*. Sic *Venit Deus in castra*: non quòd esset Deus, sed quòd repræsentaret eum: erat enim symbolum præsentiæ ipsius in terra. Quocirca & *Dominus* vocatur nomine tetragrammato.

2. *Ad omnem populum*] Ad primores ejus, qui sunt, *Senes, capita ejus, Judices*, & *Præfecti*. Res certa ex versu qui hunc antecedit. ¶ *A seculo*] i. olim. Magni viri *olim* ab *Olam* dici putant, videlicet Beza & Masius. ¶ *Trans flumen*] Euphraten; in Ure Chaldæorum, quæ urbs est ejus nominis. *Uriam* non nemo vocat. Sunt qui habitatam olim fuisse censent à Chaldæis, h. e. Genethliacis ac Mathematicis, indéque *Ur Chaldæorum* appellatam. Quod mihi à vero alienum non videtur. Jonathan hìc habet, *trans Euphraten*.

4. *Dedi Isahac Jacobum & Esau*] Jacob primo loco memoratur, cùm fuerit secundo-genitus. Sic 1 Par. 1. 28. *Filii Abraham, Isahac & Ismael*, Gen. 11. 26. *Thare genuit Abram, Nahor, & Haram*. Gen. 5. 21. *Sem, Cham, & Japheth*.

5. *Misi Mosen & Aharonem*] Moses, licèt junior esset fratre suo tribus annis, præponitur propter dignitatem.

tem. Qui tamen ordo non semper observatur: nam legimus, & notavi aliàs, *Eleazar & Josua*: sic, *argentum & aurum*.

6. *Venistis ad mare*] Hic mare Suph absolutè *mare* vocatur. Errat igitur qui putat הים τὸ ἄζοχῶ dici tantùm de mari Magno.

9. *Pugnavit in Israel*] Sic Claudius Quadriganus, *Postquam pugnatum est in Gallos*. Communiter dicunt *contra Israel*. Sed ubi pugnavit contra Israelem? nusquam legimus manum cum Israele conseruisse Balacum. Quid igitur sibi vult? An conatum ejus quo usus fuit contra Israelem, conducendo Balaamum ad maledicendum ei, *bellum* vocat? Videtur & in ea sententia esse noster Masius, *Cum enim Balac*, inquit, *animadverteret viribus se inferiorem esse, magicis artibus enervari posse hostem stulte putavit*, Jud. 11. 25. *An jurgando jurgatus est* (Balac) *cum Israele? an pugnando pugnavit in eos?*

11. *Domini Jericho*] Cives aut habitatores Jericho. Οἱ κατοικοῦντες Ἱεριχὼ sic Græci Lxx. Nec aliter Jonathan. Nam יתבי יריחו sunt *habitatores ejus urbis*. Idem dicit Hieron. referens, *viri civitatis ejus*. Siquidem אנשי העיר sunt *cives*, qui & *filii urbis*. Sic dicimus בעלי בית & אנשי בית, *Domini domûs*, & *viri domûs* eodem sensu. Videtur tamen R. D. hunc locum exposuisse גדולי יריחו *magnates Jericho*: quem fortè secutus Andreas Masius ad hunc locum annotat, *Mihi videtur hoc loco significare eos ad quos cura reip. Jerichuntinæ pertinebat, h. e. primates ejus urbis*. Prius verius puto. Sanè בעלי ברית, Gen. 14. 13. sunt qui alibi vocantur, אנשי ברית *viri federis*; nescio an etiam בני ברית *filii federis*. Nam dicimus *advena filium federis*. Sed tollit omnem omnino dubitationem Judic. 9. 20, 23, 39. בעלי שכם *domini Sichem*, & v. 51. כל בעלי העיר *omnes domini urbis*. Sic Judic. 20. 5. בעלי הגבעה *domini Gabaa*. Et 1 Sam. 23. 11. בעלי קעילה, item v. 12. Rursum 2 Sam. 21. 12. בעלי יבש גלעד *Domini Jabes-Galaad*. ¶ *Pugnarunt in vos*] Restiterunt vobis occludendo portas. Aut verbum refertur ad eos qui sequuntur: Nam illi animis infestis obviàm processerunt Israelitis.

12. *Vespas*] Vel, *crabrones*. Ad verb. *crabronem*. Sic *rana* pro *ranis*, *locusta* pro *locustis*. Lxx τὴν σφηκίαν, quasi *examen vesparum*. Hieron. *crabrones*. *Venenum ejicit*, Gerundensis in Exod. 135. 2. Abenezra genus morbi esse putat. R. Salo. definit *reptile volans*. R. David ad hunc locum, *Species est muscæ pessima qua venenum ejicit*. Aiunt autem vespam istam oculos eorum excæcasse ità ut non potuerint videre ad pugnandum. Jonathan reddit ארעיתא per Aleph. Quare vocatur ארעיתא? Quia obviàm procedens homini percutit faciem ejus aculeis. Nam ארע *occurro*, *obviam procedo*. Cæterùm insecta fuisse, & non morbi genus, docet autor Sapientiæ; quem opinantur Philonem esse, non illum qui Caii tempore vixit, sed alium, qui floruit sub Templo secundo; quem ideo *Philonem seniorem* appellare soleo. Vide Sap. 12. 8. Videntur autem hæc gesta esse ante adventum Israelitarum. Sed vide quæ scripsimus de his Vespis aut Crabronibus, Exod. 23. 28. Nam non libet eadem repetere. Vide quoque Masium. ¶ *Non gladio tuo, neque arcu tuo*] *Arcum* & *gladium* posuit pro quovis genere armorum. Sic Gen. 48. 22. *gladio meo & arcu meo*: proverbiale, quod invenies clas. 2. l. 3. Adag. 68. Psal. 44. 6. *Non in arcu meo confidam: non meus me servabit gladius*. Rursum v. 3. *Non gladio suo terram occuparunt, neque brachium ipsorum servavit eos*. Vide sequentia. Psal. 7. 12. *Gladium suum acuat, arcum suum tendat*.

14. *Timete*] Reveremini, colite. ¶ *In integritate*] Sincerè, & sine fuco ullo simulationis. Novè posuit תמים pro תם *integritate*. Nam תמים potiùs *integer*, unde תמימי דרך *integri viâ*, i. vitæ; ut Horatius cecinit,

Integer vitæ scelerisque purus.

Sed sunt quædam nomina modò concreta modò abstracta, ut Dialectici loquuntur. Sic עד *testis* & *testimonium*, צר *adversarius* & *adversitas*. In iis est תמים *integer* vel *integritas*, ut Jud. 9. 19. בתמים *in integritate*, *integrè*. Igitur Amos 5. 10. דבר תמים reddi potest *loquente integritatem*, i. integrè: vel *loquens integer*; ut *matutinus agebat*, *nocturnus veniebat*, i, manè, vespere, ut sit nomen loco adverbii. Sic הולך תמים *ambulans integer*, i. integre, vel בתמים *in integritate*: ut Psal. 26. *Ego בתמי in integritate mea ambulavi*. R.D. exponit בדרך תמים *in via integra*. Sic alibi, *Qui ambulat viâ integrâ ministrabit mihi*. Idem ad hunc locum, *Integer est qui se occupat in negotiis hujus seculi cum integritate, nec profundat cogitationem suam in solertiis hujus mundi*, aut *seculi*. Psal. 19. 7. *Lex Domini integra*; in qua nihil vitii, nihil deest, nihil redundat, i. omnibus modis absoluta, Psal. 84. 11. הלכים בתמים, *qui ambulant in integritate*. Psal. 101. 2. דרך תמים, *viâ integritatis*, aut *integrâ*. Lxx ἐν ὁδῷ ἀμώμῳ, *viâ immaculatâ*. Gerundensis, תמים *in quo nulla macula*, vel *nullus defectus*. Idem שלם. ¶ *Patres vestri*] Thare, Nachor, &c. Etiámne Abraham? Multi opinantur Abrahamum initio idololatram fuisse, quem Deus postea merâ suâ benignitate ad saniorem cultum perduxit eductum ex Ure Chaldæorum, &c.

23. *Removete Deos*, &c.] Hinc liquet fuisse tunc in populo qui coluerint idola, ut etiam erant cùm in deserto versarentur. Vide Amos 5. 26. Act. 7. 43. & Masium hoc loco. ¶ *Deos alienos*] אלהים אחרים. In fonte est אלהי הנכר *Deos ignoti*, & subintelligitur *populi*. נכר dicitur de omni eo qui non est Israelita, זר autem de eo qui ex alia familia tribûs. Abenezra Exod. 21. 8. Ergò אלהי נכר *dii alieni*, sub. *populi*. Gen. 35. 2. ubi Jon. *idola populorum*, sive *gentium*, Lxx θεοὺς τοὺς ἀλλοτρίους. נכר propriè ἀλλοτριότης, i. *alienitas*, si sic loqui liceret. Sic בני נכר υἱοὶ ἀλλοτριότητος, i. ἀλλότριοι, suprà v. 20. אלהי נכר. Tamen R.D. ait נכר *Thoar*, i. *adjectivum*, *esse*, Exod. 12. כל בן נכר. Jes. 56. בני הנכר *filii alieni*. Idem scribit, in בן נכר & אל נכר esse נכר *adjectivum*, i. *Thoar*; sed ubi constructio est, tum esse nomen שם (*substantivum*, ut in אלהי נכר. Vide in Rad. Non planè adsentior. Nam etiam in אל נכר potest constructio & regimen esse.

26. *In libro legis Dei*] Jon. *Scripsit Josua verba hac, & reposuit ea in libro legis* Domini. *Verba hac*, i. verba federis hujus. *Loquitur*, inquit Masius, *de stipulationis Dei & sponsionis populi formulis*. ¶ *Subter quercum*] אלה pro אלה *quercus*. R. D. aliter. Sed variè interpretantur. Vide Masium. Jon. אלתא *quercus*. Lxx ὑπὸ τὴν τέρμινθον *subter terebinthum*, nam τέρμινθος arbor est quæ alio nomine τερέβινθος dicitur. Pollux τερμίνθου καρπὸν ait à quibusdam τερέβινθον dici. Ut אלה dicimus & אלה, sic אלן & אלון. Appellatio à *robore*: nam איל *robustum esse* sign. Jonathan alibi בוטמא reddit. Ea est Terebinthus quæ Arabicè בטם *botom*, *botim*, vel *batom*. Sed 1 Par. 10. 12. Lxx δρῦς, i. *quercus*. De terebintho Abrahæ vide Scaligerum ad Eusebium, 253. 1. Sunt qui *Robur* vertunt, quod est genus arboris glandiferæ durissimæ. Vide Dict. Ebra. De hac quercu Gen. 35. 4. & Jud. 9. 6.

27. *Nam ipse audivit*] Lapidi tribuit auditum, h. e. rei inanimæ. Sic, *Ipsi lapides loquentur*; *Audite cœli ac terra*; *Lapis de pariete clamabit*; *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. Sed vide sis Masium hoc loco.

30. *Ab aquilone montis Gaas*] Hic rursum מצפון cum (:) sub Tsade, quia particulæ non impediunt constructionem. Sic חוסי בו *sperantes in eo*. Montis Gaas mentio in historia Regum. Putant fuisse partem montis Ephraim Austro oppositam. Consule Masium.

31. *Senum*] Sequentia indicant nomen ætatis esse, non dignitatis.

32. *Centum agnis*] Nummis Agni figurâ & imagine signatis. Hieron. *Centum novellis ovibus*. Lxx ἀμνάδων ἑκατὸν *agnabus centum*. Jon. במאה חורפן. Sant. *nummis*. Arias, *agnellis*. Lex. Chald. Munsteri, חורפא *agna*.

agna. In margine mei Lexici, חורפא *agnus*, *Arabicè* כרוף. Apud Sylvat. Carof in eodem Lexico, חורפן *agna*, Jos. ultimo.

IDEM.

17. מִבֵּית עֲבָדִים. Th. ἐξ οἴκου δούλων, *è domo servorum.*

19. אֵל קַנּוֹא הוּא. Sym. καὶ Θεὸς ζηλωτὴς οὗτος ἐστιν, *& Deus æmulator est iste.*

22. וַיֹּאמְרוּ עֵדִים. Th. καὶ εἶπαν, Μάρτυρες, *& dixerunt, Testes sumus.*

26. הָאַלָּה. A. & Sym. τῆς δρυὸς *quercûs.*

GROTIUS.

1. *In Sichem*] Silunte. Qui locus in Sicimitarum terra.

9. *Pugnavit contra Israelem*] Non vi, sed dolis; quod & sequentia explicant, & ipsa historia ostendit.

11. *Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, Et Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Jebuzæus*] Græci benè, ἐπολέμησαν πρὸς ὑμᾶς· nam לחם sæpe non *pugnam* sed *bellum* sign. & populorum qui hic nominantur quidam nihil aliud quàm portas clauserunt.

13. *Dedique vobis terram in qua non laborastis, & urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis, vineas & oliveta quæ non plantastis*] Ex Deut. 6. 11. Antiphanes, Τοῖς πολεμίοις εὔχεσθαι δεῖ τἀγαθὰ περιεῖναι χωρὶς ἀνδρείας· γίνεται γὰρ οὕτως οὐ τῶν ἐχόντων, ἀλλὰ τῶν κρατούντων.

19. *Dixitque Josue ad populum*] Stipulatio.

21. *Dixitque populus ad Josue*] Sponsio. Confer 2 Par. 34. 32.

26. *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini*] Codici isti qui apud Arcam custodiebatur (Vide Deut. 17. 18. & 31. 26.) hæc promissa ascribi jussit.

¶ *Subter quercum*] Illam ipsam cujus mentio Gen. 35. 4. in historia Jacobi, & Jud. 9. 6. Is locus in honorem Jacobi diu pro templo fuit. Malè autem Samaritani, qui post constitutum auctoritate regiâ Hierosolymis Templum, moris obliterati obtentu schisma fecerunt, quod in hæresin erupit.

30. *Thamnathsara*] תמנת סרח. At Jud. 29. idem dicitur תמנת חרס. In altero horum locorum literæ sunt transpositæ. Latinus utrobique *Thamnathsare.* Græci codices variant.

31. *Cunctis diebus Josue, & seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue*] Nempe eorum qui Josuæ participes fuerant in populo regendo. Neque enim diutiùs mansisse in Dei obsequio populum ex Judicum libro apparebit: ubi opposita his verbis verba habes 2. 8, 9, 10. Tantum valet benefactorum recens memoria, & virorum spectatorum auctoritas. Vide simile 2 Par. 24. 2, 16, 17, 18. Apparet hinc post Josuam aliquanto tempore scriptum hunc librum, ut suprà monuimus.

32. *Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem*] Ex promisso Gen. 50. 24.

33. *Quæ data est ei in monte Ephraim*] Nempe per uxorem: nam Levitæ suo nomine privatos agros non habebant. Vide simile 1 Par. 2. 21, 22, 23.

ANNOTATA AD LIBRUM JUDICUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. Vocant Hebræi, sicut & Latini, hunc *librum* שופטים, JUDICUM, quòd post mortem Jehosuæ Judices fuerint moderatores populi. Consulunt igitur in primis filii Israel Dominum, Quæ tribus sustinendis præliis prima subeat munia, quæque ab initio, ut Hebraismus habet, pugnet, h. e. dux belli sit, prioremque teneat locum. Et datur illis oraculum ex Urim & Thummim, quòd tribus Jehuda primùm aggrediatur hostem. Et notat hîc R. Levi F. Gerson, quòd pondus magnum primo incubuerit bello, posteaquam filii Israel destituti essent Mose atque Jehosua, & nullum communem haberent gubernatorem. Unde prudenter currunt ad oraculum Divinum. Rogantes quam ipse Deus delegerit tribum quæ in imminentibus præliis gubernaculi teneat temonem.

5. *Adoni-Bazak*] h. e. *Dominus loci Bazak.* Et est Jod in *Adoni*, litera superaddita.

6. *Pollices*] Est בוהן secundùm K. אצבע הגס *digitus crassior.* Nec absque causa injuria ista illata fuit Adoni-Bazæk, cùm & ipse tot Regibus absciderit pollices manuum atque pedum.

8. *Oppugnantes Jerusalem*] Hæc oppugnatio urbium Jerusalem & Debir facta est vivente adhuc Jehosua, Jos. 10. 38. & 15. 63.

14. *Verbum*] ותצנח exponitur pro הפילה עצמה *dejecit seipsam.*

15. הבדה] In Jehosua scribitur, תנה *Da.*

16. *Palmarum*] Hæc civitas fuit Jeriho, quòd multæ per circuitum ejus crescerent palmæ. Et licèt anathemati supposita esset, tamen tota vallis illa denominata est ab ipsa. Cur autem isti Kenæi, qui à Jithro socero Mosi descenderunt, cum filiis Jehuda ab hoc loco migrarint, ex textu sciri non potest: nisi quòd quidam putant eos fugisse consortium Chnaanæorum, nè eorum commercio contagionis aliquid contraherent. Ab his Kenæis tandem descenderunt Rechabitæ, de quibus habetur Jer. 35. Et quando in Lege dicitur de Jithro, וילך לו אל ארצו *Et abiit in terram suam*, Hebræi hoc sic intelligendum putant, quòd *abierit* לגייר *ut proselytos faceret homines suæ cognationis, & ad fidem unius & veri Dei converteret.* De

Kenæo

Kenæo isto cujus mentio fit in textu quidam ità sentiunt ut putent illum fuisse filium Jethro soceri Mosi. Hebræi autem communiter opinantur illum fuisse Jethro ipsum socerum Mosi, cùm textus absolutè habeat חותן sine aliquo additamento.

19. *Eliminavit montanos*] Heb. *Ejicit montem*, h. e. habitatores montis. *Habitatores autem vallium non potuerunt exterminari*, non ob id tantùm quòd uterentur curribus acutis falcibus munitis, sed quòd Dominus voluit eos exercitari per gentes illas, nè otio torperent, & sui obliviscerentur, sicut posteris temporibus factum est cùm requiem assecuti essent.

21. *In Jerusalem*] Quando dicitur quòd *in hunc usque diem* expugnari non potuerit, Hebræi id referendum docent ad tempus Samuelis, qui hunc scripsit librum; cujus temporibus Jebusæi adhuc Jerosolymam inhabitabant.

23. De civitate *Luz* pudet hic referre Hebræorum deliramentum, qui nominis *Luz* conantur reddere rationem. Interpretatur *Luz*, *corylum*: &, *Per corylum*, inquit, *oportuit ingredientes hanc intrare urbem. Erat autem corylus illa cava, & ingressos transmisit per speluncam quandam in urbem*. Potuit quidem fieri ut sicut Jeriho à multis palmis *civitas palmarum* vocata fuit, ità hæc urbs à multis avellanis *Luz* fuerit denominata.

27. *Præsumpsit*] Exponunt Hebræi ubique verbum הואיל per חפץ & רצה. Nostri verò errantes, perpetuò vertunt *incipere*, ac si scriberetur החל per Heth, cùm יאל & החל diversæ sint radices.

32. *Aseraus*] Adjectivum est gentile, à nomine *Aser*.

VATABLUS.

Secundus est Prophetarum priorum liber, qui ab Hebræis שופטים appellatur, i. JUDICES, & à LXX similiter Κριταί. Sic enim dicebantur ii quorum operâ Deus gubernabat Israeliticum populum post Mosen & Josuam. Aiunt autem Hebræi Samuelem Prophetam scripsisse hunc librum, in quo delicta Israelis & providentia Dei conspiciuntur. Simul describitur ratio quâ Dominus remp. Israeliticam administravit ante Reges.

1. *Interrogaverunt*, וישאלו] *Mortuo Josue consuluerunt Israelitæ Dominum*, cùm nullum alium haberent Ducem. ¶ *In principio*, בתחלה] i. Quis primus nostrum, aut, Quæ ex nostris tribubus omnium prima, parabit expeditionem in Chananæos, ut oppugnemus eos?

2. *Jehudah*, יהודה] Tribum Judæ significat.

3. *Ad Simon*, לשמעון] Totam tribum hîc etiam intelligit. Simeonitæ, quòd essent propinquiores tribui Judæ, & iisdem inclusi terminis, vocantur à Juda. ¶ *Ascende mecum in sortem meam*, עלה אתי בגורלי] i. Veni mecum ut oppugnemus eos qui patriam mihi sorte assignatam occupant. ¶ *Et ibo*, &c. והלכתי וגו'] i. Adjuvabo te in expugnandis hostibus qui patriam tibi sorte assignatam occupant.

4. *Percusseruntque eos in Bezec*, ויכום בבזק] *Percusseruntque ex eis & Bezec*, i. in agro vicino urbi Bezec.

5. *Adoni-bezec*, אדני בזק] *Dominum Bezec*: ità quidam vertunt. ¶ *Et pugnaverunt contra eum*, וילחמו בו] i. Oppugnaverunt urbem ut eam caperent. ¶ *Chenaaneum*, הכנעני] Qui scilicet adjuvabat illum.

6. *Et absciderunt*, ויקצצו] *Et amputaverunt, truncaverunt, præciderunt*.

7. *Pollicibus manuum*, &c. בהונות ידיהם וגו'] *Quorum pollices manuum ac pedum erant amputati*, me scilicet jubente, ut hâc ratione essent inepti ad bellum, & ut deterrerem alios à bello ipso.

8. *Pugnaverant autem*, &c. וילחמו] *Jam autem oppugnaverant*, &c. Hæc enim dicuntur per recapitulationem. ¶ *Et civitatem miserant in ignem*, ואת העיר שלחו באש] Pro, *immiserunt ignem in civitatem*, totam urbem incenderunt.

9. *Descenderunt*, ירדו] Ità dicit quòd Jerusalem esset in loco edito. ¶ *In monte*, ההר] *In montanis*.

11. *Perrexit praterea*, &c. וילך וגו'] Hæc omnia usque ad 16. v. leguntur Jos. 15. 15.

12. *Chaleb*, כלב] Princeps scilicet tribûs Juda, & cui promissa erat Hebron.

13. *Filius Cenaz*, &c. בן קנז אחי כלב הקטן ממנו] *Cenezæus, frater Chaleb, minor eo*, i. junior.

14. *Cùm pergeret ipsa*, בבואה] i. Cùm deduceretur domum sponsi sui. ¶ *Instigavit eum*, ותסיתהו] *Suasit illi*. ¶ *Et descendit*, &c. ותצנח] Cùm scilicet ille cunctaretur, aut renueret petere, illa desiliit, sive dejecit sese, de asino suo quo vehebatur, h. e. accidit ad genua patris.

15. *Benedictionem*, ברכה] q. d. Da mihi munus aliquod (significat enim augmentum boni) *nam agrum arentem dedisti mihi, da mihi etiam scaturigines*, sive *locum scatentem aquis*. ¶ *Superiores*, עלית] *Superioris*, sub. *partis agri, & fontes inferioris*.

16. *Filii autem Ceni*, ובני קיני] i. Nepotes Ceni, h. e. Jethro Cenæi. ¶ *Ascenderunt*, עלו] i. Recesserunt, sive abierunt, *è Civitate palmarum*, quæ sita erat in agro Jerichuntino: moti gloriâ & felicitate tribûs Judæ. ¶ *Et perrexit*, וילך] Princeps scilicet Ceni, unà cum filiis Juda.

17. *Et vastaverunt eam*, ויחרימו] *Et perdiderunt eam*, vel *funditus everterunt*. ¶ *Vocavitque*, ויקרא] *Propterea vocata fuit*.

19. *Fuitque Jehovah cum Jehudah*, ויהי יהוה את יהודה] *Eratque Jehovah cum Judah*, i. favebat illi. ¶ *Et possedit montem*, ויורש את ההר] *Propterea expulit montana*, i. Chananæos qui tum habitabant in montanis. ¶ *Habitatores vallis*, את יושבי העמק] i. Eos qui habitabant in campestribus.

20. *Sicut locutus fuerat*, כאשר דבר] i. Sicut præceperat. Vide Num. 14. 24. ¶ *Filios Anac*, בני הענק] *Filios gigantum*, i. tres potentissimos tyrannos.

23. *Cujus nomen*, ושם העיר] Ad verb. *& nomen urbis*.

24. *Custodes*, השומרים] *Observatores*, i. qui observabant quicquid egrederetur. ¶ *Ingressum urbis*, מבוא העיר] i. Quâ parte faciliùs expugnari possit urbs ista, h. e. quâ parte urbis expugnatâ ingrediemur ipsam: significat enim partem infirmiorem ac imbecilliorem. ¶ *Et faciemus tecum misericordiam*, ועשינו עמך חסד] Hebraismus, hanc gratiam rependemus tibi: hoc beneficium compensabimus.

27. *Beth-sean*, בית שאן] Subaudiendum ex seq. יושבי *habitatores*, ut legas, *non expulit habitatores Beth-sean*.

28. *Et fuit, cùm roboratus esset*, ויהי כי חזק] *Cùm autem fortior evasisset*.

34. *Et compulerunt Emorai*, &c. וילחצו האמורי וגו'] i. Coegerunt se recipere in montana.

35. *Cœpitque*, ויואל] *Optavitque*, i. cùm autem totis viribus conarentur *habitare in*, &c. *tum aggravata est manus domûs Joseph*, h. e. prævaluit illis Amorrhæis, q. d. superaverunt & profligaverunt illos filii Joseph.

36. *Ab Ascensu scorpionum*, ממעלה עקרבים] *A Maale-acrabbim*. Hic locus erat in parte Australi Terræ sanctæ. Dicit igitur, Fines Amorrhæorum incipiebant à Maale-acrabbim in parte Australi Terræ sanctæ, imò à Sela urbe Arabiæ, & ultrà, i. multùm protendebatur dominium eorum, nempe usque, &c. & porrigebatur versùs Septentrionem usque ad Dan.

CASTALIO.

8. Urbem igni incenderunt] Scilicet arce ab hostibus retentâ. Nam paulò pòst negantur indè exacti Jebusæi.

CLARIUS.

1. *Quis ascendet*] Mortuo Josue, cùm destituti essent Duce, pondus magnum primo incubuit bello, cùm nullum communem haberent gubernatorem: Unde prudenter currunt ad oraculum Divinum rogantes quam ipse Deus delegerit tribum quæ in imminentibus præliis teneat gubernacula.

5. *Adonibezec*] h.e. *Dominus loci Bezech.*

8. *Jerusalem*] Hæc oppugnatio Hierusalem & Dabir facta est adhuc vivente Josue, ut habes cap. 10, & 15.

16. *Civitate palmarum*] Hæc civitas fuit Hiericho, quòd multæ per circuitum ejus crescerent palmæ. Et licèt anathemati supposita esset, tamen tota vallis illa denominata est ab ipsa. Cur autem isti Cinæi, qui à Jethro socero Mosis descenderunt, cum filiis Juda ab hoc loco migrarint, ex textu sciri non potest; nisi quòd quidam putant eos fugisse consortium Chananæorum, nè eorum commercio contagionis aliquid contraherent. Ab his Cinæis tandem descenderunt Rechabitæ, de quibus habetur Jer. 35. Et quando dicitur in Lege de Jethro quòd *abierit in terram suam*, Hebræi hoc sic intelligendum putant, quòd abierit ut proselytos faceret homines suæ cognationis, & ad fidem unius ac veri Dei converteret.

19. *Habitatores vallis*] Non potuerunt exterminare habitatores vallium non ob id tantùm quòd uterentur curribus acutis falcibus munitis, sed quòd Dominus voluit eos exerceri per gentes illas, nè otio torperent, & sui oblivíscerentur. Sic non semper aufert tentationes à suis Deus, utilitatis eorum gratiâ.

21. *In Jerusalem usq; in præsentem diem*] Quando dicitur quòd in hunc usq; diem expugnari non potuerit, Hebræi id referendum docent ad tempus Samuelis, qui hunc scripsit librum, cujus temporibus Jebusæi adhuc Hierosolymam inhabitabant.

DRUSIUS.

1. *Interrogarunt*] Consuluerunt Urim ac Thummim, quò de voluntate Dei certiores fieri possent, Num. 27.21. Vide quæ scripsimus de his Exod. 28.30. Vide quoque Fagium in Notis ad Paraphrasin Chaldaicam Onceli; Gerundensem, 145. 2. Manahemum Ricinensem, 112. 2, & 3. Ebræi ponunt Urim ac Thummim in tertio gradu. Nam primus est *Prophetia* propriè dicta; secundus, *Spiritus Sanctus*; tertius autem, *Urim ac Thummim* in pectorali Pontificis, unde Sacerdos futura prædicebat. Nam si res bene casura erat, vividâ micabant luce, aut inspiratus à Deo Sacerdos prophetabat. Sed hæc incerta. Josephus autor, lumen istud ante ducentos annos quàm viveret desiisse. Natus autem fuit, ut quidem Bodinus ait, trigesimo anno post Christum. Ego plures annos intercessisse putarim. Nam toto tempore Templi secundi defuerunt, si credendum Doctoribus Ebræis, qui scribunt quinque illo tempore desiderata fuisse, & in iis recensent Urim ac Thummim. Quod innui putant verbo ואכבד apud Haggæum Prophetam, 1.8. ubi ה desideratur, quæ in numeris notat quinque. ¶ *Dominum*] Ad verb. *in Domino*. Jon. *in sermone Domini*. Codices Græci variant, nam in quibusdam, διὰ τοῦ Κυρίου *per Dominum*, & in aliis ἐν Κυρίῳ, & apud August. *in Domino*. ¶ *Quis ascendet nobis?*] Τὸ nobis παρέλκει ex usu idiomatis. Sic Græci eleganter, Τίς ἀναβήσεται ἡμῖν; Hier. *ante nos?* לפנינו. Non quærunt an ascendendum sit; nam de eo certi erant; sed, quis ascensurus sit primùm. Id non audebant facere Deo inconsulto, quoniam in bello Haiensi pessimè illis cesserat quòd eo non consulto hostes aggressi fuissent. Malo igitur suo edocti nunc sapiunt, & Deum interrogant; quia si res initio malè successisset, reliquiæ gentium potuissent dicere, *Recessit umbra eorum*, &c.

2. *Juda*] Tribus Juda: quod sanè intelligendum. Non enim fuit dux constitutus reliquarum tribuum, sed primus ascendit ad expellendum Chananæum è sorte sua. Utitur autem Scriptura verbo *ascendendi*, quia faciendum erat iter Aquilonem versùs, quæ mundi pars in altiore loco sita erat: unde qui eò tendit *ascendere* dicitur.

4. *In Bezec*] Nomen est oppidi, cujus Rex *Adoni-bezec* hìc dicitur, sed Jos. 10. 1. legitur pro *Adoni-sedec* in cod. Græcis. Sæpe ità nomen cum nomine permutatum in editione illa. Ego menda hujusmodi, licèt antiquissima sint, corrigenda esse puto ex cod. Ebræis, h.e. ex ipso fonte. Qui aliter sentiunt, fruantur illi judicio suo: dummodo nostrum nobis relinquant.

5. *Invenerunt Adoni-bezec*] Notatum hìc בזק habere accentum in ultima, cùm aliàs habeat accentum in penultima, more illorum nominum quæ sex punctis notantur. De Bezec Eusebius, *Urbs Regis Adonibezec. Et hodie duæ villæ sunt nomine Bezec, vicinæ sibi in decimoseptimo lapide à Neapoli descendentibus Scythopolim.* Sonat autem *Adoni-bezec, dominus Besec.* Sic *Adoni-sedec, dominus Sedec:* quod putant esse antiquum nomen urbis Salem sive Jerusalem. *Adoni* verò cum Jod paragogico idem quod *Adon*. Alibi Jod pronomen est, ut Psal. 110. 1. *Dixit Dominus Domino meo* לאדוני. Sensus est, *Dixit Pater Filio, qui est Dominus meus.* Nam Dominum alium non agnoscebat David Rex. Frustrà ergò sunt Judæi, qui de hac interpretatione Christianis negotium facessunt & controversiam faciunt; non facerent, nisi velum obductum esset oculis eorum, quod ità excæcat eos ut etiam in clara luce nihil videant.

8. *Pugnaverunt*] Malim *pugnaverant*. Nam quomodo potuerunt ducere Adonibezecum eò, nisi priùs urbe captâ & expugnatâ? Fortè partem aliquam habebant, & pòst aliam expugnarunt. Nam arcem Jebusæi tenebant usque ad tempora Davidis. Cæterùm *pugnare* hoc loco non significat *expugnare*, ut Emm. Tremell. vertit: nam ità superflueret quod sequitur, *& ceperunt eam:* qui enim expugnat urbem, eandem capit; si expugnarunt, etiam ceperunt. Redundat ergò illud si נלחם sig. *expugnare*; quod mihi non videtur. ¶ *Miserunt urbem in ignem*] Hypallage pro *miserunt ignem in urbem*. Vult dicere, *incenderunt eam*. Sic Psal. 74. 7. *Miserunt in ignem sanctuaria tua.* Quale illud Virgilii in Latio, *dare classibus Austros.* Cicero, *Non vidimus in urbe gladium vaginâ vacuum*, pro *vaginam gladio vacuam*. Vide Michlol 31. 9. Sic Ovidius,

> *In nova fert animus mutatas dicere formas*
> *Corpora;*

pro *mutata corpora in novas formas*. Hiscuni vocat סירוס ut cùm legimus Lev. 17. 14. *sanguis ejus in anima ejus*, pro *anima ejus in sanguine ipsius*; &, *sanctitas templi tui*, pro *templum sanctitatis tua*, i. sacrosanctum tuum. *Viriditas herbæ*, pro *herba viriditatis*. Job 17. 4. *Cor eorum abscondisti ab intellectu*, pro *intellectum abscondisti à corde ipsorum*. Sic *veritas Evangelii*, pro *Evangelium veritatis*, ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου, pro εὐαγγέλιον τῆς ἀληθείας, i. vera & sincera Euangelii doctrina, Gal. 2. 5. Jes. 1. 3. *Cognovit bos præsepe domini sui*, pro *dominum præsepis sui*, ut exigit loci circumstantia. Nam Judæi præsepe, at non Dominum agnoscebant. Joel. 3. 18. *colles fluent lacte*, pro *lac fluet per colles*. Sic, *omnes alvei fluent aquâ*, pro *aqua fluet per omnes alveos Juda*. *Scelus viri* Plautus dixit pro *vir scelestus*. *Immunditia hominis* Lev. 7. 21. pro *homo immundus*. *Argentum siclorum* Lev. 5. 15. pro *sicli argentei*. *Ornamenta tiararum* Exod. 39. 28. *tiaræ ornamentorum*, i. ornatæ.

9. *Descenderant*] Austrum versùs. ¶ *Filii Juda*] Tribus Juda, Judæi. ¶ *Montem*] Τὴν ὀρεινὴν, i. montana Judææ, ubi Hebron sita. ¶ *Meridiem*] Australem plagam. ¶ *Planitiem*] Humilem aut campestrem regionem. Hìc *Meridies* distinguitur à *regione campestri*; & נגב dicitur quod olim Ναγὲβ legerunt. Aq. Sym. Theod. νότον reddunt Jes. 30. 6. quod *Africum* vel *Austrum* interpretantur. Et quia ea plaga siccior est propter æstum solis, ideo pro *terra sicca* ponitur. Jon. דרומא, quod Ebræi dicerent הדרום. Simul ista leguntur Exod. 26. 18. נגבה דרומה *Austrum, Meridiem versùs.* R.D. *Nageb est terra sicca aridáve.*

10. *Sesai*] Qui & Sisai, filius Enac, nepos Arbæ, à quo Hebron *Cariatharba* nominata. Appellatio à *marmore,*

more, q. *marmoreum* dicas. Nam שש *marmor*, Phesictha fol. 47. col. 3. ¶ *Ahiman*] Vel *Achiman*, Ἀχιμάν. Philo, *Achiman, Frater meus quis?* Malim, *frater cujus*, q.d. *Non est in mundo ei frater*, i. similis *quoad robur*; Phesictha 47. 3. *Frater* hoc sensu sumitur in illo, *frater est perdentis*, i. nepotis, qui sua dilapidat. *Nepotianum* appellant. Vide Num. 13. 22. ¶ *Thalmai*] i. *Tholemaus*, qui & *Tholomaus*, & *Ptolomaus*. Nam in Hier. *Tholmai*. Appellatio à *sulco*; quia cùm incederet, faciebat sulcos in terra; Phesictha 47. 3. originatio inepta. Lxx Θελαμὶ (fortè Θελμαΐ) & Θολμὶ *Tholmi*.

11. *Debir*] Quæ in Australi plaga. Nomen hoc in lingua Persica *librum* designat. Idem sensus in *Cariath-sepher*, quod reddunt *Civitas literarum*, ego, *Civitas librorum*. Fortè in eo libri adservabantur tanquam in armario vel archivo. Sanè Jonathan interpretatur *Cariath-arche*, i, ארכי, unde fortean *archivum*. In lingua primitiva *Debir* est *oraculum*; q. λαλητήριον dicas, Templi pars secretior, quam ἄδυτον & *Sanctum sanctorum* vocant.

12. *In uxorem*] i. Uxorem revera. Alibi *in uxorem* sign. *uxoris loco*, aut *pro uxore*. Sic, *erunt in carnem unam*, i. quasi una caro vel unum corpus. Sed, *Ero eis in Deum*, i. Deus: *in populum*, i. populus.

13. *Frater Chaleb minor eo*] *Frater*, i. cognatus, aut frater πρός τι. Nam tales nuptiæ non vetantur expressè, nisi per consequentiam. Qua de re diximus aliquid suprà. Vide sodes & Paulum Burgensem Episcopum.

16. *Filii Ceni*] Vel *Cinai*. Videtur esse cognomen Jethro. Jonathan hoc loco habet *filii Salmaa*, שלמאה, ut etiam Num. 24. 21. ubi Jonathan *Jethro*, Jerosolymitanus autem שלמיא *Salmaja*. Opinionem meam firmat Græca editio, in qua οἱ υἱοὶ Ἰοθὸρ τοῦ Κιναίου, i. *Jethro Cinai*: nam etiam *Jothor* dicitur in illa editione. Quanquam R. S. *Ceni* recenset inter septem nomina Jethronis Exod. 18. 1. Sunt autem *Jether*, Græcè *Jothor* & *Jethro*; & *Rauel* sive Raguel (hic avus fuisse putatur;) & *Hobab*; & חבר *Heber*, & *Ceni*, & *Phutiel*. Vide, si placet, infrà. Memoratur הקיני *Cenæus* Gen. 15. 19. ubi Lxx Κενέους. Hieron. *Cinæos*, Κιναίους, Oncel. *Salmæe*, שלמאה & שלמיא, interpretantur *Nidus meus*, i. קני, vel *possessio*. Sic קין à קנה *possedit*. Num. 24. 21. הקיני Jon. *Jethro qui fuit proselytus factus*. Hujus posteri קינים vocantur Jud. 4. & 1 Sam. 15. 6 & 1 Par. 2. 55. *Hi sunt Cinai, qui venerunt de calore patris domûs Rechab*. Vide sis ibi Camium. Sed & hoc loco multa habet de Cinæis, asserens Jethro esse Hobab, cujus posteri primùm habitarint inter Chananæos, deinde, cùm proselyti essent, cum filiis Juda, pòst cum Amalecitis sub regno Saulis. Porrò in diebus Jehu Jonadab filius Rechab charus & honoratus erat inter Israelitas. Quin in diebus Jeremiæ Prophetæ erat domus Rechabitarum in medio filiorum Israel. Nam Scriptura dicit, *Non exscindetur vir è domo Jonadab filii Rechab, stans coram me cunctis diebus, &c.* Vide illa, si lubet. *Jether* & *Jethro* non sunt diversa nomina, sed unum idémque; qualia sunt *Salma* & *Salmon*, *Aza* & *Gaza*, & alia ejus generis. *Jether* vel, si mavis, *Jather* in Græca edit. vocatur Ἰοθὸρ *Jothor*. Sic enim certè legebant hoc nomen, cùm vocales abessent. Ὠβὰβ *Obab* aspirandum, ut fit *Hobab*: Quem eundem esse cum Jethro docet locus ille, *ex filiis Hobab soceri Mosis*, si modò חותן ibi sign. *socerum*, & non potiùs *affinem*. Nam חתן *affinitatem contraxit*. Sunt enim certè qui existimant eum fuisse non patrem sed fratrem Sepphoræ uxoris Mosi; quibus eò minùs adsentior quòd etiam Jethro dicatur חותן משה. An aliud hic, aliud ibi significabit? Pro Ὠβὰβ corruptè legitur Ἰωβὰβ in notis ad edit. Romanam Jud. 1. 16. & corruptiùs Ἰωσὰδ. יובב *Jobab* alius est. Sunt qui Hobab filium Jethro fuisse scribant. Vide Lyram ad hunc locum. *Ceni*, h.e. *Cenæus*, vel *Cinæus*, videtur cognomen esse. Sanè in editione quam modò citavi legimus Ἰοθὸρ ὁ Κιναῖος, i. *Jothor Cinæus*, & in aliis cod. Ὠβὰβ ὁ Κιναῖος *Hobab Cinæus*. Valde hoc firmat opinionem meam. Cur aut unde *Cinæus* cognominatus sit, incertum. [Imò sic vocatus à קין, cujus mentio Jud. 4. 11.] Hujus pluralis קינים pro קיניים, sicut dicimus יהודים pro יהודיים. Nota hæc in vulgus. Raguel avus fuisse putatur. Id Ebræi scribunt רעואל *Reuel* vel *Rauel*. Quod autem objicitur, *filiæ Raguel*, facilem responsionem habet, nam ut *filii* vocantur nepotes, sic *filiæ* dicuntur quæ neptes sunt. Scitum illud, *Filii filiorum sunt quasi filii*, imò pro filiis habentur, & ità etiam vocantur, suntque filii revera, eo videlicet modo quo avus *pater* est: nam ità sæpe vocatur. *Heber* sive *Haber Cinæus* memoratur c. 4. 11. *ex filiis Hobab soceri Mosis*, qui se à gente sua separaverat, aliò habitatum profectus. Gens autem Cinæa illic *Cain* vocatur: unde *Ceni*. Sed fortè nomen est proprium viri, à quo *Cinæi*, ut ab *Enac* dicuntur *Enacim*, i. Enacæi. Valde hoc se probat mihi. Mentio ejus & Num. 24. 22. Hic notabis errorem Salomonis Ebræi: nam ponit ille *Heber* inter nomina Jethronis. Jam diximus Jethro esse Hobab; quod tamen controversum est. Ut ut sit, si Hobab est Jethro, ut idem Rabbi opinatus fuit, non potest esse Heber, qui disertè dicitur fuisse *ex filiis Hobab soceri Mosis*. Si ex filiis ejus, non igitur fuit Hobab. Restat ultimum nomen *Phutiel*, quod scribunt פוטיאל. Id legitur Exod. 6. 25. nec alibi, quod sciam. Quid ergò movit hunc Rabbinum ut illud inter nomina Jethronis retulerit? Verba ejus hac de re habentur Exod. 18. 1. ad illud, *Et audivit Jethro sacerdos Madian, socer Mosis*, quæ in Latinum sermonem conversa ità sonant, *Jethro septem nomina habet, Raguel, Jether, Jethro, Hobab, Heber, Cenæus, Phutiel. Jether nominatus fuit, quia* יתר *reliquit sectionem in Lege* ואתה תחזה ET TU CERNES. *Jethro autem dictus est cum additione unius literæ, quando jam factus erat proselytus, & rata habuisset præcepta. Hobab, quia dilexit Legem, i.* חבב. *Hobab autem est Jethro, sicut dicitur,* EX FILIIS HOBAB SOCERI MOSIS. *Et sunt qui dicunt Raguelem fuisse patrem Jethro. Quod autem ait,* VENERUNT AD RAGUEL PATREM SUUM, *infantes appellant patrem patris sui* אבא *i. patrem*. Habentur hæc in Siphre (liber est ejus nominis) cujus autor Simeon F. Jochai Johasin, fol. 30. & 42. & 22. 2. ¶ *Soceri Mosis*, חתן משה] Hier. *cognati Mosi*, Lxx, τοῦ γαμβροῦ Μωϋσῆ, quod reddunt *affinis*. Sed in ed. Compl. πενθεροῦ *soceri*: quod fortè à Symmacho sumptum. Nam Exod. 18. 5. Sym. πενθερός. Sed γαμβρὸς *gener*, & interdum *socer*. Generaliùs accipitur pro *affini*. Sign. etiam *fratrem uxoris*, & nonnunquam etiam *maritum sororis*. Lex. Vet. Γαμβρὸς *gener*. Theodoretus, *Et jam dixi Jobab fuisse filium Jothor. Eum autem vocavit* πενθερὸν *tanquam uxoris fratrem. Nam & multi nunc eos qui tales sunt vocant* πενθερίδας, Quæst. 3. חתן, inquit Abenezra, *est uxoris pater & frater*. Si rectè, tunc fortè Hobab erat Sepphoræ frater, & Jethro pater. Uterque חתן dicitur, sed diverso sensu. ¶ *A civitate Palmarum*] Videtur ibi sedem habuisse inter Chananæos, dum Judas veniret, cui se junxit, à quo etiam translatus fuit in desertum Judæ. Cæterùm urbs Palmarum putatur esse Jericho; in qua sententia fuerunt antiqui Doctores Ebræi, etiam Chaldæus Jonathan. Deut. 34. 3. *Vallem Jericho civitatis Palmarum*: alii, *civitatem Palmarum*, & copulam inserunt. Quidam, *civitatis palmiferæ*. Nam tota *consita* erat *palmetis*, teste Plinio lib. 5. cap. 15. R. David, *Cùm filii Juda caperent Hebronem, habitabant Cenæi cum Chananæis in Hebron in civitate vicina quæ vocatur civitas Palmarum, & cùm cepissent filii Juda Hebronem, ascenderunt indè in pace, & habitarunt*, aut *consederunt, in deserto Judææ cum filiis Juda, ità mihi videtur*. Et secundùm opinionem doctorum *urbs Palmarum* est Jericho, quam filii Israel dederunt Cenæo. Lxx, ἐκ πόλεως τῶν φοινίκων, *ex urbe Palmarum*. Jon. *ex urbe Jericho*, quæ tunc excisa erat. Fortè reparata fuit, & dicta *civitas Palmarum* alio nomine, quòd ibi essent frequentia palmeta. Masius de Jericho, *Balsamo & palmetis adeò est nobilitata ut Plinius ei soli Balsamum concedat*: & mox, *Præstantissimos, ut testatur Josephus, & densissimos locus ille hortos præbebat, palmetáque educabat nobilissima*. Vide Josephum De bello Jud. l. 5. c. 4. Strabo lib.

lib.16.p.763. de Jericho, *Ibi est palmetum, cui immixtæ sunt etiam aliæ stirpes hortenses: locus ferax, palmis abundans, spatio stadiorum C. totus irriguus est & habitationum plenus.* ¶ *In Meridie Arad*] Urbs est sita in extremis ad Austrum finibus, in cujus vicinia erat Horma. Num. 21. 1. *Chananæus rex Arad habitans in Meridie*. Ebr. ערד. Rex Arad inter eos fuit quos Josue subegit, Jos. 12.14. ¶ *Ivit & habitavit*] Cenæus videlicet. ¶ *Cum populo*] Israel cum filiis Juda.

17. *Sephath*] Lxx Σεφέθ. Sita erat apud ditionem Regis Arad. Vide Num. 21.3. Hîc Israelitæ memorabili clade ceciderunt Chananæos, cùm nuper ad montem Hor sepelivissent Aharonem Pontificem. ¶ *Horma*] Lxx Ἀνάθεμα. Hier. *Horma*, *i. e. Anathema.* Scribitur & *Harma*, unde *Armageddon*, i. *excidium exercitûs eorum.* Locus ab eventu sic appellatus. Vide Annot. nostras in Apocalypsin.

19. *Et expulit*] ויורש. Malè Santes post Hier. *& possedit* ויורש, quod propriè sign. *hæreditate aliquid possidere*. Hier. fortè legit Jod pro Vau: aut secutus est τοῦ ἐξολοθρεῦσαι, in queis καὶ ἐκληρονόμησε. Vide sequentia. ¶ *Montem*] Incolas regionis montanæ, הוריש sign. *expellere hæreditate, detrudere de possessione, & hæredem facere*, ut Job 13.16. Est ergò ex iis verbis quæ contrariam significationem habent, ut ברך *benedixit* & *maledixit*. Mirabilis profectò est sermo Divinus, qui quod in animo habet affirmare id affirmat per ejus contrarium; ut cum dicere vult, *Maledixit regi*, & *Maledic Deo*, dicit *Benedixit regi* 1 Reg. 21. 13. &, *Benedic Deo* Job 2. 9. Vide & Job 1. 5. ubi pro *benedixerunt* Santes edidit *maledixerunt*. Sic Psal. 10. 3. *Avarus benedicit, irritat Deum*, quidam exponunt *maledicit Deo, & irritat eum.* Fit hoc κατ' εὐφημισμόν. Grammatici *Antiphrasin* vocant: Quæ ab Ironia sic differt, quoniam Ironia pronunciatione solâ indicat quod intelligi vult, Antiphrasis non voce pronunciatis sign. contrarium, sed suis tamen verbis, quorum origo contraria. Hujusmodi figura est cùm *sanctum* usurpant pro *immundo* aut *impuro pollutóque*. Nam sanctum quod est etiam mundum est. Sed Antiphrasis etiam quod pollutum est sic vocat: ut *bellum* dicimus, q. minimè bellum; & *lucum*, quod minimè luceat; & *Parcæ*, quòd minimè parcant. Nescio an huc pertineat quòd nonnulli morbum comitialem dixerunt *sacrum*, propter magnitudinem affectûs, sicut *sacer piscis* est Homero, & *auri sacra fames* Virgilio, & *os sacrum* scholis Medicorum. חסודה *struthio* per antiphrasin, quoniam minimè pia est erga suos fœtus Job 39. 14. *Nam relinquit ova sua in arena*, &c. Redeo ad verbum קדש, quod *sanctum esse*, & aliquando *pollutum*, denotat. Quæris exemplum? Ecce in mundo, Hag. 2. 12. היקדש *an sanctificabitur?* quod Jonathan & scholia Ebraica enarrant, *an polluetur?* Sed hoc alii aliter enarrant. Illud certius, *meretricem* קדשה dici quòd minimè sancta sit, & *cinædos* קדשים eadem de causa. Huc refer ex Gen. 13. 11. ¶ *Profectus est Lot ab Oriente.*] Quomodo *ab Oriente* qui Orientem versùs profectus est? Nam Sodoma in Oriente erat, ubi postea mare Mortuum exstitit, quod ideo vocant *mare Orientale*. Qui ergò ex regione Philisthæorum eò versùs proficiscitur, rectiùs *ad Orientem* tendere dicitur. An igitur מקדם *ab Oriente* dixit pro קדמה *ad Orientem?* Videtur, imò id postulat sententia, & res ipsa clamat. Vide Fullerum, l. 1. c. 4. מבעלי יהודה 2 Sam. 6. 2. בעלתה 1 Par. 13. 6. Contrà מזרחה *ad Orientem* ponitur pro ממזרח *ab Oriente* Jos. 16. 1. ubi Lxx ἀπὸ ἀνατολῶν, & Hier. *ab Oriente*, rectè sanè. Nam finium illorum designatio inchoatur ab Oriente, h. e. à Jordane, qui claudebat latus Orientale. Sic נגבה, quod propriè sign. *ad Austrum*, etiam *ab Austro* interpretantur, Jos. 18. 14. & mox ימה *à mari* sive *ab Occidente*. Verba Masii ad hunc postremum locum, *Quod dicimus* A MARI, *Ebraicè est* ימה *Nam diximus sæpius, literam* ה *non rarò motum à loco significare, cùm finibus vocabulorum adhæret. Interpretatur quidem R. Salomo* AD MARE, *existimátque lacum quempiam inter Cariath-jaarim & fontem Naphthoa fuisse. Atqui Maris vocabulum per se sic positum non solet lacus significare: neque ullius lacûs mentio fuit cùm Judaicos terminos designaremus. Certum igitur est, id esse* A MARI *quod* AB OCCIDENTE *dicimus. Erat enim Cariath-jaarim in ultima Benjaminitarum ora versùs Occidentem, sed ità ut intra Judæorum fines exsisteret.* ¶ *Non poterat expellere*] Vel *in hæreditatem asserere*. Nam idem verbum in Ebræo. Sic Exod. 15. 9. הורישמו vulgò *expellit eos*, sive *detrudit de hæreditate*. Tremel. autem, *asseret eos in hæreditatem.* Videndus R. D. sed & Jonathan. ¶ *Currus ferrei eis*] Hier. *falcati*, quales erant currus quibus in bello utebantur. In quibusdam libris ed. Græcæ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς· in aliis est ὅτι Ῥηχάβ, &c. quod nomen viri esse putant, cùm sit Ebraicum רֶכֶב *currus*, videntur tamen legisse רֵכָב aliis punctis. Tu vide sis edit. Rom. Porrò *vallem* Jonathan interpretatur *planitiem*, quæ potiùs מישר dicitur.

20. *Hebronem*] Agrum Hebronis. Nam urbs data fuit Levitis. Aut urbem dederunt Chalebo, qui pòst eam cessit Sacerdotibus, quorum asylum erat, h. e. urbs refugii, quò fugiebat is qui per imprudentiam cædem patraverat. Qua de re diximus ad Josuam. ¶ *Expulit indè*] Hic locus docet etiam suprà vertendum esse ויורש *& expulit*. Nam aliter verti hîc non potest. ¶ *Tres filios Enac*] Sesai, Achiman & Thalmai. Nota hîc legi הענק cum articulo, qui nominibus propriis præponi non solet. Fortè vertendum, *gigantis illius*. Sanè Jon. *Tres filios gigantum*, i. גבריא.

21. *Non expulerunt filii Benjamin*] In libro Josuæ, 15. 63. *Non potuerunt filii Juda expellere ipsos*. Nam Jerusalem inter Judam & Benjaminum. ¶ *Usque ad diem hunc*] Vel, *usque ad diem hanc*. Vult dicere, *usque ad hoc tempus*. Nam *dies* quando femininè sumitur *tempus* denotat. Traditio est apud Judæos hunc librum scriptum fuisse à Samuele Propheta; sub cujus judicatu Jebusæi adhuc erant Jerosolymæ. Nam primùm à Davide indè expulsi fuerunt.

22 *Ascenderunt Bethelem*] Bethel in monte sita erat, ideo utitur verbo *ascendendi*. ¶ *Domus Joseph*] Filii Joseph, h.e. Ephraimitæ & dimidia tribus Manasse: nam hi ex Joseph prognati erant. Aut *domum Joseph* vocat filios Ephraim tantùm.

23. *Miserunt qui explorarent*] Ad verb. *fecerunt explorari*, quod R. S. dixit, *explorarunt per alios*. Jon. *miserunt exploratores*. R. D. *Verbum est transitivum, & legati sunt qui explorarent*. Hi *custodes* vocantur, vel potiùs *observatores*. Nam observabant eos qui egrediebantur ex urbe. שמר propriè *custodio*, ut נטר *servo*. Hîc שומרים potiùs sunt *observatores*, qui exeuntes ex urbe observant. Alioqui *exploratores* תרים vocantur. Jonathan hic habet נטריא *observatores* Hier. videtur intellexisse eos qui urbem obsidebant; quos *custodes* appellat, quia custodiebant urbem nè quis exiret. Senes, οἱ φυλάσσοντες *qui observabant*.

IDEM.

15. גֻּלֹּת מָיִם. Sym. ἀρδείας ὕδατος *irrigationem aquæ*] Vel, *adaquationem*. Alii, *fontes*; alii, *scaturigines*. Hier. *irriguam aquis*. In mente habuit Symmachi declamentum, nisi fallor. ¶ גֻּלֹּת תַּחְתִּית. Sym. ἀρδείας πεδινῶν *irrigationem campestrium*] Theodoretus, οἱ δὲ ὁ Σύμμαχον, ἀρδείας ὕδατος ἀντὶ τοῦ ταπεινῶν, πεδινῶν ἡμμένως.

17. יַחֲרִימוּ אוֹתָהּ. A. ἀναθεματίσαι αὐτὴν *penitus deleverunt*, aut *exterminaverunt*, *eam*] Hoc legitur in nonnullis edit. τῶν ό. Nempe ex Aquila desumptum librarius textui vulgato inseruerat. Vide notas ad Fragm. Deut. 3. 6.

GROTIUS.

Hebræis, Tyriis & Carthaginensibus שופטים dicebantur κατ' ἐξοχὴν (alioqui enim vox latiùs patet, ut jam sæpe observavimus) summi Magistratus, quos Græci hîc

hic κριτὰς Josephus in Tyriorum rebus δικαστὰς vocat. Latini in Punica historia, servato Punico vocabulo, *Suffetes*, *διὰ χειροτονίας ἡγεμόνες* Josepho. Vide de his quæ ad Deut. 17.9. Adde locum infrà 5.13. Videtur autem his temporibus omissa per incuriam creatio Synedrorum LXXII, quemadmodum & ante Josaphati tempora 2 Par. 19.5. Itaque ubi tales extra ordinem viros Deus non excivit, erat dissolutum reip. corpus, nec quicquam in commune agebatur. Tribus singulæ suas res suo periculo ac commodo agebant, nisi si quæ ex usu temporum fœdus inter se fecerant, infrà 3. Josephus, Συνέβαινεν ἤδη τὴν ἀριστοκρατίαν διεφθάρθαι· καὶ τὰς γερουσίας οὐκ ἀπεδείκνυον, οὐδ' ἀρχὴν ἄλλην οὐδεμίαν τῶν πρότερον νενομισμένων· item, μιᾶλλον ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ τῆς πολιτείας ὑπ' ἀναρχίας ἐνὸς τῶν πραγμάτων. Talis fuit Græciæ status Concilio Achaico Romanorum artibus dissoluto, & Galliæ ante Cæsaris tempora; Germaniæ verò & Britanniæ multò etiam seriùs.

4. *Tradidit Dominus Chananæum & Pherizæum in manus eorum*] Est hic ὕστερον πρότερον ad ea quæ narrantur Jos. 15. itaque verti possent per plusquamperfectum. Causa redditur cur Judæ tribui ductus datus sit.

7. *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias*] De Sesostri rege Plinius 33. c. 3. *Sesostri Ægypti rege tam superbo, ut prodatur annis quibusque sorte reges singulos è subjectis jungere ad currum solitus, sicque triumphare.* Lucanus l. 10.

> *Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,*
> *Et Pharios currus regum cervicibus egit.*

Bajazethem Turcarum Imperatorem captum Tamerlanus in cavea vexit, déque mensæ suæ fragmentis dedit quod ederet. Lysimachus Telesphorum Rhodium undique decurtatum, cùm aures illi nasúmque abscidisset, in cavea velut novum animal aliquod & inusitatum diu pavit, cùm oris detruncati mutilatíque deformitas humanam faciem perdidisset. Narrat Seneca De Ira l. 3. c. 17. Numerum autem LXX Regum nè quis miretur, videat quæ suprà dicta ad Jos. 12.

10. *Percussit Sesai, & Ahiman. & Tholmai*] *Percusserat* duce Calebo, vivente adhuc Josua, Jos. 15.14. sic & statim *abierat*.

16. *Filii autem Cinai*] שלמי & hic Chaldæus, ut Gen 15.19. & alibi. ¶ *Cognati Mosi*] Heb. *soceri Mosi*, i. illi Kinæi qui Jethroni aderant infrà 4.11. nam alioqui gens hæc inter damnatas. ¶ *Ascenderunt de Civitate palmarum*] Hierichuntino agro, quem Cinæi tenuere usque ad ædificationem Templi; R. S. ¶ *Et habitaverunt cum eo*] Heb. *cum populo*, Israelitarum scilicet. Ità videmus eo tempore proselytis sortem datam non minùs quàm civibus.

19. *Nec potuit delere habitatores vallis.*] Heb. *non ad expellendum habitatores vallis.* Incipit hic aperiri fons magnorum deinceps malorum, desidia, aut misericordia contra Dei legem.

20. *Hebron*] Vide quæ dicta Jos. 15.13.

24. *Dixerúntque ad eum, Ostende nobis introitum civitatis*] Et Israelitæ hujus hominis operâ rectè uti potuerunt, & ipse homo nihil peccavit si notum habuit Dei de illis populis decretum. Vide Jos. 2.1. & infrà 4.17.

28. *Fecit eos tributarios*] Non conversos ab idololatria, & post primam denunciationem ab ipsis spretam; quorum neutrum licuit.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. **A**Ngelus Domini] Hebræi hîc intelligunt per *Angelum* שליח *nuncium Domini*, nempe Pinehas, qui spiritu prophetico afflatus objurgavit filios Israel. Unde ad fletum commoti, ob rei eventum loco nomen indiderunt.

3. *Spinas*] Exponunt Hebræi צדים per שכים *clavos* & צנינים *spinas*. Et est à verbo צוד quod *venari* & *piscari* significat. Piscatio autem fit plerumque aculeo adunco.

9. *Heres*] Est *heres* idem quod שמש *Sol*; cujus figuram Hebræi dicunt positam super sepulcrum Jehosuæ, qui precatione suâ fecerat stare in cœlo Solem. Et hinc locus ille vocatus fuit *Thimnath-solis*, q. תמונת *Figura*, seu *Effigies*, *Solis*.

11. *Bealim*] Vocantur in Hebræo plerumque dii vani atque simulacra gentium *Baal* & *Bealim*, שרים כאדון לעובדיהם, *quòd sint quasi domini eorum qui colunt eos.* Est enim *Baal*, *dominus*, *magister*, & *maritus*.

13. *Astharoth*] Sunt imagines idolorum factæ in similitudinem Ovium. Sign. enim עשתרות *femellam ovis*. Derivatúrque nomen ipsum à verbo *ditescere*, quòd domini ovium ditescant ex caseis, lana & agnis ovium.

14. *Diripientium*] Exponit D. Kimhi verbum שסס per בזה *viliter tractavit*. Jon. בזז *diripuit*. Sunt etiam qui רמס *conculcavit* interpretantur.

15. *Quocunque egrediebantur*] Intelligendum est de egressu in bellum. Porrò verbum יצר hic habet pro prima radicali Jod, licèt idem significet quod צר, sicut & טב atque יטב invenitur in diversis ordinibus sub eadem significatione.

19. *Nec excusserunt*] K. sic exponit, *Non abjecerunt vel unam rem malam, sed fecerunt omnia mala quæ fecerant patres eorum.*

VATABLUS.

1. **A**Ngelus, מלאך] *Legatus*, vel Propheta missus à Domino. Hebræi aiunt hunc fuisse Phinees. ¶ *Et dixit*, ויאמר] Sub. *in persona Domini*. q. d. Hoc dicit Dominus Deus. ¶ Eduxi, אעלה] Ad verb. *Ascendere faciam*, fut. pro præt. ¶ *Vobiscum*, אתכם] Nonnihil subaudiendum, *quod pepigi vobiscum*, i. nunquam facturus eram irritum pactum quod pepigeram vobiscum, *ità duntaxat ut non feriretis pactum*, &c. vel, *eâ lege ut non*, &c.

2. *Modò vos non feriatis pactum*, ואתם לא תכרתו ברית] Ad verb. *& vos non feriatis pactum*. ¶ *Voci meæ*, בקולי] i. Præcepto meo, h. e. non servastis leges & conditiones pacti. ¶ *Cur*, מה] *Quid*. *Qua de causa*.

3. *Et etiam dixi*, וגם אמרתי] i. Quamobrem jure dicere potui, vel, *quamobrem non expellam*. ¶ *In lateribus*, לצדים] Subaudiendum ex Jos. 23.13. *in vepres in lateribus*, i. instar spinarum quibus pungentur latera vestra, q.d. Mirum in modum affligent vos. Quidam vertunt, *in retia*, vel *laqueos*. ¶ *In laqueum*: למוקש] *In scandalum*, *in offendiculum*.

4. *Et fuit, cùm loqueretur Angelus* · ויהי כדבר מלאך] *Cùm autem dixisset Angelus*, vel *legatus*, i. Propheta missus à Deo.

6. *Dimiserat autem*, וישלח] *Jam autem dimiserat*, posteaquam scilicet missis sortibus divisit terram, hæc enim dicuntur per recapitulationem. Vide Jos. 24. 28. ubi & mors ejus describitur. ¶ *Terram*: את הארץ] i. Eam partem terræ quàm assecuti fuerant.

7. *Qui prolongaverunt dies*, &c. אשר האריכו] Hebraismus, *qui supervixerunt ipsi Josue*. ¶ *Omne opus*, כל מעשה] i. Omnia prodigia quæ fecerat in gratiam Israelis.

9. *In Thimnath-heres*, בתמנת חרס] Jos. 24. 30. dicitur *Thimnath serah*, transpositis literis posterioribus. ¶ *Ab Aquilone*, &c. מצפון להר געש] Pro, *in parte Aquilonari montis Gaas*.

10. *Aggregata est ad patres suos*: נאספו אל אבותיו] i. Condita fuit cum majoribus suis in sepulcris: h.e. mortua est. ¶ *Opus*, את המעשה] i. Ingentia opera quæ fecerat in gratiam Israelis.

14. *Et iratus est furor Jehova*, ויחר אף יהוה] *Quamobrem vehementer iratus est Jehova*. ¶ *Et vendidit eos*, וימכרם] i. Tradidit eos more vendentis, *in manum*, &c.

15. *Manus Jehovæ*, &c. יד יהוה וגו׳] Hebraiſmus, vincebantur authore Deo.

16. *Qui eriperent eos*, ויושיעום] Ad verb. *& ſervaverunt eos.*

17. *Et nè Judices*, &c. וגם אל שופטיהם לא שמעו] Ad verb. *Et etiam Judices ſuos non audierunt.*

18. *Pœnitebat enim*, &c. כי ינחם וגו׳] Hebraiſmus, mutabat ſententiam, & flectebatur miſericordiâ cùm gemitus illorum videret tempore quo maximè affligebantur & urgebantur.

19. *Tandem mortuo Judice*, והיה במות השופט] Ad verb. *Et fuit, mortuo Judice*, i. Mox ut mortuus erat Judex. *Et corrumpebantur*, והשחיתו] *Et perdebant*, ſub. *vias ſuas*. ¶ *Non remittebant*, &c. לא הפילו ממעלליהם וגו׳] Ad verb. *non cadere faciebant de*, &c. i. dum colerent idola, nihil diminuebant, aut omittebant de ſtudiis patrum ſuorum, neque de via illorum dura, difficili, mala & inobediente, ſed deteriora potiùs committebant.

21. *Poſthac non expellam*, לא אוסיף להוריש] Ad verb. *non addam expellere.*

CASTALIO.

9. *Thamnatare*] Hæc in Joſua vocatur *Thamnathaſara.*

CLARIUS.

1. *Angelus Domini*] Hebræi hîc intelligunt per *Angelum* nuncium Domini, nempe Phinees, qui ſpiritu prophetico afflatus objurgavit filios Iſrael. Unde ad fletum commoti, ob rei eventum loco nomen indiderunt.

9. *In Thamnath-Hares*] Eſt *Hares* idem quod *Sol*; cujus figuram Hebræi dicunt poſitam ſuper ſepulcrum Joſue, qui precatione ſuâ fecerat ſtare in cœlo Solem. Et hinc locus ille vocatus fuit *Thamnath-ſolis*, q. *Figura*, ſeu *Effigies, Solis.*

11. *Baalim*] Vocantur in Hebræo plerique dii vani atque ſimulacra gentium *Baal* & *Baalim*, quòd ſint quaſi domini eorum qui colunt eos: Eſt enim *Baal, dominus, magiſter, & maritus.*

13. *Aſtaroth*] Sunt imagines idolorum factæ in ſimilitudinem Ovium.

15. *Quocunque pergere voluiſſent*] Intelligendum eſt de egreſſu in bellum.

22. *In ipſis experiar Iſrael*] Ad probationem fidei piorum permittuntur adverſarii inter eos verſari.

DRUSIUS.

1. *Aſcendit angelus Domini è Galgal*] Et verbum *aſcendit* & locus qui hîc nominatur clarè oſtendunt ſermonem eſſe de Angelo infernate. Nam ſupernates deſcendunt, non aſcendunt; & deſcendunt è cœlo, non è Galgal aut alio ullo loco terreno. Ut hoc intelligas, ſciendū ex Angelis Domini alios dici העליונים, i. *ſuperos*, vel *ſuperiores*, vel, ſi placet, *ſupernates*; alios התחתונים i. *inferos*, vel *inferiores*, aut *infernates*. Hi vel Prophetæ ſunt vel Sacerdotes. Hinc lux illi loco Apoſtoli, *propter Angelos:* nam ſignificat Sacerdotes, aut Epiſcopos. Qui miſſione Propheta eſt, rectè *Angelus* vocatur, nam *angelus* nuncium ſignificat; *nuncius* autem, qui mittitur. Tales ſunt Prophetæ propriè dicti. Quod manifeſtum ex uno Propheta Haggæo, qui cap. 1. v. 13. vocatur *angelus Domini*, quoniam Propheta. Et Mal. 2. 7. legimus, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ipſius requirent, quoniam angelus Domini exercituum eſt.* Ecce Sacerdotem vocat *angelum Domini:* qui locus adeò perſpicuus eſt ut de illo dubitari nullo modo poſſit. Cùm igitur Angelus iſte è Galgal aſcendat, nec uſpiam diſparuiſſe legatur, quis dubitat quin de infernate aliquo Angelo loquatur? Hunc Phineen fuiſſe conjiciunt Doctores Ebræi veteres, quibus temere aſſentiendum non eſt: nam audaces nimiùm ſunt in talibus. Non tamen omnia quæ dicunt temere rejicienda. Phinees Sacerdos erat: quid ergò mirum ſi vocetur *angelus Domini*? Sed & Prophetam fuiſſe putant Ebræi, nec omnino abſurdé. Nam, quia Pontifex, reddebat reſponſa de futuris ex Urim ac Thummim, quæ in pectorali, quod vocant *pectorale judicii*, atque ità prophetabat. Quòd ſi Maria ſoror Moſis Prophetis fuit, cur non etiam Aharon ejus frater & Eleazar & Phinees Prophetæ dici poſſunt? Nam *Propheta* ſæpe dicitur qui de Dei voluntate homines certiores facit. Nathan Prophetam *angelum* vocat Eupolemus apud Euſebium, Περιπαρασκ. p. 321. ubi Διανδῶν. Audiamus nunc ipſos Ebræos hac de re diſſerentes. Autor Pheſichthæ fol. 2. col. 2. *Ideo Prophetæ vocantur Angeli. Moſes vocatur Angelus in illo*, MISIT ANGELUM SUUM, ET EDUXIT EOS EX ÆGYPTO. *Phinees vocatur Angelus* Jud. 2. 1. ET ASCENDIT ANGELUS DOMINI E GALGAL, *&c. Haggæus vocatur Angelus, ſicut ſcriptum eſt*, DIXIT HAGGÆUS ANGELUS DOMINI, *&c.* Moſes Ægyptius in More Nebuchim part. 1. c. 15. *Et angeli Dei aſcendebant. Sunt Prophetæ, de quibus dicitur in expoſitione*, MISIT ANGELUM, & ASCENDIT ANGELUS E GALGAL. R. D. Pſal. 103. circa finem. *Vocantur infernates angeli: quia dicitur*, MISIT ANGELUM, ET EDUXIT EUM EX ÆGYPTO. *Et quomodo Angelus erat? nonne Moſes erat? Hinc tu diſces Prophetas Angelos vocari. Et ſic ipſe dicit*, RESPONDIT HAGGÆUS ANGELUS DOMINI. *R. Juda F. R. Simon dicit.* ET ASCENDIT ANGELUS DOMINI E GALGAL, *hic eſt Phinees. Doctores autem dixerunt, Facies ejus, ſicut angeli Dei, reverenda & terribilis erat valde. Velis nolis tu hinc diſcis Prophetas vocari Angelos.* Quod amplius firmat Jonathan Chald. paraphraſtes, qui vixit circa tempora Chriſti: nam hunc locum ſic [illegible], *Aſcendit propheta in legatione à coram Domino è Galgala:* doctè, ut alia omnia. Angelum Domini vocat *prophetam in legatione à coram Domino*; quod idem cum illo, *in legatione Domini:* & eſt ſenſus, Qui obit legationem Domini. Quibus verbis innuit Prophetam verum à Deo miſſum. Nam pſeudoprophetæ angeli quidem ſunt, ſed non in legatione Domini. Ut ut ſit, ſi non fuit Phinees Sacerdos, fuit abſque dubio è Prophetis illorum temporum, aut vir aliquis gravis, qui populum initi cum Deo fœderis admoneret. ¶ *Ad Bochim*] h. e. *Ad flentes*. Nam בכה *flens*, cujus pl. בכים *flentes, plorantes*. Cum articulo eſſet *habbochim*; quod nunc in fonte. Hier. *ad locum flentium*. Videtur interpretatus eſſe ἐπὶ τὸ κλαυθμῶνα, quod in cod. Græcis. Nam in Theſauro, Κλαυθμῶν, *locus flentium*, ex hoc loco. Minùs rectè quidam, *ad Bocimos*. Primùm deſideratur aſpiratio, ut ſit *Bochim*: deinde ם notam numeri pluralis retinent, quæ potiùs abjici deberet, ut in *Sophetim*, גמלים *Cameli*, & ſimilibus. Sic כרובים *Cherubi*, non *Cherubimi*, qui tamen vulgò dicuntur *Cherubini*, ex terminatione Chaldaica כרובין; quod non laudo. Locus *Bochim* ab eventu ſic appellatus. Vide infrà v. 4. & 5. ¶ *Aſcendere feci vos*] Ex hoc loco colligunt Angelum ſupernatem fuiſſe. Fortè magni conſilii Angelus erat, qui olim Patribus apparuit, & Iſraelem eduxit ex Ægypto. Quòd ſi Propheta erat, debet ſub. *Sic dicit Dominus.* Videndus Lira ad hunc locum.

3. *In lateribus*] לצדים. Defecta oratio plena erit ſi ſubaudias צנינים *ſpinæ*, ut dicat, *erunt vobis ſpinæ in lateribus veſtris.* Sed hoc durum videtur, ideo alii צרים deducunt à צוד, quod *venari* ſign. & *venabula* interpretantur, *quibus capiamini.* צרים pro צידים, ut alibi צצים pro ציצים. Videndus R. D. Lxx, εἰς συνοχὰς, quod reddunt *in anguſtias.* Eſt autem Συνοχὴ *artatio, coartatio, anguſtia*, q. d. *Vos prement & anguſtiâ afficient.* Hier. *hoſtes* reddit, & Jon. מעיקין *oppreſſores.* Omnes videntur legiſſe לצרים, h. e. Res pro Daleth. Radix צור *premo.*

5. *Sacrificarunt ibi Domino*] Et hinc argumentum petunt pro Angelo ſupernate. Nam tenebantur ſacrificare in loco ubi Arca, quæ tunc erat in Silo. Vide Joſ. 22. *Nec licebat alibi victimas aut hoſtias offerre*, inquit Lira, *niſi ex ſpeciali revelatione Divina, vel ex apparitione angelica*,

gelica, sicut Manoe obtulit sacrificium quando Angelus ei apparuit, ut habetur infrà c. 13.

9. *In Thamnath-hares*] Quod nunc legunt *Thimnath-heres*, i. *solis*, Jos. 24. 30. vocatur *Thamnath-sare* literis inversis. De ratione nominis alii aliter sentiunt. Quidam ità vocatam putant ab *ariditudine*, quòd sita esset in loco arido: alii à *sole*, cujus simulacrum exstitisse aiunt super sepulcrum Josuæ in memoriam ejus miraculi quod edidit cùm hostes persequeretur. *Stetit* enim *sol*, ipso jubente, *in medio cœli*. Videndus Lira ad h. l. Sunt etiam qui *Thamnath-sare* dictum existiment à *situ* & *pedore*, quod סרח denotat in lingua Sapientum. Vide Masium in Jos. 19. 50. & 24. 30. Eusebius De locis, *Thamnathsara* (perperam *Thamnatsara*) *civitas Jesu filii Nave, in monte sita, in qua usque in præsentem diem sepulcrum ejus ostenditur in tribu Dan.* In schedis meis, Thamnatha, Θαμναθὰ, 1 Mach. 9. 50. *Thamnatha Josue* cognominatur, fortè differentiæ causâ. Nam Thamnatha insignis est sepulcro Samuelis justi, quod ibi adhuc visitur, hodie *Timin* dicitur: תמנת meminit Juchas. 67. 2.

10. *Collecti sunt ad patres suos*] Cum אל, ut 2 Par. 34. 28. Est ubi construitur cum על, quod pro אל poni solet videlicet, 2 Reg. 22. 20. Dicunt etiam *colligi ad populum suum*, Num. 27. 13. & 31. 2. & *ad populos*, vel, si mavis, *populares suos*, Gen. 25. 8. Num. 20. 24. *Colligor ad populum meum*, Gen. 49. 29. & *colligi* simpliciter Job 27. 19. *Dives cubat, & non colligitur.* Jer. 8. 2. *Non colligemini, neque sepeliemini.* Reperies & *colligeris ad sepulcra tua.* Deus *colligit ad se spiritum hominis & animam ejus*, Job 34. 14. Hinc intelligentiam habet, *Colligit spiritum eorum, exspirant*, Psal. 104. 29. &, *Ne colligas cum improbis animam meam*, Psal. 26. 9. Deus ergò *colligit*, & homo *colligitur*. Vide an possis exponere, *recipit ad se*, & *recipitur*. Sanè *colligi ad castra* est recipere se eò, Num. 11. 30. &, *colligent eum in urbem*, i. recipient, Jos. 20. 4. Sic *colligere in domum*, Num. 20. 26. *colligetur, & morietur ibi.* *Colligere pedes ad lectum* dicitur Jacob moriturus, Gen. 49. 33. ¶ *Surrexit*] Exstitit, exorta est. Sic Hebr. 7. 11. *surrexit sacerdos alius*, & 15. *exsurget alius sacerdos*, Gen. 41. 30. *Surgent septem anni famis.* Num. 12. 6. in Jonatha, *Omnes Prophetæ qui surrexerint à diebus seculi.* Exod. 1. 8. *Surrexit rex novus qui non noverat Josephum.* Manahemus 185 2. *Non surrexit Prophetes ampliùs sicut Moses in Israel, sed in nationibus mundi surrexit Balaam.* Hujus loci est, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptistâ*, Matt. 11. 11. *Multi pseudoprophetæ surgent*, Matt. 24. 11. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ*, ibid. v. 24. ¶ *Ætas alia*] Genus hominum aliud. Sic Exod. 1. 6. *Mortuus est Joseph, & fratres ejus, & tota ætas illa*, דור, γενεὰ, *ætas, generatio:* sed *generatio* etiam תולדות dicitur; & tunc alium sensum habet: דור propriè *genus hominum simul & orientium & occidentium*. Sic Ebræi veteres ab Adam ad Noe numerant *ætates decem*, totidémque à Noe ad Abrahamum. Similiter Job legitur *vidisse quatuor ætates*, h. e. Filios, Nepotes, Pronepotes, & Abnepotes. Sed fortè prima est ea ætas in qua ipse vixit; vixit autem postquam tentatus & probatus fuit à Deo annos 140. דור, ait Manahemus, *tempus est quinquaginta annorum*, 197. 3, & 4. Idem scribit *Eleazarum F. Azariæ vixisse à conditu Mundi ætate quinquagesimâ secundâ aut circiter.* Herodotus autor tres ætates facere annos centum: quod comprobat Scaliger in Eusebianis Animadversionibus 56. 2. Sunt qui annis 90. eas definiant, ità ut unaquæque ætas sit annorum 30. Quo sensu Nestor legitur *vixisse tres ætates*. Quidam ad 20. annos *ætatem* restringunt, ità ut quatuor γενεαὶ faciant annos 80. γενεὰ interdum est *spatium decem annorum*, ut Baruch 5. 2. *Ingressi Babylonem eritis ibi usque ad generationes septem*, h. e. usque ad annum septuagesimum. Γενεὰ γενεῶν ità dicitur ut *seculum seculorum*; Ebraicè דור דורים Psal. 72. 5. Γενεὰ εὐθέων *natio rectorum*, genus hominum justum, sive rectum, דור ישרים. Sed vide Tropos, in *Generatio*. Ætas aut Mundi est, aut Hominis. Sunt autem ætates Mundi sex; Isidorus in Orig. col. 115. Ætas Hominis communiter est 70. annorum, teste Davide. Anno 13. incipit vocari *vir*, anno autem 60 *senex*, & 70. *canus*; quæ media senectus est, quam שיבה vocant. Solent Ebræi, quando pervenerunt ad annum 60. convivium apparare, quasi lætantes quòd ætatem ad senium usque produxerint. Notatum hoc in comment. super lib. Aboth fol. 68. *Ætas alia, aut sacerdos alius*, pro *novo*. Exod. 1. 8. *rex novus*: quod Aquila quidem & Theodotio reddunt καινὸς, sed in ed. τῶν ό. est ἕτερος. Sic *nova lingua* Mar. 16. 17. quæ ἕτεραι Act. 2. 4. i. *aliæ*. ¶ *Non cognoscebant Dominum*] Non colebant eum, ex eo quod præcedit id quod sequitur. Nam Cultum præcedit Notitia Dei. Colit, qui novit: non colit, qui non novit. Seneca epist. 96. *Vetemus salutationibus matutinis fungi & foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit qui novit.* Cæterùm Notitia Dei comitem semper habet integritatem vitæ, sine qua nemo plenè Deum novit. Ergò *noscentes Domini* sunt viri boni & qui secundùm virtutem vitam instituunt; unde Propheta, *Notitia Dei est facere judicium & justitiam*. Nuda enim notitia, non est notitia Dei, quem solus novit qui vivit secundùm præscriptum ejus. Sanè periphrasis hominis impii continetur illis verbis Job 18. 21. *locus ejus qui non novit Deum*, h. e. hominis impii vel improbi; quem paulò pòst עול, i. *perversum* appellat. Vide Job. 24. 1. ubi *noscentes ejus* vocantur qui alibi *noscentes nominis ejus*, videlicet Psal. 9. 10. & 36. 10. Sic, *novit nomen meum*, i. me. *Nomen* enim *Dei* est ipse Deus, & contrà Deus est nomen quod audit nomine suo. Ergò, *non cognoscebant Dominum*, i. improbè vivebant, aut Deos falsos colebant. Mox se explicat cùm ait, *servierunt Baalibus*.

11. *Baalibus*] Lxx τοῖς Βααλὶμ. Hier. *Baalim*. Ex eo quidam cuderunt *Baalimos*; admodum ineptè. Nam ם, quæ numeri pluralis index est, abjici debet. Sic dico, Ut ex *Sophetim* Latinè declinantur *Sufetes*, sic ex *Baalim Baales*. Sed hoc leve. Illud gravius, בעלים in terminatione plurali sæpe sensum habet singularem, ut possis vertere τῷ *Baal*, i. Baali Deo. Sic *Adonim* & *Elohim*. Sunt qui nomen generale putant esse ad omnes Deos Syriæ, qui quasi communi nomine *Baalim* vocantur, q. κύριοι ἢ δεσπόται, i. *domini*. Quò respexit Propheta cùm ait, *Secundùm numerum urbium tuarum Dii tui, Israel.* Nam Tyrii Herculem colebant, Sidonii Astarten, Accaronii Dagonem, Gazer Marnam, Moabitæ Chamosum, & filii Ammon Moloch sive Melchom. His adversatur locus qui est c. 10. 6. Vide, si placet. Paulò pòst v. 13. *servierunt Baali*, ubi Lxx τῷ Βαὰλ, sub. Θεῷ. Quanquam in Apostolo τῇ Βαὰλ, ubi εἰκόνι, vel δαμάλει. vel certè δαιμόνι sub-audiendum. Sic etiam in historia Tobiæ. Vide sis Castigationes meas.

12. *Post Deos alios*] Alios à vero, i. falsos. ¶ *Populorum*] i. Gentium. Duo hæc nomina se invicem explicant. Nam contrà *gentium* ponitur pro eo quod est *populorum*. Sic גוי *gens* vocatur populus Israel.

13. *Astharoth*] Lxx ταῖς Ἀστάρταις, i. *deabus Sidoniorum*; 1 Reg. 11. 5, 33. & 2 Reg. 23. 13. & Philistæorum; 1 Sam. 31. 10. Cæterùm in hoc penultimo loco scriptum *Astharoth* βδέλυγμα *Sidoniorum*, ut & in primo, ubi אלהי צידנים possis vertere *Deus Sidoniorum*, nisi potiùs ut sit *Dea Sidoniorum*. Varroni dicitur *numen Phœnicum*. Ædes *Astharoth* legitur in ultimo loco. Appellata à *pecudibus*. Fortè à victimarum multitudine, nam *Astharoth*, *pecudes*, *greges*, ἢ τὰ ποίμνια. Jud. 10. 6. אלהי *servierunt Astartis, & Deo Syriæ, & Deo Sidoni*, אלהי צידון ארם. Hic quæri potest an אלהים dicatur etiam de *Dea*: nam *Deum* significare nullum omnino dubium est. Ut ut sit 1 Reg. 11. 5. usurpatur de Asthoreth, quæ est Astarte Dea. *Ivit Salomo post Asthoreth Deum Sidoniorum*, imò *Deam*: nam in feminæ forma pingebatur. Sunt qui Venerem fuisse autumant. In Ebræo est אלהי צדנים, quod reddi debet *Deo Sidoniorum*. Ergò, inquies, sexus in Deo? In Deo vero nullus sexus, h. e. neque mas neque femina. Id probat Hieronymus ex eo quòd

quòd Spiritus Sanctus diverso genere vocetur; Ebraicè רוח g. fem. Græcè πνεῦμα, neutro, Latinè *spiritus*, masculino. Sed hoc parùm solidum. Verum nihilominus manet illud, *Deum neque marem neque feminam esse*. Quocirca Irenæus de Deo loquens, ὁ μήτε ἄῤῥεν μήτε θῆλυ. Nihil verius. Synesius tamen ex doctrina Platonicorum Deum appellat θῆλυ καὶ ἄῤῥεν· rectè, quia de Diis falsis loquitur, quorum alii Viri formâ, alii Feminæ pingebantur. Ideo Mercurius Trismegistus, verus an falsus? Ὁ Θεὸς, inquit, ἀῤῥενόθηλυς ὢν, *Deus masculo-feminus est*. Cæterùm Astarte ab Afris *Urania* dicta fuit, q. *cœlestis*. Apud Crinitum De honesta disciplina l. 14. c. 8. vocatur *Adargatis*; quod alii scribunt *Atargatis*. Cujus nominis etymon explicat Camerarius in Problematibus, p. 183. In schedis meis reperio & illud, *Pingebatur à femoribus ad pedes usque extremos figurâ piscis, reliquâ parte corporis femina erat*. Nicetas in Gregorium, p. 413. *Astarte & Chamos Veneris statua erant, quas olim Sidonii & Moabita religiosè colebant ac Divino honore afficiebant*. Additamentum quod ex Syra editione legitur in edit. τῇ ἑβδομήκοντα Jos. 24. simul memorat *Astarten & Astaroth*. Masius autem Astartam ait cultam fuisse Azoti. Nam & Philisthæorum Dea erat, ut liquet ex 1 Sam. 31. 10. In notis ad edit. Rom. 1 Sam. 7. 4. Theodoretus in extremo, quæst. 14. Ἄλση *Aquila interpretatus est* Ἀσαρὼθ, *i. simulacra Astartes. Astarten autem vocant Venerem, ex astro cognomen facientes. Hanc enim esse Luciferum fabulantur*. Hinc potest colligi, ubi paulò pòst habetur etiam in Complut. *Lucos Astaroth*, esse junctas duas interpretationes, nimirum LXX & Aquilæ. Vide Onomast. sacrum. Cæterùm quoniam Astharoth feminæ erant, ideo legimus in ed. τῶν LXX ταῖς Ἀσάρταις. R. D. *Astharoth* ait *esse simulacra facta in figura Astharoth, quæ sunt oves feminæ*. Hæc ille ad hunc locum.

14. *Et vendidit eos in manum hostium eorum*] In libro Judicum passim invenies מכר, quod *vendere* sign. usurpatum pro *tradere*; ut c. 3. 8. *Vendidit eos in manum Chusan Rasathaim*; ubi Hier. *tradidit eos in manus*, & 4. 2. *Vendidit eos Dominus in manu Jabin regis Chanaan*, & v. 9. *Quoniam in manum feminæ vendet Dominus Sisaram*, pro quo v. 14. *Dedit*, i. נתן *Dominus Sisaram in manu tua*. Joel. 3. 8. *Vendam filios vestros & filias vestras in manu filiorum Juda*, ubi Jonathan paraphrastes ואמסר *tradam*. Sed idem paulò pòst ומכרום interpretatur *vendent eos*. Pleniùs legitur apud Davidem Psal. 44. 12. *Vendidisti populum tuum absque pretio*. Contrà Cicero in Epist. ad Atticum, *Libros tuos cave cuiquam tradas*, i. vendas, ut viri docti explicant. Quod fugit, non effugit, Jud. 10. 7. *Excanduit ira Domini in Israelem, & vendidit eos in manu Philisthæorum, & in manu filiorum Ammon*. Sed quid opus pluribus exemplis, cùm verbum מכר alio sensu, quod sciam, non usurpetur in illo libro?

15. *Egrediebantur*] Ad bellum videlicet, quod Latini autores dicunt *expeditionem facere*. Cùm aliquò ad bellum proficiscerentur, omnia illis malè cedebant. Sed vide Camium hoc loco.

19. *Non faciebant cadere de actionibus eorum*] Nihil quicquam patiebantur cadere de actionibus patrum ipsorum, sed omnia faciebant quæ ipsi fecerant. Quidam, *non remittebant*, aut *abjiciebant*, h. e. *cum detestatione deponebant*. Jon. *de operibus eorum malis*. ¶ *Via dura*] est vita prava & perversa, ἡ ὁδὸς ἡ σκληρά. Hier. *Via durissima*. Jon. ארחן מקלקלן *via corrupta*, aut *perversæ*, *perditaque*, i. עובדון מקלקלין.

De numero librorum V. T.

Libros V. T. alii numerant 22, ut Josephus; alii, 24. ut vulgus Judæorum. Hieronymus in prologo Galeato, *Atque ità fiunt pariter Veteris legis libri 22. i. Moysi 5. & Prophetarum 8. Hagiographorum 9. Quanquam nonnulli Ruth & Cinoth inter Hagiographa scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputandos; ac per hoc esse Priscæ legis libros 24. quos sub numero 24 Seniorum Apocalypsis Johannis inducit adorantes Agnum* &c. Hic aliqua quædam notanda. Primùm Vetus Testamentum appellat *veterem* aut *priscam legem*, *legis* nomine generaliùs accepto, ut cùm Ebræi dividant Legem in *Legem, Prophetas, & Hagiographos*. In priore loco *Legis* vocabulum latè sumitur pro toto V. T. canonico. Hæc Lex vocatur sæpius *Lex Dei*, & aliquando *Lex Judæorum*, ut in Euangelio, ubi Christus ait, *In Lege vestra scriptum est*. Nam tradita fuit Judæis à Mose, qui eam à Deo acceperat in monte Sinai. Cujus Legis explicationem continent scripta tam Hagiographorum quam Prophetarum; ut mirum non sit si etiam *legis* vocabulo veniant. Apocryphi hinc excluduntur, non enim sunt in canone Judæorum. Hoc primum. Deinde duas opiniones recenset. Una est eorum qui libros 22 numerant; in queis Josephus, cujus verba non pigebit adscribere. In primo contra Appionem, interprete Gelenio, *Infiniti libri*, inquit, *non sunt apud nos, discordantes & sibimet repugnantes, sed solummodo duo & viginti libri, habentes temporis totius conscriptionem, quorum justè fides admittitur*. Sed & Origenes apud Suidam, Οὐκ ἀγνοητέον δ' ὅτι εἰσὶ τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασι, δύο καὶ εἴκοσι. Nempe quot literæ, tot libri, ideo subjicit, ὅσος ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστίν. Isidorus Orig. lib. 1. c. 3. *Ebræi 22. utuntur elementis secundùm V. T. libros*. Omitto Eusebium Πρϑπαρ. Epiphanium De mensur. & ponderib. & alios. Planissimè Hieronymus in eodem prologo, *Quomodo igitur 22. elementa sunt per quæ scribimus Ebraicè omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur, ità 22. volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri justi eruditur infantia*: & paulò antè ibidem, *Porrò quinque literæ duplices apud Ebræos sunt, Chaph, Mem, Nun, Phe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia medietatésque verborum, aliter fines. Unde & quinque à plerisque libri duplices existimantur, Samuel, Malachim, Dibre hajamim, Esdras, Jeremias cum Cinoth, i. Lamentationibus suis*. Ezræ secundus apud Ebræos vocatur *Nehemias*, atque ità unus tantùm est apud eos Ezræ liber, qui apud Græcos & Latinos in duos divisus est. Quocirca in Ezræ locum posset substitui liber Judicum cum Ruth. Disertè Hieronymus, *Deinde subtexunt Sophetim, i. Judicum librum: & in eundem compingunt Ruth; quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia*. Sed tum essent libri 23. Secunda opinio communiter hodie recepta est à Judæis, qui Priscam legem appellant עשרים וארבעה, h. e. *viginti quatuor*, nempe à numero librorum, quem Hieronymus etiam notavit. Sed fumus in oculis meis, quòd ait eos Ruth & Cinoth inter Hagiographa scriptitare. Nam si sunt conscripti à Prophetis, cur in eorum ordine non ponuntur? An dubitatum de ea re aliquando fuit? Nam Ruth à quo scriptus fuerit ignoratur. De Lamentationibus nihil quoque certi. Ergò quia minuti libelli erant compactos fuisse judico cum aliis ejusdem generis, qui numero quinque ab Ebræis מגלות vocantur, i. *volumina*. Sed an propterea exclusi fuerunt ab eo ordine in quo viri Synagogæ magnæ ipsos posuerunt? Non opinor. Nunquam ausi fuissent id facere Judæi: aut si aliqui hoc fecerunt, imprudentia est: non enim omnes ex æquo harum rerum intelligentes erant. Pro exemplo sit Josephus, qui licèt Sacerdos esset, tamen errorem magnum erravit in divisione horum librorum. Nam cùm *Prophetarum* nomen latè sumat, & in eo ordine 13 ponat, Davidem & Salomonem indè excludit ac si Prophetæ non fuissent. Fuerunt sanè, si non in primo gradu, at in secundo, ut antè probavimus. Sed hæc omnia Josephus ignoravit: ideo ignoscendum ei est. Non enim malitiâ peccavit, sed imperitiâ. Sic dico, Non sciens erravit, sed insciens & ignorans. Apocryphi vocantur omnes qui non sunt Canonici. Quod significat Hieronymus ità scribens, *Hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris quos de Ebræo vertimus in Latinum convenire potest, ut scire valeamus quicquid extra hos est inter apocrypha esse ponendum*. Quinam autem sint illi libri

libri docet per hæc verba, *Igitur Sapientia quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor non sunt in canone. Machabæorum primum librum Ebraicum repperi. Secundus Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* SAPIENTIA SALOMONIS; Ab errore veterum est qui existimarunt eum librum scriptum fuisse à Salomone. Saniùs de illo sentiunt recentiores Theologi. Nam scriptum opinantur à Philone Judæo, qui vixit sub Principatu Imperatoris Caii. Falluntur. Nam si autor ejus ille Philo, apocryphus esset Novi Testamenti. Vixit enim Philo ille post Christum. Scire licet alium Philonem fuisse tempore Templi secundi; Alexandrinum fuisse quidam tradit; quem *Philonem seniorem* vocare soleo. Is librum scripsit De anima, qui memoratur in libro Juchasin. Si ergò Philo eum librum composuit, non junior ejus autor fuerit, sed senior. PASTOR mihi aliquando visus Argentorati excusus. Cur eum ponat inter apocryphos V. Instrumenti, nescio. Olim receptus fuit ab Ecclesiis Græcis & publicè lectus. Posterior Ecclesia, & inprimis Latina, eum penitus rejecit. Fortè mendum est aut lapsus memoriæ pro HENOCH, quem Tertullianus laudat & canonicum esse pertendit. Nam conjecturam viri docti de *Pastore* mediâ correptâ non admittimus. *Pastora* vel *Pastorem* ignoravit Hieronymus, ut & *librum tertium*, quem vocant, *Machabæorum*. Prior in historia Ebraica vocatur *liber Hasamonæorum*; & nos hoc titulo eum aliquando publicavimus. Hi sunt apocryphi recepti ab Ecclesia Christiana, si unum *Pastorem* excipias, qui tamen olim, ut dixi, legebatur in Græcis Ecclesiis. Quod Judæos attinet, nunquam eos receperunt in canonem, quos ideo גנוזים vocant, i. *absconditos*, à verbo גנז quod significat *abscondere* & *apocryphum facere*; ut cùm aiunt Sapientes olim voluisse librum Coheleth לגנוז inter apocryphos referre, quòd in multis locis seipsum destruat. Obtinuit tamen nè id fieret, quia, ut aiunt, principium ejus verba Legis, & finis ejus. Sunt quos nè Christiana quidem Ecclesia unquam recepit, de quibus Augustinus in libris De civitate Dei, *Apocryphorum propter aliqua falsa non est canonica veritas.* Loquitur de libro Henoch, in quo multæ fabulæ.

ADDENDUM Gen. 1. 5.

DIes unus] *Unus* hìc valet *primus*, ut rectè interpretatur autor Jerosolymitanæ. Nihil hâc enallage tritius. Nam Latini autores eam usurpant, ut mirer interpretes, qui nescio quas hìc argutias quærunt, nodum in scirpo, ut dici solet. Nihil dicit qui non quod dicit etiam probat. Igitur Cicero De senectute, *Qui uno*, inquit, *& vigesimo anno scribens mortuus est*, i. vigesimo primo. Gen. 2. 11. *Nomen unius Phison*, Hag. 1. 1. *die uno mensis.* Græcè est μιᾷ τῶ μηνός. Sic חד בשבא *unus*, vel *una*, *sabbathi*, quod & μία σαββάτων Marc. 16. & explicatum ibidem legitur πρώτη σαββάτου *prima sabbathi*. Dicunt & אחד בשבת, quod idem cum illo *prima hebdomada*. Nostri dicerent *feria prima*. Est autem dies ille qui vulgò *Dominicus* dicitur, & Græcè ἡμέρα κυριακή, unde nostrum Kerche, i. *templum*, *ecclesia*.

GROTIUS.

1. ASCenditque Angelus Domini de Galgalis] Locus additus facit ut Hebræi hominem aliquem hìc *Angeli* nomine designari intelligant, quem putant fuisse Phineam, cujus mentio infrà 20. 28. Sic Propheta *Angelus* dicitur Agg. 1. 13. & Sacerdos, Mal. 2. 7. ubi quæ diximus vide. Est autem in hoc capite summa historiæ sequentis valde dilucida: quæ utilitatem Regiæ potestatis populo rebus ipsis ostendit, ac sic defectionibus frænum imponit.

13 *Bahal*] Qui plenè בעל שמין Βεελσαμήν *Dominus cœli*, Sol summus deorum illis gentibus, unde *Jupiter* Assyriis dicitur. Vide Macrobium Saturn. l. 1. c. 23. ¶ *Astaroth*] אשרים & אשרות sunt luci, ut Exod. 34. 13. Deut. 7. 5. & 12. 3. hoc libro 3. 7. ubi אשרות conjungitur cum *Bahalim*: unde liquet עשתרות esse aliam pronunciationem idem significantem, quare & 1 Sam. 7. 4. עשתרות, Græci vertunt ἄλση. In talibus autem lucis Terra colebatur, quæ indè dicta עשתרות, & Græcis res Syras exprimentibus *Astarte*. Is mos sub Cybeles nomine ad Phrygas gentésque alias transiit. Ovidius Metam. 7.

Templa Deûm matri quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto nemorosis abdita sylvis.

Sic castum nemus Terræ dicatum à Germanis Tacitus nos docet. Alibi autem meri luci dicati Terræ; alibi addita simulacra, ut Ovis specie apud Moabitas, narrantibus Rabbinis. Alii Astarten Lunam esse, alii Venerem, alii Junonem conjectant; sed quod dixi maximè credibile est. Tum verò Venus rerum genitrix, quod Terræ convenit; & Luna ἀντίχθων veteribus; & Juno, aer qui circa Terram.

21. *Et ego non delebo gentes*] Citò scilicet.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. UT scirent generationes] Magna, inquit, illa prælia quæ gesta sunt contra Chnaanæos facta fuerunt virtute Divinâ, & non humanâ: Nunc autem cùm filii Israel paulatim deficerent à Domino Deo, voluit Dominus eos docere quid esset prælium, ut suo incommodo discerent quàm periculosè illi belligerentur qui Dominum contra se offensum in bello habent. Patres eorum, qui ante eos pugnaverunt contra gentes, nihil horum sciverunt, cùm non ipsi sed Dominus contra hostes eorum pugnaverit.

3. *Quinque Satrapæ*, de quibus hìc agitur, fuerunt Præfecti quinque principalium civitatum Palæstinæ, nempe Azoti, Gazæ, Geth, Ascalonis & Accaronis. Et cùm suprà dictum sit *Jehudam cepisse Ascalonem, Gazam & Accaronem cum terminis eorum*, facilè hìc adverti potest Phelistæos urbes illas iterum occupasse, demerentibus id Judæorum peccatis.

8. *Riseathaiim*] Quidam putant *Riseathaim* esse nomen loci. Alii putant eum sic vocatum quòd Syria *duas impietates* exercuerit contra Israel; scribitur enim nomen illud in duali numero. Unam fecit Bileam, & alteram Chusan.

10. *Factus est super eum Spiritus Domini*] Sensus est, Dominus excitavit animum ejus, donavítque eum fortitudine, ut judicaret Israelem, h. e. assereret & liberaret eum.

15. *Jemini*] h. e. *de tribu Binjamin*, ut Jonathan Chald. vertit. ¶ Ehud iste fuit אטר, h. e. סתים יד ימינו *habens manum dexteram obturatam*, & nulli usui aptam, solâ sinistrâ utens manu. Quod scriptura hìc commemorat quò egregium illud facinus & Dei opus magis commendet.

16. *Latus acutum*] In Hebræo idem sensus aliis explicatur verbis, nempe *habentem duo ora*. ¶ *Longitudine cubitali*] Consentiunt Hebræi שיעור אמה esse גמר *mensuram cubitalem*. Et hinc Pygmæos vocant גמדים Ezech. 28. Oblato verò munere, egressus est Ehud cum sodalitio suo, pervenítque usque ad locum ubi lapidicina erat in Gilgal, ut Jonathan sentit, ubi imagines ex lapidibus sculpebantur. Et positis sociis in tuto loco, reversus est ipse solus; ut si infelicibus avibus negotium adoriretur, solus periculo obnoxius esset. Rediit autem perinde ac si aliquid oblitus esset. Nec voluit Rex ut secretum illud aperiret præsentibus famulis: quare ait ad eum, *Tace*, &c.

20. Pro *cœnaculo æstivo*] In Hebræo est *cœnaculum refrigerans*. Est autem מקרה à radice קרר *friguit*. Alii putant esse à קורה, *tigno*, *cœnaculum contabulatum*.

22. *Ma-*

22. *Manubrium*] Hebræi exponunt נצב pro יד הזהב *capulo*, quòd *manu capiatur*. Laminam verò vocant להב *flammam*, quòd polita in modum flammæ coruscet. ¶ *Stercus egressum est*] Jon. *cibus ejus effusus est*: ut sit פרשדנה dictio composita à פרש & שדא. Alii putant per hanc vocem significari מקום ישיבת הפרשים *locum consessus militum & equitum*, *prætorium*; sicut per מסדרונה intelligunt aliam aulam, in qua populus veniebat ad Regem. Alii verò primam vocem exponunt צואה pro *stercore*, ut cum sanguine etiam stercus per vulnus illud exierit. Qui prætorium intelligunt legunt hunc locum sic, *Et egressus est*, Ehud scilicet, *versus prætorium*. *Egressus*, inquam, *Ehud ad subsellia, clausisq; post se foribus*, &c.

24. *Forsitan cooperit*] In Hebræo pro *forsitan* est *profectò*, *utique*. Describit autem hîc Hebraismus rem obscœnam verbis verecundis, pro נפנה, quod *cacare* seu *ventrem exonerare* apud Magistros sign. utens *pedum contectione*. Siquidem qui verecundi sunt, & huic operi indulgent, vestibus nudos pedes & crura tegunt.

29. *Crassi*] h. e. erant omnes corpulenti & fortes. Alii verò putant exponendum שמן pro עשיר, quòd *divites* & *magni* fuerint viri illi.

31 *Vecte jugali*] Hebr. *Directorio armenti*. R. Levi exponit אנולייא *aculeum*, i. stimulum boum. Kimhi verò interpretatur *baculum*, *cui infixus est uncinus*, *quo diriguntur boves in agricultura*.

VATABLUS.

1. **O***mnia bella Chenaan*, את כל מלחמות כנען] i. quâ ratione gesta fuissent prælia illa contra Chananæos.

2. *Tantùm*, רק] Sub. *reliquit Jehova eas Gentes*, *ut*, &c. ¶ *Ut doceret eos bellum*, למהדם מלחמה] i. ut scirent filii Israel qui postea nascerentur, & quasi cogeret eos Dominus discere rationem belli, quâque ratione gerenda essent bella. ¶ *Tantùm qui antea*, רק אשר לפנים] *Verùm qui antea*, sub. *fuerant*. ¶ *Non cognoverant ea*, לא ידעום] i. non noverant eam artem bellicam quâ Dominus pugnabat pro illis.

3. *Usque ad introitum Hamath*, עד לבוא חמת] *Donec eundo* ingrediaris *Hamath*, quæ scilicet est inter Orientem & Septentrionem.

4. *Fuerunt inquam*, &c. ויהיו לנסות] Sub. *relicta*, i. Remanserunt itaque, *ut probaret*, &c.

7. *Malum in oculis Jehova*, את הרע בעיני יהוה] Hebraismus, quod displicebat Domino.

8. *Et vendidit eos*, וימכרם] i. more vendentis servos, tradidit eos in, &c. ¶ *Chusan*, &c. כושן רשעתים] Doctus inter Hebræos ait esse nomen Regis Mesopotamiæ. Alii vertunt, *Chusan de Risathaim*, Chaldæus paraph. *Chusan nefarii*, vel *impii hominis*. ¶ *Aram-naharaim*, ארם נהרים] *Syria fluviorum*. i. Mesopotamiæ. Vide Interpretationem nominum Hebræorum.

9. *Clamaverunt autem*, ויזעקו] *Ingemuerunt autem*. *Et vociferati sunt*, vel, *Cùm autem ingemuerunt*. ¶ *Servatorem*, &c. מושיע לבני ישראל וישיעם] *Liberatorem filiis Israel*, *qui liberavit eos*. ¶ *Filium Cenæ*, בן קנז] Quidam exponunt *Cenezæum*.

10. *Et fuit super eum Spiritus Jehova*, ותהי עליו רוח יהוה] Hebraismus, Cœpit agi Spiritu fortitudinis Domini, vel, Excitavit Dominus animum ejus, & fortitudine donavit. ¶ *Et roborata est*, &c. ותעז ידו וגו׳] Hebraismus, superior evasit, vel prævaluit adversùs Chusan.

12. *Rursum fecerunt*, &c. ויוספו בני ישראל וגו׳] Ad verb. *Et addiderunt filii Israel facere malum*, &c. i. rursum fecerunt rem ingratam Domino omnia intuenti, vel, malum, vidente Domino. ¶ *Et roboravit*, ויחזק] i. superiorem reddidit.

13. *Qui congregavit ad se*, ויאסף אליו] i. adjunxit sibi socios. ¶ *Urbem palmarum*, את עיר התמרים] Chaldæus paraph. dicit esse Jericho. Alii urbem quandam in agro Jerichuntino.

15. *Clamaverunt autem*, ויזעקו] Ut v. 9. ¶ *Captum manu dexterâ suâ*, אטר יד ימינו] i. scævam, sive scævolam, qui tantùm utebatur manu sinistrâ, & cujus manus dextra erat contracta, neque eâ uti poterat, Gallicè, *manchot*.

16. *Fecit autem*, ויעש] i. curavit sibi faciendum, *gladium habentem duas acies*, i. scindentem ex utraque parte. Ad verb. *Et fecit sibi Ehud gladium*, *& ei erant duæ acies*.

18. *Cùm autem obtulisset*, &c. ויהי כאשר כלה וגו׳] Ad verb. *Et fuit*, *cùm finem fecisset offerendi munus*, *& dimisit*, &c. i. deduxit socios qui secum detulerant munus illud.

19. *A lapidicinis*, מן הפסילים] *A latomiis*. ¶ *Sile*, הס] *Tace*, donec scilicet recesserint isti. ¶ *Qui stabant juxta eum*, העומדים עליו] i. domestici, vel aulici.

20. *Ingressus est*, בא] i. propiùs accessit. ¶ *Sedebat*, יושב] *Habitabat*. ¶ *Æstivo*, המקרה] Ad verb. *refrigerationis*. ¶ *Solus*, אשר לו לבדו] Ad verb. *qui ei soli*. ¶ *Verbum Dei*, דבר אלהים] i. quod accepi à Deo, q. d. Est quod tibi dicam jussu Dei.

22. *Et ingressus est etiam*, &c. ויבוא גם הנצב אחר הלהב] *Et secutus est capulus ferrum*. ¶ *Et clausit*, ויסגר] Sub. *vulnus*, sive *ora vulneris*, *adacto ferro*, i. astrinxit. ¶ *Poterat educere*, שלף] Ad verb. *evaginavit*. ¶ *Et exivit*, ויצא] Et statim cœpit exire. Sub. *per vulnus*.

23. *Per vestibulum*, המסדרונה] Ità dicitur Hebræis *vestibulum*, quòd in eo essent multæ columnæ. ¶ *Super illum*, בעדו] Nempe Eglon, i. inclusit eum in cœnaculo, foribus serâ obseratis.

24. *Tegit pedes suos*, מסיך הוא את רגליו] Hebraismus, *egerit*, *purgat alvum*. Honestissimâ locutione habitum egerentis expressit.

25. *Et exspectaverunt donec tardaret*, ויחילו עד בוש] *Et exspectaverunt donec cunctaretur*. Hebraismus, *diu exspectaverunt*, pro עד שבוש.

26. *Evaserat*, וימלט] i. receperat se.

27. *Cùm autem pervenisset* ויהי בבואו] Ad. verb. *Et fuit*, *in veniendo eum*, i. cùm pervenisset ad suos.

29. *Moab*, את מואב] *De Moab*, sive, *de Moabitis*.

30. *Humiliatúsque est Moab*, ותכנע מואב] Ad verb. *Humiliatáque fuit* [sub. עדה *congregatio*] *Moab*, i. Moabitæ venerunt in potestatem Israelitarum. ¶ *Et quievit terra*, ותשקוט הארץ] i. habitatores terræ vixerunt in pace.

CASTALIO.

15. **H***ominem scævam*] Lævâ manu pro dextera utentem.

CLARIUS.

2. **P***ostea discerent*] Vel, *ut saltem scirent generationes filiorum Israel*, *& doceret eos prælium*. Magna inquit, illa prælia quæ gesta sunt contra Chananæos facta fuerunt virtute Divinâ, & non humanâ: Nunc autem cùm filii Israel paulatim deficerent à Domino Deo, voluit Dominus eos docere quid esset prælium, ut suo incommodo dicerent quàm periculosè illi belligerentur qui Dominum contra se offensum in bello habent. Patres eorum, qui ante eos pugnaverunt contra gentes, nihil horum scierunt, cùm non ipsi, sed Dominus contra hostes eorum pugnaverit.

3. *Quinque satrapæ*, de quibus hîc agitur, fuerunt Præfecti quinque principalium civitatum Palæstinæ, scilicet Azoti, Gazæ, Geth, Ascalonis, & Accaronis. Et cùm suprà dictum sit, *Judam cepisse Ascalonem*, *Gazam et Accaronem cum terminis eorum*, facilè hîc adverti potest, Philistæos urbes illas iterum occupasse, promerentibus id Judæorum peccatis.

15. *Jemini*] h. e. *de tribu Benjamin*, ut Jonathas Chal.

Chald. vertit. ¶ *Erat contracta*] Hic manum dextram habebat nulli usui aptam, solâ sinistrâ utebatur: quod Scriptura hîc commemorat, quò egregium illud facinus & Dei opus magis commendet.

19. *Et reversus*] Oblato munere egressus est cum sodalitio suo, perveníteque usque ad locum ubi lapidicina erat in Galgal, ubi imagines ex lapidibus sculpebantur. Et positis sociis in tuto loco, reversus est ipse solus; ut si infeliciter negotium adoriretur, solus periculo obnoxius esset. Nec voluit Rex ut secretum illud aperiret præsentibus famulis, quare imperavit silentium, & dixit, *Tace*, &c.

24. *Forsitan purgat alvum*] Heb. *Forsitan cooperit pedes suos.* Describit autem hic Hebraismus rem verecundam obtectis verbis. Siquidem qui verecundi sunt, cùm necessitati naturæ operam dant, vestibus pedes & crura tegunt.

DRUSIUS.

3. *Quinque satrapas Philistinorum*] Reguli erant præcipuarum urbium illius regionis, quæ numero quinque erant, Azotus, Gaza, Geth, Ascalon & Accaron; quibus suberant reliquæ urbes Juniores, & pagi villæque. Huic loco contraire videtur alius qui habetur in superioribus, c. 1. 18. ubi legimus *Judam cepisse Ascalonem, Gazam, & Accaronem, cum terminis eorum.* Si verum hoc, ut est verissimum, quomodo hîc dicit, *Deum reliquisse gentes ad tentandum per eas Israelem?* An hoc intelligendum de iis quas Israelitæ non ceperant? aut potiùs *reliquit omnes*, quia captas postea receperunt Philisthæi, de quo nos dubitare non sinit ipsa historia. ¶ *Omnes Chananæi*] De iis loquitur qui habitabant in monte Libano, vel potiùs de iis qui habitabant in medio filiorum Israel: nam & hi relicti fuerunt propter causam quam hîc memorat Scriptura.

7. *Baalim*] τοῖς Βααλὶμ, i. *Baalibus*, ¶ *Et Lucis*] Lxx τοῖς ἄλσεσι. Luci autem Ebræis *Aseroth* dicuntur; quod corruptum in ed. vulgata in Astharoth, quia nomen hoc notius & vulgatius erat. Notavi olim nomen minùs notum sæpe cum notiore permutari errore librariorum. Nam interpretum ut culpa sit mihi persuaderi non possum, nisi fortè dicamus eos non inspexisse semper cod. Ebræos. 1 Sam. 7. 4. in notis ad edit. Rom. ἄλση *Aquila interpretatus est* Ἀσταρώθ, i. *simulacra Astartes*, &c. Quod acceptum à Theodoreto, qu. 14. in extremo. *Lucus* dictus quòd minimè luceat; ut *bellum*, quòd minimè bellum sit. Sic *Hasida, struthio* apud Jobum, quòd minimè pia sit. Grammatici *antiphrasin* appellant. In libro Ebræo qui Phesictha vocatur 24. 3. אשרים recensentur inter decem nomina idolorum. Gerundensis autor אשרה, quod *lucum* reddunt, *arbores esse plantatas præ foribus idolii.* Est autem *idolium* domus idoli. Scribit hoc comment. in Pentateuchum fol. 311. col. 3. In Nomenclatore Eliæ אשרה exponitur **Lynde**, i. *tilia*, vel *philyra*. Mich. 5. 14. אשרים Hieron. *lucos*. Lxx τὰ ἄλση. Jon. *plantata populorum.* R. D. *Omnis arbor plantata in honorem ejus quem colunt vocatur* אשרה *nemus sacrum, sylva minimè cadua, Diis consecrata.* Cæterùm non tam lucos hîc significari putarim quàm Deos lucorum, ut sit metonymia continentis pro contento. Non enim certè serviebant lucis, sed idolis ipsorum. In voce *Asera* significatio *beatitudinis*; q. *nemus beatum* dicas. Jos. 12. 8. in vulgata nostra perperàm *Aseroth* legitur pro *Asedoth*, Res pro Daleth.

10. *Fuit super eum spiritus Domini*] Spiritum intelligit roboris ac potentiæ, qui à *Domino*. Nam vi Divinâ impulsus fuit ad liberandum populum & ad bellum faciendum Regi Mesopotamiæ, amoto omni metu, qui belligerantibus plurimùm obesse solet. Jonathan hîc habet, *spiritus prophetiæ à coram DOMINO*, quod non adeò se probat mihi. Nam quid prophetia ad regendum populum aut bellum gerendum? Quocirca idem melius alibi exponit eandem phrasin; ut ibi, *Spiritus DOMINI induit Gedeonem:* nam vertit, *& spiritus potentiæ à coram DOMINO.* Sic ad illum locum, *Et fuit super Jephthe Spiritus DOMINI*, idem παραφράζει, *& resedit super Jephthe Spiritus potentiæ*, seu *roboris, à coram DOMINO.* Ut hîc *Spiritus potentiæ*; sic alibi *Spiritus sapientiæ*, videlicet Exod. 28. 3. *prudentiæ, judicii, constantiæ*, &c. quibus opponuntur *spiritus vertiginis, avaritiæ, furoris, formidinis, zelotypiæ*, Num. 5. 30. Est autem motus in animis nostris vi quadam extrinsecùs impellente excitatus vel à Spiritu bono, vel contrà à malo, pro varia motûs qualitate. Videndus R. D. Jes. 28. 6. ad locum, *Et in spiritum judicii ei qui sedet ad judicium, & in robur*, seu *potentiam, reducentibus* (alii *avertentibus*) *prælium ad portam.* Spiritus judicii, & spiritus roboris; judicii, ad judicandum sive regendum populum; roboris, ad bellandum cum hostibus: nam ibi robur imprimis requiritur. ¶ *Judicavit*] i. vindicavit. Sic Tremellius.

15. *Qui utrâque manu pro dextera utebatur*] Quem *ambidextrum* appellant. Sed hoc Ebræus non dicit. Quid igitur? *Clausum manu dextrâ* vocat qui eâ uti non potest, vel quòd contracta sit propter morbum, vel alia de causa. אטר Jonathan paraphrastes reddit גמיר *contractum.* Nam exponunt per כרוין, ut cùm pellis igni admota contrahitur. Ebræam vocem R. D. & R. S. interpretantur סגור *clausum*, *præclusum.* Talis vocatur ab Ebræis שמאלי, i. *sinister*, & Gallicè, teste Lirâ, *gauchier*, quia tantùm utitur sinistrâ, quæ *main gauche* dicitur, & minùs observabilis est ejus ictus: quod Galli significant cùm aiunt, *On ne se peut garder d'un gauché.*

16. *Cubitus longitudo ejus*] Non אמה est in fonte sed גמר. Id Hieron. interpretatur *palmam manûs.* Lxx σπιθαμῆς, quod *palmum* reddunt. R. D. *mensuram cubitalem*, שיעור אמה. R. S. אמה גרומה *mensura truncata*, aut *incisa, decurtata, absque digitis. Germanicè*, inquit, דומאלנא **du'elle**, *Italicè* גשקירטא *Hascurta*, *Chaldaicè* גמרידא. Sunt qui definiunt *cubitum brachii.*

19. *A lapidicinis quæ apud Galgal*] Ad verb. *quæ cum Galgal.* Sed *cum* Apud significare notiùs est quàm ut probari debeat. Sic, *satias lætitiarum cum vultu tuo*, i. apud vultum tuum. Lapidicinas Jonathan appellat מחצביא. R. D. *è loco ubi cadebant lapides.* Vox Ebræa פסילים communiter sign. *sculptilia.* Unde Hieron. *Et reversus de Galgalis, ubi erant idola.* Lxx verò, Καὶ αὐτὸς ὑπέστρεψεν ἀπὸ τῶν γλυπτῶν τῶν μετὰ τῆς Γαλγάλ, *Et reversus est à sculptilibus quæ cum Galgal.* In notis autem ad ed. Rom. *Ebraismus est pro, In Galgal: & multi putant significari lapidicinas quæ essent in Galgal. Theodoretus*, ἀπὸ τῶν εἰδώλων τῶν ἐν Γαλγάλοις, *reversus est ab idolis in Galgalis.*

20. *In cœnaculo æstivo*] Quod ὑπερῷον θερινὸν Græci vocant. Jon. *in cœnaculo domûs æstivæ.* Nam divites olim habebant non solùm cœnacula æstiva, sed etiam domus in quibus æstivo tempore degebant, quas vocant *domus æstatis*, ut hybernas sive hyemales appellant *domus hyemis.* Mentio harum domorum Amos 3. 15. In Ebræo est ad verbum, *domus refrigerii:* nam ibi se refrigerabant æstate. מקרה *refrigerium* à קרר, sicut מגלה *volumen* est à גלל *volvo*, & מחתה *contritio* à חתת *contrivit.* ¶ *Surrexit de solio suo*] Honoris causâ ei assurrexit. Vide notas Tremellii Num. 23. 22. Dicunt Ebræi ob hoc factum ipsum meruisse ut filia ejus Ruth nuberet Boozo atavo Davidis. Lira, q. d. *Oportet ut surgas propter reverentiam verbi Divini:* nam præcedit, *Verbum Dei mihi ad te:* quod non nemo reddit, *Aliquid Divini habeo ad te.*

22. *Capulus*] Novè capulum נצב appellat, qui τοῖς Lxx λαβὴ dicitur, & Chald. paraphrasti רסתקא. Ebræi vocant יד החרב *manum gladii*, i. manubrium quo gladium tenemus. להב autem est *ferrum gladii.*

23. מסדרונה quid hîc sit quærunt interpretes. Hieron. vertit *per posticum*; quod Lira putat in vitio cubare

bare, legendúmque *per porticum: nam hoc*, inquit, *dictio Ebræa significat*. Jon. לאכסדרא *per exedram*. Græcè ἐξέδρα domus addita porticibus a *sedium frequentia & sessitandi commoditate* sic dicta. R. D. ex Thargum citat לאכסדרה cum He in fine, perinde est. Idem ait *misdaron* nomen habere ab ordine sedium, *Locus*, inquit, *erat factus per ordines* (סדרים סדרים Ebraicè) *ad sedendum ibi*. Santes habet, *per vestibulum*. Quidam, *ad ipsum procœtonem*. Usus fuit eo verbo Plinius epist. 41. *post hanc cubiculum cum procœtone*. Et est purum putum Græcum vocabulum προκοιτῶν, quod sonat *antecubiculum*; nam κοιτὼν, *cubiculum*, locus domûs in quo sunt cubilia. Dicitur & προκοίτιον. Gallicè *antichambre*. Mihi præ cæteris arridet interpretamentum Jonathæ, cui robur addit originatio D. Camii; cujus & hæc sunt in lib. Radicum, *Thargum vertit*, *Ad exedram*, *& sic est*; *quoniam exedra ordines habet sedium & subselliorum ad sedendum*. Cæterùm ה *ultimum in* המסדרונה positum videtur pro ל*מסדרון*, h. e. pro Lamed. Lxx τὴν προστάδα *vestibulum*: alius, εἰς τὴν προστάδα *ad vestibulum*.

24. *Tegit pedes suos*] Purgat alvum, ventris onus deponit. Honesta periphrasis alvum purgantis. Sic, *neque legislator de inter pedes ejus*. Lxx ἀποκενοῖ τοὺς πόδας αὐτοῦ *evacuat pedes suos*, ubi nomine *pedum* intellige id quo viri sumus, ut cùm dicimus *aqua pedum* pro *lotio*, sive *urina*. Sed in aliis est πρὸς δίφρους κάθηται ἐν τῇ ἀποχωρήσει τοῦ κοιτῶνος, *in sedibus sedet in secessu cubilis*. Obvia hæc phrasis 1 Sam. 24. 3. Vide nunc, si placet, Quæstiones meas. Jon. *facit ipse necessitatem suam*: מסיך idem quod מסך à סכך, q. d. סוכך רגליו, & est honesta locutio, quæ sign. שהוא נפנה *ipsum egerere alvum*, aut *inclinare se ad hoc faciendum*. In Lex. Chald. Munsteri, פנה *egerere*. R. S. עובד צורכה *facit necessitatem suam*. נקבים הגדולים רגלים sunt *foramina magna*. ¶ *In cœnaculo æstivo*] Suprà עליה vertunt *cœnaculum*; hîc est חדר, in fonte. עליה propriè sign. ὑπερῷον sive ὑπερῷον, quæ est *summa ædium pars*, *conclave suprema domûs*, aut *superioris ædium partis*. חדר autem est *penetrale domûs*, h. e. cubiculum interius, aut conclave quod in interiore parte domûs. Quidam hîc legunt *in conclavi æstivi*, sub. *cœnaculi*. Sed מקרה propriè *refrigerium*.

25. *Donec erubescerent*] עד בוש *usque ad pudefieri*, i. ad pudorem usque, q. d. Pudebat eos diutiùs exspectare. Sic τὸ αἰδεῖσθαι ponitur pro τὴν αἰδῶ. *Verecundari perdidit*, i. verecundiam. Sic, *tuum amare*, pro *tua amationes*. בוש pro בוש. aut est nomen ad instar אור *lumen*. Vide Kimchi. Lxx ἕως ᾐσχύνοντο. Sed Santes, *donec tardaret*. Tremell. *usque ad tarditatem*, i. dudum. Sign. *tradare avidè*. Kimchi in בוש. Sic בושש in rad. בוש ענין איחור ¶ *Dominus eorum*] Ad verb. *Domini eorum*. Nomen est plur. sed quod hîc sensum habet singularem. Nam de uno tantùm dicitur. Sic *Elohim* & *Baalim* de uno singulari usurpantur. Qui hoc nescit, nihil scit. Illud mirum, imò permirum videtur, quòd in *Elohim* mysterium esse volunt, in *Adonim* & *Baalim* nullum agnoscunt. Nam argumentum à plurali ductum tam valet in uno quàm in alio. Et ausus fuit his diebus, ut audio, è Germania quidam hoc defendere. Sed quid non audet imperitia? Nomen & gloriam aucupantur ex talibus, quam ego illis non invideo. Sint doctissimi apud sui similes. Docti aliter judicant, & hujusmodi risu magis dignos quàm odio aut miseratione putant.

29. *Omnem pinguem*] i. λιπαρόν. Hieron. *omnes robustos*. Sunt qui *divites* intelligunt; alii *corpulentos*, *robustos*. Sed vide Camium. Jon. *terribiles*, i. fortes, qui aliis terrori sunt propter robur. Quidam ad vires, alii ad opes referunt: Ad vires, Hieronymus & fortasse etiam Jonathan; ad opes, Tremellius. Utrumque notatum in D. Camio. Sanè *pingues* opulentos vocare novum non est. Sic, *in pinguibus eorum*, ἐν τοῖς πλουσίοις αὐτῶν, exponunt, *in divitibus eorum*. Vide Dict. Ebra. meum.

31. *Stimulo boum*] Videtur Samgar iste dux fuisse rusticorum quorundam, qui stimulis boum usi sunt, cùm armis destituerentur. מלמד propriè *baculus stimuli*, ut דרבן *cuspis* sive *acus ferrea*, quæ in summitate baculi. In libro qui vocatur *Jelammedenu* 72. 1. vocatur מלמד *qui docet vaccam arare*. Similia scribit R. D. ad hunc locum, *Instrumentum est*, inquit, *in cujus capite acus infixa*, *quæ vocatur* דרבן, *quâ pungit arator bovem*; *& vocatur Malmad*, *quia docet bovem arare*. Jonathan *stimulum* hoc loco vocat פרש à pungendo, unde & פרישים *calcaria*, quibus equos pungimus, & פרשים ipsi *equites* dicti. Quod autem in ed. nostra, *vomere*, sumptum videtur ex ed. Græca, ubi ἐν τῷ ἀρότρῳ τῶν βοῶν, i. *aratro boum*. Nam *vomer* est ferramentum aratri, quo pugnavit Samgar, si vera hæc interpretatio: quod non puto. Nam etiam Lyra notat, *In Ebræo habetur*, *Stimulo bovis*. Aliquot edit. ἐν τῷ ἀροτρόποδι *in stiva*, vel *pede*, *aratri*. Stimulus מרדע dicitur RR.

IDEM.

1. נסות. Sym. ἀσκῆσαι *exercere*.

GROTIUS.

3. *Quinque Satrapas*] Vide Jos. 13. 3.

4. *Ut in ipsis experiretur Israelem*] Cùm eos non statim delessent Israelitæ, ut debuerant, Deus hâc usus occasione servandos eos diu censuit: ut si eorum mores non imitarentur Israelitæ, probitas Israelitarum appareret; si imitarentur, improbitas. Præterea Deus illis populis ministris uti voluit ad puniendos Israelitas, si diu aut gravia delinquerent.

8. *Servierúntque ei octo annis*] i. coacti sunt pacem gravibus tributis redimere, non tamen ut præsidia ab eo Rege acciperent. Simile mox 12, 13, 14. Itaque facile illis fuit resumpto animo onus tale exuere, ut sequentia ostendunt.

15. *Suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod*] Dei jussus, qui & infrà exprimitur 28. efficit nè in exemplum hoc trahi possit ubi talis Dei jussus non est; non magis quàm quòd Abraham de filio jussus est facere, & quòd Israelitæ res Ægyptiorum abstulere. Brutus qui Cæsarem occidit, paris videtur fuisse animi; sed ei ut Divinum imperium ità & successus defuit.

21. *Surrexit de throno*] Tanquam Prophetæ honorem habens.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. *In nemore gentium*] Exponunt Hebræi חרושת *Harosche*t appellativè pro יער, ut nos quoque vertimus, non pro proprio nomine. Et licèt Jehosua Regem Jabin & civitatem ejus Hazor exterminaverit, manserunt tamen reliquiæ aliquæ, quæ fugientes in nemora gentium successu temporis vires susceperunt, & alium instituerunt Regem, qui erat de semine Jabin, & affligere cœpit filios Israel. Cæterùm quando dicitur *Deboram judicasse Israelem*, id sic intelligendum docent, quòd mulier sancta legis Divinæ gnara populo petenti dabat responsa ex oraculis Dei.

6. *Et allicias*] Vel, ut textus Hebraicus habet, *Et trahas*, videlicet post te. Kimhi verò sic exponit, ותפתם בדברים *Ut persuadeas eos verbis*, *donec perduxeris eos ad montem Thabor*.

11. *Hæber autem Kenæus*] Notandum quòd *Kenæus* est adjectivum gentile à *Kain*, qui filius fuit Hobab sive Jithro soceri Mosi: propagatáque est posteritas ejus usque ad terram Israel, sicut hîc scribitur de Hæbær; qui licèt fœdus haberet cum Jabin, maluit tamen illud dissolvere quàm hostem filiorum Israel fovere. Segregatus verò fuit Hæbær à reliquis Kenæis, qui habitabant in deserto Jehuda, illuc ex civitate Palmarum translati, *&c.*

15. *Dissipa-*

15. *Dissipavit*] Radicem verbi dicit Kimhi esse המם vel הום, significátque idem quod שאה *devastavit*. Jonathan verò vertit תבר *confregit*.

18. *Culcitrâ*] *Operimentum est*, inquit Kimhi, *densum, ex quo multi egrediuntur cincinni, quod vulgò* קוטא *vocant, Germanice* **kutzen**. Translator noster vertit *pallium*.

21. *Tempori*] Tempora capitis in Hebræo vocantur רקות, ob מיעוט הבשר *tenuitatem carnis* quæ in illo invenitur loco. Apud RR. verò vocantur צדעים. Porrò צנח idem est quod נעץ *incussit*. Accepit itaque mulier clavum ferreum & acutum, qui facilè penetrare posset tempora, & jacenti atque stertenti in terra clàm appropinquans, tam violenter capiti incussit ut simul caput cum terra configeret; id quod audax facinus fuit mulieris, sed quæ videbat Deum & elementa pugnare contra impium hominem, persecutorem fidelium.

VATABLUS.

2. *ET vendidit eos*, וימכרם] i. more vendentium servos tradidit eos *in manus*, &c. ¶ *Qui regnaverat*, &c. אשר מלך בחצור] Sub. *in patre*, nam Rex Hasor fuit devictus à Josue, i. cujus prædecessores Reges regnaverant in Hasor, vel ad quem jus regni Asor pertinebat. Aut fuerat urbs illa coædificata. ¶ *In Haroseth gentium*, בחרושת הגוים] i. in Sylva gentium. Nomen loci, sic dictum quòd abundaret munitionibus. Chaldæus paraph. *in solitudine munitionum*.

4. *Prophetis*, נביאה] i. Divinæ Legis gnara populo petenti responsa ex oraculis Dei dabat. ¶ *Lappidoth*, לפידות] Dicunt Lappidoth & Barac eundem fuisse, nempe maritum ipsius Deboræ; sed cùm ipsa ageretur Spiritu prophetico, eum ad tempus procul habitasse ab illa. Alii exponunt *mulierem Lappidoth*, i. quæ concinnabat ellychnia sive myxas in templo Domini. Verior est prior opinio.

5. *Sub palma Deborah*, תחת תומר דבורה] Quibusdam videtur nomen *Debora* referendum ad pronomen *ea*, sic, *Ea autem Debora habitabat*, &c. Alii exponunt, *sub palma quæ postea dicta fuit Debora*. ¶ *Et ascendebant*, &c. ויעלו אליה וגו'] i. accedebant filii Israel ad eam ad jus audiendum, nam dirimebat lites.

6. *Misitque, & vocavit*, ותשלח ותקרא] i. Quæ misso nuncio, accersivit Barac. ¶ *De Cedes Naphthali*, מקדש נפתלי] i. quæ erat in tribu Naphthali. ¶ *Nonne præcepit*, הלא צוה] q. d. Certè præcipit, & jam præcepit. Interrogatio est certa asseveratio, quæ prolatione non eget. ¶ *Et pertrahe*, ומשכת] i. tecum assumas & ducas.

7. *Et pertraham*, ומשכתי] Verba sunt Dei, i. efficiam ut descendant.

9. *Ibo quidem*, הלוך אלך] Ad verb. *Eundo ibo*. ¶ *Non erit gloria*, &c. לא תהיה תפארתך וגו'] Hebraismus, Hoc non erit tibi honori in expeditione quam paras contra illum. ¶ *Tradet*, ימכור] i. tradidisse dicetur.

10. *Et ascendit in pedibus suis*, ויעל ברגליו] *Et ascendere fecit* [i. deduxit] *ad pedes suos*, i. secum.

11. *A Cain*, מקין] i. à cognatione Cenæorum, qui scilicet habitabant in deserto Juda. ¶ *A filiis Hobab*, מבני חובב] i. à nepotibus Hobab. ¶ *Et tetenderat*, &c. ויט אהלו וגו'] i. suis tentoriis occupabat magnam partem agri Cedes.

14. *Surge*, קום] q. d. Rumpe moras.

15. *Ante Barac*, לפני ברק] i. ad impressionem Barac.

17. *Regem Hasor*, מלך חצור] i. cujus majores regnaverant in Hasor, sive, ad quem jus Hasor pertinebat.

18. *Tegumento*, בשמיכה] *Stragulâ villosâ*.

19. *Sitio*, צמתי] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Utrem lactis*, נאוד החלב] Porrexit lac ut esset potus suavior & induceret illi somnum.

20. *Ut siquis ingressus*, והיה אם איש יבא] Ad verb. *& erit, siquis ingredietur*.

21. *Et tulit*, ותקח] Cùm scilicet sensit illum somno pressum. ¶ *Clavum*, את יתד] *Paxillum*. Vide c. 5. 26. ¶ *Clàm*, בלאט] *Sensim, pedetentim, secreto*. ¶ *In tempus ejus*, ברקתו] *In alterum temporum ejus*. ¶ *Atque infixus est*, ותצנח] Perforato scilicet ac transverberato capite illius. ¶ *Soporatus*, &c. נרדם ויעף] *Erat pressus sopore præ lassitudine*, vel, *fatigatione*.

22. *Erat prostratus humi*, נפל] *Jacebat*.

24. *Et promovit*, &c. ותלך יד בני ישראל הלוך וקשה] Ad verb. *Et ivit manus filiorum Israel eundo, & dura erat*, &c. i. ex eo tempore usque adeò cœperunt augescere vires filiorum Israel, tàmque fortes ac potentes evaserunt, ut Regem Chanaan exterminaverint ac perdiderint.

CLARIUS.

2. *IN Haroseth gentium*] Vel, *in nemore gentium*. Licèt Josua Regem Jabin & civitatem ejus Hasor exterminaverit, manserunt tamen reliquiæ aliquæ, quæ fugientes in nemora gentium successu temporis vires receperunt, & alium instituerunt Regem, qui erat de semine Jabin, & affligere cœpit filios Israel.

11. *Haber autem Cinæus*] Haber Cinæus, licèt fedus haberet cum Jabin, maluit tamen illud dissolvere quàm hostem filiorum Israel fovere. Segregatus verò fuit Haber à reliquis Cinæis, qui habitabant in deserto Juda, illuc ex civitate Palmarum translati.

DRUSIUS.

1. *EHud mortuo*] Cur omittit Samgar? Hic non plenè servavit Israelem, nec errantes in viam reduxit, ideo putant omissum. Vide Camium. Mentio Samgar & infrà 5. 6. Sulpicius vocat *Semigar*; cujus meminit historiæ suæ pag. 41. In ed. Rom. est *Samegar* Σαμεγάρ. Alius memoratur in Sulpicio, quem ait Samsoni successisse, & modò *Simmichar*, modò *Semgar* appellat, pag. 48, & 49. de quo ampliùs quærendum: nam post Samsonem vacavit Judicatus usque ad Eli Sacerdotem, Jud. 18. 1. & 21. 25. *In diebus illis non erat Rex*, &c. Quærendum etiam an Samgar Judex fuerit. Nam *servare Israelem* & *Judicem esse* convertuntur, tum ἀναμφισβητήτως Judex fuit, & Israelem rexit.

2. *Jabin regis Chanaan, qui regnabat in Hasor*] Alius hoc nomine memoratur Jos. 11. 1. quem Josue occidit, v. 10. Hasor autem quam Josue combussit Jos. 11. 11, 13. videtur postea reparata fuisse, aut per *Hasor* intelligit agrum ejus. Videndus R. D. ad h. l. ¶ *Et ipse habitabat*] Tam potest referri ad Sisaram quàm ad Jabin. Communiter tamen refertur ad Jabin. Nam combustâ Hasore, qui supererant, sedem sibi delegerunt in Haroseth gentium, quorum Rex erat Jabin. Dictionarium Theologicum, *Haroseth sedes Jabin regis Hasor, Jud. 4.* Autor ille quisquis fuit confirmat communem opinionem de hoc loco. Videndus R. D. Senes hìc habent ἐν Ἀρισὼθ τῶν ἐθνῶν *in Arisoth gentium*, בחרשת, si modò sic legerunt. Est autem in voce *Haroseth* significatio *sylvæ*, quæ Aramæis חרשא dicitur, & est interpretamentum τῷ יער, quod *sylvam* designat. Unde conjiciunt in sylva illa fuisse arces validas, in quibus habitaverint Chananæi reliqui ex clade quam eis intulerat Josua. Infrà v. 16. ubi est Ἀρισὼθ, in aliis est δρυμοῦ *sylvam*. Jonathan interpretatur *in arcibus (an urbibus?) validis populorum*; cui familiare gentes *populos* vocare, quam opinionem firmat R. S. ità scribens, *Urbs ejus nominis, sic dicta quòd esset fortis & imperans*, vel *dominans*. De Hasor quæ in Galilæa gentium vide Masium in Jos. 11. 1.

3. *Per vim*] Τυραννικῶς. Sic interpretor בחזקה, quod Lxx reddunt κατακράτος *imperiosè*, Hieron. *vehementer*, i. במאד, alius *fortiter*, & alius *violentiâ*. Nos, ut puto, sensum expressimus. Nam qui per vim aliquem opprimit, tyrannus est.

4. *Mulier prophetis*] Locutio est ut *mulier ancilla*. Nam satis erat *prophetis*, itaque Hieronymus omisit nomen *mulieris*. Græcè est γυνὴ προφῆτις *mulier prophetis*: pro quo

quo in Bibliis interlinearibus *prophetes*. Mihi nullum dubium quin Santes primùm scripserit *prophetis*. Nam libenter sequitur Hieronymum. Quanquam in antiquis cod. *prophetes*. R. D. *Prophetis dicitur, quia prophetavit de tempore suo*. Nam non legimus quòd in futurum aliquid prædixerit. Est autem *prophetis* quæ prædicit futura; quam vulgò *prophetissam* appellant. Licet etiam vertere *femina prophetis*. ¶ *Uxor Laphidoth*] Sic Græci, γυνὴ Λαφιδώθ. Nam *Lapidoth*, quod in Latinis, non adeò placet. Siquidem, teste Hieronymo, Ebræi P Latinum non habent. Scribi etiam potest ex antiquitate *Lapphidoth*, sicut scribimus *Sepphora* pro *Sephora*. Pro *uxor Laphidoth* recentior editio habet *Lapidothana*. Si rectè, tum *Laphidoth* erit nomen loci. Sed quo teste quóve argumento hoc probabitur? In tanta luce literarum non satis est aliquid affirmare, nisi etiam probaveris id quod affirmas. Recepta opinio est *Laphidoth* esse nomen viri; quem Ebræi putant fuisse Barac, in quo significatio *fulguris*, nec alienum ab eo dictio לפיד, quæ sæpe de *fulgure* usurpatur. Sed obstat huic opinioni quòd accersiverat Barac aliunde. Nam si maritus ejus fuisset, simul habitassent. Ideo in Medras exponitur *Laphidoth* ut sit nomen non proprium sed appellativum, *mulier lychnaria*, quòd Lychnos, i. פתילים, conficeret ad usum Sanctuarii. Notavit hoc R. S. sed & R. D. Lira quoque ex R. Salomone, quem vide.

5. *Sub palma Debora*] i. sua: nomen loco pronominis. Talia sunt, *Dixit Moses socero Mosis: Dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM*. Quò referri posset & illud, *Pluit DOMINUS a DOMINO*, i. à se. Aut Domus ejus vocabitur *palma Debora*, fortè quia sub palma erat, ut תמר sit idem cum תָּמָר *palma*, Jon. *& ipsa habitabat in urbe in Ataroth Debora*, בעטרות. Hoc quid sit aliis divinandum relinquo.

6. *Vocavit Barac filium Abinoam*] Si maritus erat Deboræ, cur non dicit *filium Abinoam* אישה *virum suum*? Vel hinc argumentum peti potest contra sententiam illam. Fuerit sanè *Laphidoth* nomen viri; non tamen inde sequitur Barac fuisse. Audaces nimiùm Judæi sæpe affirmant quod ignorant: non est eis semper fides habenda. Judicio hîc opus est, si unquam aliás. R. D. *Si uxor ejus fuit, separata vixit à tempore prophetiæ suæ, seditque sub palma*, &c. Vide sodes. ¶ *Cedes*] Perperàm *Chedes*, Lxx, Κάδης. *Cedes*, *Cades*; ut *Hebel*, *Habel*; *Pheres*, *Phares*, & alia ejus generis. Dicitur autem *Cedes Naphthali* διακρίσεως ἕνεκα, ut cùm dicimus *Bethlehem Juda*: nam fuit alia in tribu Zabulon. Sic alia fuit Cedes in tribu Juda, quam Josue cepit Rege ipsius interfecto. Vide Masium in Jos. 20. 7. *Cedes in Galilæa in monte Nephthali*. Desertum Sin etiam *Cades* dicebatur; quod scribunt קדש, & Thargum reddit רקם Num. 13. 27. *Cades Naphthali* Leo Judæ restituit Tob. 1. 1. ubi codices κυδίως, & alii κυείως ediderunt. *Cades quæ in Galilæa* 1 Mach. 11. 63. Aldi exemplar Jos. 20. τὴν Κάδης ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ἐν τῷ ὄρει τῷ Νεφθαλείμ. ¶ *Trahes in montem Thabor*] *Trahere* non tam est convocare aut accersere quàm verbis & rationibus aut occulto quodam impetu trahere quò velit. Sic Barac *traxit* duas tribus in montem Thabor, & Deus *traxit* Sisaram ad torrentem Kison. Quod autem infrà v. 10. legimus, *Acciitis Zabulon & Naphthali*, ubi הזעיק in fonte, quod Jonathan reddit כנש *congregavit*, nihil contra nos. Nam quos convocaverat, eos rationibus variis usus pertraxit ad hoc bellum. Sic Joh. 6. 44. *Nisi Pater meus traxerit eum*, nisi occulto impetu impulerit ad recipiendum Regnum cœli seu Euangelium.

9. *In hac via quâ tu ambulas*] Eo modo quem tu sequeris, vel hâc ratione, non consules honori tuo. Nam victoria feminis adscribetur, non tibi. Sic *via* nomen accipitur Num. 22. 32. Hieron. *In hac vice victoria non reputabitur tibi*. In Lxx תפארת προτίμημα redditur, *priores partes*, *victoria*, παρὰ τὸ προτιμᾶσθαι, seu προτιμῶμαι, *potior sum*, *priores partes obtineo*, *palmam reporto*.

10. *Et congregavit*] Sic Chaldæus hoc loco interpretatur, quem sequuntur Doctores Ebræi, qui הזעיק dicunt habere sensum *colligendi* aut *congregandi*. Sanè v. 13. Hieronymus ità exponit, & bene, meo judicio: nam currus non *convocantur*, sed *congregantur*. ¶ *Ascenderunt cum pedibus suis*] Verbum è verbo, *Ascendit pedibus suis*. Sic infrà v. 15. *fugit pedibus suis*. Satis erat, *ascendit & fugit*. Alii, *ascenderunt cum pedibus ejus*, i. cum illo. Sic R. S. quod minùs probo. R. D. *Ascendit* העלה *qui ascendit*. Licet etiam vertere, *ascendere fecit secum*. Trem. *ad pedes suos*, ad vestigia sua. Hieron. *Ascendit cum decem millibus pugnatorum*. Jon. *ascenderunt cum eo*. Lxx ὑπ' αὐτοῦ *juxta pedes ejus*. Hic locus indicat omnes pedites fuisse, nullos equites, aut curribus insidentes.

11. *Haber*] Vel *Heber*, ut *Habel* & *Hebel*. Græcè Χαβέρ, ut *Hermon*, *Chermon*; *Hebron*, *Chebron*. Perperàm *Aber* in libris. Talia sphalmata librariis imputanda, non interpretibus. ¶ *Cenæus*] Vel *Cinæus*, ὁ Κιναῖος. Sed *Cenæus*, i. קיני à קין, ut ייני *vinum meum* à יין. Sed hoc appellativum, illud proprium. Jonathan hîc habet שלמאה *Salmaa*. Sic & alibi. ¶ *Separatus fuerat à Cain*] A gente Cenæa. Jon. *à Salmæis*, משלמאי. Melius est vertere *separaverat se*. Sensus, Segregaverat se à deserto Judæ, ubi habitabant filii Ceni cùm ascendissent ex urbe Palmarum: res nota ex historia. Hieron. *à cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi*. Lxx, ἐχωρίσθη ἀπὸ Καινᾶ, *secesserat à Caina*. Libri alii, καὶ οἱ πλησίον τοῦ Κιναίου ἐχωρίσθησαν, *& propinqui Cinæi recesserant*. ¶ *Hobab*] Ὠβάβ. perperàm Ἰωβάβ in cod. Græcis: nam id aliud nomen, quod Ebraicè יבב scribitur. *Soceri*] γαμβροῦ. Id & *socerum* & *generum* & *affinem* denotat, dixi aliás. Hieron. *cognati Moysi*. Jon. *soceri ipsius Mosis*. ¶ *Tentorium suum*] אהלו. Prius erat *tabernaculum suum*, i. משכנו. Mirari autem libet cur Arias emendarit *aulam suam*: nam vox Ebræa hoc non significat. Sed desino mirari, nam alia multa hoc modo correxit; *depravavit* volui dicere. Si ullus liber est qui censurâ docti alicujus indigeat, is est liber ille, *Biblia interlinearia* vocant. ¶ *Usque ad quercum*] Vel *quercetum*. Sed *Elon*, *quercus*; & *Elone Mamre*, *quercus Mamre* in plurali. Sanè Senes hîc ediderunt ἕως δρυός. Sed Hieronymus maluit *usque ad vallem*, & Jon. *usque ad planitiem*. Gen. 12. 6. *Elon More*, *planities More*. Hinc fortè αὐλῶν *campus* apud Strabonem. ¶ *Vox sequens* מצענים legi debet cum duplici Nun בצעננים quod nos docuerunt Critici Ebræorum Massorethæ. Id Græci reddunt πλεονεκτούντων *rapacium*, ac si esset à בצע πλεονεξία. Sed profectò ב hîc non est litera thematis: quocirca malè sic interpretantur. Nec meliùs Hieronymus, qui vertit *usque ad vallem quæ vocatur Sennim*, acsi ב redundaret, & *Sennim* esset nomen vallis. Cave sequaris. Nè Jonathan quidem mihi hîc satisfacit. Neglexit enim præpositionem itidem ut Hieronymus: nam transfert עד מישר אגניא. Est autem אגן *crater*, Arabicè אגאן. R. D. existimat ipsum respexisse ad Rabbinicum בצעי מים, quæ sunt *fossæ in agro factæ in modum craterum aquâ plenorum*; aliter בשקי מים. Verba Davidis Ebræi, בצעי מים *apud Doctores nostros foveæ sunt aquâ plenæ, quas appellant* אגני דארעא *Craterus aquæ*. Interpres Romanus in notis ad h. l. אגניא *lacus* interpretatur. Ego non dubito quin *Saanannim* sit nomen loci, quod notum erat illis diebus. Nam ἀναπαυομένων quod in aliis ed. Græcis, *quiescentium*, i. שאננים per Sin & Aleph. צעננים ergò locus ejus nominis, in quo quercus aut vallis erat. ¶ *Quæ apud Cedes*] Ad verb. *quæ tum Cedes*. Nam את hîc valet עם *cum*; & ità Jonathan interpretatur. *Cum* pro *apud* notum est. Sic *cum vultu tuo*, i. *apud vultum tuum*. Hieron. *juxta Cedes*. Lxx, ἐχόμενα Κάδης *prope Cedes*. Hîc legunt *Cedes*, & suprà *Cades*.

13. *Congregavit omnes currus suos*] Vel hic locus ostendit verbum הזעיק meliùs reddi *congregavit* quàm *convocavit*. Nam currus non convocantur. Ideo Hieronymus, & post eum Santes, *congregavit*; nec aliter Jonathan. ¶ *Ferreos*] *Falcatos*, Hieron.

14. *Dominus*] Jon. *angelus DOMINI*, & *egressus est*, ad

ad bellum videlicet, aut ad victoriam tibi conciliandam. *Dominus* per Angelum, Angelus missus à *Domino*. Sic Rex per legatum aliquid refert, & legatus nomine Regis idem facit. Non tamen propterea legatus *Rex* dicitur. Sic Angelus missus non vocatur *Dominus*, etiamsi facere dicatur quod *Dominus* facit. Qui contrariam tuentur, debent uti argumentis firmioribus. Talia nihil probant, quia infirma sunt.

16. *Usque ad unum*] *Nè unus quidem*, Psal. 14. 3. *Non est etiam unus*, idem aliter, Job. 14. 4. לא אחד *nè unus quidem*: quod tamen alii aliter enarrant.

18. *Accede ad me*] Verbum סורה præter morem gerit accentum in ultima. Id quando cum אל construitur sign. *accedere*; quando cum מן *recedere*. Minùs bene Hieronymus vertit, *Intra ad me*. Nam *intrat* sive *ingreditur ad feminam*, qui cum ea rem & consuetudinem habet, ut rectè ad hunc locum annotat Nicolaus; qui si cod. Ebræum consuluisset, hâc observatione non fuisset opus. Nam *intra* בוא dicitur, non סורה. ¶ שמיכה videtur esse *vestis villosa*, *lacerna* vel *penula*. Jon. נגבא appellat, R. Hai גלופקא. Aiunt Arabicè נואבי vel נואבא dici, & vernaculè קוטא *Cote*. Variè interpretantur. Senes ἐπιβόλαιον *indumentum*. Arias *operimentum crassum*. Hieron. *pallium*. R. D. *tegumentum crassum è cujus lana villi exeunt* ציצית *dicti per totam superficiem ejus*. Ideo *Semicha* dicitur. Nam in lingua doctorum שמיכותא *res crassa* vel *densa*. Sunt qui *Sudara* reddunt: alii משיכלא; quod non intelligo. נגבא Munsterus *operimentum* aut *linteum* exponit. David Pomarius גלפקר (ità legendum, non גלסקר) *operimentum laneum grossum* מכסה של צמר עב. Trem. *stragula amphitapa*. Ἀμφίταπος Athenæo *vestis genus utrinque villos habens*. Varro, *dormire sub amphitapa bene molli*. Græcè ἀμφιτάπης vel ἀμφίταπος *tapes utrinque villosus*; qui & ἀμφίμαλλος. Dicitur & ἀμφίταπον genere neutro, & sunt nomina substantiva, nisi quòd ἀμφίταπος etiam adjectivum fit, ut in Græca edit. 2. Reg. 17. Bayfius, *Amphitapa dicuntur vestes utrinque villosa*. Lucilius l. 1. *amphitapa villis ingentibus molles*. *Penula gausapina* Martiali: *Gausapa*, vestis villosa, δασὺς ϰ̀ μαλλωτὸς χιτὼν, ἀμφίταπος, ἀμφίμαλλος. *Togam* Joh. Isahac קוט interpretatur. Gallicè *cotte*; unde *cotte d'armes*, paludamentum. Hispanicè *Capa de villano, y de pano grosso*, lacerna pinguis è crassiore lana filóque contexta. Sed hoc aliud.

19. *Aperuit utrem lactis*] Aut quia aqua non erat ad manum, aut quia lac somnum conciliat. Nam aggravat corpus, & somnum inducit: grave reddit caput, unde sopor. Videndi sunt RR. S. & D. Aut honoris causâ ei lac dedit: nam aqua nimis vulgaris est. Vide Liram ad h. l.

20. *Ut staret*] Ad verb. *stare*. *Dixit stare*, i. ut staret. עומד verbum infinitum. Alii putant esse futurum imperans, & vertunt *Sta*. Sed R. D. notavit esse מקור. R. S. utramque interpretationem adfert. *Nam sunt*, inquit, *qui Stare hoc positum putant pro* לעמוד. Lxx στῆθι. Hier. *Sta*. Jon. קומי, unde טליתא *Talita* κοῦμι *cumi*, i. *Puella, surge*. Nam קום & *stare* & *surgere* significat.

21. *Posuit malleum in manu sua*] Non est hypallage. Nam manus non ponitur in malleo; nisi legas *ad manum*, quod non est in Ebræo, *Posuit malleum ad manum* pro *posuit manum ad malleum*. Græci Σφῦραν vertunt. Jon. ארזפתא. Ineptè Arias *terebellum* pro eo reponit, quod est diminutivum à *terebra*, q. *parvam terebram* dicas; quæ nullum hîc usum habet. Nam clavus malleo incutiebatur, non terebello. Si hoc est emendare, tum profectò: sed reprimam me. Cæterùm ארפתא R. S. interpretatur Gallicâ voce מרטיל *martellus*. ¶ *In tempus ejus*] Pars est capitis quam Itali *Tempia* vocant, unde R. S. נילה טימפייה vernaculè. Eo sensu dubitant Grammatici an *tempus* in usu sit, cùm potiùs *tempora* dicamus numero multitudinis. Cicero tamen l. 4. ad Heren. *dubitanti percuti tempus*, i. רקה, quod Chaldæi dicunt צדעה. Vide Liram, & Taubm. 75. 1. ¶ *Sopitus & lassus*] Vel *fessus*, quia lassus somno sopitus fuit. Nam lassitudo soporem inducit. Sensus erat, Sopitus erat postquam lassus fuisset. Simile, *Putruit & vermes produxit*, postquam vermes produxisset. Vide secundum de literis Mosche Vechaleb in Vau.

GROTIUS.

2. *Ipse autem habitabat in Haroseth*] Nempe Sisara.

4. *Erat autem Debora prophetis*] *Dux femina facti*. Ità viris exprobrata ignavia infrà 19.

6. *Pracepit tibi Dominus Deus*] Heb. *Nonne pracepit?* quâ locutione utuntur Hebræi ut valde affirment etiam quod alter antè nesciebat. Sic & infrà 14.

11. *Heber autem Cinæus recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis*] Medium se in hoc bello fecerat, non ausus sibi partem de terra bello parta vindicare. Vide infrà 17.

CAP. V.

MUNSTERUS.

2. *Propter vindictas*] Sunt in hoc cantico plurimæ difficultates, quæ paucis verbis extricari nequeunt. Ego tamen obiter dicam quid hîc Hebræi sentiant. Primò, Prophetis jubet *Deum laudari propter ultionem Israelis*, & item *propter obedientiam populi*, qui tam voluntariè ad bellum contra hostem processit. q. d. Quandoquidem persecutus est injurias Israeli illatas, convenit ut vos qui voluntarii estis in populo, gratias agatis Domino. Deinde magnificat Deum, quòd non minori præsidio adfuerit Israeli in hoc prælio quàm cùm pugnaret pro filiis Israel contra Reges Sihon & Og, cùm transissent montem *Seir*; in quo prælio montes tremere videbantur, haud secus quàm mons *Sinai*, cùm Dominus descendisset super illum.

6. *Cessaverunt via*] h. e. Tantus ubique metus fuit hostium ut nemo nisi per obliquas atque obliteratas vias incedere auderet. Sed & habitatores locorum non munitorum coacti sunt confugere ad loca tutiora, nè hostium prædæ exponerentur. Et nota quòd in dictione שקמתי Sin est litera servilis scribitúrque Patha loco Segol.

8. *Eligebat Deos novos*] h. e. Cùm *eligeret* Israel *Deos novos* & verum desereret Deum, *habuit hostem in portis*, cui resistere nequivit *clypeis & hastis*, quantumlibet multa *millia* essent *in Israel*. Alii sic interpretantur, Deus elegit nova bella, ut etiam paucissimi Israelitæ qui inermes erant, destituti clypeis & hastis, vincerent magnam hostium multitudinem. Et hi capiunt dictionem אם pro *non*.

9. *Rectores*] h. e. שופטים ומנהיגים *judices & moderatores populi*, seu Præsides legum.

10. *Qui ascenditis super asinas*] h. e. Divites, qui vehimini nitidis asinabus, *judices* & mercatores, *qui ambulatis per varias vias, loquimini*, quoniam sublato hostis metu jam iterum potestis exercere officia vestra. Sic qui priùs *jaculis* hostium ab *haurienda aqua* repulsi fueratis, jam hoste perempto *prædicate justitias Domini*. Sed & rurales homines, qui habitant *in locis non munitis*, & expositi sunt prædæ hostium, liberati ab omni timore *prædicent justitias Domini*, qui suos eripuit, & impios stravit.

13. *Dominabuntur*] Israel dominabitur his qui priùs *magnifici* fuerunt *in populo* Jabin, & *Dominus dominabitur propter me potentibus*; vel *Dominus dominabitur mihi per gigantes*.

14. *Ephraim*] Hic fuit Jehosua de tribu Ephraim, qui pugnavit *contra Amalek*. Et *post eum* pugnavit Saul de tribu *Benjamin* contra Amalekitas. ¶ *Ex Machir*] Commendat eos qui ex tribubus huic prælio Domini interfuerunt, judices & rectores, atque qui leges rectè vivendi populo præscribunt. Capitur enim hîc שבט pro עט, sicut Jonathan קולמוס vertit, i. *calamus*, alii capiunt simpliciter pro *virga scriba*; ut sit periphrasis eruditorum & sapientum, qui eloquentiâ persuadere potuerunt. Redarguuntur deinde filii *Reuben*, qui *separati* à reliquis

liquis tribubus, pecoribus suis alendis maluerunt intendere quàm periclitantibus fratribus opem ferre. Alii interpretantur משפתים *duos limites*, quos scilicet faciebat Jordanis, disterminans duas tribus & dimidiam à reliquis tribubus. Ridiculum, inquit, erat viros *sapientes* & *decretarios cordis maluisse audire boatus gregum* quàm consulere multitudini tot millium hominum. *Dan* quoque negotia sua egit, *navibus occupatus* Jordanis: sicut & *Aser* in prædio suo circa *mare* mansit, præsertim cùm oppida possideret *rupta*, quæ jugi opus habebant defensione.

18. *Exposuit*] Kimhi exponit verbum חרף in hoc loco pro פרסם *publicavit* & מסר *tradidit*. Porrò hostis spreto *lucro* sanguinem tantùm sitiebat populi Dei. Sed milites *cœlestes pugnaverunt* pro Israel, nempe *stellæ*, quæ secundùm Hebræos tantum immiserunt hostium corporibus calorem ut sub loricis subitò exanimarentur, aut ingressi *torrentem Kison* causâ refrigerandi corporis submergerentur. Exponitur autem נרף pro הסיר *abstulit* & טאט *scopâ amovit*. Et licèt hic hosti impermeabilis fuerit, tamen Israelitis solidum concessit vestigium; sicut subditur, *Calcabis, anima mea*, &c.

22. *Concussæ sunt ungulæ*] Magnifici, inquit, equis insidentes in tantum eos incitarunt ut enervarentur plantæ & ungulæ propter vehementem impetum.

26. *Misit ad clavum*] Scribitur hîc תשלחנה pro תשלח. Sunt tamen qui plurale referendum putant ad כחות *vires excitantes manus*. ¶ *Ad malleum fabrorum*] Hebr. *ad malleum laborum*: quo scilicet labores & varia perficiuntur opera. *Amovitque caput ejus*] Sunt qui מחק per הסיר exponunt, alii per הכה *percussit*.

30. *Puella vel duæ puellæ*] Est quidem רחם *raham* & *rahamim* propriè *uterus mulieris*, & item *vulva*; hîc verò capitur pro עלמה *puella*, ídque לדרך בזיון i. *modo contemptibili*, sicut & Germani hoc utuntur modo cùm de scortis contemptim loquuntur, die futtenen. Porrò ראש accipitur pro persona quæ in numerum & summam computanda venit. ¶ *Quæ priori competit*] Hebr. *pro collo spolii*: h.e. ut Kimhi interpretatur, *vestis illi ex spoliis datur, veluti antesignano exercitûs*.

VATABLUS.

2. DUM *sponte se offert*, בהתנדב עם] Cùm sponte sua sumit arma populus, ut scilicet defendat sese contra inimicos suos, addebat enim illis Dominus robur & animum cùm volebat eos liberare, i. dum sumit pœnas Deus de Israele propter peccata, dúmque populus sponte sumit arma, q.d. Tempore afflictionis & liberationis, tempore calamitoso & felici, laudate Dominum & gratias illi agite.

4. *Cùm egressus es*, &c. בצאתך משעיר וגו׳] i. Cùm cœpisti relinquere montem Seir, & cùm recessisti de Idumæa, q.d. Cùm cœperunt filii Israel ultrà procedere, Domino eos præcedente, &c. ¶ *Concussa est*, רעשה] *Tremuit*, i. habitatores regionis Idumæorum tremuerunt. ¶ *Stillaverunt*, נטפו] Idem bis dicit, *Cœli stillaverunt*, &, *Nubes stillaverunt aquas*, simul videmus *cœlum* pro *nubibus* accipi, h.e. cœlum fuit obscuratum ac plenum nubibus: fuerat enim author ejus victoriæ. Hujusmodi phrasi significat Principes & Duces despondisse animum. Alii interpretantur, etiam Principes præ timore adacti sunt ad lacrymas.

5. *Fluxerunt à facie Jehovæ*, נזלו מפני יהוה] i. Versi sunt in aquam adventante Domino, vel, ad adventum filiorum Israel, cum quibus erat Dominus. ¶ *Iste Sinai*, זה סיני] *Quemadmodum Sinai*, sub. *tremuit*, q.d. Si mons cœpit tremere, quæ est creatura sine sensu, quantò magis homines?

6. *Cessaverunt semitæ*: חדלו ארחות] *Desierunt* [sive *desierant*] *peregrinantes*. q.d. Nemo audebat peregre proficisci. ¶ *Et ambulantes*, &c. והולכי נתיבות] i. Qui autem peregre proficiscebantur, ire solebant per calles devios.

7. *Cessaverunt villæ*, חדלו פרזון] i. Deserti sunt, sive deserti erant, vici, h.e. urbes non munitæ. ¶ *Mater*, אם] Sub. *ut essem tanquam mater*.

8. Cùm *elegit*, יבחר] Sub. *Israel*, Fut. Hebr. pro præt. *Cùm eligebat* sive *deligebat sibi*, i. Cum primùm incipiebat colere idola, tunc in urbibus ejus erat bellum; vel, hostes cœperunt expugnare urbes illorum, & cogere eos ut se reciperent in illas. ¶ *Clypeus*, &c. מגן אם יראה וגו׳] Subaudiendum aliquid, quale, *Dispeream si clypeus*, &c. i. Dispeream si inter 40. millia hominum quisquam illorum fuisset ausus assumere arma, q. d. Nullus Israelitarum audebat assumere arma contra hostes, adempto illis à Deo animo: includebant sese in urbibus suis ab hoste obsessis, nec audebant prodire.

9. *Ad principes*, לחוקקי] *Ad primores, ad magnates*. Sic vocantur Hebraicè Principes, quòd habeant potestatem legum condendarum. Dicit autem, Ex animo diligo Principes qui tam strenuè pugnaverunt, liberalísque animo se exposuerunt periculo, pugnantes cum Israel. ¶ *Benedicite Jehovæ*, ברכו יהוה] Subauditur aliquid, quale, *& dico illis, Laudate Jehovam*, sive *Gratias agite Jehovæ, quòd scilicet vobis restituerit animos*.

10. *Candidas*, צחורות] *Albas, nitentes*, i. magni pretii illic. q.d. O vos mercatores, qui equitatis asinis albis quæ in pretio habentur. ¶ *Juxta Middin*, על מדין] i. Qui estis vicini loco illi qui infestabatur frequentiâ hostium. *Middin* aliquando nomen urbis, ut in Josua legimus, c.15.58. aliquando nomen viæ, ut hîc. ¶ *Et qui inceditis in via, loquimini*, והולכי על דרך שיחו] i. Qui soletis pedites iter facere, loquimini laudem Deo, h.e. agite illi gratias quòd liceat vobis liberè ire.

11. *Propter sonitum*, מקול] *Propter strepitum*, qui jam sopitus est, nec auditur ampliùs in locis illis ubi aqua hauriri solet. ¶ *Illic narrent justitias Jehovæ*, שם יתנו צדקות יהוה] i. Illic quotquot egrediuntur ad hauriendam aquam dicant, Dominum esse justissimum, qui perdiderit illos. ¶ *Et justitias villarum*, &c. צדקות וגו׳] i. Justitiam Domini qui effecit ut filii Israel postea sine timore habitent in villis; qui restituit Israeli villas suas quæ antea non habitabantur præ metu hostium suorum. ¶ *Tunc descenderunt*, &c. אז ירדו] i. Confecto bello cum Sisara descendit populus ad portas ut egrederetur urbem: h.e. populus egressus est urbes sine ullo timore ac periculo, qui priùs continebatur intra illas.

12. *Exsurge*, &c. עורי עורי וגו׳] *Excitare, excitare, Deborah, excitare, excitare, dic canticum*, i. lauda Jehovam. ¶ *Surge*, קום] *Excitare*, q.d. Lauda etiam Dominum, quoniam ab eo adjutus multos captivos abduxisti. ¶ *Captivitatem suam*, שביך] i. Captivos tuos.

13. *Dominatus est evasor*, ירד שריד] *Dominari fecit superstitem*, pro *superstites*, i. filios Israel qui evaserant incolumes, & quos servaverat in bello, Dominus superiores fecit inclytis illis qui erant cum ipso Sisara. Fut. Heb. pro præt. ¶ *Fortibus*, לאדירים] *Clarissimis, inclytis, admirabilibus*, i. Principibus populi Sisaræ.

14. *De Ephraim*, &c. מני אפרים וגו׳] Deest verbum Heb. quod subaudiendum est, sic, *Qui erat de Ephraim*, i. qui radix eorum erat, *dominatus est in Amalec*, vel *pugnavit contra Amalec*, i. Josue princeps & dux tribûs Ephraim superavit Amalecitas. ¶ *Post te*, אחריך] Sub. *ô Ephraim*, i. vos qui estis de tribu Ephraim. ¶ *Biniamin contra populos tuos*: בנימין בעממיך] Sub. *pugnabit*, i. contra populos à te olim superatos, nempe Amalecitas. Alii minùs rectè, *unà cum populis tuis*, i. tota tribus (h.e. omnes alii) alacritate bellandi venit ad bellandum. ¶ *De Machir*, מני מכיר] i. De filiis Machir, qui habitabant ultra Jordanem. ¶ *Descenderunt*, ירדו] Sub. *ut opem ferrent fratribus*. ¶ *Principes*, מחוקקים] *Primates*. De hac dictione dictum est v.9. ¶ *Trahentes*, מושכים] Sub. *literas*, i. qui scribere solebant. Quidam vertunt, *qui ducere* [i. tractare] *solebant stylum scribæ*. q.d. Et principes, imò etiam ipsi scribæ dediti studiis, ceperunt arma, & venerunt in auxilium fratrum.

15. *In Issachar*, בישׂשכר] i. Tribus Issachar, sub. *descen-*

descenderunt, aut *venerunt*. ¶ *Et Issachar*, וישׂשכר] Totam tribum intelligit, q.d. Non modò principes tribûs Issachar affuerunt, sed etiam tota ipsa tribus. ¶ *Sic Barac*, &c. כן ברק וגו'] *Et etiam Barac in valle conjecit sese in pedes suos*, q. d. Tantâ alacritate bellandi accessit ad prælium ut veniret pedes. ¶ *In divisionibus Reuben*, &c. בפלגות ראובן וגו'] *De divisionibus Reuben*, &c. i. de Rubenitis Jordane separatis ab aliis vehementer miror quòd non venerint ut opem ferrent fratribus suis. *Cor enim*, inquit doctus inter Hebræos, *disceptabat apud se*, & *reputabat de illis quòd non venissent ad prælium*. Quidam vertunt, *magni erant cogitabundi corde*.

16. *Sedisti inter duas caulas*, ישבת בין המשפתים] *Remansisti inter duos ordines*, sub. *ovium*, vel *inter duas caulas*. ¶ *Ut audires sibilos gregum*, לשמוע שרקות עדרים] q. d. In tam alto otio, interim dum videres fratres tuos in ingenti esse periculo. ¶ *In divisionibus*, &c. לפלגות וגו'] Eadem verba quæ versu præcedenti, *De divisionibus*, inquam, *Ruben magnæ sunt inquisitiones*, vel *disceptationes cordis*, i. cogitationes. q.d. Vehementer miror cur huic bello Rubenitæ non affuerint.

17. *Trans*, בעבר] *Ultra*. Per interrogationem legunt alii, *Galaad quievitne* [vel *remansit*] *citra Jordanem?* q.d. Non. ¶ *Sed Dan*, &c. ודן למה וגו'] *Sed Dan cur apud naves degit?* Si, inquit, ille qui habitabat ultra Jordanem venit in auxilium, cur Dan præ metu opes suas transtulit ultra Jordanem? Enumerat eos qui bello non interfuerunt. ¶ *Sedit in portu marium*, ישב לחוף ימים] Per imperf. alii, *habitabat ad littus maris*. ¶ *Et in fracturis suis*, ועל מפרציו ישכון] Fut. Hebr. pro præt. perf. quod per imperf. quidam vertunt, & *in rupturis suis manebat*. *Rupturas* vocat urbes semidirutas, non enim habebant Aseritæ urbes satis munitas, & longè habitabant: ob id non venerunt. Alii vertunt, *ad sinus suos*. Doctus inter Hebræos exponit pro *loco ubi diffunduntur flumina*.

18. *Super altitudines agri*, על מרומי שדי] q.d. Aperto campo, in planitie eminenti pugnaverunt.

19. *Venerunt Reges*, באו מלכים] Ut scilicet Israelem oppugnarent. ¶ *In Thaanach*, &c. בתענך על מי מגדו] q.d. Venerunt cum maximo exercitu, ut qui complecterentur totam regionem quæ est inter Thaanach & Megiddo, vel oppugnarunt Thaanach, postea Megiddo. ¶ *Desiderabile argentum*, בצע כסף] Ad verb. *desiderium argenti*, &c. i. nullam prædam sunt assecuti, quod speraverant. Doctiores vertunt, *frustum argenti*, [i. numos] *non accipiebant*. q. d. Nemini parcebant, etiam oblatâ pro redemptione quacunque pecuniâ.

20. *Pugnaverunt*, נלחמו] *Pugnabant*, sub. *cœlestes pro illis*. ¶ *De viis suis*, ממסלותם] *De semitis suis*. Quidam, *de stationibus suis*, i. de cœlo in quo feruntur. q.d. Facilè filii Israel expugnaverunt Sisaram, quoniam cœlestes pro eis pugnabant contra illum.

21. *Scopavit eos*, גרפם] i. More scoparum abduxit eos. ¶ *Antiquitatum*, קדומים] i. De numero priscorum, h.e. antiquus, q.d. In hoc à Deo ordinatus fuit torrens Cison ab initio ut in eo perirent Chananæi; juxta illud Prov. 16.4. *Omnia operatus est Dominus propter semetipsum*. Hæc doctus inter Hebræos. ¶ *Calcasti*, תדרכי] Sub. *amnem illum*, i. ego pedibus meis transivi fortiter & viriliter, citráque periculum, q. d. Me verò mulierem infirmam non potuit rapere transversam.

22. *Quassata sunt calces equi*, הלמו עקבי סוס] *Contusa* [*attrita*] *sunt plantæ* [*ungulæ*] *equorum*. Sing. Heb. pro Plur. ¶ *Sono pedum* &c. מדהרות דהרות אבירוו] Ad verb. *à calcationibus fortium ejus*, i. propter crebras & frequentes concursiones equitum, sive equorum ejus Sisaræ.

23. *Meroz*, מרוז] i. Illi urbi quæ prælio non interfuit. ¶ *Angelus*, מלאך] Sub. *qui per me loquitur*. ¶ *Contra fortes:* בגברים] i. Contra Chananæos qui fortiter pugnabant contra filios Israel.

24. *Benedicatur præ mulieribus*, תבורך מנשים] *Benedicta sit* [*laudetur*] *supra alias mulieres*.

25. *In phiala fortium:* בספל אדירים] *In cratere insignium*, vel *nobilium*, i. in hujusmodi cratere in quo solent bibere nobiles homines. ¶ *Butyrum*, חמאה] Ad verb. lac *Butyri*, i. ex quo fuerat expressum butyrum.

26. *Ad clavum*, ליתד] Hæc dictio significat *clavum* sive *paxillum quo solent fimbriam tentorii figere in terram*. ¶ *Misit*, &c. תשלחנה וגו'] Ad verb. *Manus ejus sinistra ad clavum mittent sese*, & *dextera ejus ad malleum laborantium*. Ordo turbatus, & fut. pro præt. pro, *Manus ejus ad clavum*, & *dextera ejus ad malleum laborantium miserunt sese*, i. requisierunt clavum & malleum, h.e. arripuerunt. ¶ *Laborantium*, עמלים] i. Fabrorum & aliorum artificum. ¶ *Et perfodit*, &c. ומחצה וחלפה רקתו] i. Posteaquam perforaverat & penetraverat tempora ejus.

27. *Incurvatus est*, כרע] *Incurvavit sese*, *inclinavit sese*, i. corruit. ¶ *Dormivit*, שכב] *Jacuit*, *prostratus est mortuus*, q. d. Subitò concidit in terram mortuus. ¶ *Vastatus:* שדוד] *Spoliatus*, sub. *vitâ*. q.d. Unico ictu interfecit eum.

28. *Respexit* & *ululavit*, נשקפה ותיבב] *Aspiciebat*, & *ululabat*, desiderio scilicet filii. ¶ *Moratur*, בושש] *Tardat*, *cunctatur*. ¶ *Pedes quadrigarum ejus?* פעמי מרכבותיו] i. Pedes equorum trahentium currus ejus.

29. *Sapientiores*, &c. חכמות שרותיה] i. Mulieres principes sapientes, sive prudentes, quæ illi famulabantur. ¶ *Responderunt*, תענינה] i. Verbis solabantur illam. Fut. est Heb. pro præt. quod per imperfectum redditur quibusdam, *respondebant*. ¶ *Ipsa quoque*, &c. אף היא וגו'] Ad verb. *etiam ipsa convertet verba sua ad se*. Hebraismus, quem quidam sic convertunt, *quin & ipsa sibiipsi reddebat verba*; vel, ut alii, *quinetiam ipsa respondebat sibimetipsi*, i. solabatur sese. Fut. Heb. pro præt. quod per imperfectum reddidit noster interpres.

30. *Annon invenerunt*, & *dividunt*, הלא ימצאו יחלקו] Fut. Hebr. pro præt. q.d. Annon invenerunt spolia? occupati sunt in illis dividendis. ¶ *Puella*, &c. רחם רחמתים לראש גבר] Hebraismus, *Capiti viri*, pro *Singulis*. *Puella una*, *aut duæ puellæ dabuntur singulis*. ¶ *Spolia discolorium*, &c. שלל צבעים וגו'] *Spolia colorum*, &c. i. colorata. q.d. Spolia colorata, infecta & tincta pretioso colore, referet Sisara, spolia, inquam, exornata arte plumariâ: & color, sive discolor, h.e. vestes coloratæ, & utrinque acupictæ, erunt in collum, h. e. caput spolii, i. separabuntur ut dentur principi, nempe Sisaræ. Alii, *dabuntur collo spolii*, i. principi exercitûs.

31. *Sic pereant*, כן יאבדו] Ut scilicet periit Sisara, quem mater exspectabat victorem. ¶ *Diligentes autem te*, &c. ואוהביו וגו'] Ad verb. & *diligentes eum erunt secundùm egressum solis*, i. proficiant, sive sumant vires quemadmodum sol cùm exoritur subinde lucidior evadit: h. e. subinde majores ac clariores fiant; similes scilicet soli exorienti. ¶ *Quievit autem terra*, ותשקט הארץ] i. Mansit in pace & tranquillitate: ut supra 3. 30.

CASTALIO.

11. Virtutes paganæ apud Israelitas præstitâ] Quas in liberandis pagis exseruit.

14. *In valle posterior fuisti, ô Benjamita*] בעמלק legitur, h.e. *in Amalechitis*: sed sententia constare non potest. Videtur בעמק legisse Græcus interpres, qui vertit ἐν κοιλάδι, quæ lectio sententiæ convenit, nam paulò pòst dicitur, *in vallem missus esse Baracus*, in qua pugnatum est. Est igitur hæc hujus loci sententia, In hoc prælio non adfuere Benjamitæ, sed eorum populares Ephraimitæ & Manassenses, ex Machire Manassis filio orti, digni qui deinceps imperent; item Zabulonii literarum proceres, & Issachariani duce Baraco.

16. *Quid sedistis inter sarcinas*] Servitutem tolerantes, ut asini sarcinas.

22. *Tanta erat rectorum eorum incitatio*] Sc. fugientium.

CLARIUS.

2. *Propter ultiones*] Primò Prophetis jubet *Deum laudari propter ultionem Israelis*, & iterum *propter obedientiam populi*, qui tam voluntariè ad bellum contra hostem processit. Deinde magnificat Deum, quòd non minori præsidio affuerit Israeli in hoc prælio quàm cùm pugnaret pro filiis Israel contra Reges Seon & Og, cùm transissent montem *Seir*, in quo prælio montes tremere videbantur, haud secus quàm mons *Sinai*, cùm Dominus descendisset super illum.

6. *Quieverunt semita*] h. e. Tantus ubique metus fuit hostium ut nemo nisi per obliquas atque obliteratas vias incedere auderet, sed & habitatores locorum non munitorum coacti sunt confugere ad loca tutiora, nè hostium prædæ exponerentur.

8. *Novos Deos eligebat*] h. e. Cùm *eligeret* Israel *Deos novos*, & verum desereret Deum, *habuit hostem in portis*, cui resistere nequivit *clypeis & hastis*, quantumlibèt multa *millia* essent *in Israel*.

10. *Qui ascenditis super nitentes asinos*] h. e. Divites, qui vehimini nitidis asinis, *Judices*, & mercatores, qui *ambulatis per* varias *vias*, *loquimini*, quoniam sublato hostis metu jam iterum potestis exercere officia vestra. Sic qui priùs *jaculis* hostium ab *haurienda aqua* repulsi fueratis, jam hoste perempto *prædicate justitias Domini*.

13. *Tunc dominabuntur*] Israel dominabitur iis qui priùs *magnifici* fuerunt *in populo* Jabin.

14. *Ex Ephraim*] Hic fuit Josue, qui pugnavit *contra Amalec*; & *post eum* pugnavit Saul de tribu *Benjamin* contra Amalechitas. ¶ *De Machir*] Qui fuit primogenitus Manasse. Commendat eos qui ex tribubus huic prælio Domini interfuerunt, Judices, & Rectores, atque qui leges rectè vivendi populo præscribunt.

15. *Cùm in separatione Ruben*] Redarguuntur filii Ruben qui separati à reliquis tribubus pecoribus suis alendis maluerunt intendere quàm periclitantibus fratribus opem ferre. Dan quoque negotia sua egit, navibus occupatus Jordanis: sicut & *Aser* in prædio suo circa *mare* mansit, præsertim cùm oppida possideret *interrupta*, quæ jugi opus habebant defensione.

19. *Nihil tulere prædantes*] Hostis spreto lucro sanguinem tantùm sitiebat populi Dei. Sed milites *cœlestes pugnaverunt* pro Israel, nempe *stellæ*, quæ secundùm Hebræos tantùm immiserunt hostium corporibus calorem ut sub loricis subitò exanimarentur, aut ingressi torrentem Cison causâ refrigerandi corporis submergerentur.

21. *Conculca, anima mea*] Alius vertit, *Calcabit anima mea cum fortiter*, h. e. licèt hic torrens hosti impermeabilis fuerit, tamen Israelitis solidum concessit vestigium.

22. *Tunc concussa sunt*] Magnifici, inquit, equis insidentes tantum eos incitaverunt ut enervarentur plantæ & ungulæ.

30. *Quæ priori competit*] Hebr. *pro collo spolii*, h. e. ut quidam interpretantur, *vestis illi ex spoliis datur, veluti antesignano exercitûs.*

DRUSIUS.

1. *Cecinit Debora*, &c.] Mos Ebræorum ut verbum referant ad proximè sequens nomen. Quia ergò hic sequitur *Debora*, ideo verbum quod nunc in fonte femininum est & singulare. Quocirca propiùs ad Ebræum accedit versio quæ habet ᾖσεν *cecinit*, quam ᾖσαν *cecinerunt*. Quanquam in Hieronymo, *Cecinerunt Debora*, &c. Simile, *Locuta est Mariam & Aharon*. R. D. id eò fieri putat quia Debora erat עקר המעשה *radix*, seu *fundamentum operis*, h. e. præcipua persona in tota hac actione.

4. *Cùm exires è Seir*, &c.] Quomodo *è Seir* aut *ex agro Edom*, si populus tantùm montem illum & regionem præteribat? Nam in ipsam Idumæam nunquam fuerunt admissi. Sunt qui de datione Legis in monte Sinai hæc dicta esse putant. Sic Deut. 33. 2. *DOMINUS è Sinai venit, & exortus est è Seir eis, apparuit è monte Pharan*: & alibi, *Deus ex Austro veniet; & Sanctus è monte Pharan*: item, *Deus, cùm exires tu coram populo tuo, cùm incederes per solitudinem*, Sela. Vide Camium.

6. *Semita*] Capiendum ut Gen. 37. 25. *semitâ Ismaelitarum*; quod Senes reddunt ὁδοιπόροι Ἰσμαηλῖται. Hieron. *viatores Ismaelitæ* Sign. autem turmas Ismaelitarum aliquò proficiscentium: unde Jon. *cœtus Arabum*. Sic Jes. 21. 13 *semita Dedanorum*. Gallicè *une troupe des passans*. Innuit autem itinera minimè trita fuisse propter hostes. Non ergò plenè liberatus erat tunc Israel, ut postea sub Debora. Nam *semitæ* hìc sunt catervæ viatorum simul aliquò iter facientium, ut hodiéque fit in Oriente, ac præsertim in Syria. Mox, *Iter facientes ibant per semitas tortuosas*. Nam ob hostem recto itinere quò volebant ire non poterant.

7. *Pagi*] Pagani qui in locis morabantur non muratis aut munitis. ¶ *Surrexi*] i. *Exstiti, exorta sum*. Sic suprà, *Surrexit ætas alia*, & in Exodo, *Surrexit rex novus*, & in epist. ad Ebræos, *Surrexit sacerdos alius*. Novè hìc est שַׁקַּמְתִּי pro שֶׁקַּמְתִּי, h.e. Phatach magnum pro parvo: quale in שדי *omnipotens*, si ejus etymologia est à די *sufficit*, *satis est*. ¶ *Mater*] Quasi mater. Sic, *eram ei alumnus*, ut alumnus. *Mater in Israel* pro eo habendum ac si dixisset *mater Israelis*. Sic *pater patriæ* de illo usurpari solitum qui bene meritus est de popularibus suis. Sic *Magister in Israel*, i. Israelitarum Joh. 3. 10. Infrà 8. *In 40 millibus in Israel*, i. Israelitarum; & 15. *Principes in Issachar*. Jon. *donec ego Debora missa sim ad prophetandum contra eos qui sunt de domo Israel*.

8. *Deos novos*] Θεοὺς καινούς, i. alios. Sic, *Surrexit rex novus*, καινός· sed in LXX ἕτερος *alter* sive *alius*. Licet etiam vertere *Deum novum*. Nam unus Deus, si alius fuerit à vero, vocatur אלהים חדשים, ubi ratio habetur non sensûs sed terminationis. Hoc אלהים אחרים *Dii alii*, vel *Deus alius*. Sed אלהים חדשים, quia de vero Deo dicitur, debet reddi *Deus sanctus*, & non *Dii sancti*. Nam tum אלהים sensum habet singularem. Marc. 16. 17. *nova lingua*; quas Lucas Act. 2. 4. ἑτέρας vocat. Jes. 62. 2. *nomen novum*, i. aliud. Joh. 13. 34. *Mandatum novum*. Sic fortè Psal. 96. 1. *Canticum novum*. Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo nomen novum*. *Nova Jerusalem*, & c. 5. *Ode nova*. Vide Genebrardum in Davidem p. 590. Huc referri posset *lex nova*, ut idem sit quod *lex alia*. Quanquam alia esse possit quæ tamen non sit nova. *Dii alii* possunt esse qui tamen non sunt novi. Nam Dii quos patres eorum coluerunt non possunt dici novi. Jon. *Cùm placuit filiis Israel colere errores novos, quos è proximo fecerunt, in quibus non occuparunt se patres eorum*. ¶ *Tunc bellum*] Vel *bellator*, ut sit *bellum* pro *vir belli*. Sic alibi *vinum*, i. vir vini, vinosus; *dolus*, vir doli, dolosus; *aviditas*, vir aviditatis, i. avarus. Nota hæc doctis. *Bellum* autem hìc לָחֶם, dicitur, cùm (·) & Segol, ad instar חָמֵץ, ubi tamen (··) in ultima. R. D. arbitratur esse verbum præteritum formæ יבש *aruit*, *tunc bellum gerit hostis in portis*. Segol autem pro Tseri & aliàs invenitur. Videndus R.D. in Rad. ¶ *In portis*] In urbibus. Jon. *Venerunt contra eos populi, & expulerunt ipsos ex urbibus eorum*. Figura est quam Synecdochen appellant, ubi pars ponitur pro toto, h. e. *porta* pro *tota urbe*; ut si quis *ostium* usurpet pro *domo*. Gen. 22. 17. *portam hostium suorum possidebunt*, i. quicquid juris aut dominii eorum est. Similiter Gen. 24. 60. Deut. 28. 57. *Opprimet te hostis in portis tuis*. 17. 2. *In una portarum tuarum*, i. urbium. Abd. 2. *& extranei venirent in portas ejus*. Ruth. 3. 11. *novit omnis porta populi mei*: quod tamen enarrari potest de porta Judicum. Psal. 87. 2. *Diligit Dominus portas Sion præ omnibus tabernaculis Jacob*, i. urbem Jerusalem, Exod. 20. 10. *intra portas tuas*; quod exponunt *intra limites jurisdictionis tuæ*. Psal. 9. 14. *in portis filiæ Sion*. ¶ *Clypeus si conspicitur*] Hìc *si* valet *an*, & est sensus, Non conspicitur, q. d.

q. d. Nemo audet clypeum aut lanceam in manum sumere ad repellendum hostem.

9. *Magnates Israel*] Secutus sum eos qui חוקקי exponunt גדולי *magnates*; pro quo in Vulg. nostra *principes*. Sunt qui *Scribas* interpretentur, i. סופרים, quod non ità placet. Potiùs Judices intelligit & Ductores populi qui statuta ponebant populo quæ sequi deberent. חוקק nomen est formæ כורם: nam in participio diceretur מחוקק *legislator*. Hi se ultro offerebant ad hoc bellum. Jon. לספרי ישראל *scribas Israel*, i. doctos & sapientes.

10. *Juxta Middin*] Nomen loci aut urbis in tribu Juda Jos. 15. 60. q. *Middinam* dicas. Sed est qui *provinciam* interpretatur, i. מדינה. Hieron. *qui sedetis in judicio* בדין. Potest reddi *qui habitatis Middina*, h. e. in Middin urbe. Nota particulam על non impedire constructionem. Potest etiam esse nomen certæ viæ quæ nota erat apud eos, per quam non audebant transire propter hostem. In Massora מדין tria significata habet, *qui sedent super Middin ad evertendum* מדין *à judicio tenues*: primò sign. *urbem*, deinde *viam*, tertiò *causam* aut *judicium*.

11. *A strepitu sagittariorum*, &c.] מחצצים vulgò interpretantur *sagittantes* aut *jacientes sagittas*; à חץ *sagitta*. R. S. mavult à חצץ deducere, quo *calculi* significantur sive *scrupi* aut *lapilli silicésque*; vernaculè קוילש *cailles*. ¶ משאבים autem sunt *loca in quibus aqua hauritur*, non ipsa haustra. Cùm ergò essent in illis locis metuebant sibi à sagittariis, ubi nunc *docent justitias Domini*, i. justa facta ejus. יתנו autem *enarrant*, *narraverunt* aut *docuerunt*, vel, si placet, *tradiderunt*, unde תני *διηγήσατε*, & תנו רבנן *διηγήσαν οἱ διδάσκαλοι ἡμῶν*, *tradiderunt magistri nostri*. Videndus R. D.

14. *Ex Ephraim radix ejus*] Primus & præcipuus Dux contra Amalecitas fuit Josue ex tribu Ephraim: Et post Josuam pugnavit Saul in Amalecitas, qui erat è tribu Benjamin. Porrò Josua radix & Dux erat Ephraitarum. Videndus Kimchi. ¶ *Trahentes stilo scribæ*] Periphrasis est Scribarum & sapientû. שבט ad v. *virga*; sed hic pro *stilo* accipitur. Malè quidam *convocantes*: nam משך hoc non significat.

15. *Principes*] שרי *principes*, ut נובי *locustæ*, חלוני *fenestræ*; pro שרים. Sic אדוני *Dominus*, ubi (׳) pro (-) quo differat ab אדוני *domini mei*. Sanè pluralis est *Adonai* quoad terminationem, nec obstat quòd sensum habeat singularem: nam etiam אלהים ita usurpatur. Ideo Theologi dicunt esse communis numeri: quòd sanè intelligendum: nam semper terminatio pluralis est, sensus autem singularis. Qua de re aliàs. *Principes in Issachar*, i. Issacharitarum; ut *in quadraginta millibus in Israel*, v. 8. i. Israelitarum, *mater in Israel*, v. 7. *magister in Israel*, i. Israelis. ¶ *Missus est pedibus suis*] Pedes ivit ad vallem, non equo vectus aut curru. Videndus D. K. ¶ *De partibus Rubenis magna sunt cogitationes cordis mei*] פלגות vocat quòd divisus esset à reliquis, trans Jordanem habitans.

23. *Meroz*] Nomen urbis an regionis? quæ non procul aberat à torrente Cison, ubi prælium commissum fuit. Hieron. *terra Meroz*. Sed R. D. ait esse nomen urbis vicinæ loco ubi pugnatum fuit, quæ hîc maledici jubetur quia populo Dei suppetias non tulit. Sic etiam R. Levi. Sunt qui sideris nomen esse putant. Alii virum insignem ità nominatum arbitrantur: quos refellit quod proximè sequitur, *habitatores ejus*. Nam hic locus evincit regionis aut urbis nomen esse, ut de eo dubitare ampliùs nemo debeat. Nescio an alibi reperiatur. ¶ *Dicit Angelus Domini*] Barac prophetes, an Debora? Quin Debora prophetis fuerit nemo dubitat. De Barac dubitari potest; quem tamen Jonathan Chald. paraphrastes *prophetam* nuncupat. Prophetæ autem vocantur *Angeli Domini*, quia à *Domino* missi ad munus propheticum obeundum. Sic etiam Sacerdotes appellantur. Vide c. 2. 1. Cæterùm missione Prophetæ sunt non omnes, sed tantùm propriè dicti, ut Jesaias, Jeremias, & alii. A quibus Danielem & alios excipiunt, qui Spiritu tantùm Prophetæ fuerunt, non officio aut munere: unde libri eorum non sunt libri prophetici. Si de Debbora locus intelligendus, erit constructio ut אמרה קהלת *dicit Cohelet*, ubi ratio habetur non sensûs sed vocis קהלת, quæ feminea est. Sic *Malach* nomen est masc. ideo præcedit אמר *dicit*. ¶ *In auxilium Domini*] i. populi *Domini*. Sic loquendo Israelem innuit. Simile, *mons DOMINI* i. *domûs Domini*, qui & *mons ædis*, הבית cum articulo. Alioqui Deus non eget hominum auxilio. Sic hostes Israelitarum vocantur *hostes DOMINI*, infrà v. 31. Sæpius ità vocantur homines improbi.

24. *Præ mulieribus in tentorio*] *Mulier in tentorio* ità dicitur ut *miles in armis* pro *armatus*: sic mulier in tentorio degens. Pertinet hoc ad laudem mulierum, ut domi desideant, nec foris prodeant, unde honesta matrona *οἰκουρὸς* dicitur; & Venus pingitur testudini, quæ *domiporta* vocatur, insidens, & David comparat matrem familias cum *vite plantata in lateribus domûs*. Contrà meretrix à Chaldais vocantur נפקת ברא, & Salomo talem designat cùm ait, *In domo non habitant pedes ejus*, h. e. non diu manent.

25. *Cyatho inclytorum*] Hieron. *in phiala principum*. Jon. *in phiala potentum*, nam פיילי *phiala*. Græcum est *φιάλη*. Videndus R. D. Lxx *ἐν λεκάνῃ ὑπερεχόντων in pelvi præstantium*. Sed in ed. Rom. illud *ὑπερεχόντων* refertur ad sequentia. Trem. *in patera magnificorum*. Lex. Vet. *λεκάνη pelvis*. ספל propriè *simpulum*, quod est vas Ecclesiasticum nasi figuram in orificio exprimens, quo vinum in sacris libabatur. Utitur R. S. in Comment. Exod. 29. Erant autem duo in altari, de quibus vide tractatum Succha, & ejus formam pete ex Baifio De vasculis p. 100. In conviviis ejus loco successit *Cyathus*, cùm in sacrificiis manserit *simpuli* appellatio. Autor Varro De lingua Latina. *Cyathum* ergò extra sacra possumus exponere. Paraphrastes Chaldæus nunc לקנא i. *λεκάνην pelvim*, interpretatur, nunc פיילא *phialam*. ¶ *Butyrum*] Lac unde butyrum conficitur. Sic *panis* ponitur pro *frumento è quo panis conficitur*. Quidam *lac pingue*. Ad verb. *lac butyri*, i. recens & non pressum. Ita ferè R. D. *Lac butyri*, inquit, *quod remanet post butyrum*. *Id aggravat cor, & abripit mentem. Aut dedit ei butyrum ad comedendum postquam dedisset ei bibere lac. Nam in utre propinavit ei lac*, i. בנאד. Vide sodes. Prior expositio verior, meo judicio. Pinguem hanc substantiam quæ habetur in lacte sola Ebræa lingua novit. Casaubonus in Athenæum p. 469. *ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος* appellat Hecatæus, & שמן Chaldæus, in quo significatio *pinguedinis*.

26. *Manus ejus*, &c.] i. sinistra ejus, quæ *κατ' ἐξοχὴν manus* vocatur; ut aliquando etiam dextra, sed sæpius sinistra. Mechiltha 8 4. *Non est Manus in ullo loco nisi sinistra*. Sic, *Manus mea fundavit terram, & dextera mea*, &c. item, *Manum suam ad clavum extendit*. Abba Jose dixit, *Invenimus dexteram vocari etiam Manum*. Hieronymus hîc habet, *Sinistram suam misit ad clavum*. Lxx *χεῖρα αὐτῆς ἀριστερὰν εἰς πάσσαλον ἐξέτεινε*, *Manum suam sinistram ad paxillum extendit*. ¶ *Misit* Extendit. תשלחנה hîc ponitur pro תשלח, duabus literis ex abundanti additis, ut in מסדרונה, & in פרשדונה, contra consuetudinem Verborum. Quidam *Manus ejus læva & dextra extenderunt se*. Simile, *In domo non habitant pedes ejus*: item, *Omne quod postularunt oculi mei*. Hanc sententiam ex Ebræis tuetur Joseph Kimchi: secutus est è recentioribus Tremellius.

29. *Sapientes principum feminarum ejus*] Duplex hîc Ebraismus. Unus est, *Sapientes principum ejus*; ut *Sapientes mulierum*, *Nigra lanarum*, *Canum degeneres*: alter est, *Sapientes*, pro *Una aliqua sapientum*. Sic sanè Hier. *Una sapientior cæteris uxoribus ejus*. Nam sequitur, *respondit sermones suos* לה *ei*, & non להן *eis*. Ad hoc exemplum invenies *pullus asinarum* pro *unius alicujus asinæ*; &, *sepultus est in urbibus Galaad*, pro *in una aliqua urbe*.

30. *Adolescentula, adolescentula dua*] Vel, *puella una duave*. Puella hîc רחם dicitur per contemptum ex illo פטר רחם *apertura vulvæ*. Vide Ohel Moed. ¶ *Pro capite viri*] i. cujusque, Ad verb. *in caput viri*. Quidam, *in personam quamque*. Sed expende ampliùs.

31. Ut

31. *Ut cùm exit sol in robore suo*] *Sol* cùm *exit*, i. oritur, incrementum accipit usque dum est *in robore suo*, h. e. usque ad perfectum diem. Dies autem perficitur in meridie. *Robur* ergò *Solis* est calor vel æstas meridiei, quando maximè fervet. Paulò aliter David *robora* vocat. i. גבורות, robustissima corpora & optimæ complexionis, quæ vivunt ad annum octogesimum & ultrà. Jon. *Sicut Sisara sic pereant omnes hostes populi tui, DOMINE; & amantes ejus justi splendebunt sicut splendor gloriæ ipsius super unum trecentorum & quadraginta trium cùm exit sol in robore suo.* Vide R. Sal. Jarium. ¶ *Amantes ejus*] Mutat personam. Nam dicendum erat *amantes tui*. Sed fortasse pronomen refertur ad populum. Nam & *hostes Dei* sunt *hostes populi*, ut rectè Chaldæus enarrat. Idem *amantes Dei Justos* interpretatur, nec malè. Nam tales amant quem reverentur & colunt. Igitur *amantes Dei* periphrasis est piorum. Deum amat qui eum colit ex mero amore, sine ulla spe præmii aut ullo metu pœnæ; & meliores sunt, inquit R. D. quàm timentes ejus. Nam amant illum amore puro & sincero, nec spe præmii ducuntur aut metu pœnæ. Amor est clavis timoris nostri; timor adducit ad amorem. Amor est vel jocundi vel utilis vel boni. Juvenes amant jocundum, viri utile, senes bonum. De Amore caput est in רח״דק 116. 2. Timor vel externus est vel internus. Internus non cedit amori: externus eo multò inferior est.

IDEM.

16. בין המשפתים. A. *Inter sortes*. Sym. *vicinas*, an potius *vicinias*. Si rectè capio Hieronymum in lib. Locor. *Mesphetaim, pro quo Aquila interpretatur Sortium*.

GROTIUS.

6. *Quieverunt semitæ*] Rectiùs vertas *itinera publica*: iis desertis Israelitæ *devia* sectabantur, ut sequitur. Significat commercia abrupta.

7. *Cessaverunt fortes*] Hebr. פרזון, i. *pagi*. Et villæ & agri deserti jacebant ob rapinas Cananæorum.

9. *Propriâ voluntate*] Animo prompto in Dei obsequium, ut suprà 2.

10. *Qui ascenditis supra nitentes asinos*] Vide infrà 10. 4. & 12. 14. Id factum ob Equorum in illis terris penuriam, de qua diximus ad Deut. 17. 16.

11. *Ibi narrentur justitiæ*] Vox hîc est Chaldaica, à תנא *narrare*.

20. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo adversùs Sisaram pugnaverunt*] i. Angeli, velut de loco superiore, in eos pugnaverunt. Confer 2 Macc. 19. 29. & 11. 8. מסלות sunt *loca celsa*. Angeli *stellarum* nomine appellantur ob naturam cœlestem & splendorem.

23. *Maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini*] Infames sint. Grave erat Athenis ἀστρατείου, i. *detrectatæ militiæ*, crimen, ut ex Demosthene, Scholiaste ejus Ulpiano, & Harpocratione discimus. Multò justiùs infames habendi qui bello defuerant imperato Divinitus.

25. *In phiala*] In Hebræo hîc & infrà 6. 38. est ספל, unde *simpuli* nomen ad Lydos, à Lydis ad Etruscos, inde ad Romanos venit. *Cyathum* interpretatur Varro l. 4. nec aliter Festus & Glossæ Græcolatinæ: meminit & Plinius l. 35. c. 12.

28. *Per fenestram respiciens*] Ostendit vel hic unus locus illis gentibus ᾠδὰς valde poeticas fuisse.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

8. *Virum prophetam*] Autor libri Seder Olam putat hunc Prophetam fuisse Pinhas summum Sacerdotem. Alii verò magis delirantes dicunt Pinhas hunc quoque fuisse Eliam Prophetam. Quicunque is fuerit, constat illum à Domino missum ut peccata Judæorum redargueret.

11. *Sedit sub quercu*] Capitur hîc *sedere* pro עכב *demorari*. Proinde חובט idem est quod דש; licèt דישה *trituratio* propriè fiat cum jumentis, חביטה autem cum baculo.

12. *Fortissime bellator*] Accipitur חיל pro *forti* & pro *militia*. Vocat verò eum *fortem militem*, ut illi animum adderet, & incitaret contra hostes, victoriámque promitteret.

15. *Millenarius meus*] Ionathan Chald. hunc locum sic interpretatur, *En cognatio mea parva est in tribu Menasse, & ego quoque debilis sum in domo patris mei*. Sunt etiam qui אלפי exponunt pro אבי *pater meus*. Nam capitur אלוף etiam pro *duce & domino*.

17. *Quòd tu sis*] Fac, inquit, signum aliquod per quod cognoscam quòd tu verè sis nuncius Dei, &c. Qui credunt Pinhas & Eliam unam habuisse animam, ex hoc loco potissimùm id conantur astruere; cùm hîc nuncius Dei idem egerit quod Elias in Carmelo fecit, qui jussit ligna holocausti aquâ perfundi, *&c.* Sic hîc jubetur jus carnium fundi super panes & carnes supra petram positas, & illico solo sustentaculi attactu ignis excitatur ab Angelo; quem tamen illi falsò Prophetam fuisse contendunt. Proinde quòd Gideon dolet se vidisse Angelum Dei, colligunt ex hoc loco Hebræi שבר היה מפרסם שכאשר יקרה זה ימשך אחריו המות quòd tunc vulgaris opinio fuerit apud Judæos, ut cùm alicui contingeret aspectus Angeli vel Dei, hunc mors corriperet; sicut & Jacob dixit, *Vidi Deum facie ad faciem, & liberata est*, à morte scilicet, *anima mea*. Sic infrà 13. 22. dixit Manoah, *Morte moriemur, quia vidimus Deum*.

26. *In loco conveniente*] Capitur hîc מערכה pro מקום מסודר *loco ordinato & apto*, vel pro מישור *planitie*, in qua ædificium altaris commodum locum habere potuit. ¶ *De tauro secundo*, variæ apud Hebræos sunt opiniones. Conveniunt tamen in hoc, quòd is septem annis fuerit servatus & saginatus pro sacrificio Baal. Kimhi putat illum *secundum* dictum in ordine ad primum.

31. *Interficiatur usque manè*] h. e. Si est Baal Deus, interficiat illum qui altare suum destruxit hâc nocte antequam illucescat. Derisit verò Joas per hæc verba stultitiam eorum & cohibuit eorum præsumptionem: quod quidē facilè facere potuit, cùm dominus illorum esset; q. d. Facto ostenditis quòd non creditis Baal esse Deum; alioquin cogitaretis illum injuriam sibi illatam inultam non dimittere.

32. *Jerubaal*] Componitur hæc dictio à יריב *disceptet*, vel, ut Jonatha vertit, יתפרע *ulciscatur se*, & à בעל *Baal*.

37. *Tonsuram lanæ*] Alii interpretantur *vellus lanigerum*. Nos Hebraismum tradidimus.

VATABLUS.

1. *Fecerunt autem*, &c. ויעשו] Hebraismus, de quo suprà 3. 7, 12.

2. *Proinde prævaluit*, &c. ותעז יד] Hebraismus, Madianitæ evaserunt superiores. ¶ *A facie Midian*, מפני מדין] Hebraismus, propter Madianitas, sive metu Madianitarum. ¶ *Antra*, מנהרות] Speluncas intelligit quæ habent os quà lumen ingreditur.

3. *Cùm enim severat*, והיה אם זרע] Ad verb. *Et fuit, si severat*. ¶ *Et filii Cedem*, ובני קדם] i. Orientales.

4. *Fructum*, את יבול] i. segetes ipsas. ¶ *Venias*, באך] *Ingrediaris*, i. usque ad agrum Gazæ. ¶ *Nec pecudes*, ושה] Ad verb. *& oves*: præcedentem negationem subaudivit noster interpres.

5. *Ascendebant*, יעלו] i. veniebant.

6. *Attenuatus est igitur*, &c. וידל] i. Proinde vires filiorum Israel fuerunt valde accisæ.

7. *Clamassent*, ויזעקו] *Ingemuissent*.

8. *Prophetam*, נביא] Hebræi dicunt fuisse Phinees.

10. *Ego*

10. *Ego Jehova*, אני יהוה] Quem scilicet colere debetis. ¶ *Ne timeatis*, לא תיראו] *Ne revereamini.*

11. *Venit autem angelus*, &c. ויבא מלאך יהוה ונו'] i. Misit Dominus Angelum suum, qui substitit aliquandiu subter quercum, &c. ¶ *In Ophrah*] Est & alia Ophra in tribu Benjamin. ¶ *In torculari*, בגת] i. In magno illo horreo patris sui, in quo erat etiam torcular, ibique reponebantur fruges. ¶ *Ut fugere faceret*, להנים] Hebræi subaudiunt, *patrem suum*, i. ut eo aleret familiam paternam fugientem ad adventum Madianitarum.

12. *Et conspectus est*, וירא] *Præbuit se visendum.*

13. *Et ut quid*, &c. ולמה מצאתנו כל זאת] Hebraismus, Quare ergò hæc omnia nobis evenerunt? ¶ *Et ubinam*, &c. ואיה ונו'] q.d. Quare nunc non facit similia? ¶ *Et nunc dereliquit*, ועתה נטשנו] *Cùm nunc dereliquerit nos*, &c.

14. *Respexit autem ad eum*, ויפן אליו] i. Tunc Angelus Domini convertit sese, vel faciem suam ad illum. ¶ *In fortitudine tua hac*, בכחך זה] i. Hâc tuâ virtute fretus q. d. Esto contentus hâc virtute nunc tibi datâ. ¶ *Nónne misi te?* הלא שלחתיך] q. d. Nónne ità se res habet, quòd Deus per me misit te? ne igitur posthac hæsites. Hic vides missum loqui nomine mittentis. Censetur enim missus de nomine mittentis.

15. *Minimus*, הצעיר] i. Debilissimus & infirmissimus in familia paterna, sive inter cognatos meos.

16. *Percutiésque*, &c. והכית ונו'] i. Tam facilè vinces Madianitas quàm vinci solet unicus vir.

17. *Si quæso inveni*, &c. אם נא מצאתי חן] Hebraismus, Si tibi gratus sum, vel si tibi gratum fuerit, edito signo in gratiam meam ostende quòd tu loquaris mecum verbis Dei.

18. *Et educam sacrificium meum*, והצאתי את מנחתי] i. Et proponam, vel offeram munus meum, sive cibos meos.

19. *Ingressus est*, בא] Sub. *domum suam.* ¶ *Et eduxit*, ויוצא] *& tulit.*

20. *Effunde*, שפוך] Sub. *super carnes.*

21. *Recessit ab oculis ejus:* הלך מעיניו] i. Evanuit ab oculis ejus.

22. *Ad faciem*, אל פנים] Sub. *Ideo moriturus sum.* Istud esse subaudiendum, apparet ex v. 23.

23. *Pax tibi*, שלום לך] Hebraismus, Eris incolumis, servaberis: i. nihil mali indè tibi continget.

24. *Usque ad hanc diem*, &c. עד היום הזה ונו'] i. Ità vocatur usque in hodiernum diem, & adhuc videtur. ¶ *Abiezerita:* אבי העזרי] i. Ipsius Joas Abiezeritæ.

25. *Nocte ipsâ*, בלילה ההוא] i. Nocte insequente. ¶ *Patris tui*, לאביך] i. Quem pater tuus alit. q.d. Taurum illum insignem jam grandem & adultum, quem curat alendum pater tuus, ut tandem sacrificetur idolo Baal. ¶ *Secundum*, השני] Sub. *ab illo*, h. e. secundæ notæ, non ità magnum, nec conferendum cum primo. ¶ *Septennem:* שבע שנים] Chaldæus paraph. *qui à septennio saginatur.*

26. *Arcis hujus*, המעוז הזה] *Fortis loci hujus*, i. hujus petræ. ¶ *In planitie*, במערכה] i. In loco æquali, & plano, qui est ad libellam adæquatus, ut illic possis ex ordine componere lapides ex quibus exstruas altare; Gallicè, *mise au niveau.* ¶ *Et ascendere facies holocaustum*, והעלית עולה] i. Ut ex eo facias sacrificium holocausti.

27. *Ne faceret*, מעשות] *Ità ut non auderet facere*, i. cùm id non auderet facere interdiu propter timorem.

28. *Viderunt*, והנה] Ad verb. *& ecce.*

29. *Alter ad alterum*, איש אל רעהו] Ad verb. *vir ad proximum suum.* ¶ *Et requisierunt*, &c. וידרשו ויבקשו ויאמרו] i. Cùm diligenter perquisissent, dixerunt, qui scilicet renunciaverunt.

31. *Litigabitis*, תריבון] i. Litigare debetis, h.e. agere causam ipsius Baal? nunquid debetis esse patroni ejus? ¶ *Litigaverit pro eo interficiatur*, &c. יריב לו ונו'] i. Qui tantum sibi sumet ut audeat litigare pro eo, h. e. qui agere volet causam ejus, *interficiatur usque mane*, i. crastinâ die mané; q. d. Interficietur, sed non ante diem crastinum; Notandum dicendi genus, *Ante mané.* ¶ *Litiget sibi*, &c. ירב לו ונו'] i. Causam suam agat (non enim indiget ope humanâ) *quòd subverterit aram ejus*, i. quòd ara ejus sit destructa.

32. *Cum eo*, בו] *Contra eum*, i. causam suam tueatur contra illum. q.d. Malè eum perdat.

33. *Et filii Cedem*, ובני קדם] *Et populi Orientales.* ¶ *Et transierunt*, ויעברו] Sub. *Jordanem.*

34. *Induit*, לבשה] i. Replevit. ¶ *Et clanxit tubâ*, ויתקע בשופר] Ut scilicet convocaret milites.

35. *Ascenderúntque in occursum eorum*, ויעלו לקראתם] i. Qui ascendentes venerunt obviàm illis qui jam aggregati erant.

36. *Si salvas*, אם ישך מושיע] Præs. pro fut. i. Si servaturus es per me & meâ operâ.

37. *Statuam*, מציב] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Totam terram*, כל הארץ] *Reliquam terram*, quæ scilicet est in circuitu.

39. *Tantùm semel*, אך הפעם] *Adhuc hâc vice.* ¶ *Tentem*, אנסה] i. Sine tentem te, quæso, tantùm hâc vice in vellere. ¶ *Et super totam terram*, ועל כל הארץ] i. Super reliquam terram quæ erit in circuitu.

CASTALIO.

3. O*Rientales*] Arabes, interprete Josepho.

CLARIUS.

12. V*Irorum fortissime*] Vel, *fortissime bellator.* Vocat verò eum *fortem militem*, ut illi animum addat, & incitet contra hostes, victoriámque promittat.

17. *Quòd tu sis*] Fac, inquit, signum aliquod per quod cognoscam quòd tu verè sis nuncius Dei, &c.

23. *Non morieris*] Ex hoc quòd Gedeon timet quòd viderit Angelum Domini, colligunt Hebræi, tunc vulgarem opinionem fuisse apud Judæos, quòd cùm alicui contingeret aspectus Angeli, vel Dei, hunc mors corriperet; sicut & Jacob dixit, *Vidi Deum facie ad faciem, & liberata est*, à morte scilicet, *anima mea.* Sic infrà dixit Manohe, *Morte moriemur, quia vidimus Deum.*

25. *Et alterum taurum*] De tauro secundo variæ apud Hebræos sunt opiniones; conveniunt tamen in hoc, quòd is septem annis fuerit servatus & saginatus pro sacrificio Baal.

31. *Qui adversarius est ejus, moriatur*] h. e. Si est Baal Deus, interficiat illum qui altare suum destruxit hâc nocte antequam illucescat. Derisit verò Joas per hæc verba stultitiam eorum, & cohibuit eorum temeritatem quod quidem facilè facere potuit, cùm dominus illorum esset; q.d. Facto ostenditis quòd non creditis Baal esse Deum, alioqui cogitaretis illum injuriam sibi illatam inultam non dimittere.

32. *Jerobaal*] q. *Disceptet*, vel *Ulciscatur se*, *Baal*

DRUSIUS.

2 A*Ntra*] Vel *specus.* Vocantur *Minharoth* [illegible] נהר, eò quòd fenestram haberent in summitate per quam lumen intrabat. Videndus R. D.

3. *Si severat*] *Cùm severat.* Simile, *Si erit Jobilæus*, &, *Si ingressus fuerit ad uxorem fratris sui.* In his omnibus locis *si* valet כאשר, i. cùm. Huc refer, *Si Deus nobiscum, quis contra nos?*

8. *Virum prophetam*] Satis erat *prophetam.* Nam femina non dicitur *propheta*, nec etiam *prophetes*, sed *prophetis.* Talia sunt *Vir piscator*, *Homo sacerdos*, *Mulier ancilla.* Sic *Vir Æthiops.* Doctores Catholici dicunt Angelum fuisse in specie viri. Id improbare videtur Nicolaus, asserens Angelum nusquam vocari *prophetam*; quod hâc ratione usus ità probat, *Nam licet*, inquit, *cognitio prophetica sit clarior notitiâ fidei, tamen est ænigmatica*;

matica; cognitio verò Angelorum quâ cognoscunt res in verbo, de qua hîc est sermo, clara est & absque ænigmate. Burgensis Episcopus in Additionibus suis hanc rationem nullius momenti esse putat: quem vide, si placet, & ad prologum libri Psalmorum. Antea monui Prophetas *Angelos* dici. Si hoc ità est, ut est verissimum, cur non posset etiam Angelus dici *Propheta?* Nam *Propheta* est qui futura prædicit. Id Angelus facit v. 14. *Vade in hac tua virtute, & servabis Israelem.* Accedit quòd Angelus iste creditur fuisse Filius Dei, qui passim *Propheta* vocatur; ut dubitare de illo nemo nunc jam possit aut debeat.

9. *Expuli eos*] Qui opprimebant vos, Sehon & Og & Reges Chananæorum. Vide Camium.

10. *Nè timeatis Deos*] Timere hîc non est metuere, sed colere. Nam Dei cultus ex timore, juxta illud,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Unde θεὸς q. δέος, i. *timor.* ¶ *Amorrhæorum*] Latè sumitur, ut etiam reliquas gentes terræ Chanaan comprehendat.

11. *Angelus Domini*] Sequentia indicant neque Prophetam fuisse, neque Angelum infernatem, sed supernatem. Sunt autem supernates in duplici genere: Nam alii omnes creati fuerunt; unus ex illis non fuit creatus, qui *Angelus federis* vocatur & *magni consilii Angelus.* Is Patribus olim apparuit in specie hominis; ideo *Dominus* vocatur nomine tetragrammato. ¶ *Sedit sub quercu*] i. *Mansit, moratus est; tardavit.* Angeli non apparent sedentes, sed stantes; ut alibi, *Et angelus Domini stabat:* item, *& ecce vir stabat coram eo.* Ideo exponunt נתעכב *moratus est*, ibi dum Gedeon respiceret; cùm autem non respiceret, *apparuit ei, dixitque, Dominus tecum.* Sic v. 18. אשב עד שובך *Manebo donec tu redieris;* &, *Beati qui sedent in domo tua*, Gen. 22. 5. *Sedete hîc*, i. *manete, exspectate.* Jos. 1. 14. & 2. 22. Gen. 34. 10. *Nobiscum sedete*, i. manete. Exod. 24. 14. *Sedete hîc donec revertamur ad vos.* Cicero l. 9. epist. *Si venti essent, nos hîc Corcyræ non sederemus.* אלה Senes hîc reddunt τέρμινθον i. *terebinthum*, qua de re aliás. ¶ *Ophra quæ pertinebat ad Joas*] Hoc adjecit διακρίσεως ἕνεκα. Duas Ophras memorant S. literæ. Una videtur fuisse in tribu Benjamin, quæ ducebat ad eam partem Chananææ quæ *terra Sual* appellatur. Id sonat *terram vulpis.* Nam *Sual*, mediâ Ain, est *vulpes*, quod corruptum in *Saul* codicibus Latinis 1 Sam. 13. 17. emendandum ex hac observatione. R. D. *Dicit*, OPHRA ABIEZRITARUM, *quia erat alia Ophra in termino Benjamin, ut scriptum est in libro Josue.* Vide Masium in Jos. 18. 23. Altera Ophra pertinebat ad Joasum patrem Gedeonis, quæ propterea *Ophra Gedeonis* vocatur, & *urbs ejus*, ut Jud. 8. 27. *in urbe ipsius in Ophra.* Ambo erant ex familia Abiezer, unde Joas hîc vocatur *Abiezrita.* Familia ista nomen accepit à quodam Abiezer אבי עזר qui fuit filius Hammolecheth sororis Galaad filii Machir, nepotis Manasse, 1 Par. 7. 18. unde *Ophra Abiezri* Jud. 8. 27. quæ & *Ophra Abiezritarum* v. 32. Nec obstat interjectus articulus in אבי העזרי, qui fortasse movit nonnullos ut verterent *patris Ezri* sive *Ezritarum:* ut *pater* hîc *principem* denotet. Mihi nullum dubium quin sit pars nominis, ut in *Abimelech*, & similibus. Est ubi *Abiezer* legitur pro *Abiezrita*, videlicet, Jud. 8. 2. *Melior est racemus Ephraim quàm vindemia Abiezer*, i. *Abiezritarum.* Sic *Israel* pro *Israelitis*, tritum hoc & pervulgatum, v. 34. *convocavit domum Abiezer.* Maluissem *familiam Abiezer.* Nam in familia plures domus. Scire licet in fonte haberi *Abiezer* tantùm, & est sensus, *Congregavit familiam Abiezer*, nisi malis *domum Abiezer.* Sic *domus Israel;* & *domus Assaraci*, i. Romani. *Domus Israel* & *filii Israel* sunt Israelitæ. Sic *domus Abiezer*, Abiezritæ, quicunque ex Abiezer descenderunt. Cæterûm אבי העזרי ità dicitur ut בית הלחמי *Bethlehemita.* Malè igitur Hier. *patrem familiæ Ezri.* Nam familia hæc vocatur *familia Abiezer*, non *familia Ezri*, ut dictum est. Quanquam in Jonatha אבוהי דעזרי, & in LXX πατρὸς τοῦ Ἐσρεὶ, *patris Ezri.* ¶ *Patris Haezri*] Alius, *Abiezrita.* Hier. *patrem familiæ Ezri.* Jon. *patris Ezri.* *Abihaezri*, ut *Abitob, Abigabaon, Abichail, Abinoam, Abiezer, Abiceila, Abisalom, Abialbon.* Quomodo *pater familiæ Ezri?* an *pater*, i. *princeps?* Sic *pater Idumæorum*, i. רב *princeps*, ità Jonathan. Aut legendum *Abiezrita*, ut sit cognomen Joasi; sicut *Abenezra*, cui proprium nomen *Abraham*, & patris nomen *Meir.* Prius verius videtur, cui firmando articulus qui est in העזרי *Ezritarum.* Nicolaus ad h. l. *Dicitur autem hîc Pater non ratione generationis, sed quia erat potentior & principalior in familia sua. Dividebantur enim tribus in familias, & familiæ in domos, & domus in capita virorum, sicut dictum fuit* Jos. 18. ¶ *Excutiebat frumenta*] *Perticâ cædebat*, vel *decutiebat, frumenta*, quod Græci transferunt ῥαβδίζων σῖτον *decutiens virgâ frumentum*, דש & חבט ità differunt, ut דש sit *triturare*, quod fit jumentis, חבט autem *percutere*, quod במקל *baculo* aut *perticâ.* Ebræi fabulantur patrem ejus priùs hoc fecisse, ipsum autem dixisse ei, *Pater, senex es tu. Abi ergò domum, quia non potes fugere si Madianitæ venerint: ego decutiam frumenta.* Ob hoc dictum, quia stabilivit legem illam, *Honora patrem*, meruit esse Judex, &c. Vide Davidem cognomento Camium. Quod verbum חבט attinet, usurpant de olea, *Nè decutias oleam tuam.* Nam cædunt oleam baculo, ut indè olivæ decidant. ¶ *In torculari*] LXX ἐν ληνῷ. Sed ληνὸς etiam *lacus torcularis.* גת est *torcular;* ληνὸς sive ὑπολήνιον aut *lacus* propriè יקב dicitur. Videtur ibi fuisse torcular exprimendis uvis, in quo Gedeon frumenta decusserit. Nam etiam Jonathan agnoscit hîc *torcular.* Sunt qui areolam fuisse putant quæ tantum capiebat quantum torcular, freti autoritate cujusdam R. Juda, qui memoratur inter Grammaticos. Sunt etiam qui בגת hîc reddunt *juxta torcular.* Sic *in Jericho, in Gabaon* valent *ad Jericho, ad Gabaon.* Sic *in urbe natus* dicitur qui natus est ad urbem in territorio ejus. In גת etiam oleas premebant, fortè & frumenta decutiebant. ¶ *Ut fugeret*] לנוס. Malim *ut fugere faceret*, i. ut fugiens auferret. Sic Exod. 9. 20. *Qui timebat verbum Domini è servis Pharaonis fugere faciebat servos suos & pecus suum in domos.* Trem. *ut fugiens deportaret*, expende. Infrà 7. 21. scriptum וינים, & lectum וינוסו ideo vertendum *& fugerunt.*

13. *Et est Dominus nobiscum*] Desideratur aliquid, ut sit, *si est Dominus nobiscum.* Sic, *ipsi ædificabunt*, si ædificaverint.

Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit;

si jusseris. Alii cum interrogatione legunt, *& éstne Dominus nobiscum?* q. d. Quomodo est nobiscum, &c? Jon. *& est Divinitas Domini nobis auxilio?* ad verb. *in auxilio nostro.* ¶ *Quare obvenit nobis omne hoc?*] Ad v. *invenit*, i. accidit, evenit. Hoc sensu *nos invenire* dicuntur mala plurima. Hier. *cur apprehenderunt nos hæc omnia?* LXX Καὶ εἰ ἔστι Κύριος μεθ' ἡμῶν, εἰς τί εὗρεν ἡμᾶς τὰ κακὰ ταῦτα; *Si est Dominus nobiscum, ad quid invenerunt nos hæc mala?* Jon. *& cur accidit aut contigit nobis totum hoc?* Sic Esth. 8. 6. *Quomodo potero videre malum quod invenit populum meum?* i. accidit ei. Vide Gen. 44. 34. & Deut. 31. 17. Sed & Psal. 116. 3. *Angustiæ invenerunt me.* Sequitur, *Angustiam & mœrorem invenio.* Sic dicunt, *Dolores apprehenderunt me* צירים אחזוני. Vide Tropos, in verbo *Invenio*, Job 31. 29. Psal. 119. 143. Mimus, *Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.*

14. *Respexit ad eum Dominus*] Hîc est nomen tetragrammaton in fonte, unde quidam colligunt Angelum illum qui apparuit Gedeoni fuisse Christum, h. e. Deum missum, qui *Angelus federis* & *magni consilii Angelus* vocatur. Senes hîc ediderunt ὁ ἄγγελος Κυρίου, ac si *Dominus* poneretur pro *Angelus Domini*, ut alibi *mons Domini* pro *domus Domini:* & *clavis David* pro *domus David.* In ed. Rom. laudatur ex hoc loco Chaldæus, qui eodem modo hunc locum verterit, potest ità esse, tamen in duobus Venetis quos inspexi ״ legitur, quod valet *Dominus.* Nihil etiam absurdi si dixerimus Deum hæc dixisse per Angelum, sicut Angelus dixit quæ ei Deus jusserat ut diceret. Sic quæ legatus Regis refert, Rex eadem retulisse dicitur.

Notum

Notum hoc in vulgus. Cæterùm quia dicit *respexit ad eum*, quod valet, *fuit ei propitius*, videtur ex eo colligi posse quòd induerit eum spiritu roboris ac fortitudinis, qui ei necessarius ad vincendum Madianitas. Ergò mox ait; *In robore tuo hoc servabis Israelem*, &c. Priùs dixerat; *Potens robore*.

15. *Obsecro, Domine*] Hier. *mi Domine*. Sed in fonte אדני, i. *Domine*. Suprà v. 13. אדני *Domine mi*; aut *mi Domine*, ubi Lxx ἐν ἐμοὶ, Κύριέ μου, *in me, Domine mi*. Sic etiam hoc loco. Utrobique subauditur *intende*, aut aliquid tale. Augustinus in libris Locutionum. Trem. *Attende ad me, Domine*. Etiam ibi est אדני *Domine mi*; Jonathan in priore loco edidit, *Quæso* רבוני *Domine mi*; in altero autem, בבעו י״י, *Obsecro, Domine*. Gen. 43.20. Lxx Δεόμεθα. Hier. *Oramus*. Exod. 4.10. Lxx Δέομαι. Hier. *Obsecro*. Abenezra, *Omnes interpretes uno ore exponunt* לשון בקשה. R. autem Juda dicit esse sermonem brevem, *In me*, sub. עון *iniquitas*. Videndus R.D. ad h.l. nam putat אדני hîc esse לשון חיל pro אדני, ut sit (·) ob Zacheph. Vide, si placet. Sic ארניו & ארניך. ¶ *Chilias*] אלפי. Hier. *familia mea*, משפחתי. Simile, *Parvúne es in chiliadibus Juda* באלפי. Lxx ἡ χιλιάς μου. Jon. זרעיתי *familia mea*. R.D. *Chilias in qua domus patris mei numeratur est tenuissima inter chiliades Manasse*. Et sunt qui exponant *pater meus*, i. אבי. Nam אלוף est *Princeps* & *Dominus*. Trem. *dux meus*, i.e. אלופי. ¶ *Tenuis*] הדל cum articulo. Ait chiliadis suæ tenues esse vires. Nam *tenuis* est *infirmus*, *invalidus*, quod Senes dixerunt ἠσθένησεν *infirmata est*. Quanquam in aliis cod. ταπεινοτέρα *humilior*. דל sæpe dicitur qui est in re tenui, *pauper*, unde Santes, *pater meus pauper est*. Trem. quoque, *dux meus pauperrimus est*.

16. *Dominus*] Hîc rursum Lxx ἄγγελος Κυρίου *angelus Domini*; ac si nihil interesset hoc an illud dicatur. R. D. ad h.l. *Vocat Angelum de nomine Domini, quemadmodum scriptum est de Angelo qui apparuit Josua, Et dixit Dominus Josua*. ¶ *Percuties*] Jon. *occides*. ¶ *Quasi virum unum*] Jon. *tanquam virum unum*. Lxx ὡσεὶ ἄνδρα ἕνα. Id exponunt, Facillimè acsi cum uno negotium esset. Quid si *ad unum omnes*?

18. *Sedebo donec redieris*] i. Manebo. Latinè, *præstolabor tuum reditum*, vel, si placet, *adventum*: ità Hieronymus.

19. *Jus Carnium*] מרק novè scriptum cum Camets & (-) contra consuetudinem illorum nominum. Nam talis forma non exstat inter nomina. Sed vide Camium h.l. Ben Aser recenset inter ea quæ habent geminum Camets. ¶ *In aheno*] פרור, inquit R.D. *olla est anea in qua carnes coquunt*. ¶ *Et admovit*] i. obtulit. Malè Santes, *& accessit*. Confundit enim ויגש cum ויגש.

21. *Comedit*] *Consumpsit*. Qui comedit absumit cibum quem edit: unde *comedere* pro *absumere*, quod de Igne dicitur hîc, & Job 1.16. & Amos 1.4. & de Gladio: nam etiam gladius comedit. Gen. 31.15. *comedit pecuniam nostram*, i. absumpsit. Etiam eum *comedere* dicimur cujus bona & facultates absumimus. Terentius, *quem assiduè exedent*.

22. *Domine* DEUS] Prius est cognomen *Adonai*, posterius autem nomen proprium quod quadriliterum appellant. Id nunc legunt vocalibus nominis *Elohim*; propterea scripsi *Deus* literis majusculis. Qui aliter legunt audiendi non sunt. Nam *Jehovi* vox nihili est: *Jehova* verò hîc legi non potest, nisi statuamus cod. Ebræos corruptos esse. Quod fortasse Catholici non reformati facilè concedent; non item reformati: nam inter principia dogmatum ipsorum est, *Codices Ebræos non esse corruptos*. Quod principium destruunt, imò evertunt, qui pro lectione nominis *Jehova* tam pertinaciter (nè dicam, imperitè) decertant pugnántque. ¶ *Quia propterea vidi angelum Domini*] Opinio veterum erat, Non posse illum vivere qui Deum aut ejus Angelum vidisset facie ad faciem. Ideo aliquid hîc subaudiendum, *Nam quia*, inquit, *vidi angelum facie ad faciem, ideo mihi moriendum erit*, aut, *Propterea illum vidi ut vitâ defungerer*. Hunc metum ei eximit Angelus cùm ait, *Pax tibi: ne timeas, non morieris*. Ità confirmatus & certior factus de vita sua, exstruxit altare, &c. Quæ dixi de opinione antiquorum eà robur accipiunt ex c. 13.22. *Morte moriemur, quia Deum vidimus*, vel potiùs *angelum*: nam Angelus erat qui ei apparuit. Gen. 32.30. *Vidi Deum facie ad faciem, & salvâ facta est anima mea*. Narrant Judæi, an verè nescio, Jesaiam serrâ dissectum fuisse à Manasse cùm ob alias causas tum quòd Jes. 6.1. dixisset *se vidisse Dominum sedentem*, &c. Vide Annot. Tremellii Gen. 16.13. ad, *Video* (i. vivo) *post videntem me*. Nicolaus ad h.l. *Ex hoc enim quod scriptum est Exod. 32.* NON VIDEBIT ME HOMO, ET VIVET, *surrexit opinio inter vulgares & simplices Judæorum, Quòd homo videns Deum vel Angelum*, &c. Vide. *Elohim* tam *angelum* sign. quàm *Deum*. ¶ *Facie ad faciem*] Exod. 33.11. Ut hîc *videre facie ad faciem*, sic alibi *loqui ore ad os*. Vide Proverbia mea. Lxx. πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Sic στόμα πρὸς στόμα. Jon. אפין באפין. Ebræus פנים אל פנים.

24. *Dominus pacis*] Vel, *Dominus pax*. Hier. *Domini pax*, i. שלום יהוה. Lxx Εἰρήνη Κυρίου *Pax Domini*. Jon. *coluit super illud coram Domino, qui fecit ei pacem*. Santes, *Adonai Salom*. Arias, *Dominus pacis*. Alius, *Domini pacis*. Nota in fonte haberi יהוה nomen tetragrammaton, quod nunquam formam habet regiminis, ut nec plur. numerum. Nam ut Deus naturâ suâ immutabilis est, ità quoque nomen illud immutabile est. Itaque nescis utrùm dicat *Dominus pacis*, an *Dominus pax*? ¶ *In Ophrath Abiezritæ*] i. Abiezritarum. Aut innuit Joazum, qui suprà vocatur *Abiezrita*: nam originem duxit ab Abiezer; à quo & familia *Abiezritica*. Hîc notabis עפרת, cùm sit nomen proprium loci, tamen formam habere constructam more nominum appellativorum: deinde corruptè legi Ἐφραθὰ in Lxx pro Ἐφρὰ sive Ὀφρά. Solet enim hoc modo nomen minùs notum permutari cum alio notiore. Sic alibi *Juda* lectum pro *Jehu*, & *Bathuel* pro *Phatuel*. Vide Observationes meas.

25. *Juvencum bovem*] Qui tam magnus sit ut bos esse videatur. Licet etiam vertere *juvencum bovis*, i. bove natum, aut filium bovis. Sic Jon. *bovem filium boum*. Lxx τὸ μόσχον τὸ ταῦρον *vitulum taurum*, vel, si placet, *bovem taurum*. Nam μόσχος etiam *bovem* denotat. Alii, τὸ μόσχον τὸ σιτευτὸν, *vitulum*, aut *bovem*, *saginatum*. Santes, *juvencum bovis*. Trem. *vitulum adultiorem*. Aut *Juvencus bos*, ut *Coma crinis*, *Lutum cœnum*, *Ventus turbo*, *Gracia juventus*, *Lapis stannum*, *Machara Hispania*, *Adrium mare*, &c. Quid si *juvencus bovinus*? ut שור adjectivè hîc accipiatur. Vide Kimchi. Nam in fonte פר השור *juvencum bovis*. ¶ *Juvencum secundum*] vel *secundo-genitum*, quem Ebræi vocant שני לבטן, vel *secundum ab illo primo* cujus meminit. Jon. *bovem secundum*, תור *bos* vel *taurus*. Nam & תורא dicitur, unde *taurus*. Qui alibi quærit etymon hujus vocis, frustrà est. Trem. *qui in bovili ordine secundus est*. ¶ *Septennem*] *septem annorum*. Jon. *qui saginatus erat septem annis*. R.D. *Potest fieri ut fuerit septennis, h.e. filius septem annorum*. Trem. *natum eo anno quo Madianitarum cœperat tyrannis*. Lira, *impinguatum septem annis ut idolo Baal sacrificaretur*. In D. Camio מוקצה & הוקצה לע״ז *specialiter destinatus ad cultum idolorum*. ¶ *Qui super illud*] *Qui prope*, aut *juxta illud* altare. Docet hîc locus aram Baalis non fuisse in luco, sed juxta illum & lucum fuisse prope aram.

26. *Super caput roboris hujus*] *In summitate*, vel *vertice*, *petra*, aut *rupis*, *illius*, cujus antea meminit, quam modò סלע modò צור vocat, מעוז *robur*. Quidam *arcem* interpretantur, quam aiunt fuisse in rupe illa, ubi se tutabantur contra excursiones hostium. Lxx ἐπὶ κορυφὴν Μαωζὶ τούτου *super cacumen Maozi hujus*; quod valet *fortitudinis*, sive *petra*, ut Vulgata, vel *arcis*, *hujus*. Alii addunt τοῦ ὄρους *montis*: quod non est in Ebræo, ex ed. Rom. Jon. תוקפא הדין *fortitudinis hujus*. *Robur* propriè עז dicitur: מעוז potiùs denotat *locum munitum*. Sic קדש *sanctitas*, & מקדש *sanctuarium*; גדול *magnus*, & מגדל *turris*.

turris. Hinc *Deus Maozim* apud Danielem, i. *munitionum*. Sanè Templum vocatur מעז, Ezec. 24. 25. ubi Chaldæus *domus sanctuarii*. Arabes templa sua, teste Leonclavio l. 5. hist. *Mussin* appellant, fortè ab hac voce. In libro Precum 225. 2. & 237. 2. המקדש המעוז *sacrarium munitionum*, sive *locum munitum*. Jes. 23. 11. מעוניה *munitiones ejus*. Gallicè *les forteresses d'icelle*. Quod sequitur במערכה, id alius *cum strue* interpretatur, & alius *in ordine*. R. D. *in loco plano qui est in vertice munitionis ubi facilè poteris ordinare lapides altaris*. Jon. בסדרא *in ordine*. ¶ *Juvencum secundum*] Quid priore factum? nihil de illo legimus. Vide conjecturam D. Camii, *Jussus*, inquit, *fuit eum tollere*, *quò sic eum abriperet ab eis ne offerrent eum Idolo Baal*.

31. *Si Deus ipse est*] *Deus*, *Elohim*; in quo significatio *vindicis*, q. d. *Si se vindicare potest*, *vindicet de Gedeone*, *qui aram ejus diruit*. R. D. ait לשן כח *Si Deus potens est*. Sic Jon. *Si potentia est in eo*. Nam צרוך *potentia*, i. יכולת, ità R. S. Exod. 7. 9. Videndus ad illum locum Hiscuni. Sed & Gerundensis in Pentateuchum 197. 2. *Sanè idola in quibus non est* צרוך, i. *potentia*. Sic alibi, *Deos quos non novistis*, Thargum interpretatur, *in quibus non est potentia*. Hos alibi *Deos novos* appellat in hoc libro.

32. *Jerobaal*] *Contendat*, sive *Litiget*, *cum eo Baal*, יריב בו בעל. Verbum הריב construitur cum עם, & cum את, & cum ב, *Contendat* בו *cum eo Baal*. Perperàm Lira. *Fortis contra Baal*, vel *Fortior Baal*. Vide, si tibi otium. Senes hîc habent Ἱεροβάαλ, sed alibi est Ἱερυβάαλ *Jerubaal*. Vide Scalig. Animadv. Euseb. 47. 1. Hinc Ἱερώμβαλος in historia Phœnicum. Idem De emend. temporum p. 34. In lib. Nominum, *Jerobaal*, *Judicet Baal*, *vel Judices habens*, *vel Superior*, *sive Jurgium habens*: hæc in Nom. de libro Judicum. Sed in Nom. de primo Regum, *Jerobaal*, *Judicium Baal*, *sive Jurgium superioris*, *aut habentis*. Verum etymon quod suprà posui. הריב si ל sequitur, sign. *contendere pro aliquo*. Videndus R. S. בעבור או בשביל.

33. *Transierint*] Jordanem, trajecto Jordane: nàm trans eum fluvium sedes habebant.

34. *Spiritus Domini*] *Spiritus roboris qui à Domino*: sic Jonathan. Et nota quòd ait *induit Gedeonem*. Nam eâ re *induimur* quâ vel ornamur vel dedecoramur. Sic *indui robore*, *majestate*, &c. 1 Par. 12. 18. *Spiritus Domini induit Amasi caput*, sive *ducem tristatarum*. 2 Par. 24. 20. *Spiritus Dei induebat Zachariam*. Dicimus autem promiscuè, *Ipse induit justitiam*, & *Justitia induit eum*. An etiam Gedeon induit se spiritu Domini? expende. Lxx Ed. Rom. ἐνέδυσε, sed in aliis est ἐνεδυνάμωσε *confirmavit* aut *roboravit*. ¶ *Congregatus est Abiezer*] Ut *Israel* pro *Israelitis* ponitur, sic *Abiezer* hoc loco sign. *Abiezritas*, h. e. posteros Abiezer, seu eos qui erant ex domo Abiezer, unde in Vulg. nostra, *convocavit domum Abiezer*. Jon. אנש אביעזר *viri Abiezer*: est enim sing. pro plural. Sic *vir Israel*, Israelitæ, c. 7. 8.

38. *Plenum scyphum aqua*] Hieron. *concham rore implevit*. Lxx πλήρης λεκάνη ὕδατος *plena lagena aqua*. Sic etiam Jonathan. Quippe לקנא λεκάνη *lagena*. Nicolaus, *Pro Concha in Ebræo habetur Bacinum*. Jam diximus ספל in sacris esse *simpulum*, in conviviis autem & extra sacra esse *scyphum*. Santes *phialam*. Trem. *pateram*. Cæterùm in fonte הספל מים, quod non potest reddi *scyphum aqua*, nisi reperas in regimine הספל ספל מים *scyphum*, *scyphum aqua*.

39. *Dixit Gedeon*, &c.] Multæ hîc quæstiones moventur; Primùm, An peccaverit Gedeon petendo signum postquam esset certioratus de Divino auxilio, & respondent, Non peccasse; quia non petiit signum ex diffidentia, sed ex quadam familiaritate quæ ei cum Deo. Videndus Lira hoc loco. Deinde quæritur Utrùm hæc acciderint in visione prophetica, quod multi opinantur, sed credibilius est hæc ità ei ostensa fuisse postquam experrectus esset. Videndus R. D. Tertiò quæritur, Quomodo Deum tentaverit. Nam legimus, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, unde apparet Deum tentari non posse sine peccato: nam disertè prohibetur. Saadias Ebræus ad hoc ità respondet, Non licet Deum tentare ità ut diffidas de ipsius potentia, quemadmodum olim Israelitæ tentarunt Deum in corde suo, dicentes, *An etiam poterit panem dare?* Gedeon hoc modo non tentavit Deum. Nam de ipsius potentia non dubitavit. Quid igitur? Voluit tantùm periculum facere an dignus esset hujusmodi signis. Paulò aliter alii. Nam tentat Deum qui se temere exponit periculis, fretus Dei providentiâ, quod Græci dicunt φιλοκινδυνεῖν, id sine peccato non fit. Tentat etiam Deum qui petit signum non ex diffidentia, sed potiùs fiducia quam habet de Deo, quò sic gloria ejus ampliùs manifestetur. Hoc modo Gedeon tentavit Dominum. Vide Nicolaum. ¶ *Hâc vice*] הפעם *hâc vice*, ut הלילה *hâc nocte*, היום *hodie*. Vulg. *semel*, i. פעם אחת. Sic etiam Santes. Sensum aliquo modo, non è verbo verbum expressit. Dicitur etiam אחת *semel*, ut אחת בשנה *semel in anno*.

GROTIUS.

4. **E**T *apud eos figentes tentoria sicut erant in herbis cuncta vastabant*:] Clariùs in Hebræo, *Castra ponebant adversùs eos*, *& vastabant fruges terræ*, quotannis scilicet dato tempore vacuo ad novam sementem, sub messis tempus revertebantur, vide infrà 33. Planè simile artificium Alyattæ contra Milesios narrat Herodotus Cliô, Ἐπολέμησε Μιλησίοισι, παραδεξάμενος τὸν πόλεμον παρὰ τοῦ πατρός· ἐπελαύνων γὰρ, ἐπολιόρκεε τὴν Μίλητον τρόπῳ τοιῷδε· ὅκως μὲν εἴη ἐν τῇ γῇ καρπὸς ἁδρός, τηνικαῦτα ἐσέβαλλε τὴν στρατιήν· ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων καὶ αὐλοῦ γυναικηίου τε καὶ ἀνδρηίου· ὡς δὲ ἐς τὴν Μιλησίην ἀπίκοιτο, οἰκήματα μὲν τὰ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν οὔτε κατέβαλλε οὔτε ἐνεπίμπρη, οὔτε θύρας κατέσπα, ἔα δὲ κατὰ χώρην ἑστάναι· ὁ δὲ τά τε δένδρεα καὶ τὸν καρπὸν τὸν ἐν τῇ γῇ ὅκως διαφθείρειεν, ἀπαλλάσσετο ὀπίσω· τῆς γὰρ θαλάσσης οἱ Μιλήσιοι ἐπεκράτεον, ὥστε ἐπ᾽ ἕδρης μὴ εἶναι ἔργον τῇ στρατιῇ· τὰς δὲ οἰκίας οὐ κατέβαλλεν ὁ Λυδὸς τῶνδε εἵνεκα, ὅκως ἔχοιεν ἐνθεῦτεν ὁρμώμενοι τὴν γῆν σπείρειν τε καὶ ἐργάζεσθαι οἱ Μιλήσιοι· αὐτὸς δὲ, ἐκείνων ἐργαζομένων, ἔχοι τι καὶ σίνεσθαι ἐσβάλλων· ταῦτα ποιέων, ἐπολέμεε ἔτεα ἕνδεκα.

12. *Apparuit ei Angelus Domini*] In somnio hoc factum putat Maimonides.

14. *Respexitque ad eum Dominus*] יהוה. Sic vocatur Angelus, quia Dei vices ac potestatem gerebat; ut jam sæpe annotatum est.

15. *Ego minimus in Domo patris mei*] Deus, ubi vim suam vult apparere, hominibus utitur contemptis. Gedeoni comparare possis Cincinnatum, ab aratro Dictatorem, virtutis ostendendæ non imperii appetentem.

19. *Obtulit ei*] Ut ederet; infrà 13. 16. Ostendit Angelus se Angelum esse, non hominem, eò quòd cibo non egeret.

20. *Pone super petram illam*] Quæ tibi hoc tempore, Deo sic permittente, erit pro altari. Vide infrà 13. 16, 19.

21. *Ascendit ignis de petra*] Immissus cœlitus, ut infrà 13. 20. Vide quæ dicta ad Gen. 4. 4.

23. *Non morieris*] Vetustissimus hic hominum metus nè morte aut malo aliquo gravi afficerentur conspectu cœlitum aliquo, quòd indignos se tali spectaculo crederent. Vide infrà 13. 22. Callimachus,

——— κρόνιοι δ᾽ ὧδε λέγοντι νόμοι·
Ὅς κέ τιν᾽ ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

25. *Dixit Dominus ad eum*] In hoc sacrificio multa sunt contra Legem: sed mandatum Dei Gedeonem defendit, ut & Eliam 1 Reg. 18. 36.

30. *Produc filium tuum*] Dede eum nobis ut sontem. De postulata deditione vide quæ dicta l. 2. De J. B. ac P. c. 21. §. 4.

31. *Si Deus est*, *vindicet se de eo qui suffodit aram ejus*] Sic Tertullianus Apolog. *Omnes dii vestri ab omnibus*

bus colebantur cùm ipsum Capitolium Senones occupaverunt. Et bene, quòd si quid adhuc adversi urbibus accidit, eadem clades templorum quæ & mœnium fuerunt; ut jam hoc revincam non à deis evenire, quia & ipsis evenit. Multa ejus sensûs apud alios scriptores Christianos.

35. *Misitque nuncios in universum Manassem*] Jus populi convocandi summum imperium ostendit.

37. *Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel*] Non ut incredulus, sed ut nonnihil de isto sive ostento sive somnio dubitans, confirmari expetit, ferme ut in suis rudimentis Apostoli, Luc. 17. 5. Mar. 9. 24. considera & quæ hic sequuntur.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. UNde *speculatio illis patebat*] Secuti sumus in hoc loco interpretationem Jonathan, qui המורה exponit pro דמסתכיא. Kimhi verò putat illic fuisse צופה מרה הדרכים *speculatorem demonstrantem vias.* Translatio nostra habet *collis excelsi.*

3. *Manéque*] Sic quidam vertunt. Alii putant יצפור idem esse quod יסוב *per gyrum de monte descendebat.*

4. *Probatum quemque*] Hebr. *Examinabo eum tibi illic.* Voluit autem Dominus solùm justos viros habere in hoc prælio, & qui genua sua ante Baal non curvaverant: atque ex tot millibus solùm trecentos delegit. Ben Gerson verò dicit curvationem genuum indicium fuisse עצלים *ignavorum hominum.* In prima separatione jussi sunt abire illi qui formidoloso fuerunt corde, in secunda autem hi qui ignavi fuerunt.

5. *Sic quicunque incurvaverit genua sua*] Est hic קצר הכתיב *scriptura abbreviata* sive *eclipsis.* Nam intelligendum est quòd hi quoque seorsum constitui debebant.

11. *Armatorum*] De חמוש vide Exod. 13. Quidam interpretantur *quinquagenos.*

13. *Strepens volvebatur*] Capitur hic צליל pro שמע & רעש, i. pro *strepitu & impetu qui rem violenter projectam comitatur.* Nam sign. צלל *uno modo tinnire.* R.S. verò putat צליל esse à צלה, quòd scilicet panis ille assatus fuerit in prunis, quem Latini *subcinericeum* vocant panem. Significabat autem panis ille Israelem, qui debilis erat, & tamen impetu suo maxima & fortissima devicit hostium castra.

15. *Interpretationem ejus*] Hebr. *Fractionem ejus.* Nam frangitur sermo obscurus cùm id quod in eo latet aperitur.

18. *Domini est & Gideonis*] Sub. *pugna ista*, vel, ut paulò pòst subditur, *gladius*, cui nemo resistere poterit.

19. *In initio vigiliæ mediæ*] Sciendum quòd vigilia noctis dividebatur in tria intervalla; fuitque finis primæ initium mediæ. Gideon autem advenit in initio mediæ vigiliæ, cùm primi custodes sese jam sopori dedissent, sed qui ex strepitu irruentium Israelitarum primi excitati fuerunt.

24. *Capite aquas*] h. e. Præoccupate vada aquarum.

25. *In petra Oreb*] Ab interfectione principis Oreb denominata est petra illa *petra Oreb*; sicut & *torcular Zeeb* sic denominatum est ab interfectione Zeeb. Est autem anticipatio.

VATABLUS.

2. MAjor *est populus*, &c. רב העם וגו׳] i. Major est numerus populi qui tecum est quàm ut tradere velim, &c. ¶ *Glorietur*, יתפאר] *Jactet sese.* ¶ *Salutem fecit mihi*, הושיעה לי] *Servavit me*, i. viribus meis me servavi.

3. *Formidolosus & pavidus?* ירא וחרד] *Timidus & formidolosus?*

4. *Deduc eos*, הורד אותם] Ad verb. *Fac descendere eos.* Sic v. 5. ¶ *Et probabo eum*, ואצרפנו] i. Probatum seligam.

5. *Lambuerit*, &c. ילוק בלשונו וגו׳] *Bibet lambendo de aqua.* ¶ *Lambit*, ילוק] *Lambendo bibere solet.*

6. *Eorum qui è manu*, &c. המלקקים בידם וגו׳] Ad verb. *Lambentium in manu sua ad os suum*, i. qui lambentes in manu sua sumptam aquam bibebant de manu. V. 5. dixit, *qui lambuerit linguâ suâ de aqua.* ¶ *Totum autem reliquum populi*, וכל יתר העם] *Universus autem reliquus populus.*

7. *Lambuerunt*, המלקקים] *Lambendo biberunt*: Præs. Heb. pro præt.

8. *Tulerunt itaque escam populus*, ויקחו את צדה העם] *Et acceperunt viaticum* [i. cibos] *populi*: qui scilicet revertebatur domum, h. e. de cibariis populi quantum opus habebat pro necessitate sua. ¶ *Erant ei subter*, היה לו מתחת] Quidam volunt *ei* redundare, & exponunt, *erant subter*, i. in loco demissiore, nempe in valle. Alii eodem sensu vertunt, *subter eum*, vel, *sub illo*, fortasse coactiùs, i. in loco demissiore quàm esset exercitus Gedeon.

9. *Nocte ipsâ*, בלילה ההוא] i. Nocte insequente. ¶ *Descende*, רד] Ut scilicet oppugnes castra, & ea adoriaris.

10. *Puer*, נער] Vel, *famulus.*

11. *Et audies quid loquantur*, ושמעת מה ידברו] *Ut audias quid loquantur*, i. quonam sint animo. ¶ *Manus tuæ*, ידיך] i. Vires tuæ, q. d. Posteaquam intellexeris quæ dicant, confortabuntur vires tuæ, quæ nunc metu remissæ sunt. ¶ *Ad extremum armatorum*, אל קצה החמושים] Hebr. *ad partem armatorum qui erant in castris*, i. ad partem illam castrorum ubi erant armati milites. Si enim hi qui tam probè armati erant, & in quibus tota spes exercitûs erat reposita, tantum sibi timebant, quo animo essent reliqui facile erat colligere.

12. *Filii Cedem*, בני קדם] i. Populi Orientales.

13. *Proximo suo*, לרעהו] *Socio suo amico.* ¶ *Ecce namque torta panis*, והנה צליל לחם] *Ecce namque torta subcinericea panis*, i. visus sum mihi videre tortam panis subcinericei, quæ scilicet coquitur inter prunas, q. d. Vilis admodum. A צלה deducitur. Alii à צלל derivant, & vertunt, *ecce namque strepitus panis*, &c. qualis esse solet strepitus rei quæ cum impetu projicitur. ¶ *Usque ad tabernaculum*, עד האוהל] q. d. Ad tentorium elegantissimum omnium & fortissimum. ¶ *Desuper*, למעלה] i. Ab imo sursum, sive à summo ad imum, q. d. Subvertit funditus.

15. *Et interpretationem ejus*, ואת שברו] Ad verb. *& fractionem ejus.* Metaphora à nuce, i. enucleationem & expositionem. ¶ *Adoraverit*, וישתחו] Chaldæus Paraph. *& gratias egit.* ¶ *Surgite*, קומו] q. d. Rumpite moras, citò capite arma.

16. *Et lampades*, ולפידים] *Et tædas, & titiones.*

17. *Ex me videbitis*, ממני תראו] i. Ut me videbitis facere, ità facite. ¶ *Ingressurus sum*, בא] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Et tunc*, והיה] Ad verb. *& erit.*

18. *Jehovæ*, ליהוה] Sub. *erit victoria. Vincet Dominus & Gedeon.*

19. In *capite*, ראש] i. In principio. ¶ *Sed excitando*, &c. אך הקם הקימו את השומרים] *Verùm excitando*, &c. i. Illi quorum erat excitare custodes, jam excitaverant illos, q. d. Excitatis jam vigiliis qui secundæ vigiliæ præerant.

20. *Gladius Jehovæ*, &c. חרב ליהוה ולגדעון] Sub. *vincet inimicos*, q. d. Hodie vincet inimicos suos, reportabitque victoriam Jehova & Gedeon.

21. *Et confracta sunt universa castra*, וירץ כל המחנה]

Noster interpres à Rad. רצץ ità transtulit. Alii à radice רוץ quod *currere* sign. deducunt, ac vertunt, *& cucurrit universum exercitus*, i. cœpit trepidare ac discursare huc illuc.

22. *Trecenti illi tubis*, ויתקעו שלש מאות השופרות] *Trecenta illa tuba*. ¶ *Posuit Jehovah*, &c. וישם יהוה את חרב] i. Et convertit Jehova, &c. h.e. effecit ut per universum exercitum mutuâ se cæde perimerent.

24. *Misit*, שלח] *Miserat*. ¶ *In omnem montem*, בכל הר] *Per omnia montana*. ¶ *Aquas*, המים] *Vada*, nè scilicet transiri possint.

25. *In torculari*, ביקב] Chaldæus paraph. *in planitie*. Hæc per occupationem dicuntur. ¶ *Trans Jarden*, מעבר לירדן] *Ultra Jordanem*, ad plagam Orientalem.

CLARIUS.

4. PRobatum quemque] Voluit Dominus solùm justos viros habere in hoc prælio, & qui genua sua ante Baal non curvaverant; atque ex tot millibus solùm trecentos delegit. Sunt tamen qui dicant curvationem genuum indicium fuisse ignavorum hominum. In prima separatione jussi sunt abire illi qui formidoloso fuerant corde, in secunda autem ii qui ignavi fuerant.

13. *Subcinericeus panis*] Significabat panis ille Israelem, qui debilis erat, & tamen impetu suo maxima & fortissima devicit hostium castra.

18. *Domino & Gedeoni*] *Pugna ista est Domini & Gedeonis*, vel, ut paulò pòst subditur, *Gladius*, cui nemo resistere poterit.

DRUSIUS.

1. AD *fontem Harod*] Qui in Jezreel, quem innui quidem putant 1 Sam. 29. 1. Scribitur & *Charod*. Sed in Vulg. nostra *Harad*, & in Lxx Ἀρὼδ, quod aspirandum ut sit Ἁρὼδ, quod verbum in lingua Sancta sign. *trepidare*. Vide sis Tremellium ad h. l. Sunt qui malunt *ad Enharod*, sicut dicimus *Engaddi*, *Enrogel*, &c. עין propriè *oculus*, quòd hîc *fontem* interpretantur, ex absoluto עין. ¶ *A Gabaath Hammore*] Lxx ἀπὸ Γαβααθαμωρὲ. Sed in fonte *Hammore*, non *Hamorai*. *Gabaath* autem *collem* sonat, unde in aliis editionibus *à colle More*, sive *Hammorea*. Videtur collis fuisse ità dictus. R. Jesaias existimat sermonem brevem esse pro *à colle*. *Moreh* autem sign. *doctorem*, vel *jaculatorem*. Sunt qui nomen accepisse putant à *jaculatoribus* qui Saulem fugientem assecuti sunt 1 Sam. 31. 3. Nam unus erat, inquiunt, ex montibus Gelboe. Alii מורה significare putant *indicem qui ex specula indicat prætereuntes*. Verbum est ירה, unde הורה, & participium מורה, quod multa sign. primùm *doctorem* sive *docentem*, deinde *pluviam vernam*, quæ & יורה, postremò est nomen proprium viri, unde *Elon More*. An *jaculatorem* sive *sagittarium* denotet dubito. Nam ירה *jaculor*, non הורה, quod potiùs *docere* sign. unde, *Dabo vobis* מורה *doctorem ad justitiam*, ubi alii *imbrem primorem*, qui in vere decidit. Dicunt etiam *Mor* pro *doctore*. Jon. *à colle speculantium in valle*. *Fortasse*, inquit R. D. *ibi erat speculator indicans vias*. R. S. מורה *sensum habet* הוראה *Docendi*, quod demonstrationem accipit ex illo, *Docens digitis suis*, ubi מורה in fonte. Nam inde speculabantur & innuebant in valle. Cæterùm in ed. Compl. est βουνοῦ τοῦ Ἀβώρ, quod mendum esse putarim pro Ἀμώρ, nam character illarum antiquus propter similitudinem erroris causam librariis quandoque præbuit. Sic è contrario Σενναχηείμ pro Σενναχηρίβ sic *Abana* & *Amana*.

2. *Manus mea servavit me*] Jon. *Manus nostra liberavit nos*. Hieron. *Meis viribus liberatus sum*, ad sensum non malè. Nam *manus*, i. potentia, vires.

3. *Manè discedat*] Vel *abeat*. R. Jesaias exponit יצרף per Metathesin. Vide. יצפר verbum factum à nomine צפר & צפרא, quod *auroram* denotat, idem valens cum שחר *aurorâ surgere* vel *abire*, aut *aliquid facere*. Dicitur & השכים. In verbo צפר significatio *circundandi*, unde צפירה *cidaris*, quòd caput eâ circumdent & cingant. Videndus R. D. ad h. l. Trem. *evolato versùs montem*, quod mihi durum videtur: nam in fonte *à monte*. Sed מהר pro מהרה non caret exemplo. צפור autem *avis*, unde צפר *volo ut avis*, *avolo*. Quæramus adhuc. Lxx ἐκχωρείτω ἀπὸ ὄρους Γαλαάδ, *recedat* aut *secedat*. Vide Rom. ed.

4. *Probabo eum*] *Excoquam*, *defæcabo*, Tralatio à metallis, quæ igne probantur & excoquuntur, quod purum est à scoriis separando. Sic probi ab improbis secernebantur: nam incurvabant genua quoniam soliti erant hoc facere coram Baal. Vide scholia Ebraïca. Suprà מהר versum à nuperis interpretibus *versùs montem Galaad*, qui erant trans Jordanem. Sed Nicolaus nos admonet de alio monte ejus nominis cis Jordanem, ubi tunc Gedeon erat cum exercitu suo. Hæc indigent majore indagatione. Hoc scio, מקדם in Josua usurpari pro קדמה *Orientem versùs*: sic מנגב *Austrum versùs*, *ad Austrum*.

8. *Viaticum populi*] Sic ferè Judæi, qui צדה hîc positum putant pro צדת, h. e. statum absolutum pro constructo, ut alibi איפה שעורים *Epha hordeorum* pro איפת. Hoc vult, Trecenti illi sumpserunt viaticum & buccinas reliqui populi, sic ut singuli haberent buccinam ad terrorem injiciendum hostibus. Sunt qui legunt, *acceperunt populus ille viaticum*, vel *escam*, *& buccinas suas*. *Acceperunt populus*, ut,

Turba ruunt in me luxuriosa proci.

Nam est nomen collectivum. ¶ *Omnem virum Israel*] *Omnes Israelitas*. Sic, *vir Abiezer*, i. *Abiezrita*, suprà 6. 34. in Jonatha, ubi in fonte *Abiezer* tantùm. Ergò *Israel* & *vir Israel* synonyma sunt. Nam satìs erat *omnem Israelem*. Dimisit omnes viros Israelitas qui genua incurvaverant ab bibendum: quod ignaviæ signum esse putat R. Levi. Aliter alii opinantur: nam existimant eosdem incurvasse genua coram Baal. Sic R. S. & R. D. Lxx τὸ πάντα ἄνδρα Ἰσραήλ. ¶ *Singulos in tentoria sua*] Ad verb. *virum*, quod valet *quemlibet*, *unumquemque*, aut *singulos*. Prætuli autem *singulos*, quia sequitur *in tentoria sua*. Quanquam in ed. Græca ἄνδρα εἰς σκηνὴν αὐτοῦ *virum in tentorium suum*. Jon. *virum in urbes suas*. Malim, *in domos suas*. *Tentorium* enim non urbem sed potiùs domum significare notius est quàm ut probari debeat.

10. *Si times tu descendere*] Cum trecentis illis viris, priùs descende cum puero tuo, &c. Vulg. interpres hîc sub. *solus*; ut ibi, *& ei servies*, quod exponunt *ei soli*: nam vertit, *Si autem solus ire formidas*. ¶ *Et Phura puer tuus*] נערך. Lxx, τὸ παιδάριόν σου. Jon. עולימך. Innuit autem *servum*, aut *famulum*, ejus. Nam id *puer* etiam sign. unde *pueri Davidis* sunt *servi Davidis*: sed tum est παῖδες in Græco. Pro *Phura* veteres habent Φαρὰ *Phara*, Kamets pro Kibbuts legentes, cùm vocales abessent. Cæterùm παιδάριον pro *famulo* usurpant interpretes & Ruth 2. 6. & de Josepho 17 annum agente Gen. 42. 22. ubi in fonte ילד, & de Benjamin nato annos 23 aut 24. Gen. 43. 8. ubi נער in Ebræo.

11. *Ad extremum armatorum*] Vel *expeditorum*, quos חמושים vocant à *quinta costa*, quæ חמש dicitur. Hieron. *in partem castrorum ubi erant armatorum vigiliæ*. Lxx εἰς ἀρχὴν τῶν πεντήκοντα *ad principium ipsorum quinquaginta*. Alii cod. εἰς μέρος. Vide Rom. ed. Augustinus observat *principia* ἀρχὰς poni pro *partibus*. Jon. *ad latus expeditorum qui erant in castris*. Trem. *ad extremitatem militarium ordinum*.

12. *Cadentes*] Sub. *erant*. Longè latéque diffusi jacebant, vel castra habebant. Hieron. *jacebant*. Lxx, ῥεβλημένοι *projecti erant*. Jon. רמן, quod idem sign. Hinc lucem dant Gen. 25. 18. *coram omnibus fratribus suis cecidit*, quod interpretantur, Longè latéque habitavit. Sic Onc. Jon. & Lxx. Sed Hieron. *mortuus est*, *obiit*. Nam *cadere* est mori, unde *cadaver*. Sic *decidere*. Vide Taubm. 1130. 1. Prostrati aut projecti jacebant in valle longè lateq; diffusi. ¶ *Sicut locustæ præ multitudine*] *Locusta* Ebræis ארבה dicitur à *multitudine*. Nam רבה *multum esse* sign. Hinc

Hinc proverbiale multitudinis, כארבה *sicut locusta*, ὡς ἀκρίς. לרב additum explicationis gratia. Dicunt etiam, *Multus ut locusta.* Johan. Leo l. 9. *Locustarum tanta conspicitur in Africa frequentia ut volantes instar nebulæ Solis radios operiant.* Mathiolus in Dioscoriden de his, *Italiam ex Africa maximè coorta infestant tantâ sanè multitudine ut Solem obumbrent*, &c. Hujus rei testimonio fuerunt inaudita locustarum agmina quæ anno Domini 1542. ex paludibus Mæotidibus profectæ non solùm universam Pannoniam maximámque Germaniæ partem sed totam etiam Italiam occuparunt, non sine magna omnium è terra nascentium pernicie. Siquidem omnem virentem herbam radicitus devorarunt. Vide Adagia sacra. ¶ *Sicut arena quæ est super littus maris*] i. Juxta aut prope littus, ut, *super maria fundavit eam.* Sic in Livio, *super Numicum amnem.* Hieron. *sicut arena quæ jacet in littore maris.* Lxx ὡς ἡ ἄμμος ἡ ἐπὶ χεῖλος τῆς θαλάσσης. Porrò littus maris Hebraismus dicit *labium maris*, & Jon. כיף ימא. Vide Adagia mea sacra. Erant autem 135 millia, ut liquet ex c. 8. 10.

13. *Tortum panis hordeacei*] Scriptum צלול, & lectum צליל, παθ. τό צלה, quod *assare* sign. ad instar הגיג *meditatio*, quod ab הגה deducitur. *Tortam* non nemo vocat. Lxx Μαγὶς ἄρτου κριθίνου, quod reddunt *mensam*, alii *offam tortam*. Vide Rom. ed. Hebræi עוגה exponunt, i. *placentam*. Erat autem צלויה בגחלים, unde nomen accepit. Doctores חררה appellant, quomodo & Jonathan interpretatur, חרר דלחים. Lex. Munsteri, חררא *subcinericeus panis, placenta, & vocatur sic propter foramina quæ in eo.* Nam חור *foramen*. חררה R. S. Exod. 12. חררן *placentæ*. Num. 11. 8. in Jon. Hos. 7. 8. עוגה Thargum חררא. Vide Ohel in עוגה. Sunt qui malunt *tinnitus panis hordeacei*: nam צלל *tinnio*. Videndus R. D. & הכרה.

14. *Viri Israel*] i. *Israelita*. Nomen איש in hoc sermone eleganter παρέλκει. Nam & *Israel* eo sensu invenitur, etiam cùm in plurali *Israelitas* notat.

15. *Narrationem somnii*] מספר usitatè *numerum* sign. hîc *narrationem* interpretantur. Nam ספר *narro, indico.* Sic ויספר להם את חלמו *narravit eis somnium suum.* Idem verbum sign. *numerare*, unde מספר *numerus*, & יספר *numerabitur* aut *narrabitur*. ¶ *Solutionem ejus*] *Interpretationem, explicationem, enucleationem ejus.* Ad verb. *fractionem, explicationem ejus.* *Frangit* somnium qui explicat. Tralatio à nucibus. Nam somnium est velut res occulta & abstrusa, quam interpres frangit explicando eam. Hieron. *& interpretationem ejus.* Lxx τὴν ἐξήγησιν τοῦ ἐνυπνίου καὶ τὴν σύγκρισιν αὐτοῦ *enarrationem somnii & interpretationem ejus.* Jon. ית פשריה. Ebræi per פתרון enarrant.

16. *In tria capita*] *In tres partes.* Græci ἀρχὰς vocant, unde hîc Lxx εἰς τρεῖς ἀρχὰς *in tria principia*, i. εἰς τρία μέρη. Vide Rom. ed. ad v. 11. Sic de fluvio paradisi legimus, *Et fuit in quatuor capita*, i. חלקים, ut quidem R. D. enarrat. Hieronymus certè hîc habet *in tres partes.* Jon. *in tria castra*, vel *tres turmas*. Trem. *in tria agmina.* Sic infrà v. 10. & c. 9. 34. ¶ *Lampades*] *Tedas, faces.* Id perperàm Arias emendat *titiones*. Nam *titio* אוד dicitur, non לפיד, unde *lampas*. Lxx λαμπάδας. Jon. בעוקיא *lampadas*.

17. *A me videte*] i. Post me. Sic, *à meridie, à cœna, à prandio, à biduo*, quod Ebræi dicunt מיומים *post biduum.* Quidam *versus me*, i. אלי. Sic מן aliquando sumitur, ut cùm dicunt מקדם pro קדמה. Lxx ἀπ' ἐμοῦ ὄψεσθε.

18. *Domini & Gedeonis*] Sub. *gladium*, ut mox v. 20. ubi noster, *Gladius Domini & Gedeonis*, sed hîc habet, *Domino & Gedeoni.* Lxx Τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ Γεδεών. Antiqui libri, Ῥομφαία τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ Γεδεών. Jon. *Gladius occisionis à coram Domino, & victoria per manum Gedeonis.* Videndus R. D.

19. *In caput vigiliæ mediæ*] i. Initio, vel principio. Et *vigilia media* quæ media inter duas, tres enim erant, & singulæ quatuor horas continebant. Vide sis Observ. meas. Posterior ætas quatuor instituit, unde *quartæ vigiliæ* mentio in N. F. R. D. ad h. l. *Custodiebant castra noctes, & dividebant custodias noctis in tres partes*, &c. Vide sequentia.

22. Scribitur hîc צררה per geminum Res; quod observavit R. D. Nam צרדה per Daleth patria Jeroboami, in tribu Ephraim, unde oriundus fuit Jose F. Joezer in libro Aboth, qui propterea ibi vocatur איש צרדה *vir Sereda*, i. Seredaita, 1 Reg. 11. 26. Et 2 Par. 4. 17. צרדתה legitur duplicato signo feminino. Hanc Marcus Marinus Brixianus cum *Sarthan* confundit, i. צרתן, cujus mentio 1 Reg. 7. 46. & 4. 12. Sed Tremellius *Sarthan* esse putat quæ hîc *Serera* vocatur. Ego ἐπέχω. ¶ *Usque ad oram Abelmehola*] Sunt qui putant Abelmehola sitam fuisse in ripa Jordanis, unde interpretantur *usque ad ripam Abelmehola*, h. e. eam partem ripæ Jordanis ubi Abelmechola. Hieronymus *crepidinem* interpretatur. Jon. *usque ad oram planitiei Abelmehola.* Eusebius De locis, *Abelmaula, urbs unius de Principibus Salomonis, unde fuit & Elisæus propheta* 1 Reg. 19. *Est autem nunc vicus in Aulone, de quo suprà diximus, in decimo à Scythopoli milliario, contra Australem plagam, nomine Beth-ahula. Sed & Abelmea villula nunc nuncupatur inter Neapolin & Scythopolin.* Qui ad ripam Jordanis eam collocant, videntur confundere cum Abel civitate, quæ *Abela* dicitur & Ἀβίλη, unde quidam Ἀβίλη πόλις ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου ποταμοῦ· ἔστι δὲ καὶ ἄλλη πόλις Φοινίκης Ἀβιλά, unde Ἀβιληνὸς & Ἀβιληνή.

24. *Capite*] לכדו *intercipite, præoccupate aquam*. Tremellius exponit de aqua Jordanis, quod additum existimat per appositionem, *aquam nempe Jordanis*. Alii diversam faciunt hanc aquam à Jordane, in queis R. D. ità scribens, *Non erant ista aquæ aquæ Jordanis, sed aliæ, quæ in via eorum usque Bethbara. Nam ecce dicit postea,* ET JORDANEM. Sed & R. S. *Intelligit aquas quæ dirimebant Syriam à terra Chanaan.* Etiam Jordanis id faciebat. ¶ *Beth-bara*] Josephus Scaliger putat eam esse quæ *Bethabara* vocatur Joh. 1. 28. i. בית הברה nam articulus promiscuè vel addi solet vel omitti. Videtur in eadem sententia fuisse Tremellius. Quid dico, videtur? planè fuit in eadem sententia. Vide annot. ejus ad h. l.

25. *In petra Oreb*] Malè aspirant, *Horeb*. Nam est Ain in scriptura Ebraica, quæ ideo vocalis appellatur à Hieronymo quòd per nudam vocalem exprimatur. Sed est litera gutturis; quid tum postea? an ideo aspiranda? Nam etiam Aleph gutturalis est, cui respondet spiritus lenis apud Græcos. Sic dico, Perperàm aspirant, *Horeb.* Nam petra Horeb in deserto erat, è qua Moses aquam eduxit Exod. 17. quod scribunt חורב per *H*, Heth. Videndus Lira. ¶ *In torculari Zeeb*] Quod contrahunt ut sit *Zeb.* Id *lupum* sign. יקב autem potiùs est *lacus torcularis*. Nam *torcular* propriè גת *Gath* sive *Geth*. Jon. *in planitie*, vel *campo, Zeeb*, sive *Zeb*, i. Ζήβ. Editio τῶν Lxx Ἰακεβζήβ, quod corruptum in libris Ἰακφζήφ, β in φ versâ. יקב *Jaceb*, ut הבל *Habel*. Videndus R. D. ad h. l. *Fortasse*, inquit, *instar torcularis labia excelsa ei erant.*

IDEM.

25. צור עורב. *A. Petra Oreb.*

GROTIUS.

QUI *formidolosus & timidus est, revertatur*] Vide Deut. 20. 8.

5. *Sicut solent canes lambere*] Proverbium est Ægyptium. *Canis bibit & fugit*: meminit Macrobius Saturn. 2. 2. Poterat ad festinationis magis quàm ad formidinis sensum trahi quod hîc dicitur. Sed Josephus planè id quod dixi proverbium in animo hîc habuit: ait enim, Ὅσοι δ' ἂν ἐσπευσμένως καὶ μετὰ θορύβου πίνοντας τύχοιεν, τούτους νομίζειν ὑπὸ δειλίας τοῦτο πάσχειν καὶ καταπεπληγότας τοὺς πολεμίους. Et ait id præceptum à Deo datum ut crederent non suæ virtuti sed Dei ex solido victoriam deberi. Ità non numerum tantùm ad tertiam primùm partem, deinde hanc

tertiam ad minus parte tricesimâ, redigere voluerit Deus, sed simul eos sibi assumere de quorum virtute minima spes erat. Et hi trecenti, non quasi cohors Leonidæ, sed homines ingenio trepidi, 135 hominum millia disjecerunt.

8. *Et tubis*] Nempe tubis etiam eorum qui abierant, ità ut singuli tubam haberent, infrà 18. Similes artes, majores quàm erant copias visu ac strepitu simulantium, passim in historiis habes.

Bellandum est astu; levior laus in duce, dextra.

ait Silius Italicus.

11. *In partem Castrorum*] Heb. *ad extremum quintatorum.* Vide dicta ad Exod. 13. 18.

13. *Vidi somnium*] Pavorem Deus hostibus suis etiam per somnia immittit. Vide Cassii Parmensis somnium apud Valerium Maximum l. 1. c. 7. Significat autem hoc somnium Israelitas, sub vi Madianitarum malè ac velut hordeo pastos, erupturos flammæ modo in subitam perniciem Madianitarum.

18. *Domino & Gedeoni*] Supple, *feliciter:* ἀπαλλαγμός. Vide Jos. 6. 5.

20. *Tenuerant sinistris manibus lampadas*] Falisci & Tarquinienses compluribus suorum faces & angues furiali habitu præferentibus aciem Romanorum turbaverunt. Idem Veientes & Fidenates facibus arreptis fecerunt. Notat Frontinus l. 2. c. 4.

22. *Et mutuâ se cæde truncabant*] Proditionem inter se suspicantes.

24. *Occupate aquas*] Flumina hostibus eripere magni usûs. Vide Frontinum l. 3. c. 7.

25. *Interfecit Oreb*] Nulla erant belli commercia quæ captivos vetarent interfici. Vide l. 3. De J. B. ac P. c. 4. §. 10. vide & infrà 8. 18.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

2. NOnne melior est racemus] Sensus hujus figuratæ locutionis hic est, Minores qui sunt inter vos præstantiores sunt majoribus nostris. Vel hic est sensus, Vos cepistis Principes Midian, qui comparantur Racemis; ego autem & exercitus meus percussimus castra Midian, quæ Vindemiæ comparantur; & nunc racemi vestri meliores sunt vindemiâ nostrâ. Nos quidem parum egissemus nisi vos Principes illos cepissetis, quippe qui facilè exercitum suum redintegrare potuissent. Jonathan Chald. sic vertit, *Nonne meliores sunt debiles qui inter vos sunt quàm fortes qui apud nos inveniuntur?* Et hâc humili responsione fregit contumaciam illorum.

7. *Triturabo carnem vestram*] h. e. cædam corpus vestrum variis spinis quæ in deserto inveniuntur. Jonathan putat quòd nuda illorum corpora projecerit in spinas, & calcaverit ea pedibus suis.

13. *Antequam sol occubuit*] Quidam hunc locum sic interpretantur, *dum adhuc sol in alto constitueretur firmamento.* Alii verò contrario modo exponunt, nempe quòd *Gideon, manè ascendente Sole à prælio reverteretur.* Alii sic exponunt, *Reversus est Gideon è prælio à loco acclivi ad Orientalem plagam.*

14. *Annotavitque*] Heb. *& scripsit sibi principes;* h. e. nomina Principum annotavit, nè innoxios cum reis puniret.

16. *Fecit illos sentire*] Sunt inter Hebræos qui putant ירע hîc accipi pro שבר *contrivit.* Davidi verò Kimhi magis placet ut pro suo naturali accipiatur significato, ut sit sensus, *Fecit Gideon impios illos cognoscere iniquitatem suam punctionibus spinarum.* Alii sic interpretantur, *docuit illos spinis:* quod schema & Germani habent in lingua sua, qui *docere* abutuntur pro *castigare.*

20. *Non extraxit gladium*] Chald. interpres hîc addit ארי דחיל *quoniam timuit*, scilicet irruere in Reges. Quod videntes Reges tremiscebant & ipsi.

21. *Ornamenta*] Hebraica vox שהרנים exponitur à RR. pro חלי כרמות ירח *ornamento Lunæ habente similitudinem.* Sunt qui *areas bullatas* interpretantur.

24. *Cum essent Ismaelitæ*] Quidam pro *Ismaelitis* exponunt *Midianitas*, sicut & in Genesi dicitur quòd *Joseph venditus fuerit Ismaelitis;* & deinde, *Midianitæ vendiderint eum in Ægyptum.* Alii dicunt Ismaelitas illos fuisse Arabes, qui concitati in Midianitas, occiderunt eos, tuleruntque ab iis inaures aureas.

26. *Olfactoriola*] Hebr. *guttatoria*, h. e. vascula & ornamenta aurea in quibus recondebantur guttæ pretiosæ & odoriferæ. Alii sic exponunt, *præter bullas & collaria.* Fecit autem Gideon *Ephod* sive *tinctorium* illud bono zelo, ut scilicet conservaretur in civitate sua pro memoriali concessæ à Domino salutis. Verùm homines mali eo abusi sunt, fornicantes & idololatriam exercentes cum eo post mortem Gideon.

33. *Baal fœdere*] Sic Chaldaicus interpretatus est hunc locum, qui habet בעל קיים. At R. S. dicit quòd hoc idolum appellatum fuerit *Baal berith*, ut textus habet; & sequenti capite explicatius id ostenditur.

VATABLUS.

1. CUR *hoc fecisti nobis*, [מה הדבר הזה עשית לנו *Quod est verbum hoc quod fecisti nobis?* q. d. Quare tantopere nos contempsisti, ut, &c. Hæc etiam dicta videntur per anticipationem. ¶ *Fortiter*, [בחזקה Ad verb. *in fortitudine*, i. vehementer, vel acriter.

2. *Sicut vos*, [ככם] i. tale quale vos fecistis? ¶ *Nonne melior*, &c. [הלא טוב וגו'] i. majorem gloriam reportabitis ex hoc certamine vos qui advenistis confecto bello quàm ego qui illud incepi. Chaldæus paraph. *infirmissimi tribûs Ephraim præstantiores sunt robustissimis familiæ Abiezer. Racemationem* vocat interfectionem Oreb & Zeb post perfectum prælium, *vindemiam* verò prælium ipsum. ¶ *Abiezer*, [אביעזר] i. cognationes Abiezer, h. e. Abiezeræorum, nempe Gedeonis.

3. *Sicut vos*, [ככם] q. d. Sed quidnam ego possem facere simile facto vestro? ¶ *Lenivit se spiritus eorum ab illo*, [רפתה רוחם מעליו] *Remissa est* [vel *remitti cœpit*, aut *quiescere*] *ira eorum in illum*, i. cœperunt esse animo æquiore erga illum hoc dicto.

4. *Erat autem transiturus*, [עובר הוא] Sub. *Jordanem.* Ad verb. *transiens ipse.* ¶ *Lassi, & persequentes*, עיפים [ורודפים] i. ut fessi erant, adhuc persequebantur Madianitas.

5. *Tortas*, [ככרות] *Buccellas panis*, *panes.* ¶ *Qui est in pedibus meis*, [אשר ברגלי] Hebraismus, Quem mecum duco. ¶ *Lassi sunt*, [עיפים] *Fatigati sunt*, *fessi sunt*, i. præ nimia fatigatione penè deliquium animi patiuntur.

6. *Dixitque*, &c. [ויאמר שרי] Ad verb. *Et dixit principes*, i. cui respondit unus ex principibus. Quidam dicunt sing. verbum poni pro plurali. ¶ *Nunquid palma*, &c. [הכף וגו'] Hebraismus, acsi dicat, Videris loqui quasi jam victor evaseris: nondum vicisti illos Reges, ut audeas petere à nobis dari exercitui tuo panes.

7. *Tunc triturabo*, [ודשתי] *Tum conteram*, percutiam corpus vestrum nudum spinis. ¶ *Spinis deserti*, [את קוצי המדבר] i. spinis quæ crescunt in deserto. Chaldæus paraph. *super spinas deserti.*

8. *Simile*, [כזאת] Ad verb. *sicut hoc*, i. talia qualia dixerat civibus Suchoth.

9. *In pace*, [בשלום] Hebraismus, incolumis & victor superatis hostibus meis.

10. *In Carcor*, [בקרקור] Erat urbs ultra Jordanem ad Orientem. ¶ *Omnes qui reliqui fuerant*, [כל הנותרים] Nempe *quotquot remanserant ex universo exercitu Orientalium.* ¶ *Educentium gladium*, [שלף חרב] i. pugnatorum.

11. *Per viam habitantium*, &c. [דרך השכוני באהלים מקדם] i. viâ quæ ducebat ad eos qui, &c. h. e. viâ deserti, in quo Arabes tendebant tentoria sua. q. d. Non viâ

via recta ascendit. ¶ *Percussit castra*, ויך את המחנה] *Percussit exercitum*, i. irruit in exercitum. ¶ *Castra autem erant* cum *fiducia*: והמחנה היה בטח] *Exercitus autem agebat secure*, *erat securus*, i. nihil tale suspicabantur.

12. *Et universa castra perterruit*: וכל המחנה החריד] *Et universum exercitum terruit*, vel *disturbavit*.

13. *Ante ascensum solis*: מלמעלה החרס] i. Antequam sol ascenderet super horizontem. Chaldæus paraph. *antequam exortus esset sol*. Hoc bellum unâ nocte fuit inceptum & confectum, quod ad laudem Dei refertur.

14. *Et interrogavit eum*: וישאלהו] Nonnulla subaudienda ad perficiendam sententiam, hoc modo, *interrogavit eum quinam essent principes & senatores urbis*, *qui recensuit & scripsit*.

16. *Et confregit cum eis*, ויודע בהם] *Et contrivit cum eis*, i. percussit ad necem usque. Alii, *& erudivit per illos*, vel potius, *notum fecit per illos civibus Succhoth*, sub. *peccatum suum*, i. e. ita cæsi noverunt peccatum suum.

18. *Quales erant*, איפה] Ad verb. *Qualiter*, i. quali vultu, vel quo oris habitu ac formâ erant. Chald. paraph. *Qualiter se habebant*, vel *Quales erant*. Alii, *Ubinam sunt quos*, &c. ¶ *Qualis tu*, *tales & ipsi*: כמוך כמוהם] Ad verb. *Sicut tu*, *sicut illi*, i. erant simillimi tui. ¶ *Unus secundum formam*, &c. אחד כתואר בני] *Unus* ex illis erat *formâ similis filiis Regis*. Alii distinguunt post אחד, & vertunt, *una* [vel *eadem*] species erat illis, erant autem *juxta formam filiorum Regis*: i. erant formosissimi.

19. *Filii matris meæ*, בני אמי] i. Uterini, ex parte matris meæ.

21. *Sicut vir*, *est fortitudo ejus*, כאיש גבורתו] i. Robur respondet ætati & staturæ: juxta ætatem respondet robur hominis, vel juxta naturam: ille est parvus, non habet id roboris ut possit nos interficere. ¶ *Lunulas*, את השהרונים] *Monilia*, *torques*; qui scilicet præ se ferebant figuram Lunæ.

22. *Dominare*, &c. משל בנו] i. Esto Dominus ac princeps noster. q.d. Dignus es qui cum posteris domineris in nos.

24. *Ut detis*, ותנו לי] Ad verb. *& date mihi*. Quidam aliquid subaudiunt, *quod si concedatis*, *date ergò*. Alii volunt ו redundare. ¶ *Spoliorum suorum*, שללו] De *præda vestra*. ¶ *Quia Ismaelitæ erant*: כי ישמעאלים הם] *Cum Ismaelitæ essent*, i. Madianitæ. Chaldæus paraph. *Arabes*.

25. *Spoliorum suorum*: שללו] De *præda sua*.

26. *Et septingentorum aureorum*, ושבע מאות זהב] Sub. *siclorum*. *Siclus*, aut aliud ponderis nomen frequenter omittitur ab Hebræis, quod & Latinis familiare est. Quidam vertunt, *septingenti aurei sicli*. ¶ *Quæ erant super Reges*, שעל מלכי] i. Quibus ornabantur Reges.

27. *Et fecit ex eo*, ויעש אותו] Ad verb. *Et fecit illud*, i. convertit illud in ephod, in memoriam tantæ victoriæ. ¶ *Post eum*, אחריו] *Post ipsum*, sub. *Gedeonem*, i. mortuo Gedeone. Vel, *in illo*, sub. *ephod*, i. fuit causa idololatriæ Israelitis.

28. *Neque postea levaverunt caput suum*, ולא יספו לשאת ראשם] Ad verb. *& non addiderunt ut levarent caput suum*, i. non erexerunt ultrà cervicem. ¶ *Quievitque terra*, ותשקט הארץ] i. Fuit summa pax, &c.

32. *In senectute bona*, בשיבה טובה] i. Jam senio confectus. ¶ *Abiezerai*, אבי העזרי] i. De cognatione Abiezer; refertur enim ad Joas.

33. *Bealim*, הבעלים] *Idola*. q. d. Mutatâ priore religione, cœperunt esse idololatræ.

35. *Nec fecerunt misericordiam*, &c. ולא עשו חסד] Hebraismus, Neque rependerunt gratiam ac beneficium acceptum familiæ Gedeonis.

CASTALIO.

2. *Quasi verò non sit Ephraimitarum racemati*o *quàm Abiezeriorum vindemia præstantior*] Major est vestra, qui belli reliquias confecistis, gloria, quàm nostra, qui belli principes fuimus.

16. *Senatores eos contrivit*] Heb. וידע, nullo sensu, aut certè coacto. Paulò antè positum erat ודשתי, *& comminuam*: Itaque cum hîc repetantur cætera eadem verba, puto legendum esse וידש.

CLARIUS.

2. *Nonne melior est*] Sensus hujus figuratæ locutionis hic est, Minores qui sunt inter vos præstantiores sunt majoribus nostris. Vel, Vos cepistis Principes Madian, qui comparantur Racemis; ego autem & exercitus meus percussimus castra Madian, quæ Vindemiæ comparantur; & nunc racemi vestri meliores sunt vindemiâ nostrâ. Nos quidem parùm egissemus nisi vos Principes illos cepissetis, quippe qui facilè exercitum suum redintegrare potuissent.

24. *Ismaelitæ*] Quidam pro *Ismaelitis* exponunt *Madianitas*, sicut & in Genesi dicitur, quòd *Joseph venditus fuerit Ismaelitis*: deinde, *Madianitæ vendiderint eum in Ægyptum*. Alii dicunt Ismaelitas illos fuisse Arabes, qui concitati in Madianitas, occiderunt eos, tulerûntque ab eis inaures aureas.

27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod*] Fecit quidem Ephod sive succinctorium illud bono zelo, ut scilicet conservaretur in civitate sua pro monumento concessæ à Domino salutis: Verùm homines mali eo abusi sunt, fornicantes & idololatriam exercentes cum eo post mortem Gedeon.

DRUSIUS.

1. *Vir Ephraim*] Ἀνὴρ Ἐφραΐμ, i. *viri Ephraitæ*. Sic *vir Israel*, *vir Abiezer*. Suprà 7. 24. *omnis vir Ephraim*: & 23. *congregatus fuit vir Israel ex Naphthali*, &c. ¶ *Contendunt cum eo fortiter*] Hier. *jurgantes fortiter*, *& propè vim inferentes*. Lxx, διελέξαντο πρὸς αὐτὸν ἰσχυρῶς. Alii, ἐκρίνοντο μετ' αὐτοῦ κραταιῶς, i. *contendebant*. Nam κρίνομαι *litigo*, *judicio contendo*, unde κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν, *Litigate cum matre vestra*. Jon. הוו דיינין עימיה *contendebant*, &c. Quod noto quia in Lexicis דן *judicavit*, etiam *contendere* significat.

2. *Melior est racemus Ephraim vindemiâ Abiezer*] In fonte *racemi*, qui Græcè ἐπιφυλλίδες, & Ebr. עוללות. Sunt autem racemi qui manent post vindemiam. Cæsum exercitum comparat *vindemiæ*, Oreb & Zeb *racemis*, quos Ephraitæ ceperunt. Jon. *Nonne meliores sunt debiles domus Ephraim fortibus domus Abiezer?* Lxx, οὐχὶ κρείσσων ἐπιφυλλὶς Ἐφραΐμ ἢ τρυγητὸς Ἀβιέζερ; Sensus est quem dixi. In מבציר nullum Daghes in Beth, quod solet excidere è literis Schevâ notatis.

3. *Spiritus eorum*] *Animus*, vel *ira*, *eorum*. Sic *brevis spiritu*, i. iracundus, pronus ad iram, *longus irarum*, longanimis, μακρόθυμος. Scholia Ebraica enarrant רוח הכעס *spiritum iracundiæ*, vel *indignationis*, meliùs certè quàm Lira, qui exponit *spiritus superbiæ*. *Ne conturberis in spiritu tuo ad irascendum*, Cohel. 7. 9. ubi & ארך רוח *longus spiritu*, v. 9. Sic est profectò, *spiritum* vocant τὸ θυμοειδὲς, h. e. eam animæ facultatem in quam ira cadit, unde קצר רוח Prov. 25. 28. *brevis spiritu*, qui non cohibet iram, Jes. 25. 4. *Spiritus præfractorum ut inundatio parietem evertens*, i. כעס, interprete D. Camio. Sic *Stultus omnem spiritum suum educit*.

5. *Viris Succhoth*] Civibus illius urbis omnibus, an primariis tantùm? quos mox appellat *principes Succhoth*. Nam *vir* quandoque nomen est ἀρχῆς. Sic *viri Phanuel*. Dicunt etiam *vir Jerosolyma* pro *Jerosolymita*; *vir Socho*, & *vir Siredu*, ex libro Aboth. In Vulg. nostra *Sotchoth* in

in Lxx ἄνδρεσι Σοκχώθ. Nominis ratio petenda ex Gen. 33. Nam *Succha, tabernaculum*, unde pl. *Succhoth*, & *festum Succhoth*, i. *Tabernaculorum : attegias* vocant. R.D. à *spinis* deducit, quæ שכות dicuntur. Nam erat locus spinis obsitus. Job 40.26. סכות *spina*. ¶ *Qui est in pedibus meis*] Qui me sequitur.

6. *Dixerunt principes Succhoth*] In Hebræo est ad verbum *& dixit*, & est ex illis duodecim quæ putantur falsò legenda esse ויאמרו *& dixerunt*. R. D. explicat, *Dixit unus è principibus, videlicet nomine aliorum*. Trem. *Dixit ordo principum*. Sed novum non est ut plures nominentur pro uno è pluribus; & est constructio sensu congrua non voce. Lxx Καὶ εἶπον οἱ ἄρχοντες Σοκχώθ. Jon. *Et dixerunt*. ¶ *An vola Zabee*, &c. *in manu tua*] An habes eos in tua potestate? כף potiùs *vola* quàm *palma*: dicta sic ab eo verbo quod *curvum esse* sign. Sumitur sæpe pro tota manu. Hier. *Forsitan palma manuum*, &c. Lxx Μὴ χεὶρ Ζεβεὲ, &c. *Nunquid manus Zebee*, &c. *in manu tua?* Jon. *Ecce ac si essent Zebei & Salmuna nunc traditi in manu tua*. Paulò pòst, *Cùm dederit Dominus Zebach & Salmuna in manum meam*. ¶ *Exercitui tuo*] Lxx τῇ δυνάμει σου, quod malè reddunt *virtuti tuæ*, cùm reddi debeat *exercitui tuo*. Sic Κύριος δυνάμεων meliùs redditur *Dominus exercituum* quàm *Dominus virtutum*. In aliis est τῇ στρατιᾷ σου. Sic Κύριος τῶν στρατιῶν, quod ex Aquila citatum.

7. *Triturabo carnem vestram cum spinis*] Repetitis ictibus cædam more triturantium. R.D. *triturabo & percutiam spinis super carnem vestram*. Jon. *triturabo carnem vestram super spinas deserti & super tribulos*. Mens ejus, ut videtur, Projiciam vos super spinas nudos, & triturabo pedibus meis super vos. Sic R.D. qui etiam existimat Succhoth fuisse locum spinis ac tribulis oppletum, unde nomen acceperit. *Nam* שכות, inquit, *sunt spinæ; ut, Repleta est* בשכות *pellis ejus*, Job. 40.26. Sensus, *Repleta est spinis*. Ideo ait, *Feriam vos spinis*. Hier. *conteram vos spinis tribulisque deserti*. Lxx ἀλοήσω *triturabo*. Alii καταξανῶ *lacerabo*. ¶ *Et cum tribulis*] Lxx καὶ ἐν ταῖς Βαρκωνὶμ, cujus interpretamentum exstat in ed. Compl. ἐν τοῖς τριβόλοις *in tribulis*. Nam ברקנים *tribuli*, & non fallunt nos interpretes. Hinc βαρκανὶ, quod Hesychius ἄκανθαι interpretatur. Apud Suidam βαρκηνίς. Aquila certè pro eo ediderat ἀκάνθας, & Sym. τριβόλους. Reperio & Βορκονεὶμ & Βαρκηνωεὶμ. Est autem herbæ genus à *trina cuspide* seu aculeo sic appellatum. R.D. inter genera Spinarum recenset.

10. *In Carcor*] Vel *Carcora*. Notat R. D. in בקרקר articulum inclusum esse, quod fieri ait in paucis nominibus propriis ad ampliorem demonstrationem. Idem ait nomen urbis esse. Eusebius De locis, *Carcar* (ità Lxx, Καρκὰρ) *ubi filii erant* (emenda, *ubi fugerant*) *Zebee & Salmuna, quos interfecit Gedeon. Et est usque hodie castellum cognomento Carcaria, unius diei itinere à Petra distans*.

11. *Viâ habitantium in tentoriis*] i. Arabum qui *Scenitæ* vocantur, quòd in tabernaculis degerent. Jon. *In via ubi castra erant Arabum qui degunt in tabernaculis in deserto*. R.S. *viâ terræ Cedarenorum & Arabum qui habitant in deserto in tentoriis. Nam pascunt pecus jugiter, nec habitant in domibus*. Nota hîc legi השכוני sequente ב, quia præpositiones non impediunt constructionem. Sic, *Dices* לנביאי מלבם Ezek. 13.2. *prophetis è corde suo*. ¶ *Nobe*] נבח *Nobe*, ut תרח *Thare*. Lxx τῆς Ναβαί. Alii *Nobach*. In antiquis ed. *Nobe* vocatur civitas sacerdotum in tribu Benjamin, quam Saul evertit. Ea Ebræis *Nob* dicitur, i. נוב. Nam נבה, quod legitur 1 Sam. 21.1. valet לנוב, He in fine motum ad locum denotante, 1 Sam. 22.11. בנוב *in Nob*, ubi *Nobe* in ed. veteri. Sed *Nobe* sive *Nobach* cujus hîc memoria usurpatur urbs erat vicina Jordani in tribu Gad, prope Phanuel. Erat & *Nobe* vir ejus nominis Num. 32. ¶ *Jogbaha*] יגבהה, appellatio à גבה, quod *altum esse* sign. unde Jon. ורמתא *& Ramatha*; fortè quòd in celso & alto loco sita erat. Hier. *Jegbaa*. Lxx Ἰεγεβάλ. Urbs erat cis Jordanem quam filii Gad exstruxerunt, memoratur Num. 32.35. ¶ *Erat securè*] בטח pro לבטח *tutò, securè*: hoc primum. Deinde *erat* pro *degebat*, sic in historia Ruth, *& fuerunt ibi*, i. habitarunt aut commorati sunt. *Esse* pro *habitare*. Jon. *castra* שריא *degebant* לרחצן *fiducialiter, securè*. Hier. *qui securi erant & nihil adversi suspicabantur*. Lxx καὶ ἡ παρεμβολὴ ἦν πεποιθυῖα *& castra erant confidentia*.

13. *Ab ascensu Solis*] *Post ascensum Solis*, i. ortum ejus. Nam tunc ascendit cùm oritur. Hier. *ante Solis ortum*. Trem. *ante ascensum Solis*, i. *sub ipsum ortum*. מן *post*, ut cùm dicimus *à biduo* מיומים, i. post biduum; sic in Latio, *à prandio, à cœna, à meridie*. Pro *ante* nescio an usitatum sit. Santes *desuper existente Sole*, מלמעלה. Jon. *dum non ascenderet Sol*, i. ante ascensum. R. D. *antequam occumberet Sol; nusquam cessaret*, aut *deficeret lux Solis*. Sumptum ex illo, *Ut cùm ascendit acervus in tempore suo*. *Aut sensus est*, inquit R.D. *quod Sol adhuc desuper videretur in expanso, quia nondum terram subierat*. Licet etiam exponere ut dicat *Gedeonem totâ nocte persecutum esse Reges, manè autem, cùm ascenderet Sol, rediisse à bello*. Hæc R. D. K. ad h.l. Cæterùm Sol hîc *Hares* dicitur ab *ariditate*, ut alibi *Hamma* à *calore*, & *Semes* à *ministerio*. Glossarius Philonis, *Ares, sol*. Leg. *Hares* vel *Chares*. Sic emendabis quod in ed. Lxx ἀπὸ ἐπάνωθεν τῆς παρατάξεως Ἀρὲς, ut fit Ἀρὲς, *desuper Hares*. Vide Notas ad ed. Rom.

14. *Et scripsit ei*] *Qui scripsit ei*, videlicet puer ille scripsit Gedeoni nomina Principum Succhoth. Quidam, *& scripsit sibi*, nempe Gedeon descripsit sibi referente puero nomina, &c. Vide Notas ad ed. Rom. ¶ *Principes*] Nomina Principum, ὀνόματα τῶν ἀρχόντων Lxx.

16. *Contrivit cum eis*] Sic interpres V. הודיע *contero*. Cui firmando Jonathan, qui vertit תבר *confregit*. Sic alibi ירוע חולי *confractus morbo*, לשון שבירה Prov. 10. יודע alii reddunt *cognoscetur*, alii *confringetur*. R. D. *Licet etiam exponere, Notum fecit eis scelus ipsorum cum spinis*. Sic Trem. *documentum in eis dedit viris Succhothamis*, i. *eos cædendo informavit Succhothanos ut in posterum saperent*.

17. *Occidit viros urbis*] Quod tamen non fuerat eis comminatus. Fortasse cùm turrim dirueret se opposuerunt ei, aut acriter cum eò contenderunt, ut indè occasionem sumpserit occidendi eos. Videndus R. D. Fortè per *viros urbis* intelligit *principes & seniores urbis*, ut antea *principes Succhoth* vocaverat *viros Succhoth*. Non ergò interemit omnes, sed tantùm primores & qui cum imperio erant. Hier. *occisis habitatoribus civitatis*. Lxx ἀπέκτεινε τοὺς ἄνδρας τῆς πόλεως.

18. *Quales erant*] Ità Hier. Santes, & alii. Lxx Ποῦ *Ubi*. Sed de forma & qualitate quærit. Hoc significat R. D. cùm exponit מה תוארם *Quæ forma eorum*, ותכונתם *& dispositio eorum*. Jon. היכא *Ubi, quales*. ¶ *Qualis tu tales ipsi erant*] Ad verb. *Sicut tu sicut ipsi*. Latinè, *sic ipsi*. Vis in hoc sermone, ut si dicerent, *Sicuti tu sic ipsi, & sicut ipsi sic tu*. Hier. *Similes tui*. Jon. *Sicut tu sic etiam ipsi*. Lxx Ὡς σὺ, ὡς αὐτοί. In aliis, Ὅμοιος σοὶ ὅμοιος αὐτοῖς. Vide Rom. ed. ¶ *Unus*] Unus & idem erant, vel, *una forma*, aut *una imago figuráque* תאר אחד, vel צלם אחד & ציורה אחת. Jon. *unus ex eis erat forma qualis est filiorum Regis*. Nam tales ferè sunt formâ regiâ propter delicatam educationem. Sic etiam Hier. *unus ex eis sicut filius Regis*, quem juvat accentus qui est in fonte. ¶ *Secundùm formam filiorum Regis*] Ὡς εἶδος υἱῶν βασιλέων *sicut species filiorum Regis*. R. D. *Sicut tu es, sic etiam ipsi sunt, eâ formâ quâ filii Regis sunt*. R. S. *forma una eadémque vobis, qualis forma filiorum Regis*.

19. *Fratres mei filii matris meæ*] *Fratres uterini*. Nam etiam fratres sunt qui eundem tantùm patrem habent; qui possunt dici *filii patris*, & non *matris*.

20. *Jether primogenito suo*] Nomen ei commune cum socero Mosis, qui & *Jethro* nominatur. Sed Græci hunc *Jothor* appellant.

21. *Juxta*

21. *Juxta virum robur ejus*] Hier. *quia juxta ætatem robur est hominis.* Lxx ὡς ἀνδρὸς ἡ δύναμίς σου *ut viri virtus tua.* Alii, ὡς ἀνὴρ καὶ ἡ δύναμις αὐτοῦ *tanquam vir etiam robur ejus.* Jon. *Sicut vir est, sic est fortitudo ejus.* Qualis est vir, tale est robur ejus. Malunt viri manu occidi quàm pueri, cujus robur debile est. Videndus R. D. sed & Lira. Quem puer occidit, lentâ morte moritur. Vir propter robur corporis uno ictu potest hominem interficere. Ad hæc à puero & à muliere occidi ferè paria sunt: utrumque parum honorificum. Ideo Abimelech cùm à femina esset lethaliter vulneratus, nè dicatur à muliere interfectus, jubet se interfici per armigerum suum. ¶ *Lunulas*] Ornamenta Lunæ figuram habentia. Siquidem *Lunam* Chaldæi vocant סהרא, unde שהרנים. Gallicè *lunettes.* Hier. *ornamenta & bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent*, ornamenta lunari formâ & bullatæ phaleræ. Jon. ענקיא *torques.* Lxx τοὺς μηνίσκους; quod *lunulas* interpretantur. Nam μήνη *luna*, unde μηνίσκος *lunula*, minus rectè *torquem* interpretantur. Nam *torques* esse potest qui tamen non habeat formam lunatam. Jes. 3. 18. Lxx eandem vocem κοσύμβους reddunt, h. e. *vestes fimbriatas*, κόσυμβος & κοσύμβη & χιτὼν κοσυμβωτὸς *tunica nodis substricta.* Dicunt & κόσυμβος.

24. *Inaures spoliorum suorum*] Vox Ebræa נזם non tam *inaurem* sign. h. e. ἐνώτιον, quàm *ornamentum narium*, quod ἐπιῤῥίνιον appellant. Sanè sic accipitur apud Salomonem, *Inauris aurea in naso suis*, i. in rostro porci, ubi perspicuè *inauris* pro ἐπιῤῥινίῳ ponitur. Jon. קדשא *inaurem suam ex præda.* Quidam *monile* interpretantur. Lxx ἐνώτιον ἐκ σκύλων αὐτοῦ. Erant autem inaures hæ, ut etiam lunulæ, ex auro. ¶ *Ismaelitæ*] Sic Madianitæ vocantur, nomine strictiùs accepto, quia omnes Madianitæ etiam Ismaelitæ erant, sed non contrà: multi enim Ismaelitæ non erant Madianitæ. Sic in historia Josephi, qui eum emerunt à fratribus vocantur modò *Madianitæ*, modò *Ismaelitæ*; qui & *Arabes*, unde Jonathan hoc loco, *Arabes erant.* Opinatur autem R. D. eum intelligere Arabes Scenitas, qui degebant in tentoriis pecora pascentes, quos memorat suprà v. 11. per quorum viam cum suis transierat. Cæterùm Madianitæ erant ex filiis Ketura, quam eandem esse putat R. D. cum Hagar, unde *Hagareni*, qui & *Ismaelitæ* & *Arabes.* Quæ omnia indigent ampliore disquisitione. Illud certum ex hoc loco, Solitos fuisse Ismaelitas inaures aureas gestare, quas nunc Ismaelitæ Gedeoni dederunt & concesserunt. Vide Gen. 37.

26. *Præter lunulas*] πλὴν μηνίσκων· sic ed. Rom. Sed in Compl. πλὴν τῶν σιρώνων. Ut videtur ex Ebræo שהרנים fecerunt Græcum σιρῶνες. Sic ex תבת fecerunt θιβῶν sive θίβων aut θίβιν, i. *cistam*, κιβωτόν· item ex גיורא fecerunt Græcè declinantes γειώρας, i. *proselytus.* Sunt qui opinantur καφθὶς, quod in eorum editione *volumen* sign. factum ex verbo כפל aut קפל *complico*, q. *complicatum quid.* Vide Fullerum Miscell. l. 2. c. 10. Βαρακηνὴ dictio apud Hesychium pura puta Ebraica est, ברקן unde ברקנים *tribuli.* Sed Hesychius βαρακηνὴ ἄκανθαν interpretatur, i. *spinam.* Est autem *tribulus* spina cum trina cuspide. ¶ *Et monilia*] נטיפות. Lxx καὶ τῶν σφαγγιδίων, quod reddunt *præter monilia.* Id in Compl. ed. καὶ τῶν ὁρμίσκων. Hier. *& monilibus*; σφαγγίδες, *nexus intricati & difficilè solubiles*; item *globuli, torques*; à σφαγγίζω *obtorqueo, stringo.* Arias, *collaria.* Trem. *myrothecidia.* Jon. citante Camio, כליליא *coronæ.* Sed in textu כלילא *corona.* In eodem est, סהרניא *lunulæ.* R. S. etiam exponit כליליא, & prius ענקיא *torques.* Senes alibi κάθεμα, & in notis ad ed. Rom. τὸ κάθεμα. Alius dixit χάλασιά. Appellatio à *stillando*, nam in pectus quasi stillant. Quid si σταλαγμοὺς? quæ sunt gemmæ oblongæ aurium lobis appendentes, à guttæ similitudine. R. D. ait *quosdam dicere* נטיפות *esse monile ex lapidibus Bdolach. Nam crystallum pellucidum Arabicè dici* אלנטף. Hoc scribit in Com. Jes. 3. 19. Hic annotat *nomen esse ornamenti aurei in quo* נטף, i. *stacte, portabatur.* ¶ *Præter torques*] Suprà *præter lunulas.* ¶ *Quæ in collis camelorum.* Videntur cameli eorum in collis habuisse lunulas & torques. Nam *lunulas* à *torquibus* diversas esse vel hic locus ostendit. Sunt tamen qui confundunt. Lxx ἐκτὸς τῶν ἀνθεμάτων, q. *circumpositiones. Torques* reddunt, alii κλοιῶν, quod idem valere putatur. Lex. vet. Κλοιὸς, *boia, eculeum.* In Thesauro Κλοιὸς, *vinculum quod collo circumdatur, collare*, ἀυχένιον δεσμὸς, κολλάριον, παρὰ τὸ κλείειν. *Includitur enim ei collum.* Dominus Jeremiam c. 27. jubet sibi facere δεσμοὺς καὶ κλοιοὺς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ. Has Hieronymus sermone vulgari *boias* vocari scribit, quod vocabulum apud Plautum legitur, *Boia boiam terit.*

27. *Fecit in Ephod*] Ebraismus est pro *fecit ex eo quasi Ephod*, aut *Ephod revera*; nempe in memoriam victoriæ quam consecutus fuerat de Madianitis. Eo postea abusi sunt ejus posteri ad idololatriam. Libri Græci variant. Nam in aliis, εἰς ἐφούδ, & in aliis, ut etiam apud Theodoretum, εἰς ἐφοὺδ *Ephud.* August. *Quod apud Lxx scriptum Ephud, in Ebræo perhibetur dici Ephod: Aquila verò id vocavit ἐπένδυμα Superindumentum.* R. D. *Fecit illud in speciem cinguli aut vestis aureæ, & statuit illud in urbe sua, ut esset ibi ad memoriam salutis* (i. victoriæ) *magnæ, quod ipse quidem fecit in bonum, sed post obitum ejus filii Israel scortati sunt post illud, & fecerunt illud Deum. Doctores autem nostri dicunt quòd ipsum Ephod adoraverint.* Perperàm *Ephot* in antiquis ed. Nicolaus, *Ephot, i. vestem sacerdotalem, quæ vocatur Superhumerale, ut habetur Exod. 28. Sciendum tamen quòd istud vestimentum non est solùm de auro, sed etiam de lino & serico diversorum colorum & pretiosis lapidibus.* Ephod lineum gestavit olim Samuel, qui Levita erat, & non Sacerdos. Non ergò sacerdotalis tantùm vestis erat. Videndus R. Levi ad caput sequens. ¶ *Scortati sunt post illud*] Ephod videlicet: quod fieri potuit vivo adhuc Gedeone, ideo sequitur, *Fuit Gedeoni & domui ejus in laqueum.* Sunt tamen qui putant hoc factum fuisse demum post mortem Gedeonis, quod colligunt ex v. 33. qui sequitur, nescio quàm solidè. Nam ait ipse textus ibi quòd tunc *Baales coluerint*, non quòd scortati fuerint post Ephod. Doctores Catholici censent ipsum instituere voluisse cultum Divinum extra Silo; quod non erat licitum, sed nè hoc quidem firmis argumentis liquet. Video etiam esse qui legant *scortati sunt post eum*, nempe Gedeonem, h. e. post obitum ejus, cùm recepta & usitata locutio sit, *scortari post idola*; ut pòst v. 33. *scortati sunt post Baales; & posuerunt sibi Baal-berith in Deum.* Dicunt etiam, *Scortati sunt de post Deum suum*, i. Coluerunt Deos falsos, deserto vero Deo. ¶ *Ibi*] In Ophra patria Gedeonis, ubi Ephod statuerat. ¶ *In laqueum*] *In offendiculum, in tendiculam.* Hier. *in ruinam.* Lxx εἰς σκῶλον *in scandalum.* Jon. לתקלא *in offendiculum.*

28. *Non ampliùs extulerunt caput suum*] Hier. *non potuerunt ultrà cervices elevare.* Ad verb. *non addiderunt extollere*, quod Senes dixerunt οὐ προσέθηκαν ἆραι κεφαλὴν αὐτῶν. *Extollit caput* qui superior evadit hostibus suis. Nam victus caput dimittit. *Caput extollit* homo quando è malis emergit. Psal. 3. 3. *gloria mea & extollens caput meum.* Zach. 1. 21. *adeò ut nemo sustulerit caput:* vult dicere, Adeò ut omnes capite demisso & in terram dejecto incederent, gestus hominum miserorum & infelicium. Rursum Psal. 27. 6. *Nunc extollit caput meum contra hostes meos*, 110. 7. *ideo extollit caput*, Job 10. 15. *non extollam caput meum.* Sirach. 20. 22. *Est qui ex humilitate caput attollat*, 11. 1. *Sapientia humilis extollit caput ejus*, & v. 13. *extulit caput suum.* Interdum *caput extollit* qui aliquem ad honorem ac dignitatem evehit לשון גדולה. Phesictha 36. 3. quò accommodant, *Extulit Evilmerodach caput Jojacin*, &c.

29. *Jerobaal*] Vel *Jerubaal.* Sic variant in *Ephod* & *Ephud:* nam *o* & *u* de facili permutantur. ¶ *Sedit domi suæ*] Lxx ἐκάθισεν. Hier. *habitavit.* Santes, *mansit.* Ego, *sedit à bellis quiescens*; sicut antea dixit, *& quievit terra 40. annis in diebus Gedeonis.*

30. *Uxores multæ*] Eo nomine nusquam reprehenditur, quia licebat tunc habere plures uxores, si

si non per Legem, at saltem per consuetudinem.

31. *Posuit nomen ejus*] *Indidit ei nomen*; haut dubiè Gedeon: nam est verbum masc. Quod noto quia etiam matres nomina imponebant. Qua de re aliás.

32. *In senectute bona*] שיבה propriè *media senectus*, quando homo canescit, unde quidam, *in canitie bona*, quod in antiquis cod. Græcis ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ· quanquam in ed. Rom. ἐν πόλει αὐτῦ *in urbe sua*. In libro Aboth, *filius* LXX *annorum ad* שיבה *canitiem*. Hoc volunt dicere, Quando homo pervenit ad annum septuagesimum, tunc incipit media senectus, quæ שיבה dicitur, quam *canitiem* reddunt. Jon. בסיבו טבא. Hier. *in senectute bona*. Dicit autem *in senectute bona*, quoniam communiter senectus mala est, unde *ætas mala* & *dies mali* vocatur, quemadmodum è contrario juventus *ætas bona* & *dies boni* dicitur. Est enim senectus q. hyems ætatis, contrà juventus comparatur cum æstate, unde illud, *Colligit in æstate filius prudens*. ¶ *Abiezritæ*] LXX Ἐσδεὶ· quod ità scribitur ut *Esdras* pro *Ezras*. In aliis est πατρὸς· quod dictio Ebræa quidem sign. sed hîc pars est nominis *Abiezer*; unde *Abiezrita*. Nam quod in Vulg. nostra *de familia Ezri*, nulla talis familia est. Qua de re alibi.

33. *Baal-berith*] Sic vocabatur numen Sichemitarum; & valet ut si dicas *Jupiter federis*, i. federatus. Nam ברית *fedus, pactum*, διαθήκη. Hier. *percusserunt eum Baal fedus ut esset eis in Deum*. Non assecutus est mentem verborum Ebraicorum; ut nec Senes, qui vertunt, ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βάαλ διαθήκην τῦ εἶναι αὐτοῖς αὐτὸν θεόν. Nota hic esse τῷ Βάαλ, cùm alibi sit τῇ Βάαλ, ubi εἰκόνι aut δαμάλει vel certè δυνάμει subaudiunt. Sed vide Rom. ed. Latinam. Rabbenu Jesaias, *fecerunt sibi* בעלי ברית *federatos Deo*, i. idolo. Intelligit autem בהני הכמות.

35. *Jerobaal Gedeon*] Pleonasmus est ut si dicas *Israel Jacob*, *Petrus Simon*, cognomen cum nomine proprio. *Hoc modo intenditur demonstratio*, ait R. D. idque exemplo firmat minùs apposito. Nam *Bethlehem-Ephratha* dictum differentiæ causâ, ut cùm dicimus *Bethlehem-Juda*, quoniam alia erat in tribu Zabulon. LXX μετὰ τῦ οἴκυ Ἱεροβάαλ, αὐτὸς ἐστι Γεδεών, *cum Jerobaal, ipse est Gedeon*.

IDEM.

7. ברקנים. A. ἀκάνθας *spinas*. Sym. *tribulos*] LXX ἐν τῇ Βαρκηνίμ. Alia scriptura ἐν τῇ Βαρκηνείμ minùs se probat mihi. In lib. De locis Ebr. *Berconni Aquila vertit, In spinas; & Symmachus, In tribulos*. Lexicon Hesychii, Βαρακινὴ, ἄκανθα. ¶ *Tribulos*, τριβόλυς. Interpres noster hoc sequendo vertit *tribulis*. Liber est qui inscribitur De nom. Ebraic. in eo lectum, *Baraennim, creatura nidorum, sive tribuli.* Emendo, *Baracennim* & *tribuli* accipio in plurali. Græcè τρίβολοι.

13. מַעֲלֵה הֶחָרֶס. A. *ascensus saltuum*. Sym. *montium*] An legerunt הרים pro חרם? Videtur. Eusebius De locis, *Ares, Ascensus: pro quo Aquila interpretatur Saltuum, Symmachus Montium*.

27. אֵפוֹד. A. ἐπένδυμα *superindumentum*] Theodor. in Quæst. ad hunc locum locum, τὸ Ἐφὼδ Ἀκύλας Ἐπένδυμα κέκληκε, *Ephud Aquila Superindumentum vocavit*. In lib. Nom. Ebr. *Ephod, superindumentum, quod Græcè dicitur* ἐπένδυμα. Hier. Hos. 3.4. *Ephod vestis sacerdotalis, quæ Aquila* ἐπένδυμα *dicitur*. Vide quæ scripsimus Exod. 25.7.

GROTIUS.

2. **Q**Uid enim tale facere potui quale vos fecistis?] Fortes animi placantur concessione gloriæ.

5. *Date, obsecro, panes populo qui mecum est*] Qui in iisdem sunt partibus alimenta militi in necessario tempore negare non debent: alioqui puniuntur, 16.

16. *Tulit ergò seniores civitatis*] Senatores. Mite est principes auctores mali punire, multitudini ignoscere, I.3 De J.B. ac P. c.11.§.5.

21. *Tu surge, & irrue in nos*] Aliqua est consolatio, *Æneæ magni dextrâ cadis*. Vide mox 9.54. ¶ *Tulit ornamenta & bullas*] Exuvias detraxit. Hebr. *lunulas*, insigne Ismaelitarum; quorum pars Sarraceni ad Turcas mores transmisere.

22. *Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui*] i. Hæreditarium ei principatum detulere ob virtutem & merita.

23. *Dominabitur vobis Dominus*] Is vobis Principes designabit, quod quamdiu faciebat Deus, Regem populus suopte arbitratu facere non debebat, 1 Sam. 8.7. multóque minùs uni se familiæ subjicere.

24. *Date mihi inaures ex præda vestra*] Solebat enim Ducibus aliquid dari ἐξαίρετον, I.3. De J.B. ac P. c.6.§.17.

27. *Fornicatúsque est omnis Israel in eo*] Πέλαγ... nam post mortem demum Gedeonis id quod monumentum victoriæ fuerat versum est in usum idololatriæ, infrà 33.

30. *Eò quòd plures haberet uxores*] Causa cur concessæ fuerint viris plures uno tempore uxores, spes fuit uberioris sobolis.

31. *Concubina autem illius*] Non erat vetitus eo tempore concubinatus: neq; concubina à matrona nisi dignitate distabat. Solebant autem sumi de ancillis aut de humilioribus feminis.

35. *Nec fecerunt misericordiam cum Domo Jerobaal Gedeon, juxta omnia bona quæ fecerat Israeli*] Sophocles,

Φεῦ τῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
Χάρις διαῤῥεῖ καὶ προδῦσ' ἁλίσκεται;

Simile vide Exod. 1.8.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

4. **B**Aal-berith] Erant olim apud Chnaanæos multi Dii qui communi nomine *Baal* vocabantur, quod *dominum* & *magistrum* sonat: sed habuit quilibet Baal & proprium nomen; ut *Baal-zebub*, i. *Domina musca*; *Baal-Peor*, i. *Magister voracitatis*, *Baal-berith*, i. *Dominus federis*, &c. ¶ *Viros inanes & mobiles*] Kimhi exponit קלים ומתנועעים *leves & vagos*; qui scilicet nihil habuerunt unde viverent, sed victum rapiendo & prædando quærebant.

6. *In planitie*] Nostri אלון verterunt *Quercum*, contra omnium Hebræorum sententiam, qui communiter מישור *planitiem* exponunt; putántq; in planitie illa lapidem aliquem magnū collocatum aut rem aliam in modum statuæ.

9. *Nunquid deseram*] Heb. *Nunquid feci cessare pinguedinem meam*. Sed capitur hîc præteritum loco futuri, sicut & Jonathan vertit האשבוק. Significantur autem per *arbores* viri Sichem, & per *rhamnum* Abimælech. Est præterea אטד genus sentis asperrimum in quod manum citra læsionem mittere non valeas. Kimhi dicit arborem illam esse spinosam quæ vulgò קרדון vocatur.

18. *Viros Sichem*] Sunt בעלי propriè *magistri* vel *magistratus* & *magnates* civitatis Sichem. Idem intelligendum est in sequentibus locis. Chaldæus verò interpres vertit יתבי *habitatores Sichem*.

22. *Dominium*] Non dicit textus, *judicavit Abimelech filios Israel*, sicut de aliis scribitur Judicibus; sed, *usurpavit sibi dominium* propriâ temeritate *super Israel*, & sicut tyrannicè sese ingessit, sic quoque tyrannum in subditos egit. Quapropter spretus à Sichimitis, qui tamen illi in tam detestabili parricidio non defuerunt. Voluit Dominus injuriam illam fratribus illatam retorquere in caput ejus; & primùm immittens spiritum malum & dissensionis seminarium in Sichimitas, summo dedecore tam Regem quàm Sichimitas perdidit. Per *spiritum malum* intellige simultatem & odium quæ cacodæmon inter eos seminavit, Domino justo suo judicio permittente.

27. *Gaudia*] Hebraica vox הלולים propriè significat *laudes*, sed exponitur ab Hebræis pro שמחות, ut nos vertimus. Jonathan tamen vertit חינגין *choros*, quos duxerunt Sichimitæ propter Gaal, qui in auxilium eorum venerat.

28. *Quis est Abimalech*] *Sichem* non est hic nomen civitatis, sed nomen Principis, filii Hæmor, qui violavit Dinam

Dinam filiam Jacob, & olim oppido illi præfuit. Dicit itaque Gaal, *Nolite servire Abimelech, sed potius ejicite eum: & si vultis servire, servite potius viris qui descenderunt ab Hamor patre Sichem. Quis est enim Abimalech iste? & quis Zebul iste quem constituit præfectum super civitatem vestram?*

29. *Multiplica exercitum tuum*] Hoc dixit Gaal superbo animo, multa sibi pollicens, quò faciliùs Sichimitas ad suum inclinaret votum. Dixit autem verba ista absente Abimælech, qui illo præsente tam turpiter fugit.

31. *In dolo*] Secuti sumus D. K. qui תרמה exponit pro מרמה. Jonathan verò exponit ברז, i. בסתר *clam* & *in abscondito*. Alii putant esse nomen loci in quo fuit Abimælech eo tempore. ¶ *Muniunt civitatem*] Potest & צרים exponi pro *obsident civitatem*. Obsidebant cives enim locum, nè quis egrederetur aut ingrederetur. Et hinc fit מצור *obsidio*.

33. *Sicut invenerit manus tua*] Hebraismus est pro, Quicquid manus tua contra illum facere potest, sine mora age, nè suscitatus tumultus latiùs serpat.

37. *De medio terræ*] Hebr. *de umbilico terræ*, & est eadem locutio cum priore. Montes enim hîc per *umbilicum* significantur, de quibus ille videbat descendere milites Abimælech. Derisit proinde Zebul his verbis Gaal ipsum; q. d. Malè vides, ut umbram montium homines esse suspiceris.

43. *In tres turmas*] Hebr. *in tria capita*. Vocat autem Hebraismus totum agmen *caput*, quòd singuli milites ad unum spectent Ducem illis præpositum, sicut omnia corporis membra ad caput ligantur. Chald. interpres pro ראשים vertit משרין *turmas*.

46. *Cuncti viri*] Sive *cuncti magnates civitatis*, qui confugerant ad turrim quandam intra mœnia Sichem positam: in qua cùm sese non tutos arbitrarentur, fugerunt ad aliam turrim multò munitiorem; sed fefellit eos spes sua, cùm flammâ & fumo in ea exstincti sint. Cæterum putat Kimhi צריח idem esse quod מגדל, licèt Jonathan arbitretur esse nomen loci, sicut & ברית hîc pro קיים *fœdere* interpretatus est.

53. *Fragmen*] פלח est idem quod חתיכה. Et תריץ est à radice רצץ. Proinde לי in sequenti versu capitur pro בעבורי, sicut & in superioribus libris similia quædam indicavimus loca.

VATABLUS.

1. AD *fratres matris suæ*, אל אחי אמו] i. ut conveniret omnes cognatos suos ex parte matris.

2. *In auribus omnium virorum*, באזני כל בעלי] *In auribus omnium Dominorum*, &c. i. audientibus omnibus dominis, i. principibus: sic infrà. ¶ *Utrum melius*, מה טוב] *Utrum præstabilius*. ¶ *Quòd os vestrum*, &c. כי עצמכם ובשרכם אני] Chaldæus paraph. *quòd propinquus vester sum*, i. cognatus sum. *Os* hoc loco ab *osse*, non ab *ore*, ut ex Hebræo liquet.

3. *Cor eorum*, לבם] i. animus & affectus. q. d. Præposuerunt eum potiùs quàm alium quempiam, quòd esset cognatus ipsorum.

4. *Argenteos*, כסף] i. siclos argenti acceptos è fano *Baal-berith*. ¶ *Vacuos*, ריקים] i. otiosos. ¶ *Et vagos*, ופוחזים] Chaldæus paraph. *contemptibiles*, i. nihili.

5. *Septuaginta*, שבעים] Sub. *Circiter*. Non enim interfecit Jotham, nec se.

6. *Viri*, בעלי] *Primores, domini*, i. cives. ¶ *Domus Millo*, בית מלוא] i. omnes principes ad quos negotia publica referebantur, qui solebant congregari in loco dicto *Beth-millo*, Gallicè *La maison de la ville*. Potest etiam accipi continens pro contento, locus pro viris, i. universa curia. *Millo* etiam *congregationem* sign. Posset accipi pro loco Comitiorum ubi de negotiis publicis consultabatur, ut erat in Jerusalem. Alii existimant Millo fuisse urbem propinquam ipsi Sichem. ¶ *Juxta planitiem statua*, עם אלון מוצב] *In planitie statua*, i. in platea in qua erat statua quædam. Nomen loci. ¶ *In Sechem*, בשכם] *In agro Sechem*.

8. *Eundo iverunt*, הלוך הלכו] Admirativè legit hæc Chaldæus paraph. ¶ *Ad ungendum super se Regem*, למשוח עליהם מלך] i. ut constituerent super se Regem. ¶ *Regna super nos*, מלוכה עלינו] q. d. Esto Rex noster. Imperativus est masc.

9. *Deserámne pinguedinem meam*, ההדלתי את דשני] i. Desererêne possum vel debeo oleum meum? Aut, *Destituárne*, i. Efficiámne ut priver, q. d. Debeône abjicere sortem meam quæ optima est, *quâ per me honore afficiunt Deum* in lucernis & Oblationibus, *& homines*, i. adornantur munera Regibus? ¶ *Ut promovear super arbores*, לנוע על העצים] i. superem dignitate arbores? Chald. paraphrastes, *ut administrem remp. arborum*? Per *oleam* intelligit Othonielem; ut per *ficum*, Deboram; *vinea* Gedeon erat. Alii dicunt Oleam, Ficum, & Vitem significare filios Gedeonis.

14. *Ad rhamnum*, אל האטד] Quibusdam est genus rubi sive dumi qui nullum fert fructum. Aliis est rubus odoratus ferens rosas, Gallicè *Esglantier*. Doctus inter Hebræos dicit vocari peregrinâ linguâ קרדון *Un chardon*.

15. *In veritate*, באמת] i. seriò. ¶ *In umbra mea*, בצלי] h. e. protectione. ¶ *Cedros*, את ארזי] nobilissimos quosque ex vobis.

16. *Secundum retributionem manuum ejus*, כגמול ידיו] Hebraismus, Si rependistis illis vicem pro beneficiis acceptis.

17. *Ac projecit animam suam à longè*, וישלך את נפשו מנגד] *Ac projecit animam suam procul à se*. Hebraismus, Se periculo mortis exposuit. ¶ *Ut eriperet*, ויצל] Ad verb. *& eripuit*, vel, *liberavit*.

19. *Lætemini*, שמחו] i. lætemini eo, & ille fruatur vobis, q. d. Sit felix ac fausta inauguratio ista in Regem.

20. *Quod si non*, ואם אין] *Sin minùs*, i. si improbè egistis.

21. *Fugit, inquam, atque abiit*, ויברח וילך] *& properè ac festinanter se recepit*. ¶ *A facie*, מפני] i. metu.

22. *Imperavit autem* וישר] *Tenuit autem principatum*, q. d. Egit principem super partem Israelis.

23. *Immisitque*, &c. וישלח אלהים רוח רעה] *Spiritum malum* vocat spiritum dissensionis, q. d. Oborta est discordia inter eos, ità volente Deo. ¶ *Prævaricatique sunt*, ויבגדו] i. defecerunt à Rege suo.

24. *Ut veniret injuria*, &c. לבוא חמס וגו'] i. ut injuriam illam conferret in caput Abimelech, h. e. ut puniret eum propter injuriam illatam septuaginta filiis Jerobaal. ¶ *Et ut sanguinem eorum*, ודמם] *Crimen cædis eorum*. Idem bis dicit verbis diversis. ¶ *Roboraverant manus ejus*, חזקו את ידיו] *Confortaverant manus ejus*. Hebraismus, Qui adjuverant illum in cæde fratrum.

25. *Super cacumina montium*, על ראשי ההרים] Ut scilicet illum interciperent si illac transiret.

26. *Et transierunt*, ויעברו] i. relictâ priore habitatione venerunt in Sichem. ¶ *Ac spem suam posuerunt in eo*, ויבטחו בו] *Ac speraverunt* [*confisi sunt*] *in eo*, i. erecti sunt in spem majorem adventu illius.

27. *Unde egressi in agrum*, &c. ויצאו וגו'] Ad verb. *Et egressi sunt in agrum, vindemiaverunt*, &c. hoc dicit quòd priùs se continerent in urbe, metu Abimelech. *Et calcaverunt, & læti sunt*, וידרכו ויעשו הלולים] *Et calcaverunt* uvas, *& fecerunt choros*, sub. *canentium ac saltantium*, ut fieri solet tempore vindemiarum. ¶ *Et biberunt*, וישתו] Sub. *coram deo suo, ibique inter epulas maledixerunt ipsi Abimelech.*

28. *Quis est Abimelech*, &c. ומי אבימלך] q. d. Estne præstantior ipso Sechem? h. e. an tantus est ut debeamus illi servire? ¶ *Servite*, &c. עבדו] q. d. Deberetis potiùs servire iis qui traxerunt originem ab Hamor & Sechem quàm ipsi.

29. *Et quis det*, &c. ומי יתן וגו'] Hebraismus, Utinam populus iste esset mihi subditus; tunc *auferrem*, vel *abigerem*,

abigerem, aut *tollerem prorsus Abimelech*, detraherem illi regiam dignitatem. ¶ *Et dixit ipsi Abimelech*, ויאמר לאבימלך] *Dicebátque ipsi Abemelech*, nempe absenti tanquam præsenti, vel coram præfecto ejus. ¶ *Auge exercitum tuum*, רבה צבאך] i. cape tecum exercitum maximum, & egredere, h. e. decerta mecum armis. q. d. Cape tecum exercitum quantumlibet magnum, & egredere de loco in quo habitas, ut mutuò armis decertemus.

30. *Iratus est vehementer*, ויחר אפו] Ad verb. *& iratus est furor ejus.* ¶ *In dolo*, בתרמה] *Fraudulenter*, i. cautè. Chaldæus paraph. *clàm*, *secretò*. Alii, *in Thorma*, ut sit eadem urbs quæ Aruma. ¶ *Obsident*, צרים] *Oppugnant*, i. ut ait doctus inter Hebræos, *propterea custodiunt urbem nè ingrediaris in eam*, h. e. nè tibi pateat ad eam accessus quando voles. Gallicè, *Ils tiennent fort en la ville contre toy.*

32. *Et populus qui est tecum*, והעם אשר אתך] i. milites tui.

33. *Invades urbem*, ופשטת על העיר] *Irrues in urbem.* ¶ *Invenerit manus tua*, תמצא ידך] i. facere poteris.

34. *Quatuor cunei*, ארבעה ראשים] *Quatuor turmæ.* Sub. *militum.* Alii, *cum quatuor cuneis*, vel turmis, h. e. divisi in quatuor turmas.

36. *Umbram montium*, &c. צל ההרים] q. d. Falleris, tantùm est umbra quæ refert homines.

37. *Tunc adjecit Gaal*, &c. ויוסף עוד געל לדבר ויאמר] Ad verb. *& addidit adhuc Gaal ut loqueretur, & ait.* ¶ *De umbilico terræ*, מעם טבור] i. de loco eminentiore terræ, de parte terræ altissima, h. e. de summis montibus. Nam montes sunt in summo, ut est in homine umbilicus. ¶ *Per viam planitiei*, מדרך אלון] Ad verb. *de via planitiei*, i. per viam quà itur in campestria Mehonenim.

38. *Ubi nunc est os tuum*, איה אפוא פיך] Chald. paraphrastes, *Ubinam sunt verba tua*, q. d. Ubinam illa tua magnifica verba quibus te tantopere jactabas?

39. *Coram viris*, לפני בעלי] i. spectante populo.

40. *Posteaquam fugere cœperat*, וינס] Ad verb. *& fugit*, h. e. jam versum in fugam.

41. *Nè manerent*, משבת] *Nè posthac habitarent.*

42. *Postridie autem*, ויהי ממחרת] Ad verb. *Et fuit, in crastinum.* ¶ *In agros*, השדה] Singul. Heb. pro plur. ad sua scilicet negotia peragenda. ¶ *Et renunciaverunt*, ויגידו] *Quod jam renunciaverant futurum.*

43. *In tria capita*, לשלושה ראשים] *In tres cuneos*, vel *turmas.* ¶ *Vidénsque populum*, וירא והנה העם] Ad verb. *Et vidit, & ecce populus.*

44. *Et capita*, &c. והראשים וגו׳] *Et principes qui cum eo erant*, q. d. Nobilissimi milites ac bellicosissimi. ¶ *Grassati sunt*, פשטו] *Impetum fecerunt*, i. impetu facto contenderunt rectà ad portam urbis. ¶ *Duo autem alia capita grassata*, ושני הראשים פשטו] *Duæ autem aliæ turmæ impetum fecerunt, irruerunt, invaserunt.*

45. *Abimelech præterea*, &c. ואבימלך וגו׳] Ad verb. *Et Abimelech pugnavit contra urbem, & cepit urbem*, pro, Cùm autem Abimelech oppugnasset urbem toto illo die, tandem expugnavit urbem ipsam, &c. ¶ *Et seminavit*, &c. ויזרעה מלח] Nè scilicet postea aliquid nasceretur in ea, ut esset sterilis.

46. *Viri*, בעלי] *Domini*, vel *habitatores*, urbem scilicet esse captam. ¶ *Beth-el-berith*, בית אל ברית] *Beth-el* pro *federe*, ità Chaldæus paraph. ut inirent fedus cum illis qui erant in arce.

48. *Quod vidistis, feci*, מה ראיתם עשיתי] *Quod vidistis*, quod *feci*, i. quod vidistis me fecisse, facite: & id quidem citò.

49. *Et succenderunt super illos*, ויציתו עליהם] i. succenderunt arcem in qua illi erant inclusi. ¶ *Mortuique sunt etiam*, וימותו גם] Sub. *quemadmodum cives urbis Sechem mortui fuerant*, vel, *quemadmodum & custodes illius arcis mortui fuerant.* ¶ *Ferè mille viri & mulieres*, כאלף איש ואשה] i. circiter mille homines utriusque sexûs.

50. *Ad Thebes*, בתבץ] Ea defecerat, propinqua ipsi Sichem.

51. *Et clauserunt super se*, ויסגרו בעדם] Sub. *arcem*, sive *portam arcis*. Super se, i. posteaquam ingressi sunt. ¶ *Super tectum*, על גג] Ubi scilicet erant propugnacula.

53. *Molæ*, רכב] Sub. *superioris*. Ab *insidendo*, sic dicitur Hebraicè. ¶ *Illi calvariam*, את גלגלתו] *Cranium ejus.*

55. *In locum suum*, למקומו] i. in domum suam.

56. *Reddidit itaque Deus malum*, וישב אלהים את רעת] *Convertit ergò* [sub. *in caput ejus*] *malum*, i. scelus, sive flagitium quod, &c. Plena locutio v. 57. habetur, *Reddidit Deus*, vel *convertit*, *in caput eorum.*

57. *Maledictio*, קללת] *Execratio*, i. ità accidit illis ut Jotham imprecatus fuerat.

CASTALIO.

9. CUM *per ipsam & dii honorarentur, & homines*] Sc. oleo, quod ad sacrificia & lucernas adhibetur, & ad ungendos Vates, & Sacerdotes, & Reges.

13. *Quo & deos exhilararet & homines*] Sc. in libaminibus.

CLARIUS.

4. BAalberith] Erant olim apud Chananæos multi Dii qui communi nomine *Baal* vocabantur, quod *Dominum* & *Magistrum* sonat, sed habuit quilibet Baal etiam proprium nomen; ut *Baal-zebub*, i. *Domina musca*; *Baal-peor*, i. *Magister voracitatis*; *Baalberith*, i. *Dominus federis*, &c. ¶ *Inanes & mobiles*] *Leves & vagos*; qui scilicet nihil habuerunt unde viverent, sed victum rapiendo & prædando quærebant.

9. *Deserere pinguedinem*] Regno præficiendi sunt viri clementes, fideles & prudentes: at ii refugere consueverunt; quibus jucundius est sua agere, ac sibi vivere, suisque animi bonis frui. Mali verò & qui minimè apti sunt facilè adducuntur, atque adeò potiùs invadunt regnum.

15. *Si verè me regem*] Per *rhamnum* intellige Abimelech. Is egit malitiosè primùm cum matris suæ consanguineis ut peteretur à plebe: nunc, cùm petitur, fingit invitum se obsequi vocationi; & obsequentibus gratiam pollicetur, immorigeris verò crudelia comminatur, etiam si magni fuerint & velut cedri in populo.

22. *Regnavit itaque*] Non dixit textus, *judicavit Abimelech filios Israel*, sicut de aliis scribitur Judicibus, sed, *usurpavit sibi dominium* propriâ temeritate *super Israel*, & sicut tyrannicè se ingessit, sic quoque tyrannum in subditos egit, quapropter spretus est à Sichimitis, qui tamen illi in tam detestabili parricidio non defuerunt, & voluit Dominus injuriam illam fratribus illatam retorquere in caput ejus; & primùm immittens spiritum malum & dissensionis seminarium in Sichimitas, summo cum dedecore tam Regem quàm Sichimitas perdidit.

28. *Quæ est Sichem*] Alius vertit, *Quis est Sichem?* ut non sit nomen civitatis, sed Principis, filii Hemor, qui violavit Dinam filiam Jacob, & olim oppido illi præfuit. Dicit itaque Gaal, *Nolite servire Abimelech, sed potiùs ejicite eum: & si vultis servire, servite potiùs viris qui descenderunt ab Hemor patre Sichem. Quis est enim Abimelech iste? & quis Zebul iste quem constituit præfectum super civitatem vestram.*

29. *Congrega exercitûs multitudinem*] Hoc dixit Gaal superbo animo, multa sibi pollicens, quò faciliùs Sichimitas ad suum inclinaret votum. Dixit autem verba ista absente Abimelech, qui illo præsente tam turpiter fugit.

37. *De umbilico terræ*] Vel, *de medio terræ*, & est eadem locutio cum priore: montes enim hîc per *umbilicum* significantur, de quibus ille videbat descendere milites Abimelech. Derisit proinde Zebul his verbis Gaal ipsum, q. d. Malè vides, ut umbram montium homines esse suspiceris.

46. *Qui*

46. *Qui habitabant in turri*] Viri vel magnates civitatis, qui confugerant ad turrim quandam intra mœnia Sichem positam; in qua cùm se minimè tutos arbitrarentur, fugerunt ad aliam turrim multo munitiorem, sed fefellit eos spes sua, cùm flammâ & fumo in ea extincti sint.

DRUSIUS:

2. IN *auribus omnium dominorum Sichem*] i. Audientibus illis. *Domini Sichem* בעלי שכם sunt cives illius urbis, qui & אנשי שכם *viri Sichem*, ἄνδρες Συχὲμ, quod in Hieron. & Lxx. Nam Jon. edidit *habitatores Sichem*. Fortè primarios cives intelligit; ut suprà per אנשי סכות significantur Principes & qui magistratum gerunt, quos *Senes* appellant. Sic vulgò etiam loquimur. ¶ *Os vestrum & caro vestra ego*] i. Consanguineus vester, vel sanguine vobis junctus. Abenmelech Gen. 29. 14. putat locutionem esse ἐκ παραλλήλου. Nam *os meum* & *caro mea* synonyma sunt. Jon. *Propinquus vester & caro vestra ego*. Lxx ὀστοῦν ὑμῶν καὶ σὰρξ ὑμῶν. Respexit fortè ad locum Gen. 2. 23. *Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*. 2 Sam. 19. 13. *Nonne os meum & caro mea*, & paulò antè, *Fratres mei vos & os meum*. 1 Par. 11. 1. *Os tuum sumus & caro tua*. Ephes. 5. 30. *De carne ejus, de ossibus ejus*.

3. *Frater noster est*] i. Cognatus, affinis, consanguineus. Sic *fratres Domini*, Act. 1. 14. alterius Mariæ filii quatuor, Jacobus, Joses, Simon & Judas, de quibus Matth. 13. 55. & Marc. 15. 40. Gen. 14. 16. Abram vocat Lot fratris filium *fratrem*, quia consanguineus & cognatus. Gen. 29. 12. Jacob vocatur *frater* Labanis. Augustinus contra Faustum l. 22. c. 25. *Fratres Domini vocantur in Euangelio, non utique quos Maria virgo pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinqui*. Idem tract. 10. in Johan. annotat *fratres* dici avunculum & sororis filium. Anselmus in Matth. 13. *Fratres apud Judæos solent dici cognati, non solùm ex gradu cognationis, sicut fratrem & sororem, qui etiam usitatissimè apud nos Fratres dicuntur; sed etiam Avunculus & Sororis filius, sicut erant Jacob & Laban, appellati inveniuntur*.

4. *Ex æde Baalberith*] Hic locus evincit Baalberith idolum fuisse quod colebatur in urbe Sichem patria Abimelechi. Appellatio à *fœdere*, ut si dicas *Jupiter fœderatus*. Fortè fœdus cum eo pepigerant cùm cultum ejus reciperent. Hieron. *de fano Baalberith*. Lxx ἐξ οἴκου Βααλβερίθ. Jon. *è domo Baal fœderis*. קיים non ברית. ¶ *Viros vacuos*] ריקים cum Jod, unde & ריקה *cerebri vacuus*, vox convitii, pro quo in Euangelio ῥακά. Hieron. *inopes*. Lxx ἄνδρας κενούς, quod reddunt *inanes*. Jon. סריקין, i. *vacuos*. Nam סרק *vacuus* Gen. 37. 24. in Jonatha. In monumentis doctorum תריקי *vacui*, non quòd crumenam haberent vacuam, quod videtur existimasse Hieronymus, sed cerebrum eis erat vacuum; ideo sic vocantur. סריקין *vacuos*, vel morum respectu, vel personarum. Hinc סרקנים *Saraceni*, ut à סרב סרבנים dicuntur *rebelles*. Vide Fullerum Miscel. l. 2. c. 12. ¶ *Et vagos*] ופוחזים Ità Hieronymus. Priùs erat in Lxx καὶ δειλούς, quod reddunt *& miseros*. Alii, θαμβουμένους. Apud Augustinum in Locut. *perturbatos*. Arias, *& leves*. Trem. *viros vanos & instabiles*. Jon. בסירין *viles, contemptos, abjectos*, i. נבוזים. Nam interpretamentum Chaldaicum τῷ בוזה *contempsit* est בסר. R. D. laudat ex alio codice בקרין, quod idem esse ait cum פקרין. Sic dicimus הפקר & חבקר pro eodem. *Sunt autem*, inquit, *homines* מופקרים *libertate donati*, ומשולחים *qui sibi remissi sunt*, ut in libro Proverb. *puer* משולח *sibi remissus, viri leves, qui vagantur ob escam, qui non habent unde vivant. Aut sign. Armenta pascentes* רועי בקר, *ut verbum sonat; quia tales vilissimi hominum sunt; prout habetur in libris Doctorum nostrorum*, אפילו רועי בקר *etiam pascentes boves, bubulci*, בקר *bubulcus*, בקר *bos*. R. Jesaias interpretatur נמהרי לב *qui sunt animo præcipiti*. R. S. *perturbati in operibus suis, facientes omnia sine prudentia*.

5. *Septuaginta viros*] Numerus rotundus. Nam erant tantùm 69, h. e. septuaginta uno minus. Jotham enim ex iis erat, qui latens servatus fuit in vita. Sic v. 18. ubi Jotham ipse nominat septuaginta. Videndus R. D. ad h. l. qui scribit *unum non impedire quò minùs ponatur numerus rotundus*, & pro exemplo adducit, *omnes animæ quæ veniebant cum Jacob in Ægyptum septuaginta*: videtur hìc una defuisse; expende. Quandoque quæ superant omittuntur, ut cùm nominamus septuaginta interpretes, qui erant LXXII. Sic, *Filii sumus duodecim in terra Chanaan*; cùm crederent unum mortuum esse, saltem sciebant eum non esse in terra Chanaan: nam vendiderant ducendum in Ægyptum. Sic Joh. 20. 24. *Thomas unus ex duodecim*; cùm tantùm undecim essent. Sic, *ostendit se duodecim discipulis*; cùm Judas abiisset. ¶ *Jotham filius Jerobaal minimus*] Fortè nepos ejus erat ex uno filiorum ejus septuaginta qui occisi fuerant. Sic de Noe legimus, *vidit quæ fecisset filius ejus minimus*, quòd de Chanaan enarrant filio Cham; in quem etiam stricta fuit maledictio, *Maledictus Chanaan; servus servorum erit fratribus suis*. Qua de re traditio est apud Ebræos, quæ narrat Chanaan priùs vidisse pudenda patris, &c.

6. *Sichem*] Lxx Σικίμων. Nam τὰ Σίκιμα dicimus pro Συχὲμ pl. numero, ut τὰ Ἱεροσόλυμα. Sic ἐν Σικίμοις *Sicimis, in Sichem*, Sirach 50. 30. & Jos. 21. 21. Σίκιμα, ubi Hieron. *de Sichem*. Dicitur & *Sechem*. Josephus Ant. l. 1. c. ult. εἰς Σίκιμον. Rufinus, *in Sicimam*. Sed in Bibliis Ebraicis עיר שכם, ubi Lxx εἰς Σίκιμον, Hieron. *in urbem Sichimorum*. Sic *urbs Sodomorum*, Gen. 33. Græci urbem Σίκιμα dicunt, & virum Συχὲμ, ubi שכם utrobique in Ebræo. Psal. 60. 6. Lxx διαμεριῶ Σίκιμα, Hieron. *Sichimam*. R. Benjamin in libro Massaoth vulgò vocari scribit *Liebilas*; quod corruptum ex *Neapolis*. Cæterùm duas Sicimas fuisse, unam in finibus Ephraim, quam delevit Abimelech, & alteram fugitivorum, observat Vives ad August. De civ. Dei ex Euseb. De locis. ¶ *Omnis domus Mello*] Nomen urbis, si credendum Hieronymo, qui vertit *universa familia urbis Mello*. In Græca ed. Rom. duæ lectiones hìc coaluerunt, πᾶς οἶκος Βηθμααλὼ una est οἶκος Μααλὼ, quod in quibusdam libris; altera Βηθμααλὼ nam βὴθ, οἶκος. Malim Μαλλώ. מלוא Μαλλώ, ut נמרד *Namrod*. Sign. autem מלוא *impletionem*, non *munitionem*, ut quidam vertunt. Potius ut sit nomen viri. Sed nihil adfirmo. ¶ *Apud quercum statuæ*] Ubi statua erat quam Josua erexit, qui *magnum lapidem posuit sub quercu*, Jos. 24. 26. Alii *juxta planitiem statuæ*. Vox Ebræa אלון utrumque sign. Hieron. *juxta quercum quæ stabat in Sichem*: ac si esset ordine inverso אשר מצב *quæ sita*, aut *statuta, erat in Sichem*. Lxx πρὸς τῇ βαλάνῳ τῆς στάσεως τῆς ἐν Σικίμοις. Ed. Rom. ἐν τῇ βαλάνῳ τῇ εὑρετῇ τῆς στάσεως *juxta quercum inventam stationis*. Sed τῇ εὑρετῇ non est in fonte. Hìc notabis עם positum esse pro סמוך *juxta, prope*, quod Ebræi non prætereunt. Nam R. D. exponit סמוך לאלון, ut alibi עם בית לחם *juxta Bethlehem*. Jon. *apud*, vel *juxta, planitiem statuæ*. *Erat*, inquit R. D. *lapis, aut aliquid tale, statutus ibi, unde planities denominata*. Idem R. S. *Planities erat in qua statua*. Sed R. Levi, *juxta planitiem ubi statuerant lapidem aut aliquid aliud*. Gen. 25. 11. עם באר *prope puteum*, סמוך באר, vel certè *in puteo*, ait Abenmelech. Sic hoc loco, *in planitie*. Autor Synonymorum Ebraicorum adducit aliud exemplum עם יבוס, quod ennarrat סמוך ליבוס *prope Jebus*. R. Levi hìc exponit per אצל *juxta*. Vide, si otium.

7. *Et audiet vos*] Si me audiveritis, Deus vox exaudiet, h. e. accipiet preces vestras: ità Jon. Quidam, *ità vos audiat Deus*. Hieron. *ità ut audiat vos Deus*.

8. *Eundo iverunt*] Potest legi *Iverunt iverunt*; ut alibi *videndo vidi* reddunt *vidi vidi*. Nam repetitio facit ad auxesin. Trem. *Aliquando iverunt*. Jon. *An eundo iverunt?* per interrogationem. Apologus est qualis 2 Reg. 14. 9. ¶ *Arbores*] Sichemitæ. ¶ *Ut ungerent*] *Ut constituerent ungendo eum*. Nam *sicut nunc* Regibus *indumentum purpura insigne est regia potestatis, sic* Judæis *olim unctio sacri* olei sive oleum unctionis *nomen & dignitatem*

regiam conferebant, ait Lactantius l. 4. c. 7. Sunt qui hunc unctum fuisse negant. De Abimelecho loquor, quem aiunt factum quidem fuisse Regem, sed non unctum. Sanè ut *levare aliquem in Regem* vel *Imperatorem* dicunt Latini, Imperatorem vel Regem factum creatúmque significantes, sic ab adjuncto Ebræi *ungere aliquem in Regem* pro *constituere* simpliciter. Hoc sensu legimus Jes. 45. 1. *Sic dicit Dominus uncto suo Cyro*, i. Regi suo. Nam Persas unxisse Reges suos nusquam legitur, quod sciam. ¶ *Oliva*] Sic Gen. 8. *folium* זית *olivæ*. Vox Ebræa utrumque sign. & ipsam arborem & fructum ejus. Sanè Hag. 2. 19. עץ הזית tam potest reddi *arbor olivæ* quàm *oleæ*. Sic *arbor fici*, *herba lapithi*, *urbs Roma*, & alia ejus generis. *Olea* enim & de arbore dicitur. Sic pinguis oleæ liquor *oleum* dicitur & *olivum*. Græcis ἐλαία & arbor & fructus; ἐλάα fructus tantùm; quod Atticum esse docet Eustathius. Sed confundi scias. Sic dico, *Olea* & fructus & arbor, sæpius tamen fructus. Sic *Oliva* utrumque quidem sign. sæpius tamen ipsam arborem, quod notandum putavi propter eos qui *olivam* putant dici fructum, & *oleam* arborem.

9. *Cessare faciam*] Vel, *desistere faciam*, i. derelinquam, deseram. Anomalum est החדלתי in Hiphil. Sunt qui Kal esse putant cum ה nota interrogandi. Sic accepisse videtur Jonathan: nam vertit האשבוק *an derelinquam?* ¶ *Pinguedinem meam quæ in me*] Eleganter παρέλκει *quæ in me*. Nam *pinguedo mea*, quæ in me. Sic sæpe loquuntur Ebræi. Puto rectum esse, *quia per me honorant Deum & homines*, ut sit אשר pro כי, enallage haud insitata. Hieron. *quâ & dii utuntur & homines*. Lxx ἐν ᾗ δοξάσουσι τὸν Θεὸν ἄνδρες. Jon. videtur legisse בו: nam vertit דמניה *è qua*, pinguedine videlicet. Santes *quâ per me*, ad verb. *in me*. Non sperno. Trem. *per quam*. ¶ *Honorant Deum & homines*] *In lucerna, quam accendunt oleo olivarum coram Domino, & coram hominibus; aut in cibo, quia offerunt oleum in muneribus*, במנחות, *Deo, & hominibus; etiam comedunt illud*. Hæc R. D. qui adducit paraphrasin Jonathæ. Ut ut sit, oleum adhibebatur ad sacrificium, ad unctionem Regum & Sacerdotum Prophetarúmque, tum etiam ad corpora humana delibuenda: nam se ungebant cùm ad hilaritatem se componerent. Sic dico, Olei usus in sacrificio, quod *Manaa*, i. *munus*, vocant; in lucernis Tabernaculi; in unctionibus Regum, Sacerdotum & Prophetarum; in cibis, &c. Sic *honorantur eo Deus & homines*; Deus, in Templo; homines, cùm eo unguntur. ¶ *Ut promovear*] לנוע *ad movendum*, i. promovendum; simplex pro composito, hoc primum. Deinde infinitum Kal sumitur passivè, ut sæpe aliàs. Sic, *Tunc cœptum est* לקרא *invocari*. Alius *ad vagandum*. Jon. *ad regnandum*, ad verb. *ad faciendum regnum*. *Facere regnum* nihil aliud est quàm regium munus exsequi.

13. *Mustum meum*] Lxx τὸν οἶνόν μου. Hieron. *vinum meum*. Jon. quoque חמרי *vinum meum*, propriè *vinum rubrum*. Sed latiùs accipitur etiam pro vino albo. ¶ *Quod exhilarat Deum & homines*]. Quomodo lætificat Deum? nam Deus vinum non bibit, ergò non lætificatur eo. Vinum exhilarat Deum in sacrificiis quando ritè libatur. Jon. *vinum meum, unde libant coram Domino, & quo lætantur principes*, sive *magnates*. אנשים ità accipit ut sit nomen ἀρετῆς. Sic אנשי סכות *primores Succhoth*, qui & *principes Succhoth*. R. D. *Hinc est quòd nostri Doctores non dicunt canticum nisi super vinum. Jonathan autem interpretatur*, *Quia de eo libant coram Domino*, *& eo gaudent magnates. Removet à Creatore gaudium, sicut removet etiam ab eo omnes formas. Non enim est coram eo neque Gaudium neque Dolor, nisi cùm* ἀνθρωποπαθῶς *hæc ei tribuuntur. Sed hoc non fecit in illo.* ET INCANDUIT IRA DOMINI, *& in similibus, quod continet arcanum notum intelligentibus scientiam. Quòd autem interpretatur* אנשים *Magnates, vult dicere quòd vinum exhilaret viros magnos & sapientes, & benefacit menti eorum; quemadmodum dixerunt Doctores nostri, vinum & odorata apertos, i. sapientes, reddunt. Homines autem viles & abjecti inebriantur eo, & aufert mentem eorum qui vino implicantur.*

14. *Ad rhamnum*] Τῷ ῥάμνῳ. Arias emendat *ad carduum*; Trem. verò, *ad cynosbatum*. Ego causam nullam video cur ab antiqua versione recedendum sit, nisi fortasse libido immutandi sæpe quæ recta sunt. In libro Nom. *Atad, Rhamnus, sive Spinetum*. Ebræi dicunt spinas teneras vocari סירים, duras verò אטדים. Baal Aruch ait esse *spinas steriles quibus aream circumdant ejus custodiendæ gratiâ*. R. D. *Rhamnus est Abimelech, & sic, Venerunt ad aream Rhamni. Solemus autem agros obsepire hujusmodi spinis, nè à prætereuntibus damnum accipiant*. Sed vide sequentia, ῥάμνος vox Græca est. An Latini authores eam usurpent nescio, hoc scio, interpretem nostrum usum aliquoties. Latinè dicitur *spina alba*, vel *cerealis*. Lex. vet. Ῥάμνος, *spina alba*. Eam Galli *burgam spinam* appellant, ait Gorræus. Dubito etiam an apta sit ad hortum aut agrum sepiendum. Nam non omnes sentes æquè aptæ & idoneæ. Rubus aptior est, quomodo ῥάμνον interpretatur apud Josephum, qui eum Latinum fecit. Κυνόσβατος est *rubus caninus*; quem *sentem canis* appellat Columella; de quo l. 11. c. 3. ità scribit, ubi agit de loco quem sepire destinaveris, *Semina sint vastissimarum spinarum maximéque Rubi & Paliuri, & ejus quam Græci vocant* κυνόσβατον *nos Sentem canis appellamus*. Id commovit interpretes nuperos ut pro ῥάμνῳ posuerint κυνόσβατον. Dicimus autem ἡ κυνόσβατος & τὸ κυνόσβατον. De *Atad* scribunt omnes Ebræi quòd ad sepem utilis sit quâ hortum ab incursu hominum pecudúmque munimus. Quòd si in eo genere est Spina alba, nulla causa est cur antiquas editiones loco moveamus.

15. *Ungitis me in regem super vos*] Vel, *constituitis ungendo*, ut mos erat Ebræorum; vel, *constituitis & creatis* simpliciter: qua de re diximus suprà, quæ non repeto. Tremellius hîc vertit, *creatis me in regem super vos*, ut & v. 8. *ungere* accepit pro *creare*. Creamus autem etiam sine unctione. ¶ *In umbra mea*] *In protectione mea*. Nam umbra nos protegit adversùs æstum. Sic Cohel. 7. 13. *in umbra sapientiæ*. Aut *in umbra*, i. in umbraculo meo. Sanè Psal. 27. 5. סכה. Hieronymus *umbram* reddit, cùm significet potiùs *umbraculum*: nec aliter Chaldæus: nam טללא *umbra*. Sic *umbræ* vocabantur Neptunalibus casæ frondeæ: autor Festus. Vide Casaubonum in Athenæum, p. 217. Græci σκιάδας καὶ σκηνὰς vocant. Porrò Hieronymus hîc edidit *sub umbra mea requiescite*. Lxx ὑπόστητε ἐν τῇ σκιᾷ μου *subsistite in umbra mea*: alii πεποίθατε ἐν τῇ σκέπῃ μου *confidite in protectione mea*. Sic Augustinus. Santes *sperate*, Arias *confidite*. Trem. *obtegite vos*. Malim *recipite vos*. ¶ *Egrediatur ignis ex rhamno*] Dubito an verum sit quod ad hunc locum annotat Nicolaus ex Isidoro, *Rhamnus secundùm Isidorum est dumus parvus qui vento agitatus ex se emittit ignem*. Glossa Ord. Isidorum laudat qui dicat Rhamnum esse *genus rubri asperum nimis & spinosum*.

16. *Integrè*] בתמים in *integritate*, i. integrè. Nomen est תמים, non adjectivum. Sic alibi עבדו אותו בתמים ובאמת *integrè ac verè*. Nos alibi plura loca indicavimus. *Integrè*, i. sincerè & absque fuco simulationis nullâ fictione usi. Lxx ἐν ἀληθείᾳ καὶ τελειότητι. Hieron. *si rectè & absque peccato*. באמת Tremellius interpretatur *seriò*.

17. *Projecit animam suam procul*] מנגד *longè, procul, de longè*, מרחוק. Observant Ebræi נגד si præcedat ל appropinquationem denotare; si מן, *remotionem* & *elongationem*; Cabvenaki, Abenezra Prov. 14. 7. Abenmelech, Abenezra Gen. 21. Hic *anima* Vitam sign. ut in illo, *Posuit animam suam in manu sua*, i. Se exposuit extremo discrimini & periculo. Hieron. *animam suam dedit periculis*. Lxx ἔῤῥιψε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐξ ἐναντίου *projecit animam suam ex adverso*. Jon. *tradidit animam suam quasi supereminentiam ad necem*, כעל נב Vide Tropos.

18. *Hodie*] *Hoc tempore*. *Dies* pro *tempore* notum est in Latio, tunc ferè femininè usurpatur; ut

Longa dies homini docuit parere leones.

Indè

Inde *diecula*. ¶ *Super Sichemitas*] על בעלי שכם, *super habitatores Sichem*. Sic etiam Jon. Sed Lxx ἐπὶ τοὺς ἄνδρας Σικίμων *super viros Sichimorum*, על אנשי שכם. R. D. annotat בעלי שכם dici *dominos urbis & magnates ejus, qui sint fundamentum virorum urbis*. Vide quæ suprà hac de re scripsimus.

19. *Hodie*] Hic est היום הזה in fonte.

20. *Et domum Mello*] Vel *Mallo*, vel *Millo*. Et videtur esse nomen viri. Nam ut sit urbis nomen mihi nondum persuasit Hieronymus.

21. *Beram*] בארה, i. לבאר *in Beer*. Id *puteum* sonat aut *cisternam*. Eusebius De locis, *Bera, ubi cùm Abimelech Joathan fugisset habitavit*. Sensus est, Ubi Joathan habitavit cùm fugisset Abimelechum fratrem suum. Num. 21. 16. באר locus à *puteo* sic dictus, ut *Fessa* ab *auro*. Sequitur in Eusebio, *Distat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem*. Trem. *Fortè locus ille est qui Jos. 19. 8. Baalath-beer dicitur in tribu Simeonis*. Idem conjicit Marcus Marinus.

22. *Princeps fuit*] Non dicit, *Judicavit Israelem*, sed, *Principatum tenuit*; primùm, quia ejus Principatus non fuit legitimus; deinde, quia non regnavit super totum Israelem. Videndus R. D. ad h. l. Verbum Ebræum sign. etiam *de principatu contendere*; ut apud Hoseam, *De principatu contendit cum Deo, & prævaluit*.

23. *Immisit Deus spiritum malum*] Πνεῦμα πονηρόν. q. d. Excitavit odium & simultates inter eos. Quidam *affectum malum*. Nicolaus, *Contentionem seu discordiam excitavit per spiritum malignum*. Spiritus ergò malus est spiritus Dissidii & Contentionis. ¶ *Prævaricati sunt in Abimelech*] Defecerunt ab eo; non servarunt ei fidem datam. Sic בגד usurpatur de conjugatis quando violant thorum conjugalem.

24. *Violentia filiorum*] Filiis illata. Sic *violentia Jacobi*, Jacobo illata. חמס alii reddunt *injuriam*. ¶ *Sanguinem eorum ponere super Abimelech*] Cædem eorum imputare illi, & ultionem propterea de illo sumere. Sic, *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*. Ut eorum sanguinis pœnas expeteret ab Abimelecho & à Sichemitis.

25. *Insidiatores*] מְאָרְבִים. ἐνεδρεύοντας, ità Lxx, & meliùs quàm Hieronymus qui vertit *insidias*, i. מַאֲרָבִים, quanquam cùm abessent puncta, tam hoc quàm illo modo legi poterat. Illud miror, Santem hodie quando vocales adscriptas habemus vertisse *insidias*.

26. *Gaal filius Ebed*] Pro *Ebed* Hieronymus olim legit *Obed*, i. עֹבֵד, aliis vocalibus. Hoc *servientem*, illud *servum* notat. Libri Græci habent Ἰωβὴλ pro Ὠβήδ· nam sic etiam legunt, ut videtur, ¶ *Transierunt*] Trajecerunt Jordanem. Vide suprà 6. 33. Tamen Trem. *cùm pervenissent Sichemum*. Sic in Latio *transire* ponitur pro *ire*; h. e. compositum pro simplici. Terent. *Transeundum tibi nunc est ad Menedemum*. Sic, *transite Chalamnem* Amos 6. 2. &, *Bersabam non transite*, i. adite. Sic *transire domum* pro *abire domum* dixit Plautus; &, *transite ad forum*, Terentius. Gen. 33. 14. *Transeat nunc Dominus meus ante servum suum*, i. eat. Exod. 17. 5. *Transi coram populo*. Lxx πρoπορεύου τοῦ λαοῦ. Hier. *Antecede populum*.

27. *Exierunt*] Sichemitæ, qui non audebant exire ex urbe metu Abimelechi, nunc, cùm advenisset Gaal cum fratribus suis, egressi vindemiarunt vineas suas, & calcarunt uvas. ¶ *Calcarunt*] Uvas post vindemiam. ¶ *Fecerunt gaudia*] Hilares fuerunt, ut solent homines post factam vindemiam, præsertim si ea feliciter successerit. Sic gaudent homines in messe, cùm multa & copiosa est, unde *gaudium in messe* pro *gaudio magno*. Et legimus apud Davidem, *Dedisti lætitiam in corde meo quàm tempore frumenti eorum & musti eorum multa sunt*. הלולים *gaudia, lætitiæ*, i. שמחות, unde in lingua Doctorum הלולא *domus gaudii*, בית השמחה *domus lætitiæ, nuptiæ*, propriè sign. lætitiam quæ in nuptiis, h.e. שמחת החופה. Sane בית הלולא idem quod *domus nuptialis*, in qua laudatur & canticis celebratur sponsus sponsáque.

Hinc lux illi loco Psal. 78. *Virgines ejus non fuerunt laudata*, i. epithalamiis celebratæ. Trem. h. l. *faceréntque laudativa carmina*. Vide annot. ad h. l. & D. Camium Psal. 106. 5. Hier. *& factis cantantium choris*. Lxx ἐποίησαν Ἑλλουλίμ, quod aspirandum, Ἑλλουλίμ· alii χορούς, i. *choreas*, vel *choros*. Jon. חנגין, quod similiter exponunt *choros*. ¶ *Ingressi sunt adem Dei sui*] Qui *Baal-Berith* & *El-Berith* vocabatur. Erat autem numen Sichimitarum. Hinc liquet idolorum cultores in fanis Deorum suorum olim epulatos esse. Nam sequitur, *comederunt & biberunt*, pro quo Hier. *inter epulas & pocula*.

28. *Ebed*] Vel *Abed*. עָבֶד *Abed*, ut הבל *Habel*, פרץ *Phares*, quæ forma nominis est cùm in pausa ponitur, ut infrà v. 30. בן עבד *filius Abed*. ¶ *Quanam est Sechem*] Comparat Sicimam liberam olim rempublicam cum Abimelecho, qui per fas & nefas dominatum in eam occupaverat. Sic Hier. *qua est Sichem*, quod Santes & alii sequuntur. Lxx τίς ἐστιν ὁ Συχέμ; *quis est filius Sychem?* Sed & R. D. *Quis est Sichem? nempe filius Hemor, qui aliquando principatum habuit hujus urbis*. Sed vide scholia ejus: מי interrogat de persona & qualitate personæ; an etiam de urbe? R. D. annotat Mich. 1. 5. מי duntaxat interrogare de hominibus, non de bestiis aut aliis rebus. Ideo מי פשע ibi exponit, *Quis causa sceleris?* Fortè hîc מִי ponitur pro מַה aut מָה: nam permutatio est inter has literas. Sic החלי invenies pro החלה *ægrotare fecit*, ut dicat, *Quódnam scelus?* Sic *quis* pro *qua*; *Quis mulier?* Varro de re rustica. *Quis itio ad priorem dominum?* Sane מִי pro מָה reperitur, cap. 13. 17. מי שמך *Quod est nomen tuum?* Sic fortè hoc loco מי שכם *qua Sichem?* i. מָה aut מַה. Sed quia *Sichem* est nomen etiam viri, ideo alii maluerunt, *Quis est Sichem?* ¶ *Servite viris Hemor patris Sichem*] Potiùs quàm Abimelecho. Nam, ut alia omittam, à *Sichem* urbs hæc nomen accepit. Quanquam sunt qui Hemore natum ab urbe appellatum censent. Relinquamus hoc in medio. Pro *viris* sunt qui referunt *cum viris*, sive *civibus*; quod mihi non admodum probatur. Nam verbum עבד *servio* usitatè & ordinariè cum את construitur. Cur ergò hîc את accipiemus pro עם? neque video commodum sensum indè elici posse. Sed hæc omnia indigent accuratiore disquisitione. Vide notas Tremellii ad h. l. qui enarrat *servite cum civibus Hemor*, i. ità ut Sichemitæ serviebant sub principatu Hemoris. ¶ *Patris Sichem*] Et hîc mutat Tremellius: nam vertit *principis Sichem*, ut *Sichem* hîc sit nomen urbis. Sed quid an *pater* aliquando Principem notat? Nam qui *pater patriæ* dicitur non tam est Princeps quàm paternum imperium exercens in suos. Sic Plutarchus Romulum appellat *Romæ patrem*, i. conditorem. Sic *pater Edom*, i. autor gentis, Gen. 36. 9. ¶ *Princeps*, i. primus; ut, *pater tenentium citharam* הראשון. Sed *pater* interpretantur רב *princeps*. Vide Tropos.

29. *Amoverem Abimelechum*] Nonne priùs amoverant eum? Non penitus eum amoverant sed tantùm defecerant ab eo. Nunc autem dicit penitus *amovendum* ipsum, ut omni jure excidat. Hier. *auferrem è medio*. Trem. *tollerem*. Lxx μεταστήσω. Vide R. D.

30. *Audivit Zebul princeps urbis*] Hinc discimus factiones fuisse in urbe, neque omnes communi consensu removisse Abimelechum, alioqui Præfectum ejus aut occidissent aut unà ejecissent.

31. *Thorma*] *Qui erat Thorma*, h. e. in urbe Thorma, quæ & *Aruma* infrà 41. *Et habitavit Abimelech Aruma*. Nam in fonte בתורמה, non לתורמה, i. *Thormam*, aut est ב pro ל. Sed alii aliter hunc locum enarrant. Hier. *misit clàm*. Lxx ἐν κρυφῇ. Alii μετὰ δώρων *cum donis*. Santes *in dolo*, בְּמִרְמָה. Sic etiam R. D. Nec aliter Jonathan: nam ברז valet *secretò*, quod R. D. enarrat בסתר, *ne videlicet rescīscerent Sichimitæ*. *Aut Thorma*, inquit, *est nomen loci, qui & Aruma, ubi Abimelech sedem habebat. Sic interpretatur pater meus p.m. quia non exstat forma illa in quiescentibus Lamed*. R.S. בלט ובסתר. ¶ *Obsident urbem contra te*] Urbs obsidetur exteriùs, interiùs. Exteriùs, quando coronâ cingitur nè quis egredi aut ingredi,

gredi possit; interiùs, quando cives prohibentur ire ad Principem suum. R. D. *Vocatur obsidio, quando obsident urbem foris ne quis possit egredi, & quando custodiunt eam ne quis ingrediatur.* Hoc sensu hîc dicit, *obsident urbem propter te*, ne intrare illam possis. Trem. *oppugnant cum urbe te*, את *cum*, i. עם. Hier. *oppugnat adversum te civitatem.*

33. *Prout invenerit manus tua*] Quemadmodum poteris. Sanè Hieronymus interpretatur, *fac ei quod potueris.* Trem. *prout obvenerit manui tuæ.*

34. *Quatuor capita*] i. Turmæ, vel agmina. Alibi *partes* interpretantur. Hier. *in quatuor locis.* Lxx τέσσαρσιν ἀρχαῖς. Alibi est τέσσαρες ἀρχαὶ, & apud Augustinum *quatuor principia.* Thargum, *quatuor exercitibus*, vel *turmis.*

36. *Umbram montium tu vides*] Ridet eum. Nam hoc dicit εἰρωνικῶς.

37. *Ex umbilico terræ*] Umbilicus est in medio corpore. Medium terræ est in editiore ipsius parte. Innuit ergò partem editiorem terræ ut sunt montes & colles. Videndus R. D. ad h. l. Umbilicus ὀμφαλὸς dicitur, h. e. טבור. Sed & שר est *umbilicus*, quem ità dictum putant à *robore* & *firmitate.* Quippe שריר *robustus.* Quod noto quia Thargum hîc habet תוקפא דארעא, *validior pars terræ.* Locus medius inter urbes. Videndus R. Jesaias ad h. l. ¶ *A via planitiei*] Cùm אלון etiam *planitiem* denotet, & plerique omnes ità reddant hoc vocabulum, miror Ariam, qui hîc Santem correxerit, *planitiem* in *quercum* vertendo, ac si hoc loco non significaret *planitiem:* quod ei probandum fuisset. Sunt qui hîc legunt *à via Elon Meonenim*, Thargum, *planitiei Meonaniæ.* Vide Rom. ed. Lat. in Notis.

38. *Os tuum*] Sermo tuus.

41. *Expulit Zebul*, &c.] Videtur factio Zebulis prævaluisse post acceptam cladem, in qua Gaal cum factione sua victus aufugit: unde facile fuit ei ipsum expellere. Alioqui quomodo potuisset id facere civibus ejus adhuc bellum gerentibus cum Abimelecho?

44 *Et capita quæ cum eo*] Si *agmina* dicit, unum tantùm agmen erat cum eo: nam duo per agros vagabantur. An igitur *capita* hîc dicit Duces? Hier. *cum cuneo suo.* Jon. *& omnes turmæ quæ cum eo.* Lxx οἱ ἀρχηγοὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, *principes qui cum eo.* Ed. Compl. ἀρχαὶ αἱ *turmæ quæ.*

45. *Conseruit eam sale*] Ut sterilitatem loco conciliaret. Virgilius Georg. 2.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus aut pomis sua nomina servat,

Pomaque degenerant succos oblita priores.

Psal. 107. 34. *Terram fertilem ponit in salsam*, vel *salsuginem.* Gerundensis in Lev. 171. 2. *Sal è mari ex calore Solis aquam ità immutat, ut quæ priùs terram irrigabat, ubi sale aspersa est, eandem sterilem reddat.* Vide Deut. 29. 23. & lectiones nostras Soph. 2. 9. ad, *urticetum & fodina salis.* Nicolaus ad h. l. *Sal enim reddit terram sterilem, & ideo quando aliquis destruebat funditus aliquam civitatem, spargebat ibi sal in signum perfectæ victoriæ.*

46. *Omnes Domini turris Sichem*] Infrà v. 49. vocantur *viri turris Sechem, qui erant circiter mille viri & mulieres.* Nos alibi notavimus *viros urbis* aliquando dici qui primores & cum imperio sunt in urbe. Sed hoc non est perpetuum. Sic fortè בעלי עיר & cives & primarii. Infrà v. 51. *omnes viri, & omnes domini urbis.* Turrim R. Jesaias hîc vocat קריה. Vide illum, si placet. R. D. אדני *domini turris Sichem non erant in urbe cùm caperet eam Abimelech, quâ captâ, cùm hoc audivissent, fugerunt in arcem ædis Dei, ut munirent se in illa arce:* צריח *autem idem ferè quod* מגדל Turris; *ut petra, &* צריחים *arces, & locus in quo erat illa arx, vocatur Domus Dei federis*, i. *El-berith.* Lxx συνέλευσιν *ad conventum.* Alii εἰς τὸ ὀχύρωμα *in munitionem.* Jonathan opinatus videtur צריח ביתאל esse nomen loci, ubi eos convenisse putat ad fedus iciendum cum eis. צרח Deus petræ ubi domus erant exstructæ. Vide R. Jesaiam. Appellatio à *vociferando.* Nam speculator stans ibi in specula vociferatur & clamat cùm aliquos videt adventantes. Plur. צריחים exstat 1 Sam. 13. Arab. צרחא cum levi Heth sine puncto est *turris.* In eadem lingua צרח cum puncto supra Heth sign. *clamat.* Vide Lex. Chald. Munsteri, & Elenchum Scaligeri cap. 18. Hieronymus periphrasi usus hunc locum sic reddit, *Ingressi sunt fanum Dei sui Berith, ubi fedus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valdè.* ¶ *Dei Berith*] *El-berith* videtur idem esse cum *Baal-berith:* ità suprà vocatum fuit Numen Sicimitarum. *Baal*, i. Jupiter; & *El*, Deus fortis, qui *Ilus* apud Philonem Byblium interpretem historiæ Sanchuniathonis, qui Phœnicum res gestas memoriæ mandavit. Fallitur autem interpres noster si בריח existimavit esse nomen idoli. Trem. *Dei Berithi.* Videtur idem sensisse cum interpr. nostro. Malim *Dei federis.* In Græca verò ed. superat aut οἶκος aut βὴθ. Nam in ea οἴκου τοῦ Βηθὴλ Βερίθ. Nam βὴθ valet οἶκος *domus, ædes, fanum.* Legendum ergò ὀχύρωμα τοῦ οἴκου Ἠλ Βερίθ, i. συνθήκης, vel certè τοῦ Βηθὴλ Βερίθ. *Bethel*, i. *domus Dei.*

49. *Vir ramum suum*] שוכה *ramum suum*, à שוך *ramus*; formæ בור *puteus*, aut est שוכה pro שכתו, sicuti dicimus צורם *figura eorum* pro צורתם, & פנה *angulus ejus* pro פנתה. Nam שוכה *ramus* versu qui hunc præcedit. Dictus *ramus* שוכה, ab *obumbrando.* Nam rami umbram faciunt circum arbores. Obvia hæc vox in Deuterosi לא יקוץ את השוכה. Videndus R. D.

50. *Thebes*] תבץ cum S Sade in extremo. Urbs Ægypti non *Thebes* dicitur, sed *Thebæ*; ut & Bœotiæ urbs mediterranea, quæ *Ogygia* Virgilio, si modò is autor est Ætnæ. Fuit & Macedoniæ urbs Θῆβαι dicta, ad sinum Pelasgicum. Sunt aliæ multæ urbes ejus nominis. Eustathius novem recenset. Vide Nicolaum h. l. Θήβη *urbs in Cilicia juxta Trojam*, autore Stephano. *Thisbe* Θίσβη Plinio alia est à *Thebe.* Vide Thesaurum Geogr. Ortelii. *Thebæ* dictæ à תבה, quod erat *navigii genus arcæ in modum tectum, sine velo & remis.* Eo Cadmus trajecit in Græciam, unde urbem quam condidit Θήβην appellavit.

53. *Fragmen molæ*] Duplex mola, superior, inferior. Illa רכב dicitur, quòd quasi vehatur & equitet super inferiorem, quæ ריחים dicitur, aut שכב inquit R. D. Molæ inferior lapis à *cubando* sic dictus, meta molendinaria. Jon. רכב רחיא eam molæ partem quæ superiùs volvitur & rotatur. ¶ *Cranium ejus*] גלגלתו ab insufitato גלגלת. Nam à גלגולת esset גלגלתו. Vetus consuetudo dicebat etiam *Golgotha*, elisâ unâ è duplicatis; unde & *Gagultha* in Syra editione. Sic קקלתא pro קלקלתא, & *Saseltha* pro *Salseltha*; & fortasse *Babel* ex *Balbel*, quod *confusionem* sonat. Lxx τὸ κρανίον αὐτοῦ. Alius *calvariam ejus.* Hier. *cerebrum*, i. מוח. Santes *cervicem ejus:* quod rectè correxit Arias. Nam *cervix* ערף dicitur. Quanquam Nicolaus, *In Ebræo habetur, Cervicem ejus. Si enim confregisset cerebrum, statim fuisset mortuus*, &c.

57. *In caput eorum*] Sic, *Quod capiti tuo sit.* Vide Tropos.

GROTIUS.

2. UT *dominentur vestrî 70 viri*] Tanquam principes civitatis, πρωτοποιοῦντο. ¶ *An ut dominetur unus vir*] Hic verò non id duntaxat peccabat quod modò diximus 8. 23. verùm etiam quòd partem populi à populo abstrahebat. Accessit idololatria non vulgaris, infrà 46. Benè Josephus, *hoc tempore* πάντα τὰ τῶν Ἑβραίων εἰς ἀκοσμίαν καὶ ὕβριν τῶν νόμων ἐφέρετο.

3. *Frater noster est*] Carnalis affectus; à quo Moses multùm abfuit.

4. *Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos*] *Purgamenta urbium suarum*, ut Curtius loquitur. Sic Pisistratus quem decepto populo obtinuerat dominatum satellitio munivit. Herodotus l. 1. Diodorus Siculus l. 13. Plutarchus Solone, Justinus l. 2. Valerius Maximus l. 8. c. 9. Ælianus

Ælianus 8. 16. χρῆσθαι ξενικοῖς μᾶλλον ἢ πολιτικοῖς τυραννικόν. Aristoteles l. 5. Polit. c. 11. De Germanis Neronis ævo Tacitus, *quibus princeps fidebat ut externis.*

5. *Occidit fratres suos*] Ut nunc Turcæ.

6. *Constituerunt regem*] *Regnare fecerunt*, in Hebræo: nempe supra leges.

8. *Ierunt ligna ut ungerent super se regem*] Hoc genus docendi Hesiodus αἶνον, posteriores Apologum dixere. Similem vide 2 Par. 25. 18.

13. *Nunquid possum deserere vinum meum, quod latificat Deum & homines*] Plinius l. 14. c. 22. *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo pracipui.*

20. *Sin autem, egrediatur ignis ex eo & consumat habitatores Sichem*] Solet Deus implere imprecationes eorum qui per vim opprimuntur. Vide infrà 57.

21. *Quæ cùm dixisset, fugit*] Tyrannidem sequitur virorum principum fuga, infrà 41. Solent enim tyranni πολεμεῖν τοῖς γνωρίμοις καὶ διαφθείρειν λάθρα καὶ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν ὡς ἀντιτέχνοις καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους, ait Aristoteles loco modò dicto.

23. *Qui cœperunt eum detestari*] Nihil instabilius populari aurâ malis artibus collectâ, tum verò scelera etiam quibus prosunt invisa.

25. *Exercebant latrocinia*] Ut solent sæva esse bellorum civilium initia.

28. *Clamante Gaal filio Obed, Quis est Abimelech?*] *Inserendo sæpius querelas & ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi*, Tacitus Hist. 1.

34. *In quatuor locis*] Hebr. *quatuor capita*. Gr. τέσσαρσιν ἀρχαῖς. Sic Civilis quatuor agminibus Romana præsidia aggreditur apud Tacitum Hist. 5.

45. *Ità ut sal in ea dispergeret*] Causa hujus moris apud Plinium l. 31. c. 7. *Omnis locus in quo reperitur sal sterilis est, nihilque gignit.*

49. *Ut fumo & igne mille homines necarentur*] Loca in plano sita neque vallo defensa facillimè oppugnantur admotis ignibus. Vide infrà 52.

53. *Fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech*] Similis fermè Pyrrho finis, tegula à muliere jacta, quæ caput ei confregit; Plutarchus in ejus Vita. Joab, vir bello egregius, ex hoc casu Abimelechi documentum dedit Regibus nè oppugnationibus interessent 2 Sam. 11. 21. Idem ille Plutarchus in Sullæ Vita ideo τειχομαχίας ait Spartanis improbatas quòd in illis vel à muliere interficeretur vir fortissimus.

54. *Nè fortè dicar quòd à femina interfectus sum*] Seneca Oetæo,

> *O turpe fatum! femina Herculeæ necis*
> *Auctor feretur.*

CAP. X.

MUNSTERUS.

3. F*Ilius patrui ejus*] Sunt apud Hebræos qui putant דודו hîc esse nomen proprium, & legunt sic hunc textum, *Tholah filius Puah, filii Dodo*. Alii verò putant esse nomen substantivum, ut sit idem quod בר אח אבוהי *filius fratris patris ejus*; aiúntque *ejus* referendum ad *Abimelech*.

4. *Triginta pullos*] Additur id ad indicandum quòd vir ille magnus & dives fuerit, ut etiam quilibet filius proprium habuerit paratum asellum. Est autem עיר idem quod חמור הנער *asinus juvenis*. Vel intelligitur de פראים *mulis*. ¶ *Habuerunt quoque triginta oppida*] Notandum quòd hîc *aselli* & *oppida* in Hebræo eâdem scribuntur voce, nempe עירים, ídque דרך צחות causâ elegantiæ, cùm alioquin עיר *civitas* in pl. habeat ערים. Sed quia non fuerunt civitates muratæ seu muro cinctæ, ideo mox vocantur חוות *viculi*. Est autem חוה *collectio aliquot domorum simul commorantium*, sive, ut est allusio Hebræorum, *simul viventium*.

8. *Ab anno illo*] Habet hîc Hebraicus textus in hunc modum, *In anno illo; decem & octo annis filios Israel qui erant trans Jordanem*, &c. Sed quia non habet טעם *gustum*, ut Hebræi dicunt, nos literam reddidimus ut ab Hebræis exponitur. Potest & sic reddi, *In anno illo afflixerunt eos, atque decem & octo annis sic afflixerunt eos ut in illo anno.*

11. *Dixítque Dominus ad filios Israel*] Sub. *per prophetam.*

16. *Cujus anima retracta est*] Hebr. *cujus anima abbreviata est*. Capitur autem hîc *anima* pro רצון *voluntate*, & *abbreviare* pro *cessare*; ut sit sensus, *Cessavit voluntas Domini gravare Israelem laboribus & afflictionibus*, nec usque adeò permisit eos tribulari quando ad se convertebantur, sicut cùm effrænes in malum corruerent. Putat tamen Kimhi קצר hîc capiendum pro התעצב *compassus est*, seu condoluit, *miseria eorum*. *Brevis* est anima quæ mœrore plena est.

VATABLUS.

1. S*Urrexit autem*, ויק] Hebraismus, Successit autem ipsi Abimelech. ¶ *Ut salvum faceret*, להושיע] *Ut servaret, ut liberaret.*

2. *Judicavítque Israelem*, וישפוט את ישראל] q. d. Rexit Israelem non instar tyranni, sed more Judicis.

4. *Pullos*, עירים] Sub. *asinarum*, i. mulos. q. d. Vehebantur mulis egregiis & juvenibus. Alii intelligunt equos juvenes. ¶ *Quibus & triginta erant urbes*, ושלושים עירים להם] i. Qui præerant triginta urbibus. ¶ *Quas vocabant*, להם יקראו] Ad verb. *eas vocabunt*. Fut. Heb. per imperf. vertendum.

6. *Rursum autem*, &c. ויוסיפו בני ישראל לעשות הרע] Ad verb. *Addiderunt autem filii Israel ut facerent malum.* ¶ *Dereliquerúntque Jehovam*, ויעזבו את יהוה] q.d. Etiam cum illis prorsus abjecerunt cultum Jehovæ.

8. *Anno ipso*, בשנה ההיא] Quo scilicet desciverunt à cultu Divino. Alii, *anno ipso quo mortuus est Jair.* ¶ *Octodecim annis*, שמונה עשרה שנה] Sub. *attriverunt inquam*, refertur enim ad sequentia.

9. *Transierúntque*, &c. ויעברו וגו'] Posteaquam scilicet afflixerant filios Israel qui habitabant ultra Jordanem ad Orientem, trajecerunt Jordanem. ¶ *Et angustiâ affectus*, &c. ותצר ישראל מאד] *Et afflictio fuit Israeli valde*, i. atque ità vehementer afflictus fuit Israel.

10. *Servivimus Bealim*: ונעבוד את הבעלים] *Et coluimus idola.* q.d. Duobus modis peccavimus, & quòd Dominum dereliquimus, & quòd coluimus idola.

11. *Dixit autem*, ויאמר] Sub. *per Prophetam*, quem tum misit, qui loquebatur in persona Dei. Aposiopesis ad exprimendam vim iracundiæ Divinæ. ¶ *Nónne*, &c. הלא] Sub. *liberavi vos.*

13. *Vos autem*, ואתם] *Et tamen vos.* ¶ *Non liberabo vos ultrà*: לא אוסיף להושיע] Ad verb. *non addam ut salvos faciam vos.*

14. *Ipsi salvent vos*, המה יושיעו] *Ipsi servabunt vos.* Hoc dicitur ironicé. Vel, *& videte an ipsi servabunt vos.*

15. *Secundùm quod bonum est in oculis tuis*: ככל הטוב בעיניך] Hebraismus, Redde nobis quicquid tibi placuerit. q. d. Animadverte in nos propter peccatum nostrum ut voles.

16. *Servierúntque Jehovæ*: ויעבדו את יהוה] *Coluerúntque Jehovam.* ¶ *Et angustiis affecta est anima*, &c. ותקצר נפשו בעמל ישראל] *Et coarctatus est* [*abbreviatus est*] *animus ejus propter afflictionem Israelis.* Hebraismus, Doluit vehementer super afflictione Israelis. q. d. Non potuit ultra æquo animo ferre miseriam Israelis, id enim opponitur longanimitati ac patientiæ, & est anthropopathia.

18. *Quilibet ad proximum suum*, איש אל רעהו] Hebraismus, alter alteri. ¶ *Quicunque*, &c. מי האיש וגו'] Ad verb. *Quis vir ille qui incipiet pugnare contra filios Ammon, & erit caput*, &c. i. princeps.

CASTALIO.

12. *Maonitis*] Græcus & Latinus legerunt *Chananæis*.

CLARIUS.

4. *Super triginta pullos*] Additur id ad indicandum quòd vir ille magnus & dives fuerit, ut etiam quilibet filius proprium habuerit paratum asellum.

11 *Quibus locutus est Dominus*] Sub. *per Prophetam.*

16. *Qui doluit super miseriis eorum*] Pulchrè interpres, ut multis etiam aliis locis, mollivit Hebraismum, qui sic habet, *cujus anima retracta est à labore Israel*, vel *abbreviata est*: ut sit sensus, *Cessavit voluntas Domini gravare Israelem laboribus & afflictionibus.*

DRUSIUS.

1. *Et surrexit*] i. exstitit, exortus est. ¶ *Post Abimelech*] Ergò etiam Abimelech servavit Israelem. Vide hac de re D. Camium ad h. l. ¶ *Thola*] Vel *Thole*. *Thola*, *Thole*, ut *Thara*, *Thare*. Non sequitur, Thola servavit Israelem post Abimelech; Ergò etiam Abimelech hoc fecit. De Abimelech legimus, *Principatum tenuit super Israel*; super partem Israelis, non super omnem Israelem: nam tantùm imperavit Sichimitis, &c. ¶ *Filii Dodo*] *Dod* significat *patruum*, h. e. fratrem patris, unde quidam hîc legunt *filium patrui ejus*. Quæ interpretatio vera esse non potest, cùm Abimelech fuerit ex tribu Manasse, hic autem fuit ex tribu Issachar. Hieronymus tamen *patrui Abimelech*, & Lxx υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ, i. *patrui ejus*, aut, ut est apud S. Augustinum, *patris fratris ejus*, Quæst. 47. Lex. vetus. Πατράδελφος, *patruus*, qui & πατρὸς ἀδελφὸς *frater patris*, sicut πατρὸς ἀδελφὴ est *amita*, *soror ejus*. Jon. *filius Dodo*. Alia exempl. בר אח אביהו *filius fratris patris ejus*, videlicet Abimelechi. Videndus Lira. ¶ *Vir Issachar*] ἀνὴρ Ἰσσαχάρ. Jon. *vir è tribu domûs Issachar*. Hieron. *vir de Issachar*, i. Issacharita. ¶ *Habitavit in Samir*] Fuit ergò patria habitationis ejus. Sic Christus tres patrias habuit. Forsan natus fuit in ea urbe. Duo fuerunt oppida ejus nominis; unum in tribu Juda Jos. 15. 48. alterum in tribu Issachar conterminum Ephraimitis; de quo hic locus intelligendus est.

4. *Pullos asinarum*] עיר *pullus Asini*, *asellus*, *asinus dum adhuc parvus est*, *asinus juvenis*: ut *leo juvenis* כפיר dicitur: usurpatur etiam de *pullo Onagri*, qui *lalisio* Martiali,

> *Dum tener est onager, solâque lalisio matre*
> *Pascitur.*

Pullus etiam de Equis adhibetur. An etiam עיר? R. D. videtur dubitare. Alibi est *pullus filius asinarum*, i. unius alicujus asinæ. Jes. 30. 60. scriptum עורים cum Vau, & lectum עירים cum Jod. Cæterùm insidere asello videtur nobilium & magnatum fuisse, & non hominum vulgarium, ideo dicit, *equitantes super asellos*, innuens eos in aliqua dignitate & in re lauta fuisse. Vide D. Camium & Liram ad h. l. ¶ *Triginta urbes*] Non עירים est in fonte, sed עירים, ut sit allusio ad עירים *pullos* sive *asellos*, & est elegans Paronomasia ut in Græco inter πώλους & πόλεις, quod in aliis linguis haut facilè exprimas. Hieronymus Jer. 22. *In Ægypto vulgus promiscuum asinis vehebatur, quia equis uti non liceret absque venia Regis*. Exod. 4. 20. Moses imponit uxorem & filios asino: Num. 22. 21. Balaam vehitur asinâ; Jos. 15. 18. Jud. 1. 14. filia Chaleb; Zach. 9. 9. Matth. 21. 5. Luc. 19. 30. Rex Messias, item Joh. 12. 14. ¶ *Villas Jair*] Lxx ἐπαύλεις Ἰαΐρ sive Ἰαΐρ, vertunt oppida Jair. *Malim villas Jair*: nam ἔπαυλις, *villa*. Lex. vetus, *Villa* ἔπαυλις, οἰκίδιον item, Ἐπαύλιον, *villula*. Hieron. *Havoth-jair*, *i. oppida Jair*. Eusebius De locis, *Avoth-jair*, *quod interpretatur* ἐπαύλεις *Jair* (ità legendum, vulgò perperam ἔπαυλις *Air.*) *Hæc est Basan*, *in qua sunt vici sexaginta in monte Galaad*, *qui ceciderunt in sortem dimidiæ tribûs Manasse*, *qui locus nunc vocatur Golan in terra Batanea*. In lib. Nominum, *Avoth*, *Commoratio*, *vel Sedes*, *aut vinculum* (leg. *Viculum*) *sive Incunabula*, *quod Græcè dicitur* ἔπαυλις. Lex. vet. Ἔπαυλις, *stabula*, *ovile*. Jon. *villas*, aut *pagos*, *Jair*, i. כפרני. Appellatæ sunt ità de nomine prioris Jair, de quo Num. 32. 41. ubi Jonathan כפרני יאיר; Oncelos, ut hic Jonathan. In ed. Græca invenio τὰς κώμας Ἰαΐρ, i. *pagos Jair*, qui sunt vici rustici, videlicet Jos. 13. 30. & 1 Par. 2. 23. Vide Lev. 25. 31. ubi *pagos* denotat. Num. 32. 41. חותיהם, Lxx τὰς ἐπαύλεις αὐτῶν ab ἐν & αὐλὴ, quod idem esse aiunt cum αὐλὴ, quasi quædam *propter caulam exstructio*. Interpres modò *commorationem*, modò reddit *habitationem*. Sing. חוה non est in usu, sed pro חיה repetitur 2 Sam. 23. ait autor Synonymorum Ebraicorum. Quæritur an hic sit ille Jair cujus mentio in Numeris, & respondeo, alium mihi videri. Nam si esset idem, sequeretur eum vixisse annos trecentos aut præter propter. Deinde Jair ille filius erat Manasse. *Possumus dicere*, inquit R. D. *hunc Galaaditam non esse filium Manasse*, *ex quo & hoc sequitur*, *villas hasce alias esse ab illis*. Ego hic ἐπέχω.

5. *Camon*] Urbs aut locus ejus nominis, Καμών. Eusebius, *Camon*, *civitas in qua sepultus est Jair*, *cum primum judicasset populum Israel*. *Appellatur autem hodie vicus Cimana*, *in campo latissimo sex millibus à legione ad Septentrionalem plagam pergentibus Ptolemaidem*.

6. *Baalibus*] Vel *Baali*. Sic in ed. Rom. τοῖ Βααλὶμ quanquam in aliis τοῖς. Vide Notas. Hoc nomen in terminatione plur. sæpe habet sensum sing. Hieron. *idolis*, *Baalim & Astharoth*, ut *idolis* referatur tam ad *Astharoth* quàm ad *Baalim*. Huc respexit Apostolus cùm ait *multos esse* κυρίους καὶ θεοὺς πολλούς. Nam *Baal* κύριος. ¶ *Astharoth*] Lxx ταῖς Ἀσταρώθ. ¶ *Et diis Syriæ*, *& diis Sidonis*] Copula hic videtur habere vim exegeticam, *hoc est*, *diis Syriæ & diis Sidonis*. Nam Dii Syriæ vocabantur *Baalim*; & Sidonis, *Astharoth*. ¶ *Diis Syriæ*] Vel, *Deo Syriæ*. Sed rectiùs *Diis*, quia multi erant Dii: ut & multæ Syriæ; *Syria interamnis*, & *Syria Soba*, & *Syria Maacha*, & *Syria Damasci* quæ *Damascus* 2 Par. 28. 23. *Sacrificavit Diis Damasci qui percusserant eum*; & *dixit*, *Quoniam Dii regum Syriæ ipsi adjuvant eos*, &c. ¶ *Diis Sidonis*] Vel, *Deæ Sidonis*. Nam Astarte Dea erat, non Deus. Sed quia *Astharoth* in fonte, videntur plures fuisse. Ut ut sit, Senes reddiderunt ταῖς Ἀστάρταις. *Astarte* aliàs. ¶ *Diis Moab*] Malim *Deo Moab*, seu *Moabitarum*, qui peculiari nomine *Chamos* dicebatur. Sic, ¶ *Deo filiorum Ammon*] i. Molocho, qui & *Melchom*. Sed ¶ *Diis Philisthæorum*] rectiùs redditur quàm *Deo Philisthæorum*. Nam Accaronitæ colebant Dagonem, & Gazzi Marnam, & fortasse alii alios. ¶ *Non coluerunt eum*] Nè quidem cum aliis Numinibus; ut olim Samaritæ Deum verum & cum eo etiam Deos falsos colebant, & Regum tempore simul serviebant Baalibus & Deo.

8. *In anno illo*] *Quo mortuus est Jair*; *aut anno primo quo cœperunt subigere ipsos*, R. Jesaias. Quomodo *in anno illo*, si octodecim annos continuos? Utrùm hoc dicit, *ab anno illo annos octodecim*? an subaudienda copula, *in anno illo*, *& insuper annos octodecim*? Hier. *per annos decem & octo*: omisit *in anno illo*. Lxx ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ. *Annus* pro *tempore* notarunt Theologi, ut cùm legimus *annus acceptus*, & *annus visitationis*, tempus quo aliquis visitatur. Luc. 4. 19. *annum Domini* vocat Euangelista tempus quo Deus visitat nos aut per gratiam aut per pœnam. Joh. 18. 13. *qui erat summus sacerdos anni illius*, i. illius temporis. Vide Tropos. Quidam, *usque ad annum illum*, *videlicet decimum octavum*. Sic בהשמים Psal. 36 5. בשמים Gen. 11. 4. Deut. 1. 28. quod Jer. 51. 9. אל השמים, & Psal. 57. 11. עד שמים *usque in cælum*. Qui exponunt *ab anno illo*, ב sumunt pro מן. ut Exod. 12. *non comedet in eo*, i. *ex eo*, vel *de eo*. Sic Exod. 35. *ad faciendum in auro*, ex auro. & Lev. 8. *quod superest in carne*, de carne. Sic, *diliges Deum in toto corde*,

corde, &c. expositum in Evangelio *ex toto corde.* Sic, *in tota anima*, ex tota anima.

11. *Dixit Dominus*] Per Prophetam. ¶ *A filiis Ammon*] Recentior interpres *ex Ammonitis*, malè: nam diversi hi ab illis, ut suo loco probabimus.

12. *Maon*] Jon. *viri Maon*, i. cives & habitatores. Lxx Μαδιὰμ nomen notum pro minus noto Μαὼν. Hieron. *Chanaan. Maon* sonat *habitatulum*. In libro Nom. *Maon, Habitaculum*. Hinc recentior interpres *viris habitaculi*, i. indigenis Chananæis. Aliis *Maon* est nomen populi. 2 Par. 26. מעונים Hieron. *Ammonitæ*. Liber Locorum, *Maon, regio Moabitarum, juxta Jeremiam*. Videtur innuere locum qui est Jer. 48. 23. ubi בית מעון *Beth-Maon* in Hebræo, & ὄικος Μαὼν in Græco. מעון est nomen urbis aut oppidi Jos. 15. 55. Hinc *desertum Maon*, in quod se recepit David metu Saulis 1 Sam. 23. 24. Vide sis Onomasticum Sacrum. R. S. *Maon* שם אומה *nomen populi*.

16. *Contracta est anima ejus*] *Anima contrahi* dicitur in dolore, ut contrà *dilatari* in gaudio. Sanè Hieronymus vertit, *qui doluit*: nam qui dolet ejus anima quasi contrahitur & brevior fit. Lxx ὠλιγώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, *imminuta fuit anima ejus*. Jon. *angustiis affecta*, vel *compressa, fuit*. Græci translatores alii ὠλιγοψύχησεν, quasi *animum*, i. iram, *remisit*. Lex. vetus, Ὀλιγοψυχία, *pusillanimitas*, &, Ὀλιγόψυχος, *pusillanimis fuit*. Sed Pusillanimitas non cadit in Deum: ideo melior expositio prior. Moses Ægyptius, *Anima ejus*, inquit, i. *Voluntas ejus*, quod exponit, *Cessavit voluntas ejus augere laborem populi*. Nam initio cùm facerent malum in oculis ejus, delectabatur quasi labore ipsorum & angustiâ eorum. Cùm autem accidissent eis angustiæ plurimæ & mala multa, postquam conversi ad *Dominum* colerent eum, misertus eorum cessavit voluntas illa nè aggravaret ampliùs malum eorum. Beth autem quod est in בעמלם sumitur pro מן, ut *residuum in carne & pane*; sensus, *de carne*, &c. Sed secundùm sententiam meam accipiendum ut sonat, *Contracta fuit anima mea*, ut *Commota sunt viscera mea*: & *Doluit*, sive *contristatus est, in corde suo*. Hæc omnia metaphoricè loquitur Lex secundùm linguam humanam, h. e. humano more. Hactenus R. D. ¶ *Propter laborem*] Vel potiùs, *molestiam*. Nam *labor* יגיע dicitur, עמל potiùs est *molestia*. Vide Tremellium.

17. *In Galaad*] Nomen urbis quam ceperunt filii Machir filii Manasse. Nomen accepit à monte. Eusebius De locis, *A monte civitas in eo condita sortita est vocabulum, quam & cepit de Amorraeorum manu Galaad filius Machir filii Manasse*. Vide Masium in Jos. 12. 2. Rursus Eusebius, *Galaad, mons ad quem septimo die profectionis è Carris venit Jacob profugus. Est autem ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulatus: extenditurque per desertum ad eum locum ubi trans Jordanem habitavit olim Rex Seon Amorraeorum. Cecidit suprà dictus mons in sortem filiorum Reuben, Gad & dimidiæ tribûs Manasse. Sed & Jeremias loquitur, Galaad, tu mihi initium Libani*.

18. *Bellare*] Dux belli esse. ¶ *Habitatoribus Galaad*] Sic vocatur universa regio quam Moses concessit duabus tribubus & dimidiæ cis Jordanem, aliàs est certa illius pars. Vide Masium Jos. 22. 9.

GROTIUS.

3. JAir] Non hic ille est de quo agitur Num. 32. 41. sed alius, Segubi filius, indicatus etiam 1 Par. 2. 22.

4. *Principes triginta civitatum*] Septem erant ab Hesrone avo, viginti tres ab avia Machiris filia. Ità colligi videtur ex Num. 32. 40. Deut. 3. 14. & dicto Paralipomenon loco.

7. *Tradidit eos in manus Philisthiim & filiorum Ammon*] Vexandos scilicet multis malis, non ut planè eis servirent. Est enim hæc introductio ad ea quæ de Jephthe & Samsone dicentur.

10. *Dereliquimus Deum nostrum*] Contra præcepta תעשה. ¶ *Et servivimus Baalim*] Contra præcipuum præceptorum, לא תעשה.

14. *Ite & invocate deos quos elegistis*] Εἰρωνικῶς dictum: illos quos nullis beneficiis cognitos mihi tot bonorum vobis auctori prætulistis. Deus non statim confitentibus peccata remittis, sed pœnam suam alicujus temporis patientiâ approbantibus, & facta edentibus contraria, ut apparet hic v. 10. & infrà 15. 16.

16. *Qui doluit super miseriis eorum*] Græci proximè ad Hebræum, ὠλιγώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν κόπῳ Ἰσραήλ. Hoc ut malè sonans omisit Jonathan. At sensus est, ut notat Maimonides, Cessavit Deus eos affligere: vultque ב hic poni pro מ, ut Lev. 8. 32. & 25. 52.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. MEretricis] Vocatur mater Jiphthah *meretrix*, non quòd commune fuerit scortum, sed quòd פילגש, i. *concubina*, fuerit Gilead, & non fuerit illi conjuncta per כתובה וקדושים, ut Hebræi exponunt; quales concubinas etiam Abraham habuit. Est enim *concubina* quæ solùm uni viro est addicta, sed citra vinculum matrimonii: unde & filii ejus non possunt cum filiis legitimis hæreditatem accipere. Alii verò dicunt quòd hîc per *meretricem* intelligatur mulier alterius tribûs, quam Gilead duxit in uxorem vel concubinam; atque ideo filius ejus non potuit patri succedere in hæreditate, cùm lex hoc nomine vetet connubia diversarum tribuum, nè permixtio fiat prædiorum.

3. *In terra Tob*] Dicunt *Tob* esse nomen viri, cujus illa terra fuit in qua Jiphthah habitavit.

10. *Audiat Dominus inter nos*] Hunc locum Jonathan Chald. clariùs in hunc modum vertit, *Verbum Domini testis erit inter nos, si non fecerimus juxta sermonem tuum*.

11. *In Mizpa*] Locus est in quo Reges convenerunt contra Jehosuam, & ubi propter victoriam ibi à Domino concessam altare fuit ædificatum: illicque conveneruunt quoties deinceps ad bellum erat procedendum.

23. *Eliminavit*] Verbum Hebraicum הוריש in hoc capite invenitur contraria significare. Nam accipitur pro נחל *in hæreditatem accepit*, & pro תריך seu גרש *ejecit*, & *ab hæreditate deturbavit*.

26. *In viculis*] Hebr. *in filiabus ejus*, Jon. בכפרנהא i. *in villis ejus*. ¶ *Trecentis annis*] Autor libri Seder Olam hos trecentos annos sic colligit; Præfuit Jehosua Israel 28 annis, Othniel 40 annis, Ehod 80 annis, Debora & Barac 40 annis, Gideon 40 annis, Abimælech 3 annis, Thola 23 annis, Jair 22 annis; qui simul juncti faciunt annos 276, deinde servierunt filiis Ammon 18 annis; qui ferè trecentos annos faciunt.

31. *Offerámque ipsum in holocaustum*] Sub hac scilicet conditione, אם ראוי לעולה *si idoneum fuerit pro holocausto*. Non autem potuit holocaustum fieri nisi de tribus speciebus animalium. Unde quando textus dicit, *quod venerit in occursum meum, erit Domini, & offeram ipsum in holocaustum*, Joseph Kimhi dicit copulam *&* hîc disjunctivè pro או accipiendam; ut sit sensus, Quod primò occurrerit, Domino mancipabitur veluti sanctum, si immolatitium non sit; vel si immolatitium sit, offeram illud in holocaustum. Non igitur interfecit pater filiam suam (alioquin ipsa non dixisset, *plangam super virginitate mea*, sed *Plangam super anima mea*) sed secundùm Hebræos reclusit eam, & à consortio hominum separavit, nec nisi quatuor diebus per annum aditum concessit. Notandum etiam quòd dictio ממנו est accipienda pro ממנה, & tunc textus nihil habet difficultatis. Secundùm alios verò capitur masculinè, ut textus habet; ut videlicet hîc sit sensus, non erat ipsi Jiphthah ex se filius aliquis aut filia aliqua alia, licèt habuerit privignos, quos uxor priùs ab alio sustulit marito, qui filii quoque illius dicebantur, sed non erant ex ipso.

37. *Descendam super montes*] Hoc dicitur quòd locus habitationis Jiphtha altiorem haberet situm quàm montes illi quos filia ejus conscensura erat. Potest etiam esse quòd primum descendendum erat ad vallem, & deinde conscendendi montes.

40. *A diebus in dies*] h. e. *Ab anno in annum veniebant filiæ Israel ad filiam Jiphtha, ad plangendam virginitatem ejus*, vel *ad consolandum eam*, sive, ut alii dicunt, *ut loquerentur cum ea*: hoc enim propriè significat verbum לתנות. Unde dicunt Hebræi, כי לתנות לה ולדבר עמה לא המיתה יפתח רק עשה לה בית מחוץ לעיר והתבודדה שם וכלכלה שם והיתה צרורה ימי חייה ופרושה מדרכי העולם עד מותו. Sunt tamen multi inter Hebræos qui hoc votum, vel voti solutionem, damnant. Nam si votum de jumento immundo aut de maculoso pecore factum commutari potuit & debuit (vendebatur enim tale pecus, & cum pretio ejus aliud emebatur pecus quod sacrificio erat aptum) multò magìs Homo redimendus erat. Sed quia Jiphthath Princeps erat in Israel, noluit adire Pinhas summum Sacerdotem, qui illi votum de filia factum relaxaret aut commutaret: nec voluit Pinhas eum accedere, cùm ille magìs hujus operâ eguerit. Interim verò filia mortua fuit, aut secundùm alios jugulata à patre, & uterque à Domino punitus fuit. Jiphthath quidem בנשילת אברים, *paralysim* esse puto, licèt sequenti capite aliud exponatur: & Pinhas privatus fuit Spiritu sancto. Et hujus opinionis quoque fuit Jonathan Chaldæus interpres.

VATABLUS.

1. Potens viribus, גבור חיל] *Virtute bellicâ*, i. erat fortissimus ac pugnacissimus. ¶ *Meretricis*, זונה] *Cauponariæ*: ità vertit Chaldæus paraph. De hac voce vide Jos. 2. 1.

2. *Creverúntque*, ויגדלו] *Adoleverúntque*. ¶ *Alterius*, אחרת] i. Eò quòd sis natus aliâ uxore, nempe concubinâ. Sic vocat meretricem, ut quibusdam placet. Nullâ observatione ceremoniarum recipiebantur concubinæ à viris, quæ in legitima uxore adhibebantur: hoc excepto, erant uxores legitimæ.

3. *A facie fratrum suorum*, מפני אחיו] i. Ob metum fratrum suorum, q. d. Devitans iram fratrum suorum. ¶ *In terra Tob*, בארץ טוב] *In provincia Tob*, i. Cui præerat vir quidam nomine *Tob*. ¶ *Vacui*, ריקים] i. Otiosi, q. d. Quem comitati sunt egentem homines otiosi, ejúsque partes secuti sunt.

4. *Fuit autem, post*, &c. ויהי מימים] Hebraismus, Elapso autem aliquanto tempore oppugnaverunt Ammonitæ Israelem.

5. *Cùm ergò oppugnare*, &c. ויהי כאשר נלחמו וגו'] Ad verb. *Et fuit, cùm pugnarent filii Ammon cum Israel*. ¶ *Seniores*, זקני] i. Legati missi à civibus.

7. *Odio habuistis*, &c. שנאתם אותי ותגרשוני] i. Præ odio & injustè expulistis me domo paternâ.

9. *Coram me*, לפני] i. In potestatem meam. ¶ *Dux?* לראש] Ad verb. *In caput?* i. princeps.

10. *Jehovah audiet inter nos*, יהוה שומע בינותינו] Hebraismus, acsi dicat, Dominus qui audit omnia, erit testis auritus hujusce rei quam tibi pollicemur: sumétque debitas de nobis pœnas, si non præstiterimus.

11. *Locutúsque* est, &c. וידבר] i. recensuit omnia verba suprà dicta, & conditiones prædictas. ¶ *Coram Jehova in Mispah*, לפני יהוה במצפה] i. Pro concione, sive audiente populo in Mispah ubi erant congregati.

12. *Quid mihi & tibi*, &c. מה לי ולך] Hebraismus, Quid mihi & tecum, i. Quid mihi negotii tecum, quòd ad me venisti, & bellum infers patriæ meæ? q. d. Nihil habeo tecum commune, quòd invaseris me, & oppugnaveris patriam meam.

13. *Cum pace*, בשלום] i. Pacificè, & sine bello.

14. *Rursum autem*, &c. ויוסף עוד יפתח וישלח] Ad verb. *Et addidit Iphthah, & misit*, &c.

15. *Dixítque*, ויאמר] Sub. *Per legatos*, qui habebant orationem.

16. *Sed cùm ascenderent*, כי בעלותם] *Sed cùm egrederentur*. Vel, *Quandoquidem cùm egressus esset*. Sing. Heb. pro plur.

17. *Transeam, obsecro*, &c. אעברה נא בארצך] *Liceat mihi, quæso, transire per patriam tuam*. ¶ *Audivit*, שמע] *Acquievit*.

18. *Ab Ortu solis*, ממזרח שמש] i. Ad finem terræ Moab qui quidem respiciebat Ortum solis.

19. *Propterea misit*, וישלח] *Misit itaque*. Ad verb. *Et misit*. ¶ *Transeam, obsecro*, &c. נעברה נא] Plur. Heb. *Transeamus, quæso, per terram tuam usque ad locum nostrum*, i. fac nobis potestatem transeundi per patriam tuam in terram quam Deus pollicitus est Patribus nostris.

20. *Et non fidit*, &c. ולא האמין] i. Non tantum credidit Sihon Israeli ut fineret eum transire per patriam suam.

22. *Omnem terminum*, את כל גבול] *Omnes fines, universam regionem*.

23. *Nunc ergò*, &c. ועתה יהוה וגו'] *Cùm ergò Jehovah Deus Israel expulerit Amorrhæos sub adventum nostrum, tùm debes tibi vendicare eam patriam? Non certè*.

24. *Nónne*, &c. הלא את אשר וגו'] Loquitur juxta opinionem ipsius Sihon, q. d. Nónne cujus dederit tibi dominium Chamos deus tuus, dices illud tuum esse? Sic eâdem ratione omnem quem expulerit Dominus, i. patriam eorum quos expulerimus authore Deo nostro, illam possidebimus. ¶ *Sic quicquid*, ואת כל אשר וגו'] Ad verb. *Et omne quod*, &c.

25. *Num multò præstantior*, הטוב טוב] Ad verb. *Num bonus bonus es?* Hebraismus pro, *an melior?* ¶ *Numquid jurgando jurgatus est*, הרב רב] *Nunquid rixando rixatus est*, &c. q. d. Nunquid prima ista est ab eo controversia?

26. *Eruistis*, הצלתם] *Eripuistis*, i. quare non tentastis recipere, sive recuperare eas urbes tanto temporis spatio?

27. *Ego autem*, &c. ואנכי לא חטאתי] i. Cùm ego non peccaverim contra te, reddis mihi malum. ¶ *Facis mihi malum*, עושה אתי רעה] *Iniquè agis contra me*. ¶ *Judex hodie*, &c. השופט היום בין וגו'] i. Deus qui est justus judex judicet de causa ac controversia quæ nunc est inter Israelitas & Ammonitas.

28. *Quæ misit ad eum*, אשר שלח אליו] Sub. *per legatos*, i. quæ per legatos ei mandaverat.

29. *Fuit autem super*, &c. ותהי על יפתח רוח יהוה] Hebr. Cœpit agi sive duci Spiritu Domini, h. e. Actus Spiritu Dei pertransiit, &c. Chaldæus paraph. *Spiritum fortitudinis* vertit, q. d. Effecit Dominus ut ille forti animo invaderet ipsos Ammonitas. ¶ *Transivit ad filios Ammon*, עבר בני עמון] i. Ut invaderet ipsos Ammonitas.

31. *Egrediens quod egressum fuerit*, והיה היוצא אשר יצא] Ad verb. *Et erit, egrediens quod egressum fuerit*, i. animal quod egredietur mihi obviàm, vel qui primus è familia mea egredietur mihi victori obviàm. ¶ *In pace*, בשלום] i. Incolumis, victis Ammonitis. ¶ *Erit Jehova*, והיה ליהוה] i. Consecrabitur Jehovæ, dicabitur cultui Divino, h. e. perpetuò serviet Jehovæ. ¶ *Aut offeram illud in holocaustum*, והעליתיהו עולה] Hîc ו pro *aut* positum. Consecrabitur, inquit, aut immolabitur, si immolari possit. Votum istud est conditionale, sub disjunctione: nam homines non sacrificabantur Domino, nec id Deus vult: nec est anathema: nam hoc fiebat imperante Domino.

33. *Viginti urbes*, עשרים עיר] In *viginti urbibus*, i. expugnavit in ea regione viginti urbes. ¶ *Abel*, אבל] Quidam tanquam appellativum vertunt, *planitiem vinearum*, vel *campestria*. ¶ *Plagâ magnâ valde*, מכה גדולה מאד] q. d. Ex eis reportavit insignem victoriam.

34. *Veniente autem Iphthah*, ויבא יפתח] Ad verb. *Et venit Iphthah*, pro *Cùm autem reverteretur Jephthe*. ¶ *Unica*, יחידה] *Solitaria, sola*, sub. *erat illi*, i. eam solam tantùm habebat. ¶ *Ex se*, ממנו] Alii vertunt, *ex ea*, q. d. Quæ filia nullos liberos habebat.

35. Incur-

35. *Incurvando incurvasti me*, הַכְרֵעַ הִכְרַעְתִּנִי] *Deprimendo depressisti me*. Vel, *humiliando humiliasti me*, q. d. Eram nuper elatus eâ victoriâ quam reportaveram de Ammonitis superatis; tu verò depressisti me, imò verò prorsus perdidisti ac exterminasti: actum est de posteritate mea. ¶ *Es inter turbantes me*, הָיִית בְּעֹכְרָי] Præt. Heb. pro præs. i. tu es de numero eorum qui me turbant & exterminant. ¶ *Etenim aperui*, &c. וְאָנֹכִי פָּצִיתִי פִי אֶל יְהוָה] *Cùm ego aperuerim os meum ad Jehovam*. Vel, *ego enim aperui*, &c. Ad verb. *Et ego aperui*, &c. *Aperire os suum Domino*, pro *vovere*, Hebraismus.

36. *Aperuisti os tuum*, &c. פָּצִיתָה אֶת פִּיךָ וגו׳] Hebraismus, Si voveris aliquid Domino, fac de me ut vovisti, posteaquam ultus est te Dominus de inimicis tuis, videlicet Ammonitis.

37. *Fiat mihi hoc*, יֵעָשֶׂה לִּי הַדָּבָר הַזֶּה] i. Concedatur hoc mihi. ¶ *Et descendam*, וְיָרַדְתִּי] Ità dicit quòd (ut ait doctus inter Hebræos) domus Jephthe esset in arduo monte, unde oporteret descendere; aut quòd intercesserit vallis inter domum ejus & montem. Alii *descendam super montes* exponunt *pergam in montes*. ¶ *Ac fleam super virginitate mea*, וְאֶבְכֶּה עַל בְּתוּלַי] i. Deplorem virginitatem meam quam perpetuò servatura sum. Virgines enim quæ vovebantur Deo, non tradebantur nuptum, sed recludebantur. V. 39. dicitur, *Neque cognovit virum*. ¶ *Et amica mea*, וְרֵעוֹתַי] *Et sodales meæ*, vel *sociæ*.

39. *Circa finem autem*, &c. וַיְהִי מִקֵּץ שְׁנַיִם חֳדָשִׁים] *Exacto autem spatio duorum mensium*. ¶ *Et fecit de ea*, &c. וַיַּעַשׂ לָהּ אֶת נִדְרוֹ] i. Adimplevit in ea quod voverat, h.e. dicavit eam cultui Divino. ¶ *Non cognoverat virum*, לֹא יָדְעָה אִישׁ] i. Perpetuò servavit virginitatem. ¶ *Et fuit in consuetudinem*, וַתְּהִי חֹק] i. Indè inolevit consuetudo, quæ v. 40. scribitur.

40. *Annuatim*, מִיָּמִים יָמִימָה] Ad verb. *de diebus in dies*, h. e. de anno in annum, i. quotannis. ¶ *Ibant*, תֵּלַכְנָה] Fut. per præt. imperf. vertendum, i. ire solebant, vel accedere. ¶ *Ut alloquerentur*, לְתַנּוֹת] *Ut colloquerentur*, *ut consolarentur*: quòd scilicet coacta esset propter votum patris servare virginitatem. Alii vertunt, *ad lamentandum*, sive *plangendum*, aut, *ut plangerent eam*. ¶ *Quatuor*, אַרְבַּעַת] Quatuor enim diebus in anno patebat ad eam accessus.

CASTALIO.

35. EA *es quæ me perturbes*] Heb. *Es in meis perturbatoribus*, i. me perturbas. De quo loquendi modo vide annotata in Psal. 54.

CLARIUS.

1. MEretricis] Vocatur mater Jephte *meretrix*, non quòd commune fuerit scortum, sed concubina; quæ scilicet uni viro sit addicta, sed citra vinculum matrimonii: unde & filii ejus non possunt cum filiis legitimis hæreditatem accipere. Alii verò dicunt quòd hîc per *meretricem* intelligatur mulier alterius tribûs, quam Galaad duxit in uxorem vel concubinam; atque ideo filius ejus non potuit patri succedere in hæreditate; cùm Lex hoc nomine vetet connubia diversarum tribuum, nè permixtio fiat prædiorum.

11. *In Maspha*] Locus est in quo Reges convenerunt contra Josue, & ubi propter victoriam ibi à Domino concessam altare fuit ædificatum, illícque convenerunt quoties deinceps ad bellum erat procedendum.

26. *Trecentos annos*] Hos annos sic colligunt; Præfuit Josue Israeli 28 annis, Othoniel 40 annis, Ehod 80 annis, Debora & Barac 40 annis, Gedeon 40 annis, Abimelech 3 annis, Thola 23 annis, Jair 22 annis; qui simul juncti faciunt annos 276. deinde servierunt filiis Ammon 18 annis; qui ferè trecentos annos faciunt.

31. *Holocaustum offeram*] Sub hac scilicet conditione, Si idoneum fuerit pro holocausto. Non autem potuit holocaustum fieri nisi de tribus speciebus animalium. Unde quando textus dicit, *Quod venerit in occursum meum, erit Domini, & offeram ipsum in holocaustum*; sic exponunt, Quod primò occurrerit, Domino mancipabitur veluti sanctum, si immolatitium non sit; vel, si immolatitium sit, offeram illud in holocaustum. Non igitur interfecit pater filiam suam (alioquin ipsa non dixisset, *Plangam super virginitate mea*, sed, *Plangam super anima mea*) sed secundùm Hebræos reclusit eam, & à consortio hominum separavit, nec nisi quatuor diebus per annum aditum concessit.

34. *Non enim habebat alios liberos*] Ex se scilicet, licèt habuerit privignos, quos uxor priùs ab alio sustulit marito, qui filii quoque illius dicebantur.

37. *Descendam super montes*] Hoc dicitur quòd locus habitationis Jephte altiorem haberet situm quàm montes illi quos filia ejus conscensura erat.

DRUSIUS.

1. GAlaadites] ὁ Γαλααδίτης, dictus ità ab urbe an à regione? Nam si patrem significare voluisset, dixisset potiùs, *Filius Galaad*. Vide Onomast. Sacrum. ¶ *Filius mulieris meretricis*] υἱὸς γυναικὸς πόρνης. Jon. אִתְּתָא פּוּנְדְקִיתָא, i. *caupona*. Sic interpretatur Rahab meretricem. R. D. existimat fuisse concubinam Galaadis, quam duxerat sine scriptura. Sed an talis vocatur *meretrix*? Alii censent fuisse ex alia tribu, quod non erat licitum, nè hæreditates venirent ab una tribu ad aliam. Videndi sunt R. D. & R. Levi ad h. l. Videndus etiam Lira. ¶ *Genuerat Galaad*] Ex concubina, quam duxerat sine scriptura, h. e. dote ac sponsalibus; vel quam duxerat ex alia tribu, quæ ideo vocatur פּוּנְדְקִיתָא.

2. *Non adibis hæreditatem in domo patris nostri*] Qui uxorem ex alia tribu duxerat, si filium ex ea susceperat, non adibat hæreditatem: qui verò ex concubina natus erat, si non erat ancilla vel extranea, adibat hæreditatem. Unde dictitant, *Qui filium habet, omnino filius ejus est, nisi natus fuerit ex ancilla vel ex extranea*. נָכְרִיָּה *quæ ex alia gente. Filius concubinæ hæres est*, ait R. D. ¶ *Filius mulieris alterius*] i. meretricis, quæ alia est à marito. Sic *Deus alius*, alius à vero, i. falsus. Thargum nihil variat ab Ebræo, nisi ut citatur à D. Camio, *filius mulieris ex tribu alia*. Hieron. *quia de adultera matre natus es*. Lira notat ità etiam esse in Ebræo. Lxx ὅτι υἱὸς γυναικὸς ἑταίρας σύ *quia filius mulieris meretricis tu es*. Suspicor aliquando scriptum fuisse ἑτέρας alterius, ut in Vulgata nostra *de altera matre*, non *de adultera*. Quod in mente habuit Nicolaus cùm ita scriberet, *In Ebræo habetur & in libris correctis, Quia de altera matre natus es*. Nam in textu ejus *adultera*. Cæterùm *adultera* propriè quæ virum habet, & cum alio corpus miscet, thorúmque violat conjugalem. Minùs rectè Tremellius, *quia filius mulieris exteræ es*, i. זָרָה vel נָכְרִיָּה, h. e. non domesticæ; q. d. Vulgò quæsitus es.

3. *In terra Tob*] ἐν γῇ Τώβ. Nomen regionis. Eusebius De locis, *Tob, terra in qua habitavit Jephthe*. Syriæ attribuitur. Vide 2 Sam. 10. 6, 8. Tractus est ad terram Galaad non procul à filiis Ammon in ingressu Arabiæ Desertæ. Vide Tremellium & Onomasticon sacrum. R. D. opinatur esse nomen viri qui erat dominus illius terræ. Jon. *in terra bona*, בְּאֶרֶץ טוֹבָה. Nomen enim אֶרֶץ communiter fem. est. R. D. citat ex eo בְּאֶרֶץ טוֹב *in terra Tob*. Sic, *Si rediment te, Tob*, alii, *bene est*, ex libro Ruth. ¶ *Viri vacui*] Hieron. *inopes*. Lxx ἄνδρες κενοί, *viri inanes*. In aliis est ἄνδρες λιτοί, i. *tenues*, *inopes*. Apud Augustinum *viri latrones*, *inopes & latrocinantes*. Thargum סְרִיקִין, unde *Saracenorum* nomen; de quo suprà in historia Abimelechi. λιτός, *simplex*, *tenuis*, *vilis*, unde λιτότης, quando aliquid modestiæ causâ extenuatur verbis; & substantivè τὸ λιτόν, & λιτοδίαιτος *vili ac tenui assuetus victui*, λιτόβιος. ¶ *Egressi sunt cum eo*] Vel certè ad bellum; vel, *egressi sunt cum eo* ex

ex urbe Galaad ad quærendum novas ſedes. Nicolaus, *Credibile eſt quòd agebant prædas de adverſariis filiorum Iſrael tantùm, ſicut David & viri ejus faciebant*, 1 Sam. 27. *Egredi* pro *egredi ad bellum* accipitur, c. 2. 15. Videndus R. D. ad illum locum.

4. *A diebus*] Poſt dies aliquot. Sic *à biduo*, poſt biduum, & in Latio *à prandio*, *à meridie*, *à cœna*. Quidam *poſt annos illos*. *Dies* pro *annis* non memini legere; pro *anno dierum* notius eſt quàm ut probari debeat. Subintelligitur autem אחרים *aliquos*, aut מעטים *paucos*, aut aliquid tale, Hieron. *In illis diebus*, בימים ההם. Lxx omiſerunt, ſed in aliis μεθ' ἡμέραν· leg. μεθ' ἡμέρας *poſt dies*. Vide ed. Rom. Lat.

5. *Ut acciperent*] *Ut acceptum adducerent*, acceptum, inquam, ad Ducatum. Sic Pſal. 78. 70. *Accepit eum è caulis ovium*. Num. 8. 18. *accepi Levitas*, & 16. *accepi eos mihi*. *Accepit è caulis ovium*, ad Regiam dignitatem videlicet: ſic hoc loco, *ut acciperent eum*, ad Principatum aut Judicatum. ¶ *E terra Tob*] ἀπὸ τῆς γῆς Τώβ. Jonathan hic habet מארץ טב *è terra bona*. Sed in D. Camio טוב *Tob*, non טב *Tab*: quorum hoc *bonum* ſign. illud & *bonum*, & nomen loci eſt.

6. *In ducem*] לקצין. Lxx εἰς ἀρχηγόν, quod reddunt *in principem*. Jon. לרבא. Santes *in principem*. Hieron. *& eſto princeps noſter*. Nota phraſin, *eſſe in principem*, pro *eſſe princeps*. Sic *ero eis in Deum*, i. Deus revera: *fuit ei in uxorem*, i. verè uxor. Trem. *Veni & eſto nobis ductor*. קצין propriè qui à populo conſtituitur ad tempus, & eſt infra שוטר *Præfectum*, & Præfectus infra מושל *Dominatorem*. מושל eſt Rex ipſe. שוטר à Rege conſtituitur, קצין à populo. Simul iſta leguntur Prov. 6. 7. Vide Ohel Moed in מלך. Jeſ. 1. 10. קציני סדם. Lxx ἄρχοντες Σοδόμ. Mich. 3. 1. Hieron. *duces domûs Iſrael*, Jeſ. 22. 3. כל קצינך. Lxx πάντες οἱ ἄρχοντές σου *omnes principes tui*. E Græcis hoc loco citatum invenio εἰς ἡγούμενον, alii εἰς ἀρχηγόν. Sic infrà v. 11. Eſa. 3. 6. ἀρχηγὸς γένους ἡμῶν. Sic & v. 6. Sed Jeſ. 1. 10. & 22. 3. ἄρχοντες *principes*. Sic etiam Dan. 11. 18. Porrò Joſ. 10. 24. ἐναρχόμενος, Prov. 25. 15. βασιλεὺς, i. *rex*, qui מלך Ebræis, à quo קצין diverſus eſt, ut diximus.

7. *Expuliſtis me*] Suprà v. 2. legimus quòd fratres expulerint eum. Quomodo igitur hîc dicit Senibus, *Expuliſtis me?* Senes hoc fecerunt inſtinctu fratrum. Nam ſine ſenibus, h. e. Magiſtratu, urbis, fratres non potuiſſent eum expellere. Fortè inter Senes fratres ipſius erant. Vide Liram.

8. *Reverſi ſumus ad te*] *Venimus ad te*. Compoſitum pro ſuo ſimplici. Sic Ruth 1. 6. Vide commentarium meum. Sic *tranſire* ponitur pro *ire* ſimpliciter, & *reſpondere* pro *loqui nullo interrogante*, unde *reſpondit & dixit*, i. locutus eſt. Sanè Hieronymus hîc edidit, *Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus*. Lxx Διὰ τοῦτο νῦν ἐπεστρέψαμεν πρὸς σέ. Jon. *Propterea nunc rediimus ad te*. ¶ *In caput*] i. Dux, primarius: vulgò *capitaneum* appellant. Lxx εἰς ἄρχοντα *in principem*, alii εἰς κεφαλήν, & Auguſtinus in Locut. *in caput*.

9. *Reducitis*] *Adducitis*. Nam non reducebant eum ad bellum contra filios Ammon, ſed adducebant rationibus perſuaſum de Principatu obtinendo. Ad verb. *Si reverti*, aut *redire*, *facitis me*. Suprà monui *redeo* poni pro *eo* aut *venio*. Ergò hoc dicit, *Si efficitis ut eam pugnaturus in filios Ammon*.

10. *Dominus erit audiens inter nos*] Jon. *Sermo Domini erit teſtis inter nos*. Hieron. *Dominus qui hæc audit, ipſe Mediator ac teſtis eſt quòd noſtra promiſſa faciemus*. Lxx Κύριος ἔστω ἀκούων ἀναμέσον ἡμῶν *Dominus eſto audiens inter nos*.

11. *Locutus eſt*] Jon. *Ordinavit*. ¶ *In Maſpha*] Lxx ἐν Μασσηφά, ubi domus ejus erat. Nam legimus, *Et venit Jephthe in Maſpha ad domum ſuam*. R. D. ad h. l. *Quod autem ait*, CORAM DOMINO, *referendum ad illud*, DOMINUS ERIT AUDIENS INTER NOS. *Aut hoc dicit, quia Divinitas reſidit in Iſrael in loco ubi congregantur. Aut ſenſus eſt quemadmodum expoſui in libro Joſue. Nam erat illa Maſpha locus ubi convenerant Reges pugnaturi cum Joſua, & propter inſignem victoriam illic partam obtinuit conſuetudo in Iſrael ut congregarentur ibi, ubi altare erat & domus orationis*, ſive *proſeucha*, & *oratorium*. Huc igitur venerunt viri Galaad cum Jephthe ut cœptum negotium abſolverent. Nicolaus, *Ibi enim erant congregati Galaaditæ coram Domino, quia Dominus præſens eſt ubique, licèt ibi non eſſet tabernaculum; & ideo replicavit ibi Jephthe pacta quæ erant inter ipſum & populum, ut negotium eſſet firmum ac ſolidum*.

12. *Quid mihi & tibi?*] *Quid mihi tecum rei*, aut *negotii, eſt?* Locutio tam Græcis quàm Ebræis uſitata. Joſ. 22. 24. *Quid vobis & Domino?* Matt. 8. 29. *Quid nobis & tibi?* Jon. 2. 4. *Quid mihi & tibi, mulier?* Anacreon, τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Demoſthenes, τί νόμῳ καὶ βασάνῳ; Hieron. Epiſt. 22. *Quid mihi & voluptati quæ brevi perit?* Lxx hîc ediderunt, τί ἐμοὶ καὶ σοί; *Quid mihi & tibi?* Sic etiam Jon. & Trem. *Quid mihi tecum?*

13. *Cepit terram meam*] *Abſtulit à me per vim, cepit bello*. Sic *capere* ſumitur Gen. 6. 2. *ceperunt ſibi uxores*, item Gen. 34. 2. & Job. 15. 12. & 40. 19. Hieronymus in his locis ferè vertit *rapuit*.

15. *Non cepit Iſrael terram Moab*, &c.] Rex filiorum Ammon repetebat terram ſuam, non terram Moabitarum: cur igitur ei reſpondet de *terra Moab?* An quia dicit *ab Arnon & uſque Jabboc?* nàm ea erat terra Moabitarum, quam Amorræi ceperant de Moab, & Iſrael ceperat eam à Rege Amorræorum. Videndus R. D. ad hunc locum. Nihil ergò Iſrael cepit de Moab aut de filiis Ammon.

16. *Per deſertum*] Per deſertum, שור *Sur*, quod alio nomine *deſertum Ethan* vocatur. Duo enim nomina habuit. Cæterùm in fonte במדבר ἐν τῇ ἐρήμῳ cum articulo, qui certum & notum aliquod indicat deſertum. Euſebius de hoc deſerto, *Extenditur uſque ad mare Rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit*. Vide Camium. ¶ *Uſque ad mare Suph*] i. *Rubrum*. Lxx ἕως θαλάσσης Σούφ, alii ἐρυθρᾶς, i. *Rubrum*. Sed סוף propriè *algam*, ſive *juncum* aut *caricem* denotat, unde quidam vocant *mare algoſum*. Hieron. *uſque ad mare Rubrum*. Hoc mare non trajecerunt Iſraelitæ per medium, ſed egreſſi ſunt in litus quod ingreſſi fuerant. Qua de re vide Camium h. l. ¶ *Cades*] *Deſertum Sur*, teſte Euſebio, *erat inter Cades & Barad*. *Cades* autem *ſolitudo eſt ſuper urbem Petram: Sed & Scriptura deſertum Cades contra faciem Ægypti extendi memorat; ad quod primum venere Ebræi Rubro mari tranſvadato*. Hæc Euſebius de locis, in *Sur*, Jon. *venit in Rekam* לרקם.

17. *Ad regem Moab*] Miſſos fuiſſe legatos ad Regem Moabitarum non legimus alibi, tamen dubitare de eo non poſſimus, cùm hiſtoria referat Moabitas idem feciſſe populo quod Idumæi fecerant, qui tranſitum ei denegarunt, unde colligimus legatos etiam miſſos fuiſſe ad Regem eorum. Vide Camium.

24. *Chamos Deus tuus*] אלהיך eſt in fonte, quod ità bene redditur: nam eſt nomen communis numeri. Igitur ſuprà ubi habetur *Diis Moabitarum*, meliùs vertitur *Deo Moabitarum*. Nam præter Chamos non legimus alium Deum fuiſſe in regione Moab. *Deum* autem vocat qui opinione tantùm talis erat. Hinc intelliges quis ſit *populus Chamos*. Nam ità loquendo Scriptura Moabitas innuit, qui Deum Chamos colebant. Res eſt, non conjectura. Proverbio dicebant, *Væ tibi, Moab; periſti, popule Chamos*.

25. *An bonus bonus tu es quàm ea*] Sub. *magìs*, ut ſit *magìs quàm*. Latinè, *An melior melior tu es quàm Sephor*, &c. Id non nemo explicat, *An ullo pacto melior es?* Nam geminatio vocum emphaſin habet. ¶ *Si pugnando pugnavit in eos?*] נלחום infinitivus eſt pro הלחם. Vide Grammaticam noſtram, נלחם cum (-) ſub Heth præteritum eſt in Niphal. Legimus in Joſua, *Surrexit Balac & pugnavit in Iſrael*, quod huic loco adverſari videtur. Non adverſatur. Nam ſi pugnavit, pugnavit duntaxat mittendo

tendo

tendo Balaamum, qui malediceret populo. Alioqui non pugnavit pro terra sua, ut nec alii Reges Moab postea. Videndus R. D.

26. *In Hesebon & filiabus ejus*] Hier. *& viculis ejus.* Jon. *& pagis ejus.* Lxx ἐν τοῖς ὁρίοις αὐτῆς *in finibus ejus*, alii θυγατράσιν *filiabus.* ¶ *Juxta Arnonem*] Ad verb. *super manus Arnon.* Santes *juxta terminos Arnon. Manus* pro *termino*; i. גבול. Ohel Moed in גבל. Sic Jos. 15. *juxta manum Asdod*, i. limitem. Alibi *manus* sign. *locum* & *spatium.* Hier. *juxta Jordanem.* Sic etiam Lxx παρὰ τὸν Ἰορδάνην. Mendum, pro Ἀρνῶν. Sic sæpe nomen notum commutatur cum minùs noto: nam Jordanis notior erat Arnone. Jon. דעל תחומי ארנון *qui apud limitem Arnonis.* R. S. אצל ארנון *apud Arnonem.* ¶ *Trecentos annos*] *Computus horum annorum habetur in Seder Olam*; *Josua rexit Israelem* 28 *an. Othoniel F. Cenez*, 40. *Ahud*, 80. *Debbora & Barac*, 40. *Gedeon, totidem*; *Abimelech*, 3. *Thola Phua F.* 23. *Jair*, 22. *Ecce anni* 276. *in quibus comprehensi sunt anni Servitutis. His adde* 18 *annos quibus servierunt filiis Ammon, usque dum exsisteret Jephthe. En* 300 *anni cum sex annis Jephthe.* Hæc R. D. in Comment ad h.l. R.S. ex eodem libro ità computat eos annos, *Josua rexit Israelem* 28. *an.* [Non est Scriptura unde hoc discas. Videndus Lira ad h.l. & R. Levi de his 300. annis, & R. D. cap. 17. 6.] *Othoniel*, 40. *in quibus comprehenduntur anni quibus servierunt Chodorlaomer Regi Syriæ. Postea Ehud*, 80. *an. in quibus* 18. *anni servitutis Eglonis Regis Moabitarum. Ecce* 148. *anni. Debbora rexit* 40. *& duo servitutis Jabin in iis. Ecce* 188. *anni. Post* 7. *anni servitutis Madian*, *&* 40. *Gedeonis, &* 3 *Abimelechi. Ecce* 238 *anni. Post* 23. *anni Tholæ, &* 22 *Jairis, nisi quòd ascendit annus unus ambobus, &* 18. *filiorum Ammon, donec veniret Jephthe. En* 300. *anni.*

29. *Spiritus Domini*] Spiritus roboris à Domino. Jon. *resedit super Jephthe spiritus roboris à coram Domino.* ¶ *Transivit ad filios Ammon*] Hîc אל desideratur in Ebræo. R. D. *ad terram filiorum Ammon.*

31. *Erit Domino, aut offeram eum holocaustum*] In Ebræo *& offeram eum. Et* pro *aut*; ut in illo. *Qui percusserit patrem & matrem.* Sensus est, *aut matrem.* Sic Euangelistæ interpretantur. Hier. *eum holocaustum offeram Domino.* Omisit membrum prius, *erit Domino*, quod multos torsit qui hanc versionem habuerunt pro authentica, nec soliciti fuerunt de fontibus Ebræis. Sed quid si obviàm factus ei fuisset canis, qui nec immolari poterat nec Domino consecrari? Ideo Lira dicit hoc votum admodum indiscretum fuisse. Lxx Καὶ ἔσται τῷ Κυρίῳ, ἀνοίσω αὐτὸν ὁλοκαύτωμα, *& erit Domino, offeram eum holocautoma.* Alii, καὶ ἀνοίσω · quod exponi potest ἢ ἀνοίσω. R. D. *Sententia Doctorum de hoc loco nota est. Pater autem meus Joseph enarrans hæc verba dicit* ET *positum esse pro* AUT, ET ERIT DOMINO SANCTITAS, *si non erit aptum ad holocautoma*, AUT OFFERAM ILLUD HOLOCAUSTUM, *si erit aptum ad hoc, & optimè exponit.* Quæ expositio firmamentum accipit ex v. 37. *Deflebo virginitatem meam.* Non immolabo eam, sed, prout vovi, innupta manebit, nec cognoscet virum, Domino consecrata, quam פרושה vocant, q. *separatam* à consortio viri & hominum. Ut ut fit, videtur fuisse votum inconsideratum. Nam si canis occurrisset, nec immolare potuisset nec Deo consecrare. Cæterùm qui virginitatem vovet, improlis manet. Tales apud antiquos pro mortuis habebantur. Qua de re alibi, si Deus voluerit.

33. *Mennith*] Videtur esse nomen urbis aut regionis: è qua triticum asportabatur Tyrum usque, unde חטי מנית *frumenta Minnith*, Ezec. 27. 17. Tremellius existimat ità dici *imam Armeniæ Minoris partem Amano junctam*, fortè quoniam Armenia Minor מני *Menni* vocatur Jer. 51. 27. ubi Thargum הורמני *Armenia.* Sic etiam interpretatur idem nomen Mich. 7. 12. ubi tamen præpositio est cum paragoge Jod.

34. *Non erat ei ex se*] ממנו *ex se.* Hoc videtur velle, Licèt ex alia uxore haberet liberos privignos, tamen *ex se* neque filium neque filiam habebat, qui videlicet natus esset *ex se*, i. se parente. Nam quos habebat nati erant ex alio patre: ità eorum erat non Pater propriè, sed Vitricus. Sunt qui putant esse enallagen generum, ac si esset ממנה, quod reddunt *ex ea*, nempe filia sua. R. D. hanc sententiam tribuit Jonathæ, dubito an bene. Nam in libris quos vidi מיניה, *ex eo*, vel *se.* Critici Ebræorum annotant quinque esse quæ putantur esse ממנה *ex ea*, cùm tamen leguntur ממנו *ex eo*, vel *ex se.* ¶ *Unica*] Hier. *unigenita*, nempe ex Græco μονογενής. Alii ἀγαπητή. Vide Rom. ed. Lat. Differunt *unicus* & *unigenitus.* Nam unicus esse potest qui tamen non fit unigenitus. Sanè ex pluribus liberis qui unicus superest, vocatur *unicus* & *unica*, i. יחידה, cùm *unigenitus* sit quem pater unicum genuit. Vide Tropos. Filia Jephthe & unica erat & unigenita.

35. *Scidit vestimenta sua*] In signum doloris. Nam & in luctu scindebant vestes, & cùm audirent blasphemantem Deum. Nota hæc in vulgus. Dicimus etiam *lacerare vestes* eodem sensu. ¶ *Filia mea*] Vetus interpres hîc & alibi, *filia mi*, pro *mea.* Sic *domina mi.* Salvianus adversùs avaritiam l. 3. *O domina mi Ecclesia Dei.* Tibullus,

Vive diu, mi dulcis anus.

Usurpatur etiam *mi* genere neutro, pro *meum.* Apuleius, *mi sidus*, & numero plurali. Plautus, *mi homines, mi spectatores*, pro *mei*, καὶ ζωγράφοι μου. Salvianus, epist. 1. *mi dilectissimi*, pro *mei.* Quod semel notandum fuit propter eos qui interpreti nostro hîc calumniam struunt, solœcismum objicientes. ¶ *Aperui os meum*] Locutus sum vovendo, vovi. *Aperit os* qui loquitur, ut, *Job aperuit os suum, & maledixit diei suo.* Sic Psal. 78. 2. *Aperiam in parabola os meum*, & 38. 13. *sicut* [illegible]*utus non aperiens os suum*, & 39. 9. *Obmutesco, non aperio os meum:* & 49. 4. *aperiam in cithara ænigma meum*, i. loquar. Nam dicunt *aperire* simpliciter pro *aperire os*, unde in libro Musar crebrò obvium *aperuit & dixit* pro *locutus est & dixit.* Dicunt etiam *aperire labia* eodem sensu, Job 32. 20. *aperiam labia mea, & respondebo*, & 11. 5. *Utinam Deus aperiat labia sua tecum.* Alio sensu Deus dicitur *aperire labia nostra.* Psal. 51. 15. *labia mea aperies.* Cæterùm *aperire os* Sapientiæ tribuunt, quia stulti os semper patulum habent. Communiter *aperire* פתח dicitur, hîc est פצה in fonte, quod reddunt *aperio, patefacio, pando.* Lxx ἤνοιξα. *Aperui os meum Domino*, i. votum feci. ¶ *Non possum redire*] Redire ad aliud votum, aut reverti & retrocedere ab illo voto, revocare illud. Hier. *aliud facere non potero.* Jon. *aperui os meum in voto coram Domino, nec possum reverti.*

37. *Descendam super montes*] *Ibo in montes*, ut Joh. 4. 47. Sic enim utuntur Ebræi verbis *descendo* & *ascendo*, nullâ habitâ sitûs ratione. Infrà 15. 11. *descenderunt in summitatem petræ.* Contrà legimus Jos. 7. 24. ἀνήγαγον *subduxerunt eos in vallem Achor.* Aut fortasse Maspha, ubi domus Jephthe, altior erat vicinis montibus. Possumus etiam vertere *descendam juxta montes.* Lxx καταβήσομαι ἐπὶ τὰ ὄρη. Vide Rom. ed. Lat. R. D. *Sunt qui exponant in sign.* אריד *Clamabo, Plangam, sed potest exponi ut sonat, quia domus Jephthæ altior erat montibus, aut dicit*, DESCENDAM VERSÙS MONTES, *respectu vallis quæ erat inter Maspha domum Jephtæ & montes. Et sic*, ASCENDERE FECERUNT EOS IN VALLEM ACHOR, *&*, DESCENDIT IN PETRAM. Jon. ואתניד על טוריא *subtraham me in montes.* In Dras, *Descendam ad montes, h. e. ad Doctores Synedrii, fortè invenient januam voto meo.* Videatur nunc Nicolaus de Lira. Hier. *circumeam montes.* Forte locutio brevis est pro *descendam & ibo ad montes*, unum pro duobus. Sic, *accipies carbones ignis super caput ejus*, pro *accipies & pones*; *accepisti dona in hominibus*, accepta dedisti. *Accepit eum in pinnaculum templi*, acceptum transtulit. ¶ *Deflebo virginitatem meam*] Itáne virginitas deflenda? Olim sine nuptiis & liberis esse probrosum erat. Vide Jes. 4. 1. & 1 Sam. 1. 7. Nunc alia tempora, alii mores. Vide Liram.

39. *Fecit*

39. *Fecit votum suum*, &c.] Cur non redemit eam æstimatione pecuniæ? Nam 30. siclis poterat id facere, ex lege quæ habetur Lev. 27.4. An ignoravit legem? Quidam hoc existimant, & in his Tremellius, quem vide sis ad h.l. Thargum h.l. vel potiùs additio ad Thargum, *Fuit statutum in Israel nè quis offerret filium suum aut filiam suam in holocaustum, quemadmodum fecit Jephthe Galaadites, qui non interrogavit Phinees Sacerdotem. Quòd si consuluisset eum, potuisset redimere illam æstimatione pecuniæ.* R. D. *Introduxit eam in domum quam fecerat ei, ubi separata mansit ab hominibus & à viis hujus mundi. Erátque statutum in Israel ut ab anno in annum irent filiæ Israel ad lamentandum eam.*

40. *A diebus in dies*] Ab anno in annum, i. annuatim, uel quotannis. Thargum *à tempore in tempus.* An *tempus* pro *anno* sumatur valde dubito. ימים pro *anno dierum* notius est quàm ut probari debeat. Vide Animadv. meas. Hier. *post anni circulum*, מקץ ימים *à fine dierum*, i. anni. Lxx ἀπὸ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. R. D. *ab anno in annum.* Santes *annuatim.* ¶ *Ad alloquendum filiam Jephthe*] Ad consolandum eam. *Alloqui* pro *consolari* notum est vel ex libris meis. Vide Observationes. Hinc *alloquium* pro *consolatione.* Thargum לאלאה *ad lamentandum eam.* Lxx θρηνεῖν. Hier. *ut plangant.* Trem. *ad confabulandum cum ea.* R. D. in l. Rad. *ad loquendum cum ea. Non enim occidit eam Jephthe, tantùm fecit ei domum extra urbem, ubi sola mansit, nec cognovit virum; & sustentavit eam ibi, & erat ligata omnibus diebus vitæ suæ. Hoc erat votum ejus quod voverat. Nam sensus est,* AUT OFFERAM EAM HOLOCAUSTUM, *ac si diceret, Si egressus fuerit mihi obviàm è domo mea homo,* ERIT DOMINO: *vult dicere, Sanctitas erit Domino, quia erit separatus à viis seculi: si verò res erit digna ad oblationem,* OFFERAM HOLOCAUSTUM. Idem in Comment. ad h. l. *Ad lamentandum & deflendum virginitatem ejus cum ea, juxta Thargum* לאלאה. *Nam* אלא *Lamentor. Aut expositio est, Ad confabulandum, sive sermocinandum, cum ea, & ad consolandum eam quatuor diebus. Nam solitaria erat, ut homines separati, qui conclusi sunt in ædibus. Hoc statutum fecerunt cum ea cunctis diebus vitæ ipsius. Quod autem ait* ותהי, ET ERAT STATUTUM, *genere fem. vult dicere, Itio filiarum Israel erat statutum quotannis. De quo tamen non omnium eadem sententia est. Doctores nostri dixerunt, Et quomodo vovit? R. Johanan dicit, Tenebatur æstimatione pecuniæ. Res talis, ait, non tenebatur, &c. Non erat ibi Phinees ut laxaret votum ejus. Nam dixisset ei, Æstimatione pecuniæ tu liber es. Dixit Phinees, Ipse indiget mei, veniat ad me. Jephthe autem caput Principum Israel, Egóne ibo ad eum? In ista contentione periit puella, & ambo ipsi puniti fuerunt: Jephthe avulsione membrorum mortuus est, sicut dicitur,* SEPULTUS EST IN URBIBUS GALAAD; *A Phinees autem recessit Spiritus S. sicut dicitur,* ET PHINEES FILIUS ELEAZAR SACERDOS PRINCEPS FUERAT SUPER EOS. *Non est scriptum nisi* PRINCEPS, *antea fuerat,* ET DOMINUS ERAT CUM EO; *nunc non est cum eo. Videmus ex verbis eorum (Doctorum videlicet) quòd Jephthe fecit id per errorem & ignorantiam. Nam putabat votum suum esse votum,* &c. Ubi probat illa verbis textûs. Videndus R. S.

IDEM.

34. יְחִידָה. Alius, ποθητὴ *desiderata*] Priùs erat μονογενὴς *unigenita.* Schol. ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει τὸ, ποθητή· ἀπὸ δέ τινος συνηθείας ἢ ἰδιώματος τὴν ποθητὴν οὕτως ὀνομάζει. Prov. 4.3. יחיד, Lxx ἀγαπώμενος *amatus, dilectus.* Alibi reddunt ἀγαπητὸν, Gen. 22. quod Hieronymus improbare videtur. Vide illum Jer. 6.

35. הַכְרֵעַ הִכְרַעְתִּנִי. Alius, ἐμποδοστάτηκάς με *impedimento mihi fuisti*] Dubito an pertineat potiùs ad ואתה היית בעכרי *& tu fuisti in turbantibus me.* Verbum rarum ἐμποδοστατέω, unde ἐμποδοστάτης *qui obstat & impedimento est.* Schol. ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει, ἐμποδοστάτηκάς με, ἀντὶ τοῦ ἐμπόδιον καὶ διακοπὴ τῆς πρὸς σὲ γενομένης μοι εὐφροσύνης γέγονας. In AA. LL. habetur, ἐμποδοστάτηκάς με, εἰς σκῶλον ἐγένου ἐν ὀφθαλμοῖς μου· καὶ ταραχῇ ἐτάραξάς με, καὶ σὺ ἦς ἐν τῷ ταράχῳ μου. Notata hæc in edit. Rom. ad quam te remitto.

CAPPELLUS.

39. TUM *fuit exactis duobus mensibus, reversa est ad patrem,* ויעש לה את נדרו אשר נדר, *& executus est in ea votum quod ipse voverat*] Vel, *fecit ei secundùm votum quod voverat ipse.* Votum autem illud habetur ver. 30, & 31. *Vovit autem Jephte votum Domino, & dixit, Si tradideris Ammonitas in manum meam, quicquid egredietur de foribus domûs meæ in occursum meum, cùm revertar in pace à filiis Ammon,* והיה ליהוה והעליתיהו עולה, *erit Domini, & offeram illud in holocaustum.* Quoniam infandum facinus videtur ut Pater filiam Deo in holocaustum offerat, quòd Deus aversetur humana ejusmodi, sive potiùs dira & inhumana, sacrificia hostiásque humanas, propterea torquent se mirum in modum in hujus loci explicatione Interpretes, & plerumque huc redit sententia, ut Jephte filiam non immolaverit, sed Deo virginem perpetuam consecrarit, & Monasterio, si Diis placet, vel carcere potiùs perpetuo incluserit. Atque hic Legis ignorantiam Jephtæ impingunt, quòd nesciverit scilicet se potuisse numerato pretio filiam redimere, juxta Legem quæ habetur Lev. 27.4.

II. Sed frustrà sunt illi, meâ quidem sententiâ, & vim manifestam faciunt verbis quibus Jephte dicitur nuncupasse votum, & illis item quibus narratur executus fuisse votum illud, adeóque toti rei istius narrationi. Nam si Jephte filiam non immolavit, sed virginem duntaxat perpetuam (ut illi volunt) Deo consecravit, an justa fuit lacerandæ vestis causa, támque lugubris exclamationis quæ habetur v. 35. cùm vidit filiam in occursum suum prodeuntem domo, *Ah filia, tu me depressisti, tu es inter eos qui me conturbant.* Item, cur illa rogat Patrem ut concedantur sibi duo menses ad deflendam virginitatem? Certè si Deo consecrata fuit perpetua virgo, nulla fuit causa deflendæ virginitatis, gloriosa enim fuit & commendabilis perpetua illa à conjugio abstinentia. Aut si flere virginitatem vel voluit vel oportuit, certè tum demum flere illam decuit cùm monasterio includenda fuit; antequam verò clauderetur, decuit potiùs cum amicis & sociis puellis spatio duorum illorum mensium vitam agere lætam & jucundam, siquidem postea lugendi tempus plùs satis longum illi superat. Tum, cur mos inolevit indè ut virgines Israelis quotannis convenirent לתנות *ad lamentandum* (uti Chaldæus Paphrastes & Jarchi exponunt) vel potiùs *ad celebrandum* filiam Jephtæ, si illa inclusa tantùm fuit monasterio? Erátne inclusio illa & consecratio virginis Deo facta tam acerba pœna, tam durum supplicium, aut tam grave ipsi Jephtæ damnum, ut ad utriusque consolationem conventum illum virginum solennem quotannis fieri oporteret? Aut verò fuit perpetua illa virginitas tam singulare & insigne facinus ut ad æternam ejus memoriam mos ille in Israele inolescere debuerit? Dilutum planè videtur quod aiunt, Jephtam spe sobolis, quam ex unica illa filia speraverat, fuisse dejectum, indéque lugubrem ipsius ad conspectum filiæ exclamationem, indidémque virginum ad ejus consolationem annuum conventum, quasi verò non pauci sine prole prolísque spe diem suum in Israele obierint, qui non propterea tam lugubrem in modum publicè toto spectante populo in miseros ejulatus proruperunt! Deinde ad ejus consolationem viros & senes Israelis decuit convenire potiùs quàm virgines.

III. At, inquiunt illi, vox לתנות significat *ad confabulandum:* sic nempe reddit & interpretatur Kimchi, unde colligunt convenisse virgines ad confabulandum cum virgine illa inclusa, eámque confabulationibus suis exhilarandam & consolandam. Sed primò, gratis id sumunt quod non facilè alius concesserit, nempe morem illum conveniendi quotannis tantillùm durasse quamdiu vixit Jephtæ filia. At non facilè id concesserint qui norunt quæ

quæ sit vis phraseos illius ותהי חוק בישראל *statutum fuit in Israele*, nempe non temere eam usurpari nisi cùm agitur de more & consuetudine si non perpetua at diuturna saltem. Deinde, non est quòd authoritate Kimhi in explicanda vocis תנות significatione urgeamur potiùs quàm aliorum illo non modò non inferiorum verùm etiam superiorum, Targumi, inquam, & Jarchi, qui, ut dixi, *lamentandi* significationem voci illi tribuunt. Denique si vocis hujus (quæ rarò in Scripturis occurrit) significatio obscurior exquirenda est & indaganda ex affinibus linguis, habemus vocem Arabicam תני (quæ ab ista Hebraica תנה deflexa omnino videtur) quæ Arabibus significat *celebrare* & *laudibus aliquem clarum & illustrem facere*, quæ significatio tum isti loco tum etiam c.5.2. hujus libri (ubi ea rursus occurrit) appositissimè congruit. Sensus enim hic erit, Virgines quotannis convenisse ad celebrandam filiæ Jephtæ memoriam, & laudibus efferendam ipsius constantiam & animum in ferendâ morte imperterritum, (quam animi fortitudinem testata est ipsa v.36. cùm patri turbato respondit se paratam esse ferre quicquid illud esset quod Deo voverat) aut verò etiam ad deflendum tam miserabilem virginis illius insignis casum, juxta Jarchi & Chaldæi Paraphrastis mentem.

IV. Cùm autem Jephtæ Legis ignorantiam impingunt, qui nesciverit, filiam numerato pretio potuisse ex Lege redimi, necesse est ut ignorantiam illam non Jephtæ modò, sed toti populo, adeóque & Sacerdotibus, imò & summo Pontifici, similiter affingant. Quid? si redimi illa ex Lege potuit, cùm Jephte filiam vivere summopere vellet, in tanta animi ejus perturbatione, in tanto angore, credibiléne est neminem in toto populo, ex Sacerdotibus & Levitis neminem fuisse qui potuerit aut voluerit monere hominem, causam non esse cur tantopere anxius esset animi, cùm exiguo pretio filia ex Lege redimi potuerit? Vel sitne verisimile Jephtam illi monito acquiescere noluisse, atque existimasse se nihilominus obstrictum fuisse filiam immolare, aut virginem perpetuam (ut alii volunt) monasterio includere? Certè quod vehementer volumus, licèt dubium & incertum atque obscurum, id facilè nullóque negotio nobis persuadetur: quantò faciliùs cùm res aperta est & plana? Cùm itaque Jephte summè vellet filiam vivere, atque ex ea augeri prole, sanè si potuit illa jure redimi, ex Lege quæ habetur Lev. 27. 4. facilè potuit id Jephtæ persuaderi, plana enim est & aperta Lex illa. Quid opus ergò fuit filiam perpetuo carceri ad servandam castitatem mancipare? Aut verò credibiléne est Jephtam invito & repugnante toto populo, invitis aut non consciis Sacerdotibus, Levitis, summóque adeò Pontifice filiam immolasse? aut verò populum, Sacerdotes, summum Pontificem id sivisse, si illa legitimè potuit redimi? Quis credat? Omnino ergò non potuit illa redimi.

V. Qui ergò Jephtæ, adeóque toti populo, ignorantiam Legis crassam hîc impingunt, ipsi manifestam Legis ignorantiam produnt atque testantur; qui non animadverterunt scilicet, Legem esse, quæ eodem capite Levitici habetur v. 28, & 29. de Anathemate, quâ sancitur *ut omne Anathema morte afficiatur, neque omnino redimatur.* Duo nempe fuerunt sub Lege votorum genera lege sancita. Alterum fuit, ut ità dicam, Votum simplex, de quo Lev. 27. ad versum usque 28. Ea quæ per ejusmodi votum Deo sacrabantur, poterant, secundùm æstimationem Sacerdotis, numerato pretio redimi, utì manifestum est ex toto illo capite. Sed aliud fuit Voti genus quod חרם *Anathema* dicitur, de quo lex sancitur eodem capite, ver. 28. & 29. Quæ per illud votum Deo consecrabantur, non poterant redimi, utì liquet ex v.28. לא ימכר ולא יגאל *non vendetur, neque redimetur*, inquit Lex. Cæterùm per ejusmodi votum poterat quis Deo devovere & consecrare quicquid suum, sive juris sui, erat, tam agros & fundum sive domum quàm jumenta & pecudes atque armenta, personas denique humanas, quod ex eodem versu planum est, qui sic habet, אך כל חרם *Verùm omne interdictum* (seu *Anathema*) אשר יחרים איש ליהוה *quod quis devoverit Domino*, מכל אשר לו *de omnibus quæ sunt ipsius*, מאדם ובהמה *de hominibus & bestiis*; & *agris possessionis suæ, non vendetur, neque redimetur, omne enim interdictum est* קדש קדשים הוא ליהוה *res sanctissima Domino.* Quin & (quod multò majus est) siquis per ejusmodi votum Deo devoverat personam aliquam in quam jus & potestatem habebat, non poterat persona illa sic devota redimi; oportebat eam interfici: quod manifestum est ex v. 29. cujus hæc sunt verba, כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה מות יומת: *Omne interdictum quod devotum fuerit ex humanis personis, non redimetur, sed omnino morte afficietur.*

VI. Hujusmodi proculdubio fuit Jephtæ votum, non simplex נדר, à quo dabatur redemptio, sed חרם, à quo nulla concedebatur redemptio, proindéque juxta hanc τῶ חרם *Anathematis* legem omnino debuit ejus filia morte affici. Hinc tam lugubris & miserabilis Jephtæ, conspectâ filiâ, exclamatio, *Tu me depressisti, tu es inter eos qui me conturbant*; quòd videret se ex voto teneri eam morti tradere: hinc etiam illa ejus verba ולא אוכל לשוב *neque possum revocare*; quibus satis significat se nullam hîc agnoscere Lege permissam redemptionem. Hinc virginis mortem sibi paratam videntis ad patrem deprecatio, ut duo saltem menses sibi concederentur ad deflendam immaturam suam mortem, ante delibatam per justum matrimonium virginitatem, susceptámque ex eo prolem, quæ patri solatio esse posset. Hinc denique mos in Israele virginum quotannis convenientium ad deflendam insignem istam virginem, & ad celebrandam ejus memoriam, laudibúsque extollendam ejus in ferenda morte constantiam, tum ad perpetuam memorabilis illius & planè singularis facinoris (in quo, utì mox dicetur, expressus fuit mortis & sacrificii Christi typus) memoriam conservandam. Ex hujus itaque voti lege Jephte filiam omnino videtur immolasse, h.e. morte affecisse, atque sic accipi debent verba illa, ויעש לה את נדרו אשר נדר *& exsecutus est in ea votum quod ipse voverat*, vel, *fecit ei secundùm votum quod ipse voverat.* Sanè non voverat eam includere monasterio, aut perpetuo carceri ad servandam castitatem mancipare, sed voverat se oblaturum in holocaustum Domino quicquid sibi redeunti occurrisset ad domûs januam. Friget omnino tota hæc narratio, si dicamus Jephtæ votum fuisse simplex נדר, à quo dabatur per Legem redemptio, atque in ea incidemus absurda & incommoda quæ hactenus ex illa sententia sequi ostendimus. Fuit ergò חרם, non simplex נדר. Nec obstant verba historiæ וידור נדר *& vovit votum.* Nam נדר *nadar* & נדר *neder* voces sunt generis, non speciei duntaxat, putà simplicis voti. Itaque à positione generis ad negationem singularis alicujus speciei non rectè proceditur, *Vovit votum, ergò votum illud non fuit* חרם, non sequitur. Ex circumstantiis historiæ dispiciendum utrùm fuerit simplex votum, an חרם: jam verò omnes (uti vidimus) historiæ hujus circumstantiæ arguunt fuisse חרם, non simplex votum.

VII. Verùm dixerit aliquis, Estne verò rationi consentaneum, Deum probasse, atque adeò Lege suâ sancivisse, ut devoveretur persona aliqua morti tradenda, sícque humanas hostias probasse acceptásque habuisse? aut verò id juris patri in liberos, vel hero in servos concessisse, ut illis licuerit voto isto personis, quæ ipsorum erant juris, vitam pro arbitrio tollere? Hinc quidam moti legem illam de Anathemate sic accipiunt ut dicant eâ quidem licuisse devovere personas etiam humanas, at licuisse bestias duntaxat devotas morti tradere; humanas autem personas aiunt peculiari quadam ratione & modo fuisse Deo consecratas. Itaque versum 29. sic reddunt, *Omnis bestia devota, quæ devovetur ab homine, nè redimitor, omnino morte afficitor.* At hæc interpretatio textui Hebræo non quadrat. Nam primò illud *bestia* infulcitur; non enim est in Hebræo: deinde illud מן האדם eodem sensu hîc accipi debere manifestum est quo versu præcedente accipitur vox מאדם, atqui v.28. מאדם non significat *ab homine*, sed *ex* vel *de hominibus*, fatentibus illis ipsis quibuscum mihi jam res est. Tum si is est Legis sensus quem comminiscuntur, quid opus erat addere מן האדם? an de aliis votis agit Lex quàm

quàm quæ ab hominibus nuncupantur? Supervacaneum ergò omnino erat illud מן האדם. Non sic acceperunt vocem מן האדם Lxx interpr. qui reddiderunt, non ὑπ' ἀνθρώπων *ab hominibus*, sed ἀπ' ἀνθρώπων, h. e. *de* vel *ex hominibus*; meliùs proculdubio quàm Vulg. versio, quæ habet *ab homine*. Mens ergò & sensus Legis hic est, Personam illam humanam quæ per חרם devota fuerat ab eo qui in eam jus & potestatem habet, non posse redimi, sed omnino morte afficiendam esse.

VIII. Cæterùm, ad diritatem & immanitatem quod attinet hujus Legis, dicimus, eandem propè hujus Legis esse rationem quæ fuit Legis de Repudio. Non probabat Deus repudium; sed siquis erat tam duro & præfracto animo ut nollet diutiùs uxori convivere, Deus, quatenus populi Judaici Rex fuit veluti Politicus, & civilis Legislator, non prohibebat quominus illam à se amandaret, dato repudii libello. Sic etiam Deus non probabat ut quis personam humanam sibi per חרם devoveret, sed siquis adeò temerarius erat ut votum ejusmodi nuncuparet non de bestia aut agro tantùm, sed de persona etiam quæ ipsius esset juris, volebat eam morte affici, non quòd illi probarentur & gratæ essent humanæ hostiæ, sed aliis de causis legitimis, quas Lex quidem non aperit, (neque enim Deus Legum & præceptorum suorum rationem reddere tenetur) sed quas nobis suspicari & subolfacere licet. Ac primò quidem videtur Deus sic tacitè voluisse innuere se potestatem vitæ & necis concedere parentibus in liberos, & heris in servos, non quidem ab ipsis pro arbitrio exercendam cùm liberet, quomodo eam Ethnici Græci & Romani exercuerunt, sine Magistratûs conscientia, sed quam hâc duntaxat ratione exsererent, sacrâ nempe capitis illorum devotione, ad cujus exsecutionem intervenire oportebat Sacerdotum operam & ministerium, ad quos nimirum pertinebat votorum cognitio, rerúmque Deo per חרם sacratarum jus & proprietas sive dominium. Num. 18, 14. כל חרם בישראל לך יהיה *Omne Anathema in Israele tuum erit*. Quâ sanctione Sacerdotes judices erant à Deo constituti, qui dispicerent & judicarent an vota illa essent legitimè nécne concepta & nuncupata, atque ità mors liberorum & servorum à parentibus & heris devotorum non simpliciter & nudè à parentum & herorum arbitrio & libidine pendebat, quandoquidem Sacerdotum judicium & sententiam intercedere oportebat. Ità abusus cavebatur, & simul parentes à liberis & heri à servis tantò majore in honore habebantur, utpote quos tantam viderent in se habere vitæ & necis potestatem ut, si libuisset, ab uno oris ipsorum verbulo vita & mors sua penderet, hâc ratione magis in officio & debita erga parentes & heros obedientia continebantur. Eandem parentum in liberos vitæ & necis potestatem Deus aliâ lege sancivit simul, & certis veluti cancellis atque limitibus circumscripsit, cùm jussit filium rebellem & contumacem ad parentum querelam & accusationem, coram Magistratu causâ cognitâ, lapidibus obrui.

IX. Secundò, Deus sic fortè voluit homines à pravo & quasi ingenito vitio & more deterrere, ut solent irâ perciti diris & imprecationibus devovere eos quibus malè volunt, & in quos irâ exarserunt: nam eadem vox חרם quæ certum voti speciem notat, simul etiam *diras* illas & *imprecationes* significat. Cùm itaque Deus voluit eum morte affici qui ab eo in cujus est potestate יחרם *anathemate devotus est*, videtur voluisse tacitè hâc sanctione absterrere parentes & heros à temerariis in liberos & servos diris atque imprecationibus, quibus non rarò solent commotiores in eos invehi; simul etiam ut eâdem sanctione monerentur liberi & servi nè darent parentibus & heris in se excandescendi atque diris & imprecationibus, adversùs se utendi occasionem, (nè malum in caput suum diris illis accerserent) sed eas (licèt fortè temerarias & iniquiores) reformidarent atque exhorrescerent, utpote quas, etsi injustas, Deus nonnunquam ipso eventu veluti comprobat & quasi ratas habet. Nempe variis ex historia & quotidiana ferme omnium seculorum experientia petitis luctuosissimis exemplis manifestum est, Deum sæpius parentum etiam injustas & temerarias in liberos conjectas diras atque exsecrationes veluti exaudivisse, in temeritatis ipsorum pœnam & castigationem, & immissâ in liberos gravissimâ aliquâ calamitate ratas quasi habuisse, frustrà postea lugentibus parentibus, & cùm ad se redierant temeritatem suam atque iræ ἀκρασίαν incassum damnantibus. Atque gemina hæc esse potest ratio, ut ità dicam, Ethica sanctionis hujus Divinæ, legísque civilis, legibus nempe nonnunquam civilibus Deus documenta moralia Judæis insinuavit. Sic cùm vetuit avem pullis incubantem unà cum pullis capi, & hœdum in matris lacte coqui, voluit sanctionibus illis humanitatem & misericordiam homines docere, eósque à crudelitate & immanitate deterrere.

X. Sed & alia adhuc esse potuit legis istius seu sanctionis Divinæ ratio, Typica scilicet. Deus nempe eo videtur voluisse Judæos mysticè edocere de Christo à Patre pro nobis aliquando devovendo, cùm scilicet in Cruce pro nobis factus est ab eo κατάρα & verè חרם seu *Anathema*; eúmque qui sic à Patre cœlesti devovendus erat fuisse, ut Lex ista loquitur, קדש קדשים ליהוה *sanctissimum Domino*, qualis Christus solus verè fuit, & quo nomine singulariter appellatur Dan. 9. 24. & Luc. 1. 35. τὸ ἅγιον. Sic etiam civili lege de Jubilæo voluit eosdem mysticè docere de spirituali liberatione quam per eundem Christum habemus, quæque nobis per ipsius mortem est parta, quòd etiam expressiùs significatum fuit cùm jussit Deus Jubilæum indici, & sono inflatæ buccinæ relaxationem ab omni onere, vexatione & exactione toti populo promulgari ipsâ die כפורים *Propitiationum*, statim post peractum solenne illud sacrificium quo quotannis verum Christi sacrificium singulari ratione adumbrabatur. Voluit, nimirum, Deus Legem suam tum Moralem, tum Ceremonialem, tum verò etiam Civilem seu Politicam, Christo & ejus Euangelio subservire, Judæísque esse instar pædogogi quo ad Christum adducerentur. Et fortè Deus ideo videtur permisisse ut imprudens Jephte ejusmodi votum conciperet (quod aliàs ab alio factum esse Scriptura non commemorat) ut in isto exemplo illustris exstaret typus Christi à Patre devoti & tanquam חרם ἀνάθεμα & *Anathema* atque κατάρα morti traditi; quomodo ejusdem rei typum esse voluit in Abrahamo ad Isaacum sacrificandum sese parante: Aptissimè enim pleraque in typo illo cum τῷ ἀντιτύπῳ Christo respondent. Fuit illa patri unica seu μονογενὴς, proptereàque carissima: virgo fuit pudicitiæ indelibatæ; devota fuit à patre adversùs Ammonitas populi Dei hostes proficiscente, ut à Deo victoriam de illis reportaret; ità ut verè dici possit Jephtam hoc veluti pretio victoriam illam à Deo quasi redemisse atque impetrasse; quæ non ægrè & invita, sed læta & veluti ovans fortiq; animo mortis suæ nuncium ex ore patris accepit, quòd videret eum de hostibus Dei, partâ victoriâ, triumphantem; interim ante voti exsecutionem postulavit indulgeri sibi duos menses, quibus cum puellis comitibus per montes defleret immaturam mortem, quibus exactis ultro ad patrem mactanda revertitur: Sic Christus Deo Patri fuit μονογενὴς & unicè dilectus; devotus fuit factúsque ab eo κατάρα, ad devincendos debellandósque Dei salutísque nostræ hostes capitales, Diabolum, Mortem, Peccatum, &c. pretio illo, victimâ illâ parta est victoria, quâ à jugo hostium nostrorum ferreo liberati sumus: Christus devoventi Patri obtulit se non ægrè & invitus, sed ultro & libens factus est obediens ad mortem usquè crucis; cujus cùm tempus advenisset, secessit quidem cum Discipulis in montem Olivarum, atque istic poculi illius amaritudinem naturaliter exhorrescens, ter Patrem rogavit multis cum lacrymis & gemitu ut, si fieri posset, transiret ab eo calix ille, sed factus confirmatior indè surgens ultro se comprehensoribus suis obtulit abducendum, magnóque animo & invictâ constantiâ mortem illam acerbissimam pertulit. Hinc etiam, ex instituto Christi, mos solennis in Ecclesia Christiana, Virginum, h. e. fidelium, quotannis semel Paschatis tempore mortis ipsius memoriam celebrantium, & liberationem suam morte illâ partam agnoscentium.

XI. Porrò

XI. Porrò ab hac de voto חרם Divina sanctione & lege, mysticâque ejus, quam hîc explicuimus, significatione & doctrinâ, videtur manasse apud Ethnicos (inter quos Diabolus simiam Dei egit, & sanam doctrinam variè adulteravit atque interpolavit) primùm mos sese devovendi pro salute patriæ, qui variis ex historia Romana petitis exemplis manifestus est. Deinde, opinio illorum mentibus pertinaciter hærens, graviorem Deorum iram nonnisi humanis hostiis averruncari potuisse; unde etiam mos apud eosdem frequens ejusmodi hostiis Deorum suorum immaniorem iram placandi. Denique opinio quam habebant de illis quos καθάρματα & *sacra devotáque capita* vocabant, quos impunè à quolibet occidi volebant. Est nempe vero maximè consentaneum, plerosque eorum qui inter Judæos à parentibus vel heris devoti anathemate fuerant, cùm viderent hoc pacto certam mortem sibi paratam, ut supplicium effugerent, fugisse & palabundos huc & illuc oberrasse: unde fortè invaluit hæc opinio, Licere cuilibet impunè sacra illa & devota capita, qui debitum sibi fugerent supplicium interficere, postquam intercesserat publica de illorum supplicio authoritas. Atque hanc devovendi personas humanas rationem & morem à Judæorum Magistratu usurpatum interdum fuisse, colligi posse videtur ex triplici, quod illis usitatum fuit, Excommunicationis genere, sive, potiùs gradu. Primus nempe & levissimus fuit נדוי, quo quis à sacrorum communione submovebatur & interdicebatur, fiebátque ἀποσυνάγωγος. Gravior alter, quo facultatibus aut universis aut earum maximâ parte mulctabatur, ísque dicebatur חרם cujus illustre habetur Esdr. 10. 8. exemplum & statutum; ubi de rebellibus & contumacibus Judæis, qui renuissent ad diem dictam convenire Jerosolymam, hoc statuitur יחרם כל רכושו *anathemate devoventur omnes eorum facultates*, h. e. fisco sacro addicuntur. Tertius & ultimus, ísque gravissimus, Excommunicationis gradus is fuit qui Judæis dictus est שמתא, q. d. שם מותא *Ibi mors*, utì exponunt ipsi Judæi, sic nempe dictus, quòd non modò rei facultates sed & ipsa persona יחרם *anathemate feriebatur* à Synedrio magno, unde mors sequebatur, à qua nulla erat post hujusmodi interdictum redemptio. Vide quæ notavimus de hoc triplici Excommunicationis gradu ad Joh. 9. 22.

XII. Cæterùm sive fabula sive historia est id quod Græci narrant de Iphigenia à patre Agamemnone sacrificata, videtur omnino esse μίμησις quædam, seu vera seu ficta, hujus facti Jephtæ; videtúrque omnino arguere à Jephta filiam reapse fuisse morti traditam. Sic enim plerarumque vetustiorum Scripturæ sacræ historiarum umbram & imaginem quandam atque obscura & fugientia veluti vestigia in veteribus Græcorum fabulis invenias, quod ab aliis ostensum est, & multiplici inductione demonstrari posset. Certè hîc & tempus & nomen & aliæ multæ circumstantiæ conveniunt & congruunt. Nam accuratiores Chronologi Jephtæ & Agamemnonis res gestas in idem tempus conferunt, & *Iphigenia* non absurdè quasi *Jephtigenia* dicta videtur. Illa Græcorum Regis, ista Israelitarum Ducis unica fuit & carissima filia; utraque virgo, utraque à patre devota cùm adversùs hostes castra moveret; illa ad Deorum iram placandam & ventos prosperos impetrandos est sacrificata, ista ad victoriam à Deo de hostibus reportandam devota fuit; ista per duos menses cum sociis puellis per montes vagata est & discursitavit, illa fingitur à Diana in cervam commutata per montes & sylvas vagari.

XIII. Porrò cùm Deus jus vitæ & necis in omnes homines absolutissimum habeat, nemo conqueri potest, aut eum injustitiæ vel crudelitatis jure arguere, si cui cùm libet & quo modo libet vitam potest eripere, eam illi hâc ratione & hoc casu adimit, jubendo eum interfici qui anathemate devotus fuerit ab eo in cujus est potestate. Esto enim, durum fuerit, innoxium fortè filium & immerentem interfici ob temerarium patris votum, aut diras & imprecationes ab eo ex subita indignatione emissas. Sanè ea in re pater extra culpam non fuerit, qui sic temere voverit, aut diris sinè causâ usus fuerit: Deus extra culpam est, neque potest dici injustè vitam filio illi eripere hâc legis sanctione. Quod ex illis liquet historiis quæ narrant diras parentum in liberos fuisse non rarò à Deo, in parentum pœnam, exauditas, subitâ morte vel gravissimâ aliquâ calamitate immissâ in filios à parentibus sic sæpe sine causa devotos. Nemo enim apud Deum insons est, & habuit quas jam exposuimus justas condendæ hujus Legis causas & rationes. Neque hâc sanctione parentum in liberos & dominorum in servos iram & [illegible] probat Deus, sed eam contrà potiùs arguit, damnat, castigat & coercet, nè diris atque imprecationibus in eorum caput qui in sua sunt potestate utantur, nisi justissimâ & gravissimâ maximéque momentosâ de causâ ad id commoti, & eo in casu qui justum supplicium de illorum scelere, flagitio, nequitia & indomita contumacia jure deposcere & quasi flagitare videretur. Nempe Sacerdotum erat dispicere utrùm patri & domino justa fuisset devovendi anathemate filium vel servum causa; & si justa fuerat causa, meritò supplicium de devoto sumebatur: si nulla aut injusta erat, Anathema (utì verisimile est) irritum pronunciabatur. Atque ità nulla est justa Legem hanc suggillandi atque improbandi causa vel ratio.

XIV. Sunt tamen quibus Lex illa nihilominus probari non potest, proptereáque eam non de Parentibus liberos, vel Dominis servos, sed de Judæis hostes suos devoventibus accipiunt & intelligunt: Unde nostram de voto Jephtæ sententiam non labefactari modò sed prorsus ruere & everti necesse est. Si enim Lege non licuit parentibus liberos devovere, Jephte filiam devovere non potuit; neque si ex Legis ignorantia eam devovit, potuit aut debuit ea morte affici. Restat ergò nobis excutienda & examinanda hæc exceptio, & videndum an Lex illa de hostium duntaxat populi Dei devotione & anathematismo sit intelligenda. Sanè verba illa Legis מכל אשר לו *de omnibus quæ sunt ipsius*, tantum abest ut de solis hostibus accipi possint, ut contrà de illis intelligi propriè non possint, hostes enim qui devoventur non sunt in nostra potestate, non sunt in earum rerum censu & numero quas possidemus, quæque nostræ sunt. Manifestum est ergò, Legem illam sancitam esse de homine res suas devovente. Tum verò etiam vox איש quæ est in Lege illa, *Omne interdictum* אשר יחרים איש *quod quis devoverit*, vox, inquam, illa non significat populi cœtum, sed individuum vagum, quod vocant, sive singularem quidem hominem, at non certum & precisè definitum sive signatum. Deinde quæro, Annon licuerit homini pecudes, jumenta, armenta, agros, fundum Deo per חרם consecrare? Sanè licuit; neque Judæi negant licuisse, neque puto ullus sanæ mentis id negaverit. Ergò & personas etiam humanas quæ ipsius erant licuit devovere. Nam eodem versu 28. designantur personæ illæ voce מאדם *de hominibus*, sive *humanis personis*, & unà cum *pecudibus*, *agris* & *prædiis* conjunguntur; *Omne*, inquit Lex, *anathema* (sive *interdictum*) *quod quis devoverit de omnibus rebus quæ sunt ipsius*, מאדם ובהמה *sive de hominibus*, *sive de bestiis*, *sive de agris possessionis suæ*, &c. Cùm ergò ante מאדם immediatè præcedat מכל אשר לו, & pòst immediatè sequatur מן האדם ובהמה, &c. liquet illud מאדם accipi debere de illis hominibus seu personis humanis quæ in voventis potestate erant, quæque erant illius juris, non secùs atque pecudes, armenta, agri & latifundia.

XV. Sed fortè non negabit aliquis licuisse personas etiam humanas Deo devovere per חרם, negabit tantùm sanctionem quæ est v. 29. מות יומת *morte afficietur*, intelligendam esse de personis humanis, sed de brutis duntaxat bestiis & pecudibus quæ itidem devoveri poterant, aut si de personis etiam accipiatur illa sanctio, restringendam esse dicent ad hostes qui devovebantur, non etiam esse extendendam ad alias personas quæ per חרם devoveri poterant, propterеáque מן האדם eo versu reddunt *ab homine*, non verò *de hominibus*. Verùm futilis est illa exceptio, quam ex parte suprà refutavi. Quibus & hoc addo; Etiamsi illud

illud מן האדם eo sensu quem volunt acciperent v. 29. non tamen effugerent. Nam initio versiculi illius habetur universalis nota כל חרם *Omne anathema morte morietur*. Cùm itaque versu præcedente, fatentibus etiam iis quibuscum mihi jam res est, Lex dicat posse aliquem Deo anathemate devovere non bruta modò & jumenta, sed etiam personas humanas quæ in ejus sunt potestate, liquet ex v. 29. non pecudes modò & bruta, sed personas etiam domesticas, anathemate devotas morte affici debere: nam restringere illud מות יומת ad hostes, de quibus nulla est mentio facta, ridiculum est & absonum. Ergò vel omnino non licuit personas domesticas anathemate devovere; quod falsum esse ostendimus; vel si licuit, de illis etiam intelligendum est quod v. 29. dicitur כל חרם מות יומת *Omne anathema morte morietur, non redimetur*.

XVI. Deinde, cùm lex illo capite sic distinguat חרם *Anathema* à נדר *simplici voto*, quòd cùm utroque voti genere Deo licuerit consecrare non pecudes & armenta modò, vel agros & prædia, & domos, sed etiam personas humanas domesticas, quæ nostri sunt juris, in quas dominium & potestatem habemus, hoc tamen inter utrumque intersit, quòd ea omnia quæ per נדר Deo vovebantur, numerato pretio, & adjectâ quintâ æstimationis parte, redimi poterant, at ea quæ per חרם Deo devovebantur לא יפדה מות יומת, h.e. *Omnino non redimentur*, sed si sint ejusmodi ut possint interfici, *morte afficientur*, non constaret ratio oppositionis seu distinctionis inter נדר & חרם quoad personas quæ utroque voti genere Deo consecrabantur, si personæ quæ per חרם devovebantur non fuissent morte affectæ. Nam quod aiunt, nihilominus constare rationem oppositionis etiam quoad personas, quia etsi non afficerentur morte, non licebat tamen eas redimere, sed Deo peculiari quadam ratione consecrari oportebat, dilutum est & frigidum effugium, nullo Scripturæ fundamento subnixum, sed temere ab ipsis, Scripturâ tacente, confictum. Ubinam enim in tota Scriptura exstat vestigium ullum peculiaris illius rationis, quâ fingunt personas, Deo anathemate devotas, consecratas fuisse? Commentum est temere ad captandum effugium confictum. Nam si noluit Deus personas illas morte affici, debuit Lege sancire quid de illis fieri vellet, quando redimi eas nolebat. An rem tanti momenti tacuisset, & homines ea in re dubios & anxios reliquisset, quid juris eo casu, quídve facto opus esset? Omnino non fit istud verisimile. Maximè cùm Legem de Anathemate cum universali nota conceperit, כל חרם מות יומת *Omne anathema morte morietur*, omnino debuit, ex illorum hominum sententia, exceptio de personis domesticis adhiberi, & indicari quid de illis Deus fieri vellet: quod cùm factum non sit, nostrum non est ibi distinguere, vel excipere, ubi lex non distinguit, neque excipit.

XVII. Nam hîc ad legem ἄγραφον & traditiones παραδόσεις confugere nostrum non est, sed Pharisæorum & Pontificiorum, qui hoc cuneo omnes, cùm libet, difficultatum nodos dissolvunt & pro arbitrio explicant: nobis non licet esse tam securis, vel etiam audacibus. Sanè quibus verbis & formulis utrumque voti genus concipi & nuncupari potuerit aut decuerit, & alterum ab altero distingui debuerit, non aperit neque præscribit Lex: non enim apices verborum consectatur, aut formularum laqueos nectit & captat Deus, sed sensum & mentem hominum respicit, & loquendi communem usum, quo solent vulgò uti homines ad sensuum suorum mentem explicandam; proptereáque voventium libertati & arbitrio, loquendi receptæ consuetudini, & Sacerdotum (de votorum nuncupatione, si qua lis fortè intervenisset, judicantium) prudentiæ atque judicio totam de formulis quæstionem permisit. At eundem certè non decuit eorum permittere arbitrio, quid faciendum fuerit de personis per Anathema devotis, non enim id debuit ab hominum arbitrio & libitu pendere, cùm ad cultum ejus pertinuerit, sed à Dei sapientia & voluntate præscribi atque definiri.

XVIII. Tum & hoc libens ab autoribus & fautoribus illius sententiæ quæsierim, Num & reliquæ omnes virgines quæ à parentibus similiter, vel imprudentibus vel scientibus & prudentibus, devoveri potuerunt, pari modo etiam Monasteriis includi debuerint. Si affirment; fuerunt ergò inter Judæos publicè erecta Monialium virginum claustra. Quæ sententia hactenus puto inter Euangelicos inaudita fuit, & valde nova videbitur, ut nè dicam hâc ratione Pontificiorum velatis virginibus latam aperiri portam. Si negent; quid de reliquis à parentibus devotis virginibus factum fuisse dicent? Deinde, an potuit esse Deo grata & accepta coacta illa Virginitas perpetua, quæ non à spontaneo voluntatis motu & sancto Virginum ipsarum proposito proficiscebatur, sed parentis irati vel quomodocunque commoti & affecti voto per vim ab invitis & reluctantibus liberis erat expressa? Quid si Pater non virginem, sed vel viduam atque post mariti obitum sub paternam potestatem redeuntem, vel corruptam etiam anathemate devovisset ob ejus impudicitiæ suspicionem, an & illa cum virginibus includenda fuit? Absurdum. Quid de illa ergò faciendum fuit, aut quâ singulari ratione Deo consecrari eam oportuit? Vel cùm Herus servum nequam & perditum iratus anathemate devovebat, quid de eo fieri debuit, quo singulari modo potuit ille Deo consecrari? siquidem ex illorum sententia interficere non licuit. Hîc aquam illis hærere necesse est. His cùm urgeatur & gravetur incommodis nova ista sententia, dicamus, Legis illius de Anathemate mentem simplicissimam hanc esse, ut quæ personæ à parentibus vel dominis anathemate devovebantur (si quando fortè contigisset devoveri) morte afficerentur: Cujus sanctionis causas & rationes (quas suprà aperuimus) habuit justissimas, ità ut legem illam iniquitatis vel injustitiæ nemo meritò arguere, aut de eâ jure conqueri, potuerit.

XIX. Porrò Maimonides in Misna, tom. 2. tract. ערכין וחרמין *de Æstimationibus & Anathematibus*, cap. 6. dicit quidem licuisse hero mancipia sua devovere; sed primùm hoc concedit tantùm de mancipiis quæ erant כנענים *de gente Chananæorum*, h.e. qui non erant gente Judæi, & rectè quidem: nam in eos duntaxat servos absolutum habebant dominium júsque vitæ & necis Judæi, in servos verò qui gente erant Judæi non item; hi enim operam duntaxat suam ad tempus locabant, ad annum nempe usque Sabbathicum, aut Jubilæum, quo tempore liberi exibant. Liberorum autem à parentibus devotorum Maimonides non meminit; sed neque negat etiam eos devoveri potuisse. Sic & de devotorum morte atque supplicio prorsus tacet; sed neque etiam negat fuisse interfectos, aut potuisse interfici. Discrimen autem statuit inter חרם לשמים *Anathema Deo devotum*, & חרם לכהנים *Anathema quod Sacerdotibus cedebat*; aítque כל חרם סתם *omne anathema absolutum*, h.e. cùm quis aliquid anathemate devovebat simpliciter & absolutè, non expresso seu indicato fine cui destinabat rem devotam, putà cùm non addebat למזבח *ad Altare*, h.e. ut immoletur vel consumatur super Altare, vel לבדק הבית *ad sarta tecta Templi*, ejusmodi, inquam, חרם סתם *anathema absolutum* intelligendum esse ait de Anathemate Sacerdotum. Porrò discrimen hoc constituit inter חרם לשמים *anathema Dei* & חרם לכהנים *anathema Sacerdotum*, quòd scilicet anathema Dei, h.e. Deo devotum, potest redimi בשויהן *justo pretio*, cedítque pretium illud לבדק הבית *ad sarta tecta Templi*, ויצאו הנכסים וחולין *& evadunt pecunia & res illa profana*; h.e. potest quicquid sic devotum fuit vendi, & sic res illæ à vulgo emptæ cedebant in communem & profanum usum; at verò חרם כהנים *anathema quod cedit Sacerdotibus* nunquam potest redimi neque vendi, sed cedit Sacerdotibus in eorum usum, sicuti Primitiæ, quas non licebat illis vendere, sed ab ipsis erant absumendæ & usu consumendæ. Atque de Anathemáte Sacerdotum accipit illa Legis verba Lev. 27. 29. לא ימכר ולא יגאל *non vendetur, neq; redimetur, non vendetur*, scilicet alteri à Sacerdotibus, *neque redimetur* à dominis suis qui illud devoverunt.

XX. Verùm hæc Maimonidis seu Talmudistarum doctrina non modò non convenit sed & adversatur Legi.

Legi. Nam primò neque vola neque vestigium est in tota Lege duplicis illius חרם, *Dei* & *Sacerdotum*. Nam quod ille putat niti illud his Legis verbis, Num. 18. 14. כל חרם בישראל יהוה לך *Omne anathema in Israele tuum erit*, futile est. Si enim urgenda sunt verba illa, indè potiùs concludetur nullum fuisse aliud חרם *anathema* præterquam *Sacerdotum*. Sed sensus verborum illorum simplicissimus hic est, Ea quæ per חרם Deo devoventur cedere in usum Sacerdotum, & illis à Deo assignari. Deinde verba Legis de anathemate sunt aperta, כל חרם מאדם *Omne anathema de hominibus non vendetur, neque redimetur, sed morte afficietur*. Hæc adversantur doctrinæ Maimonidis: sic enim fiebat ut personæ humanæ Anathemate devotæ non cederent in usum Sacerdotum, quandoquidem interficiebantur.

XXI. Ut ergò hanc rem tandem concludamus, videtur omnino Jephtæ votum non fuisse simplex votum, in quo dabatur rei devotæ, numerato justæ æstimationis pretio, redemptio, sed fuisse חרם *Anathema*, in quo non licebat personas devotas redimere, sed eas oportebat interfici. Si enim fuisset simplex votum, causa nulla Jephtæ fuisset lacerandæ vestis, tamque lugubriter exclamandi ad conspectum filiæ sibi occurrentis.

XXII. Et sanè res ipsa id poscere omnino videtur. Nam quem putamus fuisse Jephtæ in voto illo nuncupando animum & mentem? An putabimus eum tum temporis cogitasse de Catello, vel Capra aut Hirco, vel Ove fortè fortunâ è domo in occursum suum prodeunte, eóque veluti pretio Deo per votum oblato sperasse ab eo tantum beneficium quantum ipse à Deo rogabat, victoriam nempe de Ammonitis, veluti emercari atque impetrare? ac non potiùs eum de re sibi carissima cogitasse? Ut hæc fuerit ejus in nuncupatione voti mens, quasi Deum sic compellasset, Domine, ego jussu tuo in hostes populi tui proficiscor: da, quæso, mihi tu, qui es Dominus exercituum, victoriam de hostibus illis reportare gloriosam, quam si tu mihi indulseris ità ut salvus & sospes domum victor redeam, nihil est mihi tam carum cujus ego jacturam libens non faciam, hanc ego victoriam tanti facio ut eam vel carissimi mihi capitis jacturâ ultro vel lubens redimere velim. Itaque devoveo tibi anathemate, a quo nulla datur redemptio, quicquid in occursum ut mihi victori gratuletur è domo prodibit: etiam si filia mihi carissima fuerit, tamen vel capitis ipsius periculo tantam victoriam lubens commutavero.

XXIII. Nisi hanc dicamus fuisse Jephtæ mentem & tacitam intus animi in concipiendo voto cogitationem, frigebit planè & dilutum aut verò etiam ridiculum videbitur ejus votum. Fuit proculdubio animi Jephtæ in voti illius nuncupatione motus vehementissimus, & victoriæ, quam à Deo postulabat, desiderium flagrantissimum; indéque factum ut grave illi tum temporis non fuerit rei etiam carissimæ jacturam facere, quò tantum Dei beneficium gratus agnosceret. Quomodo apud Ethnicos etiam exstant magnorum Ducum exempla qui patriæ imminens periculum & graviorem Deorum (uti ipsi loquebantur) iram atque invidiam à patriæ cervicibus in se suósque derivari cupiverunt & à Diis postularunt; quæ est devotionis quædam species isti Jephtæ non valde absimilis: résque illis interdum pro voto obtigit, acceptâ gravi in propria familia calamitate, uti de Æmiliano narrant, qui quinto ante triumphum die unum, tertio post eundem triumphum die alterum liberorum, qui illi supererant, amisit; qua de re lætatus dicitur, quòd sic Dii invidiam à patria in familiam suam derivassent.

XXIV. Cùm ergò in hostem proficisceretur Jephte, & votum pro patriæ incolumitate & obtinenda à Deo victoria publicè ac solenniter nuncuparet, (quod fieri solitum esse in historia Græca & Romana ad hujus exemplum videmus) grave illi non erat jacturam facere rei carissimæ, modò victor & triumphabundus rediret. At ubi voti compos factus domum repetiit, conspectâ filiâ, quam necessariò mori oportere ex Voti & Anathematis lege videbat, amoris & στοργῆς naturalis affectibus intus statim exsuscitatis vehementérque commotis, conturbatus est, & altùm ingemuit, & cujus jactura antea in nuncupando voto levis illi visa fuerat, quòd fervidum victoriæ desiderium & amor salúsque patriæ animum ejus teneret devinctum, ea post partam victoriam & liberatam patriam dura illi visa est: unde dolor ille gravissimus & conturbatio animi ad filiæ mox morituræ conspectum. Atque hoc nobis familiare & quasi innatum est, cùm vehementi rei alicujus desiderio tenemur & flagramus, ut quælibet conditio, ut ut gravis & dura, levis nobis videatur, modò rem optatam consequamur; quam ubi, datâ conditione, consecuti sumus, subit mox pœnitentia & dolor, quo προπέτειαν nostram & nimiam affectuum vehementiam damnamus.

XXV. Porrò in tota rei illius gestæ administratione cernere est occultam & admirabilem Dei providentiam, quæ rem illam sic moderata est ut in ea habeatur illustris totius redemptionis nostræ per Christi mortem partæ typus; quomodo in Abrahamo Isaacum Dei jussu sacrificare parante ejusdem rei typum Deus exstare voluit, eo inter utrumque discrimine, quòd primò in illo Mortis Christi, in isto magis Resurrectionis ipsius expressam habemus imaginem, docente Apostolo Hebr. 11. 19. deinde quòd in Isaaci sacrificio Christi sacrificium & genus mortis, Crucem nempe, habemus adumbratum; in Jephtæ autem facto Christi à Patre pro salute nostra devoti & facti κατάρας, obedientiæ item ipsius spontaneæ, & naturalis simul in eo mortis illius maledictæ horroris; solennísque in S. Eucharistiæ participatione mortis ipsius annuæ commemorationis typum habemus.

XXVI. Cæterùm quòd quis quærere posset num, quia Jephte voverat se oblaturum in holocaustum quicquid sibi occurrisset, revera obtulerit filiam in holocaustum; quod infandum videtur, & piaculum à Sacerdotibus, quibus sacrificiorum cura & administratio à Deo demandata erat, nullo modo admittendum, respondeo, Nihil esse necesse statuere eam fuisse super altare Deo oblatam in holocaustum: satis est si modò ex Anathematis lege morte fuit affecta. Fuit nempe votum ejus, uti ostendimus, חרם *anathema*, quo quæ devovebantur, si apta erant sacrificio, sacrificabantur, quales erant bestiæ mundæ, Oves, Capræ, Boves, &c. si non erant apta sacrificio, mactabantur duntaxat, quales erant bestiæ ex Lege immundæ, Equi, Cameli, &c. Personæ item humanæ, quas Lex, uti vidimus, jubet interfici, non jubet offerri in sacrificium. Verba itaque voti Jephtæ sic sunt accipienda, *Quicquid exierit domo meâ, erit Domino*, (sacrum scilicet anathemate) *&* *offeram illud in holocaustum*, nempe si tale sit ut offerri possit.

XXVII. Neque hinc propterea patet locus effugio eorum qui, quia nolunt Jephtæ filiam fuisse mactatam, sed sacram duntaxat Vestalem factam, verba illa voti sic disjunctim (non verò conjunctim) accipiunt, *Erit Domino*, sacrum singulari quadam ratione, *aut verò offeram illud in holocaustum*, si res scilicet apta fuerit sacrificio. Nam singularis illa ratio sacrandi Deo personam per votum perpetuæ Continentiæ seu Cœlibatûs commentum est ab illis temere confictum, cujus nullum in tota Scriptura comparet vestigium; at de devovendis per Anathema Deo humanis personis, quas sic devotas mori oportuit, plana, aperta & explicatissima Lex est, Levitici capite ultimo, de quâ suprà egimus, ex cujus sanctione Jephtæ filiam mori oportuit, offerri in sacrificium non oportuit. Neque minùs propterea mors ejus typus fuerit sacrificii Christi, quod non in dissectione victimæ & artuum ejus super altare consumptione per ignem propriè spectandum est, sed in victimæ mactatione & morte. Interim, quia in Jephtæ voto mentio fit holocausti sive sacrificii, & filia ejus ex lege Voti fuit morte affecta, indè est nata apud Græcos fabula de Iphigenia sacrificata, licèt non sacrificata sed interfecta duntaxat fuerit Jephtigenia, h. e. Jephtæ filia.

XXVIII. Hæc sunt quæ visum est adferre ad rei istius satis perplexæ illustrationem: quibus si tibi, benigne Lector, satisfecero, mihi gratulabor; sin minus, nemini, præscribo

præscribo, tantùm profero id quod videtur vero & Scripturæ verbis maximè consentaneum, ità ut nihil interim Deo quod sit ἀπρεπὲς vel ἄτοπον minúsque ἄσχημον tribuatur. In quo si quis me falsum putet, facilè monentem & rationes cur diversum sentiat proferentem feram, non enim sum cedere meliora docenti nescius. His interim gratus fruere.

GROTIUS.

2. *Quia de adultera matre natus es*] Extraneâ, ut hîc Josephus. Apud gentes aliquas matre non cive nati νόθοι dicebantur, ut ex Aristophane ostendimus l. 2. De J. B. ac P. c. 5. §. 15. Apud Hebræos verò mater quæ Legi se subjecerat non maculabat natales, neque ad hæreditatem capessendam obstabat. Quare meritò Jephthes de hac injuria queritur infrà 7.

3. *Viri inopes*] ריקים in Hebræo & Chaldæo, ἄνδρες κενοὶ in Græco. Illis temporibus interdum oppressa innocentia ad talia præsidia decurrebat. Vide 1 Sam. 22. 2. ¶ *Et latrocinantes*] Privato consilio, adversus hostes tamen publicos Ammonitas. Jephthæ Viriatum non malè compares.

9. *Ego ero vester princeps?*] Agnoscetis me ut Judicem à Deo populo datum?

15. *Hæc dicit Jephthe*] Solicitè à se infamiam belli injusti amolitur, ut decebat bonum Principem.

21. *Possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, & universos fines ejus*] Etiam quæ Amorrhæus per vim bellicam aliis eripuerat, facta sunt eorum qui Amorrhæum devicerant jure gentium, quod & hîc indicatur, & 1 Sam. 30. 20. Nec aliter sensisse Græcos & Romanos ostendimus l. 3. De J. B. ac P. c. 6. §. 7. & in Annotatis ad eum locum.

26. *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis*] *Per annos*, ut jam dixit, *trecentos*: i. circiter: nam, ut doctissimi sentiunt, deficiunt aliquot anni. Sed hic modus exprimendi numeros frequens Scripturis, ut videre est Num. 1. 46. & 2. 32, & 11. 21. & alibi sæpe. Τὰς κτήσεις καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινὰς, ὅταν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσι, aiunt Lacones apud Isocratem Archidamo. Nimirum sicut esse aliquod tempus quo actiones excluderentur publici boni causâ statuunt civiles leges, ità inter gentes, sed longiore temporum spatio, idem valet, recepto jure, de quo egimus l. 2. De Jure Belli c. 4.

27. *Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israel & inter filios Ammon*] Josephus l. 15. μεθ' ὧν τὸ δίκαιόν ἐστι μετ' ἐκείνων ὁ Θεός. Totilas apud Procopium, Οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι τὸν ἀδικοῦντα καὶ βιαζόμενον ἐν τοῖς ἀγῶσιν εὐδοκιμεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὸν βίον ἑκάστου ἡ τοῦ πολέμου πρυτανεύεται τύχη. Vide plura ad hanc rem in Prolegomenis De J. B. ac P.

29. *Spiritus Domini*] Qui suprà humanum modum fortitudinem ei ac successus daret.

30. *Votum vovit Domino dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino*] Simile aliquid de Idomeneo narratur: Servius ad 3. Æneid. *Idomeneus de semine Deucalionis natus, Cretensium Rex, cùm post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum se de re qua primùm occurrisset. Contigit ut filius ejus primùm occurreret: quem cùm immolasset (ut alii verò, immolare voluisset) & pòst orta esset pestilentia, à civibus pulsus est regno.* Idem ad l. 11. *Idomeneus Rex Cretensium fuit; qui cùm tempestate laboraret vovit se sacrificaturum Neptuno de re qua primùm ei occurrisset. Casu cùm ei primùm filius occurrisset, eúmque ut alii dicunt, immolasset, ut alii, immolare voluisset, ob crudelitatem regno à civibus pulsus est.* Immolatam etiam ab Jephthe filiam multi credidere Hebræorum Christianorúmque. Sed id de homine cujus fides prædicatur Hebr. 11. 32. mihi credibile non fit. Quare notandum quod hîc in masculino ponitur *quicunque* in Hebræo esse אשר, quod est omnis generis, & optimè hîc per neutrum verti, sicut Josephus vertit, πᾶν ὅ, τι καὶ πρῶτον αὐτῷ συντύχῃ· deinde verò frequens esse Hebræis ut conjunctiva particula disjunctivæ sensum habeat, ut & alibi notavimus; & illa והיה ליהוה והעליתיהו עולה sic optimè transferri, *Erit Domino, aut ascendere faciam holocaustum*, nempe si id animal holocausti sit capax. Holocausta enim per Legem fieri non poterant nisi ex Bubus, Ovibus, Capris, Turture, Columba. Quid, si Asinus aut Canis occurrisset, debuítne holocaustum fieri? Non sané. Ergò nec Humani generis quicquam; sed dedicandum id ad ea ministeria quæ homines Deo exhibent, putà in Sanctuario, si mas esset; si femina, ad preces, vini abstinentiam, & vitam μονάζουσαν. Nam in Homine *erit Domino* sensum habet parem illi 1 Sam. 1. 28. *feci eum Domino.* Cœlibatûs feminis indicti, ídque sub custodia, exemplum habes & 2 Sam. 20. 3.

34. *Unigenita*] Μονογενὴς LXX hîc, & Josephus. Aquila μονογενή. Sic יחיד alibi vertitur ἀγαπητὸς & ἀγαπώμενος. Vide ad Matth. 3. 17. ¶ *Cum tympanis & choris*] Simile 2 Sam. 6. 5. *Sed quia Sacerdotes eorum tibiâ tympanísque concinebant*, Tacitus de Judæis.

35. *Heu me, filia mea*] Deplorat amissam spem posteritatis ex filia.

37. *Et plangam virginitatem meam*] Deo enim servire soli, si marito subjecta fuisset, non poterat. Ei enim jus in uxorem. Sic apud Græcos Diis dicata animalia vocantur ἄφετα, quòd nemini servirent, sed in Deorum honorem servarentur. Aliud in viris, qui quamvis Templo dicati uxores habere poterant, à quarum tamen congressu ministerii tempore abstinebant. Viri enim sui juris manent.

40. *Et plangant filiam Jephthæ*] Alii, *consolentur filiam Jephthæ.* Sed verius Chaldæam esse vocem תנות, quæ *disserere* significat; & ל, quod sequitur, pro *de* positum, ut sæpe. Sensus est, In memoriam victoriæ, servatæque Deo fidei, quater anno ad eum locum venisse virgines, & colloquio aut etiam carminibus rem celebrasse, quod ad sua quoque tempora à Samaritis eodem in loco factum narrat Epiphanius.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. *Lis fuit mihi*] Hebr. *Vir litis fui ego & populus meus.*

4. *Fugitivi Ephraim*] Jonathan hunc locum sic vertit, *Vos Gileaditæ, qui fugitivi estis, quid reputamini in medio Ephraim & in medio Menasse?* ut scilicet פליט idem sit quod פחות *vilis & abjectus*; quod tamen nos pro *fugitivo* vertimus, cùm פליט propriè is sit qui fugâ saluti suæ consulit.

5. *Cum dicerent hi qui ex fugitivis erant Ephraim*] Hebræi quoque pro *fugitivis* exponunt פחותים *abjectos & perditos homines qui in Ephraim fuerunt.*

6. *Profer igitur Schibboleth*] Rogabant eos ut proferrent dictiones in quibus est Schin, h. e. ſ crassum, quod Ephratæi proferre nequiverunt, sed loco ejus ſ acutum proferebant, quod certum erat indicium, prolatorem esse Ephratæum, quantumlibèt id verbis negaret. Et fortasse aer ipse aut influentia illius loci causa fuit illius acutæ prolationis, sicut & Galli pro ש legunt ח raphatum. Hæc Kimhi.

7. *Sepultus in civitatibus*] Sunt qui aiunt Jiphthah propter erronei voti persolutionem à Domino percussum gravi ulcere, ut membratim de civitate in civitatem corpus ejus collaberetur, & ferè in singulis civitatibus membrum unum sepultum fuerit. Alii verò dicunt quòd ob memoriam insignis liberationis quam ipse cum Dei auxilio fecit, corpus ejus fuerit frustatim divisum, atque in singulis civitatibus Gilead membrum unum sepultum. כדי שיהיה לו זכר באותן המקומות שהציל מיד מלך בית עמון: *quatenus scilicet memoriam haberet in locis illis, quòd liberasset eos de manu Regis Ammonitarum.*

8. *Ibzan*]

8. *Ibzan*] Dicunt quidam Ibzan istum fuisse Boaz. Alii putant magnificentiam istam quam Scriptura hic de Ibzan narrat, mortalibus esse monitionem, nè sese in divitiis elevent, cùm iste nullum ex tot filiis post se populi reliquerit gubernatorem, quantumlibèt filias foràs elocaverit, & filiis suis aliunde uxores adduxerit, & multa in connubiis prandia paraverit. Nam dum adhuc viveret mortui sunt omnes filii ejus, successítque illi paulò pòst Simson ex sterilibus natus parentibus. Idem sentiendum de Abdon, cujus filii ascenderunt super septuaginta asellos, &c.

VATABLUS.

1. *Congregati sunt autem viri Ephraim*, ויצעק איש אפרים] Sing. Hebr. pro plur. *Convocati sunt autem viri*, &c. ¶ *Et transierunt*, ויעבור] i. Transmisso Jordane perrexerunt ad Septentrionem. ¶ *Et te comburemus*, נשרוף עליך באש] Ad verb. *comburemus super te in igne*.

2. *Vir rixæ fui*, &c. איש ריב הייתי] Hebraismus, Controversia magna orta est inter me popularésque meos & Ammonitas; & imploravi opem vestram, sed noluistis mihi ferre opem contra illos.

3. *Videns verò quòd*, &c. ואראה כי אינך מושיע וגו'] Ad verb. *Et vidi quòd tu servator non esses*, &c. Hebraismus, Cùm autem vidissem quòd nolletis ferre mihi auxilium, exposui vitam meam periculo, & paravi expeditionem in Ammonitas: ac ità factum est ut authore Deo venirent in potestatem meam; quid ergò commerui ut moveretis hodie bellum adversùm me?

4. *Quòd dixissent abjecti*, כי אמרו פליטי] i. Quòd dicere soliti essent antea abjectissimi quique & pessimi ex Ephraim, Vos estis qui habitatis Galaad. q.d Nihil aliud estis quàm Galaaditæ habitantes inter Manasse & Ephraim. Gallicè, *Vous estes Galaadites pour tout potage*: estis homines obscuri & ignobiles ac nullius nominis, habitantes inter duas tribus clarissimas & nobilissimas ac maximi nominis.

5. *Et cepit*, וילכוד] *Et occupavit*, partâ scilicet victoriâ, nè recipere possent sese in patriam suam. q.d. Præclusit illis transitum per vada Jordanis. ¶ *Fugitivi*, פליטי] Ad verb. *evasores*, i. qui ex Ephraim fugerant & evaserant è prælio incolumes. h.e. Cúmque diceret aliquis ex illis, *Transeam*; i. Liceat mihi transire: *tum dicebant*, &c. ¶ *Si dicebat*, ויאמר] Ad verb. *Et dicebat*.

6. *Siboleth*, שבולת] Hæc dictio cum ש & puncto dextro scribitur apud Hebræos, quod sonat ut nostrum ſ in principio dictionis. Significat autem dicta vox *decursum aquarum*, sive *locum per quem defluunt aquæ cum impetu*. Ex re igitur præsente tentabant eos. Sign. etiam *spicam*. ¶ *Siboleth*, סבולת] Istud ס, ut quibusdam placet, proferebatur ut ש cum puncto in sinistro cornu, h.e. ut ſ nostrum inter duas vocales in medio dictionis, tanquam pronunciares *Ziboleth* per z, cùm fuisset pronunciandum ut pronunciamus ſ in principio dictionis, *Siboleth*. ¶ *Rectè poterat*, יכין] Ad verb. *rectificabat*, i. non exactè proferebat ut proponebatur illi. ¶ *Et ceciderunt*, ויפול] Sing. Heb. pro plur. *cecidit*, sub. *numerus*.

7. *Judicavit autem*, וישפוט] i. Remp. Israelis administravit, non more Regis aut Tyranni, sed more Judicis ac Consultoris.

8. *Ibsan*, אבצן] Hic dicitur Booz.

9. *Misit foràs*: שלח החוצה] i. Locavit viris. ¶ *Filias*, בנות] i. Nurus. q.d. Totidem filias tradidit filiis suis.

14. *Pullos*: עירים] Sub. *asinarum*, vel *equorum*, i. equos juvenes & alacres. q.d. Fuit etiam benedictus in prole numerosa: nam habuit quadraginta filios & triginta nepotes, omnes equestris ordinis.

CASTALIO.

7. *Sepultus in oppidis Galaaditicis*] Quoniam oppidum nominatim non declarat, loquitur per numerum pl. Sic Gen. 19. dicitur Lotus *urbium incola*, cùm unius esset. Et Cicero dixit, *Ego eram in his locis*.

CLARIUS.

3. *Posui animam meam in manibus meis*] Hebraismus est qui in multis locis invenitur, pro *exposui me periculo*.

4. *Fugitivus est Galaad*] Jonathas hunc locum sic vertit, *Vos Galaaditæ, qui fugitivi estis, quid reputamini in medio Ephraim & in medio Manasse?* Alius sic vertit, *Fugitivi Ephraim vos estis, vos inquam, Galaaditæ, inter Ephraim & inter Manasse*.

6. *Sibboleth*] Rogabant eos ut proferrent dictiones in quibus est Sin, h.e. *S* crassum; quod Ephratæi proferre nequiverunt, sed loco ejus *S* acutum proferebant: quod certum erat indicium, prolatorem esse Ephratæum, quantumlibèt id verbis negaret.

8. *Abessan*] Iste nullum ex tot filiis post se populi reliquit gubernatorem, quantumlibèt filias foràs elocaverit, & filiis suis aliunde uxores adduxerit, exemplum humanæ imbecillitatis, cui minimè fidendum sit. Nam dum adhuc viveret, mortui sunt omnes filii ejus, successítque illi paulò pòst Samson ex sterilibus natus parentibus. Idem sentiendum de Abdon, cujus filii ascenderunt super septuaginta asellos.

DRUSIUS.

1. *Vir Ephraim*] Ephraitæ; ut *vir Israel*, *vir Abiezer*, & alia ejus generis. ¶ *Transivit ad Aquilonem*] Trajecerunt Jordanem Aquilonem versùs in terram Galaad, ubi Jephthe erat. ¶ *Super te*] Tecum. על pro עם.

2. *Vir litis*] Qui cum aliquo litigat jurgatúrque aut contendit, vocatur *vir litis*, Ebraicè איש ריב, &, *Vir litis eram*, i. litigabam: quod Hieronymus dixit, *Disceptatio erat mihi*. Lxx ἀνὴρ μαχητὴς *vir pugnator*. Sed μάχομαι *jurgor*; unde μαχητὴς *jurgator*. Lex. vet. Μάχη ἡ διὰ χειρῶν, *rixa*. Μάχη ἡ διὰ λόγων, *litigatio, jurgium*. Μάχη ἡ ἐν πολέμῳ, *prælium, pugna*. Μαχητὴς, *pugnator*. Μάχομαι, *jurgo*. Jon. אנש דין *vir judicii*. Santes *vir rixæ*. ¶ *Et populus meus & filii Ammon*] Sensus est, *cum populo meo & cum filiis Ammon*. Simile, *Quid mihi & tibi?* Latinè, *Quid mihi tecum?* Aut hoc dicit, *Vir litis eram ego & populus meus cum filiis Ammon*. Vulgò, *contra filios Ammon*: sic Hieronymus. Utraque interpretatio firmamentum habet ex iis quæ præcedunt. Nam quod aiunt vocasse illum ad hoc bellum filios Ammon, probationis eget. ¶ *Non servastis*] Vos Ephraitæ, aut viri Ephraim. ¶ *E manu eorum*] Tam popularium meorum quàm filiorum Ammon.

3. *Quòd tu non servares*] O vir Ephraim. Sed populum alloquitur modò singulariter, modò pluraliter. ¶ *Posui animam meam in manu mea*] Vitæ periculum adii, imò me in extremum discrimen conjeci. Sic 1 Sam. 19. 5. & 28. 21. Hinc lucem accipit locus Davidis, *Pono animam meam in manu mea*, ubi Græca exempl. variant: nam in quibusdam ἐν τῇ χειρί σου *in manu tua*; quam lectionem Augustinus probat præ illa altera, quam non intelligebat. Admonuit nos ea de re Hieronymus. Vide Observ. meas. Lxx ἔθηκα τὴν ψυχήν μου ἐν χειρί μου. Hier. *posui animam meam in manibus meis*, בכפי. Jon. *tradidi animam meam quasi ad occisionem*: vel *quasi super eminentiam ut occideretur*. גב *tergum*, *eminentia*. ¶ *Cur ascendistis ad me*] Quia sermo est de motu Septentrionem versùs, ideo utitur verbo *ascendendi*.

4. *Viros Galaad*] Galaaditas. ¶ *Qui evasistis ex Ephraim vos estis*] Vos estis Ephraitæ qui evasistis ex hac clade. Alii, *Quia dixerunt qui evaserant ex Ephraim*, i. Ephraitis,

Ephraitis, *Vos Galaad*, i. Galaaditæ, *medii estis inter Ephraim & Manasse.* Hoc dicebant ἀπωνδιδόμενοι. Sanè scomma videtur, quo irritati Galaaditæ Ephraitas omnes quos deprehendere poterant neci dabant. Hier. *Fugitivus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse.* Lxx ὅτι ἦσαν οἱ διασωζόμενοι τῷ Ἐφραΐμ. Ὑμεῖς Γαλαὰδ ἐν μέσῳ τῷ Ἐφραΐμ καὶ ἐν μέσῳ τῷ Μανασσῆ. Alibi est διασεσωσμένοι, *quia dixerunt qui evaserant ex Ephraim, Vos, Galaad, estis in medio Ephraim & in medio Manasse.* Jon. *Qui dixerunt domus Ephraim qui evaserant, Quanti vos, domus Galaad, æstimamini in medio domûs Ephraim & in medio domûs Manasse.* R.D. פליטי אפרים interpretatur *qui viles & abjecti erant inter Ephraitas*; à quibus hoc prælium initum fuisse putat. Trem. *Dicebant enim Galaaditæ medii inter Ephraimitas & Manassen, Perfugæ Ephraimitarum estis.* Gen. 14. 13. הפליט. Lxx τῶν ἀνασωθέντων τις. Sym. διαφυγὼν. Hier. *unus qui evaserat.* Jes. 45. 20. פליטי הגוים. Santes *abjecti gentium.* R. David הפחותים *viles & abjecti, quales qui ex infima plebe.* Hier. *qui salvati estis ex gentibus.* Lxx οἱ σωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν *qui servati estis*, &c. Ego, *qui evasistis ex gentibus.* *Perfuga* verò, qui & *transfuga*, qui ad hostes perfugit. Id פליט nunquam sign. quod sciam. Observat R. D. bellum hoc fuisse illatum Galaaditis ab iis Ephraitis qui pecudes pascebant cis Jordanem, ubi optima pascua erant, quos ideo vocat פליטי אפרים. Sanè pastores vilissimi hominum habebantur. Vide illum, si tibi otium.

5. *An Ephrathæus tu?*] h.e. De tribu Ephraim. Quod noto quia *Ephrathæus* etiam dicitur qui ex urbe Ephratha; quam alio nomine vocant *Bethlehem-Juda.* Hoc sensu David appellatur איש אפרתי *vir Ephrathæus.* Lxx μὴ Ἐφραθίτης εἶ; *Ephrathites.* Perperàm in Bibliis interlinearibus *Euphrathæus.*

6. *Schibboleth*] Ephrathæi non poterant pronunciare literam *Schin*, sed pro ea sonabant *Sin.* Igitur pro *Schibboleth* dicebant *Sibboleth*, quo vitio & Galli hodie laborant. Nam pro *Schin* dicunt *Cin*, ac si esset Thau raphatum. Quod notavit R. D. per hæc verba, *Fortè aer terræ ipsorum in causa erat cur eam literam ità pronunciarent, sicut hodiè homines Sarphath*, i. Galliæ, *nesciunt sonare Schin, sed pronunciant eam literam ac si esset Thau raphe.* R. S. *Non poterant dicere* SCHIBBOLETH, *quia balbutiebant linguâ suâ.* גמגם *balbutiit*: מגמגם *qui non potest pulchrè*, sive *rectè*, *proferre verba sua, balbus*, ψελλός. גמגום *balbuties, blæsa pronunciatio vocum.* Cæterùm *Schibboleth* duo significata habet. Primum est *spica*, unde in Græca ed. στάχυς. Alterum est quo denotat *fluxum fluvii*, ac tunc ei additur nomen *fluvius*, ut Jes. 27. 12. ubi R D. ait esse *fortem cursum aquarum*, & Moses de Kotsi, *Est vehemens*, inquit, *inundatio fluvii.* Vide ס״מג 306. 2. Ebræi existimant Galaaditas usos fuisse nomine *Schibboleth* quòd in eo loco vehemens fluxus aquarum esset. Verba D. Camii hæc de re sunt, *Usa fuit Scriptura nomine* SCHIBBOLETH, *quoniam in eo loco quem Ephraitæ transire volebant erat fluxus fluminis.* Alioqui *Schibboleth* sign. etiam *spicam*. Hier. *Dic ergò Schibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat Sibboleth, eadem literâ Spicam exprimere nonvalens.* Ed. Rom. στάχυς, i. *spica*, & AA. LL. συνθημα *tesseram.* Compl. edit. utrumque simul conjungit, στάχυς συνθημα, ac si tessera fuerit ipsa Spica, h. e. vox *Schibboleth*, quæ *spicam* denotat, quod Ephraitæ nesciebant. Sed aliter veritas Ebraica. In textu Liræ habetur *Sebboleth* & *Cheboleth*, cum hac glossa, *Ebræi dicunt quòd* SEBBOLETH *non accipitur hîc pro Spica, sed pro Cursu vel Impetu aquæ, qui Gallicè dicitur Fil.* SEBBOLETH *enim est nomen æquivocum ad utrumque. Videtur tamen magis quòd hîc accipiatur pro sensu quem dicunt Ebræi: quia Ephraitæ petebant ut permitterentur transire fluvium Jordanis; & ideo de hoc examinabant eos utrùm essent de Ephraim, aut non: unde secundùm Ebræos sic dicebant eis, Dic, Sebboleth fluvii* (ità leg. non *fluvium*) *transibo.* Vide sequentia. Nam confundit Samech cum Sin, cùm sint literæ diversæ: hoc primum. Deinde ait *Samech habere sonum sicut nostra S, quando pronunciatur ab homine linguam blæsam habente; & sonus ejus appropinquat ad sonum literæ quæ apud nos sonat C, pro qua litera in Latino ponitur CH, unde adhuc in antiquis Abbatiis, quæ sequuntur modum pronunciandi antiquum, sic pronunciant, dicendo* MACHÆUS *pro* MATTHÆUS, &c. Vide sodes. *Sic homo blæsus pro hoc nomine* SIMON *diceret* CHIMON. Hîc judicio opus. Nam aliqua vera, aliqua falsa: verum Ephraitas aliter pronunciasse literam Schin quàm Galaaditæ pronunciabant; falsum, Samech literam habere illum sonum quem ei tribuit.

7. *In urbibus Galaad*] In una aliqua urbium. Sic, *pullus filius asinarum*, i. unius alicujus asinæ. 1 Sam. 18. 21. *In duabus affinitatem contrahes mecum*, in alterutra duarum. Sic, *latrones exprobraverunt ei*, alteruter latronum, *descendit in latera navis*, in alterum latus, *sicut arbor plantata juxta rivos aquarum*, juxta unum aliquem rivum. Scio aliter hunc locum explicari in Dras: sed profectò aut ego in magno errore sum, aut Doctores illos in eam sententiam adducit ignoratio phraseωs. Lxx ἐν πόλει αὐτοῦ, & Hier. *in civitate sua*, בעירו. Videndus R. Levi ad hunc locum.

8. *Absan*] Antiqua ista lectio exstat apud Josephum, ubi & *Absanes* Græcâ declinatione: quanquam in libris *Apsanes.* Nunc legunt *Ibsan. Ibsan, Absan*, ut *Nimrod, Namrod*; *Mirium, Mariam.* Vetus edit. Lat. *Abessan. Absan, Abessan*, ut *Absalon*, *Abessalon.* Sic *Debora, Debbora*; *Mesia*, *Messias.* Lxx Ἀβαισὰν *Abassan* cum diphthongo. Ebræi hunc Booz vocari scribunt in historia Ruth, quod mihi non videtur. ¶ *E Bethlehem*] Duæ urbes fuerunt hoc nomine; una in tribu Juda, è qua oriundus fuit Booz; altera in tribu Zabulon, cujus memoria usurpatur Jos. 19. 15. patria hujus Judicis, ut quidam existimant. Lexicon historicum, *Bethlehem una in tribu filiorum Zabulon, ex qua erat Abessan Judex.* R. Levi. Ebræorum sententiam approbare videtur; quem vide, si placet. Potest ità esse; tamen ex historia non liquet Booz Judicem fuisse: quocirca nihil hîc statuere ausim.

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

Sub hoc Judice cœpit bellum Trojanum; Samuel Solemus ad lib. Juchasin, 136. 1.

9. *Emisit*] Elocavit. Magna felicitas tot filias habere; major, si quis eas bene locaverit. Nam antè miser est pater filiarum; juxta illud, *Veh patri puellarum.* Vide Adagia Ben-Siræ à me in Latinum conversa. Ut ut sit, ad laudem ejus pertinet quòd tantam sobolem habuerit: nam improlem esse dedecorosum erat eo tempore. Nota *mittere foràs* pro *elocare*, quod Belgæ dicunt **weghebben.** Hier. *quas emittens foràs maritis dedit.* ¶ *Triginta filias adduxit filiis suis*] Thargum, *sponsas*, vel *nurus*, i. כלן, &c. *introduxit in domum suam*, quas maritus *accipere* dicebatur. Matth. 1. 20. *Ne metue accipere Mariam conjugem tuam*: מן החוץ propriè *de foris*, i. ex aliis familiis.

11. *Elon*] Ἠλὼν vel Αἰλὼν· quod Græci scribunt Αἰλὼμ, & Αἰλεὶμ· & est mendum quale in Μαδιάμ. *Elon, Ailon*, ut *Enrogel, Ainrogel.* In Latinis cod. perperàm *Ahialon* pro *Ailon* vel *Elon.*

13. *Hellel*] Hodie *Hillel*; quæ lectio Massoritarum est. Malè in Vulg. nostra *Ekel* pro *Hellel.* Sed & Græcum Ἐλλὴλ aspirandum, ut fit Ἑλλὴλ.

14. *Filii filiorum*] i. Nepotes. ¶ *Equitantes super septuaginta pullos asinarum*] Tam nepotes quàm filii equitabant super asellos. Quibus verbis indicat virum admodum potentem fuisse: Nam non erat cujusvis equitare super parvos asinos. Vide quæ scripsimus suprà hac de re, 10. 4. R. D. *Hoc dicit ad ostendendum felicitatem ejus, quia vidit filios & nepotes magnos viros equitantes super asellos. Propter copiam opum quas habebant & propter dignitatem eorum non opus erat ut occuparent se in opificio aliquo alio, neque in agricultura, sed equitabant asellis insidentes.*

15. *In*

15. *In monte Amalecitarum*] Quem Amalecitæ adhuc incolebant; unde postea Saul eos expulit 1 Sam. 15. Vide Tremellium. Verbum è verbo *in monte Amalecita*. Hier. *in monte Amalec*, i. עמלק. Lxx ἐν ὄρει τῶ Ἀμαλήκ. Scire licet in Ebræo esse עמלקי, quod *Amalecitam* sonat. Nam ipse *Amalec* עמלק dicitur.

IDEM.

5. ויאמר לא האפרתי אתה. Alius, Μὴ ἐκ τῶ Ἐφραὶμ ὑμεῖς; Καὶ εἶπον, Οὐκ ἐσμέν, *Num ex Ephraim vos estis? Et dixerunt, Non sumus*] *Vos estis* אתם pro אתה. ¶ Καὶ εἶπον, ויאמרו.

6. ויאמרו לו אמר נא שבלת ויאמר סבלת ולא יכין לדבר כן ויאחזו אותו. Alius, Καὶ εἶπον αὐτοῖς, Εἴπατε δὴ, Σύνθημα. Καὶ εἶπαν, Στάχυς· καὶ οὐ κατεύθυναν τῶ λαλῆσαι οὕτως, ἔπειτα καὶ ἐπελάβοντο αὐτῶν, *Et dixerunt eis, Dicite nunc, Signum. Et dixerunt, Spica; & non rectè locuti sunt ita. Ideo comprehenderunt eos*] *Signum*: quod Imperator suis militibus dat quo se invicem agnoscant. Dicitur & σύμβολον. Id erat *Schibboleth*, cujus vocis primam literam cùm pronunciare non possent, dicebant *Sibboleth* sive *Sebboleth*, Sin pro Schin efferentes. Hoc verum est, tamen autor hujus versionis existimavit signum sive tesseram militarem fuisse aliam quam illi referebant. Nam cùm interrogati de ea στάχυς, i. *spica*, responderent, se & vitam suam hoc pacto miseri prodiderunt. Non enim στάχυς erat signum sive tessera hostium, sed propria. Quæ cassa palearum & Nævii bitubata ex ipso fonte Ebræo ab aliis refutata sunt.

GROTIUS.

4. *Pugnabat contra Ephraim*] Nimirum quia benignis verbis, ut olim Gedeonis tempore 8. 2. satisfieri sibi non patiebantur, jure Principis in eos uti coactus fuit Jephthes.

6. *Scibboleth, quod interpretatur Spica*] Hoc de interpretatione Latinus addidit. Sed notant Hebræi nomen amnis fuisse illis in regionibus.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

5. *Nazaræus*] De Nazaræorum ritu diximus Num. 6. quòd illis etiam quædam munda prohibebantur, ut est usus vini, & quicquid à vite producitur. Unde quando hîc dicitur, *Neque comedas ullum immundum*, non est hoc intelligendum de re simpliciter immunda, ut est esus carnis porcinæ vel leporinæ, cùm illa alioquin per Legem omnibus Judæis fuerint interdicta; sed de rebus licitis, Nazaræis autem prohibitis, ut est omnis potus inebriativus. Id enim significatur per שכר *siceram*; licèt quidam Hebræorum per יין intelligant חמר חדת *vinum novum*, & per שכר intelligant חמר עתיק *vinum vetus*. Sed quomodo jubetur mater pro nasc*i*turi pueri sanctitate ab immundis quibuslibet abstinere rebus; cùm filius ab immundis ducendis uxoribus non abstinuerit, nec propterea in Scriptura redarguatur? nam duxit incircumcisorum filias in uxores. Respondent Hebræi, quòd uxores illas alienigenas primùm imbuit in Lege, & ritum docuerit Israelitarum. Absit enim ut tantus Judex & liberator Israelitarum peccare ausus fuerit in hoc præceptum, *Non facies affinitatem cum eis*, &c. præsertim cùm Scriptura non referat de eo quòd malum fecerit in oculis Domini sed magis à Domino fuit ut Philistæam duceret in uxorem, quæ illis occasionem præberet impugnandi Philistæos. Tamen in novissimis diebus suis oculis fuit privatus, quòd à concupiscentia oculorum sibi non temperasset.

16. *De pane tuo*] Capitur in Hebræo *panis* pro omni cibo, sicut scribunt, לחם כולל כל המאכל.

18. *Quod est secretum*] Est hîc פלאי adjectivum gentile, sicut עברי nisi quòd Aleph mutescit, cùm proprium non habeat punctum: exponiturq; ab Hebræis pro מכוסה *opertum*, & נעלם *absconditum* seu *secretum*; quod non revelandum fuerat ipsi Manoah.

19. *Mirabiliterque egit*] Heb. *& mirabilis erat ad faciendum*, cùm scilicet educeret ignem de petra, qui absumpsit holocaustum & oblationem.

22. *Eò quòd Deum viderimus*] Jonathan Chaldæus sic vertit, *quoniam angelum Domini vidimus*.

25. *Tangere eum*] Jon. *& cœpit Spiritus fortitudinis Domini roborare eum in castris Dan*. Gen. 41. verbum פעם significat *mœrore confici* & *debilitari*; hic verò contrarium invenitur habere significatum. Alii sic exponunt; *& cœpit Spiritus Domini per vices adesse ipsi*, vel, *per vices agitare eum*.

VATABLUS.

1. *Addiderunt præterea*, &c. ויוסיפו וגו׳] i. Rursum autem perpetrarunt rem ingratam Domino omnia intuenti.

2. *Nomine*, &c. ושמו וגו׳] Ad verb. *& nomen ejus Manoah, & uxor ejus sterilis, & non peperit*, i. quæ hactenus non pepererat.

5. *Prægnans eris*, הרה] *Concipies*, sic paulò antè. ¶ *Et novacula non ascendet*, ומורה לא יעלה] *Et novaculam non faciet ascendere*, sub. *tonsor*, i. novaculâ non radentur capilli capitis ejus. ¶ *Neziræus*, נזיר] Vide Num. 6. 2. ¶ *Is incipiet servare*, הוא יחל להושיע] q. d. Primus omnium liberabit Israelem. Hîc videtur ostendere, hanc liberationem non absolutum iri ab eo.

6. *Vir* quidam *Dei*, איש האלהים] i. Divinus quidam Propheta. ¶ *Terribilis valde*: נורא מאד] i. Mirum in modum erat facie venerandâ.

7. *Ad utero*, מן הבטן] i. Ab ortu, sive nativitate.

11. *Surgens verò*, &c. ויקם וילך מנוח אחרי אשתו] *Qui statim secutus est uxorem suam*.

12. *Nunc veniat sermo tuus*, עתה יבוא דבריך] Hebraismus, Ità eveniat ut prædixisti. ¶ *Judicium pueri*, &c. משפט הנער ומעשהו] *Jus pueri & opus ejus*, i. quænam erit ratio educationis pueri: sive, quâ ratione educabitur puer iste: & quid illi faciemus? i. quomodo tractabimus eum?

14. *Quod egreditur de vite vini*, אשר יצא מגפן היין] i. Quod producit vitis quæ fert vinum. ¶ *Custodiat*, תשמור] *Servabit*, q. d. In summa, cavebit ab omnibus quæ prohibui illi.

15. *Remoremur*, נעצרה] *Detineamus*, q. Subsistito hîc aliquantisper.

16. *Jehovæ offeras illud*, ליהוה תעלנה] Sub. *non mihi, nec idolis*. ¶ *Non enim sciebat*, &c. כי לא ידע וגו׳] Hæc junguntur verbis illis v. 15. *Remoremur*, &c.

17. *Quod est nomen tuum*, מי שמך] Concisus sermo, pro מי אתה ומי שמך *Quis es, & quis vocaris?* vel, pro מי אתה בשמך *Quis es nomine tuo?* ¶ *Ut cùm evenerit*, &c. כי יבא דבריך וכבדנוך] Ad verb. *quando venerit verbum tuum*, [i. quod prædixisti] *& honore te prosequemur*.

18. *Utquid*, למה זה] *Quamobrem*. ¶ *Cùm sit occultum?* והוא פלאי] Ad verb. *& ipsum occultum?* i. cùm non sit familiare ac notum hominibus? sive inter homines.

19. *Et oblationem*, ואת המנחה] *Et minham*, i. munus. Vide Exod. 30. 9. ¶ *Et miraculum fecit*, ומפלא] Ad verb. *& mirificavit*, sub. *Angelus*, eduxit enim ignem de petra qui absumeret hœdum, spectantibus & cernentibus Manoha & uxore.

21. *Et ultrà non apparuit*, &c. ולא יסף עוד וגו׳] Ad verb. *Et non addidit ultrà Angelus Jehovâ ut conspiceretur ipsi Manohæ*, i. tunc disparuit, nec postea visus est ab illis.

22. *Moriendo moriemur*, מות נמות] Hebraismus, Certissimè moriemur, q. d. Actum est de nobis: brevi morituri sumus. Erat hæc vulgi opinio.

23. *Nec ostendisset*, &c. ולו הראנו] i. Non eduxisset nobis

nobis videntibus ignem ex petra. ¶ *Neque hoc tempore*, &c. וכעת לא השמיענו כזאת] Ad verb. *& secundùm tempus non fecisset audire nos secundùm hoc*, i. non prædixisset nobis hujusmodi.

24. *Et vocavit*, ותקרא] Sub. *mater*. Verbum femininum apud Hebræos.

25. *Cœpitque Spiritus*, &c. ותחל רוח וגו'] Hebraismus, Donavit eum Jehova robore, h. e. cœpit agi Spiritu Divino. ¶ *In Castris Dan*, במחנה דן] *In Mahane Dan*, i. *Castra Dan*, nomen loci, qui ità dictus fuit quòd Danitæ, cùm in urbem Lais educerent exercitum, in eo castra posuerint, qui quidem locus erat *inter Sorah & Esthaol*.

CLARIUS.

5. NAzaræus] Nazaræis etiam quædam munda prohibebantur, ut est usus vini, & quicquid à vite producitur. Unde quando hîc dicitur, *Neque comedas ullum immundum*, non est hoc intelligendum de re simpliciter immunda, ut est esus carnis porcinæ vel leporinæ, cùm illa alioqui per Legem omnibus Judæis fuerint interdicta; sed de rebus licitis quidem, sed Nazaræis prohibitis, ut est quivis potus inebriare valens. Sed quomodo jubetur mater pro nasciturí pueri sanctitate ab immundis quibuslibet abstinere rebus, cùm filius ab immundis ducendis uxoribus non abstinuerit, nec propterea in Scriptura redarguatur? nam duxit incircumcisorum filias in uxores. Respondent Hebræi, quòd uxores illas alienigenas primùm imbuerit in Lege, & ritum docuerit Israelitarum. Absit enim ut tantus Judex & liberator Israelitarum peccare ausus fuerit in hoc præceptum, *Non facies affinitatem cum eis*, &c. præsertim cùm Scriptura non referat de eo quòd malum fecerit in oculis Domini, sed magis à Domino fuit ut Philistæam duceret in uxorem, quæ illi occasionem præberet impugnandi Philistæos: tamen in novissimis diebus suis oculis fuit privatus, quòd à concupiscentia oculorum sibi non temperasset.

DRUSIUS.

1. QUadraginta annis] R. D. *A supputatione dierum Judicis sunt isti 40 anni*. Aliter Tremellius; quem vide, si placet, ad hunc locum. Lira eos computat à tempore Samsonis & Eli. Vide sis.

2. *Vir unus*] i. Quidam. Sic sanè Hieron. *Erat autem quidam vir de Saraa*. Lxx ἀνὴρ εἷς. Sic 1 Sam. 1. 1. *vir unus de Ramathaim*, & 1 Reg. 20. 35. *vir unus è filiis prophetarum*, & 2 Sam. 18. 10. *Vidit autem vir unus, & indicavit Joabo*. Huc referunt *in uno dierum*, Luc. 5. 17. *in una urbium*. v. 12. pro *quodam die*; *in quadam urbe*. Sic *nocte una*, i. quadam, Gen. 40. 5. ¶ *Saraa*] Σαραά. Hodie *Tsora*, nam S, Sade in principio. Urbs hæc sita erat in tribu Dan ad ripam fluvii Sorec. Ebr. צרעה. Vide Masium in Jos. 15. 33. item 19. 41. unde quidam colligunt inter Judam & Dan fuisse, quasi terminum utriusque. Sunt etiam qui Samsonem natum existimant non in ipsa urbe sed in agro ejus, videlicet in castris Dan inter Sorah & Esthaol. Vide quæ notavimus ad finem hujus capitis. ¶ *De familia Danitica*] Vel *Danitarum*. הדני ad verb. *Danitæ*, & est sing. pro plurali. Notatum *familiam* hîc poni pro *tribu*. Sic alibi, *familia Judæ*, Jos. 7. 17. Sensum expressit Hieronymus, referens *de stirpe Dan*. Lxx ἀπὸ δήμου συγγενείας τοῦ Δανὶ *de populo cognationis Dani*, quod idem cum illo, *familia Danitarum*. Jon. *de prosapia Dan*. Ut hîc *familia* הדני cum articulo (est enim nomen היחס, ut R. D. observat) sic alibi שבט המנשה *tribûs Manasse*. *Familia* etiam pro *gente* ponitur Amos 3. 1. Mich. 2. 3. Jer. 8. 3. & 10, 25. Vide Abimelechum Jer. 1. 15. Sic in Latio *familia Porcia*; Velleius, *principe illo familia Porcia*, i. gentis. Idem Cæsarem genitum *nobilissimâ Juliorum familiâ* dixit. Zach. 14. 18. *familia Ægypti*, i. gens aut natio. ¶ *Manue*] Vel, *Manoe*, Μανωέ. *Manoach*, *Manoe*, ut *Noach*, *Noe*, & alia ejus generis. ¶ *Sterilis, & non peperit*] Quæ non parit sterilis est. Adjecit ergò declarationis causâ *& non peperit*. Ebræi vocant תוספת הביאור quando explicandi gratiâ aliquid additur quod quasi redundare videtur, aut salvo sensu omitti potuit. Sic, *Sara sterilis, & non erat ei* ילד *natus*. Talia sunt, *Virgo erat, & non cognovit virum*. *Confessus est, & non negavit*. Quo loquendi modo peculiariter delectatus videtur Johannes Euangelista.

3. *Angelus Domini*] Hunc Angelum putant fuisse Christum, qui *Angelus æternus* & *increatus* dicitur, & *Angelus federis, magnique consilii Angelus*, & *Sermo æternus*. Ego causam nullam adhuc video cur non possit accipi de Angelo supernate creato, qui missus fuit à DOMINO, cui Manoe sacrificavit: quem initio putabat esse *virum Dei*, h. e. Prophetam. ¶ *Tu sterilis*, &c.] *Hactenus sterilis fuisti, nec peperisti: nunc concipies, & paries*.

4. *Cave tibi nunc*] Cave tibi ab iis quæ vetita sunt Naziræo. Mox seipsum explicat cùm ait, *Vinum & siceram non bibes*, &c. Hoc modo sanctificatus fuit Samson ab utero. ¶ *Vinum & siceram*] Lxx οἶνον καὶ μέθυσμα *vinum & inebriamentum*, i. potum inebriantem, qualis est Cerevisia nostra. Nicolaus, *Sicera dicitur omnis potus inebriativus*. Jon. *vinum novum & vetus*. יין *vinum novum*, שכר *vinum vetus*. Sic etiam R. S. In monumentis Doctorum, *R. Eliezer Haccaphar dicit*, יין *est vinum mixtum, &* שכר *vivum vinum, i. purum*. ¶ *Omne immundum*] i. ullam rem immundam, aut quæ immunda est. Ebraismus notus. Sic, *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, i. ulla res, &, *Non justificabitur omnis caro*, i. ullus homo. Ebræi particulam כל hoc modo sumptam, quando negatio præcedit, exponunt per שום, videlicet שום טמא & שום דבר & שום בשר. R. D. *Cur dicit*, *Omne immundum*, *postquam dixisset*, *Cave tibi*. *Sensus*, *Cave tibi nunc ab immunditia tactûs ac tentorii, & omne immundum*, *ullam immunditiam, i. rem vetitam Naziræo, quale est omne id quod exit è vite, acinis*, &c. Vide sequentia. Nam fuse ibi disputat de Samsone, qui se polluisse videtur ductis uxoribus alienigenis. Putat Rabbinus ille uxores illas fuisse proselytas, i. conversas ad legem Mosis. Nicolaus, *omne id quod immundum, & cujus esus prohibitus in Lege*. Vide.

5. *Novacula*] Non תער hîc est in fonte, sed מורה, quod *novaculam* reddunt. Appellatio à ירה *projecit*; quia crinis sectus abjicitur. Id facit novacula comam resecans. Notat Lira hîc Samsonem fuisse Naziræum per totam vitam, cùm alii non raderentur tempore consecrationis. Expende. ¶ *Ab utero*] Non, ut alii, ad tempus, qui post votum Nazireatûs abstinent à vino & sicera reliquisque vetitis ad certum tempus, ac tunc alunt comam, non tondentur. ¶ *Incipiet servare*] Non servabit penitus, sed incipiet servare. Toto enim Judicatu Samsonis paruerunt filii Israel Philisthæis. Judicavit autem annis 20, qui propterea inclusi sunt annis 40, de quibus v. 1. Judices qui præcesserunt non pugnarunt cum Philisthæis. Vide Camium, ubi & de Grammatica verbi וילדת *& paries*.

6. *Vir Dei*] i. Propheta. Nesciebat enim Angelum esse. Jon. *propheta DOMINI*. Lxx ἄνθρωπος Θεοῦ *homo Dei*. Quæsitum aliquando fuit an Angelus possit dici *Propheta*, quemadmodum Propheta vocatur *Angelus Domini*. Nam *Propheta* qui futura prædicit. Id faciunt sæpe Angeli. Lira negat dici *Prophetas*. Ego non dubito quin Sermo æternus, qui Angelus Dei vocatur, etiam *Propheta* fuerit. Cæterùm iste quem Prophetam esse putabat Angelus erat in specie humana, qui propterea *vir* vocatur. ¶ *Aspectus*] *Vultus, species*, εἶδος, ὅρασις. Quòd si specie humanâ apparebat, cur hîc dicitur habuisse *speciem Angeli*? an quia putabat hominem esse? species autem augustior erat quàm hominum communiter. Ideo dicit habuisse *speciem Angeli Dei*. ¶ *Angeli Dei*] Nam etiam Satan suos angelos habet, qui non sunt angeli Dei, sed angeli Satanæ, ut ibi, *Satan cùm angelis suis*.

ſuis. ¶ *Terribilis*] *Metuendus*, *reverendus*. Sic *Terribilis eſt locus iſte*, i. venerabilis, reverendus. Lxx φοβερόν. alii, ἐπιφανὴς *illuſtris*, *ſplendens*. Jon. חסין *fortis*, *terribilis.* ¶ *Nimis*] *Valde*, σφόδρα, לחדא. R. D. *Vulgus hominum putat Angelum eſſe corpus*, *& formam habere terribilem.* Vide.

7. *Concipies*] הרה *prægnans*, vel gravida. ſub. *eris.* ¶ *Paries*] וילדת. Putant compoſitum eſſe ex participio temporis præſentis quod Benoni vocant, & ex præterito. Alii referunt ad formam quadratam, יולד *peperit*, ut לושן *linguâ proſcidit*. Videndus R. D. ad h. l. ¶ *Omnem immunditiam*] Suprà hoc dixit *omne immundum*, & eſt ſenſus, *ullam rem*. Vide quæ notavimus ad v. 4. Hieron. *& nè aliquo veſcaris immundo.* ¶ *Naziræus Dei*] Senes hîc habent Θεοῦ ἅγιον *Dei Sanctus*. Suprà v. 5. ediderunt Ναζὶρ Θεοῦ *Nazir Dei*, cujus interpretamentum eſt *ſanctus Dei*. Cæteri Græcè declinarunt Ναζιραῖος *Naziræus*, quanquam in Auguſtino *Nazaræus*. Sic etiam interpres noſter. Reperio & Ναζηραῖος. Nam η in antiquo ſono nihil differt ab ἰῶτα. Jon. נזיראדיי *Naziræus Domini.* ¶ *Puer*] Τὸ παιδάριον. ¶ *Ab utero*] Hieronymus hîc auctior eſt, nam vertit *ab infantia ſua*, *& ex utero matris ſuæ*.

8. *Obſecro*, *Domine*] Santes, *Domine mi*, ac ſi eſſet אדני, quod ità redditur ut אלהי *Deus mi*. Fortè (-) mutatum eſt in (.) propter accentum. Suprà notatum ex Camio, unum eſſe אדני ubi (ˑ) affixum. Si rectè, non poteſt hoc loco ſignificare *Domine mi*. Hieron. *Obſecro*, *Domine.* Lxx Ἐν ἐμοὶ κύριε Ἀδωναΐε. Sunt duæ verſiones. Nam Ἀδωναΐ, i. Κύριε. Corruptum autem illud Ἀδωναΐε, neque Græcum neque Ebræum eſt, nec rationem ullam habet. *Obſecro*, δέομαι, ut Exod. 4. 10. Hîc habent Ἐν ἐμοὶ *In me*, ſub. *intende*, aut, *In me iniquitas*. Gen. 43. 19. Lxx Δεόμεθα *Obſecramus*. Mercerus, & Abenezra. ¶ *Qui naſcetur*] הילוד. R. D. *cùm erit natus*. Putat eſſe nomen adjectivum יולד, ut אוכל *comeſtus*. Quidam *puero nato*. Lxx τῷ τικτομένῳ, quod reddunt *naſcenti*. Hieron. *qui naſciturus eſt*. Thargum דאתילוד *qui naſcitur*. Exod. 3. 3. אכל *comeſtus*, *conſumptus*.

10. *In die illo*] Ut היום aliquando ſign. *hodie*, ſic ביום *in die illo*. Lxx ἐν ἡμέρᾳ· malim ἐν τῇ ἡμέρᾳ. Jon. ביומא דיכי *in die illo*.

12. *Veniant verba tua*] In fonte eſt יבא *veniat*, quod explicant, *veniat unumquodque verborum tuorum*. Nomen enim plur. דבריך *verba tua*. Talia ſunt, *Beſtiæ clamat*; *Filiæ incedit*; *Sapientes mulierum ædificat*. Hieron. *Quando ſermo tuus fuerit expletus*, Lxx Νῦν ἐλεύσεται ὁ λόγος. Jon. *Firmetur*, vel *Stabile ſit*, *verbum tuum.* ¶ *Quod erit judicium pueri?*] i. Ratio aut ritus. Notum ut *judicium* pro *conſuetudine* ponatur. Hier. *quid vis ut faciat puer?* Lxx τίς ἔσται κρίσις τοῦ παιδίου; *quod erit judicium pueri?* Jon. דחזו לרביא *quid conveniet puero?* ὃ καθήκει; *quis erit mos*, *aut ritus pueri?* *quo ritu vitam inſtituet?* ¶ *Et opus ejus*] Lxx καὶ τὰ ποιήματα αὐτοῦ. Senſus, *Quid faciet puer ille?* Jon. *Quid faciemus ei?*

13. *Cavebit*] Mulier. q. d. Cuſtodiet ſe & abſtinebit. Hieron. *abſtineat ſe*, Lxx φυλάξεται. Cave de puero accipias, nam eſt verbum fem. in fonte.

14. *Omne quod exit è vite vini*] Num. 6. 4. *Cunctis diebus Nazireatûs ſui ex omni eo quod fiet è vite vini*, *ab acinis uſque ad corticem*, *non comedet*. *Vitis vini*, i. vinum ferens, vinifera. Nam eſt *vitis vacua*, Hoſ. 10. 1. & alia quæ dicitur *vitis agri*, 2 Reg. 4. 39. quam putant eſſe arborem è qua proveniunt פקועות, ſimilem Viti, quæ vocatur גפן שדה. Addidit ergò *vini* διακρίσεως ἕνεκα. E vite vini exeunt etiam uvæ tam recentes quàm aridæ ſive ſiccæ; item quæ vocantur uvæ paſſæ, vulgò **roſynen**.

15. *Manoe*] Qui & *Manoach*, à quo Latinè declinaretur *Manochus*, non *Manoachus*. Nam furtivum illud (-) quando aliquid additur perit. Sic *Nochus* dicendum, non *Noachus*. ¶ *Faciemus*] *Factum*, i. paratum aut coctum, *apponemus coram te*. *Facere hœdum*, ut *facere bovem*, aut *vitulam*, Pſal. 66. 15. *faciam boves cum hircis*. Exod. 29. 36. *facere juvencum*, Gen. 18. 7. *facere vitulum*. Rurſus Exod. 12. 47. Auguſtinus l. 7. Quæſt. 13. *Facere hœdum*, *non ſolet dici niſi cùm ſit ſacrificium*. Id ex hoc loco confutari poteſt. Nam *facere* hîc eſt *parare*, non *ſacrificare*. Quomodo enim ſacrificaret ei quem hominem eſſe putabat? *Facere hœdum* pro *mactare* poſitum eſſe quidam exiſtimant, quod loquendi genus frequens eſt apud Catonem, Varronem. Vide ſis Tropos Scripturæ.

16. *Si detinueris me*] Lxx Ἐὰν κατάσχῃς. Hieron. *Si me cogis*. Alii, Ἐὰν βιάσῃ με, & Auguſtinus, *Si vim feceris mihi*. Vide Rom. ed. ¶ *De pane tuo*] De cibo tuo. Nam *panis* vocatur quilibet cibus; ut hîc *panem* vocat hœdum. Nam ſenſus ac ſi diceret, *Non comedam de hœdo tuo*. Sic, *Lac caprarum pro pane tuo*. ¶ *Domino illum offeres*] Non diis falſis, ut mos erat illius ævi. Sed ſi Angelus iſte Chriſtus erat, quomodo dicit, *Offeres eum DOMINO?* An *Domino*, i. *mihi?* Sic *Dixit Dominus*, *Aſcende ad Dominum*, h. e. ad me. Hîc alia ratio.

17. *Quod eſt nomen tuum?*] Lxx Τί τὸ ὄνομά σοι; Hieron. *Quod eſt tibi nomen?* Jon. *Quod nomen tuum?* Secundùm hanc interpretationem מי uſurpatur pro מה, h. e. Jod pro He. Nam literæ quieſcentes de facili permutantur inter ſe. Sic Mich. 1. 5. *Quod ſcelus Jacobi?* ubi tamen alii, *Quis cauſa ſceleris?* Sic hoc loco quidam vertunt *Quis es nomine tuo?* ſive *de nomine*. R. D. annotat מי propriè dici de Perſona & Qualitate perſonæ, addit etiam uſurpari de Nomine perſonæ. Simile in Latio, *Quis itio ad priorem dominum?* מי הליכה pro *Quæ itio?* Vide Camium. ¶ *Cùm venerit verbum tuum*] In lectione eſt *verbum tuum*, & in ſcriptura *verba tua*, quod explicant, *unumquodque verborum tuorum*. Hieron. *ut ſi ſermo tuus fuerit expletus*. Jon. *cùm rata erunt verba tua*. Lxx ὅτι ἔλθοι τὸ ῥῆμά σου. R. S. *Si venerit nobis id propter quod miſſus es*, *cognito nomine tuo*, *honorabimus te*. ¶ *Honorabimus te*] *Munerabimur te*, i. honorarium aliquod munus tibi dabimus. Sic, *Honora patrem & matrem*: item, *Qui laborant in verbo*, *duplici honore digni ſunt*, i. præmio.

18. *Et ipſum eſt mirabile*] Videlicet *nomen meum*. Alii, *& ipſe eſt mirificus*, nempe *Angelus*, de quo mox, *mirificè egit*, ad verb. *mirificavit facere*. In פלאי Aleph quieſcit, alioqui eſſet פִּלְאִי formæ עברי *Ebræus*. Sunt qui referunt *tectum*, *occultum*, *abſconditum*, *quod ſciri non poteſt*. Jon. *ſeparatum*, videlicet à notitia tua. Hinc nomen המפורש *quod ſeparatum eſt à notitia hominum*. Hic locus evincit Angelum hunc fuiſſe Sermonem æternum, h. e. Chriſtum; cujus nomen *occultum* & *mirificum*, videlicet יהוה, quod eſt nomen tetragrammaton. Hieron. *Quod eſt mirabile*. Nicolaus, *In Ebræo habetur*, *Quod eſt celatum*, *vel ignotum*. Addit nomina Angelorum varia eſſe, nam de Angeli nomine hunc locum intelligit. Vide, ſi placet.

19. *Super petram*] Quæ altaris loco ei erat. Sacrificabat ergò; quod non erat licitum Arcâ exiſtente in Silo. Reſpondent factum hoc extraordinarium fuiſſe, & ideo licitum quoniam Angelus ità juſſerat. Ebræi vocant הוראת שעה *doctrinam horæ*. Videndi ſunt Lira & R. D. ¶ *Mirabiliter egit*] Ad verb. *mirificavit facere*, quod accipiendum de Angelo, qui ex petra ignem eduxit. Ignis autem ille hœdum cum munere conſumpſit, & poſtea Angelus unà cum flamma in cœlum evolavit. Hæc ſunt profectò mirabilia in oculis hominum.

21. *Tunc cognovit*] Poſtquam Angelus cum flamma aſcendiſſet, nec amplius compareret.

22. *Moriendo moriemur*, &c.] Opinio veterum erat, Qui Deum vidiſſet vivere non poſſe. Hinc etiam conſequens eſt Angelum hunc Deum fuiſſe. Nam quomodo dicerent, *Deum vidimus*, ſi non Deum ſed Angelum duntaxat agnoviſſent? Aut *Deum*, i. Angelum Dei. Melior interpretatio, *Quia vidimus angelum*. Nam אלהים & *angelos* & *angelum* denotat: quod ſine ulla difficultate probari poſſet, ſi opus eſſet. Quòd ſi de uno idolo dicitur *Elohim*, cur non etiam de uno Angelo?

23. *Si voluiſſet Dominus*] Nomen eſt tetragrammaton, quod

quod Angelo tribui ex hoc loco probari non potest. Nam diximus Angelum hunc fuisse increatum Deique Sermonem æternum. Sed ut demus Angelum creatum fuisse, non tamen indè sequitur quod volunt, si quæ Angelus fecit eadem DOMINUS fecisse dicatur.

24. *Vocavit*] Mulier. Nam etiam feminæ nomina imponebant filiis. Res certa ex textu Ebraico. Verbum ותקרא hîc fem. est. ¶ *Benedixit ei Dominus*] Conferendo vires prodigiosas corporis & animum heroicum, h. e. adversùs mala invictum.

25. *Spiritus Domini*] *Spiritus roboris à Domino*; ità Jonathan Chald. paraphrastes. Idem vertit cum Sante. ¶ *Roborare eum*] i. Robur conciliare ipsi. Hieron. *esse cum eo.* Lxx συνεκπορεύεσθαι αὐτῷ *egredi cum eo.* Nam פעם *gressus.* Alius *agere illum:* ¶ *In castris Dan*] In loco ubi castra habuerant Danitæ cùm irent ad obsidendam urbem Lais. Vide D. Camium, qui plures interpretationes adducit in l. Rad. radice פעם. Quidam per *Spiritum Domini* significari putant prophetiam Jacobi, *Dan serpens juxta viam.* Videndus R. D. ad h. l. Sed & Im. Tremellium.

GROTIUS.

5. *ERit enim Nazaræus Dei*] Deo sacer ad modum Nazaræorum. Tenebatur autem ad ea quæ hîc expressa sunt, non ad omnia Nazaræorum: sed hic perpetuò, illi ad tempus. Vide quæ dicta ad Num. 6. ¶ *Non tanget caput novacula*] Promissus capillus votivæ obligationis nota, ut ad dictum locum Numerorum diximus.

20. *Angelus Domini pariter in flamma ascendit*] Διὰ καπνοῦ ὥσπερ ὀχήματος, Josephus.

22. *Morte Moriemur*] Vide ad hæc & quæ præcedunt similem historiam suprà 6. & ibi dicta. ¶ *Vidimus Deum*] Per Angelum se nobis patefacientem.

25. *In castris Dan inter Saraa & Esthaol*] Danitarum possessio hoc loco se insinuabat intra fines Judæ. Vide 1 Par. 2. 53.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

4. *OCcasionem*] Hebræi exponunt dictionem תאנה per עלילה, quod sign. *adinventionem*, & סבה quod *causam* sign.

5. *Ecce catulus ex leonibus*] Dicunt Hebræi כפיר propriè non esse גור *catulum*, sed est leo paulò grandior quàm sit catulus, sicut & אריה major est quàm כפיר, & לביא grandævior ipso אריה, & rursus ליש senior quàm sit לביא. Nam aiunt in Leone semper crescere robur, & secundùm diversos gradus ætatis diversa illi Hebraica lingua tribuit nomina.

6. *Et irruens super eum Spiritus*] Abutitur hîc Hebraismus verbo צלח, quod *prosperari* sign. pro *irruere* vel *insilire*. Kimhi exponit עבר *pervasit eum Spiritus Domini*. Jonathan verò vertit שרת *habitavit*.

9. *Et accipiens*] Radix hujus verbi est רדה, & sign. idem quod לקח. Sunt tamen qui exponunt נתץ *evulsit*.

12. *Sindones*] Kimhi dicit סרין esse *linteamen lineum in quo homo per noctem dormit*.

15. *In die septimo*] h. e. In Sabbato, quod quarta dies fuit nuptiarum, & adhuc tres dies restabant ad septimum diem nuptiarum. Sunt tamen qui accipiunt *septimum diem* pro ultimo die nuptiarum: & hi dicunt quòd uxor septem diebus fleverit in sinu mariti, timens eventurum quod evenit. Et cùm cives incendium minarentur ultimo die, importuniùs extorquere conata est problematis solutionem. Notandum autem quòd hoc loco הלוא capitur pro הלום, & החרסה pro חרס, quod sign. *solem*, He literâ otiosè radici superadditâ. Proinde חרשתם hîc figurativè capitur pro חקרתם

explorastis, seu *sciscitati estis*. ¶ *Persuade*] Est hîc פתי imperativus fem. gen. in Piel, à radice פתה.

19. *Percutiens viros*] Notandum quòd חליצות complectitur nedum vestimenta verùm & arma atque quascunque exuvias quæ à cadaveribus tolluntur.

VATABLUS.

2. *ET ascendit, nunciavitque*, ויעל ויגד] i. Quì cùm reversus esset domum paternam, renunciavit parentibus suis.

3. *De Pelisthinis*, מפלשתים] i. Ex filiabus Philisthinorum. ¶ *Placuit in oculis meis*, ישרה בעיני] Hebraismus, Summopere mihi placet.

4. *A Pelisthæis*, מפלשתים] Sub. *deficiendi*, & *invadendi illos*.

5. *Catulus leonum*, כפיר אריות] i. catulus jam adultus leonis vel leænæ. Videtur secessisse aliquò Samson, aut certè præcedebat parentes.

6. *Et irruit in eum*, ותצלח עליו] *Et invasit eum.* Chald. paraphrastes vocat *Spiritum fortitudinis*, q. d. Roboratus est à Deo, factus est solitò audacior & robustior. ¶ *Et divisit eum sicut dividitur*, וישסעהו כשסע] *Et discerpsit eum perinde atque discerperet hædum.* ¶ *Nec quicquam*, &c. ומאומה אין בידו] *Et nihil erat in manu ejus*, i. cùm careret omnibus armis, nec quicquam haberet quo se tueretur contra leonem.

7. *Mulieri*, לאשה] *De muliere*, i. Verba habuit de muliere apud parentes illius. ¶ *Quæ placuerat in oculis Simson*, ותישר בעיני שמשון] *Et placuit Samsoni*, q. d. Acquievit precibus ejus. Hebræi aiunt Samsonem convertisse ad fidem Israelis eam mulierem.

8. *Post dies*, מימים] Quidam Hebræorum exponunt, *post annum*. ¶ *Ut acciperet eam*, לקחתה] i. Ut duceret eam in uxorem quam antea desponsaverat. ¶ *Et mel*, ודבש] i. favus mellis.

9. *Sumpsitque illud in manus suas*, וירדהו אל כפיו] i. manibus suis avulsit à cadavere. ¶ *Et perrexit pergendo ac comedendo*, וילך הלוך ואכול] i. inter eundum comedit de favo.

10. *Descenditque pater ejus*, וירד אביהו] Præcesserat pater ut nunciaret nurui ut se præpararet. ¶ *Faciebant*, יעשו] *Facere solebant juvenes qui ducebant uxores.* Fut. Heb. quod per imperfectum redditur.

11. *Cùm autem vidissent eum*, ויהיו כראותם] Ad verb. *Et fuit cùm vidissent eum*, sub. *cives ejus urbis*, *dederunt illi triginta sodales qui illi adessent.*

12. *Proponam*, &c. אחודה נא לכם חידה] Ad verb. *Ænigmaticè nunc vobis loquar ænigma*, sub. *unum*, vel *problema ænigmaticum*. ¶ *Et inveneritis*, ומצאתם] Sub. *solutionem ejus*. ¶ *Linteamina*, סדרים] *Sindones*, Hebræi exponunt, *linteum tam nocturnum quàm diurnum, quo operimur nocte vel die.*

14. *Egressa est dulcedo*, יצא מתוק] *Egressum est dulce*, i. res dulcis.

15. *Fuit igitur, die septimâ* ויהי ביום השביעי] Ad verb. *Et fuit, die septimâ*, hebdomadis scilicet, i. die quarto à proposito ænigmate, incidebat enim sabbathum die quarto convivii. ¶ *Persuade viro tuo*, פתי את אשך] *Blandire viro tuo*, i. Blanditiis allice virum tuum *ut indicet nobis ænigma*, h. e. ut indicet tibi, & postea renuncies nobis. Vel, *indicet propter nos*, i. ut postea resciamus à te. Vel *nobis* redundat. ¶ *Ne fortè comburamus te*, פן נשרוף אותך] i. Alioqui comburemus te. ¶ *An ut possideret nos*, הלירשנו] *An ut possideretis nos*, i. substantiam nostram, h. e. ut spoliaretis nos. Chaldæus paraph. *Nónne ut ad inopiam redigeretis nos, vocastis nos huc?* i. ad nuptias.

16. *Odisti me, & non diligis me*, שנאתני ולא אהבתני] Præt. Heb. pro præsenti. ¶ *Filiis populi mei*, לבני עמי] i. popularibus meis. ¶ *Indicasti*, נד] *Indicas*, ut sit præt. pro præs. sub. *expositionem*.

17. *Septem diebus*, שבעת הימים] i. Usque ad septimum diem, quo scilicet tempore celebrabatur ab eis convivium,

convivium, h. e. usque ad finem septem dierum; inceperat enim ipsa quarto die flere. ¶ *Coartabat eum*, [הציקתהו] *Premebat illum*, vel, *molesta erat illi*. ¶ *Ænigma filiis populi sui*, [החידה לבני עמה] i. Solutionem ænigmatis popularibus suis.

18. *Quid fortius*, [מה עז] In genere nempe animantium. ¶ *In vitula mea*, [בעגלתי] *Cum vitula mea*, i. nisi uxoris meæ operâ usi fuissetis, non potuissetis invenire solutionem ænigmatis mei.

19. *Et irruit in eum*, [ותצלח עליו] *Et invasit eum*, i. tum subitò authore Deo factus est fortior solitò & audacior. ¶ *Ex eis*, [מהם] Sub. *Ascalonitis*. ¶ *Exuviásque eorum*, [את חליצותם] i. Vestes eorum. ¶ *Mutatorias*, [החליפות] Sub. *Vestes*. ¶ *Et iratus est furor ejus*, [ויחר אפו] Hebraismus, Iratus est vehementer, quòd uxor sua indicasset solutionem ænigmatis.

20. *Et fuit uxor*, &c. [ותהי אשת וגו'] i. Nupsit uxor Samson illi quem sibi adjunxerat socium ac comitem, h. e. viro qui antea erat charissimus Samsoni.

CASTALIO.

5. *Occurrit leoni*] כפיר אריות *leonem* interpretor, sicut שעיר העזים *caprum*, cujusmodi multa sunt in Hebraica lingua. Nam paulò pòst *leo* vocatur, uno nomine.

12. *Intra septem convivii dies*] Ante finitos hos septem dies in quibus sumus.

15. *Die septimo*] Qui quartus erat à proposita quæstione, septimus autem convivii.

17. *Per septem dies*] Per eos dies qui ex septem restabant.

20. *Illius ipsius affinitatis conciliator fuerat*] Secutus sum Josephum, qui vertit νυμφοςόλον, & Veterem, qui *pronubum*, & Græcum, qui νυμφαγωγόν.

CLARIUS.

6. *Noluit indicare*] Magnæ indolis indicium, ac generosi animi, atque parati ad majora aggredienda, cùm tam præclarum facinus non curaverit parentibus indicare.

15. *Dies septimus*] Sunt qui intelligunt sabbatum, quod quarta dies fuerit nuptiarum. Sunt tamen qui accipiant *septimum diem* pro ultimo die nuptiarum: & hi dicunt uxorem septem diebus flevisse in sinu mariti, metuentem eventurum quod evenit. Et cùm cives incendium minarentur ultimo die, importuniùs extorquere conatam problematis solutionem.

DRUSIUS.

1. *Descendit Thamnam*] Gen. 38. 12. *ascendit Thamnam*. Nè mireris; nam pro ratione loci in quo sumus vel ascendimus vel descendimus. Locus ubi Juda morabatur erat supra Thamnam. Sed & ab Austro Septentrionem versùs ascendimus: contrà à Septentrione ad Austrum descendimus. Notavit hoc Abenezra. Quidam aiunt *Ascendo & Descendo promiscuè usurpari nullâ habitâ situs ratione*, Juch. 67. 2. Fortè locus erat infra Tsorah, ubi Samson habitabat; nisi verius ut dicamus eum fuisse tunc in castris Danitarum. Sunt Doctores Ebræi qui duas Thamnas ponant. Alii dicunt sitam fuisse in declivitate montis, unde ascendebatur in cacumen montis, & descendebatur in subjectam vallem. Ut ut sit, ex תמנתה He *motum ad locum* denotante, absolutum est תמנה an תמנת. Si hoc, tum dicendum erit *Thamnatham*. *Thimna*, *Thamna*, ut *Phisga*, *Phasga*; *Nimrod*, *Namrod*, qui & *Nemrod*. De hac Thamna, à qua *Thamnitica toparchia*, scriptum reliquit Eusebius superesse *grandem vicum* eo nomine *in finibus Diospoleos, quà itur Æliam, in tribu Dan sive Judæ*. Ejus mentio 1 Mach. 9. 50. ubi Θαμναθὰ Φαραθὼν, cùm sit legendum ex Josepho Θαμναθὰ, καὶ Φαραθὼν. Sanè in Lat. vulg. est *Thamnatha, & Phara*. Ed. Compl. Θαμναθὰ habet. *Thamna*, *Thamnat*, unde *Thamnasa*; aut est mendum pro Θαμναθὰ. Absolutè legitur תמנת, unde תמני, vel Θαμνὰ καὶ Φαραθών.

2. *Ascendit*] Tsoram versùs, ubi parentes ejus habitabant. Non enim assentior Tremellio, qui eos habitasse scribit in castris Dan, ubi Spiritus. *Domini* primùm agere cœpit Samsonem vires prodigiosas largiendo. Scribit hoc suprà Jud. 13. 2. Vide sodes. Cæterùm Tsora erat supra Thamnam; propterea usus est verbo *ascendendi*. ¶ *Thamna*] Vel *Thamnatha*. Nam in fonte בתמנתה. Fortè ה, quod in extremo, idem valet cum ב, ut sit pleonasmus particularum, qualis in להרה *in montem*. Nam Jon. בתמנת *in Thamnath*, absque He. LXX ἐν Θαμναθὰ. Hieron. *in Thamnatha*. ¶ *Vidi mulierem*] Hic valet illud, Ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, &, *uritque videndo Femina*, i. dum videt alium, an potiùs dum videtur? ¶ *Accipite eam mihi*] Hic parentes *accipiunt* filio uxorem. Alibi *uxorem accipit* & qui eam ducit in matrimonium, & qui accipit in domum suam & quasi adjungit eam sibi absque copula carnali sive matrimonio, ut Matth. 1. *Nè dubita accipere Mariam uxorem tuam*. Aliter exponunt Gen. 6. 2. *acceperunt sibi uxores*, q. vi rapuerunt. Sic dico, Pater accipit filio uxorem, & filius sibi. Sed in Genesi, *acceperunt sibi* נשים, *feminas*, an *uxores?* hìc verò est לאשה *in uxorem*: quod valet, *Accipite mihi uxorem revera*, vel *pro uxore*, aut *uxoris loco*. Sic enim & concubina accipitur in uxorem.

3. *Fratrum tuorum*] Israelitarum, aut consanguineorum tuorum. Nam pòst ait *in omni populo meo*, populum Israeliticum significans: ibi *cognatos*, hic *Israelitas*. ¶ *Placet*] Ad verb. *Recta est*, quod Græci dicunt ὅτι αὐτὴ εὐθεῖα ἐν ὀφθαλμοῖς μου *quoniam ipsa recta est in oculis meis*. Infrà v. 7. *recta fuit in oculis Samsonis*, i. placuit, ubi LXX ηὐθύνθη. Sed in aliis ed. utrobique est ἤρεσεν. Vide sis Rom. ed. Lat.

4. *Occasionem*] Quæ hic תאנה dicitur, à verbo אנה, unde Deus אנה *in manum ejus*, Ebræi enarrant עלילה וסבה *occasionem & causam*, minùs rectè. LXX ἐκδίκησιν *ultionem, vindictam*. Thargum תוסקפא *occasionem*, unde Gen. 43. 18. in Jario לאסתקפא *occasionem quærere*. Vide Ohel in עלל, & D. Camium.

5. *Ad vineas Thamnatha*] Hic locus perspicuè docet oppidum istud *Thamnatha* rectiùs dici quàm *Thamna*: nam est תמנתה in fonte, ubi ה quod in fine neque Motum ad locum neque Quietem in loco significare potest. Quanquam in Jon. תמנת absque ה. תסקופי מלין quod hìc laudat R. D. ex Thargum, exstat Deut. 22. 14. ubi codex Ebræus habet עלילות דברים. ¶ *Juvenis leo*] כפיר *leo junior*. Hieron. *catulus*. LXX σκύμνος, qui נור Ebræis, quem excipit כפיר, q. tu dicas *leunculum*. Nomina leonum secundùm ætates à D. Camio recensentur hoc loco, נור *catulus*, כפיר *juvenis leo*, אריה *leo*, לביא *vetulus leo*, & eo adultior ליש, unde Græcum λῖς apud Homerum. Mirari autem libet interpretem nuperum, qui hìc edidit *adultus leo*. Nam is propriè לביא dicitur. Jon. *& ecce leo filius leænarum*. Optime vertit אריות, i. *leænas*; nisi malis *leas*: nam etiam *lea* dicimus, leonem feminam significantes. *Leænarum*, i. unius alicujus leænæ; ut *pullus asinarum*, unius asinæ. R. D. huc refert *hircus*, vel *hœdus*, *caprarum*. אריים invenies 1 Reg. 18. ubi & אריות masculinè constructum. Quæ fortè causa cur Santes hìc verterit *leonum*: nam sæpe hoc modo sexus confunditur. In eadem sententia videtur fuisse R. D. qui hunc locum confert cum גדי עזים *hœdus caprarum*, sic, *leo junior leonum*. Idem annotat omni tempore quo Leo senescit augeri robur ejus, aut accedere aliquid ad robur ejus.

6. *Insiliit super eum*] Sic Græci, ἥλατο ἐπ' αὐτόν. Hier. *irruit*. Santes *transivit super eum*. Trem. *incessit eum*. Arias *prospere egit*. ¶ *Spiritus Domini*] Spiritus roboris quem Dominus ei largiebatur. Non enim certè naturalis erat. Nam recessit ab eo quando fuit rasus, ut habetur c. 16. Sic spiritus prophetiæ non semper aderat Prophetis. ¶ *Discidit eum*] Hieron. *dilaceravit*. LXX

συνέτριψεν contrivit. Jon. הדמיה demembravit, deartuavit, discerpsit. Videndus R. D.

7. *Locutus est mulieri*] ἐλάλησεν τῇ γυναικί. Licet vertere *locutus est de muliere*, vel *pro muliere*. Sensus, Locutus est cum Parentibus & agnatis de illa ducenda, vel ut eam sibi darent uxorem. Jon. *poposcit uxorem*. Chald. באתתא.

8. *A diebus*] *Post dies aliquot*; ità Hieron. quem Santes & alii secuti sunt. Lxx ἀφ' ἡμερῶν. Jon. *à tempore dierum*, sive *post tempus dierum aliquot*: nam ea sententia est. ¶ *Ut acciperet eam*] Ut duceret eam. *Accipit uxorem* etiam qui non ducit, ut cùm pater accipit uxorem filio.

9. *Sumpsit illud*] וירדהו à רדה, quod sign. *sumere, tollere, accipere è loco*. Hinc רדה apud Doctores, quando panis accipitur è loco furn[...] quo fuerat, item מרדה in lingua Sapientum est *vas* [...] *reponunt panem*, q. d. *repositorium*, נסח, quod in Thargum eundem sensum habet. Vide Camium. Lxx ἐξεῖλεν *exemit*. Probo valde.

10. *Descendit ad mulierem*] Thamnatham, ubi erat mulier. Jon. *ob negotium mulieris*, propter nuptias filii quas inierat cum illa muliere. ¶ *Fecit ibi Samsoni convivium*] Hieron. *fecit* (pater videlicet) *filio suo Samson convivium*, i. לשמשון, aliter Lxx & Jon. Nuptiale convivium intelligit, h. e. ipsas nuptias, quæ durabant septem dies, unde in Lxx ἐποίησεν ἐκεῖ πότον ἡμέρας ἑπτά. Eadem editio scribit Σαμψών, insertâ literâ, ut in *Mambres* & *Jambres* & similibus. Hinc in Latinis quibusdam *Sampson*. ¶ *Juvenes*] An etiam viri & senes vidui? De hac re nihil, quod sciam, mihi lectum.

11. *Cùm viderent ipsi eum*] *Ipsi*, h. e. socii, unusquisque ipsorum *accepit* socium suum, & congregati fuerunt sive convenerunt simul ut essent cum Samsone in nuptiis. Sic, *accepit Core*. Vide Camium. Simile, & *vidit ipsum* את הילד *puerum*. Vide Trem. hoc loco. ¶ *Quos assumpserant*] i. Ad nuptias invitaverant ipse & parentes ejus.

12. *Ænigma*] Lxx πρόβλημα, *proponam vobis problema*, sive *ænigma*, ad verb. *ænigmatizo*, quod Græci dicunt προβάλλομαι *propono*. Hieron. *proponam vobis problema*. ¶ *Septem diebus convivii*] Ut luctus mortui durabat septem dies, ità etiam lætitia nuptiarum quæ *convivii* vocabulo hîc significantur. Moses Ægyptius arbitratur hos dies à Mose institutos fuisse. Vide Juch. 9. 2. Soliti autem illi veteres sua convivia quæstionibus & ænigmatis condire, ut liquet ex hoc loco: quod notavit amicus noster Casaubonus in Athenæum, p. 470. Cæterùm nuptiale convivium Ebræi simpliciter vocant משתה συμπόσιον, quam vocem Senes Gen. 29. γάμον reddunt, Aq. verò & Sym. πότον. Nam משתה à *bibendo*. ¶ *Sindones*] Σινδόνας. Hanc vocem interpretum veterum ideò retinuimus quia facta videtur ex Ebraica סדינים, cujus sing. סדין σινδών, ut סל *simpulum*. Santes *linteamina*, nempe quia in D. Camio legerat, *Sunt cortina lintea*, i. *linteamina*, *in quibus homo cubat nocte, & quibus operitur interdiu*. Thargum Jonathæ פלדסין. ¶ *Mutatorias vestes*] Ad verb. *mutationes vestium*. Et est figura quam Hypallagen vocant; ut, *viriditas herba* pro *herba viriditatis*, sic, *mutationes vestium* pro *vestibus mutationum*, i. mutatoriæ. Exemplorum talium pleni sunt libri. Senes hîc habent σινδόνας καὶ στολὰς ἱματίων, & pòst, σινδόνια καὶ ἀλλασσομένας στολὰς ἱματίων *lintea & mutatorias stolas vestimentorum*. Sed à quibusdam libris abest illud ἀλλασσομένας. Jonathan utrobique habet אצטלוין *stolas vestimenti*, seu *indumenti*. Hieron. *triginta sindones & totidem tunicas*.

14. *De comedente*] Cadaver non comedit. Quomodo igitur dicit *de comedente*? Innuit leonem, qui cùm viveret comedebat. Sic, *de forti*, i. leone, qui mortuus fortis dici non potest. Sed hæc argutiora. ¶ *De forti*] i. Leone, qui est quadrupedum fortissimus, unde proverbiale, *Leone fortior*. Et legimus Prov. 30. 30. *Leo fortis in animantibus*, i. fortissimus animantium. Simile ut, *Pulchra in mulieribus*, i. mulierum pulcherrima. *Leone fortior* obvium 2 Sam. 1. 23. & est hyperbole. Hinc etiam fortes & potentes vocantur *leones*. Nam vis propriè Leoni tribuitur, ut Vulpeculæ astutia & fraus. Cicero certè in Officiis vim Leoni peculiarem esse dicit, unde *leonina pellis*. Infrà v. 18. *Quid fortius leone?* ¶ *Dulce*] Ità legendum, non *dulcedo*. Nam *dulcedo* potiùs מתק diceretur, unde ממתקי *dulcedo mea*. Hîc est מתוק in fonte, ad instar גדול *magnus*, non *magnitudo*, quæ גדל dicitur. Rectè igitur Lxx ἀπὸ ἰσχυροῦ γλυκύ, sub. ἐξῆλθεν, & *dulce*, i. Mel, quo nihil dulcius, unde ἀρχὴ τῶν γλυκυσμάτων *principium dulcedinum*, de melle. Infrà 18. *Quid melle dulcius?* Psal. 19. 10. *Judicia Domini melle dulciora*, & 119. 103. *Dulcuerunt palato meo supra mel*, Sirach. 24. 27. ὑπὲρ μέλι γλυκὺ καὶ ὑπὲρ μέλιτος κηρίον, *super mel dulcis*, & *super favum mellis*. Apoc. 10. 9. γλυκὺ ὡς μέλι, *dulce ut mel*. Sirach 49. 1. *Josia memoria dulcis ut mel*. Nam *primas tenet in genere dulcium*, Sirach 11. 3.

15. *Die septimo*] Nuptiarum. Quæ sequuntur includenda videntur parenthesi usque ad *fuit die septimo* quod in versu 17. Toto enim tempore nuptiarum egerat cum Samsone ut sibi solveret ænigma, quod die septimo primùm ab eo didicit & sociis indicavit. Quocirca legendum *dixerant*, non *dixerunt*. R. D. *Dies Sabbathi erat dies quartus nuptiarum, & sensus*, FLEVIT SEPTEM DIEBUS, *usque ad complementum septem dierum convivii. Sic dico, A die Sabbathi usque ad finem septem dierum*. Et licet exponere ut verba sonant, *septimo dierum convivii*. Nam cùm viderent se non posse indicare ænigma tribus diebus, desperarunt de eo, & siluerunt usque ad diem septimum: Die autem septimo dixerunt feminæ, *Seduc virum tuum*, &c. quæ per se fleverat spatio reliquorum dierum, &c. Vide Liram qui *die septimo* interpretatur de Sabbathi die, qui erat quartus convivii. In sequentibus *diem septimum* interpretatur septimum diem nuptiarum. ¶ *Ad hæreditandum nos*] Ut hæres esses pecuniæ nostræ, & *vocastis*, i. invitastis, הלירשנו, cum accentu post (,) Jon. *An ad depauperandum nos vocastis nos huc*, i. הלכא, ac si esset הלם in textu Ebræo. רש *pauper*. Lxx ἐκβιάσαι ἡμᾶς. Hieron. *vocastis ad nuptias ut spoliaretis nos?*

16. *Filiis populi mei*] Popularibus meis.

18. *Viri urbis*] Socii illi, qui cives erant urbis Thamnathæ. ¶ *Priusquam occideret Sol*] החרסה *Sol* pro חרס, ut alibi החדרה pro חדר *conclave*. Nam post occasum Solis septimus dies exactus erat. ¶ *Si non arassetis*, &c.] Vide Adagia mea. Si non usi fuissetis operâ uxoris meæ. Hinc *arare malum*, & *arare mendacium*, pro quo in Lat. ed. *amare mendacium*.

19. *Percussit ex eis triginta viros*] Hîc quæri solet an, cùm Nazaræus esset, se polluere potuerit tactu mortui. Vide, si placet, hac de re disputationem D. Camii. ¶ *Exuvias*] חליצות *exuviæ*. R. D. interpretatur *vestes & arma quibus induti erant*. Apparet autem quòd eas exuvias vendiderit, & eâ pecuniâ compararit vestes mutatorias, quas dedit sociis suis. ¶ *Excanduit ira ejus*] In Philisthæos, & uxorem ob indicatum ænigma.

20. *Fuit socio ejus*] i. Nupsit ei. Plenè diceretur *fuit ei uxor*, aut, ut Ebræi loquuntur, *in uxorem*, ut Num. 36. 3. *Et erunt uni ex filiis tribuum Israeliticarum in uxores*, i. nubent alicui ex tribulibus. Rursum Num. 30. 6. *Et si essendo fuerit viro*. Sanè Ruth 1. 13. *An eis præstolabimini ut non sitis viro?* i. ut non nubatis? Alioqui unum virum simul habere non potuissent, cùm duæ essent. Sed v. 12. *& fuerim hâc nocte viro* non tam *nubere* sign. quàm *esse cum viro*, i. rem & consuetudinem habere cum eo. Sic Plautus, *Hâc nocte mecum fuit jussu hospitis*. Vide Notas meas Ruth 1. 12, 13. ¶ *Quem assumpserat sibi in socium*] Videndus R. D. Alii νυμφαγωγῷ, & ἑταίρῳ. Prius reddunt *pronubus*, qui sponsum ducit. Vide Rom. ed. Lat. Qui sponsam sponso adducit ex ædibus paternis νυμφαγωγὸς dicebatur. Lex. Vet. Νυμφαγωγός, *pronuba*. In Vulg. nostra *pronubus* est socius sponsi; quem Jonathan שושבינא vocat, qui & *paranymphus*, teste Hieronymo, & *auspex*. Nam *auspex* ex parte viri, ut *pronuba* ex parte uxoris. Donatus *pronubas* esse ait *quæ nubentes*

nubentes ad domum mariti deducunt. Elias Levita Thesbite, *Solemus nos socios sponsi vocare* שושבינים, *quo sensu usus fuit Jonathan Jud.* 14. 20. Sed generaliùs utuntur pro quovis socio; ut cùm legimus, *Et Amnon habebat socium.* Thargum שושבינא 2 Sam. 13. R.S. Exod. 34. 1. cœtum Israel appellat ארוסה *desponsatam*, & Dominum *sponsum*, & Mosem שושבין *paranymphum.* Utitur R. D. & Jes. 13. 9. *Homo quem pudet socii sui ejus vultus rubet.* Quò pertinet illud, *Erubuit*; *salva res est.* Vide Ilmed. 33. 3. & Sepher מ"ג 126. 1. *Factus est socius primo parenti.* Gerundensis ait שושבינין dici in lingua Sapientum, qui & עדים, i. *testes*, vocantur. Locus est in Pentateuchum 321. 1. Vide ritum ibi explicatum. Ergò שושבין *socius sponsi*, vel alterius cujusquam, qui חבר Ebræis. Plura de hoc aliàs.

IDEM.

9. מַגְוִית הָאַרְיֵה, * ἐκ τῆς ἕξεως τοῦ λέοντος] Etiam hoc est ex eo genere de quo meritò dubitare possis utrùm ex antiqua editione aliqua descriptum sit. Nam in vulgatis cod. LXX, ἀπὸ σώματος τοῦ λέοντος. Interpres Lat. *de corpore leonis*, lectio varians, *de ore leonis*; quæ sumpta haud dubiè ex Græca vulgata.

18. בְּטֶרֶם יָבֹא הַחַרְסָה. * πρινὴ δῦναι τὸν ἥλιον *antequam occumberet sol*] Legitur in AA. LL. Videtur autem desumptum esse ex editione aliqua. Tamen hoc pono, non statuo. In plerisque cod. τῶν ό. habetur ἀνατεῖλαι pro δῦναι, *antequam exoriretur sol.*

GROTIUS.

4. NEsciebant quòd res à Domino fieret] Nesciebant illum speciale habere mandatum ducendi Philisthinam contra Legem. Simile vide Oseæ 1. secundùm quosdam.

6. *Dilaceravit leonem*] Indè sibi ad majora auspicium faciens, ut David 1 Sam. 17. 34.

11. *Sodales triginta*] Honoris causâ, ut fieri novis maritis solebat (vide infrà 20. & quæ dicta ad Joan. 3. 29.) revera ut eum custodirent.

12. *Proponam vobis problema*] Mos vetus virorum excellentium de ingenio inter se certandi propositis ænigmatibus. Vide loca ex historia Dii & Menandri de ænigmatis inter Solomonem Iromúmque mutatis apud Josephum contra Appionem libro priore. Adde 1 Reg. 10. 1. Habes & apud Herodotum exempla, & apud scriptorem convivii septem Sapientum inter opera Plutarchi, & apud eos qui de Æsopi vita scripsere. ¶ *Si solveritis mihi intrà septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones & totidem tunicas*] Solebant enim sponsiones tales de ænigmatibus fieri, ut apparet dictis Dii & Menandri locis. Simile in 3. Virgilii Ecloga. Mos autem per septem dies convivia nuptialia celebrari: quidam duplicabant hunc dierum numerum, Tob. 8. 22.

15. *Blandire viro tuo*] Muliebres blanditiæ parentum imperio sæpe validiores. Herculem Thebanum Samsoni non malè compares, ingenti robore corporis animíque, mulieribus addictum. Vide & infrà 16. 15, 16.

17. *Flebat ante eum*] Nimirum,

Ut flerent oculos erudiere suos,

ait talium magister.

Hac verba mehercule una falsa lacrymula,
Quam oculos terendo miserè vix vi expresserit,
Restinguet,

ait in Eunucho Terentiana Parmeno.

18. *Die Septimo ante solis occubitum*] Intra dies septem fit quod die fit septimo. Vide L. *Si quis sic dixerit*. D. De verborum significationibus, & quæ dicta l. 3. De J.B. ac P. c. 20. §. 4. & in Annotatis ad eum locum. Solis occasus finis νυχθημέρου apud Hebræos vicinásque gentes.

19. *Ascalonem*] Quæ urbs Philisthinorum, 2 Sam. 1. 20.

20. *Uxor autem ejus*] Non exspectato repudio infrà 15. 2.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

3. INnocentior ego sum] h. e. Causam justam ego habeo ut vindictam sumam de Palæstinis, & malum illis inferam. Unde quicquid posthac facturus sum Palæstinis, id jure fecisse videbor, læsus ab eis.

4. *Faces*] Est hîc לפיד idem quod עץ ידלק בו אש *lignum in quo ignis ardet*, i. *titio.* ¶ *Ecce caudam respicere ad caudam*] Hebraismus est pro קשר, ut Jonathan vertit, i. ligavit caudam unius ad caudam alterius.

5. גדיש est *acervus* [illegible]*gum*, sicut קמה sunt *segetes adhuc in culmo stantes.*

7. *Licet sic feceritis* [illegible]br. *Si fecissetis taliter, sed ultiones expetam ex vobis, & postea cessabo*, h. e. Si ante illatam ultionem sic fecissetis, & combussetis eam, bonum fuisset vobis; nunc autem non curastis donec ego causam meam egi contra vos: nec desistam ab ultione illa donec adhuc semel vos ulciscar.

8. *Ut crura femoribus jungerentur*] h. e. Ut Jonathan exponit, *percussi vos, equites cum peditibus.* Kimhi autem hunc putat habere sensum, *ut fugientes & cadentes crura & pedes illiserint femoribus:* unde dicit, כי הנס ונופל על פניו מתהפך שוקו על ירכו. Alii sic interpretantur, *percussit eos ab armo ad femur cade magnâ.*

9. *Relictique sunt in Lehi*] Vocat Scriptura locum illum *Lahi* propter mox sequentem rei eventum. Asini enim maxilla loco illi nomen hoc indidit, quam fortè fortunâ Simson illic reperit adhuc quidem carne putridâ septam, vel, ut alii dictionem טריה exponunt, לחה, *recentem.* Et cùm mille hominum stragem fecisset, dixit, *Cum mandibula asini in acervum coegi eos*, vel, ut Hebraismus habet, *Cum maxilla asini acervum duorum*, sub. *feci*: causâ allusionis scilicet nomen חומר, quod *acervum* sign. cogens ad formam חמור, quod *asinum* propriè sign. Hoc interpretes nostri non intellexerunt, cùm tamen omnes Hebræi alterum חמור pro צבור exponant, & Jonathan Chaldæus quoque דצנור verterit, quod similiter *acervum* sign. Est ergò sensus, Maxillâ asini acervatim prostravi hostes hîc & illic. Proinde abjectâ mandibulâ vocavit nomen loci *Ramath Lahi*, i. *Projectio mandibula*, si *Ramath* formetur à רמה, ut Kimhi putat; aut, *Elevatio mandibula*, si *Ramath* à רם derivetur, ut Ben Levi sentit.

19. *Dentem molarem*] Sunt multi apud Hebræos qui putant per *dentem molarem* hîc intelligi petram quandam quæ formam habuit dentis molaris, fuitque in eo loco qui *Lahi*, i. *Mandibula*, vocatus fuit; quam Dominus scindens largissimas produxit aquas.

VATABLUS.

1. FUit autem post dies, in diebus, ויהי מימים בימי קציר] *Post aliquot autem dies, tempore messis*, &c. ¶ *Cum hædo caprarum*, בגדי עזים] i. Ferens secum hœdum capræ.

2. *Putavi quòd odisses eam*, אמור אמרתי כי שנוא שנאתה ואתננה] Ad verb. *Dicendo dixi quòd odiendo odisses eam, & tradidi eam.* ¶ *Minor*, הקטנה] Sub. natu.

3. *Innocens ero hâc vice*, &c. נקיתי הפעם מפלשתים ונו'] Præt. Heb. pro fut. i. Culpâ carebo posthac, etiam si perdam Philisthæos: testor innocentiam meam, quòd quicquid facturus sum posthac Palæstinis, id jure fecisse videbor, nempe ab his læsus. Posterior pars versus variè vertitur, *Facturus sum enim illis malum*, i. citra culpam rependere possum illis malum. Alii, *cùm faciam illis malum.* Vel, *innocens ero posthac apud Philisthæos si fecero illis malum*, i. si injuriam acceptam retulero: fui enim prior lacessitus ab illis.

4. *Facibus*, לפידים] *Tadis, titionibus.*

5. *Et emisit*, וישלח] Sub. *ipsas vulpes.* ¶ *Ab acervo usque ad segetem*, &c. מגדיש ועד קמה ונו'] i. Tam ipsas segetes quæ dispositæ erant per acervos, quàm sege-

tes stantes, *& vineas, & oliveta*; vel *vineas junctas olivetis*.

6. *Thimnai*: התמני] i. Civis urbis Thimnah.

7. *Si fecissetis sicut hoc*: אם תעשון כזאת] Verba hominis irati, ob id multa subintelligenda, hoc modo, *Si fecissetis tale quid initio, cùm primùm scilicet adempta fuit mihi uxor mea, fuissem placatus.* ¶ *Sed vindicabo me*, &c. כי אם נקמתי בכם] Quidam aliquid subaudiunt, *certe non mihi satisfecero nisi pœnas adhuc de vobis sumpsero.* Alii, *sed ulciscar me de vobis priùs quàm desistam*.

8. In *coxa unà cum femore*, שוק על ירך] i. Tam in cruribus quàm femoribus: h.e. vehementer, atque acriter. Gallicè, *Illes batit dos & ventre*, q. d. Fecit stragem magnam. Chald. Paraphrastes, *percussit ex eis tam pedites quàm equites.* ¶ *In cacumine petræ*, בסעיף סלע] *In promontorio rupis*. Significat partem rupis quæ excurrit longiùs more ramorum, habitabat enim in regione editiore.

9. *Extenderúntque se*, וינטשו] *Effusique sunt*, vel, *effuderunt sese*, more castrametantium scilicet. ¶ *In Lehi*, בלחי] Nomen loci, qui ità postea fuit vocatus ab eventu rei.

10. *Utquid ascendistis*, &c. למה עליתם] i. Quare cepistis arma contra nos?

12. *Quòd non irruetis in me*, פן תפגעון בי] Ad verb. *nè forte irruatis in me.* q.d. Ego sinam me ligari, modò juretis mihi quòd tantummodo ligabitis me, & non irruetis in me.

13. *Non*, לא] i. Nequaquam irruemus in te. ¶ *At occidendo*, &c. והמת לא נמיתך] *Te autem non occidemus.* ¶ *Et abduxerunt eum*, ויעלוהו] Ad verb. *& ascendere fecerunt eum.*

14. *Vociferati sunt*, הריעו] Præ gaudio scilicet, i. occurrentes illi jubilaverunt. ¶ *Irruit autem*, ותצלח] *Venit autem.* Alii, *sedit*, i. tum factus est solitò fortior. ¶ *Qui erant in brachiis ejus*, אשר על זרועותיו] i. Quibus erant vincta brachia ejus. ¶ *Combusta sunt*, בערו] *Arserunt.*

15. *Recentem*, טריה] i. Recens mortui, h.e. adhuc humentem, humidam, succulentam, nondum siccam.

16. *Acervus, duo acervi*: חמור חמורתים] i. Acervus unus & alter: cadaverum scilicet hominum mortuorum, sub. *factus est.* Vel, *acervum unum & alterum feci.*

18. *Per manum servi tui*, ביד עבדך] i. Operâ servi tui. Quidam vertunt, *Tu posuisti in manu servi tui.* In eam sitim inciderat interficiendo Palæstinos.

19. *Molarem dentem*, את המכתש *Concavitatem*, sive, *locum concavum in quo erat dens molaris.* Chaldæus paraph. *petram, quæ scilicet similis erat mortario*: h. e. saxum quoddam concavum. ¶ *Ac revixit*, ויחי] i. Recreatus est. ¶ *Nomen ejus*, שמה] Nempe fontis. ¶ *En-haccore*, עין הקורא] i. *Fons invocantis*, vel *implorantis*, sub. *opem Divinam.*

20. *In diebus Philisthinorum*, בימי פלשתים] i. Imperantibus Palæstinis toto tempore illius.

CASTALIO.

8. GRavi ingentique clade in quodam tractu] Ad verbum sic legitur, *Percussit eos coxam supra femur.* Ego cùm hinc nullam aptam possem elicere sententiam, Josephum secutus sum, qui vertit, πολλὰς ἐν τῷ πεδίῳ τῶν Παλαιστίνων ἀποκτείνας, *Cum multos in campo Palæstinorum occidisset.* Nam ירך non solùm *femur* sed etiam *regionem* declarat.

16. *Maxillâ asini, asini asinarii*] חמור חמורתים *asinus asinarius* eo modo dicitur quo *caprum caprinum* & *bovem bovinum* dici annotavimus, & quomodo Judic. 5. רחם רחמתים *puella puellaris*, i. puella, dicitur, éstque elegans repetitio, præsertim in sententiis. Neque hic Magistros Judæos sequi placet, qui חמור *acervum* interpretantur. Nam ità & imperfecta foret & minùs elegans sententia; neque iisdem vocalibus scribitur id verbum cùm *acervum* significat, nisi hoc in loco, si illis credimus. Sed ambiguus cùm sit, in testimonium adduci non potest: nec propria interpretatio coactæ locum relinquit.

CLARIUS.

8. SUram femori imponerent] Alius vertit, *coxâ super femur*, quòd scilicet suras illorum ac femora percusserit, alius interpretatur, *ut fugientes & cadentes crura & pedes illiserint femoribus.*

19. *Molarem dentem*] Sunt multi apud Hebræos qui putant per *dentem molarem* hîc intelligi petram quandam quæ formam habuerit dentis molaris, & fuit in eo loco qui *Lechi*, i. *Maxilla*, vocatus fuit; quam Dominus scindens largissimas produxerit aquas.

DRUSIUS.

1. A *Diebus*] Post dies aliquot. Hier. *post aliquantulum temporis.* Lxx μεθ' ἡμέρας. Thargum *tempore dierum*, לזמן יומין. ¶ *In diebus messis triticeæ*] Ad verb. *triticorum.* Gen. 30. 14. *In diebus messis triticeæ*, ubi Thargum Jonathæ *in diebus Sivan, quo tempore messis est tritici.* Messis durabat apud Judæos septem hebdomadas, h.e. 49 dies, qui messi faciendæ destinati erant. Ebr. קציר dicitur, Græcè autem ἀμητὸς & θερισμός. R. D. annotat Jes. 18. 5. tempus messis esse dimidium Nisan, Jar & dimidium Sivan, quo tempore vites omphacem edunt ut plurimùm. Cæterùm messis hordeacea præcedebat messem triticeam. Ejus mentio Ruth 1. 22. Eam verno tempore fieri solitam in Palæstina testatur Plinius. Vide Comment. meum in Ruth 1. 22. & Beroaldum Chronol. l. 1. 7. ¶ *In cubiculum*] החדרה *in penetrale.* ¶ *Non sivit pater ejus*] Ad verb. *non dedit.* Verbum נתן, quando sequitur gerundium aliquod, significat *sinere, permittere.* Hier. *prohibuit illum pater ejus.* Lxx οὐκ ἔδωκεν αὐτὸν εἰσελθεῖν. Jon. לא שבקיה *non sivit, permisit*, ut Exod. 12. 23. *non dedit exterminatorem intrare.* Gen. 20. 6. *non dedi te attingere illam.* Jud. 3. 28. *non dederunt quenquam transire*, i. passi sunt, aut concesserunt.

2. *Dixi*] i. Cogitavi, Dixi in corde meo. Sic, *An occidere me dices*, i. cogitas? Est enim, ut scitè ait Plato in Sophista, ἡ διάνοια διάλογος ψυχῆς ἄνευ λόγου. Ità sumitur hoc verbum Exod. 2. 14. Gen. 20. 11. Jes. 8. 12. Vide Camium hoc loco, & Masium Jos. 22. 24. Rursum Gen. 26. 9. Sed & Psal. 94. 18. *dixi* R. David exponit *cogitavi*, i. חשבתי. Hier. h. l. *Putavi quòd odisses eam.* Cæterùm *odisse uxorem* dicitur qui eam amat minùs, unde *odiosa* seu *exosa*, i. minùs amata. Item *odisse* dicitur *fidejussores* qui abstinet à fidejubendo, Prov. 11. 15. Sic *odit malum* qui abstinet ab eo, & in libro Aboth, *Doctoratum odio habeto.* Sic *odisse dona* dicitur qui non est δωροφάγος aut δωροληπτης, qui non accipit dona oblata, sed respuit & recusat ea.

5. *Usque ad vineam olivarum*] *Vinea olivarum* est olivetum; ut *vinea vitium*, vinetum. Ad verb. *usque ad vineam olivæ*, sive *oleæ*. R. D. *Vinea oleæ est vinea olearum multarum quæ simul plantantur.* Doctores Ebræi veteres, *Vineam olivarum appellat, non appellat Vineam simpliciter.* Aliter, *vineam & oleam*, i. vineas & oleas. Sic Hier. *ut vineas quoque & oliveta flamma consumeret*, & Lxx ἕως ἀμπελῶνος καὶ ἐλαίας. Thargum quoque *usque ad vineas & usque ad oleas.* Ergò *vineam, oleam*, ἀσύνδετον est, ut, *Sol, Luna*, & quæ alia Grammatici notarunt. Sulpicius vocat *olivarum arbores.*

6. *Gener Thamni*] ὁ νυμφίος τοῦ Θαμνί. Sed Hier. *gener Thamnathæi*, התמני ἐθνικὸν est à תמנה, non à תמנתה Θαμναθά. תמני *Thamnæus*, ut יהודי *Judæus*, גתי *Gatthæus*, vel sanè *Getthæus*. Nam *Geth* dicebant pro *Gath*, quod nunc in textu Ebraico. ¶ *Ascenderunt Philisthæi*] Samson ex Sora descendit, quoniam in altiore loco sita erat: hi autem ascendunt Thamnam, quia sedes habebant

habebant infra eam. Sic ab Jerosolymis ad mare, ubi Philisthæi habitabant, descenditur.

7. *Si feceritis*] Hic *si* non interrogat, sed ponitur pro כי *cum*; ut in illo, *Si erit Jobilæus*; &, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Hier. *Licèt hæc feceritis, tamen*, &c. ¶ *Talia*] כזאת *sicut hoc*. Hic Chaph non assimilat, sed est Chaph ἀληθινόν, q. d. *Cum verè hoc feceritis, profectò ultionem capiam de vobis, non desistam*. q. d. *Non priùs desistam*, aut *cessabo, donec de vobis me ultus fuero*, aut *vindicavero*.

8. *Percussit eos crus super femur*] Locus iste variè redditur. Hier. *Percussit eos ingenti plagâ, ità ut stupentes suram femori imponerent*. Quæ sic enarrans Liranus, *Mos*, inquit, *hominum qui sunt attoniti & meditabundi ponere suram unius cruris super femur alterius. Et per hoc ostenditur quòd Philisthæi fuerunt ità stupefacti de plaga inflicta eis à Samsone quòd multùm cogitabant qualiter se vindicare possent*. Hæc Lira. Thargum Jonathæ, *Percussit eos equites cum peditibus*. Per *crus* intelligit equitem, & per *femur* peditem. Rursum Liranus, *In Ebræo autem habetur sic*, PERCUSSIT EOS PLAGA MAGNA TIBIAM SUPER CRUS SUUM: *quod exponunt Ebræi de percussione peditum cum equitibus, quia pedites in bello innituntur tibiis suis, equites verò cruribus*. Cæterùm *sura* est posterior pars cruris carnosa, quæ tantùm homini est, reliqua enim animantia habent crura sine suris. *Tibia* est os cruris oppositum suræ. Videndus R. Salomo. R. D. enarrat de iis qui fugientes cadunt super faciem, nam illi vertunt suram super femur. Trem. *crus vibrans in femora eorum*; q. d. *Non aliis armis eos petens quàm pede*. Sic ferè Burgensis, quem vide Addit. 1. ad h. l. & dicit veteres Ebræos ità exponere. Lxx κνήμην ἐπὶ μηρόν. R. Levi, *crus juxta femur*. Assimilat autem pedites Cruri, & equites insidentes equis Femori, quia femur est supra ipsum crus. Nondum mihi clara lux in hoc loco. *Crure suo in ipsorum femora impacto*: aut hoc dicit, *percussit eos, videlicet crus cum femore*. Nam על etiam *cum* sign. *Coxa* & *coxendix* pro eodem accipiuntur. Quidam *coxam cum femore*, videtur esse proverbiale. ¶ *In scopulo rupis*] Santes *in cacumine petræ*. Thargum *in foramine rupis*. Id שקיף vocat, unde שקיפין, quod exponunt חורין *foramina*, & differt à נקיקין, quòd alia pluviâ excavata sint, vel à bestiis facta. Vide Aruch. Munsterus tamen exponit נקיקי *foramina*. Hier. *in spelunca petræ Etam*. Lxx ἐν τρυμαλιᾷ τῆς πέτρας Ἠτάμ, quod reddunt *in spelunca*. סעיף etiam *ramum* denotat. Hinc translatum sign. *id quod excurrit è petra ut ramus ex arbore*. *Dentem* vocat R. D.

9. *Ascenderunt Philisthæi*] Nam è Palæstina propriè dicta in Judæam ascenditur; contrà è Judæa in Palæstinam descenditur. Itaque suprà legimus *Samsonem descendisse Thamnatham*, quæ urbs erat Palæstinæ. ¶ *In Juda*] In terra Judæ, in Judæa. Lxx ἐν Ἰούδᾳ. Hier. *in terram Juda*. Thargum *in terra domûs Juda*, i. Judæorum. Sic, *Bethlehem Juda*, i. Judææ. *Juda* nomen est proprium viri: Sed & tribum ejus significat, & regionem in qua tribus illa habitabat, ut hîc. ¶ *In Lechi*] In loco qui postea *Lechi* dictus est. Sonat ea vox *maxillam*, unde Hieron. *castrametati sunt in loco qui postea vocatus est Lechi, i. Maxilla, ubi eorum fusus est exercitus*. Lxx ἐν Λεχὶ *in Lechi*; & alibi, ἐν Σιαγόνι *in Maxilla*. Thargum Jonathæ על לחי. Eusebius De locis, *Lechi, pro quo Aquila & Theodotion interpretantur Maxillam*.

11. *Descenderunt ad specum silicis Etam*] Locus iste adversatur iis qui vertunt *summitatem petræ*, aut *scopulum rupis*. Nam *scopulus* est saxum eminens: In eminentem locum non *descenditur*, sed *ascenditur*. Utrùm ergò sensus est, Descenderunt è Judæa versùs locum illum ubi erat rupes illa, quæ fortasse in Palæstina erat; aut foramen erat in petra in quo manebat, & in quod illi descendebant? Nam v. 13. leg. *eduxerunt*, sive *ascendere fecerunt, eum è petra*; non è cacumine petræ, sed è specu aliquo qui erat in petra, unde latentem educebant. Videndus ad h. l. R. D.

13. *Eduxerunt è petra*] Ascendere fecerunt. Nam *locus filiorum Juda erat altior hâc petrâ, sive rupe*, inquit R. ille.

14. *Cùm venisset ad Lechi*] Hier. *ad locum maxillæ*. Lxx ἕως Σιαγόνος, h. e. ad locum qui Σιαγὼν vocabatur. Id enim Græcè sonat *Lechi*. ¶ *Sicut lina*] i. Fila linea. Sic *ferrum* pro nervo ferreo, *aurum* pro vase aureo, *argentum* pro argenteo. ¶ *Quæ arserunt igne*] Hier. *sicut solent ad odorem ignis ligna consumi*. Sed alii codices *ad ardorem*; & sic est in textu Lirani. Jon. דארח ביה *quæ incendit*, aut *comburit, ignis*. Verb. ארח sign. etiam *odorari*; ut possis vertere *quæ odoratur ignis*. Sed in Camio דאחר *quæ prehendit ignis*. Lxx ὡσεὶ στιππύον ὃ ἐξεκαύθη ἐν πυρί, *ut stuppa*, vel *sicut stuppa, quæ succensa est igne*. Alii, ἡνίκα ἂν ὀσφρανθῇ πυρός. & S. Augustinus, *cùm olfecerit ignem*, quæ locutio est in seq. capite. ¶ *Dissoluta sunt vincula ejus*] אסורין nomen est hoc loco, alibi אסור *vinctum* denotat, à verbo אסר *vincivit*; & tunc est participium passivum.

15. *Maxillam asini humentem*] Vel *recentem*, i. טריה, quod exponunt לחה *humidam*. Sed quid? an לחי femininum est? Vide an possit referri ad חמור, quod est nomen ἐπίκοινον, ut asinam denotet recens mortuam & adhuc humentem. Sic מכה טריה *plaga humecta*. Id טרי sign. apud Arabes. Jon. בטינתא. Quod si ב est litera servilis, erit sensus, *in humore suo*. In monumentis Doctorum שדה מטוננת *ager humidus*, i. לחה. Notavit R. D. *In libris Medicorum humor vel sanies quæ exit è vulnere vocatur* טרי, ait R. S. ¶ *Misit manum*] *Extendit*, ἐξέτεινεν. Hier. *Inventamque maxillam*, i. mandibulam, *asini*. *Mandibula* idem quod *maxilla*, à *mandendo*. Sunt autem duæ mandibulæ, superior, inferior.

16. *Acervum, duos acervos*] Lusit in ambiguo vocis חמור, quæ & *asinum* sign. & *acervum*, qui & חומר formæ קדש *sanctitas*, חדש *mensis*. Priùs refertur ad יאר *rivus*, שאור, &c. חמורה etiam *acervum* denotat, unde pl. חמורתים *duo acervi*.

17. *Ramath lechi*] *Quod interpretatur Elevatio maxillæ*, inquit Hieronymus, imò *Projectio, Abjectio*. Nomen à re: nam eam à se abjecerat. Sumptum ex lingua Chaldæorum ורמת *& abjecit*. Thema רמא *abjicio*. Lxx Ἀναίρεσις Σιαγόνος *Ablatio*. R. Levi à רם deducit. Vide sodes.

19. *Cavum quod in lechi*] Locum cavum qui ibi erat, quem מכתש dicit à forma & similitudine mortarii. Siquidem מכתש *mortarium*. Jon. *petram quæ in* לועא *maxilla*. An opinatus est petram fuisse in eo loco quæ similitudinem habuerit mortarii? Videtur. *Petram* autem כיפא vocant, unde *Cephas*. Lectio varians כנא דבלועא *cavum dentis*, h. e. הגומא, in quo dens defixus. Alia lectio רומוא, quam R. D. se non intelligere profitetur. Hier. *molarem dentem in maxilla asini*. Lxx τὸν λάκκον τὸν ἐν τῇ Σιαγόνι *lacum qui in mandibula*. Alii τὸ τραῦμα τὸ ἐν Σιαγόνι *vulnus quod in maxilla*. Vide Rom. ed. ¶ *Rediit spiritus ejus, & vixit*] Spiritus vitalis, qui præ siti quasi abierat, nunc reversus est. Hier. *refocillavit spiritum, & vires recepit*. *Vixit*, i. revixit, convaluit, sanitatem consecutus est. Nam vita, bona valetudo. *Revixit*, Samson, vel spiritus ejus. Sic Psal. 22. 26. *Vivat cor vestrum*, Gen. 45. 27. *revixit spiritus Jacobi*. Alibi, *Cor meum saucium est in medio mei*. Cor *mori* dicitur, & contrà Spiritus *vivere*. Huc refer, *Lex Domini redire faciens* משיב *animam*, i. reducens, recreans, refocillans. ¶ *En-haccore*] *Oculum*, i. Fontem, *invocantis*.

20. *In diebus Philisthæorum*] Cùm Philisthæi dominarentur in Israel. Vide Camium & Tremellium.

IDEM.

9. בלחי. A. Th. ἐν τῇ Σιαγόνι *in Maxilla*] In lib. Locorum, *Lechi, pro quo Aquila & Theodotio interpretantur Maxillam*. Item, *In Lechi, pro quo Aquila interpretatur, In maxilla*. Puto legendum, *En Lechi*, i. ἐν Λεχεί, sive Λεχί, quod postremum in edit. Rom. *In Lechi*

probum

probum est. Sic alibi, *In Emec*, pro quo A. & Sym. transtulerunt, *In vallem*. *In Araba*, בערבה, A. *In humili*, *vel plano*, Sym. *In campestri*. ¶ *Maxilla*] Nomen loci proprium, cujus origo ex hac historia sive ex hoc capite petenda est.

19. וַיִּבְקַע אֱלֹהִים אֶת הַמַּכְתֵּשׁ אֲשֶׁר בַּלֶּחִי. Alius, * ἔῤῥηξεν ὁ Θεὸς τὸ τραῦμα τὸ ἐν σιαγόνι, *& aperuit Deus vulnus quod in maxilla*] מכתש *contusio*. Nam כתש *contundo*. Soph. 1. 11. Aquila reddit ὅλμον *pilam*, quod *non per brevem syllabam primâ legendum*, inquit Hieronymus, *nè* Σφαῖραν *putemus, sed per productam*, ut idem fit cum *mortario*. Lxx hîc habent τὸ λάκκον *lacum*. Hier. verò, *Aperuit itaque Deus molarem dentem*, quod etiam Santes retinuit, nisi quòd pro *aperuit* maluit vertere *rupit*, ut etiam Græci ἔῤῥηξεν. Arias elegit *mortarium*.

GROTIUS.

1. **A**ttulit ei hœdum de capris] *De capris* ideo additur quia גדה vox Hebræa etiam Agnos comprehendit ut notavit D.K. Erat hoc illis opibus munus non spernendum, Virgilio teste, Ecl. 2.

Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.

3. *Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala*] Vide & infrà 11. & 16. 28. Apud Thucydidem Platæenses, Ὀρθῶς τιμωρησόμεθα κατὰ τὸν νόμον καθεστῶτα, τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι. Civilis apud Tacitum, *Ad supplicium petitus jure gentium pœnas reposco*. Vide de J. B. ac P. l. 2. c. 20. §. 8. Neque Jus naturæ neque Jus gentium prohibet se ulcisci: sed quia modus excedebatur, deinde etiam nè ex quavis causa rixæ orirentur, prohibuit id Jus civile, quale est etiam Jus Hebræis à Deo quidem, sed valde ad modum legum humanarum, datum, quo Jure de extraneis ulcisci se nemo prohibetur, de civibus non prohibetur, nisi in rebus minoribus & quotidianis. Alia est ratio sermonis per Crucem sanciti, in quo sicut rerum æternarum aperta est sponsio, itâ & rerum caducarum, ex quibus ultio oritur, contemptus exigitur. Malè hæc confundunt multi, minùs nocentes si legi Hebrææ plusquam satis est tribuant; magis verò, si ex istis temporibus ad nostra Dei indulgentiam extendant. Heroes apud Homerum & Græcos alios, ut notatum Scholiastis, dediti amoribus, dediti iræ: Alios Heroas nobis dedit Euangelii lux, de qua dicam cum sene Terentiano,

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

4. *Trecentas vulpes caudásque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio*] Planè similem historiam Carseolanam, de vulpibus & facibus, ac per eas incensâ messe, habes apud Ovidium Fastor. 4.

6. *Et combusserunt tam mulierem quàm patrem ejus*] Ingens crudelitas in eos qui malo occasionem tantùm, nec id providentes, dederant.

11. *Imperent nobis*] Heb. *dominentur in nos*, i. *prævaleant nobis*. Vide quæ suprà 10. 7.

19. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini*] Græci τὸ λάκκον, alii τὸ τραῦμα. Credibile est significari hiatum quem in maxilla projecta fecerat dens eâ vi excussus.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. **A**zath] Hæc est civitas quam nostri vocant *Gazam*: mutatúrque He tertia litera in Tau Raphatum propter He locale. ¶ *Mulierem meretricem*] Hebræi putant hic זונה non pro *meretrice* sed pro *cibatrice* seu *hospitatrice* accipi. Significat enim זן *cibare*, & זנה *meretricari*, habéntque hæ duæ radices magnam inter se affinitatem.

7. *Recentibus funibus*] Qui scilicet facti sint ex virgultis & restibus, non autem de canabo aut lino, cùm illa non recentia sed arida inveniantur.

10. *Fefellisti me*] Chald. שקרת *mendaciter decepisti*. Est autem התל hic verbum Piel, absconditúrque Dages in Zere voce magnâ, etiam extra casum literæ gutturalis.

11. *Novis funibus*] Sunt עבותים *funes ex triplicato facti funiculo*.

13. *Figens illa clavum*] Sensus hujus loci hic est, Si fuerint cincinni capitis mei intra telam contexti, liciatoriúmque ipsum, circa quod tela plicatur, clavo fixum, & ad certum situm firmatum, debilis ero, &c. Quod Delila faciens, frustrà & hunc conatum est experta. Exponitur hîc ab Hebræis מסכת pro כסוי *operimento* seu *tela*. Nostri autem exponunt *jugum textorium*.

16. *Deficeret ad mortem*] In Hebræo propriè est, *abbreviaretur ad moriendum*, pro quo Jonathan vertit, ועקת *& angustiaretur*.

18. *Satrapas*] Kimhi exponit סרנים pro שרים *principibus*; Jonathan verò pro טורנין *tyrannis & potentibus*.

19. *Rasit*] In Hebræo ponitur hoc verbum in fem. g. & exponitur sic ab Hebræis, *quòd ipsa per virum vocatum fecerit radi caput ejus*.

21. *Molebat*] Mos erat apud antiquos ut captivi in carceribus compellerentur ad laborem, nè otiosi panem comederent; & præsertim ad trahendum molares lapides instituebantur.

VATABLUS.

1. **M**eretricem, זונה] *Cauponariam*. Nulla enim fit mentio quòd Samson hanc amarit: ob id vertendum potiùs *cauponariam*, ut vertunt nonnulli. ¶ *Et ingressus est ad eam*: ויבא אליה] i. Divertit ad eam.

2. *Azzitis*, לעזתים] Sub. *renunciatum fuit*, omisit enim verbum, ut indicaret celeritatem renunciationis. ¶ *Et circumdederunt*, ויסבו] *Et circuierunt*, i. circum urbem munierunt loca per quæ evadere poterat. ¶ *Et insidiati sunt ei*, ויארבו לו] *Et insidias posuerunt ei*, i. totâ nocte illâ diligenter occluserunt portam urbis, nè exiret per illam. ¶ *Tacuerúntque*, ויתחרשו] *Conticuerúntque*. Quidam vertunt, *simularunt se mutos & surdos totâ illâ nocte*.

3. *Profectus est cum eis unà cum vecte*, ויסעם עם הבריח] *Transtulitque illa unà cum vecte*: sub. *transversario*. Gallicè, *La barre de la porte*. ¶ *Cùm imposuisset*, וישם] Ad verb. *& imposuit*.

4. *In torrente*, בנחל] *In valle*. ¶ *Delilah*, דלילה] Hebræi aiunt Delilam fuisse edoctam à Samsone Legem Mosis antequam commercium haberet cum ea.

5. *Ascenderunt autem*, ויעלו] i. Accesserunt autem. ¶ *Decipe eum, & vide*, פתי אותו וראי] i. Demulce blanditiis, & ità disce ab eo in quo, &c. ¶ *Et quâ re prævaleamus illi*, ובמה נוכל לו] *Et quâ ratione prævalebimus ei*. ¶ *Ut ligatum affligamus ipsum*: ואסרנוהו לענתו] Ad verb. *ligabimúsque eum, ut affligamus ipsum*. ¶ *Argenteos*, כסף] Chaldæus paraph. *argenteos siclos*.

6. *Et quo ligatus affligi possis*: ובמה תאסר לענותך] Ad verb. *& in quo ligaberis ad affligendum te*.

7. *Virgis viridibus*, יתרים לחים] *Vinculis* [vel *restibus*] *recentibus, quæ necdum aruerint*, i. adhuc humentibus. Doctus inter Hebræos vincula talia fieri dicit ex arbore molli & lenta, qualia sunt quibus colligantur fasciculi. ¶ *Et ero sicut unus ex hominibus*, והייתי כאחד האדם] *Et evadam similis cuivis homini*.

8. *Attulerunt ergò*, ויעלו] Ad verb. *Et ascendere fecerunt*. ¶ *Virgas virides*, יתרים לחים] *Vincula humentia, restes recentes*, ut v. 7.

9. *Erant disposita*, יושב] Ad verb. *manebant*, i. delitescebant. ¶ *In cubiculo*: בחדר] *In cubiculo secretiore, in penetrali*. ¶ *Super te*, עליך] *Adversùm te*, sub.

sub. venerunt, i. parati sunt irruere in te. Hoc dicit ut terreat, & periculum faciat an possit rumpere vincula. ¶ *Cùm olfacit ignem*, בהריחו אש] *Cùm primùm sentit ignem*, sive, *cùm propiùs admovetur igni*. ¶ *Agnita*, נודע] i. Manifestata, vel, non potuit deprehendere quâ re constaret fortitudo ejus.

10. *Ecce delusisti me*, הנה התלת בי] *En decepisti me, imposuisti mihi*, i. mentitus es mihi. ¶ *Nunc*, עתה] i. Tandem. ¶ *Quo ligeris*, במה תאסר] *Qua re ligari possis*.

11. *Ligando ligaverint me*, אסור יאסרוני] i. Diligenter & exactè constrixerint me. ¶ *Novis*, חדשים] i. Crassioribus. ¶ *Infirmus reddar*, וחליתי] i. Destituar virtute meâ, ut v. 7.

12. *Super te*, &c. עליך וגו'] Eadem quæ v. 9.

13. *Quo ligeris*, במה תאסר] Ut v. 10. ¶ *Septem cincinnos*, שבע מחלפות] i. Septem partes capillorum simul conglobatorum: habebat enim crines oblongos & crispos ac intricatos sive contortos. ¶ *Licio*, עם המסכת] *Tela*, vel *cum tela illa quæ involuta est circum jugum liciatorium*, i. quæ est jam texta. Est enim lignum teres ac rotundum, sic dictum quòd tegatur telâ quæ volvitur circa ipsum.

14. *Et fixit clavo*, ותתקע ביתד] Subaudiendum aliquid, cujusmodi, *Et ità attexuit & fixit clavo*, aut vecte, sub. *jugum ipsum*, i. firmavit, sive obfirmavit, aut stabilivit jugum ipsum clavo, sive paxillo, ut jugum maneret fixum & immobile, nè commoveri posset. ¶ *Super te*, עליך] Ut v. 9. ¶ *Profectus est cum*, &c. ויסע את היתד וגו'] *Abstulit clavum jugi liciatorii, & telam ipsam*, i. secum detulit clavum, sive paxillum jugi liciatorii, & telam ipsam quæ erat circum jugum involuta, q. d. Traxit secum omnia.

15. *Diligo te*, אהבתיך] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Et cor tuum non est mecum?* ולבך אין אתי] Hebraismus, Cùm alieno sis à me animo.

16. *Coartaret*, הציקה] *Urgeret, obtunderet, opprimeret*. ¶ *Angustiis affecta est*, ותקצר] *Elanguit, emarcuit*, i. cœpit elanguescere, i. esse animo remissiore solitò, ità ut optaret mortem, sive, tunc cœpit eum tædere vitæ suæ, & optare mortem.

17. *Novacula non ascendit*, &c. מורה לא עלה וגו'] Hebraismus, Caput meum nunquam fuit rasum. ¶ *Et infirmus reddar*, &c. וחליתי וגו'] Vide v. 7. ¶ *Sicut omnes homines*, ככל האדם] i. Sicut cæteri homines, q. d. Non erunt mihi majores vires quàm cæteris hominibus.

18. *Videns autem Delilah*, &c. ותרא דלילה וגו'] i. Cùm autem intellexisset Delilah quòd sibi aperuisset quicquid haberet in animo suo. ¶ *Ascendite*, עלו] Hoc verbo videtur habitasse Samson in loco superiore: aut certè intermedius erat mons. ¶ *Argentum*, הכסף] Quod scilicet promiserant ipsi Dalilæ.

19. *Et dormire fecit eum*, ותישנהו] i. Dedit operam ut corriperetur somno. ¶ *Virum*, לאיש] Tonsorem intelligit. ¶ *Cincinnos*, מחלפות] Quibus scilicet constabat tota ejus cæsaries, erat enim distincta in septem cincinnos sive ejus cirros oblongos & contortos.

20. *Super te*, עליך] Vide v. 9. ¶ *Sicut semel & iterum*, כפעם בפעם] Ad verb. *secundùm vicem in vice*, i. ut aliàs, hâc quoque vice, q. d. Ut aliàs feci, ità nunc. ¶ *Et excutiam me*, ואנער] Sub. *de manibus eorum*, i. elabar. ¶ *Recessisset à se*, סר מעליו] i. Se jam destitutum esse virtute illâ quam habebat à Deo.

21. *Et descendere fecerunt eum*, ויורידו אותו] i. Deduxerunt eum. ¶ *Compedibus*, בנחושתים] Sub. *ferreis*. Chaldæus paraph. *catenis ferreis*. ¶ *Et molebat*, ויהי טוחן] Ad verb. *& factus est molens*, i. ut moleret. ¶ *In domo vinctorum*, בבית האסירים] Sic Hebræi vocant carcerem.

22. *Germinare posteaquam*, &c. לצמח כאשר גלח] *Renasci ut rasus fuerat*, i. ut erat quando rasus fuit.

23. *Ut sacrificarent*, &c. לזבוח זבח גדול] *Ut celebrarent sacrificium magnum*, vel, *ut sacrificarent bestias magnificas*. ¶ *Et ut lætarentur*, ולשמחה] *Et ut epularentur*.

24. *Multiplicavit occisos nostros*, והרבה את חללינו] Hebraismus, Qui plurimos ex nobis occidit.

25. *Et ludat coram nobis*, וישחק לנו] *Ut ludat coram nobis*, vel, *ut risum nobis faciat*. Gallicè, *a fin que nous en prenions nostre passetemps*.

26. *Tenebat manum ejus*, המחזיק בידו] i. Qui manu deducebat eum. ¶ *Duc me*, &c. הניחה אותי וגו'] *Dimitte me*, [vel, *statue me*] *& admove me columnis*, i. accedere me facias ad columnas. ¶ *Firmatur*, נכון] *Sustentatur, innititur*.

27. *Dum luderet*, בשחוק] *Ludentem Simsonem*.

28. *Et fortifica me*, וחזקני] *Et corrobora me*, q. d. Restitue me in robur pristinum. ¶ *Et sumam ultionem unam è duobus*, &c. ואנקמה נקם אחת משתי] Hebr. *& ulciscar ultionem de uno ex duobus oculis meis ex Palæstinis*, i. ut sumam vindictam de altero ex oculis meis; h.e. de amissione unius ex oculis meis.

29. *Complexus itaque est*, וילפות] *Apprehendit itaque*. ¶ *Medias*, התוך] i. Quæ erant in medio domûs. ¶ *Nitebatur*, נכון] *Imminebat*, i. quibus domus ipsa tota fulciebatur.

30. *Fortiter*, בכוח] *Cum virtute*, i. ut fortiùs impelleret. q. d. Magno impetu impulit.

31. *Judicavit*, שפט] *Judicaverat*.

CASTALIO.

1. **Q**Uæ sequuntur deinceps ad finem totius libri gesta sunt antequam essent in Israelitis gubernatores quos vocant Judices, quod ex ipsa historia patet, in qua c. 18. quærunt Danii hæreditatem: & in eodem est sacerdos Jonathan, Mosis nepos, qui non potuit vixisse tamdiu, & c. 20. Phinees, Eleezari filius. Præterea c. 19. negantur Israelitæ habitare Hierosolymæ, cùm tamen eam occupasse & incoluisse dicantur in c. 1. Adde quòd Josephus quæ scribuntur in cap. 19. antè narrat quàm quæ superiùs scripta sunt.

CLARIUS.

1. **M**Eretricem] Hebræi putant hìc dictionem Hebræam non pro *meretrice* sed pro *cibatrice* seu *hospitatrice* accipi.

13. *Cum licio plexueris*] Sensus est, Si fuerint cincinni capitis mei intra telam contexti, licitatoriśmque ipsum, circa quod tela plicatur, clavo fixum, & ad certum situm firmatum, debilis ero, *&c.*

21. *Molere fecerunt*] Mos erat apud antiquos ut captivi in carceribus compellerentur ad laborem, nè otiosi panem comederent, & præsertim ad trahendum molares lapides instituebantur. Sunt qui per illud *molendi* verbum intelligunt mulieres Philistæas ad eum introductas ut ex tam forti viro semen acciperent.

DRUSIUS.

1. **M**Ulierem meretricem] *Meretricantem*, aut *scortantem*, i. meretricem vel scortatricem. Nam זנה *scortor, meretricor*, & est participium loco nominis. Sic רפא *medicinam faciens, medicus*, מושל *dominans, dominator*. Sic *discentes* pro *discipulis* apud Tertullianum; & λέγων *orator*, & alia sexcenta. Cæterùm *meretrix* à *merendo* dicta. Nescio an dici possit *mulier meritoria*, sicut dicimus *puer meritorius*. Exemplo id probandum erit ei qui pro *meretrice* hìc reponet *meritoriam*, ut Arias fecit, sine causa mutans quod rectè erat positum à Sante. LXX γυναῖκα πόρνην. Sed Thargum פונדקיתא quod reddunt *cauponam*, ac si esset à זון, unde & מזון *cibus*. זונה *cibum vendens*, formæ טובה *bona*. Sanè R. D. explicat מוכרת מזון. Fortè *meretricem* vocat cauponam, quòd tales artem meretriciam plurimùm exercerent quæstum corpore facientes. Mihi potiùs videtur ut sit à זנה *meretricor*. Nam זון *cibo* non est usitatum, quod sciam.

In Aruch זון Græcum est ζώνη *zona, cingulum.*

2. *Ingressus est ad eam*] *Ingressus est ad eam hospitandi causâ. Erat enim caupona,* R. Levi. Vide fodes. Aut rem habuit cum ea. Honestè sic Ebræi coitum circumloquuntur. Sic dico, *Ingredi ad mulierem* honesto loquendi modo dicitur qui conjunctionem Veneream cum ea habet. Ità enim rerum turpitudinem verbis honestis tegunt Ebræi; ut cùm dicunt *cognoscere feminam.* Quæ omnia quanquam in re turpia sunt, tamen sic elata minùs turpiter sonant. Vide Gen. 16. 2. Rursum c. 29. *ingressus est ad eam Jacob.* Aliquando simplicem ingressum denotat in domum, ut Jud. 4. 22. *Qui cùm ingressus esset ad eam,* vult dicere, *in domum ejus,* Lxx καὶ εἰσῆλθε πρὸς αὐτὸν, ut hic. Vide Augustinum Quæst. l. 7. qu. 28. ¶ *Gazæis dictum fuit*] Verbum è verbo, *Gazæis, dicendo.* Videtur esse לאמר pro כאמר. Certè R. S. לאנשי עזה כאמר *dictum fuit.* Jonathan subaudit *indicatum,* aut *nunciatum, fuit,* alius, *dictum fuit, dicendo.* Lxx καὶ ἀνηγγέλη τοῖς Γαζαίοις, λέγοντες, *nunciatum est Gazæis, dicentes.* עזה *Gaza & Aza,* unde עזתי *Gazæus,* & pl. עזתים *Gazæi,* עז *validus,* עזה *valida*: q. *valentiam* dicas. Nam erat munitissima urbs. Mela dictam existimat à voce *Gaza,* quæ Persis *thesaurum* notat. Errat. Nam *Gaza* cùm hoc sign. גזה, scribitur per Gimel. Vide quid sit fontes ignorare. ¶ *Tacuerunt, dicendo*] Quidam *conticuerunt, cùm dixissent.* Sic suprà, *Gazæis cùm dictum esset.* In fonte ויתחרשו *quasi mutos se fecerunt,* nè Samson rescisceret sibique caveret ab eis. Cæterùm verba conjugationis quartæ quandoque Simulationem & Fictionem denotant, h. e. actionem non veram sed fictam; ut התעשר *simulavit se divitem,* Prov. 13. 7. Sic מתרושש *qui se pauperem fingit,* & מתלהלה *qui se lassum,* aut *insanum, facit,* Prov. 26. 18. Sed quomodo tacuerunt si dixerunt, *Conticescamus usque ad lucem matutinam,* &c. An *dicere* hic valet *cogitare apud se?* R. Jesaias *consultarunt in secreto,* נתיעצו בסוד.

3. *Profectus est cum eis*] ויסעם pro עמם, ut alibi apud Hymnographum ינרך *commorabitur tecum,* i. עמך. Verba enim neutra non admittunt affixa nisi κατ' ἔλλειψιν τῆς προθέσεως *commodâ subauditâ præpositione.* Sic alibi ויסע את היתד *profectus est cum clavo,* ubi את valet *cum.* Forte verbum נסע utrobique transitivum est, *transtulit eas, & portavit clavum.* Videatur R. D. Lxx ἀνεβάστασεν αὐτάς. Hieron. *portavit.*

4. *In valle Sorec*] Alii *in torrente Sorec.* Vox Ebræa utrumque sign. Hic potius *vallem* denotat in qua Dalila tunc habitabat. Certè in torrente habitare nemo potest, nisi *in torrente* exponas *prope torrentem,* ut *in Jerico, in Gabaon, in Arca,* &c. Jos. 2. 15. *ipsa domus sedebat in muro,* i. sita erat. Vulg. *Rachab habitabat in muro.* Nah. 3. 8. Alexandria dicitur *sedere in fluminibus,* i. sita esse. Eusebius, *Sorech* (malim *Sorec*) *nomen torrentis, de quo loco fuit Dalila illa Samsonis. Sed usque hodie ad Septentrionalem plagam Eleutheropoleos vicus ostenditur nomine Caphar Sorech, juxta villam Saraa (Tsora) unde fuit Samson.* Lxx ἐν Ἀλσωρὴχ mendum, pro Ναλσωρὴχ, ubi ν vocis præcedentis exclusit sequentem. Sic alibi ἦν Ὠχὴλ pro Νωχήλ. Notavi in Quæst. meis. *Nal* pro *Nahal,* ut *Nas* pro *Nahas*: ἀρχαϊκὸν est *Nahal* sive Νααλ *torrens* aut *vallis.* Alii ἐπὶ τοῦ χειμάρρου Σωρὴχ *in torrente Sorec.* De נחל aliàs dictum est. Videtur potius esse nomen vallis, quæ sic dicta fuit, ut putatur, à *vinetis.* Nam *Sorec* genus *vineæ laudatissimæ.* Quanquam sunt qui *sarmentum* aut *malleolum* significare putant. Gregentius pag. 86. Σωρὴχ, κλήματις δεξιὰ *malleolus dexter,* aut *sarmentum dexterum.* Moneo scribendum esse Σωρὴκ: nam Coph in Ebræo.

4. *Dalila*] Δαλιδά, ut סמידא *simila*; *cassila, cassida.* Sed puto mendum esse. Nicolaus, *debet scribi & pronunciari Dalila.* Idem quærit utrùm Judæa fuerit an Philisthæa, & existimat potius Philisthæam fuisse, quæ habitaverit in valle Sorec. Vallis hæc videtur fuisse supra Palæstinam. Ideo textus utitur verbo *ascendendi, Ascenderunt,* inquit, *ad eam satrapæ Philisthæorum.*

9. *Cùm olfecerit ignem*] Hieron. *cùm odorem ignis acceperit.* Filum stupeum *ignem olfacere* dicitur cùm sentit ignem, species pro genere. Sic Job. 14. 9. *cùm primùm aquam olfecerit.* Psal. 58. 9. *Priusquam intelligant* (i. sentiant) *spinæ vestræ rhamnum,* i. ignem rhamni, si modò אטד est *rhamnus,* & non aliud genus Spinæ. Vide quæ notavimus suprà 9. 14. & Græcam ed. ad illum locum. Videatur R. D. ad h. l.

10. *Insidiæ sedebant ei*] Verbum proprium in hac re, unde *insidere,* & ipsam *insidiarum* nomen. Sed apud Davidem, *Sedet in insidiis pagorum.* Notum qui sint *insessores viarum. Sedere* insidiantium est. Num. 14. 25. *sedet in valle,* i. insidiatur vobis. Vide Notas, *Insidere itinera,* &c. *insessis omnibus viis.* Vide Job. 38. 40. ארב *insidiæ* an *insidiator?* qui sedet, h. e. insidiatur. Santes & Trem. *manebant.* ¶ *Non agnita fuit vis ejus*] i. In quo vires ejus consisterent. Nam ostendit tunc vires suas, quæ nondum imminutæ aut infirmatæ erant.

11. *Rudentibus*] עבותים *funes crassiores ex tribus constantes.* יתרים autem sunt *tenuiores,* & לחים quia ex virgis madentibus & humidis. Consule ipsos Judæos. In hoc versu חלה *debilitari & infirmari* sign. *citra morbum.* Sanè Jon. vertit ואחלוש *debilis ero viribus imminutis.* Hieron. *infirmus ero,* Lxx ἀσθενήσω.

13. *Cincinnos*] מחלפות. Hieron. *crines.* Lxx σειράς. Est autem σειρὰ *funis, restis.* Interpres Rom. *cincinnos* reddit. Sunt autem *cincinni* crines intorti, qui & *calamistrati,* unde *cincinnati* qui capillos intortos gestant. In Thesauro ling. Gr. Σειρὰ τριχῶν pro πλοχμός. Thargum נדילן, quæ vox etiam *funes* notat. Vox Ebræa dicta putatur à *mutando.* Nam mutantur in senio, h. e. cùm canescere incipiunt: tum enim albescunt. R. D. exponit תלתלי השער. Et in Comment. ad h. l. קווצות. *Floccellos* vocat Lira. Vide. Salomo Abrahamides in libro Synonymorum ציצית השער. Non ergò *crines* denotat simpliciter. Vide illum in צמם. R. D. ait vernaculè dici פלוטש *plotes.* Idem scribit fieri posse ut appellationem habeant à similitudine cultrorum, quæ מחלפים dicuntur à *scindendo, cirri,* πλόκια, ἕλικες, *in circum torti capilli.*

16. *Ursit eum*] *Compulit eum,* vel *molesta ei fuit,* אלץ & חלץ, ut ארוזים è חרוזים, nam hæ literæ permutantur. Lxx παρηνώχλησεν *angustiavit,* aut *molestiavit, eum.* Ed. Rom. ἐστενοχώρησεν *angustiavit eum,* לחץ. Jon. דחקתה *compulit eum.* לשון דיחק ait Elias Levita, quem vide ad lib. Radicum. R. D. ותלחצהו. Santes *molestaret eum.* Trem. *urgeret.* ¶ *Abbreviata est anima ejus ad moriendum*] Hieron. *defecit anima ejus & ad mortem usque lassata est.* Lxx ὠλιγοψύχησεν ἕως τοῦ ἀποθανεῖν *defecit animo usque ad moriendum.* Jon. *arctata fuit anima ejus ad moriendum,* ועקת. Santes *angustiis affecta fuit.* Trem. *ut imminueretur animus ejus ac maximè frangeretur, ac si moriturus esset. Anima brevis,* i. mœsta, mœrore confecta. Obvia hæc phrasis Jud. 10. 16. *Contracta fuit anima ejus in labore Israel,* Num. 21. 4. *Contracta fuit anima populi in via,* i. defecit, tæduit eam, tædio affecta fuit. Job. 21. 4. *quare non contraheretur spiritus meus?* Prov. 14. 17. *brevis spiritu,* i. iracundus. Zach. 11. 8. *contracta fuit anima mea in eis.* Mich. 2. 7. *An contractus est Spiritus Domini?* Anima, contrahitur in mœrore & angustia, contrà dilatatur in lætitia. Vide Tropos, in *Anima,* & Ezec. 23. 18. *Anima lata* dicitur cùm aliquis cupiditatibus suis indulget; ut *anima humilis,* cùm easdem compescit & sedat.

18. *Indicavit mihi*] In scriptura est *indicavit ei,* לה. Ità erunt verba nuncii quem miserat ad Satrapas.

19. *Vocavit virum*] Tonsorem, i. κουρέα, quod in ed. nonnullis Græcis. Vide Rom. ed. R. S. *vocat eum quem Satrapæ ad se miserant.* Minùs probatur mihi: licet vertere *vocavit quendam.* ¶ *Rasit*] Per tonsorem, i. radi curavit. Nam est verbum fem. Aut ipsa hoc fecit sumens novaculam à tonsore. In priore sensu Salomo dicitur *ædificasse Templum.* Aut *radi fecit*; ut sit verbum transiens in tertiam. Vide Camium.

20. *Excutiam*

20. *Excutiam me*] A somno. Lyra, *à vinculis.* Sed nondum erat vinctus. ¶ *Dominus*] Vis quæ ei à *Domino.* Suprà v. 19. *recessit vis ejus ab eo.* R. D. videtur ista distinguere. Vide, si placet. Non sciebat vim recessisse à se cùm resecti essent cincinni ejus; aut oblitus hoc erat in somno.

21. *Catenis*] Æneis, non chalybeis, & *duabus catenis*, nam est nomen duale in Ebræo נחשתים. Sic Jon. Lxx ἐν πέδαις χαλκείαις *compedibus æneis.* ¶ *Molebat in domo vinctorum*] Hinc apparet in carcere molas fuisse, quibus vincti victum parabant, séque sustentabant indè & vitam suam. Lira exponit, *graviter laborabat nè gratis panem comederet.* Qui autem in obscœno sensu hîc accipiunt, ut in Jobo, *molat alteri uxor mea*, errant graviter, meo judicio. Sic Horatius, *alienas permolere uxores.* Videndus R. D. ad h. l. Liræ observatio sumpta est ex R. Salomone, cujus glossa est מלאכה כבדה *opus grave ac durum*, videlicet actus molendi. *In lege scriptum, Usque ad primogenitum ancillæ quæ post molas, &, Usque ad primogenitum* השבי *qui in domo putei.* Idem aliter ait R. D. Cæterùm in ergastulo molere abjectissimæ servitutis erat. Molebant autem vincti compedibus æneis, ut ex hoc loco liquet. אסורים est in lectione, & אסירים in scriptura. Illud participium, hoc nomen est, אסורים etiam *vincula* sign. *Domus vinctorum* est *ergastulum, carcer.*

23. *Dagoni Deo suo*] אלהיהם *Diis suis*, de uno idolo, דגון a *frumento* sic dictus, qui Jupiter ἀρότριος vocatur à Græcis, unde Σιτῶν redditur à Philone Byblio. Alii à *pisce* deducunt: nam inferiore parte piscem referebat. Vide sis Quæst. meas. ¶ *Ad lætandum*] *Ad epulandum.* Sic Angli hodie in Academiis lauta sua convivia *gaudia* vocant. Sanè Hieronymus vertit *ut epularentur.* Lxx τοῦ εὐφρανθῆναι. לשמחה est gerundium, ut alibi ליראה *ad timendum.*

25. *Cùm bonum esset cor eorum*] i. Lætum. Scriptum כי טוב, lectum כטוב, perinde est. Sic, *Cor bonum, perpetuum convivium*, i. animus lætus. Jes. 66. 14. *Bonitas cordis*, animi lætitia, טוב לב. *Dies bonus*, i. lætus, cùm hilaria agerent. Hieron. *Lætantésque per convivia, sumptis jam epulis.* Nam *vinum cor hominis exhilarat*, & *panis* illud *sustentat.* Lxx ὅτε ἠγαθύνθη ἡ καρδία αὐτῶν. Id valet, *exhilaratum est.* Jon. *Cùm pulchrum esset cor eorum* כד שפר לבהון. *Dies boni* tribus modis dicuntur. Vide Tropos.

26. *Palpare fac me columnas*] Alii *Recedere fac me ad columnas*, ut sit את pro אל. Sic alibi, את בית יהוה *ad domum Domini ego vado.* In scriptura est הימשני, & in lectione המשני: hoc à מיש, & illud à ימש. Sic יטב & טיב synonyma sunt. Hieron. *Dimitte me ut tangam columnas.* Lxx Ἄφες μὲ, καὶ ψηλαφήσω τοὺς κίονας, *Dimitte me, & palpabo columnas*, &c. Ed. Compl. Ποίησόν ψηλαφῆσαί με τοὺς στύλους, *Fac ut palpem.* Vide Rom. ed. מוש idem quod משש. Sic Jon. Videndus R. D. Trem. *Fac palpem illas columnas.*

28. *Domine* Deus] Prius est cognomen *Adonai*, alterum tetragrammaton, quod nunc legitur *Elohim*, i. *Deus.* Scripsi autem majusculis literis Deus, quia literæ sunt nominis proprii, quod Quadriliterum appellant. Perperàm igitur Arias *Domine Domine*, & alius *Domine Jehova*: quæ vox est nihili, à nobis peculiari libello explosa & rejecta. ¶ *Unius de duobus oculis meis*] Duobus modis exponitur: Uno modo, פעם אחת *vicis unius.* Sic alibi אחת בשנה *vice unâ in anno*, i. semel. Alius modus est, *ultionem unius ex duobus oculis meis*, quæ expositio mihi potior videtur. In משתי est Thau raphatum, cùm aliàs scribi soleat שתי cum Dages in Thau: quod Orientales (*viri Orientis* est in Camio) legunt אשתי per Aleph furtivum & Scheva quiescens. Vide K. & Grammat. nostram. In Dras, *Dixit Samson, Mundipotens Domine, da mihi mercedem oculi unius in hoc seculo, & alterius in futuro.* Vide D. K. Hieron. *& pro amissione duorum luminum unam ultionem accipiam. Luminum*, i. oculorum. Lxx *& retribuam retributionem unam pro duobus oculis meis.* In eisdem Ἀδωναΐ Κύριε. Thargum, *ultionem unam de duobus oculis meis, quos excæcarunt Philisthæi.*

29. *Complexus est*] Arias emendat *inclinavit*, quod è Camio scripsit, qui exponit ויטה. Eo verbo usus fuit mox v. 30. Vide sis. ויאחז וילפת, i. Gallicè *embrassier*, ait R. S. Vide. Reperitur & in Ruth.

30. *Moriatur anima mea*] Num. 23. 10. Eadem phrasis obvia. Idem cum illo, *Moriar ego.* Nam Anima non moritur: est enim immortalis. Nam quæ *mors animæ* dicitur, ea est mors secunda, cùm anima in inferno miris modis cruciatur. Siquidem in tanto cruciatu anima non vivens sed mortua est. Ea mors vocatur *mors calamitatum & miseriarum.* Alio sensu *anima, mori* dicitur cùm Vitam significat, unde *occidere animam* est Vitam alicui adimere; quæ & *amissio animæ* in Jure civili. Porrò *anima mea* est quod Galli dicunt *ma personne.* Sic, *Juravit Deus per animam suam*, i. per seipsum. De anima rationis participe dixit ὁ Σωτὴρ, *Animam non possunt occidere.* Ut hîc, *Moriatur anima mea*, sic Ennius dixit,

Quem credidi esse meum cor,

pro, *Quem ego credidi esse*, &c. Hic solet quæri an Samson hoc fecerit sine peccato, h. e. ità ut non peccaret seipsum occidendo; & respondetur non sine Deo hæc facta esse, qui ei vires ideo restituit ut hoc faceret. Vide Liram hoc loco.

31. *Fratres*] Cognati, propinqui consanguinei. ¶ *Inter Tsora & Esthaol*] Ubi erat sepulcrum Manoe patris ejus. Quære an ille locus sit qui suprà vocatur *Castra Dan*, nam ibi *cœpit Spiritus Domini eum agere*, 13. 25. ¶ *Judicavit Israelem*] Hoc suprà dictum fuit: cur nunc repetit? Videndus K. ad hunc locum.

IDEM.

19. ותקרא לאיש. * Καὶ ἐκάλεσε τὸν κουρέα *& vocavit tonsorem*] Hoc ità legitur in AA. LL. Sumptum autem videtur ex ed. Symmachi, tamen hoc non adsevero. Prius erat τὸν ἄνδρα *virum.* Vide Hieron. Fortè τὸν κουρέα germanum est τῶν ὁ, & τὸν ἄνδρα Aquilæ & Theodotionis. Utrumque sanè Lxx non posuerunt, aut ego in magno errore sum. Quanquam non ignoro rectè dici τὸν ἄνδρα κουρέα, ut ἄνδρες ἁλιεῖς dicimus, & *homo sacerdos*, qui sermo πλεονάζει, satis enim erat *sacerdos, piscator, tonsor.*

GROTIUS.

1. *Mulierem meretricem*] Lex vetat Israelitidas esse meretrices: extraneis talem vitam profitentibus uti non vetat. Aliud est in Euangelica lege, quæ gentium discrimina ignorat. Vide quæ dicta ad Deut. 23. 17. & 21. 11.

5. *Principes Philisthinorum*] Satrapæ, ut suprà. Vide & infrà 27.

7. *Cui respondit Samson*] Iniquum postulatum mendacio eludens, ut inter amantes fieri solet.

17. *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea*] Quippe fœdere violato quod ei cum Deo intercedebat, qui roboris tam immensi donator erat. Non dissimile est quod de fato Nisi Megarensium Regis narrant non Poetæ tantùm sed & Pausanias:

Nam capite à summo regis, mirabile dictu,
Candida cæsaries, florebant tempora lauro,
Et roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quàm servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi, regnúmque futurum
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ.

21. *Clausum in carcere molere fecerunt*] Pistrinum & hîc *carcerem* vocat, ut Exodi 12. 29. Oculi autem adimi in pistrinum damnatis solebant, nè vertigo labori obstaret, qua de causa & servis lac versantibus, & vas in quo lac erat circumcursantibus, ademptos oculos narrat Herodotus Melpomene.

23. *Dagon deo suo*] Sunt pisces supernè hominem præferentes,

ferentes, unde gentes Numina fecere, quæ *Tritones* Græcis, *Dagon* Phœnicibus, à דגן, quod est *piscis*, non à דגן, quod est *frumentum*, ut putavit Philo Byblius ambiguo vocis deceptus. Tales in feminino sexu *Nereides* & *Sirenes*; quâ specie Dea Phœnicum erat Derceto vel Dercetis, aliis Atargatis. Meminit Lucianus De dea Syria. Diodorus Siculus apud Ascalonem cultam ait. Meminere & Plinius & Arati Scholiastæ Græci & Latini. Puto Græcos literam *r* interposuisse; nomen autem ejus Phœnicium fuisse דגתא *dageto*, piscis femina.

30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim*] Id apud Hebræos abiit in proverbium, par isti Latino,

Pereant amici dum unà inimici interbitent.

Hebræi autem, non tantas edocti patientiæ leges quantas Christiani, aliquas esse mortis sibimet consciscendæ causas satis graves existimarunt, ut multis demonstratum est l. 2 De J. B. ac P. c. 9. §. 5.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

2. *Ablati sunt*] Capitur hîc לוקח pro נגנב, i. *furto ablatum*. Nam ponitur in Passivo Piel. Et אלית non capitur hîc pro *jurare*, sed pro *devovere*, *malum imprecari*, atque *maledicere*.

4. *Ducentos argenteos*] Hos ducentos argenteos dedit argentario pro pretio, reliquos verò nongentos argenteos exposuit pro sculptili & conflatili formando. Fecit & templum pro idolis & Theraphim, &c.

5. *Consecravit*] Hebr. *Implevit manum*, scilicet oblationibus; quo ritu Sacerdotes initiabantur, ut in Levitico diximus.

8. *Secundùm quod sibi commodum inveniret*] Hebraismus est pro *ibat ut consuleret rebus suis ubicunque sibi commodum esse posset*.

10. *Per dies*] Jam sæpe diximus per *dies* absolutè & sine numero positos intelligi Annum. Jonathan tamen exponit לזמן עידן *ad tempus opportunum*. ¶ *Duas vestes*] Hebr. *Ordinem vestium*. Ordo autem vestium esse censetur, si una detur hyeme, altera æstate. Unde Jonathan vertit זוג לבושין *par vestimentorum*. Porrò quando hæc & sequens contigerit historia, apud Hebræos diversæ sunt opiniones. Quidam enim putant hæc facta tempore Jehosuæ, alii verò dicunt contigisse ante Simson: sed hi improbantur per textum, qui dicit quòd *eo tempore* quo hæc contigerunt *non fuerit Rex in Israel*, & subinde nec Judex, *sed quisque faciebat quod sibi rectum videbatur*. A Simson autem usque ad Eli Judicem transierunt anni aliquot, quando Israelitæ non habuerunt Judicem; & idcirco tunc creduntur hæc contigisse. Deprehenditúrque hîc autor Seder Olam in computo suo in novem errasse annis. Certum est à tempore Jiphthah fluxisse 140 annos usque ad tempus quo Salomonicum exstructum est templum. A tempore autem exitûs filiorum Israel de Ægypto usque ad tempus Jiphthah fluxerunt anni 340 ut supra dicitur. Porrò Judices qui ipsi Jiphthah successerunt, hi in Scriptura commemorantur, Ibzan, Elon, Abdon, Simson, Eli, & Semuel, sub quo Regnum Israel exortum est. Narratur etiam in Scriptura quamdiu quisq; Judicis officio functus fuerit; putà Eli 40 annis, & Semuel 20 annis, &c. Sed hîc quoque advertendum, quòd Semuel jam judicare cœperit Israel cùm Eli adhuc viveret; atque ideo fieri potest ut post mortem Simson Israelitæ multis annis Judice destituti fuerint; & nihilominus verum sit, memoratos Judices tot annis rebus potitos fuisse, & tamen summam annorum 140 annos non excedere, quos diximus fluxisse à tempore Jiphthah usque ad exstructionem Templi. Certum est enim, Templum exstructum fuisse quadringentesimo & octogesimo anno post exitum de Ægypto. Patet etiam ex c. 11. quòd ab exitu usque ad tempora Jiphthah transierunt anni 340. Addo 40, nam suprà numerantur 300 duntaxat anni, sed ab expugnatione Regis Sihon, quæ quadragesimo contigit anno post exitum de Ægypto. Sed de hoc satis.

VATABLUS.

2. *Argentei*, הכסף] Sub. *sicli*, ità & Chaldæus paraph. Quidam Hebræorum dicit hoc accidisse mortuo Samsone, dum interregnum esset: Alii, tempore Othonielis. ¶ *Propter quos maledixisti, me audiente*, 10 ואתי אלית וגם אמרת באזני] Ad verb. *Et tu maledixisti, & dixisti in auribus meis*. Hebraismus, Propter quos dira imprecata es, me audiente. ¶ *Apud me est*, אתי] i. Surripui, sive, sustuli. ¶ *Accepi illud*, לקחתיו] *Sustuli illud*, *surripui*. ¶ *Benedictus*, ברוך] Sub. *sis*, vel *es*, i. Benedicat tibi Dominus, q. d. Sis felix & beatus, & prosperè tibi eveniant omnia à Deo.

3. *Sanctificando sanctificaveram*, הקדש הקדשתי] *Consecrando consecraveram*, i. jamdudum consecraveram. ¶ *De manu mea filio meo ad faciendum*, מידי לבני לעשות] 20 Hebraismus, Et decreveram tradere tibi ut curares faciendum sculptile. ¶ *Reddam illud*, אשיבנו] Sub. *juxta votum meum*.

4. *Argentario*, לצורף] Ad verb. *Conflatori*.

5. *Erat*, לו] Ad verb. *Ei*, i. habebat ædiculam sacratam diis. Iste Micha partim veri Dei cultor erat, partim idolorum. ¶ *Ephod*, אפוד] Hoc nomine intelligit omnes vestes sacerdotales. ¶ *Et theraphim*, ותרפים] i. Simulacra & imagines habentes figuram humanam. Vide Osee 3. 4. Dicunt illos fecisse simulacra illa in honorem 30 Dei, prætextu quodam religionis ac superstitionis ductos, quod Deus Zelotes abominabatur. Potest hîc intelligi omne instrumentum istius religionis falsæ. ¶ *Et consecravit*, וימלא] Ad verb. *Et implevit*. *Implere manum alicujus* est introducere aliquem in possessionem alicujus rei, q. d. Consecravit unum ex filiis suis, offerendo sacrificia operâ illius, h. e. constituit Sacerdotem. Seipsum declarat cùm mox dicit, *Et fuit ei sacerdos*.

6. *Non erat Rex*, אין מלך] i. Erat velut interregnum, nullus erat Judex in Israele. ¶ *Quod rectum* 40 *erat in oculis suis*, הישר בעיניו] Hebraismus, quod bonum illis videbatur.

7. *De familia Jehudah*, ממשפחת יהודה] Istud ad *Beth-lehem* referendum, & ad majorem expressionem positum est, q. d. Nempe ea Beth-lehem quæ in tribu Juda sita erat. ¶ *Peregrinabatúrque ibi*, והוא גר שם] *Peregrinatúsque fuerat ibi*, i. qui cùm Levita esset habitaverat tanquam peregrinus ibi.

8. *Ad peregrinandum*, &c. לגור וגו'] i. Ut habitaret tanquam peregrinus *ubicunque inveniret sedem sive habi-* 50 *tationem sibi commodam & utilem*. Vel, ut alii, *ubicunque invenisset victum*. ¶ *Ad faciendum iter suum*, לעשות דרכו] i. Ut illac transiret, h. e. cœpit iter facere juxta domum Michæ.

9. *Ad peregrinandum*, &c. לגור באשר אמצא] Ut v. 8. Gallicè, *à mes adventures*.

10. *Annuatim*, לימים] Ad verb. *ad dies*, i. in singulos annos. ¶ *Atque ordinem vestimentorum*, וערך בגדים] *Par vestimentorum*, ut exponit Chaldæus paraph. i. duas, sive binas vestes, æstivam scilicet & hybernam. ¶ *Et* 60 *perrexit*, וילך] i. Secutus est illum.

11. *Placuitque Levitæ*, ויואל הלוי] *Acquievitque Levita*. Declarat quod in fine v. 10. dixerat, *Et perrexit*.

12. *Et consecravit*, וימלא] Ad verb. *Et implevit*, ut v. 5. ¶ *Itaque habitavit*, ויהי] Ad verb. *Et fuit*.

13. *Quòd benefaciet*, &c. כי ייטיב וגו'] i. Nunc scio me fore beatum apud Dominum, quòd habeam Sacerdotem Levitici generis.

CLARIUS.

70 4. *Ducentos argenteos*] Hos ducentos argenteos dedit argentario pro pretio, reliquos verò nongentos argenteos exposuit pro sculptili & conflatili formando: fecit & templum pro idolis & Theraphim, &c.

5. *Im-*

5. *Impleuitque manum*] Scilicet oblationibus, quo ritu Sacerdotes initiabantur. Significat ergò *consecrare*: Incertum est autem quo tempore hoc acciderit. Sed cùm à Samson usque ad Eli Judicem transierint anni aliquot quando Israelitæ non habuerunt Judicem, idcirco creduntur hæc tunc contigisse.

DRUSIUS.

PRoditum est in Seder Olam, idolum Michæ, & quod accidit concubinæ in Gabaa, fuisse in diebus Chusan. Nam qui putant sub Principatu Josuæ hæc accidisse, falluntur: nam toto illo tempore servierunt Deo, non idolis. Sed vide K. R. Salomo rejicit hæc ad Judicatum Othonielis. Vide Notas Tremellii.

1. *Vir è monte Ephraim*] Locutio est ut, *Vir è Bethlehem*, i. Bethlehemita. Sic, *Homo ex Arimathaa*: &, *Vir ex Antverpia*, i. Antverpianus.

2. *Captum*] *Surreptum*, *furto ablatum*. *Capio* pro *rapio* notavi aliás. R. S. addit לך hîc positum esse pro ממך *à te*. Sic alibi לנו עצירה pro ממנו *à nobis*. Gen. 34. 2. *& cepit eam*. Hier. *rapuit eam*. Vide Tropos & Rom. ed. Latinam. ¶ *Maledixisti*] Dicendo, Sic vel sic ei fiat. Hier. *juraveras*. Trem. *exsecrata es*. Lxx καί με ἠράσω *& me maledictis adjurasti*. Alii καὶ ἐξώρκισας *& adjurasti*. Jon. אומית *jurasti*. Maledixisti ei qui argentum illud surripuisset. ¶ *In auribus meis*] Me audiente dixisti. ¶ *Accepi*] *Abstuli*. ¶ *Benedictus es, fili mi, Domino*] Cui maledixerat nunc benedicit, cùm sciret esse filium. Hoc modo illum quasi liberat ab exsecratione, cujus modò meminit.

3. *Domino*] Vide Addit. Pauli Burgensis ad h.l. & Liram. Sic vocat Deum suum, quem putabat esse Deum verum, qui Ebræis vocatur nomine Jod, He, Vau, He, quomodo sanè idola ex opinione idololatrarum *Dii* vocantur, cùm sint tantùm deastri & dii nihili, sive ut Græca editio habet, dæmonia. Imò, ut Apostolus ait, *idolum nihil est*. ¶ *Restituit*] Bis ei restituit. Nam primâ vice mater ei reddiderat. Aut *restituit*, dixit restituere. Sic, *dixit dare*, i. promisit se daturum. Sic R. S. quod minùs placet. Sed & Nicolaus, quem vide. ¶ *Filio meo*] i. Tibi: nomen loco pronominis. ¶ *Sculptile & fusile*] Γλυπτὸν καὶ χωνευτόν. Si sculptile erat, quomodo potuit esse fusile? aut contrà. An sensus est, *sculptile aut fusile?* aut pars erat fusa, & pars sculpta? Sed videtur fusile fuisse, non sculptile. Nam dedit illud לצורף *fusori*, aut *conflatori*. Pro *sculptile* in Jon. est צלם *statuam*, *imaginem*. Pro *fusile* Hier. *conflatile*. Lira putat fuisse duo idola, unum fusile, & alterum sculptile, & præterea Theraphim: alii dicunt fuisse unum idolum. Vide illum.

4. *Fusori*] Vel *conflatori*, qui primùm illud fudit, deinde sculpsit. Hier. *argentario*; quod Græcè est ἀργυροκόπῳ. Sed in aliis ed. τῷ χωνευτῇ *fusori*, aut *conflatori*. Jon. לקינאה *fusori* vel *argentario*. Lex. Munsteri, קינאה *aurifex*. ¶ *Micha*] *Micha*, & *Michas*, & *Michajahu*. Nam *Michaas* hîc nusquam comparet, nisi in ed. Græca. Sed מיכיה esset *Michaja*, non *Michaas*, quod Græci scribunt Μιχαίας. *Micha*, *Michas*, ut *Juda*, *Judas*. *Micha*, *Michaja*, *Michajahu*, ut *Jeremia*, *Jeremijahu*, &c.

5. *Ædem Dei*] Vel *Deorum*. Nomen enim *Elohim* communis numeri est. Sane Jon. *domum idolorum*. R.S. *domum omnium deorum qua morantur in hac sectione*. Lxx οἶκος Θεοῦ *domus Dei*. Hier. *Qui adiculam in ea Domino separavit*. Vulgò *capellam* appellant. Nicolaus annotat in tota hac historia nomen *Deus* vel *Dominus* pro falso accipi, præterquam in illo, *Omni tempore quo fuit domus Dei in Silo*: hîc enim accipi pro vero Deo. ¶ *Ephod*] Ἐφώδ. Perperam *Ephot* in libris veteribus. Hier. *fecit Ephod, h. e. vestem sacerdotalem*. Nicolaus, *Ephod idem quod Superhumerale*. ¶ *Theraphim*] Θεραφὶμ, quanquam in ed. Rom. θεραφίν. Hier. *Theraphim, h. e. idola*. Non tamen omnia idola sic vocantur. Dicam aliás. Thargum דמאין *similitudines*, *imagunculas*. Hæc idola diversa erant à *sculptili* & *fusili* de quibus suprà. Vide Liram ad h. l. nam ex Ebræis adfert quæ nusquam alibi legimus. R. D. *Dicunt Doctores nostri*, *Omne* ELOHIM *quod in Micha profanum est*, *excepto uno*, *quod sanctum est*, *videlicet*, CUNCTIS DIEBUS QUIBUS FUIT DOMUS DEI IN SILO. De Teraphim vide Kimchi Jud. 18. 5. ubi multa de his. *Teraphim loquitur vana*, i. בעלי תרפים. ibid. Formam humanam habuisse docet ex historia Michol filiæ Saulis. ¶ *Implevit manum unius è filiis suis*] *Consecravit eum ut esset sacerdos*; consecravit sacerdotium aut ministerium ejus. Lxx ἐπλήρωσε τὴν χεῖρα ἀπὸ ἑνὸς υἱῶν αὐτῶ, pro ἑνὸς τῶν υἱῶν αὐτῶ. Vide Rom. ed. Jon. *obtulit oblationem unius è filiis ejus*. R. D. *obtulit oblationes suas per manum unius è filiis suis*, *& constituit eum ut esset sacerdos*. Sic, *implevit manum Aharonis & manum filiorum ejus*. Vide Notas Lev. 16. 32. Sed & Exod. 28. 41. Hieronymus alibi vertit *initiare manus*, & Græci τελειώσεις. Abimelech *implebis manum eorum oblationibus*. R. S. *Omnis initiatio* חנוך *rei cùm homo ingreditur* לשם גדולה *propter dignitatem vocatur* מלוי יד *Impletio manûs*, רשוושטיר REVESTIR *vernaculè*: *& cùm dant præfecturam homini*, *vocant donum illud* RESUESTIR, *vel* REVESTIR. ¶ *In sacerdotem*] εἰς ἱερέα, i. *sacerdos*, aut *pro sacerdote*. Jon. לכומרא; quod propriè usurpatur de sacerdote idolorum. Hier. *factus est ei sacerdos*. De כומר vide Thesbitem Eliæ Levitæ. Vide Liram.

6. *Non erat rex*] βασιλεύς. Latè sumendum, ut etiam Judicem comprehendat. Ideo R. D. *Rex & Judex*. Sanè Rex aliquando *Judex* vocatur. Nam judicat, i. regit populum. Vide notata ad c. 18. 1. ¶ *Vir*] i. *Quisque*, ἕκαστος. Nam quod in Theodoreto, ἀνὴρ ἕκαστος, sunt duæ interpretationes: ἀνὴρ enim idem quod ἕκαστος in hoc & similibus locis. ¶ *Quod erat rectum*, &c.] Hoc dicit quia Michas fecerat idolum, nec erat qui prohiberet aut impediret. *Non* enim *erat Rex*, aut *Judex*, *in diebus illis*. *Regem* pro *Gubernatore & ordinario Judice* poni annotavit ad hunc locum Tremellius. Sic Gen. 36. 31. & Deut. 33. 5.

7. *Adolescens è Bethlehem*] i. Bethlehemita, ut sit necesse subaudire *discedens*. Sic, *Vir è Bethlehem*: & *Homo ex Arimathaa*: &, *Vir ex monte Ephraim*. נער autem malo hîc reddere *adolescens* quàm *puer*, secutus Interpretem nostrum, & Senes, qui vertunt νεανίας. Nam pueri ætas non erat apta ad sacerdotium, nisi eum accipias qui ministerio puer & servus sit. Vide Tremel. h.l. Cæterùm נער aliquis dicitur usque ad annum trigesimum & ultrà. Qua de re aliás. ¶ *Juda*] Ad differentiam ejus Bethlehem quæ in tribu Zabulon. Vocatur & *Bethlehem Ephratha*. ¶ *Levita*] Quomodo *ex familia Juda* si Levita erat? Nam *familia* hic pro tribu poni videtur. An mater erat ex tribu Juda, & pater ex tribu Levi? Itá R. S. autumat; sed K. videtur improbare, *quia nemo à matre genealogiam ducit*: sic ille. Legimus tamen in historia Templi secundi, *Hellelum*, quem Josephus *Pollionem* vocat, *fuisse Nasi*, i. *Principem*, *in Synedrio*, *& matrem habuisse ex tribu Juda*. Satis hoc erat. Verba Camii, *Si Levita erat*, *quomodo dicitur fuisse ex familia Juda? Nam qui dicit matrem ejus fuisse ex illa tribu*, *ostendat nobis ubi Scriptura referat genus ad familiam matris*. *Quod autem Scriptura dicit*, OMNES ISTI FILII MACHIR FILII GALAAD, ERANTQUE SAOUB & JAIR FILII FILIÆ MACHIR, *hoc propter urbes qua erant Jairo in terra Galaad dicit sic*. *Doctores autem p.m. exposuerunt*, *dicentes adolescentem hunc fuisse filium Gersom filii Mosis praceptoris nostri*; *& quia fecit opera Manasse*, *qui erat ex Juda*, *ideo dici eum fuisse ex familia Juda*. *Ideo pendet Nun in eo*, *cùm dicitur de eo*, ET JONATHAN FILIUS GERSOM FILII MENASSE; MOSE *leg. Suspenderunt Nun suprà inter Mem & Sin*, *significantes fuisse nepotem Mosi*, *& in honorem Mosis suspensum est in eo Nun ac si diceret*, *Fecit opera ut si esset filius Manasse*, *& non Mosi*. R. S. *erat Levita à parte matris*. Lira scribit *mulieres qua non adibant hareditatem paternam potuisse contrahere cum viris*

viris alterius tribûs, ut habetur Num. ult. & ideo matrem istius Levitæ fuisse de tribu Juda, patrem autem de tribu Levi. Dicitur etiam de Bethlehem Juda, quia tribus Levi per omnes tribus erat dispersa, ut habetur Jos. 21. ¶ *Peregrinus erat ibi*] Quidam existimant ibi servitutem servivisse. Licet vertere *commorabatur ibi ut advena.* Non igitur erat oriundus ex illa urbe, sed tantùm commorabatur ibi victûs causâ. Videndus R. D. K. Infrà v. 9. dicitur *fuisse ex Bethlehem Juda.*

10. *Sede mecum*] Lxx Κάθου μεθ' ἐμοῦ. *Mane apud me.* Hier. חיב עמי *Sede mecum*, à יתב *sedit.* Cicero, *Si venti essent, nos hîc Corcyræ non sederemus.* Vide Jud. 6. 18. Jos. 1. 14. & 2. 22. ¶ *In patrem*] i. Pater, i. præceptor; aut *patris loco. Pater* dicitur qui alium docet; *filius*, qui discit. Levitæ autem docebant alias tribus; ideo rectè *patres* vocantur. Hier. *parens.* Lxx εἰς πατέρα. Gen. 45. 8. *qui posuit me in patrem Pharaoni*, i. expositore Abenezra, *in doctorem* למורה. Sic Jes. 22. 21. de Eliacim, *Erit in patrem habitatoribus Jerusalem*, i. consiliarius, & dicitur מנהיג *& amans ut pater.* Gerundensis, *Qui docet alterum Legem, eo loco habet Scriptura ac si genuisset eum*, fol. 226. 2. & Abenmelech Num 3. Est etiam nomen honoris, unde Reges Persarum quos summo honore afficere cupiebant *patres Regis* vocabant. In addit. apocryphis, ὥστε δευτέρως ἡμῶν πατέρα, de Hamane. ¶ *In dies*] *In annum, annuatim*, sive *quotannis.* Hier. *per annos singulos.* Minùs rectè Lxx εἰς ἡμέραν. *Dies* pro *anno*, notavi olim in Observ. meis. Sanè R. D. לשנה. Thargum לזמן עדן. Sic, *diebus erit redemptio ejus*, i. anno. Nam, ut Abenezra ait, *annus est dies magnus, & dies annus parvus.* Vide R. Levi Gen. 40. 4. Dicunt etiam *de diebus in dies* pro *quotannis* Exod. 13. 10. & 1 Sam. 1. 3. *de anno in annum.* ¶ *Vestem duplicem*] Unam in æstatem, & alteram in hyemem: ità Hieronymus. Thargum verò זוג לבשין *binas vestes*, eâdem sententiâ. Ad verb. *jugum vestimentorum.* Santes *ordinem vestimentorum*, qui talis erat ut æstate unam induerent, & hyeme aliam. Vide Camium. Trem. *synthesin vestium.* Est autem *synthesis* genus vestis brevis quâ Romani peculiariter in Saturnalibus utebantur; dicta sic quòd consuta contextáque esset compositione quadam versicolori. Sumitur pro tota veste in vestiario composita. Nam *synthesis*, *compositio.* ערך *instructio. Instructus à vestibus* dicitur qui duas habet, unam in æstatem, & aliam in hyemem. Lxx ζεῦγος ἱματίων. R. S. *par mutandarum vestium, quæ sunt instructæ & ordinatæ cunctis hominibus juxta id quod convenit eis in annum.* ¶ *Ivit Levita*] *Abiit ad negotia necessaria Michæ quæ præceperat ei. Nam consenserat habitare cum eo*, R. David.

13. *Levita in sacerdotem*] Omnis Sacerdos est Levita; sed non omnis Levita Sacerdos. Nam *Sacerdos Levita* est ex stirpe & genere Aharonis. Talis hic non erat. Quomodo ergò *Sacerdos?* Ut omnia tunc erant perturbata, ità nunc Sacerdotem facit qui ex Lege non poterat esse Sacerdos. Fortè hoc modo Samuel, qui Levita erat, vocatur *Sacerdos* in historia Severi Sulpicii. R. D. *ex tribu Sacerdotum eum fuisse* ait, quæ Levitica tribus.

GROTIUS.

2. *Super quibus me audiente juraveras*] καί με ἠράσω, Græci, i. diris devoveras eum qui pecuniam illam haberet.

4. *Et Theraphim*] Μορφώματα, quæ Cherubinorum habuisse formam censet Hieronymus ad Marcellam, & 1 Sam. 22. & 2 Sam. 6. 14. quomodo accipiendum etiam videtur Oseæ 3. 4. Est enim vox media ad bonas malásque imagines pertinens. Hanc interpretationem si sequimur, hæc Teraphim dicemus infrà vocari אלהים, i. *Angelos*, quia Angelos significabant. Sculptilia autem & fictilia erant altaria, candelabrum, aliáque ejusmodi minuta, vice magnorum quæ erant in Sanctuario, sicut,

Torquatus nitidas Pario de marmore thermas
Exstruxis, cucumam fecit Otacilius.

¶ *Et factus est ei Sacerdos*] Nimirùm quia publicè Sacerdotes officio non fungebantur, per culpam, aut loca infesta latrociniis, existimavit Michas vel privatâ religione Deum sibi colendum; ideóque cùm primùm filium suum voluisset sibi esse sacerdotem, mox repertum Levitam ei prætulit, ut quàm proximè ad Legis constituta accederet. Colebat enim verum Deum יהוה, hîc, 3, & 13. &c. 18. 5. Et Deus consulenti vera respondet, infrà c. 18.

6. *In diebus illis non erat rex in Israel*] Post Samsonis mortem. Vox *regis* hîc latiùs sumpta, ut & *Judicem* sive *Dictatorem* comprehendat, ut Deut. 33. 5. & infrà fine hujus libri.

7. *De Bethlehem Juda, ex cognatione ejus, erátque ipse Levita*] Heb. *de familia Juda:* quod referri potest ad denotationem *Bethlehem*, nam erat & aliud oppidum eo nomine.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

1. *NAM non cecidit*] Non est intelligendum quòd nulla omnino illis obvenerit sors, sed quòd ea quam possidebant angustior esset quàm ut omnibus sufficeret.

2. *De extremitate sua*] Eadem phrasis habetur Gen. 47. 2. Non potest hîc accipi *extremitas* pro abjectioribus & infimæ sortis hominibus, sed capitur contrario modo pro extremitate eorum qui sublimem tenent gradum, id quod ex mox subjunctis verbis adverti potest, quando tertus dicit illos fuisse *filios belli*, seu fortitudinis, ut Hebraismus habet. Nec est hîc Mem litera præpositio, cùm non sequatur Dages, sed constituit denominativum. Abutuntur autem Hebræi hâc dictione pro *quidam* & *quædam*, cùm extremitas sit pars in integro & toto aliquo. Ex nostris quidam exponunt pro *finibus.*

5. *Consule nunc Deum*] Viderant Danitæ Ephod illud factum secundùm formam Ephod legalis, ideo putabant sibi hinc dandum oraculum, præsertim cùm Teraphim adessent, ex quorum inspectione quæ futura erant nonnunquam dæmonis revelatione cognoscebantur; etiam si illi secùs crederent, nempe quòd vel per astrorum influentiam vel per Divinam revelationem futuri eventus ex Theraphim inspectione innotescerent. De Theraphim diximus Gen. 31.

6. *Dominus dirigit iter*] Vel, juxta Hebraismum, *Coram Domino est iter vestrum.* Jonathan tamen vertit אתקין quem nos secuti sumus.

7. *Lais*] Hæc urbs in libro Jehosua vocatur לשם *Lesem.* ¶ *Juxta morem Zidoniorum*] Indicatur illis nullum fuisse timorem, sicut nec Zidoniis. ¶ *Veluti in regni possessionem accipere*] Capitur hîc עצר pro מלוכה, ut sit sensus, Nemo erat qui Regem ageret in hac urbe: nec negotium aliquod, i. fœdus, habuit urbs ista cum vicinis hominibus; nisi fortè cum Zidoniis: sed illi longiùs aberant quàm ut illis opem ferre possent in tam repentino hostium incursu. Et hæc omnia diligenter didicerunt exploratores, qui quasi mercatores ingressi fuerunt urbem Lais.

9. *Et vos quiescitis*] Capitur hîc מחשים pro שותקין, cùm sit à radice חשה, & non ab חוש, sicut quidam *festinare* verterunt.

20. *Reliquam substantiam*] Capitur hîc כבודה pro כלים והמטלטלים *supellectili & utensilibus quibuslibet.* Jonathan tamen vertit קנינא *possessionem.*

22. *Convocati*] Capitur non raro in Hebraismo זעק pro אסף. Unde, quod sequitur, נזעקת idem est quod נאספת *congregatus es:* ut sit sensus, Quare talem hominum congregationem tibi adhibuisti, & clamas post nos? Vocat autem Hebraismus *collectionem* זעקה, quòd per clamorem convocatio & collectio fiat populi.

25. *Perdas animam tuam*] Capitur hîc אסף pro סוף *finem*

finem facere. Nam sæpe idem verbum invenitur in diversis ordinibus.

27. *Civitatem combusserunt igni*] Sed quare combusserunt igni quam tamen inhabitare decreverant? Ut cæteris vicinis habitatoribus terrorem incuterent, ut si regni metropolim tam facilè obtinuissent de viculis quoque ejus actum esse scirent. Potest etiam esse ut sexcenti viri ingressi civitatem mox illam incenderint, quò civibus minùs liceret ad arma convolare.

30. *Transmigrationis*] Hebræi intelligunt hoc de transmigratione Arcæ: tunc enim multi Israelitæ fuerunt transmigrati. Non enim est verisimile ut hoc sculptile duraverit usque ad tempora David & Salomonis, qui citra omnem controversiam illud in Regno suo non tolerassent.

VATABLUS.

1. NON *erat Rex*, אין מלך] i. Tempore illo erat velut interregnum in Israele: nullus erat Judex aut Magistratus legitimus in Israele. ¶ *Hæreditatem ad habitandum:* נחלה לשבת] *Possessionem* [i. sedes] ubi habitaret. ¶ *Non enim ceciderat*, &c. כי לא נפלה וגו׳] i. Nondum sorte assignata fuerat illi inter cæteras tribus tota hæreditas sortis suæ in hæreditate sibi distributa. Nam, ut vides Jos. 19. fines Danitarum breviores erant quàm ut capere eam tribum possent.

2. *Fortes*, בני חיל] Ad verb. *filios virtutis*, i. bellicosos & strenuos. ¶ *Et diligenter inspicerent eam:* ולחקרה] *Et scrutarentur eam*, vel, *considerarent.*

4. *Talia, & talia*, כזה וכזה] *Sic & sic.* ¶ *Ut essem*, ואהי] Ad verb. *& fui.*

5. *Deum*, באלהים] Vel, *Deos:* sive simulacra tua. Hæc idola existimabant facta esse in honorem Dei. ¶ *An secundet viam nostram*, התצליח דרכנו] *An prosperabitur via nostra*, i. an futura sit prospera, felix & fausta peregrinatio nostra quam suscepimus.

6. *Coram Jehova est via*, &c. נכח יהוה דרככם] Hebraismus, Deus aspicit, h.e. favet peregrinationi vestræ. ¶ *Ambulatis*, תלכו] Fut. Heb. pro Præs.

7. *In ea*, בקרבה] Ad verb. *in medio ejus.* ¶ *Confidenter*, לבטח] *In confidentia*, i. sine timore ullo. ¶ *Quiescentem*, שוקט] Pro *otioso* positum. ¶ *Et confidentem*, ובוטח] *Et securum, nihil timentem.* ¶ *Et* quòd *non esset qui pudore suffunderet*, &c. ואין מכלים דבר בארץ יורש עצר] Hebraismus, Nullos habebant hostes, aut nulla erat discordia, neque etiam erat qui occuparet regnum, aut qui regni esset hæres. Subauditur negatio præcedens.

8. *Quid vos?* מה אתם] Sub. *dicitis?* q. d. Quid novi? quid boni affertis?

9. *Surgite*, קומה] Verbum positum vice adverbii hortantis, *agite.* Aut est sing. pro plur. aut est infinitivus pro futuro. ¶ *Et ascendamus*, ונעלה] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Vidimus*, ראינו] i. Consideravimus. ¶ *Siletis?* מחשים] i. Cessatis? h.e. segnes & tardi estis ad expugnandam eam? ¶ *Ne sitis pigri*, אל תעצלו] i. Nolite cunctari ut eatis & intretis ac possideatis eam regionem.

10. *Lata locis est*, רחבת ידים] i. Latissima est & amplissima.

12. *Mahaneh Dan*, מחנה דן] i. *Castra Dan.*

14. *Scitote quid faciatis:* דעו מה תעשו] *Videte* [aut *decernite*] *quid facturi sitis.*

15. *Et salutaverunt eum pacificè:* וישאלו לו לשלום] i. Precati sunt illi salutem.

16. *Armis bellicis suis*, כלי מלחמתם] Ad verb. *vasis belli suis.*

18. *Facitis?* עושים] *Facere vultis?*

20. *Et lætatum est cor*, וייטב לב] q. d. Quo audito, cœpit esse animo hilari.

22. *Viri qui erant*, &c. והאנשים אשר וגו׳] Periphrasis vicinorum. q. d. Vicini Michæ congregati sunt. ¶ *Persecutique sunt*, וידביקו] *Assecutique sunt*, persequendo scilicet.

23. *Quid tibi, quòd*, &c. מה לך כי נזעקת] i. Quid habes quòd congregasti tot homines tecum?

24. *Tulistis*, &c. לקחתם ואת הכוהן ותלכו] *Abducitis, unà cum sacerdote, & abitis.* ¶ *Et quid mihi ultrà?* ומה לי עוד] i. Quid mihi putatis esse reliquum? q.d. Abstulistis quæ erant mihi charissima. ¶ *Et cur hoc*, &c. ומה זה וגו׳] q. d. Habeo justam expostulandi occasionem.

25. *Ne audire facias*, &c. אל תשמע קולך עמנו] *Ne attollas vocem tuam nobiscum*, i. nobis audientibus. q. d. Tace si sapis. ¶ *Amari animo*, מרי נפש] i. Animo concitati, h. e. iracundi, biliosi, prompti ad iram, & qui facilè irascuntur. Gallicè, *gens de cholere.* ¶ *Et perdas*, ואספתה] Ad verb. *colligas*, vel, *recolligas.* q.d. Nè sis author ut Deus revocet ac recipiat ad se animam tuam & domesticorum tuorum, h. e. Nè sis causa quòd pereas cum tota familia tua.

26. *Et pergebant*, וילכו] *Et perrexerunt*, i. Et sic cœpto itinere perrexerunt, vel pergebant.

27. *Et confidentem*, ובוטח] *Et securum*, i. nihil tale timentem.

28. *Et non* fuit *liberator*, ואין מציל] *Ac nullus fuit qui eriperet.* ¶ *Longinqua erat*, רחוקה] *Remota erat.* ¶ *Quæ erat ipsi Beth-rehob:* אשר לבית רחוב] *Quæ* erat in regione *Beth-rehob.*

30. *Filii Menasseh*, בן מנשה] Imitatione quidem Gersom fuit filius Menasse, non naturâ: nam etiam cultor idolorum fuit ut Menasse. Iste autem Gersom fuit filius Mosis; cujus Mosis honori ut consuleretur, Hebræi dicunt dictioni משה superpositum fuisse נ, sic, מנשה ut Gersom iste diceretur filius Manasse potiùs (imitatione quidem, ut dictum est) quàm filius Mosis, atque ità מנשה legeretur, non משה. *Captivitatis terræ:* גלות הארץ] i. Quo abducta fuit captiva terra: h.e. quo abducti fuerunt captivi qui habitabant in Terra sancta, hoc intelligitur de captivitate quando Arca fuit capta tempore Eli, quo tempore multi ex filiis Israel abducti fuerunt captivi: quod ex v. 31. cognoscitur. Hoc idolum Samuel dejecit.

31. *Erexerunt*, inquam, וישימו] Ad verb. *Et posuerunt.* ¶ *Cunctis diebus*, &c. כל ימי היות וגו׳] i. Quamdiu Arca Dei mansit in Silo.

CASTALIO.

2. *Suorum militum abjectissimos*] בני חיל non *fortes* semper, sed *milites* dicuntur, ut patet ex multis locis in Numeris, & 2 Reg. 17. Abjectissimi autem mittebantur, ut faciliùs fallerent.

7. *Quòd procul à Sidoniis aberant*] Hinc apparet eos aut clientes aut certè socios Sidoniorum fuisse, à quibus defendi propter distantiam locorum non potuerint.

30. *Mosis nepos*] In Hebræo est *Manassis*, sed in Latino *Mosis*, quod puto rectiùs.

31. *Ejusque filii*, &c.] Hinc apparet librum hunc scriptum esse post Captivitatem.

CLARIUS.

1. *Sortem non acceperat*] Non est intelligendum quòd nulla omnino illis obvenerit sors, sed quòd ea quam possidebant angustior esset quàm ut omnibus sufficeret.

5. *Ut consuleret Dominum*] Viderant Danitæ Ephod illud factum secundùm formam Ephod legalis, ideo putabant sibi hinc dandum oraculum, præsertim cùm Theraphim adessent, ex quorum inspectione quæ futura erant nonnunquam dæmonis revelatione cognoscebantur; etiam si illi secùs crederent, nempe quòd vel per astrorum influentiam vel per Divinam revelationem futuri eventus ex Theraphim inspectione innotescerent. De Theraphim dictum est Gen. 31.

7. *Juxta consuetudinem Sidoniorum*] Indicatur illis nullum fuisse timorem, sicut nec Sidoniis. ¶ *Aut veluti in regni possessionem accipere*] Nemo, inquit, erat qui Regem ageret in hac urbe, nec negotium aliquod, i. fedus, habuit

habuit urbs ista cum vicinis hominibus, nisi fortè cum Sidoniis: sed illi longiùs aberant quàm ut eis opem ferre possent in tam repentino hostium incursu. Et hæc omnia diligenter didicerunt exploratores, qui quasi mercatores ingressi fuerunt urbem Lais.

27. *Incendio tradiderunt*] Sed quare combusserunt urbem igni quam tamen inhabitare decreverant? Ut cæteris vicinis habitatoribus terrorem incuterent, ut cùm regni metropolim tam facilè obtinuissent de viculis quoque ejus actum esse scirent. Potest etiam esse ut sexcenti viri ingressi civitatem mox illam incenderint, quò civibus minùs liceret ad arma convolare.

30. *Usque ad diem captivitatis*] Alius vertit *transmigrationis*. Et Hebræi intelligunt hoc de transmigratione Arcæ, tunc enim multi Israelitæ fuerunt transmigrati. Non enim est verisimile ut hoc sculptile duraverit usque ad tempora David & Salomonis, qui citra omnem controversiam illud in Regno suo non tolerassent.

DRUSIUS.

1. IN *diebus illis non erat rex in Israel*] Repetit quod suprà dixerat in historia Michæ 17. 6. Per *Regem* autem & Judicem intelligit. Nam Judices regebant populum, & Reges judicabant eundem. Hinc liquet eos errare qui putant hæc accidisse sub Othonielis Judicatu. Nam tum Rex erat, nec licebat cuique quod vellet, Judice malum vetante ac impediente. R. D. opinatur hæc evenisse inter Judicatum Samsonis & Eli. Vide illum, si placet, h. l. ubi & de 300 *annis*, Jud. 11. 26. ¶ *Tribus Dan*] Ebr. *Dani*, i. Danitarum sive Danitica. Jon. *tribus domûs Dan*; quod idem cum illo, *filiorum Dan*. Sic *domus Israel* & *filii Israel* synonyma sunt. LXX ἡ φυλὴ Δάν. ¶ *Non ceciderat ei*] Hieron. *sortem non acceperat*, vult dicere, quæ ei obtigerat in divisione Terræ, LXX οὐκ ἐνέπεσεν αὐτῇ. Jon. *non divisa fuit eis*. *Cadere* verbum proprium in hac re. *Non ceciderat ei*, sub. *sors*, aut *funiculus*. Sic David ait, *Funes ceciderunt mihi in amœnis*. Psal. 78. 55. *cadere fecit eos in funiculo hæreditatis*. Num. 34. 2. *quod cecidit vobis in hæreditatem*, Jos. 13. 6. *cadere fac Israeli in hæreditatem*. 1 Par. 24. 31. & 25. 8. & 26. 14. *cecidit sors Orientem versùs*, & *projecerunt sortes*. Sic Esth. 3. 7. *cadere fecit Phur*, i. גורל sortem, 9. 24. Psal. 22. 18. *super indumentum meum jecerunt sortem*, Psal. 78. 55. *cadere fecit eos in funiculo hæreditatis*. Prov. 1: 14. *sortem tuam jacies inter nos*; Ad verb. *cadere facies*. Jes. 34. 17. *ipse cadere fecit eis sortem*. Ezech. 47. 22. *Cadent in hæreditatem in medio filiorum Israel*, Ezec. 48. 29. *cadere facietis eam in hæreditatem*. ¶ *In possessionem*] Vel *hæreditatem*. Santes *hæredit as*. LXX κληρονομία. Sed Jon. באחסנא, & ità vertendum esse docent loca quæ superiùs adduximus. R. D. *Non cecidit ei tota hæreditas sortis ejus; quemadmodum ait in libro Josua*, ET EXIIT SORS FILIORUM DAN EX EIS. *Sensus, Minus quàm conveniebat eis, & expositio, In possessionem, in hæreditate quæ diversa fuit eis in medio tribuum Israel, non cecidit ei quod dignum erat*, ideo *coacta fuit quærere possessionem* seu *hæreditatem*.

2. *De familia sua*] *De tribu sua*. Sic, *è familia Juda*, i. tribu. Vide Tropos. ¶ *Investigate terram*] Minùs rectè Santes *Considerate*. Nec meliùs Arias *Explorate*, רגלו. LXX. τοῦ κατασκέψασθαι τὴν γῆν. Verbum חקר sign. ἐξιχνιάζειν, & aliquando redditur verbo ἐκζητεῖν *exquirendi*. Hieronymus primo loco habet *diligenter inspicite*, & secundo *considerate*. Jon. בדוקו. ¶ *Usque ad domum Micha*] Non in domo, sed prope illam, aut in vicinia ejus; fortè in pago ubi erat domus Michæ. R. D סמיך לביתו. Trem. *pernoctarunt ibi; in loco ubi Micha domum habebat*. Hieron. *intrassent in domum Micha*, LXX ἕως οἴκου. Sed mox ἐκεῖ ἐν οἴκῳ.

3. *Apud domum Micha*] Ad verb. *cum domo Micha*. LXX. ἐν οἴκῳ Μιχαία. ¶ *Agnoverunt vocem Levita*] i. Sermonem aut loquelam, i. λαλιάν ut in Euangelio, *Loquela tua te manifestum facit*. Nam in terra Israel non omnes eâdem dialecto utebantur: Nam & Galilæi peculiarem habebant, & Jerosolymitani etiam. Sanè *Lazarus* hâc linguâ, qui in alia *Eleazarus*; & *Haceldema*, qui fortasse *Hacaldema*, i. *Ager sanguinis*. Ex sermone igitur cognoverunt eum esse Bethlehemitam sive adolescentem è Beth-lehem. Vide Liram. ¶ *Diverterunt eò*] Hieron. *utentes illius diversorio*, quod verum non videtur; Vide præcedentia. LXX ἐξέκλιναν ἐκεῖ *deflexerunt eò*. ¶ *Quid tibi hîc*] *Rei*, aut *negotii*?

5. *Interroga nunc in Deo*] Vel *Consule Deum*. LXX Ἐπερώτησον δὴ ἐν τῷ Θεῷ. Jon. *in sermone Domini*. Hieron. *rogarunt eum ut consuleret Dominum*. Videntur in ea hæresi fuisse ut putarint Deum responsa dare per Theraphim. Si ea fuit mens ipsorum, tum nomen *Elohim* non est hoc loco נמחל aut חול, i, *profanum*, sed קדש. Sed fortè leg. *Consule Deos*, ut nomen illud sit profanum; quomodò sanè acceperunt vetustissimi Ebræi, qui scribunt *nomen hoc in historia Micha semper profanum esse præterquam in uno loco, ubi sacrum est, videlicet*, OMNIBUS DIEBUS QUIBUS ERAT DOMUS DEI IN SILOH. R. D. ait dubium esse; eò tamen inclinat ut existimet esse nomen minimè נמחל. Miratur autem v. 20. *quoniam dedit eam Deus in manum vestram*, quomodo ibi dicant esse nomen profanum. *Etiam R. Eliezer*, inquit, *qui dixit, In Micha sunt ex illis sanctum, & sunt ex eis profanum. Quæ scribuntur per Aleph Lamed sunt profana, quæ verò per Jod He scribuntur, sancta; hoc uno excepto quod scribitur per Aleph Lamed*, &c. *Ecce non consentit cum eo Jonathan Uzielis F. Quòd si hoc* באלהים *est profanum*, ROGARUNT UT CONSULERET THERAPHIM. *Nam Levita dixerat eis quòd in veritate judicarent futurum, ità decepti fuerunt verbis ejus*. Hæc ille; qui etiam varias adfert sententias de voce *Theraphim*, quas ait habuisse figuram humanam.

6. *Coram Domino via vestra*] Abutitur nomine tetragrammato, cùm ex parte idololatra esset, q. d. *Dominus antecedit vos, vobisque auxilio erit*. Hieron. *Dominus respicit viam vestram*, LXX ἐνώπιον Κυρίου ἡ ὁδὸς ὑμῶν. Hîc est נכח in fonte; alibi נגד. Reperitur etiam, *Coram Domino sunt viæ viri*. Deus proposuit iter vestrum secundare. Dixit hoc ex capite suo, an ex responso Theraphim? Deus enim interdum permittit ut dæmones verum prædicant. Videndus Lira.

7. *Laisam*] Εἰς Λαισά. Cave cum *Lachis* confundas; & vide Liram. Hæc postea *Dan* appellata fuit. Vocatur etiam *Lesem* Jos. 19. Lachis antè capta fuit ab ipso Josua, ut habetur Jos. 10. ¶ *Populum qui in medio ejus habitabat*] Hîc עם femininè construitur: nam in fonte יושבת. Sic alibi מדוע שובבה העם הזה. Vide K. LXX καθήμενον *sedentem*. Sic alibi, *Populus qui habitat in tenebris*, ὁ καθήμενος. *Sedere* pro *habitare* non puto Latinum esse. ¶ *Securè*] Trem. *in tuto*. Malim *securè*. Nam etiam scelera tuta sunt: quis ea secura esse dicat? Hieron. *absque ullo timore*. LXX ἐπ' ἐλπίδι *in spe*. Santes *confidenter*. Arias *ad fiduciam*. Jon. לרוחצן. ¶ *Juxta consuetudinem Sidoniorum*] Ad verb. *juxta judicium*, &c. *Judicium* pro consuetudine poni notavi in Observ. meis. LXX ὡς κρίσις Σιδωνίων *ut judicium*, vel *mos*, *est Sidoniorum*. Jon. כהילכת צידנאי. Trem. *iisdem institutis & legibus utentem*, & vertit *secundùm rationem*. ¶ *Quietum & securum*] *Quiescentem & securè agentem*. Hieronymus invertit, referens *securum & quietum*. Senes hoc referunt ad משפט κρίσις, ἡσυχάζουσα. In aliis est, ἡσυχάζοντα vel ἡσυχάζοντας. Sed vide Rom. ed. quæ ad Urbem aut ad Terram prius refert. Cæterùm *juxta judicium Sidoniorum*, quod quidam ad Instituta & Leges referunt, Ebræi sic enarrant, dicentes, *eos habitasse securè, nemine ipsis negotium facessente ex filiis Israel quoniam non pertinebant ad Terram promissam: erant enim siti extra terminum ejus*. R. D. *Sidonii vicini erant terræ Israel, & quieti erant, quia non volebant pugnare cum eis. Non enim erant ex terra Chanaan, sicuti scriptum est*. ET

ERIT

ERIT TERMINUS CANAAN A SIDONE, &c. *Et dicit de Zabulon*, LATUS EIUS USQUE SIDON, *ubi* עַל *pro* עַד, *sed Sidon non erat ex terra Chanaan: ideo quiescebant, nec erat eis metus ab Israele.* ¶ *Non est pudefaciens quicquam*] *Verbum*, i. rem. Nemo eos lædit aut ignominiâ afficit. *Ignominiosè lædens.* Sic αἰσχύνειν sign. *pudendum in modum tractare, fœdare*, Fullerus Miscell. l. 3. c. 12. *deformare, deturpare, exterminare.* Hieron. *nullo ei penitus resistente.* Trem. *nec esse quicquam quod pudorem afferret in ea terra.* אין דבר מכלים verbis transpositis. Lxx οὐκ ἔστιν διατρέπων ἢ καταισχύνων λόγον ἐν τῇ γῇ *non est deterrens aut confundens sermonem in terra.* Jon. *non est qui lædat verbum in terra*, i. rem ullam. R. D. *Non habent vicinos qui lædant eos aut afficiant ignominiâ in ulla re*, & sic לא הכלמנון *Non læsimus eos.* Sic Jonathan interpretatur. ¶ *Nec est hæres regni*] Repeto אין ex præcedentibus. עצר *regnum à retinendo:* nam retinet populum in officio. Sanè quando Rex erat in Israel non tanta erat licentia, nec ità vigebat idololatria. R. D. *Non erat in eis Rex, neque hæres regni.* Jon. *hæredes parvi erant*; qui videlicet hæredes erant Regni, nec multum robur erat in regno. Lxx κληρονόμος ἐκπιέζων θησαυρούς *possessor exprimens thesauros.* Hieron. *magnarum opum.* עצר *regnum:* ut ibi, יעצר בעמי *retinebit populum meum*, i. reget. Locus est 1 Sam. 9. 17. זה יעצר בעמי *hic dominabitur in populum meum*, ità Santes, sed Arias *cohibebit populum meum.* Sic 2 Par. 14. 11. אל יעצור עמך אנוש *non dominetur tecum homo.* Santes *non prævaleat.* Vide Concordantias Ebraicas. ¶ *Remoti sunt à Sidoniis*] Ac proinde non poterunt eis auxilium ferre. ¶ *Verbum non erat eis*] i. res, negotium, commercium. Nihil illis rei erat cum quoquam; nullum fedus habebant cum ullo hominum: ac proinde minus metuendi. Nam nulli sunt federati qui eis succurrent in necessitate. Vide K. Trem. *singulare fedus.*

8. *Quid vos*] Sub. *dicitis?* R. D. *Quid læti nuncii habetis in ore vestro?* Ebraismus est, pro, *Quid novi adfertis?*

9. *Surge & ascendamus*] Hortantis est. *Surge* pro *age* vel *agedum*, vel certè *agite.* Sic alibi, *surge, transi, surge, ambula in terra.* Hieron. *Surgite & ascendamus.* Sic etiam Santes קומו. Trem. *Surgite ut ascendamus.* לשון יורה ait R. D. In ed. altera Veneta notatum in margine קומו, in altera nota est Massoritica, sed nihil præterea, unde suspicor in lectione fuisse קומו. Lxx ἀνάστητε, καὶ ἀναβῶμεν. Omnes referunt קומו. An ità etiam legerunt? ¶ *Et vos tacetis?*] Pronunciatione juvandum, q. d. *Non deberetis tacere*, i. quiescere. Sic Jes. 62. 1. *Propter Sionem non tacebo*, i. non quiescam, sive, ut Jon. interpretatur, לא אניח *non desinam, non cessabo, non remittam* à pœna populorum. Exod. 14. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Thren. 2. 18. ne taceat pupilla oculi tui, i. quiescat. Hieron. *nolite negligere.* San. *& vos tacentes estis?* Lxx καὶ ὑμεῖς ἡσυχάζετε, *& vos quiescitis.* Jon. *& vos tacetis*, vel *siletis*, שתקין. R. D. *Vos vos siletis, nè proruptè aggrediamini negotium, & nè taceatis.*

10. *Lata manibus*] i. spatiosa. Nam *manus*, i. spatia. Sic apud Hymnographum mare dicitur *latum manibus*, i. spatiosum, Psal. 104. 25. Hieron. *in regionem latissimam.* Lxx καὶ ἡ γῆ πλατεῖα *lata*, Jes. 33. 21. *rivi lati manibus*, i. spatiosi. Usurpatur etiam de Persona, sed extra textum; ut in libro Electarum gemmarum fol. 10. p. 2. ubi רחב ידים vocatur qui largus & liberalis est. Verba sunt, *Odit opes qui est latus manibus, & non laborat ut ditescat.* In Sacris talis dicitur *apertâ manu dare. Aperis manum tuam*, apud Davidem. *Aperit manum* liberalis, *claudit* avarus. De Terra etiam dici invenitur Gen. 34. 21. quæ simpliciter *terra lata* vocatur Exod. 3. 8. *Terra lata manibus*, 1 Par. 4. 40. de Urbe, Neh. 7. 4. *Terra lata & pinguis*, 9. 35. *Latus corde*, Ps. 101. 5. Prov. 21. 4. ¶ *Dedit eam Deus*] *Elohim.* Hic alter locus est excipiendus ab illa regula veterum Ebræorum, *Nomen* ELOHIM *in hac historia semper profanum esse.* Unum excipiunt locum, cui & hunc addes, me autore. Nam ut hic sit nomen profanum nullus mihi persuadere possum. ¶ *Ullius rei quæ in terra*] Quæ in terra hac; vel in qualibet terra. Vide K.

12. *In Cariathiarim in Juda*] Hic perspicuè *in* ponitur pro *apud* vel *juxta.* Non enim in ipsa urbe castra habebant, sed ad eam, in parte Occidentali; quod sign. cùm ait *post Cariathiarim.* Sic *in Gabaon* Jos. 10. 10. & alibi ביריחו *ad Jericho.* Unde lucem accipit locus qui habetur Hebr. 9. 4. ἐν ᾗ *juxta quam.* Nam urna mannæ & virga Aharonis non erant in ipsa Arca, sed juxta eam. Res est, non conjectura. Lxx ἐν Καριαθιαρὶμ ἐν Ἰούδᾳ. Hieron. *in Cariathiarim Judæ.* Jon. *in Cariathiarim in terra domûs Judæ.* Nicolaus, *Non in civitate manserunt, sed extrà, ut patet ex hoc quod subditur.* ¶ *Post Cariathiarim*] Ὀπίσω Καριαθιαρίμ. Hieron. *post tergum Cariathiarim.* Tremellius explicat, *ab Occidente ejus.* Nam אחור *Occidens*, ut קדם *Oriens.* Siquidem qui Orientem respicit Occidentem habet à tergo, unde *mare posterius*, i. Occidentale, Deut. 11. 24. ים אחרון etiam in Joele reperitur.

14. *In domibus his*] In domo Michæ & in domo Levitæ. Nam videtur is domum separatam habuisse ex v. 15. qui proximè sequitur. Senes tamen addunt εἰς τὸν οἶκον Μιχαία. Non Senes hoc addunt de suo, sed habetur in Ebræo. Domus ergò Michæ & domus Levitæ eadem erat. Cur ergò dicit *in domibus istis?* An est plur. pro singulari? Fortè ampla domus erat quæ ex pluribus constabat, & in una earum habitabat Levites. Valde placet. Vide infrà v. 22.

15. *Interrogarunt eum de pace*] Amicè salutaverunt eum. Hieron. *salutaverunt eum verbis pacificis.* Lxx ἠρώτησαν αὐτὸν εἰς εἰρήνην *interrogarunt eum in pacem*: nam est לשלום in fonte, i. *quomodo valeret*, Gen. 43. 25. *interrogavit eos de pace*, Lxx Πῶς ἔχετε; Gen. 29. 6 *An ax ei est?* i. Valétne? Ὑγιαίνει; Exod. 18. 7. *interrogaverunt se mutuò de pace*, i. salutaverunt se invicem. Solemus inter salutandum dicere, *Quomodo vales?* Id est, *de pace interrogare.* Quid autem pax sign. Ebræis docet Commentarius in Aboth fol. 14. c. 1. *Qui peregre venit, interrogant eum de pace, i. salutant. Similiter manè ac vesperi pacem optamus obviis.* Dicunt etiam *pacem dare* eodem sensu, ut in lib. Musar 135. 2. Vide in Saluto. Hieronymus ad locum PAX HUIC DOMUI, *Occultè salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit. Quod enim Græcè dicitur* Χαῖρε, *& Latinè*, AVE, *hoc Ebraico Syróque sermone* SLOMLACH *dicitur*, i, *Pax tibi*, ex Zacharia in Unum de quatuor. De salutandi formulis vide Tropos, & Comment. super Aboth, 49. 2.

18. *Sculptile, Ephod*] Vel *sculptile & Ephod*, ut sit ἀσύνδετον, vel *sculptile* τὸ ἐφώδ, *quod Ephod habet.* Nam est *sculptile sive Ephod.* Suprà, *sculptile & Ephod.* In Ebræo פסל האפוד. Sic etiam Jon. Santes *sculptile, superhumerale.* Sic etiam Tremellius. Vulg. *sculptile, Ephod.*

19. *Mutesce*] *Tace ut mutus.* Κώφευσον. ¶ *Pone manum tuam super os tuum*] *Manum ad os*, dici solet quoties alicui silentium indicimus. Hieron. *Pone digitum super os tuum.* Tale est,

—*Digito compesce labellum.*

Lxx Ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπὶ τὸ σῶμα σου. ¶ *Tribûs & familiæ in Israel*] In tribu plures familiæ. Interdum *familia* ponitur pro *tribu*, ut diximus. R. Jesaias annotat in tribu Dan unam tantùm familiam fuisse; quia dicitur, *Et filii Dan, Husim.* Lxx φυλῆς καὶ οἴκου ἐν Ἰσραήλ *tribûs & domûs in populo Israel.* Jon. לזרעי *familiæ.*

20. *Bonum fuit cor*] וייטב *lætatum fuit cor. Cor bonum*, i. lætum, Notavi antea. Hieron. *acquievit sermonibus eorum.* Lxx ἠγαθύνθη ἡ καρδία τοῦ ἱερέως. Jon. *pulchrum fuit cor sacerdotis.* Latinè, *placuit animo ejus.* Sic *pulchrum est mihi*, i. placet, ut in illo, *Suum cuique pulchrum.* Horatius,

—*Fidis enim manare poetica mella*

Te solum, tibi pulcher; — i. placens.

21. *Omne quod erat pretiosum*] Vel *grave*, h. e. impedimenta

pedimenta omnia sarcinasque. Græcè ἀποσκευὴ sunt *instrumenta*, vel *sarcina*, vel *alia res qua ad usum exercitûs circumferuntur*. R. D. *vasa & mobilia*. Jon. קנינא, quomodo & רכוש interpretatur, quod complectitur *possessionem hominum, vasorum, argenti & auri, & reliquorum mobilium*. LXX τὸ βάρος *quod magni ponderis ac pretii*. Alii τὴν κτῆσιν αὐτῶν τὴν ἔνδοξον *possessionem eorum honoratam*. R. Jesaias, *omne onus grave quod habebant, secúmque domo abstulerant*. Nam è domo Michæ nihil sumpserant quàm Ephod, sculptile, conflatile, & Theraphim. Vernaculè *desantuma*, inquit R. S.

22. *Qui in domibus illis quæ cum domo Michæ*] Sensus, Quæ junctæ erant domui Michæ: de quibus suprà v. 14. *quia sunt in domibus istis*. Sanè locus ille ex isto lucem mutuatur. Malè noster, *Viri qui habitabant in adibus Michæ*. LXX οἱ ἐν ταῖς οἰκίαις ταῖς μετὰ οἴκου Μιχαία. ¶ *Congregati sunt*] נזעקו. Sic mox כי נזעקת *quia congregatus es*: nam per clamorem populus congregatur. Quidam *convocati sunt*, quod non improbo. Hieron. *conclamantes secuti sunt*, &, *cur clamas*? LXX ἐβόησε, &, ὅτι ἐβόησας *quia clamasti*. Jonathan utrobique usus est verbo כנש, quem R. D. secutus est. Vide sis Tremellium: *quòd convocatis comitatus es*. Emenda, *convocatos*. Nam dicimus *comitari aliquem*, non *alicui*. *Comitatus* tam eum sign. qui alterum honoris & officii causâ deducit quàm eum qui deducitur. ¶ *Adhæserunt*] Et persecuti & insecuti & assecuti sunt filios Dan, adhærentes eis. LXX κατελάβοντο τοὺς υἱοὺς Δάν.

25. *Ne incurrant in vos*] Gladio videlicet. Videatur R. D. ¶ *Viri amari animâ*] Vel, *amarulenti animo*. R. D. *viri iracundi qui sunt in societate nostra*. Hieron. *viri animo concitati*. LXX ἄνδρες πικροὶ ψυχῇ. Thargum מרירן נפשן. *Anima amara* non tam tristis quàm iracunda vel aspera. Sanè R. David *viros animâ amarâ* interpretatur אנשים כעסנים *viros iracundos*. *Anima amara* memoratur Job 21. 25. & *amaritudo animæ* Job 7. 11. & 10. 1. *Amaram fecerunt vitam eorum*, Exod. 1. 14. Plautus, *Amariorem me senectus facit*, i. asperiorem. & *vita amara*, injocunda. Sic in historia Ruth נעמי & מרה opponuntur. *Amarius morte* Coh. 7. 26. *Amarius absinthio*; Vide Proverbia mea. *Melior est mors quàm vita amara*, i. acerba, Sirach. 30. 18. ¶ *Colligas animam tuam & animam domûs tuæ*] i. Perdas; vel, occasionem des ut moriantur omnes si vocem tuam audiri feceris. Capiendum ex illo, *Ecce ego colligo te ad patres tuos*. Simile, *Colligis spiritum eorum*, &, *Collectus fuit Aharon*, &c. Psal. 26. 9. *Ne colligas cum peccatoribus animam meam*. Hos. 4. 3. *pisces maris colligentur*. אסיפה de morte dicitur, quia morientes colliguntur ad patres suos mortuos. Gerundensis Gen. 30. 23. ¶ *Domûs tuæ*] i. Domesticorum tuorum, *familia tuæ*. *Domus* pro *familia* usitatius est quàm ut probari debeat. LXX προσθήσουσι *apponent*, alibi, προσθήσεις *appones animam tuam*. Hieron. *& ipse cum omni domo tua pereas*. Jon. *& animam virorum domûs tua*, ad verb. אנש ביתך *viri domûs tuæ*.

27. *Laisam*] על ליש, i. אל *ad*. Sic על עם *ad populum securum & quietum*. ¶ *In ore gladii*] Ἐν στόματι ῥομφαίας. Quidam *acie gladii*. Sed fortè פי redundat, tum sensus erit, *Percusserunt eos gladio*. Hinc disces *romphaam* esse gladium, nam est Græcum ῥομφαία. ¶ *Urbémque combusserunt igne*] Aut *incenderunt*, *succenderunt*. Hieron. *urbem incendio tradiderunt*. LXX ἐνέπρησαν ἐν πυρί, retento Ebraismo. Cur hoc ab iis factum sit quærunt interpretes. Nam si eam inhabitare volebant, cur incenderunt? Fortè aliter capere eam non potuissent. Sic memoriâ nostrâ Hispani Antverpiam, nisi incendissent, nunquam cepissent. Sed vide D. Camium, & Tremellium.

28. *In valle quæ est*, לבית רחוב *Bethrechob*] LXX ἐν κοιλάδι τοῦ οἴκου Ῥαὼβ *in valle domûs Rehob*. Theodoretus Ῥαχὰβ habet, & ed. Rom. Ῥαὰβ Rahab. Hieron. *in regione Rohob*. Lira, *In Ebræo habetur*, IN TORRENTE ROOB: falsum. Nam עמק non sign. *torrentem*. Trem. *In convalle quæ adjacet regioni Rechob*. An בית *regionem* denotat quærendum. In libro Nom. *Bethreob*, *Domus platearum*, ex nom. de 2 Regum. Pars est Syriæ quæ vocatur *Syria Bethrechob* & *Syria Rechob*, 2 Sam. 10. 6. & 8. Licet ergò vertere *qua est in Syria Rechob*. ¶ *Ædificarunt*] Reædificarunt, restaurarunt.

29. *Dan*] Eusebius de locis, *Viculus est in quarto à Paneade milliario euntibus Tyrum qui usque hodie sic vocatur, terminus Judææ provinciæ contra Septentrionem, de quo & Jordanis flumen erumpens à loco sortitus est nomen*. JOR *quippe* ῥεῖθρον, i. *Fluvium, sive Rivum, Ebræi vocant*, i. יאור. Vide *Cæsarea*; & Masium in Jos. 19. 47. Terminus terræ Sanctæ Aquilonaris, ut Bersabe Australis, unde, *A Dan usque ad Bersabe*. Josephus Ant. l. 1. c. 11. ¶ *Natus*] Vel *genitus*. Nam est passivum ab הוליד *gigno*, non ילד *pario*, quod tamen & pro *gigno* usurpatur, unde, *Ego hodie peperi te*, i. genui; &, יולד cum Dages post Schurec. ¶ *Lais*] Etiam *Lesem* vocatur in Josua 19. 47. à lapide pretioso ejus nominis, qui erat in pectorali Pontificis in tribu Dan. Videndus R. S. ad h. l. Postea, *Cæsarea Paneadis*.

30. *Jonathan*] Hunc existimant esse juvenem illum Levitam de quo mentio frequens in hac historia. ¶ *Manasse*] Scriptum מנשה cum Nun pendulo; quod si absit, remanet משה, i. *Mosis*. Vide quæ suprà hac de re notavimus 17. 7. Critici Ebræorum annotant quatuor esse Nunim ità pendentes. Consule Massoram. Vide Rom. ed. Lat. Vulg. *filii Moysi*. ¶ *In qua migrabat terra*] Ad verb. *usque ad diem migrare terram*, vel, si mavis, *migrationis terra*, ut sit verbum infinitum loco nominis, quale est, *Scire tuum* pro *Scientia tua*. Sic *amare tuum*, i. amationis tuæ, &, *vereri*, τὸ αἰδεῖσθαι, i. verecundia. Hier. *captivitatis*. LXX ἀποικίας. Sensus est, Quo tempore migrabant habitatores terræ Israel. Nomen enim *terra*, etiam cùm additur particula *omnis*, de ea debet accipi regione de qua sermo est. Id accidit post captam Arcam, cùm Philisthæi durissimâ servitute eos premerent. Tunc enim, ut credibile est, multi reliquerunt natale solum, alibi sedes quærentes. Hoc sign. cùm ait, *quâ die migrabat terra*, i. habitata terræ. *Terra* pro *habitatoribus ejus*. Notum hoc vel mediocriter doctis; quod exemplis probare velle nihil aliud est quàm lucernam accendere in meridie: quis enim de eo dubitat? Jam verò *dies* pro *tempore* tritum est. Sic, *quo die percussit Ægyptum*: nam noctu id fecit. Sensus ergò, *quo tempore*. *Dies* hoc sensu in Latio feminine usurpatur, ut,

Longa dies homini docuit parere leones:

unde & *diecula*, i. parvum tempus. Ideo verti *in qua* sive *qua die*. Diximus *terram* dici habitatores terræ. Quidam tamen mavult *migrabat è terra*, *Arcam* subaudiens, & מן הארץ vertens ac si esset מן הארץ. Durum hoc, tamen exemplo non caret. Nam legimus apud Davidem, *Fugite* הרכם, quod reddunt *è monte vestro*, cùm reddi possit *in montem vestrũ*, nempe ubi latitare soliti estis. Locum hunc R. S. enarrat de prima captivitate, quæ accidit in diebus Sennacheribi, quando filii Gad & filii Ruben adducti sunt in captivitatem. Nicolaus Brabantinus refert ad captivitatem *quæ facta est per Salmanassar Assyriorum Regem, ut habetur 2 Reg. 17*. Sed quis credat Davidis tempore Michæ idolum cultum fuisse in Dan? Ego iis assentior qui hæc ad ea tempora referunt quibus capta fuit Arca, in queis præter Hieronymum (si modò is autor Commentariorum quæ in Paralipomena exstant) duo celebres Ebræi R. D. Kimchi, & R. Jesaias; cujus hæc sunt, *Non licet exponere de captivitate Sennacherib, (nam ecce ait in proximo*, CUNCTIS DIEBUS QUIBUS FUIT DOMUS DEI IN SILO) *sed de captivitate Silo*. Verba D. Camii, *Ex conjectura videtur quòd* DIES MIGRATIONIS TERRÆ *sit dies quâ migravit Arca, de qua dicitur*, DESERUIT TABERNACULUM SILO, *&*, DEDIT IN CAPTIVITATEM ROBUR SUUM, ET DECUS SUUM IN MANUM HOSTIS, ET CONCLUSUM TRADIDIT GLADIO POPULUM SUUM: *item*

item dicit, IRRITAVERUNT EUM EXCELSIS SUIS, ET SCULPTILIBUS SUIS AD ZELOTYPIAM PROVOCARUNT EUM. *Hoc dictum est de sculptili Michæ. Quod etiam arguit versus sequens, qui dicit*, CUNCTIS DIEBUS QUIBUS ERAT DOMUS DEI IN SILO, *unde apparet tempus illud*, USQUE AD DIEM QUA MIGRABAT, *&*, CUNCTIS DIEBUS QUIBUS ERAT DOMUS DEI IN SILO, *tempus unum idémque esse. Caterùm post obitum Eli, & postquam migrasset Arca, & migrassent ex Israel multi, cecidissentque gladio, abolitum fuit illud sculptile. Hoc est quod ait*, USQUE AD DIEM QUA MIGRAVIT TERRA, &c. Vide sodes. Vide 1 Sam. 4. Psal. 78. 60.

31. *Domus Dei*] Veri, non falsi. ¶ *In Silo*] Codex Ebræus scribit שילה cum ה in fine, Chaldæus autem שילו cum Vau, Græcis Σηλὼμ, cum μ in fine. *Siluntem* appellat Josephus.

IDEM.

28. לְבֵית רְחוֹב. Lxx τῶ οἴκȣ Ῥεὼβ *domûs Reob*] Hoc notavi quia vulgò οἴκȣ Ῥαὰβ. Sumptum autem ex scholiis Græcis, & notatum in ed.Rom. Hieron. *in regione Rohob*. Si rectè, *domus*, i. בית, etiam *regionem* denotat.

29. וְאוּלָם לַיִשׁ שֵׁם.] Aliqui libri habent, κ) ἦν Λαϊς ὄνομα, quod acceptum putarim ex aliqua veterum editionum. Nam Lxx ediderant κ) ἦν Οὐλαμλαῒς ὄνομα, nomen אולם, quod appellativum est, pro proprio sumentes. Similiter peccatum in Οὐλαμλοὺζ, de quo dictum est suo loco.

GROTIUS.

1. *Usque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat*] Non potuerat eripere Cananæo sortem quam Josue ipsi assignaverat, Jos. 19. 40.

7. *Venerunt Lais*] Colonia videtur fuisse Sidoniorum: sed à Sidone longè absita, nulli vicinorum juncta fœdere, mirè secura, ac dives quæ omnia incitamenta hostibus. ¶ *Magnarúmque opum*] Hebr. *possidens thesauros*.

19. *Ut habeamus te patrem*] Ità honoris causâ appellari solebant Sacerdotes suprà 17. 10. Sic ex sacro privato tribule factum est.

26. *Videns autem Michas quòd fortiores se essent, reversus est in domum suam*] Bene sanè:

Ἄρρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρέσσονας ἀντιφερίζειν.

28. *In regione Rohob*] בית, quod in Hebræo est, pro communi nomine sumpsit; ut & Græci, ἐν τῇ κοιλάδι τῶ οἴκȣ Ῥαὰβ. Alii nominis proprii partem censent, ut regio dicta fuerit Betrahab.

29. *Quæ priùs Lais dicebatur*] אולם sumpsit pro adverbio affirmantis. At Lxx pro nomine, ut dicta sit urbs אולם ליש, i. *Porticus Laischi*. Simile habuimus Gen. 28. 19. ubi vide.

30. *Filium Gersam*] i. E posteris Gersami. ¶ *Filii Moysi*] Legit interpres משה, non מנשה, ut Hebræi codices habent, sed emendatiores, Nun suspenso, quo Masoretæ indicarunt hanc literam esse παρένθετον. Gersamus Mosis filius, Exod. 18. 13. 1 Par. 26. 24. ¶ *Usque ad diem captivitatis suæ*] Heb. *Usque dum caperetur terra*, i. magna pars terræ: à Philisthinis nempe, 1 Sam. 4 10. Nam tunc Arca desiit esse in Silo, ut hîc sequitur. Vide & Psal. 78. 60.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

2. *Fornicata est apud eum concubina ejus*] Chaldæus interpres hunc locum sic vertit, *& contempsit eum*, pro תונה בסרת exponens. Reliqui RR. exponunt verbum ipsum כמשמעו, i. *juxta naturalem verbi significationem*. Proinde jam non semel diximus Concubinam esse uxorem בלא כתובה וקדושין *indotatam, & absque sacris ceremoniis marito copulatam*.

8. *Inclinaretur dies*] *Inclinatio diei fit* quando Sol ad plagam Occidentalem deflectit. Est enim dies זמן הויית השמש על הארץ *exsistentia Solis super horizontem*; *Laxatur* verò *dies* quando Sol ad occasum propinquat, & acres solares radii tepescere incipiunt. *Quiescit dies* quando atra nox diem abscondit, & omnis diurnus strepitus in quietem vertitur; aut quando Sol post diurnum motum in occasum demergitur, & quiescere jam à motu suo videtur.

10. *Ligati*] Capitur hîc הבושים pro טעונין, *onerati*. Portabant enim asini panem, vinum & pabulum.

11. *Valde inclinata*] Capitur hîc רד pro ירד *deficitque* Pepoal ut Kimhi dicit in Radicibus.

13. *Ut pernoctemus in Gibea*] Est verbum לנו primæ personæ præt. plur. sed propter Vau Schevatum mutatur tempus ejus, scribitúrque לנו pro ללנו, supplente Dages Nun unum.

16. *Filii Jemini*] Quidam Hebræorum exponunt post Jonathan Chald. hunc locum sic, *erant homines loci illius de tribu Beniamin*. Alii per ימיני, quod *dextram* sign. intelligunt חוזקת רעה *fortitudinem malitiæ*; q. d. *Erant filii malitiæ & nequitiæ*.

18. *Ad domum Domini*] Domus Domini tunc fuit in Silo: Silo autem erat in monte Ephraiim, unde Levites ille erat oriundus.

21. *Miscuit*] Radix hujus verbi est בלל, unde fit nomen בליל Job 24. quod *commixtum migma* seu *jumentorum pabulum* sign. quod scilicet ex hordeo & paleis, vel ex avena & paleis conficitur.

25. *Abusi sunt*] Sign. hîc עלל *facere* תועבה סמשגל *abominabibem coitum*, & *horrendum designare scelus*.

VATABLUS.

1. *Quibus rex non*, &c. ומלך אין בישראל] Vide cap. 18. 1. ¶ *In lateribus*, בירכתי] i. In uno laterum.

2. *Fornicata est autem apud eum*, ותזנה אליו] *Fornicata est autem in conspectu ejus*. Alii, *contra eum*. Alii, *apud ipsum*, i. cùm apud illum maneret. Chaldæus Paraph. *Quæ cùm sprevisset illum, recepit sese in domum*, &c. ¶ *Et recessit ab eo ad domum patris sui*, ותלך מאתו אל בית אביה *Et recepit sese, eo relicto, in domum patris sui*, cùm scilicet id innotuisset. ¶ *Dies*, ימים] Quidam exponunt, *annum unum*.

3. *Perrexit post eam*, וילך אחריה] *Secutus est eam*. ¶ *Ut loqueretur ad cor ejus*, לדבר על לבה] Hebraismus, Ut blandiretur illi, vel, Ut reconciliaretur illi. ¶ *Lætatus est in occursum ejus*, וישמח לקראתו] Hebraismus, Occurrit illi lætus.

4. *Et amplexatus est eum*, ויחזק בו] Ad verb. *Et apprehendit eum*.

5. *Fulci cor tuum buccellâ panis*, סעד לבך פת לחם] *Robora* [*Conforta*] *stomachum tuum pusillo cibo*.

6. *Acquiesce quæso*, &c. הואל נא ולין וגו׳] Ad verb. *Velis nunc, & pernocta, & exhilaretur cor tuum*, i. Placeat tibi pernoctare, ut lætetur cor tuum, q. d. Mane, quæso, adhuc hodie ut læteris nobiscum.

7. *Cùm verò surrexisset*, &c. ויקם האיש ללכת] i. Cùm autem ille vellet se committere itineri, obnixè precatus est eum socer ejus, h. e. magnis precibus illum retinuit.

8. *Ut pergeret*, ללכת] *Ut committeret se itineri*. ¶ *Tardaverunt itaque*, והתמהמהו] *Moram itaque fecerunt*.

9. *Remissior facta est*, רפה] *Debilitata est*, i. calor Solis remissus est, ità ut dies propinqua sit vesperi, q. d. Jam dies ad occasum proclivior est. ¶ *Mansio est diei*, חנות היום] i. Tempus est quo dies convertet se ad hospitium, q. d. Non procul abest occasus Solis, aut propinquat dies ad vesperam, quo tempore solent homines divertere ad hospitium. Occasum solis vocat *mansionem*: nam Sol videtur divertere ad hospitium cùm occidit. *Et jucunde-*

jucundetur, וייטב לבבך] *Ut exhilaretur mens tua.* ¶ *In viam vestram*, לדרככם] Nonnulla subaudienda, cujusmodi, *ut hinc abeatis ad capessendam viam vestram.* ¶ *In tabernaculum tuum:* לאוהלך] i. Ad urbem tuam.

10. *E regione Jebus*, עד נוכח יבום] *Usque ad locum qui erat è regione Jebus.*

11. *Descenderat*, רד] *Declinaverat.* ¶ *Veni, obsecro*, לכה נא] *Agè, quaso.*

15. *Qui colligeret*, מאסף] i. Susciperet, vel exciperet.

16. *Et peregrinabatur*, והוא גר] i, Velut peregrinus habitabat.

17. *Deambulantem per plateam*, האורח ברחוב] *Viatorem in platea.*

18. *Usque ad latera*, עד ירכתי] *Usque ad fines.* ¶ *Perrexi namque*, ואלך] i. Cùm illic habitarem, perrexi. ¶ *Et ad domum Jehovæ*, ואת בית יהוה] i. In Siloh, ubi scilicet habitem, vel ut illic sacrificem, & Deo gratias agam: & nemo est qui me recipiat.

19. *Cùm & palea*, &c. וגם תבן גם מספוא] Ad verb. *Et etiam palea, etiam fœnum est mihi.* ¶ *Non est*, אין] Sub. *nobis.* q. d. Nullâ re indigemus.

20. *Pax tibi:* שלום לך] i. Salve, vel Bono sis animo. ¶ *Veruntamen*, &c. רק כל מחסורך עלי] Hebraismus, De nulla re cures, quoniam præbebo tibi omnia necessaria, si modò nolis hîc manere.

21. *Laverunt pedes suos*, וירחצו רגליהם] Vel *laverunt pedes eorum*, sub. *famuli.*

22. *Viri impii*, בני בליעל] *Viri beliaal*, i. homines improbi, nebulones, homines nihili. Gallicè, *gens qui ne valent rien.* Vide Prov. 6. 12. ¶ *Gyraverunt juxta domum*, נסבו את הבית] *Cinxerunt domum.* ¶ *Pulsantes ostium*, מתדפקים על הדלת] *Insolenter pulsantes fores*, i. conantes effringere fores. ¶ *Ut cognoscamus eum*, ונדענו] *Ut eo abutamur.* Venerem masculeam significat.

24. *Et affligite illas*, וענו אותם] i. Abutimini illis, h. e. violate, constuprate, &c. ¶ *Ignominiosam istam*, הנבלה הזאת:] Ad verb. *ignominia hujus*, i. rem hanc nefandam.

25. *Et cognoverunt eam*, וידעו אותה] i. Rem habuerunt cum ea.

26. *Sub auroram ipsam*, לפנות הבוקר] Ad verb. *dum aspiceret manè:* vel, *aurora*, ut ait doctus inter Hebræos. ¶ *Dominus ejus*, אדוניה] i. Maritus ejus.

27. *Ut iret in viam suam*, ללכת לדרכו] Hebraismus, Ut cœpto itineri se committeret, sive, Ut susceptum iter perficeret.

28. *Et non respondebat:* ואין עונה] Ad verb. *Et non respondens*, i. nemo respondebat.

29. *Et misit eam*, וישלחה] i. Misit partes & frusta ejus in omnes fines Israelitarum.

30. *Ponite cor vestrum super eam*, שימו לכם עליה] Hebraismus, Diligentissimè perpendite. Ad verb. *Ponite vobis super eam*, i. ponite cor vobis super malo isto, ut exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Consulite*, &c. עצו ודברו] i. Adhibito diligenti ac maturo consilio, decernite quid facto opus sit. Vide c. 20. 7.

CASTALIO.

28. CUM *illa non responderet*] Erat enim mortua.

CLARIUS.

16. FIlii *Jemini*] Quidam Hebræorum exponunt post Jonathan Chald. hunc locum sic, *Erant homines loci illius de tribu Benjamin.* Alii interpretantur, *Erant filii malitia & nequitiæ.*

18. *Ad domum Dei*] Domus Dei tunc fuit in Silo. Silo autem erat in monte Ephraim, unde Levites ille erat oriundus.

DRUSIUS.

1. IN *lateribus*] In uno aliquo latere. Sic Jon. 1. *Descendit in latera navis*, in alterutrum latus. Lxx ἐν μηροῖς *in femoribus.* Hier. *in latere.* Thargum בסיפי *in finibus*, vel *terminis.* ¶ *Uxorem concubinam*] γυναῖκα παλλακὴν. Nam uxor ejus erat, sed sine scriptura & sponsalibus. Hieronymus omisit *concubinam*; quæ & *pellex* dicitur. Sed discrimen est. Nam *pellex* propriè quæ ad aliam superducitur. Quidam *mulierem concubinam.* *Mulier concubina*, ut *mulier meretrix.* Non enim certè *uxor* erat ante consensum parentum, qui pòst accessisse videtur.

2. *Scortata est apud eum*] Hier. *Quæ reliquit eum.* Lxx ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ, sed vide an legendum sit ἐπορνεύθη, unius literæ additione. Nam πορνεύομαι idem quod πορνεύω, *scortor, meretricor*, ut Columella loquitur, *quæstum corpore facio, corpus meum prostituo.* Et *ab eo*, i. eo deserto. Thargum *sprevit eum:* h.e. inquit R.D. *despexit eum, & abiit ab eo, ivitque ad domum patris sui.* Aut capiendum ut verba sonant. Nam uxor ejus erat, sed absque scriptura & sponsalibus, *scortatáque est sub eo.* Sensus autem עליו *coram eo* על פניו *coram vultu ejus.* q.d. Non curavit eum, nec abscondit se ab eo dum scortaretur. Aut עליו *cum eo, apud eum.* Videndus hîc R.S. & Lira quoque. Sed & Tremellius. Hic cum על construitur, sed Ezec. 16. 26. cum אל, *scortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis*, אל בני. ¶ *Dies, quatuor menses*] *Dies aliquot, putà quatuor menses.* Aut, *dies*, i. annum & quatuor menses; ut sit ἀσύνδετον. Hier. *mansit apud eum quatuor mensibus.* Lxx ἡμέρας μηνῶν τεσσάρων *dies mensium quatuor.* Jon. *dies quatuor menses.* ימים *aliquot dies*, ut לימים *post aliquot dies.* Sign. etiam *annum.* Vide Animadv. meas. Trem. *plenis quatuor mensibus.* Ebr. *dierum quatuor mensibus.* *Mensis* enim *dierum*, i. חדש ימים, est mensis plenus & integer, Num. 11. 20, & 21. Sed hæc aliena.

3. *Ut loqueretur ad cor ejus*] Ut tristem ac mœstam consolaretur. Id enim sign. *loqui ad cor*, quod & *alloqui* dicunt. M. Varro. *Hinc adlocutum mulieres ire aiunt, cùm eunt ad aliquem locum consolandi causâ.* Hieronymus Jes. 40. *Qui mœrenti loquitur & blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur.* Hinc *alloquium in malis*, i. consolatio. Catullus *adlocutionem* dixit ad Cornificium,

Quâ solatus es adlocutione?

Hos. 2. 14. *Loquar ad cor ejus*, h. e. inquit Hieronymus, *loquar verba mollia & consolatoria; quibus & Sichem locutus est ad cor Dinæ, & Joseph in Ægypto fratribus suis mœstis*, Gen. 34. & 45. Vide nunc, si placet, Observ. meas l. 8. c. 1. Hieronymus hîc edidit *volens reconciliari ei, atque blandiri.* Lxx τοῦ λαλῆσαι ἐπὶ καρδίαν αὐτῆς. Jon. למללא על לבה *ut loqueretur super cor ejus.* Etiam על est in Ebræo fonte, ut & Hos. 2. 14. Aliud *loqui cum corde.* Cohel. 1. 16. *Locutus sum cum corde meo* עם לבי i. *mecum, apud me.* Syrus tamen pro eodem usurpat Joh. 11. 19. ubi in fonte Græco *ut consolarentur eas.* ¶ *Ut reduceret eam*] להשיבה, sic est in lectione: sed in scriptura est להשיבו *ut reduceret eam.* Lxx *ut reduceret eam ad se.* Vide K. Hier. *volens secum reducere.*

¶ *Puer ejus*] *Servus ejus.* ¶ *Lætatus est in occursum ejus*] *Lætus prodiit ei obviàm.* Hier. *occurrit ei lætus.* Lxx ηὐφράνθη εἰς συνάντησιν αὐτοῦ. Trem. *lætatus est de occursu ejus.*

4. *Amplexatus est eum*] Alii *retinuit eum.* Verbum Ebræum non tam *retinere* sign. quàm *firmiter aliquid prehendere.*

5. *Fulci cor tuum buccea panis*] Sic David, *Panis cor hominis fulcit.* Id Ebræis est סעד, unde סעידה *refectio*, in qua cor hominis fulcitur; & est פת לחם pro בפת. Hier. *Gusta prius pusillum panis, & conforta stomachum*, i. comede. Sic טעם usurpatur. Lxx Στήρισον τὴν καρδίαν σου ψωμῷ ἄρτου, *Firma cor tuum buccellâ panis.*

6. *Sederunt*] Utrùm hic sign. *sederunt ad mensam* an *manserunt ibi*? Si priùs, facit pro iis qui scribunt veteres ad mensam sedisse, non discubuisse. Quod ex historia Tobiæ

biæ probari etiam poteſt, tum ex Homero, qui heroas introducit ſedentes in convivio. Vide Tropos in *Sedeo.* Sanè Joſephi fratres ſedent ad menſam Gen. 43. 33.

8. *Donec declinaret dies*] Ad veſperam, quod fit Sole ad occaſum vergente poſt meridiem. Nam dies eſt tempus illud quo Sol eſt ſuper hemiſphærium noſtrum. Malè Hier. *donec increſcat dies.* Lxx ἕως κλῖναι τ ἡμέραν. Thargum עד מתפני יומא *dum reflectat ſe dies.* Santes *donec inclinaretur dies.*

9. *Remiſit ſe dies ità ut adveſperaſceret*] Lxx ἠσθένησεν· & Santes *debilitata eſt dies.* R. D. *Remiſſio diei eſt veſpertino tempore, quando remittit ſe calor ejus & lux ejus. Robur autem ejus & vis ejus eſt in meridie,* ſive *medio die; prout ait, In robore ipſius in medio die. Hoc eſt quod dicit,* CUM ORITUR SOL IN ROBORE SUO, *vult dicere, Cùm oritur Sol uſque ad tempus quo eſt in robore ſuo,* h. e. *uſque ad medium diem. Nam ad illud tempus lux vadit & roboratur: ſic à meridie vadit & infirmatur* ſive *remittit ſe.* Hæc R. D. ¶ *Manſio hodie*] i. Hoſpitium. Ad verb. *caſtrametatio.* Tralatio ducta à re militari. Licet vertere *caſtrametatio diei.* Dies caſtra ponit ſub veſperam, quando quaſi ſe quieti dat. Aut *caſtrametatio Solis,* qui *dies* vocatur eò quòd diem faciat. Nam veſperì videtur homini quòd Sol caſtra ponat ſive metetur. Vide Camium. חנות ad verb. *caſtrametari.* Verba Camii, *Nox eſt caſtrametatio diei. Nam interdiu homo vadit huc illuc, & nocte caſtra ponit. Aut expoſitio eſt, Caſtrametatio Solis eſt. Nam veſperì videtur homini quòd Sol caſtra ponat,* &c. Videndus R. S. ad h. l. ¶ *Bonum ſit cor tuum*] Lxx ἀγαθυνθήτω ἡ καρδία σου. Hier. *duc latum diem.* Trem. *bene ſit animo tuo.* ¶ *Ad tentorium tuum*] *Ad domum tuam.* Hier. *in domum tuam.* Lxx εἰς τὸ σκήνωμά σου. Thargum *ad urbem tuam.*

10. *Stratorum*] *Inſtratorum,* h. e. onuſtorum pane, vino & מספוא, aut quibus homines inſident. Videndus R. D. K. Hier. *duos aſinos onuſtos.* Lxx ζεῦγος ὄνων ἐπισεσαγμένων *par aſinorum ſuperſtratorum.* Jon. חשיקין. Ebræus autem חבושים.

11. *Juxta Jebus*] Vel *apud Jebus.* Quæ vocatur paulò pòſt *urbs Jebuſæi.* Ad verb. *cum,* עם pro אצל. Lxx ἕως Ἰεβοὺς עד יבום. R. D. exponit סמוך ליבום. Sic alibi עם בא מיכה. ¶ *Deſcenderat* | *Declinaverat.* רד pro ירד *deſcenderat ad latus Occidentale.* Dies ante meridiem aſcendit, poſt meridiem deſcendit. Lxx προβεβήκει *proceſſerat,* i. בא. Hier. *dies mutabatur in noctem.* Jon. מאך *inclinaverat ſe.* ¶ *Ad dominum ſuum*] אל אדניו. Verbum è verbo *ad dominos ſuos.* Terminatio pluralis eſt, ſenſus ſingularis. Sic alibi, *Si* אדנים, i. *Dominus ego.* Nullum hîc myſterium. Sic בעלים & אלהים de uno ſingulari dicuntur. Sic mox ארניו *dominus ejus.* ¶ *Veni*] *Agedum.* Sic alibi, *Venite, paremus nobis lapides. Agite dum.* בא & הלך ſe invicem explicant, בא propriè *venio,* הלך *eo.* Sanè Hieronymus hîc habet, *Veni, obſecro.* Lxx Δεῦρο δὴ, *Veni nunc.* Thargum איתא כען *Veni nunc.* Dicimus autem לכה & לך *veni:* hoc invenies v. 13. Vide K.

12. *Qua non de filiis Iſrael ipſe*] i. *ſunt.* Pronomen eſt plurale, licèt præcedat nomen ſing. Videtur hoc velle, *Neque in hanc ibimus neque in illam aliarum earum qua non ſunt,* &c. R. D. Hier. *Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſrael.* Conſtructio ſenſu congrua, non voce. Nam *qua non eſt* ad *urbem* refertur ſynonymum *oppidi.* Simile, *elementum qua:* nam *litera* ſubintelligitur. Ubi nunc Orbilius? ubi ſceptrum, ubi ferula Serarii? vapulet, vapulet Hieronymus, & quicunque ità loquitur. Nam Druſio erranti non fuit hoc impunè.

13. *Vade*] לך pro לכה. Vide Gramm. noſtram. ¶ *Pernoctabimus*] ולנו pro ולננו, ob concurſum duarum literarum ſimilium.

14. *Juxta Gabaa qua eſt Benjamin*] Quæ eſt in tribu Benjamin. Nam erat alia Gabaa, ad cujus differentiam hæc dicitur *Gabaa Benjaminis.*

15. *Colligens*] i. Recipiens. Sic Joſ. 20. 4. *colligent eum in urbem.* Huc refer *colligi ad caſtra,* Num. 11. 30. pro *recipere ſe eò.* Hier. *recipere hoſpitio.* Lxx συνάγων αὐτοὺς εἰς οἰκίαν, &c. Jon. כנש *congregabat eos in domum.*

16. *Benjamitæ*] בני ימיני *filii Jemini,* i. Benjamitæ. Jon. *ex tribu domûs Benjamin.* Lxx υἱοὶ Βενιαμίν. Trem. *Benjaminitæ.* בן ימיני *Benjaminita,* quod ità rectiùs dicitur quàm *Benjamita.* Plur. בני ימיני *Benjaminitæ,* vel certè *Benjeminitæ,* qui & *filii Benjamin.*

17. *Virum illum viatorem*] *Vir viator,* ut *Vir piſcator, Homo ſacerdos.* Sic infrà 20. האיש הזקן *vir ſenex ille.* Lxx τ ὁδοιπόρον ἄνδρα *virum iter facientem,* imò *viatorem.* Lex. vetus, Ὁδοιπόρος, *viator. Iter facientem,* i. ὁδοιποροῦντα. Idem Lexicon, Ὁδοιποιῶ, *iter facio.* Ὁδοιπορῶ, *iter facio, meo.* Ὁδοιπορικὸν, *viaticum.* Jon. דארח *quia faciebat iter, ambulabat.*

18. *Domum Domini*] Jon. *domum ſanctuarii Domini.* Ea tunc erat in Silo: unde & hunc Levitam fuiſſe arbitrantur. Nam Silo in Ephraim. Sed fortè eò ibat ſacrorum causâ. Vide K. Lxx εἰς τ οἶκόν μου, pro Κυρίου. Nam abbreviantes ſcribebant κυ. ¶ *Non eſt vir colligens me in domum ſuam*] Hier. *nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere.*

19. *Pabulum*] מספוא. Santes *fœnum.* Hier. *fœnum in pabulum.* Lxx χορτάσματα, quod reddunt *pabula.* Jon. ריסתא *pabulum.* ¶ *Cum ſervis tuis*] q. d. Tanta copia cibi & vini apud nos ut etiam ſervis tuis ſufficiat. Santes *cum ſervo tuo.* Senſus *qui cum ſervo tuo,* i. mecum. Sic Hier. *puero qui mecum eſt.* Lxx τῷ νεανίσκῳ μετὰ τῶν παίδων σου. Jon. *qui cum ſervo tuo.* Vide Camium.

20. *Pax tibi*] Non tam ſalutantis eſt hoc loco quàm ſolicitudinem omnem eximentis. q. d. *Ne eſto ſolicitus.* ¶ *Quicquid tibi deerit, hoc mihi incumbit*] Id valet *ſuper me eſt.* Sic Pſal. 16. 2. *Bonum meum haudquaquam ſuper te eſt,* h. e. tibi non incumbit. Hier. *ego prabebo omnia quæ neceſſaria ſunt.* Lxx πᾶν τὸ ὑστέρημά σου ἐπ᾽ ἐμέ.

21. *Dedit pabulum*] Scriptum ויבול, & lectum ויבל. Appellatio à *confundendo.* Nam in pabulo ſpecierum aliquot confuſio eſt, quod propterea בליל dicitur. Sed vide Camium. Jon. *projecit pabulum,* i. רימא כסתא. Lxx τόπον ἐποίησε *locum fecit.* Verbum quod nunc in Ebræo non tam *miſcere* ſign. quàm *confundere,* videlicet בלל, unde *Babel,* q. *Balbel,* i. Σύγχυσις *Confuſio: quoniam ibi Deus confudit labium univerſæ terræ.* ¶ *Lavabant pedes ſuos*] Ἐνίψαντο τοὺς πόδας αὐτῶν· non aſinorum, ſed *ſuos.* Aut, *ſervi laverunt pedes eorum.* Pedes lavandi mos uſitatus veteribus fuit etiam in conviviis, quò reſpexit Chriſtus Luc. 7. 44. Nam diſcubituri pedes lavabant nè lectos macularent. Quod etiam apud Græcos in ſplendidioribus conviviis fuit uſitatum. Athenæus lib. 14. deſcribens Phoci convivium, σωλῆνας ἐις τὸ δεῖπνον, λαμπρῶς μὲν ὕδωρ παρακαλεῖ, καὶ τοῖς εἰσιοῦσι προσφέροντο ποδονιπτῆρες οἴνῳ δι᾽ ἀρωμάτων.

22. *Bonum faciebant cor ſuum*] i. Exhilarabant & lætificabant, q. d. Hilares erant. Hier. *Illis epulantibus, & poſt laborem itineris cibo ac potu reficientibus corpora.* Lxx ἀγαθύνοντες καρδίαν αὐτῶν *bonum efficientes,* aut *reddentes, cor ſuum: bonum,* i. hilare, lætum. Sic Dan. 6. 23. ἠγαθύνθη ἐπ᾽ αὐτῷ *gaviſus eſt ſuper eo.* Paulò aliter Neh. 2. ἀγαθύνεται ἐνώπιόν τινος pro eo quod eſt *placere coram aliquo.* Quæ ſignificationes ab etymologia ipſius verbi alienæ ſunt. Nos Ebraiſmum utrobique agnoſcimus, etiam in ἀγαθύνω quando ſign. *lætum reddo.* ¶ *Viri filii nequam*] *Viri filii* dictum q. οἱ παράνομοι. Nam *filii nequam* & *viri nequam* ſynonyma ſunt. Sic *viri urbis* & *filii urbis.* *Nequam,* i. *Belial;* quod Hieronymus interpretatur *abſque jugo,* q. בלי עול. Lxx υἱοὶ παρανόμων, *filii iniquorum.* Jon. גברין בני רשעא *Viri filii improbitatis.* ¶ *Ut cognoſcamus eum*] Concubitu maſculi, ut rem habeamus & conſuetudinem cum eo ſicut mares cum maribus ſolent, quod vitium *Sodomia* vocabulo hodie innotuit, quando mares in mares irruunt. Nicolaus, *Ut cognoſcamus eum concubitu Sodomitico, ut communiter dicitur*

dicunt expositores. *Josephus autem dicit quòd non quærebant nisi mulierem, sed sic loquebantur ut inclinarent dominum domûs & maritum ad tradendum eam.* Vide sequentia. R. D. *Exponunt* למשכב זכור, *quia dicit*, ECCE FILIA MIHI VIRGO, ET CONCUBINA EJUS; IDEO VIRO HUIC NON FACIETIS QUICQUAM, &c. Vide. Sunt qui arbitrantur quòd voluerint illum occidere, sicut ait, *Et me cogitarunt occidere*, דמו להרוג, quod immane facinus est. Nam vel hospitii jure tutus erat. Alii dicunt quòd potiùs occidi voluerit quàm ut pateretur rem tam fœdam perpetrari. Sed videatur R. D. De concubitu masculino etiam R. S. narrat: sed & R. Jesaias quoque. Cæterùm Vir *cognoscit* Feminam: unde *puella cognita*, i. imminuta, quæ cognita fuit à viro, & *Femina* Virum; Num. 31. 17. *omnis mulier quæ cognovit virum:* quod exponunt ראויה לבעל *apta ut cognoscat virum.* Ovidius,

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Propertius,

Sal erit mihi cognitus unus.

Etiam Masculus Masculum *cognoscit* congressu Sodomitico.

23. *Flagitium hoc*] Santes *nefas istud.* Arias *turpitudinem hanc.* Hier. *stultitiam.* Lxx ἀφροσύνην. Thargum קלנא *ignominiam hanc.*

24. *Comprimite illas*] Hier. *ut humilietis eas.* Lxx καὶ ταπεινώσατε αὐτάς. Santes *affligite illas.* Sign. propriè compressionem quæ fit per vim, invitâ illâ quæ comprimitur. Gerundensis Gen. 34 2. כל ביאה באונסה תקרא עניי. Nota in fonte אותם *eos* pro אותן *eas*, quæ enallage generum insolens non est. Contrà in Ruth est להן pro להם *eos.* *Affligit* Animam, qui jejunat; Puellam aut Feminam, qui eam vi comprimit. Quid autem interfit inter *affligere* & *effligere*, unde *efflictim*, i. perditè, *amare*, vide Notata ad Dictionarium Ebra. Forsteri, in verbo ענה *afflixit.*

25. *Prehendit vir concubinam suam, & eduxit*] Prehensam nolentem & invitam eduxit foràs ad servandum se. Hoc factum quidam ità excusant ut dicant majus malum eo evitatum fuisse. Nam majus malum Sodomia quàm Adulterium. Sic excusant qui filiam suam eis obtulerat. Et hic & ille peccavit graviter, ut etiam Loth, qui filias suas obtulit ad servandum Angelos hospites suos. Non est faciendum malum ad evitandum aliud, licèt illud gravius sit. Potiùs debuisset se periculis objicere, imò mortem oppetere. Vide Liram. ¶ *Cognoverunt eam*] Habuerunt rem cum ea. Cæsar dixit *notitiam feminæ habere*, quod honestè quidem ità dicitur, sed hi abusi sunt ad rem inhonestam: ¶ *Abusi sunt eâ*] Ad verb. *factitarunt in ea.* Lxx καὶ ἐνέπαιζον ἐν αὐτῇ *& illuserunt ei.* Thargum אתלעבו בה *irriserunt*, *subsannarunt eam.* ¶ *Cùm ascenderet aurora*] i. *Manè.* Sic Hieronymus explicat. Scriptum בעלות per Beth, & lectum כעלות per Chaph. Ut hîc Aurora dicitur *ascendere*, sic Dies *descendere* tempore vespertino v. 11. Lxx ὡς ἀνέβη τὸ πρωΐ *cùm ascenderet manè.* Id ante lucem fiebat. Vide sequentia. Cæterùm *abusi sunt eâ dum aurora surgeret: appetente manè, venit ad domum ejus, ubi erat Dominus ejus.* Hîc manifestè distinguitur *ascensus auroræ* à *matutino tempore.* Expende.

26. *Appetente manè*] Hier. *recedentibus tenebris.* Lxx πρὸς τὸ ὄρθρον. ¶ *Ubi dominus ejus*] אדניה, ad verb. *domini ejus:* sed in terminatione plurali sensum habet sing. ut diximus: hoc primum. Deinde *dominum* vocat בעלה *maritum suum.* Sic *Sara vocavit Abrahamum Dominum*, laudata eo nomine ab Apostolo.

28. *In locum suum*] In urbem suam. Hier. *in domum suam.* Lxx εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ.

29. *In duodecim frusta*] Cuique tribui misit unum frustum. An etiam Benjaminitis? Non est credibile, quia occidissent latorem. Quid igitur? Tribus Manasse divisa erat in duas partes: una pars habitabat ultra Jordanem, altera cis Jordanem: fortasse utrique misit unum frustum. Nam Levitæ dispersi erant per Tribus. Vide Liram & R. S.

30. *Ponite vobis super hoc*] Apponite cor ad hoc. *Ponite* pro *apponite cor vestrum.* Sic Jes. 41. 20. & Job 17. 3. & 23. 6. מבלי משים *cùm non esset apponens cor, qui adverterit animum.* ¶ *Loquimini*] Λαλήσατε *dicite* sententiam vestram de hoc facto. Hier. *ferte sententiam, & in commune decernite quid facto sit opus.*

GROTIUS:

1. *Accepit uxorem*] Heb. *feminam concubinam*, nam nomen פילגש honestius erat quàm Græcum παλλακή, & Latinum *pellex*, quæ tamen indè venerunt. *Pellex* est uxorem habentis, *concubina* potest esse cœlibis: neque talis conjunctio contra legem aut bonos mores erat illis temporibus.

2. *Quæ reliquit eum*] Sic Lxx ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ. Heb. תזנה עליו, sed תזנח videntur legisse isti interpretes. Potest tamen & זנה, quod propriè *scortari* significat, translatè significare *abalienationem animi:* quo sensu quidam Græci cod. habent ὠργίσθη αὐτῷ. Hieronymus in Mich. 5. *Et irata est ei concubina sua.*

15. *Nullus eos recipere voluit hospitio*] Non erant eo tempore illis in locis diversoria omnibus patentia. Mira hominum feritas hîc describitur, ab Abrahami τοῦ ξενοδόχου moribus ad Sodomi civium mores deflexo ingenio.

21. *Postquam laverunt pedes suos*] Qui mos ante cœnam. Vide Joan. 13. 5.

24. *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos*] Simile vide Gen. 19. 8. ¶ *Ut humilietis eas*] De hujus vocis significatu vide quæ dicta ad Deut. 21. 14.

26. *Et ibi corruit*] Stupratarum ad mortem usque exempla etiam in Moscovitarum & Turcarum historiis habemus.

29. *Et cadaver uxoris suæ cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel*] Atrocitas facti ad atrocia remedia eum compulit. Nec falsus spei fuit, nam hic conspectus fecit ut omnes tribus in commune consulerent; quod pridem factum non fuerat.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

1. *Mizpa*] Locus erat in quo universus Israel convenire solebat, quòd illic Dominus magnam salutem concessisset Israelitis tempore Jehosua.

2. *Constituti sunt anguli*] Hebræi exponunt *angulos* pro ראשי *Præfectis populi*, qui stantes in tanta multitudine dixerunt, *O filii Israel*, &c. Monet hîc Kimhi verba ista esse legenda לשון קריאה, sicut & nos vertimus.

7. *Ponderate rem istam*] Hebr. *afferte ex vobis verbum & consilium hîc.*

9. *Per sortem*] Sensus est, Eligemus per sortem decimum quemque, qui multitudini commeatum & necessaria adducant.

12. *Per omnem tribum Biniamin*] Hebr. *Per omnes tribus Biniamin*, sed capitur hîc שבט pro משפחת, i. *tribus* pro *cognatione.*

15. *Vigintisex millia*] Infrà dicitur quòd *ceciderint vigintiquinque millia & centum*, *fugerint* autem *ad petram sexcenti:* remanebunt igitur adhuc mille præter illos sexcentos in petra salvatos, quoniam ultra vigintisex millia, quæ hîc numerantur, fuerunt adhuc septingenti habitatores civitatis Gibea; quæ & *Gaba* vocatur. Numerantur igitur hîc illi qui in tertia pugna interierunt. Mille autem qui hîc desiderantur, in primis duabus pugnis, quando ex civitate eruperunt, amissi fuerunt.

16. *Quorum dextra manus*] Exposuimus suprà c. 3. vocabulum אטר.

18. *In Bethel*] Putant Hebræi *Bethel* hîc non capiendum pro oppido Bethel, sed pro Silo, ubi erat Arca Dei, quæ *domus Dei* hic appellatur. Potest etiam esse ut Arca translata

translata fuerit in Bethel, cùm Bethel haud longè distaret à Silo.

28. *Pinehas*] Secundùm Hebræos vixit hic Pinehas usque ad trecentesimum vitæ suæ annum, quod à Domino obtinuit propter illum zelum quem in Sittim ostendit; de quo in Numeris.

31. *Extracti sunt*] Est הנתקו passivum Hiphil, ab activo התיק, quod *evellere* & *extrahere* sign.

33. *De loco graminoso*] Exponunt Hebræi מערה pro *loco humecto & gramine pleno*. Jonathan interpretatur מישר *vallem*.

36. *Dederunt viri Israel Biniamitis locum*] Sensus est, Ex industria fugerunt donec ipsi à civitate elongarentur: tunc surrexerunt decem millia ex insidiis, & occupaverunt civitatem: & Israelitæ, qui fugam simulaverant, in Baal Thamar in aciem se collocaverunt, & hostem percusserunt.

38. *Symbolum*] Hebr. מועד *certum tempus & horâ*, quæ scilicet illis erat data qui erant in insidiis, quando urbem igni supponerent. Et hæc omnia intricatè scribuntur in textu; quandoquidem fuga Israelitarum præcesserit cædem Biniamitarum. Porrò per משאת Hebræi hîc intelligunt שריפה *incendium* sive הלהב *flammam*, quæ sursum ferebatur.

42. *Prælium apprehendit eos*] Per *prælium* hîc intelliguntur viri bellicosi.

43. מנוחה] Quidam putant legendum ממנוחה, ut sit proprium nomen loci. Alii exponunt pro *requie*: ut sit sensus; *In loco quietis eorum conculcaverunt eos*.

45. *Quasi racemando succiderunt*] Heb. *Et racemaverunt eos*, h.e. etiam reliquias ipsas apprehenderunt & occiderunt.

48. *Ab hominibus civitatum*] Heb. *à civitate hominum usque ad jumenta*, h.e. viros, mulieres & pueros qui erant in civitate occiderunt, sed & jumenta atque pecora quæ erant in campo peremerunt, nulli viventi parcentes. Quare autem tam pauci Biniamitæ tantum numerum Israelitarum primâ & alterâ vice percusserint, Hebræi hanc putant esse rationem, quòd propter idolum Micha, quod gravius erat eo peccato quod Gibeathitæ commiserunt, Israelitæ tacuerunt, & non studuerunt illud mox eliminare, sed plurimos in ejus cultura perire permiserunt.

VATABLUS.

1. Tanquam vir unus, כאיש אחד] Hebraismus, Unanimi consensu. ¶ *Et à terra Gilaad*, וארץ הגלעד] Subaudienda fuit præpositio מן ex præcedenti. Describit longitudinem Terræ sanctæ ab Aquilone ad Meridiem, & latitudinem à Galaad usque ad mare Mediterraneum. Vertere potes, *& usque ad terram Galaad*, sub. *à mari Mediterraneo*. ¶ *In Mispah*, המצפה] Cùm quid decernendum erat, conveniebant Israelitæ in Mispa, quòd Dominus illic operatus esset salutem cùm Reges in eo loco pugnarent contra Israelitas. Erat ibi præterea locus orationis, & mensa Domini, ut aiunt.

2. *Astiteruntque anguli*, ויתיצבו פנות] *Affueruntque anguli*, i. primores, magnates, proceres. Nam ut anguli in domo sunt præcipui, sic primates in populo.

3. *Quòd ascendissent*, כי עלו] Sub. *Et tamen nihil curaverunt*.

5. *Viri*, בעלי] Ad verb. *domini*, i. cives. ¶ *Et circumdederunt adversùm me*, ויסובו עלי] *Et cinxerunt adversùm me*, i. in perniciem meam. ¶ *Me cogitaverant occidere* דמו להרג] i. Abuti me præposterâ libidine usque ad mortem. ¶ *Afflixerunt*, ענו] Quomodo afflixerint vide c. 19. 25.

7. *Date verbum*, הבו לכם דבר ועצה] Ad verb. *date vobis verbum*, &c. Redundat לכם, i. Ferte sententiam, & date consilium quid facto opus sit. Cap. 19. 30. dixerat, *Consulite, & loquimini*.

8. *Non ibimus quisque*, &c. לא נלך איש וגו'] Sub. *priùs quàm ulti fuerimus hoc piaculum*.

9. *Ipsi Gibaah*, לגבעה] *Propter Gabaa*. ¶ *Contra eam per sortem*, עליה בגורל] Sub. *ascendemus*, h.e. missis sortibus videbimus quinam sint pugnaturi contra filios Benjamin, quique deferent cibos pro exercitu.

10. *Ut afferant cibum populo*, לקחת צדה לעם] Ad verb. *ad accipiendum cibum populo*, i. ut comportent commeatum exercitui. ¶ *Ut faciat*, לעשות] Sub. *populus*, i. ut reddant filii Israel illis quod merentur pro tanto scelere admisso.

11. *Congregatus est itaque*, &c. ויאסף כל איש וגו'] Sing. Heb. pro plur. *Itaque congregati sunt universi Israelita adversùm* [vel *juxta*] *eam urbem tanquam vir unus socii*, i. unanimi consensu, & eâdem mente eodémque animo.

12. *In omnes tribus*, בכל שבטי] i. per omnes cognationes & familias quæ erant in Benjamin. Erant autem in tribu Benjamin duodecim familiæ. ¶ *Quod*, מה] *Quantum*, i. Quantum esse putatis flagitium istud quod perpetratum est inter vos?

13. *Impios*, בני בליעל] Ad verb. *filios Beliiaal*, ut c. 19. 22.

14. *Ex urbibus*, מן הערים] Sub. *aliis*, sic v. 15.

16. *Clausâ manu dexterâ suâ*, אטר יד ימינו] i. Capti manu dexterâ suâ, h.e. utentes manu sinistrâ pro dextra, quos *scævolas* appellamus. Talis erat Aod Judex in Israel, de quo c. 3. 15. qui in suis operibus sinistrâ utebatur, perinde acsi manus dextra fuisset clausa. Gallicè, *gauchier*. ¶ *Neque aberrabant*, ולא יחטא] Ad verb. *& non peccabit*, pro *peccabat*, sive *peccare faciebat*. Sing. pro plur. & fut. pro præt. imperf. h.e. erant fundibularii certissimi, qui scopum etiam minutissimum attingere solebant, neque aberrabant à scopo proposito.

17. *Præter Biniamin*, לבד מבנימן] i. Exceptis illis qui numerati fuerant ex tribu Benjamin.

18. *Surrexerunt autem & ascenderunt in domum Dei*, ויקומו ויעלו בית אל] i. Confestim ascenderunt domum Dei, i. in Siloh, ubi erat tabernaculum Domini. ¶ *In principio*, בתחלה] *In initio*. Sic, c. 1. 1. h.e. Quæ ex omnibus tribubus prima dimicabit? ¶ *In principio*, בתחלה] *Initio*, sub. *ascendet*, i. tribus Juda prima omnium dimicabit.

20. *Et disposuerunt*, ויערכו] *Et ordinarunt*, aut, *instruxerunt contra eos aciem dimicaturi*.

21. *Et perdiderunt*, וישחיתו] Huic verbo jungitur quod in fine versûs ponitur, *ad terram*: ut sit *perdiderunt ad terram*, i. occisos prostraverunt in terram, sic v. 25.

22. *Et confortatus est*, ויתחזק] *Et roboratus est*, i. animum recepit, *populus*, *vir*, i. *Israel*, per appositionem dicitur.

23. *Ascenderant autem*, ויעלו] *Priùs tamen ascenderant*, sub. *ad domum Dei*. Filii Israel perierunt quòd permisissent coli simulacrum Michæ in tribu Dan. ¶ *Num addam accidere ad bellum*, האוסיף לגשת למלחמה] *Num rursum dimicabo*, vel, *Debeóne rursum dimicare*. V. 28. dicit, *Num addam ultrà egredi*, &c. ¶ *Fratris mei*, אחי] i. Fratres meos.

24. *Congressi sunt*, &c. ויקרבו וגו'] Ad verb. *Appropinquaverunt igitur filii Israel ad filios Benjamin die secundâ*.

25. *Ad terram*, ארצה] Vide v. 21. ¶ *Distringere gladium noverant*, שולפי חרב] Ad verb. *evaginatores gladii*, q.d. Omnes isti erant viri bellatores.

28. *Stabat ante eam*, עומד לפניו] i. Fungebatur dignitate Sacerdotali. ¶ *Fratris mei*, אחי] *Fratres meos*, ut v. 23.

29. *Posuit itaque*, וישם] *Collocavit itaque*. *Disposuit*.

30. *Disposuerunt*, ויערכו] *Instruxerunt*, sub. *aciem*. ¶ *Sicut semel & iterum*, כפעם בפעם] Ad verb. *secundùm vicem in vice*, i. ut aliàs, & hâc quoque vice. Vide c. 16. 20.

31. *Avulsi sunt*, הנתקו] i. Abducti sunt, h.e. discesserunt paulò longiùs ab urbe, astutiâ scilicet filiorum Israel. ¶ *Et cœperunt percutere*, &c. ויחלו להכות וגו'] i. Trucidarunt aliquot de populo ut antea. ¶ *Per semitas*, במסלות] i. In conjunctione semitarum, h.e. in biviis,

bivio, ut v. 32. ¶ *Ascendebat*, עולה] i. Ducebat, tendebat, h. e. quà ibatur, ad domum Dei. ¶ *In agro*, בשדה] q. d. Procul ab urbe.

32 *Casi sunt coram nobis*, נגפים הם לפנינו] q. d. Superiores sumus. ¶ *Ad semitas*, אל המסלות] i. Ad conjunctionem semitarum, h. e. ad bivium illum in quo coeunt duæ illæ semitæ, ut v. 31.

33. *Surrexissent*, קמו] Tum scilicet surrexerunt cùm filii Benjamin fuerunt abstracti usque ad bivium illud, & aciem instruxerunt in Baalthamar. ¶ *Exibant*, מגיח] *Discesserunt*, aut, *discedere cœperunt*. Alii, *proripuerunt sese*, aut, *abstraxerunt*. ¶ *E gramineto*, ממערה] Nempe *è planitie*, herbosa scilicet.

34. *Contra Gibeah*, מנגד לגבעה] *Ad Gabaa*. Vel, *de* loco qui erat *è regione Gabaa*. ¶ *Et prælium aggravatum est*, והמלחמה כבדה] *Et prælium erat ingravatum*, aut, *ingravescere cœperat*, h. e. acriùs geri cœperat, q. d. Pugnabant inter se acriter. Chaldæus paraph. *& copia illæ erant fortissima*, i. magno animo ingressi sunt eam urbem. ¶ *Nesciebant quòd*, &c. לא ידעו כי נגעת וגו׳] *Non intelligebant quòd pertigisset ad se malum*, i. quòd sibi immineret interitus.

35. *Et perdiderunt*, וישחיתו] *Et interemerunt*, vel *& trucidaverunt*. ¶ *Evaginabant gladium* שולף חרב] Hebraismus, Erant apti bello. Eadem locutio repetitur & v. 46.

36. *Viderunt verò*, ויראו] i. Cognoverunt. ¶ *Percuterentur*, נגפו] i. Cæsi essent. ¶ *Dederant autem*, &c. ויתנו וגו׳] i. Cesserant loco, h. e. cœperant retrogredi, ut abducerent eos ex urbe.

37. *Et protraxerunt*, וימשך] *Tubâ clangere cœperunt*. Alii, *traxerunt sese*, i. proripuerunt sese in urbem.

38. *Tempus autem constitutum erat*, והמועד היה] *Conventio autem facta erat*. ¶ *Quòd magnâ diligentiâ* &c. הרב להעלותם משאת] Ad verb. *multiplicare* [vel, *multiplicando*] *ut ascendere facerent combustionem fumi*, ut sit Macor, quod in quinta conjugatione simile est imperativo, i. quàm maximum possent excitarent incendium. Vel est imperativus, ut alloquatur ducem insidiarum, q. d. Da operam ut milites quàm maximum poterunt excitent incendium. Vel est nomen, & tunc deest ב *in*. De משאת vide Jer. 6. 1. Quidam vertunt, *ut ipsi diligenter ascendere facerent columnam fumi*, i. fumum qui præ se ferret figuram columnæ. Alii, *incendium permistum fumo*, vel *fumum permistum flammis*, i. ut diligenter excitarent quàm maximam possent flammam permistam fumo de urbe. V. 40. dicit, *ut columna fumi*.

39. *Verterant autem sese*, ויהפך] i. Dederant terga in ipso conflictu. ¶ *Percutere vulneratos*, להכות חללים] i. Interficere aliquot. ¶ *Dicebant enim*, כי אמרו] Sicut, v. 32. ¶ *Percutiendo percussus est*, נגוף נגף] i. revera percussi sunt, q. d. Inferiores nobis sunt sicut prioribus *conflictibus*.

41. *Viri autem Israel verterunt*, ואיש ישראל הפך] Singul. Heb. pro plur. i. versâ facie cœperunt resistere persequentibus. ¶ *Quod viderent*, &c. כי ראה וגו׳] Ad verb. *quia vidit quòd attingeret se malum*. Sing. pro plur. i. quòd intelligerent sibi impendere interitum.

42. *Verterantque sese*, ויפנו] i. Dederant terga. ¶ *Et prælium assecutum est eos*, והמלחמה הדביקתהו] i. Milites assecuti sunt eos. ¶ *Et qui de urbibus*, ואשר מהערים] Sub. *egrediebantur*, qui scilicet collocati fuerunt in insidiis. ¶ *Trucidabant eos*, &c. משחיתים אותו בתוכו] Ad verb. *perdebant eos in medio sui*, i. inter cæsos agri & cæsos urbis.

43. *Circundederunt*, כתרו] *Cinxerunt*, in modum scilicet coronæ, ut exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Persequi fecerunt eos*, הרדיפהו מנוחה] *Diligenter* [*strenuè*] *persecuti sunt eos* in loco *quietis*, i. in quo priùs quiescebant, aut, existimabant se posse quiescere. Quidam, *hortati sunt sese mutuò ad persequendum eos nè esset requies*, ut subaudiatur מן, vel, *ut nulla esset requies*. Chaldæus paraph. *à domo requiei ipsorum* [aut, *à loco quietis eorum*] *abduxerunt eos*. ¶ *Diligenter conculcaverunt eos*, הדריכוהו] i. Conati sunt conculcare eos. Alii, *ambulare fecerunt eos*. ¶ *Usque è regione*, עד נכח] i. Usque ad locum qui erat è regione Gabaa.

44 *Viri fortes*, אנשי חיל] Ad verb. *viri virtutis*, aut, *exercitûs*, i. viri fortes & bellicosi.

45. *Qui vertentes sese*, ויפנו] *Qui terga vertentes*. ¶ *Ad Petram Rimmon*, אל סלעה רמון] *Ad Selarimmon*. Nomen loci. ¶ *Et racemaverunt eos*, ויעללהו] i. Palantes & in diversa loca tendentes trucidaverunt. Pronomen sing. Heb. pro plur. Non dimiserunt ex eis racemos, sed omnes qui inventi sunt in viis trucidaverunt. ¶ *In semitis*, במסלות] *Per semitas*, i. per itinera, h. e. dum fugerent.

46. *Viginti*, &c. עשרים וגו׳] Omittit centum qui fuerunt enumerati in summa universali, quòd parvus esset numerus, quódque id jam dixerat. Omittuntur item mille qui fuerant enumerati in ipso delectu, qui ceciderant in duobus prioribus præliis. ¶ *Evaginantium gladium*, שולף חרב] Vide v. 35.

48. *De urbibus*, מעיר] Sing. Heb. pro plur. *in urbibus*. ¶ *Viros*, מתם] Qui scilicet reliqui erant, i. homines utriusque sexûs, ac cujuscunque status. ¶ *Quæ inveniebantur*, הנמצאות] Ad verb. *inventas*, i. exstantes & nondum dirutas. ¶ *Miserunt in ignem*, שלחו באש] Phrasi Hebraicâ dictum est, pro, *in omnes civitates miserunt ignem*, i. succenderunt.

CASTALIO.

18. S*Cava*] Qui sinistris manibus pro dexteris uterentur.

42. *Ab illis perdebantur*] Decem millibus electis, suprà memoratis.

CLARIUS.

2. O*Mnes anguli*] Hebræi exponunt *angulos* pro Præfectis populi, qui stantes in tanta multitudine dixerunt, *O filii Israel, dicite quomodo factum sit malum istud*, &c.

9. *Per sortem faciemus*] Alius vertit, *ascendemus contra eam per sortem*, h. e. Eligemus per sortem decimum quemque, qui multitudini commeatum & necessaria adducant.

16. *Sinistrâ*] Alius vertit, *Quorum dextra manus impedita erat*, ut scilicet magìs mirandum sit quòd, cùm dextrâ uti non possent, ità aptè uterentur sinistrâ.

21. *Occiderunt de filiis Israel*] Israelitæ ultione sceleris inflammati priùs ipsi purgandi erant, per quos aliorum culpa corrigeretur. Nam cur tam pauci Benjamitæ tantum numerum Israelitarum primâ & alterâ vice percusserint, Hebræi hanc putant esse rationem, Quòd propter idolum Micha Israelitæ tacuerint, quod gravius erat eo quod ipsi ulcisci volebant.

28. *Phinees*] Secundùm Hebræos vixit hic Phinees usque ad trecentesimum vitæ suæ annum, quod à Domino obtinuit propter illum zelum quem ostenderat; de quo in Numeris.

DRUSIUS.

1. A *Dan*] למן geminatis particulis, idem quod מן. Talia sunt in Latio *inante*, *de post*, *exante*, &c. *Dan*, quæ priùs *Lais*, & *Lesem*, terminus erat Terræ Septentrionalis. ¶ *Usque ad Bersabee*] Terminus Australis, & hæc est longitudo Terræ. *Galaad* autem in Oriente erat ultra Jordanem. ¶ *Ad Dominum in Maspha*] Nam ubi congregatio totius populi aut majoris partis, ibi Divinitas residet; juxta illud, *Deus stat in cœtu Dei*. Aut hoc dicit quia in Maspha erat altare DOMINI domúsque orationis, & erat locus conventibus habendis destinatus cùm de aliqua re populo conveniendum esset. Hoc propter victoriam illam insignem quam ibi adepti sunt Israelitæ contra Reges Chananæos. Videndus R. D. LXX Μασσηφά. Hieron. *Maspha*.

2. *Anguli*

3. *Anguli omnis populi*] i. Capita, duces, primores. Sanè scholia Ebraica enarrant ראשי העם, & Jon. *capita totius populi*, unde miror Tremellium, qui hîc verterit *usque ab extremitatibus totius populi*, מן subaudiens absque causa necessaria. In Ohel Moed radice מלך *rex* פנות *anguli* sunt חקצינים *duces* & הראשים *capita, primores*, tralatio ab ædificiis. Sic in lingua Aquitanica *canton* est *angulus*, quod reliqui Galli vocant *ung coin*: & indè *les Cantons de Suisse*. Sic in editione illius gentis *les Cantons de tribus d' Ægypte*. Nam legimus פנת שבטיה *angulum tribuum ejus*, i. interprete Hieronymo, *regnum populorum ejus*. Jon. רבני פלכהא *principes provinciarum ejus*. *Anguli* sunt ii qui autoritate præstant & reip. molem quasi fulciunt 1 Sam. 14.38. Jes. 19.13. Soph. 3.5. Nicolaus, *Anguli populorum*. *Ebrai dicunt, Domini populorum, i. capitanei in tribubus & familiis*. ¶ *Omnes tribus Israel*] Vel *omnium tribuum Israel*, ut ad *angulos* referatur, *anguli tribuum*, ut Jes. 19.13. *angulum*, i. angulos, *tribuum ejus*, sub. *Ægypti*. Hieron. ad h. l. *Idioma Scripturarum est ut Angulum pro Regno ponant, eò quòd populos contineat*, &c. Vide sodes.

4. *Et concubina mea*] καὶ ἡ παλλακή μου. Hieron. *cum uxore mea*. Nam uxor erat sine scriptura & sponsalibus; non ergò *scortata fuerat cum eo*.

5. *Gabaitæ*] i. Cives Gabaæ, vel certè inhabitatores ejus, sive cives fuerint sive non, nihil refert. In fonte בעלי הגבעה *domini Gabaa*, quod idem videtur cum אנשי הגבעה *viri Gabaa*. Hieron. *homines civitatis illius*. Lxx οἱ ἄνδρες τῆς Γαβαά. Jon. *habitatores*. ¶ *Me volebant occidere*] Hieron. *volentes me occidere*. Lxx ἐμὲ ἠθέλησαν φονεῦσαι. Sed fortè melius *me cogitabant occidere*. Sic sanè Jon. חשיבו. Trem. *sibi proposuerant*. Ad verb. *imaginati sunt*. R. S. כוונו להרגו *intenderunt occidere me*, q. d. Intentio eorum fuit ut hoc facerent. Nam quia eum cognoscere volebant, mori satius dicebat quàm ut hoc pateretur fieri. R. D. היו רוצים להרגו *volebant occidere illum, aut rem fœdam vocat Occisionem. Nam occidit qui aliquem ad tale flagitium compellit. Intentio eorum erat non occidere illum, sed abuti eo, quod ipsâ morte gravius est & intolerabilius. Ideo dicit*, OCCIDERE ME. ¶ *Afflixerunt*] *Compresserunt*.

6. *Per omnem agrum*] *Agrum* dicit regionem, ut, *in agro Moab*, in regione. Hieron. *In omnes terminos possessionis vestræ*. Lxx ἐν παντὶ ὁρίῳ κληρονομίας *in omni confinio*. Thargum *in omni termino possessionis terræ Israel*. Sed ager sign. quod diximus.

7. *Date vobis verbum*] Trem. *communicate vobiscum sermonem*. Hieron. *decernite quid facere debeatis*. Lxx δότε ἑαυτοῖς λόγον *date vobis ipsis sermonem*.

8. *In tentorium suum*] Mox se explicat cùm ait *in domum suam*. Nam quia olim in tentoriis habitabant, factum ut postea quælibet domus *tentorium* diceretur. Lxx εἰς σκήνωμα αὐτοῦ. In iisdem ζέμα est Ebraicum זמה, quod olim legebant *zemma* vel *zema*, i. *scelus*.

9. *Contra eam sorte*] Sub. *ascendemus*, quod Græci dicunt ἀναβησόμεθα, & Scholia Ebraica נעלה. q. d. Primùm sortiemur, deinde sortitione factâ contra eam ascendemus. Jon. *constituemus nos* נתמני. Trem. *oppugnabimus eam sorte*, & in margine *contra eam sorte ibimus*. Ratio sortis hæc erat, decimus quisque per sortem eligebatur ad annonam curandam, reliqui novem bellatores erat. Videndus R. D.

11. *Juncti*] *Simul juncti*, ut qui societatem inter se inierant, quos חברים vocat Santes *confederati*. Jon. שון. Hieron. *eâdem mente unòque consilio*. R. D. *Omnes erant socii in hoc negotio, & congregati sunt omnes sicut vir unus ad zelandum pro hoc flagitio, & ad vindicandum de iis qui fecissent illud*.

12. *Ad omnes tribus Benjamin*] i. Familias. *Tribus* & *familia* se mutuò explicant. Nam & *familia* pro *tribu* ponitur, & contrà *tribus* pro *familia*, ut hîc. Erant autem familiæ in tribu Benjamin numero decem: quod sign. R. D. per hæc verba, *Familia magna vocatur Tribus. Erant autem in tribu Benjamin decem familiæ magnæ, quæ erant domus patrum*, & בלע & בכר & אשבל & נרא & חפים & ארד & מפים & ראש & אחי & נעמן, *eràntque fortes, & qualibet familia reputabatur pro tribu. Itaque dicebant, Nos decem familiæ pugnabimus contra decem tribus Israel. Nam tribus Levi non erat inter illas*. Cæterùm *tribus* exponitur *familia* Jes. 19.13. in Abenezra. Vide Ohel Moed.

13. *Filii Benjamin*] Hîc nomen בני legitur, & non scribitur, cujusmodi alia sunt in textu Ebraico. Etiam Jon. illud legit h. l. Sed & Lxx οἱ υἱοὶ Βενιαμίν.

15. *Viginti sex millia virorum*] In clade ceciderunt viginti quinque millia & centum, sexcenti autem fugerunt ad petram Remmon: reliquis quid acciderit nescitur. Quidam arbitrantur eos in prioribus præliis desideratos fuisse, cùm Israelitæ cæderentur. In Medras proditum illos ivisse in terram Romania, ibíque habitasse. Vide Liram h. l. Nam putat ed. vulg. corruptam esse, in qua tantùm *viginti quinque millia*. In ed. Rom. εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες, sed in aliis, εἴκοσι καὶ πέντε, ut etiam in Vulg. nostra. ¶ *Viri juvenes*] Vel *viri electi*. Sic Lxx ἄνδρες ἐκλεκτοί. Sed Jon. *viri juvenes*. Ad verb. *vir juvenis*. Sic etiam Latini autores loquuntur, בחור *juvenis*, appellatio ab *eligendo*, quoniam eâ ætate ad militiam deligebantur, videlicet ab anno vigesimo.

16. *Ex omni populo isto*] Exercitûs filiorum Benjamin, qui erant 26 millia & septingenti. ¶ *Clausus manu dexterâ*] Vide notata Jud. 3. 15. Jon. *contractus manu dexterâ*. Santes *non utentes manu dexterâ, sed sinistrâ*. Hieron. *itâ sinistrâ ut dexterâ prælaintes*. Lxx ἀμφοτεροδέξιοι, i. *ambidexteri*, q. d. *utrâque manu pro dexterâ utentes*. Trem. *præcludentes manum dexteram suam*, i. *itâ præfidentes viribus suis ut vel manu sinistrâ cum hoste dimicare auderent*. ¶ *Non faciebat peccare*] *Non sinebat peccare*, i. *aberrare lapidem*. *Peccat* Lapis, itémque Sagitta, quando à scopo aberrat, quod Græci dicunt ἁμαρτάνειν, unde hîc Lxx καὶ οὐκ ἐξαμαρτάνοντες. Usus fuit eo sensu Herodotus. Senes autem legerunt יחטאו pro יחטא. Hieronymus periphrasi usus locum hunc itâ interpretatur, *& sic fundis lapides ad certum jacientes ut capillum quoque possent percutere & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur*. Locutio est hyperbolica, quæ summam peritiam artis illius ostendit, quam *artem fundibulariam* vocat Lira. Et est ars fundâ jaciendi lapides, in qua olim Baleares excelluerunt qui sic dicti ἀπὸ τοῦ βάλλειν, i. *à jaculando*: nam in fundæ jaculatione peritissimi erant. Tradit Lycophron, & post eum Florus l. 3. c. 8. *Eam hisce in insulis observatam consuetudinem ut esurientibus filiis à matribus jentaculum in sublimi trabe proponeretur; quod illi contingere non poterant nisi priùs fundâ dejecissent*. *Peccare* propriè est quod diximus, videlicet Aberrare à scopo. Hinc ductâ metaphorâ *peccare* dicuntur qui aberrant à scopo Legis Dei. Quo sensu nemo est qui non aliquando peccet; imò *septies in die cadit*, i. peccat, *justus*: quod tamen alii enarrant *in calamitates incidit*.

18. *Ascenderunt in domum Dei*] Sic infra v. 26. *ascenderunt & venerunt in domum Dei*. Vulg. noster *in domum Dei, hoc est, in Silo*. Nam ibi erat Arca. Quocirca etiam *domus Domini* vocatur suprà 19. 18. *domum DOMINI ego eo*, i. Siluntem. Lxx εἰς Βαιθήλ· & Jon. לביתאל *in Bethel*. Locus iste prope Siluntem erat, & fortassean eò Arca translata erat. Quod si probari posset, vertendum esset, meo judicio, *in Beth-el*: id sonat *Domus Dei*; sed est nomen loci qui, ut diximus, non procul aberat à Silo. Nam ait, *In Silo, quæ est ab Aquilone ipsius Bethel*. Vide si placet, D. Camium.

21. *Corruperunt*] Διέφθειραν, i. *perdiderunt*, *prostraverunt*. Nam sequitur ארצה *in terram*. Cladem hanc accidisse putant Israeli propter idolum Michæ, quod in illis diebus. Id certè inprimis è medio tollendum fuisset: quod quia non fecerunt, in hæc mala inciderunt. Dixit eis Deus, *Pro gloria mea non pugnastis, pro gloria carnis & sanguinis*, i. hominum, *pugnastis*. Videndus hîc R. D. cognomento Camius, & Lira, de causa hujus cladis.

27. *Ibi erat arca federis Dei*] Tunc Arca erat in Silo, non

non in Bethel, quod sciam. Dicitur autem *arca Dei* & *arca federis* quoniam in ea erant tabulæ federis. Hîc vocatur *arca federis Dei*. Sed & *Deus* audit interdum; ut ibi, *Deus venit in castra*, i. Arca.

28. *Phinees*] Pontifex illius temporis. ¶ *Filius Eleazari filii Aharonis*] Hoc adjecit nè putaremus alium fuisse illo nomine *Phinees* dictum quod facilè fieri potuit propter ætatem. Nam tanta ætas vix cadit in hominem illius ævi. Excesserat enim annum trecentesimum & eo plùs. Vide Camium h. l. & in Comment. Mal. 2. 4, 5. Manah. 189. 1. de longævitate vitæ, 1 Par. 11. 12. Ebræi Eli credunt esse Phinees. Eusebius in Chron. Vide Animadv. Scaligeri, 51. 2. *Phinees* est *Phœnix*, ut idem observat. Jonathan Num. 25. 12. *vivet in æternum, ut annunciet lætam redemptionem*. Firmat eorum opinionem qui credunt Eliam fuisse. Quidam censent Eliam fuisse ex filiis Benjamin. R. D. ad h. l. ¶ *Stabat ante illam*] Stabat ante Arcam cum Urim ac Thummim, è quibus responsum dabat consulentibus de eventu prælii. *Ratio interrogandi per Urim ac Thummim talis erat, quemadmodum scripserunt Doctores nostri f. m.* ait R. D. *Cùm interrogarent, interrogans faciem habebat contra interrogatum, & interrogatus faciem suum contra Divinitatem. Interrogans dicebat, An persequar cuneum illum? & an assequar eum? Et interrogatus dicebat, Persequitor, ascende, & prosperare*, &c. Vide sequentia in Comment. ad h. l. ¶ *Fratris mei*] אחי est nunc in fonte, non אחי *fratres meos*, ut legerunt Senes & Hieronymus. Alii τῶ ἀδελφῶ μυ. Ut Ebræi nunc sic olim legit etiam Jonathan.

29. *Insidias*] ארבים. Hieron. *insidias*. Lxx ἐνέδρα. Alii *insidiantes*, sive *insidiatores*: perinde est.

30. *Sicut alias*] *Sicut aliis duabus vicibus*. Ad verb. *sicut vice in vice*, q. d. *sicut vice unâ & alterâ*. Hieron. *sicut semel & bis*. Idem *tertiâ vice* edidit pro *tertio die*. Lxx ὡς ἅπαξ καὶ ἅπαξ *sicut semel & semel*. Jon. כזמן בזמן, ubi זמן non sign. *tempus*, sed est interpretamentum τῶ פעם, ideo reddi debet *sicut vice in vice*, Santes *ut semel atque iterum*. Trem. *ut antea*, quod Ebræi dicerent *ut heri nudiustertius*.

31. *In Bethel*] Itâ Hieron. Sed & Lxx εἰς Βαιθήλ. Alii *in domum Dei*, h. e. in Silo, ubi erat domus Dei, h. e. Tabernaculum, in quo Arca. Jonathan quoque *Beth-el* habet, quæ non procul aberat ab eo loco. Nicolaus annotat exercitum Israelitarum divisum fuisse in tres partes. Una pars erat in insidiis retro urbem; altera provocabat Benjamitas; tertia erat robur exercitûs. Insidiæ intrabant urbem, eámque comburebant. Vide illum, si placet & si vacas.

33. *Omnes viri Israel surrexerunt è loco suo*] Ad verb. *Omnis vir Israel surrexerunt è loco suo*. איש ex iis est nominibus quæ in sing. multitudinem significant; ut *pars, turba, populus*: ideo construitur cum verbo pl. ut, *Pars in frusta secant*. *Turba circumfusa fremebant*. Synthesin vocant. Et quia terminatio sing. est, ideo sequitur ממקומו, ut Ebræi observant על הכלל: verbum autem plur. est על הפרט *de particularibus*. Vide Camium. Hieronymus hîc addidit, *Omnes filii Israel*, ad sensum non malè. Lxx πᾶς ἀνὴρ ἀνέστη *omnis vir surrexit*. Thargum מאתריהון. ἐκ τῶ τόπων αὐτῶ, non αὐτοῦ. ¶ *In Baal-Thamar*] Jon. *in campis Jericho*. Nam Jericho vocatur *urbs Palmarum*. *Thamar* autem est *palma*. Hieron. *in loco qui vocatur Baal-thamar*. Lxx ἐν Βάαλ Θαμάρ. Eusebius De Locis, *Baal-Thamar, juxta Gabaa, ubi filii Israel adversùm tribum Benjamin iniere certamen, & usque hodie Bethamari in suprà dictis locis viculus appellatur*. ¶ *Exibant*] מגיח *exibat*. Hic est verbum intransitivum, alibi transitivum est sign. *extrahens, educens*. Vide K. Hier. *paulatim se aperire cœperunt*, אורב. Lxx τὸ ἔνεδρον & mox ἐπήρχετο. Trem. *eruperunt*. ¶ *E gramineto Gaba*] Itâ Santes, quæ interpretatio robur accipit ex Scholiis D. Camii ad h. l. Jon. *ex planitie Gabaa*. Hier. *ab Occidentali urbis parte*. Videtur legisse ממערב Beth pro He. Lxx ἀπὸ Μααραγαβέ, quod reddunt *à gramineto Gabaa*, vel *ab Occidente*, vel certè *à planitie*. In quibusdam Græcis ἀπὸ δυσμῶν τῆς Γαβαά. Vide Rom. ed. Trem. *post denudationem Gaba*: quod ille scribit *Gibha*. Sed est גבע pro גבע in textu Ebraico. Vide Notas Tremellii ad hunc locum.

33. *Dederunt vir Israel locum Benjamino*] Cedebant illis, ut itâ ab urbe excluderent.

37. *Protraxerunt*] *Tractim buccinarunt*. Sic alibi במשך היובל *cum buccina provulgabitur Jubilæus*. Jon. *pertracta fuerunt insidiæ*. Videndus R. D. Santes *pertraxerunt buccinæ sonitum insidiæ*. Trem. *tractim clanxerunt*.

38. *Tempus constitutum*] מועד reliquis Israelitis cum insidiis itâ convenerat, ut quando viderent incendium civitatis tunc se verterent in hostem: id tempus erat, quod Hieronymus *signum* vocat, i. אות, & Lxx σημεῖον. Jon. *tempus erat ordinatum Israelitis*, &c.

40. *Incendium*] Vel *elatio*, משאת à נשא, quòd ignis in altum elevetur. Mox *columna fumi*, ut fit ἀσύνδετον. Videndus R. D. Sic וישאם דוד *combussit eos David*. Sic in Deuterosi. Nam flamma in sublime fertur, ideo usus fuit verbo *ascendendi*. ¶ *Incendium urbis*] Fumus aut flamma incendii, כליל *totalis combustio*, ut fit in holocausto, quod propterea etiam כליל dicitur & עולה ab *ascendendo*.

41. *Vertet se*] In hostem, cui priùs tergum verterat fugiendo, v. 39. ut eum in insidias pertraheret. ¶ *Turbatus est*] Melius quàm *festinavit*.

42. *Averterunt se*] Reflexerunt cervicem & *in fugam versi sunt*, ut habet Hieronymus. ¶ *Bellum adhærebat ei*] Viri belli, i. bellatores, adhærebant eis. Hîc *bellum* sumi videtur pro *prælio, viri prælii* aut *pugna*, i. *præliatores* aut *pugnatores*, μαχηταί. ¶ *Eum in medio ejus*] Quemque ipsorum in medio ejus urbis unde erant, aut in medio exercitûs eorum. Vide K. ad hunc locum.

43. כתרו *coronâ cinxerunt*] Nam כתר *cidaris, corona*. Sic עטר usurpatur. Vide K. ¶ *Persequi fecerunt eum*] Hortati sunt alii alios ut persequerentur eum qui in *quiete* erat, i. domi manserat nec arma sumpserat. Quidam subaudiunt איש, ut dicat *virum quietis*. Sic *vinum* ponitur pro איש יין *vir vini*, i. vinosus; *dolus* pro *vir doli*, i. dolosus; *ignavia* pro *ignavo*. Hieron. *nec erat ulla requies morientium*. Jon. *è domo quietis eorum deturbarunt eos*. Aliter *in quiete ipsorum*, i. in loco ubi quiescebant, aut saltem putabant se quieturos, in patria sua. Videndus R. D. Lxx ἀπὸ Νουά, legerunt מנוחה, & acceperunt pro certo loco.

45. *Racemiarunt eum*] Tralatio à vineis. Quidam *Palantes occiderunt*, ut suprà 8. 2. ¶ *Usque Gedom*] Vel *Gidom*. Sed in antiquitate *Gedom*, pro quo Lxx Γεδάν. Esset autem Γεδάμ. Nam cùm vocales abessent tam poterat legi *Gedam* quàm *Gedom*: neque enim Vau ullum apparet in scriptura Ebraica. Contrà peccatum in Μαδιάμ & Ἐδέμ, quæ scribi debent Μαδιάν & Ἐδέν, cum *N*. in fine. Locus iste alibi non memoratur, quod sciam. Sic *Gerson* lectum pro *Gersom*.

46. *Viginti quinque millia*] Omisit centum quos memoravit suprà v. 35. contentus numero rotundo. Sic dico, Contentus numero majore omisit minorem. Sic sæpe *Septuaginta* nominamus Interpretes, qui tamen erant Septuaginta duo.

48. *Ab hominibus urbis usque ad bestias*] Ad verb. *ab urbe hominum*, & est inversio vocum, מתום *homines* comprehendit Viros, Feminas & Pueros. Homines in urbibus habitant communiter, bestiæ aut jumenta in agris: quanquam etiam in agris homines sunt. Novè nunc dixit מתם, cùm alibi sit מתים, quod *mortales* interpretantur, aut מתום *mortalitas*, & *urbs mortalitatis*, in qua mortales habitant. Alibi מתם est *integritas, sanitas*, à תמם. Vide Jes. 1. ¶ *Omne quod inventum*] *Quicquid est*, aut *exsistit*. *Invenio* pro *sum* notavi aliás. Vide Tropos. ¶ *Quæ inveniebantur*] *Quæ reliqua erant*, aut *supererant*. Hieron. *cunctásque urbes & viculos*. Lxx καὶ τὰς πόλεις τὰς εὑρεθείσας *urbes inventas*, prius erat ἕως παντὸς τοῦ εὑρισκομένου εἰς πάσας τὰς πόλεις. Vide K. ¶ *Miserunt in ignem*] Hypallage,

allage, pro *ignem miserunt in urbes illas*. Simile, *date classibus austros*. Vide Jud. 1. 8. Michlol. 31. 3. similiter Psal. 74. 7. *Miserunt in ignem sanctuaria tua*. Huc referunt ex Jes. 1. 3. *Novit bos præsepe domini sui*, pro *dominum præsepis sui*. Ovidius,

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Pro *corpora in novas formas mutata*. Lev. 17. 14. *Sanguis ejus in anima ejus*, pro *anima ejus in sanguine ejus*. Hiscuni vocat סירוס. Sic, *Sanctitas templi tui*, pro *Templum sanctitatis tuæ*, & Job 17. 4. *Cor eorum abscondisti ab intellectu*, pro *Intellectum abscondisti à corde ipsorum*.

IDEM.

6. זִמָּה. Lxx ζέμα. LL. AA. ἀφεσσύνην *insipientiam*] ζέμα nomen merè Ebraicum, quod reperitur & Ezec. 24. Hieronymus ibi exponit, dicens significare *immunditiem exsecrabilem ac scelestam*. Hîc vertit *nefas*, & alibi *scelus*, quod hodie retinuerunt plerique interpretes. Est ubi Lxx reddunt vocabulo ἀνομίας. R. D. *Significationem*, inquit, *habet rei abominandæ & operis mali*. In tractatu De cultu falso exponitur עצת חטאין *consilium peccantium*, sive *peccatorum*. Usus est etiam Theodotio, sed nescio ubi. Ipse autem ζέμμα scribit, μ geminatâ. Vide Cadmum meum. ¶ Ἀφεσσύνην. Vix dubito quin alicujus interpretis sit hoc, si non ζέμα est Theodotionis, & ἀφεσσύνη τῶν ὁ. De hac re Senatus literatorum statuet, decernet.

GROTIUS.

2. IN *Ecclesiam Dei*] קהל Hebræum & Græcum ἐκκλησία idem hîc valet quod Græcum σύνοδος, Latinum *conventus* aut *concilium*. Hanc vocem de Gallia usurpat Cæsar, Tacitus de Germania.

10. *Et reddere ei pro scelere quod meretur*] Repete quæ dicta suprà Jos. 22. 11.

12. *Miserunt nuncios ad omnem tribum Benjamin*] Vide quæ dicta Jos. 22. 16.

13. *Tradite homines de Gabaa*] Dedite illos noxæ, ut vos liberemini. Vide quæ dicta De J. B. ac P. l. 2. c. 21. §. 4, 5.

18. *Consuluerúntque Deum, atque dixerunt, Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin?*] Priùs consulere Deum debuerant an bellum suscipiendum esset in Benjaminem. Ejus enim rei causâ præcipuè datum erat Urim & Thummim. Vide 26. ubi hæc culpa corrigitur.

23. *Et flerent*] Piè admodum; quod in excommunicationibus secuti Christiani. Ac sic veteres interpretantur illud 1 Cor. 5. 2. ἐπενθήσατε.

26. *Et obtulerunt ei holocausta atque pacificas victimas*] Restituerunt decreto publico cultum publicum intermissum ob negligentiam non Phineæ, sed aliorum Sacerdotum, aut ob loca non tuta. Vide suprà 17. 5.

28. *Ascendite; cras enim tradam eos in manus vestras*] Victoriam eo die promisit Deus & præstitit, non antè tamen quàm populum valde corruptum pessimorum interitu purgasset: quod & ipsum beneficii erat genus.

29. *Posuerúntque filii Israel insidias*] Vide Jos. 8. 2.

35. *In illo die viginti quinque millia & centum viros*] Bene *in illo die*, nam & prioribus præliis quanquam superiores Benjaminitæ suorum amiserant ferme mille. Vide suprà 15.

44. *Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt decem & octo millia virorum*] In ipso pugnæ æstu. Est enim ἐπάνοδος. Itaque rectè vertas *fuerant interfecti*.

46. *Viginti quinque millia*] Et quod excedit. Vide suprà 35. Commune gentibus omnibus majores numeros exprimere, reticere minores ubi parùm ad summam conferunt.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

9. NUmeratus est enim populus] Kimhi exponit hoc verbum per זכר *recordatus est*, & שנח *prospexit*. Nos Chald. interpretem secuti sumus.

12. *In Silo*] Hinc facilè patere potest, Bethel & Silo hîc unum & eundem esse locum, quódque *Bethel* hîc accipitur substantivè pro *domo Dei*, & non pro certo & determinato loco.

14. *Non suffecerunt eis*] Juxta Hebraici sermonis proprietatem capitur non rarò מצא *invenire* pro ספק *sufficere*. Dicit igitur textus quòd quadringentæ illæ virgines non suffecerunt pro reliquiis Benjaminitarum, qui fuerunt sexcenti viri.

19. *Ab anno in annum*] Capitur hîc ימים more Hebraico pro *anno*. Et sunt qui per hanc solennitatem intelligunt Pascha, alii verò putant esse festum Tabernaculorum. Jonathan accipit ימים pro *tempore* מועד *testificationis*, h. e. *calendarum*. Sunt autem *calendæ* novilunia.

22. *Miseremini nostri*] Interpretes nostri communiter hallucinati sunt in hoc verbo, qui חננו vel חנו legerunt pro חנונו. Scribitur enim hîc in duplicatorum ordine, cum affixo plurali primæ personæ: & est sensus, חנונו בעבודם, sicut & nos vertimus. Kimhi tamen putat hîc חנן accipiendum pro *gratificari*; ut sit sensus, Gratificamini in hoc nobis, & dimittite eis raptas puellas. Nec putetis vos in hac re transgressores esse juramenti, quandoquidem vos non dederitis vestrâ sponte illis filias vestras, sed ipsi acceperunt eas.

VATABLUS.

1. VIR *ex nobis non dabit*, איש ממנו לא יתן] *Nemo nostrûm dabit*. ¶ *In domum Dei*, בית אל] i. In Siloh, ut c. 20. 18.

4. *Postridie autem*, ויהי ממחרת] Ad verb. *Et fuit, in crastino*. ¶ *Altare*, מזבח] Sub. *Novum*, quemadmodum facere solebant dum vellent consulere Dominum.

5. *Qui non ascendit*, &c. אשר לא עלה בקהל] i. Qui non interfuit cœtui coram Jehova.

6. *Et pœnituit filios Israel Benjamin*, וינחמו בני ישראל אל בנימן] i. Pœnitudine adducti sunt Israelitæ quòd interfecissent filios Benjamin. Vide v. 15.

7. *Pro uxoribus*, לנשים] i. Ut demus eis uxores, q.d. Quâ ratione dare poterimus reliquis uxores, cùm, &c.

10. *De viris fortibus*, מבני החיל] Ad verb. *ex filiis virtutis*, vel, *exercitûs*, i. qui erant fortissimi milites.

12. *Quæ erant in terra Chanaan*, אשר בארץ כנען] i. Ad castra quæ ex tota congregatione remanserant in terra Chanaan.

13. *Locuti sunt*, וידברו] Sub. *per legatos*, qui verba facerent. ¶ Cum *pace*, שלום] In *pace*, i. Appellaverunt eos verbis pacificis. Alii, *de pace cum illis egerunt*.

14. *Itaque reversus est*, וישב] *Et reversus est*, sub. *ad filios Israel*. ¶ *Servaverant vivas*, חיו] Ad verb. *Vivificaverant*. ¶ *Neque suffecerunt eis sic*, ולא מצאו להם כן] *Neque invenerunt illis sic*, i. neque hoc modo, hâcque à se excogitatâ ratione invenerunt tot uxores quot illi erant.

15. *Pœnituit ipsius Benjamin*, נחם לבנימן] *Pœnitebat de Benjamin*, vel *dolebat de Benjamin*, i. mali quod acciderat Benjamin. ¶ *Fracturam*, פרץ] *Rupturam*.

16. *Dixerunt ergò*, &c. ויאמרו וגו'] Hæc dicuntur per recapitulationem de omnibus illis superstitibus: & tunc in fine 18 versûs subintelligentur quæ priùs dicta fuerant

erant de hac materia. Vel ista intelliguntur de ducentis illis tantùm qui non habuerunt uxores unà cum aliis: & ità hîc post *Reliquis* subaudiendum erit *ducentis*. ¶ *Deleta est enim*, &c. [כי נשמדה וגו׳] Singul. Heb. pro Plur. *deleta sunt*, sive *perditæ*, *mulieres*.

17. *Hæreditas evasionis*, &c. [ירושת פליטה לבנימן] i. Studendum est, aut Conemur, ut ex tribu Benjamin aliquot serventur, qui sint vice hæreditatis ipsi Jaacob.

19. *Dixerunt insuper*, [ויאמרו] Sub. *Seniores*. ¶ *Qui*, [אשר] Hîc אשר pro באשר positum est, & subauditur *Locus* [*in loco qui est*, &c.] Designant ac describunt eis locum in quo virgines solebant ducere choros; ubi possent delitescere & rapere virgines, non autem describunt situm urbis Silo, quam omnes norant.

20. *In vineis:* [בכרמים] Propinquis scilicet ei loco.

21. *Ac videte:* [וראיתם] i. Considerate diligenter. ¶ *Ad saltandum in choris*, [לחול במחולות] i. Ad ducendum choros. ¶ *Et ite*, &c. [והלכתם וגו׳] q. d. Hoc facto recipietis vos in patriam vestram.

22. *Ad jurgandum*, [לריב] *Ad litigandum*, *conquerendum*, *expostulandum*. ¶ *Miseremini nostri pro illis*, [חנונו אותם] q. d. Non potuimus aliâ ratione dare illis uxores. Alii, *Date nobis illas*, ut ם pro ן ponatur. q. d. Sinite in gratiam totius Israelis illos habere eas mulieres. ¶ *Unicuique*, [איש] Pro לאיש positum. ¶ *In bello illo:* [במלחמה] Quod scilicet gestum fuit in Jabes-Galaad, in eo non accepimus tot virgines quot sunt viri. ¶ *Dedistis illis:* [נתתם] Sub. *filias vestras*. ¶ *Deliqueritis:* [תאשמו] *Peccaveritis*, i. contraveneritis juramento vestro.

24. *Eo tempore*, [בעת ההיא] i. His gestis.

25. *In diebus illis*, &c. [בימים ההם וגו׳] i. Eo tempore erat velut interregnum in Israel: & quisque quod sibi placebat, id facere solebat.

CLARIUS.

14. *Sed non suffecerunt eis*] Quadringentæ illæ virgines non suffecerunt pro reliquiis Benjaminitarum, qui fuerunt sexcenti viri.

22. *Miseremini nostri*] Gratificamini in hoc nobis, & dimittite eis raptas puellas: nec putetis vos in hac re transgressores esse juramenti, quandoquidem vos non dedistis vestrâ sponte illis filias vestras, sed ipsi acceperunt eas.

DRUSIUS.

1. *Juratus fuit*] i. Juravit. Sic, *juratus in legem Voconiam*. ὤμοσε *jurarunt*. Nam איש nomen est collectivum, quòd modò cum verbo sing. ut hîc, modò cum plurali construitur. Sed in Lxx οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. Sensum reddiderunt, non verbum è verbo. ¶ *Maspha*] Senes hîc ediderunt Μασσηφάθ, ut habetur in ed. Rom. sed in versione Latina *Massepha*. Contrà factum in *Golia* pro *Goliath*. Locus conventibus habendis destinatus. Jon. in *Masphaia*. ¶ *Non dabit filiam suam*] Habuerunt eos eo loco quo haberi solent המנודים, qui synagogâ moti affinitatem contrahere non poterant cum aliis. Videndus R. D. ¶ *Benjamino*] *Benjaminitæ*. Sic *Israel* ponitur pro *Israelita*. Plenum esset לאיש בנימן. Hier. *filiis Benjamin*. Jon. *iis qui sunt de domo Benjamin*. *Domus Benjamin*, ut *domus Israel*. Sic, *domus Assaraci*, i. Romani. Lxx τῷ Βενιαμίν· sic est in fonte. ¶ *Uxorem*] Εἰς γυναῖκα. *in uxorem*.

2. *In domum Dei*] Hieronymus addit *in Silo*. Lxx εἰς Βαιθήλ. Jon. לבית אל *in Bethel*.

4. *Exstruxerunt ibi altare*] Si domus Dei erat in Silo, nonne ibi altare? si in Bethel, exstruxerat ibi altare Jacob. Putarim eos exstruxisse altare novum propter novam hanc occasionem. Sed vide K. *Fortè*, inquit Lira, *prius altare destructum erat*. Aut Arca translata dum reponeretur novo altari egebat. Altare erat extra ordinem ob multitudinem hostiarum quæ offerendæ erant. Vide Tremellium.

12. *Puellas virgines, quæ non cognoverant virum concubitu maris*] Quod alibi est *cognoscere virum*, hîc pleniùs enunciatur *cognoscere virum concubitu maris*. Id Hieronymus dixit *quæ nesciebant viri thorum*. Lxx γυνὴ εἰδυῖα κοίτην ἄρσενος, & νεάνιδες παρθένοι αἵτινες οὐκ ἔγνωσαν ἄνδρα εἰς κοίτην ἄρσενος. Vide Rom. ed. Cæterùm *puella* dicitur quæ non sit virgo; *virgo* autem etiam quæ corrupta & imminuta: ideo adjectum *quæ non noverat virum*, &c. Scholia Ebraica tres hîc recensent modos probandi virginem. I. Transire faciebant eas ante Arcam: Quæ virgo erat, eam Arca retinebat; quæ jugum maritale subierat, aut alioqui virum cognoverat, eam non retinebat. II. Transire faciebant eas coram flore: Quæ imminuta erat aut subacta à viro, ejus vultus pallebat aut flavescebat. III. Collocabant eas super dolium vini: Subactæ odor diffundebatur, virginis non item. Id fecisse perhibent virginibus Jabes-Galaad. Per florem probabant feminas Madianiticas. Videndus h. l. R. D. ¶ *Quæ in terra Chanaan*] Relativum *quæ* non refertur ad *Silo*; notum enim eam fuisse in terra Chanaan; sed ad *castra*, quæ tunc remanserant in eâ regione, cùm ex iis ad Jabes-Galaad mitterentur. Frustrà igitur se hîc torquet R. D. quem te adire volo. Hier. *ad castra in Silo in terram Chanaan*. Lxx εἰς τὴν παρεμβολὴν εἰς Σηλὼμ τὴν ἐν γῇ Χαναάν.

14. *Non suffecerunt eis*] Nam sexcenti erant numero, cùm virgines essent quadringentæ tantùm; deerant igitur ducentæ. מצא hîc valet sufficere. Sic accipitur idem verbum Num. 11. 22. לא מצא להם *non sufficit eis*. Sic Hos. 12. 8. לא ימצאו לי *non sufficiunt mihi*. Hinc המציא Lev. 9. 12. *suppeditavit*. Psal. 21. 9. תמצא ידך לכל *Sufficit manus tua omnibus inimicis tuis*. Idem quod הספיק *sufficit*, vel רב *satis est*, quando vires corporis sufficiunt alicui rei præstandæ. Hîc de numero usurpatur. Hier. *alias non repererunt quas simili modo traderent*. Lxx καὶ ἤρεσεν αὐτοῖς οὕτω. Thargum לא ספיקו להון כן *non suffecerunt eis sic*. Trem. *sed sic non fuerunt satis eis*.

16. *Quoad uxores*] לנשים verti *quod ad uxores attinet*. Sic alibi *quod ad opera hominum*, לפעלות אדם. Lamed ità sæpe sumitur. Hier. *qui non acceperunt uxores*. Lxx εἰς γυναῖκας *in uxores*. Malim *de uxoribus*.

17. *Hæreditas evasionis*] i. Eorum qui evaserunt. Sic *deportatio* pro *deportatis*, & *captivitas* pro *captivis*. Sic alibi *& erit evasio*, i. aliqui qui evadent. *Hæreditas* hæc à Jacobo Patriarcha, qui voluit ut essent duodecim tribus in Israel. Non igitur hæc exscindenda.

19. *A diebus in dies*] *Ab anno in annum*, i. quotannis, vel annuatim. Nam erat festum anniversarium. *Fortè*, inquit R. D. *innuit festum Paschatis; aut festum Tabernaculorum, quod erat tempus gaudii; aut diem Chipphurim, i. Expiationum, quando filiæ Israel prodibant in vineas, secundùm verba Doctorum nostrorum* τῶν μακαρίων. *Cæterùm choreæ istæ ducebantur extra urbem Silo, in eo loco qui ab Aquilone* τῆς *Bethel, & ad significandum eum locum meminit horum signorum. Vineæ autem Silo vicinæ erant huic loco.* ¶ *Quæ sita ad Septentrionem*] Miratur K. cur his signis describat Siluntem, cùm situs ejus notissimus fuerit. Et ipse quidem refert אשר ad *festum*, quod agebatur & celebrabatur in ea parte urbis quæ respiciebat Aquilonem. Vide Tremellium & Camium. ¶ *Domus Dei*] Hier. *urbis Bethel*. Lxx τῆς Βαιθήλ. Sæpe variatum hoc modo in isto capite. Qui domum Dei significari putant quæ in Silo, juvantur v. 12. *adduxerunt eas* (ubi אותם pro אותן) *ad castra in Silo*. Confer cum v. 2. illius capitis, & aliis, deprehendes sermonem esse de illa domo quæ erat in Silo; non de urbe Bethel. Nam in Silo Arca erat, non in Bethel. ¶ *Lebona*] Λεβωνᾶ, quod scribunt לבונה. Eusebius De locis, *Lebona*, *in deserto*, *castra filiorum Israel*. Hic locus est non procul à Silo. Hier. *ad Meridiem oppidi Lebona*. Lxx ἀπὸ νότου τῆς Λεβωνᾶ. Jon. *Lebonatha*, לבונתא. Cùm appellative

tivè sumitur significat *thus*, λίβανος. Cæterùm Doctores Ebræi tenent Siluntem fuisse *in Septentrione Bethel*, & *in Austro Lebonæ*, & *in Oriente semitæ quæ ascendebat à Bethel Sicimam versùs*.

22. *Fratres earum*] הם pro הן, & *fratres* αὐτῆς τί, vel *cognati*, vel *affines*, *earum*, ut Job. 42.11. Nam *frater* consanguineus. Sic *fratres Christi*. Quâ ratione & *soror*, i. propinqua, cognata. ¶ *Miseremini eorum*] Benjaminitarum, qui aliâ ratione non possunt matrimonia sibi adsciscere. Alii, *Gratificamini nobis eas*, ut sit אותם pro אותן, quod crebrum in hoc capite. Lxx, Ἔλεος ποιήσατε ἡμῖν αὐτάς *Gratiam facite nobis eas*. Nam ἔλεος, i. חסד *gratia* quæ חסדא Chaldæis, unde דיצא דחסדא *caprea gratia*. Alii, Ἐλεήσατε αὐτοὺς *Miseremini eorum*. R.D. אותם exponit מהם, aut *date illas nobis dono*, &c. חנן propriè *gratis dedit*. Cæterùm quia in juramento est, *Vir ex nobis non dabit filiam suam*, &c. colligunt Ebræi quòd filii Benjaminitarum intrarint ecclesiam & potuerunt ducere filias aliarum tribuum. Vide Camium.

GROTIUS.

2. **E**T *magno ululatu cœperunt flere*] Expletâ ultione subit miseratio.

7. *Ablata est tribus una de Israel*] Uncia ex asse.

10. *Ite & percutite habitatores Jabes Galaad*] Pœna ἀσπλάγχνας. Vide suprà 5.23.

21. *Rapite ex eis singuli uxores singulas*] Sic Romulus & qui cum eo erant Magnis Circensibus Sabinas rapuere. Defendit aut excusat hoc factum Benjaminitarum Ambrosius loco quem protulimus l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 5. Seneca in Excerptis, *Lex eum tenet qui juvat exsulem, non qui patitur juvari*. Symmachus, *Inanem metum divino animo vestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam vos habere prabentium nisi detrahentium subieritis invidiam*. Certè illi innocentes erant qui consilium rapiendi non dederant: quod ipsum factum non fuisset si Princeps cum imperio fuisset in populo. Vide finem hujus capitis.

ANNOTATA
AD LIBRUM
RUTH.

CAP. I.

MUNSTERUS.

LIber RUTH mox succedit libro JUDICUM. Et sunt multi Hebræi in hac opinione ut putent Boaz, qui Ruth duxit uxorem, fuisse Judicem, qui alio nomine Judic. 12.8. vocatur אבצן *Ibzan*, is scilicet qui mox secutus fuit Judicem Jiphthah. Addit etiam Chald. interpres Ruth fuisse *filiam Eglon Regis Moab*; sed quod nullâ Scripturæ probatur autoritate. Non enim verisimile videtur ut Regis filia peregrini hominis filium duxerit maritum, & relictâ patriâ in aliam concesserit regionem, in qua etiam panis erat quærendus.

16. *Ne roges me*] Alii interpretantur verbum פגע pro *occurrere*; ut sit hîc sensus, *Ne obstes mihi, ut te relictâ revertar*.

17. *Sic faciat mihi Dominus*] Alii non sub forma conditionis, sed juramenti, sic legunt, *Sic faciat mihi Deus*, & *sic addat, si mors separabit inter me & te*.

VATABLUS.

LIbellus iste unus est ex illis libellis quos Hebræi vocant חמש מגלות *Quinque volumina*: quem editum fuisse existimant ad hoc præcipuè ut texeretur Christi genealogia, qui secundùm carnem ex Davide descensurus erat.

1. *Fuit*, ויהי] Ad verb. *Et fuit*. Grammatici Hebræorum annotant hoc loco ו non copulare, sed tantùm convertere futurum in Præt. ¶ *In terra*, בארץ] Sub. *Juda*. ¶ *Judices illi*, השופטים] Sub. *in Israel*, i. tempore quo Judices regebant ac moderabantur remp. Israelis.

¶ *Jehudah*, יהודה] Quæ est in tribu *Jehuda*. Hic additur *Jehuda* ad differentiam alterius Beth-lehem quæ est in tribu Zabulon. ¶ *Ut peregrinaretur in terra*, לגור בשדי] *Ut tanquam peregrinus habitaret in agro*, i. regione. Asserunt Hebræi hæc gesta fuisse tempore Ibsam Judicis in Israel, de quo Jud. 12.8. Hunc veteres Hebræorum Doctores dixerunt alio nomine appellatum *Boaz*, ac eundem esse de quo in hoc libello fit mentio.

5. *Et remansit*, &c. ותשאר האשה וגו׳] *Et relicta est mulier illa à duobus gnatis suis & à marito suo*.

6. *Surrexit igitur*, &c. ותקם היא וגו׳] Hebraismus, Confestim igitur ipsa cum utraque nuru sua reversa est, sub. *in patriam suam*. ¶ *Ex regione*, משדה] Ad verb. *ex agro*. ¶ *Panem :* לחם] *Panis* pro *alimentis* ponitur more Hebræorum.

7. *Et commiserunt sese*, &c. ותלכנה בדרך וגו׳] Ad verb. *& abierunt per viam, redeundo*.

2. *Ite, redite*, לכנה שובנה] *Agite, revertimini*. ¶ *Faciat Jehova*, &c. יעשה יהוה וגו׳] Hebraismus, Benefaciat vobis Dominus quemadmodum vos pietatem exhibuistis & mortuis illis filiis meis maritis vestris, & mihi.

9. *Vobis*, לכם] Ex doctioribus Hebræorum alter subaudit *maritum*, *Det vobis maritum, ut requiem inveniatis*.

10. *Ad populum tuum*, לעמך] i. Ad populares tuos.

11. *An ultrà mihi*, &c. העוד לי וגו׳] i. Habebône ultrà in utero meo filios, qui esse possint mariti vestri? q. d. Non.

12. *Quinetiam si dicerem*, כי אמרתי] i. Si hoc mecum reputarem, nempe quod sequitur.

 13. *Nun-*

13. *Nunquid retardabimini*, &c. 'הלהן תעגנה וגו] *Nunquid retardabimini quò minùs nubatis?* ¶ *Ne*, אל] Sub. *mihi sitis molesta:* ità Chaldæus paraph. *Nè amaritudine afficiatis animam meam.* Ex doctioribus Hebræorum alter exponit, *Nolite mecum pergere.* ¶ *Quia amaritudo*, &c. 'כי מר לי וגו] *Sum etenim multò majore quàm vos mœrore affecta: quoniam invasit me manus Jehova.*

14. *Et osculata est*, ותשק] Sub. *ac reversa est.* ¶ *Adhæsit ei:* דבקה בה] i. Comitata est eam, nec recessit ab ea.

15. *Cognata tua*, יבמתך] i. Uxor fratris mariti tui, fratria tua. ¶ *Eam:* יבמתך] *Cognatam tuam.* Anteced. Heb. pro relat.

16. *Nè roges me*, אל תפגעי בי] *Nè occurras mihi*, i. nè suadeas mihi.

17. *Sic faciat*, &c. 'כה יעשה וגו] q. d. Dispeream ego nisi, &c. vel, Hæc imò multò graviora faciat mihi Jehova, nisi, &c. ¶ *Separaverit*, &c. 'יפריד ביני וגו] Ad verb. *divisionem fecerit inter me & inter te.*

18. *Obfirmato esset*, &c. מתאמצת היא ללכת אתה] Ad verb. *quòd indurata esset ad eundum secum.*

19. *Commota est*, &c. ותהום כל העיר עליהן] *Tumultuari cœpit urbs ipsa tota propter illas*, i. cùm strepitu quodam commoveri. ¶ *Ac dicebant*, ותאמרנה] Sub. *mulieres.*

20. *Mara*, מרא] i. *Amaram:* h.e. tristem ac mœstam. *Naomi* significat *dulcem, jucundam & suavem.* ¶ *Quia amaritudine*, &c. 'כי המר שדי וגו] Hebraismus, Summo enim mœrore sive mœstitiâ affecit me Omnipotens.

21. *Plena*, מלאה] Sub. *divitiis & filiis.*

22. *Reversa quoque est*, ותשב] Nempe quadam aliâ vice, ut sentit ex doctioribus Hebræorum alter. ¶ *Unà cum Ruth*, &c. ורות המואביה כלתה עמה] Ad verb. *& Ruth Moabitis nurus ejus cum ipsa.* ¶ *Ex regione*, משדי] Hebr. *ab agris.*

CASTALIO.

8. TUM *erga mortuos, tum erga me*] Me, propter vestros maritos.

10. *Reversuras*] h. e. Ituras cum ea revertente. Nec enim revertebantur ipsæ in Judæam, cùm in Judæa nunquam fuissent.

13. *Valde vestrâ causâ doleo*] Invita à vobis divellor: sed cogit Jova, qui me vestris maritis privaverit.

20. *Noemim vocare*] *Noemis ab amœnitate & jucunditate, Mara ab acerbitate &* *mœrore* dicitur.

CLARIUS.

LIber RUTH, qui libri JUDICUM appendix est, ad declarandum progeniem David scriptus est, ut providentiâ Dei de alienigenis matribus sit natus Christus Dominus, qui in tota Israelitica gente Princeps Gentibus fiduciam præstitit, & exspectatio certa fuit salutis totius mundi non tantùm Judæorum sed & Gentium Rex. Sunt multi Hebræi in hac opinione, ut putent Booz, qui Ruth duxit uxorem, fuisse Judicem, qui alio nomine Jud. 12. vocatur *Abessam*, is scilicet qui mox secutus fuit Judicem Jephthe. Addit etiam Chald. interpres, Ruth fuisse filiam Eglon Regis Moab; sed quod nullâ Scripturæ probatur authoritate. Non enim verisimile videtur ut Regis filia peregrini hominis filium duxerit maritum, & relictâ patriâ in aliam concesserit regionem, in qua etiam panis erat quærendus.

DRUSIUS.

RUTH] i. Liber sive historia Ruth. Inscriptio est ut ESTHER, ut JUDITH, ut TOBIAS. Hunc librum pars Ebræorum Hagiographis annumerant, compactum in volumina ea quæ Ebraico vocabulo, quod à *volvendo* deductum, MEGILLOT vocantur. Sunt autem CANTICUM CANTICORUM, COHELETH sive ECCLESIASTES, RUTH, LAMENTATIONES sive THRENI, ESTHER. Hieronymus præfatione in Reges, *Nonnulli* RUTH *&* CINOTH *inter Hagiographa scriptitant.* Pars eum compingebant in librum Judicum. Idem ibidem, *Deinde subtexunt* SOPHETIM (de Ebræis loquitur) *h. e.* JUDICUM *librum, & in eundem compingunt* RUTH, ità quidem ut sub nomine *Judicum* etiam hunc librum comprehenderent. Sic enim locus Eusebii, qui hoc indicat, intelligendus, Κειται, Ῥὼθ, παρ' αὐτοῖς ἐν τῷ Σωφετὶμ, Hist. Eccles. l. 6. c 25. Fama tenet utriusque libri compositorem fuisse Samuelem. Isidorus De etymologiis, JUDICUM *librum &* RUTH *edidisse creditur Samuel.* Augustinus Eugubinus, *Credimus cum Ebrais librum* JOB *à Mose esse conscriptum;* JOSUE *verò, librúmque* JUDICUM, *&* RUTH, *à Samuele.*

1. *Fuit in diebus cùm judicarent Judices, ut esset fames*] In Ebræo habetur ad verbum, *& fuit in diebus judicare Judices, & fuit fames in terra.* Copula & otium agit ex Ebraismo, ubi tamen minimè otiosa est, nam futurum in præteritum mutat. Sic Esth. 1. 1. *Et fuit in diebus Asveri*, satis enim, *fuit in diebus Asveri.* ¶ *In diebus*] Temporibus Judicum. *Judices* autem vocabant Rectores sive Præsides Judææ, unde, *Liber Judicum.* ¶ *Judicare Judices*] Vel, quod magìs arridet, *judicare Judicum*, h. e. judicaturæ (liceat mihi sic loqui) sive recturæ Judicum. Vult dicere, Quo tempore Judices remp. Israelitarum judicabant atque regebant. Quidam explanant, *Cùm Deus judicaret Judices: judicaret*, h. e. puniret, fame afficeret, non placet. Vetus editio, *in diebus unius Judicis, quando Judices præerant*, longulè ab Ebræo divertit, sed nos in viam eam reduximus; nec dubitamus quin rectè. ¶ *Et fuit fames*] Abundat & *fuit* aliis interpretibus: mihi contrà videtur; itaque exposui *ut esset fames.* Sic infrà 3. 8. *& fuit mediâ nocte & contremuit*, Latinè, *accidit mediâ nocte ut contremisceret.* ¶ *Fames*] Ortam hanc famem scribit Josephus sub Eli Sacerdote eo cui Samuel successit, sed pugnat cum hac sententia recensio majorum Davidis quæ in extremo hujus libri; tum etiam Annales Ebræorum. In Seder olam majore c. 12, *Nahason Aminadabi F. mortuus est anno secundo exitûs Israelitarum ex Ægypto. Salmon ex iis fuit qui Terram ingressi sunt. Obiit post Josuam tota ætas illa. Porrò Elimelechus frater Salmonis fuit.* Hæc ibi. Ecce aiunt Salmonis fratrem fuisse Elimelechum, sub quo fames hæc orta fuit. Quod si est, vixit Elimelechus sub Principatu Josue, quo tempore frater ipsius uxorem duxit meretricem Rachab, quæ hospitio exceperat speculatores. Fatetur Hieronymus Proœmio in Hoseam, ità scribens, *Cur Salmon virum justum Booz de Rachab meretrice generavit, qui Ruth Moabitidem pinnâ pallii sui operiens, & jacentem ad pedes ad caput Euangelii transtulit?* Hoc concesso corruit opinio Josephi, etiam illa quæ tenet hanc famem accidisse sub Principatu Abesan Judicis, quem aiunt paululùm immutato nomine in hac historia Booz nuncupari: logi; cui opinioni quò minùs assentiar facit autoritas libri superiùs citati, qui annorum mundi seriem continet. In eo enim proditum hæc evenisse Eglonis ævo Regis Moabitarum. Et ut fortasse hoc ex S. literis liquidò probari non possit, tamen habitâ ratione temporis quo Elimelechus vixit, non dubito hanc sententiam, dum certiorem edoctus fuero, cæteris omnibus præferre. ¶ *In terra*] Ἐν τῇ γῇ de Judæa κατ' ἐξοχὴν, ut 2 Reg. 8. *Venit fames super terram:* ut Joel 1. 2. *omnes habitatores terra.* Vide quæ scripsimus Animadv. l. 2. c. 3. ¶ *Vir*] i. quidam. ¶ *E Beth-lehem*] Constructio est hoc modo, *abiit è Beth-lehem Juda*, vel hoc modo, *vir è Beth-lehem*, i. Beth-lehemita quidam. Sed magìs se probat animo meo *abiit è Beth-lehem Juda*, cùm mox sequatur, *Ephrathæi è Beth-lehem Juda:* cæteroquin idem bis diceretur, *abiit è Beth-lehem*, Latinè *abiit Beth-lehemo.* Annotavit Hieronymus in Matthæo pro *Juda* scriptum olim fuisse *Judææ*,

dea, librarii errore; cùm *Juda* hîc tribum Juda significet, non Judæam. *Beth-lehem* sonat Latinè *Domus panis*. Eadem *Ephratha* dicebatur à *fertilitate*. ¶ *Juda*] Aut *Jehuda*: hoc adjectum differentiæ causâ. Fuit enim altera Beth-lehem in tribu Zabulon: unde creditur fuisse Abesan is de quo memoria usurpata à me superiùs. ¶ *Ad peregrinandum*] Ut commoraretur advena & peregrinus: ea est vis verbi Ebraici. ¶ *In agris*] Hoc alii referunt *in agro*, alii *in regione*. Cæterùm promiscuè & pro eodem legimus *in agris* & *in agro*. ¶ *Et duo filii ipsius*] *Cum duobus filiis suis*, puto rectius quàm quod in olim tralatis *cum duobus liberis suis*: nam *liberorum* nomine etiam filiæ intelliguntur.

2. *Elimelech*] Si non fallunt Magistri, habuit in matrimonio filiam fratris sui: dicunt enim, *Elimelech & Salmon pater Boozi, & ἀνώνυμος ille propinquus de quo mentio in hoc libro, & pater Noomi, omnes illi fuerunt filii Aminadabi*, ex Scholiis Jarii ad v. 23. hujus capitis. Græcâ & Latinâ formâ nominis dicitur *Elimelechus*. Itaque legendum spondeo apud Josephum Ἐλιμέλεχος, quod vitiosè in exemplari Græco Ἀβιμέλεχος quamvis hoc modo etiam legatur in Bibliis Græcis ed. Complutensi. Vide Notas nostras ad illam editionem. Pro *Elimelech* hodie quidam scribunt *Elimelec*, cum *c* simplici: quos non sequor. Nam obstat antiqua consuetudo, tum etiam analogia: præterea usus obtinuit ut hujusmodi nomina aliter scriberemus: exempla sunt *Lamech*, *Moloch*, & alia sexcenta, quæ nullo negotio peti ex utriusque linguæ interpretibus possunt. ¶ *Noomi*] Duplici *oo*, libri Græci meliores, quos secutus sum, quanquam in nonnullis *Noemi*. Sic etiam legit autor Latinæ veteris. Hodie obtinuit ut scriberetur *Naomi*; fortè propter accentum. Eadem varietas in *Oholibama*, quod nunc scribunt ac legunt *Aholibama*. ¶ *Mahalon & Chelion*] Sunt verpi nonnulli qui hos nominari putant *Joas* & *Saraph*, 1 Par. 4. 22. quos valde errare arbitror. ¶ *Mahalon*] Vel, si mavis, *Machlon*. Apud Josephum Μαλλίων, vitiosum est, ut puto, legendúmque Μάλλων, vel Μάλων, unicâ *L*. *Malon* pro *Mahalon*, ut *Juda* pro *Jehuda*. ¶ *Chelion*] Talis lectio antiqua, hodie *Chiljon*, éstque duarum syllabarum nomen. ¶ *Ephrathai*] Gentile ab *Ephratha*. Est autem *Ephratha* quæ alio nomine *Beth-lehem Juda*, & *Beth-lehem Ephratha* dicitur. ¶ *E Beth-lehem Juda*] Abundare videtur quibusdam, ego additum confirmo lucis causâ. Nam *Ephrathæi* etiam dicuntur qui de tribu Ephraim, Jud. 12. 5. & 1 Reg. 11. 26. *Beth-lehem*, cum virgula ὑφὲν, vel *Bethlehem* sine ὑφὲν ex analogia, nam similiter scribuntur *Beelzebub*, *Haceldema*, & alia non pauca. In Ebraicis tamen libris disjunctim legitur *Beth-lechem*. ¶ *Et fuerunt ibi*] Commorati sunt ibi. Sic locutus est infrà, *egressa est è loco ubi fuerat*, v. 7.

3. *Vir*] *Maritus*. ¶ *Relicta fuit*] Remansit in vita cum duobus filiis suis.

4. *Et assumpserunt*] Si verum quod Josephus narrat, duxerunt uxores vivo adhuc patre, Antiq. l. 5. c. 11. Igitur vertendum *& assumpserant*, videlicet ante obitum patris. Verba Josephi, quibus hoc quod dixi significat, hæc sunt, καὶ προχωρούντων αὐτοῖς κατὰ νοῦν τῶν πραγμάτων, ἄγεται τοῖς υἱοῖς γυναῖκας Μωαβίτιδας, Χελλίωνι μὲν Ὀρφὰν Ῥοῦθιν δὲ Μαλλίωνι. Vetus *acceperunt*, ויקחו, non omnino displicet. *Accipere uxorem* ductum ex vetusto more, quo sponsa tradebatur à parentibus sponso, ísque eam accipiebat ab illis, comitatus parentibus suis; qui propterea etiam *accipere* dicuntur *filiis uxores*. Latinè dicimus *ducere uxorem*, & *ducere* simpliciter. Sic Nasui, *assumens*, ὁ γήμας *qui uxorem duxit*. ¶ *Moabitidas*] An hoc eis licuit per legem Mosis? Cùm id nusquam vetitum sit, videtur licuisse, est enim matrimonium juris, ut vocant, permissivi. Neque quod legitur Deut. 23. 3. *Non veniet Ammonita & Moabita in Ecclesiam Domini, nè quidem generatione decimâ; non venient, inquam, in Ecclesiam Domini in æternum*, huic sententiæ quicquam repugnat. Est tamen quod ei repugnet nonnihil, primùm ratio legis, Deut. 7. 3. *Nec filiam ejus accipies filio tuo; quia seducet filium tuum*: deinde quod habetur Ezræ 9. 1. *Ammonitarum & Moabitarum*: cui subnectit, *tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum*. Adversatur eidem sententiæ Chald. paraphrastes claris verbis: nam in eo sic legimus, *Transgressi sunt statutum verbi Domini, ducendo uxores peregrinas è filiabus Moab*. Idem paulò post ad locum, *mortui sunt ambo illi*, sic scribit; *Eò quod transgressi sunt statutum verbi Domini, affinitatem contrahendo cum populis extraneis, decurtati fuerunt dies eorum*. Quid si dicamus ambas proselytas fuisse? itâ quidam opinantur; neque mihi id displicet. ¶ *Orpha*] De hac quærunt Ebræi an proselyta fuerit. Ego vix adduci possum ut credam Elimelechum dedisse filiis suis uxores non colentes religionis quam Moses instituit. Cæterùm quia lectum infrà, *rediit ad deos suos*, putant eam rursus descivisse ad patriam superstitionem; quod non est tamen admodum credibile, cùm Noomi hortetur Rutham ut eam sequatur; *Vade*, inquit, *post fratriam tuam*. Ego quædam attuli ad hunc locum l. 1. Quæst. 16. quibus hoc addo, Fieri posse ut Noomi sic locuta sit tentandi gratiâ, nisi mavis ut dicamus eam migrasse leges pietatis. Certè in Antiquitatibus Biblicis Philo nescio quis itâ scribit; *Et elegit sibi Orpha deos Allophylorum, & abiit post eos. Ruth autem elegit sibi vias Fortissimi*. Idem autor ait Orpham & Ruth sorores fuisse: item ex Orpha genus ducere gigantem Goliath, quem David occidit. Vide Observat. l. 1. c. 15. ¶ *Alterius*] Ad verb. *secundæ*. ¶ *Ruth*] *Uxor Mahalonis*, infrà 4. 10. *filia Eglonis Moabitarum Reguli*, Chaldæus paraphr. partim Ebræorum, quos tamen in eo errare arbitror. Videndus Nicolaus Scholio ad h. l. ¶ *Habitarunt*] Trem. & Jun. *consederunt*, ad verb. *sederunt*. Notum ut *sedere* Ebræi usurpent pro *habitare*. Notum & illud, *sedem* pro *habitatione* poni solere. Nihil usitatius. ¶ *Circiter decem annos*] In Josepho Ruffini *decem & octo*. Mendum manifestarium, corrigendum ex hoc loco, & ex codice Græco, ubi rectè scriptum διελθόντων δὲ δέκα ἐτῶν. ¶ *Ibi*] In agro Moab.

5. *Etiam ambo illi*] Dictio *etiam* referenda ad Elimelechum. Neque enim placet Jarii commentum, qui scribit priùs exstinctos fuisse camelos & pecora ipsorum. Delirat sæpe homo lunaticus; itaque non nisi cum judicio legendus. ¶ *Relicta fuit*] Remansit superstes. ¶ *Mulier illa*] ἡ γυνή· articulus vim obtinet pronominis hoc loco, κατ' ἀναφορὰν videlicet. ¶ *A duobus natis suis*] *Orbata duobus natis, & marito*. Sic malo quàm, ut antè legebatur, *liberis*.

6. *Surrexit*] Ut *sedere* dicitur phrasi Ebraicâ qui in aliquo loco manet, itâ *surgere* intelligi potest qui indè digreditur. Jon. 1. 3. *surrexit ut fugeret Tharsum*. ¶ *Nurus ipsius*] Ambæ nurus ipsius. ¶ *Et reversa est*] *Surrexit & reversa est* valet hoc, *surrexit ut reverteretur*. Quidam exponunt, *reversa est*, reverti cogitavit. Quale illud, *pugnavit Israel cum Balac*, pro eo quod est *pugnare instituit*. Item illud, *invenit navem euntem Tharsum*, Jon. 1. 3. Vetus interpres priorem expositionem confirmat: nam sic retulit, *surrexit ut in patriam pergeret cum utraque nuru sua*. ¶ *Ex agris Moab*] *E regione Moabitide*, idem interpres; & bene, meo animo. ¶ *Quoniam audiverat*] Propter famem enim discesserat ex patria, eâ sedatâ, rediit; & simul quia ferre non poterat desiderium amissorum liberorum, propter quos domo egressa erat, ut Josephus scribit. ¶ *In agro Moab*] Cùm adhuc ibi consideret. ¶ *Quod visitasset Dominus populum suum*] Quòd subvenisset populo suo annonam levando, hoc significat cùm ait *dando eis panem*. ¶ *Populum suum*] Israel. ¶ *Dando*] Benignè ac largiter dedisset: ea est vis verbi *visito*. Psal. 8. 4. *Quid homo, ut visites eum?* Pro eodem usurpant *respicio*. Itaque vetus translator hîc edidit, *quòd respexisset populum suum, & dedisset eis escas*. Syrus quoque interpres *Deus visitavit populum suum* posuit pro eo, quod in exemplari Græco *respexit*

respexit, Luc. 7. 16. Dicunt etiam *novi* & *memini* eodem sensu, rectéque est apud Paraphrasten hoc in loco, *quoniam memor fuisset populi sui Israel, dando eis panem*. *Visitare* secùs denotat cùm hoc modo construitur, *Visitabo contra domum Jehu*, sensus enim nunc est, *Animadvertam in domum Jehu*. ¶ *Panem*] Frumentum ex quo panis conficitur, vel res ad victum necessarias, cibum ac potum. Huc refer, *Qui das panem omni carni*, &, *Lac caprarum pro pane tuo*.

7. *E loco ubi fuerat*] E loco agri Moab, ubi commorata fuerat: suprà, *& fuerunt ibi*. Vide quæ scripsimus ad locum illum. Vetus, *è loco peregrinationis suæ*, h. e. ubi peregrinata fuerat: placet. ¶ *Redeundo*] Eundo, pergendo, catachresis. ¶ *In terram Juda*] Sive *Juda*, vel, *in terram Judæam*. *Terra Judæa*, ut *terra Græcia*, *terra Italia*, in quibus exemplis *terra* nomen sumitur pro *regione*.

8. *Ite, redite*] *Agitè dum, redite*, vel *abite, revertite*, ut fit, ἀσύνδετον. ¶ *Utraque*] Vel *amba*. Trem. & Jun. *quaque*, placeret, si sermo esset ad plures, nunc cùm duas alloquatur, videtur ad sententiam aptius esse *amba* vel *utraque*. Ad verb. *mulier in domum matris suæ*. Non eruditos modò, quibus hæc omnia notissima sunt, sed neminem esse puto tam in his literis hospitem cui notum non sit nomen איש poni ab Ebræis pro eo quod Latini dicunt *quisque, ambo, uterq*; sic אשה *quaque, amba, utraque*. ¶ *Matris suæ*] *Maternam*. In hoc verbo inest pondus: nam & majus solet esse desiderium matris quàm patris; & in eo minus sibi filiæ quàm filii temperant. ¶ *Misericordiam*] Mallem *benignitatem*; ut hoc dicat, *faciat vobis benignè*. ¶ *Cum mortuis*] Cum filiis meis, maritis vestris, qui jam mortui sunt. Tremellius hunc locum sic convertit, *exerceat erga vos Jehovah benignitatem, quemadmodum exercuistis erga mortuos & erga me*. ¶ *Mecum*] Officium quod quis tribuit socrui suæ à Latinis propriè appellatur *pietas*: est enim *Pietas* erga parentes eósque qui parentum loco sunt. Sed & officium quod marito præstatur ab uxore Ebræis חסד dicitur: latè igitur patet id nomen, neque uno Latino vocabulo exprimi satis commodè potest, cùm *pietas* usu loquendi non sit in Deo, sed erga Deum. Nemo enim ità opinor loqueretur; *Faciat vobis Dominus piè*, aut, *Exerceat erga vos pietatem*.

9. *Det Dominus vobis*] Optat eis alias nuptias, & quidem feliciores quàm quibus fuerant privatæ; Josephus. ¶ *Ut inveniatis*] Ad verb. *& inveniatis*, figura loquendi Ebraica qualem antè observavimus in illo, *surrexit & reversa est* pro *surrexit ut reverteretur*. ¶ *Requiem*] Quietum matrimonium; ut infrà, *quæram tibi requiem, quâ tibi bene sit*. Vide quæ notavimus ad h. l. ¶ *Osculata est eas*] Mos hîc veterum fuit cùm discedentes invicem valedicerent.

10. *Tecum revertemur*] Te comitabimur revertentem, neque enim ipsæ *reverti* poterant unde non fuerant egressæ: aut καταχρηστικῶς *revertemur* dixit pro *ibimus*. Vide suprà v. 7. & infrà v. 22. ¶ *Ad populum tuum*] Ad populares tuos Judæos.

11. *Filiæ meæ*] Nurus meæ. Aut est nomen blandè alloquentis juniores natu. ¶ *Cur iretis*] Aut *veniretis*, ut Tremellius habet. ¶ *An adhuc mihi filii*] Quædam scitu non indigna notavi ad hunc locum, l. 3. Quæst. 16. ¶ *In utero meo*] Ad verb. *in visceribus meis*. ¶ *Ut sint vobis viri*] *Qui vobis viri sint*; secundùm legem quæ habetur Deut. 25. 5. Porrò legem illam intelligendam esse de fratribus germanis secùs quàm nonnulli scripserunt, ex hoc loco, h. e. è testimonio veritatis minimè dubio, satis probari potest. Conferendus etiam hic locus cum illo Lev. 18. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*. Quanquam enim lex generaliter concepta, tamen excipitur hic casus, & rectè Nicolaus ad h. l. *Excipitur*, inquit, *casus, quando frater moritur sine liberis: tunc enim frater vivens non solùm potest eam accipere in uxorem, sed etiam tenetur eam accipere, ut suscitet semen fratri suo defuncto*. ¶ *Viri*] Ad verb. *in viros*. Genus loquendi, ut, *Ero ei in patrem*. *Fuerunt hostes ejus in caput*. Ebraismus est nusquam non obvius.

12. *Quàm ut sim viro*] Quàm ut possim nubere, aut habere consuetudinem cum viro. ¶ *Est mihi spes*] Prolis. ¶ *Hâc nocte*] Ad verb. *nox*, pro *noctu*. Sic veteres etiam loquebantur. ¶ *Viro*] Hîc non tam *nubere* significat quàm *esse cum viro*, h. e. ut aliàs loquuntur, *cognoscere virum*, sive, *rem habere cum viro*. Sic Plautus, *Hâc nocte mecum fuit jussu hospitis*, dixit pro eo quod est *consuetudinem habuit*.

13. *An propter eos exspectabitis*] *Eos* verti potest vel *propter eos*, ut sit HEN pro HEM; nisi placet magìs *propter ea*, ut mox, *an propter ea præstolabimini?* Recens interpres, *nunquid retardabimini propter eos?* Meâ sententiâ *tardari alicui* novè dixit pro *præstolari*. Nam verbum Ebraicum in communi sermonis usu est *tardari*: à quo nomen *anchoram* significans, quòd navem sistat atque remoretur. Exstat eo significatu in Jure Ebraico, *Qui vendit velum, vendit anchoram*, i. עגון. ¶ *Donec adoleverint*] *Donec crescant & annos pubertatis impleant*, interpres vetus. ¶ *Ut non sitis viro*] *Esse viro* aliud nihil hîc denotat quàm *nubere*, alioqui unum virum simul habere non potuissent, cùm duæ essent. Simile, *& suspenderunt ambos in patibulo*: vult dicere, *Patibuli*, aut *crucis, supplicio utrumque affecerunt*. Non enim hoc in loco per *crucem* singularem aliquam crucem denotat, sed magis genus supplicii quod per crucem fiebat. ¶ *Nequaquam, filia mea*] Nolite differre nuptias vestras tamdiu. Vetus, *Nolite, quæso filiæ mi*. Addidit *quæso* ex Bibliis Græcis: quod tamen ex Ebræo abundabat. ¶ *Quoniam amarè mihi est*] Ad verb. *amaritudo mihi est*, vult dicere, *Ægrè mihi est*. ¶ *Nimis*] *Nimis amarè*, ut *nimis facetè*, *nimis properè*, signat, *valde amarè*. In eodem loco *quàm* valet *magìs quàm*. Integer locus erit si legas, *Amariùs multò mihi est quàm vobis*. ¶ *Quàm vobis*] Posset reddi *propter vos*, hâc sententiâ, Auget dolorem meum quòd vos mihi adsitis viduæ & sine liberis. Sic editio vetus, *quia vestra angustia magìs me premit*. Verùm potiùs se probat animo meo *quàm vobis*, aut *præquàm vobis*, quod videtur aptius & sensui convenientius: hoc vult, Major mea quàm vestra ærumna: vos enim viris tantùm, ego viro & liberis orbata sum. מכם compendio dictum, pro מלכם, cujus compendii exempla & alia licet invenire. Est præterea enallage pro מכן. ¶ *Quoniam egressa est*] Trem. *sed exseruit se contra me manus Domini*, hâc sententiâ, Quòd à vobis discedam, id non facio meâ sponte; cogor ità facere: urget enim manus Domini, qui me filiis privavit, vos maritis: proinde si vobis grave à me divelli, mihi multò gravius est vestro consortio privari. Probo hanc sententiam. ¶ *Manus*] Plaga.

14. *Denuò*] Alius interpres *iterum*, alius *rursum*. ¶ *Osculata est*] Osculo dato valedixit ei, ut Gen. 31. 28. *Non permisisti me osculari filios meos & filias meas*, & 1 Reg. 19. 20. *Osculer nunc patrem meum & matrem meam*. Talis mos hodiéque obtinet in quibusdam locis, ut videlicet discedentes valedicturi se invicem deosculentur. ¶ *Adhæsit ei*] Firmissimè, ut quæ glutine conjuncta sunt: est enim דבק *adglutinari*, quod Græci dicunt προσκολλᾶσθαι, quo significatur arctissima conjunctio, qualis est viri & uxoris. Usus eo verbo Moses Gen. 2. 24. & Christus Math. 19. 5. & Apostolus Ephes. 5. 31.

15. *Et dixit*] Noomi. ¶ *Fratria tua*] Uxor leviri tui. Vetus, *cognata tua*. Juxta vulgare idioma Italorum *cognatam* vocat quæ à Græcis εἰνάτηρ, i. *uxor leviri*: propriè loquendo Orpha & Ruth *janitrices* erant, εἰνατέρες, ἢ σύννυμφοι, h. e. duorum fratrum uxores. ¶ *Ad populum suum*] Ad populares suos Moabitas. ¶ *Ad deos suos*] Utrùm hoc dicit, *ad religionem deorum suorum?* an hoc, *ad locum ubi coluntur dii patrii ipsius?* ut idem sit cum illo quod Josephus refert, *in patriam suam*. Priorem expositionem confirmat illud, *Deus tuus, Deus meus*. Ex hoc loco colligunt nonnulli Orpham à religione Mosis, quam vivo marito coluerat, descivisse ad religionem patriam. Cæterùm pro *ad deos suos* licet etiam vertere *ad Deum suum*. Nam proprium erat Numen ei genti, *Chamos*

mos appellatum: unde illud, *Populo Chamos*, de Moabitis. Vide Animadv. l. 1. c. 56. ¶ *Post fratriam tuam*] Tentandi animo, & ut fidem ejus exploret, quidam hæc dici putant. Vide suprà quæ notamus ad v. 4.

16. *Nè adverseris mihi*] Ità Vetus interp. quem secutus sum: hoc vult, Nè me urge rogando ut te deseram, ut à te discedam. Vide infrà 2. 22. Ad verb. *Nè occurras in me.* Santes, *Ne roges me.* ¶ *Recedendo*] *Revertendo.* ¶ *Quocunque iveris*] Quocunque terrarum iveris te sequar. ¶ *Pernoctaveris*] *Diversata fueris, manseris.* ¶ *Populus tuus*] Ego me in numerum tuorum popularium aggregabo. ¶ *Deus tuus*] Eandem tecum religionem colam. Et gente & religione Judæa ero.

17. *Ubicunque morieris, moriar*] Eodem loco moriar tecum, neque patiar me sepeliri alibi quàm ubi tu sepulta eris. ¶ *Sic mihi Deus faciat*] Formula jurandi apud Ebræos. Nos diceremus, *Ità habeam Deum propitium*; *Ità me Deus adjuvet*, vel *amet*. Hoc significat, Ità me Deus amet ut propositum est manere apud te, quam nisi mors, nulla res à me divellet. ¶ *Faciat*] Utrùm bene an malè? ¶ *Addat*] Pergat facere. ¶ *Mors*] ὁ θάνατος, cum articulo; *mors sola*, ac si diceret, Dum vivam, à te non divellar.

18. *Quòd obfirmasset*] Trem. *videns eam fortiter instare ut pergeret secum.* ¶ *Destitit loqui ad eam*] Non simpliciter loqui, sed sic loqui ut hactenus locuta fuerat: q. d. Destitit ei suadere reditum in patriam.

19. *Ambæ*] In Ebræo est *ambæ illæ*, & הם pro הן, enallage generum. ¶ *Commota fuit*] *Et fuit & commota est.* Latinè sic, *accidit ut tota civitas ad eas effusa quasi cum tumultu accurreret.* ¶ *Tota civitas*] Omnes cives. Figura loquendi, ut Matth. 2. 3. *Herodes rex turbatus est, & tota Jerosolyma cum eo.* ¶ *Et dixerunt*] Mulieres Bethlehemiticæ. ¶ *An hac Noomi?*] Non tam interrogant quàm mirantur.

20. *Nè vocate me Noomi*] Nam hoc nomen tueri non possum marito ac liberis orbata. ¶ *Noomi*] i. *Jucundam, amœnam.* Vetus *pulchram.* Ferri potest: præoptem tamen prius, quod non ità est alienum à contrario *mara*: ad sententiam certè est multò aptius: quanquam vox Ebræa utrumque significat. ¶ *Vocate me Mara*] Potiùs vocate me *Mara*, i. *amaram, tristem, horridam, animi ægram.* Metaphora. ¶ *Amaritudine*] Tristitiâ, horrore. ¶ *Omnipotens*] *Saddai*, de quo l. 2. Quæst. 1. A Græcis interpretatur hoc loco ὁ ἱκανὸς *sufficiens* aut *potens.*

21. *Plena*] Maritum habens ac liberos. Hujus contrarium, *vacuè reduxit me Dominus*, orbam liberis, orbam marito. Santes & alii, *vacuam*: non ità placet: nam esset RECA, cujus masculinum REC; unde RECIM, *homines vacui & inanes.* Malo igitur RECAM *vacuè*, adverbialiter, ut חנם *gratis, frustrà.* Nam quæ sic terminantur apud Ebræos naturam habent adverbiorum; qualia sunt apud autores Latinos *palàm, protinàm, promiscàm, properàm* & alia ejusdem generis. ¶ *Testificatus sit in me*] Sic Tremellius vertit. Fuit aliquando cùm vertendum esse opinarer *afflixerit me.* Nunc opinioni meæ obstare duo animadverto: primùm obstat genus constructionis, *in me*: deinde quia lectum ענה ANA: nam *affixerit* est ענה INNA. Eadem obstant interpretationi antiquæ *humiliavit me*, nisi probetur verbum Ebraicum in ea conjugatione sic constructum talem significationem habere; de quo ampliùs quærendum censeo. Nam *testificatus est in me*, ut liberè dicam, non admodum arridet. ¶ *Et Omnipotens malis affecerit me*] Allevamentum quoddam doloris est in rebus adversis credere nihil fortuitum, sed mala omnia à Deo esse; ipsum verò, cùm omnipotens sit, posse, si velit, eadem in melius commutare.

22 *Et reversa est*] Hîc *&* valet *igitur*, aut tale quid. ¶ *Quæ redierat*] Quæ venerat. Ità Josephus explicat, ἐλθοῦσαν δὲ τὴν Ῥοῦθιν μετὰ τῆς πενθερᾶς εἰς τὴν Βηθλεέμαν, Βόοζος Ἐλιμελέχου (vulgò perperàm Ἀβιμελέχου) συγγενὴς ὢν ξενίζει. ¶ *Messis hordeorum*] Quia antè messem triticeam. Porrò messis inchoabatur secundâ Azymorum, nempe 16 mensis Nisan; qui Martio respondet ex parte. Durabat autem dies 49 sive hebdomadas 7 integras, videlicet usque ad 6 mensis Sivan, h. e. Maii.

IDEM in edit. Gr. Complut.

1. ἘΝ τῷ κρίνειν] Placet, ut est in alio codice, τοῦ κρίνειν· nam ἐν τῷ κρίνειν, i. בשפט *Bisphoth*: secùs est in Ebræo. ¶ Τῆς Ἰουδαίας] Sic Matth. 2. 1. ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας· neque mendum est, ut Heronymus opinatur. Quanquam non malè etiam legeretur τῆς Ἰούδα, ut mox ἐκ Βηθλεὲμ τῆς Ἰούδα. Nihil temere affirmaverim, sed si antiquus liber me adjuvaret, dicerem nunc etiam interpretes scripsisse ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς Ἰούδα, potiùs quàm Ἰουδαίας. ¶ Ἐν ἀγρῷ] i. בשדה *Bisdeh*, sic locutus est infrà v. 6. *Nam audiverat in agro Moab*, ut parùm interesse videatur hócne modo reddas, an illo, *in agris Moab*; sensus enim idem.

2. Νοομί] Lectio varians Νοεμμείν. Ex hac lectione, partim etiam ex libris Latinis, videtur scribendum Νοεμὶ, sive, quòd eodèm recidit, Νοεμεί· sed Νοομὶ magìs animo meo placet. ¶ Μααλὼν] Μααλλὼν habet alius codex, λλ geminatâ, quod minùs arridet. In Josepho contractiùs scriptum Μαλὼν, in quo Character antiquitatis elegans, *Malon* pro *Mahalon.* Scilicet antiquos elidere solitos Heth in medio. ¶ Χελεὼν] In alio exemplari Χελαιών. Placeret Χελιὼν, per ι consonantem. ¶ Ἐκ γῆς Ἰούδα] Repone veram lectionem ἐκ Βηθλεὲμ τῆς Ἰούδα, quæ lectio in meo cod. invenitur, & cum Ebræo convenit.

3. Ἡ γυνὴ αὐτῆ] A libris Ebræis & à meo exempl. abest ἡ γυνὴ, quod mihi videtur glossema alicujus esse.

4. Καὶ ἐλάβοσαν] Meus liber, καὶ ἔλαβον.

5. Ἀπὸ τῶν δύο υἱῶν αὐτῆς, καὶ ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς] Ità legitur in Ebræo. Germanicum exemplar habet ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, καὶ ἀπὸ τῶν δύο υἱῶν αὐτῆς. Verba transposita à scribis.

6. Ἀπέστρεψαν] Meus liber, ὑπέστρεψαν. ¶ Ἄρτους] In Ebr. ἄρτον singulariter.

7. Οὗ ἦν ἐκεῖ] Meus, οὗ ἦν ἐκεῖ αὐτὴ, minùs bene.

8. Πορεύθητε δὴ] Abest δὴ à cod. Ebræo, tamen & infrà legitur non semel, ut additum esse ab interpretibus ipsis suspicari quis possit. ¶ Εἰς οἶκον τοῦ πατρικὸν αὐτῆς] Legendum ex meo libro εἰς οἶκον μητρὸς αὐτῆς, de qua lectione dubitare nos non sinit veritas Ebraica.

10. Μετὰ σοῦ ἐπιστρέψομεν] In meo, Οὐχὶ, μετὰ σοῦ ἐπιστρέψομεν. Fortè interpres scripserat ὅτι μετὰ σοῦ. sic enim est in Ebræo, ὅτι hîc valet *sanè, quidem, certè, utique*, videlicet ex Ebraismo. ¶ Ἐπὶ τὸν λαόν σου] Lectio varians, εἰς τὸν λαόν σου.

11. Ἐπιστρέψατε δὴ] Vide suprà v. 8 Fortè an decepti fuerunt syllabâ ultimâ imperativi נה *Nah*: quæ si per Aleph scribatur, hoc modo נא *Na*, sonat δὴ, sed tum verbum singulare esset שב *Sob.* Malo igitur ut sit glossema, nam in libris melioribus quandoque illud δὴ abest, ut infrà v. 12. Complutensibus. ¶ Μὴ ἔτι υἱοί] Meus legit μὴ ἔτι μοι υἱοὶ, probé. ¶ Εἰς ἄνδρας] i. ἄνδρες. Vide Commentarium.

12. Ἐπιστρέψατε] In meo ἐπιστρέψατε δή. Hinc apparet δὴ glossema esse. ¶ Πορεύθητε δὴ] Scriptura mei codicis διὰ τοῦτο pro πορεύθητε habet, nec temere, i. לכן *Lachen*, quod nunc legunt iisdem consonis, sed aliis vocalibus, לכן *Lechna*, i. πορεύθητε. Post hoc verbum additum est δὴ, adverbium obsecrandi: sed non legitur in Ebræo. ¶ Διότι εἶπα] In meo ὅτι εἶπα placet. ¶ Ὑπόστασις] Cur non potiùs verterunt ἐλπὶς, ut Prov. 11. 7? In Lexico Constantini, Ὑπόστασις *fiducia.* ¶ Τοῦ γενηθῆναί με ἀνδρί] Post hæc verba legitur in editione quâ domi utor, καὶ ἐγενόμην λελακομένην ἀνδρί, idem aliis verbis. Quis autem non animadvertit duas hîc interpretationes coaluisse? Cæterùm suspicor pro λελακομένην scriptum aliquando fuisse ταύτῃ τῇ νυκτὶ, ut hoc dicat, καὶ ἐγενόμην ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἀνδρί, *& fuero hâc nocte viro.* Hæc est Germana interpretatio hujus

hujus loci, ταύτῃ τῇ νυκτὶ הלילה, *Halaila*, ut in hoc ipso libro c. 3. v. 2.

13. Ἀνδρωθῶσιν] Ἀνδρωθῶσι meus liber habet, non ἀνδρωθῶσι. ¶ Ἡ αὐτοῖς] Meus, καὶ αὐτοῖς. Veritas, μὴ αὐτοῖς. ¶ Κατασχεθήσεσθε] Verbum Ebraicum תעגנה valde controversum est. Alii enim deducunt à radice ענה. Sed quid ענה? an idem quod ענן? est autem *tardare*, sive *detinere*, unde עגן *Iggun anchora*, dicta quòd navem *detineat*. Aliqua pars Grammaticorum censent תעגנה ἀνωμάλως esse pro תעננה, ità radix erit non ענה, sed ענן. Sed hæc Magistellis discutienda relinquamus.

14. Καὶ ἐπέστρεψεν εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς] Totum hoc abest à cod. Ebræo, & videtur glossema alicujus esse. In libro qui apud me, καὶ ἐπέστρεψεν, quod magis placet. ¶ Ἠκολούθησεν αὐτῇ] Puto legendum ἐκολλήθη ἐν αὐτῇ, vel potiùs ἐκολλήθη αὐτῇ, i. *adhæsit ei*. Infrà 2. 8. κολλήθητι μετὰ τῶν κορασίων μου.

15. Καὶ εἶπεν Νοομὶ πρὸς Ῥοὺθ] In Ebr. καὶ εἶπεν. Reliqua superant à glossemate: nisi addita ab ipsis interpretibus, qui tanquam scholio hunc locum isto modo illustrare voluerint. ¶ Ἡ σύνυμφός σου] Ἡ ἐνάτηρ σου, h. e. *uxor leviri tui*. Erant enim Orpha & Ruth inter se ἐνάτερες *janitrices*. Nam Orpha uxor leviri Ruth, & contrà Ruth uxor leviri Orphæ; & fratria hæc quidem Chelionis, illa verò Mahalonis, nam *fratria* propriè loquendo est uxor fratris mei. ¶ Τῆς συννύμφης σου] Liber meus, τῆς συννύμφου σου, & mox, καὶ εἶπε pro εἶπεν δέ.

16. Ἡ ἀποστρέψαι ὄπισθέν σου] In meo est, τῷ ἀποστρέψαι με ἀπὸ ὄπισθέν σου. ἀπὸ ὄπισθεν pleonasmum Ebraicum redolet. ¶ Καὶ οὗ ἐὰν] Liber quo domi utor, καὶ ὅπου ἐάν· sed hoc leve, & pleraque ista.

18. Ἰδοῦσα δὲ Νοομὶ] Nomen Νοομὶ neque in Ebræo cod. neque in meo reperitur. ¶ Πρὸς αὐτὴν ἔτι] Abest ἔτι à Libris Ebræis.

19. Ἕως τοῦ] Aliter ἕως οὗ, & statim pòst πρὸς Βηθλεέμ pro εἰς Βηθλεέμ.

20. Πικράν] Liber meus, ἡ πικρά. ¶ Ὁ Ἱκανὸς] Vide Commentarium.

22. Ἐπιστρέψασα] Malim ἐπιστρέψασα, quomodo fortasse interpres ipse edidit; aut ἀποστρέψασα, ut 2. 6. vel ἐπιστρέψασα, ut 4. 3.

GROTIUS.

1. IN *diebus unius judicis*] Sub Heli Sacerdote ac Judice: Josephus. ¶ *Facta est fames*] Cujus ministerio Deus sæpe magna efficit.

4. *Altera vero Ruth*] Proneptis Balaci ex Eglone, ut tradit Gemara. Hanc ego feminam conferre soleo Ocrisiæ Corniculanæ. Peregrina utraque. Ocrisia Regem urbi Romæ genuit, Ruth Hebræorum Regum maximi Davidis progenitorem. Meritò autem Rahabam & Ruthem in genealogia Messiæ posuit Matthæus, tanquam præludia vocationis Gentium, quæ per Messiam facienda erat.

8. *Sicut fecistis cum mortuis*] Impropria locutio, sed intellectu facilis; i. maritis vestris qui nunc sunt mortui.

13. *Si eos exspectare velitis donec crescant*] Non quòd lege, quæ exstat Deut. 25. 5. obligentur nondum nati, sed quòd hoc quoque meritæ videbantur. Sic Hebræi.

16. *Deus tuus, Deus meus*] Multum erat tempore tam latè regnantis idololatriæ unum Deum credere, infrà 2. 11, 12. Amicitia aliqua esse potest etiam inter diversi cultûs homines, suprà 8. at ea demum firma atque individua est quæ veræ religionis habet vinculum.

17. *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat*] Mala ipsa expressit, putà Egestatem, Famem, Pestem, aut alios morbos, quæ exprimere historiam hanc scribenti nihil fuit necesse.

CAP. II.

MUNSTERUS.

3. ACciditque ei eventus] Accidit, inquit, ut fortè fortunâ veniret in agrum Boas, qui erat de familia Elimelech soceri sui.

12. *Sub cujus alis venisti latitare*] *Sub alis Dei confugere* est tutelam & defensionem Dei quærere, atque spem firmam habere sub ejus protectionem, id quod Hebraismus nonnunquam vocat *sperare sub umbra alarum Dei*, sumptâ similitudine à Gallina, quæ pullos suos sub alis suis fovet tuetúrque.

13. *Locutus es ad cor ancillæ*] Sensus est, Amicè compellasti & consolatus es ancillam tuam.

14. *In aceto*] Secundùm Aben Ezram utebantur aceto propter calorem. Chaldæus verò interpres intelligit *acetum* cibos aceto perfusos. Per *polentam* verò intelligunt Hebræi spicam igne tostam. Cæterùm verbum צבט hic solùm invenitur, & significat idem quod הושיט *porrexit*.

20. *De affinitate nostra*] Heb. *Ex redemptoribus nostris ille est*. Propinqui enim est ut suos liberet vindicétque ab omni injuria & calamitate. Unde ultores sanguinis vocantur גואלים.

VATABLUS.

1. VIrum strenuum, גבור חיל] Ad verb. *Virum virtutis*, vel *potentem virtute*, i. virum strenuum.

2. *Vadam, quæso*, אלכה נא] Ad verb. *Ibo nunc*, vel *quæso*, q. d. Liceat mihi per te ire. ¶ *Post eum in cujus*, &c. אחר אשר אמצא חן בעיניו] Ad verb. *Post, in cujus oculis inveniam gratiam*, i. cui grata fuero, cui placuero.

3. *Contigit autem*, &c. ויקר וגו'] Ad verb. *Evenit autem eventus ejus in portione agri*. Hebraismus.

4. *Interim ecce Boaz*, והנה בועז] Ad verb. *Et ecce Boaz*.

7. *Colligam, quæso*, אלקטה נא] q. d. Liceat mihi per te colligere. ¶ *Jam mansio ejus*, &c. זה שבתה הבית מעט] *Jam sessio ejus in domo, paulum*, i. parvo tempore est, h. e. hinc apparet eam non diu domi desidere. Ità ex doctioribus Hebræorum alter. Quidam vertunt, *quòd enim domi sedet, perpusillum* est.

8. *Audisne*, הלוא שמעת] Ad verb. *Annon audisti, nempe quod præcepi tibi nè ires ad colligendum in alio agro?* ¶ *Sed hîc adhærebis*, &c. וכה תדבקין] *Hîc autem adhæreas puellis meis*, i. nè discedas à puellis meis.

9. *Et sequere eas*, והלכתה אחריהן] Ad verb. *Et perges post eas*. Chaldæus paraph. *& sequere eos*. ¶ *Annon præcepi*, הלוא צויתי את הנערים] Hæc interrogatio vehementer asseverat, q. d. Certissimè præcepi. Sic 2 Sam. 10. 1.

10. *Quare inveni*, מדוע מצאתי] *Unde hoc quòd inveni*, i. unde hoc quòd sum tibi grata? ¶ *Cùm sim alienigena?* ואנכי נכריה] Ad verb. *Et ego extranea?*

11. *Prorsus nunciatum est*, הוגד הוגד] Ad verb. *Renunciando renunciatum est mihi*. ¶ *Perrexeris*, ותלכי] *Concesseris*. ¶ *Antea tibi incognitum*, אשר לא ידעת תמול שלשום] Ad verb. *quem non nosti heri & nudiustertius*.

12. *Opus tuum*, פעלך] i. Mercedem operis tui. ¶ *Ad sperandum*, &c. לחסות תחת כנפיו] *Ut sub alis ejus tuta degeres*.

13. *Inveniam gratiam in oculis tuis*, אמצא חן בעיניך] Hebraismus, Spero me tibi fore gratam. ¶ *Locutus sis ad cor*, דברת על לב] *Locutus sis juxta cor*. Hebraismus, Et placentia locutus sis ancillæ tuæ. ¶ *Cùm tamen ego*, &c. ואנכי לא אהיה כאחת] *Cùm tamen ego nè uni quidem ex ancillis tuis veniam conferenda*.

14. *Tem-*

14. *Tempore cibi*, לעת האכל] *Cùm tempus fuerit edendi.* ¶ *Buccellam tuam in acetum*, פתך בחומץ] i. Frustum cibi tui in acetum, propter æstum scilicet. Chaldæus paraph. *in pulmentum quod cum aceto decoctum est.* ¶ *Polentam*: קלי] Genus est farinæ ità dictæ à *torrendo*. Chaldæus paraph. *farinam tostam.* ¶ *Ad saturitatem*, ותשבע] Ad verb. *& saturata est.* ¶ *Et reliquum fecit*: ותותר] *Et adhuc aliquid superfuit.*

15. *Neque pudore afficiatis eam*: ולא תכלימוה] *Pudore afficere*, sive *pudefacere*, pro *Prohibere*, qui enim prohibent aut negant faciunt ut petentes rubore suffundantur.

16. *Dimittendo, dimittite*: שול תשלו] i. De industria dimittite illi, &c. ¶ *Et relinquite ut colligat*, ועזבתם ולקטה] Ad verb. *& relinquetis*, *& colligat*, i. quam tum relinquetis, vel sinetis colligere.

17. *Ferè modius*, כאיפה] *Ferè epha.* Genus est mensuræ aridorum, & continet tria Sata.

18. *Protulit quoque*, ותוצא] Sub. *Ruth de pera*, sive *sacco*, ut habet Chaldæus paraph. ¶ *Quod reliquerat*; &c. אשר הותרה משבעה] *Quod* de prandio suo *reliquum fecerat saturata.*

19. *Operata es?* עשית] Ad verb. *fecisti?* sic mox.

20. *Benedictus est à Jehovah*, &c. ברוך הוא ליהוה ונו] Hebraismus, Gratus est Domino, plurimùm gratiâ & favore valet apud Dominum, qui clementer egit non solùm cum viventibus, sed etiam cum mortuis suis: qui non destitit à clementia sua solita tam erga viventes ipsos quàm erga mortuos illos. ¶ *De cognatis nostris est*, מגאלנו הוא] Hebr. *ex redemptoribus nostris ipse est*, i. ex propinquis, ex his qui secundùm Legem debent suscitare semen marito tuo. *Propinqui vocantur Redemptores*, ut ait doctus inter Hebræos, *quòd ad illos pertineret jus redemptionis.*

22. *Bonum est*: טוב] i. Honestum est, vel, placet. ¶ *Egrederis*, תצאי] Fut. Hebr. pro præs. sub. *ad colligendum.* ¶ *Occurrunt tibi*, יפגעו] *In te irruant.*

23. *Junxit se igitur puellis*, ותדבק בנערות] *Adhæsit igitur puellis.* ¶ *Et reversa est*, &c. ותשב את חמותה] *Cæterùm apud socrum suam habitavit.*

DRUSIUS.

1. **E**T *ipsi Noomi*] Metabasis ad narrationem sequentem. Quare non assentior iis qui hîc finem faciunt capitis primi, magìs probo ut sit initium capitis secundi; cui rei firmandæ libri Ebræi meliores, quos secutus sum. ¶ *Erat*] Desideratur hoc in textu Ebræo. ¶ *Cognatus*] Vetus interp. *consanguineus.* Hoc vult, Noomi habebat cognatum ex parte viri sui; aut hoc, Habebat cognatum, qui idem erat cognatus viri ipsius. Potest verti τῇ *Noomi erat cognatus, viro ipsius*, pro *& viro ipsius*, ut sit ἀσύνδετον. Vide quæ notamus c. 1. v. 2. ¶ *Vir opum potens*] Vox Ebraica חיל πολύσημος est, nam & *opes* significat, & *exercitum*, & *robur*, unde variæ in hunc locum interpretationes: ego eam posui quam præ cæteris probo, & quam puto germanam esse. Vetus, *homo potens & magnarum opum.* Integer locus erit si addideris *de cognatione Elimelech.* Quanquam causa est cur credam hanc partem ab ipso interprete omissam fuisse, & non à librariis. ¶ *E familia Elimelechi*] Si erat cognatus τῇ Noomi, cur dicit *è familia Elimelechi?* & opinor quia feminæ non habent propriè familiam: transeunt enim in familiam & nomen viri, sed fortasse cognatus ei erat duntaxat per virum. Id si conceditur, falsum est, quod tamen Ebræi memoriæ prodiderunt, ut patet ex verbis adductis suprà c. 1. v. 2. falsum, inquam, est, Noomin & Boozum patrueles fuisse. ¶ *Booz*] Vel *Boaz*, ut Critici Ebræorum legunt. Ex *Booz* formâ nominis Græca apud Josephum Βόοζος legitur, i. *Boozus.* Hic à nonnullis putatur esse Abesan, de quo Jud. 12. 8. sed mihi non videtur. Videnda sunt quæ scripsimus ad c. 1. v. 1.

2. *In agrum*] Utrùm hoc dicit, *Ibo in agros?* an, *In unum aliquem agrum?* ¶ *Et colligam*] Licebat hoc viduæ & peregrinæ ex lege quæ habetur Deut. 24. 19. *Cùm messueris messem tuam, & oblitus manipulum reliqueris in agro, non reverteris ut tollas illum; sed advenam, pupillum & viduam auferre patieris.* ¶ *Spicas* | Melius fortasse *de spicis*, in Ebræo ad verb. *in spicis.* ¶ *Cujus in oculis invenero gratiam*] Cui sic grata ero ut me colligentem non impediat.

3. *Et collegit*] Spicas relictas à messoribus. ¶ *Accidit casus ejus*] Casu incidit in agrum Booz, cùm illum Boozi esse minimè sciret. Alioqui respectu Divinæ providentiæ, quâ hæc omnia gubernata fuerunt, nihil est fortuitum. Sic Luc. 10. 31. *Fortè autem sacerdos quidam descendit per eandem viam.* ¶ *E familia*] Prius erat *de cognatione.* Mihi placuit *è familia.* Non enim eadem est vis hujus & illius verbi. Nam è cognatione alicujus esse possunt qui tamen non sint è familia ipsius, cùm feminæ sequantur familiam viri, ut diximus. Præterea *familia* Ebraicè משפחת, *cognatio* מודע dicitur.

4. *Benedicat tibi Dominus*] Formula bene precandi, ut Psal. 128. 5. *Benedicat tibi Dominus ex Sion*: & 129. 8. *Neque dicent viatores*, *Benedictio Domini super vos.* Valet autem, *Bene tibi faciat Dominus*, *Bene faveat.*

5. *Puero suo*] Famulo suo, servo suo, ut Matth. 14. 2. *Et dixit pueris suis.* Esth. 6. 5. *Dixerunt ei pueri regis.* ¶ *Qui constitutus erat supra messores*] Josephus hunc ἀγροκόμον vocat, quæ vox significat *curatorem agri.* ¶ *Cujus est puella hæc? Filia* subaudiendum, aut *vidua*, aut tale quid.

6. *Qui constitutus erat*] Qui præerat messoribus ipsius. ¶ *Quæ rediit*] *Quæ venit*, aut, *quæ comitata est Noomin redeuntem ex agris Moab.*

7. *Et dixit*] Ruth. ¶ *Legam*] Simulac venit in agrum tuum, petiit sibi dari licentiam legendi spicas. ¶ *Nunc*] *Quæso* habent aliquot editiones quorum ego interpretationem non sequor. Non enim ANA est in Ebræo, sed NA, quod *nunc* interpretatus sum ex Scholiis Ebraicis, & ex Chaldaica paraphrasi, tamen alteram illam interpretationem non planè damno. ¶ *Et colligam*] Liceat mihi colligere. ¶ *Inter manipulos*] Ad verb. *in manipulis.* Ebraismum Græcus interpres retinuit, ἐν τοῖς σάχυσιν, ἐν τοῖς δράγμασιν. Quid si vertatur *legam de spicis, & colligam de manipulis?* ut aliud sit *legere spicas*, & *de spicis*; item, *colligere manipulos*, & *de manipulis.* Sic differunt *comedere panem*, & *de pane*; *bibere vinum*, & *de vino*; *aquam*, & *de aqua.* Sed hoc dubitans pono, non affirmo. ¶ *Ex eo manè*] Quo primùm huc venit. Ad verb. *ex tunc manè*, aut dictio *tunc* παρέλκει. ¶ *Hæc sessio ipsius*] Locus hic & diu & acriter me torsit. Utrùm hoc significat, *modò sedet domi paululùm?* an hoc, *ideo sedet domi paululùm?* ob hanc causam tam parùm domi manet; aut sensus est, *Hîc mansio ipsius*; *domi parùm*; ut subintelligatur *est*, vel *sedet.* ¶ *In domo*] Vel *domi.*

8. *Audi mi filia*] In Ebræo legitur ad verb. *Anne audis, filia mi?* ego sensum expressi, nisi fallor. ¶ *Mi filia*] Hinc colligunt Boozum iis temporibus ætate provectiorem, Rutham verò adolescentulam fuisse. Sanè quidem nomen *filia* vox est quâ uti solent qui minores natu compellant. ¶ *Ne iveris*] Vel, *Ne ito*, & mox, *ne discedito hinc, sed hæreto*, &c. ¶ *Ad legendum*] Ad spicilegium faciendum. Josephus non optimâ fide hunc locum expressit: nam in eo sic legitur, καλαμᾶσθαι μὲν αὐτῇ οὐκ ἠξίωσεν· θερίζειν δὲ πᾶν, ὅτι καὶ δύναιτο, καὶ λαμβάνειν ἐπέτρεψε. Quibus otium est, expendent, judicabunt. ¶ *Hæreto*] Κολλήθητι. Verbum est à nomine quod *viscus* sive *gluten* significat deductum. ¶ *Cum puellis meis*] Apud famulas & operarias meas.

9. *Oculi tui*] Subaudi *intenti sint*, ac si dicat, *Habeto semper oculos intentos in partem agri ubi metent.* ¶ *Eos*] הן pro הם, ut referatur ad messores. Eâdem enallage usus est suprà 1. 13. aut vertendum *sequeris eas*, ad verb. *ibis post eas*: vult dicere, Post puellas meas spicilegium facientes. ¶ *Pueris istis*] Τοῖς παιδαρίοις. Articulus vim habet δεικτικοῦ · ideo eum per pronomen expressimus.

expressimus. ¶ *Ne tangerent te*] *Tangerent* dixit pro *læderent, violarent*; ut in illo Gen. 26. 11. *Quicunque tetigerit virum istum aut uxorem ejus.* Figura est quam μείωσιν vocant, eâ qui uti volunt, ubi quis aliquem percusserit, aut etiam insigniter læserit, *tetigisse* dicunt. Ea causa est ut nonnunquam ipsum *tangendi* verbum idem valeat quod *lædere*. Psal. 105. 15. *Nolite tangere unctos meos.* Catullus, *flos tactus aratro*, i. læsus, percussus. ¶ *Ex eo quod hauserint*] Verbum è verbo *ex quo hauserint*, integrum est, *ex aqua quam hauserint*.

10. *Cecidit super faciem*] Præstare opinor ut legamus *procidit in faciem*, & illud *super* repudiemus. ¶ *Et adoravit*] Summissè illum venerata est corpore in terram inclinato. Humilis & abjectæ venerationis gestus civili adoratione, quæ in Oriente olim frequens. Ejus exemplum habes Matth. 18. 26. *procidens adorabat eum*. ¶ *Cur inveni gratiam*] Cur in gratia sum apud te adeò. Luc. 1. 30. *Ne time, Maria : invenisti enim gratiam apud Deum:* dictio merè Ebraica. ¶ *Ut me agnoscas*] Ut mei tantam rationem habeas. Infrà 19. *sit cognitor tuus benedictus.* Eadem verbi vis in illo, *Quid homo, ut cognoscas eum?* in aliis, *ut noscas eum.* *Nosse* sive *cognoscere* in his & similibus locis est, Eum quem noveris amare, eíque bene velle, & commodorum ipsius rationem habere. ¶ *Cùm sim peregrina*] Causa est cur malim *cùm sim ignota*, ad verb. *& ego ignota.* Nota figuram, *ut noscas me, cùm sim ignota.* Paronomasia est. Porrò *ignota*, i. peregrina. Ebraicè NOCHRIA: sic vocantur peregrinæ mulieres per antiphrasin, quòd, peregrinæ dum sunt, earum genus ac parentes ignorentur; vel quòd peregrino habitu & vultu facilè aliis innotescant.

11. *Indicando indicatum est*] Legitur in quadam ed. *Planè indicatum est*, nec malè, nam talem vim habet geminatio Ebraica in verbis. ¶ *Quicquid fecisti*] Qualem te præstiteris erga Noomi socrum tuam post obitum viri tui Mahalonis. ¶ *Terram nativitatis*] Natale solum, patriam tuam. ¶ *Ad populum*] Judaicum. ¶ *Herì nudiustertius*] χθὲς καὶ πρώην, i. *antea:* proverbiale.

12. *Opus tuum*] Quæcunque fecisti socrui & marito; ac si diceret, Quemadmodum tu maritum & socrum bene habuisti, ità vicissim Dominus bene tibi faciat, bene te habeat. ¶ *Sit merces tua perfecta à Domino*] Cumulatissimè te remuneretur Dominus, plenam mercedem recipias à Domino. In paraphrasi Chaldaica, *Rependat opus tuum in hoc seculo; sit merces tua perfecta in seculo venturo.* Hoc vult, Digno præmio afficiat bonum tuum opus in hac vita, & sit merces tua perfecta in altera vita, sive in seculo quod post hoc venturum est. *Perfecta*, integra, plena, cumulata. ¶ *Venisti recipere te*] Venisti ut te reciperes, ut confugeres ad eum, spem collocando in tutela ac præsidio ipsius. ¶ *Sub alas ejus*] *Alarum* nomine tutelam ac præsidium denotat. Tralatio à pullis avium, qui sub alis matrum delitescunt. Aut respexit ad alas Cherubinorum quibus Arca tegebatur. Hoc verius videtur.

13. *Et dixit*] *Quæ dixit* est in aliis quibusdam edit. & rectè, meo animo, quanquam in Ebræo ad verb. *& dixit*. Quod de Rutha intelligendum esse indicant non solùm sequentia, sed ipsum etiam verbum, quod in Ebræo femininum est. ¶ *Invenio gratiam*] q.d. Agnosco me in gratia apud te esse, qui sic me consolatus, animúmque meum ità allocutus sis, idque nullo meo merito, cùm digna non sim quæ numerer inter ancillas tuas. ¶ *Me*] Peregrinam, viduam, pauperem. Ea vis in pronomine. ¶ *Locutus es ad cor*] Quid sit *loqui ad cor* explicatum satìs supérque à me in Observ. l. 8. c. 1. indè igitur, qui volet, petat sensum hujus loci; quem satis habeo indicasse, quia piget eadem repetere. ¶ *Ancillæ tuæ*] *Ad cor ancillæ tuæ* dixit, ut in Cantico Mariæ Luc. 1. 48. *respexit ad humilitatem ancillæ suæ.* Eodem modo *servi* nomine utuntur quando de viris sermo; 2 Sam. 9. 11. *Sicut jussisti, Domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus*, sermo plenus modestiæ & demissionis animi. ¶ *Cùm ego*, &c.] Ad verb. *& ego non sum.* Trem. & Jun. *at ego non sum futura ut una ancillarum tuarum*, hâc sententiâ, Satis gratiæ consecutus mihi videor apud te dum me viduam & peregrinam verbis tam humanis consolatus es; aliud nihil à te exspecto. Quin indignam me duco quæ beneficium illud accipiam quod domesticorum tuorum proprium est. Ac si diceret, Non sum digna quæ colligam inter ancillas tuas. Perplacet hæc sententia. ¶ *Non sum*] Præstare opinor ut addatur *futura*; vel potiùs ut vertatur *at ego non ero.* Hoc mihi serò admodum in mentem venit.

14. *Dixit ei tempore cibi*] Constructio est hoc modo, *Tempore cibi accede huc*, vel hoc modo, *Dixit ei tempore cibi, Accede huc.* Utro modo construas parùm interest; tamen sententia posterior magis placet. *Tempore cibi*; cùm cibum sumeret ipse, & messores & famulæ ipsius. Intelligit autem tempus prandii, quantum ex sequentibus colligere possum. Cœnabant enim Sole occaso, cùm ab opere cessarent, ut patet ex 3. 3. Aliter; *Tempore cibi*; cùm tempus advenisset capiendi cibi: & incertum utrùm tempus prandii fuerit, an tempus cœnæ; nisi quòd sequentia docent hæc potiùs intelligenda esse de hora prandii: tamen si quis dissentiat hic à me nolim cum eo multùm contendere. ¶ *De pane*] Vetus, *comede panem*, sed differunt; aliud enim est *comedere panem*, aliud cùm dicimus *de pane*: sic, *bibere vinum*, & *de vino*: hoc pono non statuo. ¶ *Buccellam tuam*] Trem. *bucceam tuam*; alius interpres, *buccellas tuas.* ¶ *In aceto*] Propter æstum; nam acetum refrigerat. ¶ *Sedit igitur*] Verbum è verbo, *& sedit.* ¶ *A latere messorum*] Juxta messores. ¶ *Et porrexit*] Booz; aut unus aliquis è pueris qui aderant. Potest verti, *porrecta ei fuit polenta.* Tale est, *reputavit ei pro justitia*, i. ἐλογίσθη *reputatum fuit*, ut Apostolus ipse declarat. ¶ *Polentam*] *Polentam* Ebræi CALI vocant, à *torrendo*, itaque alii *far tostum*, alii interpretantur *aristas tostas.* ¶ *Et fecit reliquum*] Cùm saturata esset, tamen reliquum fecit: plus enim ei porrectum fuit quàm edere posset: itaque superfuit.

15. *Et surrexit*] Rutha. ¶ *Ad legendum*] Spicas. ¶ *Pueris suis*] *Servis suis*, vel certè *famulis suis*: quod Latinâ linguâ utentes antiquitus dixissent *hominibus suis*: *homines* enim peculiariter nominabant servos. Sic Gallico idiomate dicimus *nostre homme*, cùm servum significamus. ¶ *Inter manipulos*] Suprà exposui *in manipulis*, de manipulis; sed præstare videtur ex hoc loco ut exponamus *inter manipulos*, ut *in* accipiatur pro *inter*, docti expendent. ¶ *Ne pudefacitis eam*] Nolite eam exprobrare pauperiem, aut viduitatem, vel etiam sterilitatem, aut quòd orbata sit marito; summâ, Ne afficite illam ullâ ignominiâ sive dicto sive facto.

16. *Extrahendo extrahite*] In aliis *dimittendo dimittite*; in aliis *solvendo solvite*: quidam, *de industria omittite*; ego interponere me in istam dissensionem non audeo, donec certius aliquid de hoc verbo cognovero. ¶ *E mergitibus*] Hoc malo quàm quod alii, *è manipulis.* Nam manipuli suprà עֳמָרִים vocantur. Quidam, *de fasciculis manualibus.* ¶ *Et relinquite*] Relinquite ei mergites illos, vel, sinite eam colligere mergites quos extraxeritis.

17. *Et legit*] Collegit spicas. ¶ *Excussit*] *Virgâ cædens & excutiens*, interpres Vetus. ¶ *Epha hordeorum*] *Epha* sive *Ephi* (nam utroque modo dicitur) mensura est rerum aridarum tria Sata capiens, tantum videlicet quantum Batus capit in liquidis. Hieronymus lib. 14. Comment. super Ezechielem in principio, *Epha, quæ in Græco sermone* οἰφὶ, *ad mensuram pertinet variarum frugum, v. gr. Tritici, Hordei, Leguminum. Porrò Batus, qui Ebraicè appellatur* BATH, *eadem mensura est quæ & Ephi, sed in speciebus tantùm liquidis Vini, Olei, & istiusmodi.* Hactenus Hieronymus. Quin tria Sata contineat non dubitabit qui adibit ad tralationem Chaldaicam Exod. 16. 35. Sed & Ebræi Scriptores ad unum omnes huic sententiæ suffragantur; cui firmandæ est quod apud Prophetam Ezechielem, *Decima pars Cori, Batus; & decima pars Cori, Epha.* Nam Corus triginta Sata capiebat, cujus partem decimam faciunt tria. Hac de re plenius dicam

eam in libro De mensuris sacris, quem adfectum apud me domi habeo & servo. Vetus editio, *Ephi mensuram*. In eadem est scholion quod sententiam nostram superiùs adductam mirabiliter firmat, *id est, tres modios*: nam *tres modios* idem cum illo *tria sata*. Sic usurpant eam vocem interpretes antiqui.

18. *Et tulit*] Epham hordei videlicet. Pro *tulit* alii reponunt *detulit*, alii *portavit*, eâdem sententiâ. ¶ *In urbem*] Bethlehemum. ¶ *Et vidit*] ותרא, κατ' ἀποκοπὴν, pro ותראה: nam ראה radix. ¶ *Et protulit, & dedit ei*] Proferens reliquias ciborum, queis saturata fuerat, dedit eas socrui suæ; vel protulit Epham hordei, simúlque ei dedit cibatum qui superfuerat. ¶ *Quod reliquum fecerat*] Ut suprà, *& reliquum fecit*. Sed si verbum neutrum HOTHIR, qualia multa sunt in hac conjugatione, vertendum *superfuerat*; item, *& superfuit*. Ità quidam vertunt; neque mihi explicatum adhuc est utra versio melior sit. ¶ *Ex saturitate sua*] Ex cibo unde saturata fuerat, suprà lectum, *& comedit, & satiata fuit, & reliquum fecit*.

19. *Ubi operata es?*] In cujus agro fecisti opus? Ad verb. *ubi fecisti? Facere* dicunt pro operari, ut mox, *quicum operata sum*, in Ebræo *quicum feci*. Sic Prov. 10. *Pauper fit qui facit manu ignavâ*, sensus postulat *qui operatur*. Hunc Ebraismum retinuit Euangelista, Matth. 20. 12. *Isti ultimi unam horam fecerunt*. Hinc *facere aurum*, i. opus ex auro. ¶ *Cognitor tuus*] Qui tui rationem habuit, benefactor tuus. Vide quæ scripsimus ad vers. 9. ¶ *Benedictus*] Bene illi sit. ¶ *Quicum operata sum*] In cujus agro spicilegium feci.

20. *Benedictus Domino*] Pro *à Domino*, aut, *Benedictus Domino*, ter quatérque benedictus; ut, *civitas magna Deo*. Simile est, *urbanus Deo*. Potest verti, *Benedictus ipse Domino*, hâc sententiâ; Beatus sit atque felix, eúmque Dominus beneficiis suis cumulet. Sic Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei*, quos Pater meus beneficiis affecit. ¶ *Misericordiam suam*] Vel potiùs *benignitatem suam*, sive, ut alii malunt, *beneficentiam suam*. ¶ *Cum vivis*] *Erga vivos*. Quidam exponunt *erga me & te, quæ vivæ sumus*, sed dubito an bene: nam sic potiùs dixisset *erga vivas*. Utrùm igitur est enallage generum? ¶ *Cum mortuis*] Erga natos meos, qui jampridem mortui sunt. Hoc ait quia spem conceperat de Boozo, fore videlicet ut Rutham uxorem duceret, ex eáque semen filio suo Mahaloni, qui absque liberis è vita discesserat, excitaret. ¶ *Propinquus*] Affinis, consanguineus. ¶ *Vir ille*] Ὁ ἀνήρ. Articulus vim habet pronominis, quod honorificè positum, q. d. *Vir ille benignus*, aut *potens*, hoc primùm, deinde nobilius ac plenius quiddam sonat *vir* quàm, quod in veteribus, *homo*. ¶ *E vindicibus nostris*] Unus ex iis qui jure propinquitatis te superstitem filii mei debent uxorem ducere. In Ebræo מגאלנו desideratur Joth, ut sit מגאלינו in numero multitudinis: plures enim erant in quos jus illud competebat. Aut est heterosis numeri, ut cùm *militem* dicimus pro *militibus*, *ranam* pro *ranis*, solens figura Ebræis. Sic è *Cantico* alibi est pro è *Canticis*.

21. *Cum pueris meis*] Cum operis meis, cum famulis meis. Vide suprà 15. Ad verb. *Cum pueris qui mihi*, sub. sunt. Est & illud notandum, quod nescio an alius animadverterit, haberi v. 8. *sic harebis cum puellis meis, puellis*, inquam, non *pueris*. Quibus otium est, quærant causam mutati generis. ¶ *Omnem messem*] Tam triticeam quàm hordeaceam. ¶ *Quæ mihi*] i. meam.

22. *Bonum est ut exeas, & non obversentur*] Latinè hoc dicas non inconcinnè, *melius est ut exeas, quàm ut obversentur tibi in agro alio*. ¶ *Ut exeas*] Vetus interpres addidit *ad metendum*, malim ego *ad colligendum*. Nam *ad metendum*, nè quid dissimulem, neque Ruthæ convenit, neque puellis Boozi. ¶ *Non obversentur tibi*] Planius ac manifestius erit si legas *nè adversentur tibi*. Antea etiam posuimus *nè adverseris mihi*, 1. 16. ubi idem verbum in textu Ebræo. Quidam, *nè occurrant tibi*, sed malè, ut puto. Nam *occurrere* eodem quidem verbo enunciant, sed aliter constructo: transit enim in accusativum cùm ità significat. Hoc pariter mecum sciunt quicunque his literis haud vulgariter imbuti sunt. ¶ *Tibi*] Colligenti in agro alio.

23. *Ad legendum*] Ad spicilegium faciendum. Qui cum hoc loco vetustam declarationem conferre voluerit, facilè animadvertet errorem interpretis, qui hîc habet *messuit* pro *collegit*, quem etiam historia ipsa satis arguit, ut necesse non sit bonas horas in eo refutando consumere. ¶ *Donec absoluta esset*] Messis finiebatur quinto mense Sivan, qui respondet Maio magnam partem. Cæterùm fieri potest ut messis de qua hîc agitur ante illud tempus peracta fuerit. Non enim omnium messes ad dies 49 durabant. ¶ *Messis hordeorum*, &c.] *Messis hordei, & messis tritici*. ¶ *Et sedit*] i. Mansit. Santes, *& reversa est*, nimis quàm inscitè oscitantérque. *Sedendi* verbum hoc significatu Ebræis mirè usitatum est. Suprà, *hac sessio ipsius domi*. Psal. 125. 1. *Mons Sion in perpetuum sedet*, i. manet. Vetus interpres, *reversa est ad socrum suam*, puto eum legisse ותשב. Nam anceps planè lectio cùm vocales absunt.

IDEM in edit. Gr. Compl.

1. Ἀνὴρ γνώριμος] i. συγγενής· sed ἀνὴρ exsulat à cod. Ebræo. ¶ Δυνατὸς ἰσχύϊ] In meo legitur δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ. In Ebræo verò, δυνατὸς ἰσχύος. Sed vox HAIL hîc potiùs *opes* significat: fortè & ἰσχὺς imitatione Ebræorum, ut alibi δύναμις· est enim δύναμις *potentia*: sed pro *divitiis* sumitur in illo, Πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν, i. *congregaverunt divitias*. Sic δυνατὸς ἰσχύϊ *potens opum*. Hoc pono, non statuo.

2. Ἐν τοῖς στάχυσιν] Vide Comment. ¶ Θύγατερ] In Ebr. θυγατέρ μου· sed pronomen ferè abest à libris Græcis.

3. Καὶ ἐλθοῦσα συνέλεξεν] Ad verb. καὶ ἦλθε, καὶ συνέλεξεν. ¶ Περιεπτώματι] Ebraica lectio, περίπτωμα αὐτῆς, i. *casus ejus*. Videtur Interpres legisse מקרה MICREH, pro eo quod nunc legunt מקרה MICREHA, aliis vocalibus. ¶ Ἀβιμέλεχ] Suprà erat rectè scriptum Ἐλιμέλεχ· cur igitur nunc scribunt Ἀβιμέλεχ? Sciendum mendam esse in hac scriptura, legendúmque Ἐλιμέλεχ, ut suprà: quæ lectio confirmatur autoritate mei cod. tum etiam veritate Ebraicâ, quæ hoc nomen aliter non scribit. Notum ex libris à me in lucem editis quàm sæpe Græci librarii nomina hoc modo permutarint. Sic alibi Ἀβιμέλεχ lectum pro Ἀχιμέλεχ, item Ἰδδὰ pro Ἰοὺ Jehu. Sic Εὐφραθᾶ pro Ἐφραθᾶ in hoc ipso libro.

5. Τίνος ἡ νεᾶνις] Lectio melior quàm quæ in meo exempl. Τίς ἡ νεᾶνις.

6. Ἐξ ἀγροῦ] In Ebr. ad verb. ἐξ ἀγρῶν. Vide 1. 1.

7. Ἀπὸ πρωΐ, καὶ ἕως] Meus habet ἀπὸ πρωΐθεν, καὶ ἕως. ¶ Οὐκ ἀπέπαυσεν] Idem liber, οὐ κατέπαυσεν· locus corruptus, si quis alius in hac editione; legerim οὐ κατέπαυσεν ἐν τῷ οἴκῳ μικρόν· sed nihil muto. Nam libri omnes, quos vidi, ἐν τῷ ἀγρῷ· cui illud οὐ aptari commodè non potest. Sententia scripturæ vulgaris hæc est, *non requievit in agro paullulum*: ac si diceret, *Diu ac multùm in agro isto mansit*.

8. Καὶ σὺ] Malim καὶ γε.

9. Καὶ πορεύσῃ] πορευθήσῃ habet meus liber; & ὅθεν ἐὰν ὑδρεύωνται pro ὅθεν ὑδρεύωνται. ¶ Κατόπισθεν αὐτῶν] τῶν κορασίων μου δηλονότι. ¶ Ἰδοὺ ἐνετειλάμην] Veritas interpretationis, οὐκ ἐνετειλάμην τοῖς παιδαρίοις μὴ ἅψασθαί σου; nisi mavis οὐ μὴ, vel ἰσχὺ, ut 3. 1.

11. Ἀπαγγελίᾳ ἀπηγγέλη μοι] Ut, ἀκοῇ ἠκηκόαμεν, i. *Nunciando nunciatum est: Audiendo audivimus*. ¶ Πεποίηκας] Lectio mei libri ἐποίησας, & paulò pòst, ἀπὸ χθὲς καὶ τρίτης· quod elegantiùs dicunt χθὲς καὶ τρίτην, pro *antea*.

13. Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ οὐκ ἔσομαι] In libro qui apud me abest negatio οὐκ. Sic enim in eo legitur, καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἔσομαι locus vitii manifesti, quem sic restitues ex Ebræo, καὶ ἐγὼ οὐκ ἔσομαι ὡς μία τῶν παιδισκῶν σου. Cæterùm ἰδοὺ pro οὐκ

οὐκ & suprà v. 9. reperitur, ut facilè appareat mendum esse ab imperito aliquo librario.

14. Τῇ ὥρᾳ] In aliis est ἤδη ὥρᾳ, sed malè, ut videtur. ¶ Τὸν ἄρτον] Τῶν ἄρτων μου habet liber meus. Sed in Ebr. ἐκ τοῦ ἄρτου, vel, si placet, ἐκ τῶν ἄρτων· nam familiare interpreti ἄρτους dicere pro ἄρτον. Pronomen μου rectè abest à Compl. ¶ Καὶ ἐκάθισε Ῥοὺθ] Nomen Ῥοὺθ desideratur libris Ebræis: sed ibi verbum fem. ut quin de Ruth intelligendum sit ambigi nullo modo possit. ¶ Ἐκ πλαγίων] In Ebr. ad verb. ἐκ πλευρᾶς *à latere*. ¶ Καὶ ἐβούνισεν] *Porrexit ei cumulatè ac largiter*. ¶ Ἄλφιτον] *Polentam, hordeum tostum*.

16. Καί γε βαστάζοντες] Ante hæc verba legitur in libro qui apud me καὶ βαστάζοντες βαστάσατε· quod mihi superesse videtur ex editione alicujus; aut est glossa quæ ex margine in textum irrepserit. ¶ Ἐκ τῶν βεβουνισμένων] Ergò צבתים βεβουνισμένα? Potiùs *mergites* denotat, est autem *merges* manipulus spicarum, qui à Græcis κῶμυς vel δέσμη vocatur. Sed Interpreti libuit ità transferre vocem illam. Sic suprà ויצבט καὶ ἐβούνισε, ubi tamen Teth in scriptura Ebraica. Τὰ βεβουνισμένα sunt *acervi manipulorum*, σωροὶ δραγμάτων, nisi fallor. ¶ Καὶ ἀφετε αὐτῇ] In Ebr. καὶ καταλείπετε *relinquite*, absque pronomine; ut referri etiam possit ad *mergites*.

17. Ὡς οἰφὶ] Legitur & οἰφεὶ, nec malè, ut puto. Οἰφὶ sive οἰφεὶ, i. *Epha mensura*, quæ & *Ephi*: dictio merè Ebraica.

19. Ποῦ ἐποίησας] Sub. ἔργον, *ubi opus fecisti?* Sic Matth. 20. 12. οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, i. εἰργάσαντο *operati sunt*. Ebraicè עשה, non עבדו, ut vir doctissimus censet. ¶ Ὁ ἐπιγνούς σε] Τοῦτ' ἔστιν, ὁ εὐεργετῶν σε. Ἑβραϊσμός. ¶ Πεποίηκεν] Meliùs ad veritatem Ebr. μεθ' οὗ ἐποίησεν, vel οὗ ἐποίησε μετ' αὐτοῦ ut mox. ¶ Μεθ' οὗ ἐποίησα] Additum in meo μετ' αὐτοῦ forte ex Ebraismo, in quo οὗ ἐποίησα μετ' αὐτοῦ, i. *quicum opus feci*. Figura nota.

21. Καὶ εἶπεν Ῥοὺθ] Addendum ex Ebræo ἡ Μωαβῖτις. ¶ Πρὸς τὴν πενθερὰν αὐτῆς] Glossema est à librariis aut à scholio aliquo textui insertum. ¶ Παιδαρίων ἐμῶν] In aliis κορασίων τῶν ἐμῶν.

22. Οὐκ ἀπαντήσονταί σοι] Meus legit οὐ καταπατήσονταί σε· parùm aptè ad verbum quod hîc in Ebræo. Credo ego ità locum interpolatum esse ab iis qui οὐκ ἀπαντήσονταί σοι quid esset non intelligerent.

23. Συλλέγειν] Lectio alia τοῦ συλλέγειν. ¶ Ἕως συνετέλεσεν] Et hîc variat meus liber, habet enim ἕως τοῦ συντελέσαι· & statim pòst, τῶν κριθῶν καὶ τῶν πυρῶν, pro τῶν κριθῶν, καὶ τὸν θερισμὸν τῶν πυρῶν, quomodo ex Ebræo translati habent.

GROTIUS.

4. *Dominus vobiscum*] Mos erat bene precari opus facientibus, Psal. 126. 5, 6. 129. 9. De formula ipsa vide quæ ad Lucam 1. 28.

10. *Adorans super terram*] Quo major honor non poterat exhiberi. Vide ad Matth. 2. 11. & 8. 2.

12. *A Domino Deo Israel, ad quem venisti*] Magna Boozi pietas apparet, qui feminæ extraneæ pietatem & miratur & liberaliter repensat. Tam regalis animi vir dignus erat ex quo Rex nasceretur. Talis Cimon Atheniensis qui macerias agrorum suorum diruit, ut qui vellent rebus ibi natis uterentur.

14. *In aceto*] Aut *in lora*, de qua vide Varronem De re rustica l. 1. c. 54. Columellam l. 12. c. 40.

15. *Etiam si vobiscum metere voluerit, ne prohibete eam*] Multò plus præstat quàm quod jubet Lex, Lev. 19. 10. & 23. 22. Deut. 24. 19. Nimirum præcepta illa specialia Legis rudimenta tantùm erant earum virtutum ad quas feruntur illustres animæ.

18. *Et dedit ei de reliquiis cibi sui*] De apophoretis.

20. *Servavit & mortuis*] Mortuis videtur bene fieri cùm eorum causâ bene fit iis quos illi charos habuere. Claudianus De laudibus Stiliconis 2.

Non vivis annexus amor meminisse sepultos
Desinit: in prolem transcurrit gratia patrum.
Hac tu Theudosium, tenuit dum sceptra, colebas;
Hac etiam post fata colis: nec pignora curas
Plus tua quàm natos dederat quos ille monendos
Tutandósque tibi.

Michael Ephesius ad 5. Nicomachiorum, ὅσῳ ἡ γυνὴ ἢ οἱ παῖδες ἢ οἱ συγγενεῖς τοῦ φονευθέντος ἔλαβον, τρόπον τινὰ ἐκείνῳ δίδοται. Moriturus apud Procopium 1. Persicorum, τὰ παιδία ὠφελῶν ὠφελήσεις ἐμέ. Sic Valentiniano mortuo gratiam in filio ejus reddidit Theodosius, teste Zosimo.

20. *Propinquus est noster*] In Hebræo additur מגאלנו, ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῖν ἐστι. Vide Lev. 25. 25. Putatur Booz patruus fuisse Machlonis, sed non maximus natu patruorum.

CAP. III.

MUNSTERUS.

8. *Contraheretúrque*] Sunt qui verbum לפת exponunt pro משׁ *contrectare*: at Aben Ezra illos redarguens dicit נלפת idem esse quod נהפך מצד אל צד, i. *versus est de latere in latus*. Chald. interpres vertit *terrore concussus est*.

9. *Expande alam tuam*] Jam diximus metaphoram esse sumptam à Gallinis, cùm scilicet aliquem in tutelam suscipimus. Chaldæus & Aben Ezra absolutè exponunt, quòd rogaverit Ruth per hæc verba ut se duceret uxorem, præsertim cùm sequitur, *Tu enim propinquus*, seu *vindex, es*.

16. *Quæ es tu*] *Videtur*, inquit Aben Ezra, *quòd illam interrogaverit antequam aperuisset ostium quænam esset*. Alii exponunt מי pro *quid*.

VATABLUS.

1. *Nonne*, הלא] Per interrogationem legitur Hebræis, qui hujusmodi interrogationibus magis affirmare solent. Propterea quidam vertunt, *Equidem tibi quæram, ô filia mea, requiem, ut bene sit tibi. Requiem* vocat nuptias.

2. *Ventilat*, זורה] Præs. Heb. pro fut. *ventilaturus est*. ¶ *Aream hordeorum*, גורן השעורים] Hebraismus pro, Hordeum quod est in area.

3. *Vestimenta quoque*, &c. ושמת שמלותיך עליך] Ad verb. *ac pone vestes tuas super te*, Sub. *elegantiores*, quibus scilicet uteris diebus festis. ¶ *Ne te notam facias*, אל תודעי] *Ne prabeas te agnoscendam*, vel, *ne innotescas viro*.

4. *Cúmque ille ierit cubitum*, ויהי בשכבו] Ad verb. *Et erit, cùm dormierit*. ¶ *A parte pedum ejus*, מרגלותיו] *Ad pedes ejus*, vel, *juxta pedes ipsius*, i. inferiorem partem lecti. Sic paulò pòst.

8. *Accidit autem*, ויהי בחצי הלילה ויחרד] Ad verb. *Et fuit, mediâ nocte expavit vir, & inclinavit sese*. In ויחרד, conjunctio ו vertit tantùm futurum in præt. ¶ *Atque inclinaret sese*, וילפת] *Ac verteret* vel, *converteret sese*, de latere scilicet in latus. ¶ *Et en mulier*, &c. והנה אשה שוכבת מרגלותיו] *Et ecce deprehendit mulierem jacentem ad pedes suos*.

9. *Expande oram*, &c. ופרשת כנפך] i. Expande vestem tuam, more orum qui despondebant uxorem, q. d. Contrahe matrimonium mecum, ac desponde me tibi. Alii exponunt, *Alam expandere super aliquem* metaphoricam esse locutionem sumptam à volucribus, pro *In tutelam suam suscipere*.

10. *Non ambulaveris post*, &c. לבלתי לכת וגו׳] *Non secutus sis adolescentes ipsos, sive pauperes sive divites*.

11. *Universa urbs populi mei*, כל שער עמי] Ad verb. *omnis porta populi mei*. Alii vertunt *universus Senatus popularium*

pularium meorum: nam in portis erant fora ubi fiebant judicia. ¶ *Mulier proba sis*, אשת חיל] Ad verb. *mulier virtutis*, i. proba, diligens, strenua, virtute prædita.

12. *Jam igitur* fateor *verum esse quòd*, ועתה כי אמנם] Vertere potes ut nihil subaudias, & כי priore loco positum redundet, *Jam igitur verum est quòd*, &c.

13. *Si ille jus tibi cognationis præstare voluerit*, אם יגאלך] Ad verb. *Si propinquus tuus esse voluerit*, i. si te voluerit accipere in uxorem, tanquam qui illud facere debeat jure propinquitatis, rectè est. ¶ *Propinquus sit*, יגאל] i. Propinquitatis jure te habeat uxorem. Vertere potes *præstet*. ¶ *Id tibi præstare*, &c. לגאלך וגאלתיך אנכי] Ad verb. *Propinquus tuus esse, propinquus ero tibi ego*, i. si te noluerit habere uxorem jure propinquitatis, ego te ducam uxorem jure propinquitatis. ¶ *Vivit Jehovah*, חי יהוה] Formula jurisjurandi.

14. *Ille autem præcepit*, ויאמר] Ad verb. *Et ille dixit*, sub. *famulis*.

15. *Quod est super te*, אשר עליך] *Quo amiciris*. ¶ *Sex hordei* mensuras, שש שעורים] Chaldæus paraph. *sex sata hordei*. Scriptura narrat quid Booz dederit ipsi Ruth.

16. *Quænam es*, מי את] *Fieri potest*, inquit ex doctioribus Hebræorum alter, *ut socrus non viderit eam donec aperuerit ei fores*.

18. *Mane*, שבי] *Quiesce*, vel *Sis quieta*. Chaldæus paraph. *Sede mecum in domo*, i. Contine te domi, donec cognoscas qualem exitum habiturum sit hoc negotium. ¶ *Cadat*, יפיל] *Casura sit*. *Res*, sive *negotium*, inquit ex doctioribus Hebræorum alter, *cadere dicitur, quòd omnia decreta è cœlo manent ac prodeant*. ¶ *Nisi compleverit rem*, כי אם כלה הדבר] *Donec perfecerit negotium ipsum*.

CASTALIO.

16. Illa *in oppidum ad socrum venit*] *Venit* in Hebræo masculinum est: sed mendum esse conjicio, tum ex sensu, tum ex vetere versione.

DRUSIUS.

1. *Anne*] Affirmat per interrogationem, ut sæpe Ebræi; acsi diceret, omnino mei officii est ut tibi prospiciam de commoda ac quieta aliqua conditione. ¶ *Quæram tibi requiem*] Latinè hoc dicas eleganter, *quæram tibi conditionem*. Jampridem admonui per *requiem* significari statum matrimonii, quoniam, ut Abenezra inquit, *mulieri nulla requies donec nupserit*, rectéque Plutarchus (qui vir & quantus!) matrimonium appellat *portum juventutis*. Vide Quæst. meas, & notata ad c.1.v.8. in hoc ipso libro. ¶ *Quà tibi bene sit*] Secundùm illud, *Non est bonum homini ut sit solus*. Nam in matrimonio innumeræ commoditates, quibus carent ejus expertes, quos *cœlibes* dicimus. ¶ *Bene*] Commodè, facilè, jucundé.

2. *Cognatio nostra*] Ut *servitium* pro *servo* dicimus, *hospitium* pro *hospite*, *necessitudines* pro *necessariis*, sic *cognationem* hîc pro *cognato* accipimus. Nam ut sit enallage generum *modaath* pro *moda*, quemadmodum è contrà *moda* invenitur pro *modaath*, tum mihi sanè persuaderi patiar cùm aliis persuasero. Pars interpretum subaudiunt præpositionem, ut sit *de cognatione nostra*. Ego non dubito quin rectum sit, *cognatio nostra* pro *cognatus noster*. Quod genus locutionis, quia rarum, studiosos valde observare volo. Sic Lev. 18. *nativitas patris tui*, i. *nata patris tui*, & errant qui aliter exponunt. ¶ *Cujus cum puellis fuisti*] In agro cùm spicas colligeres. ¶ *Ventilat*] Statuit ventilare; sic alibi, *pugnavit Balac*: & in hoc libro, *reversa est Noomi*, cùm sententia postulet, *in animo habuit reverti*. ¶ *Aream hordeorum*] Hordeum, quod in area. Modus loquendi ut *gehenna ignis*, pro *ignis gehenna*; solens locutio Ebræis.

3. *Lavabis, & unges*] Desideratur utrobique pronomen; ut sit, *lavabis te, unges te*, potest etiam verti, *Lava te, & ungito te, & pone vestes tuas*. ¶ *Et unges*] More antiquo, quo utebantur cùm se componerent ad venustatem non solùm feminæ sed aliquando etiam viri. Scholiastes Ebræus alter, *Ungebant se oleo boni odoris magnates terræ Israel, tam viri quàm feminæ*. Exemplum hujus moris invenies in historia Judith, quæ profectura ad Holofernem priùs unguento faciem inunxisse legitur. ¶ *Pones suprà te*] Indues. ¶ *Vestes tuas*] Honestiores ac magìs cultas quàm quotidianæ erant. Hunc sensum expressit interpres Vetus: in eo enim legitur, *induere cultioribus vestimentis*. Alibi vox *semla* latè significat; sed nunc ut ità interpretemur cogit nos sententia: neque enim nuda erat cùm hæc diceret. Vide quæ scripsimus l. 1. Quæst. 3. ¶ *In aream*] Ubi Booz hâc nocte hordeum ventilaturus est. ¶ *Viro*] Τῷ ἀνδρὶ, h. e. Boozo, aut *viro* dixit pro *cuiquam*: sed prius magìs placet, sequitur enim *donec absolverit comedere*, quod perspicuè ad Booz referendum. Ea causa est cur libentiùs verterim *viro illi*: in quo pronomen honorificè positum. ¶ *Donec absolverit comedere & bibere*] Ac si dicat, Noli te ei patefacere antequam sumpto cibo ac potione cubitum iverit.

4. *Cùm cubabit*] *Quando cubitum iverit*. ¶ *Reteges pedes ejus, & cubabis*] Ad pedes ejus, postquam eos detexeris, cubabis, signum, ut appa ret, cum summa dimissione matrimonium ambientis. *Margeloth* valet *pedes*; & sic Daniel usus est eâ formâ nominis, proinde non recta videtur sententia eorum qui *pulvinar pedum* exponunt, aut *à parte pedum*, tanquam Mem præpositio esset, quod mihi absurdissimum videtur, & pugnare cum usu idiomatis sacri. ¶ *Quid facias*] Quid facere debeas ut matrimonium quod ambis legitimum sit, h. e. legi quæ lata de hac re consentaneum. Nam certi quidam ritus observandi erant priusquam duceretur per vindicias uxor defuncti, ut sequentia docent.

5. *Quicquid dixeris mihi*] Scriptum in Ebræo, *Quicquid dixeris*; lectum, *Quicquid dixeris mihi*, addito pronomine, ex notis Massoritarum.

6. *In aream*] Hordei quam eâ nocte Booz ventilabat. ¶ *Secundùm omnia*] Idem cùm illo, *fecit omnia*, itáque in olim translatis legitur, nec malé. ¶ *Quæ præceperat*] צִוַּתָּה pro צִוְּתָה. esset צִוְּתָה ob accentum: sed placuit, corripere: accessit deinde Daghes euphoniæ causâ: ità mihi videtur. Similia sunt צרתה & כעסתה. Vide Scholia Abenezræ.

7. *Bonum fuit cor ejus*] Vel *bonus fuit corde*, h. e. animo hilari ac læto. Sic alibi, *Cùm bonum esset cor ejus vino*, Cùm vino esset factus hilarior. ¶ *Ivit cubitum*] Ad verb. *venit ad cubandum*: sed בא etiam *eo* denotat, ut in illo, *invenit navem euntem Tharsum*, i. באה. ¶ *In extremitate acervi*] Vel *in extremo acervi*. Fateor me nescire utrùm dicat *in extremo acervi alicujus*, an potiùs *in eo acervo qui extremus erat*: sed prius animo meo magìs arridet; & certè quàm magìs cogito tam magìs germanum videtur. ¶ *Clanculùm*] Cum silentio, tacitè, latenter. ¶ *Retexit pedes ejus, & cubavit*] Cubavit ad pedes ejus, quos retexerat, ablato integumento. Factum specie parùm honestum, nec imitandum castis hoc tempore.

8. *Mediâ nocte*] *In medio noctis*, i. ut veteres loquebantur, *meridie noctis*: nam *meridies* τὸ μεσονύκτιον. ¶ *Et contremuit*] *Et fuit & contremuit*. Priùs exposui *accidit ut contremisceret*, expositio certa, & cui probandæ verbum faciendum non est. ¶ *Et huc illuc se vertit*] Chaldæus explanat, *emollita fuit sicut rapa caro ejus præ metu*. Ità autem cùm explanaret interpres ille, videtur mihi respexisse ad nomen, quod est לפת *laphath*, quo *rapam* indigitant in lingua Magistrorum. ¶ *Cubans*] Suberat, i. cubabat.

9. *Quis tu es?*] Vel *Quænam es?* ¶ *Expande*] In aliis *& expandas*, in aliis *ut expandas*. Ego *&* redundare puto; quanquam in Ebræo non penitus redundat, sed præt. in fut. mutat; quod hîc, ut aliàs sæpe, pro imperativo usurpatur. ¶ *Alam tuam*] *Alam* vocat oram pallii, vel ipsum pallium κατ' συνεκδοχὴν, & tacitè innuit cupere

cupere se ut matrimonium secum contrahat. Hoc significat Chaldæus per hæc verba, *vocetur nomen tuum super ancillam tuam:* sensus enim est horum verborum acsi diceret, *Duc me ancillam tuam in matrimonium*. Confer eum hac interpretatione quæ scripsimus l.2.c.20 Animadv. Quidam opinantur metaphoram esse ab alis avium, quibus pullos tegunt. Id si est, malè vertit Interpres, qui vertit *expande pallium tuum*. Sed nè laboremus admodum de interpretatione, modò constet de sensu: est autem sensus quem diximus: nam honestè petit ut se uxorem ducat. Sic locutus est Moses Deut. 22. 30. *Nè retegat alam patris sui*, vult dicere, Nè rem habeat cum uxore patris sui. Huc refer ex eodem libro, *Maledictus qui concubuerit cum uxore patris sui, cùm detexerit alam patris sui*, vel, *quoniam detexit alam patris sui*, ut alia tralatio habet, Deut.27.20. ¶ *Vindex es*] Unus è vindicibus.

10. *Et dixit*] *Qui dixit*, sunt verba Boozi. ¶ *Benedicta tu Domino*] Etiam atque etiam benedicta, ut antè, *benedictus Domino*, ut ἀϛεῖος τῷ Θεῷ, aut vertendum *à Domino*, vel, *Benedicta Domini*, ut *Venite benedicti Patris mei*, nondum constitui quam ex his tribus aliis duabus præferre velim. ¶ *Meliorem fecisti*] Vicisti posteriore pietate priorem. *Priorem* autem *pietatem* vocat quâ usa erat erga maritum & socrum suam. ¶ *Posteriorem*] Quâ contempsisti alias nuptias, ut restitueres marito defuncto in familia nomen, quod in morte ipsius, cùm prolem masculam nullam relinqueret, extinctum erat. ¶ *Non eundo post juvenes*] *Quòd non sis secuta ullum juvenem, sive pauperem sive divitem.* ¶ *Tenues, sive divites*] In Ebræo, *si tenuis. si dives.* Latinè hoc dicas, *si tenues sive divites*; vel hoc modo, *sive tenues sive divites*; vel itá, *tenues sive divites*, omisso altero *sive*. Sic Catullus, *Læva sive dextera*, usitatius enim fuisset, *sive læva sive dextera*.

11. *Quicquid dixeris*] Vel potiùs *quicquid dicis*. Hoc vult, Alam meam super te expandam: matrimonium cum vindice cujus meministi procurabo. ¶ *Universa porta*] Aut *tota curia*, aut *universa civitas*, Nam sic loquuntur sæpe Ebræi: *portam* ponunt pro ipsa urbe. Sic Deut.17.2. *in una portarum tuarum.* Sic Gen.22.17. *possidebit semen tuum portas hostium suorum* Abd.11. *& extranei venissent in portas tuas.* Deut.28.57. *in portis tuis.* Rectè igitur editio vetus habet, *omnis populus qui habitat intra portas oppidi mei.* Et causa est cur hanc sententiam præferendam existimem: quanquam non negem *portarum* nomine etiam *curiam* denotari: sic enim vocatur nonnunquam curia Judicum, & meritó; siquidem antiquitus in portis jus dicebant. Itaque Chaldæus hunc locum παραφράζει verbis quæ nos ex Ebræo vertimus, hujusmodi, *sciunt omnes qui sedent in porta synedrii magni Bethlehemitici te esse mulierem justam* (h. e. probam, virtute præditam) *& eâ fortitudine quâ posses ferre jugum præceptorum Domini.* ¶ *Te mulierem virtutis esse*] Exponunt *mulierem virtute præditam.* Cum hac expositione congruere videtur nomen *virtutis:* sed sciendum eam ejus nominis significationem non facilè reperiri apud interpretes veteres: non enim *virtus* apud illos *vitio* opponitur, sed *virium infirmitati*; ut in illo, *Vox Domini in virtute.* Est igitur cur malim *mulier strenua, & animi quadam fortitudine prædita:* nam *mulier opulenta*, ut ingenuè dicam quod sentio, meo palato non sapit. Græcè verò verterim γυνὴ ἀνδρεία.

12. *Quia verè*] Trem. *quia verum est:* sed malè, ut opinor. ¶ *Licèt vindex*] In Ebræo *quia vindex*. Scriptum *quia si*, non tamen lectum, & observa geminationem particulæ, *quia verè, quia vindex*, nos diximus, *quia verè licèt vindex*, sententiâ itá postulante. ¶ *Est vindex me propinquior*] Nempe frater Elimelechi, cùm ego tantùm sim filius fratris ipsius; Ebræi.

13. *Si vindicabit te*] Aut *redemerit te*, h.e propinquitatis jure duxerit uxorem. Hoc autem *redimere* dicitur, quia redimebant unà relictam à fratre hæreditatem. ¶ *Bene est*] Sunt ex Ebræis, quorum tamen me adscribi nolo sententiæ, qui hunc locum itá legunt, *Si redemerit te Tob, redimat sanè*, ut *Tob* sit nomen proprium vindicis ejus qui Boozo propinquior erat, quem aiunt fuisse fratrem Elimelechi, & per consequens patruum Boozi. Nam Booz filius Salmonis, qui idem erat frater Elimelechi: itaque Josua homo Ebræus F. Levi, *Salmon*, inquit, *Elimelech, & Tob fratres fuerunt*. Contra hanc sententiam sumi potest argumentum ex v. 1. capitis sequentis. Et certè si hoc fuit nomen ejus, cur eum sic alloquitur Boozus, *Accede huc N?* Apparet enim ex iis verbis compositorem hujus historiæ aut hominis nomen omnino ignorasse, aut ob certam causam edere noluisse. ¶ *Vivit Dominus*] Formula jurandi tam usitata tam certa, ut eam probare velle sit lucernam accendere in meridie.

14. *Prius quàm agnosceret vir socium suum*] Ante lucem, cùm adhuc tenebræ essent. ¶ *Vir socium suum*] Alter alterum. ¶ *Et dixit*] Positum hoc loco videtur pro *dixerat enim*, sententiâ id mirificè comprobante. Videnda sunt quæ antecedunt.

15. *Et dixit*] *Hoc ampliùs dixit. Rursum dixit.* ¶ *Peplum*] Editio Chald. *Sudar*, i. *sudarium. Sudarium* autem dixit quod scriptores N. F. σουδάριον, *linteum quo antiquitus faciem velabant*. Græca tralatio, φέρε τὸ περίζωμα, i. *cingulum*. Intelligit, opinor, succinctorium muliebre, quod & *semicinctium* dicitur, i. σιμικίνθιον, Act.19.12. Belgicè eenen voorschoot, à Græcis etiam ὑπόζωμα vocatur. Probat se animo meo hæc interpretatio: volo igitur (neque enim dissimulare id possum) ut prior illa deleatur, & hæc in ejus loco reponatur. ¶ *Quod super te*] *Quo operiris*, interpres Vetus: nec malé. Quidam, *quo caput velas*. Ego mihi persuadeo rectum esse, *quo tegeris cubans in lecto:* tamen hæc libera opinaturis relinquimus, si quis meliora attulerit, audiemus: non ero pertinax. ¶ *Sex hordeorum*] Subaudiunt *mensuras*, alii *Sata*, ut Chaldæus. In Latina vetere *sex modios hordei*. *Modios* appellat Sata, ut in illo, *Ephi mensuram, id est, tres modios*. Sed quæritur an mulier tantum oneris portare possit. Negat Salomo Scholiastes Ebræus; cui assentit Nicolaus: sed rectè necne, viderint alii. Hoc dico, Quæstionem hanc facilè solvi posse, si sciamus quæ sit ratio Sati ad nostrum Modium. Hoc igitur ante omnia quærant quibus otium est; mihi nunc non vacat. ¶ *Posuit super illam*] Imposuit capiti aut humeris illius. ¶ *Venit in urbem*] *Ingressus est urbem*, quod à viro docto Pagnino versum esse miror *& ingressa est:* genere enim hæc apud Ebræos distinguuntur.

16. *Et venit*] *Quæ venit*, Rutham intelligit. ¶ *Quænam tu es?*] Vel, ut antea vertimus, *Quis tu es? Quis* pro *quæ*. Sic usurpant autores Latini. Plautus, *Quis tu es mulier?* Apparet autem Rutham, quæ egressa erat ante lucem, domum rediisse cùm adhuc tenebræ essent, sic ut agnosci à socru non potuerit. ¶ *Et indicavit*] Rutha. *Vir ille*] Ὁ ἀνήρ. Boozum significat.

17. *Sex hordeorum*] *Sex mensuras*, sive *Sata*, *hordei*. ¶ *Nam dixit mihi*] Desideratur pronomen in textu Ebræo: sed addendum ex notis Massoriticis. ¶ *Nè venito*] Vel, si placet, *Nè ito*. Vide suprà v. 7. ¶ *Vacuè*] ריקם ad instar חנם *gratis*, יומם *interdiu*, אמנם *veré*. Alii *vacua*, i. ריקה:

18. *Et dixit*] Noomi videlicet. ¶ *Sede*] *Mane, Exspecta, Quiesce.* ¶ *Res*] *Verbum. Quomodo cadet verbum.* Latinè *quo cadat res*. Sic, *donec perfecerit verbum*, i. *nisi re perfectâ*. *Verbum* pro *re* usitatum adeò Ebræis ut nihil magis. Hinc illud, *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, planum erit si explices *ulla res*, explicatio tam certa quàm in Euangelio. ¶ *Rem illam*] Rem nuptiarum, quas ambis.

IDEM in edit. Gr. Complut.

1. Καὶ εἶπεν] Εἶπε δὲ meus codex. Eadē varietas c.2.v.20. 2. Γνώριμος ἡμῶν] Placet magis, γνώριμος ἡμῶν, ut est in meo libro. ¶ Λικμᾷ] *Ventilat*, i. *ventilaturus est*, aut *ventilare cogitat*. Vide Comment.

3. Καὶ πεισθήσεις] Meus codex καὶ πεισθήσῃ, & statim pòst ἀναβήσῃ pro ἀνάβηθι & ἐπὶ τὸ ἅλω pro ἐπὶ τὴν ἅλω.

4. Τὰ πρὸς ποδῶν αὐτοῦ] Vel τοὺς πόδας αὐτοῦ, *pedes ejus*. Sic libri Ebræi.

5. Εἶπης

5. Εἴπης μοι πρὸς με] Satis erat, εἴπης πρὸς με. In meo εἴπης ἐμοί. Hîc Ebræorum Critici annotant legendum esse אלי ELAI πρὸς με, vel ἐμοί, quod tamen in scriptura Ebr. desideratur.

7. Ἐν μερίδι τῆς στοιβῆς] Alius malit ἐν ἐσχάτῳ τοῦ σωροῦ, est enim ערמה non στοιβὴ, sed σωρὸς δραγμάτων, pro quo δράγμα interpretantur Neh. 13. 15. ¶ Κρυφῇ] Ἐν κρυφῇ meus, & sic est in Ebræo. ¶ Ἐκάθευδεν] In meo ἐκοιμήθη *dormivit*.

8. Καὶ ἐξέστη] *Attonitus fuit*. Interpres malè *& surrexit*. Verti etiam potest *extra se fuit*.

9. Τὸ πτερύγιον] Hier. in Comment. Ezech. 16. *Sive amictum expandit pro alis: hoc enim interpretatur πτερύγιον, quo operta est & Ruth ad pedes dormiens Booz. Et in ora, id est, πτερυγίῳ, vestimenti nostri jubemur hyacinthinas fimbrias alligare.* ¶ Ἀγχιστεὺς] Aliter ἀγχιστεύων, quod idem est.

10. Τῷ Κυρίῳ] Delendum Θεῷ ex libris in quibus τῷ Κυρίῳ Θεῷ. ¶ Ἤτοι πτωχὸς, ἤτοι] In aliis εἴτε πτωχὸς, εἴτε.

11. Ὅσα ἂν εἴπης πρὸς με] Non legitur πρὸς με nec in Ebræo nec in meo exempl. Græco. ¶ Πᾶσα φυλὴ] Suspicor legendum πᾶσα πύλη· siquidem proclivis lapsus de πύλη in φυλή· sed hæc suspicio tantùm est; nullâ codicum autoritate nititur.

12. Ἀληθῶς] Habet meum exemplar ὁ ἀληθῶς. Dubito an legendum ὅτι ἀληθῶς, ut ὅτι hîc sit *quanquam*, ex idiotismo linguæ. ¶ Ἐν γῇ ὢν] Locum hunc fœdè corruptum commodè restitues ex meo codice, si legas ἐγγίων, unicâ dictione, pro ἐν γῇ ὢν· emendatio tam certa quàm quæ apud Sagram.

14. Ἡ ἡ ἀνέστη] In meo adjectum πρωΐ· manifestum glossema. ¶ Εἰς τὸν ἅλω] Et hîc & alibi semper est τὸν ἅλω in meo exemplari; de quo quid sentiam dicam aliás.

15. Καὶ εἶπεν αὐτῇ] Pronomen non est in Ebræo. ¶ Περίζωμα] Vide Comment. nostrum. Alii κάλυμμα, ἢ καλύπτρα, quorum sententiam juvare videtur membrum sequens, τὸ ἐπάνω σου. Sed quid si intelligamus τὸ ἐπάνω σου, καθεύδοντος; viderint doctiores. Mihi interpretamentum vulgarium supra modum placet.

16. Τί σὺ, θύγατερ;] Alibi est, Τίς εἶ, θύγατερ; Legendum puto, Τίς σὺ, θύγατερ; sed repugnant edita exemplaria. In Ebr. Τίς σὺ θύγατέρ μου; *Quis tu, mi filia?* ¶ Σύμπαντα] Πάντα in aliis.

17. Καὶ εἶπεν] Libri alii καὶ εἶπεν αὐτῇ, addito pronomine, quod non reperitur tamen in Ebræo.

18. Κάθου] In aliis κάθισον. ¶ Οὐ πεσεῖται ῥῆμα] Fide mei cod. legendum πῶς ἂν πεσεῖται ῥῆμα, quod probo. ¶ Συντελέσῃ] In eodem est συντελεσθῇ.

GROTIUS.

1. Quæram tibi requiem] Vitam tutam sub mariti præsidio.

3. *Lavare igitur, & ungere*] Formæ adminicula. Vide ad Matth. 6. 17.

9. *Expande pallium tuum super famulam tuam*] Sub tutelam tuam ut maritus me recipe. Vide Isa. 4. 1. Euripides Peliasi ad virginem,

Ὅταν δ' ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐφυοῦς πέσῃς.

10. *Quia non es secuta juvenes*] Rarum in juvenculis senilem gravitatem juvenilibus amœnitatibus antehabere, id honestum facit consilium quod alioqui turpe videretur.

12. *Est alius me propinquior*] Non gradu, sed nascendi ordine prior.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

4. R*Evelabo aurem tuam*] Hebraismus est pro, *Significabo tibi.* ¶ *Si nemo redimere voluerit*] Scribitur tertia persona loco secundæ. Nam sensus est, *Si nolueris redimere, fac ut sciam.* Sed quomodo potuit Boas ducere uxorem ipsam Ruth, cùm alienigena esset, nata de populo Moabitico? Dicendum quòd jam conversa erat ad sincerum Dei cultum, nec periculum erat quòd maritum abduceret in idololatriam, quæ unica causa fuit quare Judæis prohibitum fuit matrimonium contrahere cum infidelibus.

VATABLUS.

1. A*D portam*, השער] Chaldæus paraph. *ad portam domûs*, sive *loci judicii*, i. fori judiciarii ipsius Senatûs. ¶ *Declina*, &c. סורה שבה פה פלוני אלמוני] *Accede tu talis*, & *sede hîc*, פלוני אלמוני voces sunt quæ nihil significant apud Hebræos; tantùm vice alicujus proprii nominis quod tacetur tanquam notum, aut quod nominari nolumus, poni solent; nos dicere solemus, *Toy tel assiez toy icy.* Sic 1 Sam. 21. 2. *Pueris autem condixi locum* מפלוני אלמוני *talem & talem*, vel, *quendam & certum.*

3. *Vendere decrevit*, מכרה] Præt. Heb. pro fut. *venditura est.* ¶ *E regione*, משדה] Ad verb. *ex agro.*

4. *Dixi, Revelabo aurem tuam, dicendo, Acquire*, אמרתי אגלה אזנך לאמור] Hebraismus pro, *Statui apud me hujus te admonere*, sive *id tibi indicare, ac dicere ut acquiras. Revelare aurem alicujus* pro Revelare ei secretum aliquod, Indicare ei aliquid, & de eo admonere. Similis locutio etiam aliis locis legitur, ut 1 Sam. 9. 15. *Dominus autem revelaverat aurem Samuelis diem unam antequam veniret Saul.* Et c. 20. 13. *Si placuerit patri meo ut adducat malum super te, revelabo aurem tuam.* Virgilius dixit, ——*Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit, Pastorem, Tityre, &c.
¶ *Sedentibus*, היושבים] *Sedentes* vocat eos qui cum eo sedebant, aut Judices. Alii vertunt *habitatoribus.* ¶ *Vis redimere*, יגאל] Ad verb. *redimat*, Sub. *is qui jus habet redimendi.* Subita personæ mutatio. ¶ *Ad redimendum*, לגאול] i. Qui jus habet redimendi illum. Quidam vertunt, *scio enim quòd nemo est qui redimere possit nisi tu.*

5. *Addiditque*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit.* ¶ *Agrum*, השדה] V. 3. dixit *partem*, sive *portionem, agri.* ¶ *Et à Ruth*, &c. ומאת רות וגו'] q. d. Quod fieri nequit nisi simul ducas Ruth Moabitidem in uxorem.

6. *Deleam*, אשחית] *Vastem, perdam.* ¶ *Jus propinquitatis meæ*, את גאולתי] Ad verb. *redemptionem meam.*

7. *Hic autem erat mos antiquitus*, וזאת לפנים בישראל] Ad verb. *Hoc autem erat ante in Israel.*

10. *Et de porta loci sui*, ומשער מקומו] Chaldæus paraph. *& de porta Senatûs quæ est in loco ejus.*

11. *Quæ ingreditur*, הבאה] Præs. Heb. pro fut. *quæ ingressura est.* ¶ *Et facias virtutem*, &c. ועשה חיל באפרתה וקרא שם] Ad verb. *& fac virtutem in Ephratha, & voca nomen*, &c. Hebraismus, Virum te fortem ac strenuum præbeas in Ephratha, & famam tibi acquiras in Beth-lehem. *Ephratha* & *Bethlehem* pro eodem posuit.

13. *Conceptum*, הריון] *Conceptionem*, i. Jehova dedit ipsi Ruth ut conciperet.

14. *Non permisit*, &c. לא השבית לך גואל היום ויקרא] Ad verb. *non fecit cessare tibi cognatum hodie, & vocabitur*, &c. i. qui non permisit ut deficeret tibi hodie cognatus, is nempe cujus nomen futurum sit celebre in Israel. *Vocari nomen alicujus in aliquo loco* pro Celebre fieri.

15. *Animum quoque tuum*, &c. והיה לך למשיב נפש ולכלכל] Ad verb. *Et erit tibi in recreantem animam, & ad nutriendum*, &c. i. revocabit tibi animum desperanti de prole, quam nunquam nè sperasses quidem. ¶ *Quia nurus tua*, &c. כי כלתך אשר אהבתך ילדתו] Quidam sic vertunt omisso כי, *iste quem peperit nurus tua, quæ te diligit*, & *quæ tibi* interim *multis liberis præstantior est.*

16. *Fuitque ei in nutricem:* ותהי לו לאומנת] *Fuitque nutricia ejus*, i. educavit eum.

17. *Porrò vicinæ ipsæ*, &c. ותקראנה לו וגו'] Ad verb. *Et vocaverunt ei vicinæ nomen, dicendo, Natus est filius ipsi Naomi: & vocaverunt nomen ejus Obed.*

20. *Salmah*, את שלמה] Idem dicitur *Salmah & Salmon.*

DRUSIUS.

1. IN *portam*] Præpositio desideratur in cod. Ebræo. Similis ellipsis est apud Varronem, *Cùm portam*, inquit, *sessum venissemus*, pro *in portam*. Cæterùm portam dicit ubi Judices conveniebant, non ipsam urbem, ut antea. Vide notata in c.3.v.11. ¶ *Et sedit ibi*] Accipiendum ut sonat: nam quod apud Nicolaum, *sedit tanquam judex*, non satis adducor ut probem. Nam ut concedatur fuisse Boozum ex Senioribus illius oppidi, non tamen in hac causa sedere potuit Judex; non magis sanè quàm alter ille propinquus, de quo tamen infrà, *Et accessit, & sedit.* ¶ *Transibat*] Præteribat portam Judicum. ¶ *Accede*] סורה, ut Prov. 9.4. *Si quis immeritus, accedat huc.* Verbum Ebraicum aliquando *abscedere* significat, ut Thren. 4.15. *Abscedite, abscedite, nè tangite:* & tum semper cùm præpositio *à* sequitur, ut Psal. 6. *Abscedite à me omnes.* ¶ *De quo locutus fuerat Booz*] Suprà 3.12. ¶ *Sede hìc N.*] PHLONI ALMONI est in Ebræo; sic enim loquuntur cùm certum aliquem hominem significant quem tamen nominare nolunt. Malè igitur est apud interp. Latinum Vet. *vocans eum nomine suo*, nam verba Ebræa contrarium innuunt; quæ in Græcum sermonem eleganter convertes, κάθισον ὧδε ὁ δεῖνα. Sic Matth. 26.18. πρὸς τὸν δεῖνα *ad quendam*, אל פלני אלמני EL PHLONI ALMONI.

2. *Assumpsit decem viros*] Adhibuit decem è Senioribus testimonii causâ, & simul quia Lex ità jubebat. ¶ *E senioribus urbis*] E Senatu urbis Bethlehem. Nam civitates suos quæque Senatores habebant, ab illis qui *universi populi* erant diversos. Hi *senes* vocabantur; quod est nomen dignitatis, non ætatis; nam eos designat qui urbem regebant; Quos similiter à *senio senatores* Latini appellant. ¶ *Sedete hìc*] Locum designat in curia qui Senatoribus proprius erat.

3. *Fratris nostri*] *Consanguinei*, sive *cognati nostri*; h.e. fratris tui revera, mei autem patrui. Porrò *fratrem* vocat consanguineum more Ebraico. Sic est apud Mosen, *Audivit autem Abraham captum fuisse fratrem suum.* Erat enim Lot, de quo ibi sermo, filius fratris Abrahami: ergò *fratrem suum* appellat cui patruus erat. ¶ *Vendidit*] Vendere instituit, ut, *pugnavit Balac*, pugnare instituit, neque enim dum vendiderat, ut quidam volunt; quos refellunt verba textûs quæ leguntur infrà v.5. Trem. & Jun. *alienavit*; *hoc est*, inquiunt, *in filium Machalonem transtulit, quo mortuo ad Rutham uxorem devoluta est.*

4. *Et ego dixi, Revelabo aurem tuam*] Hoc vult, Visum est te ejus admonere. *Revelare aurem* Latinè & eleganter dicitur, *aurem vellere*, unde illud,

> ——*Cynthius aurem*
> *Vellit, & admonuit.*

David eodem significatu dixit *aurem perforare*, Psal. 40.6. ¶ *Coram assidentibus*] Coram iis qui hìc nobis assident in porta. ¶ *Et coram Senioribus*] Estne hìc & positum ἐξηγητικῶς; an potiùs *assidentes* vocat alios omnes præter Seniores? Ego arbitror generale esse de omnibus qui ibi sedebant, & ipsos quoque Seniores comprehendere, quorum deinde particulatim meminit, eo modo locutionis quo sic dicimus, *Universa Judæa & Jerosolyma.* Animadvertis credo eandem phrasim, cùm Jerosolyma sub generali nomine *Judææ* contineatur. ¶ *Populi mei*] Non dicit *populi* simpliciter, quomodo aliud significaret; sed *populi mei.* Sensus est, *Popularium meorum Bethlehemitarum.* Igitur *Seniores populi mei*, idem cum illo, *Seniores urbis meæ.* ¶ *Si non vendicabis*] Scriptum in Ebræo *si non vendicaverit:* postulat autem sententia ut accipiamus pro illo, *non vendicaveris*, sive enallage sit, sive subita apostropha, sive subaudiendum *vindex alius*, aut aliquid tale. ¶ *Ut sciam*] Vetus, *ut sciam quid facere debeam.* ¶ *Non est præter te*] Qui te sit propinquior. ¶ *Qui vendicet*] Qui emat agrum illum jure propinquitatis. De hac re lex exstat in Levitico his verbis concepta, *Si præ egestate consanguineus de possessionibus suis vendiderit, propinquo vindici rem à consanguineo venditam redimendi jus esto.* ¶ *Ego post te*] Mihi post te jus competit vendicandi.

5. *A Rutha Moabitide*] Non damno hanc interpretationem, præoptem tamen *& Rutham Moabitidem uxorem defuncti emes.* Sic infrà locutus est v.10. *Atque etiam Ruth Moabitidem uxorem Mahalon comparavi mihi in uxorem.* ¶ *Uxore*] Secundùm Legem, de qua mentio usurpatur, Matth. 22.24. *Moses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filios, ejus frater ducet affinitatis jure uxorem ejus, & suscitabit semen fratri suo.* ¶ *Defuncti*] Mahalonis. ¶ *Comparabis*] Scriptum *comparavi*, lectum *comparasti*, i. comparabis, fut. pro præt. q.d. Cùm emes agrum defuncti, unà tibi habenda est uxor ejus. ¶ *Ad excitandum nomen*] Idem valet *ad suscitandum semen defuncti. Suscitare nomen* est Restituere nomen fratri suo in familia, quod unà cum prole ipsius mascula exstinctum erat: nam soli Filii numerabantur in familia: unde Feminæ appellatæ vocabulo Ebraico quod ab *obliviscendo* deductum, quoniam quod ad familiæ rationem attinet qui filias duntaxat reliquerit perinde habetur ac si nullam prolem reliquisset: in iis enim nomen familiæ obliteratur: transeunt enim in familiam viri.

6. *Nè corrumpam possessionem meam*] Hoc dicit quia uxorem habebat & liberos, quorum patrimonium plerumque imminuitur cùm pater alias nuptias init. Quòd uxorem habuerit, testis Chald. paraphrastes; quòd uxorem & liberos, Josephus. Verba Chaldæi, si quis fortè ea requirat, modò interpretari Latinè nobis concedatur, hæc sunt, *Non possum redimere mihi, quia uxorem habeo; ad quam non licet mihi assumere aliam, nè fortè oriatur jurgium in domo mea, & corrumpam hæreditatem meam. Redime tu, qui uxorem nullam habes.* Hæc ille. Cæterùm in mente habuit, ut apparet, locum Lev. 18.18. quem ex Ebræo quidam sic transferunt, *Non assumes mulierem unam ad alteram ad lacessendum*, sive, ut alii, *ad angendum*, quo hoc vetatur, Nè is qui uxorem habet aliam ducat hâc fini ut priori ægrè faciat; quod accidere necesse fuisset in hoc casu, cùm liberos etiam haberet, quorum patrimonium novo connubio non parùm imminutum fuisset, si alios insuper liberos ex alia uxore, & quidem pro fratre defuncto, genuisset. Frustrà ergò ex hoc loco quidam conficere conantur, Non licuisse per legem Mosis duas simul uxores habere: nam id simpliciter eâ lege vetitum non fuit, nè Regi quidem, aut ego in magno errore sum. Verba Josephi Græca, συγγενὴς μὲν ὄντι καὶ αὐτῷ τῶν πταισμάτων, εἶπε δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη. ¶ *Vendica tu vindicias meas*] Quæ jure vindiciarum mihi redimenda sunt, ea velim te redimere; adito igitur hæreditatem, & duc uxorem superstitem defuncti, cùm id facere sine magno incommodo meo non possim.

7. *Et hoc olim erat*] *Hic mos antiquitus obtinebat.* ¶ *In permutatione*] Cùm res invicem permutarent, ut v.g. agrum cum agro, aut aliquid hujusmodi, vel, *in emptione ac venditione. Permutare* enim pro eo usurpatur quod est *emere & vendere*, ut Græcum ἀλλάττειν. Eò autem id fit quia vetus contrahendi ratio Permutatio erat, quæ Aristoteli συνάλλαγμα, & pro quovis contractu sumitur. ¶ *Exuebat homo calceum suum*] In quæstione est utrùm id fecerit qui cedebat juri suo, an verò is qui jus alterius redimebat. De hac re magna dissensio est inter Magistros. Cæterùm posterior ætas pro Calceo in contractibus usa est Panno, quem SUDAR vocant, de quo Elias Thesbites in hæc verba, *Hodie in usu est ut contrahant per Sudar. Is est pannus, quem tenent duo testes in quorum præsentia exponuntur verba contractûs: quibus expositis, uterque testis explicat oram vestis suæ, quam deinde prehendunt partes contrahentes rei firmandæ. Atque hæc est quæ dicitur Emptio Sudar, sive linteata.* Huc refer quæ scripsimus l.1. Quæst. 46. quæ brevitatis causâ, & simul quia jam in omnium manibus versantur, omitto. ¶ *Testimonium*] Magis placet ut vertatur *testificatio.* Hoc faciebant, inquit, ut testificarentur de facta redemptione aut permutatione.

8. *Et exuit calceum suum*] Quanquam incertum quò hæc pertineant, tamen quia sequitur, *Et dixit Booz*, videtur non

non absurdè posse referri ad vindicem, qui calceum suum exuerit ac dederit Boozo. Sed fuit tempus cùm existimarem hæc referenda potiùs ad Boozum; qua de re fusè dixi in Quæstionibus meis: non repeto. Quòd autem objiciunt ex sequentibus, ei nullo negotio responderi potest. Nam nihil absurdi si dicamus in iis verbis pleonasmum esse nominis *Booz*, qualis suprà 2. 20. ubi otiosè lectum, *Et dixit Noomi*, cùm idem in eodem versu paulò antè præcedat.

9. *Cuncto populo*] Omnibus in porta sive curia Bethlehemitica sedentibus. ¶ *Comparasse*] Vel *emisse*, alii *possedisse*: non probo. ¶ *Omnia quæ Chelionis*] Sub. *fuerunt*, omnes facultates Chelionis & Mahalonis. ¶ *E manu Noomi*] Vet. *tradente Noemi*. Trem. & Jun. *alienata à manu Noemi*.

10. *In uxorem*] Hoc loco *in* præpositio παρέλκει ex Ebraismo, ut paulò pòst, *& fuit ei in uxorem*: Latinè, *fuit ei uxor*. Hoc modo phrasis est: *Ero ei in patrem, & ipse mihi erit in filium*. ¶ *Nomen defuncti*] An in vindiciis eadem consuetudo fuerit an in jure ducendi superstitem fratris, quod vocant IBBUM, nescio. Hoc scio, In hoc jure, qui fratriam ducebat, non tam sibi quàm alteri generabat, ejúsque proles primogenita defuncti fratris nomine censebatur, ut apparet ex Deut. 25. 6. Idem statui posset de jure vindiciarum, nisi obstaret locus qui est infrà v. 21. ubi Obed censetur filius Boozi, non autem Mahalonis. De hac igitur re qui volent, & quibus otium est, diligentiùs anquirent. ¶ *Defuncti*] In Chaldaicis libris שכיבא *dormientis*, id est, mortui: elegans dictio, nam & mors somni nomine sæpe afficitur: unde à nostræ religionis hominibus sepulcreta Græco vocabulo, quod à dormiendo inflexum est, κοιμητήρια nominantur. ¶ *Super possessionem ejus*] Vel, *in possessionem ejus*: vide Deut. 25. 5. ¶ *Ut non exscindatur*] Ut seculis perpetuis memoretur nomen ejus inter eos qui in porta sedent, aut qui Bethlehemi habitant. ¶ *A fratribus suis*] De gente sua, aut de cognatione sua. ¶ *A porta loci sui*] De curia popularium suorum, an potiùs de porta urbis suæ? Chaldæus habet, *è porta synedrii, quæ in loco ejus*. Quo significari videtur familiæ dignitas: hanc excitandam, quæ præsides, qui ad gubernacula reipub. sedeant, subministret. Quod in Davide impletum, & ejus posteris constat.

11. *In porta*] In curia. ¶ *Testes*] *Qui testes erant*, vel, si placet, *Testes nos sumus*, ut integrum sit עדים אנחנו. ¶ *Quæ venit in domum tuam*] Quam uxorem ducturus es. ¶ *Sicut Rachel & Lea*] Tam fæcundam quàm Rachel & Lea fuerunt. *Lia*, non *Lea*, libri veteres: sed Critici Ebræorum elegerunt *Lea*. Ego parùm referre arbitror hoc an illo modo id nomen scribas. ¶ *Quæ ædificaverunt*] *Ædificare* dixit pro *sobole instruere* vel *procreare*, more Ebraico, ut Gen. 16. 2. *Ingredere ad ancillam: fortè ædificabor ex ea*, pro eo quod est *liberos consequar*. Verba sunt Sarai ad Abrahamum. Huc facit ex Plauti Mostellaria, Scenâ *Recordatus multùm*,

——————Nunc etiam volo
Dicere, ut vos homines ædium esse similes arbitremini,
Primùm dum parentes fabri liberûm sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum, &c.

¶ *Et fac opes*] חיל singulariter dici pro eo quod *opes* pluraliter dicimus notum est. Eadem vox *exercitum* significat, & *robur*, unde illud, *Fac virtutem in Ephratha*, de quo Animadv. l. 2. c. 29. Quin ipsum *potentia* nomen pro *opibus* sumitur, ut Prov. 31. 29. *Multæ filiæ fecerunt potentiam*, proinde interpretatur à Hieronymo *congregaverunt divitias*. Libri Græci, ut hoc obiter notem, Πολλαὶ θυγατέρες ἐκτήσαντο πλοῦτον, πολλαὶ ἐποίησαν δύναμιν, ubi duæ interpretationes coaluerunt, quarum prior verbum è verbo reddit, altera superest ex alia quapiam editione, aut est scholion quod ex margine in contextum migravit. ¶ *Ephrathæ*] Non *opes Ephrathæ*, sed *fac*, sive mavis *para*, *Ephrathæ opes*, h. e. in urbe Ephratha: hoc Ebraicè dicitur sine ulla ambiguitate *in Ephratha*, i. Beth-lehemi: nam *Ephratha* & *Beth-lehem*, ejusdem urbis vocabula sunt, ut Hieronymus scribit. Sunt tamen quibus *Ephratha* regio dicitur in qua Bethlehem, non ipsa Beth-lehem: hinc *Bethlehem Ephratha*, quod mendosè legitur in Bibliis Græcis Βηθλεὲμ ὁ οἶκος Ἐυφραθᾶ, legendum sine ullo dubio ὁ οἶκος Ἐφραθᾶ, vel ex Augustino De civit. Dei l. 18. c. 30. Porrò *Ephratha*, ut ait Hieronymus, in nostra lingua sonat καρποφόρον, i. *uberem atque frugiferam*. In eodem est, *Ephratha, furor*. Miraris? mirari desine: sono enim convenit cum עברתה forma nominis inusitata à עברה *furor*: solet autem Hieronymus talia sæpè confundere. ¶ *Voca nomen*] Mirum genus loquendi, & vix alibi usurpatum, quod equidem meminerim. Exponunt, *Fac ut nomen tuum celebretur ac prædicetur*, ac si scriptum esset, *Vocetur nomen tuum Beth-lehemi*. Sic locutus est infrà tertio ab hoc versu, *& vocetur nomen ejus in Israel*. ¶ *Beth-lehemi*] *In oppido Beth-lehem*, sive, ut hîc Critici legunt, *Beth-lahem*.

12. *Phares*] Antiquè lectum pro *Pheres*, ut *Habel* pro *Hebel*: sic *Lahem* pro *Lehem*. De facili enim hæ vocales in talibus permutantur. ¶ *Quem peperit Thamar Judæ*] Historia ex primo libro Mosis notissima est. ¶ *E semine*] Ex prole quam suscipies. ¶ *Ex puella ista*] Rutha. Ex hoc loco & aliis similibus colligimus Rutham, licèt vidua esset, tamen adhuc adolescentulam fuisse cùm nuberet Boozo, dico *adolescentulam*, quia dictio Ebraica non tam *puellam* denotat quàm *adolescentulam*.

13. *Accepit*] Duxit domum suam. ¶ *Fuit ei in uxorem*] Latinè sic, *fuit ei uxor*. Tale est, *Ero ei in patrem*. Ebraismus valde frequens. ¶ *Ingressus est ad eam*] Honestè dictum pro *concubuit*, sive *rem habuit, cum ea*. Æquè eàdem modestiâ *cognoscere uxorem* dicunt; ut, *Adam cognovit uxorem suam*. ¶ *Dedit ei conceptum*] *Fecit ut conciperet*.

14. *Mulieres*] Bethlehemiticæ. ¶ *Benedictus*] Laudandus. ¶ *Non destituit te*] Vel potiùs nurum tuam. ¶ *Vindice*] Qui eam jure propinquitatis in matrimonium acciperet. ¶ *Et vocetur*] Potest exponi *ut vocetur*. Sensus est; Ut nomen ipsius prædicetur inter Israelitas. Etenim nomen ejus qui sine liberis discedit quasi exstingui & obliterari videtur. Alia interpretatio, *vocabitur atque celebrabitur nomen ejus*. Alia, *vocetur nomen ejus*, fit nomen ejus, h. e. *nominetur in Israel*. *Vocare* pro *esse* notum iis qui hasce literas aut mea scripta triverunt.

15. *Reducens animam*] *Animum recreans ac reficiens*, vel, si placet, *vitam instaurans*. Ad verb. *erit tibi in reducentem animam*. Genus loquendi, ut, *fuit ei in uxorem*; de quo jam diximus. ¶ *Sustinebit*] Vel *sustentabit*, ad verb. *& ad sustinendum*. Trem. & Jun. *idque sustentando*. ¶ *Melior*] Gratior, acceptior. ¶ *Septem filiis*] *Quàm si septem filios haberes*, interp. Vetus, & rectè.

16. *Accepit, & posuit*] Acceptum posuit. ¶ *Puerum*] *Infantem*. ¶ *In nutricem*] *Pro nutrice*, aut simpliciter, *fuit ei nutrix*; ut suprà, *fuit in uxorem*.

17. *Vicinæ*] Non vicinæ hoc ei nomen imposuerunt, si Josepho credimus, sed Noomi, idque κατὰ συμβουλίαν τῶν γυναικῶν, *de consilio & sententia mulierum*. ¶ *Obed*] i. Δουλεύων· sic interpretatur à Josepho. Ratio nominis ex eo quod præcedit, *sustinebit canitiem tuam*. ¶ *Isai*] Aut *Jessai*, in libris Latinis veteribus *Jesse*, videlicet ex Græco Ἰεσσαὶ, ut Αἰνείας *Æneas*, minùs sincerum est. *Isai*, ut *Isaias*, ex consuetudine antiqua; quæ hoc auribus dedit ut potiùs *Isaias* sonaret quàm *Jesaias*.

18. *Generationes*] Recensio eorum qui ex Phares descenderunt. Et est figura sermonis, *generatio* pro *genito*, ut *nativitas* pro *nato*, *captivitas* pro *captivo*, *custodia* pro *custodibus* ipsis. ¶ *Phares genuit*] Sic antiquitus semper legebant, nunc legunt *Pheres*, cùm id nomen extra pausam ponitur. *Pausam* voco accentum majorem distinguentem, qualis in illo, *generationes Phares*, itaque libri Ebræi hîc *Phares* habent, non, ut mox *Pheres*.

20. *Salma*] Itâ legendum, non, ut in veteribus, *Salmon*.

mon. utroque enim modo dicitur, *Salma* & *Salmon*: itaque mox sequitur.

21. *Et Salmon genuit*] *Salmon*, inquam, non *Salma*. Hoc notare volui, ut, si quem fortè hæc varietas in eodem nomine offendet, sciat non mendum esse operarum, sed ità scriptum nos reperisse in libris Ebræorum. ¶ *Genuit Booz*] Ex Rachab meretrice, ut habetur Matth. 1. 5.

22. *Davidem*] Ad quem genus suum referunt Reges Israel, & ipse Messias.

IDEM in edit. Gr. Complut.

1. ON εἶπεν Βοόζ] Scriptum est in meo libro ὃν ἐλάλησε. In Ebr. דבר DIBBER, cui respondet λαλεῖν *loqui*: ὃν εἶπεν, i. אמר AMAR. ¶ Πρὸς αὐτὸν Βοόζ] Totum hoc additum lucis causâ, an à scribis, an ab interpretibus? ¶ Κρύφιε] In meo libro hoc desiderabatur, mihi non displicet, ut sit interpretamentum τοῦ PHLONI ALMONI. Sic etiam interpretatur eas voces qui Prophetas in Chaldaicum sermonem convertit. In eo enim legitur כסי וטמיר CHSI UTMIR. In Scholiis Jarii Ebræi ad h. l. PHLONI, *occultus, latens, abditus*, παρὰ τὸ PHALA: unde היפלא *An absconditum est à Domino quicquam?* Tamen est cur malim ὦ δεῖνα. Vide Comment.

3. Ἀγχιστῇ] Leg. ἀγχιστῇ· vitium operarum. In aliis est ἀγχιστεύοντι.

4. Ἐγώ εἰμι, ἀγχιστεύσω] Qui ex Ebræo hanc historiam nostrâ ætate interpretati sunt absque dubio legerunt ἐγὼ ἀγχιστεύσω sine interpunctο: sed potest etiam legi hoc modo, *ego redimam*; ut subaudiatur *sum propinquus*. Hoc significat, Fateor me propinquum esse: ideo paratus sum eam redimere.

5 Καὶ αὐτὴν κτήσασθαί σε δεῖ] Pro eo habet meus liber δεῖ τῆς κληρονομίας αὐτοῦ κτήσασθαι σεαυτῷ· locus haud dubiè mendosus.

6. Τῷ Βοόζ] Delendum autoritate mei libri, cùm non sit in archetypo.

7. Καὶ τοῦτο τὸ δικαίωμα] Τὸ δικαίωμα glossema est, ut apparet, ex nota marginali: nisi additum ab interpretibus ipsis. ¶ Ὑπελύετο ὁ ἀνὴρ] In aliis καὶ ὑπελύετο ὁ ἀνὴρ· legerim ὑπελύετο ἀνὴρ, deleto articulo. ¶ Τῷ ἀγχιστεύοντι τὴν ἀγχιστείαν αὐτοῦ] Glossema esse videtur.

8. Τὴν ἀγχιστείαν μου] Et hæc absunt libris Ebræis, ut verba quæ sequuntur, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ· neque dicere possumus quisnam ea addiderit: adducor tamen ut credam glossemata alicujus librarii esse.

9. Ἀβιμέλεχ] Legendum Ἐλιμέλεχ, vel ex autoritate mei libri.

10. Ἐκ τῆς πύλης] Mirum unde irrepserit in meum cod. ἐκ τῆς ὀσφύος· nè autem putes erratum esse operarum, sciâs in tralatione Latina haberi *ex lumbo loci sui*.

11. Καὶ εἶπον πᾶς ὁ λαὸς, οἱ ἐν τῇ πύλῃ] Liber meus καὶ ἀπεκρίθησαν πᾶς ὁ λαὸς, καὶ εἶπαν οἱ ἐν τῇ πύλῃ. Prior lectio placet. ¶ Καὶ οἱ πρεσβύτεροι εἶπον] Ex Ebræo emendandus hic locus hunc in modum, Καὶ εἶπον πᾶς ὁ λαὸς οἱ ἐν τῇ πύλῃ, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, μάρτυρες. ¶ Καὶ ποίησαι δύναμιν] *Fac opes*; ut in illo, Πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν. Perperàm est in meo, καὶ ἐποίησαν· eámque scripturam ipsa sententia repudiat. ¶ Καὶ ἔσαι ὄνομα] In Ebr. κάλε, ἢ κάλεσον, ὄνομα.

12. Ἐκ τοῦ σπέρματός σου] Hanc interpretationem in viam unde deflexit reduces hoc modo, ὃ δώσῃ σοι Κύριος ἐκ τῆς παιδίσκης ταύτης, expunctâ voce τέκνα, quam imperitior librarius de suo adjecit. ¶ Δῴη σοι] In aliis δώσῃ σοι.

13. Τὴν Ῥοὺθ ἑαυτῷ γυναῖκα] Legendum fide mei libri τὴν Ῥοὺθ, καὶ ἐγενήθη αὐτῷ εἰς γυναῖκα. ¶ Καὶ ἔτεκεν αὐτῷ] Pronomen αὐτῷ non legitur neque in Ebræo neque in meo libro.

14. Ἀγχιστεύοντα] In aliis ἀγχιστέα.

15. Ἔτεκεν αὐτὸν] Malè in meo pro αὐτὸν legitur υἱόν. ¶ Ἑπτὰ υἱοὺς] *Septem filios* hic valet *multos filios*, ut Jesa. 4. 1. *Apprehendent septem mulieres unum virum*, & Jer. 15. 9. *Debilitata est quæ peperit septem.* Vide Animadv. l. 2. c. 1.

17. Ἰεσσαὶ] Quidam pro Ἰεσσαὶ reponunt Ἰεσσαΐ, ut sit trissyllabon.

18. Ἐσρὼν] In libro meo est Ἐσρὼμ, ultimâ μ & ità scriptum hoc nomen Matth. 1. 3. sed Ebræi scribunt Ἑσρὼν, cum aspiratione & ultimâ ν; eodémque modo Syrus interpres N. F. Est ergò σφάλμα manûs imperitæ in Ἐσρὼμ· quale in Μαδιὰμ, in Ἐδὲμ, & similibus.

19. Ἀρὰμ] Libri Ebræi Ῥάμ· sed Ἀρὰμ legitur Matth. 1. 3. non modò in libris Græcis, sed etiam apud interp. Syrum. Libri Latini *Aram*. Notatum autem in uno manuscripto pro *Aram* legi *Ram*: quæ lectio in omnes partes melior est: nam *Aram* aliud est.

20. Ναασσὼν] Necessitatis est ut scribant *Naasson* pro *Nahasson*, Matth. 1. 4. In Syriacis *Nachsum* legitur, ultimâ *m*; sed malè, ut puto. ¶ Σαλμὼν] In Ebr. Σαλμά. Vide quæ scripsimus ad hoc nomen in Commentario.

21. Βοόζ ἐγέννησε τὸν Ὠβὴδ] Syrus hæc duo nomina mutavit in *Baaz* & *Ubid*, Matth. 1. 5. Idem *Reuth* scribit pro *Ruth*.

22. Δαυὶδ] In quibusdam libris Latinis additum *regem*, ut opinor, ex Matth. 1. 6. Ὠβὴδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεσσαί. Ἰεσσαὶ δὲ ἐγέννησε τὸν Δαβὶδ τὸν βασιλέα. Pro Δαυὶδ in alio loco Δαυῒδ cum diæresi scriptum animadverti, sicut & in alio Δαβὶδ. Ex quo liquet in iis verbis quæ mediam Vau haberent certam non fuisse scribendi rationem, cùm alii pro Vau scriberent β, alii υ.

GROTIUS.

2. TOllens *autem Booz decem viros*] Quod est עדה, adhiberi solita ad actus legitimos, ut Matrimonii, Divortii, Mancipationis, Cessionis in Jure.

5. *Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere*] Nimirum lege quæ est Deut. 25. 5, & sequentibus, auctore consuetudine à fratribus productâ ad propinquos alios, ut ad eum locum diximus. Hebræi tamen hîc de agro tantùm agi aiunt qui à marito Ruthæ donatus fuerit. At quæ igitur connexio, Si agrum habere vis, debes & viduam habere? & excalceatio nonne hîc planè ut in Deuteronomio? Tum verò Josephus legum patriarum non ignarus ità ut nos diximus explicat hunc locum. Verba ejus sunt; Κἀκεῖνος (Boozus) ἤδη μεσούσης τῆς ἡμέρας κατελθὼν εἰς τὴν πόλιν, τήν τε γερουσίαν συνῆγε, καὶ μεταπεμψάμενος Ῥοῦθιν, ἐκάλει καὶ τὸν συγγενῆ· καὶ παραγενομένου φησὶν, Ἀβιμελέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ κλήρων κρατεῖς; ὁμολογήσαντος δὲ συγχωρούντων τῶν νόμων κατὰ τὴν ἀγχιστείαν, Οὐκοῦν, φησὶν ὁ Βόοζος, οὐχ ἡμισείας δεῖ μεμνῆσθαι τῶν νόμων, ἀλλὰ πάντα ποιεῖν κατ' αὐτοὺς μᾶλλον· ἰδοὺ γὰρ δεῦρο ἥκει γυνὴ αὕτη, ὅσπερ, εἰ θέλεις τῶν ἀγρῶν κρατεῖν, γαμεῖν σε δεῖ κατὰ τοὺς νόμους. ὁ δὲ Βοόζῳ καὶ τὸ κλῆρον καὶ τῆς γυναικὸς παραχωρεῖ, συγγενεῖ μὲν ὄντι καὶ αὐτῷ τῶν τετελευτηκότων· εἶναι δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη· μαρτυράμενος οὖν ὁ Βόοζος τὴν γερουσίαν ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολῦσαι αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ πτύειν εἰς πρόσωπον· καὶ γενομένου τούτου, Βόοζος γαμεῖ τὴν Ῥοῦθιν· ubi pro πτύειν legendum πτύειν. LXX in illa lege Deuteronomii, καὶ προσελεύσεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ ἔναντι τῆς γερουσίας, καὶ ὑπολύσει τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ τὸ ἓν ἀπὸ τοῦ ποδὸς αὐτοῦ, καὶ ἐμπτύσεται κατὰ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Ipse verò Josephus, ὑπολύσασα δ' αὐτὸν ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον, ἄξιον εἶναι παρ' αὐτῆς λεγέτω τυγχάνειν ὑβρίσαντα τοῦ τοῦ κατοιχομένου μνήμην.

6. *Neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo*] Heb. *nè fortè corrumpam hæreditatem meam*, q. d. Malo aliam uxorem ducere, ut mihi, non mortuo, hæredes sint. At Josephus putat, ut vidimus, huic homini fuisse uxorem & liberos: itaque hæc verba, puto, sic intellexit; Nolo mihi aliam uxorem superaccersere, & alios in domum liberos adducere, nè pacem turbem familiæ meæ, & alienis rebus intentus meas negligam.

11. *Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel & Liam*] Formula faustæ apprecationis in nuptiis nunc etiam Judæis usitata.

ANNOTATA

ANNOTATA

AD LIB. I.

SAMUELIS.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Quatuor libri REGUM in Hebræo duo tantùm sunt libri, nempe liber SAMUELIS, & liber REGUM: & utrumque Latini interpretes in duos distinxerunt libros: Quos & nos imitabimur, nisi quòd primum & secundum appellabimus *Primum* & *Secundum* SAMUELIS, & tertium atque quartum vocabimus *Primum* & *Secundum* REGUM. Porrò nomen *Samuel*, quod Hebræi *Schmuel* proferunt, noluimus immutare, quòd parùm ab Hebraica discrepet voce, præsertim si *a* breviter, & *u* tractim proferatur.

1. *Ex una duarum Ramath*] Hebraica vox רמתים, quæ hîc in duali scribitur numero, indicat duo fuisse loca *Ramath* vocata ex quarum altera iste Elkana fuit: ut sit sensus, מאחת משתי רמות. Proinde vocem *Zophim* quidam exponunt pro נביאים *prophetis*, sonat enim ZOPHIM *speculatores*. Alii putant *Zophæum* dictum à cognatione Zoph, cujus fit mentio in libro Paralipomenωn.

3. *Ab anno in annum*] Hebr. *à diebus in dies*: h.e. ab una solennitate in aliam ibat Elkana ut adoraret Dominum, & offerret sacrificia quæ tunc erant præcepta.

5. *Partem unam facie demissâ*] Heb. *Partem unam facierum*, Pro quo Jon. חולק חד בחיר *partem unam electam*, h.e. Dedit Hannæ partem honorificam, ut ab illa auferret animi & vultûs molestiam. Alii exponunt אפים pro כעס, quòd tantùm unam ei dederit partem, condolens ejus afflictioni, quòd non haberet filios, cùm tamen diligeret eam.

6. *Æmula ejus irritavit eam*] Heb. *Concitavit eam tribulatrix*, vel *adversatrix*, *ejus irritatione*, *ut commoveret eam.*

14. *Aufer vinum tuum*] h.e. *Digere vinum tuum*, sive, exspecta donec per digestionem à te recesserit sumptum vinum. Per יין Chald. interpres intelligit *vinum novum*, & per שכר *vinum vetus.*

16. *Ne ponas famulam tuam*] Scilicet לפני השם כבת בליעל, sicut & nos vertimus. ¶ *Mœrore meo*] Hebraica vox שיח propriè sign. ענין *occupationem animi quæ celari non potest, sed per verba & nutus foras prorumpit.* Quidam interpretantur *meditationem.*

17. *Petitionem tuam*] In שלתך media radicalis litera Aleph quiescit in Zere voce magnâ.

18. *Neque fuerunt ultrà facies ejus*] Hebr. *Et facies ejus non fuerunt ei ultrà*; scilicet פניה הרעים *facies illa turbatæ & tristes.*

20. *Post revolutiones dierum*] Capitur *revolutio dierum* pro ימי העביר *diebus impraegnationis. His*, inquit, *diebus revolutis, peperit filium, vocavitque nomen ejus*, שמואל, *quasi* מאל שאול, *A Deo postulatus.*

21. *Votum suum*] Quod scilicet fecerat si Dominus illi prolem ex Hanna daret.

22. *Usque in seculum*] Hebræi exponunt *seculum* pro *omnibus vitæ suæ diebus*, aut pro *ævo Levitarum*, quod quinquaginta complectitur annos, tot enim annis ministrare jubentur Levitæ.

24. *Puer tener*] Hebr. *Puer ille puer.* Pro quo Jon. ורביא הוה יניק *Et puer fuit lactens*, i. Fuit tam tener quasi adhuc sugeret matris ubera.

28. *Tradidi eum Domino*] Jon. השאלתיהו pro מסרתיה, sicut nos vertimus. Alii sic, החזרתי לו השאלה שהוא נתן לי h.e. *Restitui ei petitionem quam mihi dedit.* ¶ שאול] Capitur pro נתון *datus*, seu *mancipatus.*

VATABLUS.

HIC est tertius liber eorũ quos vocant Hebræi נביאים ראשונים *Prophetas priores*; quem שמואל א׳ SAMUELIS *primum* inscribunt, quòd ejus conceptionem, nativitatem & res gestas contineat. Latini *Primum* REGUM; LXX verò vocant Βασιλειῶν α΄, REGNORUM *primum.* Dicunt hunc librum subjunctum fuisse libro Judicum quod Eli & Samuel fuerint duo postremi Judices. Hebræi tamen alias afferunt rationes.

1. *Fuit vir quidam*, ויהי איש אחד] Ad verb. *Et fuit vir unus.* Hîc ו non copulat, sed tantùm vertit futurum in præt. ¶ *De Ramathaim Sophim*, מן הרמתים צופים] Dictio *Ramathaim* dualis est numeri; nam fuerunt duæ Ramah, acsi vertas, *Erat vir quidam de alterâ Ramath, quæ dicebatur Ramath Sophim*, i. *Speculatorum*: in qua habitabant speculatores, h.e. Prophetæ, sive viri Sacrarum literarum studiosi. Doctus inter Hebræos repetit מן, ut legas *de Sophim*, acsi dicas *de familia Sophim*, i. de familia Prophetarum, qui dicuntur *Sophim*, h.e. *speculatores.* Ità vertit Chaldæus paraph. Alii *Sophim* exponunt *respicientes*, hoc modo, *de altero oppidorum Ramath mutuò sese respicientium.* Duo enim illa oppida speculabantur sive respiciebant sese; iste erat ex altero illorum. ¶ *De monte Ephraim*, מהר אפרים] i. Qui habitabat sive peregrinabatur in tribu Ephraim. Vel refertur ad *Ramathaim* oppidum, *quod fuerit de monte Ephraim*, h.e. situm in monte Ephraim. Et in hanc sententiam doctus inter Hebræos exponit, *in monte Ephraim*, sub. *situm oppidum*, ut מן ponatur pro ב. ¶ *Elcanah*, אלקנה] Fuit vir iste Levita, de nepotibus Core: cujus majores ipse enumerat, ut ostendat eum fuisse Levitam, simulque doceat habitasse in monte Ephraim. Genealogia ejus describitur 1 Par. 6. 22. ¶ *Ephrathai*, אפרתי] Istud ad *Suph* referri debere scribit doctus inter Hebræos, q.d. *Qui Suph etiam habitabat in monte Ephraim, ut & majores sui.* Quidam vertunt in nominativo *Ephrathæus*, ut ad *Elcanam* referatur, quòd fuerit Ephrathæus habitans in monte Ephraim, non de tribu.

3. *Ascendebat autem*, ועלה] Sub. *Ter.* Ascendebat quidem ter in anno ad Tabernaculum federis, ut Lege jubebatur,

jubebatur, Deut. 16. 16. Ascendere mares cogebantur; sed semel duntaxat in anno ducebant secum totam familiam. ¶ *Annuatim*, מימים ימימה] *Quotannis*. Ad verb. *De diebus* in dies. Chaldæus paraphrastes *stato tempore anni*. ¶ *Exercituum*, צבאות] Nempe cœlestium & terrestrium, q. d. Deo, cui omnia subjecta sunt tam cœlestia quàm terrestria.

4. *Venit autem dies*, ויהי היום] Quo scilicet solebat Elcana curare immolari hostias pacificas. Quidam dicunt fuisse festum Tabernaculorum. Ad verb. *Et fuit dies*, pro, *Cùm autem venisset dies, immolavit*, &c. ¶ *Partes*, מנות] *Portiones, portiunculas*. Offerentes edebant partem hostiarum coram Domino, i. in atrio, è regione Tabernaculi federis.

5. *Honorabilem*, אפים] Ad verb. *Vultûs*, i. partem selectam & honorabilem; ut scilicet eam exhilararet, sciebat enim esse tristem quòd esset sterilis. Chaldæus paraph. *electam*, q. d. Summâ diligentiâ ex aliis omnibus electam, in quam scilicet oculos conjecerat, vel, quæ etiam in convivio lauto apponi posset coram claris convivis. Alii vertunt *partem irarum*, i. quam cum tristitia dabat & mœstus. Alii *portionem iræ* interpretantur, h. e. portionem quæ daretur illi ad alleviandam iram.

6. *Irritabat autem eam inimica ejus*, וכעסתה צרתה] *Provocabat autem eam æmula sua identidem ad iram*. Doctus inter Hebræos dicit *duas sive plures uxores unius viri dici* צרות, h. e. *inimicas*, *quòd adinvicem sint inimicæ, & altera alteri invidere soleat*. ¶ *Ad iram provocaret eam*, הרעמה] *Mœrore afficeret eam*, aut, *tristem redderet eam*.

7. *Et sic faciebat*, וכן יעשה] *Sic autem faciebat*, sub. *Elcana*, sic quotannis ascendebat ad tabernaculum Domini, & sacrificabat. ¶ Et *ex quo ascenderat ipsa*, מדי עלותה] Quidam subauditis particulis sic vertunt, *Et cùm pervenerant illuc, & ex quo ipsa ascenderat*. ¶ *Sic irritabat*, כן תכעסנה] i. De more provocare solebat eam ad iracundiam.

8. *Et utquid malè habet*, ולמה ירע] *Et quare affligitur*, i. quare es animo ægro ac tristi? ¶ *Melior*, טוב] *Præstantior*, q. d. Nónne deberes me pluris facere quàm decem filios? vel, Nónne possum tibi plura beneficia præstare quàm decem filii? ego enim diligo te vehementissimé.

9. *Super solium*, על הכסא] *Super sedem*, vel, *in magno solio*, erat enim summus Pontifex. ¶ *Juxta postem*, על מזוזת] i. Ad alterum ex postibus, h. e. ad alterum atrii latus. ¶ *Templi Jehovæ*, היכל יהוה] i. Loci in quo erat tabernaculum Domini. Per היכל intelligit atrium, aut totum illud ædificium quod atrium & tabernaculum federis complectebatur. Sacerdotibus neque edere neque sedere licebat in atrio, sed extra atrium.

10. *Oravit*, ותתפלל] Sub. *in atrio ante tabernaculum federis*. ¶ *Abundéque flevit*, ובכה תבכה] Ad verb. *Et flendo flevit*.

11. *Si respexeris*, אם ראה תראה] Ad verb. *Si respiciendo respexeris*, vel, *videndo videris*, i. si dignatus sis contemplari. ¶ *Semen virile*, זרע אנשים] Ad verb. *Semen virorum*, i. semen virilis sexûs, h. e. prolem masculam. Chaldæus Paraph. *semen inter filios hominum*. ¶ *Tum dabo eum Jehovæ*, ונתתיו ליהוה] Ut scilicet illi serviat quamdiu vixerit. ¶ *Et novacula*, &c. ומורה לא יעלה על ראשו] i. Capillus ejus nunquam radetur, q. d. Erit Nazaræus. Templi minister fuit Samuel & Nazaræus. Chald. paraphrastes pro *novacula* vertit *terrorem*. Tunc vox Hebræa haberet Aleph in fine מורא, quæ significat *terrorem*. *Terror non ascendet*, &c. i. imperium hominis. Nam imperium est terror homini, i. Nemini unquam serviet præterquam Deo. Rectiùs tamen verteris *novacula*.

12. *Multiplicaret orare*, הרבתה להתפלל] *Multiplicaret preces*, i. diu oraret versùs eam partem in qua Dominus se præsentem exhibebat. ¶ *Os ejus*, את פיה] i. Eam precantem.

13. *Et existimavit*, ויחשבה] *Itaque reputavit*, *propterea reputavit*.

14. *Usquequo præ te feres ebrietatem?* עד מתי תשתכרין] *Usquequo ages temulentam?* Moves enim labia, at verba non audiuntur. Gallicè, *Jusques a quand feras tu de l'yurongne?* ¶ *Aufer*, &c. הסירי את יינך מעליך] q. d. Excute hanc temulentiam à te.

15. *Non, domine mi*, לא אדני] Sub. *ità res habet ut reputas, non sum ebria, sed mulier*, &c. ¶ *Dura spiritu*, קשת רוח] *Ægra animo*, i. animo afflicto, quæ gravatè fero sortem meam. ¶ *Sed effudi*, &c. ואשפך את נפשי] i. Sed deprompsi quicquid habebam in animo.

16. *Nè ponas*, &c. אל תתן את אמתך לפני בת בליעל] Hebraismus, Nè conferas me filiæ impiæ & improbæ, i. Noli me habere pro muliere temulenta. Alii, *Nè ponas me in ordine filiarum improbarum*. ¶ *Eloquii mei, & indignationis meæ*, שיחי וכעסי] *Querelarum mearum & ægritudinis* animi mei, i. præ multo mœrore & dolore cordis, q. d. Multa querens & ægrè ferens, tamdiu oravi.

17. *Et Deus Israel det*, ואלהי ישראל יתן] *Nam Deus Israel dabit*, q. d. Exaudivit te Deus Israel, & daturus est quod petisti.

18. *Inveniat ancilla*, &c. תמצא שפחתך חן בעיניך] Hebraismus, Ineam tecum hanc gratiam, ut pro me orare velis. ¶ *Iráque illius*, &c. ופניה] *Vultúsque ejus*, sub. *mœstus*. q. d. Facies illa vultuosa quæ præ se ferebat mœstitiam ac tristitiam, i. exinde non visa est mœsta ac tristis. Verti potest *tristitiáque ejus*, &c.

19. *Et surrexerunt*, וישכימו] Sub. *altero die*. *Et recordatus est*, ויזכרה] i. misertus est ejus, quæ enim priùs erat sterilis, concepit.

20. *In revolutionibus dierum*, לתקופות הימים] *In circuitibus* [sub. *aliquot*] *dierum*. Hebraismus, Transactis autem aliquot mensibus. ¶ *Semuel*, שמואל] Etymologiæ non sunt semper exigendæ ad regulas Grammatices. Aliter autem componuntur nomina ab Hebræis, aliter à Latinis. Aliquando enim in compositis Hebraicis cernuntur tantùm primæ literæ vocum è quibus vocabulum componitur, ut ex hoc nomine *Semuelis* est clarum, quod impositum est à muliere, non à viro docto; retinétque tantùm primam literam verbi שאל, quod *Postulavit* significat. *Semuel* dicitur, q. שאלתי אתו מאל.

21. *Anniversariam*, הימים] i. Quam solebat facere singulis annis.

22. *Non ascendit*, לא עלתה] Ab eo scilicet tempore quo ascenderat in locum ubi erat Tabernaculum Domini. ¶ *Ut conspiciatur*, ונראה] *Et appareat*, i. statuatur. Ad verb. *Et adducam eum, & conspicietur*. ¶ *In seculum*, עד עולם] i. Quamdiu vixerit.

23. *Veruntamen confirmet*, אך יקם] *Tantùm* [vel *modò*] *adimpleat*, i. ratam habeat promissionem suam, q. d. Peto tantùm à Deo ut non infirmet quod nobis promisit per Eli. Hîc habenda est ratio totius orationis Hannæ.

24. *Deduxitque illum*, ותעלהו] Ad verb. *Ascenderéque fecit illum*. ¶ *Cùm juvencis*, בפרים] Id erat pro amplis sacrificiis, oblationibus & libaminibus faciendis. ¶ *Et modio*, ואיפה] *Et ephâ*, vide Exod. 29. 40. ¶ *Atque utre*, ונבל] *Et amphorâ, cado, fideliâ*. ¶ *Puer autem* erat puer, והנער נער] Ad verb. *Et puer, puer*, i. erat adhuc parvulus, q. d. Nihil aliud erat quàm puer. Chald. paraphrastes, *erat adhuc lactens*.

25. *Et adduxerunt*, ויבאו] i. Facto sacrificio, introduxerunt.

26. *Obsecro, domine mi*, בי אדוני] *O domine mi*, q. d. Audi ancillam tuam, & concede mihi quod petitura sum. ¶ *Vivit anima tua*, חי נפשך] Jurat in animam summi Sacerdotis. Asseverationis genus, q. d. Ego dicam veritatem, & non mentiar: tam vera sunt quæ dictura sum quàm verũ est te vivere, *Aussi vray que tu es icy, ou la*. Vel, Tam vera sunt quæ dictura sum quàm verum est quòd ego opto vitam tuam. ¶ *Quæ steti*, הנצבת] *Quæ stabam*.

27. *Oravi*, התפללתי] Præt. Heb. quod quidem per imperfectum reddunt, *orabam*, vel *rogabam*.

28. *Cõmodavi eum*, השאלתיהו] *Mutuavi eum*, i. Ut mihi à Deo donatus est, ità etiã ego illi ipsum dono, vel decrevi,

vel

vel vovi me tradituram illum utendum Domino. Chaldæus paraph. *tradidi eum ut sit ministrans.* ¶ *Omnibus diebus*, &c. [כל הימים וגו׳] i. Quamdiu erit superstes, profectò datus est Domino. ¶ *Et incurvavit se ibi Jehovæ*, [וישתחו שם ליהוה] *Et adoravit illic* [vel, *tunc*] *Jehovam*, sub. *Eli.* q. d. Tunc Eli acquievit precibus mulieris, quæ petebat ut ipse Deo gratias ageret, ille gratias egit pro beneficio quod illa accepisset.

C A S T A L I O.

3. **A**D *Jovam bellipotentem*] Heb. *Jovam exercituum.* Vocantur autem *exercitus* non solùm milites sed quicquid ejusmodi est quo Deus utatur ut militibus utuntur imperatores. Utitur autem Deus rebus omnibus suo arbitratu. Itaque *Jova bellipotens*, sive *armipotens*, est qui rebus omnibus imperat: quod quale sit, patebit ex illo centurione qui Christo demonstrabat sese in suos milites autoritatem obtinere; & quicquid illis imperaret, eos exsequi.

C L A R I U S.

QUatuor libri REGUM in Hebræo duo tantùm sunt libri, nempe liber SAMUELIS, & liber REGUM; & utrumque Latini interpretes in duos distinxerunt libros, & sic facti sunt & appellati omnes *libri* REGUM.

1. *De Ramathaim*] Alius vertit *ex una duarum Ramath, de cognatione Sophim.* Nam quidam putant *Sophæum* dictum à cognatione *Soph*, cujus fit mentio in libro Paralip.

5. *Partem unam tristis*] Heb. *Partem unam facierum*, pro quo Jonathas vertit *partem unam electam*; h. e. dedit Annæ partem honorificam, ut ab illa auferret animi & vultûs molestiam.

21. *Votum suum*] Quod scilicet fecerat si Dominus illi prolem ex Anna daret.

28. *Et oravit Anna*] *Orationem* vocat canticum illud quo beneficium Dei commemorat, ut intelligamus non solas preces *Orationes* vocari, sed quoties Divinæ beneficentiæ ac magnitudinis & Divinorum operum mentio fit.

D R U S I U S.

1. **V**IR *unus*] i. Quidam. Et, *vir è Ramathaim*, ut *vir è Bethlehem Juda*, i. Bethlehemita Judæus. Sic *homo ex Arimathæa* ἄνθρωπος ἐξ Ἀριμαθαίας. Quod æmulatus est Judæus ille qui præfuit editioni Bibliorum Venetorum: nam Danielem Bombergum Antverpianum vocat איש מאנוירשה *virum ex Antverpia.* Cæterùm duæ Ramæ fuerunt, ut doctores Ebræi nos docent. Ideo R. David *ex Ramathaim*, quod est nomen duale, interpretatur *ex alterutra Ramarum*; ut, *In duabus affinis meus eris*, i. alterutra. Sic, *Sepultus est in urbibus Galaad*, i. in una aliqua urbium Galaad. Quò pertinet &, *Latrones exprobraverunt ei*, i. alteruter latronum. Sic, *Descendit in latera navis*, i. in alterutrum latus. Alii existimant urbem hanc divisam fuisse in duas partes, & propterea duali numero *Ramathaim* dici, ut *Jerusalaim*, & alia ejus generis. Certè plures Ramæ fuerunt, si non fallit nos Borchardus; una juxta Thecuam, altera in tribu Nephthali, tertia juxta Sephron, quarta in Silo, & quinta prope Gabaa. De hac interpretantur, *Vox in Rama audita est.* Rama Benjamin aberat à Bethlehem quatuor parasangis; Rama verò quæ in monte Ephraim, itinere duorum dierum: Gerundensis Gen. 35. 16. Hieronymus Hos. 5. 8. *Rama prope Gabaa in septimo lapide à Jerosolymis sita; quam Rex Israel occupare conatus est, ut exitum & introitum clauderet tribui Judæ.* Ut ut sit, locus iste accipi debet de Rama quæ in monte Ephraim, quam non nemo interpretatur *è duplici Rama Sophæorum*, quos à terra *Suph* ità dictos existimat, cujus memoria usurpatur infrà 9. 5. Alii *Ramathaim Sophim* dictum existimant quòd duæ civitates essent quæ se invicem *respicerent*, & q. *specularentur*: nam SOPHIM *speculantes.* Sunt etiam qui repetunt præpositionem מן, legendo *è Ramathaim & è Sophim*, i. *speculatoribus.* Sic loquendo Prophetas innuunt, quos *Videntes* καὶ σκοπὰς nuncupant. Erat enim Levita ex familia Prophetarum. Sanè Thargum hîc edidit *ex discipulis Prophetarum.* Siquidem Propheta *Sophe* vocatur, i. *speculator*; ut ibi, *Speculatorem posui te.* Nam oriundus erat ex filiis Core, ut quidem genus ejus recensetur in libris Præteritorum. Filii autem Core prophetæ nominantur Asir, Elcana & Abiasaph. Porrò Elcana pater Samuelis erat ex filiis filiorum Elcanæ filii Core: Sic R. David. Senes hîc habent ἐξ Ἀρμαθαὶμ Σιφά· & antè, ἄνθρωπος εἷς *homo unus.* Interpres Origenis *vir unus* & *vir quidam*: quod posterius explicatio est prioris. Prius tamen ille magìs probat eò quòd cum textu Ebraico consentiat. ¶ *Monte Ephraim*] In quo commorabatur Levita ille cujus abusi sunt concubinâ Benjaminitæ, propter quem mala plurima evenerunt Israeli; sic propter hunc bona plurima: nam Samuel filius ejus optimè rexit Israelem, benéque de eo meritus fuit. ¶ *Jeroham*] Vel *Jerocham.* Lxx Ἱερεμεὴλ *Jeremeel.* ¶ *Elihu*] Quod scribunt *Eliu* ex Græco Ἐλιοὺ, qui *Eliab* 1 Par. 6. 27. & *Eliel*, ibid. v. 34. ¶ *Thohu*] Vel *Tochu*, cùm sit *H* Heth in scriptura Ebraica. Lxx Θοκὲ, qui נחת *Nahath* 1 Par. 6. 26. & *Thoach*, v. 34. quod legi potest *Toe*; ut *Noach*, *Noe.* Ab eo *Tochu*, non *Thoachu.* Sic *Nochus*, non *Noachus.* ¶ *Suph*] Vel *Tsuph*, unde fortasse צפים, *qui ex Suph oriundi* in Ramathaim commorabantur, ut propterea dicta sit *Ramathaim Sophæorum*, 1 Par. 6. 26. vocatur צפי *Sophai.* Edit. Rom. ἐν Νασὶβ· in aliis ἐν Σαεὶβ. Compl. υἱοῦ Σωφ *filii Soph.* ¶ *Ephrathæus*] Doctè Compl. editio ἐξ ὄρους Ἐφραὶμ *ex monte Ephraim.* Nam Levita erat, & in monte Ephraim habitabat advena, unde *Ephrathæus* appellatus est. Sign. præterea hoc nomen *eum qui ex tribu Ephraim* aut *qui peregrinatur in ea tribu*, ut Jud. 12. 5. *An Ephrathæus tu es?* item *eum qui est ex Bethlehem Ephratha*; ut, *David filius viri Ephrathæi*; item, *Machlon & Chelion Ephrathæi.* Videndus R. D. ad h. l. Ab אפרת est אפרתי *Ephrathæus.* Cæterùm *Ephrathæus* pertinet ad *Suph*, non ad *Elcana*; docétque majores Elcanæ habitasse in monte Ephraim, ubi Caathitæ possessiones & urbes habebant, prout proditum est in libro Josue. Vide Camium. In Dras exponitur *magnus & æstimatus.* R. Josua F. Levi exponit *palatinus.* Sic Ruth 1. 1. אפרתים Thargum רבנים, & R. S. חשובים. Idem alibi *Ephrathæus* interpretatur εὐγενὴς *generosus.* Jon. h. l. *vir qui divisit partem in sanctitatibus in monte domûs Ephraim.*

2. *Duæ uxores*] Bigamus erat, nec uspiam eo nomine reprehenditur, Deo connivente olim ad talia, licèt in prima institutione matrimonii dictum sit, *Erunt caro una*, h. e. interprete Christo, *Erunt duo caro una*, videlicet mas & femina. Dixi consuetudine olim licuisse ducere plures quàm unam. An etiam lege id licuit? Dubitatur: dubitandi causa ex lege quæ habetur Lev. 18. 18. *Non accipies mulierem ad sororem ejus*; quam Caræi quondam & nunc viri quidam docti interpretantur de duabus uxoribus. Communis expositio est de duabus sororibus, à qua temere recedendum non est, maximè cùm lex sit de filiis duarum uxorum, amatæ & exosæ: Quorsum illa lex si non licebat ducere duas? Ego certè nescio. Qui scit, doceat me. ¶ *Nomen unius*] i. Secundæ. ¶ *Hanna*] Perperàm in vulgato nostro *Anna*, & in Lxx Ἄννα. Nam aspirandum, ut sit *Hanna* Ἅννα. Sic in historia Ebraica vocatur mater τῶν ἑπτὰ Machabæorum, quos Ebræi *Hasamonæos* appellant. ¶ *Phenenna*] Quod nunc legunt *Pheninna.* In libris Græcis Φεννάνα *Phennana.* Sic *Habbacuc* scribunt, quod nunc *Habaccuc* in cod. Ebræis. Quidam existimant, quia Hanna sterilis erat, aliam superductam. R. S. notat Judæos communiter duas uxores habuisse, unam ad voluptatem, quæ sterilis erat; alteram ad prolem, quæ fœcunda. Priori dabant potionem quâ sterilis reddebatur. Hoc de his dici nequit, cùm Hanna postea pepererit: nam sterilis erat ad tempus duntaxat. Deus cui vult & quando vult aperit vulvam: nam ab eo soboles

soboles qui Pater est spirituum, h. e. animarum. *Sine liberis* esse dicitur mulier quæ nullam prolem habet, quæ & *illiberis*, & *improlis*, ut 1 Sam. 1. 2. *Annæ autem non erant liberi:* verba sunt vetusti interpretis, quæ pro eo habenda ac si dixisset, *Nullam prolem habebat.* Nam qui unam habet, videtur quidem esse sine liberis, sed revera non est: nam *liberi* de uno dicuntur. Sic ילדים *nati*, quæ vox nunc obvia in textu Ebræo. Jonathan reddit *filios*, & Lxx παιδία, ubi de Phenenna sermo est; de Hanna dicunt καὶ τῇ Ἄννᾳ οὐκ ἦν παιδίον, cùm in fonte sit παιδία. Nam παιδίον esset ילד, ut Gen. 11. 30. *Sara sterilis erat, non erat ei natus:* quod posses etiam dicere, *non erant ei nati*, sive *liberi*. Sic τέκνα tam posset accipi de feminis quàm de maribus. Ut ut sit, בנים *filii* de uno etiam usurpantur, ut ibi, *Et filii Dan, Husim*, Gen. 46. 23. qui *Suham*, i. שוחם Num. 26. 42.

3. *Ex urbe ejus*] Ramathaim, quod Sentes scribunt Ἀρμαθαίμ. ¶ *A diebus in dies*] *Ab anno in annum*, *quotannis*. Sic, *Custodies statutum hoc* למעדה *à diebus in dies.* Jon. *à tempore solemnitatis in solemnitatem.* R. D. *Potest etiam exponi, A solemnitate in solemnitatem. Solemnitatem* dicit מועד, quo significantur tria festa solemnia quæ רגלים vocantur, in quibus mares omnes tenebantur ire Siluntem sacrorum causâ. Ascendebat ergò quotannis ter. Aut votum voverat se quotannis ascensurum stato tempore. Vide sodes. Quod Rabbenu Jesaias annotavit. Idem probat *ab anno in annum*, quod itá simpliciter exponi debere ait. Hier. *statutis diebus.* Lxx ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. Stati dies erant trium festorum quæ *Regalim* vocari diximus. ¶ *Ut adoraret*] Ut Deum oraret, eúmque precaretur. Id enim sign. h. l. *adorare.* Sanè R. D. exponit, *ad precandum coram Domino, & ad sacrificandum sacrificium solemnitatis*, h. e. המועד. In Dras dicit R. Ilea אלעא de nomine R. Isahac, *Æquipollentia est inter Precationem & Oblationes.* Vult dicere, *æquipollent inter se*, quia dicitur *ad adorandum & ad sacrificandum.* Doctores nostri dixerunt, *Chara est oratio magis quàm oblationes*, quia scriptum, *ad adorandum*, & postea, *ad sacrificandum.* ¶ Videndus R. Levi ad h. l. Oratio quæ fit in Templo gratior est Deo, jam verò ad Templum imus adorandi causâ. Vide in Tropis locum Hieron. de hoc verbo. In Silo erat tabernaculum: eò ibant adorandi causâ. *Adorare* non est simpliciter orare, sed orare prostratum in terram, ut adorantes solent: alioqui stabant orantes. Cæterùm *adorare* pro *orare* legitur apud Virgilium, Propertium & Ovidium. Nam orantes adorabant Deum corpore in terram prostrato. Vide Taubm. notas in Plautum 145. 1. ¶ *Eli*] Malè aspirant *Heli.* In Lxx *Ibi Eli & duo filii ejus.*

4. *Et fuit dies*] R. D. *Dies solemnitatis.* Jon. יום מועדא: sic est in textu ejus: sed R. D. ex eo citat יומא דמועדא. Rabbenu Jesaias, *quotidie hoc faciebat.* Hieron. *Venit ergò dies.* Lxx καὶ ἐγενήθη ἡμέρα. Trem. *Quo die sacrificabat.* In Dras R. Josua F. Levi dicit, *Hic est dies* של עצרת. ¶ *Dedit Phenennæ*, &c.] Dedit ei partes ex sacrificiis eucharisticis, quæ *pacifica* vocantur, & *charisteria.* Nam ex iis epulabantur offerentes. Quidam vestes intelligunt. Vide Lyram.

5. *Dedit*] יתן pro נתן fut. pro præt. ¶ *Partem unam tristis*] Sic interpres Vulg. אפים *irarum*, sub. *vir*, i. tristis. Non adeò se probat mihi. Nam *vir irarum* non est *tristis*, sed *iratus*, vel *iracundus*, ut איש חמה *ad excandescentiam pronus.* Variæ hîc sunt sententiæ; quas omnes recensere pro virili conabor. Igitur R. D. *partem unam honoratam, ad reducendam iram & indignationem ejus.* Sic *longus irarum*, i. כעס, qui tardus est ad irascendum, sive qui tardè irascitur. Jon. *partem unam electam*, i. בחיר *selectam.* Vult dicere *partem quæ digna est ut accipiatur sereno vultu*, בסבר פנים יפות. Nam אפים sunt *facies*, i. פנים. Sic נשוא פנים *vir honoratus*, q. suspiciendus vultu. Rabbenu Esaias, *partem plenam carne è duabus* עברה *lateribus ejus, quæ propterea invenitur habere duas facies.* In Dras, *Quid* אפים? *cum dejectione vultûs, in serenitate faciei pulchra* אפים *respectu Phenennæ & natorum ejus. Dominus autem pater meus exposuit* אפים *Iram; ac si diceret, Iratus dabat ei partem unam tantum, quia Deus benedictus concluserat vulvam ejus, nec habebat filios, quibus daret partes, ut antea dederat filiis Phenennæ: ideo indignabatur, maléque ipsum habebat, eò quòd amaret eam, & cuperet sibi esse ex ea filios.* R. S. *Dabat ei partem unam electam, quæ digna erat ut acciperetur vultu placido & sereno.* R. Levi, *Dabat ei partem unam duarum facierum*, sive *quæ habebat duas facies; acsi diceret, Dabat ei partem unam pinguem valde, & aliam non pinguem, ut eligeret quam vellet, hoc faciebat præ amore ipsius. Aut hoc dicit, Sedebat coram ea facie contra faciem, ut consideraret quomodo comederet; nec sensit ipsam comedere.* Vide Lyram. ¶ *Concluserat vulvam ejus*] Sterilem eam fecerat. Hinc liquet sterilitatem esse à Deo, & non à natura. Quocirca Deus etiam *liberos dare* dicitur, & *aperire vulvam*, Gen. 29. 31. & 30. 22. Rursum Gen. 20. 18. *Claudendo clauserat Deus omnem vulvam domûs Abimelech:* ubi עצר in fonte, ut hîc סגר. Illud potiùs *constringere* denotat. *Vulva orbans* משכלת, nisi fallor, Hos. 9. 14. quam *vulvam sine liberis* appellat Hieronymus. *Vulva emortua* Rom. 4. 19. Cæterùm *vulvam claudit* solus Deus, *aperit* etiam infans: unde διανοῖγον μήτραν vocatur is qui *vulvam aperit*, h. e. primogenitus. Hîc est סגר רחמה. In Gen. autem עצר בעד רחמה. Sed v. 6. סגר בעד, ut in Genesi. Jon. *à coram Domino prohibitus ei fuit natus*, i. τέκνον, *proles*, aut *soboles.*

6. *Irritabat eam*] Ad iram provocabat. Quæ irritatio ei erat magna afflictio, unde Hier. *affligebat eam.* Chrysostomus ex hoc loco citat παρώργισεν αὐτὴν παροργισμῷ. In ed. Compl. παρώργισεν, & καί γε παροργισμῷ, *etiam irritatione.* Vide Rom. ed. Latinam. ¶ *Æmula ejus*] Ἡ ἀντίζηλος αὐτῆς. Verbum è verbo *adversatrix ejus.* Nam צר *adversarius, qui aliquem lacessit:* unde לצרור *ad lacessendum*, Levit. 18. 18. quem locum alii de duabus uxoribus, alii de duabus sororibus interpretantur. Nam sorores, quia pares, se invicem lacessunt magis, cùm una alteri non vult cedere in ulla re. ¶ *Etiam irritatione*] Καί γε παροργισμῷ. Particula *etiam* in otio cubare videtur. Non cubat; nam emphasin habet, q. d. Non simpliciter eam provocavit, sed hoc fecit provocando & irritando eam quotidie. כעס sunt qui *iram* interpretantur. R. D. *etiam irritatione post irritationem. Dicebat ei verba* של כעס *irritativa eò quòd non haberet filios.* סודר est in R. D. & מעפורת in R. S. Vide: ubi & לבנך גדול, cùm in Camio sit לבריך רבה. In Dras, *irritabat eam iterum atque iterum. Quid dicebat ei? Vendidisti filio tuo majori sudar, aut secundo indusium.* Idem Rabbi, *Phenenna erat æmula ejus;* & sic ubi duæ uxores uni viro, vocantur צרות, quia inimicitias exercent inter se. Et sic vocantur in Deuterosi פוטרא צרותיהן *dimittunt æmulas suas.* פעם nomen est, ut vulgò creditum. Quid si dicamus infinitum esse in conjug. secunda, ubi Dages absorbetur פַּעֵם pro פַּעֵּם ut פַּקֵּד & (-) loco Tseri ob gutturalem? tunc vertendum erit, *irritabat eam irritando;* sic enim communiter Ebræi loquuntur. Aut est nomen loco infinitivi modi, ut ליראה *ad timendum*, למשרה *ad dominandum.* Valde hoc se probat mihi. Sensus, *Irritabat eam non semel sed sæpius: subinde provocabat eam ad iram objiciendo ei clausum uterum.* Hier. *vehementer angebat.* ¶ *Ità ut commoveret eam*] Vel, *ut commoveretur ipsa*, ut הרעים sit verbum ἀλλοπαθὲς, cujusmodi plurima sunt in illa conjugatione. Santes, *propterea quòd improperaret ei.* Sed הרעים hoc non sign. quod sciam. Arias, *ut fremere faceret eam.* Hier. *ut exprobraret quòd Dominus conclusisset vulvam ejus.* In fonte est בעבור, quod verbis prælatum sign. ἵνα, ut Psal. 105. in extremo בעבור ישמרו *ut custodirent;* & est τελικόν. Vide sis Exod. 19. 9. & Mich. 2. 10. הרעים *commoveo;* ut ibi, *Et ego commoveo cœlum & terram.* Sed ibi מרעיש in fonte; הרעים propriè *intonuit;* unde רעם *tonitru.* Dicitur de *commotione quæ in cœlo* 2 Sam. 22. 8. & de *commotione maris* Psal. 96. 11. ubi quidam *intonabit mare;* alius *perstrepet;* Hier.

Hier. *tonet*; Lxx ζαχδῶντα, Sym. & Th. ἤχησεν. Ebræi hoc loco aliter accipiunt, ut etiam Ezec. 27. 35. רעמו פנים *indignati sunt vultu*: ענין זעף. sic R. D. Autor Concordantiarum utrobique interpretatur in significatione זעם *ira, æstus*; & distinguit ab altera significatione. Jon. *ità ut provocaret eam ad zelotypiam*. Dicebat enim & verba quæ faciebant ad educationem filiorum, & similia, ut eam zelotypam faceret, & dolore afficeret cor ejus. Videndus R. D. ad h.l. R. S. שתתאונן *ut mœrore afficeretur*. Nam אונן *mœstus, tristis*. *Ut mœrore se conficeret*. *Doctores*, inquit, *nostri exposuerunt*, *Ut precaretur intendens in Deum* ולשים שמים נתכונה. ¶ *Vulvam ejus*] בעד רחמה exponunt על רחמה. Sic *in missile cadent* בעד השלח, & alibi כפר בעדו. Vide Kimchi. מרעמה Rabbenu Jesaias exponit, *intendebat* להלבין פניה *pudefacere illam & commovere illam*.

7. *Sic faciebat*] Elcana faciebat sic anno in annum. Ascendebat ad ædem Domini cum familia sua; & Phenenna similiter irritabat Hannam singulis vicibus cùm ascenderet ad domum Domini; de negotio partium irritabat eam, quoniam ipsa & filii ejus accipiebant partes, Hanna verò tantùm accipiebat partem unam, quoniam improlis erat. Videndus R. S. ¶ *Anno in annum*] Hier. *per singulos annos*. Santes *annuatim*. Lxx ἐνιαυτὸν καθ' ἐνιαυτὸν, quod reddunt *annum per annum*.

8. *Malum est cor tuum*] i. Triste. Contrà *bonum cor* est animus lætus. Hier. *Quamobrem affligitur cor tuum?* Alius, *male se habet cor tuum*. Lxx ἵνα τί τύπτει σε ἡ καρδία σου; *ut quid verberat te cor tuum?* Jon. *cur malum est tibi cor tuum?* ¶ *Quàm decem filii*] i. multi. Numerus certus pro incerto; ut alibi, *Coxerint decem feminæ*, & *Decem* שליטים *dominatores*. Sic *septem*, & *septies*, i. *sæpius*: *Septies in die cadit justus*. Sensus, *Benevolentia mea tibi potior est multis liberis*. Quidam, *Ego tibi pluris esse debeo quàm decem filii quos ex Phenenna suscepi*. Jon. *Nônne* רעיתי, i. רצוני *favor meus, voluntas mea*.

9. *Postquam comedisset ipse*] אכלה pro אכלו, ad verb. *post comedere ipsum*. Nam Hanna nihil edebat propter tristitiam. Alii putant He additum esse, *postquam comedissent*; ac si diceret *post sumptum cibum*. *Fortasse*, inquit R. D. *ipsa etiam comederat postquam vir eam invitasset ad hoc*. Nicolaus, *comederat aliquid, licèt modicum*. Quod autem ait, *nôn comedebat*, i. parùm comedebat, quia modicum quasi nihil reputatur, ut habetur in 2. Physicorum. ¶ *Sedebat in solio*] Solus Pontifex sedebat בעזרה. Nè reges quidam sedebant. Videndus R. D. ad h.l. Quidam opinantur ex hoc tempore illum factum fuisse Judicem; quod verum non videtur: nam antea judicaverat Israelem. Vide Lyram. Sedebat ut Judex. Sic, *Sedes pro tribunali Judex justus*. *Qui sedet in cœlo*. *Sedere* propriè Judicum. ¶ *Juxta postem templi Domini*] Hic על exponitur *juxta*, i. אצל, aut סמוך למזוזת. Nam postes sunt q. maxillæ portarum, non inferius limen. Sic ועליו *& juxta illum tribus Manasse*; item וזבחת עליו, i. סמוך לו. *juxta illum*. Jon. *in latere liminis templi*. Videndus R.D. hoc loco.

10. *Amara animo*] *Amaritudo animi* Tristitiam denotat, quæ Ebræis dicitur מר נפש Job 7. 11. & 10. 1. unde מרת נפש *amara anima*, i. tristis, quæ amaro est animo. Interdum Iracundiam designat, ut Job 21. 25. Sic Plautus, *amariorem me senectus facit*, i. asperiorem, iracundiorem. *Amara* & *jocunda* opponuntur in historia Ruth, *Ne vocate me Noomi, sed vocate Mara*, (i. *Amaram*) *quoniam amaritudine affecit me Dominus*. *Amara vita*, i. acerba, Exod. 1. 14. *Amarius morte*, proverbiale, Cohel. 7. 26. *Melior est mors quam vita amara*, i. acerba. *O mors quàm amara est tui memoria*, Sirach. 41. 1. Lxx κατώδυνος ψυχῇ *mœsto animo*. Thargum מרירת נפש.

11. *Vovit votum*] Hîc quæritur an mulier talia vovere possit inscio marito; & si maritus conscius fuit hujus voti, cur hoc Scriptura reticuit? Vide Camium. ¶ *Domine exercituum*] *Adonai Sabaoth*: Notatum, antea non inveniri. Legitur primùm 1 Sam. 1. 3. ubi sunt verba autoris. Vide scholia Ebraica, & imprimis Camii. Lxx Ἀδωναὶ Κύριε Ἐλωὲ σαβαώθ *Adonai Domine Deus exercituum*. Sed vide notas ad ed. Rom. Dicitur autem *Deus exercituum* ob exercitus superiorem & inferiorem. Superior exercitus neque crescit, neque multiplicatur, neque etiam moritur; inferior & crescit, & multiplicatur, & moritur. Sed vide Ebræos. ¶ *Si videndo videris*, &c.] Vide Kimchi. Hier. *si respiciens videris*. Deus omnia videt. Peculiariter *videre* dicitur *afflictionem* quando afflictam respicit, eique propitius est, & exaudit preces ejus. Sic, *Vidi, vidi afflictionem populi mei*. Hîc *afflictionem* vocat sterilitatem suam. ¶ *Afflictionem ancillæ tuæ*] אמה *ancilla, famula, serva*, δούλη. Hieron. *famulæ tuæ*. Lxx τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου, ut Luc. 1. 48. qui locus hinc fortè desumptus. *Afflictio* autem mulieris est ejus sterilitas, quando infœcunda est, Gen. 29. 31. *Nam respexit Dominus afflictionem meam*, de Lea, quæ conceperat, & filium pepererat. ¶ *Recordatus fueris mei, nec oblitus fueris ancillæ tuæ*] Geminatio ista emphasin habet, intenditque precationem, & petitionis vehementiam auget; ut alibi, *Recordare quæ fecit tibi Amalec, nec obliviscaris*. Simile, *Confessus est, & non negavit*. Doctores exposuerunt olim, *Recordare mei in maribus, & nè obliviscaris ancillæ tuæ in feminis*. Vide Camium. ¶ *Semen virorum*] i. Virile. Hier. *sexum virilem*. Lxx σπέρμα ἀνδρῶν. Thargum, *filium in medio hominum*, sive *inter homines*, R.D. זכרים *semen masculinum*. R.S. *justorum*, quemadmodum dicit, viri sapientes & noti: non laudo. Sic איש pro זכר poni videtur Gen. 4. 1. in illo, *Acquisivi virum*, i. marem, *cum Domino*; itémque Gen. 7. 2. nam cum dixisset *virum & feminam*, sive *uxorem ejus*, postea dicit *masculum & feminam*, sive *marem & feminam*. Rabbenu Isahac, *semen firmum quod magnum evadet inter viros*. Vide R. Levi, *semen quod desideratur à viris*, & pòst aliquantò, *aut vult dicere, filium masculum*. *Cùm enim semen virorum non mutatur à semine mulieris mas nascitur: cùm autem immutat illud semen feminæ, nascitur femina; ut liquet ex sapientia naturali*. ¶ *Novacula*, &c.] Erit Naziræus, ut Sampson. Sed vide scholia Ebraica. Huc etiam referunt, *Dabo eum Domino*. Sensus, Devovebo eum ministerio ejus ut sit Naziræus, aut, *Dabo Domino à pueris*. Nam Levitæ dati erant quoque Domino, sed primùm anno vigesimo ætatis; hic autem servivit Domino à teneris unguiculis. Cæterùm *novacula* hîc מורה dicitur, ut etiam in historia Samsonis, ubi Jon. מספר, hic vertit מרות אנש *dominium hominis*, aut מורא est *timor, metus*. Sed vide Camium; ubi dissensio inter Doctores an מורה hîc sit *novacula*: nam quidam negant. Vide. Senes hîc habent καὶ σίδηρος οὐκ ἀναβήσεται, &c. Iidem addiderunt de suo οἶνον καὶ μέθυσμα οὐ πίεται *vinum & inebriamentum non bibet*: quod Theodoretus videtur agnoscere, sed abest ab ed. Compl.

12. *Cùm multiplicaret precari*] *Cùm multùm precaretur*. Multiloquium in precibus damnat Christus, Matth. 6. 7. *Orantes nolite multum loqui*. Quod tamen Græcus dicit μὴ βαττολογήσητε. *Battologia* differt à *multiloquio*. Christus tamen videtur sub *Battologia* etiam *polylogiam* comprehendere, nam ait, *sicut gentes*, qui usi sunt in precibus suis πολυλογίᾳ. Damnant etiam sapientes Ebræi; unde quidam, *Non veretur Deum ex corde qui multum loquitur*. Joseph Albo Soriensis tria requiri ait in precatione ut Deo grata sit, *Brevitatem*, *Consensum oris cum corde*, & *Humilitatem* sive *Dejectionem*. Hic tamen Hanna audita fuit in multa precatione; unde colligunt Doctores in Dras, *Omnis qui multiplicat preces exauditur*. Non ergò omnis πολυλογία prohibita, sed tantùm Gentilium, quæ vitium habet aliunde. Hier. *cùm illa multiplicaret preces*. Lxx ἐπλήθυνε προσευχομένη *multiplicaret orans*, aut *precans*. Sunt alii Doctores qui Hannam punitam fuisse aiunt ob hanc polylogiam in precibus. Quomodo punita fuit? Samuelis anni decurtati fuerunt propterea. Nam legimus, *& sedit ibi usque ad seculum*. Seculum autem Levitarum constat annis quinquaginta. His addunt duos

duos quibus ablactavit eum, simul faciunt annos 52. Santes hîc habet *ut diu oraret*. Aliud *multùm orare*, quod nunc dicit textus. ¶ *Coram Domino*] Coram Sancto sanctorum, in quo Arca, vel certè coram Arca. Nam orantes respiciebant Arcam, symbolum præsentiæ Divinæ in terris. Sic dico, Vertebant se ad locum in quo Arca. Erat autem in interiori sacrario quod vocant *Sanctum sanctorum*. ¶ *Observabat os ejus*] Nam loquentem non audiebat, sed tantùm labia moventem, ídque diu multúmque; unde eam ebriam esse arbitrabatur. Jon. *exspectabat dum desineret*. Ad verb. *custodiebat os ejus*. שמר interdum sign. *exspectare*, ut שמר את הדבר, & alibi לשמר על חטאתי *non differes propter peccatum meum*. *Os ejus*, i. sermonem ejus, aut verba ejus. Vide Kimchi, & Salomonem Lunensem, i. Jarium.

13. *Loquebatur in corde suo*] In fonte על לבה, quod potest reddi *cum corde suo*. Alibi est, *ut loqueretur ad cor ejus*, videlicet Jud.19.3. *& loquar ad cor ejus*. Hos. 2. 14. *& locutus sum* על לבה, sed alio sensu. Hic sign. *intra se loqui sic ut verba loquentis non audiantur*. Hier. *loquebatur in corde suo*. LXX ἐλάλει ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. Jon. *precabatur in corde suo*, q. d. Dirigebat cor suum ad preces suas. Vide Camium. ¶ *Pro ebria*] Vel *ebriam*. Nam non erat mos ità precandi בלחש *tacitè*, ait R. S. LXX εἰς μεθύουσ *in ebriam*. Sic est in fonte ad verbum. Hieron. *temulentam*; idem aliter. Nam *temulenta* est ebria. Dicitur autem *temulentus*, ut *corpulentus*, ut *macilentus*, ut *vinolentus*, i. οἰνοπλήξ. Est autem *temetum* antiquum nomen vini; unde *temulentus*, & *temulentia*, & *temulenter*. Sunt etiam qui *abstemius* ἐτυμολογίζουσι *sine temeto*. Audi nunc & ride. Nicolaus ad h. l. TEMULENTAM, *i. plenam bono vino. Nam* TEMETUM *est Bonum vinum*; *&* LENTOS, *Plenum*. Quis non pelvim poscat hæc legens? Sed vide, si placet, num non ad verbum ejus verba descripsi.

14. *Dixit ei Eli*] LXX τὸ παιδάριον Ἡλί. Vide Rom. ed. Quis credat eum tunc puerum fuisse? ¶ *Facies te ebriam*] Geres te, vel ostendes teipsam, ac si ebria esses, labia movendo ità ut vox non audiatur. Hier. *ebria eris* תשכרי. LXX μεθυσθήσῃ, quod similiter convertunt *ebria eris*. Scire licet in fonte esse verbum quartæ conjug. quæ interdum Fictionem & Simulationem denotat, non rei veritatem. Quocirca meliùs vertit qui vertit *quousque ages ebriam*, & R. D. *ostendes teipsam ac si esses ebria*. Vide, si placet. ¶ *Amove vinum tuum*] Si ebria erat, quomodo poterat amovere vinum quod biberat? Sensus, Gere te ac si non esses ebria. Hier. *Digere paulisper vinum quo mades*. LXX περίελε τὸν οἶνόν σου. Compl. ἀπὸ σου, *aufer vinum tuum à te*. Sed vide Camium in notis ad h. l. ubi התפקחי sign. *Esto sobria*, vel *Resipisce, à vino*, *Gere te ac si sobria esses*, *Ostende te non esse ebriam*, פקח *videns*, *sapiens*: an etiam *sobrius*?

15. *Mulier dura spiritu*] Cujus spiritus durus est præ angustia. *Dura spiritu*, locutio est ut *quercus decidua foliis*. Sic, *Tonsi barbâ*, *Scissi vestibus*. Quidam *ægra animo*. Hier. *mulier infelix nimiùm ego sum*. LXX γυνὴ ἡ σκληρὰ ἡμέρα ἐγώ εἰμι, *mulier dura dies ego sum*. Sed in aliis & apud Chrysost. ἐν σκληρᾷ ἡμέρᾳ *in dura die*. *Dura dies*, ut *durum tempus*, i. adversum. Ovidius,

> *O mihi care quidem semper, sed tempore duro*
> *Cognite.*

Job. 30.25. קשה יום talis vocatur *qui durum tempus patitur*. Videtur hoc velle, Non sum ebria vino, sed malis; quæ ἄοινος μέθη dicitur *ebrietas citra vinum*. Erat ergò ebria citra vinum, i. dura spiritu. Jon. *angusta spiritu*, vel *compressa*. ¶ *Vinum & siceram*] Jon. *Vinum novum & vetus*. Sic in Dras, יין *est vinum novum*, & שכר *vinum vetus*. R. D. *Convenit exponere Sicera quæ fit è fructibus*. Hier. *Vinum & omne quod inebriare potest*. LXX οἶνον καὶ μέθυσμα οὐ πέπωκα, *vinum & inebriamentum non bibi*. ¶ *Effundo animam meam*] Ut fieri solet cùm effusè Deum precamur. Sic, *Effundite coram eo cor vestrum*, Psal.62.8. Jon. *Dixi angustiam animæ meæ in precibus coram Domino*. עולבן *afflictio*, *miseria*: ut fieri solet in ardentissimis precibus quando totum animum coram Deo quasi effundimus. Videndus R. D. h.l. Vide quoq; Tropos in *Effundo*. Trem. *desiderium animæ meæ*.

16. *Nè ponas ancillam tuam*, &c.] Nè habeas eam pro filia nequam. Hier. *nè reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial*. LXX μὴ δῷς τὴν δούλην σου εἰς θυγατέρα λοιμήν, *nè dederis servam tuam in filiam pestilentem*. Compl. εἰς πρόσωπον *in faciem*. Theodotio ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων *ut unam indisciplinatarum*. Jon. *nè ignominiâ afficias ancillam tuam coram filia impia*: ad verb. *impietatis* aut *improbitatis*: nam רשעא in textu, sed in Davide Camio רשיעא *improba* adjectivum est. Apparet, inquit, ex verbis ejus *filiam nequam* dici de Phenenna æmula ejus. Nam dicit, *Nè pudefacias me coram ea, quoniam ipsa gaudebit de miseria mea, & irritabit me*, & est sensus, *Nè dederis me in hac re mala, nè pudefeceris me coram hac femina filia nequam*, & rectè ità exponit. Idem interpretatur, *Nè ponas me coram Domino sicut filiam nequam, nè putes quòd stem ebria coram Domino laudando sicut filia improbitatis*.

16. *Indignationis meæ*] Sic loquendo innuit iram & dolorem quem conceperat ex sterilitate & irritatione æmulæ. Hier. *mœroris mei*. Idem שיחי reddit *doloris*. LXX ἀδολεσχίας. R. S. *Sunt loca ubi sign. Dolorem cordis* אנינות לב.

17. *Ito in pace*] Vide Trem. sed & D. Camium. Sic 2 Reg.5.19. ¶ *Dabit*] Prophetia est. Nam Propheta erat Eli. *Vade*, inquit, *in pace, quia Deus dabit petitionem tuam*. Licet etiam vertere *det*, ut sit precantis & optantis. Vide quæ notavimus ad v.23. *conservet Deus verbum suum*. & R.D. ad illum locum.

18. *Inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis*] Ità ut ores pro ea. Sic, *inveniam gratiam in oculis domini mei, quia consolatus es*. ¶ *Et comedit*] Senes hîc auctiores sunt, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ κατάλυμα αὐτῆς, καὶ ἔφαγε μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς· quod tamen juris certi non est. Videndus R. D. ¶ *Facies ejus non erat ei ampliùs*] Facies prior, quam priùs habuerat, vultus malus ac tristis. Santes *ira ejus*. Sic, *facies Domini*, i. ira Domini. LXX τὸ πρόσωπον αὐτῆς οὐ συνέπεσεν ἔτι, *facies ejus non concidit ultrà*. Hier. *vultúsque illius non sunt ampliùs in diversa mutati*. Jon. *facies mala non erant ei ampliùs*. *Mala*, h. e. mœstæ, tristes. R. D. quoque פנים הרעים. Trem. *irata facies*. R.S. פנים של זעם *facies irata*. Rabbenu Isahac, *facies mala*.

19. *In Ramatha*] Quæ suprà *Ramathaim* δυϊκῶς, fortè propter duas partes urbis. Hinc eliciunt abstinendum esse à Venere dum peregre sumus: nam Elcana non habuit rem cum uxore priusquam domum reversus esset. Notat R. S. Hospiti peregrino, quem אכסנאי vocant, i. ξένον, vetitum est concumbere cum uxore. Viri cùm irent Jerosolymam sacrorum causâ, abstinebant ab uxoribus. Vide Lyram. ¶ *Recordatus est ejus Dominus*] Parùm est notitiam habere uxoris nisi Deus ejus recordetur. Nam non coitus prolem dat, sed Deus Pater spirituum. Suprà v.11. *si recordatus fueris mei*. Gen.30.22. *Recordatus est Deus Rachel*, *& aperuit vulvam ejus*. Cùm Jerosolymam irent sacrorum causâ, virorum erat unus comitatus, & mulierum alius. Nam seorsim ibant viri sine uxoribus, & uxores sine viris pueri autem erant in quo vellent comitatu. Vide Luc.2.44. Cùm parentes Jesu domum irent, Maria putabat eum esse in comitatu virorum, Joseph autem in comitatu feminarum. Sed Nicolaus, quem vide ad h. l. mihi nondum persuasit quod ait de duplici comitatu. Nam ibi mentio tantùm unius. Sed vide locum.

20. *Post revolutiones dierum*] Post annum. Nam *dies* in plurali annum denotant. Hier. *Post circulum dierum*. LXX τῷ καιρῷ τῶν ἡμερῶν *tempore dierum*, i. anni. Jon. *post tempus consummationis dierum*. Innuit autem dies conceptûs. Sic R.D. *quando completi sunt dies conceptûs, peperit filium*. R. D. sic construit, *Concepit Hanna*, *& post revolutiones dierum conceptûs peperit filium*. *Revolutio autem est trium mensium*. *Doctores aiunt dies conceptûs fuisse sex menses*. Sed vide. Hinc dicimus, *Quæ parit*

parit septimo, parit למקוטעים *incisos* aut *mutilatos*. Sed videatur hîc R. S. Trem. *post revolutiones temporis ex quo concepit Hanna*. Licet etiam vertere *postquam concepisset Hanna*. Simile, *iratus fuisti, & peccaveramus*, i. postquam peccaveramus. ¶ *Vocavit*] Hanna. Nomina filiis imponebantur à patre Job. 42. à matre, ut hîc, & alibi; à vicinis, ut in historia Ruth 4. ¶ *Samuel*] q. SAMO & EL, *Posuit*, i. Dedit, *eum Deus*. Tale etymon nominis *Seth*. Mater enim dicebat, *Quia posuit*, i. dedit, *mihi semen pro Habel*. *Dare* & *ponere* permutantur. Aliter *Samuel*, q. *Saul meel*, i. *Postulatus à Deo*. Hîc duæ literæ desiderantur. Vide K. & R. Jesaiam. Id quadrat cum eo quod sequitur, *Quoniam à Domino petii eum*, sub. autem *dicens*, aut aliquid tale. R. S. *de nomine* EL, *& de nomine facti vocatur, Quia petivi eum ab illo*. Hier. *eò quòd à Domino postulasset eum*. Sic RUBEN, *Quia viderat Deus afflictionem ejus*. NOE, *Quia consolatus est nos ab operibus nostris*, quasi *Menahem*, *Consolans*.

21. *Omnis domus ejus*] Omnes viri domûs ejus, omnes domestici ejus, vel tota familia ejus. Thargum כל אנש ביתה. ¶ *Hostiam dierum*] Τὴν θυσίαν τῶν ἡμερῶν, i. solennem, aut potiùs anniversariam. Prius habet Thargum, *hostiam solennitatum*, & Hier. *hostiam solennem*. Posterius rationem habet ex usu vocabuli ימים *dies*, quod passim pro *anno* usurpatur. Ergò *sacrificium dierum*, i. annuum sive aniversarium. Quærendum an *dies* uspiam ponantur pro *solennitatibus*, i. festis solennibus. Videtur Elcana ex voto quotannis frequentasse Siluntem. Sunt qui votum intelligunt quod ei commune erat cum uxore ipsius Hanna de Samuele Deo dicando. R. D. *ad sacrificandum sacrificium dierum, i. solenne* (sic ille exponit) *Consueverat enim sacrificare hostiam solennitatis de diebus in dies, i. quotannis, & ascendit etiam ad sacrificandum votum suum, quia voverat oblationem Domino pro filio suo*. Sic interpretatur Jonathan, *ad perficiendum votum suum*. Videndus hîc R. S. qui accipit de votis quæ vovent inter רגל & רגל.

22. *Donec ablactetur*] Ità Hieronymus. Item Senes indicarunt verbo ἀπογαλακτίσω *à lacte depulero*. Jon. עד דיתחסיל *donec ablactetur*. Nam חסל *ablacto* Num. 17. 8. in Jerosolymitanis אתחסיל *ablactatus est*. Quod etiam legitur in Oncelo Gen. 21. 8. ubi אתחסין in Jon. & alibi אחסין *à lacte depulit*. R. D. *donec perficiatur lactatio ejus. Sunt autem 24 menses*, h. e. *anni duo, quibus infans communiter sugit. Et quamvis tenebatur eum adducere propter illud Exod.* 23. 17. TRIBUS VICIBUS IN ANNO APPAREBIT OMNIS MASCULUS TUUS, *dixerunt Doctores nostri Hannam considerasse in puero quòd delicatus esset ac debilis, & solicita fuit nè ægrotaret propter viam*. Hæc R. David. Trem. *donec educatus fuerit*, i. *eousque provectus ut ministrare possit. Nam hoc verbum non tantùm est A mamma disjungere, sed Educare, Num.* 17. 23. *&* 1 *Reg.* 11. 20. Hæc disquisitionis indigent. Nam primùm Levitæ non adhibebantur ad ministerium ante annum vigesimum; deinde verbum illud Num. 17. metaphoricè accipitur, nec sign. *educare* sed *producere* aut *ad maturitatem perducere*. Locus 1 Reg. 11. etiam suam difficultatem habet: nam ibi est verbum fem. תגמלהו *ablactavit eum*, quod de תחפנס nisi per enallagen generum accipi non potest. Sed de hoc ubi ad locum illum pervenerimus. R. S. *post finem 22. mensium, quod tempus est ablactationis pueri*, sive *infantis*. Sed in hac re variant: alii triennium statuunt, alii quinquennium. Vide Tropos. Avicenna, *Naturale tempus lactandi est tempus duorum annorum*. ¶ *Ut appareat ante conspectum Domini*] Ex lege quæ habetur Exod. 23. 17. & alibi. ¶ *Et sedeat ibi*] i. Maneat. Vide Tropos. ¶ *Usque in seculum*] Quamdiu vivet. Hoc est quod suprà dictum *Cunctis diebus vitæ suæ*. Sic,

Serviet æternum qui parvo nesciet uti,

i. quoad vivet: nam post mortem servire nemo potest. Doctores Ebræi hunc locum communiter exponunt de seculo Levitarum, quod & *seculum Jobilai*. Vocatur etiam *seculum Samuelis*, quoniam Levita erat. Hinc opinio illa Samuelem vixisse tantùm annos 52. Nam *seculum* continet annos quinquaginta, & duo anni ablactationis faciunt simul annos 52. Vide R. Levi ad h. l. ubi alio modo hoc probare nititur. Eli judicavit Israelem annos 40. pòst Arca stetit in domo Abinadab 20 annos, tunc præterierant septem anni Regni Davidis. Igitur à principio dierum Eli usque ad Regnum Davidis 53. anni & septem menses quibus mansit Arca in agro Philisthæorum. Mortuus autem fuit Samuel ante Saul, fuitque Eli Judex ante natum Samuelem, &c. Vide sequentia. Nam huic opinioni adversatur זקנתי ושבתי. Quomodo hoc verum esse potest si mortuus est anno 52. ætatis? Nam senectus primùm incipit anno 60. Media autem inchoatur anno 70. Sed de his aliàs. LXX καὶ καθήσεται ἕως αἰῶνος ἐκεῖ. Hieron. *& maneat ibi jugiter*. R. S. *Seculum Levitarum erant quinquaginta anni, sicut dicitur, A filio quinquaginta annorum redibit ab exercitu ministerii. Sic erant dies Samuelis 52 anni*. Quod ibi probat. Vide Nicolaus, *usque ad seculum, usque ad quinquagesimum annum; quoniam ultrà non debebant Levitæ servire in Templo*, &c. Idem duplex tempus statuit ablactationis; Unum est circa principium tertii anni, alterum est circa decimum annum, tunc puer aptus est ad ministrandum. Vide sodes.

23. *Sedit mulier*] i. Mansit. Sic *Sede donec ablactaveris*, & v. 22. *sedeat usque in seculum* Gen. 22. 5. *Sedete hîc*. Jos. 1. 14. & 2. 22. Jud. 6. 11, 18. & 17. 10. Exod. 24. 14. Cicero, *Si venti essent, nos hîc Corcyræ non sederemus*. Huc referunt ex Livio, *Pœnis sedentibus ad Trebiam*. Gen. 34. 10. *Sedete nobiscum*. Lev. 12. 4. *Triginta tres dies sedebit in sanguine purificationis suæ*. Gen. 49. 24. *Sedit in forti arcus ejus*, i. mansit, perstitit. ¶ *Stabiliat verbum suum*] Ratum habeat quod prædixit per Eli sacerdotem, qui Propheta erat, suprà v. 17. *dabit Deus petitionem tuam*, &c.

24. *Cum tribus juvencis*] Partim ad sacrificia, partim ad apparatum conviviorum. Sequitur v. 25. *Mactaverunt juvencum*, videlicet quem obtulerunt DOMINO. Hinc liquet unum adhibitum fuisse ad oblationes, cæteros duos ad convivia. ¶ *Epha unum farinæ*] Epha continet tria Sata. קמח *farina* est סלת. Eam partim edebant, partim ad munus, מנחה vocant, offerebant. ¶ *Utre vini*] Ad liba mentum. Hier. *in vitulis tribus, uno modio farinæ* (aliàs, *tribus modiis*. Nam *Satum*, *modius*) *& amphora vini*. LXX ἐν μόσχῳ τριετίζοντι, καὶ ἄρτοις, καὶ οἰφὶ σεμιδάλεως, καὶ νέβελ οἴνου, *in vitulo trienni, & panibus, & œphi similaginis, & nebel vini*. Jon. pro *Epha* edidit מכילתא μέτρον *mensura*, & pro *utre* נרב, quod *vasculum*, *utrem*, *lagenam* & *dolium* interpretantur. ¶ *Puer erat puer*] Santes *valde puer*. Hieron. *puer autem erat adhuc infantulus*. Jon. ורביא הוה יניק. R. D. *adhuc erat puer parvus ac tener*, ab eodem יניק exponitur נער קטן *puer parvus*. Sic etiam Doctores usurpant. Sunt qui exponunt *puer acutus* חריף *subtilis*, qui poterat distinguere inter bonum & malum. Vide Castium. R. Levi. צעיר ימים *parvus dierum*.

26. *Obsecro, domine mi*] בי *obsecro*, Lxx Ἐν ἐμοί, κύριε, *In me, domine*, sub. *iniquitas*, aut aliquid tale. Hoc subaudiunt Abenezra & R. Juda Levites. Jon. בבעו. Senes alibi reddunt δέομαι, ut Exod. 4. 10. Trem. *Attende ad me, domine mi*. ¶ *Vivit anima tua*] Formula jurandi q. d. *Per animam*, aut *vitam*, *tuam*. Jon. *Vita anima tua* חיי: nisi legas חי *Vivit*.

28. *Commodavi eum*] Κιχρῶ αὐτὸν *commodo eum*. Lxx. ¶ *Commodatus*] שאיל. Gal. *emprunte*, R. S. ¶ *Adoravit*] Elcana, vel, ut alii, Samuel. Sed de Elcana malim accipere, qui quasi veniam petens à Deo discedendi adoravit eum. Hieron. *Adoraverunt*, videlicet Elcana & Hanna.

IDEM.

16. לפני בת בליעל Th. ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων *ut unam ineruditarum*] Prius, εἰς θυγατέρα λοιμῶν, & in Hieron. *ut unam de filiabus Belial*, i. nequam.

GROTIUS. ☞

3. *Statutis diebus*] Heb. *diebus in dies*. Gr. ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας· id autem est *quotannis*.

4. *Deditque Phenenna uxori suæ & cunctis filiis ejus & filiabus partes*] Qui offerebant שלמים, iis Sacerdos, detractis suis partibus, cætera reddebat, de quibus instruebatur convivium: convivator autem convivis dabat partes quas vellet, ut Gen. 43. 34. ¶ *Anna autem dedit partem unam tristis*] Pro *tristis* in Hebræo est אפים, quod interpretantur *honorabilem*. Quid si intelligamus maxillam alteram? nam alteram habebat Sacerdos. ¶ *Quia Annam diligebat, Dominus autem concluserat vulvam ejus*] Teneriùs amari solent infelices. Tam autem sterilitas quàm fœcunditas Deo asscribuntur. Vide quæ dicta Gen. 30. 2.

6. *Æmula ejus*] Ἡ ἀντίζηλος Græcè. Raró contingit domus tranquilla iis qui plures uxores habent. Itaque δίδυμα λέκτρα Euripides in Andromacha dicit esse ἔχειν οἴκων, δυσμενεῖς τε λύπας.

8. *Numquid non ego melior tibi sum quàm decem filii?*] In concorde matrimonio plus boni est quàm in ipsa fœcunditate.

11. *Domine exercituum*] Heb. יהוה צבאות. At plus videtur fuisse in codicibus aliis: nam LXX vertunt Κύριε ἐλωὲ σαβαώθ, & Chrysostomus in 6. ad Ephesios citat, Ἀδωναὶ ἐλωὲ σαβαώθ, ubi ἀδωναὶ est pronunciatio recepta vocis יהוה, Κύριε autem ejus interpretatio. ¶ *Dabo eum Domino*] Ut in Templo serviat; sicut diximus ad Jud. 11. 31. sed hoc matris votum ratum tum demum esse cœpit cùm id probavit pater. Num. 30. 7. infrà 21. 23. ¶ *Et novacula non ascendet super caput ejus*] Votum non esse Nazaræatûs, sed aliquid inde imitari diximus ad Num. 6. vide & Jud. 13.

13. *Tantúmque labia ejus movebantur*] Ità fieri præcipiunt Judæi, quòd precationem solo cogitatu nimis frigidam arbitrentur.

16. *Nè reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial*] *Servus tuus, ancilla tua*, sunt verba honoris apud Hebræos, ut Gen. 33. 5. & 42. 10. Ruth 3. 9. *Homines* בליעל, i. *sine jugo*, ut interpretatur Hieronymus, dicuntur qui vivendi legem nullam habent: itaque Græci modò vertunt παράνομοι, modò λοιμοὶ, modò ἀσεβεῖς, modò ἄφρονες. Et hoc loco LXX habent εἰς θυγατέρα λοιμήν. Theodotio, ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων.

17. *Deus Israel det tibi petitionem tuam*] Sacerdotis verba sæpe Deus regit. Vide Joan. 11. 51.

18. *Vultúsque ejus non sunt ampliùs in diversa mutati*] Adeò erat plena bonæ spei.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *Cornu meum*] h. e. Caput meum humile sublimatum est.

2. *Nihil est præter te*] Kimhi sic exponit; *Non est aliquis præter te qui invocandus sit pro salute*.

3. *Conatus ejus perficiuntur*] Quidam hîc legunt לא pro לו *ejus*. Alii pro *non*; ut sit sensus: Non perficiuntur conatus filiorum hominum si Deus renuerit.

4. *Arcus cum fortibus contritus est*] Deus, inquit, robustos cum armis eorum *conterit*, & debiles fortes reddit. Ipse divites ad paupertatem adigit, ut etiam cogantur servire *pro pane*; & contrà *famelicos* à mendicitate ad opulentias vocat. *Steriles* fœcundas reddit, & fœcundas steriles. Obscuro loco natos subvehit ad regiam dignitatem, & deponit potentes de sede, &c. Nec mirum cùm ille *Dominus* sit universorum, & solus ipse mundi collocaverit *columnas*, illásque, nè mundus ruat, fortiter sustentet: exponit enim hic Kimhi מצוקי pro עמידי.

9. *Pedes sanctorum suorum servabit*] Nè scilicet ambulent ad malum. *Impii* verò tandem *in tenebras* conjicientur, ubi nullus se juvare poterit suâ *fortitudine*, potentiâ & opulentiâ, nec ullus potest evadere manus Dei viventis, cùm ille *Judex sit* etiam *finium terræ*. Et hic *dabit* omnem *potestatem & autoritatem Christo suo*, nempe Meschiæ, etiam secundùm Hebræorum interpretationem.

12. *Belijaal*] Exponitur pro רשע *impio*, & est etymon ejus בלי עול *absque jugo*, qui destitutus est religione, pietate & omni probitate.

13. *Jus sibi fecerunt*] Hebr. *& judicium sacerdotum erat cum populo*, ubi Hebræi exponunt משפט pro חוק *jure* seu *statuto*, quod sacerdotes sibi facere præsumpserunt, non contenti pectusculo & armo in Pacificis. Alii referunt ad verbum superius, ut sicut Dominum non cognoverunt, sic nec *jus* sacerdotum.

18. *Ministrabat*] Ministerium illud fuit studium legis Divinæ, cognitio Domini, cantare ore, & ludere in instrumentis musicis. ¶ *Ephod lineo*] Erat indumenti genus quo Levitæ accessuri ad cultum Dei vestiebantur.

19. *Tunicam parvam*] Intellige מעטפה *palliolum*, quod induebat in magnis solennitatibus: & mater post transactos solennitatis dies, illud iterum domum portabat.

20. *Ad locum suum*] In Hebræo relativum *suum* est singulare, refertúrque ad Elkanam tantùm, quòd ipse de loco illo oriundus esset.

22. *Excubabant*] Quidam exponunt hîc *excubare* pro *orare*: alii pro *sacrificare*; sicut mulieribus puerperis indicta erat certa lex sacrificiorum.

25. *Arbitri*] h. e. ושפטו הדיין *judicabit eum judex*. ¶ *Quis arbitrum illius aget?*] *Potest & sic verti*; *Quis orabit pro eo?* vel, *Quis intrabit pro eo in judicium Dei?*

27. *Vir Dei*] Quidam putant hunc Prophetam fuisse patrem Samuelis: alii verò, Pinehas Sacerdotem. ¶ *Nunquid non revelatus sum*, &c.] Hoc dicitur propter Mosen & Aharon, quibus Dominus revelatus fuit, & elegit domum patris eorum in dignitatem Sacerdotalem. מעון verò capitur hîc pro במעיני.

30. *Usque in sempiternum*] Putant Hebræi summum Sacerdotium translatum ad Eli & posteros ejus à Pinehas filio Eleazar; sed quia illi Dominum inhonoraverunt, fuit iterum ad filios Pinehas translatum. Nec tamen posteri Eli penitus fuerunt amoti, sed in *mœrorem animi sui & consumptionem oculorum* in infimis permissi sunt officiis, qui priùs summam tenebant arcem. Non autem mox post mortem Eli hæc Sacerdotii translatio facta est, sed sub David, quando in locum Abiathar summi Sacerdotis constitutus fuit Zadoc *Sacerdos fidelis*.

36. *Pro moneta*] Capitur hîc אגורת pro טבע *moneta*, vel pro גרה *obolo*, & ספחני exponitur pro חברני, sicut nos quoque vertimus.

VATABLUS.

1. *Oravit autem*, ותתפלל] q. d. *Oraverat Hanna*, h. e. à Deo petierat filium; quem quia ab eo acceperat, nunc *dicit*, sive *gratias agit*. Aut, *Precata est Deum Hanna* ut acceptum haberet Samuelem; postea *gratias agit* de tanto beneficio accepto. Vel, *Oravit autem*, i. fudit preces, *& gratias egit*, &c. ¶ *Exsultavit*, עלץ] Præt. Heb. pro præs. *Exsultat*. ¶ *In Jehova*, ביהוה] *Per Jehovam*, i. authore Domino, sive beneficio Domini, animus meus plenus est lætitiâ. ¶ *Cornu meum*, קרני] *Cornu* pro *gloria*. Metaphora ab animalibus cornigeris, quæ cornibus tutantur vitam suam; unde & propter cornua gloriari solent. *Cornua* igitur propriè *Robur* significant: & quia fortitudine illâ gloriari solent animalia, ideo *Gloriam* etiam significat. q. d. Gloria mea nunc magna est Dei beneficio: Materiam gloriandi habeo ope tuâ, ô Deus. ¶ *Dilatatum est*, רחב] *Dilatavit sese*, q. d. Habeo quòd respondeam nunc inimicis meis, si objiciant mihi sterilitatem meam: priùs habebam os clausum. ¶ *In salute tua*, בישועתך] *Per salutem tuam*, i. per tuum beneficium. q. d. Quoniam maximum beneficium accepi à te: beneficio tuo fœcunda facta sum, unde maximè lætor.

2. *Non est sanctus*, אין קדוש] *Nullus est sanctus*, q. d. Nullus alius coli debet præter Dominum: nam est clementissimus, &c. Per *sanctitatem* intelligit Misericordiam, Clementiam, Justitiam & reliquas virtutes. ¶ *Quia non*, כי אין] *Imò nullus*, q. d. Tu solus sanctus. ¶ *Fortis*, צור] *Deus*, q. d. Es potentissimus.

3. *Nè ergò posthac*, &c. אל תרבו ונו׳] Ad. verb. *Nè multiplicetis ut loquamini sublime, egrediatur durum ex ore*

ore vestro. Idem bis dicit mutatis verbis. Fut. Heb. loco infinitivi, *Ne multiplicetis ut loquamini*, pro, *Ne ultrà loquamini.* Pro *Sublime* vertere potes *arrogans* ac *superbum*, sub. *verbum*. Geminatione substantivi significat frequentes fuisse & assiduos in effutiendis verbis superbis; nam etiam dicit, *Ne multiplicetis.* Præterea negatio quæ præcessit, secundo loco repeti debet, *Neque egrediatur*, &c. *Durum* vocat superbum & arrogans verbum; quale est, *Deum non esse omnipotentem*, qui sterili posset dare conceptum. ¶ *Scientiarum*, [דעות] *Cognitionum*, i. omnia novit, cogitationes & opera hominum. ¶ *Et ipsi præparentur opera*, [ולו נתכנו עללות] i. Ordine fiunt ab eo opera magnifica, h. e. mirabilium operum est patrator & designator. Alii vertunt, *& ipsi numerantur opera* i. ab eo ponderantur & examinantur opera omnium. Legitur & לא: propterea quidam vertunt, *& non numerantur opera ejus*, i. nullo numero comprehendi possunt opera ejus.

4. *Arcus* & *fortes*, &c. [קשת גבורים חתים וגו'] Ità vertendum esse, non autem *Arcus fortium*, docet Grammatica, quòd חתים plur. masc. non possit referri ad קשת sing. fem. Sensus igitur est, Arma nihil prosunt fortibus; jam qui modò videbantur superiores, statim vincuntur; & contrà, qui priùs videbantur penè victi ac superati, tandem evadunt superiores, ità volente Deo. ¶ *Et debiles*, &c. [ונכשלים אזרו חיל] *Et infirmi accinxerunt se robore*, vel, *viribus*, i. qui videbantur esse multò inferiores, superant viribus.

5. *Saturi pro pane se locaverunt*, [שבעים בלחם נשכרו] q. d. Qui priùs vescebantur ad saturitatem usque, laborarunt inopiâ, usque adeò ut pro victu habendo locaverint operam suam. ¶ *Cessarunt*, [חדלו] *Desierunt*, sub. *locare operam suam*, i. qui fame penè conficiebantur habuerunt quod ederent. Annumerat se inter egentes Anna, quòd ante Dei beneficium esset sterilis. ¶ *Adeò ut sterilis*, &c. [עד עקרה וגו'] i. Quæ priùs erat sterilis, multos liberos habuit: quæ verò multos habebat liberos, facta est tandem orba & sine liberis.

6. *Mortificat*, &c. [ממית ומחיה וגו'] i. Dominus interficit quos vult, & servat à morte quos vult: facit aliquandò ut quis ità morbo laboret ut de vita ejus desperetur, & jam penè sit in sepulcro, quem tamen sanat. Bis idem dicit mutatis verbis. *Inferi* pro *sepulcro*. Deus est Dominus vitæ & necis. Potest hic versus intelligi de diversis vel de uno, ut etiam sequens versus. Interficit unum, alterum autem sanat de cujus vita desperabatur: Vel, Istum interficit, & eundem revocat ad vitam. ¶ *Descendere facit*, &c. [מוריד שאול ויעל] *Deducit ad infernos, & reducit.*

7. *Pauperem facit*, &c. [מוריש ומעשיר] i. Author est divitiarum & paupertatis. Chaldæus paraph. intelligit hoc canticum tanquam prophetiam; propterea omnia vertit per futurum. ¶ *Humiliat*, [משפיל] *Deprimit, dejicit*, i. quem vult deprimit & de gradu dejicit; eundem, si lubet, afficit honoribus.

8. *Suscitat è pulvere*, [מקים מעפר] *Erigit è pulvere*, i. de gradu sive ordine infimo. ¶ *Pauperem*, [דל] Significat *hominem tenuis fortunæ*. ¶ *E stercore*, &c. [מאשפות ירים אביון] i. E sordibus, h. e. è statu sordidissimo elevat egenum. ¶ *Ut sedere faciat eum cum principibus*, [להושיב עם נדיבים] *Ut collocet eum*, &c. i. ut clarum & nobilem reddat. ¶ *Et solium gloriæ*, &c. [וכסא כבוד ינחלם] *Et solium gloriæ possidere faciat illos*, i. illum: acsi dicat, Unumquemque eorum: h. e. constituit eos in honoribus & summis magistratibus. ¶ *Cardines*, [מצוקי] *Columnæ*, i. Creavit Dominus ac fundavit terram, éstque Dominus ejus atque omnium quæ in ea sunt. ¶ *Et posuit super eos orbem*, [וישת עליהם תבל] *Et suffulcit illis orbem.*

9. *Piorum suorum servabit*, [חסידו ישמור] *Sanctorum suorum servat*, i. pios qui ipsum colunt. Præt. Heb. pro præs. ¶ *Conticescent*, [ידמו] Vel per præsens, *conticescunt*, i. intereunt ac pereunt. Impii, cùm moriuntur, demigrant hinc in tenebris, non in lucem, ut pii. ¶ *Non in fortitudine roborabitur vir*, [לא בכוח יגבר איש] *Non in fortitudine roboratur quisquam*, i. nemo seipsum servare potest suis viribus.

10. *Litigantes cum eo*, [מריבו] Sub. *Samuele*. Quidam Hebræorum dicunt hic Annam precari pro filio suo, & simul pro Israele quem judicaturus erat, ut Dominus conterat adversarios ejus: quod factum fuit cùm Dominus intonuit voce grandi super Philisthæos, qui Israelem aggressi fuerant: infrà 7.10. Alii vertunt, *Jehovæ conterantur rixæ ejus*, vel, *frangentur litigantes ejus*, i. qui cum eo disceptant & rixantur, aut contendere volunt. Eodem sensu alii, *Adversarii Jehovæ frangentur*, i. exterminabuntur, & peribunt. ¶ *Super ipsum*, [עלו] Sub. *Litigantem, rixatorem & adversarium*. Sing. pro plur. *super illos*, i. tangentur illi de cœlo. ¶ *E cœlis*, [בשמים] Ut ב pro מן accipiatur. Alii, *in cœlis.* ¶ *Judicabit fines terræ*, [ידין אפסי ארץ] i. Judicaturus est omnes homines. Vel ut sit fut. pro præs. judicium exercere solet in omnes qui sunt in orbe terrarum, quando vult. De extremo judicio interpretantur nonnulli; alii de tempore Messiæ. ¶ *Regi suo*, &c. [למלכו וירם קרן משיחו] i. Reddet fortem Regem suum. Etiam Chaldæus paraph. hunc locum de Messia intelligit, q. d. Dominus mittet Messiam, & illum gloriosissimum & potentissimum faciet. *Cornu* pro *gloria*, ut v. 1.

11. *Abiit*, [וילך] i. cùm gratias egisset. ¶ *Coram Eli sacerdote*, [את פני עלי הכהן] Hebraismus pro, De mandato Eli, in his quæ illi præcipiebat Eli, pro ætatula, canendo & pulsando instrumenta musica, poscente ipso Eli. Discebat Samuel Legem Domini, & musicen.

12. *Beliaal*, [בליעל] i. Impii, improbi, ut Deut. 13. 13. & Judic. 19. 22. ¶ *Agnoscebant Jehovam*, [ידעו את יהוה] i. Legi ejus non parebant: imò mutaverant decretum Dei: nam, &c.

13. *Nam consuetudo sacerdotum*, [ומשפט הכהנים] De recenter introducta à Sacerdotibus consuetudine loquitur, q. d. Hanc novam consuetudinem introduxerant populo filii Eli, & alii sacerdotes, Legem Dei immutantes. Nam secundùm Legem Domini Sacerdotes è pacificis hostiis accipere debebant tantùm armum & pectusculum: isti majorem portionem accipiebant: Lev. 7. 31. ¶ *Quocunque sacrificante sacrificium*, [כל איש זבח זבח] *Cùm aliquis sacrificabat sacrificium*, sub. *pacificum*.

14. *Et percutiebat in concha*, [והכה בכיור] *Et percutiebat* [sub. *carnes quæ erant*] *in concha*, aut, *olla*, &c. i. conabatur arripere aut apprehendebat carnes, &c. ¶ *Educebat*, [יעלה] Ad verb. *ascendere faciebat.* ¶ *Venientibus illuc in Siloh*, [הבאים שם בשלוה] Sub. *Ut immolarent hostiam pacificam.*

15. *Etiam antequam*, [גם בטרם יקטרון] *Præterea antequam cremassent.*

16. *Adipem*, [החלב] Sub. *hostiæ*. Moris erat ut sacerdos carnem elixam acciperet ab offerente. ¶ *Sicuti desiderat anima tua*, [כאשר תאוה נפשך] i. Quantum voles.

17. *Erátque peccatum puerorum*, [ותהי חטאת הנערים] *Fuítque peccatum adolescentium*, i. Filiorum Eli. ¶ *Contemnebant*, [נאצו] *Spreverunt*, i. cœperunt habere despectui sacrificia quia fiebant in honorem Domini, atque abhorrere ab offerendis victimis & oblationibus, conspectâ avaritiâ sacerdotum.

18. *Ministrabat coram Domino*, [משרת את פני יהוה] i. Fungebatur suo officio sine culpa. ¶ *Ephod lineo*, [אפוד בד] Ephod erat vestis brevissima quâ uti solebant qui ministrabant Domino, non quidem omnino dissimilis superhumerali summi Sacerdotis, sed neq; etiam prorsus illi similis.

19. *Et tunicam parvam*, [ומעיל קטון] Significat vestem exteriorem, parvam, habitâ staturæ ratione pueri: erat enim vestis longa, & eâ ornabatur in festis solennioribus. ¶ *Fecerat ei*, [תעשה לו] Fut. Heb. pro præt. ¶ *Et afferebat*, [והעלתה] Sub. *illam vestem.*

20. *Ponat*, [ישם] *Det.* ¶ *Semen*, [זרע] i. Prolem aliam. ¶ *Pro commodato*, &c. [תחת השאלה וגו'] i. Loco Samuelis quem tradidistis ministerio Divino. Alii, *pro portione quam petivit*, vel *postulavit*, sub. *uterque vestrum*, i. Loco Samuelis quem uterque vestrum petiit à Domino. ¶ *Et abierunt*, [והלכו] *Et recesserunt.*

21. *Visitavit autem*, [כי פקד] *Visitavit enim*, subaudiunt; *reversi*

reversi sunt, inquam, domū læti, quòd visitasset Jehovah. &c. crediderant enim verbis Eli quæ adhibuerat benedictioni illi de futura prole. Vel כי redundat. ¶ *Apud Jehovam*, עם יהוה] i. Ministrans Jehovæ.

22. *Quæ congregabantur*, הצובאות] *Congregatis*, turmatim scilicet, de quibus vide Exod. 38. 8. Doctus inter Hebræos intelligit puerperas quæ veniebant turmatim ut purgarentur, & orarent Deum.

23. *Res tales?* כדברים האלה] Ad verb. *Secundùm verba ista?* ¶ *Gesta vestra mala*, את דבריכם רעים] Ad verb. *verba vestra mala*, vel, *res gestas malas*.

24. *Nè filii mei*, אל בני] Aposiopesis quæ iratis convenit, sub. *ità faciatis*. ¶ *Facientes transgredi*, &c. מעברים עם יהוה] Nam ità faciendo hinc *abigitis populum Jehovæ*, i. efficitis nè huc populus veniat oblatum victimas. Alii vertunt, *fama quam audio*, quam *transire facit* [i. spargit] *populus Jehovæ*, sub. *de vobis*.

25. *Judicabit ipsum Judex*, ופללו אלהים] q. d. Si vocetur in jus, habebit etiam patronum qui defendat eum coram Judice. Alii legunt minùs rectè, *judicabit eum Deus*. ¶ *Quis judicabit pro eo?* מי יתפלל לו] i. Quis disceptabit contra Dominum pro illo? q. d. Nullus est excusationi locus cùm peccatur in Dominum. Alii, *quis rogabit pro eo?*

26. *Ambulabat & crescebat*, הולך וגדל] i. Promovebat annis & bonitate, bonâque famâ crescebat. ¶ *Et bonus erat*, &c. וטוב גם עם יהוה] i. Subinde melior & gratior evadebat tam apud Deum quàm apud homines.

27. *Vir Dei*, איש אלהים] i. Vir quidam missus à Deo, propheta quidam, vir Divinus. Nonnulli aiunt fuisse Eliam, alii Angelum specie humanâ. Hebræi existimant fuisse Phinees, alii Elcanam. ¶ *Annon manifestando manifestavi*, הנגלה נגליתי] Apertène revelatus sum. Vel, *Annon manifestè revelatus sum*, &c. Hebraismus. ¶ *Patris tui*, אביך] Nempe Aharonis. ¶ *Cùm essent*, בהיותם] Sub. *Filii Israel*. Incipit à commemoratione beneficiorum, ut ostendat eum ingratum: quod ferè fit in hujusmodi increpationibus.

28. *Et elegi*, ובחור] Infinit. Heb. pro præs. *Et elegi*, sub. *Aharonem*. ¶ *Ut suffiret*, להקטיר] *Ut adoleret, incenderet*. ¶ *Coram me*, לפני] i. In tabernaculo meo. ¶ *Omnes oblationes*, את כל אשי] *Omnia sacrificia*, i. Partem quandam ex victimis omnibus quas filii Israel oblaturi erant, quam ego volui pertinere ad Sacerdotes.

29. *Cur calcitrastis in sacrificium meum*, למה תבעטו בזבחי] Fut. Heb. pro præt. vel præs. *Quare* ergo *velut calcibus abjecistis* [i. repellitis, sive contemnitis] *sacrificia mea*, &c. Alii, *Quare abigitis è domo mea eos qui antea afferebant victimas & munera?* ¶ *Quam præcepi*, אשר צויתי] Sub. *mihi offerri*. ¶ *Ut impinguaretis vos*, להבריאכם] *Ut saginaretis vosipsos*. ¶ *Populi mei*, לעמי] *Ante* [*apud*] *populum meum*, i. vidente & spectante populo meo.

30. *Dicendo dixeram*, אמור אמרתי] Hebraismus, Decreveram omnino. Ità statueram. ¶ *Ambularent coram me*, יתהלכו לפני] i. Fungerentur officio summi Sacerdotis in tabernaculo meo, ità & Chaldæus paraph. ¶ *Quia honorantes me*, &c. כי מכבדי אכבד ובוזי יקלו] Ad verb. *Sed qui honore affecerunt me, eos honore afficiam: qui verò contempserint me vilescent*, i. suâ culpâ viles ac contemptibiles evadent.

31. *Dies veniunt, & præcidam brachium*, ימים באים וגדעתי] i. instat tempus in quo præcidam robur tuum, h. e. auferam tibi dignitatem illam sacerdotalem. ¶ *Nè sit senex in domo tua*, מהיות זקן בביתך] i. Ut nemo sit ex familia tua qui perveniat ad senium. Quidam per *senem* intelligunt sapientem.

32. *Et aspicies inimicum*, והבטת צר] *Et cernes æmulum*, sub. *tuum*, in posteris tuis scilicet, i. posteri tui videbunt alium fungi officio summi Sacerdotis in tabernaculo meo. ¶ *In cunctis quibus benefaciat*, בכל אשר ייטיב] i. Quando multis beneficiis afficiet populum Israeliticum.

33. *Excidam*, אכרית] *Exterminabo*, i. non omnes auferam tibi, q. d. Semper erit aliquis ex tuis nepotibus qui famulabitur ad altare meum. ¶ *Ut consumam*, לכלות] *Ut tabescere faciam*, vel *marcescere*, præ invidia scilicet in posteris tuis, cùm videbunt alium fungi officio summi Sacerdotis, quod ad familiam tuam pertinebat. ¶ *Et omnis multitudo*, וכל מרבית] *Et omnis educatio*. ¶ *Viri*, אנשים] i. In virili ætate, h. e. cùm primùm venerint ad ætatem virilem, ut plus tibi doloris inferant in morte sua.

34. *Et hoc tibi signum*, וזה לך האות] i. Et istud signum quod evenit duobus filiis tuis erit tibi signum quòd quæ dico vera sint.

35. *Stabilem*, נאמן] *Firmam*, i. dabo illi familiam amplissimam & numerosam, quæ perveniet usque ad senium. ¶ *Ambulabitque*, &c. והתהלך לפני משיחי] i. Fungetur officio sacerdotali coram Rege cui Regnum dedero.

36. *Ut incurvet se ei*, להשתחות לו] *Ut sese illi prosternat*, supplicaturus scilicet illi tanquam majori. ¶ *Uni parti sacerdotiorum*, אל אחת הכהונות] *Uni ex officiis sacerdotalibus*, i. ut fungar tuâ benignitate uno ex officiis minorum sacerdotiorum, *præfice me uni ex functionibus sacerdotalibus*. ¶ *Ut comedam*, &c. לאכול פת לחם] i. Pro victu, h. e. ut hâc ratione vivere possim.

CASTALIO.

3. *Conatus*] Sc. hominum.

12. *Jovæ ignari*] Contemptores.

30. *Tui parentis*] Sc. Levis.

32. *Spectabisque in fano æmulum*, &c.] Videbunt posteri tui, non sine suo dolore, Pontificem non ex te natum, qui sacrificiis fruatur quæ Israelitæ de collatis sibi Divinitus bonis facient.

33. *Quo tibi & oculi consumantur*] Dum tui posteri servient alii Pontifici.

CLARIUS.

1. *Cornu meum*] Caput meum, quod humile erat, sublime est effectum. ¶ *Dilatatum est os meum*] Jam loqui possum confidenter Dei erga me beneficentiam, nec audebit æmula mea posthac in me invehi, quia lætitia mihi addita est in hac salute Dei, quâ abstulit à me sterilitatis opprobrium. Et vide ut doceat quid nobis faciendum sit quoties assequimur à Deo quod optamus: nam continuò ad contemplandum Dei & potentiam & benignitatem converti debemus: is enim debet esse finis acceptorum ab eo beneficiorum; quare & hæc mox addit, *Non est sanctus ut est Dominus, neque enim est alius extra te*, vel, *non est aliquis præter te*, qui invocandus sit pro salute.

3. *Nolite multiplicare*] Cesset omnis gloriatio celsitudinis cujusque, quæ nihil omnino est nisi quatenus à Deo pendet eíque innititur. ¶ *Recedant vetera*] *Quod autem veterascit prope interitum est*. Et videtur Spiritus S. ut in Prophetis solet, altiùs extulisse hujus mentem & os, ut subindicaret jam præparari longè majora quàm unquam fuerint, adventus scilicet Christi, qui nasciturus erat ex semine David, quem hic puer Samuel uncturus erat. Nova, inquit, est hæc excogitatio, nec antea nota hominibus, nec injuriâ, cùm ipse sit *scientiarum Dominus, & ipsi præparentur cogitationes*, h. e. ipsi cedunt cogitationes humanæ omnes, nec sine eo perficiuntur conatus filiorum hominum; ut nemo gloriari possit, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.

4. *Arcus fortium*] Vel, *arcus cum fortibus*. Generatim tangit magnificentiam operum ejus, & obiter admonet neminem suis viribus, opibus, potentiâ debere fidere, sed tantùm ex Deo pendere. Deus, inquit, robustos cum armis eorum conterit, & debiles fortes reddit. Ejusmodi sensum & in cantico matris Dei invenies. Ipse divites ad paupertatem adigit, ut etiam cogantur servire *pro pane*; & contrà

contrà, *famelicos* à mendicitate ad opulentias vocat: *steriles* fœcundas reddit, & fœcundas steriles: obscuro loco natos subvehit ad regiam dignitatem, & deponit potentes de sede, &c. Nec mirum cùm ille Dominus sit universorum, & solus ipse mundi collocaverit *columnas*, illásque, nè mundus ruat, fortiter sustentet. Nam quod ait *cardines* verti potest & *columna*.

9. *Pedes sanctorum*] Nè scilicet ambulent ad malum, *impii* verò tandem *in tenebras* conjicientur, ubi nullus se juvare poterit suâ fortitudine, potentiâ & opulentiâ, nec ullus potest evadere manus Dei viventis, cùm ille *Judex sit* etiam *finium terræ*. Et hîc dabit omnem potestatem & auctoritatem *Christo suo*, nempe Messiæ, etiam secundùm Hebræorum interpretationem.

12. *Filii Belial*] h. e. *Absque jugo*.

13. *Et jus fecerant*] h.e. Sacerdotes hoc jus sibi facere præsumpserunt, non contenti pectusculo & armo in Pacificis.

18. *Samuel autem ministrabat*] Ministerium illud fuit studium legis Divinæ, cognitio Domini, cantare ore, & ludere instrumentis musicis. ¶ Porrò *Ephod lineum* erat indumenti genus quo Levitæ accessuri ad cultum Dei vestiebantur. Per *tunicam* verò *parvam* intellige Palliolum quod induebat in magnis solennitatibus; & mater post transactos solennitatis dies illud iterum domum portabat.

22. *Quæ observabant*] Vel *excubabant*. Quidam exponunt hîc *excubare* pro *orare*; alii pro *sacrificare*, sicut mulieribus puerperis indicta erat certa lex sacrificiorum.

25. *Arbitri esse poterunt judices*] Si quis in proximum peccet, tractari inter Judices causa poterit & arbitros donec satisfaciat homini: Si quis verò in Dominum peccet, quis causam ejus aget? aut quis intrabit pro eo in judicium Dei?

27. *Vir Dei*] Quidam putant hunc Prophetam fuisse patrem Samuelis; alii verò, Phinees sacerdotem. ¶ *Apertè revelatus sum*] Hoc dicitur propter Mosen & Aharon, quibus Dominus revelatus fuit, & elegit domum patris eorum in dignitatem Sacerdotalem.

30. *Usque in sempiternum*] Putant Hebræi summum Sacerdotium translatum ad Eli & posteros ejus à Phinees filio Eleazar; sed quia illi Dominum inhonoraverunt, fuit iterum ad filios Phinees translatum. Nec tamen posteri Eli penitus fuerunt amoti, sed in *mœrorem animi sui & consumptionem oculorum* in infimis permissi sunt officiis, qui priùs summam tenebant arcem. Non autem mox post mortem Eli hæc Sacerdotii translatio facta est, sed sub David, quando in locum Abiathar summi Sacerdotis constitutus fuit Sadoch *Sacerdos fidelis*; cujus familiam durasse ferunt usque ad Christum, cui ministrabat in legalibus illis figuris. Et hoc esse videtur quod ait, *ambulabit coram Christo meo cunctis diebus*.

DRUSIUS.

1. O*Ravit Hanna*] Ηὔξατο, vel προσηύξατο. Hier. *adoravit*; quod in Latio sæpe sign. *oravit*. Sic enim usurpant Virgilius, Propertius & alii. Thargum, *oravit Hanna in spiritu Prophetico*. Ex eo disces Samuelem Prophetam fuisse, sed & nepotem ejus ex Joele filio idem Jonathan *Prophetam* appellat. Vide. ¶ *Exsultavit cor meum*] De nato filio. Et plus est *exsultavit* quàm *gavisum est*. Nam *exsultat* qui externo signo animi lætitiam internam declarat quasi exsiliendo atque efferendo se, gestibus ac saltibus affectum animi ostendendo. Propriè *exsultare* est *extra saltare*. Lxx ἐστερεώθη *firmatum est*. Interpres tamen Origenis *exsultavit*. ¶ *Exaltatum est cornu meum*] Cornu meum quod dejectum erat exaltatum est hâc rerum immutatione. *Cornu* Robur significat. Tralatio à bestiis cornupetis, quarum robur in cornibus. Et est sensus ut si diceret, *Exaltatum est caput meum*. Lxx ὑψώθη τὸ κέρας μου, *sublatum est cornu meum*. ¶ *In Domino*] Qui mihi auxilio fuit. Sic David Deum appellat *cornu salutis suæ*, propterea quòd ipsius ope atque auxilio salutem obtinuerat. Psal. 18. Psal. 89. 17. *In benevolentia tua exaltabitur cornu nostrum*, 112. 9. *Cornu ejus extolletur cum gloria*. Vide Tropos. ¶ *Dilatatum est os meum*] Ut Psal. 35. 21. *Dilataverunt super me os suum*. *Cor dilatatur* gaudio; *os*, cùm ore indicamus gaudium animi, aut ex eo insultamus alteri. Lxx ἐπλατύνθη τὸ στόμα μου ἐπ' ἐχθρούς μου. Thargum, *Aperiam os meum ad loquendum magna contra hostes*, aut *inimicos, meos*. Nicolaus, *ad Deum apertè & magnificè laudandum de collato mihi filio, de quo Phenenna & liberi ejus torquebantur*. q. d. Lato ore insultabo eis. ¶ *Super*] *Contra, adversùs*. ¶ *Inimicos meos*] Phenennam & alios qui mihi sterilitatem exprobrabant. ¶ *In salute tua*] Quam mihi præstitisti dando filium. Hier. *in salutari tuo*, idem aliter: nam expressit Græcum τὸ σωτήριον, quod idem cum ἡ σωτηρία. Vide Concord. Græcas. In edit. Rom. *Notatum apud Theodoretum & alios legi ἐν σωτηρίῳ σου, unde, In salutari tuo*.

2. *Non est sanctus ut Dominus*] Pro eo habendum acsi dixisset, *Non est Deus sicut Dominus*. Nam dii multi sunt, & domini multi, sed non est qui cum Domino sit comparandus, sive sanctitatem spectes sive robur ac fortitudinem. Unde mox ait, *non est petra sicut Deus noster*. Thargum, *Non est qui sit sanctus nisi Dominus*. Nam pro ליה legendum puto לית, unius literæ immutatione. R. D. *quem precata sum in domo sacrarii ejus; & exaudita fuit precatio mea, acsi Sanctus ideo diceretur quia exaudit preces suorum*. Nicolaus, *Deus est sanctus per essentiam; alii per participationem*. ¶ *Non est præter te*] Hier. *extra te*. Lxx πλὴν σου, & ἅγιος repetivit. Solus Deus revera *est*, quia per se est, quia æternus est. *Esse* enim sign. *æternum esse*: unde & nomen Jod, He, Vau, He: nam ab היה deducitur. Creaturæ quod sunt ab ipso sunt, non à se, ut Dominus, qui propterea solus *esse* dicitur. ¶ *Non est petra*] צור *petra, rupes*, interdum ipsum Deum sign. ut in abbreviatura illa צו"י *Custodiat eum Deus meus & redemptor meus*: ad verb. *petra mea*. Lxx οὐκ ἔστι δίκαιος, *non est justus*, i. צדיק. Hier. *non est fortis*. Sic etiam Jon. לית תקיף. Nec aliter R. D. *non est fortis sicut Deus naturà, qui invertit naturas pro libitu suo. Nam eram sterilis, nec erat in natura mea ut parerem*. Cæterùm *petra* non tam Fortitudinem sign. quàm Præsidium, Receptum & Refugium quod præstat iis qui eò confugiunt. R.S. *non est formator qui format figuram in media figura*, i. צייר.

3. *Nè multum loquamini altum altum*] Ad verb. *Nè multiplicetis loquamini altum altum*. Hier. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*. Lxx Μὴ καυχᾶσθε, καὶ μὴ λαλεῖτε ὑψηλά, *Nè gloriemini, & nè loquamini excelsa*. Trem. *Nè multis loquimini admodum elatè*. Thargum, *Nè multiplicetis loqui magna*. Simile, *Addam miserebor*, pro *ampliùs miserebor*. Hinc regula, Quando duo verba [ejusdem temporis vel modi] simul leguntur absque copula, vel etiam cum copula, prius optimè reddi potest per adverbium. Ebræi explicant אל תרבו שתדברו. ¶ *Exeat durum ex ore vestro*] *Nè exeat durum*, &c. Nam אל repeti debet ex præcedenti membro. עתק autem est *forte, durum*; & sub. *verbum*, ut Psal. 94. 4. *loquuntur durum*. Jon. גדופין *blasphemia*. Lxx μεγαλορρημοσύνη *magniloquentia* sive *magniloquium*. Vide Rom. ed. Lat. Hier. *recedant vetera de ore vestro*. R. S. חזק *forte*, & aliter לשון סרה *verbum recedens à vero*. Nam התיק *transfero*. Rabbenu Jesaias, עתק & דבור קשה *locutio dura*, ut Psal. 31. 18. *qui loquuntur contra justum* עתק *durum*. ¶ *Deus scientiarum*] Qui omnia scit, quem nihil latet, omni scientiâ præditus. Lxx Θεὸς γνώσεων. Jon. *Deus novit omnia*. Lira, *nihil latet eum*. R. S. *novit quæ in corde vestro*. R. D. *novit omnia, & nihil occultum est ab eo*. Dicit autem *scientiarum* in numero multitudinis, quia omnes scientias hominum novit pariter: absque multiplicatione & absque mutatione apud eum sunt, sicut ait, *Qui format simul cor eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. R. Levi, *novit futura*. Quid si, *omnimodâ scientiâ præditus*? ¶ *Et ei*] In scriptura est לא *non*, in lectione לו *ei*. Talia quindecim esse annotant Critici

Ebræorum Massorethæ. Lectionem expressit Hieronymus referens *& ipsi præparantur cogitationes*; scripturam Symmachus, in quo καὶ οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ προφάσεις, *& non sunt apud eum prætextus*, sive *excusationes*: etiam recentior interpres, qui vertit *non disponuntur actiones*, sine illo videlicet: nam homo proponit, & Deus disponit. Senes videntur legisse אל pro לא: nam vertunt Θεὸς ἑτοιμάζων *Deus præparans*. Jon. *supra cuncta opera sua extendit judicium suum: etiam vobis redditurus est pœnam peccatorum vestrorum*. ¶ *Actiones*] *Facta, studia*, ἐπιτηδεύματα, *adinventiones*. R. D. *opera*. ¶ *Disponuntur*] *Diriguntur, præparantur*.

4. *Arcu fortes conteruntur*.] Qui arcu valent, & ab eo fortes sunt, conteruntur. Vulgò *arcus fortium contritus est*. Verbum è verbo, *contritorum*: nam ità moris est Ebræis. Sic, *Vox sanguinum clamant*, pro *clamat*. *Vox Principum occultantur*, pro *occultatur*. Talem constructionem Latina lingua non patitur. *Arcu fortes* בקשת Id potiùs diceretur גבורי קשת *fortes arcûs*, vel *arcu*. R. D. explicat, *conteruntur ipsi & arcus eorum*. Hier. *Arcus fortium superatus est*. *Arcus fortium* pro *fortes arcûs*, hypallage. Lxx Τόξον δυνατῶν ἠσθένησε, *Arcus potentium infirmatus est*, sive *invalidus factus est*. Thargum, *Arcus potentium Græcorum confracti sunt*, קשתן *arcus*, & in regimine קשתת. Fortè sing. est pro plur. qualia plurima sunt in his literis: aut est nomen sing. significans multitudinem, ut, *Pars in frusta secant*. *Synthesin* vocant Grammatici. Sic in Salomone Lunensi, *Omne opus hominum numerata sunt coram eo*, i. omnia opera. Sic explicat verbum נתכנו, quod ait habere significationem מנין. Vide, si placet. Idem hoc loco annotat, *Hoc est opificium Dei benedicti, debilitat robustos, & roborat debiles; satiat esurientes, & esurire facit saturos*. Id significat cùm ait, ¶ *Infirmi accinguntur robore*] Vel *debiles*. Sed in fonte נכשלים *qui impingunt*, aut *collapsi*, aut *vacillantes*. Jon. *domini Hasamonæorum, qui erant debiles, facta sunt signa & virtutes*. Lxx καὶ ἀσθενοῦντες περιεζώσαντο δύναμιν. R. D. *robur & potentia est cinctus eorum*, אזורם *baltheus* aut *cingulum*.

5. *Saturi pro pane locaverunt se*] Ad eam egestatem redacti sunt ut pro pane se operámque suam aliis locaverint. Lxx πλήρεις *pleni*. Sic Job 42. *satur dierum*, πλήρης ἡμερῶν *plenus dierum*. Vide Tropos. Jon. *Saturi pane*, pro quo in Lxx πλήρεις ἄρτων, *pleni*, aut *repleti, panibus*. Meliùs Hier. *Repleti priùs, pro panibus se locarunt*. Mox Jon. *reversi sunt eò ut negotiati sint pro pane & cibo sui oris*. Videtur illud בלחם ad utrumque retulisse. Sed vide sis ¶ *Pro pane*] Pro frusto panis. ¶ *Locarunt se*] Hier. *Se locaverunt*. Lxx ἠλαττώθησαν. Schol. ἀντὶ τοῦ ἐμισθώθησαν *locaverunt se*. Aq. συνετρίβησαν *contriverunt se*. ¶ *Desierunt*] Esse famelici. Hier. *saturati sunt*. Sym. ἀντερίσθησαν *abundantes facti sunt*. Lxx παρῆκαν γῆν *transierunt terram*. ¶ *Sterilis*] Ut ego fui hactenus. Vide Lyram. ¶ *Septem*] i. Multos: numerus finitus pro infinito. Sic Jes. 4. *Septem feminæ apprehendent virum unum*. R. D. *Mos Scripturæ: cùm vult Multos dicere, dicit Septem*. Porrò Septenarium numerum, qui numerus est Plenitudinis & Perfectionis, Cicero vocat *rerum omnium modum*, & Livius poeta *cunctarum rerum originem*, & R. D. *numeri summam*. Sanè in septenario venientes dies hebdomadæ ad primum redeunt. Numerus Deo charus & acceptus, &, ut loquitur Augustinus, *ad quandam perfectionem mysticus*. Hier. SEBA *nunc Septem, nunc Plures interpretantur. Itaque in illo*, APPREHENDENT SEPTEM MULIERES VIRUM UNUM, *per* SEPTEM *Plures significantur*. Cæterùm quòd R. D. appellat Septenarium *summam numeri*, non intelligo. De Denario hoc rectiùs dicitur, cùm est principium decadum. Idem annotat Hannam habuisse revera plures filios & filias. Nam scriptum est, *Visitavit Dominus Hannam, quæ concepit & peperit tres filios & duas filias*. ¶ *Quæ multos habet filios*] Ad verb. *multa filiorum*. Sic, *civitas multa populi*, i. populosa, Latinè diceretur *multa filiis*, &, *populo*. ¶ *Infirmata est*] Ἠσθένησε. Infirma liberis videlicet. De illa dicitur quæ paucos aut nullos habet. *Quæ sepelit filios suos*, R. S. Sic alibi, *Infirma* (אמללת) *peperit septem*. Ei opponitur *multa liberis*.

6. *Mori facit*] *Moritur* & qui in morbum aut alias calamitates incidit. Ea *mors calamitatum* dicitur. *Moritur* etiam impius in peccatis, unde improbi dum vivunt *mortui sunt*, & ità vocantur. Hier. *mortificat*, alius *morte afficit*. Lxx θανατοῖ. Lex. vetus, θανατῶ, *mortifico*. ¶ *Vivificat*] Vitæ restituit, aut in vita conservat. *Vivere* etiam est valere; & *vivit* qui è malis emersit. R. D. *Stare facit eum in vita, & producit dies ejus, quando vult*. Sic, *Sanum me fac, & vivifica me*. Lxx ζωογονεῖ. Jon. *dicit vivificare*, i. promittit se vivificaturum, videlicet in Resurrectione mortuorum, de qua hunc locum enarrat & R. D. ut etiam de Respiratione è malis; ut, *Ego mori facio, & vivifico*. Aut innuit Retributionem justorum, & pœnam improborum, in animabus ipsorum. Hæc ille. ¶ *Descendere facit ad inferos, & ascendere*] Lyra, *Deducit ad inferos*. *In Ebræo habetur, Ad fossam, i. sepulcrum*. Hier. *Deducit ad inferos, & reducit*. Lxx Κατάγει εἰς ᾅδου, καὶ ἀνάγει sub. οἰκίαν, aut tale quid. Vox Ebræa שאול etiam *sepulcrum* denotat. Quo sensu accepisse videtur Jonathan referens, *Descendere facit in sepulcrum* לשאול, *& etiam futurum est ut ascendere faciat in vita seculi*, i. æterna. Innuit resurrectionem mortuorum. שאול tria sign. apud Ebræos, *Sepulcrum, Inferos, Statum mortuorum*. Sepulcrum duplex, inferius, superius. Sepulcrum inferius est quem *infernum* vulgò dicimus, locus damnatorum. Cæterùm ad inferos descenditur ratione corporis. Nam spiritus ad Deum ascendit: loquor de spiritibus justorum. Nam improbi corpore quidem descendunt in sepulcrum, animâ verò ad inferos, ubi mirandum in modum cruciantur. Cæterùm *inferi* vocantur aliquando ipsi mortui; ut apud Lactantium in Carmine quodam, & Vetustum interpretem Cohel. 9. 3. אל המתים, ubi Lxx ὀπίσω τῶν νεκρῶν, ipse habet *ad inferos*. Jam verò *ad inferna descendere* dicitur qui in graves calamitates incidit, ut sæpe apud Davidem. Sic, *Ascendere fecisti ex inferno animam meam, vivificasti me ex descendentibus in foveam*: item, *E manu sepulchri, quia accepit me; Sela*. Artemidorus, τὰ περὶ προσδοκίαν σφαλέντα φαμὲν ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκέναι. Sidonius Apollinaris hoc dixit *ab inferna quodammodo sede remeare*. Apuleius, *reducémque ab inferis conspectum*, & *velut ab inferis postliminio domum retulit*. Matth. 11. *Usque ad cœlum exaltata es, ad infernum descendes*. Similiter *sepultus* dicitur, qui periit. PHORMIO Terentianus, *Lemni habuit aliam*. CHREMES, *Nullus sum*. PH. *Ex qua filium suscepit*. CH. *Sepultus sum*, i. Perii, interii. Mercerus annotat *nomine* שאול *omnia loca subterranea comprehendi*, in queis & Sepulcrum. Sed & *Interitum* significat. Sensus ergò, *Deducit ad interitum, & reducit ab eo*.

7. *Pauperem facit*] Πτωχίζει, *depauperat, ad mendicitatem redigit*. Id Chaldæus dicit ממסכן. Nam à מסכן, quod *pauperem* sign. factum verbum מסכן *depaupero*, literâ servili seu Heemanthicâ in radicalem versâ. R. Jesaias, *De hæreditate depellit*, מוריש à ירש. Vide. Nam à רש esset מריש. ¶ *Ditat* Πλουτίζει, *divitem facit*. ¶ *Humiliat*] Ταπεινοῖ, *dejicit, deprimit*. ¶ *Etiam extollit*] Nam plus virium requiritur ad extollendum quàm ad humiliandum aut deprimendum. Ideo usus fuit particulâ *etiam*. Sic Æsopus interrogatus quid Jupiter ageret, respondit, Τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ἀνυψοῖ, *Alta humiliat*, &c.

8. *Suscitat*] Ἀνιστᾷ, *erigit*. ¶ *E pulvere*] Ex humili & abjecta conditione. Lxx ἀπὸ γῆς *è terra*. Nam *terra* & *pulvis* synonyma sunt: unde παράλληλον, *Terra pulveris*, & *Pulvis terræ*, אדמת עפר עפר ארץ. ¶ *Tenuem*] Qui in re tenui, cujus facultates tenues sunt. Hier. *egenum*. Lxx πένητα *pauperem*. Jon. ממסכנא, unde Italicum *meschino*. ¶ *E sterquilinio*] Hier. *de stercore*. Jon.

Jon. מקלקלתא *è stercore*. Arias *de sterquilinio*. Gallica editio *de la fiente*. Hinc *porta sterquilinii* Nehem. cap. 2, & 3. Vide Kimchi. Psal. 113. 7. *Erigit è sterquilinio egenum*. Recentior interpretatio Trem. & Jun. *è sterquilinis*. Videntur in ea sententia fuisse ut existimarint אשפת nomen esse plur. numeri. Nam cur vertissent *è sterquilinis*? An putarunt sing. esse אשפה? Vox hæc *pharetram* denotat, unde esset אשפת *pharetra*; quæ significatio vocis huic loco non quadrat. Quid igitur? אשפת est *stercus* vel *sterquilinium*. Illud Græcè κοπρία dicitur, istud κοπρών. Sanè hîc, ubi eadem dictio reperitur, iidem interpretes vertunt *è sterquilinio*. Est autem אשפת ad instar אחות *soror*, quod plenè scriberetur אחיות. Testis mihi doctissimus Ebræorum D. Camius ità scribens, אשפת *nomen est singulare in forma* אחות, *quod in perfectione scriberetur* אחיות. *Pluralis autem ejus est* אשפתות *Thren. 4. cum mutatione quietis in Dages*. Scribit hoc in Comment. ad hunc locum אשפה pro *sterquilinio* utitur R. Levi. Sed & R. D. in rad. דמן ubi דֹמֶן interpret. אשפה זבלה *stercus fimeti: & mos est projicere paleam* לאשפה *in fimetum*. Idem אשפת exponit מדמן. Vetus omnis interpretatio, *è stercore*: quod Græcè legitur, ἀπὸ κοπρίας. Nam & Thargum edidit מקילקלתא, de quo tamen dubitari potest. Nam sunt qui *sterquilinium* aut *fimetum* interpretentur. Ut ut sit, pro eo legitur in tractatu De cultu extraneo fol. 28. pag 1. קילקתא extritâ unâ è geminatis. Quod annotandum duxi eò libentiùs, quia simili modo apud Euangelistas legimus *Golgotha*, cujus interpretamentum *Cranium* sive *Calvaria*, i. גלגלתא *Golgoltha*, ubi similiter litera una extrita. Sic alibi שׁשלתא *catena* pro שלשלתא, quam & שלשלת vocant ex Ebræo שרשרת Res in Lamed versâ, sicut dicimus κρίβανος & κλίβανος. Ex hac veterum consuetudine in Syra editione obvium *Gagultha*. Qua de re vos admonuimus alibi: nunc verbum non addam. Intelligenti satis est. *E stercore*, i. ex humili & abjecta conditione. ¶ *Ut sedere faciat*] Καθίσαι. Perperàm Hieron. *ut sedeat*. ¶ *Cum principibus*] Lxx μετὰ δυναστῶν λαοῦ *cum potentibus populi*. Thargum, *cum justis principibus seculi*. *Principes* hîc נדיבים vocantur non ingenui, sed εὐεργέται *benefici*, quòd tales maximè deceat beneficentia, unde in Euangelio, *Qui dominantur in eas*, εὐεργέται *vocantur*. Vide Annot. nostras. ¶ *Solium gloriæ*] Θρόνον δόξης, i. regni. Esth. 14. 2. *vestis gloriæ* pro *regia*, quæ & *vestis regni*. Lxx τὰ ἱμάτια τῆς δόξης αὐτῆς. Hieron. *cùmque deposuisset vestes regias*. Matt. 6. 29. *neque Salomo in omni gloria sua*. Beza GLORIAM *vocat majestatem & splendorem illum qui reges illustriores reddit*. Esth. 1. 4. *divitias, gloriam regni sui*, vel *gloriæ regni sui*, i. regni sui gloriosi. ¶ *Cardines terræ*] Nicolaus, *In Ebræo habetur* FORTES TERRÆ. מצקי *fortes*. Rabbenu Jesaias, *fundamenta terræ*. R. D. *columnæ terræ*. Sunt autem justi, quorum merito consistit orbis; juxta illud, *Justus fundamentum seculi*. Arias *stationes terræ*. R. D. aliam expositionem adfert, quam vide apud illum, si placet. Thargum, *Coram ipso patent opera hominum; infrà paravit Gehennam improbis transgredientibus verbum ejus, justis autem facientibus voluntatem ejus fundavit orbem*. ¶ *Orbem*] Οἰκουμένην, *loca habitata terræ, orbem habitabilem*. Quid vidit Arias emendans *confusionem*? an putavit à בלל deduci? Si sic putavit, fallitur toto cœlo. *Posuit super eos cardines orbem*, &c.

9. *Pedes*] Actiones. Nam instrumenta sunt actionum. Sic, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, Psal. 119. 105. *Custodi pedem tuum cùm ibis in domum Dei*, Cohel. 5. 1. Sic Doctores dictitant, *Pedes hominis hujusmodi sunt ut ipsi placeant, sed Deus ducit illum quò vult*. Quadrat cum illo, *Homo proponit, Deus disponit*. ¶ *Sanctorum suorum*] Malim *piorum*, i. ὁσίων. Nam *sanctus* etiam ἅγιος, i. קדוש. Hic autem est חסיד in fonte, quo significatur *is qui pietatem ac religionem colit*, unde *Hasidai* dicti; de quibus nos librum peculiarem conscripsimus. ¶ *Custodit*] Fortè sensus, Custodit pedes nè impingant. Sic, *Angelis suis præcepit de te, nè offendat ad lapidem pes tuus*, &c. Sic R. D. שלא ינגפו. Valdè hoc se probat mihi. ¶ *In tenebris*] i. rebus adversis. Nam eas sign. Scriptura per *tenebras*; ut contrà per *lucem* sign. res secundas & prosperas: τὰ παθήματα μαθήματα. ¶ *Conticescunt*] Silent, *quiescunt*. Nam dicuntur רשעים quòd animo sint irrequieto. Videndus R. D. ad Psal. 1. Ideo scholia Ebraica hîc annotant שתקו מרגשתם ורשעתם. Aut ידמו *exscindentur, pereunt*; & *in tenebris*, ubi facilis lapsus propter absentiam lucis. Sanè qui in tenebris ambulat opinione citiùs labitur aut impingit. Quidam, *conticescent, ut qui præ pudore loqui non audent*. *Contrà piorum os dilatatur*, *suprà v. 1*. Vide notas Tremellii. ¶ *Non robore prævalet vir*] Non robore aut viribus suis prævalet vir, sed ope Divinâ. *Robore* dixit, & non *robore suo*, quia nullo robore humano prævalet homo. Hieron. *non in fortitudine sua roborabitur vir*. Lxx οὐκ ἐν ἰσχύϊ δυνατὸς ἀνήρ, *non in robore potens vir*, i. גבור, cùm in fonte sit יגבר *potens est*. Quòd homo à viribus valeat & sanus sit, hoc Deo adscribendum. Jon. *non cui robur est purus erit in die judicii*; aut, *qui robore valet*.

10. *Contendentes ejus*] *Qui cum eo*, h. e. cùm servis ejus justis, *contendunt & litigant*. Sic passim hostes piorum vocantur *hostes Dei*. Nota hæc iis qui S. literas vel à limine gustarunt. ¶ *Conterentur*] Hieron. *formidabunt adversarii ejus*. *Adversarios Dei* vocat eos qui contendunt cum eo. Lxx ἀσθενῆ ποιήσει ἀντίδικον αὐτοῦ. Lex. vetus Ἀντίδικος, *adversarius, obtrectator, contrarius*. Ἀντιδικία, *adversatio, obtrectatio*. Ἀντιδικῶ, *adversor, obluctor*. Petrus Diabolum vocat ἀντίδικον ἡμῶν, i. *hostem*, Ep. 1. c. ult. מריב ἀντίδικος, & מריביו οἱ ἀντίδικοι αὐτοῦ, qui & אנשי ריבו *viri litis ejus*, ut Jes. 41. 11. אנשי ריבך *viri litis tuæ*, οἱ ἀντίδικοί σου. מריבך. Latinè *adversarius*, propriè *adversarius in lite, pars adversa litigans cum eo*. ¶ *Super eum*] Super quemlibet eorum. Jon. *super eos*, & antè, DOMINUS *confringet inimicos qui stant ad malefaciendum populo suo*, בעלי דבבא. ¶ *In cœlo*] In media regione aeris. Hieron. *in cœlis*: perinde est: nam duale nomen modò redditur per sing. *cœlum*, modò per pl. *cœli*. Nullum hic mysterium aut arcanum. Pro עלו *super eum*, Senes videntur legisse עלה *ascendit*: nam vertunt ἀνέβη εἰς οὐρανοὺς καὶ ἐβρόντησεν *ascendit in cœlos, & intonuit*. Licet etiam vertere *è cœlo*. Sic Jon. *super eos è cœlo cum voce alta despexit*, &c. R. D. *super unumquemque adversariorum suorum*. Sunt autem οἱ ἀντίδικοι τῶν δικαίων ἀντίδικοι τοῦ Θεοῦ. Beth autem in בשמים ponitur pro מן *è cœlo*, sicut dicit, *Tonabit è cœlo Dominus*. Sic, בקדשים *de rebus sanctificatis non comedet*: item, *quod residuum est* בבשר *è carne*, ובלחם *& pane*, & alia ejus generis. Licet etiam reddere *in cœlo*, hâc sententiâ, *Edet tonitru in cœlo ad conturbandum eos*. Hoc est quod ait עליו propter eum, i. בעבורו *unumquemque ipsorum*. *Tonitru* autem metaphora est de decretis quæ descendunt è cœlo, sicut ait, *Misit sagittas, & dispersit eos; fulgur, & conturbavit*. ¶ *Judicat fines terræ*] Judicat etiam eos qui habitant in extremis finibus terræ, nè quis existimet se in illa parte orbis immunem esse ab ejus providentia. Sic ait, *Ipse extremas partes terræ intuetur, si occultabitur vir in occulto*. ¶ *Regi suo*] Messiæ. Pro *robur* in ed. vulg. *imperium*. Lxx ἰσχὺν. Jon. תוקפא. Hoc dicit tanquam Prophetis, aut quia ex traditione majorum id acceperat, דרך קבלה. Videatur R. D. & Lyra. ¶ *Cornu*] Jon. *regnum*. Hieronymus in Comment. Hab. 3. *Mos est Scripturarum ut semper Cornua pro Regnis ponant; unde illud, Exaltavit cornu Christi sui. Et in Daniele decem Cornua decem Regna demonstrant*. Vide sequentia. Theodoretus ad Psal. 88. CORNU *Robur & Imperium vocant, ex translatione animalium cornutorum, quæ cornibus munita sunt, hisque utuntur contra aggredientes*. Sirach. 49. 6. *Tradidit cornu eorum aliis*, i. regnum. Vide Tropos. ¶ *Extollet*] Ὑψώσει, *exaltabit, sublimabit*. Usus est eo verbo Ennius. Sed & interpres noster hoc loco, *sublimabit cornu*

cornu Christi sui, i. in altum tollet, aut sublevabit. ¶ *Christi sui*] *Uncti sui*, qui Ebraicè *Messias* dicitur. Licet etiam exponere de Davide, quem Samuel unxit in Regem.

11. *Ramam*] רמה cum He in fine, quæ Motum ad locum denotat. הרמתה εἰς Ῥαμᾶ *in Rama*, i. *Ramam*. Id Senes dixerunt εἰς Ἀρμαθαὶμ, quod ex Ebræo emendandum Ῥαμαθαὶμ, & est idem cum *Rama*. Vetus interp. *in Ramatha*. Sic etiam Jon. לרמתא *in Ramatha*. Quomodo & Josephus 13. 8. Reperio & Ῥαμαθὶμ, quod correctiùs scribes Ῥαμαθὴμ pro Ῥαμαθαὶμ, ut Ἱερουσαλὴμ pro *Jerusalaim*. Sic alibi Ἐφρὲμ pro Ἐφραὶμ, i. *Ephraim*. Vide 1 Mac. 11. 34. A *Rama* est רמתי *Ramathaus*. Videndus R. Levi 1 Sam. 1. 1. ¶ *In domum suam*] על pro אל. Sic *oravit ad DOMINUM*. על pro אל. Vide K. ¶ *Coram Eli*] את פני idem quod לפני *cum facie*, i. apud faciem, in conspectu. Eli docebat eum ministerium DOMINI. Erat enim in eo præceptor ejus. Jon. *in vita Eli sacerdotis*. Sic Onc. על פניו interpretatur בחייהון *in vita eorum*. Vide Camium. Lxx ἐνώπιον Ἡλί. Hieron. *ante faciem Eli*.

12. *Filii nequam*] Aut *filii Belial*. Sic Hieron. Lxx υἱοὶ λοιμοὶ *filii pestilentes*. BELIAL, *nequam*, *qui nec quicquam valet*, *homo nihili*, vel *absque jugo*, *injugis*. Thargum R. D. *filii improbitatis* בני רשע, unde in Sante *filii impii*. Nam רשע antiquâ declaratione *impietas*, ἀσέβεια. In Dras, *filii* שבלו *nomen cœli à se, qui dicunt non esse regnum cœli*, vel potiùs *in cœlo* בשמים. ¶ *Non cognoverunt Dominum*] *Factis & operibus*, ut Tit. 1. 6. οὐκ εἰδότες τὸ Κύριον· quod noster dixit *nescientes Dominum*. Jon. *qui nesciebant timere à coram Domino*. R. D. *nesciebant regnum cœli*: aliter, *nesciebant viam Domini*: quia faciebant opus improbum in sacerdotio suo. Deum novit qui colit; & contrà non colit qui non novit. In opposito sunt יודעי יהוה *noscentes Domini*.

13. *Judicium sacerdotum cum populo*] i. Mos, consuetudo. Vide Observ. meas. Hieron. *neque officium sacerdotum ad populum*. Repetit negationem ex præcedentibus; ut Trem. & Junius apud Mosem in illo, *nec ascendebat vapor è terra*, ubi alii, *& ascendebat vapor*. משפט *officium*; non improbo. Lxx τὸ δικαίωμα, quod reddunt *justificatio*. Videtur *legem* aut *ritum* innuere. Sanè Jon. *lex sacerdotum è populo*. R. D. *Ipsi posuerunt eis* (aliàs *sibi*) *hoc statutum & judicium*. *Statutum*, i. החק, quod Græci reddunt τὸ δικαίωμα. Trem. *Ratio sacerdotum istorum cum populo hæc erat*. ¶ *Sacrificium*]Vel *hostiam pacificam*; *in qua pectus & crus cedebant Sacerdoti, reliquum* בעל *offerens comedebat*, R. D. Carnem pacificorum intelligit: & præter statutum aut jus Sacerdotum, quod erat pectus & crus sive armus, puer Sacerdotis tollebat reliquam carnem, quæ erat pars הבעלים *offerentium*. ¶ *Fuscinula*] Vel *fuscina*. Instrumentum est ferreum dentes habens, quibus carnem educunt & extrahunt ex olla. Senes κρεάγραν vocant. Nam vertunt κρεάγρα τριόδους. Jon. משיליא *cui tres dentes*. ¶ *Tridens*] שלש שנים *trium dentium*, ut עשר עינים *decem oculi*. Scire licet in fonte haberi שלש השנים q. d. *triplicatam dentibus*; ut שלש fit nomen adjectivum formæ גדול *magnus*. Sic גדול הכנפים *magnus alis*, *cujus alæ magnæ sunt*: quod puto scribi גדול in regimine. Sic שלש השנים q. משלש בשנים. Vide Camium, *triplex dentium*, *tridens*. שלש *ternus* vel *trinus*, שלש שנים *terna dentibus*, שלש פנים *Trinus personis*. Vide notata mea ad Dictionarium Forsteri. Hinc שלוש τριὰς *Trinitas*, quam τὴν τριάδα vocant. Cæterùm licèt naturâ plures dentes sint quàm duo, tamen Ebræi efferunt שנים numero duali, propter duos ordines dentium, qui tam in bestiis quàm hominibus, carétque hoc nomen plurali, ut עינים *oculi*, ידים *manus*, רגלים *pedes*: quæ omnia pluraliter construuntur, ut & שמים *cœlum*, & מים *aqua*. Hos ordines dentium R. D. appellat זוגות *juga*.

14. *Percutiebat*] Feriebat carnem quæ in olla, vel cacabo, aut aheno, fuscinâ suâ tridente quam manu tenebat, eámque partem quam extrahebat sibi reservabat, non contentus eo quod Lex ei assignaverat. Rapiebat ergò offerentibus suam partem. כיור & דוד & קלחת & פרור nomina sunt ollarum; quorum ultimum Jon. מליסא sive מליסא interpretatur. R. S. דוד exponit סיר *ollam*, & קלחת interpretatur יורה, & פרור ait esse מחבת. Hieronymus כיור reddit *lebetem*, Lxx τὸ λέβητα τὸ μέγαν, Santes *concham*, Trem. *labrum*. דוד Hieron. *caldariam*, Lxx τὸ χαλκεῖον *ahenum*, קלחת Hieron. *ollam*, Lxx τὴν χύτραν, Santes *lebetem*, Trem. *ahenum*. פרור Hier. *cacabum*, Santes *ollam*, Trem. *cacabum*.

15. *Priusquam adolevissent adipem*] Carnem rapiebant & edebant antequam adolevissent adipes; quod illicitum erat. ¶ *Sed crudam*] Ad verb. *nisi vivam*. *Nisi* pro *sed*, ut Græcè εἰ μὴ ut ibi, *Non justificatur homo ex operibus legis*, εἰ μὴ ἐκ πίστεως *nisi ex fide*, i. *sed*. *Vivam* autem carnem vocat non coctam, i. crudam. Sic *aqua viva*, i. perennis; *vinum vivum*, purum, non mixtum; *saxum vivum*, *lacus vivus*; *terra viva*, i. naturalis; *arbor viva*, i. perennis, *fons vivus*, *lapis vivus*, *tempus vivum*, i. præsens: Sophocles χρόνῳ ζῶντι. Præteritum enim interiit, & futurum quasi genitum non est. *Deus vivus*, i. æternus. Job 19. 25. *Scio Redemptorem meum vivere*, i. æternum esse. Ideo à Græcis redditur ἀένναος, *perennis*, *sempiternus*. Interdum *caro viva*, i. sana. Nam *vita carnium* est sanitas & bona valetudo, & מחיה *vivacitas*, sanitas, Lev. 13. 10. *Vivus*, sanus, More. part. 1. c. 42. *Caro viva*, i. sentiens. Abenezra, *Caro viva immunda est in lepra*, Levit. 13. 15. ὁ χρὼς ὁ ὑγιής. Prov. 1. 12. *Deglutiemus eos vivos, sicut sepulcrum*, i. crudos. Vel potiùs respexerunt ad historiam Core & sociorum ejus, quos vivos terra absorpsit, quæ alioqui sepelire consuevit mortuos & defunctos. Cæterùm non semper carnem crudam accipiebant ab Israele. Nam legimus suprà v. 13. *quando coquebatur caro*. Interdum enim coctam accipiebant, quam fuscinâ, quæ tres dentes habebat, ex olla ubi coquebatur extraxerant.

16. *Sicut hodie*] Ὡς σήμερον, i. *revera hodie*, aut *nunc jam*. Nam est Chaph ἀληθινὸν, ut R. D. observat. q. d. *tam verè quàm verè est hic dies*. Sic alibi, *Jura mihi* כיום *nunc jam*. Nam invenietis illud *sicut hunc diem*. Vide Camium. Hier. *hodie*. Lxx ὡς καθήκει. Santes *hâc die*. ¶ *Nequaquam*] Scriptum לו *ei*, & lectum לא *non*. Lectionem secutus fuit interp. noster, & Senes referentes τὸ κρί; scripturam verò expressit Jon. ואמר לה *& dixit ei*. Massora לא סבי, i. putatur legendum esse לא cum א. R. D. observat utrumque commodum sensum habere, ut parùm referat hoc an illud sequaris. ¶ *Accipiam vi*] *Te invito*, *velis nolis*. Lxx κραταιῶς, *violentè*, aut *violenter*. Jon. בעל כורחך. Hier. *tollam vi*.

17. *Puerorum*] Non ætate, sed sensu & intelligentiâ, ut Prov. 1. 4. *ad dandum puero scientiam*, &c. Aut lege *juvenum*. Lxx τῶν παιδαρίων. Thargum עולימיא. ¶ *Spernebant munus*] Jon. *contemnebant oblationem*. Lxx ἠθέτουν θυσίαν. Hier. *detrahebant sacrificio*. Propter malam vitam ministrorum malè audit religio & cultus Divinus. ¶ *Viri*] *Homines*.

18. *Accinctus Ephod lineo*] Non *indutus*, sed *accinctus*. Pro *Ephod lineo* in Lxx est ἐφοὺδ βαδ *Ephod bad*. De *Bad* vide Hieronymi epist. ad Fabiolam. Vox est Ebraica, quam *linum* interpretantur. Theodoretus ex Aquila citat. quæst. 7. ἐπένδυμα ἐξαίρετον *superindumentum eximium*. Schol. ex Sym. ἐφοὺδ λινοῦν καὶ ἐφεστρίδα μικράν. *Ephod lineum & palliolum parvum*. Jon. כרדוט. Obvia hæc vox Exod. 28. 3. ubi R. S. כרדוט literis transpositis, nisi mendum est. Nam hîc scriptum כרדיט, quod ait habere significationem מעיל *pallii*. Idem ex Jonatha citat מעילין כרדוטין *quibus virgines amiciebantur*. Trem. *puer cinctus amiculo lineo*. Vide Exod. 28. 40. Nicolaus, *Erat vestis quædam linea, quâ utebantur Levitæ in suis officiis ministrando*. Alia vestis erat Ephod summi Sacerdotis, quod alio nomine vocatur *superhumerale*. Ephod lineum superindumentum erat ex lino, quo Levitæ induebantur

induebantur in officio suo sacra peragentes. Hanc vestem induebant Sacerdotes, Levitæ & Israelitæ, ut David, qui cinctus fuit tali amiculo. Vide Camium h. l. ubi fusè agit hac de re, tum etiam causam reddit cur Samuel dicatur *ministrare coram Domino.*

19. *Pallium parvum*] Nicolaus, *In Ebræo habetur*, ET PALLIUM PARVUM, pro mensura corporis: nam parvus erat. Hieron. *tunicam parvam.* Lxx διπλοΐδα μικρὰν *diploidem parvam.* Sym. ἐφεστρίδα μικρὰν *palliolum parvum.* Quod supra ex scholiis produximus, huc referendum. De כרדוט & מעיל videndus etiam R. D. qui scribit *fuisse pallium quo amiciebatur diebus solennibus, quod tunc quater ei apportabat, cùm ad festum solenne quotannis cum marito ascenderet: nec relinquebat apud eum, nè diebus profestis illud indueret.* Erat autem *vestis magnatum, quo* הקטנים *non utebantur*, si credendum ei. Hanna verò filio eum fecerat, quoniam eum impensè amabat: volebat enim eo uti in honorem diei solennis. ¶ *Faciebat*] תעשה pro עשתה, aut semper cùm ascenderet faciebat ei novum palliolum; adeò diligebat eum. ¶ *De diebus in dies*] *De anno in annum.* ¶ *Hostiam dierum*] i. *Annuam*, vel *anniversariam.*

20. *Benedixit*] *Bene precatus est.* ¶ *Ponat*] *Det.* Sic, *Posuit mihi semen pro Habel*, ubi שת in fonte. Sic, SAMUEL, *Posuit*, i. *Dedit, eum Deus.* ¶ *Semen*] *Filios rectos*, i. justos, Jon. Vide Camium. ¶ *Pro petitione quam petivit*] *Pro restitutione ejus quod petivit à Domino.* Hieron. *pro fœnore quod commodasti Domino.* Lxx ἀντὶ τοῦ χρέους οὗ ἔχρησας τῷ Κυρίῳ, *pro commodato quod commodasti Domino.* Malim ἔχρησε *commodavit*, ut ad Hannam referatur. Santes *pro commodato quod commodavit.* Thargum, *pro petitione quam petiit coram Domino.* ¶ *In locum suum*] למקומו non מקומם. Videtur Hanna ex alia urbe fuisse. Vide K.

21. *Visitavit Dominus Hannam*] Idem cum illo, *recordatus est Hannæ.* Sic Psal. 8. 5. *Quid mortalis, ut memor sis ejus? filius hominis, ut visites eum?* Deus nos *visitat* vel in bonum, ut Ruth 1. *Visitavit populum suum, dando eis panem*, &, *Visitavit nos germen ex alto*: vel in malum. Vide Tropos. Lxx ἐπεσκέψατο Κύριος τὴν Ἄνναν. ¶ *Cum Domino*] Sic Græci dicunt σὺν Θεῷ, vel σὺν τῷ Θεῷ, item σὺν τοῦ Θεοῦ παλάμῃ, i. *Dei ope & auxilio.* Sic Heva dicit, *Acquisivi virum cum Domino*, i. Deo auxiliante. Nam Deus infundit animam. Ideo dicunt Ebræi, *Tres concurrunt ad creationem hominis, Pater, Mater, & Deus.* Hieron. *apud Dominum*: nam *cum* etiam *apud* sign. Lxx ἐνώπιον Κυρίου, את פני יהוה. Thargum, *ministrans coram Domino.* Sic etiam R. D. K.

22. *Senex valde*] Ità ut artus & membra ejus tremerent præ senio. Aiunt autem sacerdotem obire posse ministerium suum usque ad illud tempus. Quia verò propter senium Eli non fungebatur sacerdotio, ideo filii ejus faciebant quicquid luberet, nemine impediente ipsos aut increpante. ¶ *Quod cubarent*] Vel *dormirent*: nam שכב utrumque significat. Hæc absunt ab ed. Græca: sed in scholiis ὡς ἐκοιμῶντο *quomodo dormiebant.* Sic etiam R. Levi, quem vide sis ad h. l. Nam Propheta missus postea non memorat hoc flagitium. *Cubarent*, i. concumberent, rem haberent. Capiendum ut verba sonant. Ebræi veteres nostri aiunt eos consuetudinem habuisse cum ejusmodi mulieribus. Vide Camium. Sed & R. S. ubi קניהן sunt *nidi earum.* Nam feminæ post partum offerebant aves è nidis Lev. 12. Lex. Chald. Munsteri, קיניים *sacrificium quod mulier post partum offert.* In Camio est קרבנותיהן *oblationes suas.* Verba Camii, *Doctores dicunt non concubuisse cum eis, sed quoniam offerebant oblationes suas Silunte, exspectabant eas, & pernoctare faciebant extra domos suas noctem unam, id pro eo habet Scriptura aesi concubuissent cum eis.* Hic est שכבים pro שכבון, hoc primum: deinde subauditur commoda præpositio. Sanè Jonathan vertit ית נשין significans את articulum esse, non præpositionem. ¶ *Quæ per exercitus conveniebant*] Mulieres quæ pepererant post partum veniebant ad ostium tentorii conventûs, ut ibi offerrent oblationes suas: quia verò turmatim veniebant, ideo eas appellat הצבאות. Sicuti Levitæ dicunt *per exercitus* congregari ad obeundum munus suum. צבא autem est *exercitus*: unde specula הצבאות, de quibus alio tempore, si Deus voluerit. Nicolaus, *Ista sunt mulieres quæ veniebant ut purificarentur post partum, quemadmodum præcipitur Levit.* 12. *Et filii Eli solicitabant eas, & aliquas decipiebant.* Hieron. *cum mulieribus quæ observabant ad ostium*, &c. In schol. Græco, μετὰ τῶν γυναικῶν τῶν παρεστηκυιῶν παρὰ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, *cum mulieribus assistentibus ad januam*, &c. Jon. ---*quæ veniebant ad orandum*, sive *precandum, in ostio*, &c. היולדות puerperæ: quibus R. Levi addit הזבות *qui patiuntur fluxum sanguinis*, aut *seminis*, quam *Gonorrhœam* vocant. הזבות *fluxum patientes, profluvio laborantes.* ¶ *Ad ostium tentorii*] Non enim ingrediebantur tentorium conventûs. Vocat autem domum Domini quæ in Silo *tentorium conventûs*, quia non erat super illud tabulatum, sed tantùm cortinæ erant supernè, ait R. D. Jon. & Lxx *tabernaculum conventûs.* Prætuli *tentorium*, quia *tabernaculum* משכן dicitur, hîc autem est אהל fonte. Sic antiqui habitabant in tentoriis, ut suo loco notavimus.

23. *Ab omni populo isto*] Qui Silu ntem venit ad sacrificandum, aut cives urbis illius, qui hæc vestra scelera omnibus memorabant, unde facilè pervenire potuit fama ad Eli patrem horum puerorum. שמועה propriè *auditio*; sed pro *fama* & *rumore* usurpatur, ut ἀκοὴ in Euangelio.

24. *Transgredi facitis populum Domini*] Peccandi occasionem ei præbetis, nè veniat in Silo ad sacrificandum, tum etiam exemplo vestro ei nocetis. Nam qualis sacerdos, talis populus, qui ad sacerdotis exemplum facilè se componit. In Thargum דרעין, sed ex eo Camius citat דרננין quam decantant populus DOMINI. Sic præco *transire* facit vocem. Videndi sunt R. D. & R. S.

25. *Judicabit eum Deus*] *Deus, Elohim*, i. Magistratus. Sic, *adduces eum ad Deos*, h. e. *ad Magistratum*, sive *ad Judices*, aut *Judicem.* Sic h. l. R. David explicat, *judicabit eum* דיין *judex.* Nam פלל significationem habet *judicii*, unde פלילים *Judices*; & תפלה *oratio ad Deum*, quòd in ea judicemus de factis nostris, coram Deo reos nos constituentes, nostraque omnia damnantes & improbantes. Hieron. *placari ei poterit Deus.* Lxx προσεύξονται ὑπὲρ αὐτοῦ πρὸς Κύριον, *orabunt pro eo ad Dominum.* Jon. *nonne veniet coram Judice, qui audiet verba eorum* ויפלי בינידון. Vide Camium. Videndus quoque Elias in פלי, quod sign. *auferre, exterminare, exstirpare.* Videtur hoc velle, *Auferet delictum quod inter eos; Componet eos inter se, & puniet peccantem.* ¶ *Quis orabit eum?*] Hieron. & Santes *pro eo.* Atque legimus Jobum *orasse pro sociis suis*, qui peccaverant in Deum. Potest ergò aliquis orare pro eo qui in Deum peccat. Senes nihil variant. Nam vertunt τίς προσεύξεται ὑπὲρ αὐτοῦ; Jon. *à quo petet ut remittatur ei?* q. d. Non ab alio quàm ab ipso Deo. Homo hominem placare potest, non Deum. R. D. *Quis veniet in judicium propter eum contra Deum benedictum?* פלל *judicavit*, יתפלל *disceptabit, judicio contendet.* Idem ad Jonathæ versionem locum accommodari posse ait, ut sign. *precationem & petitionem.* Vide sis Rabbenu Jesaiam; *Quis placabit Creatorem, & orabit pro eo, ut parcat ei, nisi redierit peccator à via sua mala?* R. Levi, *Peccat in Deum qui Deos falsos colit: Illud peccatum Deus zelotes non remittit intercessione hominum. Nam quis orabit pro idololatra?* Nicolaus ait tale peccatum *difficulter remitti*, quale *peccatum in Spiritum S.* quod *non remittitur nec in hoc nec in futuro seculo*, itaque *pro eo orandum non esse* docet Scriptura. ¶ *Volebat morte afficere ipsos*] Alibi est, *Deus non vult mortem peccatoris.* Hæc R. S. ità conciliat, ut *non velit mortem peccatoris ante obsignatum judicium, post obsignatum decretum judicii vult ejus mortem.* Quo sensu hîc legitur, *Volebat Dominus occidere eos*, pro quo in Lxx διαφθεῖραι αὐτούς, *perdere*;

perdere, disperdere. Nicolaus, *Non vult mortem peccatoris per se; vult tamen per se exerceri justitiam.* Vide, si placet. R. D. *Volebat morte afficere eos, juxta illud, Pinguefac cor populi hujus, & dicit, Confortavit cor Pharaonis, & Induravit Dominus Deus tuus spiritum ejus, & roboravit cor ejus. Sensus, Quando multùm homo peccat, prohibet Deus ab eo vias pœnitentiæ, ut recipiat pœnam suam, útque qui reliqui sunt videant & timeant, sed improbus qui non multùm peccat, aperit ei vias pœnitentiæ, si voluerit redire. De hoc dicitur, Nolo mortem peccatoris* (quid si, *non delector eâ?*) *Sed si multùm improbus peccet, si reversus fuerit ad Dominū ex toto corde suo, & ostenderit hominibus etiam resipiscentiam suam perfectam, & apprehenderit viam bonam ex tota anima sua, & ex cunctis viribus suis, in veritate recipietur, sive admittetur pœnitentia ejus, eritque Deus ei auxilio in pœnitentia. Sed probans corde noverat veritatem, & videbat in filiis Eli cor eorum non esse perfectum. Et licèt audivissent patrem, & recessissent à via sua mala, sciebat non facere hoc ipsos ex toto corde suo: ideo voluit ut non audirent vocem patris sui, & puniti sunt mortuique in improbitate sua, ut homines dicerent, Improbi fuerunt isti, & digni pœnâ; atque ità justificarent in eis judicium.* Trem. *volebat* (i. *stabat sententia*) *morte interficere eos.*

26. *Ibat & crescebat*] *Magìs magísque crescebat.* Hieron. *proficiebat & crescebat.* Lxx ἐπορεύετο, alii ἐπορεύετο καὶ ἐμεγαλύνετο, *ibat & magnus fiebat.* ונדל potest reddi *& grandescebat.* Jon. אזיל ורבי *ibat & magnus evadebat.* De hac locutione diximus in Genesi. ¶ *Bonus erat*] i. Gratus, acceptus, εὐάρεστος. Hieron. *placebat.* Lxx καὶ ἦν ἀγαθὸν *& erat bonum.* Quanquam in ed. Rom. *erat bonus,* i. ἀγαθός. Jon. *nomen ejus bonum erat.* Latinè, *bene audiebat.* ¶ *Tam apud Dominum quàm apud homines*] Ad verb. *etiam cum Domino, & etiam cum viris,* i. hominibus. Lxx μετὰ Κυρίου καὶ μετὰ τῶν ἀνθρώπων. Aliud est σὺν Κυρίῳ, vel si placet σὺν Θεῷ. Hieron. *tam Deo quàm hominibus.* Jon. *directa erant viæ ejus coram Domino, & recta opera ejus in medio filiorum hominis.*

27. *Vir Dei*] i. Propheta. Quis iste fuerit Scriptura non dicit: taceamus ergò & nos. De Phinees suspicatur R. Levi: sed hoc refutat Nicolaus; quem vide, si placet. Docet etiam non posse Eliam esse: quod tamen nonnulli putant. An Angelus fuerit in specie viri novit ille qui omnia. Nicolai verba sunt, *Ebræi moderni dicunt quòd fuit Elcana.* Hoc dicit quidem R. S. unus ex modernis, sed accipit à majoribus suis, sive ex traditione id habeant, ut conjicit R. Levi, sive aliunde, parùm refert. Audiamus hac de re D. Camium doctiss. Ebræum, *Doctores nostri dixerunt hunc Prophetam fuisse Elcanam patrem Samuelis, qui Propheta erat unus ex numero 48 Prophetarum qui vaticinati sunt filiis Israel.* Vellem hoc probasset R. Levi, *Non invenimus ei* (Elcanæ) *prophetiam attributam in ullo alio loco.* Vides ipsos Judæos in hac re hæsitare. Quid ergò nos laboramus? ¶ *An revelando revelavi me?*] Vel *revelatus sum.* Hieron. *Numquid non apertè revelatus sum?* Secutus est eos qui ה notam interrogationis hic accipiunt pro הלא *nònne,* ut Job 20. 4. הזאת *nonne hoc?* Vide Mercerum ad illum l. Sententia id comprobare videtur: nam interrogatio simplex negat, cum negatione affirmat. Hìc autem non negat se manifestatum aut patefactum esse Aharoni, sed affirmat. Sunt tamen qui ה hoc loco redundare putant, in queis Rabbenu Jesaias vir doctus, *Mos literæ* ה, inquit, *ut abundet in hoc sensu, ut* הכמכת מכהו הכהו, alibi & הנקל לכתו בחטאת ירבעם, *An facile est ire ipsum in peccato Jeroboam?* Sic ille, cui firmando Græca ed. τῶν Lxx. Nam vertunt Ἀποκαλυφθεὶς ἀπεκαλύφθην. h. e. interprete Augustino, *Revelans revelatus sum:* hic nulla interrogatio. Putarunt ergò eam in otio cubare καὶ παρέλκειν. Alius, *Revelans revelavi me.* Lucifer pro Athanasio, *Manifestè ostendi me,* quod uno verbo dicunt, *Manifestavi me.* R. D. *Interpretes exposuerunt* ה *ut sit He* ἀληθινὸν *indicans rei veritatem, sententiâ id vehementer approbante.* Sic 1 Reg. 21. 19. *An occidisti, etiam hæres fuisti?* Sensus, *Revera occidisti & hæres fuisti.* Quod non malè accommodes ad priorem sententiam; *An non occidisti?* Joseph Camius pater Davidis pro interrogatione accipit, sed construit cum fine hujus sententiæ: Filius autem David ait esse interrogationem de re nota & certa; ut, *Ubi Habel frater tuus?* &, *dixit ei, Quomodo? Quid in manu tua?* item, *Quid tibi illius? Quid tibi, mare?* Sic, *An manifestando manifestasti te? Num occidisti, etiam hæres fuisti? An vidisti quòd humiliatus sit Achab?* Hactenus R. D. R. Levi, *Videtur quòd cessaverit prophetia in Eli propter senium. Ideo debuit ad eum venire vir Dei.* He autem in הנגלה non est He interrogandi, sed notat rei veritatem, ut הלבן מאה שנה, quemadmodum exposuimus ibi, *Item filio centum annorum.* ¶ *Domui patris tui*] Aharonis, quem prophetasse in Ægypto, præter Salomonem Jarium, testatur hoc loco R. Levi. Quomodo autem ei apparuerit docet idem R. Levi, quem te adire volo. R. D. *domui Aharonis & Mosis qui in Ægypto prophetabant.* ¶ *In domo Pharaonis*] לבית פרעה. Lxx δούλων τῷ οἴκῳ Φαραώ. Jon. *servientes domui Pharaonis:* alius, *subditi domui Pharaonis.*

28. *Ad offerendum*] לעלות pro להעלות, & est sensus, *Ad offerendum holocausta.*

29. *Calcitratis*] Gestus vehementer contemnentium rem quam pedibus calcant, qui est extremus gradus in eo genere. Hieron. *calce abjecisti victimam meam.* Lxx ἐπέβλεψας *intuitus es.* Sic ἐπιβλέπειν. Vide Observ. meas. Sequitur ἀναιδεῖ ὀφθαλμῷ *impudenti oculo.* Jon. *cur vos* אנסין *vi tollitis, aut aufertis? vim infertis?* Pro πάντα τὰ πυρὸς Lucifer habet *omnia frumenta,* i. τῶν πυρῶν. Vide Rom. ed. ¶ *In habitaculo*] מעון pro במעון, & est sensus, *in habitaculo meo.* Sic vocat tabernaculum quod in Silo, in quo symbolum præsentiæ ipsius, ipsa Arca, ubi habitare dicebatur. Sic alibi, בית יהוה *in domo Domini,* h. e. בבית. Hæc vox non solùm de Tabernaculo usurpatur, sed etiam de Templo; unde juramentum המעון הזה *Tabernaculum hoc.* Quin ipsum cœlum vocatur *habitaculum Dei sacrosanctum.* Deus quoque appellatur מעון Psal. 90. *Habitaculum tu,* &c. ¶ *Honorasti filios tuos præ me*] Connivendo ad eorum scelera, vel quia non monuisti eos, nec dehortatus es à talibus. ¶ *Ut pinguefaceretis vos*] Non dicit *eos,* sed *vos,* quia pater etiam indè se pinguefaciebat & saginabat. ¶ *Populi mei*] לעמי, ubi ל παρέλκει, ut ibi, *Occiderunt* לאבנר *Abnerum,* & Tertius לאבשלום *Absalom.* R. S. *in oculis populi mei,* vel *coram populo meo,* quod refert ad *honorasti,* &c. R. Levi, *pro populo meo,* Vide sis.

30. *In seculum*] Exod. 28. 43. *Statutum seculi erit ei & semini ejus post illum,* & 29. 9. *eritque eis sacerdotium in statutum seculi.* Quod autem præcedit, *ambulabunt coram me,* videtur hunc sensum habere, *Fungentur sacerdotio coram me.* Nam & *stare* dicuntur *in conspectu Domini* qui ei inserviunt. *Honorantes me*] Posteros Phinees, qui me honoravit in Settim. Nam Salomonis ævo Sadoc, qui erat ex filiis Phinees, constitutus fuit pro Abiathar summus Sacerdos. Sic enim textus, *Et expulit Salomo Abiatharem nè esset sacerdos,* &c. *secundùm verbum quod locutus fuerat ad domum Eli.* ¶ *Contemnentes me*] Posteros tuos, qui me contempserunt, & potiorem habuerunt honorem suum quàm meum. ¶ *Vilipendentur*] Nam testium fallacium merces vilis. Vide Adagia Rabbinica. Hoc dicit de semine Eli, non de aliis Sacerdotibus. Nam ab iis tantùm abstulit *honorem Sacerdotii,* h. e. Pontificatum, & *fedus Sacerdotii,* h. e. pacem & vitam. Vide Camium. In Concordantiis Ebraicis, יקלו *vilipendentur* ponitur in קלה, & alterum in קלל, quàm rectè viderit autor illarum. Thargum יתשטון *contemnentur,* à שט. R. D. utrumque ait esse à קלל. Unum idémque verbum est apud Ebræos à quo כבד *gravitas, pondus,* & כבוד *honos, gloria;* item כבד *gravis,* & נכבד *honoratus.* Contrà verbum est קלל, quod in voce passiva sign. & *levitatem* & *vilitatem,* vel, si mavis, *ignominiam* & *contemptum. Levitas* opponitur *gravitati,* & *vilitas honori.* Ergò ubi legimus, *Honorantes me honorabo, & con-*

contemnentes me, יקלו, meliùs redditur *vilipendentur & evilescent* quàm ut Tremellius & Junius reddiderunt, *leves fient.* Hanc diversitatem significationis innuunt Ebræi diversitate punctationis. Nam *leves fient* potiùs diceretur יקלו cum Chirec sub Jod & Dages & Choph, ut Jes. 30. 16. *Leves fient persequentes vos*, i. veloces. Sic, *Leves pedes eorum ad fundendum sanguinem*, ubi Lxx ὀξεῖς *acuti pedes*; & est sensus, *celeres*, *veloces*. Non nescivit hoc B. Augustinus. Pro *vilipendentur*, Senes habent ἀτιμωθήσεται, quod convertunt *honore privabitur*. Vide. Rom. ed. Hier. *erunt ignobiles*. Jon. *contemnentur*, quomodo & Santes. Quæ omnia mirabiliter firmant sententiam meam, ut dubitare de illa nemo jam ampliùs debeat: Eam hausi (fatebor quod res est) ex scholiis Ebraicis: ubi & illud observatum. Quòd ait *vilipendentur* potiùs quàm *vilipendam eos*, non temerarium esse; q. d. Si non à me, vilipendentur ab aliis. Mirantur hoc qui alibi legunt de justo dictum, *Maledicentibus tibi exsecrabor*, aut *maledicam*, quasi honor hominis pii ei carior esset honore proprio.

31. *Dies veniunt*] Brevi venturi sunt. Nam Regnum ineunte Salomone constitutus fuit Sadoc Pontifex maximus. ¶ *Præcidam*] *Exscindam*, *amputabo*. ¶ *Brachium tuum*, *& brachium domûs tuæ*] i. Vires quas vobis conciliat summum Sacerdotium, quo nunc fungimini, ut liquet ex verbis illis, *si non*, *accipiam vi*. Nam Pontificatu translato ad aliam familiam, nihil poterant. Notum ut *brachium* Robur denotet, unde *vir brachii*, i. potens, Job 22. 8. nam terra est potentium. Sic Psal. 37. 17. *Brachia improborum confringentur*, i. vires quas illis conciliant opes & facultates. R. D. exponit ארך ימים *longævitatem*; quia posteri ejus juvenes obierunt. Sed quæ potentia in longævitate? nam quò quis provectior eò debilior evadit. Trem. *totam familiam tuam*, *adeò ut tantùm juvenes aliquot supersint*, &c. Vide sequentia. R. S. *robur quod vobis est in domo mea*, *qui dicebatis*, *Si non*, *accipiam vi*. Post obitum Eli & filiorum ejus Hophni & Phinees remanserunt superstites Ichabod & Achitob, de quibus infrà c. 14. 3. ¶ *Senex*] Senex ætate. Nam juvenes morientur. Videndus R. Levi ad h. l. Quidam, *senex*, i. sapiens aut Senator, q. d. Nemo eorum sedebit in Synedrio magno, aut, ut est apud D. Camium, *non erit in domo Eli qui promovebitur ad Synedrion*. Sic והדרת פני זקן *Honorabis faciem senis*, i. Senatoris, aut sapientis. Cæterùm Senes erant in quaque urbe qui eam regebant numero 7. quibus adjuncti erant duo Levitici generis. Josephus Antiq. l. 4. c. 8. In Aboth 67. 1. *Non est senex nisi qui comparavit sapientiam*. Job. 12. 20. *Sensum senum aufert*. Lev. 19. 32. *Honora senem*. Jon. *sapientem*. Psal. 105. 22. *Senes ejus*, i. sapientes ejus. Nam est senex annis, & sapientiâ. Vide Tropos.

32. *Intueberis*] Posteri tui & nepotes intuebuntur. Quod accidit tempore Salomonis, cùm Abiathar loco motus videret Sadocum summum Sacerdotem. Vide Nicolaum h. l. ¶ *Æmulum habitaculi*] Vel *in habitaculo*: ut ב subaudiatur. Hier. *æmulum in Templo*. Antea monui *habitaculum* de Templo dici, unde jurandum המעון הזה. Potest etiam accipi de Tabernaculo. Nam ante Templum exstructum vidit Abiathar æmulum Sadocum sibi prælatum à Salomone. Ut cùm duæ uxores sunt in una domo, sic cùm duo Pontifices sunt in uno Templo, alter alteri invidet, & est semper æmulatio inter eos: item cùm unus surrogatus est in locum alterius, qui loco cessit invidet adversario suo. Id צר propriè sign. Aquila hoc secutus vertit olim καὶ ἐπιβλέψει (ἐπιβλέψῃ forte) ἀντίζηλον κατοικητηρίου, *& aspicies æmulum habitaculi*. R. D. *Habitaculum est domus Domini*, *& צר est Æmulus*, *ut צרה Æmula*. *Nam ut duæ uxores viro uni æmulantur se invicem*, *sic duo sacerdotes in domo sanctuarii*. *Nam unusquisque aufert partem suam*, *& oculus ejus angustus est in id quod est socii ejus*. Hæc interpretatio, meo judicio, mutanda non erat, sed relinquenda in textu, cùm tot autoribus nitatur. Alia potiùs, quam Tremellius sequitur, ponenda erat in margine: ea est, *& intueberis angustiam habitaculi*, *h. e. Te vivo accidet ut habitaculum angustiâ afficiatur*, *Arcâ captâ*. Sic ille. Movit eum fortè verbum *intueberis*, cùm mox dicat, *ut consumam oculos tuos*, &c. Quod certè in ipsius persona non est factum. Ut ut sit, fons hujus interpretationis est Jonathan, referens, *Videbis angustiam quæ veniet super domesticos tuos propter peccata quæ peccastis coram me in domo sanctuarii*. Quem fortè secutus Sym. vertit hoc loco θλῖψιν κατοικήσεως *afflictionem*, seu *tribulationem*, *habitationis*. Sed hic videtur intellexisse Templum, ut ille domum Eli. Ideo dicit *super virum domûs tuæ* על איש ביתך. Non admodum probo. ¶ *In cunctis quibus benefaciat Israeli*] Ut accidit Salomonis ævo. Jon. *& post adducam bonum super Israel*. Trem. *in omni eo quo benefacturus fuisset Israeli*, *si tu & tui cultum Dei conservassetis*. Vide Camium Ebræum. ¶ *Non erit senex in domo tua*] Hîc R. Levi, *Non erit sapiens in domo tua*, *qualis tu*, *qui Propheta & sapiens es*. Vide quæ suprà notavimus de hac re.

33. *Vir quem non exscindam*, &c.] Is qui manebit in ministerio altaris. Quod nescio an accipi possit de Abiathare. Nam privatus Pontificatu an altari ministraverit quærendum. Vide Tremellium. ¶ *Ad consumendum oculos tuos*] Oculos nepotum tuorum, vel certè nepotis tui. Sic Trem. *in nepote tuo*. Sensus, Nepotes qui erunt illo tempore consument oculos suos, cùm videbunt in domo sanctuarii alium Pontificem qui ipsis imperitabit: quod morte gravius erat. Ideo Moses optat potiùs mori quàm videre malum populi sui, quod vocat *malum suum*. Sic David, *Ne occidas*, inquit, *eos*, *nè obliviscatur populus meus*; *agita eos potentiâ tuâ*, *& deturba eos*. ¶ *Ad cruciandum animum tuum*] *Ad dolore afficiendum animum tuum*. לאדיב pro להדאיב, ut suprà לעלות pro להעלות *ad offerendum*. Sic לשמיד pro להשמיד *ad exterminandum*. Inversis literis est לדאיב pro להדאיב, à verbo דאב, unde דאבון *mœror*, *tristitia*. Hier. *ut deficiant oculi tui*, *& tabescat anima tua*. Lxx καταῤῥεῖν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *ut defluat anima ejus*. Jon. לאפחא *ad exspirare faciendum animam tuam*, si est à נפח. In Lex. Chald. Munsteri פח idem quod דאב. ¶ *Omnis multitudo domûs tuæ*] Hier. *pars magna domûs tuæ*. Lxx πᾶς περισσεύων *omnis qui supererit*. R. D. *omnes educati*, aut *enutriti*, *in domo tua*, q. d. *Tota familia tua*. Trem. *tota soboles domûs tuæ reliqua*. Thren. 2. אשר טפחתי ורביתי, i. *enutrivi*. Vernaculè טרימנט *Teriment*. Jon. כל סגיות *omnis multitudo*, &c. ¶ *Morientur viri*] Lxx ἐν ῥομφαίᾳ ἀνδρῶν. Puto sensum esse, Morientur viri, non senes. q. d. Ante senium; quod incipit secundùm quosdam anno 50. ætatis, secundùm alios anno 60. Mors illa vocatur מיתת כרת *mors excidii*, quia homo ante justam ætatem exscinditur & è medio tollitur. Vetustum interpretem qui vertit, *cùm ad virilem ætatem venerit*, secutus est Tremellius referens, *morientur virili ætate*. Virilis ætas sequitur Juventutem: non ergò juvenes morientur. Contrarium nos docent scholia Ebraica post Jonathanem Paraphrastem: nam exponunt *juvenes*, & alius *viri juvenes*. Sic enim loquimur interdum. *Juvenes*, i. בחורים, *qui sunt ætate aptâ ad militiam*. Appellatio ab *eligendo* q. *lectos* dicas *ad militiam*. R. S. Exod. 30. 14. *In numerum Virorum nemo recensetur ante annum 20. quando idoneus est qui abeat in militiam*. Cave credas. Nam Gen. 39. 2. Joseph appellatur *vir* annum agens 17. Pressiùs Phesicta. 35. 1. VIR *vocatur aliquis cùm agit annum 13. & diem unum*, *& cùm produxit duos pilos*, *etiam ante tempus illud*. Comment. in Aboth 68. *Vocatur Homo* איש, *anno 12. ætatis*, *quando aptus est ad discenda mandata Legis*. *De puero 9. annorum usurpari* ait Moses de Kotsi libro Præceptorum 240. 2. ut אשה *de puella trium annorum & unius diei*, ibid. col. 3. Jam opinor animadvertis errorem eorum qui hîc legunt *virili ætate*. Nam diu ante virilem ætatem aliquis dicitur איש, unde pl. אנשים *viri*. Audiamus Ambrosium epist. 39. *Celebratur hebdomas eò quod per septem ætatum cursus vitæ hominum usque ad senectutem transcurritur*, *sicut Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis*. *Prima ætas Infantia est*, *secunda Pueritia*, *tertia*

tertia Adolescentia, quarta Juventus, quinta Virilis ætas, sexta Ævi maturitas, septima Senectus. Vides quantum interſit inter איש Ebræorum & *virum* Græcorum & Latinorum, qui in ætate virili. R. Levi, *Non morientur filii tui dum adhuc erunt* קטנים, i. *parvuli: ſed morientur dum erunt viri, ut poſſint videre dejectionem ſuam è miniſterio Sacerdotii. Parvuli*, ſi non fallit nos Thanhuma, *medii ſunt inter pueros & lactentes*, Ilmed. 23. 3. Alii ſcribunt *parvulum* dici à die quo natus eſt uſque ad annum 13. ætatis. Idem תינוק vocatur, Lib. Præcep. 134. 2, & 3. Imò קטון nuncupatur *uſque dum pervenerit ad annum 9. & diem unum*, Hiſcuni Levit. 15. 16. cujus & illud Lev. 13. 2. *Simplex ſenſus nominis* איש *eſt Parvulus*, & אשה *Parvula*. Vide ſis illum eo loco. R. David, qui *viros* hîc exponit *juvenes*, alium locum producit ubi eadem vox ſignificet *ſenes*, ut cùm dicimus בא באנשים. ſenſus eſt, *In viros ſenes*. Idem nos admonet pro ratione loci hoc vel illo modo enarrandum eſſe.

35. *Suſcitabo*] *Erigam, excitabo, faciam ut ſurgat*, i. exoriatur, exſiſtat. Sic dicimus, *Surrexit rex novus; ſacerdos novus; ætas alia*; i. exſtitit, exortus eſt. ¶ *Sacerdotem*] Sadocum ſignificari putant, qui factus eſt Pontifex eo tempore quo David fugiebat Abſolomum filium; poſtea confirmatus fuit à Salomone, amoto penitus Abiathare. Videndus R. D. ad h. l. ¶ *Fidum*] Πιϛόν. Sic etiam Jon. Hier. *fidelem*. Recentior interp. *firmum*. quod paulò pòſt ea vox ſign. Nam ejus poſteri manſerunt in hoc munere uſque ad Ezram Sacerdotem. Ideo ſequitur, ¶ *Ædificabo ei domum firmam*] Quæ & *domus ſeculorum*, quòd per multa ſecula duraret. Lxx οἶκον πιϛόν, & Hieron. *domum fidelem*. Sed Ebræi exponunt קיים *firmam, ſtabilem*. Jonathan quoque hîc edidit *regnum ſtabile*. ¶ *Ambulabit coram Uncto meo*] Ipſe & ſemen ejus *ambulabunt*, i. *miniſtrabunt*, ut Jonathan interpretatur, *coram Rege* illius ætatis. Aut, ipſe Sadoc *ambulabit coram* Salomone *uncto meo*, ſive *Chriſto meo*. Notant Ebræi Sacerdotem ſemper iſſe ad Regem niſi cùm Rex eum conſuleret de rei eventu: tunc enim ipſe Rex ad Pontificem ibat. Vide ſcholia D. Camii h. l. qui huc accommodat locum qui habetur Zach. 6. 13. *& erit ſacerdos* על כסאו, quod interpretatur *coram ſolio ejus*, ut alibi, *qui ſtant* עליו *coram eo*, vel certè *apud*, aut *juxta, eum*.

36. *Ut adoret eum*] Adoratione civili, uſitatâ veteribus etiam Ebræis: aut ſenſus, *ut oret eum*: nam *adorare* pro *orare* ſuprà notavimus. Hier. *ut oretur pro eo*. Lxx προσκυνεῖν αὐτῷ. Santes, *ut incurvet ſe ei*. Thargum Jon. *ut humiliet ſe coram eo*. q. d. Humiliabit ſe coram eo, & quæret ab eo victum ſuum. Licet vertere *ut proſternat ſe coram eo*. ¶ *Pro obolo argenteo*] Alii *pro nummo argenteo*, quod latiùs patet. Nam Obolus eſt genus nummi. Ebraicè גרה dicitur, & hîc אגורה, ſi credendum Paraphraſtæ, qui מעא reddit. Eſt autem idem quod גרה, ut ubi legimus, *Viginti Obolorum eſt Siclus*, in Oncelo eſt מעין, Lev. 27. 25. Sapientes auxerunt ſextâ parte, ità ut nunc ſint 24. Oboli in Siclo, qui סלע Chaldæis. In libro Præceptorum, *Siclus continet 24. Obolos*, i. מעות. In eodem libro, *Siclus habet 4. Denarios, & Denarius 6. Obolos, & Obolus juxta Cabalam ponderat 16. hordeacea grana*. Item, *ex traditione Gaonim omnis Obolus ponderat 16. grana hordeacea mediocria*. Et alibi, *Obolus argenteus duo ſunt Phondijonim. & Phondion duo Aſſarii Italici*. Oboli verſionem habent Lxx, quorum libri paululùm variant. Nam in ed. Rom. ὀβολοῦ ἀργυρίου, & in Compl. ἐν ὀβολῷ ἀργυρίου perinde eſt. Apud Cyprianum *in obolo pecuniæ*: nam ἀργύριον etiam *pecunia*. Potior interpretatio *obolo argenti*, i. argenteo. Nec obſtat quòd vox Ebræa כסף pro quavis pecunia uſurpetur. Sunt etiam qui מעא *pecuniam* reddunt, & אגורה *monetam*, ut R. D. nimis generaliter. Quid Ariam moverit ut pro *nummo* repoſuerit *minutum*, me latet. Nam *minutum* λεπτὸν dicitur. Alius maluit *nummulum*: & eſt Obolus nummuli ſpecies, h.e. parvi nummi. In Chaldaiſmo אגרא eſt *merces*. Indè quidam אגורה derivant, ſed, meo judicio, minùs bene.

Verior ſententia prior, quam doctiſſimi Ebræorum ſequuntur, in queis Rabbenu Jeſaias autor non malus, qui ſcribit *Aleph redundare*, ut R. D. *additum eſſe*: quod inſolens non eſſe docet אזרוע *brachium*: nam communiter dicimus זרוע. Sunt alia exempla quibus id probare poſſum, ſi opus eſſet. Videndus Lyra h. l. ¶ *Fruſto panis*] Hier. *tortam panis*: quod minùs eſt Latinum. Trem. *ſegmentum panis*. Cato vocat *tractam panis*; Jon. *bucceam* ſive *buccellam, panis*. פתא דלחמא, quod R. D. exponit חתיכת לחם *fragmen panis*. Sign. rem ità conformatam ut ſolent panes; qualis in auro Talentum, in aliis metallis plumbum. *Maſſam* non malè voces. Sanè Exod. 25. 39. legimus ככר זהב *talentum auri*: ſic Zach. 5. 7. *maſſa plumbi*. Cæterùm ut פת לחם & פת ſimpliciter ſign. aliquando *panem*, ſic fortè ככר לחם. Quod noto quoniam in ed. Græca Compl. ἐν ἄρτῳ ἑνὶ *in pane uno*. Verbum è verbo *in pane*, & *unus*, quod ſæpe hoc modo deſideratur, additum ab interpretibus. Sic Exod. 21. 21. *diem aut biduum*. Senſus eſt, *diem unum*, quod ſupplet Jonathan, referens יומא חד (ut Num. 7. 3. *plauſtrum*, plauſtrum unum) & Hier. *die uno*, & Lxx ἡμέραν μίαν. ¶ *Junge me uni*] Vel *Applica me ad unum*. Quidam Coopta. Vide Camium. Hier. *Dimitte me ad unam partem*, &c. Lxx Παράῤῥιψον *Projice*, *Jacta*. Jon. *Præfice me nunc uni*, &c. ¶ *Vici ſacerdotiorum*] *Ad unam vicium*, aut *functionum, ſacerdotalium*, vel, ſi mavis, *è vicibus*, aut *functionibus ſacerdotalibus*. Erant autem vices Sacerdotum 24. quas ἐφημερίας vocabant, & Ebraicè משמרות *cuſtodias*: quarum una dicebatur *Ephemeria Abia*, cujus mentio Luc. 1. Jon. *uni è cuſtodiis ſacerdotum* ממטרת כהניא. Chaldaicè מטרא eſt, quod Ebraicè dicimus משמרת *cuſtodia*. Hier. *ad unam partem ſacerdotalem*. Lxx ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν σου, quod reddunt, *ad unum ſacerdotiorum tuorum*; & explicant, *partium* (malim, *vicium*) *ſacerdotalium*. Nam pars חלק dicitur. ¶ *Buccellam panis*] Hic eſt פת לחם in fonte, non ככר, quod ſimiliter Jonathan reddit פתא דלחמא *buccellam panis*. Lxx ἄρτον, i. *panem* ſimpliciter. Diximus & פת & פת לחם aliquando ità uſurpari: unde apud Doctores, *mittunt* פת, i. *panem, in furnum*: item, *accipit panem è furno, & projicit in caniſtrum*. Ohel in לחם, *panis vocatur* פת. Videndus quoque R. D. in רדה.

IDEM.

3. ולא נחכנו עלילות. Sym. καὶ οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ προφάσεις, *& non ſunt apud eum obtentus*] i. Prætextus, ſpecies, colores. Ità vocant cauſas fictas. ¶ Οὐκ εἰσί] Scriptum לא per א, & lectum לו per Vau. Lectionem alii, ſcripturam Symmachus expreſſit. Interp. vetus, *& ipſi præparantur cogitationes*.

5. שבעים. Sym. & Th. κεχορτασμένοι *ſaturati*, ſive *ſatiati*] Χορτάζω propriè de armentis dicitur. Siquidem χόρτος *gramen, pabulum*. Cohel. 6. 3. לא תשבע *non ſatietur*. Th. οὐ χορτασθήσεται. Uſi ſunt & Lxx Pſal. 17. 14, 15. ¶ נשכרו. A. Συνετρίβησαν *contriti fuerunt*] Prius erat in Lxx ἠλαττώθησαν, & in Schol. ἀντὶ τοῦ ἐμισθάρνησαν. Eſt autem μισθαρνέω *operam mercede loco*. Idem נשכר Ebræis. Itaque Santes interpretatur *locaverunt ſe*. Aquila verò legit נשברו, h. e. Beth pro Chaph. ¶ חדלו Sym. ἀνενδεεῖς ἐγένοντο *nullâ re indiguerunt*] Vel, *ſine indigentia fuerunt*. Verbum è verbo, *deſierunt*, & ſubintelligitur *egere* aut aliquid tale. Lxx παρῆκαν γῆν. Hier. *ſaturati ſunt* נשבעו.

18. אפוד בד. A. ἐπένδυμα ἐξαίρετον *ſuperindumentum electum*. Sym. ἐφοὺδ λινοῦν *ephod lineum*] *Electum*; *peculiare, eximium*: legit בר pro eo quod nunc legunt בד, h. e. Reſch pro Daleth. ¶ Ἐφούδ.] Antiquum eſt pro ἐφώδ. Habetur hoc nomen eodem modo ſcriptum in Lxx cùm alibi tum Judic. 8. 27. & apud Auguſtinum Quæſt. l. 7. qu. 4. ¶ Λινοῦν] Sic Hier. *accinctus Ephod lineo*. Lxx retinent vocabulum Ebraicum ἐφοὺδ βαδ, pro quo in aliis cod. βαρ· unde Heſychius, Ἐφοὺδ βαρ, ἱερατικὸν ἔνδυμα. Quod autem ſubjicit, τὸ δὲ βαρ μικρὸν λέγεται non intelligo, μικρὸν enim CATON dicitur, non BAR.

ומעיל 19.

19. וּמְעִיל קָטֹן. Sym. καὶ ἐφεστρίδα μικρὰν *chlamydem parvam*] Hier. *tunicam parvam.* Exod. 29. 5. מעיל. Sym. ἐπένδυμα *superindumentum.* Th. ἐπενδύτης, quod in idem redit. Quidam ἐφεστρίδα definiunt *vestem quæ thoraci superinduitur aut armis.* Latini *sagum* appellant. Thema, ἐπιέννυμι *induo.* Itaque pro quovis indumento sumitur. De מעיל vide Hier. in epist. de veste Sacerdotali.

22. וְאֵת אֲשֶׁר יִשְׁכְּבֻן אֶת הַנָּשִׁים הַצֹּבְאוֹת פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד. Schol. καὶ ὡς ἐκοιμῶντο μετὰ τῶν γυναικῶν τῶν παρεστηκυιῶν παρὰ τὰ θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, *& quòd cubarent cum mulieribus adstantibus ad ostium tabernaculi testimonii*] Malim *conventûs.* Nam *testimonium* potiùs עדות dicitur.

26. הֹלֵךְ וְגָדֵל. AA. LL. ἐπορεύετο καὶ ἐμεγαλύνετο *ibat & crescebat*, i. magìs magísque crescebat, ἐμεγαλύνετο, ad verb. *magnus evadebat.*

29. לְהַבְרִיאֲכֶם. Schol. τοῦ πιμελοῦσθαι ὑμᾶς, *ut pinguefaceretis vos*] Πιμελόω *pinguem reddo*, aut *facio*; idem quod παχυνόω· nescio an alibi reperiatur. Deductum est à πιμελὴ *pinguedo*, *adeps*; unde & πιμελής. Lex. vetus, Πιμελὴ, *adeps.*

32. וְהִבַּטְתָּ צַר מָעוֹן בְּכֹל אֲשֶׁר יֵיטִיב אֶת יִשְׂרָאֵל. Sym. καὶ ὄψει θλίψιν κατοικήσεως ἐν παντὶ ᾧ εὐεργετηθήσεται τῷ Ἰσραήλ, *Et videbit afflictionem habitaculi in quacunque re benefiet Israeli*] Ὄψει. Puto leg. ὄψεις *videbis* sive *spectabis.* Κατοικήσεως, i. *domûs Dei*, sive *habitaculi Divini.* Innuit Ecclesiam. Theodoretus, καὶ ἐπιβλέψεις τὸ κραταίωμα ὤν. Hic locus in vitio cubat. Fortè scribend. τοῦ κραταιοῦ μαών. Est autem μαὼν nomen Ebraicum significans κατοίκησιν. q. d. *Dei fortis habitaculum.* Sanè ὤν, de quo nonnulli suspicantur huic loco minimè quadrat. Sequitur in eodem Theodoreto, ἐν πᾶσιν οἷς ἀγαθυνεῖ τὸν Ἰσραὴλ, *in cunctis quibus benefecit Israeli.* Videnda ed. Rom.

35. לִפְנֵי מְשִׁיחִי. Schol. ἐνώπιον τῶν χριστῶν μου *coram unctis meis*] i. prophetis: sic alibi, *Nolite tangere unctos meos:* aliàs *christos meos*, משיחי.

GROTIUS.

1. ARcus fortium superatus est] Providentiam Dei ea maximè ostendunt quæ inopinata eveniunt.

5. *Donec sterilis peperit plurimos*] Heb. *septem.* Sed sensus rectè expressus est, is enim numerus Multitudinem significat, Prov. 24. 16. Psal. 119. 164. Levit. 26. 18.

7. *Humiliat & sublevat*] Hesiodus,

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει·
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει·
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

8. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*] Habet Terra suos polos, quibus aut sustinet se in quiete, aut, ut alii volunt, in motu se librat: quod imitatur Magnes.

10. *Dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*] Latissimè propagaturus est fines Regi illi quem uncturus est Samuel, i. Davidi. Mysticè tamen ad Euangelium hæc rectè referuntur.

12. *Porrò filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum*] Virorum excellentium sæpe filii pessimi exstiterunt. Causæ, præter physicas, hæ sunt; quòd viri illi eminentes toto animo ad publica ferantur, ut digna magno animo pabula, privatámque rem ideo negligant; deinde quòd liberis ex paterno honore accedat superbia, & pigritia ex spe facili dignitatum. Accedit interdum, ut in Heli, bonitas, quæ ubi nimia est nomen suum amittere & dissolutio potiùs disciplinæ vocari meretur.

13. *Neque officium sacerdotum*] Connectit hæc Interpres cum præcedentibus. Alii משפט δικαίωμα interpretantur *consuetudinem*, quamvis malam; & referunt ad sequentia.

17. *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini*] Peccata manifesta Sacerdotum populum à vera religione avertunt, & propterea graviter ea Deus punit, & in iis qui admittunt, & in iis qui connivent, 3. 12. Neque tamen per hoc impuratur Sacerdotium, cui & talibus temporibus pii piè inserviunt; ut ostendunt jamjam sequentia.

24. *Nolite, filii mei: non enim est bona fama quam ego audio*] Qui puniendi jus habent ii monendo tantùm non defunguntur officio. Nihil opus hic repeti quæ congesta l. 2. De J. B. ac P. c. 30. §. 11. & in Annotatis. Vide infra 3. 13.

25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*] Omnia quidem peccata Deum offendunt, sed maximè ea quæ directè contra ejus Majestatem feruntur. Vide Act. 5. 5. & quæ dicta nobis ad Matth. 12. 31. In talibus autem criminibus Deus deprecationes non semper audit, ut apparet infrà 3. 14. Ezech. 8. 18. Jer. 7. 16. 1 Joan. 5. 16. ¶ *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*] Iis qui & gravia & diu & sæpe moniti peccant Deus prudentiam adimit, ut ante pœnam improbitas eorum aperta fiat. Hæc est induratio peremptoria. Hoc est quod voluit Æschylus,

——Θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς
Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Velleius Paterculus de Varo, *Prævalebant jam fata consiliis, omnémque animi ejus vim præstrinxerant, quippe ità se res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus est consilia corrumpat.* Ammianus Marcellinus lib. 14. ait *manum injicientibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi.* Vera hæc, vera: vide 2 Par. 10. 15.

27. *Venit autem vir Dei ad Heli*] Prophetæ in exercitio muneris sui & Regibus & Sacerdotibus majores.

30. *Loquens locutus sum*] i. Planè proposueram. ¶ *Nunc autem dicit Dominus*] Decreta Dei non omnia sunt absolutè definita, qualia illa de quibus egimus suprà 25. sed multa conditionem in se continent, quâ deficiente deficiunt.

31. *Ut non sit senex in domo tua*] i. Dignitate præditus. Vide infrà 36.

32. *Et videbis æmulum tuum in Templo*] Heb. *oppressorem in Sanctuario.* Impletum hoc vide 4. 11. ¶ *In universis prosperis Israel*] Cæteris rebus prosperis; ut appareat accidere hoc malum ob profanata sacra.

33. *Sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua*] Ideo vivent ad tempus aliquod, ut tibi summo dolori sint; quod verbis sequentibus apertiùs explicatur.

35. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem*] Quomodo? Inclinando corda Regum, quibus jus erat eligere summum Sacerdotem, sed ex Aaronis familia, quamdiu ea exstabat. Idem jus Synedrio fuit quoties Reges non erant. Propriè autem hîc de Sadoco agitur. Vide historiam 1 Reg. 2. 34. 1 Par. 29. 22. ¶ *Et ambulabit coram Christo meo*] Coram Solomone in Regem solenniter uncto. Vide dictum jam Paralipomenωn locum.

36. *Veniat ut oretur pro eo*] Heb. *veniat incurvatum se.* Erit inter Sacerdotes minimus, cui nihil aliud qu m Deum orare liceat, non majora peragere. ¶ *Offerat nummum argenteum*] Heb. *minutum argenti*, præ paupertate: *offerat*, nempe in gazophylacium. ¶ *Et tortam panis*] Pro peccato, non Bovem aut Pecudem, ac nè Avem quidem, præ eadem paupertate scilicet, Levit. 5. 11, 12. ¶ *Mitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem*] Heb. *Adjunge me, quæso, uni sacerdotiorum:* Gr. Παράρριψόν με ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν, i. Fac me vel minimæ alicujus operæ adjutorem, ut victum merear. ¶ *Ut comedam buccellam panis*] Alimenta tenuia, qualia dari solebant Sacerdotibus à munere fungendo prohibitis, 2 Reg. 23. 9. Ezech. 44. 13. Videntur autem hæc intelligenda de Abiatharis ob crimen Majestatis à summo Pontificatu demoti posteris.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. *Sermo Domini erat pretiosus*] h. e. Rari erant eo tempore Prophetæ qui populo verbum Domini annunciarent. ¶ *Nec visio erat aperta*] Sed veluti intra maceriam clausa. Capitur autem *visio* pro *revelatione*.

2. *Nec posset videre*] Intelligendum est *bene & claré*.

3. *Antequam Dei lucerna exstingueretur*] h. e. Nocte, quando lucernæ candelabri adhuc ardebant; quæ in ascensu auroræ exstinguebantur.

7. *Samuel necdum novit Dominum*] Non, inquit, assuetus erat Samuel locutionibus Divinis, ideo vocem Domini non cognovit, nec morem ejus, quo utitur cùm alloquitur suos Prophetas.

10. *Et stetit*] Corporali specie apparens, & stans ante oculos Samuelis, loquens cum eo.

11. *Tinniant ambæ aures ejus*] Notandum quòd hoc dicitur proverbialiter, pro *consternari* & *obstupefieri in re gravi & horrenda*.

12. *Ab initio usque ad finem*] Heb. *incipiendo & consummando*, h. e. præstabo re quod verbis minitor.

13. *Propter iniquitatem*] Ponitur hic עין in statu regiminis, ideo subintelligendum est דבר vel aliud hujusmodi nomen, ut sit sensus; *Propter iniquitatem verbi*, vel *rei, quam novit percutietur semen ejus in æternum; quoniam Israelitæ maledicunt filiis ejus propter enormes excessus eorum, & ipse pater non prohibuit eos à talibus*. Alii putant hîc להם legi pro לי, ut sit sensus. *Maledicunt mihi*, seu *contemnunt me, filii ejus*, &c. Alii referunt להם ad ceremonias quas filii Eli despicabiles faciebant coram populo. Et quidam exponunt verbum מקללים in neutro genere, pro *Contemptores harum rerum fuerunt*.

17. *Sic faciat tibi Deus*, &c.] Formula est adjurandi & obtestandi, q. d. Ità te tractet ut me erat tractaturus, quin graviùs puniat, si me celes. Kimhi exponit כהה pro עצר vel מנע.

19. *Nec abjecit in terram*] Hebraismus est, pro, Nullum locutus est Dominus verbum per Prophetas quod non impleverit. Verbum igitur *projicere in terram* idem est quod *Otiosum proferre verbum & quod nullum profert fructum*, vel *Irritum facere verbum*.

21. *Quoniam revelatus est*] Sensus est, Sicut primò ei apparuit in Silo, sic secundò in eo loco apparuit ei, ìdque in sermone suo.

VATABLUS.

1. *Coram Eli*, לפני עלי] Hebraismus, Commonstrante & instruente eum Eli. Chald. paraphrastes *vivente Eli*. ¶ *Et sermo Jehovæ erat pretiosus*, ודבר יהוה היה יקר] i. Charus, q. d. Tunc erant rari Prophetæ qui verbum Domini annunciarent populo: ideò Dominus revelabat arcana sua. Hoc dicit ut quodammodo exaltetur Samuel, & hoc per parenthesin. ¶ *Non erat visio aperta*, אין חזון נפרץ] *Non erat prophetia manifesta*. Chald. paraph. *non erat prophetia quæ publicè innotesceret*.

2. *Fuit autem in illa die*, &c. ויהי ביום ההוא ועלי שכב במקומו] *Factum est autem eo tempore, cùm Eli dormiret in loco suo*, i. in interiore parte atrii, quæ erat propinquior Tabernaculo Domini. In interiore sive penitiore parte atrii. h. e. in propinquiore Tabernaculo, dormiebant sacerdotes; in posteriore Levitæ, quæ magìs aberat à Tabernaculo. ¶ *Nec poterat cernere*, לא יוכל לראות] Sub. *bene*, vel *exacté*. Hoc dictum est ad commendandam diligentiam Samuelis, quâ officiosè admodum famulabatur ipsi Eli, qui tum magìs indigebat ministerio alicujus.

3. *Et lucerna*, &c. ונר אלהים וגו'] Ordo inversus sic construi debet, *Et cùm lucernæ quæ erant in templo Domini ubi erat arca Dei, necdum exstinctæ essent, & Samuel adhuc dormiret, tunc vocavit*, &c. q. d. Tempore nocturno cùm adhuc Samuel dormiret, vocavit, &c. Periphrasis est noctis. Totâ enim nocte ardebant lucernæ.

5. *Quia vocasti me*, כי קראת לי] i. Quem vocasti.

7. *Necdum cognoscebat*, &c. טרם ידע את יהוה וגו'] Hebraismus, Necdum erat assuetus audire Dominum loquentem, nondum noverat nomen Domini, cùm alloquitur suos Prophetas.

9. *Vocaverit*, יקרא] Sub. *Is qui te priùs vocaverat*. ¶ *Audit servus tuus*, שמע עבדך] q. d. Ego attendo, paratus obsequi: dic quid vis. ¶ *In loco suo*, במקומו] i. In parte anteriore atrii Levitarum, quod non erat illud de quo fit mentio in Lege, sed appendix ad Tabernaculum.

10. *Et stetit*, ויתיצב] i. Astitit illi: h. e. apparuit illi in quadam forma. ¶ *Ut semel & iterum*, כפעם בפעם] Ad verb. *Secundùm vicem in vice*.

11. *Facturus sum*, עשה] Præs. Heb. pro fut. ¶ *Tinnient*, תצלינה] Sub. *vehementer*, i. quæ incutiet maximum terrorem audienti. Hoc dicit de futura captivitate Arcæ federis.

12. *Incipiam & perficiam*, החל וכלה] Ad verb. *Incipiendo & perficiendo*. Chaldæus paraph. vertit per fut. i. *rem adducam usque ad calcem*.

13. *Et indicabo illi*, והגדתי לו] Cùm scilicet signum quod dixit illi Propheta, evenerit. ¶ *Judico*, שפט] Præs. Heb. pro fut. *judicaturus sum*, i. quòd ego pœnas expetiturus sum justè de familia ejus in perpetuum. ¶ *Quam novit*, אשר ידע] *Quam noverat*, vel, *quam non ignorabat*. ¶ *Quia contemnebant*, &c. כי מקללים להם] i. Contemptibiles se reddebant, *& non repressit eos*, sive non reprehendit eos acriter. Priùs scriptum erat apud Hebræos, כי מקללים לי *contemnebant enim me*, i. anteponebant honorem suum & propriam utilitatem honori meo. Sed quia hoc durum erat & nimiùm detrahens honori Dei, correxerunt illud scriptores Hebræi, & scripserunt להם pro לי, ut vertit noster interpres.

14. *Si expiabitur*, אם יתכפר] *Si removebitur*. Chaldæus paraph. *Non condonabitur*.

15. *Aperuitque*, ויפתח] De more suo scilicet. ¶ *Et timebat*, ושמואל ירא] Ad verb. *Et Samuel timebat*. Omisit noster interpres dictionem *Samuel* hoc loco, quòd Latinis auribus redundaret.

17. *Locutus est*, דבר] Sub. *Is qui vocavit te hâc nocte*. ¶ *Sic faciat tibi*, &c. כה יעשה לך אלהים וכה יוסיף] Formula est adjurandi & obtestandi Hebræis, q. d. Ità te tractet ut me erat tractaturus, quin graviùs puniat, si me celes, vel, Malè tibi contingat, &c.

19. *Crevit autem*, &c. ויגדל וגו'] i. Ut staturâ promovit, ità gratiâ & favore Dei. ¶ *Et non fecit cadere*, &c. ולא הפיל מכל דבריו ארצה] Hebraismus, Nullum verbum protulit Samuel, quod esset vanum & inane: impleta fuerunt quæcunque dixit. Alii referunt ad Deum, *Non permisit ut ullum verbum suum irritum fieret*. Metaphora à liquidis, quæ si effundantur in terram pereunt; aut ab ædificiis collapsis.

20. *Fidelis esset Semuel*, &c. נאמן שמואל לנביא] i. Quòd aptus esset ac idoneus qui aliquando evaderet in Prophetam. Chaldæus paraph. *quòd esset fidelis in prophetia Domini*; quod doctis minimè probatur.

21. *Rursùmque apparuit*, &c. ויסף יהוה להראה] Ad verb. *Et addidit Jehovah ut conspiceretur*, sub. *ipsi Samueli*. ¶ *Quoniam manifestaverat se*, כי נגלה] *Apparuerat enim*. ¶ *In verbo Jehovæ*, בדבר יהוה] Antecedens pro relativo, *cum verbo suo*, h. e. annuncians illi arcana quædam; vel præcipiens Samueli quædam quæ diceret Israeli.

CLARIUS.

CLARIUS.

1. *Erat pretiosus*] h. e. Rari erant eo tempore Prophetæ qui populo verbum Domini annunciarent: *Nec visio erat aperta*, sed veluti intra maceriam clausa.

2. *Non poterat videre*] Intelligendum est, *bene & claré*.

3. *Et antequam lucerna Dei exstingueretur*] h.e. Nocte, quando lucernæ candelabri adhuc ardebant, quæ in ascensu auroræ exstinguebantur.

7. *Necdum sciebat Dominum*] Non, inquit, assuetus erat Samuel locutionibus Divinis, ideo vocem Domini non cognovit. Et vide ut aptaverit se majestas Divina pueri moribus, & voluerit ab Eli Samuelem doceri vocem illam fuisse Domini, quem ut reprehenderet vocabatur.

21. *Quoniam revelatus*] Sensus est, Sicut primò ei apparuit in Silo, sic secundò in eo loco apparuit ei.

DRUSIUS.

1. *Coram Eli*] Jon. *in vita Eli*. ¶ *Pretiosum*] i. Rarum. Sic, *Pretiosum fac pedem tuum*, &c. Vide Observ. Lxx τίμιον. Nam quæ rara pretiosa, & contrá. Jon. כסי *tectum, opertum*. Nicolaus, *In Ebræo habetur*, [*Sermo* Domini *erat prohibitus & obturatus*] *& redit in eandem sententiam eum translatione nostra, quia omne rarum pretiosum*. R. D. *Significat non fuisse tunc Prophetas. Nam ad Prophetas habebatur verbum Domini*. ¶ *Visio aperta*] Hieron. *manifesta*. Lxx ὅρασις διαστέλλουσα *visio distinguens*. Jon. גליא *revelata, retecta, patefacta*. R. D. נגדר וסתום *retracta & clausa*. R. Jesaias, מרובה *multiplicata*, à verbo ופרצת *& erumpes*, i. copiosè produces. Aut *diruta*, qui dirueret & violaret eam, ex illo פורץ גדר *diruens sepem*. R. Levi נפתחת *aperta*. Nam quod clausum, si rumpatur, aperitur. Igitur *fracta*, vel *rupta*, i. aperta.

2. *Die illâ*] *Illo tempore*: nam hæc nocte gesta sunt. Sic, *die quâ eduxi vos ex Ægypto*, i. tempore quo: nam noctu eos eduxit indé. R. D. *Nox sub die comprehenditur*. Hoc verum de die 24 horarum. *Die illâ*, nocte illâ, cùm pridie Deus misisset virum Prophetam qui ei annunciaret quæ superiore capite sunt exposita: R. Levi. ¶ *Cubabat*] *Cubabat dormiens*, vel *dormiebat*. Nam verbum Ebræum etiam *dormire* sign. quod propriè ישן dicitur. ¶ *In loco suo*] Ubi Sacerdotes cubabant, aut potiùs ubi summus Sacerdos cubare solitus erat. Nam omnes in uno loco dormiisse vix est credibile. ¶ *Cœperant caligare*] *Cœperant caligantes*, sub. *esse*, i. caligare. Nam כהות nomen est adjectivum. ¶ *Non poterat videre*] Non poterat bene videre. Nam oculi tantùm *cœperant caligare*. Sic de Jacobo patriarcha, *Non poterat videre*, & postea, *Vidit Jacob filios Joseph*. Quidam de oculis animi hæc enarrant, quibus videbat res futuras, quæ vis in illo paulatim desiit, de dono Prophetiæ loquor, aut de Spiritu S. Vide Camium h. l. qui nullam rationem se videre ait cur hæc ad literam accepta hîc ità narrentur. Ideo sequens prophetia revelata fuit Samueli, & non ipsi Eli.

3. *Lucerna Domini antequam exstingueretur*] Si de lucernis candelabri sermo est, sign. id accidisse antequam ascenderet aurora. Nam lucernæ ardebant à vespera usque ad matutinum tempus; quamvìs sæpenumero aliquæ noctu exstinguerentur. Nam oleum ponebant in eis eâ mensurâ quæ sufficiebat à vespera usque manè; sæpiúsque ardebant ad matutinum tempus usque: lucernam autem occidentalem semper inveniebant ardentem. Dicit ergò venisse hanc prophetiam ad Samuelem cùm adhuc nox esset, circa tempus illud quo gallus cantat, qui hîc גבר dicitur in scholiis Ebraicis, & vocatur ibi *cantus galli* קריאת הגבר, si rectè illum locum capio. Sunt qui de lucerna Prophetiæ hunc locum enarrant, quæ nondum planè exstincta erat in Eli cùm Samuel prophetare inciperet. Ideo dicunt, *Sole uno occidente oritur alius*. Quò accommodant illud Salomonis. *Oritur sol, & occidit sol*, itaque dictitant, *Priusquam Deus occidere faciat solem unius justi, oriri facit solem alterius justi*. Sanè nondum occiderat sol Mosis cùm oriretur sol Josuæ; nondum occiderat sol Eli, dum oriretur sol Samuelis. Sic est profectò, Prophetia veniebat ad Samuelem cùm oculi Eli caligare inciperent, nec ampliùs bene videret quæ Deus per visiones Prophetis suis aperire solet. ¶ *Samuel cubabat*] In loco suo, h. e. in atrio Levitarum. Nam Levita erat. Cave construas *cubabat in templo Domini*: nam accentus repugnat. Deinde nemo cubabat in Templo, imò nè sedebat quidem: ideo dicunt, *Non est sessio in atrio nisi Regibus domûs David tantùm; quantò minùs cubatio? quantò minùs in Templo Domini?* Ordo & constructio, *Priusquam lucerna Domini exstincta esset in templo Domini, ubi erat arca Dei, & Samuel adhuc dormiret in atrio Levitarum*. R. S. *Cubabat in loco suo in atrio Levitarum, qui custodiebant domum sanctuarii*. ¶ *Arca Dei*] Notatum hîc legi ארון אלהים absque articulo, cùm in aliis locis omnibus fit האלהים. Quocirca Massorethæ observant non esse ei simile. Videndus R. D.

4. *Vocavit Samuelem*] Vox exibat è templo Domini, è Sancto sanctorum, & transiliebat locum interiorem in quo Eli cubabat, progressus ad exteriorem, ubi Samuel erat, qui solus eam audivit, ità volente Deo, cujus facta omnia mira sunt in oculis nostris, ac proinde suspicienda.

6. *Vocare Samuel*] Pòst geminatur, *Samuel, Samuel*, more vocantium aliquem. Malè hìc legunt *vocare Samuelem*. Nam tunc esset אל שמואל in Ebræo, ut suprà v. 4. *vocavit Samuelem*. *Addidit adhuc*, pleonasmus est Ebraicus. Satìs enim erat *Addidit vocare*, i. Iterum, aut Adhuc, vocavit.

7. *Nondum cognoscebat Dominum*] Vide Lyram. Vetus, *necdum sciebat Dominum*. Lxx πρὶν γνῶναι Θεὸν, *antequam cognosceret Deum*. Jon. *antequam didicisset nosse doctrinam à coram Domino*. R. D. *nondum cognoverat sermonem Domini; aut nondum habebat scientiam rerum Divinarum, ut potuerit discernere inter vocem Dei vocantis & Eli vocantis*. Quidam, *nondum expertus fuerat Dominum*. Nam ידע *experientiâ cognoscere aliquid*. Mox se explicat cùm ait, *nondum revelatum ei fuerat verbum Domini*. Fortè hoc dicit, Non discernebat inter vocem *Domini* & alterius. Nam *cognoscere* est discernere, ut Jon. 4. *qui non cognoscebant inter dexteram & sinistram*, qui non poterant discernere hanc ab illa. Aut, non cognoscebat *Dominum* cognitione propheticâ, quæ per revelationes Divinas; quæ notitia specialissima est. Nam specialis est in Christo, cùm eum Servatorem nostrum esse scimus & indubitatò credimus. ¶ *Verbum Domini*] Jon. *verbum propheticum Domini*.

8. *Samuel*] In vocandi casu, non *Samuelem* in accusandi. ¶ *Intellexit Eli*, &c.] Post trinam vocationem intellexit Deum esse qui vocaret Samuelem, vel quia nemo erat alius qui vocare ipsum posset, vel quia præter Samuelem nemo vocem vocantis audiverat. Sic Doctores dicunt, *Audivit vocem loquentis ad se*, Moses audivit non Israel. ¶ *Vocaret puerum*] לנער idem quod אל נער. Quocirca perperàm emendat Arias *vocans puero*, ac fi ל hic esset articulus dativi casûs. Ut ut fit, Latini non dicunt *vocare puero*, sed *puerum*. Hoc non est emendare, sed depravare omnia.

10. *Et stetit*] Ad verb. *Stitit se*. Videtur ei apparuisse Dominus in forma aliqua humana, vel certè aliâ specie. Sic In libro Numerorum, *Stetit angelus Domini in via*, haud dubiè certa species erat quam asina videbat, unde noluit ulteriùs pergere. Licet vertere *constitit*, vel *substitit*, ut Psal. 2. 2. *Constiterunt reges terræ*, &c. ¶ *Samuel, Samuel*] Sic, *Abraham, Abraham*; *Mose, Mose*. Quod ait, *Sicut vice in vice*, id Hieron. reddit *sicut vocaverat secundò*, alius *antea*. Lxx ἅπαξ καὶ ἅπαξ, *semel & semel*. Nam פעם interdum valet *vice unâ*, i. פעם אחת, q. d. Sicut vocaverat aliquot vicibus, *semel & iterum iterúmque*. Antea vocaverat Sa-

Samuel; nunc geminat vocem, *Samuel, Samuel*: non ergò eum nunc vocat ut antea. Aut fortè compendium sermonis est, *Samuel* pro *Samuel, Samuel*. Aut vocaverat Samuelem, dicendo, *Samuel, Samuel*. ¶ *Loquere*] Λάλει. Mirum cur non dicat, *Loquere, Domine*, quemadmodum Eli eum instituerat. An dubitabat utrùm Deus esset an alius? R. D. *Timebat hactenus memorare nomen Domini in visione prophetica?* In Dras, *Fortè vox dæmonis est, aut spectrum: hoc apud se cogitabat*.

11. *Verbum*] *Rem*, aut *factum, opus*. Innuit autem capturam & deportationem Arcæ in terram Philisthæorum; sed & cædem filiorum Eli, & quæ consecuta sunt in Nob urbe Sacerdotum, ubi tota posteritas Eli, Abiathare excepto, delata fuit. ¶ *Tinnient*] Ἠχήσει. Vide Lyram. ¶ *Ambæ aures ejus*] אזנים nomen est duale, sed quia de pluribus dicitur, ideo adjecit numerale שתי *ambæ* aut *duæ*.

12. *Quæ locutus sum*] Per virum Dei. In hoc versu bis legitur אל *ad* pro על *contra*. ¶ *Incipiendo & finiendo*] Incepit in filiis ejus, Ophni & Phinees: finiit, non in Sacerdotibus Nob, sed in iis qui ex posteris ejus superfuerunt tempore Salomonis & deinceps.

13. *Judico ego*] i. Punio, & est sensus, Judicaturus sum brevi, ut Gen. 15. 14. *Gentem cui servierunt judico ego, dicit* DOMINUS. Hinc משפטים *judicia*, i. pœnæ, supplicia. Prov. 19. 29. *Parata sunt illusoribus judicia*, &, *gladius judicii*, 2 Par. 20. 9. quo quis punitur, &, *judicium mortis*, i. pœna. Præsens autem pro paulò pòst futuro poni notius est quàm ut probari debeat. Tiro est in his literis qui hoc nescit. ¶ *Usque in seculum*] Non ad certum aut finitum tempus, sed usque in æternum puniam familiam ejus; quæ ab omnibus vilipendetur, miniméque longæva erit. ¶ *Maledicentibus sibi*] Pronomen redundat, ut cùm dicimus, *Vade tibi*; *Faciamus nobis*, &c. Ebræi notant hîc esse correctionem scribarum; nam dicendum fuisse *maledicentibus mihi*, i. לי, & est unus ex 18 locis in quibus תקון סופרים *correctio scribarum*. Observant etiam in verbo מקללים sensum esse Vilipendentiæ, ut cùm ait, *Contemnentes me vilipendentur*, ubi יקלו in fonte. LXX ὅτι κακολογοῦντες Θεόν. Hieron. *eò quòd noverat indignè agere filios suos*. Jon. *quoniam ad iram provocant* להון *eos*. R. Salomo autor מקללים positum esse pro מקילים, vel omne קללה habere significationem קלות *vilitatis* ובזיון *& contemptûs*. R. Levi, *Quia Israelitæ vilipendebant eos, videlicet filios ejus, propter ea quæ superiùs sunt memorata*. Fortè, *quia vilipendebant eos* (Israelitas) *filii ejus*: Nam & Deum vilipendebant, & etiam populum offerentem, cùm eos cogerent dare hostiam non coctam. ¶ *Non cohibuit eos*] Eo modo quo debuit. Trem. *non repressit eos*. Vide notas Hieron. *& non corripuerit eos*. LXX οὐκ ἐνουθέτει αὐτοὺς, *& non monebat eos*. Santes *non prohibuit eos*, alius, *non vetuit*. Rabbenu Jesaias, לא מיחה *& non habet simile: Non coercuit, non prohibuit*. R. D. לאעצרם ולא מנעם.

14. *Si expiabitur*] Deest *nè vivam*, aut aliquid tale. Sic, *Si Davidi mentiar*; *Si introibunt in requiem meam*. ¶ *Victimâ & munere*] Victima cruenta erat; munus, incruentum. Ebræi credunt precibus expiari potuisse hanc iniquitatem; item בתלמוד תורה *studio legis*, & בגמולות חסדים, *ut cùm mortuos terra mandamus, lugentes consolamur, esurientes cibamus*, &c. Vide K.

16. *Vocavit Samuelem*] Hîc est את שמואל in Ebræo. Suprà v. 4. אל שמואל *ad Samuelem*. Notavi ad Psal. 2. אל aliquando pro את poni. Vide, si placet.

17. *Sic faciat tibi Dominus, & sic addat*] Formula loquendi quâ utuntur in jurando. Sic Ruth 1. 17. *Sic faciat mihi Deus, & sic addat*. LXX τάδε ποιήσαι σοὶ ὁ Θεὸς, καὶ τάδε προσθείη. Thargum, *Sic faciat tibi Dominus, & sic addat*. In Dras, *Sicut mei filii non erunt hæredes mihi in Pontificatu, sic nec tui in eo munere quo nunc fungeris*, 1 Sam. 14. 44. *Sic faciat Deus, & sic addat, quia moriendo morietur Jonathan*: & 20. 13. *Sic faciat* DOMINUS *Jonathani, & sic addat*: & 25. 22. *Sic faciat Deus inimicis Davidis, & sic addat*, i. meis. 2 Sam. 3. 9. *Sic faciat Abnero, & sic addat ei*. Vide quoque v. 35. & 19. 13. & 1 Reg. 2. 23. & 19. 2. *Sic faciant Dii, & sic addant*: verba sunt Jesabelis: item 20. 10. ait Benhadad, *Sic faciant mihi Dii, & sic addant*: 2 Reg. 6. 31. *Sic faciat mihi Deus, & sic addat*.

19. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*] Quicquid dixit aut prædixit, evenit, nihil irritum fuit, omnia suum effectum sortita sunt. Qui metaphoram esse putant à semine cui sato benedicit Deus, falluntur. Nam tunc dixisset, meo judicio, *Non cecidit frustrà in terram*. Semina enim in terram cadunt: Horum autem verborum nihil cecidit in terram. Cæterùm in fonte non est *cecidit*, sed *cadere fecit*, quod referendum ad Deum; *Deus*, inquit, *non fecit cadere quicquam eorum in terram*. Ebræi extendunt ad ea quæ etiam prædixit non actus à Spiritu S. Senes tamen οὐκ ἔπεσεν, & Hieron. *non cecidit*. Jon. *Non abolevit*, &c. Porrò *cadere in terram* dicitur quod perit & aboletur, ut Matth. 10. 29. *unus ex illis passeribus non cadit in terram sine Patre vestro*. *Cadere in terram* pro irritum fieri: contrà evenire dicitur res quæ *non cadit*, Jos. 21. 45. & 23. 14. Eucherius pag. 14. ad h. l. *Significat quia nihil ex iis quæ locutus est irritum fuit; sed omnia sunt rebus completa quæ dixit. Cadunt namque in terram verba supervacua, quæ pro nihil habenda, & universorum sunt calcanda despectu. Sicut & B. Job dixit* [*Et lux vultûs mei non cadebat in terram*] *quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat ut nunquam contemptibili lætitiâ resolveretur, sed quotiescunque hilariorem se præsentibus exhiberet, certâ semper hoc causâ utilitatis eorum faceret*.

20. *A Dan & usque Bersabee*] Ab uno termino terræ ad alium. Dan erat in termino Aquilonari, Bersabee in Australi; & hæc erat longitudo terræ Israel. ¶ *Fidelis*] LXX πιστὸς *fidus*. Sign. etiam *firmum* ac *stabilem*. Non enim erat Prophetes ad tempus tantùm. Sic *domus* נאמן *firma*. Fortè hoc dicit, quòd *confirmatus sit in Prophetam Domini*, vel à *Domino*. Nam in fonte לנביא εἰς προφήτην. Sic Græci πιστὸς εἰς προφήτην, *fidus ut esset Propheta*. Qui vertunt *fidus*, aut *fidelis, Propheta*, iis ל redundat, ut in *tertius* לאבשלום *Absalom*, & similibus exemplis. Hieron. quòd *fidelis Samuel propheta esset* DOMINI. Jon. *quòd fidelis esset Samuel in verbis propheticis* DOMINO. Huc pertinet quod sequitur in ed. Rom. ἐπιστεύθη Σαμουὴλ εἰς προφήτην γίνεσθαι τῷ Κυρίῳ, *creditus est in Prophetam fieri* DOMINO. Nam est interpretamentum alicujus ex antiquis interpretibus; Symmachi ἴσως.

21. *Quia revelaverat se*] Trem. *postquam revelasset se*, i. *cœpisset revelare, aut manifestare*. ¶ *In verbo Domini*] *Per sermonem Domini*, & est nomen loco pronominis: nam dicendum erat *per sermonem ejus, aut suum*. Simile, *Et dixit Dominus, Ascende ad Dominum*, i. ad me. Sic, *Perdes eos de sub cœlis Domini*, i. tuis. Sunt qui hîc sermonem intelligunt de quo suprà. Alii de sermone accipiunt quem Samuel postea habuit ad Israelitas de suscipiendo bello contra Philisthæos. Videndus ad hunc locum R. D.

GROTIUS.

1. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis*] Rarum erat ut cuiquam se Deus revelaret. Vide infrà 21. ¶ *Non erat visio manifesta*] *Visio* hîc generaliter sumitur pro quavis revelatione.

7. *Necdum sciebat Dominum*] Non sciebat Dominum cum Prophetis suis agere voce tam submissâ, quæ ob id בת קול dicitur. Sic Maimonides.

13. *Noverat indignè agere filios suos*] Heb. מקללים להם, sed notant Hebræi pro להם olim fuisse לי, & sic legerunt LXX, vertunt enim ὅτι κακολογοῦντες τὸν Θεὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ.

17. *Hæc faciat tibi Deus & hæc addat, si absconderis à me sermonem*] Ἐξορκισμὸς, sive, Latinorum sensu, obsecratio. Vide Jud. 17. 2. Ruth. 2. 17.

18. *Dominus*

18. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat*] Laudabile exemplum patienter se submittentis Deo punienti. Laudabile & infrà, quod sensu publicæ calamitatis magis quàm privatæ tangitur, 4. 18.

21. *Juxta verbum Domini*] Hebr. *In verbo Domini*, i. per verbum: non in somnio, aut aliter.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. *Fuit verbum Samuelis*] Præcepit Dominus per Samuelem filiis Israel ut procederent contra Pheliſtim, ut sic pro enormibus suis peccatis punirentur. Qui voci Dei obedientes *castrametati sunt ad lapidem Auxilii*; non quòd tunc vocaretur *lapis Auxilii*, sed postea in alio prælio hoc sortitus fuit vocabulum, ut infrà c. 7. dicitur. Per anticipationem enim dicitur hîc *lapis Adjutorii*, cùm locus ille postea à certo eventu hoc nactus sit vocabulum.

8. *Deorum fortium istorum*] Potest etiam pro אדירים verti *magnificorum*; cùm non raró אדיר exponatur pro נכבד & גדול.

13. *Advertebat viam ipsam*] Quædam exemplaria habent hic יד *manus*, & capitur pro מקום *loco*; ut sit sensus, *Sedebat in loco itineris*, ubi exspectabat adventum nuncii ex bello. In aliis verò libris invenitur יך i. *percutiebat*: & tunc hic erit sensus, *Sedebat super solium, & percutiebat eum cor sum propter arcam Dei.*

18. *Super limen portæ*] Significat hîc quoque יד *locum*; licèt Jonathan interpretetur כיבש *gradum*; super quo fregit מפרקה *os illud nodosum quod in cervice invenitur.*

19. *Quæ ad partum gravida erat*] Heb. ללת pro ללדה *ad pariendum.* Sunt tamen qui verbi hujus radicem esse putant ילל, quod *ululare* sign. & tunc hic erit sensus, *Uxor Pinehas erat gravida ad ululandum*, h.e. tempus propinquabat quando cum ululatu prolem ederet. ¶ *Nam commoti sunt in ea dolores ejus*] Heb. *quoniam inversi sunt super eam cardines ejus.* Habet enim venter mulieris gravidæ cardines suos, sicut ostium, quibus solutis effunditur fructus. Alii hos cardines vocant חבלים *funes & compages*, qui fœtum in utero retinent donec rumpantur & prodeat fœtus.

21. *Ichabod*] Quasi אין כבוד *Non est gloria*; vel אי כבוד, Zere sub Aleph, i. *Ubi gloria?* Vocat autem Arcam *gloriam populi Israelitici*, cùm Dominus majestatis domicilium sibi in hac Arca delegisset in medio suorum fidelium.

VATABLUS.

1. *Et fuit verbum*, &c. ויהי דבר שמואל וגו׳] i. Mox Samuel dixit universo Israeli quæ audierat à Domino nempe de resistendo Palæsthinis, & suscipienda expeditione adversùs eos. Quidam Hebræi doctores hîc dicunt Samuelem consuluisse Dominum an deberent Israelitæ suscipere expeditionem adversùs Palæsthinos invadentes filios Israel; Dominum autem respondisse ut Palæsthinis occurrerent: atque id dicunt esse quod hîc dicitur, *Et factum est verbum*, &c. Hinc postea dicunt Seniores Israel, *Cur percussit nos Deus?* &c. q. d. Cùm nos hanc expeditionem sumpserimus Deo ità jubente, cur jam nos affligit? ¶ *In occursum*, לקראת] i. Contra. ¶ *Eben-haezer*, אבן העזר] *Lapidem adjutorii.* Hoc dicitur per anticipationem: nam iste locus sic dictus est postea ab eventu, infrà 7. 12.

2. *Et expandit sese prælium*, ותטש המלחמה] *Et explicavit* [*dilatavit, diffudit*] *sese*, i. cœperunt dilatare sese milites ipsi. ¶ *Casúsque est*, וינגף] *Percußúsque est*, i. cœpit terga vertere Palæsthinis. ¶ *In acie in agro*, במערכה בשדה] i. In ipso campo conflictu, vel, *de acie Israelitarum.*

3. *Et venit populus*, &c. ויבוא העם וגו׳] *Cúmque populus recepisset sese in castra, dixerunt Seniores*, &c. ¶ *Accipiamus ad nos*, נקחה אלינו] i. Mittamus in Siloh qui adducant huc arcam federis, &c. ¶ *Et veniat in me*, &c. ויבוא בקרבנו וישיענו] i. Ut cùm illata fuerit in medium nostri, servet nos.

5. *Et personuit terra*, ותהום הארץ] *Ità ut terra tremeret.*

6. *Vocem vociferationis*, את קול התרועה] i. Ingentem illum clamorem. ¶ *Quæ est vox vociferationis*, מה קול התרועה] *Quid sibi vult strepitus vociferationis ingentis hujus?* ¶ *Et cognoverunt*, וידעו] i. Intellexerunt ab exploratoribus, *innotuit illis quod*, &c.

7. *Retulerunt enim*, כי אמרו] Sub. *exploratores*, i. cœperunt timere Palæsthini, audientes exploratores dicentes, *Venit Deus in castra Hebræorum.* ¶ *Atque dixerunt*, ויאמרו] Sub. *Palæsthini.* ¶ *Væ nobis*, אוי לנו] q. d. Actum est de nobis. ¶ *Simile*, כזאת] Ad verb. *Sicut hoc*, i. tale quidpiam, q. d. Non fuit heri talis exsultatio in castris Hebræorum. Ratio bellandi mutata est: nam pugnabamus antea cum hominibus, nunc cum Deo pugnabimus.

8. *Omni plagâ*, בכל מכה] i. Multis plagis. ¶ *In deserto*, במדבר] i. In Mari rubro quod adjacebat deserto. Subaudienda præpositio *&*, *& in deserto.* Chaldæus paraph. cùm hic locus videretur repugnare his quæ sunt in Lege, addidit aliquot verba, *Et populo suo in deserto fecit multa miracula.* Quidam volunt מדבר significare דבר *Verbum*, in qua significatione accipitur Cant. 4. 5. *Eloquium tuum decorum*, & vertunt, *omni plagâ verbo*, sub. *solo*: quod pulchrè convenit, q. d. Qui solo verbo suo percussit Ægyptios.

9. *Confortamini*, התחזקו] *Estote fortes.* ¶ *Et estote viri*, והיו לאנשים] i. Estote animo virili ac forti; sive præbete vos viros. ¶ *Et pugnate*, ונלחמתם] Sub. *contra eos acriter.*

10. *Plaga magna valde*, המכה גדולה מאד] *Strages maxima.*

11. *Mortui sunt*, מתו] In ipso scilicet conflictu.

12. *Die ipsâ*, ביום ההוא] *Eodem die*, sub. *conflictûs.* ¶ *Et terra super caput ejus:* ואדמה על ראשו] *Et capite sparso pulvere.*

13. *Super thronum*, על הכסא] *Super sellam*, vel *sedem.* ¶ *Ad latus via*, יד דרך] *Juxta locum via*, *juxta viam ducentem ad castra.* ¶ *Speculans*, מצפה] *Aspiciens*, sub. *& exspectans nuncium.* ¶ *Ut renunciaret*, להגיד] Sub. *cladem acceptam à Palæsthinis.*

14. *Quæ est vox*, &c. מה קול ההמון הזה] i. Quid sibi vult maximus iste clamor? ¶ *Festinanter venit*, מהר ויבוא] Ad verb. *festinavit, & venit.*

15. *Caligaverant*, קמה] Sing. pro plur. *caligavit*, sub. *uterque oculus.* Alii vertunt *defecerant*, i. כלו, ut Jer. 14. 6. *Defecerant oculi eorum.* Alii, *rugaverant.* *Quando enim rugant oculi in senectute, desiccatur humor, attolluntúrque nervi oculi, ingrediturque oculus foramen suum*, inquit doctus inter Hebræos.

18. *Memorasset arcam Dei*, בהזכירו את ארון] *Mentionem fecisset arcæ Dei.* Alii, *nominasset arcam Dei.* ¶ *De throno*, מעל הכסא] *Desuper sellam.* ¶ *Portæ*, השער] i. Qui adjacebat portæ, h. e. juxta portam, sive ostium. ¶ *Et confractum est occiput ejus*, ותשבר מפרקתו] *Et fracta est cervix ejus.* ¶ *Et gravis*, וכבד] *Et obeso corpore*, vel, *succulento.*

19. *Prægnans ad pariendum*, הרה ללת] i. Gerebat uterum proxima partui: à ילד, & deficit ד, juxta multorum Hebræorum expositionem. Alii à ילל deducentes vertunt *prægnans ad ejulandum*, i. vicina clamoribus & ejulatui quem emittere solent mulieres parientes. ¶ *Incurvavit sese*, ותכרע] i. Decubuit: h. e. composuit corpus suum in modum parturientis. ¶ *Effusa erant super eam angustia ejus*, נהפכו עליה צריה] *Effusi erant super eam dolores ipsius*, i. obruta fuit doloribus partûs. Metaphora sumpta ab aqua quæ ex alto & subitò effunditur.

20. *Tempore autem quo ipsa moriebatur*, ובעת מותה] *Sub mortem autem ejus.* Vel, *Sub articulum temporis quo mortua*

mortua est. ¶ *Neque posuit cor suum,* ולא שתה לבה] Sub. *Ad id quod dicebatur illi: non intendebat animum,* q. d. Neque visa est verbis illarum moveri.

21. *Ichabod,* אי כבוד] Hic אי ponitur pro אין *Non,* i. *Non est gloria,* vel pro איה *Ubi,* i. *Ubi est gloria?* quia non est in Israele hodie. Hæc doctus inter Hebræos. ¶ *Translata est,* גלה] *Exsulat.* ¶ *Quòd capta esset,* &c. אל הלקח וגו׳] Quæ inclusa sunt parenthesi, sunt verba superioris. Hic אל pro בעבור ponitur, & sic transtulit Chaldæus paraph. ¶ *Et mortuus esset socer suus,* ואל חמיה] Subaudiendum על מות, ut absolvatur sententia, *& propterea quòd mortuus esset socer suus.*

CLARIUS.

1. *Fuit autem verbum*] Præcepit Dominus per Samuelem filiis Israel ut procederent contra Philisthiim, ut sic pro enormibus suis peccatis punirentur. Qui voci Dei obedientes *castrametati sunt ad lapidem Adjutorii,* non quòd tunc vocaretur *lapis Adjutorii,* sed postea in alio prælio hoc sortitus fuit vocabulum, ut infrà cap. 7. dicitur.

20. *Nec animadvertit*] Vel, *nec apposuit cor suum,* quasi parùm curans de nato filio ob dolorem captæ Arcæ Domini.

21. *Ichabod*] Quasi, *Non est gloria,* vel, *Ubi gloria?*

DRUSIUS.

1. *Fuit verbum Samuelis omni Israeli*] Sic R. S. Vide, si placet. Hieron. *Evenit sermo Samuelis.* Sic Gen. 30. 34. *Ecce sit* (i. eveniat) *secundùm verbum tuum:* item Gen. 24. 15. *Et fuit ipsum,* i. evenit. Sic 41. 13. *quemadmodum solvit nobis, sic fuit.* Scholia Ebraica, *Fuit verbum Samuelis ad omnem Israelem, qui exiit,* &c. Nam quia peccatores erant ideo Deus eos punire decreverat. Ideo jussi sunt exire obviàm Philisthæis ad prælium. Sic in bello Gabaæ præcepit Deus ut ascenderent. Vide librum Judicum. Vide schol. Rab. Jesaiæ, qui hîc idem sentit cum Camio. ¶ *Juxta lapidem Auxilii*] Ad locum qui vocatur *Eben haezer,* i. *Lapis auxilii,* aut *adjutorii:* qui locus postea sic appellatus fuit ab eventu, infrà 7. 11, 12. Figura igitur est quam *Prolepsin* vocant, quæ & *Anticipatio.* Nam nunc potiùs erat *lapis Offensionis* vel *Cladis,* i. נגף propter cladem populi quæ subsecuta est. Verba sunt scriptoris hujus historiæ. Sic alibi, *Et persecutus est usque Dan.* Vide K. Lxx ἐπὶ Ἀβενέζερ. *Aben,* pro *Eben,* ut *Habel* pro *Hebel, Phares* pro *Pheres.* Jon. על אבן סעדא *ad lapidem Adjutorii.* Hîc aliqua notanda. Primum על *super* poni pro *juxta, prope,* deinde in האבן העזר prius He παρέλκον, & est simile ut האבן הבדיל, quod tamen potest reddi *lapis stannum:* qualia sunt in Latio *Ventus turbo, Petra pumex,* & alia ejus farinæ; in textu Sacro *Munus simila, Coma crinis.* R. S. *Mare Oceanus. Lapis stannum,* i. stanneus, ut *munus simila,* i. similaceum, מנחה סולה. Sic fortè *Lapis auxilium* pro *auxilii:* Grammatici repetunt אבן sine articulo האבן אבן העזר, *lapis, lapis auxilii.* ¶ *In Aphec*] Ἐν Ἀφέκ. Malim Ἀφήκ. Sic Ἐφρέμ pro Ἐφρήμ, Ebraicè אֲפֵק. Fortè senes legerunt אֶפֶק. *Ephec, Aphec,* ut *Ezer, Azer.* Locus erat in tribu Juda, Jos. 15. 53. Si urbs, sensus erit, *prope Aphec:* nam omnes in urbe castra habere non poterant. Hujus Regem occidit Josua, Jos. 12. 18.

2. *Instruxerunt*] *Instruere* absolutè dicitur pro *instruere aciem* aut *prælium.* Sic *ponere* pro *ponere castra,* quod poeta dixit *tendere,*

Hic sævus tendebat Achilles.

pro *tendebat castra.* Sanè Jonathan hîc habet *ordinarunt,* sive *instruxerunt,* קרבא *prælium,* aut *pugnam,* & Lxx παρατάσσονται εἰς πόλεμον, & Hieron. *instruxerunt aciem contra Israel.* Vides consensum interpretum. Quidam tamen *ordinarunt,* aut *instruxerunt, se.* Hinc ערוך מלחמה *instructus pugna,* i. ad pugnam. Nota etiam מלחמה hîc *prælium* significare, i. קרב. Nam propriè *bellum* sign. ¶ *Diffusum fuit prælium*] *Extensum,* vel, *explicatum fuit,* ut fieri solet cùm acies congrediuntur, & prælium committitur. Itaque non nemo hîc vertit *consertum fuit prælium.* Licet etiam vertere *diffusa,* sive *extensa, fuit acies.* Jon. *expanderunt se facientes prælium.* Hieron. *inito certamine.* Sensum expressit, non verba. Lxx καὶ ἔκλινεν ὁ πόλεμος, *inclinavit prælium.* ¶ *In congressu acierum*] Ebr. במערכה, quod Hieronymus vertit *in certamine.* Senes ἐν τῇ παρατάξει, *in acie.* Thargum בסדרא *in ordine.* Alius *in conflictu.* Nomen est à verbo ערך *instruo aciem,* q. d. *in instructione acierum.*

3. *Arcam federis Domini*] Sic vocatur quia in ea erant tabulæ federis, tam fractæ quam integræ. Vocatur etiam *arca Domini, & arca federis* simpliciter; item *arca Mosis.* Sic etiam vocat R. D. Jos. 3. 3. sed & *arca testimonii,* Jos. 4. 16. nam in ea erat testimonium, h. e. Lex, quæ *testimonium* dicitur. Paulò pòst, *arca federis Dei,* &, *Venit Deus in castra,* i. Arca Dei, V. 6. 7. & ארון אלהים v. 11. & ארון האלהים v. 13. ¶ *Servet nos,* &c.] Jon. *Propter gloriam nominis ejus liberabimur è manu hostium nostrorum.*

4. *Sedentis super Cherubim*] *Insidentis Cherubis,* è quibus responsa dabat Num. 7. 89. Lxx καθημένου χερουβὶμ. Compl. ὃ ἐπικάθηται τὰ χερουβίμ. Sed ibi χερουβὶν per Nun. In eadem ed. Κυρίου τῶν δυνάμεων, *Domini virtutum,* vel, *exercituum:* nam δυνάμεις *exercitus.* R. David, *Si est Dominus exercituum, roborare potest suos, & debilitare hostes. Quod autem ait* [insidentis Cherubis] *ostendit ipsum propinquum esse hominibus omnibus qui eum invocant in veritate: Quod nunc non est factum propter peccata Ophni & Phinees & aliorum idololatrarum qui in castris erant. Nam tunc idololatra erant in populo Israelitico, qui occasionem dederunt ex parte hujus cladis. Cæterùm Arca hæc erat arca in qua reposita erant fragmenta tabularum; quæ exibat cum eis ad bellum, de qua dicitur,* [Arca federis Domini proficiscebatur ante illos.] *Invenimus autem hæc de re dissensionem in monumentis* τῶν μακαρίτων *Doctorum nostrorum. Quidam dixerunt tabulas integras & tabulas fractas repositas fuisse in Arca una; & liber Legis cum eis in Arca. Quod autem ait,* [Ponetis eum è latere arcæ federis Domini] *id exponunt, Ponetis eum in Arca è latere tabularum federis Domini. Alii dixerunt eos quasi capsulam fecisse Arca extrinsecùs, in qua erat liber Legis repositus; & hoc est quod dicitur,* [è latere arcæ federis Domini.] *Sunt alii qui dixerunt solas tabulas fractas fuisse in Arca qua exibat ad bellum, sed textus arguit etiam integras fuisse in ea. Nam ecce dicit,* [insidentis Cherubis] *ostendit Cherubos fuisse super Arcam. Adhac Arca hæc qua ad bellum egressa fuit erat Arca qua in Bethsames cùm rediisset ex agro Philisthæorum, & in Cariathiarim, & in domo Obededom, & in urbe Davidis, commorata est: è qua fecerunt eam ascendere in Sanctum sanctorum.*

7. *Venit Deus*] Jon. *Arca Domini.* Lxx Οὗτοι οἱ θεοὶ ἥκασιν, *Hi dii venerunt.* Probarem cùm hæc ab alienigenis dicantur, si esset באו in fonte Sacro. Nunc cùm sit בא, malim, *Venit Deus.* Sic Prudentius Arcam vocat *Deum circumvagum* ante exstructum Templum Salomonis. Nam tunc nullum certum locum diu habebat, modò huc modò aliò translata. Hoc vulgò de Arca enarrant; & nos etiam ità olim enarravimus. Pòst re diligentiùs pensiculatâ quod nunc dicam in mentem mihi venit. Arca non vocatur *Deus*; sed cùm ea veniret in castra dicebatur *Deus venire,* quem Arca repræsentabat, erat enim symbolum præsentiæ ipsius in hoc mundo inferiore. Sic aliquid *coram Domino* fieri dicitur quod fit coram Arca; nec tamen ideo Arca vocatur *Dominus,* nomine tetragrammato. Quâ ratione idem & Angelus facere dicitur, & Dominus; Angelus jussu Domini, & Dominus per Angelum. Id expendendum diligenter iis qui pertendunt nomen tetragrammaton tribui rebus creatis, quod adhuc nondum liquidò probatum fuit.

8. *Deorum illustrium istorum*] Hieron. *Deorum sublimium istorum.* Lxx τῶν θεῶν τῶν στερεῶν τούτων, *Deorum firmo-*

firmorum istorum: unde στερέωμα *firmamentum*. Compl. στερεωτέρων *firmiorum*: comparativus pro positivo gradu, ut πρεσβύτεροι *seniores*, i. senes. Theodoretus hæc legit in sing. τοῦ Θεοῦ στερεοῦ τούτου, *Dei firmi hujus*: & mox, οὗτος ὁ Θεὸς ὁ πατάξας, *Hic est Deus qui percussit*. Non pugnat hæc lectio cum veritate Ebraica: nam אלהים tam *Deum* quàm *Deos* denotat: est enim nomen communis numeri. Terminatio semper pluralis est, sed sensum habet modò singularem modò pluralem. Singularem, cùm de uno dicitur, ut semper cùm de vero Deo, etiamsi sequantur adjectiva vel etiam verba pluralia. Sic אלהים קדשין *Deus sanctus*, ubi in constructione terminationis ratio habetur, non sensus. Nam licèt hæc ab alienigenis dicantur, videntur tamen aliquem sensum habuisse de uno deo Ebræorum, cùm præcedat, *Venit Deus in castra*. Quocirca Ebræi veteres hæc dicta putant à justis qui erant inter eos. Quò minùs spernenda versio illa, *è manu Dei illustris hujus, qui percussit*, &c. Sanè Jon. *è manu sermonis Domini, cujus opera magna ista: ista sunt virtus*, aut *potentia, Domini, qui percussit Ægyptum*: videtur in eadem sententia fuisse. Santes *Deorum fortium*. Trem. *magnificentissimorum*, & ait hæc dici ab idololatris impiè. Si erant idololatræ, tamen sciebant Ebræos unum Deum colere. Vide Nicolaum; sed & Davidem Ebræum. ¶ *Hi sunt Dii qui percusserunt*] Vel, *Hic est Deus ille qui percussit Ægyptum*. Nec obstat participium plurale, cùm talia exempla de vero Deo alibi occurrant, ut אלהים הלכו *Deus ivit*, &c. ¶ *Omni plagâ*] *Omnimodâ plagâ*, sive *plagâ omnis generis*. Lxx ἐν πάσῃ πληγῇ *in omni plaga*. Jon. בכל מחא. Qui vertit *prater singulas plagas*, vertit quod non est in Ebræo: viderit ergò. Aut, *qui percussit Ægyptum decem plagis*. Nam contrà *decem* ponitur pro *multis*. Sic etiam *omnis* pro *multis*. Posses vertere *multâ plagâ*. ¶ *In deserto*] Locus difficilis. Quidam subaudiunt copulam, *& in deserto*. Sic Jonathan, qui pluscula subaudit, *& in populo suo fecit mirabilia in deserto*. Senes quoque, καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ *& in deserto*. Nec aliter Rabbenu Jesaias, qui per *desertum* intelligit desertum maris Suph, i. Rubri. Quid si *ad desertum*. Sic quandoque significat, Testis בירוחו *ad Jericho*: sic בקרית יערים *ad Cariathjarim*. Huc referri possit ex hoc capite *castrametati sunt* באפק *ad Aphec*. Nulla difficultas ex hac observatione. Nam in mari Rubro, quod erat juxta desertum, submersus est Rex Ægyptiorum cum suis. Hæc plaga erat omnium instar. Imò omnes plagæ Ægyptiorum, quæ decem recensentur, in hac finem acceperunt, & cum ea comparari non possunt. Quid enim morte gravius? Videamus nunc alias interpretationes: nam plures sunt. Joseph Camius pater Davidis interpretatur ex illo Cant. 4. 3. מדברך נאוה *Sermo tuus decorus*, vel, *Eloquium tuum*. Sic autem interpretatur, *Verbo suo & pracepto suo percussit Ægyptum, nunc ipsemet venit. Veh ergò nobis. Mos*, inquit R. D. *praputiatorum ut Deos alienos appellent in numero multitudinis*. Idem post R. Salomonem annotat veteres Ebræos dicere mixtum hunc sermonem esse. Nam verba illa, *Quis nos liberabit è manu Deorum illustrium istorum*, dicunt homines recti qui in ea gente: quæ autem sequuntur, *Dii isti sunt qui percusserunt Ægyptum*, &c. dicunt homines improbi; hoc significantes, Decem plagis percussam fuisse Ægyptum; reliquas plagas quæ restabant Deo consumptas fuisse in deserto; Proinde non esse quòd metuerent sibi Philisthæi ab illo Deo cui nulla plaga ampliùs restabat.

9. *Estote viri*] Ad verb. *in viros*. Est Ebraismus notus. Sensus autem, Estote viri fortes: nam *vir* est nomen ἀρετῆς. Sic, *Virum te prasta*: Virgilius cum laude posuit,

Parciùs ista viris tamen objicienda memento.

Sic, *filii viri*, i. nobiles & honestiores cives. Cicero in Bruto, *Vidi Mitylenis virum, & vidi planè virum*. Liber Aboth, *In loco ubi non sunt viri da operam ut sis vir*, 1 Sam. 26. 15. *Nonne vir tu es? & quis tui similis?* Cicero, *Virum putabo*: &, *Vir est inter viros. Appellata est à viro virtus. Si virtutis compotes, vel potiùs si viri esse volumus*, אישי est *magnus* ובעל מעשים טובים. Jer. 5. 1. Prov. 8. 4. אישים Abenezra *divites*. Trem. *viri prastantes*. Gall. *nobles*. Igitur, *Estote in viros*, i. Viriliter agite, Præstate vos viros. Simile, *Ero eis in Deum*, i. Deus revera. Sic, *In uxorem esse*. Jonathan hoc loco, *Estote in viros*: & mox, *Estote in viros fortes*, לגברין גברין. Hieronymus hoc postremo loco, *confortamini*. Senes priore loco, γίνεσθε εἰς ἄνδρας: & posteriore, ἔσεσθε εἰς ἄνδρας. ¶ *Ebrais*] Jon. *Judais*: nam posterior ætas *Judaos* dixit quos anterior *Ebraos*. Sic fortè *Machabai* vocantur omnes Hasamonæi: nam cognomen Judæ tantùm est *Machabaus*; unde reliqui non possunt dici *Machabai* propriè loquendò. *Hasamonai* autem vocantur à Matthathia patre ipsorum, qui *Hasamonaus* cognominabatur.

12. *Vir Benjamin*] *Benjaminita*, vel potiùs *Benjeminita*. Nam dicimus *Benjemini*, Camets in Scheva converso. Licet etiam dicere *Benjeminaus*. Sanè Senes hìc habent ἀνὴρ Ἰεμιναῖος *Vir Jeminaus*, i. איש ימיני, quod nescio an uspiam inveniatur. Hieron. *Vir de Benjamin* מן בנימן. Jon. *Vir de tribu Benjamin* משבט. *Vir Benjamin* ità dicitur ut *vir Juda*, i. Judæus. Sic *vir Israel*, Israelita; *vir Abiezer*, Abiezrita; *vir Ephraim*, Ephraita, seu Ephraites: quæ posteriora etiam pluraliter usurpantur pro *Israelitis, Abiezritis, Ephraitis*, ut suo loco diximus. Subtiles Magistri somniant Saulem filium Cis surripuisse Goliatho tabulas ex Arca: quod multis refutat hoc loco R. D. Nam non impunè hoc tulisset, cùm Bethsamitæ, qui Israelitæ erant, ob visam Arcam mortem non effugerint. ¶ *Vestimenta ejus discissa*] מדיו *vestes ejus*: unde μανδύη, quâ voce usus hìc fuit interpres Aquila, si credendum Theodoreto qu. 43. Nam ait *Aquilam posuisse* μανδύην διεῤῥηγμένην quod reddunt *mantellum laceratum*. Priùs erat in Lxx καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ διεῤῥωγότα, *& vestimenta ejus discissa*. Hieron. *scissâ veste*. Jon. *indumenta ejus scissa*. Mos erat Ebræorum, ut & aliarum gentium quoque, ut in magno dolore vestes lacerarent, & caput pulvere vel terrâ opplerent. Ὁ μανδύας *Persicum vocabulum*, Briss. 280. ἔοικε φαινόλῃ, Eustathius Ὀδυσσ. 7. Jud. 3. 16. מתחת למדיו. Lxx ὑπὸ τὸν μανδύαν. Hieron. *subter sagum*. Reperitur & מדו 1 Sam. 19. & 2 Sam. 10. Senes alibi χιτῶνα reddunt, ut Lev. 6. 10. Vide Diction. Ebraicum. Sæpius μανδύαν, 1 Sam. 17. 38. 39. item 18. 4. & 2 Sam. 20. 8. Vide sis. Thesaurus linguæ Græcæ, Μανδύας, ὁ, *vestimenti militaris genus apud Persas, ut est apud Hesychium*. Suidas esse dicit *speciem vestimenti qua* λωδίκιον *dicatur*. Pollux fem. gen. habet μανδύη, dicens eam esse ὅμοιόν τι τῷ χλαυνίῳ φαινόλῃ. Volunt esse quod *mantelum* Plautus appellat, vulgus etiamnum *mantellum*. Hinc discimus unde domo sit μανδύη. ¶ *Terra super caput ejus*] Hieron. *conspersus pulvere caput*: ועפר על ראשו. Lxx καὶ γῆ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. Thargum, *& pulvis projectus super caput ejus*. Hinc πολύκονον illud, *Terra pulveris*. Nam *pulvis* & *terra* synonyma sunt. Vide Tremellium.

13. *Manum via speculans*] i. locum viæ. Trem. *latus via observans*. Nam *manus* etiam *latus* denotat. Intelligit autem viam quæ respiciebat lapidem Auxilii, ubi prælium consertum fuit. Sic Jes. 56. 5. *dabo illis in domo mea & in muris meis manum & nomen*, i. locum: item Jes. 10. 5. בידם *in loco ipsorum*, h. e. in terra Israel. & Job. 1. 14. & 37. 7. ידים *locus*: nec non Jos. 8. 20. Pro *spatio* sumitur Jes. 33, 21. *rivi lati manibus*, i. spatiis. Cæterùm in lectione est יד *manus*, in scriptura verò יך *percussit*, quam sic enarrant, *Percussit cor suum*, aut, *Percussit se cor ejus viam spectans*. Cor se percutit in magno motu. Sic alibi, *Percussit cor Davidis eum*. Sed vide D. Camium, qui lectionem interpretatur מקום *locum*; firmat hoc loco, *Et manus erit tibi*. Hieron. *contra viam exspectans*. Lectio varians, *spectans*. Lxx παρὰ τὴν πύλην σκοπεύων τὴν ὁδὸν, *apud ostium speculans viam*. Jon. *juxta stratam viam porta speculans*. כסא Senes hic reddunt δίφρον, & Hieron. *sellam*. Nec aliter Jonathan. Quanquam in Munstero כורסיא *solium, thronus*. *Solii* voce usus est h. l. Tremellius.

15. *Oculi*

15. *Oculi ejus stabant*] Ad verb. *Stabat*. Et est sensus, *Uterque oculus ejus stabat*. *Stare* autem dicitur oculus in senio, quando se non ampliùs movet, humido nativo exsiccato, nervis in foramen suum ingressis. Tunc homo penitus caligat, & nihil clarè videt, nec funguntur oculi officio suo. Hieron. *& oculi ejus caligaverant*. Id כהה dicitur propriè. Antea *cœperant caligare*, nunc omnino *caligant*. Lxx καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἐπανέστησαν, *& oculi ejus steterant*. In ed. Rom. *obriguerant*, aut *quasi se exseruerant extra locum suum*, aut *suo ampliùs officio non fungebantur*. Compl. ἐβαρύνθησαν *gravati erant*. Sunt qui malunt *consumpti erant*: ex Thargum כלו עיניהם *consumpti sunt oculi eorum*, redditur קמה עינהון *stetit uterque oculorum ejus*; quo verbo & hîc usus est Jonathan.

17. *Nuncius*] Hic *nuncius* dicitur המבשר, quæ vox sign. *eum qui nova nunciat*, sive læta fuerint sive tristia. Nam quid tristius hoc nuncio? Malè igitur interpretantur εὐαγγελίζων *evangelizans*, quod tantùm usurpatur de *eo qui læta nunciat*, sive *lætum nuncium adfert*. Videndus R. D. ad h. l. Qui læta nunciat vocatur מבשר טוב *nuncians bonum*, Jes. 52. 7. *Bonum* enim quod lætum. Hinc בשירה טובה *nuncius bonus*, i. lætus. 2 Sam. 18. 17. *nuncians*. בשורן טבן *nuncia bona* Gen. 49. 21. in Jon. & Jerus. R. D. Psal. 96. 2. הבשירה est *narratio rerum novarum, quæ dulcis est homini auditu*. Vide sis eundem Psal. 40. 10. In historia Ebraica lib. 201. 11. *Arbor nunciat* מבשר *tibi quòd citò morieris manu domesticorum & propinquorum tuorum*. Semel accipi videtur de *eo qui læta nunciat*, 1 Sam. 4. 17. & ipse erat כמבשר ut qui læta nunciat in oculis suis. Sic usurpatur etiam in Johasin 126. 2. ¶ *Arca Dei capta est*] נלקחה gen. fem. Sæpius masculinè construitur ארון נלקח: nam terminatio masc. Sed fem. construitur etiam ibi, *Venitque ad eos arca Domini*: nam est באה in fonte. Fallitur ergò Rabbenu Jesaias, qui tantùm semel ità reperiri scribit, videlicet hoc in loco. Vide sodes.

18. *Cecidit è sella*] Præ nimio dolore cordis qui prehendit eum. ¶ *Retrorsum*] Ὀπισθίως. ¶ *Juxta manum portæ*] i. *Locum*, aut *latus*. Hieron. *juxta ostium*. Lxx ἐχόμενος τῆς πύλης *juxta portam*. Jon. *juxta stratam viam portæ*. In fonte בעד, quod *circum* sign. ut Psal. 3. בעדי *circum me*, ut possis vertere *circa locum portæ*. Sed Tremellius hîc maluit *ante latus portæ*. ¶ *Fracta cervix ejus*] Nicolaus, *In Ebræo habetur, fracto colle suo*. מפרקת propriè *os colli*; quod ità vocatur quia *factum est (constat) ex* פרקים פרקים, ait R. D. Hier. *fractis cervicibus*. Santes *confractum est occiput ejus*. Lxx συνετρίβη ὁ νῶτος αὐτοῦ, i. *dorsum*, aut *tergum*, *ejus*. Jon. פרקותה *cervix*, aut *os quod exit è posteriore parte colli*. Tremellio est *vertebrarum cervicis compages*. Salomoni Jario dicitur אפרקות. ¶ *Et gravis*] *Gravis corpore* propter senium non facilè moveri loco poterat; aut *gravis carne*, i. corpulentus; aut *gravis annis*, i. grandævus: ità Hieronymus. Lxx καὶ βαρύς. Thargum יקיר *gravis*. בעל בשר Hæc gravitas erat causa mortis ejus cùm caderet. ¶ *Quadraginta annos*] In ed. Rom. εἴκοσι ἔτη *viginti annis*, ità vetusti codices; & sic Eusebius in Chronicis ait scripsisse Lxx, ut & Lucifer. Sed in impressis est τεσσαράκοντα, ut etiam in Ebræo, & in Vulg. nostra; nec mutat Jonathan interpres Chaldæus.

19. *Ad pariendum*] Sensum expressit Hieronymus qui vertit *vicina partui*. Nam *ad pariendum* positum videtur pro עתירה ללדת *inibi ut pareret*. Id contrahunt in ללת, extritâ Daleth literâ. Contra fit in עמדי *mecum*, ubi Daleth inserta. Sic אחת pro אחדת. Nam masculinum אחד cum Daleth in fine. Lxx τοῦ τεκεῖν, & Jon. למילד *ad pariendum, ut pareret*. Moses Camius frater Davidis à ילל deducit, ut fit ללת pro לללת, sicut לתת dicimus pro לתנת. Quod ut probabiliter ab eo dicitur, ità causa nulla est cur hanc novam opinionem præferamus receptæ, quam interpretes omnes expresserunt, uno Aria excepto, qui hîc Santem emendat *ad ululandam*, acsi malè vertisset *ad pariendum*. Si hoc est corrigere, tum ego fateor me nescire quid intersit inter *corrigere* & *depravare*. ¶ *Versi sunt in ea dolores ejus*] Dolores partûs intelligit, quos *nixus* vocant. צירים *cardines januæ*, & *dolores parientis*. Ut janua vertitur in cardine suo, sic parturiens se vertebat in doloribus hisce, quos aggravarunt dolores rumoris quem acceperat de capta Arca & de morte soceri maritíque. Vide Camium.

20. *Filium peperisti*] Hoc dicebant ut ipsam exhilararent. Gaudebant enim matres de sexu virili magis quàm de muliebri. Sic Heva exsultans dicit, *Acquisivi virum*, i. sexum virilem, *cum DOMINO*.

21. *Ichabod*] Id sonat, *Non est gloria*. Nam אי valet אין, ultimâ resectâ, quod usitatiùs dicunt אין *non*. Sed אין legitur in illo, *Non est hîc sub manu tua*. Vide Camium. Aut valet, *Ubi gloria?* ut sit אי pro איה, i. *ubi*. Nicolaus ICHABOD interpretatur *Inglorius*. R. S. simile exemplum producit, אי נקי pro אין נקי *non purus*. Arca Dei vocatur *gloria Israel*. Vide tropos. ¶ *Eò quòd capta esset*] Hîc אל valet על *de capta*, &c. Sic, *de socero & viro suo*. Vult dicere, *propter mortem soceri sui & viri sui*. Vide R. S. Hieron. *quia capta arca*, &c. *& pro socero suo & viro suo*. Lxx ὑπὲρ τῆς κιβωτοῦ τοῦ Θεοῦ, &c. Jon. *quia capta est arca Dei, & quia mortuus socer ejus, & occisus vir ejus*.

GROTIUS.

3. *Afferamus ad nos de Silo arcam Federis Domini*] Non purgati à peccatis suis frustrà spem in Deo collocant.

8. *Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum*] De Deo Hebræorum non ut de Deo universi, sed ut de Deo populi illius loquuntur. Confer 1 Reg. 20. 23, 28. 2 Reg. 19. 12.

21. *Translata est gloria de Israel*] Arca super quam Deus gloriosè apparere solebat.

CAP. V.

MUNSTERUS.

4. *Tantùm forma piscis*] Dicunt Hebræi Dagon formam piscis habuisse infra umbilicum, supra verò habuit figuram corporis humani: idque arguunt ex voce ipsa דגון, quæ à דג, quod *piscem* sign. formatur. Unde hunc locum, *Tantùm forma piscis relicta est in eo*, sic exponunt, צורת דג נשאר עליו. Jonathan tamen sic vertit לחוד גופיה דדגון אשתאר עלוהי, *Tantùm corpus ipsius Dagon residuum mansit in eo*, præcisis scilicet palmis & capite.

6. *In inferioribus ventris*] Habet hæc vox עפולים secundùm Hebræos in hoc loco contrariam significationem. Cùm enim עופל aliàs significet *arcem* aut *propugnaculum in alto loco situm*, capitur hîc pro חולי התחתניות *morbo inferiorum corporis partium*. Hunc morbum quidam putant fuisse Ficum, qui in locis secretis interiora ventris depascebatur; alii verò asserunt fuisse Fluxum sanguinis incurabilem. Scribitur proinde hîc עפלים, & legitur טחורים, quod sign. *Hæmorrhoidem*. Alii volunt intelligere Intestinum præcipuum; aut morbum qui in eo est, Ficum, vel Dysenteriam.

9. *Habuerunt secretos morbos*] Heb. *absconditique sunt morbi illorum*. Est enim hîc שתר idem quod סתר, non obstante quòd ש habet punctum Jamin. Et quoniam morbus ille absconditus fuit & non in propatulo, graviùs affligebat Palæstinos, cùm nullam medelam adhibere possent.

10. *Ekron*] Hæc est urbs quam nostri vocant *Accaron*.

VATABLUS.

VATABLUS.

1. *Tulerunt*, לקחו] *Ceperunt*, vel, *ceperant*. ¶ *Ab Eben-haezer*, מאבן העזר] Vide c. 4. 1.

3. *In crastino*, ממחרת] *Postridie*.

4. *Tantùm Dagon*, רק דגון] Doctus inter Hebræos ex sententia suorum Doctorum dicit Dagon ab umbilico & infrà fuisse formâ Piscis, idcirco dicit *Dagon*, דג enim est *piscis*; ab umbilico verò & suprà instar Hominis fuisse, sicut hîc dicitur, *Et ambæ manus ejus*, &c. unde exponunt, *Tantùm Dagon*, i. formam piscis remansisse.

5. *Usque ad diem hanc*, עד היום הזה] *Usque in hodiernum diem*. Hoc refertur ad tempus quo iste liber scriptus fuit.

6. *Et desolavit eos*, וישמם] *Et perdidit eos, contrivit, devastavit, attrivit*. ¶ *Mariscis*, בעפולים] *Vitiis sedis*, sive *podicis*. עפול significat *partem exstantem & prominentem*. Dicit autem doctus inter Hebræos podicem ità vocari per antiphrasin, quòd minimè exstet. Medici tamen dicunt eum exstare propter morbum, nempe quando procidit. ¶ *Asdod & fines ejus*, אשדוד ונו'] Nimirum cives *Asdod* & habitatores *finium ejus*.

7. *Quòd sic*, כי כן] i. Rem sic se habere, scilicet confici sedis vitiis. ¶ *Quia dura est manus ejus*, &c. כי קשתה ונו'] i. Quòd nos mirè affligat.

8. Ad *Gath circumducatur*, נת יסוב] Hic נת pro לנת positum est, *ad Gath abducatur*, vel *devolvatur*.

9. *Contritione magnâ valde*, מהומה גדולה מאד] Cum *contritione quammaxima*. Vel, in *contritione*, i. fuit plaga in cives urbis Gath, ità ut attererentur. Mox seipsum exponit cùm dicit, *Et percussit viros civitatis*, &c. ¶ *Et in locis occultis*, &c. וישתרו להם עפולים] Ad verb. *& abscondita sunt illis sedis vitia*, i. exorta sunt illis vitia in parte secretiore intestini recti: laboraverunt vitiis sedis in parte ipsius sedis non patente, tam parvi quàm magni.

10. *Exclamaverunt*, ויזעקו] *Tum vociferati sunt*. ¶ *Circumduxerunt*, הסבו] *Abduxerunt*, i. amandaverunt à se ad nos. Sunt verba Satrapæ.

11. *Dimittite*, שלחו] *Amandate*. ¶ *Ut revertatur in locum suum*, וישוב למקומו] Ad verb. *& revertetur in locum suum*, nempe in Silo, sive in terram filiorum Israel. ¶ *Contritio mortis*, מהומת מות] *Fractio mortis*, i. maxima lues & morbus lethalis grassabatur: multi moriebantur in civitate. ¶ *In tota ea urbe*, בכל העיר] Quidam legunt *in omni civitate*: acsi morbus fuisset in omnibus urbibus Palæsthinorum, quod doctioribus minùs probatur. ¶ *Gravis erat*, &c. כבדה מאד יד ונו'] i. Gravissimè affligebat Dominus eam urbem.

12. *Mariscis*, בעפולים] *Vitiis sedis*, sive *procidentiâ ani*. ¶ *Ascenditque*, &c. ותעל שועת העיר השמים] Hyperbole, pro, *exauditus est ejulatus maximus civium ejus urbis*.

CASTALIO.

6. *Podicis morbo*] Condylomatis, cùm procidit sedes.

CLARIUS.

3. *Dagon jacebat*] Cernis ut ubique gloria Domini emineat etiam tum cùm dejecta existimatur?

6. *In secretiore parte natium*] Alius vertit *in inferioribus ventris*. Hunc morbum quidam putant fuisse Ficum, qui in locis secretis interiora ventris depascebatur: alii verò asserunt fuisse Fluxum sanguinis incurabilem.

9. *Secretos morbos*] Et quoniam morbus ille absconditus fuit, & non in propatulo, graviùs affligebat Palæstinos, cùm nullam medelam adhibere possent.

DRUSIUS.

1. *A Lapide adjutorii*] Locus erat qui *Abenezer* dicitur, cujus suprà meminimus. ¶ *Azotum*] Ebraicè *Asdod*, una ex quinque urbibus Philisthæorum, quam tribus Juda, cui decreta erat, non potuit capere. Obiter hîc emendandus Rabanus, in quo, *Asdod, Ignis patris*: imò *patrui*, non *patris*. Nam DOD *patruus*. Eusebius, *Asdod, in sorte tribûs Judæ, quæ nunc vocatur Azotus; in qua derelicti sunt gigantes qui appellabantur Enacim: & est usque hodie insigne oppidum Palæstinæ*. Hieron. in Comment. Zach. 9. *Asdod, Ignis patrui, aut Ignis mamillæ*. πῦρ πατραδέλφου. *Mamilla* potiùs שד dicitur. In eodem Hieronymo, *Ignis generationis*, דורו: error unius literæ, quem non ignoravit idem Hieronymus, in Amos 1. ità scribens, *Azotus*, i. *Esdod, Ignem uberis, seu patrui, sonat. Licèt quidam* DOR *pro* DOD *malè legentes Ignem generationis putent*. In nom. de Jesu Nave, *Gens patrui* pro *Ignis patrui*. In nom. de Actis Apost. *Azotus, Ebraicè vocatur Asdod, & secundùm pristinum nomen etymologiam habet Ignis patruelis*. Vide & Zachariam in unum è quatuor 9. 6. *Obsessa fuit olim à Psammiticho Rege Ægypti annos undetriginta continuos*, Herodot. l. 2. *Posterior ætas Palmim eam dixit*, Benjamin Tudelensis in Itiner. p. 49. *In hoc quarta Venus sive Astareta singulariter colebatur*, Masius in Jos. 15. 47. *Asdod, Asdodus*, & indè *Azotus*.

2. *In Domum Dagon*] In fanum Dagonis idoli sui, quod R. Levi scribit *habuisse figuram hominis*; R. S. *piscis*. R. D. *Superiore parte erat homo, usque ad umbilicum; inferiore, h. e. ab umbilico & infrà, piscis: unde nomen habere creditur*: nam DAG, *Piscis*. Philo Byblius ex historia Phœnicum Sanchuniathonis, quam olim in Græcum sermonem convertit, interpretatur *Dagon* σιτῶν, q. d. Ζεὺς ἀρότριος *Jupiter arotrius*, quòd frumentum & aratrum invenerit. Sanè *Dagon* est *frumentum*. Eusebius in libris Πρϵπαρασκ. p. 23, & 24. Dagonum memorat ex quatuor filiis Urani, quos ex Ge, i. Terra, suscepit. Fratres habuit Ilum, & Betulum, & Atlanta. Porrò statuas Deorum formam animalium habuisse docet Porphyrius, & ex eo Eusebius libro citato, p. 57. Putatur à nonnullis Triton esse, inferiore parte piscem referens; superiore habebat manus, &, ut Virgilius canit,

Frons hominem præfert, in Pristin desinit alvus.

Vide quæ scripsimus Jud. 16. 23. Lira Ebræos laudat qui dicunt eum habuisse caput piscis, & indè nomen accepisse. Quod si verum, unde illi manus? an corpore reliquo hominem referebat? ¶ *Juxta Dagon*] Παρὰ Δαγών. Jon. *in latere Dagonis*. Si rectè, posuerunt Arcam juxta eum in latere ipsius.

3. *Azotii*] Οἱ Ἀζώτιοι. Santes maluit *Asdodii*, quod in idem recidit. Jon. *viri Asdod*. Hieron. *Asdodii, Ignis patrui mei*. Aut falsum hoc, aut legendum *Asdodi*, i. Azotius. DODI, *Patruus meus*, πατράδελφός μυ. ¶ *In faciem suam*] Hic לפניו exponitur על פניו, autoritate Jonathani, qui vertit על אפוהי *super facies suas*. Sic etiam LXX ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Compl. addit ἐπὶ τὴν γῆν *in terram*, ארצה.

4. *Surrexerunt manè manè*] Vel *diluculo manè*. Nam השכים *surrexit diluculo*, quod Græci uno verbo dicunt ὀρθρεύειν. Additum ex abundanti, vel certè ad *summum manè* indicandum בבקר, quod Jonathan interpretatur צפרא. ¶ *Caput Dagon*] Adhuc quæro apud Ebræos ubi scriptum sit Dagonis caput factum fuisse ad similitudinem piscis cujusdam. Nam aliter eos sentire de hoc idolo, declarant superiora; quæ non itero. Nicolaus, qui hoc scribit, viderit: non est temere ei credendum. ¶ *Vola manuum ejus*] Hieron. *palmæ manuum ejus*. LXX τὰ ἴχνη χειρῶν αὐτοῦ *vestigia manuum ejus*. Alius *articuli manuum ejus*. Vide Rom. ed. Latinam. Jon. פיסת ידוהי, quod *volas* interpretantur, alii *articulos*, alii *extremitates*. Doctores *volam* eâ voce significant, ut cùm dicunt, *extendit tres digitos suos super volam manûs suæ*, על פס ידו. ¶ *Abscissa*] Sub. *jacebant*, vel *erant*. ¶ *Super limen*] *In limine infero*, quod מפתן Ebræis. Nam *limen* אסקופה dicitur. Hîc אל ponitur pro על, ut alibi אל מצח *super frontem*.

frontem. Duplex limen ſuperum, inferum. Illud propriè כפתור, hoc מפתן dicitur, quod corruptum in ed. Rom. in *Amapheth*, & *Aphathem* : nam legendum *Maphthem*, vel, ſi mavis, *Maphthan* cum *N* in ultima, μαφθάν. Hieron. *ſuper limen.* Lxx ἐπὶ τὸ πρόθυρον *in limen.* Ibidem οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ, quod vertunt *articuli manuum ejus.* Sed notum quinam ſint *carpi manûs*, unde *labores* τῶν καρπῶν σου, quod malè reddunt *fructuum tuorum*, cùm reddi debeat *carporum tuorum*. Ebr. כפיך *manuum tuarum*, niſi mavis *volarum tuarum*. ¶ *Tantùm Dagon remanſerat in eo*] Hieron. *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo, Dagon.* i. *truncus ejus.* Sic Jon. *corpus ejus.* Lxx ἡ ῥάχις Δαγὼν, quod interpretantur *truncus Dagon*. Lex. vetus, Ῥάχις, *ſpina*. R. D. *Tantùm figura piſcis*, ſive *id quod piſcis formam referebat*, h. e. *inferior pars ab umbilico, quæ piſcem referebat, unde* DAGON *appellationem accepit. Propterea ea pars propriè* DAGON *vocatur.* Gloſſa ordinaria, *Dorſum totum invenerunt fractis omnibus membris.* Nam ῥάχις pro *dorſo* uſurpatur; ut cùm dicimus *dorſum folii, montis, terræ* : unde ῥαχίτης *dorſualis*.

5\. *Sacerdotes Dagon*] Jonathan hîc habet כומרי דגון quæ vox non uſurpatur, quod ſciam, niſi de ſacerdotibus deorum falſorum, cùm veri Dei Sacerdotes propriè כהנים dicantur. ¶ *Super limen Dagon*] Limen inferum intelligit fani Dagon. Eſt igitur locutio, *limen Dagon* pro *domûs Dagon*, ut *mons Domini* pro *domûs Domini*. Sic *clavis David*, pro *domûs David*. Sed cur non calcabant limen illud? Fortaſſe opinabantur ſacrum eſſe eò quòd illic inveniſſent caput Dagonis cum volis manuum ejus.

6\. *Manus Domini*] *Plaga Domini.* ¶ *Gravis fuit*] i. Magna. Sic *gravis fames*, Gen. 41. 31. i. גדול *ingens, petra gravis*, Jeſ. 32. 2. *umbra gravis*, i. magna. Job 23. 2 *Manus mea*, i. *plaga mea, gravior eſt gemitu meo*, i. major. *Plaga mea*, quæ mihi infligitur; *plaga Domini*, quam infligit aliis. Nam non contentus numen ipſorum plagâ affeciſſe, etiam populo plagam ingentem infert, quam hîc vocat *manum Domini*. Nam manu plaga infligitur. ¶ *Super Azotios*] אל pro על. Jon. *ſuper virum Aſdod*, i. viros, ſi modò אנש hîc ſign. *virum*, & non *hominem*. *Homines Aſdod*, i. Aſdodii. Nam *viri Aſdod* potiùs גברי אשדוד. ¶ *In natibus*] Vel, *mariſcis*. Scriptura בעפלים habet, lectio בטחרים, quam retinuit Jonathan. Nam vocales ſunt ejus nominis. Sic tetragrammaton cùm habet puncta nominis *Elohim* debet legi per *Elohim*, cùm habet puncta nominis *Adonai* debet legi per *Adonai* : nam proprias vocales non habet: ideo vocatur *ineffabile* ἀνεκφώνητον *& non dicendum* καὶ ἄρρητον. Vocales eſſe illius nominis vel ex eo liquet quòd ſub Ain in principio dictionis interdum ſit nudum Scheva, quod literam illam nunquam movere ſolet, niſi dilatetur per vocem aliquam è tribus brevibus, quæ ſunt (ˉ) & (¨) & Camets correptum. Nunc ad ſenſum. Hieron. *percuſſit in ſecretiore parte natium Azotum.* Huic interpreti טחרים ſunt *nates ſecretiores*. R. S. duabus vocibus utitur ἰσοδυνάμοις, quarum prior eſt חלוחלת, ſed puto legendum הלחולת, quomodo ſanè ſcriptum hoc nomen in eodem Salomone Jeſ. 37. 12. & eſt *inteſtinum rectum*, quod *longanum* appellant, unde ſtercus exit. Idem ברכשא dicitur, quod & ברכשתא, vernaculè טבח״יא, ait idem Rabbinus, qui utroque vocabulo hic utitur, ut etiam Jeſ. 37. 12. ubi unum explicat per aliud. Addit h. l. *Plaga eſt foraminis : intrant mures & vaſtant filios viſcerum & exeunt.* נקב *foramen.* Duo ſunt foramina in homine, magnum & parvum. Magnum eſt, per quod ſtercus excernitur; ut parvum, per quod lotium redditur. Unde dicunt, צריך לנקביו, *Indiget foraminibus ſuis*, pro eo quod eſt, *Debet exonerare alvum & lotium reddere* : item dicunt, *Indiget foramine minore*, aut *foraminibus parvis*, pro eo quod eſt, *Debet urinam reddere*, aut *meiere*. R. D. ait טחורים genus morbi eſſe: Quale autem ſit non explicat. Idem עפלים ſcribit ſignificare *loca alta*. Nam עפל *locus editus* : ſed hîc eo cognominari vult התחתוניות, h. e. *partes inferiores*. Ità loquendo nates innuit. Sanè in Nomenclatore Eliæ תחת exponitur *Anus, ani, Podex.* Hoc ſignificatu uſurpat vocem תחתיניות idem R. D. 2 Reg. 18. 27. R. Levi exponit טחורים, dicens eſſe *morbum qui gravem dolorem infert, unde exeat ſanguis multus.* Videtur innuere hæmorrhoidas, quo vocabulo uſi ſunt hoc loco interpretes nuperi è Germania. Græca dictio eſt αἱμοῤῥοΐς, de qua in hunc modum Gorræus, Αἱμοῤῥοΐς *duo ſignificat, ſcilicet ipſum ſanguinis effluvium per venas quæ in ano ſunt, tum venam ipſam quæ in ano eſt dilatatam ſanguinémque fundentem atra bili mixtum.* Gaza apud Ariſtotelem interpretatur *mariſcam*. Quod noto quia Santes hîc *in mariſcis*. Sunt autem Mariſcæ tuberculæ quæ circa podicem naſcuntur. Quidam *ficos* appellari putant apud Martialem in illo,

Dicemus ficos, Caciliane, tuos.

Si quidem *mariſca* ficus grandiores & inſipidæ, quas à Græcis βύσυκα vocari tradit Feſtus. Vocem עפלים Senes alibi ἕδρας reddunt, i. *ſedes*; quomodo hîc Aquila ἐν ταῖς ἕδραις, Sym. autem κατὰ τῶν κρυπτῶν, quo ſignificat *partes occultas*, ſive *quæ occultari debent.* Porchetus, referente Forſtero, ſcribit hoc nomine ſignificari *morbum qui à Græcis* τεινεσμὸς *vocatur, qui eſt irritus egerendi conatus cum inflammatione ac tumore ſedis, mucoſa & ſanguinolenta quædam egerentis.* Sunt qui טחור exponant *ſtrictum & compreſſum meatum*, à verbo Chald. טחר, quod *comprimere & conſtringere* ſign. עפלים autem dici putant ab *exſtando*, quòd minimè exſtet, κατ' ἀντίφρασιν, aut quòd exſtet propter morbum, ut Medicorum filii tradunt, cùm procidit. ¶ *Terminos ejus*] Urbem percuſſit *in natibus*, aut, ut alii, *mariſcis*, vel *hæmorrhoidibus*; regionem autem percuſſit muribus, qui admodum eam infeſtarunt. Itaque ſequitur in ed. Vulg. *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in civitate* : quæ aliunde huc tranſlata è margine in contextum irrepſerunt: nam abſunt à libris antiquis. Murium etiam meminerunt hoc loco Lxx. Vide Rom. ed. 1 Sam. 5. in fine notarum. Nicolaus, *Totus iſte verſus non eſt in Ebræo, nec in libris antiquis*, &c. Idem paulò antè, *Percuſſi fuerunt dyſenteriâ vehementi, ità quòd inteſtina inferiora per quæ fæces egrediebantur putreſcebant, vel ſcaturiebant vermibus, & exteriùs prominebant.*

7\. *Viri Aſdod*] i. Azotii, ἄνδρες Ἀζώτου. Hier. *viri Azotii*, ſed minùs bene. Nam *viri Azotii* אנשים אשדודים, ut *viri Athenienſes*. Jon. אנשי אשדוד. ¶ *Quòd ſic*] Quòd ſic punirentur, vel quòd talem plagam ſuſtinerent, propter Arcam. Hieron. *hujuſcemodi plagam.* Jon. *quòd poſita eſſet ſuper eos plaga.* Alius *ità rem ſe habere.* Lxx ὅτι οὕτως *ità eſſe.* ¶ *Non maneat nobiſcum*] Ad verb. *Non ſedeat.* *Sedere* pro *manere* notavi aliàs. *Nobiſcum*, i. apud nos. ¶ *Dura manus ejus contra nos*] Jon. *fortis plaga ejus.* Sic etiam vertit, *gravis manus ejus. Dura plaga*, ut *dura dies, durum tempus. Via dura* aliud eſt.

8\. *Dixerunt*] Satrapæ Philiſthæorum, non Gethæi, ut habet Vulgata noſtra poſt Lxx interpretes. In גת enim deſideratur Lamed, ut לגת, *in Gath circumducatur.* Id probatur autoritate Jonathæ: nec Ebraica ſcholia reclamant.

9\. *Occulta fuerunt*] Quia in occultiore parte corporis, aut quoniam intra viſcera hic morbus gignitur. *Occulta*, & ideo ignotæ: nam occulta non ità omnibus patent. Hîc eſt שתר per Schin pro סתר per Samech. Quò referri debet Sym. illud κατὰ τῶν κρυπτῶν. עפלים autem in quibuſdam libris ſcribitur cum nudo Scheva ſub Ain, quia legendum טחרים. Habetur enim ratio lectionis. Alii tamen ſcribunt עפלים cum Chateph Phathach. In Maſſora notatum 18 dictiones eſſe quæ ſcribuntur per ש & leguntur per ס, cujus meminit & R. S. יסבו ponit Dages in ס & in ב, id notant ſcholia Ebraica. Cæterùm quia mariſcæ occultæ erant, ideo duriores & difficiliores curatu fuerunt. Propterea vocatur מכת בית הסתרים *plaga domûs*, ſive *loci, ſecretorum.* מהומה autem eſt *perturbatio, contritio, vexatio, ſtrepitus.* Rabbenu

Iſahac,

Isahac, *Quia hæmorrhoides natæ sunt in medio viscerum*, aut *ventris*, i. מעי, *utitur verbo Abscondendi*; *& quia viderunt occulta Creatoris, vapularunt per plagam quæ in domo occultorum.*

10. *Accaronitæ*] Principes urbis hoc dicebant: nam sequitur, *ad morte afficiendum me & populum meum*: & est sensus, *Quisque Accaronitarum*. Jon. *ad occidendum nos & populum nostrum*. Sic etiam Hieron. & Lxx. Nec variant versu qui proximè sequitur.

11. *Contritio mortis*] Hieron. *pavor mortis*. Lxx σύγχυσις *confusio*. Trem. *vexatio lethalis*. Thargum שבוש קטלא *perplexitas occisionis*, vel *cadis*. Quid si *strepitus mortis*, aut *commotio mortis*? Videndus R. S.

12. *In sedibus*] Vel *natibus*. Lxx εἰς τὰς ἕδρας. Hieron. *in secretiori parte natium*. Theodoretus qu. 13. addit Aquilam dixisse τὸ τῆς φαγεδαίνης ἐχήκασιν ἕλκος, *laborarunt ulcere exedente, quod vocant* φαγεδαίνην *Phagedænam*; Josephum autem docuisse in dysenteriæ illos incurrisse morbum. Vide, si placet.

IDEM.

6. ויך אותם בעפלים. A. καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἐν ταῖς ἕδραις, *& percussit eos in sedibus*. Sym. καὶ ἔπληξεν αὐτοὺς κατὰ τῶν κρυπτῶν, *& percussit eos in occultis*] *In sedibus*. *Sedem* vocant podicem anique circulum, quem Græci similiter ἕδραν indigitant. Nam & Lxx hîc habent εἰς τὰς ἕδρας, quod non nemo vertit *in natibus*. Hieron. *in secretiore parte natium*. Alii *in mariscis*: alii *in anis*. ¶ *In occultis*] In occultiore secretioréque parte natium, h. e. in ano vel in podice. Idem aliter.

12. הכו בעפלים. A. Τὸ τῆς φαγεδαίνης ἐχήκασιν ἕλκος, *phagedæna*, sive *phagedænico*, *laborarunt ulcere*. Sym. ἐξελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι, *dissolutæ sunt illis sedes*] Addit Theodoretus, Ὁ δέ γε Ἰώσηπος τὸ τῆς δυσεντερίας αὐτοῖς ἐγγίνεσθαι πάθος ἐδίδαξεν. Hæc ille εἰς τὰ ἀπορα τῆς θείας γραφῆς.

GROTIUS.

5. PRopter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto] Voluit Deus miraculi à se dati monumentum exstare in ipsis idololatrarum ritibus.

6. *In secretiori parte natium*] In Hebræo scribitur עפלים legitur טחרים, ut & Deut. 28. 27. quibus locis, Lxx εἰς τὴν ἕδραν, & εἰς τὰς ἕδρας. Symmachus, ἐξελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. Fici aut Mariscæ videntur intelligi. At Josephus δυσεντερίαν fuisse putat; Aquila, referente Theodoreto. φαγέδαιναν.

8. *Congregaverunt omnes Satrapas Philisthinorum*] Fuere ergò Philisthini ὀλιγαρχούμενοι.

9. *Et computrescebant prominentes extales eorum*] In Hebræo sensus videtur esse; *Et antè ignota illis fuerant mariscæ*; ut ipsa novitas morbi ostentum augeat.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

3. REddendo reddetis ei oblationem] Secundùm Hebræos utitur hic Scriptura verbo השיב, quod *reddere & restituere* sign. quòd homo peccans, quantum ex se est, tollit id quod est Dei & sibi usurpat, atque ideo tenetur iterum ablatum restituere si cupiat Deum sibi habere propitium. *Restitutio* illa est cordis contritio; atque hujus signum, exterior oblatio.

5. *Murium vestrorum*] De muribus Hebræi sic scribunt, *Cùm ex infirmitate ani etiam intestinum rectum propenderet, & effunderet sanguinem atque reliquum ventris succum, veniebant mures terræ & intestinum arrodebant cum maximo patientis dolore. Unde consulunt idolorum cultores & ministri ut quantociùs fieri procurent quinque figuras Anorum & Murium, juxta numerum quinque Principatuum in quos Palæstina erat distributa, & offerant Deo Israel, tunc enim futurum esset ut immissa plaga cessaret.*

6. *Ut quid ergò gravatis cor vestrum*] Sciendum quòd *aggravare*, vel *indurare*, *cor* est Pertinacem esse, contumacem & præfractum.

7. *Vaccas lactantes*] Capitur עלה aliquando pro *animali fœto*, h. e. quod gestat uterum; aliquando pro מניקה *lactante*, ut hoc loco: & hinc quoque venit עולל & עול *puer & pullus sugens*.

13. *Gavisi sunt cùm vidissent*] Putant quidam Hebræi quòd Bethsæmesitæ desiderio visendæ Arcæ illam aperuerint, & interiora ejus videre voluerint; quapropter Deus offensus tot millia hominum interfecit. Sunt rursus apud eos qui putant solùm Lxx viros à Domino percussos, sed qui tantæ existimationis fuerunt ut quinquaginta millibus plebeiorum hominum comparari potuerint.

18. *Juxta numerum omnium civitatum*] Ut enim tunc in Palæstina quinque præcipuæ erant civitates, sic juxta numerum illarum civitatum quinque facti fuerunt Mures, sed qui oblati fuerant pro omnibus locis, & quæ muro cincta erant, & quæ nullis ambiebantur muris; siquidem tam principes ipsi quàm vulgares homines percussi fuerunt communi illo morbo: Aliarum tamen civitatum & locorum homines audientes consilium sacerdotum, voluerunt & ipsi offerre Deo Israel Anos & Mures aureos, timentes quinque præcipuarum civitatum oblationem sibi minimè suffragaturam. Etiam illi quorum habitatio erat in termino regionis Bethsæmesitarum, & qui habitabant juxta lapidem luctûs, curarunt proprium offerre murem & Anum.

VATABLUS.

1. IN agro, בשדה] i. In regione.

2. *In quo remittamus eam*, במה נשלחנו] i. quâ ratione, sive quo pacto remittere debeamus eam.

3. *Vacuam*, ריקם] i. sine muneribus. ¶ *Reddendo*, &c. השב תשיבו לו אשם] i. exsolvite illi quod debetis, nempe oblationem pro peccato. h. e. ornate illam muneribus in oblationem pro peccato vestro, quòd abduxeritis illam. ¶ *Cur non recesserit* &c. למה לא תסור ידו מכם] i. quare non desinat vos affligere.

4. *Reddemus*, נשיב] Exsolvemus. ¶ *Mures*, עכברי] Percusserat Dominus Palæstinam non solùm vitiis sedis, sed etiam muribus qui terram ipsam suffodiebant, & ità ineptam reddebant frugibus gignendis, ut v. 5. dicitur. ¶ *Plaga una*, &c. מגפה אחת לכולם ולסרניכם] i. Omnes tam satrapæ quàm alii laborant eodem morbo.

5. *Imagines*, צלמי] *Simulacra*. ¶ *Devastaverunt*, המשחיתם] *Demoliti sunt, perdiderunt*. ¶ *Et ità dabitis*, &c. ונתתם לאלהי ישראל כבוד] i. ità fatebimini vos victos fuisse à Deo Israel, cujus honori detraxistis cùm cepistis arcam ejus: ità restituetis gloriam Deo Israelis, & illum honore afficietis. ¶ *Alleviabitur manus ejus*, יקל את ידו] *Alleviabit manum suam*, vel, *leviorem faciet*, i. fortè desistet vos affligere, vel leviùs vos affliget.

6. *Aggravabitis cor vestrum*, תכבדו את לבבכם] *Obfirmabitis animum vestrum*, i. quare obstinatè & pertinaciter resistetis, retinendo obfirmatè arcam istam? q. d. Nolite retinere pertinaciter Arcam, ut Ægyptii populum Israeliticum retinuerunt. ¶ *Mira operatus est*, &c. התעלל בהם וישלחום] *Mirabilia opera fecit in eos, tum demum dimiserunt eos*, i. quando vires suas deprompsit in eos, tum demum etiam inviti dimiserunt filios Israel.

7. *Et*

7. *Et facite*, ועשו] *Curate faciendum.* ¶ *Lactantes*, עלות] *Fœtas.* ¶ *Super quas non ascenderit jugum*, אשר לא עלה עליהם על] i. Quibus nunquam antea jugum fuerat impositum. ¶ *Et reducite*, &c. אסרתם] i. recludite vitulos earum qui sequuntur eas, in stabulo.

8. *Et vasa aurea*, ואת כלי הזהב] i. Podices & mures aureos.

9. *Et aspicite*, וראיתם] i. Considerate quid eveniet. ¶ *Si via*, אם דרך] *Si per viam*, i. si rectà pergendo versùs terminos suos & fines terræ Israel ascenderit ipsa Arca in urbem Bethsemes. ¶ *Ipsa fecit*, הוא עשה] *Ipse fecit*. Sub. *Dominus Deus Israelis.* ¶ *Sin minùs*, ואם לא] Ad verb. *& si non.* ¶ *Accidens*, &c. מקרה הוא היה] *Casus est qui accidit*, i. sed quòd omnia ista nobis casu evenerint.

10. *Domi*, בבית] *In domo*, i. in stabulo solito: ut vaccæ memores vitulorum suorum reverterentur ad locum suum.

12. *Et direxerunt se*, וישרנה] *Et rectè iverunt*, vel, *rectà processerunt.* ¶ *Viâ eâdem perrexerunt*, במסלה אחת הלכו] *Itinere uno gradiebantur*, vel *incedebant.*

13. *In valle*, בעמק] q. d. In amœnissima illa valle in qua erat Bethsemes.

15. *Vasa aurea*, כלי זהב] i. Donaria, de quibus v. 8. ¶ *Victimas*, זבחים] Hostias pacificas scilicet.

17. *Isti autem sunt ani*, &c. ואלה טחורי הזהב] i. Hæc autem sunt donaria & anathemata quæ præ se ferebant speciem anorum, quæ exsolverunt pro expiatione peccati.

18. *Pro quinque satrapis*, לחמשת הסרנים] *Pertinentium ad quinque satrapas*, i. in quibus habitabant quinque satrapæ. ¶ *Et usque ad planitiem magnam*, ועד אבל הגדולה] *Et usque ad planitiem lapidis illius magni*, i. in qua erat lapis ille magnus super quem posuerant Arcam, ut v. 15. dictum est, h. e. etiam urbes & villæ vicinæ Bethsemes, usque ad eum locum in quo substitit Arca. Alii, *& usque ad lapidem magnum*, ut sit אבל pro אבן. Alii, *usque ad Abel magnum*, locum scilicet ità dictum ob luctum magnum illic editum, ut v. 18. dicitur. ¶ *Usque ad diem hanc*, עד היום הזה] Sub. היא *is autem*, nempe lapis, *usque in hodiernum diem*, sive *usque ad hoc tempus*, exstat & visitur in agro illo.

19. *Percussit autem*, ויך] sub. *Dominus.* ¶ *Aliquot ex viris*, באנשי] Ad verb. *in viris*, vel *ex viris*, ut sit ב pro מן. ¶ *Introspexissent in arca*, ראו בארון] *Aspexerunt quæ erant in arca.* Aperuerunt enim Arcam, & viderunt illud quod erat in medio ejus. Propterea dixit *In arca*, & non *Arcam*. Alii (ut annotat doctus inter Hebræos) exponunt, & contempserunt arcam Jehovæ. ¶ *Percussit, inquam*, &c. ויך בעם] Chaldæus paraph. *& occidit de Senioribus populi septuaginta viros; & de cœtu quinquaginta millia virorum.* ¶ Et *quinquaginta*, חמשים] Hic ו subauditur, ut annotat doctus inter Hebræos ex Chaldæo paraph.

20. *Quis poterit stare*, מי יוכל לעמוד] q. d. Videtur exigere à nobis sanctimoniam maximam. ¶ *Et ad quem*, ואל מי] *Et ad quos.*

21. *Abducite*, העלו] *Ascendere facite.*

CASTALIO.

8. **A**Ureaque simulacra, quæ illi, &c.] *Heb.* כלי, quod *vasa* significat; sed latiùs patet, ut σκεῦος. Itaque cùm hîc loquatur de simulacris, non ausus sum *vasa* aut *utensilia* vertere, quòd his vocabulis simulacra significari posse non videntur.

18. *Et ad ingens illud saxum*] אבל legitur: sed cùm antè *saxi* mentio facta fuerit, neque quomodo super *luctu* posita Arca sit intelligam, & LXX λίθε verterint, puto legendum אבן.

20. *Augustum Deum*] Severum.

CLARIUS.

3. **R**Eddite ei] Secundùm Hebræos utitur hîc Scriptura verbo hoc *reddo*, quia homo peccans, quantum ex se est, tollit id quod est Dei, & sibi usurpat, atque ideo tenetur iterum ablatum restituere si cupiat Deum sibi habere propitium. Restitutio illa est cordis contritio; atque hujus signum, exterior oblatio.

5. *Similitudines murium*] De muribus Hebræi sic scribunt, *Cùm ex infirmitate ani etiam intestinum rectum propenderet & effunderet sanguinem ac reliquum ventris succum, veniebant mures terræ & intestinum illud arrodebant cum maximo patientis dolore.*

12. *Mugientes; & non declinabant*] Nam ità in proximum quenque misericordes esse debemus ut tamen non recedatur à lege Dei.

18. *Secundùm quinque principes*] Ut enim tunc in Palæstina quinque præcipuæ erant civitates, sic juxta numerum illarum civitatum quinque facti fuerunt Mures, sed qui oblati fuerant pro omnibus locis, & quæ muro cincta erant, & quæ nullis ambiebantur muris; siquidem tam Principes ipsi quàm vulgares homines percussi fuerunt communi illo morbo: Aliarum tamen civitatum & locorum homines audientes consilium sacerdotum voluerunt & ipsi offerre Deo Israel Anos & Mures aureos, timentes quinque præcipuarum civitatum oblationem sibi minimè suffragaturam.

19. *Eò quòd vidissent arcam*] Putant quidam Hebræorum quòd Bethsamitæ desiderio videndæ Arcæ illam aperuerint, & interiora ejus videre voluerint; quapropter Deus offensus tot millia hominum interfecit. Sunt rursus apud eos qui putent solùm LXX viros à Domino percussos, sed qui tantæ existimationis fuerint ut quinquaginta millibus plebeiorum hominum comparari potuerint.

DRUSIUS.

1. **I**N agro Philisthæorum] LXX ἐν ἀγρῷ τῶν ἀλλοφύλων, *in agro alienigenarum.* Proprium hoc interpretum illorum ut Philisthæos vocent ἀλλοφύλες *alienigenas*, nomine generis ad certam speciem restricto. Hieron. *in regione Philistinorum*, optimè & rectissimè; nam *ager* & *regio* se invicem explicant. Sic &, *ager Edom*, Gen. 32. 3. Contrà Joh. 4. 35. *spectate regiones*, i. agros. Psal. 78. 12. *in agro Taneos*, vel *Soan*, i. in regione. *Soan* autem est Ægyptus, Gen. 36. 35. *in agro Moab*, Hieron. *in regione*, LXX ἐν πεδίῳ. Plautus Epidico, *in agro Attico*, i. totâ terrâ. Sic *ager Romanus*, qui includit in se nemora, pascua, flumina, & omnia quæ in eo territorio continentur. Jon. *in urbibus Philisthæorum*: nam per urbes circumducebatur.

2. *Sacerdotes*] Hoc nomen, quando de sacerdotibus falsorum deorum usurpatur, ut hîc, Jonathan semper fermè vertit כומריא, unde *Cameri*, & diminutivum *camilli*. Nota Philisthæos in arduis consulere Sacerdotes suos. ¶ *Et divinos*] Gentes suos divinos habebant, quos in arduis consulebant, & imprimis Philisthæi. Unde Procopius Jes. 2. p. 48. *Divinatio Palæstinorum est.* Verba sunt; *Ægyptiorum est incantatio & veneficium*, ἐπῳδαί τε καὶ φαρμακεῖαι, *ut astrologia Chaldæorum, & divinatio Allophylorum, & auguratio Cretensium.* Inter Divinos recensetur Balaam, qui priùs *Propheta* fuit. Divinabant autem per ferrum sagittæ, per unguem pollicis, per Theraphim, gladium, & hepar. R. D. Ezec. 21. 21. *ex ferro sagittæ, ex pollice, è gladio, & ex jecore.* Abenmelech ibid. *Divini hîc vocantur* קוסמים, *& à Doctoribus aliquando* בעלי קסם. *Nunquam*, inquit Hieronymus, *Divinatio in Scripturis in bonam partem accipitur.* Dubito an hoc verum sit; nam legimus apud Solomonem in libro Proverbiorum, *Divinatio in labiis regis.* De Divinatione rara quædam in libro Præceptorum, 11. 1. ¶ *In locum suum*] In terram Israel, ubi primùm locum incertum habuit, modò huc modò illuc translata; pòst certum locum nactum fuit, in Templo, in Sancto sanctorum, cùm illud à Salomone exstructum esset.

3. *Vacuè*

3. *Vacuè*] Sine muneribus. In historia Ruth, *Vacuè reduxit me Dominus*, i. sine marito & liberis. Lxx κενῶς, & Hier. *vacuam*; κενὸν, i. *inanem*. Huc referas, *Divites dimisit inanes*. Vide quæ notavimus ad illum locum: ריקם & Chald. ריקן formam habent adverbialem, ut חנם *gratis*, אמנם verè. Sic in Latio *denicum*, *palàm*, &c. ¶ *Pro delicto*] *Hostiam pro delicto*. Ebraicè אשם *delictum*. Hier. *pro peccato*, חטאת. Lxx τ̃ βασάνου, quod reddunt *pro cruciatu*, ... subaudiunt. Licet etiam vertere *pro tormento*. Lex. vet. Βάσανος, *tortus*, *hoc tormentum*. Βασάνου γένος, *hic cruciatus*, *fiducula*. Βασανίζω, *crucio*, *torqueo*, *coerceo*. Βασανιστήριον, *eculeus*, *genus tormenti*. Βασανιστής, *tortor*. Vide Rom. Latinam. Jon. *oblationem delicti*, sive *pro delicto*. Santes *hostiam pro delicto*. Arias *culpatorium*, i. pro culpa hostiam. Alius *reatum*, i. oblationem pro reatu, ut Levit. 5. & alibi. Liranus *emendam pro peccato*. Gallicè *amende*, i. mulcta, quod à verbo Latino *emendo* derivatum. ¶ *Et innotescet vobis*] Hic *&* videtur positum pro *aut*; ut hoc dicat, *aut sanabimini*, *aut innotescet vobis cur non recesserit*, &c. Hieronymus tamen *&* *scietis*. Quod retineri potest. Videndus hîc R. D. ¶ *Recesserit manus ejus*] Jonathan *quieverit plaga ejus*.

4. *Quinque ani aurei*] Hier. *quinque anos aureos facietis*. Lxx πέντε ἕδρας χρυσᾶς *quinque sedes aureas*. Hîc est עפלי, quod cùm habeat simplex Scheva sub Ain, docet nos legendum esse טחרי, quam lectionem Jonathan expressit. Sunt tamen exemplaria in quibus Hateph Phathach. Arias hîc emendavit *quinque marisca*. Tremellius autem *hæmorrhoides*. ¶ *Quinque mures aurei*] Nulla Murium facta mentio superiùs, nisi ex Dras, quod hinc robur accipit. Audiamus nunc D. Ebræum cognomento Camium, *Locus iste, inquit, adjuvat ipsum Dras, de quo suprà. Nam cùm laborarent morbo partium inferiorum*, sive *natium*, *exibat humor qui eis erat* (hîc libri variant: nam in aliis הלחות, & in aliis הלחליות. Vide num legendum חלחלת *intestinum rectum*) *per os podicis*, *intrabántque mures*, *&* *vastabant intestinum illud*. ¶ *Omnibus ipsis*] Hier. *omnibus vobis*. Sic etiam Jon. nec aliter Lxx. Qui, meo judicio, sensum expresserunt. Nam hoc dicit, *omnibus ipsis vobis*. Sic alibi, *Audite, populi omnes ipsi*. Pronomen enim quod in כלם omnium personarum est, ut המה *ipsi* aliquando. Sic dicimus, *nos ipsi*, *vos ipsi*, *illi ipsi*. Cæterùm in margine cujusdam editionis Venetæ notatum לכלכם *omnibus vobis*: quam lectionem fortasse secuti sunt antiqui interpretes. ¶ *Juxta numerum satraparum*] Ex hoc loco & aliis discimus quinque Satrapas fuisse in regione illa, qui vocantur סרני פלשתים *satrapæ Philisthæorum*, & à Jonatha טורני, quasi *tyrannos* dicas; quod nomen olim in laude ponebatur. Hi erant Gazæus, Azotius, Ascalonita, Getthæus, & Accaronites. Cæterùm Vulg. versio mihi hîc suspecta de mendo. Nam pro *provinciarum* suspicor legendum *satraparum*. Sic enim certè Græci, κατὰ ἀριθμὸν τῶν σατραπῶν τῶν ἀλλοφύλων. Nam una tantùm erat provincia, non quinque; nisi per *provincias* urbes intelligas, quæ numero erant quinque in eo tractu, videlicet Gaza, Azotus, Ascalon, Geth, & Accaron.

5. *Qui corrumpunt terram*] Locus iste docet mures non intrasse corpus, sed regionem vastasse. ¶ *Allevabit manum suam*] i. leviorem reddet. *Manus levis* & *gravis* opponuntur. Sic *allevo* & *aggravo*, quod sign. *gravem reddo*. Græci dicunt κουφίζειν ut sique sunt hoc verbo Lxx in isto loco. Lex. vet. Κουφίζω, *levo*, *relevo*. Κοῦφον, τὸ ἐλαφρὸν, *leve*. Cicero, *Hoc onus, si vos aliquâ parte allevabitis, feram, ut potero*. Jon. *quiescet plaga*. Hier. *si fortè relevet manum suam*. *Manus* hîc est plaga: & *manus levis*, plaga parva; ut *gravis*, magna. ¶ *A Diis vestris*] Unus Dagon memoratur in hac historia qui sensit gravem manum Dei; & Ebræa verti possunt *à Deo vestro*: nam *Elohim* nomen est communis numeri, tam *Deum* significans quàm *Deos*. Prætuli tamen pluralem, quia reliquæ urbes suos Deos habebant, ut Gazæi Marnam; sic fortè Getthæi & Accaronitæ peculiarem Deum habebant. Jon. *ab idolis vestris*. Quis credat unum duntaxat idolum fuisse in Palæstina? ¶ *A terra vestra*] Quam mures infestant.

6. *Aggravatis*] *Induratis*. תכבדו hîc positum pro תכבידו, & est βαρύνω pro הקשה *induro* σκληρύνω & *cor grave* est cor durum. Sic, *Pharao aggravavit cor suum*, Exod. 8. quod alibi dicit *induravit cor suum*. ¶ *Ægyptii & Pharao*] Locutio est, ut, *Dicite discipulis & Petro*. *Tota Judæa & Jerusalem*, Matth. 3. 5. Mar. 1. 5. Generi enim subjiciunt speciem, aut toti partem; non quamlibet sanè, sed præcipuam in eo genere. Jos. 2. 1. *Inspicite terram, & urbem Jericho*: nam in ea urbe capienda maximum momentum erat positum. Psal. 18. *de manu omnium hostium ejus*, *& de manu Saulis*. 1 Reg. 11. 1. *Rex Salomo amabat multas feminas alienigenas, & filiam Pharaonis*. 2 Sam. 2. 30. *Desiderabantur è servis David novendecim viri, & Hasael*: nam Hasael facilè princeps fuit inter eos. Sic Virgilius,

Troas relliquias Danaûm atque immitis Achilli.

Vide Bezam 1 Thess. 1. 5. ¶ *Postquam contrivit eos*] התעלל sequente ב est *facere opus contritionis*, i. *conterere*. R. D. explicat *facere opus corruptionis*, i. corrumpere. Sic infrà 1 Sam. 31. 4. Hier. *postquam percussus est*. Lxx ὅτε ἐνέπαιξεν αὐτοῖς *quando illusit eis*. Jon. *postquam ultionem sumpsit ab eis*. Quid si, *postquam exercuit judicium in eos*? Nam *facere* absolutè est *facere judicium*. Deus exercuit judicium suum in Ægyptios per decem plagas, de quibus in Exodo. Post ultimam dimissi sunt Israelitæ, & abierunt. Historia nota est. Idem verbum ἐμπέπαιχα interpretantur Senes Exod. 10. 2. ubi Hier. *contriverim*; quem hîc nunc secutus sum.

7. *Plaustrum novum*] Quo antea nemo usus fuit; & hoc propter sanctitatem Arcæ. ¶ *Vaccas fœtas*] i. מניקות, *quæ vitulos suos lactant*. Lxx πρωτοτοκούσας *primùm enixas*. Hoc ad miraculum faciebat, quòd cùm haberent domi vitulos, quos lactabant, tamen non redirent domum. ¶ *Quæ jugum non subierunt*] Ad verb. *super quas non ascendit jugum*. Hier. *quibus non est impositum jugum*. ¶ *Filios earum*] *vitulos earum*. *Filius vaccæ*, vacca natus; ut *filius bovis*, bove natus. Invenies hic הם pro הן, i. masc. pro fem.

8. *Arcam Domini*] Hic gentes utuntur nomine Dei proprio, quod tetragrammaton. ¶ *In plaustro*] Vel *super plaustrum*, אל pro ב aut על. Vide Camium. Lxx ἐπὶ τὴν ἅμαξαν *super plaustrum*. Hier. *in plaustro*. Sic etiam Jonathan. ¶ *In capsa à latere ejus*] Vel *capsula*. Incertum utrùm nova capsa ad hoc parata fuerit, an legendum *in capsa quæ à latere ejus*. Nam erat capsula ad latus ejus, in qua liber Legis adservabatur, ut multorum opinio est: de qua dicemus, si Deus voluerit, alio tempore. Hîc ארגז dicitur voce rarâ, quam תיבה interpretantur, in queis & Jonathan. Etiam Sym. vertit ἐν τῷ λαρνακίῳ. Lex. vet. Λάρναξ, *arca*, *riscus*. Indè ... Λαρνάκιον, quod in edit. Rom. *scrinium* interpretantur. Cui firmando R. S. vernaculè שקריניין interpretantis, i. *scrinium*. Aquila ἐν ὕφει πλεγὰς *in texto coma*. Josephus γλωσσόκομον posuit h. l. Lxx ἐν θέματι ἐργὰζ vocabulo Ebraico usi, quod corruptum in libris vulgatis. Vide Rom. edit. Latinam, in qua βερεχθὰν vitium continet manifestarium. Etiam ἐργὰβ vitiosè ibi scribitur. Theodoretus, *Illud* βορεγὰζ *quidam dixerunt textilem quasi cophinum*, *nonnulli autem ex capillis compositum*, *qualia sunt ea quæ dicuntur* σακκία. Vide, si placet.

10. *Concluserunt domi*] כלו à כלה, ut alibi לא ילכי ממך, & est idem cum כלאו *cohibuerunt*; ut suspicari quis possit dictum esse pro כלאו, sicut alibi מלו ponitur pro מלאו *pleni sunt*, & נשו pro נשאו *tulerunt*. Videndi sunt R. D. & R. Jesaias. Hinc argumentum omnia hæc gesta esse Dei providentiâ: Aloqui cùm animantia omnia naturaliter diligant fœtus suos, miróque eorum teneantur desiderio, non potuissent hæ vaccæ tamdiu abesse à vitulis suis.

12. *Direxerunt*] *Rectà iverunt*, aut *contenderunt*. Nova ... igitur ישרנה pro תשרנה cum uno ... Dagesch

Dages in Schin indicat Jod primam thematis. Sic alibi וִיחַמְנָה *incaluerunt*, & יַעֲמוֹדְנָה *stabunt*: quæ Grammatici ἀνδρόγυνα vocant, quòd simul cum masculo femininum conjungatur. Tria sunt talia, quorum unum reperitur in Lege, alterum in Prophetis, tertium in Hagiographis, h.e. in Daniele, qui Ebræis inter Hagiographos numeratur. ¶ *Mugiendo*] Propter vitulos suos.

13. *Lætati sunt videndo*] Videndo Arcam, an inspiciendo eam? Nam ideo puniti fuerunt. Vide Liram & Glossam ordinariam. Sunt qui lætitiam existimant fuisse indebitam, non ex reverentia, sed ex levitate. In cod. his legitur בהם pro בעם. Vel, *inspiciendo*. Nam præ gaudio videbant quid esset in Arca contra legem Dei, quæ habetur Num. 4. 5, 20. Incertum autem utrùm Arca retecta fuerit ab ipsis an à Philisthæis. Ut ut sit, propter hanc inspectionem gravem pœnam luerunt, ut sequentia nos docent.

14. *Messem triticorum*] Messis alia triticea, & alia hordeacea. Hordeacea præcedit, triticea sequitur. Intervallum est unius mensis. Plinius l. 18. c. 7. *In Ægypto hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo metuntur*: ubi *frumentum* appellat triticum. Durabat messis à Martio ad finem Maii. Ut Pascha inchoabat eam, ità Pentecoste claudebat. Gen. 30. 14. *in diebus messis triticeæ*. Jon. *in diebus Sivan, quo tempore messis est triticeæ*. Vide notata ad illum locum, & Jud. 15. 1. Pentecoste vocatur *festum messis*, non inchoatæ, sed absolutæ & finitæ.

15. *Josue*] Quod interpretantur Ἰαὼ σωτηρία nam sic antiqui legebant tetragrammaton. Sic *Josedec*, *Jao justitia*, Ἰαὼ δικαιοσύνη. Senes hic habent Ὡσηὲ qui הושע Ebræis. Sæpius Ἰησοῦς reddunt id nomen. ¶ *Bethsamenitæ*] בית השמשי *Bethsamenites*, ut בית הלחמי *Bethlehemites*. Hoc tantùm interest, quòd *Lehem* dicimus, & non *Lahem*, ut *Sames*. Sic *Habel*, *Phares*, *Phaleg*. Hier. *Bethsamitæ*, quod à *Bethsames* non rectè dicitur, cùm *S* in fine sit litera thematis, quæ abjici non potest. Hæc erat Thamnathhares, si credendum R. Jesaiæ. Vide sodes. Jon. *in agrum Josue qui erat in Bethsames*: malim è *Bethsames*. *Vir è Bethsames*, Bethsamita, ut *vir ex Antverpia*, Antverpianus. Lxx τὸ ἀγρὸν Ὡσηὲ τὸ ἐν Βαιθσαμύς, *agrum Hoseæ qui in Bethsames*, vult dicere *in territorio ejus*, aut *prope Bethsames*. Ità sumitur aliquando ב præpositio, ut cùm legimus *in Jericho*, *in Cariathjarim*, &c. Hinc lux Jonathæ, ut dicat, *qui ager erat in Bethsames*. Valdè hoc se probat mihi. ¶ *Stetit*] *Restitit*, *substitit*; aut *mansit*. Sic, *terra in perpetuum stat*, i. permanet. ¶ *Sciderunt*] Vel *fiderunt*, *conciderunt*. ¶ *Obtulerunt holocaustum Domino*] *Bethsamitæ fiderunt ligna plaustri*, & *vaccas obtulerunt*, &c. *Nam ara licita erant post destructam Siluntem*, & *femina recta in ara privata*. Hæc R. D. Per *feminam* נקבה intelligit vaccam, sicut dicimus *Bos femina*, *Lupus femina*. *Recta*, i. licita & concessa. Sunt qui dicunt fuisse הוראה שעה, qualia sunt quæ semel fiunt extra ordinem, in exemplum non trahenda, sicut cùm obtulit Gedeon holocaustum. Sunt alii qui tenent hæc facta esse à Satrapis Philisthæorum. Nam non licebat offerre de bestiis aut jumentis gentium. Sciendum verò Bethsames fuisse urbem Sacerdotum Jos. 21. 16. Rabbenu Jesaias, *Non est moris ut offerant sexum masculinum in ara*.

15. *Capsellam*] Hic Lxx ediderunt τὸ θέμα ἐργὰζ, quod reddunt *capsulam* ἐργὰζ. Si rectè, θέμα est *capsa* sive *capsula*, à ponendo, θέμα *locus in quo aliquid reponitur*. Perperàm in libris ἐργὰβ. ארגז θέμα quasi *repositorium*. ¶ *Cum ea*] Arca videlicet: & est sensus, *apud*, vel *juxta eam*. Videtur hæc capsula separata fuisse ab Arca.

18. *Ab urbe munita usque ad villam absque muro*] Hier. *ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro*. Lxx ἀπὸ πόλεως ἐστερεωμένης καὶ ἕως κώμης τοῦ Φερεζαίου, *ab urbe firmata usque ad pagum Pherezæi*. Aquila ἰχυρᾶς. Sym. τετειχισμένης *muro cinctæ*, sive *muratæ*; & mox, ἕως κώμης ἀτειχίστε. Τοῦ Φερεζαίου est quod Hieronymus reddidit *absque muro*. הפרזי. Trem. *usque ad vicum paganum*. ¶ *Usque ad Abel magnum*] Nomen est lapidis, ideo verti *magnum*, licèt in fonte sit *magnam*. Nam אבן fem. est. Lxx καὶ ἕως λίθου τοῦ μεγάλου, i. עד אבן, א in ע verso, quoniam hæ literæ permutantur. Sic נשנה & לשכה, item לוז *nux*, quanquam in diversis linguis. Jonathan quoque, *usque ad lapidem magnum*. Vocatur autem אבל à *luctu* quem ibi fecerunt; sicut mox ait, *Et luxerunt populus*, &c. ABEN, *lapis*; ABEL, *luctus*. Vide Camium, & Lyram.

19. *Eò quòd vidissent in arca*] Eò quòd aperuissent Arcam, & vidissent quid inesset; quod non erat licitum. Hier. *eò quòd vidissent arcam*. Sic etiam Lxx ὅτι εἶδον κιβωτὸν. Jon. *eò quòd gavisi essent quòd vidissent arcam Domini*, ut suprà 13. *lætati sunt videndo* Videndus R. D. h. l. qui ex Dras citat ראה cum ב in significatione Contemptûs, לראית בך. Nicolaus, *Nulli licebat detectam videre Arcam nisi Pontifici*. Vide illum, ubi invenies singularem sententiam de Abel, quam ait esse nomen urbis antea *Bethsames* dictæ. Vide sodes. ¶ *Septuaginta viros*, &c.] Desideratur copula; & numerus minor, ut fit, præponitur, *Septuaginta viros*, & *quinquaginta millia virorum*. Hier. Lxx *viros* & *quinquaginta millia plebis*; acsi priore loco significaret viros magnos, & posteriore plebem. Jon. *occidit in senibus populi* Lxx *viros*, & *in cœtu*, sive *congregatione*, *quinquaginta millia virorum*. Non abhorret ab illa sententia Nicolaus, quem vide; sed imprimis Tremellium novam enim hic sententiam tuetur, locum de Philisthæis enarrans. Scholia Ebraica סנהדרין i. συνέδρος, qui numero erant LXXI.

20. *Viri Bethsames*] i. Bethsamenitæ, quos Hieronymus appellat *viros Bethsamitas*, & Lxx οἱ ἄνδρες οἱ ἐν Βαιθσαμύς, qui & Βαιθσαμυσῖτοι *Bethsamysiti*. ¶ *Stare*] στῆναι *consistere*. ¶ *Coram Domino Deo sancto isto*] Hic Arca vocatur *Dominus Deus sanctus*; quod addendum superioribus. Jon. *coram arca Domini*, &c. ¶ *Ad quem*] *Locum*; Jonathan.

21. *Descendite*] Hinc patet Cariathjarim sitam fuisse in loco superiore, & Bethsames in inferiore: nam sequitur, *Ascendere facite eam ad vos*.

IDEM.

8. תשימו בארגז מצדו Sym. θέτε ἐν λαρνακίῳ ἀπὸ πλαγίου αὐτοῦ, *ponite in capsula ex obliquo ejus*. A. ἐν ὕφει κυρᾶς] *In capsula*. λάρναξ, *capsa*, *arca*, *riscus*: unde λαρνάκιον, *arcula*, sive *capsula*. Vocabulum Ebraicum ארגז quidam ab ארז deducunt, quòd ex cedro communiter fieret. Nugæ. Corruptum autem est in libris edit. Lxx ubi βερσεχθὰν, & variante scripturâ βοεργαζὰξ, legitur. Sunt qui scribant esse πλεκτὸν ὡσανεὶ κόφινον alii, ἐκ τειχῶν οἷα τὰ λεγόμενα σακκία. Sed vide sis edit. Rom. ¶ *Ex obliquo ejus*: vel *à latere transverso*. ¶ Ἐν ὕφει· ὕφος *opus à textore*, sive *textrice*, *confectum*, velut *vestis*, *tela*, *tapes*. Lex. vet. Ὕφος *textura*. Malim *textile*. ¶ Κυρᾶς· κυρά, *tonsura*. Locus iste in mendo cubat, nec tamen occurrit qui eum emendem aut restituam. Alius id faciet cui plus otii. Mihi alio properandum.

18. מעיר מבצר ἐκ πόλεως ἐστερεωμένης. A.——ἰχυρᾶς. Sym.——τετειχισμένης *murata*] Ἰχυρᾶς Sirach. 28. 15. πόλεις ἰχυρὰς, aliàs ὀχυρὰς *muratas*, aut *firmas* & *validas*. ועד כפר הפרזי ועד אבל הגדלה אשר הניחו עליה את ארון יהוה Sym. ἕως κώμης ἀτειχίστε, καὶ ἕως Ἀβελ τῆς μεγάλης, δι' ἧς ἀφῆκαν τὴν κιβωτὸν Κυρίου, *usque ad vicum absque muro*, (sive *non muratum*) & *usque Abel magnam, per quam remiserunt arcam Domini*] *Vicum absque muro* Interp. Vulg. *usque ad villam quæ erat absque muro*. Familiare huic interpreti *villam* dicere pro *vico* sive *pago*, *vico*, inquam, *rustico*. ¶ *Usque ad Abel magnam*, &c. Idem, & *usque ad Abel magnum*, *super quem posuerunt arcam Domini*. Lxx ἕως λίθου τοῦ μεγάλου, i. האבן הגדלה. Fortè Nun legerunt ubi nunc Lamed.

GROTIUS.

3. REddite ei pro peccato] Nimirum ex idololatrarum sententia:

Munera,

Munera crede mihi, placant hominésque deósque.
Quod apud Homerum sic positum,
Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.
reprehe. dit Plato 3. De Republica.

7. *Vaccas fœtas*] *Fordas* vocabant Itali veteres, teste Varrone l. 5. ¶ *Quibus non est impositum jugum*] ἀδμῆτας vocant Græci, *injuges* Latini, Festo teste. Vide quæ dicta Num. 19. 2.

9. *Et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Betsames* Οἰωνισμός.

11. *Et similitudines anorum*] Simile quid ab Atticis factum docet nos ad Acharnenses Aristophanis Scholiastes, Μωλυσαλῆς γὰρ τοῦ θεοῦ (de Libero Patre sermo) νόσῳ κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν. ὡς δ' ἀπεῖπον πρὸς τὴν νόσον κρείττονα γενομένην πάσης μηχανῆς καὶ τέχνης, ἀπεστάλησαν θεωροὶ κατὰ σπουδήν· οἳ δὴ ἐπανελθόντες ἔφρασαν ἴασιν εἶναι μόνην ταύτην, εἰ διὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν· πεισθέντες οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλοὺς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν, καὶ τούτοις ἐγέραιρον τὸν θεὸν ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους.

18. *Usque ad Abel magnum*] Legitur nunc in Hebræo אבל, sed 70 legerunt אבן: vertunt enim λίθον.

19. *Eo quod vidissent arcam Domini*] Apud omnes gentes nefas habitum mysteria conspici nisi ab initiatis.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. SAnctificaverunt] Chal. interpres vertit וזמינו *adaptaverunt*, vel *ordinaverunt*, *eum*, ut scilicet custodiret domum in qua erat Arca, atque illam mundam conservaret.

2. *Pœnitentiam egit*] Hebr. *& luctu impleti sunt*, seu *lamentatione anhelarunt*, *post Dominum*. Radix verbi est נהה *flevit*, *lamentatus est*. Kimhi exponit pro תשובה שלימה, quem hic quoque secuti sumus. Sunt etiam qui וינהו hic exponunt pro ונקוו *& congregati sunt*.

3. *Deos alienos*] Heb. *Deos alieni*, scilicet populi.

6. *Hauserunt aquam*] Quidam hoc intelligunt de lacrymis effusis; alii de aqua materiali, quâ sordes quasque corporales pœnitentes abluerunt, & pœnitentiam pro peccatis egerunt, & cætera.

9. *Agnum lactentem*] Non est hic *agnum pinguem*, ut nostri perperàm verterunt, sed *agnum lactis*, i. e. שהיה יונק עדיין, ut Kimhi exponit. Aliud enim sign. *haleb*, & aliud *heleb*.

12. *Scopulum petræ*] Hebr. *inter dentem*: sic enim vocat lingua Hebraica petram præruptam.

14. *Inter Æmoræum*] Est *Æmoræus* generale vocabulum videturque hic poni pro omnibus Palæstinis; quos humiliaverunt Hebræi & tributarios sibi fecerunt.

15. *Judicavit Samuel Israelem*] Notandum, hic *judicare* capiendum pro *jus dicere*.

VATABLUS.

1. ET *abduxerunt* ויעלו Ad verb. *& ascendere fecerunt*. ¶ *In ipso colle:* בגבעה Pars erat urbis Cariath-jearim, nempe collis. Est enim descriptio urbis. Quidam subaudiunt *quæ erat*: non enim legitur אשר Hebraicè, tametsi quidam dicant in quibusdam cod. legi. ¶ *Sanctificaverunt*, קדשו *consecraverunt*. Chaldæus paraph. *præfecerunt*.

2. *Multi elapsi sunt dies*, וירבו הימים Ad verb. *& multiplicati sunt dies*. Conjunctio ו non copulat, sed tantum convertit fut. in præt. ¶ *Viginti nempe* ויהיו עשרים] Ad verb. *& fuerunt viginti*. ¶ *Secutaque est Jehovam:* אחרי יהוה Ad verb. *post Jehovam*. Quidam vertunt *dum conversa est ad Jehovam*, i. universi Israelitæ cœperunt converti ad Dominum. Chaldæus paraph. *& congregati sunt ad Dominum*.

3. *Deos alienos* אלהי הנכר] Ad verb. *deos alieni generis*, nempe Bealim, ut ex vers. 4. intelligitur.

4. *Bealim & Astharoth* הבעלים ואת העשתרות] *Bealim* masc. est, & *Astharóth* fem. unde videntur his vocibus significari dii deæque Gentium.

5. *In Mispah*, המצפתה] In Misaph Deo adjuvante Reges devicerunt Israelitæ, ob id congregantur illic: nam ה præpositum voci *Mispah* est vice articuli: quasi dicas, In illa Mispah quæ insignis est eâ victoriâ quæ legitur Josue 11.3. ¶ *Et orabo* ואתפלל] *Ut orem*.

6. *Hauserunt aquam*, וישאבו מים] Doctus inter Hebræos dicit hanc haustionem & effusionem aquæ fuisse populi in signum fidei remissionis peccatorum, dicentis, *Evanescant peccata nostra ut hæc aqua: dele peccata nostra*. Magni nominis inter eos vir, *In signum humiliationis*, inquit. q. d. *Certè nos sumus coram te sicut aqua effusa*. Alii Chald. paraph. sequuntur, qui sic ait, *Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lacrymati sunt coram Domino, resipiscentes*. ¶ *Judicavitque Semuel* וישפוט שמואל] i. diremit lites & controversias quæ erant inter Israelitas.

8. *Ne sileas pro nobis clamando* אל תחרש ממנו מזעק] i. Nè deseras, vel destituas nos, quin clames jugiter ad Jehovam.

9. *Lactis* חלב] i. lactentem. ¶ *In holocaustum totum* עולה כליל] *Et holocautoma integrum*, i. prorsus ustulatum, in quo tota hostia flammis absumi solebat. Curavit illum offerendum Samuel per sacerdotem aliquem: non enim erat Sacerdos. Suprà c. 3. videmus Samuelem fuisse janitorem Templi; quod munus ad Levitas quidem pertinebat, sed non ad Aaronitas.

10. *Voce grandi* בקול גדול] *Fragore maximo*. i. cum fragore magno tetigit eos ¶ *Cæsique sunt coram Israele*. וינגפו לפני ישראל] i. Cæsi, fugatique sunt ab Israele.

12. *Sen*, השן] Promontorium erat, sive pars rupis quæ procurrebat longiùs.

13. *Itaque humiliati sunt* ויכנעו] Chaldæus paraph. *Et fracti sunt*, i. consternati animo. ¶ *Nec venerunt ultrà in*, &c. ולא יספו עוד לבוא] Ad verb. *& non addent ultrà ut veniant in terrã*: i. postea non sunt aggressi filios Israel. ¶ *Et fuit manus Jehova*, &c. ותהי יד יהוה וגו'] i. quamdiu vixit Samuel, Israelitæ fuerunt superiores Palæsthinis.

14. *Et restituta sunt* ותשובנה] Ad verb. *Et reddiderunt*, &c. ¶ *Et terminum suum* ואת גבולן] *Et terminos suos*: vel, *fines*: i. regionem suam: aut, *terminos earum*, i. agros. ¶ *Et Emoræum:* ובין האמרי] *Amorrhæi* nomen generale est, & pro omnibus Palæsthinis hîc poni videtur.

16. *Singulis annis* מדי שנה בשנה Ad verb. *de anno in annum*.

17. *Postea revertebatur* ותשובתו] Ad verb. *Et reversio ejus*.

CLARIUS.

1. SAnctificaverunt] Chal. interpres vertit *adaptaverunt*, vel *ordinaverunt*, *eum*, ut scilicet custodiret domum in qua erat Arca, atque illam mundam conservaret.

6. *Hauseruntque aquam*] Quidam hoc intelligunt de lacrymis effusis; alii, de aqua materiali, quâ sordes quasque corporeas pœnitentes abluerunt, & pœnitentiam pro peccatis egerunt, &c.

DRUSIUS.

1. ABinadab] Lxx Ἀμιναδάβ· unde varietas in cod. Latinis: nam in aliis *Abinadab*, & in aliis *Aminadab*. Sic *Abidan*, *Amidan*; *Abana*, *Amana*. Vide Quæst. meas: Error iste natus videtur ex antiquo charactere literæ Mῦ, quæ tantam affinitatem habet cum Βῆτα ut discerni vix possit. Hinc Σενναχηρείμ pro Σενναχηρείβ. Vide Castigationes meas in Tobiam. Etiam apud Josephum legitur *Aminadab*; quem Levitam fuisse scribit. ¶ *In Gabaa*] Abinadab iste habitabat in Gabaa, quod *collem* denotat: unde in edit. Græca τῷ ἐν τῷ βουνῷ *qui domus erat in colle*, videlicet in colle urbis Cariathjarim. Certè locum fuisse in urbe ubi habitaverit Abinadab, conjicit R. D. *Et fortè*, inquit, *alius erat Abinadab in eâ urbe, ut propterea dictum sit, Qui habitabat in colle*. Nicolaus hic dissidet ab aliis, ità scribens, *Intulerunt eum in domum Abinadab, &c. Hoc non fuit factum statim,*

sed per magnum tempus post, quia per aliquod tempus stetit in Cariathjarim, & inde translata fuit in Masphat, & inde in Galgala, ut dicitur libro De Ebraicis quæst. & postea fuit translata in Nobe, ubi erat tempore Saul, secundùm quod habetur infrà c. 21. & indè translata fuit in Gabaa in domum Aminadab, ut hic dicitur. Et de loco illo David transtulit eam in domum Obededom, & indè in civitatem David, ut habetur 2 Reg. 6. ¶ *Sanctificarunt*] *Præpararunt*, Jon. Ebræi. ¶ *Arcam*] Domum in qua erat Arca, quam verrebat & mundabat, Sed & cubabat ante Arcam; vel fundebat aquam coram ea: nam est רנץ in textu. Vide infrà v. 6.

2. *A quo die sedit Arca*] *A quo tempore resedit*, aut *mansit*. Ad verb. *ad residere*. Hier. *ex qua die mansit arca*. Bene vertit *ex qua die*. Nam *dies*, quando tempus denotat, ut hic, femininè construitur. *Sedere* autem pro *manere* notavi aliás. ¶ *Lamentati sunt*] וינהו verbum à נהה deductum, unde & נהי *lamentatio*. *Lamentari post Dominum* est fletu & lamentis veràque pœnitentiâ redire ad eum. Jon. *congregati sunt post cultum Domini*. Vide Camium. Hier. *requievit post Dominum*. Lxx ἐπέβλεψεν, sive, ut est in alia lectione, ἐπέβλεψαν *respexerunt*. Compl. ἐπέστρεψε *revertit*. In notis ad ed. Rom. Lat. Vulg. *requievit*. Sic Chaldæus. Hoc refutari potest ex Camio Ebræo, ad quem te remitto. Vide nunc, si placet, quæ observavit ad hunc locum R. S. Nam primùm interpretatur לשון המשכה: deinde alias duas interpretationes adducit, autorémque laudat Manahenum, qui scribat esse לשון יללה, q. d *ululabant post Dominum*; *cum ululatu eum requirebant*. Idem נהה interpretatur in significatione *Congregandi*, ut étiam Elias in Methurgemam.

3. *Toto corde vestro*] Deus non solùm cor requirit, sed totum cor, quod & *cor integrum*, unde talis conversio quæ fit ex toto corde, vocatur *conversio integra*, i. תשובה שלמה. ¶ *Ad Dominum*] *Ad cultum Domini*, Jon. ¶ *Deos alienos*] Ad verb. *Deos ignoti*, sub. *populi*. Hier. *Deos alienos*. Lxx θεοὺς ἀλλοτρίους. Jon. *idola populorum*. Paulò pòst vocantur *Baales*. Quidam *Deos alienigenæ*, sub. *gentis*. ¶ *Et Astharoth*] Hier. *Baalim & Astharoth*. Lxx καὶ τὰ ἄλση, i. אשרות. An ità legerunt? אשתרות si unam literam demas sonat אשרות *lucos*. Jon. *Astaretas*. Dea est Syria, de qua aliás. Vide notas ad ed. Rom. Lat. Paulò post τὰ ἄλση Ἀσταρὼθ *lucos Astharoth*. Sunt duæ interpretationes.

6. *In Masphath*] Mos Israelis pervetus ut convenirent in Masphath. Nam ibi erat altare & domus precationis, quam *proseucham* appellant, propter insignem victoriam quam ibi adepti sunt de Regibus Chananæorum tempore Josuæ. Qui nomine *Masphath* Siluntem intelligunt audiendi non sunt. Nam tabernaculum quod in Silo destructum fuit post captam Arcam, & translatum fuit tentorium conventûs in Nob, cùm Arca esset in Cariathjarim. Sic enim legimus in Seder Olam, *In principio 20. annorum adduxerunt tentorium conventûs in Nob*. Videndus R. D. ¶ *Hauserúntque aquam, & effuderunt coram Domino*] Lxx καὶ ὑδρεύονται ὕδωρ, καὶ ἐξέχεαν ἐνώπιον Κυρίου ἐπὶ τὴν γῆν, *effuderunt in conspectu Domini in terram*. Jon. *effuderunt cor suum per pœnitentiam sicut aquas coram Domino*. Licet exponere, *effuderunt coram Domino in signum expiationis iniquitatum*, juxta illud Job 11. 16. *sicut aquas quæ transierunt recordaberis*. Sunt qui lacrymas innui putant ex oculis aquæ instar emanantes. Vide Tremellium. Nicolaus, *R. S. dicit quòd hoc fecerunt in signum humiliationis, q. d. Sicut aqua effusa ad nihilum valet ultrà, sic in conspectu tuo nihil sumus nec valemus. Jonathan F. Uziel maximæ reputationis apud Ebræos hoc exponit de conversione cordium ad Deum; & sic per istas aquas intelliguntur lacrymæ contritionis exeuntes à corde & per oculos effusæ*. Verba R. S. sunt ex Ebræo versa. *Secundùm simplicem sensum quem* משמע, *i. Auditum, appellat, non est nisi signum* הכנעה *dejectionis, ac si dicerent, Ecce nos coram te sicut aqua ista quæ effusa sunt*. Nota hîc Ebræos simplicem sensum appellare *auditum*, ut cùm dicunt כמשמעו i. *ut verba in nativo & proprio suo sensu sonant*. Hinc fortè, *Audistis dictum esse*, &c. Matth. 5. 21. ¶ *Judicavit filios Israel*] Ἐδίκαζε est in Lxx, non ἔκρινε. R. D. *Punivit unumquemque juxta iniquitatem suam. Nam ibi confessi sunt iniquitates suas*. Vide Nicolaum nostrum, in quo *forefacta* sunt *des forfaicts*; i. malefacta, transgressiones. R. S. *Judicavit inter virum & proximum suum de re pecuniaria, vel de aliis transgressionibus quas commiserant*. Sed vide Tremellium: nam aliter exponit.

7. *Audiverunt Philisthæi*, &c.] Causa belli hujus conventus Israelitarum in Masphath. Nam, si credendum Nicolao, Philisthæi filiis Israel omnes conventus & congregationes interdixerant cùm eos ultimo prælio sibi subjecissent.

8. *Nè obtumescas*] Verbum תחריש in Hiphil sign. *obmutescere, silere, tacere*; item *quiescere, cessare*. Nam qui tacet cessat loqui. Videtur esse derivatum à nomine חרש, quod *mutum* denotat. Observat R. David verbum hoc in Hiphil ferè intransitivum esse, i. e. עומד *stans, permanens*. Hieron. *Nè cesses pro nobis clamare ad Dominum*. Lxx Μὴ παρασιωπήσῃς ἀφ' ἡμῶν τοῦ μὴ βοᾶν, & alibi τοῦ βοᾶν. Jonathan, *Nè sileas à nobis ab orando coram Domino*, i. nè ores aut preceris Dominum.

9. *Agnum lactantem*] Ἄρνα γαλαθηνόν. In Ebraismo & Chaldaismo est *agnum lactis*. R. D. שהיה יונק עדיין. ¶ *Obtulit illum*] Sic est in lectione, quam etiam Senes referunt & Jon. Chald. paraphrastes: in scriptura est *obtulit* duntaxat ויעלה. Doctores dicunt ità scriptum esse quia erat agnus femina, unde colligunt holocaustum feminæ rectum esse in ara privata. Tradiderunt similiter, *alienum*, h. e. non sacerdotem, *offerre posse in ara privata. Siquidem à quo tempore destructum fuit tabernaculum Silo, & venerunt in Nob*, sive *Nobam, licitæ fuerunt aræ omni tempore quo fuit tentorium conventûs in Nob & Gabaa, usque dum exstructæ sint ædes seculorum, quæ vetitæ sunt, & iterum non fuerunt eis licitæ*. Dicunt etiam, *Non est ara licita nisi per Prophetam. Samuel enim obtulit primus in ara privata à quo destructum fuit tabernaculum Silo; & sic in Galgal Josue obtulit primus in ara privata. Nam legimus, Tunc exstruxit Josue*. R. Levi exponit, *obtulit, per sacerdotem videlicet. Sic Salomo exstruxit Templum*. Hoc dicit conjiciens, non affirmans. Nam utitur vocabulo אפשר *fieri potest ut obtulerit per sacerdotem. Non enim erat sacerdos*. Idem addit, *Potest etiam esse doctrina*, vel *institutum, hora. Nam tunc licita erat ara privata. Siquidem post destructum tabernaculum Silo non erat illic ara publica*. ¶ *Holocaustum totum*] עולה כליל ἐν παραλλάγῃ. Nam כליל idem quod *holocaustum*. Hier. *holocaustum integrum*. Lxx σὺν παντὶ τῷ λαῷ *cum omni populo*. Jonathan omittit. כליל totum cremabatur non tantùm de Animalibus, sed etiam de Farina, Pane, Oleo, Sale. Quomodo differat à עולה dicam aliàs, si Deus voluerit. Psal. 15. עולה וכלילי. Tamen R. D. scribit עולה & כליל synonyma esse, nisi quòd כליל sit oblatio sacerdotis quam מנחה appellant, quæ tota incendebatur, ut legitur Levit. 6. 23. Quidam existimant כליל esse adjectivum ad *holocaustum*, sed obstat genus. Nam עולה fem. est, כליל autem formam habet masc. Vide Diction. Forsteri. Quidam, *holocaustum prorsus absumendum*. Fortè copula desideratur, ut sit *holocaustum & prorsus absumendum*, כלילה reperitur Thren. 2. ¶ *Exaudivit eum*] Unde hoc scivit? An per ignem qui descendit è cœlo super holocaustum? an per tonitru? Nam Deus tonitru magnum edebat, ex quo Samuel cognoscebat se exauditum esse, & Philisthæi consternebantur adeò ut in fugam se darent.

11. *Usque ad locum qui erat subter Bethcar*] Ad verb. *usque ad subter Bethcar*. Lxx ἕως ὑποκάτω τοῦ Βαιθχόρ. Jon. *usque ad locum qui erat infra Beth-saron*. Accipit *Char* in significatione *campi & planitiei*. Nam id *Saron* sign. unde *rosam Saronis* vetus interp. reddit *florem campi*, & Lxx ἄνθος πεδίου. *Locus erat pascuus*, inquit R. D. Jes. 65. 10. Idem כר interpretatur מרעה *pascuum*, alii *planitiem* exponunt,

exponunt, i. מישור: & כר נרחב est *campus latus*; idem videlicet quod מכר, geminatâ literâ principe. Sic בת dicimus, & בבת *pupilla oculi*. כר etiam *agnum* denotat: unde fortè locus iste appellatus. Nam agnum ibi obtulit Samuel, qui tamen טלה dicitur. Plur. כרים *agni* Amos 6.4. Vox hæc ad Græcos manavit. Sanè Varrino *κάρ* est *ovis*. Hesychius, Κάρ, ὄϊξ ἡμερ☉ πολυῤῥήνι☉ ὑπὸ Γορτυνίων, ὥσπερ δὲ πρόβατα. Eusebius De locis, *Bethchar*, *Usque ad hunc locum populus Israel fugientes persecutus est alienigenas* (sic loquendo intelligit Philisthæos, quos Græci ἀλλοφύλους appellant) *appellans eum lapidem Adjutorii*. Si rectè, *Bethchar* nomen erit antiquum, & *Abenezer* ab hoc eventu natum. *Char* etiam sign. *sagma*; unde בכר *in sagmate*, quod alii interpretantur, *venit agnus* בא כר.

12. *Inter Sen*] Cum articulo השן, quod reddunt *scopulum illum*. Vox Ebræa propriè *dentem* sign. *Dens petra*, i. scopulus. R. D. *Dens petra ibi erat*, *unde loco nomen*. Idem R. S. ¶ *Eben-haezer*] i. *lapidem Auxilii*, sive *Adjutorii*. In Græcis est nomen Ebræum cum ejus explicatione Ἀβενέζερ, Λίθ☉ τῦ βοηθῦ, sive, ut in aliis, ὃ σημαίνει Λίθ☉, *quod significat Lapis*, *adjutoris*. Malim *adjutorii*. Nam *adjutor* עוזר, non עזר. Apud Cyprianum, *Lapis auxiliator*: quod idem cum illo, *Lapis auxilii*. Quòd autem Senes השן reddunt τῆ παλαιᾶς, error est confundentium שן cum ישן *vetus*. Augustinus De civit. Dei l. 17. c. 7. *Statuit illum inter Maspha novam & veterem, & vocavit nomen ejus Abenezer*, *quod est Latinè Lapis adjutorii*.

13. *Non addiderunt ampliùs venire*] עוד *adhuc*, *ampliùs*, *ultrà*, ἔτι, *rursum*, *denuò*, *iterum*, *deinceps*. Interdum de longo tempore usurpatur, aliquando de brevi & exiguo. Breve tempus denotat in illo Prov. 31. 7. *molestiæ suæ non recordabitur ampliùs*. Sic apud Jesaiam, *non discent ampliùs bellum*: & Gen. 35. *Non vocaberis ultrà Jacob*, *sed Israel erit nomen tuum*. Puto sensum esse, *non tantùm Jacob*. Nam in eodem capite octies ità vocatur. Vide nunc Tremellium. ¶ *In terminum*] *In regionem*. ¶ *Cunctis diebus Samuelis*] Usque dum senuisset. Nam tunc non poterat ampliùs propter senium obire urbes eorum, & populum officii sui admonere, sicut antea fecerat cùm ætate integrâ esset: ideo peccarunt, & fuit manus *Domini* contra eos. Quapropter ante mortem ipsius, dum adhuc viveret, Regem postularunt, ut sequentia nos docebunt. Quòd si non peccassent, nec à Philisthæis sibi timuissent, cur eum petiissent? Nam Deo res ea displicebat admodum, qui tamen autor fuit Samueli ut Regem eis daret.

14. *Reddita*] *Reducta*, *restitutæ*. Licet etiam vertere *redierunt*: nam id שב propriè sign. sed in Camio שבו אותם *reddiderunt*, aut *reduxerunt*, i. השיבו. Sic alibi שב שבות *restituit capivitatem*, i. captivos. Santes *reddiderunt sese*. Verba Camii, *Nam tribus Juda ceperat urbes illas ab initio, quemadmodum dicitur in principio libri Judicum: postea venerunt Philisthæi, & ceperunt eas ab illis. Nunc in diebus Samuelis restituerunt eas Israeli*. Hucusque. ¶ *Terminum earum*] i. terminos. ¶ *Erátque pax*] Si pax, non ergò bellum. Cur hoc hìc dicat multi mirantur. Nam bellum gesserant Israelitæ cum Philisthæis, non cum Amorræis. Fortasse in bello Palæstino reliquiæ Amorræorum eis suppetias tulerant, qui nunc pacem colebant cùm viderent Philisthæos subactos esse. Videndus R. D. ad h. l. Sanè in libro Judicum Philisthæi affligunt filios Dan.

15. *Cunctis diebus vitæ suæ*] *Usque ad Saulem*, Lira; quem vide, si placet. A die quo cœpit esse Judex usq; ad obitum suum, videlicet spatio 13 annorum: unde in Dras, *Quomodo cunctis diebus vitæ suæ*, *cùm tantùm judicaverit annis tredecim*? Filius Levi *Dum est in visceribus matris suæ scriptus est in societate superiore*. Sunt qui Regnum Saulis contineri putant sub Judicatu Samuelis. Sanè in Actis Apostolicis simul eis tribuuntur anni 40. Vide Tremellium.

16 *Bethel*] Locus notus, nisi quòd quidam hìc legunt *domum Dei fortis*, eo nomine Cariathiarim intelligentes, ubi tunc Arca erat. ¶ *In omnibus locis istis*] Sensum expressi: nam in fonte ad verb. *omnia loca ista*.

17. *Exstruxit illic altare*] Altare privatum, quod erat licitum post destructũ Tabernaculum in Silo. Etiam alienus, qui non erat Sacerdos, poterat offerre in altari privato. Vide Camium. Sunt qui referunt hoc adverbium ad *Bethel*, quo nomine significari putant Cariathiarim. Vide Tremellium; Sed & Liram h. l. R. D. *Ex quo die destructum fuit Tabernaculum Siluntis licita fuerunt altaria. Fecit igitur altare suum, in quo offerebat, cùm vellet, vota, spontaneas oblationes & hostias pacificas*. Vide sequentia.

IDEM.

4. וְאֶת הָעַשְׁתָּרוֹת. A. τὰ Ἀσάρτης ἀγάλματα *Astartes statuas*] Prius erat τὰ ἄλση Ἀσαρὼθ. Hieronymus quoque habet & *Astaroth*. Simul leguntur hæc duo nomina in additamento quodam edit. Lxx. quod ex Syra Masius deprompsit, τὴν Ἀστάρτην καὶ τὴν Ἀσαρὼθ. Sunt qui Junonem, plures Venerem esse tradunt. Eucherius in Gen. *Astarte*, *Juno. Sic Pœni eam vocant*. Vide sis Augustinum Quæst. l. 7. qu. 16. Schol. τὰ δὲ ἄλση Ἀσαρὼθ ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσεν, τοῦτ' ἔστι τὰ τῆς Ἀσάρτης ἀγάλματα. Ἀστάρτην δὲ καλοῦσι τὴν Ἀφροδίτην, ἐκ τοῦ ἄστρου τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκότες· αὐτῆς δὲ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσι. Astartes mentio apud Eusebium in libro Προπαρασκ. pag. edit. meæ 24. *Hanc Phœnices*, inquit, *Venerem esse dicunt*. *Syræ Astartes* meminit & Tertullianus in Apolog. Appellata creditur à victimarum multitudine: nam *Astaroth greges*, καὶ τὰ μῆλα.

GROTIUS.

3. P*Reparate corda vestra Domino*] Hoc in pœnitentia præcipuum.

5. *In Masphath*] Vide Jud. 20. 1.

6. *Hauserunt aquam*, *& effuderunt in conspectu Domini*] Aqua effusa lacrymas significat.

10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim*, *& exterruit eos*] Ovidius,

Et humanas motura tonitrua mentes.

Indè Græcè ἐμβρόντητοι, & Latinè *attoniti*.

13. *Et humiliati sunt Philisthiim*, *nec apposuerunt ultrà ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis*] i. ad Regnum usque Saulis Philisthæi non ausi cum exercitu intrare fines Israelitarum. Postea verò invaluere iterum, ut apparet infra 13. 19.

14. *Erátque pax inter Israel & Amorrhæum*] i. abstinebatur ab omni actu hostili, non ex federe, sed ex mutuo metu.

15. *Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ*] Nempe à morte Helis ad Regnum usque Saulis.

16. *Ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala*] Heb. בשנה בשנה. Græci, κατ' ἐνιαυτὸν, ἐνιαυτόν, i. *quotannis*. At Josephus, Διὰ τοῦ ἔτους ἐπερχόμεν☉ τὰς πόλεις ἐδίκαζεν αὐτοῖς.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

2. J*Udices in Beer Saba*] Per hoc innuitur quòd non, sicut pater eorum, circuierunt per loca, & decernebant judicia, sed cogebant filios Israel cum magno eorum dispendio venire ad locum mansionis eorum, h. e. ad Beer Saba, quæ fuit in una extremitate terræ Israel, sicut Dan in alia extremitate.

5. *Constitue nobis Regẽ*] Colligunt Hebræi ex lege Mosaica tria præcepta quæ mandata fuerunt Patribus, in ingressu Terræ promissionis observanda, nempe ut constituerent super se Regem, delerent Amalec, & ædificarent Templum.

Et cur igitur scribitur hîc quòd offenderint Dominum in petitione Regis? Respondent iidem; Quòd patres eorum ex tumultuario quodam & inconsiderato animo & non pro honore Dei & conservatione justitiæ postulaverint Regem, & idcirco Deum offenderint, præsertim cùm magis fiduciam suam in homineni collocarint quàm in Deum, qui toties eos ex magnis eripuit periculis.

9 *Jus Regis*] Heb. משפט, quod pro *judicio, decreto, jure, statuto* & *consuetudine* accipitur. Hîc exponitur ab Hebræis pro חוק *statuto* vel *decreto*.

13. *Pigmentarias*] h. e. quæ ex aromatibus varias parent confectiones. Proinde טבחות accipitur pro *mulieribus quæ cibos parant*, sive mactent pecora, sive carnes pecorum coquant.

VATABLUS.

1. *Cum autem senuisset* ויהי כאשר זקן] Ad v. *Et fuit cùm senuisset.* i. Cùm non esset adeò valens ut ità circuire posset urbes Israelis reddendi juris gratiâ, quemadmodum antea facere solebat.

2. *Joel,* יואל] Hic 1 Par. 6.27. *Vasseni,* sive *Vasni* dicitur. ¶ *Secundi ejus,* משנהו] *Secundi ab ipso.* ¶ *Judices,* שופטים] i. Jus reddentes populo.

3. *Non ambulaverunt autem,* &c. ולא הלכו בניו בדרכיו] Hebraismus, æquitatem, justitiam, mores, ac probitatem paternam non sunt imitati. ¶ *Sed declinaverunt post avaritiam,* ויטו אחרי הבצע] Hebraismus, *secuti sunt cupiditatem,* q. d. Cupiditate habendi ducti, acceptis muneribus, non reddiderunt jus ex æquo & bono, ut pater.

5. *Sicut omnes Gentes:* ככל הגוים] sub. *habent Regem.*

6. *Et oravit* ויתפלל] i. consuluit Dominum præmissâ oratione.

7. *Audi vocem populi,* שמע בקול העם] i. Acquiesce petitioni populi. ¶ *Sed me spreverunt,* כי אותי מאסו] Præt. Heb. pro præs. *repudiant* [*rejiciunt.* sub. *solum*] *sed me* quoque *rejiciunt.* ¶ *Ne regnem super eos,* ממלוך עליהם] i. Nè vivant legibus meis.

8. *Eduxi eos,* העליתי אותם] Ad verb. *ascendere feci eos.* ¶ *Dereliquerunt autem me, & servierunt,* ויעזבוני ויעבדו] *Cùm scilicet me derelinquerent & servirent,* &c. ¶ *Sic ipsi,* &c. כן המה עושים גם לך] i. Sic te deserunt, & petunt alium Judicem.

9. *Contestando contestatus fueris,* העד תעיד] i. Diligenter contestatus fueris Deum & homines. ¶ *Et indicaveris eis jus,* והגדת להם משפט] i. Prædixeris eis jus, h. e. mores ac tyrannidem.

11. *Hoc erit jus,* זה יהיה משפט] Ad verb. *Hoc erit judicium.* q. d. His moribus & hâc consuetudine utentur erga vos Reges: talem exercebunt tyrannidem: cui parere necesse erit, nec obsistere licebit vobis, sed dicto audientes esse oportebit. Quidam Hebræorum dicunt hæc esse licita Regibus: alii verò dicunt Dominum hæc dixisse ut deterreret populum à petendo Rege. ¶ *Et ponet* eos *sibi,* ושם לו] i. Quosdam ex eis præficiet curribus ipsis ut ipsos regant, & alios faciet equites. Hebraismus. ¶ *Et current,* ורצו] *Ut currant.*

12. *Tribunos,* שרי אלפים] Ad verb. *principes super mille.* Sub his duobus comprehendit alios Magistratus militum. ¶ *Arationem suam,* חרישו] i. terram suam arabilem, i. faciet ex illis aratores & messores. ¶ *Et ad faciendum vasa,* &c. ולעשות כלי וגו'] i. Quosdam constituet fabros ferrarios, alios verò fabros lignarios.

13. *Pro unguentariis,* &c. לרקחות וגו'] *In unguentarias, & in focarias, & in panificas,* i. ut sint unguentariæ, coquinariæ, & pistrices.

15. *Et de seminibus,* &c. וזרעיכם וגו'] *Et semina vestra,* i. segetes, *& vineas vestras,* i. fructum vinearum. ¶ *Et dabit,* ונתן] *Ut det.*

16. *Optimos,* הטובים] Ad verb. *bonos,* i. elegantes, formosos & præstantissimos. ¶ *Ut faciat,* &c. ועשה למלאכתו] Ad verb. *& faciet in opere suo.*

17. *Et eritis ei servi,* ואתם תהיו לו לעבדים] q. d. *Et ut uno verbo dicam, eritis ei servi.*

18. *Et clamabitis,* וזעקתם] i. Vos autem tandem ingemiscetis, cùm scilicet fueritis oppressi tyrannide Regis vestri. ¶ *A conspectu Regis vestri,* מלפני מלככם] Hebraismus, *propter Regem vestrum.*

19. *Nequaquam,* לא] Sub. *mutabimus sententiam.*

20. *Judicabitque nos,* ושפטנו] i. Suis legibus reget nos. ¶ *Et egredietur ante nos,* &c. ויצא לפנינו ונלחם וגו'] Hebraismus, Erit Imperator noster, cùm erunt bella gerenda, vel, Eo duce præliabimur.

21. *Et dixit ea,* &c. וידברם] Hebraismus, Exposuit ea Jehovæ: vel, retulit ea Jehovæ in oratione sua.

22. *Et constitue,* והמלכת] Ad verb. *& regnare facies.*

CASTALIO.

12. **H**Os *tribunos, hos centuriones*] Hebr. *Duces millenarios, & quinquagenarios.* Sed hîc non præscribitur certus numerus; & Latinorum more Latinis loquendum est. Sicubi certus numerus definiendus est, licet *semicenturiones* appellare. Audendum est enim cùm jubet necessitas.

CLARIUS.

2. **J**Udicum *in Bersabee*] Per hoc innuitur quòd non, sicut Pater eorum, circuiverunt per loca, & decernebant judicia, sed cogebant filios Israel cum magno eorum dispendio venire ad locum mansionis eorum, h. e. in Bersabee, quæ fuit in una extremitate terræ Israel, sicut Dan in alia extremitate.

5. *Constitue nobis regem*] Colligunt Hebræi ex lege Mosaica tria præcepta, quæ mandata fuerunt Patribus, in ingressu Terræ promissionis observanda, nempe ut constituerent super se Regem, delerent Amalech, & ædificarent Templum: Et cur igitur scribitur hîc quòd offenderint Dominum in petitione Regis? Respondent iidem, quòd patres eorum ex tumultuario quodam & inconsiderato animo, & non pro honore Dei & conservatione justitiæ postulaverint Regem, & idcirco Deum offenderunt, præsertim cùm magis fiduciam suam in hominem collocaverint quàm in Deum, qui toties eos ex magnis eripuit periculis.

DRUSIUS.

1. **J**Oel] Qui ושני *Vasni* vocatur 1 Par. 6.28. & *Joel* v. 33. erat ergò binomius. Caathitam fuisse, & filium habuisse Heman cantorem, cujus memoria usurpatur in odis Davidis, docet idem ille versus quem ultimo loco citavi. Qui cum Joele Propheta confundunt, audiendi non sunt: nam hic Joel patrem habuit Phathuelem: dicitur enim *filius Phathuel* differentiæ causâ; nam eo modo distinguitur à Joele Samuelis filio. Mores etiam diversi; sed & munus quod obibant; nam Samuelis filius functione Judex erat. Dices, potuit simul Judex esse & Propheta. Hoc probationis eget, ut & illud quod afferunt Samuelem *Phathuel* dici quia persuaserat Deo ut suos vindicaret è tyrannide Philisthæorum. Talia quàm facilè affirmantur, tam facilè negantur. Tempora etiam repugnant, ut suo loco dicemus ubi ad Prophetam illum pervenerimus. ¶ *Cùm senuisset*] Nam præ senio urbes obire ampliùs non poterat. Ideo constituit filios suos Judices in altero termino terræ Israel: Duo enim erant; Dan Aquilonaris, & Beersabe Meridionalis sive Australis.

2. *Abia*] Sic vocatur etiam 1 Par. 6, 28. ¶ *Judices*] Ordo & constructio, *Constituit eos Judices Israeli, Judices,* inquam, *in Beersabe*; qui locus procul aberat à Rama, in qua ipse habitabat, & ubi domus ipsius erat. Si hoc ità est, non peccarunt: sed si hanc sedem sibi delegerunt inscio patre, excusari vix possunt. Nam cùm dati essent Judices Israeli, debuissent potiùs aut urbes obire, ut pater fecerat, aut in medio terræ illius sedere; & hoc propter populum, qui minore sumptu ac molestiâ eò venire ad eos potuisset. Sed vide Camium h. l. Nam vertendus est. ¶ *In Beersabe*] Licet exponere *in Beersabem,* quod idem cum

cum illo *ad Beersabem*, & valet *usque ad*. Sic בשמים *in cœlum*, quod R. D. exponit עד השמים *usque ad cœlum*, & alibi est אל השמים. Vide De literis servilibus lib. 2. pag. 45. Græcè est ἐν Βηρσαβεὲ, pro εἰς Βηρσαβεὲ. Nam ἐν & εἰς Atticâ dialecto alternant. Sic ἐν οἴκῳ εἶναι pro εἰς οἶκον. Sulpicius, *in Geraris cessit*, pro *in Gerara*. Vide Notas meas in historiam illam.

3. *Non vixerunt in viis ejus*] Non vixerunt ut ille vixerat. Nam viæ Samuelis erant rectæ, horum autem pravæ ac perversæ. *Via* est vita; q.d. Vita filiorum diversa, imò contraria, erat à vita paterna. ¶ *Declinaverunt post lucrum*] *Sectati sunt lucrum*: quod בצע dicitur; unde בוצע בצע *lucri cupidus*, *lucrio*. Hieron. *declinaverunt post avaritiam*; q.d. Avaritiæ studuerunt, & valde appetierunt pecuniam. Nam *Avaritia* sive *Avarities* est opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit: πλεονεξίαν Græci vocant & φιλαργυρίαν. Senes hîc habent ἐξέκλιναν ὀπίσω τῆς συντελείας *post consummationem*. In notis edit. Rom. *Sic vocant Utilitatem*. Sym. ἀλλὰ μεξέκλινον ἀκολουθοῦντες πλεονεξίᾳ, *sed declinaverunt sectantes avaritiam*. Aq. Th. καὶ ἔκλιναν ὀπίσω τῆς πλεονεξίας, *& declinaverunt post avaritiam*: Hos Hieronymus secutus fuit. Jon. *respexerunt post Mamon*, i. pecuniam. Tales Ebræi appellant אוהבי בצע *amantes lucri*; cùm Judices debeant esse שונא בצע *osores lucri*, aut *pecuniæ*. R. D. *Erat cor eorum declinans ad lucrum, & festinabant ad opes, h. e. properabant ditescere. Et non est bonum ut sint Judices tales, sed debent esse osores lucri, prout dicitur in Lege; & sint homines contenti sorte suâ, qui se prohibent ab hoc seculo, & non sectantur pecuniam; & hoc est Osores lucri: neque enim licet exponere Osores rapinæ ac violentiæ*. Hæc ille. ¶ *Acceperunt munera*] Munera intelligit quæ dantur ad corrumpendum Judicem, quæ excæcant oculos sapientium. Lxx ἐλάμβανον δῶρα. ¶ *Perverterunt judicium*] i. Jus & æquum; qui est effectus munerum cùm à Judicibus accipiuntur: nam in eum finem dantur. Qui bonam causam tuetur non dat munera, nisi sciat Judicem iis capi, nec aliter ad æquum flecti posse.

5. *Tu senuisti*] Proinde non potes judicare populum urbes obeundo, ut hactenus fecisti. ¶ *Filii autem tui non eunt in viis tuis*] לא הלכו: alii *non ambulant* לא התהלכו, sed hoc leve. ¶ *Pone*] *Constitue*, κατάστησον. Jon. מני *præfice*. ¶ *Ut judicet nos*] Non dicunt *ut regnet super nos*, sed *ut judicet*, i. ut regat, *nos*. *Judicare* enim est Regis. Nam Regiæ administrationis præcipuum munus est Jus reddere populo. Doctores Ebræi dicunt tria præcepta fuisse Israelitis cùm terram intrarent; I. *ut sibi Regem constituerent*, II. *ut delerent semen Amalec*, III. *ut exstruerent domum electam*. Cur igitur hæc petitio displicuit Domino? Quia malo animo eum petierunt, non propter præceptum. Deus, qui est καρδιογνώστης, animum respicit potiùs quàm externam actionem. Sed vide Camium h. l. qui censet Regem postulatum esse ab iis per murmurationem, non tam ut judicaret eos quàm ut bella eorum bellaret. Sunt qui particulam illam Deo displicuisse putant, *sicut omnes gentes*. Nam in gentibus non Deus imperitabat populo, sed Rex. Sed hac de re fusè disputatur à Lirano, & à Paulo Burgensi in Additionibus. ¶ *Sicut omnes gentes*] Lxx καθὰ καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη, *sicut & reliquæ gentes*. Hier. *sicut universæ habent nationes*. Jon. *sicut omnes populi*. Omnes gentes non habebant Regem, sed pleræque. Simile ergò, ut, *Omnes gentes habent præputium*. *Omnes quæ sua sunt quærunt*. Si peccatum in hac petitione, hic maximè peccatum. Nam alia ratio Gentium, alia Israelitarum. Gentes indigebant Rege, quia non habebant Regem Deum: Israelitæ habebant Regem Deum, ac proinde non indigebant alio. Quia tamen unicè illum expetebant, datus eis fuit propter duritiem cordis eorum. Sic olim concessum fuit repudium, & præceptum de libello dando repudiatæ.

6. *Malum fuit verbum*] *Displicuit res*. Lxx πονηρὸν τὸ ῥῆμα. Hieron. *displicuit sermo*. *Verbum* pro *re* notius est quàm ut probationis indigeat. Sed cur displicuit? Nam pertinebat aliquo modo ad contumeliam ipsius, nè dicam Dei, qui Rex ipsorum hucusque fuerat; etiam Judicem eum habuerant: nunc postulant hominem terrenum. Quid displicuerit docent sequentia, nempe quia dixerant, *Da nobis regem, ut judicet nos*. Si dixissent *ut regnet super nos*, fortasse non adeò displicuisset. Vide Liram. Tres causas recenset cur hæc res Samueli displicuerit. Nam Dei gubernationem sperni videbat. Vide Tremellium. ¶ *Oravit ad Dominum*] Precatus est *Dominum* ut sibi per Spiritum Propheticum aperiret quid fieri hac in re vellet, & quid Senioribus respondendum esset.

7. *Audi vocem*] Dando quod petunt. ¶ *Populi hujus*] Qui per Seniores suos postulaverat Regem. ¶ *Non te spreverunt*] Sub. *tantùm*, aut *solùm*. Sic alibi, *Et illi servies*, sensus est, *illi soli*. Vide Gen. 32. 28. ubi simile exemplum. Lxx ἐξουθενήκασιν. ¶ *Me spreverunt*] Jon. *cultum meum fastidierunt*. ¶ *Nè regnem super eos*] Quid? an ubi Rex, Deus non regnat? David vocat Deum *Regem suum*, quoniam ab eo regebatur, aut quia eum Regem fecerat. Simul ergò & David Rex erat, & Deus; Deus super Davidem, & David super populum. Hoc rectè; sed hic alia ratio. Nam Deus aliter regnabat super populum cùm Judices essent, & aliter cùm Reges essent. Reges enim plus juris habebant in populum quàm Judices, qui sæpe illum ad falsos Deos pertrahebant, cultū eorum concedendo.

8. *A die quâ eduxi eos*, &c.] Exprobrat eis ingratitudinem tum erga se, qui eduxerat eos ex Ægypto, tum ergà Samuelem qui optimè de illis meritus erat, optimè etiam eos rexerat. ¶ *Tibi*] *Tecum*, R. D.

9. *Judicium regis*] Hier. *Jus*. Lxx τὸ δικαίωμα. R. D. חק *statutum*. Jon. *legem*. Sic etiam Santes. Arias *rationem*. Sic alibi, *judicium sacerdotum à populo*. Vide Liram hoc loco, qui duplex jus Regis facit, in necessitate positum, & extra necessitatem. Doctores Ebræi hîc variant. R. Jose ait, *Quicquid hîc dicitur, licebat ei facere*. R. Juda verò, *Non dicitur hæc sectio nisi ad metum eis incutiendum*. Sic etiam R. Levi Gersoni F. חק autem Senes interpretantur κρίμα Ezec. 37. 24. aliàs ferè δικαίωμα, & νόμιμον, & νόμος *lex*. δικαίωμα *justificationem* transferunt, cùm potiùs reddendum sit ex Ebræo *statutum*, *decretum*, *institutum*. Usurpatur communiter de *ritibus* & *ceremoniis*.

10. *Ad populum*] Ad Seniores populi. Hoc modo *Ecclesia* vocantur Seniores Ecclesiæ. Quo sensu accipiunt in illo, *Dic Ecclesiæ*.

11. *Capiet*] Etiam per vim, Gen. 34. 2. *& cepit eam*. Hier. *rapuit*. Sic Job 5. 5. & 15. 12. Contrà Psal. 7. 2. יטרף *rapit*, vertit *capit*. ¶ *Et current*] ורצו cum accentu in ultima; thema est רץ *incurrit*.

12. *Tribunos*] Qui mille militibus præerant; quos *præfectos millenis* non nemo vocat, χιλιάρχους. ¶ *Semicenturiones*] Ad verb. *principes quinquaginta*, qui quinquaginta militibus præerant; quos non nemo *præfectos quinquagenis* appellat. Malè autem Hier. *centuriones*, & ante illum Lxx ἑκατοντάρχους, qui potiùs שרי מאה dicerentur, i. *principes centum*. ¶ *Instrumenta bellica ejus*] Ad verb. *vasa belli ejus*. Sic *vasa currûs*, i. curruum, *ejus*. Erant *artifices*, ut quidem Jonathan eos appellat, aut *fabri*, ut Hieronymus, qui hæc omnia faciebant mercede conducti, non gratis, ut R. D. observat, nisi quòd Regis instrumenta priore loco fieri debebant. Rex enim antevertebat omnes homines reliquos.

13. *In unguentarias*] Εἰς μυρεψούς. Quidam *in pigmentarias*. Licet etiam vertere *pro unguentariis*. Jon. לשמשן *in ministras*. Fem. est à masculino שמש *minister*, qui & משמש & משמשן. Sanè Abisag Sunammitis vocatur משמשא קדם מלכא *ministrans coram rege* 1 Reg. 1. ¶ *In coquas*] Qui cibum coquunt; quas טבחות appellant, & exponunt מבשלות *coquentes*. Cui firmando quod in Arabismo *coquus* טבאך vocatur. Nam & R. D. observat Chaph Arabicum esse Heth Ebræorum. Lxx εἰς μαγειρίσσας *in coquas*, quod ità dicitur ut βασίλισσα *regina*. Malè reddunt *in coquinarias*. Nam *coquinaria*, quæ & *culinaria*, est ipsa ars, quam Græci μαγειρικὴν vocant, & aliquando

aliquando μαγειρικὴν τέχνην *coquinariam artem*: unde *coquinariam facere*, aut *factitare*, quod Graeci uno verbo dicunt μαγειρεύειν. טבח signi. etiam *eum qui pecudes mactat & homines*: quod certè non faciebant feminæ. Coctas tamen carnes sacrificabant. Vide Camium. Sic μαγειρεύειν *mactare*, quòd coqui occidant mactandas pecudes. Hier. *in focarias*. Videtur innuere coquas quæ ad focum cibum coquebant. Sanè in Glossa interlineari exponitur *coquinarias*. Sic illa ætas vocabat coquas. Ut *ars coquinaria*, sic *coquinaria mulier* aut *femina*. *Focaria* in Jure est concubina, quam domi habebant ad curam rei domesticæ. ¶ *In panificas*] quæ panem faciebant, quas R. D. appellat אפות הלחם, Græci ἀρτοποιούς. Vox Ebræa etiam *coquas* denotat, propriè tamen *coquentes panem*. Sic furnus dicitur *ardere a coquente*, i. coquo. Quomodo Latini veteres eum appellabant. *Pistricis* vocabulum, quo hîc usi sunt nonnulli, nescio an Latinum sit. *Pistrix*, ut *coctrix*: & hoc quæro adhuc. Nec *panifica* ubi inveniatur scio. Ejus masc. *panificus*, qui & *panifex*: unde *panificium*, i. panis confectio. 70 πεσσούσας *panifices*. Nam specialiter hîc dicitur de coctione panis. Est autem Æolicum πέσσω pro πέπτω.

14. *Agros vestros & vineas*, &c.] Non tam agros quàm fructus eorum, cùm milites ipsius eorum indigebunt. ¶ *Accipiet* autem persoluto pretio, i. emet. Contrà *dare* ponitur pro *vendere*. Aut *accipiet agros* per vim, etiam nolentibus vendere. ¶ *Oliveta optima*] τοὺς ἐλαιῶνας τοὺς ἀγαθούς. Sic omnes interpretes. Si rectè, tum זית non tantùm est *olea* sive *oliva*, sed etiam ἐλαιὼν *olivetum*, h. e. locus consitus olivis. Sic כרם *vinea* & *vinetum* ἀμπελών. Qui *mons Oliveti* Latinis, ab Ebræis dicitur *mons Olivarum*. Sanè ubi multæ olivæ ibi olivetum.

15. *Semina vestra*] Τὰ σπέρματα ὑμῶν. R. D. exponit. *agros vestros*: nam agris semina mandantur. Hoc videtur velle, Aliquos agros capiet, & aliquos decimabit post decimas Levitarum. Hier. *segetes vestras*: vult dicere *segetes agrorum vestrorum*. Sed *seges* propriè קמה à *stando*. ¶ *Decimabit*] *Capiet decimas de illis*. Sic, *decimatis mentham & cuminum*. A seminibus quæ terræ mandantur proveniunt fructus agrorum. Doctores Ebræi scribunt decimas fuisse juris Regii. Quæ autem accipiebat, ea solvebat. Vide D. Camium. ¶ *Servis suis*] *Aulicis suis*. R. D. *militibus suis*. Vide sodes. Sed quid? nónne Eunuchi erant servi Regis? Erant fine dubio. Quid igitur dicemus? An est Vau ἐξηγητικόν; *eunuchis suis, hoc est, servis suis*? An potiùs locutio est ut, *Dicite discipulis & Petro*? Aut *eunuchis & reliquis servis*, sive *aulicis*? Pro *eunuchis suis* Jonathan habet *principibus suis*. Idem *decimabit* interpretatur *accipiet unam partem de decem*: optimè & rectissimé. 70 ἀποδεκατώσει.

16. *Juvenes vestros optimos*] Quid viderunt 70 ut verterent καὶ τὰ βουκόλια ὑμῶν τὰ ἀγαθὰ, *armenta bonum vestra optima*? ¶ *Faciet ad opus suum*] *Utetur in opere suo*. Hier. *ponet in opere suo*. *Faciet*, i. *ponet*, non memini legere. 70 ἀποδεκατώσει εἰς τὰ ἔργα αὐτοῦ, *decimabit ad opera sua*. Santes *faciet in opere suo*. Jon. *accipiet ut sint facientes opus*.

17. *Oves vestras*] Tam Oves quàm Capras. Nam utrumque genus comprehendit צאן. Sæpius tamen de *Ovibus* usurpatur. *Pecus* שה dicitur, *grex* עדר. ¶ *Decimabit*] Jon. *accipiet unam de decem*. Latinè, *decimas capiet de ovibus vestris*. R. D. annotat sub nomine *Ovium* comprehendi etiam Boves, quorum nulla hîc memoria: unde fortasse quidam *pecus* reddiderunt. Nam Boves inter pecora majora. ¶ *In servos*] i. servi revera, vel quasi servi. Nam utrumque hæc locutio significat. Doctores Ebræi enarrant *erunt tibi tributarii*, *pendebunt tibi tributum*. Nam legimus alibi, *Erunt tibi sub tributo, & servient tibi*. Sed quid? An servi etiam tributa pendunt?

19. *Non*] Nequaquam hæc ità erunt, aut ista contestatio nos deterrebit à proposito.

20. *Judicabit nos*] *Jus nobis reddet*; aut, *vindicabit nos*. Sic, *Judica me, Domine, & litiga litem meam*. Sic Jon. *sumet ultionem de nobis* ויתפרע לנו. ¶ *Bellabit bella nostra*] aut, *pugnabit pugnas nostras*. Latinè, *geret bella nostra*, ונלחם, & *pugnabit*. Licet etiam vertere, *Pugnabimus pugnas nostras*, ut נלחם sit futurum Kal. Chaldaici cod. variant. Nam in aliis יגיח *præliabitur*, & in aliis נגיח *præliabimur prælia nostra*.

21. *Locutus est ea*] Vide Camium.

22. *Ite quisque in civitatem*] Dimittentis est cum assensione ejus quod petebatur. Vide nunc, si placet, Lyram, qui hîc fusè disputat an peccaverint Israelitæ petendo Regem. Vide etiam Burgensem.

IDEM.

3. ויטו אחרי הבצע. A. & Th. καὶ ἔκλιναν ὀπίσω τῆς πλεονεξίας, & *declinaverunt post avaritiam*. Sym. ἀλλὰ μετέκλινον ἀκολουθοῦντες πλεονεξίᾳ, *sed declinarunt sequentes avaritiam*.

GROTIUS.

1. POsuit filios suos judices Israel] Vice suâ.

3. *Acceperúntque munera, & perverterunt judicium*] Hesiodus,

> Τῆς δὲ Δίκης ῥόθος ἑλκομένης, ᾗ κ' ἄνδρες ἄγωσι
> Δωροφάγοι, σκολιαῖς δὲ δίκαις κρίνωσι θέμιστας.

4. *Majores natu*] Tribuum primores.

5. *Filii tui non ambulant in viis tuis: Constitue nobis Regem*] Potuerant à Samuele postulare ut demoveret filios à vicaria functione, & ipse, non terras obiens, sed domi res controversas dijudicaret. Id æquius fuerat quàm senem & Prophetam optimè meritum detrudere. ¶ *Ut judicet nos*] Ut vindicet nos ab hostibus. Nam & hoc שפט dicitur: & hunc sensum magis requirunt sequentia infrà 20. ¶ *Sicut & universæ habent nationes*] Vicinæ. Putabant enim, ut ait Josephus, οὐδὲν ἄτοπον τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων αὐτοὺς ἔχειν αὐτῆς πολιτείαν.

7. *Audi vocem populi*] Aliud est velle aliquid ut fiat, aliud finere fieri. Vide Oseam 13. 11. ¶ *Non enim te abjecerunt, sed me, nè regnem super eos*] Exponitur hoc 10. 19. Deus regnat per eos quos Spiritu suo afflat, quales erant Judices illi. Samuelem ergò cùm destituunt, Θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας, ut loquitur hîc Josephus. Similis locutio Lucæ 10. 16. Et hinc interpretare quod est infrà 12. 17, 19. Alio tempore Regem sibi facere fine culpa potuissent; Deut. 17. 14. Vide quæ ibi dicta.

11. *Hoc erit jus regis*] De significatu vocis משפט hoc loco vide quæ dicta De J. B. ac P. l. 1. c. 4. §. 7. Summam eorum quæ sequuntur explicat Josephus, dicens fore ut Rex eos tractet tanquam pretio emptos servos. Vicini enim Reges subditis suis imperabant quæ vellent, ut ἀνυπεύθυνοι. *Syros servituti natos* ait Livius; *de libertate eos nihil cogitare*, Apollonius; *manùs patientes esse*, Julianus, ut ostendimus ad cap. 3. §. 20. l. 1. De J. B. ac P. ideóque subditi passim in his libris *servi Regum* dicuntur. Dominatus autem hic Regius secum ferebat ut pro arbitrio Reges dilectus facerent, capitationes & operas hominibus, tributa agris, mercibus vectigalia imponerent, contradicente nemine. Illud enim ibi locum habebat,

> *Rex sum. Nil ultrà quæro plebeius.*

Et impunè quidvis facere, id est Regem esse. Si peccarent graviter in Dei legem, ad Deum ultio pertinebat, non ad singulos, ac nè ad populum quidem. Vide quæ sequuntur; & infrà 26. 10, 23.

18. *Non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem*] Multa ab initio sunt voluntatis, deinde necessitatis. Exedendum est quod intristi.

19. *Noluit autem populus audire vocem Samuelis*] Vulgus capitur inanibus, & mutationes amat. Pulchrum iis videbatur conspicere hominem auratum & gemmatum, splendide habitantem & epulantem, procedentem cum ingenti satellitio καὶ μετὰ πολλῆς φαντασίας.

CAP.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. **B**Injamin] Scribitur hîc in Hebræo *Bin-jamin* cum duabus dictionibus, cùm tamen idem sit ac si uno literarum scriberetur contextu.

7. *Panis evanuit*] Heb. *panis abiit ex vasis nostris.* Hoc verò dicebat, quòd pecuniam quam secum habebant Prophetæ dare non poterant, cùm vix sufficeret eis pro commeatu itineris comparando. Porrò תשורה est idem quod מנחה.

12. *Sacrificium populi in excelso*] Loquitur hîc Scriptura de sacrificiis Pacificorum, quæ post adipis cremationem & sanguinis sparsionem ab omnibus comedi poterant. Unde locus *Bama*, i. *excelsum* illud de quo hîc agitur, fuit domus quædam in qua hæc sacrificia fiebant, & boni viri illuc confluxerunt pransuri cum Samuele Judice. Et hinc est quòd Jonathan Chald. pro במה vertit בית אסחרותא *domus accubitûs*, seu *reclinatorium*, quod Hebræi suâ linguâ מסיבה vocant.

13. *Nam ipse benedicit sacrificio*] Jon. ארי הוא פרים מזונא *quoniam ipse benedicit cibum.*

17. *Ipse præerit populo meo*] Exponitur ab Hebræis verbum יעצר per ימלוך *regnabit*; cujus tamen genuinum significatum est *continere. Regis* autem *est*, ut Kimhi hîc scribit, *continere populum nè vadat aut faciat aliquid absque licentia ejus. Jonathan exponit* עדה *auferre & arcere*; ut sit sensus, Iste arcebit Philistinorum incursum à populo meo. Alii sic exponunt, *Is continebit populum meum.* Significat enim עצר propriè *continere*, ut jam diximus.

20. *Ad quem stat desiderium totius Israel*] q. d. Totus Israel desiderat habere Regem, & tu es ille in quem omnium vota nutu Divino conspirant.

21. *De minima tribu Israel*] Heb. *de minimis tribubus Israel*, h. e. Ego sum de una tribuum quæ minores in Israel censentur. Idem censendum de *cognationibus.*

24. *Et quod erat super ipsum*] h. e. ירך *femur*, quod adhærebat armo, vel, ut alii dicunt, חזה *pectusculum*, quod jacebat super armum.

26. *Solarium*] Heb. *super tectum*, h. e. in loco plano & strato in superioribus domûs.

VATABLUS.

1. **A**Biel, אביאל] Hic 1 Par. 8. 33. dicitur *Ner.* ¶ *Fortis robore:* גבור חיל] i. Bellicosus, pugnax, arte militari clarus. Refertur ad Cis.

2. *Huic erat filius nomine*, ולו היה בן ושמו] Ad verb. *Et ei erat filius, & nomen ejus*, &c. ¶ *Electus & pulcher*, בחור וטוב] i. Florens ætate & formosus. ¶ *Altior erat toto populo:* גבה מכל העם] *Eminebat super universum populum*, i. ab humero sursum versùs excedebat maximum quemque ex toto populo.

3. *Unum è pueris*, את אחד מהנערים] *Aliquem è famulis.*

4. *In terram Salsah*, בארץ שלישה] Chaldæus paraph. *in terram Australem.* ¶ *Et non* erant: ואין] i. Et nusquam apparebant. ¶ *Jemini*, ימיני] i. Tribûs Benjamin.

5. *In terram Suph*, בארץ צוף] Chald. paraphrastes, *in terram in qua erat Propheta.* Sunt qui dicant regionem in qua erat Ramath-sophim vocatam fuisse *Suph.* Terra in qua habitabat Samuel vocabatur *Suph.* ¶ *Veni, & revertamur*, לכה ונשובה] *Agè revertamur.* ¶ *Cessaverit*, יחדל] *Destiterit*, sub. *à quærendis asinis*, i. nè posthabitâ curâ asinarum, cœperit esse solicitus de nobis. ¶ *Et timeat nobis:* ודאג לנו] *Et solicitus sit de nobis.*

6. *Honorabilis:* נכבד] *Clarus, insignis, nobilis.* ¶ *Loquitur, eveniendo evenit*, ידבר בוא יבוא] Fut. Heb. pro præs. *quæcunque prædicit, proculdubio eveniunt.* ¶ *Viam nostram*, &c. את דרכנו אשר הלכנו עליה] i. Causam viæ nostræ propter quam venimus, sive ob quam hoc iter suscepimus, q. d. Indicabit nobis ubi sunt asinæ patris tui quarum causâ hoc iter suscepimus.

7. *Ecce ibimus: quid*, &c. והנה נלך וגו'] i. Si eamus, quid feremus ad eum? Putabant enim Prophetam Dei accipere munera, sicut divini eorum faciebant. ¶ *Panis enim*, &c. כי הלחם אזל מכלינו] *Panis enim evasit de peris nostris*, i. destituti sumus cibo. ¶ *Quid est apud nos?* מה אתנו] q. d. Nihil.

8. *Iterum autem puer*, &c. ויוסף הנער וגו'] Ad verb. *Et addidit puer respondere Sauli*, &c. i. Respondit autem, vel, *Iterum autem respondit*, &c. ¶ *Quam dabo*, ונתתי] Ad verb. *& dabo.* ¶ *Viam nostram*, את דרכנו] i. Id cujus gratiâ hoc iter suscepimus.

9. *Ad inquirendum Deum*, לדרוש אלהים] *Ad consulendum Deum.* ¶ *Hodie*, היום] Sub. *dicitur.* ¶ *Videns:* הרואה] A visione scilicet Prophetica.

10. *Bonum est verbum tuum:* טוב דברך] *Rectus est sermo tuus.* Hebraismus, Rectè loqueris.

12. *Populo*, לעם] Vel *à populo*, i. quia populus celebraturus est hodie convivium ex reliquiis hostiarum pacificarum quas immolavit Domino. ¶ *In excelso:* בבמה] i. In loco editiore in quo fieri solebant publica convivia. Chald. paraph. *in domo sessionis*, ubi scilicet sedebant ad comedendum, i. in cœnaculo.

13. *Sic*, כן] i. Statim. ¶ *Comedet*, יאכל] Fut. Heb. pro præs. ¶ *Benedicturus est sacrificio*, יברך הזבח] i. Gratias acturus est hostiæ pacificæ nomine. Agebant gratias Deo Hebræi ante prandium: præterea moris erat apud eos ut qui gratias egerat præsentium ciborum causâ illos frangeret & distribueret. Hîc verò tantùm mentio fit gratiarum actionis, quòd propter morem fractio & distributio facilè subaudiantur. Chaldæus paraph. fractionis tantùm meminit, cùm dicit, *Ipse enim divisurus est victimam.* Ad hunc locum pertinere videtur locus Lucæ 24. 30. ubi de Christo profecto in Emmaunta legitur, *Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* ¶ *Invitati sunt*, הקרואים] *Apparati sunt*, vel, *præparati.* ¶ *Hâc ipsâ horâ*, כהיום] *Secundum diem*, i. hoc ipso temporis articulo.

14. *In medium civitatis*, בתוך העיר] *Intra urbem.* ¶ *Egrediebatur*, יוצא] Domo scilicet.

15. *Revelaverat aurem Samuelis*, גלה את אזן שמואל] Vide Ruth 4. 4.

16. *Populum meum*, &c. את עמי כי וגו'] i. Affectionem populi mei implorantis opem meam.

17. *Dominabitur populo meo:* יעצור בעמי] Hoc verbum significat *continere in officio, & coercere*, i. regnabit super populum meum, ut exponit doctus inter Hebræos.

18. *Accessit autem*, &c. ויגש שאול וגו'] *Appropinquavit Saul Samueli*, i. incurrit in Samuelem statim ut transgressus est portam ipsam. ¶ *Ubi hîc*, אי זה] *Quænam sit*, vel, *ubinam sit.*

19. *Et quicquid est in corde tuo*, &c. וכל אשר בלבבך וגו'] *Quicquid versas in mente tua indicabo tibi.*

20. *Et asinis*, &c. ולאתונות וגו'] Hebraismus, Nè cures, vel sis solicitus (id enim significat *Apponere cor suum*) de asinis quas velut perditas requiris ab hinc triduum. ¶ *Sed cujus est omne desiderabile*, ולמי כל חמדת] *Cujus verò est omne desiderium*, q. d. Ad quem spectant optima quæque, &c. q. d. Tua sunt; futurus enim es Rex in Israel.

21. *Filius Jemini*, בן ימיני] i. Benjaminita. ¶ *De minoribus tribubus*, מקטני שבטי] i. Una ex minimis tribubus, h. e. ex infima tribu. ¶ *Ut quid igitur*, &c. ולמה וגו'] Hebraismus, Quare ergò dicis mihi talia?

23. *Coquo*, לטבח] *Lanio.* ¶ *Pone eam apud te*, שים אותה עמך] i. Serva tibi ipsam apud te diligenter.

24. *Armum*, את השוק] i. Crus, coxam. ¶ *Et quod erat super eum*, והעליה] i. Armum integrum & amplissimum. ¶ *Et ait*, ויאמר] Sub. *Samuel.* ¶ *Quod remanserat*, הנשאר] *Quod servatum erat*, i. servaveram. ¶ *Dicendo, Populum invitavi*, לאמור העם קראתי] i. Cùm dixi, Invitavi & alios.

25. *Et cùm descenderent de excelso:* וירדו מהבמה] i. Reversi de loco convivii in domum Samuelis. ¶ *Super tectum:*

tectum: על הגג] *In tecto*, vel, *solario*, ut scilicet familiariter alloqueretur. Solebant autem deambulare præcipuè post cœnam in tecto, nam erant plana tecta, non similia nostris, ut dictum est Deut. 22. 8.

26. *In tectum*, הגגה] Ut scilicet eum familiariùs alloqueretur. ¶ *Surge*, קומה] *Age*. q.d. Para te itineri. Sic mox *Surrexit* pro *Paravit se itineri*.

27. *Ipsis descendentibus*, &c. המה יורדים בקצה העיר] *Cùm autem ipsi descenderent, essentque in extrema parte urbis*. ¶ *Ut transeat ante nos*, ויעבור לפנינו] Ad verb. *& transibit ante nos*, pro *ut antecedat nos*. ¶ *(Et transivit)* ויעבור] *Præcessit itaque*, jussu Saulis scilicet. Per parenthesin positum. ¶ *Hoc ipso die*, כיום] Ad verb. *secundum diem*, i. hoc ipso articulo diei, i. temporis: h. e. nunc, paulisper. ¶ *Ut indicem tibi*, ואשמיעך] Ad verb. *ut audire faciam te*, i. ut exponam tibi quod mihi dixit Deus.

CASTALIO.

6. DIvinus] Vates.

9. *Qui Deum consultum ibant*] Sciscitatum oraculum.

24. *Quòd dicerem me invitasse homines*] Sciebam te adfuturum: ideòque coquo ut hoc reservaret mandavi; me enim habiturum convivas alios.

CLARIUS.

7. PAnis defecit] Hoc dicebat quòd pecuniam quam secum habebant Prophetæ dare non poterant, cùm vix sufficeret eis pro commeatu itineris comparando.

12. *Sacrificium est hodie*] Loquitur hîc Scriptura de sacrificiis Pacificorum, quæ post adipis cremationem & sanguinis sparsionem ab omnibus comedi poterant. Unde *excelsum* illud de quo hîc agitur fuit domus quædam in qua hæc sacrificia fiebant; & viri boni illuc confluxerunt pransuri cum Samuele Judice.

20. *Et cui erunt optima*] Alius vertit, *Ad quem stat desiderium totius Israel?* q.d. Totus Israel desiderat habere Regem, & tu es ille in quem omnium vota nutu Divino conspirant.

DRUSIUS.

VIR de Benjamin] *Benjaminita*, ut *vir de Jerusalem*. *Mulier de Samaria* Joh. 4. 7. i. *Samaritana*. Jon. *vir è tribu domûs Benjamin*. LXX ἀνὴρ ἐξ υἱῶν Βενιαμίν. Scriptum autem בן ימין divisim, & lectum בנימין conjunctim. ¶ *Filius Abiel*] Qui *Ner* vocatur 1 Par. 8. 33. & 9. 39. *Ner genuit Kis*. Ner autem erat filius Abiel. Et nonne erat frater Cis, & pater Abneris? quemadmodum dicitur in hoc libro. *Rectum est*, inquit R. D. *ut dicamus eum fuisse binomium, ut & Abiel dictus sit & Ner, cujusmodi multi sunt in illis libris. Convenit etiam ut dicamus eum habuisse duos filios, quorum unum nominavit Cis, & alterum Ner de nomine suo. Is erat pater Abneris*. Repperi scriptum in Vaicra Rabba fundamentale nomen fuisse *Abiel*, quem *Ner* cognominarunt, eò quòd succenderet lucernas in ingressibus caliginosis. Cæterùm in ed. Vulg. Latina malè scribitur *Abi-el*, duabus dictionibus. Nam & Ebræi, Chaldæi & Græci omnes scribunt unicâ voce. ¶ *Filii Seror*] Perperàm in Latinis *filii Seor*, nec meliùs in ed. Rom. *filii Jared*, υἱῷ Ἰαρέδ. Paulò pòst in Latinis cod. est *Saretz*, fortè ex *Jared*. ¶ *Filii viri Jemini*] i. Benjaminitæ: qui ἀνὴρ Ἰεμιναῖος, *vir è Benjamin*. Jon. *viri è tribu domûs Benjamin*. Non ergò certum hominem designat, sed tribum duntaxat; q.d. Abia erat pater cujusdam ex tribu Benjamin. ¶ *Potens robore*] [illegible] *robur* sign. & *opes*, unde גבור חיל *potens opibus*, i. opulentus & dives. Græci δύναμιν reddunt, *Multæ filiæ fecerunt potentiam*, δύναμιν &, *Fac* δύναμιν *virtutem in Ephratha*: i. compara opes. Nam in opibus potentia hominis consistit potissimùm. Quò ditior est quisque, eò potentior. Ideo Salomon ait, *Urbs valida, divitiæ divitis*. LXX ἀνὴρ δυνατός legerunt גבר pro גבור, quod Chaldæi enunciant גבר, *o* in *a* versâ. Hier. *fortis robore*. Trem. *valens robore*: quod vox Ebræa etiam sign. Malim tamen *potens robore*. Jud. 6. 12. *Dominus tecum* גבור החיל *potens robore*: & 11. 1. *Jephthe erat potens robore*. Ruth 2. 1. *vir potens robore*, aut *divitiis*, ut si dicas, *vir opum potens*. 1 Sam. 14. 52. *Omnis vir potens, & omnis filius roboris*, 16. 18. *& potens robore*. Hier. Ruth 2. 1. *homo potens & magnarum opum*. Vide Annotationes: etiam ad v. 11. c. 4. & Animadv. l. 2. c. 29.

2. *Juvenis & bonus*] Hier. *electus & bonus*. LXX εὐμεγέθης, ἀνὴρ ἀγαθός, *procerus, vir bonus*. Sed בחור hîc *juvenem* notat; & sic interpretatur Jonathan Chaldæus. טוב, *pulcher, formosus, elegans*. Plenum esset טוב תואר *bonâ formâ præditus*. R. D. *bonus in forma & aspectu*. Jon. שפיר *pulcher* טוב בתואר. Sic alibi, *melior eo*, i. pulchrior. Apud Terentium *forma haud mala*. Sic Gen. 6. 1. *quòd essent pulchræ*. *Alia translatio*, inquit Eucherius, *non Pulchras, sed Bonas, i. speciosas corpore*. Augustinus, *Consuetudo Scripturæ etiam speciosos corpore Bonos vocare*, De civit. Dei l. 14. c. 23. Sic καλὸν & *bonum* & *pulchrum*. Terentius Eunucho, cùm rogaret Gnatho, *Quid tibi videtur hoc mancipium?* respondet Parmeno, *Non malum*, i. deforme. ¶ *Melior illo*] i. Pulchrior, formosior. Jon. שפיר מניה. Trem. *elegantior eo*. Nicolaus, *erat bonus ratione morum & virtutum*. Non adeò placet. Vide sequentia.

4. *Per terram Salisa*] Quam Jonathan *terram Daroma* vocat, i. *Australem*. Sic alibi מבעל שלישה interpretatur *è terra Meridionali*. Nam DAROM *Meridies, Regio est*, inquit Tremellius, *plana in Benjamine* 2 Reg. 4. 42. Eusebius De locis, *Salisa, quam Saul transiit*, & pòst, *Salisa, pro quo Aquila interpretatur Triennalem. Meminit hujus Jeremias*. In ed. Rom. hîc habetur Σελχά. quod mendum est pro Σελσά. Nam ità legebant olim cùm vocales abessent. ¶ *Per terram Saalim*] Id contraxit Hieronymus in *Salim*. Sic antiqui *Jacob* dicebant pro *Jaacob*. Nam consuetudo Syrorum elidit Heth & Ain literas in medio & fine. LXX Σεγαλίμ. Jon. *per terram* מתברא *Mathbera*. In lib. Nominum, *Salim, Vulpes*: *sed melius si legatur Sualim*. Rectè: nam שועלים *vulpes*. Regio hæc alia ab eo loco qui *Salim* vocatur Joh. 3. 23. Nam ibi *Salim* est שלים, quod idem cum *Salem*. Nam id Chaldæus dicit שלים, quod antiqui legebant *Salim*. Sanè apud Syrum est שלים. Quam vocem corruptam esse hoc loco scribunt Tremellius & Junius; sed mihi non persuadent. ¶ *Per terram Jemini*] i. Jeminitarum, qui & *Benjaminitæ*. Sic, *vir Jemini*, Benjaminita. LXX διὰ τῆς γῆς Ἰαμίν. Malim, Ἰεμιναίων, ut alibi reddunt. Jon. *per terram tribûs Benjamin*. Glossa interlinearis, *per terram Jemini, h. e. Benjamin*.

5. *In terram Suph*] h. e. In regionem ubi Rama erat, patria Samuelis. Videndus R. Levi. LXX senes Σίφ, Joth pro Vau legentes. Sed ubi in ed. Rom. εἰς τὴν Σίφ, est cur malim εἰς γῆν Σίφ. Nam Siph pro Suph error est interpretum, non librariorum; qui notandi sunt potiùs quàm corrigendi. Nicolaus, *Iste fuit atavus Samuelis, ut habetur in principio hujus libri*. Vide 1 Sam. 1. 1. Jon. *in terram ubi Propheta Domini*. Videtur legisse צופה. Aut existimavit regionem eam sic dictam à *Prophetis* qui in ea habitabant, quos צופים appellant, i. σκοπὰς *speculatores*, unde suprà *Ramathaim Sophim* quidam enarrant *& Ramathaim & è Sophim*, i. Prophetis. Vide Annot. nostras ad illum l. ¶ *Veni & revertamur*] לכה *veni*. Sic alibi, *venite* לכו *faciamus lateres*. הלך proprie *eo*. בא *venio*. Sed unum alterum explicat. Nam & בא valet *eo*, ut Jon. 1. 3. *invenit navem* באה *euntem*. ¶ *Ne cesset pater ab asinis*] Hier. *nè fortè dimiserit pater meus asinas*. Jon. *nè quando derelinquat pater meus à negotio asinorum*. q.d. Nè relictâ curâ de asinis, de nobis fit anxius & solicitus. LXX μὴ ἀνεὶς ὁ πατήρ μου τὰς ὄνους, *nè dimittens pater meus asinas*. ¶ *Nè cesset ab asinis*: vult dicere, *curam gerere asinorum*. In quodam cod. Græco, *nè omittens* τὰ περὶ τὰς ὄνους *ea quæ ad asinos*. Complut.

τὰς

τὰς περὶ τὰς ὄνυς φροντίδας, φροντίζη περὶ ἡμῶν, ne omittens curas quæ circa asinas, solicitus sit de nobis. ¶ Metuat nobis] Anxius & solicitus sit de nobis. Hoc Jonathan dixit יציף לנא, ac si diceret יפחד, inquit R.D. Sic in Genesi Magno, & ubi pecus ad holocaustum? Dixit ei, יציף גברא ההוא Solicitus est ille vir, nihilominus Dominus providebit sibi pecus. Lexicon Chald. à Munstero editum, יצף anxius & solicitus fuit. R. S. Dolor qui nobis de eo augebitur donec oblivioni tradiderit asinas. Idem דאג vernaculâ linguâ interpretatur addubitarà, fortè addubiterá.

6. Vir Dei] Lxx ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ homo Dei. Jon. Propheta Domini. ¶ Vir ille honoratus est] R. D. honoratus & magnus in verbis Prophetiæ; quod sequentia firmant. Etiam Jonathan, qui vertit, vir ille prophetat verum. Hier. vir nobilis, in Prophetia videlicet. Lira, Hoc dicitur propter dignitatem prophetiæ. Propheta & nobilis, i. nobilis Propheta. Sed in Ebræo est quod dixi. R.D. existimat hoc additum quoniam usque ad Samuelem rara & pretiosa fuerat Prophetia, vigentibus inter eos Astrologis Divinis, iisque qui agebantur spiritu בעל יאוב Pythonico: qui si aliquando verum dicebant, sæpius tamen falsa prophetabant. Lxx ἀνὴρ ἔνδοξος. ¶ Omne quod loquitur veniendo venit] Hier. sine ambiguitate venit: &, omne quod loquitur, spiritu prophetico. Lxx παραγινόμενον παρέσται eveniens aderit. Jon. Omne quod prophetat stabiliendo stabilitur, i. ratum est ac firmum. ¶ Viam nostram] Rem ob quam hanc viam iniimus, iterque hoc suscepimus. Hieron. de via nostra propter quam venimus. R. S. indicabit nobis negotium asinorum, propter quos ingressi sumus hanc viam. Nicolaus, de via nostra; de asinabus, propter quas fiebat via illa. Malim, iter illud. Trem. quâ viâ nobis eundum sit ut asinas istas inveniamus.

7. Panis abiit è vasis nostris] i. Defecit, consumptus est. Hoc dicunt non quòd panem daturi erant pro mercede, sed innuunt defecisse pro viatico. Si panis, multò magis pecunia quam, &c. Ut hic panis abiit pro defecit, sic homo simpliciter abiisse dicitur qui abiit ex hoc seculo, i. mortuus est. De quo etiam dicunt, Abiit, nec revertetur, item, Abiit, & revertetur: non revertetur, naturaliter; revertetur ὑπερφυσικῶς; in ultimo judicio, quando resurget. Hier. panis defecit in cistarciis nostris. Glossa interlinearis, in sacculis, vel pera. Lexicon Placi, Sitarchia (ità legit, non sistarchia) pen. cor. vas, repositorium, sive saccus seu pera, in qua poni consuevit cibus: σῖτον enim Græci cibum vocant. Alibi est in cistartiis. Quidam legunt sitarciis. Græcum est σιταρχία, annona, cibaria. Turnebo dicitur stellatura, & canon frumentarius. Σιταρχία etiam Græcum est, sed sign. munus Præfecti annonæ, quod qui obit σιτάρχης dicitur. Neutrum huic loco quadrat. Quæramus amplius. Lxx οἱ ἄρτοι ἐκλελοίπασιν ἐκ τῶν ἀγγείων ἡμῶν, panes defecerunt è vasis nostris. Jon. Si accipit pecuniam, quid adferemus Prophetæ Domini? etiam viatica recesserunt à nobis. R.D. eum citat. זוודין viatica, עטרו, idem exponit סרו recesserunt. Sic ubi in fonte לא סרו הבמות, Chaldæus לא עטרו עדן Non recesserunt. In textu Jonathæ עטרו nunc recesserunt, quod נעדנא dicunt. Ità conjicio, non affirmo. Cistartia videtur germana lectio esse, à κίστη & ἄρτος panis, ut fit κιστάρτιον, ἀγγεῖον εἰς ὃ ὁ ἄρτος ἐντίθεται, in quo panis reponitur, ἀποθήκη. Item κίστη sign. κιστίς. ¶ Munus] תשורה munus, i. מנחה, ut quidem R. D. explicat. Lxx πλεῖον οὐκ ἔστι μεθ' ἡμῶν, plus non est nobiscum. Jon. מדעם דנשר quicquam quod rectum est, ac si thema esset ישר, unde תשורה, ut à ישע est תשועה salus. Manahem exponit munus quod datur ad videndum Regem aut hominem qui est in aliquo pretio; à verbo שור, quod aspicere sign. Id probare videtur R. S. Hier. & sportulam non habemus: nam in sportulis pecunia deferri solebat. Est enim diminutivum à sporta, ut σπυρίδιον à σπυρὶς sporta. Sportula verò sumitur pro iis cibis & pro ea pecunia quæ à magnatibus iis quotidie dabatur qui ipsos officii gratiâ essent comitati, aut domi salutassent: ξένιον Græcis est munus hospitale, h.e. hospitibus dari solitum. Id Lira corruptè vocat exenium. Verba ejus sunt, In Ebræo habetur, [Et exenium non habemus] & in idem redit translatio nostra, quia sportula est vasculum in quo ponitur fructus vel aliquid hujusmodi ad exeniandum. Et sic accipitur continens pro contento. ¶ Quid nobiscum?] i. Apud nos? Trem. quid est penes nos? Jon. quid nobiscum ad faciendum? Hier. nec quicquam aliud? Lxx τὸ ὑπάρχον ἡμῖν quod est nobis. Compl. ἢ τοῦτο τὸ ὑπάρχον ἡμῖν; aut hoc quod est nobis.

8. Addidit respondere] i. Loqui, & est sensus, Rursum locutus est ad eum. Nam nunc primùm respondit; non addidit respondere. Sic, & respondisti, & dixisti, i. locutus es, & dixisti. Vide D. Camium. Similiter Jon. לאתבא, & non למעני, quod propriè sign. respondere sive reddere verbum. Licet etiam exponere ut verba sonant. Nam cùm Saul diceret, Veni, eamus, respondit puer, Ecce vir Dei est in urbe hac. Nunc cùm ei diceret Saul, Quid afferemus viro Dei? iterum respondet, Est in manu mea quarta pars sicli argentei. Hoc etiam K. notavit. ¶ Invenitur in manu mea] Est in manu mea. Sic, Non est inventus in eo dolus, non fuit dolus. Hier. Ecce inventa est. Lxx ἰδοὺ εὑρέθη ἐν τῇ χειρί μου, Ecce inventa est in manu mea. Sic & Jon. Vide Tropos Scripturæ, verbo INVENIO. Nam inveniri pro esse tritum est. ¶ Quarta pars sicli argentei] Sive quadrans. Lxx τέταρτον σίκλου ἀργυρίου. Jon. zuza una sicli argentei. Nam in Siclo quatuor Zuzim. Hier. stateris argentei. Si rectè, Stater & Siclus synonyma erunt. Vide notas ad Parallela mea.

9. Olim] Antiquitus, antea, ἔμπροσθεν. ¶ Venite, eamus] לכו ונלכה venite & eamus. Priore loco sign. venio, & posteriore eo: quæ propria est ejus verbi significatio: est ut diximus: nam venio בא dicitur. ¶ Usque ad Videntem] Lxx πρὸς τὸν βλέποντα. Hier. ad Videntem. Si rectè, עד pro אל hîc ponitur, ut sæpe aliàs. Sym. τὸν ὁρῶντα, vel τὸν βλέποντα. Vide Rom. ed. Lat. ¶ Qui Propheta hodie] Videtur sensus esse, Qui hodie Propheta, antea vocabatur Videns tantùm. Nam dicebant, Eamus ad Videntem, quem nunc vocant etiam Prophetam. Simile, Olim exuebat vir calceum suum. Nam ea consuetudo Boazi temporibus adhuc viguit. Sic, Non vocaberis ampliùs Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Sensus, Jacob tantùm. Nam pòst & Israel & Jacob dictus est. Sed vide D. Ebræum, qui hæc verba esse putat Samuelis, quem autorem faciunt hujus libri ex traditione. Sunt qui ab Ezra adjecta censent. Vide Liram. In his est Beda. Sed si Samuel autor libri, quomodo recensetur inter Prophetas, cùm obierit munus publicum? An munere sive officio Propheta erat & simul Judex? Quid enim vetat Judicatum administrari à Propheta? Cæterùm נביא dictus à verbo נבא prophetavit, aut verbum est à nomine, & nomen à ניב, quod sermonem denotat. In qua sententia videtur fuisse R.D. imò fuit. Vide illum. רואה autem, quia videt in visione prophetica res futuras, aut id quod jubetur à Deo indicare hominibus. Sed vide Camium.

10. Bonum est verbum tuum] Perplacet quod dicis. Hier. Optimus sermo tuus. Chaldæus Jon. תקין Rectum est verbum tuum. ¶ In civitatem in qua erat vir Dei] Ramam.

11. Clivum urbis] Ascensum urbis. Lxx τὴν ἀνάβασιν τῆς πόλεως. Jon. מסקנא. ¶ Videns] Hîc videntem appellant vocabulo prisco ipsum Prophetam. Stat ergò quod suprà diximus de Propheta & Vidente. Videns etiam חוה dicitur, i. cernens, unde חזון visio, quæ & מראה.

12. Ecce ante te] O Saul. Lxx ἰδοὺ κατὰ πρόσωπον ὑμῶν. Vide Rom. ed. Lat. Quærunt Doctores cur puellæ tam prolixum sermonem habuerint cum eo. Quidam ex iis aiunt eos contemplatos fuisse pulchritudinem ejus, eâque raptos diu produxisse sermonem. Alii dicunt à Deo hoc fuisse, quia nondum advenerat hora quam dixerat Deus Samueli, Circa hoc tempus cras mittam ad te virum. Vide Camium. ¶ Sacrificium] Jon. convivium mactationis rerum sanctificatarum, vel certè sanctarum. Nam קודשיא in Chaldaismo. Tremellius quoque convivium. Appellatio à mactando: nam in eo animalia mactantur. Puto significari sacrificia Pacifica, quorum pars potior comedebatur ab offerentibus. Vide notas Tremellianas Gen.

Gen. 31. 54. & ad h. l. Vide Dict. Ebr. in זבח & infrà v. 13. ¶ *In excelso*] Lxx ἐν Βαμᾶ. Theodoretus Quæst. 19. Βαμᾶ *quidem Aquila interpretatus est* ὑψηλὸν *excelsum*, Γαβαὰ *verò*, βυνὸν, i. *collem*. Jon. *in domo convivii*. *Convivium* autem אסחרותא vocat, quia in gyrum sedebant ad mensam. R. D. *Omne Bama in hoc sensu & similibus* παρέξηγ *Jonathan* בית אסחרותא, *quoniam erant sacrificia pacifica, quæ comedebantur ab omnibus post suffitionem adipum & sparsum sanguinem*, sive *sparsionem sanguinis: faciebántque viri urbis illud sacrificium aut convivium* זבח *ad edendum illud in domo excelsi, quam exstruxerant ad horam. Licita enim erant excelsa illo tempore post destructum tabernaculum quod in Silo; erátque tabernaculum in Nob. Omnémque locum in quo comedebant vocabant* מסבה, *quia sessio eorum ad edendum erat in circuitu*, i. circularis; unde illud *Sederunt ad comedendum panem*. Jon. ואסחרו. *Sederunt per circuitum*, unde אסחרותא.

13. *Benedicet sacrificio*] Hier. *hostiæ*. Lxx εὐλογεῖ τ̃ θυσίαν. Ebræi exponunt על זבח *super animalibus mactatis*. De *convivio* sumitur hoc nomen Gen. 31. 54. & 1 Sam. 28. 24. & 1 Reg. 19. 21. Quatuor enim significat, 1. *convivium* ipsum, 2. *sacrificium*, 3. *eam sacrificii speciem quæ* זבח שלמים *vocatur*, 4. *cædem hominum, internecionem*. קטלא *occisio* reddit Thargum. Jon. h. l. פרים מזונא. In Camio & R. S. est על מזונא. Prius exponunt *frangit panem*. Sed מזונא *cibum* denotat, non *panem*. Sic etiam elucidant על זבח *benedicit super animalia mactata*. R. S. בוצע על המזון *scindit, frangit*. *Super pacifica benedicunt, cùm comedunt ea, hoc modo*, BENEDICTUS TU, DOMINE DEUS NOSTER, REX SECULI, QUI SANCTIFICAVIT NOS PRÆCEPTIS SUIS, ET PRÆCEPIT NOBIS COMEDERE הזבח MACTATAS HOSTIAS. Hæc R. S. R. D. scribit פרים, quòd in Thargum, habere significationem בוצע, ut sumitur in verbis Doctorum, *Paterfamilias frangit aut scindit* בוצע, *vocatúrque benedicens initio in convivio* בצע, *quia frangit panem, & benedicit super eo*: proinde sensus est, *Benedicit sacrificio*, i. super sacrificio, licèt initio benedicat super pane, quoniam fundamentum convivii erat זבח *sacrificium*, ideò dicit, *Benedicit sacrificio*; aut quia sacrificium habebat benedictionem per se. Nam quando comedebant hostias pacificas, benedicebant super eo, *Qui sanctificat nos præceptis suis, & præcepit nobis comedere* הזבח *mactationem* i. animalia mactare. Porrò benedictio panis non reddebat immunem mactationem. Ebraicè היתה פוטרות של זבח, alibi פוטרת. ¶ *Vocati*] *Invitati*. Lxx ξένοι *hospites*. ¶ *Sicut hodie*] Tam certò invenietis eum quàm certum est hunc diem esse. Quidam, *Verè illo tempore invenietis eum*: nam est Chaph ἀληθινὸν. Trem. *Nam hoc ipso tempore*. Simile, *Jura mihi sicut hodie*. Jon. *sicut hoc ipso die*. R. S. *Sicut dies iste stat*, aut *stabilis est*. R. Jesaias, *Quem quæritis sicut hunc diem invenietis eum*.

15. *Dominus revelaverat aurem Samuelis*] Admonuerat eum de illo quem Regem esse vellet. *Aurem revelat* qui alicui aperit quid fieri velit; item, qui admonet aliquem de re quapiam. Vide Job 36. 10, 15. Hier. *revelaverat auriculam*. Ità Lxx ὠτίον, quæ *infima auris* propriè, & *ima* vocatur, & *molle illud quod in aure*. Sed pro tota aure ponitur. Martialis, *Garrit Nestor in auriculam*, i. in aurem. Jon. *A coram Domino dictum fuerat Samueli*.

16. *Circa hoc tempus*] כעת, ubi articulus vim habet pronominis demonstrativi. Hier. *hâc ipsâ horâ*. Lxx ὡς ὁ καιρὸς, *ut tempus est*. In notis ad ed. Rom. *sicut tempus hoc*, i. hâc horâ. Jon. *sicut isto tempore* כעידן הדין. In Camio est בעידנא הדין, qui exponit כעת הזאת למחר, *sicut isto tempore cras*, vel *quasi tempore hoc*. ¶ *In Ducem*] Lxx εἰς ἄρχοντα *in principem*. Jon. *ut sit rex super*, &c. נגיד *rex*. Sic alibi, *Tu eris dux*, i. Rex. Appellatio à particula נגד *coram, ante*, q. *antesignanum* dicas, eò quòd subditi ponunt faciem suam jugiter coram eo, & respiciunt eum in omnibus requisitis suis. Vide Ohel Moed in מלך. Sed & 1 Sam. 10. 1. ¶ *Vidi populum meum*] *Vidi* hîc sumitur ut in illo, *Vidi, vidi vexationem populi mei*, i. Respexi, aut Propitius fui populo meo. Prius habet Hieronymus, *respexi populum meum*. Lxx ὅτι ἐπέβλεψα ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τ̃ λαῦ μυ, i. עני *afflictionem, vexationem*. Sic Jon. *retecta est coram me miseria*, sive *afflictio, populi mei* עול בנא דעמי. Sic R. D. citat. In textu est דוחקא דעמי, quod in idem redit. ¶ *Venit enim clamor eorum*] Philisthæi enim afflixerant eos à tempore quo senuerat Samuel, qui propter ætatem non poterat corripere illos: itaque peccarunt, & Philisthæi posuerunt נציבים *milites stationarios*, in terra eorum. Ità oppressi clamarunt ad Dominum, & petierunt à Samuele Regem qui servaret eos è manu hostium.

17. *Dominus respondit ei*] Nulla præcessit interrogatio. Sensus ergò, *dixit ei*. Sic Hieronymus interpretatur. Sed & Jon. *à coram Domino ei dictum fuit*. Lxx ἀπεκρίθη αὐτῷ *respondit ei*. R. D. *dixit ei in spiritu prophetico*. ¶ *Dominabitur in populum meum*] Hier. *populo meo*. Lxx ἄρξει ἐν τῷ λαῷ μυ *princeps erit in populo meo*. Jon. *auferet dominium à populo meo*. R. D. *regnabit*. Sic יורש עצר *hæres regni*. Vocatur autem Rex עוצר quia cohibet & retinet populum nè faciant quicquam citra potestatem ejus. Lira, *In Hebræo habetur*, [*Iste retinebit populum meum*] Vide sequentia. Jon. *auferet dominium à populo meo*. Vult dicere *dominium Philisthæorũ*, q. d. Cohibebit eos & prohibebit nè bellum gerant contra Israelem, sicut ait, *Servabit populum meum è manu Philisthæorum*. Quæ R. S. hîc annotat invenies versa in Glossis Lirani. Sed quid vernaculè קורשטניר? an id quod Galli dicunt *tenir court*? *In lingua nostra*, inquit, *vocant* מעצור *eo modo*.

18. *Accessit ad Samuelem*] Hîc את positum pro אל, ut contrà אל ponitur aliquando pro את. Vis exemplum? Psal. 2. *Narrabo* אל חק *decretum*. Jon. *occurrit Samueli*. Sic etiam R. S. Vide, si placet. ¶ *In medio portæ*] *Intra portam*. Sic, *in corde maris*, i. intra mare. Nam *cor* pro *medio* ponitur.

19. *Ascende ante me*] Præcede me tu, Saul. ¶ *Et comedetis*] Tu & puer tuus. ¶ *In excelsum*] In locum convivii, ubi apparatum convivium. Paulò pòst לשכה appellat locum illum, i. *cubiculum*. ¶ *Omne quod in corde tuo*] *Quicquid animo volvis, agitas*, aut *cogitas*. Mox se explicat cùm ait, *Ad asinas perditas*. Sed vide Liram, qui ex libro Quæst. Ebr. refert, ipsum in somnis vidisse palmam arborem in cujus summitate ipse sederet: quod erat signum Regiæ celsitudinis. Palma enim arbor altissima est. Hæc ut dicuntur, ità negari possunt.

20. *Hodie tres dies sunt*] Tempus notat non à quo perierunt, sed à quo quæsitæ sunt. Hieronymus tamen, *quas nudiustertius perdidisti*. Jon. *tu venisti ad quærendum eas, hodie tres dies sunt*. Senes cum Hieronymo faciunt. R. D. *Non loquitur de amissione asinarum, sed de quæsitione ipsarum*. Secutus est autoritatem Chald. paraphrastis. Fortè eodem die quo perditæ fuerunt missus fuit ad quærendum eas; ità mihi videtur. Trem. *quæ amissa tibi erant abhinc tertio die*. Santes quoque *tertio abhinc die*. Arias emendat *tertio dierum*. Hoc est depravare quod rectum est. שלשת ימים sunt *tres dies*, non *tertius dierum*. Nam *tertius* שלישי dicitur. ¶ *Cujus est omne desiderium Israelis*?] Videtur Regnum innuere. Nemo enim erat in Israele qui hoc non desideraret. Trem. *erga quem est totum desiderium Israelis*? Sic Christus in Haggæo vocatur *desiderium gentium*, quod à gentibus, i. tribubus Israel, & suo tempore ab aliis etiam gentibus, vehementer desideraretur, summo desiderio fuerit expetitus. In libro Precum Ebraicarum Sabbathum vocatur *desiderium dierum* חמדת ימים 130. 2. *Desiderium dierum ipsum vocasti*. Tremellii & Junii versio non solùm cum usu linguæ pugnat, sed etiam cum ipsa re. Nam *desiderium Israelis* non erat erga Saulem & domum ejus: deinde למי non sign. *erga quem*, sed *cui*, sive *cujus est*. Sic, *mihi aurum & argentum*, לי, i. *meum*. *Salus Domino*, i. *Domini*. *Psalmus* τῷ Δαυὶδ, i. Davidis. Lamed enim notat aliquando genitivum possessivum. Hoc qui nescit, parùm scit. Cæterùm puto voces transpositas esse, ut dicat *totius desiderium*

desiderium Israelis, ac si esset חמדת כל ישראל *desiderium omnis Israel*. Tales transpositiones crebræ sunt in his literis. Quod probare velle est lucernam accendere in ipso meridie. Hieron. *Cujus erunt optima quæque Israel?* Nam optima quæque magno desiderio expetuntur. Lxx καὶ τίνι τὰ ὡραῖα τοῦ Ἰσραήλ; *cui speciosa Israel?* Santes *cui est omne desiderabile? Optima quaque*, i. *dignitas regia*, inquit Nicolaus, quem vide, si placet.

21. *Filius Jemini*] Lxx υἱὸς Ἰεμιναίου *filius Jeminai*, quod alio modo diceres *Benjeminaus*, qui & *Benjeminita*, sive *Benjaminites*. Jon. *filius tribûs Benjamin*. Alibi est איש ימיני *vir Jemini*, eodem sensu. ¶ *E minimis tribuum Israel*] Pro eo habendum acsi diceret *è minima tribu Israel*. Sed est aliquod discrimen. Nam non se *minimum* esse dicit, sed *è minimis*, vel, si mavis, *è parvis*. Hoc enim sign. מקטני, & est locutio ut *Canum degeneres*, *Nigræ lanarum*, *Sapientes mulierum*. Hieron. *de minima tribu Israel*. Lxx τοῦ μικροῦ σκήπτρου φυλῆς Ἰσραήλ, *minimi sceptri tribûs Israel*. Sunt duæ versiones, שבט enim & *sceptrum* denotat & *tribum*. Sanè in scholiis Græcis legitur τῆς ἐλαχίστης φυλῆς Ἰσραήλ. Id alius dixisset τοῦ μικροῦ σκήπτρου *minimi. sceptri Israel*. Theodoretus Quæst. 22. & Compl. τοῦ σμικροτέρου σκήπτρου ἐκ τῶν φυλῶν Ἰσραήλ, *minoris sceptri ex tribubus Israel*. In scholiis τοῦ σμικροτέρου σκήπτρου τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *minoris sceptri filiorum Israel*. Jon. *è minimis tribuum Israel*. Trem. *minimus è tribubus*: non adeò placet. ¶ *Familia mea minor est*] Jon. *debilior*. Hieron. *cognatio mea novissima*, i. ultima, postrema. Compl. ἡ πατριά μου ὀλιγοστὴ παρὰ πάσας τὰς πατριὰς Βενιαμίν, *& familia mea minima est supra omnes familias Benjamin*. παρὰ verti *supra*, cùm in ed. Rom. sit *prater*. Sic παρὰ τοὺς μετόχους σου *supra consortes tuos*. Græca ed. Rom. longiùs recedit à veritate Ebraica. Quæ de *tribu* sua dicit vera videntur; adeò debilitata fuerat in bello quod cum ea gesserunt reliquæ tribus ob stupratam concubinam Levitæ. De *familia* sua loquitur modestè, eam deprimendo nimis, cùm pater fuerit vir opum potens.

22. *In cubiculum*] Ubi mensa parata erat ad convivium. לשכתא R. D. explicat אל הלשכה, quòd hîc חדר interpretatur, i. *penetrale*, aut *interius cubiculum, ubi cœnabant*. Ideo ab aliis redditur *cœnaculum*, & à Hieronymo *triclinium*; quod itá dicitur à *tribus lectis*, in quibus olim discumbebant. Addit cubiculum hoc fuisse domum excelsi, in qua vocati comedebant. Quocirca Jonathan, inquit, interpretatur בית אסחרותא *locum circularis discubitus*. Lxx εἰς τὸ κατάλυμα *in diversorium*. ¶ *Dedit eis locum*] Etiámne puero ipsius? Videtur, & hoc mirum in oculis meis. Vide R. Levi. Ob Saulem etiam puerum ejus honoravit. ¶ *In capite vocatorum*] *In summo invitatorum*: qui locus erat honoratissimus. Hieron. *in capite eorum qui fuerant invitati*. Lxx ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων. Suprà vertit ξένους, ubi Aquila, teste Theodoreto, κεκλημένους *vocatos, invitatos*. Jon. זמיניא *vocatorum*. R. S. *In loco ubi discumbebant magnates*. Nam ex ratione accubitûs cognoscebant quàm magnus quis esset. ¶ *Quasi triginta viri*] Malim *circiter triginta*, h. e. triginta vel præterpropter: quod R. D. dixit, *minus aliquantò aut plus aliquantò*. Est autem in Ebræo Caph mensuræ.

23. *Coquo*] Τῷ μαγείρῳ. טבח *qui carnes coquit*; אפה *qui panem*. Quidam scribunt *coco*. Jonathan לטבחא.

24. *Levavit cocus*] ἦρεν, quanquam in alia lectione ἥψησεν *coxerat*. ¶ *Et quod super eum erat*] והעליה. R. D. explicat ואשר עליה *& quod super illum, videlicet Femur*, i. הירך. Sic Jonathan enarrat. Sed & R. S. Nam femur supra crus vel armum; quem Senes κωλέαν, Theodoretus κωλαίαν, Aq. κνήμην, *tibiam*, seu *crus*, appellant. In monumentis Doctorum, *Quid* העליה? *R. Jochanan dicit, Armus* ואליה *& Cauda, si modo* אליה *hîc est Cauda. R. Eleazar dicit, Armus & Pectus. R. Samuel F. Nahamani dicit, Armus &* שיפי, *quia Sophi vel Suphi est supra Armum*. ¶ *Et dixit*] Samuel. ¶ *Quod remansit*] Partem hanc reliquam quam tibi reservavi secretam à partibus aliis convivarum. Videndus h. l. R. D. Lxx τὸ ὑπόλειμμα. Alii cod. τὸ καταλειφθὲν *quod remansit*: idem aliter. Aq. τὸ ὑπολελειμμένον *residuum*. ¶ *Ad hoc tempus*] מועד propriè *tempus statutum*. Erat autem hoc tempus antea determinatum convivio, de quo nunc agitur, habendo. Hieron. *de industria*. Quid vidit cùm itá verteret? Lxx εἰς μαρτύριον, לעדות. Scholion insertum Quæstionibus Theodoreti, *in signum honoris & judicium regni*. Aq. εἰς καιρὸν *ad tempus*. Videndus hîc R. Levi. ¶ *Dicendo, Populum invitavi*] Cùm dicerem meis me invitasse populum.

25. *Descenderunt è Bama*] Hinc liquet *Bama*, i. *excelsum*, in loco editiore civitatis fuisse, unde descenderunt in ipsam urbem. In Bama verò epulati & convivati fuerant. Lxx ἐκ τῆς Βαμᾶ. ¶ *In tecto*] Quid locutus sit cum eo incertum. R. S. divinat non divinus. Pro *in tecto* Hieron. *in solario*. Senes ἐπὶ τῷ δώματι. Tecta enim Ebræorum plana erant, non in coni formam fastigiata: quæ Romæ *solaria* & *meniana* olim vocabantur. Hinc, *Prædicate super tecta*. Quæ hîc addita in Vulgata nostra etiam habentur in Lxx. Vide.

27. *Ut transeat ante nos*] *Ut antecedat nos*, nè audiat verba nostra. ¶ *Sta nunc*] כיום *sicut hic dies*. Quæ dictio servit ad rei veritatem לאמת הדבר, inquit R. D. Sic, *Jura mihi nunc*. כיום *sicut hic dies*. Hieron. *subsiste paulisper*. Lxx στῆθι ὡς σήμερον *sta ut hodie*. Jon. *sta hic sicut dies ista*. ¶ *Audire faciam*] ἀκουστὸν ποιήσω, *indicabo*.

IDEM.

9. כִּי לַנָּבִיא הַיּוֹם יִקָּרֵא לְפָנִים הָרֹאֶה. Sym. τὸν γὰρ προφήτην τότε ἐκάλουν ἀπὸ τὸ ἀρχαῖον τὸν Ὁρῶντα, *Prophetam enim tunc vocabant antiquitus Videntem*.

12. בָּמָה. A. ὑψηλόν. Prius erat, ἐν Βαμᾶ. Schol. τὸ μὲν Βαμᾶ, ὑψηλὸν Ἀκύλας ἡρμήνευσε. Hieron. *Bama, Aquila semper Excelsum transtulit*. Interp. vetus *in excelso* ἐν ὑψηλῷ.

13. הַקְּרֻאִים. A. οἱ κεκλημένοι *vocati*, sive *invitati*] Schol. ξένους, τοὺς κεκλημένους Ἀκύλας ἡρμήνευσε, *Hospites Vocatos Aquila interpretatus est*. Sic aliquando etiam Lxx.

21. מִקְּטַנֵּי שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל Schol. ἐκ τῆς ἐλαχίστης φυλῆς Ἰσραήλ, *ex minima tribu Israel*. Alibi, τοῦ μικροτέρου σκήπτρου τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *minimi sceptri filiorum Israel*. Ubi notabis *sceptrum* poni pro *tribu*. Vox enim certè Ebræa modò *septrum* modò *tribum* designat.

וּמִשְׁפַּחְתִּי הַצְּעִרָה מִכָּל מִשְׁפְּחוֹת שִׁבְטֵי בִנְיָמִן. Schol. καὶ ἡ πατριά μου ὀλιγοστὴ παρὰ πάσας τὰς πατριὰς τοῦ Βενιαμίν, *& familia mea parva supra omnes familias Benjamin*.

24. אֶת הַשּׁוֹק. A. τὴν κνήμην *tibiam*, sive *crus*] Lxx τὴν κωλέαν *pernam*. Hieron. *armum*. Nomen שוק alibi redditur à Lxx βραχίων *brachium*. Sed & pro *armo* usurpatur. Schol. τὴν μὲν κωλέαν Ἀκύλας κνήμην ἡρμήνευσε, Γαβαὰ δὲ τὸν βουνόν, *Gabaa*, i. גבעה. Glossæ Philonis, *Gabaa, Collis*. Sic etiam vulg. noster Zach. 14. 10. & Lxx Hos. 5. 8.

הִנֵּה הַנִּשְׁאָר שִׂים לְפָנֶיךָ אֱכֹל כִּי לַמּוֹעֵד שָׁמוּר לְךָ לֵאמֹר הָעָם קָרָאתִי. A. ἰδοὺ τὸ ὑπολελειμμένον θὲς ἐνώπιόν σου, φάγε, ὅτι εἰς καιρὸν πεφυλαγμένον σοι, λέγων, Τὸν λαὸν κέκληκα, *Ecce quod reliquum est, pone ante te, comede: quia in tempus asservatum tibi, cùm dicerem, Populum vocavi*] Ἰδοὺ τὸ ὑπολελειμμένον: Alii cod. habent ἰδοὺ τὸ καταλειφθὲν, *ecce quod remansit*, sive *relictum est*.

GROTIUS.

2. E*Lectus & bonus*] בחור alibi *eximium*, hîc potiùs *juvenem* significat, ut sæpe alibi. Græci hîc habent εὐμεγέθης. Illud *bonus* noli ad animum referre. Significat enim hîc *pulchrum*. Itaque Jonathan hîc vertit שפיר. D. Kimchi explicat טוב בתאר ובמראה, sic oppositum רע pro *deformi* habemus Gen. 41. 3. ¶ *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum*] Sic Diana apud Virgilium,

Gradiénsque deas supereminet omnes.

pro quo Homerus,

Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα.

Vide infrà 10. 23, 24. Amabant etiam hoc in Regibus suis Orientis populi, ità ut apud Æthiopes honores mandatos ex corporis magnitudine dixerit Aristoteles Polit. 4.4. & Spartæ mulctatus Rex quòd exigui corporis uxore ductâ Reges minutos daturus diceretur. Nec spernit Euripides,

Εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

3 *Vade & quære asinas*] Potest hæc historia in egregium proverbium verti. Quæsivit asinas, & invenit Regnum.

7. *Quid feremus ad virum Dei*] Prophetæ, ut Philosophi, ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἐλάμβανον τὰ πρὸς τὰς χρείας, ut ait contra Celsum Origenes. Vide 1 Reg. 13. 9. & quæ dicta ad Matth. 10. 8.

9. *Vadens consulere Deum*] Habes hanc locutionem Gen. 25. 22.

¶ *Qui enim Propheta dicitur hodie, appellabatur olim Videns*] Apparet multò post ista tempora scriptum librum, quo firmatur conjectura posita hujus libri initio. Etiam Græcis προορᾷν, Latinis *prævidere*, de Vatibus dicitur. Confer Num. 24 4.

11. *Egredientes ad hauriendam aquam*] Vide Gen. 24. 11, 15, 43, 45. Exod. 2. 16.

13. *Ipse benedicit hostiæ*] Eo enim tempore ob crebras migrationes nullus erat certus ad sacrificium locus. Vide quæ dicta Deut. 12. 8.

16. *Ducem super populum meum*] Antiquitus Rex erat ἡγεμὼν τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. Arist. Polit. 3. 14. Homerus,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Et Tacitus, *Cætera utcunque dissimulari: sed boni ducis imperatoriam* (adde, aut regiam) *esse virtutem.* ¶ *Salvabit populum de manu Philisthinorum*] Novit Deus etiam ex malis consiliis bonum elicere.

21. *De minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin*] Eò in minore futurus erat invidia Rex primus.

24. *Levavit autem coquus armum*] Sinistrum, nam dexter erat Sacerdotis, Levit. 7. 42. Hic ergò armus portio erat ejus qui in convivio præcipuæ esset dignitatis, ac proinde Regis, ubi is aderat, unde hanc partem μερίδα βασιλικὴν vocat Josephus.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. V*Asculum*] Exponitur dictio Hebraica פך à Chal. interprete per מנא sicut & nos vertimus. K. verò exponit צלוחית *vas vitreum*.

3. *Ad Deum in Bethel*] Hæc est Luz, ubi Jacob pernoctavit. In hoc loco posteri exstruxerunt altare, priusquam במות, i. *excelsa*, prohiberentur & in abusum venirent. Invenitur enim tempore Samuelis multa fuisse excelsa & altaria, ubi populus orabat & sacrificabat, præter locum Silo, ubi erat Arca Dei priusquam à Phelistæis caperetur:

5. *Ad collem Dei*] Putant Hebræi hunc locum fuisse Kiriath Jearim, ubi tunc arca Dei manebat, & ubi stationes erant Phelisthæorum. Exponunt autem D.K. נציבים per ממונים, i. ubi constituti erant Phelistæi, custodiam tenentes super Israel, atque eos in officio continentes, nè rebellarent. Sunt enim נציבים hi quos Latini vocant *Præfectos*, Unde Kimhi, הממונה על דבר נקרא נציב שמעמי דין אותו עליהם ¶ *Cœtui Prophetarum*] Secundùm Hebræos intelliguntur hîc per *cœtum Prophetarum* תלמידי חכמים שנקראו סופרים *discipuli Sapientum, qui & scribæ appellantur*, atque filii Prophetarum, eò quòd discipuli illorum fuerunt. Hi igitur discendebant de colle in quo erat Arca Dei; & præcedebant eos varia musica instrumenta quòd Spiritus Dei non insiliat in eos qui mœsto sunt corde, sed in hilares, ut Kimhi docet. Unde sequitur, *Et Prophetabunt*, h. e. instigati Spiritu Dei dicent Deo laudes & cantica, atque disserent de rebus Divinis.

7. *Fac pro te quicquid invenerit manus tua*] Jonathan putat hoc dictum de paramentis armorum quæ pro Regno necessaria sunt. Alii intelligunt de rebus omnibus quæ necessariæ sunt pro Regni inchoatione.

12. *Quis est pater eorum?*] Capitur hîc *pater* pro רב & מלמד *magistro* & *præceptore*. ¶ *Propterea natum est proverbium*] Hunc habet sensum, Ut quoties aliquem humilem & abjectæ sortis hominem viderent ascendere ad dignitatem aliquam & gradum sublimem, dixerunt, *Num Saul*, &c.

17. *In Mizpa*] Erat & in hoc loco excelsum, h. e. altare & domus orationis: de quo Jud. 20. etiam nonnihil diximus.

19. *Dixistis ad eum*] Quidam legunt hîc לו pro לא, ut sit sensus, *Et dixistis, Nequaquam, sed Regem pones super nos.* ¶ *State coram Domino*] Per hoc insinuatur tribum Benjamin & Saul filium Kis fuisse indicio Urim & Thummim deprehensum. Alii verò dicunt quòd projectione sortis fuerit electus.

22. *In vasis*] Capitur hîc אל pro בין *inter*. Et *vasa* accipiuntur pro armis & quibuslibet aliis rebus quas multitudo secum illuc tulerat, & ad locum unum reposuerat.

24. *Illi non sit similis*] In corporis scilicet proceritate & pulchritudine. *Voluit*, inquit Kimhi, *Deus elegantem personam constituere in Regem, quæ præ se ferret majestatem quandam, non ob aliam rationem quàm quòd à subditis magis timeretur.*

25. *Jus regni*] h. e. Præscripsit certas leges quibus gubernaretur Regnum, nè vel Rex tyrannidem exerceret in subditos, aut subditi Regis imperia contemnerent.

26. *Secuti sunt eum robustiores*] Heb. *Et abierunt cum eo virtus*, i. viri virtutis, seu fortitudinis. Jonathan verò exponit דחלא *viros in quibus fuit timor Domini.*

VATABLUS.

1. L*Enticulam olei*, [ואת פך השמן] *Phialam* [*parvam phialam*] olei, sive *unguenti aromatici*, i. phialam plenam balsamo. Hebræi aiunt Saulem non fuisse unctum oleo unctionis, quo illi soli uncti sunt qui fuerunt è domo David. ¶ *Nonne quòd unxit te*, &c. [הלא כי משחך] Subaudiendum, *Annon ità res habet quòd unxit*, &c. Cum interrogatione pronunciant Hebræi quod vehementer affirmare volunt, q.d. Ego ungo te nomine Dei, qui hâc unctione te Ducem super hæreditatem suam constituit. De hujusmodi interrogatione vide Ruth 3. 1.

2. *Invenies duos viros*, [ומצאת וגו'] q.d. His signis credes vera esse quæ dixi tibi. ¶ *Juxta sepulcrum*, [עם קבורת] Subau-

Subaudiunt Hebræi, *qui nunc sunt juxta sepulcrum.* ¶ *In termino,* בגבול] Sub. *invenies, inquam,* i. occurrent tibi. ¶ *Omiserat,* נטש] i. Postposuerat: h. e. deposuerat curam & solicitudinem asinarum, & cœperat esse solicitus de vobis. ¶ *De filio meo?* לבני] Sub. *quem perisse timeo?*

3 *Illinc progressus porrò, venies,* והלפת משם והלאה ובאת] Ad verb. *Et transibis indè, & ultra, & venies,* i. Cùm autem abieris indè, & ultrà processeris, deveneris que usque ad, &c. ¶ *Et reperient te,* ומצאוך] i. Occurrent tibi. ¶ *Ad Deum in Bethel,* האלהים בית אל] i. Ut orent Deum in Bethel, ubi erat adhuc altare Jacob, & quia Tabernaculm erat desolatum, licebat illic sacrificare; nec solùm illic, sed & privatim.

4. *Et salutabunt te cum pace,* ושאלו לך לשלום] i. Dicent tibi salutem.

5. *In collem Dei,* אל גבעת האלהים] i. In collem urbis Cariath-jearim, ubi est nunc arca Dei. ¶ *Præfecti,* נצבי] *Præsidia,* i. ubi Palæsthini posuerunt præsidium. Cariath-jearim erat urbs Israelitarum, non Palæsthinorum, licèt illi adhuc in ea haberent præsidium. ¶ *Cùm autem,* &c. ויהי בבואך שם העיר] Ad verb. *& erit, quando ingredieris illuc urbem.* ¶ *Prophetarum,* נבאים] Chaldæus paraph. *studiosorum Sacrarum literarum,* sive *discipulorum Prophetarum qui operam dant Legi.* Sic etiam Doctores Hebræorum intelligunt. Vide Num. 11. 25. ¶ *De excelso,* מהבמה] i. De loco convivii. ¶ *Et ante eos erunt lyra,* &c. ולפניהם נבל וגו'] *Et illos præcedent nablum,* vel, *psalterium.* ¶ *Et ipsi prophetantes,* והמה מתנבאים] i. qui ipsi prophetabunt. Chaldæus paraph. *qui laudabunt,* i. canent encomia, psalmos & hymnos in honorem Dei.

6. *Et requiescet,* וצלחה] *Et irruet, insiliet.* ¶ *Et prophetabis,* והתנבית] i. Celebrabis Deum in hymnis & canticis.

7. *Fac quod invenerit,* &c. עשה לך וגו'] Ad verb. *fac tibi quod,* &c. Redundat *tibi,* i. fac quicquid tibi venerit in manum, q. d. Nè timeas suscipere bellum contra hostes tuos, si ità res ferat: Hoc dicitur per anticipationem.

8. *Descendes quoque ante me,* &c. וירדת לפני] Verba Samuelis dimittentis Saulem, qui illum prosecutus fuerat aliquousque, q. d. Recipies te in Galgal, &c. Hæc videntur dicta per anticipationem. Nam dixerat hæc in Galgal Samuel; nec tamen exspectavit, sed sacrificavit solus sine Samuele: Ob id Regnum ejus non fuit stabile. ¶ *Ostendam tibi quæ facturus sis,* והודעתי לך את אשר תעשה] i. Dicam tibi an Regnum tuum firmum sit futurum.

9. *Fuit itaque cùm vertisset humerum suum,* והיה כהפנותו שכמו] *Cùm autem avertisset humerum suum.* ¶ *Immutavit ei Deus cor in aliud,* ויהפך לו אלהים לב אחר] i. Immisit in eum aliam mentem à priore, nempe cor, sive animum Regium.

10. *Ad collem,* הגבעתה] Sub. *Cariath-jearim.* ¶ *In occursum ejus,* לקראתו] i. Occurrerunt illi, h. e. incurrit in cœtum Prophetarum. ¶ *Et requievit super eum,* ותצלח עליו] *Et insiluit* [vel, *irruit*] *in eum,* &c. i. cœpit agi Spiritu Divino. *Et prophetavit,* &c. ויתנבא בתוכם] Chaldæus paraphr. *& laudabat Deum una cum illis, & canebat cantica in honorem Dei.*

11. *Fuit autem, omnis,* &c. ויהי כל יודעו וגו'] *Omnes autem qui noverant eum antea.* ¶ *Alter ad alterum,* איש אל רעהו] Ad verb. *vir ad proximum suum.* ¶ *Quidnam accidit filio,* מה זה היה לבן] Ad verb. *Quid hoc fuit filio,* &c. ¶ *Nunquid etiam,* הגם] Sub. *erat antea,* q. d. Qui fit ut nunc prophetet, qui non erat antea Propheta? hæc mutatio fuit admodum repentina.

12. *Vir indè,* איש משם] *Vir illinc,* i. aliquis qui aderat. ¶ *Et quis pater eorum?* ומי אביהם] *Sed quis est eorum?* i. sed an patres eorum sunt Prophetæ? Chaldæus paraph. *sed quis fuit magister eorum?* i. quis docuit eos, q. d. Qui docuit illos, & dedit illis Spiritum prophetiæ, potuit etiam docere Saulem, & dare illi Spiritum propheticum. ¶ *Num etiam Saul inter Prophetas?* הגם שאול בנביאים] Proverbium in eos qui cùm priùs essent obscuri, fiunt clari & nobiles, q. d. Potest Dominus docere quos vult, & donare spiritu Prophetico.

13. *Et cessavit,* ויכל] *Cùm autem cessasset,* vel, *desiisset.*

14. *Patruus Saulis,* דוד שאול] Chald. paraphr. *frater patris,* &c. Quidam aiunt patruum Saulis fuisse in loco illo Cariath-jearim, alii aiunt Scripturam reticere multa, quomodo illinc abierit. ¶ *Cùm autem videremus quòd non,* ונראה כי אין] Ad. verb. *& vidimus quòd non,* sub. *invenirentur.* Plena locutio legitur v. 21. *Requisierúntque eum, & non est inventus.*

16. *Indicando indicavit,* הגד הגיד] Quidam vertunt Hebraismum sic, *Constanter affirmavit,* vel, *affirmabat.* ¶ *Negotium verò regni,* ואת דבר המלוכה] Hoc tribuitur modestiæ Saulis.

18. *Ego,* אנכי] Sub. *& non alius.*

19. *Abjecistis,* מאסתם] *Reprobastis,* i. repudiastis. ¶ *Qui servat,* מושיע] *Qui eripere solet,* vel, *servavit.* ¶ *Malis vestris,* רעותיכם] i. Afflictionibus vestris & tribulationibus vestris. ¶ *Sed Regem,* כי מלך] Aut redundat כי *sed,* aut subaudiendum aliquid, hoc modo, *dixistísque ei, Nequaquam acquiescemus verbis tuis, sed Regem constituas super nos.* Chald. paraphrastes minùs rectè, *Non poterimus resistere inimicis nostris nisi Regem constituas.* ¶ *Nunc ergò,* ועתה] Quoniam scilicet noluistis acquiescere monitis meis. ¶ *Coram Jehovah,* לפני יהוה] Hoc dicit quòd hæc fierent coram altari, aut quòd adduxerant Arcam, aut quòd Sacerdos aderat.

20. *Et cùm applicasset,* ויקרב] *Et cùm accedere fecisset,* sub. *ad sortes,* i. cùm projecisset sortes. ¶ *Capta est,* וילכד] i. Sorte electa est, q. d. Sors cecidit super tribum Benjamin, vel sortita est jus Regni.

21. *Et captus est,* וילכד] Sub. *& projecit sortes super viros familiæ Matri, & sorte captus est,* sive *deprehensus est, Saul.* ¶ *Requisierúntque,* &c. ויבקשהו ולא נמצא] i. Quem cùm requisissent, non invenerunt.

22. *Anventurus,* &c. הבא וגו'] *Estne venturus adhuc illuc vir?* sub. *ille qui electus est.* ¶ *Inter vasa,* אל הכלים] *Inter arma, inter impedimenta,* Sub. *populi.*

24. *Videtisne,* הראיתם] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Vivat Rex,* יחי המלך] Chaldæus paraph. *Sit felix Rex,* i. Cedant omnia Regi feliciter.

25. *Et locutus est,* &c. וידבר וגו'] i. Exposuit populo jus Regiæ dignitatis quod habet Rex in subditos. ¶ *Coram Jehova,* לפני יהוה] i. Ad latus arcæ Domini. Hic liber periit cum multis aliis, Non continebat jura tyrannidis, sed jura Regni & æquæ administrationis.

26. *Quorum tetigerat Deus cor,* אשר נגע אלהים בלבם] i. Aliquot qui timebant Dominum.

27. *Filii autem impii,* ובני בליעל] *Filii autem Belial,* De his vide Deut. 13. 13. ¶ *Quid salvabit,* מה יושענו] *In quo salvabit,* i. Quâ re, aut ratione tuebitur & defendet nos iste qui est infimæ sortis? ¶ *Nec attulerunt,* &c. ולא הביאו וגו'] Quò scilicet eum Regem agnoscerent. Chaldæus paraph. *non venerunt eum salutatum.* Hoc de prima salutatione intelligi debet quæ non fiebat sine muneribus. ¶ *Veluti surdus,* כמחריש] i. Obsurduit Saul ad omnia quæ illi dicebantur de hostibus suis. Alii vertunt, *veluti tacens* aut, *silens,* i. Rem dissimulans, q. d. Ille probè hoc dissimulavit.

CASTALIO.

1. *Sua possessionis ducem*] Suorum Israelitarum.
3. *Ad Deum ascendentes*] Ad Dei fanum.
12. *Quis eorum pater est?*] Non solùm vates est Saulus, sed etiam vatum pater, h. e. summus.

CLARIUS.

3. *AD Deum in Bethel*] Hæc est Luz, ubi Jacob pernoctavit. In hoc loco posteri exstruxerunt altare priùs quàm excelsa prohiberentur & in abusum venirent. Invenitur enim tempore Samuelis multa fuisse excelsa & altaria, ubi populus orabat & sacrificabat, præter locum Silo, ubi erat Arca Dei priùs quàm à Philisthæis caperetur.

5. *In collem Dei*] Putant Hebræi hunc collem fuisse Ciriath-Jearim, ubi tunc Arca Dei manebat, & ubi stationes erant Philisthæorum; h. e. ut quidam putant, ubi constituti erant Philisthæi custodiam tenentes super Israel, atque eos in officio continentes, nè rebellarent. ¶ *Gregem prophetarum*] Secundùm Hebræos intelliguntur discipuli Sapientum, qui & *Scribæ* appellantur, atque *filii Prophetarum*, eò quòd discipuli illorum fuerunt. Hi igitur descendebant de colle in quo erat arca Dei, & præcedebant eos varia musica instrumenta, quòd Spiritus Dei non insiliat in eos qui mœsto sunt corde, sed in hilares, ut quidam docent. Unde sequitur, *& prophetabunt*, h. e. instigati Spiritu Dei dicent Deo laudes & cantica.

7. *Quæcunque invenerit manus tua*] Quidam putant hoc dictum de apparatu armorum quæ pro Regno necessaria sunt. Alii intelligunt de rebus omnibus initio Regni necessariis.

12. *Quis pater eorum?*] Capitur hìc *pater* pro *magistro & præceptore*. Et videntur cum admiratione quærere quis tam repentè instituat homines Prophetas? ¶ *Versum est in proverbium*] Ut scilicet quoties aliquem humilem & abjectæ sortis hominem viderent ascendere ad dignitatem aliquam & gradum sublimem, dicerent, *Num & Saul inter Prophetas?*

17. *In Maspha*] Erat & in hoc loco excelsum, h. e. altare & domus orationis.

22. *Inter vasa*] Accipiuntur *vasa* pro armis & quibuslibet aliis rebus quas multitudo secum illuc tulerat & in locum unum reposuerat.

24. *Non sit similis illi*] In corporis scilicet proceritate & pulchritudine. *Voluit*, aiunt Hebræi, *Deus elegantem personam constituere in* Regem, *quæ præ se ferret majestatem quandam, non ob aliam rationem quàm ut à subditis magis timeretur ac coleretur.*

25. *Legem regni*] h. e. Præscripsit certas leges quibus gubernaretur Regnum, nè vel Rex tyrannidem exerceret in subditos, aut subditi Regis imperium contemnerent.

DRUSIUS.

1. *LEnticulam*] Vas est non olearium duntaxat sed etiam aquarium: unde φακὸς ὕδατος apud Josephum, *lenticula aquæ*. Græcum φακὸς domo Ebræum videtur; φὰχ, φακὸς, aspiratâ in tenuem versâ. Lex. vetus Lat. Græcum, *Lenticla*, φακὴ contractum videtur ex *lenticula*. Sed φακὴ pro Vase non reperitur, quod sciam. פך autore Hieronymo vas est lenticulæ formam exprimens. Idem in Comment. Hab. 3. 13. *Lenticla, vas fictile, i.* φακὸς, *vas lenticulare*. Vide Cadmum Anatolicum. Senes hìc habent τὸν φακόν. Jon. מנא *vas*. Observatum Ebræis, Saul & Jehu unctos fuisse è lenticula, Davidem autem & posteros è cornu. Qua de re aliàs. ¶ *Olei*] Non erat *oleum unctionis* quo solus David cum posteris unctus fuit, sed *oleum* אפרסמון, *i. balsami*, vel *opobalsami*. Dicunt etiam, *Saul & Jehu uncti fuerunt è lenticula; non diuturnum fuit Regnum eorum: David & Salomon uncti fuerunt è cornu; diuturnum fuit Regnum eorum.* ¶ *Osculatus est eum*] Hinc lucem facies Davidi Psal. 2. *Osculamini Filium*. Nam Regem osculabatur qui eum unxerat, ut paret ex hoc loco. An etiam Seniores populi? Quærendum est. Igitur *Osculamini*, Admittite illum Regem, & præstate ei homagium. Sed sunt qui dicunt esse signum subjectionis: quod eruunt ex loco quodam Gen. 41. 40. Nam ubi alii, *Ad os tuum armabitur universus populus meus*, ipsi legunt vertentes ex Ebræo, *Os tuum osculabitur omnis populus meus*. Vide notas Tremellianas. Hæc versio non admodum se probat mihi. Nam quis credat omnes Ægyptios osculatos fuisse Josephum? In Dras, *Omnia oscula sunt Precum præterquam tria, osculum Dignitatis* seu *Magnitudinis*, *osculum* של פרקים, *& osculum Separationis*. De primo legimus 1 Sam. 10. 1. *Effudit super caput ejus, & osculatus est eum*: de secundo, *Et abiit, & occurrit ei in monte Dei, & osculatus est eum*: de tertio, *Et osculata est Orpha socrum suam*. R. Thanchuma dicit etiam *osculum Accessionis*, ut *Osculatus est Jacob Rachelem*, nempe quoniam accedebat ad eam. Nicolaus a Lira, *Osculatus est eum*] *In signum amicitiæ & confederationis*. Idem de lenticula olei sic scribit, *Vasculum est factum de auro vel argento ad reponendum oleum unctionis, unde inungebantur Reges & Pontifices, & dicitur à Liniendo*. Ex iis quæ diximus facilè hæc refutari poterunt. ¶ *Nónne quia unxit te*] R. Jesaias, *Nónne scis quòd unxerim te*. R. D. ait הלא, *Nónne, in multis locis adhiberi ad rem firmandam, & ad promptiorem reddendum hominem*. Sic, *Nónne misi te?* &, *Nónne audis, filia mea?* Hieron. *Ecce unxit te*. Lxx Οὐχὶ κέχρικέ σε; *Nónne unxit te?* Licet vertere, *Nónne ce te unxit te?* Trem. *Nónne sic faciendum est, quia unxit te*, &c. De more ungendi veterum vide Tropos. ¶ *Super hæreditatem suam*] Super populum suum Israel, cui hæreditario jure possidendam dedit hanc terram. ¶ *In ducem*] Hieron. *in principem*. Lxx εἰς ἄρχοντα. Trem. *in antecessorem*. Jon. *ut esses rex*. Suprà probavi נגיד aliquando *Regem* denotare: quod hic locus planè confirmat.

2. *Apud sepulcrum Rachel*] Ad verb. *cum sepulcro Rachel*. Hieron. *juxta sepulcrum*. Lxx πρὸς τοῖς τάφοις *ad sepulcra*: fortè legerunt קבורת. Quanquam *sepulcrum* propriè קבר dicitur: קבורה potiùs est *sepultura*, aut *sepelitio*, i. sepeliendi actus. Sed hìc pro ipso *sepulcro* poni videtur, ut & Gen. 35. 20. ubi Lxx μνημεῖον. Vide Mercerum. Abenezra קבורה וקבר שוים *Sepultura & Sepulcrum paria sunt*. Jon. קבורתא. ¶ *In termino Benjamin in Selsach*] Selsach erat in termino Benjamin. An etiam sepulcrum Rachel? Non videtur. Nam *Rachel sepulta fuit in via quæ ducit Ephratham: ipsa est Bethlehem*. Bethlehem autem erat in parte ipsius Judæ, h. e. in termino Judæ. Scire licet hosce terminos vicinitate junctos fuisse. Ebræi censent cùm hæc dicerentur viros illos fuisse apud sepulcrum Rachel in termino Judæ, pòst cùm se invicem obviarent fuisse in Selsach in termino Benjamin. Omitto terminos interdum confundi, ut una eadémque urbs legatur fuisse in duobus terminis, cùm esset in finibus duarum tribuum. Vide Liram hoc loco בצלצח. Hieron. *in Meridie*: & additum in quibusdam libris *salientes, magnas foveas*, quod Græcè legitur μεσημβρίας ἁλλομένους μεγάλα *in Meridie salientes granditer*. Sed vide Rom. ed. Lat. Nomen Ebræum sonat ut si dicas *umbra nitida*, צל *umbra*, צח *nitidum*. ¶ *Dimisit*] *Omisit, intermisit*. Nam major solicitudo expellit minorem. Magis autem solicitus erat & anxius de filio suo, qui tamdiu abfuerat. ¶ *Verba asinarum*] i. res, negotium: & hoc ante repertas asinas, quia filius illi charior.

Maluit

Maluit enim asinarum jacturam facere quàm filii. Lxx τὸ ῥῆμα τῶν ὄνων. Compl. τὴν φροντίδα curam. ¶ *Solicitus est pro vobis*] דאג לכם. Senes interpretantur, ἐδαψιλεύσατο *profundebat*. In ed. Rom. *Videtur hoc significare, Pro nihilo habebat asinas & cætera omnia bona præ solicitudine qua nunc illum angit propter vos*. In uno cod. est φροντίζει *solicitus est*. Compl. μεριμνᾷ περὶ ὑμῶν. ¶ *Filio meo*] Alii *de filio*, alii *pro filio*. Lxx περὶ τοῦ υἱοῦ μου.

3. *Usque ad planitiem Thabor*] Sic Jonathan: nam מישר *planities*. Hieron. *usque ad quercum Thabor*. Sic Lxx ἕως τῆς δρυὸς Θαβώρ. Santes *usque ad Elon Thabor*. Sic *Elon More*, Gen. 12. 6. quod reddunt *planities More*. Hinc fortè αὐλών, i. *campus*, Straboni. אלוני ממרא *planities Mamre*, vel *quercus Mamre*. Eusebius de locis, *Mambre, sive Quercus Abraham, distat ad Meridianam plagam ab Ælia circiter viginti duobus milliaribus. Ea usque ad Constantii Regis imperium monstrabatur*. Hieron. addit, *Cúmque ibidem jam ecclesia à nobis ædificata sit, à cunctis in circuitu gentibus terebinthus superstitiosè colitur, eò quòd sub ea Angelos Abraham quondam hospitio susceperat*. Hactenus ille. *Elon Thabor*, ut *Elon More*, *Elon Musab* sive *Mutsab* מוצב, *Elon Beth Hanan*, *Elone Mamre*. Reperitur & *Elone More* Deut. 11. 30. In his omnibus locis *Elon* alii *quercum* alii *planitiem* interpretantur. ¶ *In Bethel*] Εἰς Βαιθήλ. Sic *Enrogel* Ἀιτρωγήλ, *Engaddi* Ἀιγαδδί. Jon. *qui ascendunt adorandi causâ in Bethel*. Verbum è verbo *ad adorandum coram Deo*. Trem. *In domum Dei fortis, h. e. in Cariathjarim, ubi Arca erat*. R. D. *Bethel est Luz, quam vocaverat Jacob* BETHEL; *& ibi erat altare quod exstruxerat ipse. Et quo tempore permissa erant excelsa, offerentes erant ibi: erátque illa domus sancta, veniebántque illò ad orandum propter meritum Jacobi. Nam sic ipse dicit de eo*, ERIT DOMUS DEI. *Licèt autem sit Dras hac de re alterius sententiæ, tamen juxta simplicem sensum videtur ità esse ut dixi. Nam Bethel locus erat sanctus in seculum, ubi altare, & eò ibant precandi causâ: erátque locus prophetiæ; quemadmodum dicit*, HÆC EST PORTA COELI. *Sensus, Porta è qua cognoscebant quid decretum esset è cœlo de his inferioribus. Porrò dicit Hoseas*, IN BETHEL INVENIT EUM; IBI LOCUTUS EST NOBISCUM. Sic ille. ¶ *Tres tortas panis*] Alii *tractas*. Ebraicè ככרות. Sunt autem majores quàm חלות *placentæ*. Jon. פתין vocat, i. *bucceas*, aut *buccellas*. Sed hîc aliud significare videtur. Lxx τρία ἀγγεῖα ἄρτων *tria vasa panum*. *Videtur*, inquit R. S. *quòd is qui portabat tortas, portaverit etiam placentas, quarum nullam mentionem facit, fortè quia minores erant*. Sed consule illum, si placet. ¶ *Utrem vini*] Ἀσκὸν οἴνου. Jon. נרבא דחמר, quod malè reddunt *dolium vini*. Nam unus homo dolium portare non potest. Hieron. *lagenam vini*.

4. *Salutabunt te*] Ad verb. *interrogabunt te de pace*. Sic etiam Jonathan. Lxx καὶ ἐρωτήσουσί σε τὰ εἰς εἰρήνην, *& interrogabunt te quæ ad pacem*. ¶ *Duos panes*] Jon. *duas placentas panis*, quas גריצן vocat. Eas R. D. ait vocari Ebraicè חלות *placentas*, quem vide, si placet. Lxx δύο ἀπαρχὰς ἄρτων *duas primitias panum*. Fortè innuit *duas tortas*, sive *tractas*, *panis*. *Tracta panis* idem est quod *panis*. Sic פת לחם *buccea panis* est panis, qui & פת simpliciter. Vide Lexica. D. Camius discrimen ponit inter *placentas*, quas ait minores esse, & ככרות *tortas*, sive *tractas*. Vide.

5. *Ad collem Dei*] Vel *in collem*. Lxx εἰς βουνὸν τοῦ Θεοῦ. Jon. *ad collem, in quo arca DOMINI*. Collis iste erat in urbe Cariathjarim, in quo Arca erat à quo die reducta fuit à Philisthæis usque dum David eam indè reduceret. Idem R. S. notat. Sed Lira, *Non videtur*, inquit, *hoc verum esse, quia jam translata fuerat indè in Masphath per Samuelem*. Vide nunc, si placet, Tremellium. Lira putat locum fuisse ubi erant Prophetæ, quod ex sequentibus probari posse ait. Vide, si libet & si vacas. Sententia Tremellii diversa est ab aliis, qui putat significari *editiorem partem Gabaa, ubi excelsum erat; sive synagoga, locus destinatus cultui Dei, qui proptereà vocatur Collis Dei*. R. Jesaias, *Hic est collis Cariathjarim, ubi erat Arca*: sentit cum aliis Ebræis. ¶ *Ubi stationarii milites Philisthæorum*] Hieron. *ubi est statio Philisthæorum*. Non נציב est in fonte, sed נציבים. Lxx τὸ ἀνάστημα τῶν ἀλλοφύλων, quod reddunt, *statio alienigenarum*. Sequitur alia versio, ἐκεῖ Νασὶβ ὁ ἀλλόφυλος *ibi Nasib alienigena*. Heu pravam versionem! *Nasib* enim est *statio*, non Philisthæi nomen. Santes hîc edidit *Præsides Philisthæorum*, Camium secutus, qui *Præfectum* aut *Præpositum* נציב vocari scribit, à *stando*. Nam constituunt eum super populum. Imò, inquit הממנה על דבר ità vocatur. Sic de Davide legimus, qui Idumæos subegerat, *Posuit super Edom* נציבים *præfectos*, aut *stationarios*. Ut ut sit, certum ex hoc loco Philisthæos dominatos fuisse in Israelem: quod accidit cùm jam Samuel senuisset, nec ampliùs urbes obire posset, ut in eos populum admoneret officii sui. Itaque peccarunt, ac propterea DOMINUS tradidit eos in manum inimicorum suorum. ¶ *Cohors Prophetarum*] Hieron. *grex Prophetarum*. Ad verb. *funis* seu *funiculus*, *Prophetarum*. Sic *spira* σπεῖρα pro *cohorte* usurpatur. Consule Observ. meas. Lxx χορὸς προφητῶν *chorus Prophetarum*. Jon. סיעת ספריא *cœtus Scribarum*. *Sic loquendo sign. Discipulos Sapientum*, qui סופרים *vocantur*, ait R. D. Hi autem discipuli Prophetarum magnorum, qui & *filii Prophetarum*. Porrò magni Prophetæ, qui erant illo tempore ab Eli usque ad Davidem, fuerunt Elcana, & Samuel, & Nathan, & Gad, & Asaph, & Heman, & Iduthun. R. S. scribit חבל idem esse cum סיעה. Sanè, *Funes inferni circundederunt me* Thargum σφαφέλε *Exercitus hominum improborum*. Idem נציבים interpretatur dicens esse סרדיוטות *Præfectos*, quos instituerant super Israelem. Nam Philisthæi dominabantur in eos, & constituebant aut sedere faciebant Præfectos in urbibus eorum. In Aboth *Sardioth* vocatur qui idiotis jus dicit, סרדיוטין. Ilmedenu 11. 2. ubi *Sardioth Dei* vocantur venti, qui à Davide nuncii ejus. Reperio & סרדיוטאית in plurali. Lex. Chald. Munsteri, SARDIOTH *est princeps constitutus ad faciendum judicium*, i. ad jus reddendum. סרדיוטיו *præfecti ejus*. ¶ *Nabla*] נבל νάβλα, vel *nablium*. Senes certè νάβλα. Hieron. *psalterium*. Jon. נבלין *nablæ*, sive *nablia*. Santes *Lyra*. Sed *Lyram* à *nabla* differre docet hic versus,

Ὀυ ναῦλα κωκυτοῖσιν, ὀυ λύρα φίλα.

Sophoclis est. Sed de *Nabla* vide quæ notavimus ad Dict. Ebr. Forsteri. Romanus Emmanuel existimat esse *utriculariam fistulam*, etymon secutus; נבל enim est *uter*. Scribitur cum sex punctis, sed hîc tantùm quinque habet, videlicet (··) & (·:) Josephus l. 7. c. 12. Antiq. ait *duodecim chordas habuisse, & tangi consuevisse digitis*. Sunt qui *Harpam* nostram esse putant. Senes interpretantur νάβλη & ναύλη 2 Sam. 6. 5. & *Psalterium* ψαλτήριον Psal. 32. 2. & alibi, ὄργανον Amos 5. 23. & 6. 5. Semel ψαλμὸν reddunt Psal. 70. 22. Notant Ebræi in Cariathjarim fuisse excelsum unde isti descenderint. ¶ *Tympanum*] תף à sono. *Thoph*, *Tuph*, τύπανον & τύμπανον. חליל *tibia*, sive *fistula*. Erant autem instrumenta lætitiæ. Nam, ut aiunt Ebræi, *Spiritus S. non residet nisi in medio gaudii*. Videndus R. D. ad h. l. Dicunt etiam, *Spiritus S. non residet super hominem tristem*. ¶ *Cithara*] Lxx κινύρα *cinyra*. Sæpe ità reddunt vocem Ebræam, ut & κιθάραν. Est autem ubi κινύρα & κιθάρα simul inveniuntur. *Cithara* in Daniele קתרום vocatur. *Cinyra* sive κιννύρα domo Ebræum est: nam à כנור derivatum. ¶ *Prophetantes*] Προφητεύοντες. Jon. משבחין *laudantes*. Nam prophetia ipsorum erant laudes & cantica quæ Deo dicebantur per Spiritum S. Videndus R. D. h. l.

6. *Requiescet super te*] R. D. *transibit & quiescet*. Lxx ἐφαλεῖται ἐπὶ σε. Hieron. *insiliet in te*. Jon. *residebit super te*. Trem. *irruit*. Sic Jud. 14. 6. ותצלח עליו Lxx ἥλατο ἐπ' αὐτόν. Hieron. *irruit*. Santes *transivit*. Trem.

Trem. *incessit eum.* ἥλατο *insiliit.* ¶ *Spiritus Domini*] Jon. *Spiritus prophetiæ à coram DOMINO.* πνεῦμα Κυρίου. ¶ *Prophetabis cum eis*] *Laudes dices Deo cum eis.* Jon. *laudabis.* Hîc est in fonte והתנבית, ac si esset à נבה. Vide Camium. *Laudando Deum,* Lira. Sed vide. ¶ *Mutaberis in virum alium*] Sic ait, *Mutavit ei Deus cor aliud.* Nam animus ejus imbutus fuit Spiritu prophetiæ & imperii, quem vocant רוח יתירה *spiritum redundantem.* Vide Tremellium h. l. & D. Camium.

7. *Quod invenerit manus tua*] Quod poteris facere. Quidam *quod obvenerit manui tuæ.* R. D. *omne quod voles facere fac.* Aut innuit his verbis bellum quod gessit cum Nahas Ammonitarum Regulo. Jon. *Fac* (aliàs *para*) *tibi vasa regni.* R. S. *Para tibi* טכסיסי מלכים *ut poteris,* i. τάξεις βασιλέων. Nicolaus, *Dispone te quantum poteris ad decenter & potenter regnandum.* Vide Tremellium.

8. *Descendes Galgalam*] Postquam feceris ea quæ invenerit manus tua. Vide Trem. & Salomonem Jarium. ¶ *Septem diebus exspectabis*] A die quo separatus fuero à te in Galgal; & hoc erat post innovationem Regni. Nam cùm innovaretur Regnum, ambo venerant in Galgal simul cum universo Israele; & cùm elocutus fuisset Samuel verba sua, abiit sibi, elegitque Saul ter mille viros, reliquum autem populum dimisit in tentoria sua. Et à tempore quo separatus fuit Samuel à Saule ibi in Galgal, dixit ei ut exspectaret septem diebus donec veniret ad se: Saul autem non est egressus Galgalam, sed erat ibi ab innovatione Regni usque ad tempus belli, quemadmodum dicit, *& Saul adhuc in Galgal.* Vide sequentia in D. Camio. Sed ante omnes vide Liram. Nam locus est subdifficilis. Cæterùm in Galgal Arcam fuisse liquet ex c. 12. 2. & 13. 9. Nam *coram DOMINO,* i. coram Arca.

9. *Vertit ei Deus cor aliud*] Sensus, *vertit,* aut *immutavit, cor ejus in aliud.* Nam aliud cor antea erat, aliud cùm spiritus Propheticus super eum resideret. *Cor* autem dicit animum: nam sedes animæ in corde.

10. *Ad collem*] Hieron. *ad prædictum collem.* Lxx εἰς τὸν βουνόν. Vox Ebræa ambigua est: nam est etiam nomen urbis. *Gabaa* vocant. ¶ *Cohors Prophetarum*] Hieron. *cuneus Prophetarum.* Lxx χορὸς προφητῶν. Jon. *cœtus scribarum,* i. studiosorum operam dantium prophetiæ.

11. *Ab heri*] Hîc est אֶתְמוֹל pro אֶתְמוֹל.

12. *Vir indè*] i. ex eo loco. ¶ *Quis pater eorum?*] Ut *filii Prophetarum* sunt eorum discipuli, sic *patres,* qui eos docent & instituunt, magistri & præceptores eorum. Itaque Jon. *Quis doctor eorum?* q. d. Quis præceptor horum Prophetarum? quis residere fecit super eos Spiritum prophetiæ? Deus benedictus, qui docuit Prophetas, potuit & hunc docuisse. Licet etiam exponere ad verbum, *Quis pater eorum?* Nam dixerant, *Quid factum est filio Cis?* q. d. Quid mirum si prophetet, cùm prophetia non sit hæreditaria? Nam pater horum non fuit Propheta. ¶ *An etiam Saul inter prophetas?*] Hoc adagio utuntur quoties homo ex humili conditione ascendit ad aliquam dignitatem, idque subitò ac repentè, ut Saul ex homine privato factus est repentè Propheta. Vide Tremellium & Liram. Sym. μὴ ἔτι καὶ Σαοὺλ ἐν προφήταις; Lxx ἢ καὶ Σαοὺλ, &c. משל autem Hieronymus reddit *proverbium,* Lxx παραβολὴ, Jon. מתלא, quod à משל deductum.

13. *Venit in excelsum*] Nam Prophetæ obviàm illi facti sunt extra excelsum: cùm autem desiisset prophetare cum eis, ingressus est domum excelsi, quæ erat in colle. In Jonatha hîc אסחרותא.

14. *Patruus Saul*] Jon. *frater patris ejus.* Aq. πατράδελφος, & ità Compl. In aliis est οἰκεῖος *domesticus.* Fortè reperit eum in domo excelsi illius; aut ivit in urbem suam, ubi patruus ejus hoc ab eo quæsivit. Nam Scriptura interdum hoc modo quædam præterire solet.

16. *Verbum regni non indicavit ei*] Vel modestiæ causâ, vel quia res arcana erat, quam ipse publi carenolebat. Vide Liranum.

17. *Convocavit populum*] *Convocando congregavit,* aut *coegit.* Id quia per clamorem fiebat, ideo utitur verbo הזעיק παρὰ τὸ זעק *vociferor.* Compl. συνήγαγε. ¶ *Ad Dominum in Maspha*] Ubi altare, & proseucha, sive domus precum. Cur autem eò populus convocari solebat, diximus alibi. Vide quæ scripsimus in Josuam & lib. Judicum. Sunt qui putant etiam Arcam eò translatam fuisse; in qua sententia fuit Tremellius, quem vide, si placet. Nam est quæstio digna quæ hîc tractetur. Certè *coram Domino* fieri dicitur quod fit coram Arca, quæ *Deus* & *Dominus* nomine tetragrammato vocatur.

18. *Eduxi Israelem*] Ad verb. *ascendere feci.* Nam ex Ægypto in terram Chanaan ascenditur, quoniam Ægyptus in Austro, & terra Chanaan in Septentrione. Sensus autem, *eduxi vos.* Nam præcedit, *dixit ad filios Israel.* Sic, *Dixit DOMINUS, Ascende ad DOMINUM,* item, *Dixit Moses socero Mosis,* i. suo.

19. *Abjecistis Deum vestrum*] Petendo Regem, cùm ipse regnaret super vos. ¶ *Et dixistis ei*] לו *ei.* Sic Jon. *dixistis coram eo:* subauditur autem לא *Non,* sive *Nequaquam.* Alii לו positum existimant pro לא. Nam literæ quiescentes de facili permutantur inter se. Sanè contrà לא *non* ponitur pro לו *ei.* Sic Hieron. *Nequaquam:* & Lxx καὶ εἴπατε Οὐχί. Videndus R. D. h. l. Suprà cùm Regnum innovaretur, *& dixistis* לא *Nequaquam, sed Rex regnet super nos.* ¶ *Sistite vos coram Domino*] Præsens erat Pontifex, in cujus pectorali erant Urim ac Thummim, quibus inspectis sciebant quam tribum & familiam, imò quam personam, Deus designaret. Nam hæc omnia Divinitus gerebantur, nè aliæ tribus inviderent ei. R. D. *Ibi erant Urim ac Thummim; & fortasse illuc adduxerunt Arcam.* Vide sequentia. Alii non dubitant quin Arca ibi fuerit, ut propterea dicat, *coram Domino.* ¶ *Per chiliadas*] Sive *per millia,* ut Santes habet, aut lege *secundùm chiliades vestras.* Hier. *per familias,* למשפחותיכם. In chiliadibus erant plures familiæ. Lxx κατὰ τὰς φυλὰς ὑμῶν *secundùm tribus vestras:* præcedit autem κατὰ τὰ σκῆπτρα ὑμῶν *per sceptra vestra.* Sed meliùs ed. Compl. κατὰ φυλὰς ὑμῶν, καὶ κατὰ χιλιάδας ὑμῶν. Nam σκῆπτρον idem quod φυλή. Siquidem Phylarchi virgam gestabant quam σκῆπτρον vocabant, i. שבט. Trem. *per duces vestros.* Id exponit *per duces singularum familiarum, quæ multæ erant in singulis tribubus.* Vide illum, si vacas. Ego scio *ducem* אלוף dici, qui est dux in amicitia, in lege, in dominatu: quod parùm juvat interpretem illum, cùm hîc sit אלף *mille.* Hunc nodum solvit Mercerus Gen. 36. 16. אלף interdum pro *familia* sumitur, velut *chiliarchia,* ut in Michæ prophetia, *inter millia,* vel *chiliarchias,* i. familias, *Juda.* Initio ità Ducatus per familias distribuebantur, quasi mille viris præessent. Si vera hæc, tum non malè vertit Hieronymus *per familias,* idque sequentia firmare videntur.

20. *Capta fuit*] Per sortem. Vide Tremellium.

21. *Per familias suas*] Videtur esse id quod suprà dixit *per chiliadas suas.* Hieron. *per cognationes ejus.* Huic interpreti *cognatio* est familia. Lxx εἰς φυλὰς *in tribus.* Compl. κατὰ πατριὰν *per familiam.* ¶ *Familia Matri*] המטרי. Jon. מטרי. Sic vocabatur familia Cis patris Sauli. Trem. *familia Matrea gentis.* Nicolaus, *In Ebræo habetur* MATHERI, *vel* MATHARI. Vide sequentia. Nam multis probat nomen esse commune: sed fallitur. Nam scopus sive signum in quod collimant sagittarii aut fundibularii potiùs מטרא dicitur, unde non potest esse מטרי, cùm sit nomen familiæ; cujus si alibi nulla memoria, tamen non sequitur propterea familiam nullam fuisse ejus nominis: imò dubitare de eo non debemus, cùm hîc disertè dicat *familia Matri.* Pro quo in Lxx φυλὴ Ματταρεὶ, ubi *tribus* pro *familia,* quemadmodum è contrario *familia* pro *tribu* usurpatur. Sed in Compl. πατριὰ Ἀματαρεὶ *familia Hamattari.* Hieron. *cognatio Metri.*

Metri. Videndus Lita. ¶ *Captus est Saul*] Hic aliqua desiderantur. In ed. Rom. καὶ προσάγουσι τὴν φυλὴν Ματταρὶ εἰς ἄνδρας, *& applicant tribum Mattari in viros*, i. sortem miserunt de viris, sive capitibus, illius tribûs. R. D. *Lectio brevis, nam priùs applicuerat, sive admoverat, tribum Matri ad viros, & tum captus fuit Saul.*

22. *Ad vasa*] *Inter vasa*, h. e. impedimenta. אל־ pro ב, quæ enallage insolens non est. R. D. *in vasis populi, qui venerant eò, qui posuerant vasa sua in quadam domo; & ipse latitabat inter vasa illa. Nam fugiebat à Regno:* אל autem venit loco ב, ut alibi אל הארון. *In arca pones testimonium*, i. tabulas testimonii.

24. *An vidistis*] הראיתם cum Dages in Res. Nicolaus, *In Ebræo habetur Absconditus inter vasa] & vocantur Vasa arma, vel quæcunque alia, quæ secum detulerant illi qui congregati erant in Masphat*, &c. ¶ *Non est similis illi*] Nam erat statura procera & forma egregia capta ad regnandum. Videndus R. D. h. l. ¶ *Vivat rex*] Sic felix, prosperéque succedant omnia. Sic Jon. Gallicè *Vive le roy.* Ζήτω ὁ βασιλεύς. *Vivere* sign. bene valere, tum etiam εὐπραγεῖν *prospere agere. Vivat* ergò, i. Valeat. Scitum illud,

Non est vivere, sed valere vita.

25. *Legem regni*] *Jus regni*, quod Rex obtinet super populum. In Ebræo ad verb. *judicium regni.* Vide suprà. ¶ *Posuit coram Domino*] *Juxta Arcam*, R. Levi. *In Arca*, R. D. Quod eo minus probo quia leges 1 Reg. 8. 9. *præter tabulas federis nihil aliud in Arca fuisse.* Non ergò *statuta ista.*

26. *Quos tetigerat Deus in corde ipsorum*] Quorum corda Deus tetigerat ut illum reciperent in Regem. Jon. *Et iverunt cum eo partim è populo fortes timentes peccatum, quibus datus timor à coram Domino in corde ipsorum.* Quod sequentia firmant.

27. *Non attulerunt ei munera*] Ut moris erat Regi munera offerre quando inaugurabatur. Jon. *Non venerunt ad rogandum pacem ejus.* ¶ *Fuit quasi obmutescens*] Planè conticuit & dissimulavit se audire. Jon. *quasi tacens*, aut *silens*. Compl. καὶ ἐγενήθη κωφεύων, quod abest ab ed. Rom. nisi quòd in proximo capite pro eo legitur ὡς μετὰ μῆνα *quasi post mensem*, כמחדש.

IDEM.

11. הגם שאול בנביאים. Sym. μὴ ἔτι καὶ Σαὺλ ἐν προφήταις; *Num adhuc & Saul in prophetis?*

14. דוד. A. πατράδελφος *patruus*] *Patris frater*, ut μητράδελφος *matris frater.* Amos 6. 10. דודו. Santes *patruus ejus.* 2 Reg. 24. 17. Hier. דדו. *patruum ejus.* Josephus l. 10. c. 10. θεῖον αὐτοῦ. Est autem θεῖος tam *patruus* quàm *avunculus*, h. e. patris aut matris frater.

GROTIUS.

1. *Deosculatus est eum*] Reverentiæ causâ, ut futuri Regis, manum osculatus est. Vide Gen. 41. 40. Ps. 2. 12. ¶ *Ecce unxit te Dominus*] Sacerdotū exemplo uncti sunt & Reges Hebræi, non sacerdotes quidem, sed multum habentes Sacerdotale, sedem & jus loquendi in Sanctuario, inspectionem in sacra, jus eligendi aut destituendi Pontificis Maximi aliorúmque Sacerdotum, & alia ejusmodi alio tamen modo; Sacerdotes in fronte decussatim, Reges in vertice ad coronæ modum illito oleo. Deus *unxisse* Saulem hîc, & infrà 24. eum *elegisse* dicitur; nempe κατὰ τὸ θέλημα ἑπόμενον, non τὸ προηγούμενον· ità enim distinguunt veteres.

2. *Juxta sepulcrum Rachel*] Gen. 35. 19. Deus se nonnihil accommodans populi sui ingenio, sæpe suis vera dabat omina, qualia superstitiosi inaniter captabant. Vide Gen. 24. 14. & sequentibus.

5. *Ubi est statio Philisthinorum*] Meliores erant Philisthini quàm nunc multi Christianorum. Parcebant enim iis locis in quibus degebant viri studiis Divinis dediti. Vide quæ diximus De J. B. ac P. l. 3. c. 11. §. 10.

¶ *Gregem Prophetarum*] Solebant Prophetæ à turba se segregare, & ibi juventutem ad pietatem instituere. ¶ *Et ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam*] Quibus mos erat uti ubi Deo gratiæ de beneficio aliquo agebantur. Vide quæ dicta Jud. 11. 34. Præterea ea vis est quorundam sonorum ut animum concitatum tranquillent, infrà 16. 16. Alii torpentem excitant, & rebus magnis præparant 2 Reg. 3. 15. Sic ferocientes animos mollivit Pythagoras, seditiones accensas inhibuit Asclepiades, Damon ebrios ac petulantes juvenes ad modestiam reduxit, lymphaticos morbo liberavit Xenocrates de quibus vide Capellam Saturæ lib. 10.

9. *Immutavit illi Deus cor aliud*] Fecit eum solitò fortiorem ac prudentiorem; &, nè dubitaret se Regno destinatum, etiam momentaneum Prophetiæ donum ei Deus contulit 11. Simile infrà 19. 20. Spiritum autem illum Regno administrando idoneum postea in pœnam peccatorum ei abstulit Deus, infrà 16. 14. Confer Psal. 51. 12.

12. *Num & Saul inter Prophetas?*] Ex facto pari repetita hujus proverbii memoria infrà 19. 24. q. d. Quis hoc sperasset in homine militari? At nimirum

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε.

Et *Spiritus ubi vult spirat*, Joan. 3. 8.

16. *De sermone autem Regni non indicavit ei, quem locutus fuerit ei Samuel*] Prudenter rem sinit maturescere, nè ambitus suspectum se faceret.

19. *Et dixistis, Nequaquam*] Apparet hunc interpretem pro לו legisse לא, quomodo legerunt & LXX, & Abenesdra.

20. *Et cecidit sors tribûs Benjamin*] Aristoteles l. 6. Polit. c. 11. ait populare esse institutum τὸ κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχάς· id mos quarundam gentium vetus etiam in Sacerdotiis recepit. Virgilius l. 2. Æneidos,

Laocoon lectus Neptuni sorte sacerdos.

Vide Act. 1. 26.

24. *Vivat rex*] *Vivere* hîc & alibi est Prosperè agere.

25. *Locutus est autem Samuel ad populum legem Regni, & scripsit in libro*] Heb. משפט המלכה. Gr. δικαίωμα τοῦ βασιλέως, quod Josephus interpretatur *mala eventura ex sueta Regibus licentia.* Vide suprà 2. 13. Alii malunt fuisse bene regnandi præcepta, ὑποθήκας, quales habet egregias Isocrates, & Stobæus. Fuit ædificium exstructum super fundamentis quæ sunt Deut. 17. 16. & sequentibus.

26. *Quorum Deus tetigerat corda*] Quos Samuelis Prophetæ moverat auctoritas.

27. *Filii verò Belial*] Homines omnis jugi impatientes. Vide suprà 1. 16. ¶ *Non attulerunt ei munera*] Sine quibus Reges Orientis adiri non solebant. Vide Matth. 2. 11. ¶ *Dissimulabat se audire*] Nempe quia novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama, ut Tacitus ait Histor. 4. vide & 11. 13.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

2. *Oculum dextrum*] Heb. *Oculum dextri.* Ponitur namque עין in statu regiminis. Et subintelligitur צד, ut sit sensus, *oculum dextri lateris.* ¶ *Et posuero ipsum in opprobrium*] Intelligitur per *ipsum* זה העניין *res ipsa*, h. e. exoculatio ipsa, quæ Israeli turpissima fuisset, præsertim ubi federis percussio accessisset.

14. *Innovemus ibi regnum*] Hoc dixit Samuel quòd multi hactenus contempsissent Saul, nolentes eum agnoscere ut Regem; jam verò experientiâ ipsâ didicerunt illum Dei ordinatione in Regem electum.

VATABLUS.

1. **A***Scendit*, ויעל] *Ascenderat autem.* Quidam aiunt Israelitas ideo Regem petiisse quòd audirent Regem istum copias in ipsos parare. ¶ *Ammonites*, העמוני] Chaldæus paraph. *Rex Ammonitarum.* ¶ *Percute*, &c. כרת לנו ברית] q. d. Parati sumus nos dedere tibi, habeto nos confederatos, & erimus tibi tributarii.

2. *Effodiendo*, בנקור] Eruendo. i. hâc lege & conditione si eruam. ¶ *Ponámque* &c. ושמתיה ונו'] i. Et hâc ratione opprobrio & ignominiâ afficiam universum Israelem.

3. *Concede nobis*, הרף לנו] *Dimitte nos.* Chaldæus paraphr. *Exspecta nos*, i. Da nobis inducias septem dierum.

4. *Et locuti sunt*, &c. וידברו ונו'] Hebraismus, Exposuerunt legationem suam audiente populo.

5. *Interea*, והנה] Ad verb. *Et ecce.* ¶ *Post boves*, אחרי הבקר] i. Sequens boves suos.

6. *Tunc transivit Spiritus*, ותצלח רוח] *Tunc irruit Spiritus*, nempe fortitudinis, i. subitò Dominus reddidit eum fortiorem solito. ¶ *Iratúsque est furor ejus valde*, ויחר אפו מאד] Hebraismus, *iratus est vehementer.*

7. *Et post Samuelem*, ואחר שמואל] Addidit *Samuelem*, quòd nondum approbatus esset Rex ab omnibus, q. d. Qui nolunt sequi Saulem, saltem sequantur Samuelem. ¶ *Pavor Jehovæ*, פחד יהוה] i. Quo Jehova terruit populum: vel metus emissus à Deo in cor eorum. ¶ *Et egressi sunt tanquam vir unus*, ויצאו כאיש אחד] Hebraismus, secutus est eum populus ad bellum unanimi consensu.

8. *Recensuit itaque eos*, ויפקדם] Sub. qui fuerunt egressi ad bellum. ¶ *In Bezec*, בבזק] Sic rectè. Alii minùs rectè vertunt *per calculos*, i. injectis in unum acervum calculis, quos numeravit postea Saul.

9. *Dixeruntque*, ויאמרו] Saul scilicet & Samuel.

10. *Dixerunt igitur*, ויאמרו] Sub. *Ad Nahas obsidentem eam urbem.* ¶ *Quicquid bonum*, &c. ככל הטוב בעיניכם] Ad verb. *Juxta omne quod bonum in oculis vestris*, i. quæcunque vobis libuerint.

11. *Postridie autem disposuit*, ויהי ממחרת וישם] Ad verb. *Et fuit, in crastino disposuit*, i. divisit in tres turmas. ¶ *Et invaserunt*, &c. ויבואו ונו'] Ad verb. *Et ingressi sunt in medium castrorum*, i. irruerunt in exercitum Ammonitarum. ¶ *In vigilia matutina*, באשמורת הבוקר] i. In tertia vigilia noctis, h. e. sub auroram ipsam. Nox apud Hebræos modò in quatuor vigilias dividitur, modò in tres, ut hoc loco. ¶ *Pariter*, יחד] *Simul*, sub. *fugientes.*

13. *Fecit Jehova salutem*, &c. עשה יהוה ונו'] Hebraismus, Dedit Dominus claram & insignem victoriam Israeli de hostibus suis.

14. *Ut innovemus ibi regnum*, ונחדש שם המלוכה] i. Ut confirmemus illic Regem Saulem.

15. *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. Coram altari Domini quod illic erat exstructum. ¶ *Mirum in modum*, עד מאד] Ad verb. *usque valde*, i. vehementer.

CLARIUS.

14. **I***Nnovemus ibi regnum*] Hæc dixit Samuel, quòd multi hactenus contempsissent Saul, nolentes eum agnoscere ut Regem; ja[illegible] experientiâ ipsâ didicerunt illum Dei ordinatione in Regem electum.

DRUSIUS.

1. **N***Ahas Ammonites*] Jon. *Naas rex filiorum Ammon.* LXX Ναὰς ὁ Ἀμμανίτης, unde in Vulg. nostra *Naas* pro *Nahas*; quod contrahunt in NAS *serpens*, unde quidam perperàm derivant *Satanas*, q. *apostata serpens.* Nam שט *qui deficit*; & NAS, *serpens.* In lib. Nominum, *Naas*, *serpens*, נחש. *Naason*, *serpens eorum*, נחשון pro נחשהון. R. D. distinguit *filios Ammon* ab *Ammonitis*, qui עמונים vocantur. *Non vocantur*, inquit, *usquiam Ammonitæ Filii Ammon, sed est gens alia.* Vide illum 2 Par. 20. 1. Stephanus tamen, Εἰσὶ καὶ Ἀμμανῖται διὰ δύο μμ γένος τῶν Ναβαταίων Ἀράβων, ὡς Ἰώσηπος· ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ Ἀμμὼν τοῦ παιδὸς Λώτου καὶ τῆς νεωτέρας θυγατρὸς, Gen. 19. Expende ampliùs. In quibusdam libris Latinis, *Et factum est quasi post mensem*, quod sumptum à Græcis, & est corrupta versio membri ultimi capitis sequentis. Vide Liram.

2. *Oculum dexteri*] Sub. *Lateris*: nam est עין ימין in fonte. Quidam *oculum dexterum* עין ימינית. Nomen enim עין fem. est. Hieron. *oculos dexteros.* Senes quoque ὀφθαλμὸν δεξιόν. Jon. עין ימינא. Scholia Ebraica subaudiunt צד, quod masc. est. De Nahas Ammonita vide quæ Lira notavit ad h. l. De oculo dextero vide quæ R. D. annotat ex Dras.

4. *Gabaa Saulis*] Ità dicta quòd Saul ibi natus esset, unde Jonathan Hos. 5. 8. *Saul qui ex Gabaa.* Hanc nonnulli diversam faciunt à Gabaa Benjamin: alii eandem esse asserunt. Mentio hujus Gabaæ infrà 15. 34. Vide K. ad h. l. Duas Gabaas olim fuisse scribit R. D. Jud. 19. 14. *Gabaa Benjamin*, Jud. 20. 10. & *Gabaa Saulis*, 1 Sam. 13. 19. memoratur & *Gabaa Hachilæ.* Vide Masium in Jos. 15. 57. Sunt qui in tribu Benjamin quatuor oppida fuisse putant ejus nominis. Hieronymus Hos. 5. *Gabaa*, inquit, *oppidum est in tribu Benjamin vicinum Ramæ urbi, in qua natus fuit Saul Rex.* Hæc omnia diligentioris indigent inquisitionis. Trem. *Gabaa Saulis: Priùs dicebatur Benjaminis*, in notis ad h. l. *Gabaa Benjamin*, 1 Sam. 13. 2. dicitur & גבע בנימין. Sunt aliæ Gabaæ, de quibus vide Arcam Noe, ut *Gabaa Phinees*, & *Gabaa Jerusalem*, &c.

5. *Post boves*] Sequebatur boves, quos agebat operi rustico intentus, cùm videret se non receptum esse ab omnibus in Regem. Vide D. Camium, & Lyram.

6. *Spiritus Dei*] Spiritus roboris qui à Deo. Jon. *à coram* DOMINO. *Motus fortitudinis & constantiæ ad liberandum populum obsessum*, Nicolaus.

7. *Post Saul & post Samuelem*] Priore loco nominat se Regem, posteriore Samuelem Prophetam. Nam dignitas Regia major. ¶ *Metus Domini*] *Metus qui à Domino*: vel *metus ingens.* Sic, *Flamma Domini*, luculenta; *Montes Dei*, altissimi; *Civitas magna coram Domino.* Deo enim tribuitur quicquid in suo genere excellit. Hieron. *timor Domini*, LXX ἔκστασις Κυρίου. Jon. *commotio à coram Domino.*

8. *In Bezec*] Ἐν Βεζέκ. Potest etiam legi *Bazec*; & est nomen loci. Sic *Hebel*, *Habel*; *Pheleg*, *Phaleg.* Lira scribit esse nomen urbis cujus Rex in Josua vocatur *Adonibezec.* Sed quomodo in una urbe tanta multitudo recenseri potuit? *In Bezec* potest exponi *in territorio*, vel *agro, ejus*, vel certè *ad Bezec.* Rabanus, *in Bezec, urbe scilicet Adonibezec. Usque hodie duæ villæ dicuntur Bezec in septimo lapide à Neapoli descendentibus Scythopolim.* Vide Onomasticum meum. Doctores exponunt *in fragmentis testarum.* Alii *lapidibus.* Accepit enim lapidem ab unoquoque; ità cognovit quantus esset numerus eorum. Sed vide Scholia Camii & R. S. Thargum Proverbiorum בזקא דכיפא. ¶ *Virorum Juda*] Ad verb. *viri Juda*, idem cum illo *filiorum Juda.* Sic *viri Israel* & *filii Israel* synonyma sunt. Hîc distinguit Judam ab Israel, quod crebrum post schisma tribuum. Sunt qui sub nomine *Juda* etiam Simeonis tribum comprehendunt. Aliàs in Juda Benjamin includitur.

9. *Cras erit vobis salus*] i. Victoria. Et *cras*, αὔριον, non *in posterum*, ut exponitur hic locus in Glossa interlineari & in Lirano. *Cras* hîc propriè sumitur: nam mox ait *postridie.*

10. *Dixerunt viri Jabes*] Ad Nahas Ammonitem. Sic enim certè LXX πρὸς Ναὰς τὸν Ἀμμανίτην. Malim, *dixerunt Ammonitis.* Nam hæc Sauli dicta esse aut Israelitis mihi non

non sit verisimile. Probo *Ammonitis*, nam sequitur *cras exibimus ad vos*. Vide quæ Lira notavit de nomine *cras* hoc loco.

11. *Tria capita*] *Tria agmina*. Hieron. *tres partes*. Lxx εἰς τρεῖς ἀρχάς. Jon *tria castra*. Alius *tres turmas*. ¶ *Vigilia matutina*] Quæ tertia & ultima. Tres enim erant antiquitus. Posterior ætas partita est noctem in vigilias quatuor: qua de re diximus in observationibus. ¶ *Ammon*] Jon. *filios Ammon*. Sic etiam Lxx τοὺς υἱοὺς Ἀμμών. ¶ *Dispersi sunt*] ויפצו, ubi Vau redundat in Latio. Nam convertit, non copulat. Sic, *die tertio* וישא *levavit Abraham*. Sensus, *Qui relicti sunt ex eis, quos non percusserunt, dispersi sunt huc illuc*, &c.

12. *Saul regnabit super nos?*] Pronunciatione juvandum, acsi nota interrogationis præcederet, quæ hic certè subintelligi debet: ut in illo Jobi, *Trahes Leviathan hamo?* Sic, *Malum non accipiemus?* Et, *Tu, Bethlehem Ephratha, parva es ut sis in millibus Juda?* Plura exempla proferre possem, si opus esset. Si tamen plura desideres, vide libellum nostrum De literis servilibus quas vocant *Mosche Vechaleb*. Jon. *Quid isti qui nunciant, dicendo, Non est rectum ut Saul regnet super nos?* Hieron. *Saul non regnabit super nos*. Sic Lxx οὐ βασιλεύσει ἡμῶν.

13. *Non morte afficietur*] Minùs rectè hic Lxx Οὐκ ἀποθανεῖται, & Santes *Non morietur* לא יומת. *Moritur* enim qui non occiditur. יומת *morti dabitur, morte multabitur*. Jon, *non occidetur*. ¶ *Vir*] Quisquam.

14. *Galgalam*] *Ubi olim Arca fuerat, necnon tentorium conventûs, cùm primùm ingressi essent Terram: ideo locum illum venerabantur & in magno honore habebant, licèt eo tempore Arca esset in Nob*, R. D. ¶ *Innovemus ibi regnum*] Vel *renovemus*. Primâ enim vice quidam spreverant Saulem, dicentes, *Quomodo servabit nos hic?* nunc omnes in id consenserunt propter insignem victoriam quam obtinuerat de Nahas Ammonita. Tum solenniter eum confirmarunt.

15. *Coram Domino*] Si *coram Domino* semper significat *coram Arca*, sequitur Arcam tum fuisse in Galgal. Sed, si Ebræis credimus, non erat in Galgal sed in Nob; ergò non hoc semper significat. Quidam asserunt præsente Arcâ hæc facta esse, quam Sacerdotes ad magnos conventus & solennes adducebant, ut probatur ex cap. 14. 18. ¶ *Sacrificia pacifica*] Alibi est זבחי שלמים, hic autem זבחים שלמים. Hieron. *victimas pacificas*. Lxx θυσίας καὶ εἰρηνικὰς *sacrificia & pacificas*, ut sit ἀσύνδετον. Compl. tamen θυσίας εἰρηνικὰς *hostias pacificas*. Jon. *victimas sanctitatum*. Expende adhuc ampliùs.

GROTIUS.

2. *Ut eruam omnium vestrum oculos dextros*] Nempe ut inutiles eos bello faceret: nam sinister oculus sub scuto latere solebat.

3. *Concede nobis dies septem*] Talium deditionum factarum in diem sub conditione exempla quædam posuimus in Annotatis ad l. 3. De J. B. ac P. c. 24. §. 14.

7. *Sic fiet bobus ejus*] Pœna ἀντεγκλησίας. Vide Jud. 21. 10.

10. *Et dixerunt*] Supple *Ammonitis*.

11. *Ingressus est in media castra*] Quæ credibile est in parte quæ ab urbe aversa erat non bene fuisse munita, quòd Ammonitæ indè nihil tam repentinum metuerent.

13. *Non occidetur quisquam in die hac*] Regi condonare ea tantùm licebat quæ ad suam injuriam pertinebant: quod & Philosophi laudant. Seneca l. 1. De Clementia c. 20. de Principe loquens, *Longè sit in suis quàm in alienis exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non est magni animi qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat sibi detrahit; ità clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum qui cùm suis stimulis agitatur non prosilit, qui intelligit magni animi esse injurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impunè læso*. Livia ad Augustum, τοὺς ἄρχοντας νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τοὺς μὲν τὸ κοινὸν ἀδικοῦντας ἐπεξιέναι χρῆναι, τοὺς δ' ἰδίᾳ τι εἰς αὐτοὺς πλημμελεῖν δοκοῦντας φέρειν. Exempla Antonini & Theodosii attulimus l. 2. De J. B. ac P. c. 24. §. 3. Habebat autem culpa de qua agitur excusationis aliquid in hominibus Regno insuetis. Bene autem Saul occasionem misericordiæ arripit ex die partæ victoriæ. *Quem diem vacuum pœnâ ubi inter sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincula & laqueus inducuntur?* aiunt patres de Tiberii sævitia querentes apud Tacitum Annal. 4. Simile planè factum Davidis habebimus, 2 Sam. 19. 22.

15. *Fecerunt ibi regem Saul*] Communi consensu Regem eum declararunt. Simile vide 2 Sam. 5. 1, 2, 3, 4.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. *Ferte testimonium*] Heb. *respondete contra me*. Pro quo Jon. אסהידו *testificamini*. ¶ *Quem calumniatus sum*] Sensus est, *quem circumveni in bonis suis?* ¶ *Quem concussi?*] In corpore. Pro quo Jon. מן אנסית *Cui vim feci?* ¶ *De cujus manu accepi pretium?* Ut scilicet in judicio illi patrocinatus fuerim contra justitiam, aut dissimulaverim in causa non recta. ¶ *Et restituam vobis*] Potest & sic verti, *& respondebo vobis*, paratus scilicet rationem reddere de factis meis.

5. *Et ait, Testis*] Id referendum putant ad *Israel*; alii ad בת קול *vocem cœlitus demissam*; ut & Deus, qui cordis secreta novit, Samuelis protestationi subscripserit.

6. *Qui fecit Mosen & Aharon*] h. e. Qui illos magnificavit atque edocuit. Jonathan verò sic vertit, *qui fecit grandia per manus Mosi & Aharon*.

7. *Ut judicer vobiscum*] Hebræi exponunt sic, *ut redarguar vobiscum à Domino, qui malum illi reddidistis pro justitiis quas ille vobiscum & cum patribus vestris fecit*.

11. *Jerubbaal*] Hic est Gideon. ¶ *Bedan*] Hic est בן דן *filius Dan*, h. e. Simson, qui fuit de tribu Dan.

17. *Tonitrua & pluviam*] Hæc sunt *res illa grandis* de qua paulò antè dixit. Nunquam enim pluit in terra illa tempore messis, sed habet pluviam matutinam & serotinam, quarum Scriptura toties meminit. Erat igitur magnum miraculum ut contra naturam tempore messis tunc plueret. Unde sensati quique iram Dei contra se excitatam advertere potuerunt.

21. *Alioquin declinabitis*] Sensus est, Si recesseritis à Domino, non superest nisi quòd coletis Deos alienos, qui vobis in nulla re opitulari queunt, cùm sint תוהו, h. e. *nihil*, nullam habentes virtutem aut potestatem.

VATABLUS.

2. *Graditur ante vos*, ומתהלך לפניכם] *Incedit ante vos*, i. moderatur remp. vestram. Sic mox, *Ego ambulavi coram vobis*. ¶ *Et filii mei ecce sunt vobiscum*, ובני הנם אתכם] i. Succedent in locum meum, poteritis eos consulere de rebus sacris. ¶ *Ambulavi coram vobis*, התהלכתי לפניכם] i. Administravi remp. vestram.

3. *En ego*, הנני] i. Adsum, q. d. Paratus sum reddere rationem administrationis meæ, &c. ¶ *Testificamini contra me*, ענו בי] i. Incusate me si potestis. ¶ *Uncto ejus*, משיחו] i. Saule, quem Domini jussu unxi in Regem. ¶ *An bovem cujusquam tulerim*, את שור מי לקחתי] Ad verb. *bovem cujus tuli?* in usum meum scilicet. ¶ *Et cui vim intulerim*, ואת מי עשקתי] *Et quem calumniatus sim*, i. calumniâ opibus privarim. ¶ *Quem contriverim*, את מי רצותי] *Quem pulsaverim*, vel, *pulsandum curaverim*, i. quem læserim, aut in pecunia, aut in corpore ipso. ¶ *Pretium*, כופר] *Redemptionem*, *pretium redemptionis*. ¶ *Et occultaverim oculos meos* ab

ab eo, ואעלים עיני בו] *Et texerim oculos meos propter eum*, i. in negotio, causa & judicio ejus; dissimulando scilicet me videre peccatum ejus: h. e. cui pepercerim propter munera. Alii, *& tegam oculos meos contra me*, i. tantisper dum dicat testimonium contra me; nè scilicet videam illud.

4. *Non vim intulistis nobis*, לא עשקתנו] *Non es calumniatus nos.*

5. *Et dixit*, ויאמר] Unus scilicet pro omnibus. Vel, *dixerunt*, sub *omnes unâ voce.*

6. *Fecit*, עשה] i. Qui reddidit eos claros & nobiles, sub *testis est*, *inquam*. Chaldæus Paraph. *qui fecit fortitudines*, vel, *virtutes*, i. miracula, *per Mosen & Aharonem*, q. d. Habeo innocentiæ meæ Deum testem gravissimum, qui Mosen clarum, &c.

7. *Ut disceptem vobiscum*, ואשפטה אתכם] *Ut contendam judicio vobiscum*, vel, *subeam judicium*. ¶ *De omnibus justitiis*, את כל צדקות] i. Beneficiis quæ contulit in vos Dominus. *Justitiam* pro *beneficio* Hebræi aliquando accipiunt: sive pro *eleemosyna*, quòd homines justos declaret.

8. *Et habitare fecerunt eos*, ויושיבום] *Et collocaverunt eos*, vel, *statuerunt*, i. fuerunt causa per doctrinam suam ut istuc veneritis.

11. *Et Bedan*, ואת בדן] i. Samsonem, ut Chaldæus paraph. & doctus inter Hebræos exponunt: qui sic dictum existimant, q. *filium Dan*, quòd fuerit de familia & tribu Dan. ¶ *Undique* מסביב] *Per circuitum*. ¶ *Confidenter*, בטח] i. Securè.

12. *Et vidistis quòd*, &c. ותראו וגו'] *Et tamen cùm vidistis quòd Nahas rex filiorum Ammon veniret contra vos, dixistis mihi*, (dehortanti scilicet nè alium Regem peteretis quàm Dominum) *Nequaquam*, sub. *acquiescemus verbis tuis.*

14. *Neque exasperaveritis os Jehovæ*, ולא תמרו את פי יהוה] *Neque rebelles fueritis ori Jehovæ*, vel, *neque inobedientes fueritis sermoni Jehovæ.* ¶ *Eritis*, והיתם] i. Diu permanebitis, sive longo tempore vivetis, *post Jehovam*, h. e. in cultu Jehovæ. Hic ו non copulat, sed præteritum vertit in futurum. ¶ *Regnat*, מלך] Præt. Heb. pro præs. & fut.

15. *Erit manus Jehovæ contra vos*, והיתה יד יהוה בכם] i. Affliget vos, ut afflixit patres vestros quando fuerunt inobedientes sermoni ipsius. ¶ *Ut contra patres vestros*, ובאבותיכם] Hic ו pro *ut*, interprete Chaldæo paraph. qui vertit, *quemadmodum fuit cum patribus vestris*. Doctus inter Hebræos exponit, *& contra patres vestros*, i. contra Reges vestros qui debent esse ut patres filiis.

16. *Etiam nunc state*, גם עתה התיצבו] *Nunc quoque consistite.* ¶ *Facit*, עשה] Quidam per futurum vertunt, *facturus est.*

17. *Nonne messis triticea tempus est hodie?* הלא קציר חטים היום] Hebræi aiunt tempore messis non solere pluere in Terra sancta: alii, à 17 Martii usque ad mensem Octobrem non pluere. Utcunque res habeat, erat sudum cùm hæc dicebantur. ¶ *Et scitote, & videte*, ודעו וראו] i. Tum cognoscetis & intelligetis. ¶ *Regem*, מלך] Sub. *Alium ab eo*, nempe Jehova.

18. *Clamavit ergò*, &c. ויקרא וגו'] *Invocavit ergò Samuel Jehovam.*

19. *Deum tuum*, אלהיך] Acsi dicat, qui te exaudire solet.

21. *Neque declinetis post*, &c. ולא תסירו כי וגו'] Ad verb. *Et nè declinetis, quia post vanitatem, qui non prosunt, neque eruunt; nam vanitas sunt*, i. *Nolite*, inquam, *recedere*, sub. *à Domino Deo vestro*, quia tum declinaretis *post vanitatem*, h.e. sequeremini idola, sive deos vanos, *qui non prosunt*, neque prodesse possunt, *neque eruunt* de afflictione, *nam vani sunt*. Quidam vertunt, *Nolite declinare post vanitatem: quia sunt hi qui non prosunt*, ut sit ordo dictionum inversus.

22. *Quia voluit*, &c. כי הואיל וגו'] i. Nè malè audiat inter Gentes, quæ audierunt eum velle vos facere populum suum. Quidam vertunt, *quandoquidem animum adjecit ad hoc ut vos sibi faciat in populum.*

23. *A me quoque*, &c. גם אנכי וגו'] Ad verb. *Etiam ego, absit à me*, sub. *quamvis spreveritis me.* ¶ *Docebóque vos*, והוריתי אתכם] Subaudiendum aliquid, *Orabo quidem pro vobis, & docebo vos.*

24. *Veruntamen*, אך] *Tantùm.* ¶ *Videte enim quòd magnificè*, כי ראו את אשר הגדיל] *Considerate enim mirabilia quæ edidit ante vos*, vel, quæ gessit in gratiam vestram.

25. *Malefaciendo malefeceritis*, הרע תרעו] i. Si pergetis malefacere.

CASTALIO.

15. *Et vos & vestrum Regem*] Ità Græci. In Hebræo est *& patres vestros*; sed in Græco meliùs, ut mihi videtur.

17. *Tritici messis est: Jovam invocabo, & tonabit*] Tonitrus ille tempore messis præter naturam fuit, ideóque mirabilis; propterea quòd vere tantùm & autumno fiunt tonitrua. Cujus rei causa est, quòd concitantur ex conflictu calidi & frigidi, qui conflictus neque hyeme, superante frigore, neque æstate, superante æstu, fieri potest, præsertim in æstuosis terris, qualis Syria est: nam apud nos non rara sunt æstate tonitrua.

21. *Néve ad ista nihili desciscite*] Ad divos & inanes deos.

CLARIUS.

2. *Filii mei vobiscum sunt*] Videtur eâ ratione hoc dicere ut in quæstionibus legis & judiciorum uti eorum consiliis possent tam Rex quàm alii, cùm Rex ipse discere illa hactenus non potuerit.

3. *Abscondi oculos*] Si ob acceptum, inquit, munus cuiquam in judicio patrocinatus fui contra justitiam, aut dissimulavi in causa non recta.

6. *Qui fecit Mosen*] h. e. Qui illos magnificavit atque edocuit. Jonathas sic vertit, *Qui fecit grandia per manum Mosis & Aharon.*

11. *Jerobaal*] Hic est Gedeon, cui cur hoc nomen additum fuerit habes in libro Judicum. ¶ *Badan*] Vel *Bedan*, h. e. *filius Dan*; Samson qui fuit de tribu Dan.

17. *Voces & pluvias*] Hoc appellavit *rem grandem*, nam non pluit in terra illa tempore messis, sed habet pluviam matutinam & serotinam, quarum Scriptura toties meminit. Erat igitur magnum miraculum ut contra naturam tempore messis tunc plueret: Unde qui mente præditi erant iram Dei contra se excitatam advertere poterant.

21. *Post vana*] Intelligit simulacra, quæ nihil sunt, & nullam habent virtutem aut potestatem.

DRUSIUS.

1. *Dixit autem Samuel*] Ubi hoc dixit? In castrísne ante Jabes Galaad, an cùm in Galgal essent, Saule jam confirmato? Priorem sententiam tuetur Tremellius. Vide notas ejus ad hunc locum.

2. *Senui & incanui*] Quomodo incanuit si tantùm vixit annos LII? Utrùm ante maturam ætatem cani ei obvenerunt? Quod innuunt Ebræi cùm dicunt זקנה קפצה עליו *irruit super eum senectus*. Sanè canities incipit in secunda senectute ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Ut hoc intelligas, sciendum tres Senectutes esse, primam, mediam, ultimam. Prima propriè זקנה dicitur ab anno LX usque ad LXX. Secunda est שיבה *canities* ab anno LXX usque ad LXXX. Tertia non habet proprium nomen, sed qui ad eum pervenit ישיש vocatur ἐσχατόγηρων. Dicitur etiam גבורות apud Davidem Psal. 90. quia robustissima corpora optimæque complexionis ad eam perveniunt. Aut igitur Samuel canus fuit ante tempus, aut diutiùs vixit quàm Judæi vulgò credunt. Qua de re vide, si placet, disputationem D. Camii ad h. l. ubi multis probare conatur Samuelem vixisse tantùm annos 52. ¶ *Et filii mei ecce vobiscum*] *Poteritis uti operâ eorum ad quod voletis*, R.D. *Lege in privatorum conditionem devenerunt*, Trem. *Remanebunt pro me obsides ad satisfaciendum si alicui*

alicui debitor sum, Nicolaus à Lira. Sed vide sodes.

3. *Ecce me*] Hieron. *Ecce praestò sum.* Jon. *Ecce dum ego sum vivens*, aut *in vivis*. Lxx Ἰδὲ ἐγὼ *Ecce ego*, ut, *Ecce homo*. ¶ *Coram uncto ejus*] Qui nunc ambulat ante vos, ut ego hactenus ambulavi. *Ambulat* autem *coram populo*, qui ejus res administrat, ut Judices & Reges. ¶ *Bovem cujus accepi*] Ad usum vel opus meum, & *accepi*, i. per vim abstuli invito. Jonathan in priore loco habet דברית *abduxi*; & in posteriore שחרית *tuli*, *abstuli*. ¶ *Oppressi*] Per calumniam, aut fraudavi eum pecuniâ. Quod Scholia Ebraica dicunt בממון. Doctores *oppressi per vim*. Lxx κατεδυνάστευσα, quod reddunt, *oppressi*. ¶ *Quassavi*] In corpore ipsius. Sic dico, עשק ad bona, רצץ ad corpus pertinet. Sic enarrant Scholia Ebraica. Trem. *concussi*. Santes *contrivi*. Sed differunt רצץ & שבר *confringo, contero*. Id liquet ex illo, *Calamum quassatum non confringet*, sive, quod idem, *conteret*. Scholia quae dixi pro se adducunt עשוק ורצוץ *oppressus & quassatus*, sive *concussus*. Veteres Ebraei רצותי ברצון. Sed thema diversum. Nam רצון est à רצה *velle, bene velle*. Vide Camium. Hieron. *si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem*. Lxx ἢ τίνα ἐξεπίεσα *aut quem expressi*. Jon. אנסית *coegi ad aliquid invitum*: unde אנוסים *coacti*. Sic vocant eos Judaeos qui coacti susceperunt ritus Christianos ¶ *Munus*] Ità Hier. & rectè. Nam sign. *munus quod datur ad pervertendum judicium*. Id propriè שחד dicitur. Hic autem est כפר, quod Senes ἐξίλασμα interpretantur, i. *placamen*, aut *propitiationem*. Jon. *pecuniam iniquitatis* ממון דשקר, recentiores *pretium redemptionis*, quod λύτρον dicunt. Id propriè vox Ebraea sign. Sed hîc ità sumitur ut dixi. Sic Amos 5. 12. Hieron. *munus*, Jon. *Mamon*. R. D. שחד *munus ad corrumpendum Judicem*. Vide & Amos 6. & Prov. 6. Lex. vetus, λύτρα, *redimiae*. *Singulare non habet*. Est ubi Jonathan hoc nomen interpretatur קנסא דממונא *poena pecuniaria*. An igitur hoc vult, *Si poenam pecuniariam unquam in meum privatum usum converti?* Non recedo à prima sententia. ¶ *Et abscondi oculos meos in eo*] Quidam *propter illud*, alii *ab eo*. Quid si, *Imò abscondi oculos meos ab illo munere?* Qui vertunt *propter illud* ità enarrant, *ità ut ab injuria cognoscenda muneribus corruptus averterem me*. Durum hoc in oculis meis. Hieron. *& contemnam illud hodie*. Nam qui aliquid contemnit, abscondit oculos suos ab eo. R. S. *ut abscondere[m] oculos meos propter pecuniam*. Jon. *& abscondit oculos meos in judicio ab eo*. Rabbenu Jesaias annotat אעלים hîc positum esse pro העלמתי, h. e. *futurum pro praeterito*. Pater D. Camii aliam adfert expositionem, quam invenies in filii scholiis ad h. l. Puto veram interpretationem esse, *imò abscondi*, &c. Sic apud Davidem ואחלצה *Imò eripui hostes meos sine causa*. Vide libellos de literis משה וכלב. Joseph Kimchi, *Si puderet dicere in facie, abscondebam oculos meos nè contemplarer illud*.

5. *Et dixit*] *Universus Israel*, aut *quisque Israelitarum*. Hieron. *Et dixerunt, Testis*. Sic etiam Jon. ואמרו סהיד, & Lxx καὶ εἶπαν, Μάρτυς. In Massora *Duodecim sunt in libro quae scribuntur* ויאמר, *& leguntur* ET DIXERUNT. (בסי בספרא *in libro*. Vide num legendum sit סבי id est, סבירין *putantur*. In una Veneta reperti סב״י, i. סבירין.) Sensum expressi. Nam ibi est ad v. tantùm, 12 ויאמרו. R. S. *Filia vocis exibat dicebátque, Testis*. *Unus est ex tribus locis in quibus Spiritus S. apparuit in domo judicii inferiore*. Habetur hoc in tractatu Macchoth. R. D. *Omnes Israel simul dixerunt, Testis, ideo dixit* ויאמר *numero sing. Sed Doctores nostri dixerunt vocem egressam quae dixerit* TESTIS. *Dixit eis Deus benedictus, Vos testificamini de eo quod est in aperto, ego testificor de eo quod est in occulto*, &c. Vide nunc Liram.

6. *Qui fecit Mosem & Aharonem*] Sensus est, *qui ornavit & ad dignitatem evexit*. Scholia Ebraica enarrant, *qui magnificavit & docuit*. Sic, *Animas quas fecerat in Haran*, i. instituerat. Sic *facio* sumitur Psal. 95. 6. & Sirach. 47. 10. Rursum Psal. 149. 2. *in factore suo*, qui ipsum auxit & educavit. Job 35. 10. *Deus factor meus*, ad verb. *factores mei*. Jes. 54. 5. *Dominus tuus factor tuus*, ad verb. *Domini tui factores tui*. Marc. 3. 14. *fecit duodecim*, i. constituit: ut, *fecit regem*. Sic Ebr. 3. 2. *fecit ipsum*. Nunc ad interpretes. Lxx ὁ ποιήσας. Hieron. *qui fecit*. Nicolaus, *qui fecit idoneos ad educendum populum ex Ægypto*. Jon. *qui fecit virtutes per Mosen & Aharonem*. R. S. *Qui fecit eos rectos ut fungerentur legatione ad educendum populum ex Ægypto*. R. D. *qui fecit eos ad redemptionem vestram, quorum manu & operâ fecit ascendere patres vestros ex Ægypto; ille erit testis inter me & vos*. Licet etiam exponere, *qui constituit Mosem & Aharonem ut educeret vos ex Ægypto*. Sic *facere regem* pro *constituere*.

7. *Sistite vos*] Hieron. *State*. Lxx κατάστητε. Sym. παράστητε. Jon. אתעתדו *state*. ¶ *Disceptabo vobiscum*] Vel, *judicio contendam*. Ad verb. *judicabor vobiscum*. Sic κρίνεσθαι partium est, non Judicis. Jon. & R. S. אתוכח *redarguar*. Lxx δικάσω ὑμᾶς *judicabo vos*. Sym. διακριθῶ πρὸς ὑμᾶς *judicio contendam adversus vos*. R. D. ero נשפט *disceptans vobiscum coram Domino inter vos & inter Dominum, quoniam ipse fecit cum patribus vestris & vobiscum justitias, & vos fecistis mala*. ¶ *De omnibus justitiis Domini*] Sym. περὶ πασῶν ἐλεημοσυνῶν Κυρίε *de omnibus eleemosynis Domini*. In ed. Rom. *misericordiis Domini*. Sic etiam Hieronymus. *Misericordia* potiùs ἔλεος dicitur, & Ebraicè חסד. Lxx τὴν πᾶσαν δικαιοσύνην Κυρίε *omnem justitiam Domini*, i. benignitatem sive beneficentiam. Jon. *omnia merita*, sive *beneficia, Domini*, זכותא. Matth. 5. *Cavete nè faciatis justitiam vestram*. Lectio varians, *eleemosynam vestram*: quod צדקה saepe sign. Hîc videtur denotare *justa & benigna facta Domini*. Vide Quaest. meas.

8. *Cùm*] Vel *postquam*. Multa hîc desiderantur, quae supplenda ex historia Sacra. Nam non clamarunt cùm Jacob ingressus fuit Ægyptum, sed diu pòst, cùm Rex novus exortus esset qui populum miserè vexaret. Videndus etiam R. D. ad h. l. ¶ *Collocarunt eos in loco isto*] Moses collocavit eos in Regnis Amorrhaeorum trans Jordanem, ubi Jabes. Qui autem ei successit Josua collocavit seu habitare fecit eos in Terra promissa. Videndi sunt ad h. l. Trem. & R. D.

10. *Et dixerunt*] In scriptura est ויאמר *& dixit*, in lectione verò ויאמרו *& dixerunt*; quam expresserunt Jon. Hieron. & Lxx. Fortean est unus ex locis illis 12 de quibus suprà ex Massora. Scriptura *& dixit* refertur ad populum. Scire licet, cùm de populo loquuntur, Ebraeos modò uti numero sing. modò plur.

11. *Jerobaal*] Gedeonem. ¶ *Badan*] בדן *Bedan*. Jon. *Samsonem*. Sic etiam R. D. qui *Bedan* dictum existimat pro *ben Dan, filius Dan*, i. Danita, sicut dicimus *filius Juda* pro *Judaeus*, & *filius Naphthali* pro *Naphthalita*: nam erat ex familia Danitica. Et quanquam secutus sit Jephthem, tamen ei praeponitur, quia major eo erat. Idem sentiunt autor Glossae interlinearis, & Nicolaus de Lira; *Badan est Samson, qui descendit de tribu Dan, ut habetur Jud. 13.* Unus Tremellius exponit de Jaire, qui ex tribu Manasse; quod cum ordine ducum meliùs convenit (vide Jud. 10. 3.) & cum eo quod habetur 1 Par. 7. 17. Lxx καὶ τὸν Βαράκ. Videndus R. S. ad h. l. Vide quoque Scindlerum & 1 Par. 7. 17. *Et filii Ulam, Bedan*, (ubi *filii* nomen de uno usurpatur) *ex nepotibus Machir filii Manasse*. Jud. 10. 3. Jair vocatur *Galaadites*. Quocirca Tremellius non persuadet. ¶ *Et Samuelem*] Debuisset dicere *& me*. Sed ità moris est. Sacrae literae nomen usurpant loco pronominis. Sic, *Uxores Lamech*, pro *meae*. Vide Camium h. l. ¶ *Securè*] בטח pro לבטח. Hieron. *confidenter*. Lxx πεποιθότες *confidentes*. Qui vertunt *tutò* ignorant scelera etiam tuta esse posse.

12. *Rex filiorum Ammon*] Locus iste docet *Ammonitas* & *filios Ammon* unam eandémque gentem esse. Supra dicitur *Nahas Ammonita*. Tamen R. D. scribit gentes diversas esse, *Nusquam*, inquit 2 Par. 20. 1. *vocantur Ammonitae Filii Ammon*; *sed est gens alia*. Tu expende.

14. *Eritis*

14. *Eritis post Dominum Deum vestrum*] *Esse post Dominum* est sequi eum: quod etiam dicunt *ambulare post Dominum*. Hieron. *eritis sequentes Dominum*, &c. Jon. *post cultum Domini*. LXX καὶ ἦτε ὀπίσω Κυρίου πορευόμενοι & *eritis post Dominum ambulantes*.

15. *Ut in patres vestros*] Ad verb. *& in*, &c. Sic Jon. *quemadmodum fuit contra patres vestros*. LXX καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν *& in regem vestrum*. Probarem si esset *& in patrem vestrum*. Nam Rex debet esse populo quod Pater est filio. Quid si *contra patres vestros*, i. Reges vestros? R. D. *in patres vestros, acsi diceret, In Regem vestrum. Nam Rex est populo* (לעם, aliàs *urbi* לעיר) *quod pater est filio. Sic ait, Posuit in patrem Pharaoni*. Doctores autem exposuerunt de iis qui mortui educuntur è sepulcris, quos vocant חטוטי דשכיבו. *Ait Mar, Ob iniquitatem viventium mortui è sepulcris educuntur, acsi diceret, Si rebellaveritis* Domino, *manus ejus erit contra vos & patres vestros qui rebellarunt, quorum corpora educentur è sepulcris ad contemptum*. Videndus quoque R. S. sed & Lira.

16. *Rem magnam hanc*] Ità vocant pluviam in messe, quæ portenti loco habetur, ut cùm apud Thebas Ægyptias pluit. Hieronymus Amos 4. *Nunquam in fine mensis Junii aut in Julio in his provinciis, maximéque in Judæa, pluvias vidimus*. Vide sequentia.

17. *Voces*] Tonitrua. ¶ *Et pluviam*] De pluvia in messe aliquid jam dictum est. Addam nunc ex scholiis Ebraicis. R. D. *Quomodo res magna est pluvia in messe, cùm sæpius accidat ut eo tempore pluat? Pater meus* ὁ μακαρίτης, *In terra Israel, inquit, non descendit pluvia omnino cunctis diebus messis, & hoc est quòd ait Scriptura*, QUI DAT IMBREM VERNUM ET AUTUMNALEM IN TEMPORE SUO. Et aliquantò pòst, *Dicunt etiam* οἱ μακάριοι *Doctores nostri, A 17 mensis Nisan usq; ad 17 mensis Marhesvan, quod est tempus pluviæ. Et quoniam pluvia in messe novitas magna erat apud eos, metuerunt valde, & dixerunt*, ORA PRO SERVIS TUIS AD DOMINUM, NE MORIAMUR. *Quin in verbis Magistrorum legimus, Exeunte Nisan si descendant imbres, signum est maledictionis. Hæc omnia fecit Samuel ut ostenderet eis displicuisse* Domino *quòd fecissent Regem. Et quanquam ipsi credebant Samueli, tamen erant inter eos filii nequam, quorum cor incredulum erat in verbis Samuelis; sicut fecerant cùm Saulem facerent Regem. Dicebant enim*, QUOMODO SERVABIT NOS HIC? *licèt dixisset eis quòd Deo jubente dedisset eum, & vidissent captum esse per Urim ac Thummim, aut per sortem in urnam conjectam, ideo fecit eis signum, ut omnes timerent, nec possent mendacii eum arguere. Sanè dicit*, TUNC TIMUIT OMNIS POPULUS DOMINUM ET SAMUELEM. Hucusque R. D. *Messis triticea*, inquit R. Levi, *erat illic circa festum Hebdomadarum; & ecce tempus illud naturâ calidum & humidum est; etiam revolutio præterita erat juxta naturam frigida & humida*, &c. Vide, si placet.

20. *Vos fecistis*] Chaldæi cod. hìc variant: nam in aliis עבדתון, & in aliis גרמתון *occasionem dedistis*; R. D.

21. *Et non recedatis*] Sub. *à post Dominum*: quod Jon. dixit *à cultu ejus*. Post hæc verba in fonte accentus est qui Athnach vocatur: unde à sequentibus disjungenda sunt. R. D. *Nam si recesseritis ab ipso, & secuti fueritis vana* התוהו, h. e. *idola & simulacra, vel Deos nihili, qui nihil prosunt, nec liberant vos, quia vanitas sunt*, i. *Thohu*. Aliter exponas, *Ne declinate post vanum*, i. idola, *quia nulla in eis utilitas, nec liberant*. Jon. *Non declinabitis à cultu ejus, & non coletis idola, quæ sunt* לבא *nihil, nec est in eis utilitas, nec liberant, quia nihil sunt*. Hinc fortè Apostolus 1 Cor. 8. 4. *Nihil est idolum in mundo*. Sanè LXX hìc habent ὀπίσω τῶν μηδὲν ὄντων *post eos qui nihil sunt*, & mox, ὅτι οὐδέν εἰσι *quia nihil sunt*. Vide Annot. meas in Estheram. Particula כי hìc planè turbat. Quid si, *Ne declinate utique post idola?* vel, *Ne declinate post idola, quia ipsa non prosunt*, &c. ut sint voces transpositæ, ordo autem & constructio quam dixi.

24. *Quæ egit magnificè vobiscum*] Tonando & pluendo tempore messis: aut, *magna beneficia quæ in vos contulit*.

IDEM.

7. וְעַתָּה הִתְיַצְּבוּ וְאִשָּׁפְטָה אִתְּכֶם לִפְנֵי יְהוָה אֵת כָּל צִדְקוֹת יְהוָה אֲשֶׁר עָשָׂה. Sym. Καὶ νῦν παράστητε, ἵνα διακριθῶ πρὸς ὑμᾶς ἔμπροσθεν Κυρίου περὶ πασῶν ἐλεημοσυνῶν Κυρίου ὧν ἐποίησεν, *Et nunc adstate, ut judicio contendam vobiscum coram Domino de omnibus misericordiis Domini quas fecit*] *Misericordiis*, vel *beneficentiis*: quod vox Ebræa nunc significat. Alioqui ἐλεημοσύνη notum vocabulum, quo & Latini utuntur interpretes. Vocant enim certè *eleemosynam* stipem quæ in pauperes confertur.

GROTIUS.

3. Ecce *præstò sum: loquimini de me*] De magistratu abiens, censuræ quam ferre non tenebatur ultro se subjicit, & optimæ conscientiæ fiduciâ accusatores provocat. Pari fiduciâ Pericles de sese, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων.

17. *Numquid non messis tritici est hodie?*] Dies serenus, qualem messores optent. ¶ *Voces*] Aut *sonos* potiùs: unde & *tonandi* vox Latinis. Varro Eumenidibus,

Tibi tympana non inani sonitu matris deûm tonimus. i. *Sonamus*, ait Nonius.

19. *Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem*] Nempe ad demovendum ab imperio Prophetam, eundémque virum innocentissimum.

21. *Quia vana sunt*] De Magicis agi putat Maimonides, quæ περίεργα rectè dicuntur Act. 19. 19. *res nullius profectûs*, Jer. 16. 19. Nam ut non aliud adsit mali, tempus, res tam pretiosa, in illis inutiliter perit.

25. *Et vos & rex vester pariter peribitis*] Occidione, aut captivitate. Utriusque habemus exempla.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

1. PER *annum in regno suo*] Heb. *Filius anni erat Saul in regnando ipsum*, h. e. Cùm hæc fierent, Saul annum unum in Regno exegit; quando scilicet Regnum ejus in Gilgal renovatum fuit. Alii referunt ad innocentiam Saulis, ut sit sensus, *Regnavit ut puer unius anni*. Hebræi enim notam similitudinis frequenter omittunt, quæ apposita lucem reddit orationi.

4. *Fœtidus factus est*] Hebraismus est pro, *Malè audire cœpit Israel apud Palæstinos*, vel *abominabiles facti sunt Israelitæ*, eò quòd Jonathan stationem eorum percussisset.

6. *Metus*] Verbum Ebraicum נגש hìc scribitur in passiva voce cum puncto Smol, & sign. idem quod נדחק *angore concussus est*, & non *appropinquavit*, ut quidam ex nostris perperàm verterunt. Proinde dictionem חוחים K. hic exponit pro מצודות *munitionibus*.

7. *Hebræorum quidam*, &c.] Alii legunt, *Transjordanes*, seu *ulteriores*, *trajecerunt Jordanem*. Jonathan tamen interpretatur *Judæos* citra Jordanem existentes, & hi trajecerunt.

10. *Ut benediceret ei*] h. e. Ut pacem & salutem illi precaretur, & congratularetur adventui ejus.

12. *Cùm mihi vim fecissem*] K. exponit התחזקתי sic, *Patienter aliquandiu exspectavi, & tandem ægre & contra voluntatem meam usurpavi officium quod mihi quidem non congruit: sed sine prævia oblatione & oratione non putavi consultum adoriri hostem*. Et quidem hìc Saul duplici nomine peccavit, quòd non exspectavit per totum septimum diem,

diem, sed manè illotis manibus se sacris ingessit, officium sibi usurpans Sacerdotale. Alii sic interpretantur, *Ausus sum*, vel *invitus, sacrificare holocaustum.*

13. *Usque in æternum*] Heb. *Usque in seculum. Seculum* autem non semper est perpetuum tempus. Nec perpetuo tempore posteritas Saulis poterat præesse Regno, cùm Regnum tribui Jehuda esset promissum, Gen. 49.

17. *Depopulator*] K. exponit, בני החיל הגיבורים *viros militares & fortes, qui cum tribus agminibus venerunt, ut terram Israel devastarent.*

19. *Nec faber inveniebatur*] Cùm tempore senectutis Samuelis Philistim iterum dominium consecuti fuissent super Israel, & stationes suas intra terram Israel collocassent, abduxerunt omnes fabros, nè fiduciâ armorum bellicorum auderent rebellare, adeóque gladiis & lanceis Israelem spoliarunt, ut in sexcentis hominibus bellicosis duo duntaxat invenirentur gladii. Quomodo igitur pugnaverunt homines tam inermes contra tantam hostium multitudinem? Lapidibus & spiculis, h. e. fundis & arcubus.

20. *Fabrilia instrumenta*] Exponit K. מחרשתו per כלי אומנות, quæ sunt *instrumenta artificum, quibus scilicet utuntur ad cædendos lapides & secanda ligna.* Alii intelligunt *sarculum fossorium.*

21. *Retusæ acies*] Heb. *Et facta est coactio orum in vomeribus, ligonibus, tridentibus & securibus, & collocandus fuit stimulus.* Est autem פים plur. à nomine פה, quod tamen frequentiùs sic invenitur פי פיות & פיות. Porrò per *coactionem* intelligitur serratio ipsa aciei, ut quando cultellus ex multo usu in serræ speciem depravatur, opus est ut per fabrum restauretur, & per ignem atque malleum exacuatur. Sic K. exponit. Dicit etiam per *Tridentem* intelligendam *Furcam quâ fimus amovetur:* & per דרבן *stimulum ferreum qui baculo infigitur, quo boves impelluntur.*

23. *Statio Philistim*] Capitur hîc מצב pro נציבים *militibus stationariis,* sicut & suprà diximus per נציבים intelligi שרי החיל *duces militiæ, & qui in præsidiis custodiam tenent regionum.*

VATABLUS.

1. *Quando regnavit,* במלכו] i. Ex quo regnare cœpit, h. e. jam regnaverat uno anno ab inunctione sua. Quidam ex doctioribus Hebræorum sic scribit in hunc locum, *Intercesserat annus unus ab inunctione Saulis usque ad innovationem Regni sui; annus item alter ab ipsa innovatione Regni usque ad delectum horum trium millium virorum.* Chaldæus paraph. *Quasi filius anni, in quo non sunt peccata, Saul quando regnavit.* In eandem sententiam exponit & doctus inter Hebræos, his verbis, *Filius anni, i. innocens ab iniquitate, ut filius lactens.* Prior expositio verior. ¶ *Duobus autem annis,* ושתי שנים] Post quos scilicet privatus est quidem dignitate Regiâ, mansit tamen apud eum administratio reip. pluribus annis.

2. *Et fuerunt,* ויהיו] i. Manserunt: sic mox.

3. *Præsidium,* את נציב] *Stationem.* Alii *præfectum, præsidem.* ¶ *In colle,* בגבע] Sub. *Cariath-jearim,* ubi erat arca Dei. Istud intelligitur ex c. 10. 5. ubi dicitur, *Postea devenies in collem Dei, in quo sunt præsidia Philisthim.* ¶ *Clanxit tuba,* תקע בשופר] Ut scilicet se accingerent ad bellum. ¶ *Audiant,* ישמעו] Nempe præsidium Palæsthinorum esse cæsum à Jonatha, ut v. 4. dicitur. Hoc dicebat ut se accingerent bello.

4. *Quòd diceretur,* לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Fœtuit,* נבאש] *Quòd fœteret, putidus esset,* i. quòd Palæsthini abhorrerent ab Israele tanquam à re malè olente & putida, q. d. Oderant maximè Israelitas.

5. *Et populus,* ועם] *Et reliquum vulgus.* ¶ *Bethaven,* בית און] Sic eam vocat ob idolorum in ea cultum: aliàs dicitur *Beth-el,* quòd ibi Dominus apparuerit ipsi Jaacob.

6. *Angustia esset sibi,* צר לו] *In angustiam essent redacti.* ¶ *Coartatus,* נגש] *Afflictus, constrictus.* ¶ *Et in munitionibus,* ובחוחים] *Et in spinetis.* ¶ *Et in Petris, & in turribus,* ובסלעים ובצרחים] *Et in rupibus, & in locis præruptis.* ¶ *Commoti sunt post eum,* חרדו אחריו] *Trepidaverunt post ipsum,* i. Trepidantes secuti sunt eum, vel, cum magna trepidatione receperunt sese ad illum.

8. *Dispersus est,* ויפץ] *Dilapsus est,* i. recedebat.

10. *Ecce Semuel venit,* והנה שמואל בא] i. Renunciatum est illi, Samuelem adventare.

11. *Quia vidi quòd dispergebatur,* כי ראיתי כי נפץ] Id feci *quia vidi quòd dilaberetur,* vel *dispergeretur.* Alii *Cùm vidi quòd dilaberetur.* Præt. Hebr. pro præt. imperf. vertendum. ¶ *Ad tempus dierum,* למועד הימים] Sub. *constitutorum,* i. ad diem constitutam & præfixam.

12. *Nunc,* עתה] i. Jamjam. ¶ *Non oravi,* לא חליתי] i. Nondum deprecatus sum. ¶ *Roboravi itaque me,* ואתאפק] i. Obfirmavi animum, q. d. Etiam reclamante animo obtuli holocaustum præ timore.

13. *Quia nunc stabilierat,* כי עתה הכין] Quidam per futurum vertunt, *nunc enim confirmaturus,* vel, *stabiliturus erat,* i. longo tempore dignitas illa Regia mansura erat in tua stirpe.

14. *Non stabit,* לא תקום] *Non permanebit:* ¶ *Quæsivit,* בקש] q. d. Privaberis Regiâ dignitate, quòd non feceris quæ præceperat Dominus. ¶ *Ut sit dux,* לנגיד] Chaldæus paraph. *ut sit Rex.*

15. *Surrexit autem Semuel,* ויקם שמואל] i. Accinxit se itineri cum Saule. ¶ *Qui inveniebatur cum eo,* הנמצאים עמו] i. qui cum ipso erat, h. e. qui eum comitatus fuerat.

17. *Vastator,* המשחית] *Prædator,* i. tres turmæ populatorum sive prædonum egressi sunt de exercitu Philisthiim, ut vastarent totam regionem. ¶ *In tribus capitibus,* שלושה ראשים] i. Cum tribus agminibus, vel turmis. ¶ *Respiciebat,* יפנה] *Vertebat sese, vergebat,* i. gradiebatur, aut pergebat per viam, &c. ¶ *Sual,* שועל] Chaldæus paraph. *Meridiei.*

18. *Termini qui respicit,* &c. הגבול הנשקף על גי] i. Regionis quæ imminebat valli. ¶ *Seboim,* הצבועים] i. *Basilicorum, regulorum,* quòd variis tincti sint coloribus.

19. *Dixerant,* אמרו] Sub. *Tollamus omnes fabros ferrarios è regione, nè fortè,* &c.

20. *Vomerem suum,* את מחרשתו] Chaldæus paraph. *stimulum suum,* quo scilicet punguntur boves. Doctus inter Hebræos dicit hanc vocem significare *quodcunque instrumentum aptum ad omnem fabricationem, sive ad omne opus artificis.* Eadem vox in fine hujus versus repetitur, Idem alio loco scribit fuisse *instrumentum quo utebantur & lignarii & lapicidæ artifices.* Et tamen ab חרש deducitur, quod præter alia etiam *arare* sign. Propterea *cultrum aratorium* alii interpretantur. ¶ *Et securim,* ואת קרדומו] *Et bipennem.* Dicunt bipennem tunc temporis fuisse instar cultri latomi. Gallicè, *une besague.*

21. *Erat autem,* והיתה] Sub. *Iis qui nolebant descendere in Palæsthinam.* ¶ *Lima,* הפצירה פים] Ad verb. *multa oribus,* i. instrumentum habens multas incisuras, velut ora, h. e. lima; sic exponit doctus inter Hebræos in dictione פה. ¶ *Vomeribus,* למחרשות] i. Quâ acuebant vomeres. ¶ *Et ad acuendum stimulum,* ולהציב הדרבן] *Et ad collocandum* [i. inserendum in fustem] *aculeum,* stimuli scilicet boum.

22. *Die igitur pugnæ,* והיה ביום מלחמת וגו'] Ad verb. *Et fuit, in die prælii non est inventus gladius,* &c. i. Die pugnæ neque enses habebant neque lanceas universus populus. ¶ *Et tantùm Saul,* &c. ותמצא וגו'] Ad verb. *Et repertus est ipsi Saul & Jonathan filio ejus.*

23. *In transitum,* אל מעבר] i. In eam partem quæ erat inter Michmas & Gabaa Benjamin; h. e. collocaverunt præsidium ultra Michmas. Significat viam sive agrum per quem transeundum est. Gallicè *Au passage de Michmas.*

CASTALIO.

1. **I**Nivit autem Saulus regnum, &c.] Apud Hebræos sic ad verbum legitur, *Natus annum Saulus cùm regnum inivit, & duos annos regnavit:* quod quidem sic interpretantur, *Saulus unum annum Rex fuerat; & cùm duos annos regnavisset*, &c. ut hîc primus numerus ad spatium regnandi nôn ad Sauli ætatem referendus sit. Sed hoc pacto Hebræa verba torquentur, neque sententia satis constat. Non enim diceret *annum agens*, sive *natus annum, in regnando*, pro eo quod est *cùm jam annum regnavisset*; cùm hæc loquendi ratio, *natus tot annos*, nunquam apud Hebræos, sicut nec apud Latinos, dicatur nisi de hominis ætate, à nativitate numerando. Deinde non diceret *Natus annum*, sed *natus unum annum*. Solent enim Hebræi numerum exprimere, etiam cùm de uno loquuntur. Præterea supplenda essent nonnulla, id quod locum reddit suspectum. Solet autem in his libris Regum ætas & regnandi tempus initio narrationis rerum ab eis gestarum poni: ut l. 2 c. 2. ubi sic scriptum exstat, *Natus erat annos quadraginta Isbosethus Sauli filius cùm regnum in Israelitas iniit; duos annos regnavit:* quod idem fit in aliis Regibus. Itaque arbitror hoc in loco scriptum fuisse quot annos natus Saulus Regnum inicerit, quótque annos regnaverit; sed locum esse mutilatum. Neque enim duos tantùm annos regnavit, sed quadraginta, ut habetur Act. 13. & apud Josephum in fine libri sexti, ubi dicitur Saulus *regnasse vivente Samuele annos octodecim, mortuo autem duos & viginti.*

CLARIUS.

1. **F**Ilius unius anni] Ob innocentiam videlicet, ut quidam volunt, ac mentem ab omni malitia immunem. Quanquam rectius erit si sic interpretere, *Cùm hæc fierent Saul annum unum in regno exegit*, quando scilicet Regnum ejus in Galgalis renovatum fuit. ¶ *Duobus autem annis regnavit*] Cùm legatur in Actis Apost. c. 13. *Dedit eis Deus Saul filium Cis, virum ex tribu Benjamin, annis quadraginta*, hunc locum quidam sic intelligunt, Quòd duobus annis regnaverit in ea humilitate, ac sine regia pompa; quibus transactis cœpit deligere exercitum, parare milites, & præsidio se tueri. Alii intelligunt de legitimo Regno, scilicet antequam abjeceretur à Deo, & David in ejus locum inungeretur.

3. *Quod cùm audissent*] Apertius erit si sic legas, *Audierúntque id Philisthæi, & Saul clanxit tubâ*, &c.

13. *In sempiternum*] Vel, *usque in seculum. Seculum* autem non semper est *perpetuum tempus*, nec perpetuo tempore posteritas Saulis poterat præesse Regno, cùm Regnum tribui Juda esset promissum, Gen. 49. 10.

19. *Faber ferrarius*] Cùm tempore senectutis Samuelis Philisthæi iterum dominium consecuti fuissent super Israel, & stationes suas intra terram Israel collocassent, abduxerunt omnes fabros, nè fiduciâ armorum bellicorum auderent rebellare; adeóque gladiis & lanceis Israelem spoliarunt ut in sexcentis hominibus bellicosis duo duntaxat invenirentur gladii. Quomodo igitur pugnaverunt homines tam inermes contra tantam hostium multitudinem? Lapidibus & spiculis, h. e. fundis & arcubus.

21. *Fabrilia instrumenta*] Instrumenta artificum, quibus scilicet utuntur ad cædendos lapides & secanda ligna.

DRUSIUS.

1. **F**Ilius anni] Non dicit *filius anni sui.* i. שנתו, sed *filius anni.* Hieron. *filius anni unius.* In scholio quod apud Theodoretum, quæst. 28. υἱὸς ἐνιαυτοῦ *filius anni.* Sym. υἱὸς ἐνιαυσιαῖος *filius unius anni.* Lex. vet. Ἐνιαυσιαῖον *annale.* Ἐνιαυσιαῖος *annotinus.* Ἐνιαυσιαῖος *annuus, anniversarius, anniculus.* Sunt hæc duo synonyma. Nam ἐνιαυσιαῖος *annuus.* Ἐνιαύσιος φυγὴ *fuga unius anni,* & ἐνιαύσιος τροφὴ *alimentum unius anni.* Sic υἱὸς ἐνιαύσιος. Aliud scholium, υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν *filius triginta annorum* בן ל שנה quod in nullis cod. Ebræis exstat. Jon. *Ut filius anni in quo non sunt peccata, sic erat Saul cùm regnaret.* Sanè nota similitudinis hoc modo sæpe desideratur. *Catulus leonis Juda*, i. *ut catulus. Eram ei* אמון *ut alumnus.* Sic,

Nec excitatur classico miles gravi.

Santes *Veluti filius anni erat innocens.* Doctores Ebræi, referente Jario, *non gustavit gustum peccati*, q. d. Erat sine peccato ut filius unius anni. *Gustare peccatum* ut *gustare mortem*; hoc Mori, illud Peccare significat. Fortè sensus, *Filius anni fuerat Saul in regnare*, i. Regno suo, *cùm eligeret sibi tria millia virorum ex Israel.* Sic R. S. *Anno primo quo Rex factus fuerat, & ipse regnavit duobus annis super Israel, anno, inquam, primo regni statim elegit sibi* MMM *viros.* Paulò aliter R. D. *Tunc cùm essent ea quæ locutus est Samuel de innovatione regni, annus erat ei ab initio quo regnare cœperat, & duobus annis postea regnavit: aut in universum regnavit duntaxat duos annos, secundùm verba authoris Seder Olam.* Et ampliùs in Dras. *Cùm regnaret condonatæ fuerunt ei iniquitates ejus usque ad illum diem, & dixerunt, Tribus condonatæ sunt iniquitates eorum,* חתן *sponso* aut *genero, sapienti, & Principi. Principi unde? Scriptum,* [*Filius anni Saul cùm regnaret ipse.*] *Et quomodo filius anni erat? Ut infans filius diei sui purus est ab iniquitate, sic Saul purus erat ab iniquitatibus suis, quo die regnavit.* R. Jesaias, *Anno primo quo regnavit elegit sibi tria millia virorum ex Israel.* R. Levi scribit *annum intercessisse inter primam unctionem Saulis & innovationem Regni quæ facta in Galgal: deinde cùm duos annos regnasset, elegit sibi tria millia virorum*, &c. Vide nunc Trem. & Liram. ¶ *Duobus annis regnavit*] Legitimè, antequam à Deo rejectus esset. Aut, *regnaverat duobus annis cùm sibi eligeret millia virorum tria ex Israel.* Vide illos quos modò nominavi. *Filius anni in regno*, qui annum unum regnavit. Nam simul cum Regno quasi genitus fuit de novo. Sic Deus ait apud Davidem, *Filius meus tu es; ego hodie genui te*, h. e. inquit R. D. *quo die inungebatur in Regem. Nam tunc quasi genitus fuit ad Regnum.* Scio alios de æterna Christi generatione locum illum enarrare: quod ut valde probo, sic aliam interpretationem non planè rejicio. ¶ *Super Israel*] Usque dum unctus fuit David. Nam tunc excidit Regno. Sic est profectò, si regnavit, non regnavit legitimè & absque חנא, ut loquitur Jesaias Ebræus; quem vide, si placet. Vide quoque Trem. & Liram.

2. *Elegit sibi Saul*, &c.] Dum adhuc esset in Galgal, ubi erat universus Israel propter innovationem Regni. Alii putant hæc accidisse duobus annis pôst. ¶ *Duo millia erant cum eo in Machmas, & mille cum Jonathane*] Hier. *cum Jonatha. Jonathan, Jonatha*, ut *Mariam, Maria.* LXX μετὰ Ἰωνάθαν. Id sonat *Dominus dedit*, quod olim legebant Ἰαὼ νάθαν. Sic *Josaphat*, Ἰαὼ ἔκρινε, *Dominus judicavit.* Latinè *Deus dedit.* Nomen est proprium viri. In Massora, *A capite libri hujus usque ad* ANIMA JEHONATHAN *legitur* JONATHAN, *exceptis duobus; quorum unum est*, DIXIT JEHONATHAN AD PUERUM, *alterum*, ET DIXIT JEHONATHAN, ECCE, *& ab* ANIMA JEHONATHAN *usq; ad finem libri hujus esse* JEHONATHAN. Notavit R. D. Qui ex hac scriptura argumentum petunt pro lectione nominis *Jehova*, helleboro purgandi sunt. Nam antiqui dicebant Ἰαὼ, unde Ἰαὼ νάθαν, id contraxerunt in *Jo*, unde *Jonathan.* JEHOVA inauditum nomen veteribus. Aut Ἰαὼ est pro Ἰαβὼ, ut δῖος pro *Divus*, & Δᾶος pro *Davus.* ¶ *In Gaba Benjamin*] Vel *in Gabaath Benjamin.* Absolutum est *Gabaa*, constructum *Gabaath.* LXX ἐν Γαβαὰ Βενιαμίν. Jon. *In Gabatha domûs Benjamin. Domus Benjamin*, ut *domus Jacob, domus Israel, domus Aharon.* ¶ *In tentoria sua*] Hieron. *in tabernacula sua. Tabernaculum* משכן dicitur, & Græcè σκηνὴ, aut σκήνωμα. אוהל magis est *tentorium.* Habitabant autem veteres in tentoriis, unde *tentorium* pro *domo* usurpatur; ut possis vertere *in domos suas.* Jon. *in urbes suas.*

3. *Percussit*]

3. *Percussit*] *Occidit*, ἐπάταξεν. ¶ *Stationem*] Lxx τὸν Νασὶβ ἀλλόφυλον *ipsum Nasib alienigenam.* His interpretibus *Nasib* est nomen proprium viri. Scholion ex Aq. τὸ ὑπόστημα. Theodoretus quæst. 19. τὸ ὑπόστημα τῶν ἀλλοφύλων, & addit, *Alienigenæ cùm vicissent Ebræos, in munitioribus locis collocarunt præsidia.* ὑπόστημα igitur vocavit *præsidium* hujusmodi. Jon. אסטרטיגי פלשתאי τοὺς ςρατηγὺς τῶν φυλιςαίων. *Præfectos quos imposuerant eis Philisthæi ad exigendum tributum. Nam serviebant eis.* R. Jesaias ad h. l. R. S. סרדיוט *Sardioth ipsorum, qui erat constitutus super Israel.* Est autem *Sardioth* Princeps constitutus ad faciendum judicium, h. e. ad jus reddendum in urbe. Quales erant Procuratores & Præsides Judææ tempore Christi. In Aboth exponitur, *qui idiotis jus dicit.* Hujus & suprà meminimus. ¶ *In Gaba*] Vel *Gabe*, vel certè *Geba*, גבע *Gabe*, ut תרח *Thare*. Hier. *in Gabaa* בגבעה. Lxx τῷ ἐν τῷ βουνῷ *in colle.* Jon. *qui in Gabatha.* Videtur in mente habuisse Gabatha domûs Benjamin. Sic R. S. *quem collocaverant in Gabaa Benjamin.* Antea dixit *mille viros cum Jonatha fuisse in Gabaa Benjamin.* Quomodo ista cohærent? An dicemus mille illos veros fuisse *ad Gabaa*, in qua postea, cùm eam cepissent, occiderunt Præfectum ejus, aut stationem quæ ibi erat? Hoc modo Josue legitur fuisse *in Gabaon* cùm ea adhuc obsideretur à gentibus terræ Chanaan. R. D. observat ex libro Josuæ *Gaba* & *Gabaa* duo diversa loca fuisse: quod ampliùs exquirendum. Jos. 18. 24. inter urbes Benjaminiticas memoratur גבע, & pòst v. 28. גבעת *Gabaath*, quæ si eadem erat cum *Gabaa*, tunc bona est illa observatio. Ego scio nonnullos distinguere, in queis Marcus Marinus, qui גבע eandem facit cum גבעה *Gabaa*, 1 Reg. 15. 22. memoratur *Gaba Benjamin* גבע בנימין, quam Asa Rex exstruxerat ex ruderibus urbis Rama. ¶ *Clanxit buccinâ*] Non ipse clanxit, sed per alios id fecit, quibus hoc in mandatis dedit ut per omnes urbes clangerent. Nam ipse non est egressus Galgalam. Sic Salomo Rex *ædificavit Templum*, quia curavit hoc fieri, sumptúsq; in eam rem suppeditavit. Nam quod quis jubet fieri, hoc ipse *facere* dicitur. ¶ *Audiant Ebræi*] Ut sibi caveant à Philisthæis, & arma sumant contra eos. Jon. *Audiant Judæi.* Nomen *Ebræorum* latiùs patet: tamen posterior ætas *Judæos* dixit, quos antiqui *Ebræos*. Appellatio ab *Ebero* patriacha, non ab *Eber* quod *trans* sign. Dices, multi ab Ebero descenderunt qui tamen non vocantur *Ebræi*. Fateor ità esse; sed nomen generale restrinxerunt ad certam speciem. Sic *viventes* & *creaturæ* vocantur Homines quandoque. Sic nomen *caro* latissimè patet, & tamen aliquando restringitur ad Hominem. Sic sanè *Ebræi* hoc loco sunt Israelitæ, qui ex Ebero per Israelem descenderunt. Lxx οἱ δοῦλοι error est legentium Daleth pro Res. Nam *servi* עבדים. Aq. Ἀκουσάτωσαν οἱ Ἑβραῖοι *Audiant Hebræi.* Sic etiam Hieronymus. Contrà c. 17. lectum עברי שאול *Ebræi Saulis* pro עבדי *servi Saulis.* Sæpe peccatum hoc modo in his literis propter cognationem & affinitatem earum. Sym. οἱ ἐν τῷ πέραν *qui trans fluvium.* Nam *Ebræus* q. περάτης. Diximus ea de re notis in Genesin.

4. *Percussit Saul*] Non Saul, sed Jonathan jussu Saulis. Sic quod facit dux exercitûs Regis, ipse Rex facere dicitur. Aut putabant à Saule hoc factum. Sic qui vulgò putabatur esse pater Jesu, vocatur *pater ejus.* Sic idola *Dii* vocantur ex opinione vulgi: nam Dii non sunt revera: imò nihil sunt. *Idolum* enim *nihil est in mundo.* ¶ *Fœtet Israel in Philisthæis*] *Fœtet odor eorum*, h. e. invisi & exosi sunt eis. R. S. *abominabilis est.* R. D. נבאש *abominabilis est Israel*, ad verbum. Nam homo abominatur rem quæ fœtida est. Lxx ᾐσχύνθησαν *pudore affecti sunt, puduit eos.* Libri antiqui ἐξουδένωσαν, vel, si mavis, ἐξουδένωσεν, *nihil fecit Israel Philisthæis.* Hieron. *erexit se Israel adversus Philisthiim.* Jon. אתגרי *concitatus est Israel in Philisthæos.* ¶ *Congregati sunt populus*] ויצעקו *acciti per clamorem*, quod Jonathan interpretatur *congregati sunt.* Hieron. *clamavit* צעק. Lxx ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ, *ascenderunt*, nisi legendum ἀνεβόησεν ὁ λαὸς, quod in quibusdam libris. Ed. Compl. ἀνέβη ὁ λαὸς *ascendit populus.* Mendum est pro ἀνεβόησε *clamavit.* Hic tamen aliud significat.

5. *Triginta millia curruum*] i. Hominum qui è curribus pugnabant. Vide Liram. Aut. *curruum* propriè. Nam gens erat potens, & curribus valebant, ut Ægyptii. ¶ *Juxta littus maris*] Ad verb. *super labium maris.* *Super* pro *juxta*, & *labium* pro *littore.* Sign. etiam *ripam fluminis.* Arena in littore maris innumerabilis est, unde Poeta,

Numeroque carentis arenæ.

Hyperbola. ¶ *Bethaven*] In Græcis est Βαιθωρών. Tu emenda Βαιθὼν *Bethon*: nam sic ἀρχαϊκῶς legebant pro *Bethaven.* Ed. Compl. Βαιθ-αβὲν *Bathaben.* *Bethhoron* Ebraicè בית חורון, quod Græcè Βαιθωρὼν 1 Mach. 3. 16. & 7. 39. & 9. 50. & Βεθωρὸν apud Josephum l. 13. c. 1. Βεθωρὸν 12. 17. *Bethoron* habet Rufinus. Duæ fuerunt urbes hoc nomine in tribu Ephraim. Vide 2 Par. 8. & Jos. 10. Cæterùm Hos. 4. 15. בית און. Lxx οἶκον Ὤν. Jos. 18. 12. *Bethavin*, Lxx Βαιθὰν, aliàs Βαιθαὺν. Vicina erat ei quæ *Bethel* dicitur, quæ etiam post cultum Vitulorum illic institutum aliquando *Bethaven* dicitur à Prophetis. Hæc emendatio tam certa quàm quæ ad Sagram. *Bethon* ab Aq. & Sym. redditur οἶκος ἀνωφελὴς, à Theodotione οἶκος τῆς ἀδικίας *domus iniquitatis.*

6. *Vir Israel viderunt*] Nam איש nomen est collectivum. *Synthesin* appellant, cùm verbo plurali nomen jungitur sing. numeri, sed per multitudinem significans, ut עם *populus*; & in Latio *pars.* Virgilius,

Pars in frusta secant.

Et *turba.* Livius, *turba circumfusa fremebant.* Sequitur in hoc loco, *quòd angustia esset* לו *sibi.* Nam hujusmodi nomina etiam singulari junguntur. Sic *dixit populus*, & *dixerunt populus.* In hoc ipso versu *coartatus est populus*, & יתחבאו *absconderunt se populus.* ¶ *Afflictus*] נגש hoc loco exponunt נדחק *afflictus, pressus, artatus.* Sic etiam Jonathan. ¶ *In munitionibus*] בחוחים *in munitionibus*, aut *locis munitis*, quæ מצודות vocantur, & Chaldaicè מצדתא: ità Jon. & R. D. Sed R. S. *in congerie spinarum.* Nam *spina* חוח dicitur, unde חוחים *spinæ.* Hieron. *in abditis.* Lxx ἐν ταῖς μάνδραις, quod transferunt *in abditis*: malim *in septis.* Lex. vet. Μάνδρα, *hic septus.* Μάνδραι θρεμμάτων, *caula, singulare non habet.* Μάνδρα αἰγῶν, *caprile.* Trem. *in spinetis.* ¶ *In petris*] Ἐν ταῖς πέτραις Jon. בשקיפי כיפיא *in foraminibus*, aut *fissuris, petrarum.* Nam שקיף *foramen*, i. חור. Munsterus idem esse putat cùm נקיקין, sed discrimen est: nam alia sunt imbre cavata, alia sponte vel à bestiis facta. Vide Aruch Jud. 15. 8. שקיף כיף. In Ebræo סעיף *dens, scopulus.* A *Cheph* est *Cephas*, asperâ in tenuem versâ. ¶ *In locis altis*] בצריחים R. D. exponit *in locis altis.* Sic, *venit* בצריח *in locum editum.* Nam ibi tuti erant ab iis qui sunt in loco inferiore. Hieron. *in antris.* Santes *in turribus.* Lxx ἐν τοῖς βόθροις *in foveis.* Jon. *in speluncis saxi*, vel *petræ.* Trem. *in arcibus.* Senes hoc nomen alibi reddunt ὀχύρωμα *munitionem*, ut Jud. 9. 46. & 49. Vide Notas meas.

7. *Ebræi transierunt*] Aut *trajecerunt*, & aliqui, non omnes. Sensus ut si diceret *ex Ebræis quidam.* Modò diximus per *Ebræos* denotari Israelitas, aut ut Jonathan, *Judæos*: nam sic eos appellat posterior ætas. Lxx οἱ διαβαίνοντες *transitores.* Sic Abraham Ebræus à Græcis redditur περάτης *transitor*, sive *trajector.* Vide nunc Rom. ed. Lat. Israelitarum alii occultarunt se in locis nominatis, alii trajecerunt Jordanem, alii *trepidarunt post Saulem*, i. trepidi confugerunt ad eum. ¶ *In terram Gad & Galaad*] Cur omittit terram Ruben? An quia procul aberat à Jordane? *Fortè*, inquit R. D. *Gaditæ & Galaaditæ vicini erant fluvio Jordanis.* ¶ *Trepidarunt post eum*] Ergò etiam Saul trepidavit. חרדו Scholia Ebraica enarrant התנועעו *moverunt sese.* Hieron. *populus perterritus est qui sequebatur eum.* Jon. *congregati fuerunt post eum.* Lxx ἐξέστη ὀπίσω αὐτοῦ *expavit post eum.* Trem. *trepidi accurrebant ad eum.* Sic, *trepidarunt Seniores urbis in occursum ejus*, 1 Sam. 16. 4. ubi trepidationem sign. sine metu. Vide Ohel in נוע. Sign. propriè

motum cum metu. Quanquam R. D. tantùm significare ait motum עניין התנועה. Vide illum Hos. 11. 10. Vide notas ad Dict. Ebraicum.

8. *Et exspectavit*] In scriptura est וייחל, & in lectione ויוחל, quod est futurum Hiphil à יחל. Vide Camium. ¶ *Ad tempus statutum quod Samuel*] Sub. *dixerat*: ità Jon. nec aliter Scholia Ebraica. Hieron. *juxta placitum Samuelis*, Aliàs *juxta pactum*. Vult dicere, *ut pepigerat cum eo Samuel.* Lxx τῷ μαρτυρίῳ ὡς εἶπε Σαμουήλ, *testimonio ut dixerat Samuel.* Confundunt מועד cum עד *testimonium.* Quanquam nomine *testimonii* significari hic putant statutum tempus & constitutionem quandam. Vide Rom. ed. Lat. Aquila καὶ περιέμεινεν (Sym. ἐπέμεινεν) ἑπτὰ ἡμέρας εἰς συνταγὴν τοῦ Σαμουήλ, *& exspectavit septem dies ad constitutionem Samuelis.* Sic etiam Symmachus. His interpretibus אשר שמואל valet *Samuelis*: & ità nihil subintelligendum. Trem. *secundùm illud tempus quo exspectaturus erat Samuel.* Vide Solomonem.

9. *Obtulit holocaustum*] Non erat Sacerdos, h. e. ut Ebræi loquuntur, erat זר *extraneus.* Poteratne igitur offerre holocaustum? Poterat in altari privato. Nam & Samuel holocausta obtulit, qui tamen non erat Sacerdos sed Levita tantùm. Qua in re igitur peccavit? Quia non exspectavit tempus à Samuele constitutum: quod in sequentibus ampliùs declarabitur. Quidam existimant eum obtulisse per Sacerdotem. Vide Trem. sed & D. Camium h. l.

10. *Ut salutaret eum*] Ad verb. *Ut benediceret ei. Benedicere* igitur hîc valet Salutare. Nam salutantes dicebant, *Benedicat tibi Dominus.* Jonathan certè *ad interrogandum de pace ipsius.* Scholi. Camii *ad dandum ei pacem.* Hieron. h. l. *ut salutaret eum.* Lxx εὐλογῆσαι αὐτὸν *ut benediceret ei.* Hoc sensu accipies Gen. 47. 7. *benedixit Jacob Pharaoni*, i. salutavit eum. Elisæus ad Giezi puerum suum, *Si quem conveneris in via, nè benedixeris ei*, i. interprete Tertulliano, nè salutaveris eum. Et mox, *Si quis te benedixerit, nè responderis ei*, i. nè salutaveris eum. *Quæ est enim inter vias benedictio nisi ex occursu mutua salutatio?* ait idem l. 4. adv. Marc. p. 258. Prov. 27. 14. *Qui benedicit socio suo.* Mercerus, *Qui salutat eum. Significat bene precari advenienti & discedenti, cùm ei Vale dicimus.* Vide Tropos, & Gen. 47. 10. Cæterùm formula benedicendi habetur Psal. 129. 8. *Benedictio Domini super vos, Benedicimus vobis in nomine Domini*, i. bene precamur.

11. *Quid fecisti?*] Propheta erat Samuel, itaque à Spiritu hoc dicit, aut aliquis è populo ei indicavit. ¶ *Ad tempus statutum dierum*] למועד ימים *in tempore statuto dierum septem.* Hieron. *ad placitos dies.* Fortè legendum *ad pactos dies*: nam suprà *juxta pactum Samuelis*, ubi alii cod. habent *juxta placitum.* Lxx ὡς διέταξε ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῶν ἡμερῶν, *sicut constitueras in testimonio dierum.* Jon. *ad tempus*, sive *in tempore, dierum.* R. S. *in principio diei*, septimi videlicet. Trem. *constituto tempore dierum.*

12. *Faciem Domini non deprecatus sum*] Hieron. *Non placavi.* Jon. *Coram Domino non precatus sum.* Nam, teste Camio, per holocausta precabantur ut plurimùm. Lxx τοῦ προσώπου τοῦ Κυρίου οὐκ ἐδεήθην. ¶ *Obfirmavi me*] Trem. *continui me.* Hieron. *necessitate compulsus.* Lxx ἐνεκρατευσάμην, quod reddunt *vim feci.* Jon. *roboravi me.* R. D. *invitus feci ut offerrem holocaustum. Hoc enim sign. Transivi voluntatem meam & præceptum tuum. Omne* התאפק, inquit, *sign. Obfirmationem cordis sui ad transgrediendum voluntatem suam.* Sic etiam R. S. *Obfirmavi me contra voluntatem meam. Nam cor meum dicebat ut exspectarem te, invitus stare feci cor meum, & obtuli*, &c.

13. *Stultè egisti*] Non offerendo holocaustum, (quod eo tempore licitum erat in ara privata) sed non exspectando tempus tibi præstitutum. Sed vide Liram h. l. Nam putat etiam in eo peccasse quòd officium sibi non licitum usurpavit: in quo dissentit à Doctoribus Ebræis; nè dicam quòd possit exponi, *obtulit per sacerdotem*: nam tabium facultas ei non deerat. ¶ *Firmaverat*] Lxx ἡτοίμασε, quod reddi debet *paraverat*, non *paravit*; vel vel certè *firmasset, paravisset*, si videlicet hanc stultitiam non commisisses. Præt. enim Ebræorum etiam plusquam perf. comprehendit. Sic, *Perfecit opus suum die septimo.* Non *perfecit* eo die, (nam perfectio operis est opus) sed *perfecerat.* Quod si scivissent Senes non mutassent diem *septimum* in *sextum.*

14. *Quæsivit Dominus sibi virum secundum cor suum*] Spiritus propheticus hoc ipsi aperuerat; nondum tamen sciebat quisnam ille esset.

15. *Surrexit Samuel*] Et unà cum eo Saul; qui cùm esset in Gaba Benjamin (si vera sunt quæ R. D. hîc annotat, *Gaba* & *Gabaa* synonyma sunt) recensuit populum, nec reperit plures quàm sexcentos. ¶ *Inventis*] *Qui erant.* הנמצאים pro הנמצאים, & *inveniri* pro *esse.* Vide Tropos. Sic Esth. 1. & mox, *populus qui repertus fuit cum eis.* Hîc notabis עם נמצא & עם נמצאים, *populus inventus*, & *inventi.*

16. *Sedebant*] *Manebant.* ¶ *In Gaba Benjamin*] נבע. Hieron. *in Gabaa Benjamin.* Lxx ἐκάθισαν ἐν Γαβαὰ Βενιαμίν Jon. *in Gabatha domûs Benjamin.*

17. *Corruptor*] *Depopulator, miles qui excursione factâ cuncta vastat ac perdit.* Ebr. משחית *corrumpens.* Lxx διαφθείρων. Jon. מחבלא. Hieron. *ad prædandum.* Alias, *ad præliandum.* Lectio alia *ad corrumpendum.* ¶ *Ophra*] Hieron. *Ephra.* Lxx Γοφερά. In textu Liræ *viam Ephraim*, Nomen minùs notum commutatum cum notiore. Simile mendum in *Bethhoron* pro *Beth-on.* ¶ *Ad terram Salu*] Inversis literis est *Saul* apud Liram, i. שאול. Nulla talis terra, quod sciam. In *Salu* etiam Ain est, שועל, quod *vulpem* sonat. Jonathan autem vertit *in terram Australem* דרומא. Sic alibi *terram Sualim*, i. *vulpium*, interpretatur *terram Australem.* Quærenda causa hujus interpretationis. Lxx ἐπὶ γῆν Σωγάλ, *Soal, Sogal*, ut *Amorra, Gomorra*; *Reuel, Ragnel*; *Aza, Gaza.*

18. *Bethhoron*] Vel *Bethchoron.* Nam est *H*, Heth in scriptura Ebraica. Hoc nomen suprà legitur pro *Bethon*, quod scribunt βαιθών *Baithon*, & est *Baith* nomen dissyllabum. Quocirca malè scribunt *Beth* cum diphthongo. Sic *Michaias* malè scribitur *Michæas*: nam consuetudo Ebræa hîc spectanda, non Græca. Senes hîc habent Βαιθωρών, quod ex hac observatione scribes *Baithhoron.* Sic *Aingaddi*, & *Ainrogel*; quod & *Engaddi*, & *Enrogel.* Sic *Beth-horon.* Nam forma constructa est בית absoluta *Baith.* ¶ *Vallem Seboim*] גי צבעים. Hieron. *imminentis valli Seboim.* Lxx ἐπὶ Γαὶ τὴν Σαβίμ, גי Γαὶ ut עין Ἀίν. Sic עי Γαί. Sed discrimen est. Nam Ἀὶν est dissyllabum, Γαὶ monosyllabum: nam in עי Mapphic Jod. Sic in Γαὶ Sym. τῆς ὑπερκειμένης κατὰ τὴν φάραγγα τὴν Σεβωίμ, *imminentis valli Seboim.* Th. τῆς ἐπιβλέποντος ἐν τῇ κοιλάδι τῆς Δορκάδων, *prospicientis in vallem Caprearum.* Confundit צבאים cum צבעים. Alius interpres τῆς ἐκκύπτοντος τὴν φάραγγα τῆς Ὑαινῶν, *prospicientis in convallem Hyænarum.* Theodoretus quæst. 29. scribit Aquilam edidisse γῆν τῆς ἐν τῇ κοιλάδι τῆς Δορκάδων. Valde dubito. Jon. *quæ respicit*, aut *prospectat, vallem* אפעיא *Aspidum.* In monumentis Doctorem dicunt צבוע esse אפה *aspidem*, idem videlicet quod אפעה. Nam moris est sic abscondere literas gutturales. Vocatur autem *aspis* צבוע, quia constat ex variis coloribus. Sunt igitur hæc tria synonyma, אפה & אפעה & צבוע. Munsterus *draconem* & *basiliscum* interpretatur.

19. *Faber non inveniebatur in omni terra Israel*] Nam Philisthæi, quorum sub jugo erant, ademerant eis tales fabros, nè gladium aut lanceam fabricarent. Videndus R. D. ad h. l. Hieron. *faber ferrarius.* Lxx τέκτων σιδήρου quod Ebræi dicerent חרש ברזל. Jon. *artifex faciens arma.* Nomen generale restringitur ad certam speciem. Nam sunt quidam *fabri lignorum*, & *lapidum*; de quibus aliás. *Fabri lapidum.* λιθοτόμοι. ¶ *Dixerant Philisthæi*] Sic est in lectione. In scriptura verò est *Dixit*, & est sensus, *quisque Philisthæorum.* Sic, *Bestia clamat, Mulieres ædificat, filia incedit*, i. unaquæque filiarum, &c.

20. *Ad*

20. *Ad Philisthæos*] *Ad terram Philisthæorum.* Sic Jon. & Scholia Ebraica. ¶ *Vomerem suum*] Lxx τὸ θέριστρον αὐτοῦ, quod alii θεριστήριον *messorium* & *falcem* interpretantur. R. D. ait esse *instrumentum ferreum quo aratur.* Nam in Ebræo מחרשתו quasi *aratrum suum.* Jon. פרשיה. Idem *stimulum bovis*, i. מלמד, interpretatur פרשא. Vide Camium. R. S. ש"וק vernaculè. Vide Dict. Ebraicum. ¶ *Et ligonem suum*] אתו. Lxx τὸ σκεῦος αὐτοῦ. Hieron. ligonum. R. D. *instrumentum fodiendi.* R. S. קול"טרא vernaculè, i. *vomis* aut *vomer*, *coultre.* R. D. alibi מרה exponit. Italicè *Marra* est *vomer.* Sed המרא *ligo.* שחופרים בו vocatur את. Idem Mich. 4. Latinè *Marra* est *ferreum instrumentum excidendis herbis inutilibus comparatum.* Hispanicè & Italicè similiter *Marra* vocatur. μάῤῥον Græcis est *instrumentum ferreum.* המרה etiam *bilis*; unde המרה השחורה *bilis atra*, è qua obiit Saadias Ebræus. Cabbala historica fol. 25. col. 2. מרה אדומה *flava bilis.* Abenezra Exod. 23. 23. Jon. סיכת פדניה. Est autem סיכא *paxillus*, aut *clavus*, qui & סכתא. Deut. 23. 14. in Onc. & Jon. R. D. exponit יתד השוורים *clavum boum.* *Et erat*, inquit, *clavus ferreus. Fortè paxillum habebant qui intrabat jugum ut jungeret duos boves.* Nam פדנא דתורי *est Jugum* sive *Par boum.* Ebraicè צמד בקר. *Mentio hujus & in Thalmud. Hoc instrumentum acui debebat in uno capite. Cæterùm audivi vomerem* מחרשה *in lingua Israelitica* סכא *vocari.* Hucusque R. D. quem te adire cupio. ¶ *Securim suam*] קרדומו instrumentum est quo scindunt ligna. In textu Jonathæ כלוביה, sed in Camianis כולביה *securim suam.* Græcè ἀξίνη. Sic Psal. 73. כולביא *secures.* Quidam exponunt צבת *forcipem*, quæ Arabicè כולאב, ait R. D. qui etiam citat ex Bresith rabba כולבחד. Sunt qui legant כלביה per Chaph in fine, & ità referunt quædam exemplaria. Vide Camium. ¶ *Sarculum suum*] Hîc est מַחֲרַשְׁתּוֹ. Suprà erat מַחֲרַשְׁתּוֹ quod vertimus *vomerem suum.* Utrumque à חרש *aravit.* Hieron. *sarculum.* Trem. *rutrum suum*, quo quid eruitur. A *ruto rutrum*, ut ab *arato aratrum.* Græci σκαφεῖον dicunt. Lxx τὸ δρέπανον αὐτοῦ *falcem suam.* Eam priùs θέριστρον dixerunt. Arias *fossorium.* R. S. פושו"ירא בלעז *Posamera.* R. D. ait esse *instrumentum artificis*, quod ità dictum ex חרש עצים *faber lignorum*, & חרש אבן *faber lapidum.* Jon. עושפיה. Videtur esse instrumentum quo arant, & porcas sulcósque ducunt in terra. Nomen habet ab acutæ aciei securis similitudine. Nam קרדום *bipennis* duas habet acies, una lata, & altera acuta. Illam in Deuterosi בית בקוען vocant, hanc ibidem עושפא appellant, similem vomeri. Videndus R. D. ad h. l. ubi מקופו est *foramen securis*, cui manubrium inseritur הקרדום שנכנסת בו יד הקכדום נקב. Sic foramen acûs קופא vocatur. Interpres Rom. ex Græco hîc habet *Marram suam.* De *Marra* dictum est suprà. Nam & *vomerem* sign. & *ligonem.* Vide sodes.

21. *Lima*] Quæ שופינא in lingua Thargum. Plinio *Scobina*; *instrumentum* est *fabrile quo asperdines lævigant, aut retusam aciem acuunt.* Belgicè **een vyle.** *Vulgò* לימא, inquit R. D. quem adhibe, si placet. Nam multa hic de ista voce. פים sunt *ora*, *acies*, i. פיות. Vide Thesben Eliæ in פנם. Hieron. *Retusa itaque erant acies vomerum.* Lxx ὁ τρυγητὸς *vindemia?* quod huic loco minùs quadrat. Scholion, ἡ συμβόλωσις στόματα, sub. ἔχουσα, *lima habens ora*, sive *acies.* Sequitur in Jonatha, *ad acuendam eâ retusam aciem omnis instrumenti ferrei.* פגמא *retusa ferri acies.* Vide sis Eliam in Thesbite. Vide sis etiam R. S. & Rabbenu Jesaiam. ¶ *Tridentibus*] שלש קלשון est *furca tres dentes habens.* Hieron. *tridentum.* Lxx τρεῖς σίκλοι εἰς τὸν ὀδόντα *tres sicli in dentem.* Theodoretus, referente Scholiaste, ὀδόντα *Sym. interpretatur* τὴν ὕνιν *vomerem, Aq. verò* τὸ ἄροτρον *aratrum. Siclum autem vocarunt* στατῆρα *Staterem.* Siclus in pondere trahebat semipondus; in argento autem viginti Obolos. R. D. קלשון *instrumentum ferreum dentatum quo auferunt fimum & paleam.* *Quod antem præcedit, indicat tres dentes habuisse. Vocant autem vernaculè* פור"קא, *furcam.* Jon. מצילת קצריא, *alias* מיצלת *transpositis literis.* קצרא *est Fullo*, כובס. *Addit Jon. Habens tres dentes. Nam instrumentum illud dentatum est, & expandunt eo fullones vestes post lotionem earum, sive postquam laverunt eas.* In Solomone Jairo מלגו est *ferreum instrumentum dentatum ad instar* עתר: *furcam* vocant. Sunt qui *rastrum* interpretantur, alii *palam.* Vide Lex. Chald. Munsteri. מלגו obvium in Phesictha 73. 3. R. Jesaias ait esse שלש קלשון רחת ברזל *vannum ferreum tres dentes habentem.* ¶ *Securibus*] להקרדומים cum ה articulo post ל, quod rarissimum est. Sic alibi להעם *populo*, & להנדוד. Vide Camium. Jon. לכיתביא. ¶ *Stimulum*] דרבן filius Naphthali scribit cum (') in ultima, filius Aser verò cum (-). Uterque autem ponit Gaaja post (') quod sub Daleth: unde legendum *Darban* per Camets latum, & non *Dorban* per breve. Est autem *acies*, sive *ferrum*, *stimuli.* Nam lignum cui acies infixa vocatur מלמד, quâ boves punguntur. להציב R. S. *ad acuendum*: aliàs *ad aptandum.* Vide R. D.

22. *Die prælii*] Quando prælium inibant inter se, & acies utrinque concurrebant. מלחמת *prælium*, alibi *bellum.* Sic differunt πόλεμος & μάχη *pugna.* *Prælium* propriè קרב dicitur. *Bellum* est totum illud tempus quo hostes sunt in armis. Id מלחמה dicitur: sed & מלחמת quæ forma nominis modò constructa est, modò absoluta. Sic משמרת *custodia.* ¶ *Repertus fuit Sauli & Jonathæ*] Hi soli gladium habebant & lanceam. Vulgus promiscuum inermes erant ab hac parte. Quæ Lira hîc notat de Ebræis, ea citat R. D. ex Dras. Videndus quoque R. S.

23. *Stationarius Philisthæorum*] i. Stationarii. Hieron. *statio Philisthiim.* Hîc *statio* מצב dicitur. Lxx ἐξ ὑποστάσεως, quod reddunt *ex statione*; & subaudiunt *populator.* Suprà נציב τὸ ὑπόστημα Aquilæ est. Nam in Lxx Νασίβ, quem alienigenam fuisse somniant. Jon. στρατηγός. Santes *præfectus.* Videndi sunt R. D. & R. S.

IDEM.

1. בֶּן שָׁנָה שָׁאוּל בְּמָלְכוֹ. Schol. Υἱὸς ἐνιαυτοῦ ἦν Σαοὺλ ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. *Filius anni erat Saul cùm regnaret ipse.* Sym. Υἱὸς ὢν ἐνιαύσιος Σαοὺλ, *cùm esset Saul filius annuus.* Aliud Schol. Υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν Σαοὺλ ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. *Filius triginta annorum erat Saul cùm regnaret ipse.*] וּשְׁתֵּי שָׁנִים מָלַךְ עַל יִשְׂרָאֵל. Schol. idem, καὶ δύο ἔτη ἐβασίλευσεν ἐν Ἰσραήλ, *& duos annos regnavit in Israel.*

3. אֵת נְצִיב. A. τὸ ὑπόστημα *stationem*] Interp. vetus, *& percussit Jonathan stationem Philisthæorum*, καὶ ἐπάταξεν Ἰωνάθαν τὸ ὑπόστημα τῶν Φιλισταίων. Priùs erat in Lxx τὸν Νασίβ τὸν ἀλλόφυλον, *Nasib Allophylum*, sive *Philisthæum.* Cæterùm ὑπόστημα prò *statione militum* exstat & in Lxx 2 Reg. 22. pro eodémque adfertur ὑπόστασις ex 1 Reg. 13. in fine; item ex 14. ἐζήτει Ἰωνάθαν διαβῆναι εἰς τὴν ὑπόστασιν τῶν ἀλλοφύλων, *quærebat Jonathan transire in stationem Allophylorum*] יִשְׁמְעוּ הָעִבְרִים. A. Ἀκουσάτωσαν οἱ Ἑβραῖοι, *Audiant Ebræi.* Sym. Ἀκουσάτωσαν οἱ ἐν τῷ πέραν, *Audiant qui sunt è regione.*] Vel, *in ulteriore loco.*

8. וַיּוֹחֶל שִׁבְעַת יָמִים לַמּוֹעֵד אֲשֶׁר שְׁמוּאֵל. A. Καὶ περιέμεινεν ἑπτὰ ἡμέρας εἰς συνταγὴν τοῦ Σαμουήλ, *& exspectavit septem dies juxta ordinationem Samuelis.* Sym. ἀνέμεινεν δὲ ἑπτὰ ἡμέρας εἰς τὴν συνταγὴν τοῦ Σαμουήλ, *exspectavit autem septem dies juxta ordinationem Samuelis.*] Vel, *ad tempus quod statuerat Samuel.* Interp. Vulg. *juxta placitum*, vel *pactum*, (nam libri variant) *Samuel.* Συνταγὴ exponitur etiam *præceptum*, ut liceat vertere *juxta præceptum*, sive *mandatum*, *Samuelis.* Porrò מועד, quod in Ebræo, est *tempus statutum.*

18. וְהָרֹאשׁ אֶחָד יִפְנֶה דֶּרֶךְ הַגְּבוּל הַנִּשְׁקָף עַל גֵּי הַצְּבֹעִים הַמִּדְבָּרָה. Alius, Καὶ ἡ κεφαλὴ ἡ μία ἔνευεν ὁδὸν τοῦ ἐπιβλέποντος ἐπὶ φάραγγα τῶν ὑαινῶν, *Et caput unum vergebat ad viam * prospicientis ad vallem Hyænarum*] Sym. κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ ὅρου τοῦ ὑπερκειμένου κατὰ τῆς φάραγγος τῆς Σεβωὶμ εἰς τὴν ἔρημον, *juxta viam termini superjacentis*

secundùm

secundùm vallem Seboim in desertum. Th. ὁδὸν τοῦ ὁρίου τοῦ ἐπιβλέποντος ἐν τῇ κοιλάδι τῶν δορκάδων, *viam termini respicientis in valle Caprearum*] *Alius*, Aquila forté. *Hyanarum*, vel *Sucularum.* ¶ *Termini*, vel *confinii.* ¶ *Superjacentis*, vel *positi.* ¶ *Caprearum*, צבאים. Aleph pro Ain. Philo in Declaratione nom. Geneseωs, *Seboim*, *Caprearum*, *vel Damularum*, & Deuteronomii, *Seboim*, *Caprea*, *vel Dama*. Similiter & in nom. Hoseæ, צבי *Caprea*, *vel Dama*, i. δορκάς. Syriacè טביתא, & antiquitus טביתא, unde *Tabitha*, de quo aliás.

21. וְהָיְתָה הַפְּצִירָה פִים לַמַּחֲרֵשׁוֹת וְלָאֵתִים וְלִשְׁלֹשׁ קִלְּשׁוֹן וּלְהַקַּרְדֻּמִּים וּלְהַצִּיב הַדָּרְבָן. Schol. Καὶ ἐγενήθη ἡ προσβόλωσις στόματα τοῖς ἀρότροις, καὶ τοῖς ῥιξὶν, καὶ τῇ τρισκελῆσιν, καὶ τῇ ἀξίναις, καὶ τοῦ στερεώσαντος βούκεντρον] Προσβολώσις στόματα, הפצירה פים. Santes interpretatur *lima habens ora.* Antè Jon. verterat שופינא, quæ vox *limam* denotat. Secutus ergò est Santes Jonathanem interp. Chaldæum. Hoc certum mihi. Interpres Vulg. *retusa itaque erant acies vomerum.* R. Joseph cognomento Camius, pater Davidis, *& erant multa acies vomeribus.* פים contractè dicitur pro פיים *ora, acies.* In פצר sign. *coactionis.* Προσβόλωσις quid sit h. l. adhuc quæro. ¶ Τοῖς ῥιξίν. Nec hoc vocabulum potui in Lexicis invenire, nè quidem in Thesauro H. Stephani. אתים interpres noster alibi *ligones*, & alibi *vomeres* reddit. Fortè in lingua Hellenistarum ῥὶξ idem quod ῥίνη, *lima*, quæ & ῥινίον, & ῥινητήριον. Lex. vet. Ρίνημα, *scobis.* ¶ Τρισκελῆσιν, *tridentibus.* Τρισκελὴς propriè *tria crura habens.* ¶ Ἀξίναις, *Asciis*, sive *dolabris*, vel, si placet, *securibus.* Sed *securim* πέλεκυν vocant. Ἀξίνη autem est *ascia* proprié. Lex. vetus, Ἀξίνη, *dolabra, hoc dolabrum.* Pro *securi* sumitur Matth. 3. & Luc. 3. ¶ Βούκεντρον, *stimulum quo boves aguntur.* Interp. vetus, *usque ad stimulum corrigendum.* Santes *ad acuendum stimulum.* Arias *ad statuendum.* ¶ Τοῦ στερεώσαντος, *firmantis.* Habetur hoc loco in ed. τῶν ό. καὶ τρεῖς σίκλοι εἰς τὸν ὀδόντα, cui respondet, ut opinor, לשלש קלשין, acsi legisse eos putemus שקלין, inversis literis, pro קלשין. Nihil temere statuendum. Neque ego ista notassem, nisi in ed. Rom. *Symmachus* ὀδόντα *vertit* ἄροτρον, καὶ σίκλον στατῆρα, & apud Theodoretum, ὀδόντα ὁ μὲν Σύμμαχος τὴν ὕνιν, ὁ δὲ Ἀκύλας τὸ ἄροτρον ἡρμήνευσεν· τὸν δὲ σίκλον στατῆρα ἐκάλεσε. Hæc ibi. Τὴν ὕνιν, i. *vomerem.* Budæus Siclum esse ait *nummum tetradrachmum, quantum vel Stater valet.* Bene ergò interpretantur שקל στατῆρα.

GROTIUS.

1. *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*] i. Cùm ista acta sunt quæ jam narrata sunt annum ferme in Regno egerat Saul. ¶ *Duobus autem annis regnavit super Israel*] Hæc connectenda cum sequentibus ut intelligatur biennio demum Regni exacto contraxisse copias illas militares.

4. *Percussit Saul stationem Philisthinorum*] Græci nomen proprium putant Νασίβ· at Aquila, quem sequitur hîc Latinus interpres, ὑπόστημα· sic alibi *statio* ὑπόστασις.

5. *Triginta millia curruum*] Nimium hoc præ numero equitum qui sequitur. Itaque sunt qui postremas duas literas abjiciendas censent, ut sint *tria millia* שלש אלף.

8. *Et exspectavit septem diebus juxta placitum Samuelis*] Sensus est; Voluerat Samuel conventui & sacrificio supersederi donec ipse advenisset. Saul verò cùm post septem dies eum exspectasset, ultrà exspectare Prophetam Divinæ voluntatis indicem noluit, quod ei pro peccato gravi imputatum est.

13. *In sempiternum*] i. Quamdiu Saulis posteritas viveret.

19. *Caverant enim Philisthiim nè fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*] Extorto fœdere; cui non dissimilis lex quam Porsena in fœdere cum Romanis posuit, *nè ferro nisi in agricultura uterentur.* Tacent id Historici, ut pudendum victori postea gentium populo: at Plinius ingenuè fatetur l. 34. 14.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1. *Qui ferebat arma sua*] Heb. *Portans arma ejus*, pro quo deinceps *armigeri* usi sumus vocabulo.

4. *Inter transitus*] Per *transitus* vel *vada* Hebræi docent hîc intelligendum vallem quandam cui incumbebant duæ præruptæ petræ; erátque una ad Israel, & altera ad Phelistim exposita. Vocat autem hîc Hebraismus præruptam petram *dentem petræ.* Porrò dictionem מצוק K. exponit pro מעמר *collocatam*; & R. S. משופע *acclivem*; Jonathan verò vertit מיסתכיא *respicientem.*

6. *Difficultas*] Hebraica vox מעצור propriè sign. *continentiam:* hîc verò capitur pro עיכוב *impedimento*, seu *difficultate*, ut nos vertimus.

9. *Donec venerimus ad vos*] Hoc signum erat audacis & constantis animi; ideo Jonathan illud malum omen sibi futurum judicabat. At cùm dicerent, *Ascendite ad nos*, signum erat trepidi animi & qui hostem aggredi formidabat; ideo Jonathan confortatus virili animo manibus pedibúsque reptabat ad eos, non dubitans de Divino auxilio.

14. *Spatio agri duorum boum*] Heb. צמד שדה, & est idem quod צמד בקר בשדה i. *par boum in agro*; h. e. quantum spatii duo boves per diem in agro arare possunt.

15. *Tremuit terra*] Hyperbole est, per quam significatur vehemens consternatio castrorum Phelistim.

20. *Gladius cujusque stringebatur in proximum*] Tantus, inquit, erat tumultus in castris ut putarent hostem adesse, & furore repleti pro hostibus proximos quosque occidebant. Israelitæ autem qui peregrinati fuerant apud Phelistæos, & qui propter armorum artificium ad illos superioribus diebus à terra Israel fuerunt ducti, & jam ad pugnandum contra Israelitas coacti, videntes Dei liberationem, fugerunt ex castris Phelistæorum, & junxerunt se fratribus suis Israelitis, &c.

24. *Premerentur fame*] Erraverunt hîc interpretes nostri in verbo נגש, quod punctum sinistrum habet, & non dextrum. Unde & Jonathan Chald. ארחק & non קרב vertit. Porrò nomen הלך capitur hîc pro הליכת & נגרות, i. pro *fluxu.*

26. *Reducebat*] Capitur hîc משיג pro מגיע *contingere*, vel *admovere.*

27. *Oculi ejus*] Erant oculi ejus caligantes ob famem & fatigationem; sed cùm parùm mellis comedisset susceperunt tam oculi quàm alia membra vires.

30. *Nónne*] Capitur hîc לא pro הלא, legendúsque est versus iste דרך תמיהה, ut K. monet.

32. *Vertit se populus*] Secutus sum in hoc loco Chald. interpretem, qui verbum ויעש exponit pro ואיתגני. Sunt tamen qui pro ויעש legunt ויעט, & K. pro ויסר & ויטה exponit. Infrà verò in fine hujus capitis exponitur ויעש pro כנש & אסף, sicut & nos vertimus. ¶ *Cum sanguine*] Sensus est, Populus fame laborans pecudes festinanter mactavit super terram, & sanguinem ipsum de singulis membris non expressit, sed sanguinolentas partes coquens comedit carnem cum sanguine. Sunt tamen qui hîc על דם exponunt pro אצל דם, ut sit sensus, quòd *comederint juxta sanguinem*, quisque in eo loco ubi pecus suum mactavit.

35. *Cœpit ædificare*] h. e. Altare illud primum fuit quod ipse exstruxit.

38. *Anguli populi*] Per *angulos* intelliguntur ראשי העם *primi qui sunt in populo:* & hi sunt in civitate sicut angulus in pariete.

41. *Da sortem integram*] Provocatio est superba nec satis pia ad exactam Dei justitiam. Est autem hic הבה תמים idem quod חן גורל באמת *Da sortem justam & veram*, sicut Hebræi exponunt.

42. *Projicite inter me*] Sub. *sortem.*

47. *In omni loco condemnabat hostes*] Vulgata ed. habet *superabat*. Chaldæus verò vertit מחיב *delinquebat*, seu *impiè agebat*.

VATABLUS.

1. Accidit autem die quadam ut diceret, ויהי היום ויאמר] Ad verb. *Et fuit dies, & dixit.* ¶ *Agè, transeamus*, לכה ונעברה] Ad verb. *Veni, & transeamus.* ¶ *Ad præsidium*, אל מצב] Vox Hebræa significat congregationem militum fortissimorum & armatorum egregiè collocatorum in prima acie ut accipiant impetus. ¶ *Quod est trans*, &c. אשר מעבר הלז] *Quod est in latere illo.* הלז de remoto dicitur, הזה autem de propinquo. *Indicavit*, הגיד] Sub. *mentem suam*, quod agere proposuerat.

4. *Et inter transitus*, &c. ובין המעברות וגו'] i. In ea via, sive agro per quem conabatur, sive contendebat, Jonathan transire. Vide c. 13. 23. ¶ Erat *dens petra*, &c. שן הסלע וגו'] *Dentem petræ* vocat promontorium, scopulum, prominentiam, acutum scopulum, quòd more dentis promineat atque longiùs excurrat, i. erant utrinque duæ petræ prominentes, altera in uno latere, altera in altero, sive ex altera parte quà transeundum erat.

5. *Dens unus stabat*, השן האחד מצוק] *Scopulus unus prominebat.*

6. *Faciet* salutem *Jehovah per nos*, יעשה יהוה לנו] *operabitur Jehovah pro nobis, cooperabitur nobis*, i. dabit nobis victoriam. ¶ *Prohibitio*, מעצור] *Remoratio, retardatio*, i. non remoratur sive retardatur à salvando; non est illi difficile servare per paucos aut per multos.

7. *Fac quicquid est in corde tuo*, עשה כל אשר בלבבך] i. Fac ut lubet. Hebraismus. ¶ *Diverte*, נטה לך] *Declina tibi*, i. perge quocunque voles. ¶ *Ecce sum tecum*, &c. הנני עמך כלבבך] Hebraismus, Sequar te quocunque voles pergere.

8. *Transimus*, עוברים] i. Jam certum est nos transituros ad eos, ut ostendamus nos illis. Gallicè *Nous nous descouvrirons à eulx.*

9. *Stemus in loco nostro*, ועמדנו תחתינו] *Tum consistemus in eodem loco.*

10. *Tradidit eos*, נתנם] Hoc dicebat Spiritu prophetico, aut quòd ità præsagiret animus ejus.

12. *Et indicabimus vobis aliquid*, ונודיעה אתכם דבר] Ad verb. *& scire faciemus vos verbum*, vel, *rem.* Gallicè *Nous avons quelque chose a vous dire*, q. d. Volumus vobis aliquid dicere.

13. *Manibus suis & pedibus suis*, על ידיו ועל רגליו] i. Repens manibus ac pedibus. Vel, ut alii exponunt, totis viribus conatus est ascendere. Ad. verb. *super manus suas & super pedes suos.* ¶ *Ceciderunt coram Jonathan* ויפלו לפני יונתן] Jonathan iter faciebat ense per hostes. ¶ *Post eum*, אחריו] *A tergo ipsius.*

14. *Percussit*, הכה] Sub. *Philisthæos.* ¶ *Quasi in medio jugeri*, &c. כבחצי מענה צמד שדה] *Quasi in medio jugeri, jugeri agri*, i. in tantillo spatio & intervallo quanta est pars dimidia jugeri, aut sulci ducti à pari boum per integrum jugerum terræ, q. d. Brevissimo spatio interfecerunt viginti.

15. *Præsidium*, &c. המצב וגו'] *Statio* [i. qui in statione collocati erant] *& prædator, trepidaverunt etiam ipsi.* ¶ *Ac fuit in pavore Dei.* ותהי לחרדת אלהים] *Ac fuit* correpta *trepidatione Dei*, i. immissâ à Deo, vel, *trepidatione Dei*, i. magnâ, ut Gen. 1. 2. & 30. 8.

16. *Promovebàtque, & atterebatur*, וילך והלים] Ad verb. *& abibat, & frangebatur*, i. subinde magìs atterebatur, q. d. Subinde augebatur strages.

17. *Recensete*, פקדו] *Recognoscite.*

18. *Admove arcam Dei*, הגישה ארון האלהים] i. Affer ephod quod est juxta arcam Dei, & in quo sunt Urim & Thummim. Nempe ut consulamus Dominum quid opus facto sit.

19. *Et fuit adhuc loquente Saul*, ויהי עד דבר שאול] *Interea autem dum loqueretur Saul ad sacerdotem.* ¶ *Ibat eundo*, וילך הלוך] Hebraismus, *procedebat procedendo, magis augebatur, paulatim evadebat major.* Seipsum exponit cùm mox dicit, *& crescebat* sive *increscebat.* ¶ *Recollige*, אסף] i. Retrahe, q. d. Sine illic ephod, noli illud capere: non enim est mihi otium consulendi Dominum.

20. *Contritio* מהומה] *Strages, clades.*

21. *Sicut heri & nudiustertius*, כאתמול שלשום] i. Sicut priùs, sive antea, i. qui Palæstinis priùs favebant, & qui cum ipsis ascenderant ut pugnarent contra fratres suos. ¶ Erant *per circuitum*, סביב] i. Subduxerant sese à reliquo exercitu.

22. *In prælio*, במלחמה] i. Ut cum eis decertarent. Alii vertunt, *assecuti sunt etiam ipsi eos, & pugnaverunt cum eis.*

23. *Bellatores autem transierunt*, והמלחמה עברה] *Milites autem transierunt*, &c. i. usque ad Beth-aven, & ultrà persecuti sunt Philisthæos. Quidam vertunt, *pertransiitque pugna usque Beth-aven.*

24. *Coartatus erat die illâ: adjuraverat enim*, נגש ביום ההוא ויאל] Ad verb. *Coartatus erat die illo, & adjuraverat*, ו pro כי poni hoc loco, annotat doctus inter Hebræos, ut Jes. 64. 5. *Ecce iratus es, & peccavimus*, pro *quia peccavimus iratus es.* Sic hoc loco *Coartatus est Israel*, vel *afflictus*, sub. *fame, eo tempore, quòd adjurasset Saul populum, dicendo*, &c. Potest hoc factum esse cùm irent in locum certaminis de Gabaa Benjamin: nam hoc Jonathas non audivit. Alii aiunt hoc dixisse Saulem inter persequendum. ¶ *Donec ulciscar me de inimicis meis*, ונקמתי מאיבי] *Ut ulciscar me de inimicis meis.* Ad verb. *& ulciscar me de inimicis meis.* ¶ *Itaque non gustavit*, &c. ולא טעם וגו'] i. Abstinuit ab omni esca.

25. *Universus autem* iste populus *terræ*, וכל הארץ] Ad verb. *Et universa terra*, i. universus exercitus Hebræorum. ¶ *In sylvam*, ביער] *In saltum:* qui scilicet erat in eo itinere.

26. *Decurrebat mel*, הלך דבש] Ad verb. *decursus mellis*, ut annotat doctus inter Hebræos, i. defluebat mel in terram. ¶ *Et nemo fuit*, &c. ואין מניש וגו'] Ad verb. *& non erat accedere faciens manum suam ad os suum*, i. nemo applicavit manum suam ori suo habentem pauxillum mellis, q. d. Nemo ausus fuit nè minimum quidem mellis gustare. ¶ *Juramentum*, את השבועה] *Execrationem:* sub. *Saulis.*

27. *Convertitque manum suam ad os suum*, וישב ידו אל פיו] *Applicavitque* [*admovitque*] *manum suam ori suo*, i. gustavit de melle illo. ¶ *Et illuminati sunt*, ותראנה] *Et lumen receperunt*, vel, *clariores redditi sunt*, qui scilicet priùs caligabant præ fame.

28. *Respondit autem quidam è populo & dixit*, ויען איש מהעם ויאמר] *Dixitque aliquis de populo in hunc modum.* ¶ *Adjurando adjuravit*, השבע השביע] i. seriò adjuravit. ¶ *Et defecit populus*, ויעף העם] *Et defatigatus est populus*, i. atque ità factum est ut penè defecerit populus præ fame & lassitudine.

29. *Ut illuminati sint*, כי ארו] *Ut illustrati sint, lumen receperint.* ¶ *Quia gustavi*, כי טעמתי] *Cùm gustavi*, vel, *ut gustavi.*

30. *Quantò magìs*, אף כי לוא] Sub. *fortis factus esset, si*, &c. ¶ *Nunc enim nónne crevisset*, כי עתה לא רבתה] Hic לא pro הלא, i. an verò non major strages edita fuisset in Palæsthinos?

32. *Et divertit populus*, ויעט העם] *Et congregavit populum*, i. convertit populum ad prædam. Varia est lectio Hebraicè: ut vertit noster interpres, legitur ויעט, & pro hac secunda interpretatione legitur ויעש. ¶ *Et vitulos*, ובני בקר] Ad verb. *& filios bovis.* ¶ *Cum sanguine* על הדם] Jugulabant enim humi boves, & ità caro ebibebat expressum sanguinem. Vel, *populus non expectabat ut sanguis fluxisset*, quod verius videtur. Alii, *comedit juxta sanguinem*, ut idololatræ, quod erat prohibitum. Alii, *nondum sanguis effusus erat.* Ostendit quantâ fame urgerentur.

34. *Hîc*, בזה] Super hoc saxum. ¶ *Bovem suum*, שורו]

Nomine *bovis* intelliguntur & alia animalia quæ mactaturi erant.

35. *Exstruxit quoque Saul altare*, ויבן שאול מזבח] Ut scilicet qui vellet offerre hostias pacificas, offerret eas illic. ¶ *Illud cœpit ædificare*, אותו החל לבנות] i. Fuit altare primum quod exstruxit Saul. Alii, *ex eo* lapide *cœpit ædificare Domino*.

36. *Descendamus post*, נרדה אחרי] i. Insequamur fugientes Palæsthinos. ¶ *Accedamus huc ad Deum*, נקרבה הלום אל האלהים] i. Prius consulamus Dominum.

38. *Anguli populi*, פנות העם] i. Principes populi. Judic. 20. 2. Principes sive primores populi sic vocantur quòd ipsi in republica id sint quod anguli in ædificio. ¶ *In quo*, במה] i. in qua re.

40. *Vos eritis in latere uno*, אתם תהיו לעבר אחד] i. Vos separabimini in unam partem, h. e. Mittemus sortes inter nos & vos.

41. *Da perfectionem*, הבה תמים] *Decerne integritatem*, i. sortem veram. Chaldæus paraph. *Fac venire in veritate*, i. Fac venire sortem pro rei veritate, ut exponit doctus inter Hebræos, h. e. Fac ut sors cadat super eum qui peccavit. ¶ *Et deprehensus est*, וילכד] i. Et sors cecidit super utrumque. ¶ *Egressi sunt*, יצאו] i. Absolutus est à sortibus. Ostendit Dominus per sortes peccatum admissum non pertinere ad populum.

43. *En ego moriar?* הנני אמות] Chaldæus paraph. *sumne propterea reus mortis?*

44. *Sic faciat*, &c. כה יעשה וגו׳] Hebraismus, *Hæc, imò etiam multò majora, faciat mihi Deus*, q. d. Disperеam ego nisi moriaris, quando ego ità statui.

45. *Nunquid Jonathan*, היונתן] *Ergóne Jonathan.* ¶ *Fecit*, עשה] *Operatus est*, Hebraismus, *authore Deo*, vel *adjutus à Deo*, sive *ope Dei fretus*, *fecit hanc magnam salutem*. Chaldæus paraph. interpretatur, *Coram Deo manifestum est quòd peccaverit per ignorantiam*.

46. *Ascendit ergo*, &c. ויעל שאול וגו׳] Ad verb. *Et ascendit Saul de post Pelisthim.* Hebraismus, Regressus est ergò, vel retulit pedem Saul à persequendis Philisthinis.

47. *Cepit regnum*, לכד למלוכה] *Vendicavit sibi regnum.* Doctus inter Hebræos exponit, *roboratus* fuit *in regno*, i. confirmatus est Rex. Quidam vertunt, *Porrò Saul nactus regnum Israelis.* ¶ *Et quocunque se verteret*, &c. ובכל אשר יפנה ירשיע] Ad verb. *& in omni* ad *quod se vertebat*, *intrepidè se gerebat*. Alii, *superabat*, sub. *inimicos*. Chaldæus paraph. *perdebat*, tanquam noxios scilicet. Doctus inter Hebræos exponit, *terrebat*, *perterrefaciebat*, aut *turbabat*.

49. *Et Isui*, וישוי] Hic dicitur *Abinadab*, ubi enumerantur filii Saul qui ceciderunt cum eo in prælio. Vide infrà, 31. 2. Non meminit autem Isboseth, quòd aptus non esset gerendis armis, ut alii de quibus hîc sola fit mentio.

50. *Principis militiæ ejus*, שר צבאו] *Imperatoris exercitûs ejus.*

51. *Abiël*, אביאל] Hic dicitur etiam *Ner*, 1 Par. 8. 33.

52. *Forte*, חזקה] *Grave*, i. acerrimè bellatum est contra Philisthæos, quamdiu regnavit Saul. ¶ *Et quemcunque*, &c. וראה שאול וגו׳] Ad verb. *Et vidit Saul omnem virum potentem*, *& omnem filium virtutis* [vel *exercitûs*] *& aggregavit eum sibi. Filium virtutis*, sive *roboris*, aut *exercitûs* vocat pugnacem, & aptum bello, aut bellicâ virtute clarum.

CASTALIO.

12. VOS *quidpiam docebimus*] Docebimus vos quid sit nos lacessere, h. e. vos interficiemus.

27. *Ex quo illustrati sunt ejus oculi*] Qui scilicet pervigilatione aut fame caligabant.

30. *Quid si comedissent hodie milites de præda hostium suorum*] Quæ videlicet melle dulcior est, quanta victoriæ lux esset exorta nobis? *Quantùm satis esset*] Ad satietatem. ¶ *Cùm nunc non satis magna illata Palæstinis clades est*] Quia fame languent milites.

36. *Eósque usque ad lucem matutinam perimerent*] Heb. *diriperent*: sed ponitur pro eo quod est *interficere*, sicut sæpe apud Homerum ἐναρίζειν.

CLARIUS.

4. INter *transitus*] Per *transitus*, vel *vada*. Hebræi docent hîc intelligendam vallem quandam cui incumbebant duæ præruptæ petræ, erátque una ad Israel, & altera ad Philisthæos exposita. Vocat autem hîc Hebraismus præruptam petram *dentem petræ*.

9. *Donec veniamus ad vos*] Hoc signum erat audacis & constantis animi; ideo Jonathas illud malum omen sibi futurum judicabat. At cùm dicerent, *Ascendite ad nos*, signum erat trepidi animi & qui hostem aggredi formidabat, ideo Jonathas corroboratus virili animo manibus pedibúsque reptabat ad eos, non dubitans de Divino auxilio.

15. *Et conturbata est terra*] Vel *tremuit*. Hyperbole est, per quam significatur vehemens consternatio castrorum Philisthiim.

20. *Gladius uniuscujusque*] Tantus, inquit, erat tumultus in castris ut putarent hostem adesse, & furore repleti pro hostibus proximos quosque occidebant. Israelitæ autem qui peregrinati fuerant apud Philistæos, & qui propter armorum artificium ad illos superioribus diebus à terra Israel fuerant ducti, & jam ad pugnandum contra Israelitas coacti, videntes Dei liberationem, fugerunt ex castris Philistæorum, & junxerunt se fratribus suis Israelitis, *&c.*

27. *Oculi ejus*] Erant oculi ejus caligantes ob famem & fatigationem; sed cùm parùm mellis comedisset, receperunt tam oculi quàm alia membra vires.

32. *Cum sanguine*] Sensus est quòd populus fame laborans pecudes festinanter mactavit super terram, & sanguinem ipsum de singulis membris non expressit, sed sanguinolentas partes coquens comedit carnem cum sanguine. Sunt tamen qui hunc sensum afferant; Quòd *comederint juxta sanguinem*, quisque in eo loco ubi pecus suum mactavit.

35. *Cœpit ædificare*] h.e. Altare illud primum fuit quod ipse exstruxit.

37. *Et non respondit ei*] Vide quanti sit Principis imperium transgredi, cùm ob exiguum Jonathæ gustum mellis contra Regis præceptum, quamvis illud ignoraret, Deus petenti oraculum non responderit.

38. *Angulos populi*] Per *angulos* intelliguntur primi qui sunt in populo: & hi sunt in civitate sicut angulus in pariete.

41. *Da sortem integram*] h.e. Da sortem justam & veram.

DRUSIUS.

1. ET *fuit dies*] *Quodam die*. Hieron. *Et accidit quadam die*. LXX Καὶ γίνεται ἡ ἡμέρα, *Et fit dies*. Trem. *Fuit quodam die*. Jon. *Et fuit dies*. Videtur *unus* abesse, ut sæpe aliás. Vide Exod. 21. 10. & Num. 7. 3. item 11. הנער *puer unus*, ità Jon. Sic *die aut biduo*. Sensus, *die uno*. *Fuit* ergò *dies unus*, i. quidam. Latinè *quodam die*. ¶ *Jonathan*] In Glossâ ordinaria exponitur *Donum columbæ*, acsi compositum esset ex JONA *columba* & NATHAN *dedit*, vel certè חן *dare*, i. *donum*, sed in Scriptura Ebraica תן non חן.

¶ *Quæ à latere isto*] מעבר הלז *à transitu isto*. Santes *trans locum istum*. Nam עבר *trans*, idémque מעבר, quam & *circa* interpretantur. Hieron. *quæ est trans locum illum*. LXX εἰς Μεσσὰβ τῶν ἀλλοφύλων τὴν ἐν τῷ πέραν. ὑπόστασις *statio* aut *stationarius*, qui Ebraicè מצב dicitur. Jon. דמעברא דיכי, *quæ a latere isto*. R. S. *Omne* הלז *aut* הלזה *quod in Scriptura non significat* הזה, *sed significat rem*

rem quæ ex adverso ejus, quam ipse digito demonstrat: vernaculè Ciel, non Cichet. Et mox, *Vallis est duorum montium.*

2. *Sedebat*] Ἐκάθητο, i. *manebat*. Hieron. *morabatur*. Fortè sedebat tunc ibi sub malo granato, ut non sit necesse confugere ad *manebat*. Sanè Trem. *considebat*. ¶ *Sub malo granato*] Sub arbore quam *malum punicam* Tremellius hic reddit. Lxx ὑπὸ τ̃ ῥοὰν *sub malo granato*. Jon. בעפולי רמון *ad radices malo granato*. *Malum punicum*, quod & *granatum*, ῥοιά, à *granorum multitudine* sic appellatum, è Pœnorum regione primùm in orbem nostrum translatum. *Malum punicum* Columellæ l. 5. c. 10. *Malum granatum* Plinio l. 26. c. 8. ¶ *Quæ in Magron*] Malè Santes *quod in Magron*. Nam præcedit *sub malo granato*, seu *punico*, qui est obliquus à *malus*, non à *malum granatum*; à *malogranatus*, non à *malogranatum*. Sic dico, Non fructum hic sign. sed arborem. Etiam ed. Rom. habet *quod in Magdon*. Nam Græcè ἐν Μαγδὼν Daleth pro Resch, qui error frequens est in libris eorum. Hieron. *quæ erat in agro Gabaa*. Sed tria MSS. habent *in Magron*. Nunc legunt *Migron* מגרון. Sic פסגה *Phasga*, פסחא *Pascha*, aspiratâ in tenuem versâ, מגדל *Magdal*. Non oppidi nomen est, sed loci. Nam Saul erat extra urbem in ejus extrema parte, aut est pars urbis Gabaa. Mentio ejus Jes. 10. 28. ubi per hunc locum Regem Assyriorum proficiscentem ad obsidionem Jerosolymorum iter facturum esse prædicit Propheta. Pro *in extremitate Gabaa* Senes ediderunt ἐπ' ἄκρου τ̃ βουνοῦ, quod reddunt *super summitatem collis*. Sed ἄκρον utrumque extremum, tam summum quàm imum. Cùm autem Gabaa in monte sita esset, potest etiam accipi de una parte montis, quæ est altera extremitas. ¶ *Circiter sexcenti viri*] Hoc antea dixerat; nunc repetit, ut ostendat numerum illum interea non fuisse auctum.

3. *Fratris Ichabod*] Cujus antea facta mentio, ubi de Achitob altum silentium. Lxx Ἰωχαβὴδ *Jochabed*, quod nomen Ebraicè scribitur יוכבד. Et est nomen mulieris: nam sic vocata fuit amita Amram, mater Mosis & Aharonis, Exod. 2. 1. Hinc illustrabis Philonem in Nominibus de Exodo, *Jochabed, Ubi est gloria*, nam id sonat *Ichabod*, אי pro איה. Licet etiam vertere, *Non est gloria, Inglorius*. Siquidem gloria Israel, h. e. Arca, tunc capta fuit. ¶ *Filii Phinees filii Eli*] Hieron. *qui ortus fuerat ex Eli*. Fuit alius hoc nomine, filius, nisi fallor, Eleazaris. ¶ *Sacerdotis Domini in Silo*] Hoc ad Eli referunt, non ad Achiam. Sanè Hieron. *ex Eli sacerdote Domini in Silo*. Verba Ebræa sunt ambigua: unde Lxx ἱερεὺς τ̃ Θεῦ ἐν Σηλὼμ *sacerdos Dei in Selom*. R. D. priorem sententiam tuetur his verbis, *De Eli dicit quòd fuerit sacerdos Domini in Silo, Achias autem iste ibi erat in castris ferens Ephod, quo nomine comprehenditur pectorale cum Urim ac Thummim, quo consulebant interrogando. Hinc liquet maledictionem Dei contra posteros Eli nondum fuisse completam*. Videndus h. l. R. D. K. Jon. *sacerdotis ministrantis coram Domino in Silo*, vel *sacerdos ministrans*: nam eadem ambiguitas in Chaldaismo. ¶ *Portabat Ephod*] Jon. *induebatur Ephod*. Videndus Lira ad h. l. ¶ *Et populus*] Qui erat cum Jonatha. Nam pars populi cum Saule erat, pars cum Jonatha, qui eum secuti fuissent si scivissent. Aut populus qui cum Saule. Videndus hîc R. D. Cæterùm *Ephod* R. S. exponit *Urim ac Thummim*, quæ sub nomine *Ephod* hîc intelliguntur. Nam in Ephod summi Sacerdotis erat pectorale judicii, & in pectorali eo Urim ac Thummim.

4. *Dens petræ*] *Prominentia petræ*. Lxx ὀδοὺς πέτρας. Jon. שנא דכיפא. Mercerus Job. 39. 28. *Rima in rupe prominens denti comparatur*. Sunt qui *scopulum* interpretentur, qui Græcè σκόπελος, locus eminens unde circumjacentia oculis lustrari possunt, ut sunt excelsæ in montibus ac pelago rupes. Quærendum an è scopulo tantùm in mare prospectus pateat. Hieron. *eminentes petræ, & quasi in modum dentium scopuli hinc indè prærupti*. ¶ *Boses*] בוצץ. Lxx Βαώς. Jon. משריתא, quod *locum lubricum* sonat. Nam in Thargum משרעא *lubricitates*, & in verbis Magistrorum בשרעתא דנהרא. Vide Camium. ¶ *Nomen unius*] i. alterius. Sic interpretamur אחד quando bis ponitur in oratione. Itaque R. S. pro eo posuit *nomen secundi*: & Hieron. *nomen uni Boses, & nomen alteri Seneh*. Sic Lxx τῷ ἑνί, τῷ ἄλλῳ. Paulò pòst Hieron. *unus, & alter*, & Lxx ἡ μία, καὶ ἡ ἄλλη ubi Ebræus *unus, & unus*. Nec aliter Jonathan. ¶ *Seneh*] Ut *veh*, aliæ *Sene*. Sed est סנה in Ebraismo. Lxx Σεννά. Jon. מדרוכיתא *à calcando*; q. *Locum calcatum* dicas; quomodo & R. D.

5. *Dens unus*] *Scopulus unus*. Hîc Græci ὁδὸς *via* legunt, pro ὀδοὺς *dens*, errore scribarum, ut existimo: nam שן nihil cum *via*. Hieron. *unus scopulus prominens ad Aquilonem*. Hîc perspicuè pro *dente scopulum* posuit, qui & *scopulus* dici potest. ¶ *Situs erat*] Vel *constitutus*, i. מעמד, ut explicat R. D. Santes *stabat*. Ebr. מצוק, quod Jonathan reddit מסתכיא *spectans*. Nam idem מצפה *Maspha* interpretatur סכותא. Vide Camium. ¶ *Ab Aquilone*] *A latere Aquilonis*. Hieron. *ad Aquilonem*. Quod מן aliquando significat, & Situm absque motu designat, ut Gen. 13. 11. מקדם *Orientem versùs*: & Cum motu idem valet 2 Sam. 6. 2. מבעל יהודה, pro quo 1 Par. 13. 6. בעלתה *ad Baalam*. Quidam annotant hunc usum particulæ מן apud Arabas frequentem esse. Senes tamen hîc habent ἀπὸ Βορρᾶ *ab Aquilone*: nec aliter Jonathan reddit מצפונא. Sed mox מנגב idem Hieron. *ad Meridiem*, ubi Lxx ἀπὸ νότου, & Jon. מדרומא. ¶ *Contra Machmas* מול מכמש *è regione Machmas*. Hieron. *ex adverso*. Lxx ἐρχομένῳ Μαχμὰς *venienti Machmas*. R. D. *respectu Philisthæorum*, vel *contra Philisthæos, qui erant in Machmas* כנגד. Jon. לקבל *Machmas*. ¶ *Contra Gaba*] Contra Israel qui erat in Gaba. Jon. *Gabatha*. Hieron. *Gabaa*. Lxx Γαβαέ. Jonathan autem transibat in medio horum duorum dentium sive scopulorum.

6. *Veni*] Ità Hieron. nec aliter Santes. Sed Arias suo more correxit *Ito*, quasi הלך non sign. etiam *venio*. Contrà בא *eo* denotat: nam hæc duo verba se invicem explicant. Lxx Δεῦρο *Veni*. Jon. אתא, ab אתא *venio*: unde *Maran-atha*. Trem. *Agedum*: nam hoc imperativo utuntur pro adverbio hortandi, לשון זרוז, ut Ebræi loquuntur. Exempla invenies Jes. 1. 18. Hos. 6. 1. Jon. 1. 7. *Venite, & mittamus sortes*. Gen. 11. 3. *Venite, faciamus nobis lateres*. Jer. 18. 18. *Venite, & excogitemus contra Jeremiam*. *Eo* autem pro *venio* usurpat etiam Terentius in Andria, *Ad te ibam*, i. veniebam. Vide Dict. Ebraicum. Dicunt לך & לכה & plur. לכו *venite*. ¶ *Forte*] Hieron. *si forte*. Lxx εἴ τι *si quid*. Compl. Th. εἴπως ποιήσαι τι, *si forte faciet quid*. Jon. מאים *quid si*: nam compositum videtur ex מא & אם. Cum punctis scribo מאם. Ebr. אולי. ¶ *Faciet nobis*] Hieron. *faciat pro nobis*. Sic, DOMINUS לי *pro me*. Jon. *faciet nobis signum*, sive *miraculum*. Santes *faciet per nos*. *Facere* simpliciter pro *facere salutem* accipit hoc loco Santes. Id examinandum. *Facere* pro *facere opus* notum est. Hinc *fecerunt horam unam*, i. operati sunt. Nam עשה & פעל se invicem exponunt. *Opus* autem *Dei* est judicium quod exercet in improbos, quos dum punit, servat suos. *Facit* ergò cùm salutem dat fidelibus. Ità sumitur Exod. 13. 8. Mal. 3. 17. & 4. 3. item Psal. 119. in Ain, *Tempus faciendi Domino*, ut faciat judicium. Sic Psal. 22. 31. *quia fecit*: sub. *judicium*. Qui reddunt *pro nobis*, huc accommodant locum qui Jos. 14. 12. *forte Dominus* אותי *mecum*, i. אתי, *& expellam eos*. ¶ *Retentio*] *Restrictio, impedimentum, prohibitio*. Hier. *difficile*. Lxx συνεχόμενον *restrictum*. Nihil impedit Deum quò minus possit servare cum paucis vel cum multis. Eadem sententia habetur 1 Mach. 3. 18. ubi V. interpres, *Non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis*. Vide Notas nostras ad h. l. ¶ *In multo, aut pauco*] *Cum multis aut paucis militibus*. Jon. *in multis, aut in paucis*, בסגיאי או בזעיר. Lxx ἐν πολλοῖς, ἢ ἐν ὀλίγοις.

Hieron.

Hieron. *in multis, vel in paucis*. Alius *cum multis*, &c.

7. *Omne quod in corde tuo*] Quicquid animo libet: omne quod placet animo tuo. *In corde esse* dicitur quod animus cogitat. ¶ *Declina tibi*] Vel *deflecte tibi*. Hieron. *perge quò cupis*. Trem. *applica te*. Jon. אתפני לך. In Massora ב״מה valet *exceptis quinque*. Hoc vult, Quinquies in hoc libro scriptum לך, aliàs semper לך. Sic ב״מא *excepto uno*, ב״מב *exceptis duobus*.

8. *Jonathan*] Hic est *Jehonathan* in Ebræo & Chaldæo: qua de re suprà. Græcæ & Latinæ editiones antiquæ *Jonathan*. Sic *Jehosua* perpetuò scribunt editiones illæ *Josua*, & *Jehosaphat*, *Josaphat*; & alia ejus generis. *Joseph* Ebræus scribit יוסף, legitur tamen in libro Psalmorum יהוסף. Quod noto ut ostendam antiquius esse *Jova* quàm *Jehova*; cùm neutrum rectum sit. *Juda* in antiquitate est, quod textus semper scribit *Jehuda*: legitur tamen in libris aliis יודא, unde *Judas*. Vide Zachutum in Juchasin. In vulg. invenies *Jehiel*, & *Jehuel*. Nihil præterea.

9. *Exspectate*] דמו. Verbum è verbo *Silete*, *Quiescite*. Sed Ebraica scholia explicant המתינו *Expectate*. Hieron. *Manete*: quod in idem recidit: nam manet qui exspectat. Ed. Romana Ἀπόστητε *Recedite*. Compl. Στῆτε *State*: & addunt de suo ἐκεῖ illic. Jon. אוריכו *Exspectate*, *Moramini*. Sic alibi, *Sol, in Gabaon sile*, i. *quiesce*, *exspecta*. Item, *Sile DOMINO*, exspecta eum. ¶ *Donec attigerimus nos ad vos*] *Donec pervenimus ad vos*. Trem. pro *Exspectate* vertit *Subsistite*. R. D. ad h. l. *Hoc nobis erit signum. Nam si dixerint, Ascendite contra nos, os eorum impingere fecit eos: quia nos ascendemus, & ipsi descendent. Hoc verò non est augurium illicitum. Nam si esset illicitum aut prohibitum, Deus non adjuvaret illud. Sed hoc & alia hujusmodi sunt vox verborum quæ audit homo, & roboratur cor ejus. Nam sunt signa de opere. Porrò nè decipiat vos quod invenitur in monumentis Doctorum nostrorum*, « *Dicit* « *Rab. Omne augurium quod non est sicut augurium* « *Eliezeris servi Abraham & sicut Jonathæ filii Saulis non est augurium, quia non dicit quòd illud augurium sit vetitum, prout exposuerunt multi. Nam ecce auguria eorum qui augurantur per Mustelam aut Aves non sunt sicut augurium Eliezeris aut Jonathæ. Illud autem est prohibitum, ut dicunt Doctores nostri, Non augurabimini. Hi sunt qui augurantur per Mustelam, & per Aves, & per Stellas*, sive *Sidera*: *& qui dicit, Buccea cadit ex ore ejus; Cadit è manu ejus; Caprea cessare fecit eum*, (*detinuit*;) *Corvus clamat ei; Vulpes à dextera ejus; Serpens à sinistra ejus; Nè incipias, nam manè est neomenia; Exitus sabbathi est, ecce hæ res & similes, quibus assueverunt domini scientiarum malarum, & determinant statutum & consuetudinem super ea quæ putant benefacere aut malefacere, hæc sunt quæ Lex vetuit. Sed si homo voluerit facere opus aliquod, & fecerit quippiam in signum ad opus illud, quo confirmetur cor ejus & excitetur cor ejus ad negotium illud, hoc licitum est. Nam si malè fecissent Eliezer & Jonathan. Deus non exaudivisset eos, nec auxiliatus fuisset eis*, &c. Vide quæ sequuntur: nam fusè ibi agit de hac re; etiam de augurio Josephi, qui augurabatur per scyphum, qui postea fuit amissus. Vide quoque notas Tremellii Gen. 24. 14.

12. *Viri stationis*] Hîc est מצבה in fonte, quod idem cum מצב *statio*. Sed R. D. ait significare *milites clypeo munitos, qui præcedunt exercitum, & consistere faciunt populum*. Hoc ait in libro Radicum, rad. יצב. Jon. *viri*, sive *homines* מטרתא *custodia*, qui stabant circum castra, & custodiebant ea. Pro *responderunt*. Hieron. *locuti sunt viri de statione*; nam nulla præcessit interrogatio. Lxx ἀπεκρίθησαν οἱ ἄνδρες Μεσσάβ. *Statua* מצבה dicitur cum Tsere sub Sade.

13. *Manibus ac pedibus reptans*] Vel, *nixus manibus suis & pedibus suis*. Nam scopulus erat (fortè Boses) quem propter lævitatem ejus pedibus solis incedere non poterat. Videndus R. D. ad h. l. Verbum è verbo *super manus suas & super pedes suos*. Fortè proverbiale est, *manibus ac pedibus*, i. omnibus viribus, aut pro virili: Sic, *armis virisque*. Vide K. ¶ *Ceciderunt*] Hostes ab eo cæsi. Jon. *cadebant* מטענין *debilitati, infirmati*, vel certè *confossi, vulnerati, saucii*, unde מטעני חרב *confossi gladio* Jes. 14. 20. R. S. exponit מרוקרי רמחים. Idem ait מוטען apud Arabes idem valere quod מודקר *confossus*. Hinc Munsterus emendandus. Vide Lexicum ejus Chald. & Radices Kimchi in מען. R. D. hunc locum Jonathæ ità citat, *& cadebant* כד טעיין חרבא *cùm confossi essent gladio coram Jonathan*. Aut hoc dicit, *Cadebant, & sequens armiger interficiebat eos*, h. e. ממותת *in quadrata*, & est idem cum ממית, quomodo sanè Jonathan reddit. Massora hîc habet ל *non est*.

14. *Quasi in medio jugeris*, &c.] Hieron. *in media parte jugeris, quam par boum in die arare consuevit*, חצי מענה *media pars jugeris*, צמד בקר *par boum*, i. צמד. Lxx ἐν βολίσι καὶ ἐν πετροβόλοις καὶ ἐν κόχλαξι τοῦ πεδίου, *in jaculis & lapidum jactu & silicibus campi*. Nimiùm recedunt à veritate Ebraica. Jon. *quasi intra dimidium itineris paris boum*, vel *quasi in loco dimidii itineris*. R. D. *Est mensura itineris paris boum cùm arant: & in loco qui erat dimidium mensuræ hujus percussit circiter viginti viros*. צמד שדה est *par boum in agro*, צמד בקר בשדה. R. S. מענה *est Sulcus* תלם *arationis, quam vocant* ריוא *vernaculè Rive*.

15. *Stationarius & populator*] i. *Stationarii & populatores trepidarunt*. המצב ultimâ Phathach, *statio, stationarii*. R. D. in יצב, *Sunt lancearii qui eunt ante exercitum, & ipsi stare faciunt populum*: משחית *autem sunt qui exeunt è insidiis*. Hæc ille. ¶ *Etiam ipsi*] Hi tenebant gladium & lanceam; qui si timebant quid mirum si alii qui inermes erant? ¶ *Commota fuit terra*] Vel *contremuit terra*, nempe propter trepidationem Philisthæorum. Metaphora. ¶ *Et fuit in trepidationem Dei*] Quæ à Deo erat, quam Deus illis immiserat: nam trepidabant sine causa. *Trepidatio Dei*, i. magna; ut *ignis Dei*, *montes Dei*, אש אלהים. Aut trepidatio à Deo causata. Videndus R. S. Hieron. *accidit quasi miraculum à Deo*. חרדה & hîc & paulò antè vertit *miraculum*; *Et factum est miraculum in castris, in agro*, ut sit ἀσύνδετον, pro *& in agro*. Hieron. *in castris, per agros*. Quidam codices *& per agros*. Lxx καὶ ἐγενήθη ἔκστασις ἐν τῇ παρεμβολῇ καὶ ἐν ἀγρῷ, & hîc, ἔκστασις παρὰ Κυρίου. Jon. *fuit in commotionem à coram Domino*. *Trepidatio Dei* potest exponi *grandis*, aut *maxima*. Sanè Santes *pavor grandis*; & alius *trepidatio maxima*. Sic Gen. 30. 8. Nam Deo tribuitur quod in suo genere præstat. Videndus h. l. R. D. Sed & Lira consulendus, qui quædam notavit non contemnenda ad hunc versum.

16. *Speculatoris Saulis*] הצפים לשאול ità dicitur ut תפלה למשה *precatio Mosis*, מזמור לדוד *Psalmus Davidis*. Ebræi supplent אשר לשאול, quod aliquando eo modo desideratur. ¶ *Ibat & frangebatur*] Magis magísque frangebatur. הלום הלוך *frangi, conteri*, ut הלמה סיסרא. R. D. השבר. Malim *tundebatur*, vel *tundebat se*. Trem. *pergeret continenter tundere se*. Jon. *ibat clades ejus & augebatur*.

18. *Admove arcam Dei*] Hieron. *Applica arcam Dei*. Lxx προσάγαγε τὸ ἐφούδ, ad sensum non malè. Nam non tam Arcam admovebant quàm Ephod, in cujus pectorali erant Urim ac Thummim, è quibus futura cognoscebant in dubiis & rebus gravioribus. Sanè R. D. h. l. *Vult dicere Ephod & Urim ac Thummim, quæ erant cum Arca Dei, ad interrogandum per illa de Jonathane*. ¶ *Cum filiis Israel*] Ad verb. *& filii Israel*. *Et* igitur hîc valet *cum*. Sic, *Jonathan* עם בני וגו׳ *cum filiis*, &c. Nec aliter Hieron. Sic alibi, *Et Joseph, qui erat in Ægypto*: sensus, *cum Joseph*. Locus est Exod. 1. 5. R. S. *arca Domini erat*, sub. *illic*, *& filii Israel*. Vide libellos De literis servilibus.

19. *Collige manum tuam*] Hieron. *Contrahe manum tuam*. Lxx Συνάγαγε τὰς χεῖράς σου, *Congrega manus tuas*. Jon. *Admove Ephod*. Santes *Recollige*. Trem. *Recipe*. R. D. *Collige manum, ut alibi, Collige pedes tuos*.

Jubet

Jubet eum colligere manus ad se, nè aperiat Urim ac Thummim, & nè consulat Deum aut interroget per eos. Idem disputat de versione Jonathæ, quam sic enarrat conjiciendo, *Admove Ephod ad Arcam, & sepone illud, quia nunc non est tempus ad consulendum Dominum, qui per hunc tumultum satis declarat quàm nobis faveat sitque à nostris partibus.* Alii existimant hîc primùm Saulem ostendere animum alienatum à Deo. Vide Tremellium.

20. *Congregatus fuit Saul*] Hieron. *Conclamavit Saul.* Lxx ἀνέβη *ascendit.* Jon. ואתכניש *congregatus fuit.* R. D. ויאסף *collectus fuit. Nam collectio populi*, inquit, *fit per clamorem.* ¶ *Usque ad prælium*] עד pro אל. *Venerunt usque ad pugnam*, pro, *venerunt ad pugnam.* ¶ *Gladius cujusque in socium suum*] Alter alterum gladio interficiebat, in mutuas cædes ruebant. Vide Camium. Nam cùm putabant hostem occidere, occidebant socium & commilitonem. ¶ *Tumultus*] מהומה *strepitus*, idem quod המון, de quo suprà. Hieron. *cædes.* Santes *contritio.* Lxx σύγχυσις *confusio.* Jon. שגושא *perplexitas.*

21. *Et Ebræi*] עברים *Ebræi*, עבדים *servi*: mutatio tantùm unius literæ. Prius legerunt Jonathan & Hieronymus; posterius, Senes Lxx. nam vertunt οἱ δοῦλοι, quæ varietas antea fuit observata. *Ebræos* autem hîc dicit Israelitas, quos Jonathan *Judæos* appellat: nam ex iis multi erant in castris Philisthæorum, quibus inserviebant aut subditi erant suppetiásve tulerunt. Videndus R. D. h. l.

22. *Assecuti sunt*] וידבקו pro וידביקו. Hieron. *sociaverunt se.* Santes *persecuti sunt.* Arias *adhæserunt.* Lxx συνάπτουσιν *adhærent.* R. D. ידבקו *pro* ידביקו, *ut alibi* ידרכו *pro* ידריכו *calcarunt.* ענין השגה *sign. assequi.* Quo sensu Jonathan dixit ואדביקו. Sensus, Persecuti sunt post eos donec assequerentur eos, & percusserunt eos etiam ipsi.

23. *Pugna transiit*] *Viri pugnæ*, i. pugnatores, aut præliatores, bellatores. Hîc desideratur nomen אנשי, ut & aliàs. Sic *dolus* pro *vir doli*, i. dolosus; *vinum* pro *vir vini*, i. vinosus. Quidam *bellum*, i. viri belli, bellatores. Trem. *exercitus*, i. הצבא. Lxx ὁ πόλεμος. Jon. עבדי קרבא *pugnatores, facientes prælium.* Hieron. *pugna pervenit.* Sic Jon. מטו *pervenerunt usque ad Bethaven.* Plus dicit qui dicit *transierunt Bethaven.* ¶ *Bethaven*] Lxx τὴν Βαμώθ. Mendum est pro Βηθών. Compl. Βηθαῦν, quod idem cum illo Βηθών. Hoc nomen alibi corruptum in Βαιθωρών. Fortè hîc leg. Βαιθὼν *Baith-on*, quod antiquum est pro Βηθών.

24. *Artatus fuit*] *Pressus fuit.* Jon. אדחיק. R. D. נדחק *vexatus, afflictus fuit, videlicet fame, cùm Saul adjurasset omnes nè quis comederet panem.* ¶ *Postquam adjurasset*] Vau in ויאל hîc valet *postquam*, ut in illo, *Iratus fuisti postquam peccaveramus.* Ebr. ונחטא *& peccaveramus.* ¶ *Panem*] Ullum cibum: nam etiam Mel comprehendit. R. D. *Nomen Panis complectitur omnem cibum. Nam etiam à melle abstinuerunt: unde liquet adjurationem factam esse de melle etiam. Sic alibi, Lac caprarum pro pane tuo.* ¶ *Non gustavit*] *Non comedit.* Nam in maledicto, *Si quis comederit.* Hinc patet *gustare panem* & *comedere panem* synonyma esse. Interdum tamen differunt. Nam in jejunio licet gustare, non tamen edere: unde dictitant, *Qui gustat, non benedicit.* Id fit ore, linguâ, palato. Qui edebat, tenebatur benedicere. Jon. 3. 7. אל יטעמו *Nè gustent.* Act. 10. 10. *voluit gustare* 2 Sam. 3. 35. *si ante occasum solem gustavero panem.* Act. 20. 11. *frangens panem & gustans.* In his omnibus locis sign. *vesci* aut *edere.* In epistola Augusti ad Suetonium, *Palmulas & panem gustavimus.* Cæsar de Britannis, *Leporem & auserem & gallinam gustare fas non putant.* Videndus Abenmelech Gen. 27.

25. *Omnis terra*] Jon. *omnes habitatores terræ.* Hier. *Omne terræ vulgus.* Santes *omnis populus terræ.* Trem. *totius regionis populus.* Vult dicere, Omnes viri belli, & qui collecti fuerunt ad eos. *Terra* pro *incolis terræ* ponitur in illo, *Omnis terra veniebant in Ægyptum*, Gen. 41. 57. ¶ *Veniebat*] Lxx ἠρίστα *prandebat.* ¶ *In silvam*] יער *silva*, pro quo in Græc. ed. Rom. Ἰαὰλ δρυμός. Sunt duæ interpretationes: prima est Ἰααρ, pro quo corruptè legitur Ἰαὰλ: altera est δρυμὸς, i. *silva*, quam Jon. חורשא reddit. Quidam R. Salomo, non ille qui *Jarchi* vocatur, ut existimo, putat denotare *cannam* הציקר, i. *sacchari*, sed id refutat R. D. R. Salomo, *Mel calamorum crescebat in terra Israel.* R. D. *In arboribus silvæ erat examen apum, & mel stillabat ex iis.* Trem. *in quandam silvam*, quam ait fuisse *inter Bethaven & Ajalonem Danis.*

26. *Fluxio mellis*] Aut *fluxus mellis.* Ad verb. *itio mellis.* Mel quod fluit per Metaphoram *ire* dicitur. Sensus ut si dicas *mel fluidum*; quod videlicet ex arboribus sylvæ per agros fluebat & decurrebat. Hieron. *fluens mel.* Jon. בריו דובשא, quod R. D. exponit ערוגה *aream* ושורה & *lineam. Nam faciebant* נריריות : קטנות codex alius ברידיות. Non intelligo. הלך *itio, fluxus*, i. הליכה. Massora, *duo sunt*, alterum est הלך *viator ad virum divitem.* Citat R. D. ex 2 Sam. 12. cum quinque punctis. Forsterus autem citat cum sex. Suspicor usum fuisse codice corrupto: nam etiam in hoc loco est Tseri cum Segol. ¶ *Qui admoveret*] Aut *applicaret.* Ad verb. *qui assequi faceret manum suam os suum.* Santes *qui attingere faceret.* משיג etiam *assequi* denotat. Vide Camium h. l. qui מגיע exponit, *attingere faciebat manum cum melle ad os.* ¶ *Manum suam ad os suum*] *Cum melle* videlicet: aut *manum suam melle delibutam.* Nemo audebat mel attingere propter jurandum. ¶ *Juramentum*] *Adjurationem, exsecrationem, maledictionem, diras*, קללה. Sic exponitur hoc nomen Jes. 65. 15. Sic in Suta, *Det te Deus in maledictionem & jurandum*, i. exsecrationem. Vide K. ad h. l. Num. 5. 21. *Det nomen tuum*, לאלה ולשבועה. Videndus hîc R. S. Vide & Observ. l. 8. c. 7. Lxx τὸν ὅρκον Κυρίου *jusjurandum Domini.* Eadem editio suprà ויאל reddit ἀράται τῷ λαῷ *maledicto obstrinxit populum.* Id malo quàm *adjuravit.* Nam *adjurat* qui ad jurandum adigit, quod verbo ἐξορκίζειν Græci significant. Verbum השביע sign. etiam *obtestor*, quo sensu & Latini usurpant, si credendum Budæo. Vide Jos. 6. 26. Sed si ויואל sign. *jurando aliquem ostringere*, aut *ad jurandum adigere*, tum rectè hîc redditur שבועה *jurandum*, ad quod adactus erat populus.

27. *Cùm adjuraret*] Vel *maledicto obstringeret*: non enim certè ad juramentum eos adegit. Aut verte *cùm obtestaretur populum.* Jon. כדאומי *cùm adjuraret.* Nam השביע *obtestor*, ut diximus. Lxx ἐν τῷ ὁρκίζειν τὸν πατέρα αὐτοῦ τὸν λαὸν *cùm adjuraret pater ejus populum.* שבועה non tantùm sign. *juramentum*, sed etiam *maledictum*: unde השביע & *juramento aliquem obstringo*, & *maledicto. Obstringit maledicto qui dicit, Maledictus qui comederit panem usque ad vesperam*, i. ante vesperam. Sic Hasamonæi, qui vulgò *Machabæi*, maledicto suos obstringebant hoc decreto, quod memoratur in libris Ebræorum, *Maledictus qui docuerit filium suum philosophiam Græcam.* Hoc eo tempore provulgatum fuit cùm Gentes per Philosophiam illam Legem adulterarunt, ut hodiéque fit magno malo veritati & Ecclesiæ orthodoxæ. ¶ *Virga*] *Baculi.* מטה. *Extremitatem baculi* dicit quam Hieron. *summitatem virgæ*, & Jon. *caput* שוטיתא *baculi.* & Lxx τὸ ἄκρον τοῦ σκήπτρου *summitatem sceptri sui: sceptrum* usurpant pro baculo quem in manu habebat, τὸ ἄκρον *extremum*, tam imum quàm summum, hîc summum denotat. ¶ *In favum mellis*] יערת הדבש. Lxx εἰς τὸ κηρίον τοῦ μέλιτος. Jon. בקינא דדובשא. Scribo בקנא *in nido mellis*, ex Ebræo קן *nidus*, quia cella apum, quam חלה vocant, constat ex plurimis nidis. R. S. *in canna*, sive *calamo, mellis*, hîc. &, *Posuit* בסוף *in junco.* Thargum ביערא. *Nam* סוף *vocantur canna, sive calami, paludis. Et sic, Comedi favum meum* יערי *cum melle meo. In lingua Ismaelitica vocant illud mel* סוקרא. *Didici hoc ex ore Nathan Ismaelitæ.* R. D. interpretatur חלה הדבש. Est autem חלה *cella*, sive *domicula, in qua apes mellificant.* Videndus R. Jesaias. ¶ *Illuminati sunt oculi*

oculi ejus] Nam oculi in fame caligant & obscurantur. Lira, *Quia corde confortato & resumptis viribus facies ejus fuit exhilarata, & vivacitas sensuum rediit.* In lectione תארנה, à verbo אור *luxit*; in scriptura verò תראנה *viderunt oculi ejus.* Eodem redit. Lxx ἀνέβλεψαν *suspexerunt.* Jon. ונהרא *illuxerunt.* R. D. *oculi ejus erant obtenebrati,* sive *tenebrosi, & caligantes præ fame & præ lassitudine.* Cæterùm eodem recidit sive sequaris lectionem *illuminati sunt,* sive scripturam *viderunt.* Trem. *lumen receperunt,* i. *vires recepit, unde singuli sensus recreati sunt. Synecdoche, ut Gen.* 16. 13. *Viderunt,* clariùs quàm antea, quia mel gustaverant. Apud Plautum parasitus famelicus,

Perii, prospicio parùm:
Os amarum habeo, dentes blennos; lippiunt fauces fame.

& paulò antè,

Tenebræ oboriuntur, genua media succidunt.

Malim *inediâ.* Vide Tropos, nisi molestum erit.

28. *Respondit*] *Locutus est.* Sed vide Tremellium. ¶ *Adjurando adjuravit*] Ὁρκίσας ὥρκισεν *Adjurans adjuravit.* Hieron. *Jurejurando constrinxit.* ויואל suprà, quod similiter vertit *adjuravit.* Senes reddiderunt ἀρᾶται, & interpres Romanus *maledicto obstrinxit.* Quod mihi non displicet. Nam שבועה quandoque *maledictum.* קללה, *maledictio, exsecratio, diræ.* ¶ *Lassus fuit*] *Defessus, defatigatus.* Quanquam delassatus esset persequendo hostem, tamen non violavit jurandum, ut quicquam gustaret, nè in maledictionem incurreret. Hic quæstiones aliquæ proponuntur à Scholasticis; 1. An Saul hîc peccaverit adjurando isto modo populum, 2. An Jonathan peccaverit, 3. An populus potuerit mel gustare sine peccato. Vide de his Nicolaum à Lira in ipsius glossa ad h. l. Pro *defessus,* aut *lassus, fuit populus* Senes habent ἐξέλυσεν, & Hieron. *defecerat populus.* Nam deficimus in fame, viribus nostris imminutis. Sanè panis dicitur *fulcire cor hominis,* unde & סעודה *prandium* sive *refectio* vocatur. Jon. ואשתלהי *lassus, fatigatus fuit.* Vide Trem. ad h. l.

29. *Turbavit pater meus*] Tralatio ab aquis turbatis. R. S. *confudit mentem eorum, & victoriam eorum, ut cùm aqua turbantur.* Lxx Ἀπήλλαχεν *Perturbavit.* ¶ *Terram*] Jon. *populum terræ.* Vult dicere, *milites, qui hostem insequebantur.* Vide Trem. ad h. l. Nicolaus, *terram.* i. *homines terræ suæ, qui propter juramentum erant fatigati ex jejunio & labore, nec poterant inimicos persequi.* ¶ *Illuminati sunt*] ארו. Locus iste docet suprà legendum esse ותארנה potiùs quàm תראנה *viderunt.* ¶ *Gustavi*] *Comedi,* ἐγευσάμην.

30. *Quam reperit*] Alius *quod sufficeisset.* Nam מצא tam hoc quàm illud significat. *Quam invenit,* i. nactus aut adeptus est. ¶ *Non magna fuisset plaga*] Legendum cum interrogatione, *Nónne magna fuisset?* Hoc vult dicere, Si populus cibo refectus fuisset, plus virium habuissent, atque ità plagam majorem intulissent Philisthæis. Hieron. *nónne major plaga facta fuisset in Philistim?* Sic Ebræi R. D. & R. S. Santes quoque, *nónne crevisset plaga?* Quidam tamen sine interrogatione legunt, *Quia jam non magna est plaga.* Sic etiam Lxx. q. d. *Major fuisset si edissent. Magna,* i. *multa.* רב utrumque significat.

31. *Ad Ajalon*] Hieron. *usque in Ajalon.* Jon. *usque ad planitiem Ajalon.* Ebr. אילנה cum *H* in fine. Mentio Ajalonis Jos. 19. 42. inter urbes Daniticas.

32. *Divertit populus*] In scriptura est ויעש *& fecit,* quod R. D. ait habere significationem *colligendi; Et fecit terra,* i. *collegit.* Sed in lectione ויעט, à verbo עטה, quod interpretantur ויסר *accessit,* & ויטה *divertit.* Hieron. *versus est.* Jon. *respexit,* aut *reflexit se.* Lxx ἐκλίθη *divertit,* alii ὥρμησεν *irruit.* R. S. לשון עיט, quod *avem* denotat, q. *advolavit ad spolia.* R. Jesaias, *Dispersus fuit populus hinc indè ad spoliandum spolia.* Sic, *Ero* כעטיה & עוטך, quæ sensum habent פזור *spargendi.* ¶ *Filios bovis*] Vel *boum,* i. vitulos, i. Lxx τέκνα βοῶν. Jon. *filios boum.* Hieron. *vitulos,* i. עגלים. *Bove natos* quidam vocant: Trem. *juvencos subrumos.* ¶ *Cum sanguine*] Qui nondum bene erat expressus. Ideo lapidem poposcit, ut in eo mactarentur animalia, quò sanguis meliùs effluere posset. Nam carnem cum sanguine non licebat edere: vetitum enim erat Lege Divinâ. In fonte על הדם, quod Hieron. vertit *cum sanguine.* Lxx σὺν τῷ αἵματι. Paulò pòst אל הדם v. 34. Cæterùm על pro עם poni notius est quàm ut probari debeat. Jon. על דמא. R. David, *Vesperi comederunt cum sanguine, quia paraverant carnem admodum præcipitanter, quoniam famelici erant; mactabántque humi,* sive *in terra, & sanguis non effluebat nec exprimebatur pulchrè, imò absorbebatur in pane. Ideo præcepit Saul ut devolverent magnum lapidem, & mactarent super eum, quò sic sanguis effluere & exprimi pulchrè posset. Alius sensus in illo,* [*Non comedetis cum sanguine,*] *sed expositio ejus, Ut erat mos sacrificantium dæmonibus, qui edebant circum sanguinem postquam sacrificassent eis.* Vide sequentia: nam adducit ibi sententiam Doctorum de hoc loco, qui putant eos comedisse carnem Pacificorum, quam consecraverant, ante sparsum sanguinem. Quòd si non consecrassent, licuisset eis hoc facere. Sed hanc expositionem ipse meritò improbat. Vide, si placet & si vis. Vide quoque Liram, qui plures expositiones adducit, & inter cæteras eam quam ex Camio nunc produximus. R. S. *Dico ego hoc, Ipsum & filium ejus non mactabitis: ideo vocat eos peccatores.*

33. בגדתם *Prævaricati estis*] Id Græci scripserunt βεγαδὼμ· sed exscriptores per libros ἐν Γεθθαὶμ ex eo fecerunt, quod nihil significat. Βαγάδ, *prævaricor, perfidè ago.* Compl. ed. Ἡμάρτετε *Peccastis.*

34. *Dispergimini in populo*] Hieron. *Dispergimini in vulgus.* Lxx Διασπάρητε ἐν τῷ λαῷ. Jonathan usus est verbo בדר, quod factum ex Ebræo פזר, Phe in Beth versâ, & Zain in Daleth. Quidam existimant saxum eò devolutum fuisse ad exstruendum altare. Vide Tremellium. Sed aliter Lira; quem consule, si vis. ¶ *Parvum pecus suum*] שיהו *parvam pecudem suam.* Hieron. *arietem.* Santes *pecus suum.* Arias *agnum suum.* Sic etiam Jon. nam אמרא *agnus.* Lxx τὸ πρόβατον αὐτοῦ *ovem suam,* צאנו, quâ voce usus fuit suprà. Consule Lexicon meum. ¶ *In hoc*] Sub. *loco.* Vult dicere, *Super hoc saxum.* Jon. הכא, *hîc.* Lxx ἐπὶ τούτῳ. Hieron. *super istud:* sub. *saxum.* Probarem, nisi nomen אבן, quod *saxum* reddit, communiter fem. est. Mercerus duntaxat femineum esse dicit. Clenardus commune facit, ut etiam Cevallerius. Sanè Cohel. 10. 9. בהם refertur ad אבנים *lapides.* Cæterùm unus lapis non sufficit ad altare exstruendum. Ideo Gen. 28. 18, & 22. putant poni אבן pro *lapidum strue. Nam unus,* inquiunt, *lapis, qui ab uno moveri potuisset, non fuisset satis ad statuam erigendam.* Id confirmat v. 11. ejusdem capitis. Veteres Ebræi בוה exponunt *hoc cultro,* quem probatum fuisse aiunt, unde doctrina de Probatione cultri nota ipsis. Nugantur autem cùm ex numero literarum colligunt cultrum quem ipsis ostendit, fuisse filium 14 digitorum. Beth enim notat Duo, & ו Septem, & ה Quinque, quæ simul efficiunt Quatuordecim. ¶ *Cum sanguine*] אל pro על. Sic alibi אל *super montes non comedit,* i. על.

35. *Illud cœpit exstruere altare Domino*] Hoc primum fuit altare quod Saul exstruxit Domino. Inter Judices Gedeon exstruxit etiam altare, sed sibi, non Domino: nam in eo solus sacrificavit. Samuel etiam ædificavit altare in patria sua, qui Propheta erat. Hieron. *tunc primùm cœpit ædificare altare Domino.* Lxx τοῦτο ἤρξατο Σαοὺλ οἰκοδομῆσαι θυσιαστήριον τῷ Κυρίῳ. R. D. *Hoc fuit primum altare quod exstruxit Saul. Nam cùm offerret sacrificia in Galgal, invenit ibi altare exstructum.* In Dras, *Plurima exstruxerunt altaria Noe, Abraham, Isahac, Jacob, Moses, Josua.* Dicit R. Jodan, *ipse cœpit in Regibus,* i. Primus Regum exstruxit. Aliud Dras, *Posuit primum lapidem, postea ædificatores exstruxerunt illud dum absolutum esset opus.* R. Levi אותו refert ad אבן, quam vocem ait esse modò masc. modò fem. generis, q. d. *Illo lapide cœpit exstrui altare.* R. Jesaias, *Primus Judicum exstruxit altare*

altare Domino in quo totus Israel offerret. Nam Gedeon exstruxit altare sibi, in quo ipse solus obtulit.

36. *Descendamus*] Nam ex Judæa in regionem Philisthæorum descenditur mare versús. Quod autem ait *post Philisthaos*, vult dicere, *insistendo tergo ipsorum.* ¶ *Accedamus huc ad Deum*] Ad consulendum Deum interrogando eum utrùm sint insequendi hostes nécne. Jon. *Accedamus huc, & interrogemus sermonem Domini.* Sic etiam R. D. Aut, *ad Deum*, i. ad Arcam. Lxx Προσέλθωμεν ἐνταῦθα πρὸς τὸν Θεόν.

38. *Accedite*] Hieron. *Applicate huc universos angulos populi.* Lxx Προσαγάγετε ἐνταῦθα πάσας τὰς γωνίας Ἰσραὴλ, *Adducite huc*, &c. הגישו. ¶ *Omnes anguli populi*] Πάσας αἱ γωνίας τοῦ λαοῦ. h. e. interprete Jonatha, *omnia capita populi*, sive *omnes primores*. Tralatio ab ædificiis: nam primores populo aut urbi sunt quod anguli parieti. Id Ebræi eleganter dicunt לעיר ולקיר LAIR & LACIR, *urbi & parieti.* R. S. *principes populi. Lapis angularis est præcipuus in ædificio; sic principes in urbe. Anguli sunt ii qui autoritate præstant, & reipub. molem quasi fulciunt.* Esa. 19. 13. Soph. 3. 6. Aliter Hieronymus Jes. 19. Idioma Scripturarum est ut *Angulum* pro *Regno* ponant, eò quòd populos contineat, quasi in tota domo fortissimum sit. Vide & Jud. 20. 2. Trem. *usque ab omnibus extremitatibus populi.* Non laudo.

40. *In latere uno*] Cùm sortirentur erant duæ pyxides hinc indé: In una erat Saul & Jonathan, in altera verò omnis populus. Has pyxides Hebræi קלפים appellant, q. κάλπαι unde hîc קלף in Camio, quæ vox etiam *membranam* denotat. Verba Camii, *Totus Israel erat in pyxide una. Jonathan & Saul in pyxide alia.* Hieron. *in parte una, & in parte altera.* Lxx utrobique εἰς δουλείαν. Legerunt Daleth pro Resch.

41. *Cedo integrum*] Vel *integritatem*. Nam תמים utrumque significat. Hieron. *Da sanctitatem*: quod ex Græco sumptum, in quo δὸς ὁσιότητα. Nomen enim *sanctitas* respondet duobus Græcis & Ebraicis. Primum est קדש ἁγιότης, alterum חסידות ὁσιότης. Hîc mendum est in fonte. Quid igitur? Scholia Ebraica enarrant, *Da sortem integram & veram.* Nam *Integritas*, à qua abest omnis fucus aut simulatio, eadem est cum *Veritate*. Itaq; Jon. edidit, *Cedo in veritate*: sed exemplaria variant: nam in textu est אתנה, & in Camio איתינה בקושטא Id explicat הבה גורל באמת *Da sortem in veritate.* Santes *Da perfectionem.* Arias *integritatem.* Potest etiam esse תמים pro בתמים, *Da integrè & verè.* Aut, *Cedo integer*, i. integrè; ut *ambulans integer*, i. integré. ¶ *Exiverunt*] Exiverunt ex sorte, q. d. Exempti eâ fuerunt & quasi absoluti per sortem. Hic *exire* & *capi* opponuntur. *Capitur*, quem sors deprehendit; *exit*, quem eadem eximit. R. S. דקיים מגורל *puri & immunes à sorte.*

42. *Projicite*] Vel *Conjicite*, & גורל subintelligitur, ut sensus sit, *Sortimini.* Sic Jon. רמו עדבון *Conjicite sortes.* Hieron. *Mittite sortem.* Lxx Βάλλετε *Jacite*: alii addunt κλῆρον sortem.

44. *Sic faciat Deus*] Plenum esset, *Sic faciat mihi Deus, & sic addat.* Formula jurandi, de qua alibi. Lxx Τάδε ποιήσαι μοι ὁ Θεὸς, καὶ τάδε προσθείη. Hieron. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Jon. *Sic faciat* DOMINUS, &c.

45. *Cum Deo fecit hodie*] Jon. *coram Domino retectum est quod per errorem fecit hodie.* Lxx ὁ λαὸς τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν τὴν ἡμέραν ταύτην, *populus Dei fecit diem hunc.* עם pro עם facilis lapsus, cùm puncta abessent: imò non est lapsus, sed alia lectio. Nam עם tam potest legi עַם *populus* quàm עִם *cum.* Codices alii ἔλεος τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, *misericordia Dei.* vel certè *misericordiam Dei, fecit in die hac.* Ea חסד dicitur. Sed fortè leg. חם. σὺν Θεῷ tritum apud Græcos pro *Deo duce & auspice*, aut *Deo adjuvante & auxiliante.* Dicunt etiam את יהוה eodem sensu, i. *cum Domino*, unde, *Acquisivi virum cum Domino*; quod malè reddunt *virum Dominum*: nam repugnat ipsa constructio Ebraica; tunc enim esset את איש את יהוה. R. D. *Bonum fecit cum Deo & cum populo suo, quia magnam posuit fiduciam in Deo, tradiditque animam suam pro populo Domini, & ivit ipse cum armigero suo ad expugnanda castra Philisthæorum.* Hieron. *operatus est.* Cave spernas. Nam עשה & פעל, *facio* & *operor*, se invicem explicant in his literis. Sic ἐποίησαν in N. F. pro *fecerunt opus.* Contrà legimus apud Davidem, *Justus quid fecit*, מה פעל, ad verb. *operatus est.* ¶ *Redemerunt*] Liberarunt à morte. Sic passim verbum *redimo* sumitur. Vide Tropos. Hieron. *liberavit ergò populus Jonathan.* Lxx προσηύξατο περὶ Ἰωνάθαν *oravit pro Jonatha*: quod פדה non significat. Jon. פרקו *redemerunt, liberarunt.* In Dras, citante Camio, *Dederunt pondus auri pro eo: atque ità redemerunt eum.* Hîc quærunt Ebræi, *Cùm Jonathan per errorem gustaverit mel, cur Deus non responderit interrogatus à Saule? R. Saadia scribit, Id factum esse ut populo innotesceret innocentia ejus. Non enim omnes scivisse rem ità se habere quemadmodum Scriptura testatur.* Sed hac de re consulendus tibi R. D. ad h. l. Mihi non vacat nunc ejus verba describere.

46. *Ascendit Saul à Philisthæis*] Ad verb. *à post*: & est sensus, *à persequendis Philisthæis.* Nox enim jam transacta erat, quæ locum & tempus effugii præbuerat Philisthæis; deinde quia Deus non responderat, non audebat eos insequi. Vide Camium. Dicit autem *ascendit*: nam ad Philisthæos descendendum erat. Si ergò persecutus fuisset Philistæos, dixisset, *descendit ad eos.* ¶ *In locum suum*] In regionem suam.

47. *Cepit regnum*] Quidam *acceptum obtinuit.* Hier. *confirmato regno.* Lxx ἔλαχε τοῦ βασιλεύειν *sorte cepit regnare.* R. D. *confirmavit se in regno, quod erat in manu ipsius absque ulla dubitatione.* (פרפוק vocant quando nutamus & incerti sumus de re aliqua) *quia videbant omnes Israelitæ Deum prosperare bella ejus.* Jon. *feliciter ei successit in regno*, אצלח. In ed. Rom. κατακληροῦται ἔργον ἐπὶ Ἰσραὴλ, *sorte capit opus super Israel.* Videtur esse alia interpretatio. Sanè in Compl. κατακληροῦται βασιλεύειν ἐπὶ Ἰσραὴλ, *sorte cepit regnare super Israel*, ut κατακληροῦται idem sit cum ἔλαχε. נלכב verbum est eorum propriè qui sorte capiuntur, h. e. super quos cadit sors. Sed latius patet. Prov. 16. 32. *quàm capiens urbem*; &, *capit sapientes*, Græcè δρασσόμενος. ¶ *Superabat*] *Prævalebat ut improbus*, qui רשע Ebræis unde הרשיע, quod R. Jesaias enarrat, *prævalebat & vincebat eos ut improbus qui prævalet socio suo, & diripit opes ejus.* Nicolaus, *Et quocunque se vertebat, impiè agebat, vel impius fiebat.* Nam רשע antiquâ declaratione ἀσεβὴς *impius.* Ei sic respondet Episcopus Burgensis in Additione, *Imò dictio Ebraica in hoc loco posita æquivoca est. Uno modo sign. idem quod Vincebat vel Superabat: alio modo communiori significat idem quod Impiè agebat. Unde translatio nostra habet veritatem juxta primam significationem*, &c. *Secunda verò concordat cum processu vitæ ipsius Saul, postquam regnavit. Unde utroque modo litera Ebraica de ipso Saule verificatur*, &c. Lxx ἐσώζετο *servabatur*: quod non quadrat cum Ebræo. Santes *viriliter agebat*, Arias *condemnabat*, quæ significatio huic loco non convenit. Trem. *inquietabat eos.* Nam השקיט & הרשיע opponuntur Job. 34. 29. Si השקיט sign. *quievit*, in ejus opposito הרשיע *inquietus fuit*, aut *inquietavit*, unde רשע dictum putant ab *animi inquietudine*; quales sunt omnes Avari, Voluptuarii, Imperiti rerum, qui non possunt distinguere inter bonum & malum, Rapaces, Fures, Homicidæ. Videndus K. Psal. 1. Idem hoc loco exponit יהריד *movebat se*, ויבלבל & *confundebat omnia.* Jon. יחיב *reos peragebat omnes exitio & internecioni.* R. Levi, *reos peragebat hostes suos, & perdebat eos, juxta illud*, [*Deus, nè condemnes me*] *aut vult dicere, Pugnabat in omnes ad quos se vertebat, quia intulerant ei violentiam. Hoc est quod ait in fine, liberavit Israelem è manu diripientium eum.*

48. *Fecit potentiam*] ἐποίησε δύναμιν. Latinè *congregavit exercitum.* Licet etiam vertere *fecit exercitum.* Hier. *congregatóque exercitu.* R. D. אסף *collegit.* Jon. *congregavit*

gregavit exercitum. Δύναμις, i. חיל, & exercitum denotat & opes: unde alibi, *Multæ filiæ fecerunt potentiam*, ἐποίησαν δύναμιν, i. *compararunt opes*. R. quoque Salomon collegit חיל *exercitum*.

49. *Isui*] Dissyllabum. Malè igitur *Jessui* in Hieronymo, quòd potiùs ישוי scriberetur. Nec meliùs Lxx Ἰεσσιοὺ *Jessiu*. Hic in bello ubi cecidit cum patre, & alibi, *Abinadab* vocatur: nam διώνυμος fuit. Mirari libet cur hîc nullam faciat mentionem Isboseth, qui & *Esbaal*. An quia non est egressus cum reliquis ad bellum? Nam memoratur ubi de genere Saulis. Vide, si placet, D. Camium ad h. l. ¶ *Melchi-sua*] Vel *Malchi-sua*, hoc antiquum, illud recenti consuetudine lectum. Sic *Melchi-sedec* & *Malchi-sedec*, *Melchom* & *Malchom*. ¶ *Michol*] Nunc *Michal* per (-) quod tamen Jon. scribit per (·) Lxx Μελχόλ *Melchol*.

50. *Abner*] In fonte hîc est *Abiner*, ut etiam in Jonatha. Idem paulò pòst *Abner* vocatur. Lxx Ἀβεννὴρ *Abenner*. Utrumque sonat *Pater lucernæ*. אב sive אבי *pater*, נר *lucerna*.

52. *Filium potentiæ*] Lxx υἱὸν δυνάμεως, i. *exercitûs*; bonum militem. Hieron. *aptum ad prælium*. Suprà, *fecit potentiam*, sive *virtutem*, i. exercitum collegit. Sic *DOMINUS virtutum*, i. exercituum. Jon. *omnem virum facientem prælium*. Alius *virum strenuum*. Sic אשת חיל *uxor strenua*. Ad verb. *mulier virtutis*. Quidam *virtute prædita*. ¶ *Collegit eum*] *Recepit eum ad se*. Notavi aliás. Fortè sensus, *in domum suam*. Sic, *irruit ad Pompeium*, ad domum Pompeii.

IDEM.

4. שֵׁן הַסֶּלַע. Schol. ἀκρωτήριον πέτρας, *summitas*, sive *cacumen*, aut *vertex*, *petræ*] Vel *extremitas petræ*. Hier. *eminentes petræ ex utraque parte*. Id alius dixit ἀκρωτήριον καὶ ἀκρωτήριον. Quanquam hîc mihi non clarè lucet. Sequitur in notis ad ed. Rom. μᾶλλον ταῦτα ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἠστερίσθαι ὡς ἐκ Θεοδ. προστεθέντα· quæ verba dicunt asteriscum fuisse in Hexaplo, qui significabat additum hoc τοῖς ὁ ex Theodotione.

42. וַיִּלָּכֵד יוֹנָתָן] Ante hæc verba quædam habentur in ed. Rom. quæ Græca scholia notant addita fuisse sub asterisco ex Theodotione. Vide, si placet, & si otium est.

GROTIUS.

1. JOnathas] Fuit is fortis, comis, minimè ambitiosus: Talis ferme Germanicus. ¶ *Armigerum suum*] Vide infrà 14. & 16. 21. Talis Automedon Achilli, Æneæ Achates. Vulgus *scutarium* vocat.

6. *Non est Domino difficile servare in multis, vel in paucis*] Sententia in usu apud Hebræos. Apparet 2 Par. 14. 11. & 1 Macc. 3. 18. 2 Macc. 15. 27. Exempla vide Jud. 7. 4. infrà 17. 47. 2 Par. 25. 8. Similis sententia Psal. 147. 10.

19. *Et ait Saul ad sacerdotem, Contrahe manum tuam*] Ità ferme Capaneus Thebaidos Papinianæ 3. ad Amphiaraum,

———sed prima ad classica cùm jam
Hostilem Ismenon galeis Dircénque bibemus,
Nè mihi tunc moneo lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, ventisque aut alite visa
Bellorum proferre diem, procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego & mecum quicunque parati
Insanire manu.

21. *Reversi sunt ut essent cum Israel*] Sæpe factum ut calente prælio captivi ad suos transfugerent.

24. *Maledictus vir qui comederit panem*] לחם hîc & alibi non *panem* speciatim, sed *quemvis cibum* significat, ut apparet infrà 43, 44. Edictum hoc Saulis hominis & imperiosi & προπετοῦς imprudentiam arguit: nam & diu pugnantibus opus cibo refici, & pœna gravior tali delicto. Præterea excipi debent ignorantes.

27. *Et illuminati sunt oculi ejus*] Nam ex inedia tenebræ oboriuntur, ut Plautus ait Curculione.

33. *Jam nunc*] Valde bene interpretatus est Hebræum היום: quia יום apud eos sæpe tempus significat; Psal. 82. 2. Num. 3. 13. Esa. 30. 26. Ostendunt sequentia jam noctem fuisse.

34. *Et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine*] Qui suas leges rigidè vult observari, Divinas pro temporibus flecti vult. Inter lege Dei vetita est Edere coram sanguine, i. non amoto ab obtecto pecudis sanguine, Lev. 17. 13. & 19. 26. Benè hîc Josephus, συμβαίνῃ μὴ κρατεῖν λογισμοῦ τοὺς ἐντυχήσαντας.

35. *Ædificavit autem Saul altare Domino: túncque primùm cœpit ædificare altare Domino*] Melius est hæc posteriora sumere ἐξηγητικῶς, *Ædificavit Saul altare Domino, id est, cœpit ædificare*, primus lapidem jecit ad ædificandum altare.

44. *Morte morieris, Jonatha*] Miri ingenii homo, qui Regi impio quàm bono filio mallet parcere. Vide caput sequens.

45. *Liberavit ergò populus Jonathan*] Non imperio, sed deprecando, quomodo populus Romanus Fabium Rutilianum apud Papirium Dictatorem, quæ historia apud Livium est l. 8. Neque hîc obstare debebat jusjurandum Saulis, ut quod injustam in se atrocitatem contineret. Vide quæ dicta l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 6. Attamen peccavit Saul προπετῶς ὀμνύων, & diræ ab ipso pronunciatæ tandem in ipsum reciderunt.

52. *Quemcunque viderat Saul virum fortem & aptum ad prælium, sociabat eum sibi*] Belli temporibus viri fortes suo pretio æstimantur.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

3. EXstirpate] Heb. *anathemati subjicite*: h. e. in nihilum redigite omnia. Quæ vivunt occidite, quæ non vivunt comburite & devastate, ut nemini hinc utilitatis aliquid accrescat. Hoc enim sign. verbum חרם, etiamsi aliquando significet *Aliquid Deo dicare & consecrare atque à profano usu ad cultum Dei transferre*.

4. *Congregans*] Capitur hîc שמע in Piel pro אסף, sicut vertimus. ¶ *In Telaim*] Quidam dicunt טלאים hîc capiendum pro *agnis*, qui numerati fuerunt, & ex eorum numero cognita est summa virorum. Singuli enim adduxerunt singulos agnos.

5. *Posuit insidias*] Scribitur hîc ירב pro יארב in conjug. Hiphil. Alii putant radicem esse ריב *disceptavit*, *contendit*. Chaldæus vertit טקים משריתיה *ordinavit exercitum suum*.

6. *Nè fortè perdam te*] Est אסף idem quod סוף.

9. *Pecus vile*] Heb. מלאכה *opus*: & capitur non tam pro pecoribus quàm pro reliqua supellectili. Et nota quòd hîc scribitur נמבזה pro נבזה *contemptum & flaccidum*.

12. *Constituit sibi locum*] Capitur hîc יד pro מקום. Kimhi post Jonathan hunc locum sic interpretatur, *paravit sibi locum ibi in quo castra poneret & ubi spolia divideret*. Alii interpretantur *trophæum*.

16. *Dixit ei*] Quædam exempl. habent, *& dixerunt ei*, refertúrque plurale illud ad Saul & Seniores ejus.

23. *Peccatum magiæ*] Sensus est; Non minus est peccatum quando quis rebellis est præcepto Domini quàm cùm quis fiduciam suam magis ponit in augurium & ariolandi artem quàm in verbum Domini: vel, ut crassiùs dicam, Deo nolle obedire est idolorum cultura. Porrò verbum פצר sonat hîc *Per vim & contra rationem velle adhærere vanitati*.

29. *Non fallet victoria Israelitis*] Sensus est; Licet Regnum sit scissum à te & à semine tuo, eò quòd inobediens extiteris verbo Domini, tamen Deus, qui est fortitudo Israel, non deerit populo suo, nec permittet concidere Regnum Israelis; sed delegit sibi virum alium secundùm cor suum, quem in locum tuum substituet, *&c.* Est itáque hîc נצח idem quod חוק *fortitudo*, vel *victoria*.

32. *Delicatè*]

32. *Delicatè*] h. e. Accessit suaviter more Regio, vel *accessit superbè*, perinde quasi minimè mortem horreret. Alii per מעדנות intelligunt כבלי ברזל *compedes & vincula ferrea quibus constrictus fuerat.*

33. *Utique accedit amara mors*] K. exponit סר per הניע, ut nos vertimus. Ben Levi exponit in hunc modum, *Verè recedit amaritudo mortis*; sperans scilicet per Samuelem à morte liberari. Alii verò putant eum hæc verba dixisse quòd ostenderet se contemnere mortem; *Recessit*, inquiens, *à me metus amaræ mortis*. Intrepidus accedo; tantum abest ut vobis supplex fiam pro mea liberatione. Jonathan verò Chald. contrarium colligit sensum, nempe hunc, *Heu, mi domine, amara est mors*, סר scilicet exponens per בבעו, quod aliquando interjectio est dolentis.

VATABLUS.

1. *Super Israelem*, על ישראל] Expositionis loco additum, q. d. *super populum suum, h. e. super Israelem.* ¶ *Audi vocem verborum*, שמע לקול דברי] i. Pare mandato ac præcepto Jehovæ.

2. *Recordor*, פקדתי] Ad verb. *Recordatus sum. Memini*. Alii vertunt, *Visitabo*, vel *Rependam*. ¶ *Quòd posuerit illi*, אשר שם לו] *Opposuit enim sese illi*, i. restitit illi. Vel, ut habet doctus inter Hebræos, *opposuit enim illi insidiatores*, vel *exercitum suum*. Chaldæus paraph. *qui insidiatus est illi.*

3. *Et percute*, והכיתה] Futura in hoc versu Heb. pro imperat.

4. *Et congregavit*, וישמע] Ad verb. *Et audire fecit*, quod per *congregavit* doctus inter Hebræos cum Chaldæo paraph. exponit, quòd ad vocem congregentur homines. ¶ *In Telaim*, בטלאים] Nomen loci, ut admonet doctus inter Hebræos. Idem tamen admonet rectiùs verti posse *cum agnis*, quia singuli adducebant agnum, ex quorum numero noscebatur numerus militum: non enim licebat populum numerare, quòd Deus esset iratus. Chaldæus paraph. *cum agnis Paschalibus.*

5. *Venit itaque*, &c. ויבא וגו'] i. *Pervenit itaque Saul ad urbem Amalec, & tetendit* insidias *in torrente*, adjacente scilicet urbi. i. Cùm pervenisset Saul ad urbem Amalecitarum, tetendit insidias, &c. Vel, ut vertit noster interpres, *certavit*, sive *dimicavit*, *in torrente*. Chaldæus paraph. *instruxit aciem*, vel *disposuit exercitum.*

6. *Dixitque*, ויאמר] Sub. *per nuncios*. Alii, *Jam verò dixerat*. ¶ *Cinæum* dicit pro *Cinæis*, nepotibus Jethro. ¶ *Ite, recedite*, לכו סורו] i. Citò discedite hinc. Cinæi habitabant in tabernaculis: idcirco frequenter locum mutabant. ¶ *Fecisti misericordiam*, עשיתה חסד] i. Præclaro beneficio affecisti. Hoc dicit propter consilium Jethro, Exod 18. Factum patris tribuitur nepotibus.

8. *Et omnem populum*, ואת כל העם] *Et reliquum omne vulgus.*

9. *Et optimæ parti ovium*, ועל מיטב הצאן] *Et præstantioribus ovibus*, i. optimis gregibus ovium, h.e. optimis quibusque ovibus, & optimo cuique armento. ¶ *Et pinguibus*, והמשנים] Sic Chaldæus paraph. i. pinguibus suâ ipsorum naturâ. ¶ *Et saginatis*, ועל הכרים] Industriâ humanâ scilicet. Alii *anniculis & arietibus*, i. majoribus natu. Alii *agnis secundi partûs*, i. secundo partu natis: sunt enim præstantiores. Alii *agnis bimis*, i. duorum annorum. ¶ *Et omni quod bonum erat*, ועל כל הטוב] Conjunctio *&* perinde accipienda est acsi dicas, *Et, ut summatim dicam, omni quod*, &c. i. præstantissimis quibusque animalibus. ¶ *Quicquid autem*, &c. וכל המלאכה וגו'] *Omnem autem substantiam vilem & marcidam deleverunt*. מלאכה sign. omnem rem in qua collocamus nostram operam, i. *peculium*, vel *substantiam*. Pro *pecore* etiam accipitur.

11. *Aversus est à me*, שב מאחרי] Ad verb. *aversus est de post me*, i. desiit me sequi, h. e. deseruit me. ¶ *Confirmavit*, הקים] *Statuit, adimplevit*. ¶ *Clamavitque ad Jehovam*, ויזעק אל יהוה] Ut scilicet eum placaret.

12. *Et ecce constituit se*, &c. והנה מציב וגו'] i. Designavit sibi locum in quo poneat castra, nempe ut illic dividat prædam: *& aversus transiit, descenditque*, &c. Alii vertunt *arcum triumphalem.*

13. *Benedictus tu à Jehova*, ברוך אתה ליהוה] q. d. Diligit te, ac tibi favet plurimùm, qui revelet tibi secreta sua. ¶ *Statui*, הקימותי] *Adimplevi.*

14. *Et quis est balatus*, ומה קול] *Quid ergò sibi vult iste balatus?* ¶ *In auribus meis*, באזני] Hebraismum istum mox explicat cùm dicit, *quem audio.*

15. *Deo tuo*, אלהיך] i. Quem colis, & qui tibi sua secreta revelat.

16. *Permitte*, הרף] *Sine*. sub. *me loqui*, i. Sine me ut indicem tibi, &c.

17. *Cùm parvulus esses in oculis tuis*, אם קטון אתה בעיניך] Quamvis esses sortis infimæ, etiam tuo judicio, quamvis videreris tibi parvus, sive reputares te parvum, tamen, &c.

18. *Per viam*, בדרך] i. Ut accingeres te itineri. ¶ *Consumpserint*, כלותם] Sub. *tui milites.*

19. *In oculis Jehovæ*, בעיני יהוה] i. Quod maximè displicet Domino.

20. *Et adduxi*, ואביא] *Adduxi enim*, sub. *captivum*, neque permisi ut faceret quod liberet.

21. *Præcipua anathematis*, ראשית החרם] *Primitias anathematis*, i. animalia præstantiora quæ delenda erant & prorsus perdenda. Chaldæus paraphr. *in principio anathematis*, i. priusquam inciperet perdere animalia.

22. *Nunquid voluntas Jehovæ est in holocaustis*, &c. החפץ ליהוה בעולות וגו'] *Nunquid beneplacitum Jehovæ est in holocaustis*, i. Amátne Dominus holocausta & victimas perinde atque obtemperare, &c. Vel, Súntne holocausta & sacrificia æquè grata Deo atque obedire illi? ¶ *Voci Jehovæ?* בקול יהוה] Antecedens pro relativo, *voci ipsius?* ¶ *Parere*, שמוע] *Obedire*, i. obedientia. ¶ *Quàm adeps arietum*, מחלב אילים] i. Quàm offerre adipem arietum.

23. *Peccatum divinationis est rebellio*, חטאת קסם מרי] i. rebellio est tam grave peccatum quàm divinatio. Alii exponunt, *Tam gravis punitio debetur rebellioni quàm divinationi*. ¶ *Et idolum & theraphim transgredi*, ואון ותרפים הפצר] *Atque iniquitas & theraphim transgredi*, sub. *voluntatem Dei*, acsi dicat, Voluntatem Dei transgredi, addere præcepto ejus, tam grave est peccatum quàm velle scire futura per simulacra. Vox Hebræa און *aven*, pro qua *iniquitatem* vertunt nonnulli, significat *iniquitatem, mendacium*, & *falsitatem*, & etiam ipsa Gentium *idola*, quòd aliud non sint quàm mendacium, fallentia homines. *Theraphim* vocat simulacra per quæ futura sciuntur. De qua voce vide Gen. 31. 19. Qui transgreditur præceptum Dei, i. addit aliquid, videtur negare Deum esse prudentissimum, & se Deo ipso facit prudentiorem. ¶ *Abjecit te nè sis Rex*, וימאסך ממלך] i. Te dignitate Regiâ privat, q. d. Denuncio tibi jussu Dei quòd posthac non eris Rex Israelis.

24 *Sermonem Jehovæ*, את פי יהוה] Ad verb. *Os Jehovæ.*

25. *Parce, obsecro, peccato meo*, שא נא את חטאתי] *Dimitte, quæso, peccatum meum*, i. condona mihi hanc culpam. ¶ *Et adorabo Jehovam*, ואשתחוה ליהוה] *Ut curvem me Jehovæ: ut adorem Jehovam.*

26. *Projecisti*, &c. מאסתה וגו'] *Contempsisti verbum Jehovæ, te quoque contempsit.*

27. *Oram*, בכנף] Hæc vox sign. alteram partium anteriorum vestis, *alam* scilicet. Gallicè, *le pan d'une robbe.* ¶ *Et scissa est*, ויקרע] *Et rupta est.*

28. *Scidit*, קרע] *Rupit*, q. d. *avulsit*, *abstraxit*. Chaldæus paraph. *abstulit*, i. privavit te hodie jure Regni. ¶ *Meliori te*, הטוב ממך] *Præstantiori te.*

29. *Et etiam Fortitudo*, וגם נצח] *Et etiam Victoria*, &c. i. Deus qui est author victoriarum quibus potitus est Israel, qui protegit ac defendit Israelem, Triumphator ille maximus in Israele Deus, non mentietur illi cui dedit Regnum tuum. Alii, *Et etiam virtutem Israelis non faciet irritam*, sub. *Dominus*, i. Neque tamen destituet Dominus Israelem pristinâ virtute.

30. *Honora me, quæso*, כבדני נא] *Honore affice me*, i. id honoris

honoris mihi exhibe, quæso, ut revertaris mecum,&c. ¶ *Ut adorem*, [והשתחויתי] Ad verb. *Et incurv. bo me*.

31. *Reversus itaque*, &c. [וישב ונו'] Ad verb. *Et reversus est Samuel post Saulem*.

32. *Adducite ad me*, [הגישו אלי] Ad verb. *Appropinquare facite mihi*. ¶ Cum *deliciis*, [מעדנות] Cum *voluptatibus*, i. gressu & incessu regio ac superbo. Alii, *gaudens*, aut *hilaris*, quòd scilicet præferret mortem vitæ. Alii, Cum *vinculis*, i. vinctus. ¶ *Venit*, [סר] *Declinavit*, sub. *ad me*, i. irruit in me, vel *invasit me amaritudo mortis*, q. d. Actum est de me, Penè jam morior. Quidam Hebræorum, *recessit*, quo sermone præ se ferre videtur contemptum mortis, q. d. Non moriar.

33. *Orbavit*, [שכלה] Sub. *liberis*, vel *maritis*. ¶ *Præ mulieribus*, [מנשים] Vel, *inter mulieres*.

35. *Neque ultrà*, &c. [ולא יסף ונו'] Ad verb. *Et non addidit Samuel videre*, &c. i. Nec postea invisit Samuel Saulem, nec allocutus est. ¶ *Lugebat enim*, [כי התאבל] Præt. Hebr. per præt. imperf. reddendum, i. erat in perpetuo luctu ac mœrore propter motum Saulem à Regno. ¶ *Pœnituit*, [נחם] *Pœnituerat*.

CASTALIO.

6. *Cenæos*] Erant ii Jethrone Mosis socero prognati.

17. *Ut tu tibi videbare*] Dixerat enim Saulus se tenuissimæ conditionis esse, c. 9.

CLARIUS.

3. *Demolire*] h. e. *Anathemati subjice*, & in nihilum redige omnia. Quæ vivunt occidite, quæ non vivunt comburite & devastate, ut nemini hinc utilitatis aliquid accrescat.

4. *In Telaim*] Quidam dicunt *Telaim* hîc capiendum pro *agnis*, qui numerati fuerunt, & ex eorum numero cognita est summa virorum. Singuli enim adduxerant singulos agnos.

12. *Constituisset sibi locum*] Quidam sic interpretantur *Paravit sibi locum ibi in quo castra poneret & ubi spolia divideret*.

23. *Peccatum ariolandi*] Non minus, inquit, est peccatum quando quis rebellis est præcepto Domini quàm cùm quis fiduciam suam magis ponit in augurum & ariolandi artem quàm in verbum Domini: & Deo nolle obedire est idolorum cultura.

26. *Abjecit te Dominus*] Is qui Dei voluntate electus fuerat in Regem, tamen abjectus est: quid illis fiet qui contra Dei præceptum invadunt dignitates, & gradus sibi vendicant nullâ habitâ Divini timoris ratione?

29. *Non fallet Fortitudo Israelis*] Sensus est, Licèt Regnum tuum sit scissum à te & à semine tuo, eò quòd inobediens fueris verbo Domini, tamen Deus, qui est fortitudo Israel, non deerit populo suo, nec permittet concidere Regnum Israelis; sed delegit sibi virum alium secundùm cor suum, quem in locum tuum substituet.

32. *Delicatè*] h. e. accessit suaviter, more regio, vel, *accessit superbè*, perinde quasi minimè mortem horreret.

33. *Utique accedit*] Quidam aliter exponunt, in hunc modum, *Verè recedit amaritudo mortis*; sperans scilicet per Samuelem à morte liberari.

DRUSIUS.

1. *Super populum ejus super Israel*] Ex elegantiis Ebraici sermonis hæc est, quam amittunt qui vertunt *super populum meum Israel*. Sic Gen. 21. 10. *Cum filio meo cum Isahaco*, & 32. 6. *Ad fratrem tuum ad Esau*, & 18. לעבדך ליעקב τῷ δούλῳ σου τῷ Ἰακώβ, & 4. 2. *Addidit parere* את אחיו את הבל *fratrem ejus Habel*, τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν Ἄβελ. Sic Zach. 11. 10. את מקלי את נעם τὴν ῥάβδον μου τὸ κάλλος. ¶ *Ausculta voci verborum Domini*] i. Loquentis Domini. Jon. *audi sermonem verbi Domini*. Hieron. *Audi vocem Domini*. Sic etiam Lxx. Quidam *audi vocem verba Domini*, ut sit ἀσύνδετον, pro & *verba Domini*. Sic Deut. 1. 34. *Audivit Dominus vocem verborum vestrorum*, & 4. 12. *Vocem verborum vos audivistis*, & 5. 28. *vocem verborum vestrorum*. Vide sis hîc Job 33. 8. וקול מלין אשמע, & 34. 16. *Attende voci* מלי *verborum meorum*, i. ad vocem meam qui loquor. Sic hoc loco, *ausculta voci loquentis Dei*. Nam est *vox fletûs*, & *vox deprecationum*, & *vox buccinæ*, & *vox confessionis* sive *laudis*, & *vox organi*, & *vox cantûs*, & *vox orationis*. Vide Concord. in קול. Trem. *ausculta voci verbísque Domini*. Dicunt Ebræi, *Tria præcepta esse Israeli cùm ingrederetur Terram*, 1. *Constituere ex fratribus Regem*, 2. *Delere nomen & memoriam Amalec*, 3. *Exstruere domum electam*, quam vocant בית בחירה. Vide Camium.

2. *Visitavi*] Idem ferè cum illo, *Recordatus sum*. Sanè Jon. *Recordor ego*. Deus *recordatur* aut in bonum aut in malum: In bonum, ut Gen. 8. 1. Psal. 74. 2. In malum, ut Psal. 9. 12. Sic *recordatur iniquitates* quas punit. Hieron. *Recensui*: nam id פקד etiam significat. Lxx ἐκδικήσω *ulciscar*. R. D. *Nunc ego volo visitare contra Amalec quæ fecit Israeli*. Latinè, *Nunc ego volo animadvertere in illum, & vindicare illa quæ fecit Israeli*. *Visitare* hoc sensu ferè post se habet particulam על *contra*. Dixi פקד affinitatem habere cum verbo *recordor*. Sanè Psal. 8. 4. legimus, *Quid mortalis, ut memor sis ejus? filius hominis, ut visites eum?* Visitat ergò, & qui liberat, & qui vindicat sive punit. Vide Tropos. Exod. 20. 5. *visitans iniquitatem patrum*. Jon. *recordans, meminens*. Abenezra hîc observat *Visitationem* esse quasi *recordationem*; ut cùm legimus Gen. 21. 1. *Visitavit Dominus Saram*. Onc. & Jon. *Recordatus est eam*, q. d. Promissa ei præstitit. Sed hic est *visitare in bonum*, quod & *respicere* dicunt, i. propitium esse, ut, *Visitavit nos germen ex alto*, quod exponunt *respexit*. Sic, *visitavit populum suum dando eis panem*, Ruth. 1. 6. ¶ *Posuit ei*] *Opposuit se ei*; *vel certè*, *posuit insidias*, ità R. D. Sanè Jon. *insidiatus est ei*. Nota *ponere* absolutè positum pro *ponere insidias*. Alibi sign. *ponere castra* Psal. 3. 6. שתו *posuerunt*. Sic Virgilius *tendere* dixit. Amalec erat in insidiis cùm exercitus Israel esset in via. Quid si, *posuit contra eum*, ut sit לו pro עליו? Expende. Hieron. *restitit ei*. Lxx ἀπήντησεν αὐτῷ. R. Jesaias שם לו מארב בדרך.

3. *Exterminabitis*] Perdetis penitus & internecioni dabitis. Sic alibi, *exterminabitis omnem animam*. Verbum est החרים, quod significationem habet כליה והשחתה *consumptionis & perditionis*, sive *corruptionis*. In Græcis est Ἱερεὶμ, i. החרים, & mox, καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, *anathemate devovebis*. Quod cùm fit, nemo potest ex iis rebus utilitatem capere. Sic exposuit hunc locum R. Joseph Kimchi pater Davidis. Hieron. *demolire universa ejus*. In Compl. ed. καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ ἀναθεματιεῖς, & *disperdes eum*, &c. & *anathemabis*. Sic olim loquebantur pro *anathematizabis*. Ἱερεὶμ posses reddere *anathemate devotos*. Sic mox, καὶ Ἱερεὶμ ἀπέκτεινε & *Hierim occidit, interfecit*.

4. *Et congregavit*] Hîc est וישמע in fonte, q. d. *audire fecit*: nam per præconem congregavit eos. Vide Camium. ¶ *In Telaim*] Nomen loci proprium cum articulo, præter morem & consuetudinem. Sic legimus בקרקר *in Carcar*, & בסכות *in Succhoth*, & בשטים *in Settim*. Aut est nomen appellativum, *recensuit eos in agnis*, qui טלאים dicuntur, à sing. טלה *agnus*. Jon. *in agnis Paschalibus*. Hieron. *quasi agnos*, legit Caph pro Beth. Lxx ἐν Γαλγάλοις. Nomen minus notum permutarunt cum notiore: quod crebrum in illa editione. Sic alibi *Jehu* mutatum in *Juda*, & *Pathuel* in *Bathuel*, & alia sexcenta. Religio erat veteribus numerare populum. Ideo cùm vellent numerum ejus inire, singuli dabant lapidem, aut agnum, qui postea numerabantur: atque ità sciebant quanto numero essent. Videndus R. D. ad h. l. In bello Nahas Regis filiorum Ammon Saul numeravit eos בבזק, i. *lapidibus*, ויפקדם בבזק, 1 Sam. 11. 8. טלאים locus ejus nominis ubi Saul exercitum recensuit, quem nonnulli confundunt cum טלם, qui locus est in tribu Juda Jos. 15. 24. sed perperàm: quippe à *Telem* plur. esset *Telamim*, & non *Telaim*, quod singularem habet טלה, & *agnum* sign. unde quidam hîc legunt *recensuit eos agnis*: nempe singuli

singuli domo adferebant agnum quem dabant: hi agni postea numerabantur. Nam religio ipsis erat numerare populum: quod Davidi malè olim cessit: nam punitus fuit propterea. Ideo dicit R. Eliezer, *Quicunque numerat populum peccat in Non facies. Nam de eo dicitur quòd innumerabilis sit.* Hic notabis aliud esse recensere populum simpliciter, ut David fecit; & aliud recensere populum qui militatum venit, ut Saul: aliud esse numerare populum ob necessariam causam, & aliud numerare eum quando nulla subest causa necessaria. Causa necessaria est cùm hostis invadendus aut repellendus est: tunc non peccat qui eum numerat: numerat enim exercitum suum; quod semper licuit Imperatori. Non ergò Saul hîc peccavit; nec opus est confugere ad Agnos, quanquam טלאים appellativè sumptum *agnos* denotet, ut Jes. 40. 11. *Et brachio suo colligit agnos.* Sunt qui scribant ximpus Paschatis fuisse, & ideo quemlibet agnum adduxisse secum; qui agni postea numerati fuerunt. Ità sanè Jonathan. Notatum etiam in fonte בטלאים, cum articulo, qui nominibus propriis præponi non solet nisi cùm eadem etiam appellativa sunt; ut *Succhoth*, quod appellativè *tabernacula* sign. & *Settim*, quod *spinæ genus* denotat. Sic Jud. 8. 10. legimus בקרקר *in Carcor*, à verbo קרקר, quod sign. *destruere ac demoliri parietem*: nam originem habere putant à קיר *paries*. Mirantur Grammatici de forma טלאים, quæ deberet potiùs esse טְלָאִים, ut à טמא *pollutus* dicimus טמאים *polluti*, & à צמא *sitiens* צמאים *sitientes*. Nam à טלה regulariter esset טלים, ut à קנה *canna, calamus*, קנים *calami*. Scire licet simile in Ebraismo esse נכאים *percussi* Jes. 16. 7. à sing. נכה unde נכה רוח Jes. 66. 2. & נכה רגלים 2 Sam 4. 4. & 9. 3. *percussus pedibus*, i. claudus.

5. *Et insidiatus est*] Lxx καὶ ἐνήδρευσεν. Hieron. *tetendit insidias*. וירב acceperunt pro ויארב, à verbo ארב *insidior*. Sic etiam R. D. quem vide, si placet. Alii, *pugnavit in valle*: nam ריב μάχη *pugna*. Sed est μάχη ἡ διὰ χειρῶν, quæ *rixa* Latinis; & ἡ διὰ λόγων, *litigatio, jurgium*; & ἡ ἐν πολέμῳ, *prælium, pugna*. Jon. *ordinavit castra sua, & prælium instruxit in valle*. Sanè R. Levi ait מלחמה *pugnam* & ריב synonyma esse. Sic Jes. 51. 22. יריב עמו. Hieron. *pugnabit pro populo suo*. Quin verbum רב per μάχομαι interpretantur Lxx Gen. 26. 20. & Neh. 5. 7. Sed & ריב μάχη Gen. 13. 7. & alibi, & Jud. 11. 25. μάχη ἐμαχέσατο legitur, ubi in aliis editionibus πολέμῳ. Hæc omnia docent parùm aut nihil interesse inter ריב & *pugnam*. Quod firmat Scholion R. Salomonis וילחם *& pugnavit*. Hinc ירב nomen Regis an urbis? Hos. 10. 6. *munus regi Jareb*: ubi Lxx Ἰαρείμ. Mendum quale in Σενναχερείμ nam legendum Ἰαρείβ. Hoc mendum imposuit Cypriano interpretanti JARIM *sylvester*, (i. יערים *sylvæ*, plurale à יער *sylva*) in Expositione Symboli Apostolici. In libro Nominum, *Jarib, Dijudicans, vel Ulciscens. Jarim, civitas Gabaonitarum.* Vide Onomasticum.

8. *Interfecit*] Lxx καὶ Ἱερείμ ἀπέκτεινε. Sunt duæ interpretationes. Nam Ἱερείμ valet ἀπέκτεινεν *interfecit*, i. החרים. Quid ad hæc illi qui Græcos interpretando nunquam errasse scribunt? Nam si החרים sign. Ἱερείμ, non sign. ἀπέκτεινε, & si hoc, non illud. Qui hoc nescit, nihil scit.

9. *Et secundos*] משנים *secundi ab optimis*, qui & *secundarii* dici possent. Nam *secundarius M. Crassi* vocatur Q. Arrius, quòd secundum à M. Crasso eloquentiæ locum obtineret. Sic *secundarius Regis*, qui & *secundus à Rege*, h. e. משנה למלך, secundus ad Regiam dignitatem, & משנה לכהן הגדול, secundus ad Pontificatum, *secundarius Pontificis*. Sunt qui hîc significari putant *secundo-genitos*, q. שניים לבטן. Sunt qui *agnos anniculos*, sive *unius anni*; & כרים vocari dicunt *eos qui annum excesserunt*. Plures tamen per transpositionem literarum משנים *dici putant* pro שמנים *pingues*: qualis transpositio est in כבש & כשב *agnus*, in שמלה & שלמה *vestis*. ¶ *Despectum*] Hieron. *quicquid vile fuit*. Lxx ἠτιμωμένον *inhonoratum*. Jonathan דשיט *quod vile & contemptibile est*. Esset autem נבזה, sed hîc additur litera נאובה, quod non ità tritum. Nota simul legi masc. & fem. נמס enim participium est masculinum: & est constructio sensu congrua. Sic alibi רוח גדולה וחזק, quod exemplum hîc adducitur, licèt nomen רוח sit communis generis: Qua de re aliàs, si Deus voluerit. Cæterùm מלאכה appellat ipsas *pecudes*. i. המקנה, ut Gen. 33. 14. לרגל המלאכה *ad pedem hujus pecoris*, Ità R. D. Sic Exod. 22. 8. & 36, 6. *Res enim omnis in qua homo seipsum exercet & occupatus est vocatur* מלאכה & מעשה, *sive fuerit opus artificum, sive opus terræ*, i. agricultura, *sive in pecore*. Hæc R. D. Sic 1 Sam. 25. 2. מעשה *pecudes*. Sanè in Ed. Rom. ποίμνια. Vide Notas.

Hîc finit autographum Autoris. Cætera in Adversariis adfecta reservantur in illud tempus quo Magnæ annotationes lucem videbunt.

IDEM.

23. חַטַּאת קֶסֶם מֶרִי וְאָוֶן וּתְרָפִים הַפְצַר. Sym. ἁμαρτία μαντείας τὸ παρεγείζειν· ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν, *Peccatum vaticinationis, provocare; iniquitas vero idolorum, immorigerum esse*. A. ἁμαρτία μαντείας παραπικρασμὸς—*peccatum vaticinationis, irritatio*] *Provocare*. Provocare ad iram, irritare, exasperare. Sic 3 Reg. 12. ἐρίζητε τῷ σόματι Κυρίου exponitur *exasperaveritis os Domini*. ¶ *Idolorum*. Scholion, τὸ δὲ Θεραφὶν Ἀκύλας Θεραπεία καὶ Ἀνθυφαίρεσις ἡρμήνευσε. καὶ τὸ Θεραφὶν δὲ ἀντὶ τοῦ ἐπιτερήσεως τέθηκεν. Ἀνθυφαίρεσις, *subtractio mutua*, *cùm quid vicissim subtrahitur & aufertur*. Ἐπιτερήσεως, In libris emendatioribus ἐπιτηρήσεως. Hæc hujusmodi sunt ut nolim in iis excutiendis & examinandis bonas horas collocare. Alius id faciet, qui volet.

GROTIUS.

5. **R**Ecedite atque descendite ab Amalec] Qui medii haberi volunt segregari se ab hostibus debent, & æquos se præstare utrisque. Vide quæ dicta l. 3. De J. B. ac P. c. 17.

22. *Numquid vult Deus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini?*] Comparatè hæc intelligi debere sequentia ostendunt. Josephus hæc sic explicat, ὁ προφήτης οὐχὶ θυσίαις ἔλεγεν ἥδεσθαι τὸ θεῖον, ἀλλὰ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ δικαίοις. Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τῇ βουλήσει καὶ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ κατακολουθοῦντες, καὶ μηδὲν ἄλλο πραχθήσεσθαι καλῶς ὑφ' ἑαυτῶν νομίζοντες ἢ ὅ, τι ἂν ποιήσωσι τοῦ Θεοῦ κεκελευκότος.

23. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare*] *Ariolationem* Latinus vocat quam Græci alii οἰώνισμα, alii μαντείαν, quæ opponitur τῇ προφητείᾳ ut idola Deo. Vide Lev. 19. 26, 31. & 20. 6, 27. Deut. 18. 10, 11. Benè dictum ab antiquis, οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγον. ¶ *Quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*] Heb. *Vanitas Teraphim*, ubi vox *Teraphim*, quæ media est, ut alibi diximus, per adjunctum *vanitatis* ostenditur sumi in malam partem. Benè vertit Symmachus, ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν.

25. *Porta, quæso, peccatum meum*] Heb. שא, i. *aufer*, nempe apud Deum deprecando.

33. *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua*] Jus Rhadamanthi. Vide De J. B. ac P. l. 1. c. 2. §. 5. ¶ *Et in frusta concidit eum Samuel*] Cessantibus in officio Regibus, sæpe per Prophetas Deus legis suæ sanctiones exsequebatur, 1 Reg. 18. 40.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

4. **O**Bstupefacti sunt] Sunt multi qui post Jonathan exponunt verbum ויחרדו per נקבצו *congregati sunt*. Alii verò exponunt pro *pavere*. Timuerunt enim ne

nè propter inopinatum adventum Prophetæ aliquid mali natum esset in civitate sua.

6. *Certè coram Domino est Christus ejus*] Hoc dicebat apud se, putans quòd Dominus illum sibi delegisset in Regem quem ipse ungeret; præsertim cùm esset primogenitus, & pulchræ formæ proceræque staturæ.

11. *Discumbemus*] Hoc dicitur quòd post sacrificia Pacificorum edebantur consecrata. Habet propriè Hebraismus *Circumdabimus*, quoniam sedebant in corona ad mensam.

12. *Pulchróque aspectu*] Est nomen רואי hîc ejusdem formæ cùm חולי, quod nomen *infirmitatem* significat.

13. *Invasit Spiritus Domini*] Chald. interpres exponit verbum צלח per שרת *mansit*, vel *habitavit*. Kimhi verò, quem hîc secutus sum, exponit עבר *pervasit*. Alii *agitare cœpit*.

14. *Spiritus malus turbavit eum*] Radix Hebraici verbi est בעת, & non בעה, ut hîc non fuerit à quodam vertendum *inflavit eum*.

VATABLUS.

1. *Oleo*, שמן] Sub. *unctionis*. ¶ *Et veni*, ולך] Vice adverbii hortantis ponitur verbum istud hoc loco, ut & aliis locis. ¶ *Providi eum*, &c. ראיתי בבניו לי מלך] i. Decrevi constituere Regem unum ex filiis ejus.

2. *Vitulam boum*, עגלת בקר] i. Vitulam armenti, sive de armento, aut *vitulam* filiam *bovis*, ut aliàs sæpe.

3. *Ad victimam*, בזבח] *Ad sacrificium*, vel *ad convivium*, ut vertit Chaldæus paraph. quod celebrabitur de carnibus victimæ pacificæ immolatæ, vel *ad victimam*, i. propter victimam comedendam, sive carnes victimæ comedendas.

4. *Commoti sunt autem*, ויחרדו] *Trepidaverunt autem*, i. Trepidantes occurrerunt illi: timebant enim nè cùm Samuel illuc adventasset, gravissimè animadverteret in quempiam ex urbe. Chaldæus paraph. *congregati sunt autem in occursum ejus*, i. confertim obviàm ei processerunt honoris causâ. ¶ *Et dixerunt*, ויאמר] Ad verb. *& dixit*, ille scilicet qui omnium primus erat, sive nobilissimus omnium.

5. *Sanctificate vos*, התקדשו] *Præparate vos*. ¶ *Et sanctificavit*, ויקדש] *Et præparavit*, i. jussit præparatos esse, nominatim scilicet. ¶ *Invitavitque eos ad victimam*, ויקרא להם לזבח] i. Ad convivium quod facturus erat de carnibus victimæ.

6. *Certè coram Jehova*, &c. אך נגד יהוה משיחו] Hebraismus, Quàm maximè favet Dominus christo suo. Aut, *Dominus erit cum christo suo*. Vel, *Coram Domino sit christus ejus*. i. Custodiat Dominus christum suum. Chaldæus paraphr. *Pulchrè providit Deus de Messia*.

7. *Formam ejus*, מראהו] Ad verb. *aspectum ejus*. ¶ *Et ad altitudinem*, ואל גבוה] *Aut ad proceritatem*. ¶ *Quod aspicit homo*, אשר יראה האדם] *Quod considerat homo*, sub. *aspicio*, vel *considero*.

8. *Et transire fecit eum*, &c. ויעברהו לפני שמואל] i. Jussit eum venire in conspectum Samuelis.

11. *Suntne finiti pueri?* התמו הנערים] Hebraismus, pro, *Nullum prater istos habes filium?* vel, *Adsuntne omnes pueri?* ¶ *Restat minor*, שאר הקטן] *Reliquus est minimus*, vel, *superest*. ¶ *Mitte, & tolle eum*, שלחה וקחנו] i. Missis nunciis jube eum venire.

12. *Et introduxit eum*, ויביאהו] Sub. *ad Samuelem*. ¶ *Cum nitore*, &c. עם יפה וגו'] q. d. Ultra id quod habebat nitentes & elegantes oculos, erat eleganti specie decoràque facie. Doctus inter Hebræos dicit עם poni pro ו, *& pulcher oculorum*, [pro *oculis*,] *& decorus visu*. ¶ *Iste est*, זה הוא] Quem scilicet volo inungi in Regem.

13. *Et mansit*, ותצלח] *Et requievit*. ¶ *Spiritus Jehovæ*, רוח יהוה] Spiritum fortitudinis, prophetiæ & prudentiæ intelligit.

14. *Spiritus autem*, ורוח] Sub. *bonus*. ¶ *Et terruit eum*, ובעתתו] *Et turbavit eum*, i. exagitavit, vel, cœpit eum agitare. ¶ *A Jehova*, מאת יהוה] i. Ità permittente Domino, aut immittente. Mox dicit *spiritus Dei malus*, pro eodem, i. qui facit voluntatem Dei, aut, creatus à Deo.

16. *Et servi tui* qui sunt *coram te*, עבדיך לפניך] i. Servi tui qui præstò adsunt ad imperata facienda. Quidam subaudito ל vertunt *servis tuis coram te*. Alii parenthesi istud includunt, sic (nam *servi tui ante te*.) ¶ *Ut cùm fuerit super te*, והיה בהיות עליך] Ad verb. *& erit, cùm fuerit super te*, &c.

17. *Bene scientem psallere*, מיטיב לנגן] Ad verb. *bonificantem psallere*, i. qui doctè pulset citharam. V. 18. dicit יודע נגן *scientem psallere*.

18. *Ipsi Isai*, לישי] i. Apud Isai. ¶ *Et potentem robore*, וגבור חיל] *Et fortem viribus*. ¶ *Ac bellicosum*, ואיש מלחמה] Ad verb. *Et virum belli*, i. fortissimum, aut bellicosissimum, vel *peritum artis bellicæ*. ¶ *Et prudentem*, והנבון דבר] Sub. *In rebus agendis*. Ad verb. *& intelligentem rei*, i. intelligentem quæ facere oporteat: optimi consilii hominem. ¶ *Et formosum*, ואיש תואר] Ad verb. *Et virum formæ*, sub. *bonæ*, i. formosum. ¶ *Et Jehovah est cum eo*, ויהוה עמו] *Cum quo est Jehova*.

19. *Qui est cum pecoribus*, אשר בצאן] i. Qui pascit oves, pastorem.

20. *Asinum* ferentem *panem*, חמור לחם] Ad verb. *Asinum panis*. Defectivam esse orationem scribit doctus inter Hebræos, pro *asinum portantem panem*. Chaldæus paraph. *onustum asinum pane*.

21. *Stetit coram eo*, ויעמוד לפניו] i. Astitit illi, ministrando.

22. *Qui dicerent*, לאמור] Ad verb. *Dicendo*. ¶ *Stet, obsecro*, &c. יעמד נא וגו'] q. d. Volo eum mihi adesse ac ministrare; est enim mihi gratissimus.

23. *Fuit autem*, &c. והיה וגו'] Quidam sic liberius vertunt, *Cùm autem arripiebat spiritus Dei* [sub. *malus*] *Saulem, tum sumebat*, &c. ¶ *Psallebat*, ונגן] i. Ad citharam carmina quædam canebat. ¶ *Et refrigerium erat*, &c. ורוח לשאול וטוב לו] *Et refocillatio* [*respiratio, recreatio*] erat *ipsi Sauli* [i. refocillabatur Saul] *meliúsque habebat*.

CASTALIO.

6. *Apud Jovam*] Hîc *O Jova*.

CLARIUS.

4. *Admirati sunt*] Vel *expaverunt*: timuerunt enim nè propter inopinatum adventum Prophetæ aliquid mali natum esset in civitate sua.

6. *Certè coram Domino*] Hoc dicebat apud se, putans quòd Dominus delegisset illum sibi in Regem quem ipse ungeret, præsertim cùm esset primogenitus, & pulchræ formæ proceræque staturæ. Ità judicia Dei longè diversa ab hominum judiciis sunt.

11. *Nec enim discumbemus*] Hoc dicitur quòd post sacrificia Pacificorum edebantur consecrata.

23. *Et refocillabatur Saul*] Musicus enim concentus naturalem ac vitalem spiritum in homine refocillat ac recreat, nè phantasmata cerebri ità graviter opprimant.

GROTIUS.

1. *Usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum*] Orare pro peccatoribus licet antequam definitum in eos decretum Dei innotuit.

2. *Audiet enim Saul, & interficiet me*] Et meritò, nisi Divinum mandatum adfuisset. ¶ *Ad immolandum Domino*] Auctoritas Prophetæ facit ut sacrificium, ubicunque is adest & imperat, ritè fiat. Subsunt enim Prophetæ imperio leges rituales, fatentibus Hebræis.

6. *Nunc coram Domino est Christus ejus*] Extra revelationis tempus accidit ut errent Prophetæ, 2 Sam. 7. 3.

7. *Dominus autem intuetur cor*] Idem facere debent, ut

ut Dei imitatores, ii quibus eligendi Regis jus contigit. Vide quæ hac de re Aristoteles Polit. l. 3. c. 13.

12. *Pulcher aspectu*] Solet pulcher animus etiam in vultu apparere. Vide Platonis Convivium.

13. *Unxit eum*] Hæc unctio Davidi non Regnum dedit, sed Regno eum destinavit, júsque ei dedit semet conservandi quibus posset modis ad tempus usque adipiscendi Regni.

14. *Spiritus autem Domini recessit à Saul*] Spiritus ille Regius. Vide suprà 10. 9. ¶ *Et exagitabat eum spiritus nequam*] Exteriùs ostendens quod intus latebat. Δαιμονίων πάθη καὶ πνεύματα, πονηρὸν πνεῦμα, δαιμόνια ἐξεπνίζομενα, dixit hoc loco Josephus.

17. *Aliquem bene psallentem*] Vide quæ dicta suprà ad hunc librum 10. 5. Marinus de Proclo, παρεκάλει ἐκάστοτε ὕμνοις λέγειν· καὶ λεγομένων τῶν ὕμνων, πάσα εἰρήνη τῶν παθῶν ἐγίγνετο καὶ ἀταραξία. Apollonius de Miris, ἰᾶται ἡ κατάνυξις τῆς διανοίας ἐκστάσεις· ubi & alia ad hanc rem. *Pythagoreis moris fuit*, ait Quintilianus l. 9. c. 4. *cùm somnum peterent, ad lyram priùs lenire mentes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationum componerent.*

23. *Quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul*] Solent enim talibus malis esse sua intervalla. Vide quæ ad Matth. 4. 24. & 17. 15.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

4. VIR *inter utrosque*] Kimhi post Chal. interpretem exponit dictionem בינים sic, חעומד בין שתי המערכות, i. *stans inter duas acies.* Sunt etiam qui putant illum sic dictum quòd plures habuerit patres: sed hoc frivolum judicamus, cùm mulier à multis viris simul impregnari non possit.

6. *Ocrea ænea*] Est hîc מצחת idem quod טס של נחשת *lamina ænea quâ tibiæ teguntur.* Et per כידון significari putant רומח *cuspidem*, vel *hastam.* Alii putant esse *collarium quo colli nuditas protegitur.*

7. *Hastile autem*] Quædam exemplaria hîc habent חץ *spiculum hastæ*; alia עץ *lignum hastæ*, quod erat quasi *liciatorium* circa quod textores telam panni volvunt. Alii *jugum texentium* vocant.

12. *Venit inter homines*] h. e. *Venit Isai inter homines senectute confectos*, ut non posset venire ad bellum: Vel, *attigit gradum virorum senum.* Vel secundùm alios, *venit cum viris*; ut quocunque pergeret stiparent eum causâ honoris.

16. *Stabat quadraginta diebus*] Collocans scilicet se singulis diebus ante conspectum filiorum Israel, & probris afficiens, atque timiditatem eorum redarguens, quòd nullus inter eos esset qui ad singulare certamen cum eo congrederetur.

17. *Et defer in castra*] Heb. הרץ *fac currere.* Est enim hîc in Hiphil, sicut & in Genesi habetur quòd *fecerint Joseph currere ex carcere.*

18. *Lacteos caseos*] Jon. חריצי pro גובנין *caseis.* Potest etiam esse, ut dicit Kimhi, quòd propter serraturæ formam fuerint dicti חריצי. Vide in Radicibus ejus. ¶ *Tolle pignus eorum*] Sensus est; Accipe pecuniam tecum, ut, si fratres tui rem aliquam loco pignoris exposuerint, tu impignorationem illam pecuniâ dissolvas. Alii intelligunt per ערובה *mixturam*, i. varios eventus, quos cupiebat pater ad se referri, unde & ענינים exponunt. Non est ut hîc referam quàm hallucinati sint in hoc loco interpretes nostri.

25. *Vidistisne*] Monet hîc Kimhi, literam Res habere Dages לחוק קרואתה *propter duriorem lectionem*, id quod tamen raro fieri solet.

28. *Superbiam tuam*] Kimhi exponit פקר *præsumptionem*, ut sit sensus; Est magna in te præsumptio ut audeas certamen inire cum gigante illo.

28. *Nunquid verbum est*] Jonathan addit *quod dixi, opere autem non perfeci*: vel, *Verbum dixi quod in ore omnium vertitur*; *ob idne peccavi?*

32. *Propter illum*] Kimhi sic exponit, עלי עצמו *in seipso: Nullius*, inquit, *cor consternetur in seipso*, tametsi nostram quoque probet lectionem.

35. *In mento*] Quidam exponunt hîc זקן pro *barba*, alii pro לועא *mento*, vel *mandibula*: Kimhi accipit pro utroque.

42. *Despexit eum*] Videlicet quòd non esset vir bellicosus & pugnis assuetus: nam videbat eum esse juvenem rubicundum & pulchro aspectu; quales Martiales homines esse non solent, quos radii solares & assidua fatigatio deformes reddunt.

VATABLUS.

1. IN *termino Dammim*, באפס דמים] *In extremo Dammim.* Alii *in Ephes Dammim.*

2. *Et instruxerunt aciem*, ויערכו מלחמה] Ad verb. *ordinaverunt bellum*: ut parati essent occurrere Philisthæis.

3. *Hinc*, מזה] i. ex una parte. Instruxerunt Philisthim primam aciem in monte, reliquus verò exercitus erat in valle: ex altera parte montis castra posuerant Israelitæ.

4. *Intermedius*, הבנים] Sic dicebatur quòd soleret prodire in medium: erat velut quidam antesignanus inter duo castra stans. Ad verb. *inter duo*, i. inter duas acies stans. ¶ *Et palmi*, זרת] Sub. *unius*, vel, *& dimidii cubiti*, i. trium palmorum.

5. *Ærea*, נחושת] *Chalybea.* Gallicè, *d'acier.* ¶ *Squamata*] i. squamis æreis operta. ¶ *Æris*, נחושת] *Ferri, chalybis.*

6. *Præterea lamina ærea*, ומצחת נחושת] *Et lamina lata ferrea*, vel *chalybea.* Alii, *& ocreæ ferreæ erant super pedes ejus*, i. crura ejus muniebantur ocreis quæ tegebant etiam pedes: ità dictæ quòd haberent similitudinem frontalium. ¶ *Inter humeros ejus*, בין כתפיו] i. Humeri ejus tegebantur clypeo æreo: cassis enim illa habebat appendicem quandam quæ demittebatur usque ad humeros: vel, hoc erat illi vice clypei; significat enim partem illam quæ tuetur dorsum, h. e. Erat à tergo optimè munitus.

7. *Tanquam jugum liciatorium*, כמנור] i. Æquabat crassitie jugum liciatorium, circa quod telam involvere solent textores.

8. *Et constitit*, ויעמוד] Sub. *inter duas acies.* ¶ *Utquid egressi estis*, למה תצאו] *Quare egredimini.* Vel, *egrediemini.* Fut. Heb. q. d. Non est opus ut egrediamini omnes. ¶ *Et descendat ad me*, וירד אלי] i. qui prælietur contra me singulari certamine.

9. *Et percusserit me*, והכני] i. Vicerit me.

10. *Et pugnemus pariter*, ונלחמה יחד] i. Ineamus singulare certamen.

12. *Iste*, הזה] i. De quo suprà dictum est. ¶ *In diebus Saulis*, בימי שאול] i. Quo tempore regnabat Saul. ¶ *Veniens inter homines*, בא באנשים] Sub. *senectutis.* Sic dicitur de Abraham Gen. 24. 1. *quòd venerit in dies*, nempe *senectutis*, ut exponunt Hebræi, q. d. Annumerabatur senibus, existens de numero senum ac debilium, *grandævus inter homines*, *& provectæ ætatis.* Chaldæus paraph. *annumeratus inter electos*, i. fortes ac inclytos.

13. *Majores*, הגדולים] Sub. *natu.*

16. *Veniendo manè, & vesperi*, השכם והערב] Ad verb. *manicando & vesperando*, si Latinè dici posset, i. veniendo manè, & veniendo vesperi, q. d. Bis quotidie prodibat in medium, manè & vesperi, & provocabat Israelem.

17. *Tolle nunc*, קח נא] *Cape nunc*, sub. *ut perferas.* ¶ *Polenta*, הקליא] *Farina spicarum tostarum*: vide Levit. 23. 14. ¶ *Et curre ad castra*, והרץ המחנה] *Et curre ad exercitum*, i. celeriter defer ad fratres qui sunt in exercitu.

18. *Caseos lacteos*, חרצי החלב] *Formellas factas ex lacte*. Id erat loco muneris. ¶ *Tribuno*, לשר האלף] *Ad*

Ad verb. *principi millium.* Græcè *chiliarcho*, sub quo scilicet militant fratres tui. ¶ *In pace*, לשלום] i. Ut scias quâ sint valitudine. ¶ *Et pignus eorum tolles*, ואת ערובתם תקח] *Et pignus eorum capies*, i. si pecuniam acceperint mutuò, dato pignore tu redimes, si defuerit eis pecunia. Solent milites deficiente pecuniâ bona sua tradere in pignus. Dedit igitur Isai Davidi pecuniam quâ fratrum pignora, siquid pignoris loco forte tradidissent, redimeret. Quidam vertunt, *& mistionem eorum*, i. cum quibus ordinati sunt, i. scies sub quo militent. Non est tamen verisimile patrem eorum nescisse sub quo militarent. Chaldæus paraph. *negotia eorum.*

20. *Ad vallum*, המעגלה] i. ad locum exercitûs, sive ad ipsum exercitum: ad locum in quo tentoria fixerant Israelitæ. Sic autem *vallum* dicitur Hebraicè, quòd esset formâ circulari. ¶ *Ad aciem*, אל המערכה] i. ut disponeretur in aciem. ¶ *Et vociferabantur*, והרעו] i. clamor magnus exaudiebatur in ipsa acie.

21. *Ordinaveràtque*, ותערוך] *Instruxeràtque, disposuerat*, direxerant tanquam statim dimicaturi.

22. *Derelictâ itaque*, &c. ויטש דוד] Ad verb. *Et dereliquit David vasa desuper se super manum custodis vasorum, & cucurrit*, &c. *Vasa Davidis* vocat sarcinam quam humeris gestabat. *Vasa* item secundo loco positum vocat impedimenta bellica. ¶ *Salutavit fratres suos pacificè*, וישאל לאחיו לשלום] *Et interrogavit fratres suos de pace*, i. de incolumitate ipsorum & valetudine.

23. *Intermedius*, הבנים] Vide v. 4. ¶ *De aciebus*, ממערכות] *De copiis, exercitu, acie.* Scribitur & ממערות *de vallibus*, vel *graminetis*, i. de loco in quo posita erant castra. ¶ *Ejusmodi verba*, כדברים האלה] Ad verb. *secundùm verba hac*, i. talia verba qualia dicta sunt suprà v. 8, & 9.

25. *Dixerùntque*, &c. ויאמר איש ישראל וגו'] Ad verb. *Et dixit vir Israel, Num*, &c. ¶ *Liberam* חפשי] *Immunem, sine tributo.* Chaldæus paraph. *claram ac nobilem.*

27. *Eundem sermonem*, כדבר הזה] i. Verba prædicta. Ad verb. *secundùm verbum hoc.*

28. *Illum loquentem*, &c. בדברו אל האנשים וגו'] Ad verb. *cùm loqueretur ad viros, & iratus est furor Eliab*, i. vehementer iratus est. ¶ *Prælium*, המלחמה] i. aciem jam instructam ad prælium.

29. *Feci*, עשיתי] i. peccavi. ¶ *Verbum est?* דבר הוא] Sub. *quod dixi*, i. merus sermo est quem dixi; h. e. merum verbum est sine facto ac sine re.

30. *Ut antea*, כדבר הזה] Ad verb. *secundùm verbum hoc*, i. eadem interrogavit. ¶ *Juxta priorem sermonem*, דבר כדבר הראשון] Ad verb. *sermonem juxta sermonem priorem*, i. reddidit illi responsum simile priori.

32. *Cor hominis in ipso*, לב אדם עליו] *Animus hominis propter illum*, i. Nemo sit animo remisso propter verba illius. ¶ *Ibit*, ילך] i. Paratus est inire singulare certamen.

33. *Ad Pelisthæum*, &c. אל הפלשתי הזה וגו'] i. Ut ineas singulare certamen cum Philisthæo isto. ¶ *Vir bellator*, איש מלחמה] Ad verb. *vir belli*, i. Qui versatus est in bello, *ab adolescentia sua.*

34. *In pecoribus* בצאן] *Juxta gregem*, sive *oves. Pastor erat juxta oves*, i. pascebat oves, h. e. cùm pasceret oves.

35. *Eruebàmque*, והצלתי] Sub. *ovem.* ¶ *Barbam ejus*, בזקנו] i. mentum cum barba: id significare dictionem Hebræam scribit doctus inter Hebræos.

36. *Leonem itaque*, &c. גם את הארי גם הדוב] Ad verb. *Etiam leonem, etiam ursum.* ¶ *Erit ergò*, והיה] Sub. *ut spero*, i. tam facilè ergò interficiam istum quàm interfeci alterum eorum.

37. *De manu leonis*, &c. מיד הארי ומיד הדוב] i. de periculo imminente à leone & urso.

38. *Æream*, נחושת] *Ferream, chalybeam.*

39. *Et tentavit ire*, ויאל ללכת] *Et conatus est incedere.* Ad verb. *& voluit ire.* Mox dicit, *& tentavit*, vel *periculum fecit.* ¶ *Periculum fecerat*, נסה] Sub. *anteà*, ¶ *Non feci periculum*, לא נסיתי] i. Usum non habeo, non sum assuefactus talia ferre.

40. *Baculum suum* מקלו] i. Quem antea gestare solebat. ¶ *Lenes*, חלוקי] *Laves*, i. glabros, politos, h. e. rotundos & non asperos. ¶ *In instrumento*, בכלי] i. In sacculo. ¶ *Id est in pera*, ובילקוט] Hic ו pro *id est* positum: exponit enim quid intelligat per *instrumentum pastorale.* ¶ *Et fundam suam*, &c. וקלעו בידו] Ad verb. *Et funda ejus in manu ipsius.* ¶ *Appropinquavítque*, ויגש] *Accessítque.*

41. *Porrò incedere*, &c. וילך הפלשתי הולך וקרב] Ad verb. *Et ivit Pelisthæus, procedens & appropinquans.*

42. *Et rubicundus*, &c. ואדמוני עם יפה מראה] *Et rufus, ac formosus*, ut suprà 16. 12.

43. *Et maledixit*, ויקלל] *Et maledixit*, vel *dira imprecatus est.* ¶ *Per deos suos*, באלהיו] q. d. Dagon aut alius Deus meus te perdat.

45. *Ego verò*, &c. ואנכי בא] i. Paratus sum congredi tecum, fretus ope & auxilio Dei. ¶ *Acierum*, מערכות] *Copiarum, turmarum.*

46. *Israeli*, לישראל] *In Israele*, quòd Israel Deum habeat qui suos eripiat à periculis.

47. (*Jehovæ enim est bellum*) ליהוה המלחמה] i. A Domino est victoria quæ reportatur ex bello: ità Chaldæus paraph.

48. *Fuit autem, cùm*, &c. והיה כי קם] Quidam sic liberiùs vertunt, *Cùm autem incedere* [*procedere*] *cœpisset Philisthæus, & accederet contra Davidem.*

49. *Ad instrumentum*, אל הכלי] De quo v. 40. peram intelligit. ¶ *In fronte ejus*, אל מצחו] i. In parte inermi: erexerat enim partem illam galeæ quæ tegit frontem, vel, in parte armata, i. cujus arma non potuerunt resistere ictui lapidis.

50. *Robustior itaque fuit*, ויחזק] *Prævaluit itaque.* ¶ *Et lapide*, ובאבן] Quem scilicet primùm eduxerat è pera.

52. *Usquequo venias ad vallem*, עד בואך גיא] *Donec venias ad Gai.* Chaldæus paraph. *usque ad ingressum ipsius Gai.*

54. *In tabernaculo suo*, באהלו] i. In domo sua quæ erat in Beth-lehem.

55. *Filius cujus est*, &c. בן מי זה וגו'] David non satis erat notus Sauli, quòd frequenter rediret ad oves pascendas. Præterea sunt obliviosi Principes, ut qui detineantur multis negotiis. Alii referunt ad perturbationem animi Saulis: aut certè rogat cujus sit tribûs, & ex qua familia: quòd satis intelligitur ex postremo verbo hujus capitis, cùm dicit *Beth-lehemita:* alioqui si quæsisset solùm de patre, satis erat dicere, *Isai se esse filium.* ¶ *Vivit anima tua*, חי נפשך] Hebraismus, Juro per animam tuam quòd non novi.

57. *Habentem caput*, &c. וראש הפלשתי בידו] Ad verb. *& caput Philisthæi erat in manu ejus.*

CASTALIO.

4. VIR *quidam immanis*] בן בנים à bn deductum est, ut sit *vir filiorum*, i. hominum (nam *filius* pro *homine* dicitur) i. excellens: sicut Latini dicunt *hominem paucorum*, & Galli *enfant de maison*, *filius domûs*, pro *filius locupletis* aut *nobilis domûs*, h. e. magno loco natus.

12. *Jam senex & ætate provectâ*] Heb. בא באנשים *Provectus viris*, si legeretur בא בשנים pulchrè constaret sensus, *provectus annis.* Atque hoc pacto solent loqui authores Sacri.

CLARIUS.

7. LIciatorium] Circa quod scilicet textores telam volvunt.

16. *Stabat quadraginta diebus*] Collocans scilicet se singulis diebus ante conspectum filiorum Israel, & probris afficiens, atque timiditatem eorum redarguens, quòd nullus

nullus inter eos esset qui ad singulare certamen cum eo congrederetur.

18. *Et tolle pignus eorum*] h. e. Accipe pecuniam tecum, ut, si fratres tui rem aliquam loco pignoris exposuerint, tu impignorationem illam pecuniâ dissolvas.

28. *Superbiam tuam*] Vel *audaciam.* Nimium, inquit, tibi arrogas, qui audeas certamen inire cum gigante illo.

29. *Nunquid non verbum est?*] Quidam sic exponunt, Quòd excuset nihil se hactenus nisi verba potulisse; q. d. Si quando opera videbis, quid dices? Vel sic, Certè non sola verba fuisse disces ex facto. Videtur etiam hic sensus esse posse, *Nunquid non verbum est?* h. e. Nónne hæc est res digna de qua quivis cogitare debeat?

30. *Despexit eum*] Videlicet quòd non esset vir bellicosus & pugnis assuetus, nam cernebat eum juvenem rubicundum & pulchro aspectu, quales martiales homines esse non solent, quos radii solares & assidua fatigatio deformes reddunt.

56. *Cujus filius sit*] Regum enim memoria non rarò labitur ob personarum negotiorúmque per omne regnum multitudinem. Sic Davidis, qui tamen paulò antè servierat Sauli, prosapia excidere potuit, ut illam rescire voluerit Rex.

DRUSIUS.

1. בְּאֶפֶס דַּמִּים. A. *in finibus Domim.* Prius erat in Lxx ἐν Ἀφεσδομμίν] Eusebius in Locis, *Aphes domim, ubi dimicavit Saul, pro quo Aquila posuit, In finibus Domim.*

2. בְּעֵמֶק הָאֵלָה Sym. ἐν τῇ κοιλάδι Ἠλᾶ, *in valle Ela.* A. Th. *in valle Quercûs*] Eusebius De locis, *Elam. Legimus Vallem Ela; quam Aquila & Theodotio interpretantur Vallem quercûs.* ¶ *In valle Ela.* Sic etiam Santes. Interpres noster, *in valle Terebinthi.* Priùs Senes ediderant ἐν τῇ κοιλάδι τῆς τερεβίνθου, quod non planè rejicio. Nam etiam Jon. nomen *Ela* in *terebinthum* transfert. בטמא enim est *terebinthus*, quæ Arabicè *Botom.* Glossarius Philonis, *Ela, terebinthus*, Hos. 4. 13. אלה. Hier. & Santes *terebinthus.* ¶ *Quercûs*, τῆς δρυός. Sic interpretantur ex Ebræo Lxx & Hieron. 2 Sam. 18. & 1 Par. 10. 12. Sunt qui *robur* exponant, quod est species quercûs.

4. שֵׁשׁ אַמּוֹת. AA. LL. ἓξ πήχεων *sex cubitorum*] Non est ullo modo dubitandum quin quod in antiquis cod. editionis Lxx legitur, idem quoque lectum fuerit olim apud cæteros interpretes; ut possis audacter scribere, שש אמות. οἱ λοιποὶ, ἓξ πήχεων.

GROTIUS.

4. **E**T *egressus est vir spurius*] Variæ sunt interpretationes vocis הבנים quæ hoc loco in Hebræo apparet. At hic interpres sumpsit quasi diceretur hic homo unus filiorum, id est sine patre, ἀπορρᾶδην conceptus. Lxx, quasi diceretur excellens inter filios, nempe Philisthinorum: vertunt enim δυνατός. Alii à בין, quod est *inter*, putant intelligi processisse eum εἰς τὰ μεταίχμια, ut & Homerus & Euripides loquuntur. Sic in medium inter castra pontem processit Gallus ille provocator quem interfecit Manlius Torquatus, narrante Livio lib. 7. Prima interpretatio maximè mihi probatur, addito, quod & Hebræorum nonnulli notarunt, cognomen hoc esse gigantum, qui legum omnium & matrimonii contemptores, ob id incerto patre nascebantur.

9. *Si quiverit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis servi*] Frequentes tales sponsiones illis seculis; ut inter Lacedæmonios & Argivos Othryadis tempore; inter Romanos & Albanos, cùm Horatii & Curiatii decertarunt.

12. *Et grandævus inter viros*] Non senex tantùm, sed & inter senes maximè provectæ ætatis. Pro באנשים libri quidam habent בשנים, quod non malè loco convenit.

25. *Et filiam suam dabit &*] Ut Creon Jocasten sororem suam pollicitus est ei qui Sphingem superaret, feminam quæ ex insidiis, quæ ænigmata vocabant, multa mala inferebat Thebanis, arce defensâ. Hæc est ejus fabulæ veritas, quam optimè intellexerunt Attici in carmine ad Demetrium, quod est apud Athenæum. ¶ *Et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel*] Inter jura Regis erat sicut tributa imponere, ità à tributis quem vellet virtutis ergô liberare. Græci hoc ἀτέλειαν vocant. Latini *immunitatem*, barbari *Francisiam.*

28. *Quare dereliquisti pauculas illas oves in deserto?*] Atqui olim

——*coluerunt Dî quoque silvas.*

i. Regum filii. ¶ *Ego novi superbiam tuam*] Frequens est ut Virtuti nomen aliquod detur affinis vitii.

At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multùm demissus homo, illi
Tardo cognomen pingui damus, hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Cùm genus hoc inter vita versetur ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina; pro bene sano
Ac non incauto fictum astutúmque vocamus.

Horatius Satyr. 3. libro 1.

36. *Et leonem & ursum interfeci*] Venatus egregiè homines bello parat.

40. *Et tulit baculum suum*] Historia non dissimilis est apud Strabonem. l. 8. ¶ *Et fundam manu tulit*] *In omnibus autem veterum præliis funditores militasse nullus ignorat*, Veget. l. 1. De re militari c. 6. ubi & multa alia ad laudem fundarum.

43. *Numquid ego canis sum?*] *Canis* nomen vilitatis habet significationem. Vide infrà 24. 14. 2 Sam. 3. 8. & 9. 8. & 16. 9. 2 Reg. 8. 13. Sic apud Homerum Helena,

Δᾶερ ἐμεῖο κυνός.

47. *Ipsius enim est bellum*] *Bella Dei* dicuntur ea quæ geruntur in populos illos à Deo damnatos, cætera *bella Regni* vocantur.

54. *Arma verò ejus posuit in Tabernaculo*] Trophæum.

55. *De qua stirpe descendit hic adolescens?*] Heb. *Cujus filius iste adolescens?* Ad quam interrogationem responsum sequitur infrà 58. Viderat eum, & genus ejus audierat Saul jam antè suprà 16. 20. sed facilè talium oblivio subit Reges in tantis negotiis, in tanta eos adeuntium multitudine, præsertim si & morbi accedant.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

6. **I***Nstrumentis musicis*] K. exponit כלי נגון *instrumenta sonora quæ tribus constant nervis.* Jon. צלצלין *cymbala.*

7. *Millia sua*] Heb. *Percussit Saul cum millibus suis, & David cum decem millibus suis*, quod quidam sic intelligunt; Cùm David percuteret Phelistæos, ipse solus tam infestus fuit Phelistæis acsi decem millia illi astitissent. Alii verò sic hanc legunt literam, *Saul percussit mille in Phelistæis, & David decem millia*,

9. *Insidiabatur*] Heb. *Et fuit Saul oculo aspiciens David*, nempe oculo malo.

10. *Prophetarétque in medio domûs*] Hebræi hîc exponunt *prophetare* pro *delirare & insanire.*

11. *Feriam cum ea David*] Sensus est; *Figam David ad parietem.*

21. *In altera*] Heb. *In duabus gener eris mihi hodie*, pro quo Jon. *In una ex duabus gener meus eris*, & una quidem jam est elocata, igitur altera tibi debetur.

26. *Et quidem dies adhuc nondum impleti erant*] h. e. Attulit David præputia ante tempus à Saul constitutum; nec sic incidit in manus hostium ut Saul speraverat.

27. *Posuerunt*

27. *Posuerunt ea omnia*] Heb. *Impleverunt ea*, h. e. summam præputiorum recensuerunt coram Rege.

30. *Cum egrederentur*] Kimhi post Jonathan Chal. exponit dictionem מדי pro בכל זמן *omni tempore*.

VATABLUS.

1. ALligata est, נקשרה] i. Conglutinata est, amore conjuncta.

2. *Assumpsit ergò eum*, ויקחהו] Sub. *in aulam suam*. i. retinuit eum ab eo die.

5. *Prudenter se gerebat* ישכיל] *Prosperè rem gerebat*, i. Magnâ felicitate negotia conficiebat. ¶ *Militibus*, אנשי המלחמה] Ad verb. *viris belli*. ¶ *Simúlque in oculis*, &c. וגם בעיני וגו'] q. d. Fuit gratus non solùm universo populo, sed etiam servis Saulis, qui tamen poterant illi invidere.

6. *Dum venirent ipsi*, בבואם] Sub. *Israelitæ à bello*. ¶ *Cantando*, לשיר] *Ad canendum*, i. ut ore cantarent carmina in laudem victorum. ¶ *Et chori*, והמחולות] *Et fistulæ*, sub. *erant in manibus earum*, i. tenentes fistulas, h. e. canentes ore ac fistulis, egressæ sunt, inquam, in occursum, &c. ¶ *Cum instrumentis lætitiæ*, בשמחה] *Cum organis lætitiæ*, i. Cum instrumentis musicis, quibus excitari solet lætitia. ¶ *Et canticis*, ובשלשים] *Et cymbalis*, à *tribus chordis* sic dictum instrumentum. Alii, *cum canticis nobilibus & eximiis*.

7. *Alternis autem canebant*, ותענינה] *Præcinebántque*. ¶ *Decem millia sua*, ברבבתיו] *Myriades suas*. q. d. Multos quidem percussit Saul, at David multò plures. Quidam vertunt, *David percussit inter myriadibus*, q. d. tot homines percussit quasi fuisset adjutus hominum myriadibus.

8. *Et ultra*, &c. ועוד לו אך המלוכה] Ad verb. *& ultrà illi? certè regnum*, i. quid superest ei ultrà? certè regnum illi etiam dabunt. Chald. paraph. *Nihil relinquitur & superest habendum præter Regnum*.

9. *Saul ergò torvè aspiciebat*, ויהי שאול עין] Ad verb. *Et fuit Saul oculans*, si Latinè dici posset. Verbum factum ab עין *oculus*, i. maligno ac invido oculo eum aspiciebat.

10. *Requievit*, ותצלח] *Invasit, irruit*. ¶ *Et prophetabat*, ויתנבא] *Prophetare* dicuntur stulti, i. absurda effutire, quòd non intelligant ea quæ dicunt, quemadmodum Prophetæ absurda & ridicula videntur dicere iis qui Spiritu Dei carent, sine quo non possunt intelligere. Chaldæus paraph. *desipiebat*, i. more desipientium aliena atque absurda loquebatur. ¶ *Sicut consueverat per*, &c. כיום ביום] Ad verb. *secundùm diem in die*, i. ut quotidie solebat facere.

11. *Dicens*, ויאמר] Sub. *apud se*. Ad verb. *& dixit*. ¶ *Percutiam*, &c. אכה בדוד ובקיר] i. Uno ictu, confosso Davide, lanceam parieti figam, aut adigam in parietem.

12. *A Davide*, מלפני דוד] Ad verb. *à facie Davidis*.

13. *Et amovit eum*, ויסרהו] *Et amandavit eum*. ¶ *Et egrediebatur*, &c. ויצא וגו'] Hebraismus, educebat populum ad bellum, & reducebat, ut Imperatores solent facere: erat enim Dux ac Imperator populi.

14. *Prudenter se gerebat*, משכיל] Ut v. 5. i. prosperè admodum res gerebat, aut maximâ felicitate negotia conficiebat, quòd Deus illi faveret. Sic v. 15.

16. *Egrediebatur*, &c. יוצא ובא לפניהם] Hebraismus, Quòd copias eorum felicissimè ac magno successu educeret ad bellum, & indè reduceret.

17. *Tantùm esto mihi filius fortis*, אך היה לי לבן חיל] Hebraismus, Eâ lege ut sis Dux & Imperator mei exercitûs, & geras bella Jehovæ contra Palæsthinos. ¶ *Saul autem dicebat*, ושאול אמר] *Saul tamen cogitabat*. ¶ *Nè sit manus mea*, &c. אל תהי ידי וגו'] Hebraismus, Non interficiam eum, sed interficietur à Palæsthinis.

18. *Et quæ vita mea*, ומי חיי] i. quæ ratio statûs sive conditionis meæ?

21. *Laqueus*, למוקש *Scandalum*, *offendiculum*, i. propter eam corruet, occasio illi erit ruinæ & exitii. Hoc dicit propter Palæsthinos quos interfecturus erat ante nuptias. ¶ *Et sit in eum*, &c. ותהי בו וגו'] Hebraismus, Et ità veniat in potestatem Palæsthinorum, & ab eis interficiatur. ¶ *In altera duarum*, בשתים] Ad verb. *In duabus*. Vertere potes, *Per* alteram *duarum*, sub. *filiarum*. Sic Chaldæus paraph. nam altera data erat Adrieli. Alii dicunt ut scribit doctus inter Hebræos, quòd ambæ fuerint ei in uxores, quia post mortem Merab accepit Michal.

22. *Complacuit* sibi *in te*, חפץ בך] *Places plurimùm Regi*. ¶ *Diligunt te*, אהבוך] Præt. Heb. pro præs.

23. *Num leve est in oculis vestris*, הנקלה בעיניכם] Hebraismus, Nunquid res vilis ac parva vobis videtur generum esse Regis?

24. *Talia*, כדברים האלה] *Ejusmodi*. Ad verb. *Secundùm verba hæc*.

25. *Non est voluntas*, &c. אין חפץ למלך] *Non beneplacitum est Regi*, &c. Hebraismus, *Rex non quærit aliam dotem quàm centum præputia Philisthinorum*. Non delectatur aliâ dote quàm centum, &c. ¶ *Cogitabat*, חשב] Sub. *hâc ratione*. ¶ *Tradere*, להפיל] *Conjicere*. Ad verb. *cadere facere*.

26. *Nondum autem*, &c. ולא מלאו הימים] i. Nondum autem erat completum tempus præstitutum dandi præputia illa, vice dotis.

27. *Et plenè tradiderunt ea Regi*, וימלאום למלך] *Et ad plenum tradiderunt ea Regi*, i. numeraverunt ei illa omnia, q. d. Numero perfecto & completo tradiderunt ea ii qui illa detulerant ad regem.

29. *Addidit Saul*, &c. ויאסף שאול וגו'] Ad verb. *Et addidit Saul timere à facie Davidis ampliùs*. ¶ *Inimicitias gerens cum Davide*, &c. איב את דוד כל הימים] *Inimicus Davidi semper*, sub. *ab eo tempore*.

30. *Egressi sunt autem*, &c. ויצאו שרי וגו'] Sub. *cum exercitibus suis ut bellum inferrent Israelitis*. ¶ *A quo autem tempore*, &c. ויהי מדי צאתם] Ad verb. *Et fuit à tempore egredi eorum*, vel *egressûs eorum*, i. ex quo egressi sunt, *feliciùs rem gessit*, sive felicior fuit in bello: *unde clarum & inclytum fuit nomen ejus*.

CLARIUS.

10. ET *prophetabat*] Hebræi hìc exponunt *prophetare* pro *delirare* & *insanire*.

21. *In altera filiarum*] Heb. *In duabus eris gener mihi hodie*. Pro quo Jon. *In una ex duabus gener meus eris*, & una quidem jam est elocata, igitur altera tibi debetur.

26. *Et antequam impleti essent dies*] h. e. attulit David præputia ante tempus à Saul constitutum.

GROTIUS.

1. ANima *Jonathæ conglutinata est animæ David*] Egregia amicitiæ descriptio. Ità amicos μίαν ψυχὴν dici notavit Aristoteles Nicomacheorum 9. 8. Significat idem Latinè *concordia* vox, & Græca ὁμόνοια. *Ligari pectora* dixit Papinius. Adde quod infrà 20. 17.

3. *Inierunt autem David & Jonathas fœdus*] i. Perpetuam amicitiam mutuò promisere. Vide infrà 20. 3.

5. *Maximéque in conspectu famulorum Saul*] Exceptis paucis quos gloria ejus urebat.

6. *Chorósque ducentes*] Ut in publico gaudio. Vide quæ ad Matth. 11. 17.

8. *Iratus autem est Saul nimis*] Ut Nero Corbuloni, Domitianus Agricolæ. Vide Tacitum.

10. *Et prophetabat in medio domûs suæ*] Chaldæus *& insaniebat* vertit. Kimchi, *loquebatur verba insaniæ*, ut sit metaphora in voce יתנבא, qualis sæpe apud Latinos in voce *limfari*.

17. *Sit super eum manus Philisthinorum*] Pari animo Eurystheus Herculem objecit periculis.

25. *Non habet rex sponsalia necesse*] במהר i. Dote, quam mariti novis nuptis dabant, ut alibi diximus.

CAP.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

5. *Posuit animam suam in manu sua*] Hebraismus est pro *exposuit intrepide vitam suam periculo mortis propter te.*

10. *Subduxit se*] K. exponit verbum ויפטר per נסתלק *sublatus est.*

13. *Imagines*] Non capitur hîc תרפים pro *idolis* sicut Gen. 31. 19, 30. sed pro *imaginibus secundùm formam humani corporis factis.* Porrò per כביר intelligitur *capillitium quoddam ex pilis caprinis in modum capitis criniti factum.* Jonathan tamen vertit נודא *utrem*, ex pelle scilicet caprina & pilosa factum.

18. *Naioth*] Scribitur נוית, & legitur ניות, transpositis literis Vau & Jod. Et est locus quidam in civitate Rama, Jon. בית אולפנא, i. *domus doctrinæ.*

20. *Cœtum*] Scribitur in Hebræo להקת pro קהלת transpositis extremitatibus. ¶ *Prophetantium*] Chald. משבחין *laudantium & cantantium in Spiritu Dei.*

24. *Exuens vestimenta sua*] Quando enim Prophetæ tangebantur spiritu Dei, amittebant sæpenumero usum sensuum exteriorum, nescientes quid foris fieret. Unde abjecerunt vestes suas, & corruerunt in terram, ob internam Dei locutionem non potentes subsistere in pedibus suis. Quidam erant dormientibus similes, alii mortuis, alii loquebantur ex Spiritu Dei, &c. Irruit itaque Spiritus Dei propheticus in Saul, quò tutiùs David effugeret manus illius.

VATABLUS.

1. *Complacebat sibi in Davide valde*, חפץ בדוד מאד] i. Amabat vehementer, vel deamabat Davidem.

2. *Et manebis*, &c. וישבת] i. Et occulta teipsum, & abde.

3. *Egrediar*, אצא] Sub. *Crastinâ die mane.* ¶ *Ad manum patris mei*, ליד אבי] Cui scilicet solet inniti quando ambulat. Verti etiam potest, ut annotat doctus inter Hebræos, *in loco patris mei*, i. ad quem exire solet pater meus animi causâ. Magni nominis apud eos vir exponit *juxta patrem meum*, q. d. Astabo lateri patris mei. ¶ *In quo eris*, אשר אתה שם] Sub. *Delitescens cras mane.*

4. *Sed opera ejus*, &c. וכי מעשיו וגו'] Ad verb. *Et quòd opera ejus*, &c. i. singula quæ gessit profuerunt tibi admodum.

5. *Posuit namque*, &c. וישם וגו'] Hebraismus, Exposuit se periculo mortis. ¶ *Quare ergò*, &c. ולמה וגו'] *Sed quare [cur ergò] peccares contra sanguinem innocentem, ut interficeres Davidem nihil tale meritum?*

6. *Audivitque Saul vocem*, וישמע שאול בקול] i. Acquievit verbis ac monitis Jonathæ.

7. *Omnia verba hæc*, כל הדברים האלה] Nempe quæ suprà dicta sunt. ¶ *Qui fuit ante eum*, &c. ויהי לפניו וגו'] Hebraismus, astitit ac ministravit illi ut antea facere solebat.

8. *Motum est autem rursus bellum*, ותוסף המלחמה] Ad verb. *Additum est autem rursus bellum esse.*

9. *Fuit autem*, ותהי] i. Invasit autem. ¶ *Psallebat manu*, מנגן ביד] i. Pulsabat citharam, ut leniret dolorem Saulis, & abigeret spiritum illum malum Dominus.

10. *Conatúsque est*, ויבקש שאול] i. Nisus est affigere hastâ Davidem parieti, sive adigere hastam transfosso Davide in parietem. ¶ *Et percussit lancea parietem*, ויך את החנית בקיר] i. Adegit Saul hastam in parietem, h. e. casso vulnere perlata est lancea in parietem. ¶ *Et evasit*, וימלט] *Et liberatus est:* aufugit in domum suam scilicet.

11. *Ut custodirent eum*, לשמרו] *Qui eum observarent*, nè scilicet exiret domo noctu.

12. *Dimisit ergò*, ותורד] Ad verb. *Et descendere fecit.*

13. *Simulacrum*, את התרפים] *Statuam unam*, vel *imaginem quandam*, q. d. unam ex imaginibus. Hæc vox hîc pro quavis effigie referente speciem hominis accipitur, sive sit lignea, sive argentea, sive lapidea. Alibi in malam partem accipitur. ¶ *Super lectum*, אל המטה] Hîc אל pro על positum. ¶ *Et pulvinar è pilis caprarum*, ואת כביר העזים] Ad verb. *Cervical caprarum*, i. ex pelle caprina adhuc pilosa. Chaldæus paraph. *utrem*, quia pulvinar refert utrem. Id fecit Michal ut David interim reciperet se in locum tutum.

14. *Nuncios ut tollerent*, מלאכים לקחת] *Satellites [apparitores] ut apprehenderent*, i. raperent ad sese.

17. *Utquid interficiam te?* למה אמיתך] i. Quare committes ut interficiam te? q. d. Interficiam te si renueris.

19. *In Naioth in Ramah*, בניות ברמה] i. Quæ est in agro urbis Ramah. Naioth locum esse situm in agro Ramah aiunt quidam Hebræorum. Alii, *locum vicinum Ramah.* Significat autem *locum studiosorum.*

20. *Et viderunt*, וירא] Ad verb. *Et vidit*, sub. *maximus*, vel *præcipuus eorum*, vel *unusquisque eorum*, i. Singuli eorum viderunt. ¶ *Prophetantium*, נבאים] i. Laudantium Deum canticis & carminibus. ¶ *Constitutum super eos*, נצב עליהם] *Præfectum illis*, i. docentem illos, vel, *& Samuel erat stans & præfectus illis*, i. stans docebat illos. ¶ *Et fuit super nuncios*, ותהי על מלאכי] *Irruitque in nuncios.* ¶ *Et prophetabant*, ויתנבאו] Chaldæus paraph. *& laudabant*, sub. *Deum.*

23. *Atque inter eundum prophetabat*, וילך הלוך וישנבא] Ad verb. *Et ivit eundo, & prophetavit.*

24. *Vestes suas*, בגדיו] Quidam Hebræorum intelligunt hoc de ornatu Regio. Alii aiunt abjecisse omnia vestimenta: & rectè. Spiritus enim Dei adimit omnem pudorem iis quos possidet, ut liberè & sine alicujus metu laudes Dei prædicent. ¶ *Coram Semuele*, לפני שמואל] Samuel tamen non invisit, neque adiit illum, neque etiam dignatus est eum alloqui; juxta id quod priùs dixerat, *se non ultrà visurum illum ante mortem suam.* ¶ *Ceciditque*, ויפול] *Et corruit*, sub. *in terram:* ut & alii qui correpti erant ac possessi Spiritu illo Divino: non enim fungebantur sensus exteriores officiis suis. ¶ *Dicunt*, יאמרו] Fut Heb. pro præs. Hoc proverbium pertinet ad summam laudem potentiæ Dei, cùm volumus ostendere ipsum multa facere præter hominum opinionem. De re quæ primâ fronte videbatur absurda dicebatur hoc proverbium. Sensus est, Nónne Saul prophetauit & spiritu Dei raptus est cùm Prophetas vellet perdere? q. d. Prophetavit. Vel, Num Saul Propheta erat cùm coram Samuele in Ramah prophetavit?

CASTALIO.

19. *Davidem Naiothi apud Ramam esse*] Eadem modò *Rama*, modò *Ramatha*, ut paulò antè, dicitur.

CLARIUS.

5. *Posuit animam suam in manu sua*] Hebraismus est, pro *exposuit intrepidè vitam suam periculo mortis propter te.* Et hic Hebraismus frequens est in Scriptura, ut illud, *Anima mea in manibus meis semper.*

20. *Vaticinantium*] Chald. interpres vertit, *Laudantium & cantantium in spiritu Dei.*

24. *Et exspoliauit*] Quando enim Prophetæ tangebantur Spiritu Dei, amittebant sæpenumero usum sensuum exteriorum, nescientes quid foris fieret. Unde abjecerunt vestes suas, & corruerunt in terram, ob internam Dei locutionem non valentes subsistere in pedibus suis. Quidam erant dormientibus similes, alii mortuis, alii loquebantur ex Spiritu Dei, &c. Irruit itaque Spiritus Dei propheticus in Saul, quò tutiùs David effugeret manus illius. ¶ *Coram Samuele*] *Coram Samuele* hîc *prophetasse* dicitur, cùm priùs dictum sit *Samuelem postea non vidisse Saulem*; vel quia

quia familiariter ei non eſt locutus poſtea, vel cum gratia ſecum nihil egit ac promiſſis Divinis, vel in habitu & ſtatu regio: Hîc enim in alium virum mutatus videtur non adeſſe Prophetis ut Rex.

DRUSIUS.

16. כְּבִיר הָעִזִּים. A. *Στρογγύλωμα τειχῶν orbis capillorum*] Antea legebatur ἧπαρ τῶν αἰγῶν *jecur caprarum*, i. כבר. Hieron. *pelles caprarum*. Santes *pulvinar è pilis caprarum*. In Theſauro Stephani, *Στρογγύλωμα, coagmentum rotundum aut teres*, ubi & hic locus adducitur ex ed. Lxx.

GROTIUS.

12. *ET aufugit*] Contra Regis iram nihil tutius fugâ.

23. *Et prophetabat*] Donum enim hoc interdum etiam impiis concedit Deus, ut Balaamo. Vide Matth. 7. 22.

24. *Cecidit*] i. De mentis ſtatu exceſſit. Num. 24. 4. ¶ *Nudus*] In interula, ut Eſaias 20. 2. Vide de hoc loquendi genere ad Joan. 21. 7.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

3. *QUaſi paſſus*] Scribitur hîc פשע cum Smol, & eſt idem quod צעד הרגלים *paſſus pedum*, capitúrque hîc pro דבר מועט *re modica*.

6. *Precibus obtinuit*] Poteſt hic locus & ſic verti, *Rogando rogavit me David*, capiendo paſſivam vocem pro activa.

7. *Conſummata ſit malitia ejus*] Significat hîc כלה; *obſtinatum eſſe in malitia*, & *mentem à malo nolle avocare*.

10. *Quis indicabit mihi*] Scilicet ſi bonum receperis reſponſum à patre tuo; & tunc quod ſequitur cohærebit, *aut ſi reſponderit tibi pater tuus duré*. Ubi מה; pro אם etiam à Rabbinis exponitur.

12. *Dominus Deus aſpiciat*] Modus eſt jurandi.

13. *Sin maluerit*] ייטיב pro ישר. *Si*, inquit, *rectum viſum fuerit patri meo ut tibi infligat malum*, &c. ¶ *Sit Dominus tecum*] Intelligendum eſt de Regni felici ſucceſſu.

14. *Nec timeo quamdiu vivo*] Litera Hebraica eſt multùm obſcura, unde K. eam ſic interpretatur, אינני ירא שלא תעשה חסד השם עמדי עודני חי, & in hunc quoque modum nos Hebraiſmum Latinè reddidimus. Alii ſic reddunt hunc locum, *Si id non præſtitero, nec mihi vivo nec mortuo beneficium Domini præſtiteris. Et ſi non fecero hoc, ſuccidas beneficentiam tuam à domo mea.*

15. *Si violatum fuerit*] Id nos adjecimus gratiâ explicandæ literæ. Hebræi ſic interpretantur, אם יפר הברית השם יבקש, *Si diſſolverit fedus, Dominus requirat.*

18. *Vacabit locus*] Significat verbum פקד hîc idem quod חסר *deficere*, & *minui*. Nos ſecuti ſumus Chald. interpretem, qui exponit יהי מרוח *erit vacuus locus tui diſcubitûs*.

19. *Deſcendes continuò*] Heb. *Deſcendes valde*, in profundum ſcilicet locum, nè videri poſſis. ¶ *Quando opus fiebat*] h. e. Latitabis in eo loco ubi priùs latuiſti quando ego negotium tuum egi apud patrem meum, & ille mihi juravit quòd te non occideret, &c. Capitur igitur hîc *dies operis* pro *die negotii*.

23. *Sit Dominus inter me & te*] h. e. Sit Deus judex noſter, ſi vel ego vel tu pactum violaveris.

26. *Nam dicebat*] Dicebat apud ſe, ſeu cogitabat in corde ſuo. ¶ *Accidit ei quicquam, ut ſit impurus*] K. ſic exponit, *accidit ei aliquid aliud quàm ut ſit immundus; aut fortaſſe non eſt mundus, atque ideo non venit.*

29. *Elabar, quaſo*] Heb. eſt אמלטה in paſſiva voce, i. *ſalvabor*, ſcilicet à miniſterio Regis.

30. *Fili iniqua rebellionis*] K. ſic legit, *Filius es reprobatæ mulieris ob rebellionem*, h. e. Imitaris matrem tuam, quæ ob id quòd mihi rebellis fuit, reproba & perverſa meritò eſt judicanda.

36. *Trajecit*] h. e. Datâ operâ jecit ſagittam ultra poſitum ſignum; per quod David advertere poſſet quo animo Saul eſſet erga eum. Et cùm Jonathan videret nullum adeſſe hominem qui eum prodere poſſet, venit ad David, & ore tenus quoque illi indicavit obſtinatum in malitia patris animum, jubétque illum quantocyus abire & ſaluti ſuæ conſulere. Et nota quòd hîc חצי ſcribitur pro חצים.

VATABLUS.

1. *COram patre tuo*, לפני אביך] *Contra patrem tuum*, i. quid peccavi in patrem tuum? ¶ *Quarit animam meam*, מבקש את נפשי] i. Vult me interficere.

2. *Abſit*, חלילה] Sub. *hoc à te*, q. d. Pater meus non decrevit te interficere. Tribuebat enim omnia quæ fecerat Saul Davidi ſpiritui maligno. ¶ *Non facit*, &c. לא יעשה] Fut. Heb. pro Præſ. *Non ſolet facere quicquam, ſive parvum ſit ſive magnum, quod non priùs indicet mihi.* ¶ *Revelet aurem meam*, יגלה את אזני] Vide Ruth. 4. 4.

3. *Et Juravit adhuc*, וישבע עוד וגו'] i. Eadem autem adhibito juramento confirmavit. ¶ *Certò novit*, ידוע ידע] Ad verb. *Sciendo ſcivit*. Hebraiſmus, Certò novit pater tuus me tibi charum eſſe. ¶ *Nè cognoſcat*, אל ידע] *Nè reſciſcat*. ¶ *Verùm*, ואולם] *Et ſanè*. ¶ *Quaſi paſſus*, כפשע] *Quaſi greſſus, uno tantùm paſſu ego mórſque dividimur*, h. e. parvo intervallo ſejungitur à me mors: parùm abeſt quin interficiar.

4. *Quid dicit*, מה תאמר] Fut. Heb. pro præſ. i. Quid cupis me facere tuâ causâ, *& faciam tibi?*

5. *Calendæ*, חודש] *Neomenia*. Sic vocatur primus dies menſis. ¶ *Et ſedendo ſedere ſoleo*, ואנוכי ישוב אשב] Ad verb. *Et ego ſedendo ſedebo*, pro, quando ego ex more ſoleo diſcumbere ad veſcendum cum Rege. ¶ Diei *tertiæ*, השלישית] Quæ ſcilicet eſt ſecunda à Calendis.

6. *Si recordando recordatus fuerit mei*, אם פקד יפקדני] i. Si requirat ubi ſim. Quidam vertunt, *Si accuratè de me perquiſierit*. ¶ *Poſtulando poſtulavit à me*, נשאול נשאל] Hebraiſmus, *obnixè rogavit me*. ¶ *Ut curreret*, לרוץ] *Ut citò iret*, vel, *ut ei liceret feſtinatò ire*, &c. ¶ *Annuum*, הימים] *Anniverſarium*. Ad verb. *dierum*, quod ſingulis annis fieri ſolet, ut ſuprà 1. 21.

7. *Pax* eſt *ſervo tuo*, שלום לעבדך] Sub. *erit*, i. ſalvus ero. ¶ *Indignetur*, חרוה יחרה לו] *Iraſcatur*. Ad verb. *Iraſcendo ira fuerit ei*. ¶ *Completa ſit malitia ejus*, כלתה הרעה] *Conſummata eſt malitia apud ipſum*, i. ad finem uſque perducta eſt, h. e. ſcito illum omnino decreviſſe me perdere.

8. *Facias ergò miſericordiam*, &c. ועשית חסד על עבדך] i. Miſerearis ſervi tui. ¶ *In fedus Jehova*, בברית יהוה] Hebraiſmus, Mecum qui ſum ſervus tuus percuſſiſti fedus coram Jehova. ¶ *Et ſi eſt in me iniquitas*, ואם יש בי עון] i. Si agnoveris in me iniquitatem ullam, nè adducas me ad patrem tuum, ſed tu occide me.

9. *Abſit tibi*, חלילה לך] *Abſit à te*, ſub. *ut ſuſpiceris illud de me*. ¶ *Certò ſcivero*, ידע אדע] Ad verb. *cognoſcendo cognovero*. ¶ *Cum patre meo*, מעם אבי] *Patris mei*, i. patrem meum decreviſſe te perdere.

10. *Quis renunciabit mihi*, מי יגיד לי] Conciſa oratio; propterea ſubaudiendum aliquid, cujuſmodi, *ſi bono animo fuerit pater tuus in me, quis*, &c. vel, (quod ſubaudit doctus inter Hebræos) *ſi benignè reſponderit tibi*. ¶ *Aut quid reſponderit*, &c. או מה יענך אביך קשה] *Aut ſi quid reſponderit tibi pater tuus durè*, aut *aſperé*. Ad verb. *durum*, ſub. *verbum*. Alii, *aut quale* [*quid*] *ſit verbum durum quod reſponderit tibi pater tuus*, i. utrùm velit

me

me omnino perdere, an tantummodo expellere domo sua.

11. *Agè, egrediamur*, &c. לכה ונצא השדה] Ad verb. *Veni, & egrediamur*, &c. Hoc dicit ut familiarius colloquantur.

12. *Jehovah Deus Israel*,&c. יהוה אלהי ישראל וגו׳] Sequenti versui jungitur iste versus, *Jehovah Deus Israel, si investigavero*, &c. *& non misero*, &c. *Jehovah, inquam, sic faciat*. Alii non jungunt sequenti, sed scribunt concisam esse orationem, propterea subaudiendum *vivit*, aut ex principio sequentis versûs, *sic faciat*, &c. ac vertunt totum versum hoc pacto, *Jehovah Deus Israel vivit, quod percontabor* [*investigabo*] *patrem meum*, i. animum ac sententiam patris mei, *hoc ferè tempore cras* aut *perendie*; *& si bonum sit super Davidem, nónne tunc mittam ad te, & revelabo aurem tuam?* Vero propior videtur esse nostri interpretis versio, tametsi utriusque sit idem sensus. ¶ *Hoc ferè tempore cras* aut *perendie*, כעת מחר השלשית] Ad verb. *Juxta tempus cras tertiæ*, i. hâc ipsâ horâ cras aut perendie. Chaldæus paraph. *juxta tempus hoc cras vel diei tertiæ*. ¶ Et *ecce* si *bonum* fuerit *super Davidem*, והנה טוב אל דוד] i. Si bona sit responsio, si bene loquatur de te. ¶ *Revelaveróque*, &c. וגליתי את אונך] De hac locutione dictum est Ruth. 4. 4.

13. *Quòd* si *placuerit*,&c. כי ייטב אל אבי וגו׳] Ad verb. *Quòd si bonum fuerit patri meo malum super te, & aperiam*, &c. i. quod si velit inducere malum super te, h. e. te perdere, indicabo quoque tibi. ¶ *Ac dimittam te*, ושלחתיך] *Jubebo te abire*. ¶ *Ibísque in pace*, והלכת לשלום] i. Discedes incolumis & salvus. ¶ *Et sit Jehovah*, &c. ויהי יהוה עמך] q. d. Et sis felix in præliis tuis cùm eris Rex.

14. *Et non*, &c. ולא אם עודני חי] Doctum inter Hebræos secutus est noster interpres in vertendo isto versu. Ad verb. *Et non si adhuc ego vivens, & non facies mecum misericordiam Jehovæ, & non moriar*. Quidam hæc sic convertunt, *Nec* timeo *quamdiu vivo, nè non facias mecum misericordiam Jehovæ, nec cùm mortuus fuero*. Alii liberiùs sic, *Si id non præstitero, nec mihi vivo nec mortuo beneficium Domini præstiteris*. ¶ *Misericordiam Jehovæ*, חסד יהוה] Hoc dicit propter fedus quod ambo pepigerant, de quo dicebat, v.8. *Facias ergò misericordiam cum servo tuo, quia in fedus Jehovæ adduxisti servum tuum*.

15. *Sed* peto ut *non rescindas*, ולא תכרית] *Sed nec succides*. ¶ *Cùm succidet Jehovah*, בהכרית יהוה] *Cùm exterminabit Jehova*. ¶ *Unumquemque è superficie terræ*, איש מעל פני האדמה] i. Etiam usque ad unum de terra.

16. *Pepigit itaque fedus Jonathan*, ויכרות יהונתן] i. Pollicitus est se servaturum quamdiu viveret totam familiam Davidis. ¶ *Requirat*, ובקש] Ad verb. *Et requirat*, sub. *si non præstitero quod polliceor*.

17. *Et addidit*, &c. ויוסף יהונתן להשביע את דוד] Quidam vertunt, *Et addidit Jehonathan ut adjuraret ipsum Davidem*, i. rursum adegit ad jusjurandum, &c.

18. *Itaque memoraberis*, ונפקדת] i. Memor erit tui pater meus, h. e. requireris à patre meo. ¶ *Vacabit enim sessio tua*, כי יפקד מושבך] Chaldæus paraph. *erit vacuus locus tui discubitûs*, i. inanis enim & vacuus erit locus in quo sedere soles.

19. *Tribus igitur diebus*, &c. ושלשת תרד מאד] Ad verb. *Et tertiabis, & descendes valde*. Hebraismus, Per tres dies delitesces, & abdes te in loco humili atque demisso valde. ¶ *Delitueras*, נסתרת] Ad verb. *Delitesces, abscondes te*. ¶ *Die operis*, ביום המעשה] i. Die negotii, quando negotium tuum egi apud patrem, & ille mihi pollicitus est jurejurando adhibito quòd non interficeret te. ¶ *Viatorium*, האזל] *Via*, i. indicem viæ, sive itineris: Lapidem Mercurialem intelligit. *Solent*, inquit doctus inter Hebræos, *qui iter faciunt, coacervare lapides juxta iter ad indicandum ipsum iter*. Quidam volunt esse nomen loci, propterea non convertunt vocem Hebræam *Ezel*.

20. *Ad latus ejus*, צדה] Nempe lapidis viatorii. ה hoc loco non habet punctum in ventre, quod signum est pronominis feminini, tametsi id significet. ¶ *Mittendo*, לשלח לי] Ad verb. *mittendo mihi*. Redundat pronomen. Interpres noster pro hoc supposuit *illas*, ut exprimeret sagittas de quibus dictum fuerat inter ipsos. *Mittendo*, sive *sagittando, illas*, nempe ad lapidem illum, tanquam *ad scopum*.

21. *Postea autem*, והנה] Ad verb. *Et ecce*. ¶ *Vade, inveni*, לך מצא] i. Agè quære. ¶ *Et citrà*, והנה] Ad verb. *& huc*, sub. *veniendo*. ¶ *Cape eum*, קחנו] *Assume illum*, nempe puerum. ¶ *Pax tibi*, שלום לך] i. Salvus es.

22. *Dimisit te*, שלחך] i. Jubet te discedere. Quidam vertunt *amandavit te*.

23. *Verbi autem quod locuti sumus ego & tu*, והדבר אשר דברנו אני ואתה] *Ejus autem rei de qua sermonem fecimus inter nos*.

24. *Et accubuit mensa Rex*, וישב המלך על הלחם] Ad verb. *Et sedit Rex ad panem*.

25. *In sede sua*, על מושבו] Chaldæus paraph. *super lectum suum. Consuetudo enim fuit*, inquit doctus inter Hebræos, *comedere in lectis, cubabant enim antiqui vescentes*. ¶ *Sicut semel & iterum*, כפעם בפעם] *Secundùm vicem in vice*, i. sicut solitus erat, vel, de more. ¶ *Assurrexitque Jehonathan*, ויקם יהונתן] Sub. *venienti Abner*. ¶ *Vacabat verò locus*, ויפקד מקום] *Et mansit vacuus* [vel, *inanis*] *locus*. Eadem dictio quæ suprà v. 18.

26. *Dicebat enim*, כי אמר] Sub. *apud se*, i. cogitabat. ¶ *Accidens est*, &c. מקרה הוא בלתי טהור הוא] i. Accidit Davidem non venisse propter occupationem: est quidem purus, sed accidit eum esse occupatum ac impeditum negotiis. ¶ Vel *quia non est mundus*, כי לא טהור] Aut *cogitabat eum impurum esse*, q. d. Aut certè impurus est, pollutione scilicet nocturnâ.

27. *Secundo*, השני] Sub. *die*, sequente Calendas scilicet, idem bis dicit. ¶ *Neque heri*, &c. גם תמול גם היום אל הלחם] Ad verb. *etiam heri, etiam hodie ad panem?* i. ad mensam Regis, ut dicit v. 29.

28. *Obnixè postulavit*, נשאל נשאל] Ad verb. *postulando postulavit*.

29. *Dimitte me*, שלחני] *Sine me abire*. ¶ *Victima est familia nobis*, זבח משפחה לנו] i. Habemus solenne sacrificium. ¶ *Præcepit mihi*, צוה לי] Sub. *ut adessem*; cui obedire me oportet. Minores fratres parebant majoribus natu. ¶ *Conferam me*, אמלטה] Ad verb. *elabar*.

30. *Et iratus est furor*, ויחר אף] Hebraismus, Et indignatus est vehementer. ¶ *Perversa rebellione*, נעות המרדות] *Perversæ & rebellis*, q. d. Tu imitaris mores matris tuæ, quæ non parebat mihi. ¶ *Scio*, ידעתי] i. Perspectum habeo. ¶ *Ignominiæ*, ערות] *Pudoris*: nam dicent eam commisisse adulterium, q. d. Non videris filius meus, sed potiùs adulteræ, quòd non pareas mihi.

31. *Et tolle eum*, וקח אתו] i. Captum adducas ad me. ¶ *Filius mortis*, בן מות] Hebr. Dignus est qui moriatur.

34. *In ira furoris*, בחרי אף] Hebr. Vehementer iratus.

36. *Inveni*, מצא] i. Quære, & inventas affer sagittas. ¶ *Jacio*, מורה] Præs. Heb. pro fut. *jaculaturus sum*, vel, *emissurus*. ¶ *Ultra illum*, להעברו] Sub. *scopum*, vel *puerum*. Utrumque potest referre.

40. *Arma sua*, את כליו] i. Pharetram & arcum. ¶ *Suo*, אשר לו] Ad verb. *qui erat ei*.

41. *De latere Australi*, מאצל הנגב] Sub. *lapidis viatorii*. Jonathan miserat sagittas ad latus Septentrionale, nè puer incurreret in Davidem. ¶ *Incurvavit se*, וישתחו] i. Salutavit eum demisso in terram capite. ¶ *Fleverunt alter cum altero*, ויבכו איש את רעהו] *Defleverunt alter alterum*. ¶ *Sed David abundè*, עד דוד הגדיל] Ad verb. *Ità ut* [*adeò quòd*] *David magnificavit*, i. sed David abundantiùs flevit.

42. *Vade in pace*, לך לשלום] q. d. Abi salvus & incolumis. ¶ *Quam juravimus*, אשר נשבענו] Eclipsis quæ mirè convenit dolentibus, propterea subaudivit nonnulla noster interpres. ¶ *Sit*, יהוה] Sub. *testis*. ¶ *Usque in seculum*, עד עולם] i. In longum tempus.

CASTALIO.

3. **D**Avid insuper juravit] *Jurare* vocat religiosè affirmare; quod facit sequentibus his verbis, *Quàm certum est Jovam, quàm certum est te vivere*, &c.

11. *Age, inquit, exeamus sub dium*] Scilicet ut cœlum intuens Jovam juraret.

19. *Descendes autem ad summum ter*] Meminisse convenit, quod paulò antè dictum est, *cras*, aut *perendie*. Est igitur hæc sententia, Si potero, cras ad eum locum adero. Sed si cras scire non potuero quomodo sit meus pater animatus, operam dabo ut id saltem perendie sciam. Descendes ergò cras. Quòd si non veniam cras, putato me nondum potuisse scire; itaque descendito etiam perendino, aut etiam tertio abhinc die, si fortè perendie non venero; ut quocunque horum trium dierum ego venero, tu adsis. Quod autem verto *Descendes ter*, in Hebræo est *Tertiabis descendere*, si licet ità loqui; sicut alibi legitur, *Rectabis facere* (ut verbum docendi causâ fingam) pro *Rectè facies*. Et Jer. 49. *Profundate manere*, pro *Profundè manete*, h. e. *Abstrudite vos penitus*. Gallicè, *Triumphat facere*, pro *Triumphalia*, aut *triumpho digna, facit*, i. magnifica. Hujusmodi est illud Horatii,

Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum;

h. e. Trepidè clausit. Et illud ejusdem,

———*Negligis immeritis nocituram*
Postmodò te natis fraudem committere;

h. e. Negligenter committis.

30. *O improba contumacisque matris progenies*] Ut *hominis filium* vocant Hebræi Hominem, ità Saulus *improbæ filium* vocat Improbum; sed à matre, nè se ipse damnet.

CLARIUS.

7. **C**Ompleta est malitia ejus] Obstinatus est in malitia, & mentem à malo non vult avocare.

13. *Sit Dominus tecum*] Intelligendum est de Regni felici successu. Jonathas enim multis certisque conjecturis cernebat David aliquando regnaturum, sciebàtque patrem à propheta rejectum, atque idcirco desiturum Regnum ejus.

19. *Quando opus fiebat*] h. e. Latitabis in eo loco ubi priùs latuisti quando ego negotium tuum egi apud patrem meum, & ille mihi juravit quòd te non occideret, &c. Capitur igitur hîc *dies operis*, pro *die negotii*.

23. *Sit Dominus inter me & te*] h. e. Sit Deus judex noster, si vel ego vel tu pactum violaveris.

30. *Fili iniquæ rebellionis*] Quidam sic legit, *Filius es reprobatæ mulieris ob rebellionem*, h. e. Imitaris matrem tuam, quæ ob id quòd fuit mihi rebellis, reproba & perversa meritò est judicanda.

41. *Et osculantes se*] Cùm Jonathas videret nullum adesse hominem qui eum prodere posset, venit ad David, & ore tenus quoque illi indicavit obstinatum in malitia patris animum, jubétque illum ocyùs abire & saluti suæ consulere.

DRUSIUS.

2. וְלֹא יִגְלֶה אֶת אָזְנִי. Sym. *ἐὰν μὴ δηλώσῃ εἰς ἀκοήν μου, nisi priùs indicaverit mihi*] Sensum expressi & qui in verbis Symmachi & qui in textu Ebræo, ubi ad verb. habetur, *& non revelet aurem meam*. Id Lxx dixerunt *οὐκ ἀποκαλύψει τὸ ὠτίον μου*.

3. כְּפֶשַׂע בֵּינִי וּבֵין הַמָּוֶת. A. & Sym. *ὅσον βῆμα ἀναμεταξὺ ἐμοῦ καὶ θανάτου, circiter passus inter me & mortem*] Vel *gressus*. Interp. vetus, *uno tantùm gradu, ut ità dicam, ego mórsque dividimur*. Pro פשע Magistri dicunt פסיעה, Sin in Samech mutantes, unde אלפים פסיעות *bis mille passus*, ut cùm dicunt, *Iter sabbathi continet bis mille passus mediocres*.

17. נַפְשׁוֹ. A. *κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ secundùm animam suam*] i. tanquam seipsum.

18. יִפָּקֵד. Sym. *ζητηθήσεται requiretur*] *Requiretur sedes tua* idem cùm illo quod Hieron. habet, *& requireris*. Santes maluit *deficiet sedes tua*.

19. אֵצֶל הָאֶבֶן. A. & Sym. *παρὰ τὸν λίθον apud lapidem*] Descripsi è schedis meis. Nam in ed. Rom. *τὸ ἐργὰβ, ἐχόμενα τοῦ νότου, ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσεν· οἱ δὲ λοιποὶ λίθον ἐξεδώκασι*. Ergò etiam Theodotio edidit *παρὰ τὸν λίθον*. Mirum autem quid sibi voluerint Lxx, dum verterent *παρὰ τὸ ἐργὰβ ἐκεῖνο*. Nam quod in glossis veteribus, *Ergab, lapis*, hinc sumptum videtur. Quia enim alii habebant *τὸν λίθον*, putarunt ideo *ἐργὰβ lapidem* denotare: *ἐχόμενα τοῦ νότου* pertinet ad v. 41. hujus capitis, ubi in fonte הנגב *Auster*, sive *Notus*. De altero Eusebius in libro Locorum, *Ergab, ad quem locum Jonathan filius Saulis veru dirigit, militaribus jaculis se exercens. Pro quo Aquila & Sym. interpretati sunt Lapidem, licèt in alio loco Sym. pro hoc τὸ περίμετρον dixerit*. Vide quæ notavimus ad v. 41.

20. חִצִּים. A. *βέλη sagittas*. לְמַטָּרָה. A. *εἰς τὸν σκοπὸν ad scopum*. Sym. *εἰς τὸν τεταγμένον σκοπὸν ad ordinatum scopum*] *Ad scopum*. Alibi est *εἰς τὴν φυλακήν*. Schol. *Ἀκύλας εἰς τὸν σκοπὸν, ἢ φυλακήν· διττὴ γὰρ ἡ γραφή, Aquila vertit, Ad scopum, sive, Ad custodiam; duplex enim scriptura*. Pro *ad custodiam* rectiùs vertes *ad signum*, ut *φυλακὴ* sit hoc loco *signum quod in aggere*. In libro Locorum, למטרה *Aquila interpretatur, Ad signum*. Aut fallor vehementer, aut in Græco fuit *εἰς φυλακήν*. Sed hoc arbitrarium esse volo. Illud certum, מטרה dici *παρὰ τὸ* נטר *φυλάττω* sive *φυλάσσω*, unde nihil mirum si *φυλακὴν* reddit eam vocem interpres contentiosus, qui verborum etymologias exprimere solet. ¶ *Ad ordinatum scopum*] Ad constitutum sive condictum scopum. Schol. *Σύμμαχος, εἰς τὸν τεταγμένον σκοπὸν, εἰς ὃν γυμναζόμενοι τὰ βέλη πέμπειν εἰώθεσαν*. In libro Locorum, *Symmachus, ad condictum*. Obiter noto. Senes hîc habent *εἰς τὸ Ἀματταρεί*· sed puto leg. *εἰς τὸ Ματταρὰ*, vel certè *Λαμματταρά*. In memorato libro Locorum, *Lammattara, ad quem locum Jonathan jacula dirigebat*. Glossæ veteres, *Lammattara, Signum, vel Conditio*. Lege *Signum, vel Condictum*, aut potiùs, *ad signū, vel, ad condictum*. Schol. *τὸ καλούμενον παρ' Ἕλλησι Τάφρος, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις Φοσσάτον, τοῦτο παρ' Ἑβραίοις Ἀματταρεί*.

26. מִקְרֶה. Schol. *συνάντησις*. Sym. *συγκύρημα casus*] *Συνάντησις, occursus*.

34. נֶעְצַב. A. *ἐπονήθη doluit*. Sym. *ὠδυνήθη dolore affectus fuit*. Th. *ἐλυπήθη contristatus fuit*.

36. לְהַעֲבִרוֹ. Th. *ὑπερέβη transgressus est*.

41. אֵצֶל הַנֶּגֶב. A. *ἐχόμενα τοῦ νοτίου juxta Notum*. Sym. *τὸ περίμετρον ambitum*] *Ambitum*, suspectum. In schedis meis, *τὸ ἐργὰβ. Sym. λίθον, & alibi, τὸ περίμετρον*. Videtur hunc locum designare.

GROTIUS.

3. **U**NO tantùm, ut ità dicam, gradu] Passu. Symmachus, *ὅσον βῆμα ἀναμεταξὺ ἐμοῦ καὶ θανάτου*. Tales passus bis mille in Sabbati itinere.

6. *Victima solennes*] Intellige convivium quod inter se habebant cognati post sacrificium pro ipsorum salute. Simile convivium solenne apud Romanos *Charistia* dictum, *cui præter agnatos & affines nemo interponebatur*, ut loquitur Valerius Maximus l. 2. c. 1. Ovidius Fast. 2.

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

9. *Neque enim fieri potest ut, si certè cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi*] Non in omnia filii patribus parere debent: quam materiam latè tractavimus l. 2. De J. B. ac P. c. 26. §. 3. Davidi apud Jonathanis animum proderat & innocentia ipsius, & Dei promissa Jonathani non incognita. Id clarum infrà 23. 17.

11. *Egrediamur foràs in agrum*] Jurare enim sub dio solebant.

14. *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini*] Hoc stipulatur ob mores malos vicinorum Regum, qui Regum antecedentium liberos & propinquos interficiebant, nè quid suspectum circa se viderent. Eodèm respicit Saulis postulatio infrà 24. 21.

20. *Quasi*

20. *Quasi exercens me ad signum*] Quem σκοπὸν Græci vocant; quâ voce hîc usi Symmachus & Aquila; quomodo hoc nomen sumitur Job. 16. 12. & Lam. 3. 12. At LXX εἰς τὸν Ἀμαπταεὶ, quasi proprium loci esset nomen.

23. *Sit Dominus inter me & te*] Testis, &, si quis fallat, vindex; quod omni jurijurando tacitè inest, ut diximus l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 10.

26. *Quòd fortè evenisset ei ut non esset mundus*] Vox קרי quæ hîc in Hebræo est propriè ad eam speciem pertinet de qua egimus Levit. 15. 16. ¶ *Nec purificatus*] Quod fiebat lotione & adventu vesperæ.

30. *Fili mulieris virum ultro rapientis*] Videtur sensus Hebræarum vocum esse, *Fili mulieris pravæ ad summam usque contumaciam.* Solent filii parentibus esse similes. Saul qui se accusare non vult, culpam duri ingenii in matrem rejicit.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

1. IN *Nobe*] Vocatur locus ille *Nob*; sic enim vocat Jonathan: & He superadditum in fine est He locale: id quod K. quoque hîc monet. ¶ *Obstupuitque*] Quidam Hebræorum interpretantur נעו *moti sunt in occursum David.*

2. *Pueris indicavi*] Legitur in Hebræo יודעתי pro הודעתי. Potest etiam esse ut יודעתי sit de conjugatione Meruba. Porrò sensus hujus loci hic est: Constitui pueris meis locum talem & talem, ubi meum exspectent adventum. Est autem פלוני idem quod מכוסה *opertum*, & אלמוני idem quod נסתר *absconditum*; Vocátque Hebraïsmus his nominibus ea quorum nomina in particulari non exprimuntur.

5. *Vasa puerorum*] i. Indumenta. ¶ *Etiamsi via profana fuerit*] Hunc habent sensum; Licèt profanum arripuerimus iter, non quidem cogitantes quòd opus haberemus panibus sanctis, nihil tamen accidit immundum in itinere quod nos coercere posset ab esu sanctorum panum: & quantò magìs hodie, cùm eguerimus rebus sanctis, abstinuisse nos putas à qualibet immunditiâ quæ corpora & indumenta nostra polluere potuisset? Alii pro *via profana* legunt *viam pollutam*; alii *morem publicum.*

6. *Panes calidi*] Jubentur Sacerdotes in lege Mosaica singulis Sabbatis 12 recentes ponere panes super mensam propositionis, & inveteratos auferre atque comedere. Nec liciti erant panes illi nisi Sacerdotibus: tamen מפני סכנת נפשות *propter periculum animarum* poterant etiam profani homines illis vesci, sicut & Christus Matth. 12. docet. Sed quomodo scribitur hîc panes illos Sabbato *calidos* fuisse, cùm Sabbato operari prohibitum fuerit? Respondent Hebræi panes illos in fornace calida servatos fuisse usque in horam propositionis, *&c.*

7. *Detentus coram Domino*] Sensus est, עוצר עצמו *continebat se in loco illo, & moram traxit, ut offerret sacrificia, & audiret legem Dei.*

8. *Fuerit properandum*] Est hîc נחוץ participium præteritum, exponitúrque pro מהיר. *Verbum*, inquit, *Regis urgebat me quantocyùs abire.*

13. *Eloquium suum*] Capitur hîc טעם pro דבר *sermone*, & pro דעת *mente*. Alii exponunt pro *habitu*, aut *gestibus, corporis.* Et התהלל pro סכל, i. *stulta opera agere*, ut est *scribere ad ostium domûs*, seu stultorum more pingere in parietibus. Interpretes nostri hîc verterunt תוה pro *impingere*, cùm tamen idem significet quod כתב *pingere* & *scribere*; quanquam primi interpretis culpâ hoc non sit factum, sed posteri ex *pingere* fecerunt *impingere.*

VATABLUS.

2. REM *propter quam*, &c. את הדבר אשר אנוכי שולחך] Declarat illud *quicquam* præcedens. ¶ *Pueris autem condixi locum*, &c. ואת הנערים יודעתי אל מקום פלוני אלמוני] Ad verb. *pueros autem scire feci locum talem & talem*, i. quendam & certum, in quo scilicet eos reperiam. Vel, *locum* [i. domum, aut urbem] *talis & talis*, sub. *hominis*, sive cujusdam hominis certi. Duæ voces *Peloni Alemoni* idem significant Hebræis quod Græcis δεῖνα, i. *quendam, aliquem*, vel *talem*, q. d. *Ad locum talem & talem quem impræsentiarum non nominabo.* Vide Ruth 4. 1. Gallicè dicimus, *la maison d' un quidam.* His nominibus utuntur Hebræi cùm nominibus propriis parcere volunt.

3. *Quid est sub manu tua?* מה יש תחת ידך] i. Quid habes ad manum & in promptu? Quidam legunt, *Nunc ergò si sub manu tua* sunt *quinque panes*, i. si habes quinque panes.

4. *Non est panis profanus*, &c. אין לחם חול אל תחת ידי] *Non habeo panem profanum, sed sacrum.* Dicunt enim confestim obtulisse illi panes propositionis, quòd sciret eum magnâ fame pressum. ¶ *Si modò*, &c. אם נשמרו] *Si tamen caverint sibi* [*continuerint se*] *ministri tui tantùm à muliere*, i. à pollutione quæ contrahitur cum muliere, h. e. *si non* fuerint *polluti.* Dicunt hoc dixisse honoris causâ de Davide, q. d. Quem dabo tibi, sive de quo edere poteris, si continueris te à commercio muliebri.

5. *Prohibita fuit à nobis*, עצורה לנו] i. Remota fuit, procul fuit à nobis nè esset nobiscum, q. d. Quod ad mulieres attinet, abstinuimus ab illis jam tres dies sunt & ultrá. ¶ *Et fuerunt vasa puerorum sanctitas*, ויהיו כלי הנערים קודש] i. Vestes puerorum sanctificatæ & purificatæ fuerunt, i. sanctificavimus nos more eorum qui volunt se itineri committere. ¶ *Et ipse*, &c. והוא דרך חול וגו'] Possunt exponi bifariàm hæc verba, vel ut vertit noster interpres, Tametsi non sit prævaricatio in comedendis panibus propositionis ubi amoti sunt à conspectu Domini, q. d. Non est quòd excuses te non posse dare nobis panes propositionis, quibus vesci solis Sacerdotibus liceat: nam amoti à conspectu Domini, tanquam profani habentur; & omnibus vesci licet, maximè cùm quis fame premitur. Vel, ut alii, qui tanquam הוא esset femininum, volunt illud referre דרך *derech*, quod est fem. & vertunt, *cùm tamen via sit profana*, i. cùm hanc peregrinationem negotii profani causâ instituerimus, tamen sanctificavimus nos. ¶ *Quantò magìs hodie*, &c. ואף כי היום יקדש בכלי] i. Quantò magìs servabitur in puritate ac sanctimonia sua panis ille in vase ipso in quo reponetur? q. d. Majore diligentiâ servabimus in puritate sua vasa nostra. Alii, *quantò magìs sanctificabitur* via nostra *in vasis ipsis?* Quidam totum versum sic convertunt, *Verè mulier prohibita est à me*, ut non esset mecum *sicut heri & nudiustertius cùm egressus sum, & fuerunt vasa pueri sancta: sed &* panis amotus à mensa Domini est *more* panis *profani* quo vesci licitum est: *& etiam quamvis hodie sanctificatus esset in vase* quod est super mensam, vesci tamen licitum esset, cùm alium non habeas, & ego sim in necessitate constitutus.

6. *Panes facierum*, לחם הפנים] i. propositionis. Vide Exod. 25. 30.

7. *Eo die*, ביום ההוא] Quo scilicet hæc gesta fuerunt. ¶ *Qui demorabatur coram Jehovah*, נעצר לפני יהוה] *Qui continebat sese coram Jehova*, ut scilicet adoraret ad tabernaculum federis. ¶ *Edomæus*, האדומי] Habitatione quidem, non genere: qui scilicet habitaverat, vel habitabat etiam adhuc, in Idumæa. ¶ *Potentissimus pastorum*, אביר הרועים] *Princeps* [i. maximus] *pastorum.*

8. *Sub manu tua*, תחת ידך] i. In promptu, ad manum, in potestate. ¶ *Neque gladium*, &c. גם חרבי וגם כלי לא לקחתי] Ad verb. *etiam gladium meum, & etiam arma mea non tuli.* ¶ *Verbum Regis urgebat*, דבר המלך נחוץ] Ad verb. *Regis verbum acceleratum*, i. negotium, vel mandatum Regis urgebat me statim discedere.

9. *Panno*, בשמלה] *Velo, veste.* ¶ *Post ephod*, אחרי]

אחרי האפוד] i. Post eum locum in quo reponitur ephod, h. e. vestes sacerdotales. Alii intelligunt de veste Pontificis. ¶ *Vis tollere tibi*, תקח לך] Ad verb. *accepturus es tibi*, i. velis accipere, licet per me capias. ¶ *Non est similis huic*, אין כמוה] i. Est incomparabilis.

10. *Surrexit ergò David, & fugit*, ויקם דוד ויברח] Confestim & properè fugit.

11. *Rex terræ*, מלך הארץ] *Rex hujus regionis?* i. ad quem pertinet Regnum hujus regionis propter devictum Goliath. Eâ enim lege pugnatum erat ut victor possideret regionem victi, q. d. Cùm ad istum videatur Regnum tuum, ô Achis, pertinere, cur admittis? ¶ *Mille suos, & David*, &c. באלפו ודוד ברבבותיו] Vide suprà 18. 7.

12. *Et reposuit David*, &c. וישם דוד] i. Manserunt hæc apud eum altâ mente reposta.

13. *Et immutavit ipse sermonem suum*, וישנו את טעמו] *Et immutavit illum sensum suum*. Vel *mutabat*. Relativum ante suum antecedens, pro, *mutavit sensum illum suum*, vel *mentem suam*, i. finxit insaniam. ¶ *Et insanum se ostendebat*, ויתהולל] *Et simulavit* [vel, *finxit*] *stultitiam*, vel, *insaniam*, i. egit stultum. ¶ *Et describebat*, ויתו] More scilicet stulti.

14. *Ecce vidistis*, &c. הנה תראו וגו'] i. Cùm videretis hominem istum esse insanum & stultum, quare, *&c.*

15. *Careône*, חסר] *Destituórne*, *Indigeóne*. Gallicè, *N' ay ie pas assez de sots*, &c. ¶ *Num iste ingredietur*, &c. הזה יבוא אל ביתי] i. Hiccine dignus est qui ingrediatur regiam meam? q. d. Procul hunc hominem abigite: non enim est dignus qui in regiam meam ingrediatur.

CASTALIO.

2. FAmulis certum quendam locum assignavi] Scil. ubi me præstolentur; nè sciant quò ego profectus sim.

5. *Si profectio ipsa profana fuit, at hodie quidem lustrabitur in corporibus*] Si fortè mei famuli tum cùm profecti sunt fuerant cum uxoribus, at hodie quidem puri erunt, quoniam hic dies tertius est; quod temporis spatium lustrandis corporibus est destinatum.

CLARIUS.

2. PUeris meis] h. e. Constitui pueris meis locum talem & talem, ubi meum exspectent adventum.

5. *Vasa puerorum*] h. e. Indumenta. ¶ *Via profana est*] Hunc habet sensum, Licèt profanum arripuerimus iter, non quidem cogitantes quòd opus haberemus panibus sanctis, nihil tamen accidit immundum in itinere quod nos coercere posset ab esu sanctorum panum: & quantò magis hodie, cùm egerimus rebus sanctis, abstinuisse nos putas à qualibet immunditia quæ & corpora & indumenta nostra polluere potuisset?

6. *Panes calidi*] Jubentur Sacerdotes in lege Mosaica singulis Sabbatis 12 recentes ponere panes super mensam propositionis, & veteres auferre atque comedere. Nec liciti erant panes illi nisi Sacerdotibus; tamen propter periculum animarum poterant etiam profani homines illis vesci, sicut & Dominus Matth. 12. docet. Sed quomodo scribitur hîc panes illos Sabbato calidos fuisse, cùm Sabbato operari prohibitum fuerit? Respondent Hebræi, panes illos in fornace calida servatos fuisse usque in horam propositionis, *&c.*

7. *Qui morabatur coram Domino*] Moram ibi traxit ut offerret sacrificia & audiret legem Dei.

13. *Immutavit eloquium suum*] Significat eum stulta opera fecisse, ut est *scribere ad ostium domûs*, seu stultorum more in parietibus pingere; pro quo scriptorum error posuit *impingere*.

DRUSIUS.

2. אַלְמֹנִי ἐλμωνί. A. Th. τὸν δεῖνα] In lib. Locorum, *Elmoni, locus quispiam, interpretatur*, *pro quo A. & Th. transtulerunt* τὸν δεῖνα, *quod nos dicere possumus Hunc vel illum.* Vide & *Felmoni almoni* in eodem libro.

9. בְּעֵמֶק הָאֵלָה. Sym. ἐν τῇ κοιλάδι Ἠλᾶ *in valle Ela*. A. Th. ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δρυὸς *in valle Quercûs*] Vide quæ scripsimus suprà 17. 2.

GROTIUS.

2. REx præcepit mihi sermonem] Nimirum paria sentiens cum Euripide,

Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἢ ἀλήθει' ἄγει,
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ καλόν.

& cum Diphilo,

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.

Condonandum aliquid illis temporibus, latente multùm vitâ æternâ.

4. *Tantùm panem sanctum*] Leges rituales facilè ab aliqua necessitate aut utilitate magna vinci se patiuntur. Vide quæ dicta ad Matth. 12. 4. ¶ *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*] Quod in sacris exigi solebat. Vide Tibullum 1. 3. Propertium 2. 22. Ovidium Amorum 1. 8. & 3. 8, & 9. Metam. 10. Vide quæ dicta ad Exodum 19. 15.

9. *Ecce hîc gladius Goliath Philisthæi*] Seneca in Controversiis, *Pro republica plerumque templa nudantur*. Vide & alia allata l. 3. De J. B. ac P. c. 5. §. 2. & in Annotatis. Adde §, Sacra res. Instit. de rerum divis. & quæ nobis dicta eodem illo libro c. 20. §. 23. Iolaus in Heraclidis Euripidis arma de Templo sumens,

Ἔστ' ἐν δόμοισιν ἔνδον αἰχμάλωθ' ὅπλα,
Τοῖσδ' οἷσι χρησόμεσθα κἀποδώσομεν
Ζῶντες· θανόντας δ' οὐκ ἀπαιτήσει θεός.

10. *Venit ad Achis regem Geth*] Ἀνεπίφθονον δὲ ὅσοι ὡς καὶ ἡμεῖς ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα, μὴ Ἕλληνας μόνον ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι, aiunt Græcorum quidam apud Thucydidem.

11. *Rex terræ*] i. Dux. Vox enim hæc impropriè interdum sumitur, ut Deut. 33. 5.

13. *Et immutavit os suum coram eis*] Heb. את טעמו, Id hîc est *gestum suum*. Eadem verba in hac ipsa re in inscriptione Psalmi 34. ¶ *Et collabebatur inter manus eorum*] Heb. *Finxit se furere in manibus eorum*, i. circumdatus ab ipsis. Sic Ulysses apud Græcos

——*furere assimulavit.*

Vide Ciceronem De Officiis 3. ¶ *Et impingebat in ostia portæ*] *Pingebat*. Ità R. Salomo. תוה est γράφειν tam *pingere* quàm *scribere*. ¶ *Defluebántque salivæ ejus in barbam*] Vide Marc. 9. 18, 20. Luc. 9. 39. & quæ ibidem dicta.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

2. OMnes viri fœnore obligati] Scribitur hîc נושא pro נושה, h. e. Aleph pro He, & est sensus, Omnes qui obærati erant alieno ære, & qui ob debita duros habuerunt exactores, possessionibúsque suis cedere coacti sunt, hi ad David tribulatorum patronum confugerunt.

3. *Egrediatur*] Subaudiendum *de spelunca*, in qua cum David delituerunt.

4. *Et duxit eos*] Verbi radix est נחה, quod quidam ex recentioribus interpretibus me annotare coegerunt.

5. *Terram Jehuda*] Monetur hîc David per Prophetam Domini ut sese recipiat in terram Jehuda, & habitet in tribu atque cognatione sua. Illi enim non facilè permisissent Saul tyrannicè agere cum David contra jus & æquitatem.

6. Notum

6. *Notus factus fuisset*] Capitur hîc נודע pro נתפרסם *publicatus fuisset*, vel *in publicum venisset*.

7. *Filii Jemini*] Pro quo Jon. *Audite filii tribûs & domûs Biniamin*. Et est sensus, Vos qui estis de tribu & cognatione mea, & quos volui tanquam fideles ministros lateri meo semper esse affixos, debereris mihi magis favere quàm David, homini externo à tribu nostra, qui Regium sceptrum nititur transferre à tribu vestra, &c. Sed & hoc pessimè me habet, ut filius meus, cui jure meum debetur Regnum, desciverit à me, & plus faverit David quàm sibiipsi & mihi; & vos non id advertitis; aut, si advertitis, mihi non condoletis, ut hominem è mundo eliminetis qui vitæ meæ insidiatur.

15. *Hodie quidem cœpi consulere*] Sunt qui hanc sententiam sic legunt, *Num hodie primùm cœpi consulere pro eo Deum? Absit ut ego scivérim quòd fugerit à te*, cùm alioquin toties pro eo consuluerim Deum. Kimhi tamen nostram probat lectionem; ut hic sit sensus; Quare redarguis me quòd consuluerim Deum pro eo, cùm is primus sit dies quo illud facere cœpi, ignorans quidem, *&c.* Absit, absit à me, si scivissem te illi adversari, nequaquam id egissem. Non igitur imponas mihi, aut alicui ex universa familia mea, verbum hoc.

17. *Satellites*] Vocat Hebraismus satellites qui Regem stipant רצים, i. *cursores*, quòd Regem præcedant & sequantur.

22. *Occasio fui*] Ab hoc verbo faciunt Rabbini nomen סבה, quo utuntur in commentariis pro *causa*.

23. *Quoniam si quis requisierit animam*] Kimhi hunc locum sic legit; *Qui requirit animam meam, is est qui & animam tuam quærit*.

VATABLUS.

1. *Servavit se in spelunca*, וימלט אל מערת] *Evasit* [vel, *recepit se*] *in speluncam Adullam*, quæ erat in tribu Juda.

2. *Congregatique sunt*, ויתקבצו] *Congregaveruntque sese*, i. adjunxerunt sese, *illi*, ut scilicet solamen aliquod invenirent. ¶ *Quicunque erat in angustiis constitutus*, כל איש מצוק] Ad verb. *omnis vir angustiatus*. ¶ *Et cuicunque erat creditor*, וכל איש אשר לו נושא] i. Quotquot oppressi erant ære alieno, & non erant solvendo. ¶ *Fuerunt autem cum eo*, ויהיו עמו] i. Secuti sunt eum.

3. *Moab*, מואב] Genitivus est, i. quæ erat in regione Moab. ¶ *Egrediatur*, יצא] Sub. *de patria sua*. ¶ *Mihi*, לי] *De me*, i. donec intellexero quid facturus sit de me.

4. *In arce illa*, במצודה] i. In Maspha, quæ erat arx firmissima.

6. *Quòd notus esset*, כי נודע] *Quòd cognitus esset*, i. apparuisset, h. e. famam esse aliquot homines adjunxisse se Davidi. ¶ *Sub arbore in Ramah*, תחת האשל ברמה] i. Sub arbore illa insigni quæ erat in loco edito illius urbis quæ dicebatur *Ramah*.

7. *Filii Jemini*, בני ימיני] i. Benjaminitæ. ¶ *Omnibúsne vobis*, גם לכלכם] Ad verb. *etiam omnibus vobis*. Ironia est, q. d. Non est mirum quòd cum Davide adversùm me conjurastis: nam creditis vos plura beneficia accepturos ab eo quàm à me. ¶ *Filius Isai*, בן ישי] Subticet nomen *Davidis* per contemptum.

8. *Qui revelet aurem meam?* גולה את אזני] Vide Ruth 4. 4. i. indicet mihi. ¶ *Super me*, עלי] i. vicem meam. ¶ *Ad insidias*, &c. לאורב כיום הזה] i. Ut insidientur mihi, sicut hodie videre est.

13. *In insidiis, ut hodie*, לאורב כיום הזה] i. Structis insidiis. Vide v. 8. Ad verb. *ad insidias secundùm diem hanc?*

14. *Ad obedientiam tuam*, אל משמעתך] i. Qui promptus est ad tibi parendum. ¶ *Clarúsque*, ונכבד] *Inclytúsque*, vel *insignis*.

15. *Consulere pro eo*, לשאול לו] Cùm scilicet erat deducturus copias tuas aliquò. ¶ *Quidpiam*, דבר] i. Crimen aliquod. ¶ *Agnoscit*, ידע] Præt. Heb. pro præs. ¶ *De omnibus his*, בכל זאת] *Ex omni hoc*, i. In omnibus quæ dicis non agnoscit servus tuus crimen aliquod parvum aut magnum quod admiserit contra te.

17. *Cursoribus*, לרצים] *Emissariis*. ¶ *Convertimini*, סובו] *Circuite*, i. circumeundo interficite. ¶ *Manus eorum est cum Davide*, ידם עם דוד] i. Favent Davidi, stant à partibus Davidis.

18. *Convertere*, סוב] *Circui*, i. circumeundo irrue. ¶ *Conversus itaque*, ויסוב] *Circuiens itaque*, i. circumeundo irruit. ¶ *Ferentes ephod lineum*, נושא אפוד בד] Non quòd tum ferrent cùm interficerentur, sed quòd essent in ea ætate eóque ordine ut ferre possent, h. e. ministrarent in sacerdotio Domini.

19. *Et pecudes*, ושה] Sing. Heb. pro plur. *agnos* vel *arietes*, aut *oves*.

20. *Et fugit post Davidem*, ויברח אחרי דוד] *Et confugit ad Davidem*.

22. *Causam præbui*, &c. סבותי בכל נפש] *Causa fui in omnem animam*, &c. Hebraismus, Causa fui ut interficeretur tota familia patris tui.

23. *Qui quæsierit*, &c. אשר יבקש את נפשי יבקש את נפשך] i. Qui quæsierit me perdere quæret perdere te. Quidam per præsens vertunt, *qui quærit animam meam, quærit animam tuam*: sive *qui quærit perdere me*, &c. q. d. Commune habemus hostem Saulem. ¶ *Penes me*, עמדי] *Mecum*, i. custodiam te sicut custodiam meipsum, velútque rem depositam apud me.

CLARIUS.

2. *Oppressi ære alieno*] h. e. Omnes qui ob debita duros habuerunt exactores, possessionibúsque suis cedere coacti sunt, hi ad David afflictorum patronum confugerunt. Sic Christus verus David afflictos invitabat ut ad se irent, dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos*.

5. *In terram Juda*] Monetur hîc David per Prophetam Domini ut sese recipiat in terram Juda, & habitet in tribu ac cognatione sua. Illi enim non facilè permisissent Saul tyrannicè agere cum David contra jus & æquitatem.

7. *Filii Jemini*] *Audite filii tribûs & domûs Benjamin*. Et est sensus, Vos qui estis de tribu ac cognatione mea, & quos volui tanquam fideles ministros lateri meo semper adhærere, deberetis mihi magis favere quàm David homini externo à tribu nostra, qui Regium sceptrum nititur transferre à tribu vestra, *&c.* Sed & hoc pessimè me habet, ut filius meus, cui jure meum debetur Regnum, desciverit à me, & plus faverit David quàm sibiipsi & mihi; & vos non hîc advertitis, aut, si advertitis, mihi non condoletis, ut hominem è mundo eliminetis qui vitæ meæ insidiatur.

16. *Num hodie cœpi*] Num hodie primùm cœpi consulere pro eo Deum? Absit ut ego sciverim quòd fugeret à te, cùm alioqui toties pro eo consuluerim Deum. Alius hunc sensum affert, Quare redarguis me quòd consuluerim Deum pro eo, cùm is primus sit dies quo illud facere cœpi, ignorans quòd fugeret? Absit, absit à me: si scivissem te illi adversari, nequaquam id egissem. Non igitur imponas mihi, aut cuiquam ex universa familia mea, verbum hoc.

23. *Siquis quæsierit*] Alius sic legit, *Qui requirit animam meam, is est qui & animam tuam quærit: tu apud me esto in custodia*.

GROTIUS.

2. *Et oppressi ære alieno*] Vide quæ diximus ad Judic. 11. 3.

5. *Proficiscere, & vade in terram Judæ*]

Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.

Magnam pro Davide curam ostendit Deus, nunc per Prophetas, nunc per Urim & Thummim eum instruens.

9. *Doeg Idumæus*] *Delatores genus hominum publico exitio repertum*, ait Tacitus Histor. 4. Descriptionem Doegi vide Psal. 52.

14. *Et quis in omnibus servis tuis, sicut David, fidelis & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?*] Similis purgatio M. Terentii apud Tacitum Annal. 6. *Fatebor & fuisse me Sejano amicum, & ut essem expetisse, & postquam adeptus eram lætatum. Videram collegam patris, regendis prætoriis cohortibus; mox urbis & militiæ munia simul obeuntem. Illius propinqui & affines honoribus augebantur: Ut quisque Sejano intimus, ità ad Cæsaris amicitiam validus: contrà quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quenquam exemplo assumo: cunctos qui novissimi consilii expertes fuimus meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsiniensem, sed Claudiæ & Juliæ domûs partem, quas affinitate, occupaverat, tuum, Cæsar, generum, tui consulatûs socium, tua officia in republica capessentem colebamus. Non est nostrum æstimare quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dederunt: nobis obsequii gloria relicta est.*

17. *Scientes quòd fugisset, & non indicaverunt mihi*] Mali Reges suspicaces, idque sæpe innocentissimis exitiale. ¶ *Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini*] Reveriti & innocentiam, & ordinis sanctimoniam. Quod de Parentibus antè diximus, de Regibus repetendum, Piè interdum detrectari imperia sæva atque impia.

Οὐ γὰρ μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,

aiebat Apollonius contra Neronis edictum: quod Tertullianus dixit *subditos nos esse debere Principibus intra limites disciplinæ*. Vide De J. B. ac P. l. 2. c. 26. §. 3.

18. *Convertere tu, & irrue in sacerdotes Domini*] Talia ex causa imperare in potestate Regum erat comprehensum. Vide 2 Sam. 1. 15. verùm cogitandum & illud fuerat,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

20. *Fugit ad David*] Est πρόληψις, ut apparet 23. 6.

CAP. XXIII.

MUNSTERIUS.

5. Abegit pecora eorum] Et nunquid pecora fuerunt in pugna, quæ abigere potuit David? Respondent Hebræi quòd David & viri ejus post partam victoriam insecuti sunt fugientes Pheliſtæos usque in terram Pheliſtæorum, & hinc abduxerunt pecora & aliam prædam.

6. *Ut secum deferret*] Heb. *Ephod descendebat in manu sua*. Kimhi tamen exponit ירד pro הוריד *portavit*; licèt magis probet si ירד capiatur in neutro genere. Nam inter cætera quæ Sacerdos secum detulit, descendit etiam per manum ejus Ephod, quod ignorans & fortè fortunâ inter alia arripuit.

9. *Machinaretur*] Jon. כמין *insidiaretur*. Kimhi verò exponit חושב *cogitaret*.

13. *Perrexerunt quocunque perrexerunt*] h. e. Exiverunt, nescientes ad quem locum in quo tuti essent divertere; sed vagabantur per nemora donec invenerunt latibula, saxa & præsidia in quibus tutò manere possent.

22. *Disponite bene*] Heb. *parate adhuc*: h. e. videte denuò nè elabatur donec ego venero.

23. *Cum certo responso*] K. exponit נכון pro דבר ברור *verbo claro*.

25. *Descendit in petram*] Sensus est, quòd ab eo loco in quo fuit descendit in vallem, ut hinc ascenderet ad præsidium petræ.

26. *Fuit David anxius*] Exponitur נחפז ab Hebræis pro טרוד ומהיר *solicitus & festinus*. Et hinc fit nomen חפזון quod sign. נחץ angorem animi, & תנועה עם הפחד *mobilitatem*, seu *instabilitatem*, *quæ pavorem habet annexum*.

VATABLUS.

1. *Pugnant cum Ceilah*, נלחמים בקעילה] *Oppugnant Ceilam*. Urbs est in tribu Juda.

2. *Et interrogavit David*, וישאל דוד ביהוה] *Consuluit ergò David Jehovam*. ¶ *Et percuties*, והכית] *Et percutias*.

3. *Viri Davidis*, אנשי דוד] i. Viri qui erant cum Davide. ¶ *In Jehudah*, ביהודה] q. d. Nos quidem hîc in media tribu timemus, quantò magis timebimus cùm perrexerimus in Ceilam, ut defendamus eam à Palæſthinis? ¶ *Ad acies*, אל מערכות] *Ad agmina*, i. pugnaturi contra Palæſthinos.

4. *Itaque rursum*, &c. ויוסף עוד דוד לשאול ביהוה] Ad verb. *Et addidit David adhuc interrogare Jehovam*. Id facit propter infirmitatem suorum. ¶ *Do*, נותן] Præs. Heb. pro fut.

5. *Et pugnavit cum Pelisthæis*, וילחם בפלשתים] *Et expugnavit Philisthæos*. ¶ *Et abduxit pecora eorum*, וינהג את מקניהם] *Et abegit greges eorum*, ut vertit Chaldæus paraph. scilicet è Palæſthina: nam illuc usque fugientes persecutus fuerat, vel pecora quæ secum adduxerant ut alerent exercitum.

6. *Fuit autem cùm fugeret*, ויהי בברוח] i. Cùm autem pararet se ad fugam. ¶ *Ephod inciderat*, &c. אפוד ירד בידו] i. Fortè fortunâ, & non deditâ operâ secum detulerat, & posuerat inter sarcinas suas.

7. *Urbem portarum & vectis*, בעיר דלתים ובריח] i. Urbem clausam portis & vecte.

9. *Cogitaret*, מחריש] *Moliretur*, *machinaretur*. ¶ *Applica ephod*, הגישה האפד] i. Afferas ephod, ut consulas Dominum per Urim & Thummim: adhærebant enim ipsi ephod.

10. *Audiendo audivit*, שמוע שמע] q. d. Ex multis audivit.

11. *Viri*, בעלי] Significat & dominos & majores, sive magnates.

13. *Et pergebant*, &c. ויתהלכו באשר יתהלכו] *Et perrexerunt quò perrexerunt*, i. huc illuc vagati sunt incerti, vel, ut doctus inter Hebræos exponit & loquitur, *per viam accidentalem*, i. quò fors ferebat, *Ils s'en alloyent a l'adventure*. ¶ *E Ceilah*, מקעילה] i. Relictâ Ceilâ.

14. *In munitionibus*, במצדות] *In præsidiis*, vel, *arcibus*, *locis naturâ munitis*, aut, *rupibus inaccessis*.

15. *Cùm intellexisset ergò*, וירא] Ad verb. *Et vidit*. ¶ Continuit se] Vel, delituit.

16. *Surrexit autem*, ויקם] i. Accinxit se itineri, ut inviseret Davidem. ¶ *Et confortavit manum ejus*, ויחזק את ידו] *Et fortificavit* [vel *roboravit*] *manum ejus*, i. jussit eum bono esse animo ac forti, quòd Deum haberet sibi faventem.

17. *Non inveniet te manus Saulis*, לא תמצאך יד שאול] i. *Non attinget*, vel *assequetur*, *te manus Saul*, h. e. non venies in potestatem ejus. ¶ *Tibi secundus*, לך למשנה] *Secundus à te*, i. vicarius tuus. ¶ *Ità*, כן] Sub. *futurum*.

18. *Coram Jehovah*, לפני יהוה] i. Jehovâ teste.

19. *In munitionibus*, במצדות] Ut v. 14. ¶ *Ad dextram*, מימין] i. ad Meridiem. Vide v. 24.

20. *Juxta omne desiderium animæ tuæ*, לכל אות נפשך] Hebraismus pro *desiderio animi tui*, sive, *ut cupis*.

21. *Benedicti vos à Jehova*, ברוכים אתם ליהוה] Hebraismus, Dominus prosequitur vos singulari favore.

22. Et *parate*, הכינו] Et *præparate*, i. diligenter & exactè disquirite adhuc. ¶ *Et scitote*, &c. ודעו וראו את מקומו אשר תהיה רגלו] *Et cognoscite & considerate locum ejus in quo fuerit pes ejus*, i. in quo habitet. ¶ *Dixit enim mihi*, כי אמר אלי] Sub. *animus meus*, i. ità præsagit mihi animus meus, eum calliditate suâ elapsurum. Chaldæus paraph. *Dixerunt mihi*, i. renunciatum est mihi. Alii, *Dixit enim mihi*, sub. *David*, *quòd magno astu & calliditate uti soleat in re militari*. ¶ *Callidissimus est*, ערום יערם הוא] Ad verb. *callendo callet*, i. astutissimus est, astu & calliditate præditus est.

23. *Proinde*

23. *Proinde considerate*, &c. וראו ודעו] *Considerate ergò & rescite*, vel, *Intelligite & perpendite*. ¶ *Omnia latibula*, &c. מכל המחבואים אשר יתחבא] *Ex omnibus latibulis* in *quo nunc delitescat*. Fut. Heb. pro præs. ¶ *Cum re certa*, אל נכון] Ad verb. *ad certum*, i. cum certo nuncio, ut reverâ indicetis mihi locum ubi delitescat. Chaldæus paraph. *in veritate*. ¶ *Quòd si fuerit in terra*, &c. והיה אם וגו׳] Ad verb. *& erit*, *si fuerit ipse in terra*, i. in regione vestra, *perquiram eum cum omnibus millibus Jehuda*, i. assumptis omnibus chiliadibus Jehuda.

24. *In campestribus ad dexteram Jesimon*, בערבה אל ימין הישימן] *In planitie*, *ad dexteram Jesimon*. Vide ver. 19.

25. *Ad quærendum*, לבקש] Sub. *Saulem*. ¶ *Ad Petram*, הסלע] *In rupem*. Vallis erat media ab eo loco in quo erat David in rupem in quam volebat ire, q. d. Descendit in vallem quæ erat inter locum in quo erat ipse David & rupem illam.

26. *Hinc*, מזה] i. Ex uno latere. ¶ *Illinc*. מזה] i. Ex altero latere. ¶ *Festinabátque David abire*, &c. ויהי דוד נחפז ללכת מפני שאול] i. Quantâ poterat festinatione parabat discedere à Saule.

27. *Impetum fecerunt*, פשטו] *Irruerunt*.

28. *Selah-hammah-lecoth*, סלע המחלקות] Nomen loci, quod significat *Petram divisionum*, vel *distractionum*, i. variarum sententiarum. Quidam hoc referunt ad Saulem, cujus animus distrahebatur in partes varias, capturúsne esset priùs Davidem an Palæsthinis occursurus. Alii referunt ad milites Saulis qui diversa sentiebant. Doctus inter Hebræos dicit ideo dici *Lapidem distractionum*, sive *Divisionum*, *quòd separaverint se ab invicem alii ab aliis*.

CLARIUS.

5. *Et abegit jumenta eorum*] Nunquid pecora fuerunt in pugna, quæ abigere potuerit David? Respondent Hebræi quòd David & viri ejus post partam victoriam insecuti fuerint fugientes Philisthæos usque in terram Philisthæorum, & hinc abduxerint pecora & aliam prædam.

25. *Descendit ad petram*] Sensus est, quòd ab eo loco in quo fuit descendit in vallem, ut hinc ascenderet ad præsidium petræ.

DRUSIUS.

3. אֶל מַעַרְכוֹת פְּלִשְׁתִּים. Schol. εἰς τὰ στρατόπεδα *castra*] Hieron. *agmina*. Santes *acies*. Arias *ordines*, 1 Sam. 4. 16. Hieron. *prælium*. Lxx παρεμβολαὶ, i. *castra*. Hîc habent εἰς τὰ σκῦλα, i. שלל.

14. בַּמְּצָדוֹת. A. *in munitionibus*. Sym. *refugiis*. Th. *speluncis*.] In lib. Nominum, *Masareth* (Lxx Μασερὲθ· quanquam in ed. Rom Μασερὲμ) *in qua sedit David*. *Aquila interpretatur Munitiones*; *Sym. Refugia*; *Th. Speluncas*.

19. בַּמְּצָדוֹת. Οἱ λοιποὶ, ἐν τοῖς σπηλαίοις τοῖς ὀχυροῖς *in speluncis munitis*] Hieron. *in locis tutissimis*. Lxx ἐν Μεσαρά· error lectionis; Res pro Daleth. ¶ בַּחֹרְשָׁה. A. δρυμὸν *sylvam*] Lxx ἐν τῇ καινῇ. Rursus peccatum in Res & Daleth. Nam חדשה καινὴ *nova*. Hic est חרשה, quod etiam Hieron. *sylvam* interpretatur. ¶ בְּגִבְעַת. A. ἐν τῷ βουνῷ *in colle*] Sic Hieron. *in colle Hachila*. Schol. *Aquila* τὸ Γαβαὰθ, βουνὸν, ἡρμήνευσε. Est autem *Gabaath* antiquitas lectionis pro *Gibath*. הַיְשִׁימוֹן. A. *dissipatam*. Sym. *desertam*] Lxx Ἰεσσαίμου. Hieron. *deserti*. Alibi est Ἰεσσιμοῦν videlicet 1 Sam. 26. 1. Glossæ veteres, *Isimim desertus*. In libro Locorum, *Sed & in Regnorum l. 1. pro Isimon Aquila interpretatur Dissipatam*; *Symmachus verò*, *Desertam*.

24. בְּמִדְבַּר מָעוֹן. Schol. ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐπηκόῳ *in deserto unde exaudiri quis potest*.] Lxx ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ Μαὼν, & Hieron. *in deserto Maon*. ¶ בָּעֲרָבָה. A. ἐν τοῖς ὁμαλέσι *in locis planis*.

GROTIUS.

2. *Num vadam & percutiam Philisthæos istos?*] Magnus amor patriæ in Davide, qui à Rege perduellis judicatus, patriæ tamen non modò non nocet, sed & prodest, de hostico vivens.

8. *Præcepit Saul omni populo ut in pugnam descenderet*] Erat hoc inter jura regia.

12. *Et dixit Dominus*, *Tradent*] Ingrati homines, qui viri tam præclarè meriti deditione periculo se subducere volebant. Quantò meliùs Athenienses, qui Demosthenem & Oratores alios dedere noluerunt, ídque poscenti Alexandro!

22. *Recogitat enim de me quòd callidè insidier ei*] David, ut ingenio valens, ex noto in se Saulis animo facilè ejus consilia conjectabat, suprà 15. præterea crebris exploratoribus utebatur, ut solent Duces providi, infrà 25.

27. *Infuderunt se Philisthiim super terram*] Ità sæpe hostis externus malis civilibus adfert spiramenti aliquid. Exempla apud Livium multa.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

4. *Ut contegeret pedes suos*] Hebraismus est pro *meiere*, vel ut Jonathan vertit למיעבד צורכיה *ut faceret necessitatem suam*. Verecundè enim Hebraismus loquitur de exinanitione Vesicæ, Renum, & Alvi, ut in Pentateucho quoque diximus. Ex hoc & aliis similibus locis Hebræi facti sunt tam superstitiosi ut etiam sic scribant, שונא הקדוש ברוך הוא את אוחז אמתו בידו המשתין *Odit Deus eum qui meiens apprehendit manu suâ membrum*.

6. *Ut percuteret cor David ipsum*] Sensus est, Redarguit eum conscientia sua quòd truncaverat vestimentum Christi Domini, timens quòd Dominus hoc illi imputaret pro peccato.

7. *Absit à me*] Est hîc in textu defectus istorum verborum, vel similium, *Et reversus David ad viros suos*, *ferens in manu sua oram vestimenti Saul*, *dixerunt illi ad eum*, *Et quare non occidisti hostem tuum*, *quem hodie Deus tradidit in manus tuas? Respondit David*, *Absit à me ut coram Domino faciam rem istam*, &c.

14. *Proverbium antiquorum*] Heb. *Proverbium antiqui*, & subintelligitur *hominis*. Ponitur enim hîc משל in statu regiminis; id quod puncta arguunt. Porrò proverbium ipsum, *Ab impiis egredietur impietas*, quidam Hebræorum sic exponunt, *Desinent impii aliquando impiè agere*, *cùm nullum violentum sit perpetuum*. Alii verò sic interpretantur, *Ex impiorum corde nihil procedere potest quàm quod impium sit*.

15. *Post canem mortuum*] Sensus est, Ut quid persequeris hominem abjectissimum, qui ad tui comparationem vix sum vel Canis mortuus, vel Pulex quidam, cui saltanti de loco ad locum insidiatur homo?

VATABLUS.

3. *Electorum*, בחור] *Juvenum*, i. florentium ætate, h. e. fortium. Sing. Heb. pro plur. ¶ *Hircorum sylvestrium*, היעלים] *Ibicum*, *caprarum sylvestrium*, i. in summitatibus rupium in quibus solent habitare ibices, h. e. super rupes abruptissimas solis ibicibus pervias.

4. *Caulas ovium*, גדרות הצאן] *Gidroth-ason*. Nomen loci. ¶ *Ad tegendum pedes suos*, להסך את רגליו] i. ad purgandum ventrem. Chaldæus paraph. *ad faciendum necessitatem suam*. Eandem loquendi formam habes Judic. 3. 24. ¶ *In lateribus*, בירכתי] i. In intima parte ejus speluncæ delitescebant.

5. *Do*, נותן] Præs. Heb. pro fut. *traditurus sum*. ¶ *Inimicum*

micum tuum, [את אויבך] i. Inimicorum tuorum præcipuum. ¶ *Clam*, [בלט] *Tacitè, secretò.*

7. *Absit hoc mihi à Jehovah*, [חלילה לי מיהוה] i. Nè permittat Dominus ut id faciam, prohibeat Dominus me id facere. ¶ *Si faciam*, [אם אעשה] i. Non faciam, aut subaudiendum, *Dispeream si fecero hanc rem.* ¶ *Ut mittam manum meam in eum*, [לשלח ידיבו] i. Ut injiciam manus violentas in eum, sive ut occidam eum.

8. *Et confregit*, [וישסע] i. Avocavit eos à sententia. Doctus inter Hebræos exponit, *fregit iram illorum.* Alii vertunt, *Itaque pacavit*, vel *pacatos reddidit.* ¶ *Et abiit per viam*, [וילך בדרך] Sub. *cœptam*, i. abiit cœpto itinere.

10. *Dicentium*, [לאמור] Ad verb. *dicendo*, i. quare credis delatoribus dicentibus, &c.

11. *Viderunt*, [ראו] *Videre potuerunt.* ¶ *Et dixit*, [ואמר] Sub. *quidam qui mecum erat.* Chaldæus paraph. *dixerunt*, i. adhortati sunt. ¶ *At peperci tibi*, [ותחס עליך] Ad verb. *& pepercit tibi*, sub. *oculus meus*, vel *anima mea.* Plena locutio legitur Deut. 7. 16. & aliis locis.

12. *Vide, etiam vide*, [ראה גם ראה] i. Diligenter aspice ut agnoscas. ¶ *Venaris*, [צודה] i. More venantium insidiaris.

13. *Judicet*, [ישפוט] *Judicabit.* ¶ *Et ulciscatur*, [ונקמני] *Et vindicabit.*

14. *Antiqui*, [הקדמוני] Sub. *Hominis, qui primus dixit hoc proverbium, postea fait in ore omnium hominum:* sic exponit doctus inter Hebræos. Chaldæus paraph. *Quemadmodum dicunt proverbia quæ sunt ab antiquo.* Alii, *antiqui*, i. *authoris antiquissimi*, h. e. ut habetur in proverbio antiquissimo. ¶ *Ab impiis egredietur impietas*, [מרשעים יצא רשע] Fut. Heb. pro præs. *Ab impiis egredi solet impietas*, i. Impii suo se gladio jugulant, suâ se impietate perimunt, h. e. committunt facinus propter quod pereunt, acsi dicat, Tu tibi tandem eris causa interitûs, nisi resipueris. Alii [רשע] exponunt *opus impium* h. e. Scio impios impiè acturos, q. d. Ut sciam te impiè acturum, tamen nunquam injiciam manus violentas in te.

15. *Canem mortuum, pulicem unum*, [כלב מת פרעש אחד] q. d. Hominem debilissimum & abjectissimum, si tecum conferatur, persequeris: ità Chald. paraphrastes.

16. *Videatque*, [וירא] i. Consideret causam utriusque. ¶ *Ac disceptet causam meam*, [ויבר את ריבי] *Ac litiget litem meam*, i. agat, tueatur, ac defendat causam meam, h. e. patrocinetur mihi. Vertere potes per futurum. ¶ *Et judicet me*, &c. [וישפטני מידך] i. Judicio suo liberet me de manu & potestate tua, eruátque me è manu tua.

18. *Bonum, ego autem*, &c. [הטובה ואני וגו'] *Beneficium, cùm ego effecerim te injuriâ.*

19. *Quantum feceris*, &c. [את אשר עשיתה וגו'] *Quomodo contuleris in me beneficium; quomodo tradiderit me Jehova in manum tuam, & non occidisti me.* Alii, *quantâ bonitate sis me prosecutus, quòd me, cùm Dominus me in manum tuam conclusisset, non interfeceris.* Alii, *quantum mihi feceris bonum; quoniam cùm Dominus me tradiderit in manum tuam, tu me non occidisti.*

20. *Nunquid inveniet*, &c. [וכי ימצא וגו'] *Num inveniet*, &c. Hebraismus, Soléntne homines, si occurrant inimicis suis, sinere eos abire salvos & incolumes, sine ullo damno ac malo? q. d. Non solent id facere alii homines. ¶ *Pro eo quod hodie*, &c. [תחת היום וגו'] *Pro hoc die in quo fecisti mihi bonum*, i. pro iis quæ gessisti hoc die, in quo fecisti mihi bonum, h. e. pro beneficio quod contulisti mihi hodie.

21. *Regnando regnabis*, &c. [מלוך תמלוך וגו'] Hebraismus, Certò regnabis, & stabile ac firmum erit apud te Regnum Israelis.

22. *Quòd non abscindes*, &c. [אם תכרית וגו'] Ad verb. *si absciderìs*, &c. *& si disperdideris*, &c. i. quòd non exterminabis prolem meam me mortuo, & quòd non perdes sive delebis nomen meum de familia mea paterna.

23. *In præsidium*, [על המצודה] *In munitionem*, sive, *locum munitum*, quò scilicet se recipere solebant.

CLARIUS.

4. *Ut purgaret ventrem*] Heb. *ut contegeret pedes suos.* Verecundè enim loquitur de exinanitione vesicæ, renum & alvi, ut alibi diximus.

5. *Præscidit oram clamydis Saul silenter*] Nam, qui bene subjecti esse volunt, modestè humiliterque Præsulum suorum mala tangunt.

6. *Percussit cor suum*] Redarguit eum conscientia sua quòd truncasset vestimentum christi Domini, timens quòd Dominus hoc illi imputaret ad peccatum. Indicium profectò pii animi ac mentis sinceræ.

14. *Ab impiis egredietur impietas*] Quidam Hebræorum sic exponunt, *Desinent impii aliquando impiè agere, cùm nullum violentum sit perpetuum.* Alii sic, *Ex impiorum corde nihil procedere potest nisi impium.* Sed verba sequentia declarant quid velit, cùm ait, *Manus ergò mea non sit in te.* Significat ergò ab impiis semper mali quippiam exoriri, proinde nihil esse cur Saul metuat nè à se occideretur: hoc facinus impium non nisi ab impiis esse patrandum; se manus suas regiâ cæde non inquinaturum.

13. *Canem mortuum*] Ut quid persequeris, inquit, hominem abjectissimum, qui ad tui comparationem vix sum vel *canis mortuus*, vel *pulex* quidam, cui saltanti de loco ad locum insidiatur homo?

DRUSIUS.

4. [לְהָסֵךְ אֶת רַגְלָיו]. A. ἀποκενῶσαι *exonerare alvum*] Ad verb. *exinanire*, *evacuare.* Bene ità explicat quod in Ebræo *tegere*, sive *operire*, *pedes.* Vide Quæst. meas. Interpres Vulg. *ut purgaret ventrem.* Lxx παρασκευάσασθαι. Id Græci autores dicunt ἀποσκευάζεσθαι & sign. *ventris onus deponere*, unde τὸ ἀποσκευαζόμενον *excrementa alvi.*

GROTIUS.

4. *David & viri ejus in interiore parte speluncæ latebant*] Simili modo in spelunca latuit aliquando Masinissa. Vide Appiani Punica.

7. *Quia christus Domini est*] Regum persona omnibus sancta esse debet, 26. 9, 11. Deus enim eorum judex, 13. 16. Vide quæ dicta l. 1. De J. B. ac P. c. 4. §. 6.

12. *Pater mi*] Sic soceros vocare generi solent. Et Rex pater populi esse debet.

14. *In proverbio antiquo dicitur*, *Ab impiis egredietur impietas*] Simile Græcorum illud, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Solent actiones esse prout est animi qualitas.

15. *Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris*] Valde παθητικὴ oratio, & index summæ Davidis modestiæ, de qua vide Psal. 131.

18. *Justior tu es quàm ego*] Confessio extorta invito, animo nihil emendato. Vide & infrà 26. 21.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

2. *Cujus possessio fuit in Charmel*] In Hebræo capitur מעשה pro מקנה, i. *opus* pro *possessione*, vel *pecore.* *Charmel* verò & *Maon* oppida sunt prope desertum Pharan. Est & *Charmel* nomen montis in Galilæa.

3. *Clari ingenii*] Seu *boni intellectûs*: pro quo Jon. חכימת מדע *sapiens cognitione.* ¶ *Malis moribus*] Chald. ביש עובדין *malus in factis*; h. e. malis studiis præditus, intractabilis & totus inhumanus.

5. *Interrogabitis eum num in pace sit*] h. e. Precabimini ei salutem ex nomine meo.

6. *Sic valeas*] Heb. *Sic ad vitam*, h. e. In hunc modum sis ad longam vitam, tam tu quàm familia tua, & omnia quæ habes.

8. *In*

8. *In die bona venimus*] Mos fuit veterum ut cùm tonderent oves solenne instituerent convivium, & amicos quosque ad illud invitarent, vocabántque diem illum *diem bonum*, i. solennem.

9. *Tacuerunt*] Jonathan pro וינוחו vertit פסקו *cessaverunt*, scilicet loqui. Vel *quieverunt*, scilicet post fatigationem itineris.

11. *Aquas meas*] Per *aquas* intelligitur hîc quilibet potus; sicut ut per *coctionem*, omnis cibus præter Panem.

14. *Fastidivit eos*] Jonathan enim pro ויעט vertit וקץ. Kimhi verò exponit נער, i. *invasit eos duris verbis, invectus est in eos*. Significat enim עוט *in morem rapacium avium mordacem esse*.

17. *Ut filius Belijaal*] Hebræi paulò aliter hunc legunt textum, ut hic sit sensus, *Est dominus noster filius Belijaal, homo perditus, & planè homo tam iniquo animo* מדבר אליו *ut nemo secum loqui possit*.

22. *Mingentem ad parietem*] Hebræi communiter per *mingentem ad parietem* intelligunt Canem, cujus natura est mingere ad parietem. Sunt tamen qui hîc per משתין intelligunt הזכר *masculum*, qui & ipse parietem lotio aspergere potest.

29. *Ligata quasi in fasciculo*] Sensus est, Protegat te Dominus sub alis suis ab inimicis tuis: sicut illi tutissimè vivunt qui apud Dominum vivunt, vel sub Domini protectione vivunt. Intelligunt enim Hebræi per *fasciculum viventium* כסא הכבוד *solium majestatis*, sub quo aiunt animas justorum in seculo alio quiescere. Hinc etiam est ut tumbis suis passim hanc insculpant sententiam, SIT ANIMA EJUS LIGATA IN FASCICULO VIVENTIUM, &c.

31. *Et se liberet*] h. e. Ob illatam injuriam se ulciscatur de Nabal. Proinde פוקה ferè idem est quod מכשול *offendiculum*. Jonathan tamen Chald. interpres interpretatur יצפא *solicitudinem*.

37. *Cùm egrederetur vinum ipsum*] h. e. Cùm ebrietas discederet ab ipso, & sobrius fieret. ¶ *Emortuum est cor ejus*] Scilicet propter missum munus, quod in tantum hominem illum כילי, i. *parcum*, discruciavit ut quasi lapis insensibilis redderetur.

VATABLUS.

1. *Mortuus est autem*, וימת] Interea scilicet dum persequeretur Saul Davidem.

2. *Maon*, מעון] Nomen loci juxta desertum Pharan. ¶ *Cujus opes*. ומעשהו] Ad verb. *Et opus ejus*. Doctus inter Hebræos dicit vocem hanc significare *peculium, oves & boves, in quibus versatur totum opus hominis*. Pro *opibus* accipitur, quòd in his opes constitutæ essent. ¶ *Magnus valde*, גדול מאד] i. Ditissimus ac potentissimus.

3. *Prudens*, טובת שכל] Ad verb. *Bona intellectu, quia*, inquit doctus inter Hebræos, *versabatur prudenter & sapienter in operibus quæ facturus erat*. Chaldæus paraph. *sapiens scientiâ*, vel *cogitatione*. ¶ *Durus*, קשה] i. Difficilis ac morosus. ¶ *Et malus operibus*, ורעם עללים] i. Pessimus, qui pessima patrabat. ¶ *Atque Chalibbita*, והוא כלבי] i. De genere Chaleb.

6. *Sic viventi*, &c. כה לחי וגו'] i. *Ità tibi vivo*, sive *viventi*, proximo anno contingat facere, nempe ut incolumis tondeas oves; *sísque salvus, & familia tua: quicquid præterea tuum est, sit salvum*. Hoc genere sermonis longiorem vitam imprecari solent Hebræi, ut Galli cùm dicunt, *Je prie a Dieu que d'aujourdhuy en un an vous en puissiez faire autant*. Vel ut alii, *Sic tibi accidet quamdiu vixeris, nempe ut sis salvus, & familia tua sit salva, & quicquid habes sit salvum*, ut &, sive ו Hebraicum, expositivè vertatur. Aut, *Tale bonum sit tibi per vitam tuam, his opibus abundes quamdiu vixeris sísq; salvus*, &c. שלום, ut annotat doctus inter Hebræos, *thoar* est, sive *adjectivum*, significans *pacificum*, sive *salvum*, non *pacem*: tametsi ità quidam vertant, *Et tu sis in pace, & domus tua sit in pace*, &c. Vel, *tibique sit pax*, &c.

7. *Audivi quòd tondentes*, שמעתי כי גוזזים] i. Intellexi quòd tonsores habeas, tondentes oves tuas. ¶ *Jam pastores*, עתה הרועים] Gallicè, *Or tes pasteurs*, &c. Ità solemus incipere causam. ¶ *Fuerunt nobiscum*, היו עמנו] i. Versati sunt apud nos in deserto. ¶ *Non affecimus eos ignominiâ*, לא הכלמנום] i. nihil eripuimus illis. Alii, *non affecimus eos pudore*, q. d. Cùm petierunt à nobis aliquid, non sunt passi repulsam. Commemorant servi Davidis beneficium collatum in pastores Nabal, ut illum benigniorem reddant erga Davidem.

8. *Bono*, טוב] i. Læto & hilari, h. e. festo, quo liberalitatem tuam exerces erga tonsores ovium tuarum. ¶ *Quod invenerit manus tua*, אשר תמצא ידך] i. Quod habebis in promptu.

9. *Et quieverunt*, וינוחו] *Et conquieverunt*, i. desierunt loqui. Alii dicunt eos conquievisse quòd essent fatigati.

10. *Multi sunt*, רבו] Ad verb. *multiplicati sunt*, i. in magno sunt numero. ¶ *Qui separant se*, המתפרצים] *Qui subducunt sese*, i. recedunt à dominis suis.

11. *Et victimam meam*, ואת טבחתי] i. Escam meam, vel carnes meas quas præparavi.

12. *Secundùm omnia verba hæc*, ככל הדברים האלה] i. Hujusmodi sermones, vel, omnino ut audierant, indicarunt Davidi.

13. *Ascenderúntque post*, ויעלו אחרי] i. Secuti sunt. ¶ *Apud supellectilem*, על הכלים] *Ad sarcinas*, i. custodierunt impedimenta custodienda. Gallicè *les hardes*.

14. *Puer unus ex pueris*, נער אחד מהנערים] i. Unus ex famulis. ¶ *Ad salutandum*, לברך] Ad verb. *ad benedicendum*, i. ut salutem diceret hero nostro. ¶ *Qui invectus est in eos*, ויעט בהם] *At aversatus est eos*, i. statim amandavit, & quasi avolare coegit suâ responsione durâ & incivili.

15. *Boni*, טובים] *Benigni*. ¶ *Ignominiâ affecti*, הכלמנו] Quòd scilicet aliquid perdidissemus. Alii vertunt, *pudore affecti*, i. si quicquam petebamus ab illis, nunquam passi sumus repulsam. Ut v. 7. ¶ *Nec defuit nobis*, ולא פקדנו] *Neque requisivimus*, vel, *desideravimus*, i. neque requisivimus quicquam perditum, cùm nihil unquam perdiderimus toto eo tempore quo versati sunt nobiscum, q. d. Neque verbo neque facto unquam nos læserunt. ¶ *Ambulavimus*, התהלכנו] i. Conversati sumus. ¶ *In agro*, בשדה] i. In deserto ipso ubi pascebamus oves.

16. *Murus*, חומה] i. Vice muri.

17. *Scito, & vide*, דעי וראי] *Delibera & dispice*, vel *considera*. ¶ *Completum est malum*, כלתה הרעה] *Decretum est malum*, vel, *decreta est infelicitas*, sub. *ut veniat*, i. certissimè ventura est, q. d. Alioqui actum est de hero nostro & ejus familia. ¶ *Cùm ipse sit improbior quàm ut*, &c. והוא בן בליעל מדבר אליו] Ad verb. *& ipse est filius Belijaal à loquendo cum eo*, i. cùm ipse improbior sit quàm ut loqui liceat de hac re ad eum. De hac voce *Belijaal* vide Deut 13. 13.

18. *Oves paratas*, צאן עשוית] *Arietes coctos*. Ad verb. *arietes factos*, i. paratos. Sic Gen. 18. 7. *Et festinavit facere eum*. ¶ *Polentæ*, קלי] *Farina spicarum tostarum*. Vide Levit. 23. 14. ¶ *Ligaturas uvarum siccarum*, צמוקים] *Fasciculos uvarum siccatarum*, in clibano scilicet, aut ad solem. Alii, *botros uvarum siccarum*, ità exponit doctus inter Hebræos. Gallicè *moissines de raisins cuicts*. ¶ *Massas caryearum*, דבלים] *Caryeas* vocat ficus aridas, siccatas ad solem. Doctus inter Hebræos exponit *tortas ficuum siccarum*, i. simul congregatarum donec fiant tanquam tortæ panis. Chaldæus paraph. *ducentas libras massarum caryearum*.

19. *Transite ante me*, &c. עברו לפני וגו'] *Præcedite faciem meam, en ego vos sequar*. ¶ *Non indicavit*, לא הגידה] Sub. *quæ à se gesta fuerant*.

20. *Per abditum montis*, בסתר ההר] *Per secretum montis*, i. per partem montis secretiorem & magis occultam: non enim videt procul Davidem venientem. Chaldæus paraph. *per latus montis*. Solent latera montium occulta esse venientibus & descendentibus ab altero latere. ¶ *In occursum*

occursum ejus, לקראתה] i. Ut statim incurrerent in illam.

21. *Dixerat*, אמר] Priusquam scilicet itineri se committeret. Aut verte *dicebat*: nempe in ipso itinere. ¶ *Quæ* habet *iste*, &c. אשר לזה ונו'] Ad verb. *Quæ isti in deserto, & non desideratum fuit ex omnibus quæ illi quicquam.*

22. *Et sic addat*, וכה יוסיף] i. Imò multò deteriora faciat. Imprecandi modus in quo est defectio, pro, *Sic faciat mihi Deus ut opto*, nempe ut me interficiat, aut multò deteriora faciat. Convertit autem imprecationem à prima in tertiam personam. ¶ *Usque manè*, עד איר הבוקר] Ad verb. *usque ad lucem matutinam*, i. usque ad diem crastinam. ¶ *Mingentem ad parietem*, משתין בקיר] Genus dicendi Hebræorum, siquando se nihil prorsus relicturos significare volunt, q. d. Perdat me Dominus si non evertero omnia quæ habet Nabal intra lucem crastinam, & si quenquam reliquero nè meientem quidem ad parietem, q. d. Nè canibus quidem ejus (qui ad parietem solent meiere) si quos habet, parcam, vel, Neque filiis ejus qui jam possunt ad parietem meiere parcam. Meliùs hic locus intelligitur de canibus custodibus. Gallicè dicere solemus, *On n'y a laissé ne chien ne chat.*

23. *Festinavit & descendit*, ותמהר ותרד] i. Festinanter descendit.

24. *In me* (*ego* peccavi, *domine mi*) כי אני ונו'] Quibusdam כי est obsecrantis particula: & vertunt, *Obsecro*, vel *O, ego, domine mi, iniquitas*, i. iniquitas est in me ipsa, ego ipsa sum quæ peccavi, reputa me peccasse, atque ità *audi verba ancillæ tuæ*.

25. *Nè, quæso, apponat*, &c. אל נא ישים ונו'] *Apponere cor suum super aliquem* more Hebræorum dicitur, pro Adjicere animum ad aliquem, & illum curare. *Non apponere cor* est Non curare, & contemnere. Nè cures, inquit, de iis quæ respondit improbus iste. ¶ *Virum impium*, איש הבליעל] *Virum belijaal*. Vide Deut. 13. 13. ¶ *Nabal nomen ejus*, נבל שמו] i. Stultus est, ut vocatur. Repetitio est, idem enim bis dicit.

26. *Nunc autem, domine mi*, ועתה אדני] Sub. *res ità habet*, q. d. Per Deum vivum non vidi tuos pueros. ¶ *Qui prohibuit te Jehovah*, אשר מנעך יהוה] Subaudiendum, *vivit, inquam*: nam istud *Jehovah* conjungitur cum illo, sic. *Vivit, inquam, Jehovah qui prohibuit te.* ¶ *Nè venires in sanguines*, מבוא בדמים] Chaldæus paraph. *nè effunderes sanguinem.* ¶ *Et nè servaret*, &c. והושע ידך לך] Hebraismus, nè ultionem sumeres de inimicis tuis, nè ulciscereris te manu propriâ. Doctus inter Hebræos exponit, *qui servavit manum tuam tibi*, i. nè effunderes sanguinem. ¶ *Sicut Nabal*, כנבל] Nempe debiles, infirmi, & stulti.

27. *Benedictio hac*, והברכה הזאת] i. Munus istud. ¶ *Ancilla tua*, שפחתך] Servus *ancillæ tuæ*. Verbum enim est masculeum. Non meminit autem pueri sive servi, quòd ipsa in primis erat quæ afferebat munus. ¶ *Detur pueris*, ונתנה לנערים] *Tradatur pueris*, i. jube illud excipi à pueris tuis. ¶ *Ambulant ad pedes*, &c. המתהלכים ונו'] Hebraismus, qui ministrant, sive famulantur tibi.

28. *Certò facturus est*, עשה יעשה] Ad verb. *faciendo faciet*, q d. Futurus es Rex, quem decet omnis clementia. ¶ *Domum*, בית] i. Regiam, vel familiam. ¶ *A diebus tuis*, מימיך] i. Ex quo es, sive vivis.

29. *Homo*, אדם] q. d. Quidam Saul. ¶ *Ligata in fasciculo vitæ cum Jehova*, צרורה בצרור החיים את יהוה] i. Dominus meus diutissimè vivet, colendo Dominum Deum. Alii vertunt, *apud Jehovam*, i. in vita æterna, quod minùs probatur doctis, vel. Dabit tibi Jehovah prolem quæ diutissimè vivet, & diu sedebit super solium tuum. ¶ *In medio sedis fundæ*, בתוך כף הקלע] Partem fundæ latiorem intelligit, ad quam alligantur duo funes, i. ejiciet celerrimè ex hoc mundo, quemadmodum lapis fundâ emitti solet, h. e. citissimè perdentur.

30. *Cùm autem fecerit Jehovah*, והיה כי יעשה יהוה] i. Cùm Dominus te affecerit summo illo beneficio quod tibi est pollicitus, h. e. cùm te Regem constituerit. Seipsum exponit.

31. *In offendiculum & offensionem cordis*, לפוקה ולמכשול לב] Hebraismus, Non te anget hoc, nempe quòd effuderis sanguinem innoxium, & quòd sumpseris pœnas de hostibus tuis. ¶ *Et quòd effuderit*, &c. ולשפך דם ונו'] Ad verb. *Et ad effundendum sanguinem, & ad faciendum salutem*, &c. quod quidam vertunt, *& ut effundas sanguinem gratis, & ut servet* [i. ulciscatur se] *dominus meus*, sub. *de inimicis suis*. Eadem locutio v. 26. habetur. ¶ *Et cùm benefecerit*, והיטב] i. Constituerit eum Regem super Israelem.

32. *Benedictus*, ברוך] Sub. *sit*, vel *erit*, i. *Laudandus est*, vel *Laudetur*. Aut, *Gratiæ illi agantur*.

33. *Et benedictum eloquium tuum*, וברוך טעמך] *Et laudanda prudentia tua*. Vox טעם significat *prudentiam, consilium, sermonem*, & etiam *gustum*. Chaldæus paraph. vertit *prudentiam*. ¶ *Nè venirem in sanguines*, מבוא בדמים] Hebraismus, nè effunderem sanguinem innocentem. ¶ *Et nè servaret*, &c. והושע ידי לי] Vide ver. 26.

34. *Usque ad lucem*, &c. עד אור ונו'] Vide v. 22.

35. *In pace*, לשלום] i. Recipe te in domum tuam salva & incolumis. ¶ *Vide, audivi vocem tuam*, ראי שמעתי בקולך] *Considera, acquievi petitioni tuæ*. ¶ *Et suscepi faciem tuam*, ואשא פניך] *Et honoravi faciem tuam*, q. d. Condonavi tibi omnia, cùm sis mihi gratissima, vel, gratissima mihi fuerunt quæ dixisti, & quæ attulisti.

36. *Quasi convivium regium*, כמשתה המלך] i. Tale quale Regi alicui celebrari solet, q. d. Celebrabat domi convivium splendidissimum. ¶ *Usque ad lucem matutinam*, עד אור הבוקר] i. Usque in diem sequentem, donec scilicet exhalasset crapulam.

37. *Cùm digessisset vinum Nabal*, בצאת היין מנבל] Ad verb. *Cùm exisset vinum à Nabal*, i. cùm crapulam edormisset. ¶ *Verba ista*, הדברים האלה] i. Quæ suprà dicta sunt. ¶ *Et fuit in lapidem*, והוא היה לאבן] i. Versum est in lapidem, h. e. obstupuit instar lapidis, præ metu scilicet, cùm intellexit periculum in quod inciderat.

38. *Cùm autem transissent ferè* &c. ויהי כעשרת הימים] Ad verb. *Et fuit circiter decem dies.*

39. *Qui judicavit*, &c. אשר רב ונו'] *Qui judicavit causam probri*, &c. i. qui ultus est injuriam quâ affecit me Nabal. ¶ *Ad Abigail*, באביגיל] *Cum Abigail*, nempe per servos nomine suo. Alii, *de Abigail*, & rectiùs, ut opinor, propter sequentia.

41. *In ancillam*, לשפחה] i. Parata est, sive præstò est ut sit ministra quæ lavet pedes, &c.

42. *Festinans ergò surrexit*, ותמהר יתקם] Ad verb. *Et festinavit & surrexit.* ¶ *Quæ ambulabant ad pedes ejus*, ההולכות לרגלה] i. Pedissequæ ejus.

44. *Dedit*, נתן] *Dederat.*

CASTALIO.

20. CUM *suis adversùs eam descendenti*] Cùm hîc tam David quàm Abigail dicatur *descendere* cùm inter se occurrant, intelligendum est vallem interjectam esse.

22. *Nè parietis quidem commictorem reliquum faciam*] Nè canem quidem.

27. *Qui te comitantur*] Ad verb. *Qui eunt in pedibus domini mei. In pedibus* autem, aut *ad pedes esse*, aut *ire*, est in potestate alicujus esse, eique servire: quale est illud Homeri,

——θεῶν ἐπὶ γούνασι κεῖται,

ad deorum genua situm est, h. e. in potestate & arbitrio.

29. *Anima tua apud Jovam Deum tuum in viventium fasce annexa sit*] *Apud Jovam esse* dicuntur qui hâc vitâ (quam curat Jova) fruuntur. Vide Isa. 38. & Psal. 116.

¶ *Tuorum hostium animam quasi ex fundæ scutali jaculetur*] Tuos hostes malè perdat ac profliget.

31. *Hoc te nulla conscientiæ labe quasi labefactabit*] Quòd fieret, si Nabalem interfecisses.

CLARIUS

CLARIUS.

5. *EX nomine meo pacificè*] h. e. Precabimini ei salutem nomine meo.

8. *In die enim bona*] Mos fuit veterum ut cùm tonderent oves solenne instituerent convivium, & amicos ad illud invitarent, vocabántque diem illum *diem bonum*, i. solennem.

11. *Aquas meas*] Per *aquas* intelligitur hîc quilibet potus.

22. *Mingentem ad parietem*] Hebræi communiter per *mingentem ad parietem* intelligunt Canem, cujus natura est mingere ad parietem. Sunt tamen qui intelligunt Masculum, qui & ipse parietem lotio aspergere potest.

29. *Quasi in fasciculo viventium*] Sensus est, Protegat te Dominus sub alis suis ab inimicis tuis, sicut illi tutissimi vivunt qui apud Dominum vivunt, vel sub Domini protectione vivunt: intelligunt enim Hebræi per *fasciculum viventium* solium majestatis, sub quo aiunt animas justorum in seculo alio quiescere. Hinc etiam est ut tumbis suis passim hanc insculpant sententiam, SIT ANIMA EJUS LIGATA IN FASCICULO VIVENTIUM.

37. *Emortuum est cor ejus*] Scilicet propter missum munus; quòd adeò hominem illum parcum discruciavit ut quasi lapis insensibilis redderetur.

DRUSIUS.

18. חָמֵשׁ סְאִים. A. πέντε σάτα *quinque Sata*] Antea legebatur πέντε οἰφὶ *quinque Ephas*: malè: nam Epha continebat Sata tria. Anselmus, *Satum genus est mensura juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum & dimidium capiens Modium*. Verba sunt Hieronymi, quæ habentur in Comment. ipsius Matth. 13. Gen. 18. ubi LXX τρία μέτρα, A. & Sym. habent τρία σάτα.

25. וּנְבָלָה עִמּוֹ. A. ἀπόρρευσις μετ' αὐτοῦ *& defluxus cum eo est*] Vel *effluxus*. Porrò *mente defluit* qui desipit. Hoc significant Græci per hæc verba, τοῦ δὲ λογισμοῦ ἀπορρέοντος τε καὶ σβεννυμένου, τὸ τῆς ἀφροσύνης γίνεται πάθος.

31. לְפוּקָה. A. λυγμὸς *singultus*] Id sequendo Hier. vertit, *Non erit tibi hoc in singultum*. Thema est λύζω *singultio*. Schol. Ἀκύλας λυγμὸς ἐξέδωκεν αὐτίκα τῆς συνειδήσεως ἀκίδας, innuit *autem conscientiæ aculeos*. מִכְשׁוֹל לֵב σκάνδαλον καρδίας *scandalum cordis*.

33. וְהוֹשֵׁעַ יָדִי לִי. LXX καὶ σῶσαι χεῖρά μου ἐμοὶ] Theodoretus ad h. l. Ἁμάρτημα γραφικὸν ὑπολαμβάνω (erras) οἱ δὲ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ [Μὴ μυσῶσαι] εἰρήκασιν ἀντὶ τοῦ [Μὴ μύσος μαλαχθῆν.] Est autem μύσος *scelus & facinus detestandum*. Interpres Vulg. *& ulciscerer me manu mea*.

35. וָאֶשָּׂא פָּנָיִךְ. Sym. ἐνετράπην *reveritus sum*] Ad verb. *suscepi vultum tuum*. Licet etiam vertere *levavi*, aut *sustuli, faciem tuam*. Id pulchrè explicat *reveritus sum*, vel, si placet, *flexus sum*.

GROTIUS.

1. *SEpelierunt eum in domo sua*] Solebant privatæ esse sepulturæ eo tempore. Vide Gen. 23. 9. & 50. 5. Matth. 27. 60.

3. *Eratque mulier illa prudentissima*] Qualis Tanaquil.

6. *Sit fratribus meis & tibi pax*] Legit hîc Interpres לְאַחַי: at nostrum Hebræum habet לֶחָי, quod Græci vertunt εἰς ὥρας, i. *Longa sit tibi prosperitas*.

8. *Quodcunque invenerit manus tua da servis tuis*] Mavult David quæ sibi sunt necessaria, ac proinde & ipsi, ut à Deo destinato Regi, debita, petere quàm rapere. *Quod invenerit manus tua*, i. quod facilè ex tanta copia dare poteris. Vide hoc loquendi genus Levit. 12. 8.

9. *Et siluerunt*] Hebr. *& quieverunt*: i. nihil locuti sunt ampliùs quàm mandatum ipsis erat.

16. *Pro muro erant nobis*] Contra Philisthinos.

22. *Hæc faciat Deus inimicis David*] Dixit David, *Hæc faciat Deus mihi*: sed κατ' εὐφημισμὸν immutata est locutio. Vide Ruth 1. 17. Magnæ injuriæ interdum etiam summam mansuetudinem expellunt.

24. *In me sit, Domine mi, hac iniquitas*] Mihi hoc crimen imputa. Simile illud Catonis apud Lucanum 2.

——— *hac cæde luatur*
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.

25. *Stultus est*] Euripides,

Δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον,
Σκαιοῖσιν εἶναι.

Et Menander,

——— ὁ δὲ πλοῦτος τυφλός·
Τυφλοὺς δ' ἐς αὐτὸν ἐμβλέποντας δεικνύει.

26. *Qui prohibuit te nè venires in sanguinem*] Davidi nondum Regnum adepto licebat se tueri, non etiam se regio more ulcisci, infrà 39.

28. *Quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris*] *Prælia Domini* sunt, ut diximus alibi, quæ in Philisthinos aliisque conditionis gentes alias geruntur. His nocebat David, civibus parcens.

38. *Et mortuus est*] Præ metu; quam & Mario septies Consuli causam fuisse mortis multi prodiderunt.

42. *Quinque puellæ*] Ministræ ingenuæ. Vide quæ dicta Gen. 30. 3.

44. *Saul autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais*] Malè, à Davide non repudiatam. Quare, velut non facto divortio, recepit eam David 2 Sam. 3. 14.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

4. *QUòd certò Saul venisset*] Exponunt Hebræi אֶל נָכוֹן per בֶּאֱמֶת *reverà*. Alii interpretantur *ad certum negotium*.

5. *Intra castra*] Est מַעְגָּל idē quod סְבוּב מְקוֹם הַמַּחֲנֶה, i. *gyrus castrorum* qui scilicet fit ex curribus, equis & custodibus, vocatúrque *vallum*.

7. *Juxta caput ejus*] Jon. אִיסוֹהִי *juxta cervical ejus*. De quo in Genesi diximus.

12. *Pateram aquæ*] Kimhi exponit צְלוֹחִית *vas testaceum*, h. e. urceum. Chald. מָנָא דְמַיָּא *vas aquarum*. ¶ *Eò quòd sopor*] Hebr. *quoniam sopor Domini irruit super eos*, h. e. sopor magnus. Vocat enim non rarò Scriptura id quod est magnificum *Divinum*; ut, *montes Dei, cedros Dei, civitas Dei*, & similia. Vel ad literam intelligendum est: alioquin quomodo fieri posset ut hostis ingrederetur penetralia castrorum ad Regem usque & ad introitum ejus nemo excitaretur, nisi Dominus immisisset soporem istum?

19. *Odoretur oblationem*] h. e. Acceptet oblationem pro peccato meo, quo demerui illam persecutionem: unde Jonathan sic vertit, יְקַבֵּל קוּרְבָּנִי בְּרַעֲוָא *acceptet sacrificium meum cum pia voluntate*. Nec est hîc *incendatur oblatio*, ut quidam ex novellis interpretibus hîc perperàm vertit, sed ירח *odoretur*, à præt. רח vel ריח. ¶ *Ut non sim affixus hæreditati Domini*] Est הסתפח hîc idem quod הדבק. scribitúrque in conjug. Hithpael: ut sit sensus, Exturbor à populo meo, ut non possim adhærere ei, & conversari inter Israel, qui est hæreditas Domini, sed adigor ad gentes, & quodammodo cogor à meis ad culturam idolorum.

23. *Secundùm fidem suam*] Chald. קוּשְׁטֵיהּ, *secundùm veritatem suam*.

25. *Utique faciendo facies*] Pro quo Chald. *etiam regnando regnabis, & prosperando prosperaberis*.

VATABLUS.

1. *IN Gibah*, הַגִּבְעָה] Nempe Benjamin. Iterum produnt Ziphæi Davidem Sauli. Vide suprà 23. 19.

¶ E re-

¶ *E regione*, על פני] *Ex adverso*. Suprà 23. 19. dixit, *ad dextram Jesimon*.

3. *Et vidit*, וירא] *Et intellexit* : vel *cognovit* : ut v. 4. וידע.

4. *Pro certo*, אל נכון] *Certissimè*.

5. *Viditq*; וירא] i. oculis designavit. ¶ *In vallo*, במעגל] Vide supra 17. 20.

7. *Ad caput ejus*, מראשתו] *Ad cervical ejus*, sic dictum Hebraicè quòd capiti supponatur, i. ad caput ejus.

8. *Conclusit*, סגר] Chaldæus paraph. *Tradidit*. ¶ *Lancea in terram*, בחנית ובארץ] Ad verb. *in lancea & in terram*, i. liceat mihi per te percutere illum, & ità percutiam eum ut ipso transfosso infigam hastam terræ, uno ictu, & eum altero ictu non percutiam : vel, ità ut non sit opus ut percutiam eum denuo.

9. *Perdas eum*, תשחיתהו] i. perimas, sive interficias. ¶ *Extendet manum suam*, שלח ידו] *Miserit manum suam*, i. percusserit. q. d. Quis citra grave periculum tetigerit christum Jehovæ? Præt. Heb. pro fut. ¶ *Et innocens erit?* ונקה] *Et insons erit?*

10. *Vivit Jehovah*, חי יהוה] Sub. *si percutiam eum*, aut *sinam eum percuti*. Alii vertunt, *Vivit Dominus quòd Dominus percutiet*, &c. q. d. Non est opus ut eum interficias, nam brevi morietur, *&c.* ¶ *Percutiet eum*, יגפנו] Morbo scilicet, ità ut moriatur ante tempus suum. ¶ *Dies ejus* יומו] i. Periodus vitæ ejus.

11. *Absit mihi à Jehova*, חלילה לי מיהוה] *Absit hoc à me, à Jehova*, i. authore Jehovâ. q. d. Non permittat Jehova ut percutiam. Prohibeat, avertat hoc à me, ut, *&c.* ¶ *Ad caput ejus*, מראשתו] *Ad cervical ejus*, i. juxta caput ejus, sic v. 12. *qui erat ad cervical Saulis*. David hæc accepit, v. 12. nam timebat nè Abisai afferret illi manus violentas.

12. *Cognovit*, יודע] *Percepit*. ¶ *Sopor enim Jehovæ*, כי תרדמת יהוה] i. Sopor vehemens, ut Gen. 1. 2. *Spiritus Dei* pro *vento magno*, & Psal. 36. 7. *montes Dei*, &c. Omnia enim magna & fortia tribuuntur Deo. Vel, *sopor Jehovæ*, i. à Jehova immissus : nè scilicet sentirent adventum Davidis.

13. *Multus locus*, רב המקום] i. Grande intervallum.

14. *Respondebisne*, תענה] Videtur David sæpius vocasse ipsum Abner. q. d. Jam clamavi, & non respondes. ¶ *Clamas ad Regem?* קראת אל המלך] Præt. Heb. pro præs. *Ad Regem*, vel *juxta regem*, i. audiente Rege, q. d. qui audeas excitare Regem à somno suo. Chaldæus paraph. *quid clamas ad caput Regis?* i. quid clamore tuo excitas Regem?

15. *Nonne tu vir es?* הלוא איש אתה] i. insignis homo & præclarus. ¶ *Sed quare*, ולמה] *Cur igitur*. ¶ *Unus è populo*, אחד העם] i. Plebeius quidam.

16. *Filii mortis*, בני מות] Hebraismus, *digni morte*, sive *rei mortis*. ¶ *Qui non custodistis*, אשר לא שמרתם] *Quoniam non servastis diligenter*. ¶ *Ad caput ejus*, מראשתו] *Ad cervical ejus*, i. juxta caput ejus. Vide v. 7.

18. *Quid enim feci?* &c. כי מה עשיתי ונו'] i. Quid commerui, aut quid mali admisi?

19. *Odoretur*, ירח] *Olfaciat*, i. sit mihi propitius cùm feram illi munera. Alii, *olfaciet sacrificium*, sub. *meum*. i. placabo iram ejus sacrificio & munere. Chaldæus paraph. *suscipiat oblationem meam cum voluntate*. ¶ *Expellunt me*, גרשוני] Præt. Heb. pro præs. i. abigunt, h. e. cùm cogunt me discedere ex hæreditate Domini, perinde faciunt acsi dicerent mihi, *Abi, cole deos alienos*. ¶ *Ne adhæream*, מהסתפח] *Ne conjunctus sim*.

20. *Ne cadat*, &c. אל יפול ונו'] Hebraismus, Nunquam obliviscatur Dominus sanguinis mei effusi in terram, si interficias me, sed sit semper in conspectu ejus, & requirat illud ulciscatúrque. ¶ *Pulicem unum*, את פרעש אחד] i. Me hominem debilem, infirmum, atque abjectissimæ sortis. ¶ *Persequitur*, ירדוף] Fut. Heb. pro præs. *persequi solet*, sub. a[illegible]

21. *Pretiosa fuerit*, יקרה] *Chara fuerit*, i. magno æstimata apud te, quòd peperceris mihi, nec me occideris. ¶ *Multum valde*, הרבה מאד] *Maximè, gravissimè*.

23. *Viro*, לאיש] Qui scilicet talia egerit qualia hodie egi, i. habeat rationem viri qui justè & fideliter vixerit, qui justè egerit, & fidem servaverit ut ego servavi. ¶ *Sed nolui*, &c. ולא אביתי ונו'] *Et tamen nolui contingere unctum Jehovæ*.

24. *Et ecce ut magnificata est*, והנה כאשר גדלה] *Et quidem ut magno æstimata fuit*, i. habui in magno pretio. ¶ *In oculis meis*, בעיני] i. Apud me. ¶ *Sic magnificetur anima mea*, כן תגדל נפשי] i. Conservet me Dominus in vita, nè me occidas.

25. *Benedictus tu*, ברוך אתה] i. summâ laude dignus es, aut, felicissimus es. ¶ *Et faciendo facies*, גם עשה תעשה] i. præclara opera facies, res præclaras gesturus es. Ad verb. *Etiam faciendo facies, & etiam valendo valebis*, vel (si Latinè dici posset) *possendo poteris*, i. magnis viribus pollebis. Quidam vertunt, *& facies & omnino perficies*. Alii, *utique faciendo facies, prævalendo prævalebis*. Chaldæus paraph. *Regnando regnabis, & prosperando prosperabis*.

CLARIUS.

2. ET *surrexit Saul*] Mirum quanta sit invidiæ vis atque odii, ut omnis beneficentiæ obliviscatur omnísque justitiæ. Dudum fleverat Saul quòd David pepercisset gladio, neque eum interfecisset, cùm posset tam facilè; nunc iterum persequitur illum.

12. *Sopor Domini*] h. e. Sopor magnus. Vocat enim Scriptura sæpe id quod est magnificum *Divinum*; ut *montes Dei, cedros Dei, civitatem Dei*, & similia. Vel ad literam intelligendum est: alioqui quomodo fieri posset ut hostis ingrederetur penetralia castrorum ad Regem usque, & ad introitum ejus nemo excitaretur nisi Dominus immisisset soporem istum?

19. *Odoretur sacrificium*] h. e. Acceptet oblationem pro peccato meo, quo merui illam persecutionem. ¶ *Ut non habitem in hæreditate Domini*] h. e. exturbor à populo meo, ut non possim adhærere ei, & versari inter Israel, qui est hæreditas Domini, sed adigor ad gentes, & quodam modo cogor à meis ad culturam idolorum. Et vide animum Deo addictum, qui ægrè illam persecutionem ferebat quòd non posset cum Israele, h. e. populo Dei, continuè versari, & ad domum Dei accedere, quod in Psalmis sæpe dolet.

25. *Faciens facies*] Pro quo Chald. interpres sic vertit, *etiam regnando regnabis, & prosperando prosperaberis*.

DRUSIUS.

5. בַּמַּעְגָּל A. ἐν τῷ στρογγυλώσει] Prius erat ἐν λαμπήνῃ· id aiunt esse genus vehiculi. Vox Ebræa sign. quod vulgò dicimus **Waeghenborch** i. *vallum ex curribus*, sive *propugnaculum consertis curribus exstructum*, quæ est tumultuaria castrorum munitio, cùm pro vallo dispositos currus mutuo nexu jungunt. Hujusmodi munitionem Aq. στρογγύλωσιν appellat à rotunditate. Nam στρογγύλωσις propriè *rotundatio*. Cæterùm interpres noster hîc habet *in tentorio*. Santes *in loco castrorum*. Arias *in rotunditate*.

12. תַּרְדֵּמַת יְהוָה *Sopor Domini*. Lxx θάμβος Κυρίου A. καταφορά. Sym. κάρος. Th. ἔκστασις] Θάμβος, *stupor, pavor attonitus*. ¶ Ἔκστασις, *mentis excessus*. Hieron. in lib. Quæst. Gen. 2. תרדמה Lxx ἔκστασιν, i. *mentis excessum, Aquila καταφορὰν, Sym. κάρον, i. gravem & profundum soporem, interpretati sunt*. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

GROTIUS.

5. CUmque *vidisset locum*] Est hoc egregii Ducis, explorare locorum situs; unde magna sæpe momenta rerum. ¶ *Dormientem in tentorio*] Lxx ἐν λαμπήνῃ ità vocabatur currus regius, teste Polluce, optimé. Nam Reges solent, ubi domus non sunt, dormire in curribus, & vox עגלה ab eadem origine *currum* significat plurimis in

in locis; & apud Arabas eadem vox eundem significatum retinet.

12. *Sopor Domini irruerat super eos*] Deus suâ vi somnum & profundiorem fecerat & continuaverat: quod interdum & Medici faciunt.

16. *Filii mortis estis vos*] Qui excubias palatii deseruerit, capite punitur, L. Qui excubias. D. de re militari.

17. *Numquid vox tua hæc, fili mi David?*] Lenitas eximia aut ex inimicis amicos facit, aut, si durities est nimia, facit ut ipsi se intus damnent; sæpe & verbis id prodant. Vide suprà 24. 18. & hîc infrà 21.

19. *Si Dominus incitat te adversùm me, odoretur sacrificium*] Si justa est hæc ira, non deprecor quin morte meâ, velut victimæ, expietur. ¶ *Ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes, Vade, servi diis alienis*] Cordatè dictum. Nam primùm culpam à Rege ad Doegum & ejus similes consiliarios derivat, ut faciunt prudentes. Deinde ostendit si parùm sit auferre Ducem, auferre militem Regi, certè quemvis de plebe Israelitam non debuisse conjici in eas angustias quibus pressi multi, etiam non Idumæi, à Deo & Lege essent recessuri. Illa enim fœcunda martyrum tempora nondum venerant.

20 *Non effundatur sanguis meus in terram coram Domino*] Deo inspectante & vindice futuro, 2 Par. 24. 22. Sic vox *coram* sæpe in his libris sumitur.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

1. D*Esperabit*] Significat verbum יאש *omnem spem à mente excludere de re aliqua, ut quidem non cogitemus quo pacto illud vel efficiamus vel consequamur.* Jon. ינוה מני *dimittet*, vel *cessabit à me.* Quærunt hîc Hebræi quomodo David ausus fuerit fugere ad Achis, cùm priùs vix evaserit manus ejus. Respondent quòd nuncium miserit ad Achis, & indicaverit illi quomodo à suis persecutionem pateretur, & nullibi locorum tutus esset; & præterea secum haberet sexcentos expeditos milites, quibus, si opus haberet, posset præliari bella ejus contra quoscunque hostes, modò se & suos in pace susciperet: Et hanc conditionem Rex Achis facilè suscepit, atque cum David fedus iniit.

7. *Quatuor mensium & aliquot dierum*] Heb. *dies & quatuor menses*, unde quidam per ימים intelligunt Annum, juxta proprietatem Hebraici sermonis, sicut Gen. 40. indicavimus. Alii verò capiunt hîc *dies* simpliciter pro *aliquot ultra menses diebus*; & aiunt David per integrum annum illic non mansisse; id quod hinc patet, quoniam David secessit ad Achis post mortem Samuelis; præcessit autem mors Samuelis interitum Saul septem duntaxat mensibus, *&c.*

10. *Ubi*] Exponunt hîc Hebræi post Jonathan Chaldæum אל pro לאן *ubi*. Aben Ezra tamen exponit אל pro לא, sed interrogativè, in hunc modum, *Non prædam exercuistis hodie? Hodiéne effusi estis in prædam?* ¶ *Kenai*] Hi sunt qui descenderunt de Jithro socero Mosi, de quibus in Jehosua.

VATABLUS.

1. D*Icebat verò*, ויאמר] Præt. Heb. per præt. imperf. reddendum, *Dicebat David tacitus & secum.* ¶ *Tandem absumar*, עתה אספה] Ad verb. *Nunc absumar.* Alii, *Jam absumar*, i. tandem finem vitæ meæ inveniam incidens in manum Saulis. ¶ *Non est mihi bonum*, אין לי טוב] Sub. *hîc*, i. nulla est hîc mihi quies, nusquam conquiescit animus meus. Gallicè, *Ie n'ay yci nul bien.* Quidam liberiùs vertunt, *Itaque nihil mihi consultius quàm ut fugâ evadam*, &c. ¶ *Si eruendo eruam me*, כי המלט אמלט] *Si fugiendo fugero*, salutis causâ scilicet, i. si concessero in regionem Palæsthinorum. ¶ *Tum desperabit*, ונואש] Sub. *se consecuturum me.* ¶ *Ut non quærat me*, לבקשני] i. Non quæret me, ut antea.

4. *Nec addidit ultra*, &c. ולא יסף עוד לבקשו] Hebraismus, pro, *nunquam postea quæsivit eum.*

5. *Si quæso, inveni*, &c. אם נא מצאתי וגו'] Hebraismus, Si sum tibi gratus & charus. ¶ *Dent*, יתנו] i. Designent, tui scilicet quibus demandaveris hoc negotium. ¶ *Et utquid manet*, ולמה ישב] *Sed quare manebit*, &c. i. quare servus tuus erit tibi gravis manendo in eadem urbe in qua habitas, & in qua est sedes totius regni?

6. *In die illa*, ביום ההוא] i. Eo tempore.

7. *Dies aliquot & quatuor menses*, ימים וארבעה חדשים] i. Aliquot dies cum quatuor mensibus. Doctus inter Hebræos scribit hoc loco *dies* non posse accipi pro *annis*, quòd David non manserit illic annum integrum. Nam Saul duobus tantùm annis regnavit; omnia autem quæ gessit Saul cum Davide octo mensibus perfici potuerunt. Præterea David non nisi post mortem Samuelis descendit in regionem Palæsthinorum. Mors autem Samuelis præcessit mortem Saulis septem mensibus. Alii etiam Hebræorum Doctores exponunt, *quatuor menses & aliquot dies mensis quinti.*

8. *Et impetum faciebant*, ויפשטו] *Et irruebant, prædas agebant, depopulabantur, grassabantur.* Gallicè, *Ils couroyent, ou faisoyent des courses.* ¶ *Quæ fuerat à seculo*, אשר מעולם] i. Antiquam, ideo populosam. ¶ *Ingrediente te*, בואך] Chaldæus paraph. *ab ingressu.*

9. *Et percussit David terram*, והכה דוד את הארץ] i. Interfecit incolas ejus regionis. ¶ *Nec vivum reliquit*, ולא יחיה] Ad verb. *& non vivificabit.* Quidam vertunt, *nec servabat incolumes viros*, &c. i. nullos vivos servabat, nemini parcebat. Fut. pro præt.

10. *Quò irruistis?* אל פשטתם] Hîc אל pro אן accipitur, i. *quò*, ut scribit doctus inter Hebræos: & ל ponitur loco נ, & sic Chaldæus paraph. לאן *Quò*. Alii volunt א poni loco ע, & אל pro על מי *super quem*, aut *in quam patriam, impetum fecistis?* Hanc expositionem confirmare videtur responsio Davidis, *Super Meridiem*, &c. Ex doctioribus Hebræorum alter interrogativè exponit, *Nónne irruistis hodie?* ¶ *Jerahmeeli*, הירחמאלי] Familia erat de tribu Juda. Jerameel enim filius fuit Esron filii Phares, 1 Par. 2. 9. ¶ *Ceni*, הקני] Familia erat Jethro quæ habitabat in medio filiorum Juda, ut vides Judic. 1. 16.

11. *Virum autem*, &c. ואיש ואשה וגו'] Ut v. 9. ¶ *Dicendo*, לאמור] i. Dicens apud se, *Non servabimus illos, ne fortè renuncient*, &c. ¶ *Et sic fuit consuetudo ejus*, וכה משפטו] i. Et ea, sive talis, q. d. Sic solitus est facere. ¶ *Omnibus diebus quibus mansit*, כל הימים אשר ישב] Hebraismus, *quamdiu habitavit.*

12. *Abominando abominatus est*, הבאש הבאיש] Hebraismum quidam sic reddunt, *Omninò sordet illi gens sua Israelitica.* Doctiores tamen sic vertunt, *reddidit se fœtidum in populum suum, nempe Israelem*, i. invidiosum, odiosum, vel abominabilem se reddidit popularibus suis, h. e. facit quæ displicent popularibus suis. Alii, *fœtere fecit*, i. fœtida reddidit ac invisa opera sua popularibus suis, quòd abhorreamus à re fœtida, putida ac maleolente. Similis locutio legitur & Gen. 34. 30. & Exod. 5. 21. ¶ *In seculum*, עולם] i. Sempiternus & perpetuus.

CLARIUS.

1. U*T desperet Saul*] h. e. omnem spem deponat, neque jam ampliùs cogitet quo pacto me persequatur aut assequatur.

2. *Ad Achis*] Quærunt hîc Hebræi quomodo David ausus fuerit fugere ad Achis, cùm priùs vix evaserit manus ejus. Respondent, quòd nuncium miserit ad Achis, & indicaverit illi quomodo à suis persecutionem pateretur, & nullibi locorum tutus esset, & præterea secum habere sexcentos expeditos milites, quibus si opus haberet posset præliari bella ejus contra quoscunque hostes, modò se & suos in pace reciperet: & hanc conditionem Rex Achis

Achis facilè [illegible] David fœdus iniit.

7. *Quatuor [illegible]*] Heb. *dies & quatuor menses*: unde quidam per *dies* intelligunt Annum juxta proprietatem Hebræi sermonis. Alii verò capiunt hic dies simpliciter pro *aliquot ultra menses diebus*, & [illegible] David per integrum annum illic non mansisse, id quod hinc patet, quòd David secessit ad Achis post mortem Samuelis, præcessit autem mors Samuelis interitum Saul septem duntaxat mensibus.

10. *Contra Meridiem Juda*] Existimabat Achis hujuscemodi prædas afferri de Regno Saulis. Idcirco sic respondebat David ut & verum diceret & Rex non intelligeret, neque tamen idèm Rex ulla in parte læderetur. Excurrebat quidem David ad Meridiem, Juda sed gentes quæ ex ea parte adhuc hæreditatem tribûs Juda possidebant devastabat: Id autem nesciebat Rex; nec aliquis hoc illi renunciare poterat, quandoquidem nullum illorum capiebat, sed omnes occidebat.

DRUSIUS.

1. אֶסָּפֶה יוֹם אֶחָד Sym. *παραπεσοῦμαί ποτε incidam aliquando*] Incidam, אפול. Hinc est in Vulg. nostra *incidam unâ die in manus Saul.* ¶ וְנוֹאַשׁ. A. ἀπογνώσεται. Sym. ἀπόσχηται] Interpres qui à *Vulgo* nomen accepit *& desperet Saul.* Sanè ἀπογιγνώσκω inter alia sign. *despero.* Idem נואש quod nunc in Ebræo. Itaque etiam Santes vertit *& desperet.* Ἀπόσχηται. ἀποσχέω *abstineo.* Igitur נואש ממני *abstineat à me*, si credendum Symmacho.

GROTIUS.

1. F*ugiam ergò manus ejus*] Vide quæ suprà dicta 19. 12. & 21. 2, 10.

6. *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg*] Magna oportet fuerit fama & expectatio de Davide, quòd ei ad securitatem urbs in solo peregrino concessa est. ¶ *Propter quam causam facta est Siceleg regum Juda*] Bello scilicet postea suborto, 31. 1. nam quæ tali tempore apud nos deprehenduntur, nostra fiunt, L. Transfugæ. §. 1. D. de Acq. rerum dominio. L. In bello. D. de Capt. & Postlim. reversis.

8. *Et agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis*] Gessuritæ erant reliquiæ Cananæorum, Jos. 12. 5. Gerzitæ autem transpositis literis iidem qui *Gezritæ*, qui & ipsi portio Cananæorum, Jos. 16. 3. Ergò nec hospitibus suis nocuit David, nec popularibus. Vide quæ suprà 23. 2.

9. *Nec relinquebat viventem virum aut mulierem*] Nempe nè ab ipsis proderetur, & religionis odio apud hospites in periculum veniret, infrà 11. Metus homines alioqui mites sæpe sæviores facit. Vide exempla De J. B. ac P. l. 3. c. 4. §. 9, & 10.

10. *Contra Meridiem Juda, & contra Meridiem Jerameel, & contra Meridiem Ceni*] Jerameel pars Judæ, 1 Par. 2. 9, 26. Cenæi autem ex Jethronis domo vicini Judæ & plerumque federati. Perplexè locutus hic David, ut Achis quidem crederet eum Judæis eorúmque sociis damna intulisse; ipse autem sentiret se invasisse finitimos eorum. Vide quæ suprà 21. 2. & De J. B. ac P. 3. c. 1. §. 10.

12. *Credidit ergò Achis David*] Ut Babylonii Zopyro, teste Herodoto l. 3. Plutarcho in Apophthegmatis regum, & Justino; & Gabii filio Tarquinii, de quo videri possunt Livius, Dionysius Halicarnassensis, & Florus.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

6. P*Er somnia*] h. e. Per somniatores, sive divinos qui per somnia quærebant responsa. ¶ *Neque per Urim*] Sensus est; Neque per summum Sacerdotem pontificalibus indutum vestimentis; Sed quomodo potuit consulere summum Sacerdotem, cùm is exsul esset & ageret cum David? Respondent Hebræi quòd miserit in tanta necessitate nuncios ad David & ad Abiathar summum Sacerdotem, & rogaverit ut is applicato Ephod consuleret Dominum quid facto opus esset.

8. *Et mutavit se*] Significat verbum חפש in Hithpael idem quod השתנה.

9. *Causam quæris*] K. exponit verbum מתנקש per משתדל לתת מוקש *satagis ponere offendiculum.*

10. *Aliquid mali*] Exponitur hîc עון per חובא *culpam.*

12. *Tu enim es Saul*] Sed quomodo cognovit illum esse Saul? Respondent Hebræi quòd Samuel vocatus per Pythonem ascenderit capite sursum erecto, cùm cæteri pedibus sursum porrectis ascendere consueverint: unde mulier dignitatem Regiam agnoscere potuit.

13. *Deos vidi ascendentes*] Jon. *Angelum Domini vidi ascendentem de terra.* Kimhi autem exponit אדם גדול *hominem magnum rectâ ascendentem staturâ.*

15. *Quare commovisti me*] Scilicet מִמנוחתי *à requie mea.* Alii sic exponunt; *Quare terruisti me? nam putabam instare diem judicii Divini cùm suscitares me à requie mea.*

19. *Cras mecum eritis*] Scilicet *in* מחיצת הצדיקים *thalamo justorum.* Interficieris quidem tu, & filii tui, propter grande illud peccatum quod commisisti, occidendo Sacerdotes Domini; sed peccatum illud expiabitur per obedientiam tuam, quando pro populo Dei pugnam non recusas. Scribunt hîc Judæi multa de Samuelis apparentia: sed non satìs inter eos convenit. De אוב Levit. 20. nonnihil diximus; nempe quòd אוב זה המדבר בקול נמוך מבין פרקי איבריו ומתחת שחיו, *qui habet spiritum Pythonicum, is spiritus loquitur submissâ voce, vel ex membris obscœnis, vel ex concavitate axillarum.* Et hæc una est species spiritûs Pythonici. Est deinde alia species, quâ responsa dantur vel ex craniis defunctorum, aut sepulcris mortuorum: & huic annumeratur ea quæ etiam mortuos suscitare videtur, de qua hîc agitur. Alii verò dicunt quòd Pythonicus in craniis mortuorum offerat dæmoniis thura, & audit in memoratis fœtidis corporis locis optata responsa. Porrò quando mortuus suscitari videtur, aiunt duplici apparere specie: Suscitanti enim apparet in forma ipsa absque verborum perceptione; illi autem propter quem suscitatur apparet non in sui specie, sed in allocutione, & sic Samuel hîc apparuisse describitur. Mulier enim Pythonissa solùm vidit illum, & loquentem non audivit; Saul autem loquentem audivit, sed non vidit: Et quidem omnes Hebræorum Rabbini hîc consentiunt, *opus Pythonum* הבל ותוהו ודברי כזב ותהתול *præter præstigium, vanitatem, mendacium & deceptionem aliud nihil esse.* In hoc tamen loco inter se dissentiunt. Nam sunt qui hæc omnia mulieris putant esse arte conficta, quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Alii autem, ut Saadias & Aias, putant hanc veram fuisse visionem, non quidem mulieris arte sed Dei virtute apparentem. Unde & mulier ipsa, cùm præter solitum mortem miranda videret, stupefacta cœpit magnâ clamare voce. At Kimhi contra horum opinionem ludens, ut mihi videtur, sic arguit; *Si Deus suscitavit Samuelem ut futurum eventum indicaret Sauli, cur eventum illum non magis revelavit per somnia, aut per Prophetas, aut per Sacerdotum oracula, quàm per maleficam mulierem?*

VATABLUS.

1. E*O autem tempore*, ויהי בימים ההם] Ad verb. *Et fuit, in diebus illis.* ¶ *Castra sua in pugnam*, מחניהם לצבא] *Copias suas ad militiam*, vel, *copias suas militares.* ¶ *Sciendo scito*, &c. ידוע תדע וגו׳] Hebraismus, Certò scias quòd mecum egredieris ad militiam.

2. *Profectò scies quæ faciet*, לכן אתה תדע את אשר יעשה] *Propterea scias quid facturus sit.* ¶ *Certè*, לכן] *Hac de causa*: quòd scilicet videam te ità paratum ad obsequium

sequium meum, designabo te custodem perpetuum corporis mei.

4. *Id est in urbe sua*, ובעירו] Hîc ו pro *id est* positum, hoc est *in qua habitabat*. Alii exponunt, *in ipsa urbe*, & *non extra*. Alii, & *luxerant eum in Ramah*, qui scilicet illic aderant; & *in* singulis *urbibus suis*, qui scilicet abfuerant. ¶ *E terra*, מהארץ] i. De regione illa.

5. *Et expavit*, ויחרד] *Et trepidare cœpit*.

6. *Neque per Urim*, גם באורים] i. Per Sacerdotes: nam summus Pontifex gerebat Urim & Thummim in Hosen sive pectorali, ante pectus.

7. *Et ibo ad eam, atque inquiram per eam*, ואלכה אליה ואדרשה בה] i. Ut profectus ad illam, consulam ipsam, sub. *quid facto opus sit*.

8. *Mutavit ergò sese*, ויתחפש] i. Habitum suum. ¶ *Per pythonem*, באוב] i. Ope spiritûs pythonici quo es prædita. ¶ *Et fac ascendere ad me*, והעלי לי] i. Suscita mihi.

9. *Ecce tu nosti*, &c. הנה אתה וגו'] *Tu quidem nosti* [i. tu probè tenes] *quid fecerit Saul, quomodo exterminaverit*, vel, *eraserit*. ¶ *Qui*, אשר] *Quomodo*. ¶ *Offendiculum ponis animæ meæ*, מתנקש בנפשי] *Illaqueas te in anima mea*, i. quæris, vel studes esse offendiculo, vel niteris ponere offendiculum animæ meæ, ut cures me interficiendam.

10. *Si evenerit tibi*, &c. אם יקרך עון וגו'] *Si evenerit tibi iniquitas in verbo isto*, i. nihil mali tibi continget ob id.

11. *Ascendere faciam*, אעלה] i. Evocabo, sive suscitabo. ¶ *Samuelem fac ascendere*, שמואל העלי לי] Vel, *suscita*. Hebræi aiunt non verè Samuelem suscitatum: hoc enim erat spectrum quod apparuit; quod sentit & B. Augustinus.

12. *In hæc verba*, לאמר] *Dicendo*. ¶ *Utquid decepisti me?* למה רמיתני] *Quare imposuisti mihi?* vel, *fefellisti me?* ¶ *Tu enim es Saul*, ואתה שאול] *Cùm sis Saul*.

13. *Deos vide*, &c. אלהים וגו'] Plurali utitur pro sing. & sic Chaldæus paraph. *Angelum Domini vidi ascendentem*. Doctus inter Hebræos exponit, *hominem magnum*: plurali autem uti honoris gratiâ, ut Exod. 22. 28. *Diis non maledices*, i. hominibus magnis, vel Judicibus. Relativum singulare, quod sequitur, ostendit *Elohim* plurale vertendum esse per singulare, *deum*, non *deos*.

15. *Dixit autem Semuel*, ויאמר שמואל] i. Spiritus pythonicus qui induerat speciem Samuelis visus est dicere Sauli. Mulier videbat Samuelem, neque tamen audiebat eum alloquentem Saulem: sicuti nec Saul videbat Samuelem, h. e. illusionem illam diabolicam quæ videbatur illis Samuel. Ità Hebræi. ¶ *Ut quid commovisti*, &c. למה הרגזתני וגו'] *Quare molestus es mihi* [vel *inquietasti me*] *ut suscitares me?* vel, *curando me suscitandum*. ¶ *Angustiis afficior valde*, צר לי מאד] *Coartor plurimùm*. Ad verb. *Angustia mihi valde*. ¶ *Cùm Pelisthim*, ופלשתים] Ad verb. *Et Pelisthim*. ¶ *Per manum Prophetarum*, ביד הנביאים] i. Operâ Prophetarum.

16. *Et utquid interrogas me*, ולמה תשאלני] *Sed quare consulis me*. ¶ *Et sit cum inimico tuo?* ויהי ערך] i. Faveat illi. Ità Chaldæus paraph. Alii, & *sit hostis tuus?*

17. *Et fecit illi Jehovah*, ויעש יהוה לו] *Et faciet Jehovah illi*: nempe Davidi, ut sit relat. pro anteced. Vel, *illi*, nempe inimico, qui erat David. ¶ *Et scidit*, ויקרע] *Et abscidit*. Chaldæus paraph. & *auferet*. ¶ *Socio tuo*, לרעך] *Sodali tuo*.

18. *Iram furoris ejus*, חרון אפו] i. Quòd præceperat iratus valde contra Amalec.

20. *Statim autem*, &c. וימהר וגו'] Ad verb. *Et festinavit Saul*, & *cecidit* de *plenitudine staturæ suæ*, i. statim corruit ut erat erectus. Gallicè, *de sa haulteur*, vel, *d'aussi hault qu'il estoit*. Verbum loco adverbii posuit; ut sæpe aliàs, & v. 24. maximè in hoc genere dicendi. ¶ *Etiam vires non erant in eo*, גם כח לא היה בו] *Neque robur erat in eo*, ut scilicet sese eripere posset.

21. *Et posui animam meam in manu mea*, ואשים נפשי בכפי] Hebraismus, *exposui me periculo*.

22. *Ut comedas*, &c. ואכל וגו'] Ad verb. *Et comedes*, & *erunt in te vires cùm ambulabis per viam*, i. Ut edas; & restituantur tibi vires: vel, ut possis recipere animum cùm iter facies, h. e. ut possis iter facere.

23. *Super lectum*, אל המטה] Ut discumberet scilicet.

24. *Saginatis*, מרבק] i. Quem saginabat. ¶ *Et festinavit*, & *jugulavit*, ותמהר ותזבחהו] Hebraismus, de quo v. 20. pro, *illico occidit*. ¶ *Et miscuit*, ותלש] *Et conspersit*, subegit, sub. *eam*. ¶ *Coxitque ex ea infermentata*, ותאפהו מצות] i. Ex ea confecit panes azymos, quos statim curavit coquendos, non enim exspectavit donec farina illa subacta fermentaretur.

CASTALIO.

6. *Neque per claritatem*] i. Per Pontificem, qui hæc verba, CLARITAS & INTEGRITAS, gestabat in monili.

13. *Divum video*] Divinum virum & humanâ formâ augustiorem.

17. *Faciat Jovah tibi*] לך malui legere, quod est in margine, quomodo Hieronymus & Græcus verterunt, quàm לו.

CLARIUS.

6. *Neque per somnia*] h. e. Per somniatores, sive divinos qui per somnia quærebant responsa. ¶ *Neque per sacerdotes*] Vel, ut alius vertit, *neque per Urim*, h. e. neque per summum Sacerdotem pontificalibus indutum vestimentis. Sed quomodo potuit consulere summum Sacerdotem cùm is exsul esset & ageret cum David? Respondent Hebræi, quòd miserit in tanta necessitate nuncios ad David & ad Abiathar summum Sacerdotem, & rogaverit ut is applicato Ephod consuleret Dominum quid facto opus esset.

12. *Tu es enim Saul*] Aliquod indicium factum est, prodeunte Samuele, quo mulier agnovit hunc esse Saulem.

13. *Deos vidi*] Quod alius vertit *angelos Domini*.

15. *Quare inquietasti me*] Revocans me scilicet à requie mea ad hæc negotia. Alii sic exponunt, *Quare terruisti me? nam putabam instare diem judicii Divini cùm suscitares me à requie mea*.

19. *Mecum eritis*] h.e. In alio seculo, mortui scilicet. Quidam tamen intelligunt *in thalamo justorum*. Interficieris, inquit, quidem tu, & filii tui, propter grande illud peccatum quod commisisti, occidendo sacerdotes Domini; sed peccatum illud expiabitur per obedientiam tuam, quando pro populo Dei pugnam non recusas. Scribunt hîc Judæi multa de hac Samuelis apparitione; sed non satis inter eos convenit. Verùm omnes Hebræorum Rabbini in hoc consentiunt, *Opus Pythonum præter præstigium, vanitatem, mendacium & deceptionem aliud nihil esse*. In hoc tamen loco inter se dissentiunt. Nam sunt qui hæc omnia mulieris putant esse arte conficta, quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Alii autem putant hanc veram fuisse visionem, non quidem mulieris arte sed Dei virtute apparentem, unde & mulier ipsa, cùm præter solitum morem miranda videret, stupefacta cœpit magnâ voce clamare.

DRUSIUS.

8. ויתחפש. Sym. μετεσχημάτισεν ἑαυτὸν *transformavit seipsum*] i. Alium habitum induit. Licet etiam vertere *in alium habitum se traduxit*. Sententia est quam dixi. LXX συνεκαλύψατο. Vulg. *mutavit ergò habitum suum*. Santes *mutavit se*. Arias adjecit *habitu*.

GROTIUS.

2. *Nunc scies quæ facturus est servus tuus*] Egregiam meam operam contra Hebræos experieris. Promittit hoc ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, ut olim Themistocles Persis.

 3. Samuel

3. *Samuel autem mortuus est*] Melius erat, & ità sequentia. Repetit enim scriptor quod suprà dictum erat 25. 1. ob connexionem historiæ sequentis. ¶ *Et Saul abstulit magos & hariolos de terra*] Et hic intellige *abstulerat*. Fecerat hoc autem secundùm legem Levit. 19. 31. & 20. 6, 27. Deut. 18. 11.

5. *Expavit cor ejus nimis*] Multorum malorum facinorum sibi erat conscius.

6. *Et non respondit ei*] Contemnens hominem profanum & tot Sacerdotum sanguine pollutum.

7. *Mulierem habentem Pythonem*] Græci ἐγγαστρίμυθον, ex Hebræo. Tales autem erant apud Græcos quæ *Pythia* dicebantur, à *Pytho*, quod nomen urbi Delphorum.

11. *Samuelem mihi suscita*] Νεκυία omnium divinationum antiquissima, & signum creditæ τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς. Frequenter id factitatum in Oriente discimus ex Æschylo Persis, & Herodoto. Quanquam autem ubique id quod hic apparet vocatur *Samuel*, etiam apud Josephum, tum *Samuel* ἐξ ᾅδου *vocatus*, tum *Samuelis* ψυχὴ, credibilius tamen est fallacem spiritum fuisse, ejus generis de quo Porphyrius 2. De Abstinentia animantium, γένος ἀπατηλῆς φύσεως παντόμορφόν τε καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον καὶ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνηκότων. Videturque id ipsa mulier satis significare cùm dicit אלהים *deos ascendisse de terra*, ità appellans spiritus illos quorum unus Samuelis figuram induerat, cæteri ei velut comites erant. Vide Tertullianum De Anima, circa finem.

17. *Scindet regnum tuum de manu tua*] Etiam malos spiritus Deus sæpe cogit verum dicere. Vide Matth. 8. 29. Tertullianus Apologetico, *Ità de contactu déq; afflatu nostro, contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Credite illis cùm verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis.*

CAP. XXIX.

MUNSTERUS.

3. AUT *annis*] Quomodo dicit quòd *aliquot annis* secum fuerit, qui solùm *quatuor mensibus* apud eum fuit *& aliquot diebus*? Respondent Hebræi, quòd per illos quatuor menses adeò bene ejus integritatem exploravit acsi tot annis secum commoratus fuisset.

8. *Et pugnem contra hostes Domini mei*] Sed nunquid ex animo David voluit pugnare contra populum suum Israel? Respondet Ben Gerson quòd quidem tenebatur cum Achis domino suo, in cujus ditione cum suis morabatur, egredi: sed interim poterat suis magìs prodesse quàm obesse, infatuando scilicet consilia Philisthæorum, & in periculis monendo Israelitas: id quod Satrapæ Philisthæorum faciliè advertere potuerunt.

VATABLUS.

1. IN *fonte*, בעין] Quidam volunt nomen esse loci, *in Ain*.

2. *Porrò principes*, &c. וסרני וגו'] *Porrò satrapa* [*tyranni*, ut habet Chaldæus Paraph.] *incedebant per centurias & chiliadas*. ¶ *In extremo*, באחרונה] Sub. *agminis*, *in extrema acie*.

3. *Nónne iste est David*, &c. הלוא זה דוד וגו'] q. d. An ignoratis hunc esse Davidem, &c. ¶ *Jam diebus, imò jam annis*, זה ימים או זה שנים] *Dies aliquot, imò verò annos aliquot*, i. & quem ego cognosco jam à multis annis. Ità quidam exponunt: cùm tamen apud illum fuisset quatuor tantùm menses, aut paulò plus, ut dictum est c. 27. 7. propterea doctus inter Hebræos exponit, *& eum tam bene novi ac si mansisset apud me annos aliquot*. ¶ *Habitavit*, נפלו] In hac significatione vertunt quidam & illud Gen. 25. 18 *Coram cunctis fratribus suis habitavit*. Vide annot. eo loco, & Judic. 7. 12. *Habitabant in valle*, ubi noster interpres vertit *fusi jacebant*. Doctus inter Hebræos exponit, *cecidit ad me*. Chaldæus paraphr. *divisit se ad me*, divisit se à Saule, & venit ad me, hoc est quod quidam vertunt, *ex quo transfugit ad me*, vel, *defecit à Rege suo ad me*. Significat enim, ut illi annotant, *deficere ab aliquo, & transfugere ad alium*.

4. *Remitte*, השב] Ad verb. *Redire fac*, vel, *Reverti fac*. ¶ *Cui præfecisti eum*, אשר הפקדתו] *Quem illi constituisti*. ¶ *In quo enim placebit*, &c. ובמה יתרצה וגו'] *Nam quanam in re redibit* [*redire poterit*] *in gratiam cum domino suo? nónne per capita*, &c. i. nónne si ferat ad illum capita nostra, vel capita militum nostrorum quos interfecerit?

5. *Cui canebant*, אשר יענו לו] i. Quem laudabant.

6. *Rectus es*, ישר אתה] Sub. *in oculis meis*, i. habeo te pro viro probo. ¶ *Et bonus in oculis meis egressus tuus*, &c. וטוב בעיני צאתך וגו'] Hebraismus, quòd mihi placet conversatio tua in castris ipsis, q. d. Per Deum vivum quem colis, habeo te pro viro probo & integro; & commercium tuum sive conversatio tua, & vita quam in castris meis vixisti, mihi grata fuit. ¶ *Non es gratus*, לא טוב אתה] Ad verb. *non es bonus*, i. satrapis non places.

7. *Et nè committas rem ingratam principibus*, ולא תעשה רע בעיני סרני] Ad verb. *Et non facies malum in oculis principum*, i. nec feceris aliquid quod non sit gratum principibus meis.

8. *Quid enim feci*, כי מה עשיתי] Quidam scribunt aut כי redundare; aut subaudiendum, *Hoc me malè habet: nam quid feci*. ¶ *Fui coram te*, הייתי לפניך] i. Versatus sum in aula tua, aut cœpi servire tibi. ¶ *Ut non eam & pugnem*, כי לא אבוא ונלחמתי] i. Ut non permittar congredi cum inimicis, &c.

9. *Novi quòd bonus es in oculis meis*, ידעתי כי טוב אתה בעיני] Hebraismus, Videris mihi tam bonus quàm est Angelus Dei. ¶ *Nè ascendat*, לא יעלה] *Non ascendet*.

10. *Domini tui*, אדוניך] Nempe Saulis. ¶ *Statim ut illuxerit*, ואור] Ad verb. *& illucescet*.

CLARIUS.

3. DIebus *& annis*] Quomodo dicit quòd *aliquot annis* secum fuerit, qui solùm *quatuor mensibus* apud eum fuit & *aliquot diebus*? Respondent Hebræi quòd per illos quatuor menses adeò bene ejus integritatem exploraverit ac si tot annis secum commoratus fuisset.

8. *Et pugnem contra inimicos domini mei regis*] Sed nunquid ex animo David voluit pugnare contra populum suum Israel? Respondent quidam quòd quidem tenebatur cum Achis domino suo, in cujus ditione cum suis morabatur, egredi: sed interim poterat suis magìs prodesse quàm obesse, infatuando scilicet consilia Philisthæorum, & in periculis monendo Israelitas, id quod Satrapæ Philisthæorum facilè advertere potuerunt.

DRUSIUS.

3. מִיּוֹם נָפְלוֹ. Sym. ἀφ' ἧς ἡμέρας ηὐτομόλησε μοι *à quo die transfugit ad me*] Sic etiam Hieron. priùs erat in LXX ἐνέπεσε πρός με *incidit in me*, vel, si mavis, *defecit ad me*.

4. וַיִּקְצְפוּ. A. παρωξύνθησαν *ira inflammati fuerunt*. Sym. ὠργίσθησαν *irati fuerunt*. Th. ἐθυμώθησαν *excanduerunt*] *Irâ exarserunt*, *ad iram concitati fuerunt*.

GROTIUS.

3. NUM *ignoratis David*] Ut Rex Persa, *Themistoclem habeo*.

4. *Et dixerunt ei, Revertatur vir iste*] Mirè Deus per hostes ipsos efficit nè David se Hebræo sanguine contaminet, ac sic se minùs idoneum regno faciat. ¶ *Nè fiat nobis*

nobis adversarius cùm præliari cœperimus] Tacitus Hist. 4. de ala Batavorum. *Quæ jam pridem corrupta fidem simulabat, ut, proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret.*

8. *Dixitque David ad Achis, Quid enim feci?*] Benè agit David quam cœperat fabulam.

4. *Sed principes Philisthinorum dixerunt, non ascendet nobiscum in prælium*] Coguntur sæpe in bellis Reges aptare se eorum desideriis quorum operâ indigent.

CAP. XXX.

MUNSTERUS.

1. PErcusserunt Ziklag] Sed quomodo *percusserunt Ziklag*, cùm infrà dicatur quòd *neminem occiderint*? Dicendum quòd hic scribitur ויכו pro ויהרסו, h. e. *subverterunt*.

8. *Turmam istam*] Exponitur גדוד ab Hebræis pro עדת הגבורים *cœtu fortium*. Interpres verò noster communiter vertit *latrunculos*.

10. *Qui fatigati erant*] Jonathan pro פגרו vertit אתמנעו *prohibebantur*: alii verò exponunt ינעו *fatigati erant*. Significat enim פגר PÆGÆR *corpus quod est absque spiritu*, indè verbum PIGGER in conjug. Daggessata *pigrescere* & *lassari*.

16. *Prostrati erant*] In Hebræo propriè est *deserti erant in superficie totius terræ*: sed Rabbini exponunt נטושים pro מתפשטין, sicut & nos vertimus. ¶ *Tripudiantes*] Hebræi exponunt מרקדים *saltantes*.

17. *A vespera illa*] Exponunt quidam hîc נשף pro *crepusculo matutino*, quando illos cœpit cædere; duravitque cædes illa usque ad vesperam ejusdem diei, & quando additur *Crastinæ diei*, hoc referendum putant ad initium persecutionis. Nam circa vesperam incepit persequi eos, & totâ nocte insecutus eos manè invenit eos effusos super terram, &c. Alii accipiunt נשף pro prima vespera, & ערב pro alterius diei vespera, & למחרתם pro crastina die utriusque vesperæ, h. e. pro tertia die primæ vesperæ. Sunt rursum qui Mem in dictione למחרתם referendum putant ad David & viros ejus, ut sit sensus, *In crastina exitûs eorum percusserunt eos ab aurora usque ad vesperam.*

20. *Duxerúntque ea ante pecora*] Quidam Hebræorum putant hunc esse sensum, Duxerunt ea pecora quæ erant omnibus communia ante alium gregem quem ipsius David, veluti singulare munus, esse volebant. Alii verò sic exponunt, Duxerunt ante pecora sua quæ Amalekitæ abduxerant alium gregem pecorum quem sustulerant de terra Amalekitarum. Ex nostris quidam sic interpretantur, *duxerunt ea ante res illas.*

25. *Factum est à die illa & deinceps*] Sunt qui dictionem מעלה non pro *deinceps* sed pro *suprà* exponunt, asserentes legem illam & antea fuisse in Israel. Id si verum est, quare dixerunt iniqui, *Nihil dabimus eis de præda* qui juxta sarcinas remanserunt? Si David hoc statutum posuit, quomodo fuit hic mos olim ante David constitutus? Nisi malis antiquum morem à David renovatum & confirmatum.

26. *Amicis suis*] Heb. לרעהו, capitúrque pro לרעיו, ut nos vertimus.

VATABLUS.

1. DIE tertiâ, ביום השלישי] Sub. *ab egressu ejus.* ¶ *Grassati fuerant,* פשטו] *Impetum fecerant, irruerant.* ¶ *Et percusserant,* ויכו] i. Diruerant, sive destruxerant, non enim occiderant habitatores urbis: quia v. 2. dicitur, *Non interfecerunt quenquam.* Dixit autem urbem *percussam* pro *destructam*, ut aliàs Scriptura dicit *sanari ædificium*, aut *vivificari*, quando instauratur ac reparatur.

2. *Mulieres,* הנשים] Meminit mulierum solùm; quia viri iverant cum Davide ad exercitum. ¶ *Et abierant in viam suam,* וילכו לדרכם] i. Reversi fuerant.

3. *Ecce combusta erat,* והנה שרופה] Pro *invenerunt eam combustam.* ¶ *Captivi ducti erant,* נשבו] *Abierant in captivitatem.*

4. *Donec non essent in eis vires,* עד אשר אין בהם כח] *Donec defuit illis virtus.*

6. *Dixerant,* אמרו] i. Cogitaverant, vel, *dixerunt enim populus,* &c. q. d. Parùm abfuit quin lapidibus obrueret eum populus. ¶ *Et roboravit sese,* ויתחזק] *Et fortificatus est*, i. resumpsit animum, fretus spe ac fiduciâ in Deum.

7. *Applica,* הגישה] *Admove*, q. d. Proferas nunc in prælium.

8. *Et interrogavit David,* וישאל דוד] *Et consuluit David.* ¶ *Comprehendendo comprehendes,* &c. השג תשיג וגו'] Hebraismus. Proculdubio assequeris, & erues, sub. *quos secum deducunt.*

9. *Reliqui verò substiterunt,* והנותרים עמדו] Subaudiendum aliquid, cujusmodi, *Bona autem pars transivit, reliqui verò substiterunt.*

10. *Lassi fuerant, nè transirent,* פגרו מעבור] *Magìs lassi erant quàm ut transire possent.* Vel, *qui pigriores fuerunt*, præfictâ lassitudine scilicet, i. qui simulabant tantam lassitudinem ut non possent transire, &c. Significat hoc verbum *lassum esse ac remissum*: significat, & *pigrum esse.*

11. *In agro,* בשדה] Sub. *Jacentem.*

12. *Fragmen massæ carycarum,* פלח דבלה] *Frustum massæ carycarum*, i. ficuum aridarum, de quibus vide c. 25. 18. ubi & de *ligaturis uvæ passæ* est annotatio.

14. *Nos grassati sumus,* אנחנו פשטנו] *Posteaquam nos impetum fecimus*, sive, *feceramus*, aut *irrueramus.* ¶ *Ad Meridiem Cherithi,* על נגב הכרתי] Vel, *in partem Australem Cherethæorum.* Gens est in Palæsthina. ¶ *In id quod est Jehudah,* על אשר ליהודה] i. Quod pertinet ad tribum Juda, h. e. in agrum Juda. ¶ *Chaleb,* כלב] Hic filius fuit Esron, qui erat de tribu Juda.

15. *Num deduces me,* התורידני] *Potésne me deducere.* Ad verb. *Num descendere facies me.*

16. *Diffusi erant,* נטושים] *Prostrati erant*, vel, *jacentes & requiescentes.* ¶ *Et tripudiantes,* וחוגגים] *Et festum agentes.*

17. *A crepusculo,* מהנשף] Sub. *nocturno.* ¶ *Vesperam,* הערב] Diei nempe sequentis. ¶ Et usque *in crastinum illarum,* למחרתם] *In crastinam diem illarum,* sub. *vesperarum*, i. usque ad diem sequentem duas illas vesperas, q. d. Toto triduo percussit eos.

18. *Et eruit,* ויצל] i. Recepit.

19. *Neque parvum neque magnum,* &c. מן הקטון ועד הגדול וגו'] Ad verb. *à parvo & usque ad magnum, & usque ad filios & filias, & à spolio, & usque ad omnia quæ tulerunt sibi.*

20. *Omnes greges & armenta,* את כל הצאן והבקר] Intelligit ea quæ Amalecitæ abegerant de Juda & aliis regionibus. ¶ *Ante pecus,* לפני המקנה] i. Ante greges & armenta quæ abegerant Amalecitæ de Siclag. Distribuerant greges in duas partes, nempe in eos quos abegerant Amalecitæ ex Juda & aliis urbibus, & in eos quos abegerant ex Siclag. Greges autem Siclag non appellabant *prædam*: nam ii restituebantur suis Dominis. ¶ *Hæc est præda Davidis,* זה שלל דוד] q. d. Præter vestra quæ restituuntur vobis, hæc adducit David.

21. *Qui lassi erant,* &c. אשר פגרו וגו'] *Quos piguerat sequi Davidem*, h. e. qui præ lassitudine, sive vera sive ficta, non fuerant secuti Davidem. ¶ *Et residere fecerant eos,* וישיבום] *Et remanere fecerant*, [*statuerant*] *eos*, ad sarcinas scilicet custodiendas. ¶ *Qui egressi sunt,* ויצאו] Ad verb. *Et egressi sunt*, refertur istud ad initium hujus versûs.

22. *Et impius,* ובליעל] Ad verb. *& belijaal.* Vide Deut. 13. 13. ¶ *Hunc in modum,* ויאמרו] Ad verb. *& dixe-*

dixerunt. ¶ *Et ducent*, וינהגו] *Quos abducent secum.*

23. *Fratres mei*, אחי] i. Commilitones. Loquitur more Imperatorum.

24. *Qualis est portio*, &c. כחלק היורד ונו'] *Quanta est portio*, &c. Ad verb. *sicut pars descendentis in prælium, & sicut pars remanentis ad sarcinas*, i. Quanta est portio descendentis in prælium, tanta esset debet portio ejus qui remanet ad sarcinas: & quanta est portio ejus qui remanet ad sarcinas, tanta esset debet portio ejus qui descendit ad certamen, i. Æqualis portio erit descendentibus & remanentibus. ¶ *Pariter dividentur*, יחדו יחלוקו] *Simul* [i. ex æquo] *partientur.*

25. *Fuerátque* id *ab eo die*, &c. ויהי מהיום ההוא] i. Id observatum fuerat ab eo die & suprà, i. ab initio mundi usque ad eum diem: *& vertit illud David in statutum*, vel *legem*, *& consuetudinem in Israele*, &c. ¶ *Usque ad diem hanc*, עד היום הזה] *Usque in hodiernum diem*, & talis consuetudinis author fuit David in Israele, quæ quidem observatur & perdurat usque in hodiernum diem.

26. *Amicis suis*, לרעהו] Quidam subaudiunt conjunctionem, *& amicis suis.*

27. *Iis qui*, לאשר] Sub. *Misit, inquam, iis qui* habitabant *in*, &c. Sic infrà.

31. *Et omnibus locis*, ולכל המקומות] i. Et Senioribus omnium locorum. ¶ *Versatus fuerat*, התהלך] Ad verb. *ambulaverat.*

CASTALIO.

2. *OMnes omnium ætatum tum viros, tum mulieres*] In Hebræo ad verbum legitur, *Omnes feminas à parvo ad magnum.* Sed cùm sit solœcismus, dixisset enim *à parva ad magnam*, cúmque non mulieres solùm sed etiam viros abegerint, secutus sum Græcum, apud quem legitur, τὰς γυναῖκας καὶ πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου.

CLARIUS.

17. *A Vespera usque ad vesperam*] Exponunt quidam *vesperam* pro crepusculo matutino, quando illos cœpit cædere: duravítque cædes illa usque ad vesperam ejusdem diei: & quando additur *alterius diei*, hoc referendum putant ad initium persecutionis: nam circa vesperam incœpit persequi eos, & totâ nocte insecutus manè invenit eos effusos super terram.

20. *Et duxerunt ante gregem ipsum*] Quidam Hebræi putant hunc esse sensum, *Duxerunt ea pecora quæ erant omnibus communia ante alium gregem quem ipsius David, veluti singulare munus, esse volebant.* Alii sic exponunt, *Duxerunt ante pecora sua quæ Amalechitæ abduxerant alium gregem pecorum quem sustulerant de terra Amalechitarum.*

DRUSIUS.

13. חָלִיתִי. A. ἠῤῥώστησα *ægrotavi*] Prius ἠνωχλήθην. Sed noster Aquilam secutus *ægrotare cœpi.* Santes *quia ægrotavi.*

15. אֶל־הַגְּדוּד הַזֶּה. Lxx ἐπὶ τὸ γεδδοὺρ τοῦτο. A. τὸ εὔζωνον. Sym. *latronum cuneum*] Vide Eusebium De locis. Schol. τὸ σύστεμμα Γεδδοὺρ ὁ Ἑβραῖος καλεῖ, ὅπερ ἄλλοθι ἑρμηνεύεται Πειρατήριον· καλεῖται δὲ οὕτω τὸ ληστρικὸν σύστημα. Verba ista hanc sententiam continent, ut dicant γεδδοὺρ significare *globum*, sive *cuneum, latrunculorum*. Γεδδοὺρ Error ex affinitate quæ inter Daleth & Resch. ¶ Σύστεμμα, *globus, agmen militum.* ¶ Πειρατήριον, *conciliabulum piratarum.* Sign. etiam *locum piratis infestum.* Psal. 18. 29. גדוד Lxx πειρατήριον· malè vertunt *tentationem.* Hos. 6. 8. איש גדודים ἄνδρες πειρατῶν *viri piratæ.*

17. מֵהַנֶּשֶׁף. A. ἀπὸ σκοτομήνης *à nocte illuni.* Sym. ἀφ' οὗ συνεσκότασε *à crepusculo vespertino*] Verbum è verbo *à quo contenebrasset*, sive *advesperasset.*

GROTIUS.

2. *ET non interfecerant quenquam*] Miro Dei dispositu, qui neque Davidi quicquam perire voluit, neque aliis propter Davidem.

6. *Volebat enim eum populus lapidare*] Cladem acceptam sæpe seditio sequitur. *Prosperis rebus certaturi ad obsequium adversam ejus fortunam ex æquo detrectabant*, ait Tacitus Hist. 2.

7. *Applica ad me Ephod*] *Obverte mihi Pectorale*, ut ex fulgore literarum Dei voluntatem intelligam. ¶ *Dixitque ei Dominus, Persequere*] Hæ tres literæ effulserunt רדף, putà in nominibus ISACHAR, DAN, NEPHTHALI; cætera ἐξηγητικῶς adduntur.

15. *Et juravit ei David*] Indicia impunitate remuneratur, ut Tacitus loquitur Annal. 15.

16. *Ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes & bibentes*] *Securum hostem ac successu rerum socordiùs agentem invadunt; cæsi vigiles, perrupta castra*, Tacitus Hist. 2. qui & alibi eodem libro nimiâ fortunæ indulgentiâ solutos in luxum describit. *Ferme res secundæ negligentiam creant*, ait Livius libro 26. Titus Martius eques Romanus hostem victoriæ fiduciâ incompositum aggressus nè nuncios quidem cladis reliquit. Frontinus id narrat l. 2. c. 10.

2. *Greges & armenta*] In quibus postliminii jus non erat, quod locum habebat in capitibus liberis. Vide De J. B. ac P. l. 3. c. 9. §. 5, 14.

24. *Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas*] Prudens constitutio; nè ægrè reperirentur qui castra custodirent. Pisidæ partem prædæ dabant his qui domos servabant; meminit Chalcocondylas l. 5. Intelligenda autem hæc lex de parte dimidia prædæ, nam altera dimidia Regis erat. Sunt qui omnia hæc venisse aiunt ab Abrahami temporibus. Asserunt enim Escolem & Mambrem mansisse ad impedimenta, Abrahamum autem jus suum remisisse. Terræ bello captæ totæ erant in Regis arbitrio.

26. *Accipite benedictionem de præda hostium Domini*] Seneca De Beneficiis l. 3. c. 33. *Militaribus viris speciosissimum est divitem aliquem spoliis hostilibus facere.*

CAP XXXI.

MUNSTERIUS.

2. *INhærebant*] Heb. וידבקו, quod K. pro השגו *apprehenderunt* exponit.

3. *Timuitque sibi*] Heb. ויחל, pro quo Jon. ודחיל *& timuit.* Est autem radix verbi חיל *timuit, mœrore consternatus est.* Ubi nostri perperàm verterunt *& vulneratus est valde.* Nondum erat vulneratus à sagittariis, sed videns quòd illorum manus effugere non posset, timuit valde, & impias manus sibi injiciens mortem sibi conscivit. Excusatur tamen ab Hebræis, non obstante illâ Domini sententiâ, *Veruntamen sanguinem vestrum de animabus vestris requiram*, Gen. 9. 5. quòd scilicet sciret imminere diem & horam mortis suæ, & gloriosius duceret manu propriâ in tali interire discrimine quàm longo incircumcisorum cruciatu illudi in contemptum & opprobrium Dei & fidelium suorum.

9. *Indumentum ejus*] Hebr. *vasa ejus.* Et capiuntur hic *vasa* pro omnibus quæ adhærebant corpori, h. e. pro vestibus, armis & pretiosis ornamentis; unde & in sequentibus scribitur quòd Amalekites abstulerit de capite ejus coronam.

10. *In domum Astharoth*] Sciendum quòd *Astharoth* sunt imagines factæ juxta formam & figuram Ovium. ¶ *Fixerunt corpus ejus*] h. e. Clavis affixerunt ad murum.

12. *Combusse-*

12. *Combusserunt ea*] Quidam intelligunt per hanc *combustionem* aromaticam perfusionem; sicut & Joseph patrem suum in Ægypto aromatibus condivisse scribitur. Alii verò dicunt quòd carnem corporis, quæ jam vermibus scatere cœpit, combusserint, indignum rati quòd Rex cum vermibus sepulturæ traderetur; ossa verò more regio decenter sepelierint subter arborem quæ in Paralipomenon libro אלה *quercus* fuisse memoratur; hic verò est אשל generale *arborum* nomen. Cæterùm *habitatores Jabes* humanitatem istam præ cæteris Hebræis exhibuerunt Regi Saul quòd illius clementiam quoque superioribus annis sensissent, quando Rex Nahas in terram eorum hostili animo irruens singulis dextrum voluit effodere oculum. Historia suprà c. 11. scribitur.

VATABLUS.

1. PElisthim, *inquam, pugnabant,* ופלשתים נלחמים] *Cùm autem Pelisthim pugnarent.*

3. *Et aggravatum est,* ותכבד המלחמה] i. Onus prælii versum est in Saulem. ¶ *Viri cum arcu,* אנשים בקשת] Exponit quos vocet *jaculatores*, sive *sagittarios*, nempe *viros gestantes arcum*, peritos artis sagittandi, sive sagittarios peritissimos.

4. *Illudántque mihi,* יהתעללו בי] i. Crudeliter me trucident. ¶ *Et irruit super eum,* ויפול עליה] i. Magno impetu incubuit super eum.

5. *Et irruit etiam ipse,* ויפול גם הוא] *Incubuit ipse quoque.*

6. *Viri ejus,* אנשיו] Qui scilicet erant illi propinqui, sive aderant illi in eo certamine.

7. *Citra vallem,* בעבר העמק] *Ultra vallem:* quæ scilicet adjacebat monti Gelboe. ¶ *Venerúntque Pelisthim,* &c. ויבואו פלשתים וגו׳] *Quas ingressi Pelisthim habitaverunt in eis.*

8. *Postridie verò,* ויהי ממחרת] Ad verb. *Et fuit, in crastino.*

9. *Ad annunciandum,* לבשר] i. Ad annunciandum insignem illam victoriam & mortem Saulis.

10. *Affixerunt,* תקעו] Clavis scilicet.

11. *Habitatores Jabes Gilad,* יושבי יבש גלעד] Quos scilicet liberaverat initio regni sui, ut vides suprà 11. 11.

12. *Combusserunt,* וישרפו] Quòd scilicet jam essent putrida & plena vermibus, combusserunt carnem usque ad ossa.

13. *Arbore,* האשל] Sub. *insigni, & pulcherrima quadam,* 1 Par. 10. 12. dicitur fuisse *Quercus.* Quidam vertunt *sub ulmo.*

CLARIUS.

12. COmbusserunt ea] Quidam intelligunt per hanc *combustionem* aromaticam perfusionem; sicut & Joseph patrem suum in Ægypto aromatibus condivisse scribitur. Alii verò dicunt quòd carnem corporis, quæ jam vermibus scatere cœpit, combusserint, indignum rati quòd Rex cum vermibus sepulturæ traderetur, ossa verò more regio decenter sepelierint. Cæterùm habitatores Jabes humanitatem istam præ cæteris Hebræis exhibuerunt Regi Saul quòd illius clementiam superioribus annis sensissent, quando Rex Nahas in terram eorum hostili animo irruens singulis dextrum voluit effodere oculum. Historia suprà c. 11. scribitur.

DRUSIUS.

3. מֵהַמּוֹרִים *à jaculatoribus*] Notatum hoc loco in ed. Rom. *Theodotio,* μέρος τὸ ἐγγὺς τοῦ ἥπατος *pars jecori propinqua.* Antè Lxx habebant εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Sed meliùs noster *à sagittariis.* Suprà מורים Lxx ἀκοντισαί.

GROTIUS.

3. ET *vulneratus est vehementer à sagittariis*] Dictio hæc המורים videtur hîc non incommodè repeti ex voce paulò antè præcedente, quæ *sagittarios* aut *jaculatores* significet. Cæterùm cogimur credere aliter hîc legisse Græcos, quorum Lxx vertunt hîc εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Theodotio, εἰς τὸ μέρος ἐγγὺς τοῦ ἥπατος. Quomodo legerint quæramus.

4. *Nè fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me*] De hac re quid judicaverint Doctores Hebræi diximus l. 2. De J. B. ac P. c. 19. §. 5. quæ tamen à Christianis, majoris patientiæ debitoribus, & in conspectu habentibus exempla Apostolorum & Apostolicorum virorum, in exemplum trahi non debent. ¶ *Et noluit armiger ejus*] Veritus Regi manum inferre, quamvìs volenti,

—Περὶ γὰρ δίε ποιμένι λαῶν,

ut est apud Homerum. Vide libro mox sequente 1. 14. Non stultè Homerus,

——δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊον ἐστι
Κτείνειν.

Nam, ut mox videbimus, *ultor est quisquis successit,* ut nos docet Tacitus Histor. 1.

7. *Reliquerunt civitates suas*] Vide quàm illis opus fuerit Rege.

9. *In templo idolorum*] Propriè in Hebræo *Terricularum.* Lucilius,

Terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliíque
Instituere Numa.

10. *In templo Astaroth*] Lxx bene εἰς τὸ Ἀσταρτεῖον. Sic enim dicunt Græci Ἡραῖον, Ποσειδώνιον. Arma ab hostibus capta in locis sacris ponebantur. Vide suprà 21. 9. Virgilius Æn. 7.

Multáque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculáque, clypeique, ereptáque rostra carinis.

¶ *Corpus verò ejus suspenderunt in muro Bethsan*] Sic *corpora extra vallum abjecta ostentui* ait Tacitus Annal. 1. Talia corporum ludibria illis temporibus ac locis fuisse non infrequentia, apparet ex historia Josuæ 8. 29. & 10. 26.

13. *Jejunaverunt septem diebus*] Ut in luctu publico fieri solebat, libro sequente 1. 12.

ANNOTATA
AD LIB. II.
SAMUELIS.

CAP. I.

MUNSTERUS.

6. *Fato quodam impulsus*] h. e. במקרה באתי *casu veni in locum pugnæ.* ¶ *Incumbebat super hastam suam*] In Hebræo est נשען verbum deponentale, capitúrque hîc pro נפל *cadere.* Porrò בעלי הפרשים hîc ponitur pro מחנות *cuneis*, vel *agminibus.* Sunt tamen qui exponunt ראשי *præcipuos equites.*

9. *Tremor*] Hebraica vox שבץ sign. propriè *inclusionem*: unde quidam Hebræi hunc locum sic intelligunt, *Inclusus teneor vestibus & armis, ut gladius in quem rui non potuerit me perfodere: adhuc enim tota anima mea in me est. Tu ergò sta super me, & interfice me.* Alii Chald. interpretem sequentes exponunt רתיתא *tremorem*, quo aiunt Saulem correptum post trucidationem Sacerdotum. Tertii putant hîc שבץ capiendum pro *inclusione equitum*, qui Saul sic circumdederant ut evadere non posset.

10. *Postquam ceciderat*] h. e. Postquam irruerat in gladium suum. Sunt autem apud Hebræos qui putant hunc Amalekiten adulatorum more mentitum fuisse quando se dicit Saul interfecisse, cùm in præcedenti capite, ubi interitus Saul describitur, hujus Amalekitæ non fiat mentio.

18. *Ut docerent usum arcus*] Hæc verba non pertinent ad Lamentationem David. Sed cùm mortui essent tam præclari viri in prælio illo, monet suos ut arma bellica, inter quæ præcipuum locum tunc Arcus tenebat, ut desperati non deponerent, sed magis filios suos militiam docerent: præsertim cùm liber legis Mosaicæ id idem in multis locis doceat, sicut dicitur Gen. 49. 8. *Erit manus tua in cervice hostium tuorum.* Per *librum* igitur *Rectissimi* Hebræi docent intelligendam GENESIM, quæ est liber Abraham, Isahac & Jacob, rectissimorum virorum, qui verbo & opere docuerunt contra impios & infideles homines sumenda arma.

19. *O nobilis Israel*] Hîc incipit Lamentatio David: Intelligitúrque per *nobilem*, vel *inclytum*, *Israel* ארץ חפץ *terra Israel desiderabilis*; ad quam David dirigit vocem suam per Prosopopœiam. Alii interpretantur *decus Israelis*; Intelliguntque Saulem.

21. *Super agros oblationum*] h. e. Etiamsi in monte illo sint agri fertiles, de quibus decimæ & aliæ levationes hactenus obvenerunt ministris Domini, deinceps careant benedictione illâ cœlesti propter miserabilem cladem quæ illic contigit. ¶ *Quasi non esset unctus oleo*] Hoc dictur quòd olim in bellis clypei pinguedine inungebantur, ut nitida clypei superficies non facilè jacula & ictus armorum quosque susciperet.

22. *Non est actus retrorsum*] Sensus est; Quomodo hi fortissimi viri ceciderunt, cùm arcus Jonathan nunquam elanguerit, nec gladius Saul unquam vacuus è prælio redierit?

24. *Cum deliciis*] K. putat *cum deliciis* accipi pro *delicatè*, ut sit sensus; Vestivit vos coloratis & delicatis indumentis, quando scilicet mariti vestri egrediebantur ad prælium.

26. *Super amorem mulierum*] *Est*, inquit R. Levi, *mulieris amor tam fortis ut si maritus eam etiam percusserit, & illi maledixerit, non possit vel in modico minui amor ejus, imò plerumque arctius diligit.*

VATABLUS.

1. *Fuit autem*, &c. ויהי ונו'] Verti potest hic versus hoc modo, *Mortuo autem Saule, cùm David reversus esset à cæde* [*strage*] *Amalecitarum, mansit David in Siclag biduum.* Vel, *& mansisset David in Siclag biduum, Tertio demum die*, &c.

2. *E castris*, &c. מן המחנה ונו'] Ad verb. *è castris à cum Saule.* Gallicè, *d' avec Saul.* ¶ *Et incurvavit se*, וישתחו] Honoris causâ scilicet.

3. *Undenam venis?* אי מזה תבוא] Ad verb. *Ubi unde venies?* Fut. pro præs. i. *ubi est locus unde venis?* Sic exponit doctus inter Hebræos. ¶ *Eripui me*, נמלטי] *Evasi, aufugi.*

4. *Quid evenerit*, &c. מה היה ונו'] Ad verb. *Quid fuit rei? indica mihi*, i. Quid rei gestum est? sub. *in castris.* Quale est quod gestum est? Quid accidit? ¶ *Multitudo cecidit è populo*, הרבה נפל מן העם] *Multum populi cecidit*, i. multus populus, h. e. bona pars populi cecidit & mortua est.

6. *Accidit ut venirem*, נקרוא נקריתי] *Casu* [*fortè fortunâ*] *veni*, vel, *veneram.* Gallicè *D' adventure ie me trouuay*, q. d. Tunc offendi Saulem incumbentem, &c. Ad verb. *Casu veniendo, casu veni.* ¶ *Innixus erat*, נשען] *Incumbebat*, vel, *incubuerat.* ¶ *Ecce præterea*, &c. והנה הרכב ובעלי ונו'] *Porrò currus* [falcati scilicet] *& turmæ militum appropinquabant illi*, sive, *assequebantur illum*, i. parùm aberat quin assecuti essent illum. Significat enim hoc verbum *persequi* & *assequi.* פרשים autem dicuntur milites, quòd calcaribus pungant equos. Alii vertunt, *& duces* [vel *præfecti*] *militum.*

7. *Respiciens autem post se vidit me*, ויפן אחריו ויראני] *Qui conversus vidit me*, à tergo scilicet.

9. *Tenet me angustia*, אחזני השבץ] *Apprehendit* [*corripuit*] *me tremor*, sive, *trepidatio*, i. palpitatio. ¶ *Tota adhuc anima mea* est *in me*, כל עוד נפשי בי] i. Adhuc sum plenus vitâ & vigore animi.

10. *Post casum suum*, אחרי נפלו] i. Postquam incubuerat in gladium suum.

12. *Et super domum Israelis*, ועל בית ישראל] Hîc ו positum est pro *id est.* Populus enim Jehovæ erat domus Israel.

13. *Undenam*, אי מזה] Ad verb. *Ubi unde*, ut v. 3. i. *Ubi locus unde es?* ¶ *Peregrini*, גר] *Advena*, vel *proselyti.*

14. *Ad perdendum christum Jehovæ*, לשחת את משיח יהוה] *Ut perimeres unctum Jehovæ?* i. Saulem, qui jussu Domini unctus fuerat in Regem.

15. *Unum*

15. *Unum è pueris*, לאחד מהנערים] i. Quendam ex adolescentibus qui astabant. ¶ *Occide eum*, פגע בו] *Irrue in eum.*

16. *Sanguis tuus super caput tuum*, דמך על ראשך] i. Sanguis quem effudisti est causa mortis tuæ. Chaldæus paraph. *Peccatum cadis à te commissum recidit in caput tuum.*

17. *Et lamentatus est*, &c. ויקונן דוד וגו׳] *Et planxit David hunc in modum super*, &c.

18. *Dixerat autem*, &c. ויאמר וגו׳] i. Antè hortatus fuerat ut docerent filii Juda suos artem sagittandi, h.e. rem militarem, quam intelligit nomine *Arcus*, q. d. Nè desperent filii Israel propter mortem Saulis, sed sint bono animo, & tractent arma: futuri enim sunt clari arte bellicâ. Sanè id *scriptum est in libro* qui dicitur *Sepher Jasar*: qui liber non exstat. Alii, *in libro Legis*; quòd contineat quæ recta sunt & vera. Alii, *in libro Genesis*; quòd in eo contineantur gesta Patriarcharum, qui fuerunt recti & probi.

19. *O decus*, הצבי] *O gloria*. Vel *desiderium*, i. O inclyta terra Israel. Initium lamentationis, & terram alloquitur. Obscurior paulò est lamentatio ista, in qua multa subaudienda sint, quòd hæc tanquam ab homine amicorum morte turbato dicantur. ¶ *In excelsis tuis vulneratus est*, על במותיך חלל] Hîc quædam subaudiunt nonnulli, hoc pacto, Ceciderúntne, vel Quomodo ceciderunt *super colles tuos* [vel, *tumulos tuos*, aut, *excelsa tua*] *interfecti*? Sing. Hebr. pro plurali. ¶ *Quomodo ceciderunt potentes?* איך נפלו גבורים] *Quomodo corruerunt heroes?* vel, *fortes?* aut viri fortissimi? q. d. fieri non potest ut hoc fuerit factum ope humanâ, sed Divinâ ultione: nam illi erant fortissimi, & in loco eminentiore. Describit primò locum belli: deinde virtutem ducum.

20. *Nè renuncietis*, &c. אל תגידו וגו׳] q. d. Utinam id lateret hostes nostros. ¶ *Filia Pelisthim*, בנות פלשתים] Meminit mulierum, quia recitabant carmina aliis de his rebus, q. d. Nè fiant carmina de hac victoria quæ recitent mulieres in choris suis.

21. *Montes Gilboa*, הרי בגלבע] Maledicit loco. ¶ Neque sint *agri oblationum*, ושדי תרומות] Ad verb. *& agri oblationum*, sub. *nè sint in vobis*. Subauditur enim negatio proximè præcedens, i. ità ut non sint in vobis agri fertiles, h. e. ferentes fructum unde fiat posthac oblatio Domino. ¶ *Projectus est*, נגעל] *Abjectus fuit*, tanquam res abominabilis, posteaquam fuerunt illic interfecti, quasi esset inutilis, & *non fuisset unctus oleo*. ¶ *Acsi non esset unctus oleo*, בלי משיח בשמן] i. Quasi Saul non præparasset clypeum suum ad bellum, h. e. quasi strenuè non restitisset hostibus suis in prælio. Solebant enim ungere clypeos illos coriaceos, ut faciliùs resisterent ictibus. Alii exponunt, *acsi Saul non fuisset unctus in regem oleo unctionis*, quæ expositio doctioribus magis placet.

22. *Interfectorum*, חללים] i. Interficiendorum. ¶ *Non rediit retrorsum*, לא נשוג אחור] Singul. Hebr. pro plurali, *sagittæ non redierunt retrorsum*, i. sagittæ contactis armatorum corporibus non revertebantur, sed penetrabant corpora illorum in quos conjectæ fuerant, & interficiebant armatos, q. d. Jonathan suis sagittis multos interfecit. ¶ *Non est reversus inanis*, לא תשוב ריקם] i. Non solebat reverti vacuus, quin vulneraret adversarium.

23. *Amabiles*, הנאהבים] *Dilecti, amati*: sub. *vicissim*, i. sese mutuò amantes, q. d. Qui sese sibi mutuò diligendos exhibebant. ¶ *Et chari in vita sua*, והנעימים בחייהם] *Et dilecti* [*suaves*] *in vita sua*, i. qui sese in vita sua plurimùm dilexerant. ¶ *Leviores fuerunt*, קלו] In persequendis scilicet inimicis.

24. *Cum deliciis*, עם עדנים] *Cum voluptatibus*, i. aliis vestibus pretiosis sive delicatis, quas mulieres habere solent in deliciis. ¶ *Qui inducebat ornamenta aurea vestimentis vestris*, המעלה עדי זהב על לבושכן] Singul. Heb. pro plur. Ad verb. *qui ascendere faciebat ornamentum* [*monile*] *aureum super vestem vestram*, i. qui ornabat vestes vestras monilibus sive ornamentis aureis.

25. *Jehonathan*, &c. יהונתן וגו׳] Subaudienda quædam, hoc modo, *Quomodo cecidisti, ô Jonathan? in excelsis tuis interfectus es?* q. d. In patria tua, in loco eminentiore, meliore ac tutiore, cùm esses alioqui vir invictissimus, interfectus es tamen.

26. *Angustiis afficior propter te*, צר לי עליך] Ad verb. *Angustia mihi super te*, q. d. Doleo vicem tuam. ¶ *Dulcis fuisti*, &c. נעמת לי מאד] Ad verb. *Dulcuisti*, si Latinè dici posset, i. charus sive dulcis & jucundus fuisti mihi vehementer, i. amicitia tua erat mihi jucundissima. ¶ *Mirabilior*, נפלאתה] i. Major *fuit mihi amor tui amore mulierum*, te magis diligebam quàm ullam mulierem. Vel, *amore mulierum*, quo amare solent maritos suos, aut liberos. Nam *Amor* activè & passivè accipi potest. Idem sæpius repetit more lamentantium: sunt enim verba hominis turbati.

27. *Fortes, & perierunt arma bellica?* גבורים ויאבדו כלי מלחמה] i. Viri fortissimi, imò planè periit omnis gloria bellica; Saul scilicet & Jonathan, qui erant vera vasa ac instrumenta bellica Israelis.

CASTALIO.

18. *Artem sagittariam Judæos discere jussit*] Quoniam Saulis fuerat à sagittariis vulneratus.

20. *Palæsthinorum puella*] Scilicet urbes.

21. *O montes Gelboe*] Pro *monte* dicit *montes* poeticè.

CLARIUS.

10. *Post ruinam*] h.e. Postquam irruerat in gladium suum. Sunt tamen apud Hebræos qui putent hunc Amalechiten adulatorum more mentitum fuisse quando se dicit Saul interfecisse, cùm in præcedenti capite, ubi interitus Saul describitur, hujus Amalechitæ non fiat mentio.

18. *Ut docerent filios Juda arcum*] Hæc verba non pertinent ad lamentationem David. Sed cùm mortui essent tam præclari viri in prælio illo, monet suos ut arma bellica, inter quæ præcipuum locum tunc Arcus tenebat, desperati non deponerent, sed magis filios suos militiam docerent; præsertim cùm liber legis Mosaicæ id ipsum multis locis doceat, sicut dicitur Gen. 49. *Erit manus tua in cervice hostium tuorum*. Per *librum* igitur *Rectissimi* Hebræi docent intelligendam GENESIN, quæ est liber Abraham, Isahac & Jacob, rectissimorum virorum, qui verbo & opere docuerunt contra impios & infideles homines sumenda arma.

19. *O nobilis Israel*] Hic incipit lamentatio David. Intelligiturque per *nobilem*, vel *inclytum*, *Israel* terra Israel desiderabilis, ad quam David dirigit vocem suam.

21. *Neque sint agri oblationum*] Alius vertit *neque super agros oblationum*, h. e. Etiamsi in monte illo sint agri fertiles, de quibus decimæ & aliæ levationes hactenus obvenerunt ministris Domini, deinceps careant benedictione illâ cœlesti, propter miserabilem cladem quæ illic contigit. ¶ *Quasi non esset unctus oleo*] Hoc dicitur quòd olim in bellis clypei pinguedine inungebantur, ut nitida clypei superficies non facilè jacula & ictus armorum quosque susciperet.

22. *Nunquid rediit retrorsum*] Sensus est, Quomodo hi fortissimi viri ciciderunt, cùm arcus Jonathæ nunquam elanguerit, nec gladius Saul unquam vacuus è prælio redierit?

26. *Super amorem mulierum*] Quæ arctiùs diligere consueverunt.

DRUSIUS.

6. הִדְבִּיקֻהוּ. A. κατέλαβον *comprehenderunt*.

10. אֶצְעָדָה. A. βεχχίδιον *brachiale*] Dicitur & βεχχίνιον, & Latinè *armilla*. Est ornamentum brachiorum, ψέλιον. Lxx hîc habent τὸν χλιδῶνα. Lexicon Suidæ,

Suidæ, χλιδῶναι, κόσμοι περὶ τοὺς βραχίονας· καλοῦνται δὲ βραχιόλια. Magis usitatum in hoc significatu χλιδῶνες. Lex. vetus, Βραχιάλιον *veriola*.

- 19. הַצְּבִי A. ἀκείβασον] Prius στήλωσον, & in Hieron. *considera*. Nunc interpretantur *terra cupita*, vel *desiderabilis*. Quidam verò habent *decor*. Dan. 11. 16. ארץ צבי. A. *terra inclyta*. Sym. *fortitudinis*. Th. Σαβὶν, vel potius Σαβί. Trem. *terra decoris*. Santes *terra desiderabilis*. Lxx *terra voluntatis*, i. cupita. Dan 8. 9. vocatur צבי simpliciter.

21. שְׂדֵי תְרוּמוֹת. Lxx ἀγροὶ ἀπαρχῶν. A. ---ἀφαιρεμάτων *ablationum*] Sensus est, *qui seliguntur & eximuntur ad usum sacrum*. 'Αφαίρεμα enim dicitur *quicquid pro donario segregatur*, quod & ἀφόρισμα· usique sunt hâc voce interdum οἱ ό. Vide sis ed. Rom. Levit. 7. 4. Chaldæus אפרשותא vocat quòd sit Deo separatum & consecratum. Lexicon Hesychii, 'Αφαίρεμα, ἀνάθημα, δῶρον. Deut. 12.11. תרומת ידכם Lxx τὰς ἀπαρχὰς, cæteri, ἑκούσια *voluntarias oblationes*. ¶ נִגְעַל. A. ἀπεβλήθη *abjectus est*] Sic & Hieron. si modo is est autor ed. Vulgatæ.

☞. GROTIUS.

LIBRI qui jam sequuntur quatuor Βασιλειῶν dicuntur Græcis, & sic à Latinis etiam quibusdam veteribus Græco nomine appellantur, i. REGNORUM; quia primùm de 12 tribuum Regno agunt, deinde de Regno Judæ & Regno Israelis jam inter se divisis. Latini REGUM dicere maluerunt. Et sanè historiam satis fusam continent rerum gestarum à Regibus, præpositâ tantùm Samuelis historiâ, quæ ipsa ad noscendam originem instituti Regni erat pernecessaria. Hebræi tamen posteriores ex quatuor nominant REGUM *libros*; priores autem duos, SAMUELIS: quod mirum videri potest, cùm prior tantùm, & quidem parte sui, Samuelis res contineat. Neque tamen defuit illis quam sequerentur ratio. Nam Saulis exitus ostendit vera fuisse quæ Sauli Samuel prædixerat; & quæ liber alter de Davidis rebus narrat, Samuelis ejusdem vaticinia Davidi facta comprobant. Accedit quòd unxit utrumque Samuel, & consiliis instruxit, quæ spreta à Saule vindicavit Deus, Davidi iisdem parenti res dedit valde prosperas atque magnificas. Si quis externorum aliquos his velit comparare, inveniet Samuelem justi ac recti semper tenacem, opum contemptorem, qualis Aristides; Saulem ex virtutibus vitiisque mixtum, & in utrisque inconstantem, qualis Alcibiades; Davidem ex privato Principem, fortem, ingeniosum, bello felicem, victoriis inclytum, gentium domitorem, clementem admodum, sed mulierosum, qualis Cæsar Dictator. Scriptor horum librorum quatuor, Hebræorum eruditissimis creditur esse Jeremias: sermonis forma non discrepat. Vide quæ dicemus ad 1 Reg. 6. 2. Eum verò credibile est usum commentariis illis Nathanis & Gadis Prophetarum quorum mentio 1 Par. 29. 29. Et sub Jeremiæ nomine citat hos libros Concilium Francofurtense.

CAP. I.

10. ET *tuli diadema*] Coronam quali utebantur Reges Hebræi, quam hîc Lxx τὸ βασίλειον vocant. ¶ *Et armillam*] Hoc ornatu etiam viri usi illis in gentibus; Num. 31. 50.

15. *Accedens irrue in eum*] Simile huic facto Davidis fuit illud Canuti, occiso æmulo ejus Everhardo; de quo vide historias Danicas.

16. *Os enim tuum locutum est adversùm te*] Tacitus Hist. 1. post narratam cædem Galbæ, *Plures quàm 120 libellos præmia exposcentium ob aliquam notabilem illo die operam Vitellius postea invenit, omnésque conquiri & interfici jussit, non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem.* Oedipus apud Sophoclem de Laii cæde agens,

Ὅς τις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανὼν τάχ᾽ ἂν
Κἄμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Seneca in ejusdem argumenti tragœdia,

Regi tuenda maximè est regis salus.

Non dissimile quod C. Julius Cæsar statuas Pompeii reponens suas stabilisse dictus est. Ambrosius de hoc facto Davidis: *Quia honestatem prætulit utilitati, utilitas honestatem secuta est.*

18. *Et præcepit ut docerent filios Juda arcum*] Curavit ut inter exercitamenta militaria hi versus cantarentur. Ostendit hoc carmen figuras poeticas non minus apud illas gentes quàm apud Græcos aut Latinos floruisse. ¶ *Sicut scriptum est in libro Justorum*] Vide quæ diximus Jos. 10. 13.

19. *Inclyti*] הצבי *decor*. At Græci legere צב à יצב, vertunt enim Lxx Στήλωσον Aquila 'Ακρίβασον.

20. *Nolite annunciare in Geth*] Quæ urbs Gitta Polybio in Fragmentis.

21. *Montes Gelboe*] Tale illud Ciceronis, *Vos enim Albani tumuli atque luci.*

20. *Amabilis super amorem mulierum*] Confer planctum Achillis in morte Patrocli.

CAP. II.

MUNSTERUS.

9. SUper totum Israel] Nominantur hîc undecim tribus *regnum Israel*; & sola tribus Jehuda vocatur *Regnum Jehuda, & Davidicum*: sicut & post mortem Salomonis universum Regnum Judæorum iterum in illa duo scissum fuit Regna, nisi quòd regno Jehuda adhuc una accessit tribus, nempe Biniaminitica.

13. *Occurrerunt eis*] Venit Joab hostili animo contra Abner, sed videns illum fortiorem se esse, noluit inchoare pugnam donec Abner dixit, *Surgant pueri, & ludant.* Capitur autem hîc *ludere* pro *dimicare gladiis*; id quod rei eventus docet.

16. *Ager robustorum*] Est hîc צור idem quod חזק *fortis*; licèt quidam præter autoritatem Scripturæ interpretentur צור pro חרב *gladio*.

18. *Levis pedibus*] Narratur id, quòd Asahel nimiam fiduciam tribuerit pedibus suis, & tamen eum à periculo mortis non liberaverint.

21. *Accipe pro te unum ex pueris*] Sensus est, Redi iterum ad tuos: nos enim parcimus tibi, & nolumus te occidere, quanquam in medio nostri sis. Et si times, tolle tecum unum ex pueris nostris qui te conducat. Et si illum quoque times, accipe arma ejus ab eo.

23. *Cum posteriori parte hastæ*] Quia enim Abner aciem hastæ non vertit contra insequentem Asahel, ille facilè interfici potuit, præsertim stimulo posteriori, cujus ictus subter quintam costam locum hepatis læsit. Exponunt enim Hebræi חומש pro דופן חמישית. Licèt alii exponant pro *fortitudine*; juxta illud Exod. 3. חמושים *armati ascenderunt*, &c. ut scilicet sit locus corporis ubi est habitaculum vitæ & caloris naturalis: Is autem locus est Cor, fons vitæ. Alii vertunt *viscera vitalia*. Sunt autem quinque viscera vitalia, Cor, Pulmo, Jecur, Lien, Fel. ¶ *In loco suo mortuus est*] h. e. Ictus lanceâ in eodem loco decubuit.

26. *Amaritudo erit in novissimo*] Sensus est, Nisi à principio paci studuerimus, in tantum dissensio illa incrementa suscipiet ut tandem res ipsa utrinque in meram amaritudinem & summam calamitatem sit abitura.

27. *Nisi locutus fuisses*] h. e. Tu tragœdiæ huic occasionem præbuisti. Si enim non dixisses, *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, à prima diei luce quisque desiisset persequi fratrem suum.

VATABLUS.

1. HIS *autem gestis*, ויהי אחרי כן] Ad verb. *Et fuit pòst sic consuluit*, &c.

3. *As-*

3. *Ascendere fecit,* [העלה] *Duxit, deduxit.* ¶ *In oppidis,* [בערי] *In urbibus.* Erat enim Hebron urbs metropolis.

4. Sunt *qui sepelierunt,* [אשר קברו] Quibusdam videtur אשר non suo loco positum: propterea hoc ordine vertunt, *dicendo* quòd *viri Jabes Galaad sepelissent.* Alii subaudiunt דבר, i. *negotium,* vertentes, *dicendo* quid egissent *cives Jabes Galaad,* nempe quòd *sepelissent,* &c.

5. *Et dixit,* [ויאמר] Nempe per legatos. ¶ *Benedicti vos à Jehovah, qui fecistis,* [ברוכים אתם ליהוה אשר עשיתם] *Benedicti vos à Jehova, quòd feceritis. A Jehova,* i. apud Jehovam, h. e. Vos digni estis quos Jehova summo favore persequatur, quòd hujusmodi beneficium contuleritis in dominum vestrum Saulem.

6. *Propterea nunc,* &c. [ועתה יעש וגו'] i. Posthac ergò rependat Jehova vobis hoc beneficium & hanc fidem præstitam ac servatam domino vestro. ¶ *Faciam vobiscum bonum hoc,* [אעשה אתכם הטובה הזאת] i. Rependam vobis hoc beneficium.

7. *Nunc ergò confortentur,* &c. [ועתה תחזקנה וגו'] i. Et vos quoque sitis bono ac forti animo. Ad verb. *Et nunc roborentur manus vestræ, & estote in filios fortitudinis,* i. in viros fortes. Chaldæus paraph. *viri fortes.*

8. *Qui erat ipsi Sauli,* [אשר לשאול] i. Quem habebat Saul. ¶ *Et transire fecit eum,* [ויעברהו] Hebraismus, *& deduxit,* sive *traduxit, eum.*

9. *Et regnare fecit eum,* [וימליכהו] *Et constituit eum Regem.* ¶ *Super Asuri,* [ואל האשורי] Chald. paraphrastes vertit, *super domum Aser.* Alii aliud intelligunt.

10. *Et duobus annis regnavit,* [ושתים שנים מלך] Post duos istos annos cessasse regnum Israelis, dicit doctus inter Hebræos, i. fuisse sine Rege quinque annis & sex mensibus. At Doctor quidem alius etiam Hebræus, *Levi* nomine, exponit, *& duobus annis regnaverat, cùm scilicet gesta sunt quæ infrà dicuntur:* & ità asserit illum regnasse septem annis & sex mensibus. ¶ *Tantùm domus Jehudah,* &c. [אך בית יהודה וגו'] Ad verb. *tantùm domus Jehudah fuerunt post Davidem. Domum Juda* vocat tribum Juda. Quidam vertunt, *Verùm domus Juda,* &c. Alii, *Sed domus Juda,* &c.

12. *Porrò egressus est,* [ויצא] *Porrò egressus fuerat.*

13. *Pariter,* [יחדו] i. Ubi fuerunt omnes congregati. ¶ *Et manserunt,* [וישבו] *Et sederunt,* vel *substiterunt.*

14. *Juvenes,* [הנערים] *Adolescentes,* i. juvenes milites. ¶ *Et ludant ante nos,* [וישחקו לפנינו] *Et ludant coram nobis,* i. descendant in singulare certamen nobis spectantibus, & ostendant an sint periti rei militaris.

15. *Et transierunt in numero,* [ויעברו במספר] *Et transierunt juxta numerum,* i. prodierunt numero certo.

16. *Et gladius cujusque,* [וחרבו] Ad verb. *& gladius ejus,* sub. *adactus fuit,* &c. i. singuli adegerunt ensem in latus sui socii. ¶ *Ceciderúntque pariter,* [ויפלו יחדו] i. Mutuis vulneribus confossi perierunt. ¶ *Helcath hassurim,* [חלקת הצורים] Significat *agrum robustorum,* sive *fortium:* quòd, ut scribit doctus inter Hebræos, fortes fuerint juvenes isti ut silices, & viriliter pugnaverint: neque superavit alter alterum, sed se invicem occiderunt. Alii exponunt *agrum acierum,* i. ensium, sive gladiorum. Chaldæus paraph. *ager occisorum.*

17. *Admodum,* [עד מאד] Ad verb. *usque valde,* i. Exortum est prælium acerrimum. ¶ *Casúsque fuit,* &c. [וינגף וגו'] i. Superatus fuit Abner cum Israelitis à servis Davidis. *Casum* dicit, non usque ad mortem: nam fugientem Abner ver. 19. dicitur Asael presequi.

18. *Ibi,* [שם] i. In eo prælio. ¶ *Levis erat pedibus suis,* [קל ברגליו] Significat velocissimum fuisse cursorem, qui velocitate pedum æquaret capreas agrestes.

19. *Abner,* [אבנר] Sub. *fugientem.* ¶ *Nec declinabat,* &c. [ולא נטה וגו'] i. Semper euntem rectà prosequebatur, non declinans ad dextram vel ad sinistram à tergo ipsius Abner, h. e. omisso ipso Abner.

21. *Declina,* [נטה לך] Ad verb. *Declina tibi.* Gallicè, *Destourne toy,* i. Diverte hinc. ¶ *Unum è pueris,* [אחד מהנערים] Sub. *comitibus tuis,* vel, *sociis;* vel, ut alii volunt, *comitibus me sequentibus;* ut sit tibi comes in reditu tuo. ¶ *Et tolle tibi exuvias,* [וקח לך את חלצתו] q. d. Quòd si times tibi ab eo, detrahe illi arma sua, neque etiam interfeceris illum. Chald. *perizoma,* sive *cingulum ejus,* i. ensem quo est accinctus. ¶ *Declinare à tergo illius,* [לסור מאחריו] *Recedere eo omisso,* i. noluit dimittere illum.

22. *Rursum autem Abner dixit,* [ויסף עוד אבנר לאמור] Ad verb. *Et addidit adhuc Abner dicere.* ¶ *Recede à tergo meo,* [סור לך מאחרי] i. Desiste me persequi. ¶ *Percutiam te in terram?* [אככה ארצה] i. Ità te percutiam ut prosternam humi, & corruas mortuus in terram? h. e. Cur cogar te interficere? ¶ *Levabo faciem,* &c. [אשא פני אל יואב] i. Posthac audebo aspicere Joab fratrem tuum?

23. *Posteriore* parte *lanceæ,* [באחרי החנית] *Posteriore* parte *hastæ,* i. aversâ hastâ in inguine. ¶ *In quinta,* [אל החומש] i. In parte illa corporis in qua est quinta costa, ubi scilicet est sedes Fellis & Jecoris. ¶ *Et egressa est lancea à tergo,* &c. [ותצא החנית מאחריו] i. Adegit cuspidem lanceæ ultra tergum ejus, h. e. transfodit eum. ¶ *Cecidit itaque ibi,* &c. [ויפל שם וימת תחתו] Ad verb. *& cecidit* [*corruit*] *ibi, & mortuus est in loco suo,* i. in eo loco in quo fuit percussus, mortuus est.

24. *Sol autem occubuerat,* &c. [והשמש באה וגו'] *Et sol occubuit, & ipsi venerunt usque ad Gibath-amma.* אמה significat *aquaductum,* sive *rivum.*

25. *Fuerúntque cœtus unus,* &c. [ויהיו לאגודה אחת וגו'] i. Conglobati in cuneum unum, steterunt in vertice cujusdam tumuli.

26. *Num in perpetuum devorabit gladius?* [הלנצח תאכל חרב] i. Num ad internecionem usque cædes hunc populum? nunquam finem facies cædendi? ¶ *Annon nosti,* [הלוא ידעתה] i. Intelligisne quòd tandem finis belli erat amarus? ¶ *A tergo fratrum suorum,* [מאחרי אחיהם] i. Ut desistat persequi fratres suos.

27. *Nisi locutus fuisses,* [לולא דברת] *Nisi dixisses,* nempe, *Surgant pueri, & ludant ante nos,* i. nisi provocasses me. ¶ *Quòd jam inde à manè,* &c. [כי אז מהבוקר נעלה] *Quòd jam indè* [ad verb. *tunc*] *à matutino tempore ascendisset,* &c. i. recessisset jussu meo *populus* mihi subditus, *quisque omisso fratre suo.*

29. *Per campestria,* [בערבה] *Per desertum,* ut habet Chaldæus paraph. ¶ *Ad Mahanaim,* [מחנים] Ubi scilicet erat Isboseth.

31. *Percusserant,* [הכו] Sub. *aliquot,* vel, *multò plures.*

32. *Et diluxit eis in Hebron,* [ויאור להם בחברון] i. Primâ luce [sive diluculo] pervenerunt in Hebron.

CASTALIO.

9. IN *Assuraos*] Latinus *Gessuraos,* Græcus *Thasiri.*

14. *Luderent*] h. e. Dimicarent.

29. *Bethrone*] Latinus *Bethorone.*

CLARIUS.

9. SUper *Israel universum*] Nominantur hîc undecim tribus, *Regnum Israel,* & sola tribus Juda vocatur *Regnum Juda, & Davidicum;* sicut & post mortem Salomonis universum Regnum Judæorum iterum in illa duo scissum fuit Regna, nisi quòd Regno Juda adhuc una accessit tribus, nempe Benjamitica.

13. *Occurrerunt eis*] Venit Joab hostili animo contra Abner; sed videns illum fortiorem se esse, noluit inchoare pugnam, donec Abner dixit, *Surgant pueri & ludant.* Capitur autem hîc *ludere* pro *dimicare gladiis,* id quod rei eventus docet.

21. *Apprehende unum de adolescentibus*] Sensus est, Redi iterum ad tuos: nos enim parcimus tibi, & nolumus te occidere, quanquam in medio nostri sis. Et si times, tolle

tolle tecum unum ex pueris nostris, qui te ducat. Et si illum quoque times, accipe arma ejus ab eo.

23. *Aversâ hastâ*] Quod alius vertit, *cum posteriori parte hastæ*. Quia enim Abner aciem hastæ non vertit contra insequentem Asael, ille facilè interfici potuit, præsertim stimulo posteriori, cujus ictus subter quintam costam locum epatis læsit.

26. *Amaritudo erit in novissimo*] Sensus est, Nisi à principio paci studuerimus, ità dissensio illa incrementa suscipiet ut tandem res ipsa utrinque in meram amaritudinem & summam calamitatem sit abitura.

27. *Nisi locutus fuisses*] h. e. Tu tragœdiæ huic occasionem præbuisti: si enim non dixisses, *Surgant pueri & ludant coram nobis*, à prima diei luce quisque desiisset persequi fratrem suum.

DRUSIUS.

12. מִמַּחֲנַיִם. Th. *ἐκ παρεμβολῶν ex castris*] Hinc intelliges quid sit in Lxx ἐκ Μαναέμ, quod rectiùs scripseris Μαναΐμ, vel potiùs Μααvήμ pro Μααναΐμ. Tale est Ἐφρὴμ pro Ἐφραΐμ. Vide, si placet, Observ. meas. Vide infrà 17. 24.

GROTIUS.

4. V*Enerúntque viri Juda, & unxerunt ibi David*] Tribus eximia, sed una, Regem facit pernicioso exemplo, nisi Dei voluntas cognita omnem legem perfringeret.

5. *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul*] Non ergò omnes αὐτόχειρες ἄταφοι apud Hebræos. Et nota sepeliendi officium misericordiæ tribui, quomodo & à Seneca, Philone, Quintiliano, Ulpiano, quos vide l. 2. De J. B. ac P. c. 19. §. 1.

8. *Circumduxit eum per castra*] Militibus eum commendans, ut Othonem sui apud Tacitum.

10. *Et duobus annis regnavit*] Tranquillè scilicet, priusquam David ei arma inferret.

13. *Joab filius Sarviæ*] Vir fortis & militiâ bonus, sed ambitiosus, iracundus, ultionis supra modum cupidus, non dissimilis Achilli, qui apud Horatium

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Sed utilium prospectu præstabat Achilli; Muciano ut hâc parte, ità arrogantiâ non dispar, qui Imperium Vespasiano tradidit, ut hic Davidi.

14. *Ludant coram nobis*] Pari numero concurrant. Viri inter arma educati civium sanguinem effundere, vel animi causâ, parvi ducebant.

23. *Qui audire contempsit*] Non semper tuta temeritas. ¶ *In inguine*] Heb. *ad quintam*, supple *costam*; qua in parte jecur & fel, ut aiunt Hebræorum Magistri. Græci ἐπὶ τὴν ψόαν.

26. *Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet?*] Bruti dictum hinc non longè abit, Bella civilia acriùs esse prohibenda quàm in superatos iracundiam exercendam; & Cæsaris illud in pugna Pharsalica, *Parce civibus*.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3. C*Hileab*] Sonat *Chileab* quasi *Ipse pater*. Impositúmque est hoc nomen huic filio quòd suspicio apud quosdam esset illum non David sed Nabal prioris mariti esse filium, at effigies aliud indicavit, cùm patri David in omnibus conformis esset. ¶ *Filius Maacha*] Fuit secundùm Hebræos Maacha mulier pulchra, quam David in bello captam ad Judaismum invitam coegit: & ob id putant ex ea natum Absalom filium tam rebellem.

8. *Caput canis*] h. e. Non reputas aliud me esse quàm præfectum canibus? ¶ *Et non tradidi te*] Scribitur in Hebræo המציתי pro המצאתי, i. *feci invenire te in manu David*, pro הסרתי, ut Jonathan clariùs vertit.

12. *Pro se*] Kimhi exponit hîc תחתו pro בסתר, i. *secretó*. Jonathan verò vertit מאתריה *de loco suo*.

27. *In quiete*] Sunt qui dictionem בשלי exponunt pro בשגגה *ignoranter*; alii exponunt בשלום *pacificé*. Sunt alii qui interpretantur בפתאום *repentè*; alii *insidiosè*. Kimhi putat radicem esse נשל *extraxit*: indè nomen שלי ejusdem formæ cum שבי, licèt alterius ordinis. ¶ *In quinta costa*] Jam præcedenti capite diximus Hebræos חומש non *inguina* aut *abdomen*, sed *quintam* intelligere *costam*.

29. *Maneant*] Quidam exponunt verbum יחלו pro יפלו *cadant*; alii pro יחנו, sicut nos vertimus. ¶ *Baculo*] Accipitur hîc פלך pro משענת *sustentaculo cui infirmi innituntur*. Prov. 31. capitur pro *baculo nentium*.

33. *Nunquid ut moritur stultus*] Exponitur hîc נבל pro רשע, ut sit sensus, Non est Abner mortuus sicut impii, qui propter impietatem suam occiduntur, cùm manus ejus non fuerint ligatæ, nec pedes vincti: quippe qui nihil mali suspicatus est ab æmulo suo; alioquin se manibus defendere potuisset, aut pedibus effugere.

VATABLUS.

1. I*Bat & confortabatur*, הולך וחזק] Hebraismus, *subinde fortior evadebat*. ¶ *Ibat & attenuebatur*, הולכים ודלים] Hebraismus, *quotidie*, sive *subinde*, *decrescebat, ac debilior fiebat*.

3. *Secundus verò ejus*, ומשנהו] i. Qui illi secundo loco natus fuit. ¶ *Chilab*, כלאב] Hic 1 Par. 3. 1. dicitur *Daniel*. Habuit ergò duo nomina.

5. *Ex Egla uxore Davidis*, לעגלה אשת דוד] Hæc non erat nobilis, nec ullo alio nomine nota nec celebris nisi quòd uxor esset Davidis, neque hæc est Michol: nam Michol nullos liberos genuit Davidi. ¶ *In Hebron*, בחברון] i. Dum regnaret super Judam in Hebron.

6. *Viriliter agebat*, היה מתחזק] *Fortificabat se*, i. summis ac totis viribus annitebatur defendere domum Saulis.

7. *Ad Abner*, אל אבנר] Quem scilicet suspicabatur habere commercium cum Rispa. Non est autem certum an Abner rem habuerit cum Rispa: nihil enim traditur in Scriptura. ¶ *Ingressus es*, באתה] i. Rem habuisti.

8. *Nunquid caput*, &c. הראש כלב אנכי וגו'] *Egóne præfectus canis qui ad* tribum *Jehuda* pertinet? *Canis*, sing. pro plur. i. *Egóne sum custos canum qui ad tribum Juda pertinent*, h. e. canum Davidis inimici tui qui est de tribu Juda. Súmne tam vilis & abjecti officii, quòd me tam acriter increpas? non pluris me facis quàm custodem canum hostis tui? ¶ *Feci misericordiam*, אעשה חסד] Fut. Heb. pro præt. i. multa contuli in patrem tuum beneficia, & tamen ità me parvipendis acsi nulla contulissem in ipsum beneficia. ¶ *Et tamen visitas*, &c. ותפקוד עלי עון האשה] Præt. Heb. pro præs. i. & tamen increpas me quòd rem habuerim cum muliere, cùm debueris ad hoc connivere, vel ità me increpas quasi verum sit me rem habuisse cum ea.

9. *Sic faciat*, &c. כה יעשה] Verba irati; ideo subticet reliqua, q. d. *Hæc faciat mihi Deus, & multò graviora*, vel *Disperеam, nisi fecero quæ dicturus sum*, *nempe quòd ut juravit*, vel, *certè ut juravit Dominus Davidi, ità faciam ei*.

10. *Ut transferam*, &c. להעביר וגו'] Ad verb. *Transire faciendo Regnum à domo Saulis, & erigendo* [vel *consurgere faciendo*] *solium Davidis*, i. ut curem transferendum & curem stabiliendum per totam longitudinem Terræ sanctæ.

12. *Loco sui*, תחתו] *Pro se*. Chaldæus paraph. *de loco suo in quo erat*. Gallicè, *sans bouger de sa place*. Doctus inter Hebræos exponit, *secretò*, *& clam*. ¶ *Cujus est terra?* למי ארץ] i. Ad quem pertinet hæc regio, nisi ad te? q. d. Hæc regio tua est, non liberorum Saulis. ¶ *Et qui dicerent*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Feri fœdus*

fedus tuum meum, ברתה בריתך אתי] i. Fac mecum amicitiam tuam. ¶ *Manus mea* erit *tecum*, ידי עמך] Hebraiſmus, Favebo tibi, & te pro virili adjuvabo.

13. *Bene*, טוב] q. d. Placet conditio. ¶ *Nempe nè videas*, לאמור לא תראה] Ad verb. *dicendo*, *Non videbis*, &c. i. nè ſtudeas viſere me. ¶ *Niſi priùs adduxeris*, כי אם לפני הביאך] *Quin priùs adducas*, i. cures adducendam. ¶ *Cùm voles*, &c. בבואך לראות] Ad verb. *in veniendo te ad videndum*.

14. *Qui dicerent*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Quam deſpondi*, &c. אשר ארשתי לי וגו'] i. Quam deſpondi mihi eâ lege ut darem centum præputia Philiſthinorum, q. d. quam magno mihi comparavi. Vide 1 Sam. 18. 27.

16. *Eundo & flendo*, הלוך ובכה] i. Plorando inter eundum, q. d. Proſecutus eſt eam plorans propter diſceſſum ejus.

17. *Porrò Abner ſermonem habuit*, ודבר אבנר היה] Ad verb. *Et verbum Abner fuit*. ¶ *In hanc ſententiam*, *Et heri*, *& nudiuſtertius*, למור גם תמול גם שלשום] Ad verb. *dicendo*, *Etiam heri*, *etiam nudiuſtertius*, i. Antea ſemper deſideraſtis Davidem ut regnaret ſuper vos.

18. *Facite*, עשו] Sub. *ut regnet ſuper vos*, nunc licet. ¶ *Per manum Davidis*, ביד דוד] Hebraiſmus, *Per Davidem*, *operâ Davidis*.

19. *Præterea locutus eſt*, &c. וידבר גם וגו'] Hebraiſmus, Habuit quoque Abner orationem ad Benjaminitas, apud quos erat dignitas Regia. ¶ *Ut loqueretur in auribus*, &c. לדבר באזני דוד וגו'] Hebraiſmus, Ut diceret præſente Davide omnia quæ placuerant Iſraeli & toti familiæ Benjamin.

21. *Qui percutient*, &c. ויכרתו אתך ברית] Ad verb. *& percutient tecum fedus*. Quidam vertunt, *ut ineant tecum fedus*, i. ut faciant tecum amicitiam. ¶ *Regnabiſque*, &c. ומלכת בכל וגו'] *Et tu regnes in omnibus quæ concupiſcit anima tua*, i. in omnibus quæ voles. Vertere potes, *ut percuſſo cum illo federe, regnes*, &c. Quidam vertunt, *& tu omnibus pro animi tui voto imperes*. ¶ *In pace*, בשלום] i. Sine noxa, ſalvus & incolumis. Vertere potes hanc partem verſûs ità ut ſequenti jungatur, hoc modo, *Cùm autem remiſiſſet David ipſum Abner, & receſſiſſet in pace, ſtatim ſervi Davidis*, &c.

22. *Adducentes*, הביאו] *Afferentes*. Ad verb. *venire fecerunt*.

23. *Venit*, בא] *Venerat*.

24. *Quid feciſti?* מה עשיתה] q. d. Non ſapienter, ſed ſtultè egiſti. ¶ *Et abiit eundo?* וילך הלוך] Hebraiſmus, *abiit ſecurus, nihil ſibi timens*: &, quod priùs dixit, *in pace*. Idem videntur ſignificare hoc loco, *abiit abeundo* & *abiit in pace*.

25. *Et ut ſciret exitum tuum*, &c. ולדעת את מוצאך וגו'] Hebraiſmus, *& ut exploraret quomodo te geras*. Mox ſequentibus ſeipſum exponit, cùm dicit, *Et ut ſciret omnia quæ tu facis*, i. omnia quæ hîc fiunt ac geruntur.

26. *Quod David neſciebat*, ודוד לא ידע] Ad verb. *& David noſciebat*, i. ignorante & inſcio Davide.

27. *Et divertere fecit eum*, ויטהו] *Et ſecedere fecit eum*, i. abduxit eum. ¶ *Pacificè*, בשלי] *Quietè, blandè, verbis ac ſermonibus blandis*. Quidam Hebræorum exponunt *in errore*: quia Abner ignorabat cor illius, quòd vellet eum occidere. Doctus inter Hebræos etiam exponit *confeſtim*, ſive *repentè*. ¶ *In quinta*, החומש] *In inguine*. ¶ *Mortuúſque eſt*, וימת] Quidam rejiciunt hæc verba ad finem verſûs, tanquam non collocata ſuo ordine, hoc modo, *& percuſſit eum in inguine propter ſanguinem fratris ſui, & mortuus eſt*. ¶ *Propter ſanguinem*, בדם] Ad verb. *in ſanguine*, i. quòd interfeciſſet fratrem ejus.

28. *Quod cùm poſtea reſciſſit David*, וישמע דוד] Ad verb. *Et audivit David poſtea*. ¶ *Innocens*, נקי] *Mundus*. Hebraiſmus, Scit Jehovah me non eſſe conſcium mortis Abner. ¶ *Coram Jehovah*, מעם יהוה] Ad verb. *de cum Jehovah*. Chaldæus paraph. *à conſpectu Domini*, pro, *in conſpectu Domini*. Alii, *coram Jehovah*, i. teſte Jehovah.

29. *Cadat*, יחולו] *Maneat*, ſub. *ſanguis Abner*. Plur. Heb. quòd referat plurale דמים *ſanguines*, i. Aſcribatur hoc crimen ipſi Joab, détque pœnas ob hanc cædem. ¶ *Deficiat*, יכרת] Ad verb. *exterminetur*. ¶ *Fluens*, זב] i. Fluxum ſeminis patiens. ¶ *Et tenens ſcipionem*, ומחזיק בפלך] *Et apprehendens baculum*, cui ſcilicet innitatur præ morbo pedum quo laborabit.

31. *Ante Abner*, לפני אבנר] i. Ante funus Abner.

33. *Poſt hæc planxit*, ויקונן] *Poſt hæc lamentatus eſt*. ¶ *Stultus, mortuus eſt*, נבל ימות] Fut. Heb. pro præt. i. nunquid ut mori ſolent ſtulti, ſive ignavi, abjecti ac viles homines, ità mori debuit Abner? q. d. Non. Chaldæus paraph. *ut moriuntur improbi?*

34. *Non erant ligatæ*, לא אסורות] Sub. *quare ergò non te defendiſti?* ¶ *Non* erant *admoti compedibus æreis*, לא לנחושתים הוגשו] i. Non erant vincti compedibus, ſub. *cur ergò, ſi videbas te inferiorem, non fugiebas, cùm valeres maximè pedibus ac manibus?* Ad verb. *non in compedes æris appropinquare facti ſunt*. ¶ *Sicut corruit*, &c. כנפול לפני וגו'] Reſpondet David, *ut cadere ſolent*, nempe dolo, homines alioqui ſtrenui, *coram iniquis*, i. interfecti ab improbis, *ità interfectus es*, q. d. Te interfecerunt dolosè, ut iniqui homines ſolent dolo interficere. ¶ *Et rurſum univerſus*, &c. ויוסיפו וגו'] Ad verb. *Et addiderunt univerſus populus flere ſuper ipſum*, i. propter ejus mortem.

35. *Ut cibaret Davidem pane*, להברות את דוד לחם] i. efficeret ut David comederet. ¶ *Cùm adhuc eſſet dies*, בעוד היום] i. Ante veſperam.

36. *Cognoverunt*, הכירו] Sub. *rem illam non fuiſſe factam conſilio Regis, & gratiſſimum fuit univerſo populo*. Seipſum exponit ver. ſeq. ¶ Ità hoc quoque] Nempe quòd tam ægrè tulerit mortem illius.

37. *Non fuiſſet à Rege*, לא היתה מהמלך] i. Non proceſſiſſet à Rege conſilium iſtud de interficiendo Abner.

38. *Annon ſcitis*, הלוא תדעו] q. d. Veſtrâ intereſt ſcire.

39. *Tenellus*, רך] q. d. Nunc primùm mihi videor hodie eſſe Rex, quaſíque hodie primùm unctus ſim in Regem. Nam Abner converterat mentem Iſraelitarum ad Davidem. *Ego*, inquit, *hodie ſum tenellus* & exiguarum virium, *quamvis unctus ſim Rex* ſuper Judam, & cùm notum ſit me non eſſe potentem viribus, tamen iſti filii Sarviæ ſunt inclementiores quàm exiguitati virium mearum conveniat: quod non poteſt non impedire ſucceſſum Regni mei. Quidam aiunt metaphoram ſumptam eſſe à ramis tenellis, qui facilè franguntur: ob id debebat Regia Davidis poteſtas ſervari nequid indecens fieret. Alii vertunt, *facilis*, vel *clemens, ſum, quamvìs unctus ſim in Regem, at illi*, qui ſunt tantùm nepotes mei, *inclementiores me ſunt*: ego enim pepercerам ipſi Abner, illi autem non pepercerunt. Doctis probatur hæc interpretatio. Vox namque Hebræa רך, pro qua vertimus *tenellum*, & קשה, pro qua *duriorem*, opponuntur: prior pro *facili*, ſive *clemente*, altera pro *difficili*, ſive *duro* accipitur. Hoc dicit de nepotibus ſuis, quòd ſibi plurimùm metuerit ab illis. ¶ *Duriores ſunt me*, קשים ממני] *Difficiliores*, [*aſperiores, inclementiores*] *ſunt me*, i. quàm pro negotio meo deceat eos eſſe.

CASTALIO.

14. *Centum Palæſtinorum præputiorum dote*] Ducenta dederat: ſed ideo centum dicit quia centum petierat Saulus.

CLARIUS.

3. *Cheleab*] Sonat *Cheleab* quaſi *Ipſe pater*. Impoſitúmque eſt hoc nomen huic filio quòd ſuſpicio apud quoſdam eſſet illum non David ſed Nabal prioris mariti eſſe filium: at effigies aliud indicavit, cùm patri David in omnibus conformis eſſet. ¶ *Filius Maacha*] Fuit ſecundùm Hebræos Maacha mulier pulchra, quam David in bello captam ad Judaiſmum invitam coegit:

& ob id ex ea putant natum Absalom filium tam rebellem.

8. *Caput canis*] h. e. Non reputas aliud me esse quàm præfectum canibus?

34. *Ligata non sunt*] Non est mortuus Abner, inquit, sicut impii, qui propter impietatem suam occiduntur, cùm manus ejus non fuerint ligatæ, nec pedes vincti: quippe qui nihil mali suspicatus est ab æmulo suo; alioqui se manibus defendere potuisset, aut pedibus effugere.

39. *Ego autem adhuc*] Non possum, inquit, ulcisci mortem Abner, cùm adhuc in initio Regni sim, quamvis hi filii Sarviæ duri mihi sint: sed in præsenti causam hanc omnem Domino commendo.

DRUSIUS.

12. תַּחְתָּו. A. *extemplo.* Sym. *pro semetipso*] *Extemplo*, παραχρῆμα. Ed. Rom. εἰς Θαιλὰμ οὗ ἦν παραχρῆμα. Eusebius De locis, *Thelamage, locus in quo Abner misit ad David*, &c.

29. מַחֲזִיק בַּפֶּלֶךְ. A. τυφλὸν *cæcum*] LXX κρατῶν σκυτάλης *tenens scytalam.* Schol. σκυτάλη χρῶνται οἱ τὸ σῶμα πεπηρωμένοι· ὅθεν ὁ Ἀκύλας τυφλὸν τοῦτον ὀνόμασεν. Posses vertere *tenens baculum.* Hieron. *tenens fusum:* quo sensu sumitur Prov. 31. Hic aliud significat. Santes *apprehendens scipionem.* R. D. in libro ubi sensa vocum explicat, פלך *est baculus quo quis innititur*, item *fusus.*

GROTIUS.

2. *Natique sunt filii David*] Τύραννοι παῖδες, ἔρυμα δώμασι, Euripides. *Non legiones, non classes æquè firma imperii munimenta quàm numerus liberorum*, Tacitus Hist. 5.

3. *Cheleab de Abigail*] Cui alterum nomen *Daniel*, 1 Par. 3. 1.

5. *De Egla uxore David*] Hanc eandem esse quæ alio nomine *Michol* dicitur volunt Hebræi.

9. *Nisi quomodo juravit Dominus Davidi, sic faciam cum eo*] Hoc antè cogitatum oportuit quàm bellum civile susciperetur.

11. *Quia metuebat illum*] Et David Joabum, v. 39. Sic *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus*, ait Tacitus Hist. 1. ubi principatûs Othoniani initia describit.

14. *Redde uxorem meam Michol*] Sunt enim etiam in bello quædam quæ Tacitus post Virgilium *commercia* vocat, Homerus συνημοσύνας.

16. *Sequebaturque eam vir suus plorans*] Ut Achilles abductâ Briseide; Homerus Iliad. ά. Metu Davidis intactam à Phaltiele mansisse Micholem aiunt Hebræi.

21. *Ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel*] Multum sæpe unus homo apud ingentem multitudinem valet: minùs id mirum in Duce, cùm *duo manipulares susceperint imperium populi Romani transferendum, & transtulerint*, ut Tacitus loquitur Hist. 1.

24. *Quare dimisisti eum?*] Urebat eum gloriâ militari par & æmulus. Talem æmulationem & invidiam inter Duces Vitellianos Tacitus observat Hist. 2.

27. *Ut loqueretur ei in dolo*] *Perfidè*, ut Livius in facto simili loquitur l. 38. Vide quæ dicta nobis l. 3. De J. B. ac P. c. 24. §. 3.

28. *Mundus ego sum*] Prudenter David auctoritatem defugit, & adversus conscientiæ suspiciones se purgat de eo crimine quod ob Regni novitatem & belli civiles reliquias punire non poterat. Vide infrà 37.

29. *Nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, & leprosus*] Diris defigere facinorosorum posteros mos erat illorum. Vide Psal. 109. 10. 12. ¶ *Et tenens fusum*] Imò *scipionem.* Græci κρατῶν σκυτάλης. Aquila *cæcum* explicat.

30. *Joab & Abisai frater ejus interfecerunt Abner*] Joab manu, Abisai consensu & auxilio.

31. *Rex David sequebatur feretrum*] Nam ante feretrum ibant mulieres. Reges autem non solebant funeri interesse. Sed David præter morem interesse voluit, quò longiùs suspicionem à se amoliretur.

34. *Manus tua ligatæ non sunt*] Non is tu eras qui sine delectu rerum manus tuas alteri commodares. Ità Hebræi; qui id referunt ad constantiam Abneri, cùm ad imperium Saulis Sacerdotes occidere noluit.

39. *Ego autem adhuc delicatus, & unctus rex*] Duo notat, quòd recens esset Regnum suum (id enim vult vox רך) & quòd non natus esset Rex. Adductiùs enim imperant qui hereditate ad Regnum veniunt, aut certè quorum potentia longo tempore firmata est. Culpâ vacat qui scit, sed prohibere non potest. Vide quæ dicta l. 2. De J. B. ac P. c. 32. §. 2.

CAP IV.

MUNSTERUS.

6. *Quasi triticum accepturi*] Kimhi putat hunc locum sic legendum, *intraverunt cum his qui triticum erant accepturi.* Jon. כזבני חיטין *quasi emptores tritici ingressi sunt domum, & percusserunt eum in latere femoris sui.* Alii interpretantur *loca*, seu *viscera, vitalia.* Atque id fecerunt שרי הגדודים *principes illorum qui solent excurrere ad prædam*; qui nunc *milites mercenarii* vocantur, viventes in cæde & ex cæde, & qui pascuntur maleficiis & scelere. Hos translator noster vocat *latrunculos.*

10. *Qui putabat*] Secutus sum in hoc loco Chaldæum paraphrasten. Potest & sic reddi, *ut darem ei præmium pro nuncio.*

VATABLUS.

1. *Filius Saulis*, בן שאול] Nempe Is-boseth. ¶ *Debilitatæ sunt manus ejus*, וירפו ידיו] Hebraismus, Cœpit esse animo remisso, ac despondere animum.

2. *In Biniamin*, על בנימן] i. Inter urbes Biniamin, q. d. Est etiam de tribu Biniamin.

3. *Fugerunt autem*, ויברחו] *Fugerant autem*, auditâ scilicet morte Saulis, metu Palæsthinorum. ¶ *In Githaim*, גתימה] Quæ scilicet longiùs distabat à Palæsthinis.

4. *Claudus pedibus*, נכה רגלים] Ad verb. *captus pedibus*, vel, *fractus.* ¶ *Ille cecidit*, ויפול] Sub. *è brachiis ejus.*

5. *Abierunt ergò*, וילכו] Postquam scilicet conjurarant in necem domini sui. ¶ *Cùm incaluisset dies*, כחום היום] i. In ferventi die, h. e. circa meridiem. ¶ *In cubiculo meridiano*, את משכב הצהרים] *In cubili [lecto] meridiei*, i. in quo solebat dormire meridiano tempore. Alii, *dormiebat dormitionem meridianam*, sive *somnum meridianum.* Chaldæus paraph. *dormitionem Regum*, i. eo tempore quo dormire solent Reges.

6. *Usque in medium domûs*, עד תוך הבית] i. In penitiorem usque partem domûs. ¶ *Emptores frumentorum*, לוקחי חיטים] i. Habitu & specie mercatorum tritici ingressi sunt. Alii vertunt, cum *mercatoribus tritici.* ¶ *In quinta*, אל החומש] *In inguine.* Paucis describit mortem Isboseth, seq. v. pluribus, hoc autem per anticipationem dicitur.

7. *In cubiculo lecti sui*, בחדר משכבו] *In penetrali cubilis sui*, vel, *cubiculi sui*, i. in penitiore parte domûs, ubi erat lectus ejus.

8. *Qui quærebat animam tuam*, אשר בוקש את נפשך] i. Dum viveret, studebat te perdere.

10. *Veluti evangelizans in oculis suis*, כמבשר בעיניו] Hebraismus, Videbatur sibi nuncius rei lætæ. ¶ *Qui putabat quòd, &c.* אשר לתתי לו בשורה] Magni nominis apud Hebræos vir exponit, *qui putabat me lætitiâ perfundere, ut darem ei præmium nuncii sui.* Alii, *qui venerat ut darem ei præmium nuncii sui.*

11. *Nonne*

11. *Nonne requiram*, &c. הלוא אבקש וגו׳] i. Annon debeo requirere sanguinem, &c. i. interficere vos quòd occideritis illum?

12. *Pueris*, את הנערים] *Juvenibus, adolescentibus.*

CASTALIO.

5. PER *speciem capiendi tritici*, &c.] Græcè, *cum quidem adium janitrix, qua triticum evellebat, somno oppressa dormiret.*

CLARIUS.

6. QUasi *triticum accepturi*] Chald. *Quasi emptores tritici ingressi sunt domum, & percusserunt eum in latere femoris sui.* Quidam putant hunc locum sic legendum, *intraverunt cum iis qui triticum erant accepturi.*

GROTIUS.

2. PRincipes *latronum*] Meliùs Græci ἡγούμενοι συστρεμμάτων *cohortium duces.* ¶ *Siquidem & Beroth reputata est in Benjamin*] Jure ad Benjaminitas pertinebat, quanquam vi à Philisthinis tenebatur; 1 Sam. 31. 7.

4. *Filius debilis pedibus*] Non frustrà hoc loco istud refertur. Fecit enim percussores audaciores quòd is ad quem vindicta sanguinis Isbosethi spectabat, membrorum suorum compos non erat.

7. *Interfecerunt eum*] Frequenter talia accidunt in bellis civilibus, spe veniæ ac præmiorum.

11. *Virum innoxium*] Non dicit *regem*; neque enim jure factus Rex erat; sed *hominem qui ipsis nihil nocuerat*, & propterea nihil tale ab ipsis exspectabat. ¶ *In domo sua*] Super lectum suum.

12. *Interfecerunt eos*] Etiam in hostes nostros admissa, si atrocitatem facinoris habeant, cum laude à nobis puniuntur, ut Bessi scelus ab Alexandro. Sic & Romani impunitam non sivere perfidiam ludimagistri Falisci.

CAP. V.

MUNSTERUS.

6. NIsi *abstuleris cacos & claudos*] Est locus ille valde obscurus. Jonathan eum sic vertit; *Nisi removeris peccatores & reos, qui dicunt, Non ascendet David huc.* Alii dicunt per *cacos & claudos* significari imagines quasdam (quæ oculos habent & non vident, pedes habent & non audiunt) quas Jebusæi olim fecerant in memoriam federis quod Abraham iniit cum eis, nè posteri ejus, quibus hæc terra erat promissa, locum illum impugnarent. Cùm igitur David ingredi vellet urbem, habitatores ejus objecerunt illi commentum illud, dicentes; *Non poteris ingredi nisi abstuleris imagines illas super quas scriptum est fedus juramenti.* Tunc ait David viris suis, *Qui primus ascenderit, & tulerit imagines illas, erit dux.* Ascendit autem Joab in cacumen turris, quæ hîc צנור *canalis* appellatur. Alii dicunt quòd *imago caca* repræsentarit Isahac, cujus oculi in senio caligaverunt; & *imago clauda*, Jacob, in cujus femore nervus fuit dissipatus, ut claudicare cogeretur. Sed quomodo David præsumpsit violare juramentum Patriarchæ? Respondent Hebræi quòd Abraham solùm fecerit juramentum illud ipsi Abimælæch pro filio atque nepote ejus; nepos autem Abimælæch mortuus est eo tempore quo David regnare cœpit super totum Israel, atque ideo licuit ei oppugnare Jerusalem. Sed quis non videt hîc Judæos cæcos & claudos esse? Si enim numeremus annos qui ab Abraham usque ad David fluxerunt, colligemus ferè octingentos annos. R. Aben Ezra igitur breviter hunc locum sic interpretatur, *Civitas ista Jerosolymitana tua erit, si poteris per arma tua devincere cacos & claudos, h. e. turrim seu fortalitium illud in quo sunt imagines caca & clauda; sed nos scimus propugnaculum illud robustius esse quàm ut à te superari possit. Tunc ait David, Quicunque percusserit Jebusaum, & pervenerit ad canales, & ad cacos & claudos, h. e. obtinuerit fortalitium illud, constituam illum ducem*, sicut in Paralipomenon libro aliquantò clariùs describitur hæc historia.

8. *Et ob id dixerunt, Cacus & claudus non venient in eam domum*] Sensus est, quòd obtento fortalitio, quod Jebusæi putabant per cæcos & claudos ab hostibus tuendum, (hinc enim ego puto illud sic appellatum) dicebant David & viri ejus irrisoriè, *Non cacus & claudus venient ampliùs in domum*, seu *arcem*, *istam*, qui ipsam tueantur, sed & viri fortes, *&c.*

9. *A Millo*] Kimhi hanc vocem sic exponit, הוא מקום סמוך לחומה *est locus muro propinquus, h. e. atrium quoddam, quod multis hominibus impleri potuit.* Est enim MILLO *plenitudo*, vel *impletio.*

10. *Progrediens David progressus est, & crevit*] Hebraismus est pro *profecit & crevit in regno, atque promovit in dominio.*

20. *In morem inundationis aquarum*] h. e. sicut inundatio aquarum etiam macerias quasque obvias (id enim sonat פרץ) disrumpit & perdit, sic Dominus hostes meos dissipavit. Exponunt autem Hebræi in hoc loco בעל pro מישר *planitie.*

24. *Sonitum commotionis*] Hebr. *vocem gressûs*: Et est sensus; Hoc tibi erit signum præsentiæ meæ: Quando videris arbores commoveri, & fragorem quendam illas edere in summitatibus suis, scito Angelos advenire qui pugnabunt contra hostes tuos. ¶ *Movebis te*] Alii vertunt *gnaviter rem geras.*

VATABLUS.

1. HOC *modo*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Os tuum & caro tua sumus*, עצמך ובשרך אנחנו] Hebraismus, Propinqui & cognati tui sumus.

2. *Et herì & nudiustertius*, גם אתמול גם שלשום Ad verb. *Etiam herì etiam nudiustertius*, i. antea. ¶ *Educebas & introducebas*, אתה הייתה מוציא והמבי את ישראל] Hebraismus frequens, pro, *imperatorem agebas: educebas ad bellum, & reducebas à bello partâ victoriâ.* Deficit א post י in והמבי.

3. *Venerunt autem*, ויבואו] Ante adventum tribuum scilicet. ¶ *Coram Johova*, לפני יהוה] i. Spectante Jehovâ, advocato Jehovâ in testem federis.

6. *Ad Jebusaum habitatorem terra*, אל היבוסי יושב הארץ] i. Adversùs Jebusæos, qui habitabant in ea regione. ¶ *Non ingredieris huc*, &c. לא תבוא הנה כי אם הסירך וגו׳] i. Non poteris capere hanc arcem, *nisi abstuleris*, &c. i. expugnaveris, *cacos & claudos*, quibus tradidimus arcem defendendam adversùm copias tuas. Ironia est, q. d. Tam munita est arx ista ut possit propugnari & defendi à solis cæcis & claudis, perdis igitur operam. Tuo quantumvis forti exercitui non opponentur fortes, sed tantùm debiles & invalidi, quòd locus ipse munitissimus per se pauco præsidio tutari se possit. ¶ *Tanquam dicerent, Non*, &c. לאמור לא יבוא דוד הנה] Ad verb. *dicendo, Non ingredietur*, &c. i. quasi dicerent Davidem non posse expugnare eam arcem etiamsi à solis cæcis & claudis defenderetur.

7. *Ipsa est civitas Davidis*, היא עיר דוד] i. Quæ postea dicta fuit *Civitas Davidis*, ut vides v. 9.

8. *Dixit namque*, ויאמר] *Dixerat namque.* Declarat quâ ratione arx illa fuerit expugnata. ¶ *Et attigerit canales*, ויגע בצנור] *Et attigerit fistulas*, quibus pluvia tecti excipitur, i. Quisquis expugnaverit Jebusæos, primúsque conscenderit murum arcis, & pervenerit ad tectum, percusseritque claudos & cæcos, qui propugnant arcem quos odit David, subaudi ex 1 Par. 11. 6. *erit caput & princeps militia mea.* ¶ *Dixerunt*, יאמרו] *Dicunt, David nunquam admittet in ea arce cacos &* [*aut*] *claudos.*

Vel,

Vel, *dixerunt*, i. statuerunt, *ne postea ullus cacus aut claudus intraret in eam arcem.* Fut. Heb. pro præt. vel præs.

9. *Et ædificavit*, ויבן] Sub. *murum.* ¶ *A Millo*, מן המלוא] Doctus inter Hebræos dicit *Millo* significare *locum & plateam comitiorum*, quòd *illic congregaretur populus ad consultandum de rebus agendis.* Alii intelligunt *aggerem qui cingebat arcem.* Alii aiunt fuisse *fossam circum arcem*, quod *aquâ impleretur*, sic dictam: nam מלא *implere* significat. ¶ *Et introrsum*, וביתה] sub. *vergendo.*

10. *Et ibat*, &c. וילך דוד הלוך וגדול וגו׳] Hebraismus, *promovebat magis ac magis*, sive *exinde quotidie major fiebat.*

11. *Legatos*, מלאכים] Qui scilicet congratularentur ei. ¶ *Artificésque lapidis parietis*, וחרשי אבן קיר] i. Artifices apti ad parietes exstruendos; h. e. latomos.

13. *Concubinas & uxores*, פלגשים ונשים] *Concubinas* vocat mulieres quas citra ceremonias ducebat; *uxores* verò, adhibitis ceremoniis. Vide Gen. 35. 22.

17. *Ad quærendum Davidem*, לבקש את דוד] i. Ut pugnarent cum Davide. ¶ *Quod ubi audivit*, וישמע] Ad verb. *& audivit.* Alii, *quod cùm intellexisset.*

18. *Et diffuderunt se*, וינטשו] i. Castrametati sunt.

19. *Interrogavit igitur*, &c. וישאל וגו׳] *Consuluit igitur David Jehovam, dicendo, Ascenderéne debeo*, &c. ¶ *Tradendo tradam*, נתון אתן] Hebraismus, Certissimum est quòd tradam.

20. *In Baal-perasim*, בבעל פרצים] Chaldæus paraph. *in planitiem gigantum. Baal-perasim* significat *planitiem rupturarum.* Nomen loci ab eventu postea sic impositum. ¶ *Juxta divisionem aquarum*, כפרץ מים] *Juxta rupturam aquarum*, i. quemadmodum aquæ omnia perrumpunt: solent enim aquæ tempore inundationis suæ ripas alvei sui rumpere. ¶ *Vocavit*, קרא] In memoriam scilicet tantæ victoriæ.

21. *Quæ combussit*, וישאם] Ad verb. *& combussit ea.* Sic exponit hoc loco istud verbum doctus inter Hebræos.

22. *Rursum autem ascenderunt*, ויוסיפו עוד וגו׳] Ad verb. *Et addiderunt adhuc Pelisthim ascendere*, &c.

24. *Sonitum incessûs*, קול צעדה] i. Strepitum quasi hominum gradientium super cacumina, &c. ¶ *Movebis te*, תחרץ] i. procedes. Alii, *roborabis te*, vel, *fortificabis.* ¶ *Egredietur Jehovah*, יצא יהוה] i. Egressus præcedet te Jehovah. Chaldæus paraph. *egredietur Angelus Domini.*

25. *Gazer*, גזר] Urbem scilicet Palæsthinorum, i. quam tum occupabant Palæsthini: erat tamen in tribu Benjamin.

CASTALIO.

8. CLaudósque *& cæcos Davidi invisos.*] Hunc locum mutilum esse patet, tum quòd sententia curta est, tum quòd in Paralipomenis l. 1. c. 11. adjectum est quod hîc desideratur. Qui sint autem hi *cæci* & *claudi* magna controversia est. Ego puto significari eos quos *Atlantas* Græci, *Telamones* Latini appellant, quæ signa sunt virili figurâ mutulos aut coronas in ædificiis sustinentia. Atque hanc esse hujus loci sententiam arbitror; Tanta erat arcis altitudo ut eam superari posse Jebusæi negarent; itaque Davidi oppugnanti dicerent, Tum demum irrupturum esse in arcem cùm telamones illos, qui cæcorum claudorúmque figuram referentes in summa arce erant, abstulisset: quod perinde erat acsi dicerent; Fieri non posse ut eò irrumperet. Tum David intelligens præmiis & honoribus homines ad virtutem excitari, imperatorem fore pronunciavit eum qui primus Jebusæos superavisset, & ad tecti arcis canales (ubi erant claudi illi & cæci telamones) ascendisset, illósque telamones abstulisset. Atque eos David propterea oderat quòd ei ab hostibus probrosè opponebantur, quasi claudos & cæcos superare non posset, à simulacris ad homines per jocum transeunte dicterio: unde & natum proverbium.

CLARIUS.

6. NIsi *abstuleris cæcos & claudos*] Est locus iste valde obscurus. Jonathas eum sic vertit, *Nisi removeris peccatores & reos, qui dicunt, Non ascendet David huc.* Alii dicunt per *cæcos* & *claudos* significari imagines quasdam (quæ oculos habent, & non vident; pedes habent, sed non ambulant) quas Jebusæi olim fecerant in memoriam federis quod Abraham iniit cum eis, nè posteri ejus, quibus hæc terra erat promissa, locum illum impugnarent. Cùm igitur David ingredi vellet urbem, habitatores ejus objecerunt illi commentum illud, dicentes, *Non poteris ingredi nisi abstuleris imagines illas, super quas scriptum est fedus juramenti.* Tunc ait David viris suis, *Qui primus ascenderit, & tulerit imagines illas, erit Dux.* Alius sic interpretatur, *Civitas ista Hierosolymitana tua erit, si poteris per arma tua devincere cæcos & claudos, h. e. turrim seu fortalitium illud in quo sunt imagines cæcæ & claudæ: sed nos scimus propugnaculum illud robustius esse quàm ut à te superari possit. Tunc ait David, Quicunque percusserit Jebusæum, & pervenerit ad canales, & ad cæcos & claudos, h. e. obtinuerit arcem illam, constituam illum Ducem*; sicut in Paralipomenis aliquantò clariùs describitur hæc historia.

8. *Et ob id dixerunt*] Sensus est, quòd cùm assecuti fuissent illud fortalitium quod Jebusæi putabant per cæcos & claudos ab hostibus tuendum (hinc enim quidam putant illud sic dictum fuisse) dicebant David & viri ejus irrisoriè; *Non cæcus & claudus venient ampliùs in domum*, seu *arcem*, *istam*, qui ipsam tueantur, sed viri fortes.

9. *A Mello*] Ferunt locum fuisse muro propinquum, hoc est, atrium quoddam, quod multis hominibus impleri potuit. Est enim MELLO *plenitudo*, vel *impletio.*

20. *Divisit Dominus*] Alius vertit, *Dissipavit Dominus hostes meos ante faciem meam, in morem inundationis aquarum*, h. e. Sicut inundatio aquarum etiam macerias quasque obvias disrumpit & perdit, sic Dominus hostes meos dissipavit.

24. *Sonitum gradientis*] Vel *commotionis.* Heb. *vocem gressûs*, & est sensus; Hoc tibi erit signum præsentiæ meæ, Quando videris arbores commoveri, & fragorem quendam illas edere in summitatibus suis, scito Angelos advenire qui pugnabunt contra hostes tuos.

DRUSIUS.

8. בַּצִּנּוֹר. A. ἐν κρουνῷ *in scatebra*] Vel potiùs *in tubo.* Lex. vetus, Κρουνός, *tubus.* Sed est etiam *scaturigo*, sive *fons aquæ saliens.* Psal. 42. 8. לקול צנוריך. Sym. ἀπὸ ἤχου τῶν κρουνῶν σου *à sonitu scatebrarum tuarum.* Vide quæ observamus ad illum locum. Hâc voce utuntur οἱ διδάσκαλοι. Dicunt enim קרונא, quod aliud nihil est quàm κρουνός *aqua saliens frigida.* Lxx hîc habent ἐν παραξιφίδι. Hieron. *domatum fistulas.* Schol. Ἑβραῖός τίς φησι τὸν Ἀκύλαν ἐκδεδωκέναι, ἐν κρουνῷ, *Ebræus aliquis dicit Aquilam edidisse, In tubo.*

GROTIUS.

1. ET *venerunt universæ tribus Israel*] Victæ non armis sed, quæ pulchrior victoria, justitiâ ac pietate Davidis. ¶ *Ecce nos os tuum & caro tua sumus*] Non peccabimus in legem Deut. 17. 15. si Regem sumamus ex popularibus.

2. *Dixit autem Dominus ad te, Tu pasces populum meum*] *Occultâ lege fati & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberísque ejus Imperium, post fortunam credidimus*, ait Tacitus Histor. 1.

3. *Venerunt quoque & seniores*] Senatores magni Synedrii. ¶ *Et percussit cum eis rex David fedus*] Omnis conventio Hebræis בריח vocatur, qualis hæc fuit, quâ David illis indulgentiam anteactorum promittit, ipsi verò Regi obedientiam.

4. *Quadraginta annos regnavit*] Solidos, omissis mensibus, quorum sequetur mentio.

6. *Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes*,

dicentes, Non ingredietur David huc] Sensus est; Jebusæi fidentes loco per irrisum dixere homines cæcos & claudos suffecturos repellendæ oppugnationi.

8. *Proposuerat enim David in die illa præmium*] Bene supplevit quod subauditur in Hebræo. ¶ *Et tetigisset domatum fistulas*] Aquis corruptis cepit arcem. Similia exempla vide apud Frontinum l. 3. c. 7. ¶ *Cæcus & claudus non intrabunt in templum*] Heb. *in domum hanc*, i. in arcem Sionis. Constituit David nè eò quis ingrederetur cæcus aut claudus in antedictæ historiæ memoriam.

11. *Misit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad David*] Exstabant horum Regum inter se epistolæ in Tyriorum archivis Josephi tempore.

13. *Concubinas*] Vide quæ suprà Jud. 8. 31.

21. *Quæ tulit David*] Abstulit incendio, 1 Par. 14. 12. ex lege Deut. 7. 5.

23. *Gyra post tergum eorum*] Unde minimè venturus puteris. Stratagema. ¶ *Ex adverso pyrorum*] Arborum nomen est, idque satis habuit exprimere Chaldæus. Plures *moros* interpretantur. At alii *stillas* accipiunt *cadentes lacrymarum more*; ut sit א pro ה, nam בכה *flere*. Græci hic τῦ κλαυθμῶνος. Hesychius, Βάκχον, κλαυθμὸν Φοίνικες. An hinc βάκχοι;

CAP. VI.

MUNSTERUS.

2. INde] h. e. Ex Kiriath-Jearim. Nam Abinadab habitabat in Kiriath-Jearim, ut patet 7. cap. prioris libri.

5. *Lignis cedrinis*] Dicit Kimhi ברוש esse *speciem Cedri*; & mox sibi contradicens ait illam vulgò vocari *Buxum*. ¶ *Sistris*] Putant Hebræi מנענעים, esse instrumenta musica quæ ad sui lusum totius corporis requirunt agitationem: à verbo נע, quod *moveri* significat.

6. *Ad horreum Nachon*] Jon. *ad horreum* מתקן *præparatum*. In Paralipomenon libro vocatur *horreum* כידון, quasi *horreum perditionis Uzæ*. ¶ *Excusserunt se*] Exponit Kimhi verbum שמט in hoc loco pro נתפרק *abruptus est*. Subduxerunt enim se boves à plaustro, cùm Arca magis Levitarum humeris quàm plaustro portari debuerit.

7. *Propter errorem ejus*] Hebræi communiter exponunt של pro שגגה, à radice שלה. Fecit enim Uza iste peccatum erroris seu temeritatis, quòd nutantem Arcam nudè tetigit; cùm Levitis non concessum esset nisi per vectes portare Arcam.

13. *Sex passibus*] Hinc quidam putant quòd Uza solùm sex passibus processerit quando eum Dominus percussit; & cùm hinc quoque sex passibus cum Arca moti fuissent, & viderent Dominum sibi adesse, pro gratiarum actione obtulerunt sacrificia Domino priusquam longiùs procederent.

19. *Frustum carnis*] R. Levi dicit אשפר esse *portionem carnis quæ viro in refectione sufficere potest*. Porrò pro אשישה Kimhi exponit לגינה, sicut & nos vertimus. Nostri verò ex *legena* fecerunt *pultem*.

20. *Ex vacuis*] Capitur hic רק pro הדיוט *vulgari homine, cui nulla sunt opes, & qui malè vestitus incedit*.

22. *Cum illis glorificabor*] Sensus est; Si me humiliavero coram Deo, non ob id ab ancillis & uxoribus servorum meorum contemnar, sicut à te vilipensus sum, sed magis ab illis laudabor.

VATABLUS.

2. DE *Baala*, מבעלי] Hæc urbs, quæ est in tribu Juda, dicitur & alio nomine *Cariath-jearim*, ut vides Jos. 15. 9. Ad eam profecti fuerant David cum suis, ut afferrent Arcam inde. Loquitur de reditu. ¶ *Ut abducerent*, להעלות] Ad verb. *ut ascendere facerent*. ¶ Super *quam invocatur*, &c. אשר נקרא שם] Hebraismus, *qua vocatur*, sive *dicitur*, *arca Dei*.

3. *In Gibah*, בגבעה] *In colle*, pars erat urbis Cariath-jearim, ità dicta quòd locus ille esset eminentior in ea urbe.

4. *Tulerunt*, *inquam*, *eam*, וישאוהו] Sic vertendo, repetitur versus præcedens; & accusativus sequens, nempe *arcam Dei*, jungitur isti pronomini *eam*, & עם pro את accipitur, ut scribit doctus inter Hebræos, sic, *Tulerunt*, *inquam*, *eam*, *nempe arcam Dei*. Quidam istorum volunt pronomen הו referre *arcam*, sive *capsulam*, *in qua erant reposita donaria*, sive *anathemata*, *Palæsthinorum*, quam tulerunt è domo Abinadab unà cum arca Dei, & ità עם accipiunt in sua significatione.

5. *Ludebant*, משחקים] i. Exsultabant. Chaldæus paraph. *laudabant*. ¶ *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. Coram arca Jehovæ. ¶ *Instrumentis musicis*, עצי ברושים] Ad verb. *lignis abietum*, i. instrumentis musicis quæ fieri solent lignis abiegnis.

6. *Ad aream Nachon*, עד גורן נכון] *Ad Goren Nachon*. ¶ *Et retinuit*, ויאחז] Nè scilicet caderet. ¶ *Declinabant*, שמטו] *Calcitrabant*, i. calcitrando dejecturi videbantur Arcam in terram. Chaldæus paraph. *agitabant eam*. Doctus inter Hebræos exponit quasi *membratim discerpi*, vel *dearticulari*, *viderentur boves*, præ sanctimonia Arcæ scilicet, i. quòd fatiscerent sub onere Arcæ.

7. *Temeritatem*, השל] i. Ignorantiam. Punitur qui ignorans peccaverat.

8. *Iratus est autem*, ויחר] *Ægrè tulit autem*, vel, *indignatus est*. ¶ *Rupisset Jehovah rupturam*, פרץ יהוה פרץ] i. Interfecisset Uzam.

9. *Ingredietur ad me*, יבוא אלי] i. Introducetur in urbem meam, vel in tentorium quod præparavi illi. q. d. Timeo mihi plurimum ab Arca: quò ergò introducam eam?

10. *Gitthæi*, הגתי] Sic dicebatur quòd aliquando peregrinatus fuisset in Geth. Levita erat, ostiarius & cantor, ut vides 1 Par. 15. 21, & 24.

11. *Et benedixit*, &c. 'ויברך וגו] q. d. Eo tempore omnia prosperè cesserunt illis.

12. *In hæc verba*, לאמור] Ad verb. *dicendo*.

13. *Qui portabant*, נושאי] i. Levitæ. ¶ *Bovem*, *& bubalum*, שור ומריא] Sing. Heb. pro plur. *boves & bubalos*. Chaldæus paraph. *bovem & pecus pingue*, i. arietes.

14. *Accinctus ephod*, חגור אפוד] *Amictus ephod*. Alia erat vestis à veste sacerdotali. Chaldæus paraph. *pallio byssino*.

15. *Cum jubilo*, &c. בתרועה ובקול שופר] *Cum jubilo & clangore*, i. clangentibus tubis & buccinis.

16. *Subsilientem & saltantem*, מפזז ומכרכר] *Exsultantem* [*gestientem præ lætitia*] *& tripudiantem*.

17. *Coram Jehova*, *& pacifica*, לפני יהוה ושלמים] i. *Coram Arca ipsa*, *& hostias pacificas*.

18. *Benedixit populo*, ויברך את העם] i. Tum bene precatus est populo per nomen Domini.

19. *A viro usque ad mulierem*, למאיש ועד אשה] i. Tam à viris quàm à mulieribus. ¶ *Et lagenam*, ואשישה] Sub. vini.

20. *Ut benediceret domui suæ*, לברך את ביתו] i. Ut bene precaretur suis sicuti populo bene precatus fuerat. ¶ *Quàm gloriosus*, מה נכבד] Hoc ironicè dicitur. q. d. Quàm decenter se gessit. ¶ *Discooperuit se*, נגלה] *Nudavit sese*, &c. ¶ *Ut solet se discooperire*, &c. כהגלות נגלות אחד הרקים] Ad verb. *ut nudando nudat se unus vacuorum*, i. sicut nudaret se, vel, nudare se solet unus ex otiosis, vel scurris, i. ut quidam vilis & abjectus.

21. *Coram Jehova*, לפני יהוה] Sub. *id feci*, i. nudavi me. ¶ *Et ludam*, ושחקתי] i. præ lætitia gestiam, sive saltabo.

22. *Et vilior fiam*, &c. ונקלותי עוד מזאת] *Et vilior ero hâc*, sub. *vilitate*, i. dabo operam ut in vilitatem incurram majorem hâc: vel, ut vilior videar quàm

visus sum, si *vilitas* dici debeat. Loquitur enim juxta sententiam Michal. ¶ *Humilis in oculis meis*, שפל בעיני] *Abjectus in oculis meis*, i. summissiùs me geram quàm fecerim, ut scilicet placeam Jehovæ. ¶ *Glorificabor*, אכבדה] *Gloriosus apparebo*, ità faciendo scilicet.

23. *Proinde ipsi Michal*, ולמיכל] *Porrò ipsi Michal*. ¶ *Natus*, ילד] *Puer*. i. filius, q. d. Nunquam habuit liberos. Legitur & ולד, ubi ו pro י ponitur.

CASTALIO.

23. NUllos per omnem vitam liberos habuit] Scilicet ex Davide, nam ex Adriele quinque filios habuit, cap. 21. 8.

CLARIUS.

6. EXcusserunt se boves] Subduxerunt se boves à plaustro, cùm Arca magis Levitarum humeris quàm plaustro portari debuerit.

7. *Super temeritate*] Vel, *propter errorem*. Fuit enim peccatum erroris quòd nutantem Arcam nudè tetigit, cùm Levitis non concessum esset nisi per vectes portare Arcam.

13. *Sex passus*] Hinc quidam putant quòd Oza solùm sex passibus processerit quando eum Dominus percussit; & cùm hinc quoque sex passibus cum Arca moti fuissent, & viderent Dominum adesse, pro gratiarum actione obtulerunt sacrificia Domino priusquam longiùs procederent.

22. *Gloriosior apparebo*] Si me, inquit, humiliavero coram Deo, non ob id ab ancillis & uxoribus servorum meorum contemnar, sicut à te vilipensus sum, sed magis ab illis laudabor.

DRUSIUS.

6. עד גרן נכון. A. *usque ad aream præparatam*] Priùs erat in LXX ἕως ἅλω Ναχώς· ex quo apud interpretem nostrum *ad aream Nachor*, cùm legendum sit Ναχὼν pro Ναχώς. Cui firmando est Eusebius sive Hieronymus in libro Locorum ità scribens, *Area Nachon, Aquila interpretatur, Area præparata*.

GROTIUS.

1. TRiginta millia] Græci *septuaginta millia* ponunt. Vera lectio videtur esse 300 *millia*, quò nos trahit c. 12. cum initio capitis sequentis, Paralip. 1.

2. *De viris Juda*] *De Bahala Juda*. Nomen est loci 1 Par. 13. 6. cui loco nomen aliud *Cariathiarim*, & ibidem in Paralipomenis, & Jos. 15. 9, & 60. In eo autem loco ad hoc tempus fuit Arca, 1 Sam. 6. 21. & 7. 1. ¶ *Super quam invocatum est nomen Domini exercituum*] i. Arcam, quam Hebræi appellabant figuratè *Dominum exercituum*. Vide Psal. 24. Bis hîc in Hebræo est שֵׁם, sed priori loco fortè fuerit שָׁם.

3. *Super plaustrum novum*] Mendosè. Humeris enim portanda fuit Num. 4. 15. hîc infrà 13. 1 Par. 15. 15.

4. *In Gabaa*] Chaldæus & Græci non proprium sed commune nomen putarunt, ἐν βουνῷ.

5. *Ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*] Vide quæ dicta Jud. 11. 34.

6. *Extendit Oza manum ad Arcam Dei*] Et hoc contra Legem. Erat enim hoc Levitarum ex Cehathi familia. Vide dicto loco Numerorum.

13. *Immolabat*] Subitario altari ex cespitibus excitato.

14. *Erat accinctus Ephod lineo*] Depositâ, tanquam coram Deo, Regiâ majestate & ornatu.

16. *Michol filia Saul*] De paterno ingenio nonnihil trahens, & natalibus superba.

18. *Benedixit populo*] Erat hoc inter jura Regia 1 Reg. 8. 55.

19. *Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo*] Hæc est *sportula* Juvenali, Martiali, & aliis.

22. *Et ero humilis in oculis meis*] Multum est in Regia potestate hanc retinere virtutem.

23. *Non est natus filius*] Non leve pœnæ genus in Regia conjuge.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. ARca autem Dei] Per *Arcam* intelligitur quoque Mensa, Candelabrum, & Altare incensi; quæ omnia sub cortina servabantur.

7. *Postquam præcepi Judicibus*] Sensus est; Postquam institui pastores & rectores in populo, à Mose usque ad Saul Regem, nulli præcepi ut mihi exstrueret domum.

8. *De caula*] Est נוה hîc idem quod גדרה *habitaculum ovium*.

10. *Constituam itaque locum*] h. e. ut Kimhi exponit, *erit locus eorum tutus & fœcundus ab influentia cœli*. ¶ *Et non moveatur ampliùs*] Exponunt Hebræi ירגז pro יגלה *transmigretur*. Alii dicunt רוגז esse contrarium ipsi המנוחה *quieti*.

12. *Quod egredietur de utero tuo*] Patet hinc quòd Regnum Israel post David non debebatur Absalom aut Adoniæ, cùm illi jam nati essent.

14. *Virgâ humanâ*] Sicut homines, inquit castigant filios suos, & non interficiunt eos, sic ego paternâ castigatione corripiam eos. ¶ *Et cum plagis filiorum hominum*] Repetitio est ejusdem sententiæ: etiamsi hîc Hebræi per *filios hominum* intelligant שדים, quos alio nomine vocant מזיקין *cacodæmones*, quos fingunt natos à primo Adam in centum & triginta illis annis quibus post occisionem Hæbæl continuit se ab uxore sua.

16. *Confirmabitur*] Capitur hic נאמן pro יתקים, sicut nos vertimus.

19. *Hic enim est mos hominis*] Jon. *talis enim est provisio humana*; ut scilicet suis in longinquum provideant de Imperii stabilitate. Kimhi verò exponit hîc תורה pro תכונה *dispositione*. *Hæc*, inquit, *est dispositio magnorum hominum, qui posteris suis sic de successione in Imperio provident*, &c.

21. *Propter verbum tuum*] Qui scilicet locutus es de me ad Samuel. ¶ *Et juxta cor tuum*] h. e. secundùm piam voluntatem tuam.

23. *Cujus Deus ivit*] Heb. *cujus dii ierunt*: Exponitúrque à R. S. de Mose & Aharon. Jonathan verò Chaldæus sic hunc locum vertit, דאולו שליחין *quòd ierunt nuncii à præsentia Domini*. Kimhi tamen putat plurale אלהים hîc capiendum pro ipso *Deo*, ídque דרך כבוד *honoris gratiâ*. ¶ *Atque poneret sibi nomen*] Hebræi hoc ad Deum referendum censent, qui mirabilia ista fecit ut nomen suum divulgaretur inter gentes quæ nomen ejus non cognoverunt. Unde in libro Paralipomenon sic scriptum est, *Ut poneres tibi nomen, fecisti hæc magnalia*, &c. ¶ *Ut faceret nobis magnalia*] Convertit sermonem ad filios Israel; & deinde iterum ad Deum loquens, ait; *Terribilia in terra tua*, &c. ¶ *Gentem cum Judicibus ejus*] Heb. *Gentem cum diis ejus*: Et capiuntur hîc *Dii* pro *Senioribus & Judicibus populi*. Sunt tamen inter Hebræos qui hunc locum sic legunt; *Quem tibi redemisti ex Ægypto, ex gente & ex Judicibus ejus*.

27. *Domum ædificabo tibi*] Chald. *regnum confirmabo tibi*.

VATABLUS.

2. IN regia cedrina, בבית ארזים] Ad verb. *in domo cedrorum*, i. in regia ornata tabulis cedrinis. ¶ *In medio cortinæ*, בתוך היריעה] *Juxta cortinam*, i. sub cortinis, h. e. in tentorio facto ex pellibus, q. d. Non decet

decet hominem habitare in domo cedrina, Deum verò in tugurio, cupio igitur exstruere Domino.

3. *Quicquid est in corde tuo, vade,* [כל אשר בלבבך לך] i. Quicquid in animo versas, agè fac. לך imperativus est qui pro particula hortantis & concedentis sive permittentis frequenter usurpatur. Hoc dicit sensu humano, non Spiritu prophetico.

4. *Dicendo,* [לאמור] i. Dicentis.

5. *Domum,* [בית] i. Templum.

6. *Sed ambulavi,* [ואהיה מתהלך] *Sed obambulavi,* i. vagatus sum manens in tentorio.

8. *E tugurio* euntem *post oves,* [מן הנוה מאחר הצאן] *è caula sequentem oves,* i. cùm pasceres oves, q. d. Licèt mihi non sis ædificaturus Templum, tamen non propterea tibi persuadere debes te à me non amari: nam quòd mihi charus sis arguunt plurima beneficia quæ à me accepisti.

9. *Excidi insuper,* [ואכריתה] *Delevi* [*exterminavi*] *insuper.* ¶ *Fecique tibi nomen,* &c. [ועשתי לך שם וגו'] i. Dedi tibi famam quæ æquaret famam & nomen maximorum quorumque terræ.

10. *Constituam quoque,* [ושמתי] Ad verb. *Et ponam,* i. Statuam, præscribam, & dabo locum felicem ac beatum populo. ¶ *In loco suo,* [תחתיו] Apud se. Gallicè, *chez soy.* ¶ *Movebitur,* [ירגז] *Commovebitur, pavebit,* aut *agitabitur.* ¶ *Neque addent,* &c. [ולא יוסיפו בני עולה וגו'] i. Neque posthac iniqui affligent eum, ut initio fecerunt ante tempora Judicum.

11. *Domum tibi faciet ipse,* [בית יעשה לך יהוה] Ad verb. *domum tibi faciet Jehovah.* Antecedens pro relativo. *Domum facere* dicitur Deus, Hebraicâ locutione, quando dat sobolem & ampliat familiam, q. d. Daturus est tibi prolem quæ accipiat dignitatem Regiam.

12. *Statuam semen tuum,* [והקימותי] *Erigam* [*exaltabo, eveham*] *semen tuum,* i. unum è liberis tuis: h. e. constituam eum Regem. ¶ *Et ventre tuo,* [ממעיך] *Ex utero tuo.* Alii, *ex intestinis tuis.*

13. *Ipse ædificabit domum,* [הוא יבנה וגו'] *Ipsum* [scilicet *semen*] *exstruet Templum,* &c. ¶ *Et firmabo solium,* &c. [וכוננתי את כסא וגו'] *Et stabiliam thronum,* &c. i. reddam Regnum ejus stabile, firmum ac perpetuum.

14. *In patrem,* &c. [לאב והוא וגו'] Chaldæus paraph. *ut pater, & ipse erit mihi filius.* ¶ *Arguam eum virgâ hominum,* [והוכחתיו בשבט אנשים] i. Corripiam eum virgâ quâ homines patres solent castigare filios suos, &c. h. e. humano more, & pœnâ humanâ, i. benignâ & clementi: interim miserebor ejus.

15. *Abstuli,* [הסרותי] Ad verb. *recedere feci,* i. sustuli ut regnares.

16. *Coram te,* [לפניך] i. Ut nunc est te vidente.

17. *Juxta omnia verba hæc,* &c. [ככל הדברים האלה] Hebraismus, Fideliter Nathan retulit omnia verba Dei ad Davidem.

18. *Ingressus itaque,* [ויבוא] Sub. *in locum ubi erat arca.* ¶ *Sedit coram Jehovah,* [וישב לפני יהוה] *Mansit* [*stetit*] *coram Jehovah,* oraturus scilicet. Nemini licebat sedenti orare Deum, præterquam Regi. ¶ *Quòd adduxisti me,* &c. [כי הביאתני עד הלום] i. Quòd evexeris me ad tantam dignitatem?

19. *Et parùm adhuc hoc,* &c. [ותקטן עוד זאת וגו'] i. Sed & hoc parùm visum est tibi, nisi etiam loquereris de his quæ eventura sunt posteris meis: vel, nisi etiam pollicereris Regnum posteris meis: quæ *lex,* i. conditio & sors, est magni viri & excellentis, h. e. sortis viri præclari & excellentis, non hominis vilis & abjecti qualis ego sum, q. d. Id quod locutus es, decet solum hominem præclarum & insignem.

20. *Et quid addet,* &c. [ומה יוסיף] i. Quid plura dicet servus tuus David? plura dicere non potest, neque opus est pluribus, cùm *tu noveris servum,* &c.

21. *Propter verbum tuum & secundùm cor tuum,* [בעבור דברך וכלבך] Hebraismus, Ut impleres promissiones tuas, & propter voluntatem tuam, q. d. Imò ultro fecisti, quoniam ità tibi placuit. ¶ *Fecisti omnem magnitudinem hanc,* [עשית את כל הגדולה הזאת] *Fecisti universam amplitudinem istam,* i. dignitatem regiam dedisti. ¶ *Ut notam faceres servo tuo,* [להודיע את עבדך] i. Ut notam faceres servo tuo eam amplitudinem & dignitatem quam daturus es posteritati ejus. Nam 1 Par. 17. 19. legitur, *Ut nota faceres omnia magnalia.*

22. *Magnificatus es,* [נדלת] Sub. *apud me,* i. propterea quòd novi animum tuum & voluntatem tuam, maximus visus es mihi. ¶ *Non est sicut tu,* [אין כמוך] i. Nullus est alius Deus similis tui. ¶ *Juxta omnia quæ audivimus,* &c. [ככל אשר שמענו באזנינו] *Quemadmodum audiveramus aliis narrantibus.*

23. *Gens una,* [גוי אחד] *Gens singularis.* Chaldæus paraphr. *gens electa.* ¶ *In populum,* &c. [לעם וגו'] i. Ut esset illi populus, & excitaret sibi famam. ¶ *Vobis,* [לכם] Sub. *O Israelitæ.* ¶ *Magnitudinem,* [הגדולה] *Amplitudinem,* ut v. 21. ¶ *Et terribilia terræ tuæ,* [ונוראות לארצך] *Et terribilia propter terram tuam.* ¶ *A facie populi tui,* [מפני עמך] Subaudi ex 1 Par. 17. 21. *expellendo gentes,* aut verte *propter populum tuum.* ¶ *Quem redemisti tibi,* &c. [אשר פדית לך ממצרים גוים ואלהיו] i. Quem in libertatem asseruisti ex Ægypto, & ex gentibus & diis ejus, sub. *Ægypti.* Aut sing. est pro plur. *earum.* Alii posteriorem partem vertunt, subaudito verbo, & percussisti *Gentes, & deos earum,* vel, *ejus,* nempe Ægypti. Alii, *qui redemisti tibi ex Ægypto gentes* [i. Israelem, quòd constet pluribus tribubus ac familiis] *& deos* [i. primores] *earum.* In eundem sensum quidam vertunt *gentem cum judicibus ejus.* Alii, *& Deum earum,* i. teipsum, quòd videaris affligi cùm tui affliguntur.

24. *Tibi populum usque,* &c. [לך לעם וגו'] i. Ut esset populus tuus perpetuò, & tu ostendisti te esse Deum eorum.

25. *Verbum,* [הדבר] i. Promissionem quam pollicitus es servo tuo. ¶ *Suscita,* [הקם] *Confirma, ratifica.* Seipsum exponit mox sequentibus, cùm dicit, *Et fac secundùm quod locutus es,* i. pollicitus.

26. *Et magnificetur,* [ויגדל] *Et magnificabitur,* i. magnum erit. ¶ *Dicendo,* [לאמור] i. Ut dicant posteri. Vel, *& dicent.* Aut, *nam dicent,* si vertas per futurum, *magnificabitur.* ¶ *Erit firma,* [יהיה נכון] *Sit stabilis,* i. Regnum perpetuum maneat in domo Davidis.

27. *Revelasti aurem servi tui,* [גליתה את אזן עבדך לאמור] Hebraismus, *dixisti audiente servo tuo.* ¶ *Domum ædificabo tibi,* [בית אבנה לך] i. Familiam regiam exstruam. ¶ *Cor suum,* [לבו] Sub. *paratum, aptum & dispositum.* ¶ *Ut oraret,* &c. [להתפלל אליך את התפלה הזאת] Ad verb. *ut oraret ad te orationem hanc.* Quidam vertunt, *ut oraret coram te orationem hanc.*

28. *Et locutus es de,* &c. [ותדבר אל עבדך וגו'] i. Pollicitus es servo tuo bonam hanc promissionem.

29. *Velis, & benedic,* [הואל וברך] Hebraismus, placeat tibi benedicere. ¶ *Ut sit in seculum coram te,* [להיות לעולם לפניך] i. Ut permaneat perpetua, & obtineat Regnum tuum.

CASTALIO.

7. **E**C *quod ulli præsidum Israelitarum*] Heb. שבטי, h. e. *tribuum:* sed 1 Par. 17. 6. legitur שפטי, h. e. *Judicum,* sive *præsidum;* quæ lectio mihi visa est verior.

23. *Quàm tu in terris fecisti in tuorum gratiam*] להם & לארץ rectè legit vetus interpres Latinus.

CLARIUS.

2. **A**R*ca Dei*] Per *Arcam* intelligitur quoque Mensa, Candelabrum, & Altare incensi, quæ omnia sub cortina servabantur.

12. *Quod egredietur de utero tuo*] Patet hinc quòd Regnum Israel post David non debebatur Absalom aut Adoniæ, cùm illi jam nati essent.

14. *In virga virorum*] Sicut homines, inquit, castigant filios suos, & non interficiunt eos, sic ego paternâ castigatione corripiam eos. Sic quod sequitur, *& in plagis filiorum hominum*, repetitio est ejusdem sententiæ.

19. *Ista est enim lex Adam*] Vel, *Hic enim est mos hominis*. Jon. *Talis enim est provisio humana*; ut scilicet suis in longinquam provideant de Imperii stabilitate. Alius sic exponit, *Hæc est dispositio magnorum hominum, qui posteris suis sic de successione in Imperio provident.*

21. *Propter verbum tuum*] Nosti, inquit, me servum tuum, qui sim, & nihil mihi deberi, nisi quòd tu locutus es de me ad Saul; & *propter hoc verbum, atque etiam secundùm cor tuum*, h. e. secundùm piam voluntatem tuam, *hæc facis.*

23. *Gentibus & Judicibus ejus*] Heb. *gentem cum Diis ejus*. Et capiuntur hîc *Dii* pro *Senioribus* & *Judicibus populi.*

27. *Domum ædificabo tibi*]. Chald. *regnum confirmabo tibi.*

GROTIUS.

2. AD *Nathan Prophetam*] Vir hic fuit prudens, lenis & quod Josephus addit, ἀστεῖος, i. suavitate quadam gravitatem temperans, & qui etiam cum Regibus nosset vivere. Talis apud Tacitum Annal. 4. Manius Lepidus, *Hunc ego Lepidum*, ait, *temporibus illis gravem ac sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab sævis adulationibus aliorum in melius flexit, neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato & sorte nascendi, ut cætera, ità principum inclinatio in hos, offensio in illos; an sit aliquid in nostris consiliis, liceátque inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.* Talis & lib. 6. Annal. L. Piso Pontifex, *Nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret, sapienter moderans.* Nimirum non omnino falsum illud Eprii Marcelli, quod idem Tacitus habet Hist. 4. *Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem, ità quamvìs egregiis modum libertatis placere.* Itaque laudatus eidem Agricola, *Non contumaciâ neque inani jactatione libertatis famam fatúmque provocabat.* ¶ *Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina*] Talis & Cedrina regia apud Euripidem Phœnissis,

Κέδρου παλαιὰν κλίμακ' ἐκπέρα ποδί.

¶ *Et Arca Dei posita sit in medio pellium*] Propositum hoc Davidis Deo templum magnificum struendi, quanquam eventu ipso caruit, non caruit mercede: ideo enim Deus promittit se ipsi domum ædificaturum infrà 11. velut vicem rependens.

3. *Dixit Nathan ad Regem, Omne quod est in corde tuo, vade fac*] Loquebatur hic ut homo prudens, non ut Propheta. Vide quæ suprà 1 Sam. 16. 6.

12. *Suscitabo semen tuum post te*] *Suscitare* hîc est in solio collocare. ¶ *De utero tuo*] i. De uxore tua.

13. *Ipse ædificabit domum nomini meo*] Pax sacris aptior, 1 Par. 22. 8. ¶ *Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*] עד עולם apud Hebræos tempus non infinitum, sed pro materia de qua agitur bene longum significat. Itaque in possessionibus privatis ad L. annos porrigitur, in Regnis longiús. Duravit autem in posteritate Davidis Regnum per annos plus quingentos, successorum serie ultra viginti: quod satis rarum.

14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*] Hoc non de primo tantùm, i. Solomone, sed de singulis Regibus è Davidis sanguine intelligendum putem; velle scilicet Deum paternè, i. valde clementer, cum illis agere ob Davidis memoriam. ¶ *Arguam eum in virga virorum*] Morbos immittam. ¶ *Et in plagis filiorum hominum*] Agrorum sterilitatem.

15. *Misericordiam autem non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie mea*] Regnum in tam longo tempore illis non auferam ut Saulis posteritati abstuli. Hæc interpretatio optima, Josephi est, & aliorum Hebræorum.

19. *Ista enim est lex Adam, Domine Deus*] Græcè, οὗτος ὁ νόμος τοῦ ἀνθρώπου, Κύριέ μου Κύριε. Verus sensus est, Familiariter mecum agis, quomodo homines cum hominibus agere solent.

21. *Propter verbum tuum*] Est in Hebræo בעבור דברך. At in Paralip. 17. ubi cætera eadem, est בעבור עבדך, quomodo & hîc legerunt in suis libris LXX. vertunt enim διὰ τὸν δοῦλόν σου.

23. *Propter quam ivit Deus*] Nulla gens quæ de iis quos Deos putat idem possit prædicare.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

1. FRænum *subjectionis*] Significat אמה *rivum aquæ*; Quem quidam Hebræi putant transisse ab una civitate ad aliam, per quem Phelistæi mutuò sibi subveniebant donec à David rivus ille ab urbibus fuit amotus. Alii putant per *frænum rivi* intelligi regionem quandam, cùm 1 Par. 18. 1. ubi eadem scribuntur, loco *fræni* commemorentur *viculi Gath*. Cùm autem tam varia dicantur de hoc fræno, videtur nobis significari imperium quod Phelistæi in Israelitas hactenus habuerunt, per David sublatum à fronte Israelitarum.

2. *Mensuravítque eos cum fune*] Jon. *mensuravit eos sorte, projicítque eos in terram*. Nam duas partes interfecit David, & tertiam in vita conservavit; ídque ideo quòd Moabitæ parentes & fratres ejus occiderant.

3. *Pherath*] Hic est Euphrates.

4. *Truncavit*] Prohibet Lex nè Rex sibi multiplicet equos; & idcirco non licuit David illos accipere in prædam. Et cùm sint creaturæ innocuæ, noluit ut occiderentur. Nè tamen hosti essent auxilio, jubet eos amputatione extremitatum pedum inutiles reddi. De quo etiam Josuæ 11. Scribitur proinde hîc quòd David *sibi reservaverit centum currus*; & hi faciunt quadringentos equos.

6. *Præsidium*] Heb. נצבים *constituti*, h. e. qui deputati erant ad custodiam provinciæ.

7. *Clypeos aureos*] Manavit hæc Hebræa vox in nostram linguam Germanicam, qui æquè ut Hebræi clypeum vocamus **Schilt**.

10. *Benediceret ei*] h. e. Ut optaret illi ampliorem in bellis fortunam; aut offerret illi munus aureorum vasorum, quæ unà cum reliquis pretiosis vasis David Domino consecravit.

16. *A commentariis*] h. e. ממונה על ספר הזכרונות *constitutus super librum memorabilium rerum.*

18. *Erat super Chreti*] Heb. *Et Benaiahu filius Jehoiada, atque Chreti & Phelethi*, ubi Hebræi pro *atque* legunt *super*, sicut & nos vertimus, & in Paralipomenon libro expressum invenitur. Jonathan verò sic vertit, *Benaiahu filius Jehoiada erat præfectus arcubus & fundis*, vel *sagittariis & fundibulariis*. Rabbini communiter per *Chreti & Phelethi* intelligunt Urim & Thummim. Alii dicunt per eos significari duas cognationes quæ semper stipabant latera Regis, paratæ ut exsequerentur imperium Regis; quorum princeps fuit Benaiahu. Rursum alii intelligunt per eos Sanhedrin, h. e. summos Consiliarios, ut sint כרתי quasi כורתין דבריהם *qui præscindunt verba sua, & cum autoritate loquuntur*; & פלתי, quasi מופלים במעשיהם *excellentes in factis suis.* ¶ *Et filii David erant sacerdotes*] 1 Par. 18. 17. dicitur, *erant primi*, h. e. erant גדולים וממונים על כלם *magni & omnibus præpositi.* Alii tamen intelligunt hîc per כהנים *discipulos Sapientum*. Capitur enim כהן nonnunquam pro שר *principe & magno viro*, aliquando pro *ministro sacrorum*, aliquando pro תלמיד חכמים *discipulo Sapientum.*

VATA-

VATABLUS.

1. **M**Etheg-ammah, מתג האמה] Urbs aut regio ità dicta à *fræno rivi*, i. aquæductu. Chaldæus paraph. *instaurationem aquæductûs*. In 1 Par. 18. 1. dicitur *Gath, & oppida ejus*. *Frænum rivi* ab Hebræis dicitur aquæductus, quòd per canalem ducamus aquam quò volumus, ut fræno equum.

2. *Et percussit Moab*, ויך את מואב] Hoc verbo sæpissime utitur Scriptura quando victos & superatos significat. ¶ *Jacere faciendo eos*, &c. השכב אותם ארצה] *Prostratos eos super terram*, vel, ut alii, *coæquando eos terra*, q. d. Subjugavit Moabitas, & mensuravit eos fune, h. e. eos mensurâ certissimâ, numeróque certissimo, & eo numero quo voluit, interfecit, & veluti ad funiculum elegit eos quos interficere voluit. Gallicè, *Il les a tuez à la mesure qu'il luy a pleu*. ¶ *Ad interficiendum*, &c. להמית ומלא וגו'] Ad verb. *ad mortificandum, & integrum funiculum ad vivificandum*, q. d. Duas partes interfecit, & alteri parti pepercit, nempe bellatorum, quos diviserat in tres partes. ¶ *Portantes munus*, נושאי מנחה] i. Pendentes tributa quotannis.

3. *Ut constitueret*, &c. להשיב ידו בנהר וגו'] *Ut produceret* [*prorogaret*] *terminum suum*, &c. Alii, *ut instauraret dominium suum in flumine Euphrate*, i. regionem adjacentem Euphrati, quam antea ceperat à filiis Israel.

4. *Et subnervavit*, &c. ויעקר וגו'] i. Præcidit crura equis omnium curruum, h. e. eam cruris partem quæ est nervosa, nè essent tam celeres & apti ad bellum; non autem nè omnino graderentur. Ad verb. *abstulit bases*: sunt enim crura animalibus veluti bases & fundamenta. ¶ *Et reliquit*, &c. ויותר ממנו וגו'] i. Reservavit ex eis quadringentos equos.

5. *Venit autem Aram Dammesec*, ותבוא ארם דמשק] *Aram Dammesec* vocat Syriam in qua sita est Damascus. Quidam vertunt, *Venerunt autem Syri Dammasec*.

6. *Portantes munus*, נושאי מנחה] Ut v. 2. ¶ *In omni* loco *ad quem perrexit*, בכל אשר הלך] *Quocunque perrexit*.

7. *Qui erant super servos*, אשר היו אל עבדי] Hebraismus, quibus milites Hadadezer tegebantur.

10. *Ut salutaret eum*, &c. לשאל לו לשלום וגו'] i. Salutem illi diceret, & congratularetur ei, atque offerret munera amplissima, propterea quòd, &c. Munus enim dicitur *benedictio*, & mox dicit, *Et in manu ejus erant vasa argentea*, &c. ¶ *Gerebat enim bella* cum *Thoi*, כי איש מלחמות תועי היה] Ad verb. *quia vir bellorum Thoi*, &c. Subauditur עם. *Cum*, atque ità Chaldæus paraph. qui vertit, *quia vir faciens bella cum Thoi erat Hadadezer*. ¶ *Et in manu ejus*, &c. ובידו וגו'] Hebraismus, Ferebat secum munera argentea & aurea.

11. *Sanctificavit*, הקדיש] *Consecravit*, sive *dedicavit*. ¶ *De universis*, &c. מכל הגוים] Sub. *capta*.

15. *Faciebátque David*, &c. ויהי דוד וגו'] i. Jus suum unicuique reddebat, neque quenquam lædebat. *Judicium* ad eos inter quos lis erat, refertur: *justitia* verò æquitatem & benevolentiam erga omnes significat. Vel, fuit severus in quos oportuit, & in quos oportuit misericors.

16. *A commentariis*, מזכיר] i. Scribebat res gestas à Rege ipso, & omnia mandabat memoriæ. Chaldæus paraph. *erat præpositus super memoriis*, acsi dicat, *super libro memoriarum*, vel, *historiarum*, ut exponit doctus inter Hebræos. Ad verb. *memorans*, vel *reducens in memoriam*: cujus officium erat suggerere & in memoriam revocare Regi quæ essent agenda: ità exponunt nonnulli.

17. *Sacerdotes*, כוהנים] Significat *principes & servos Domini, timentes Dominum*, ut exponit doctus inter Hebræos, atque etiam magni nominis apud eos vir. Chaldæus paraph. *principes*: acsi diceret, majores & præfectos omnibus illis.

18. *Et Cherethi*, &c. והכרתי והפלתי] Duæ cognationes erant quæ nunquam recedebant ab aula Davidis, illis enim commissa erat cura corporis Regii. Chaldæus paraph. dicit *Cherethæos* fuisse *sagittarios*; *Phelethæos* autem, *fundibularios*. Quidam vertunt, *erat super Cherethi & super Phelethi*, i. præerat Cherethæis & Phelethæis. Sic dictos fuisse dicunt quidam, quòd haberent verba præcisa & opera mirabilia, quia erant consiliarii. Si istos jungas filiis Davidis, ut vertit noster interpres, fuerunt etiam principes, magnates, & primores, &, ut Lxx vertunt, principes aulæ, ut & filii Davidis. Si dicas Benaiahu præpositum fuisse illis, solos Davidis filios dicet fuisse primores. Quisque quod melius sibi videbitur sequatur.

CASTALIO.

18. **A**Ntistites] *Præcipui*; quibus in primis utebatur.

CLARIUS.

1. **F**Rænum tributi] Dictio Hebræa significat *rivũ aquæ*, quem quidam Hebræi putant transisse ab una civitate ad aliam, per quem Philisthæi mutuò sibi subveniebant, donec à David rivus ille ab urbibus fuit amotus. Alii putant per *frænum rivi* intelligi regionem quandam, cùm in Paralipomenis ubi eadem scribuntur, loco *fræni* commemorentur *viculi Gath*.

2. *Mensus est autem duobus funibus*] Jon. *mensuravit eas sorte, projecitque eos in terram*. Nam duas partes interfecit David, & tertiam in vita conservavit; ídque ideo quòd Moabitæ parentes & fratres ejus occiderant.

4. *Subnervavit*] Nam prohibet Lex nè Rex sibi multiplicet equos; & idcirco non licuit David illos accipere in prædam: quare inutiles eos reddidit; nec tamen occidit, cùm sint creaturæ innocuæ.

16. *A commentariis*] h. e. Constitutus super librum memorabilium rerum.

18. *Cerethi*] Heb. *Et Banaias filius Joiada, atque Cerethi & Phelethi*: ubi Hebræi pro *atque* legunt *super*. Jon. *Banaias filius Joiada erat præfectus arcubus & fundis*, vel *sagittariis & fundibulariis*. Rabbini communiter per *Cerethi & Phelethi* intelligunt Urim & Thummim; de quibus sæpe dictum est. Alii dicunt per eos significari duas cognationes quæ semper stipabant latera Regis, paratæ ut exsequerentur imperium Regis; quorum princeps fuit Banaias. ¶ *Filii David sacerdotes erant*] 1 Par. 18. 17. dicitur *erant primi*, h. e. magni & omnibus præpositi. Alii intelligunt *discipulos Sapientum*.

DRUSIUS.

7. שִׁלְטֵי הַזָּהָב. A. τοὺς κλοιοὺς τοὺς χρυσοῦς *collaria aurea*] Vel *torques aureas*. Olim erat in Lxx τοὺς χλιδῶνας τοὺς χρυσοῦς *armillas aureas*, & in Vulgata nostra *arma aurea*; rectè, si per *arma* scuta intelligantur, ut ibi, *armis tecta Sabinorum*, i. scutis; &, *ancilia arma*. שלטים enim certè sunt *scuta*, unde Belgicum **Schilt** quo *scutum* indigitant. Κλοιὸς exponitur etiam *manica*; & forsan hîc pro *armilla* usurpatur, 1 Par. 18. 7. שלטי זהב. Lxx τοὺς κλοιοὺς τοὺς χρυσοῦς. Fortè sign. ornamenta aurea tortilia, quæ volutarum & helicum in capitibus columnarum similitudinem exprimunt: hoc enim κλοιὸς denotat in architectura. Interpres reddit *torques aureas*. Hieron. *pharetras aureas*. 2 Par. 23. 9. Hieron. *peltas*. Lxx τὰ ὅπλα *arma*, sive *scuta*.

13. בְּגֵיא מֶלַח. A. & Sym. *in valle Salis*] Ἐν τῇ κοιλάδι τῶν Ἁλῶν. Interpres V. *in valle Salinarum*. Priùs erat in Lxx ἐν Γεβελέμ, lego ἐν Γεμελᾶ. Glossæ veteres, *Gemela, vallis Salis*, quod hinc sumptum. Eusebius De locis, גיא מלח *regio Idumæorum, pro qua Aquila & Sym. interpretantur Vallem Salis*. Rursum, *Mela*, i. *Gemela, quam Aquila & Sym. transferunt Vallem Salis*.

17. אֲחִימֶלֶךְ. Lxx Ἀχιμέλεχ. A. Ἀειμέλεχ, quod scribendum Latinè *Ahimelech*.] Similis varietas in *Rachab* & *Rahab*, quod scribunt Ῥαάβ. Schol. ad h. l. Ἐνταῦθα οἶμαι γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα. Si ità putas, falleris. οὐ γὰρ Ἀχιμέλεχ

Ἀχιμέλεχ υἱὸς Ἀβιάθαρ, ἀλλ' Ἀβιάθαρ υἱὸς Ἀχιμέλεχ. Hoc partim verum, partim falsum est: verum est, Abiathar fuisse filium Achimelech 1 Sam. 22. 20. falsum est, Abimelech non fuisse filium Abiathar. Hic Achimelech 1 Par. 18. 16. *Abimelech* vocatur. Vide Miscellanea mea, centur. 1. c. 46.

GROTIUS.

1. T*Ulit David frænum tributi de manu Philisthiim*] In Hebræo מתג האמה, *claustra mentis Ammæ*, ibi erat Gitta oppidum 2 Par. 18. 1.

2. *Et percussit Moab*] Hîc impleri incipiunt promissa illa magnifica, Gen. 15. 18. Num. 24. 17. ¶ *Mensus est eos funiculo*] Tres designavit partes terræ Moabiticæ, in quarum una tantùm indigenas reliquit superstites, occisis cæteris, nè difficilis esset custodia. ¶ *Serviens sub tributo*] Vide mox 6. 14.

3. *Quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphratem*] Heb. *cùm iret ipse* (David) *ad repellendam manum ejus* (euntem) *ad flumen Euphratis*. Rex ille Sobæ Philisthinis vicinus, ut colligere est 1 Sam. 14. 47. in Euphratis accolas bellum ferens, non postulato innoxio itinere, fines Israelitarum vi invaserat; ejúsque rei pœnas dedit.

4. *Mille septingentis equitibus*] Græci, χίλια ἅρματα καὶ ἑπτὰ χιλιάδας ἱππέων, quomodo est in 1 Par. 18. 4. At Josephus item ἅρματα χίλια, at ἱππεῖς πεντακισχιλίους. Ità in his non minùs quàm in aliarum historiarum codicibus jam olim variavit numerorum scriptura. Confer quod infrà 10. 18. videbis hæc Græcorum aut Josephi magis servare proportionem. ¶ *Subnervavit omnes jugales curruum*] i. *Suffragines succidit*. Sic hominibus Romanis Annibal succidit femina & poplites; Livius lib. 22. Valerius Maximus quosdam ab eo *relictos* ait *infimâ pedum parte succisâ* 9. 2.

5. *Venit quoque Syria Damasci*] De hac Davidis victoria habes Damasceni locum apud Josephum, qui Regis Syriæ nomen, quod Damasceno Ἄδαδος, alibi eodem modo, alibi Ἄδερ extulit, nimirum quia literæ illæ ד & ר non modò formam persimilem habent, sed & ob soni aliquam affinitatem facilè inter se mutantur; sicut Latinis *aqua Arferia* ab *adferendo*.

6. *Posuit præsidium*] Vide mox 14.

10. *Vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea; quæ & ipsa sanctificavit David rex Domino, cum argento & auro quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat*] Suprà 7. 8. De hoc more prædæ partem sacrandi vide Gen. 14. 20. & l. 3. De J. B. ac P. c. 6. num. 20.

13. *Cæsis decem & octo millibus*] Partim Syrorum, partim Idumæorum qui eis erant socii. Horum sex millia occidit Abisai, deinde Joab 12. millia, 1 Par. 18. 12. Psal. 60. 1.

14. *Et posuit in Idumæa custodes*] Et Præfectum, qui jus redderet, ut 1 Reg. 22. 47. ut Romani Capuæ, & alibi. Vide l. 2. De J. B. ac P. c. 9. §. 6. & in Annotatis ad eum locum.

15. *Faciebat quoque David judicium*] Jus administrabat secundùm legem. ¶ *Et Justitiam*] Præmia dabat bene meritis.

18. *Super Cerethi & Phelethi*] Hieronymus alicubi putat hæc nomina, ut & quod proximè præcessit, esse eximiorum Senatorum magni Synedrii, quomodo & Græci sensisse videntur; dicunt enim καὶ Βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ σύμβουλος, καὶ ὁ Χερεθὶ, καὶ ὁ Φελεθί. At Hebræorum alii familias Israeliticas fuisse censent. Chaldæus *sagittarios*, à qua significatione non abit Corytus: rursum alii, partes Philisthinorum: quod si admittimus, fortè horum כרתי posteri erunt *Cretes*: certè milites fuisse satis apparet 20. 23. ¶ *Filii autem David sacerdotes erant*] Fieri id non potuit per Legem. Sed error est in voce. Verbum כהן, unde id nomen venit, significat λειτουργεῖν, indè participium in verbalis significationem transiens, si ad Deum expressè aut tacitè referatur, significat λειτουργὸν τῷ Θεῷ *Sacerdotem*; si ad Regem, ejus ministrum, putà αὐλάρχην, ut hîc posuere Lxx; quomodo & Chaldæi hîc sumunt & Hebræi, qui addunt indignatum Absalomum quòd non & ipsi talis αὐλαρχία obtigisset. Nec aliter nomen כהן sumi videtur infrà 20. 26. Et in Paralipomenis explicatur per *primos ad manum regis*, 1. 18. 17. Videtur idem officium 1 Reg. 4. 5. vocari על הנצבים, ubi Græci ἐπὶ τῶν καθεσταμένων.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

3. N*Emó ne*] Capitur hîc האפס pro האין *an non?* Chald. האית *Nunquid est?*

7. *Cunctos agros*] Exponit D. K. שדה in hoc loco pro כל נחלה *universa possessione*, quam dedit Rex Mephiboseth. Nam filii Rizpa concubinæ Saul multa sibi usurpaverant, cùm tamen ille verus esset hæres & successor patris atque avi. Sed & David, cùm Isboseth filium Saul Regni æmulum pateretur, nonnulla jure prælii sibi usurpavit.

10. *Erúntque ea filii domini tui*] Sensus est, Quicquid ex agris collegeris, illud erit Micha *filii domini tui*, & de illo ipse vivet; *dominus autem tuus Mephiboseth comedet panem de mensa mea, sicut filii regis*.

11. *Mephiboseth verò*] Hæc sunt verba David. Nam postquam Ziba respondisset, *sic faciet servus tuus*, intulit Rex, *Bene*; *Mephiboseth verò comedet panem*, &c.

VATABLUS.

1. E*Stne adhuc*, &c. הכי יש עוד] Superéstne aliquis qui remanserit è familia Saulis, ut conferam illi beneficium propter amorem quo prosequebar Jonathan? vel, propter promissionem quam feci Jonathæ? *Facere misericordiam cum aliquo* phrasi Hebraicâ dicitur, pro *Beneficium conferre in illum*.

2. *Siba*, ציבא] Dicunt Sibam fuisse Chananæum, propterea non donari libertate mortuo hero suo. ¶ *Servus tuus* sum, עבדך] q. d. Sum Siba servus tuus.

3. *Ut faciam cum eo misericordiam Dei?* ואעשה עמו חסד אלהים] i. Ut conferam illi beneficium optimum & magnum, quod erit Deo gratum. ¶ *Claudus pedibus*, נכה רגלים] Ad verb. *Captus* [*percussus*] *pedibus*, i. claudus.

6. *Procidit in faciem*, &c. ויפול על פניו וישתחו] i. Demisso vultu in terram, adoravit Regem.

7. *Faciendo faciam tecum misericordiam*, עשה אעשה עמך חסד] Hebraismus, *Proculdubio faciam*, vel, *Certò facturus sum*, sive *collaturus sum, in te multa beneficia*. ¶ *Universum agrum*, את כל שדה] Sing. Heb. pro plur. *universos agros*. Chaldæus paraph. *universam possessionem*, sive, *hæreditatem*: ea erat fisco addicta propter rebellionem Is-boseth. ¶ *Comedes panem*, &c. תאכל לחם וגו'] i. Sumes cibum de mensa mea jugiter, h. e. eris mihi assiduus conviva.

8. *Tunc incurvavit se*, וישתחו] Gratias agendo scilicet, & in signum animi grati. ¶ *Quid est servus tuus*, מה עבדך] q. d. Non sum tanti ut fiam tuus conviva.

9. *Puerum*, נער] *Servum, famulum*. ¶ *Filio domini tui*, לבן אדוניך] i. Nepoti Saulis, filio Jonathæ Mephiboseth.

10. *Et afferes*, והבאת] *Et inferes*, sub. *in horrea proventum ejus*. ¶ *Ut sit filio Domini*, &c. והיה לבן אדוניך לחם וגו'] i. Ut sit quo alatur nepos heri tui scilicet Micha filius Mephiboseth. ¶ *Comedet semper panem*, &c. יאכל תמיד לחם וגו'] i. Erit mihi assiduus conviva, ut v. 7.

11. *Juxta omnia quæ præcepit*, ככל אשר יצוה] *Prorsus* [*omnino*] *ut præcepit*. ¶ *Quanquam Mephiboseth comederet*, ומפיבשת אכל] Ad verb. *& Mephiboseth comedens*. Hîc ו pro *Quamvis*. Jam enim dixerat David, v. 7. & 10. *Comedes panem super mensam meam*.

Interea

Interea ipse Mephiboseth erat conviva ipsius Siba. Vertendum igitur, ut noster interpres fecit, *Quanquam Mephiboseth comedebat*, sive *comederet*, i. comedere soleret, &c. q. d. Nihil hactenus defuit illi: alui enim eum regio apparatu, quemadmodum ali solent filii Regum, h. e. lautissimè. Alii vertunt, additis pauculis, *Tunc subjecit David, Mephiboseth sumet cibum de mensa mea, quasi esset unus ex filiis meis.*

12. *Universa autem habitatio domus,* וכל מושב בית] Hebraismus, Quotquot habitabant in domo.

CASTALIO.

9. [*D. domini tui filio do*] Michæ.

CLARIUS.

7. **R***Estituam tibi omnes agros*] h. e. Universam possessionem, quam dedit rex Mephiboseth: Nam filii Rizpa concubinæ Saul multa sibi usurpaverant, cùm tamen ille verus esset hæres & successor patris atque avi. Sed & David, cùm Isboseth filium Saul Regni æmulum pateretur, nonnulla jure prælii sibi usurpavit.

10. *Et inferes filio domini tui*] Quicquid (inquit) ex agris collegeris, illud erit Micha *filii domini tui*, & de illo ipse vivet: *dominus autem tuus Mephiboseth comedet panem de mensa mea, sicut filii regis.*

11. *Et Mephiboseth comedet*] Hæc sunt verba David: Nam postquam Siba Regi respondisset, *sic faciet servus tuus*, intulit Rex, *Bene*; *Mephiboseth verò comedet panem super mensam meam.*

GROTIUS.

7. **R***Estituam tibi omnes agros Saul patris tui*] Confiscatos ideo quòd Saulis posteri in partibus fuerant Isbosethi. Talium bonorum penes Regem erat arbitrium. Vide infrà 12. 8. ¶ *Et tu comedes panem in mensa mea semper*] Ità Rex eum solvit lege à se constitutâ, nè claudi in regiam intrarent.

10. *Operare igitur & terram tu*] Jure coloni partiarii, ut videtur.

11 *Comedet super mensam meam quasi unus de filiis regis*] Si apud me divertere voluerit, honor ei erit ut Regis filio.

CAP. X.

MUNSTERUS.

4. **A***D nates eorum*] Jon. עד אתר בית בהתתהון *usque ad locum confusionis eorum.* Sic enim Chaldaismus Podicem vocat.

5. *Donec repullulet*] Sed quare non abradebatur etiam altera barbæ medietas? Respondent Hebræi, quòd tunc non erat consuetudo apud Judæos ut essent viri omnino imberbes; nisi quòd tempore luctûs & mœroris radebant solùm pilos qui erant in labio superiori. Vocantur proinde hìc vestimenta מדוי, quæ vox propriè *inquinationem* significat & *menstrua muliebria*, quòd usque ad eum locum fuerunt succisa ubi plerumque ventris purgatione inveniuntur immunda. Vide Ben Gerson, qui per מדוי putat intelligenda מכנסים *subligacula*, quæ semper turpia inveniuntur. Porrò radix vocabuli est דוה.

6. *Quòd fœtidi facti essent*] h. e. נתעבו *abominabiles & invisi facti essent in oculis David.*

8. *Juxta ostium portæ*] Jon. במעלנא *in ingressu portæ.*

VATABLUS.

1. **F***Uit autem*, &c. ויהי אחרי כן וימת] *Mortuus est autem postea.*

2. *Faciam misericordiam*, &c. אעשה חסד וגו'] Hebraismus, *Benignè agam cum Hanon filio Nahas, sicut benignè egit pater ejus mecum*, cùm recepit fratrem meum fugientem à facie Regis Moab. Iste enim & patrem & matrem, & alios fratres Davidis peremerat, ut dicunt Doctores Hebræorum. ¶ *Et misit*, וישלח] Sub. *legatos.* ¶ *Per manum servorum*, &c. ביד עבדיו וגו'] i. Per servos suos super interitu patris sui.

3. *In oculis tuis*, בעיניך] Hebraismus, Tuâ sententiâ & opinione, q. d. Putas quòd honore affecerit David patrem tuum, cùm misit, &c. ¶ *Investigaret urbem*, הקור את העיר] *Rimaretur urbem.* ¶ *Atque scrutaretur eam*, ולהפכה] Sub. *diligenter*, ab הפך *evertit*, *subvertit*, & etiam *scrutatus est*: quòd quæ scrutamur, evertere soleamus in utrumque latus.

5. *Confusi*, נכלמים] *Ignominiâ affecti.* ¶ *Germinaverit*, יצמח] i. Creverit.

6. *Rem fœdam fecissent Davidi*, נבאשו בדוד] *Fœtidi & abominabiles essent in* naribus *Davidis.* ¶ *Miserunt*, &c. וישלחו בני עמון] Ad verb. *Et miserunt filii Ammon.* Repetitur *Filii Ammon* more Hebraico, quod Latinè vertentibus omitti debet. ¶ *De Aram*, &c. את ארם וגו'] Regiones sunt sive partes Syriæ: duo verò postrema, *Maachah* & *Istob*, nomina sunt virorum, aut regionum. Is-tob ea est regio quæ *Tob* dicitur, unde accersitus Jiphte.

7. *Robustorum*, הגבורים] Et *fortes* i. bellicosissimos.

8. *Et disposuerunt bellum*, ויערכו מלחמה] *Et instruxerunt aciem.* ¶ Ad *ostium portæ*, פתח השער] Subaudiendum verbum, *ut pugnarent juxta introitum portæ*, ¶ *Seorsum in agro*, לבדם בשדה] *Erant soli* [vel *solitarii*, i. sejuncti ab Ammonitis, procul scilicet à porta] *in agro.*

9. *Esset contra se*, &c. היתה אליו פני וגו'] *Conversum* [*præparatum*] *esset prælium in se*, &c. i. quòd immineret sibi bellum, séque hostes habiturum à facie & à tergo. ¶ *Et ordinavit*, ויערוך לקראת ארם] *Et instruxit*, i. instructam aciem convertit in Syros. Sic vers. 10.

10. *Residuum verò populi*, ואת יתר העם] *Reliquum verò populum.*

11. *Si robustior fuerit Aram me*, אם תחזק ארם ממני] *Si prævaluerint Syri mihi*, aut, *si videantur esse fortiores me*, h. e. Si videris me succumbere Syris, feres mihi opem. ¶ *Robustiores fuerint*, יחזקו] *Fortiores fuerint*, i. si prævaluerint mihi. ¶ *Ad servandum te*, להושיע לך] i. Ut feram tibi opem.

12. *Robora te*, &c. חזק ונתחזק] *Viriliter age*, & *fortiter pugnes.* ¶ *Faciat quod bonum*, &c. יעשה הטוב בעיניו] i. Det cui voluerit victoriam.

13. *Appropinquavit igitur*, ויגש] *Accessit igitur*, i. impressionem fecit in Syros.

16. *Misitque*, וישלח] Sub. *nuncios*, i. missis nunciis eduxit Syros qui habitabant trans Euphratem.

17. *Universum Israelem*, את כל ישראל] i. Maximam partem Israelis.

18. *Septingentos currus*, שבע מאות רכב] i. Milites qui vehebantur LXX curribus falcatis. ¶ *Exercitûs illius*, צבאו] Nempe Hadarezer. Vel *exercitûs ejus*, i. Syriæ: h. e. principem Syrorum.

19. *Ad servandum*, &c. להושיע עוד את בני עמון] i. Ut opem ferrent postea Ammonitis.

CLARIUS.

5. **D***Onec crescat barba*] Sed quare non abradebatur etiam altera barbæ medietas? Respondent Hebræi, quòd tunc non erat consuetudo apud Judæos ut essent viri omnino imberbes, nisi quòd tempore luctûs & mœroris radebant solùm pilos qui erant in labio superiori.

GROTIUS.

2. **F***Aciam misericordiam*] חסד Hebræum omne *benignitatis genus* significat. ¶ *Consolans eum per servos*

servos suos super patris interitu] Mos amicorum Regum inter se.

3. *Putas quòd propter honorem patris tui miserit ad te David consolatores, & non ideo ut investigaret*] Non malè hîc aptaverim illa ex Oedipode Senecæ,

CR. *Quid si innocens sum?* OED. *Dubia pro veris solent Timere reges.* CR. *Qui pavet vanos metus Veros fatetur.*

Nihil est tam bonum quod non in aula pravos interdum interpretes recipiat.

4. *Rasitque dimidiam partem barbæ eorum*] Sic barbam vellere inter contumeliosa maximè. ¶ *Præscidit vestes eorum medias*] Nempe à medio ad imum, ut ea nudarentur quæ tegi vult honestas.

7. *Misit Joab & omnem exercitum bellatorum*] Ob legatos contumeliosè habitos Romani bella sumpsere in Tarentinos, Illyrios, Ligures, Senonas, Issios, Corinthios ut notavimus ad l. 2. De J. B. ac P. c. 18. in fine. Etiam Germanos & Turcas olim pari de causa bella suscepisse legimus, nec mirum, cùm & jus gentium violaretur, quod sanctissimum esse debet, & ejus qui misit dignitas. Vide graves pœnas de hoc crimine exactas fine capitis sequentis.

14. *Quia fugissent Syri*] Ut sæpe solent qui nullo causæ respectu mercede solâ militant. *Ut quibus temere collectis neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium*, ait Hist. 2. Tacitus: quare prudenter Joab, antequam conjuncti essent hostium exercitus, externos & pretio conductos priùs impugnandos censuit.

15. *Congregati sunt pariter*] Metuentes nè ut fieri solet, ab auxiliatore hostium suorum pœnas David deposceret, quod & factum est. Vide infrà 19.

18. *Septingentos currus*] Rectiùs 1 Par. 19. 18. *septem millia curruum.* Error numeri hic commissus ab exscriptoribus. ¶ *Sobach*] שובך: at 1 Par. 19. 18. שופך: utrum rectius, non dixerim.

19. *Et servierunt eis*] Vectigales facti sunt.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. EO *tempore quo reges egredi solent*] Putant Hebræi hoc tempus esse quando segetes in agris inveniuntur pro equis pascendis.

3. *Sciscitatus est de muliere*] Vespera erat, & mulier se lavabat in domo; atque ideo David non satis potuit agnoscere illam num esset Bathsæba aut alia mulier. Porrò vocatur maritus ejus *Hitthaus*, quòd vel advena fuit ex Hitthæis, aut quòd peregrinatus fuerit aliquamdiu apud eos.

4. *Ipsa autem sanctificaverat se*] Jon. *ipsa autem mundaverat se à menstruo suo.* Cùm scilicet David videret illam se lavantem, tunc mundavit se ab immunditia menstrui, nesciens quòd David in eam oculum conjecisset.

8. *Ferculum regium*] Heb. *portio regis.* Jon. סעודתא *refectio.*

11. *Per vitam tuam*] h. e. Per vitam præsentem, & per vitam in alio mundo futuram.

21. *Filium Jerubbaseth*] In libro Judicum vocatur *filius Jerubbaal.* Interpretatur autem JERUBBÆSETH *Habet contentionem cum confusione.* Et vocat idolum Baal *confusionem.* Porrò Jerubbaal, sive Jerubbæset, est Gideon, Judex populi Israelitici.

VATABLUS.

1. REvertente anno, לתשובת השנה] Ad verb. *in reversione anni*, i. insequente anno, vel altero anno. ¶ *Egrediuntur*, צאת] Sub. *ad bellum gerendum*, h. e. tempore æstivo quo suppetunt cibi hominibus & jumentis.

2. *De strato suo*, משכבו] Ubi scilicet dormierat somnum pomeridianum, ut dicitur suprà 4. 7. de Is-boseth. ¶ *Super tectum*, ועל הגג] Tecta Terræ sanctæ plana fuisse apparet ex Deut. 22. 8. ¶ *Lavantem se*, רוחצת] Sub. *septimo die immunditiæ suæ.* Levit. 15. 19. i. domi suæ lavacro purgantem immunditiam menstruorum. ¶ *E tecto*, מעל הגג] Verbo præcedenti jungendum, *vidit è tecto*, nempe per fenestram domûs in qua lavabat se mulier. Ad verb. *de super tectum.*

3. *Et misit*, וישלח] Sub. *quempiam qui interrogaret quænam esset.* ¶ *Ac inquisivit*, וידרוש] Quænam scilicet ea esset mulier. ¶ *Et dixit*, ויאמר] Is videlicet cui negotium erat commissum. ¶ *Hitthæi?* החתי] *Hitthæum* dicit aut habitatione, aut genere, sed qui postea fuisset conversus ad fidem Israeliticam. Interrogativè pronunciat ut magis affirmet, ut dictum est Ruth 3. 1.

4. *Ipsa autem purgaverat se*, והיא מתקדשת] *Ea autem jam sanctificaverat se*, i. purgaverat sese à pollutione mensium, dum scilicet videt eam Rex lavantem se, q. d. Non peccavit quòd rem habuerit cum immunda; nam erat munda: sed quod deterius multò, adulterium commiserit.

5. *Misit*, ותשלח] Sub. *nuncios*, timens nè lapidaretur.

7. *De pace Joab*, &c. לשלום יואב וגו׳] Hebraismus, Quomodo valeret Joab, populúsque, & quàm rectè haberet bellum: pro militibus accipit *bellum.*

8. *Egressum est*, &c. ותצא אחריו וגו׳] i. Secutum est illum ferculum missum à Rege. Chaldæus paraph. *cibus.*

9. Ad *ostiam*, פתח] *In ingressu, ad portam.*

10. *Nónne de via tu venis?* הלוא מדרך אתה בא] q. d. Cùm sis fatigatus ex itinere, debebas descendere in domum tuam.

11. *In tabernaculis*, בסוכות] *In tentoriis*, sive, *papilionibus.* ¶ *In superficie agri manent*, על פני השדה חונים] i. Habitant foris in agris, sive humi sub dio jacent. ¶ Per *vitam tuam*, &c. חייך וחי נפשך] Juramentum est, Per authorem salutis tuæ. Vel, Quàm verum est me optare tibi vitam præsentem & futuram, &c.

13. *Et inebriavit eum*, וישכרהו] i. Curavit eum inebriandum, ut vel hâc ratione descenderet in domum suam.

15. *Hunc in modum*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Fortis*, החזקה] i. Acerrimè, h. e. objicite illum militibus acerrimè pugnantibus. ¶ *Postea revertimini à tergo ejus*, ושבתם מאחריו] i. Retrocedite ab eo, h. e. relinquite eum solum pugnantem, ut percussus intereat.

16. *Cùm obsideret*, בשמור] Ità transtulit Chaldæus paraph. Ad verb. *cùm custodiret*, vel, *observaret.*

17. *Ceciderúntque*, ויפול] Sing. Heb. pro plur. *cecidit*, i. mortui sunt.

18. *Gesta prælii*, דברי המלחמה] Ad verb. *verba prælii*, i. eventum belli. Chaldæus paraph. *negotia belli.*

19. *Universa gesta prælii*, כל דברי המלחמה] *Universa negotia prælii*, h. e. rationes omnes, sive omnem eventum, atque omnia quæ acciderunt in hoc prælio.

20. *Sic facies, si excitetur*, &c. והיה אם תעלה וגו׳] Ad verb. *erit, si ascenderit.* Quidam vertunt, *si contingat Regem commoveri.* Chaldæus paraph. *si exarserit ira Regis.* ו in והיה non copulat, sed vertit præt. in fut. ¶ *Ut præliaremini*, &c. להלחם] i. Quasi expugnaturi eam. ¶ *Nónne sciebatis*, &c. הלוא ידעתם] *Scitisne quomodo jaculentur* [vel *quòd jaculari soleant*] *è muro?*

21. *Jerubbeseth?* ירובשת] i. Gedeonis. Vide Judic. 9. 52, 53.

23. *Persecuti autem sumus eos*, &c. ונהיה עליהם וגו׳] Ad verb. *& fuimus contra eos*, i. deinde resumptis viribus ac impetu facto irruimus in eos, & repulimus, *persecutique sumus eos usque ad ingressum portæ.*

24. *At jaculati sunt*, &c. ויראו המוראים] *At sagittarii miserunt sagittas*, sive tela.

25. *Nè displiceat in oculis tuis*, אל ירע בעיניך] Hebraismus, Nè sit tibi molestum, vel, Nè ægrè feras. ¶ *Hoc*,

¶ *Hoc*, את הדבר] Ad verb. *iste sermo, istud verbum*. את non est signum accusativi hoc loco, ut annotant Hebræi. ¶ *Hunc sicut illum consumit gladius*, כזה וכזה תאכל החרב] *Sic & sic absumit gladius*, i. varius est eventus belli: modò hi cæduntur, modò illi. ¶ *Corrobora prælium tuum*, החזק] Corrobora milites tuos, h. e. jube eos bono esse animo ac forti in capienda urbe & evertenda. ¶ *Conforta quoque illum*, וחזקהו] *Corrobora quoque illum*, nempe Joab, jube illum bono esse animo ac forti.

26. *Eum*, על בעלה] Ad verb. *super virum suum*.

CASTALIO.

4. *Postquam ab impuritate sua lustrata est*] Foris mansit polluta ad vesperum, ob concubitum, ut jubebat Lex Levit. 15. 18.

8. *Illumque regiâ egressum secutum est regium ferculum*] Misit ei Rex de cœna sua.

21. *Jerobesethi*] Jerobaalis, h. e. Gedeonis.

CLARIUS.

1. *EO tempore*] Putant Hebræi hoc tempus esse quando segetes in agris inveniuntur pro equis pascendis.

3. *Uriæ Hethæi*] Vocatur *Hethæus* quòd vel advena fuerit ex Hethæis, aut quòd peregrinatus fuerit aliquandiu apud eos.

4. *Sanctificaverat se ab immunditia sua*] Jon. *Ipsa autem mundaverat se à menstruo suo*, quòd scilicet cùm David videret illam se lavantem, tunc mundabat se ab immunditia menstrui, nesciens quòd David in eam oculos conjecisset.

21. *Filium Jerobosеth*] Hic in libro Judicum vocatur *filius Jerobaal*. Significat autem JEROBOSETH, *Habens contentionem cum confusione*. Et vocat idolum Baal *confusionem*. Hic autem vulgatiori nomine vocatur *Gedeon*.

GROTIUS.

1. *EO tempore quo solent reges ad bellum procedere*] Vere, ut hîc interpretatur Kimchi. Sic 1 Par. 20. 1. ¶ *Obsederunt Rabba*] Quæ *Rabathamana*, i. Ammonis Polybio. ¶ *David autem remansit in Jerusalem*] Ovidius,

Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter :
In promptu causa est ; desidiosus erat.

2. *Se lavantem*] Habebant enim in hortis balnea; imprudenter.

4. *Dormivit cum ea*] Frustrà & hoc & cædem Uriæ malo consilio procuratam excusant Judæi, contrà quàm Nathan ei ostendit, & ipse agnovit Psal. 51. & Josephus, qui πταῖσμα δεινὸν meritò vocat, & Deus judicavit infrà 27. & 12. 11. Nimirum etiam optimos Reges facilè longa potentia & adulatores corrumpunt. *Indulgentiâ fortunæ & pravis magistris discunt audéntque*, ait Tacitus Hist. 2. qui & alibi *diuturnitate eos in superbiam mutari* dicit. ¶ *Statimque sanctificata est ab immunditia sua*] Hebr. *& ipsa tunc purgabatur ab immunditia sua*. Hoc ideo additum nè miraremur illico eam concepisse. Φύσει μὲν ὅταν ἡ σύλληψις γίνεται μετὰ τὸ τοὺς ἀπαλλαγῶ τὰ γυναιξὶ, ait Aristoteles De Hist. Animantium l. 7. c. 20. Videtur Bethsabea fuisse femina non impudica, sed quæ spe dominationis, ut Agrippina mater Neronis, nihil abnueret. Adeò *cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior* est, ut ait Tacitus Annal. 15. 53.

9. *Et non descendit ad domum suam*] Deo volente patefieri hoc Regis tam bene instituti flagitium.

11. *Arca Dei*] Quæ in castra ferri solebat, ut testimonium Dei faventis. ¶ *Dominus meus Joab*] Magister militum. ¶ *Super faciem terræ manent*] Humi cubant, ut fit in castris. Ostendit se ut bonum militem abesse à deliciis.

14. *Scripsit David epistolam ad Joab, Misitque per manum Uriæ*] Sic Prœtus Bellerophonti dedit literas ad Iobaten, quibus Bellerophontis nex mandabatur. Meminit Homerus, & alii.

15. *Et derelinquite eum ut percussus intereat*] Licet quidem Regi subditorum operâ in periculis uti, sed qui ideo id facit ut uxore alterius potiatur, etiamsi adulterium non præcessisset, committeret in legem, *Non concupisces*. Deinde si peccant qui talibus in periculis bonos commilites deserunt, quid qui deseri jubet? Tiberius Germanicum sibi invisum dolo & casibus objectabat; Tacitus narra Annal. 2.

21. *Quis percussit Abimelech?*] Vide Jud. 9. 53. & ibi notata.

26. *Et planxit eum*] Lacrimis qualibus Cæsar Pompeium. De quo Lucanus,

——*tutúmque putavit*
Jam bonus esse socer.

Sic periisse Germanicum nulli jactantiùs mœrebant quàm qui maximè lætabantur. Verba sunt Domitii Celeris Annal. 2. Taciti.

27. *Et displicuit verbum hoc*] i. Res, nempe adulterium nuptiis conglutinatum 12. 9. Neque tamen irritæ fuere eæ nuptiæ, neque filius postea natus ob id minùs legitimus. Multa enim in hoc genere non probè fiunt, quæ tamen rata sunt. Nec frustrà Bethsabea in genealogia Christi disertè nominatur, ut ejus exemplo moniti Judæi minùs aversarentur illos alienigenas qui vitiis quondam obsiti vitam emendaverant.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

3. *QUam emerat*] Qui ducit uxorem *emit* eam secundùm Hebraismi proprietatem.

6. *In quadruplo*] In Hebræo propriè habetur, *reddet bis quatuor*, h. e. octo. Nam est ארבעתים dualis numeri. Duplicatur autem mulcta illa quòd raptor fuit dives, & is cui ovem rapuit fuit pauper; alioquin simplex furtum in quadruplo restitui jubetur.

8. *Uxores domini tui*] Hæ fuerunt Egla uxor Saul, & Michal filia Saul.

11. *In conspectu Solis hujus*] h. e. בגלוי *in manifesto*. Sic enim infrà legitur quòd Absalom apertè ingressus est ad concubinas patris sui.

14. *Occasionem malè loquendi*] Vel sic redde, *blasphemando fecisti blasphemare hostes Domini in causa ista*, & subintelligendum est, *populum Israeliticum*; in quo tantum flagitium commissum fuit, non à vulgari homine, sed à Rege, qui tam impiè fidelem militem in manus tradidit hostium, quò liberiùs uxore ejus potiretur. Et nota quòd hîc נאץ *niez* scribitur pro *naez*, in infinitivo.

15. *Graviter ægrotavit*] Heb. *desperatus est*, seu *desperatum est*, scilicet de sua sanitate.

24. *Vocavitque nomen ejus Salomo*] Heb. *Schlomo*. Mater monita per Prophetam vocat nomen pueri *Schlomo*: pater autem vocavit eum *Jedidia*, quòd Dominus diligeret ipsum. Interpretatur enim JEDIDIA, *Dilectus Domini*.

27. *Cepi urbem Aquarum*] Erant duæ conjunctæ civitates, quarum minor vocabatur *civitas Aquarum*, propter multas aquas quæ erant in ea; alia *Rabba*, in qua manebat Rex. Primam cepit Joab, & alteram Rex.

30. *Super caput David*] Sensus est, Supra caput David sedentis in throno suspendebatur: alioquin quomodo ille potuisset in capite gestare coronam centum libras pensitantem. Kimhi tamen dicit ככר *sexaginta continère* ליטרין, i. *libras*: ideo ad breve tempus potuit coronam illam gestare in capite.

31. *Posuit super serras*] h. e. Dedit sententiam ut serris, rastris & securibus occiderentur, atque comburerentur in loco ubi lateres coquebantur, in loco scilicet ubi pro honore Dei sui Molæch filios suos flammis exurendos immolabant.

VATABLUS.

3. *Erátque illi tanquam filia*, ותהי לו כבת] i. Diligebat eam unicè tanquam filiam. Hoc dicit quòd Urias esset eâ natu major.

4. *Viator*, הלך] *Quispiam iter faciens, peregrinus.* ¶ *Pepercit accipere*, ויחמול לקחת] i. Noluit accipere de ovibus suis ut cibum pararet, sive convivium ac cœnam.

5. *Tum iratus est furor Davidis*, ויחר אף דוד] Hebraismus, Vehementer indignatus est in hominem illum divitem.

6. *Bis quadruplicatam*, ארבעתים] Ad verb. *bisquater*, i. octies, h. e. pro agna illa reddet bis quaternas agnas. Alii, *quadrupliciter*, i. quatuor agnas, q. d. *Eò quòd fecit hanc rem*, i. furatus est agnam, reddet quatuor agnas: *& eò quòd non pepercit* agnæ hominis pauperis, reddet alias quatuor. Doctores Hebræorum dicunt eum dedisse pœnas in quatuor liberis. Fures tenebantur reddere quadruplum: hic autem, quoniam dives erat, addit alterum quaternarium numerum; nam reddit octo oves.

8. *Domum*, את בית] Successit enim Sauli in Regnum. ¶ *Et uxores*, ואת נשי] De Egla & Michal, vel Rispha & Michal intelligunt Hebræi. ¶ *Et si parùm*, ואם מעט] Sub. *adhuc expectasses, & non peccasses.* ¶ *Talia & talia*, כהנה וכהנה] Ad verb. *secundùm hac & secundùm hac*, i. multò majora his dedissem tibi.

9. *Filiorum Ammon*, בני עמון] q. d. Gladio incircumcisorum: quæ magna est injuria.

10. *Non recedet gladius*, &c. לא תסור חרב מביתך] i. Tui peribunt ense.

11. *Suscitaturus sum*, מקים] Præs. Heb. *prastò sum suscitare.* ¶ *In oculis tuis*, לעיניך] i. Te sciente. ¶ *Proximo tuo*, לרעיך] Ad verb. *sodalibus tuis*, i. uni ex sodalibus tuis, h. e. filio tuo Absalom. ¶ *In oculis solis hujus*, לעיני השמש הזאת] i. Spectante Sole isto: h. e. publicè & palàm.

13. *Transtulit*, העביר] Quoniam scilicet agnovisti te peccasse.

14. *Blasphemando blasphemare*, &c. נאץ נאצת] Hebraismus, Fecisti ut Dominus malè audiret apud inimicos suos, propterea quòd fecisti hanc rem: dicent enim eum constituisse Regem improbissimum populo suo. Chaldæus paraph. *quia aperiendo aperuisti os inimicorum Domini in hoc negotio*, i. dedisti ansam inimicis Domini loquendi contra ipsum propter hanc rem.

16. *Et ingressus*, ובא] Sub. *cubiculum*.

18. *Septimâ*, השביעי] Sub. *à nativitate.* ¶ *Dicebant enim*, כי אמרו] Præt. Heb. per præt. imperf. vertendum, *dicebant apud se*, vel, *inter se.* ¶ *Ut faciat malum?* ועשה רעה] Sub. *sibi*, i. ut se affligat, q. d. Si dixerimus mortuum esse, tum se affliget. Ad verb. *& faciet malum?*

20. *Tum petivit*, וישאל] Sub. *sibi apponi escam.*

22. *Dixi enim*, כי אמרתי] *Dicebam enim.*

23. *Revocare eum*, להשיבו] Sub. *ad vitam.*

25. *Miserat enim*, וישלח] Sub. *Dominus*, id enim mandaverat Dominus Davidi per Nathan, 1 Par. 22. 9. ¶ *Et vocavit*, ויקרא] Sub. *David*, ex se & suâ sponte, altero nomine, nempe *Jedidiah.* ¶ *Propter Jehovam*, בעבור יהוה] i. Quia Jehovah diligebat eum.

26. *Pugnavit*, וילחם] i. Oppugnatam [vel, *pugnando*] *expugnavit eam.* ¶ *Regiam*, המלוכה] Ad verb. *regni*, i. quæ erat sedes Regni. Urbs regia adjacebat ipsi Rabbah, & defendebat illam: quæ quidem urbs alio nomine vocabatur *Urbs Aquarum*, ut v. 27. vides. Parva quidem urbs, sed inexpugnabilis penè erat propter ingentem vim aquarum quâ cingebatur.

27. *In hac verba*, ויאמר] Ad verb. *& dixit.* ¶ *Pugnavi*, נלחמתי] i. Oppugnatam [vel *pugnando*] *expugnavi eam.* ¶ *Urbem Aquarum*, את עיר המים] Vide v. 26.

28. *Et castrametare*, &c. וחנה וגו'] i. Oppugna & expugna eam. ¶ *Et vocetur nomen*, &c. ונקרא שמי עליה] Hebraismus, nè, si ego cepero eam, victoria asscribatur mihi, non tibi.

30. *Et lapis pretiosus*, ואבן יקרה] Sing. Heb. pro plur. *lapides pretiosi*, h. e. ultra lapides pretiosos quibus ornabatur. ¶ *Et fuit super caput Davidis*, ותהי על ראש דוד] Sub. *imposita*, i. capiti Davidis imposita ad tempus breve, ut dicunt quidam. Alii, *& fuit posita super caput*, i. suspensa. ¶ *Urbis eduxit*, העיר הוציא] i. De urbe asportavit.

31. *Sub serra*, במגרה] i. Serris secandum curavit: h. e. perdidit eum serris. ¶ *Et sub trahis ferreis*, &c. ובחרצי הברזל וגו'] i. Tribulis, sive trahis, quæ ab equis trahebantur, proterendos curavit, & securibus interfecit. ¶ *Transireque fecit*, &c. העביר אותם במלבן] i. Conjecit eos in fornacem tegulariam, in qua decoquebantur lateres. Legitur & במלכן, per כ in fine, tunc vertendum *per Malchen*, i. locum idoli Molech, h. e. per ignem. ¶ *Atque ità faciebat*, &c. וכן יעשה וגו'] Fut. Heb. pro præt. quod per imperf. vertendum est, i. ità facere solebat, &c.

CASTALIO.

25. *Jedidiam*] h. e. Jovæ charum.

26. *Cùm regiam urbis partem cepisset*] Heb. *cùm urbem regni.* Et paulò pòst, quod verto *Urbis partem in qua erat aquatio*, in Hebræo est *urbem aquationis*, sicut *Major* & *Minor Basilea* dicitur pro *majori* & *minori parte Basileæ*; *& reliquum corpus* pro *reliqua parte corporis.*

CLARIUS.

3. *Quam emerat*] Qui ducit uxorem *emit* eam secundùm Hebraismi proprietatem.

5. *Filius mortis est*] Vide ut etiam post tantum scelus non oblitus est se esse David.

8. *Uxores domini tui*] Hæ fuerunt Egla uxor Saul, & Michol filia Saul.

11. *In oculis Solis hujus*] h. e. In manifesto. Sic enim infrà legitur quòd Absalom apertè ingressus fit ad concubinas patris sui.

24. *Salomon*] Hebræi legunt *Solomo.* Mater monita per Prophetam vocat nomen pueri *Solomo*; pater autem vocavit eum *Jedidia*, quòd Dominus diligeret ipsum. Significat enim JEDIDIA *Dilectus Domini.*

27. *Urbem Aquarum*] Erant duæ conjunctæ civitates, quarum minor vocabatur *civitas Aquarum*, propter multas aquas quæ erant in ea; alia *Rabbathi*, in qua manebat Rex: Priorem cepit Joab, & alteram Rex.

30. *Tulit diadema*] Putatur de hac corona intelligi cùm in Psalmo dicitur, *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

31. *Posuit super serras*] h. e. Tulit sententiam ut serris, rastris & securibus occiderentur, atque comburerentur in loco ubi lateres coquebantur, in loco scilicet ubi pro honore Dei sui Moloch filios suos flammis exurendos immolabant.

DRUSIUS.

14. נאץ נאצת] A. Παροξύνων παρώξυνας *irritans irritasti*] Vel *acerbasti.* Psal. 10. 3. נאץ, alius παρώξυνε, *acerbavit, irritavit.* 74. 10. ינאץ, LXX παροξυνεῖ. Sym. ἀθετλανίζει. Prov. 1. 30. נאצו, A. διέζυσαν. Sym. & Th. παρώξυνον.

GROTIUS.

1. *Duo viri erant*] Est αἶνος & appositus & prudens. Nam quia, ut in vetere proverbio est,

Semper homo aliud in se fert, aliud in alio judicat,

ideo ità rem proposuit ut non opus haberet Propheta Regem damnare, sed Rex semet ipse damnaret.

5. *Filius mortis est*] Mortem meruit ob summam improbitatem,

probitatem, quæ facit ut sæpe etiam supra leges pœna intendatur.

7. *Tu es ille vir*]
——mutato nomine, de te
Fabula narratur.
ut ait Horatius.

8. *Dedi tibi domum Domini tui*] Titulo confiscationis, ob partes Isbosethi. ¶ *Uxores domini tui in sinu tuo*] Viduæ Regis nisi Regi nubere non poterant ex moribus.

9. *Interfecisti eum gladio filiorum Ammon*] q. d. *feris eum objecisti.* Interficit qui injustam morti occasionem dat.

10. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*] Dum vives. Ità enim vox עד עולם sumitur pro subjecta materia diversè. Referenda hæc ad mortes violentas filiorum David, Amnonis, Absolomi, &, sub ipsum finem Davidis, Adoniæ.

11. *Suscitabo super te malum de domo tua*] Deus facere dicitur quod non impedit. Sic & *tollere* & *dare* in sequentibus. ¶ *Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo*] Id est hîc, filio tuo, infrà 16. 21.

13. *Peccavi Domino*] Confessio Pœnitentiæ grata comes. ¶ *Non morieris*] Erat quidem David supra legis pœnas, ut Rex, & post ipsum etiam Regina. Sed Deus eorum quæ Magistratus punire non poterant aut nolebant, se vindicem fore minatus erat Lev. 26. 14. Non eo tamen sibi ademerat ignoscendi potestatem, quâ hîc ità utitur ut solâ mortis pœnâ & amittendi Regni Davidem liberet, multa alioqui mala alia ei inflicturus.

14. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*] Gravis ad peccatum accessio, occasionem dare impiis gentibus malè sentiendi de lege Divina, quam sperni à primis Hebræorum videant.

16. *Jejunavit jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram*] Jejunium, secubatio ab uxore, illuvies, χαμευνία, viles vestes, fletus, alimenta sunt precationis. Vide infrà 20, 21, 24. Fuisse Davidem φιλόστοργον non ex hac tantùm historia sed & ex indulgentia circa Absalomum & Adoniam apparet.

23. *Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem?*] Non leve signum pœnitentiæ, in pœnis quas Deus ob peccata immisit acquiescere. ¶ *Ego vadam magìs ad eum*] Romani dicebant, *Vale; nos te ordine quo natura permiserit, cuncti sequemur*, teste Servio ad 3. Æneidos, & in inscriptionibus. Antiphanes,

——τὴν αὐτὴν ὁδὸν
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐς' ἀναγκαίως ἔχον
Προεληλύθασιν.

28. *Cape eam*] Curtius rem similem de Cratero narrat in Artacacnæ obsidione, *Ille, omnibus præparatis, Regis exspectabat adventum, capta urbis titulo (sicut par erat) cedens.*

30. *Impositum est super caput David*] Heb. *fuit supra caput David*; quod interpretantur, Ità bene convenit Davidis capiti quasi ei propriè fuisset destinata. Regis victi non corona tantùm sed omnis ornatus ac supellex Regi victori cedebat, ut Thalmudistæ notant. Simile illud apud Macedonas, *Tradito more ut victorem victi Regis tabernaculo exciperent*, apud Curtium. Vide quæ annotavimus ad l.3.De J.B.ac P. c. 6. §. 24. & adde 1 Par.20.2.

31. *Serravit*] Non incognitum istis terris supplicium, quo & Esaiam affectum à Manasse aiunt Hebræi. Vide Heb. 11. 37. Idem in milites quosdam usurpavit Valens Imperator. Sunt ejus supplicii exempla & in Historia Suedica, Turcica & Neapolitana.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

2. ANgebatúrque] Capitur ויצר pro ועקת, ut Jonathan vertit; h. e. *tantum urgebatur*, vel *vexabatur, amore ejus ut infirmaretur.* Et est radix verbi צור vel צרר.

3. *Valde prudens*] h. e. Erat vafer & valde astutus & ingeniosus ad malas artes; & talem Hebræi vocant חכם בתחבולות.

5. *Ut reficiat me*] A radice ברה. Indè הבריה *cibus, prandium*, vel *refectio*.

6. *Duos pastillos*] Est לביבה *pasta tenuis in sartagine cocta.* Hebræi exponunt משרת pro אלפס *patella*.

13. *Et non prohibebit me tibi*] Sed quomodo potuit soror duci in uxorem? Respondent Hebræi quòd secundùm carnem fuerit soror ejus, non autem secundùm Legem. Nam David videns in bello Maacha matrem ejus mulierem Gentilem, amore ejus captus, priusquam illa Judæa fieret, imprægnavit eam: natáque est Thamar ex illo concubitu. Deinde genuit Absalom fratrem ejus. Et quoniam Thamar nata fuit in Paganismo, reputatur ad Amnon, qui aliam habuit matrem, quasi mulier extranea; ideo potuit ab eo duci.

16. *Non habes causam*] Jonathan vertit אל pro על, & אודות pro עיסק *negotio*. Kimhi sic exponit, *Non fiet istud ut sic confusibiliter me expellas: id enim majus malum est, cùm in propatulo fiat, alterum autem in secreto factum sit. Fieri enim potuit ut stupro celato Rex me tibi dedisset uxorem.* Causam odii quidam putant fuisse mala verba quibus virgo verecunda pudicitiam suam tueri nitebatur. Alii dicunt נקשרה לו נימה quòd ab illa hora fuerit virilitate suâ destitutus.

18. *Tunica discolor*] Est כתנת פסים idem quod לבוש מצבעים מתחלפים, i. *indumentum constans ex variis coloribus.* Alii exponunt *tessellatam tunicam*.

20. *Aminon*] Sic vocat eum דרך בזיון *contemptûs causâ.*

39. *Et desiderium inerat David regi*] Exponitur ותכל pro חמידה, h.e. *anima David desideravit egredi ad Absalom.* Aben Ezra verò putat referendum ad matrem Absalom, quæ fecit ut David desideraret egredi ad filium suum Absalom. Est enim ותכל verbum transitivum fem. generis, quod Chald. interpres refert ad *animam David*. Nostri vertunt pro *cessare*; reddúntque sic literam, *Cessavitque David Rex persequi Absalom*: at hi non advertérunt verbum ותכל hîc scribi in transitiva conjugatione.

VATABLUS.

1. SOror, אחות] Ex eadem nempe matre. Eadem Macha genuerat Absalom & Thamar. Hæc Maacha capta fuit in bello: quam cognovit David antequam conversa esset ad fidem Israeliticam: postea duxit eam uxorem: unde Absalom genitus. Hæc Hebræi.

2. *Virgo enim erat*, &c. כי בתולה היא וגו'] i. Quæ cùm esset virgo, difficile & arduum illi videbatur posse potiri illâ, nam more virginum continebatur domi.

3. *Prudens*, חכם] Ad mala scilicet, i. callidissimus & astutissimus.

4. *Singulis diebus?* בבוקר בבוקר] Ad verb. *in manè in mane?* Propter nimiam scilicet cogitationem quâ noctu vexabatur, magìs macer videbatur.

5. *Veniat*, תבוא] Sub. *ad me.* ¶ *Ut porrigat mihi escam*, &c. ותברני לחם וגו'] Ad verb. *& comedere faciat me panem, & faciat in oculis meis pulmentum.* Vel, ut alii, *escam*.

6. *Duo lagana*, שתי לבבות] *Duas placentas*, vel, *crustulas mellitas.*

8. *Farinam*, את הבצק] Sic *farina* hoc loco dicitur Hebraicè, à fine suo; nam frumentum molitur ut fiat farina, & è farina conspersio. ¶ *Commiscuit*, ותלוש] i. Conjecit in aquam ferventem, ut postea frigeret illa.

9. *Et effudit*, ותצוק] De sartagine scilicet in scutellam, aut aliud vas.

10. *In cubiculum*, החדר] Sub. *secretius.*

12. *Sic fit*, יעשה כן] *Ità fieri solet.* Fut. Heb. *fiet* pro *fit*, & sic Chaldæus paraph. sub. *fornicatio.*

13. *Nam ego quo depellam*, &c. ואני אנה וגו'] Ad verb.

Et ego quo pergere [vel, *abire*] *faciam*, &c. q. d. Quomodo me probro liberabo, si mecum rem habueris? ¶ *Non enim denegabit me tibi*, [כי לא ימנעני ממך] Ad verb. *& non prohibebit me à te.*

16. *Ob hanc causam*, &c. [אל אודות וגו'] Noster interpres legit על, pro אל, ut & Chaldæus paraph. Alii vertunt, *Ne fiant causa mali hujus majores* [i. quod futurum est majus] *altero quod admisisti adversum me, ejiciendo me*, i. quod admittes si me ejeceris: jungitur enim cum præcedenti.

18. *Super eam verò* erat *tunica polymita*, [ועליה כתונת פסים] i. Ea induta erat tunicâ polymitâ. De polymita veste vide Gen. 37. 3.

19. *Tulit autem Thamar*, &c. [ותקח תמר וגו'] i. Acceptum cinerem posuit super caput suum. ¶ *Et ibat eundo, & clamabat*, [ותלך הלוך וזעקה] i. Inter eundum clamabat & vociferabatur.

20. *Aminon*, [האמינון] Sic vocat Amnonem per contemptum, ut annotat doctus inter Hebræos. ¶ *Fuit*, [היה] i. Rem habuit. ¶ *Ne apponas cor*, &c. [אל תשיתי וגו'] Hebraismus, Nè cures de hac re. Ad verb. *Ne apponas cor tuum ad rem istam.*

22. *A malo usque ad bonum*, [למרע ועד טוב] Hebraismus, *neque bonum, neque malum.*

23. *Dierum*, [ימים] i. Integros. ¶ *Tondebant*, [ויהיו גוזזים] Ad verb. *Et erant tondentes.* ¶ *Et vocavit*, [ויקרא] Sub. *ad convivium.*

25. *Ne gravemus te*, [ולא נכבד עליך] *Ne simus tibi graves*, propter impensas. ¶ *Et cogebat eum*, [ויפרץ בו] Sub. *precibus*, i. obnixè rogabat. ¶ *Sed benedixit ei*, [ויברכהו] i. Sed bene precatus est illi, aut, valedixit ei.

26. *Et non veniet*, [ולא ילך] q. d. Quòd si non venturus sis, an propterea Amnon non veniet? ¶ *Ad quid iret tecum?* [למה ילך עמך] q. d. Non est opus.

27. *Cùm autem cogeret*, [ויפרץ בו] Ad verb. *Et coegit eum.*

28. *Nónne quia ego*, &c. [הלא כי אנכי וגו'] *Nónne ità res habet quod ego præcepi vobis* hoc? i. nónne estis id facturi mandato ac præcepto meo? confidite igitur. ¶ *Fortes*, [לבני חיל] Ad verb. *filii fortitudinis*, i. estote fortes & robusti. h. e. bono animo.

29. *Surrexerúntque*, [ויקומו] Sub. *à convivio.*

30. *Cùm autem adhuc essent in via*, [ויהי המה בדרך] Ad verb. *Et fuit ipsis in itinere.* ¶ *Dicendo*, [לאמור] i. Quæ diceret.

31. *Jacuítque in terra*, [וישכב ארצה] In signum scilicet luctûs ac mœroris.

32. *In ore Absalom posita erat*, [על פי אבשלום היתה שומה] Sub. *cædes*, i. semper narrabat amicis se occisurum Amnon: decreverat statim interficere illum. Sic doctus inter Hebræos.

33. *Nè apponat*, &c. [אל ישם וגו'] Hebraismus, Nè ponat super cor suum aliquid tale quod sequitur, i. nè credat hujusmodi verbis, nempe, *Omnes filii*, &c. ¶ *Quia*, [כי אם] Admonet Masareth, variarum lectionum Hebraicarum in Bibliis index, scribi כי אם, & solùm legi כי. Potest tamen constare sensus si vertas juxta scripturam כי אם, *sed Amnon solus*, &c.

34. *Post montem ex latere ipsius*, [אחריו מצד ההר] Ad verb. *post eum ex latere montis.* Relativum ante suum antecedens, i. per viam quæ erat post montem. Per latus montis cœpit eos speculator videre cùm fuerunt in latere montis: erat enim veniendum illac in urbem.

35. *Juxta verbum*, &c. [כדבר עבדך וגו'] Hebraismus, Ut dixit servus tuus, ità evenit.

37. *Thalmai*, [תלמי] Hic erat pater matris ejus. ¶ *Omnibus diebus*, [כל הימים] Quibus scilicet luxit, h. e. tribus annis. Alii, *multo tempore.*

39. *Post hæc desideravit*, [ותכל] Verbum fem. propterea subaudiunt Hebræi *anima*, & ità habet Chaldæus paraph. i. cœpit Rex teneri maximo desiderio Absalomis absentis: ac subinde suspirabat cùm meminerat filii. Hoc doctus inter Hebræos. Alter ex doctioribus illorum exponit (quod tamen aliis minùs probatur) *& desiderare fecit Davidem* (sub. *uxor sua*) *filium absentem, ut egrederetur aliquis quem mitteret ut revocaret Absalom exsulem.* ¶ *Super Amnon quòd mortuus esset*, [על אמנון כי מת] i. Super Amnone mortuo, sive de morte Amnonis.

CLARIUS.

13. NON *negabit me tibi*] Sed quomodo potuit soror duci in uxorem? Respondent Hebræi quòd secundùm carnem fuerit soror ejus, non autem secundùm Legem. Nam David videns in bello Maacha matrem ejus mulierem Gentilem, amore ejus captus, priusquam illa Judæa fieret, gravidam eam fecit; nataque est Thamar ex illo concubitu: Deinde genuit Absalom fratrem ejus: & quoniam Thamar nata fuit in paganismo, reputatur ad Amnon, qui aliam habuit matrem, quasi mulier extranea; ideo potuit ab eo duci.

15. *Exosam eam habuit*] Causam odii quidam putant fuisse mala verba quibus virgo verecunda pudicitiam suam tueri nitebatur. Alii aliàs afferunt rationes. Sed simpliciùs dici potest, id sæpe Deo volente accidere in stultis stultorum amoribus, ut vehementem amorem vehementius odium subsequatur.

DRUSIUS.

19. כְּתֹנֶת הַפַּסִּים. Lxx τὸν χιτῶνα τὸν ἀστραγαλωτόν. A. τὸν χιτῶνα τὸν καρπωτόν. Sym.—— χειριδωτόν] Ἀστραγαλωτὸν, *talarem* ἴσως. Hæc vox exstat in ed. Compl. ¶ Καρπωτὸν *manuleatam.* Notum ut καρπὸς pro *manu* usurpetur, unde πόνοι τῶν καρπῶν σου, quod malè reddunt *labores fructuum tuorum.* ¶ Χειριδωτὸν, *manicatam*, sive *manuleatam. Chiridota tunica* citatur ex A. Gellio. Lex. vetus, Χειριδωτὸς, *manicatus.* Dicitur etiam χειρωτὸς à χεὶρ, ut καρπωτὸς à καρπός.

GROTIUS.

2. ET *deperiret eam valde*] Amor ex forma sola conceptus, quò magìs est inhonestus, eò solet esse validior, nitente in vetitum humano ingenio. Amnon, ut Domitianus apud Tacitum, stupris & adulteriis filium Principis agebat. ¶ *Ut ægrotaret*] Nam & Medici morbis accensent eum qui ex amore contrahitur,

Pallidus in Lyricen silvis errabat Orion.

¶ *Cùm esset virgo*] i. Bene custodiretur, ut solebant virgines. Vide ad Matth. 1. 23. ¶ *Difficile ei videbatur ut quippiam inhonestè ageret cum ea*] In Hebræo est. *facere*, quod in ea lingua non minùs quàm Latina id significat quod Interpres hîc per circumlocutionem expressit. Sic Gen. 19. 8.

5. *Cui respondit Jonadab*] Unus eorum *quibus omnia Principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est*, ut Tacitus loquitur tertio Annalium.

12. *Neque enim hoc fas est in Israel*] Satìs audierat populum hunc sanctiorem aliis populis esse debere.

13. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum*] Τὴν ὕβριν, ut Græci loquuntur. Lxx τὸ ὄνειδός μου. ¶ *Et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel*] Εἷς τῶν ἀφρόνων hîc Lxx. Nam ἀφροσύνη proprio quodam jure de rebus Venereis dicitur. Hecuba in Troasin Euripidis,

Τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,
Καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.

¶ *Quin potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi*] Puella minimè perita juris tantum esse jus Regis existimavit ut connubium non jure gentium incestum posset permittere: aut etiam putavit non interdictas nuptias Fratrum & Sororum qui non essent ὁμομήτριοι, aut quidvis dixit ut se præsenti periculo subtraheret. Hebræi natam volunt Thamarem ex primo concubitu Davidis cum bello capta: ità autem genitis nullam esse cognationem.

15. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis*] Idem de amore post cupiditatem expletam in odium mutato Honorii in sororem Placidiam narrat Olympiodorus, cujus excerpta habemus Photii beneficio.

18. *Quæ*

18. *Quæ induta erat talari tunicâ*] Quod hîc *talarem* vertit est פסים in Hebræo. פס & *particulam* significat, & *volam*: qui ad priorem significatum respexere, verterunt *variam*, i. πολύμιτον, qui ad posteriorem, intellexere *manuleatam*, quam Græci, ut & Gellius testatur, & hîc Symmachus verterat, dixere χειριδωτόν. Aquila, originum sectator, hoc loco καρπωτόν. ¶ *Ejecit itaque eam minister illius foràs*] Juvenalis,

Collige sarcinulas, dicit libertus, & exi.

19. *Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissâ talari tunicâ, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans*] Similis Lucretiæ mœstitia apud Livium, l. 1.

20. *Sed nunc, soror, tace: frater tuus est*] Domestica mala silentio obtegenda: non malè hoc dictum. Neque tamen hoc sentiebat Absalomus, sed altè abditum ulciscendi consilium prodere ante occasionem nolebat.

21. *Et noluit contristare spiritum Amnonis filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei*] Hæc sunt in Græco, non in Hebræo.

22. *Non est locutus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum*] De ea re scilicet. Biennio toto eam rem ità dissimulavit quasi nihil ejus sciret.

23. *Ut tonderentur oves Absalom*] Cato Senex interrogatus *quid in re familiari esset primum*, respondit, *Bene pascere*, ut Cicero nos docet. Is tum quæstus Regum filios dedecere non putabatur.

——habitarunt Dî quoque silvas,
Dardaniusque Paris.

ut apud Virgilium est Ecl. 2.

24. *Ecce tondentur oves servi tui*] Sicut Puerorum in urbibus erat κουρεώτις ἑορτή, ità Ovium ruri. Numerabantur enim tunc pecudes, & de incremento gaudebatur.

28. *Percutite eum & interficite*] Incestus traxit parricidium, ut inter Thyesten & Atreum. ¶ *Ego enim sum qui præcipio vobis*] Filius Regis, Regi carus, & Amnone mortuo Regni heres. Ex his omnibus impunitatem & sibi & adjutoribus pollicebatur. Vide 14. 7.

37. *Abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur*] Ad avum maternum confugit, ubi leges Dei locum non habebant. Nam urbes receptûs non texissent deliberatò parricidam, quanquam datâ iræ causâ. Sola cædes vindicari privato ausu impunè ab occisi proximo poterat: non & aliæ quantumvis graves injuriæ.

39. *Cessavit rex David persequi Absalom*] Lxx. ἐκόπασεν ὁ βασιλεὺς Δαβὶδ τοῦ ἐξελθεῖν πρὸς Ἀβεσσαλώμ, ὅτι παρεκλήθη ἐπὶ Ἀμνὼν ὅτι ἀπέθανε. Sic Chaldæus, *Cupiit anima Davidis egredi*. Et vox Chaldæa כלה, unde hîc est תכל, sic interdum sumitur.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

10. NOceat] Heb. *tangat*, pro quo Jonathan vertit לאנזקא, sicut & nos vertimus.

11. *Recordetur*] Sensus est; Emittat rex juramentum ex ore suo, nè interficiatur filius, alioquin si unus cohibeatur ultor, poterit alius insurgere, & interfecti fratris ulcisci necem.

13. *Quare cogitasti*] Sensus est; Non credent quòd juraveris, sed dicent quòd errans locutus fueris: at cùm ejectum revocaveris, tum scient sanguinem illius non ulciscendum. Ut quid enim ulciscendum putas sanguinem, maximè illius qui sine testibus occisus est, cùm omnes in brevi morituri simus, & corpora nostra haud secùs quàm aqua à terra sint absumenda? En tam certa est mors ut Deus nulli mortalium parcat. לא ישא פני נפש שימלטנה מן המיתה. Capitur enim hîc נשא pro מחל & סלח. Cogitabis igitur ut non rejicias ullum à te qui est rejiciendus, vel qui jam est rejectus, sed potiùs cura ut revocetur. Alii tamen hunc locum; *Cogitet ergò cogitationes*, referunt ad Deum, ut iste sit sensus; *Deus cogitat cogitationes*, i. posuit judicia, *ut non expellatur homicida*. Rabbi verò Levi sic exponit, *Cogitat Deus cogitationes ut interficiat homines variis modis & ob varias causas, ut nullus sit qui effugere possit manus ejus, quantumlibet ab hominibus sit ejectus, aut effugerit manus illorum*. Capitur enim hîc *ejici* pro *effugere*.

15. *Timebunt me*] Hebræi exponunt הפחדי דוני *terruerunt me populi*, scilicet quòd citra offensam tuam non possem tecum loqui.

17. *In consolationem*] Legerunt hîc nostri interpretes מנחה pro מנוחה. Est autem sensus; Consolabitur me Rex ab afflictione mea.

19. *Manus Joab*] i. עצה *consilium*, cujus scilicet auspicio hæc agis. ¶ *Si est quispiam vel ad dextram vel ad sinistram*] Hunc habet sensum; Nemo est qui cooperatus sit mihi in omnibus verbis quæ ad te sum locutus præter unum Joab, qui faciem hujus sermonis, משל i. *figuratam istam locutionem*, dictavit, suggessit, præcepitque ut sic circuirem schemate istius orationis.

25. *Non fuit vir tam pulcher*] Ostendit Scriptura per hæc quid illum moverit ut affectarit Regnum & tam gravem seditionem excitaverit.

VATABLUS.

1. QUòd cor Regis esset ad Absalom, כי לב המלך על אבשלום] Hebraismus, Quòd teneretur desiderio Absalom.

2. *Sapientem*, חכמה] *Prudentem*. Quàm prudens fuerit, ex sequentibus perspicitur.

3. *Juxta verbum hoc*, כדבר הזה] i. Talia. ¶ *Posuit enim Joab verba*, &c. וישם יואב וגו'] Hebraismus, pro, *suggessit quæcunque oporteret eam dicere Regi*.

4. *Postquam ceciderat*, &c. ותפול וגו'] Ad verb. *& cecidit super*, &c. *& adoravit, & dixit*. ¶ *Serva*, הושעה] i. Fer mihi opem.

6. *Qui erueret*, מציל] *Qui liberaret*, i. qui litem inter eos ortam componeret. Querimoniam hujus mulieris justam facit, quòd fratrem frater interfecit sine testibus: Lex autem vetat nequis interficiatur sine duorum testimonio, Deut. 17. 6.

7. *Propter animam fratris sui quem occidit*, בנפש אחיו אשר הרג] Hebraismus, Quòd interfecerit fratrem suum. ¶ *Heredem*, את היורש] i. illum superstitem, qui alioqui est futurus heres patris sui. ¶ *Et exstinguent prunam meam*, וכבו את גחלתי] *Sic extinguere conantur scintillam meam*. Alii, *extinguere volentes prunas meas quæ relictæ sunt*, q. d. Superest parva scintilla, quam volunt exstinguere. ¶ *Ut non ponant*, &c. לבלתי שום וגו'] i. Ut non relinquant ullum filium qui nomen patris referat, vel, ut deleatur prorsus memoria viri mei, quæ servabitur in scintilla illa filii mei, si placuerit tibi servare illum.

8. *Jubebo pro te*, אצוה עליך] i. Dabo mandata pro te, vel, propter te, h. e. jubebo & præcipiam ut filio tuo nihil mali fiat, q. d. Jubebo cognatis tuis nè sint tibi molesti.

9. *Iniquitas*, &c. העון וגו'] i. Pœna iniquitatis sit in me; & in familiam patris mei; Rex autem sit exsors pœnæ iniquitatis, q. d. Siquid mihi interim acciderit te negligente querimoniam meam, lues tu pœnas, siquid sinistri accidat filio meo. Retorsit enim in se mulier quod erat tribuendum Regi, honoris causâ.

10. *Adduc eum*, והבאתו] Verbum est masc. quòd unum ex pueris suis alloquatur, quem dat mulieri comitem: quia mulier non potuisset adducere illum nisi cum uno ex pueris Regis. ¶ *Continget te ultrà*, יוסיף עוד לנעת בך] Ad verb. *addet ultrà ut tangat te*.

11. *Recordetur, obsecro*, &c. יזכר נא וגו'] Mutatio personæ. *Memento, quæso, Rex, Jehovæ Dei tui*. Hebraismus, Jura mihi per Dominum. ¶ *Nè multiplices propinquos sanguinis*, מהרבית גאול הדם] *Nè multiplices ultores sanguinis* effusi, i. nè sis causâ ut multiplicentur, h. e. nè multi existant ultores sanguinis, qui

conentur perdere filium meum. Vult Regem promissionem suam jurejurando confirmare, q. d. Si interdixeris uni tantùm, statim emerget alius qui filium meum occidat: ità eris causa quòd ultores sanguinis effusi exsistant multi. Sit ergò, Rex, edictum tuum generale, & jurejurando firmetur: prohibe in universum, jurejurando adhibito, nequis occidat filium meum.

13. *Et quare cogitasti*, &c. ולמה חשבתה ונו'] *Sed quare* [*Quare ergò*] *cogitasti tale quidpiam* [ad verb. *secundùm hoc*] *de populo Dei?* i. Quomodo cogitas populum tuum talia sentire ac velle facere, nempe eos velle interficere filium meum? Cùm illud damnes, cur igitur illud facis, neque animadvertis te locutum contra teipsum? non enim revocas Absalom. ¶ *Loquitur enim Rex*, &c. ומדבר המלך ונו'] i. Loqui vel dicere videtur Rex verbum hoc, quòd scilicet non interficiant filium meum, tanquam imprudens, eò quòd non revocet Rex exsulem suum, h. e. filium suum, qui sibi ipsi indixit exsilium propter cædem fratris sui, cujus accusatur, q. d. Non advertis teipsum condemnare, qui non revoces Absalom.

14. *Moriendo namque morimur*, כי מות נמות] Hebraismus, Omnes brevi moriemur, q. d. Nè, quæso, acceleres mortem Absalom: citò enim satis morietur: Vita hominum fluxa est *instar aquarum effusarum in terram, quæ non recolliguntur:* anima enim nostra brevi exibit à nobis, neque revertetur in corpus ante resurrectionem. ¶ *Animam*, נפש] Pro *persona* accipit *animam*, i. non suscipiet faciem cujusquam, ità ut non moriatur, q. d. Nemini, cujuscunque sortis sit, parcet quominus moriatur. ¶ *Sed cogitavit cogitationes*, וחשב מחשבות] Hebraismus, sanxit legem quòd *repulsum & exsulem non repellet à se*, i. revocat ad se extorres, & eos qui exsulant ad tempus propter scelus aliquod, ut etiam est in Lege. Hoc ad urbes refugii debet referri.

15. *Verbum hoc*, הדבר הזה] *Sermonem istum*, subaudi, *sub involucro.* ¶ *Terruit me populus*, יראוני העם] Sub. *qui dicebat*, *si rem apertè tibi declararem*, *fore ut excandesceres.* ¶ *Loquar*, אדברה] i. Proponam illi historiam de duobus filiis meis, &c. ¶ *Verbum*, את דבר] i. Parabolam meam, sive consilium meum.

16. *Volentis perdere me*, להשמיד אותי] *Qui quærit perdere me* (ità quidam Hebræorum exponunt) nam filio meo mortuo non possum supervivere.

17. *Ad requiem*, למנוחה] *Ad quietem*, sub. *mihi & filio meo*, i. jubeat nos esse salvos. Hebraismus. ¶ *Sicut enim Angelus Dei*, כי כמלאך] i. Sapientiâ & prudentiâ æquat Angelum. Hæc expositio petita est ex v. 20. ¶ *Ut audiat*, לשמוע] i. Ut intelligat, sive discernat, h. e. ad ponendum discrimen inter causam justam & injustam.

18. *Nè, quæso, abscondas à me verbum*, אל נא תכחדי ממני דבר] Hebraismus, pro, *Ne*, *obsecro*, *celes me quicquam.*

19. *Num manus Joab*, &c. היד יואב ונו'] Hebraismus, Nónne Joab in omnibus istis præstitit tibi operam suam? ¶ Per *vitam animæ tuæ*, חי נפשך] i. Per salutem tuam. ¶ *Non est* quispiam qui possit *declinare*, &c. אם אש להמין ונו'] Ad verb. *non est vir dextrificare, vel sinistrificare*, si Latinè dici posset. Legitur & אם איש *si vir*, vel *quisquam*, &c. Quidam vertunt, *non est* [i. licet, sub. *cuiquam*] *declinare neque ad dexteram, neque ad sinistram*, q. d. Dictura sum tibi veritatem, non tergiversabor. Cùm tu sis sagacissimus, qui statim deprehendas mendacium, non oportet me quicquam celare: veritatem igitur respondebo de omnibus quæ tu interrogaveris. Doctus inter Hebræos exponit, *Nemo alius* præcepit mihi *ut declinarem aut ad dexteram aut ad sinistram ex omnibus* quæ di[illegible]ibi: *quemadmodum locutus est dominus meus Rex*, ità [illegible]habet, *i. ex sententia aliorum nihil adjeci, solus servus* [illegible] Joab, &c.

20. *Ut verterem faciem sermonis*, לבעבור סבב את פני הדבר] *Ut verterem formam sermonis*, i. ut tibi proponerem sermonem figuratum. Vel, *ut verteret tibi faciem rei*, i. ut poneret tibi ante oculos rem ipsam, h. e. negotium Absalom, h. e. ut tacitè, & velut aliud agens, rem ipsam tibi indicaret Joab: dúmque hoc narrarem, intelligeres fabulam de te narrari, misit me ad te. ¶ *Omnia quæ sunt in terra*, את כל אשר בארץ] Doctus inter Hebræos exponit, *negotia sua & negotia aliorum.*

21. *Feci verbum hoc*, עשיתי את הדבר הזה] *Feci rem hanc*, i. quod volebas. Legitur & עשית fecisti, i. curasti mihi proponi eam parabolam, q. d. Cùm tu sis author hujusce rei, vide, revoca, &c.

22. *Verbum servi sui*, את דבר עבדו] i. Quæ consuluit servus suus.

23. *Surrexit ergò Joab, & abiit*, ויקם יואב וילך] Hebraismus, Statim ergò abiit Joab.

25. *Ad laudandum*, להלל] i. Ità ut laudarent eum homines vehementer, h. e. qui dignus esset ut maximè laudaretur ob formam, i. cujus forma maximâ commendatione erat digna. Quidam vertunt *splendendo.*

26. *Caput suum*, את ראשו] i. cæsariem suam. ¶ *Solebat autem quotannis*, &c. והיה מקץ ימים ונו'] Ad verb. *erat autem à fine anni in annum quòd tondebat.* Fut. pro præt. quod per imperf. redditur. ¶ *Pondere regio*, באבן המלך] i. Ad pondus regium, h. e. publicum.

28. *Dierum*, ימים] i. Integris, h. e. toto biennio.

29. *Eum*, אותו] Nempe ipsum Joab.

30. *Juxta locum meum*, אל ידי] i. Quæ est propinqua possessioni meæ, sive agro meo.

31. *Surrexit igitur Joab & venit*, ויקם יואב ויבוא] Hebraismus, de quo v. 23. *Statim ergò venit Joab.*

32. *Ut dicas*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Et si sit in me iniquitas*, ואם יש בי עון] i. Si iniquè egerim interficiendo Amnon fratrem meum, quòd violasset sororem meam.

33. *Et adoravit eum super faciem suam*, וישתחו לו על אפיו] *Et adoravit eum pronus in terram.*

CASTALIO.

13. *CUR igitur istam contra divinum populum*] Cur cupienti populo non condonas Absalomum, qui mihi filium propterea condonas quòd nullum alium habeo qui posteritati consulat? Quis enim tibi succedit nisi Absalomus? Dices, te habiturum alios. Sed quid si priùs moriare? mortales enim sumus: quò magis curandum est ut genus nostrum propagemus. Dices, Absolomum homicidam esse, homicidas autem occidi debere ex Dei præcepto. Quid tu David? non venit tibi in mentem Uriæ? quo tu occiso non minùs Deum offenderas quàm te Absalomus occiso fratre. Quòd si tam severus in te Deus fuisset quàm tu es in filium, periisses. Sed Deus tibi veniam dedit: mavult enim parcere supplicibus quàm sontes plectere; idque quomodo fieri possit etiam atque etiam cogitat. Atque ut meam rationem intelligas, cùm vellem te de revocando filio tuo orare, & metuerem nè quod populus non obtinebat id ego multò minùs consequerer; statui simulare meam rem agi, ut cùm tu mihi de filio meo concessisses, de tuo in re simili negare non posses. Hæc mulier, sed breviter & obscurè; quippe perita cum perito; præterea Regem ad Uriæ recordationem non nisi timidè & tectè revocans.

CLARIUS.

9. *IN me, Domine mi rex, sit iniquitas*] Si culpa, inquit, tanta est occidisse fratrem, ego feram pro filio quod ferendum est, & ego ac familia patris mei rea sit; tantùm ut filius non occidatur, & Rex promissa non mutet, solúmque illius innoxium sit.

11. *Recordetur rex*] Sensus est; Emittat Rex juramentum ex ore suo nè interficiatur filius: alioqui si unus cohibeatur ultor, poterit alius insurgere, & interfecti fratris ulcisci necem.

13. *Quare cogitasti*] h. e. Non credent quòd juraveris, sed dicent quòd errans locutus fueris: at cùm ejectum

revocaveris,

revocaveris, tunc ſcient ſanguinem illius non ulciſcendum. Ut quid enim ulciſcendum putas ſanguinem, maximè illius qui ſine teſtibus occiſus eſt, cùm omnes in brevi morituri ſimus, & corpora noſtra haud ſecus quàm aqua à terra ſint abſumenda? En tam certa eſt mors ut Deus nulli mortalium parcat. Cogitabis igitur ut non rejicias ullum à te qui eſt rejiciendus, vel qui jam eſt rejectus, ſed potiùs cura ut revocetur. Alius autem ſic interpretatur illa verba, *Quare cogitaſti*, &c. Quomodo audes Rex ſuper populum Dei conſtitutus talem de mea cauſa ferre ſententiam, & quomodo ſanguinis vindices credent talem te ſententiam pronunciaſſe ſine peccato tuo, qui de tuo filio aliter agas quàm de meo pronunciaviſti? &c.

19. *Nec ad ſiniſtram nec ad dexteram*] Nemo eſt, inquit, qui cooperatus ſit mihi in omnibus verbis quæ ad te ſum locuta præter unum Joab, qui figuratam hanc locutionem dictavit & mihi ſuggeſſit.

DRUSIUS.

14. וְלֹא יִשָּׂא אֱלֹהִים נֶפֶשׁ. In comment. Græcis, *καὶ οὐκ ἐλπιεῖ ἐπ' αὐτῷ ψυχή, & non ſperat in eo anima*] Lxx καὶ λήψεται ὁ Θεὸς ψυχήν. Probarem ſi eſſet οὐ λήψεται. Hieron. *nec vult Deus perire animam.*

20. לְבַעֲבוּר סַבֵּב אֶת פְּנֵי הַדָּבָר Schol. *ὅπως κυκλώσῃ τὸ πρόσωπον τοῦ λόγου τούτου ut rotaret* [*in orbem ageret*] faciem *ſermonis hujus*] Interpres Vulg. *ut verterem figuram ſermonis hujus.* Santes, *ut verterem faciem verbi.*

GROTIUS.

1. I*Ntelligens autem Joab*] Qui beneficio hoc eum quem ſperabat heredem Regni fore ſibi devincire voluit, ut poſtea Adoniam. Et hinc ortum hoc conſilium, David, ut erat ſolers, facilè olfecit, infrà 14. 19.

9. *In me, domine mi rex, ſit iniquitas*] Si quid hac in re mali eſt, ego mater luam.

10. *Et ultra non addet ut tangat te*] Ut moleſtus ſit tibi. Subitâ quâdam miſericordiâ motus hoc dixit David, non ſumpto ad legem recogitandam ſpatio. Nam etiamſi vindex ceſſaſſet, Senatûs erat inquirere de homicidio, & pœnas exigere; & ſi Senatus ceſſaſſet, ejus qui gladium gerit, id eſt, Regis.

17. *Ut fiat verbum domini mei regis ſicut ſacrificium*] Potiùs optantis eſt, ut Lxx ſumpſere, εἴη δὴ (non εἰ ἤδη, ut vulgò legitur) ὁ λόγος τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως εἰς θυσίας, ubi vox θυσίας reſpondet Hebrææ מנחה, quæ eſt *oblatio ex ſimila*, de qua Levit. 2. id enim Lxx ſæpe θυσίαν vocant. Senſus eſt; Sit Deo hoc reſponſum tam acceptum ut ſolet eſſe munus è ſimila. ¶ *Sicut enim Angelus Dei, ſic eſt dominus meus rex*] Ità clementer locutus eſt, ut Angeli ſolent Divinæ bonitatis nuncii. Hæc omnia eò pertinent nè Rex ſe legi adſtringat, quod quàm malè ei ceſſerit ſequens hiſtoria oſtendet.

30. *Ite igitur, & ſuccendite eum igni*] Simile habuimus ſuprà Jud. 15. 5. Apparet audax & violentum fuiſſe Abſalomi ingenium, ad hæc ipſum magnificum, popularem, eloquentem, ac per hæc omnia ad ſeditiones etiam excitandas validum, ut Gracchos ei comparare poſſis.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

6. F*Uratus eſt*] Senſus eſt, Neſciente patre traxit ad ſe quibus potuit technis viros Iſrael.

7. *Poſt quadraginta annos*] Scilicet ab eo tempore quando Iſraelitæ ſub Samuele petiverunt ſibi dari Regem, tunc peſtifera illa nata fuit ſeditio. ¶ *In Hebron*] Fuerunt enim tunc in terra multa altaria in quibus obtulerunt Domino ſacrificia, donec exſtructum fuit Templum Jeroſolymitanum.

8. *Cultum exhibebo*] Capitur hìc *colere* pro זבח *ſacrificare.*

17. *In loco qui procul aberat*] Heb. *in domo longinqua.* Verùm exponitur *domus* pro *loco, qui longè à Jeruſalem aberat.*

19. *Inſtabilis es*] Capitur hìc גולה pro מטלטל *vago, & qui nullibi certam habet manſionem*; ſicut quædam ſunt artificia quæ in uno loco exerceri non poſſunt, ſed unus artifex interdum toti ſatisfacit provinciæ. Putantur autem iſti Gitthæi fuiſſe Iſraelitæ, ſed qui ſub Gitthæorum dominio tunc habitaverunt quando hæc rebellio nata fuit: Venerúntque cum duce Itthai ut David auxilium ferrent.

24. *Aſcendit*] h. e. Stabat cum arca Domini ad latus donec omnes qui David favebant egrederentur de Jeruſalem. Alii verò dicunt quòd Abiathar, qui erat de ſemine Eli Sacerdotis, depoſitus fuerit, ſubſtituto in locum ejus Zadoc: ſicut paulò pòſt David ad Zadoc dicit; *An non tu es Videns?* h. e. ſummus Sacerdos, qui ex Urim & Thummim advertere poteris reſponſa Divina.

28. *In campeſtribus deſerti*] Monet hìc Kimhi בעברות ſcribendum, & per metatheſin בערבות legendum.

30. *Per aſcenſum Olivarum*] Jonathan adjicit דטורא *montis*; *per aſcenſum*, inquit, *montis Olivarum.*

32. *Ut illic adoraret*] Solitus fuit David adorare Dominum in hoc monte; ſicut & à Chriſto Salvatore noſtro orationibus & ſacris meditationibus fuit is mons conſecratus.

34. *Propter me*] Capitur hìc לי pro תועילני, i. *pro commoditate mea.* Prodeſſe, inquit, mihi poteris, ſi reverſus fueris, & conſilia Ahithophel, quæ contra me ſunt, ſubverteris, & aliud ſuaſeris.

VATABLUS.

1. C*Urrus & equos*, מרכבה וסוסים] Sing. Heb. pro plur. *currum & equos*, i. equites. ¶ *Currentes ante ſe*, רצים לפניו] i. Qui illum præcedebant. Gallicè, *avant coureurs pour deſcouvrir le pais.* *Celeres* vocaverunt Latini, quos nunc *ſatellites* dicimus.

2. *Porta*, השער] Sub. *regia.* ¶ *Cauſa ut veniret*, ריב לבוא] *Lis* [*controverſia*] propter quam *veniendum eſſet.* ¶ *Ex quanam civitate*, אי מזה עיר] Ad verb. *Ubi ex qua civitate*, i. ubi eſt civitas unde tu es? ¶ *Cúmque is reſponderet*, ויאמר] Ad verb. *Et dicebat.*

3. *Vide, ſermones tui*, &c. ראה דבריך וגו'] Hebraiſmus, En cauſa tua eſt optima.

4. *Quis ponat me judicem*, מי ישמני שופט] Hebraiſmus, Utinam eſſem judex hujus regionis. ¶ *Et judicium*, ומשפט] *Et controverſiam.* ¶ *Et juſtitiam faciam ei*, והצדקתיו] i. Juſtè judicem illos, h.e. dirimam rectè cauſas illorum. Ad verb. *& juſtificem eum?*

5. *Sed & cùm accederet quiſpiam & incurvaret*, והיה בקרב איש להשתחות] Ad verb. *Et fuit, in appropinquando viro, in incurvando ſe ei.*

6. *Hoc pacto*, כדבר הזה] Ad verb. *ſecundùm ſermonem iſtum*, vel, *juxta verbum hoc.* ¶ *Pro judicio*, למשפט] i. Pro jure audiendo. ¶ *Et furabatur Abſalom cor*, &c. ויגנב אבשלום וגו'] Hebraiſmus, His dolis & artibus inibat gratiam ab Iſraelitis.

7. *In fine quadraginta annorum*, מקץ ארבעים שנה] *Exactis quadraginta annis*: nempe à tempore quo petierunt Iſraelitæ Regem.

8. *Serviam Jehova*, ועבדתי את יהוה] Sacrificiis ſcilicet.

9. *Vade in pace*, לך בשלום] i. Vade incolumis & ſalvus, q. d. Sit fauſta ac felix profectio tua. ¶ *Qui ſurgens profectus eſt*, ויקם וילך] i. Qui mox profectus eſt.

10. *Miſit quoque*, וישלח] *Miſerat autem.* ¶ *Ut dicerent*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* Quidam vertunt, *hiſce mandatis.* ¶ *Regnavit*, מלך] i. Creatus vel conſtitutus eſt Rex.

11. *Nec sciebant quicquam*, ולא ידעו כל דבר] Ad verb. *& non sciebant ullum verbum*, i. nihil omnino scientes eorum quæ Absalom moliebatur.

12. *Dum immolaret*, בזבחו] *Cùm ille mactaturus esset*. ¶ *Et augebatur*, ורב] *Et fiebat major*.

13. *Est*, היה] Præt. Heb. pro præs. i. animus Israelitarum conversus est ad Absalom: toto corde sequuntur partes Absalom. Sing. Hebr. pro pluralibus.

14. *Surgite, & fugiamus*, קומו ונברחה] Hebr. Citò fugiamus. ¶ *Non erit nobis evasio*, לא תהיה לנו פליטה] i. Nullus nostrum evadet, si exspectaverimus Absalom. ¶ *Et impellat super nos malum*, והדיח עלינו את הרעה] i. Magno impetu nos perdat.

15. *Quicquid elegerit*, &c. ככל אשר יבחר וגו'] Ad verb. *Juxta omne quod elegerit*, &c. Hebraismus, Prorsus ut decreverit faciundum *dominus meus Rex, en servi tui* parati sunt facere.

16. *In pedibus ejus*, ברגליו] Hebraismus, quem tota familia secuta est. Sic v. 16.

17. In *loco longinquo*, בית המרחק] Ad verb. In *loco elongationis*, i. in loco remoto ab urbe.

18. *Ad manum ejus*, על ידו] *Ad latus ejus*, i. juxta illum. ¶ *Cherethi*, &c. הכרתי וגו'] *Cherethai, & omnes Pelethai*. Dicunt Hebræi Cherethæos & Phelethæos fuisse duas cognationes in Israele quæ jugiter versabantur in aula, & quibus commissa erat custodia corporis Regii. Chaldæus paraph. vertit *sagittarios & fundibularios*. Alii dicunt eos fuisse homines doctos ac legisperitos: & illos fuisse vocatos *Cherethæos* quòd decernerent de omnibus, hos verò *Phelethæos* quòd cognoscerent de rebus arduis ac difficilibus. Vide suprà 8. 18. ¶ *Githai*, הגתים] Secundùm quosdam fuerunt Gentiles conversi ad fidem Israeliticam: Alii aiunt fuisse Judæos in Gath natos. Cùm David pugnaret in Palæsthinos, consedit in Siceleg, unde illos Gethæos adduxit. ¶ *In pede ejus*, ברגלו] i. Cum eo, nempe Itthai. Relativum loco antecedentis. Hebraismus, vel, cum Davide, ut opem illi ferrent. Nam non constat ex scriptura quando venerunt de Gath.

19. *Revertere*, שוב] Debet verbum istud jungi verbis posterioribus hujus versûs, *Revertere in locum tuum*, i. in Jerusalem, ubi est habitatio tua. ¶ *Cum rege*, עם המלך] Nempe novo, & nuper creato, Absalom. ¶ *Alienigena*, נכרי] Natus scilicet in Gath, aut quòd esset Gentilis, aut proselytus. ¶ *Profugus*, גלה] *Vagus, certas sedes non habens*: qui nondum apud nos habitationem tuam satis confirmasti: huc commigrasti longioris habitationis causâ; ne ergò me sequaris.

20. *Adventus tuus*, בואך] Ad verb. *venire tuum*, i. nuper venisti in hanc regionem. ¶ *Ut venias nobiscum*, עמנו ללכת] Ad verb. *nobiscum ad veniendum?* ¶ *Ego autem vado quo vado*, ואני הולך על אשר אני הולך] i. Cùm vadam nescio quo. Eadem locutio legitur 1 Sam. 23. 13. ¶ *Fratres tuos*, את אחיך] i. Milites tuos. ¶ *Tecum* erit *misericordia*, &c. עמך חסד ואמת] *Tecum* erit *gratia & fides*. Hebraismus, Rependam tibi postea, memor hujus beneficii in me collati, & fidei quam servasti mihi, quòd volueris me sequi etiam fugientem. Alii vertunt, *& reducito fratres tuos tecum: misericordia & veritas*, sub. *nota est*, i. gratitudo animi tui nota est mihi & fides: satìs perspectam habeo gratitudinem tuam & fidem. Doctioribus magìs placet posterior ista versio. Chaldæus paraph. *& facito cum illis misericordiam & veritatem*.

21. *Et* per *vitam domini*, &c. וחי אדוני וגו'] *Et vivit Dominus meus Rex*.

22. *Et omnes viri ejus*, וכל אנשיו] i. Milites illi sexcenti, de quibus v. 18.

23. *Et tota terra*, וכל הארץ] i. Incolæ totius regionis. ¶ *Cidron*, קדרון] Ità dicitur ab *obscuritate*, i. torrens Cidron erat situs in loco aliquo opaco, obscuro & umbroso. Rectà tetendit populus ad desertum, David autem parùm deflexit ut transiret per torrentem Cidron. ¶ *Contra faciem viæ*, על פני דרך] i. Contra viam quæ ducebat rectà in desertum.

24. *Et statuerunt*, ויצקו] *Collocarúntque*, i. deposuerunt & collocarunt in loco idoneo. ¶ *Ascenditque*, ויעל] i. Concessit ad latus itineris unà cum Arca, donec omnino transisset universus populus egressus de civitate.

25. *Et tabernaculum ejus*, ואת נוהו] *Et domicilium ejus*, i. in quo reponitur Arca.

26. *Non beneplacitum est mihi in te, ecce ego*, לא חפצתי בך הנני] i. Non es mihi gratus, nec te amo; paratus sum sustinere quæcunque immiserit.

27. *Nónne Videns es?* הרואה אתה] i. Propheta, ut quidam exponunt: & etiam Chaldæus paraph. *Nónne Propheta es?* q. d. Si Dominus responderit tibi redeundum in urbem, redito. Alii, *Vidésne tu?* i. Valésne consilio? q. d. Si valeas consilio, revertere, plùs enim mihi profueris redeundo quàm manendo. ¶ Sint *vobiscum*, אתכם] i. Revertantur etiam.

28. *Videte, ego moror*, ראו אנכי מתמהמה] *Considerate, ego subsistam*, vel, *remansurus sum*, sub. *dies aliquot*. ¶ *Verbum à vobis ut nuncietis mihi*, דבר מעמכם להגיד לי] *Verbum à vobis ad renunciandum mihi*, i. nuncium à vobis quod renuncietis mihi, h. e. donec intellexero per nuncios vestros quidnam agatur in aula novi Regis.

30. *Per ascensum olivarum*, במעלה הזיתים] *Per clivum montis Olivarum*, i. per montem Olivarum. ¶ *Operto ejus capite*, &c. וראש לו חפוי וגו'] Ad verb. *Et caput ei opertum, & incedebat discalceatus*.

31. *Infatua*, סכל] i. Perde, vel, Irritum fac.

33. *Si transieris mecum*, אם עברת אתי] i. Si me sequaris.

34. *Extunc*, מאז] *Olim, ex multo tempore*. ¶ *Nunc verò*, ועתה] i. Posthac. ¶ *Mihi*, לי] i. In utilitatem meam.

35. *De domo Regis*, מבית המלך] *In domo regia*.

37. *Venit itaque*, &c. ויבוא וגו'] q. d. Statim autem ut ingressus est Chusai amicus Davidis in urbem, ingressus quoque est Absalom in Jerusalem.

CASTALIO.

7. PRæteritis quatuor annis] In Hebræo legitur *quadraginta*: sed facilis fuit lapsus ab ארבא ad ארבאים, & Josephus *quatuor* interpretatur.

CLARIUS.

7. POst quadraginta autem annos] Scilicet, ut quidam volunt, ab eo tempore quando Israelitæ sub Samuele petierunt sibi dari Regem, tunc pestifera illa nata fuit seditio. Alii intelligunt, à morte primi Regis Saul: ut sit sensus, Cùm ferè quadraginta annos regnasset David, & putaretur propediem cessaturus vel moriturus. ¶ *In Hebron*] Fuerunt enim tunc in terra multa altaria in quibus offerrent Domino sacrificia, donec exstructum fuit Templum Hierosolymitanum.

9. *Peregrinus es*] Putantur isti Gethæi fuisse Israelitæ, sed qui sub Gethæorum dominio tunc habitaverunt quando hæc rebellio nata fuit; venerúntque cum duce Ethai ut David auxilium ferrent.

24. *Et ascendit*] h. e. Stabat cum Arca Domini ad latus donec omnes qui David favebant egrederentur de Hierusalem.

32. *In quo adoraturus erat*] Solitus fuit David adorare Dominum in hoc monte, sicut & à Christo Servatore nostro orationibus & sacris meditationibus fuit hic mons consecratus.

DRUSIUS.

31. סַכֵּל. A. Ἀφρόνισον *Insipiens redde*. LXX Ματαίωσον *Vanum redde*] Tamen in Ed. Rom. Διασκέδασον *Dissipa*. Hieron. & Santes *Infatua*.

32. הָרֹאשׁ. A. τὸν ἄκρον *summitatem*, sive *cacumen*, aut *verticem*] Interpres vetus *summitatem montis*. Santes *verticem*. Hinc erues quid sit in ed. LXX ἕως τοῦ Ῥὼς siquidem Ῥὼς *caput, vertex, summitas*.

GROTIUS

GROTIUS.

1. *Fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui praecederent eum*] Satellitium sibi comparavit cùm se ad res novas accingeret. Non dubito quin miraturi sint lectores rerum humanarum non imperiti, quomodo Absalomus tantam populi partem concitare potuerit in Regem tantis meritis ac victoriis, adde & virtutibus, praeclarum. Ii igitur considerent fuisse in populo multos Sauli quondam caros, nunc non pari in honore & gratia: Multos qui Isbosethi partes secuti fuerant, sibi aut metuisse, aut certè de profectu desperasse. Tum verò, ut ait Tacitus, *unius invidiâ ab omnibus peccatur.* Joabi superbia & in atroci facinore impunitas Regem onerabat, qui impunè fineret in cives grassari. Caeteris quoque Davidis ministris, sicut prudentia non aberat, ità ex longa potestate & diu blandiente fortunâ elatiores minúsque populares facti erant animi. Davidis ipsius pauca quidem erant peccata, sed illa in Uriam gravia: post adulterium caedes, post caedem nuptiae omnes homines incertos reddiderant rerum omnibus carissimarum, Conjugii & Vitae. Apud feminas quoque infame fuisse Betsabeae nomen, invisam potentiam, credibile est. Ad has odii causas accessit vindex Deus, ferri quà vellent sinens accensos semel animos. Bene dictum Euripidis in Erechtheo,

> Ἐξουσίᾳ δὲ μήποτ' ἐντυχὼν τέκνον,
> Αἰσχροὺς ἔρωτας δημοτῶν διωκάθειν.
> Ὃ καὶ σίδηρον, ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται,
> Χρηστῶν πενήτων ἄν τις αἰσχυνῇ τέκνα.

Libido Pisistratidas, libido Tarquinios Regno evertit, multósque alios, quorum mentio apud Aristotelem l. 1. Politic. c. 10.

10. *De qua civitate es tu?*] Nimirum; ut Horatius ait,

> *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

¶ *Ex una tribu Israel, ego sum servus tuus*] i. Sum de tribu Judae, Benjamin, aut alia.

3. *Videntur mihi sermones tui egregii & justi*] Ex arte. Ità Demea in Adelphis,

> *Paulatim plebem primulùm facio meam.*

Et quod sequitur *dignos arbitror.* Et *frugi homo es.* Manlius Capitolinus apud Livium l. 6. *Ego nequicquam hâc dexterâ Capitolium arcémque servaverim, si civem commilitonémque meum, tanquam Gallis victoribus captum, in servitutem ac vincula duci videam.* ¶ *Sed non est qui te audiat constitutus à rege*] Praecipuè accusat fratres ex matre alia, qui aulae & desideriis civium ad Regem referendis praepositi erant.

5. *Extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum*] *Prensabat*, ut Latinè loquar. Sic Otho non deerat *protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione*, Tacitus Hist. 1.

7. *Post quadraginta autem annos*] Haud dubius hîc error scripturae additis ad vocem ארבע literis duabus. *Quatuor* enim *annos* intercessisse dixit Josephus, nec aliter Theodoretus. Et hoc verum esse res ipsa loquitur.

10. *Misit autem Absalom exploratores*] i. Concitores vulgi, Saturninos, Pescenninos, & alios ejus artificii, in quibus fortè erant & Sacerdotes & Levitae, genus hominum ad res turbandas, ubi suis indulgerent affectibus, maximè idoneum. ¶ *Dicite, Regnavit Absalom in Hebron*] i. Pro Rege est agnitus. *Quod in re tali difficillimum, prima vox*, Tacitus Hist. 2.

11. *Euntes simplici corde*] Multi apud hostes sunt qui hostes non sunt. Non opus hic repeti quae dicta l. 3. De J. B. & P. c. 11. §. 3.

12. *Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem*] Plurimum nocere Regibus ii possunt quibus nota sunt Regum consilia. ¶ *Cùmque immolaret victimas*] *Cùm immolasset* potiùs; i. in convivio. Sic *Civilis primores gentis & promptissimos vulgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitiâ incaluisse videt, à laude gloriàque gentis orsus, injurias & raptus & caetera servitii mala enumerat*, Hist. 4. Taciti.

14. *Surgite, fugiamus*] Pavor ingens; qualis Pompeii, de quo Lucanus,

> ——*urbem populis victísque frequentem*
> *Gentibus, & generis, coeat si turba, capacem*
> *Humani, facilem venturo Caesare praedam*
> *Ignava liquere manu, cùm pressus ab hoste*
> *Clauditur externis miles Romanus in oris,*
> *Effugit exiguo nocturna pericula vallo,*
> *Et subitus rapti munimine cespitis agger*
> *Praestat securos intra tentoria somnos.*
> *Tu tantùm audito bellorum murmure Roma*
> *Desereris: nox una tuis non credita muris.*

15. *Dixerúntque servi regis ad eum, Omnia quaecunque praeceperit dominus noster rex, libenter exsequemur servi tui*] Sic *omnium sententia fit qua Regis fuerat*, Seneca 1 De Clementia c. 15.

18. *Cerethi & Phelethi*] Vide suprà 8. 18. ¶ *Et omnes Gethaei*] Pars Philisthinorum quos David subegerat.

23. *Transgrediebatur torrentem Cedron*] Et torrens hic & clivus Olivarum dolores Messiae praefigurant. Vide Joann. 18. 1. Matth. 26. 36.

27. *Ad Sadoc sacerdotem*] Qui erat, ut videtur, eo tempore סגן, i. *Vicarius summi Pontificis.* ¶ *O videns*] Rectiùs, *Nónne vides?* quo loco sunt res scilicet.

30. *Nudis pedibus incedens, & operto capite*] Ut misericordiam sui moveret, ut Agrippina Germanici uxor apud Tacitum Annal. 1. 40. *Incedebat muliebre & miserabile agmen*, &c.

32. *Summitatem montis in quo adoraturus erat Dominum*] Arcae locum respiciens.

34. *Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Absalomo, servus tuus sum, rex; sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus; dissipabis consilium Achitophel*] Non deserebant in tantis malis Davidem suae artes: sed ubi leonina non proderat, assumit vulpinam, verè ἀγχίνους, & quae ex usu erant reperire solers.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. *Oneratis*] Scribitur iste Pasuc in Hebraeo sic, *Par asinorum ligatorum, super quos erant ducenti panes, & centum siccati, atque centum aestivales.* Nos Periphrasi usi omnia dilucidiora fecimus.

2. *Pro familia regis*] h. e. Pro uxoribus.

4. *Adoro*] Scribitur hîc praeteritum loco praesentis. Audiens enim Ziba quòd Rex donaret sibi bona Mephiboseth, agnovit gratiam Regis, & ait, *Adoro te, Rex.*

10. *Quod sic maledicit*] Scribitur hîc in Hebraeo כי pro כה, h. e. Jod pro He. Nam sunt literae permutabiles.

12. *Oculum meum lacrymantem*] Legerunt hîc interpretes nostri עוני pro עיני, i. *afflictionem meam* pro *oculum meum.* Kimhi putat hîc scribi עיני pro ענייני, i. *causam meam*, vel, *negotium meum.* Ben Gerson sic interpretatur, *si fortè aspiciat Dominus id quod ego oculo meo video, nempe contemptum & injuriam.*

14. *Recreatus est ibi*] Scilicet in Bahurim. In Paralipomenon libro vocatur haec civitas עלמת, & est idem perinde ac si Latinè diceres *adolescentia*, vel *juventus.*

18. *Illius ero*] Scribitur hîc לא pro לו. Unde & Chald. interpres vertit דיליה *illius.* Quòd si negativè dictionem לא legendum contendas, vertenda erit oratio in interrogationem.

19. *Deinde*] Heb. *secunda:* & subintelligendum est est הטענה, i. *ratio movens me ut tibi adhaeream.*

21. *Quòd reprobatus sis à patre tuo*] Heb. *quòd foetidus*, seu, *abominabilis, factus sis coram patre tuo*, h. e. Si illam publicam confusionem feceris patri tuo, nemo non sciet tibi implacabilem esse cum patre tuo simultatem: alioquin nisi

nisi tale quid feceris, cogitabunt filii Israel te propediem in gratiam Regis venturum, & eos qui hujus conspirationis sunt autores & fautores pœnam daturos.

22. *Super tectum*] h. e. In loco omnibus conspicuo. Ubi impletum fuit quod suprà Nathan dixerat ad David, *Ego tollam uxores tuas, & tradam proximo tuo, qui dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim fecisti in occulto, ego autem faciam in manifesto.* Hoc autem consilium dederat Ahithophel quòd parùm faveret ipsi David ob stuprum quod intulerat Bathsæbæ, cujus avus ipse erat. Nam, ut suprà dicitur, Bathsæba erat filia Eliham, filii Ahithophel.

VATABLUS.

1. *Ligatura uvæ passæ*, &c. צמוקים] Vide 1 Sam. 25. 18.

2. *Quid ista tibi?* מה אלה לך] i. Quid ista sibi volunt quæ affers? ¶ *Asini*, &c. החמורים וגו'] i. Asinis vehentur familiares, h. e. uxores Regis, &c. ¶ *Qui lassus fuerit*, &c. היעף] *Qui defatigatus fuerit*, i. defecerit.

3. *Respondit*, ויאמר] Hæc mentiens dicebat.

4. *Supplex oro*, השתחויתי] *Supplico*. Ad verb. *Incurvavi me*. Chaldæus paraph. *Gratias ago*. Nam qui gratias agunt, aliquo signo exteriore solent animi gratitudinem ostendere. ¶ *Inveniam*, &c. אמצא וגו'] q. d. Utinam semper ità me ames.

5. *Venit itaque Rex*, &c. ובא המלך וגו'] *Cùm autem pervenisset Rex usque ad Bahurim*, i. in agrum Bahurim, h. e. cùm jam non longè abesset à Bahurim. Urbs erat in tribu Benjamin, quæ 1 Par. 6. 60. dicitur *Almath*, ut dicunt Hebræi. Hoc verò per anticipationem dicitur: nam quæ priùs illi acciderint exponuntur. ¶ *Indè*, משם] i. Ex Bahurim. ¶ *E familia domûs Saulis*, ממשפחת בית שאול] i. è tribu Benjamin. ¶ *Egrediebatur egrediendo*, יוצא יצוא] i. Qui cùm egressus esset, cœpit maledicere Davidi.

6. *Et projiciebat lapides in Davidem*, ויסקל באבנים את דוד] Ad verb. *Et lapidabat lapidibus Davidem*. ¶ *Potentes*, הגבורים] *Fortes*, i. omnes viri militares ejus erant ad latus dextrum ejus & ad sinistrum.

7. *Vir sanguinum & vir impie*, איש הדמים ואיש הבליעל] *Vir sanguinum & vir belijaal*, i. homicida & improbe. De *Belijaal* vide Deut. 13. 13.

8. *Omnem sanguinem domûs Saulis*, כל דמי בית שאול] Hoc dixit propter Isboseth & Abner. ¶ *In malo tuo*, ברעתך] i. calamitate & afflictione opprimeris, quoniam sanguinem humanum fudisti.

9. *Maledicet* יקלל] i. Perget maledicere homo iste abjectissimus, qui non pluris est quàm canis mortuus.

10. *Quid mihi & vobis*, מה לי ולכם] q. d. Quid habeo commune vobiscum? Gallicè, *Vous n' avez que faire de mon cas*.

11. *Filius Jemini*, בן הימיני] i. Benjaminita. ¶ *Dixit*, אמר] Pro *Præcepit* positum.

12. *Ad afflictionem meam*, בעוני] Sic scribitur ut vertit noster interpres: at legitur בעיני *ad oculum meum*, i. lacrymas oculorum meorum.

13. *Et jactabat pulverem*, ועפר בעפר] Ad verb. *& pulverabat* (si Latinè dici posset) *pulverem*.

14. *Pervenit itaque*, ויבוא] Sub. *in Bahurim*. ¶ *Et requievit*, וינפש] *Et recreatus est*, vel, *refocillatus*, *resumpsit animum*, *respiravit*. Chaldæus paraph. vertit ut noster interpres.

17. *Misericordia tua*, חסדך] *Gratia tua*, q. d. Hæc rependis amico tuo pro beneficiis ab ipso acceptis?

19. *Et secundò*, והשנית] Ad verb. *Et secunda*, sub. *ratio propter quam id feci*, i. *Deinde*, *Ad hæc*. ¶ *Filio ejus*, לפני בני] Ad verb. *coram filio ejus*. Vacat istud *coram* quibusdam, aliis non item, quòd ea sit verbi עבד constructio, sic mox *coram patre tuo*. ¶ *Ero coram te*, אהיה לפניך] Sub. *servus*, i. serviam tibi.

21. *Quòd abominationem feceris*, כי נבאשת] *Quòd rem fœdam feceris*, q. d. quòd fœtidum & malè olentem te reddideris patri tuo, i. quòd seriò defeceris à patre tuo. Quidam vertunt, *quòd exosus sis patri tuo*. ¶ *Qui tecum* sunt, אשר אתך] i. Qui tuas partes sequuntur.

22. *Tabernaculum super tectum*, האוהל על הגג] *Tentorium in tecto*, nempe regio.

23. *Quis interrogasset verbum Dei*, ישאל איש בדבר האלהים] *Consuleret quis verbum Dei*, i. tantæ erat authoritatis, quantæ est responsum & oraculum Divinum.

CLARIUS.

2. *Asini domestici regis*] h. e. Pro uxoribus.

21. *Quòd fœdaveris*] Alius vertit, *quòd reprobatus sis à patre tuo*. Heb. *quòd fœtidus*, seu *abominabilis, factus sis coram patre tuo*, h. e. Si illam publicam confusionem feceris patri tuo, nemo non sciet tibi implacabilem esse cum patre tuo simultatem: alioqui, nisi tale quid feceris, cogitabunt filii Israel te propediem in gratiam Regis venturum, & eos qui hujus conspirationis sunt authores & fautores pœnam daturos. Hoc autem consilium dederat Achitophel quòd parùm faveret ipsi David ob stuprum quod intulerat Bersabææ, cujus avus ipse erat. Et interim impletum est quod Nathan dixerat ad David, *Ego tollam uxores tuas*, &c.

GROTIUS.

3. *Respònditque Siba regi; Remansit in Jerusalem, dicens; Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei*] Ingens calumnia, ut apparet infrà 19. 26. Sunt quædam ità speciosæ calumniæ ut etiam prudentissimo Regi possint imponere. Attamen vel sola Jonathanis memoria & debilitas Miphibosethi retinere Davidem debuerant nè quid temerè crederet. Vetus dictum, Principibus imprimis utile, Νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν. Nec minùs efficax dictum Artabani in Polymnia Herodoti: Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον, ἐν τῇ δύο μέν εἰσι οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ἀδικεόμενος· ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει, οὐ παρεόντος κατηγορέων· ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ· ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς τε ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι.

4. *Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth*] Nempe ex confiscatione ob crimen perduellionis. *Multa interim Reges, in bello præsertim, opertis oculis donant*, ut apud Senecam est De Beneficiis l. 4. c. 37. *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur*, Tacitus Annal. 4.

5. *Semei filius Gera*] Homo impudens, & qui Cynicos maledicentiâ facilè vicisset.

10. *Dominus enim præcepit ei ut maledicat David: Et quis est qui audeat dicere, Quare sic fecerit*] Meliùs כי, quod hic in Hebræo est, per *si* vertitur, ut & aliis in locis, ut sensus sit; Si fortè præceptum à Deo habet me maledictis puniendi, quis jus habebit ut id impediat? David verorum criminum conscientiâ tactus, si cum Deo res sit, scit magna probra se meritum. Semei autem cùm nullum haberet à Deo præceptum, gravissimè hîc peccavit contra legem Exo. 22. 28. ità ut morte affici eo nomine posset; infrà 19. 20, 21. 1 Reg. 2. 9.

12. *Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam*] Legit בעוני, ut & LXX. Libri alii habent בעיני, i. *in oculum meum*. Sed notant Hebræi fuisse olim בעינו, ut dicatur, *Si fortè respiciat Dominus in oculum suum*, i. ad se redeat. Mutatum hoc, quia videbatur sonare duriùs.

18. *Quia illius ero quem elegit Dominus*] Husai, ut fidem sibi inveniat apud Absalomum, liberat se à suspicione in Davidem duobus modis; primò, quòd vox populi sit vox Dei, & ideo jure regnet Absalomus; deinde, quia etiamsi hoc non esset, nihil peccet in Regem qui filium Regis bonis consiliis instruat.

21. *Ingredere ad concubinas patris tui*] Homo vafer scit nihil magis timere eos qui Principes sanguinis regii in factione sequuntur, quàm nè ii Principes reconcilientur

tur cum Rege, & sic Rex compos iterum Regni factus occasiones semet vindicandi quærat. Itaque solent hoc agere qui in tali parte sunt, ut res perducantur ad abrupta, nullámque sanationem recipientia. Thorum autem patris qui violat, is planè creditur nullum sibi receptum ad gratiam ejus relinquere. Sic Artabanes Persarmenius multos Persarum occidit, ut ad Romanos transiens fidem apud eos inveniret, ut narrat Procopius Gotth. 4. Quantus autem sit dolor patri ex stuprata per filium concubina ex Jacobi animadversione in Rubenem intelligi potest; nec minùs ex Phœnicis hac de súo peccato narratione Iliados Ι'.

Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο,
Ὅς μοι παλλακίδος πέρι χώσατο καλλικόμοιο,
Τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν
Μητέρ' ἐμήν. ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
Παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα.
Τῇ πιθόμην, καὶ ἔρεξα· πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς.

23. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum*] Poterat dici Achitopheli quod Ulyssi dicit Hecuba apud Euripidem,

Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν σθένει.

quæ Ennius ità vertit,

Hæc etsi tu perversè dices, facilè Achivos flexeris:
Nam cùm opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta eadémque oratio æqua non æquè valet.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

1. REducam ad te] Jonathan hunc locum clariùs sic reddit; *Ego reducam omnem populum ad te: revertentúrque omnes ipsi, postquam occisus fuerit vir ille quem tu quæris, & erit omni populo pax.*

8. *Non moratur cum populo*] Sensus est; Cùm David sit *vir bellicosus*, novit astutias quasque bellicas, & non moratur ultra unam noctem in uno loco, nè ab hostibus incautè obruatur; sed *in speluncis* & aliis *locis tutis sese abdit*, ut cùm illum hîc esse putaverimus, sit alibi. Inane igitur est consilium Ahithophel. Quòd si Ahithophel cum suis 12 millibus etiam illum inveniret, & *aliqui à principio ex suis caderent*, cùm David & viri sui exercitati sint in militia, cogita tu, Absalom, quantus terror invasurus sit universum populum qui tibi adhæret. Nec hoc est verum, quòd David facilè terreri possit, ut dixit Ahithophel, cùm sit *vir bellicosus & habeat cor leonis*, atque cum paucis militibus non vereatur obviare maximis hostium copiis.

11. *Et facies tua quoque pergant*] Sensus est; Præsentia tua est necessaria in prælio; sic enim populus erit animosior: Et hîc quoque non subscribo consilio Ahithophel, qui absque te decrevit occurrere hosti.

13. *Ferent funes*] Vel, *levabunt funes:* Est enim השי או idem quod ירימו. Est hyperbole, quam Hebræi גוזמא vocant. Jonathan exponit חבלים pro משיריין, ut sit sensus; Cingent civitatem illam turmæ, atque diruent eam.

19. *Contusum triticum*] Exponunt Hebræi הריפות pro חטים הכתושים, sicut nos vertimus. Jonathan verò vertit דקלין *dactylos.*

20. *Rivum aquarum*] Capitur hîc מיכל pro פלג.

23. *Præcepta dans domui suæ*] h. e. Ordinavit domum suam, videns se in periculo mortis constitutum, quòd Absalom consilio ejus non acquievisset, & ob id futurum ut David facilè superaret omnes illos qui conspirationis illius autores erant. Maluit igitur propriis interire manibus quàm supplicio David excarnificari.

25. *Israelita*] In Paralipomenωn libro dicitur *Ismaelita.* Sed sciendum quòd natione fuit Israelita; & quoniam apud Ismaelitas peregrinatus fuit, vocatus fuit *Ismaelita.* ¶ *Filiam Nahas*] Hebræi dicunt hunc Nahas fuisse Isai patrem David. *Sobi* verò *filium Nahas de Rabba* dicunt quoque Israelitam fuisse, sed qui per aliquot annos peregrinatus fuerat in Rabba filiorum Ammon, quam David destruxit.

28. *Strata*] Multi exponunt משכב pro *vasis quibus manus lavantur.* Alii tamen exponunt מטה *lectum.* ¶ *Spicas tostas*] Attulerunt duplices tostas spicas. Quædam erant ex tritico, & aliæ ex leguminibus. Porrò שפות exponunt Rabbini post Jonathan pro *caseis.*

VATABLUS.

1. DEligam, אבחרה] q. d. Fac mihi potestatem deligendi nunc, &c. ¶ *Nocte,* הלילה] Sub. *sequente.*

2. *Et irruam in eum,* ואבוא עליו] Ad verb. *Et veniam super eum.* ¶ *Et remissis manibus,* ורפה ידים] *Et debilis manibus,* i. animo remisso, q. d. quem inveniam fatigatum ac remissum.

3. *Et cùm reversi fuerint,* &c. כשוב הכ״ל האיש אשר וגו׳] *Cùm reversi fuerint omnes, vir quem tu quæris,* veniet *in potestatem tuam, & ità universus populus erit in pace.* Alii, converso ordine, *Vir quem tu quæris* reputabitur *ut reversio omnium,* i. interfectio Davidis erit causa cur omnes revertantur, *& quòd universus populus sit in pace.* Alii item converso dictionum ordine, *Cùmque reversi fuerint omnes, universus populus erit in pace:* [i. salvus] nam *is quem quæris est vir ipse,* i. caput & dux populi, h. e. tu enim solum principem & ducem quæris.

4. *Et rectum fuit verbum in oculis,* &c. וישר הדבר בעיני וגו׳] Hebraismus, Placuit consilium ipsi Absalom: nam quæ recta sunt, placent.

5. *Quid in ore ejus etiam fuerit,* מה בפיו גם הוא] i. quid etiam ipse dicat ac sentiat. Hebraismus.

6. *Secundùm verbum hoc,* &c. כדבר הזה וגו׳] Hebraismus, *Talia locutus est Achitophel, sumus facturi quod consuluit, nécne?*

8. *Adhac amari animo,* ומרי נפש] *Et amaro animo,* i. vehementer irati. ¶ *Orbatus in agro,* שכול בשדה] i. sicut ursus cui catuli sunt ablati sævire solet in agro. ¶ *Nec pernoctabit,* ולא ילין] i. non capiet somnum.

9. *In quadam fovea,* &c. באחת הפחתים וגו׳] Ad verb. *in una fovearum,* i. in uno è locis. ¶ *Cùm inciderint,* &c. כנפול בהם וגו׳] i. Cùm milites tui irruerint in illos ad prælium paratissimos, & audierit qui audiet tumultum tuorum qui primo impetu perierint, tum dicet, Victus est populus qui sequitur partes Absalom.

10. *Ut etiam,* &c. ואוה וגו׳] Ad verb. *Et ipse etiam filius virtutis, cujus cor ejus sicut,* &c. i. hinc fiet ut ille qui audierit, etiamsi sit animo audacissimo præditus, dissoluto sit animo, & trepidare incipiat. Quidam Hebræorum intelligit hoc de Achitophel, hoc modo; Et ipse Achitophel, quamvìs sit fortissimus, trepidabit. ¶ *Et fortissimi,* ובני חיל] Ad verb. *& filii virtutis,* vel, *fortitudinis, qui,* &c.

11. *Consulo ut congregando congregetur,* יעצתי האסף יאסף] Ad verb. *consului ut congregando,* &c. Præt. pro Præs. i. consulo ut citissimè congregetur. ¶ *Tanquam arena,* &c. כחול וגו׳] i. Qui multitudine arenam maris æquat. Quidam vertunt, *præ multitudine.* ¶ *Et facies tua,* ופניך] i. Ipse præsens adsis in conflictu.

12. *Ad quendam locum in quo inveniri,* באחת המקומות אשר נמצא] Ad verb. *ad unum ex locis,* &c. i. ubicunque tandem locorum invenietur. ¶ *Et irruemus in eum,* ונחנו עליו] Ad verb. *& requiescemus super eum,* à נוח, i. *occupabimus, obruemus* eum, aut subitò, aut multitudine. Quidam ab חנה *castrametari* vertunt *castrametabimur adversùs eum.*

13. *Collegerit sese,* יאסף] i. Se receperit.

14. *Præceperat,* צוה] Sub. *angelis.* ¶ *Quod bonum erat,* הטובה] *Quod erat præstantius.*

16. *Nocte,*

16. *Nocte*, הַלַּיְלָה] Sub. *proximâ.* ¶ *Mox trajice*, עָבוֹר תַּעֲבוֹר] Ad verb. *transeundo transeas*, sub. *Jordanem.*

17. *Quò ivit ancilla*, והלכה השפחה] Ad hoc scilicet missa. Ad verb. *& abiit ancilla.* ¶ *Ipsi verò ituri*, &c. והם ילכו והגידו] i. Stabant ad fontem Rogel, ut cùm illis esset renunciatum quid dicerent, proficiscerentur: stabant, inquam, illic, quòd non auderent ingredi urbem, nè viderentur. ¶ *Non enim poterant*, כי לא יוכלו] *Et non audebant.* Fut. Heb. per præt. imperf. vertendum.

19. *Mulier*, האשה] i. Materfamilias ejus domûs. ¶ *Grana contusa*, הרפות] Hebræi dicunt esse *grana triticea*: alii *hordeacea.*

20. *Vadum*, מיכל] *Rivum*, i. flumen Chaldæus paraph. *jam transierunt Jordanem.*

21. *Aquam*, את המים] i. Jordanem.

22. *Donec illucesceret manè*, עד אור הבוקר] *Usque dum illuxit manè*, i. usque ad diluculum matutinum: h. e. antequam dilucesceret.

23. *In civitatem suam*, אל עירו] i. Quæ erat in urbe sua: nam habebat alias domos quæ sitæ non erant in eadem urbe. ¶ *Familiæ suæ*, אל ביתו] *De familia sua*, i. Cùm mandasset aliqua de his quæ vellet fieri se mortuo.

24. *Venit in Mahanaim, & Absalom*, בא מחנימה ואבשלום] *Jam devenerat in Mahanaim, cùm Absalom*, &c. ¶ *Et omnes viri Israelis*, וכל איש ישראל] i. major pars Israelis.

25. *Viri*, איש] i. Magnatis cujusdam. ¶ *Israelita*, הישראלי] Genere quidem, & Ismaelita habitatione, ità enim vocatur 1 Par. 2. 17. quòd scilicet aliquando habitasset apud Ismaelitas.

¶ *Qui ingressus fuerat ad Abigal*, אשר בא אל אבינל] Fortè ante nuptiales ceremonias genuerat Amasam: incertum tamen est. Doctiores sic exponunt, *qui rem habuerat cum ea, ut vir cum uxore sua*, h. e. qui duxit uxorem Abigail. ¶ *Nahas*, נחש] Is est Isai.

27. *Sobi*, ושבי] Hunc fuisse Israelitam dicunt Hebræi, qui in Rabbah remanserat, eâ expugnatâ à Davide. Alii fratrem Nahas, quem superaverat David in Rabbah. Alii filium Hanon.

28. *Lectum*, משכב] Singul. Hebr. pro plur. *Lectos*, *Stratoria*, i. quæ pertinent ad lectum. Chaldæus paraph. *sindones, linteamina.* ¶ *Et crateres*, וספות] *Et hydrias.* Doctus inter Hebræos exponit *pelves.* ¶ *Et polentam*, וקלי] Triticeam scilicet. In fine versûs *polentam* intelligit *leguminariam*, i. ex leguminibus factam.

29. *Et lassus*, &c. ועיף וגו'] *Et fatigatus, & sitibundus ex deserto*, i. ex itinere facto per desertum.

CLARIUS.

8. NEc morabitur cum populo] Cùm David, inquit, sit *vir bellicosus*, novit astutias quasque bellicas, & non moratur ultra unam noctem in uno loco, nè ab hostibus incautè obruatur, sed *in speluncis* & aliis *locis tutis sese abdit*; ut cùm illum hîc esse putaverimus, sit alibi, inane igitur est consilium Achitophel. Quòd si Achitophel cum suis duodecim millibus etiam illum inveniret, & *aliqui à principio ex suis caderent*, cùm David & viri sui exercitati sint in militia, cogita tu, Absalom, quantus terror invasurus sit universum populum qui tibi adhæret. Nec hoc verum est, quòd David facilè terreri possit, ut dixit Achitophel, cùm sit *vir bellicosus, & habeat cor leonis*, atque cum paucis militibus non vereatur occurrere maximis hostium copiis.

11. *Et tu eris in medio eorum*] h. e. Præsentia tua est necessaria in prælio: sic enim populus erit animosior. Et hîc quoque non subscribo consilio Achitophel, qui absque te [illegible]vit occurrere hosti.

13. *Circumdabit omnis Israel civitati illi funes*] Hyperbole est: ut sit sensus, Cingent civitatem illam turmæ, atque diruent eam.

23. *Dispositâ domo suâ*] Ordinavit domum suam, videns se in periculo mortis constitutum, quòd Absalom consilio ejus non acquievisset, & ob id futurum ut David facilè superaret omnes illos qui conspirationis illius authores erant. Maluit igitur propriis interire manibus quàm supplicio David excarnificari.

25. *Jethra Israelita*] In Paralipomenon libro dicitur *Ismaelita.* Sed sciendum quòd natione fuit Israelita, & quoniam apud Ismaelitas peregrinatus fuit, vocatus fuit *Ismaelita.*

DRUSIUS.

24. מַחֲנָיְמָה. Lxx εἰς Μαναΐμ. Th. παρεμβολὰς *castra*] Suprà 2. 12. ἐκ Μαναΐμ, correxerim ex hoc loco Μαναΐμ. Id compendio ità dicitur pro Μααναΐμ, quod Latini scriberent *Mahanaim.*

GROTIUS.

1. ET *consurgens persequar David hâc nocte*] Frequenter in bellis omnibus, maximè verò in civilibus, incidit illa deliberatio, Festinare rectius sit, an bellum ducere & majores copias opperiri, qualis consultatio egregia inter Othonianos duces Taciti Hist. 2. At in hoc tempore de quo nunc agimus, haud dubiè dies pro legitimo Rege erat. Primùm fuga ex Urbe magnum haud dubiè pavorem in sectantes ipsum intulerat, quo recente facilè opprimi ille potuit; Deinde locum hîc habebat illud quod idem ille Tacitus habet Hist. 1. *daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum consensui spatium: scelera impetu, bona consilia morâ valescere.* Livius *nunquam defuturos* ait *qui gratiam melioris partis bono publico velint quæsitam.*

3. *Unum enim virum tu quæris*] Bellum civile sæpe unius hominis sanguine transigitur, ut in Galba, Othone, Vitellio. Pisone occiso, levata Othoni omni sollicitudine mens. Præcipuè verò id locum habet ubi proximus ad Regni successionem Regnum senectâ patris detineri non patitur. Talis enim ipso crimine unde damnandus esset absolvitur.

Honesta quædam scelera successus facit.

Mira olim res visa quòd Rex Antigonus filium Demetrium cum telo ad se passus esset accedere. Nam sicut Geometræ, ut ait in ea historia Plutarchus, αἰτήματα quædam habent, sic Regum αἴτημα est, ut suæ securitatis causâ quemvis sibi liceat occidere; Sed ridet impia hominum cogitata Rex Regum.

8. *Velut si ursa raptis catulis in saltu sæviat*] Sæpe Poetæ iram describunt similitudine Leænæ aut Tigridis furentis ob raptos catulos. Nec magìs tutò

Fumantem vivi nasum tentaveris ursi.

9. *Forsitan nunc latet in foveis*] Erat enim David, ut Lysander, ἀπάταις τὰ πολλὰ διαποικίλλων τοῦ πολέμου. ¶ *Et cùm ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet; Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom*] Hoc volebat quod Tacitus dixit Hist. 2. *uti initia belli provenissent, famam in cætera fore.*

11. *Congregetur ad te universus Israel*] Sic illi apud Othonem; *Duceret bellum: paucis diebus quartamdecimam legionem magnâ ipsam famâ cum Mœsiacis copiis affore: si prælium placuisset, auctis viribus certaturos.*

12. *Operiemus eum sicut cadere solet ros super terram*] Sic Claudius Marcellus in declamatione pro trecentis ad Thermopylas, *Non vincent nos sed obruent.* Seneca De Benef. l. 6. c. 31. de his qui Xerxi adulabantur; *Alius aiebat non laturos nuncium belli, & ad primam adventûs famam terga versuros: alius, nihil esse dubii quin illâ mole non vinci solùm Græcia sed obrui posset.*

13. *Circumdabit omnis Israel civitati isti funes*] *Vincula ac libramenta tormentorum* Tacitus Hist. 3. ¶ *Trahemus eam in torrentem*] Omnes ruinæ reliquias aut cineres in amnem deportabimus tot manuum facili labore, ut ità in mare ferantur nunquam conspiciendæ ampliùs.

14. *Domini*

14. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile*] Bene Ammianus l. 14. *Manum injicientibus fatis, hebetari sensus hominum & obtundi.* Sic Homerus,

Τῷ ᾗ φρένας ἐξέλετο Ζεύς.

16. *Mittite citò, & nunciate David*] Bene successit Davidi commentum suum, quod habuimus suprà 15. 35, 36.

19. *Ptisanas*] הרפות, quam vocem ut obscuram Lxx hîc reliquerunt.

20. *Transierunt festinanter, gustatâ paululùm aquâ*] Legit hîc interpres מאכל. At Græci מיכל. Nam quod nunc in Hebræo habemus מיכל pro *rivo* nusquam alibi comparet.

21. *Transite citò fluvium*] Infirmioribus utile est amnem inter se & hostes interponere.

23. *Suspendio interiit*] Vox חנק quæ *suspendium*, eadem & *indignationem* significat, & sic Arabes usurpant. De voce Græca ἀπήγξατο vide quæ diximus Math. 27. 5.

24. *Venit in castra*] Græci putant nomen esse loci Μαναΐμ.

25. *Jethra de Israeli*] Unâ literâ mutatâ videtur hîc olim fuisse positum ישמעאלי, ut in Hebræo, Græco, & aliis interpretibus, 1 Par. 2. 17. ¶ *Ad Abigail filiam Naas*] Aliam ab illa cujus mentio 1 Par. 2. 16.

28. *Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum*] Multa in beneficii nomen veniunt ob tempus quo dantur. *Quanti æstimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum aut ignem?* ait Seneca De Beneficiis 6. 15. Darius Sylosonti in Thalia Herodoti, Ὦ γενναιότατ' ἀνδρῶν, σὺ κεῖνος εἶ ὃς ἐμοὶ οὐδεμίαν ἔχοντί κω δύναμιν ἔδωκας, εἰ καὶ σμικρά, ἀλλ' ὦν ἴση γε ἡ χάρις ὁμοίως ὡς εἰ νῦν κόθεν τι μέγα λάβοιμι; Fuit hîc Barzillaius pro sua copia liberalis in Davidem & ejus milites ut Pythius in Xerxem & milites ejus. Sed Barzillaius gratiorem invenit hospitem: Barzillaio profuit filium dedisse Davidi, Pythio nocuit non dedisse. Vide infrà 19. 38.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

3. NON *ponent cor super nos*] Hebraismus est pro, *non curabunt multum de nobis, etiamsi pro dimidia parte interierimus:* te potiùs quærunt. Manebis igitur tu *in urbe munita*, & hinc *tu nobis opem feres* consilio tuo atque oratione tuâ. Textus Hebraicus est hîc nonnihil obscurus, sed à Chald. interprete clarior est redditus, quem nos secuti sumus. Kimhi sic putat reddendum, *Quasi decem millia virorum nobiscum essent, tam bonum judicamus si tu propter nos manseris in civitate, & hinc nobis auxilieris.*

5. *Leniter propter me*] Capitur hîc לי pro בעבורי, & לאט pro בנחת. Noluit enim David ut sævirent in Absalom, aut illum interficerent. Nam licèt ille pessimè egisset contra patrem, tamen patris erat misereri filio.

8. *Plures absumpsit sylva*] h. e. Vulnerati qui fugerunt ad sylvam, perierunt in ea, aut lacerati sunt à bestiis malis; vel, ut quidam putant, ab arboribus sunt oppressi.

9. *Retentum est caput ejus*] Suspensus enim fuit per crinem in arbore.

13. *Si fecissem*] Sensus est, Si interfecissem eum, egissem contra propriam animam meam; quoniam prævaricatus fuissem imperium Regis: nec abscondere potuissem, cùm nihil sit quod Regem latere queat. Quin & te passus fuissem adversarium, qui Regi magis astitisses quàm mihi.

14. *Tres lanceas*] Heb. *tres virgas*, habentes scilicet laminas ferreas in sui summitate. ¶ *In corde Absalom*] Capitur hîc *cor* pro *medio*. Non enim vivere potuisset si tres lanceæ penetrassent cor ejus; nec opus fuisset armigerorum fustibus, qui suis plagis illum interfecisse hîc memorantur.

18. *Non est mihi filius*] Suprà dicitur illum *tres habuisse filios & unam filiam*; sed mortui erant. Alii tamen dicunt quòd adhuc vixerunt, sed erant inepti ad Imperium.

21. *Chusi*] Kimhi legit dictionem hanc pro *Æthiope*. Est enim כושי Hebræis *Æthiops*.

22. *Nullum obventurum sit munus*] Heb. *Et tibi nullà nuncii inventio*, sed nos sensum expressimus. Jonathan pro מוצאת vertit מתיהב *munus*.

VATABLUS.

1. TRibunos & *centuriones*, [שרי אלפים ושרי מאות] Ad verb. *principes* super *mille*, & *principes* super *centum*.

2. *Et misit*, [וישלח] i. *Commisit*, *tradidit*. ¶ *Sub manu Joab*, [ביד יואב] i. Fidei Joab. ¶ *Egrediendo egrediar*, [יצוא אצא] Sub. *ad prælium*.

3. *Non ponent super nos cor*, [לא ישימו אלינו לב] Hebraismus, Non adjicient ad nos cor, i. non magnopere curabunt de fuga nostra. Sic mox, *Non ponent super nos cor si mediam partem nostrûm occiderint*, i. non valde curabunt, vel non magnifacient victoriam illam. ¶ *Nunc autem*, &c. [כי עתה ונו'] i. Nunc autem cùm salvus & incolumis es. Subaudienda quædam, acsi dicat, Pro decem millibus nobis similibus computaris, q. d. Te salvum tanti faciunt quanti facerent decem millia hominum similium nobis. Doctus inter Hebræos coactè nimis exponit, ut doctiores scribunt, cùm dicit, *Etiamsi nunc perierint decem millia virorum similium nobis*, i. etiamsi numerus interfectorum ascendat ad decem millia. ¶ *Auxilio*, [לעזור] Ad verb. *ad auxiliandum*, i. Præstat igitur ut precibus & consilio feras nobis opem ex urbe.

4. *In loco portæ*, [אל יד השער] i. In eo loco portæ ubi sedere solebant spectaturi transeuntes. Alii vertunt, *juxta* [vel, *secus*] *portam*. ¶ *Centeni & milleni*, [למאות ולאלפים] *Per centurias & chiliadas*.

5. *Leniter*, &c. [לאט לי ונו'] *Leniter in meam gratiam tractate puerum, nempe Absalom*, q. d. Leniter meâ causâ incurrite in illum, nolite sævire in illum, sed parcite illi. ¶ *Propter Absalom*, [על דבר אבשלום] Ad verb. *pro negotio Absalom*, i. de non perdendo Absalom.

6. *In saltu Ephraim*, [ביער אפרים] *In sylva Ephraim*. *Sylva* ista *Ephraim* dicebatur quòd transmisso Jordane Ephrathæi illuc pastum pecora deducebant: quod vetitum non erat.

7. *Coram servis*, [לפני עבדי] i. A servis.

8. *Ibique prælium*, &c. [ותהי שם ונו'] i. Tota ea regio operta erat militibus pugnantibus. ¶ *Sylva consumpsit*, [הזער לאכול] Alii aiunt feras multos discerpsisse: alii, ob crebras scrobes multos occubuisse. Ad verb. *& multiplicavit sylva consumere*, &c.

9. *Occurrit autem*, [ויקרא] *Incurrit autem*. ¶ *Subter densitatem quercûs*, [תחת שובך האלה] i. Subiit quercum magnam habentem multos ramos intricatos & perplexos. ¶ *Et adhæsit caput ejus quercui*, [ויחזק ראשו באלה] *Et adhæsit coma* [*cæsaries*] *ejus quercui*, i. ramis illius quercûs. Quidam, *& retentum est caput ejus in quercu*. ¶ *Positúsque est*, [ויותן] Ad verb. *& datus est*, i. remansit suspensus, *inter cœlum & terram: nam mulus quo vehebatur, jam prætererat*.

10. *Suspensum in quercu*, [תלוי באלה] *Pendentem de quercu*.

11. *En verò vidisti, & cur non percussisti*, [והנה ראית ומדוע לא הכיתו] Ad verb. *Et ecce vidisti*, &c. *Cùm videris, quare non percussisti*, &c. Quidam interrogativè vertunt, *Et ecce vidisti?* ¶ *Argenteos*, [כסף] Sub. *siclos*, & ità Chaldæus paraph.

12. *Appenderem super manus meas*, [שוקל על כפי] *Appenderem in manibus meis*, i. si mihi jam appensos numerarem mille siclos. ¶ *In auribus nostris*, [באזנינו] Hebraismus, Nobis audientibus.

13. *Aut fecissem*, &c. [או עשיתי וגו׳] *Aut facerem contra animam meam rem iniquam*, sive, *facinus occultum & latens*. Vel, *Sed & si fecissem, fecissem rem iniquam in perniciem meam: nam contravenissem præcepto Regis*, q. d. Neque planè, sive apertè, neque occultè velim nocere filio Regis: resciret enim Rex. ¶ *Nihil enim est absconditum Regi*, [וכל דבר לא יכחד מן המלך] Ad verb. *& omne verbum non abscondetur à Rege*. Fut. Heb. pro præs. i. nihil latere solet Regem. ¶ *Ex adverso*, [מנגד] i. Eminus, à longè, q. d. & non patrocinatus esses mihi: sed potiùs institisses contra me apud Regem ut occiderer.

14. *Non sic exspectabo*, &c. [לא כן אוחילה לפניך] Sub. *ut tu fecisti: non hîc subsistam coram te diutiùs: jamjam occidam*. Vel, *Non faciam ut tu fecisti: non morabor etiam te spectante interficere ipsum*, q. d. Sine mora interficiam Absalom, te etiam præsente: ut scias me non exigere à te quod ipse facere nolim. Alii vertunt, *Non est rectum quòd exspectem coram te*, sub. *ut interficiam eum, nè eripias eum*. Vel, *Non est bonum quòd præsentia tua revocet me à cæde Absalom*, q. d. Interficiam Absalom, nec verebor tuam præsentiam. ¶ *Tria tela*, [שלושה שבטים] *Tres lanceas [hastas] minutas*, i. subtiliores & minùs crassas. ¶ *Adhuc ipso vivente*, [עודנו חי] *Et adhuc ipse vivebat*: postquam scilicet infixit lanceas & transfodit eum, ideo decem pueri percusserunt eum. Quidam vertunt, *& tamen necdum erat mortuus*. ¶ *In medio quercûs*, [בלב האלה] Ad verb. *in corde quercûs*. Quidam *partem infirmam quercûs* interpretantur.

15. *Circuierunt quoque*, [ויסובו] *Cinxerunt itaque* eum, [vel eam] arborem.

16. *Cecinitque*, [ויתקע] i. Cœpit canere receptui. ¶ *Prohibuit*, [חשך] *Prohibuerat, continuerat*.

17. *Grandem*, [הגדול] *Prœaltam, profundam*. ¶ *Et sta uerunt super eum*, [ויצבו עליו] *Et erexerunt super illam*, jam scilicet repletam lapidibus.

18. *Ceperat*, &c. [לקח וגו׳] i. Induxerat sibi in animum erigere, dum adhuc viveret, titulum, sive pyramidem, atque arcum triumphalem, qui situs erat, &c. Hoc citat obiter hujus libri author, ut ostendat manifesto argumento Absalom fuisse superbum & laudis nimis quàm avidum. Aut ironicè hæc dicuntur, quòd congestis lapidibus illi pyramis fuerit excitata à militibus Davidis multò alia quàm illa quam sibi dum viveret excitaverat. ¶ *Dixerat*, [אמר] i. Cogitaverat. ¶ *Non est mihi filius*, [אין לי בן] Suprà 14. 27. legimus, *Nati sunt Absalom tres filii, & filia una*. Mortui erant igitur: propterea erexit monimentum in sui memoriam post mortem. ¶ *Qui memorari faciat*, &c. [הזכיר שמי וגו׳] Infinit. Heb. *qui conservet memoriam nominis mei*, aut, *ad perpetuandam memoriam nominis mei*. Quidam vertunt, *ut memoriam relinquam nominis mei*.

19. *Nunc*, [נא] *Quæso*. ¶ *Judicaverit eum*, [שפטו] i. Judicio suo liberaverit.

20. *Non vir nuncii*, [לא איש בשורה] i. Non es aptus ad perferendum nuncium, mox idem dicit, *Hodie non nunciabis*. ¶ *Die alterâ*, [ביום אחר] Cùm scilicet evenerit nuncius lætior.

21. *Ad Chusi*, [לכושי] *Ad Æthiopem*, aut natione, aut propter nigrorem faciei, i. ad virum qui vocabatur Æthiops. Non est hic amicus Davidis: nam ille vocabatur *Chusai*.

22. *Et addidit adhuc*, &c. [ויוסף עוד וגו׳] i. Rursum autem dixit Ahimaas filius Sadoc ad Joab. ¶ *Quicquid sit*, [ויהי מה] Ad verb. *Et erit quid*, i. quicquid eveniat in omnem eventum, non curo. Gallicè, *Advienne comme il en pourra advenir*. ¶ *Curris, fili mi*, &c. [רץ בני וגו׳] Præs. Heb. pro fut. *curres, fili mi, cùm tibi non sit nuncium sese offerens*, i. cùm nullum habeas nuncium quod sese tibi offerat perferendum? Doctus inter Hebræos exponit, *cùm nulla tibi merces pro hoc nuncio erit parata*, q. d. Curres gratis. Alii מוצאת deducunt à יצא *egredi*, & exponunt, *cùm nullum habeas nuncium ratione cujus egrediaris hinc*, vel, *quod te compellat exire*. Alii, *Nullum nuncium inveniens?* sub. *prosperitatem & bonum*, i. tibi conducibile, sive quod sit tibi lucro.

23. *Et quicquid sit*, [ויהי מה] Subaudiendum est, *Qui respondit*, aut *rursum dixit*. ¶ *Planitiei*, [הככר] i. Planam & campestrem, faciliorem & compendiosiorem.

24. *Super tectum porta, super murum*, [אל גג השער אל החומה] i. Super coronam quâ cingebatur murus. ¶ *Et ecce vir*, &c. [והנה איש רץ לבדו] *Statim vidit virum qui solus currebat*.

25. *Nuncium est in ore ejus*, [בשורה בפיו] Hebr. Nuncium offert. ¶ *Et ibat eundo*, &c. [וילך הלוך וקרב] *Et ibat eundo & appropinquando*, i. statim, vel subinde propiùs accedebat, vel accessit. Hebraismus.

26. *Nunciat*, [מבשר] *Est nuncius*.

27. *Et cum nuncio*, [ואל בשורה] *Et pro nuncio*, i. boni nuncii causâ venire solet.

28. *Pax*, [שלום] Sub. *sit tibi*, i. Salve. ¶ *Tradidit*, [סגר] i. Venire fecit in potestatem Joab.

29. *Paxne est puero*, [שלום לנער] i. Salvúsne est, Valétne puer, &c. ¶ *Tumultum magnum*, [ההמון הגדול] *Turbam magnam*, sive, *multitudinem congregatam*. ¶ *Mitteret*, [לשלוח] Sub. *ad te*. ¶ *Servum Regis*, [את עבד המלך] Nempe Chusi, sive Æthiopem. ¶ *Sed non novi quid*, [ולא ידעתי מה] Sub. *ultrà evenerit*. Vel, *quid sibi vellet turba illa*.

30. *Diverte*, [סוב] Sub. *ad unum laterum*. Ad verb. *Circui*.

31. *Nunciatur*, [יתבשר] Fut. Heb. pro præs. *Nuncium accipiat*. ¶ *Judicavit te*, [שפטך] i. Liberavit te.

32. *Sint sicut puer*, [יהיו כנער] i. Ità accidat illis ut puero. ¶ *In malum*, [לרעה] i. Ut tibi noceant.

CASTALIO.

3. NAM *tu pro decem millibus*] אתה non עתה legendum, apparet ex sententia, & Græco & Latino interprete. Eundem errorem invenies, l. 3. c. 1. in oratione Bethsabæ ad Regem.

17. *Fugâ domum dilapsis*] Heb. *Fugerunt in suum quisque tabernaculum*. Ponitur autem tabernaculum pro *domo*: cujus rei causa est, quòd prior fuit usus tabernaculorum quàm domorum. Deinde cùm casæ & tuguria, & porrò domus ædificarentur, manebat tamen idem vocabulum: quemadmodum Latinè *libros* dicimus, qui tamen libri non sunt, manente hoc vocabulo; quoniam principiò in libro, h. e. in arborum cortice, scribi solebat.

18. *Si fortè liberis privaretur*] Nam suprà 14. 27. dicitur filios tres & filiam unam sustulisse.

CLARIUS.

8. QUos *saltus consumpserat*] h. e. Vulnerati qui fugerunt ad sylvam perierunt in ea, aut lacerati sunt à bestiis malis, vel ut quidam putant, ab arboribus sunt oppressi.

9. *Adhæsit caput ejus quercui*] Suspensus enim fuit per crinem in arbore.

13. *Et tu stares ex adverso*] h. e. Et te passus fuissem adversarium, qui à Rege magis quàm à me stetisses.

14. *In corde Absalom*] Capitur hîc *cor* pro *medio*: Non enim vivere potuisset si tres lanceæ penetrassent cor ejus; nec opus fuisset armigerorum fustibus, qui suis plagis illum interfecisse hîc memorantur.

18. *Non habeo filium*] Suprà dicitur illum *tres habuisse filios & unam filiam*; Sed mortui erant. Alii tamen dicunt quòd adhuc viverent, sed essent inepti ad Imperium.

25. *Si solus est, bonum est nuncium in ore ejus*] Fortasse ob id quòd, si res in contrarium cessisset, non unus sed plures confusi ac fugientes venissent.

DRUSIUS.

3. עַתָּה כָּמֹנוּ עֲשָׂרָה אֲלָפִים. Sym. σὺ ὡς ἡμῶν δέκα χιλιάσιν] Hieron. *tu unus pro decem millibus computaris.* Σὺ אתה.

GROTIUS.

1. *Igitur considerato David populo suo*] Sic & Græci, Καὶ ἐπισκέψατο Δαβὶδ τὸν λαὸν τὸν μετ' αὐτοῦ. Respondent hæc optimè Hebræo יפקד, i. cùm videret copias suas non minores hostilibus.

3. *Non exibis*] Sic *Tiberio fixum neque se neque rempublicam in casum dare*, Taciti Annal. 1. Distinctione tamen hîc opus quam idem scriptor nobis dictat Muciani verbis fine Histor. 4. *Si status imperii aut salus Galliarum in discrimen verteretur, debuisse Cæsarem in acie stare: Caninefates Batavósque minoribus ducibus delegandos.* Ideo Hist. 2. cùm narrasset, *dubitatum interesse pugnæ Imperatorem Othonem, an seponi melius foret, perpulsúmque tandem, ut Brixellum concederet, ac dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & imperii seipsum reservaret*, addit, *Is primus dies Othonianas partes afflixit.* Tantum refert quo tempore aut loco quidque fiat. Davidi erant commeatus, urbes, & trahendi artes. ¶ *Tu unus pro decem millibus computaris*] *Rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce quàm in exercitu*, ait Tacitus ubi Cattos laudat. Virgilius de Apibus,

——*rege incolumi, mens omnibus una est:*
Amisso, rupere fidem.——

4. *Quod vobis videtur rectum hoc faciam*] Sic Claudius *unum se civium & consensui imparem* dicebat, Annal. Taciti 12. Præcipuè verò *civilibus bellis plus militibus quàm ducibus licet*, ut est Hist. 2.

5. *Servate mihi puerum Absalom*] Nimis indulgenter, & cum publica pernicie. Atqui Romanis antiquis non populi tantùm salus sed & disciplina castrorum antiquior fuit quàm caritas liberorum, L. Postliminium. §. Filius. D. de captivis. Cicero De finibus primo de Manlio Torquato agens, ait eum *ipsi naturæ patrióque amori prætulisse jus majestatis atque imperii.*

6. *In saltu Ephraim*] Ubi cæsi olim Ephraimitæ, Jud. 12. 5, 6.

8. *Multò plures erant quos saltus consumpserat de populo*] Qui in latebris interfecti sunt pecorum ritu. ¶ *Quàm hi quos voraverat gladius*] i. Acies.

15. *Et percutientes interfecerunt eum*] Quoties heres futurus Regni in Regem arma sumit, illum interire bonorum omnium interest, nè quod ex officio fecerunt luant pro crimine, quia

Nulla manus, belli mutato judice, pura est.

Joabus autem non quid præcepisset David sed quid præcipere debuisset spectavit, putavítque minus in hoc facto esse periculi quàm si Absolomum Regem pati aliquando coactus esset.

16. *Retinuit populum nè persequeretur fugientem Israel*] Bene. Vide suprà 2. 26. & adde hoc Ciceronis 4. libro epistolâ 7. ad familiares, *Sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema non libenter persequi.*

17. *Et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis*] Id illis temporibus pro trophæo erat.

18. *Dixerat enim, Non habeo filium*] Habuerat suprà 14. 27. sed eo vivente erant mortui. Itâ hîc Chaldæus, & alii. ¶ *Manus Absalom*] Aut potiùs *locus*, ut Deut. 23. 12. & alibi.

21. *Et ait Joab Chusi, Vade & nuncia regi quid vidisti*] Æthiopi cuidam, cui etiamsi quid triste accidisset à Rege, leve damnum existimabat.

24. *Speculator verò qui erat in fastigio portæ*] Speculatores collocari in locis excelsis mos est: 2 Reg. 9. 17. Ezech. 33. 2.

32. *Fiant sicut puer inimici domini mei regis, & universi qui consurgunt adversùs eum in malum*] Οὕτω πᾶς ἀπόλοιτο ὅςτις τοιαῦτα γε ῥέζοι.

33. *Fili mi Absalom*] Nimis φιλόστοργος David.

CAP XIX.

MUNSTERUS.

4. *Involvit faciem suam*] Est לאט idem quod הִתְעַטֵּת, *lugentium more se cooperuit.*

9. *Certaret per cunctas tribus*] Hebræi exponunt hîc נדון pro מריבים *disceptantes mutuò* de reductione Regis, qui eos à tot hostibus liberavit, & præsertim à Philistæis. Est autem vox ipsa נדון passivæ vocis, ut sit sensus, Judicatus est populus, quisque alterum scilicet objurgando, & culpam hanc in aliam rejiciendo.

17. *Prosperè trajecerunt*] Kimhi exponit, *transierunt cum pedibus suis.*

18. *Transivit deinde navis*] Capiendum putant עברה pro *navi* quâ familia Regis Jordanem trajecit.

20. *De omni domo Joseph*] Per *domum Joseph* communiter intelliguntur hæ tres tribus, Benjamin, Ephraim & Menasse.

21. *Nunquid*] Kimhi hunc Pasuc sic legit, *Nunquid ob istam* (humiliationem) *Simei non interficietur, qui maledixit Christo Domini?*

24. *Non laverat pedes suos*] Heb. *non fecerat pedes suos*, &c. Est autem שפם *barba quæ crescit supra labium.*

26. *Fefellit me*] Recedendo scilicet absque me, qui tamen straveram asinum meum, &c. Quin & falsò traduxit me apud te quasi conspiraverim contra te.

29. *Quid adhuc loqueris verba tua?*] Respondit David ipsi Mephiboseth durè, & plùs æquo credulus fuit servo Ziba, qui impiè traduxit dominum suum apud Regem. Et secundùm Hebræos ob hanc iniquam sententiam quâ David servum Mephiboseth participem fecit omnium bonorum domini sui, factum est ut Regnum David paulò pòst in duas scinderetur partes, & una medietas traderetur servo Roboam, nempe Jeroboam.

32. *Cùm maneret*] Scribitur in Hebræo בשיבתו pro בישבתו. Est autem ישיבה nomen verbale.

35. *Nunquid discernere possum*] Sensus est, Abstulit senium omnium sensuum vivacitatem, ut cum naribus, palato & auribus vix discernere queam quid sit bonum & commodum naturæ meæ, & quid noxium.

37. *Servus tuus Chimeham*] Hic fuit filius Barzillai.

41. *Quare furati sunt te*, &c.] Sensus est, Cur clàm transvexerunt te viri Jehuda, ut te in Regnum restituerent nobis nescientibus?

43. *Sed & in David ego sum ante te*] Secundùm Chald. interpretem hunc habet sensum, *Licèt Rex sit ex tribu tua, tamen ego illi plùs faveo quàm tu.* ¶ *Ut non esset verbum meum primum*] In Hebræo additur לי *mihi*, vel *apud me*: & est sensus, Cùm ego decem habeam tribus, tu autem tantùm duas, quare mihi non dedisti primum locum, ut verbum seu imperium meum apud me, tanquam apud majorem, maneret, & illud tibi non usurpares? Ad hanc autem disceptationem cùm taceret Rex, gliscebat contentio in novam contentionem, sicut ex sequenti patet capite.

VATABLUS.

1. *Et luget*, ויתאבל] Præt. Heb. pro præs. *lugere videtur, luctum*, sive *lugentis habitum, præ se fert.*

2. *Quòd diceretur*, לאמור] Ad verb. *dicendo.*

3. *Et furatus est sese populus*, &c. ויתגנב העם וגו'] Hebraismus, Subduxit ergò sese, i. furtim ingressus est urbem, non cum triumpho, ut victores solent, sed ut ii qui fugâ elapsi sunt, & victi.

4. *Operuerat*, לאט] More lugentium scilicet, præ pudore, nè videretur flere.
6. *Rectum esset in oculis tuis*, ישר בעיניך] Hebraismus, id tibi gratum esset.
7. *Et loquere ad cor*, &c. ודבר על לב עבדיך] i. Loquere quæ futura sunt grata servis tuis, h. e. blandè ac leniter alloquere servos tuos. ¶ *Juro*, נשבעתי] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Atque istud tibi pejus erit*, &c. ורעה לך זאת] *Atque displicebit* [*molestum erit*] *tibi istud*, &c. i. plus incommodi ac damni molestiarúmque afferet tibi, *quàm omne aliud malum quod acciderit tibi*, &c.
8. *In porta*, בשער] Sub. *urbis*, i. in eo loco in quem omnes convenire solebant.
9. *Certabat*, נדון] i. Certatim contendebat de reducendo Rege. De populo qui Abfalom partes secutus fuerat loquitur.
10. *Siletis*, מחרשים] i. Cessatis.
11. *Misit*, שלח] Sub. *nuncios*. ¶ *Verbum autem*, &c. ודבר וגו'] Hæc per parenthesin esse legenda scribit doctus inter Hebræos, dicens ista esse verba authoris: acsi diceret, *Dum hæc dictaret nunciis, accepit literas ab aliis*, &c. Alii sine parenthesi legunt, vertentes per plusquam perfectum, sic, *cùm verbum totius Israelis venerit*, &c. i. cùm omnes alii Israelitæ jam miserint nuncium de revocando Rege in patriam.
12. *Os meum & caro mea estis*, עצמי ובשרי אתם] Hebraismus, pro *cognatis* & *consanguineis*.
13. *Annon tu os meum*, &c. הלוא עצמי וגו'] i. Nónne nepos meus es?
14. *Et inclinavit*, &c. ויט וגו'] *Et inflexit*, &c. h. e. hâc ratione alter Pontificum, Sadoc, vel Abiathar, flexit animos omnium virorum Jehuda in unam sententiam de reducendo Rege in patriam suam, ità ut nemo repugnaret. Doctus inter Hebræos exponit istud de Amasa. Alii de Davide, quòd scilicet hâc oratione quam misit ad Sadoc & Abiathar, flexit animos omnium; miserunt itaque nuncios ad Regem qui dicerent, &c. Chaldæus tamen paraph. vertit intransitivè, *Et inflexum est cor*, &c. tanquam legerit ויט *vajet*.
15. *Traduceréque*, להעביר] i. Ut comitaretur Regem dum transiret Jordanem; vel, ut juvaret Regem in trajiciendo Jordane.
16. *Festinavit quoque*, וימהר] Jungendum verbum istud sequenti, *Festinavit & descendit*, i. festinanter descendit, vel, properè descendit. ¶ *Filii Jemini*, בן הימיני] i. De tribu Benjamin.
17. *Et transierunt Jarden ante Regem*, וצלחו הירדן לפני המלך] i. Ut irent in conspectum Regis, h. e. salutatum Regem qui erat in ulteriore ripa Jordanis. Vel, & *perruperunt*, i. transierunt mulis aut equis.
18. *Transivit insuper*, ועברה] Sub. *in ulteriorem ripam*. ¶ *Familiam regiam*, את בית המלך] Ad verb. *domum Regis*, i. uxores Davidis, ancillas & parvulos. ¶ *Quod bonum esset in oculis ejus*, הטוב בעינו] Sub. *Regis*, i. quod gratum esset Regi: sive facerent quod juberet.
19. *Iniquitatem*, עון] Sub. *meam*. ¶ *Ejus quod iniquè egit*, את אשר העוה] *Quomodo iniquè egerit*, i. injuriæ tibi illatæ à servo tuo. ¶ *Egressus est*, יצא] *Egressus erat*. ¶ *Ut ponat Rex super cor suum*, לשום המלך אל לבו] Hebraismus, ut injuriam illam acceptam ponat Rex super cor suum, h. e. ut curet Rex de injuria accepta.
20. *Totius familiæ Joseph*, לכל בית יוסף] Observa quòd universum Israelem vocat *Joseph*. Aut vocat tribum Benjamin *familiam Joseph*, quòd sub vexillo Ephraim militaret.
21. *Nunquid propter hoc*, התחת זאת] i. Propter hanc supplicationem. ¶ *Qui maledixit*, כי קלל] *Cùm maledixerit*.
22. *Quid mihi & vobis*, מה לי ולכם] Sub. *est commune*. Gallicè, *Pourquoy vous soulciez vous de mes affaires?* ¶ *Quòd sitis mihi*, &c. כי תהיו לי היום לשטן] i. Quòd propter verba vestra non condonem iniquitatem Semei? ¶ *Annon enim*, &c. כי הלוא ידעתי וגו'] q. d. Hodie primùm novi me esse Regem, h. e. mihi restitutum esse Regnum Israelis.
24. *Non aptaverat autem pedes suos*, ולא עשה רגליו] Ad verb. *& non fecerat pedes suos*. Quidam exponunt, *non curaverat præscindendos ungues pedum suorum*. Alii *non laverat*. ¶ *Labrum suum*, שפמו] i. Non curaverat radendam barbam superioris labri. ¶ *In pace*, בשלום] i. Incolumis ac salvus.
25. *Fuit autem cùm venisset*, &c. ויהי כי בא ירושלם וגו'] Quidam sic vertunt, subauditis pauculis, *Cùm autem venit* Rex *Jerusalem*, venit Mephiboseth *obviàm Regi*.
26. *Dicebat*, אמר] Ad verb. *dixit*. Quidam vertunt *dixerat*.
27. *Et accusavit*, וירגל] *Sed detulit*. ¶ *Sicut Angelus Dei*, כמלאך האלהים] Quod ad sapientiam nempe attinet.
28. *Nisi viri mortis*, כי אם אנשי מות] i. Morti obnoxia, h. e. digna quam Dominus meus Rex prorsus perdat. Hoc dicit propter persecutiones Saulis. ¶ *Justitiæ*, צדקה] i. Justæ querelæ, i. quid possum ultrà de te conqueri? ¶ *Ut clamem*, ולזעוק] Quidam aliud verbum subaudiunt propter ו, sic, *ut conquerar*, *& vociferer*, &c.
29. *Utquid loqueris*, &c. למה תדבר] Fut. Heb. pro præs. Hebraismus, Quid opus est pluribus verbis? vel, Quid ultrà loqueris? ¶ *Dixi*, אמרתי] i. Stat sententia. ¶ *Agros*, את השדה] i. Hereditatem tuam paternam.
30. *Etiam omnia tollet?* גם את הכל יקח] q. d. Placet mihi, atque æquo feram animo ut omnia sibi habeat, *posteaquam*, &c.
31. *Ut transmitteret eum*, לשלחו] *Ut prosequeretur*, vel, *deduceret eum*, i. comitaretur abeuntem.
32. *Magnus*, גדול] Divitem fuisse significat.
35. *Num discernam*, &c. האדע בין טוב לרע] i. Nunquid præ senio discernere possum inter suave & insuave? ¶ *An gustu discernet*, &c. אם יטעם] Fut. Heb. pro præs. *An gustu discernit servus tuus quod edit & bibit?* i. numquid gustu ac sapore discernere possum [sive potero] posthac cibum & potum? q. d. His rebus non delectatur servus tuus propter senium. ¶ *Audiam*, אשמע] i. Audire possum, vel potero, q. d. Hæc ætas non capitur his quæ audiuntur in aulis Principum. ¶ *Cantorum*, שרים] i. Musicorum qui audiuntur in aula Regis.
36. *Paululùm transibit*, &c. כמעט יעבור] i. Parùm procedet ultra Jordanem prosequendo te, postea revertar ad civitatem meam.
37. *In sepulcro*, עם קבר] Sub. *& sepeliar*, עם pro ב, *& sepeliar in sepulcro*, vel *juxta sepulcrum*. ¶ *Chimham*, כמהם] Filius meus scilicet. ¶ *Transibit*, יעבור] Nempe usque in Jerusalem. ¶ *Fac ei quod*, &c. ועשה לו וגו'] *Fac de eo quod voles*.
38. *Volueris à me*, תבחר עלי] Ad verb. *elegeris mihi*, i. quæ volueris me facere, faciam propter te.
39. *Ac benedixit ei*, ויברכהו] *Et bene precatus est illi*.
40. *Transivit verò*, ויעבור] i. Transmisso Jordane venit Rex, &c. ¶ *Dimidium populi Israelis*, חצי עם ישראל] *Pars aliqua populi Israelitici*, i. ii qui secuti fuerant Davidem dum fugeret, & mille illi de tribu Benjamin quos adduxerat Semei.
41. *Cur furati sunt te*, &c. מדוע גנבוך וגו'] i. Quare illi soli fuerunt comites ut reducerent te? debebant enim nos vocare. ¶ *Regem*, &c. את המלך ואת ביתו וגו'] A secunda ad tertiam personam fit transitus, phrasi Hebræis admodum familiari, ubi inferior superiorem alloquitur ut sese magis dejiciat. Dicendum enim erat, *Traduxerunt te Regem, ac familiam tuam*, &c.
42. *Respondit autem*, &c. ויען] Per plurale gratior erit oratio, *Responderunt autem omnes viri Juda Israelitis*, *Traduximus, quia cognatus est nobis Rex*, &c. ¶ Traduximus] Aut istud subaudiendum, aut כי redundat, ut sæpius fit. ¶ *Quia propinquus*, &c. כי קרוב] *Quia cognatus*,

cognatus, &c. Hoc dicunt quòd David habitaret in tribu Juda. ¶ *Num comedendo*, &c. האכול אכלנו וגו׳] Hebraiſmus, Num cibos à Rege propterea accepimus? i. Num ex hac re emolumenti aliquid accepimus? ¶ *Num donativum*, &c. אם נשאת נשא לנו] *Num donum* [*munus*] *donatum eſt nobis?* Gallicè, *Nous a il faict quelque preſent plus qu'a vous? ou, Nous a il faict quelque gratieuſete plus qu'a vous pour cela?*

43. *Reſpondit*, &c. ויען] Singularia Heb. pro plur. ¶ *Decem partes*, &c. עשר ידות לי במלך] i. Decem partibus ad nos pertinet Rex: ſumus enim decem tribus. ¶ *Et etiam in David pluſquam tu*, בדוד אני ממך] Idem bis dicit. Alii tamen vertunt, ſubaudito verbo, *& etiam Davidem* diligo *ſupra te*, i. præterea Davidem diligo magìs quàm tu, tametſi non ſit de tribu mea, ſed de tua. ¶ *Et cur floccifeciſti me?* ומדוע הקלותני] *Quare ergò ſpreviſti me?* ¶ *Et annon fuit verbum meum prius mihi*, ולא היה דברי ראשון לי] Hebraiſmus, Nónne priùs dixi, vel decrevi, ſive ſtatui, h. e. Nónne priores verba fecimus de reducendo Rege noſtro? ¶ *At durius*, &c. ויקש דבר] i. Arrogantiùs ac inſolentiùs viri tribûs Judæ locuti ſunt quàm cæteri qui erant ex aliis tribubus.

CASTALIO.

27. *Quaſi divinus quidam angelus es*] Divinâ quâdam prudentiâ præditus.

43. *Qui decuncem haberent in rege*] Decem partes, quòd decem tribus erant.

CLARIUS.

12. *Fratres mei vos*] Adhærent hæc verba ſuperioribus illis, *cur veniſtis noviſſimi ad reducendum regem in domum ſuam?* ut cætera dicta per parentheſin ſint. Nam cùm omnis Iſrael decreviſſet reducere Regem, nolebat David tribum ſuam videri minùs alacrem reliquis tribubus.

18. *Et tranſivit navis*] Intelligendum putant navim quâ familia Regis Jordanem trajecit.

20. *De omni domo Joſeph*] Per *domum Joſeph* communiter intelliguntur hæ tres tribus, Benjamin, Ephraim, & Manaſſe.

29. *Quid ultrà loqueris*] Reſpondit David ipſi Mephiboſeth durè, & plùs æquo credulus fuit ſervo Sibæ, qui impiè traduxit dominum ſuum apud Regem. Et ſecundùm Hebræos ob hanc iniquam ſententiam, quâ David ſervum Mephiboſeth participem fecit omnium bonorum domini ſui, factum eſt ut Regnum David paulò pòſt in duas ſcinderetur partes, & una medietas traderetur ſervo Roboam, nempe Jeroboam.

41. *Quare te furati ſunt*] h. e. Cur clàm tranſvexerunt te viri Juda, ut te in Regnum reſtituerent nobis neſcientibus?

GROTIUS.

5. *Confudiſti hodie vultus omnium ſervorum tuorum qui ſalvam fecerunt animam tuam*] Joab, qualis in Tacito Annal. 4. C. Silius. Hiſt. 3, & 4 Primus Antonius, *immodicus linguâ, obſequii inſolens, nimius commemorandis quæ meruiſſet*. Beneficia tam immodicè jactata pro gratia odium accerſunt. Et vitam nemo libenter debet.

7. *Nè unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hâc*] Ut qui viſuri ſibi tot periculis offenſam Regis partam, alium quærent cui iſta imputent.

11. *Cur veniſtis noviſſimi ad reducendum regem in domum ſuam?*] Prudenter fidem facit non veniæ tantùm, ſed & redditæ benevolentiæ. *Bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur*, ait Tacitus 12. Annalium. Præterea æmulatu tribuum ſtudia in ſe accendit.

13. *Si non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab*] Manſit quidem Joabo ſua legio, 20. 7. ſed ſumma belli Amaſæ concredita eſt, 20. 11. quam, eo mortuo, Joab metu magìs quam favore Davidis recuperavit; 20, 23. & 24. 2.

19. *Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem*] Lxx Μὴ δὴ λογισάσθω ὁ κύριός μου ἀνομίαν. Eſt in hoc ſenſu λογίζεσθαι contrarium τῷ ἀφιέναι Rom. 4. 7. Idem alibi κρατεῖν *pœnam expetere*.

22. *In Satan*] Vide Matth. 16. 23. ¶ *Ergóne hodie interficietur vir in Iſrael?*] Dies lætus ob recuperatum Regnum clementiæ potiùs quàm ſeveritatis exempla poſcit.

23. *Juravitque ei*] Juramentum, ubi alia cauſa non ſubeſt, perſonam jurantis non egreditur, neque heredem obligat. Vide l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 17. & 1 Reg. 2. 8, 46.

24. *Illotis pedibus, & intonſâ barbâ: veſtéſque ſuas non laverat*] Ut in publico luctu.

28. *Neque enim fuit domus patris mei niſi morti obnoxia domino meo regi*] Ex ſummo illo rigore quo omnes qui apud hoſtes ſunt pro hoſtibus habentur.

29. *Tu & Siba dividite poſſeſſiones*] Quidam putant Sibæ reſtitutum jus illud colonarium, de quo ſuprà 9. 10. At Hebræi peccaſſe hìc Davidem arbitrantur, ſive quòd prius decretum ſuum, quod circumventus fecerat ſuprà 16. 4. noluit ex omni parte reſcindere, nè nimis apertus eſſet ipſius error ſive quòd nimias Miphiboſethi opes ſuſpectas habuit. Aiúntque Deum ad hoc quoque peccatum reſpexiſſe cùm Roboami Regnum bipertivit.

41. *Quare te furati ſunt fratres noſtri viri Juda*] Honeſtum certamen, & ex ſpe Davidis; quod tamen accenſum acerbitate verborum, occaſionem præbuit res novare volentibus. *Honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur*, ait Tacitus fine Annal. 11.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

1. *Illuc veniſſet*] Hebr. נקרא, pro quo Jonathan vertit אתערע *occurriſſet*, paſſivum neutraliter exponens.

3. *Concluſæ*] Exponitur צרורות pro קשורות *ligatæ*, & נטירין *cuſtoditæ*.

5. *Moram fecit*] וייחר pro ויאחר *& tardavit*.

6. *Servos domini tui*] h. e. Milites qui ſub Joab duce pugnare conſueverunt.

8. *Accinctus tunicâ ſuâ*] Hebr. *accinctus indumento ſuo*, ſicut & אדמת עפר Heb. proprietate dici conſuevit. Et eſt לבוש generale *veſti* vocabulum, & מד ſpeciale. ¶ *Egreſſus eſt enim & ipſe*] Refertur hìc יצא ad Joab, & תפול ad gladium inter eundum è vagina lapſum, quem tenuit Joab manu ſua ſiniſtrâ, quò minùs Amaſa dolum ſuſpicaretur. Alii referunt verbum יצא ad gladium quoque quòd ille facilè egrederetur; at genus maſc. obſtat ſententiæ eorum.

11. *Qui conſentit*] Stetit ſervus ille juxta cadaver, ut ſubſiſtentes moneret, ſi bene cuperent Joab & David, ſtrenuè perſequerentur Sæbam. Cùm autem videret ſe nihil proficere, volvit cadaver à via in agrum, & contexit veſtimento. Ubi notandum quòd הוגה hìc idem eſt quod הוסר à radice הגה. Sunt tamen qui יגה pro radice ponunt.

14. *In Abel & Beth-Maacha*] Unus eſt locus, vel ſunt duo loca conjuncta.

15. *In ſolo muro*] Exponunt Hebræi חל pro *interiori muro*, qui civitatem adhuc tuebatur: exterior autem per aggerem erat demolitus. Sunt tamen qui חל exponunt pro *fortitudine*, ut ſit ſenſus; Stabat bellicus ille exercitus fortiter, ut dejiceret murum; verbo ſcilicet תעמד ad מלחמה relato.

18. *Interrogando primùm interrogent*] Locus iſte in Hebræo obſcurus eſt, cùm ſolùm hæc verba in textu ponantur: *Interrogando interrogabunt pro Abel: ſic enim perfecerunt*, alludens ſcilicet ad illud Moſaicum; *Cùm perrexeritis oppugnare civitatem, primò offeretis ei pacem: & ſi illa noluerit vobiſcum inire pacem, impugnabitis eam.*

Unde Jonathan Chald. hunc locum sic vertit; *Et ait mulier, Recordor nunc quòd scriptum est in libro Legis, ut rogetur civitas in primis: sic quoque fuerat tibi interrogandum pro Abel, num pacem vellent.* R. Levi autem alium elicit sensum, nempe hunc; *Ecce qui venerunt cum Saba, primùm locuti sunt cum habitatoribus Abel, interrogantes num & ipsi cupiant conspirare contra Regem. Tu igitur propterea destrues civitatem quæ semper pacifica, integra & fidelis inventa est, etiamsi quidam, non autem omnes, abierint in sententiam Saba?*

23. *Fuit Joab super omnem exercitum*] Licèt David submoverit eum ab officio suo, tamen cùm Amasa ampliùs non exstaret, quem in locum ejus surrogaverat, & ille Regni æmulum Sæbam exstinxerat, sustinuit eum David usque ad mortem suam.

26. *Sacerdos David*] h. e. Quem David instituit, & quo David præ cæteris usus est.

VATABLUS.

1. *Casu*, נקרא] *Forte fortunâ.* ¶ *Belijaal*, בליעל] Vide Deut. 13. 13. ¶ *Vir Jemini*, איש ימיני] i. De tribu Benjamin. ¶ *Non est nobis pars*, &c. אין לנו חלק וגו'] q. d. Illi dicunt, aut facto ostendunt Davidem ad nos nullâ ratione pertinere: abeant ergò singuli nostrum in sua tentoria, & Davidem tanquam rem alienam abjiciamus.

2. *Ascendit ergò*, &c. ויעל כל איש ישראל] Sing. Heb. pro plur. *Discesserunt itaque omnes Israelitæ.* ¶ *A Davide*, מאחרי דוד] Ad verb. *de post Davidem*, aut, *à tergo Davidis*, i. relicto Davide secuti sunt Seba.

3. In *domo custodiæ*, בית משמרת] i. In custodia, h. e. carcere. ¶ *Vinctæ*, צרורות] i. Reclusæ, sive conclusæ. ¶ In *viduitate vitæ*, אלמנות חיות] Sub. *permanentes*, vel *permanserunt in viduitate vitæ*, i. vivente marito suo Davide. Alia enim est viduitas mortis, cùm moritur maritus.

4. *Congrega*, הזעק] *Convoca*, voce scilicet præconis, aut sonitu tubæ. ¶ *Esto præsens*, עמוד] Ad verb. *sta*, i. adesto.

6. *Servos domini tui*, את עבדי אדניך] i. Milites Joab principis militiæ meæ. ¶ *Nè fortè inveniat sibi*, &c. פן מצא לו וגו'] i. Nè occupet civitates munitas, & subducat se à conspectu nostro, h. e. ità ut nesciamus quò ierit.

7. *De Jerusalem*, מירושלים] Sub. *cives aliquot.*

8. *Venit ante eos*, בא לפניהם] i. occurrit illis. ¶ *Tunicâ vestimenti sui*, מדו לבושו] i. Sago quo uti solebat in expeditione militari. ¶ *Cingulum gladii adhærentis*, חגור חרב מצמדת] *Balteus gladii hærentis*, &c. i. quod stringebatur balteo quo dependebat ensis. ¶ *Cùmque egressus esset, tum cecidit*, יצא ותפול] i. Cùm egressus esset Joab obviàm Amasæ venienti, cecidit gladius ille quem gestabat in lumbis.

9. *Dextera*, ימין] *Dexteræ*, sub. *partis*, i. lateris dextri est in regimine.

10. *In quinta*, אל החומש] Sub. *costa*. Alii, *in inguine*. Chaldæus paraph. *in latere femoris ejus.* ¶ *Nec iteravit ei*, ולא שנה לו] i. Non inflixit illi alterum, sive secundum vulnus.

11. *Constitit juxta ipsum*, עמד עליו] *Stabat juxta ipsum*, nempe cadaver Amasæ jussu Joab. ¶ *Quis est qui voluit*, &c. מי אשר חפץ וגו'] *Quis est qui amat Joab? & quis* est *qui* sit, aut velit esse *pro Davide? post Joab*, sub. *eat*, q. d. Qui amat Joab, & fovet partes Davidis, sequatur Joab.

12. *Volutaverat sese*, &c. מתגולל בדם וגו'] *Volutans in sanguine*, jacebat *in medio via.* ¶ *Avertit*, ויסב] *Devolvit*, i. amovit cadaver Amasæ.

14. *Post ipsum*, אחריו] Refert Joab.

15. *Cùm venissent autem*, ויבאו ויצורו] Sub. *viri Israel.* ¶ *Et effuderunt aggerem*, וישפכו סוללה] i. excitarunt aggerem ex terra congesta, quâ repleverunt foveas urbis. Vide Jer. 32. 24. & 33. 4. & Ezech. 4. 2. ¶ *Et stetit*, &c. ותעמד] Sub. *agger*, i. pertingebat usque ad antemurale. Vel potiùs, *stetit*, sub. *bellum*, vel *prælium*, i. milites accesserunt propiùs ad antemurale. Alii, *& viri urbis steterunt in antemurali ad defendendam urbem.* Alii, *& remansit urbs capienda in antemurali.* Notandum quòd חיל significat *antemurale, & fossam urbis.* Sensus ergò; Venerunt usque ad priorem murum, vel ad fossam urbis jam repletam terrâ ingestâ. ¶ *Moliebantur subruere*, משחיתם להפיל] Ad verb. *subvertebant* [vel *dissipabant*] *ut cadere facerent*, i. subvertere nitebantur.

18. *Tum illa dixit hoc modo*, ותאמר לאמור] Ad verb. *Et dixit, dicendo.* ¶ *Loquebantur olim*, ודברו בראשונה] Ad verb. *loquentur in principio.* Futurum quod per præt. imperf. vertendum est. *In principio* pro *Antea* vel *Olim* positum, i. istud quod sequitur, nempe *Interrogando*, &c. tanquam proverbium jactabatur. Probabile enim est fuisse proverbiale dictum, cujus ignota est origo. Conjicere tamen licet, aliquando ex ea urbe datum fuisse prudens responsum quod toti populo utile & salubre fuit. Atque hujus rei memoriam proverbio celebratam fuisse: quo admonebantur qui gravius aliquod negotium suscepturi erant, nè inconsultò susciperent, sed potiùs, si aliunde non adesset consilium, in Abela prudentes consulerent. Non frustrà dictum videtur paulò antè, v. 16. *Et clamavit mulier quædam sapiens de civitate.* Appositè autem ad rem præsentem adductum fuit, ut antiquum urbis beneficium mitigandæ iræ Davidis valeret. Quidam ex sententia docti inter Hebræos, & aliorum ferè omnium, volunt hæc referri ad id quod Deut. 20. 10. scribitur, *Cùm accesseris ad urbem aliquam ut expugnes eam, clamabis ad eam, Pacem. Et erit, si pacem responderit tibi*, &c. atque hoc modo vertunt, *Loqui solent primùm, dicendo*, si *interrogassent Abel, tunc sic finivissent*, i. Qui veniunt oppugnatum aliquam urbem, primùm, sive antequam oppugnent eam, interrogant num velint recipere leges pacis, & sese dedere, si interrogassent duces sive milites tui ipsam Abel, h. e. cives urbis quam oppugnas, tunc statim, sive jamdudum finivissent bellum, h. e. tradidissent sese potestati tuæ & recepissent leges pacis à te propositas & oblatas. In hanc sententiam vertit etiam Chald. paraph. his verbis, *Et ait mulier, Recordor nunc quòd scriptum est in libro Legis, ut rogetur civitas in primis: sic quoque fuerat interrogandum pro Abel, an pacem vellent.* Alii eodem sensu, *Loquendo locuti sunt ab antiquo, dicentes, Interrogando* primùm *interrogent* pro pace *Abel: sic enim hucusque continuaverunt.* Alii liberiùs, *Omnino primùm loquendum erat cum Abel, déque repetundis agendum, sicque peragenda postulatio.* ¶ *Et sic perficiebant*, ובן התמו] Nempe quod susceperant, Præt. Heb. per imperfectum vertendum, ut *Loquebantur*, quod præcessit. Vel, *perficiebant*, nempe quod præcepit Lex de proponenda pace.

19. *Ego*, &c. אנכי שלומי וגו'] *Ego* sum ex *pacificis & servantibus fidem* in *Israele*, i. ego Abel sum ex pacificis & illis qui fidem servarunt Davidi Regi suo, q. d. Ego non defeci à Rege, vel, Concives mei sunt homines pacifici, & qui perstiterunt hactenus in fide erga Davidem cum aliis ex Israele. ¶ *Urbem & matrem*, עיר ואם] i. Arcem munitissimam, & quidem metropolitanam. ¶ *Dissipas*, תבלע] Fut. Heb. pro præs. *quæris deglutire, absorbere, perdere, evertere*, q. d. Et nos quidem ad Deum pertinemus, quemadmodum & vos alii. Idem verbum v. 20. habetur.

20. *Absit*, &c. חלילה] q. d. Dispeream si deglutire sive evertere velim aut perdere urbem vestram. Vel, Non volo evertere neque perdere urbem vestram.

21. *Et recedam ab urbe*, ואלכה מעל העיר] i. Desistam oppugnare urbem. ¶ *Projicitur*, מושלך] Præs. Heb. pro fut.

22. *Cum sapientia sua*, בחכמתה] *Cum prudentia sua*, i. prudentissimè oravit coram populo quem convocavit. ¶ *Et dispersi sunt*, ויפוצו] i. sparsi recesserunt ab urbe relictâ obsidione, ut irent singuli in tentoria sua quæ erant in variis locis sita.

23. Super

23. *Super Cherethi*, &c. על הכרתי ועל הפלתי] i. Præerat Cherethæis & Phelethæis. De his vide ſuprà 15.18.

24. *Super tributum*, על המס] i. Præerat pecuniæ recipiendæ ex tributis. ¶ *A commentariis*, המזכיר] Vide ſuprà 8.16.

25. *Sacerdotes*, כוהנים] Sub. *ſummi*.

26. *Princeps*, כהן] *Primus conſiliarius, amicus intimus.*

CLARIUS.

6. *SErvos domini tui*] h. e. Milites qui ſub Joab duce pugnare conſueverunt.

8. *Egreſſus eſt*] h. e. Inter eundum è vagina lapſus eſt; quem tenuit Joab manu ſuâ ſiniſtrâ, quò minùs Amaſa dolum ſuſpicaretur.

11. *Ecce qui eſſe voluit*] Alius vertit, *Qui conſentit cum Joab, atque qui conſentit cum David, poſt Joab eat*; ut ſit ſenſus, Steti ſſe illum juxta cadaver, ut ſubſiſtentes moneret, ſi bene cuperent Joab & David, ſtrenuè perſequerentur Sebam. Cùm autem videret ſe nihil proficere, volvit cadaver à via in agrum, & contexit veſtimento.

18. *Qui interrogant interrogent in Abela*] Locus hic in Hebræo obſcurus eſt, & videtur alludere ad illud Moſaicum, *Cùm perrexeritis oppugnare civitatem, primò offeretis ei pacem; & ſi illa noluerit vobiſcum inire pacem, impugnabitis eam.* Unde Jonathas Chal. hunc locum ſic vertit, *Et ait mulier, Recordor nunc quòd ſcriptum eſt in libro Legis, ut rogetur civitas in primis: ſic quoque fuerat tibi interrogandum pro Abela, num pacem vellent.* Alius hunc ſenſum elicit, *Ecce qui venerunt cum Seba, primùm locuti ſunt cum habitatoribus Abela, interrogantes num & ipſi cupiant conſpirare contra Regem. Tu igitur propterea deſtrues civitatem quæ ſemper pacifica, integra & fidelis inventa eſt, etiamſi quidam, non autem omnes, abierint in ſententiam Seba?*

23. *Fuit ergò Joab*] Licèt David ſubmoverit eum ab officio ſuo, tamen cùm Amaſa ampliùs non exſtaret, quem in locum ejus ſurrogaverat, & ille Regni æmulum Sebam exſtinxerat, ſuſtinuit eum David uſque ad mortem ſuam.

26. *Sacerdos David*] h. e. Quem David inſtituit, & quo David præ cæteris uſus eſt.

GROTIUS.

2. *ET ſeparatus eſt omnis Iſrael à David, ſecutúſque eſt Seba filium Bochæ*]

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

3. *Erant clauſæ uſque in diem mortis ſuæ in viduitate viventes*] Ignovit quidem timori, ſed à filio tactas neque tangere ipſe voluit, ut ſibi impuras, neque tangi ab aliis, quippe regias concubinas.

6. *Perſequere eum nè fortè inveniat civitates munitas, & effugiat nos*] *Feſtinandum antequam creſceret invalida adhuc conjuratio paucorum*, Tacitus Hiſt. 1.

8. *Qui fabricatus levi motu egredi poterat, & percutere*] Rectiùs Græci, καὶ ἡ μάχαιρα ἐξῆλθε· καὶ αὐτὴ ἐξῆλθε καὶ ἔπεσε. Ità pendebat in vagina gladius ut facilè de vagina excideret; quod & Joabo leviter adjuvante evenit; ità ut Amaſa crederet delapſum humi gladium ab eo tolli, ut eum in vaginam reponeret.

9. *Mi frater*] i. Collega. Æmulum ferre Joab non poterat.

10. *Qui percuſſit eum in latere*] Joab omnia videns impunè ſibi cedere, plura audet. Eſt autem in hoc facto atrox perfidia. Simile factum Mithridatis, qui Ariobarzanis filius, in Datamem habes apud Probum, qui hoc addit; Ità *ille vir, qui multos conſilio, neminem perfidiâ ceperat, ſimulatâ captus eſt amicitiâ.* Eumenis haud multùm diſſimilis exitus.

12. *Ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum*] Idque ſpectaculum odia omnium in Joabum vehementiùs concitaret.

15. *Circumdederunt munitionibus civitatem*] LXX ἐξέχεαν πρόσχωμα πρὸς τὴν πόλιν, i. complanarunt foſſam. ¶ *Et obſeſſa eſt urbs*] In Hebræo, *& ſtetit in propugnaculo*, nempe civitas, ἔστη ἐν τῷ προτειχίσματι. ¶ *Moliebatur deſtruere muros*] i. ὑπορύσσειν, ut hîc Joſephus, *ſubruere*, ſecuribus nempe & dolabris, ut Hiſt. 2. Tacitus nos docet. ¶ *Qui interrogant, interrogent in Abela: & ſic perficiebant*] Non malè quidam cenſent referri à muliere quod ab initio inter ſe dixerant oppidani *Mittent ad nos obſeſſores, & percunctabuntur an pacem velimus: & ſic brevi confiet negotium.*

19. *Nónne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſrael*] Meliùs; *Ego una ſum pacem amantium & populo toto fidelium.*

21. *Tradite illum ſolum*] Deditionis poſtulatio. Vide De J. B. ac P. l. 2. c. 21. §. 4.

22. *Abſciſſum caput Seba filii Bochis projecerunt ad Joab*] Plus fecerunt quàm poſtulabatur. Sic Scribonianus ſub Claudio interfectus finem bello impoſuit.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

1. *ANno annum ſequente*] Hebraiſmus eſt pro, *tribus continuis annis.* ¶ *Eò quòd interfecit Gibeonitas*] Putant quidam id factum in civitate Nob, quando Saul Sacerdotes Domini trucidavit. Erant enim Gibeonitæ apud Sacerdotes, cædentes eis ligna, & aquam haurientes. Alii dicunt quòd Saul zelo quodam indiſcreto motus voluerit omnino exſtirpare Gibeonitas, etiam contra juramentum illis à majoribus factum & à Deo approbatum: quam injuriam Dominus hîc ulciſci voluit. Sed quomodo jubentur filii occidi pro patre, cùm filii parentum crimina portare non debeant, & è contrà? Dicendum, quòd homo non debet punire filios propter iniquitatem parentum; Deus autem viſitat iniquitatem patrum etiam in quarta generatione, aliis hominibus in exemplum, præſertim ſi filii fuerint impii. Sic Hebræi huncnodum ſolvunt.

6. *Crucifigemus eos*] Heb. *figemus eos*: Capitur tamen *figere* pro תלה *in altum ſuſpendere.* ¶ *Domino*] Significatur per hoc manifeſtatio Divini judicii, qui per hunc modum voluit ulciſci innocentiam Gibeonitarum.

8. *Filios Michal*] Michal non habuit filios, nec fuit uxor Adrielis; ſed intelligitur hîc ſecundùm Hebræos per *Michal* ſoror ejus Merab, quæ ſenior fuit quàm Michal.

10. *Expandit eum pro ſe ſuper petram*] Expandit mulier ſaccum in loco ubi ligno affixi pendebant filii ejus, ut illo ſeſe per diem & noctem contegeret. Manſiſſe etiam ibi ſcribitur *donec pluvia de cœlo ſtillavit*, orans interim Dominum ut propter ſupplicium filiorum ſuorum averteret iram ſuam, daret conſuetas pluvias, & auferret ſterilitatem terræ atque famem ab hominibus. Hujus autem mulieris egregio facto permotus David juſſit deponi cadavera atque ſepulturæ tradi.

16. *In Nob*] Quidam putant eſſe cognomen: & tunc ſcribendum eſt *Benob.* Alii putant illum voluiſſe ulciſci injuriam quæ occaſione David facta fuit Sacerdotibus in Nob, ut ſit בא על דבר נוב quaſi בנוב. ¶ *De filiis gigantum*] Eſt hîc רפה idem quod רפאים. ¶ *Trecenta pondera*] Per *pondus* intelligitur Siclus: ſed qui diverſus fuit in metallis. De Siclo argenteo ſcripſimus, Exod. 30. 13. & Levit. 27. 16.

17. *Lucernam Iſrael*] Jon. *regnum Iſrael.*

19. *Elhanam filius Jaare Orgim*] Chald. *Et occidit David filius Iſai texentis velum domûs ſanctuarii, qui erat de Bethlahem, Goliath Gitthæum.* Sunt enim ORGIM *textores*, & JAÆRE *ſylva*, ex ſylva autem Libani exſtructa fuit domus ſanctuarii.

20. *Vir magnæ ſtaturæ*] Eſt hîc מדון idem quod מדה *perſona* ſeu *ſtatura*, unde & in Chald. tranſlatione habetur גבר דמשחן *vir magna menſura*; ſicut & in Paralipomenωn libro habetur איש מדה *vir perſonatus.*

VATABLUS.

1. *ET requisivit David faciem Jehovæ*, ויבקש דוד את פני יהוה] Hebraismus, Consuluit Jehovam. ¶ *Propter Saulem*, אל שאול] Sub. *oborta est fames ista.* ¶ *Et propter familiam sanguinariam*, ואל בית הדמים] i. Propter Saulem hominem sanguinarium, qui effudit sanguinem innocentem.

2. *Quæsierat autem*, &c. ויבקש ונו'] i. Deditâ operâ ac studio percusserat eos, cùm vellet hæreditatem Gabaonitarum adjicere ad tribum Judæ & alias.

3. *Et quo expiabo*, ובמה אכפר] *Et quâ re placabo*; sub. *vos.* ¶ *Ut benedicatis*, וברכו] *Ut bene precemini. Hereditatem Domini* vocat tam regionem quàm incolas.

4. *Non est nobis*, &c. אין לנו כסף וזהב] Ad verb. *Non est nobis argentum & aurum*, i. Controversia nostra non versatur circa argentum & aurum, vel, Non quærimus argentum & aurum. ¶ *Neque est nobis* voluntas *quenquam interficiendi*, ואין לנו איש ונו' *Neque est nobis quisquam* ex aliis *quem velimus interficere*, nullum volumus ex aliis interfici. ¶ *Quicquid dixeritis*, &c. מה אתם אומרים ונו'] *Quid dicitis* ut *faciam vobis?* i. quid vultis ut faciam vobis?

5. *Vir ille* est *qui consumpsit nos*, האיש אשר כלנו] i. Vir ille est Saul qui perdidit nos. ¶ *Cogitavit*, דימה] Sub. *cogitationes pravas*, h. e. machinatus est contra nos. ¶ *Deleti sumus*, &c. נשמדנו ונו'] i. Deleti sumus ex omnibus habitationibus Israel, vel, *adeò ut deleti simus*, &c.

6. *E filiis ejus*, מבניו] i. Ex nepotibus ejus. ¶ *Et affigemus eos Jehovæ*, והוקענום ליהוה] *Ut affigamus* [vel, *crucifigamus*, aut, *adigamus eos in crucem*] *ad placandum Jehovam.* ¶ *Electi Jehovæ*, בחיר יהוה] q. d. Qui tamen jussu Domini electus fuerat Rex.

7. *Et pepercit*, ויחמול] *Misertus est autem*, i. non tradidit eum. ¶ *Propter jusjurandum Jehovæ*, על שבועת יהוה] i. Propter juramentum factum per nomen Jehovæ, vel, *coram Jehova*, sive audiente Jehovâ.

9. *Coram Jehova*, לפני יהוה] Sic dixit quòd arca Domini esset in urbe proxima. ¶ *Mortui sunt*, ויפלו] *Ceciderunt.* Qui moriuntur dicuntur *cadere*, unde *cadaver* Latinis.

10. *Extendit eum sibi*, ותטהו לה] i. Ex illo fecit sibi tentorium propter æstum: erat enim illic totos dies & totas noctes, petens à Domino ut supplicio filiorum suorum ostenderet se placatum esse. ¶ *Donec stillaret aqua*, עד נתך מים] i. Donec nubes soluta esset in aquam. Fames evenerat propter siccitatem: unde placatum Deum novit Rispa ex pluvia.

12. *A majoribus.* מאת בעלי] *A primoribus*, *à civibus.* ¶ *Eos*, אותם] i. Cadavera eorum. ¶ *De platea Beth-san*, מרחוב בית שן] Quæ scilicet adjacebat muro in quo fuerant suspensa. Chald. *de muro in Beth-san.*

13. *Tulit, inquam*, ויעל] *Asportavit namque.* Ad verb. *Et ascendere fecit.*

14. *Et placatus est*, ויעתר] *Et reconciliatus est.*

15. *Et defecit*, ויעף] *Et fatigatus est.*

16. *Gigantis*, הרפה] i. hominis Palæsthini cognomento *Gigantis*, qui habitabat in Gath: vel, *ex filiis gigantum*, i. gigas. Per *gigantes* intellige homines ingentis proceritatis & fortitudinis. ¶ Erat *trecentorum seclorum*, שלוש מאות משקל] i. Appendebat trecentos seclos æreos ad rationem ponderis æris. ¶ *Novo*, חדשה] i. optimo. Gallicè, *fraiz forge & esmoulu.* Alii, *cingulo novo:* unde scilicet dependebat ensis, adjectivum sine substantivo. Sic Hab. 1. 16. *& cibus ejus, pinguis*, sub. *ovis.* ¶ *Cogitavit*, ויאמר] Ad verb. *& dixit*, i. statuit, sive decrevit. ¶ *Percutere Davidem*, להכות את דוד] Quem scilicet videbat lassum & cedentem ex acie.

17. *Nè exstinguas lucernam*, ולא תכבה את נר] Ad verb. *& non exstingues lucernam*, i. nè tecum pereat gloria & splendor Israelis. Chald. *nè pereat tecum Regnum Israelis.*

19. *Ubi percussit*, ויך] Ad verb. *& percussit.* ¶ *Oregim*, ארגים] Quidam tanquam appellativum plurale vertunt *texentium*, sive *textorum*, quòd texeret vela necessaria domui Sanctuarii. ¶ *Goliath*, גלית] Noster interpres addidit *Alterum*, qui scilicet mortuo illo quem interfecerat David dictus est etiam *Goliath*, quòd accederet ad robur illius. Et iste 1 Par. 20. 5. dicitur *frater Goliath Gitthæi.* ¶ *Tanquam jugum liciatorium texentium*, כמנור ארגים] Sic 1 Reg. 17. 7. Sic & Judic. 16. 14. *cum clavo* הארג *texturæ*, vel *jugi liciatorii.*

20. *Vir mensuræ*, איש מדון] A מדד. Alii à דנן deducunt, & vertunt *vir litis*, *rixæ*, *contentionis*, i. rixosus & contentiosus, h. e. bellicosus. ¶ *Seni*, שש ושש] Ad verb. *sex & sex*, i. in singulis manibus & singulis pedibus digitos habebat senos. ¶ *Qui etiam erat*, ונם הוא יולד להרפה] *Qui etiam erat filius Gigantis*, de quo suprà v. 16.

CASTALIO.

6. *IN Jovæ monte*] בהר non בחיר legendum videtur, ut paulò pòst idem verbum repetit: alioquin inepta est sententia.

17. *Nè lumen Israelitarum exstingueret*] Nè moreretur, cùm esset Israelitarum lumen.

CLARIUS.

1. *QUia occidit Gabaonitas*] Putant quidam id factum in civitate Nob, quando Saul Sacerdotes Domini trucidavit. Erant enim Gabaonitæ apud Sacerdotes, cædentes eis ligna, & aquam haurientes. Alii dicunt quòd Saul zelo quodam indiscreto motus voluerit omnino exstirpare Gabaonitas, etiam contra juramentum illis à majoribus factum & à Deo approbatum: quam injuriam Dominus hîc ulcisci voluit. Sed quomodo jubentur filii occidi pro patre, cùm filii parentum crimina portare non debeant, & è contrà? Dicendum, quòd homo non debet punire filios propter iniquitatem parentum; Deus autem visitat iniquitatem patrum etiam in quarta generatione, aliis hominibus in exemplum, præsertim si filii fuerint impii. Sic Hebræi hunc nodum solvunt.

8. *Filios Michol*] Michol non habuit filios, nec fuit uxor Adrielis; sed intelligitur hîc secundùm Hebræos per *Michol* soror ejus Merab, quæ senior fuit quàm Michol.

10. *Cilicium substravit*] Expandit mulier saccum in loco ubi ligno affixi pendebant filii ejus, ut illo sese per diem & noctem contegeret. Mansisse etiam ibi scribitur *donec pluvia de cœlo stillavit*, orans interim Dominum ut propter supplicium filiorum suorum averteret iram suam, daret consuetas pluvias; & auferret sterilitatem terræ atque famem ab hominibus. Hujus autem mulieris egregio facto permotus David jussit deponi cadavera atque sepulturæ tradi.

DRUSIUS.

2. מִיֶּתֶר הָאֱמֹרִי. Lxx ἐκ τῶν καταλοίπων τοῦ Ἀμορραίου. Alius ἐκ τοῦ ἐλλείμματος τοῦ Ἀμορραίου] Ἐλλείμματος, id hodie legitur in ed. Rom.

9. וַיֹּקִיעֻם. A. ἀνέπηξαν -- *affixerunt*] Vel *suspenderunt.* Ἀναπήγνυμι enim exponitur *suffigo*, *suspendo.* Senes hîc habent ἐξηλίασαν *Soli exposuerunt.* Hieron. *crucifixerunt.* Santes *suspenderunt.* Arias *strangulaverunt.*

GROTIUS.

2. *REliquiæ Amorrhæorum*] Itá ex parte validiori vocantur Decem populi, Gen. 15. 16. Propriè enim Gabaonitæ erant ex Hivæis, Jos. 9. 7. in Hebræo. ¶ *Voluit Saul percutere eos*] Et percussit quosdam, ut jamjam sequitur, & narrat Josephus. ¶ *Zelo, quasi pro filiis Israel & Juda*] Ζῆλον Θεοῦ ἔχων, ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, ut Paulus loquitur Rom. 10. 2. Nullo enim obtentu violari debuit fides publica. De qua vide Jos. 9.

3. *Quid*

3. *Quid faciam vobis*] Æſtimate litem. ¶ *Ut benedicatis hereditati Domini*] Ut bene precemini Iſraelitis.

6. *Ut crucifigamus eos Domino*] Ἐξηλιάσωμεν αὐτοὺς, Lxx hîc; i. *ſub dio palàm eos de ligno ſuſpendamus*, nempe priùs interfectos; quod tacitè intelligitur; ut Num. 25. 4. ¶ *Et ait rex, Ego dabo*] Conſultis Prophetis: quod hîc disertè adjicit Joſephus; & fames διέλατ@ exigebat. Et certè aliter ſi eſſet, non tantùm peccaſſet David in legem ſatis apertam Deut. 24. 16. ſemper obſervatam à bonis Regibus 2 Reg. 14. 6. 2 Par. 25. 4. & in legem alteram Deut. 21. 23. verùm etiam apud omnes prudentes ſuſpicione ſe oneraſſet, quaſi qui prætextus quæreret ut ſe & poſteros ſuos liberaret à poſteris Saulis, uno tantùm eóque debili ſervato. Vide quæ de hoc argumento dicta l. 2. De J. B. ac P. c. 22. num. 14.

8. *Et quinque filios Michol filiæ Saul*] Atqui Michol filios non habuit, ſuprà 6. 23. Hebræi quidam & Chaldæus hic interpres cenſent *Micholis filios* impropriè dici, quos ex Merobe ſorore natos ipſa educavit, quale loquendi genus apparet, Ruth 4. 17. 1 Chron. 4. 18. Alii verò non incredibile putant ſcribam libri, unde multa exemplaria fluxere, ſcripſiſſe מיכל pro מרב. De Merobe vide 1 Sam. 14. 49. & 18. 17. & ſequentibus.

10. *Donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo*] Et ſic appareret Deum eſſe placatum: nam fames per ſiccitatem evenerat. Joſephus hoc loco, ἤρξατο δ' ὕειν παραχρῆμα ὁ Θεὸς, καὶ τὴν γῆν πρὸς γονὴν καρπῶν ἀνακαλῶν ἀπολῦσαι τοῦ πρότερον αὐχμοῦ. ¶ *Et non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*] Pié. Ambroſius libro de Tobia, *Nihil hoc officio præſtantius, ei conferre qui jam tibi non poteſt reddere; vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis conſortem naturæ.*

14. *Sepelierunt ea cum oſſibus Saul & Jonathan*] Honos aliquis eſt condi in monumentis majorum potiùs quàm alibi. Vide ſuprà 2. 32. 2 Par. 35. 24.

16. *De genere Arapha*] i. *Gigantum*, ut apparet 1 Par. 20. 4, 6.

17. *Jam non egredieris nobiſcum in bellum*] Vide quæ ſuprà 18. 3.

20. *Qui ſenos in manibus pedibúſque habebat digitos*] Plinius Hiſt. nat. l. 11. c. 43. *Digiti quibuſdam in manibus ſeni. Caii Horatii ex patritia gente filias ob id Sedigitas appellatas accepi: Volcatium ſedigitum illuſtrem in Poetica.*

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

2. PEtra mea] Vocatur Deus in Pſalmis *petra, arx, fortalitium, munitio, clypeus, refugium,* משגב *locus exaltationis* ſive *aſylum*, & multis aliis id genus nominibus, quòd ad eum confugientes ſint tutiſſimi.

3. *Cornu ſalutis*] Abiit apud Hebræos in proverbium, uſurpatúrque pro ſalute & inſigni victoria. Ut enim cornu corona eſt cornuti animalis, ità Divina & ſumma liberatio *cornu* vocatur *ſalutis*. ¶ *A violentia*] Eſt חמס idem quod אנס *oppreſſio, injuria* & *tyrannis*, quæ fit vel cum denigratione famæ, vel cum læſione corporis, aut raptura bonorum externorum.

5. *Torrentes Belijaal*] Metaphorica eſt locutio: intelligitúrque per eam vehemens tyrannorum perſecutio, quæ inundationi comparatur aquarum. Idem ferè judicium eſt de hoc quod ſequitur,

6. *Dolores inferni circumdederunt me*] Senſus eſt, Tanti dolores undique mihi imminuerunt ut potuerint me exanimare & deducere in ſepulcrum. Nullibi non poſita erant offendicula & laquei mortis: Sed Deus unicum refugium meum ex his omnibus me liberavit. Cujus furor hoſtibus ſuis eſt tam intolerabilis ut, cùm ipſe pro ſuis pugnat, videantur illis cœlum & terra commoveri. Vocat verò hîc *fundamenta cœlorum* Montes ipſos, qui cœlos ſuſtentare videntur.

11. *Ferri viſus eſt ſuper alas venti*] h. e. velocior eſt vento ipſo. Et capitur hîc וירא pro וידא, ut in Pſalmo 18. habetur; qui idem cum iſto eſt Pſalmus, niſi quòd in paucis dictionibus ab eo variat.

12. *Poſuit tenebras per circuitum ſuum in tuguria*] Senſus eſt, mirabilis & terribilis eſt Deus in ſublimibus aeris partibus. Nam videtur illic habitare in tuguriis tenebroſis, quando ſubitò liquidum aerem cogit in denſas & obſcuras nubes inundantes, atque in mediis aquis incendit terribilem ignem, qui coruſcat ab Oriente in Occidentem, cadítque in modum carbonum de cœlo. Hinc demittit ignita ſpicula etiam robuſtiſſima ſaxa penetrantia: hinc horribiliter tonat, dejicit lapides, qui animalia & homines interimunt, & terræ naſcentia ad terram proſternunt. Hinc flat Dominus per nares ſuas, ut flatus etiam ille fundamentum maris denudet, & aquas ſupra modum hinc indè jactet.

24. *Cuſtodivi me ab iniquitate mea*] h. e. Natam intra me quamlibet malam ſuggeſtionem repreſſi, & illi conſenſum non præbui. Quin & conſortium fugi malorum hominum, non ignorans quòd apud pios diſcitur pietas, & apud perverſos impietas. Secundùm alios omnes hi verſiculi referendi ſunt ad Deum, ut ſit hic ſenſus, *Qui pietati ſtudet, erga eum tu pius es: qui integer & ſine macula eſt, erga illum tu quoque integer es. Erga candidum tu candidum te exhibes: & cum eo qui pravus & incurvus incedit tu quoque perverſè incedis. Siquidem populum afflictum tu ſervas,* &c.

28. *Oculos tuos ſuper excelſos demittes*] Senſus eſt, Superbos è longinquo reſpicis.

31. *Deus integer eſt in via ſua*] Reddens ſcilicet cuique juxta opera ſua.

33. *Et aperit mihi in bello viam*] Impegerunt communiter interpretes noſtri in hoc verſu. Eſt autem hic ſenſus, Quando veni intra media agmina hoſtium, & non eſſet poſſibilis evaſio, fecit mihi Dominus perfectam viam, & eduxit me illæſum. Radix verbi eſt נתר, indè Hiphil התיר *ſolvit, aperuit.*

35. *Ut etiam frangatur arcus æreus*] Senſus eſt apertus, quem noſtri quoque non ſunt aſſecuti, impingentes in verbo נחתה, quod hîc eſt paſſivum, à radice חתת.

41. *Dorſum mihi dediſti*] Hebraiſmus eſt pro, *in fugam eos convertiſti, ut dorſum obverterent mihi.*

45. *Mendaces ſe præbent mihi*] Senſus eſt, Ficto animo parent mihi.

51. מגדול] Secundùm Hebræos eſt תואר adjectivum.

VATABLUS.

1. LOcutus eſt ergò David Jehovæ, וידבר דוד ליהוה] i. Propterea agendo gratias Deo cecinit canticum hoc in gloriam Jehovæ. Refert hîc acceptas Deo victorias ſuas David. Iſte idem pſalmus eſt qui in libro Pſalmorum eſt ordine 18. juxta numerum Hebræorum, qui ab hoc nonnihil variat, amplius aliquid habens, aut minus, aut aliis verbis, quod indicabitur ſuo loco. ¶ *Die,* ביום] *Dies* pro *tempore* in S. libris frequentiſſimum eſt, quòd tempus conſtet diebus. ¶ *Et de manu Saulis,* ומכף שאול] Hîc ו pro *Præſertim* poſitum videtur, & ità quidem annotant, *præcipuè de manu Saulis:* qui æquipollebat omnibus inimicis ejus: omnium enim fuit fortiſſimus.

2. *Et dixit,* ויאמר] Jungitur iſtud principio præcedentis verſûs, acſi dixiſſet, *Locutus eſt ergò David in hunc modum.* In Libro Pſal. ſic incipit, *Diligam te, Jehovah, fortitudo mea.* ¶ *Petra mea, & arx mea,* סלעי ומצורתי] *Rupes mea, & præſidium* [*propugnaculum*] *meum. Rupem* Deum appellat, metaphorâ ſumptâ à refugio: nam propter hoſtes ſolemus rupes petere. Secunda metaphora. Deum *arcem* ſive *propugnaculum* appellat, quod fortius rupe eſſe ſolet: ideo dicit, *& liberator meus,* q. d. Jehova eripuit me è periculis, nec mirum: eſt enim potentiſſimus & inexpugnabilis. ¶ *Mihi,* לי] Quibuſdam pronomen iſtud redundat.

3. *Deus fortitudo mea,* אלהי צורי] *Deus rupis mea.* In Libro

Libro Psal. *Deus meus petra mea*, vel, *rupes*. ¶ *Sperabo in eo*, אחסה בו] *In quo sperabo*, vel, *in qua rupe sperare soleo*, ut sit fut. pro præs. *spero*. ¶ *Scutum meum*, מגני] *Clypeus meus*: sic illum vocat, quòd instar clypei illum protegeret. ¶ *Et cornu salutis meæ*, וקרן ישעי] Hebraismus, *& cornu meum salutiferum*: sive, *cornu in defensionem meam*, h.e. potens ac salutaris defensor meus. Per *cornu* vires intelligit: quia quemadmodum animalia cornuta se tuentur cornibus, ità David auxilio Dei & defensione, quâ veluti cornu utebatur, q. d. Virtus quâ servor sive liberor à vi & impetu hostium meorum, est Deus, qui veluti cornu petit & conficit hostes meos. ¶ *Elevatio mea*, משגבי] *Arx mea*. Significat locum editum & elevatum in refugium. Vel, *elevatio mea*, qui me extrahit & eripit è mediis hostibus. ¶ *Et refugium meum*, ומנוסי] Hæc non leguntur in Libro Psalmorum. Multis verbis ac variis fatetur Deum esse protectorem suum. ¶ *Ab injuria*, מחמס] *A violentia*.

4. *Laudatum*, מהולל] i. Celebrem, vel, *laudatum*, sub. *à me cùm illi gratias ago*. Alii vertunt *laudabilem*, vel, *laudandum*, i. omni laude dignissimum. ¶ *Invocabo*, &c. אקרא ונו'] Quidam vertunt hæc futura per præsens, *invoco* [vel, *invocare soleo*] *& ab inimicis meis servor*, vel, *servari soleo*. Alii per præt. imperf. *invocabam Jehovam, & ab inimicis meis servabar*.

5. *Circumdederant enim me*, כי אפפוני] Futura Heb. quæ meliùs per præt. plusquam perf. vertuntur. ¶ *Contritiones mortis*, משברי מות] *Confractiones mortis*, i. tribulationes & procellæ tribulationum mortiferæ & lethales. In Libro Psalm. legitur, *Dolores mortis*, sive *mortiferæ*. ¶ *Torrentes impietatis*, נחלי בליעל] *Torrentes belijaal*. De *Belijaal* vide Deut. 13. 13. *Torrentes belijaal* vocat multitudinem tribulationum quæ ab impiis infliguntur: quia ut aquâ pereunt homines cùm non possunt resister, ità & multitudine tribulationum. Alii *injurias gravissimas & crebras* interpretantur.

6. *Dolores sepulcri*, חבלי שאול] Sic vocat dolores lethales, qui tanti sunt ut penè enecent homines & in sepulcrum detrudant. ¶ *Laquei mortis*, מוקשי מות] Significat insidias mortiferas, q. d. Parùm aberat quin inciderem in insidias inimicorum mortiferas. Doli quibus Saul & ejus socii mortem mihi intentabant, anticipaverant me: & jamjam periturus eram laqueis constitutis ante faciem meam.

7. *In tribulatione mea invocavi*, בצר לי אקרא] Per præsens potes vertere, *Cùm est* [vel, *erat*] *tribulatio*, sive, *dum tribulatione premor*. ¶ *In aures ejus*, באזניו] Sub. *pervenit*. In Lib. Psal. legitur, v. 7. *coram eo pervenit*. Illic est verbum quod hîc deest. Quidam sequenti versui jungentes vertunt, *ut primùm clamor meus ad aures ejus pervenit*.

8. *Tum commota est & contremuit*, ותגעש ותרעש] Terræmotum significat, q. d. Et fiebat terræmotus magnus. Ut autem magnitudinem terræmotûs exprimat, utitur duabus vocibus idem significantibus. ¶ *Fundamenta cœli*, מוסדות השמים] i. Montes: quòd cœlum videatur fulciri montibus. Alii, *terra ipsa*, quòd sit vice centri circa quod cœlum perpetuò moveatur. In Lib. Psal. legitur *bases montium concussæ sunt*, vel, *concutiebantur*, i. commovebantur vehementissimè, ut hostes mei perspicerent tremendam Dei potestatem, cùm ferebat mihi suppetias. *Fundamenta montium concuti* est montes radicitus & à fundamentis concuti. ¶ *Quoniam iratus erat*, כי חרה לו] Ad verb. *quoniam iratus erat ei*. Quidam tamen volunt לו redundare: aut vertendum verbum tanquam nomen, *Quoniam indignatio erat illi*. Nisi quis velit pronomen istud referre inimicum, *Quoniam erat iratus inimico meo*, i. inimicis meis. Nam frequenter sine antecedente ponitur relativum. Alii vertunt, *quando indignatus est*.

9. *In ira ejus*, באפו] i. Dum iratus est, h.e. dum irasceretur, fumum emittebat. Hoc dicit quòd causa sit tempestatum in quibus fiunt fulgura, sive fulgetra, cœlum obscuratur nubibus, quæ sunt velut fumus. Præterita sunt Heb. quæ per præterita imperf. vel plusquam perf. verti possunt, ut in præcedentibus. Alii vertunt, qui egreditur *de nare ejus*, i. naribus. ¶ *De ore ejus devorat*, מפיו תאכל] *Ex ore ejus egrediens absumit*, sub. *omnia*. Fut. Heb. pro præs. *Carbones* vocat fulmina. Describit habitum aeris turbulenti. ¶ *Ab eo*, ממנו] Sub. *igne*.

10. *Et inclinavit cœlos*, ויט שמים] *Et demisit* [sive, *demittebat*] *cœlum*, i. nubes. Videtur enim cùm ejusmodi excitat tempestates, demittere cœlum in terram, ut illic appareant miracula ejus. ¶ *Et caligo*, &c. וערפל] Nè scilicet agnosceretur.

11. *Et equitavit super Cherub*, וירכב על כרוב] Per hæc celeritatem auxilii Divini intelligit, q. d. Velocissimè venit ut mihi ferret auxilium. *Cherub*, sing. pro plur.

12. *Colligationem*, חשרת] i. Densitatem. Colligatione enim nubium inter sese, ob illarum multitudinem, quia sunt plenæ aquâ, tenebrescit terra. In Libro Psal. habetur *tenebrositas aquarum*. Per *cœlum* aerem intelligit. His verbis declarat quid vocet *tabernaculum Dei*, nempe tenebrositatem aquarum, sive nubes densas aeris, q.d. Delitescit in tenebris: facit ex caligine sibi circumfusa quasi tabernaculum.

13. *In conspectu ejus*, נגדו] i. Qui ab eo procedit. ¶ *Carbones ignis*, גחלי אש] i. Fulmina ignita: periphrasis fulminis. Hæc omnia pertinent ad descriptionem tempestatis: perinde acsi diceret, *A splendore gloriæ* (ità vertit Chaldæus paraph.) i. à splendido conspectu ejus, egrediuntur nubes in quibus generantur fulmina, quibus perduntur impii. In Libro Psal. legitur, *Præ fulgore* qui erat *coram eo, nubes ejus transierunt, grando & carbones ignis*.

14. *Vocem suam*, קולו] *Strepitum suum, fragorem*. In Libro Psalmorum additur, *grandinem & carbones ignis*, quo explicatur quid intelligatur hîc per *vocem Dei*. Repetit quod priore versu dixerat, fulmina describens.

15. *Sagittas*, חצים] i. Grandinem & tela ignita, sive fulgetra. ¶ *Et contrivit eos*, ויהם] i. Hostes suos.

16. *Effusiones*, אפיקי] *Vada, alvei, fundum*. Chald. *profunditates*, i. increpante Jehovâ & insufflante alvei fluviorum rapidissimorum conspicui facti sunt, atque etiam alvei profundissimi per quos fluvii rapidi decurrere solent, sic vocat fundamenta orbis, voragines & abyssos aquarum. ¶ *Ab exspiratione*, &c. מנשמת רוח אפו] *Ab exspiratione flatus naris* [i. narium] *ejus*, i. cùm præ ira spiritum quendam per nares emittit.

17. *Misit de summo*, ישלח ממרום] i. De cœlo, sub. *Angelos ministros suos*, h.e. eripuit me à gravissimis periculis. Id significant *aquæ multæ*, h.e. vehementes.

18. *Quoniam robustiores erant me*, כי אמצו ממני] Cùm fortiores erant me. Vel, *quòd fortiores essent me*.

19. *Prævenerant me*, יקדמוני] *Præverterant me*, i. irruerant in me incautum & nihil tale cogitantem, atque oppresserant impressione repentinâ tempore quo calamitate afficiebar, cùm jam accisæ essent res meæ. ¶ *Baculus*, משען] *Fulcrum, sustentaculum*.

20. *Et eduxit*, ויצא] Sub. *de angustiis in locum spatiosum*, h.e. depulsâ omni tristitiâ, perfudit me gaudio, quod animum laxare solet. Multis versibus prædicat sui liberationem. ¶ *Complacuit sibi in me*, חפץ בי] *Dilexit me*. Vel, *bene volebat mihi*.

22. *Vias Jehovæ*, דרכי יהוה] Sic vocat præcepta, i. quia totus fui in operibus quæ à Deo probantur. ¶ *A Deo meo*, מאלהי] Sub. *discedendo*, i. neque enim per improbitatem defeci à Deo meo. Vel, neque impiè sentiens de Deo meo, ab illo defeci.

23. *Abeo*, ממנה] i. A quoquam ex eis, h.e. à statutis ejus non recessi. In Libro Psal. legitur, *& statuta ejus non submovi à me*.

24. *Perfectus*, תמים] *Integer*, i. præstiti me illi semper integrum. ¶ *Ab iniquitate mea*, מעוני] i. Ad quam naturâ meâ pronus sum, h.e. cavi nequid pravi admitterem, aut, nè scelus admitterem quod antea admisissem.

27. *Perversè ages*, תתפל] i. Retribues illi secundùm perversitatem ejus.

28. Sal-

28. *Salvum facies*, תושיע] Fut. quod per præs. verti potest, *salvum facis*, sive, *servas*. ¶ *At oculos tuos*, &c. ועיניך על רמים תשפיל] *At oculos tuos* conjicis *in elatos*, & *dejicis* eos. Vel, ut *dejicias* eos. Alii, donec *dejicias* eos. In Libro Psal. legitur, *& oculos excelsos humilias*.

29. *Quia tu*, &c. כי אתה נירי] *Certè tu es lucerna mea*. Quidam volunt כי redundare, q. d. Te solum, ô Domine, sequi volo ducem in tenebris hujus seculi. *Lucernam* pro duce accipit. Liber Psalm. habet, *Quoniam tu illuminas lucernam meam*. ¶ *Illuminabit tenebras meas*, יגיה חשכי] *Illustrabit tenebras meas*. Mutatio personæ à secunda in tertiam. Per *Lucem* sive *candelam* Scriptura passim significat res secundas; ut per *Tenebras* omnia adversa, q. d. Siquid mihi secundi acciderit, tu in causa es, qui vertis tribulationes meas in prosperitatem. Id verum esse probat versus sequens, cui præposita est conjunctio rationalis כי.

30. *In te enim contrivi*, &c. כי בכה ארוץ גדוד] Hic ostendit quomodo illuminatæ fuerint ejus tenebræ. Futura Heb. quæ vel per præterita perf. ut præcedentia, verti debent, aut per imperf. Nisi etiam eo tempore ostendere velit non modò id se fecisse, sed se quoque facturum quoties aliquid adversi acciderit.

31. *Dei perfecta* est *via*, האל תמים דרכו] i. Omnia Dei opera sunt perfecta. Quidam vertunt, *Deus est, cujus perfecta* est *via*. ¶ *Purgatum*, צרופה] i. Purum velut igni examinatum, q. d. Caret omni vitio, nihil est in eo quod reprehendi possit. Præterea protegit omnes qui sperant in ipso.

32. *Quoniam quis Deus*, כי מי אל] *Quis enim Deus*, i. Quis jure optimo dici possit אל à fortitudine & omnipotentia præter ipsum? ¶ *Fortis*, צור] *Petra*, i. defensor & propugnator: à firmitate & stabilitate.

33. *Fortitudo mea in exercitu*, מעוזי חיל] i. Qui dat mihi fortitudinem & vires in prælio. In Libro Psalm. *Qui accingit me fortitudine*. ¶ *Et solvit*, ויתר] i. Liberam reddit viam meam, ità ut reddatur perfecta & plana, sine ullo offendiculo, q. d. Tollit omnia impedimenta de via mea, h. e. efficit ut ad finem optatum deveniam. Metaphora sumpta à vinctis. Liber Psal. habet, *Et ponit perfectam viam meam*.

34. *Statuit me*, יעמידני] Fut. Heb. pro præs. *collocat me*, ne scilicet corruam, i. dum cogor fugere, dat pedibus meis celeritatem cervorum, & efficit ut tandem recipiam me ad arcum in qua tutus sim.

35. *Et contritus est*, ונחת] Præt. Heb. pro præs. *& frangitur*, i. dat mihi vires ut vel arcum fortissimum frangere possim.

36. *Et dedisti mihi*, &c. ותתן לי מגן ישעך] i. Tu es mihi vice clypei quo defendor in bello. Tu me auxilio tuo defendes velut clypeo impenetrabili. ¶ *Et in mansuetudine*, &c. וענותך תרבני] Fut. Heb. pro præt. vel præs. i. gratiâ vel benignitate multiplicas me, h. e. convertis animos militum ad me, & efficis ut multi me sequantur, vel, ut pauci milites mei resistant multitudini hostium: q. d. Videris multiplicare milites meos.

37. *Et non declinaverunt*, &c. ולא מעדו] *Et non nutarunt crura mea*, aut, *vertebra mea*. Præt. item pro præs. i. das mihi gressum liberum, ut possim discursare huc illuc: & confirmas crura mea ut possim persequi hostes meos.

38. *Persecutus sum*, ארדפה] Fut. Heb. pro præt. vel præs. ¶ *Et disperdidi eos*, ואשמידם] Liber Psalmorum habet, *& comprehendi eos*.

39. *Ceciderúntque subtus*, &c. ויפלו תחת רגלי] i. Prostratos in terram postea calcavi, vel calco pedibus.

40. *Incurvasti*, תכריע] *Humiliasti*, *dejecisti*. Fut. Heb. pro præt.

41. *Et inimicorum*, &c. ואיבי וגו'] Hebraismus, Vertis in fugam inimicos meos. ¶ Et *odio habentium me, & excidi eos*, משנאי ואצמיתם] Liber Psal. habet, *& odio habentes me succidi*.

42. *Aspexerunt*, ישעו] Fut. pro præs. *Aspiciunt*, i. Exspectant opem, & non est qui adjuvet.

43. *Comminui eos, distendi eos*, ארקם ארקעם] *Contrivi eos, dilatavi eos*.

44. *A contradictionibus*, מריבי] *A contentionibus*, vel, *rixis*. ¶ *Custodisti me*, תשמרני] Sub. *Ut præficeres me Gentibus*. Liber Psal. habet, *posuisti me*. Fut. Heb. pro præt.

45. *Mentiti sunt mihi*, יתכחשו לי] *Negaverunt mihi*, sub. *se insurrexisse in me*: aut *favisse inimicis meis*. Vel potiùs, *illiberali animo & serviliter se subjecerunt mihi*. ¶ *Ad auditum auris*, לשמוע אזן] i. Ad solam famam.

46. *Defluxerunt*, יבולו] Fut. Heb. *defluent*, pro *defluxerunt*, i. vires alienigenarum emarcuerunt, h. e. perierunt alienigenæ, quemadmodum folia quæ decidunt perire solent. ¶ *E clausuris suis*, ממסגרותם] i. Conclusi in munitionibus suis, h. e. trementes continuerunt se in arcibus suis.

47. *Vivit*, חי] *Vivens est*, i. ostendit se vivere, cùm exserit virtutem suam contra inimicos meos, q. d. Deus meus non est Deus mortuus & vitæ expers, ut idola, quæ suis opem ferre non possunt. Alii vertunt, *Vivat Jehovah*. ¶ *Fortitudo mea*, צורי] *Rupes mea*. ¶ *Et exaltetur*, וירום] *Et exaltandus est*, sub. *ab omnibus*. ¶ *Fortitudo salutis mea*, צור ישעי] *Rupes salutis meæ*, i. Deus qui est rupes in qua saluti meæ consulo, & ubi tutus sum ab omnibus periculis.

48. *Et dejicit*, ומוריד] Liber Psal. habet, *& adduxit*. Idem sensus, Dedit ut ulciscerer me de hostibus meis, & subjecit populos mihi.

49. Et *educis me*, ומוציאי] Liber Psal. habet, *Et erutor meus*, vel *ereptor*. ¶ *Ab inimicis meis*, מאיבי] i. De potestate inimicorum meorum. ¶ *Et ab insurgentibus in me*, ומקמי] Hîc ו pro *Nam*, quibusdam: ut sit expositio præcedentium verborum, *educis ab inimicis: nam ab insurgentibus*, &c. ¶ *Exaltasti me*, תרוממני] Fut. Heb. pro præt.

50. *Confitebor tibi*, אודך] *Laudabo* [*celebrabo*] *te*, i. gratias agam. ¶ *Et nomini tuo psallam*, ולשמך אזמר] *Et nomini tuo canam*, i. in honorem nominis tui laudes dicam.

51. *Arx salutum*, מגדול ישועות] *Turris salutum*, i. Est enim Deus velut arx in qua tutus, sive in tuto est is quem constituit Regem. ¶ *Et faciens*, ועשה] Quidam per futurum, *& facturus est*.

CLARIUS.

3. *Cornu salutis*] Abiit apud Hebræos *cornu salutis* in proverbium, usurpatúrque pro salute & insigni victoria. Ut enim cornu corona est cornuti animalis, ità Divina & summa liberatio *cornu* vocatur *salutis*.

5. *Torrentes Belial*] Metaphorica est locutio, intelligitúrque per eam vehemens tyrannorum persecutio, quæ inundationi comparatur aquarum.

6. *Dolores inferni circumdederunt me*, h. e. Tanti dolores undique mihi imminuerunt ut potuerint me exanimare & deducere in sepulcrum. Nullibi non posita erant offendicula & laquei mortis: sed Deus unicum refugium meum ex his omnibus me liberavit. Cujus furor hostibus suis est tam intolerabilis ut, cùm ipse pro suis pugnat, videatur illis cœlum ac terram commovere. Vocat verò hîc *fundamenta cœlorum* Montes ipsos, qui cœlos sustentare videntur.

11. *Ascendit super Cherubim*] Velocissimè velut volucrem inequitat, & velocior est vento ipso.

12. *Posuit tenebras*] Sensus est, Mirabilis & terribilis est Deus in sublimibus aeris partibus. Nam videtur illic habitare in tuguriis tenebrosis, quando subitò liquidum aerem cogit in densas & obscuras nubes, & effundit imbres inundantes, atque in mediis aquis incendit terribilem ignem, qui coruscat ab Oriente in Occidentem, cadítque in modum carbonum de cœlo. Hinc demittit ignita spicula etiam robustissima saxa penetrantia: hinc horribiliter tonat, dejicit lapides, qui animalia & homines interimunt, & terræ nascentia ad terram prosternunt. Hinc flat Dominus per nares suas, ut flatus etiam ille fundamentum maris denudet,

nudet, & aquas supra modum hinc indè jactet. Qui igitur tam potens est, huic fidere atque inniti omnino debemus.

24. *Custodiam me ab iniquitate mea*] h. e. Natam intra me quamlibet malam suggestionem reprimo, & illi consensum non præbeo. Quin & consortium fugi malorum hominum, non ignorans quòd apud pios discitur pietas, & apud perversos impietas.

31. *Immaculata via ejus*] Vel, *integer est in via sua*; reddens scilicet cuique juxta opera sua.

33. *Et complanavit*] Vel, *aperuit mihi in bello viam perfectam*, h. e. Quando veni intra media agmina hostium, ut non esset possibilis evasio, fecit mihi Dominus perfectam viam, & eduxit me illæsum.

41. *Dedisti mihi dorsum*] Hebraismus est, pro, *in fugam eos convertisti, ut dorsum obverterent mihi*.

45. *Mentientur mihi*] Ficto animo parent mihi.

GROTIUS.

1. D*Ominus petra mea*] Hic hymnus in multis convenit cum Psal. 18.

11. *Ascendit super Cherubim, & volavit*] Heb. *Ascendit super Cherub, & volavit*, i. velocissimè advenit velut in alato animali. Sic alibi *nube levissimâ vectari* dicitur, Esai. 19. 1.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

1. V*Erba David ultima*] Non absolutè ultima, sed quæ post omnes Psalmos Spiritu S. suggerente dixit.

3. *De me*] Capitur hîc לי pro בעבורי, sicut nos vertimus. Et est sensus, *Fortis Deus Israel dixit* ad Samuelem Prophetam *de me* quòd ego futurus essem *dominator in hominibus*; unxítque me in regem, & voluit *ut praeessem in timore Dei, & conservarem justitiam*. Chaldæus interpres intelligit id dictum de Messia.

4. *Sicut lux matutina*] Sensus est, Crescit Regnum meum *sicut lux matutina*, quæ paulatim in majorem accrescit claritatem. *Lux* autem quæ *nube* turbatur aut *pluviâ* nihil prodest, nisi quòd *herbam crescere facit* citò perituram. *Non sic erit Regnum meum, quod federe interveniente est firmatum*: ex quo procedet *salus mea & totum desiderium meum*, scilicet Christus Dei: *hoc non crescet sicut herba*, quæ mox arescit; sed Regni ejus non erit finis. *Impii verò & viri Belijaal*, qui Regnis tyrannicè præsunt, *sunt ut spina evulsa, quæ sine ferreis instrumentis tractari non possunt, aut certè igne sunt exurendæ*. Sic omnia Regna mundi tandem degenerant in interitum: Solum Regnum Davidicum & Christi manet in æternum.

8. *Sedens in solio sapientiæ*] Describitur hîc Catalogus insigniorum militum quos David habuit in aula sua, quos celebrat Scriptura propter insignia eorum facta quæ inter hostes egerunt. Et primò describuntur tres cæteris omnibus eminentiores; inter quos tamen unus primatum dignitatis habuit, cujus nomen hîc non aliter exprimitur quàm quòd *sederit in sessione*, seu *solio, sapientiæ*. Et hunc plerique Hebræi putant David fuisse. Hic fuit *delicatus* & sincerus in studio Legis, contra hostes verò fuit quasi *lignum* durum & insensibile. Alii verò putant hunc alium quempiam egregium athletam fuisse atque fortissimum, qui עדינו העצני appellatus fuerit, quòd *excitaverit hastam suam super octingentos vulneratos*, atque propter juge studium ejus in lege Divina vocetur *Sedens in sessione*, vel *in loco, sapientiæ*. Hic *in prælio uno percussit octingentos viros*, vel, ut Hebraismus habet, *super octingentis se profanum fecit*. Et nota quòd תחכמוני hîc est adjectivum hæmanthicum: pro quo Chald. interpres vertit חכימא *sapiens*. Sunt etiam qui Tachemonitem patrem fuisse putant, & Adino filium.

9. *Eleazar*] Hic secundus fuit athleta, qui cum duobus sociis non veritus fuit apparere coram exercitu Philistæorum, & eis *exprobrantibus exprobrare*. Hic tam viriliter pugnavit contra hostes populi Dei *ut manus illius obrigesceret ad gladium*, & omnibus fugientibus ipse solus immobilis perstitit & hostem in fugam convertit. Quod reliqui Israelitæ videntes, reversi sunt & despoliaverunt corpora occisorum. Tale quoddam facinus fecit Samma tertius athleta.

13. *In speluncam Adullam*] Juxta speluncam illam erat insignis petra, quæ præsidium & veluti arx David fuit. ¶ *Agmen Philistæorum*] Notandum quòd חיה nonnunquam capitur pro עדת *cœtu* & *collectione*.

15. *Laborans David appetitu*] Non cujuslibet aquæ appetitu, sed illius quæ in Bethlæhæm erat.

18. *Abisai*] Ponitur hîc alius ternarius egregiorum athletarum, sed qui in factis suis primis tribus non adæquantur. Quorum nobilior fuit Abisai, qui trecentos in uno bello peremit hostes. Alter Benaihu, qui duos duces Moab interfecit, qui hîc per אריאל designantur. Est autem אריאל idem quod ארי חזק *leo fortis*. Sed & leonem occidit in ipsa nive, quando bestiæ sylvestres sæviores sunt & plùs homini insidiantur.

21. *Virum magni aspectûs*] 1 Par. 11. 23. scribitur איש מדה *vir personatus* & *magnæ staturæ*. Capitur igitur hîc מראה pro *magno aspectu*, qualem Gigantes habent.

23. *Inter triginta honorabilis fuit*] Inter triginta scilicet illos quorum nomina mox recensentur. ¶ *Posuit verò eum David*, אל משמעתו] Hebræi exponunt pro אל עצתו, sicut nos vertimus. Sunt tamen qui sic intelligendum putant הפקיד על אנשי משמעתו *præfecit viris qui sibi obedientes erant*; qui scilicet erant Cherethi & Phelethi, quibus præfectus suprà scribitur.

VATABLUS.

1. N*Ovissima*, האחרונים] i. Hæc sunt quæ dixit David posteaquam edidit omnes Psalmos. Asserit se omnes Psalmos scripsisse per Spiritum Dei, & se Divinâ voluntate creatum Regem. ¶ *Excelsus*, על] Idem significat quòd עליון, ut docti inter Hebræos scribunt. Quidam vertunt, in loco *sublimi*, i. in magna dignitate. ¶ *Et dulcis*, &c. ונעים זמרות ישראל] *Et suavis in canticis Israelis*, i. suavissimus Psaltes Israelis: composuit enim Psalmos suavissimos, quibus utitur Israel in laudando Deo.

2. *Per linguam meam*, על לשוני] Ad verb. *Super linguam meam*, sub. *fuit*, i. Spiritus Sanctus locutus est per me Psalmos.

3. *Dixit*, אמר] Sub. *prius quàm essem Rex constitutus*, q. d. Pollicitus fuerat se constituturum me Regem Dominus per Samuelem. ¶ *Mihi*, לי] i. De me. ¶ *Fortis Israelis*, צור ישראל] *Rupes Israelis*, i. Deus fortissimus quem Israel colit. ¶ *Dominator*, &c. מושל וגו'] i. Dominabitur, sive imperabit, *hominibus in justitia* [vel, *cum justitia*] *& timore Dei*, h. e. prædixit me fore Regem justum & timentem Deum.

4. *Manè cùm exortus est*, בוקר יזרח] Ad verb. *manè exorietur*. *Manè*, i. temporis matutini. Quidam vertunt, *Et sicut lumen temporis matutini, orto jam Sole, temporis, inquam, matutini non nebulosi*. i. Et dixit splendorem ac decus Regni mei fore simile lumini temporis matutini, orto jam Sole, quod scilicet est lucidissimum, & lumen ejus subinde crescit usque ad meridiem: temporis, inquam, matutini quod non est nebulosum, i. quod non obscuratur sive conspurcatur adventu nubium. ¶ *A splendore & à pluvia, herba de terra*, מנוגה ממטר דשא מארץ] Concisus sermo obscurum locum reddit; propterea aliquid subaudiendum, cujusmodi, purgatum *à splendore* & *à pluvia*, ex qua *herba* germinat *de terra*, i. quod non constat splendore & pluviâ descendente super gramen quod egreditur de terra, h. e. in quo Sol partim lucet, & partim non lucet, cadente pluviâ super gramen. Quidam vertunt, *propter splendorem & propter pluviam, herbam elicit terra*. Et sic exponunt, *Crescet Regnum meum sicut lux matutina*, quæ

qua paulatim in majorem accrescit claritatem. Lux autem qua nube turbatur aut pluviâ nihil prodest, nisi quòd herbam crescere facit citò perituram. Alii, *quod non habet nubes præ fulgore suo,* aut *propter pluviam* quæ *herbam è terra* elicit.

5. *Cum Deo,* עם אל] i. Apud Deum, q. d. Non enim sic se habet familia mea apud Deum: h. e. talem promissionem imperfectam non fecit mihi Deus. ¶ *Quia pactum æternum iniit mecum,* כי ברית עולם שם לי] Ad verb. *quia pactum æternum posuit mihi.* ¶ *Ordinatum per omnia & custoditum,* &c. ערוכה בכל וגו׳] *Dispositum* [*præparatum*] *in omnibus, & servatum.* Alii, *ordinatè per omnia sancitum & conservatum.* Quidam pro *Custoditum* vertunt *Inviolabile.* Hoc dicit ut opponat tempori matutino quod conspurcatur interventu nubium. Omnia hæc intelligenda sunt de Christo. ¶ *Salus mea,* ישעי] Sub. *ipse est.* ¶ *Et omnis voluntas,* וכל חפץ] *Et omne desiderium,* sub. *fertur in eum,* q. d. Totus ab eo pendeo. ¶ *Non germinare faciet,* לא יצמיח] *Non producet,* i. non excitabit, sub. *alium Regem qui non sit de familia mea,* q. d. In familia mea manebit perpetuò Regnum. Doctus inter Hebræos exponit, *non erit ut germen agri quod evanescit: sed perpetuò regnabit ille qui est salus mea & desiderium meum, Christus, qui de semine meo descendet.*

6. *Impii autem,* ובליעל] Ad verb. *Et belijaal.* Vide Deut. 13. 13. sub. *sunt,* vel *erunt.* q. d. Nepotes mei, quia permanebunt in fide, perpetuò regnabunt: at qui inter filios meos & nepotes impii erunt, castigabuntur à Deo: tamen non auferet à familia mea misericordiam suam. ¶ *Propelluntur,* מונד] *Propulsantur:* pede scilicet, aut baculo. ¶ *Capient,* יקחו] Quidam per præsens vertunt, *capiunt,* vel *capere solent,* sub. *illas.* q. d. Ut homines tractare non solent manibus spinas, imò illas à se propellunt, sic Deus depellet à se eos qui è filiis aut nepotibus meis impii erunt.

7. *Replebitur,* ימלא] Aut per præsens, *repletur,* sub. *ipse,* aut *manus ejus,* i. capiet instrumentum ferreum quo succidet illas, aut hastile lanceæ quo propellat illas. ¶ *In loco suo,* בשבת] Ad verb. *in habitaculo,* vel, *mansione,* i. cremabuntur in loco suo.

8. *Qui erant Davidi,* אשר לדוד] *Quos habebat David,* i. qui militaverunt cum Davide. ¶ *Sedens in cathedra,* יושב בשבת] More scilicet eorum qui consulunt aliis, *consultus.* ¶ *Sapiens,* תחכמני] *Prudens.* ¶ *Caput magnorum,* ראש השלשי] i. Primus principum, vel, magnatum & nobilium. Istum militem priùs à sapientia commendat, deinde à virtute bellica, q. d. Consilio valebat & virtute bellicâ. Confer ista cum 1 Par. 11. 11. ¶ *Super octingentos,* &c. על שמונה מאות] i. Qui in uno prælio manu suâ trucidavit octingentos. Hebraismus.

9. *Et post eum,* ואחרו] i. Qui erat secundæ dignitatis ab eo. ¶ *Filii Ahohi,* בן אחחי] i. Ahohæus, sive de familia Ahohæorum. ¶ *Inter tres fortes,* בשלושה הגברים] i. Qui unus fuit trium fortium qui erant cum Davide, qui optimè rem gessit. ¶ *Quando probris affecerunt Pelisthim,* בחרפם בפלשתים] *Cùm probris lacessiverunt Philisthæos.* Alii, *cùm irruerent cum periculo vitæ in Palesthinos.* Verbum חרף significat *discrimini se exponere.* ¶ *Illic,* שם] i. Ubi erat David, ut dimicarent cum Israelitis. ¶ *Cùm jam ascendissent,* ויעלו] Ad verb. *Et ascenderunt.*

10. *Is exsurgens percussit,* הוא קם ויך] Hebraismus, Is confestim & sine mora, ubi vidit suos populares fugisse, percussit. Hoc pacto utuntur Hebræi verbo *Surgendi.* ¶ *Deficeret,* יגעה] *Defatigata esset,* q. d. ad lassitudinem usque. ¶ *Et adhæreret,* ותדבק] q. d. Præ nimio labore manus, quæ gladium tenebat, spasmum contraxit, ità ut finito conflictu vix potuerit educi è manu ejus gladius. Spasmus est tendonum contractio quæ aliquando fit inanitione, h. e. cùm præ nimio sudore tendones siccescunt & contrahuntur. ¶ *Et fecit Jehovah salutem,* ויעש יהוה תשועה] i. Per illum dedit insignem victoriam Israelitis. Nota, hanc victoriam Deo tribui, ut & reliquæ. ¶ *Reversus est post eum,* ישובו אחריו] i. Secutus est eum ad detrahenda spolia cæsis. Fut. Heb. pro præt.

11. *In villa,* לחיה] i. In pago quodam juxta quem hæc gesta sunt. Vel, *in statione.* ¶ *Possessio agri,* חלקת השדה] i. Ager. ¶ *A facie,* מפני] i. Metu, vel *ad adventum.*

12. *Et liberavit eam,* ויצילה] Sub. *lentem,* sive *lenticulam,* i. agrum plenum lenticulis. ¶ *Fecitque Jehovah,* &c. ויעש יהוה וגו׳] Hebraismus qui v. 10. exponitur.

13. *Ex triginta principibus,* מהשלושים ראש] i. De principibus [primariis] qui tum obtinebant primum locum apud Davidem. ¶ *In messe,* אל קציר] i. Tempore messis. ¶ *Castra autem,* &c. וחית פלשתים חונה] *Cœtus autem* [*congregatio, exercitus*] *Pelisthim posuerant castra in,* &c. ¶ *Rephaim,* רפאים] *Gigantum,* quæ non procul distabat à spelunca Adullam.

14. *In præsidio,* במצודה] *In loco munito,* nempe in rupe.

15. *Desideravit autem,* ויתאוה] *Concupivit autem,* i. præ desiderio dixit. ¶ *Quis potabit me aquâ,* מי ישקני מים] Hebraismus, Utinam aliquis efficeret ut biberem aquam, &c.

16. *Sed effudit,* ויסך] Sub. *in terram,* in honorem Jehovæ.

17. *Sanguinem,* הדם] i. Aquam allatam cum discrimine vitæ, &c. ¶ *Qui abierunt,* ההלכים] Sub. *quæsitum aquam.* Præs. Heb. pro præt. ¶ *Cum periculo vitæ suæ,* בנפשותם] Ad verb. *in animas suas.*

18. *Princips trium,* ראש השלושי] i. Primas tenebat inter tres posteriores. ¶ *Excitavit,* עורר] *Vibravit.* ¶ *Nomen,* שם] *Fama præcipua,* i. erat celeberrimus.

19. *Gloriosissimus,* נכבד] *Honorabilissimus, præstantissimus.* Per interrogationem vehementiùs affirmat, q. d. Trium sanè nobilissimus erat. ¶ *Sed usque ad tres,* ועד השלושה] i. Ad dignitatem trium priorum.

20. *Fortis,* חיל] *Fortitudinis,* i. fortis & robusti. Legitur & חי *vita,* i. vivacis, robusti ac bellicosi. ¶ *Magnus operibus,* רב פעלים] *Multus operibus, operosus,* i. magnatum rerum patrator. ¶ *Duos fortes,* את שני אריאל] *Duas arces munitissimas,* duo loca fortissima, quorum uterque dicebatur *Ariel,* i. homines qui defendebant duo loca fortissima regionis Moabitarum. Chald. *duos fortes.* ¶ *In medio cisterna,* בתוך הבואר] *In cisterna.* Scribitur הבאר *putei.* ¶ *Nivis,* השלג] *Nivoso,* i. hyberno: quo tempore leones solent magis valere viribus.

21. *Virum formosum,* איש מראה] Ad verb. *virum aspectus,* i. in quem conjiciebant aspectum, sive quem aspiciebant propter venustatem formæ. ¶ *Et rapuit,* ויגזל] *Et abstulit,* vel, *excussit.*

22. *Nomen inter tres,* שם בשלושה] i. Fama inter tres illos sequentes. Vel, dignus erat ferè qui annumeraretur inter tres illos fortes qui attulerunt aquam. Sic vertunt qui eum septimum constituunt: nam fuit medius inter illos ternarios & triginta sequentes.

23. *Istorum triginta,* מן השלושים] Sub. *sequentium.* ¶ *Gloriosissimus,* נכבד] *Nobilissimus,* ut v. 19. ¶ *Sed tamen ad tres,* ואל השלושה] i. Ad dignitatem trium priorum. ¶ *Ad auditum suum,* אל משמעתו] i. Auricularium, & à secretis. Alii vertunt, *super viros obedientiæ suæ,* i. præfecit eum viris sibi obedientibus, h. e. Cherethæis & Pelethæis.

32. *Filii Jasen,* בני ישן] Ex *Filiis Jasen,* i. filius.

34. *Filium Maachathi,* בן המעכתי] i. Maachathæus.

39. *Omnes, triginta & septem,* כל שלשים ושבעה] i. Tot fuerunt viri illustres & fortes qui militaverunt cum Davide. Sex fortes duarum illarum triadum, & hi triginta & unus, constituunt numerum triginta & septem virorum fortium. Hæc opinio optima est omnium, & contextui sacro maximè consentanea.

CASTALIO.

3. R*Ector religiosus*] Heb. *Rector metûs Dei*, i. metu Dei præditus: neque enim uno verbo *religionem* significant; ficut neque Galli, qui dicunt, *Crainte de Dieu.* Nec alienum est quòd *Dei metum* attribuit Deo: nam de Christo loquitur, qui genus humanum à Patre regendum accepit, ut est in Psal. 2. Quod sequitur, comparatio est qualis exstat in Psal. 1. Quemadmodum sol & pluvia stirpes alunt, efficiúntque ut eorum genus nunquam intercidat, sic Dei favor & studium meam posteritatem fovebit: cùm contrà improbi (ut Saulus) à stirpe eruantur tanquam spinæ. Quòd enim כי לא sic interpretor, ut aiat, non neget, eodem modo ponitur כי לא Gen. 18. ubi idem est quod *imò.* Nam לא non semper negantis est, ut Ezech. 3. ubi עם לא positum est pro *quòd si:* quod etiam adhiberi solet in jurando & affirmando pro eo quod Græci dicunt ἦ μὴν, aut ἦ μάλα. Item 2 Reg. 13. & 4 Reg. 5. & Ezech. 15. ולא confirmantis est, & alibi sæpe, sicut & Ecclesiastici 29. εἰ δὲ μὴ significat *quinetiam:* & Matth. 6. & Mar. 2. *alioquin*; & 2 Tim. 2. μήποτε *si forté:* sicut Græcis οὐκοῦν unâ voce affirmantis est. Quòd si hîc כי לא negantis esset, dissimilitudo foret absurda, & naturæ similitudiníque ab eodem Davide in 1. Psal. positæ contraria.

8. *Jasobeamus Hacmonis filius*] Hunc locum partim ex Paralipomenis transtuli. Nam hîc ità corruptus est ut nulla possit deprehendi sententia. Illic *trecentos*, hîc *octingentos superasse* scribitur. Illic *triginta*, hîc *trium princeps* dicitur: quanquam potest utrumque rectè dici, ut sit *trium inter triginta præcipuorum princeps.* Apud Græcum & Latinum folia sunt Sibyllæ. Josephus *Issæmum Achemai filium* vocat, ab eóque *octingentos* dejectos fuisse scribit: quod probabilius est quàm *trecentos*, cùm hic *fortissimus omnium* dicatur, cùm tamen totidem stravisse paulò post hunc locum scribatur Abisæus.

CLARIUS.

1. V*Erba novissima*] Non absolutè ultima, sed quæ post omnes Psalmos Spiritu S. suggerente dixit.

2. *Dixit Deus Israel de me*] *Fortis Deus Israel dixit* ad Samuelem Prophetam *de me*, quòd ego futurus essem *dominator in hominibus:* unxítque me in Regem, & voluit *ut præessem in timore Dei, & conservarem justitiam.* Chald. interpres intelligit id dictum de Messia.

4. *Sicut lux auroræ*] Sensus est, Crescet Regnum meum *sicut lux matutina*, quæ paulatim in majorem accrescit claritatem. *Lux* autem quæ *nube* turbatur aut *pluviâ* nihil prodest, nisi quòd *herbam crescere facit* citò perituram. *Non sic erit Regnum meum, quod fœdere Dei interveniente est firmatum*, ex quo procedet *salus mea & totum desiderium meum*, scilicet Christus Dei: *hoc non crescet sicut herba*, quæ mox arescit; sed Regni hujus non erit finis. *Impii verò & viri Belial*, qui Regnis tyrannicè præsunt, *sunt ut spinæ evulsæ, quæ sine ferreis instrumentis tractari non possunt, aut certè igni sunt exurendæ.* Sic omnia Regna mundi tandem degenerant in interitum: solum Regnum Davidicum & Christi manet in æternum.

8. *Sedet in cathedra*] Describitur hîc catalogus insignium militum quos David habuit in aula sua, quos celebrat Scriptura propter insignia eorum facta quæ inter hostes egerunt. Et primò describuntur tres cæteris omnibus eminentiores; inter quos tamen unus primatum dignitatis habuit, cujus nomen hîc non aliter exprimitur quàm quòd *sederit in solio sapientiæ.* Et hunc plerique Hebræi putant David fuisse. Hic fuit *delicatus* & sincerus in studio Legis, contra hostes verò fuit quasi *lignum* durum & insensibile. Alii verò putant hunc alium quempiam athletam fuisse fortissimum.

15. *Aquam de cisterna*] Non cujuslibet aquæ erat ei appetitus, sed illius quæ in Bethleem erat.

18. *Abisai quoque*] Ponitur hîc alius ternarius egregiorum athletarum, sed qui in factis suis primis tribus non adæquantur. E quibus nobilior fuit Abisai, qui trecentos in uno bello peremit hostes. Alter Banaias, qui duos duces Moab interfecit, quos *fortes leones* vocat. Sed & leonem occidit in ipsa nive, quando bestiæ sylvestres sæviores sunt, & plùs homini insidiantur.

23. *Inter triginta honorabilis*] Inter triginta scilicet illos quorum nomina mox recensentur.

DRUSIUS.

20. אֲרִיאֵל. A. & Sym. *leonem Dei*] Hieron. *leones.* Santes, *fortes ut leones.* ארי *leo*, אל *Deus*; אריאל λέων τοῦ Θεοῦ.

GROTIUS.

1. H*ÆC autem sunt verba David novissima*] Nempe verba Prophetiæ: nam alia multa non prophetica post id locutus est, ut capite sequenti & libro sequenti apparebit.

3. *Dixit Deus Israel mihi*] Per Nathanem. Vide suprà, cap. 7.

8. *Fortium David*] Heroum ejus temporis, quorum virtus modum humanum visa excedere. ¶ *Quasi tenerrimus ligni vermiculus*] Est nomen proprium, *Hadinus Hesnita.* Ità Græci & Hebræi.

11. *Ager lente plenus*] Alius hic ager ab illo *pleno hordei*, 1 Par. 11. 13. nam & bellatorum nomina differunt.

16. *At ille noluit bibere*] Sic Alexander in pari necessitate *poculo pleno, sicut oblatum erat, reddito, Nec solus, inquit, bibere sustineo; nec tam exiguum omnibus dividere possum.* Narrat Curtius, l. 7. Lucanus de Catone in siticulosa Africa,

Ultimus haustor aquæ, cùm tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat dum lixa bibat.——

39. *Omnes triginta septem*] Qui hîc ab Asaele ad hunc numerum desunt, ii fuere filii Jassen suprà memorati commate 33.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

1. I*Ncitavit ipsum David*] Secundùm Hebræos Deus non incitavit David contra populum, sed cor David incitavit ipsum, ut diceret intra se, *Vade & numera Israel*, &c. Iratus verò est Deus quòd David carnem posuerit brachium suum, & magis confisus fuerit in multitudine populi quàm in nomine Domini; deinde quòd Lex vetuerit numerare populum nisi singuli viri tribuerent expiationem animæ suæ, Exod. 13.

3. *Tot & tot*] Secundùm R. S. primum *tot* duplicat numerum populi, & alterum duplicatum duplicat; & quadruplicatum tandem in centenarium ducitur.

10. *Percussit cor David ipsum*] h. e. Conturbavit ipsum, conscium commissi mali.

11. *Videntem David*] Sensus est quòd visio illius Prophetæ ad David dirigebatur.

13. *Septem anni famis*] 1 Par. 21. 12. dicitur, *tres anni.* Dicendum igitur quòd hæc res mox gesta est post tres illos famis annos qui fuerunt propter Gibeonitarum necem, & illi hîc quoque numerantur. Et quoniam in sexto anno, qui adhuc sterilis fuit, propter pluviarum retentionem seminari non poterat, septimus quoque annus famelicus fuit.

15. *Ad tempus statutum*] Quidam hoc exponunt de חצי היום *meridie*, qui est certum & statutum tempus, sicut & ortus atque occasus. Alii verò referunt ad נץ החמה *radium illius diei:* h. e: quamdiu radii solares videban-

videbantur non cessavit plaga. Tertii referunt ad radiationem solarem trium dierum; & hoc tempus continet 36 horas: de quibus secundùm aliquos horæ quædam ex miseratione Divina fuerunt ablatæ.

16. *Arafna*] In Hebræo scribitur *Aravna* cum *v* consonante. Fuit autem iste Arafna Rex Jebusæorum in Jerusalem, ut paulò inferiùs dicitur. Hi enim adhuc in Urbe inter Judæos erant, sub tributo tamen David, & à cultura idolorum semoti: Quorum Regulus seu Præfectus habuit horreum in monte Morija situm, ubi postea Salomon Templum Domini exstruxit, in loco ubi quoque Abraham filium suum Isahac sacrificare voluit. In hoc loco voluit Dominus placari oblatione holocausti, contra plagam in populo grassantem.

22. *Et rastra*] Sunt מורגים *instrumenta lignea per quæ grana segetum excutiuntur. Instrumenta* verò *boum* sunt lignea instrumenta quæ necessaria sunt pro agrorum cultura.

24. *Pro quinquaginta siclis*] 1 Par. 21. 25. dicitur quòd David expenderit *sexcentos siclos aureos*. Verùm hoc intelligitur de toto ambitu & prædio illius loci in quo, ut diximus, exstructum fuit Templum Domini, cum omnibus adjacentibus locis: Hic verò notatur quid David dederit pro horreo tantùm & bobus.

VATABLUS.

1. Et addidit, ויסף] Ut scilicet paulò antè c. 21. 1. cùm immiserat famem ob Gabaonitas. Vertere potes, *Rursus iratus est Jehovah.* ¶ *Et concitavit,* ויסת] Hìc dicitur Deus *concitasse cor Davidis ut numeraret populum*, at 1 Par. 21. 1. dicitur *Satan incitasse ipsum Davidem:* unde intelligimus Satanam iræ Dei flabellum esse, ut corda hominum, quocunque voluerit Deus, impellat. Quidam Hebræorum non malè subaudit *cor: Incitavit cor Davidis, Davidem*, q. d. David à propria concupiscentia fuit tentatus.

2. *Quem* habebat *secum*, אשר אתו] *Quem*, nempe exercitum. Aut verte, *qui* Joab erat *cum eo*.

3. *Sicut sunt & sicut sunt*, כהם וכהם] i. Quotquot sunt, vel, quantus quantus est, h. e. reddat centuplo majorem sive numerosiorem quàm nunc est. ¶ *Vult hoc*, חפץ לדבר הזה] *Desiderat hoc?* vel, *tenetur hujus rei desiderio?*

4. *Prævaluit autem*, &c. ויחזק וגו'] Hebraismus, Vicit verba Joab & principum militiæ qui eum dehortabantur.

5. *Ejus*, העיר] Ad verb. *urbis*, refert Aroer. ¶ *Et ad Jaazer*, ואל יעזר] Quidam existimant unam esse dictionem, *El-jaazer*. Alii, *juxta Jaazer*, i. non procul à Jaazer.

6. *Et circa Sidon*, וסביב אל צידון] i. Ad loca quæ erant circa Sidonem.

7. *Unde egressi sunt*, ויצאו] i. Unde reversi sunt.

9. *Numerationis*, מפקד] *Supputationis*, i. summam populi numerati. ¶ *Evaginantium*, שולף] *Educentium*, qui poterant gestare arma, & educere gladium. Sing. Heb. pro plur.

10. *Post hæc percussit*, &c. ויך לב דוד אותו] i. Confestim cœpit angi ob factum, h. e. cœpit pœnitere illum facti. ¶ In eo *quod feci*, אשר עשיתי] *Quia feci*. Vel, *quòd fecerim*, sub. *hoc*. ¶ *Transfer, quæso, iniquitatem*, העבר נא את עון] Hebraismus, Condona, obsecro, hoc peccatum servo tuo.

11. *Videntem Davidis*, חוזה דוד] i. Qui prophetare solebat, & prædicere Davidi voluntatem Dei. ¶ *Dicens* ei, לאמור] Ad verb. *dicendo*.

12. *Offero*, נוטל] *Affero, impono*. ¶ *Tria*, שלש] i. Unum ex tribus. Seipsum mox declarat. ¶ *Ut faciam*, ואעשה] Sub. *quod elegeris*.

13. *Septem anni famis*, שבע שנים רעב] In Paralipomenis 1. 21. 12. sunt *tres anni*. Tres anni prætererant antequam hæc dicerentur: Ultimo verò anno non poterat fieri quin esset fames usque ad messem: hoc pacto sunt septem. ¶ *Cognosce*, דע] i. Maturè delibera & statue.

14. *Incidam*, נפלה] Particip. præs. ex conjug. Niphal. 1 Par. 21. 13. legitur, אפלה *Incidam*, q. d. Deligo pestem.

15. *Immisit itaque*, ויתן] Ad verb. *Et dedit*. ¶ *Usque ad tempus constitutum*, ועד עת מועד] i. Usque ad vesperam: nam hoc commendat misericordiam Dei qui pro tribus diebus unum tantùm elegerit.

16. *Cùmque extendisset*, וישלח] Ad verb. *& misit*. ¶ *Pœnituit Jehovam mali*, וינחם יהוה אל הרעה] i. Mutavit sententiam de afflictione quam interminatus fuerat. ¶ *Disperdenti populum*, המשחית בעם] *Exterminatori*, i. cui jusserat perdere populum. ¶ *Quiescere fac*, הרף] *Cohibe*. ¶ *Juxta aream Araunah*, עם גורן הארונה] Hæc erat Hierosolymis, sita in monte Moria, in quo Abraham voluit immolare filium suum Isaac. Lege 1 Par. 21.

17. *Sit*, תהי] i. Convertatur manus tua, &c. h. e. percute me.

20. *Respiciénsque Araunah*, וישקף ארונא] Exserto scilicet capite aspexit: nam delitescebat metu Angeli. ¶ *Transeuntes*, עוברים] i. Venientes. ¶ *Egressus*, ויצא] Sub. *De loco in quo delitescebat*. ¶ *Incurvavit*, &c. וישתחו וגו'] *Adoravit Regem vultu prono in terram*.

21. *Et restringatur*, ותעצר] *Prohibeatur, comprimatur*, i. nè ultrà grassetur pestis in populum.

22. *Vide boves*, ראה הבקר] *En tibi boves*. ¶ *Instrumenta*, וכלי] Vel, *tribulæ*. Vox Hebræa significat instrumenta quibus teritur triticum, & terræ glebæ comminuuntur. ¶ *Pro lignis*, לעצים] i. In usum lignorum, h. e. ut facias ignem.

23. *Rex*, המלך] Quondam *Rex*. Fuerat enim Rex Jebusæorum antequam capta fuisset arx Jerusalem à Davide. ¶ *Complaceat sibi in te*, ירצך] i. Te gratum habeat, & tua sacrificia sint illi accepta.

24. *Gratis*, חנם] i. Ex rebus alienis. ¶ *Argento*, בכסף] Mox declarat quodnam fuerit argentum, nempe *sicli argentei quinquaginta*. Aiunt singulas tribus dedisse quinquaginta siclos: quoniam in 1 Par. 21. 25. *sexcentis siclis emisse* legimus. Alii aiunt illum emisse solùm eam partem cum bobus in qua altare ædificaret; deinde reliquam partem ejus areæ.

25. *Et cohibita est*, ותעצר] *Et prohibita est*, i. cessavit, conquievit pestis quæ grassabatur in Israelem.

CASTALIO.

10. Peccavi graviter in eo quod feci] Cùm Deus Abrahamo prolem promisisset innumerabilem, David eam numerare voluit, quasi qui Dei promissum refelleret. Vide 1 Par. 27. 23, 24.

CLARIUS.

1. Commovitque David] Secundùm Hebræos Deus non incitavit David contra populum, sed cor David incitavit ipsum ut diceret intra se, *Vade & numera Israel*, &c. Iratus verò est Deus quòd David carnem posuerit brachium suum, & magis confisus fuerit multitudine populi quàm nomine Domini, deinde quòd Lex vetuerit numerare populum nisi singuli viri tribuerint expiationem animæ suæ, Exod. 30.

13. *Aut septem annis*] 1 Par. 21. 12. dicitur *tres anni*. Dicendum igitur quòd hæc res mox gesta est post tres illos famis annos qui fuerunt propter Gabaonitarum necem, & illi hìc quoque numerantur. Et quoniam in sexto anno, qui adhuc sterilis futurus fuisset, propter pluviarum retentionem seminari non potuisset, septimus quoque annus famelicus esset futurus.

16. *Arauna*] Fuit hic Arauna Rex Jebusæorum in Jerusalem. Hi enim adhuc in Urbe inter Judæos erant,

erant, sub tributo tamen David, & à cultura idolorum semoti: Quorum Regulus seu Præfectus habuit aream in monte Moria sitam, ubi postea Salomon Templum Domini exstruxit, in loco ubi Abraham quoque filium suum Isaac sacrificare voluit. In hoc loco voluit Dominus placari oblatione holocausti, contra plagam in populo grassantem.

24. *Siclis quinquaginta*] 1 Par. 21. 25. dicitur quòd David impenderit *sexcentos siclos aureos*. Verùm hoc intelligitur de toto ambitu & prædio illius loci in quo, ut diximus, exstructum fuit Templum Domini, cum omnibus adjacentibus locis: hîc verò notatur quid David dederit pro area tantùm & bobus.

DRUSIUS.

1. לַחֲרוֹת] Schol. *θυμωθῆναι excandescere.*

6. אֶל אֶרֶץ תַּחְתִּים. Sym. *in terram inferiorem*, i. תחתית. Pro *terram* in Eusebio *viam*. Locus est in De locis, *Æthon Adasai; pro quo Sym. posuit Inferiorem viam.*

7. מִבְצַר צֹר. A. & Sym. *Munitam Tyrum*] Euseb. De locis, *Mabsar Tyri; pro quo Aquila & Sym. interpretantur Munitam Tyrum.*

16. וַיִּנָּחֶם. Schol. *μετεμελήθη pœnituit.*

GROTIUS.

1. *Commovitque David in eis*] *In eis* nempe diebus *commovit David*, activum pro passivo, ut sæpe, i. *commotus est*, nempe à diabolo, ut expressè habemus 1 Par. 21. 1. Diabolo autem locum facit incuria ac negligentia circa mandationem Legis ac preces. ¶ *Vade, numera Israel & Judam*] Nempe non persoluto censu, qui Deo quoties lustrabatur populus debebatur ex Lege, Exod. 30. 12. Erat autem non leve peccatum in tanta rerum opulentia Deum suo jure velle fraudare. Sic interpretantur hanc historiam Josephus & Hebræorum alii.

4. *Obtinuit autem sermo Regis verba Joab & principum exercitûs*] Imò *apud Joab & principes exercitûs*, i. Nihil ultrà contradictum est.

7. *Transierunt prope mœnia Tyri*] Rectiùs Græci nomen loci proprium hic ponunt Μαψαρτύρου, quod eodem modo restituendum in Græco Jos. 19. 29. quo loco Græci pro עִיר, male videntur legisse עַיִן, & copula in Græco abundat. ¶ *Et Cananæi*] Phœnicum. Vide quæ dicta nobis ad Matth. 15. 22. & in Annot ad l. 1. De Verit. Relig. Christianæ.

9. *Octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium: & de Juda quingenta millia pugnatorum*] Nempe extra legiones ordinarias quæ sub 12 erant Ducibus, ut colligas ex 1 Par. 27. 1.

10. *Et dixit David ad Dominum, Peccavi valde in hoc facto*] Non statim ad pœnitentiæ professionem tolluntur pœnæ.

13. *Aut septem annis veniat tibi fames in terra tua*] *Septem annos* habet & Josephus. At *tres* hîc LXX, quomodo & in Hebræo 1 Par. 21. 12. Videntur numeri olim per notas scripti, ut & apud gentes alias, & indè facilis mutatio. Bene autem cum hoc loco convenit illud Hesiodi,

> Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
> Ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
> Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,
> Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.
> Οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν· μινύθουσι δὲ οἶκοι
> Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου· ἄλλοτε δ' αὖτε
> Ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, ἢ ὅγε τεῖχος
> Ἢ νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίνυται αὐτῶν.

15. *Septuaginta millia virorum*] In Carthaginensium exercitu cùm Syracusas obsideret brevi tempore centum hominum millia periere. Narrat Diodorus l. 14.

16. *Cùmque extendisset manum suam angelus Domini*] Qui gladio armatus apparebat in signum iræ Divinæ, 1 Par. 21. 16.

17. *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt?*] Simile illud apud Virgilium,

> *Me, me, adsum qui feci: in me convertite ferrum,*
> *O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,*
> *Nec potuit.*

Neque tamen innocens planè populus, qui silentio factum Davidis probaverat. Præterea ipsius Regis maxima pœna, damnum populi. Vide quæ diximus De J. B. ac P. l. 2. c. 22. §. 17.

18. *Area Arauna Jebusæi*] Vir fuit pius, sed ex Regum Jebusæorum sanguine; unde *rex* infrà appellatur 23.

21. *Ut emam à te aream*] Nam alienum solum consecrare nefas. In hac area ædificatum postea Templum.

24. *Emit ergò David aream*] Hîc ponendum colon: emit autem *siclis auri sexcentis*, 1 Par. 21. 25. Quod sequitur pretium est multò minus, victimarum scilicet.

ANNOTATA

AD LIB. I.

REGUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Libri Sedar Olam autor scribit quòd David cœperit imperare populo Israel anno 390 postquam Israel intravit Terram promissionis, qui fuit annus 430 exitûs de Ægypto, & 2875 à creatione mundi. Regnavit autem annis 40 fuitque annorum 30 cùm regnare cœpisset; nec ultra LXX annos vixit, propter multas belli injurias quas sustinuit citò valetudinarius factus.

2. *Quærant puellam*] Quærunt hic Magistri Hebræorum quare Rex vestibus coopertus non caluerit, respondéntque quidam ex eis quòd id illi evenerit propter succisam chlamydis Saul oram, quando David in spelunca cacanti extremitatem vestis abscidit. Alii hanc rationem pro deliramento habentes asserunt David in visione Angeli extractum tenentis gladium adeò territum ut penè omnem naturalem amiserit calorem. Quærebant igitur servi ejus puellam, non effœtam mulierem, quæ in partu multum dicitur amittere caloris, sed puellam, quæ Regem suo concubitu calefaceret: id quod citra omnem suspicionem fieri potuit. Cùm ille jam penè omnium sensuum destitueretur viribus, non dubium quin & Venus omnino in eo deferbuerit, teste Scripturâ, quæ dicit puellam ab illo minimè cognitam. Alioquin quomodo licuisset filio illam petere uxorem quæ patris vel concubina vel uxor fuisset? Egit illa סוכנת non פלגש officium: h. e. erat מועילת המלך, ut quidam exponunt, *Regem* scilicet *fovens*, haud secùs quàm cùm mater infantem omnis opis indigum in gremio fovet, nihil eorum omittens quæ corpori fovendo conducunt. Sunt tamen inter Hebræos qui סוכנת pro אוצרת *thesauraria* exponunt, dicentes Regios thesauros illi commissos, quo citra notam ingredi & egredi à Rege posset.

9. *Juxta lapidem Zohaleth*] Kimhi putat legendum *juxta lapidem decursûs aquarum.* Nam aderat fons Rogel, dictus à רגל, quòd pedibus illic vestimenta lavarentur, ut suprà quoque meminimus.

21. *Peccatores*] h. e. Extranei erimus à Regno, vel, *imputabitur nobis iniquitas*, propter quam filius meus ineptus reputabitur pro Regno. Jonathan verò vertit מתרחקין *abjecti erimus.*

31. *In seculum*] Cùm David propinquus esset morti, non potest verbum istud nisi de futuro intelligi seculo.

33. *Ad Gihon*] Chald. *ad Siluha*; fluvium scilicet qui in Euangelio *Siloe* vocatur.

36. *Amen*] Pro האמן. Est enim imperativus passivus primæ conjug. & interpretatur, *Verum fiat*, vel *Probetur.*

38. *Chereti*] Suprà libro 2. c. 8. scripsi quid Hebræi sentiant de *Cherethi* & *Phelethi.*

40. *Canebant tibiis*] Hebr. *fistulabant cum fistulis.* Est enim חליל instrumentum musicum multa habens foramina. ¶ *Ut terra contremisceret*] Vel, *ut terra commoveretur.* Hyperbole est, quæ figura non rarò in Hebraismo invenitur. Habet tamen textus Hebræus sic, *& scissa est terra à voce*, vel *sono*, *eorum.*

52. *Si fuerit filius strenuus*] h. e. Si bono & constanti animo sese mihi subdiderit & obedierit.

VATABLUS.

Liber iste ultimus est librorum quos vocant Hebræi נביאים ראשנים *Prophetas priores:* qui ab ipsis dicitur מלכים א Regum *Primus*; à Latinis Regum *Tertius*, & à LXX Βασιλειῶν γ Regnorum *Tertius.*

1. *Venerat in dies*, בא בימים] Hebraismus, i. ætatis provectæ erat. Vide Gen. 24. 1. Tum erat sexagenarius David: Qui tam citò senuerat propter labores quos tulerat persequente Saule, & ob alia bella. Anno 477 ab Exitu de Ægypto hæc gesta sunt. ¶ *Ei*, לו] Redundat, q. d. *& tamen non calefiebat:* nam calor nativus in eo penè erat extinctus.

2. *Quærant*, יבקשו] i. Liceat nobis per te quærere, vel, jube quæramus. ¶ *Puellam virginem*, נערה בתולה] Hoc dicit quòd virgines plus caloris habeant quàm quæ pepererunt. ¶ *Quæ stet coram Rege*, ועמדה לפני המלך] i. Quæ astet Regi. Chald. paraph. *ut serviat* vel *ministret*, Regi. V. 4. dicitur, *Et ministrabat ei.* ¶ *Et eum foveat*, ותהי לו סוכנת] *Et calefaciat eum.* Doctus inter Hebr. exponit, *ut utilitatem afferat illi*, calefaciendo scilicet illum. Chald. *sit ei propinqua*, i. admovens se, sive corpus suum, corpori regio, ut calefaciat ipsum. Alii, *ut custodiat thesauros ejus.* ¶ *Calefiátque*, &c. וחם לאדוני המלך] *Et foveat dominum meum Regem.*

3. *Sunamithidem*, השונמית] i. E Sunem urbe tribûs Issachar, Jos. 19. 18.

4. *Et Regem fovebat*, ותהי למלך סוכנת] Eadem dictio quæ v. 2. *Et erat fovens Regem*, vel, *calefaciens.* ¶ *Non cognovit eam*, לא ידעה] i. Rem non habuit cum ea. Aiunt Davidem tunc habuisse decem & octo uxores, ultra quem numerum non licebat habere. Verùm & hoc pertinet ad laudem Davidis.

5. *Efferebat sese*, מתנשא] *Exaltabat sese*, h. e. affectabat Regnum decumbente patre. ¶ *Et fecit*, ויעש] *Et constituit*, vel, *comparavit.* ¶ *Currentes ante se*, רצים לפניו] i. Qui præcedentes gestarent arma ejus.

6. *Et non contristavit eum*, ולא עצבו] i. Non affecit eum dolore corripiendo eum, non increpavit eum, *pater suus à diebus ejus*, vel, *suis*, i. unquam, h. e. quamdiu vixit. Gallicè, *De sa vie.* Taxat nimiam indulgentiam Davidis. ¶ *Et iste*, וגם הוא] Ut scilicet Absalom. ¶ *Post Absalom*, אחרי אבשלום] Sub. *natum*, i. secundus erat ab Absalom, qui erat mortuus. Ad hunc ergò videbatur pertinere Regnum. Sed Deus dat quibus vult.

7. *Et locutus est cum*, &c. ויהיו דבריו עם יואב] Ad verb. *Et fuerunt verba ejus cum Joab*, sub. *de invadendo Regno.* ¶ *Post Adonijah*, אחרי אדניה] i. secutíque sunt partes Adoniæ, i. juverunt Adoniam sequendo partes ejus, & pertrahendo alios ad ipsum.

 8. *Et*

8. *Et fortes*, &c. והגבורים אשר לדוד] i. Robur militiæ Davidis.

9. *Et pinguia*, ומריא] i. Pecora saginata. ¶ *Apud fontem Rogel*, אצל עין רגל] *Juxta En Rogel*.

10. *Et fortes illos*, ואת הגבורים] De quibus v. 8.

11. *In hunc modum*, לאמר] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Audisti quòd regnet*, שמעת כי מלך] *Intellexisti quòd regnet*, i. jam Regnum invaserit, & pro Rege se gerat, idque ignorante atque inscio Davide hero nostro. ¶ *Nescit*, לא ידע] Præt. Heb. pro præs.

12. *Et erue animam tuam*, ומלטי את נפשך] Hebraismus, Quo poteris saluti tuæ & filii consulere.

13. *Regnat*, מלך] Præt. Heb. pro præs. i. Regiam dignitatem invasit, & pro Rege se gerit.

14. *Veniam post te*, אבוא אחריך] *Mox sequar te*. ¶ *Et complebo sermones tuos*, ומלאתי את דבריך] i. Sermonem à te cœptum de Adonia invadente Regnum persequar ad fidem usque.

15. *Senuerat valde*, זקן מאד] i. Erat valde infirmus ac debilis præ senio, i. erat senio confectus.

16. *Et adoravit Regem*, ותשתחו למלך] i. Demisso capite inclinavit, sive prostravit se, q. d. Statim atque ingressa est cubiculum Regium, verticem inclinavit honoris causâ: & cùm parùm progressa esset, etiam totum corpus incurvavit. His verbis idem significantibus nihil aliud vult indicare quàm ipsam summo honore affecisse Davidem summa cum abjectione sui. Prima vox Hebræa תקוד significat *verticem demittere*. Orientales non possunt tam facilè aperire caput quàm nos aperimus, quòd aliter tegant ac ornent illud quàm nos. Secunda vox השתחו à שחה est *totum corpus incurvare*. Alia est vox כרע quæ significat *genu flectere*, nostro more, Psal. 95.6. continentur hæc tria genera exhibendi honorem. ¶ *Quid est tibi?* מה לך] *Quid tibi? Quid vis? Quid petis?*

20. *Tu autem*, ואתה] *Et nunc*, i. in hac ætate vicina morti, q. d. universus Israel conjicit oculos in te, ut sciat quis sit post te regnaturus. ¶ *Super te*, עליך] Sub. *conjecti*.

21. *Alioqui futurum est*, והיה] Ad verb. *Et erit*. ¶ *Cùm dormierit*, &c. כשכב וגו'] i. cùm vitâ functus fuerit. Similis locutio est Gen. 47. 30. ¶ *Simus peccatores*, חטאים] i. Peribimus tanquam peccatores, & perdemur: h. e. interficiet nos Adonias, si ante mortem non designatis Regem. Hebræi exponunt, *erimus falsi & frustrati*, h. e. frustrabimur spe nostrâ, quasi aberrantes à scopo. Alii exponunt, *Tum dicent filium meum non fuisse dignum Regno, propter culpam nostram, quòd me cognoveris vivente viro*.

22. *Venit*, בא] *Ingressus est*, sub. *atrium*.

25. *Comedunt & bibunt coram eo*, אוכלים ושותים לפניו] i. Recumbunt coram eo edentes & bibentes. Hebraismus.

29. *Vivit Jehovah*, חי יהוה] i. Juro per Deum viventem.

30. *Ità ipse*, והוא] Ad verb. *& ipse*, ו conversum in *ità*, ut correspondeat superiori *Quemadmodum*.

32. *Qui ingressi sunt ante Regem*, ויבואו לפני המלך] i. Qui ingressi steterunt coram Rege.

33. *Et deducite*, והורדתם] Ad verb. *& descendere facite*. ¶ *In Gihon*, על גחון] Chald. *ad Siloe*. Alii, *ad fontem Siloe:* Qui fons erat in parte Occidentali Urbis David; cujus aqua erat perennis. Ab *extrahendo* sic dictus, quòd ejus aquis rigarentur horti. Jussit David Salomonem ungi in Regem juxta fontem Gihon, cujus aqua (ut dictum est) erat perennis, ut votum suum vel hac ratione aperiret: optabat enim ut Regnum Salomonis esset perpetuum ac perenne, quasi David dicat, O Domine, fac ut Regnum filii mei Salomonis sit perenne. In Euangelio fit mentio *Siloe*, quia est Chaldaica dictio, non *Gihon:* Quorum nominum eadem est significatio.

35. *Post eum*, אחריו] i. Sequentes eum. ¶ *Nam illi præcepi*, ואותו צויתי] Ad verb. *Et illi præcepi*.

36. *Amen: sic dicat*, אמן] i. Ità fit: sic statuat futurum.

37. *Magnificétque*, ויגדל] *Amplificétque*, *majus reddat*, *augeat*. Sic infrà.

39. *Cornu olei*, קרן השמן] i. Partem aliquam olei unctionis in parvo vase.

40. *Et ascendit*, &c. ויעלו וגו'] Hebraismus, à Gihon prosecutus est eum usque in Regiam. ¶ *Ità ut rumperetur*, &c. ותבקע הארץ בקולם] Ad verb. *& rumpebatur*, &c. i. rumpi videbatur, *terra à strepitu eorum*, q. d. Excitatus est tantus clamor ut terra videretur disrumpi & findi.

41. *Ipsi autem finierant comedere*, והם כלו לאכול] i. Finito jam convivio. ¶ *Tumultuantis*, הומה] *Frementis*, i. Cur urbs sic strepitu tumultuatur? Vel, Quare auditur strepitus urbis tumultuantis?

42. *Fortis es*, חיל] Ad verb. *virtutis*, i. strenuus, probus, ac bonus. ¶ *Et bonum*, וטוב] i. Felicia ac prospera.

44. *Regiam*, המלך] i. quâ nemo alius quàm Rex vehi poterat.

45. *Et tumultuavit*, ותהום] *Et perstrepuit*, *insonuit*, i. sonitu ac tumultu repleta.

47. *Venerunt*, באו] *Ingressi sunt*, sub. *in cubiculum Regium*. ¶ *Ad benedicendum*, לברך] i. Bene precaturi, vel, congratulaturi. ¶ *Benefaciat*, &c. ייטיב אלהיך את שם וגו'] *Bonum* [i. illustrius] *efficiat Deus nomen*, &c. i. Clariorem reddat famam, *Salomonis*, &c. ¶ *Et magnificet*, ויגדל] Ut v. 37. i. majorem reddat regiam dignitatem, &c. h. e. ditionem. ¶ *Et incurvavit se*, וישתחו] i. Adoravit Rex Deum in lecto, agendo ei gratias, tanquam rem gratissimam audiret.

48. *Me vidente*, ועיני ראות] Ad verb. *& oculi mei vident*.

49. *Illi verò territi sunt*, ויחרדו] *Obstupefacti sunt ergò*, vel, *Trepidantes ergò surrexerunt*, &c.

50. *Altaris*, המזבח] Quod scilicet David exstruxerat in urbe sua, nam altare quod curaverat Moses exstruendum in deserto, adhuc erat in Gabaon, 1 Par. 21. 29.

51. *His verbis*, לאמר] Ad verb. *dicendo*.

52. *Filius virtutis*, לבן חיל] Ad verbum reddidit noster interpres. Est autem Hebraismus, pro, *Si fuerit præditus virtute ac fortitudine animi, ac amans virtutis*, i. probus. Chald. *Si fuerit homo timens peccare*. ¶ *Non cadet de capillis ejus*, לא יפול משערתו] *Non cadet* quicquam *de cæsarie* [*coma, capillitio*] *ejus*.

53. *Et abduxerunt eum*, ויורדהו] Ad verb. *& descendere fecerunt eum*.

CLARIUS.

Scribunt Hebræi, David cœpisse imperare populo Israel anno 390 postquam Israel intravit Terram promissam, qui fuit annus 430 exitûs de Ægypto, & 2875 à creatione mundi. Regnavit autem annis 40. fuítque annorum 30 cùm regnare cœpisset; nec ultrà 70 annos vixit, propter multas belli injurias quas sustinuit citò valetudinarius factus.

7. *Et sermo ejus*] Hebraismus est; h. e. consilia ejus.

21. *Peccatores*] h. e. Extranei erimus à Regno, vel *imputabitur nobis iniquitas*, propter quam filius meus ineptus existimabitur Regno.

33. *Tollite vobiscum servos Domini vestri*] h. e. Servos meos, qui adsint coronando Salomoni, ut sit Rex vester. ¶ *In Gihon*] Chald. *ad Siloe*, fluvium scilicet cujus in Euangelio fit mentio.

36. *Amen*] h. e. *Verum fiat*, vel, *Probetur*.

DRUSIUS.

4. וַתְּהִי לַמֶּלֶךְ סֹכֶנֶת. In comment. Græcis, καὶ ἦν τῷ βασιλεῖ σύγκοιτος *& erat regi concubitrix*] Vel *consors tori*, *concubina*. In ed. Rom. σύσκοιτος legitur, sed malè, ut reor. Lex. vet. Σύγκοιτος, *concuvina*. Scribo *concubina*. Interpres Vulg. *dormiebátque cum rege*. Lxx καὶ ἦν θάλπουσα τὸν βασιλέα *& fovebat*, sive *calefaciebat*, *regem*. Sic etiam Santes: neque causam video cur hoc emendari debeat.

debeat. Sanè quod Arias reponit, *& erat proficiens regi*, minùs se probat mihi.

9. טם אבן הזחלת. παρὰ τ̃ λίθον τȢ̃ Ζωελὲθ *juxta lapidem Zoheleth.* ¶ אשר אצל עין רגל. Sym. ἐχόμϑον τῆς πηγῆς Ῥωγὴλ *vicinus fonti Rogel*] In comment. Græcis, ἐχόμϑα Ναὶν Ῥωγήλ. Divino leg. ἐχόμϑον Ἀὶν Ῥωγήλ. *Ain-rogel* antiquum est pro *En-rogel:* id sign. *fontem Rogel.* Schol. παρά τινα πηγὴν περὶ τȢ̃ ἄστεως ἀναβλύζȢσαν, παρ' ἣν ὁ βασιλικὸς ἐτεθήλει παράδεισος· ὅυτω γὰρ Ἰώσηπος ἔφη, κὶ ὁ Σύμμαχος δὲ τὴν Ἀὶν πηγὴν ἡρμήνευσεν.

GROTIUS.

HIC Liber à Solomonis rebus incipit, additâ tantùm pro initio narratione ostendente quomodo Solomon ad Regnum pervenerit. Solomoni ego Numam comparo: Uterque fato quodam perductus ad Regnum; sapiens uterque; templum struxit uterque; ceremonias externas uterque introduxit. Numa filios privatos post se reliquit, Solomon filium Regem ex sextante. Bipartito Regno videbis Israelis Reges omnes malos, Judæ Reges malos aliquot, mediocres satis multos, bonos tot quot facilè in annulo inscribi possent.

2. *Et foveat eum*] Vox סכנת *eam* significat *quæ alicui prodest*, quomodo autem profuerit explicant sequentia. Josephus dixit βοήθημα πρὸς τὸ ῥῖγος. Calor à corpore juvenili ac sano maximè prodest senibus.

5. *Elevabatur*] Ἐπήρετο Lxx. i. se in imperii possessione constituere voluit. ¶ *Dicens, Ego regnabo*] Jam nunc regnare volo. Non semel id evenit ut filii patris mortem exspectare nollent. Exempla habemus in Sennacheribi filiis duobus, Darii filio Artaxerxe, Philippi Macedonis Perseo, Ptolemæo Euergete, & aliis multis. ¶ *Et quinquaginta viros qui currerent ante eum*] Eâdem viâ grassabatur quâ Absalomus suprà 2 Sam. 15. 1.

6. *Nec corripuit eum pater suus*] Ad illam naturalem Davidis & immodicam στοργὴν accesserat senectus, quæ homines incuriosos rerum & segnes facere solet. Herodes mimiambis,

Τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει
Τὸν νοῦν.

¶ *Secundus natu post Absalom*] Optimè sensum Hebræorum expressit, ubi est, *pepererat eum* (Hagith) *post Absalomum*, nempe natum ex alia matre. Putabat pridem Regnum sibi deberi Adonias, quòd Absalomus, qui solus eum ætate præcederet, patrem offendisset.

7. *Cum Joab filio Sarviæ*] Qui Regnum volebat esse sui beneficii.

9. *Juxta lapidem Zoheleth*] *Speculæ*; Chaldæus. ¶ *Qui erat vicinus fonti Rogel*] *Prope hortos regios*, Josephus. ¶ *Vocavit universos fratres suos*] Convivia apta conjurationibus: 2 Sam. 15. 12.

10. *Nathan autem prophetam, & Banaiam, & robustos quosque, & Solomonem fratrem suum non vocavit*] Partim contemptu, partim quòd eos suis consiliis adversos crederet, ut amicos Bethsabeæ.

12. *Salva animam tuam filiique tui Solomonis*] Prudenter; quasi dicat cum Muciano; *Confugiendum tibi est ad imperium:* quod gloriosissimum idem tutissimum hîc erat.

13. *Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens; Solomon filius tuus regnabit post me*] Haud dubiè Deo auctore per Nathanem Prophetam, quod fatetur Adonias infrà 2. 15. & apertissimè 1 Par. 28. 5.

14. *Ego veniam post te, & complebo sermones tuos*] *Ità digerit omnia Calchas.*

18. *Te, mi domine rex, ignorante*] Tam interpres hîc quàm Græci legerunt ואתה, ubi nunc in Hebræo legimus ועתה.

21. *Erimus ego & filius meus Solomon peccatores*] Rei mortis crimine Regni affectati.

23. *Et adorasset eum pronus in terram*] Non enim veniebat jam ut Propheta, sed ut amicus Regis.

34. *Ungat eum ibi Sadoc sacerdos*] Vicarius Summi Sacerdotis in ejus absentia omnia ejus munia fungebatur. Quod autem hîc fecit David, idem post eum fecit Artaxerxes, qui ad præscindenda inter fratres certamina vivus Darium filium Regem fecit. Idem fecere & Persæ Reges alii, imperatorum Romanorum multi. Apud Hebræos, Reges extra controversiam Regni heredes ungi non solebant, sed exortis controversiis adhibita unctio ad majorem cautionem.

35. *Sedebit super solium meum*] Legitima in possessionem introductio.

41. *Audivit autem Adonias & omnes qui invitati erant ab eo*] Vide quantam festinationem huic negotio adhibuerit Nathan. Consilium enim erat quod laudari non poterat nisi peractum.

47. *Et adoravit rex in lectulo suo*] Deum precatus est ut cœpta hæc bene Solomoni, bene populo verterent.

50. *Tenuit cornu altaris*] Ad aram confugit, non ex Legis instituto, sed ex gentium more, ut & Joab 2. 28. Vide quæ dicta De J. B. ac P. l. 2. c. 21. §. 5. & Comœdias passim.

52. *Dixitque Solomon; Si fuerit vir bonus, non cadet nè unus quidem pilus ejus in terram*] Magna se ab initio ostendit sapientia Solomonis, haud dubiè sustentata virorum magnorum Nathanis, Sadoci & Banaiæ consiliis; nam

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Condonat enim crimen rerum novarum, quod punire in fratre & quidem primogenito odiosum satis fuerat; sed eâ lege si nihil faciat in posterum quo suspectum se possit facere, quæ lex aut frænum futurum erat Adoniæ, aut honesta πρόφασις Solomoni. Non dissimile est quod in causa Semeis infrà constituit Solomon.

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

CAP. II.

MUNSTERUS.

3. *Statuta ejus*] *Statuta* sunt quorum ratio ignoratur; ut est, *Non seminabis diversa semina in unum agrum. Præcepta* sunt quando additur verbum Præcipiendi. *Judicia* sunt quæ inter hominem & proximum suum decernuntur. *Testimonia* sunt quæ aliquid testantur, sive alicujus rei memoriam faciunt; ut est Sabbatum, Pascha, *&c.*

5. *Quæ mihi fecerit Joab*] Nocentes, inquit, pestes sustinere non debes, sed eliminato tales ex populo, nè ampliùs publicum turbent statum. ¶ *Ponens sanguinem bellicum in cinctorio suo*] Sensus est; Fœdavit gladium suum, qui hærebat in lumbis suis, sanguine innocentum, perinde acsi sanguinem in bello fudisset. Sic quoque; sanguine respersa sunt calceamenta pedum ejus.

8. *Maledictione execrandâ*] Exponunt Hebræi dictionem נמרצת per חזקה, i. *validâ maledictione maledixit ei*, summa quædam vitia objiciens illi, ut quòd esset *vir Belijaal, vir sanguinum*, &c.

24. *Fecit mihi domum*] Capitur hîc *domus* pro מלכות *regno.* Significat quoque Hebraico tropo *familiam augere & posteritatem.*

26. *Vir Anathoth*] Erat locus Anathoth Sacerdotum: ideo jubetur Æbiathar illuc secedere, qui novam conspirationem jam moliebatur cum Adonija prætextu Abisag Sunammitidis. Salomo verò, cùm prudenti esset animo, facilè advertit latentes insidias, ideo jussit omnes autores hujus rei occidi præter unum Æbiathar Sacerdotem. Joab verò sepsum prodidit quòd huic novæ conspirationi non defuit; alioquin non fugisset cùm Rex fratrem occideret: Nec tantum illi obfuisset si Absalom in conspiratione ejus secutus fuisset, sicut modò, quando alterâ vice conabatur remp. turbare novâ Regni dissensione. Sed quare fugit ad altare, cùm fuerit vir sapiens & in Lege peritus? Nam secundùm Hebræos fuit caput Sanhedrin; in Lege autem

ſcriptum eſt quòd *voluntarius homicida*, qualis Joab fuit, *etiam ab altari eſt avellendus*. Reſpondent Hebræi quòd nihil ſibi profuit quòd interfectus fuit in loco ſacro, niſi quòd ſic meruit ſepeliri apud patres ſuos: quod factum non fuiſſet ſi per Judicum decretum fuiſſet occiſus.

VATABLUS.

2. *Abeo per viam univerſæ terræ*, הולך בדרך כל הארץ] Hebraiſmus, Abiturus ſum in viam hominum habitantium in terra, q. d. Sentio quòd brevi moriturus ſum, ut cæteri homines. ¶ *Confortare, & eſto vir*, וחזקת והיית לאיש] i. Sis ergò forti ac virili animo.

3. *Et cuſtodi cuſtodiam*, &c. ושמרת את משמרת וגו'] *Obſerva obſervationem*, &c. i. quæ cuſtodiri & ſervari juſſit Deus: nempe præcepta, *ità ut ambules in viis ejus*, h. e. ut imiteris eum, & ſis illi ſimillimus, quantum homo poteſt Deo aſſimilari, *ſervando decreta*, &c. Hebræi vocant *Decreta*, ſive *ſtatuta*, quorum ratio ignoratur; & *Præcepta*, quæ habent rationem adjunctam; & *Judicia*, i. Leges; & *Teſtimonia*, quæ revocant nobis in memoriam ea quæ fecerit Deus, ut ſunt Sabbatha, &c. ¶ *Et omnia*, ואת כל] Quidam volunt את pro ב accipi, & vertunt, *& in omni* loco ad *quem te verteris*, quò te converteris.

4. *Ut confirmet*, למען יקים] *Ut ratum habeat*, i. adimpleat promiſſionem quam fecit mihi de ſemine meo perpetuo. ¶ *Mihi*, עלי] *De me*. ¶ *Non abſcindetur*, לא יכרת] i. Non auferetur, q. d. Habebis ſemper aliquem ex nepotibus tuis qui ſedeat, &c.

5. *Quos occidit*, ויהרגם] Ad verb. *& occidit eos*. Quidam iſtud ו pro *Id eſt* accipi volunt, ut ſic conſequentia præcedentibus jungas, *Quæ fecit duobus*, &c. *hoc eſt, occidit eos*. ¶ *Et poſuit ſanguines belli in pace*, וישם דמי מלחמה בשלום] Quidam jungunt iſtud *In pace* præcedentibus, *Occidit eos*, & exponunt, *quos occidit in pace*, i. incautos, & dum nihil tale ſuſpicarentur; *& poſuit ſanguinem* eorum ſanguinem *belli*, i. cædem eorum non minùs ſibi licitam reputavit quàm ſi interfeciſſet eos in ipſo prælio, h. e. reputavit cædem eorum tanquam cædem factam in conflictu. Alii exponunt, *Occidit eos, & poſuit* [i. effudit] *ſanguinem belli*, h. e. reputavit cædem factam in conflictu, nempe cædem fratris ſui Aſael, quem Abner interfecerat, quaſi factam *in pace*, i. quaſi interfectus fuiſſet tempore pacis, q. d. Ultus eſt mortem fratris ſui qui interfectus fuerat in conflictu, non minore ſtudio quàm ſi interfectus fuiſſet tempore pacis. *Poſuit, inquam, ſanguines belli in balteo ſuo*, ויתן דמי מלחמה בחגורתו] i. Enſe quo facta fuit ea cædes accinxit ſe de induſtria. ¶ *Et in calceamento ſuo*, &c. ובנעלו וגו'] i. occidit eos in ipſo loco, ità ut corruerint mortui ad pedes ejus.

6. *Et non deduces canitiem ejus*, &c. ולא תורד וגו'] Hebraiſmus, Non ſines eum ſenio confectum mori morte naturali.

7. *Facies miſericordiam*, תעשה חסד] i. Magnis beneficiis cumulabis eos, vel, multa in eos confer beneficia. ¶ *Sic*, כן] i. Cum miſericordia & gratia, h. e. cum amplis muneribus, 2 Sam. 19. 31.

8. *Filii Jemini*, בן הימיני] i. Benjaminita. ¶ *Vehementi*, נמרצת] *Acri, forti*, i. affecit me gravibus injuriis. ¶ *Ad Jarden*, הירדן] Cùm ſcilicet redirem jam confecto bello.

9. *Nunc autem*, &c. ועתה וגו'] *Veruntamen nè abſolvas eum*, i. nè ſinas eum impunitum: nè illi ſinas hoc impune abire. *Noſti quæ facturus ſis*, וידעת את אשר תעשה] i. Nam cùm ſis ſapiens & prudens, invenies cauſam quâ curabis eum interficiendum.

12. *Et firmatum eſt*, ותכון] *Et ſtabilitum fuit*, quòd ſcilicet unctus fuerit in Regem patre vivente à ſummo Pontifice, fortiſſimiſque exercitûs Iſrael. Vel dicitur per anticipationem, interfectis nempe inimicis ejus, ut eſt in fine hujus capitis.

13. *Pacificúſne* eſt, &c. השלום בואך] i. Adveníſne pacis ergô?

14. *Verbum mihi* eſt, *ad te*, דבר לי אליך] Hebraiſmus, Habeo quod tibi dicam. Gallicè, *J'ay quelque choſe à vous dire*.

15. *Meum erat regnum*, לי היתה המלוכה] i. Ad me pertinebat Regnum. ¶ *Et ſuper me poſuerat*, &c. ועלי שמו כל וגו'] Hebraiſmus, conjecerant in me oculos, ſperantes me fore Regem, & me exſpectabant ut regnarem. ¶ *A Jehova*, מיהוה] i. Jehovâ volente ac jubente. ¶ *Fuit ipſius*, היתה לו] *Factum eſt* iſtud *illi*.

16. *Nunc autem*, ועתה] *Nunc ergò*. ¶ *Poſtulo*, שואל] Præſ. Heb. pro fut. *petiturus ſum*, *petam*. ¶ *Nè reverti facias faciem meam*, אל תשבי את פני] *Facere reverti faciem alicujus* eſt rejicere illum & repellere, quaſi remittere illum vacuum, cui contrarium eſt *Suſtinere faciem alicujus*, i. Nè deneges mihi: nè abjicias me, more denegantium aliquid.

17. *Non enim reverti faciet faciem tuam*, כי לא ישיב את פניך] i. Non denegabit tibi.

19. *Solium matri ſuæ*, כסא לאם המלך] Ad verb. *ſedem* [*cathedram*] *matri Regis*, antecedens pro relat.

20. *Ne reverti facias faciem meam*, אל תשב את פני] ut v. 16. nè patiar à te repulſam, nè deneges mihi.

22. *Poſtula pro eo*, ושאלי לו] Ad verb. *& poſtula ei*. Quidam vertunt, *quin potiùs pete pro eo*, &c. q. d. Hâc ratione vult ſibi vendicare Regnum. Alii, *pete etiam*, &c. ¶ *Et illi eſt*, &c. ולו ולאביתר] i. Communicat conſilia ſua cum Abiathar & cum Joab quorum conſilio omnia facit. Vel potiùs verte, *Pete, inquam, illi regnum, & Abiathar ſacerdoti, & Joab filio Sarviæ*, quorum ſcilicet conſilio nititur invadere Regnum, q. d. Si daretur illi Abiſag, omnes intelligerent ad eum debere pertinere Regnum. Hebræi etiam aiunt nemini licere tangere mulierem quæ cum Rege concubuiſſet, niſi Rex eſſet.

23. *Sic faciat mihi*, &c. כה יעשה לי וגו'] Hebraiſmus, Hæc patiar, & multo graviora, graviſſimas quaſque pœnas luam, ſumat de me Deus alias atque alias pœnas, h. e. graviſſimas, quòd in perniciem ſuam locutus eſt Adonias.

24. *Confirmavit me*, הכינני] *Stabilivit me*, ſub. *in Regno meo*. ¶ *Fecit mihi domum*, עשה לי בית] i. Dedit mihi familiam claram & inſignem.

25. *Miſit ergò*, וישלח] Sub. *ut interficeretur Adonias*.

26. In *Anathoth vade*, ענתות לך] *O Anathothites vade*. ¶ *Ad agros tuos*, על שדיך] i. In poſſeſſionem tuam, q. d. Recipe te in domum tuam, vel urbem, aut patriam. ¶ *Vir mortis es*, איש מות אתה] Hebraiſmus, *morti obnoxius*. ¶ *Afflictus fuiſti*, &c. התענית בכל וגו'] i. Afflixiſti te in omnibus in quibus afflixit ſeſe, i. laborem ſuſtinuiſti in omni eo in quo laborem ſuſtinuit, &c.

27. *Nè eſſet ſacerdos*, מהיות כוהן] i. Privavit eum dignitate Sacerdotali quâ fungebatur coram Jehova. ¶ *Ut adimpleret*, למלא] Vide 1 Sam. 2. 29.

28. *Declinaverat poſt Adonijah*, נטה אחרי אדוניה] i. Secutus fuerat partes Adoniæ, q. d. Is qui initio non fuerat ſecutus ipſum Abſalon, tandem conjuravit in herum ſuum.

31. *Et ſepeli eum*, וקברתו] Sub. *in ſepulchro majorum ſuorum*. ¶ *Et auferas ſanguinem gratis*, והסריות דמי חנם] *Ut auferas ſanguinem gratis*, i. cædem gratis factam, ſive cædem hominis innocentis, h. e. culpam ſive crimen cædis immeritæ, q. d. Efficies nè poſthac imputetur mihi aut patri meo cædes horum duorum ducum.

32. *Sanguinem ejus*, את דמו] i. Quem effudit, h. e. culpam cædis ab eo factæ, q. d. Peribit propter cædem ab eo factam. ¶ *Et meliores*, וטובים] *Et præſtantiores*.

33. *Sanguis eorum*, דמיהם] i. Culpa ſive crimen cædis & mortis eorum.

34. *In deſerto*, במדבר] i. Extra urbem in loco nec arabili nec conſito arboribus.

37. *Cidron*, קדרון] Hic locus indicat torrentem Cidron non fuiſſe procul ab Urbe: ſitus autem erat in loco opaco, obſcuro & umbroſo: unde dicitur *torrens Cidron*, i. *obſcuritatis*. Nomina Hebræa in Syntaxi habent ſpeciem nominum eorum quæ à Latinis dicuntur *compoſita*, quare cenſent doctiores *Torrens-Cedron*, ſcribi debere per Maccaph.

Maccaph. ¶ *Certò scias*, &c. ידוע תדע וגו'] Ad verb. *sciendo scias quòd morte morieris.* ¶ *Sanguis tuus*, &c. דמך וגו'] i. Caput tuum sanguine tuo fœdabitur & intingetur, q.d. Si aliter feceris, jubebo te interfici, erísque causa mortis tuæ.

38. *Bonum est verbum*, טוב הדבר] Hebraismus, Placet mihi quod dicis, sermo est concisus.

39. *Fuit autem*, &c. ויהי וגו'] *Contigit autem post tres annos ut aufugerent.*

42. *Adjuravi te*, השבעתיך] i. Curavi ut jurares mihi [vel, jurejurando te astrinxi] *per Dominum.* ¶ *Et protestatus sum tibi*, ואעד בך] Adhibitis scilicet testibus, sive coram testibus. ¶ *Audivi*, שמעתי] i. Intellexi quæ dixeris.

43. *Jusjurandum Jehova*, שבועת יהוה] i. Quod jurasti mihi per Jehovam.

44. *Cujus conscium est cor*, &c. אשר ידע לבבך וגו'] Quidam vertunt, *quod novit cor tuum*, & *quod fecisti*, &c. ¶ *Reverti autem fecit*, והשיב] *Reduxit autem*, vel, *convertit*, *reciprocare fecit*, i. effecit Jehova ut dares pœnas de malo quod fecisti patri meo.

45. *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. Faciente & aspirante Jehovâ. q.d. Faciat Jehova ut diu bene administrem Regnum quod à patre meo accepi. Vel, *coram Jehova*, i. sub cœlo, h. e. in terra: nam videtur Deus ex alto prospectare in terram.

46. *Confirmatum fuit*, נכונה] *Stabilitum est*, q. d. Tunc posito omni metu tenuit Regnum Israelis Solomon, occisis Adoniâ, Joab & Semei, h. e. sine æmulis regnare cœpit.

CLARIUS.

3. *Custodias ceremonias*] Sive *statuta*. Hoc differre dicunt inter hæc nomina, ut *Statuta* sint, quorum ratio ignoratur; ut est, *Non seminabis diversa semina in uno agro*: *Præcepta*, quando additur verbum Præcipiendi: *Judicia*, quæ inter hominem & proximum suum decernuntur: *Testimonia*, quæ aliquid testantur, sive alicujus rei memoriam faciunt, ut est Sabbatum, Pascha, &c.

5. *Posuit cruorem prælii in baltheo suo*] Sensus est, Fœdavit gladium suum, qui hærebat lumbis ejus, sanguine innocentum, perinde ac si sanguinem in bello fudisset, sic quoque sanguine respersa sunt calceamenta pedum ejus.

9. *Tu noli pati eum esse innoxium*] Juraverat quidem David illi gratiam postulanti & primùm occurrenti ad Jordanem, his verbis, *Non occidam te gladio*, ídque præstitit. Sed Solomonis Regno hoc juramento præjudicare non debuit: Instruit ergò filium quid ei sit agendum.

24. *Fecit mihi domum*] Capitur hic *domus* pro *regno*.

26. *Vade in Anathoth*] Erat locus Anathoth Sacerdotum, ideo jubetur Abiathar illuc secedere, qui novam conspirationem jam moliebatur cum Adonia, prætextu Abisag Sunamitidis.

30. *Non egrediar, sed hic moriar*] Quæritur cur fugerit ad altare, cùm fuerit vir sapiens & in Lege peritus; nam secundùm Hebræos fuit caput Sanhedrin: in Lege autem scriptum est quòd *voluntarius homicida*, qualis Joab fuit *etiam ab altari est avellendus.* Respondent Hebræi quòd nihil ei profuit quòd interfectus fuerit in loco sacro, nisi quòd sic meruit sepeliri apud patres suos, quod factum non fuisset si per Judicum decretum fuisset occisus.

GROTIUS.

3. *Sicut scriptum est in lege Moysis*] Deut. 17. 18.

6. *Facies ergò juxta sapientiam tuam*] Viri audaces & apud milites auctoritate valentes periculosi sunt in Regno novo Regis adolescentis. ¶ *Et non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos*] Neque enim remiserat illi crimen David, nec per Legem remittere poterat, sed distulerat pœnam hominis & potentis & in bello utilis. Tale illud apud Tacitum Hist. 3. *Nec illis aut honorare eam cædem jus hominum, aut ulcisci ratio belli permittebat*, & Annal. 15. *Attilla mater Annæi Lucani, sine absolutione, sine supplicio dissimulata.*

9. *Vir autem sapiens es ut scias quæ facies ei*] Facilè homo ingenii inquieti dabit tibi ἄλογον αἰτίαν. Vide infrà 37.

15. *Sed translatum est regnum; & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est istud*] Quominus putetur id ægrè ferre, & nomen *fratris* posuit, & rei *Deum* inscripsit auctorem. Tale illud,

> ———*tua est Lavinia conjunx:*
> *Ulteriùs nè tende odiis.*

17. *Ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem*] Multæ satis erant in Judæa feminæ; sed hanc voluit quòd Regis fuisset. Non ferebat autem mos Hebræorum ut aut qui in ministerio fuerant Regio alterius se quàm Regis successoris ministerio addicerent, aut quæ uxores aut concubinæ fuerant privato sociarentur. Hanc ergò cupiens, jus ad se Regni pertinere ostendit, tentátque animum Solomonis, ut si metu juvenili hoc ei concessisset auderet mox majora. Mulierem autem aggreditur ut regnandi ignaram, ità amoribus facilem.

19. *Quæ sedit ad dexteram ejus*] Qui locus post Regis locum honoratissimus. Vide quæ dicta ad Matth. 20. 21.

22. *Et habet Abiathar sacerdotem & Joab filium Sarviæ*] Quorum consilio adjutus & auctoritate fretus gradum sibi ad Regnum struit, nisi fortiter obstiterim.

25. *Misitque rex Solomon per manum Banaiæ filii Jojadæ*] Sic ferme Romulus Remum occidit per centurionem Fabium Celerem. Sicut autem Romæ eo tempore omnia manu à Regibus gubernabantur, ità & apud Hebræos olim. Vide 2 Sam. 1. 15. & hîc infrà 29. 46. Tum verò nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, *ubi facto magis quàm consulto opus*, Tacitus Hist. 1. Et sunt quæ moram non recipiunt, *non pœna festinatione, sed præveniendi periculi causâ*, L. Si quis. D. de injusto, rupto, irrito testamento. *Nec se exspectari jubent leges, cùm ei qui exspectare velit antè injusta pœna luenda sit quàm justa repetenda*, ut Cicero ait pro Milone.

27. *Ejecit ergò Solomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini*] Summi Sacerdotes apud Hebræos, sicut à Regibus instituebantur, ut alibi diximus, ità & ab iisdem gravi ex culpa destitui, imò & morte puniri poterant; erant enim subditi: ideóque sedente Rege stabat summus Sacerdos. ¶ *Ut impleretur sermo*] Heb. *ad implendum sermonem*: ubi *ad* est ἐκβατικὸν, non τελικόν· neque enim hoc respiciebat Solomo.

28. *Et apprehendit cornu altaris*] Quod homicidæ prodesse non debebat per Legem Exod. 21. 14. Euripides,

> Ἐγὼ γὰρ ὅστις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ
> Βωμὸν προσίζει, τὸν νόμον χαίρειν ἐῶν,
> Πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἄν, οὐ τρέσας θεούς·
> Κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί.

31. *Amovebis sanguinem innocentem qui effusus est à Joab à me & à domo patris mei*] Sumptum ex Lege Num. 35. 31. & Deut. 19. 13. Non dissimile illud Livii l. 1. *Illorum pœnam in se vertit.*

34. *Sepultúsque est*] Ex Lege Deut. 21. 23.

35. *Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar*] Jure Regio. Sic Sacerdotium ad Phineæ posteritatem rediit.

36. *Et non egredieris indè huc atque illuc*] Credibile erat hominem contumacem & omnia sibi licere volentem non obtemperaturum diu præcepto. Pœna hæc ea est, quam Marcianus l. Exsilium de interdictis & relegatis inter cæteras posuit, ubi omnibus locis præter unum interdicitur, valde apta coercendis hominibus qui in turba turbas facere possent.

46. *Percussit eum, & mortuus est*] Justa pœna duplici ex causa, quia & vetus crimen condonatum ei non fuerat nisi sub conditione cui non stetit, & quia etiam sine eo speciale præceptum Regis violare capital erat, non minùs quàm si quis statione discessisset. Potest autem huic Semei bene aptari quod dicitur περὶ Δίκης ab Euripide,

—σῖγα

——————σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.

& hoc,

————ὧδέ τις κακοῦργος ὢν
Μή μοι, τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
Νικᾷν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν τέλος
Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

à Theodecte,

Ὅταν δὲ φωραθῶσιν ὀφθέντες κακοὶ
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. AFfinitatem] Quomodo potuit Salomo facere affinitatem cum Pharaone homine Gentili, cùm Lex id prohibeat? Respondent Hebræi quòd Lex loquitur בגיותה *quamdiu aliqua manet in Paganismo* non potest duci in uxorem; alioquin נתגיירה *proselyta facta* duci potest. Salomo autem erudiri fecit filiam Pharaonis in lege Domini, licèt temporum successu ab ea recesserit, & Regem quoque ad idolorum culturam inclinaverit. ¶ *In civitatem David*] Intelligitur per *civitatem David* arx in monte Sion exstructa, quæ & *domus* erat *David*.

2. *In excelsis*] h. e. In altaribus passim in collibus exstructis: id quod licitum fuit donec domus ad honorem nominis Divini ædificata fuit. Vox tamen Hebraica רק *attamen* indicat Salomonem non perfectè imitatum vestigia patris, qui non invenitur in aliquo alio sacrificasse loco quàm ubi Arca Domini habebatur, nempe Hierosolymis & in Gibeon; quantumlibèt in montibus & collibus multæ essent exstructæ aræ pro offerentium devotione. In Gibeon erat altare illud æneum & Mosaicum quod Bezaleel fecerat, quod hîc *magnum* fuisse dicitur, scilicet למעלתה על האחרות *dignitate alia excellens*: vel, ut alii putant, magnum fuit quantitate, cùm Salomo hîc memoretur *mille hostias super ipsum obtulisse*.

7. *Puer parvus*] Exsistens scilicet juvenis 12 annorum cùm in Regem inungeretur. Nam eo tempore natus est quo Amnon sororem suam oppressit. ¶ *Ignorans exitum & introitum*] Sensus est; Minor sum in sapientia quàm ut tanto populo commodè præesse possim, ingrediendo & egrediendo ante eos.

9. *Cor intelligens*] Capitur hîc שומע pro מבין, sicut vertimus; & הכבד pro הרב. Alii circumloquentes interpretantur *populum precellentem & amplum*.

14. *Prolongabo dies tuos*] Loquitur בתנאי *cum conditione*: & quoniam illam non servavit, sed declinavit à viis Domini, non sunt prolongati dies ejus; cùm ultra quinquaginta duos annos non vixerit. Divitiæ verò & honores illi non promittuntur cum illa conditione, cùm usque ad mortem illis destitutus non fuerit.

15. *Ecce fuit somnium*] Sensus est; In se experiebatur datum sibi munus sapientiæ, etiamsi in somnio hæc secum agi viderit.

19. *Jacuit super ipsum*] Dixit hoc ex conjectura: nam cùm nulla infirmitas præcessisset, verisimile ei videbatur quòd noctu in somno oppressisset eum.

22. *Loquebantúrque concertando coram rege*] h. e. Bis aut ter replicabant rem gestam.

26. *Commota enim erant viscera*] Chald. אתגללו *rotabantur*, seu *volvebantur*, *viscera ejus*. Alii verò exponunt נתחממו *calefacta*, seu *accensa*, *sunt viscera ejus*, vel *miserationes ejus*.

VATABLUS.

2. TAntummodo, רק] *Cæterùm*, i. immolabat victimas Deo in altaribus antè constructis, & ad id ordinatis.

3. *In præceptis*, בחוקות] *Instatutis*, vel, *præscriptis*, quæ tradiderat ei pater sub tempus mortis suæ. ¶ *Tantum*, רק] *Cæterùm*. Hoc loco non taxatur Solomon: tunc enim illi licebat, quòd in altari Mosaico immolare non posset, quod erat in Gabaon.

4. *Maximum*, הגדולה] i. Præstantissimum altare, nempe altare illud æreum quod curaverat Moses faciendum jussu Jehovæ.

5. *In somnis nocte*, בחלום הלילה] *Per somnium nocte*: Alii, *in somnio nocturno*. ¶ *Postula quod*, &c. שאל מה אתן לך] *Postula* [sub. *à me*] *quid dabo tibi*: i. quid vis ut dem tibi? Vel, *Pete quid dem tibi*.

6 *Tu fecisti*, &c. אתה עשית וגו'] *Tu quidem multa beneficia contulisti in patrem meum*. ¶ *Sicut ambulavit coram te*, כאשר הלך לפניך] Hebraismus est, pro, Sicut pater meus ambulavit coram te, sic etiam in illum multa beneficia contulisti. ¶ *In veritate & justitia*, באמת ובצדקה] i. Citra ullam simulationem erga Deum, & in justitia erga proximum. ¶ *Quòd dederis*, ותתן] Ad verb. *& dedisti*. ¶ *Secundùm diem hanc*, כיום הזה] i. Ut hodie revera apparet.

7. *Nescio egredi*, &c. לא ארע צאת ובוא] Hebraismus, Nescio quomodo me gerere debeam in administratione tanti Regni ac tantæ Reipublicæ *Egredi & ingredi*. Sumpta metaphora à pastoribus qui egrediuntur domo ante gregem, & ante gregem domum ingrediuntur, aut à Ducibus militaribus.

8. *In medio populi tui*, בתוך עמך] *Esse in medio populi* est populi curam habere. Sumpta metaphora à præfectis operum, qui spectant populum sibi commissum, ut quàm diligenter peragat opus sibi injunctum. ¶ *Nec numerari*, &c. לא ימנה] Ad verb. *non numerabitur*, *nec supputabitur*.

9. *Cor intelligens*, לב שומע] Ad verb. *cor audiens*, i. mentem docilem, Deo & spiritui monenti audientem. ¶ *Populum tuum*, את עמך] i. Lites populi tui. Alii vertunt, *ut reddam* [*reddere possim*] *jus populo tuo*: *ut discernere valeam inter bonum & malum*, i. inter causam justam & injustam. ¶ *Gravem*, הכבד] i. Multum & copiosum.

11. *Intelligentiam ad audiendum judicium*, הבין לשמוע משפט] i. Sapientiam & prudentiam ut rectè judices.

12. *Feci juxta verba tua*, עשיתי כדברך] *En concedo tibi quod petisti*. ¶ *Cor sapiens & intelligens*, לב חכם ונבון] i. Mentem sapientem & sagacem, sive prudentem, sub. *in agendis rebus*. ¶ *Ità ut similis*, &c. כמוך וגו'] q. d. Superabis omnes Reges Israel sapientiâ. Non enim comparat Salomonem omnibus, sed Regibus tantùm, ut ex sequentibus videre est. Non est igitur quærendum an fuerit sapientior Mose: quo quidem Salomonem Hebræi aiunt in rebus naturalibus, non divinis fuisse prudentiorem.

13. *Et etiam quòd*, וגם אשר] *Sed & quòd*. *Quinetiam quòd*. ¶ *Nempe divitias atque gloriam*, גם עשר גם כבוד] Ad verb. *etiam divitias*, *etiam gloriam*.

15. *Et en somnium*, והנה חלום] i. Sensit se somniasse, ac cœpit meminisse somnii tam magnifica promittentis. Ostendit hic locus somnia non semper esse vana & affinia mendacio: simúlque Deum etiam vera prædicere per somnium. ¶ *Arca federis*, ארון ברית] In Jerusalem erat Arca, sed tentorium quod curarat exstruendum Moses erat in Gabaon. ¶ *Holocausta*, עולות] i. Hostias, sive victimas in holocaustum.

16. *Meretrices*, זונות] Chald. *cauponaria*. Doctiores existimant mulieres fuisse artis cauponariæ, quarum mariti tum fortè abierant negotiationis ergô. Quòd si hæ mulieres erant meretrices, pepererunt præter meretricum consuetudinem, quæ certè parere non solent: quòd si pariunt, fœtum necare consueverunt. Hæ verò præter aliarum morem & pariunt & fœtus suos amant.

17. *Obsecro*, בי] q. d. Fer mihi opem.

18. *Præter*, &c. זולתי וגו'] Subaudiendem aliquid, *nullus erat*, *inquam*.

19. *Incubuit*, שכבה] Ad verb. *dormivit*, i. dormiens oppressit illum.

20. Qui

20. *Qui erat apud me*, מאצלי] Ad verb. *de apud me*. Gallicè, *d' aupres de moy*.

21. *Et consideravi eum*, &c. ואתבונן אליו וגו׳] Et diligentissimè contemplata sum eum, i. quem cùm diligenter inspexissem ad clariorem lucem, deprehendi eum *non esse filium meum quem pepereram*.

22. *Nequaquam*, לא] Sub. *res sic habet*. ¶ *Et loquebantur*, ותדברנה] Chald. *disceptabant*, i. contendebant inter se.

26. *Commota enim sunt*, &c. נכמרו רחמיה על בנה] i. mota fuit statim misericordiâ erga filium suum. ¶ *Obsecro*, בי] *Quaeso*, q. d. Parce puero, subticet enim reliqua prae dolore: quae omnia sunt signa animi perturbati. ¶ *Altera autem dicebat*, וזאת אומרת] *Contrà altera dixit*. ¶ *Nec mihi*, &c. גם לי גם לך לא יהיה] Ad verb. *Etiam mihi, etiam tibi non sit*.

28. *A facie Regis*, מפני המלך] *Propter Regem*.

CLARIUS.

1. *Affinitate conjunctus est Pharaoni*] Quomodo potuit Salomon facere affinitatem cum Pharaone homine Gentili, cùm Lex prohibeat? Respondent Hebraei quòd Lex loquitur de muliere quamdiu manet in paganismo: nam illa non potest duci in uxorem, sed proselyta facta duci potest: Salomon autem erudiri fecit filiam Pharaonis in Lege Domini, licèt temporum successu ab ea recesserit, & Regem quoque ad idolorum culturam inclinaverit. ¶ *In civitatem David*] Intelligitur per *civitatem David* arx in monte Sion exstructa; quae & *domus* erat *David*.

2. *In excelsis*] h. e. In altaribus passim in collibus exstructis, id quod licitum fuit donec domus ad honorem nominis Divini aedificata fuit. Vox tamen illa *attamen* indicat Salomonem non perfectè imitatum vestigia patris, qui non invenitur in alio aliquo sacrificasse loco quàm ubi Arca Domini habebatur, nempe Hierosolymis & in Gabaon, quantumlibèt in montibus & collibus multae essent exstructae arae pro offerentium devotione. In Gabaon erat altare illud aeneum & Mosaicum quod Bezaleel fecerat, quod hìc *maximum* fuisse dicitur.

7. *Puer parvulus*] Duodecim erat annorum cùm in Regem inungeretur. ¶ *Ignorans egressum & introitum*] Sensus est, Minor sum in sapientia quàm qui tanto populo commodè praeesse possim, ingrediendo & egrediendo ante eos, vel cum illis versando.

14. *Longos faciam dies tuos*] Hoc locutus est cum conditione; & quoniam illam non servavit, sed declinavit à viis Domini, non sunt prolongati dies ejus, cùm ultra quinquaginta duos annos non vixerit. Divitiae verò & honores illi non promittuntur cum ea conditione, cùm usque ad mortem illis destitutus non fuerit.

19. *Dormiens quippe oppressit eum*] Dixit hoc ex conjectura: nam cùm nulla infirmitas praecessisset, verisimile ei videbatur quòd noctu in somno oppressisset eum.

24. *Afferte mihi gladium*] Matrem veram, & cujus filius vivat, gladius Salomonis indicat: h. e. examen Judicis discernit vivos fructus.

GROTIUS.

1. *Accepit namque filiam ejus*] Factam Legi subjectam: nam in hoc matrimonio eum non peccasse apparet ex Psal. 45. & ex Cantico in Sacros libros relato.

3. *Excepto quòd in excelsis immolabat*] Non videtur esse exceptio de integritate Solomonis eo tempore; sed quod de populo dictum fuit, idem dictum de Solomone, nempe quia nondum structum erat Templum, sacrificia ab eo facta duobus in locis, ubi erat tabernaculum, i. Gabaone, 2 Par. 1. 3. & Hierosolymis, ubi erat Arca, infrà 8. 1.

5. *Apparuit autem Dominus Solomoni per somnium nocte*] Angelus in Dei nomine loquens ei in somnio apparuit.

9. *Cor docile*] *Sapientiam & intelligentiam* 2 Par. 1. 10. *sapientiam* circa agenda; *intelligentiam* Legis.

11. *Sed postulasti tibi sapientiam*] Nimirum

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.

Et, ut Sophocles ait,

—— Προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.

Menander verò,

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν, πάτερ, ἐν ἀνθρώπου φύσει
Μεῖζον λογισμοῦ· τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαστός ἐστιν καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος, ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει.

13. *Sed & haec quae non postulasti dedi tibi*] Velut ἐπιμετρον, Matth. 6. 29.

16. *Duae mulieres meretrices*] LXX γυναῖκες πόρναι. Josephus ἑταῖραι τὸν βίον, extraneae scilicet, non comprehensae Lege Deut. 23. 17. ¶ *Ad regem*] Nam & Rex judicabat, eràtque inter eum & Senatum praeveniendi jus.

24. *Afferte mihi gladium*] Apparet hinc ἀγχίνοια Solomonis egregia. Non dissimile illud Ariopharnis Regis Thracum, qui de tribus filios se Cimmeriorum Regis dicentibus, eum pro filio habuit qui jussus cadaver patris jaculis noluerat incessere, quae historia est apud Siculum Diodorum. Item illud Galbae, qui cùm de proprietate jumenti quaereretur, levibus utrinque argumentis & testibus, ideóque difficili conjecturâ veritatis, ità decrevit, ut ad locum ubi adaquari solebat duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus esset ad quem spontè se à potu recepisset; narrante Suetonio: Qui & Claudii minimè spernendum judicium refert, qui feminam non agnoscentem filium suum, dubiâ utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis. Hae sunt illae fraudes quibus uti Magistratum bono subditorum & medicamenti vice vult Plato De Rep. 5. Inter illa signa quae εἰκότα vocant Rhetores validissimum est ad matrem indagandam στοργή.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

5. *Super praefectos*] Erat iste positus super 12 totius Regni praefectos, quorum officium erat pro tota Regis aula pecuniam colligere pro victu parando. Atque horum nomina paulò pòst in textu explicantur, sicut & regiones ex quibus quisque singulis annis tantum collegit alimoniae quod Regi atque toti familiae ejus sufficere potuit per unum mensem. *Ahisar* autem *fuit super domum*, h. e. erat Praefectus praetorio seu curiae.

21. *Super universa regna*] Non quòd omnia circumjacentia regna fuerint subjecta Salomoni, sed quòd Reges illarum regionum timebant Salomonem, & *mittebant ei munera, serviebántque ei quamdiu ille vixit*.

22. *Triginta cori*] Est כור *corus* idem quod חומר, continétque triginta Sata & decem mensuras Ephi. De quibus mensuris vide Exod. 16. 36. & Levit. 5. 11.

23. *Decem boves pinguefacti*] Intelligendum est de bobus domi saginatis: capitúrque רעי pro מרעה. ¶ *Aves castratas*] Jon. *aves saginatas*. Alii interpretantur עופות המסורסים, sicut nos vertimus: tales enim prae caeteris solent saginari vel, ut Hebraismus habet, *praesepiari*. Alii interpretantur *aves barbaricas*. Pro *capris sylvestribus* alii intelligunt *ibices*; alii, *bubalum & bovem sylvestrem*.

24. *In omni regione*] Hyperbole est pro *multis regionibus ultra Euphratem sitis*, quarum habitatores obtulerunt Salomoni munera, aves, capreas, cervos, &c.

26. *Quadraginta millia praesepia equorum*] R. S. interpretatur hìc ארות pro אצטבלאות *stabulis*: alii exponunt אבוסים *praesepia*. 2 Par. 9. 25. fit solùm mentio de *quatuor millibus* ארות. Putant igitur quidam hìc numerari equos, & in Paralipomenis praesepia. Alii dicunt qua-

quadraginta millia fuisse stabulorum, & in singulis quadraginta fuisse equos. Hæc autem equorum multitudo magis fuit pro cumulo gloriæ & magnificentiæ Salomonis quàm ut animum poneret in illos ad devincendos hostes. Cæterùm ubi nos vertimus *duodecim millia equitum*, alii interpretantur *duodecim millia equorum cataphractorum*.

27. *Qui passim accedebant*] h. e. Qui veluti hospites quotidie aliunde veniebant.

29. *Latitudinem cordis*] Sensus est, Sapientia cordis ejus tam latè patuit, & tam multiplex fuit in eo cognitio rerum, ut excederet numerum *arenæ maris*. Vel, ut arena maris mensurari non potest, sic nec sapientia Salomonis. Nam *excelluit sapientia ejus omnium Orientalium sapientiam*, qui cæteros mortales excellebant in מזלות *astronomia*, atque in arte טייר *quâ ex avium garritu futura præsciuntur*. Excelluit & *Ægyptiorum* חרטמים *magos & incantatores*, qui vel fictè vel verè rem unam subitò in aliam convertere poterant. Sed & suæ gentis sapientissimos viros longè excelluit, præsertim *Ethan, Heman*, &c.

32. *Tria millia parabolarum*] Hunc librum dicunt Hebræi perditum in captivitatibus; sicut & librum Carminum dicunt non exstare. Idem judicium est de libro Naturalium rerum, qui medicinalis fuisse memoratur, agens de *Plantis, Animalibus, Avibus, Reptilibus, & Piscibus*. Exstant quidem octingentæ Sententiæ, aut magis versus, quæ *Parabolæ Salomonis* inscribuntur: sed hæ summam *trium millium* non adæquant. Sunt tamen qui dicunt ex Canticis & Proverbiis Salomonis solùm utiliora Spiritûs S. instinctu reservata, & in libellos eos coacta qui adhuc hodie exstant, & pro fragmentis judicantur.

VATABLUS.

1. REX *super universum Israelem*, מלך על כל ישראל] i. Magno omnium consensu regnavit, fuitque illi universus Israel subjectus. Quidam hoc dictum putant propter Davidem, quòd Salomon regnaverit super totum Israelem initio sui Regni, quod non contigit Davidi patri.

2. *Azarjahu*, עזריהו] Azarias erat filius Achimaas, qui erat filius Sadoc: igitur *Filius* est *nepos*. ¶ *Sacerdotis*, הכהן] Vel, *Princeps*, sub. *principum*, i. primus ex Principibus aulæ Salomonis.

3. *Scribæ*, סופרים] Plurale est. Vel, *ab epistolis*. Gallicè, *Secretaires des commandemens*. Lege in Esth. 3. 12 officium scribæ. ¶ *A commentariis*, המזכיר] Vide 2 Sam. 8. 16. Hic omnia redigebat in Acta. *Le Greffier. Historiographus*, qui mandabat literis res gestas Salomonis.

4. *Sacerdotes*, כהנים] i. Principes Sacerdotum. Duo erant summi Pontifices, ut alter alterum sublevaret: Quorum alter *Pontifex primarius* dicebatur; alter, *Pontifex qui obtinebat secundas partes*, Gallicè *Le Suffragant*.

5. *Super præfectos*, על הנצבים] i. Præerat præfectis illis duodecim de quibus v. 7. ¶ *Amicus*, רעה] *Socius, sodalis, comes*. Gallicè *Le mignon du Roy*.

6. *Super domum*, על הבית] i. Præpositus domûs, Gallicè *Le prevost de l'hostel, ou Le grand Maistre*. ¶ *Super tributum*, על המס] i. Præerat tributis exigendis. Gallicè, *Qui avoit la charge du recouvrement des deniers, General des finances*.

7. *Qui alebant Regem*, וכלכלו את המלך] i. Præbebant necessaria Regi. ¶ *Mense in anno*, חודש בשנה] Hebraismus, Pro spatio unius mensis per singulos annos.

8. *Filius Har*, בן חור] Vocavit nominibus patrum suorum, quòd notiora essent: subaudiendum autem, *Præerat, manebat, regebat, administrabat*.

9. *Et Elon Beth-hanan*, ואילון בית חנן] i. Et in Elon quæ sita erat in loco qui dicebatur *Beth-hanan*.

10. *Ipsius erat*, &c. לו שכה] i. Ditionis ejus erat, sive ad ditionem ejus pertinebat, *Socoth*. Vel, *regebat*, aut *administrabat*.

12. *Abel*, אבל] Chald. *planitiem*.

19. *Et præfectus*, &c. 'ונציב וגו] *Et præfectus unus erat qui præfecturâ fungebatur in tota ea regione*, i. in tota ea regione erat unica Præfectura. Hic est duodecimus Præfectus. Salomon divisit Terram sanctam in duodecim Præfecturas: Qua in re non habuit rationem divisionis Josuæ, sed facultatum singularum tribuum: unde fit ut aliquando in hac divisione urbes aliarum tribuum adjiciantur aliis tribubus. Alii vertunt, *præterea erat unus qui præerat in tota terra*, sub. *Israel*: nempe cui subjecti erant 12 illi Præfecti.

20. *Comedentes*, &c. 'אוכלים וגו] i. Cum magna animi securitate & lætitia viventes.

21. *A flumine*, &c. 'מן הנהר וגו] Euphraten intelligit. Describitur latitudo imperii Solomonis ab Euphrate qui est ad Orientem Terræ sanctæ. Ità Chaldæus paraph. *Pelisthim* erant ab Occidente: *Ægyptus* erat à Meridie. Septentrionalis partis paulò pòst fit mentio. Non intelligit omnia Regna adjacentia fuisse Solomoni subdita; sed quòd Reges illarum regionum timebant Solomonem, & *mittebant ei munera, serviebántque ei quamdiu vixit*.

22. *Farina*, קמח] Crassioris scilicet: nam simila erat tenuior farina.

23. *Pingues*, בראים] i. Impinguati: quibus opponuntur *pascuales*, non saginati, quales veniunt à pascuis. ¶ *Et gallinaceos saginatos*, וברבורים אבוסים] *Capos saginatos*. Alii, *aves peregrinas*. Chald. *aves altiles*.

24. *Omnibus Regibus*, &c. 'בכל מלכי וגו] i. Ipse dominabatur in tota regione quæ erat ultra Euphratem, à qua scilicet afferebantur ei munera illa. ¶ *Ex omnibus lateribus ejus*, מכל עבריו] i. Ex omni parte, q. d. Vicini ejus non audebant quicquam moliri adversùs eum.

25. *Confidenter*, לבטח] i. In magna animi securitate, nihil sibi timens. ¶ *Sub vite sua & sub ficu sua*, תחת גפנו ותחת תאנתו] Comedendo videlicet fructus earum. Hoc ostendit Judæos tum temporis non timuisse sibi ab hostibus: nam qui ab hostibus sibi timent non versantur ruri tam liberè támque intrepidè.

26. In *equilibus equorum*, אורות סוסים] Nempe in quolibet equili decem equi: atque ità habebat quatuor millia equilium, ut scribitur 2 Par. 9. 25.

27. *Non sinebant deesse quicquam*, לא יעדרו דבר] i. Non committebant ut aliquid desideraretur. Alii, *non deficiebat illis quicquam*.

28. *Et mulis*, ולרכש] *Et camelis*, vel, *dromedariis*. Alii, *jumentis*. ¶ *Deferebant*, יבאו] *Adducebant*, i. Adducere solebant. Fut. per præt. imp. vertendum. ¶ *In quo erat*, אשר יהיה שם] Sub. *Rex*. Ad verb. *in quo erat ibi*. Redundat *ibi*. ¶ *Juxta constitutum sibi*, כמשפטו] i. Prout astringebantur, prout erat illis constitutum, vel, pro more suo.

29. *Et intelligentiam*, ותבונה] i. Prudentiam. ¶ *Et latitudinem cordis*, &c. 'ורוחב לב כחול וגו] i. Latitudinem animi, vel mentis, h. e. mentem multarum rerum capacem, *quemadmodum arena* longè latéque occupat, *circa litus maris*. In hac enim comparatione respicit locum quem arena continet, q. d. Tam amplam mentem quàm amplum locum occupat arena quæ est juxta mare. Vel, dedit illi Deus mentem suâ capacitate multa intelligentem & complectentem instar arenæ quæ spatiosum locum obtinet. Doctus inter Hebræos exponit *Latitudinem mentis* circa res intelligibiles, quæ plurimæ sunt.

30. *Et amplior fuit*, ותרב] Ad verb. *Et multiplicata est*, i. major evasit. ¶ *Orientalium*, קדם] Qui scilicet tunc temporis plurimùm dediti erant Philosophiæ, Astrologiæ, & Magiæ.

31. *Mahol*, מחול] i. Zerah sive, ut alii scribunt, Ezra: fuit enim binomius.

32. *Locutus quoque est*, וידבר] *Et dixit*, i. composuit. ¶ *Tria millia parabolarum*, שלשת אלפים משל] i. Sententiarum obscurarum. Perierunt nobis hi libri. ¶ *Et fuerunt cantica*, &c. 'ויהי וגו] i. Liber Odarum quam ediderat complectebatur mille & quinque odas.

33. *Locutus est præterea*, &c. 'וידבר וגו] i. Disseruit etiam de natura stirpium, *à Cedro*, quæ plurima crescit *in Libano*.

34. *Et veniebant*, ויבואו] Sub. *in Jerusalem*. ¶ *Ab universis*, &c. מאת כל ונו׳] Sub. *missi ab universis Regibus qui aliquid audierant de summa ejus sapientia*. Vel, *ut audirent, inquam, ab universis Regibus terræ*, i. suis qui audierant sapientiam ejus.

CASTALIO.

1. *Tractum Argobiæ in Basane*] *Gaulonim* vocat Josephus.

CLARIUS.

5. *Super præfectos*] Erat iste positus super 12 totius Regni præfectos, quorum officium erat pro tota Regis aula pecuniam colligere pro victu parando. Atque horum nomina paulò pòst in textu explicantur, sicut & regiones ex quibus quisque singulis annis tantum collegit alimoniæ quod Regi ac toti familiæ ejus sufficere potuit per unum mensem.

21. *Habens omnia regna*] Non quòd omnia circumjacentia Regna fuerint subjecta Salomoni, sed quòd Reges illarum regionum timebant Salomonem, & *mittebant ei munera, serviebántque ei, quamdiu ille vixit*.

26. *Quadraginta millia præsepia equorum*] Cùm 2 Par. 9. 25. fiat mentio *quatuor millium præsepiorum*, putant hìc numerari equos, & in Paralipomenis præsepia. Alii dicunt quadraginta millia fuisse stabulorum, & in singulis quadraginta fuisse equos. Hæc autem equorum multitudo magis fuit pro cumulo gloriæ & magnificentiæ Salomonis quàm ut animum poneret in illos ad devincendos hostes.

32. *Tria millia parabolas*] Hunc librum dicunt Hebræi perditum in captivitatibus; sicut & librum Carminum dicunt non exstare. Idem judicium est de libro Naturalium rerum, qui medicinalis fuisse memoratur, agens De *plantis, animalibus, avibus, reptilibus, & piscibus*. Exstant quidem octingentæ Sententiæ, aut magis versus, quæ *Parabolæ Salomonis* inscribuntur: sed hæ summam *trium millium* non adæquant. Sunt tamen qui dicunt ex Canticis & Proverbiis Salomonis solùm utiliora Spiritûs S. instinctu reservata, & in libellos eos coacta qui adhuc hodie exstant, & pro fragmentis judicantur.

DRUSIUS.

11. נפת דאר. Sym. *maritimam Dor*. ex lib. Locor. *Nepheth Dor*, quod Symmachus interpretatur *Maritimam*.

GROTIUS.

3. *A Commentariis*] Heb. מזכיר, quod LXX vertunt ὁ ἀναμιμνήσκων. Qui id munus obit μνήμων Aristophanis Scholiastæ in Nebulis; *Magister memoriæ*, L. eos qui. C. de Excusationibus munerum lib. 10. Anglis, *Rememorator*; Gallis, *Magister libellorum supplicum*.

4. *Super exercitum*] *Magister militum*. ¶ *Sadoc autem & Abiathar sacerdotes*] Sadoc re, Abiathar solo nomine, ut *Vacantes* in Imperio Constantinopolitano.

5. *Super eos qui assistebant regi*] על הנצבים ἐπὶ τῶν καθεσταμένων. Ii autem הנצבים erant, ut jam intelligemus, Curatores mensæ Regiæ. His qui præerat id munus habebat quod Constantinopoli *Comes sacri patrimonii*. ¶ *Amicus Regis*] Qui in Aula Constantinopolitana *Patricius*.

6. *Præpositus domûs*] *Comes rei privatæ* Constantinopoli. ¶ *Super tributa*] *Comes sacrarum largitionum*.

13. *Civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas*] Ex more antiquo, ad quem respiciens in Phœnissis Euripides,

Ἄξω πύλαι κλῇθροις,
Χαλκόδετά τ᾽ ἔμβολα
Λαΐνοις Ἀμφίονος ὀργάνοις
Τεῖχος ἥμμοσαι;

19. *Super omnia quæ erant in illa terra*] Unus procurator Regis in terra quæ fuerat duorum Regum.

21. *A flumine terræ Philisthim*] Rectius, *à flumine terram Philisthiim*, i. ab Euphrate, quomodo hìc *flumen* accipiendum apparet ex sequentibus.

24. *A Thapsa*] Heb. תפסח, haud dubiè id oppidum quod olim *Thapsacum* vocatum dicit Plinius, ubi Euphratem describit, l. 5. c. 24. ¶ *Ad Gazam*] Vide Jud. 1. 18. ¶ *Et cunctos reges illarum regionum*] Erant illi Reges in Solomonis fide atque tutela, & ob id certi aliquid pensitabant.

29. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni & prudentiam*] In Hebræo quod hìc *prudentia* redditur est *intelligentia*, ut suprà 3. 12. Vide Deut. 1. 13.

30. *Sapientiam omnium Orientalium*] i. Arabum, qui præclari jam olim in omni parte Philosophiæ. Arabia autem ad Orientem Judææ. Vide quæ dicta ad Matth. 2. 1. ¶ *Et Ægyptiorum*] Apud quos Sacerdotes siderum cognitioni, Mathematicis artibus rerúmque naturalium cognitioni eximiam operam dabant.

31. *Sapientior Ethan Ezrahitâ*] Qui hìc nominantur Philosophi, filii fuere Zaræ, nepotes Judæ, ut apparet 1 Par. 2. 6. Unde credibile est *Machol* esse feminæ eruditæ nomen, & legendum in Paralipomenis ut hìc, דרדע. ¶ *Et erat nominatus in universis gentibus per circuitum*] Eccles. 47. 16, 17.

32. *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas*] i. γνῶμας, quarum excerpta habemus in libro משלי, de cujus vocis usu diximus ad Matth. 13. 3. & in Prolegomenis ad dicta Poetarum apud Stobæum. Dicemus suo loco γνώμας illas non omnes Solomonem habuisse repertorem, sed collectas ex historicorum & Poetarum scriptis. ¶ *Et fuerunt carmina ejus quinque & mille*] Non Philosophus tantùm fuit, sed & Poeta insignis. *Carmina* intellige qualia Horatii, aut *Idyllia* qualia Theocriti. Eorum Idylliorum Solomonis unum est quod nobis restat, quod ὀαρισμὸν dixissent Græci, Hebræi שיר השירים vocant.

33. *Et disputavit super lignis*] Tractavit historiam Plantarum, &, quod jam sequetur, Animantium egregias naturæ partes.

CAP. V.

MUNSTERUS.

6. *De Libano*] Fuit Libanus in terra Israel; atque ideo Salomo non rogavit Hiram pro lignis sibi dandis, sed ut mitteret fabros lignarios qui illi apta succiderent ligna; præsertim cùm Sidonii, qui tunc Tyriis parebant, insignes haberent artifices lignarios.

8. *In lignis abiegnis*] Secundùm Hebræos ברוש est species quædam Cedri. Sunt qui putant ea esse *ligna larigna*.

9. *In ratibus*] Sunt דוברות *fasces magnarum trabium*, quæ per aquas ab una regione ad aliam transmittuntur. Significat enim דבר uno modo, *ducere & deducere*, & est frequens in illo significato apud Chaldæos. ¶ *Et dissolvam ea*] Significat נפץ propriè aliquid *confringere*; sed hìc capitur pro התיר *solvere connexa*.

11. *In cibum*] Scribitur in Hebræo מכולת pro מאכלת.
¶ *Olei contusi*] Est oleum contusum quod ex olivis absque contritione earum educitur: & est purius eo quod postea ex contritis colligitur olivis.

13. *Fecit ascendere summam*] Quidam exponunt hìc מם pro *tributo pecuniæ* quæ pro præmio dabatur triginta millibus virorum: sed Kimhi confutat horum expositionem per id quod sequitur, *Misit eos in Libanum alternatis vicibus*. Nam cùm decem millia per unum mensem laborassent in Libano, vacabant deinde illi per duos menses, succedentibus eis aliis viginti millibus. Et hi creduntur fuisse de filiis Israel; qui solùm cum servis Hiram succidebant arbores, & cum quadrigis ducebant ad mare. Reliqui verò septuaginta millia & octoginta millia, qui graviores fecerunt labores, utpote qui onera ferebant humeris

meris suis, & lapides è foveis eruebant, proselytos fuisse putant.

18. *Artifices quadratarii*] Quidam Hebræorum interpretantur hîc גבלים pro *habitatoribus Gabel*, qui ingeniosi artifices putantur fuisse. Alii verò aliter sentientes dicunt גבלים esse à גבול *termino*, quòd illi artifices singulari industriâ sciebant sculptos lapides adaptare muris & angulis eorum.

VATABLUS.

1. SErvos suos, את עבדיו] i. Legatos, qui illi gratularentur, & offerrent omnia sua, ut solent Reges.

2. *Misitque*, &c. וישלח וגו'] i. Quibus respondit, vel, dedit in mandatis, ut dicerent Regi suo.

3. *Propter bella*, &c. מפני המלחמה וגו'] i. Propter bella quæ eum urgebant, h. e. quibus premebatur undique, sive omni ex parte. *Bella* interpretari potes *bellatores*. Probabilis est hæc ratio, tamen hæc non est vera, noluit enim detegere peccatum patris. ¶ *Pedum ejus*, רגלו] Scribitur רגלו *pedum ejus*, nempe Davidis, & legitur רגלי *pedum meorum*, nempe Salomonis, ut annotat doctus inter Hebræos.

4. *Occursus malus*, פגע רע] i. Qui infestet patriam meam incursionibus: non est quisquam qui me invadat, & cujus occursum timeam.

5. *Et ecce ego cogito*, &c. והנני אמר לבנות] *Quapropter en ego meditor exstruere ædem in honorem Dei quem colo.* ¶ *Hisce verbis*, לאמור] Ad verb. *dicendo*.

6. *Quicquid dixeris*, בכל אשר תאמר] Ad verb. *secundùm omnia quæ dixeris*, i. prorsus ut dixeris.

8. *Misitque*, וישלח] Sub. *nuncios*, vel *legatos*.

9. *Ponam ea per rates in mare*, אשימם דוברות בים] i. Curabo ea composita per rates, deducenda *ad mare ad locum*, &c. ¶ *Et dissolvam ea ibi*, ונפצתים שם] i. Dissoluta & dissipata traham ea in littus. ¶ *Facies autem voluntatem meam*, תעשה את חפצי] i. Facies quod mihi gratum fuerit, si dederis cibum quo alere possim familiam meam.

11. *Contusi*, כתית] i. Optimi & purissimi, nempe quod suâ sponte defluit contusis oleis citra operam præli. ¶ *Sic dedit*, כה יתן] Fut. Heb. pro præt. *hæc dedit*, vel, *dabat*. ¶ *Per singulos annos*, שנה בשנה] Quamdiu scilicet eguit illius operâ, dum exstrueret Templum.

13. *Indixit verò*, &c. ויעל וגו'] Ad verb. *Et ascendere fecit rex Selomoh tributum ex omni Israele.* ¶ *Et fuit tributum*, &c. ויהי המס וגו'] i. Ut darentur ei ex Israele triginta millia virorum.

14. *Vicissim*, חליפות] *Alternatim*. Alii, *permutatim*, quia singulis mensibus permutabantur & innovabantur, aliis abeuntibus, & aliis advenientibus. ¶ Erat *super tributum*, על המס] i. præerat huic tributo, h. e. omnibus illis.

15. *Portantium onus*, נושא סבל] i. Bajulorum, qui deferrent lapides è latumiis ad locum ad quem currus accedere possent. ¶ *Excidentium in monte*, חוצב בהר] i. Latomorum qui excidebant lapides in monte, sive latumia.

16. *Principes & præfectos*, משרי הנצבים] Ad verb. *principes præfectorum*, i. præter principes & præfectos, vel, præter principes qui præfecti erant, h. e. quos præfecerat Salomon operi. ¶ *Qui præerant*, הרודים] *Qui dominabantur*, i. qui solicitabant operas.

17. *Ut adveherent*, ויסעו] Ad verb. *& proficisci fecerunt*. ¶ *Pretiosos*, יקרות] i. Maximi pretii. ¶ *Ad fundandum domum*, ליסד הבית] i. Ad jacienda fundamenta templi. ¶ *Dolatos*, גזית] *Politos*. Hi superponebantur fundamento. Gallicè *pierres de taille*.

18. *Et Giblim*, והגבלים] Quidam, *& cives Gebal*, qui erant peritissimi latomi.

CASTALIO.

1. CEdrinam pineámque materiam] ברש *pinum* potiùs quàm *abietem* interpretor, quoniam in 2 Reg. 6. 5. scriptum est ex ea arbore musica fieri instrumenta.

CLARIUS.

6. DE *Libano*] Fuit Libanus in terra Israel; atque ideo Salomon non rogavit Hiram pro lignis sibi dandis, sed ut mitteret fabros lignarios qui illi apta succiderent ligna; præsertim cùm Sidonii, qui tunc Tyriis parebant, insignes haberent artifices lignarios.

9. *Et dissolvam ea*] Nam in ratibus ducebantur, quæ sunt fasces magnarum trabium: quæ per aquas ab una regione in aliam transmittuntur.

13. *Triginta millia*] Hi creduntur fuisse de filiis Israel, qui solùm cum servis Hiram succidebant arbores, & cum quadrigis ducebant ad mare. Reliqui verò septuaginta millia & octoginta millia, qui graviores fecerunt labores, utpote qui onera ferebant humeris suis, & lapides è foveis eruebant proselytos fuisse putant.

DRUSIUS.

1. וַיִּשְׁלַח חִירָם מֶלֶךְ צוֹר אֶת עֲבָדָיו אֶל שְׁלֹמֹה כִּי שָׁמַע כִּי אֹתוֹ מָשְׁחוּ לְמֶלֶךְ תַּחַת אָבִיהוּ כִּי אֹהֵב הָיָה חִירָם לְדָוִד כָּל הַיָּמִים׃ Καὶ ἀπέστειλε Χιρὰμ βασιλεὺς Τύρου τοὺς παῖδας αὐτοῦ πρὸς Σαλωμών· ἤκουσε γὰρ ὅτι αὐτὸν ἔχρισαν εἰς βασιλέα ἀντὶ Δαυὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ· φίλος γὰρ ἦν Χιρὰμ τῷ Δαυὶδ πάσας τὰς ἡμέρας, *Et misit Hiram rex Tyri pueros suos ad Salomonem. Audiverat enim quòd ipsum unxissent in regem pro Davide patre ipsius. Amicus enim fuerat Hiram Davidi omnibus diebus.*

2. וַיִּשְׁלַח שְׁלֹמֹה אֶל חִירָם. Ἀπέστειλεν οὖν Σαλωμὼν πρὸς Χιρὰμ, *Misit igitur Salomo ad Hiram.*

4. פֶּגַע רָע. Ἀπάντημα πονηρὸν *occursus malus.*

16. הָרֹדִים בָּעָם הָעֹשִׂים. Ἐπιστάται τοῦ λαοῦ τῶν ποιούντων. Quæ adduxi ex isto capite habentur in libris quibusdã ed. vulgatæ; & quanquam credibile sit ea descripta fuisse ex aliqua editione vetusta, tamen id pro certo affirmare non possumus. Dies nos, spero, docebit quod nunc ignoramus.

GROTIUS.

1. MIsit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem] De Epistolis & ænigmatis inter hos Reges mutatis vide quæ congessimus in Annotatis ad l. 3 De V. R. C.

4. *Et non est Satan*] *Adversarius*, ἐπίβουλον hîc vertunt LXX, alibi ἀντικείμενον.

6. *Non est in populo meo vir qui noverit ligna cadere sicut Sidonii*] Propter vicina nemora.

7. *Deus*] In Hebræo est יהוה. Hoc nomine etiam Tyrii & gentes aliæ vocabant Deum Israelis. Vide infrà 10. 9. Dii Tyriorum erant, *Belsamen*, quem Græci *Jovem Olympium* vocant: *Astarte*, quam illi *Venerem*; *Melicartus*, quem illi *Herculem*.

9. *Servi mei deponent ea de Libano*] *Materies ex Libano monte ratibus & turribus faciendis vehebatur*, Curtius l. 4. Menander Ephesius de eodem hoc Hiromo, ὕλων ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν ἀπὸ τοῦ λεγομένου ὄρους Λιβάνου, κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας. ¶ *Ad mare*] Nempe Internum, quod Phœnicen Judæámque attingit: id enim intelligendum ubi simpliciter *mare* nominatur.

12. *Dedit quoque Deus sapientiam Solomoni*] Quæ in amicitiis ac societatibus bene deligendis maximè elucet. ¶ *Et percusserunt ambo fedus*] Ad utilitates mutuas, unde & *fratres* alter alterum vocabant, infrà 9. 13.

16. *Absque Præpositis qui præerant singulis operibus*] Qui erant *trecenti*. Hi additi ad numerum *ter mille trecentorum*, qui hîc sequuntur, faciunt *ter mille sexcentos*, ut est 2 Par. 2. 18.

18. *Porrò Giblii*] Phœnices qui Gabala tenent. *Gabalen promontorium* nominat Plinius l. 5. c. 20.

CAP.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. MEnse Zif] Hic est mensis secundus, scilicet Jiar, qui Aprili nostro plerumque respondet: vocatúrque Zif ob זוהר הפרחים *candorem florum*, qui tunc erumpunt.

2. *Sexaginta cubitos*] Fecit Salomo היכל illud, i. domum Domini, cum tali dispositione, Tota domus continebat duas partes, nempe Oraculum seu Sanctum sanctorum, quod & *adytum* & *interior* vocatur *domus*; atque exteriorem domum, quæ *basilica*, *palatium* & *Sanctum* quoque appellatur. Et has duas partes includebant iidem parietes atque idem tectum. Oraculum vergebat ad Occidentem, & domus ipsa ad Orientem. Utraque autem pars simul accepta habuit in longitudine sexaginta cubitos, & viginti in latitudine, atque triginta in altitudine. Oraculo cedebant viginti cubiti in longitudine de sexaginta; erátque quadratum æquilaterum: Longitudo verò domûs dupla erat ad latitudinem. Porrò lateri Templi Orientali adhærebat vestibulum quoddam cujus longitudo erat latitudo Templi: latitudo autem ejus tenebat decem cubitos, & altitudo centum & viginti cubitos, ut in Paralipomenis dicitur: & sic magìs turris quàm vestibuli præ se ferebat formam. Sunt tamen qui dicunt totum Templum centum & viginti cubitos habuisse in altitudine: & quòd fuerint supra contignationem varia gazophylacia, bicamerata & tricamerata loca, quæ nonaginta cubitos in altitudine tenebant; à pavimento autem Templi ad contignationem fuerunt triginta cubiti, ut in textu dicitur. Cæterùm fenestræ sic erant formatæ ut in superficie parietis interiori multò arctiores & contractiores essent quàm foris ubi lux cœlestis ingrediebatur; ut Templum illud magis Divino splendore illustratum fuerit quàm corporali lumine: alioquin contraria dispositio adhibita fuisset fenestris. Quæ enim plurimum lucis dare debent, foris contractæ & intus diductæ esse debent.

5. *Thalamos per circuitum*] Nostri verterunt pro *thalamis*, tres *ambitus*, Templum ipsum cingentes. Id si verum est, ubi habuerunt fenestræ locum cùm ambitus ferè totum parietem occuparint? ut taceam multa Hebræa vocabula quæ hîc scribuntur huic opinioni nequaquam astipulari. Intelligunt igitur Hebræi per צלע & יציע *laterales domunculas*, sive תאים *thalamos*, parieti Templi adhærentes. Erántque thalami illi triplici ordine dispositi, infimi scilicet, medii & tertii. Infimi adhærebant parieti, sed non occuparunt partem aliquam de pariete; habuerúntque in latitudine quinque cubitos. Medii verò ingrediebantur parietem per unum cubitum, per unum cubitum sedentes super parietem: unde & uno cubito latiores fuerunt infimis thalamis. Tertii & supremi thalami habuerunt pro suo pavimento contignationem mediorum thalamorum, ingrediebantúrque murum per cubitum unum, habentes in latitudine septem cubitos. Porrò sedes ubi murus per cubitum contrahebatur, & quibus trabes thalamorum nitebantur, vocantur in textu מגרעות *diminutiones*. Hæ autem diminutiones factæ fuerunt nè contignationes thalamorum ingrederentur murum: h.e. nè murus perfoderetur propter trabes; cùm lapides muri omnes essent integri, & nullus ibi audiretur malleus aut aliud ferreum instrumentum.

9. *Contignationem unam demissiorem*] Quemadmodum tabernaculum Mosi fuit aulæo picto, cortinis & pellibus tectum, sic Salomo fecit in Templo præter tectum duplicem contignationem, quarum inferior fuit facta ex lignis ברושים in quibus variæ sculptæ fuerunt cælaturæ; vocatúrque ea contignatio hîc גבים, quod *foveas* sonat, quòd inter istam & superiorem contignationem concavitas quædam esset. Alii tamen exponunt כפה *recurvationem*: ut scilicet inferior contignatio in modum cœli hemisphæricam acceperit figuram. Unde & K. putat גבים idem esse quod צלעות *costas*, quòd scilicet trabes contignationis hujus habuerint curvam, ut costæ, figuram. In superiori verò contignatione cedri erant positæ, certis distantiis à se invicem ordinatæ. Alii legunt, *concameravit ædem in fornicis modum, ordinibus cedrorum.* Vel, *contignationem fecit incisis valleculis in strictiores tabulas, ordinibus cedrinis infulsis.*

16. *A lateribus oraculi*] h. e. Sicut parietes Templi operuit tabulis cedrinis, sic quoque Oraculi parietes obtexit tabulis cedrinis, per longum & latum.

20. *Viginti cubitos in altitudine*] Auro scilicet operiens parietes per viginti cubitos, & lapidibus pretiosis per alios decem cubitos. ¶ *Altare operuit cedris*] Hoc erat altare incensi, quod ante Oraculum positum fuit.

21. *Vectes aureos*] Erat murus quidam inter Oraculum & Templum, ubi velum ponendum erat, & huic adhibiti fuerunt vectes illi. Quidam putant fuisse שלשלאות *catenas*.

24. *Ab extremitate alarum ejus*] h. e. Extremitates alarum unius Cherub à se distabant decem cubitis.

29. *Picturas Cherubim*] Secundùm Aben Ezra כרוב *Cherub* hîc capitur pro *cælatura ramorum & florum*.

31. *Quincuplices*] Fecit in introitu quincuplices postes & quincuplicia superliminaria, id quod facilè imaginari poteris si cogites postem unum gradatim alteri esse eminentiorem & contractiorem. Alii intelligunt hunc locum sic, quòd postes habuerint *quinque* זויות *angulos*. Sic per *quadruplices postes* intelligunt quadrangulos postes.

32. *Tenues auri laminas*] Id factum est, nè si crassiores auri laminas parietibus adhibuisset, tota sculptura obliterata fuisset.

38. *In mense Bul*] Hic est Marhesvan, qui partim Octobri & partim Novembri nostro respondet. Vocatúrque בול, quasi מבול, propter *pluviarum*, quæ tunc fiunt *redundantiam*. Quod autem hic de atrio Templi scribitur interiori, hunc habet sensum, quòd murulus ex triplici quadratorum lapidum ordine constitutus cingebat seu potiùs terminabat atrium interius, quod Templum ipsum ambiebat: & super hunc murum posita fuerunt cedrina ligna muro sic adaptata ut nec latiora fuerint nec arctiora muro ipso.

VATABLUS.

1. POrrò *quadringentesimo octogesimo anno*, ויהי בשמונים שנה] Ad verb. *Et fuit*, *octogesimo anno & quadringentesimo anno.* ¶ *Aprili*, זו] Sic dicitur à *splendore*. Est autem mensis secundus apud Hebræos. Chaldæus paraph. vocat *mensem apertionis florum*. Vide c. 7. 37. ¶ *Jehovæ*, ליהוה] i. In honorem Jehovæ.

3. *Vestibulum autem*, והאולם] *Porticus autem*. Hebræi vocant בית שער *domum portæ*, i. ædificium quod adjacet portæ. Nota quòd tota illa structura dividebatur in duas partes, nempe דביר *Adytum*, sive *Oraculum*, quod alio nomine dicitur *Sanctum sanctorum*, in quo erat Arca federis. Altera pars peculiari vocabulo dicebatur היכל *templum*, in quo erant candelabrum, altare thymiamatis, & mensa panum propositionis. ¶ *Ante templum domus*, על פני היכל הבית] *Ante Templum* ejus *domûs*, i. ante secundam partem domûs. ¶ *Ante latitudinem domus*, על פני רוחב] *Ante faciem latitudinis domûs*, i. respondebat latitudini domûs, q.d. Tam longum erat vestibulum quàm erat lata domus ipsa. ¶ *Ante domum*, על פני הבית] *Ante frontem domûs*, i. sumendo eam latitudinem secundùm longitudinem ipsius templi, per quam latitudinem vestibuli intrabant Templum.

4. *Latas*, &c. שקופים אטומים] Ad verb. *apertas*, *clausas*, i. laxiores intrinsecùs quàm extrinsecùs.

5. *Thalamum*, יציע] *Appendicem*, i. ædificium illi adjunctum, non comprehensâ porticu. ¶ *Per circuitum templo & Oraculo*, סביב להיכל ולדביר] *Per circuitum templi & Oraculi*. *Oraculum* vocat quod in Tabernaculo *Sanctum sanctorum*, in quo Arca testamenti: de quo, atque de Templo v. 3. Cùm *domum* dicit, præcipuè Sanctum

ctum & Sanctum sanctorum intelligit, ut hoc loco vides, nam cùm d xerit *juxta murum domûs*; mox tanquam explicaret q id vocet *domum*, dicit *per circuitum Templi & Oraculi.* ¶ *Thalamos per circuitum*, צלעות סביב] *Appendices per circuitum*, sub. *prædicti Templi & Oraculi.* Significat appendicem multas mansiones habentem: nam צלע significat *ædificium laterale*, quod ad latus majoris ædificii exstruitur.

6. *Thalami inferioris*, היצוע התחתונה] i. Appendicis infimæ, q. d. Appendicis pars infima habebat quinque, &c. ¶ *Retractiones*, מגרעות] *Retractiones*, sive *Restrictiones*, aut *Reductiones* vocat, quando murus abducitur introrsum, ità ut inferior muri pars laxior sit, & promineat magìs quàm superior, ad collocanda capita trabium. Gallicè *les retraictes.* ¶ *Nè apprehenderent*, לבלתי אחוז] Sub. *capita trabium*, i. nè trabes hærerent parietibus, h. e. nè necesse esset fieri foramina in pariete, in quæ inderentur capita trabium appendicis.

7. *Perfecto*, שלמה] i. Integro. Sing. pro plur. Ad verb. *perfectionis.* ¶ *Advecto*, מסע] Ad verb. *profectionis*, *advectionis*, *adductionis*, i. talibus lapidibus quales allati fuerant. Cùm essent integri lapides, foramen nullum erat in quod capita trabium immitterentur, alioqui integri non fuissent. Dolabantur autem lapides in lapidicinis & parabantur: unde opus non fuit ut in exstruenda domo uterentur instrumentis ferreis.

8. *Thalami medii*, הצלע התיכונה] *Appendicis mediæ*, i. mediæ partis appendicis. ¶ *Ascendebant*, יעלו] Fut. Heb. quod meliùs per imperf. vertitur. ¶ *Ad medium*, על התיכונה] i. In mediam partem appendicis. ¶ *Ad tertium*, אל השלשים] Ad verb. *in tertiana*, *in tristega*, i. ad thalamos tertiæ regionis appendicis.

9. *Et perfecit eam*, ויכלהו] *Et consummavit eam*, vel, *complevit*: quantum ad muros & parietes. Epilogus est præcedentium. ¶ *Trabibus*, &c. גבים ושדרות בארזים] i. Texit partem superiorem ejus ædis trabibus leviter incurvis, vel fornicatis, h. e. instar fornicis incurvatis vel arcuatis, quæ videbantur contra pondus surgere; & lignis cedrinis super trabes illas dispositis. Ligna vocat *tigna*, Gallicè *solives.*

10. *Altitudo ejus*, קומתו] Nempe thalami, i. singularum mansionum appendicis. ¶ *Per trabes cedrinas*, בעצי ארזים] Ad verb. *in lignis cedrinis*, i. hærebat illi ædi thalamus, sive appendix per trabes cedrinas, nam capita earum erant collocata super retractiones, sive reductiones quæ erant in muro templi.

11. *Fuit autem verbum*, ויהי דבר] i. Tunc dixit Jehova ad Salomonem per Ahiam prophetam Siloniten.

12. *In decretis meis*, בחוקותי] *In institutis meis*, vel *statutis.* ¶ *Et judicia mea*, ואת משפטי] i. Leges meas. ¶ *Tum statuam*, והקימותי] *Tum firmabo*, sive, *confirmabo & adimplebo promissionem meam quam promisi Davidi patri tuo.*

15. *A pavimento*, מקרקע] *A solo*: exponit quod priùs dixerat. ¶ *Contignationis, operuit*, הספון צפה] *Tabulati texit*, aut *vestivit*, i. summâ arte vestivit parietes tabulis cedrinis à solo usque ad tabulatum ipsum, h. e. tectum. Gallicè, *Il lembrissa.*

16. *Ædificavit etiam*, &c. ויבן וגו'] i. Texit spatium longum 20 cubitos, septum scilicet transversarium: h. e. ex 60 cubitis longitudinis, viginti separavit à parte extrema sive posteriore domûs (quæ vergebat ad Occidentem) tabulis cedrinis quæ à pavimento usque ad tectum pertingebant, ut esset Oraculum, sive Sanctum sanctorum, in quo Arca testamenti poneretur. *In domo* dicit pro *in parte domûs interna.* ¶ *Ut esset Sanctitas*, &c. לקודש הקדשים] Ad verb. *in Sanctum sanctorum*, i. Oraculum sive Adytum, quod alio nomine dicitur *Sanctum sanctorum.*

17. *Domus*, הבית] i. Reliqua pars domûs, nempe ipsum Sanctum. ¶ *Oppositum* Oraculo, לפני] i. Ante faciem Oraculi. Alii, *parte interna.* Siquidem פנים PANIM *facies* sive *formas* significat: unde לפני quod ponitur pro פנימי, *toar*, & ל redundabit, i. reliqua pars domûs erat 40 cubitorum, quæ *Templum* sive *Sanctum* dicebatur. Erat autem oppositum Oraculo. Verti potest ut alii vertunt, *erat in interioribus*, sive *parte interna*: respectu scilicet vestibuli, non Oraculi.

18. *Porrò tabula cedrina*, &c. וארז אל הבית פנימה] Ad verb. *Et cedrus super domum* erat *intrinsecùs*, i. domus parte internâ tecta ac vestita erat tabulis cedrinis. ¶ *Depicta*, &c. מקלעת וגו'] Et *sculptura colocynthidum*, & *cælaturæ florum*, vel, ut quidam, *apertiones florum*, sub. *variorum*, *erant in illis.* Per *cucurbitam* intellige fructum & truncum ipsum. Gallicè *ouvrage de courges.* ¶ *Omnia tabulis*, &c. הכל ארז אין וגו'] Ad verb. *totum cedrus*, *non lapis videbatur.*

19. *In medio domûs intrinsecùs*, בתוך הבית מפנימה] *Intra domum parte internâ*, i. in abditissima & secretissima parte domûs.

20. *Intrinsecùs autem*, ולפני] *Parte autem internâ.* ¶ *Altitudo ejus*, קומתו] Intelligit de ea parte altitudinis quæ obducta erat tantummodo auro: nam 20 cubiti erant tecti solo auro, alii decem erant tecti lapillis pretiosis. ¶ *Et operuit illud*, ויצפהו] i. Totum quod suprà dictum est. ¶ *Auro purissimo*, זהב סגור] Aurum defæcatissimum *Segor* vocant Hebræi, ità fortasse dictum quòd ab avaris claudatur & custodiatur.

21. *Domum*, את הבית] i. Eam partem domûs de qua paulò antè locutus est, nempe Oraculum, sive Adytum. ¶ *Et occlusit catenis aureis*, ויעבר ברתוקות זהב] Ad verb. *Et transire fecit in catenis aureis*, sub. *vectes*, ut doctus inter Hebræos exponit, i, vice pessuli, quòd soleant occludere fores vectibus ac repagulis, occlusit fores Oraculi catenis aureis. Doctus inter Hebræos exponit, *firmavit*, quasi adactis vectibus. ¶ *Et texit illum*, ויצפהו] *Et texit illum*, sub. *parietem*, i. septum illud quod distinguebat Oraculum à reliqua parte domûs, auro internè & externè.

21. *Totámque domum*, &c. ואת כל הבית] i. Universam illam ædem obduxit auro, adeò ut tota domus fuerit vestita auro. ¶ *Quod* erat *ante Oraculum*, אשר לדביר] *Quod ad Oraculum*, sub. *pertinebat*, i. quod erat positum ante ostium Oraculi.

23. *Pineis*, שמן] Chald. *oliva.* ¶ *Altitudo ejus*, קומתו] i. Statura singulorum.

24. *Ab extremitatibus*, &c. מקצות וגו'] Ad verb. *ab extremitatibus alarum ejus*, *usque ad extremitatem alarum ejus*, i. ab extremitate alæ, vel alarum unius, vel hujus, usque ad extremitatem alterius, vel istius; & vice versâ, &c. ab extremitate istius, usque, &c.

25. *Et incisio*, וקצב] *Et incisura*, i. sculptura.

26. *Altitudo*, קומת] *Statura.*

27. *In medio domûs interioris*, בתוך הבית הפנימי] i. Intra domum interiorem, vel internam, h. e. in Oraculo. ¶ *Expandebántque alas suas*, ויפרשו את כנפי הכרובים] Antecedens Heb. pro rel. *Cherubim: expandebant alas Cherubim*, i. qui cherubim expandebant alas suas.

29. *Cælaturis sculpturarum*, פתוחי מקלעות] i. Cælaturis & sculpturis. ¶ *Intrinsecùs & extrinsecùs*, מלפנים ולחיצון] i. Parte internâ in Oraculo, & parte externâ in Templo & Sancto. Sic v. 30.

30. *Intrinsecùs*, &c. לפנימה ולחיצון] Ut v. 29.

31. *Valvas è lignis pineis*, &c. דלתות וגו'] *Valvas pineas*, vel *oleaginas*, i. quæ constabant ex materia oleagina, vel pinea. ¶ Erant *quinque laterum*, חמשית] Ad verb. fecit ex *quinta*, sub. *figura*, i. pentagono, i. præ se ferebant figuram pentagonalem. Alii referunt ad proportionem, i. superliminaris ac postium ad valvas erat proportio subquintupla: nam quantò ampliores sunt valvæ, tantò crassiores esse debent postes & superliminare, h. e. erant quinta pars valvarum, sive æquales erant quintæ parti valvarum.

32. *Duas*, *inquam*, *valvas*, &c. ושתי דלתות וגו'] Doctus inter Hebræos sic exponit, *Et in duabus illis valvis pineis* [vel, *oleagineis*] *insculpsit sculpturas Cherubimorum & palmarum*, & *cælaturas florum*, i. varios flores. ¶ *Aurum*, את הזהב] i. Laminas aureas, nempe ut postea

postea apparerent etiam cælaturæ illæ: erant enim miro artificio obductæ.

33. *Quadrilateros*, מארת רבעית] *Quadratos*. Ad verb. *de quarta*, i. quadrata figura. Alii, *ex quarta parte*, i. latitudo postium erat æqualis quartæ parti valvarum.

34. *Rotunda*, גלילים] i. Opere tornatili facta, nempe ex columnellis.

35. *Texitque*, וצפה] Sub. *cælaturas illas*. ¶ *Directo*, מיושר] i. Rectè, aptè, artificioséque collocato, h.e. miro artificio posito. ¶ *Illud quod erat insculptum*, על המחוקה] Ad verb. *super id quod insculptum erat*, nempe ut apparerent etiam cælaturæ illæ postea, sive post aurum obductum.

36. *Interius*, הפנימית] *Internum*, respectu atrii magni, i. atrium Sacerdotum.

37. *Quarto*, הרביעית] Sub. *regni Solomonis*. ¶ *Fundata fuit*, יוסד] i. Cœpit fundari. Doctus inter Hebræos cum Chaldæo paraph. ¶ *Aprili*, זו] Sic Hebraicè dicitur à *splendore*, sive *decore florum*, quòd in eo primùm appareant flores. Sicut *Aprilis* ab *aperiendo*, quòd tunc natura aperiat suas dotes. Vide v. 1.


38. *Octobri*, בול] Sic dicitur Hebraicè mensis iste à נבל *marcescere*, *attenuare*, *cadere*, quòd eo mense quæ è terra nascuntur marcescant, & folia de arboribus cadant. Alii בול dictum volunt tanquam מבול, quod *diluvium* sign. quòd iste mensis imbribus abundet. Chald. *in mense collectionis fructuum*. ¶ *Cum omnibus utensilibus*, &c. לכל דבריו ולכל משפטו] Ad verb. *cum omnibus rebus suis, & cum omnibus judiciis suis*, i. cum omnibus utensilibus suis atque iis quæ ad illa pertinere videbantur. Quidam vertunt *per omnes partes suas & juxta cunctam dispositionem suam*. Alii, *secundùm omnes res suas, & secundùm omnes regulas suas*, vel, *formas*, aut, *exemplaria*. ¶ *Annis septem*, שבע שנים] Sub. *integris*, i. spatio septem annorum ædificavit eam. Supple *& sex mensibus* Sed hi sex menses non pertinent ad annum undecimum, sed ad annum duodecimum. Hîc sex menses subticentur, ut etiam suprà 2. 11 sex alii subticentur, ubi agitur de Regno David in Hebron.

CASTALIO.

2. T*Empli longitudo fuit sexaginta cubitorum, latitudo viginti, altitudo triginta*] Quod de longitudine & latitudine dicit, intelligendum est non de toto templo, sed de cella & penetrali. Nam cella fuit longa 40 cubitos, penetrale autem 20, utrumque latum 20, ut postea patebit. De altitudine controversia est. Nam hîc traditur 30 cubitorum, in Græco 25, in Josepho 120, quæ eadem & in Paralipomenis vestibulo tribuitur, videlicet inferioris ædificii 60 & superioris totidem. Ex his omnibus conjicio altitudinem hîc dici non totius templi, sed cellæ & penetralis (quemadmodum de longitudine & latitudine dictum est) quæ esset 30 cubitorum, videlicet quanta erat ædicularum altitudo, quæ essent singulæ 10 cubitorum. Supra hanc altitudinem patebat templi murus 30 cubitos, infra superius ædificium, quo in spatio erant fenestræ. Huic toto ædificio impositum erat superius alterum ædificium, in altitudinem non quinque (ut hîc scriptum est, in quo mendum videtur esse) sed 60, ut tradit Josephus, cubitorum. Sed hæc ità dico ut affirmare non ausim. Nam tanta ædicularum altitudo cellam & penetrale redderet obscurum. Itaque mihi suspectus est locus. Vestibulum erat ejusdem magnitudinis cujus est Ezech. 40. sed cùm sit illud à Septentrione positum, ut illic ostendemus, hoc ab Oriente est, ut ex eo patet quòd dicit id esse *in fronte latitudinis templi:* nam latitudo est à Septentrione ad Meridiem. Igitur in Orientali parte erat vestibulum & templi aditus, ut apparet ex Mosis tabernaculo, ad cujus imitationem factum est hoc templum; itémque ex Ezechielis c. 8. Adde quòd Josephus idem tradit. Quod ideo dico nè quem fallat hodiernorum templorum consuetudo, quæ omnia ab Occidente habent aditum; ut etiam faciendum esse tradit Vitruvius; videlicet ex Romanorum consuetudine, quam imitati sunt nostri.

4. *Templum fenestris quæ apertiles & clusiles essent illustrabat*] h.e. Quæ aperiri claudíque possent, h.e. quæ fores haberent; ad earum differentiam quæ habent tantùm lumina, i. foramina quæ lumen admittant, nec habent fores: nam eæ clusiles non sunt, quoniam nunquam clauduntur.

AREA TEMPLI SALOMONIS.



A cella. *B* penetrale. *C D* utriusque latitudo viginti cubitorum. *E F* cellæ longitudo quadraginta cubitorum. *G E* penetralis longitudo viginti cubitorum. *H* tabulata. *I* angularia tabulata. *K* tabulatorum januæ. *L* vacans locus quinque cubitorum latitudine, quem huc ex Ezechiele transtulimus, quoniam hîc non describitur. *M* murus templi. *N* vestibulum. Quod ad atria pertinet, ea videbis in Ezechiele. Cæterùm cur ità figuras collocem, ut qui eas spectat habeat à fronte Orientem, à dextra Meridiem, facit locus ex Psalmo 89. 12. ubi sic legitur, *Aquilonem tu dextrámque creavisti*. Et item hujus libri cap. 7. 39. ità scriptum est, *Lacum in dextra templi parte secundùm Meridiem ponebat*. Nam ibi *dextra* est meridies. Cùm enim ad Solis ortum sumus conversi (quo maximè modo mundum considerare licet) habemus ad dextram Meridiem. Vocatur enim *dextra* non mundi, sed nostra. Nam alioquin si statuas mundi frontem & quasi oculos orientem Solem, erit ejus dextra polus arcticus quà est Septentrio, sinistra antarcticus quà est nobis Meridies.

5. *Templi parieti ædiculas*, &c.] Obscurus locus, & qui vix intelligi potest sine descriptione templi quod est apud Ezechielem, ubi hæ ædiculæ cellam & penetrale cingentes vocantur *tabulata*, ut etiam hîc. Hoc tantùm interest, quòd illa à fundamentis quaternos, hæc quinos in latitudinem cubitos patent: nam quòd apud Josephum horum

latitudo scribitur esse cubitorum εἴκοσι πέντε viginti quinque, manifestum mendum est. Essent enim cellâ latiores, cùm vocet breves domos: delendum itaque est εἴκοσι. Quemadmodum quod ibidem de ædicularum altitudine tradit, videlicet *fuisse singulas viginti cubitorum*, videtur esse falsum; explerent enim sexaginta cubitorum altitudinem: ità nullus superesset locus per quem in cellam & penetrale lumen admitteretur. Utrobique autem binorum cubitorum appendicibus crescunt, & sunt utrobique triginta, eáque trinum contignationum: nam tot illic tradit Ezechiel, hic Josephus. Sed cùm apud Ezechielem eorum longitudo tantùm cellæ & adyti longitudinem expleat, ut ibi docebimus, horum longitudo extenditur etiam post penetrale: quippe cùm hæc sint illis longiora tot cubitis, quot ipsa sunt, vid. triginta. Siquidem trigesies quinque cubiti efficiunt centum quinquaginta: quorum cùm sexaginta ad Meridiem & totidem ad Septentrionem in cellæ & adyti longitudine occupaveris, supersunt triginta cubiti, h. e. sex ædiculæ, quarum quatuor post penetrale positæ occupabunt ipsius penetralis latitudinem, duæ autem in angulis erunt contra duos sexagenarios ordines. Harum ædicularum media tabulata, h. e. mediæ ædiculæ infimis impositæ (est enim idem hoc loco *ædicula* & *tabulatum*) januas habebant à templi dextro latere, sc. dextera tabulata; sinistra autem à sinistro, videlicet in vacante loco qui eas ambibat: quem porrò vacantem locum circumdabat templi paries, tantum contractionibus recedens quantum tabulata appendicibus procedebant. Sed hac tota de re vide nostras in Ezechielis æde figuras, sine cujus ædis intellectu templum hoc intelligi vix potest. In præsentia posuimus hujus fani areæ descriptionem & fundamentorum lineamenta, ex quibus totam templi structuram possis intelligere.

7. *Templum saxo integro, ut avectum erat, sic ædificabatur*] Quadrabantur in lapidicinis lapides, quò minores adveherentur.

23. *Cupressinâ materiâ*] In Hebræo est *ex arbore olei*, quam quidam volunt esse olivam. Sed 2 Esd. 8. 15. *olea* (quæ זית sine controversia est) ab *arbore olei* manifestò distinguitur. Hanc ob causam ego hîc *cupressum* verti, secutus Græcum. Nam & ex cupresso oleum fieri docet Plinius. Adde quòd Josephus in advecta templi materia *cupressum* nominat; cujus in his libris nulla fieret mentio, si hæc non esset.

31. *Projectura erat quinaria*] Hunc locum non intelligo, quemadmodum neque eum qui mox sequitur, *Projecturam habentes ex quarta*, quod ideo moneo nè quem hoc loco fallat mea translatio. Quòd autem de interiore atrio tradit, id ità intelligendum est, Atrii murum constare tribus lapidum ordinibus, & uno cedrinarum trabium, scilicet interiore, qui lapides obduceret, qui quatuor ordines crassitudinem efficerent muri, hoc modo.



A atrium. *B* tres ordines lapidum. *C* unus ordo cedrinarum trabium, scilic. arrectariarum. *D E* muri crassitudo, cui tribuo sex cubitos, vid. singulis ordinibus unum & dimidium, quoniam ea est in Ezechiele atriorum crassitudo. Sed cur *interius* dicatur, & quomodo essent atria collocata, patebit in Ezechiele; non quia tot hîc sint quot illic (sunt enim illic octo; cùm hîc duo esse videantur, ut apparet in 4 Reg. 2.) sed quia hæc ipsa duo collocari videntur quomodo duo illorum.

CLARIUS.

2. *Sexaginta cubitos*] Talis erat domûs Domini dispositio: Tota domus continebat duas partes, nempe Oraculum seu sanctum sanctorum, quod & *interior* vocatur *domus*, atque exteriorem domum. Et has duas partes includebant iidem parietes atque idem tectum. Oraculum vergebat ad Occidentem, & domus ipsa ad Orientem. Utraque autem pars simul accepta habuit 60 cubitos, & 20 in latitudine, atque 30 in altitudine. Oraculo cedebant 20 cubiti in longitudine de 60; erátque quadratum æquilaterum: longitudo domûs dupla erat ad latitudinem. Porrò lateri Templi Orientali adhærebat vestibulum quoddam, cujus longitudo erat latitudo Templi: Latitudo autem ejus tenebat decem cubitos & altitudo centum & viginti cubitos, ut in Paralipomenis dicitur: & sic magis turris quàm vestibuli præ se ferebat formam. Sunt tamen qui dicant totum Templum 120 cubitos habuisse in altitudine, & quòd fuerunt supra contignationem varia gazophylacia, bicamerata & tricamerata loca, quæ 90 cubitos in altitudine tenebant: à pavimento autem Templi ad contignationem fuerunt 30 cubiti, ut in textu dicitur. Cæterùm fenestræ sic erant formatæ ut in superficie parietis interiori multò arctiores essent quàm foris, ubi lux cœlestis ingrediebatur, ut templum illud magis divino splendore illustratum fuerit quàm corporeo lumine, alioqui contraria dispositio adhibita fuisset fenestris.

5. *Thalamos*] Erant thalami illi triplici ordine dispositi, infimi scilicet, medii, & tertii. Infimi adhærebant parieti, sed non occuparunt partem aliquam de pariete; habuerúntque in latitudine 5 cubitos. Medii verò ingrediebantur parietem per unum cubitum, per unum cubitum sedentes super parietem; unde & uno cubito latiores fuerunt infimis thalamis. Tertii & supremi thalami habuerunt pro suo pavimento contignationem mediorum thalamorum, ingrediebantúrque murum per cubitum unum, habentes in latitudine 7 cubitos.

7. *Malleus & securis*] Non audiebantur in ædificio domûs instrumenta fabrilia, quia lapides, ut jam dixerat, allati erant elaborati atque perfecti. Allegoricàs verò, hîc tantùm tundimur, ut illic tranquillè in ædificio collocemur.

9. *Texit quoque domum*] Alius sic vertit, *Posuitque contignationem unam demissiorem, & aliam per ordinatas cedros*. Quòd videlicet, quemadmodum tabernaculum Mosis fuit aulæo picto, cortinis & pellibus tectum, sic Salomon fecit in Templo præter tectum duplicem contignationem.

16. *A lateribus templi*] h. e. Sicut parietes Templi operuit tabulis cedrinis, sic quoque Oraculi parietes obtexit tabulis cedrinis per longum & latum.

20. *Viginti cubitos altitudinis*] Auro scilicet operiens parietes per 20 cubitos, & lapidibus pretiosis per alios 10 cubitos. ¶ *Altare vestivit cedro*] Hoc erat altare incensi, quod ante Oraculum positum fuit.

21. *Vectes aureos*] Erat murus quidam inter Oraculum & Templum, ubi velum ponendum erat; & huic adhibiti fuerunt vectes illi. Quidam putant fuisse catenas.

24. *A summitate alæ unius*] h. e. Extremitates alarum unius cherub à se distabant 10 cubitis.

31. *Quadrangulatos*] Alius vertit, *Erántque tam superliminare quàm postes quincuplices*. Ut scilicet unus postis gradatim altero sit eminentior & contractior. Alii intelligunt quòd postes habuerint quinque angulos.

36. *Tribus ordinibus lapidum*] h. e. murulus ex triplici quadratorum lapidum ordine constitutus cingebat seu potiùs terminabat atrium interius, quod Templum ipsum ambiebat: & super hunc murum posita fuerunt cedrina ligna muro sic adaptata ut nec latiora fuerint nec arctiora muro ipso.

DRUSIUS

DRUSIUS.

17. וְאַרְבָּעִים בָּאַמָּה הָיָה הַבָּיִת הוּא הַהֵיכָל לִפְנָי. A. & Th. τεσσαράκοντα πηχῶν ἦν ὁ οἶκος αὐτὸς, ὁ ναὸς τῇ εὐχολίᾳ, *& quadraginta cubitorum erat domus; ipsum est templum in otii abundantia*] Τῇ εὐχολίᾳ. Quid sibi velint, nescio. Hoc scio; in mente habuerunt vocem פְּנוּי Rabbinis usitatam. Est autem idem quod εὔχολος *qui otio abundat*. Aliquando significat *cœlibem*, qui videlicet conjugalis vinculi expers est: opponitur נשוי ὁ γήμας *qui uxorem duxit*.

18. וְאֶרֶז אֶל הַבַּיִת פְּנִימָה מִקְלַעַת פְּקָעִים וּפְטוּרֵי צִצִּים הַכֹּל אֶרֶז אֵין אֶבֶן נִרְאָה. A. Th. καὶ κέδρευ πρὸς τὸ οἶκον ἔνδον διατετορευμένα, ξυστωτὰ, καὶ περίγλυφα, ἐκπέπλοντα τὰ πάντα κέδρου, οὐκ ἦν λίθος βλεπόμενος] Τὸν οἶκον ἔνδον, *domum intus*, i. interiorem. Talia sunt, *via longè* pro *longinqua*, *hostes circa* pro *circum finitimi*, & quæ alia Grammatici annotarunt. ¶ Διατετορευμένα, *tornata*, διατορεύω idem quod τορεύω, *torno*. ¶ Ξυστωτὰ, i. λιστωτὰ *complanata*, *rasa*. Nam ξύστρον idem cum λίστρον, *plana ferrea*, unde ξυστρόω, sive λιστρόω *pavio*, *complano*, *rado*; & ἀποξυστρόω, *hebeto*, *aciem auferendo*, *nè radere possit*. ¶ Περίγλυφα. περιγλύφω *circumsculpo*.

19. וּדְבִיר בְּתוֹךְ הַבַּיִת מִפְּנִימָה הֵכִין לְתִתֵּן שָׁם אֶת אֲרוֹן בְּרִית יְהוָה. Iidem, καὶ χρηματιστήριον ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου ἔνδοθεν ἡτοίμασε, τοῦ δοθῆναι ἐκεῖ γλωσσόκομον συνθήκης Κυρίου, *Et oraculum in medio domûs intrinsecùs paravit, ad ponendum ibi arcam federis Domini*] *Oraculum*. Hieron. in Comment. Ephes. 1. *Debir, quod nos Oraculum sive Responsum possumus appellare, &, ut contentiosiùs verbum exprimamus è verbo, λαλητήριον i. Locutorium, dicere.* Pro *responsum* vide num legendum sit *responsorium*: χρηματιστήριον autem verti *oraculum*, quæ significatio petita à verbo χρηματίζομαι *oraculo admoneor*: cujus usus frequens in N.F. ¶ Τοῦ δοθῆναι. Accipio ac si esset τοῦ τεθῆναι. Nam δοῦναι & τίθεσθαι se invicem explicant. Sic נתן *dedit* & שת *posuit*. ¶ Γλωσσόκομον. Exod. 37. 1. הארון. Lxx κιβωτὸν. A. γλωσσόκομον. Lex. vet. *Cistella*, γλωσσόκομον. Gen. 50. 26. in Thargum Jonathæ & Jerosolym. גלוסקמא est *loculus mortuorum*, qui ארון vocatur in textu Ebræo. Græci quoque γλωσσόκομον dicunt. Consule, sodes, Quæstiones meas.

20. וְלִפְנֵי הַדְּבִיר עֶשְׂרִים אַמָּה אֹרֶךְ וְעֶשְׂרִים אַמָּה רֹחַב וְעֶשְׂרִים אַמָּה קוֹמָתוֹ וַיְצַפֵּהוּ זָהָב סָגוּר. Iidem, καὶ εἰς πρόσωπον τοῦ χρηματιστηρίου εἴκοσι πηχῶν μῆκος, καὶ εἴκοσι πηχῶν πλάτος, καὶ εἴκοσι πηχῶν ἀνάστημα αὐτοῦ· καὶ περιεπήλισεν αὐτὸ χρυσίῳ ἀποκλειστῷ, *Et ante oraculum viginti cubitorum longitudo, & viginti cubitorum latitudo, & viginti cubitorum altitudo: & obduxit illud auro incluso*] *Altitudo*, ἀνάστημα, propriè *statura*. Idem קומה in lingua filiorum Eber. ¶ *Obduxit illud*. צפה *obduco*. περιπηλίζω quid sit adhuc quæro. Juva me, lector erudite. ¶ *Incluso*, vel *intercluso*. Lxx συγκεκλεισμένῳ. Hieron. *purissimo*. Cui firmando quod 2 Par. 3. pro eo טהור legitur, *mundo, puro*.

GROTIUS.

1. **Q**Uadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti*] Multi putant in numero errasse scribam, & notam *quadringentesimi* positam pro *quingentesimo*. Nam ab Exitu 40 annos in locis desertis actos constat. Josuæ Principatus non minùs 17 habuit annis. Indè ad Regis electionem annos putandos 450 docet nos Paulus Act. 13. 20. Saul annos ferme 12 regnasse creditur. Davidem annos regnasse 40 constat ex iis quæ suprà 2. 11. Jam Solomonis Regnum aliquot duraverat annos priusquam Templi fundamenta jaceret. Verùm hæc alii quibus otium est subtiliùs expendant. Mihi sæpe in mentem venit quod apud Plutarchum in Solone legi, οὐ μοι δοκῶ συμβιβάσαι χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν, οὓς μυρίοι διορθοῦντες ἄχρι σήμερον εἰς οὐδὲν αὑτοῖς ὁμολογούμενον δύνανται καταστῆσαι τὰς ἀντιλογίας. Sic & Templi mensuram atque formam libenter aliis inquirendam relinquo. ¶ *Mense Zio*] Nomen hoc mensis, ut & *Bul* infrà 38. Chaldaicum est. Eóque convincitur serò scriptum hunc librum, ac fortè ab Jeremia, ut alibi diximus.

7. *Et malleus & securis & omne ferramentum non sunt andita in domo cùm ædificaretur*] Aiunt Hebræi fissos lapides à verme dicto שמיר, de quo specialem librum scripsit Maimonides.

12. *Domus hæc quam ædificas*] i. In Templo hoc quod ædificas promissa mea (id enim sequitur) præstabo, responsa hinc reddam, Templum & Urbem tuebor, si tu successorésque tui secundùm legem meam & vivatis & regnetis.

18. *Et cedro omnis domus intrinsecùs vestiebatur*] Vide quæ dicta suprà 2 Sam. 7. 2.

19. *Oraculum autem in medio domûs*] i. Intimum erat hoc penetrale. Tacitus, *Templum intimis clausum*.

20. *Et viginti cubitos in altitudine*] Erat Adytum decem cubitis depressius Basilicâ Templi. Vide suprà 2. Viginti autem cubitos intellige sine pastophoriis superstructis aliis super alia. Vide 2 Par. 3. 4.

23. *Duos Cherubim*] Vide quæ dicta Exod. 25. 18.

29. *Et fecit in eis Cherubim*] Nempe cælatos, quod Lex non vetat. Vide infrà 32. & Ezech. 41. 18, 20, 25.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. **I**N sylva Libani] Jon. *Et ædificavit domum refrigerii regiam*; quâ scilicet uteretur æstivo tempore. Et putant quidam Libanum ferè transisse usque ad montem Sion, unde & domus Domini aliquando vocatur *Libanus*.

5. *Fenestræ*] Hebraica vox שקופים propriè significat *perspectoria*, unde & paulò pòst vocantur מראים.

6. *Lignum crassum*] Hoc lignum incumbebat columnis domûs, & partim sustinebat porticum.

7. *Quæ porticus erat judicii*] Repetitio est prioris sententiæ quâ dicitur, *Fecit porticum solii*. ¶ *A pavimento ad pavimentum*] Sensus est quòd straverit totum pavimentum à pariete ad parietem tabulis cedrinis.

9. *Intus & extra*] h. e. In oppositis lateribus erant politi. Et quando dicitur *domos illas exstructas lapidibus pretiosis*, intelligendum est, *de lapidibus optimis*.

13. *Hiram de Tyro*] Fuit iste Hiram ingeniosus artifex, scribitúrque infrà cum Holem. Et pater ejus dicitur fuisse *Tyrius*, quòd illic aliquamdiu moratus fuisset.

15. *Filum duodecim cubitorum*] Fuerunt autem hæ columnæ intrinsecùs concavæ, ut in Jeremia dicitur. Porrò capita columnarum habuerunt in altitudine quinque cubitos; sed solùm per tres fuerunt cælaturis variis ornata.

18. *Duos ordines*] In his duobus ordinibus erant collocata *mala punica* sive sphærulæ parvæ, ut infrà dicitur, pro decore columnarum. Quidam putant etiam in *perplexo opere* fuisse columnellas quasdam per circuitum quæ floribus & palmis fuerint tectæ. Judæi in expositione harum columnarum & decem basium, de quibus infrà dicitur, æquè ut Latini, inter se dissident. Quid igitur nos certi pronunciare possumus in tam obscuris locis? Vocavit autem Salomo columnam unam *Jachin*, quod *Firmationem* significat; & alteram *Boaz*, i. *Fortitudo in eo*; quòd re ipsâ optabat & precabatur ut Deus domum illam firmam & stabilem in perpetuum conservaret.

24. *Sphærulæ*] Jon. צורת ביעין *figuram ovorum*. Sicut enim capita columnarum ambiebant mala punica, sic quoque maris hujus labium seu marginem cingebant centum & viginti sphærulæ formam habentes ovorum. Capacitas hujus maris fuit *duorum millium batorum*. Continet autem Batus decimam partem Homer, h. e. 432 ova,

ova. Nam aiunt Ephi & Batum unam esse mensuram, nisi quòd una est liquidorum, altera aridorum.

27. *Decem bases*] Bases fuerunt factæ pro lavacris sustinendis: & his multiplex fuit adhibitus ornatus, usque ad acclivitatis terminum, ubi labrum ipsum sedebat in basi, nempe clausuræ seu juncturæ æneæ in quatuor angulis basis incastratæ, & שלבים, quæ fuerunt scalæ quædam ex tabulis gradatim prominentes. Sed & *leones*, *boves* & *Cherubim* sculpti erant in ipsa basi. Intelliguntúrque per *Cherubim* imagines juvenum alas habentes; Sub quibus erant לויות *additamenta palmarum*, opere ductili facta, & non cum ipsa basi fusa. Cætera relinquo tuo judicio expendenda.

39. *Contra Meridiem*] h. e. In Septentrionali parte. Hæc enim ingredientibus in Templum erat ad dextram.

VATABLUS.

1. D*Omum autem suam*, ואת ביתו] Nempe regiam, aut regias suas: nam regias suas & quicquid ædificavit, construxit intra 13 annos. ¶ *Et complevit*, &c. ויכל וגו'] Sub. *spatio tredecim annorum*. Alii, *usque ad decimum tertium annum regni sui*, nempe biennio post consummationem Templi: priùs enim exstruxit Templum quàm domum suam. Consumpsit autem 20 annos in constructione utriusque, ut infrà videbis, c. 9. 10.

2. *Domum saltûs Lebanon*, את בית יער הלבנון] Vocat *domum saltûs Libani*, non quòd in monte Libano fuerit sita, sed quia locus ille amœnitate & pulchritudine certare poterat cum Libano, vel quòd locus ille ob copiam materiæ cedrinæ *Saltus Libani* dici poterat. Hanc domum fuisse ædificatam à Solomone adversùs æstum testatur Chaldæus paraph. qui vertit *domum refrigerii*. Locus iste non procul erat à Jerusalem. ¶ *Super quatuor ordines*, על ארבעה טורי] In singulis ordinibus erant quindecim columnæ: quod probari potest ex tabulato primo primæ mansionis, nam dicit in mansione superiori fuisse quindecim columnas, totidem ergò erant in singulis ordinibus. Trabes erant dispositæ secundùm latitudinem, non secundùm longitudinem.

3. *Et tecta erat*, &c. וספון בארז וגו'] Ad verb. & *erat tecta cedro sursum super*, &c. i. super columnas erant collocatæ trabes; super trabes, tigna, quæ Gallicè *Solives* appellamus; super tigna autem erant tabulæ cedrinæ. In interiori parte domûs erant quatuor ordines columnarum, ut possent sustinere pondus: in superiori verò erant tres tantùm ordines, quia futurum erat ut multi convenirent ad Regem, oportebátque propterea locum esse capaciorem, impediunt autem columnæ.

4. *Tribus vicibus*, שלוש פעמים] In utroque latere tres erant fenestrarum ordines, sibi ex opposito respondentes.

5. *Ostia & postes quadrata erant*, הפתחים והמזוזות רבועים] i. Omnia superluminaria portarum quadrata erant, i. quadratæ figuræ, sive quatuor laterum, i. non erant rotunda. ¶ Unà cum *fenestris*, שקף] Sing. Heb. pro plur. i. cum lignis fenestrarum quæ ambiebant fenestram, q. d. Omnia superluminaria portarum, & postes, cum lignis fenestrarum erant figuræ quadratæ: omniáque ligna fenestrarum sibi invicem respondebant triplici ordine: nam in singulis lateribus erant terni ordines fenestrarum, quæ respondebant alterius lateris fenestris, ut jam dictum est.

6. *Ante faciem illarum*, על פניהם] Sub. *columnarum*. Hebraismus est, pro, Porticus illa constabat columnis & trabibus, quæ quidem columnæ & trabes erant in conspectu columnarum domûs saltûs, h. e. porticus illa objecta erat domui illi quæ tot habebat columnas, quæ erat domus saltûs Libani.

7. *Solii*, הכסא] *Tribunalis*. Hoc erat juxta regiam quæ erat in Jerusalem. ¶ *A pavimento*, &c. מהקרקע וגו'] i. Texit tabulis cedrinis ab imo unius parietis usque ad imum alterius parietis, q. d. Omnes parietes cum tabulato fuerunt tecti tabulis cedrinis.

8. *In qua manebat*, אשר ישב שם] i. Ubi habitaturus erat in Jerusalem. ¶ *Intra porticum illam*, מבית לאולם] i. Quod erat in penitiore loco quàm porticus, nempe ad quod ibatur per porticum. ¶ *Secundùm opus istud erat*, כמעשה הזה היה] i. Factum erat simili operi quo facta erat porticus solii. Cùm *alterum* dicit, oportuit duas fuisse porticus in regia. Ex domo igitur regia ingrediebatur atrium, ex atrio in porticum solii intrabat & domum. ¶ *Secundùm porticum hanc*, כאולם הזה] i. Opere simili operi hujus porticûs judicii, sive solii, quæ erat omnino tecta internè tabulis cedrinis. Domus hæc filiæ Pharaonis non erat conjuncta cum ipsa regia, sed ab illa exiguo intervallo separata.

9. *Pretiosis*, יקרות] i. Optimis & commendatissimis qui tum erant in magno pretio. ¶ *Dolatorum*, גזית] *Sectorum*. Ad verb. *excisionis*, i. lapidibus qui habebant lapidum excisorum & quadratorum magnitudinem. Quam autem magnitudinem haberent hi lapides, incertum est: tametsi ex v. 10 aliquid conjici potest. ¶ *Intrinsecùs*, &c. מבית ומחוץ] i. Non solùm parte internâ ædificii, sed etiam externâ. ¶ *Usque ad* lapides *mensura quatuor digitorum*, עד הטפחות ומחוץ] i. Usque ad lapides quibus incumbunt, sive super ponuntur trabes, quòd prominerent extra murum circiter quatuor digitos. Gallicè vocamus *corbeaux*, q. d. Parte internâ omnia constructa erant lapidibus arte summâ elaboratis, usque ad lapides quibus incumbebant trabes: & parte externâ usque ad eam partem quæ respiciebat atrium magnum in quo populus orabat. Non erat ergò porticus solii procul remota ab atrio magno.

10. *Fundatum autem*, ומיוסד] Sub. *erat hoc ædificium*. Quidam vertunt, *Et fundamentum erat factum*, i. constabat lapidibus. Sing. pro plur. *fundamenta prædictorum ædificiorum jacta erant lapidibus*, &c.

11. *Suprà verò*, ומלמעלה] i. Suprà fundamentum. ¶ *Dolatorum*, גזית] Ut v. 9. i. qui habebant quantitatem quam tunc habere solebant lapides cæsi.

12. *Per circuitum*, סביב] i. Per omnia latera. Porticus ista magna erat in qua populus orabat, quæ non erat tecta, quæ 2 Par. 4. 9. dicitur *atrium magnum*. ¶ E lapidibus *dolatis*, גזית] Ad verb. *excisionis*. ¶ *Et ordo*, וטור] Sub. *supra illos lapides erat*. ¶ *Domûs Jehovæ*, בית יהוה] i. Quod erat ante domum Domini, q. d. Idem sentiendum est de atrio interiore & de porticu. *Atrium interius* vocat atrium Sacerdotum. *Porticum* vocat atrium quod erat ante tabernaculum in vestibulo Templi. Docti existimant vestibulum, atrium sacerdotum, & atrium populi fuisse continentia ædificia.

14. *Omne opus ejus*, את כל מלאכתו] i. Quæcunque volebat fieri.

15. *Finxit*, &c. ויצר] *Et formavit*, i. dedit formam ac figuram: fecerat enim modulos ex terra tenaci. ¶ *Æreas*, נחושת] Ad verb. *æris*. Subauditur מן *ex*, i. ex ære fuso. ¶ *Octodecim*, שמונה עשרה] Plus minus scilicet: non enim scriptura sacra curat de præcisa quantitate, mensura & numero. ¶ *Columnam secundam*, את העמוד השני] Intellige etiam primam cinxisse: eadem enim erat crassities unius & alterius. *Filum* sive *linea*, aut peripheria ambiens erat *duodecim cubitorum*: & diameter, i. linea dimetiens, erat quatuor: quia in gyro sunt duodecim cubiti, in diametro sunt quatuor: est enim à peripheria ad diametrum proportio tripla, h. e. continet ter mensuram diametri & septimam ejus partem, ut 22. ad 7.

16. *Capitella*, כותרות] *Epistylia*, vel *coronamenta*. ¶ *Fusa ex ære*, מוצק נחושת] i. Ex ære fuso facta.

17. *Reticula opere retis*, שבכים מעשה שבכה] *Cancellos factos opere reticulato*, in quorum plagis & foraminibus exstabant malogranata. ¶ *Funes*, גדלים] Gallicè, *des cordelettes*. Quidam vertunt *reticula contexta in morem catenarum*. ¶ *Septem*, שבעה] Sub. *funes concatenati*, sive, *reticula septem*.

18. *Et duos ordines*, ושני טורים] Sub. *malogranatorum*. ¶ *In reticulo uno*, על השבכה האחת] Idem de secundo intelligendum. ¶ *Capitella*, הכותרות] i. Mediam partem capitellorum, nempe tertium illum cubitum. ¶ *Quæ* erant *super caput*, אשר על ראש] i. Quæ

quæ erant imposita summitatibus, sub. *columnarum.* ¶ *Malogranatis,* חרמנים] i. Ut duobus illis ordinibus malogranatorum tegeretur pars media capitellorum, nempe tertius ille cubitus.

19. *Quæ* erant *super caput columnarum,* אשר על ראש העמודים] i. Quæ superposita erant summitatibus columnarum. ¶ *Opus lilii in porticu,* מעשה שושן באולם] i. Opere liliorum erant facta tali quale visitur in vestibulis domorum elegantioribus. ¶ *Quatuor cubitis,* ארבע אמות] i. Per quatuor cubitos reliquos: duos inferiores scilicet, & duos superiores: nam medium erat sparsum malogranatis. Ex quinque partibus, quatuor erant opertæ liliis.

20. *Qui* erat *ultra reticulum,* אשר לעבר השבכה] *Qui* venter erat *è latere reticuli,* sub. *habebant malogranata,* q. d. Non solùm habebant lilia, sed etiam malogranata. Describit autem quid esset in cubito quinto omisso. Præterea quoniam superiùs non explicarat ubi essent malogranata, hîc explicat. *Ventrem capitelli* vocat partem laxiorem quæ magis prominet in pila. ¶ *Super capitellum secundum,* על הכותרת השנית] *In capitello secundo,* i. altero, h. e. in primo, similiter & in secundo.

21. *Statuit deinde,* ויקם] *Erexit deinde.* ¶ *Jachin,* יכין] Hæc vox significat *Confirmet,* q. d. Utinam confirmet ac stabiliat Deus hanc domum, faciat eam perpetuam ac stabilem. ¶ *Boaz,* בעז] Dictio ista significat *Fortitudinem* & *Vigorem:* acsi diceret, Utinam sit in ea domo vigor perpetuò: sitque in fortitudine, h. e. Stabilis sit ac permanens. Eòdem tendit utriusque columnæ nomen.

22. *Et super caput,* ועל ראש] i. In summitate illarum columnarum posuit. ¶ *Opus lilii,* מעשה שושן] i. Opus liliorum, h. e. capitella quæ erant penè tecta liliis.

23. *In circuitu,* סביב] i. Tam parte summâ quàm infimâ: erat rotundum à summo ad imum. ¶ *Filúmque,* וקוה] *Lineáque,* vel, *resticula.*

24. *Tubercula autem instar colocynthidum,* ופקעים ונו'] *Tubercula autem similia cucurbitis,* in quibus erant formata capita Boum, ut ex 2 Par. 4. 3. videre est. ¶ *Circumdabant illud,* סובבים אותו] *Cingebant illud.* ¶ *In cubito,* באמה] i. In singulis cubitis erant dena tubercula: erant ergò trecenta. ¶ *In fusione illius,* ביצוקתו] i. Fuerunt fusa quando mare illud fuit fusum, q. d. Non fuerunt adventitia, sive apposititia.

25. *Respiciebant,* פונים] *Spectabant, conversi erant.* ¶ *Intrinsecus erant,* ביתה] i. Delitescebant.

26. *Densitas autem ejus, palmus,* ועביו טפח] *Crassitudo autem* circumferentiæ erat *unius palmi.* ¶ *Secundùm opus labii calicis,* & *floris lilii,* כמעשה שפת כוס פרח שושן] i. Erat factum instar labii calicis, & floris lilii: sunt enim flores lilii curvati. Alii vertunt, & *flos lilii* erat in eo, i. maris illius labium sparsum erat floribus lilii. Sic Chaldæus paraph.

27. *Bases,* את המכונות] Quæ scilicet supponendæ erant decem conchis.

28. *Hoc autem opus basis,* וזה מעשה המכונה] i. Singularum basium apparatus erat hujusmodi, vel, *Singulæ bases erant facta in hunc modum.* ¶ *Cinctura* erant *in ipsis,* &c. מסגרות להם ונו'] i. Singulæ bases habebant singulas cincturas: & singulæ cincturæ erant inter prominentias duas, imam scilicet & summam. *Prominentias* vocat quæ spondis lectorum veteri formâ structorum erant similes: quæ sic dicebantur Hebræis quòd essent instar graduum, q. d. Pars illa ima & summa prominebat.

29. *Et super prominentias,* ועל השלבים] i. Ultra prominentias, imam & summam, i. in summitate, sive summa parte magnæ basis erat alia parvula basis, sive columnella quædam vice basis. *Prominentias* vocat *les bors & mouleures.* ¶ *Et boves,* ולבקר] Sub. *& cherubimos,* qui scilicet erant in cincturis illis. ¶ *Additamenta* quædam, &c. לויות מעשה מורד] i. Adjectitia quædam facta opere extenso, i. quæ non fuerunt facta cùm funderetur basis ipsa. Erant enim tubercula quædam adjectitia quæ erant vice basium, quibus scilicet videbantur incumbere animalia illa: ut poni solent sub simulachris.

30. *Et tabula area,* וסרני נחושת לויותן] Quibus scilicet latera basis quadratæ tegebantur, & quæ adjacebant prominentiis. ¶ *Angulis ejus,* פעמותיו] Sub. *basis,* i. singularum basium quæ adjacebant prominentiis ejus. ¶ *Humeruli,* כתפות] i. Fulcra, sustentacula, columnellæ. ¶ *Ex latere singulorum additamentorum,* מעבר איש לויות] h. e. In fundo ac parte ima ipsius conchæ.

31. *Os verò,* ופיהו] *Et orificium ejus,* sub. *basis quadrata.* ¶ *Intra capitellum,* מבית לכותרת] i. Intra basim ipsam parvam. ¶ *Et supernè, in cubito,* ומעלה באמה] *Et sursum,* i. parte supernâ, q. d. Siquis parte supernâ ad umbilicum ejus metiri velit columnellam illam mensurâ cubitali, habebit cubitum & dimidium latitudinis. ¶ *Opere basis,* מעשה כן] i. Factum ad similitudinem basis. ¶ *Super os ipsum,* על פיה] i. Juxta orificium ipsius capitelli. ¶ *Cum cincturis suis,* ומסגרותיהם] *Et cinctura earum,* nempe omnium basium. ¶ *Quadrata,* מרובעת] Cincturas latas fuisse dicit, ut sunt zonæ latæ; non rotundas, ut sunt zonæ rotundæ.

32. *In basi,* במכונה] q. d. Non supponebantur basi, sed erant intra ipsam basim.

33. *Opus praterea rotarum,* &c. מעשה האופנים ונו'] Opus dicimus Gallicè *La façon.* Rotæ igitur illæ similes erant ac perinde factæ atque rotæ curruum. ¶ *Axes earum,* &c. ידותם ונו'] *Axes erant illis, habebant & modiolos, & canthos, & radios: quæ omnia erant fusa,* i. ex ære fusili.

34. *Basis unius,* המכונה האחת] *In base una,* i. in singulis basibus, sive per singulas bases. ¶ *Ex basi ipsa,* &c. מן המכנה כתפיה] i. Fulcra, sive sustentacula ipsius erant ex eadem massa ænea. Gallicè, *De la mesme piece,* q. d. Non erant adjectitia, sed fuerant fusa unà cum base.

35. *Basis,* המכונה] Sub. *quadrata,* intelligit basim illam parvam. ¶ *Dimidium cubiti in altitudine,* &c. חצי האמה קומה ונו'] i. Erat columnella quædam, sive basis rotunda, cujus altitudo non excedebat dimidium cubitum: *& juxta summitatem illius* parvæ *basis* superpositæ magnæ basi, *erant prominentia ejus,* h. e. habebat suas prominentias: *& cinctura* singularum erant ex eadem materia, ut v. 33.

36. *Tabulis prominentiarum,* הלחות ידותיה] Intelligit spatia quædam ornata elegantibus sculpturis quæ erant inter prominentias ipsas. ¶ *Cincturis ejus,* מסגרותיה] Nempe parvæ columnæ, sive basis.

37. *Ad hunc modum,* כזאת] Ad verb. *Secundùm hoc.* ¶ *Eadem,* אחד] Ad verb. *una.* ¶ *Incisio eadem,* קצב אחד] *Sculptura una,* vel, *eadem.*

38. *Concha una,* &c. כיור אחד ונו'] i. Singulis basibus, quæ decem erant, singulas conchas superposuit.

39. *Ad latus domûs,* על כתף הבית] *In latere domûs,* i. atrii sacerdotum quod erat conjunctum domui, sive templo. Ingressus Templi ad orientem erat. Mare primùm occurrebat, deinde Conchæ. Neque in Mari lavabant sese Sacerdotes; neque in Conchis holocausta lavabantur: Verùm Sacerdotes aquâ quam per salientes hauriebant ex mari ipso, abluebant manus & pedes: holocausta autem tantùm abluebant frigidâ sumptâ ex Conchis per salientes.

40. *Et pelves,* ואת המזרקות] Vasa erant è quibus spargebatur aqua aut sanguis.

41. *Et vasa rotunda capitellorum,* וגלת הכתרת] *Et bina hemisphæria* [sive, *dimidiatos globos*] *capitellorum.*

42. *In superficie,* על פני] i. Super caput.

45. *Hæc,* האהל] Legitur & האוהל *tabernaculi,* acsi dicat, Instar vasorum tabernaculi testimonii, ut ait doctus inter Hebræos. Chald. *& omnia vasa ista secundùm opus vasorum tabernaculi, quæ fecit Moses, sic fecit Hiram regi Selomoh in domo sanctuarii Domini ex ære optimo.* ¶ *Polito,* ממורט] *Terso,* i. mundo ab omni rubigine.

46. *In*

46. *In densitate terræ*, במעבה האדמה] i. In terra densa, h. e. argilla, apta scilicet ut ex ea fiant moduli in quibus fundantur vasa metallica.

47. *Et omisit*, וינח] *Et dimisit*, i. neglexit disquirere rationem ponderis æris & quanti ponderis essent vasa illa. ¶ *Nimiam*, מאד מאד] Ad verb. *valde valde*.

48. *Quæ* erant pro *domo Jehovæ*, אשר בית יהוה] *Quæ* pertinebant ad *domum Jehovæ*. ¶ *Altare aureum*, את מזבח הזהב] Significat altare incensi.


50. *Et psalteria*, והמזמרות] *Et instrumenta musica*.

51. *Sanctitates Davidis*, את קדשי דוד] i. Quæcunque David consecraverat Deo.

CASTALIO.

2. Nemorensem *Libani domum*] Hæc domus erat Hierosolymis, sic dicta quòd erat in nemore quod *Libani* nomine vocabatur. Hanc vocat Josephus δρυμῶνα λιβάνου, *quercetum*, aut *nemus*, *Libani*: cujus, nec non ejus porticûs, hanc subjiciemus aream.

AREA NEMORENSIS LIBANI domûs, ejúsque porticûs.




A B C D quatuor columnarum ordines. *A E* longitudo cubitorum centum. *A D* latitudo quinquaginta. His columnis imponebantur transtra, videlicet transversa ab *A* ad *B*, & à *B* ad *C*, & à *C* ad *D*, & ità in reliquis. His transtris imponebantur tabulata, h. e. ædificium ipsum: cujus ea pars quæ quadraginta quinque columnis innitebatur, h. e. tribus ordinibus *A B C*, erat obducta cedro; reliqua non item, videlicet secundùm porticum collocata, ordinibus columnarum *C D* innixa. Nam mediani columnarum ordines binis serviebant tabulatis, ut essent tres ordines tabulatorum *F G H*, quorum *H* non esset obductum cedro. *I* porticus columnata, ante illas domûs columnas posita, longa quinquaginta cubitos *K L*, lata triginta *K M*. De fenestris quod tradit, eæ sunt quadratæ, triplici ordine inter sese respondentes; ità ut si lineam de media qualibet summi ordinis fenestra demittas, ea duas duorum inferiorum ordinum fenestras secet per medium. Quod ad columnarum capitula attinet (nam cætera sunt perspicua) ea erant rotunda, floribus ornata, septenis circumdata plagis perplexis, non à summo deorsum tendentibus, sed à dextra ad sinistram cingentibus capitula, quomodo solent tendi retia. Plagarum stamina & fila, h. e. funes, ex quibus erant confectæ plagæ, erant concatenati, h. e. multiplicibus toris contorti, ut fieri solet. Ac per sex quidem plagarum maculas apparebant capitulorum flores. Sed capitulorum ventres, h. e. quà parte maximè tument capitula, quæ pars eorum media est, habebant per circuitum binos ordines malorum punicorum, quorum ordinum uterque centum habebat punica, ità ut singula capitula haberent ducenta punica per medianas plagas oppositas ventri eminentia.

23. *Lacum fusilem faciebat*] *Mare* est in Hebræo, sed *mare* pro *lacu* dicitur, ut in Euangeliis videre licet; & hujusmodi vasa Latini vocant *lacus*.


29. *Clausulis superadditi tori*] ליורת *torósne*, an *cymatia*, an *scotias*, an *simas* significet nondum mihi constat: nè quis erret. Interea *toros* appellabo. Quòd si tori sunt, *simos* appellat, qui non perfectam habeant rotundationem sed ad circinum delumbatam.

30. *Æneósque asseres*] *Asseres* vocat ipsam æris materiam ex qua confectæ sunt bases: tametsi hîc *asserum* vocabulo abutimur, cum asseres propriè sint lignei. ¶ *Et in quatuor angulis humeros*] Bases quatuor angulos habebant, non reliquo plano pares, sed in humerorum modum protumentes, qui lavacrorum ventres exciperent, collocati contra & supra toros, quibus ambiebantur bases.

31. *Lavacri os intus*, &c.] In medio basis capite assurgebat in dimidium cubitum capitulum rotundum, quod inserebatur in sinum, quem lavacrum habebat in fundo intrò protuberantem. Ità fiebat, ut cùm lavacri os ab imo fundo ad summam crepidinem in altum pateret unum cubitum & dimidium, à capituli summo ad crepidinem pateret tantùm unum cubitum, quoniam capitulum detrahebat dimidium cubitum.



Esto *A* capitulum basis, *B* lavacri sinus, *C D* oris lavacri altitudo cubiti unius semis. Si lavacrùm capitulo imposueris, ità ut capitulum condatur in sinum lavacri, patebit os lavacri supra capitulum, h. e. ab ea parte quà sinuatur ad accipiendum capitulum, cubitum unum in altitudinem *E D*, cùm alioquin pateat unum & dimidium *C D*, quoniam sinus est dimidii cubiti *C E*. Quod autem dicit, *lavacri os undique rotundum*, ostendit ejus lâtitudinem. Si enim erat ejus altitudo unius cubiti semis, latitudo erat dupla, h. e. trium cubitorum: cùm esset lavacri os undique rotundum, h. e. dimidii globi figura. Sed ad hos tres latitudinis cubitos accedebat octava pars unius cubiti, quam altitudini adimebat basis capituli, hoc modo. Sit capituli basis *A*. Si ab *A* ad *B* est unus & dimidius cubitus, à *C* ad *D* erunt tres cubiti. Sed basis *E A F* recta est, & ideo detrahit de lavacri, h. e. circuli, circinatione, spatium *A G*, quod suprà in latitudine non detrahitur. Est autem id spatium pars decimasexta unius cubiti: quæ suprà latitudini ad utrumque



diametri caput addita, eam auget octavâ parte unius cubiti: ut sit oris latitudo *H I* trium cubitorum, & octavæ partis unius cubiti: cui si addas lavacri crassitudinem, & si quid repanda (ut fit) erant labra, habebis quam tradit autor lavacrorum latitudinem, sive longitudinem: quæ eadem est, videlicet cubitorum quatuor, quanta erat mensura basium. Item quòd *areolas* dicit esse *quadratas*, hoc intelligendum est de basium areolis suprà memoratis, non de areolis sculpturarum oris; ut apparet ex eo quòd continuò subjungitur, areolis subesse rotas. Non enim lavacris

protinus

protinus suberant rotæ, sed basibus. Et quod paulò pòst de capitulo scribitur, idipsum est quod jam declaravimus. Itémque de processibus, quos suprà vocavit *humeros*, quorum tabulæ, h. e. frontes, ut ità dicam, & partes exteriores erant cælatæ sigillis.

CLARIUS.

2. DOmum *saltûs Libani*] Jon. *& ædificavit domum refrigerii regiam*; quâ scilicet uteretur æstivo tempore. Et putant quidam Libanum ferè transisse usque ad montem Sion: unde & domus Domini aliquando vocatur *Libanus*.

6 *Lignum crassum*] Hoc lignum incumbebat columnis domûs, & partim sustinebat porticum. ¶ *A pavimento*] Stravit totum pavimentum à pariete ad parietem tabulis cedrinis.

9. *Lapidibus pretiosis*] Intellige *lapidibus optimis*. ¶ *Intus & extra*] h. e. In oppositis lateribus erant politi. ¶ *Patre Tyrio*] Pater ejus dicitur fuisse *Tyrius* quòd illic aliquandiu moratus fuisset.

15. *Linea duodecim cubitorum*] Fuerunt hæ columnæ intrinsecùs concavæ, ut in Jeremia dicitur. Porrò capita columnarum habuerunt in altitudine quinque cubitos, sed solùm per tres fuerunt cælaturis variis ornata. Judæi in expositione harum Columnarum & decem Basium, de quibus infrà dicetur, æquè ut Latini, inter se dissident, ut difficile sit in tam obscuris locis certi aliquid pronuntiare. Vocavit autem Salomon columnam unam *Jachin*, quod *Firmationem* significat; & alteram *Boas*, i. *Fortitudo in eo*; quòd reipsâ optabat & precabatur ut Deus domum illam firmam & stabilem in perpetuum conservaret.

27. *Decem bases æneas*] Bases fuerunt factæ pro lavacris sustinendis: & his multiplex fuit adhibitus ornatus, usque ad acclivitatis terminum, ubi labrum ipsum sedebat in basi, nempe clausuræ sive juncturæ æneæ in quatuor angulis basis incastratæ, &c.

39. *Orientem versùs & contra Meridiem*] h. e. in Septentrionali parte. Hæc enim ingredientibus in Templum erat ad dexteram.

GROTIUS.

2. DOmum *saltûs Libani*] Qui saltus qualis fuerit disci ex Hieronymo potest ad Zachariam, & ad Canticum; item ex Brocardo in Descriptione Terræ sanctæ.

8. *Et domuncula in qua sedebatur ad judicandum*] In ea Rex penè clausus sedebat, ut tutior esset ab insidiis. Qualia fuisse & veterum Latinorum Regum solia notat Servius.

13. *Hiram de Tyro*] Habitantem Tyri.

14. *Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali*] i. feminæ Danitidis, sed quæ vidua erat Nephthalitæ. 2 Par. 2. 14.

15. *Decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam*] Paulum deerat: nam materia unde istæ columnæ sumptæ erant habebat in altum cubitos 35, 2 Par. 3. 15.

16. *Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum*] Quorum quinque cubitorum tres erant figuris ornati, 2 Reg. 25. 17.

25. *Et stabat super duodecim boves*] Hoc erat contra Legem, ideóque Josephus & Hebræi hinc initium sumunt culparum Salomonis. Alii conjectant intercessisse jussum Dei, qui supra Legem est.

26. *Duo millia batos capiebat*] Ad summum poterat *continere ter mille*, sed non solebat impleri nisi ad *bis mille*, 2 Par. 4. 5.

29. *Leones & boves & Cherubim*] Cælati. *Cherubim* hic *aquilas* interpretatur Josephus; sed addenda & Hominis figura. Ex his enim quatuor constabat Cherub. Est autem συνεκδοχὴ nam pars Cherubis *Cherub* dicitur; ut Bos est *Cherub* Ezechieli 10. 13.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

2. IN *mense Ethanim*] Hic est Tisri, i. September, & vocatur *Ethanim*, quod *fortitudines* sonat, propter fructuum quæ in eo fiunt collectiones, aut propter multos solennes dies qui in eo celebrari jubentur.

8. *Extraxerunt vectes*] Heb. *prolongaverunt*: non quòd longiores eos fecerint (habuerunt enim in longitudine 10 cubitos,) sed extraxerunt eos à parte una, ut illic eminerent quatuor aut quinque cubitis, ut Sacerdos semel in anno ingrediens inter vectes illos incensum poneret.

9. *Non erat in arca nisi duæ tabulæ lapideæ*] Putant Hebræi librum Legis & alia quæ fuerant in Arca, reposita in thesauris domûs Domini unà cum Tabernaculo Mosi & vasis ejus. Nam scribitur in quarto Regum quòd *Hilkijahu Sacerdos repererit librum Legis in domo Domini*.

10. *Ut nubes impleret*] h.e. Gloria Domini per nubem apparuit in domo illa, sicut antea apparuit in Tabernaculo.

13. *Habitaculum*] Habuit Dominus antea multas mansiones inter homines: nam habitavit in Gilgal, in Silo, in Nob, & in Gibeon; sed non fuerunt durabiles, ut hæc domus.

31. *Et intervenerit juramentum*] D. K. sic exponit, והייבו הדין להשביעו *Et condemnaverint eum Judices, coegerintque eum jurare, ut cùm quis negaverit se recepisse depositum alterius, quod tamen accepit, ecce is peccat in proximum*, de quo Levit. 5. à principio datur præceptum.

38. *Plagam cordis sui*] h. e. Qui secretâ pressus infirmitate aut necessitate ad te cordium Scrutatorem clamaverit.

45. *Faciésque judicium eorum*] Sensus est, Tu causam eorum ages, & vindictam sumes de hostibus eorum.

51. *De medio fornacis ferreæ*] Sicut aurum & argentum probantur in fornace ferrea, sic Israelitæ examinati sunt in Ægypto per duram servitutem.

59. *Rem diei in die suo*] i. Quicquid incommodi quotidie inciderit, tu rogatus ipsâ die mox avertere digneris.

64. *Hostias Minha*] De sacrificiorum generibus diximus Levit. 2. Hæc sacrificia scribuntur hic facta in atrio Templi, *quòd altare æneum quod Salomo fecerat minus esset quàm quod tantam caperet sacrificiorum multitudinem*. Nam habuit in longitudine 20 cubitos, & similiter in latitudine, ut in Paralipomenon habetur libro. Altare autem Mosaicum adhuc minus erat, quod tantùm quinque constabat cubitis, erátque cum reliquis Tabernaculi utensilibus repositum in gazophylacio Templi. Alii aliud sentiunt, ut suprà diximus.

65. *Septem diebus*] Septem primis diebus celebrabant solennitatem Tabernaculorum, & reliquis septem diebus festum Dedicationis Templi.

VATABLUS.

1. PRincipes *patrum*, נשיאי האבות] *Duces majorum*, i. antiquarum familiarum. Exponit quod dixerat *Capita tribuum*. ¶ *Ad se*, אל המלך שלמה] Ad verb. *ad regem Selomoh*. Antecedens pro relativo. ¶ *Ut transferrent*, להעלות] Ad verb. *ut ascendere facerent*. ¶ *Ipsa est Sijon*, היא ציון] i. Quæ alio nomine dicitur *Sion*.

2. *Septembri*, והאתנים] Ad verb. *Ethanim*. September dicitur Hebraicè *mensis fortium*, propter fructus arborum & fruges quæ collectæ eo mense reponuntur in horrea. Fructibus siquidem confirmatur cor hominis; humana quoque vita roboratur. Vel propter crebra & magna festa quæ in ipso mense celebrabantur, festum nempe Tabernaculorum, dies Expiationum, & festum Dedicationis. Chaldæus paraph. *quem veteres Primum vocabant: nunc autem est mensis septimus. Acsi dicat*, inquit doctus inter Hebræos,

Hebræos, *vocabant Primum veteres, à creatione mundi, quòd mundus eo mense* (inquiunt) *conditus sit: nunc autem ex quo egressi sunt filii Israel ex Ægypto, est mensis septimus; & Martius, primus mensis.* ¶ *In solennitate,* בחג] i. Sub festum ipsum Tabernaculorum.

4. *Et transtulerunt,* ויעלו] *Et intulerunt.* Ad verb. *Et ascendere fecerunt.* Sic mox, *Transtulerunt,* sub. *in Sanctum sanctorum.* Sacerdotes ter Arcam fœderis tulerunt; cùm transierunt Jordanem; cùm circuierunt Jericho; & cùm eam reduxit David; quartò hîc in Templum. Nam erat Levitarum hoc deferendæ Arcæ fœderis munus: non licebat autem illis intrare in Sanctum sanctorũ, quòd si potuisset Pontifex solus deferre, non fuisset usus operâ Sacerdotum. In Paralipomenis dicuntur *Levitæ Arcam intulisse:* quod nomen est generale tam ad Sacerdotes quàm ad alios. Vel, Levitæ tulerunt usque ad Sanctum sanctorum, postea intulerunt Sacerdotes. Aut Sacerdotes intulerunt Arcam, & Levitæ reliqua in thesaurum Templi.

5. Erat *cum eo,* אתו] Erat *juxta* [sive, *apud*] *ipsum.*

8. *Et extraxerunt,* ויארכו] Ad verb. *Et elongare fecerunt,* sub. *in partem anteriorem versùs introitum Oraculi.* Non totos extraxerunt, sed partem aliquam. Vectes in extremitatibus Arcæ per latitudinem non per longitudinem dispositi erant. ¶ *E Sanctitate,* מן הקודש] *E Sanctuario,* i. è Templo. ¶ *Coram oraculo,* על פני הדביר] *In facie Oraculi,* i. in parte quæ erat in fronte, h. e. in introitu Oraculi. ¶ *Et non apparebant extrinsecùs,* ולא יראו החוצא] i. Non excedebant Oraculum ipsum.

9. *Nisi duæ tabulæ,* רק שני לוחות] Istud רק non excludit urnam in qua erat manna, & virgam Aharonis, quæ continebantur in ipsa Arca: sed sensus est, Nihil aliud, ex tota Lege scilicet, sive ex libro Legis, continebatur in Arca, nisi, &c. ¶ *Quando pepigit,* אשר כרת] *Quod fedus pepigerat.* Tabulas vocat *fedus,* sive *conditiones federis,* quòd in illis scriptum esset fedus. Chald. *in quibus erat descriptum fedus quòd pepigit,* &c.

10. *Nubes replevit,* והנען מלא] *Ut nubes repleret.* Per nubem & caliginem indicabat Deus præsentiam suam.

12. *Dixit,* אמר] i. Statuit ac decrevit, q. d. Per hanc nubem intelligo Deum delegisse sibi hunc locum & sedem hanc, tanquam sibi gratissimam. Chald. *Deus statuit ut majestas sua habitet in Jerusalem,* i. templo exstructo Hierosolymis.

15. *Benedictus sit,* ברוך] i. Laudetur, omni laude efferatur, laudandus est à nobis. ¶ *Et manu suâ adimplevit,* ובידו מלא] i. Liberalitate suâ, vel potentiâ adimplevit quod pollicitus fuerat.

16. *Ut esset nomen meum ibi,* להיות שמי שם] Hebraismus, Quæ dicaretur nomini meo, & in qua invocarer. ¶ *Sed elegi,* ואבחר] i. Usque ad hoc tempus quo elegi Davidem.

17. *Fuit autem in corde Davidis,* ויהי עם לבב דוד] Hebraismus, pro *cogitavit & statuit apud se David.*

19. *Qui egressurus est,* היוצא] Ad verb. *egrediens.* Præs. Heb. pro fut. Chald. *quem gignes.*

20. *Et surrexi pro Davide,* ואקום תחת דוד] Hebraismus, suffectus sum in locum Davidis, &c. vel, successi illi; h. e. adeptus sum Regnum Davidis patris mei, juxta promissionem à Deo illi factam; atque itâ confirmata & impleta est illa promissio.

21. *Fedus Jehovæ,* ברית יהוה] i. Tabulæ in quibus erant præcepta & conditiones federis.

22. *Ante altare Je[illegible],* לפני מזבח יהוה] i. Coram altari magno quod erat [illegible]atrio Sacerdotum. Illic orabant in suggestu exstr[illegible] supra labrum æneum, ut ex 2 Par. 6. 13. intelligere est.

23. *Custodiens pactum & misericordiam,* שומר הברית והחסד] i. Qui servat pactum liberaliter nobiscum initum.

24. *Locutus namque es,* &c. ותדבר בפיך וגו'] i. Quæ promisisti illi, virtute ac potentiâ tuâ adimplesti, quod hoc quoque die videre licet.

25. *Non excidetur tibi vir à facie mea,* לא יכרת לך איש מלפני] i. Non deerit de prole tua, h. e. de nepotibus tuis quisquam, qui, &c. ¶ *Si modò custodierint,* רק אם ישמרו] *Ità tamen si custodierint.* ¶ *Viam suam,* דרכם] i. Quam custodire debent, quæ est ut ambulent, &c.

26. *Stabiliatur,* יאמן] Ad verb. *verificetur, compleatur, firmum sit.*

27. *Verùmne est quod,* כי האומנם] Inverti debent hæc verba האומנם כי, i. Ergóne putandum est quòd verè habitaturus sit. ¶ *Cœlum,* &c. השמים ושמי השמים] Per *cœlum* intelligitur totum hoc spatium quod nobis apparet usque ad sphæram lunæ; per *cœlos cœlorum,* totus ambitus firmamenti. Atque hoc ad notandam summam altitudinem additur, vel immensitatem quæ supra primam superficiem eminet. ¶ *Te non continent,* לא יכלכלוך] *Te capere non possunt.*

28. *Ad orationem servi tui, & ad deprecationem,* אל תפלת עבדך ואל תחנתו] Hanc differentiam ponunt Hebræi inter *orationem* & *deprecationem,* ut *oratio* sit nomen generale, *deprecatio* autem fiat pro necessariis, aut pro impetranda peccatorum remissione. ¶ *Clamorem;* אל הרנה] *Laudem,* aut, *orationem quæ fit clarâ voce.*

29. *Erit nomen meum ibi,* יהיה שמי שם] i. Illic colar, vel agnoscetur nomen meum & gloria mea. Vide Deut. 12. 5. ¶ *Orabit,* יתפלל] Quidam per præsens vertunt, *orat.*

31. *Cùm peccaverit,* את אשר יחטא] *Si peccaverit,* i. si aliquis depositum neget. ¶ *Et detulerit in eum,* &c. ונשא בו אלה להאלותו] Doctus inter Hebræos refert istud ad Judicem, i. sententia sua statuerit illum juraturum, itâ ut cogat eum. Idem affert & aliam expositionem quam nonnulli sequuntur, vertentes, *& exegerit ab eo jusjurandum,* ut sit à נשה, & sit א pro ה. ¶ *Juramentum,* אלה] Sub. איש, ut sit איש אלה *vir juramenti,* i. is qui per sententiam Judicis debet jurare.

32. *Exaudias,* תשמע] Sub. *orationem ejus qui justam causam habuerit.* ¶ *Et facias,* ועשית] i. Fac agnoscatur ab omnibus is qui reus fuerit sceleris. ¶ *Condemnando,* להרשיע] Ad verb. *impium faciendo,* i. ostendendo quòd causam injustam habuerit. ¶ *Ut des viam ejus,* &c. לתת דרכו בראשו] Hebraismus, *reddendo illi juxta malum ejus.* ¶ *Et justificando justum,* ולהצדיק צדיק] *Et absolvendo justum,* i. ostendendo quòd justam causam habuerit.

33. *Coram inimico,* לפני אויב] i. Ab inimico. ¶ *Peccaverint tibi,* יחטאו לך] i. Terga dederint hosti persequenti. ¶ *Et reversi fuerint,* ושבו] Sub. *alii,* i. reliquus populus qui remanserit in Urbe. ¶ *Et confessi fuerint,* והודו] i. Gloriam & laudem dederint tibi, agnoscendo scilicet scelera sua.

34. *Peccato,* לחטאת] Propter quod scilicet cæsus fuerit ab hoste. ¶ *Et reducas eos,* והשבותם] i. Eos reverti facias de captivitate.

35. *Cœlum,* שמים] Pro *aere* accipitur, i. Cùm in aliqua regione non pluerit. Seipsum mox exponit. ¶ *Quando afflixeris eos,* כי תענם] *Cùm exaudieris eos.*

36. *Cùm docueris eos,* כי תורם] Sub. exaudias, inquam, eos posteaquam edocti fuerint à te per Prophetas quid dimissis peccatis agere debeant.

37. *Si fuerit,* כי יהיה] i. Cùm oborta fuerit: sic in sequentibus. ¶ *Ariditas & robigo,* שדפון ירקון] Dictionem שדפון doctus inter Hebræos exponit *percussionem sementis vento Orientali ingredientem spicas, adeò ut non perficiatur maturitas.* Gen. 41. 27. eadem dictio legitur pro *arefactis; Septem spicæ graciles arefactæ Euro.* Pro hac *uredinem* quidam vertunt. Alteram dictionem ירקון idem doctus inter Hebræos interpretatur *morbum segetum, cùm tota seges perit, nullas prorsus spicas producens.* Pro hac quidam vertunt *æruginem,* sive *rubiginem,* quæ est incidentis segetibus humoris putrefactio: quo vitio, spicæ marcidæ fiunt, & in pulverem fœtidum confriatiles: *nuillam* sive *niellam* nostrates appellant. Has duas voces conjunctas habes Deut. 28. 22. Amos 4. 9. Agg. 2. 18.

38. *Qua-*

38. *Quæcunque oratio*, &c. כל תפלה וגו'] Ad verb. *Omnis oratio, omnis deprecatio quæ fuerit omni homini, omni populo*, &c. i. quæcunque oratio suscepta fuerit à quovis homine ratione particulari, aut ab universo populo oratio publica & universalis, h. e. quamcunque orationem susceperint sive privatim, sive publicè, *cùm sentiet quisque dolorem cordis sui*, vel, pro dolore quem quisque sentit apud se.

41. *Quinetiam de alienigenis*, וגם אל הנכרי] *Quinetiam de externis*, i. Quod ad gentes externas pertinet. ¶ *Propter nomen tuum*, למען שמך] Auditâ famâ eorum quæ facis in hoc templo.

42. *Si audierint*, כי ישמעון] *Cùm audierint*.

43. *Juxta omnia*, &c. ככל אשר וגו'] i. Omnino ut precatæ fuerint exteræ gentes. ¶ *Quòd nomen tuum invocatum sit*, &c. כי שמך נקרא וגו'] Hebraismus, Intelligant hanc domum esse tuam, sive templum esse Domini.

44. *Si egressus fuerit*, כי יצא] *Cùm egressus fuerit*. ¶ Contra *viam civitatis*, דרך העיר] Versùs *viam civitatis*, vel, versùs *urbem*, i. conversi, aut versis vultibus ad urbem quam delegisti.

46. *Coram inimico*, לפני אויב] i. In potestatem inimici.

47. *Et reversi fuerint ad cor suum*, והשיבו אל לבם] i. Et revocaverint se ad cor suum. Vel, *Et reduxerint se ad mentem suam*, i. recordati fuerint peccatorum suorum, & pœnituerit eos ipsorum.

48. Contra *viam terræ suæ*, דרך ארצם] i. Conversi, aut versis vultibus ad terram, &c.

49. *Et facias judicium eorum*, ועשית משפטם] i. Ulciscaris injuriam illis illatam.

51. *E medio fornacis ferreæ*, מתוך כור הברזל] i. Servitute durissima. Vide Deut. 4. 20. *Fornacem ferream* vocat, quæ assiduo igne ità induruit ut præ se ferat duritiam ferream, h. e. non aliter quàm aurum aut argentum igne probatur, variis ac gravibus afflictionibus probati sunt.

52. *Ut sint oculi tui*, &c. להיות עיניך וגו'] Subaudiendum aliquid, *Parcas, inquam, populo tuo, ut*, &c. i. ut conjicias oculos tuos in servum tuum orantem.

53. *Tibi in hæreditatem*, &c. לך לנחלה] i. Ut essent tui ex omnibus populis terræ, & ad te pertinerent quasi jure hæreditario. ¶ *Sicut dixeras per Moseh*, כאשר דברת ביד משה] Ad verb. *sicut dixeras per manum Moseh*, i. per Moseh. Vide Exod. 19. 6. q. d. Hujus rei habeo auctorem gravissimum, atque testimonium.

54. *Ac desiit genua flectere*, מכרוע על ברכיו] Ad verb. *à genuflectendo super genua sua*. ¶ *Et manibus suis*, &c. וכפיו פרושות השמים] Finis iste versûs jungitur sequenti. Cùm Salomon oraret, erat oculis fixis in altare. Cùm verò orandi finem fecit, erexit se, atque obvertit se versùs populum, illíque manibus in cœlum expansis benedixit.

56. *Benedixit*, ברוך] i. Omni laude dignissimus est. ¶ *Requiem*, מנוחה] *Quietem*, i. sedes quietas, sive pacem quietam. ¶ *Juxta omnia quæ locutus est*, ככל אשר דבר] *Omnino ut locutus fuerat*. ¶ *Non cecidit verbum unum*, לא נפל דבר אחד] Chald. *non fuit irritum unum verbum*.

59. *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. Sit semper Dominus memor ejus orationis quam nunc oro. ¶ *Ità ut faciat judicium*, &c. לעשות משפט] Hebraismus, Ità ut det mihi servo suo & populo suo Israeli quæ erunt nobis necessaria, & quibus indigebimus. ¶ *Per singulos dies*, דבר יום ביומו] Ad verb. *res diei in die suo*.

61. *Secundùm diem hanc*, כיום הזה] i. Sicut hodie facitis.

64. *Medium atrii*, את תוך החצר] i. Internam partem atrii Sacerdotum, h. e. pavimentum lapideum. ¶ *Holocaustum*, &c. את העולה וגו'] Sing. Heb. pro plur. Sic in fine hujus versûs. ¶ *Æreum*, הנחושת] i. Tectum ære. Istud Latini de altari Mosis intelligunt, quod erat in vestibulo. Hebræi non sine ratione aliter sentiunt, hoc debere intelligi de magno altari Salomonis, nam nominatim 2 Par. 7. 7. dicitur *altare aneum Salomonis*. ¶ *Holocaustum*, &c. את העולה וגו'] i. Copiam ac multitudinem holocaustorum, oblationum, &c.

65. *Tempore illo*, בעת ההוא] Dedicationis scilicet Templi. ¶ *Congregatio magna*, קהל גדול] Quæ scilicet fuerat convocata. ¶ *Hamath*, &c. חמת וגו'] Hamath est terminus Septentrionalis; Torrens ille quem vocabant *Torrentem Ægypti*, erat in termino Australi. His descripsit longitudinem Terræ sanctæ. Ex tota Judæa coierat populus Jerusalem. ¶ *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. Colendo Dominum. ¶ *Septem diebus*, &c. שבעת ימים וגו'] i. Septem diebus pro Dedicatione, & septem pro festo Tabernaculorum. Intra septem dies festivitatis Dedicationis Templi evenerat dies Expiationum: in quo, ità permittente Jehova, & cum eis dispensante (ut verisimile est) comederunt etiam hostias pacificas. Alii dicunt eos immolasse quidem, sed non comedisse usque ad vesperam & diem sequentem.

66. *Die autem octavo*, ביום השמיני] Nempe ab initio festi Tabernaculorum. ¶ *Dimisit*, שלח] i. Fecit populo abeundi potestatem pro concione: non enim eo die sed postero abiit populus. Octavo die à Scenopegia fiebat concio: & pro concione Rex, aut qui populo præerat, admonebat populum sui officii. ¶ *Propter omnia bona*, &c. על כל הטובה וגו'] Quòd scilicet adimplesset promissionem factam Davidi, quòd permisisset Templum ædificari à Salomone, sicuti pollicitus fuerat Davidi, 2 Sam. 7. 13.

CLARIUS.

2. IN *mense Ethanim*] Hic est Tisri, i. September. Et vocatur *Ethanim*, quod *Fortitudines* sonat, propter fructuum quæ in eo fiunt collectiones, aut propter multos solennes dies qui in eo celebrari jubentur.

8. *Cúmque eminerent vectes*] Habuerunt enim in longitudine 10 cubitos; & extraxerunt eos à parte una, ut illic eminerent quatuor aut quinque cubitis, ut Sacerdos semel in anno ingrediens inter vectes illos incensum poneret.

9. *Nisi duæ tabulæ*] Putant Hebræi librum Legis & alia quæ fuerant in Arca reposita in thesauris domûs Domini, unà cum Tabernaculo Mosis & vasis ejus. Nam scribitur in quarto Regum quòd *Helchias Sacerdos repererit librum Legis in domo Domini*.

10. *Nebula*] h. e. Gloria Domini per nubem apparuit in domo illa, sicut antea apparuit in Tabernaculo.

13. *Firmissimum solium*] Habuit Dominus antea multas mansiones inter homines: nam habitavit in Galgal, in Silo, in Nob, & in Gabaon; sed non fuerunt durabiles, ut hæc domus.

31. *Et intervenerit juramentum*] Quidam sic exponunt, *Et condemnaverint eum judices, coegerintque eum jurare, ut cùm quis negaverit se recepisse depositum alterius, quod tamen recepit, ecce is peccat in proximum*, de quo Levit. 5. à principio datur præceptum.

38. *Plagam cordis sui*] h. e. Qui secretâ pressus infirmitate aut necessitate ad te cordium Scrutatorem clamaverit.

45. *Facies judicium eorum*] h. e. Tu causam eorum ages, & vindictam sumes de hostibus eorum.

51. *De medio fornacis ferreæ*] Sicut aurum & argentum probantur in fornace ferrea, sic Israelitæ examinati sunt in Ægypto per duram servitutem.

65. *Septem diebus*] Septem primis diebus celebrabant solennitatem Tabernaculorum, & septem reliquis diebus festum Dedicationis Templi.

GROTIUS.

1. MAjores natu Israel] Heb. זקני, ii sunt Senatores magni Synedrii.

8. *Non apparebant ultrà extrinsecus*] In Basilica Templi non spectabantur, intercedente velo, cui nomen פרכת.

10. *Nebula implevit domum Domini*] Testis Divinæ præ-

præsentiæ ac tutelæ; Exod. 16. 10. & 24. 15, 16. Num. 9. 15. Adde Psal. 105. 39.

27. *Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt*] Virgilius,

——— *Jovis omnia plena.*

Vide & principium Arati. Lucanus,

Estne Dei sedes nisi terra, & pontus, & aer,
Et cœlum, & virtus?

30. *Quodcunque oraverint in loco isto*] Ideo templum dicitur *Domus orationis* Matth. 21. 13. Etiam in exsilio Templum versùs directâ facie orabant, infrà 48. Dan. 6. 10.

31. *Propter juramentum coram altari tuo*] Tacto altari jurare mos omnium propè gentium. *Sumptis in manus altaribus* ait Justinus l. 24. In Plauti Rudente, G. *Tange aram hanc Veneris.* L. *Tango.* G. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.* Cicero pro Flacco, *Si aram tenens juraret.* Juvenalis,

——— *Tangens arámque fidémque.*

Et alibi,

——— *Intrepidi quicunque altaria tangunt.*

Martialis,

Hunc puer ad Libycas juraverat Annibal aras.

35. *Si clausum fuerit cœlum*] Hæc & sequentia confer cum Deut. 28.

42. *Et oraverit in hoc loco*] In loco piis incircumcisis seposito, qui ab Israelitarum locis loricâ interpositâ distinguebatur. Meminere ejus Josephus & Rabbini.

66. *Et in die octava dimisit populos*] i. Eis valedixit, Sed quia is dies erat עצרת profecti sunt postridie, 2 Par. 7. 9, 10.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

1. QUod habuit in votis] Heb. *omne desiderium quod Salomo desideravit facere*: pro quo 2 Par. 7. 11. sic scribitur, *Et omne quod venit super cor Salomonis ut faceret, fecit.*

8. *In ablationem*] Quidam interpretantur hic עליון pro *altissimo*: ut sit sensus, *Et domus ista quæ est Altissimi, omnis qui transierit juxta eam stupebit*, &c. Sunt rursum alii qui עליון exponunt pro חרב *desolatione*, & alii pro חריתה *succisione*, pro quo nos vertimus *ablationem*, à vocabuli propria significatione non recedentes.

10. *A fine vigesimi anni*] Septem annis ædificavit domum Domini, & 13 annis domum Regiam, qui simul juncti faciunt 20 annos.

13. *Terram Cabul*] Sunt qui כבול exponunt pro חול *arena*, & dicunt quòd terra illa ob arenam sterilis fuerit. Alii verò exponunt *Cabul* pro סגור *clausa*, dicentes terram illam *clausam* fuisse, h. e. non habitatam, propter abjectionem ejus.

15. *Et hæc est summa*] Sensus est, *Tanta fuit tributi exactio ut Salomo inde ædificaret domum Domini, domum suam*, &c. Levavit autem pecuniam & accepit operatores, non ex filiis Israel, qui liberi erant, sed ex Gentium reliquiis atque ex proselytis & reliquis populis tributariis. Tantùm ex Israelitis elegit bellatores, Duces, Principes atque Præfectos. Porrò per *Millo*, ut suprà 2. lib. diximus intelligitur ædificium civitatis Sion, quod David quidem incepit, sed Salomo absolvit. Alii verò dicunt quòd pro filia Pharaonis ibi exstruxerit domum.

18. *In deserto*] *Erat*, inquit R. Levi, *Thadmor partim in deserto & partim in terra culta.*

28. *Talenta auri*] Secundùm Hebræos ככר, i. *talentum, continet* ששים לטרין *sexaginta libras Templi, & centum atque viginti libras vulgares.* Erat enim mensura & moneta Templi dupla ad mensuras vulgares.

VATABLUS.

2. APparuit, וירא] sub. *per quietem.* 3. *Ponendo nomen meum ibi*, לשום שמי שם] i. Vocando ædem istam, ædem meam. ¶ *Eruntque oculi mei*, &c. והיו עיני ולבי שם] i. Conjiciam oculos meos in eam, semper habebo rationem eorum quæ fiant in hac domo, & erit mihi semper chara.

4. *In perfectione cordis, & rectitudine*, בתם לבב ובישר] *In integritate* [vel *simplicitate*] *cordis, & æquitate.* Mox declarat quid his verbis intelligat, nempe *facere secundùm*, &c.

5. *Non abscindetur tibi*, לא יכרת לך] *Non auferetur tibi*, i. de genere tuo & stirpe tua, h. e. semper erit aliquis de genere tuo qui sit Rex super Israelem.

6. *Quæ dedi coram vobis*, אשר נתתי לפניכם] i. Quæ proposui coram vobis. ¶ *Et incurvaveritis*, &c. והשתחויתם להם] *Et adoraveritis eos.*

7. *Excidam*, והכרתי] Chald. *Avellam.* ¶ *E superficie terræ*, מעל פני האדמה] i. E terra ipsa, h. e. tollam eum de medio, q. d. Non solùm privabo eum regno, sed & patriâ ipsâ. ¶ *Dimittam à facie mea*, אשלח מעל פני] *Abjiciam à conspectu meo*, tanquam non mihi gratam. ¶ *In parabolam & in fabulam*, למשל ולשנינה] *In proverbium & in fabulam*, q. d. Alii populi utentur parabolâ de Israelitis cùm loqui volent de miseris & infelicibus hominibus, & jugiter de eis loquentur. *Fabula* significat jugem & continuum sermonem.

8. *Quæ futura est altissima*, הזה יהיה עליון] Quæ ad tempus futura est in summo honore, sub. *tandem destruetur*, aut, *evanescet*, i. tolletur de medio. Quidam futurum convertunt in præt. *quæ fuit altissima.* ¶ *Et sibilet*, ושרק] Præ studore scilicet, more eorum qui sunt attoniti cùm vident repentinam aliquam mutationem.

9. *Qui eduxit*, &c. אשר הוציא] q. d. A quo tot & tanta beneficia acceperunt.

10. *In fine viginti annorum*, מקצה עשרים שנה] *Elapsis viginti annis.*

11. *Donaverit ipsi Selomoh*, &c. נשא את שלמה' וגו'] Ad verb. *oneraverat* [*cumulaverat*] *Salomonem lignis cedrinis*, &c. h. e. Hiram rege præbente ligna, &c.

12. *Et non placuerunt ei*, ולא ישרו בעיניו] Ad verb. *& non fuerunt recta in oculis ejus.*

13. *Quid*, מה] i. Quanti putas esse urbes, &c. ¶ *Chabul*, כבול] i. *Lutosam*, luto scilicet tenaci. Alii exponunt *arenosam*, i. infertilem, quæ appellatio durat usque in hanc diem.

15. *Et hæc est ratio*, &c. וזה דבר המס] Ad verb. *Et hæc* est *res tributi quam ascendere fecit*, i. Hæc est autem causa ob quam rex Selomoh tributum exegit, i. *ut ædificaretur.* Vel potiùs, *Hæc est ratio tributi quod indixit Chananæis Selomoh, nempe ut ædificaret*, &c. q. d. Hâc viâ consecutus est Selomoh pecuniam reliquam quam impendit in domum Domini. Versus iste pertinet ad v. 20. ¶ *Et Millo*, ואת המלוא] Locus erat in Jerusalem in quem populus Israel conveniebat cùm de rebus ad publicam utilitatem pertinentibus erat consultandum, à verbo מלא *implevit*, quòd locus populo repleretur. Locus erat sine tecto & ædificio.

16. *Pro muneribus*, שלוחים] Ad verb. *munera, dotes*, i. loco dotis ac muneris.

18. *In terra*, בארץ] i. Quod erat juxta Terram sanctam.

19. *Curruum*, הרכב] In quibus scilicet currus illi falcati servabantur tempore pacis. ¶ *Equitum*, הפרשים] i. In quibus alebantur equites præsidiarii tempore pacis. ¶ *Et desiderium Selomoh*, ואת חשק שלמה] i. Omnia ædificia quæ optaverat ædificare, &c. vel, ut uno verbo dicam, quicquid habebat in votis ædificare tam in Jerusalem quàm in saltu, &c.

21. *Occidere*, להחרימם] *Exterminare*, sive, *expellere sedibus*, &c. ¶ *Fecit*, &c. ויעלם וגו'] Ad verb. *Et ascendere fecit Selomoh in tributum servile*, i. tributarios

butarios reddidit, exigens ab eis partim operas, partim nummos.

22. *Non fecit*, לא נתן] Ad verb. *non dedit*, i. non posuit, aut constituit.

23. *Isti sunt principes*, &c. אלה שרי ונו'] i. Sequitur numerus Præfectorum quos præfecit operi Selomoh. ¶ *Qui praerant*, &c. הרודים בעם ונו'] i. Qui continebant turbam operarum in officio, in illis ædificiis exstruendis. Hebræi scribunt in constructione Templi fuisse Præfectorum operum tres ordines: infimum, qui constabat ter millenis & trecentis, suprà 5. 16. hic autem ordo qui erat numerosissimus, constabat proselytis: medium, qui capiebat trecentos etiam proselytos, & supremum, in quo numerabantur ducenti & quinquaginta, qui erant Israelitæ. Comprehendit ergò numerus hujus capitis medium & supremum ordinem: nam si trecentis addas 250, constitues 550. Ità conciliatur locus 2 Par. 8. 10. huic capiti. Etiam in Paralipomenis numerantur 550 Præfecti, nam 2 Par. 2. 18. recensentur tria millia & sexcenti Præfecti: de quo numero trecenti deducendi sunt qui pertinent ad medium ordinem. Numerus igitur Præfectorum operum fuit trium millium, trecentorum & quinquaginta.

24. *Ædificaverat*, בנה] Sub. *Selomoh*. ¶ *Ædificavit*, בנה] i. Cinxit muro.

25. *Singulis annis*, בשנה] Ad verb. *in anno*. ¶ *Super illud*, אתו] Sub. *altare aureum*. Relativum pro antecedente, & אתו pro עליו. Alii, *juxta illud*, h. e. non procul ab altari illo æneo. ¶ *Coram Jehova*, לפני יהוה] i. ante Oraculum in quo erat arca Domini. ¶ *Et perfecit domum*, ושלם את הבית] i. Quæcunque fieri debebant in æde Domini.

26. *Eloth*, אילות] Urbs est in littore maris Rubri in sinu Ellanitico, quæ Stephano dicitur Ἀΐλλανον, solutâ diphthongo. Secundùm Dionysium est in Arabia *Ælanon*.

27. *Misitque*, וישלח] Hiram misit non è Tyro Phœniciæ, quæ erat juxta Sidonem ad mare Syriacum sive Mediterraneum, sed ex insula quadam cui nomen *Tyrus*, ad mare Rubrum, quæ erat illi subdita, misit inquam, servos suos qui habitabant in insula illa. ¶ *Cum classe*, באני] *In illa classe*. ¶ *Gnaros maris*, יודעי הים] *Gnaros* viarum *maris*, sub. *Oceani*.

28. *In Ophir*. אופירה] Ophir est insula remotissima à sinu Elanitico (nam tertio demum anno revertebantur indè) quam quidam dicunt esse insulam illam in Oceano Occidentali quæ nunc vocatur *Hispania*, sive *Hispaniola*. Aut est alia quædam insula aurifera. ¶ *Et viginti*, ועשרים] Triginta talenta, quæ 2 Par. 8. 18. supersunt, dicunt fuisse insumpta in usus nauticos.

CLARIUS.

10. **A**nnis viginti] Septem annis ædificavit domum Domini, & 13 annis domum Regiam, qui simul juncti faciunt 20 annos.

13 *Chabul*] Sunt qui exponant *arenam*, quòd terra illa ob arenam sterilis fuerit. Alii exponunt *Chabul* pro *clausa*, dicentes terram illam *clausam* fuisse, h. e. non habitatam, propter abjectionem ejus.

15. *Mello*] Per *Mello* intelligitur ædificium civitatis Sion, quod David quidem inchoavit, sed Salomon absolvit. Alii dicunt quòd pro filia Pharaonis ibi exstruxerit domum.

DRUSIUS.

15. וְאֵת הַמִּלּוֹא. A. & Sym. *& adimpletionem*] Legitur hæc eadem vox & v. 24. &c. 11. 27. ubi Lxx τὴν ἄκραν. Potest fieri ut scripserint τὴν ἄκραν Μέλλω. Hieron. ubique *Mello*; etiam 1 Par. 11. 8. & 2 Par. 32. 5. Glossæ veteres, *Mello*, *Plenitudo*, *sive Adimpletio*.

16. פַּרְעֹה מֶלֶךְ מִצְרַיִם עָלָה וַיִּלְכֹּד אֶת גֶּזֶר וַיִּשְׂרְפָהּ בָּאֵשׁ וְאֶת הַכְּנַעֲנִי הַיֹּשֵׁב בָּעִיר הָרָג וַיִּתְּנָהּ שִׁלֻּחִים לְבִתּוֹ אֵשֶׁת שְׁלֹמֹה Φαραὼ βασιλεὺς Αἰγύπτου, καὶ κατελάβετο τὴν Γάζερ, καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν, καὶ τὸν Χαναναῖον τὸν κατοικοῦντα ἐν τῇ πόλει ἀπέκτεινε, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν ἀποστολὰς τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ γυναικὶ Σαλωμὼν, *Pharao rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, & incendit eam, & Chananaum habitantem in urbe occidit, deditque illam munus filia sua uxori Salomonis*] Munus. Hieron. *pro dote*. Ἀποστολὰς, ad verb. *missiones*. Optimè ità expressit numerum qui in fonte. Sed שלוחים caret singulari. Igitur ut חיים reddimus *vitam*, ità שלוחים *munus*, propriè *munus quod mittitur*, *missile*.

24. אֶת הַמִּלֹּא. Sym. & Theod. *adimpletionem*] Eusebius De locis, *Mello*, *civitas quam ædificavit Salomo*. Porrò Symmachus & Theodotio *Adimpletionem* transtulerunt. Vide Arcam Noe.

28. אַרְבַּע מֵאוֹת וְעֶשְׂרִים. τετρακόσια καὶ εἴκοσι *quadringenta & viginti*.

GROTIUS.

3. **E**T erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus] Nempe si hoc Templum piè colatur. Ità hic Chaldæus.

11. *Tunc dedit Solomon Hiram viginti oppida in terra Galilaa*] Oppida bello capta, qualia donari à Regibus solere multis exemplis ostendimus l. 1. De J. B ac P. c. 3. §. 12. & in Annotatis ad eum locum. Adde quod infrà 16.

13. *Terram Chabul*] Id Phœnicum linguâ significare *displicentem* docet Josephus. Arabibus خبل est *perturbare*. Reddita autem ab Hiromo Solomoni hæc oppida discimus 2 Par. 8. 2. Vide Jos. 9. 27.

16. *Dedit eam in dotem filia sua*] Sic apud Homerum Agamemnon oppida in dotem filiæ suæ daturum se pollicetur.

18. *Palmyram in terra solitudinis*] *Palmyrena solitudines* apud Plinium nominantur l. 5. c. 24. & 26. *Thadamoram* autem à Syris vocari quæ Græcis sit *Palmyra* etiam Josephus nos docet.

19. *Ut ædificaret in Jerusalem*] Quæ *clarissima urbium Orientis* Plinio; *urbs famosissima* Tacito.

21. *Fecit Solomon tributarios*] Servavit eos: nempe quia non repugnaverant, sed se Solomoni dediderant. Vide quæ ad Deut. 20. 10. & De J. B. ac P. l. 2. c. 13. §. 4. Jussit autem eos ἐπιτάσσειν αὐτῷ καὶ οἰκετικὰς χρείας ἐκτελεῖν, ut hîc Josephus.

22. *De filiis autem Israel non constituit Solomon servire quenquam*.] Operis vilibus eos non addixit.

23. *Super omnia opera Solomonis præpositi quingenti quinquaginta*] Nempe Israelitæ, sub quibus erant alii ἐργοδιῶκται, peregrini trecenti, ut colligimus ex 2 Par. 8. 10. & ibid. 2. 18. si conferas locum hujus libri 5. 16.

24. *Tunc ædificavit Mello*] Domum conjunctam mœnibus Hierosolymorum, in quam consilii causâ coibatur. Sic D. Kimchi.

26. *In Asiongaber*] Quæ *Berenice* dicta postea, Josepho teste. ¶ *Juxta Ailath in littore maris Rubri*] κόλπος Ἀΐλα apud Stephanum; *Ælaniticus sinus* Plinio; Urbs Ἀελὰν Straboni, sinus Ἐλανίτης. Philostorgius Ἀΐλα dicit antiqui nominis esse urbem in ea parte maris Rubri quæ ad Palæstinam accedit. Ἄιλα scribitur in Notitia Imperii; Ἀΐλας, apud Procopium Persicorum 1. ¶ *In terra Idumæa*] Hinc videmus ad mare Rubrum usque pertinuisse Idumæos fines. Et ex nomine *Edomi* in Græcum verso mare illud *Erythræum* dictum est, quod malè Latini *Rubrum* vertere, cùm *Erythram* Regis antiqui esse nomen rectè notent Strabo, Arrianus, Ctesias apud Photium, Solinus, Curtius, Stephanus. Cùm Idumæam omnem perdomuit David, etiam hoc oppidum maritimum ad eum devenit. At unde Tyrii navigarunt? A Tyro insula in sinu Arabico Tyriorum colonia, de qua videndus Strabo l. 16. & Stephanus. Nec aliter nomen hujus insulæ scribunt manuscripti libri Ptolemæi. Alii verò *Tylen* vocant, ut & Stephanus monuit, per tempora corruptâ pronunciatione, sed coloniam Tyriorum esse apertè dicit Strabo. Quidam hanc insulam in Persico ponunt sinu; Theophrastus in Arabico; Plinius modò in Persico,

Persico, modò in Arabico, nisi plures insulæ fuere ejusdem nominis.

28. *In Ophir*] Pro אופיר & Lxx & Josephus legerunt סופיר hîc & ubi in sequentibus idem nomen occurrit. Ubi verò dicemus hanc fuisse terram? an ad dextram egredientibus mare Rubrum, id est in Africa? an ad sinistram, id est in Asia? In Asiam, & quidem in partem Indiæ quæ *Aurea* dicitur, nos ducunt & Josephus & Hieronymus. Lusitanorum quibus ea ora maximè pernotuit eruditissimi aiunt in eam partem Indiæ quæ ultra Gangem est, & regnum *Pegusia* nunc dicitur, congruere omnes quas hîc & infrà 10. 11, & 22. habemus notas. Esse enim ibi Auri & Argenti magnam copiam, Gemmas optimas, Elephantos, Simias, Pavones, præterea ligna pulcherrima unde citharæ fiunt. Et fortè *sapphiri* nomen habent ab ea terra, & *Sambra* urbs apud Ptolemæum. Cogitemus tamen an fortè non in Indiam usque iverint naves Phœnissæ & Judaicæ, sed ad oppidum adsitum Arabico sinui, quà is ad Oceanum spectat, quod *Aphar* vocat Arrianus, Plinius *Saphar*, Ptolemæus *Sapphara*, Stephanus *Sapphirinam*; ut Indi nempe suas res huc tulerint, indè autem petierint longiùs ab India absiti. ¶ *Sumptum indè aurum quadringentorum viginti talentorum*] Auri depurati. nam massa fuerat 450 talentorum, 2 Par. 8. 18.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. *Ex nomine Domini*] Quidam hunc locum sic exponunt; *Audiens regina Seba Salomoni à Deo tantam datam sapientiam.* Alii sic; *Cùm audisset regina Seba sapientiam Salomonis non esse naturalem, qualis est sapientia Philosophorum, Magorum, & id genus hominum, venit ut sermonibus retrusis tentaret illum.* Et quando textus dicit illam *venisse cum exercitu gravi*, quidam interpretantur חיל pro *pompa fastuosa & regia*, alii pro *copia rerum*.

5. *Recubitum*] Heb. *sessionem*, vel *mansionem*, *servorum ejus*. Pro quo Jonathan habet אסחרותי, sicut nos vertimus.

11. *Ligna Almugim*] Incertum est qualia hæc fuerint ligna. Judæi æquè dissident inter se, sicut Latini interpretes. Nam quidam interpretantur *coralia*: alii *Bresilia*; sic enim vulgò vocantur ligna ex quibus puniceus trahitur color. Latini verò interpretes verterunt *ligna thyina*: alii *ligna Ebeni*; quæ tamen arbor tantùm in India nasci perhibetur, & resecta in lapidis vertitur duritiem.

14. *In anno uno*] h. e. מדי שנה בשנה *per singulos annos*, sicut & paulò pòst dicitur quòd *singulis annis* singulas has res attulerint.

16. *Ex auro ductili*] Capitur hîc שחוט pro נמשך *auro optimo*, quod ut cera diduci poteit. Cæterùm pro *peltis* alii vertunt *hastas*.

17. *Tres minæ*] Est מנה idem quod ליטרא *libra* de qua in præcedenti diximus capite. Porrò מופז exponitur pro טוב ומזוקק *bono & repurgato auro*.

19. *Fulcra*] Heb. ידות *manus*. Sunt autem *manus solii* latera solii quibus brachia innituntur.

22. *In Tharsis*] Jon. אפריקא *Africa*. ¶ *Dentes elephantinos*] Vocant Magistri Hebræorum post Chald. interpretem ebur שן הפיל.

26. *In civitatibus pro curribus ordinatis*] Heb. *in civitatibus curruum*. Dicitur enim suprà quòd proprias civitates ordinaverit pro curribus & equis præter illos currus & equos quos semper secum habuit Hierosolymis ministerio ejus quotidiano deputatos.

28. *Adductio equorum*] Locus iste obscurus est in Hebræo. Qui sequuntur Chald. interpretem hunc eliciunt sensum, *Duo magna commoda habuit Salomo ex Ægypto, videlicet Equos & Byssum.* Aiunt eum, מקוה hîc idem esse quòd חוט & תקוה. Nam mercatores Salomonis portaverunt res quasdam quæ Hierosolymis habentur in Ægyptum, & commutaverunt eas pro equis & filis; unde multum illi emolumentum accessit. Alii verò hunc aiunt haberi sub his verbis sensum, nempe quòd Rex Ægypti omne lucrum quod ex equis colligi potuit dederit Salomoni, & Salomo vendiderit illud pro certo pretio singulis annis mercatoribus: quibus quoque tradidit מקוה i. קבוץ *collectionem*, quarumcunque rerum, quas illi vendiderunt in Ægypto. Et sic factum est ut Reges Hitthæorum & Syriæ non potuerint educere equos de Ægypto nisi per manus memoratorum negotiatorum, unde Salomoni plurimum accessit commodi.

VATABLUS.

1. *Seba*, שבא] Urbs est maxima in Arabia Felici, quæ dedit & regioni nomen: sitáque est non procul à mari Rubro. ¶ *Audiens*, שומעת] Sub. *erat*, i. audiebat, h. e. *cùm frequenter audisset famam* eorum quæ *Selomoh* faciebat *in nomine Jehovæ, non in nomine idolorum*. ¶ *Ut tentaret*, &c. לנסיתו בחידות] *Ut probaret eum in ænigmatibus*, i. ut periculum faceret sapientiæ ejus, propositis illi quæstionibus multis. Chald. *in parabolis*. Doctus inter Hebræos exponit acsi diceret *in verbis occultis in sapientia*.

2. *Cum exercitu gravi*, בחיל כבד] *Cum multo comitatu*. ¶ *Quæcunque habebat in animo suo*, את כל אשר היה עם לבבה] Ad verb. *omne quod fuit cum corde suo*.

3. *Indicavit autem ei*, &c. ויגד לה וגו'] i. Solvit illi omnes quæstiones atque ænigmata quæ proposuerat: nihil enim latuit Regem.

4. *Et vidit*, ותרא] i. Consideravítque diligenter.

5. *Et sessionem*, ומושב] *Et accubitum*, vel *sedes*, i. ordinem convivarum, quo ordine sederent. ¶ *Et statum*, ומעמד] i. Quo ordine, gestu & habitu astarent Regi. ¶ *Et pincernas ejus*, ומשקיו] Chald. *pocula ejus*, *vasa ejus potoria*. Gallicè, *son buffet*. ¶ *Et holocaustum ejus quod offerebat*, ועולתו אשר יעלה] *Et ascensum ejus per quem ascendebat in*, &c. ¶ *Et non erat in ea*, &c. ולא היה בה וגו'] i. Præ stupore fuit penè destituta animo, præ admiratione mansit attonita, passa est ecstasin, sive excessum mentis.

6. *Verum erat verbum*, &c. אמת היה הדבר] *Verus erat sermo ille quem audiveram de rebus tuis*, &c. i. qui ferebatur, *cùm adhuc essem in patria mea*.

7. *Et non*, ולא] *Non tamen*. ¶ *Ecce autem*, &c. והנה וגו'] *Et ecce non fuit renunciata mihi media pars*. ¶ *Addidisti sapientiam*, &c. הוספת חכמה] Hebraismus, Sapientia tua & bonitas superant rumorem quem audiveram.

8. *Qui stant coram te*, העומדים לפניך] *Qui astant tibi*, i. qui tecum habitant.

9. *Qui complacuit sibi in te*, אשר חפץ בך] *Cui complacitum est in te*, i. qui te tanto amore prosecutus est.

10. *Non venerunt talia*, &c. לא בא כבשום וגו'] *Non venit tanta copia aromatum postea* [sub. *in Judæam*] *quanta dedit*, &c.

11. *Coralia*, עצי אלמגים] *Ligna almugim*, dicuntur 2 Par. 9. 10. *algummim*. *Quidam*, inquit doctus inter Hebræos, *vocant Coralia*; *alii verò quæ vocant* Brezil.

12. *Fulcra*, מסעד] Sing. Heb. pro plur. *sustentacula*, significat sustentacula illa quæ solent esse ex utraque parte ascensûs cujuspiam. ¶ *Et lyras*, ונבלים] *Et nabla*. ¶ *Talia coralia*, כן עצי אלמגים] Ad verb. *sic ligna almugim*, i. tanta copia coraliorum, sive lignorum quæ vocant *brezil*.

13. *Omnem voluntatem suam quam petivit*, את כל חפצה אשר שאלה] i. Quicquid habuit in votis petere. ¶ *Manu regia*, כיד המלך] *Pro liberalitate* [vel *magnificentia*] *Regia*. Ad verb. *secundùm*, [vel, *juxta*] *manum Regis*. Chald. *secundùm divitias manûs Regis*.

Significat

Significat munera amplissima data fuisse Reginæ.

15. *Præter viros mercatores*, &c. לבד מאנשי התרים] i. Præter id quod obveniebat illi à mercatoribus, minoribus scilicet, h. e. minoris notæ, à תור *Scrutari*, quòd soleant omnia diligenter considerare: *& negotiatione aromatariorum*, qui è remotissimis regionibus afferebant pretiosissima aromata, *& ab omnibus regulis' Arabiæ Felicis, & ducibus patriæ suæ*. Vel, *ejus regionis*, Arabiæ scilicet.

16. *Scuta*, צנה] Sing. Heb. pro plur. Sunt scuta majora quibus ferè tegimus totum corpus. Gallicè, *targes*. ¶ *Tracto*, שחוט] *Ductili*, i. optimo & sequaci. ¶ *Insumpsit*, &c. יעלה וגו'] Ad verb. *Ascendere fecit super scutum unum*.

17. *Clypeos*, מגנים] Scuta erant breviora, quasi lunata. ¶ *Tres minas auri*, שלשת מנים זהב] i. Libras. *Mina* aliquando pro centum aureis accipitur, ut ait doctus inter Hebræos.

18. *Obryzo*, מופז] *Purgato*, vel, *purissimo*.

19. *Sex gradus erant Solio*, שש מעלות לכסה] i. Sex gradibus ascendebatur ad solium. ¶ *A parte ejus posteriore*, מאחריו] *A tergo*. Gallicè, *au dossier*. ¶ *Et fulcra*, וידות] Ad verb. *& manus*. Significat fulcra quibus innitebantur brachia in utroque latere sedis. ¶ *Ad fulcra ipsa*, אצל הידות] i. Ad sedem ipsam: in extrema parte scilicet.

21. *Non erat argentum*, אין כסף] Sub. *in eis*. i. nulla ex illis vasis erant argentea. ¶ *Non reputabatur*, לא נחשב] *Pro nihilo habebatur, in nullo pretio erat*, sub. argentum.

22. *Tharsis*, תרשיש] Insula est hoc loco in Oceano ad Occidentem. Chald. *classis Africa*, i. Rex habebat classem quæ per ipsum Oceanum ibat in Tharsis cum classe Hiram.

23. *Et magnificatus est*, ויגדל] i. Superavit omnes Reges opibus.

24. *Omnésque habitatores terra*, וכל הארץ] Ad verb. *Et tota terra*, i. homines universæ regionis propinquæ & Orientalis.

25. *Et arma*, ונשק] Sub. *bellica*. ¶ *Idque per singulos annos*, דבר שנה בשנה] Ad verb. *rem anni in anno*, q. d. suo quæque anno.

26. *Quos collocavit*, &c. וינחם בערי] *Quos deduxit* [vel, *deduci curavit*] *in urbes destinatas curribus*. ¶ *Et cum Rege*, ועם המלך] i. Partim apud se.

27. *Et posuit*, &c. ויתן וגו'] Ad verb. *Et dedit*, i effecit, *ut tanta esset copia argenti quanta lapidum; tanta quoque copia cedrorum quanta & sycomororum*.

28. *Et egressus*, &c. ומוצא וגו'] i. Salomon curabat duci sibi optimos quosque equos ex Ægypto. Vel, *Ab Ægypto adducebantur equi Salomoni*, vel *ad Salomonem*. ¶ *Nam congregatio mercatorum*, ומקוה סוחרי] *Et turma* [*societas*] *negotiatorum*, i. mercatores capere solebant ex Ægypto magnam copiam equorum dato pretio. Hic ו pro *Nam*, nisi vertas, ut quidam, *Et turma mercatorum Regis capiebant filum pretio*, i. telam byssinam, sive vestes byssinas, quæ eo tempore erant in magno pretio, advectæ ex Ægypto. Mercatores missi à Rege afferebant telam byssinam pretio quodam certo, de quo convenerat inter emptorem & venditorem. Permittebat Pharao Salomoni ut mitteret mercatores suos in Ægyptum qui equos abducerent & telas byssinas, quæ erant in maximo pretio eo tempore. Gallicè, *Il luy bailloit traicte de chevaux, & de fines toiles de lin*.

29. *Quadriga*, מרכבה] *Currus*, i. hâc ratione, operâ illorum mercatorum, *ascendebant*, *educebantur* (nam Ægyptus depressior erat Terrâ sanctâ) *currus & equi ex Ægypto: currus* quidem pretio *sexcentorum argenteorum* educebatur, *equus verò* dato pretio *centum quinquaginta* argenteorum, i. singuli equi. *Per manum*, inquam, *istorum*, atque eorum operâ, quibus solis licebat educere, *cæteri Reges* habebant currus & equos ex Ægypto.

CASTALIO.

11. *Picea lignorum*] Secutus sum Græcum, qui ξύλα πεύκινα, & Josephum, qui πεύκινα vertit, tradítque veram esse, non vulgari similem, sed ficulnæ, quanquam albiorem & splendidiorem. Eadem 2 Par. 2. 8. vocatur *Algumim*, nonnihil immutato vocabulo: nam hic *Almugim* dicitur.

CLARIUS.

1. *In nomine Domini*] Quidam hunc locum sic exponunt, *Audiens regina Saba Salomoni à Deo tantam datam sapientiam*. Alii sic, *Cùm audisset regina Saba sapientiam Salomonis non esse naturalem, qualis est sapientia Philosophorum, Magorum, & id genus hominum, venit ut sermonibus retrusis tentaret illum*.

19. *Et manus hinc atque inde*] *Manus*, vel, ut alius vertit, *fulcra throni*, sunt latera ejus quibus brachia innituntur.

21. *Non erat argentum*] Mysticè, *non erat argentum in pretio in diebus Salomonis*: non enim est Regnum Dei in sermone, sed in virtute.

26. *Per civitates curruum*] Dicitur enim suprà quòd proprias civitates ordinaverit pro curribus & equis, præter illos currus & equos quos semper secum habuit Hierosolymis ministerio ejus quotidiano deputatos.

28. *Collectionem rerum*] Locus iste obscurus est in Hebræo. Qui sequuntur Chald. interpretem hunc eliciunt sensum, *Duo magna commoda habuit Salomon ex Ægypto, videlicet Equos & byssum*: nam mercatores Salomonis portaverunt res quasdam quæ Hierosolymis habentur in Ægyptum, & commutaverunt eas pro equis & filis; unde multum illi emolumentum accessit. Alii verò hunc aiunt haberi sub his verbis sensum, nempe quòd Rex Ægypti omne lucrum quod ex equis colligi potuit dederit Salomoni & Salomon vendiderit illud pro certo pretio singulis annis mercatoribus; quibus quoque tradidit collectionem quarumcunque rerum, quas illi vendiderunt in Ægypto. Et sic factum est ut Reges Hethæorum & Syriæ non potuerint educere equos de Ægypto nisi per manus memoratorum negotiatorum, unde Salomoni plurimum accessit commodi.

GROTIUS.

1. *Regina Saba*] Meroes, ut videtur, in qua multis seculis feminæ imperarunt, assumpto *Candaces* nomine, ut Strabo nos docet l. 16, & 17. Plinius autem l. 6. c. 29. Sub hujus Regno erant & Sabritæ, teste Strabone; quod nomen à *Saba* non longè abit. *In nomine Domini*] Lxx hic ל pro copula sumpsere, ut sensus sit, Auditâ famâ Solomonis & Dei quem is colebat. ¶ *Venit tentare eum in ænigmatibus*] Ludus Regum eo tempore. Vide Judic. 14. 12. Hanc feminam Abyssini falsò sibi vendicant, in famam quoque ejus injuriosi, cùm venisse eam dicunt ad Solomonem eo animo quo Thalestris ad Alexandrum.

8. *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*] Plutarchus Numâ, Μία κακῶν παῦλα καὶ λύσις ἀνθρώποις ἐστὶν ἐκ τινος τύχης θείας εἰς ταυτὸ διανοίᾳ φιλοσόφῳ βασιλικὴν συμπεσοῦσαν δύναμιν ἐγκρατῆ καὶ ὑπερδέξιον τῆς κακίας τὴν ἀρετὴν καταστῆσαι· μακάριος μὲν γὰρ αὐτὸς ὁ σώφρων ὡς ἀληθῶς, μακάριοι δὲ οἱ συνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος τούτων λόγων.

9. *Constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam*] Regum est & jus sanctè dicere & prodesse quamplurimis. De illo Hesiodus,

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελοῦσι.

De hoc Homerus.

Ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων
Εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθάς· βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ·

Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα· θάλασσα δὲ παῤῥέχῃ ἰχθῦς
Ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

14. *Sexcentorum sexaginta sex talentorum auri*] i. Tantum valebant ei tributa.

15. *Viri qui super vectigalia erant*] Publicani: *scrutatores* Hebræis. ¶ *Et negotiatores, universique scruta vendentes*] In Hebræo, *negotiationem aromatariorum*, i. lucrum ex seplasia. ¶ *Et omnes reges Arabiæ, ducésque terræ*] Solent enim minutiores Principes à magnis regibus aut pacem aut sui tutelam annuâ quadam pensitatione redimere. Vide l. 1. De J. B. ac P. c. 3. §. 22.

19. *Et duo leones stabant juxta manus singulas: & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde*] Et hoc contra Legem: cujus religiosâ observatione cùm semel exsolvere se cœpisset, Solomon paulatim in pejora prolapsus est.

21. *Non erat argentum*] In illis potoriis escariísque vasis. ¶ *Nec alicujus pretii putabatur in diebus Solomonis*] Argentum evilulerat ob tantam auri copiam.

22. *Quia classis regis*] Heb. *navis Tharsisch*: id autem est *navis Oceanica*; nam Oceanum sic vocant Hebræi ab urbe antiquissima *Tartesso* ad Oceanum frequentata jam olim Phœnicum commercio, qui eandem, ut quidam volunt urbem, ut alii vicinam, *Gadir* dixere, i. *sepem*, ut Plinius, *locum undique septum*, ut Avienus interpretatur גדר. ¶ *Per tres annos*] Meliùs alii *tertio quoque anno*. Lxx μία διὰ τριῶν ἐτῶν. Satìs id visum, cùm sic quoque satìs magna afferretur rerum omnium copia. ¶ *Et simias*] In Hebræo קופים, simiæ genus, quod eâdem voce κῆπος vocant Agatharchides & Diodorus Siculus. At Straboni si credimus, κῆποι non Simiæ fuerint, sed feræ *Leoni similes aspectu, corpore Pantheræ, Damæ magnitudine*. Ità enim ille l. 16. qui tamen l. 17 aliam nobis dat κήπου formam, *faciem Satyri*, (ea à Simia non longè abit) *cætera inter Canem & Ursum*, ità ut nomen videatur fuisse generale monstrosorum animantium.

26. *Congregavítque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille & quadringenti currus, & duodecim millia equitum*] Ecce alia prætergressio legis Deut. 17. 16. Nimiâ prudentiæ suæ fiduciâ putabat se illis cautionibus Legis non egere: ità in illas primùm, deinde in præcipua Legis impegit.

28. *Et de Coa*] Fila talia qualia erant Coa Græcis & Latinis notissima. Sed מקוה aut, ut in Paralipomenis legitur, מקוא alii interpretantur id quod Persæ *Caravannam* vocant, & hæc omnia ad equos referunt. ¶ *Statuto pretio perducebant*] i. Equi ex Ægypto venientes, cùm transirent per Judæam in Syriam aut ad Hethæos, vectigal pro transitu magnum pendebant Solomoni; sicut pro turis transitu dabatur vectigal, ut notavimus De J. B. ac P. l. 2. c. 2. §. 14.

29. *Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venumdabant*] Imò *per eos educebant*, ut in Hebræo est. Sensum bene expresserunt Lxx, καὶ οὕτως πᾶσι τοῖς βασιλεῦσι Χεττιὶν καὶ βασιλεῦσι Συρίας κατὰ θάλασσαν ἐξεπορεύοντο· nempe illi mercatores qui pro transitu Solomoni vectigal pendebant.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

1. *Mulieres alienigenas*] Fecit Salomo duo mala, 1 quòd contra Legem multiplicavit sibi uxores, 2 quòd infideles duxit uxores, de quibus Lex dicit; *Non facies affinitatem cum eis*, &c.

2. *Non venietis ad eos*] Potissimùm intelligendum est de septem gentibus quarum terra filiis Israel debebatur. Poterant quidem ducere Moabitidas, Ædomæas, &c. sed non nisi conversas ad Judaismum.

3. *Uxores regias*] Heb. *Uxores principes*, pro quo Jon. מלכן, sicut & nos vertimus.

6. *Non perfectè secutus est*] Heb. *non implevit post Dominum*; h. e. non implevit voluntatem Domini, ut illum sequeretur.

13. *Tribum unam*] Connumeratur tribui Jehuda tribus Benjamin, quòd sors ejus esset ferè in sorte Jehuda, unde & semper mansit sub regno Jehuda, aliis decem tribubus Regi Israel parentibus.

17. *Fugit Adad*] Hic Adad, qui & *Hadad*, in pueritia fugiens in Ægyptum, tanto odio flagravit contra filios Israel ut desertâ aulâ regiâ repeteret terram suam quò sese ulcisci posset de posteris David. Atque is primus fuit adversarius Salomonis. Alter fuit Rezon, qui fugit à domino suo Hadadæzer, cùm David illum percuteret: Audiénsque Hadad ex Ægypto reversum in terram suam ut impugnaret Israelitas, abiit & ipse in Damascum: & illic prosperos habens successus, obtinuit ipse & viri ejus, qui illum comitati fuerant, principatum; & tandem prævalens, solus obtinuit Regnum super totam Syriam; & cœpit infestus esse filiis Israel.

28. *Super universum tributum domûs Joseph*] h. e. ut levaret tributum à Menasse atque Ephraim, fecit eum Rex Præfectum, præsertim cùm videret eum strenuum esse in exsecutione commissi negotii. Nec rebellis fuit Regi donec illi à Propheta Regnum fuit promissum, tunc enim elevatus unde humiliari debuerat *levavit manum contra regem*. Porrò causa rebellionis fuit *exstructio Millo*; quæ cùm displicuisset populo, & nemo auderet quicquam dicere Regi præter unum filium Nebat, *quæsivit eum Rex interficere*. Adjicit quoque textus aliam causam, nempe quòd *obstruxerit interruptionem civitatis David*, per quam populus ascendit in templum Domini, filiæ Pharaonis, cui ibi exstruxit domum, magis quàm Deo placere studens: Pro qua re cùm Jarobeam illum redarguisset in publico, ut Hebræi putant, gratiam illius perdidit.

41. *Reliqua autem verba*] h. e. Alia facta & dicta ejus scripta sunt in libro proprio, sed qui non exstat, sicut multi alii libri qui passim citantur in Scriptura.

VATABLUS.

1. *Et filiam Paroh*, ואת בת פרעה] *Maximè* [*præsertim*] *filiam Paroh*, quòd ea præcipuas partes teneret in avertendo eo à vero Dei cultu.

2. *Quas dixerat*, אשר אמר] *De quibus* Gentibus *dixerat*, i. præceperat. ¶ *Non ingrediemini ad eas*, לא תבואו בהם] Chald. *non miscebitis vos cum illis*, &c. *& ipsi non miscebunt se vobiscum*. ¶ *Inclinare facient cor vestrum post*, &c. יטו את לבבכם אחרי אלהיהם] *Inclinabunt cor vestrum post deos suos*, i. ut sequamini deos suos, h. e. reddent animum vestrum propensum ad cultum deorum suorum. ¶ *Amore*, לאהבה] Ad verb. *amando*, i. miscuit se illis ità ut eas diligeret.

3. *Uxores reginæ septingentæ*, נשים שרות שבע מאות] Salomon primùm peccavit quòd duxisset uxores alienigenas; deinde, quòd effrænem numerum uxorum duxisset; postremò, quòd illas ità amaverit ut siverit ab illis construi aras in honorem Deorum suorum. Legitur 2 Sam. 3. Davidem habuisse sex uxores. Regibus Israel licuit ducere uxores usque ad septenarium, Hebræorum sententiâ, sed effrænem & immodicum uxorum numerum habere non licuit. ¶ *Et declinare fecerunt*, ויטו] *Et averterunt*, sub. *à Deo*, sive *à vero Dei cultu*.

4. *Tempore senectutis*, לעת זקנת] i. Cùm senuisset. ¶ *Inclinaverunt*, הטו] *Flexerunt*, i. averterunt, *mentem ejus ut sequeretur deos alienos*, h. e. effecerunt ut esset animo propensiore & æquiore in deos alienos. ¶ *Perfectum*, שלם] *Integrum*, i. non coluit prorsus ex animo Dominum.

5. *Ipse*, שלמה] Ad verb. *Selomoh*. Antecedens pro relativo. ¶ *Milchom*, מלכם] V. 7. dicitur *Molech*. Vide Levit. 18. 21. ¶ *Abominationem*, שקוץ] Deum, sive idolum vocaverat, quod nunc *abominationem*: quòd idola Gentium abominetur Dominus.

6. *Malum*, הרע] Nempe istud, colendi idola. ¶ *Et non*

non adimplevit, &c. 'ולא מלא וגו] i. Non implevit præceptum Domini, sequendo ipsum, h. e. non permansit in vero illius cultu.

7. *Excelsum*, במה] Quidam interpretantur *altare*. Vide Num. 22. 41.

9. *Declinasset*, נטה] *Aversum esset*. ¶ *Qui apparuerat ei*, הנראה אליו] *Qui præbuerat se visendum ei*.

11. *Hoc*, זאת] Nempe peccatum: quia peccatum istud inventum est apud te. ¶ *Scindendo scindam*, קרוע אקרע] *Omnino abrumpam*, vel, *avellam*.

13. *Tribum unam*, שבט אחד] Tribus Juda & tribus Benjamin reputabantur pro una tribu, quòd tribus Benjamin permista esset tribui Juda.

15. *Ad sepeliendum interfectos*, לקבר את החללים] i. Ut curaret sepeliendos Idumæos interfectos.

18. *Qui surgentes de Midian*, ויקומו ממדין] i. Qui discedentes de Midian, quò scilicet concesserant ab Ædom. ¶ *Viros*, אנשים] Ut scilicet cum magna dignitate intrarent in Ægyptum, & illi testarentur eum esse de genere Regio. ¶ *Et cibum*, &c. 'ולחם וגו] Ad verb. *& panem dixit ei*. Hebraismus, pro, *escam imperavit dari illi*, i. victum constituit illi. ¶ *Terram quoque dedit ei*, וארץ נתן לו] i. Præfecit eum regioni cuidam.

19. *Invenit ergò Hadad gratiam*, &c. 'וימצא וגו] Hebraismus, fuit gratus maximè Pharaoni. ¶ *Principis*, הגבירה] i. Reginæ. Hæc omnia dicit ut ostendat eum maximo odio prosecutum fuisse Israelitas.

20. *Ablactavitque eum*, ותגמלהו] i. Ablactatum eum, & ab ubere depulsum educavit. ¶ *In medio domûs Paroh*, בתוך בית פרעה] i. In ipsa regia.

22. *Quo enim indiges*, כי מה אתה חסר] Ad verb. *Quia quo indiges*. Aut redundat כי, aut subaudiendum erit aliquid, q. d. *Id non permittam: quo enim indiges*, &c. ¶ *Ut quæras ire*, &c. 'מבקש ללכת וגו] i. Quòd nunc optas reverti in patriam tuam? ¶ *Non*, לא] *Nequaquam*, sub. *aquiescam verbis tuis*, vel, *nequaquam remanebo hîc*.

23. *Illi*, לו] Nempe Salomoni, suscitavit illi alterum inimicum. ¶ *Fugerat ab Hadadezer*, ברח מאת הדדעזר] i. Qui reliquerat herum suum in conflictu, cùm videret jam inclinatam esse aciem & penè fusam, viderétque victoriam jam ferè esse apud Davidem.

24. *Eos*, אותם] i. Milites Hadadezer, h. e. cùm potitus esset victoriâ contra Hadadezer & milites ejus. ¶ *Abierúntque Dammesec*, וילכו דמשק] *Et iverunt in Damasec*, i. invaserunt Dammesec, & expugnarunt eam: erat enim præcipua urbs Syriæ. Hoc autem factum fuit longo pòst tempore, nempe sub senium Salomonis.

25. *Et cum malo quod* fecit *Hadad*, ואת הרעה אשר הדד] Subaudienda multa, sic, & conjunctum est malum ejus *cum malo quod* fecit Israeli *Hadad*, i. afflictio ejus adjuncta fuit afflictioni quam fecit Hadad, h. e. ipse quoque afflixit Israelem unà cum Hadad. ¶ *Et detestatus est Israelem*, ויקץ בישראל] *Et abhorruit ab Israele*, i. exercuit semper contra eos inimicitias. Quidam vertunt, *contemptui habuit Israelem*.

26. *Servus ipsi Selomoh, levavit*, &c. עבד לשלמה 'וירם וגו] i. Cùm esset servus Salomonis, fuit rebellis adversùs eum.

27. *Et hæc* est *res*, &c. 'וזה הדבר וגו] *Et hic est sermo quo*, &c. Ità oblocutus est Salomoni. Alii, *Hæc autem est causa rebellionis ejus contra Salomonem*. ¶ *Selomoh*, שלמה] Verba sunt Jeroboam rebellantis contra Salomonem. Nomine autem Regis proprio utitur per contemptum. ¶ *Millo*, את המלוא] i. Locum publicum & necessarium civibus Hierosolymitanis atque Israelitis. ¶ *Diruptionem*, את פרץ] *Rupturam*, i. aperturam. Gallicè, *La breche*, *quam*, inquit Doctus inter Hebræos, *fecerat David in muro Sion, ut si rebellaret Israel contra eum, ingrederetur & fugeret illis ignorantibus*, q. d. Justè scilicet putat se prudentiorem patre suo, qui contra libertatem publicam ædificavit domos aliquot familiæ filiæ Pharaonis in platea Mello, in qua figebat tentoria populus quando conveniebat: & posticum obturavit quo poterat elabi insurgente populo. *Posticum* vocat quod Gallicè dicimus *la posterne*. Hoc pacto volebat odium populi concitare in Salomonem.

28. *Potens robore*, גבור חיל] i. Fortis & magnanimus, & virtute singulari. Hoc est, valebat viribus tam animi quàm corporis. ¶ *Et videns Selomoh*, &c. 'וירא שלמה וגו] i. Quem cùm vidisset, sive considerasset, juvenem operosum & laboriosum ac in rebus agendis diligentissimum, præfecerat tributo, sive vectigalibus exigendis, quæ exigebantur à tribu Ephraim & Manasse.

30. *Quæ* erat *super se*, אשר עליו] *Quâ tectus erat*. ¶ *Scissiones*, קרעים] *Fragmenta*, *frusta*, *divisiones*, sive *rupturas*, i. partes. Sic v. 31.

31. *Scindo*, קורע] Præs. Hebr. pro fut. *rumpam*, i. abrumpendo detraham, sive detracturus sum.

32. *Una*, האחד] *Unica*. Tribus Juda & tribus Benjamin pro una reputabantur, quòd essent permistæ, ut dictum est v. 31. ¶ *Ei*, לו] i. Proli ac nepotibus ejus.

33. *Quod rectum est in oculis meis*, הישר בעיני] i. Quæ placita sunt mihi. ¶ *Et decreta mea*, וחוקותי] *Et statuta mea & ceremonias meas*.

34. *Non tamen tollam quicquam*, &c. ולא אקח את כל הממלכה מידו] q. d. Sinam eum regnare quamdiu vixerit. ¶ *Quia custodivit*, אשר שמר] *Quíque custodivit*.

36. *Ut sit lucerna Davidi*, למען היות ניר לדויד] *Lucerna* pro *regno*, ut exponit Chaldæus paraph. i. ut semper habeat aliquem ex nepotibus suis qui regnet in Jerusalem, me conspiciente. ¶ *Ut ponerem nomen meum ibi*, לשום שמי שם] Hebraismus, Quæ diceretur mea, & in qua invocaretur nomen meum.

38. *Et ædificabo tibi domum firmam*, ובניתי לך בית נאמן] i. Familiam superstitem quæ longo tempore permaneat, h. e. nepotes qui sufficientur in locum tuum, succedéntque tibi in Regno.

39. *Et affligam*, &c. 'ואענה וגו] i. Nepotes Davidis affligam, non restituendo illis Regnum, propter idololatriam quam tulit & cui favit Salomon: veruntamen non semper affligam illos; nam tandem restituam illis Regnum, tempore scilicet Messiæ: quod adimpletum fuit in Christo Jesu Domino nostro, qui *sedit super solium Davidis patris ejus*, Luc. 1. 31.

40. *Quæsivit autem*, ויבקש] i. Conatus est, & dedit operam. ¶ *Propterea surgens Jeroboam fugit*, ויקם ירבעם ויברח] i. Propterea mox confugit Jeroboam ad, &c.

41. *Acta*, דברי] *Gesta*. Ad verb. *sermones*, sive, *verba*. ¶ *In libro actorum*, על ספר דברי] i. In libro scripto de gestis ejus, h. e. in historia ejus.

43. *Dormivitque Selomoh*, &c. וישכב שלמה] i. Mortuus est sicut & majores sui.

CASTALIO.

5. M*Elcomum Ammonitarum nefas*] Idem mox *Molochus* appellatur.

36. *Lucernam*] Posteritatem.

CLARIUS.

3. U*Xores regiæ*] Heb. *uxores principes*. Et quod ait *septingentæ*, & pòst *trecentæ*, sunt qui putent positum numerum finitum pro indefinito.

13. *Tribum unam*] Connumeratur tribui Juda tribus Benjamin, quòd sors ejus esset ferè in sorte Juda: unde & semper mansit sub Regno Juda, aliis decem tribubus Regi Israel parentibus.

17. *Adad*] Hic Adad in pueritia fugiens in Ægyptum tanto odio flagravit contra filios Israel ut desertâ aulâ regiâ repeteret terram suam quò sese ulcisci posset de posteris David, atque is primus fuit adversarius Salomonis. Alter fuit Rason, qui fugit à domino suo Hadadezer, cùm David

illum percuteret. Audiénſque Adad ex Ægypto reverſum in terram ſuam ut impugnaret Iſraelitas, abiit & ipſe in Damaſcum, & illic proſperos habens ſucceſſus, obtinuit ipſe & viri ejus, qui illum comitati fuerant, principatum; & tandem prævalens, ſolus obtinuit Regnum ſuper totam Syriam; & cœpit infeſtus eſſe filiis Iſrael. Hæc autem pacis interruptio ideo contigit ſub Salomone, nè promiſſiones perpetuæ pacis in Regno Chriſti filii David tunc completæ putarentur, de quibus in Pſalmo, *Deus, judicium tuum Regi da*, &c.

27. *Quia Salomon ædificavit Mello*] Quæ ædificatio cùm diſplicuiſſet populo & nemo auderet quicquam dicere Regi præter unum filium Nabat, *quæſivit eum Rex interficere*. Adjicit quoque textus aliam cauſam, nempe quòd *obſtruxerit interruptionem civitatis David*, per quam populus aſcendit in templum Domini; filiæ Pharaonis, cui ibi exſtruxit domum, magìs quàm Deo placere ſtudens: Pro qua re cùm Jeroboam illum publicè redarguiſſet, ut Hebræi putant, gratiam illius perdidit.

41. *Reliquum autem verborum*] h. e. Alia facta & dicta ejus ſcripta ſunt in libro proprio; ſed qui non exſtat.

DRUSIUS.

23. אֲשֶׁר בָּרַח מִפְּנֵי. Alius, ὃς ἔφυγεν ἀπὸ *qui fugerat ab*] Vide ſis ed. Rom. ברח βάρα, מאת μεθ, ex eo fecerunt nonnulli τὸ βαραμὲθ, ac pro nomine proprio acceperunt, nimis inſcitè imperitéque.

GROTIUS.

1. **A**Damavit mulieres alienigenas multas] Duplex crimen; primùm quòd *multas*, ingenti numero, barbarico more, contra interdictum Deut. 17. 17. deinde quòd *Sidonias*, i. Cananæas, & *Hethæas*, contra interdictum Deut. 7. 3. Hic fons maximorum malorum fuit Salomonis poſteris populóque Hebræo, ſapienter prævìſus Moſi.

Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri
Spes Solymûm: fractæ vires, averſa Dei mens.

2. *Super quibus dixit Dominus*] Hoc refer ad *Sidonias*, ut dixi, & *Hethæas*: apparet id in ipſa lege. Cæteræ feminæ obiter nominantur ut intelligatur unde iſtam multitudinem feminarum ſibi Solomon comparaverit, & quàm variarum formarum fuerit appetens, verè φιλογύνης, ut hìc habent LXX: quanquam & ex aliis gentibus feminas ducere non licuit, niſi Legi ſubjectas, Neh. 13. 23. ex 7 autem populis nè tales quidem, nè latens malum erumperet.

3. *Quaſi reginæ ſeptingentæ*] i. Matronæ. Auxit numerum & harum & concubinarum poſt ſcriptum Canticum, ubi vide cap. 6. 8.

4. *Cùmque jam eſſet ſenex*] Poterat ei dici,

Cœpiſti meliùs quàm deſinis: ultima primis
Diſtant.

Et quod apud Tacitum, *Initia pleriſque meliora, ſed finis inclinat*; & mu'ti diuturnitate in ſuperbiam mutant. ¶ *Ut ſequeretur deos alienos*] Primùm in occulto permiſit feminis illis uti avitis ritibus, deinde exemplo earum & ipſe corruptus palàm idem fecit.

5. *Moloch*] Saturnum, ut alibi diximus.

9. *Qui apparuerat ei ſecundò*] Gravior culpa ob tantum Dei favorem. Vide ſuprà 3. 5. & 9. 2.

11. *Dixit itaque Dominus Solomoni*] Per Ahiam Silonitam: non enim ultrà ei apparuit. Vide infrà 29. ¶ *Scindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo*] *Illud*, i. majorem partem; *ſervo*, i. ſubdito.

13. *Tribum unam dabo filio tuo*] Judæ ſcilicet. Nam Benjaminis tribus non integra fuit Roboami.

14. *Adad*] Is *Ader* & Joſepho & LXX.

27. *Et hæc eſt cauſa*] Initium potiùs. Cùm Salomon undique Urbem mœnibus clauſit, omnia quæ ſub Davide hiaverant obſtruens, tributum ad id opus indixit populo: ei tributo impoſuit Jeroboamum. Non rarò malum Regibus ab iis qui pecunias Regias tractant. Talis fuit Philetærus, unde orti Reges Attalici, memorante Strabone, lib. 13.

30. *Apprehendénſque Ahias pallium ſuum novum, quo opertus erat, ſcidit in duodecim partes*] Virgilius Æn. 8.

Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla.

31. *Dabo tibi decem tribus*] Non permittam tantùm, ſed & jus in te conferam. Apparet id infrà 37. & 12. 24. & 14. 8.

32. *Porrò una tribus remanebit ei*] Judæ integra, cum parte Benjaminis. Vide infrà 12. 21. Similis locutio, 2 Reg. 17. 18.

39. *Affligam ſemen David ſuper hoc, veruntamen non cunctis diebus*] Videtur referendum hoc ad Meſſiam, qui Rex futurus erat omnium tribuum Iſraeliticarum & Gentium.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. **I**N *Sichem*] Iſraelitæ in hunc locum convenerunt cùm Regem eligere vellent, quò faciliùs occaſionem invenirent contra domum David, loci ipſius adjuti, ut errantes putabant, infelici auſpicio. Ibi enim corrupta fuit Dina, ibi venditus Joſeph, atque ibi tandem ſciſſum Regnum Jehuda.

4. *Aggravavit jugum*] Jugum illud fuit tributum quod ſingulis annis pendebant, de quo tamen minimè conqueri debebant, cùm interim viverent in ſumma pace & quiete.

7. *Quaſi ſervus fueris populi*] Capitur hìc עבד pro נכנע. *Si fueris*, inquiunt, *humilis coram eis, & reſponderis eis placidè juxta voluntatem eorum*. Numerant Hebræi inter quatuor quæ homini commoda ſunt *Conſilium ſenum*; ſicut è diverſo inter quatuor mala ponunt *Conſilium juvenum* quoque, quod raró feliciter ſuccedit. Unde ſcribunt ſic, ארבעה דברים רעים לבני אדם בטלת מלאכה ושיחת ילדים ועצת ילדים ורוח גבוהה: וארבעה דברים יפים מלאכה ותודה ועצת זקנים ורוח נמוכה:

10. *Quod minimum eſt in me*] Capitur hìc קטן pro אבר הקטן *membro minimo*. Jon. חלישותי *Quod debile eſt in me, fortius eſt fortitudine patris mei*, & eſt ſenſus, Cùm fortior & potentior ſim patre meo, cur aliquid relaxarem de jugo veſtro?

11. *Scorpionibus*] Sunt *ſcorpiones* etiam flagella, ſed quibus additi ſunt עוקצים *aculei & ſpinarum punctiones*.

15. *Fuit ordinatio Dei*] Heb. *fuit cauſa*, vel *revolutio, à Deo*, quod Chaldæus exponit pro *diviſione*.

16. *Vide domum tuam, David*] Senſus eſt, Videte vos qui eſtis de familia David, ad quàm arctum locum contractum ſit Regnum illud Davidicum quod ſub Salomone fuit ampliſſimum potentiſſimúmque.

19. *Rebelles fuerunt*] Heb. ויפשעו *& iniquè egerunt*, ſeu *prævaricati ſunt*, pro quo RR. exponunt מרדו, ſicut nos vertimus.

25. *Ædificavit Sichem*] h.e. Munivit eam & in regiam ſuam deputavit.

28. *Multum eſt vobis*] Exponitur ab Hebræis רב per די *ſatis eſt*.

31. *Fecit ſacerdotes de extremis populi*] Senſus eſt quòd majores quoſque ad hanc delegit functionem, vel infimos, hi enim ſunt *extremitates in populo*. Filii autem Levi, quorum erat Sacerdotium, noluerunt hoc ſubire reprobum officium; ſicut nec in deſerto quando Aharon vitulum aureum conflari permiſit.

33. *In menſe octavo*] Solennitatem quam Judæi celebrare jubentur in menſe ſeptimo, qui eſt Tiſri, præcepit Jarobeam celebrari in menſe octavo, qui eſt Marheſvan; ut paulatim filios Iſrael à patriis abduceret ritibus; aut ſi qui ex ſuis feſto Propitiationis intereſſe vellent in menſe ſeptimo, reverti poſſent ad ſolennitatem menſis ſui, *quem ipſe finxerat ex corde ſuo*. Kimhi tamen referendum putat

putat relativum אשר ad *solennitatem* ipsam, *quam ipse solùm finxerat*. Dico *solùm*, quia aliqui pro מלבו legunt מלבד.

VATABLUS.

2. *TUm reversus est ex Ægypto*, וישב ירבעם במצרים] Hic ב pro מן accipitur. Quidam vertunt, *mansitque Jeroboam in Ægypto*.

3. *Miserúntque & vocaverunt eum*, וישלחו ויקראו לו] Quidam juxta opinionem docti inter Hebræos vertunt per plusquam perfectum, *Et jam miserant, & vocaverant eum*, i. missis nunciis accersiverant eum. ¶ *Venerunt autem*, ויבואו] Sub. *in Sichem*, antequam inaugurararetur in Regem.

4. *Aggravavit jugum*, &c. הקשה את עולנו ונו'] i. *Gravissimum jugum imposuit nobis pater tuus* per Præfectos suos (vide suprà 4. 7.) *sed nunc*, in principio Regni tui, *allevia*, h. e. minue aliquid, *de servitute illa quam imposuit pater nobis tuus, dura & difficili*.

5. *Usque ad tres dies*, עוד שלושה ימים] Ad verb. *adhuc tres dies*, i. usque in diem tertium.

6. *Qui steterant coram Selomoh*, &c. אשר היו עומדים את פני שלמוה ונו'] *Qui astiterant Solomoni patri cùm viveret*. Ad verb. *qui erant ii qui astabant ei*, i. qui erant servi ejus. ¶ *Quomodo consulitis vos*, &c. איך אתם נועצים ונו'] *Quodnam consilium inistis inter vos, ut dem responsum populo huic?* V. 8. ponit מה *Quid*.

7. *Fueris servus populo huic*, תהיה עבד לעם הוה] i. Si dimiseris tete, & parueris, & quasi servieris. ¶ *Bona*, טובים] i. Lenia, i. si reddideris illis responsum lene. ¶ *Omnibus diebus*, כל הימים] Sub. *vitæ tuæ*.

8. *Adoleverant cum eo*, נדלו אתו] i. Qui educati fuerant cum eo in deliciis.

9. *Ut respondeamus verbum*, ונשיד דבר] *Ut demus responsum*. Vide v. 6.

10. *Aggravavit jugum nostrum*, הכביד את עולינו] Vide v. 4. ¶ *Minimus*, &c. קטני עבה ונו'] *Minimus* digitorum *meorum crassior est*, &c. Vel, *Minimum* membrorum *meorum crassius evasit lumbis* [i. toto corpore] *patris mei*, h. e. Dignitas ac majestas mea est multò excellentior dignitate ac majestate patris mei, q. d. Vires meæ superant vires patris mei: h.e. Multò fortior sum patre meo. Chald. *Infirmitas mea fortior est robore patris mei*, i. Quod putatis in me esse infirmissimum, validius est eo quod in patre meo videbatur esse robustissimum.

11. *Onus imposuit vobis jugum grave*, העמים עליכם עול כבד] *Aggravavit vos jugo gravi*, i. quod dicitis esse grave. ¶ *Jugo vestro*, על עלוכם] i. A patre meo vobis imposito. ¶ *Corripuit*, יסר] *Castigavit*. ¶ *Scorpionibus*, בעקרבים] i. Flagellis aculeatis, habentibus scilicet aculeos in extremitatibus.

15. *Et non exaudivit Rex populum*, ולא שמע המלך אל העם] *Et non obtemperavit Rex populo, acquievit, morem gessit*. ¶ *Fuit enim causa à Jehovah*, כי היתה סבה מעם יהוה] i. Proveniebat causa à Jehova: authore Jehovâ atque ità volente fiebat. Versu 24. dicit, *A me facta est res ista*, quæ verba exponunt quid hæc sibi velint, nempe Deum fuisse authorem hujus defectionis. ¶ *Ipse*, יהוה] Ad verb. *Jehovah*, anteeedens pro relativo.

16. *Exaudisset*, שמע] *Acquievisset, obtemperasset eis*. ¶ *In hunc modum*, דבר לאמור] Ad verb. *sermonem* [aut *verbum*] *dicendo*. ¶ *Quæ nobis portio*, &c. מה לנו חלק ונו'] i. Quid posthac lucri aut emolumenti speremus nobis in genere Davidis? q.d. Nihil. Alii, *Quid ad nos spectat* [vel, *pertinet*] *genus Davidis?* Eadem verba sine interrogatione leguntur, 2 Sam. 20. 1. ¶ *Vide domum tuam, ô David*, ראה ביתך דוד] i. Prospice domui tuæ, ô nepos David Roboam. Nomen avi pro nomine nepotis, h. e. Impera posthac tribui Judæ soli.

18. *Roboravit seipsum ut ascenderet*, התאמץ לעלות] Hebraismus, Assumpto animo ascendit currum. Vel, Animo præsente usus est in ascendendo.

19. *Et prævaricati sunt Israelitæ*, &c. ויפשעו ישראל ונו'] i. Defecerunt à domo Davidis.

20. *Non fuit post domum Davidis*, לא היה אחרי בית דוד] Hebraismus, Nulla tribus secuta est partes familiæ Davidis præter tribum Juda solam: quæ tamen comprehendebat etiam tribum Benjamin: id quod ex seq. v. facilè perspicitur.

21. *Facientium bellum*, עושה מלחמה] i. Militantium, militum versantium in bello, sive aptorum bello. Sing. Heb. pro plur. ¶ *Ut reduceret*, להשיב] *Ut restitueret*. ¶ *Ad se*, לרחבעם] Ad verb. *ad Rehabam*. Antedens pro rel. *ad se qui erat filius Selomoh*.

22. *Fuit autem verbum*, &c. ויהי דבר האלהים] Hebraismus, Locutus est autem Deus ipsi Semaiah, &c.

24. *Ut abirent juxta verbum Jehovæ*, ללכת כרבר יהוה] i. Ut facerent quæ præceperat Jehova.

25. *Ædificavit autem*, ויבן] i. *Præclara quædam ædificia exstruxit*: vel, *præclaris ædificiis ornavit*. Alii, *Munivit muro fortiore, & exstruxit in ea regiam*.

26. *Nunc*, עתה] i. mox, vel brevi, q. d. Nisi consuluero rebus meis, facilè Regnum ad Judam redibit.

27. *Si ascenderit*, אם יעלה] *Cùm ascendet*. ¶ *Convertetur cor*, ושב לב] i. Erit propenso animo, h. e. facilè reconciliabitur.

28. *Sufficiat vobis ascendisse*, רב לכם מעלות] *Satis sit vobis quòd ascendistis*, q. d. Satis hactenus itum est à vobis. Chald. *Longior est via quàm ut eatis*, q. d. Non sine magno labore itis quotannis. ¶ *Ecce dii tui*, הנה אלהיך] *Ecce Deus tuus*: uterque scilicet vitulus, i. refert, vel repræsentat Deum: facta sunt enim primùm ut essent simulacra Dei, quasi inesset illis aliquid Divinitatis, non ut colerentur.

30. *Fuitque res ista in peccatum*, ויהי הדבר ונו'] i. Quod fuit postea causa gravissimi peccati: nam ob id lapsus est Israel in idololatriam. ¶ *Ità ut iret*, &c. וילכו ונו'] Ad verb. *& abierunt populus*, &c. i. ità ut populus ascenderet ex Beth-el in Dan, ut viseret colerétque alterum: contrà, ex Dan proficisceretur in Beth-el, ut viseret alterum. Indicat studium idololatriæ populi, quibus cùm fuissent positi in duobus terminis vituli, accederent potiùs ad remotiorem à se: ut qui de Dan esset, iret in Beth-el; qui de Bethel, curreret adoratum vitulum qui erat in Dan.

31. *Domum excelsorum*, את בית במות] *Templum altarium*. ¶ *Quosdam de populo*, מקצות העם] *Partem populi*. Ut rem populo gratam faceret, creavit Sacerdotes ex aliqua parte vulgi, rejectis Levitis. Verti potest, *de extremitatibus populi*, i. de extremis ordinibus populi, tam de divitibus quàm de pauperibus constituit Sacerdotes. Quidam aiunt expulsos Levitas quòd noluissent immolare vitulis.

32. *Octavo*, השמיני] i. Octobri, solennitatem Tabernaculorum, quæ septimo mense celebrari debebat, octavo mense instituit; quia electus fuerat Rex circa ea tempora. Aut nè obloquerentur qui vellent ire in Jerusalem, quòd eo tempore distinerentur festo in Israele, cùm esset eundum in Jerusalem. ¶ *Secundùm solennitatem*, כחג ונו'] i. Festum simile ei quod celebrabatur Hierosolymis. ¶ *Et obtulit*, ויעל] Sub. *holocausta & sacrificia*. Hæc fecit Jeroboam ut hâc ratione conciliaret gratiam populi, ac ità sibi retineret Regnum.

33. *Quem eduxerat de corde suo*, אשר בדא מלבו] i. Quem excogitaverat, h. e. quo voluerat id offerre. Sic Neh. 6. 8. *Quia tu de corde tuo educis ea*. Quidam vertunt *quem finxerat*. Doctus inter Hebræos etiam exponit *mentitus fuerat*; ab *educendo*, quòd mendacium è corde educitur ad os. Chald. *in mense quem conceperat de voluntate sua*. Legitur & מלבד *præter*, q. d. *Mense, inquam, quem finxerat præter*, vel *ultra*, *solennitatem quæ mandata erat in Lege*. ¶ *Et constituit*, ויעש] Ad verb. *& fecit*. ¶ *Ut suffiret*, להקטיר] *Ut cremaret*, vel, *adoleret*, sub. *thura & aromata*.

CASTALIO.

CASTALIO.

16. *IN Davide*] In Rege. Sicut *Cæsares* à primo nomen habent.

18. *Cùmque misisset Roboamus*] Scilicet ante Israelitarum discessum.

CLARIUS.

1. *IN Sichem*] Israelitæ in hunc locum convenerunt cùm Regem eligere vellent, quò faciliùs occasionem invenirent contra domum David, loci ipsius adjuti, ut errantes putabant, infelici auspicio. Ibi enim corrupta fuit Dina, ibi venditus Joseph, atque ibi tandem scissum Regnum Juda.

4. *Durissimum jugum*] Jugum illud fuit tributum quod singulis annis pendebant, de quo tamen minimè conqueri debebant, cùm interim viverent in summa pace & quiete.

11. *Scorpionibus*] Sunt *scorpiones* etiam flagella, sed quibus additi sunt aculei & spinarum punctiones.

16. *Nunc vide domum tuam, David*] Sensus est, Videte vos, qui estis de familia David, ad quàm arctum locum contractum sit Regnum illud Davidicum amplissimum.

31. *De extremis populi*] h. e. *Majores* quosque ad hanc elegit functionem. Alii intelligunt *infimos*. Filii autem Levi, quorum erat Sacerdotium, noluerunt hoc subire reprobum officium; sicut nec in deserto quando Aharon Vitulum aureum conflari permisit.

33. *In mense octavo*] Solennitatem quam Judæi celebrare jubentur in mense septimo, præcepit Jeroboam celebrari in mense octavo; ut paulatim filios Israel à patriis abduceret ritibus; aut siqui ex suis festo Propitiationis interesse vellent in mense septimo, reverti possent ad solennitatem mensis sui, *quem ipse finxerat ex corde suo*.

DRUSIUS.

10. קָטָנִּי. Sym. τὸ μικρότατόν μου μέλος *minimum meum membrum*] In libro Paralipomenωn, ὁ βραχύτατός μου δάκτυλος, παχύτερος τῆς ὀσφύος τοῦ πατρός μου, *brevissimus meus digitus crassior est lumbis patris mei*. Sic etiam Syrus & Josephus. In ed. nostra vulgata legitur *minimus digitus meus grossior est dorso patris mei*.

GROTIUS.

1. *AD constituendum eum regem*] Ut primogenitum Solomonis. Ea enim lex in Juda post hæc tempora semper valuit.

4. *Pater ejus durissimum jugum imposuit nobis*] Tributa gravia. ¶ *Imminue paululùm*] *Tributi levamentum*, ut Tacitus Hist. 1. loquitur, *petunt*.

6. *Iniit consilium rex Roboam cum senioribus qui assistebant coram Solomone patre ejus dum adhuc viveret*] Hos & longa ætas, & perpetuus usus negotiorum, & Regis tam sapientis consuetudo idoneos dandis consiliis fecerant. Ovidius,

> ——*Non omnia serior ætas*
> *Quæ fugiamus habet; longis venit usus ab annis.*

Euripides Erechtheo,

> Ὁμιλίας τε τὰς γεραιτέρας φίλει.

& in Phœnissis,

> ——οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά,
> Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν· ἀλλ' ἡ 'μπειρία
> Ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Antiphanes,

> Σοφόν γέ τοί τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
> Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.

Deinde, ut Cicero ait 2. De Oratore, *ad consilium de republica dandum, caput est nosse rempublicam*.

7. *Si hodie obedieris populo huic & servieris, & petitioni eorum cesseris, locutúsque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus*] Initia Principatuum difficillima; & opportuni motibus transitus rerum, quod apparuit seditione Pannonicâ & Germanicâ initio principatûs Tiberii: itâ ut non mirer Vespasianum prudentem & senem describi à Marcello apud Tacitum Hist. 4. *novo principatu suspensum, & vultus quoque ac sermones omnium circumspectantem*. Ideo consilia sunt prudentum, in illis teneris principiis cedere nonnihil consensui, &, si ὑπερβολὴν admittimus, serviliter facere omnia pro dominatione. Tempore opus est ut adolescat Principis auctoritas. Tum verò etiam rerum tristitia verbis lenienda est.

8. *Adhibuit adolescentes qui nutriti fuerant cum eo*] Frequens id novis Regibus, ut consiliis adhibeant potiùs familiares suos quàm eos quorum operâ patres sunt usi. Causa hæc, quòd ostendere potentiam suam volunt omnia mutando, & vetera illa obsequia, sæpe non honesta, de publico quàm primùm repensare, gravi sæpe & suo & patriæ malo. Morum quoque similitudo habet ἑλκυστικόν τι. At vera sunt ista Euripidis in Supplicibus,

> ——ἀπώλεσας πόλιν,
> Νέοις παραχθείς, οἵτινες τιμώμενοι
> Χαίρουσι· πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης,
> Φθείροντες ἀστούς· ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
> Ὁ δ' ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβών,
> Ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ', οὐκ ἀποσκοπῶν
> Τὸ πλῆθος, εἴ τι βλάπτεται πάσχον τάδε.

Similiter juvenum consiliis magno suo malo usum Hieronymum Syracusanum Principem, discimus ex fragmentis Diodori Siculi.

11. *Ego autem cædam vos scorpionibus*] i. Flagellis aculeatis ad modum scorpionum. Hæc juvenes illi dicebant accommodatè ad Regis ingenium, ut adulantes solent. Fuit autem ingenium Roboami apud Hebræos quale apud Romanos Appii Claudii, quem *vehementi trucique ingenio fuisse* ait Livius, *ideóque perpelli nunquam quisse ut apud populum ex consueta asperitate orationis aliquid leniret atque submitteret*. Hujus sunt illa, *Licentiâ tantum concitum turbarum: & lascivire magìs plebem quàm sævire*. Ejus & illud, *Carcerem esse plebis Romanæ domicilium*. Talibus hominibus sæpe insusurranda Sophoclis ista in Antigone,

> Ἀλλ' ἄνδρα κἄν τις ᾖ σοφός, τὸ μανθάνειν
> Πόλλ' αἰσχρὸν οὐδέν, καὶ τὸ μὴ τείνειν ἄγαν·
> Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις ὅσα
> Δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσώζεται·
> Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται;

16. *Quæ nobis pars in David*] Per *Davidem* posteros ejus intellige. Hoc dicit populus, Contemnimur ab illis tanquam extranei. ¶ *Vade in tabernacula tua, Israel*] Puto rectè correctum: olim legebatur לאלהיך *ad Deos tuos*, vel *ad Deum tuum*. ¶ *Vide domum tuam, David*] Tu Davidis nepos, sine nobis prospice rebus tuis.

18. *Et lapidavit eum omnis Israel*] Frequentissima seditionum causa tributorum gravitas: quia hæc res ad omnes pertinet, cùm pœnarum sævitia ad paucos soleat pertingere. Materia autem prima popularis iræ sunt illi avaritiæ Regalis magistri & ministri. Plenæ exemplorum omnes historiæ veteres & recentes.

26. *Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, & convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda*] Philo, Αἴτιον τῆς ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον ἡ περὶ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἑνωτικῇ καὶ ἀδιαλύτῳ φιλίᾳ κέχρηνται πρὸς ἀλλήλους. Tum verò potior videbatur causa Templum possidentis, & Rex ejus portionis venientes ad se ex religionis occasione alios multis modis devincire poterat.

28. *Vitulos aureos*] Δαμάλεις χρυσᾶς ἐπωνύμους Θεῷ, Josephus. Volebat Deum coli in ea figura quæ Josepho Dei ministro, unde ortus erat Jeroboamus, dicata olim fuerat, & quæ in Cherubinis partem faciebat præcipuam; ut vel illo aspectu populus retineretur in veneratione posteritatis Josephi, faciliúsque crederet eis Regnum deberi qui orti essent ab eo cujus maxima in omnes Israelitas fuerant bene-

beneficia. Sic Julia domus Æneæ laudes per omnes Poetas cani voluit, ut eò leniùs ferret populus imperium illud velut fatis datum. Sic solent Principes etiam sacra ad suas utilitates torquere. Non debuerat autem Jeroboamus decurrere ad ejusmodi vaframenta, sed Deo, qui regnandi ipsi auctor erat, confidere, & facere quod sui erat officii. At ille non in eo contentus peccare quòd exstantem imaginem erexisset contra Legem, quódque apud eam sacra fecisset, plura pro uno fecit Templa, & Sacerdotes non ex ea familia quam Deus elegerat.

33. *Super altare quod exstruxerat in Bethel*] Velut exemplo Jacobi, Gen. 28. 19.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

1. VIR Dei] Putant hunc fuisse עידו Ido Prophetam, qui in diebus Jarobeam vaticinatus est.

2. *Ossa hominum*] Hoc impletum est in Josijah, qui ossa sepulcrorum, qui erant in montibus, combussit super altare.

11. *Propheta senex*] Secundùm Hebræos iste fuit falsus Propheta. ¶ *Hæc recitaverunt*] Venit primò filius unus & indicavit patri quid egisset Propheta juxta altare cum Rege: deinde supervenerunt alii filii, & idem retulerunt.

12. *Et ostenderunt*] Capitur ויראו pro conjug. Hiphil, posito hirec sub Jod loco Pathah.

32. *Ut veniat verbum ipsum*] Sensus est, Implebitur verbum viri Dei, ut comburantur ossa ex sepulcris: ossibus autem viri dei parcetur. Et si ego sepultus fuero juxta corpus ejus, salvabuntur ossa mea cum ossibus ejus. ¶ *Schomron*] Latini verterunt *Samariæ*.

34. *In peccatum domûs Jarobeam*] Hebræi exponunt הטאת pro עונש, i. *peccatum* pro *pœna*.

VATABLUS.

1. IN *verbo Jehova*, בדבר יהוה] i. De mandato Jehovæ, aut verbis Dei. Vel, ut alii, *cum verbo Jehovæ*, sic v. 2. Hic dicitur fuisse Hiddo, teste illo docto inter Hebræos. ¶ *Beth-el*, בית אל] Hîc *Beth-el* non est ea quæ aliter dicitur *Luza*: nam illa est in tribu Benjamin, cùm hæc sit in Regno decem tribuum.

2. *Nascetur*, נולד] Ad verb. *nascens*, sub. *erit*, ut annotat doctus inter Hebræos, pro *nasciturus est*. ¶ *Domui Davidis*, לבית דוד] i. De genere, vel stirpe Davidis. ¶ *Comburent*, ישרפו] *Cremabunt*, jussu scilicet Josiæ. Alii, *& ossa hominis* [i. Jeroboam] *cremabunt*.

3. *Et dedit eodem die portentum*, ונתן ביום ההוא מופת] i. Tunc adjecit signum quo probaret sua verba non esse ficta ab homine, sed se à Deo esse missum, & quòd quæ dixerat eventura essent. מופת *signum*, vel *portentum*, vertere potes. Chald. vertit אתא *signum*. ¶ *Scindetur*, נקרע] *Findetur*, *rumpet sese*, suâ scilicet sponte, nullo deturbante.

4. *Ab altari*, מעל המזבח] Sub. *retractam*, i. Quam habebat super altare. Manu signum dabat populo ut apprehenderetur vir Dei. ¶ *Quam extenderat*, אשר שלח] [illegible]quâ signum dederat populo ut comprehenderent eum.

5. *Scissum est*, נקרע] *Rupit sese*, sub. *sponte suâ*. ¶ *In verbo Jehova*, בדבר יהוה] i. Verbis Dei: ut v. 1.

6. *Locutus est ergò*, ויען] Ad verb. *Et respondit*: pro *locutus est* ponitur. Sic 2 Reg. 1. 11. ¶ *Ut revertatur*, ותשוב] i. *Ut restituatur mihi manus mea*. ¶ *Fuitque sicut priùs*, ותהי כבראשנה] i. Talis qualis antea erat, q. d. Utebatur eâ quomodo antea solebat.

7. *Et corroborate*, וסעדה] *Et fulci te*, *conforta te*, & confirmes vires corporis tui. Alii, *ut prandeas*. Vult aliquo officio compensare beneficium, non tamen resipiscit.

9. *Pracepit*, צוה] Sub. *Angelus qui mihi apparuit nomine Dei*. ¶ *Non comedes*, לא תאכל] *Ne comedas*.

11. *Propheta autem*, ונביא] Chald. *Pseudo-propheta autem*. Hîc pseudopropheta verum Prophetam decepit. ¶ *Omne opus*, את כל המעשה] *Totum negotium*, i. universam rem gestam à viro Dei. ¶ *Narraverúntque*, ויספרום] Uno scilicet loquente: aut, *vicissim narraverunt*.

12. *Et viderunt*, ויראו] i. Exploraverunt.

14. *Quercum*, האלה] Insignem arborem significat. Quidam vertunt *ulmum*.

16. *Tecum*, אתך] i. In domum tuam.

17. *Verbum enim* fuit *ad me in verbo Jehovæ*, כי דבר אלי בדבר יהוה] i. Injunctum enim fuit mihi verbis Dei. ¶ *Non comedes*, &c. לא תאכל וגו'] *Ne comedas*, &c.

22. *Reversus es*, ותשב] Sub. *in Bethel*. ¶ *Non ingredietur cadaver tuum*, &c. לא תבוא נבלתך] Hebraismus, Non sepelietur cadaver tuum: h. e. morieris antequam revertaris in patriam tuam.

23. *Stravit*, ויחבש] i. Jussit ei insterni, nempe senex propheta.

26. *Et confregit*, *occiditque eum*, וישברהו וימתהו] i. Quem confringendo interfecit.

28. *Neque confregit*, ולא שבר] i. Quem confringendo non interfecit, h. e. non læsit.

29. *Suam*, הנביא הזקן] Ad verb. *Prophetæ senioris*. Antecedens pro relativo.

30. *Et planxerunt eum*, ויספדו עליו] Sub. *propheta ille senex cum suis*.

32. *Eveniet enim id*, כי היוה יהיה הדבר] Ad verb. *Quia essendo erit verbum*.

33. *His gestis*, אחר הדבר הזה] Ad verb. *Post verbum hoc*, i. hoc facto non reliquit idololatriam suam. ¶ *Sed rursum fecit quosdam*, &c. וישב ויעש מקצות העם] Ad verb. *sed reversus est*, *& fecit de extremitatibus populi*. Vide c. 12, 31. ¶ *Qui volebat*, *implebat manum suam*, החפץ ימלא את ידו] i. Qui volebat fieri sacerdos, oblato munere constituebatur sacerdos. Hunc sensum videtur secutus Chaldæus paraph. qui vertit, *Qui volebat*, *offerebat munus*, vel *donum*. Alii vertunt, *ejus qui illi placebat implebat manum*, i. ille fiebat sacerdos qui erat illi gratus & acceptus. Atque ità Jeroboam dicitur *implere manum ejus* quem volebat sacerdotem esse, ut Moses jubetur à Deo *implere manum Aaronis & filiorum ejus*, quos volebat Sacerdotes consecrari; ut vides Exod. 28. 41. & 29. 9, 35.

34. *Et fuit hæc res*, &c. ויהי בדבר הזה וגו'] Ad verb. *Et fuit propter hoc in peccatum domûs Jarobam*, *& ad exstirpandum*, *& ad delendum*. Quidam vertunt, *Fuítque hoc in peccatum familiæ Jeroboam*, *ut omnino deleta fuerit*, i. Hæc idololatria fuit in pœnam (hîc *peccatum* pro *pœna quæ pro peccato infligitur*) sive causa fuit pœnarum quas dedit familia Jeroboam, quòd omnino delata fuerit. Alii, *Et fuit in hoc negotio* aliquid *in pœnam familiæ*, &c. i. accidit ut propter hanc causam familia Jeroboam dederit pœnas, ità ut prorsus delata sit.

CLARIUS.

1. VIR Dei] Putant hunc fuisse Ado prophetam, qui in diebus Jeroboam vaticinatus est.

11. *Narraverunt patri suo*] Venit primò filius unus & indicavit patri quid egisset Propheta juxta altare cum Rege; deinde supervenerunt alii filii, & idem retulerunt.

32. *Veniet sermo*] Implebitur, inquit, verbum viri Dei, ut comburantur ossa ex sepulcris: ossibus autem viri Dei parcetur: Et, si ego sepultus fuero juxta corpus ejus, servabuntur ossa mea cum ossibus ejus.

GROTIUS.

2. JOsias nomine] Ingens Divinæ gubernationis ac præscientiæ indicium, quòd & nomen ejus qui rem præ-

præsignificatam effecturus erat prædicitur. Simile Esa. 44. 28. Ad hæc nihil sunt omnia gentium oracula.

4. *Et exaruit manus ejus*] Prodigium velut arrhabo eventuræ prophetiæ.

17. *Locutus est Dominus ad me in sermone Domini*] Heb. *Verbum ad me in verbo Domini*, i. Præceptum mihi hoc est Dei nomine atque imperio. Sic & v. seq. *Angelus locutus est mihi in sermone Domini*, i. mandato.

19. *Fefellit eum*] Et ipse se: magis enim debebat credere revelationi sibi factæ, cujus erat certus. Ideo dicitur infrà 22. *præcepit tibi* ἐμφατικῶς. Virorum laudatorum facta non laudanda quoties adferuntur in S. literis, solet aliquid addi unde intelligamus id non probari, quod & ab Homero fieri solere notavit Plutarchus De legendis Poetis.

24. *Invenit eum leo in via, & occidit*] Deo id sinente, partim ut Prophetæ discerent destrictè parere mandatis, partim ut Jeroboamus in idololatria magis magisque obduresceret, & sic pœnarum, quas pridem erat commeritus, justitia magis appareret.

31. *Sepelite me in sepulcro in quo vir Dei sepultus est*] *Ut ossa mixta unà requiescant*, est in inscriptione quæ Romæ reperta. Similia mandata aut vota apud Poetas.

33. *Implebat manum suam*] i. Consecrari se faciebat. Idem loquendi genus Exod. 28. 41. & 32. 29.

34. *Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam*] Heb. *Fuit in verbo hoc in peccatum domus Jeroboam*. i. hâc re in crimen incidit. ¶ *Et eversa est & deleta de superficie terræ*] Incidit in πανωλεθρίαν. Vide 14. 10.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

2. *TRansmuta te*] Verbum השתנית est à radice שנה, & est hîc in reciproca conjugatione, scribiturque in secunda persona præteriti fem.

3. *Et placentas*] Sunt נקודים *pastilli* quidam tenues & sicci punctis notati, quorum usus habetur in compotationibus. At בקבוק est *vasculum quod habet os angustum*.

10. *Mingentem ad parietem*] h. e. Canem, cujus natura est mingere ad parietem: & est hyperbolica locutio. Porrò per *reclusum* intelligitur is qui primum effugit hostis irruentis impetum, sed tandem in manus ejus incidit. Alii intelligunt per *reclusum* divitias occultatas, & per *derelictum* pecora in campo relicta. ¶ *Sicut homo eliminat stercus*] Quidam intelligunt per גלל *dentem cibum conterentem*.

13. *Inventa est res bona in eo*] Scriptura non indicat quod fuerit illud bonum, sed Rabbini, in suo sensu plerumque abundantes, aiunt illum septa quæ pater suus in itinere posuit, quibus Israelitas arcere voluit nè Hierosolymam ad dies festos ascenderent, dirupisse.

14. *Hâc ipsâ die*] Subaudiendum *consurget rex ille*. ¶ *Sed quale hoc nunc est?*] Hunc habet sensum, Hæc imminens tribulatio ferè nulla est respectu illorum malorum quæ superventura sunt.

15. *Dispergit eos ultra fluvium*] Hæc fuit Israelitarum prima captivitas, quando Rex Assyriæ eos transtulit ultra Euphratem in civitates חלח & חבור.

23. *Exstruxerunt sibi excelsa*] Ante exstructionem Templi licita fuerunt altaria in locis excelsis, sed post ejus ædificationem nullibi licitum fuit sacrificia offerre quàm Hierosolymis: Deus tamen certis ex causis id Prophetis quibusdam permisit. Peccaverunt igitur Judæi, quando relicto Templo alia loca quærebant ubi sacrificia offerrent, præsertim cùm id libidine quadam facerent peccandi, Gentilium imitati mores, qui in lucis res abominandas perpetraverunt, prostibula scilicet utriusque sexûs passim instituentes, & alia nefanda exercentes. Est autem hîc קדש idem quod מוכן *qui paratus est*, למשכב זכור sicut & קדשה accipitur pro *meretrice*, &c.

27. *Militibus*] Sunt רצים propriè cursores qui regem præcedunt sequunturque, & latera ejus stipant cùm aliquò vadit.

29. *In libro Annalium*] Hebræi vocant librum *Annalium librum Verborum dierum*, h. e. qui continet gesta dierum. Unde & liber Paralipomenωn apud Hebræos vocatur *Liber verborum dierum*.

VATABLUS.

2. *MUta teipsam*, והשתנית] i. Muta vestitum & ornatum tuum, nè agnoscaris: seipsum mox declarat. Gallicè, *desguise toy*. ¶ *Qui locutus fuerat de me*, &c. הוא דבר עלי וגו'] i. Qui prædixerat me fore Regem. His verbis significat veracem esse Prophetam.

3. *Cape autem*, ולקחת] Munera ferebant consulturi Prophetas, ut ex hoc loco apparet, & ex 1 Sam. 9. 7. ¶ *Et crustula*, ונקודים] Panes erant dulciarii, ità dicti à forma quam præ se ferebant, quales sunt quos vocamus *Des gaufres*: nam illis solebant imprimere formam quandam in qua erant foramina & velut puncta majora. *Et vasculum*, ובקבוק] De hoc vasculo angusti oris vide Jer. 19. 1.

4. *Caligaverant*, קמו] *Exstabant*, musculi scilicet oculorum ejus, i. oculi ejus refugiebant intró.

5. *Aliam præ se feret*, מתנכרה] i. Veniet habitu dissimulato. Ad verb. *& ipsa erit dissimulans se*, i. dabit operam, mutatâ formâ, nè à te agnoscatur.

6. *Ego autem*, &c. ואנוכי שלוח אליך קשה] *Cùm ego missus sim ad te cum nuncio duro?* i. ut denunciem dura & difficilia.

8. *Ac scidi*, ואקרע] i. Abstuli, quasi scindendo. ¶ *Et qui ambulavit*, &c. ואשר הלך אחרי וגו'] Secutus est me prorsus ex animo.

9. *Sed malefecisti*, &c. ותרע לעשות] i. Pessimè omnium egisti qui præcesserunt. ¶ *Me autem projecisti*, &c. ואותי השלכת אחרי גוך] *Corpus* pro *tergo*, i. projecisti me post tergum tuum, h. e. me contempto & posthabito ac postposito.

10. *Mingentem ad parietem* משתין בקיר] Vide 1 Sam. 25. 22. ¶ *Clausum & derelictum*, עצור ועזוב] i. Opes, quæ recluduntur; & peculium, h. e. oves & boves, quæ relinquuntur in agro, q. d. Non solùm liberos, sed & omne peculium. Alii, *quinetiam eos qui clauduntur in munitionibus, & qui relicti fuerunt usque ad finem belli*, i. reliquias familiæ tuæ, q. d. Tandem omnes peribunt. ¶ *Et removebo*, ובערתי אחרי בית] Ad verb. *& removebo post domum*. Alii, *& expellam, ejiciam*. Alii, *succidam*. ¶ *Removet* quis, יבער] Fut. Heb. pro præs. *ejicere solet*, i. non aliter quàm ejicere solet qui ejicit fimum, sive stercus, ità ut nè tantillum quidem stercoris remaneat. ¶ *Donec finiatur*, עד תומו] i. Donec totum ejiciat, h. e. omnino, q. d. Ità exterminabo & perdam ut nihil relinquatur; non magis quàm solent famuli è domibus ejicientes stercora quicquam ex illis relinquere. Quidam Hebræorum exponit, *sicut turbo ejicere solet quæ corripit*.

13. *De Jarobam*, לירבעם] i. Ex omnibus filiis Jeroboam. ¶ *Quòd inventa sit res*, &c. יען נמצא בו וגו'] Ad verb. *quia inventum est in eo verbum bonum à Jehova*, &c. Quid boni fecerit filius Jeroboam non exprimitur in Scriptura. Aut *in eo* significat *in domo Jeroboam*; ut exprimitur in fine hujus versûs.

14. *Et consurgere faciet*, והקים] *Et suscitabit*. ¶ *Hoc die*, זה היום] *Hoc tempore*, i. brevi. Quidam jungunt זה præcedenti nomini, atque finem hujus versûs sic legunt, *domum Jeroboam istam die illo, & id quoque futurum est*, i. die illo quo ille suscitabitur, & id quoque, &c. q. d. Præsentem & futuram familiam occidet. ¶ *Et quid est* hoc *etiam nunc?* ומה גם עתה] *Sed quid est etiam nunc?* i. sed quanta est præsens afflictio? q. d. Parva est si conferatur cum sequentibus & futuris: nam multò graviores erunt.

15. *Sicut movetur* כאשר ינוד] Fut. Heb. pro præs. *sicut agitari solet*: assiduo scilicet & continuo motu in aqua decurrente, vel à quolibet vento, q. d. Percutietur ab omnibus

omnibus hostibus. Aut assiduitatem percussionis intelligit. ¶ *Trans flumen*, מעבר לנהר] *Ultra Flumen*, i. Euphratem.

16. *Tradétque Israelem*, ויתן את ישראל] Sub. *in maledictionem & desolationem*, i. perdet Israelem.

17. *In Thirsah*, תרצתה] Fortasse mutaverunt locum habitationis; & puer inciderat in morbum in ea urbe.

19. *Reliquum autem verborum*, ויתר דברי] *Reliqua autem gesta*. ¶ *Verborum dierum*, דברי הימים] Sic vocant Hebræi *Annales*, *Chronica*, aut *Diaria*. Et sic quidam vertunt.

20. *Dormivitque cum patribus suis*, וישכב עם אבתיו] i. Vitâ functus, illatus fuit in sepulcrum majorum.

21. *Ut poneret nomen suum ibi*, לשום את שמו שם] i. Ut illic invocaretur, & diceretur urbs sua. ¶ *Ammonithis*, העמונית] Erat gentilis ejus mater: unde ejus meminit, & fuit deditus idololatriæ, religionem matris imitatus.

22. *Et ad iracundiam provocaverunt*, ויקנאו] *Et ad zelotypiam concitaverunt*.

25. *Sisac*, שושק] Quidam aiunt hunc fuisse Pharaho Necho, qui magno desiderio tenebatur solii eburnei quod exstruxerat Salomon, ut quidam dicunt.

27. *Principum cursorum*, שרי הרצים] i. Tradidit stipatoribus Regis, qui stipabant Regem euntem, erántque à custodia corporis regii.

28. *Ad thalamum cursorum*, אל תא הרצים] *In cubiculum cursorum*, i. in locum in quem recipiebant se cursores illi, regresso Rege de Templo.

29. *Nónne hæc scripta sunt*, הלא המה כתובים] Per interrogationem scribunt Hebræi quod maximè affirmare volunt: quod hîc interrogando dicit, affirmativè posuit v. 19. *Ecce scripta sunt in*, &c.

30. *Cunctis diebus*, כל הימים] i. Quamdiu vixerunt, præterquam initio.

31. *Cum illis*, עם אבותיו] Ad verb. *cum patribus suis*. Antec. pro relativo.

CLARIUS.

10. *MIngentem ad parietem*] h. e. Canem, cujus natura est mingere ad parietem, & est hyperbolica locutio. Porrò per *clausum* intelligitur is qui primum effugit hostis irruentis impetum, sed tandem in manus ejus incidit. Alii intelligunt per *clausum* divitias occultatas, & per *novissimum* vel, ut alius vertit, *derelictum* pecora in campo relicta: Sed fortasse aptiùs per *clausum & novissimum* intelligitur; Non parcendum vel infimæ sortis hominibus.

14. *Hâc ipsâ die*] Subaudiendum *consurget rex ille*. Potest & verti *illâ die*. ¶ *Sed quale hoc nunc est?*] Hunc habet sensum, Hæc imminens tribulatio ferè nulla est respectu illorum malorum quæ superventura sunt.

15. *Trans flumen*] Hæc fuit Israelitarum prima captivitas, quando Rex Assyriæ eos transtulit ultra Euphratem.

23. *Aras*] Vel *excelsa*. Ante exstructionem Templi licita fuerunt altaria in locis excelsis; sed post ejus ædificationem nullibi licitum fuit sacrificia offerre præterquam Hierosolymis. Deus tamen certis ex causis id Prophetis quibusdam permisit.

DRUSIUS.

1. בעת ההיא חלה אביה בן ירבעם. Alius, Ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἠῤῥώστησεν Ἀβιὰ υἱὸς Ἱεροβοάμ; *In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam.*

2. ויאמר ירבעם לאשתו קומי נא והשתנית ולא ידעו כי אתי אשת ירבעם והלכת שלה הנה שם אחיה הנביא הוא דבר עלי למלך על העם הזה Καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ εἶπεν Ἱεροβοάμ, ἀνάστηθι, καὶ ἀλλοιωθήσῃ καὶ οὐ γνώσονται ὅτι σὺ γυνὴ Ἱεροβοάμ, καὶ πορευθήσῃ εἰς Σηλώ. ἰδοὺ ἐκεῖ Ἀχιὰ ὁ προφήτης, αὐτὸς ἐλάλησεν ἐπ' ἐμὲ τοῦ βασιλεῦσαι ἐπὶ τὸν λαὸν τοῦτον, *Et uxori suæ dixit Jeroboam, Surge, & immuta te, nè sciant te esse uxorem Jeroboam, & abi in Selo: Ecce ibi est Achia Prophetes qui locutus est de me, regnaturum me super populum istum.*

3. ולקחת בידך עשרה לחם ונקדים ובקבק דבש ובאת אליו הוא יגיד לך מה יהיה לנער Καὶ λάβε εἰς τὴν χεῖρά σου τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἄρτους, καὶ κολλύρια τοῖς τέκνοις αὐτοῦ, καὶ σταφίδας, καὶ στάμνον μέλιτος, καὶ ἐλεύσῃ πρὸς αὐτόν, αὐτὸς ἀναγγελεῖ σοι τί ἔσται τῷ παιδίῳ; *Et acceptos fer manu tuâ homini Dei panes, & collyridas liberis ipsius, & uvas passas, & vas mellis, & vades ad illum, ipse indicabit tibi quid futurum sit puero*] *Acceptos fer*, λάβε, unum pro duobus, plenum esset, *accipe & fer*, sive *porta*. Sic alibi לקחת *accepta dedisti*, quod Apostolus interpretatur ἔδωκας. ¶ Εἰς τὴν χεῖρά σου] Legitur & εἰς τὰς χεῖράς σου *in manibus tuis*. ¶ *Homini Dei*, vel *domino*, i. Prophetæ. ¶ *Vas mellis*, melle plenum, στάμνος ab aliis exponitur *amphora*. Lex. vet. Στάμνος *urceus*, *urna*. Habetur hæc vox Exod. 16. 33. ubi in Ebræo צנצנת. Legitur quoque apud Apostolum Heb. 9. 4. בקבק βομβύλη sive βομβυλιὸς *bombylios*, vas angusti orificii, inter bibendum eum sonum, à quo nomen habet, edens.

4. ויעש כן אשת ירבעם ותקם ותלך שלה ותבא בית אחיה ואחיהו לא יכל לראות כי קמו עיניו משיבו. Καὶ ἐποίησεν οὕτω ἡ γυνὴ Ἱεροβοάμ, καὶ ἀνέστη καὶ ἐπορεύθη εἰς Σηλώ, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον Ἀχιά. καὶ ὁ ἄνθρωπος πρεσβύτερος τοῦ ἰδεῖν, καὶ ἐμβλυώπουν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ γήρως αὐτοῦ, *Fecitque sic uxor Jeroboam; & surrexit, & profecta est in Selo, & ingressa est domum Achiæ: Et homo ille senior erat quàm ut posset videre, obtusique erant oculi ejus præ senio*] *Obtusique erant*, vel, *caligabant*, quod Hieronymo magis placuit, & post eum Pagnino. Verbum è verbo, *& stabant*, sive *constiterant*. Hîc notabis, quod non puto notum in vulgus, *stare* de Oculis usurpatum pro *caligare*, *hebetem*, sive *obtusum*, esse.

5. ויהוה אמר אל אחיהו הנה אשת ירבעם באה לדרש דבר מעמך אל בנה כי חלה הוא כזה וכזה תדבר אליה ויהי כבאה והיא מתנכרה Καὶ εἶπε Κύριος πρὸς Ἀχιά, Ἰδοὺ ἡ γυνὴ Ἱεροβοὰμ εἰσέρχεται τοῦ ἐκζητῆσαι ῥῆμα παρά σου ὑπὲρ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅτι ἀῤῥωστός ἐστι· κατὰ τοῦτο καὶ κατὰ τοῦτο λαλήσεις πρὸς αὐτήν. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἰσέρχεσθαι αὐτὴν καὶ αὐτὴ ἀπεξενοῦτο; *Et dixit Dominus Achiæ; Ecce uxor Jeroboam ingressa est ut exquireret verbum à te de filio suo, quoniam ægrotus est, talia & talia loqueris ad eam. Et fuit cùm ingrederetur ipsa ut peregrinam se esse simularet*] Vel, *ut dissimularet seipsam*; ità Budæus explicat. ¶ Κατὰ τοῦτο, ad verb. *juxta hoc*. Hieron. *hæc & hæc*, זה וזה.

6. ויהי כשמע אחיהו את קול רגליה באה בפתח ויאמר באי אשת ירבעם למה זה את מתנכרה ואנכי שלוח אליך קשה Καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν Ἀχιὰ τὴν φωνὴν ποδῶν αὐτῆς, εἰσερχομένης αὐτῆς ἐν τῷ ἀνοίγματι, καὶ εἶπεν, Εἴσελθε γυνὴ Ἱεροβοάμ, ἵνα τί τοῦτο σὺ ἀποξενοῦσαι; καὶ ἐγώ εἰμι ἀπόστολος πρὸς σὲ σκληρός; *Et fuit cùm audivisset Achia sonitum pedum ejus, ingrediente ipsâ aperturam ostii, & dixit, Ingredere uxor Jeroboam; ut quid ità tu peregrinam te simulas? ego autem sum missus ad te durus nuntius.*

7. לכי אמרי לירבעם כה אמר יהוה אלהי ישראל יען אשר הרימתיך מתוך העם ואתנך נגיד על עמי ישראל Πορευθεῖσα εἰπὸν τῷ Ἱεροβοάμ, Τάδε λέγει Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, Ἀνθ' οὗ ὅσον ὕψωσά σε ἀπὸ μέσου τοῦ λαοῦ, καὶ ἔδωκά σε ἡγούμενον ἐπὶ τὸν λαὸν Ἰσραήλ *Abiens dic Jeroboam, Hæc dixit Dominus Deus Israelis, Propterea quòd extuli te è medio populi, & posui te ducem super populum Israel*] *Abiens*, aut *profecta*. ¶ Ἀνθ' οὗ ὅσον. Videtur ὅσον redundare. ¶ *Super populum*. In fonte est *super populum meum*, ἐπὶ τὸν λαόν μου.

8. ואקרע את הממלכה מבית דוד ואתנה לך ולא היית כעבדי דוד אשר שמר מצותי ואשר הלך אחרי בכל לבבו לעשות רק הישר בעיני Καὶ ἔῤῥηξα τὸ βασίλειον ἀπὸ οἴκου Δαυίδ καὶ ἔδωκα αὐτό σοι, καὶ οὐκ ἐγένου ὡς δοῦλός μου Δαυίδ, ὃς ἐφύλαξε τὰς ἐντολάς μου, καὶ ὃς ἐπορεύθη ὀπίσω μου ἐν πάσῃ καρδίᾳ αὐτοῦ τοῦ ποιῆσαι τὸ εὐθὲς ἐν ὀφθαλμοῖς μου; *Et rupi*

regnum

regnum à domo David, & dedi illud tibi; & non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & qui ambulavit post me toto corde suo, faciendo quod rectum est in oculis meis] *Rupi, abrupi, derupi, fregi.*

9. וַתָּרַע לַעֲשׂוֹת מִכֹּל אֲשֶׁר הָיוּ לְפָנֶיךָ וַתֵּלֶךְ וַתַּעֲשֶׂה לְּךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים וּמַסֵּכוֹת לְהַכְעִיסֵנִי וְאֹתִי הִשְׁלַכְתָּ אַחֲרֵי גַוֶּךָ Καὶ ἐπονηρεύσω τοῦ ποιῆσαι παρὰ πάντας ὅσοι ἐγένοντο εἰς πρόσωπόν σου, καὶ ἐπορεύθης καὶ ἐποίησας σεαυτῷ θεοὺς ἑτέρους καὶ χωνευτὰ, τοῦ παροργίσαι με, καὶ ἐμὲ ἔρριψας ὀπίσω σου; *Et nequiter egisti faciendo supra omnes quotquot fuerunt ante te, & ivisti fecistique tibi Deos & conflatilia, ad irritandum me, & me projecisti post te*] *Post te.* Ebræo *post tergum tuum.*

10. לָכֵן הִנְנִי מֵבִיא רָעָה אֶל בֵּית יָרָבְעָם וְהִכְרַתִּי לְיָרָבְעָם מַשְׁתִּין, &c. Διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἐγὼ ἄγω κακίαν πρὸς οἶκον Ἱεροβοὰμ, καὶ ἐξολοθρεύσω Ἱεροβοὰμ οὐροῦντα πρὸς τοῖχον, ἐπεχόμενον καὶ καταλελειμμένον ἐν Ἰσραήλ· καὶ ἐπιλέξω ἐπὶ οἴκου Ἱεροβοὰμ καθὼς ἐπιλέγεται ἡ κόπρος ἕως πληρωθῆναι αὐτὸν, *Propterea ecce ego adduco malum in domum Jeroboam, & exscindam Jeroboamo meientem ad parietem, retentum & derelictum in Israel: & legam super domum Jeroboami, quemadmodum legitur stercus donec consumptum fuerit*] *Legam*, & auferam; nempe ut collectum stercus auferri solet è sterquilinio. Interpres vetus, *& mundabo reliquias domûs Jeroboam sicut mundari solet fimus usque ad purum.*

11. הַמֵּת לְיָרָבְעָם בָּעִיר יֹאכְלוּ הַכְּלָבִים וְהַמֵּת בַּשָּׂדֶה יֹאכְלוּ עוֹף הַשָּׁמָיִם כִּי יְהוָה דִּבֵּר Τὸν τεθνηκότα τοῦ Ἱεροβοὰμ ἐν τῇ πόλει καταφάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα ἐν τῷ ἀγρῷ καταφάγεται τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ· ὅτι Κύριος ἐλάλησε, *Mortuum Jeroboamo in urbe comedent canes, & mortuum in agro comedent volucres cœli; quia Dominus locutus est.*

12. וְאַתְּ קוּמִי לְכִי לְבֵיתֵךְ בְּבֹאָה רַגְלַיִךְ הָעִירָה וּמֵת הַיָּלֶד Καὶ σὺ ἀναστᾶσα πορεύθητι εἰς οἶκόν σου· ἐν τῷ εἰσέρχεσθαι τοὺς πόδας σου τὴν πόλιν, ἀποθανεῖται τὸ παιδάριον, *Tu verò surgens vade in domum tuam: cùm intraverint pedes tui urbem, morietur puerulus.*

13. וְסָפְדוּ לוֹ כָל יִשְׂרָאֵל וְקָבְרוּ אֹתוֹ כִּי זֶה לְבַדּוֹ יָבֹא לְיָרָבְעָם &c. Καὶ κόψονται αὐτὸν πᾶς Ἰσραήλ, καὶ θάψουσιν αὐτὸν, ὅτι οὗτος μόνος εἰσελεύσεται τῷ Ἱεροβοὰμ πρὸς τάφον, ὅτι εὑρέθη ἐν αὐτῷ ῥῆμα καλὸν περὶ τοῦ Κυρίου Θεοῦ Ἰσραὴλ ἐν οἴκῳ Ἱεροβοὰμ, *Et plangent eum omnis Israel, & sepelient eum; nam iste solus ingredietur Jeroboamo in sepulcrum: quoniam inventum fuit in eo verbum pulchrum de Domino Deo Israel in domo Jeroboami*] *Verbum pulchrum*, res pulchra & bona.

14. וְהֵקִים יְהוָה לוֹ מֶלֶךְ עַל יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר יַכְרִית אֶת בֵּית יָרָבְעָם Καὶ ἀναστήσει Κύριος ἑαυτῷ βασιλέα ἐπὶ Ἰσραήλ, ὃς πλήξει τὸν οἶκον Ἱεροβοὰμ ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἔτι καίγε νῦν, *Et excitabit sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboami hâc die, & adhuc etiam nunc*] *Excitabit*, *eriget, constituet.*

15. וְהִכָּה יְהוָה אֶת יִשְׂרָאֵל כַּאֲשֶׁר יָנוּד הַקָּנֶה בַּמַּיִם וְנָתַשׁ אֶת &c. Καὶ πλήξει Κύριος τὸν Ἰσραὴλ καθὰ κινεῖται ὁ κάλαμος ἐν τῷ ὕδατι, καὶ ἐκτιλεῖ τὸν Ἰσραὴλ ἀπὸ ἄνω τῆς χθονὸς τῆς ἀγαθῆς ταύτης, ἧς ἔδωκε τοῖς πατράσιν αὐτῶν, καὶ λικμήσει αὐτοὺς ἀπὸ πέραν τοῦ ποταμοῦ, ἀνθ' οὗ ὅσον ἐποίησαν τὰ ἄλση αὐτῶν παροργίζοντες τὸν Κύριον, *Et percutiet Dominus Deus Israelem, sicut movetur calamus in aqua; & evellet Israelem de terra bona hac, & ventilabit eos trans flumen; propterea quòd fecerunt lucos suos, provocantes Dominum*] *Calamus*, *arundo, canna.*

16. וְיִתֵּן אֶת יִשְׂרָאֵל בִּגְלַל חַטֹּאת יָרָבְעָם אֲשֶׁר חָטָא וַאֲשֶׁר הֶחֱטִיא אֶת יִשְׂרָאֵל׃ Καὶ δώσει Κύριος τὸν Ἰσραὴλ χάριν ἁμαρτιῶν Ἱεροβοὰμ, ὃς ἥμαρτε, καὶ ὃς ἐξήμαρτεν Ἰσραήλ, *Et tradet Dominus Israelem propter peccata Jeroboami, qui peccavit, & qui peccare fecit Israelem.*

17. וַתָּקָם אֵשֶׁת יָרָבְעָם וַתֵּלֶךְ וַתָּבֹא תִרְצָתָה הִיא בָּאָה בְסַף הַבַּיִת וְהַנַּעַר מֵת׃ Καὶ ἀνέστη ἡ γυνὴ Ἱεροβοὰμ, καὶ ἐπορεύθη εἰς Σαριρά· καὶ ἐγένετο ὡς εἰσῆλθεν ἐν τῷ προθύρῳ τοῦ οἴκου, καὶ τὸ παιδάριον ἀπέθανε, *Et surrexit uxor Jeroboami, & abiit Sariram, & fuit cùm ingrederetur in vestibulo domûs ut puellus moreretur*] Σαριρά. Θερσαθά.

18. וַיִּקְבְּרוּ אֹתוֹ וַיִּסְפְּדוּ לוֹ כָל יִשְׂרָאֵל כִּדְבַר יְהוָה אֲשֶׁר דִּבֶּר בְּיַד עַבְדּוֹ אֲחִיָּהוּ׃ Καὶ ἔθαψαν αὐτὸ, καὶ ἐκόψαντο αὐτὸ πᾶς Ἰσραὴλ, κατὰ τὸ ῥῆμα Κυρίου ὃ ἐλάλησεν ἐν χειρὶ δούλου αὐτοῦ Ἀχιὰ τοῦ προφήτου, *Et sepelierunt eum, & planxerunt eum omnis Israel, secundùm verbum Domini quod locutus est per servum suum Achiam Prophetam.*

19. וְיֶתֶר דִּבְרֵי יָרָבְעָם אֲשֶׁר נִלְחַם וַאֲשֶׁר מָלָךְ הִנָּם כְּתוּבִים עַל סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל׃ Καὶ περισσὸν ῥημάτων Ἱεροβοὰμ, ὅσα ἐπολέμησε, καὶ ὅσα ἐβασίλευσεν, ἰδοὺ αὐτὰ γεγραμμένα ἐπὶ βιβλίου Ῥημάτων τῶν ἡμερῶν βασιλέων Ἰσραὴλ, *Reliquum autem verborum Jeroboam, quomodo bellaverit, & quomodo regnaverit, ecce illa scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel.*

20. וְהַיָּמִים אֲשֶׁר מָלַךְ יָרָבְעָם עֶשְׂרִים וּשְׁתַּיִם שָׁנָה וַיִּשְׁכַּב עִם אֲבֹתָיו וַיִּמְלֹךְ נָדָב בְּנוֹ תַּחְתָּיו׃ Καὶ αἱ ἡμέραι ἃς ἐβασίλευσεν Ἱεροβοὰμ εἴκοσι καὶ δύο ἔτη· καὶ ἐκοιμήθη μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ· καὶ ἐβασίλευσεν Ἀδὰβ υἱὸς αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ, *Et dies quibus regnavit Jeroboam viginti & duo anni: dormivitque cum patribus suis; & regnavit Adab filius ejus pro eo*] Ἐβασίλευσεν Ἀδάβ. Mendum scribarum, lego ἐβασίλευσε Ναδάβ. Tota hæc historia quam suprà produxi olim legebatur in Hexaplo, addita sub asteriscis: unde credibile est desumptam fuisse ex editione Theodotionis. Qua de re dicam alio tempore, si Deus permiserit.

GROTIUS.

1. **I**N *tempore illo ægrotavit Abia*] Tota hæc historia usque ad comma 21. non fuit in LXX; sed fuit in aliis quibusdam versionibus. Sic historia de cultu Vituli deest in Josepho.

2. *Commuta habitum*] Heb. *muta teipsam*, dissimula te nè quæ sis noscaris: ut liberiùs loquatur Propheta.

3. *Tolle quoque in manu tua decem panes*] Munuscula, 1 Sam. 9. 7, 8.

6. *Durus nuncius*] Μάντις κακῶν, ut apud Homerum.

9. *Me autem projecisti post corpus tuum*] Me posthabito.

10. *Clausum & novissimum*] Heb. *conclusum & derelictum*, ut Deut. 32. 36. i. quocunque is in statu fuerit. ¶ *Sicut mundari solet fimus usque ad purum*] Sicut stercus auferri solet ut nihil restet.

12. *Morietur puer*] i. *Adolescens.* Sic enim & ילוד pro *adolescentia* sumitur Eccles. 11. 9, 10.

13. *Quia inventus est super eos sermo bonus à Domino Deo Israel*] Rectius, *quia inventa est in eo cogitatio bona erga Dominum Deum Israel.* Nam *loqui* Hebræis sæpe *cogitare* significat.

15. *Percutiet*] i. Agitabit perpetuis motibus civilibus, ut explicat sequens similitudo. ¶ *Ventilabit eos trans flumen*] *Disperget*, in Hebræo, quod factum per Salmanassarem.

16. *Et peccare fecit Israel*] Cicero 3. De Legibus, *Quò perniciosiùs de republica merentur vitiosi Principes, quòd non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque solùm obsunt quòd illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt: plúsque exemplo quàm peccato nocent.* Xenophon 8. Institutionis Cyri, ὁποῖοί γάρ τινες οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ἐπιτοπολὺ γίγνονται· ἀθεμιστότεροι γὰρ νῦν ἢ πρόσθεν ταύτῃ γεγόνασι. Papinius,

——*Et castra simillima regi.*

Proximè ad nostrum argumentum Lactantius l. 5. Institutionum, c. 6. *Et quoniam mores ac vitia Regis imitari genus obsequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, nè exprobrare scelus Regi viderentur si piè viverent. Sic assiduâ imitatione corrupti Divinum fas reliquerunt.* Josephus hîc, συναφθαρῆναι τὰ τῶν ἀρχομένων ἤθη τοῖς ἡγεμόνων τρόποις.

21. *Quadraginta & unius anni erat Roboam cùm regnare cœpisset*] Putant viri docti errorem esse numeri, & scriptum fuisse 21. afferúntque in argumentum suæ sententiæ 1 Reg. 3. 7. 1 Par. 22. 5. & 2 Par. 10. 8. & 11. 17. ¶ *Decem & septem annos regnavit*] Omittit menses excurrentes.

excurrentes. Confer infrà 15. 1. ¶ *Nomen autem matris ejus Nahema Ammanitis*] Quæ suo exemplo & parvâ institutione filium corrupit post tres Regni annos, 2 Par. 11. 17.

23. *Super omnem collem excelsum*] More Patrum veterum, sed contra Legem, concordiæ in populo custodem, Deut. 12. 5.

24. *Sed & effeminati fuerunt in terra*] Catamiti: quod genus flagitii Divino permissu plerumque idololatriam sequitur: infrà 15. 12. 2 Reg. 23. 7. Rom. 1. 21, 28.

25. *Sesac rex Ægypti*] Σαούχις hic Diodoro Siculo. Hunc Josephus putat ab Herodoto *Sesostrin* dici, qui teste eodem Herodoto tum alia tum Palæstinam Syriam subegerit.

26. *Scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon*] Suprà 10. 16.

27. *In manum ducum scutariorum*] *Præfectorum cursoribus* in Hebræo, qui apud LXX οἱ ἡγούμενοι τῶν παρατρεχόντων.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

4. *Ut suscitaret filium ejus*] Hic filius fuit Asa, homo totus pius natus ex impio patre: Quod providentiâ Dei est factum, nè lucerna David in Jerusalem extingueretur, unde Lux mundi aliquando erat nascitura.

6. *Fuit prælium inter Rehabeam & Jarobeam*] Licèt à principio Dominus compescuerit Rehabeam ab armis capessendis, dicens per Prophetam à se factam Regni divisionem, illéque tunc ut obediens paruerit voci Domini, tamen gliscente utrinque odio & indies crescente mutuâ æmulatione, obliti monitionis Divinæ, in perpetuo duo illi Reges vixerunt dissidio, conante Rehabeam & posteritate ejus Regnum Israel à se dilapsum revocare.

10. *Nomen matris ejus Maacha*] Hæc fuit avia ejus, cùm fuerit mater patris ejus, sicut paulò superiùs dicitur; memoratúrque hîc fuisse mater Asa, in laudem & honorem Asa, quòd optimus filius per pessimam matrem à vero Deo ad idololatriam perduci non potuit. Hæc enim impia mulier replevit passim lucos & memora מפלצות, *simulachris*, potissimùm *Priapi*, ut quidam volunt, sive, ut cæteri exponunt, *horrendis fanis*, in quibus idola colebantur & abominationes fiebant. Vocat autem hîc Scriptura fana illa מפלצת *horrorem*, quòd horrendum fuit videre quæ in locis illis homines perditi suggestione diabolicâ perpetrabant. Piissimus verò Asa imperio potitus fana & idola in universum combussit, atque cinerem in torrentem Kidron projecit, nolens quòd vel aurum vel argentum eorum alicui cederent in commodum, cùm anathema essent. Et quando dicitur, *excelsa non ablata*, videtur quòd hæc excelsa fuerint altaria Domini, qualia habuerunt ante exstructionem Templi Domini: Alioquin si illic idola coluissent, Asa zelo Dei fervens ea sustulisset, cùm *cor ejus perfectum fuerit cum Domino*. Cætera patent, nisi quòd in fine hujus capitis est difficultas quædam de ratione temporis, quando dicitur *Baasam regnasse tertio anno Asæ*, sed quia hæc sine multis verbis dissolvi non potest, eam aliis enodandam relinquemus.

VATABLUS.

2. *Abisalem*, אבישלום] Hebræi dicunt idem esse quod *Absalom*.

3. *Perfectum*, שלם] *Sincerum*, *integrum*.

4. *Lucernam*, ניר] i. Filium qui regnaret in tribu Juda. Seipsum mox declarat cùm dicit, *Suscitando*, &c. i. dando Regnum filio ejus ipso mortuo. ¶ *Et stabiliendo*, ולהעמיד] *Et confirmando*, sub. *in statu pristino*.

5. *Rectum erat in oculis Jehova*, את הישר בעיני יהוה] Hebraismus, Quæ placebant Jehovæ, & erant grata: quòd quæ recta sunt, placeant. ¶ *Præterquam in re*, &c. רק בדבר וגו׳] *Præterquam in negotio*, &c. q. d. Hoc uno excepto quòd fuit causa necis Uriæ.

6. *Bellum autem fuerat*, &c. ומלחמה היתה וגו׳] i. Quemadmodum autem fuerat bellum assiduum inter patrem ejus & Jeroboam, ità fuit etiam bellum continuum inter ipsum & Jeroboam, ut dicit v. 7. ¶ *Vita illius*, חייו] Sub. *Roboam*, qui conabatur perpetuò recuperare Regnum quod occupaverat Jeroboam: unde ortum est bellum inter Reges Judææ & Israel.

10. *Matris ejus*, אמו] i. Aviæ: fuerat enim educatus apud eam, quæ erat mulier impia ac dedita idololatriæ. & tamen ipse non didicit mores aviæ, ideo hoc dictum est in laudem ejus.

11. *Pater ejus*, אביו] i. Proavus.

12. *Sustulit enim*, ויעבר] *Expulit enim*. *Amovit*. ¶ *De terra*, מן הארץ] i. De Regno suo. ¶ *Idola*, הגלולים] *Simulacra*.

13. *Nè esset princeps*, מגבירה] i. Nè haberet in Regno suo authoritatem ullam regnandi aut imperandi: privavit eam omni dignitate. Gallicè, *luy osta la regence du pais*. ¶ *Quæ fecerat*, אשר עשתה] *Eò quòd fecerat*. ¶ *Idolum in luco*, מפלצת לאשרה] *Simulacrum Priapi in luco*. Vox Hebræa significat *tremorem membrorum*, & *timorem animi*: Quòd idololatræ deos suos timeant ac revereantur.

14. *Excelsa autem*, והבמות] *Excelsa* erant altaria privata in quibus fiebant sacrificia etiam in honorem Dei, maximè ex eo tempore quo fuerat Tabernaculum in Silo usque ad Templum Salomonis. Hic autem Rex in hoc falsus est quòd ea reliquit: nam illa quæ erant idolis consecrata, evertit: quæ autem in honorem Dei, reliquit: debuerat enim in universum omnia altaria evertere, nè in alio loco fierent sacrificia quàm in loco à Deo præscripto, nempe in Templo Salomonis. ¶ *Perfectum*, שלם] i. Deum puro corde coluit: neque putavit se peccare quòd relinqueret excelsa in quibus soli Deo fierent sacrificia.

15. *Sanctificationes*, את קדשי] i. Ea quæ sanctificaverat, sive consecraverat pater suus, nempe aurum, &c.

17. *Ascendit namque*, ויעל] q. d. Conduxit milites, & eduxit eos contra Jehudam. ¶ *Et ædificavit Ramah*, ויבן את הרמה] *Ut ædificaret Ramah*, i. arcem vel turrim illam munitissimam & inexpugnabilem, quæ ab altitudine vocabatur *Ramah*. Aut certè est nomen proprium. ¶ *Nè permitteret*, לבלתי תת] i. Ut prohiberet *nè quisquam ire posset ad Asa, neque egredi ab eo*.

19. *Fedus est*, ברית] i. *Fedus est inter me & te, quod etiam fuit inter patrem meum & inter patrem tuum*, q. d. non novum, sed antiquum. Alii, *Fedus sit inter me & te, ut fuit inter patrem meum & patrem tuum*. ¶ *Munus*, שוחד] *Vice muneris*.

21. *Mansitque*, וישב] q. d. Continuit se in urbe regia.

22. *Nemo fuit exemptus*, אין נקי] *Nemine excepto*. ¶ *Quæ ædificaverat*, אשר בנה] *Ex quibus exstruxerat*, i. asportaverant aliò materiam quâ exstruxerat, vel, quam insumpserat in ædificium ipsum.

23. *Et omne robur ejus*, וכל גבורתו] i. Et omnia fortia gesta ejus. ¶ *Pedibus suis*, את רגליו] *Podagrâ*.

25. *Duobus annis*, שנתים] Duobus quidem annis in pace, & octo annis in afflictione.

27. *In Gibbethon*, &c. בגבתון וגו׳] Vide c. 16. 15. ¶ *Quæ erat Pelisthais*, אשר לפלשתים] i. Quæ tum occupabatur à Palæsthinis.

28. *Anno tertio*, בשנת שלוש] Sub. *Bellorum quæ gessit Asa Rex Juda contra Israelem*. Non intelligitur de initio Regni ejus: nam sub Asa decem annis quievit terra, at quæ 2 Par. 16. 1. dicuntur, de exordio Regni ejus sunt intelligenda. Doctus inter Hebræos sic scribit, *Locus iste sic exponi debet, Anno tertio quo cœpit Asa pugnare cum Regibus Israel, pugnavit priùs cum Nadab filio Jarobam: & anno tertio regnavit Baasa qui pugnavit cum Asa, sicut*

sicut dictum est, BELLUM AUTEM FUIT INTER ASA ET INTER BAASA. *Bellum vero illud quo ascendit Baasa, & ædificavit Ramah, fuit anno vicesimo tertio Regni ejus, qui est annus tricesimus tertius principii Regni Asa, vicesimus tamen & quintus annus vel vicesimus sextus Regni ipsius Asa: quia annus secundus Nadab filii Jeroboam, eò quòd non fuerit completus, annumeratur annis Baasa. Decem annos quibus quievit terra in principio Regni Asa, non annumeravit ipsi Nadab filio Jeroboam: duoque anni ex eis fuerunt in diebus Jeroboam: Prœterea octo annis non regnavit super Israelem: & si regnavit, non fuit roboratum Regnum ejus; propterea non annumeravit eos illi: Anno verò secundo post decem annos regnavit Nadab Regno perfecto, & tunc pugnavit cum Asa. Et hoc est quod supra dixit*, NADAB AUTEM FILIUS JEROBOAM REGNAVIT SUPER ISRAELEM ANNO SECUNDO ASA, &c.

29. *Disperdidit eum*, השמרו] *Delevit eum*, i. familiam ejus.

CASTALIO.

4. *Lucernam*] Posteritatem.

6. *Abiamum*] Hebr. *Roboamum*.

10. *Mater*] Avia.

13. *Pana fecerat in luco*] Quò minùs *Priapum* vertendum putem, in causa est quòd vix credibile est à femina Priapum esse factum: deinde quòd hîc in luco positus est, quod est Pani convenientius, cùm Priapus soleret in hortis collocari: Præterea quòd מפלצת à *terrore incutiendo* nomen habet; id quod Pani congruit, unde *Panicus timor* dicitur.

CLARIUS.

4. *Ut suscitaret filium ejus*] Hic filius fuit Asa, homo totus pius natus ex impio patre. Quod providentiâ Dei est factum, nè lucerna David in Jerusalem exstingueretur, unde Lux mundi aliquando esset nascitura.

10. *Nomen matris ejus Maacha*] Hîc ponitur *mater* pro *avia*. Et hanc putant vocari *matrem Asa* in laudem & honorem Asa, quòd optimus filius per pessimam matrem à vero Deo ad idololatriam perduci non potuerit.

14. *Excelsa autem non abstulit*] Videntur hæc excelsa fuisse altaria Domini, qualia habuerunt ante exstructionem templi Domini: Alioqui si illic idola coluissent, Asa zelo Dei fervens ea sustulisset, cùm *cor ejus perfectum fuerit cum Domino*.

GROTIUS.

4. *Dedit Dominus ei lucernam*] i. Regnum Davidi dedit etiam in posteris ipsius. Confer suprà 11. 36. 4 Reg. 8. 19. 2 Par. 21. 7.

5. *Et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ*] Exorbitaverat quidem & aliis rebus nonnullis, sed de tota via pietatis non decesserat, nisi uno illo tempore cùm adulterium cæde cumulavit.

12. *Purgavitque universas sordes idolorum*] Heb. *abstulit idola omnia*: quæ quidem idola, quia impurant animum, Hebræis גלולים dicuntur.

13. *Amovit, nè esset princeps in sacris Priapi, & in luco ejus quem consecraverat*] Rectiùs sic, *Amovit eam ab honore Augustæ, quòd fecisset Terriculam in luco.* Quia autem in hortis Græciæ & Italiæ poni solebat forma Priapi, ideo ex simili hanc vocem hîc posuit Interpres. *Amovit ab honore Augustæ*, i. excubias militares abstulit, ut matri Nero.

14. *Excelsa autem non abstulit*] Heb. *excelsa non sunt remota*, i. Non satis auctoritatis viriúmque habuit ut hoc malum tam latè diffusum tolleret, cùm ipse (ut sequitur) in rebus Dei optimè esset animatus. Interdum *melius omittere prævalida & adulta vitia, quàm hoc assequi ut palàm fiat quibus flagitiis impares simus*, ut verbis utar Taciti ex Annal. 3.

15. *Quæ sanctificaverat pater suus, & voverat, in domum Domini*] Heb. *sanctificationis patris sui, & sanctificationis domus Domini.* Sensus est, *tum quæ pater, tum quæ ipse Templo voverat.*

17. *Ut non posset quisquam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda*] i. Exitus à suo Regno in Regnum Asæ, & ex Regno Asæ in suum obstruxit, nempe nè mutua illa commercia suis deficiendi occasionem darent.

18. *Tollens itaque Asa omne argentum & aurum quod remanserat in thesauris domûs Domini*] Excusatur hæc rerum sacrarum usurpatio summi mali metu. Vide 1 Sam. 21. & De J.B. ac P. l. 3. c. 5. §. 2. & c. 21. §. 23. ¶ *Misit ad Benadab*] Idem nomen quod *Adad*, & aliis *Ader*: quo de nomine egimus suprà, & ad 3. l. De V. R. Christ.

21. *Reversus est in Thersa*] Sic & LXX ἀνέστρεψεν εἰς Θερσὰ, mutatis punctis, ut sit à שוב, non à ישב.

22. *Nemo sit excusatus*] Ubi adversùs hostem muniendi sunt limites, omnis immunitas cessat, l. ult. C. de quibus muneribus nemini liceat se excusare.

23. *Verumtamen*] Heb. *tantùm*, i. Caruit morbis, nisi quòd extremâ ætate sensit podagram.

28. *Et regnavit pro eo*] In 10 tribubus multi ad Regnum pervenerunt vi, non successione. In Judæ parte nullus regnavit nisi sanguinis jure, secundùm promissa Davidi facta.

33. *Anno tertio Asa regis Juda*] i. Anno tertio postquam ei susceptum erat bellum in Israelem: id enim repetendum ex superioribus. Confer 2 Par. 16. 1.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

7. *Et pro eo quòd occidit eum*] Fecit Baasa conspirationem contra dominum suum Nadab, & occidit eum, ut imperii assequeretur dignitatem, ideo minatur Dominus hîc per Prophetam eliminationem posteritatis ejus, sicut & paulò pòst factum scribitur.

18. *Combussit se*] Kimhi putat sic intelligendum, quòd Amri combusserit Zimri unà cum domo regia, in quam ille confugit veluti in propugnaculum.

19. *Peccare fecit Israel*] Quomodo is peccare fecit Israel qui solùm septem diebus regnavit? Dicendum quòd antea, cùm Principem ageret curruum vel equitum, peccare fecit Israel.

24. *Montem Schomron*] Græci & Latini ex *Schomron* fecerunt *Samariam*. Hunc itaque locum, qui castrum priùs fuisse putatur, ædificavit Amri, & in civitatem mutavit, atque caput Regni constituit.

31. *Nam leve sibi videbatur*] Sensus est, Peccata Jarobeam fuerunt levia in oculis ejus, quippe qui adhuc majora adjecit peccatis illius, ducens uxorem pessimam cultui Baal idoli Sidoniorum addictam; in cujus favorem in Schomron plantavit lucos, ædificavit templa & erexit aras pro honore illius fœdissimi idoli, ante quod & genua flexit.

34. *De Bethel*] Heb. *Bethelites*; sicut dicimus *Bethlehemites*, *Samarites*. Hic itaque contra prohibitionem Domini & contra maledictionem Jehosuæ ausus fuit reædificare Jericho civitatem anathemati suppositam: quapropter punitus fuit à Domino, ut omnes filii ejus interficerentur. Primus natu interiit in fundamentorum collocatione, & junior in ostiorum appensione. Jonathan Chald. hunc locum sic vertit, *In diebus ejus ædificavit Hiel locum juramenti, nempe Jeriho: & interfectus est Abiram primogenitus ejus cùm inciperet ponere fundamentum ejus*, &c.

VATABLUS.

2. *Exaltavi te de pulvere ipso*, הרימותיך מן העפר] i. Evexi te in supremum gradum de statu infimo. ¶ *Posui namque te*, אתנך] Ad verb. *& dedi te.* Exponit quo-

quomodo erexerit eum. ¶ *Peccatis eorum*, בחטאתם] Pronomen plurale pro sing. *ejus*, nempe Jeroboam.

3. *Removeo*, מבעיר] Præf. Heb. pro fut. *expellam*, sive *removebo*, q. d. En ego expellam Baasa & familiam ejus, i. tollam de medio. ¶ *Daboque*, &c. ונתתי] Hebraismus, Reddam familiam ejus similem familiæ Jeroboam, i. perdam eam non aliter quàm perdidi Jeroboam, cujus studia imitatus es.

4. *Comedent canes*, &c. יאכלו הכלבים] Hoc genere dicendi significat eos carituros sepulturâ, q. d. Nullus sepelietur. ¶ *Ex eo*, לו] *Ei*, i. ex ejus familia.

5. *Atque fortitudo ejus*, וגבורתו וגו'] i. Fortia & egregia facinora ejus.

7. *Et etiam per manum*, &c. וגם ביד יהוא] Hebraismus, Prædixerat etiam Jehu interitum filii ejus, nempe Jeroboam, vel, Non solùm per Jehu interitus familiæ hujus fuit prædictus, sed & per Ahiam. Aut, Prædixit etiam Jehu interitum Baasa quemadmodum Ahias prædixerat interitum patris ejus Jeroboam. ¶ *Irritando eum*, להכעיסו] *Provocando eum*, vel, *ità ut provocaret eum ad iram*. ¶ *Quòd futurâ esset*, להיות] i. Prædixit verbum Dei, *fore ut esset similis domui Jeroboam*, *& propterea quòd percussisset illum*. Nadab scilicet, vel, *quòd futura esset* familia Baasa *ut familia Jeroboam*, *& quòd percussisset*, &c. Minatus est Deus extremum exitium familiæ Baasa duabus de causis, primùm ob idololatriam, deinde quòd ille dominum suum Nadab interfecisset. Pater pro filio aliquando ponitur. Ergò *eum* refert *Jeroboam*, h. e. filium Jeroboam, Nadab: vel, dicendum, esse relativum sine antecedente expresso.

8. *Anno vicesimosexto*, בשנת עשרים ושש שנה] Ad verb. *anno vicesimo & sexto anno*. Bis ponitur *anno*, quorum alterum Latinis redundat. Sic v. 15.

9. *Bibens*, *ebrius*, שותה שכור] *Acsi dicat*, inquit doctus inter Hebræos, *usqueadeò bibit ut seipsum inebriarit*. ¶ In domo Arsa, בית ארצא] Chald. *in templo Arsa*, [i. idoli quod colebat Ela] quod templum erat juxta regiam. Hebræi dicunt *Arsa* fuisse nomen proprium Præfecti aulæ regiæ.

10. *Veniens*, ויבא] Sub. in locum ubi Ela erat temulentus. ¶ *Et regnavit pro eo*, וימלך תחתיו] i. Invasit Regnum illius.

11. *Non reliquit*, &c. השאיר] i. Nullum marem reliquit, vel omnia perdidit, etiam ipsos canes. Hyperbole.

13. Ità *ut irritarent*, להכעים] *Provocando ad iram*. ¶ *In vanitatibus suis*, בהבליהם] i. Per simulacra & idola sua, colendo ea.

15. *Castrametabantur*, &c. חונים על גבתון אשר וגו'] *Castra posuerant contra Gibbethon*, &c. i. erant in castris ut obsideret Gibbethon quæ tunc occupabatur à Palæsthinis.

16. *Hujusmodi verba*, לאמור] Ad verb. *dicendo*.

18. *Palatium*, אל ארמון] *Arcem*, i. locum tutissimum ac munitissimum regiæ. ¶ *Combussit*, &c. וישרוף עליו את בית מלך] *Et combussit se unà cum regia*. Alii referunt ad Omri, quòd combusserit ipsum Zimri unà cum regia, vertentes, *& combussit super eum domum Regis ad quam confugerat Zimri*.

21. *Sequebatur*, היה אחרי] Ad verb. *fuit post*, i. sequebatur partes, *Thibni*.

22. *Prævaluit autem*, ויחזק] *Evasit autem fortior*, i. fuit superior.

23. *Anno tricesimoprimo*, בשנת שלושים ואחת] Hoc intelligitur de Regno pacifico. A tricesimoseptimo usque ad quadragesimum primum interjacentes anni non numerantur propter bella. Notandum autem, melius esse ut accipiantur omnes istæ supputationes Regis Asa simpliciter, & ut in Scriptura leguntur, & quòd locus libri Paralipomenon, ubi dicitur quòd *Baasa Rex Israel ædificavit Rama anno tricesimosexto regni Asa regis Juda*, intelligatur de anno 36 à divisione Regni, sive morte Salomonis, quo tempore scilicet regnabat Asa Rex Juda: erátque annus ille annus decimussextus regni ipsius. *Regnavit*, מלך] *Regnaverat*.

24. *Someron*, שמרון] i Samariæ. *Someron* montem, urbem, & regiam significat. ¶ *Et ædificavit*, ויבן] *Et munivit*.

26. *In vanitatibus suis*, בהבליהם] Ut v. 13. Per omnia, inquit, imitatus est studia Jeroboam & idololatriam ejus, impellendo Israelem in ipsam idololatriam.

27. *Et fortitudo ejus quam fecit*, וגבורתו אשר עשה] Hebraismus, Quæ egregiè ac fortiter gessit, ut v. 4.

31. *Nónne leve fuit*, הנקל] *Nónne leve visum est illi*: aut *parvi momenti*, q. d. Sic poscit enim ה responsionem affirmativam, h. e. Parùm enim curavit si imitaretur peccata, &c. Alii, *Nunquid vile* [*turpe*] *fuit illi?* q. d. Putavit esse vile, idem enim est sensus. ¶ *Ut acciperet*, ויקח] Ad verb. *& accepit*. Alii, *accepit insuper*. ¶ *Et abiit*, וילך] Sub. *Sidonem*. ¶ *Baal*, את הבעל] Nomen est appellativum, non proprium, *idolum* sive *simulacrum* significans in genere. ¶ *Incurvavítque se ei*, וישתחו לו] *Adoravítque eum*.

34. *In diebus ejus* בימיו] Peccatum imputatur Achab quòd sub eo reædificata fuerit Jericho, quam instaurare vetuerat Dominus. ¶ *In Abiram primogenito suo*, &c. באבירם בכורו יסדה וגו'] *Cum primogenito suo*, &c. i. Cùm cœpit ædificare illam, vivebat adhuc primogenitus ejus: at cùm finem imposuit illi, mortuus est etiam novissimus, sive ultimus natu. Vide Jos. 6. 26. ¶ *Statuit portas ejus*, הציב דלתיה] i. Imposuit finem ædificationi.

CLARIUS.

7. *Et pro eo quòd occidit eum*] Fecit Baasa conspirationem contra dominum suum Nadab, & occidit eum, ut imperium assequeretur, ideo minatur Dominus hic per Prophetam eliminationem posteritatis ejus, sicut & paulò pòst factum scribitur.

34. *Jericho*] Hiel contra prohibitionem Domini & contra maledictionem Josue ausus fuit reædificare Jericho civitatem anathemati suppositam: quapropter punitus fuit à Domino, ut omnes filii ejus interficerentur. Primus natu interiit in fundamentorum collocatione, & junior in ostiorum appensione.

GROTIUS.

3. *Posteriora*] i. Posteros.

4. *Comedent eum canes*] Verba repetita ex loco qui suprà 14. 11. In pari culpa par pœna.

7. *Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset*] Meliùs vertas ex Hebræo; *Nempe per Jehu filium Hanani verbum Domini fuerat contra Baasam & domum ejus*. Ostendit scriptor impletam planè prophetiam de qua agere cœperat capitis hujus initio. ¶ *Ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani Prophetam*] Meliùs in Hebræo, *& quòd percussisset eum*; nempe Jeroboamum Regem suum: nam & hoc crimen pœnam à Deo merebatur, cùm nullo Dei jussu id fecisset. Nec aliud voluere LXX, ὑπὲρ τοῦ πατάξαι αὐτόν.

8. *Regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis*] Non plenis, ut colligimus infrà 10.

9. *Et rebellavit*] Rectiùs *conjuravit*. ¶ *Dux mediæ partis equitum*] Imò *curruum*, *falcatorum scilicet*. Metuendi Regibus illi maximè qui milites habent sibi obnoxios, quales Præfecti Prætorio, Magistri militum, Magistri Equitum, & similes. ¶ *Bibens*, *& temulentus*] Tales præcipuè occasiones captant Regum aut principum percussores. Vide Dan. 5. 30. & Gontharidis cædem 2 Vandalicorum Procopii. Hoc consilium & Pisoni datum videbis apud Tacitum Annal. 15.

10. *Et regnavit pro eo*] Nam ob id solùm eum occiderat.

11 *Percussit omnem domum Baasa*] Ex illo præcepto quod non nisi tyranni probant,

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας υἱοὺς καταλείπει.

¶ *Et propinquos & amicos ejus*] Quinque proximas domos, ut moris fuisse in illis locis ait Philo Vita Josephi.

12. *Delevitque Zambri*] Etiam malis hominibus in malos Deus sæpe utitur ad judicia exsequenda.

13. *In vanitatibus suis*] In Diis imaginariis.

15. *Porrò exercitus obsidebat Gebbethon*] Sic Othonem sibi Principem fecerant qui in Urbe erant, exercitus verò Vitellium: & cùm Vitellium Urbs recepisset, exercitus Imperatorem fecit Vespasianum; multáque talia sunt in Historia Romana. Et olim exercitus destruxit decem-virale imperium. Sunt enim tali tempore quasi duæ civitates, & pars validior infirmiorem trahit.

16. *Fecit sibi regem*] ἀντιβασιλέα.

18. *Succendit se cum domo regia*] Sic postea Saguntini *excitant rogum, tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt*, ait Florus. Et post eos Numantini.

19. *In peccatis suis*] Heb. *ob peccata sua*, & Lxx ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ. Bene.

21. *Divisus est populus Israel in duas partes*] Inter pœnas quas Deus infligit contumacibus populis non minima est Divisio. Sic ex asse Hebræo fecerat sextantem & dextantem, nunc ex dextante duos quincunces.

24. *Emitque montem Samariæ*] Bene: *Nam omnia Rex imperio possidet, singuli dominio*, ut ait Seneca l. 7. de Beneficiis c. 4. Sequitur de Rege c. 6. *& accipere munus, & debere, & emere, & conducere potest.* ¶ *Duobus talentis argenti*] Hodie modicam domum ægre emas tanti.

25. *Super omnes qui fuerunt ante eum*] Quia non exemplo tantùm sed & legibus homines sibi subditos coegit ad malos cultus, Mich. 6. 16.

31. *Jezabel*] Feminam & imperiosam & crudelem. Vide Apoc. 2. 20. Talis Tullia Tarquinii uxor, Fulvia Antonii, Eudoxia Arcadii. ¶ *Filiam Ethbaal*] Εἰθώβαλε. Sic nomen hoc scribit Menander Ephesius in Phœnicicis, & Acta Tyriorum. ¶ *Servivit Baal*] Soli, Sidoniorum Deo primo.

33. *Ac plantavit lucum*] Qui mos Phœnicibus & vicinis gentibus, ob id vetitus lege Exod. 34. 13. Deut. 7. 5. ¶ *Addidit Achab in opero suo*] Impietate priores superavit.

34. *In manu Josue filii Nun*] Servavit Hebraismum, ut ferè Lxx solent. Alioqui, planius fuerat *per Josuen*. Verba repetita ex Jos. 6. 26. ubi dicta vide. Egregium providentiæ Divinæ documentum.

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

1. **E**Lija *Thisbites*] Nugantur hîc quidam RR. Elijam Prophetam fuisse Pinehas filium Eleazar filii Aharon, quod si verum esset, non diceretur hîc Elijam fuisse *de habitatoribus Gilead*, nec verisimile est Scripturam id tacuisse, ut homo eo tempore vixerit quingentis aut sexcentis annis. Conantur verò id in hunc modum astruere, quòd aliquot annis Pinehas jussu Divino sese abdiderit, & deinde tempore Ahab iterum inter homines apparuerit. Sed nemo est qui id commentitium esse non videat, præsertim cùm fine Scriptura id asserant. Huic ferè simile est quod quidam ex eis dicunt, corvos cibos de mensa Ahab tulisse ad Elijam juxta torrentem Cherith latitantem. Habuit Dominus adhuc septem millia justorum in terra qui non curvaverant genua sua ante Baal: atque ideo fieri potuit ut ad aliquem eorum direxerit corvos, & jusserit pabulum dare famulo suo.

9. *Zarphath*] Hæc est civitas apud Zidonem. *Zarphath* autem de qua in Abdia legitur est provincia quædam, per quam Hebræi hodie communiter intelligunt *Galliam*. Unde Francigenam vocant צרפתי *Zarphathi*.

13. *Subcinericeum panem*] Est מעוג *panis in prunis coctus*.

15. *Per dies multos*] Non est in Hebræo *multos*; sed nos adjecimus. Et intelligunt Hebræi per *dies* annum unum, quo capsa farinacea non defecit.

21. *Expandens se*] Heb. *mensurans se*. Sed capitur hîc *mensurare* pro השתטח, quanquam & commensuratio quædam fuerit cùm faciem suam poneret super faciem pueri, & manus suas super manus ejus, &c.

VATABLUS.

1. **D**E *advenis*, מתושבי] *Inquilinis, incolis*. Chald. *de Thosab*. ¶ *Vivit Jehovah*, &c. חי יהוה] i. Juro tibi per Jehovam, *coram quo stare soleo* frequenter in oratione, vel, cui servio. ¶ *Sto*, עמדתי] Præt. Heb. pro præs. *asto*. *Stare coram aliquo*, pro *illi inservire*. ¶ *Et pluvia*, ומטר] *Aut pluvia*. ¶ *Nisi secundùm verbum meum*, כי אם לפי דברי] i. Nisi prædixero fore, Deo scilicet mihi revelante.

3. *Et verte te ad orientem*,] ופנית לך קדמה] i. Et proficiscere versùs Orientem. ¶ *In torrente*, בנחל] Observa, *torrentem* interdum accipi pro *aqua* ipsa, interdum pro *valle*, per quam decurrit aqua: hic pro utroque accipi potest.

7. *Post dies verò aliquot*, ויהי מקץ ימים] Ad verb. *Et fuit in fine dierum*. ¶ *Fuerat pluvia in terra*, היה גשם בארץ] *Descenderat pluvia* [*pluerat*] *in ea regione*.

9. *Surge, vade*, קום לך] q.d. Sine mora vade. ¶ *Quæ est ipsius Sidon*, אשר לצידון] i. In regione Sidoniorum.

10. *Ligna*, עצים] *Fragmenta ligni* significat, & *ramusculos* quos obviàm habebat.

11. *Ut tolleret*, לקחת] *Ut caperet*, i. ut afferret illi aquam.

12. *Vivit Jehovah*, &c. חי יהוה וגו'] Hebraismus, Juro tibi per Dominum Deum quem tu colis, non esse mihi quicquam panis subcinericei, sed tantum farinæ quantum manu capi potest. ¶ *Duo ligna*, שנים עצים] Pro *pauculis* dixit *duo*. ¶ *Et præparem illud*, ועשיתיהו] Ut ex illo paululo quod superest præparem mihi panem subcinericeum. ¶ *Comedamúsque*, &c. ואכלנוהו ומתנו] *Ut cùm comederimus, moriamur*, nihil enim aliud supererat illi.

14. *Hydria farinæ*, כד הקמח] *Hydrinam farinæ* atque *lenticulam olei* dixit pro *farina hydriæ* & *oleo lenticulæ*, sive *lecythi*. Continens pro contento, i. Farina hydriæ non deficiet, nec oleum lenticulæ minuetur.

15. *Per dies*, ימים] i. Diebus aliquot.

17. *Vehemens*, &c. חזק מאד עד אשר וגו'] Ad verb. *fortis admodum, donec non remansit*.

18. *Quid mihi & tibi*, &c. מה לי ולך] Sub. *commune*, q. d. Qua in re te læsi? ¶ *Ut in memoriam reduceres*, להזכיר] *Ut* Deum *memorem faceres*, q. d. Fortè non sum tibi famulata pro officio.

19. *Portavitque eum*, ויעלהו] Ad verb. *& ascendere fecit eum*.

20. *Apud quam habito*, &c. מתגורר עמה הרעות] *Apud quam diversor* [*habito ut peregrinus*] *affligere voluisti*, vel, *dignam duxisti ut affligeres*. Alii, *affliges*.

21. *Et admensus est sese super puerum*, ויתמודד על הילד] *Et expandit sese super puerum*, i. incubuit puero. ¶ *In interiora ejus*, על קרבו] *In viscera ejus*, i. intra illum, h. e. in sedem suam, nempe cor.

23. *De cœnaculo in domum*, מן העליה הביתה] i. de superiore parte domûs in inferiorem.

24. *Quòd vir Dei es*, כי איש אלהים אתה] i. Te Prophetam Dei esse, & quòd quæ dixisti mihi vera sunt, vel, novi quòd quæ dixisti, &c. priorem partem hujus versûs intelligit de resurrectione filii sui, posteriorem de prædictione superiore farinæ & olei.

CLARIUS.

6. **D**Eferebant ei panem & carnes] Quidam Hebræi dicunt corvos cibos de mensa Achab tulisse ad Eliam. Sed cùm habuerit Dominus adhuc septem millia justorum in terra qui non curvaverant genua sua ante Baal, fieri potuit ut ad aliquem eorum direxerit corvos, & jusserit cibos dari famulo suo.

9. *In Sareptam*] Heb. *Zarphath*: & est civitas apud Sidonem. Ea autem de qua in Abdia legitur est provincia quædam

quædam per quam Hebræi hodie communiter intelligunt *Galliam*. Unde Francigenam vocant *Zarphathi*.

21. *Expandit se super puerum*] Cur hoc, nisi quòd in hoc facto signabatur Christum Dei Filium ad mensuram nostram contrahendum ut nos vivificaret?

GROTIUS.

1. ELias *Thesbites*] Vir fuit excelsi animi, & acer legum vindex, cui (salvo pietatis & prophetiæ privilegio) inter Græcos Timoleontem conferam, inter Romanos Scipionem Nasicam. ¶ *Si erit annis his ros & pluvia*] *Triennium & sex menses*, Jac. 5. 17. Hujus ingentis ἀνομβρίας memoria exstitit apud Menandrum in Phœnicicis, teste Josepho. Est talis temporis descriptio in declamatione Quintiliani quæ inscribitur PASTI CADAVERIBUS; *Nullus imber sitientis soli pulverem tersit, nulla supra arentes campos saltem umbra nubium pependit, calidi spiravere venti.* ¶ *Nisi juxta oris mei verba*] Ad meas imprecationes incipiet malum, ad meas precationes desinet: Jacobus dicto loco, ideo *dare pluviam se* dicit 18. 1. ἐπήγαγε λιμὸν ait Sirachides 48. 2. Quale genus loquendi habes & Jer. 1. 10. & alibi.

3. *Abscondere in torrente Carith*] i. παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ, ut hîc rectè Josephus.

4 *Corvisque præcepi ut pascant te ibi*] Rapaci imprimis volucri. Ità solet Deus ostendere se naturæ ut artificem ità mutatorem. Paulo Eremitæ idem evenisse narrat Hieronymus. Quos Lupæ, Equæ, Cervæ, Vulpes aluerint exempla sunt apud poetas & Ælianum. Ægisthum à Capra educatum quò magìs credamus facit historia pueri quem sic educatum vidit Procopius, narràtque Gothicorum, 2.

9. *In Sarephtha Sidoniorum*] Quæ *Sarepta* Plinio, 5. 19.

15. *Abiit & fecit juxta verbum Eliæ*] Fides Euangelicæ fidei non dispar.

16. *Hydria farinæ non defecit*] Deo adjiciente incrementum latens, ut Matth. 14. 19. & 15. 36. & ejusdem argumenti locis.

18. *Quid mihi tecum?*] Quid tibi nocui? Vide Joh. 2. 4. ¶ *Ut rememorarentur iniquitates meæ*] Quia Propheta es, facile tibi est in omni vita mea aliquid reperire pœnæ obnoxium.

21. *Expandit se*] Sic & Elisæus 2 Reg. 4. 34. Hic contractus hunc usum habuit, ut sciretur non tantùm Deum hoc facere, sed & facere propter Eliam. Simile vide Joh. 9. 6. ¶ *Revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus*] Cùm graves imminerent vexationes ob religionem, magìs in dies piis aperire Deus aliquid voluit περὶ τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

1. ANno tertio] Postquam scilicet fames in terra ob pluviarum retentionem invaluerat.

21. *In duas cogitationes*] Quidam exponunt hîc סעפים pro מחשבות *cogitationibus*. Jon. פלגון *divisiones*. Capitur igitur hîc *claudicatio cogitationum* pro Vacillatione mentis. Apud Hebræos sunt סעפים *palmites*, qui fluctuant & vacillant vento agitati. Videtur ergò esse sermo proverbialis.

26. *Quod fecerat*] Subaudiendum *Israel*.

27. *Quoniam Deus est*] h. e. In supernis habitat longè à vobis: necesse igitur est ut fortiter clametis & vox vestra ad cœlum usque pertingat. ¶ *Fortassis habet colloquium*] Chald. interpres vertit כי דילמא pro שיח, sicut nos vertimus, & שועי pro שיח *confabulatione*. Porrò שיג à radice נשג capitur pro *comprehensione hostium*, vel pro ipsa *insectatione*.

29. *Ut prophetarent*] h. e. Confictis verbis ostendebant se populo quasi Prophetæ essent. Jon. ואישתטיאו *insani & dementes facti sunt usque ad sacrificium Minha*, h. e. עד שעת קרבן מנחת הערב *usque ad horam sacrificii Minha vespertini*. Alii capiunt *prophetare* pro *Facere sacra, Sacros ritus peragere, Carmina canere sacra.*

30. *Reparavit altare Domini*] Heb. *Sanavit altare Domini*, transumptivè scilicet abutens verbo רפא. Putant autem altare illud prius à Saul in monte illo exstructum, quod cultores Baal deinde diruerunt, qui passim in montibus illis excelsa construxerunt ubi Domino exercituum filii Israel ante Templi exstructionem sacrificia obtulerant. Nec peccavit Elija in hoc quòd altare Domini reparavit & sacrificia super ipsum obtulit, cùm illud faceret pro honore Dei, ad revocandum populum ab errore.

32. *Fecitque fossam*] Capitur hîc תעלה pro הפירה, sicut vertimus. Porrò *spatium duorum satorum seminis* dicunt esse spatium quinque cubitorum. Tam latam fecit Elijah fossam; quæ & aquis repleta est. Sed unde habuerunt aquam in tanta terræ siccitate? Dicendum quòd juxta montem illum fuerit scaturigo fonti aquarum ministrans copiam. Sunt tamen inter Rabinos qui non verentur scribere Elisam, quem nostri *Elisæum* legunt, fudisse aquam super manus Elijæ, & tunc cœperunt decem digiti ejus in modum decem fontium aquas largas effundere.

42. *Prosternens se ad terram*] Prostravit se primùm super terram ad orationem, & deinde resedit facie ad genua conversâ, non cessans Deum invocare pro pluvia donec exauditus fuit.

45. *Interea*] Heb. *usque sic & usque sic*; h. e. interea dum Achab currum aptavit, & descendit de loco in quo comedit, obductum est cœlum pluviosis nubibus, & flare cœpit ventus pluviam generans.

46. *Quousque venit in Isreel*] Heb. *quousque venias in Isreel*; relato scilicet affixo Caph ad eum qui loci notitiam habet.

VATABLUS.

1. ANno tertio, בשנה השלישית] A discessu ejus de torrente Cherith.

4. *Nam cùm exterminaret Izebel*, ויהי בהכרית איזבל את נביאי] Ad verb. *Et fuit, in excidendo Izebel Prophetas*, i. cùm persequeretur, studerétque tollere Jezabel Prophetas. Chald. *occidere faceret*.

5. *Vade per terram*, לך בארץ] i. Lustra regionem. ¶ *Ut vivos conservemus*, ונחיה] Ad verb. *& vivificabimus*. ¶ *Neque privemus*, &c. ולא נכרית מן בהמה] Ad verb. *& non excidamus* [vel, *excidere faciamus*] *à jumentis*. Vel, *& non privabimus* urbem [vel, nos] *jumentis*, i. nè destituamur jumentis.

6. *Per quam transirent*, לעבר בה] Ad verb. *ad transeundum in ea*, i. ut lustrarent eam. ¶ *Solus*, לבדו] *Seorsum*, i. sine Abdia: *& Abdias solus sine Achab ibat aliâ viâ*.

7. *Cùmque Obadiahu*, &c. ויהי עבדיהו בדרך וגו'] Ad verb. *Et fuit, Obadiahu in itinere, & ecce Elijahu in occursum ejus*, pro *Accedit autem* [vel, *Evenit autem*] *cùm esset Abdias in via ipsa* [per quam scilicet ibat] *occurrit illi Elias*.

9. *Quid peccavi*, &c. מה חטאתי] *Quid peccavi* [sub contra te] *ut tu tradas*, &c.

10. *Vivit Jehovah*, &c. חי יהוה וגו'] Hebraismus, Juro tibi per Dominum Deum cujus es Propheta, *nullam esse gentem, aut regnum vicinum ad quod*, &c. ¶ *Et dixerunt, Non est*, ואמרו אין] Sub. *Reges & gentes ad quas miserat nuncios*. Chald. *Et dixerunt, Non fuit hic*. ¶ *Regnum & gentem*, &c. את הממלכה ואת הגוי וגו'] Sing. Heb. pro plur. *adjuravit regna & gentes quòd non invenissent te*, vel, *propterea quòd non invenisset te*.

12. *Eritque, cùm à te*, &c. והיה אני אלך מאתך ורוח וגו'] Ad verb. *& erit, ego abibo à te, Spiritus*, &c. ¶ *Quem non cognoscam*, אשר לא ארע] *Quem ignorabo*, i. mihi ignotum.

13. *In spelunca*, במערה] i. In singulis speluncis.

14 Et

14. *Et interficiet me*, [והרגני] *Certè* [*profectò*] *interficiet me.*

15. *Vivit Jehovah*, &c. [חיהוה] Vide eadem suprà 17. 1. ¶ *Ostendam me ei*, [אראה אליו] *Apparebo illi*, q. d. Prædictio tua erit vera, si prædixeris me adesse.

18. *Et ambulaveris*, &c. [ותלך אחרי הבעלים] Singulari utitur, acsi dicat, Et tu præcipuè secutus fueris idola.

19. *Nunc igitur mitte*, [ועתה שלח] Sub. *Nuncios*, q. d. Ergò quia tu dicis me conturbare Israelem, volo probare te ipsum esse qui illum conturbas non me. ¶ *Lucorum quadringentos comedentes*, &c. [האשרה ארבע מאות אכלי ונו'] Sing. Heb. pro plur. *luci*, *quadringenti comedentes*, &c. *Lucos*, dicatos idolis intelligit, *comedentes de mensa Jesabel*, i. quibus victum dabat Jezabel.

21. *Claudicatis*, &c. [פוסחים על שתי הסעפים] i. Quousque tandem alternis, more claudorum, innitimini duabus persuasionibus? nunc credendo Dominum, nunc Baal esse verum Deum. Chald. *Usquequo divisi estis in duas partes?*

22. *Remansi*, [נותרתי] *Relictus sum*, i. sum solus ex omnibus Prophetis qui hîc tuear gloriam & honorem Domini.

23. *Dent itaque*, &c. [ויתנו לנו שנים פרים] *Dent itaque* [sub. *servi Achab*] *duos boves.*

24. *Tum invocate*, [וקראתם] *Tunc invocabitis.* ¶ *Erit verò*, [והיה] q. d. Hac conditione ut *Deus qui*, &c. ¶ *Per ignem*, [באש] i. Demittendo ignem de cœlo qui consumat holocaustum. ¶ *Bonum est verbum*, [טוב הדבר] i. Æquum & bonum est quod proponit.

26. *Dederat*, [נתן] Sub. *Achab*, vel *is qui adduxerat.* ¶ *Et transiliebant*, &c. [ויפסחו על ונו'] *Et insiliebant* [*alii*, *saltabant*, *quasi mente capti essent*] *juxta altare quod fecerat*, sub. *unus*, vel, *maximus eorum*, vel, *Achab.*

27. *Voce magnâ*, *quia Deus est*, &c. [בקול גדול כי אלהים הוא כי שיח ונו'] *Voce altâ*, [*sublatâ*,] *nam Deus est*, *aut* illi *sermo*, &c. i. altiore voce clamate, nam Deus est, ut dicitis: suapte enim naturâ audire potest, *aut*, non potest audire, *quia est illi sermo* & colloquium, *vel negotium* (nam id etiam significat שיח) *est illi* cum aliquo, sive occupatus est in negotio aliquo: *aut quia in persequendis* hostibus fugientibus est occupatus, *aut quia ivit aliquò peregre*, *aut fortè dormit*, *& excitabitur* clamore vestro.

28. *Juxta morem suum*, [כמשפטם] *De more suo*, i. juxta morem suæ religionis.

29. *Et prophetassent*, [ויתנבאו] i. Invocassent nomen deorum suorum, *usque ad id tempus quo offerri solebat oblatio*, h. e. sacrificium vespertinum.

30. *Curavitque altari*, [וירפא את מזבח] *Medicatúsque est altari.* Metaphora ab ægrotis, pro *refecit*, sive *instauravit.* Sic Neh. 4. 7. *medicata fuisset cicatrix muri Jerusalem.*

31. *Ad quem verbum*, &c. [אשר היה דבר יהוה ונו'] Hebraismus, Qui cùm *Jaacob* diceretur, dictus est *Israel* à Jehova.

32. *Secundùm locum duorum satorum*, [כבית סאתים] Ad verb. *Secundùm domum* [i. locum, sive saccum] *duorum satorum*, h. e. tantæ capacitatis quantæ est saccus capax duorum Satorum. *Domus* hoc loco pro *sacco*, ut & alio loco *domus manuum* pro *chirothecis.*

34. *Iterate. Et iteraverunt*, [שנו וישנו] i. Iterum idem facite. Et iterum idem fecerunt.

35. *Ità ut fluerent*, [וילכו] Ad verb. *Et ibant.*

36. *Sacrificium*, [המנחה] Sub. *vespertinum.* ¶ *Cognoscatur quòd tu es Deus*, [יודע כי אתה אלהים] *Innotescat te esse Deum*, sub. *verum.*

38. *Ignis Jehovæ*, [אש יהוה] i. Demissus è cœlo, sive à Jehova. ¶ *Et lapides*, [ואת האבנים] Quibus exstructum erat altare.

40. *Et deduxit eos*, [וירדם] Ad verb. *Et descendere fecit eos*, nè scilicet sanguine eorum contaminaretur Terra sancta.

41. *Ascende*, [עלה] Achab tum erat in torrente, h. e. loco demissiore: aut ejus tentorium erat in editiore montis loco. Quidam Hebræorum dicit Achab se confecisse inediâ ut impetraret à Deo pluviam, q. d. Esto bono animo: nam Deus dabit pluviam. ¶ *Sonus multitudinis pluviæ*, [קול המון הגשם] *Strepitus multitudinis imbris*, sub. *exauditur*, i. jam mihi videor exaudire, vel, mox auditurus es strepitum vehementis pluviæ.

42. *Posuitque faciem suam*, [וישם פניו ונו'] i. Demisit faciem suam more supplicum. Hoc pertinet ad humilitatem orantis, & majorem attentionem orationis.

43. *Ad puerum suum*, [אל נערו] Filium nempe mulieris Sareptanæ.

44. *Ascende*, [עלה] i. Ubi descenderis è Charmel, ascende in eum locum ubi est Achab. Aut fortè locus ad quem ascenderat Achab ut comederet, erat in editiore montis parte. ¶ *Liga*, [אסור] Sub. *currum*, i. junge equos currui, h. e. Cura currum tuum præparandum; nè intercipiat te in itinere pluvia. Intelligit se exauditum: ob id mittit puerum ad Achab, ut festinanter domum repetat. ¶ *Nè remoretur te*, [ולא יעצרכה] *Nè concludat te*, *nè retardet te.*

45. *Usque huc & usque huc*, [עד כה ועד כה] Hebraismus, Dum, vel interim dum hæc gererentur. Alii, *dum se verteret huc atque illuc.* Chald. *dum jungerentur equi currui*, *& ille descenderet*, *cœlum obscuratum est nubibus*, *& excitatus est ventus comes pluviæ.* ¶ *Et vento*, [ורוח] *Et ventus*, sub. *excitatus est.* ¶ *Conscendit itaque*, [וירכב] Sub. *currum*, dum scilicet videret cœlum obnubilatum.

46. *Manus autem Jehovæ*, [ויד יהוה] i. Virtus & fortitudo, q. d. Dominus dedit robur & vires Eliæ, h. e. confirmavit Eliam. ¶ *Et cucurrit ante Ahab*, [וירץ לפני אחאב] q. d. Non solùm assecutus est Achab, sed & antevertit. ¶ *Donec venias*, &c. [עד בואכה] i. Donec venias usque ad eum locum per quem intras, sive ingredi soles, *in Izreel*, h. e. usque ad introitum Izreel. Hæc Jezreel est in Regno 10 tribuum: altera ab ea est in tribu Juda.

CASTALIO.

10. *Obtestabatur*, *quòd te non inveniret*] Sc. per Deum, ut dicerent an tu illic esses.

19. *Lucanos*] *Lucorum.*

21. *In utrumque crus claudicatis*] Ambiguâ sententiâ nutatis.

CLARIUS.

1. *In anno tertio*] Postquam scilicet fames in terra ob pluviarum retentionem invaluerat. ¶ *Ut dem pluviam*] Vide ut reveritus sit Deus verba Eliæ, quibus dixerat *non futuram pluviam nisi juxta verba oris sui.*

21. *In duas partes*] Dum videmini velle vocari populus Dei, & tamen sequimini Baal. ¶ *Deus enim est*] h. e. In supernis habitat longè à vobis: necesse igitur est ut fortiter clametis, & vox vestra ad cœlum usque pertingat. Irridendo autem hæc dicit.

30. *Curavit altare Domini*] Vel, *Reparavit.* Putant altare illud priùs à Saul in monte illo exstructum, quod cultores Baal deinde diruerunt, qui passim in montibus illis excelsa construxerunt ubi Domino exercituum filii Israel ante Templi exstructionem sacrificia obtulerant. Nec peccavit Elias in hoc quòd altare Domini reparavit & sacrificia super ipsum obtulit, cùm illud faceret pro honore Dei, ad revocandum populum ab errore.

42. *Pronus in terram*] Prostravit se primùm super terram ad orationem; deinde resedit facie ad genua conversâ, non cessans Deû invocare pro pluvia donec exauditus fuit. Et quamvis dixerat Regi *sonitum adesse multæ pluviæ*, perstat tamen in precibus pro ipsa pluvia. Ità admonemur, etiam in rebus quas certò scimus dandas, à precibus non cessandum: Nam non fiunt ab hominibus ejusmodi preces ut benignitatem Dei provocemus, qui semper est suâ naturâ benignissimus, sed ut sic precando ei pietate animi conjungamur, & magis capaces donorum illius reddamur,

&

& agnoscamus præterea omnia ab ejus liberalitate in nos minimè meritos proficisci.

45. *Interea ecce cœli*] Heb. *usque sic, & usque sic*, h.e. dum Achab currum aptavit, & descendit de loco in quo comedit, obductum est cœlum pluviosis nubibus, & flare cœpit ventus pluviam generans,

46. *Currebat ante Achab*] Is qui cœlum clauserat tanquam unus è servis currit ante Regem. Neque enim viri sancti hanc externam rerum pompam assis faciunt.

GROTIUS.

3. *Abdiam*] Hic Ἀβδιοὺ Lxx. Ὠβεδίας Josepho. Et variant nomina.

4. *Abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aquâ*] Beneficentia in pios viros omni modo etiam contra Regum edicta exercenda est, quia à Deo præcipitur, maximè in Prophetas. *Servitutem non in totum hominem descendere* ait Seneca De Beneficiis 3. 20. Est ubi dicere liceat,

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε.

7. *Qui cùm cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait*] Nempe Abdias Eliam ut Prophetam venerans. Sic & Lxx, καὶ Ἀβδιοὺ ἔσπευσε, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Malè Josephus Eliam putat procubuisse: ait enim, Μονωθέντι δ' αὐτῷ ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ὠβεδίᾳ, συναντήσαι αὐτῷ ὁ προφήτης Ἠλίας· καὶ πυθόμενος παρ' αὐτοῦ τίς εἴη, προσεκύνησεν αὐτόν· ὁ δὲ πρὸς τὸν βασιλέα βαδίζειν ἐκέλευσε.

9. *Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?*] Libertate nostrâ sic uti debemus nè ea obsit aliis. Vide 1 Cor. 10. 24.

12. *Spiritus Domini asportabit te*] i. Imperabit tibi ut eas aliò, quomodo ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος dicitur Matth. 4. 1. Josephus hoc loco, εὐλαβεῖσθαι αὐτὸν ἔφασκε μὴ τοῦ Θεοῦ φανέντος αὐτῷ πάλιν εἰς ἄλλον ἀπέλθοι τόπον. ¶ *Servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua*] Noli me putare talem esse quales cæteri aulæ nostræ. Est aliquod tempus etiam de se vera prædicandi.

15. *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei*] Sic Tiresias Oedipodi Regi apud Sophoclem,

Εἰ καὶ τυραννεῖς, ἐξισωτέον τὸ γοῦν
Ἴσ' ἀντιλέξαι· τοῦδε γὰρ κἀγὼ κρατῶ.
Οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ.

17. *Túne es ille qui conturbas Israel?*] Josephus, ὁ τὸν Ἑβραίων λαὸν κακώσας. At Lxx, Εἰ σὺ εἶ αὐτὸς ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ; quâ ipsâ voce in Dominum nostrum utuntur Sacerdotes Luc. 23. 2.

18. *Non ego turbavi Israel, sed tu*]

Πόλεως δ' ἁπάσης τοὺς νόμους ἕν, πολλοῖς δ' ἔνι
Νόμοισι,

ait in Erechtheo Euripides: Quod si verum de legibus quas homines dedere, quantò magìs de iis quas Deus dedit? Has qui violat, non qui tuetur, turbat rempublicam. Præcipuè verò οἱ καινά τινα δαιμόνια ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν ait apud Dionem Mæcenas.

21. *Usquequo claudicatis in duas partes?*] Quod Græci dicerent ἐπαμφοτερίζετε. Semel constituendum est quomodo vivendum sit: alioqui semper fluctuatur.

21. *Et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*] Solet Deus ubi nova religio instituenda est, ut Mosis & Christi tempore, aut ubi generalis quædam depravatio religionem invasit, uti miraculis. Vide infrà 36.

26. *Transiliebántque altare quod fecerant*] עשה pro עשו enallage. Lxx, καὶ διέτρεχον ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου οὗ ἐποίησαν. Sensus est, Saltabant circum altaria, ut Salii. Tale & illud in Epigrammate,

Ἔλθετε πρὸς τέμενος γλαυκώπιδος ἀγλαὸν Ἥρης,
Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήματ' ἑλισσόμεναι.
Ἔνθα καλὸν στήσασθε θεᾷ χορόν· ὔμμι δ' ἐπάρξει
Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην.

27. *Clamate voce majore*] Διασυρμός, non iniquus in homines vere pietatis hostes, populi corruptores.

28. *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis*] Martialis,

Alba minùs sævis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Vide Deut. 14. 1. & ibi dicta.

29. *Et illis prophetantibus*] Quod Græci dicerent φοιβαζόντων αὐτῶν.

31. *Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob*] Ostendens omnem populum uno contineri debere religionis vinculo.

32. *Et ædificavit de lapidibus altare*] Jure prophetico minoribus legibus exolutus, ut majores servaret.

38. *Cecidit autem ignis Domini*] Julianus, Πῦρ γάρ, φησιν, οὐ κάτεισιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως τὰς θυσίας ἀναλίσκον· ἅπαξ τοῦτο ἐπὶ Μωσέως ἐγένετο, καὶ ἐπὶ Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μετὰ πολλοὺς χρόνους. Vide quæ diximus ad Gen. 4. 5.

40. *Interfecit eos ibi*] Jussit interfici ut legirupas.

42. *Et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*] Precibus imbrem impetraturus. Simile illud apud Tertullianum Contra Scapulam, *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit.*

46. *Manus autem Domini facta est super Eliam*] i. Deus illi ad currendum vires humanis majores dedit.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

3. *Videns periculum*] Nostri hìc verterunt, *& timens*, legentes ירא pro ראה. Jonathan quoque vertit חזא *vidit*. Vidit, inquam, quale sibi à Regina discrimen imminebat: ideo surgens fugit pro anima sua in desertum. Et jacens sub arbore quadam maluit mori quàm diutiùs vivere. Incertum est autem qualis fuerit illa arbor. Quidam interpretantur *genistam*, alii *juniperum*. Ex hoc autem quod dixit, *Tolle animam meam, quoniam non sum melior patribus meis*, colligunt quidam Hebræorum Elijam fuisse Pinehas, sicut ut suprà meminimus.

11. *Disrumpens montes*] Hyperbole est, venti vehementiam volens significare. Cùm verò ventus ille transiret, audivit Elija vocem ex vento loquentem, *Non in vento Dominus*. Deinde transivit fragor quidam in modum tonitrui horrendi, & tandem vox quædam lenis auræ, vel, ut Hebræi exponunt, קול נמוך *vox demissa, in qua & Dominus fuisse* memoratur. Porrò quid per hæc significetur non satis clarè ex Hebræis scriptoribus habere potui. Kimhi putat Deum Elijæ compensationem quandam reddidisse pro zelo ejus, ducens eum mirabiliter per desertum usque ad montem Horeb, unâ refectione illum confortans 40 diebus & noctibus, & tandem majestatem suam gloriosam illi ostendens in loco ubi & Mosi famulo suo gloriam suam ostendit. Ben Gersom verò putat horrendum illum ventum, fragorem & ignem à Domino Elijæ ostensos ut illum doceret impiorum hominum magìs desiderandam pœnitentiam quàm perditionem, & sustinendum peccatorem ad tempus quàm subitò perdendum. Elija autem nimio fervens zelo nullum putabat peccatori dandum pœnitentiæ locum. At Dominus non invenitur in turbine impetuoso, in fragore omnia concutiente, aut in igne omnia subitò devastante, sed in voce placida & gracili.

17. *Hunc interficiet Elisa*] Nostri pro *Elisa* legunt *Elisæus*. Et dicitur hìc Elisam occidisse eos quos Jehu superstites dimisit, non quòd manu suâ interfecerit eos, sed quòd ab hostibus ut inobedientes fuerint occisi.

20. *Quid enim est quod feci tibi?*] Quid hoc est quod feci tibi, quòd tam citò deseris tuos & sequeris me? Ego solùm tunicam meam projeci super te; sed quid hoc est? Nisi Deus te traxisset, propter solam tunicæ impositionem tam prompto animo me non sequereris. *Mactavit* autem Elisa servis suis & reliquo populo qui in campo secum erat *duos boves, coxitque carnes illorum* igne facto ex variis *instrumentis* quæ agriculturæ inserviunt, ut sunt aratrum, rastrum, ligones & hujusmodi.

VATA-

VATABLUS.

1. ET *prorsus*, &c. ואת כל אשר הרג] *Et omnino quod occidisset*, i. præsertim quomodo interfecisset, omnes pseudoprophetas.

2. *Sic faciant*, &c. כה יעשון וגו׳] *Hæc faciant dii*, &c. hæc mihi eveniant, imò graviora, sub. *nisi ulciscar mortem Prophetarum: quia*, &c. ¶ *Nisi hoc tempore cras*, כי כעת מחר] *Quia hoc tempore cras.* Gallicè, *A telle heure qui sera demain à ceste heure.*

3. *Cùm autem vidisset*,&c. וירא ויקם וילך] Ad verb. *Et vidit, & surrexit, & abiit*, pro, Cùm id intellexisset, confestim abiit. ¶ *Secundùm animam suam*, אל נפשו] i. Quocunque eum ferebat animus ac voluntas. Chald. *ut animam suam erueret*, vel, *servaret*. ¶ *Quæ erat in Juda*, אשר ליהודה] Nam tribus Simeon est permista cum Juda.

4. *Genistam unam*, רותם אחת] *Juniperum unam*, vel, *quandam*. Quidam aiunt fuisse illic unicam juniperum. ¶ *Sufficit*, רב] *Satis*, sub. *vixi*, satis est mihi hactenus vixisse. ¶ *Patribus meis*, אבתי] *Majoribus meis*. Sub. qui in ea ætate in qua nunc sum mortui sunt.

5. *Et recubuit ac dormivit*, וישכב ויישן] i. Projecit se ut dormiret, prostratus dormivit.

6. *Et rursum recubuit*, וישב וישכב] Ad verb. *Et reversus est, & recubuit.*

7. *Longior à te est via*, רב ממך הדרך] i. Iter est majus quàm pro viribus tuis, q. d. Vires tuæ præsentes non possent sufficere itineri quod restat à te conficiendum. Majus est à te iter. Latinè non potest commodè verti nisi pluribus verbis.

8. *Cibi*, האכילה] *Cibationis*, i. refectionis. ¶ *Horeb*, חורב] In quo scilicet data fuit Lex. Chald. *in quo revelata fuit gloria Domini.*

9. *Quid tibi*, מה לך] Sub. *est negotii?*

10. *Zelatus sum*, קנאתי] Quidam per imperfectum vertunt, *zelabar*, i. cruciabar veluti Zelotypiâ pro honore Dei, tanquam sustinerem personam ipsius Dei. ¶ *Et remansi*, ואותר] *Et relictus sum.*

11. *Transit*, עובר] Quidam per præt. imperf. vertunt, *transibat*, Alii, *transiturus erat*. Consolatur enim Dominus præsentiâ suâ: & postea prædicit illi puniendos idololatras. ¶ *Et ventus grandis*, ורוח גדולה] *Et flatus magnus.* Signa horrida præcedebant præsentiam Domini. ¶ *Subvertens montes, & confringens petras*, מפרק הרים וגו׳] *Confringens montes, & perrumpens rupes*, i. tam vehemens erat ventus ut montes subvertere posset, & petras confringere. Vel, tam vehemens quàm vehemens esse solet ventus montes subvertens. Signa horrenda quæ terribilem Dei præsentiam significant. Eadem ferè leguntur facta ante adventum Spiritûs S. Act. 2. 2. ¶ *Non in vento Jehova*, לא ברוח יהוה] *Non cum flatu* erat *Jehovah.* Quid per hæc significetur non satis liquet ex Hebræorum scriptoribus. Doctus namque inter illos existimat Deum compensationem quandam reddidisse Eliæ pro zelo ejus, cùm duceret eum mirabiliter per desertum usque ad montem Horeb, ubi refectione illum corroboravit 40 diebus & 40 noctibus, & tandem majestatem suam gloriosam illi ostendit in loco ubi & Mosi famulo suo gloriam suam ostenderat. Alius quidam illorum existimat horrendum illum ventum, fragorem & ignem à Jehova Eliæ fuisse ostensos ut illum doceret impiorum hominum magis desiderandam pœnitentiam quàm perditionem, & ferendum ad tempus peccatorem potiùs quàm subitò perdendũ. Simplicior eorum videtur expositio qui substantivum verbum in futuro *erit* subaudiunt, ut sic intelligamus, Tunc cùm videbis ventum vehementem, commotionem & ignem, non audies tunc vocem Domini. Ista significabant terrorem potestatis Divinæ, ut Exod. 19. 9. *Ecce ego venio ad te in densitate nubis, ut audiat populus dum loquar tecum, & etiam tibi credant in seculum.* Et paulò pòst v. 16. *Die tertiâ manè facta sunt tonitrua & fulgura, & nubes densissima*, &c. ¶ *Commotio*, רעש] *Concussio, tremor*, sub. *montis.* Mox sequitur, *nec in concussione erat Jehova. Et post concussionem*, i. post terræmotum sequebatur, *ignis.*

12. *Vox tacita tenuis*, וקול דממה דקה] Sub. *audita fuit.* Alii vertunt *vox silens, gracilis.* Alii, *vox silentii*; ut sit substantivum: tametsi possit esse & adjectivum, i. *submissa*, sive *demissa.*

13. *Audire cœpisset*, כשמוע] Sub. *signa illa quæ præcedebant.* ¶ *Et egressus stetit*, ויצא ויעמוד] *Jam autem* [*enim*] *egressus erat, & stabat.* ¶ *Quid tibi*, מה לך] Sub. *est hîc negotii*, i. quid hîc agis?

15. *In viam tuam*, לדרכך] *Per viam tuam*, quâ scilicet venisti, sub. aliquatenus scilicet, sive aliquo usque progressus: & postea vade rectà in desertum, &c. ¶ *Cùm eò perveneris, unges*, ובאת ומשחת] Ad verb. *Et venies, & unges*, non per te, sed per alium, i. cures eum ungendum, h. e. declares eum futurum Regem.

18. *Reservabo autem in Israele septem millia*, והשארתי בישראל שבעת אלפים] *Servabo autem reliquos in Israele septem millia. Septem millia* pro *multis* posuit, i. efficiam ut maneant mihi ut superstites quamplurimi qui non adorarunt Baal. ¶ *Non osculatum est eum*, לא נשק לו] *Non dedit illi oscula*, in signum obedientiæ & reverentiæ.

19. *Paria* erant *ante eum*, צמדים לפניו] *Juga boum habebat.* ¶ *Ipséque*, &c. והוא בשנים] *Et ipse in duodecimo*, i. agebat duodecimum par, sive jugum, q. d. Ipsemet ducebat aratrum. ¶ *Et transivit Elijahu ad eum*, ויעבור אליהו אליו] *Transibat autem Elias juxta illum*, i. cùm autem transisset, &c.

20. *Osculer*, אשקה] i. Fac mihi potestatem osculandi patrem, & osculando petam facultatem discedendi. ¶ *Quid enim feci tibi?* מה עשיתי לך] i. Quid feci tibi propter quod sequi me debeas? Hoc dicit cum quadam simulatione, volens extorquere ab eo quidnam haberet in animo, & intelligere quo spiritu esset afflatus, q. d. Quia projeci pallium meum super te, ideo tu curres post me?

21. *Et reversus est ab eo*, וישב מאחריו] Ad verb. *Et reversus est de post eum*, vel, *à tergo illius*, i. relicto Elia, reversus est ad parentes suos, patrem & matrem: à quibus cùm abeundi facultatem accepisset, venit iterum ad agrum ubi erant aratores cum multis viris urbis, qui secuti fuerant eum abeuntem, quòd separaretur ab eis: tum ille, ut eos dimitteret, ac valediceret, secuturus Eliam, *tulit par boum*, &c. ¶ *Et instrumento boum*, ובכלי הבקר] Sing. Heb. pro plur. *Instrumenta boum* vocat aratra, sive ligna aratri. Propterea quòd sequerentur Eliam, non exspectavit ut cæderentur ligna alia, sed paratioribus usus est, nempe instrumentis boum. ¶ *Coxit eis*, בשלם] Relativum præcedens suum substantivum, *coxit carnes, & dedit eis*, nempe *populo*, &c. redundare videtur. ¶ *Surrexitque*, ויקם] Sub. *facto convivio.* ¶ *Et ministravit ei*, וישרתהו] i. fuit minister ac famulus ejus.

CASTALIO.

3. QUibus *ille minis territus*] Itá malui vertere, Græcum & Latinum & Josephum sequens, quàm ut est in Hebræo, *Et vidit*: quæ sententia est imperfecta. Quòd si mutentur puncta, constabit.

CLARIUS.

11. SUbvertens *montes*] Hyperbole est, venti vehementiam volens significare. Cùm verò ventus ille transiret, audivit Elias vocem ex vento torquentem, *Non in vento Dominus.* Deinde transivit fragor quidam in modum tonitrui horrendi, & tandem vox quædam lenis auræ, vel, ut Hebræi exponunt, *vox demissa, in qua & Dominus fuisse* memoratur. Porrò quid per hæc significetur non satis clarè ex Hebræis scriptoribus habetur. Quidam putant Deum Eliæ compensationem quandam reddidisse pro zelo ejus, ducendo eum mirabiliter per desertum usque ad montem Horeb, & unâ refectione illum corroborando 40 diebus & noctibus, & tandem majestatem suam gloriosam

sam illi ostendendo in loco ubi & Mosi famulo suo gloriam suam ostendit. Alii putant horrendum illum ventum, fragorem & ignem à Domino Eliæ ostensos ut illum doceret impiorum hominum magis desiderandam pœnitentiam quàm perditionem, & sustinendum peccatorem ad tempus quàm subitò perdendum. Elias autem nimio fervens zelo nullum putabat peccatori dandum pœnitentiæ locum. At Dominus non invenitur in turbine impetuoso, in fragore omnia concutiente, aut in igne omnia subitò devastante, sed in voce placida, i. in spiritu mansuetudinis. Verùm utcunque quis interpretetur, nemo non intelligere apertissimè potest hæc plenissima esse mysteriorum, quæ eodem duntaxat Spiritu possunt intelligi quo & facta & scripta sunt.

13. *Operuit vultum suum*] Cùm intellexit adesse Dominum, *operuit vultum* ob Dei reverentiam, & tamen *egreditur ad ostium speluncæ*, confisus Dei benignitate ac voce illâ tenui & quietâ. Interrogat ergò illum iterum Dominus iisdem verbis. Nam cùm prius interrogasset, ac ille respondisset, nihil ei mandavit Dominus, sed signis illis docuit eum omnia facienda in lenitatis atque mansuetudinis spiritu: quo peracto mandat ei quid agendum sit.

17. *Interficiet eum Elisæus*] Dicitur hîc Elisæum occidisse eos quos Jehu superstites dimisit, non quòd manu suâ interfecerit eos, sed quòd ab hostibus ut inobedientes fuerint occisi.

18. *Septem millia*] *Septem* pro *plurimis* accipitur, numerus Scripturæ familiaris pro numero indefinito.

20. *Quid enim est quod feci tibi?*] Quid hoc est quod feci tibi, quòd tam citò deseris tuos, & sequeris me? Ego solùm tunicam meam projeci super te; sed quid hoc est? Nisi Deus te traxisset, propter solam tunicæ impositionem tam prompto animo me non sequereris. *Mactavit* autem Elisæus servis suis, & reliquo populo qui in campo secum erat, *duos boves, coxitque carnes illorum* igne facto ex variis *instrumentis* quæ agriculturæ inserviunt, ut sunt aratrum, rastra, ligones, & ejusmodi.

DRUSIUS.

5. רתם A. ἄρκευθον *juniperum*. Sym. *umbraculum*.

GROTIUS.

3. *ET surgens abiit*] Est enim & fugæ tempus. Vide quæ dicta ad Matth. 4. 12.

5. *Et obdormivit in umbra juniperi*] Valetudinis incuriosus, nam

Juniperi gravis umbra,

Marone teste.

6. *Subcinericeus panis & vas aquæ*] Frugalitatem hoc exemplo commendat Deus.

——*Satis est populis fluviúsque Cerésque*,

ait Lucanus.

8. *Quadraginta diebus*, &c.] Mosis exemplo Exod. 34. 28. Vide quæ ad Matth. 4. 2.

10. *Prophetas tuos occiderunt gladio*] Quos tales esse norunt: nam centum illi de quibus suprà 18. 4. ad notitiam aulæ non venerant.

12. *Post ignem sibilus auræ tenuis*] Euangelii figuratio, quod non venit cum vento, terræ motu, fulminibus, ut Lex, Exod. 19. 16. Hebr. 12. 18, 19, 20, 21. sed cum magna lenitate. Hæc est illa ἄνωθεν σοφία, εἰρηνική, εὐπειθής, μεστὴ ἐλέους, Jacobi 3. 17. Obiter admonetur Elias ut sibi ab ira caveat, ad quam naturâ suapte ferebatur.

13. *Operuit vultum suum pallio*] Reverentiæ signum. Sic Helenus Æneæ,

Purpureo velare comas adopertus amictu,

15. *Unges Hazael regem super Syriam*] Lxx Ἀζαὴλ, Josephus Ἀζάηλον vocant; *Azelum* Justinus ex Trogo 36. 2. Hunc ut deum cultum à Damascenis dicit Josephus 9. 2. Nota item Deum populum quidem suum præcipuè curasse, sed non ut non & aliis populis interdum raræ providentiæ testimonia largiretur, ut hîc Syris.

16. *Jehu filium Namsi*] Fuit hic vir fortis, minimè ad culpas indulgens, ingenio quali Cato Uticensis. ¶ *Unges Prophetam pro te*] Designabis eum tibi successorem. Ungebantur Reges, Prophetæ, Sacerdotes, in signum donorum quæ Deus illis effundebat si officium facerent. Fuit Elisæus opum contemptor, in multos beneficus, sed facinorum acer vindex; Cui Fabricium non malè compares, si animum spectes, non quæ obierunt munera.

18. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum*] *Manere faciam.* Constantiæ ut & aliarum virtutum Deus auctor, quanquam non sine consensu voluntatis: sed sicut liberi à patribus magis quàm à matribus nominantur, ità & actiones à Deo magis serente quàm ab anima concipiente. Et vide quàm pauci fuerint retinentes pietatis; quid enim septem millia in decem tribubus, in quibus qui arma ferrent fuere decies centena & centum millia 1 Par. 21. 5. ¶ *Quorum genua non sunt incurvata ante Baal*] Vocem כרעו satis per se generalem de *genuum flexione* sumunt hîc Lxx, qui habent οὐκ ὤκλασαν γόνυ, Paulus Apostolus οὐκ ἔκαμψαν γόνυ Rom. 11. 4. Frequens id in Dei veri aut falsi cultu. Vide Rom. 14. 11. Ephes. 3. 14. Phil. 2. 10.

19. *Arantem*] Romani ab aratro Dictatores & Consules habuere, Hebræi Prophetas. Vide & Amos 1. 1. ¶ *Misit pallium suum super illum*] Habitum ei propheticum dedit, & sic eum velut inauguravit. Vide infrà 2 Reg. 1. 8.

20. *Osculer, oro, patrem meum*] Valedicam ei; Josephus τοὺς γονεῖς ἀσπάσασθαι. Vide quæ ad Lucam 9. 61. ¶ *Quod enim meum erat, feci tibi*] Heb. *quia quid feci tibi?* i. Cogita ad quantum munus te vocaverim. In sacris dici solebat; *Hoc age.*

21. *Coxit carnes & dedit populo*] Viscerationem dedit.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

4. *EGO sum tuus, & omnia mea*] Non quòd accipias mea ad te, sed quòd tu sis dominus noster, & nos sub tributo serviamus. Remisit itaque Benhadad nuncios ut scrutarentur omnia quæ habuit Rex Israel, & tollerent meliora quæque & pulchriora.

10. *Pro pugillis*] Quidam exponunt שעלים pro פרסות, ut sit sensus; Tanta est apud me multitudo populi ut plantis pedum suorum possint transferre Samariam, etiamsi cuilibet pauxillum pulveris hæserit in pedibus. Et est hyperbole. Alii exponunt שעל pro אגרות, sicut nos vertimus.

11. *Non glorietur accinctus*] i. Nullus gloriari debet & epinicion celebrare ante partam victoriam. Non potest is qui se ad pugnam accingit gloriari sicut is qui jam lætus post pugnæ optatum exitum arma deponit, & ab his se solvit.

12. *Ponite arma bellica*] h. e. Parate arma qualibet quæ necessaria sunt ad oppugnandum civitatem. Alii intelligunt per verbum שמו *insidiarum collocationem.*

25. *Numerabis tibi exercitum*] i. Instaurabis exercitum tuum secundùm exercitum quem habuisti cùm primùm Samariam invadere tentares.

27. *Integro numero abierunt*] i. כלם שלא נפקד איש *omnes nullo à priore numero deficiente, ierunt obviàm hosti.* Alii putant sic vertendum, *sumpto commeatu profecti sunt illis obviàm.* ¶ *Duo parvi greges caprarum*] Hebræi sic exponunt שני עדרים קטנים. Nostri putant חשיפי capiendum pro *denudati*. Sunt autem denudati qui sparsim balantes in montibus aberrant.

33. *Pro omine id habentes*] Heb. *& viri illi augurati sunt, festinaverúntque & rapuerunt id ab eo.* Et est sensus; Cùm nos dixerimus, *Servus tuus Benhadad*, si ille mox placidè responderit ad auditum hujus nominis, signum erit piæ acceptationis,

acceptationis; & quòd nos vivere finet. Cùm igitur audissent ab Ahab, *Vivit adhuc frater meus?* rapuerunt responsum ex ore ejus, veluti omen & sacrum oraculum, & priusquam ille suam complevisset orationem, ipsi festinanter responderunt, *frater tuus Benhadad.* Et nota quòd ויחלטו הממנו idem est quod ויחלטוה ממנו. Sic enim Jonathan Chaldæus vertit.

34. *Et ego cum federe dimittam te*] Hæc sunt verba Ahab respondentis ad sermonem Hadad: qui cùm dixisset, *Plateas pones tibi in Damasco*, (h. e. levabis tributum vel vectigal in quibusdam plateis urbis meæ à negotiatoribus) subjecit Ahab; *Quia hoc facis*; *ecce ego cum federe dimitto te.*

35. *Renuit vir ille percutere eum*] Volebat Dominus exteriori demonstrare signo Ahab præceptum suum transgressum fuisse in hoc quòd Regem Syriæ vivere permisit, in magnam perniciem Israelis, cùm tamen jam vidisset Deum id voluisse ut omnes interimeret hostes, cùm & fugientes intra civitatem muri casu in maximo oppressi fuerint numero. Et ut Propheta convenientiùs redargueret Regem, deformavit se luto vel cinere & pulvere, nè agnosceretur; & proponens Regi causam, Regem ad hoc adegit ut proprio se condemnaret judicio. Simile quiddam legimus fecisse Nathan Prophetam cùm pergeret corripere David ob adulterium. Christus quoque sic confudit Judæos cùm illis ingratitudinem illorum improperaret sub parabola Vineæ, Matth. 21.

VATABLUS.

3. Dixitque, ויאמר] Sub. *unus ex illis nunciis.*

4. *Juxta verbum tuum*, כדברך] i. Ut dicis, q. d. Quæcunque possideo, in tua sunt potestate, ità ut futurus sim tibi tributarius.

5. *Mitto*, כי שלחתי] Hîc כי redundat: & præt. pro præs. ponitur, *Mitto*, sub. *nuncios*, q. d. Nunc per nuncios significo tibi dicendum, sive qui hæc tibi referant nomine meo. Alii per præt. plus quàm perf. vertunt *Miseram ad te, ut dares mihi argentum tuum & aurum tuum*, &c.

6. *Nisi hoc tempore cras*, כי אם כעת מחר] Subaudiendum aliquid, *dispeream*; aut, *non sit mihi propitius Baal.* Alii vertunt, *Sed hâc ipsâ horâ cras*, & subaudiunt, *Nec his quidem contentus ero*, sed q. d. Dabis illa quidem, sed non propterea satis erit mihi. Hîc Benhadad videbatur quærere occasionem belli. ¶ *Omne concupiscibile oculorum tuorum*, כל מחמד עניך] Hebraismus, Quicquid erit tibi gratum & charum, id arripientes auferent.

7. *Cognoscite, obsecro, & videte*, דעו נא וראו וגו'] i. Considerate nunc, & perpendite quòd occasionem belli nobis inferendi iste captat.

9. *Initio faciam*, בראשונה אעשה] *Principio* [*primùm*, i. in prima legatione] *Paratus sum facere.*

10. *Pugillis universi populi*, לשעלים לכל העם] i. Ut impleant singuli volam suam ex eo, q. d. Oppugnabo urbem vestram cum numerosissimo exercitu. Alii, quòd plantæ pedum militum meorum terram adjacentem urbi vestræ aliò transferent, ità ut nihil remansurum sit. ¶ *Qui est in pedibus meis*, אשר ברגלי] i. Quem mecum duco, & qui me sequitur.

11. *Dicite*, דברו] Sub. *Regi Syriæ.* ¶ *Nè glorietur*, &c. אל יתהלל וגו'] *Nè se jactet accinctus, sicut solutus*, i. Nè glorietur is qui jam primùm accingit ensem, initurus prælium, sicut is qui jam adeptâ victoriâ solvit zonam in qua est ensis, q. d. Nè canat triumphum ante victoriam.

14. *Per quem*, במי] *Per quos?* Sub. daturus es hos in potestatem meam, cùm nulli sint mihi milites? ¶ *Per pueros*, &c. בנערי וגו'] *Per juvenes principum provinciarum*, sub. *patriæ*, sive *regionis*, *tuæ*, i. Per pueros patriæ tuæ qui educari solent in aulis Regum. ¶ *Quis incipiet bellum*, מי יאסור המלחמה] Chald. *Quis deferet vexillum belli?* Istud interrogat quòd idololatra esset, & sciret se propterea odiosum esse Deo. Ad verb. *Quis ligabit aciem?* Quidam propterea vertunt, *Quis instruet aciem?* i. Quis erit dux eorum? Metaphora ab iis qui jungunt boves aut equos operis causâ.

15. *Omnium filiorum Israelis*, כל בני ישראל] Qui scilicet erant in Samaria.

16. *Bibebat ebrius*, שותה שכור] *Jam biberat temulentus*, i. ad ebrietatem usque, *in castris ipsis, unà cum regulis suis.*

17. *Et misit*, וישלח] Sub. *nuncios ut sciret quidnam esset.* ¶ *Viri*, אנשים] q. d. Aliquot, sive Pauci quidam.

18. *Sive pro pace*, אם לשלום] *Sive propter pacem*: Sic mox, *sive propter bellum.*

19. *Qui sequebatur eos*, אשר אחריהם] Ad verb. *qui erat post eos.*

20. *Virum suum*, אישו] i. Hostem contra se venientem.

21. *Egressus est præterea Rex*, &c. ויצא מלך וגו'] i. In ipsa fuga egressus est Rex, qui eos qui equorum & currnum operâ evadere conabantur percussit, ità ut affecerit Syros cæde ingenti. Videtur Rex egressus postremo loco, versis jam in fugam hostibus.

22. *Esto robustus*, &c. התחזק וגו'] *Confortare, & perpende, ac circumspice quid facturus sis*, i. esto animo forti & bono, h. e. vade audacter, & diligenter circumspice ut interficias quotquot venerint in potestatem tuam. Alii, ut partâ victoriâ resipiscas ab idololatria. *Ascensurus est*, עולה] Præs. Heb. pro fut.

23. *Veruntamen*, ואולם] *Et quidem.* ¶ *Et videbis annon prævalebimus*, אם לא נחזק] Dispereamus *nisi prævaleamus.*

24. *Reges*, המלכים] Eos scilicet qui statim fugerunt.

25. *Numerabis*, תמנה] Quidam per imperativum, *numera*, vel, *conscribe*, i. *conscribe tibi* tantum *exercitum* quantus erat *exercitus ille qui tibi periit*, sive *quem perdidisti* anno superiore; *& tot equos* quot erant qui perierunt anno superiore, *tot item currus* qui anno superiore perierunt, *& pugnabimus in planitie* quam nobis deligemus.

27. *Et inventi sunt omnes*, וקלכלו] Ad verb. (si Latinè dici potest) *omnitati sunt*, i. fuerunt omnes ipsi, q. d. Nè unus quidem desideratus est ex omnibus qui in priore bello fuerant: omnes adfuerunt. Quidam exponunt, *& omnibus ad bellum necessariis instructi sunt.* ¶ *Tanquam duo parvi greges*, כשני חשפי עזים] q. d. Exercitus Israel erat similis duobus gregibus caprarum, nam erat divisus in duas partes exiguas, nobiles nempe, & populum.

28. *Accesserat vero*, ויגש] Antequam scilicet processissent obviam illis.

29. *Commissum est*, ותקרב] Ad verb. *appropinquavit.*

30. In *cubiculum* quod erat *intra cubiculum*, חדר בחדר] i. In cubiculum intimum, in locum abditissimum, q. d. Non inveniebat locum satis tutum ut delitesceret.

31. *Ecce nunc audivimus*, הנה נא שמענו] *Ecce jam audivimus.* i. intelleximus. ¶ *Ponamus, obsecro*, &c. נשימה נא וגו'] V. seq. dicit, *Cinxerunt saccos in lumbis suis*, i. induamus nos ciliciis more supplicum. ¶ *Et funes*, וחבלים] *& laqueos.* ¶ *Vivam servabit*, יחיה Ad verb. *vivificabit*, i. parcet.

32. *Cinxerunt igitur*, &c. ויחגרו וגו'] i. Accinxerunt lumbos suos saccis, q. d. Induti saccis, ac gerentes funes in collis suis, ingressi sunt, &c. ¶ *Vivitne adhuc? frater meus est*, העודנו חי אחי הוא] *Vivitne adhuc frater meus?* i. qui mihi perinde charus est atque frater.

33. *More augurum diligenter observabant*, ינחשו] Ad verb. *augurati sunt.* ¶ *Num ab eo*, הממנו] Vocem istam suo loco reposuit noster interpres ex sententia docti inter Hebræos, ut dilucidior esset sensus, quæ post *acceleraverunt* Hebraicè ponitur. *Observabant* igitur *num ab eo*, i. ex ejus ore, excipere possent verbum aliquod amicum. Chald. aliter legit, nempe, *Illi autem pro omine acceperunt*

acceperunt, *& festinaverunt*, *& rapuerunt* [*præripuerunt*, i. citò ac velocissimè exceperunt] *verbum illud* [*fratris*] *ab eo*, i. ex ore ejus. ¶ *Frater tuus Ben-hadad*, אחיך בן הדד] Sub. *vivit*. *Frater tuus*, i. quem vocas *fratrem tuum*. ¶ *Tollite eum*, קחוהו] i. Adducite eum ad me. ¶ *Et ascendere fecit*, &c. ויעלהו על המרכבה] i. jussit ut conscenderet currum quo gestabatur: admisit eum in currum suum.

34. *Dixitque*, ויאמר] Sub. *Ben-hadad*. ¶ *Plateásque*, &c. וחוצות וגו'] i. Fora, aut vicos rerum venalium constitues tibi, ex quibus vectigalia accipies ac tributum in Dammesec, urbe scilicet regia: & hâc re superiorem te agnoscam. ¶ *Cum hoc fœdere*, בברית] i. Hoc pacto inter nos inito. Verba sunt Achab, q.d. Hâc conditione sinam te abire.

35. *In verbo Jehovæ*. בדבר יהוה] i. Verbis Domini. Parabola quâ Deus ostendit Achab moriturum, & in primis Deo esse obediendum.

36. *Recedis à me*, הולך מאתי] i. Mox ut discesseris à me, percutiet, &c.

37. *Et percussit eum vir*, &c. ויכהו האיש וגו'] Hebraismus, *Acriter percussit eum*, *ità ut vulneraret*.

38. *Cum velamine*, באפר] *Amictu capitis*, i. dedit operam ut redderet se ignotum, amictu capitis super oculos demisso, nè scilicet agnosceretur à Rege.

39. *Egressus est in medium prælii*, יצא בקרב המלחמה] *Egressus erat*, &c. i. egressus erat è domo sua, vel urbe, & intraverat in medium prælii ut iret in conflictum. ¶ *Vir recessit*, איש סר] i. Aliquis recesserat è conflictu, & adduxerat, &c. ¶ *Virum*, איש] i. Aliquem captivum. ¶ *Si desiderando desiderabitur*, אם הפקד יפקד] Verbum istud *deesse* significat, propterea quidam vertunt, *si defuerit*, *& amissus fuerit*, i. si elabatur, vel aufugiat.

40. *Ageret hîc & illic*, עושה הנה והנה] *Laboraret hîc & illic*, i. esset occupatus. ¶ *Non fuit*, איננו] i. disparuit atque aufugit. ¶ *Sic* est *judicium tuum*; *tu definivisti*, כן משפטך אתה חרצת] i. Sic se habet ut dixisti; tu jam pronunciasti sententiam.

41. *Et confestim amovit velamen*, וימהר ויסר את האפר] Ad verb. *Et festinavit*, *& amovit amictum capitis*, aut, *velamen*.

42. *Virum occisionis meæ de manu*, איש חרמי מיד] Sub. *tua*. Hebraismus, Quia emisisti virum quem volebam occidi. Alii, *virum retis mei*, i. qui inciderat in rete meum, vel casses meas. ¶ *Erit anima tua*, &c. והיתה נפשך וגו'] Hebraismus, Morieris pro eo, & populus tuus pro populo ipsius.

43. *Tristis & furibundus*, סר וזעף] *Mutatus à se & stomachabundus*, vel, *indignatus*: quòd scilicet dimisisset illum.

CASTALIO.

34. Ibique fora statues apud Damascum] Ubi publicanos colloces, & vectigalia exigas.

CLARIUS.

4. Tuus sum ego] Non ut accipias mea ad te, sed ut tu sis Dominus noster, & nos sub tributo serviamus. Remisit itaque Benadad nuncios, ut scrutarentur omnia quæ habuit Rex Israel, & tollerent meliora quæque & pulchriora.

11. *Nè glorietur accinctus*] h. e. Nullus gloriari debet & epinicion celebrare ante partam victoriam. Non potest is qui se ad pugnam accingit gloriari sicut is qui jam lætus post pugnæ optatum exitum arma deponit, & ab iis se solvit.

33. *Pro omine*] Heb. *& viri illi augurati sunt, festinaveruntque & rapuerunt id ab eo*. Et est sensus, Cùm nos dixerimus, *Servus tuus Benadad*, si ille mox placidè responderit ad auditum hujus nominis, signum erit piæ acceptationis, & quòd nos vivere sinet. Cùm igitur audissent ab Achab, *Vivit adhuc frater meus?* rapuerunt hoc responsum ex ore ejus veluti omen & sacrum oraculum, & priusquam ille suam complesset orationem, ipsi festinanter responderunt, *Frater tuus Benhadad*.

34. *Et ego cum fœdere dimittam te*] Hæc sunt verba Achab respondentis ad sermonem Adad: Qui cùm dixisset, *Plateas pones tibi in Damasco*, (h.e. levabis tributum vel vectigal in quibusdam plateis urbis meæ à negotiatoribus) subjecit Achab, *Quia hoc facis, ecce ego cum fœdere dimitto te*.

36. *Percutiet te leo*] Vide ut oporteat revereri verba ac præcepta servorum Dei; cùm eum qui Prophetam id præcipientem noluit percutere leo percusserit. Volebat autem Dominus exteriori demonstrare signo Achab præceptum suum transgressum fuisse in hoc quòd Regem Syriæ vivere permisit in magnam perniciem Israelis, cùm tamen jam vidisset Deum id voluisse ut omnes interimeret hostes, cùm & fugientes intra civitatem muri casu in maximo oppressi fuerint numero. Atque ut Propheta convenientiùs redargueret Regem, deformavit se luto, vel cinere & pulvere, nè agnosceretur; & proponens Regi causam Regem ad hoc adegit ut proprio se condemnaret judicio. Simile quiddam legimus fecisse Nathan Prophetam cùm pergeret corripere David ob adulterium. Sic Dominus quoque confudit Judæos cùm illis ingratitudinem illorum objiceret sub parabola Vineæ.

DRUSIUS.

28. אֱלֹהֵי עֲמָקִים. A. Sym. *Deus vallium*] In libro Locorum videtur hic locus designari ubi legimus, *Emacim, quod Sym. & Aquila transtulerunt Vallium*. Quanquam in ed. vulg. Θεὸς κοιλάδων. Fortean initio scriptum erat Ἐμακείμ, in cujus locum postea, ut fit, irrepserit κοιλάδων ex versione Aquilæ aut Symmachi. Nihil temere statuendum. Nam fieri potest ut pro κοιλάδων in Aq. & Sym. fuerit aliud nomen synonymum, quale est φάραγξ. Theodoretus certè ad Josuam Quæst. 9. Ἐμεκ-ἀχὼρ interpretatur φάραγγα Ἀχώρ.

GROTIUS.

1. Benadad rex Syriæ] Hunc & Ἀδάδυ υἱὸν & Ἄδαδον vocat in textu Josephus; in titulo capitis est Ἄδερ, apud LXX υἱὸς Ἄδερ. *Adores* apud Justinum ex Trogo. De hac literarum mutatione aut soni aut scripturæ affinitate diximus & suprà 2 Sam. 8. 5. ¶ *Triginta duos reges secum*] Qui in clientela ipsius erant. Sed per hos non tam bene bellum geritur quàm per subditos, ut apparet infrà 24. Norunt enim illi non suam rem agi.

Armeniósne movet Romana potentia cujus
Sit ducis?

ait apud Lucanum Cæsar. Cerialis apud Tacitum Hist. 4. *dilectus per Galliam habitos in civitates remittit, ac nunciare jubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello quod Romana manus excepissent*.

4. *Tuus sum ego & omnia mea*] Do me meáque in tuam fidem; sic hæc verba Achabus intelligebat. Benadad autem de rerum proprietate. Simile ambiguum inter Romanos & Ætolos memorant Polybius & Livius. Vide l. 3. De J. B. ac P. c. 20. §. 50.

7. *Omnes seniores terræ*] Solent id facere Reges etiam minimè populares ubi pericula ingruunt, promptiùs enim ea subeuntur ubi communis consensus præiit. ¶ *Quoniam insidietur nobis*] i. Cavillatur verba nostra.

8. *Non audias neque acquiescas illi*] Simile illud apud Tacitum Annal. 15. *Consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps, an pax inhonesta placeret: nec dubitatum de bello*.

10. *Si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me*] Audax hyperbole; Si milites singuli pugillum auferant, de terra Samariæ nihil remanebit. Ab exercitu Xerxis flumina siccata, Græciámque omnem vix capere exercitum ejus potuisse narrant Historici.

11. *Ne glorietur accinctus aquè ut discinctus*] Noli triumphum canere ante victoriam, quâ partâ ponuntur arma. Ξυνὸς Ἐνυάλιος.

13. *Ego tradam eam in manu tua hodie*] Nimirum

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Hanc Divinæ providentiæ partem *Nemesim* Græci vocant.

14. *Per pedissequos*] Per turbam imbellem.

18. *Apprehendite eos vivos*] Ζωγρεῖτε. Non dicit *pugnate*, sed *capite*, aut *occidite*, planè quasi in sua manu haberet victoriam.

22. *Vide quid facias*] Insta quantum potes victoriæ: deinde rebus tuis in posterum prospice.

23. *Dii montium sunt Dii eorum*] Deum Universi non agnoscebant Syri. Deum autem Israelis putabant esse ὀρειβάτην, quo nomine Pan à Græcis vocatur. Audierant nimirum Legem in monte datam. ¶ *Ut pugnemus contra eos in campestribus*] Bene cogitatum: nam & equitatu præpollebat Syria. Vide infrà 25.

26. *In Aphec*] Urbs est partis Aseritarum, Jos. 19. 30. quæ hoc bello Syrorum facta fuerat.

31. *Saccos in lumbis nostris*] Signum luctûs. ¶ *Et funiculos in capitibus nostris*] Signum devotionis.

32. *Frater meus est*] Fortuna quidem communes Reges Regibus commendat: sed cavendum nè id fiat cum malo publico.

34. *Civitates quas tulit pater meus à patre tuo reddam*] Solent quos superiores belli fortuna fecit sua recipere. ¶ *Et plateas fac tibi in Damasco*] Solent & securitati suæ in futurum prospicere. Quod hîc Latinus dixit *plateas*, חצות, Lxx vertunt ἐξόδους, origine non abnuente. Intellige munitiones quibus reprimerentur Damasceni nè in terras Israelitarum posthac irrumperent. Confer 2 Sam. 8. 6.

35. *Percute me. At ille noluit percutere*] Malè: nam leges ejus generis non valent contra dictum Prophetæ.

37. *Qui percussit eum*] Nam antiqui non verbis tantùm sed rebus loquebantur. Confer infrà 22. 11. 2 Par. 18. 10. Vide quæ dicta à nobis ad Matth. 21. 19.

39. *Servus tuus egressus est ad præliandum*] Ars egregia, suppositis nominibus aliis convincere Reges ex ipsorum confessione. Vide 2 Sam. 12, & 14. Sic olim, ut ait Phædrus,

——— *servitus obnoxia,*
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniámque fictis elusit jocis.

40. *Hoc est judicium tuum quod ipse decrevisti*] *Patere legem quam tuleris.*

42. *Quia dimisisti virum dignum morte*] Hostem Israelis pertinacem. Achabus victoriam non suâ virtute sed singulari Dei dono nactus non debuerat de Adado aliquid statuere nisi Deo consulto per Urim aut Prophetas. Confer 1 Sam. 15. ¶ *Erit anima tua pro anima ejus*] Morte lues hanc lenitatem inconcessam. Implementum sequitur capite hujus libri ultimo.

43. *Audire contemnens, & furibundus*] Heb. *contumax & furibundus.* Josephus συγκεχυμένος, quomodo & Lxx, qui addunt καὶ ἐκλελυμένος. Tam autem apud Josephum quàm apud Lxx historia hæc posterior est historiâ de Nabuthe, contrà quàm in Hebræo.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

2. PRO *horto olerum*] Est ירק *herba quam homo coctam comedit.* Vel capitur hîc pro *herba habente* ריח טוב *odorem bonum.*

4. *Tristis*] Exponitur hîc סר pro נסים, sicut nos vertimus, licèt & pro סורר *rebellis, intractabilis* & *abalienatus* exponi possit.

7. *Num tu in hunc modum gubernas*, &c.] Exponunt Hebræi תצלח pro תעשה, ut sit sensus; *Túne nunc prosperaris in Regno Israel?*

9. *Prædicate jejunium*] Cùm enim jejunarent, religiosi erant, & faciebant inquisitionem de malis factis: & si quid deprehenderunt castigatione dignum, illud inultum transire non sinebant. Cùm itaque testes falsi insurgerent contra innocentem Naboth, populus illis credidit; etiamsi Seniores & nobiles, vel, ut Kimhi dictionem חורים exponit, סגנים *præfecti*, scirent innocentiam ejus: illorum tamen fuerunt pauci, & qui pessimæ Izæbeli in malo consentiebant.

13. *Blasphemavit Naboth Deum*] Heb. *benedixit*: sed hîc est pro contrario significato accipiendum. Unde Jonathan vertit גדיף *blasphemavit.*

20. *Nunquid invenisti me, inimice meus*] Sensus est; numquid deprehendisti me nunc in malo, ut more tuo propter illud mihi commineris futuram ultionem? Qui respondit Deprehendi. Tam licenter enim peccas acsi venditus esses ad peccandum. Utitur Hebraismus hîc verbo *vendere*, quòd ea res quæ venditur tota in ementis transeat potestatem. Sic Rex ille videbatur ad hoc natus ut pessimè ageret & peccata peccatis cumularet. *Vendere* ergò *se peccatis* est sese totum dedere ac devovere peccatis.

23. *In possessione*] Sunt qui חיל exponunt pro מישר *planitie*. Alii verò putant idem esse quod חלק, deficiente scilicet literâ Kuph.

27. *Discalceatus*] Jonathan Chald. exponit יחיף, sicut nos vertimus. Alii verò per אט intelligunt *eum qui suaviter incedit*, ut mœrentes facere solent, qualem Rex Ahab se ostendit.

VATABLUS.

2. OLerum, ירק] Sing. Heb. pro plur. Significat & *olera*, & *herbas odoriferas*. ¶ *Prope & juxta domum meam*, קרוב אצל ביתי] *Propinqua & contigua domui meæ*. ¶ *Si placuerit in oculis tuis*, &c. אם טוב בעיניך וגו׳] Hebraismus, Aut si tibi commodius videatur, [si mavis] *dabo tibi argentum pro pretio illius.*

3. *Absit mihi à Jehovah* חלילה לי מיהוה] Hebraismus, Prohibeat hoc à me Jehova, *ut dem*, &c.

4. *Tristis & furibundus*, סר וזעף] *Mutatus à se & indignans:* vel *commotus & ægreferens*. Eadem verba quæ c. 20. 43. ¶ *Avertitque*, ויסב] Sub. *ab iis qui erant in cubiculo, & convertit se ad parietem*. Alii, *convertitque faciem suam*, sub. *ad parietem, neque comedit panem*, sub. *præ ira.*

5. *Tristis est*, סרה] *Commotus est*, i. quare es animo commoto ac tristi, & non sumis cibum?

6. *Locutus sum*, אדבר] Fut. Hebr. pro præt. perf. vel imperf. *loquebar, & dicebam*, &c.

7. *Túne nunc faceres regnum*, אתה עתה תעשה מלוכה] Hebraismus, i. Túne sic vel hâc viâ (nempe rogando) faceres opus Regis? h. e. exerceres imperium, sive regnares super Israelem? Vel hoc dixit ironicè, q. d. Non est Regis rogare vel precari.

8. *Ad seniores* אל הזקנים] Non ad omnes, sed certos quos sciebat esse impios aut sibi morigeros. ¶ *Et optimates qui*, &c. ואל החורים אשר בעירו] *Et nobiles urbis ejus.* Nam v. 11. dicit, *Viri urbis ipsius seniores & optimates.* Sic dicuntur Hebraicè à *candore animi*, aut *nitore corporis*, vel *splendore vestium*. ¶ *Habitantes cum Naboth*, היושבים את נבות] Quid significet istud exponit, cùm v. 11. dicit, *qui habitabant in urbe ipsius*, nempe Naboth.

9. *Talia*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Indicite jejunium*, קראו צום] i. Decernite celebrari jejunium quodam die. Hoc dicit quòd die jejunii solerent inquirere in flagitia & facinora populi. Doctus inter Hebræos exponit, *Convocate concionem*, sive, *congregationem*. ¶ *In capite populi*, בראש העם] i. Statuite inter primos populi, sive primates urbis.

10. *Belijaal*, בליעל] Vide Deut. 13. 13. ¶ *Benedixisti*, ברכת] Hîc pro *maledixisti* positum est.

12. *Indixerunt jejunium*, קראו צום] *Convocarunt concionem*, sive *congregationem*. Vide v. 9.

16. *Ut possideret illam*, לרשתו] Gallicè, *pour en prendre possession*.

17. *Dicendo*, לאמר] i. *Dicens*, vel *dicentis*.

19. *Hisce verbis*, לאמר] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Nónne occidisti*, &c. הרצחת וגם ירשת] q. d. Non satis est tibi occidisse illum, nisi etiam possessionem ejus invadas? ¶ *In loco in quo*, &c. במקום וגו'] Non de eodem loco particulari sed universali intelligit, i. in ea regione, patria, aut agro, q. d. In hac patria id tibi continget quod contigit Naboth. Alii legunt, *Propterea quòd linxerunt*, &c. Quidam dicunt hoc fuisse completum in Achab. Alii dicunt dilatum fuisse in filium ejus. ¶ *Etiam tuum*, גם אתה] *Etiam tuum ipsius*, Gallicè, *voyre de toy*.

20. *Num deprehendisti me*, המצאתני] Sub. *in aliquo delicto*, i. Nunquid invenisti in me quod carpere possis, tu qui mihi semper adversaris? ¶ *Vendidisti te*, &c. התמכרך וגו'] Hebraismus, Quasi vendideris teipsum, dedisti operam & studuisti semper malefacere: fuisti semper animo proclivi & propenso ad faciendum rem ingratam Domino. Gallicè, *tu t' es abandonné a*, &c.

21. *Ecce ego adduco super te*, הנני מבי אליך] Sub. *Hæc dicit Jehovah*, *En ego inducam*, vel, *inducturus sum*. In מבי deficit א, ut esset מביא. ¶ *Et auferam*, *post te*, יבערתי אחריך] i. Mox tollam te de medio, velut à tergo te propellens. Alii, *Exterminabo*, sub. *te*, i. tollam te de medio, q. d. Diligenter ejiciam & expellam te, vel tuos. *Post te*, i. tecum. ¶ *Mingentem ad parietem*, משתין בקיר] Vide 1 Sam. 25. 22. ¶ *Et clausum, ac derelictum*, ועצור ועזוב] Vide c. 14. 10. *Clausum*, i. siqui se receperint in arces munitissimas; *& derelictum*, i. siquis forte fortuna derelictus sit ac contemptus, h. e. omnes tuos, sive sint in dignitate constituti, sive non; h. e. sive summi ordinis sive infimi.

22. *Propter irritationem*, &c. אל הכעס וגו'] *Propter iram* [*iracundiam*] *ad quam provocasti*, sub. *me*.

23. *Et etiam super Izebel*, וגם לאיזבל] *Præterea de Izebel*. ¶ *Intra antemurale*, בחל] *In antemurali*, aut *juxta antemurale*, sive *fossam*, quæ duci solet circum mœnia. Gallicè, *es fossez de la ville*: id enim significat etiam vox Hebræa. Alii vertunt *agro*, *vallo*, *planitie*.

25. *Veruntamen*, רק] *Certè*. ¶ *Qui vendiderit seipsum*, &c. אשר התמכר וגו'] Vide v. 20. i. qui suâ sponte, non metu adactus, fecerit tot mala. ¶ *Et quem incitavit*, אשר הסתה] Ut scilicet malum faceret, & coleret idola. Alii vertunt, *eò quòd incitaret eum*, &c.

26. *Rem enim fecit abominabilem valde*, ויתעב מאד] Ad verb. *Et abominationem fecit valde*. Quidam vertunt, *Etenim rem valde abominabilem commisit, sectando simulacra, prorsus ut fecerunt*, &c.

27. *In sacco*, בשק] Hæc vox (ut quidam scribunt) significat vilem vestem & asperam, ut contexta sit ex ea materia è qua contexi solent sacci. ¶ *Sensim*, אט] *Pedetentim*, vel *lentè*: more scilicet lugentium ac mœrentium. Chald. *discalceatus*.

29. *Humiliaverit*, &c. נכנע וגו'] *Abjecerit sese Achab à conspectu meo?* i. ante me. Alii dicunt dejectionem sive pœnitentiam Achab fuisse veram: alii dicunt personatam. Fuit hæc pœnitentia vera, sed temporaria.

CASTALIO.

7. O *Te hominem idoneum qui Israeliticum Regnum pares!*] Qui unius vineæ comparandæ rationem non invenias, quo pacto Regnum, si esset opus, tibi parares?

2. *In agro Jezraelensi comesum iri*] חל malè puto legi pro חלק, nam & Vetus *agrum* reddidit, & 4 Regum 9. 36. ubi idem repetitur oraculum, est חלק.

CLARIUS.

9. P*Rædicate jejunium*] Cùm enim jejunarent, religiosi erant, & inquirebant in malefacta: & si quid deprehenderant castigatione dignum, illud inultum transire non sinebant. Cùm itaque testes falsi insurgerent contra innocentem Naboth, populus illis credidit, etiamsi Seniores & Nobiles sive Præfecti scirent innocentiam ejus, illorum tamen fuerunt pauci, & qui pessimæ Jezabeli in malo consentiebant.

13. *Benedixit Naboth*] h. e. Blasphemavit. Veretur enim Scriptura pronunciare vocabulum rei tam abominandæ, ut doceamur nos quanta habenda sit Divino nomini reverentia.

20. *Num invenisti me inimicum tibi?*] Alius vertit, *Nunquid invenisti me, inimice meus?* h. e. Nunquid deprehendisti me nunc in malo, ut more tuo propter illud mihi commineris futuram ultionem? Qui respondit, Deprehendi. Tam licenter enim peccas acsi venditus esses ad peccandum. Utitur enim Hebraismus hîc verbo *vendendi*, quòd ea res quæ venditur tota in ementis transeat potestatem. Sic Rex ille videbatur ad hoc natus ut pessimè ageret ac peccata peccatis cumularet.

GROTIUS.

2. D*A mihi vineam tuam*] Ad Jubilæum usque. Ultrà enim certum erat non licere.

3. *Nè dem hereditatem patrum meorum tibi*] Neque lex id permittebat, nisi egestate gravi presso. Vide Levit. 25. 15, 25. Deinde naturaliter amamus res avitas.

7. *Grandis auctoritatis es*] Planè ut Poppæa *pupillum* vocabat Neronem, *qui jussis alienis obnoxius, non modò imperii sed libertatis etiam indigeret*. Ità Tacitus Annal. 14.

8. *Ad majores natu & optimates*] i. Ad oppidi Judices, qui etiam de capite judicabant. Cur ipse Rex eum non judicavit? Primùm quia 10 tribuum Reges satis habebant ipsi judiciis eximi; cæterùm judicia relinquebant popularibus à quibus ad Regnum erant evecti; cùm Reges Judæ & judicarent sæpe & in rebus civilibus judicio Senatûs se sisterent. Deinde verò speciem majorem juris minùsque odii habebat ista agendi ratio. *Imaginem cognitionis* dixit Tacitus Annal. 3. & Hist. 4. *Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines illusisse*.

9. *Prædicate jejunium*] Ut in gravi delicto quo populus attaminabatur; quò magis credat populus rem piè agi. ¶ *Sedere facite Naboth inter primos populi*] i. In synagoga date ei locum honorificum. ἐν τῷ αὐτῷ ἐπιφανοῦς addit Josephus. Hoc ideo, ne odio damnasse crederentur, quem ipsi honoraverant, sed religione testium coacti cum summo suo dolore.

10. *Et submittite duos viros*] Sic LXX. At Josephus tres posuit; non malè, si faverent libri Hebræi: nam adversùs insignis famæ virum tres testes requirebant. Malis autem Regibus nunquam desunt talia injustitiæ instrumenta. ¶ *Filios Belial*] LXX [illegible]. Josephus πλημμελεῖς τινὰς. ¶ *Benedixit Deum & regem*] Josephus, ὡς τὸν Θεὸν τε καὶ βλασφημήσειε καὶ τὸν βασιλέα. Habes hoc loquendi genus ex contrario ductum Jobi 1. 5. & 2. 9. ¶ *Et educite eum*] Extra portam, ut in suppliciis fieri solebat. ¶ *Et lapidate*] Ex lege Levitici 24. 16.

15. *Et posside vineam Naboth*] Titulo confiscationis quæ apud Hebræos locum habebat in omnibus delictis adversùs Regiam majestatem. Vide 2 Sam. 9. 7. Hæc sententia, quam sequuntur Levi Bengersoni & David Kimchi, probabilior est quàm quod fingunt alii, Nabuthem agnatum fuisse Regis, & liberos cum eo interfectos, ut participes

 criminis;

criminis; quorum hoc probari videtur 2 Reg. 9. 26. illud verò alterum non item.

19. *Occidisti insuper & possedisti*] Paucis verbis explicatur facinoris immanitas. Tale illud in Agricola, *trucidare, rapere, falsis nominibus imperium appellant.* Et Plinius ærarium sub Domitiano ait fuisse *spoliarium civium, cruentarúmque prædarum sævum receptaculum.* ¶ *In loco hoc*] Meliùs, *loco ejus quòd linxerunt canes sanguinem Naboth*, i. *propterea quod.* Causa enim judicii indicatur, non locus. Linxerant autem canes sanguinem Nabothis ibi ubi lapidatus fuerat. ¶ *Lambent quoque sanguinem tuum*] Effusum in currum scilicet infrà 22. 38.

20. *Num invenisti me inimicum tibi?*] Legit אויבך, non ut nos in Hebræo legimus אויבי, quomodo & Græci legere, Ει εὕρηκάς με ὁ ἐχθρός μου; ¶ *Eò quòd venumdatus sis ut faceres malum in conspectu Domini*] i. Mancipium es teterrimorum vitiorum. Sic infrà 25. Rom. 7. 14. Horatius,

Urget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subjectat lasso stimulos.

¶ *Et clausum & ultimum*] *Clausum & relictum.* Vide suprà 14. 10.

23. *In agro Jezrael*] In eo territorio in quo injustè damnatus fuerat Naboth. Simile vide 2 Reg. 9. 25, 26.

27. *Jejunavítque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*] Pœnitentiâ ductus, sed quæ non permansit, ut apparet capite sequente. Aliquid tamen de commerita pœna ob hoc detractum est.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

6. PRophetas circiter quadringentos] Non erant Prophetæ sed Pseudoprophetæ; venerabatur autem eos impius Ahab acsi veri essent Prophetæ, quibus in vestitu & moribus conformes se gerebant.

10. *Induti vestibus*] Intellige בגדי מלכות חמודות *vestibus regalibus & pretiosis.* ¶ *In area*] Sive horreo; Aiunt Hebræi per *horreum* intelligendum porticum civitatis & פתח שער. ¶ *Prophetabant in conspectu eorum*] Sensus est, quòd aliena loquebantur, sed quæ ex cerebro suo fingebant.

11. *Et Zidkija fecit sibi cornua ferrea*] Volens exteriori signo Regi indicare felicem belli eventum.

15. *Et tradet eum Dominus*] Hoc dixit Propheta Domini verus דרך התול *per modum illusionis*, q. d. Si promiserunt tibi Prophetæ tui falsi prosperitatem & victoriam, ascende & videbis quid sit tibi eventurum, & quomodo Dominus tibi concessurus sit victoriam juxta Prophetarum tuorum asseverationem. Advertit autem Rex quòd non seriò sibi responderet; ideo adjuravit eum multis modis ut veritatem sibi aperiret.

24. *Quo tempore*] Chaldæus interpres exponit dictionem אי זה pro אידא שעה *quâ horâ.*

27. *Cibate eum pane afflictionis*] i. Date ei cibum panem & aquam, ut solet dari afflictis.

30. *Immuta te*] Hebræi post Chald. interpretem paulò aliter intelligunt hanc sententiam, nempe in hunc modum, אנא אשתנו ואיעל בקרבא *Ego transformabo me, & ingrediar bellum: tu verò vestibus tuis indutus venies ad bellum, Nam cùm ego belli sim autor, necesse est ut omnibus modis mihi provideam, cùm nemo inter hostes futurus sit qui non quærat animam meam.* Erit igitur התחפש hoc loco infinitivi & non imperativi modi.

34. *Juxta perfectionem ejus*] Hebræi relativum *ejus* non referunt ad *arcum*, quòd ille ad justam extensionem fuerit tractus, sed ad *sagittarium*, qui simpliciter & sine animi intensione quàm maximè potuit arcum intendens, jaculum incertum excussit, atque Regem percussit. *Percussit autem inter juncturas thoracis & loricam*, vel, ut Hebræi hunc locum intelligunt, *in juncturis loricarum.* Ibi jaculum inveniens ingressum, absque ullo ferrei indumenti obstaculo, Deo volente, corpus regis vulneravit. Sunt etiam qui per דבקים intelligunt קשקשת *squamas ferreas*, inter quas jaculum penetravit. Percussus verò Rex non ait se *vulneratum*, sed *superveniente infirmitate debilem effectum*, nè suos pusillanimes redderet & illis animum adimeret. Et cùm castra egredi non posset sine exercitûs sui maximo detrimento, perstitit totâ die sic vulneratus contra exercitum Syrorum. Vespere autem mortuus; & rumore mortis ejus per castra sparso, exhortabantur Israelitæ se mutuò ut quisquis domum repeteret.

38. *Meretrices laverunt*] Hoc dicitur, quòd sanguis ejus in maximum venerit contemptum, quippe quem canes linxerunt, & cum quo vilissimæ personæ laverunt immunditias suas. Nam cùm currus in piscina fuerit allutus, consequens est ut totum stagnum illud respersum fuerit sanguine ejus. Sunt tamen qui per זונות intelligenda putant מאני זינא *arma bellica.*

49. *Tharsis*] Ut suprà quoque 10. 22. monuimus, Jonathan Chald. pro *Tharsis* interpretatur *Africam*, in qua est locus Ophir, qui Zaphalla à Cosmographis esse putatur. Illic enim hodie aurifodina invenitur.

VATABLUS.

1. HAbitaverunt, &c. וישבו וגו'] i. à federe inito cum Ben-hadad fuit pax in Israele tribus annis. Anni pars pro toto anno hîc accipitur.

2. *Descendit*, וירד] Significat illum invisisse Regem Achab.

3. *Tacemus*, מחשים] *Silemus*, i. cessamus: quòd qui silent, cessare videntur. Ramoth fuerat occupata à Regibus Syriis ante Ben-hadad: unde ex federe non tenebatur Benhadad eam reddere.

4. *Sicut ego*, &c. כמוני כמוך] q. d. Ego & tu unum sumus; idem sum facturus quod tu: & *meo populo & meis equis* æquè uti poteris atque tuis; Populus meus iturus est quò populus tuus, vel, populus meus & tuus idem sunt, equi mei ibunt quò tui sunt ituri; erit nobis commune periculum, i. quò tu cum populo tuo & equis ire voles, illuc paratus sum ego ire unà cum populo meo & equis. Hæc enim congeminatio Caphim literarum Hebraicarum, quæ pro adverbiis Similitudinis sumuntur, significat æqualitatem aut dignitatis aut conditionis.

5. *Require, obsecro*, &c. דרש נא וגו'] Hebraismus, Consule Dominum.

7. *Estne hîc*, &c. האין נה] Josaphat dissimulat hîc se scire Prophetas Achab esse falsos & adulterinos Prophetas. ¶ *Ut inquiramus ex eo*, ונדרשה מאותו] i. Ex ore ejus. sub. *verbum Domini*, i. per quem consulamus Dominum.

8. *Adhuc* est *vir*, &c. עוד איש אחד וגו'] i. Superest quidam alius per quem consulamus Dominum. ¶ *Vaticinatur*, יתנבא] *Vaticinari solet.* Fut. Heb. pro præs. Quidam retinent futurum, *vaticinabitur*, ¶ *Nè dicat Rex ità*, אל יאמר המלך כן] q. d. Vaticinabitur prospera.

9. *Eunuchum quendam*, סרים אחד] Ad verb. *eunuchum unum.* ¶ *Festinare fac*, מהרה] i. Citò accerse. Alii, *Festina* [sub. *vocare*] *Michajehu.*

10. *Vestibus*, בגדים] Sub. *regiis.* ¶ *In area*, בגרן] Sub. *quadam*, tum prope urbes erant areæ ob incursiones hostium.

11. *Feries*, תנגח] Ad verb. *cornupetes.* Chald. *interficies Syros.* ¶ *Donec consumas eos*, עד כלותם] Sub. *non desines ferire eos, donec memoriam eorum deleveris.* Quidam vertunt, *donec in universum eos conficias.*

12. *Et prosperè ages*, והצלח] *Et prosperè cedet tibi.*

13. *Bonum*, טוב] i. Prospera ac felicia prædicant de profectione regia: tu similiter vaticinare prospera sicut quilibet illorum. ¶ *Et loquere bonum*, ודברת טוב] Fut. Heb. pro imper. *vaticinare & tu prospera.*

15. Et

15. *Et prosperè ages*, והצלח] i. Prosperè ac feliciter rem gere. Hoc ironicè dictum.

16. *Usque ad quot vices*, &c. עד כמה פעמים אני משביעך] i. Quoties patieris me adjurare te? q. d. Iterum atque iterum te adjuro ut, &c. Ordo verborum Hebraicorum talis esse debet, *Adjuro te in nomine Jehovæ, nè loquaris*, &c. Sensit fraudem Achab, quia non addidit hoc, *Hæc dicit Dominus*, ut veri Prophetæ solent.

17. *Dixitque*, ויאמר] Sub. *mihi*. ¶ *In pace*, בשלום] i. Salvi & incolumes. Sic v. 28.

19. *Exercitum cœli*, צבא השמים] Per *exercitum cœli* hoc loco intellige tantùm Angelos bonos. Parabola autem est quâ indicatur, sinente & connivente Deo, nobis imponi à Satana.

20. *Decipiet*, יפתה] *Imponet*. Alii, *persuadebit*. Sic v. seq. ¶ *Iste sic*, וזה בכה] i. Unus in hunc modum. Gallicè, *l'ung disoit d'ung, l'autre disoit d'autre*. Vel, *l'un disoit ainsi, & l'autre ainsi*.

21. *Spiritus*, הרוח] Sub. *malignus*, vel, *mendax*, *de loco suo*. Non enim erat cum exercitu illo cœlesti. Spiritus malus non habet locum cum spiritibus bonis. Job 1. 6, 7. ¶ *In quo?* במה] *Qua in re? Quâ ratione?*

24. *Quando*, אי זה] Chald. *Quâ horâ*. Alii, *Quà*, sive, *per quem locum*, 2 Par. 18. 23. scribitur, *Per quam viam*.

25. *Videbis*, &c. רואה וגו'] i. Scies, *cùm ingredieris*, præ metu scilicet, *de cubiculo in cubiculum interius*, sive *intimum*, h. e. cùm non invenies locum in quo securus delitescas. Præs. Heb. pro fut.

26. *Et reducito eum*, והשיבהו] Sub. *in urbem*. Alii aiunt eum fuisse antea in carcere.

27. *Ponite*, &c. שימו וגו'] i. Recludite istum in carcere. ¶ *Et cibate eum pane arcto*, והאכלוהו לחם לחץ] *Et nutrite eum pane tribulationis* [*afflictionis, oppressionis*] *& aquâ angustiæ*, sive *afflictionis*, i. exiguo pane, & exiguâ aquâ. Chald. *pane qui erit in afflictione*, h. e. non ad saturitatem, sed ad necessitatem tantùm; & aquâ consimili.

28. *Præterea dixit*, &c. ויאמר שמעו וגו'] i. Vocavit populum in testem, *Audite omnes* quæ dico: ut cùm quæ prædixi evenerint, intelligatis me dixisse inspiratione Divinâ.

30. *Mutabo me ipsum, & ingrediar*, התחפש ובוא] i. Mutato habitu ingrediar. Quod mox sequitur, *Indue te vestimentis tuis*, satis indicat quid hîc velit per *mutare se*.

31. *Nè pugnetis*, &c. לא תלחמו וגו'] i. Nolite pugnare cum quoquam, sed totum impetum convertite in Regem Israel.

33. *Ab eo*, מאחריו] *A tergo ejus*, vel, *deposì eum*.

34. *In simplicitate sua*, לתומו] i. Citra intentionem animi, ac sine ullo delectu, h. e. in incertum, citra propositum feriendi Regem. ¶ *Inter juncturas & loricam*, בין הדבקים ובין השרין] *Inter annulos quibus constabat lorica*, q. d. Forte fortunâ allapsa est sagitta in foramen quod erat inter annulos. Vel, *inter commissuram quandam*, h. e. inter laminas quæ dependent à solida lorica quâ totum corpus munitur. Doctioribus magìs probatur ista interpretatio. Gallicè, *entres les joincts des cuissons*. Quidam Hebræorum exponit, *inter commissuram squamarum & loricam*. ¶ *Verte manum tuam*, הפוך ידך] i. Flecte habenas. ¶ *Vulneratus sum*, החליתי] Ad verb. *Ægrotare factus sum*, i. dolore aut morbo correptus sum: vel potiùs, dolet mihi vulnus quod accepi. Non dissimulat se accepisse vulnus.

35. *Incaluerat autem*, &c. ותעלה המלחמה] i. Acre autem prælium commissum fuerat eo die quo vulnus accepit Achab, & ipse constantissimè pugnabat contra Syros. Gallicè, *Il estoit renforcé*. ¶ *Vesperi*, בערב] *In vespera*, i. sub vesperam, circiter occasum solis. ¶ *In sinum*, אל חיק] Vocat *sinum* quicquid aliquid capit. Chald. *intra currum*.

36. *Vox præconis*, הרנה] Ad verb. *clamor*, i. Proclamatum fuit voce præconis in castris.

37. *Et deportatus*, ויבוא] Ad verb. *Et venit*.

38. Quidam *autem lavit*, וישטף] Ad verb. *Et lavit*, sub. *auriga*. ¶ *Sanguinem ejus*, את דמו] Unà scilicet cum aqua: nam aquæ permistum sanguinem lambebant canes qui veniebant bibitum in piscina. Cùm suprà 21. 19. Elias dicit, *in loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, tuum lingent*, ponitur *locus* pro *regione*. 4 Reg. 9. 25, 26. docet prophetiam Eliæ de lambendo sanguine Achab impletam fuisse in Joram.

44. *Non removerunt*, לא סרו] Ad verb. *non recesserunt*, i. non fuerunt sublata, q. d. Non sustulit.

46. *Et robur ejus quod fecit, & quo pugnavit*, וגבורתו אשר עשה ואשר נלחם] i. Fortiora facta ejus, & prælia quæ strenuè fecit & præliatus est.

47. *Expulit è terra*, בער מן הארץ] *Ejecit è patria*, sive, *regione*, sub. *sua*.

48. *Rex nullus*, &c. ומלך אין וגו'] q. d. Tempore hujus Idumæa erat subjecta Regibus Juda: tantùm is præerat illis quem præficiebat Rex Juda, erátque Prorex, sive Vicarius Regis Juda.

49. *Fecit naves Tharsis*, עשה אניות תרשיש] *Paraverat classem*, i. naves tales qualibus uti solent in mari illo magno. Chald. *Africanas*, i. quæ irent in Africam, h. e. tales quales erant quibus vehi solebant Judæi in Africam. *Tharsis*, sive *Tarsis*, tria significat in Scriptura; Africam; insulam auriferam sitam in Oceano; & mare ipsum, ut hìc. ¶ *Pro auro*, לזהב] Sub. *illinc asportando*. ¶ *In Esion-gaber*, בעציון גבר] i. In portu Esion-gaber, vel, non procul à portu urbis Esion-gaber.

50. *In navibus*, באניות] i. Unà cum classe tua in Ophir.

52. *Duobus annis*, שנתים] Hìc *anni* Synecdochicè accipiuntur.

54. *Juxta omnia quæ fecerat*, ככל אשר עשה] *Prorsus ut fecerat*.

CASTALIO.

30. *Ipsiúsque Achabi vestitum indueret*] Ut in Hebræo est, jubetur Josaphatus *habitum mutare, & suo vestitu uti*. Sed hæc pugnantia sunt. Præterea ea res nullâ egeret admonitione ut suo vestitu uteretur, quem alioqui non erat mutaturus. Adde quòd nullus esset quadrigariorum errori locus, qui Achabum se petere putantes, nunquam Josaphatum peterent, nisi veste decepti. Has ob causas hoc in loco secutus sum Græcum exemplar, ubi ità legitur, καὶ σὺ ἔνδυσαι τὸν ἱματισμόν μου.

34. *Simpliciter*] *In incertum*.

CLARIUS.

6. *Prophetas quadringentos circiter*] Non erant Prophetæ sed Pseudoprophetæ; venerabatur autem eos impius Achab acsi veri essent Prophetæ, quibus in vestitu & moribus conformes se gerebant.

10. *Prophetabant*] Aliena loquebantur, ut viderentur imitari morem Prophetarum, sed quæ ex cerebro suo fingebant.

15. *Tradet Dominus in manu regis*] Hoc dixit illudendo, q. d. Si promiserunt tibi Prophetæ tui falsi prosperitatem & victoriam, ascende, & videbis quid tibi sit eventurum, & quomodo Dominus tibi concessurus sit victoriam juxta Prophetarum tuorum asseverationem. Advertit autem Rex quòd non seriò sibi responderet; ideo adjuravit eum multis modis ut veritatem sibi aperiret.

30. *Mutabo me*] Nam cùm ego, inquit, belli sim author, necesse est ut omnibus modis mihi provideam, cùm nemo inter hostes futurus sit qui non quærat animam meam.

34. *Inter juncturas & loricam*] Vel, *in juncturis loricarum*, ubi jaculum inveniens ingressum, absque ullo ferrei indumenti obstaculo, Deo volente, corpus Regis vulneravit. ¶ *Vulneratus sum*] Alius vertit *infirmor*: quòd scilicet Rex noluerit dicere se *vulneratum*, sed *superveniente infirmitate debilem effectum*, nè suos pusillanimes redderet, & illis

illis animum adimeret. Et cùm castra egredi non posset sine exercitûs sui maximo detrimento, perstitit totâ die sic vulneratus contra exercitum Syrorum; Vespere autem mortuus est.

38. *Arma laverunt*] Alius vertit *meretrices laverunt juxta piscinam:* quòd videlicet sanguis ejus in maximum venisset contemptum, quippe quem canes linxerunt & cum quo vilissimæ personæ laverunt immunditias suas. Nam cùm currus in piscina fuerit allutus, consequens est ut totum stagnum illud respersum fuerit sanguine ejus.

49. *Classes in mari*] Vel, *in Tarsis*. Chald. interpretatur *Africam*, in qua est locus Ophir qui Zaphalla à Cosmographis esse putatur. Illic enim hodie ferunt aurifodinam inveniri.

GROTIUS.

1. *Transierunt igitur tres anni*] Non pleni, 2 Par. 18. 1.

2. *Descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel*] Achabum, cujus hominis mali filiam duxerat, ut colligere est 2 Par. 18. 1. quæ causa videtur præcipua cur eum Propheta reprehenderit 2 Par. 19. 2.

6. *Prophetas, quadringentos circiter viros*] Idololatras, qui nomine Dei Amorræorum vaticinabantur. Ostendit hoc oppositio sequens, *Propheta Domini quispiam.*

8. *Quia non prophetat mihi bonum, sed malum*] Sic Calchanti Agamemnon,

Μάντι κακῶν, ὃ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.

10. *Unusquisque in solio suo*] Ut pares.

11. *Cornua ferrea*] Vide suprà 20. 37. ¶ *His ventilabis Syriam*] Arietabis.

12. *Omnésque prophetæ similiter prophetabant*] Velut uno ore: quod ipsum suspectum esse debebat.

15. *Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis*] Hoc non dixit serio vultu ac voce, sed per irrisum, imitans pseudoprophetarum verba. Tale illud in Terentio,

——————*parvola*
Hinc est abrepta, &c.

17. *In montibus*] In istis montibus, nempe propinquis Ramothæ. ¶ *Quasi oves non habentes pastorem*] Num. 27. 17. Matth. 9. 36. ¶ *In pace*] i. De bello nihil cogitent ampliùs, Regibus qui hoc bellum suscitaverant destituti. Vide capitis sequentis initium.

19. *Et omnem exercitum cœli assistentem ei*] Similis διατύπωσις Jobi 16.

21. *Egressus est autem spiritus*] Aliquis ex Satanæ familia. Sic inter Angelos etiam Satan apparet dicto Jobi loco. At Hebræorum nonnulli spiritum hunc putant fuisse spiritum Nabuthis vindictam quærentis de Achabo.

22. *Decipies, & prævalebis*] Permissio qualis illa Matth. 8. 31. Vide & Apoc. 20. 3.

23. *Dominus locutus est contra te malum*] Decrevit te perdere.

27. *Pane tribulationis*] Pane plebeio. ¶ *Donec revertar in pace*] Victor.

30. *Sume arma*] Imò, *Mutabo me*. Græcis Συγκαλύψομαι, *Ego me dissimulabo, tu autem retine tuum habitum.* Sciebat in Reges maximè vim hostium intendi, quare volebat ipse latere hostes, Josaphatum autem periculis objicere.

31. *Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum*] Ut causam belli.

32. *Et exclamavit Josaphat*] Ad Deum.

34. *Inter pulmonem & stomachum*] Heb. *inter conjuncturas & inter loricam*, i. in ea parte ubi lorica cum interiori armatura connectitur. Nam דבק *junctura* est etiam Esaiæ 41. 7. σύμβλημα. At Lxx ἀναμέσον τῶ πνεύμονος καὶ ἀναμέσον τῶ θώρακος, & hîc & in Paralipomenis: Josephus, διὰ τῶ θώρακος κατὰ τῶ πνεύμονος.

36. *Præco insonuit*] Heb. *transivit præconium*, i. signum datum est receptui.

38. *In piscina Samariæ*] In collectione aquarum lapidibus circumdata, quam κρήνην impropriè hîc vocant Josephus & Lxx. ¶ *Et habenas laverunt*] Cingulas, ni fallor, dicere voluit, quasi ab אזן, quod *zonam* significat Deut. 23. 13. quanquam alii & ibi & hîc *arma* malunt vertere. At Lxx & Josephus simpliciùs זנות interpretantur *meretrices*, & *laverunt* scilicet sese, in ista piscina sanguine polluta, ut hoc etiam ad contemptum Achabi accesserit, quod non improbo. Alii in ipso curru meretrices pictas fuisse credunt. Alii זנות interpretantur *visiones* Eliæ & Michææ in eodem curru depictas, quod vix putem. ¶ *Juxta verbum Domini quod locutus fuerat*] Hoc refer ad illud quod de canibus dictum est.

39. *Reliqua autem sermonum*] i. Rerum.

41. *Josaphat verò filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel*] Impleto scilicet. Ità colligimus collatis locis suprà 16. 29. & 22. 4.

44. *Veruntamen excelsa non abstulit*] Adeò invaluerat is error ut ei evellendo Rex par non esset.

45. *Pacémque habuit Josaphat cùm rege Israel*] i. Ut erat bonus, mortem Achabi captare noluit, ut filio ejus Ochaziæ Regnum veteris juris obtentu eriperet.

47. *Reliquias effeminatorum*] Catamitorum qui reliqui facti fuerant.

48. *Non erat tunc rex constitutus in Edom*] Addi debet ex Hebræo, *Præfectus erat rex*, i. Præfectus ab Hierosolymis missus velut regio jure imperabat, ut Præfectus Romanus Capuæ. De quo vide quæ dicta l. 2. De J. B. ac P. c. 9. §. 6. Hic mos à Davidis temporibus cœptus, ut vides 2 Sam. 8. 14. ad Josaphati tempora duravit: non autem multò pòst secuta est Idumæorum defectio 2 Reg. 8. 20.

49. *Classes in mari*] *Naves Tharsis* in Hebræo, i. *Oceanicas*. Vide suprà 10. 22. ¶ *Quæ navigarent in Ophir*] Josephus, qui suprà *Ophir* aut, ut ipse legit, *Sophir* dixerat esse partem Indiæ dictam τῶν χρυσῶν γῆν, & quidem duobus in locis, hîc eandem vocem interpretatur *Pontum & Thraciæ emporia*. Miror inconstantiam interpretationis.

50. *Et noluit Josaphat*] i. Societatem quam antè cum impio Rege contraxerat, de qua vide 2 Par. 20. 35. malo eventu, & simul Eliezere Prophetâ deterrente, prorogare noluit. Non discrepat ab hoc sensu Josephus hoc loco.

52. *Regnavítque super Israel duobus annis*] Non plenis, 2 Reg. 3. 1.

ANNOT.

ANNOTATA
AD LIB. II
REGUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Quartus iste liber REGUM cum præcedenti, qui apud Latinos *Tertius* REGUM inscribitur, est unus liber in Hebræo, vocatúrq; ספר מלכים, i. *Liber* REGUM; sed propter magnitudinem suam & Græcis atque Latinis in duos distinctus est libros, sicut & liber SAMUELIS.

1. *Iniquè egit*] Chald. מרד *rebellavit*. Nam cùm Moab servivisset Ahab patri Ahaziæ sub tributo, illéque interiisset, noluit filia tributa pendere, sed rebellis illi fuit.

2. *Cecidit per cancellos*] Hebræi exponunt שבכה per רשת *opus reticulatum* & שתי וערב *per modum crucis formatum*, ut in cœnaculis superioribus fieri solent per ligna cancelli, per quos lux in inferiora decidat habitacula: qui cùm in aula Regis vetustate emarcuissent, & Rex super eos graderetur, fractis illis ipse deorsum gravi collisione cecidit, *lectúmque ascendens nunquam indè descendit*, h. e. nunquam ab illa ægritudine convaluit.

7. *Quæ forma*] Exponunt hîc Hebræi משפט pro תואר *forma*. Sunt tamen qui מנהג & נימוסא, i. *consuetudinem*, seu *mores*, exponunt. Consuetudo autem ejus erat ferre in lumbis cinctorium pelliceum, & pilos in corpore nutrire. Et per hoc signum cùm cognitus esset, misit ad eum Rex principem quinquagenarium cum quinquaginta viris, ut si nollet spontè cum illis descendere, raperent eum violenter, &c.

VATABLUS.

1. *Defecit autem Moab*, ויפשע מואב] i. Desierunt Moabitæ pendere tributum Regibus Israel, mortuo Achab. Pœnas suæ idololatriæ dat Ochozias duobus modis: nam ab eo defecerunt Moabitæ, & cùm deambularet in tecto, decidit in cœnaculum per fenestram per quam immittebatur lumen in cœnaculum.

2. *Per cancellos*, בעד השבכה] Quibus scilicet immittebatur lumen in cubiculum regium. Fenestram intelligit quæ obstructa erat lignis cancellatim & transversim intertextis. ¶ *In cœnaculum suum*, בעליתו] *Cœnaculum* vocant tabulatum superius. Sic autem Hebraicè dicitur, quòd ad illud ascendatur. ¶ *Baal-zebub*, בבעל זבוב] Significat *Dominum muscæ*. Deus credebatur ab Accaronitis qui amoliretur lethales & perniciosissimas muscas quæ incolas agri Accaronitici infestabant. Ità doctiores. Alii rationem nominis sumunt à copia muscarum quam hostiarum copiosissimus sanguis gignebat. ¶ *Si vivam*, אם אחיה] *An convalescam*, i. moriturus sim, néene.

3. *Nónne quia non est*, &c. והמבלי אין אלהים] Ad verb. *Nónne ob non esse Deum in Israele*, &c. i. nónne propterea quòd nullus opinione vestrâ sit Deus in Israele, sive, eo, quòd Rex vester non putat ullum esse Deum in Israele, &c.

7. *Qualis forma*, מה משפט] Ad verb. *Quale judicium*, i. Cujus figuræ & habitûs? vel, *Qualis est?*

8. *Vir pilosus*, איש בעל שער] Ad verb. *Vir patronus* [aut, *dominus*] *pili*, i. homo pilosus & hirsutus. Chald. uno verbo dixit, *pilosus*.

9. *Misitque ad eum*, וישלח אליו] Sub. *comprehendendum & adducendum ad se*. ¶ *Et quinquaginta ejus*, וחמשיו] i. Quinquaginta viros qui erant sub eo, sive quibus præerat. ¶ *Ascendens ad eum*, ויעל אליו] Elias confugerat in verticem montis, quia sibi timebat. ¶ *Vir Dei*, &c. איש האלהים וגו'] Hæc videntur dici per ironiam, q. d. Qui te jactas esse virum Divinum, Rex jubet ut descendas.

10. *Et si vir Dei sum*, ואם איש אלהים אני] Ut scilicet revera sum: quanquam *Virum Dei* me irridendo appelles, q. d. Non putas me esse virum Dei verúmque Prophetam; sed Deus comprobabit igne de cœlo demisso.

11. *Rursum autem misit*, וישב וישלח] Ad verb. *Et reversus est Rex, & misit*. ¶ *Qui locutus est*, ויען] Ad verb. *& respondit*. *Respondere* pro *loqui* frequens in Scripturis. Sic 1 Reg. 13. 6.

12. *Ignis Dei è cœlo*, אש אלהים מן השמים] *Ignem Dei è cœlo* vocat ignem missum à Deo è cœlo.

13. *Iterum verò misit*, וישב וישלח] Ad verb. *Et reversus est, & misit*, sicut v. 11. ¶ *Pretiosa sit, quaso*, תיקר] Solemus parcere rei charæ, q. d. Nè despicias vitam meam & servorum tuorum. Parce vitæ meæ & meorum; Nè perdas me & milites qui mecum sunt. Psal. 116. 15. *Pretiosa in conspectu Jehovæ mors sanctorum ejus*, i. Deus magni facit suorum mortem.

15. *Nè timeas à facie ejus*, אל תירא מפניו] *Nè formides ab eo*. Timebat, quia Regi adversa prædixerat: prætérea Jezabel mater Regis summo eum odio prosequebatur.

16. *Et quidem quod*, &c. המבלי אין אלהים] Ad verb. *nónne quia non est*, &c. ut v. 3.

17. *Juxta verbum Jehovæ*, &c. כדבר יהוה וגו'] i. Quemadmodum prædixerat Jehova per Eliam. *Jehoram filii Jehosaphat*, ליהורם בן יהושפט] Joram filius Josaphat cœpit regnare cum patre suo anno 17 Regni ejus, quo etiam anno regnare cœpit Ochozias. Hic Ochozias regnavit duobus annis perfectis: pars decimiseptimi pro anno, & pars decimioctavi pro altero anno. Quòd per *annum secundum* hic intelligere debeamus annum 18 Regni Josaphat, docet initium tertii capitis sequentis. Josaphat 25 annis regnavit. Anno 18 Josaphat regnare cœpit Joram filius ejus; ergò 8 annis & suprà, i. novem, synecdochicħ͂s, regnavit cum patre.

CLARIUS.

1. *Prævaricatus autem est Moab*] Nam cùm Moab servisset Achab patri Ochoziæ sub tributo, illéque interiisset, noluit filio tributa pendere, sed rebellis illi fuit.

2. *Per cancellos*] Hebræi exponunt *opus reticulatum & per modum crucis formatum*, ut in cœnaculis superioribus fieri solent per ligna cancelli, per quos lux in inferiora decidat habitacula: Qui cùm in aula Regis vetustate emarcuissent, & Rex super eos graderetur, fractis illis ipse deorsum gravi collisione cecidit.

GROTIUS.

1. PRævaricatus est autem Moab in Israel] Defecit ab eo imperio quod à Davidis temporibus agnoverat, 2 Sam. 8. 2.

2. *Consulite Beelzebub*] θεὸν μυῖαν Josephus: sed verisimilius est vocatũ hunc deum à Palæstinis sive Philistinis illis ut & à Phœnicibus aliis, בעל שמין, ab Hebræis verò derdiculi causâ בעל זבוב *Dominum muscarum*, quia Templũ ejus propter victimas plenum erat muscis, quas ad Templũ Hierosolymitanum, ubi tot mactabantur victimæ, nunquam adventasse narrant Hebræi. Simili modo paganos irridet Arnobius, *Ità, inquam, non videtis sub istorum simulacrorum cavis stelliones, sorices, mures, blattásque lucifugas nidamenta ponere atque habitare?* Et pòst, *Non in ore aliquanto simulacri ab araneis ordiri retia, atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint impudentiúmque muscarum. Non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos?* Est autem gravissimum crimen, & Deo auferre honorem præscientiæ, & iis dare qui non habent. Levit. 19. 31. & 20. 6, 27. Deut. 18. 10, 11, 14, 15. quare nec mirum si talia Deus gravissimè punit, ut apparet tum alibi tum hîc 16, 17.

8. *Vir pilosus*] Δασύς *promisso capillo ac barbâ*, ut Græci Philosophi, & Cato apud Lucanum,

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstámque genis increscere barbam.

¶ *Zonâ pelliceâ accinctus renibus*] Vide quæ dicta ad Matth. 3. 4.

9. *Rex præcepit ut descendas*] Prophetæ facientes quæ sui sunt muneris Regio imperio non tenentur. Aliud in Sacerdotibus. Confer quod infrà 15. ubi à Deo jussus facit quod antè abnuerat.

10. *Descendat ignis de cœlo, & devoret te*] Quod dicit Ulpianus l. 1. D. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, omnibus Magistratibus concessum esse jurisdictionem suam defendere pœnali judicio*, idem de Prophetis, qui velut Magistratus sunt ipsis Magistratibus à Deo impositi, rectè dicitur. Vide mox 12. Act. 5. 5, 10. & 8. 24. 1 Cor. 5. 5. 1 Tim. 1. 20. 1 Cor. 4. 21.

13. *Curvavit genua contra Eliam*] Coram Elia, in honorem ejus ut Prophetæ. Vide suprà 18. 7. infrà 2. 15.

17. *Anno secundo Joram*] Imò quinto, ut habemus infrà 8. 16. quicum bene congruit id quod habebimus mox 3. 1. An ex notis numerorum natus error? An verò varietas indè quòd filii interdum cum patribus regnarunt? quod & Persicam Chronologiam confudit.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. PER turbinem] Infrà dicitur quòd per *currum igneum fuerit vectus in cœlum*, quomodo igitur hîc dicitur quòd *turbo & ventus vehemens sustulerint eum in cœlum?* Dicendum quòd Elisæ visum fuit quasi currus & equi ignei eum abduxerint, cùm illum turbo igneus sublevaret à terra. Intelligunt autem Hebræi hîc per *cœlum* aerem. Et sunt inter eos qui putant vestes & corpus Elijæ in sphæra Ignis consumpta, & solum spiritum in cœlum ingressum. Alii putant quòd Deus introduxerit eum in גן עדן *paradisum* cum corpore & anima. Est autem memorabilis historia, per quam Deus voluit dare post diluvium in altero mundo exemplum & spem melioris vitæ post hanc vitam. In primo mundo ante Diluvium commendavit nobis Dominus hanc futuram & beatam vitam in Henoch, in secundo dedit exemplum Eliæ. Nos verò, qui sumus in Novo Testamento tanquam in tertio mundo, habemus illustrius exemplum, ipsum Christum Liberatorem nostrum ascendentem ad cœlos cum aliis multis sanctis. Voluit enim Deus omnibus seculis exstare testimonia resurrectionis mortuorum, ut ab hac calamitosa vita abduceret animos nostros.

3. *A capite tuo*] Hebraismus est pro *à te*, vel *à præsentia tua*. ¶ *Tacete*] Textus Hebraicus propriè habet *tacuerunt*, ut sit sensus, Cùm *filii Prophetarum*, h. e. discipuli qui à Prophetis erudiebantur in sapientia & disciplina, dicerent, *Nostine quòd Deus sit ablaturus à te dominum tuum?* & respondisset, *Novi*; tunc illi *tacuerunt*, nec aliud quicquam locuti sunt cum eo. Sunt tamen qui putant sub He scribi Sægol pro Pathah, ut sit imperativi modi.

9. *Duplex pars tui spiritûs*] Est פי שנים idem quod שני חלקים. Postulabat ut sibi de spiritu Elijæ, tanquam primogenito discipulo, duæ traderentur partes supra alios Prophetas, qui etiam hunc spiritum erant participaturi.

11. *Currus igneus*] i. דמיון רכב *similitudo currûs ignei*.

14. *Atque ipsemet*] Aliqui exponunt אף הוא de Elija: alii referunt ad Elisam, ut sit sensus, Etiam ipse percussit aquas, sicut priùs Elija fecit, ut divisæ transitum illi præberent.

16. *Inquirant dominum tuum*] Quare volebant eum quærere, qui priùs dixerant, *Hodie tollet Deus dominum tuum à te?* Dicendum quòd Dominus illum sæpe tulit ab hominibus, sicut & Obadia servus Ahab suprà dixit, *Et tollet te Spiritus Domini ad locum quem ego nescio*; atque ideo volebant quinquaginta illi fortes viri illum quærere si fortè Spiritus Domini illum deseruisset in montibus aut locis desertis. Nec poterant persuaderi ab Elisa, illum sic translatum ut adventus ejus in multis annis minimè esset exspectandus.

19. *Terra sterilis*] Hebræa vox משכלת transitivæ est significationis, atque ideo magìs legendum est *terra sterilescere faciens*. Bibentes enim homines aquam illam malam in varios inciderunt morbos, unde multi moriebantur, & prægnantes abortiebantur.

21. *Ad originem*] Heb. *ad exitum*. Sed idem est: Egrediuntur enim aquæ ubi oriuntur.

24. *Maledixit eis*] Non maledixit eis donec conversus eos vidisset, & in spiritu cognovisset quòd morte digni essent, non propter subsannationem illam, sed ob causam aliam occultam.

VATABLUS.

2. SEde, *obsecro*, שב נא] *Mane, quæso.* Hoc fortè dixit ut faceret periculum an diligeretur ab Elisæo.

3. *Filii Prophetarum*, בני הנביאים] Discipulos Prophetarum vocat eorum *filios*, ut infrà v. 12. ut *patres* pro *magistris* aliquando accipiuntur. ¶ *A capite tuo*, מעל ראשך] Ad verb. *desuper caput tuum*, i. à te, vel tibi. Pars pro toto. Gallicè, *d'avec toy*. Aut doctor est velut corona & ornamentum. Ergò *à capite tuo*, i. dominum tuum qui tibi non aliter ornamento est atque corona capiti. ¶ *Etiam ego novi*, גם אני ידעתי] *Ego quoque novi*, q. d. Dominus mihi revelavit.

7. *Iverunt*, הלכו] i. Prosecuti sunt abeuntes, ut viderent finem. ¶ *Eregione*, מנגד] *Exadverso*.

8. *Et convolvit*, ויגלום] *Et complicavit*. ¶ *Per siccum*, בחרבה] Sub. *vadum*.

9. *Cùm autem transissent*, ויהי כעברם] Ad verb. *Et fuit, cùm transirent*. ¶ *Quod faciam tibi*, מה אעשה לך *Quid velis ut faciam tibi*. ¶ *Mensura duorum spiritûs tui super me*, פי שנים ברוחך אלי] *Portio duorum spiritûs tui in me*, ב pro מן, h. e. Da ut duæ partes tui spiritûs divisi in tres partes, i gratiæ quam Deus tibi contulit, sint in me. Noluit petere tantam sibi fieri gratiam quantam

tam magistro, q. d. Noli me efficere tantum quantus es, sed solùm da mihi duas partes tui spiritûs.

10. *Rem difficilem postulasti,* הקשית לשאול] *Rem arduam postulas.* Ad verb. *Difficilis fuisti in petendo.* ¶ *Cùm tollar à te,* לוקח מאתך] i. Abeuntem. ¶ *Erit tibi sic,* יהי לך כן] i. Fiet tibi ut petis: h. e. Hoc signo deprehendes quod petis tibi datum esse à Deo.

11. *Ipsis euntibus eundo,* &c. המה הולכים הלוך ונו׳] Quidam sic vertunt, *Cùm autem ulteriùs* [*longiùs*] *inter fabulandum progressi essent, apparuit currus igneus & equi ignei, & separaverunt illos duos, & ascendit Elias in turbine in cœlum.* Chald. plurali numero dixit, *currus ignei & equi ignei.* Et *separaverunt illos duos,* i. steterunt in eo intervallo quod erat inter eos duos, & corripuit Eliam turbo immissus cœlitus. Quòd ait *In cœlum* significat *in aerem.* Quidam enim dicunt eum raptum fuisse in cœlum; & vestes ejus ac totum corpus absumpta fuisse in sphæra illa ignea. *In cœlum* alii exponunt *in aerem & locum aliquem tranquillitatis plenum,* i. in sinum Abrahæ, qui in aere potiùs collocandus videtur quàm in terra. Non autem raptus fuit in ipsum paradisum, quia eò nondum apertus fuerat aditus à Christo, 1 Cor. 15. 20. *Primitiæ dormientium Christus.* In locum cœlestem aliquem raptus fuit destinatum olim spiritibus piis firmâ fide exspectantibus Messiam, qui paradisi aditum aperturus erat. Corpus etiam ipsum Eliæ raptum fuit, sed immutatum, & incorruptibile redditum.

12. *Pater mi, pater mi,* אבי אבי] i. Magister mi, magister mi. Sic vocat præceptorem, eâdem ratione quâ v. 3. discipulos vocavit *filios.* ¶ *Currus Israelis,* &c. רכב ישראל ונו׳] i. Qui plùs juvabas Israelem oratione quàm currus falcati & equites. Ità exponit Chaldæus paraph. & doctus inter Hebræos. ¶ *Scissiones,* קרעים] *Partes, frusta.*

14. *Ubi est Jehovah,* &c. איה יהוה ונו׳] q. d. Cur non dividuntur aquæ, cùm eundem Deum colam quem coluit Elias? Quidam vertunt, *Ubi est Jehovah Deus Elijahu? etiam ipsi,* i. ipsi quoque, h. e. in gratiam ipsius, sub. *factum miraculum, percussit enim* [sub. *secundò*] *aquas,* &c.

15. *Requievit Spiritus,* &c. נחה רוח ונו׳] i. Afflatus est spiritu Eliæ Elisæus: nam viderunt eum redeuntem per Jordanem pede sicco.

16. *Quinquaginta viri robusti,* חמשים אנשים בני חיל] Qui scilicet poterunt ferre itineris molestiam. Sciebant Deum sublaturum esse Eliam, sed nesciebant an ad tempus, an in perpetuum. ¶ *Et projecerit eum,* וישלכהו] i. Dimiserit eum in quodam monte, vel in quadam valle.

17. *Usque adeo ut tardaverit: tandem dixit,* עד בוש ויאמר] Ad verb. *Donec tardaverit: & dixit,* i. coegerunt eum tantisper dum tardavit, sive cunctabatur, sub. *dicere ac permittere illis ut mitterent.*

19. *Habitatio civitatis bona est,* מושב העיר טוב] *Situs urbis commodus est,* vel *elegans.* ¶ *Mala,* רעים] *Pessima, noxia & insalubres.* ¶ *Et terra orbat,* והארץ משכלת] *Et terra* [i. regio] *orbat,* i. perimit, perdit, sub. *habitatores suos,* q. d. Hîc pereunt ac citò intereunt incolæ. Doctiores existimant aquas totius regionis Jerichuntinæ fuisse insalubres.

21. *Ad exitum,* אל מוצא] i. Ad scaturiginem, vel fontem. ¶ *Sanavi aquas istas,* רפאתי למים] Præt. Heb. pro præs. *Reddo salubritatem aquis istis.* Vel, *Volo has aquas reddi salubres.* ¶ *Illinc,* משם] i. Ab illis aquis. ¶ *Non continget ab illis ultrà mors,* לא יהיה משם עוד מות] h. e. non erunt amplius noxiæ sive lethales: neque ultrà hic locus *orbabit* habitatores suos. ¶ *Orbans,* ומשכלת] Quidam volunt esse nomen, & vertunt, *propter has aquas non erit ultrà mors, aut interitus,* sive *internecio.*

23. *Per viam,* בדרך] Quâ scilicet ibatur in Beth-el. ¶ *Asscende calve,* &c. עלה קרח ונו׳] Repetitio habet irrisionem.

CASTALIO.

12. *Israelitarum currus & equites*] i. Columen atque præsidium.

CLARIUS.

1. *PER turbinem*] Infrà dicitur quòd per *currum igneum fuerit vectus in cœlum.* Dicendum ergò, Elisæo visum fuisse quòd quasi currus & equi ignei eum abduxerint, cùm illum turbo igneus sublevaret à terra. Intelligunt autem Hebræi hîc per *cœlum* aerem. Et sunt inter eos qui putant vestes & corpus Eliæ in sphæra Ignis consumpta, & solum spiritum in cœlum ingressum. Alii autem putant quòd Deus introduxerit eum in paradisum cum corpore & anima.

9. *Duplex pars spiritûs tui*] Postulabat ut sibi de spiritu Eliæ, tanquam primogenito discipulo, duæ traderentur partes supra alios Prophetas, qui etiam hunc spiritum erant participaturi. Quidam tamen intelligunt petiisse Elisæum duplicem spiritum quàm habuerit Elias, ut major esset sibi efficacia ad parandam populi salutem; & eum id assecutum, cùm Elias tantùm octo miracula fecerit, Elisæus verò sexdecim.

12. *Currus Israel & equites*] Quia scilicet esset Israeli pro curru & equitibus.

14. *Atque ipsemet*] h. e. Ipse Elias. Alii referunt ad Elisæum, ut sit sensus, Etiam ipse percussit aquas, sicut priùs Elias fecit, ut divisæ transitum illi præberent.

16. *Quærere dominum tuum*] Nam illum sæpe aliàs Dominus tulerat ab hominibus; sicut & Abdia servus Achab suprà dixit, ideo volebant illi quinquaginta fortes viri quærere illum, si fortè Spiritus eum Domini deposuisset in montibus aut locis desertis. Nec poterat eis persuaderi ab Elisæo, illum sic translatum ut adventus ejus in multis annis minimè esset exspectandus.

DRUSIUS.

14. אף הוא. LXX ἀφφώ] Theodoretus, ἀφφώ, ὁ κρύφιος ἑρμηνεύεται, κατὰ τὴν ἔκδοσιν τῶν ἄλλων ἑρμηνευτῶν. Quid de hoc loco dicam? Suspectum mihi est ὁ κρύφιος, id sonat *occultus, latens.* Usurpatur autem eo sensu quo Græci dicunt ὁ δεῖνα. Itaque Ruth 4. 1. ad פלני אלמני quædam editiones habent κρύφιε. Vide notas meas ad illum locum. Vide infrà 15. 5.

GROTIUS.

1. *CUM levare vellet Dominus Eliam*] Ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, ait Josephus.

2. *Vivit Dominus, & vivit anima tua*] i. Tu. Sensus est, Quàm verè vivit Deus, & ità vivas tu. De hoc jurandi genere vide quæ non spernenda diximus l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 11.

3. *Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?*] Deus eos qui cum Prophetis vivebant paulatim assuefaciebat prophetiæ, nunc hoc, nunc illud de consiliis suis ipsis aperiens.

8. *Quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum*] Vide quæ suprà ad Jos. 3. 16.

9. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*] Putant quidam poscere Elisæum ut duplam habeat vim spiritûs ad spiritum Eliæ: quod superbum fuerat: cùm contrà id postulet ut sit velut primogenitus inter discipulos ejus. Primogeniti enim de hereditate duas ferebant partes, cùm cæteri ferrent singulas. Et פי quod hîc est in Hebræo pro *portione* sumi apparet Deut. 21. 17. ubi de jure primogenituræ sermo, sed & Zach. 13. 8. Vide mox 15.

11. *Currus igneus & equi ignei*] Angeli eâ specie apparentes: infrà 6. 17. ¶ *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*] Cum Enocho confert Josephus.

12. *Currus Israel & auriga ejus*] Heb. *Currus & equites ejus.* Alludit ad id quod videbat, & metaphorico loquendi genere ostendit ipsum fuisse robur populi per preces & doctrinam.

14. *Etiam nunc*] Miris modis vertitur quod hîc in Hebræo

bræo est אפהוא. Lxx ipsam vocem Hebræam posuerunt ἀφφώ. Quidam voce illâ הוא putantes aliquid arcanum & excellens significari, verterunt κρύφιος. Sensus est, *Ubi nunc ille Deus Eliæ?* i. adsit.

21. *Misit in illum sal*] Quod per naturam aquas reddit minimè potabiles. Ità Deus, ubi vult, ostendit se naturæ dominum.

23. *Illudebant ei*] Ut in idololatria educati, veri Dei contemptores.

24. *Maledixit eis in nomine Domini*] Vide suprà 1. 10.

CAP. III.

MUNSTERUS.

3. IN *peccatis Jarobeam hæsit*] h. e. Licèt detestaretur cultum Baal & illum pro virili sua exterminaret, tamen Vitulos illos quos Jarobeam posuit coluit & adoravit.

4. *Dominus pecorum*] Exponit Chald. dictionem נוקד per מרי גיתי, sicut nos vertimus. Vocatur autem homo pecuarius נוקד propter puncturas quibus oves discriminis gratiâ insigniuntur. Hic itaque Rex obtulit Regi Israel munus centum millium agnorum, totidémque arietum intonsorum. Utrùm autem id singulis fecerit annis, aut semel duntaxat, ex Scriptura non habetur.

7. *Ut ego sum sic tu es*] Hebraismus est; & est sensus, Utere me & omnibus meis rebus sicut tuis, & in omnibus me paratum invenies. Offero enim mea omnia, quibus ut tuis pro arbitrio uti potes.

11. *Qui fudit aquas super manus Elijæ*] Sensus est, ששרת לו *qui minister illius fuit.*

13. *Nequaquam*] Scilicet, *commemores nobis jam ista*; sed consule nobis quomodo præsentem effugiamus necessitatem, nè propter inopiam aquæ in manus Moabitarum incidamus.

15. *Afferte mihi psaltem*] Qui scilicet instrumenti melodiâ auferat turbationem animi, & tumultuarias in me sedet cogitationes, quæ prophetiæ non admittunt spiritum. Erat autem Propheta turbatus propter Regis impietatem, qui tempore pacis Deum non quæsivit.

16. *Facite in planitie*] Sic quidam hîc vertunt מישור pro נחל. Potest etiam נחל capi pro *torrente*, seu potiùs pro *alveo torrentis*, juxta quem foveas facere jubentur, implendas quidem non à pluvia aliqua superveniente sed per virtutem Dei. Et nota quòd עשה hîc est infinitivus purus, capitúrque pro imperativo: & גבים accipitur pro חפירות, ut vertimus.

20. *Cùm offerretur Minha*] h. e. Eâ horâ quâ oblatio matutina fieri consuevit venit inundatio illa aquarum. Et cùm radii solares in illam incidentes reflexu suo oculos Moabitarum fascinarent, ut putarent cruore humano terram perfusam, quippe qui probè sciebant ab heri & nudiustertius illic aquam non fuisse, animo sumpto præcipites ruunt in hostem multò se validiorem.

24. *Insecuti eos*] Heb. ויבו pro ויבאו *& venerunt ad eam*: Jonathan tamen legit ויכו: nam vertit ומחו בהון *Et percusserunt in eis.* Kimhi putat affixum בה referendum ad *civitatem* ad quam venerunt: alii referunt ad מחנה *castra Moabitarum.*

25. *In civitate fictili*] h. e. Quam ambiebat murus ex fictilibus lapidibus constructus. Hebræi tamen putant nomen illius civitatis fuisse חרשת *Hareseth*: quam Israelitæ propter fortissimum murum expugnare non poterant: *sed fundibularii circuibant eam*, & plurimos in muris lædebant; donec tandem Rex Moab, qui intra urbem illam fuit, coactus fuit cum certo militum numero prodire, & in medium hostium exercitum prorumpere. Sed cùm *ad Regem Ædom pervenire non posset, abducto filio ejus primogenito, combussit illum in muro* civitatis suæ. Quod tantum offendit Regem Ædom ut indignabundus recederet à reliquis duobus Regibus. Non igitur proprium sacrificavit filium, ut nostri communiter dicunt. Alii tamen dicunt filium Regis Ædom fuisse detentum apud Regem Moab; atque idcirco Rex Ædom adjunxit se duobus Regibus Israel & Jehuda, ut filium suum liberaret è manibus Moabitarum.

VATABLUS.

3. AB *eis*, ממנה] Ad verb. *ab eo*, sub. *peccato*. Vel, *ab illa*, sub. *idololatria*. Relativum sing. cujus anteced. est plurale.

4. *Habebat greges*, היה נוקד] Ad verb. *fuit pastor*, Chald. *alebat multos greges*, i. pastor erat multorum gregum, ac dives erat pecoris. *Pastorem* sic vocant Hebræi, quòd in ea regione oves ferè sint aspersæ variis maculis. ¶ *Et reddebat*, והשיב] i. Pendebat tributum.

5. *Defecit*, ויפשע] Ad verb. *Prævaricatus est*, i. noluit ultrà pendere tributum solitum. Sic v. 6.

6. *Die illâ*, ביום ההוא] *Tempore illo*, nempe rebellionis.

7. *Qui dicerent*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Sicut ego*, &c. כמוני כמוך] Vide 1 Reg. 22. 4.

8. *Viâ deserti Edom*, דרך מדבר אדום] Hoc dicit quòd secum vellet assumere Regem Idumææ.

9. *Rex Edom*, מלך אדום] Hic erat Prorex Idumææ, qui eam regebat vice Regis Juda. ¶ *Cùmque circuissent*, ויסובו] Sub. *desertum ipsum.* ¶ *Defuit aqua*, &c. ולא היה וגו'] *Et non fuit aqua castris* [i. exercitui] *neque jumentis quæ* erant *ad pedes eorum*, i. quæ secum ducebant, sive quæ eos sequebantur.

10. *Aha*, אהה] *Ohe.* Vox est admirantis & desperantis, q. d. Hei mihi, res ità habet quòd invitavit nos Deus, &c. i. videtur nos convocasse ac excitasse, ut, &c. Chald. *Va.*

11. *Ut consulamus Jehovam*, ונדרשה את יהוה] Ad verb. *&* [pro *ut*] *inquiramus* os *Jehovæ*, i. ut consulamus Jehovam. Rex pius & ab idolorum cultu alienus confugit ad Deum in tribulatione. ¶ *Qui fundebat aquam super manus*, אשר יצק מים על ידי] Cùm scilicet volebat eas abluere, i. qui inserviebat, &c.

12. *Est cum eo verbum Jehovæ*, יש אותו דבר יהוה] i. Est verus Propheta Dei: hoc affirmativè, non interrogativè dictum, q. d. fuerit famulus tanti Prophetæ, per eum consulere poterimus Dominum.

13. *Quid mihi & tibi?* מה לי ולך] i. Quid mihi est tecum commune? q. d. Nihil. ¶ *Nequaquam*, אל] *Nè*, sub. *talia dicas*, q. d. Missa facias ista, nè rejicias nos. ¶ *Quia convocavit*, כי קרא] *Nam invitavit*: subaudienda quædam, sic, *Nam verum est quòd vocavit*, i. videtur nos convocasse, *ut*, &c.

14. *Sto*, עמדתי] Præt. Heb. pro præs. i. cui assisto, more famulorum: vel, cujus sum famulus, & cui inservio. Nam famuli stare solent coram dominis suis ut eis serviant. ¶ *Nisi faciem*, &c. לולי פני וגו'] Hebraismus, nisi revererer Jehosaphat, q. d. Quæ faciam, agam in gratiam Jehosaphat. Gallicè, *n'estoit pour l'honnour de Jehosaphat, je ne te daigneroye regarder.*

15. *Tollite mihi psaltem*, קחו לי מנגן] i. Adducite ad me psaltem. Chald. *citharœdum*, i. aliquem qui canat laudes aliquas in honorem Dei, ut excitet animum meum, sive ut elevet intentionem animi mei, ad Deum. Non enim musicâ profanâ utebantur, sed sanctâ. ¶ *Fuit super eum manus Jehovæ*, ותהי עליו יד יהוה] Hebraismus, Fuit afflatus Spiritu Prophetiæ. Chald. *requievit super eum Prophetia.*

16. *Fac in torrente isto crebras fossas*, עשוה הנחל הזה גבים גבים] Ad verb. *Fac torrentem istum fossas fossas.* Alii, *In valle ista scrobes scrobes.* Repetitio ejusdem dictionis frequentem multitudinem rei alicujus demonstrat.

17. *Non videbitis ventum*, לא תראו רוח] i. Non sentietis. Tribuit sensui uni quod est alterius.

18. *Leve autem* est *hoc*, &c. ונקל זאת וגו'] *Facile autem* erit *hoc in*, &c. i. Facilè faciet hoc Jehovah.

19. *Atque universas arbores bonas*, וכל עץ טוב] Sing. Heb. pro plur. *Bonas arbores* vocat fertiles. ¶ *Agrum bonum*

bonum operietis lapidibus, החלקה הטובה תכאבו באבנים] Ad verb. *possessionem bonam affligetis lapidibus*, i. obrutis lapidibus. Translatio ab iis qui lapidibus obruuntur. *Agrum* vocat portionem quam possidemus.

20. *Quando offertur sacrificium*, כעלות המנחה] *Quando offerri solet minha* i. sacrificium illud matutinum: hoc dicit ad differentiam vespertini.

21. *Congregaverunt sese*, ויצעקו] Sub. *ad vocem praeconis*. ¶ *Ab omni accingente se cingulo*, מכל חגר חגורה] *Cingulum* vocat quo ensis dependet, h. e. ab ea ætate in qua primùm gestare solent ensem. ¶ *In termino*, על הגבול] *In finibus*, sub. *regionis suæ*.

22. *Rubras tanquam sanguinem*, אדומים כדם] *Rubescentes more sanguinis*.

23. *Digladiati sunt*, נחרבו] Sub. *inter se*. ¶ *Ad spolia*, לשלל] *Ad prædam*, q. d. Jam vobis amplissima præda parata est.

24. *Cùmque venissent*, ויבואו] Incompositi scilicet, sine ordine, acie non instructâ, quasi non essent dimicaturi. ¶ *Et percusserunt eum*, ויכו בה] Nempe *Moab*, i. congregationem Moabitarum, h. e. percusserunt, sive occiderunt, Moabitas, semel atque iterum percusserunt Moabitas qui aufugerant. Vel, *percusserunt eum*, nempe exercitum. Legitur & ויבו per ב, & ו est loco א, & בה cum ה signo pronominis femineo, ut legamus, *& ingressus est* [sub. *Israel*] *eam*, i. singulas urbes ad quas confugerant Moabitæ qui effugerant è conflictu ipso. ¶ *Percusserunt, inquam*, והכות] Hìc ו pro *id est* positum, ut exponat quid per *eum* intelligat, *percusserunt eum, id est, percusserunt Moab*.

25. *Ità ut* solùm *reliquerint lapides ejus*, &c. עד השאיר אבניה ונו'] Ad verb. *donec relinquerent lapides ejus in*, &c. i. ità ut relinquerent in Cirhareseth (erat urbs celeberrima Moabitarum) lapides ejus, i. muros ejus tantùm, q. d. Ità ut remanerent soli muri ejus: nam omnia quæ erant in circuitu ejus destruxerunt: nondum urbem acceperant, sed omnia vicina loca perdiderant. ¶ *Fundibularii*, הקלעים] Hæc vox non solùm significat *eos qui fundâ lapides jaciunt*, sed *qui* etiam *tormentis contorquent ingentia saxa in muros*.

26. *Quòd prævaleret sibi bellum*, כי חזק ממנו המלחמה] i. Quod bellum acrius esset quàm quod sustinere posset: vel, se acriùs oppugnari quàm ut resistere posset. ¶ *Evaginantes gladium*, שולף חרב] i. Magnanimos & bellicosos. ¶ *Ut irrumperet ad Regem Edom*, להבקיעאל מלך אדום] i. Ut ruptâ acie impetu facto pugnarent adversùs Regem Edom, qui non procul aberat ab urbe.

27. *Tulit itaque*, &c. ויקח ונו'] Cùm videret se esse in tanta desperatione rerum, desperarétque de viribus humanis, confugit ad deos suos, & in honorem illorum sacrificavit filium suum primogenitum. Alii referunt ad filium Regis Edom quem Rex Moabitarum ceperat in illa perruptione. Alii aliter exponunt. ¶ *Indignatio*, קצף] *Commotio*, i. ob id facinus vehementer indignati sunt Israelitæ, & ægre tulerunt cùm viderent rem tam crudelem. ¶ *Propterea discesserunt*, ויסעו] Ad verb. *& profecti sunt*.

CASTALIO.

7. **M**Isitque ad Josaphatum] Heb. *ivitque & misit*; aut, *ivitque mittere*, quod Gallicè bene exprimitur, *Il alla mander*.

14. *Cui ego appareo*] i. Administro.

CLARIUS.

3. **I**N peccatis Jeroboam] h. e. Licèt detestaretur cultum Baal, & illum pro virili sua exterminaret, tamen Vitulos illos quos Jeroboam posuit coluit & adoravit.

15. *Adducite mihi psaltem*] Qui scilicet instrumenti melodiâ auferat turbationem animi, & tumultuarias in me sedet cogitationes, quæ prophetiæ non admittunt spiritum. Erat autem propheta turbatus propter Regis impietatem, qui tempore pacis Deum non quæsierit.

22. *Aquas rubras*] Cùm radii solares in aquas illas inciderent reflexu suo oculos Moabitarum fascinarunt, ut putarent cruore humano terram perfusam, quippe qui probè scirent ab heri & nudiustertius illic aquam non fuisse: quare animo sumpto præcipites ruunt in hostem multò se validiorem.

25. *In civitate fictili*] h. e. Quam ambiebat murus ex fictilibus lapidibus constructus. Hebræi tamen putant nomen illius civitatis fuisse *Hareseth*; quam Israelitæ propter fortissimum murum expugnare non poterant, *sed fundibularii circuibant eam*, & plurimos in muris lædebant; donec tandem Rex Moab, qui intra urbem illam fuit, coactus est cum certo militum numero prodire & in medium hostium exercitum prorumpere. Sed cùm *ad Regem Edom pervenire non posset, abducto filio ejus primogenito, combussit illum in muro* civitatis suæ. Quod tantum offendit Regem Edom ut indignabundus recederet à reliquis duobus Regibus. Non igitur proprium sacrificavit filium, ut nostri ferè putant. Alii tamen dicunt filium Regis Edom fuisse detentum apud Regem Moab, atque idcirco Regem Edom adjunxisse se duobus Regibus Israel & Juda, ut filium suum liberaret è manibus Moabitarum.

DRUSIUS.

4. נקד. LXX νωκήδ. Alii ἀρχιποίμην *princeps pastorum*] Theodoretus, Οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ τὸ Νωκὴδ ἀρχιποίμενα ἡρμήνευσ, *Cæteri interpretes* NOCED *Principem pastorum interpretati sunt*.

GROTIUS.

1. **J**Oram verò filius Achab regnavit super Israel]
——multò majoribus impar
Nosse modum juris, tali tamen utilis ævo:
ut Catonem apud Lucanum de Pompeio loquentem imiter.

4. *Porrò Mesa rex Moab nutriebat pecora multa*] In Hebræo verbo ad verbum *erat pecuarius*, ut Cicero Verrinâ 4. loquitur. Reges minores majoribus vectigal dabant ex iis rebus quibus abundabant. Abundabant autem Moabitæ ovibus, unde & Deæ eorum in Ovium forma.

5. *Prævaricatus est fœdus*] Exuerat reverentiam majoris imperii. Vertendum enim non *est*, sed *erat*, καὶ ἐπάνοσεν, suprà 1. 1. Semel dictum repetitur ad cohærentiam historiæ sequentis.

7. *Populus meus, populus tuus*] Suprà 1 Reg. 22. 4.

9. *Et rex Edom*] i. Præfectus vice Regis, quales Præfecti καταχρηστικῶς hoc nomine vocantur, ut suprà 20. 1. ubi eadem vox in eodem commate bis diverso sensu usurpatur. Vide & Deut. 33. 5. Jud. 18. 1. & 21. 25. & dicta ibi.

11. *Qui fundebat aquam super manus Eliæ*] Qui ipsi ministrabat, species pro genere.

13. *Quid mihi & tibi est?*] Quid mihi negotium exhibes?

15. *Adducite mihi psoltan*] Ad sedandum animum commotum. Vide quæ dicta 1 Sam. 10. 5. & 16. 17. ¶ *Cùmque caneret psaltes facta est super eum manus Domini*] Josephus, περὶ τὸ ψάλλοντα ἔνθεος γενόμενος. Aiunt Hebræi שכינה non intervenire inter animi angores: contrarium in Novo Federe.

19. *Et universum lignum fructiferum succidetis*] Prophetæ etiam contra leges speciales aliquid præcipienti parendum suprà diximus, id hìc evenit. Vide Deut. 20. 19.

22. *Rubras*] Rubentes adverso Sole.

25. *Ita ut muri tantùm fictiles remanerent*] Heb. *Donec reliquit lapides in pariete Cheroseth*, i. nulli lapides constructi reperiebantur nisi in muris unius urbis Chareseth. ¶ *Et circumdata est civitas à fundibulariis*] Puto intelligi eos quos *liberatores* vocat Tacitus Annal. 2. & 13. qui balistis aliísque id genus machinis quassant mœnia.

26. *Ut irrumperent ad regem Edom*] i. Per castra hostilia perrumperent eâ parte ubi curabat Idumææ Præfectus.

27. Arripi-

27. *Arripiensque filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo*] Τὸν υἱὸν πρεσβύτερον, ὃς μεῖ᾽ αὐτὸν βασιλεύειν ἤμελλεν, Josephus. Suum, inquam, non Idumææ Præfecti, ut quidam colligunt ex Amoso 2. 1. ubi alia respicitur historia. ¶ *Obtulit holocaustum*] Nempe Deo Israelitarum, ut hîc habet Josephus, velut Abrahami factum, quanquam ab eo non completum, imitans. ¶ *Super murum*] Ut aspicerent Hebræi. ¶ *Et facta est indignatio magna in Israel*] Quòd extra præceptum Dei tale quid fieret, invidiáque ejus facti in religionem Abrahamidarum recideret. ¶ *Statímque recesserunt ab eo*] Solverunt obsidionem, nè quid tale iterum fieret.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

1. De *uxoribus prophetarum*] Hebræi putant mulierem illam fuisse uxorem Obadiæ Prophetæ.

2. *Lagenulam olei*] Hebræa vox אסוך à verbo סיך, significat propriè *inunctorium*; hîc tamen capitur pro לגין, ut K. habet, & nos vertimus. Ben Levi verò exponit כלי קטן *vas parvum*.

4. *Amovebis*] Radix verbi est נסע *profectus est*: indè Hiphil הסיע.

8. *Mulier magna*] Exponunt Hebræi, גדולה pro חשובה, h. e. *erat mulier illa magnæ reputationis propter divitias & celebre nomen*.

10. *Cœnaculum parvum cum parietibus*] Heb. *cœnaculum parietinum parvum*, h. e. quod clausum sit parietibus, & non apertum, sicut solaria, quæ undique vento ingredienti sunt exposita.

13. *Ecce solicita fuisti*] Significat hîc חרד *anxiè discurrere & satagere, seu solicitum & pavidum esse nè aliquid eorum quæ sunt facienda omittatur.* ¶ *Ego habito in medio populi mei*] i. Cùm habitem in medio cognationis & populi, illi causam meam agent apud Regem quando necessitas ingruerit.

16. *Juxta tempus vitæ*] h. e. Post certum tempus, quo fœtus in utero tuo vivificabitur, & ad justam membrorum robur pervenerit, atque cùm in lucem editus fuerit, *tu amplexaberis filium*, &c. ¶ *Noli mentiri*] q. d. Videtur hæc res impossibilis, atque ideo cave nè erres in judicio tuo.

24. *Tardè incedere*] Heb. *non retinebis propter me* asinam cui *insideo*: ut scilicet tardiùs facias eam incedere quàm si vir illi insideret.

29. *Non salutabis eum*] Sensus est, לא תתעכב בדרך *Non facies moram ullam in itinere, sed imperium meum studebis velociter adimplere. Ille verò cùm id non fecisset, frustrà posuit baculum Elisa super defunctum puerum*, ut Hebræi hîc scribunt.

34. *Cùm sic incumberet*] Est hîc verbum נהר idem quod התנפל & השתטח, h. e. *dejecit & stravit se*.

35. *Et aversus deambulabat*] Hebræi sic interpretantur, *Et reversus est à lecto ad terram, ut iterum oraret*. ¶ *Oscitavit*] Vel secundùm Hebræos עטש *sternutavit*.

38. *Coctionem*] Est נזיד idem quod תבשיל, sicut nos vertimus. Et אורות capitur pro ירקות. Et פקועות pro אבטיחים קטנים *parvis & amaris cucurbitis*, de quarum semine oleum exprimitur.

40. *Mors est in olla*] Sensus est סם המות *Venenum mortiferum est in olla*.

42. *Frumentum recens*] Est כרמל idem quod שבולת רכה ולחה *spica tenera & recens*: quæ tosta super ignem, comedi solet. Porrò צקלון exponitur pro קליפה *cortice*.

VATABLUS.

1. Mulier *autem*, ואשה] Dicunt eam fuisse uxorem Abdiæ principis militiæ Achab Regis Israelis.

3. *Nè pauca petas*, אל תמעיטי] Unica est vox, quasi tu dicas, si liceret, *Nè paucifices*, i. nè pauca quæras, sive mutuò accipias, q. d. Quamplurima quæras.

4. *Et ingredieris*, ובאת] Sub. *domum tuam*.

6. *Non est ultra vas*, אין עוד כלי] *Nullum superest vas*.

7. *Redde creditori tuo*, ושלמי את נשיכי] Debita. i. dissolve æs alienum quod conflarat tuus vir.

8. *Fuit præterea, quadam*, &c. ויהי היום ויעבר] Ad verb. *Et fuit dies, & transivit*. ¶ *Magna*, גדולה] i. Nobilis, vel magnæ dignitatis; aut prædives, atque opulenta. Chald. *Cavens sibi à peccato*. ¶ *Quæ vi retinuit eum ut comederet panem*, ותחזק בו לאכל לחם] i. Quæ compulit eum cùm transiret, ut illuc diverteret & sumeret cibum. ¶ *Dum transiret ipse*, מדי עברו] i. Quoties illac iter faceret.

9. *Qui transit per nos*, עובר עלינו] i. Qui transeundo divertit ad nos.

10. *Cœnaculum parietis*, עלית קיר] i. Cubiculum quoddam ex parietibus: h. e. angustum ac semotum ab aliis ædificiis. Alii (quod parùm probatur doctis) exponunt *cœnaculum ex pariete perpetuo, parvum*: & intelligunt fornicem, nullam fenestram habentem.

11. *Quadam igitur die venit*, ויהי היום ויבוא] Ad verb. *Et fuit dies, & venit*.

13. *Solicita es pro nobis*, &c. חרדת אלינו וגו׳] Hebraismus, Tu sedulò ministras nobis, sive tu magnum laborem sumis ut ministres nobis. ¶ *Estne conveniendus*, &c. היש לדבר לך] i. Habésne aliquod negotium propter quod opus tibi sit ut aliquis alloquatur *Regem pro te, aut principem exercitûs?* ¶ *In medio populi mei habito*, בתוך עמי אנוכי יושבת] q. d. Inter consanguineos meos habito qui possunt mihi esse interpretes apud Regem, siquid negotii habuerim propter quod is conveniendus sit.

14. *Equidem filius*, אבל בן] *Certè filius*, &c. Est oratio concisa, & vertendum *Sed*, acsi dicat, *Certè in his non est illi opus operâ tuâ, sed filius*, &c.

16. *In tempore isto*, למועד הזה] *Hâc tempestate. Hoc articulo temporis*. Accipitur enim pro tempore particulari. Gallicè, *en ceste saison*. ¶ *Secundùm tempus vitæ*, כעת חיה] Vide Gen. 18. 10.

18. *Quadam autem die cùm egressus*, ויהי היום ויצא] Ad verb. *Et fuit die* quadam *& egressus est*.

19. *Caput meum, caput meum*, ראשי ראשי] i. Caput meum mihi vehementer dolet. Repetere solent qui conqueruntur. ¶ *Et ait*, ויאמר] Sub. *pater*, qui ministrum alloquitur.

20. *Meridiem*, הצהרים] Duale est, quòd constet duobus luminibus, matutino & pomeridiano.

21. *Tum illa ascendit, & posuit eum*, ותעל ותשכבהו] *Et ascendit illa* [sub. *in cœnaculum Elisæi*] *& composuit*, &c.

22. *Mox revertar*, ואשובה] Ad verb. *Et revertar*.

23. *Non sunt Calendæ*, &c. לא חודש וגו׳] Solebant diebus festis convenire viros sanctos ut illos consulerent. ¶ *Pax*, שלום] i. Rectè quidem se habent omnia: rei bonæ gratiâ proficiscor.

24. *Stravit itaque illa asinam*, ותחבוש האתון] Nempe ministri operâ. ¶ *Nè remoreris*, אל תעצר] Sub. *asinam, eundo sensim & pedetentim, quasi equitatura sim: nisi dixero tibi, Vade sensim*. Alii dicunt quòd pedes ibat propter amaritudinem animæ suæ; & dixit puero ut duceret asinam, & iret sibi post asinam: nec remoraretur asinam ut equitaret ipsa, nisi diceret ei. Chald. *Nè cogas me equitare, nisi quando dixero tibi*. Ducebat asinam Elisæi causâ, non ut ipsa veheretur.

25. *Procul*, מנגד] *Eminus*. Significat *è regione, è loco opposito & objecto*.

26. *Estne pax tibi?* השלום לך] Hebraismus, *Rectè ne vales*, vel, *Rectène omnia geruntur apud te?*

27. *Anima ejus amara est ei*, נפשה מרה לה] Hebraismus, pro *est mœstissima & penè confecta mœrore*.

29. *Accinge*

29. *Accinge lumbos tuos,* חגור מתניך] Præpara teipsum, & accinge te itineri. ¶ *Baculum meum,* משענתי] Significat scipionem quo innitebatur. ¶ *Et vade,* ולך] Sub. *in Sunem.* ¶ *Nè responderis ei,* לא תענני] i. Nè resalutaveris, q.d. Neminem alloquaris in via, sed ito rectà ad puerum: hoc unum mediteris, ut rectà eas ad puerum. Luc. 10. 4. idem præceptum dat Discipulis Christus. ¶ *Pone baculum meum,* ושמת משענתי] Jussit Elisæus ut Giezi acciperet scipionem, ut si fortè sanitati restitueretur puer hàc viâ, miraculum non tribueretur Giezi, sed Deo. Eandem ob rem jussit ut Naamam se ablueret in Jordane.

31. *Transiret ante eos,* עבר לפניהם] *Præcesserat eos.* ¶ *Et non erat vox,* &c. ואין קול ואין קשב] i. Et puer neque loquebatur, neque audiebat, h. e. non videbatur intelligere quæ dicebantur.

33. *Super utrumque,* בעד שניהם] i. Super se & illum, q. d. Neminem reliquit in eo cubiculo.

34. *Et conscendens,* ויעל] Sub. *lectum.* ¶ *Et expandit se super eum,* ויגהר עליו] i. Toto corpore incubuit illi.

35. *Et aversus,* וישב] Sub. *à puero,* i. vicissim & per intervalla relicto puero, inambulabat huc & illuc cogitabundus; postea expandebat se super puerum.

38. *Habitabant,* יושבים] *Sedebant:* ut scilicet aliquid ab eo discerent: nam illum colebant tanquam summum Prophetam.

39. *Unus,* אחד] i. Quidam ex filiis Prophetarum. ¶ *Olera,* ארות] Ità Chaldæus. Alii *erucas,* i. folia erucæ: quam ità Hebraicè dictam volunt ab אור *lumine,* sive *luce,* quòd conferat claritati oculorum. ¶ *Vitem agrestem,* גפן שדה] Quasi *vitem sylvestrem,* i. aliquid simile viti agresti. ¶ *Colocynthidas agrestes,* פקועות שדה] *Cucurbitas agrestes,* quæ sunt saporis amari. Alii, *& collegit ex ea fungos agrestes.* ¶ *Plenum vestimentum suum,* מלא בגדו] *Plenam vestem suam,* i. quantum veste ejus capi poterat. ¶ *Sciebant,* ידעו] Sub. *illas esse saporis amarissimi.*

40. *Fuderunt autem viris,* ויצקו לאנשים] i. Infuderunt pulmentum in scutellas convivis. ¶ *Mors* est *in olla,* מות בסיר] i. Venenum: effectus pro causa, q. d. Aliquis conjecit venenum in ollam: existimabant subesse venenum ob amaritudinem.

41. *Tollite,* וקחו] *Quin* [*Cur non*] *capitis,* i. affertis? ¶ *In ollam,* אל הסיר] In quam scilicet conjecerant pulmentum illud. ¶ *Nec fuit quicquam mali,* ולא היה דבר רע] i. Non remansit quicquam amaritudinis in pulmento quod effundebatur ex olla ipsa.

42. *Et spicas,* &c. וכרמל וגו'] Ad verb. *& spicam plenam viridem cum tunica sua,* i. spicas aliquot triticeas: nondum enim excussa erant grana.

43. *Quid dabo,* מה אתן] *Quamobrem* [*Cur*] *dabo.*

44. *Et reliquerunt juxta,* &c. ויותרו כדבר יהוה] Sub. *aliquid,* i. adhuc aliquid superfuit, superfuturum revelaverat Dominus Prophetæ.

CASTALIO.

13. *Jussit illi ut ex ea quæreret*] Elisæus ejus linguæ ignarus utebatur interprete famulo. ¶ *Illa respondet, se inter suos se continere*] i. Nihil foris cum quoquam negotii habere.

37. *Illa ad pedes ei accidit*] Heb. *Venit & accidit:* quem Hebraismum Galli sic exprimunt, *Elle se vint jetter à ses peidz.* Atque hic loquendi modus frequenter occurrit.

CLARIUS.

13. *In medio populi mei habito*] h. e. Cùm habitem in medio cognationis & populi, illi causam meam agent apud Regem quando necessitas ingruerit.

16. *Juxta tempus vitæ,* &c.] Alius vertit, *juxta tempus vitæ amplexaberis filium,* h.e. post certum tempus, quo fœtus in utero vivificabitur, & ad justum membrorum robur perveniet, & cùm in lucem editus fuerit, *tu amplexaberis filium.* ¶ *Noli mentiri*] q. d. Videtur hæc res impossibilis; atque ideo cave nè erres in judicio tuo.

24. *Tardè incedere*] Nè tardiùs facias eam incedere quàm si vir illi insideret.

29. *Non salutes eum*] h. e. Non facies moram ullam in itinere, sed imperium meum studebis velociter implere.

35. *Reversus deambulabat*] Hebræi sic interpretantur, *Et reversus est à lecto ad terram, ut iterum oraret.*

40. *Mors in olla*] Hebraismus est pro, *Venenum mortiferum est in olla.* Allegoricῶs, Sapientia carnis mors est nisi Euangelica farina immisceatur.

DRUSIUS.

34. וַיִּגְהַר. Alii, *ἐνεφύσησεν insufflavit*] Theodoretus, τὸ Ἀγαὰρ (ità leg. vel certè τὸ Ἐγαάδ) οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ Ἐνεφύσησεν εἰρήκασιν. Ed. vulg. *& incurvavit se.* Arias *prostravit se.*

35. וַיִּגְהַר. Alii, *συνέκαμψεν*] Alibi *συνεκάλυψεν.* Prius hodie legitur in ed. Rom. Sed Theodoretus videtur habuisse ἐνέπνευσεν· hæc enim adfert, τὸ δὲ Ἐνέπνευσεν ἐπ' αὐτὸν, Συνεκάλυψεν οἱ ἄλλοι εἰρήκασιν. In alio scholio, τὸ δὲ Ἐνεγύωσεν ἐπ' αὐτὸν, Συνέκαμψεν οἱ ἄλλοι εἰρήκασιν. Vide, si placet, ed. Rom. unde ista habeo. Nam Theodoreti commentarium in libros Regum adhuc non vidi, quod sciam.

39. אֹרֹת. Lxx *ἀριώθ,* alii *ἀγριολάχανα olera agrestia*] aut *sylvestria.* Est cur malim *ἀριώθ,* quod nunc legunt *ἀρώθ.* Hieron. *herbas agrestes.* Santes *olera.* Arias *erucas.*

GROTIUS.

1. *Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi*] Ut in nexum ducat. Liberi jure Hebræo res parentum. Vide quæ dicta ad Matth. 18. 25. Etiam alibi in Asia liberos venditos à parentum creditoribus discas ex Plutarcho in Lucullo: Idem jus olim Athenis obtinuisse, ex eodem Plutarcho in Solone: Etiam Romæ, ex Dionysio Halicarnassensi lib. 6.

4. *Et mitte indè in omnia vasa hæc*] Incrementum latens à Deo factum, ut suprà 1 Reg. 17. 12, 13, 14.

13. *Et vis ut loquar regi sive principi militiæ?*] Non indigna res est ut Prophetæ ità & Episcopi officio miserabiles personas commendare Principibus. In Canonibus Africanis habemus, *Honestum est ut Episcopi intercessionem his præstent qui iniquâ vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus exspolietur.* Deinde, *Ut de qualibet provincia Episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum nostrum preces mittant qui in metropoli consistit, ut ille & diaconum ejus & supplicationes destinet, tribuens commendatitias epistolas; pari ratione ad fratres & Coepiscopos nostros qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur in quibus felix & beatus Augustus rempublicam gubernat. Si verò habet Episcopus amicos in palatio, qui cupit aliquid, quod tamen honestum est, impetrare, non prohibetur per diaconum suum rogare ac significare his quos scit benignam intercessionem absenti posse præstare, si tamen opportunum fuerit.* Rursum, *Qui verò Romam venerint, sicut dictum est, sanctissimo fratri & Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces, quas habent, tradant; ut & ipse priùs examinet si honesta & justa sunt, & præstet diligentiam atque solicitudinem ut ad Comitatum perferantur.* ¶ *In medio populi mei habito*] In limite sunt milites graves plerumque pauperibus.

14. *Et vir ejus senex est*] Vide Gen. 18. 11, 12.

23. *Non sunt calendæ neque sabbatum*] His diebus pii homines ad Prophetas ibant, quo tempore quibúsque locis alii conventus non erant. Vide Gen. 25. 22.

24. *Mina*] Veteres *baculo minari,* dicebant pro *propellere bovem aut asinum:* posteriores *minari,* unde Galli *mener;* & par vox apud Italos & Hispanos ex recentiori Latinitate.

27. *Anima enim ejus in amaritudine est*] In mœrore est ipsa. ¶ *Et Dominus celavit à me*] Hactenus id ignorabam. Simile 2 Sam. 7. 3.

29. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi*] i. Nihil huic negotio præverte. Vide quæ ad Luc. 10. 4. ¶ *Et pones baculum meum*] Deus plerumque signa quædam in oculos occurrentia adhibet, quò magis pateat se Prophetarum precibus & ad auctoritatem ipsis conciliandam facere quæ facit. Vide infrà 34. cui par historia suprà 1 Reg. 17. 21. Vide & mox 5. 10. Suffecerat baculus si mulier id credidisset. Confer Matth. 9. 18. & similia.

33. *Oravit ad Dominum*] Petens quod in se non habebat.

35. *Et oscitavit puer septies*] Rectiùs alii *sternutavit*: quod signum ad sanitatem est.

37. *Corruit ad pedes ejus & adoravit super terram*] Summo honore Prophetam venerans, ut 1 Reg. 18. 7. suprà 1. 13.

38. *Et filii Prophetarum habitabant coram eo*] Rectiùs *sedebant*: is enim mos discipulorum Act. 22. 3. καθ' ἡλικίαν ἑξῆς καθίζοντας, Philo De vita contemplatrice.

39. *Vitem agrestem*] i. Colocynthida Viti non dissimilem.

40. *Mors in olla*] Quòd nimiùm alvus cieretur. Habet enim eam vim Colocynthis, damnata à Chrysippo medico, & à Democrito in cibis, ut notat Plinius 20. 3.

42. *Deferens viro Dei panes primitiarum*] Xenia, de quibus suprà 1 Reg. 14. 3.

44. *Comederunt, & superfuit*] Confer Matth. 14. 20. Luc. 9. 17. Joh. 6. 12, 13.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. **S**Alutem] Jonathan pro תשועה vertit נצחנא *victoriam* quam Dominus per Naaman dedit Syris.

3. *Utinam*] Hebræi exponunt dictionem אחלי per תחנות, ut sit sensus, *Ob preces & interventiones domini mei liberari posset à lepra per Prophetam qui est in Samaria.* Radicem dictionis putant esse חלה. Kimhi dicit eam ejusdem formæ esse cum אשרי. ¶ *Is cohiberet eum à lepra sua*] Hebraicum verbum אסף propriè sign. *colligere* & *congregare*. Utitur autem Hebraico verbo *congregare* pro *sanare*, quòd curatus à lepra recolligebatur ad reliquos homines, qui ob lepram ab eis exclusus fuit. Chald. tamen interpres ubique vertit in hoc capite אסי *sanavit* pro אסף.

7. *Occasionem quærat*] Kimhi exponit מתעולל עלי עלילות *studet ut adinveniat contra me aliquid, quò occasionem habeat præliandi.*

10. *Revertetur caro tua ad te*] Hoc dicitur quòd caro viva à lepra arrodatur & adeò defluat ut etiam integra membra à corpore perdantur. Hujus causam Hebræi aiunt esse הגבורת החום העפושי *violentiam putrefacti caloris, qui naturalem exstinguit calorem membra vivificantem.*

12. *Abana*] Hic fluvius alio nomine vocatur אמנה, Mem pro Beth.

15. *Benedictionem*] Capitur hic ברכה pro מנחה *munere.*

17. *De terra*] Rogavit Naaman tantum sibi dari terræ, unde in terra sua pro veri Dei cultu exstruere posset altare, hoc signo suam erga Deum Israel contestans fidem.

19. *Per stadium terræ*] K. dicit כברת esse מיל *milliare.* R. Levi verò exponit ארץ הנעבדת *terram cultam quæ civitati adjacet, ut sunt horti, vineæ & agri.* De hac dictione quoque diximus Gen. 35. 16.

23. *In duobus sacculis*] Quidam exponunt חריטים pro כיסים, alii pro אמתחות *marsupiis.* Porrò עופל aiunt esse מקום גבוה *locum altum & munitum.* Jonathan verò interpretatur אתר כסי *locum arcanum.* At הואל hic infinitivus est Hiphil, capitúrque pro *consentire.*

26. *Putas hoc tempore*] Chald. interpres hunc locum sic transtulit in Chaldaicam linguam, *Num hæc est hora tua in qua accepisti argentum & vestimenta, & cogitasti in corde tuo, ut emas oliveta, vineas, oves & boves,* &c?

VATABLUS.

1. **V**IR *magnus*, איש גדול] i. In magno pretio apud dominum suum. ¶ *Potens robore*, גבור חיל] i. Strenuus admodum, aut vir bellicosus.

2. *De Aram autem egressi erant exercitus*, וארם יצאו גדודים] *Syri autem egressi erant cum copiis*, vel, *cum aliquot turmis militum.* ¶ *Quæ inserviebat uxori*, ותהי לפני אשת] Ad verb. *quæ erat coram uxore*, i. quæ postea ministravit uxori, *Naaman.*

3. *Utinam dominus meus esset*, אחלי אדוני לפני] *Orationes domini mei sint*, &c. i. Deprecetur dominus meus. Vel, Si rogaverit dominus meus *Prophetam qui est in Samaria* ut restituat illi sanitatem, restituet illi. Chald. *Felix esset dominus meus si staret coram Propheta*, i. feliciter ageretur cum domino meo, si iret, &c.

5. *Et tulit*, ויקח] Sub. *literas.* ¶ *Mutatoria vestimenta*, חליפות בגדים] *Mutatorias vestes.* Aut, *vestes ad mutandum*, i. quibus uteretur Propheta cùm vestem quotidianam mutare vellet. *Mutatoriæ vestes* sunt vestes pretiosiores ac elegantiores quibus utimur in publico ac foris, diebúsque solennibus.

6. *In hæc verba*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Nunc ergò*, &c. ועתה וגו'] Quidam dicunt primam clausulam literarum periisse: acsi sic scriptum fuisset, *Ubi receperis has literas, cura sanandum hunc servum meum Naaman: nam*, &c. ¶ *Ecce misi*, הנה שלחתי] i. Scito me misisse. ¶ *Ut cures*, ואספתו] Ad verb. *& curabis*, i. ut cures, vel sanes, &c. Alii, *removeas eum*, vel *eripias.* Alii, *ut recolligas eum*, i. revoces eum in congregationem sanorum à lepra: nam leprosi extra commercium cæterorum degebant. Quidam scribunt אסף hic accipi in significatione *curandi*, sive *sanandi*: quòd qui sanatur retrahatur sive eripiatur à morbo. Alii, quòd qui curati sunt à lepra, recolligantur, revocentúrque in congregationem & consortium aliorum, ut dictum est.

7. *Ut mortificem & vivificem*, להמית ולהחיות] *Ut mori faciam, & postea in vitam restituam*, i. qui habeam imperium in mortem & vitam. ¶ *Contra me*, לי] i. Inferendi mihi bellum.

8. *Hujusmodi verbis*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Utquid scidisti*, &c. למה קרעת בגדיך] q. d. Non debueras scindere vestimenta tua: an nesciebas Deum solere suscitare mortuos ad preces hominum, præsertim fidelium?

9. *In equo suo*, בסוסו] Scribitur & בסוסיו *in equis suis*: propterea quidam vertunt *cum equitatu suo.*

12. *Annon* si *lavero*, &c. הלא ארחץ וגו'] Ad verb. *annon lavabo me, & mundabo me?* q. d. Lavare quidem me possum, & mundus ero, vel mundabor propterea? Non puto.

13. *Et quantò magis*, ואף] Sub. *facere debes.* ¶ *Dixerit tibi*, אמר אליך] Sub. *rem facillimam.*

15. *Et tota turma ejus*, וכל מחנהו] *Unà cum toto comitatu suo.* ¶ *En nunc*, הנה נא] *Nunc tandem*, vel, *demum.* ¶ *Benedictionem*, ברכה] i. Munus quoddam.

16. *In cujus conspectu sto*, אשר עמדתי לפניו] Ad verb. *cujus steti in conspectu ejus.* Vide cap. 3. 14. ¶ *Si accepero*, אם אקח] *Non accipiam*, sub. *munus.*

17. *Et non: detur, quæso*, &c. ולא יותן נא] i. Tametsi non capias munus à me, tamen obsecro ut detur mihi tantundem de hac terra quantum duo muli ferre possunt. Doctus inter Hebræos interrogativè legit, ut illud 2 Sam. 13. 26. *Et non ibit nunc nobiscum Amnon?* q. d. Et non vis accipere? itá nolo cogere: detur tamen, &c.

18. *Hac in re parcat*, לדבר הזה יסלח] *Pro hac re condonet.* Itá Chald. q. d. Fac precibus tuis ut condonet mihi

mihi Dominus incurvationem illam quam cogor ex officio præstare Regi oranti in templo Remmon: soleo enim illi tremulo & imbecilli esse vice scipionis cùm incedit, stat, aut se inclinat. ¶ *Et incurvavero me,* והשתחויתי] i. Si tum incurvavero me ut inserviam domino meo, & accommodem me illi incurvanti sese, non studio colendi idola. ¶ *Hac in re,* בדבר הזה] i. In hac adoratione, q. d. Condonet Dominus servo tuo hanc adorationem, sum enim Regi vice scipionis. Existimant doctiores Naaman abstinuisse à commercio Regis per id tempus quo leprâ laboravit.

19. *Vade in pace,* לך לשלום] q. d. Dominus condonabit tibi id, quandoquidem non id studio idololatriæ fecisti. ¶ *Et abiit ab eo,* &c. וילך מאתו כברת ארץ] i. Qui cùm eo relicto concessisset milliare unum, dixit apud se Giezi, &c.

20. *Pepercit dominus meus,* &c. חשך אדוני את ונו'] Ad verb. *prohibuit dominus Naaman Aramæum istum ne acciperet,* &c. i. noluit dominus meus quicquam accipere è muneribus quæ attulit Naaman, &c.

21. *Secutus est ergò,* &c. וירדוף] i. Prosecutus est ipsum Naaman abeuntem. ¶ *Annon est Pax?* השלום] i. Rectène habent omnia?

22. *Ut dicerem,* לאמור] Sub. *tibi.* Ad verb. *dicendo.* ¶ *Ecce nunc* tempore *hoc,* הנה עתה זה] i. Modò, jamjam. Gallicè, *tout a ceste heure.* ¶ *Mutatoria vestimenta,* חליפות בגדים] *Mutatoria vestes* quibus utimur in publico, quas mutamus & deponimus cùm domum venimus. Ad differentiam earum quibus domi utimur *mutatorias* dicit.

23. *Velis capere,* הואל קח] Ad verb. *Velis, cape,* h. e. Rogo te ut capias; rem mihi gratam feceris si acceperis. Gallicè *Vostre plaisir soit de prendre.* ¶ *Coegitque eum,* ויפרץ בו] i. Precibus eum adegit ut duo talenta acciperet. ¶ *Sacculis,* חרטים] *Crumenis, marsupiis.*

24. *Ad munitionem,* אל העופל] i. In locum editum ubi ipse videri non posset. ¶ *Et deposuit in domo,* ויפקוד בבית] i. Servanda tradidit illa in domo quæ illic erat constructa.

26. *Nonne cor meum ivit,* לא לבי הלך] i. Aderam tunc mente, sive animo & spiritu. ¶ *An tempus* est, העת] *An tempus* erat, &c. q. d. Non debueras quicquam ab isto accipere qui non est nostræ religionis. ¶ *Et oliveta,* &c. וזיתים ונו'] Virtute scilicet ac facultate, non reipsa, i. acciperes unde emas tibi oliveta, &c.

27. *Adhærebit tibi,* &c. תדבק בך] i. Laborabis leprâ incurabili, & filii tui quos nunc habes. ¶ *Leprosus sicut nix,* מצורע כשלג] i. Præ lepra candidus instar nivis.

CLARIUS.

7. *Quòd occasiones quærat*] h. e. Studet ut adinveniat contra me aliquid, quo occasionem habeat præliandi.

17. *De terra hac*] Rogavit Naaman tantum sibi terræ dari, unde in terra sua pro veri Dei cultu exstruere posset altare, quasi terra sancta esset; hoc signo suam erga Deum Israel contestatus fidem.

GROTIUS.

1. *PER illum enim dedit Dominus salutem Syriæ*] Nam, ut ait scriptor libri De Vocatione Gentium, *Confitemur quòd nunquam universitati hominum Divinæ providentiæ cura defuerit: quæ licèt exceptum sibi populum specialibus ad pietatem duxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit.* Orosius, *Mea semper hæc est & indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ dona largitur, sed etiam universis in hoc mundo gentibus insuper longanimem sui æternámque clementiam administrare.*

5. *Mutatoria vestimentorum*] Εἵματα ἐξημοιβὰ Homero.

7. *Scidit vestimenta sua*] Ut in gravi mœrore. ¶ *Ut occidere possim & vivificare*] Est enim lepra velut mors cutis: Num. 12. 12. Esa. 22. 18. ubi quæ dicemus vide. ¶ *Videte quòd occasiones quærat adversùm me*] Προφάσεις, σκήψεις, προκαλύμματα, de quibus vide quæ diximus l. 2. c. 22. initio De J. B. Sophocles Trachiniis,

> Ἔγκλημα μικρὸν ἅπαν δ' ἑτοιμάσας
> Ἐπεστράτευσε.

Mos hic improbus multorum Principum eleganter sub Lupi nomine describitur fabulâ primâ Phædri, cujus hoc est ἐπιμύθιον,

> *Hæc propter illos scripta est homines fabula*
> *Qui fictis causis innocentes opprimunt.*

10. *In Jordane*] Jordanis & humus infrà 17. respectum habent ad Deum illis locis præsidentem.

12. *Abana*] Fortè *Chrysorrhoas* Plinii. ¶ *Pharphar*] Est ejusdem nominis in Sabinis fluvius Ovidio,

> ——*amœna Farfarus unda.*

13. *Certè facere debueras*] Nè domino quidem imperanti servus dicere debet, *Cur?* multò minùs Deo homines, Rom. 11. 34.

15. *Obsecro igitur ut accipias benedictionem*] i. Munera. Nam ברך Hebræum non *benedicere* modò sed & *benefacere* significat.

16. *Non accipiam*] Non quòd hoc non sæpe liceret & in usu esset, ut jam plùs semel notavimus, sed quòd non omnia omnibus temporibus conveniant. Cavendum erat nè tener in pietate animus de Prophetis Dei tale aliquid conciperet quale est quod apud Sophoclem Creon Tiresiæ objicit,

> Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος.

Confer simile factum Abrahami Gen. 14. 22, 23. prætereà vide quæ ad hanc rem diximus ad Matth. 10. 8.

17. *Onus duorum burdonum*] *Mulorum* in Hebræo, ἡμιόνων in Græco. Verùm Isidorus ità distinguit ut *mulum* esse dicat ex equa & asino, *burdonem* ex equo & asina.

18. *Templum Remmon*] Is videtur esse Saturnus, cujus in Oriente sparsus latè cultus. Nomen indè quòd sit, ut Tacitus loquitur, *altissimo orbe.* Græci hîc Ῥεμμὰν mutatis, ut fit, vocalibus. Et fortè Lucas Act. 7. 43 scripserit Ῥεμμὰν, ubi nunc Ῥεμφὰν legitur. Nam in Amosi loco quem respicit, est כיון pro כיואן quomodo & Persis & Arabibus vocari Saturnum nos docuit Abenesdra. ¶ *Si adoravero*] Est hîc in Hebræo והשתחויתי, nomen verbale formâ Chaldæâ. Est autem extensio quædam manuum ac pedum. Talem gestum coram simulacro ullo exhibere Israelitis Lege erat vetitum sine ulla exceptione animi aut interpretationis. At alienigenæ lege istâ non tenebantur. Cùm verò hic Syrus nunquam ingrederetur idolium nisi Regis causâ, ipse verò profiteretur se cultorem Dei summi, & in ejus honorem etiam humum Israeliticam ad sacrificia sibi attulisset, facilè intelligebant adstantes Syrum hunc flexionem illam corporis Regi præstare, non Saturno, aut simulacro ejus. Vide quæ ad hanc rem pertinentia diximus ad Luc. 4. 27. ¶ *Ut ignoscat mihi Dominus*] Græci, ἱλάσεται δὴ Κύριος τῷ δούλῳ σου, i. ut Deus eâ re non offendatur, verùm eam boni & æqui consulat.

19. *Vade in pace*] Securus hâc parte esto. Non delinques in Legem quæ tibi dicta non est.

23. *Melius est ut accipias duo talenta*] Quasi non deceret tantum Satrapam minus dare.

26. *Nonne cor meum in præsenti erat*] Videbam ista intus in animo. Simile loquendi genus 1 Cor. 5. 3, 4. ¶ *Nunc igitur accepisti.*] Heb. *An tempus erat accipiendi?* Multa non tam rebus quàm temporibus fiunt bona & mala. Et accipiendum est, ut ait Ulpianus L. Solent. D. de officio Proconsulis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

27. *Lepra Naaman adhærebit tibi*] Pœna hæc fuit non modò intempestivæ δωροδοκίας, sed vel maximè mendacii. Nam qui Prophetam circa ea quæ ad munus ipsius pertinent circumvenire vult, *mentiri* dicitur *Spiritui sancto,* cujus instrumenta sunt Prophetæ: Vide Act. 5. 3, &c.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

8. *In loco occulto*] Est פלוני idem quod דבר מכוסה *res occultata*, & אלמני capitur hîc pro *loco surdo* & שלא ידובר בו *in quo nemo loquitur*. Sunt tamen qui Aleph putant scriptum loco Ain. Significat autem עלם *abscondere*.

9. *Latitant*] Quidam exponunt נחתים pro יורדים *descendentes*; alii pro נחים *manentes*, & חונים *in castris latitantes*. Nam erat locus ille ubi Rex Syriæ insidias posuit in descensu cujusdam collis, ut non facilè castra ejus videri possent ab adversa parte. Monetur igitur Rex Israel à Propheta nè illuc pedem moveat & in laqueū inimici cadat. Qui rei veritatem scire volens, misit illuc nuncium, & Prophetam Domini fidelem & veracem invenit.

11. *Revelaverit secretum*] Id ex Chald. paraphraste accepi, qui sic habet גלי רזי.

17. *Per circuitum Elisæ*] Cùm Elisa fuerit intra civitatem, & exercitus ille igneus in montibus, quomodo *circumdabat Elisam?* Respondent Hebræi quòd puero videbatur *Elisam circumdari* & defendi ab exercitu illo cœlesti, ut nemo hostium illi nocere potuerit. Igitur solùm visio fuit, quæ indicabat Prophetam esse tutissimum.

18. *Cúmque illi descenderent*] Referendum est ad hostes, qui descenderunt ut apprehenderent Prophetam: sed illo ôrante excæcati sunt, ut nec ipsum nec civitatem ipsam agnoscerent, sed & in via ipsa errarent.

23. *Non ultrà*] Non capitur hîc עוד, sicut & in multis aliis locis, pro לעולם *nunquam*, cùm paulo pòst scribatur *Benhadad Regem Syriæ venisse & oppugnasse Samariam ipsam*; sed accipitur pro eo tempore quo insidias posuerat in loco secreto contra Regem Israel.

25. *Caput asini*] Licèt Asinus sit animal immundum, tamen in tanta fame comedebant quicquid ventrem inanem saturare potuit. Jonathan Chaldæus adjecit מזדבן *venderetur*, quod in Hebræo non est. Porrò חריונים Hebræi exponunt pro צואת יונים, sicut nos quoque vertimus, quasi *quod ex* חור יונים *foramine cecidit*. Nam fovebant stercore illo columbino ignem. Alii exponunt pro *eo* שבזפק היונים *quod in struma columbarum evolantium inveniebatur*. Id enim, cùm nondum esset digestum, tollebant homines & comedebant. Est autem Cabus mensura certa, sexta scilicet pars Sati, continens 24 ova. De Sato & aliis mensuris dixi Levitici 14. 10.

32. *Filius homicidæ*] Vocat Regem *filium homicidæ* quoniam fuit filius Ahab, qui interfecit Nabot, ut suprà 1. 3. c. 21 habetur.

33. *Nuncius descendit ad eum*] Ut scilicet tolleret caput ejus antequam Rex veniret. Ille verò coram Senioribus ait, Non tolletis famem per hanc crudelitatem, nec Dominum vobis propitium reddetis per illam impietatem, &c. Cujus verbis sicarius ille ad pœnitentiam commotus respondit, Ecce agnosco quòd propter peccata nostra hoc extremum malum, & quo majus exspectari non possit, nobis evenerit. Sunt etiam qui אוחיל pro *dolere* exponunt, ut sit sensus, Tantum est malum istud ut de alio quopiam magìs dolere & affligi nemo posset.

VATABLUS.

1. *Filii Prophetarum*, בני הנביאים] i. Discipuli Elisæi & reliquorum Prophetarum. Dicunt Hebræi studiosos Prophetarum homines familiariùs versatos cum Elisæo abjecto Giezi quàm antea, quòd Giezi sectatoribus Prophetæ esset acerbissimus. ¶ *Coram te*, לפניך] i. Apud te. ¶ *Angustior est nobis*, צר ממנו] Ad verb. *angustus est à nobis*, i. angustior est quàm ut nos capere possit.

3. *Et ait quidam*, ויאמר האחד] Ad verb. *Et ait unus*, sub. *ex discipulis illius*. ¶ *Velis, obsecro, venire*, הואל נא ולך] Ad verb. *Velis, quæso & veni*, i. precamur ut venias.

5. *Ferrum*, הברזל] Sub. *securis*, vel *bipennis*. ¶ *Ahah, domine mi*, &c. אהה אדוני והוא שאול] *Heu me, domine mi, & ipsa mutuò erat accepta*, i. periit ferrum securis quam mutuò acceperam.

6. *Lignum*, עץ] Sub. *aliquod*: unde scilicet faceret alterum manubrium. ¶ *Et projecit illuc*, וישלך שמה] i. Infixit illud manubrium novum in foramen ferri quod erat in fundo Jordanis. ¶ *Et supernatare fecit*, ויצף] Sub. *manubrium*, vel *Elisæus*. Alii, *& supernatavit*, vel, *cœpit supernatare*, sub. *ferrum cum manubrio*. Duo miracula: alterùm, quòd rectà manubrium incidit in foramen ferri: alterum verò fuit quòd manubrium fecit natare ferrum.

8. *Rex autem Aram*, &c. ומלך ארם היה נלחם וגו'] *Cùm autem Rex Syriæ bellum gereret adversùs Israelem, constituit cum servis suis collocare insidias in quodam loco.* ¶ *In loco tali & tali erunt castra mea*, אל מקום פלני אלמוני וגו'] *In loco tali & tali castrametabimur*. Dicunt Hebræi cùm nomen proprium loci alicujus aut personæ non succurrit, aut cùm illud exprimere nolunt licèt succurrat, apponunt hæc verba *Peloni*, & *Alemoni*. Galli dicunt, *Tel & tel*. Sunt enim singularis numeri. Non est dubium quin Rex Syriæ expresserit nomen proprium loci in quo castrametaturus erat: sed nomen loci illius non succurrebat historiographo cùm hæc scripsit, aut potiùs noluit exprimere. De hoc genere dicendi vide Ruth. 4. 1.

9 *Descendunt*, נחתים] *Descenderunt*, i. castrametantur.

10. *Misit ergò Rex Israelis*, וישלח מלך ישראל] Sub. *exploratores*, i. Rex fecit periculum an Propheta Dei vera diceret. ¶ *Et cavit sibi*, &c. ונשמר שם לא וגו'] i. Cavit sibi nè eò iret, misit, inquam, *non semel atque iterum*, sed sæpius. Alii, *& cavit sibi illinc non semel atque iterum*.

11. *Propter hoc*, הדבר הזה] Cùm scilicet rescisset sua consilia prodita esse Regi Israelis. ¶ *E nobis est Regis Israelis*, משלנו אל מלך ישראל] *E nobis* prodat consilia nostra *Regi Israelis?*

12. *Non*, לא] i. Nequaquam res habet ut putas, *domine mi Rex*: *nam*, &c. ¶ *Loqueris*, תדבר] Fut. Heb. pro præs. *loqui soles in intimo tuo conclavi*, sive *in secretissimo cubiculorum tuorum*.

13. *Renunciatum est autem*, ויגד] Sub. *ab exploratoribus, cùm reversi essent*.

14. *Et exercitum gravem*, וחיל כבד] i. Magnum peditatum, q. d. Misit illuc equites, & qui pugnarent in curribus falcatis, & pedites in magno numero.

15. *Atque egressus, videt*, ויצא והנה] Ad verb. *Et egressus est, & ecce: egressus*, sub. *domo*. Alii, *ut egrederetur*, sub. *urbe*. ¶ *Quomodo faciemus?* איכה נעשה] i. Quid faciemus? q. d. Actum est de nobis, periimus.

16. *Qui nobiscum sunt*, אשר אתנו] i. Qui stant à parte nostra, quàm qui sunt pro illis.

17. *Ut videat* ויראה] Sub. *Angelos qui futuri sunt nobis auxilio*. ¶ *Mons*, ההר] In quo sita erat urbs: vel qui non procul aberat ab urbe. ¶ *Et currus igneus*, ורכב אש] Quidam in plurali vertunt, *& currus ignei erant in circuitu Elisæi*.

18. *Cúmque descenderent ad eum*, וירדו אליו] Sub. *egressum urbe*. ¶ *Cæcitatibus*, בסנורים] Plur. Heb. pro sing. *cæcitate*. Alii, *hebetudine oculorum*, i. ut habeant aciem oculorum hebetem, & non perfectè videant.

19. *Dixit ergò ad eos*, ויאמר אלהם] Nempe postquam rogatus fuerat ab eis. ¶ *Via*, הדרך] Quæ scilicet ducit in urbem in qua putatis esse Elisæum.

20. *Ut videant*, ויראו] Ad verb. *& videant*, sub. *ubinam sint*. ¶ *Ac viderunt, & ecce*, &c. ויראו והנה וגו'] i. Ac deprehenderunt se esse intra Samariam.

21. *Nunquid percutiam*, &c. האכה אכה וגו'] i. Visne percutiam atque interficiam eos, domine mi? vel, præceptor mi?

22. *Percutis?* מכה] Quidam *percuteres?* q. d. Si hos percuteres, non percuteres homines victos tuâ operâ, sed operâ Dei: nullum jus habes in istos, quia non cepisti eos.

23. *Nec addiderunt*, &c. ולא יספו עוד] i. Ex eo tempore desierunt

desierunt Syri facere impetum in Israelem, nempe tempore ejus Regis. Vox *ultrà* non excludit totum tempus futurum, sed hoc dicit, Quamdiu Rex ille vixit Syri non invaserunt Terram sanctam.

24. *Ben-hadad Rex Aram*, בן הדד מלך ארם] Existimant doctiores *Ben-hadad* fuisse nomen commune Regum Syriæ, ut *Pharao* nomen fuit Regum Ægypti: aut certè multi eo nomine fuerunt.

25. *Esset*, היות] i. Venderetur. ¶ *Cab*, הקב] Mensura quæ continet quartam partem Seah, i. Sati, sive Modii. ¶ *Stercoris*, חריונים] Ità scribitur, nempe cum ח & ר, sed legitur cum ד & ב sic, דביונים, quod idem significat. Nam quod scribitur, significat *quod egreditur è foramine columbarum*: חור enim est *foramen*: at quod legitur, honestiore vocabulo significat *superfluitatem quæ fluit è columbis*, à דב sive דוב verbo Chaldæo, quod est *fluere*. Quidam Hebræorum dicunt stercore columbino usos fuisse tempore obsidionis ad fovendum ignem ob penuriam ligni. Alii interpretantur grana illa quæ eximebantur è vesicula gutturis columbarum, quibus vescebantur tempore famis.

26. *Transiret super murum*, עובר על החומה] i. Circuiret mœnia, lustrando urbem.

27. *Non servet te Jehovah*, &c. אל יושיעך יהוה ונו'] q. d. Dispereas, unde feram opem tibi? quare petis à me cibum, cùm scias me omni re carere? neque triticum, neque vinum habeo quod tibi dare possim; omnia mihi desunt.

28. *Quid est tibi?* מה לך] i. Quid vis? quid quæris?

29. *Et illa abscondit*, ותחבא] *Et illa occultavit*, ut scilicet ipsum sola edat: vel ut parcat ei, servétque vivum.

30. *Transeunte autem illo super murum*, והוא עובר על החומה] Ut v. 26. cùm lustraret urbem, super mœnia iter faciens. ¶ *Vidit populus*, &c. וירא העם והנה השק] i. Deprehendit populus eum gestare cilicium sub veste Regia.

31. *Sic faciat mihi Deus*, &c. כה יעשה לי אלהים] Ità loquuntur Hebræi cùm genus pœnæ non exprimunt. Subaudienda sunt quædam, cujusmodi, *Si Elisæus vellet juvare oratione populum, posset prohibere tantam inediam, in qua mulieres alioqui misericordes suos partus comedunt*; *quare disperеam si*, &c.

32. *Sedebant cum ipso*, יושבים אתו] *Sedebant juxta eum*, i. assidebant illi. ¶ *Misitque virum*, וישלח איש] Qui scilicet præcideret caput Elisæo. ¶ *Dixit*, אמר] Sub. *Elisæus*. ¶ *Filius homicidæ*, בן המרצח] i. Filius Achab homicidæ, cujus consensu Naboth est occisus, q. d. Iste qui imitatur mores paternos. ¶ *Et reprimite eum*, &c. ולחצתם אתו] i. Eum repellite, occludentes illi ostium: nolite sinere eum ingredi.

33. *Descendebat*, יורד] *Descendit*, præsens, q. d. Viderunt ipsi nuncium descendentem. ¶ *Et dixit*, ויאמר] Sub. *Rex*, qui antevertit nuncio quem miserat. Hic locus ostendit Regem Israel protinus mutasse sententiam, illúmque nuncio quem miserat antevertisse, ità ut illi non licuerit Elisæo præcidere cervices. ¶ *Hoc malum*, זאת הרעה] *Hæc afflictio*, i. tanta ista fames ut mulieres comedant natos suos. ¶ *Quid exspectabo*, &c. מה אוחיל ליהוה עוד] i. Quid ultrà exspectare debeam à Domino? q. d. Nulla superest spes. Sunt verba hominis penè desperantis.

CASTALIO.

25. **C**Abi stercoris columbini] Quis possit esse fimi columbini usus in cibos non video; nisi quod hic tradit Josephus usos esse pro sale.

33. *Quem subsecutus rex*] Hunc locum ex Josepho complevi, additis his verbis, *quem subsecutus rex*. Nam Josephus ità scribit, *Sed vos*, inquit Elisæus, *cùm venerit is cui hoc mandatum est, observate ut ingressurum in janua prematis atque retineatis: etenim sequitur eum ad me veniens Rex, mutato consilio. Atque illi quidem, ubi venit qui à Rege ad perimendum Elisæum missus erat, jussa fecerunt. Joramus autem sua contra vatem iracundia pœnitens, veritúsque nè eum jam occidisset qui ad hoc missus erat, properavit cædem fieri prohibere, Vatémque conservare. Atque ubi ad eum venit, conqueri de eo cœpit, qui eis præsentium malorum remedium à Deo non postularet, sed eos malis illis confici spectaret.*

CLARIUS.

17 **I**N circuitu Elisæi] Cùm Elisæus fuerit intra civitatem, & exercitus ille igneus in montibus, quomodo *circumdabat Elisæum?* Respondent Hebræi quòd puero videbatur *Elisæum circumdari* & defendi ab exercitu illo cœlesti, ut nemo hostium illi nocere potuerit.

23. *Latrones Syriæ*] Consuevit Interpres vertere *latrones* vel *latrunculos* pro *turma* & *cuneo*. Et quod ait *non ultrà eos venisse in terram Israel*, non intelligitur eos nunquam postea venisse, cùm paulò pòst scribatur *Benadad venisse & oppugnasse Samariam* ipsam; sed accipitur pro eo tempore quo insidias posuerat in loco secreto contra Regem Israel.

25. *Stercoris columbarum*] Ferunt eo stercore obsessos fovisse ignem. Alii exponunt de eo quod in struma sive ingluvie columbarum evolantium inveniebatur: id enim cùm nondum esset digestum tollebant homines & comedebant.

31. *Si steterit caput Elisæi*] Videtur Regem ascribere hanc voluisse calamitatem Elisæo, qui non impetrarit liberationem à Domino. Ità cæca est mens hominum qui Deum non sequuntur.

32. *Filius homicidæ*] Vocat Regem *filium homicidæ* quia fuit filius Achab, qui interfecit Naboth.

33. *Apparuit nuncius*] Ut scilicet tolleret caput ejus antè quàm Rex veniret. Ille verò coram Senioribus ait, Non tolletis famem per hanc crudelitatem, nec Dominum vobis propitium reddetis per ejusmodi impietatem, &c. Cujus verbis sicarius ille ad pœnitentiam commotus respondit, Ecce agnosco quòd propter peccata nostra hoc extremum malum, & quo majus exspectari non potest, nobis evenerit.

DRUSIUS.

5. שאול. Κεχρημένον *commodatum*] Legitur in commentariis Græcis, & in uno libro. In alio autem est κεχρημένον. Interpres Vulg. *hoc ipsum mutuò acceperam*.

8. פלני אלמני. In aliqua editione, φελωνὶ ἀλμωνὶ] Sic loquuntur cùm certum aliquem hominem significant, quem tamen nominare nolunt; ut Ruth. 4. 1. *Sede hic Pheloni Almoni*, quod Græcè reddes eleganter Κάθισον ὧδε ὦ δεῖνα. Sic quod Matth. 26. 18. πρὸς τὸν δεῖνα, Ebraicè convertes אל פלני אלמני πρὸς φελωνὶ ἀλμωνὶ. In libro Locorum, *Elmoni*, A. Th. ὁ δεῖνα.

GROTIUS.

2. **U**T ædificemus nobis ibi locum] *Tabernaculum*: nam hæc vox, ut & *taberna*, à *tabulis* venit, ut Festus nos docet. Et multæ gentes in talibus ædificiis habitant.

5. *Et hoc ipsum mutuò acceperam*] Impropriè locutus est: dicere enim voluit *commodatò*. Meritò autem dolet hic quisquis est de amissa re commodata. Religiosè enim cavendum est nè quis ex beneficio suo damnum sentiat.

9. *Quia ibi Syri in insidiis sunt*] Prophetia non res futuras tantùm aperit, sed & hujus temporis eas quæ latent. Vide quæ dicta Matth. 26 68.

16. *Plures enim nobiscum sunt quàm cum illis*] *Castra Dei* Gen. 32. 1. *legiones Angelorum* Matth. 26. 53. Confer quæ dicta suprà 2. 11.

17. *Aperi oculos hujus*] Sententia est veterum, Angelos apparere simul atque volunt, non apparere ubi nolunt. Illa ἐπιφάνεια hic dicitur *apertio oculorum*, ob effectum similem.

18. *Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate*] Scotomate ut Gen. 19. 11.

19. *Non est hæc via, neque est ista civitas*] Dolus in hostem licitus habebatur illo tempore. Vide De J. B. ac P. l. 3. c. 1. §. 17.

21. *Pater mi*] Sic etiam Episcopos sæpe compellarunt Christiani imperatores.

22. *Neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias*] Heb. *An quos cepisses gladio & arcu tuo eos interficeres?* Hostium qui paulò leniores sunt captivis solent parcere. In Heraclidis Euripidis cùm dixisset nuncius,

Τί δ᾽ ἤ τοδ᾽; ἐχθροὺς τοῖσι δ᾽ οὐ καλὸν κτανεῖν;

respondet chorus,

Οὐχ ὅντιν᾽ ἄν γε ζῶνθ᾽ ἕλωσιν ἐν μάχῃ.

Et in Troadibus Senecæ dicenti Pyrrho,

Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.

Agamemnon respondet,

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Æqui bonique natura parcere etiam captivis jubet, ait Seneca De Clementia 1. 18. Est autem argumentum a majori. Parceres tuis captivis, quantò magis iis quos Dei benignitas tibi in manus dedit?

23. *Et ultrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israel*] *Latrones* vocat excursores גדודי. Josephus, Κρύφα μὲν οὐκέτι διέγνω τῷ Ἰσραηλιτῶν ἐπιχωρεῖν βασιλεῖ. Ergò justo exercitu opus fuit, ut sequitur.

25. *Factáque est fames magna*] *Cunctantibus solita insolitáque alimenta deerant*, ait Tacitus Hist. 4. de iis qui in Veteribus erant obsessi. ¶ *Caput asini octoginta argenteis*] Nam & in Casalino ab Annibale obsesso *murem ducentis denariis vaniisse* testantur Plinius 8. 57. Valerius Maximus 7. 6. *centum denariis* ait Frontinus. ¶ *Et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*] Ex Græco. In Hebræo textu hìc est חריונים, sed quia ea vox longo usu facta erat spurcior, legitur pro ea hìc דביונים, ac Esa. 36. 12. צואתהם: qualis mutatio paribus de causis & alibi facta. Fame autem compulsos homines ad ejectamenta columbarum eò minùs mirandum est, quòd & humanæ alvi ejectamenta tali necessitate usurpata & Esaiæ ille locus & historiæ aliæ nos doceant.

27. *Non te salvat Dominus*] Heb. *Ne te salvum faciat Dominus*: quomodo & LXX, Μή σε σώσαι Κύριος. Sensus bene apud Josephum, ὀργισθεὶς ἐπηράσατο αὐτῇ τὸν Θεόν. Nimirum gravia mala ut edomant quosdam, ità efferant alios. sic Oedipus in Phœnissis Euripidis,

——σοὶ δὲ τῆς τύχης νοσῶν

Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας.

29. *Coximus ergò filium meum, & comedimus*] Sic impletæ sunt Dei minæ, Deut. 28. 56, 57. Accidit idem Hierosolymis à Vespasiano obsessis, teste Josepho; Româ obsessâ à Vitige, & alibi. Quintilianus in declamatione PASTI CADAVERIBUS, *Pater liberos esurit, & oppressa decimo mense mater sibi parit: redit in uterum laceratus infans.*

30. *Viditque omnis populus cilicium quo vestitus erat ad carnem intrinsecùs*] Apparuit cilicium veste discissâ. Sic & Græci hìc.

31. *Si steterit caput Elisæi filii Saphat super ipsum hodie*] Sic Romani imperatores omnium calamitatum publicarum reos faciebant Christianos, ut Apologetici horum libri omnes testantur.

32. *Et senes sedebant cum eo*] Discipuli ipsius, ut hìc habet Josephus. ¶ *Filius homicidæ*] Achabi προφητοκτόνου etiam ingenio filius. ¶ *Et non sinatis eum introire*] Bene sensus expressus est: nam illud לחצתם παραθλίψατε significat *retinete*.

33. *Quid ampliùs exspectabo à Domino?*] Multos in impietate retinet malorum facinorum conscientia & desperatio veniæ.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

2. *Princeps quidam*] Est שליש idem quod קצין *satrapa*, vel, ut alii dicunt, *tertius à Rege*. ¶ *Super cujus manum Rex incumbere solebat*] Quando per viam gradiebatur. ¶ *Si faceret cataractas in cœlo*] i. Si Dominus aperiret cœlos, & effunderet triticum & hordeum, sicut olim effudit manna de cœlis, id fieri non posset.

10. *Ad janitorem*] Capitur hìc sing. pro plurali. Vel clamaverunt ad quendam certum janitorem, & omnes accurrerunt ut audirent quid illi nunciarunt. ¶ *Equi ligati*] Sub. *ad præsepe*. Tantum enim metum immisit Dominus Syris illis ut non ausi fuerint moram facere quousque sellas & frænos equis imponerent.

11. *Ad portarios*] h. e. Janitor civitatis indicavit janitoribus qui præerant palatio regio.

13. *En ipsi sunt sicut universa multitudo*] h. e. Equi illi qui superstites manserunt sunt כחושים *macie & inediâ confecti*, sicut & populus ipse; ut non sit magnum damnum si eos perdamus, modò rei veritatem investigemus. Et hìc quidam referunt בה ad *multitudinem*, alii ad *civitatem*.

14. *Duos curruum equos*] i. Acceperunt duos equos qui curribus trahendis assueti erant.

VATABLUS.

1. *HOC tempore*, כעת] *Hoc articulo temporis. Hâc horâ.*

2. *Dux*, השליש] q. d. *Tertium à Rege.* ¶ *Fenestras*, ארובות] Sub. *Per quas Deus triticum demitteret*, q. d. Etiamsi Deus demittat de cœlo triticum, ut olim Man, non tamen posset esse tam vile triticum.

2. *Ex eo non comedes*, ומשם לא תאכל] Ob incredulitatem.

3. *Porta*, השער] Sub. *urbis*, in qua erat habitaculum leprosorum, aut quâ ibatur ad castra.

4. *Si dixerimus*, אם אמרנו] i. Si ità statuamus, vel, Si velimus ingredi. ¶ *Moriemur etiam*, ומתנו] Sub. *fame & inediâ.* ¶ *Si sinat nos vivere*, &c. אם יחיונו נחיה וגו׳] Ad verb. *si vivificaverint nos, vivemus: & si mortificaverint*, &c.

5. *In crepusculo*, בנשף] Sub. *nocturno*, i. primâ nocte. ¶ *Usque ad extremum*, עד קצה] *Usque ad extremitatem*, i. principium: h. e. ad prima tentoria castrorum.

6. *Alter ad alterum*, איש אל אחיו] Ad verb. *vir ad fratrem suum.*

7. *In crepusculo*, בנשף] Sub. *vespertino*. ¶ *Castra erant ut fuerant*, המחנה כאשר הוא] Sub. *priùs*, i. ità instructa ut erant priùs: nihil enim secum abduxerant. ¶ *Pro anima sua*, אל נפשם] Chald. *ut servarent animam suam*, i. vitam suam. Vel, *fugerunt sibi*, i. fugâ sibi consuluerunt.

8. *Usque ad extremum*, עד קצה] Vide v. 5.

9. *Alter ad alterum*, איש אל רעהו] Ad verb. *vir ad proximum suum*, i. adinvicem. ¶ *Iniquitas*, עון] Pro *pœna quæ iniquitati debetur* posuit *iniquitatem*, i. dabimus pœnas.

10. *Eis*, להם] Sub. *janitoribus*, vel *janitori*, *& illis qui cum eo erant*.

11. *Clamaverunt ergò*, ויקרא השוערים] *Clamavit ergò unus ex janitoribus*, i. unus ex janitoribus clamavit ut excitaret janitorem aulæ regiæ: h. e. janitores clarâ voce retulerunt janitoribus aulæ qui Regi rem indicarent. ¶ *Intrinsecùs*, פנימה] *Interné*, i. in intima parte palatii Regis.

12. *In agro*, בהשדה] Sub. *Samaritano*. ¶ *Dicendo* לאמור] sub. *apud se*, q. d. hoc consilio. ¶ *Et urbem ingrediemur*, ואל העיר נבוא] i. Tunc potiemur urbe.

13. *Tollant, quæso*, &c. ויקחו נא חמשה וגו׳] q. d. Mittantur ex nobis aliquot, sive quinque cum quinque equis, vel, ut doctus inter Hebræos exponit, Capiant aliquot ex illis quinque equis qui soli remanserunt. ¶ *Siquidem illi*, &c. הנם ככה ההמון] i. Siquidem illi laborant inediâ, & jam penè consumpti sunt fame, sicut universa multitudo quæ in urbe est fame penè confecta est: & illi quidem propediem morituri sunt fame, non aliter quàm universa illa multitudo Israelis quæ jam periit, q. d. Non magnam jacturam faciemus si perierint illi equi: nam etiamsi

amsi in urbe remanserint, morituri sunt. ¶ *Atque videamus* ונראה] Sub. *an sit vera fama, an fictitia.*

14. *Currus equorum*, רכב סוסים] *Equos vectarios generis equini*, i. duo jumenta vectaria. Significat enim רכב etiam *jumentum quo vehimur.* ¶ *Post castra Aram*, אחרי מחנה ארם] i. Qui sequerentur Syros.

15. *Dum festinarent*, בהחפזם] i. dum trepidantes fugerent, ut citiùs currerent.

17. *Portæ*, על השער] Dativus est verbi *Præfecerat*, constituerat eum super portam quâ egrediebantur ad diripienda castra Syrorum.

18. *Fuit, inquam, quemadmodum locutus fuerat*, ויהי כדבר איש האלהים אל המלך וגו'] *Cùm enim loqueretur Vir Dei Regi, dicendo*,&c. *Respondit dux*,&c. Vide v. 1, & 2.

CLARIUS.

2. S*Uper cujus manu rex incumbebat*] Quando scilicet per viam gradiebatur. ¶ *Cataractas in cœlo*] Si Dominus, inquit, aperiret cœlos & effunderet triticum & hordeum, sicut olim effudit manna de cœlis, id fieri non posset.

10. *Equos & asinos alligatos*] Sub. *ad præsepe.* Tantum enim metum immisit Dominus Syris illis ut non ausi fuerint moram facere quousque sellas & frænos equis imponerent.

11. *Janitor ad portarios*] Janitor civitatis indicavit janitoribus qui præerant palatio regio.

13. *Quia ipsi tantùm*] Alius vertit, *En ipsi sunt sicut universa multitudo Israel, qui relicti sunt in ea*; ut sit sensus, Equi illi qui superstites manserunt sunt macie & inediâ confecti, sicut & populus ipse; ut non sit magnum damnum si eos perdamus, modò rei veritatem investigemus.

14. *Duos curruum equos*] i. Acceperunt duos equos qui curribus trahendis assueti erant.

GROTIUS.

1. D*Ixit autem Elisæus*] Nempe Regi, ità ut Elisæus prædixerat nuncium illum subsequenti. Vide 6. 32 & hoc cap. 16.

2. *Unus de ducibus*] τριστάτης Lxx, τρίτης μοίρας ἡγεμὼν Josepho. ¶ *Super cujus manum rex incumbebat*] Quem honorem Reges habebant carissimis sibi. Suprà 5. 18. ¶ *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo*] Fenestras per quas depluat frumentum. ¶ *Videbis oculis tuis, & indè non comedes*] Idem eveniet iis qui promissis vitæ æternæ non credunt.

3. *Quatuor leprosi juxta introitum portæ*] Putant Hebræi hos fuisse Giezin & tres filios ejus, quod ego nec affirmem nec refellam. Morabantur autem leprosi non intra sed extra portam urbium, ut olim extra castra, Num. 5. 2, 3. Lev. 14. 3. Vide quæ diximus ad Luc. 17. 12. & Josephum hîc.

5. *Ad principium castrorum Syriæ*] Ad vallum.

6. *Dominus sonitum audiri fecerat*] Θόρυβον Πανικόν, ut in simili re Diodorus Siculus loquitur.

9. *Sceleris arguemur*] Officium enim civium est ea indicare quæ ad salutem publicam pertinent. ¶ *Nunciemus in aula regis*] Efficiemus ut in aulam tantæ rei notitia perveniat: nam ipsis urbem intrare, multóque magis in aulam ire non licebat. Vide sequentia.

12. *Latitant in agris*] Quod Græci ad Trojam fecere. Suspicax est miseria.

17. *Quem conculcavit turba in introitu portæ*] Mirè causas disponit Deus, per quas sua decreta exsequatur.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

10. V*Ivendo vives*] Quomodo dicit illum *victurum*, quando mox addit illum *moriturum*? Respondet Kimhi, quòd ab illa infirmitate quidem convaluisset, cùm illa non esset mortalis, si violentâ morte non fuisset peremptus. Sed Propheta videns quod futurum erat illico subjecit, *ostendit mihi Dominus quòd moriturus sit.* Ben Gersom verò dicit etiam infirmitatem illam fuisse ad mortem, sed noluit Propheta ut Hazael id illi indicaret, nè diceretur illum metu mortis exanimatum, & causa mortis ejus Prophetæ imputaretur. Et tunc hic erit sensus; *Dicere quidem illi poteris ut bono sit animo, quódque adhuc diutiùs victurus sit: at Dominus ostendit mihi quòd moriturus sit.*

11. *Statuit ille faciem suam, & posuit in confusionem*] Hebraismus est pro, Avertit faciem suam, & quasi à lacrymis confusam tegere voluit, sed à fletu se continere non valuit. Jonathan tamen Chaldæus exponit hîc בש pro אוריך *tardavit* seu *moram fecit*: *Moram*, inquit, *aliquandiu fecit, dum sic aversâ facie fleret.*

15. *Expanderétque super faciem ejus*] Laborabat Rex æstu intolerabili, atque ideo petebat adhiberi faciei suæ refrigerium aquæ frigidæ: Quòd cùm Hazael imprudenter egisset, intincto panno rudi in aqua frigida, interemit dominum suum, non quidem volens, ut aliqui eum excusant. Kimhi verò contrarium sentit.

24. *Ahaziahu*] Hunc nostri legunt *Ochosiam.*

29. *A vulneribus*] Est hîc מכים idem quod מכות, & singulare suum ejusdem est formæ cum מטה quando *baculum* seu *virgam* significat.

VATABLUS.

1. A*Tque peregrinare*, &c. וגורי באשר תגורי] *Atque habita ubi habitare possis*, vel *poteris*, i. ubi videbitur tibi commodum & utile habitare. ¶ *Vocavit enim*, כי קרא] *Invitavit enim*, ut scilicet veniat, i. immissurus est. Metaphora sumpta à convivis.

3. *Ut clamaret*, לצעק אל המלך] i. Ut conquereretur apud Regem quòd domum suam quidam, se absente, cùm illam vacuam reperissent, occupassent.

4. *Locutus est*, מדבר] Præs. Heb. pro præt. ¶ *Magnalia*, הגדולות] Significat *res insignes*, h. e. miracula.

5. *Quomodo vivere fecisset*, אשר החיה] Ad verb. *quomodo vivificasset*, i. suscitasset.

6. *Eunuchum*, סרים] *Principem*, sub. *quendam aulæ suæ.* Vide Gen. 37. 36. ¶ *Restitue*, השיב] i. Cura reddi & restitui omnia quæ ad illam spectant, à tempore quo discessit è patria ista.

8. *Et requires Jehovam ab eo*, ודרשת את יהוה מאותו] i. Consules eum de voluntate Dei. ¶ *Nunquid vivam de infirmitate hac?* האחיה מחלי זה] *Convalescámne ab ista ægritudine?*

9. *Atque omne bonum*, וכל טוב] *Et optima quaque*, i. pretiosissima quæque, q. d. Ex pretiosissimis quibusque Damasceni agri tulit quantum ferre poterant 40 cameli.

11. *Et stare fecit*, &c. ויעמד את פניו וגו'] *Et statuit vultum suum*, &c. sub. *in altero latere*, i. avertit vultum ab eo: & posuit manum suam ante faciem suam aliquandiu: id significat, *donec moraretur*: volebat enim continere se à lacrymis, & dissimulare mœrorem animi.

12. *Malum quod facturus*, &c. את אשר תעשה וגו'] Vertunt quidam אשר in *quòd* conjunctionem, *quòd facturus sis filiis Israelis malum.* Alii in *quomodo*, i. animo prævideo afflictionem quâ afficies Israelitas. *Munitiones eorum*, &c. מבצריהם תשלח באש] Sic sæpe Hebræi loquuntur, converso dictionum ordine, pro, *ignem mittes in munitiones eorum*, i. munitissima quæque loca incendes igni. ¶ *Allides*, תרטש] Sub. *ad parietem*, vel *saxum*, aut *solum.*

13. *Quid est enim*, &c. כי מה עבדך] Subaudiendum est aliquid, cujusmodi, *Nè dicas hoc servo tuo: qualis enim est servus tuus, non pluris sanè faciendus quàm canis mortuus servus tuus abjectissimus, quòd dicas me facturum rem tam grandem?*

14. *Vivendo vives*, חיה תחיה] *Convalesces. Recipies sanitatem.* Hebraismus.

15. *Pannum crassum*, המכבר] *Stragulam*; operimentum lecti quod fiebat è pilis caprarum. ¶ *In aquam*, במים] Sub. *frigidam*, ut extingueret ardorem & æstum febris. ¶ *Faciem ejus*, פניו] *Faciem suam*: nam alii referunt ad Ben-hadad, qui rogarit ut sibi daretur pannus intinctus in aquam frigidam, quo vultum suum tegeret, ut inveniret refrigerium. Alii ad Hazaelem referunt, ut & noster interpres. Doctus inter Hebræos ait *Hoc Hazaelem fecisse de industria*. Alii, *per imprudentiam, cùm quereretur Rex de calore febris, porrexisse pannum humentem*.

18. *D mus Ahab*, בית אחאב] i. Ii qui fuerant de domo Achab.

19. *Lucernam*, ניר] i. Splendorem illum regalem, sive dignitatem regiam. Sic 1 Reg. 11. 36.

20. *Defecit Edom ab imperio Jehudah*, פשע אדום מתחת יד יהודה] Ad verb. *prævaricatus est Edom desub manu Jehuda*, i. desiit esse subditus Regi Jehuda. Sic v. 22.

21. *Populus*, העם] Sub. *Idumæorum qui evaserat*.

22. *Eo tempore*, בעת ההיא] i. In hac secunda & ultima defectione. Libnah urbs Idumææ non procul aberat à Terra sancta.

26. *Cùm regnare cœpit*, במלכו] Ad verb. *in regnando ipso*, una cùm patre scilicet, *& anno uno regnavit* solus, cùm ipse esset 42 annorum. Vide 2 Par. 22. 2. ¶ *Filia*, בת] i. Neptis.

27. *Ambulavit autem*, &c. וילך בדרך וגו'] Hebraismus. Imitatus est mores & studia familiæ Achab. ¶ *Gener*, &c. חתן] i. Duxerat uxorem de familia Achab.

29. *Dum pugnaret contra Hazael*, בהלחמו את חזהאל] *Dum propugnaret* [i. defenderet, sub. *Ramoth*] *contra Hazael*.

CLARIUS.

10. SAnaberis] Quomodo dicit illum *victurum*, quando mox addit illum *moriturum*? Respondent, quòd ab illa quidem infirmitate convaluisset, cùm illa non esset mortalis, si violentâ morte non fuisset peremptus. Sed Propheta videns quod futurum erat, illico subjecit, *ostendit mihi Dominus quòd moriturus sit*. Alius ait etiam infirmitatem illam fuisse ad mortem, sed noluisse Prophetam ut Hazael id illi indicaret, nè diceretur illum metu mortis exanimatum, & causa mortis ejus Prophetæ imputaretur. Et tunc erit sensus, *Dicere quidem illi poteris ut bono sit animo, quódque adhuc diutiùs victurus sit, at Dominus ostendit mihi eum moriturum*.

15. *Tulit stragulum*] Laborabat Rex æstu intolerabili, atque ideo petebat adhiberi faciei suæ refrigerium aquæ frigidæ: Quod cùm Hazael imprudenter egisset, intincto panno rudi in aqua frigida, interemit dominum suum, non quidem volens, ut aliqui eum excusant.

DRUSIUS.

15. הַמַּכְבֵּר] In Lxx μαχβάρ, & in uno libro στρῶμα *stragulum*] Vel *stragulam vestem*. Santes *pannum è pilis caprarum*. Arias *stragulam*. Hieron. *stragulum*.

GROTIUS.

1. VAde tu & domus tua, & peregrinare ubicunque repereris]

Γαστὴρ ἄοικος καὶ νεῶν εὗρε δρόμον.

¶ *Septem annis*] Numerus idem annorum qui Gen. 41. Per quem numerum multa à Deo digesta reperies.

2. *In terra Philisthiim*] Exemplo Davidis 1 Sam. 27. 1. Necessitas cogit & barbarorum ope uti.

3. *Pro domo sua & pro agris suis*] Mos ergò hic fuit in 10 tribubus, qui & alibi reperitur, ut qui patriâ exirent eorum bona confiscarentur.

4. *Loquebatur cum Giezi*] Eminus, ut cum leproso. Vide quæ dicta ad Lucæ 17. 12. ¶ *Magnalia*] הגדלות, quod μεγαλεῖα transfertur interdum in Psalmis & Paralipomenis, & à Luca in Euangelio, 1. 49. & Act. 2. 11. Sic sæpe voces non bene Græcæ & non bene Latinæ faciendæ fuerunt ut propiùs exprimeretur vis sermonis Hebræi.

6. *Restituite ei omnia quæ sua sunt, & universos reditus agrorum à die quâ reliquit terram usque ad præsens*] Leges istæ quæ pœnas graves inferunt publicæ alicujus utilitatis causâ multum egent ἐπιεικείας, ut discernantur personæ, causæ, tempora. In his sæpe summum jus, summa crux, summa injuria. Laudandus autem hic Rex, quòd cùm bona redderet feminæ quæ ob paupertatem solum mutaverat, simul & fructus reddidit, nè quid ipse ex ejus feminæ calamitate lucraretur. *Restituere est possessorem facere, fructúsque reddere*, ait Caius L. *Plus est*. D. de Verborum significationibus, cui addi potest Pauli dictum in L. *Restituere* titulo eodem.

7. *Benadad*] Sive *Adad*, sive *Ader*, de quo suprà 1 Reg. 15. 20. & hoc libro 6. 24.

8. *Hazael*] De quo suprà 1 Reg. 19. 15.

9. *Filius tuus*] Ut suprà 6. 21.

10. *Dic ei, Sanaberis, porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur*] Legit לו, ut Critici Hebræi notant in margine, non לא, ut est in textu. Sic & Lxx ζωῇ ζήσῃ. Josephus, τὸν μὲν Ἀσάηλον ἐκέλευσε μηδὲν ἀπαγγέλλειν τῷ βασιλεῖ κακὸν, quicum convenit quod infrà sequitur 14. Si hanc lectionem sequimur, fuerit hîc non dissimulatio sola, qualem ponit Josephus, sed plus aliquid, quod tunc adversùs extraneos & idololatras habebatur pro licito.

12. *Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala*] Et Prophetæ erat quæ mandata habebat dicere, & boni civis moveri malis popularium. Utroque officio bene perfunctus est Elisæus. ¶ *Et prægnantes divides*] *Findes*, ἀναῤῥήξεις Lxx. quomodo & Josephus. Sic Homerus,

——— μηδ' ὅν τινα γαστέρι μήτηρ
Κοῦρον ἐόντα φέρει, μηδ' ὃς φύγῃ αἰπὺν ὄλεθρον.

Exercita hæc atrocitas tum alibi, tum in Vesperis Siculis.

13. *Servus tuus canis*] Submissum loquendi genus. Vide 1 Sam. 24. 14.

15. *Tulit stragulum*] Heb. מכבר, quam vocem hîc retinuere Lxx. Alii interpretes quibus usus est Theodoretus στρῶμα, Josephus δίκτυον διάβροχον. Tacitus in exitu Tiberii, *Macro intrepidus opprimi senem injectu multæ vestis jubet, discedique ab limine. Sic Tiberius finivit. Pulvinum injectum* dicit in eadem historia Suetonius. Nimis festinavit Azael ad vaticinii exitum.

18. *Filia autem Achab erat uxor ejus*] Adde quod infrà 27. Bene in Antiopa Euripidis,

——— πᾶσι δ' ἀγγέλλων βροτοῖς,
Ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν δ' εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.

20. *Recessit Edom nè esset sub Juda*] Defecit, juxta vaticinium Gen. 27. 40.

22. *Tunc recessit & Lobna illo tempore*] Non factum probatur, sed ostenditur Divina ultio, quæ etiam actionibus non probis adversùs improbos utitur. Confer 2 Par. 21. 10.

25. *Anno duodecimo Joram*] Non impleto. Vide infrà 9. 29.

26. *Athalia filia Amri*] i. Neptis. Vide suprà 18. Adde 1 Reg. 16. 29.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

11. FUriosus ille] Vocantur Prophetæ à malis *furiosi & amentes*, quod nonnunquam destituerentur omni sensu, nescientes quid circa ipsos ab extrà fieret, id Hebræi vocant ביטול ההרגשות והכחות הנפשיות *privationem sensuum atque virium animæ*.

13. *Juxta instrumentum horologii*] Chald. דרגא שעיא, quod Kimhi dicit esse *lapidem in quo signatæ sunt lineæ horariæ*. Alii exponunt עוצם מעלות *fastigium graduum*, in

in quod Jehu collocaverunt, ut illis eminentior esset situ, sicut erat dignitate.

14. *Custodiebat Ramoth*] h. e. Defendebat eam contra Regem Syriæ, etiamsi corpore non esset præsens, cùm propter vulnera curanda secessisset in Jisreel.

17. *Catervam*] Jonathan exponit dictionem שפעת per משרית *turmam*, & K. per ריבוי *multitudinem*. ¶ *Equitatum*] Est רכב idem quod משריית רוכב הסוס *turma equos conscendens*.

20. *Cum insania ducit currum*] Jonathan exponit בניחא *pedetentim & tardè movet se*, volens scilicet educere Regem Jehoram, ut in agro Naboth juxta Prophetæ vaticinium occideretur, ideo tardiùs incedebat donec Rex egrederetur.

24. *Admovens manus suas*] Heb. *implevit manum suam arcu*: h. e. arripuit arcum, seu extendit eum.

26. *Sanguines filiorum ejus*] Hoc quidam dictum putant de filiis ejus secum lapidatis; alii de filiis nondum ab eo natis, sed qui geniti fuissent si diutiùs vixisset.

27. *Fugiens in Megiddo*] In curru quidem suo lethale vulnus accepit, sagittâ percussus, sed non est mortuus nisi post decem dies.

30. *Posuit fucum*] Est hîc פוך idem quod כחול *color quo facies pingitur*. Adhibuit autem fucum mulier illa detestabilis faciei suæ, non quòd acceptior esset Jehu, caperétque ipsum oculis suis, sed ut gravitatem regiam præ se ferret, & illum à suo conatu terreret. Unde & superbo animo locuta est ad illum, Nescis quòd non bene cesserit Zimri, qui percussit Baana dominum suum, sicut & tu tuum interfecisti? Quomodo Zimri trucidarit Baasa herum suum, habes 1 Reg. 16.

32. *Quis est apud me?*] Heb. *Quis & quis est mecum?* qui scilicet mihi sit auxilio.

33. *Conculcavit eam*] Intelligendum est de Jehu, qui cum equo suo illam conculcavit. Porrò verbum וי hîc capitur in neutro genere, & est de conjugatione Kal, à radice נזה.

VATABLUS.

1. ACcinge lumbos tuos, חגור מתניך] i. Præpara te itineri, da operam ut citò eas: hoc enim festinationem quandam designat. Istud etiam dicit quòd tum Rex abiisset. ¶ *Olei hujus*, השמן הזה] *Unguenti hujus*, i. balsami, sive opobalsami: non enim intelligitur hic locus de unguento unctionis quo se Reges Judæ ungebant.

2. *Et ingrediaris illuc, & aspicias*, &c. ובאת שמה וראה שם] Nonnihil subaudivit Interpres. Vertere potes, *Et ingredere illuc, & aspice*, i. diligenter circumspice ubinam sit Jehu. ¶ *Fratrum suorum*, אחיו] Qui hîc *fratres* dicuntur, v. 5 *principes* appellantur, q. d. *è medio collegarum suorum*. ¶ In *cubiculum* quod est *in* alio *cubiculo*, חדר בחדר] In *penetrale* quod est *in* alio *penetrali*, i. in cubiculum internum ac secretissimum & penitissimum.

3. *Unxi te in Regem*, משחתיך למלך] Jam *unxi te in Regem*, i. elegi te ut sis Rex, atque hâc effusione unguenti significo te fore Regem. ¶ *Nec exspectabis*, ולא תחכה] Sub. *ut quicquam dicat tibi*, q. d. Statim revertaris.

4. *Puer Propheta*, הנער הנביא] Chald. *discipulus Prophetæ*. Alii, *puer Propheta*. Quidam dicunt fuisse Jonam.

5. *Verbum est mihi ad te*, דבר לי אליך] Hebraismus, Habeo quæ dicam tibi. Paucis te volo.

6. *Unxi te*, &c. משחתיך וגו׳] Ut v. 3.

8. *Mingentem ad parietem*, משתין בקיר] Vide 1 Sam. 25. 22. ¶ *Et clausum & derelictum*, ועצור ועזוב] i. Tam eos qui receperint se in arces munitas quàm eos qui derelicti fuerint à militibus ob eorum obscuritatem, h. e. tam eos qui possunt se recipere in arces quàm eos qui non habent arces quò se recipiant. Vide 1 Reg. 14. 10.

9. *Et dabo domum Ahab*, &c. ונתתי את בית אחאב וגו׳] i. Non aliter perdam familiam Achab quàm familiam Jeroboam.

10. *In agro Izreel*, בחלק יזרעאל] Ubi scilicet fuerat occisus Naboth. ¶ *Mox aperuit*, ויפתח] Ad verb. *Et aperuit*.

11. *Dixitque ei*, ויאמר לו] Sub. *unus nomine omnium*. ¶ *Estne pax?* השלום] Hebraismus, *Rectène se habent omnia?* q. d. *Prædixitne ille prospera?* Solebant Prophetæ appellari *insani* sive *furiosi*, quòd dum agerentur Spiritu prophetico vires naturales sopitæ essent, & viderentur quasi furere. ¶ *Sermonem ejus*, את שיחו] i. Quid soleat dicere, q. d. Quod mihi dixit, parùm est firmum & stabile, nullius momenti rem.

12. *Sic & sic dixit mihi, dicendo*, כזאת וכזאת אמר אלי לאמור] i. Hæc & illa, h. e. Inter alia hoc quoque dixit mihi.

13. *Festinaverunt itaque, & tulerunt*, וימהרו ויקחו] Hebraismus, *Mox tulerunt*, vel, *festinantes acceperunt*. ¶ *In fastigio graduum*, אל גרם המעלות] i. In supremo gradu, h. e. in loco eminentissimo. ¶ *Regnat*, מלך] Præt. Heb. pro præs. *Regnum adeptus est*.

14. *Custodierat Ramoth-Gilead*, &c. היה שמר ברמת גלעד] i. Paulò ante hanc conjurationem defenderat ipsam urbem, quæ tum erat in potestate Israelis.

15. *Si est voluntas vestra*, אם יש נפשכם] i. Si vobis cordi est & placet ut regnem. ¶ *Nè egrediatur evasor*, אל יצא פליט] i. Nemo egrediatur nec evadat. Vel, *nemo evadat ex urbe*.

16. *Et conscendit*, וירכב] Sub. *equum*, vel *currum*. ¶ *Decumbebat*, שוכב] Sub. *in lecto ægrotus*.

17. *Globum*, את שפעת] *Turmam*, comitatum, qui sequebatur illum. ¶ *Equitem*, רכב] *Cursorem equestrem*. ¶ *Estne pax?* השלום] *Rectène habent omnia? Tranquillàne sunt omnia?*

18. *Sic dixit Rex, Estne pax?* כה אמר המלך השלום] q. d. Peto à te nomine Regis annon pacata sint omnia. ¶ *Quid tibi & paci?* מה לך ולשלום] Hebraismus, Quid tibi est commune cum pace? vel, Quid curas de pace? Gallicè, *De quoy te soulcies tu s'il est paix, ou non?* ¶ *Gyra post me*, סוב אל אחרי] *Verte te ad tergum meum*, i. sequere me à tergo.

20. *Furiosè*, בשגעון] *Cum præcipitatione* [i. præceps, præcipitanter] *ingreditur*, vel *incedere solet*. Gallicè, *Il chevauche roide*.

21. *Tum dixit Jehoram, Liga*, ויאמר יהורם אסור] *Tum dixit Jehoram* [sub. *auriga suo*,] *Junge*, sub. *currum*, i. equos currui. *Junxit itaque currum ejus*, i. equos currui ejus.

22. *Quæ pax? adhuc*, &c. מהה השלום עד זנוני] *Quæ pax est* quæ pervenire possit *usque ad fornicationes Izebel matris tuæ, & veneficia ejus quamplurima?* i. Quæ ratio pacis convenire possit tecum & cum matre tua fornicaria & venefica? sive quæ deceat te & matrem tuam? q. d. Neque tu dignus es pace, neque mater tua.

23. *Manum suam*, ידיו] Ad verb. *manus suas*, i. unam ex manibus suis, h. e. vertit habenas equorum.

24. *Implevit manum suam arcu*, מלא ידו בקשת] Hebraismus, adduxit nervum quantum potuit. ¶ *Inter brachia ejus*, בין זרעיו] i. à tergo inter scapulas.

25. *Levavit adversus eum*, &c. נשא עליו וגו׳] i. Prædixit istud de eo.

26. *Nisi*, אם לא] Subaudiendum aliquid, *Non habear posthac verax, nisi*, &c. ¶ *Sanguinem filiorum ejus*, דמי בניו] Licèt 1 Reg. 21. 13 nulla fiat mentio cædis filiorum Naboth, hic tamen locus indicat Naboth habuisse filios qui etiam interfecti sunt à Jezabele: alioqui patri mortuo illi successissent, neque vineam optatam consecutus fuisset Achab. ¶ *Viderim heri*, ראיתי אמש] i. Meminerim nuper.

27. *Fugit per viam domûs horti*, וינס דרך בית הגן] i. Fugit in Samariam per hortos, sive per viam latentem & occultam quæ erat consita arboribus, & ideo secretior. ¶ *Persecutúsque est eum*, &c. וירדוף אחריו] Hic subaudiunt multa, ut clariora sint omnia, *Persecutus est eum Jehu usque in Samariam. Cùm autem adductus fuisset ad eum, dixit, Hunc quoque perimite in curru. Dixit hoc in*

ascensu

ascensu Gur. Vel, *dixit, Percutite eum in ascensu Gur.* ¶ *Et fugit,* וינס] Sub. *vulnere accepto,* aut *vulneratus.*

28. *Et imposuerunt illum,* &c. וירכבו אותו עבדיו] Ad verb. *Et equitare fecerunt eum servi ejus.* i. currui impositum deduxerunt, &c.

29. *Anno autem,* &c. ובשנת אחת עשרה שנה] Repetitur hoc ut intelligamus eum propter scelera non diu regnasse. Intelligit autem de annis perfectis: nam duo anni imperfecti reputantur pro uno.

30. *Izebel autem cùm audisset,* ואיזבל שמעה] i. Cùm intellexisset Jehu adventare, pinxit oculos suos fuco: h. e. ornavit se ornatu regio, vel ut placeret Jehu, vel potiùs ut appareret ipsi Jehu volens servare dignitatem regiam quamdiu viveret: nam erat superba & arrogantissima. Itaque quasi exprobrans hoc dicit.

31. *Estne pax,* &c. השלום] i. Pacificúsne est adventus tuus, ô tu qui es alter Zimri.

32. *Quis est mecum, quis?* מי אתי מי] *Quis est* illic *pro me, quis?* i. Quis illic est cum illa qui à parte mea stet.

33. *Et aspersum est de sanguine ejus,* ויז מדמה] *Et aspersit se* [i. dissiliit] *de sanguine ejus,* i. pars aliqua sanguinis ejus ruptis venis dissiliit *in parietem,* &c. h. e. *paries* proximus *& equi fuerunt aspersi sanguine ejus: & conculcavit eam* Jehu equo suo.

34. *Visitate nunc,* פקדו נא] *Agite, recolligite.*

35. *Et palmas,* וכפות] i. Extremitates.

CASTALIO.

11. **L***ymphatus*] *Insanus.*

CLARIUS.

11. **I***Nsanus iste*] Vel, *furiosus iste.* Vocantur Prophetæ à malis *furiosi & amentes,* quòd nonnunquam destituerentur omni sensu, nescientes quid circa ipsos extrà fieret.

14. *Custodiebat Ramoth*] h. e. defendebat eam contra Regem Syriæ; etiam si corpore non esset præsens, cùm propter vulnera curanda secessisset in Jezrael.

21. *Invenerunt eum in agro Naboth*] Ut in eo agro juxta Prophetæ vaticinium occideretur.

26. *Pro sanguine filiorum ejus*] Hoc quidam dictum putant de filiis ejus secum lapidatis; alii de filiis nondum ab eo natis, sed qui geniti fuissent si diutiùs vixisset.

30. *Depinxit oculos*] Adhibuit fucum mulier illa detestabilis faciei suæ, non ut acceptior esset Jehu, caperétque ipsum oculis suis, sed ut gravitatem regiam præ se ferret, & illum à suo conatu deterreret: unde & superbo animo locuta est ad illum, Nescis quòd non bene cesserit Zamri qui percussit Baana dominum suum, sicut & tu tuum interfecisti? ¶ *Quis est apud me*] Heb. *Quis & quis est mecum?* qui scilicet mihi sit auxilio.

33. *Et conculcavit eam*] Intelligendum est de Jehu, qui cum equo suo illam conculcavit.

GROTIUS.

2. **J***Ehu*] De quo suprà 1 Reg. 19. 16.

3. *Et fugies*] Vide 1 Reg. 19. 3.

6. *Super populum Domini*] Συνεκδοχικῶς, ob pios qui erant in isto populo.

11. *Insanus iste*] Sic furorem Amphiarao objicit Capaneus Thebaidos tertio. ¶ *Nostis hominem, & quid locutus sit*] Bene conjectastis insanire hominem. Sic Josephus.

13. *Unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus*] De quo more diximus ad Matth. 21. 7. ¶ *In similitudinem tribunalis*] Heb. *ad os,* sive *ossa, graduum,* in ipso graduum fastigio. Hebræam vocem servarunt LXX, ἐπὶ τὸ γαρὲμ τῶν ἀναβαθμῶν. גרם quidam putant fuisse lapidem in sublimi positum ad diei tempus indicandum. Alii ex Arabico *corpus graduum,* i. gradus ipsos, interpretantur. ¶ *Cecinerunt tubâ, atque dixerunt, Regnavit Jehu*] Confer suprà 1 Reg. 1. 40. *Regnavit,* i. Rex factus est.

17. *Speculator*] Vide 2 Sam. 18. 24.

20. *Est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi: præceps enim graditur*] Animo ejus concitato par erat gressus.

25. *Projice eum in agro Naboth Jezraelitæ*] Sic Cæsar ad statuam Pompeii confossus est. ¶ *Quòd Dominus onus hoc levaverit super eum*] *Imposuerit ei hoc onus. Onera* vocant Prophetæ lævas prædictiones.

26. *Et pro sanguine filiorum ejus*] i. In pœnam ob filios Nabuthis injustè in paupertatem redactos: nam omnis pœna דם Hebræis, Levit. 17. 4.

27. *Etiam hunc percutite*] Ut qui in culpa pares essent, pares essent & in pœna. Vide suprà 8. 26. Videtur autem hac in re Jehu modum excessisse: nam de hoc Rege occidendo mandatum non habebat.

30. *Depinxit oculos suos stibio*] Κοσμησαμένη ἡ Ἰεζαβέλα, ait Josephus. LXX ἐστιμμίσατο τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς. In Jeremia 4. 30. ἐὰν ἐγχρίσῃς στίβι τοὺς ὀφθαλμούς σου. ubi aliæ versiones εἰς τιμὴν, sed mendosè, pro εἰς στίμμιν, nam στίμμις sive στίμμι *stibium* etiam Dioscoridæ. Ion quoque in Tragœdia Omphale,

Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.

Ubi stibii usum vides in conciliando oculis nigrore, qui pulcher habebatur. Hesychius Ὑπογράμματα, στιμμίσματα τῶν ὀφθαλμῶν. Et D. Kimchi in libro Radicum פוך explicat הכחול השחור. Strabo de Troglodytis; στιβίζονται δ' ἐπιμελῶς αἱ γυναῖκες. Nicolaus Damascenus de Rege effeminato; καθυποστιβισμένος τὼ ὀφθαλμώ. Apollonius adversùs κατὰ φρύγας, Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; Cyprianus De disciplina & habitu Virginum; *Oculos circumducto nigrore fucant.* De opere & eleemosynis, *Inunge oculos tuos non stibio diaboli, sed collyrio Christi.* Verùm præter nigrorem alius quoque usus stibii, ad dilatandos oculos. Plinius de eo agens 33. 6. *Ideo etiam plerique platyophthalmum id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatat oculos.* Huc spectant illa Varronis apud Nonium,

Oculi suppatuli, nigellis pupulis
Quandam hilaritatem significantes animitus,
Quos calliblepharo naturali palpebræ
Tincta vallatos mobili septo tenent.

Hinc Tertullianus; *Oculos fuligine porrigunt.* Item; *illum ipsum nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur.* Et Cyprianus De lapsis, *qui nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis.* Nimirum laudatæ multis gentibus mulieres μεγαλόφθαλμοι· unde Juno βοῶπις Homero. Ideo inventa, ut Plinius meminit, medicamina glutinandis replicandísq; palpebris. In his præcipua vis stibii, quia, ut Galenus ait De Simplicibus l. 9. στίμμι πρὸς τῇ δυνάμει τῇ ξηραντικῇ καὶ στύψιν ἔχει. Hâc ergò vi palpebras contrahit & in se replicat, inferiorem maximè, unde ὑπογράμματα dixit is quem modò citavimus Hesychius, & Pollux: & ὑπογράφειν ὀφθαλμοὺς in hac re est apud Athenæum de Sardanapalo, apud Lucianum, Pollucem, Herodianum, Chrysostomum. Etiam sanitati oculorum prosunt τὰ στυπτικὰ, ut æs, notante Mirabilium scriptore, sive is Aristoteles est sive alius, item Macrobio in Saturnalium fine.

31. *Numquid pax potest esse*] Heb. *Num pax?* i. An omnia ex voto? ¶ *Zambri*] Alter Zambri. Vide suprà 1 Reg. 16. 10. Tale illud,

Et nunc ille Paris.

de Ænea.

32. *Quæ est ista?*] Græci; Τίς εἶ σύ; legerunt מי את. At nos in Hebræo habemus מי אתי *Quis mecum?* i. Nemóne ibi est mearum partium? Favent sequentia.

CAP. X.

MUNSTERUS.

1. **A***D padagogos Ahab*] Quos scilicet Ahab filiis suis præfecit, qui eos in disciplinis erudirent. Alii tamen exponunt אומנים pro מגדלים *qui pueros regis educabant:* Et hi erant majores civitatis quibus regii pueri

pueri nutriendi & educandi committebantur.

3. *Pugnate*] Hoc seriò non dixit, sed voluit tentare eos num & ipsi eum pro domino habere vellent, quod illi facilè adverterunt.

9. *Ego conspiravi*] q. d. Ex facto meo poteritis discere nos in hoc rectè agere quòd domum Ahab exstirpamus, cùm impleamus sermonem Domini, & illum in omnibus cooperatorem habeamus.

12. *Ubi pastores oves tondebant*] Heb. *domus ligationis pastorum erat in itinere*, h. e. *Erat in itinere domus ubi pastores ligabant oves quando eas tondebant: & ibi invenit Jehu filios fratrum Ahaziahu*. Et vocantur filii fratrum *fratres*.

15. *Benedixitque ei*] נתן לו שלום *imprecatus est ei pacem*, sive, ut Latini dicunt, *salutavit eum*. ¶ *Est, est*] Duplicatur *est* ad majorem rei affirmationem.

20. *Sanctam proclamate convocationem*] Heb. *Sanctificate retentionem*, scilicet populi. Vocat autem Hebraismus *retentionem* collectionem populi ad sacra. Porrò קדשו ab Hebræis exponitur pro זמנו *præparate*.

21. *Ab angulo in angulum*] Heb. *ab ore ad os*. Nos Chald. paraphrasten secuti sumus, qui vertit אסט.

22. *Custos vestimentorum*] Est מלתחה idem quod תיכה *theca* seu *repositorium* vel, ut alii dicunt, גנזי הבגדים *scrinium vestium*.

25. *Projecerúntque*] Jonathan addidit קטילין *interfectos*, quos projecerunt extra templum; & ex templo ipso fecerunt מחראות, i. בית מוצאות *domum excrementorum*, sive בית כסאות להפנות שם *ubi ventris onera deponerent*, *in detestationem idoli*. Sonat autem BAAL *dominum*, & talis dominus alio honore dignus non fuit quàm ut pii homines in locum culturæ ejus cacarent.

29. *Vitulos aureos*] Jonathan adjecit, *addictus servitio vitulorum*, &c.

32. *Excidere Israelem*] Interpretes nostri legerunt hìc communiter קץ *tædere* pro קצץ *truncare*, vel, ut Hebræi exponunt, הכרית *excidere*. Chald. *In diebus illis cœpit furor Domini grassari contra Israelem.*

VATABLUS.

1. ET *ad nutritios*, ואל האומנים] i. Ad eos qui educabant & nutriebant filios Achab. ¶ *Hujusmodi mandatis*, לאמור] Ad verb. *dicendo*.

2. *Nunc ergò*, &c. ועתה כבא וגו'] Hìc tantùm recitat principem clausulam literarum & conclusionem.

3. *Considerate præstantiorem*, &c. וראיתם הטוב והישר מבני וגו'] Ad verb. *Et videte bonum & rectum de filiis*, &c. Subaudiendum בעיניכם *in oculis vestris*, ut sit plena locutio, i. *prospicite, diligenter considerate præstantiorem & qui magis placeat vobis*. Hoc dicebat ut tentaret eos.

4. *Non steterunt coram eo*, לא עמדו לפניו] Hebraismus, pro, *non potuerunt ei resistere*.

6. *Secundâ* vice, שנית] i. Secundò, sive iterum. ¶ *Tempore hoc*, כעת] *Hâc horâ, hoc articulo temporis*.

7. *In cophinis*, בדודים] *In calathis, in canistris*.

8. *Venit autem nuncius*, ויבוא המלאך] Noctu hæc capita allata sunt: qui autem ea deferebant portam clausam invenerunt: unde ille qui portæ præerat misit qui denunciaret hoc Regi: tempestivè enim clauduntur portæ ubi res sunt novæ.

9. *Egressus esset* ויצא] *Egressurus esset*, vel *egredi velle videretur*. ¶ *Justi vos estis*, &c. צדקים אתם] q. d. Putatis vos esse justos, & me injustum qui conjuraverim contra dominum meum. Oratio concisa quæ ex sequentibus verbis sic absolvitur, *Ut hos non interfecistis, sed Dominus; sic dominum meum non interfeci, sed Dominus.*

10. *Scitote nunc*, דעו אפוא] q. d. Certè hoc totum quod hactenus gestum est, voluntate Divinâ factum est. ¶ *Non cadet*, לא יפול] i. Nihil erit irritum, q. d. Certè hoc totum factum est de voluntate Domini. Metaphora ab iis rebus quæ ubi deciderunt pereunt; ut sunt micæ & ea quæ in fluvium, aut aliò quopiam decidunt, & colligi nequeunt.

11. *Notósque ejus*, ומידעיו] i. Familiares. ¶ *Donec non reliquit ei superstitem*, עד בלתי השאיר לו שריד] *Ità ut non reliquerit ei superstitem ullum.*

12. *Ipse* autem erat *juxta domum*, הוא בית עקד] i. Et cùm jam devenisset juxta domum tonstrinæ. Ad verb. *ligationis*, quòd in ea ligarentur oves tondendæ. Alii vertunt *juxta congregationem*; quòd illic congregarentur pastores. Chald. *juxta domum congregationis pastorum*.

13. *Invenit fratres*, מצא את אחי] *Offendit nepotes*, i. filios fratris Ahaziahu. ¶ *Ad salutandum*, &c. לשלום וגו'] *Pro salute filiorum Regis & filiorum Reginæ*, i. ut feramus opem filiis Regis & Reginæ Jezabel.

14. *Mox dixit*, ויאמר] Ad verb. *& dixit*.

15. *Nunquid est cor tuum*, &c. היש את לבבך] i. Nunquid diligis me ex animo, sicut ego diligo te ex animo? ¶ *Est & est*, יש ויש] Geminatione verbi vehementiùs affirmat, q. d. Proculdubio diligo te ex animo. ¶ *Et ascendere fecit eum*, ויעלהו] i. Sustulit eum in currum quo vehebatur.

16. *Zelum meum pro Jehovah*, בקנאתי ליהוה] i. Quanta facturus sum in honorem Jehovæ. ¶ *Imposuerunt inquam eum*, וירכבו] Sub. *famuli*, i. ministri adjuverunt conscendentem in currum. Ad verb. *& equitare fecerunt*.

17. *Disperdidit ipsum*, השמדו] *Delevit ipsum*, i. totam ejus familiam.

18. *Baal*, הבעל] *Baal* appellativum est nomen, significans idolum in genere: hìc autem & 1 Reg. 16. 32. & 22. 54 pro illo insigni idolo Sidoniorum accipitur quod aliàs dicitur *Astarte*, sive *Astoreth*. *Achab*, inquit, *non multùm fuit addictus cultui Baal, ego verò multùm ero.*

20. *Sanctificate*, קדשו] *Convocate. Indicite.* Sub. ô *Sacerdotes Baal*. Jubete ut constituto die cultores Baal parati sint sacrificii causâ.

21. *Ab extremo usque ad extremum*, פה לפה] *Ab ora ad oram*, i. à summo ad summum, i. omnino. Metaphora sumpta à vasis humore aliquo plenis. Gallicè, *De bord en bord*.

22. *Vestes*, לבוש] Sing. Heb. pro plur. quibus uti solebant qui colebant Baal.

23. *Scrutamini & videte*, חפשו וראו] *Despicite diligenter & considerate.* ¶ *Nisi cultores*, כי אם עבודי] *Sed cultores*.

24. *Anima ejus*, &c. נפשו תחת נפשו] i. Anima ejus qui sinet eum abire, erit pro anima illius qui evaserit, q. d. Morietur proeo.

25. *Cùm autem complevisset*, ויהי ככלותו] Sub. *summus sacerdos Baal*. ¶ *Cursoribus*, לרצים] i. Satellitibus, militibus levioris armaturæ. ¶ *Ne unus quidem egrediatur*, איש אל יצא] Ad verb. *vir non egrediatur*, i. nequis evadat. ¶ *Usque ad urbem*, &c. עד עיר בית הבעל] i. usque ad urbem quandam vicinam Samariæ in qua templum dedicatum erat Baal.

26. *Combusserunt eas*, וישרפוה] Ad verb. *& combusserunt eam*, i. unamquamque earum. Sing. pro plur.

27. *Diruerunt quoque*, ויתצו] *Confregerunt quoque, demoliti sunt*. ¶ *Atque domum ejus*, ויתצו את בית הבעל] Ad verb. *& diruerunt domum ejus*. ¶ *Pro latrinis*, למוצאות] Ad verb. *pro exitibus*. Sic vocant excrementa quibus exoneratur alvus, & locum in quem populus alvum exonerat.

30. *Studiosè fecisti*, הטיבות לעשות] Ad verb. *benefecisti faciendo*, i. bene & diligenter curasti ut faceres. ¶ *Juxta omnia quæ* erant *in corde meo*, ככל אשר בלבבי] Hebraismus, omnino ut optabam. ¶ *Quarta generationis*, רבעים] Ad verb. *quartani*, vel, *quartanorum*, i. nepotes tui potientur Regno tuo.

32. *Excidere in Israele*, לקצות בישראל] *Præcisionem facere in Israele*, i. permittere ut adimerentur ac detraherentur urbes aliquot Israeli: præcidit ditionem Israelis. ¶ *Percussitque*, &c. ויכם וגו'] Hebraismus, superavit Israelitas, in omnibus illorum finibus urbes aliquot expugnans.

34. *Totàque fortitudo ejus*, וכל גבורתו] *Et tota ejus magnanimitas*, i. quæcunque strenuè ac fortiter gessit.

35. *In Someron*, בשמרון] Ordo præposterus, sic reponi debet, *Dies quibus regnavit Jehu super Israelem in Someron fuerunt vigintiocto anni.*

CLARIUS.

CLARIUS.

3. *Pugnate pro domo domini vestri*] Hoc seriò non dixit, sed voluit tentare eos num & ipsi eum pro domino habere vellent, quod illi facilè adverterunt.

9. *Ego conjuravi*] q. d. Ex facto meo poteritis discere nos in hoc rectè agere quòd domum Achab exstirpamus, cùm impleamus sermonem Domini, & illum in omnibus cooperatorem habeamus.

15. *Benedixit ei*] *Imprecatus est ei pacem*, vel, *salutavit eum.*

DRUSIUS.

11. וּמְיֻדָּעָיו. Lxx. καὶ τοὺς γνωστοὺς αὐτοῦ *& notos ejus*] In uno libro est τοὺς γνώστας, sed minùs bene. Nam γνῶσται Ebraicè dicuntur potiùs ידענים. Utriusque radix eadem, sensus diversus. Theodoretus, Γνώστας τίνας καλεῖ; τοὺς μάντεις τοὺς οἰομένους τὰ μέλλοντα εἰδέναι· ὥσπερ γὰρ Ὁρῶντας καὶ Βλέποντας τοὺς προφήτας ἐκάλουν, ὡς τὰ μέλλοντα προορῶντας, οὕτω καὶ τοὺς μάντεις Γνώστας ἐκάλουν, ὡς καὶ γινώσκειν τὰ κεκρυμμένα οἰομένους, καὶ προγινώσκειν τὰ μηδέ πω γεγενημένα. Levit. 19. 31. אל הידענים: alius πρὸς τοὺς γνώστας. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

12. בֵּית עֵקֶד. A. *domus incurvantium*. Sym. *domus singulorum*] *Incurvantium*. Scriptum ex lingua Chaldaica, in qua עקד *incurvavit se*. Lxx hîc habent βαιθακὰλ, vel, ut est in ed. Rom. βαιθακάθ· emendo βαιθακάδ. Nam proclivis sanè lapsus δ in θ. *Domus singulorum.* בֵּית אֶחָד vel, si placet בֵּית אַחַד. Dixi עקד significare *incurvavit se*. Id probatur ex Thargum quod *Hierosolymitanum vocant*. Nam ubi in Ebræo ואקיד autor illius Thargum habet ועקדית. Locus est, nisi fallor Gen. 24 48. Vide Jehielidem.

GROTIUS.

3. *Eligite meliorem & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & pugnate pro domo domini vestri*] Bellum eis indicit cum irrisu, tanquam de eventu securus.

7. *Et posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Jezrahel*] Hoc dono pacem redemerunt. Simile 2 Sam. 20. 21.

9. *Si ego conjuravi contra Dominum meum, & interfeci eum*] Concedam hæc esse vera quæ mihi exprobravit Jezabel, suprà 9. 31. ¶ *Quis percussit omnes hos?*] Tam mirabilis eventus ostendit hæc non humanitus sed Divinitus disponi.

11. *Et universos optimates ejus, & notos & sacerdotes*] A calvo ad calvum, ut dici solet.

12. *Ad cameram pastorum*] Hebræam vocem retinuere Lxx ἐν Βαιθηκὰν, ut facere solent ubi hærent. Significant eæ voces *locum ligationis*; nempe, ut Hebræi existimant, quòd ibi oves tondendæ pedibus ligabantur.

14. *In cisterna*] Pro *ad cisternam*. Hoc quoque fecit Jehu sine mandato:

Δεινὸς ἀνὴρ τάχα καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

19. *Faciebat hoc insidiosè*] Norat vulpinâ non minùs quàm leoninâ uti homo ἀμφιδέξιος.

20. *Diem solennem*] Heb. עֲצָרָה: quomodo vocabatur dies ultimus maximè festus Tabernaculorum, Levit. 23. 36.

24. *Anima ejus erit pro anima illius*] Idem loquendi genus in re non dispari 1 Reg. 20. 39.

26. *Et protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt & comminuerunt eam*] Ex lege Deut. 7. 25. & 12. 3.

27. *Destruxerunt quoque ædem Baal*] Et hoc ex lege Deut. 7. 5. & 12. 2. ¶ *Et fecerunt pro ea latrinas*] In perpetuum contemptûs monumentum. Simile Esdræ 6. 11.

30. *Egisti quod rectum erat*] Nempe ex parte, ut apparet & suprà & in sequentibus. Ideo Regnum ejus posteris datur, sed non diuturnum.

31. *Non enim recessit à peccatis Jeroboam*] Coluit non Baalem sed Deum, verùm coluit in Vitulis: quæ culpa, sed levior.

34. *Fortitudo ejus*] Facta ejus fortia; τὰς συνάψεις ἃς συνῆψεν Lxx.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

2. *De cubiculo lectulorum*] Sunt qui legunt *incubiculo lectulorum*, putántque deficere verbum הסתירה. Nam Jehosæba ad horam abscondit puerum; deinde Magistratus Templi abscondit eum ad aliquot annos. Porrò *cubiculum lectulorum* fuit locus ubi Sacerdotes & ministri Templi, cùm officio suo fungerentur, pernoctabant.

4. *Centuriones*] Hi fuerunt ex Levitis. At כרים fuerunt שרים *Principes* & consiliarii Regis; & רצים *cursores*, qui Regem stipabant.

5. *Qui ad Sabbatum venire ex ordine debent*] Deputati fuerunt per David quatuor millia Levitarum, qui essent Portarii & Custodes Templi, atque quatuor millia qui cantarent & psallerent in Templo: non quidem simul, sed erat ordo inter eos, ut cùm quidam per hebdomadam in Templo ministrassent, illis domum abeuntibus, alii in eorum succederent locum. Unde ut negotium istud quod Jehojada moliebatur sine suspicione ageretur, assumpsit pro custodibus tam illos quorum hebdomadarium officium jam erat completum, quàm eos qui jam ministraturi accedebant. Cæterùm *porta Sur* putatur fuisse porta Orientalis, sic vocata quòd immundi per eam secedere jubebantur. Sonat enim סור *recedere*.

6. *Domus Massah*] Jonathan hunc locum sic explicat; *Et custodietis custodiam templi nè subvertatur*, ut scilicet מסח sit idem quod הריסה. Summa enim custodia erat adhibenda nè per eos qui Reginæ favebant, consilium & conatus summi Sacerdotis subverteretur. Sunt etiam qui מסח ad custodes ipsos referendum putant, nè illi à se diffideant aut dispergantur, cùm virtus unita fortior sit seipsâ dispersâ.

12. *Testimonium*] h. e. tradidit ei cum corona regia legem Dei, ut illius nunquam oblivisceretur.

15. *Ut sit inter ordinatas custodias*] Exponunt enim Hebræi שתהיה תמיד מבפנים לסדרים כדי שלא תנוס alioquin facilè effugere potuisset.

VATABLUS.

2. *Ipsum*, &c. אותו וגו'] Sub. *& occultavit*, ex 2 Par. 22. 11. ¶ *In cubiculo lectorum*, בחדר המטות] *In penetrali lectorum*, i. in quo erant lecti, h. e. in appendicibus Templi ubi erant cubilia Sacerdotum & Levitarum.

4. *Centuriones*, את שרי המאות] Ad verb. *principes centum*, in genit. plur. Hi erant de genere Levitarum. ¶ *Et cursores*, ולרצים] *Scutiferos satellites, milites levis armaturæ.* ¶ *Ac jurare fecit eos*, וישבע אותם] *Atque adjuravit eos*, quòd secreta ejus non proderent.

5. Erit *eorum qui intrant sabbathum*, באי השבת] Hîc habenda est ratio functurorum officio, & defunctorum. Qui obituri erant suam hebdomadem, non fuerunt divisi in varias portas: sed pars eorum constituta fuit portæ quâ aditus patebat ad Regiam, i. Septentrionali portæ atrii: pars verò altera dedit operam Templo. Qui verò jam functi fuerant suâ hebdomade, distributi sunt in duas classes: nam ex iis alii præfecti sunt portæ Orientali, alii verò portæ Australi. Omnes igitur Sacerdotes & Levitæ fuerunt divisi in tres partes: qui tamen per vices fungebantur suo officio per hebdomadem, ut de Zacharia legimus Luc. 1. 8. Tertia igitur ista pars constabit ex iis qui intrant hebdomadem, i. qui functuri sunt officio

officio proximo Sabbatho. Gallicè, *Qui entrent en leur septmaine, qui sont septmainers.* ¶ *Custodiam domûs regia,* משמרת בית המלך] i. Qui observabunt portam illam quâ qui habitant in regia ingredi solent atrium populi, observabunt, inquam, nequi prodeant è regia cùm Rex coronabitur, & illum interficiant.

6. *In porta Sur,* בשער סיר] Hæc porta quæ erat Orientalis, sic dicebatur quòd polluti & immundi per eam educerentur. Dicitur & 2 Par. 23. 5. *porta fundamenti,* i. præcipua. Maxima ista erat porta atrii, initio sola; postea duæ illi additæ, Meridionalis & Aquilonaris. ¶ *Post cursuros,* אחר הרצים] *Post* portam *cursorum,* i. militum & satellitum. Portam Australem intelligit. Præterea milites eos qui foris custodiebant & cingebant Templum, h. e. *hechal* & *devir.* ¶ *A desertione,* מסח] *Derelictione,* i. custodietis excubias Templi à derelictione loci: h. e. cavebitis diligenter nequis deserat aciem, sive ordinem suum in acie: nequis scilicet confundat ordinem suum. Ad verb. *à demolitione,* vel *destructione,* sive *dirutione.* Id est, ut exponit doctus inter Hebræos, *ut non diruat se aliquis ex vobis, & dividat se ab ordine custodiæ, eundo ad locum alium; qui enim segregat se ob ordine, idem facit acsi diruat stationem.* Similis locutio legitur Exod. 19. 21.

7. *Exeuntes à sabbatho,* &c. יוצאי השבת וגו'] i. Omnes qui jam defuncti fuerunt officio suo eâ hebdomade, & recessuri sunt: *omnes,* inquam, *illi egredientes Sabbathum observabunt excubias domûs Jehovæ super,* vel *propter, Regem,* i. diligentissimè custodient Regem cùm fuerint in Templo ipso.

8. *Singuli tenentes,* &c. איש וכליו וגו'] Ad verb. *Vir & arma ejus in manu ejus.* Sic ver. 11. ¶ *Qui autem venerit ad septa,* והבא אל השדרות] *Qui autem invaserit ordines ipsos,* i. siquis voluit irrumpere in acies, sive ordines ipsos, h. e. in vos ità dispositos.

11. *Ad altare,* &c. למזבח ולבית על המלך סביב] *Juxta altare, & juxta domum* [vel *circa altare, & circa domum*] *in circuitu Regis,* i. circùm partem illam in qua erat magnum illud altare Salomonis; & circùm domum, h. e. Sanctum sanctorum, à parte externa, & foris.

12. *Et adduxit,* ויוצא] *Et deprompsit,* sc. de loco in quo delitescebat. ¶ *Diadema,* הנזר] Quo sc. Reges domûs Davidis coronabantur. ¶ *Ornamentum,* העדות] Sc. Regium. Vestem Regiam. ¶ *Unxeruntque eum,* וימשחהו] Filii Regum non ungebantur: erant enim uncti in patribus. Sed hunc unxerunt, quòd controversia esset de Regno: Athalia enim volebat regnare. Hoc pacto unctus fuit & Salomon. ¶ *Vivat Rex,* יחי המלך] Chald. *Omnia prospere succedant huic novo Regi.*

14. *Juxta columnam,* על העמוד] i. In solio regio in quo sedere solebant Reges, quod erat ad columnam quandam insignem. ¶ *Et principes,* והשרים] *Et magnates.* ¶ *Conjuratio, conjuratio,* קשר קשר] q. d. Isti conjuraverunt in me.

15. *Per media septa,* אל מבית לשדרות] *Per medias acies,* vel *per medios ordines,* sub. *militum.* Vide v. 8. ¶ *Qui iverit post eam,* והבא אחריה] Sc. Ut ei opitularetur.

16. *Dederúntque ei locum,* וישמו לה ידים] Ad verb. *Posuerúntque ei spatium,* sub. *per acies.* ¶ *Et venit,* &c. ותבוא דרך] *Cúmque iret per viam introitûs,* &c. i. per viam per quam equi ingrediebantur in domum Regis.

17. *Ut esset populus Jehovæ,* להיות לעם ליהוה] i. Quo Rex & populus polliciti sunt se servaturos Legem Domini. ¶ *Item inter Regem & populum,* ובין המלך ובין העם] i. Quo Rex promisit se recturum populum cum omni æquitate, & pòpulus juravit se facturum imperata.

18. *Terra,* הארץ] i. Ejus regionis. ¶ *Bene,* היטב] *Exactè, diligenter,* i. ità ut nihil remanserit.

CLARIUS.

5. I*Ntroeat sabbato*] Deputati fuerant per David quatuor millia Levitarum qui essent Portarii & Custodes Templi, atque quatuor millia qui cantarent & psallerent in Templo, non quidem simul, sed erat ordo inter eos, ut cùm quidam per hebdomadam in Templo ministrassent, illis domum abeuntibus, alii in eorum succederent locum. Unde & negotium istud quod Joiada moliebatur sine suspicione ageretur, assumpsit pro custodibus tam illas quorum hebdomadarium officium jam erat completum, quàm eos qui jam ministraturi accedebant.

12. *Testimonium*] h. e. Tradidit ei cum corona regia legem Dei, ut illius nunquam oblivisceretur.

DRUSIUS.

6. מסח.] Οἱ λοιποὶ, ἀπὸ διαφθορᾶς *à corruptione*] Prius erat μεσαί. Theodoretus, τὸ Μεσαὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνεύται ἀπὸ διαφθορᾶς, εἰρήκασιν, τοῦτ' ἔστι, μετὰ πάσης φυλακῆς, ὥστε μηδεμίαν γενέσθαι βλάβην ἐν τῷ οἴκῳ τῷ θείῳ. Interpres Vulg. *domûs Messa.* Santes *à devolutione.* Arias *domûs sepositionis.* Hoc est depravare, non corrigere.

12. את הנזר. * Τὸ ἁγίασμα] Legitur in commentariis Græcis. In Lxx νεζέρ. Levit. 21. 12. נזר. A. ἀφόρισμα. Sym. ἄσυλον. Th. ναζέρ. Psal. 89. 39. נזרו, Lxx τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ, 132. 18. Quidam ἀφόρισμα αὐτοῦ. Sym. ὁ ἁγιασμὸς αὐτοῦ. Lxx τὸ ἁγίασμά μου, Exod. 29. 6. נזר, Lxx τὸ πέταλον. Sym. ἀφόρισμα. Alius ἅγιον.

GROTIUS.

1. A*Thalia verò mater Ochosiæ*] Lxx & Josepho Γοθολία· nam ע interdum omitti, interdum per γ reddi solet. Femina violenta & dominationis cupida, qualem nobis Agrippinam Neronis matrem describit Tacitus.

2. *Furata est enim*] Sic Electra fratrem Oresten. Vide Senecam Agamemnone. Sic domus Davidis servata in uno puero, ut olim Gideonis domus Jud. 9. ¶ *De triclinio*] In Hebræo non est *de* sed *in.* Josephus, βαστάσασα μεθ' αὑτῆς εἰς τὸ ταμεῖον. Lxx, ἔκλεψεν αὐτὸν ἐκ μέσου τῶν υἱῶν τοῦ βασιλέως θανατουμένων αὐτὸν καὶ τὴν τροφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ ταμείῳ τῶν κλινῶν. Ergò prius in cubili feminarum occultatus est, deinde in Templo, loco ἀσυλίας.

3. *Porrò Athalia regnavit super terram*] Vi merâ, nullo jure. Nam Hebræi fratres suos habebant Reges, non sorores, Deut. 17. 15. Quare non mirandum est si Joiada & civis bonus & in magno magistratu constitutus (nam in illo populo etiam Pontificum erat magistratus) ac per affinitatem obstrictus ad curam Regis pupilli, cujus sororem in matrimonio habebat, vi regnantem vi depulit. Fuit is vir magni animi, φιλόπατρις, quales duo Bruti.

4. *Et assumens centuriones & milites*] Hic quoque Lxx servarunt voces Hebræas, τοὺς ἑκατοντάρχους τοῦ Χορρὶ καὶ τοῦ Ῥασίμ. Quinque eos fuisse ait Josephus (nempe ex 2 Par. 23. 1.) quibuscum magnum hoc consilium communicavit Joiadas. Præfectos scilicet alios gravi armaturæ, alios velitibus. Assumpsit autem ad Sacerdotes & Levitas qui Joiadæ suberant, & quibus simul præcepit quæ sequuntur. Sic Josephus rectè admodum & convenienter dicto loco Paralipomenon 2. 23. 2.

6. *Tertia pars vestrum introeat sabbato*] i. Per septem dies suam obeant ἐφημερίαν. Vide quæ ad Lucam 1. 8. ¶ *Et observet excubias domûs regis*] Sensus est, Illius primæ partis tertiæ homines excubias agent ad partem Septentrionalem Templi, in qua Rex educabatur. ¶ *Tertia autem pars sit ad portam Sur*] Ad portam Orientalem, versùs Urbem. ¶ *Et tertia pars sit ad portam quæ est post habitaculum scrutariorum*] Heb. *post cursores,* id erat ad Meridiem: quæ pars spectabat regiam unde venire debebat Athalia. Legendum hîc in Latino *scutariorum,* ut infrà 19. ¶ *Et custodietis excubias domûs Messa*] Rectiùs illud μεσαὶ Theodoretus explicat ἀπὸ διαφθορᾶς, additque ὥστε μηδεμίαν γενέσθαι βλάβην ἐν τῷ οἴκῳ τῷ θείῳ, i. dabitis operam nè quid à regia mali Templo adveniat.

7. *Duæ verò partes è vobis*] i. Ex sacerdotibus & Levitis, ut hîc habet Josephus ex loco illo Paralipomenon 2. 23. 7. ¶ *Omnes egredientes sabbato*] Quorum ἐφημερία

erit completa. ¶ *Custodiant excubias domûs Domini circa regem*] i. Regi ex suo illo temporario habitaculo in atrium prodeunti stipatores sunto. Pulchrè provisa omnia contra quasvis Athaliæ molitiones.

9. *Et assumentes singuli viros suos*] Ex Sacerdotibus & Levitis.

10. *Hastas & arma*] Pro *hastis* in Hebræo est החנית, quod *lanceas* interpretantur Rabbini, & Latinus in Paralipomenis, Lxx σειρομάστας, Josephus δόρατα. Pro eo quod *arma* hîc habemus in Hebræo est השלשים, quod *clypeos* interpretantur Rabbini, Josephus *pharetras*. Lxx legerunt שלשים, vertunt enim τρισσούς· intellexerunt fortè loricas trilices.

12. *Et posuit super eum diadema*] Hîc quoque Hebræam vocem νεζὲρ servarunt Lxx. Josephus rectè interpretatur τὸ στέφανον βασιλικόν. ¶ *Et testimonium*] Oleum unctionis, si Josepho credimus: si aliis, librum Legis ex præcepto Deut. 17. 18. Mihi illorum explicatio non displicet qui censent intelligi hoc nomine phylacteria, quæ annexa erant coronæ per cavernulam in corona relictam in ea parte quæ futura erat supra frontem. Ea autem dicuntur esse לזכרון Exod. 13. 9. ¶ *Vivat rex*] Ut 1 Reg. 1. 25. & 39.

14. *Vidit regem stantem super tribunal*] In suggesto illo de quo 2 Par. 6. 13. & hic infrà 23. 3. Lxx hîc ἐπὶ τῶ στύλω. At Josephus ἐπὶ τῆς σκηνῆς, quod corruptum videtur pro ἐπὶ τῆ στήλης. ¶ *Clamavitque, Conjuratio, conjuratio*] Vox usurpata in tumultu, ut apparet Esa. 8. 12.

15. *Extra septa Templi*] Etiam hîc Hebræam vocem σαδηρὼθ ob significationis incertum retinuere Lxx. Josephus hunc locum esse dicit ad vallem Cedronis.

16. *Per viam introitûs equorum juxta palatium*] Ad eam partem per quam introduci solebant equi & muli (nam hos Josephus hîc nominat) Regis.

17. *Pepigit ergò Joiada fedus inter Dominum & inter regem & populum, ut esset populus Domini*] i. Auctor tum fuit ut tam Rex quàm populus sanctè promitterent se legibus Dei, pro sua quemque parte, parituros. Vide quæ hac de re dicta De J. B. ac P. l. 1. c. 4. 5. 6. & Josephum hoc loco. ¶ *Et inter regem & populum*] Populus promisit Regis salutem sibi curæ fore. Ità hîc idem Josephus. Nam ut Rex populo quicquam promitteret, moris apud Hebræos non fuit. Tum ubi is mos est, ante coronationem, non eâ jam peractâ id fieri solet.

18. *Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari*] Ex lege Exod. 22. 20. ¶ *Et posuit sacerdos custodias in domo Domini*] Ex Levitis janitores posuit, observaturos nè quis immundus intraret. Ità hîc Josephus ex 2 Par. 23. 19.

19. *Et Cherethi & Phelethi legiones*] Errore quodam hæ voces in hunc locum irrepserunt. Nam in Hebræo est, את הכרי ואת הרצים, & in Græco τὸ χορρὶ καὶ τὸ Ρασίμ, retentis Hebræis vocibus, ut suprà 4. ubi dicta vide. In Paralipomenis pro his vocibus aliæ sunt ואת אדירים ואת המושלים, ubi Latinus, *fortissimos viros ac principes populi*; Græcis τοὺς δυνατοὺς καὶ τοὺς ἄρχοντας τῶ λαῶ. ¶ *Et sedit super thronum regum*] In solio avito quod fecerat Salomo 1 Reg. 10. 18.

20. *In domo regis*] i. Non procul à regia. Vide suprà 16.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

4. Omnem *pecuniam sanctificatorum*] Vocantur *sanctificata* quæ ex populo levabantur pro domo Domini, aut quæ liberè offerebantur. Levatio erat, ut à qualibet persona dimidius daretur siclus. Et hæc in textu secundum aliquos vocatur כסף עובר *pecunia transiens*, h. e. quæ non singulis dabatur annis, sed erat exactio quædam transiens. Alii tamen exponunt pro כל העובר על הפקודים, sicut nos vertimus. Facit autem textus mentionem de triplici pecunia. Prima erat quæ per contributionem colligebatur: Altera, quæ ob æstimationem animarum dabatur; ut si quis personam suam Domino devovisset, per æstimationem Sacerdotis pecuniâ se redimebat: Tertia, quæ sponte à devotis personis dabatur.

5. *Quem familiariter cognovit*] Exponunt Hebræi מכר pro מיודע & רגיל. Porrò בדק capitur hîc pro שבר & הריסה, *ruptura, scissura* & *fractura*. Steterat enim jam domus Domini per 155 annos, & in multis locis erat ruinosa. Nec Sacerdotes volebant inchoare opus donec pecunia sufficiens colligeretur. Et cùm interim multi laberentur anni, suspicatus Rex quòd Sacerdotes pecuniam in suum commutarent commodum, nolebat ut ampliùs pecuniam levarent nisi mox illam pro Templo restaurando expenderent. Quod illi audientes, posuerunt in Templo arcam clausam, in quam per foramen pecuniam miserunt, à se conceptam removentes suspicionem.

11. *Pecuniam signatam*] Exponit Kimhi מתוכן pro מתוכן בצורה *signatam cum figura*. Alii exponunt *pecuniam numeratam*, ut sit מתוכן idem quod הנמנה.

13. *Non fiebant phialæ*] In libro Paralipomenωn dicitur quòd fecerint varia instrumenta & vasa pro Templo necessaria ex illa pecunia. Dicendum igitur quòd nulla fecerint vasa donec ruinæ quæque in Templo fuerint instauratæ: tunc ex residua pecunia fecerunt vasa, ut Paralipomenωn liber dicit.

16. *Pecunia pro delicto*] h. e. Quæ occasione hostiæ pro delicto vel hostiæ pro peccato obveniebat.

20. *In domo Millo*] Vel *in Beth-millo*. Est enim nomen oppidi, sicut & *Silla*. Jacebat autem Rex in lecto, propter multa vulnera quibus eum sauciaverant Syri in bello, ut dicitur in Paralipomenis; & consurgentes servi ejus interfecerunt eum in lecto cùm de Beth-millo portaretur ad Sillam.

VATABLUS.

3. Excelsa non recesserunt, הבמות לא סרו] i. Altaria privata non fuerunt sublata. ¶ *Immolabant*, מזבחים] In honorem scilicet Dei: quod tamen non erat gratum ipsi Deo, qui volebat in Jerusalem tantùm sacrificia fieri.

4. *Sanctitatum*, הקדשים] *Sanctificationum*, i. consecratam Domino. ¶ *Introducitur*, יובא] *Infertur*, sive quæ *inferri solet*. Futurum Heb. pro præsenti. ¶ *Pecuniam transeuntis*, כסף עובר] Sive, *transeuntium*, sing. Heb. pro plur. sub. *in numerum*, sive *inter numeratos*, i. qui numerabantur cum aliis: h. e. qui jam attigerant annum vicesimum, qui quidem dabant in singula capita dimidium Sicli, unde comparabant victimas quibus fiebat sacrificium illud juge & perpetuum. Sic vocat pecuniam census quam dabant qui reputabantur inter numeratos. *Pecuniam personalem æstimationis cujusque*, sive *pecuniam pretii animarum cujusque hominis*, intelligit pecuniam quâ quisque redimebat seipsum. Triplex pecunia inferebatur in Templum: prima eorum qui attigerunt vicesimum annum: Secunda erat illa quam quisque solvere tenebatur cùm votum vovisset Domino se daturum quantum æstimatus esset à Sacerdote, Levit. 27. 2. quæ vota fiebant potissimùm in periculis: Tertia verò quæ ex liberalitate Israelitarum dabatur. ¶ Et *pecuniam*, &c. איש כסף נפשות ערכו] Ad verb. Et *viri pecuniam animarum æstimationis ejus*, i. quam quis solvere tenebatur cùm voverat Jehovæ se daturum quanti æstimaretur, h. e. quâ quis redimebat seipsum, ut proximâ annotatione dictum est. ¶ *Quam singuli*, &c. אשר יעלה וגו'] Ad verb. *Quæ ascenderit super cor viri ut inferat in*, &c. i. quam quis secum statuerit inferre in domum, &c.

5. *Instaurabunt ruinas*, יחזקו את בדק] Ad verb. *Fortificabunt fractum*, vel *dirutum*. Sing. pro plur. *ruinas*, vel *rupturas*.

6. *Anno Regis Jehoas*, שנה למלך יהואש] Redundat istud *anno*: & *Regis* pro *Regni* positum est, *Anno vicesimo*

vicesimo tertio regni Joas. ¶ Ruinas, את בדק] Scissuras, rupturas. Jam agebatur annus 155 ex quo Templum fuerat exstructum, unde aliquibus in locis minari ruinam poterat: Quidam aiunt tum fuisse lacerum, & penè dirutum ab Athalia & ejus filiis: hósque aiunt quicquid erat pretiosum in domo Domini detulisse in ædem Baal.

7. Tradite illam, תתנוהו] i. Reddatis eam pecuniam jam acceptam.

8. Neque instaurare, &c. ולבלתי חזק את בדק הבית] i. Eâ lege ut non repararent ruinas domûs.

9. Unius, אחד] Sub. sacerdotis. ¶ In ostio ejus, בדלתו] Sic vocat operculum arcæ. ¶ In dextera, בימין] Legitur & מימין à dextra. Dextrum Templi est propriè ea pars Templi quæ pertinet ad Austrum; ut sinistra pars propriè ea est quæ pertinet ad Aquilonem. ¶ Liminis, הסף] i. Qui habebant custodiam Templi. Alii, vasorum, sing. pro plur. i. sacerdotes qui custodiebant supellectilem Templi, posuerunt, &c.

10. Qui colligabant, postquam numeraverant pecuniam, ויצורו וימנו את הכסף] Ad verb. Et ligabant & numerabant pecuniam, i. qui numeratam pecuniam quæ inveniebatur in domo Jehovæ colligabant in fasciculos.

11. Paratam, המתוכן] Numeratam, vel signatam. ¶ In manus facientium opus, על ידי עושי המלאכה] i. Architectis qui præfecti erant operi Templi. Gallicè, à ceulx qui avoyent entreprins l'œuvre. ¶ Et insumebant, ויוציאוהו] Ad verb. Et educebant eam. ¶ Et in alios fabros, &c. ולבונים ונו'] Ad verb. Et in ædificatores qui faciebant [i. operabantur] in domo Jehovæ.

12. In cæmentarios, ולגודרים] Hos intelligit qui digerebant & disponebant lapides. ¶ Et cæsores lapidum, ולחוצבי האבן] Et latomos, qui excidebant lapides. ¶ Dolatos, מחצב] Ad verb. latomiæ. ¶ Atque in omnia, &c. ולכל אשר יצא ונו'] Ad verb. Et in omne quod egrediebatur super domum.

13. Psalteria, מזמרות] Musica instrumenta.

15. Nec reposcebant rationem ab hominibus, ולא יחשבו את האנשים] i. Non cogebant homines illos in quorum manus consignabant illam pecuniam, reddere rationem aliquam ejus pecuniæ, quòd bonâ fide dispensarent eam.

16. Pecunia pro delicto, &c. כסף אשם ונו'] i. Pecunia quæ supererat emptâ victimâ pro delicto. Qui voverant in longinqua regione aliquid pro peccato, mittebant pecuniam ad unum ex Sacerdotibus qui victimam emebat: & quod reliquum erat pecuniæ, emptâ victimâ, id cedebat in utilitatem Sacerdotum.

17. Tunc, אז] Mortuo scilicet Jehoiadâ Pontifice cùm Joas credens aulicis, deditus fuit idololatriæ. Joas enim interfecit Zachariam filium Jehoiadæ, quòd eum & aulicos carperet ob idololatriam, idque mortuo Jehoiadâ, ut scribitur 2 Par. 24.22. ubi & in paulò præcedentibus versibus defectio Joas scribitur. ¶ Postea convertit Hazael faciem suam, וישם חזאל פניו] Ad verb. Et posuit, &c. i. Postea convertit sese ut veniret rectâ, &c. h. e. voluit convertere vires suas contra Jerusalem. Quidam Hebraismum istum sic vertunt, statuitque apud se Hazael ascendere, &c.

18. Omnes sanctificationes quas sanctificaverat, את כל הקדשים אשר הקדישו] i. Consecrationes [sive, quæcunque donaria] quæ consecraverant majores. ¶ Et ascendit à Jerusalaim, ויעל מעל ירושלים] i. Destitit venire ad oppugnandum Jerusalem, non enim venit in Jerusalem. Sequenti tamen anno Hazael rediit oppugnatum Joas: cui cùm occurrisset, ab eo est vulneratus: cùmque in lectica referretur in Jerusalem: conjuratione factâ interemptus est à servis Hazaelis, 2 Par. 24. 25.

20. In Beth-Millo, בית מלא] Non loquitur de campo Millo qui erat in Jerusalem, sed eo qui aberat ab Urbe. Quod ut intelligamus, adjicit, cùm descenderet in Silla, q. d. cùm descenderet in Beth-Millo, qui locus erat in clivo loci nuncupati Silla: ut intelligatur Beth-Millo fuisse in loco editiore.

21. Cum patribus suis, עם אבותיו] In eadem quidem urbe, sed non in eodem loco, h. e. non in sepulcro majorum suorum.

CLARIUS.

4. Omnem pecuniam sanctorum] Vel sanctificatorum. Et vocantur sanctificata quæ ex populo levabantur pro domo Domini, aut quæ liberè offerebantur. Levatio erat, ut à qualibet persona dimidius daretur siclus. Facit autem textus mentionem de triplici pecunia: Prima erat quæ per contributionem colligebatur; altera quæ ob æstimationem animarum dabatur, ut, si quis personam suam Domino vovisset, per æstimationem Sacerdotis pecuniâ se redimebat: tertia quæ spontè à devotis personis dabatur.

5. Sarta tecta] Vel fracturas domûs. Nam propriè sarta tecta vocabantur publica opera quæ locabantur ut integra tecta præstarentur: nam sarcire est in integrum facere. Hoc explicatiùs in Paralipomenis dictum est; ut instaurent, inquit, templum, & infirma quæque sarciant. Unde sartum tectum habere est, Integrum & incorruptum servare. Steterat autem jam domus Domini per 155 annos, & in multis locis erat ruinosa; nec Sacerdotes volebant inchoare opus donec pecunia sufficiens colligeretur. Et cùm interim multi laberentur anni, suspicatus Rex quòd Sacerdotes pecuniam in suum commutarent commodum, nolebat ut ampliùs pecuniam levarent nisi mox illam pro Templo restaurando impenderent. Quod illi audientes, posuerunt in Templo arcam clausam, in quam per foramen pecuniam miserunt, à se removentes conceptam suspicionem.

13. Hydriæ templi] In libro Paralipomenωn dicitur quòd fecerint varia instrumenta & vasa pro Templo necessaria ex illa pecunia. Dicendum igitur quòd nulla fecerint vasa donec ruinæ quæque in Templo fuerint instauratæ; tunc ex residua pecunia fecerunt vasa, ut Paralipomenωn liber dicit.

20. In domo Mello] Vel, in Beth-Mello, est enim nomen oppidi. Jacebat autem Rex in lecto propter multa vulnera quibus eum sauciaverant Syri in bello, ut dicitur in libro Paralipomenωn; & consurgentes servi ejus interfecerunt eum in lecto cùm de Beth-Mello portaretur ad Sela.

DRUSIUS.

5. אֶת בֶּדֶק הַבָּיִת. Lxx τὸ βεδὲκ τοῦ οἴκου bedec domûs] Hieron. sarta tecta domûs. Theodoretus, Βεδὲκ καλεῖται τῶν ἐφθαρμένων ξύλων ἢ λίθων ἡ θεραπεία. ἡ δὲ τῶν Παραλειπομένων βίβλος ἀντὶ τοῦ ποιῆσαι τὸ βεδὲκ, ἐπισκευάσαι τὸν οἶκον Κυρίου λέγει. Alii rimas domûs, alii rupturam domûs. In libro Nom. Ebr. Bedec, Instauratio. Sic & Gloss. Vet. nisi quòd in iis perperàm Beded legitur. Porrò בדק exponitur instauro, restauro; indè appellatio. Nam בדק propriè locus ruptus ac dirutus, ac proinde instaurandus. Sed R. D. aliter opinatur; quem vide, si placet, in libro ubi vocum sensa collegit, qui vulgò Liber Radicum vocatur. Radices enim Ebræi appellant quas Græci themata dicunt. Sanè בדק scrutor, inquiro, investigo. Dictus ergò, inquit, BEDEC hujusmodi locus, quòd inquisitionis ac visitationis indigeat.

GROTIUS.

1. Anno septimo Jehu regnavit Joas] Ineunte. Vide suprà 10. 36. infrà 13. 1.

2. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Joiada sacerdos] Sic bonus Nero quamdiu Senecâ usus est magistro.

4. Dixitque Joas ad sacerdotes] Regum est non profanarum tantùm rerum sed & sacrarum habere curam, efficere ut Sacerdotes secundùm legem officium faciant, ut ædes sacræ suum retineant statum, atque in id & operas & pecunias indicere. ¶ Omnem pecuniam sanctorum quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus] Triplici pecuniâ vult reparare Templum, quod sub Athaliæ imperio neglectum multis partibus conciderat. Primum genus est id quod pii alienigenæ dabant, qui Deum in ambitu Templi adoraturi venerant, quorum mentio 1 Reg. 8. 41. ¶ Quæ offertur pro pretio animæ] Alterum genus est capi-

capitatio, quam pendere Israelitæ singuli debebant in usus Templi ubi opus esse judicaretur. Id est didrachmum de quo egimus Matth. 17. 24. dimidium sicli, ut loquitur Moses in ipsa lege ubi hic census instituitur Exod. 30. 13. & Josephus tum ibi, tum hoc loco: qui etiam nos docet Siclum valuisse quatuor drachmas Atticas. Ergò dimidium sicli est δίδραχμον. ¶ *Et quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini*] Tertium pecuniæ genus est quod ab Israelitis nemine cogente ultro ac liberaliter datur, ad exemplum ejus quod habemus Exod. 25. 2. & 35. 5. & 36. 5, 6.

5. *Juxta ordinem suum*] Heb. *à notis sibi*, tum hîc, tum infrà 7. ¶ *Instaurent sarta tecta domûs*] Latini dicerent *præstent sarta tecta*, ut loquitur Macer in L. *Lex Julia*. D. de L. Julia Repetundarum. Vox *sartorum tectorum* est apud Livium sæpe, apud Festum vocibus *sarta & produit*, & apud alios.

6. *Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas non instauraverunt sacerdotes sarta tecta Templi*] Minùs rectè curantur quæ committuntur multis: & magis latent fraudes.

7. *Nolite ergò ampliùs*] Posthac. ¶ *Sed ad instaurationem templi reddite eam*] Quam jam accepistis.

8. *Prohibitique sunt sacerdotes ultrà accipere pecuniam à populo, & instaurare sarta tecta domûs*] Meliùs & ad Hebræum expressiùs Græci, Καὶ συνεφώνησαν οἱ ἱερεῖς τοῦ μὴ λαβεῖν ἀργύριον παρὰ τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ μὴ ἐνισχῦσαι τὸ βεδὲκ (nam hanc vocem Hebræam retinuere hîc & suprà Lxx) τοῦ οἴκου. Sensus est, In hoc paruerunt Regi, ut pecuniam post id tempus non acciperent; at non item ut nè jam acceptâ pecuniâ sartum tectum facerent Templum: βεδὲκ Theodoretus interpretatur τῶν ἐφθαρμένων θεραπείαν.

2. *Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum*] Existimans, ut Josephus ait, oblationes quas spontè facturus esset populus suffecturas, si ex fide curarentur, neque opus fore adjungi capitationem. *Gazophylacium* hîc arcam intellige, unde & pars Templi ubi ea erat nomen accepit. Vide quæ dicta nobis ad Marc. 12. 41.

10. *Ascendebat scriba regis*] Quem Pontifex inspectorem sibi adesse voluerat, nè quâ & ipse, post tot minorum Sacerdotum culpas, suspicione aspergeretur. Præterea Rex ipse aderat, ut discimus 2 Par. 24. 12. & ex Josepho hoc loco. ¶ *Effundebántque*] Heb. *ligabant*. Lxx καὶ ἔσφιξαν, i. in sacculos reponebant bene numeratam, ídque diebus singulis quanta obvenerat.

11. *In manum eorum qui præerant cæmentariis*] Redemptorum, non, ut antè, Sacerdotum. Jam tum ordo Sacerdotalis, per se venerandus, in vitium labi cœperat, ità ut in plebe plus fidei reperiretur. Neque tamen ob id schisma aut factum est aut fieri debuit.

13. *Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum*] Optimus sensus est quem habent Lxx, πλὴν οὐ ποιηθήσονται. Supplendum autem est, *Rex præceperat*, nempe nè pecuniæ liberaliter contributæ pars ulla erogaretur in vasa Templi priusquam ædificium ipsum Templi suam integritatem accepisset. Ità hic locus optimè conciliabitur cum illo 2 Par. 24. 14. Neque aliter accepit Josephus. In versione Lxx pro θύραι ἀργυραῖ legendum videtur θυΐαι, i. *thuribula*, quas θυΐσκας dixere interpretes Paralipomenon.

15. *Et non fiebat ratio iis hominibus qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam*] Sensus est, Non exigebatur à redemptoribus ratio pecuniæ, quia suâ fide suóque periculo opus probatum exhibere debebant. Hoc est quod & Lxx voluerunt, ὅτι ἐν πίστει αὐτοὶ ποιοῦσιν. Ipsis credebat Rex.

16. *Quia sacerdotum erat*] Ex lege Levit. 5. 16.

17. *Pugnabat contra Geth*] Urbem Philistinorum, 2 Sam. 1. 20. quam David bello suam fecerat, 2 Sam. 8. 1. ¶ *Et direxit faciem suam ut ascenderet in Jerusalem*] i. Omnia fecit per quæ crederetur iturus contra Hierosolyma. Vide quæ ad Lucam 9. 51.

18. *Tulit Joas rex Juda omnia sanctificata*] Simile habuimus suprà 1 Reg. 15. 18. ubi quæ dicta sunt vide. ¶ *Misitque Hazaeli regi Syriæ; & recessit ab Jerusalem*] Sic sæpe Romani Imperatores externas gentes à finibus suis magnâ vi pecuniæ amoverunt.

20. *Surrexerunt autem servi ejus*] Pœna occisi Zachariæ filii Jojadæ. Vide Paralipomena. ¶ *In domo Mello*] De qua suprà 1 Reg. 9. 24. *In domo*, i. apud domum, ut suprà. ¶ *In descensu Sella*] Quâ descenditur ex domo in viam publicam, quæ cum adjectitia litera alibi dicitur מסלה.

21. *Josachar namque filius Semaath & Jozabad filius Somer*] Amici Jojadæ, ut vult Josephus. ¶ *Et sepelierunt eum cum patribus suis*] i. More solito, in civitate David, in Sione, non in sepulcris Regum; quod hîc ex Paralipomenis notat Josephus. Aliquis illi honos habitus, non summus, quia suprema pars vitæ à recto declinaverat. Vide quæ diximus l. 1. De J. B. ac P. c. 3. §. 16.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

13. SEdente Jarobeam] Non dicitur hîc quòd *regnaverit Jarobeam filius ejus pro eo*, sed *quòd sederit super solium ejus*: nam pater timens post mortem suam schisma exoriri in Regno, posuit filium, dum adhuc viveret, super Regni solium.

14. *Currus Israel & equites*] Jonathan hunc locum hîc & suprà 2. 12. sic vertit, *Magister mi, qui melior es & utilior Israeli per orationem quàm currus & equites.*

17. *Versùs Orientem*] Hoc dixit quòd Syria, quam percussurus erat Rex Israel, ad Orientalem plagam esset respectu Samariæ.

19. *Percutere debueras*] Kimhi sic interpretatur hunc locum, *Si ascendisset in cor tuum ut percuteres quinque aut sex vicibus*, &c.

20. *In ipso anno*] Putant Hebræi hîc scribi בא pro בה, h. e. Aleph pro He. Jonathan tamen vertit במיעל שתא *in ingressu anni*.

21. *Projecerunt hominem in sepulcrum*] Cùm enim illi proprium facere vellent sepulcrum, supervenerunt hostes, ut non licuerit tantum insumere temporis donec sepulcrum foderent; & idcirco aperientes tumbam Elisæ, projecerunt cadaver illud in speluncam illam in qua corpus Prophetæ quiescebat: & devolutum cadaver in profundum, vel, ut Hebraismus habet, *vadens & contingens homo ille ossa viri Dei, revixit, & stans super pedes suos* egressus est foràs, atque illico vitâ defunctus est. Nam erat homo impius, ut Hebræi communiter sentiunt, & indignus ut quiesceret cum corpore viri Dei. Sunt tamen qui aliter sentiunt, nempe quòd fuerit vir justus & magnus, nomine *Sallum*, & quòd domum regressus adhuc filios peperit.

VATABLUS.

1. ANno Joas, שנה ליואש] Istud *Anno* ponitur vice genitivi *Regni*, q. d. *Anno vicesimo tertio regni Joas*. Id fuit circa initium anni vicesimi tertii. Suprà 12. 6. plena est locutio, cùm dicit, *Anno vicesimo tertio, anno Regis Jehoas*, &c. Vide illic annotationem.

2. *Nec declinavit ab eis*, לא סר ממנה] *Non recessit ab eo*, i. ab ullo eorum, h. e. ab eis, q. d. non reliquit peccata illa. Vel, *non recessit ab illa*, nempe idololatria.

3. *Cunctis diebus*, כל הימים] i. Toto illo tempore, h. e. quamdiu regnavit Joachaz.

4. *Affligebat*, לחץ] Præt. Hebr. per imperf. vertendum.

5. *Servatorem*, מושיע] i. Vindicem, filium scilicet istius qui asseruit eos à servitute Syrorum in libertatem. Seipsum declarat cùm mox dicit, *Et egressi sunt de potestate Aram*, i. desierunt esse in potestate Syrorum.

6. *Veruntamen non recesserunt*, &c. אך לא סרו וגו׳]

i. Non

i. Non tamen desierunt colere vitulos aureos quos erexerat Jeroboam. ¶ *Per ea ambulavit,* בה הלך] Ad verb. *In eo ambulavit*, i. in singulis peccatis ambulaverunt Israelitæ. ¶ *Stetit,* עמדה] i. Remansit, q. d. Lucum ipsum non exciderunt, sed reliquerunt.

7. *Non enim,* &c. כי לא וגו'] Dependet hic versus ex secunda particula quarti versûs. ¶ *Et posuerat eos,* וישמם] Sub. *in eo conflictu*, i. conculcavit eos quemadmodum lutum platearum conculcari solet. *Triturare* pro *conculcare*.

8. *Et fortitudo ejus,* ונבורתו] i. Omnia egregia facta ejus.

10. *Anno Joas,* שנה ליואש] Ut ver. 1.

11. *In illis,* בה] Sing. Heb. pro plur. Vide ver. 2.

13. *Jarobam autem sedit,* וירבעם ישב] *Jarobam autem* [sub. *filius ejus*] *jam sedere cœperat:* aiunt namque eum regnasse vivente patre: non enim hîc dicitur, *regnavit mortuo patre*.

14. *Elisa autem,* &c. ואלישע וגו'] *Cùm autem Elisæus ægrotaret infirmitate quâ mortuus est.* ¶ *Pater mi, pater mi,* אבי אבי] i. Magister. Repetitio pertinet ad affectum, q. d. Domine mi, quare deseris nos? Aposiopesis. ¶ *Currus Israelis & equites ejus,* רכב ישראל ופרשיו] i. Qui fuisti hactenus Israeli vice multorum curruum falcatorum & equitum: h. e. qui servabas Israelem oratione tuâ potiùs quàm omnes milites armis suis, sive, qui plùs juvare potes oratione tuâ quàm omnes currus & milites quos habet Israel.

16. *Apprehende manu tuâ,* &c. הרכב ידך וגו'] Ad verb. *Equitare facito manum tuam super arcum. Et equitare fecit manum suam super arcum*, i. Superpone manum tuam arcui. Et superposuit manum suam arcui. ¶ *Posuit præterea,* &c. וישם וגו'] *Et superposuit Elisæus manus suas manibus Regis*, ut scilicet hâc ratione confirmaret signum ipsum & prædictionem suam.

17. *Ac dixit,* ויאמר] Sub. *Elisæus cuidam astantium.* Vel, *Jam autem dixerat.* ¶ *Ad orientem,* קדמה] i. Fenestram illam quæ spectat ad Orientem, h. e. ad Syriam, quæ ad Orientem erat. ¶ *Sagitta salutis,* &c. חץ תשועה וגו'] i. Sagitta quam emisisti erit salutifera Israeli, authore Jehovâ: h. e. signum est futuræ victoriæ, sagitta, inquam, salutifera contra Syriam.

18. *Percute terram,* הך ארצה] i. Dirige, mitte sagittas tuas in terram, h.e. Appete terram sagittis. Id jubet, ut hoc signo confirmet prædictionem illi factam.

20. *Castra autem Moab,* &c. ונדודי מואב וגו'] Copiæ autem militares Moabitarum irruerunt in eam regionem. ¶ *Sequenti anno,* בא שנה] Itâ vertit & Chaldæus paraph. *Fieri tamen potest,* inquit doctus inter Hebræos, *ut* א *positum sit loco* ה *feminei, ut sit* בה, *& legas, In ipso anno quo mortuus est Elisæus.*

21. *Qui descendens, tetigit ossa,* וילך ויגע האיש בעצמות] Ad verb. *Et abiit, & tetigit vir ossa*, i. qui cùm devenisset in imum sepulchri, *tetigit ossa Elisæi, ac revixit.*

23. *Et conversus est ad eos,* ויפן אליהם] i. Respexit eos oculo misericordiæ. ¶ *A facie sua,* מעל פניו] i. De terra in qua majestas ejus habitabat.

25. *Itaque reversus,* &c. וישב וגו'] *Itaque iterum Jehoas filius Jehoahaz tulit,* &c.

CLARIUS.

13. **S**Edit super solium ejus] Non dicitur hîc quòd *regnaverit Jeroboam filius ejus pro eo*, sed quòd *sederit super solium ejus:* nam pater timens post mortem suam schisma exoriri in Regno, posuit filium, dum adhuc viveret, super Regni solium.

21. *Et projecerunt cadaver*] Cùm enim illi proprium facere vellent sepulcrum, supervenerunt hostes, ut non licuerit tantum insumere temporis donec sepulcrum foderent, & idcirco aperientes tumbam Elisæi, projecerunt cadaver illud in speluncam illam in qua corpus Prophetæ quiescebat; & contingens homo ille ossa viri Dei revixit, & stans super pedes suos egressus est foràs, atque illico vitâ defunctus est: nam erat homo impius, ut Hebræi communiter sentiunt, & indignus qui requiesceret cum corpore viri Dei. Sunt tamen qui aliter sentiant, nempe quòd fuerit vir justus & magnus, nomine *Sallum*, & quòd domum regressus adhuc filios genuerit.

GROTIUS.

1. **A**Nno vigesimo tertio Joas] Ineunte. Vide suprà 12. 1. ¶ *Regnavit Joachaz filius Jehu super Israel in Samaria decem & septem annis*] i. Itâ ut annum decimum & septimum inchoaret. Vide infrà 10.

4. *Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus*] *Quia nec mirum erit diversitas temporalis, si postea Deus mitior pro rebus edomitis, qui retro austerior pro indomitis*, ait Tertullianus. Josephus hîc de Deo, τὴν μετάνοιαν ὡς ἀρετὴν ἐκδεχόμενος. Hæc una Deo causa miserandi; ad quam accessit altera, virtutum avitarum memoria, infrà 23.

10. *Anno trigesimo septimo Joas regis Juda*] Post eum annum impletum. Vide suprà 1.

14. *Elisæus autem ægrotabat*] *Ægrotaverat:* & mox, *descenderat*, est enim retrogressio. ¶ *Currus Israelis & auriga ejus*] Vide suprà 2. 12.

17. *Aperi fenestram Orientalem*] Quia pars Syriæ ad Orientem objacet terræ Israelis. ¶ *In Aphec*] Sic & Græci. Nihil tamen vetat verti *vehementer.*

18. *Tolle sagittas*] *Sume sagittas*, supple *alias*. Victoriam quidem insignem ei prædixerat Elisæus: sed quoties victor futurus esset cùm nondum sciret, monebatur à Deo ex hoc signo discere.

21. *Revixit homo*] Major indies lux ad spem vitæ alterius. Et ostendit Deus quàm sibi chari sint sancti, etiam mortui. Eadem causa fuit cur ad martyrum monumenta tam multa mira Deus fiverit fieri, agnoscente etiam Porphyrio, ut ad l. 3. De V. R. Chr. annotavimus.

24. *Regnavit Benadad filius ejus pro eo*] Qui vetus Syriæ Regum nomen renovavit, materno fortè genere ortus ex priscis illis Regibus.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

7. **O**Btinuit arcem petra] Heb. *Obtinuit petram:* sed per *petram* Rabbini post Chaldæum interpretem intelligunt כרכא & מצודה, i. *arcem* & *præsidium* super petram exstructum, quod Hebræi subactum *Joktheel* appellaverunt; cujus vocabuli ratio ex textu haberi non potest.

8. *Videamus nos facie tenus*] Hebraismus est, pro *Videamus quis altero superior in pugna esse possit.*

26. *Quòd in nihilum redigerentur*] Quidam exponunt hîc עצור pro *eo quod domi servatum perditur*, & עזוב pro *eo quod in campo derelictum perditur.*

28. *Restituit Damascum*] In qua scilicet David præsidia jam antea collocaverat, sed à succedentibus amissa fuerant, hæc Jarobeam iste recuperavit.

VATABLUS.

4. **N**ON abstulerant, לא סרו] *Non recesserant*, i. non fuerant sublata.

5. *Cùm roboratum,* &c. כאשר חזקה וגו'] *Cùm firmatum* [vel, *confirmatum*] *esset Regnum,* &c. i. cùm obtinuisset Regnum. Gallicè, *Quand il en fut bien paisible.*

7. *Sela,* סלע] *Rupem.* Chald. *arcem.* Fortasse arx quædam erat sita in illa rupe. ¶ *Usque ad diem hanc,* עד היום הזה] i. Quod nomen retinuit usque in hodiernum diem.

8. *Tunc,* אז] Partâ scilicet victoriâ, nimiùm elatus animo. ¶ *Hisce mandatis,* לאמור] Ad verb. *dicendo,* ¶ *Veni, videamus nos facie,* לכה נתראה פנים] i. Agè veniamus in conspectum alter alterius, h.e. statuto die descendamus in locum certaminis. Chald. *Veni, & statuto die confligamus,*

fligamus, q. d. Tui diripuerunt urbes meas; veni igitur, confligamus inter nos. Aiunt Amasiam, cùm milites Israelis conduxisset, illos adhortante Prophetâ missos fecisse; quare milites indignati diripuerunt urbes: ob id motus Amasias hæc scripsit injuriâ lacessitus.

9. *Hujusmodi responsum*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Carduus*, החוח] Istud ה præpositum hoc loco non interrogat, nec amplificat idem, sed diminuit, q. d. Carduus abjectissimus omnium qui nascuntur in Libano. Parabola est quâ se Rex Israel confert *Cedro*, Regem Juda *Carduo*, Milites *Bestiis*, q. d. Etiamsi misisses legationem pacis causâ non accepissem honorificè tuos: nam es abjectissimus: quomodo ergò audes me provocare ad bellum?

10. *Percutiendo percussisti*, &c. הכה הכית וגו'] i. Propter victoriam quam de Idumæis reportasti superbis nimiùm: per me licebit ut glorieris quantum voles, modò contineas teipsum apud te. ¶ *Et utquid immiscebis*, &c. ולמה תתגרה ברעה] Quare te conjicere cupis in periculum, & miseriam ultro, &c.

11. *Et viderunt sese facie*, ויתראו פנים] i. Præbuerunt se visendos facie ad faciem: h. e. descenderunt in certamen statutâ die.

13. *In Beth-semes*, בבית שמש] i. In conflictu facto juxta Beth-semes.

14. *Filios quoque obsides*, ואת בני התערובות] i. Filius nobilium qui dati fuerant obsides Regi Juda, nè patres eorum rebellarent in eum. Ità Chaldæus paraph.

15. *Et fortitudo ejus, & quomodo*, &c. ונבורתו ואשר וגו'] Hebraismus, & egregia strenuáque facta ejus & victoria quâ vicit Amasiam.

19. *Miserunt autem*, וישלחו] Sub. *milites*, sive *exercitum*, oppugnatâ urbe, & tandem expugnatâ.

21. *Azariah*, עזריה] Hic dicitur 2 Par. 26. 1. *Uzzijahu.* Itaque duo nomina habuit affinia, *Fortitudo Domini*, & *Auxilium Domini*.

22. *Et restituit eam*, וישבה] i. Quam jam receperat, & jam restituerat Regno Juda, mortuo patre. Hæc urbs dicitur *Elanon*, à qua sinus *Elanicus*. David totam Idumæam tributariam reddiderat: quæ tamen defecit postea à Regibus Juda.

25. *Is restituit*, &c. הוא השיב וגו'] i. Recuperavit totam eam regionem quæ est *ab Hamath*, urbe sita in extremitate Syriæ, *usque ad mare solitudinis*, h. e. lacum Asphaltiten. Hæc occupaverant Reges Syri. Hic quanquam fuit impius, tamen Deo juvante liberavit Israelem: unde summa misericordia Dei colligitur.

26. *Mutabilem valde*, מורה מאר] i. Quæ subinde & in dies gravior evadebat. Chald. *fortem*, i. gravem. ¶ *Et non erat clausus*, &c. ואפס עצור וגו'] i. Nemo tutus erat, sive esset miles, aut alicujus honoris homo qui se in locum tutissimum recepisset, sive qui esset abjectissimus, h. e. sive magnæ dignitatis, sive abjectissimæ sortis esset. Alii, *carebant & opibus & pecoribus.* Vide 1 Reg. 14. 10.

27. *Neque locutus fuerat*, ולא דבר] i. Neque statuerat, vel decreverat. ¶ *Ideo servavit eos*, ויושיעם] *Sed servavit eos.*

28. *Atque fortitudo ejus*, & *quomodo pugnaverit*, ונבורתו אשר נלחם] Vide cap. 13. 15. ¶ *In Israele*, בישראל] *Israel* hoc loco etiam tribum Juda complectitur. Jeroboam Rex Israel restituit Damascum & Hamath tribui Juda, ità ut essent ditionis Israel, i. Judæ, ut antea fuerant.

CLARIUS.

7. APprehendit petram] h. e. Arcem & præsidium super petram exstructum, quod *Jectheel* appellaverunt, cujus vocabuli ratio ex textu haberi non potest.

8. *Videamus nos*] Hebraismus est, pro, *Videamus quis altero superior in pugna esse possit.*

26 *Usque ad clausos*] Hunc locum alius sic vertit, *vidit quod in nihilum redigerentur clausus & derelictus*; & per *clausum* intelligunt *id quod domi servatum perditur*; & per *derelictum*, *id quod in campo derelictum perditur*: ut intelligatur eos nec domi thesauros nec in agro fructus possedisse, sed summâ rerum egestate laborasse.

28. *Restituit Damascum*] In qua scilicet David præsidia jam antea collocarat, sed à succedentibus Regibus amissa fuerant.

DRUSIUS.

10. לִבְּךָ הִכָּבֵד. In commentariis Græcis legitur, ἡ καρδία σου ἡ βαρεῖα, ἐνδοξάσθητι. Sunt autem duæ interpretationes vocis הכבד, quæ bene ità redditur ἐνδοξάσθητι, sed qui olim vertit ἡ βαρεῖα, cùm puncta deessent, legit הַכָּבֵד aliis vocalibus. Hoc tam certum mihi quàm bis duo quatuor conficere.

GROTIUS.

3. JUxta omnia quæ fecit Joas pater suus, fecit] Egregiam laudem sine turpi maculavit, ut Regum multi.

5. *Percussit servos suos qui interfecerant regem patrem suum*] Puniunt talia facinora etiam qui successu fruuntur.

6. *Sicut præcepit Dominus, dicens*] Deut. 24. 16.

7. *Ipse percussit Edom*] Solus, repudiatâ, quam magno emerat, Israelitarum societate, de qua re in Paralipomenis. ¶ *Et apprehendit Petram in prælio*] Arabiæ urbem, unde *Arabiæ Petrææ* nomen. Hebræis & Arabibus ea urbs *Sela* dicitur. Captivos ab ea rupe, quæ Græcum nomen urbi dedit, præcipitatos addunt Paralipomena, & hîc Josephus. ¶ *Vocavitque nomen ejus Jecthehel*] *Obedientia Deo*, idque ideo quia in capta urbe jura Mosis constituit.

8. *Veni & videamus nos*]

Δείξας ἐν ἀνθρώποισι τὴν ἀβουλίαν,
Ὅσῳ μέγιστον ἀνδρὶ πρόσκειται κακόν,

ait in Antigone Sophocles. At in Supplicibus dicenti Theseo,

Εὐτυχίαν ἔσπευσας ἀντ' εὐβουλίας,

bene respondet Admetus suo malo edoctus,

Ὁ δὴ γὰρ πολλοὺς ὤλεσε στρατηλάτας.

9. *Carduus Libani misit ad Cedrum*] Αἶνος qualis Jud. 9. 8.

10. *Percutiens invaluisti super Edom, & sublevavit te cor tuum*] Nam

Fortuna multùm quos fovet, stultos facit.

Et *rebus secundis*, ut ait Tacitus, *etiam egregii duces insolescunt.* ¶ *Quare provocas malum?*] Bene Seneca,

Non expedit concutere felicem statum.

12. *Percussúsque est Juda coram Israel, & fugerunt unusquisque in Tabernacula sua*] Panicus illos terror invasit, cujus alibi exempla jam aliquot habuimus; i. φόβος ἀφνίδιος καὶ κατάπληξις οἵαν Θεὸς ἐκ δείμανς ἂν πέμψοι, ut hîc valde prudenter loquitur Josephus.

13. *Et interrupit murum Jerusalem à porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis*] Ut urbs hostibus semper pateret. Idem Romæ fecit Totilas.

19. *Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem*] Vox קשר, quæ hîc est in Hebræo, non solet sumi in bonam partem. Non ergò probatur hoc facinus: sed ostendit Deus se etiam malorum operâ uti nosse ad judicia sua exsequenda. ¶ *Miserúntque post eum in Lachis*] Nempe percussores clancularios qui Regem interficerent, ut hîc Josephus, multò rectiùs quàm qui, quasi participes ejus conjurationis fuissent quam laudant, à conjuratis Regi aiunt dictum diem. Simile factum habuimus suprà 12. 20. & infrà 15. 10, 15. in quibus locis est idem verbum קשר.

21. *Tulit autem universus populus Juda Azariam natum annos sedecim, & constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia*] Id non fecissent conjurati illi. Unde apparet eorum factum displicuisse populo, ut & suprà 13. 1. Similem conjurationem pariter improbatam habemus infrà 21. 24.

22. *Ipse ædificavit Elath, & restituit eam Judæ*] Ereptam Idumæis. Vide Deut. 2. 8.

25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath*] Vide

Vide Num. 34. 8. ¶ *Usque ad mare solitudinis*] Lacum in locis illis campestribus Idumææ, quorum mentio Deut. 2. 8. ¶ *Per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam*] Hinc discimus quo tempore vixerit Jonas ille cujus librum inter Minores Prophetas habemus.

26. *Ad clausos carcere & extremos*] Idem hic in Hebræo loquendi genus quod habuimus 1 Reg. 14. 10. & 21. 21.

27. *Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas*] i. Cùm non constituisset delere populum, vindicem ei excitavit.

28. *Et quomodo restituit Damascum*] i. Olim à Davide posterisque ejus possessam, ut videre est 2 Sam. 8. 6. postea amissam prævalentibus Syrorum armis, supra 13. 3. Israelis Regno iterum subjecit. ¶ *Et Emath Judæ*] Quam Judæ Regno olim adjecerat David 2 Sam. 8. 14. Eam Idumæi rebellantes suam fecerant, nunc Rex Israelis eripit Idumæis. Ità ambulatoriæ sunt urbium possessiones non minùs quàm agrorum; de quorum aliquo hoc est Luciani Epigramma,

Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου·
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται· εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ τύχης.

CAP. XV.

MUNSTERUS.

5. PErcussit Dominus regem] In libro Paralipomenωn scribitur quare percussus fuerit Rex iste leprâ, nempe quòd præsumpserit in Templo adolere incensum. Percussus autem segregatus fuit ab omni negotio hominum & administratione Regni; cùm leprosus in Lege jubeatur habitare extra castra. Vocatúrque hic domus ejus בית החפשית *domus libera habitationis*, h. e. domus בדד *solitaria*, quòd ipse liber & sequestratus erat ab omni commercio hominum.

10. *In conspectu populi*] Capitur hic קבל pro נגד. Jonathan vertit קדם *ante*, seu *in præsentia*.

16. *A Thirza*] Erat Thirza de Regno Israel, & termini urbis Thiphsah pertingebant usque ad Thirza. Cùm autem habitatores Thiphsah nollent aperire portas Regi Menahem & eum suscipere in pace atque tributum pendere, obtinuit vi civitatem illam, & omnes qui in ea erant interfecit, non etiam parcens prægnantibus mulieribus, sed cum majori crudelitate illas quàm alios interfecit, scindens scilicet uteros earum. Sunt tamen quidam ex Hebræis qui הרותיה non pro *prægnantibus* sed pro *montibus* exponunt, & intelligunt per *montes* מגדלים *turres robustas in montibus exstructas*, quas Menahem diruit. Ratio autem hujus diversæ expositionis oritur ex vocabulo הרות, quod & *montes* & *prægnantes* significat etiamsi in plurali numero plerumque terminationem habeat masculinam quando *montes* significat.

VATABLUS.

1. ANno Jarobam, שנה לירבעם] Vide suprà 15. 1, 10.

5. *Percussit autem*, &c. וינגע וגו'] Quare fit percussus à Jehova, scribitur 2 Par. 26. 16. ¶ *In domo libera*, בבית החפשית] Ad verb. *in domo* habitationis *liberæ*, i. in domo quadam separata ac semota à commercio hominum. ¶ Erat *super domum*, &c. על הבית שופט וגו'] i. Erat præfectus sive præpositus Regiæ, h. e. habitabat in palatio ipso, reddens jus populo Regni Juda.

11. *Ecce ipsa*, הנם] Utuntur Hebræi adverbiis Demonstrandi pro adverbiis Affirmandi, q. d. *Ea certè scripta sunt*, &c.

12. *Hoc* est *verbum*, הוא דבר] Istam promissionem habes suprà 10. 30.

13. *Per mensem dierum*, ירח ימים] i. Per mensem integrum & completum tantummodo, atque constantem omnibus suis diebus.

16. *Percussit*, יכה] Hoc verbo pro *oppugnare* & *expugnare* usurpant Hebræi cùm de urbibus loquuntur; & pro *perdere* aut *interficere*, cùm de hominibus, ut mox. ¶ *A Thirsah*, מתרצה] i. A termino Thirsah, sive usque ad terminum Thirsah: nam ager ejus urbis pertingebat usque ad Thirsah. ¶ *Aperuerat*, פתח] Sub. *populus urbis portas, propositis legibus pacis*. ¶ *Omnes prægnantes ejus scidit*, את כל ההרותיה בקע] i. Omnium prægnantium mulierum aperuit uterum, q. d. Nè prægnantibus quidem pepercit, ab הרה. Alii tanquam ab הרר vertunt, *& omnes urbes ejus perrupit*, quòd sint instar montium propter ædificia.

18. *Omnibus diebus suis*, כל ימיו] Istud secundæ parti versûs igitur, *Non recessit cunctis diebus suis*. Posset & ad Jeroboam referri.

19. *Venit*, בא] Quidam per præt. imperf. vertunt, *Veniebat*. ¶ *Contra terram*, על הארץ] i. Contra regionem subditam Regi Israelis. ¶ *Ut essent manus ejus*, &c. להיות ידיו וגו'] Hebraismus, ut ei suppetias ferret ad stabiliendum & confirmandum Regnum suum, i. ut tali munere retinere posset Regnum suum illius favore,

20. *Indixit autem*, ויוצא] Ad verb. *Et exire fecit*, i. indixit, aut exegit eam pecuniam ab Israele, & divitibus omnibus, & imperavit. ¶ *Omnibus potentibus substantiâ*, על כל גבורי החיל] i. omnibus opulentis.

25. *Dux ejus*, שלישו] Hæc vox significat *eum qui dignitate tertius est à Rege*, accipitur & pro *nobili duce*. ¶ *In palatio domûs Regiæ*, בארמון בית מלך] i. In arce, turre munitissima totius domûs in qua habitabat Rex. ¶ *Cum Argob*, &c. את ארגוב וגו'] q. d. Fretus auxilio Argob & Arieh quos habuit socios conjurationis.

35. *Excelsa non recesserunt*, הבמות לא סרו] q. d. In hoc tantùm peccavit quòd excelsa non abstulit: nam eo regnante sacrificabatur in altaribus super quæ nolebat Dominus sibi sacrificari. ¶ *Portam domûs Jehova superiorem*, את שער בית יהוה העליון] Intelligendum est de portis atrii, non templi Salomonis: verùm cùm hæc essent contigua, dicuntur *Templum*, cùm fit mentio de *portis domus Domini*. Etiam ubi in Actis 3. 2, 10. fit mentio *portæ Speciosæ*, non est intelligendum de Templo, sed de atrio illo in quo populus orabat: quæ ideo dicitur *Templi*, quòd omnia illa, *atrium*, *devir*, & *hechal*, dicerentur *Templum*.

37. *In diebus ipsis*, בימים ההם] *Sub idem tempus*, nempe sub mortem Jotham, vel eo mortuo. Parenthesis est: aliquando enim versus qui postponi debet præponitur in Sacris libris.

CLARIUS.

5. PErcussit autem Dominus regem] In libro Paralipomenωn scribitur quare percussus fuerit Rex iste leprâ, nempe quòd præsumpserit in Templo adolere incensum. Percussus autem segregatus fuit ab omni negotio hominum & administratione Regni, cùm leprosus in Lege jubeatur habitare extra castra.

16. *De Thersa*] Vel, *à Thersa*. Erat Thersa de Regno Israel, & termini urbis Thapsa pertingebant usq; ad Thersa: Cùm autem habitatores Thapsa nollent aperire portas Regi Manahem & eum suscipere in pace atque tributum pendere, obtinuit vi civitatem illam, & omnes qui in ea erant interfecit: non etiam parcens prægnantibus mulieribus, sed cum majori crudelitate illas quàm alios interfecit, scindens scilicet uteros earum. Sunt tamen qui dictionem Hebræam non pro *prægnantibus* sed pro *montibus* exponunt, & intelligant per *montes* turres robustas in montibus exstructas, quas Manahem diruit.

DRUSIUS.

5. בבית החפשית. Hieron. *in domo libera*. Lxx ἐν οἴκῳ ἀφφουσώθ] Theodoretus, Κρυφαῖος, οἱ λοιποὶ ἐλευθερίας, ἀπολελυμένως, τουτέστιν, ἔνδον ἐν θαλάμῳ μηδενὸς ὁρώμενος. Hinc erues

erues בבירת החפשית : cæteri [A. Sym. Th. Sed Aq. *in domo libertatis*, i. libera. Vide Euseb. De locis, in *Aopsithe*] Ἐν οἴκῳ κρυφαίῳ *in domo occulta*. R. D. in lib. Rad. *Vocatur ità domus* החפשית *propterea quòd solus in ea lateret ab hominibus seclusus, perinde ut si liber esset ab omni societate humana. Sed R. Jonas exponit aliter. Dicit enim* חפשי *in lingua Arabica significare Domum parvam, sive Domunculam.*

GROTIUS.

1. A*Nno vigesimo septimo Jeroboam*] Viri valde docti putant erratum in numeris, nec plus scribendum quàm 17. argumento eorum quæ suprà habemus 14. 2, & 23. iidem infrà 8. scriptum olim putant non 38, sed 28. ¶ *Regnavit Azarias*] Rex hic hoc loco in Hebræo vocatur עזריה, in Græco Ἀζαρίας, at in Paralipomenis עזיהו, in versione Lxx Ὀζίας, quomodo & Josepho semper vocatur. Si auferatur ab isto posteriùs nobis dicto nomine ו sæpe παραγωγικὸν, idem erit nomen, exceptâ literâ ר interpositâ, quæ addita aut dempta de significatione nominis nihil immutat. Crediderim verum ejus nomen fuisse עזיה per Dagesch, olim, antequam id compendium dictionis inventum est, scriptum עזריה, litera autem ז secunda facilè in ר mutari potuit ob formæ vicinitatem. Estque id eò credibilius quòd Josephus, qui utrosque libros legit, eum semper Ὀζίαν vocat, Pontificem autem qui eodem vixit tempore Ἀζαρίαν, quomodo & Lxx, qui in Hebræo Paralipomenon cum pari adjectitio ו est עזריהו.

5. *Percussit autem Dominus regem, & fuit Leprosus*] Causa est in Paralipomenis, quòd adolendi jus proprium Sacerdotibus sibi usurpasset contra Legem, & cui nè intrare quidem basilicam Templi in qua erat altare suffitûs licuerit, Num. 3. & 18. 1, 2, 5, 7. Lepra & maledicentiæ & superbiæ pœna. ¶ *Et habitabat in domo libera seorsum*] Ruri. Vide quæ diximus suprà 7. 3. ¶ *Joatham verò filius regis gubernabat palatium*] Vicarius erat Regis, qui ab omni populo segregatus fungi regiam potestatem non poterat.

8. *Anno trigesimo octavo Azariæ regis Judæ*] Vide quæ dicta ad initium hujus capitis.

12. *Iste est sermo Domini quem locutus est ad Jehu*] Suprà 10. 30.

14. *Et interfecit eum, regnavitque pro eo*] Vide dicta suprà 1 Reg. 15. 28. Adde mox 25, 30.

16. *Noluerant enim aperire ei*] Sic Cæsar Massiliensibus portas sibi recludentibus,

——dabitis pœnas pro pace petita,
Et nihil esse meo discetis tutius ævo,
Quàm duce me bellum.

¶ *Et scidit eas*] Suprà 8. 12.

19. *Et dabat Manahem Phul mille talenta argenti*] Eâ pecuniâ & bellum redemit & societatem emit.

20. *Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus & divitibus*] Optima tributi ratio, quæ divites tantùm onerat, & quidem pro divitiarum modo.

29. *Theglath-phalazar*] Θεγλαφαλάσηρ Josepho, Θαλγαθφελλασὰρ Lxx. In Hebræo Paralipomenon literâ additâ תגלת פלנאסר, prior pars hujus nominis à Tigride fluvio venit, qui *Diglito* accolis. ¶ *Et Galilaam*] Cujus cives in captivitate tractati duriùs quàm Nephthalitæ, Esa. 9. 2. ¶ *Et transtulit eos in Assyrios*] Hoc initium fuit μετοικεσιῶν per quas Deus punivit Hebræum populum, ex parte primùm, deinde totum.

30. *Regnavitque pro eo vigesimo anno Joatham filii Oziæ*] i. Ex quo regnare cœperat Joatham : non enim regnavit Joatham nisi annos 16.

32. *Regnavit Joatham*] Heb. *Jotham*. Lxx Ἰωάθαμ. Josepho Ἰώθαμος, qui hujus temporibus vixisse autumat Nahumum Prophetam.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

6. E*Xpulit Jehudæos*] Est נשל idem quod גרש. Sed & *Eloth* atque *Elath* capiuntur pro eodem : sicut & infrà in Hebræo habetur *Dumæsec* & *Damæsec* pro eadem urbe. Similis variatio fit nonnunquam in propriis nominibus, ut *Joas* & *Jehoas*, *Hizkija* & *Hizkijahu*, *Pelaser* & *Pilaser*.

9. *Transtulit eam in Kir*] h.e. Homines qui erant in ea transtulit in Kir civitatem Assyriæ. Quidam tamen exponunt hîc קירה substantivè pro *civitate* : ut sit sensus, *Transtulit Damascenos in civitates Assyriæ*, &c.

14. *Juxta altare æneum*] Vocat *altare æneum* altare Salomonicum, juxta quod collocavit altare illud novum, scilicet inter altare æneum, quod foris in atrio stabat, & inter domum Domini, ut propinquius esset Templo quam altare æneum. Vocatur etiam idem novum altare *altare majus* ; in quo sacrificia facere volebat ; ut scilicet illud esset עיקר *altare præcipuum*, & altare Domini esset טפל *minus principale*, super quo non jugiter, sed cùm placeret, sacrificia offerrentur, secundùm quod subditur, *Et altare æneum erit mihi ad requirendum*, sic enim habet Hebræum, quod nos vertimus ut ab Hebræis exponitur.

17. *Ambitus basis*] Sensus est, Abstulit lavacrum & mare æneum de basibus & bobus super quibus à tempore Salomonis collocata fuerant, & posuit ea in pavimentum, ex animi impietate vasa Domini discerpens, sicut & altare Domini in alium transferens locum. Fecit & alias multas abominationes, sicut in libro Paralipomenon scribitur, ubi dicitur quòd exstinxerit lucernas, clauserit januas Templi, & in omnibus angulis civitatis exstruxerit aras, atque de impietate in impietatem lapsus fuerit. Porrò per *velum Sabbati* Hebræi putant intelligendum אהל *tabernaculum* quoddam quod erat in Templo, sub quo manebant ministri Domini per Sabbatum, cùm transactâ hebdomadâ in Templo officio suo functi fuissent.

VATABLUS.

1. A*Nno Pecah*, שנה לפקח] Hujusmodi locutione usus est & suprà 13. 1, 10. pro *anno, inquam, regni Pecah decimo septimo.*

3. *Transire fecit per ignem*, העביר באש] De hoc vide Levit. 18. 21. q. d. Ità ut etiam proprium filium sacrificarit idolis, cremando eum in honorem idoli Moloch. Alii, *transire fecit per ignem*, i. lustravit igne, per medios ignes sive per medium duorum ignium. In Paralipomenis legitur *lustrasse filios suos*, i. unum ex filiis suis.

5. *Tunc*, אז] Regnante scilicet Achaz & colente idola. Hoc refertur ad superiora.

6. *In tempore illo*, בעת ההיא] *Eo tempore*, cùm scilicet discederet ab obsidione. ¶ *Elath*, אילת] Hæc urbs erat in Idumæa, subjecta Regi Syriæ : hinc ait *Elath restitutam Syriæ*. ¶ *De Eloth*, מאילות] Eadem urbs *Elath* & *Eloth*. ¶ *Venerunt*, באו] i. Redierunt.

7. *Misit autem*, וישלח] *Jam autem miserat* : antequam scilicet Rex Israel discessisset ab obsidione re infectâ. ¶ *Et filius tuus sum*, ובנך אני] q. d. Habeo te vice patris.

8. *Misitque Regi Assur munus*, וישלח למלך אשור שוחד] *Misitque* illa omnia *Regi Assur pro munere*.

9. *Ascendit namque*, &c. ויעל מלך אשור] Ad verb. *& ascendit Rex Assur*. Gaudent Hebræi repetitis iisdem dictionibus, quibus Latini carent libenter, quòd sensum nonnunquam obscurent potiùs quàm adjuvent. ¶ *Et transtulit eam in Cir*, ויגלה קירה] i. Transtulit habitatores ejus in Cir. Quidam volunt esse Cyrenen.

10. *Similitudinem altaris*, את דמות המזבח] *Exemplar altaris*. Gallicè, *Le patron*. Eximium quoddam altare intelligit, cùm esset in metropoli. ¶ *Secundùm*

omne

omne opus ejus, לכל מעשהו] i. Cum omni opere, sive opificio, ejus. Gallicè, *sans rien oublier de sa facon.*

12. *Et vidisset altare*, וירא המלך את המזבח] Hîc Hebraicè additur *Rex*, ut & post proximè sequens verbum, quod Latinis redundat. ¶ *Et obtulit super illud*, ויעל עליו] Sub. *oblationem suam*, i. sacrificium matutinum. Vide ver. 15. *Holocaustum matutinum.* Duo sacrificia quotidie fiebant, matutinum & vespertinum. Vide Exod. 29. 38. & Num. 28. 3. Istud non licebat ei facere: non enim licebat offerri sacrificia super altare illud novum, cùm esset profanum: altare verò quod Salomon curaverat faciendum, erat dicatum Deo, atque in illius honorem constructum.

13. *Incenditque*, ויקטר] i. Cum aromatibus cremavit holocaustum suum matutinum. ¶ *Suum*, אשר לו] Ad verb. *qui ei.*

14. *Et posuit illud juxta altare*, &c. ואת המזבח הנחושת וגו'] Subaudienda fuerunt nonnulla, ut clarior esset sensus, i. *Posuit illud juxta altare æneum*, quod Salomon curaverat faciendum, *quódque erat ante Dominum*, h. e. ante vestibulum domûs Domini, & posuit in loco viciniore vestibulo quàm illud quod priùs collocatum erat ante ipsum vestibulum Templi: posuit item illud *in latere Septentrionali ipsius altaris*, ad dextram scilicet introeuntibus Templum.

15. *Majus*, הגדול] i. Meum, quantitate vel dignitate majus. ¶ *Erit meum ad requirendum*, יהיה לי לבקר] i. Mihi servabitur: ut cùm venerit mihi in mentem, illic sacrificem, q. d. In illo Salomonis posthac nulla sacrificia fient.

17. *Clausuras*, המסגרות] *Peripherias, circumferentias, limbos*, summas extremitates elaboratas à Salomone: intelligit extremitates columnarum quæ velut continebant & apprehendebant conchas superpositas. ¶ *Conchas*, את הכיור] Sing. Heb. pro plur. *labra, luteres.*

18. *Et tentorium*, ואת מוסך] *Et velum*, i. deposuit sive dejecit tentorium in quo solebant quiescere Sabbatho Sacerdotes qui priore hebdomade functi fuerant officio suo; quod fuerat ædificatum in atrio Sacerdotum. ¶ *Et introitum Regis*, &c. ואת מבוא המלך וגו'] i. Introitum domûs regiæ exteriorem reduxit in domum Jehovæ, in gratiam Regis Assyrii; ità ut non liceret ingredi vel egredi regiâ nisi per Templum ipsum. Regia priùs habebat duplicem introitum, exteriorem & interiorem. Exteriorem, per quem ingredi quivis poterat regiam, non ingrediendo Templum. Postrema particula verti potest *metu Regis Assur.* Dicitur enim hoc fecisse Achaz adulandi causâ. Alii, metu, ut se in Templum conjiceret si Rex Assyriæ regiam oppugnaret.

20. *Cum illis*, עם אבותיו] Ad verb. *cum patribus suis.* Antecedens pro relativo. ¶ *Regnavitque*, &c. וימלוך וגו'] Hebraismus, pro *cui successit filius ejus nomine Ezechias.*

CLARIUS.

14. Altare æneum] Vocat *altare æneum* altare Salomonicum, juxta quod collocavit altare illud novum, scilicet inter altare æneum, quod foris in atrio stabat, & inter domum Domini, ut propinquius esset Templo quàm altare æneum. Vocatur etiam idem novum altare *altare majus*: in quo sacrificia facere volebat; ut scilicet illud esset altare præcipuum, & altare Domini esset minùs principale, super quo non jugiter, sed cùm placeret, sacrificia offerrentur.

17. *Ambitus basis*] Sensus est, Abstulit lavacrum & mare æneum de basibus & bobus super quibus à tempore Salomonis collocata fuerant, & posuit ea in pavimentum, ex animi impietate vasa Domini discerpens, sicut & altare Domini in alium transferens locum. Fecit & alias multas abominationes, sicut in libro Paralipomenon scribitur ubi dicitur quòd exstinxerit lucernas, clauserit januas Templi, & in omnibus angulis civitatis exstruxerit aras, atque de impietate in impietatem lapsus fuerit.

18. *Musach quoque*] Alius vertit *velum*, & putat intelligendum tabernaculum quoddam quod erat in Templo, sub quo manebant ministri Domini per Sabbatum, cùm transactâ hebdomadâ in Templo officio suo functi essent.

GROTIUS.

2. Viginti annorum erat Achaz] Et quod excurrit. Vide infrà 18. 2.

3. *Transferens per ignem*] *Lustrans*, ut Latinus interpres in eadem hac historia loquitur 2 Par. 28. 3. de quo more vide quæ dicta nobis ad Deut. 18. 10.

4. *Immolabat quoque victimas & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso*] Non ferebat hæc tantùm, ut antehac fecerant multi Reges non mali, turbæ impares, sed exemplo suo præibat cæteris, & augebat contrariam legibus licentiam.

5. *Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phasee filius Romeliæ rex Israel*] Confer Esai. 7. ¶ *In Jerusalem*] i. Contra Hierosolyma.

6. *Ailam*] *Elath*, de qua suprà 14. 22. ¶ *Et Idumæi venerunt in Ailam*] Legit אדומים, ut LXX. At verius est ארומים, ut habet Hebræus textus; & Josephus, ἐγκατῴκισεν αὐτῇ Σύρους. Non solent Reges potentes quæ ab hostibus ceperunt iis reddere quorum olim fuerunt.

7. *Servus tuus & filius tuus ego sum*] Latini dicerent, *Populum, urbem, agros, delubra, divina humanáque omnia in tuam ditionem dedimus.* Vide quæ dicta nobis De J. B. ac P. l. 1. c. 3. §. 8. & l. 3. c. 20. §. 49.

8. *Argentum & aurum quod inveniri potuit in domo Domini*] Ut suprà 12. 18.

9. *Et transtulit habitatores ejus Cyrenen*] Heb. קירה, quæ Cyrene esse non potest, quæ sub Assyriis non fuit. Josephus partem esse ait Mediæ; in qua Cyrrhus fluvius Plinio & Ptolemæo.

11. *Exstruxitque Urias sacerdos altare*] Malè contra Legem Regi paruit, qui quidvis potiùs perferre debuit quàm ministerium ad rem illicitam præbere; ut Judæi qui sub Alexandro Babylone ad Beli templum exstruendum materiam aggerere noluerunt. Rectè Tertullianus, *oportere nos in omni obsequio esse subditos Magistratibus, Principibus & potestatibus, sed intra limites disciplinæ.* Forma altaris holocaustorum (de eo enim hîc agitur) præscripta est Exod. 27. 1.

15. *Super altare majus*] Factum ad instar Damasceni altaris. ¶ *Et sacrificia eorum*] i. Oblationes è simila, aut etiam munera quæ victimas comitabantur: מנחה enim utrumque significat. ¶ *Altare verò æreum*] Ære obductum; illud vetus ex Mosis præscripto.

18. *Musach quoque sabbati quod ædificaverant in Templo*] Transitum quendam sub tecto quem ædificaverant (nam sic est in Hebræo) nempe Sacerdotes, ut illàc Sabbati die intrarent in Templum ad inchoandam ἱερουργίαν. ¶ *Et ingressum regis exteriùs*] i. Primam portam, per quam Rex ingredi solebat in Templum. ¶ *Convertit in Templum Domini*] Heb. *circuire fecit domum Domini.* Gr. ἐπέστρεψεν ἐν οἴκῳ, i. in aliam partem Templi vertit, nè ingredientes aut Rex aut Sacerdotes tergum obverterent Assyriæ, eòque Regem Assyrium minùs revereri viderentur. Nam ingressus isti ad Orientem spectabant.

CAP XVII.

MUNSTERUS.

9. Studuerunt abscondere] Capitur hîc חפא pro חבא, & est sensus, In tantam venerunt stultitiam filii Israel ut putarent Deum ignorare facta eorum, & quòd abscondere possent facta sua ab oculis ejus. ¶ *A turre custodum usque ad civitatem munitam*] Sensus est, Etiam in locis quantumlibèt parvis, & ubi pauci fuerunt homines, fecerunt excelsa & aras pro idolis.

13. *Atque*

13. *Atque omnis Videntis*] Est חוזה major quàm נביא *propheta*, cùm claram habeat visionem: *Propheta* autem aliquis dici potest qui per visionem vel per somnium revelationem Dei agnoscit.

15. *Atque testificationes ejus*] Vocantur *testificationes* quæ aliquid olim significabant; ut Pascha & Tabernaculorum erectio testabantur exitum de Ægypto; & Sanctificatio primogenitorum significabat interemptionem primogenitorum Ægypti. Sic omnia præcepta, quæ sub contestatione cœli & terræ data fuerunt filiis Israel, vocantur *testificationes Domini*, quoniam observantia eorum testabatur Dei benedictionem; & violatio eorum, maledictionem.

17. *Vendentes seipsos*] Hebraismus est, pro, *omni studio addixerunt se peccato, Deum relinquentes, & ritum Gentium assumentes.* Quem locum Chald. sic vertit; *cogitaverunt ut facerent quod est malum coram Domino.*

21. *Abstraxitque*] Docet hîc Kimhi scribendum וידא & legendum וידח. Jonathan vertit ואטעי *& seduxit.*

26. *Transtulisti*] Capitur hîc הגלת pro הניעות. Non enim significat semper גלה *transferre hominem in captivitatem.*

27. *Ritum Dei*] h. e. Dehortatus est eos à cultura idolorum, & ab immunditiis quas Gentes faciebant, ut erat incestus, masculorum & jumentorum concubitus, & similia. A primo tamen penitus avocari non poterant, quin adhuc viri de singulis nationibus suos peculiares haberent deos, quos veluti אמצעיים *mediatores* colebant, imitantes ritum Israelitarum qui ante eos fuerunt, & duos vitulos haud secùs quàm mediatores stultissimè coluerunt. Ben Gersom verò dicit quòd cum Deo idola coluerint, claudicantes in utramque partem, sicut & Israelitæ tempore Elijæ fecerunt, invenientes adhuc delubra in montibus stantia, quæ Samaritæ, h. e. Israelitæ qui ante eos fuerunt, exstruxerant. Quando verò subjunguntur nomina deorum harum gentium, dicunt Hebræi per סכות בנות intelligi תרנגולת *gallinam cum pullis*. Est enim סכוי *gallus*. Sed נרגל est *gallina sylvestris*. Porrò אשימא dicunt esse תיש *hircum*. Et per נבחז intelligi aiunt כלב *canem*, sicut תרתק exponunt pro חמור *asino*, & אדר מלך pro פרד *mulo*, atque ענמלך pro סוס *equo*: etiamsi idem per *Adramalech* intelligant טווס *pavonem*, & per *Anamalech* פסיני *phasianum*, vel שלו *coturnicem*. Ecce isti fuerunt dii harum gentium.

34. *Non timent Dominum*] Timere enim *Deum* est illi soli servire, & nulli creaturæ honorem illum impendere qui soli Deo debetur.

VATABLUS.

1. Anno *duodecimo*, בשנת שתים] Hoc intelligitur à rebellione ipsius Osee contra Regem Assyriorum, excusso jugo illius. Nam invaserat eum Rex ille Assyriorum anno primo Regni ejus, ac redegerat eum in potestatem suâ: qui quidem erat annus quartus Regni Achaz: & ideo non dicitur regnasse hic octo annis illis quibus fuit tributarius.

3. *Adversus eum ascenderat*, עליו עלה] Hebraica phrasis pro *invaserat eum*, initio, vel primo anno Regni ejus, qui erat annus quartus Regni Achaz. ¶ *Reddebátque ei munus*, וישב לו מנחה] i. Pendebat illi quotannis tributum, usque ad octavum annum, q. d. reddiderat eum tributarium.

4. *Mitteret*, העלה] Ad verb. *ascendere faceret.* ¶ *Illi annuatim*, למלך אשור כשנה בשנה] Ad verb. *Regi Assur sicut anno in anno.* Anteced. pro relat. i. sicut anno præterito ità anno præsenti, h. e. ut annuatim facere solebat. ¶ *Propterea clausit eum*, ויעצרהו] i. Conjecit eum in carcerem posteaquam superasset eum secundò: hoc enim dicitur per anticipationem.

5. *Ascenditque*, &c. ויעל וגו'] *Iam autem ascenderat*: cùm scilicet vidisset Regem Israel defecisse à se, q. d. Et jam tota patria devicta, &c.

6. *Nono*, התשיעית] Computando à principio rebellionis ejus.

7. *Cùm enim peccaverunt*, כי חטאו] *Cùm enim peccassent.* Sic sequentia verba essent vertenda. ¶ *Et timuerunt*, וייראו] i. Venerati sunt.

8. *Faciebant*, עשו] Præt. perf. Heb. per imperf. vertendum.

9. *Et occultè fecerunt*, ויחפאו] Ad verb. *Et occultaverunt*, i. clàm dixerunt verba quæ non erant vera, q. d. oblocuti sunt Deo. ¶ *A turre custodum*, &c. ממגדל נוצרים וגו'] i. In urbibus tam parvis quàm magnis. Turrim intelligit quæ ædificari solet in agris ad custodiendos fructus adhuc pendentes, & maximè uvas. Vide c. 18. 8.

10. *Viridem*, רענן] *Frondosam.*

13. *Tunc testificatus est*, ויעד] i. Testes invocavit cœlum & terram contra, &c. ¶ *Videntis*, חוזה] Dicunt Hebræi Prophetam differre à Vidente, quòd prophetia eveniat Prophetæ sive per visionem sive per somnium, Videnti autem per visionem tantùm. ¶ *Hujusmodi verbis*, לאמור] Ad verb. *dicendo.*

14. *Sed induraverunt cervicem suam*, &c. ויקשו את ערפם וגו'] Hebraismus, Perstiterunt indurati ut majores sui.

15. *Et abierunt post vanitatem*, &c. וילכו אחרי ההבל וגו'] Hebraismus, *& secuti sunt vanitatem, & evanuerunt, imitatique sunt ritus & mores Gentium vicinarum.* Vide 1 Reg. 16. 13. & 26.

16. *Baal*, את הבעל] i. Coluerunt idola quæ dicebantur *Baal.*

17. *Et transire fecerunt*, &c. ויעבירו וגו'] Vide Levit. 18. 21. ¶ *Et divinaverunt*, &c. ויקסמו וגו'] i. Fuerunt dediti divinationibus & auguriis, vel, *fuerunt divini & augures.* ¶ *Atque tradiderunt sese*, ויתמכרו] Ad verb. *& vendiderunt sese.* Vide 1 Reg. 21. 20, 25. i. dediti fuerunt omnes ad malefaciendum.

18. *Et removit eos à facie sua*, ויסרם מעל פניו] *Et abstulit eos à facie sua*, i. ejecit eos è terra in qua colebatur: vel, in qua erat Templum dicatum nomini ejus, in quo colebatur, & in quo habitabat præsentia majestatis ejus. ¶ *Præter tribum Jehuda solam*, רק שבט יהודה לבדו] Tribum etiam Benjamin intelligit quæ erat appendix tribûs Judæ.

19. *Sed ambulaverunt*, &c. וילכו בחוקות] i. Eadem fecerunt quæ Israelitæ faciebant.

20. *Abhorruit itaque*, וימאס] *Sprevit itaque. Contemptui habuit universum*, &c. ¶ *Donec projiceret*, &c. עד אשר השליכם וגו'] i. Ità ut projecerit eos à facie sua: ut v. 18.

21. *Scidit*, קרע] Sub. *Dominus*, i. detraxit decem tribus de dominio familiæ Davidis, cui omnes Israelitæ parebant. ¶ *Expulit autem*, וידא] *Impulit autem*, i. præpedivit, avertit, q. d. pepulit de via, cùm sequeretur Dominum.

23. *Exsulavitque*, ויגל] *Abiitque in captivitatem.*

24. *Qui possederunt*, &c. וירשו וגו'] Fortè in eo loco sementem jecerunt, aut vineas plantarunt: nam urbs funditus erat eversa.

26. *Transtulisti*, הגלית] Sub. *de Assyria in Terram sanctam.* ¶ *Morem*, משפט] Ad verb. *judicium*, i. ritum, h. e. quo cultu & religione coli velit Deus ejus terræ. Dicitur v. 28. *Docebátque eos quomodo timerent Jehovam.* ¶ *Qui interimunt eos*, והנם ממיתים] Ad verb. *& ecce interficiunt eos.*

27. *Hisce mandatis, Deducite*, לאמור הוליכו] Ad verb. *dicendo, Pergere facite.* ¶ *Et doceant eos*, ויורם] Sing. Heb. pro plur. Alii vertunt, *Et pergant*, [*eant*] *& habitent illic, & doceat eos*, i. & eant alii Assyrii, scilicet loco eorum qui fuerunt interfecti à leonibus, cum Sacerdote illo, & habitent illic: doceat verò illos Sacerdos ille, h. e. instruat eos cultum ac religionem Dei regionis illius.

28. *Quomodo timerent*, איך יראו] *Quo cultu colerent.*

29. *In domo*, בבית] *In æde*, vel *fano*, sive *fanis.*

31. *Nibhaz*, נבחז] Vox Hebræa, quæ *canem* significat, quòd latrare soleat, aut iratus exserat dentes.

32. *Aliquot suorum*, מקצותם] *Partem suorum*, i. constituerant aliquot ex suis sibi sacerdotes, &c. ¶ *Qui faciebant*

faciebant eis, ויהיו עושים להם] Ad verb. *& fuerunt facientes eis*, i. qui offerebant sacrificia & munera, vel qui sacrificabant pro illis in æde excelsorum.

33. *Unde transtulerant eos*, אשר הגלו אותם משם] i. Quemadmodum facere solent Assyrii unde fuerant adducti. Alii vertunt, *quos transtulerant illinc*, i. de Samaria, h. e. quemadmodum facere solebant Israelitæ ante exsilium; vel Chananæi, quos scilicet transtulerant Israelitæ.

34. *Usque in diem hanc*, &c. עד היום הזה וגו׳] Ista possunt intelligi de Assyriis incolis Terræ sanctæ, qui debebant servare Legem, quòd facti essent proselyti, & transissent in religionem Israelitarum. Aut de Israelitis ipsis quibus data fuerat Lex. ¶ *Non timent Jehovam*, אינם יראים את יהוה] Sub. *verè, & sincero cultu*. ¶ *Neque faciunt*, &c. ואינם וגו׳] i. Non observant statuta & ceremonias sibi traditas à Jehova.

35. *Non timebitis*, &c. לא תיראו וגו׳] *Ne timueritis deos*, &c. vel, *Ne timete*.

36. *Qui eduxit vos*, אשר העלה אתכם] Ad verb. *qui ascendere vos fecit*. ¶ *Hunc timebitis*, &c. אותו תיראו וגו׳] Fut. pro imperativo, *hunc timete, adorate, illi sacrificate*.

CLARIUS.

9. ET *studuerunt*] In tantam, inquit, venerunt stultitiam filii Israel ut putarent Deum ignorare factum eorum, & quòd abscondere possent facta sua ab oculis ejus. ¶ *A turre custodum*] Sensus est, Etiam in locis quantumlibet parvis, & ubi pauci fuerunt homines, fecerunt excelsa & aras pro idolis.

13. *Et Videntium*] Quos putant majores esse quàm ii qui *Prophetæ* vocantur, cùm claram habeant visionem; *Propheta* autem aliquis dici potest qui per visionem vel per somnium revelationem Dei agnoscit.

15. *Testificationes*] Vocantur *testificationes* quæ aliquid olim significabant; ut Pascha & Tabernaculorum erectio testabantur exitum de Ægypto, & Sanctificatio primogenitorum significabat interemptionem primogenitorum Ægypti. Sic omnia præcepta, quæ sub contestatione cœli & terræ data fuerunt filiis Israel, vocantur *testificationes Domini*, quoniam observantia eorum testabatur Dei benedictionem; & violatio eorum maledictionem.

34. *Non timent Dominum*] *Timere* enim *Deum* est illi soli servire, & nulli ceraturæ honorem illum impendere qui soli Deo debetur.

DRUSIUS.

3. מִנְחָה. Lxx μαναά. Cæteri δῶρα] Theodoretus, Μαναά, Δῶρα ἡρμήνευσαν οἱ λοιποὶ, i. *dona*, sive *munera*. Hanc vocem multi cum μαννὰ confundunt, sed inscitè imperitéque. Exponitur etiam *sacrificium*. Suidas, Μαναὰ, θυσία, σπονδὴ, *sacrificium*, *libamen*. Ità leg. vulgò malè Μαννά. Nam *manna* est מָן. Consule libellos meos.

GROTIUS.

1. A*Nno duodecimo Achaz regis Juda regnavit Osee filius Ela in Samaria*] Nempe pleno jure. Sic accipe & quod infrà est 18. 1. Regnaverat & antè, sed ut cliens Assyrii, suprà 15. 30.

3. *Contra hunc ascendit Salmanassar rex Assyriorum*] Hujus nomen in Tyriorum extitisse Annalibus docet nos Josephus. ¶ *Et factus est ei Osee servus*] i. Fidei ejus ac tutelæ se dedit, obsequiúmque promisso tributo testatus est.

4. *Quod rebellare nitens*] i. Deficere à fide.

6. *Cepit rex Assyriorum Samariam*] Quam sub Φοινίκης nomine comprehendit Menander Ephesius in loco quem produximus ad l. 3. De V. R. Chr. Vide & quod infrà 18. 10. ¶ *In Hala*] Heb. חלח. Hæc est *Calatina* pars Assyriæ Adiabenem tangens apud Ptolemæum. ¶ *Et in Habor*] Heb. חבור. Hæc est *Chabora* apud Euphraten eidem Ptolemæo. Alii verò per חלח *Colchos*, per חבור *Iberos* Asiæ, tum hîc tum 1 Par. 5. in fine interpretantur: & qui eò deducti sunt putant eos esse quos *Colchos è Syris ortos & circumcisos fuisse* narrat Herodotus, *Ponticos* illos scilicet etiam in Actis & Petri epistola memoratos. Certè Ponti oram post hæc tempora sub Regibus Chaldæis fuisse discimus ex Abydeni loco de Nabuchodonosoro quem produximus ad 3. l. De V. R. Chr. ¶ *Juxta fluvium Gozan*] Unde regio *Gauzanitis* eidem Ptolemæo in Mesopotamiæ descriptione. ¶ *In civitatibus Medorum*] Heb. *& civitatibus Medorum*. Nam priora illa loca partim in Assyria partim in Mesopotamia erant; Media autem sub eodem erat Imperio.

7. *Factum est enim cùm peccassent filii Israel Domino Deo suo*] Gravis αἰτιολογία tam gravium malorum.

8. *Juxta ritum gentium quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel*] Chananæorum, Amorrhæorum, vicinorúmque.

9. *Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum*] Heb. *Occultarunt filii Israel* (i. clam locuti sunt) *verba non recta contra Dominum Deum suum*. ¶ *A turre custodum usque ad civitatem munitam*] Proverbiale, significans idem factum in locis habitatis & in locis desertis. *Turres custodum* intellige ὀπωροφυλάκια.

12. *Et coluerunt immunditias*] Sic idola vocant Hebræi per contemptum.

13. *Et testificatus est Dominus in Israel & in Juda per manum omnium Prophetarum & Videntium*] Auget culpam contumacia adversùs tot monitores Divinitus missos. ¶ *Et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum*] Heb. *& quam*, supple *legem*, *misi ad vos*, i. commendavi vobis per Prophetas. Valde his consonant quæ sunt apud Nehemiam c. 10.

16. *Adoraverunt universam militiam cœli*] Astra, præcipuè Saturnum, Jovem, Venerem, Lunam. ¶ *Servieruntque Baal*] Soli, ut alibi diximus.

17. *Consecraverunt*] *Lustraverunt*, ut suprà. ¶ *Et divinationibus inserviebant & auguriis*] Contra Legem Levit. 19. 26, 31. & 20. 6, 27. Deut. 18. 10, 11, 12.

18. *Abstulit eos à conspectu suo*] A terra Sancta, nunquam redituros. ¶ *Et non remansit nisi tribus Juda tantummodo*] Illa sola integra remansit: ei autem adhæsere pars Benjaminitarum & Levitarum.

19. *Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui, verùm ambulavit in erroribus Israel*] Præparatio ad historias sequentes. Confer Ezech. 16. & 23.

21. *Quo scissus est Israel à domo David*] Ἐπάνοδος ad ostendendam malorum originem.

24. *Et de Cutha*] Ait Josephus *Chuthum* esse Persidis fluvium, indè urbs *Cotamba* apud Ptolemæum. Ab hac regione major pars fuit ejus coloniæ quæ in Samariam & vicina loca deducta est: hinc factum ut qui ibi vivebant κατ' ἐπιγένειαν dicerentur כותים Χουθαῖοι, ut hîc notat Josephus. ¶ *Et de Avath*] עוא hîc & 18. 34. quanquam ibi punctis aliis. Hinc dictus populus עוים mox 31. quos *Avadias* vocat Ptolemæus in Bactriane. ¶ *Et de Emath*] Sic & infrà 30. & 18. 34. Est *Amathus* Syriæ, bis nominata Herodoto. ¶ *Et de Sepharvaim*] Est urbs Ptolemæo Σιπφάρα dicta Syris numero binionis, quòd eam Euphrates interlueret. Σιππαρηνῶν πόλις Abydeno.

27. *Legitima Dei terræ*] Nam Deum Israelis putabant esse aliquem ἐπιχώριον θεὸν, ut notavimus suprà 1 Reg. 20, 23. & apparebit infrà 18. 35.

29. *Et unaquaque gens fabricata est deum suum*] Præter Deum Israelis quem unà colebant ut habebimus infrà. Quidam tamen fuere qui unum Deum colerent sed seorsim à Judæis neque planè ex Lege.

30. *Viri enim Babylonii fecere Sochoth-Benoth*] Fecerunt tentoria in quibus virgines in honorem Veneris cupientibus sui copiam facerent, qui mos Babyloniis, ut diximus ad Levit. 19. 29. סכות sunt ni fallor, quas χαμάρας vocat Herodotus. ¶ *Viri autem Chuthæi fecerunt Nergel*]

Colebatur

Colebatur hæc Dea in forma Gallinæ sylvestris. ¶ *Et viri de Emath fecerunt Asima*] In forma Hirci. Vide Esa. 34. 14.

31. *Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni Adramelech & Anamelech diis Sepharvaim*] *Adramelech* videtur esse idem qui *Melech*, *Moloch*, *Melcham*, Saturnus scilicet, addito titulo *potentis* אדיר. *Anamelech* verò, Jovis stella, quòd esset *nubes*, i. protectio, *contra Molochum*, benignum sidus maligno oppositum.

32. *Fecerunt autem sibi de novissimis*] Heb. *Et fecerunt sibi quidam eorum.* ¶ *Et ponebant eos in fanis sublimibus*] Heb. *Et fuerunt facientes eis in domo excelsorum*, i. Sacerdotes illi sacra faciebant in illorum hominum gratiam, idque in collium fanis.

34. *Neque custodiunt ceremonias ejus*] Illud *neque* est ex Hebræo, quod nunc legitur אינם: sed apparet Lxx legisse איתם Chaldaico more, i. *ipsi*: deinde bene vertérunt הקתם non *ceremonias ejus*, sed *suas*, patrias & avitas. Et sensus sanè cum prioribus rectiùs sic cohæret. Observabant, ait, & ritus suos veteres, & illos sanctos ritus quos Deus Israelitis præscripserat, cum aliis ritibus minimè miscendos. Vide & quæ infrà 41. Rectiùs fecissent si unum verum Deum coluissent fine ritibus Hebraicis.

40. *Illi verò non audierunt*] Non obedierant illi de decem tribubus, & ità pessimum exemplum dederant venturis in loca ubi recentia erant corruptæ religionis vestigia.

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

4. NEhustan] Sic vocavit Rex serpentem illum æneum: q. d. *Res est ænea*, & nihil Divinitatis habet in se; quare ergò adoratis æs illud, quod nec obesse nec prodesse potest? Servatus autem fuit serpens ille in memoriam signi illius quod Deus filiis Israel in deserto ostendit, quando morsi à serpentibus intuitu hujus ænei serpentis iterum sanabantur.

8. *A turre custodum*] Sensus est, Nullum non percussit locum, tam parvum quàm magnum.

14. *Peccavi*] Negando tributum consuetum: Sed dabo nunc quicquid à me exegeris. Exegit autem trecenta talenta argenti, &c. quæ cùm accepisset rediit in Assyriam. Et cùm sequenti anno Rex Hizkija memoratam summam pecuniæ denuò reddere renuisset, aut non potuisset, movit Rex Assyriæ arma contra Jehudam, veniens cum valido exercitu in Lachis, unde misit nuncios ad Jerusalem. Non autem continuò oppugnavit civitatem, eò quòd Rex Æthiopiæ exercitum produxit contra eum. Et cùm contra illum arma moveret, misit denuò nuncios ad Jerusalem ut populum in ea terreret. Devictóque Rege Æthiopiæ, transtulit exercitum suum contra Jerusalem. Hæc breviter hîc signare volui propter libros Isaiæ & Paralipomenon, in quibus eadem describitur historia, sed variante parùm ordine.

16. *Truncavit fores templi*] h. e. קלת הזהב מעליהם *decorticavit aurum ab ostiis*. Per אומנות verò quidam intelligunt עמודים *columnas*, alii מפתן *limen* & *superliminare*, quæ auro quoque operta erant.

17. *Juxta aquaductum*] Quidam exponunt תעלה pro חפירה רחבה *lata fossa* quæ erat juxta piscinam, in quam emittebant aquam de piscina cùm vestes lavare vellent.

20. *Dicisne*] Quidam hunc locum sic exponunt; *Verbis labiorum arcendum putas adversarium, ut interim te robores consilio & his quæ necessaria sunt ad bellum?* Alii sic exponunt; *Num certè per orationes putas profligandum bellum, in quo consilium & vires corporis sunt necessaria?* Aben Ezra in hunc modum interpretatur; *Dicis labiis tuis ad viros tuos tibi suppetere consilium & robur pro bello gerendo, cùm non ità sit.*

24. *Faciem unius ducis*] Sensus est, Rex Assyriorum tam potens est ut nè quidem duces & satrapæ ejus à te sint contemnendi, etiamsi videantur extremum habere in aula ejus locum.

26. *Non loquaris Jehudaicè*] Ex hoc loco colligunt quidam Hebræi Rabsaken fuisse משומר *apostatam*, quòd Hebraicè scierit. Patet quoque ex hoc loco linguam Hebraicam eo tempore fuisse Judæis vernaculam, quam plebei quique intelligebant; sed post captivitatem Babylonicam usque ad tempora Christi nemo callebat eam nisi docti: cùm in captivitate constituti & inter Chaldæos dispersi Chaldaicam cogerentur discere linguam, præsertim pueri in Chaldæa nati, quorum etiam plerique connubia inierunt cum Chaldæis mulieribus, ut in Ezra scribitur. Reversi autem postliminio in Judæam non aliâ poterant loqui linguâ quàm Chaldaicâ. Et hinc est quòd Daniel & Ezra, qui in captivitate quoque fuerunt, pro magna parte Chaldaicè scripserunt. Hinc etiam est quòd dictiones peregrinæ quæ passim in Novo inveniuntur Testamento Chaldaicæ sunt & non Hebraicæ; quales sunt *Mammona*, *Golgoltha*, *Cepha*, *Talitha*, *Kumi*, *Hakal*, *Dama*, *Maranatha*, *Tabita*, *Eli Eli lama sabactani.*

27. *Stercora sua*] Scribitur hîc חרידם & legitur צואתם. Sic pro שיניהם legitur מימי רגליהם, sicut nos vertimus. Est autem hic literæ sensus; Propter eos misit nos Rex Assur qui magnâ premuntur fame, ut etiam abominabilia quæque cogantur comedere, &c.

31. *Facite mecum benedictionem*] Sensus est; Acquiescite mihi, & *facite mecum pacem, ut serviatis Regi Assur, & comedat quisque fructus vineæ suæ*, &c. *donec venero & transferam vos* in Assyrios. Sic enim faciebat Rex Assur omnibus populis quos devicerat, ponens alium populum in terra eorum, quò faciliùs devictos in obedientia contineret.

37. *Scissis vestibus*] Hinc colligunt Hebræi vestes lacerandas si quis audiat ab Israelita נידוף *blasphemiam* vel חירוף *improperium Dei viventis.*

VATABLUS.

1. ANno tertio, בשנת שלוש] A rebellione scilicet contra Regem Assyriæ, cui fuerat tributarius annis octo. Oseas 17 annis regnavit, 8 annis fuit tributarius: & 12 anno Regni Achaz exuit jugum: postea regnavit 6 annis, exinde bellum gessit in eum Rex Assyrius 3 annis.

4. *Confregitque*, וכתת] *Comminuitque*: nempe frustillatim. ¶ *Nehustan*, נחושתן] Per contemptum impositum nomen, quod diminutivum indicat, q. d. Quid putatis serpentem istum in se habere Divinitatis, cùm sit merum æs, & ad tempus erectus fuerit?

7. *In omni loco ad quem*, &c. בכל אשר יצא ישכיל] *In omnibus propter quæ egrediebatur, erat felix*, i. omnia quæ ille aggrediebatur, feliciter illi ac prosperè cedebant, & magnâ prudentiâ faciebat. ¶ *Rebellavit autem*, &c. וימרוד וגו'] i. Excussit jugum Regis Assur, desiitque esse illi tributarius.

8. *Percussit*, הכה] i. Debellavit ac superavit. ¶ *A turre custodum*, &c. ממגדל נוצרים וגו'] Significat his verbis tam parvas quàm magnas urbes expugnasse; vel, tam arces quàm urbes munitissimas. Similis locutio suprà 17. 9.

10. *Acceperunt eam*, וילכדוה] Sub. *milites ejus*, i. expugnaverunt.

14. *Hujusmodi mandatis*, לאמור] Ad verb. *dicendo.* ¶ *Peccavi*, חטאתי] Sub. *rebellando contra te.* ¶ *Et imposuit*, וישם] i. Injunxit, vel imperavit, sub. *in singulos annos.*

16. *Abscidit*, קצץ] *Conscidit*. Chald. *decorticavit*, i. detraxit à valvis laminas quibus superficies valvarum erat obducta. ¶ *Et columnas quas*, ואת האומנות אשר] *Et postes ipsos quos*, &c. Vel, limina illarum valvarum

varum quæ obduxerat laminis aureis vel argenteis, i. detraxit laminas quibus tecti erant postes. ¶ *Texerat*, צפה] *Obduxerat*, sub. *auro*.

17. *Misit autem*, וישלח] Elapsis aliquot annis post quam iterum renuit pendere tributum, venit Sennacherib usque in Lachis, unde hos misit. Ex præcedentibus & sequentibus colligi potest Sennacherib invasisse ter Judam. ¶ *Gravi*, כבד] i. Numeroso. ¶ *Ad aquaductum*, בתעלת] i. Ad canalem in quem derivabatur aqua è piscina superiore. ¶ *Quæ est in via agri fullonis*, אשר במסלת שדה כובס] Viam stratam lapidibus intelligit. Hoc significat vox Hebræa. Gallicè, *une chaussée*. Chald. *juxta iter agri expansionis fullonum*, i. in quo solebant fullones expandere vestes postquam lavissent eas in piscina illa.

18. *Vocaverunt autem*, ויקראו] i. Invitaverunt ad colloquium. ¶ *Qui erat super domum*, אשר על הבית] Hebraismus, *qui præerat regiæ*. ¶ *Scriba*, הסופר] i. Qui præerat Libris sacris, & in illis versabatur. ¶ *A commentariis*, המזכיר] Vide 2 Sam. 8. 17.

19. *Fidis?* בטחת] Præt. Heb. pro præs. i. Quanta est fiducia ista quâ niteris? unde tantum tibi fidis?

20. *Dixisti*, אמרת] Sub. *apud te*. ¶ *Certè sermo*, &c. אך דבר וגו'] *Sermonem labiorum* vocat facundiam, q. d. Eloquentia & facundia est mihi: consilium & fortitudo, vel magnanimitas ad bellum, quibus resistere possim etiam Regi Assyriæ, h. e. Præditus sum *facundia* ad commovendos milites, *consilio* in rebus gerendis, & *fortitudine* ad bellum gerendum. Alii, *Sermo labiorum*, i. oratio ad Deum. Vide Jes. 36. 5.

21. *Confracto*, הרצוץ] Non tantùm significat *fractum*, sed etiam *fragile*: ut ellychnium exstinctum, quod facilè exstingui potest. ¶ *Ingredietur*, ובא] *Ingreditur*. Fut. Heb. pro præs. i. figitur in manum ejus: h. e. frangitur, & pars una, nempe fragmenta, & partes illæ acutæ, intrant ac figuntur in manum, lædúntque innitentem, q. d. Falleris si speras in Pharaone, qui facilè frangi potest, ut arundo, & vinci. Homines quibus fidimus sunt similes fragili arundini, cujus fragmenta acuta, cùm frangitur, solent lædere innitentem, ut dictum est: sic homines plus tandem incommodi nobis afferunt quàm commodi.

20. *Incurvabitis vos*, תשתחוו אתכם] *Adorabitis*, q. d. Hoc fecit in gloriam suam.

26. *Fidejube*, התערב] *Vadem promitte*, vel, *da obsides*. Aut, *deposito pignore certa*, vel, *contende*. ¶ *Equitantes super eos*, רוכבים עליהם] *Sessores eorum*, q. d. Tu paucos habes in Regno tuo equites, & vix posses invenire ducentos.

24. *Vertere facies*, תשיב] *Reverti facies*. Vide Jes. 36. 9.

26. *Aramicè*, ארמית] *Syriacè*. ¶ *In auribus populi*, באזני העם] Hebraismus, *audiente populo*.

27. *Stercus suum*, &c. את חורידם וגו'] De his dictionibus, & *aqua pedum*, vide Jes. 36. 12.

31. *Facite mecum benedictionem*, &c. עשו אתי ברכה וגו'] Hebraismus, de quo & Jes. 36. 16.

32. *Olivæ olei*, זית יצהר] i. Olivæ ferentis oleum, h. e. terram fructiferam. ¶ *Et vivatis, & non moriamini*, וחיו ולא תמותו] *Et vivetis, & non moriemini*. ¶ *Cùm suadebit vobis*, כי יסית אתכם] i. Cùm tentabit vos seducere. Alii, *suadebit enim vobis*.

CASTALIO.

17. *Apud aquaductum piscinæ superioris*] Scilicet, extra Urbem.

CLARIUS.

4. *Nehustan*] Sic vocavit Rex serpentem illum æneum; q. d. *Res est ænea*, & nihil Divinitatis in se habet; quare ergò adoratis æs illud, quod nec obesse nec prodesse potest? Servatus autem fuit serpens ille in memoriam signi illius quod Deus filiis Israel in deserto ostendit, quando morsi à serpentibus intuitu hujus ænei serpentis iterum sanabantur.

8. *A turre custodum*] h. e. Omnem percussit locum tam parvum quàm magnum. Hujus Hebraismi facta etiam superiùs mentio est.

14. *Peccavi*] Negando scilicet tributum; sed dabo nunc quicquid à me exegeris. Exegit autem trecenta talenta argenti, &c. quæ cùm accepisset rediit in Assyriam. Et cùm sequenti anno Rex Ezechias memoratam summam pecuniæ denuò reddere renuisset, aut non potuisset, movit Rex Assyriæ arma contra Judam, veniens cum valido exercitu in Lachis, unde misit nuncios Jerusalem, non autem continuò oppugnavit civitatem, eò quòd Rex Æthiopiæ exercitum produxit contra eum. Et cùm contra illum arma moveret, misit denuò nuncios Jerusalem ut populum in ea terreret. Devictóque Rege Æthiopiæ, transtulit exercitum suum contra Jerusalem.

17. *Juxta aquaductum*] Intelligunt latam fossam quæ erat juxta piscinam, in quam emittebant aquam de piscina cùm vestes lavare vellent.

22. *Cujus abstulit Ezechias excelsa*] Quod piè fecerat Ezechias, is perversè interpretatur, quasi latè patentem cultum Dei intra urbem unam contraxerit.

26. *Non loquaris nobis Judaicè*] Ex hoc loco colligunt quidam Hebræi Rapsacen fuisse apostatam, quòd Hebraicè sciret. Patet quoque ex hoc loco linguam Hebraicam eo tempore fuisse Judæis vernaculam, quam plebei quique intelligebant; sed post captivitatem Babylonicam usque ad tempora Christi nemo callebat eam nisi docti, cùm in captivitate constituti & inter Chaldæos dispersi Chaldaicam cogerentur discere linguam, præsertim pueri in Chaldæa nati, quorum etiam plerique connubia inierunt cum Chaldæis mulieribus ut in Ezra scribitur. Reversi autem postliminio in Judæâ non aliâ poterant loqui linguâ quàm Chaldaicâ. Et hinc est quòd Daniel & Ezra, qui in captivitate quoque fuerunt, pro magna parte Chaldaicè scripserunt. Hinc etiam est quòd dictiones peregrinæ quæ passim in Novo inveniuntur Testamento Chaldaicæ sunt & non Hebraicæ, quales sunt *Mammona*, *Golgotha*, *Cepha*, *Talitha*, *Cumi*, *Hacaldama*, *Maranaatha*, *Tabita*, *Eli Eli lama sabactani*.

32. *Transferam vos*] Sic enim faciebat Rex Assur omnibus populis quos devicerat, ponens alium populum in terram eorum, quo faciliùs devictos in obedientia contineret.

DRUSIUS.

34. הֵנַע וְעִוָּה. A. *Ane, & Gave*] Priùs erat Ἀνὰ Γαυά. Vide Eucherium pag. 190. Sym. *solicitavit & humiliavit*. Euseb. De locis, in *Anengana*. Vide, si vacas.

GROTIUS.

1. *Regnavit Ezechias*] Vir sanè bonus, sed ingenio timidiore, qualis apud Romanos Fabius ille, aliis *Cunctator*, aliis *Ovicula* dictus, cui de Græcis Periclem confert Plutarchus.

2. *Viginti quinque annorum erat*] Inibat annum 25. Vide suprà 16. 2.

4. *Ipse dissipavit excelsa*] Rem magnam fecit, sed pœna decem tribuum ante oculos, Judæ tribum magis quàm antè morigeram Legi fecerat. ¶ *Confregítque serpentem æneum quem fecerat Moses*] Nota, *quem fecerat Moses*. Egregium documentum Regibus, ut quamvis bene instituta, sed non necessaria, ubi ἐθελοθρησκείᾳ malè usurpantur, è conspectu tollant, nè ponant offendiculum cæcis. ¶ *Adolebant ei incensum*] Quod inter illa erat quæ Dei solius honori reservata extra Templum usurpare non licebat, Exod. 30. 38. ¶ *Vocavítque nomen ejus Nohestan*] Quò impensiùs id colebatur, eò magis depretiandum putavit; q. d. *Æs est, præterea nihil*.

5. *In Domino Deo Israel speravit*] Ingens testimonium & quod omnes virtutes vi suâ continet. Nam μόνῳ Θεῷ χωρὶς ἀσφαλείας ἀνθρωπίνης οὐ ῥᾴδιον πιστεῦσαι διὰ τῶν ἐν τῷ

ϑνητὸν, ᾧ συνεζεύγμεθα, συγγένειαν, ὅπερ ἡμᾶς καὶ χρήμασι καὶ δόξῃ καὶ ἀρχῇ καὶ φίλοις, ὑγείᾳ τε καὶ ῥώμῃ σώματος, καὶ ἄλλοις πολλοῖς ἀναπείθει πεπιστευκέναι· τὸ δὲ ἐκνίψασθαι τούτων ἕκαστον καὶ ἀπιστῆσαι τῇ γενέσει, τῇ πάντα ἐξ ἑαυτῆς ἀπίστῳ, μόνῳ δὲ πιστεῦσαι Θεῷ, τῷ καὶ πρὸς ἀλήθειαν μόνῳ πιστῷ, μεγάλης καὶ ὀλυμπίου διανοίας ἔργον ἐστί, πρὸς οὐδενὸς οὐκέτι δελεαζομένης τῶν παρ' ἡμῖν. Quæ Philonis verba libro QUIS RERUM DIVINARUM HERES.

7. *Rebellavit quoque contra regem Assyriorum*] Infrà culpam in hac re agnoscit & pœnam luit, 18. 14.

8. *A turre custodum usque ad civitatem munitam*] Vide suprà 17. 9.

9. *Ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam*] Rem suprà jam dixerat. Hîc quo Ezechiæ regnantis anno id evenerit notat.

13. *Anno quartodecimo regis Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum*] Hujus Assyriorum Regis meminisse Berosum testatur Josephus, in quo delenda illa, λέγων οὕτως, nam quæ post id sequuntur manifestum non Berosi esse sed Josephi. Meminit Sennacheribi & Herodotus Euterpe. Miror autem ab Josepho erroris notari Herodotum quòd Sennacheribum dixerit non *Assyriorum*, ut Berosus & Sacræ literæ, sed *Arabum Regem*, cùm Herodoti codices quibus utimur habeant, Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων. Etiam illa verba apud Josephum, ὡς ἐστὶν ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἐλθὼν ἱερέα ὄντα τοῦ Ἡφαίστου, cum superioribus non cohærent, & ex marginali annotatione aliqua in textum irrepsere. Tota hæc historia iisdem propè verbis est apud Esaiam c. 36.

15. *Deditque Ezechias omne argentum*] Ità bona causa ad Ezechiam transiit, ut notavimus 2. De J. B. ac P. c. 1. §. 18. Sic Deus ubi suos liberare vult, causam etiam honestam ipsis præstat.

17. *Rabsacen*] Quem Israelitam fuisse, sed Legis & populi sui desertorem, putant Hebræi. Credibile id facit lingua Hebræa quâ locutus est, & quòd ad verba ejus in Deum maledica Proceres & Rex Ezechias vestem suam consciderunt 19. 1. quod fieri non solebat nisi quoties talia verba ab Israelitarum aliquo pronunciata fuerant.

21. *In baculo arundineo atque confracto*] Videtur hîc הרצוץ magìs *fragilem* quàm *fractum* significare. Considera sequentia.

22. *Nonne iste est cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria?*] Nempe omnia quæ extra Templum erant, atque ità impedi it nè pluribus in locis coleretur.

23. *Et videte an habere valeatis adscensores eorum*] Nam propter equorum penuriam pauci erant inter Hebræos qui artem equitandi didicissent.

25. *Sine Domini voluntate*] יהוה, i. Dei vestri: ità enim eum æstimabat Rabsaces, ut Salmanasar 17. 27.

26. *Syriacè*] Quam linguam primorum quidam intelligebant, non autem populus.

27. *Ad viros qui sedent super murum*] Qui urbes obsident, si quas conditiones ferre volunt, omnem dant operam ut earum notitia non ad duces tantùm perveniat, sed & ad populum, qui faciliùs talibus moveri solet. ¶ *Ut comedant stercora sua*] Vide quæ dicta suprà 6. 25. ¶ *Et bibant urinam suam*] Quod pluribus in locis factum aquâ deficiente.

29. *De manu mea*] Legit מידי, ut habent Orientalium Judæorum libri, non מידו, ut nostri & ii quibus usi sunt LXX.

34. *Deus Emath*] Suprà 17. 24. ¶ *Et Arphad*] Conjungitur cum Emath Jer. 49. 23. Idem nomen, literâ mutatâ, sono penè eodem ארודי, Gen. 10. 18. ubi Latinus *Aradios* posuit, rectè. ¶ *Ana*] Fortè *Ange* in Arabia Felice posita Ptolemæo. Nam urbis esse nomen apparet infrà 19. 13. ut mirer Symmachum *Ana & Ava* quasi verba essent, non propria nomina, interpretatum. At *Ava* nomen etiam suprà habuimus 17. 24.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

3. *Dies tribulationis*] Sensus est, Tanta imminet tribulatio ut prægnantes mulieres ante justum tempus rumpantur ad partum, & tamen præ anxietate fœtum educere nequeant. Capitur autem hîc משבר pro certo loco uteri in quem fœtus solutis primis vinculis devolvitur ut in lucem edatur.

7. *Spiritum*] Capitur hîc *spiritus* pro רצון *voluntate*, quam Dominus in Rege mutavit, audito rumore adventûs Regis Æthiopiæ, licèt postea redierit: verùm Judæi interim potuerunt sibi providere de necessariis.

14. *Expandit eas*] Heb. *expandit eam*, scilicet schedam in qua blasphemiæ erant scriptæ.

21. *Sprevit te*] Scilicet virgo Israel, quæ nulli alii marito quàm vero Deo subjecta fuit, atque ob id non rarò in Scriptura vocatur *virgo*. Hæc igitur confisa in Domino sprevit & subsannavit minas Regis Assur, movens caput post eum, secura de auxilio Dei.

23. *Juga montium*] Per *juga* intelliguntur loca in montibus exstructa, arte atque naturâ munita. Porrò per *latera Libani* intelligitur terra Israel, præsertim montana, ut est ea quæ circa Jerusalem invenitur. Per *cedros & abietes* intellige insigniora quæque loca; & per *diversorium extremum*, Hierosolymam, vel Templum ipsum, quod unicum illius Regni fuit asylum.

24. *Ego fodi & bibi aquas*] Sunt qui ad literam hunc versum exponunt: alii verò putant intelligendum de locis passim à Rege Assur devictis, cujus adventus tantum metum incussit habitatoribus terræ ut ille, nemine resistente, vestigio pedis sui transierit fossas & munitiones quasque circa civitates exstructas.

25. *Quod à remoto tempore fecerim eam*] Jamdiu, inquit, illam terræ gentium desolationem præordinavi & per Prophetas prædixi, sed modò sub Regibus Assur volui eam in effectum venire, ut urbes munitissimæ passim in ruinas collaberentur, & habitatores earum fortissimi, quasi non haberent manus, languescerent, confunderentur & in modum invalidæ herbæ mollescerent. Alii tamen exponunt Pasuc istum de civitate Hierosolymitana, quam Dominus ante multa tempora ædificandam disposuit, quam à Sanherib devastari noluit, nec habitatores ejus viribus destitui.

28. *Felicem te esse putas*] Agis, inquit Deus, contra me perinde quasi tu sis Dominus terræ, & non ego; & gloriaris quasi jam felix sis, & oporteat me te timere. Injiciam igitur tibi hamum & frænum, ut ducam te quò voluero, sicut piscator piscem ex aqua trahit, & eques equum ducit quò vult.

29. *Pro signo*] Signum illud additur ut non timeant quòd Rex alius post interfectum Sanherib facilè ausurus sit invadere terram Jehuda. Est autem hoc signum, quòd Deus daturus erat suam benedictionem spontè nascentibus in terra, ut magna hominum multitudo hinc sufficiens alimentum esset habitura non uno tantùm sed duobus annis. Putant tamen Hebræi secundum annum fuisse annum *remissionis* seu שמטה, ut Hebraicè septimus vocatur annus.

VATABLUS.

1. *Sacco*, בשק] i. Veste vilissimâ, quâ animi dolorem indicabant Judæi.

3. *Dies angustiæ*, &c. יום צרה וגו'] *Dies* pro *tempore*, q. d. Sumus nunc in maximis angustiis, quia Sennacherib minatur obsidionem, & inimici nostri increpant nos quòd rebelles fuerimus: præterea in Deum probra jactant, dicentes quòd Deus non poterit nos eripere de manu Regis Assyriæ. ¶ *Venerunt enim filii*, &c. כי באו בנים עד משבר] i. *Filios* vocat fœtus. Hâc allegoriâ significavit maximum periculum & lethalem calamitatem imminere Jerusalem, q. d. Vix ex hac tribulatione evademus. Vox משבר significat *sellam in qua sedent parturientes*,

entes, & *os uteri*, seu *matricis*, quò cùm pervenit fœtus, multa ipse patitur, multúmque incommodi.

4. *Si fortè audiat Jehovah*, אולי ישמע יהוה] *Fortè audiet Jehovah*, i. signo aliquo declarabit se audisse. ¶ *Et leva orationem*, &c. ונשאת תפלה וגו'] Hebraismus, *Ora pro reliquiis quæ adhuc exstant.* Hoc intelligitur de duabus tribubus quæ supererant.

7. *Pono in eo spiritum*, נותן בו רוח] Hebraismus, *positurus sum in eo animum*, i. daturus sum illi voluntatem revertendi in patriam suam, &c. ut in Jesaiah.

8. *Profectus esset de Lachis*, נסע מלכיש] i. Recessisset à Lachis unde miserat legatos Rex Assyriæ.

9. *Audivit autem*, וישמע] Cùm scilicet oppugnaret Libna. ¶ *Et reversus est*, וישב] Multa sunt subaudienda, cujusmodi, *Quod cùm audisset, soluta obsidione, vertit exercitum in Regem Chus*, sive *Æthiopiæ: quo devicto, rursum obsedit Jerusalem.* ¶ *Cum hisce mandatis*, לאמור] Ad verb. *dicendo.*

15. *Sedens super Cherubim*, יושב הכרובים] *Qui habitas inter Cherubim.* ¶ *Omnium regnorum*, לכל ממלכות] *In omnibus regnis.*

16. *Qui misit*, אשר שלחו] Sub. *legatos.*

23. *Et ingrediar*, &c. ואבואה וגו'] De hoc vide annot. in Jes. 37.24.

25. *Nonne audisti*, &c. הלא שמעת וגו'] Hoc versu declarat Dominus nihil ab hoc tyranno fieri, aut jam factum esse, quod ore Prophetæ non prædixerit: atque ità authorem earum rerum se esse pronunciat, acsi diceret, Intellexistíne jam olim sententiam decretam quam pronunciaveram in Gentes, etiam in Israelem ipsum? vel, Prophetiam illam quam prædixeram per Prophetas meos, h. e. id quod statueram me facturum hisce temporibus? eam sententiam exsecutus sum, sive eam prædictionem adimplevi tempore Regum Assyriæ, partim tuo tempore, partim, &c. hoc tempore evenire feci eam: & prædictio illa indicabat fore ut urbes munitissimæ redigantur in acervos desolatos, h. e. eas destruendas. Alii vertunt, *Annon audisti* quòd *à longinquo* tempore *fecerim eam, à diebus antiquis etiam formaverim ipsam? nunc verò adducerem ipsam ut esset in desolationem, in acervos ruinarum, ut civitates munitæ?* Exponunt autem hoc modo, Declarat Dominus se Jerosolymæ tutorem esse, nec unquam Ecclesiæ defuturum; neque passurum aboleri ipsam, ut alias urbes quæ dirutæ ac vastatæ sunt: nam confert Jerosolymā cum aliis urbibus quæ ab Assyrio eversæ fuerant, & redactæ in ejus potestatem: nè existiment à tyranno tam facilè everti posse: nec enim ejusdem est conditionis cum aliis quæ dirutæ & solo æquatæ sunt. Non est igitur comparanda Ecclesia cum aliis urbibus etiam munitissimis.

26. *Abbreviati manu*, קצרי יד] Hebraismus, *Imbelles*, sive *imbecilles.* Vide in Jesaia, ubi similia omnia usque ad finem capitis leguntur, paucis exceptis.

29. *Et hoc tibi signum*, וזה לך האות] Sub. *quòd prophetia quam prædixi eventura sit.*

30. *Quæ evasit*, פליטת] Ad verb. *evasio*, i. qui è familia Juda evaserunt, & remanserunt in Terra sancta, agent parte imâ altiùs radices. Quidam vertunt, *Rursúmque in unum coibit quod evadet è domo Juda, jactáque deorsum radice, quod reliquum est, fructum sursum reddet.* ¶ *Mittere radicem deorsum*, &c. שורש למטה וגו'] Metaphora ab arboribus quæ sunt in solo læto, i. multi relinquentur & erunt superstites.

32. *Aggerem*, סוללה] Sub. *ad eam oppugnandam.*

35. *Nocte illâ*, בלילה ההוא] Quæ proximè subsecuta est diem quâ venit Rex Assyriæ ut obsidione cingeret urbem Jerusalem, atque eam funditus tolleret.

CASTALIO.

3. JAM *fœtu in arctum progresso, nec suppetentibus ad pariendum viribus*] Tantus est noster dolor quantus parturientis feminæ quæ ad ejiciendum fœtum jam ad vulvæ fauces progressum vires non habet.

24. *Aggeribus munita flumina*] i. Magna.

25. *Me hoc olim ità comparasse*, &c.] Istarum vastitatum autorem esse de quibus tu te jactas.

CLARIUS.

3. VEnerunt filii] Sensus est, Tanta imminet afflictio ut prægnantes mulieres ante justum tempus rumpantur ad partum, & tamen præ anxietate fœtum educere nequeant.

7. *Immittam ei spiritum*] Capitur hîc *spiritus* pro *voluntate*, quam Dominus in Rege mutavit, audito rumore adventûs Regis Æthiopiæ, licèt postea redierit: verùm Judæi interim potuerunt sibi providere de necessariis.

21. *Sprevit te*] Scilicet *virgo Israel*, quæ nulli alii marito quàm vero Deo subjecta fuit, atque ob id non rarò in Scriptura vocatur *virgo.* Hæc igitur confisa in Domino *sprevit & subsannavit* minas Regis Assur, *movens caput post eum*, secura ob auxilium Dei.

23. *Excelsa montium*] Per *excelsa* vel *juga montium* intelliguntur loca in montibus exstructa, arte atque naturâ munita. Per *latera Libani* intelligitur terra Israel, præsertim montana, ut est ea quæ circa Jerusalem invenitur: per *cedros* & *abietes* intellige insigniora quæque loca, & per *diversorium* Hierosolymam, vel Templum ipsum, quod unicum illius Regni fuit asylum.

24. *Ego fodi & bibi*] Sunt qui ad literam hunc versum exponant, alii verò putant intelligendum de locis passim à Rege Assur devictis, cujus adventus tantum metum incussit habitatoribus terræ ut ille, nemine resistente, vestigio pedis sui transierit fossas & munitiones quasque circa civitates exstructas.

25. *Numquid non audisti*] Jamdiu, inquit, illam terræ & gentium desolationem præordinavi, & per Prophetas prædixi, sed modò sub Regibus Assur volui eam in effectum venire, ut urbes munitissimæ passim in ruinas collaberentur, & habitatores earum fortissimi, quasi non haberent manus, languescerent, confunderentur, & in modum invalidæ herbæ mollescerent.

29. *Erit signum*] Signum illud additur, ut non timeat nè Rex alius post interfectum Sennacherib facilè ausurus sit invadere terram Juda. Est autem hoc signum, quòd Deus daturus erat suam benedictionem spontè nascentibus in terra, ut magna hominum multitudo hinc sufficiens alimentum esset habitura non uno tantùm sed duobus annis. Putant autem Hebræi secundum annum fuisse annum Remissionis. Illud autem, *Comede quæ repereris*, in Hebræo est *quæ suâ sponte nascuntur; & in anno secundo, quæ repullulaverint à spontè nascentibus.*

GROTIUS.

2. AD *Esaiam Prophetam filium Amos*] Huic ego Græcorum Demosthenem comparo. Puritas Hebraismi in Esaia, Atticismi in Demosthene: magnificus utrique dicendi character, frequentia schemata, maximè verò illa quâ Demosthenem excelluisse ait Quintilianus, δείνωσις, rebus indignis, asperis, invidiosis vim addens. Sed Esaiam etiam natalium dignitas & Regia affinitas ornabant.

3. *Venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens*] Non dissimilis comparatio apud Homerum Iliados Λ'.

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα
Δριμὺ, τό, τε προϊεῖσι μογοστόκοι εἰλείθυιαι
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι·
Ὡς ὀξεῖ' ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρεΐδαο.

4. *Pro reliquiis*] Pro una tribu & duarum tribuum partibus, quæ sola restant de tam copiosa Jacobi posteritate.

7. *Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuncium, & revertetur in terram suam*] Est loquendi genus Hebraicum, pro quo nos diceremus, *Indam ei hunc animum ut audito belli Æthiopici nuncio domum redeat.*

8. *Expugnantem Lobnam*] Quæ à Lachisa non longè aberat, Jos. 10. 29, 31.

9. *De Tharaca*] Qui *Thearchon* Straboni.

12. *Gozam*] Vide suprà 17. 6. ¶ *Haran*] חרן *Carras* Assyriæ. ¶ *Reseph*] *Resapha* in Palmyrene Ptolemæo. ¶ *Et filios Eden*] Mesopotamiæ. Vide Gen. 2. ¶ *Qui erant in Thelassar*] Contractè *Thelda* Ptolemæo, *Thilutha* Ammiano.

15. *Oravit in conspectu Domini*] Τῷ πατρίῳ νόμῳ πισῶν ὅτι εὐήκοον τὸν Θεὸν ἱκέτευε, Josephus. ¶ *Tu es Deus solus omnium regum terræ*] Hæc & quæ sequuntur directè opposita sunt opinioni Assyriorum, suprà 17. 27. & 18. 35.

21. *Virgo filia Sion*] Ità vocat ejus plebem in superiori parte habitantem ubi erat regia. ¶ *Post tergum tuum caput movit*] Mos irridentium. Psal. 22. 7. Matth. 27. 39. ¶ *Filia Jerusalem*] Plebem urbis inferiùs sitæ designat.

22. *Contra Sanctum Israel*] Familiare Esaiæ loquendi genus, ut 45. 11. & 47. 4. & 48. 17.

23. *Et dixisti, In multitudine curruum meorum*] Egregia descriptio Regis successibus elati. ¶ *Et saltum Carmeli ejus*] Non est hîc *Carmel* nomen proprium, sed *loca frugifera* significat. Ità enim utitur Esaias 10. 18. & 16. 10. & 19. 23.

24. *Et bibi aquas alienas*] De Sesostri Lucanus,

Ante tamen vestros amnes Rhodanúmque Padúmque
Quàm Nilum de fonte bibit.

¶ *Et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas*] Transii flumina magnis aggeribus munita, aquis nimirum abactis: ποταμοὺς περιοχῆς habent hîc Lxx. Exempla similia vide apud Frontinum l. 3. c. 7. Adde quæ de Cyro attulimus ex Herodoto ad l. 3. pro Veritate Religionis Christianæ.

25. *Nunquid non audisti quid ab initio fecerim?*] Heb. *Nónne audisti jam olim me id fecisse?* Nempe cùm Israelitas deduxi per Arabicum sinum. ¶ *Ex diebus antiquis plasmavi illud*] Feci hoc vi meâ, sine naturæ aut humanæ artis ope. Ità enim eximiè usurpatur verbum יצר Gen. 2. 8. & alibi. ¶ *Et nunc adduxi*] Nunc quoque tu id non fecisses, nisi mihi libuisset permittere. ¶ *Erúntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ*] Heb. *Hoc erat ad vertendum civitates munitas in cumulos ruinarum*, i. Ideo hoc permisi ut civitates mihi exosas punirem excidio: ideo tibi complanavi viam.

26. *Et qui sedent in iis*] Habitatores earum civitatum quas nominasti suprà 12, 13. ¶ *Humiles manu*] Heb. *contracti manu*, apud Lxx ἠσθένησαν τῇ χειρὶ, i. imbelles.

27. *Ego præscivi*] Heb. *ad me*, i. mihi patuit.

28. *Ponam itaque circulum in naribus tuis*] Rectiùs *hamum* verteris, ut Græci ἄγκιστρον. Similitudo à more piscatorum Job 41. 2. ¶ *Et camum in labiis tuis*] Ut equis & mulis fieri solet, Psal. 32. 9. ¶ *Et reducam te in viam per quam venisti*] Retro te agam.

29. *Comede hoc anno quæ repereris*] Heb. ספיח, quod & hîc & alibi τὰ αὐτόματα vertunt Lxx. ¶ *In secundo autem anno quæ spontè nascuntur*] Est in Hebræo סחיש, aut שחיש, quod ἀνατέλλοντα vertunt Lxx. Hæc ea sunt quæ ex semine alicubi demerso sine cultura erumpunt. ¶ *Porrò in tertio anno seminate & metite*] Ut in alta pace, longè remoto non hoste tantùm, sed & hostis metu.

30. *Et quodcunque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum & faciet fructum sursum*] Firmas habebit sedes & sobolescet. Translatio à satis sumpta.

31. *De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ*] Idem est sensus qui in illis Virgilii,

Ergò omnis longo solvit se Teucria luctu;
Panduntur portæ: juvat ire, & Dorica castra
Desertósque videre locos.

32. *Nec mittet in eam sagittam*] Ad dejiciendos defensores. ¶ *Nec occupabit eam clypeus*] i. Non aggredietur eam factâ testudine, qui συνασπισμὸς Græcis. ¶ *Nec circumdabit eam munitio*] Hebræi סללה interpretantur *ballistam*. Non effundit in eam saxa ballistaria.

35. *Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*] Mentio hujus historiæ Tob. 1. 21. Eccles. 48. 21. 1 Macc. 7. 41.

37. *Cúmque adoraret in Templo Nesroth deum suum*] LXX Μεσεράχ. At Josephus, τῷ ἰδίῳ ναῷ Ἀράσκῃ λεγομένῳ. ¶ *Adramelech & Sarasar filii ejus*] Maximi natu; qui ad hoc facinus impulsi dicuntur, quòd pater, cùm in periculo esset, voto se obstrinxisset illos immolandi. ¶ *Fugerúntque in terram Armeniorum*] Ad Cordyæos. Vide Gen. 8. 4. Atque ità exciderunt successione Regni, ut hîc notat Josephus. ¶ *Et regnavit Asar-haddon filius ejus pro eo*] Ptolemæo Ἀσαράδινος.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

1. *Commenda*] Heb. *Præcipe domui tuæ*, pro quo Jonathan vertit פיקד על אינש ביתך *Commenda viro alicui domum tuam.*

4. *Antequam egressus esset*] Scribitur hîc in Hebræo העיר, & legitur חצר. Unde & Chald. vertit לא נפיק לדרתא *non egressus erat atrium*. Sunt enim palatia Regum quasi parvæ civitates, ideo textus habet העיר. Sic quoque arx Sion vocatur *Civitas David.*

10. *Ut declinet decem gradibus*] h. e. Ut sic augeatur ut in tempore quo decem conficit gradus naturali suo motu conficiat viginti gradus. Intelligit autem Jonathan per *gradus* שעין *horas*. Kimhi tamen sic putat hunc locum intelligendum, ut Sol subitò in uno temporis momento moveatur decem gradibus. Et quando subditur, *In horologio Ahaz*, fabulantur Hebræi diem decem gradibus abbreviatum quando Ahaz mortuus est, nè scilicet luctus fieret super morte ejus; & hi decem gradus iterum fuerunt resarciti tempore Hizkijahu, nè temporum fieret confusio. Porrò in Hebræo non habetur *in horologio Ahaz*, sed *in gradibus Ahaz*. Fuerunt tamen gradus illi signati in lapide quodam, ex quibus discebatur hora diei quando Sol radiabat.

12. *Rex Babel*] Sanherib Rex Assur, qui monarchiam tenebat Imperii, dominabatur quidem Regno Babel: sed habuit Regnum illud proprium Regem, qui tributa pendebat Regi Assyriorum, donec Nebuchadnæzer in Babyloniam regnare cœpit. Hic enim abjecit omne servitutis jugum, & factus est Monarcha, etiam Regnum Assyriorum sibi subjiciens. Mansítque Monarchia apud Babylonios Lxx annis.

13. *Et lætatus est de eis*] Heb. וישמע *& audivit eos*, ut scilicet requirentibus ostenderet quicquid magnificum habuit in domo. Jonathan tamen legit וישמח pro וישמע, cùm ipse verterit וחדי *& lætatus est*. Sic pro נכתוה vertit נגווי *domum thesauri sui*. Kimhi autem exponunt דברים הנחמדים *res desiderabiles*; sicut & pro *unguento bono* exponit אפרסמון *balsamum*, quod eo tempore in Jeriho solùm nascebatur: & ab ejus nobili odore locus ille יריחו *Jeriho* denominatus est.

VATABLUS.

1. *In diebus illis*, בימים ההם] Nempe sub tempus adventûs Regis Assyriæ. ¶ *Præcipe*, &c. צו וגו'] Vide eadem & Esa. 38. 1.

3. *In veritate*, באמת] i. Citra ullam fictionem, Seipsum mox declarat cùm dicit *& corde integro.*

7. *Dixítque*, &c. ויאמר וגו'] Hæc à Jesaia scribuntur cap. 38. 21. ¶ *Massam ficuum siccarum*, דבלת תאנים] Ad verb. *Massa ficuum siccarum ficuum*. Scribunt ficus aridas habere vim excalfaciendi: unde dura tubercula concoquunt & statim digerunt. Ex caryeis fecerunt cataplasma.

8. *Dixerat autem*, ויאמר] Antequam scilicet imponeretur cataplasma. Hæc præcedunt quæ dicta sunt versu superiore: unde vertendum per plusquam perfectum.

9. *Progrediatur umbra decem gradibus*, הלך הצל עשר מעלות] i. Conficiat decem gradus per quos totidem horæ designantur. Chald. *decem horas*. Loquitur de horologio per

per quod ad umbram Solis noscuntur horæ: cujus lineæ dicuntur מעלות *gradus*, per quos horæ designantur.

10. *Leve est*, נקל] *Facile est*, *Promptum est*. ¶ *Decem gradibus*, עשר מעלות] i. Decem horis, q. d. Volo ut revertatur à decima ad primam lineam. Nam aiunt eam tum fuisse horam quam umbilicus præmonstrabat. Accipio autem decimam horam ab ortu Solis. In his horologiis designantur horæ inæquales propter dies longiores; vel, æquales, ut nos qui à media nocte diem accipimus: illi autem ab ortu Solis diem naturalem: ob id quidam aiunt diem fuisse productam 10 horis, alii 20, alii 32. Doctus inter Hebræos ait *decem horis*, quia in momento fuit umbra reducta. Doctioribus verò magis placet æqualem fuisse diem cum aliis: nam in horologio erant solùm 12 lineæ quæ tot horas designabant. Miraculum fuit, umbram retrocessisse, procedente tamen Sole, nec secutam esse umbram motum Solis. Et hæc reductio fuit momentanea: quamdiu autem illic steterit, nescimus: umbra autem postea secuta est motum suum postquam hoc innotuit Regi & ejus servis.

11. *In cochlea*, במעלות] i. In horologio solario in quo descenderat sol, sive umbra quam jecerat sol objectu umbilici: quod horologium erat affixum in summitate cochleæ quam fecerat Achaz: reduxit, inquam, retrorsum decem lineis.

13. *Et audivit eos*, וישמע עליהם] i. Paruit eis: *rogarant enim*, inquit doctus inter Hebræos, *ut ostenderet eis domum: quod & fecit*. In Jesaia 39. 1. legitur, *Et lætatus est*. ¶ *Desiderabilem suam*, נכותה] *Desiderabilium suorum*, i. locum in quo erant quæcunque chara habebat & pretiosa, Gallicè *son cabinet*. Hoc eodem versu & v. 15. vocat *thesauros*. ¶ *Et unguentum optimum*, ואת שמן הטוב] Vide Jesaiam.

19. *Bonum* est *verbum*, &c. טוב דבר וגו'] q. d. Faciat Dominus pro arbitratu suo, dummodo status Regni mei sit stabilis. ¶ *Nónne* bonum est *si*, &c. הלא אם שלום] *Quidni, si pax*, &c. i. modò tranquillitate & quiete summâ fruar quamdiu vixero, & præstet Dominus quod est pollicitus, nè ab hostibus arguatur mendacii.

CASTALIO.

13. *Quibus delectatus Ezechias*] וישמע malè legitur pro וישמח, ut historia & translatio vetus & liber Paralipomenωn ostendit.

CLARIUS.

1. *Præcipe domui tuæ*] Hebraismus est, pro, *Commenda viro alicui domum tuam*.

2. *Ad parietem*] Quò se magis colligeret ad orandum, & flere liberiùs posset.

7. *Massam ficorum*] Ferunt Hebræi hîc miraculum additum miraculo, quòd secundùm naturæ vim potiùs exasperandum fuisset ulcus appositione ficorum.

10. *Decem lineis*] Sive *gradibus*; & intelligunt horas. Putant quidam Solem subitò uno temporis momento motum decem gradibus.

12. *Rex Babyloniorum*] Senacherib Rex Assur, qui monarchiam tenebat Imperii, dominabatur quidem Regno Babylonico: sed habuit Regnum illud proprium Regem, qui tributa pendebat Regi Assyriorum, donec Nabuchodonosor in Babylonia regnare cœpit: hic enim abjecit omne servitutis jugum, & factus est Monarcha, etiam Regnum Assyriorum sibi subjiciens. Mansítque Monarchia apud Babylonios LXX annis. In libro Paralipomenωn scribitur *missos legatos qui interrogarent de portento quod acciderat super terram*.

GROTIUS.

1. *Præcipe domui tuæ*] Da suprema mandata. Plutarchus de Homeri Poesi, τὸ δὲ τοὺς ἐξιόντας ἐπὶ πόλεμον, ἢ ἐν κινδύνῳ καθεστῶτας ἐντέλλεσθαί τι τοῖς οἰκείοις εἰθισμένον παρὰ πᾶσιν, οὐκ ἠγνόησεν ὁ ποιητής· ἡ μὲν γὰρ Ἀνδρομάχη στένουσα τὸν Ἕκτορά φησιν,

Οὐ γάρ μοι θνῄσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας·
Οὐδέ τί μοι εἶπας πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν αἰεὶ
Μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

ἡ δὲ Πηνελόπη τὰς τοῦ Ὀδυσσέως ἐντολὰς μνημονεύει, φήσαντος ὁπότε ἐξῄει,

Τῷ οὐκ οἶδ' ἤ κέν μ' ἀνέσει θεός, ἦ κεν ἁλώω
Αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ· σοὶ δ' ἐνθάδε πάντα μελόντων,
Μεμνῆσθαι πατρὸς καὶ μητέρος ἐν μεγάροισιν,
Ὡς νῦν, ἢ ἔτι μᾶλλον, ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντος.
Αὐτὰρ ἐπειδὰν παῖδα γενειήσαντα ἴδηας,
Γήμασθ' ᾧ κ' ἐθέλῃσθα τεὸν κατὰ δῶμα λιποῦσα.

Exemplum talium mandatorum egregium habes apud Stobæum titulo De Prudentia ex Erechtheo Euripidis. ¶ *Morieris enim tu & non vives*] In hac denunciatione latebat tacita quædam conditio, ut Jonæ 3.4.

3. *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto*] Prædicabant illi, generosâ quâdam conscientiæ fiduciâ, Deo opera sua, ut Nehemias 13. 14. In N. Fœdere non æquè id videmus fieri, quia & vis gratiæ multò major est, & profectus indies major requiritur; ut de Christiano dici possit,

Nilque putans actum, dum quid superesset agendum.

¶ *Flevit igitur Ezechias fletu magno*] Minus clarè revelatâ spe vitæ æternæ, mors etiam magis timebatur.

6. *Addam diebus tuis quindecim annos*] Iis annis quos vixisses secundùm constitutum in natura ordinem.

7. *Afferte massam ficorum*] Non quod in ficubus vis esset medendi morbo deplorato, sed signum Divinæ efficaciæ. Simile vide Joh. 9. 6.

11. *Quibus jam descenderat in horologio Achaz*] Erat gnomon constans, ut ait Eliahou Chomer, ex semicirculo, in cujus cavo erat globus, in quem cadens umbra respondebat cæsuris factis in semicirculo ad numerum, ut aiunt, 28. Ex cæsuræ hîc vocantur מעלות, i. *gradus*. Per eorum decem retroacta est umbra. Eam umbram *Solem* vocat Esaias 38. 8. quia à Sole fieri solebat. Nihil autem opus erat Universi cursum immutari, tantùm signi causâ. Simili figurâ fenestræ *Solis* nomine appellantur Jer. 15. 9.

12. *Filius Baladan*] Hujus nomen extitisse in Chaldaicis Berosi testis est Josephus. ¶ *Audierat enim quòd ægrotasset Ezechias*] Misit ei σωτήρια.

13. *Ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum*, Periculosum; opulentiam suam ostentare externis: quæ sola res sæpe barbaros in Romanum Imperium attraxit.

17. *Auferentur omnia quæ sunt in domo tua*] Impletum infrà 24. 13.

18. *Et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis*] Erunt palatini. Impletum infrà 24. 15. & 25. 7.

19. *Bonus sermo Domini quem locutus es. Sit pax & veritas in diebus meis*]

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

20. *Piscinam*] De qua vide Neh. 3. 16. ¶ *Et introduxerit aquas in civitatem*] Arcanis viis, ut & hostibus eas interciperet, & urbi aquæ non deessent, 2 Par. 32. 3, 4, 30. Tacitus ubi Hierosolyma describit, *Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes, & piscina cisternæque servandis imbribus: providerant conditores ex diversitate morum crebra bella: indè cuncta quamvis adversùs longum obsidium*. Arcani aquæductûs egregium specimen habes apud Procopium 4. Gotthicorum in obsidione Petræ Lazorum. ¶ *Nónne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda?*] In Diurnis, unde multa excerpsit Esdras in Paralipomena, non omissis tamen potissimis rebus quæ in his sunt Annalibus. Id discrimen bene notavit Tacitus Annal. 13. *Nerone secundùm, L. Pisone Consulibus, pauca memoriâ digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus, queis molem amphitheatri apud Campum Martis Cæsar adstruxerat, volumina implere: cùm ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare*. Nominat alibi *diurna actorum scripta, diurna populi Romani*, ut & Vopiscus Probo. *Diurnorum Alexandri Magni* mentio est apud Plutarchum.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

13. *Funiculum Samariæ*] Jon. *Decernet super Jerusalem funiculum devastationis Samariæ, & pondus tribulationis domûs Ahab*, h.e. Eâ mensurâ quâ Samaritis impiè agentibus mensuravi, Hierosolymitanis quoque metiar, cùm eadem committant scelera. ¶ *Detergam Jerusalem*] Hebræi exponunt verbum מחה in hoc loco per קנח, sicut nos vertimus. Est autem sensus literæ, Sicut patella seu patina immunda detergitur, & deinde in superficiem concavam ponitur, nè labem aliquam contrahat, sic Jerusalem à sceleratis hominibus repurgabitur & penitus subvertetur. Ben Gersom verò exponit מחה per הכה in hunc modum, *Sicut cùm patina plena cibis in terra projicitur, & nihil in ea relinquitur, præsertim si inversa abjiciatur, sic absque reliquiis Jerusalem percutietur & subvertetur.*

16. *Ab angulo in angulum*] Vel, *ab una extremitate ad aliam extremitatem.* Heb. *ab ore ad os*, pro quo Chald. vertit סיפא, quod *labium* & *angulum* significat. Id autem de Menasse dicitur, quòd nullum bonum virum, qui suæ impietati consentire noluit, vivere permisit.

VATABLUS.

2. *Juxta abominationes Gentium*, כתועבות הגוים] Hebraismus, Fecit abominanda non aliter quàm Gentes, sive Coluit idola more Gentium.

3. *Et incurvavit*, &c. וישתחו וגו'] *Et adoravit universam militiam cœli, & coluit illam.*

4. *In Jerusalaim*, &c. בירושלם אשים את שמי] i. In Templo quod exstruetur in Jerusalem, invocabitur nomen meum, & dicetur templum meum, vocabiturque de nomine meo.

6. *Observavitque*, &c. ועונן ונחש] i. Ex inspectione cœli & stellarum futura prædixit & divinavit, ac exercuit artem præstigiatricem, i. fuit præstigiator. ¶ *Multiplicavit*, &c. הרבה לעשות הרע] i. Quamplurima fecit mala quibus ad iracundiam provocavit Deum.

7. *In sempiternum*, לעולם] Pro longo tempore positum est.

8. *Nec addam*, &c. ולא אוסיף להניד] i. Neque posthac committam, sive efficiam *ut Israel moveat pedem*, vel, nec ultrà sinam ut Israel emigret ex hac terra. ¶ *Ità duntaxat si custodierint*, רק אם ישמרו לעשות] *Si tamen* [*dummodo*] *custodierint facere*, i. eâ lege atque conditione ut curam ac diligentiam ponant ut faciant omnia quæ præcepi eis.

9. *Sed errare fecit eos*, ויתעם] *Sed seduxit eos.*

11. *Faciendo pejora*, הרע] Et *deteriora fecit.*

12. *Inducam*, מביא] Præs. Heb. pro fut.

13. *Et extendam*, &c. ונטיתי וגו'] Metaphora ab architectis & latomis, q. d. Designabo velut lineâ quâdam id quod volo perdi & dejici: & quemadmodum curavi evertendam Samariam, ità curabo evertendam Jerusalem: & non aliter quàm perdidi familiam Achab, perdam illam. *Perpendiculum*, instrumentum ad cujus rationem dirigunt architecti lapides ædificii. ¶ *Et abstergam*, ומחיתי] i. Civibus suis repurgabo, ut repurgare solet aliquis coquus, aut is cui id negotii demandatum est, scutellam; quam cùm repurgaverit, vertit in faciem, h. e. subvertit.

16. *De latere ad latus*, פה לפה] Ad verb. *os ad os*, i. ad orificium usque. Gallicè, *de bord en bord.* Chald. *ab extremitate ad extremitatem.* Metaphora à vasis quæ aquâ aut alio humore impleri solent.

23. *Ipsum*, את המלך] Ad verb. *Regem.*

24. *Populus terræ*, עם הארץ] i. Populus ejus regionis.

25. *Quæ fecit*, אשר עשה] Quidam subaudiunt conjunctionem, *& quæ fecit.*

26. *Et sepelivit*, ויקבור] Sub. *Josias.*

CLARIUS.

13. *Funiculum Samariæ*] h. e. Eâ mensurâ quâ Samaritis impiè agentibus mensuravi, Hierosolymitanis quoque metiar, cùm eadem commiserint scelera. ¶ *Delebo Jerusalem*] Sensus est, Sicut patella immunda detergitur, deinde in superficiem concavam ponitur, nè labem aliquam contrahat, sic Jerusalem à sceleratis hominibus repurgabitur & penitus subvertetur.

DRUSIUS.

6. וְעָשָׂה אוֹב. A. Καὶ ἐποίησε θελητήν] Legitur in AA. LL. Ego non dubito quin sumptum sit ex editione Aquilæ. Vide quæ scripsimus ad Fragmenta interpretum Levit. 19. 31. Interpres noster *& fecit pythones*. In comment. autem Theodoreti, ἐγγαστριμύθους. ¶ וְיִדְּעֹנִים. Alius, καὶ γνώστας] Theodoretus, Γνώστας δὲ οἶμαι τοὺς διὰ ἧπατος μαντευομένους κληθῆναι.

GROTIUS.

1. *Manasses*] Sanguinarium ingenium, Caii Caligulæ & Neronis ingenio non dissimile.

4. *Exstruxitque aras*] Diis illis gentium vicinarum.

7. *Idolum luci*] Telluris, ut conjecimus Jud. 2. 13.

12. *Ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus*] Ut 1 Sam. 3. 11.

13. *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ*] Eâdem mensurâ eam metiar quâ Samariam mensus sum. Lxx, τὸ μέτρον Σαμαρείας. Hebræa vox propriè *amussim* significat quâ ad dirigendas mensuras utuntur architecti. ¶ *Et pondus domûs Achab*] Καὶ τὸ στάθμιον οἴκου Ἀχαάβ, i. non pluris mihi valebit. Vide Dan. 5. 26. ¶ *Et delebo Jerusalem sicut deleri solent tabulæ*] Meliùs Græci, καὶ ἀπαλείψω τὴν Ἱερουσαλὴμ καθὼς ἀπαλείφεται ὁ ἀλάβαστρος, *Abstergam Hierosolyma quomodo abstergi solet alabastrum*, aut potiùs *scutella*. ¶ *Et delens vertam & ducam crebriùs super faciem ejus*] Heb. *& vertit super faciem suam.* Lxx, καὶ καταστρέφεται ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Solent alabastra aut scutellæ benè abstersæ ore deorsum verso reponi.

16. *Usque ad os*] Heb. פה לפה. Lxx ad verbum στόμα εἰς στόμα· id significat *confertim*, ut suprà 10. 21. Similitudo sumpta ab aridis aut liquidis, quorum summitas vasis summitatem adæquat.

17. *Et universa quæ fecit*] In captivitate & post reditum. ¶ *In libro Sermonum dierum*] In Diurnis, unde ea excerpsit Esdras, 2 Par. 33. 11, & seq.

18. *Sepultus est in horto domûs suæ*] Dicitur id ipse voluisse, quòd malis factis suis meritus esset extra regia sepulcra poni.

19. *De Jetheba*] Quæ *Jethebatha* Num. 33. 33. & Deut. 10. 7.

24. *Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant*] Vide quæ dicta suprà 14. 21.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

4. *Ut cesset colligere pecuniam*] Est hîc ויתם idem quod וישלים *finem negotii facere.* Et paulò pòst utitur Scriptura verbo התיך *conflare*; non quòd pecunia esset per ignem conflanda, sed לגבות *in unum colligenda* & ordinanda in opus ædificii. Unde Jonathan vertit ויתחים *& ordinavit pecuniam.* ¶ *Custodes vestibuli*] Jon. אמרכליא, per quos intelliguntur גזברים *thesaurarii*, quorum custodiæ commissa erant כלי בית המקדש *vasa Templi.*

6. *Fabris, carpentariis*, &c.] R. Levi exponit חרשים pro *fabris lignariis*, & בונים pro *instauratoribus murorum* atque

atque tignorum, & נורדים pro *iis qui reficiebant collapsos muros atrii*.

8. *Librum legis inveni*] Menasse Rex impius, qui quinquaginta quinque annis Regno præfuit, penitus abolevit Legem Domini, & occidit Prophetas atque omnes bonos viros qui suæ impietati noluerunt subscribere: & tunc vir quidam bonus reposuit exemplar legis Divinæ in quodam loco Templi tuto, quod sub Josija nutu Dei fuit repertum. Et licet Menasse post captivitatem suam, quâ in Babel fuerat ductus, pœnitentiam egerit, ut liber Paralipomenωn docet, & magno studio idololatriam quam introduxerat studuerit eliminare à terra, quam in primis sciebat Deo displicere, senio tamen gravatus & morte præventus legem Domini restaurare non valuit.

14. *In domo doctrinæ*] Exponunt hîc communiter Hebræi משנה pro בית מדרש, vel, ut Chald. vertit, בית אולפנא *domus doctrinæ*, seu *studii legis Divinæ*. Erátque certus quidam locus juxta Templum, in quo docti quique conveniebant & conferebant de Lege & de vaticiniis Prophetarum. Rabbini Judæorum in dispersione illa in qua sunt hodie, vocant hujusmodi disputationis locum בית המדרש *domum inquisitionis*. Abierunt quoque vocabula illa *Medras* & *Misna* in usum certorum quorundam librorum. Nam per *Medras* intelligunt Parisiensem quandam & confusam Theologiam, in qua quicquid in buccam venerit effutiunt, ludúntque planè in rebus seriis haud secùs quàm spinosi nostri Theologi. *Misna* autem est expositio Thalmudica, cui obstinatiores Judæi immoriuntur haud secùs quàm Magistri nostri suis adinventionibus mordicus adhærent.

16. *Quæ legit rex Jehuda*] Secundùm Hebræos incidit Rex in lectionem 28. capitis Deuteronomii, quod ipsi פרשת תוכחות vocant. Nam illic agitur de extremo malo quod venturum erat super Jehudæos quando legem Dei desererent.

VATABLUS.

4. *Ut perficiat*, ויתם] i. Ut perfectè & exactè conflet argentum rude & non percussum. Alii, *ut perficiat*, i. perfectè exigat pecuniam. De conflando argento eum loqui, videtur confirmare quod sequitur v. 9. *Conflaverunt*, &c. ¶ *Custodes liminis*, שומרי הסף] i. Æditui. Alii, *custodes vasorum*.

5. *Præfecti*, &c. המופקדים בבית יהוה וגו'] *Qui præfecti sunt in domo Jehovæ*, i. qui præsunt operi Templi, tradant, &c. ¶ *Ad instaurandum*, &c. לחזק את בדק הבית] Ad verb. *ad roborandum fissuram* [vel, *rupturam*] *domûs*, i. ad reparandas & instaurandas scissuras Templi.

6. *Et ædificatoribus*, ולבונים] *Et tignariis*.

7. *Non numeretur*, לא יחשב] *Non numerabitur*, i. non dabitur illis pecunia numerata, sive certo numero. ¶ *Sed in fide faciant*, כי באמונה הם עושים] *Nam in fide operantur*. Ad verb. *quia in fide ipsi facientes*, sub. *erunt*, i. fideliter eam pecuniam dispensabunt. Vide suprà 12. 16.

8. *Librum Legis*, ספר התורה] i. Librum continentem Legem. Hic locus indicat impium Manassen sustulisse libros Sacros è medio, adeò ut Josias non habuerit librum Legis antequam invenerit eum Helcias.

9. *Responsum*, דבר] Ad verb. *rem*, sive, *verbum*. ¶ *Conflaverunt*, התיכו] Hic locus ostendit argentum fuisse rude, & non percussum.

13. *Requirite Jehovam*, דרשו את יהוה] *Consulite Jehovam*. ¶ *Super verbis*, על דברי] *Propter verba*, i. propter librum hunc. *Nobis*, עלינו] *Propter nos*.

14. *In domo doctrinæ*, במשנה] Sic interpretatur Chaldæus paraph. Locum quendam fuisse juxta Templum scribunt quidam, in quem doctissimi quique conveniebant ut conferrent de Lege & vaticiniis Prophetarum. Alii existimant locum fuisse in quo literis profanis dabant operam cùm tunc Jerosolymis nulli essent libri Sacri. Alii nomen vici fuisse docent. Ad verb. *in Secunda*.

16. *Adduco malum*, מביא רעה] Præs. Heb. pro fut. *adducturus sum calamitatem & miseriam*.

18. *Verba quæ audisti*, הדברים אשר שמעת] Subaudiendum aliquid, sic, *Verba quæ audisti dum legeretur liber Legis, eventura quidem erant*. Post hæc seq. v. legitur, *Verùm emollitum*, &c.

19. *Quòd esset in desolationem*, להיות לשמה] i. Quòd locus iste desolaretur, & maledictioni Divinæ subjiceretur.

20. *Et recolligeris in sepulcra tua*, ונאספת אל קברותיך] i. Deferent te in sepulcrum tuum.

CLARIUS.

4. *Confletur*] In unum colligatur, & ordinetur in opus ædificii.

8. *Librum legis*] Manasse Rex impius, qui 55 annis Regno præfuit, penitus abolevit legem Domini & occidit Prophetas atque omnes bonos viros qui suæ impietati noluerunt subscribere; & tunc vir quidam bonus reposuit exemplar legis Divinæ in quodam loco Templi tuto, quod sub Josia nutu Dei fuit repertum. Et licet Manasse post captivitatem suam, quâ in Babel fuerat ductus, pœnitentiam egerit, ut liber Paralipomenωn docet, & magno studio idololatriam quam introduxerat studuerit eliminare à terra, senio tamen gravatus & morte præventus legem Domini instaurare non valuit.

16. *Quæ legit rex Juda*] Secundùm Hebræos incidit Rex in lectionem vigesimioctavi capitis Deuteronomii: nam illic agitur de extremo malo quod venturum erat super Judæos quando legem Dei desererent.

GROTIUS.

1. *Octo annorum erat Josias*] Φύσιν ἀγαθὸς καὶ πρὸς ἀρετὴν εὖ γεγονὼς, ait Josephus. Aristoteles dicit esse quasdam impropriè dictas virtutes agnatas aliquibus, φυσικὰς ἀρετάς. Talibus instructum fuisse Isaacum putat Philo. In Græcis talis præcipuè mihi videtur fuisse Epaminondas, infelix tamen & ipse non minùs quàm Josias, populi magìs meritis quàm suis.

2. *Non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram*] Præstitit omnia quæ ab homine sperari poterant. Vide infrà 23. 25.

4. *Ut confletur pecunia*] Colligatur. LXX σφράγισον τὸ ἀργύριον. Similem historiam habuimus suprà cap. 12. ubi dicta vide.

5. *Per præpositos domûs Domini*] i. Ni fallor redemptores operis.

7. *Sed in potestate habeant & in fide*] Suo periculo opus faciant, quippe probandum postea.

8. *Librum Legis reperi in domo Domini*] Αὐτόγραφον Mosis, ut intelligere est 2 Par. 34. 14.

11. *Quem cùm legisset Saphan coram rege*] Dicitur, Deo ità disponente, incidisse in locum Deut. 28. 36. quibus verbis sibi lectis Rex territus fuerit.

13. *De verbis voluminis istius*] Non ergò descripserat Rex sibi exemplum, ut debuerat ex præscripto Deut. 17. 18. Ità desuetudo interdum etiam optimas leges obliterat. Confer quod est infrà 23. 2.

14. *Quæ habitabat in Jerusalem in Secunda*] Græci retentâ Hebræâ voce, ἐν τῇ Μασενᾶ. Chaldæum puto rectè interpretari בית אולפנא ἐν τῷ διδασκαλείῳ, nam משנה Hebræis est *traditio* Legis interpres.

17. *Indignatio mea in loco hoc, & non exstinguetur*] Ὅτι τὸ θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἐξήνεγκεν, ἣν οὐκ ἔχ' ἱκεσίαις ἄν τις ἄκυρον ποιήσειεν, ἀπολέσαι τὸν λαὸν καὶ τῆς χώρας ἐκβαλεῖν, Josephus hoc loco.

20. *Ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum*] Sæpe tempestiva mors beneficium est.

Incolumi Trojâ Priamus venisset ad umbras
Assarici magnis solennibus, Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena pallâ,

Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam ferróque cadentem,
& quæ sequuntur apud Juvenalem Satyrâ 10.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

2. P*Rophetis*] Quidam intelligunt per *Prophetas* Jeremiam, Zephaniam & Uriam. Alii סופרים *scribas*, h.e. discipulos Prophetarum.

4. *In arvis*] Quidam exponunt נחל *vallem*, alii מישר *planitiem*. ¶ *Tulitque pulverem eorum in Bethel*] Hoc ideo fecit quòd illic à tempore quo Jarobeam ibi erexerat Vitulum præcipua viguisset idololatria.

5. *Ministros Baal*] Sunt כמרים *cultores idolorum*, sic dicti, ut Kimhi putat, *quòd nigris induerentur vestimentis cùm Baal peragerent sacrum.* Judæi moderni, qui ubique Christianis pessimè volunt, sic vocant Christianorum Monachos, quòd plerique pullis induantur cucullis, & eos habeant pro cultoribus Baal. Sic Moniales vocant כומריות. id quod frequens est apud autorem libri Nizahon.

6. *Filiorum populi*] Sparsit cinerem super sepulcra illorum qui in vita sua coluerant idola, ut indè adverteretur quàm vana res esset idolum, quod cum suo cultore sic periret. Porrò קדשים sunt *qui prostituebantur* למשגל מגונה i. *turpem & perversum coitum:* in qua re imitati sunt perfidi Judæi dementiam Gentilium, qui in lucis abominationes istas faciebant. Mulieres verò texebant בתים *domunculas*, h.e. ירועות, sicut nos vertimus, ex quibus fiebant tentoria & domunculæ sub quibus in lucis ipsis nefanda exercebantur.

9. *Comedebant azyma*] h.e. Oblationes Minha, quæ paratæ erant ex farina non fermentata.

10. *Thopheth*] Sciendum quòd locus ille sic fuit vocatus à תוף *tympano* quod illic percutiebatur cùm puer per duos ignes hinc & hinc positos adigeretur, nè clamor ejus & ejulatus quem inter flammas immittebat audiretur & paterna commoveret viscera. Fuit autem imago ipsa Molech concava, habens caput Vituli, & manus Hominis extentas atque paratas ad suscipiendum; & ponebatur in ignem. Et pueri qui per ignem traducebantur, ad brachia Molech impellebantur, ut inter amplexus ejus cremati gratum illi fierent sacrificium. Sic de hoc nefando ritu loquuntur Judæi. Vocatúsque est locus ille *vallis filiorum Hinnom* à rugitu ipso quem filii ibi immolati emiserunt. Putant enim הנם à נהם *rugivit* seu *ejulavit*.

11. *Equos*] Adoraturi Solem insidebant equis illis, equitabántque ab ingressu Templi usque ad cameram Nethanmælech, quem Rex constituerat principem super מגרשים *suburbia*. Sic enim Hebræi exponunt dictionem פרורים.

12. *Currens indè*] Hebræi exponunt verbum וירץ hoc loco transitive pro הרחיק *transtulit* seu *elongavit*. Alii putant radicem ejus esse רצץ *confregit*.

13. *Montis Oliveti*] Scribitur in Hebræo משחית *corruptionis*, pro משחה *unctionis*, in detestationem idololatriæ quæ exercebatur in monte illo. Unde Jonathan vertit לטור זיתיא *ad montem Olivarum*.

17. *Titulus ille*] Exponit Kimhi ציון pro מצבה *statua qua super sepulcrum erigitur*. Proinde de תרפים diximus Gen. 31. & Judic. 18.

29. *Pharao Necho*] Jonathan pro נכה vertit חגירא *claudus*. Nam claudicabat pedibus Pharao iste.

33. *Ligavit eum*] Volens enim Jehoahaz ulcisci patrem suum Josijam, irruit in terram Ægypti: sed captus à Pharaone & in Ægyptum ductus, mortuus est ibi in vinculis.

35. *Terram taxans*] Chald. exponit verbum העריך per רמא מגבתא *imposuit mulctam super populum terra.*

VATABLUS.

1. V*Erbum*, דבר] i. quæ audierant ab ea, h.e. responsum. ¶ *Misit ergò*, וישלח] Sub. *nuncios in urbes sibi subditas, qui congregarent.*

2. *Et omnes viri*, וכל איש] Ad v. *& omnis vir.* Hoc de majori parte intelligi debet. ¶ *Et Prophetæ*, והנביאים] Chald. *& scribæ*; i. discipuli Prophetarum: non enim erant ibi alii Prophetæ. Propterea misit Rex ad Holdam Prophetissam. Alii aiunt eos tum abfuisse, sed postea à Rege convocatos fuisse cum populo. Hæc doctus inter Hebræos.

3. *Juxta columnam*, על העמוד] Juxta quam scilicet stare solebat Rex. Alii, *in suggesto*, vel *sede*. Sic dictum Hebraicè suggestum, quòd à terra esset elevatum. ¶ *Se ambulaturos*, ללכת] Ad v. *ad eundum, ut irent*; i. pollicebatur se ambulaturum post Dominum. Sequentia verba etiam leguntur sing. numero pro plur. ¶ *Ut suscitarent*, להקים] i. ut adimplerent. ¶ *Et stetit*, ויעמוד] *Et perstitit*, i. acquievit federi. Chald. *& susceperunt universus populus super se fedus.* Doctus inter Hebræos exponit, *steterunt, & corroborati sunt ore & corde in federe.*

4. *Secundis*, המשנה] *Secundi*, sub. *ordinis*; i. secundæ dignitatis à Pontifice. ¶ *Ipsi Baal*, לבעל] *Propter Baal*; i. quibus utebantur in cultu Baal. ¶ *Tulitque*, &c. וישא את עפרם בית אל] i. Jussit deferendum cinerem in Beth-el, ut altare ibi exstructum pollueret.

5. *Cessare quoque fecit*, &c. והשבית את הכמרים] *Abolevit quoque Chamarim*; i. privavit dignitate sacerdotes fanorum. ¶ *Et universæ*, &c. ולכל צבא השמים] Hîc ו pro *id est:* nam Sol, Luna, & signa sunt *militia cœlestis.*

6. *Lucum*, את האשרה] i. Simulacrum luci, i. eductum de templo curavit asportandum, &c. ¶ *Super sepulcrum*, &c. על קבר בני העם] i. Super sepulcra vulgi qui adoraverat lucum illum.

7. *In domo Jehovæ*, בבית יהוה] i. In atrio populi, h.e. domunculas Sacerdotum qui versabantur in cultu luci & simulacrorum; intelligit enim de fornicatione spirituali. Alii tamen intelligunt de fornicatione carnali. ¶ *In quibus mulieres*, אשר הנשים] Adeò invaluerat cultus luci ut fuerint exstructæ ædiculæ in templo feminis quæ texerent cortinas luci, & etiam sacerdotibus luci, quos *scorta mascula* vocat.

8. *Et venire fecit*, ויבא] *Et accersivit.* ¶ *Et contaminavit*, ויטמא] *Et polluit*; i. polluta & contaminata esse declaravit. ¶ *Portarum*, השערים] i. Quæ erant ad portas urbis Jerusalem.

9. *Non ascendebant*, לא יעלו] *Non ascenderunt*, sub. *ultrà ex eo tempore.* ¶ *In medio fratrum suorum*, בתוך אחיהם] *Inter fratres suos*; i. comedebant de oblationibus, sive partem habebant in iis quæ capere solebant sacerdotes alii, privati tamen dignitate sacrificandi in Jerusalem.

11. *Cessare denique fecit*, וישבת] i. Abstulit, sive amovit. ¶ *In suburbanis*, בפרורים] Quæ scilicet erant Orientem versus. Equi de quibus hîc loquitur erant instar veredorum quibus cursores equestres utebantur, & illis vehebantur qui quotidie Solem orientem salutabant jussu Regis. ¶ *Et currus Solis*, ואת מרכבות השמש] Fortasse intelligit currus quibus vehebantur cultores Solis, dum quotidie illi obviàm procederent. Quidam intelligunt de statuis in quibus erant sculpti currus.

12. *Et cucurrit indè*, וירץ משם] i. Citissimè abiit. Alii, *& currere fecit illinc*, sub. *altaria*; i. amovit, vel contrivit, & confregit.

13. *Oliveti*, המשחית] Ad v. *offensionis*, vel *destructionis, exterminationis*; ità dicebatur propter idololatriam quæ illic exercebatur. ¶ *Ædificaverat*, בנה] i. permiserat exstrui. ¶ *Et Milchom*, ולמלכום] Idolum quod & *Molech* 1 Reg. 11. 7. dicitur.

14. *Ossibus hominum*, עצמות אדם] Ut scilicet ea magis

magis esse polluta significaret. Nam contactu cadaveris aut ossium sacra loca contaminabantur.

15. *In Beth-el,* בבית אל] Intelligit eam Beth-el quæ est in Regno Israelis, 1 Reg. 13. 1.

16. *Vidit,* וירא] Verba hujus versûs verti possunt per plusquam perfectum, *viderat, miserat, tulerat, combusserat,* &c. ¶ *Prædicaverat,* קרא] i. Prædixerat. Sic mox & seq. versu.

17. *Contra altare,* על המזבח] *De altari.*

18. *Dimittite illum,* הניחו לו] *Sinite illum quiescere;* sub. *in sepulcro.* ¶ *Et liberaverunt,* &c. וימלטו] i. Effecerunt ut ossa ejus intacta remanerent, hi nempe qui illa Regi dixerant. De ossibus pseudoprophetæ loquitur.

19. *Juxta omnia opera,* &c. בכל המעשים] i. Eadem fecit his quæ fecerat illis quæ erant in Beth-el.

22. *Non enim celebratum fuit tale Pesah,* כי לא נעשה כפסח הזה] Ad verb. *& non factum fuit sicut Pesah istud.*

24. *Et simulacra,* ואת התרפים] Propriè (ut quidam volunt) sunt dii penates. ¶ *Et idola,* ואת הגלולים] Hic ו eam vim habet acsi diceres, *Ut uno verbo dicam, omnia idola,* &c. ¶ *Removit,* בער] *Expulit, ejecit.* ¶ *Ut statueret,* למען הקים] *Ut rata esse juberet;* i. confirmaret, aut conciliaret robur verbis Legis.

26. *Irritationes quibus irritaverat eum,* הכעסים אשר הכעיסו] *Indignationes* [*iras*] *quibus ad iracundiam provocaverat eum.*

27. *Ejiciam,* אסיר] *Removebo,* &c. ¶ *Et aversabor,* ומאסתי] *Et abominabor, aspernabor.*

26. *Cùm vidisset eum,* כראותו אותו] Sub. *in armis,* vel *armatum:* i. cùm intellexisset eum paratum esse ad pugnandum. Pharao proficiscebatur in Charchamis urbem sitam ad Euphratem, de qua Regem Syriæ expulerat Rex Assyriæ; quam hic Pharao dum vellet restituere Regi Syriæ, conscripsit copias adversùm Regem Assyriæ, & transivit per Judam. Quod nesciens, aut fortè dissimulans se scire, Josias congressus est cum Pharaone in tribu Juda, & ab ipso Pharaone interfectus fuit.

30. *Et imposuerunt eum in currum,* וירכבוהו] Ad v. *Equitare fecerunt eum.*

33. *Et ligavit eum,* ויאסרהו] *Et vinxit eum:* i. conjecit eum in vincula. ¶ *Dum regnaret,* במלוך] Annotant Hebræi, in contextu scribi במלוך *in regnando,* sive *dum regnaret;* & legi ממלוך *à regnando, nè regnaret;* sub. *ultrà,* vel *postea.* ¶ *Et imposuit mulctam,* &c. ויתן ענש על הארץ] i. Indixit mulctam quandam super incolas ejus regionis, mulctam, inquam, centum, &c.

34. *Et vertit,* ויסב] i. mutato nomine vocavit eum, &c.

35. *Præterea æstimare fecit,* &c. אך העריך את הארץ] Id est quod vulgò dicitur, *taxavit facultates eorum qui habitabant in ea regione;* q.d. Non detrectavit tributum, imò censuit facultates habitatorum, ut daret tributum imperatum. ¶ *Ad imperium,* על פי] *Pro æstimatione,* sive *pro ratione æstimationis, Paraoh;* i. ut daret pecuniam imperatam à Paroh.

CLARIUS.

4. **P**Ulverem eorum in Beth-el] Hoc ideo fecit quòd illic à tempore quo Jeroboam ibi erexerat Vitulum præcipua viguisset idololatria.

6. *Sepulcra vulgi*] Sparsit cinerem super sepulcra illorum qui in vita sua coluerant idola, ut indè adverteretur quàm vana res esset idolum, quod cum suo cultore sic periret.

7. *Mulieres texebant*] Fiebant quædam tentoria & domunculæ sub quibus in lucis ipsis nefanda exercebantur.

9. *Comedebant Azyma*] h.e. Oblationes Minha, quæ paratæ erant ex farina non fermentata.

10. *Thophet*] Ferunt locum illum sic vocatum à tympano quod illic percutiebatur cùm puer per duos ignes hinc atque hinc positos adigeretur, nè clamor ejus & ejulatus quem inter flammas emittebat audiretur, & paterna commoverentur viscera. Fuit autem imago ipsa Moloch concava, habens caput Vituli, & manus Hominis extentas atque paratas ad suscipiendum: & ponebatur in ignem. Et pueri qui per ignem traducebantur ad brachia Moloch impellebantur, ut inter amplexus ejus cremati gratum illi fieret sacrificium. Vocatúsque est locus ille *Vallis filiorum Hennon* à *rugitu* ipso quem filii ibi immolati emiserunt.

11. *Equos*] Adoraturi Solem insidebant equis illis, equitabántque ab ingressu Templi usque ad cameram Nathanmelech, quem Rex constituerat principem super suburbia.

33. *Vinxitque eum*] Volens enim Joachaz ulcisci patrem suum Josiam, irruit in terram Ægypti: sed captus à Pharaone & in Ægyptum ductus, mortuus est ibi in vinculis.

DRUSIUS.

5. וְלַמַּזָּלוֹת. Lxx καὶ τοῖς μαζουρὼθ] Alibi est מַזָּרוֹת, unde μαζουρὼθ, quod tamen rectiùs scripseris μαζαρώθ. Interpres V. *& duodecim signis.* Hier. De veste sacerdotali, *& zodiaco circulo.* In lib. Nom. Ebr. *Mazaroth,* ζώδιον, *quæ 12 signa Mathematici asserunt.* Vet. Gloss. Ζωδιακὸν, *qui est circulus in quo 12 signa;* & alibi *Mazaroth,* ζώδιον, i. *signa horoscopi per 12 horas.* Theodoretus ad h. l. Τὸ Μαζουρὼθ ἀστέρος οἶμαι ὄνομα εἶναι, καὶ τοπάζω τὸν ἑωσφόρον οὕτως ὀνομάζεσθαι, *nomen puto esse stellæ, conjicióque Luciferum sic nominari.*

7. הַקְּדֵשִׁים. A. οὗ ἐποίουν ἐνδύματα τοῖς ἐκπορνεύουσιν ἀπὸ Κυρίου, *ubi vestes faciebant iis qui scortati fuerant deserto Domino*] Non omnino hîc mihi claret. Theodoretus, Οἱ περὶ τὸν Ἀκύλαν τὸ Καδησεὶμ οὕτως ἡρμήνευσαν, οὗ ἐποίουν ἐνδύματα τοῖς ἐκπορνευομένοις ἀπὸ Κυρίου. Vide sis Fragmenta in Hos. 4. 14.

10. וְטִמֵּא אֶת הַתֹּפֶת אֲשֶׁר בְּגֵי בֶן־הִנֹּם לְבִלְתִּי לְהַעֲבִיר אִישׁ אֶת בְּנוֹ וְאֶת בִּתּוֹ בָּאֵשׁ לַמֹּלֶךְ. Sym. Καὶ ἐμόλυνεν τὸ Ταφὲθ τὸ ἐν τῇ φάραγγι υἱοῦ Ἐννὸμ, ὥστε μὴ παραφέρειν ἄνδρα τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ διὰ πυρὸς τῷ Μολόχ, *Et contaminaverunt locum Tapheth qui erat in convalle filii Hennom, ut nè trajiceret homo filium suum aut filiam suam per ignem Molocho*] Ταφὲθ. Malim, Θαφὲθ, quod nunc legunt ac scribunt Θοφὲθ sive Θωφὲθ, i. *Thopheth.* ¶ *Trajiceret*] *Proferret.* ¶ Ἐν τῇ φάραγγι υἱοῦ Ἐννὸμ] Ebraicè γηεννὸμ, quod Syri enunciant γε-εννὰμ, unde *Gehenna,* abjectâ literâ ultimâ. Quod factum & in nomine *Maria.* Nam Ebræi dicunt *Mariam.*

11. פַּרְוָרִים Sym. τοῦ φρουροῦ. Lxx φαρουρείμ. Hier. quoque *Pharurim*] Theodoretus, Τὸ δὲ Φαρουρεὶμ, τοῦ φρουροῦ, οἱ περὶ τὸν Σύμμαχον ἡρμήνευσαν.

GROTIUS.

3. **S**Tetítque Rex super gradum] In eo loco de quo suprà 2. 11, 14. ¶ *Et fedus percussit*] Vide suprà 11. 17. ¶ *Et suscitarent verba federis hujus*] In Hebræo idem verbum est quod infrà 24. vertitur *statuere:* id verò est Rebus ipsis effectum dare.

4. *Sacerdotibus secundi ordinis*] Vicario summi Pontificis, & τῷ δευτεραγῷ τοῦ ἱερέως. ¶ *Omnia vasa quæ facta fuerant Baal*] Ex lege Deut. 7. 25. ¶ *Et tulit pulverem eorum in Bethel*] Ut illum locum omnino profanum redderet, & indè longè arceret eos qui Deum colere vellent. Erant autem Bethel in ditione Regum Judæ jam ab Abiæ temporibus 2 Par. 13. 19.

5. *Et delevit aruspices*] Heb. הכמרים *Camillos.* Sic & Soph. 1. 4. *Camilli* deorum ministri. Servius ad 11 Æneid. & ante eum Varro De lingua Latina l. 6. Festus quoque ac Dionysius Halicarnassensis & Plutarchus. ¶ *Baal, & Soli*] Rectiùs in Hebræo *Baal Soli.* Est enim idem. ¶ *Et duodecim signis*] Heb. למזלות, quod à נזל videtur deduci & significare *influxus siderum,* pro quo, ל mutato in ר, ut modò in voce כמר & *Camilli* notavimus, Job habet מזרות 38. 32. & מזרים mutato genere 37. 9. Alii Jovem, alii Venerem, alii Planetas omnes

omnes præter Solem & Lunam intelligunt. Lxx, ut solent, in incerta significatione vocem Hebræam reliquerunt.

6. *Super sepulcra vulgi*] Quæ ex Lege impura.

7. *Ædiculas effeminatorum*] Catamitorum. ¶ *Pro quibus mulieres texebant quasi ædiculas luci*] i. Tentoria, sicut illa mulierum סכות בנות suprà 17.30. illa tentoria in lucis disponebantur.

8. *Contaminavit excelsa*] Reliquias mortuorum illuc inferendo, ut infrà 14 & 16, & 20.

9. *Non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum*] Ad exemplum eorum in quibus erat legalis immunditia Levit. 21. 18. Simile apud Ezech. 44. 10, & sequentibus. Aliæ culpæ, pœnitentiâ sequente, non amovebant reos à functione Sacerdotii, idololatria & cultus in loco illicito amovebant.

10. *Ut nemo consecraret*] i. *Lustraret*, quod in locum vetusti moris eos comburendi successerat, ut diximus ad Deut. 18. 10.

11. *Abstulit quoque equos quos dederant Reges Juda Soli*] Nam per omnem Orientem sacrum Soli id animal, ut docet Xenophon Institutionis Cyri l. 8. & Ascensûs 4. Pausanias in Laconicis, Justinus in Darii historia. ¶ *Currus autem Solis*] Quadrigas Soli sacras, de quibus agit Heliodorus Æthiopicorum 10.

12. *Altaria quoque quæ erant supra tecta*] In solario posita ad cultum astrorum, Jer. 19. 13. Soph. 1. 5.

13. *Ad dexteram partem montis Offensionis*] Mons Oliveti, aliàs משיח ab *unctione*, per allusionem à temporibus Solomonis dici cœptus mons משחית *corruptionis*.

17. *Quis est titulus ille?*] Columella, qualis sepulcris imponi solebat, Gen. 35. 20. ¶ *Prædixit verba hæc*] 1 Reg. 13. 2.

18. *Cum ossibus Prophetæ qui venerat de Samaria*] 1 Reg. 13. 31.

20. *Occidit universos sacerdotes excelsorum*] Qui contra Legem Regum beneficio Sacerdotium invaserant.

22. *Nec enim factum est Phase tale*] Tanto concursu & tot victimis. Ezechiæ temporibus multi emanserant, multi se non mundaverant. ¶ *A diebus Judicum qui judicaverant Israel*] i. Post tempora Samuelis 2 Par. 35. 18.

24. *Pythones & ariolos*] Vide Levit. 20. 27. ¶ *Et figuras idolorum*] Heb. *Theraphim*, quod, ut alibi diximus, *imagines* significat. ¶ *Et immunditias & abominationes*] Est explicatio prioris vocis, ut intelligantur imagines falsorum deorum, quas Hebræi ut res maximè impuras abominari jubebantur.

25. *In omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua*] Vide quæ dicta sunt ad Matth. 22. 37.

26. *Propter irritationes quibus provocaverat eum Manasses*] Quia is idololatriæ ingentem sævitiam addiderat, approbante magnâ populi parte, infrà 24. 3. Et ipsum Josiam multi metu magis quàm verè emendati animi proposito sectabantur, Ezech. 24. 6.

27. *Quam elegi*] Quam omnibus aliis urbibus prætuli, Templum meum ibi statuendo.

29. *Nechao rex Ægypti*] *Necos* Herodoto, ut diximus ad l. 3. De V. R. Chr. ¶ *Contra regem Assyriorum*] Babylonium, qui tunc & Assyriam tenebat. Ità hîc Josephus. ¶ *Occisus est in Megeddo*] Ἐν Μαγδόλῳ Herodotus, corruptâ nonnihil pronunciatione. Vide Jud. 1. 27. Idem locus, quia in monte positus, Ἀρμαγεδών. Sic Garizin Ἀργαριζὶν apud Eusebium & alios. Et alius locus Plinio & Tacito *Arsamosata* הר שמשתא, i. *mons Solis*. Aiunt Hebræi hoc malum evenisse Josiæ ideo quòd Jeremiam non consuluisset. ¶ *Cùm vidisset eum*] Αὐτότης, i. pugnasset cum eo, ut suprà 14. 8.

30. *Joachaz*] Qui & Sellum Jer. 22. 11.

33. *Vinxitque eum Pharao Nechao*] Nempe nè quid se ad Cercussum absente Joachaz novaret. ¶ *In Rebla*] Apameæ, ut vult Paraphrastes Hierosolymitanus Num. 34. 11.

34. *Constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ*] Hominem ingenii quietioris quàm erat frater. Vide simile 24. 17. ¶ *Vertitque nomen ejus Joakim*] Eadem est significatio cum *Eliacim* in Hebræo. Sed quia Syris Saturnus אל vocabatur, ut ostendimus ad l. 1. De V. R. Chr. ideo nomen Dei Judæorum quàm sui Dei ponere in victi Principis nomine maluit.

35. *Unumquemque juxta vires suas exegit*] Pro modo patrimonii.

36. *Viginti quinque annorum erat Joakim cùm regnare cœpisset*] Nempe jure non controverso, post mortem captivi fratris.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

2. TUrmas] Sunt גדודים *turmæ*, seu *cunei nebulonum*, qui per subitas incursiones homines diripiunt. Quam artem hodie Turca contra finitimos Christianos strenuè exercet, subitò in eos irruens & captivos abducens. Interpres noster hanc dictionem hîc & in multis aliis locis vertit pro *latrunculis*, i. grassatoribus.

12. *Egressus est rex Jehuda*] Ut scilicet pacem faceret cum Nebuchadnæzar: verùm illo renuente ductus est in captivitatem unà cum principibus, artificibus, eunuchis & custodibus. Alii intelligunt per *egredi* sese dedere & in potestatem victoris venire. Intelliguntur proinde per מסגר secundùm Hebræos, שוערים *janitores civitatis* & שומרי החומה *custodes muri*, qui scilicet claudebant & aperiebant civitatem. Unde Chald. vertit תרעיא *portarum custodes*.

VATABLUS.

1. IN *diebus ejus*, בימיו] i. Sub finem tertii anni regni ejus. Vide Dan. 1. 1. Vel quarto anno ab eo quo regnare cœperat Joacim, venit Nabuchodonosor, & expugnavit Jerusalem, Jer. 25. 1. ¶ *Sed conversus*, &c. וישב וימרד] Ad verb. *& reversus est*, *& rebellavit*. Cùm Nabuchodonosor retinuisset Joacim annum unum in vinculis, postea eum restituit Regno pristino, tributo imposito, quod post tres annos negavit. Unde rursus duxit Nabuchodonosor copias contra Jerusalem, & expugnavit eam anno undecimo Joacim, quo anno ipse mortuus est dum abduceretur è Jerusalem, & sepulturâ caruit, Jer. 22. 19. & 2 Par. 36. 6. Non traditur quòd abductus sit Babylonem usque, sed quòd illum catenis vinxerit Nabuchodonosor ut abduceret in Chaldæam: nam in secunda captivitate non pervenit in Chaldæam, sed in itinere ipso mortuus est Joacim. Sic Hebræi.

2. *Exercitus*, את גדודי] *Turmas*.

3. *Juxta os*, על פי] *Juxta sententiam*, i. latâ sententiâ de ore Domini. Ore suo tulerat sententiam quâ prædixerat se abducturum Judam in captivitatem. ¶ *A facie sua*, מעל פניו] i. è Terra sancta.

4. *Et noluit*, ולא אבה] *Ideo noluit*.

6. *Dormivit itaque*, וישכב] Hic locus simpliciter pertinet ad mortem Joacim, non etiam ad sepulturam: quia *sepulturâ asinorum sepultus est*, Jer. 22. 19.

10. *Et venit civitas in obsidionem*, ותבוא העיר במצור] Hebraismus, *obsessa est civitas*. Seq. v. dicit, *obsidebant eam*.

11. *Sed & Nebuchadnesar*, &c. *venit*, ויבוא נבוכדנאצר מלך בבל וגו'] Ad verb. *Venitque Nebuchadnesar*, &c. i. Cúmque tandem venisset Nebuchodonosor oppugnatum eam urbem, obsessam à servis suis, egressus est, &c.

12. *Egressus est autem*, ויצא] *Egredi* hîc pro *dedere sese* ponitur, *& in potestatem victoris venire*.

13. *Et extulit illinc*, ויוצא משם] *Et asportavit indè*, nempe è Jerusalem. ¶ *Sicut locutus fuerat Jehova*, כאשר דבר יהוה] i. Quemadmodum prædixerat Dominus per Jesaiam Prophetam.

14. *Fortes*

14. *Fortes viribus*, גבורי החיל] Sic vocat bellicosos. V. 16. vocat *viros roboris*. ¶ *Captivorum*, גולה] Sing. Heb. pro plur. ut admonet doctus inter Hebræos. Quidam subaudito ב vertunt *in transmigrationem*. ¶ *Et inclusores*, והמסגר] Sing. Heb. pro plur. *janitores*, i. custodes urbis, vel (ut ait doctus inter Hebræos) *& eos qui stringebant ensem*, h. e. milites. *Inclusores castrorum* vocat, i. peritos castrametandi. Vide Jer. 24. 1.

15. *Fortes terræ*, ואילי הארץ] Chald. *principes* [*dominos*] *ejus regionis*.

16. *Viros roboris*, אנשי החיל] Paulò antè vocavit *fortes viribus*. ¶ *Et inclusores*, והמסגר] Ut v. 14. ¶ *Facientes bellum*, עשי מלחמה] i. Bellicosos, sive bello aptos.

20. *Nam propter furorem*, &c. כי על אף וגו'] i. Nam tantam iram conceperat Dominus contra Jerusalem ut permitteret rebellare Sedeciam, quò fieret ut abducerentur à terra sua in captivitatem. Alii vertunt, *Nam cum ira Jehovæ erat* congregatio *in Jerusalem & Juda*, *donec projecit eos à facie sua*, *tum rebellavit*, &c. i. nam invito & ægre ferente Domino, congregatio eorum qui evaserant, nec abducti fuerant in captivitatem, erat in Jerusalem & Juda: donec ejecit eos de Terra sancta, in qua erat templum Domini, in quo facies, i. arca ipsius Domini, erat, super quam præsentiam suam exhibebat: proinde rebellavit Sedecias.

CLARIUS.

2. LAtrunculos] Vel *turmas*, quæ per subitas incursiones homines diripiunt; quam artem hodie Turca contra finitimos Christianos strenuè exercet, subitò in eos irruens & captivos abducens.

12. *Egressusque est Joachin*] Ut scilicet pacem faceret cum Nabuchodonosor: verùm illo renuente ductus est in captivitatem unà cum principibus, artificibus, eunuchis, & custodibus.

GROTIUS.

1. IN *diebus ejus ascendit Nabuchodonosor*] Ναβουχοδονόσορος Beroso, & in Actis Tyriorum. Ναβουχοδρόσορος Abydeno. Ναβοκοδρόσορος Straboni ex Megasthene, ut ad l. 3. De V. R. Chr. annotavimus. Ascendit autem postquam Ægyptium prælio vicerat, Jer. 46. 2. ¶ *Factus est ei Joakim servus*] Se in fidem ejus dedit. ¶ *Et rursum rebellavit contra eum*] Credibile id factum cùm Ægyptus à suo malo respirare cœpisset: quod tamen non diu duravit, ut apparet mox 7.

2. *Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum & latrunculos Syriæ*] Rectiùs dixeris *agmina*. Id enim significare solet vox Hebræa גדודי. Græci τοὺς μονοζώνους. Ex omnibus his gentibus quas hîc nominat constabat exercitus Nabuchodonosori. ¶ *Juxta verbum Domini quod locutus fuerat per servos suos Prophetas*] Per Holdam suprà 22. 16. Esaiam suprà 20. 17, 18. Jeremiam capitibus 14. & 15.

6. *Dormivit Joakim cum patribus suis*, *& regnavit Joachin filius ejus pro eo*] Qui & *Jechonias* nonnullis. Vide quæ ad Matth. 1. 11.

7. *Et ultrà non addidit rex Ægypti ut egrederetur è terra sua*] Ad tempora usque Sedeciæ, Jer. 37. 7. ¶ *A rivo Ægypti usque ad fluvium Euphratem*] Quæ Nilum & Euphratem interjacebant juris Ægyptiorum.

10. *Circumdata est urbs munitionibus*] Castris obsessa est. Lxx hîc ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ. χάρακα περιβαλον αὐτῇ, ut Lucas loquitur 19. 43. Confer infrà 25. 1.

12. *Et eunuchi ejus*] Cœperant Reges Hebræi vicinorum Regum malos mores & in hoc imitari.

14. *Et transtulit omnem Jerusalem*] i. Potissimos, ut apparet 25. 18. In his fuit Ezechiel: τὰς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων Berosus d xit. Meminit hujus deportationis & insequentis Hecatæus apud Josephum, & Demetrius apud Clementem Alexandrinum. ¶ *Et omnes fortes exercitûs*, *decem millia*] Septem millia ex tribu Benjaminis, de quibus infrà 16. tria millia & quod excurrit ex tribu Juda, Jer. 52. 28. ¶ *Et omnem artificem & clusorem*] Sic & Jer. 24. 1. Græci πάντα τέκτονα καὶ συγκλείοντα. חרש Deut. 17. 15. est *sculptor*, ut & Esa. 40. 19. Jer. 10. 3. Ose 8. 6. & 13. 2. usurpatur & de *fabris ferrarius* 1 Sam. 13. 19. Esa. 44. 12. *lignariis & cæmentariis*, 2 Sam. 5. 11. 2 Reg. 12. 11. & 22. 6. 2 Par. 24. 12. *ærariis* 1 Reg. 7. 14. Jer. 10. 9. At מסגר hîc Chaldæo est *janitor*. Kimchi & alii intelligunt *viros doctos*, *qui aliis obturant os*, *& ea proponunt quæ ab aliis solvi nequeunt*.

17. *Et constituit Mathaniam patruum ejus pro eo*] Ut reliquiarum illarum Rex esset sub imperio Regis Babylonici. ¶ *Imposuitque nomen ei Sedeciam*] *Dei justitiam*, nempe cognitam in punita rebellione quam Joakimus cœperat, & in qua filius ejus perstiterat.

20. *Recessitque Sedecias à Rege Babylonis*] Fidem exuit, immemor causæ mutati sibi nominis.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

DEscribitur in hoc ultimo capite res gesta magna & memorabilis ac diligenter expendenda, quæ tamen verbis paucis absolvitur, Quomodo urbs Jerusalem capta sit à Nabuchodonosor. Eum Homerus aliquis aut Livius descripsisset multis & magnificentissimis verbis atque multis voluminibus. Omittit scriptura omnia, exercitûs multitudinem, arma, irruptiones; docet pietatem non vanitatem, sanctam veritatem, exempla vitæ & timorem Dei, idque quantum sufficit explicat, ut discamus æqua judicia Dei contra verbi sui contemptores, contra inobedientes etiam Reges ac Principes, & rursum gratiam & beneficentiam ad justos & obedientes. Fuit urbs Jerusalem munitissima, vetustissima, sancta, locus à Deo electus ad suum cultum, domicilium Prophetarum & multorum sanctorum, typus Ecclesiæ, ubi olim fuit Malkizedec Sacerdos regis, ubi Abrahæ temporibus erat insignis locus pro sacrificio filii à Deo electus; ubi Jebusæi habitaverunt, & locum cesserant populo Dei. Plena erat reliquiarum sanctarum, Arcæ, Legis, sepultura Regum, & Divinus in ea probatissimus cultus. Verùm talem ac tantam urbem passus est & voluit Dominus capi ab hoste, justo judicio suo, quo astitit ipsi Nabuchodonosor contra urbem, adfuit Babyloniis contra tyrannidem Judaici Regis & Principum. Malos punivit per malos. Non curat emunitatem loci, non Templum, aram, sacrificia, Sacerdotium, Regnum, sed super timentes se respicit intentus. Sic cùm Salomon non obediret, quamlibet sapiens, electus filius David esset, Regnum ejus traditum est aliis, & gravia statim sub filio Rehabeam pertulit. Indè doctrina sumenda est omnibus gentibus & regnis, quæ si similiter agant, similia sint judicia subitura & similem exitum receptura. Si suo non pepercit populo, multò minùs alieno ab eo.

1. *Munitiones*] Dicunt Hebræi דיק esse *turrim ligneam ex qua oppugnatur civitas*.

3. *In nona mensis*] In Jeremia scribitur quòd *mense quarto nonâ die mensis per Chaldæos interruptus fuerit murus civitatis*.

6. *Locuti sunt cum eo judicium*] Rex & Principes ejus severo animo corripuerunt eum quòd rebellare ausus fuerit & violare fidem atque juramentum.

9. *Domum quamque magnificam*] Heb. *omnem domum magni*, scilicet hominis: ponitur enim בית in statu reginiinis. Porrò hoc primum Hierosolymitanæ urbis excidium factum est, ut scribitur in minore Sedar Olam, anno ab ingressu Terræ 850. à principio verò mundi anno 3308.

10. *Cum magistro sicariorum*] Quod טבחים verti pro *sicariis*, imitatus sum Chaldæum interpretem, qui vertit קטוליא *interfectores*. Alii exponunt *præfectum rerum capitalium & magistrum suppliciorum*.

SEBASTIA-

SEBASTIANUS MUNSTERUS AD CANDIDUM LECTOREM.

CUM venissemus ad finem hujus prioris S. Bibliorum partis, & vidissemus paginas quasdam relinqui vacuas, visum fuit illas explere Catalogo Regum Jehuda & Israel, ut ab autore Sedar Olam majoris per aliquot capita describitur. Non quòd integra capita hîc signaverimus, sed nudam Regum successionem delineantes autorem ipsum privato operi reservamus. Est autem magnæ apud Hebræos gentem suam autoritatis, passímque à Rabinis in commentariis citatur. Nos verò tantum illi tribuimus quantum probat ex Scriptura. Ab initio sequentis voluminis habes signatum eundem autorem ex minori libro cum insignioribus Prophetis & aliis magnis viris qui sub quibuslibet vixerunt Regibus. Significat autem SEDAR OLAM *Ordinem*; seu *Successionem, mundi*. Nam describit ætates mundi, memorabiliora facta & insigniores personas quæ in singulis generationibus populo Dei præfuerunt.

בסדר עולם פרק יג׳

עלי פרנס את ישראל מ׳ שנה ויום שמת בו עלו ויטוש משכן שילה וימאס באוהל יוסף : בן שנה שאול במלכו וגו׳ ולא שמר אבטחתו ויאמר שמואל הסכלת כי לא שמרת וגו׳ ואותו הפרק נמשח דוד : שמואל מת לפני מיתתו של שאול כארבעה חדש : בן שלשים שנה דוד במלכו וארבעים שנה מלך :

פרק יד׳

בשנה האחרונה התקין דוד המלך משמרות כהונה ולויה והסדיר את כל הבות :

פרק טו׳

ויאהב שלמה את ה׳ ללכת בחקות דוד ד׳ שנים עד שלא התחיל לבנות את הבית אבל משהתחיל לבנות את הבית ויקח את בת פרעה ויביאה אל עיר דוד וגו׳ אבל לעת זקנת שלמה סמוך למיתתו שרתה עליו רוח הקדש ואמר שלמה ספרים הללו משלי שיר השירים קהלת :

פרק יו׳

הימים אשר מלך שלמה על ישראל מ׳ שנה . רחבעם בנו יד׳ שנה אביה בנו ג׳ שנים ובשנת כ״ לירבעם בן אסא בן מ״א שנה רחבעם במלכו ויו״ שנה מלך בירושלם . אסא מלך מ״א שנה . ירבעם מלך כב״ שנה נדב בנו ב׳ שנים . בשנת ג׳ לאסא מלך יהודה מלך בעשא בן אחיה על ישראל כב״ שנה :

פרק יז׳

בעשא מלך כד׳ שנה · אלה בנו שתי שנים · זמרי הרג את אלה ומלך אחריו ז׳ ימים . בשנת ל״א לאסא מלך עמרי מלכות שלמה יב׳ שנה ובנו אחאב מלך על ישראל כב״ שנה . בשנה ד׳ לאחאב מלך יחושפט בירושלם כ״ה שנה . אחזיה בן אחאב מלך שנתים ובשנה השנית לאחזיה נגנז אליהו ולא נראה עד שיבא מלך המשיח : יהורם בן יהושפט מלך ח׳ שנים בירושלם ואחזיהו בנו מלך שנה אחת בירושלם :

פרק יח״

אחר אחזיה מלכה עתליה אמו ואחריה יהואש . בשנת ז׳ ליהוא מלך יהואש מ׳ שנה בירושלם :

פרק יט׳

יהוא מלך על ישראל כח״ שנה ואחריו בנו יהואחז יז׳ שנה ואחריו בנו יהואש יו״ שנה . ואמציה מלך בירושלם כט׳ שנה . עזיה מלך אחריו וירבעם מלך אז בישראל ובירושלם מלך עזריה בן אמציה . אחר עזיהו מלך בנו יותם ביהודה . ובישראל מלך אחר רבעם בנו זכריה :

פרק כב׳

מלכי יהודה עזיהו יותם בנו אחז בנו· חזקיהו בנו מנשה בנו אמון בנו יאשיהו בנו. יהואחז בנו יהויקים אחיו יחויכין בנו צדקיהו אחי אביו וגו׳

VATABLUS.

1. **A** *Tque exstruxerunt*, ויבנו] *Et excitaverunt*, sub. *artifices.* Confer caput istud cum Jer. 52. 1. ¶ *Turrim ligneam*, דיק] Vide Ezech. 4. 2. & 17. 17. machinam bellicam intelligit, qualisqualis fuerit.

2. *Et venit civitas in obsidionem*, ותבוא העיר במצור] Hebraismus, *Itaque obsessa fuit urbs.*

3. *Prævaluit*, ויחזק] *Invaluit*, i. viguit maximé.

4. *Et rupta est*, ותבקע] *Et perrupta fuit.* Gallicè *La bresche fut faicte*, sub. *crebris ictibus arietum.* Omittitur verbum, ut intelligamus fugam fuisse præcipitem. Nam Jer. 52. 7. dicitur, *Fugerunt, & excesserunt nocte eam diem insequente.* ¶ *Inter duos muros*, בין החומותים] Porta occultabatur duobus muris. Ad hunc modum postica urbium fieri consueverunt. Gallicè dicimus, *Une posterne.* Per *duos muros* intelligit murum & antemurale. ¶ *Et abiit*, וילך] Sub. *Rex.* In Jeremia legitur, *Et abierunt per viam solitudinis*, i. per campestria.

5. *Dispersus est ab eo*, נפוצו מעליו] *Dilapsus erat ab eo*, i. eum reliquerat.

6. *Locutique sunt cum eo judicium*, וידברו אותו משפט] Hebraismus, acriter ac vehementer increpaverunt eum, quòd scilicet violasset fidem datam Regi. Similem Hebraismum vide Jer. 39. 5.

8. *Septima mensis*, בשבעה לחודש] In Jeremia legitur *decima.* Scribunt Doctores Hebræorum quòd septimâ die congregatæ sunt gentes ad Templum, comedebant autem in eo ac bibebant, destruebántque illud atque incendebant: quod duravit usque ad finem decimæ diei. ¶ *Laniorum*, טבחים] Chald. *militum.* Hebræi vocant milites *lanios*, ob cædem; ut nos Galli dicimus de cæde ingenti, *On a faict une grande boucherie.*

9. *Domum magnam*, בית גדול] i. Domos magnatum, magnificas.

11. *Et transfugas qui transfugerant*, ואת הנופלים אשר נפלו] *Et perfugas qui perfugerant*, i. qui secuti fuerant partes Regis Babylonis, quando urbs fuit expugnata.

12. *De pauperibus verò terræ*, ומדלת הארץ] Ad verb. *De paupertate verò terræ*, i. ex pauperrimis ejus regionis aliquot reliquit qui colerent vites & agros.

14. *Et psalteria*, ואת המזמרות] Doctus inter Hebræos dicit significare *instrumenta quibus psallebant*, aut *cantabant.* Alia nomina hujus versûs & sequentium vide Exod. 27. 3. & 2 Reg. 25. 1.

18. *Secun-*

18. *Secundum*, משנה] Sub. *ab eo*, q. d. vicarium summi Pontificis, secundæ dignitatis ab illo.

19. *Præfectus super viros bellatores*, פקיד על אנשי המלחמה] i. Præfectus militum. ¶ *Et quinque viros*, וחמשה אנשים] In Jer. 52. 25. legimus *septem viros*. Dicunt Hebræi duos fortasse non fuisse magni nominis, ideo non esse hîc numeratos; istos autem fuisse nobiliores. Alii dicunt fuisse septem, computatis duobus scribis Judicum. ¶ *Qui videbant faciem Regis*, מרואי פני המלך] Hebraismus, ex illis qui assistebant Regi, aut qui coram Rege stabant, i. ex domesticis Regis, familiaribus, intimis & assiduis apud Regem. Vide 1 Reg. 10. 8. ¶ *Qui colligebat*, המצבא] *Qui congregabat*, subaudi ex Jeremia, *ad militiam*, i. qui habebat potestatem conscribendi exercitum ex populo ejus regionis. Vide postremum cap. Jeremiæ. ¶ *Viros de populo terræ*, איש מעם הארץ] Significat plebeios.

21. *Itaque translatus est*, ויגל] *Itaque transmigravit*, *demigravit*, q. d. Atque ità completa fuit prophetia, & quæ illis interminatus fuerat Deus per Prophetas.

22. *Populo autem*, &c. והעם וגו׳] Hæc leguntur, Jer. 40. 5.

23. *Audierunt autem*, וישמעו] *Cúmque intellexissent*. ¶ *Nempe Ismael*, וישמעאל] Hîc ו pro *nempe* positum est: nam isti sunt principes qui venerunt. ¶ *Et viri eorum*, ואנשיהם] i. Qui erant illis subditi: h. e. cum viris suis.

25. *Fuit autem in mense*, &c. ויהי בחודש וגו׳] Hæc leguntur Jer. 41. 1. ubi pluribus describitur historia ista. ¶ *Et Chasdim*, ואת הכשדים] i. Chaldæos, sive Babylonios qui cum Godolia stabant à parte Regis Assyriæ.

26. *Et surrexit*, &c. ויקומו כל העם מקטון ועד גדול] i. Confestim ergò profectus est universus populus tam infimæ quàm summæ sortis & ordinis: timebant enim sibi à Chaldæis propter cædem Godoliæ Præfecti.

27. *Fuit præterea*, ויהי] Hæc leguntur Jer. 52. 31. ¶ *Vicesimaseptimâ*, בעשרים ושבעה] In Jeremia scribitur *vicesimaquintâ*. Dicunt Doctores Hebræorum vicesimo quinto die mortuum fuisse Nabuchodonosor, & vicesimosexto sepultum, vicesimo autem septimo eductum fuisse è sepulcro suo ab Evil-merodach filio ipsius. ¶ *Elevavit*, נשא] Jungitur verbum istud cum fine versûs, sic, *elevavit caput de domo carceris*, i. exemit eum è carcere, & affecit eum magnis honoribus. In Jeremia legitur, *Et eduxit eum è domo carceris*. ¶ *Anno quo regnavit*, בשנת מלכו] i. Anno primo regni sui.

28. *Bona*, טובות] Sub. *verba*, i. blandè & benignè allocutus est eum. Hebraismus. ¶ *Super thronum*, מעל כסא] *In loco eminentiore & altiore quàm esset thronus Regum*, &c. ¶ *Qui erant cum eo*, אשר אתו] Sub. *captivi*. Alii, *qui secum erant*, i. apud ipsum, nempe Evil-merodach.

29. *Vestes carceris ejus*, בגדי כלאו] i. Quibus utebatur dum esset clausus in carcere. ¶ *In conspectu ejus*, לפניו] i. In mensa ejus. Aut, *coram eo*, h. e. in aula ejus.

30. *Perpetua*, תמיד] *Jugis*, *assidua*. Ad verb. *assiduitatis*, *sine interruptione*. Gallicè dicimus, *Il avoit bouche à court*. ¶ *Per singulos dies*, דבר יום ביומו] Ad verb. *Res cujusque diei in die suo*, i. cibus diei, suo tempore. ¶ *Vitæ suæ*, חיו] Nempe Joachin. Aut, *vitæ ejus*, nempe Evil-Merodach.

CLARIUS.

3. *Nonâ die mensis*] In Jeremia scribitur quòd *mense quarto nonâ die mensis per Chaldæos interruptus fuerit murus civitatis*.

6. *Qui locutus est cum eo judicium*] Rex severo animo corripuit eum quòd rebellare ausus fuerit & violare fidem atque juramentum.

8. *Mense quinto*] Hoc primum Hierosolymitanæ urbis excidium factum fuisse scribitur anno ab ingressu Terræ 850, à principio verò mundi anno 3308.

GROTIUS.

4. *Et interrupta est civitas*] Ruina in mœnibus facta est, Jer. 39. 2.

6. *Qui locutus est cum eo judicium*] Damnavit eum ut subditum & rebellem.

7. *Oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem*] Ità duorum vaticiniorum quæ edita ei fuerant ac pugnare inter se videbantur, ut Josephus narrat, quorum alterum erat *eum iturum in Babylonem*, alterum *non futurum ut videret Babylonem*, utrumque eventu comprobatum est.

8. *Nabuzaradan princeps exercitûs, servus Regis Babylonis*] Ipse enim Nabuchodonosor, intellectâ patris morte, citato itinere Babylonem versùs se contulerat, ut ex Beroso discimus. De hac omni historia vide Jeremiam. Hunc Nabuzaradanem proselytum factum aiunt Judæi.

9. *Et succendit domum Domini*] Templum quod steterat per annos 470 & quod excurrit, ut vult Josephus.

14. *Ollas quoque æris, & trullas*] Vide suprà 1 Reg. 6, & 7.

22. *Præfecit Godoliam*] Virum ingenii placidi & ad præsentem fortunam bene se aptantis. Solent viri boni esse creduli, idque ei exitio fuit. Vide Jer. 40, & 41.

25. *De semine regio*] Judæorum, id ei animos fecerat contra potentiam cui par non erat. Itaque Regno non diu lætatus ad Ammonitas coactus fuit fugere, Jer. 41. Similis fuit Atheniensium imprudentia cùm adversùs Macedonas jam prævalidos in Græcia se commoverunt. Videndum quid tempus ferat.

27. *Vigesimâ septimâ die mensis*] Biduo postquam ea de re decretum factum fuerat, Jer. 52. 31. ¶ *Evilmerodach rex Babylonis*] Ἐυιλμαλουρούχος Beroso, Ἐυιλμαλούρουχος Abydeno; in Ptolemæi libris corruptiùs Ἰλλοαρούδαμος. Vide notata ad l. 3. De V. R. Chr. Josepho est Ἀβιλαμαρώδαχος, Lxx Ἐυιαλμαρωδέκ. Facilè in externis & duri soni nominibus variat pronunciatio.

28. *Posuit thronum ejus super thronum Regum*] Multos enim Reges Babylonis sub se habebant, quibus Regium nomen aut dabant aut relinquebant. Erant hi βασιλεῖς βασιλέως ὕπόχοι μεγάλου, ut alibi diximus. Sic Evagoras Cypri Rex sub Persa fuit, Porus & Taxiles Reges sub Alexandro. Prætulit autem Joachimum Rex Evilmeroduchus aliis Regibus ob insignem famam Davidis & Solomonis, unde ille genus ducebat.

29. *Et mutavit vestes ejus quas habuerat in carcere*] Simile Gen. 41. 42. ¶ *Comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ*] i. Frequenter cum ipso esitabat, ut Crœsus cum Cyro.

30. *Annonam*] Diaria ei dedit ad victum, vestitum, domicilium, familiam.

ANNOTATA
AD LIB. I.
PARALIPOMENON.

CAP. I.

MUNSTERUS.

VOcant nostri hunc librum post Græcos PARALIPOMENΩN, quòd in eo tangantur historiæ quæ in libris Regum sunt prætermissæ. At nos titulum illum relinquentes eum quem in Hebræo habet maluimus nostræ superscribere versioni, nè discordia esset ulla tituli Latini ab Hebraico. Sonat autem titulus Hebraicus דברי הימים VERBA, seu GESTA, DIERUM, quòd in hoc libro describuntur sigillatim gesta & facta Regum Jehuda atque Israel: qui titulus non ineptè à nobis versus est nomine ANNALIUM. An autem liber iste is sit liber cujus mentionem facit liber Regum, quando dicitur, *Nónne hæc sunt scripta in libro Verborum dierum Regum Jehuda & Israel?* incertum est. Ponitur ab Hebræis post librum Ezræ, quòd putent illum scriptum ab Ezra illo tempore quo populus Jehudaicus post captivitatem Babylonicam sub duce Zerubabel & Sacerdote Jehosua redierat in Jerusalem, id quod colligunt ex fine hujus libri. Et hi quidem dicere nequeunt hunc librum citari in libris Regum, cùm eo tempore nondum fuerit conscriptus; nisi malueris etiam duos libros Regum descriptos post Captivitatem: id quod tamen Mose Kimhi negat, qui eos à Jirmeia Propheta conscriptos asserit. Porrò R. Salomon scribit infrà super caput 7. quòd Ezra invenerit tres libros Genealogiarum ex quibus hunc conflavit librum; & ubi illos mancos invenit, fecit דילוג *saltum*, & hinc factum putat quòd in sequentibus loca quædam sint tam obscura in recensione genealogiarum ut à nemine explicari possint. Recensentur autem genealogiæ usque ad decimum caput. Hic liber cum sequenti in Hebræo est unus.

VATABLUS.

HIC liber à Græcis dicitur Παραλειπομένων, i. *Liber Derelictorum*, quòd contineat quædam prætermissa in libris Regum. Hebræi verò דברי הימים inscribunt, i. *Verba dierum*. Latinè dicas *Diaria* sive *Annales*, aut *Librum annalium*, quòd יום frequentissimè pro *anno* accipiatur in Sacris literis. Unus est autem liber apud ipsos, sed divisus à nostris. In primo agitur de Regno Israel nondum diviso; in secundo verò de Regno jam diviso. Hujus libri author ignoratur: & is liber de quo sæpe fit mentio in libris Regum, non est iste sed illius fortasse velut epitome: est enim brevissimus, & totius Sacræ historiæ compendium. Ponitur ab Hebræis post librum Ezræ, quòd existiment illum scriptum ab Ezra eo tempore quo populus Judaicus post captivitatem Babylonicam duce Zorobabele & Sacerdote Josûa redierat in Jerusalem: id quod colligunt ex fine hujus libri.

1. *Adam, Seth, Enos,* אדם שת אנוש] Hîc non subauditur *Genuit*, ut legas, *Adam genuit Seth, Seth genuit Enos*; sed apud Hebræos sic impletur oratio, *Adam Seth filius ejus, Enos filius ejus*: quod ex sequenti tertio capite satis liquet, ubi v.9. plena est locutio, *Et filius Selomoh fuit Rehaam, Abijah filius ejus, Asa filius ejus*. Latinè vertas, *cujus filius fuit Abijah, cujus filius fuit Asa*, &c. sic in sequentibus capitibus. Simplicia & sola ponuntur nomina, quæ si referantur ad superiora, filii sunt; si ad inferiora, patres. Sic autem loquuntur Hebræi brevitatis causâ. Horum generationes usque ad quintum versum vide Gen. 1.26, & 2. 7, & 4.25, & 5.3.

4. *Noah*, נח] Sub. *est pater horum trium*; & sic aliter hic versus exponi debet quàm superiores. Debebat autem tantùm meminisse unius filiorum Noe, nempe ejus à quo Abraham & David descenderunt: sed propter illorum nobilitatem omnes illos tres & illorum generationem recenset. Nam post diluvium occupaverunt & repleverunt tres partes orbis terrarum, Asiam, Africam, & Europam. Item isti quatuor quasi in una & eadem linea sunt, non in diversis, ut superiores.

5. *Filii Jepheth*, בני יפת] Procedit ordine retrogrado: nam à tertio filio Noe incipit. ¶ *Gomer*, גמר] Quibus terris iste & alii sequentes nomina dederint, vide singula in Libello interpretationum nominum Hebraicorum quæ ad finem hujus operis adjecimus.

10. *Ipse cœpit esse potens in terra*, הוא החל להיות גבור בארץ] De hoc vide Gen. 10.8. i. cœpit imperare & regnare in terra in qua degebat, h.e. exercere tyrannidem.

12. *Egressi sunt*, יצאו] *Orti sunt*; i. quorum colonia sunt Palæsthini: h.e. è quibus orti sunt, quasi essent colonia eorum, & ab illis spontè migrassent.

14. *Et Jebusæum*, ואת היבוסי] Jebusæum populum intellige: nam id indicat ה *hajedia* quod vocant Hebræi, i. *demonstrativum*, quod propriis nominibus non præponitur. Igitur est appellativum nomen populi, ut sunt etiam sequentia nomina populorum etiam propria, usque ad 17 versum.

19. *Divisa est terra*, נפלגה הארץ] i. Divisi sunt habitatores terræ secundùm divisiones linguarum, ut scribitur Gen. 11.7. h. e. natus est tempore quo divisio hæc facta est. Vel Eber Propheta erat, qui indidit nomen filio à re quæ eventura erat ejus tempore.

24. *Sem*, &c. שם] Est repetitio à præcedente 17 versu, quâ ostendit per quos descenderit Abraham ex Sem. Quare cæteris omissis interrupta series non esset, si diceres sic, *Noe, Sem, Arphaxad*, &c.

32. *Concubina Abraham*, פילגש אברהם] Sub. *hi sunt*. Hæc Gen. 25. 1. *uxor* dicitur. De concubina vide Gen. 35.22.

43. *Isti autem sunt Reges*, ואלה המלכים] Hebræi hanc differentiam ponunt inter *Reges* & *Duces*, quòd Reges essent cum diademate, quo carebant Duces, qui proximam dignitatem habebant à Rege.

CLARIUS.

CLARIUS.

Nostri hunc librum post Græcos PARALIPOMENΩN vocant, h.e. *Derelictorum*, quòd in eo tangantur historiæ quæ in libris Regum sunt prætermissæ. Apud Hebræos vocatur *Verba*, seu *Gesta, dierum*, quòd in hoc libro describantur sigillatim verba Regum Juda atque Israel. An autem liber iste is sit liber cujus mentionem facit liber Regum, quando dicitur, *Nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum Regum Juda & Israel?* incertum est, & quibusdam videtur is non esse, cùm plura eorum non contineat quæ ibidem in ipso legi inscribuntur. Ponitur ab Hebræis post librum Esræ, quòd putent illum scriptum ab Ezra eo tempore quo populus Judaicus post captivitatem Babylonicam sub duce Zorobabel redierat Jerusalem; id quod colligunt ex fine hujus libri. Et hi quidem dicere nequeunt hunc librum citari in libris Regum, cùm eo tempore nondum fuerit conscriptus, nisi malueris etiam duos libros Regum descriptos post Captivitatem: id quod negant qui eos à Jeremia Propheta conscriptos asserunt. Porrò quidam scribunt Ezram invenisse tres libros Genealogiarum ex quibus hunc conflarit librum; & ubi illos mancos invenit, transilisse: hinc factum putant quòd in sequentibus loca quædam sunt tam obscura in recensione genealogiarum ut à nemine explicari possint.

GROTIUS.

Ab Esdra scriptos hos duos libros constans semper fuit apud Hebræos fama; qui hos libros vocant VERBA DIERUM, id est, ut alibi diximus, Excerpta ex Regum Diurnis. Propositum autem Esdræ fuit res narrare Davidis posterúmque ejus usque ad umbram quandam Regni restitutam in Zorobabele, qui & ipse ex Davidis fuit posteris. Sed, ut meliùs intelligeretur, quædam anteloquenda sibi censuit, nempe recensionem faciendam auctorum humani generis; deinde majorum Davidis & ex ipso descendentium; deinde tribuum omnium: quibus præstructis, ut ad Davidis Regnum perveniat, Saulis extrema commemorat; planè ut Augusti Tacitus, res Tiberii narraturus. Et quia res eorum qui in x tribus regnarunt, per bella, fœdera, affinitates cum rebus Regum ex Davide genitorum cohærent, eæ quoque omitti non debuerunt. Cùm verò Diurnorum mos sit multa λεπτομερεῖν narrare quàm ferat Annalium ratio, eò factum est ut his non pauca debeamus quæ in Annalibus quos Hebræi SAMUELIS & REGUM libros ob causas alibi à nobis proditas vocant, non inveniuntur. Eáque ipsa causa fuit cur hos libros Græci appellaverint Παραλειπομένων nomine, ex parte scilicet maximè necessaria, cùm alioqui multa hîc sint eadem quæ in Annalibus, verborum mutatione modò nullâ, modò exiguâ. Idem Esdras his libris attexuit suarum ipse rerum, id est Hierosolymorum urbis instauratæ, historiam, quam scripsit ipse, & alteram historiam, repositi Templi ac Sacrificiorum, quam scripsit Nehemias Esdrâ etiam tunc vivente. Addidit præterea historiam Estheris, quæ medio tempore eorum quæ duobus illis libris postremis narrantur contigerat, scriptam, ut Hebræi tradunt, & ipse liber testari videtur, à Mardochæo viro perillustri. Et hîc desinunt historiæ quæ in Canone sunt Hebræo, nimirum quia quæ hucusque pertingunt eæ aut scriptæ sunt à Prophetis aut probatæ à Prophetis, ut postremi illi libri à Zacharia, Malachia, Aggæo, qui Esdræ σύσχεγνοι & consilio adjutores fuere. Post id autem tempus desiit apud Hebræos prophetia usque ad Christi tempora.

1. *Adam, Seth, Enos*] Duobus modis fit γενεαλογία, aut descendendo, ut hîc, aut ascendendo, ut apud Lucam.

7. *Dodanim*] Lxx & hîc & in Genesi legerunt רדנים. Vertunt enim Ῥόδιοι, satìs probabiliter. At Latinus & hîc & in Genesi דדנים, quomodo & Hierosolymitanus Interpres legit. Diximus alibi has literas non in scribendo tantùm sed & in pronunciando permutari solere. Mihi hîc Græca lectio, quæ eadem in Hebræo hoc loco, magis probatur.

CAP. II.

VATABLUS.

3. De *filia Sua*, מבת שוע] Hic Sua erat pater uxoris Juda. Filios Juda potissimùm recenset, quòd ex eo descenderit Salvator.

7. *Turbator Israelis*, עוכר ישראל] *Qui turbavit Israelem.* In Josua 7.1. ubi factum istius narratur, legitur *Achan.*

19. *Ephrath*, אפרת] Hæc dedit nomen urbi *Ephratha.*

21. *Postea autem*, ואחר] i. Posteaquam isti geniti fuerunt. ¶ *Patris Gilad*, אבי גלעד] i. Principis regionis Galaad. ¶ *Ipse namque acceperat eam*, &c. והוא לקחה והוא בן ששים שנה] Ad verb. *& ipse accepit eam, & erat filius sexaginta annorum. Acceperat eam*, sub. *in uxorem*, vel *concubinam.*

22. *Cui fuerunt*, &c. ויהי לו וגו'] i. Qui fuit dominus vigintitrium urbium, quas illi dederunt cognati aviæ ejus, filii Machir.

23. *Cepit verò*, &c. ויקח גשור וארם וגו'] i. Ceperunt Gessuræi & Aramæi oppida Jair ab illis, nempe filiis Jair incolis earum, quas postea recepit David.

24. *In Chaleb Ephratha*, בכלב אפרתה] Nomen urbis, sic dictæ à viro & uxore: ea est Beth-lehem Ephratha. ¶ *Patrem Thecoa*, אבי תקוע] i. Qui postea fuit princeps Thecoa.

34. *Filii*, בנים] Sub. *viventes tum cùm moreretur:* nam filius ejus de quo v.31. obierat ipso vivente: ideo solas filias reliquit heredes: ità Hebræi.

42. *Ipse* fuit *pater*, &c. הוא אבי זיף ובני מרשה אבי חברון] Hebraismus, *fuit princeps habitantium in Ziph, & civium urbis Maresah, & princeps Hebron.* Redit ad generationem Chaleb fratris Jerameel, & Ram, sive Aram, filiorum Esrom.

45. *Pater Beth-sur*, אבי בית צור] i. Princeps urbis Beth-sur.

46 *Et Haran genuit Gazez*, וחרן הליד את גזז] Fuit ergò Haran frater Gazez, & pater alterius Gazez.

49 *Madmannah*, &c. מדמנה וגו'] *Patrem* pro *principe* accipit, ut & suprà, & etiam infrá.

50. *Chaleb filii Hur*, כלב בן חור] Alter Chaleb fuit filius Hur primogeniti Ephratha filiæ prioris Chaleb filii Esrom, qui avus erat hujus, & hic illius nepos.

51. *Pater Beth-lehem*, אבי בית-לחם] i. princeps civium Beth-lehem. Sic mox.

52. *Qui contemplabatur*, &c. הרואה חצי המנוחות] *Qui aspiciebat dimidium Hamenuhoth:* i. qui curam gerebat, sive princeps erat dimidii loci qui dicebatur *Hamenuhoth*, i. *requietiones*; fortè à fertilitate agri & amœnitate loci ità dicti. Hîc enim רואה *principem* significat; nam principis est contemplari suos.

53. *Et familiæ*, ומשפחות] *Et cognationes.* ¶ *Ithraus*, &c. היתרי וגו'] Singularia pro plur. ¶ *Egressi sunt*, יצאו] Ista *egressio* aut significat cognationem & genus, aut colonias ab istis deductas.

54. *Et dimidium*, &c. וחצי המנחתי הצרעי] Ordo inversus, pro, *Sorai* appositivè *dimidia pars Manahethorum*, ab urbe Mana. Vel ità, *Hasori erat dimidia pars eorum qui habitabant Manahath.*

55. *Scribarum*, סופרים] i. jurisperitorum, doctorum virorum. ¶ *Patris domûs Rechab*, אבי בית רכב] *Patre Rechabitarum:* hi abstinebant à vino. Vide Jer. 35.6.

CASTALIO.

18. U*Xorem duxit Azubam & Jeriotham*] Ad verbum legitur, *Genuit Azubam uxorem, & Jeriotham.* Sed ineptum est uxorem à marito *genitam* dici. Azubam autem ejus uxorem fuisse, mox patet, ubi *mortuâ Azubâ* dicitur *Ephratam duxisse.* Accedit & Græca & vetus Latina translatio, quæ convenit cum nostra. Mendi causa fuisse videtur, quòd toties in hoc capite *gignendi* verbum repetitur.

24. *Calebus cum Ephrata congressus est*] Et hîc eosdem secutus sum interpretes.

54. *Salma filii Bethlehemus & Netophatis*] Hic locus ejusmodi est ut nihil annotare possim nisi me nihil in eo intelligere.

GROTIUS.

15. S*Eptimum David*] Octo fuerant filii Isai, sed eorum unus erat mortuus priusquam David ad Regnum perveniret 1 Sam. 16. 10.

17. *Jether Ismahelites*] Videtur hinc corrigi debere scriptura 2 Sam. 17. 25.

22. *Et possedit viginti tres civitates in terra Galaad*] Vide quæ diximus Judic. 10. 4.

34, 35. *Et servum Ægyptium nomine Jeraa. Deditque ei filiam suam in uxorem*] Nempe manumisso priùs.

51. *Salma pater Bethlehem*] Nam ex familiis vici & oppida. Vide Aristotelem initio Politicorum.

CAP III.

VATABLUS.

1. D*Aniel,* דניאל] Iste 2 Sam. 3. 3. dicitur *Chilab,* sive *Cheleab.* Matrem dicit fuisse *Carmalithidem,* quòd fuisset uxor Nabal Charmelitæ. Quæ hoc capite scribuntur, propter genealogiam Christi præcipuè scripta sunt.

5. *De Bath-sua filia Ammiel,* לבת שוע בת עמיאל] Hæc 2 Sam. 11. 3. dicitur *Bath-seba filia Eliam.* Hic Salomon quartus est ex filiis Bath-sua: sed tres priores fuerunt filii Uriæ, adoptati à Davide: solus autem Salomon fuit unus & solus filius naturalis Davidis ex Beth-sua. Prior qui natus est ex adulterio, & mortuus est die octavo, non recensetur inter filios Davidis.

6. *Et Elisamah, & Eliphelet,* ואלישמע ואליפלט] Hi duo bis repetuntur, quod mirum videri potest: nam & hâc re offensi Græci distinxerunt hæc nomina. Revera fuerunt novem. Cùm enim David uni è filiis suis indidisset nomen *Elisama,* statim post nativitatem ejus mortuus est; ob id primus post illum mortuum natus eodem vocatus est nomine. Idem de Eliphelet dicendum. Hîc igitur enumerantur omnes filii mortui ac viventes, in REGIBUS viventes tantùm.

9. *Soror eorum,* אחותם] Ex parte quidem patris: nam solius Absalom fuit soror uterina.

10. *Abijah filius ejus, &c.* אביה בנו וגו'] Istud & sequentia verteris rectè, *cujus filius fuit Abijah, cujus filius fuit Asa,* &c.

12. *Jotham,* יותם] Hic fuit ex nepotibus Azariæ, non filius. Vox Hebræa בן *filium* significat & *nepotem,* ut sæpius dictum fuit.

15. *Johanan,* יוחנן] Hic dicitur 2 Reg. 23. 30. *Jehoahaz*; eratque minor natu ipso Jehoiacim. *Primogenitus* ergò dicitur non nativitate, sed dignitate: quia adeptus est Regnum ante fratrem suum Jehoiacim sive Eliacim majorem natu. *Primogeniti* nomen duobus modis accipitur, naturâ, aut dignitate. ¶ *Quartus Sallum,* והרביעי שלום] In 2 Reg. 23. 30, 33. & 24. 17. tribuuntur Josiæ tantùm tres filii; nam illic omittitur Sellum, quòd non sit assecutus dignitatem illam Regiam.

17. *Sealthiel,* שאלתיאל] Jechonias fuit avus Sealthiel, non pater revera. Avus autem dicitur gignere nepotem, quia ejus patrem genuit.

18. *Et Malchiram,* ומלכירם] Manca est oratio: deest enim, *Et hi fuerunt filii Sealthiel, Malchiram, & Pedaiah,* &c. aut in fine hujus versûs aliquid subaudies, sic, *Et Malchiram, & Pedaiah,* &c. *fuerunt filii Sealthiel.*

19. *Zerubbabel,* זרובבל] Matthæus dicit c. 1. 12. quòd *Salathiel genuit Zorobabelem*: hîc verò Zorobabel dicitur *filius Pedaia.* Hebræi dicunt *Filium* hîc pro *nepote* accipi: & qui patrem genuerit, filium quoque videri genuisse. Neque dicendum est Salathielem & Pedaiam eundem esse. ¶ *Et filius Zerubbabel,* ובן זרובבל] Sing. Heb. pro plur. *filii Zerubbabel.* ¶ *Mesullam,* משלם] Alio nomine dicitur *Abiud.* ¶ *Et Selomith,* ושלמית] Hæc fuit soror duorum præcedentium, non sequentium: propterea separavit eam à reliquis.

20. *Quinque,* חמש] Sub. *fuerunt filii Zerubbabel.*

21. *Filius autem,* ובן] Sing. Heb. pro plur. *Et filii,* &c.

¶ *Filii Rephaiah,* &c. בני רפיה וגו'] Enumerat filios cum patribus, aut patres cum filiis, q.d. *Rephaia, & filii ejus,* &c. Vel, Rephaia, Arnan, &c. cum filiis eorum dicuntur *filii Hanania*: nam & nepotes dicuntur *filii.*

22. *Sex,* ששה] Comprehenso scilicet patre Semaaiah. nam quinque filios ejus tantùm enumerat. Aut dic nomen unius esse omissum.

CASTALIO.

5. E*X Bethsaba*] Heb. *Ex Bathsua.* Sed *Bethsabam* & Græci & Hieronymus vertit; & in libris Regum *Bethsaba* dicitur, nusquam *Bathsua.*

22. *Sex, Hatus, Jegaal*] Et hic locus mutilus est. Cùm enim dicantur esse sex, nominantur tantùm quinque.

GROTIUS.

5. E*T Salomon*] Hunc postremum nominat è Bethsabeæ liberis, quia ad eum rediturus est sermo.

6. *Elisama, & Eliphalet*] Hæc duo nomina imposita fuere pueris qui in prima ætate sunt mortui; deinde eadem data aliis pòst natis. Illi in prima ætate mortui omittuntur 2 Sam. 5. 15.

7. *Noge*] Qui & *Elisua* dicto Samuelis loco.

16. *De Joakim natus est Jechonias & Sedecias*] Heb. *Filii Jehoiachim, Jechonia filius ejus,* nempe Joachimi; *Sedecias filius ejus,* nempe Jechoniæ: quo loco posteriore *filius* sumitur pro *heres.* Vide quæ dicta nobis ad Lucæ 3. Illud autem *filii* plurale est pro singulari; fortè ideo sic positum ut si quis plures reperiret eos adjungeret. Sic infrà 4. 15. *filii Elah, Cenez.*

17. *Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel*] Et hîc in Hebræo aliter: nempe, *Filii Jechoniæ,* i. filius, *Assir, Salatiel filius ejus,* i. heres rursum: nam filius erat Neri, ut ad dictum locum diximus.

19. *Mosollam*] Hoc nomen & ille Judæus habuit augurioruml irrisor, cujus mentio ex Hecatæo apud Josephum.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

3. H*Æc est paterna successio*] Quidam ex *Ele* faciunt proprium nomen: ut sit hic sensus, *Ele pater Etham,* &c.

14. *Patrem vallis fabrorum*] Alii ex *Geharasim* faciunt proprium nomen, ut Joab fuerit pater, & Geharasim filius.

23. *Pervenerunt*] Alii faciunt hîc propria nomina, leguntque in hunc modum; *Isti sunt figuli habitantes Netaim & Gedera, cum rege in opere suo ibidem commorantes.*

VATA-

VATABLUS.

1. **H**Esron, חצרון] Hic fuit filius Peres, non Judæ: solus Peres est filius; reliqui, nepotes.

3. *Et ista* familiæ *patris Etam*, ואלה אבי עיטם] *Isti autem* filii *patris Etam*, i. principis illius loci. Pater pro *principe* etiam in sequentibus locis sumitur.

4. *Primogeniti*, בכור.] Hur dicitur hic *primogenitus* matris, non patris Chaleb, quia ex alia uxore alium habuit primogenitum. Item hic vocatur *princeps Beth-lehem*, cùm fuerit ejus filius Salma: sed filii principatus tribuitur patri.

5. *Asshur autem*, ולאשחור] Iste fuit filius posthumus Esron ex Abia uxore, cujus filii fuerunt principes Thecoah, non ipse pater.

6. *Et Themeni*, *& Ahasthari*, ואת תימני ואת האחשתרי] Nomina gentium, non autem propria, q.d. *Themenaos & Astharaos*.

8. *Cos autem*, וקוץ] Describit generationem Cos, quamvis patrem ejus non exprimat, nec antea meminerit.

9. *Honorabilior*, &c. נכבד מאחיו] *Clarus* [*inclytus*, *gloriosus*] *præ fratribus suis*. A matre dictus fuit *Jabes* quod *dolorem* significat; à patre autem dictus fuit *Othoniel*. Fuit autem clarissimus, tum quia percussit civitatem Ciriath-sepher, ut legimus Judic. 1. 12. tum quòd doctor fuit insignis, dedítque nomen urbi in qua habitabant Scribæ & Legisperiti.

10. *Si benedicendo*, &c. אם ברך תברכני וגו'] Hebraismus. Si cœptis meis aspiraveris, & dilataveris patriam meam, & tuleris mihi opem in hoc bello. ¶ *Et feceris*, &c. ועשית וגו'] i. *Liberaveris me à periculo, nè afficiar dolore*. Posset & ità jungi, *& feceris ut non doleam ob malum*, i. accepto incommodo & damno. Est enim duplex constructio apud Hebræos. Subaudiendum autem, *faciam talia & talia*, nam tacet quod voto promisit. ¶ *Et evenire fecit*, ויבא] i. Dedit illi talem eventum qualem optabat.

11. *Pater Esthon*, אבי אשתון] i. Princeps illius loci.

12. *Esthon autem*, ואשתון] Hic Esthon conditor fuit urbis Esthon, cujus principem v. 11. dixerat Chelub, vel Mehir.

13. *Cenaz*, קנז] Hic fuit vitricus Caleb, aut patruus ejus, apud quem educatus est.

14. *Vallis artificum*, גיא חרשים] *Ge-harasim*: חרש significat *artificem*, sive *fabrum*, cujuscunque materiæ, ligni, ferri & similium. Iste Joab non est ille Joab princeps militiæ Davidis cujus mentio fit in 1 Sam. 26. 6. & sæpius in secundo Samuelis.

15. *Jephunneh*, יפנה] Hic est qui alio nomine dicitur *Esron*: nam aiunt fuisse binomium.

17. *Et peperit*, ותהר] Sub. *ea qua peperit*, uxor nempe Chaleb, vel potiùs Ezræ: quasi diceret eum duas habuisse uxores ex quarum altera suscepit Miriam. ¶ *Patrem*, אבי] i. Principem.

18. *Quam accepit Mered*, אשר לקח מרד] Concisa oratio, pro, *quam duxerat*, sub. *Chaleb in uxorem*, *ex qua genuit unicum filium Mered*. Alii, *quam accepit Mered in uxorem*: sed prior expositio verior, *quam Chaleb accepit in uxorem*.

21. *Operis*, עבודת] *Opificii*, quod opificium exercebatur *in domo Asbea*, q. d. illæ familiæ descenderunt à Juda.

22. *Et verba antiqua*, והדברים עתיקים] *Quæ sunt verba vetera*, q. d. Ista nomina sunt virorum veterum.

23. *Isti sunt figuli*, &c. המה היוצרים וגו'] Isti sunt figuli illi clari qui fuerunt in magno pretio tempore Davidis, qui propter opus Regis habitabant in Netaim & Gedera. Alii, *Hi sunt figuli illi*, *& qui habitabant inter plantas & sepes*, [i. qui versabantur in hortis] *cum ipso Rege in opere ejus*, i. propter opus ejus habitaverunt ibi.

27. *Et totam familiam suam*, &c. וכל משפחתם וגו'] i. Non attigit numerum tribûs Juda.

31. *Donec regnavit David*, עד מלוך דויד] i. Hîc habitaverunt usque ad tempus quo regnavit David, qui eas restituit Judæis.

33. *Hæc fuit habitatio*, &c. זאת מושבותם וגו'] *Hæc fuit una habitatio & genealogia eorum ipsis*, q. d. Hæc fuit una habitationum eorum.

38. *Qui venerunt per nomina principes*, הבאים בשמות נשיאים] Hebraismus, *qui nominatim designati sunt principes*. De supradictis jam enumeratis à ver. 34. loquitur. ¶ *In multitudinem*, לרוב] i. Vehementer.

39. *Profecti sunt itaque*, וילכו] Sub. *propter multitudinem*. ¶ *Vallis illius*, הגיא] Quæ scilicet erat juxta Gedor.

40. *Lata spatiis*, רחבת ידים] i. Spatiosa. Hæc per parenthesim legenda. ¶ *Quia de Ham*, &c. כי מן חם וגו'] *Quia habitatores ejus* erant *de* numero *filiorum Ham*, qui habitaverant *illic olim*.

41. *Tabernacula eorum*, את אהליהם] *Tentoria eorum*, i. filiorum Ham habitantium in ea regione.

42. *Præerat*, בראשם] Ad verb. *in capite eorum*, sub. *fuerunt*.

43. *Eorum qui evaserunt ex Amalec*, הפליטה לעמלק] Ad verb. *evasionis Amalec*, i. qui ex Amalec evaserant sub Saule & Davide.

CASTALIO.

21. **F**Amilias *officinæ linariæ*] Hic totus locus ità depravatus est ut neque ex Græco neque ex Latino possit corrigi.

GROTIUS.

10. **S**I *benedicens benedixeris mihi*] Votum fuit conditionale: quid verò promissum sit eo voto reticetur.

17. *Genuitque Mariam*] Jalon, ut videtur.

18. *Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered*] Videtur vacare nomen Meredi ex Bechia filiorum aut filii: itaque velut ampliùs inquisiturus scriptor spatium reliquit vacuum. At Hebræi per *Mered* Calebum intelligunt, quòd exploratoribus obstiterit; & יהודיה, quod præcessit, sumunt pro gentilitio, & aiunt Jochebedam intelligi, quæ peperit filios antè dictos, quos educaverit pro suis filia Pharaonis. Mihi hæc duriora videntur.

22. *Et qui stare fecit Solem*] Hæc & quæ sequuntur nomina sunt propria. ¶ *Qui principes fuerunt in Moab*] Terræ Moabiticæ dominati sunt.

23. *Hi sunt figuli*] Nunc scilicet in Babylonia, q. d. *Sed hæc priùs fuere:*

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Item,

Σὺ δ' ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς ἡλίου
Ξάνθης, ἀρίστε παῖδος Ἑλλήνων χυγός;

40. *In qua antè habitaverant de stirpe Cham*] De stirpe quam Noe devoverat & velut proscripserat: unde nullius juris capaces censebantur. Apparet hinc & 5. 10. 19. multa bella à privatis aut à tribubus gesta, quæ instituto suo minora vetus historia prætererat.

43. *Reliquias qua evadere potuerant Amalecitarum*] Quæ evaserant Saulis & Davidis manus.

CAP. V.

VATABLUS.

1. **D**Ata *est primogenitura ejus*, נתנה בכורתו] *Datum est jus primogenituræ*, intellige quantum ad duplicem portionem, non quantum ad dignitatem: nam primogeniti duplicem portionem accipiebant. *Filium Israelis* vocat Joseph, fortasse quòd esset ipsi Israeli patri charissimus, & tanquam in deliciis. *Gallicè*, *Le fils de son pere*. ¶ *Non tamen ut ipsi attribueretur primogenitura*, ולא להתיחש לבכורה] i. Non tamen ut reputaretur Joseph primogenitus quod ad dignitatem & principatum attinet.

2. *Fortissimus fuit inter fratres suos*, גבר באחיו] Dicitur enim Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda ad*, &c.

&c. Et v. 8. *Te honorabunt fratres tui.* Igitur primogeniturae jus, quod ad fructum attinet, erat Joseph; quod ad dignitatem, erat ipsius Judae. ¶ *Et princeps ille ex eo,* ולנגיד ממנו] Sub. *erat egressurus*, q. d. Illi erat promissum Regnum: imò Rex ille Regum Christus venturus erat ex tribu Juda. ¶ *Et primogenitura,* והבכורה] *Primogenituram* accipit pro *fructu* & *duplici portione* quae debebatur primogenito.

6. *Thilgath-pilneeser,* תלגת פלנאסר] Vide libellum Interpretationum nominum Hebraicorum in fine hujus operis.

7. *Per generationes suas,* לתולדותם] i. Quando attributi sive designati fuerunt generationibus suis, q. d. *per generationes cujusque.*

10. Terrae *Gilad,* לגלעד] Montis *Gilad*, i. occupaverunt totam illam regionem Orientalem quae contigua erat regioni Gilad.

11. *Eregione ipsorum,* לנגדם] *Juxta illos.*

12. *Secundus,* המשנה] i. secundus dignitate ab illo Joel. Recenset eos qui inter Gaditas primas tenebant. ¶ *In Basan,* בבשן] q. d. Inter filios Gad qui erant in Basanitide regione.

13. *Fratres verò eorum,* ואחיהם] Sub. *proximi dignitate*, i. tertii à Joel dignitate, & post Sapham secundi. Describit singularum familiarum principes. ¶ *Per domos patrum suorum,* לבית אבותיהם] *Per domos familiarum suarum*, i. per familias sive cognationes suas.

15. *Principes,* ראש] Sing. Heb. pro plur. *hi principes fuerunt in domibus majorum suorum.* Ad verb. *caput in domibus*, &c.

16. *In Basan,* בבשן] *Basan* dicitur & metropolis Basanitidis regionis, & tota regio. Hic melius pro metropoli. ¶ *Et in viculis ejus*, ובבנותיה] Nempe ipsius Basan. Ad verb. *& filias ejus.* Cùm metropolis sit Basan, omnésque aliae urbes dicantur *matres*, par est ut viculi dicantur *filiae.* ¶ *Exitus eorum,* תוצאותם] Sic vocat fines & terminos.

17. *Recensiti fuerant*, התיחשו] *Numerati fuerant.* ¶ *Jotham,* יותם] De hoc vide 2 Reg. 15. 5, 7.

18. *De filiis robustis,* מן בני חיל] Hebraismus, *ex fortissimis: vel viri fortes*, h. e. bellatores, *qui poterant portare scutum & gladium gestare.* ¶ *Et edoctis bello*, ולמודי מלחמה] *Et periti belli*, sive *assuetis bello.* ¶ *Egredientes ad pugnam,* יוצאי צבא] Hebraismus, parati conserere manus cum hoste.

19. *Fecerunt quoque,* ויעשו] Sub. *qui sequuntur.* Hi fuerunt filii Israelis qui dederunt nomina istis populis.

20. *Et adjuti sunt,* ויעזרו] Sub. *à Deo*, q. d. Qui virtute Divinâ superarunt Hagarenos. ¶ *Qui erant cum eis,* שעמהם] i. Qui sequebantur partes Hagarenorum. ¶ *Et exorabilem sese prabuit eis,* ונעתיר להם] Sub. *Deus.* Alii, *& placatus est eis.* Sic accipitur in Niphal conjug.

21. *Et animarum hominum,* ונפש אדם] *Animas* pro *hominibus* posuit.

22. *Vulnerati*, חללים] i. Interfecti. ¶ *Quòd à Deo fuisset conflictus,* כי מהאלהים המלחמה] i. Quòd Deus fuisset author hujus conflictûs. ¶ *Usque ad transmigrationem* עד הגולה] i. usque ad tempus quo fuerunt ducti captivi à Rege Assyriorum: h. e. usque ad illam insignem captivitatem & transmigrationem.

23. Quòd *multiplicati essent*, המהרבו] Ad verb. *Ipsi multiplicati sunt*, q. d. Prae multitudine magna occupaverunt omnia loca à Basan usque ad montem Baal-Hermon.

24. *Capita domûs patrum eorum,* ראשי בית אבותם] *Principes domûs majorum suorum*, i. familiarum suarum. ¶ *Fortes robore, viri nominum,* גבורי חיל אנשי שמות] Hebraismus, *fortissimi* sive *potentissimi, ac nominatissimi* sive *clarissimi.*

25. *Disperdiderat,* השמיד] *Deleverat.*

26. *Suscitavit ergo,* ויער] i. Movit istum ut pararet expeditionem contra illos. Duo isti Reges non vixerunt eodem tempore; propterea separavit eos.

GROTIUS.

2. **P**Rimogenita autem reputata sunt Joseph] Jus πρωτοτοκίων non totum hîc intellige, sed duplicem in hereditate portionem.

10. *Contra Agarenos*] Qui & *Ismaelitae*, à matre Ismaelis Agare.

20. *Eò quòd credidissent*] Eò quòd pio animo in Deo fiduciam posuissent.

21. *Ceperúntque omnia quae possederant*] Nempe eo jure de quo agit Aristoteles 1 Polit. 4. ὧ τὰ κ̃ πόλεμον κρατέμθμα τ̃ κρατέντων ἔιναί φασι.

26. *In Lahela & in Habor*] Heb. *in Hala & in Habor*, ut 2 Reg. 17. 6. ubi vide quae de his locis diximus. ¶ *Et Ara*] Quidam ex loco 17. 6. lib. 2 Regum putant Mediae montana intelligi, quòd vox Syriaca eam interpretationem recipiat. Apparet autem hîc eadem loca exsilii Hebraeorum attribui facto Theglathphalasari quae dicto loco Regum tribuuntur facto Salmanasari; credo quòd ambo victos à se populos in eas transtulerint regiones quae ab hominibus vacabant maximè. Mediae autem plurima erant montana, ut & Strabo & Ptolemaeus testantur; & quod Berosus narrat, Nabuchodonosori uxorem montium aspectu delectatam plurimùm, quòd in Mediae locis educata esset.

CAP. VI.

VATABLUS.

1. **G**Erson, גרשון] Hic per ן scribitur, infrà verò ver. 16. scribitur per ם, quòd hae literae sint inter se affines.

10. *Qui sacerdotio functus est*, אשר כהן] q. d. Ipse est qui in priore Templo strenuè functus est officio Sacerdotis, quia restitit Regi Osee volenti praeter officium offerre incensum in templo Salomonis.

15. *Quando transtulit*, בהגלות] Sub. *in Babylonem*, Transmigratio Israelis non fuit facta uno anno, nec ab uno Rege, sed decem annis & à quatuor Regibus Assyriae.

16. *Filii*, inquam, *Levi*, בני לוי] Repetit principium capitis, quia à principio ipso recensuit tantùm genealogiam Cahath: transit autem ad filios generatos à secundo filio Levi, & eorum generationem recenset.

19. *Levi, per familias suas*, הלוי לאבותיהם] *Levi* pro *Levitarum* sumitur: nomen est gentile, non proprium. Ad verb. *per patres suos.* Desideratur autem בית, ut legas *juxta domum patrum suorum*, i. per familias suas.

20. *Ipsi Gersom*, לגרשום] Hebraica phrasis, pro *Gersonis filius fuit Libni.* Quidam volunt ל redundare, aut significare substantiam rei, i. *Ipse Gersom*, sub. *fuit filius ejus*, nempe Levi: postea sequatur, *Libni filius ejus*, nempe Gersom.

26. *Elcanah*, אלקנה] Hic videtur fuisse filius Assir. Quod mox sequitur *Elcana* antecedens est pro relativo; ut legas, *filii ejus fuerunt ii qui sequuntur.*

28. *Filii autem Semuel*, ובני שמואל] Semuel fuit filius Elcanae: potuit igitur aliquid subaudiri, cujusmodi, *Filius autem ejus fuit Semuel*, ut postea sequatur, *Porrò filii Semuelis*, &c. ¶ *Vasni*, ושני] Iste infrà v. 33. & 1 Sam. 8. 2. dicitur *Joel.*

31. *In locis cantici*, על ידי שיר] *In rationibus cantici*, vel *officiis cantici*, i. cantorum: sic verti possunt Hebraea, q d. Isti sunt quos David praefecit cantoribus, posteaquam posita est Arca in Tabernaculo quod fecerat illi David.

32. *Coram tabernaculo tentorii ecclesiae*, לפני משכן אוהל מועד] *Coram tentorio tabernaculi conventûs*, sive *congregationis.* Vide Exod. 27. 21. ¶ *In cantico*, בשיר] i. In canticis illis Divinis. ¶ *Steterúntque*, ויעמדו] Sub. *tempore Templi.* ¶ *Juxta morem suum*, כמשפטם] i. Pro

i. Pro ratione dignitatis suæ, quem morem nacti erant tempore Tabernaculi, q. d. Manserunt in eo ordine & statu quem nacti erant tempore Tabernaculi.

33. *Joel*, יואל] De hoc vide v. 28.

37. *Filii Corah*, בן קורח] Iste non fuit filius, sed nepos.

39. *Et frater ejus*, ואחיו] i. Cognatus: nam habuerunt hi duo eundem avum, nempe Levi.

44. *Fratres eorum*, אחיהם] Nempe cantorum supradictorum.

48. *Fratres autem eorum*, ואחיהם] Sub. *cantorum supradictorum*. ¶ *Dati*, נתונים] *Deputati*.

49. *Adoleverunt*, &c. מקטירים וגו'] q. d. Aaron & filii ejus functi sunt ministerio Sacerdotum. ¶ *Suffimenti*, הקטרת] *Thymiamatis*. ¶ *Sancti sanctorum*, קודש הקדשים] *Sanctum sanctorum* aliquando accipitur pro adyto, aliquando pro partibus Templi in quibus versabantur Sacerdotes. ¶ *Et ad expiandum Israelem*, ולכפר על ישראל] i. Ad reddendum Deum propitium sive placatum Israeli, juxta præscriptum Mosis.

54. *Per palatia eorum*, לטירותם] Hæc vox significat *domos lapide polito ædificatas*, & *domos insignes*: propterea vertit interpres *palatia*. ¶ *In termino eorum*, בגבולם] i. In regione eorum, vel in finibus suis. Gallicè, *En leur quartier*: nam regio quælibet certis limitibus & finibus est distincta. ¶ *Per familiam Cahathitarum*, למשפחת הקהתי] *In cognatione Cahathitarum*: nam Aharon descendit ex Cahath.

56. *Agros autem*, ואת שדה] Sing. Heb. pro plur.

57. *Evasionis*, המקלט] *Perfugii*. Subaudiendum fuit *urbes*: alioqui obscurior locus fuisset. Erant autem sex urbes perfugii ultra Jordanem, tres citra: prima fuit Hebron.

58. *Et Hilen*, ואת חילן] Dicitur à Josue *Holen*, propter affinitatem Hiric & Holem.

60. *Et Alemeth*, ואת עלמת] Hæc à Josue dicitur *Almon*. ¶ *Tredecim*, שלש עשרה] Hic omittuntur duæ quæ scribuntur in Jos. 21. 13. & seq.

61. *De familia tribus*, ממשפחת המטה] Multa hic sunt subaudienda, alioqui locus valde erit obscurus, sic, dederunt *de cognatione tribûs* Levi, *de dimidia tribu*, id est, *de media* parte *Menasse per sortem*, vel, *sortibus missis*, ut intelligamus idem esse ממחצית & חצי. Ideo ponit utrumque: éstque sensus, *Dederunt autem filiis Cahath reliquis*, i. *qui supererant de cognatione tribûs Levi*, *de dimidia tribu Manasse*, h. e. *de dimidia parte Manasse*. Confer hæc omnia cum Jos. 20, & 21.

62. *Filiis autem Gersom*, ולבני גרשום] Sub. *dederunt urbes ad habitandum*. Plena est locutio v. 64.

63. *Filiis Merari*, לבני מררי] Sub. *dederunt filii Israel*.

65. *Quas vocaverunt nominibus*, אשר יקראו אתהם בשמות] i. Quibus nomina indidere. Vel, *quas vocarunt nominibus* quibus appellavimus illas superioribus versibus.

66. *Et iis qui erant de familiis filiorum Cahath*, וממשפחות בני קהת] Istud seq. versui conjungitur, interjectâ parenthesi: éstque Hebraismus, *Et de familiis*, vel *cognationibus*, *filiorum Cahath dederunt illis*, pro, *Iis qui erant de cognatione Cahath dederunt urbes*, &c. ¶ *Fuerunt autem*, &c. ויהי וגו'] Parenthesis est, & Hebraismus, pro, *habitaverunt etiam in tribu Ephraim*.

70. *Ipsi familiæ*, למשפחת] Sub. *dederunt*. Alii vertunt eodem sensu, pro *familia filiorum Cahath*.

78. *Jarden Jereho*, לירדן ירחו] Jordanis dicitur *Jericho*, quia fluit circum Jericho: de quo & aliis locis dictum est.

GROTIUS.

10. *Ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Solomon in Jerusalem*] Pontificis partes contra Salomonis successorem, in ipso illo Templo quod Solomon ædificaverat, egregiè tutatus est, 2 Par. 26. 17.

28. *Filii Samuel : primogenitus Vasseni*, *& Abia*] Mirum nomen apud Hebræos *Vasseni*. Credibile est scriptum fuisse ושני אביה, ut sensus sit, *Filii Samuel fuere, primogenitus ejus* (nempe Joel 1 Sam. 8. 2. cujus nomen, quia minus clarus fuit, hic reticetur) *& secundus Abia*, quod convenit cum dicto Samuelis loco.

31. *Isti sunt quos David constituit super cantores*] Tanquam κορυφαίους χορῶν, ut loquitur scriptor De Mundo.

65. *Dederúntque per sortem ex tribu filiorum Juda & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Benjamin*] Nempe Sacerdotibus, ut suprà 54, 60. Jos. 21. 13---19.

70. *His videlicet qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant*] i. Qui non Aaronidæ ac proinde Sacerdotes erant, sed meri Levitæ, Jos. 21. 20 —— 26.

CAP. VII.

VATABLUS.

1. *Et Puah, Jasub*, ופואה ישוב] Gen. 46. 13. hi duo vocantur *Puvah* & *Job*; quare quidam dicunt Jasub eundem esse cum Job.

2. *Per domum patrum*, &c. לבית אבותם וגו'] *Per familiam majorum suorum per* familiam *Thola*, i. principes familiæ suæ, h. e. familiæ Thola. Repeti debet בית *per familiam*, vel *familia*. ¶ *Fortes robore*, גבורי חיל] Pro *bellicosis* posuit. ¶ *In diebus Davidis*, בימי דויד] i. Cùm numeravit David populum, 2 Sam. 24. 1.

3. *Quinque principes omnes*, חמשה ראשים כלם] Quinque fuerunt comprehenso patre; & hi omnes viri clarissimi.

4. *Erántque cum illis*, ועליהם] Sub. *superioribus*. ¶ *Per domum patrum suorum*, לבית אבותם] *Per familias suas*. ¶ *Exercitus militiæ prælii*, גדודי צבא מלחמה] *Turmæ militares aptæ ad prælium*, i. milites apti ac parati ad prælium, q. d. *generosi & fortes*. ¶ *Multiplicaverunt enim uxores & filios*, כי הרבו נשים ובנים] Hebraismus, Habuerunt enim plurimas uxores, ex quibus genuerunt plurimos liberos.

5. *Fratres quoque eorum*, ואחיהם] Intelligit cognatos. ¶ *Per omnes familias Issachar*, לכל משפחות יששכר] i. Omnes Issacharitæ. ¶ *Recensiti per seriem*, &c. התיחשם לכל] *Quando recensiti fuerunt per seriem generationis eorum per omnes*, i. per totam cognationem suam, q. d. comprehensis omnibus ascenderunt ad numerum octoginta, &c.

7. *Domûs familiarum*, בית אבות] i. Familiæ suæ.

11. *Egredientes ad militiam in prælium*, יוצאי צבא למלחמה] Hebraismus, *militari ordine procedentes in prælium*, i. periti artis militaris, sive viri militares accincti ad prælium & bellicosi.

12. *Et Suppim*, ושפם] Hic Gen. 46. 21. dicitur *Muppim*: fuit igitur binomius. ¶ *Filii Ir*, בני עיר] Hic Ir dicitur *Iri* v. 7. in enumeratione filiorum Bela. ¶ *Husim, filii Aher*, חשם בני אחר] Sic vertunt plures, ut noster interpres. Doctioribus quibusdam magis placet sic verti, *Husim fuit filius alius*, sub. *à filiis Benjamin*, quia fuit ex nepotibus Dan. Locus hic facilè intelligitur collatus cum Gen. 46. 23. ubi habetur, *Et filii Dan, Husim*, & plur. est pro sing. *filius*.

13. *Et Sallum*, ושלום] Gen. 46. 24. dicitur *Sillem*. ¶ *Filii Bilha*, בני בלהה] Subaudiendum nonnihil, sic, *isti sunt filii Bilha*: non isti qui præcesserunt, sed Dan & Nephthali, ut habetur Gen. 46. 23, 24, 25.

14. *Filii*, בני] Plur. Heb. pro sing. *filius*, aut subaudienda præpositio, *Ex filiis*, &c. ¶ *Quem peperit*, אשר ילדה] Sub. *uxor ejus*. Vel, *quem peperit*, sub. *ea quæ peperit*, nempe mater. ¶ *Aramaha*, הארמיה] *Syra illa*. Gallicè, *la Syrienne*. ¶ *Patrem Gilad*, אבי גלעד] i. Principem Gilad, vel patrem revera: nam Machir fuit pater viri qui dicebatur *Gilad*, simúlque princeps regionis Gilad.

15. *Accepit sibi uxorem Huppim & Suppim*, לקח אשה להפים וגו׳] Quidam putarunt hæc duo esse nomina unius: quod si ità esset, non addidisset ל. Ideo vertendum, *accepit* sibi *in uxorem* sororem *Huppim & Suppim*, qui habebant idem nomen cum nomine sororis propriæ.

16. *Quem vocavit*, ותקרא שמו] Ad verb. *& vocavit nomen ejus*.

18. *Soror autem ejus*, ואחותו] Sub. *Gilad*.

21. *Et occiderunt eos*, והרגום] Nempe nepotes Ephraim. ¶ *Qui nati erant in terra*, הנולדים בארץ] i. Nati in regione illa, h.e. indigenæ illius terræ. ¶ *Descenderant enim*, &c. כי ירדו וגו׳] Sub. *nepotes Ephraim*. Hîc dat causam obiter, quia erant ignari loci: sed erat alia causa à Deo, quòd nondum venisset tempus quo volebat Deus illos expellere. Deus autem utitur causis secundis ut instrumentis.

22. *Luxit itaque*, ויתאבל] *Mœrore itaque affectus est. Patrem* pro *avo* mox ponit. ¶ *Fratres ejus*, אחיו] i. Cognati & consanguinei. Habebat fratrem majorem natu se, nempe Manasse. Hîc verò dicit *fratres*, significans non illum fratrem suum, sed cognatos.

23. *Fuerat*, היתה] *Fuisset*: Sub. *uxor ejus*, vel *mater*. ¶ *In domo ejus*, בביתו] Sub. *Ephraim*, q. d. Sic eum vocavit qòud esset conceptus tempore tristitiæ & afflictionis.

24. *Filia autem ejus*, ובתו] i. Neptis. Per *neptem* eam intellige quæ nata est ex nepotibus, q.d. Ex tribu Ephraim duxit originem mulier clarissima, *Seera* nomine, & celebris quòd tres urbes ædificasset.

29. *Et juxta loca filiorum Menasse*, ועל ידי בני מנשה] i. Versùs eam regionem quam inhabitabant filii Manasse, *juxta filios Manasse*. ¶ *In istis*, באלה] Sub. *urbibus*.

31. *Pater*, אבי] Pro *principe* positum.

40. *Principes domûs familiarum*, ראשי בית האבות] Hebraismus, *principes familiarum suarum. Patriarchæ*. ¶ *Fortes viribus*, גבורי חילים] Pro *fortissimis* positum. ¶ *Ad militiam in prælium*, בצבא במלחמה] Suprà v. 11. dixit, *egredientes ad militiam in prælium*. Quidam vertunt *inter viros militiæ ad bellum*, i. proficiscentium ad bellum. h. e. ut ascriberentur numero proficiscentium ad bellum. Alii, *inter milites militiæ*, pro, *inter viros militares*.

GROTIUS.

1. J*Asub*] Sic nominatur & Num. 26. 24. unde conjectura omissum per incuriam ש Gen. 46. 13.

2. *Numerati sunt in diebus Davidis*] Quo tempore Joabus recensionem incepit, sed non perfecit.

4. *Multas enim habuerunt uxores*] Causa πολυγαμίας illo tempore, spes multæ sanctæque sobolis, corruptis gentibus aliis. Confer quod infrà 40.

15. *Nomen autem secundi Selphaad*] i. Nomen pronepotis ex secundo filio.

21. *Quia descenderant ut invaderent possessionem eorum*] Heb. *ad capiendos greges eorum*. Sic & Græci, ὅτι κατέβησαν τοῦ λαβεῖν τὰ κτήνη αὐτῶν. Notatur hîc, ni fallor, culpa Ephraimitarum in Ægypto agentium, qui vicinis molesti fuere, plane ut socii Ulyssis Ægyptiis, quibus res non minùs malè cessit. Homerus Odyss. Ξ'

Οἱ δ' ὕβρει εἴξαντες, ἐπισπόμενοι μένεϊ σφῷ,
Αἶψα μάλ' Αἰγυπτίων ἀνδρῶν περικαλλέας ἀγροὺς
Πόρθεον, ἐκ δὲ γυναῖκας ἄγον καὶ νήπια τέκνα,
Αὐτούς τ' ἔκτεινον· τάχα δ' ἐς πόλιν ἵκετ' ἀϋτή.
Οἱ δὲ βοῆς ἀΐοντες ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι
Ἦλθον· πλῆτο δὲ πᾶν πεδίον πεζῶν τε καὶ ἵππων,
Χαλκοῦ τε στεροπῆς. ἐν δὲ Ζεὺς τερπικέραυνος
Φύζαν ἐμοῖς ἑτάροισι κακὴν βάλεν, οὐδέ τις ἔτλη
Μεῖναι ἐναντίβιον· περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστη·
Ἔνθ' ἡμέων πολλοὺς μὲν ἀπέκτανον ὀξέϊ χαλκῷ,
Τοὺς δ' ἄγαγον ζωούς.

24. *Quæ ædificavit Bethoron*] Reposuit urbem in veteri solo, quam Cananæis ereptam Israelitæ destruxerant.

CAP. VIII.

VATABLUS.

1. B*Injamin autem*, ובנימן] Describit iterum generationem Benjamin, ut describat generationem Saulis.

6. *Isti*, &c. אלה הם וגו׳] Parenthesis est, usque ad finem hujus versûs. *Isti*, nempe filii Ehud. ¶ *Et transtulerunt eos*, ויגלום] Nempe cives Geba.

7. *Naaman*, ונעמן] Hîc ו redundat propter interjectam parenthesim, q. d. *Ehud habuit hos filios*. ¶ *Et Gerah ipse transtulit eos*, וגרה הוא הגלם] i. Ipse Gera fuit ille qui transtulit eos: fuit autor præcipuus translationis eorum, vel dux. ¶ *Genuit autem*, והוליד] Sub. *ipse Gera*.

8. *Saharaim autem*, ושחרים] Transit ad alteram generationem quæ fuit ex filiis Benjamin. ¶ *Posteaquam ejecit illas*, מן שלחו אותם] Nempe uxores suas. Nota relativum masc. pro feminino, quod etiam ponitur pro antecedente: *posteaquam amandavit illas à se*, nempe *Husim*, &c. Habebat duas uxores quas repudiavit propter causas quæ hîc tacentur.

17. *Et Zebadiah*, וזבדיה] Iste versus cum sequenti legi debent per parenthesim: nam pergit recensere filios Elphaal, quos prætermiserat.

28. *Principes*, inquam, ראשים] Sub. *tribûs suæ*, h. e. principes tribûs Benjamin.

29. *Princeps Gibon*, אבי גבון] Ad verb. *pater Gibon*. Sic vocantur Principes, quòd ità debeant se gerere erga subditos ut patres erga filios. Confer hæc cum fine seq. capitis, v. 35. ubi paucis mutatis reperies quæ huic loco explicando prodesse possunt. Illic nomen *Principis* ponitur.

30. *Et Sur*, וצור] Sub. *& reliqui filii fuerunt*. Qui sequuntur, sunt filii Sur.

31. *Et Zecher*, וזכר] Subaudiendum, *& Micloth*: ut postea sequatur, *Porrò Micloth*; quod satis liquet ex 37. v. cap. sequentis, nè autem bis repeteret, semel dixit.

32. *Fratrum suorum*, אחיהם] Cognatos intelligit, ut & mox.

33. *Ner autem*, ונר] Hic 1 Sam. 9. 1. dicitur *Abiel*. Hebræi dicunt proprium ejus nomen fuisse *Ner*, i. *Lucernam*, quòd aliis bonæ vitæ exemplo præluceret.

40. *Tendentes arcum*, דורכי קשת] Hebraismus, *periti sagittandi*. ¶ *Et multiplicantes filios*, &c. ומרבים בנים וגו׳] Hebraismus, qui genuerunt multos filios ex quibus magna nepotum multitudo.

GROTIUS.

7. N*Aman autem, & Achia, & Gera ipse transtulit eos*] Zeugma, pro *transtulerant*, i. Isti tres coloniæ deducendæ principes fuere, quos Græci dicerent ἀρχηγὸς τῆς ἀποικίας. Erat autem Manaheth in sorte quidem Judæ & Benjaminis, sed ex parte nondum habitata. Huic sententiæ favet quod suprà est, ubi de Judæ posteris agitur, הראה חצי המנחות, si cum quibusdam vertas, *ei qui prospexit dimidiæ parti Manahoth*, i. curavit nè ea pars vacaret.

CAP. IX.

VATABLUS.

1. Q*UI translati sunt*, הגלו] Subauditur אשר *qui*. Antè scripsit generationem filiorum Israelis ante transmigrationem Babylonicam: nunc scribit genealogiam eorum qui ex captivitate redierant post transmigrationem.

2. *Habitatores autem priores*, והיושבים הראשונים]

In

In Nehemia, c. 11. ferè hæc omnia recensentur usque ad finem capitis, unde hæc illustrari poterunt. *Habitatores priores* vocat illos qui priores reversi habitaverunt in possessionibus suis quas inhabitabant ante captivitatem. ¶ *Israel*,&c. 'ישראל וגו] q. d. *Redierunt aliquot ex Israele, ex Sacerdotibus, Levitis, & Nathinais*; vel, *Cum Sacerdotibus, & Levitis, & Nathinæis etiam Israelitæ aliquot redierunt*: & hos separat à Sacerdotibus & Levitis, de quibus v. sequenti.

3. *In Jerusalem namque*, ובירושלם] Declarat quid per *Israelem* intellexerit v.2. nempe eorum aliquot qui ex filiis Judah aufugerunt cùm abducerentur decem tribus. Vel potiùs (ut dictum est. & ex Nehemia patet) qui ex captivitate redierunt. ¶ *De*, מן] Hîc מן significat *partem*: q. d. Habitaverunt aliquot de filiis Judah. ¶ *Id est de filiis*, ומן בני] Hîc ו pro *Id est* positum est.

5. *Et de Siloni*, ומן השילני] Subaudiendum בני, & *de filiis* [i. nepotibus] *Siloni*; est nomen proprium, vel ponitur vice nominis proprii.

6. *Et fratres eorum*, ואחיהם] Sub. *supradictorum*.

9. *Fratres autem eorum*, ואחיהם] Cognatos significat. ¶ *Per domum patrum suorum*, לבית אבותיהם] i. Per familias suas.

12. *Filii Pashur*, בן פשחור] i. Nepotis: nam hîc omittuntur tres inter Jeroham & Pas-hur. Vide Neh. 11.12.

13. *Et fratres eorum*, ואחיהם] i. Cognati. ¶ *Per domos patrum suorum*, לבית אבותם] i. *Per familias suas*, sive *in familiis suis*. ¶ *In opere*, &c. 'מלאכת וגו] i. Viri præfecti operi ministerii templi ipsius Dei. Vel potiùs, *facientes opus ministerii domûs Dei*. Viros operis *fortes* vocat qui alacres & animo forti robustóque corpore versabantur in opere.

14. *Et de Levitis*, ומן הלוים] Pergit explicare sigillatim quæ posita sunt v.2.

17. *Princeps*, הראש] Ad verb. *caput*; i. erat princeps eorum janitorum. *Fratres* vocat cognatos, ut & suprà.

18. *Et hucusque*,&c. 'ועד וגו] *Et usque ad hæc tempora* fuerunt *in porta Regis*: i. præfuerunt illi portæ regiæ. *Porta regia* ista una erat ex portis Templi; sic dicta quòd per eam Rex Templum ingrederetur. ¶ *Per turmas*, למחנות] *In turmis*. Vel, *inter turmas*: q. d. Ex filiis Levi isti fuerunt ostiarii & janitores.

19. *Et fratres ejus*, ואחיו] Sub. *Sallum*. ¶ *Custodes liminum*, שומרי הספים] Sub. *constituti fuerunt usque ad hæc tempora*. ¶ *Super turmam Jehovæ*, על מחנה יהוה] i. Præfuerunt castris Jehovæ, ut essent custodes introitûs ipsius Tabernaculi: neminem enim sinebant ingredi loca illa sacra præterquam Sacerdotes.

20. *Jehova cum eo*, יהוה עמו] Subauditur אשר, ut sit, *cum quo Jehova erat*. Hebraismus, qui erat Domino gratissimus: qui inierat gratiam apud Jehovam. Hebræi enarratores non satis rectè, *qui erat propheta Jehovæ*.

22. *In villis suis*,&c. 'בחצריהם וגו] i. Cùm recensiti sunt per seriem generationum, sive cùm numerus eorum inventus est talis qualis jam dictus est, erant in villis suis. ¶ *Ipsos fundavit*, המה יסד] Sing. Hebr. pro plur. יסדו. nisi multa subaudiantur. Quidam vertunt, *illos confirmavit*, vel *constituit*, pro *constituerunt*. Aut, *ipsi fuerunt quos fundavit David & Samuel Propheta*. ¶ *In officio suo*, באמונתם] *In munere suo irrevocabili*: fidei scilicet eorum concredito. אמונה propriè *fidem* significat: sed hîc accipitur pro *officio perpetuo & permanente*, à *stabilitate* sic dicto. Quidam vertunt *propter fidem eorum*.

23. *Et filii eorum* erant *super portas*, ובניהם על השערים] i. Nepotes eorum constituti fuerant super portas. Intelligunt constitutos fuisse super Tabernaculum ante ædificationem Templi. ¶ *Per custodias*, למשמרות] i. Per vices. q. d. Certo numero erant.

24. *Ad quatuor ventos*, לארבע רוחות] q. d. Manebant in quatuor partibus Templi respondentibus quatuor plagis mundi.

25. *Singulis temporibus cum istis*, מעת אל עת עם אלה] Ad verb. *de tempore in tempus cum istis*; qui functi fuerint suo officio per hebdomadem suam. q. d. Ut succederent istis in fine septem dierum: quia per hebdomadem fungebantur suo officio. Hoc genere dicendi utitur & Ezechiel 4.10.

26. *In officio*,&c. כי באמונה] *Quia in munere erant ipsi quatuor potentissimi janitorum, erant Levitæ*; i. fungebantur munere suo septem diebus, h.e. unâ hebdomade; erántque Levitæ. Qui præerat omnibus, erat de genere Sacerdotum: qui verò quatuor præerant aliis, necessariò erant Levitæ.

27. *Super eos* esset *custodia*,&c. 'עליהם משמרת וגו] i. Ad eos spectaret custodire Templum, & præesse aperitioni ostiorum Templi. Versu 29. perficitur hæc oratio. ¶ *Quotidie manè*, ולבוקר לבוקר] Ad verb. *in manè, in manè*; ו redundat: i. quâ horâ solebant ostia aperiri, nempe manè, sive summo manè.

28. *Super vasa ministerii*, על כלי העבודה] i. Super instrumenta ipsius cultûs Divini. ¶ *In numero enim*, &c. 'כי במספר וגו] i. Dabant certo numero vasa, & eadem certo numero recipiebant; certus namque erat numerus vasorum.

30. *Conficiebant unguentum aromaticum*, רוקחי המרקחת לבשמים] Ad verb. *confectores* erant *confecturæ aromatum*: i. conficiebant unguenta aromatica.

31. *Ipse* est *primogenitus*, הוא הבכור] Is erat nepos Sallum ex genere Corhitarum: h.e. ex nepotibus Corah erat. ¶ *In officio super*,&c. 'באמונה על וגו] i. Præfectus erat iis quæ fiebant per sartaginem: q.d. Ad eos spectabat videre diligenter quæ fiebant in sartaginibus.

32. *Cahathitarum*, הקהתי] Sing. Heb. pro plur. i. Quidam autem Cahathitæ qui erant ex cognatis Levitarum. ¶ *Panem propositionis*, לחם המערכת] Ad verb. *panem dispositionis*: i. præerant panibus ordine dispositis ante arcam federis: qui & *panes facierum* dicuntur Exod. 25.30.

33. *Per Levitas in cubiculis immunes*, 'ללוים וגו] i. In genere Levitarum, immunes ab omni alio officio. ¶ *Super eos* erat esse *in opere*, עליהם במלאכה] Hebraismus, *ad eos spectabat esse in opere*, sub. *musices*; i. illorum erat diu & noctu musicam illam Divinam tractare.

34. *Levitis*, ללוים] i. In tribu Levi; inter Levitas.

35. *Pater Gibon, Jeiel*, אבי גבעון יעיאל] i. Princeps Gibeon, nomine Jeiel, cum familiaribus ejus. Aut dic verbum plurale positum pro singulari, *habitavit*. Hæc autem atque sequentia ad finem usque capitis scripta sunt c.8.29.

44. *Filii Asel*, בני אצל] Hucusque descriptæ sunt genealogiæ. Hinc jam incipiet describere gesta, & præsertim ipsius Davidis. Hic enim primus liber Paralipomenon scriptus est maximè in laudem Davidis.

GROTIUS.

1. *Universus ergò Israel dinumeratus est*] i. Hactenus summatim recensui tribus omnes ex Actis publicis.

2. *Et Nathinæi*] Gabaonitæ, Jos. 9.27.

16. *Qui habitavit in atriis Netophati*] Heb. *in villis Netophati*: sic & Græci, ἐν ταῖς κώμαις Νωτεφατί. Eæ erant in sorte Judæ 2.54. Unde apparet Regno diviso, Levitas receptos à Sacerdotibus in eas habitationes quæ solis Sacerdotibus in sorte Judæ obvenerant.

19. *Et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum*] Heb. *& patres eorum in castris Domini custodes introitûs*. Græcè, καὶ πατέρες αὐτῶν ἐπὶ τῆς παρεμβολῆς Κυρίου φυλάσσοντες τὴν εἴσοδον. i. Isti Coritæ ità nunc servabant limen sicut olim majores eorum Cahathithæ in castris fecerant, Num. 4.4.

20. *Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum*] Et pater & filius nomina habebant antiqua. Noli enim credere hunc illum fuisse Phineen Mosi coævum.

33. *Hi sunt principes cantorum*] Hi Cahathitæ. ¶ *Ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent*] Ideo in exhedris illis manebant, ne quâ re contaminarentur, & inutiles fierent ministerio.

35. *Et nomen uxoris ejus Maacha*] Sic & Græci, καὶ ὄνομα γυναικὸς αὐτοῦ Μααχά. Legerunt ergò non אחתו, ut nunc habent editi codices Hebræi, sed אשתו. Nec desunt libri Hebræi qui sic habeant: ut dubitari non debeat quin multæ sint lectiones discrepantes etiam non annotatæ à Masoretis.

CAP. X.

VATABLUS.

1. *Fugitque vir Israel à facie*, וינס איש ישראל מפני] Sing. Heb. pro plur. *Fugeruntque Israelitæ, & terga dederunt coram Philisthæis.*

3. *Ac vulneratus est*, ויחל] Ad verb. *& doluit*; aut, *& molestiâ affectus est valde.*

7. *In eis*, בהם] Hîc ם pro ן positum, בהם pro בהן.

9. *Ac miserunt*, וישלחו] Sub. *caput illud*, vel potiùs *nuncios*. ¶ *Sculptilibus suis*, את עצביהם] i. Sacerdotibus idolorum suorum victoriam vel mortem Saulis.

12. *Omnes viri robusti*, כל איש חיל] Sing. Heb. pro plur. *omnis vir virtutis*. ¶ *Quercum illam*, האלה] De clara & insigni notâque quercu loquitur. Vox Hebræa quibusdam significat *ulmum*, aliis *quercum*: Chaldæo paraphrastæ *castaneam*. 1 Sam.31.13. ponitur dictio quæ simpliciter significat *arborem*.

13. *Pythonem*, *consulendo* eum, באוב לדרוש] i. Mulierem habentem pythonem, sive dæmonem, & consulendo eum.

GROTIUS.

13. *Mortuus est ergò Saul propter iniquitates suas, eò quòd prævaricatus sit mandatum Domini*] 1 Sam.15.21. ¶ *Sed insuper etiam Pythonissam consuluerit*] 1 Sam.28.

14. *Nec speraverit in Domino*] Quod satis apparebat ex illa consultatione Pythonissæ. Heb. *& non quæsivit in Domino*, i. nullam Dei curam habuit. ¶ *Propter quod interfecit eum, & transtulit Regnum ejus ad David filium Isai*] Regna ubi transferuntur, videbis præcedere injustitiam & impietatem.

CAP. XI.

VATABLUS.

1. *Os tuum & caro tua sumus*, עצמך ובשרך אנחנו] Vide quæ annotata sunt 2 Sam.5.1.

3. *Juxta verbum*, &c. כדבר וגו'] Hebraismus, juxta præceptum Jehovæ, internuncio Samuele.

4. *Et ibi Jebusæi*, &c. ושם היבוסי וגו'] *Et ibi habitabant Jebusæi incolæ illius terræ.*

5. *Ipsa est Civitas Davidis*, היא עיר דויד] Aliquid subaudiendum, *ea est quæ postea dicta fuit Civitas Davidis.*

6. *Primus*, בראשונה] Ad verb. *in primis*; vel *in principio.*

8. *Ædificavitque*, ויבן] Pro *Instauravit* positum est. ¶ *Usque ad gyrum*, ועד הסביב] i. Usque ad finem ipsius circuitûs, ו redundat. ¶ *Instauravit reliquum*, יחיה את שאר] Ad verb. *vivificavit reliquum*, nempe tentoria & tabernacula circum domum Regis. *Vivificavit* pro *instauravit* dixit: nisi fortè intelligat homines; ut dicimus Gallicè, *rafreschir les gens.*

9. *Et ibat David eundo*, וילך דויד הלוך] Hebraismus, Profecit David proficiendo.

10. *Qui erant Davidi*, אשר לדויד] i. Quos habebat socios & adjutores David. ¶ *Qui roboraverunt sese cum eo*, המתחזקים עמו] Hebraismus, Qui pro virili faverunt & adjuverunt eum in negotio Regni *cum toto Israele.* Præs. Heb. pro præt.

11. *Iste autem est numerus*, ואלה מספר] Aut אלה pro זה positum est: aut confunduntur numeri. Doctioribus magis placet ut subintelligatur מן ante מספר, hoc modo, *Isti autem* sunt [vel fuerunt] *de numero potentium*, vel *fortium*, virorum *Davidis*. Vide 2 Sam.23.8. ¶ *Princeps* inter *triginta*, ראש השלושים] Cùm ità vertit noster interpres, secutus est literas dictionis, non puncta. Alii legunt השלישים quod *principes* significat, & vertunt *dux principum*. Alii, *dux tertiorum*; sub. *à Rege*. ¶ *Iste excitavit*, &c. הוא עורר וגו'] Hebraismus, acsi dicat, *Uno conflictu lanceâ aggressus est trecentos viros fortes, quos & interfecit*. Vide eundem Hebraismum & 2 Sam.23.18. ¶ *Quos interfecit*, חלל] *Vulneratos*, *cæsos*.

12. *Dodo Ahohites*, דודו האחוחי] *Patrui ejus* de urbe *Ahohi*. ¶ *Inter tres potentes*, בשלושה הגבורים] Hîc (ut quidam volunt) ב pro מן positum, qui vertunt, *ipse fuit* unus *ex tribus fortibus*. Tres enim fuerunt qui dicti sunt *fortes*, quòd perrupto exercitu Palæsthinorum attulerint aquam de cisterna quæ erat in porta urbis Beth-lehem ad Davidem.

15. *Ad rupem*, על הצור] In qua scilicet erat David. Confer hæc cum 2 Sam.23.13. ¶ *In speluncam*, אל מערת] *Ad cisternam.*

16. *In ipsa arce*, במצודה] In illa scilicet arce quò se recipere solebat persequente Saule. Gallicè, *en son fort.*

17. *In porta*, בשער] *Ad portam?* in qua est Palæsthinorum præsidium.

19. *Absit mihi à Deo meo*, חלילה לי מאלהי] Ad verb. *Inhibitio* [*Prohibitio*; sub. *sit*] *mihi à Deo*; i. Prohibeat Deus. Avertat hoc Deus à me. Gallicè, *Ia Dieu ne plaise.* ¶ *Nunquid sanguinem*, &c. הדם האנשים וגו'] Hebraismus, An aquam ab istis cum vitæ suæ periculo haustam biberem? Ad verb. *An sanguinem virorum istorum bibam cum animabus eorum? quia cum animabus suis attulerunt eam.*

20. *Excitavit*, עורר] *Commovit, agitavit.* ¶ Quos *vulneravit*, חלל] *Vulneratos.*

22. *Filii viri robusti*, בן איש חיל] *Filius*, inquam, *viri virtutis*, vel *virium*: i. robustissimi. ¶ *Et magni operibus*, רב פעלים] *Magnus operibus*; i. multorum operum & facinorum patrator. Gallicè, *homme d'execution.* Potest tamen referri ad Jehoiada. ¶ *Percussit*, הכה] i. Interemit; ut dicimus, *percussit urbem*, pro *expugnavit*. ¶ *Fortissimos Moab*, אריאל מואב] Nomen est compositum ex duobus significantibus *fortem*, ex ארי *leo* & אל *fortis*; & est sing. pro plur. q.d. Interfecit duos quorum uterque erat fortissimus [sive duos Moabitas fortissimos] instar leonum. ¶ *Leonem*, את הארי] De insigni leone loquitur & noto, qui fortasse magnis incommodis incolas illos affecerat: q. d. Descendit in cisternam quam leoni paraverant & in quam descenderat leo.

23. *Virum mensuræ*, איש מדה] Sub. *magnæ*; In 2 Sam.12.21. dicitur *vir aspectûs*. ¶ *Descendit autem*, וירד] Sub. *in certamen*.

25. *Ex triginta*, &c. מן השלושים וגו'] Præ fortibus robustus ipse erat & inclytus. ¶ *Ad auditum suum*, על משמעתו] i. *Ab auriculis*, sive *à consilio*. Vide aliam expositionem 2 Sam.23.23.

26. *Potentes autem exercituum*, וגבורי החילים] *Fortes autem in exercitibus*, vel *viribus*, *fuerunt*, &c.

CASTALIO.

12. *Eleazarus*] Quod hîc Eleazaro tribuitur, nec id soli, id 2 Reg. 23. Sammæ ascribitur, cujus hîc nulla fit mentio, cùm tamen *tres* esse *præcipui* dicantur. Videtur hic locus esse mutilatus, ut & alii in his duobus libris multi.

GROTIUS.

10. *Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut Rex fieret super Israel*] *Magna negotia magnis adjutoribus egent*, ut dixit Velleius. Adde quæ infrà 12.23.

25. *Posuit autem eum David ad auriculam suam*] Minimè convenit ea functio homini ad bella nato. Aliter legerunt Graeci, καὶ κατέστησεν αὐτὸν Δαβὶδ ἐπὶ τὴν πατριὰν αὐτοῦ, nempe משפחתו. Viri pereruditi putant scriptum duabus literis mutatis משמרתו, *super custodiam suam*; praefecit eum corporis sui custodibus.

CAP. XII.

VATABLUS.

1. *Adhuc clausum à facie Saul*, עוד עצור מפני שאול] *Cùm adhuc esset clausus metu Saulis*; i. cùm adhuc contineret se in Siclag tanquam clausum metu Saulis. ¶ *Et ipsi* erant, &c. והמה וגו'] Hebraismus, ipsi erant de numero virorum fortium qui tulerunt opem ipsi Davidi in praelio contra Saulem.

2. *Arcu*, קשת] Sing. Heb. pro plur. *arcubus*. *Armatos arcubus* vocat sagittarios. ¶ *Dextrâ utentes & sinistrâ in ipsis lapidibus*, מימינים ומשמאלים באבנים] Ad verb. *dextrantes & sinistrantes in ipsis lapidibus*: sub. *mittendis*; i. in lapidibus fundâ jaciendis utebantur sinistrâ manu tanquam dextrâ: h.e. erant egregii fundibularii. ¶ *Et in sagittis*, ובחצים] Sub. *mittendis*, q. d. *Sagittarii optimi*.

3. *Dux*, הראש] *Princeps*; sub. *eorum*:

4. *Inter triginta*, בשלושים] *Inter potentes*, vel, *fortes*: i. *fortissimus*. ¶ *Et super triginta*, ועל השלושים] i. Praeerat illis triginta.

6. *Corhitha*, הקרחים] Plurale est.

8. *Separaverunt sese*, נבדלו] i. Transfugerunt ad Davidem. ¶ *Viri militiae ad bellum*, אנשי צבא למלחמה] Sub. *exercendum*: i. viri militares, bello exercendo apti, pollentes virtute bellicâ: vel, *periti ad instruendam aciem*: quod intelligi potest ex 33. v. hujus capitis. ¶ *Disponentes*, &c. עורכי צנה וגו'] i. In acie utentes clypeis & scutis: pro מגן in quibusdam cod. legitur רומח *lancea*. ¶ *Et similes capris*, &c. וכצבאים וגו'] Hebraismus, Erant velocissimi, & ipsas capras celeritate & agilitate aequantes; ità ut siquando erat accelerandum, facilè conscenderent montes difficiles aditu.

9. *Dux*, הראש] Sub. *fuit illorum*.

14. *Unus pro centum*, &c. אחד למאה הקטן וגו'] i. Minimus illorum poterat obsistere centum aliis, maximus verò poterat obsistere mille, vel poterat persequi mille alios.

15. *Tametsi ipse erat repletus*, והוא ממלא] Ad verb. *& ipse repletus*; q. d. Nihil eos terruit Jordanis plenus, qui circa messem non solet capi suis ripis, ut vides Jos. 3.15. ¶ *Incolas vallium*, העמקים] Ad verb. *valles*, *convalles*.

16. *Usque ad arcem*, עד למצד] *Usque ad praesidium* in quo David sese continebat metu Saulis, ut v. 1, & 8.

17. *Ante eos*, לפניהם] *Ante faciem illorum*: i. obviàm illis. ¶ *Et loquens*, ויען] Ad verb. *& respondit*. ¶ *Venitis*, באתם] Praet. Heb. pro praes. ¶ *Erit mihi super vos*, &c. יהיה לי עליכם לבב ליחד] i. Cor erit mihi vobiscum in unum. Hebraismus, Ero vobiscum ejusdem animi: vel, Erit mihi idem animus qui vobis. Ejusdem voluntatis ero. ¶ *Si autem ad decipiendum*, &c. ואם לרמותני וגו'] i. *Si autem venistis ut imponatis mihi in gratiam adversariorum*, sive *inimicorum*, *meorum*, *cùm nulla sit iniquitas in manibus meis*, *Dominus videbit* injuriam quam mihi facitis, *& redarguet* vos & perfidiam vestram.

18. *Spiritus verò induit*, ורוח לבשה] Hebraismus, Spiritum audaciae & fortitudinis intelligit: acsi dicat, *Audaciâ & fortitudine ductus respondit*. ¶ *Tui* sumus, *ô David*, *& tecum*, לך דויד ועמך] *Tecum* sumus, *& tecum* erimus: i. A partibus tuis stamus & stabimus. ¶ *Pax, pax tibi*, &c. שלום שלום לך ושלום לעוזרך] Hebraismus, Multa pax tibi est, vel sit: aut, Res tuae sunt in tuto & optimo statu, res quoque eorum qui stant à te. ¶ *Quia adjuvat te*, כי עזרך] Praet. Heb. pro praes. ¶ *Turma*, הגדוד] *Illius exercitus*; qui scilicet ad ipsum confugerat. Multitudinem eorum qui confugerant ad Davidem vocat גדוד.

19. *Transfugerunt*, נפלו] Ad verb. *ceciderunt*; i. defecerunt à Palaesthinis, & secuti sunt Davidem. ¶ *Et non juverunt eos*, ולא עזרום] Sub. *Palaesthinos*. Vel, *non adjuverunt*, sub. *David & qui cum eo erant*. ¶ *Cum capitibus nostris*, בראשינו יפול] Hebraismus, Cum periculo vitae nostrae deficiet.

20. *Cùm*, inquam, *pergeret*, בלכתו] i. Cùm rediret. ¶ Aliquot *de Menasseh*, ממנשה] *Aliquot* addidit noster interpres, quòd מן *partem* significet.

21. *Auxiliati sunt Davidi contra turmam*, עזרו עם דויד על הגדוד] *Adjuverunt* praelium *cum Davide* [i. unà cum Davide bellum intulerunt] *contra turmam illam*; sub. *Amalecitarum*. Loquitur de turma nota & insigni, nempe ea quae spoliaverat Siceleg. 1 Sam. 30.9. haec describuntur. ¶ *In eo exercitu*, בצבא] *In ea militia*.

22. *Etenim quotidie*, כי לעת יום ביום] *Quotidie enim*. Ad verb. *Quia in tempore diei in die*; i. Singulis diebus. ¶ *Donec* factus est *in exercitum magnum*, עד למחנה גדול] i. Donec factus est maximus exercitus ejus.

23. *Isti autem sunt*, &c. ואלה מספרי] Hic describitur numerus eorum qui ex singulis tribubus venerant ad constituendum Davidem in Regem super universum Israelem. ¶ *Expeditorum*, חלוץ] Sing. Heb. pro plur. *accinctorum armis lumbos*: i. qui lumbos instructos armis habebant. ¶ *Ut converterent*, להסב] *Ut transferrent*.

24. Ex *filiis Jehudah*, בני יהודה] Hoc loco deest praepositio מן *de* vel *ex*, ut ex sequentibus apparet. Nisi vertas, *Filiorum Jehuda portantium*, &c. ¶ *Juxta os Jehova*, כפי יהוה] Hebraismus, Juxta praeceptum Jehovae.

28. *Principes*, שרים] Sub. *venerunt*.

29. *Fratribus*, אחי] i. Cognatis & consanguineis, vel contribulibus, sub. *venerunt*. ¶ *Adhuc enim multitudo eorum*, ועד הנה מרביתם] *Et ad hoc usque tempus major pars eorum*: i. Adhuc plures illorum sequebantur partes domûs Saulis.

30. *In domo familiarum suarum*, לבית אבותם] i. In familiis suis.

32. *Periti intelligentiâ temporum*, &c. יודעי בינה לעתים לדעת וגו'] Ad verb. *cognoscentes intelligentiam in temporibus ad sciendum quid*, &c. i. qui periti erant temporum & occasionum, h. e. scientes quo tempore quidque esset agendum Israeli captatis occasionibus. ¶ *Et omnes fratres eorum* &c. וכל אחיהם על פיהם] i. Contribules eorum rem administrabant ex praescripto eorum.

33. *Disponentes bellum*, עורכי מלחמה] *Instruentes pugnam*; i. in acie ordinata & instructa pugnantes omnibus armis bellicis. ¶ *Et parati ad ordinem servandum*, ולעדור] Hoc verbum significat *ordinavit*, *instruxit aciem*. Hìc videtur accipi pro *pugnare in acie*, *ordine servato*; i. qui erant apti ad servandum ordinem in acie, corde simplici, candido & puro, non duplici, sed integro & perfecto, ut infrà v. 38. dicit.

35. *Disponentes praelium*, עורכי מלחמה] Ut v. 33.

36. *Ad disponendum bellum*, לערוך מלחמה] i. Ad pugnandum in acie instructa: h.e. ordinem suum in acie instructa servantes, vel servare callentes. Vide v. 33.

37. *Pugna & belli*, צבא מלחמה] i. Militaribus & bellicis.

38. *Instructores aciei*, עודרי מערכה] *Instruentes aciem*; i. in acie structa pugnantes. ¶ *Corde integro*, בלבב שלם] *Corde perfecto*. Gallicè *tous bien deliberez*. ¶ *Corde uno erant ut Regem constituerent*, &c. לב אחד להמליך את דויד] i. Consentiebat reliquus populus Israel ut David in Regem eligeretur.

39. *Praeparaverant*, הכינו] Sub. *escas & cibaria*. ¶ *Fratres eorum*, אחיהם] i. Alii Israelitae.

40. *Escam*,

40. *Escam farinam,* [מאכל קמח] *In cibum* [*ad vescendum* : subauditur ל] *farinam*. Alii, *cibum farinaceum*. ¶ *Palathas,* [דבלים] *Massas ficuum siccarum*.

GROTIUS.

8. SED & *de Gaddi*] Quòd Gaditarum tribus vicina esset locis illis desertis in quibus David se tenebat. ¶ *Facies eorum quasi facies leonis*] Vegetius, *Sit adolescens Martio operi deputandus vigilantibus oculis*. ¶ *Et veloces quasi caprea in montibus*] Vide 2 Sam. 2.18. Idem Vegetius, *Militaris alacritatis saltus & cursus antè tentandus est quàm corpus ætate pigrescat : velocitas animi est quæ percepto exercitio strenuum facit bellatorem*.

CAP. XIII.

VATABLUS.

1. CUM *tribunis,* [עם שרי האלפים] Ad verb. *cum principibus millium*. ¶ *Cum omnibus ducibus,* [לכל נגיד] Sing. Heb. pro plur. q. d. *nullo duce excepto*.

2. *Placet,* [טוב] Ad verb. *bonum* ; sub. *est*, vel *videtur*. ¶ *Et à Jehova,* &c. [ומן יהוה אלהינו] i. Si placuerit Domino, & ei rei faverit quam molimur. ¶ *Dispergamus & mittamus,* [נפרצה נשלחה] *Dividemus, mittemus*, sub. *nuncios* ; i. varios & diversos nuncios mittemus ; aut, huc illuc mittemus nuncios. ¶ Sunt *Sacerdotes & Levitæ,* [הכוהנים והלוים] Vel subaudi, *remanserunt*. Omnes Sacerdotes sunt Levitæ, non contrà : ideo dicit, *Sacerdotes & alios Levitas*. ¶ *In urbibus suburbanorum suorum,* [בערי מגרשיהם] *In urbibus & suburbanis suis*.

3. *Ad nos,* [אלינו] i. In Jerusalem. ¶ *In diebus Saulis,* [בימי שאול] i. Tempore Regni Saulis : nam sub Saule fuit capta & deducta in Semes. Vide 1 Sam. 4. 11. & 7. 1.

4. *Ut faceret sic,* [לעשות כן] *Sic esse faciendum*. ¶ *Recta,* [ישר] *Justa, æqua*. Hebraismus, pro, *Nam summopere placuit ea res universo populo*.

5. *A Nilo,* [מן שיחור] *A Sihor*. Ità dicitur Nilus, quòd aquas turbidas trahere soleat. *Sehor* enim *nigrorem* significat. ¶ *Usque ad introitum,* [ועד לבוא] Ad verb. *& usque ad introire*. ¶ *E Ciriath-jearim,* [מקרית יערים] i. De Gabaa urbe quæ proxima erat urbi quæ dicebatur *Ciriath-jearim*. Locus difficilis & obscurus ; quòd 2 Sam. 6.3. dicatur *fuisse in Gabaa*. Sic autem solvunt, ut jam cœperamus dicere, *de Ciriath-jearim*, i. de loco in quo statuerunt eam cives Ciriath-jearim. Fuerat enim remissa primùm à civibus Beth-semes in Jearim. Deinde cives Ciriath-jearim deduxerant domum Abinadab, quæ erat in Gabaa, quæ fortasse erat ex filiabus ejus, & illi subjecta ; propterea attribuitur ei loco.

6. Super *quam invocatum est nomen,* [אשר נקרא שם] Hebraismus, Quæ appellabatur Arca Jehovæ. Vel, *ad quam invocabatur nomen Domini*.

7. *Imposuerunt autem,* [וירכיבו] Ad verb. *Et vehere fecerunt*.

8. *Ludebant,* [משחקים] i. Lætitiam magnam gestu & voce ostendebant.

9. *Declinaverant,* [שמטו] Hæc dictio exponitur 2 Sam. 6.6. ubi quæ hîc dicitur *area Chidon* dicitur *area Nachon*.

10. *Coram Deo,* [לפני אלהים] i. Coram arca Dei.

11. *Unde ira fuit Davidi,* &c. [ויחר לדויד כי פרץ וגו׳] *Iratus est autem David quòd divisisset,* &c. i. quòd separasset animam à corpore. Alii, *quòd rupisset rupturam* &c. ut 2 Sam. 6.8. ¶ *Propterea vocavit,* [ויקרא] Ad verb. *& vocavit*. Nomen quod indidit, non David, sed alius quispiam, usque in hodiernum diem mansit.

13. *Sed deduxit eam,* [ויטהו] *Sed declinare fecit eam*.

14. *In domo ejus,* [בביתו] *In familia ejus* : vel, *cum familia*.

GROTIUS.

1, 2. INiit *autem consilium David cum Tribunis & Centurionibus & universis Principibus : Et ait ad universum cœtum Israel, Si placet vobis*] Ubi de sacris aliquid constituturus est Rex, rectè faciet si non Sacerdotum tantùm sed & populi concilium advocet, eorúmque etiam consensum obtineat : quod Regi rectè monenti non est difficile. Religio enim vix ulla est ubi non est voluntaria. De hoc legum genere rectè dixeris illud quod apud Tertullianum est, *Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium exspectat*.

9. *Ad aream Chidon*] Videtur hîc כידון scriptum pro נכון, quod est 2 Sam. 6. 6. Abest hæc vox hîc in Græcis.

CAP. XIV.

VATABLUS.

1. ET *artifices parieti,* [וחרשי קיר] 2 Sam. 5. 11. (ubi hæc scribuntur) vocat *fabros*, sive *artifices, lapidis parietis* ; i. latomos ; fabros autem lignarios vocat *artifices lignorum*.

2. *Confirmasset eum,* [הכינו] *Præparasset*. ¶ *Quòd elevatum esset sursum versus,* &c. [כי נשאת למעלה מלכותו] Quidam volunt istud legi per parenthesim : i. quòd elevatum esset Regnum suum in magnam dignitatem. ¶ *Populum ejus,* [עמו] Sub. *Dei*.

5. *Et Elpelet,* [ואלפלט] Iste 2 Sam. 5. 15. dicitur *Eliada*.

8. *Ad quærendum,* [לבקש] i. Ut inventum Davidem Regno pellerent. ¶ *Contra eos,* [לפניהם] *Obviàm illis*.

9. *Venerunt, ac diffusi sunt,* [באו ויפשטו] *Venerant, ac effusi erant*. Alii, *venerant, ac palantes populabantur*. Alii, *irruerunt, & grassabantur palantes*.

10. *Ascendámne,* &c. [האעלה וגו׳] q.d. Nunquid si ascendero contra Palæsthinos, efficies ut victor de illis evadam ?

11. *Ascenderunt itaque,* [ויעלו] Sub. *David & milites ejus*. ¶ *In Baal-perasim,* [בבעל פרצים] Per anticipationem sic vocatur locus : nam postea imponitur illi nomen : significat autem *Idolum divisionum* : vel potiùs, *Planitiem ruptarum*, sub. *acierum* ; quòd acies Palæsthinorum illic fuerint ruptæ. ¶ *Divisit,* [פרץ] *Rupit*. ¶ *Per manum meam,* [בידי] *In manu mea* ; q. d. Usus est me instrumento. ¶ *Tanquam divisionem aquarum,* [כפרץ מים] i. Quemadmodum amnis inundans rupto aggere suo obruit vicinos agros, sic David oppressit exercitum Palæsthinorum. Chald. per *divisionem aquarum* intelligit vas fictile plenum aquâ, sic, *Ut frangi solet vas testaceum plenum aquâ* : nempe quo rupto aqua effunditur.

12. *Et præcepit,* [ויאמר] Ad verb. *& dixit* ; i. præcepit David ut comburerentur, *& combusti sunt igni*.

13. *Ac diffusi sunt,* &c. [ויפשטו בעמק] *Et populari cœperunt vallem illam*. Vel, *& palantes grassati sunt in ea valle*. Latinè reddes sic totum versum, *Rursus autem Palæsthini irruerunt populabundi in eam vallem*.

14. *Nè ascendas post eos,* [לא תעלה אחריהם] q. d. Noli insequi, sive persequi eos, *sed*, &c. ¶ Sed *circumda eos,* [הסב מעליהם] Sed *deflecte ab illis* : i. recipe te & exercitum tuum in locum qui est *ex adverso pyrorum*, ut indè postea irruas in eos. ¶ *Pyrorum,* [הבכאים] *mororum*.

15. *Strepitum ipsius incessûs in apicibus pyrorum,* [את קול הצעדה וגו׳] *Strepitum ipsius incessûs in summitate mororum* : i. strepitum virorum, sive Angelorum, gradientium per summitatem, sive cacumina, mororum.

17. *Et exiit nomen,* [ויצא שם] *Exiit itaque fama*. Divulgatum

vulgatum est itaque nomen ejus. Pervagata & sparsa est fama ejus, &c. ¶ *Deditque Jehovah*, &c. ויהוה נתן את פחדו על כל הגוים] Hebraismus, Jehova fecit ut omnes illæ Gentes timerent sibi à Davide: reddidit eum formidabilem.

GROTIUS.

2. *ET sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel*] In Hebræo & Græco, *propter populum ejus Israel*: ut intelligas Reges à Deo dari populi causâ. Καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι, ait Xenophon.

CAP. XV.

VATABLUS.

1. *FEcit autem*, ויעש] Sub. *David*. ¶ *Tabernaculum*, אוהל] Istud fuit aliud ab eo quod fecerat ei Moses in deserto: quia illud mansit in Gabaa usque ad ædificationem Templi Salomonis.

2. *Dixit*, אמר] Sub. *apud se*. *Non est* fas *ut* quicquam *portent*, לא לשאת] Ad verb. *Non ferre*, i. Nemini licet ferre Arcam, nisi solis Levitis. Hoc dicit quòd deportassent Arcam plaustro ex Gabaa, & Oza ausus fuisset attingere eam, unde & mortuus est. ¶ *Nisi Levitæ*, כי אם הלוים] *Sed Levitæ*, sub. *ferre debent*.

3. *Ut induceret*, להעלות] Ad verb. *ut ascendere faceret*.

4. *Filios*, את בני] i. Nepotes, nam filii mortui erant multis antè seculis.

5. *Uriel*, אוריאל] Sub. *adfuit*. Alii vertunt in accusativo, *Urielem principem*, subaudientes *congregavit*, vel *accepit*, & ל per מן exponunt. ¶ *Et fratres ejus*, ואחיו] *Et cognati ejus*.

7. *Gersom*, גרשם] Hic fuit filius tertius, qui aliquando per ם aliquando per ן finales literas scribitur, quòd literæ illæ magnam habeant cognationem.

8. *Elisaphan*, אליצפן] Filius Uziel fuit iste, ut Exod. 6. 22. alioqui locus iste est difficilis.

9. *Hebron*, חברון] Fuit unus ex filiis Cahath, ut Exod. 6. 18.

10. *De filiis Uzziel*, לבני עזיאל] q. d. Ex aliis nepotibus Uziel, nempe qui non descenderunt ab eo per Elisaphan: nam Elisaphan cujus modò meminerat fuit filius Uziel. Hic numerantur nepotes trium filiorum Levi, Cahath, Merari, & Gerson: deinde transit ad nepotes filiorum Cahath, Elisaphan, Hebron, & Uziel.

12. *Patrum Levitarum*, האבות ללוים] i. Familiarum Leviticarum. ¶ *Sanctificate vos*, התקדשו] i. Abstinete vos ab uxoribus vestris, & cæteris inquinamentis. ¶ *Et inferte*, והעליתם] Ad verb. *& ascendere facite*. ¶ *In* locum quem *praeparavi*, אל הכינותי] Hîc subauditur nomen ex v. 3.

13. *A principio non fuistis, divisit*, &c. למבראשונה לא אתם פרץ] i. quia vos non portastis arcam, ideo Dominus grassatus est in nos, h. e. interfecit aliquot ex nobis, nempe Ozam. Metaphora ab aquis aggerem rumpentibus; vel ab exercitu irruptionem faciente, ruptis munitionibus vel mœnibus. ¶ *Requisivimus eum secundum ritum*, דרשנוהו כמשפט] *Requisivimus eum juxta ritum*, i. non sumus prosecuti eum illo honore quo debebamus.

16. *Cantores cum instrumentis cantici*, המשוררים בכלי שיר] i. Qui canerent instrumentis musicis. ¶ *Ut resonarent, exaltando*, משמיעים להרים] Ad verb. *audire facientes* [i. sonitum edentes] *exaltando*, i. ut sonitum ederent, & vocem suam attollerent plenam lætitiæ.

19. *Ad resonandum*, להשמיע] i. Ad attollendam vocem. Ad verb. *ut audire facerent*.

20. *Super Alamoth*, על עלמות] De hac voce vide Psal. 46. 1.

21. *Super haseminith lenaseah*, על השמינית לנצח] *Super octavam, ad tollendam vocem*, vel, *super octavam ad obtinendum in cantu*, aut, *ad pravalendum*, i. ad attollendam vocem ità ut vincantur alii: h. e. ad triumphandum & superandum in cantu. De his duabus vocibus vide Psal. 6. 1. & Psal. 4. 1.

22. *In prophetia*, במשא] *In exaltatione vocis*, i. præscribebat prophetias quas canerent: aut præerat in cantu illo superiore. Gallicè, *Il tenoit la haute contre*. *Intelligens esset*, מבין הוא] i. Doctissimus & peritissimus.

23. *Janitores arca*, שוערים לארון] Isti duo sequebantur Arcam, deducebántque eam: nam postea numerabit alios duos qui præcedebant, h. e. fungebantur officio janitorum in deducenda Arca. Indicat enim eos fuisse janitores in via.

24. *Janitores arca*, שוערים לארון] Duo illi janitores priores præcedebant, hi duo posteriores sequebantur: aut certè per vices illi fungebantur officio janitorum in via dum Arca deducebatur.

27. *Cantores quoque*, והמשוררים] Sub. *erant induti pallio byssino*. ¶ *Prophetia cantorum*, המשא המשוררים] i. Quam ipsi cantores canebant. Alii, *elevationis vocis cantorum*, i. Princeps cantorum.

29. *Prospexit*, נשקפה] *Prabuit se visendam*.

GROTIUS.

12. *SAnctificamini cum fratribus vestris*] Præparare se debent obituri sacra.

Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν,

ait Hesiodus.

20. *Arcana cantabant*] Heb. על עלמות, quod optimè verti videtur *prapositi virginibus*, nempe chorum celebrantibus, ut Psal. 68. 25. 1 Sam. 18. 6.

21. *In citharis pro octava*] *Citharis octochordis*. Ità Chaldæus & Hebræi. Similiter in Psal. 33. 2. עשור vertunt δεκάχορδον.

26. *Immolabantur septem tauri & septem arietes*] *Immolabant*, ipsi nempe Levitæ de suo, præter eas victimas quas Rex offerebat: de quibus 2 Sam. 6. 13.

27. *Porrò David erat indutus stolâ byssinâ*] Nam λειτουργικῶν proprium sacris. ¶ *David autem etiam indutus erat Ephod lineo*] Deposito Regis fastigio, Levitis in hac opera se æquaverat.

CAP. XVI.

VATABLUS.

1. *ET pacifica*, ושלמים] De hostiis pacificis vide Levit. 3. 1.

2. *Tum benedixit*, ויברך] i. Bene precatus est populo, invocato favore Dei: precatus est Deum ut favore suo prosequeretur populum suum.

3. *Divisitque*, ויחלק] *Distribuitque*. ¶ *Et pultem*, ואשישה] Doctus inter Hebræos exponit *lagenam plenam vini*.

4. *Et ad narrandum*, ולהזכיר] Hîc ו quibusdam vacat, i. qui prædicarent beneficia Dei erga populum Israelem. ¶ *Et ad celebrandum*, ולהודות] *Et ad glorificandum*, vel, *qui glorificarent*.

5. *Dux, & secundus ab eo*, הראש ומשנהו] Aliis magis placet per accusativum vertere, *ducem, & secundum ab eo* [i. vicarium ejus,] &c. ¶ *Jeiel autem*, &c. ויעיאל] Aut duo recensentur hîc ejusdem nominis, aut distinguendum post *Obed-edom*, ut sequatur, *Jeiel autem*, &c. ut distinxit noster interpres, q. d. *Constituit principem cantorum Asaph, & vicarium ejus Zachariam*, & alios:

Jeiel autem, sub. *& socii ejus*, i. qui post eum enumerantur, *sonos musicos edebant cum nablis & citharis.* ¶ *Cum instrumentis nablorum*, בכלי נבלים] i. Cum nablis variis secundùm quantitatem: erant enim & parva & magna.

7. *Tunc*, אז] Istud expositionis gratiâ ponitur, *In die illa*, id est, *tunc*, h. e. initio laudum. ¶ *Posuit David in ipso initio*, נתן דויד בראש]i. In initio laudum, q. d. Cùm primùm pervenit Arca Dei in tabernaculum quod illi præparaverat David, dedit Psalmum qui sequitur, *ad laudandum Dominum per Asaph & fratres ejus.* Vel potiùs, *posuit David in manu Asaph & fratrum ejus* Psalmum sequentem *ad laudandum Deum.*

8. *Celebrate Jehovam*, הודו ליהוה] Idem est Psalmus qui in libro Psalmorum est ordine 105. vide illic quæ annotata sunt.

13. *Israelis*, ישראל] In libro Psalmorum legitur *Abraham.*

23. *Cantate*, &c. שירו] Hæc in libro Psalmorum habentur Psal. 96. 1. ubi paucula aliter scribuntur.

27. *Confessio*, הוד] *Gloria.* ¶ *Et lætitia in loco ejus*, וחדוה במקומו] In libro Psalmorum legitur *& gloria in Sanctuario ejus.*

29. *Et venite in conspectum ejus*, ובואו לפניו] In libro Psalmorum legitur *& introite atria ejus.*

30. *Terra*, הארץ] Post hanc dictionem in libro Psalmorum legitur, *Dicite in Gentibus*, *Jehovah regnat.*

34. *Celebrate Jehovam, quoniam bonus*, הודו ליהוה כי טוב] i. Celebrate illum à bonitate, quoniam perpetuò durat & permanet misericordia ejus. Homines aliquando sunt misericordes, sed Jehova perpetuò.

35. *Ut gloriemur in laude tua*, להשתבח בתהלתך] Hebraismus, Ut tunc demum nos reputemus felices, sive laude affici, cùm nomen tuum glorificabitur & laudabitur.

36. *Et dicant universus populus*, ויאמרו כל העם] *Dixit itaque universus populus.* ¶ *Amen*, אמן] *Veritas*, sub. *sit*, *& laus sit Jehovæ*, q. d. *Ità sit ut dicis, & laus ubique sit Jehova.*

37. *Reliquit autem*, ויעזב] Sub. *David.* Describit quæ ordinaverit David post Psalmum decantatum. ¶ *Per singulos dies*, לדבר יום ביומו] Ad verb. *in re diei in die suo.* Hebraismus, Faciendo singulis diebus quod faciendum est in unoquoque die.

39. *Sadoc autem*, ואת צדוק] Sub. *reliquit.*

40. *Et ut* facerent *prorsus ut scriptum est*, ולכל הכתוב] Ad verb. *& juxta omne quod scriptum est.*

41. *Qui expositi erant per nomina*, אשר נקבו בשמות] Hebraismus, celebres nominibus, magni nominis & famæ.

42. *Et cum instrumentis cantici Dei*, וכלי שיר האלהים] i. Concentum facientes instrumentis quibus cantica Divina personabant. ¶ *Ad portam*, לשער] Sub. *constituit*, *ut essent janitores.*

43. *Ad benedicendum domui suæ*, לברך את ביתו] i. Ut beneprecaretur domesticis suis.

GROTIUS.

2. *Benedixit populo in nomine Domini*] Fausta populo precatus est. Vide 2 Sam. 6. 18, & seq.

4. *Et recordarentur operum ejus*] Qui mira Dei facta narrarent populo.

7. *In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph & fratres ejus*] Meliùs ex Hebræo: *Hoc autem imprimis eo tempore David constituit, ut per Asaphum & collegas ejus laudaretur Deus:* In eum scilicet modum qui sequitur, unde non abeunt Græci. David ex duobus quos fecerat hymnis, qui in codice Hymnorum obtinent numerum 105 & 96 unum fecit, quem primum post introductam Arcam cani voluit, ut ad exprimendas Dei proprietates & laudes aptissimum.

11. *Quærite Dominum & virtutem ejus*] Robur ejus, i. Arcam, ut 2 Par. 6. 41. Psal. 78. 61.

22. *Nolite tangere christos meos*] Sic eos vocat quòd in sua familia jus regium haberent: unde & *regnasse* dicuntur Nicolao Damasceno & Justino, ut notavimus ad l. 1. De V.R.Chr.

26. *Omnes enim dii populorum idola*] Heb. אלילים, i. *res vanæ*, sive *imaginariæ.*

36. *Dicat omnis populus, Amen*] Vertere potes ex Hebræo: *Et dixerunt omnis populus, Amen.* Eâ voce testati sunt omnes se toto corde ea approbare quæ canebantur. Qui mos à Synagoga ad Ecclesiam transiit, 1 Cor. 14. 16. Ausonius,

Et resonaturis ferit æthera vocibus Amen.

CAP. XVII.

VATABLUS.

1. *Dixit*, ויאמר] Consulendo illum scilicet, vel consulendo Dominum. Vide hæc descripta in 2 Sam. 8. 1. ¶ *Sub cortinis*, תחת יריעות] *Sub pellibus*, i. in tentorio tecto pellibus, h. e. in tabernaculo.

2. *Deus tecum est*, האלהים עמך] Hebraismus, favet tibi eritque tibi adjutor. Vel, tu es Deo gratus.

3. *In ipsa autem nocte*, ויהי בלילה ההוא] Ad verb. *Et fuit, in nocte illa*, i. In ea nocte quæ insecuta est diem quâ Nathan dixerat illa Davidi. Vel, Eâdem nocte quâ dixerat illa Davidi.

5. *Eduxi*, העליתי] Ad verb. *ascendere feci.* Ità loquitur quòd Jerusalem sit in terra eminenti. ¶ *Sed fui*, ואהיה] Sub. *ambulans*, i. abii. *Et de tabernaculo*, וממשכן] Sub. *in tabernaculum*, q. d. Habitavi in tabernaculo, non illo quidem fixo & permanente, sed quod subinde locum mutabat. Hîc non significat varietatem tabernaculi, sed loci in quo erat tabernaculum.

7. *E tugurio depost pecudes*, מן הנוה מן אחרי הצאן] *è septo*, [*vel, è casa illa pastorali*] *cùm oves sequereris*, q. d. Tu pervenisti ad Regnum non meritis tuis, sed meâ gratiâ: nam cùm esses pastor ovium, feci te pastorem hominum, & non quorumvis, sed *populi mei.*

8. *Et succidi*, ואכרית] *Et exterminavi, tuli de medio, sustuli*, i. dedi tibi victoriam de *inimicis tuis.* ¶ *Fecique tibi nomen*, &c. ועשיתי לך שם כשם וגו'] i. Peperi tibi famam insignem & celebrem, qualis est fama maximorum qui habitant in terra.

9. *Et posui*, ושמתי] i. Designavi. Nunc tertiam personam alloquitur. In secundo Samuelis hæc leguntur in futuro. ¶ *Et habitabit in loco suo*, ושכן תחתיו] Quidam per præsens vertunt, *& habitat apud se*, & non in loco externo, & regione peregrina. ¶ *Nec commovebitur*, ולא ירגז] i. Non aliò ultrà demigrabit. ¶ *Filii iniquitatis*, בני עולה] i. Homines scelerati & nequam, vel flagitiosi. ¶ *Atterere eum*, לבלותו] *Ut consumant eum.* In secundo Samuelis est *affligant.*

10. *Præcepi* ut essent *Judices*, צויתי שופטים] Chald. *ex quo constitui Judices.* ¶ *Et humiliavi*, והכנעתי] Quidam scribunt hoc loco ו redundare: neque conjungunt versum istum præcedenti, sed sequentibus, vertentes, *Et à tempore quo præcepi* ut essent *Judices super populum meum Israel, humiliavi omnes*, &c. ¶ *Atque annunciavi tibi quòd domum*, &c. ואגיד לך ובית וגו'] Hîc ו pro *Quòd* conjunctione: nam 2 Sam. 7. 11. scribitur, *Præterea annunciat tibi Jehovah quòd domum tibi faciet ipse.* Hîc etiam de se loquitur in tertia persona, pro, *Domum tibi ædificabo ego.*

11. *Cùm adimpleti fuerint*, &c. כי מלאו] Præt. Heb. pro fut. Hebraismus, pro, *cùm mortuus fueris.* ¶ *Quod erit è filiis tuis*, אשר יהיה מבניך] In Samuele est *quod egredietur è ventre tuo.*

13. *Et misericordiam meam*, &c. וחסדי] In Samuele legitur explicatio hujus versûs, *Misericordia autem mea non recedet ab eo, quemadmodum abstuli à Saule quem sustuli à facie tua.*

16. *Ingressus est ergò*, ויבוא המלך] Sub. *tentorium.* Hîc reliquit nobis formulam quandam quâ uti debemus cùm

cùm maxima beneficia accepimus à Deo. ¶ *Et sedit*, וישב] Dicunt Doctores Hebræorum ex Scripturis colligi solitos fuisse homines orare stantes, ut & Angeli dicuntur stare dum orant: igitur mirantur quare dicat Regem sedere, contra Judæorum in orando morem. Doctiores hunc nodum facilè dissolvunt, cùm vertunt *& mansit*, &c. *coram Jehova*, i. coram arca Jehovæ. ¶ *Hucusque*, עד הלום] i. Usque ad hunc locum regium.

17. *Insuper locutus es*, ותדבר] Ad verb. *& locutus es*. In Samuele legitur, *& etiam locutus es*. ¶ *In longinquum*, למרחוק] Sub. *tempus*, i. in futurum, q. d. Etiam pollicitus es jam olim ante multa secula mihi & posteritati meæ Regnum, & Christum ex me oriturum. ¶ *Et vidisti me*, &c. וראיתני כתור האדם המעלה] *Et aspexisti me juxta dispositionem hominis*, hominis, inquam, *excellentia*, i. excellentis, q. d. Jam indè ab initio cognovisti me futurum de numero hominum præcellentium & eximiorum.

18. Petere *à te ad glorificandum servum tuum*, אליך לכבוד וגו'] Istud *Petere* ex 2 Samuelis addidit noster interpres, ubi sic legimus, *Quid addet ultra David loqui ad te?* Illic verbum legitur, & tamen deest quod hîc ponitur, nempe, *ad glorificandum servum tuum:* vel, ut alii vertunt, *propter gloriam servi tui*, i. ut des gloriam mihi servo tuo, q. d. Quid ultrà dare poteris Davidi quàm eum tanto honore afficere ut ex eo & ejus semine nascatur Christus? ¶ *Nosti*, ידעת] i. Nosti gratitudinem animi mei, qui intima cordium scrutaris.

19. *Et secundùm cor tuum*, וכלבך] Hebraismus, Pro arbitrio tuo, & secundùm propositum voluntatis tuæ ex mera tua voluntate, nullâ aliâ re motus, voluntariè & ultro, non coactus. ¶ *Omnia magnalia* ista, את כל הגדולות] *Omnes magnitudines istas*, i. omnia beneficia maxima ista.

21. *Ad quam*, אשר] *Propter quam*. ¶ *Ut poneres tibi nomen*, לשום לך שם] Hebraismus, Ut compares tibi famam ac gloriam. ¶ *Magnitudines & terribilia*, גדולות ונוראות] Subaudiendum verbum ex 2 Samuelis, *faceres magnitudines*, &c. i. faceres mirabilia magna in gratiam populi tui.

23. *Confirmetur*, יאמן] i. Sit firmum & stabile. Hæc debent referri ad promissiones de Christo Rege factas.

24. *Permaneat quoque & magnificetur*, ויאמן ויגדל] Hebraismus, Subinde major fiat gloria nominis tui. ¶ *Super Israelem*, לישראל] Hic ל pro על, ut vides in 2 Samuelis.

25. *Revelasti aurem servi tui quòd ædificares*, &c. גלית את אזן עבדך לבנות וגו'] In 2 Samuelis legitur, *Revelasti aurem servi tui, dicendo, Domum ædificabo tibi*, &c. Vide illic annotationes. ¶ *Invenit*, מצא] Subaudi ex Samuele *cor suum*, nempe paratum. Hebraismus, Propterea servus tuus orat ex animo coram te.

26. *Tu ipse Deus*, &c. אתה הוא אלהים וגו'] Parenthesis est, quæ sic legitur in 2 Samuelis, *tu es Deus, & verba tua veritas, & locutus es de servo tuo bonum hoc*, i. hoc summum beneficium & incomparabile promisisti mihi servo tuo.

27. *Nunc, inquam, voluisti benedicere*, &c. ועתה הואלת לברך וגו'] Hebraismus, Nunc, inquam, placuit benedicere domui servi tui, ut maneret in perpetuum. Chaldæus paraph. & alii, *incepisti benedicere & adimplere promissiones*. ¶ *Benedixisti, & benedicta erit*, ברכת ומבורך] *Benedixisti*, sub. *familia mea, & benedicta erit*; Vel, *benedixisti* servo tuo, *& benedictus erit*.

GROTIUS.

19. *Domine, propter famulum tuum*] Vide quæ diximus, 2 Sam. 7. 21.

CAP. XVIII.

VATABLUS.

1. *Tulitque Gath*, ויקח את גת] 2 Sam. 8. 1. ubi hæc ipsa narrantur, scribitur, *Tulitque David Meteg-ammath*. Vide illic annotationem.

3. *Ut constitueret potentiam suam*, להציב ידו] *Ut statueret terminum suum*, vel, *fines suos*, aut, *ut collocaret præsidium suum*, &c. Voluerat enim Rex iste prorogare fines suos usque ad regionem conterminam fluvio Euphrati. Quanquam relativum Hebraicum potest referre Davidem, quòd David voluerit producere imperium suum usque ad Euphratem.

4. *Et septem millia equitum*, ושבעת אלפים פרשים] In 2 Samuelis legitur, *& septingentos equites*.

5. *Darmesec*, דרמשק] In 2 Samuelis legitur *Dammesec* pro eodem, nempe *Damasco*. Ità hîc *Hadarezer* vocat quem illic *Hadadezer*.

6. Præfectos] Istud subaudivit noster interpres ex 2 Samuelis. Alii subaudiunt *præsidium*.

8. *Et de Tibhath & Chun*, ומטבחת ומכון] In 2 Samuelis vocantur *Betah & Berothai*.

10. *Hadoram*, הדורם] In 2 Samuelis dicitur *Joram*. ¶ *Ut salutaret eum pacificè*, &c. ושאל לו לשלום וגו'] Hebraismus, Ut salutem illi diceret, & congratularetur ei, atque offerret munera amplissima, &c. Alii, *ut interrogaret eum de pace, & benediceret ei*, i. ut rogaret eum quomodo valeret, & gratularetur ei. Alii, *ut pacem faceret cum eo*, sed non est rectum. ¶ *Gerebat enim bellum*, &c. כי איש מלחמות] Ad verb. *& vir præliorum*. Hebraismus, de quo in 2 Samuelis. ¶ Misit ad eum] Alii subaudiunt ex 2 Samuelis, *& in manu ejus omnis generis vasa*, &c.

11. *Gentibus*, הגוים] Sub. *aliis quas subegerat*, ità 2 Sam. 8. 11. ¶ *De Edom*, מאדום] Secundus liber Samuelis meminit *Aram*, non *Edom*, conveniunt tamen: nam Idumæi & Aramæi conjunxerant copias.

12. *Absai*, ואבשי] In 2 Samuelis Davidi tribuitur victoria, ut Capiti & Regi, quæ hîc duci ipsius Davidis, Psal. 60. 2. hæc victoria tribuitur Joab. Præterea tantùm ponuntur *duodecim millia*. Doctiores inter Hebræos ità solvunt; Primò congressum fuisse aiunt Abisai vicarium ipsius Joab, & interfecisse sex millia; deinde supervenisse ipsum Joab præfectum militiæ Davidis, & cæsa fuisse adhuc duodecim millia. Itaque tribus potest attribui hæc victoria, Davidi, Joab, & Abisai.

13. *Et posuit*, וישם] Sub. *David*. ¶ *Præsides*, נציבים] *Præfectos, duces*.

15. Erat *super exercitum*, על הצבא] i. Præfectus erat militiæ. Gallicè, *Le Connestable*. ¶ *A commentariis*, מזכיר] Vide annot. in 2 Sam. 8. 16. usque ad finem capitis.

16. *Sausa autem*, ושושא] Ista in 2 Samuelis dicitur *Seraiah*.

17. *Primi ad manum Regis*, הראשונים ליד המלך] i. Quorum operâ in primis utebatur Rex.

GROTIUS.

3. *Quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphratem*] Vide quæ diximus, 2 Sam. 8. 3.

CAP. XIX.

VATABLUS.

1. *Filius ejus*, בנו] 2 Sam. 10. 1. dicitur *Hanon*, ubi hæc historia describitur. Seq. versu sic etiam nominatur.

3. *Ut scrutentur*, לחקור] *Ut investigent*, sub. *urbem*, ut est in 2 Samuelis.

4. *Et rasit eos*, ויגלחם] In Samuele legitur *& rasit dimidium barbæ eorum*. ¶ *Per medium, usque ad verenda*, בחצי עד המפשעה] *Ad medium, usque ad verenda*. In Samuele cùm dicit *usque ad nates*, posteriora intelligit, hîc verò anteriora.

5. *Abierunt autem*, וילכו] Sub. *legati*.

6. *Videntes autem filii Ammon quòd rem fœdam fecissent Davidi*, ויראו בני עמון כי התבאשו עם דויד] *Cognoscentes autem Ammonitæ quòd fœtidos* [*putidos, abominabiles*] *se reddidissent Davidi*, i. agnoscentes se gravissimè offendisse Davidem. ¶ *Et de Aram*, &c. ומן ארם וגו׳] In Samuele legitur *De Aram Beth-rehob & Aram Soba viginti millia peditum*. Confer utrumque.

8. *Fortium*, הגבורים] Doctus inter Hebræos subaudit conjunctionem ו, *& fortissimos*, sub. *milites*.

9. *Et egressi*, ויצאו] Sub. *è castris suis*, non *de urbe*, ut malè sentit doctus inter Hebræos.

10. *Quòd esset facies belli contra se*, &c. כי היתה פני המלחמה אליו וגו׳] i. Instructa esset acies adversùm se & à fronte & à tergo. ¶ Aciem] Ex præcedenti subauditum, ubi integra oratio legitur.

11. *Residuum verò populi*, ואת יתר העם] i. Reliquam partem exercitûs.

13. *Et roboremus nos*, ונתחזקה] *Et viriliter agamus*.

15. *Posthac ingressus est Joab Jerusalaim*, ויבא יואב ירושלם] In Samuele legitur, *Reversúsque est Joab à filiis Ammon, & venit in Jerusalaim*.

16. Erat *ante eos*, לפניהם] Hebraismus, Erat dux eorum.

17. *Ad eos*, אלהם] In Samuele legitur *ad Helam*. ¶ *Et direxit*, &c. ויערוך אלהם ויערוך וגו׳] Contrà de Aramæis in Samuele scribitur, *Et instruxerunt aciem Aramæi in occursum Davidis*, &c.

18. *Peditum*, רגלי] Sing. Heb. pro plur. Hâc formâ singulariter utuntur Hebræi pro *pedite*, cum numeralibus. In Samuele dicit *septingentos currus*, i. equos septingentorum curruum, ibi expressit numerum curruum selectorum, hîc verò exprimitur numerus omnium. Præterea in Samuele dicit *quadraginta millia equitum*, sed illic omisit pedites, hîc verò equites, quod igitur in uno deest ex altero suppleri debet.

19. *Servi*, עבדי] In Samuele exponitur quales fuerint illi servi, nempe *omnes Reges*.

GROTIUS.

10. *Igitur Joab intelligens bellum ex adverso & post tergum contra se fieri*] Nihil territus tam inopinato periculo rem servavit constantiâ & solertiâ. Vide quæ ad 2 Sam. 10.

CAP. XX.

VATABLUS.

1. *Tempore reversionis anni*, לעת תשובת השנה] i. Anno jam revoluto ab initio belli gesti contra socios Ammonitarum. Vide hæc 2 Sam. 11. 1. ubi eadem scribuntur, & annotata sunt quæ ad istud caput pertinent. ¶ *Egrediuntur*, צאת] Sic 2 Sam. 11. 1. ¶ *Et destruxit eam*, ויהרסה] *Et evertit eam*, interemptis scilicet civibus.

2. *Tulit autem*, &c. ויקח וגו׳] Istud cum sequentibus scribitur 2 Sam. 12. 29. ¶ *Lapis pretiosus*, אבן יקרה] Sing. Heb. pro plur. *lapides pretiosi erant in ea*. אבן nomen est collectivum. ¶ *Et fuit super caput*, ותהי על ראש] Sub. *imposita*. Vide annot. in Samuele.

3. *Et carpentis*, ובחריצי] *Et trahis*, vel *tribulis*.

4. *Hoc autem gestum est*, &c. ויהי אחרי וגו׳] Ad verb. *Et fuit posthæc, & stetit*. Vide istud 2 Sam. 21. 18. ubi pro *Gezer* legitur *Gob*: & qui hîc dicitur *Sippai* illic vocatur *Saph*. ¶ *Et humiliati sunt*, ויכנעו] *Et subjugati sunt*.

5. *Ipsum Lahmi*, את לחמי] Doctus inter Hebræos scribit את pro מן positum, & subaudit אשר היה atque (ut conveniat cum loco qui est apud Samuelem) exponit, *Et percussit Elhanan filius Jair qui erat de genere Bethlehemitarum fratrem*, &c. vel, ut את pro ב ponatur, *cum Bethlehemita*, i. cum Davide, qui erat Bethlehemita, q. d. *adjutus operâ Davidis*.

6. *Cujus digiti erant seni*, ואצבעותיו שש־ושש] Ad verb. *& digiti ejus sex & sex*. Omisit *digitos pedum* etiam *senos*, quorum fit mentio in Samuele: ut constet numerus *viginti quatuor*. Hic etiam erat unus è filiis gigantis, h. e. fuit de genere gigantum.

7. *Hic probris afficiebat*, ויחרף] Ad verb. *Et probris affecit*.

8. *Ipsi giganti in Gath*, להרפא בגת] i. Ex gigantibus qui habitabant in Gath.

CASTALIO.

6. *Senos*] Scilicet in singulis manibus & pedibus.

GROTIUS.

2. *Coronam Melchom*] Rectiùs vertas communi nomine *regis eorum*, ut 2 Sam. 12. 30. In Græcis, duæ versiones diversæ in unum textum coaluere.

CAP. XXI.

VATABLUS.

1. *Stetit autem*, ויעמוד] *Consurrexit autem*. Eadem scribuntur & 2 Sam. 24. 1. q. d. *Satan aggressus est Davidem, persuasítque illi ut numeraret populum suum*.

2. *Et afferte*, והביאו] Sub. catalogum populi recensiti.

3. *Addat Jehovah*, &c. יוסף יהוה וגו׳] Hebraismus, Dominus centuplo majorem reddat populum hunc: sive, populum suum efficiat centuplo numerosiorem & copiosiorem. ¶ *Utquid erit*, &c. למה יהיה לאשמה לישראל] Quare imputabitur in delictum Israeli? In delictum, id est in damnum & perniciem, q. d. hoc sit in perniciem populi Israelitici.

4. *Prævaluit*, חזק] *Fuit forte*, i. non potuit Joab dimovere Regem à sententia.

5. *Mille millia & centum millia*, אלף אלפים ומאה אלף] In 2 Sam. 24. 9. ponitur minor numerus, nempe *Octingenta millia*. Dicunt autem Hebræi apud Samuelem descriptum esse numerum eorum quorum catalogum Joab Davidi dedit, hîc autem poni numerum universi Israelis (exceptis tribubus Levi, Benjamin & Juda) secundùm veritatem, q. d. *Et fuit numerus Israel juxta veritatem, mille millia*, &c. In numero tribûs Judæ major numerus ponitur in Samuele quàm hîc, quia hîc (inquiunt Hebræi) non numerantur principes, sed reliqui armis gerendis apti. Desunt autem hîc ab illo numero 30000. Præterea in hoc versu per *Israelem* omnes tribus intelliguntur præter tres quæ hîc ponuntur, *Levi, Benjamin & Juda*; per *Judam* verò hîc unicam tribum intelligere oportet.

6. *Abhominabile fuit*, &c. נתעב דבר המלך את יואב] i. Animus Joab abhorrebat ab ea re, mandatúmque Regis displicebat illi, atque invitus id faciebat: ideo non recensuit duas illas tribus, & sic causam dicit cur duas illas tribus omiserit.

7. *Verbum hoc*, על הדבר הזה] *Res ista*, i. numeratio ista populi jussu Regis facta, sive mandatum hoc Regis.

9. *Videntem Davidis*, חוזה דויד] i. Qui Davidis tempore prophetavit.

10. Ex-

10. *Extendo*, נוטה] Præs. Heb. pro fut. *extensurus sum*. In Samuele legitur *offero tibi*. Quidam vertunt *inclinabo*. ¶ *Ut faciam tibi*, ואעשה לך] Ad verb. *Et faciam tibi*, sub. *quod elegeris*.

11. *Recipe tibi*, קבל לך] *Suscipe tibi*, sub. *unum ex tribus quæ à me tibi proponentur*.

12. *Aut tribus annis*, &c. אם שלוש שנים וגו'] Ad verb. *Si tribus annis fames*: *& si tribus mensibus consumptus* [*oppressus*, sub. *eris*] *à facie hostium tuorum*, *& gladius inimicorum tuorum* erit *in assequentem*: *& si tribus diebus gladius Jehovæ* grassabitur, *& pestis in hac regione*, *& Angelus Jehovæ* erit *vastans in toto termino Israelis*. In Samuele per interrogationem legitur, præpositâ interrogantis particulâ, *Visne ut veniant tibi septem anni famis in terra tua, an ut tribus mensibus fugias coram hostibus tuis, & ipse hostis persequatur te, an ut sit tribus diebus pestis in terra tua?* Quidam non referunt istud ad verbum *Recipe*, quod præcessit, sed subaudiunt verbum *evenit*, sic, *Visne ut eveniat tibi tribus annis fames*, &c. ¶ *Sis consumptus à facie hostium tuorum*, נספה מפני צריך] *Deficias metu adversariorum tuorum*. ¶ *Attingat*, למשגת] Ad verb. *attingens*, vel, *assequens* sit, i. assequatur te, q. d. Gladio inimicorum tuorum cadas. ¶ *Quod verbum*, &c. מה אשיב את שולחי דבר] Ad verbum, *quid respondeam mittenti me verbum*, i. quod responsum daturus sim, &c. vel, quid vis ut respondeam, &c.

15. *Cúmque vastaret*, וכהשחית] *Cúmque exterminaturus esset*, vel *exterminare pararet*. In Samuele, *Cúmque misisset manum suam Angelus ad Jerusalaim ut disperderet eam*. ¶ *Et misertus est super malo*, וינחם על הרעה] *Et pœnituit eum ejus mali*, i. mutavit consilium de perdenda Jerusalem. ¶ *Cesset manus tua*, הרף ידך] *Remitte* [*laxa*] *manum tuam*, q. d. Hic populus satis est punitus; propterea siste. ¶ *Ornan*, ארנן] In Samuele dicitur *Arauna*: erat igitur binomius.

17. *Jussi numerari*, אמרתי למנות] Ad verb. *dixi ad numerandum*, vel *numerare*, nempe ipsi Joab. ¶ *Quid fecerunt*, מה עשו] *Quid admiserunt?*

18. *Ut ascenderet*, כי יעלה] Erat enim locus ille sublimis, & editior quàm Urbs.

20. *Angelum illum*, המלאך] Angelum intelligit de quo suprà facta est mentio.

21. *Pronus*, אפים] Ad verb. *in nares*.

22. *Argento pleno*, בכסף מלא] i. Pretio integro. Alii, *argento quantum valet vende mihi*. ¶ *Et prohibebitur*, ותעצר] *Ut cesset*, *ut cohibeatur*.

23. *Do*, נתתי] Præt. Heb. pro præs. ut & mox, *omnia ipsa do*, i. paratus sum dare. ¶ *Pro lignis*, לעצים] *In ligna*, pro ipsis scilicet holocaustis.

24. *Jehovæ*, ליהוה] i. Ut Jehovæ offeram. ¶ *Et offeram*, והעלות] Infinit pro fut. indicativi personæ primæ. ¶ *Gratis*, חנם] Acsi dicat *de alieno*.

25. *Seclos aureos*, &c. שקלי זהב משקל שש מאות] i. Dedit pondus sexcentorum seclorum auri. In Samuele scribitur *argento*, *seclis quinquaginta*.

26. *Qui exaudivit eum*, &c. ויענהו באש] q. d. Cùm vidisset David Deum ignem misisse de cœlo qui consumpsit holocaustum, tunc scivit se exauditum esse.

27. *Ut converteret*, וישב] Ad verb. *& convertit*.

30. *Ut requireret Deum*, לדרוש אלהים] i. Ut invocaret Deum.

GROTIUS.

1. CONsurrexit autem Satan contra Israel, & incitavit David] Vide quæ de hac re dicta 2 Sam. 24. 1.

6. *Eò quod Joab invitus exsequeretur Regis imperium*] Ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, quod sæpe evenit Regum ministris. Talis mœrens Burrhus ac laudans apud Tacitum Annal.

14. Hinc factum ut non impleretur tota recensio, lente rem administrante Joabo, & superveniente malo ἀκολάστῳ. Vide infrà 27. 24.

CAP. XXII.

VATABLUS.

1. HÆC *est domus Jehovæ*, זה הוא בית יהוה] q. d. Hic locus est gratus Deo, hîc habitat & hîc colitur: nam hîc me exaudivit. Versiculus iste pertinet ad versum 28. capitis præcedentis, inter quem & istum interjicitur parenthesis.

2. *Peregrinos*, הגרים] *Advenas ipsos proselytos*. Hi erant in postremo gradu & ordine apud Israelitas, ideò constituerat illos in viliore isto munere. ¶ *Dolatos*, גזית] *Politos*, i. ut eruerent è lapicidinis lapides qui postea cæderentur & polirentur.

3. *Ad clavos*, למסמרים] Sub. *fabricandos*. Vide 2 Par. 3. 9.

5. *Ad magnificandum*, &c. להגדיל למעלה וגו'] Hebraismus, *ædificandum est templum plenum magnificentiâ, excellentiâ, & gloriâ* sive *honore, atque magni nominis apud exteras gentes*, i. magnificentissimum, excellentissimum & nominatissimum. ¶ *Parabo*, אכינה] *Præparabo*, sub. *necessaria ad illius constructionem*, q. d. Hac de causa necessaria nunc illi præparabo.

7. *Filium suum*, בנו] Legitur & בני *Fili mi*, *fuit*, &c. ¶ *Fuit in corde meo*, אני היה עם לבבי וגו'] Ad verb. *Ego*, *fuit in corde meo*. Hebraismus, pro *Ego apud me statueram*.

8. *At fuit ad me verbum Jehovæ, dicendo*, &c. ויהי עלי דבר יהוה לאמור וגו'] Hebraismus, *Verùm Jehova dixit mihi*, *Sanguinem*, &c. ¶ *Coram me*, לפני] i. Me sciente & vidente.

9. *Nascetur*, נולד] Ad verb. *nascens*, vel, *natus*, sub. *erit tibi*. ¶ *Quietus*, מנוחה] Ad verb. *quietis*.

11. *Erit*, יהי] *Sit*, i. faveat tibi in omnibus, & propitius sit. ¶ *Super te*, עליך] *De te*.

12. *Præcipiátque tibi super Israelem*, ויצוך על ישראל] *Détque tibi mandata de Israele*. Alii, *ut det tibi*, &c. q. d. Utatur Dominus operâ tuâ cùm voluerit reconciliari Israeli. ¶ *Ut custodias*, ולשמור] Ad verb. *& ut custodias*. Redundat ו: non redundabit si vertas quod præcessit, *ut præcipiat tibi super Israelem, & ut custodias*.

13. *Prosperè ages*, תצליח] *Prosperè cedet tibi*. ¶ *Cùm custodieris & feceris*, אם תשמור לעשות] Ad verb. *si custodieris ad faciendum*, i. si custodieris faciendo. ¶ *Ad Israelem*, על ישראל] *Pro Israele*, vel, *de Israele*. ¶ *Ne timeas*, &c. אל תירא ואל תחת] q. d. Nihil te perturbet.

14. *Et ecce secundùm paupertatem meam*, והנה בעניי] *Et quidem in paupertate mea*. Legitur enim & per ב & per כ. Fuit pauper David respectu Salomonis. Aut hoc dicit humilitatis causâ. ¶ *Absque pondere*, אין משקל] i. Æris & ferri tantam copiam tibi præparavi ut præ abundantia pondus sciri non possit. ¶ *Et his addes*, ועליהם תוסיף] i. His addere potes & alia, aut similia.

15. *Multos operarios*, לרוב עושי מלאכה] Ad verb. *in multitudine facientes opus*. ¶ *Et artifices lapidis & ligni*, וחרשי אבן ועץ] Hebraismus, *Qui peritè & ex arte norunt lapides dolare, & ligna*.

19. *Surge & fac*, &c. קום ועשה ויהי יהוה עמך] q. d. Incunctanter aggredere opus, & Deus favebit tibi in hoc opere.

18. *Coram Jehova, corámque populo ejus*, לפני יהוה ולפני עמו] Hebraismus, *Terra hac in subjectione est Jehovæ & populi ejus*, paret ei & ejus populo.

19. *Sancta Dei*, קודש האלהים] Ad verb. *sanctitatis Dei*, i. consecrata Deo.

CASTALIO.

9. SOlomo] A pace nomen habet.

GROTIUS.

1. *Dixitque David, Hæc est domus Dei*] Cùm Deus statim inhibuisset ultricem manum, simulátque David victimas obtulerat in area Areunæ, indè collegit David hunc locum à Deo electum ad sacrificia, ac proinde ibi faciendum Templum.

4. *Ligna quoque cedrina non poterant æstimari quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David*] Typus hic fuit Gentium serviturarum Christo.

8. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti*] Confer quod infrà 28. 3. Etiam illis temporibus pax Deo gratior bellis quamlibèt non injustis. Josephus in hac historia, οὐκ ἐπιτρέπει πολλοὺς πολέμους ἠγωνισμένῳ καὶ φόνῳ τῶν ἐχθρῶν μεμιασμένῳ. Æneas apud Virgilium Æneid. 2.

Tu, genitor, cape sacra manu patriósque Penates:
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas.

14. *Ecce ego, in paupertate mea præparavi*] Modesta locutio, quâ se excusat quòd non plus heredi relinquat. Ut apud Romanos *C. Asinio Gallo, C. Martio Quirinio Consulibus* (id sub Augusto fuit) *C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo dixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia 116. juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris 307 millia centum sexdecim, in numerato* HS. *sexcenties.* Meminit Plinius Historiæ naturalis l. 33. c. 10.

CAP XXIII.

VATABLUS.

1. *Et satur dierum factus,* ושבע ימים] Hebraismus, *& cùm ad satietatem usque plenus esset dierum,* i. diutissimè vixisset.

4. *Ex istis,* מאלה] Subaudienda sunt aliquot verba, *Et dixit David:* nam verba ista sunt Davidis. ¶ *Præfectorum autem & judicum,* שוטרים ושופטים] Hæc duo vocabula idem significant, i. sex millia ex illis erant qui præerant aliis.

5. *Quæ feci,* אשר. עשיתי] Qui nihil subaudiunt initio præcedentis versûs rectè vertunt, *quæ fecit*; licèt sit primæ personæ. ¶ *Ad laudandum,* לחלל] Sub. *Dominum.*

6. *In partes,* מחלקות] Ad verb. *in distributiones,* i. classes, nempe filios Levi.

7. Distribuit] Subauditum verbum ex præcedenti versu, *Gersonitas distribuit in duas familias, in familiam Laadan, & familiam Simi.*

9. *Laadan,* ללערן] *In* familia *Laadan.*

11. *Et Ziza,* וזיזה] V. 10. vocavit istum *Zina,* fuit igitur binomius. ¶ *Non multiplicaverunt filios,* לא הרבו בנים] Hebraismus, Non habuerunt multos filios. ¶ *In supputationem unam,* לפקודה אחת] Hebraismus, Istæ duæ familiæ reputatæ sunt pro una, sive, Ex his facta est unica familia, & unicus catalogus.

13. *Sanctitatem sanctitatum,* קדש קודשים] i. Sanctum sanctorum, sive rem sacrosanctam, vel sacrificium sanctum.

14. *Moseh autem,* &c. ומשה וגו'] Ad verb. *Mose autem viri Dei, filii ejus vocati sunt,* vel *vocabuntur,* &c. i. filii Mosis æstimantur de tribu Levi.

16. *Dux,* הראש] *Primus,* sic in sequentibus.

17. *Multiplicati sunt valde,* רבו למעלה] *Creverunt suprà,* i. fuerunt quamplurimi.

22. *Fratres eorum,* אחיהם] In hoc versu bis ponitur ם pro ן, i. cognati.

24. *Per familias suas,* לבית אבותיהם] Ad verb. *per domum patrum suorum.* ¶ *In enumerationibus suis, secundùm numerum nominum per capita sua,* לפקודיהם במספר שמות לגולגלותם] i. In catalogis suis numerati per singula capita nominatim. ¶ *Facientes,* עושה] Sing. Heb. pro plur. vel, *quorum quilibet faciebat opus in,* &c. ¶ *Viginti annorum,* עשרים שנה] Suprà v. 3. dixit, *A filio triginta annorum.* Dices Levitas bis fuisse numeratos, primò à tricesimo anno & suprà, secundò à vicesimo anno & suprá.

25. *Et habitabit,* וישכן] Sub. *Dominus,* i. exhibebit se præsentem in templo. Alii subaudiunt *populus,* q. d. Non mutabit postea populus subinde locum, quemadmodum antea.

26. *Quinetiam Levitarum,* &c. וגם ללוים וגו'] i. Non erit opus ut Levitæ posthac portent Arcam quemadmodum faciebant cùm Arca non habebat statum locum, nunc enim habebit sedes fixas.

27. *Juxta verba Davidis novissima,* בדברי דויד האחרונים] Hebraismus, *Juxta ordinationem Davidis novissimam.* ¶ *Fuit numerus filiorum Levi,* המה מספר בני לוי] *Fuerunt* viri *numeri,* i. numerati sunt, vel, numerandi fuerunt, &c.

28. *Ad manum filiorum Aharon,* ליד בני אהרון] i. Ad latus, vel eregione, filiorum Aharon. Quemadmodum Aharonitæ serviebant Templo, ità alii Levitæ, sed diversa utrorumque erant officia. ¶ *Et in purificatione omnis sanctitatis,* ועל טהרת לכל קודש] i. In emundatione omnium vasorum sacrorum.

29. *Præterea in pane ordinato,* וללחם המערכת] Sing. Heb. pro plur. Ad verb. *Et in pane ordinationis,* i. præerunt in panibus propositionis bene dispositis coram Jehova. ¶ *Infermentatorum,* המצות] i. Infermentatis. ¶ *Et in craticula,* ולמחבת] *Et in sartagine.* ¶ *Et in frixa,* ולמורבכת] *Et in tosta,* sub. *simila.* ¶ *Et in omni mensura & mensura,* ולכל משורה ומדה] Hebræi dicunt משורה esse mensuram majorem, מדה verò minorem. Alii *Mesura* mensuram liquidorum esse volunt, & *Mida* continuorum sive aridorum.

30. *Et ut starent singulis matutinis,* ולעמוד בבוקר בבוקר] Ad verb. *Et ad standum in manè in manè,* i. ut starent in Templo singulis diebus matutino tempore coram Arca.

31. *Et in omni oblatione,* ולכל העלות] Infinit. Heb. pro nomine. ¶ *In numero,* במספר] Sub. solito & certo, quem oportebit adesse. ¶ *Secundùm ordinem super eos,* כמשפט עליהם] *Juxta ritum* qui est *super eos,* i. secundùm ritum suum quem observare debebunt. ¶ *Coram Jehovah,* לפני יהוה] Istud pertinet ad illud quod præcessit, v. 30. *Et ut starent.*

32. *Et custodirent custodiam,* ושמרו את משמרת] *Et observarent observationem.* ¶ *Sanctitatis,* הקודש] i. Rerum sacrarum, sive quæ requiritur circa res sacras. ¶ *Et custodiam filiorum,* &c. ומשמרת בני וגו'] Hebraismus, & faciant quæ imperabunt illis Sacerdotes filii Aharon.

GROTIUS.

1. *Regem constituit Solomonem filium suum*] Quod & alii Orientis Reges sæpe fecerant. Confer 1 Reg. 1. 39, 43.

3. *A triginta annis*] Ex quo tempore pleno ministerio fungebantur Num. 4. 3. ¶ *Inventa sunt triginta octo millia virorum*] Præter Sacerdotes. Magnus sanè numerus pro isto populo, ut facilè intelligas multos ornatui magis serviisse quàm necessitati.

4. *Præpositorum autem & Judicum sex millia*] i. Apparitores & Judices: surgit enim oratio.

27. *Juxta præcepta quoque David novissima*] Hoc testamento suo caverat David ut Levitæ à vicesimo anno aliqua obirent ministeria: neque enim erant tam gravia ut olim, cùm portandum esset Tabernaculum & omnia ejus instrumenta, ideóque nec plena missio data, ut olim, anno ætatis quinquagesimo. Regum etiam hoc erat, ex consilio Synedrii declarare quæ leges perpetuæ essent, quæ temporariæ.

CAP.

CAP. XXIV.

VATABLUS.

1. *Filiorum autem*, &c. ולבני וגו׳] *Filiis autem Aharon* fuerunt *suæ distributiones*, i. Sacerdotes fuerunt divisi ac distributi in suas classes. Describit partitiones Sacerdotum; suprà descripsit Levitarum.

2. *Coram patre suo*, לפני אביהם] i. Patre adhuc vivente. ¶ *Sacerdotio ergò functi sunt*, ויכהנו] i. Ad eos Pontificatus devolutus est.

3. *De filiis*, מן בני] *Filium* pro *nepote* accipit, i. qui erat nepos Eleazar: h. e. ducebat ab eo originem. ¶ *In numeratione sua*, לפקודתם] i. In vice sua, sive præfectura.

4. *In capitibus*, לראשי] i. In principibus virorum, q. d. Si spectes principes. Alii meliùs *per capita virorum*, i. recensendo singulos, vel, si numeres singula capita. ¶ *Et diviserunt eos*, ויחלקום] *Et distribuerunt eos*, sub. *in classes*.

5. *Istos cum istis*, אלה עם אלה] i. Missis sortibus omnes simul collectos diviserunt in classes, nepotes Eleazar & Ithamar. ¶ *Fuerunt principes Sanctitatis*, &c. היו שרי קודש וגו׳] Hebraismus, Præfuerunt, sive præerant, rebus Sacris & Divinis.

6. In *domum patris unam*, &c. בית אב אחד וגו׳] Pertinet istud ad verbum præcedens, *& descripsit eos*, &c. i. descripsit eos *in familiam unam adjunctam*, sive *attributam, Eleazaro*, & in familiam aliam attributam, *attributam, inquam, ipsi Ithamar*, q. d. in duas familias, nempe in familiam Eleazar, & familiam Ithamar.

7. *Exivit autem sors*, ויצא הגורל] Quia sortes ex urna egrediebantur.

19. *Enumeratio*, פקודתם] *Enumerationem* vocat Præfecturam, sive Episcopatum. Verti etiam potest, *Hæc* sunt verba *præfecturæ eorum*, i. Hæc est præfectura eorum. Hæ sunt vices eorum. Vel, *Hæc sunt* verba *enumerationis eorum*, vel, ut nihil subaudiatur, *Hæc est enumeratio eorum*. ¶ *Secundùm ordinem eorum*, כמשפטם] *Secundùm ritum eorum*. ¶ *Sub manu*, ביד] *Sub potestate*, i. Nam dominus dederat Aharoni dignitatem Sacerdotii.

27. *De Jaazijahu*, ליעזיהו] q. d. Iste qui est *de filiis Merari* habuit quatuor filios, *Beno*, &c.

29. *De Cis filii Cis*, לקיש בני קיש] Hebraismus, Ex filiis Cis, q. d. *De filiis Cis fuit Jerameel*.

31. *Fratres suos*, אחיהם] i. Cognatos suos, q. d. Nacti sunt singuli locum suum missis sortibus. ¶ *Princeps contra fratres minores*, הראש לעומת אחיו הקטן] Hebraica phrasis valde difficilis, acsi dicat, Majores & minores nacti sunt locum missis sortibus: qui majoris dignitatis erant inter fratres, miserunt sortes contra minoris dignitatis fratres suos.

CASTALIO.

6. *Ità ut Eleazaro bina, Ithamari singulæ adscriberentur familiæ*] Et hunc locum in Hebræo puto depravatum. Nam cùm paulò antè duplo plures Eleazaro familiæ attributæ sint quàm Ithamari, hîc contrà fit. Itaque suspicor in priore membro esse legendum *Ithamari*; in posteriore autem, in quo bis ponitur אחז, *Eleazaro*. Significat enim hoc verbum non semper *possessionem*, sed *numerum*, aut (ut Latini loquuntur) *caput*, præsertim cùm de animalibus dicitur: in quo sensu positum est Num. 31. ubi dicitur pro eo quòd paulò antè dictum erat נפש. Est igitur hæc sententia, Cùm Ithamari evenirent familiæ אחד אחז, i. *singulæ*, Eleazaro eveniebant אחז אחז, i. *bina*: hoc enim significat geminata vox.

23. *Cujus filii fuere Jerias primus*, &c.] Hîc veterem versionem secutus sum.

GROTIUS.

5. *Erant enim principes Sanctuarii & principes Dei*] Postremum hoc rectè vertas *Principes Judicum*. Cùm ex utraque familia tam Eleazari quàm Ithamaris viri essent maximas dignitates consecuti, tum in Templo, tum in Republica, distribui illis functiones sine magna invidia aliter quàm sorte nequierunt. Vide infrà 19, 31. & 25. 8. & 26. 13.

6. *Unam domum quæ cæteris præerat Eleazar, & alteram domum quæ sub se cæteros habebat Ithamar*] Alternis sumebantur familiæ Eleazaris & familiæ Ithamaris: quod Græci Hebraico loquendi genere sic exprimunt, εἷς εἷς τῷ Ἐλεάζαρ, καὶ εἷς εἷς τῷ Ἰθάμαρ· unde apparet legisse eos bis אחד אחד, pro quo nunc legitur priùs אחד אחז, deinde אחז אחז, minùs commodè.

19. *Sub manu Aaron patris eorum*] Sub inspectione summi Sacerdotis qui in locum Aaronis successerat.

27. *Filius quoque Merari, Ozian, & Soam, & Zachur, & Hebri*] Græcè, υἱοὶ αὐτοῦ Ἰοζαὶμ, καὶ Σακχοὺρ, καὶ Ἀβαί. Sed has voces omnes errore quodam huc irrepsisse sunt qui censent, ducti argumento loci suprà positi 23. 21, 22, 23.

CAP. XXV.

VATABLUS.

1. *In ministerium*, לעבודה] Sub. *domûs Dei*; hoc enim intelligitur de ministerio Templi. Hîc distribuuntur Cantores sive Musici in XXIV classes: quarum unaquæque continebat XII quas Græci vocant *ephemerias*, ut Lucas meminit 1. 5. cùm loquitur de Zachariæ qui erat *de vice*, i. classe, *Abia*. CCLXXXVIII fuere omnes, multiplicando XXIV per XII. ¶ *Qui prophetabant in citharis*, הנביאים בכנורות] Hebraismus, *prophetias canebant ad citharas*, &c. ¶ *Virorum operis in ministerio suo*, אנשי מלאכה לעבודתם] Hebraismus, Hominum diligenter & scitè fungentium ministerio & officio suo: q. d. Omnes isti fuere musici peritissimi & scitè fungentes officio suo.

2. *Qui prophetabat*, הנבא] i. Prophetias canebat de mandato Regis.

3. *Sex*, ששה] *Sex* dicit, & tantùm quinque enumeravit. Doctiores existimant illum esse Simei qui decimæ classi præerat, ut in sequentibus videbis, v. 17.

5. *In verbis Dei, ad exaltandum, cornu*, בדברי האלוהים להרים קרן] Hebraismus, In rebus Divinis, ad exaltandum dignitatem & potentiam regiam. Metaphora à Bobus, qui vires habent in cornibus: q. d. Hic prophetavit de Davide quòd assequeretur magnam gloriam & famam.

6. *In cantico*, בשיר] Sub. *erant*; i. *erant canentes*, sive *canebant*, ac recitabant prophetias, *ad cymbala, psalteria, & citharas, ministrando Templo Dei*. ¶ *Sub potestate*, על ידי] Sub. *erant hi qui sequuntur*. Isti tres præerant omnibus aliis Musicis, Rex verò præerat istis tribus.

7. *Doctis cantici Jehovæ*, מלומדי שיר ליהוה] Hebraismus, Peritis in canticis quæ pertinebant ad honorem Jehovæ.

8. *Custodia contra custodiam*; *sicut parvus*, &c. משמרת לעומת כקטן וגו׳] i. Classis una contra aliam classem, vel vicem: minor ætate contra majorem, peritus cum non valde perito: q. d. Nulla habita fuit ratio aut ætatis, aut eruditionis.

9. *Et egressa est sors*, ויצא הגורל] Hæc verba repetenda sunt in singulis quæ sequuntur. ¶ *Ipsi Asaph, nempe Joseph*, לאסף ליוסף] i. In gratiam Asaph sors prima egressa est ipsi Joseph filio Asaph. ¶ *Ipsi Gedaliahu, secunda*, גדליהו השני] Sub. *sors egressa est*. Subauditur ל ante גדליהו, & sic in sequentibus: q. d. Iste præfuit secundæ classi. ¶ *Ipse & fratres ejus*, &c. הוא ואחיו

ואחיו וגו׳] Hæc non solùm ad sequentem sed etiam ad præcedentem pertinent: h.e. Idem dicendum est de sorte Joseph qui præerat numero duodenario, quo numero constabat unaquæque classis. Et nota quòd hæc dictio הוא in sequentibus debet semper intelligi: q.d. *Ipse Zacchur, & filii ejus, & cognati ejus erant duodecim*, ità ut in illo duodenario numero comprehendatur princeps classis.

11. *Ipsi Isri*, ליצרי] Non est nomen proprium, sed appellativum à proprio *Seri*, cujus fit mentio suprà v. 3. proinde vertendum *pro Isrita*, sive *ipsi Isritæ*, nempe Seri.

CASTALIO.

1. **V**Aticinantium in citharis] *Vaticinari* vocat Divinas res aut Vatum scripta tractare, Deíque laudes dicere; sicut à Paulo ponitur προφητεύειν· quoniam Vatum interpretes proximè ad eorum quos interpretantur divinationem videntur accedere. Athenienses quoque divinos quosdam sacerdotes (ut scribit Cicero) *Mantes* appellabant, h.e. *vates*. ¶ *Numerus fuit*] Videlicet CCLXXXVIII, ut postea dicetur.

3. *Sex*] Deest unus.

GROTIUS.

1. **Q**UI *prophetarent in citharis*] i. Modos adhiberent Propheticis carminibus convenientes, ut & commate sequenti. Sic etiam accipit Latinus vocem alteram Hebræam, suprà 15. 22.

2. *Prophetantis juxta regem*] Heb. *ad manus Regis*: i. qui canenda præscribebat ex Regis imperio.

5. *Videntis regis*] Prophetæ qui Regi plerumque aderat. ¶ *In sermonibus Dei*] Ad prædicanda Dei promissa. ¶ *Ut exaltaret cornu*] De magnitudine Regni Davidici.

CAP. XXVI.

VATABLUS.

1. **D**E *divisionibus*, למקלחות] *De classibus*; vel, *distributionibus*; aut, *vicibus*. ¶ *De Corhim*, לקרחים] i. De iis qui descenderunt de Corah. ¶ *Filius Cora de filiis Asaph*, בן קורא מן בני אסף] Hic Core non fuit filius Asaph, sed de filiis Corah. Et qui hîc appellatur *Asaph* suprà 6. 37. & 9. 19. dicitur *Ebiasaph*, & aliquando *Jasaph* tantùm. Non est igitur iste Asaph cantor ille insignis de quo in principio præcedentis capitis.

2. *Filii*, בנים] Sub. *aliquot*; sic in sequentibus.

5. *Quia benedixit illi Deus*, כי ברכו אלהים] Hebraismus, Quia singulari amore prosecutus est illum Deus. Vel, Quia beneficio affecit illum Deus. Ipse est in cujus domo mansit Arca Domini.

6. *Similes domui*, הממשלים לבית] Doctus inter Hebræos existimat esse nomen adjectivum, exponens ut vertit noster interpres, *qui fuerunt similes domui patris sui*: i. similes majoribus ex parte, quod ad robur & fortitudinem spectat: majores enim eorum fuerant fortissimi viri.

7. *Filii fortitudinis*, בני חיל] Hebraismus, Viri præditi viribus & robore.

8. *De filiis*, מבני] i. Ex nepotibus. Vel, *ex filiis*, quia partim sunt filii, partim nepotes. ¶ *Viri fortissimi in ministerium*, איש חיל בכוה לעבודה] Ad verb. *viri roboris robore, in ministerium*: q.d. Viri omnes qui jure optimo erant præficiendi portis huic ministerio aptissimi.

11. *Et fratres* ואחים] i. Cognati.

12. *Ex istis divisiones*, לאלה מחלקות וגו׳] *Hæ sunt classes* [vel, *vices*] *janitorum per principes virorum*; i. ex principibus virorum; h.e. ex præcipuis viris. ¶ *Custodia contra fratres suos*, משמרות לעומת אחיהם] *Qui custodirent eregione fratrum suorum*; alii enim aliis respondebant.

13. *Sicut parvus, sic magnus*, כקטון כגדול] i. Ex æquo omnes: sive, æqualiter omnes. Quidam vocant locutionem istam *prægnantem*; quòd altera pars desit: dicendum enim esset, *sicut parvus sic magnus, & sicut magnus sic etiam parvus*. Latinè, *tam parvi quàm magni*. ¶ *In singulas portas*, לשער ושער] Ad verb. *ad portam & portam*: i. ut scirent qui quibus januis præessent. Quidam vertunt *pro singulis portis*.

14. *Ipsi Selemiahu*, לשלמיהו] *Propter Selemiam*; i. Selemiæ cecidit sors Orientalis, h.e. sorte præfuit portæ Orientali. Hic initio hujus capitis dicitur *Meselemias*. ¶ *Consiliario cum intellectu*, יועץ בשכל] Hebraismus, Consiliario prudentissimo & sapientissimo.

15. *Ipsi verò Obed-edom*, לעבד ארום] Sub. *ceciderunt sortes*; i. porta Australis fuit illi attributa. ¶ *Super domum*, &c. בית האספים] Subauditur ל, ut sit לבית, sic, *cecidit sors super domum conciliorum*, vel *comitiorum*: i. sorte præfuerunt domui in qua Seniores congregati agebant de negotiis Templi Domini.

16. *Cum porta Sallecheth*, עם שער שלכת] i. *Cum porta emissionis*: h.e. per quam emittebantur sordes. Hujus meminit Jesaias 6. 13. ¶ *Ascendente*, העולה] i. Acclivi. ¶ *Custodia erat eregione*, &c. משמר וגו׳] Hebraismus, Custodiæ mutuò sibi invicem respondebant.

17. *Ad Orientem*, למורח] Portam Orientalem Templi significat: i. Janitores portæ Orientalis de genere Levitico erant sex. ¶ *Per diem*, ליום] Significat *per singulos dies*; non autem dicit *per diem*, ut opponat nocti. ¶ *Et ad* domum *conciliorum*, ולאספים] Noster interpres subaudivit בית ex v. 15. Doctus inter Hebræos putat fuisse duas domos conciliorum in quibus congregabantur Seniores consulturi de rebus Templi, quòd dicat *bini bini*; sed id potiùs referendum est ad successionem quàm ut sint duæ domus: erat enim unica. ¶ *Bini & bini*, שנים שנים] *Successivè*; nempe duo uno die, & duo altero die.

18. *Ad cellulam instrumentorum*, לפרבר למערב] *In cellula instrumentorum*; i. in qua reponebantur instrumenta Templi, quæ erat sita ad Orientem. ¶ *Bini* erant *ad cellulam*, שנים לפרבר] q.d. In cellula erant duo janitores, & in porta erant quatuor.

20. *Sanctitatum*, הקדשים] i. Oblationum sanctarum.

21. *De filiis ipsi Laadan*, &c. בני לעדן וגו׳] Hebraismus, Filii Laadan, h.e. filii Gersunitarum qui ducebant genus à Laadan. Hic aliàs dicitur *Libni*. ¶ *Ipsi Laadan*, ללעדן] i. Ex genere Laadan. ¶ *Gersuni, Jehieli*, הגרשוני יחיאלי] Singularia pro plur. *Gersunitæ & Jehielitæ*.

23. *De Amrami*, לעמרמי] Sub. *præfuerunt thesauris*. Doctus inter Hebræos annotat hîc ל pro ה poni, & singularia esse pro pluralibus; ideo vertendum esse, *Amramitæ, Isharitæ, Hebronitæ, Azrielitæ*, sub. *præfuerunt thesauris*.

24. *Dux super thesauros*, נגיד על האוצרות] i. Princeps erat illorum qui præerant ipsis thesauris. Quidam Hebræorum interpretantur *præfuit uni ex thesauris*.

25. *Fratres verò ejus de Eliezer*, ואחיו לאליעזר] i. Cognati Sebuel de stirpe Eliezer fuerunt cujus, &c. Alii volunt ל redundare, & vertunt, *Frater autem ejus* [sub. *Gersom*] *Eliezer*, &c.

26. *Sanctificationum, quas sanctificaverat*, הקדשים אשר הקדיש] i. Rerum sanctificatarum & consecratarum, quas consecraverat David, &c. Nam partâ victoriâ aliquid consecrabant Domino de manubiis ad instaurationem Templi.

28. *Et omnes qui*, &c. וכל ההקדיש] Ad verb. *omnis sanctificans*; q.d. Et in summa, quicunque aliud sanctificaverat Domino, omnia illa fuerunt in potestate, &c.

29. *De Isbari*, &c. ליצהרי וגו׳] Sing. Heb. pro plur. i. Chenaniahu, qui erat de nepotibus seu stirpe Ishar, fuit cum filiis suis Præfectus Israelitis in opere externo quod fiebat extra urbem, circa opera rustica.

30. Fuerunt *in præfectura Israelis*, על פקודת ישראל] Hebra-

Hebraismus, Præfuerunt Israeli trans Jarden in omni mandato Dei & Regis, i. in Divinis & humanis rebus.

31. *De Hebronitis,* לחברוני] Sing. Heb. pro plur. ut & v. 30. & hîc mox, q. d. Jedija, qui erat de stirpe Hebronitarum, princeps fuit Hebronitarum. ¶ *Gilead,* גלעד] i. Regionis Gilead.

32. *Et fratres ejus,* ואחיו] Cognatos Jedija intelligit. ¶ *In omni re Dei,* &c. לכל דבר האלהים וגו'] Hebraismus, In omni negotio Divino & humano.

CASTALIO.

21. NAtus est autor familiæ Jehielis] In Hebræo ponitur hoc nomen in plurali numero, cùm de uno dictum sit: id quod & sæpe fit ut suprà cap. 23. ubi dicuntur *Eliezeri filii,* quorum sit *Rohobias primus,* cùm ibidem alios habuisse negetur Eliezer. Hoc modo loquuntur & Latini cùm *liberos* vocant plurali numero, etiam de uno loquentes.

23. *De Ozielinis*] Imperfecta est oratio.

29. *Operi externo*] *Profano.*

GROTIUS.

5. Quia benedixit illis Dominus] Obededomo scilicet, cui sobolem multam largitus est ob Arcæ hospitium in ejus domo.

28. *Erat super thesauros domûs Dei*] Præpositus illis pecuniis quas Templo faciendo David destinaverat, suprà 22. 14.

27. *De bellis & manubiis præliorum quæ consecraverant*] More vetusto, Gen. 14. 20. qui mos etiam Gentium. Virgilius,

——————*ipsúmque vocamus*
In partem prædámque Jovem.

29. *Ad opera forinsecùs super Israel, ad docendum & judicandum eos*] Heb. *in apparitores & judices,* i. præerant omni operi publico extra urbem, & jurisdictionem à Rege mandatam habebant in operas illas: quidam etiam eorum apparitores erant.

30. *In cunctis operibus Domini*] Ad parandum ligna & lapides Templo. Vide suprà 22. 14. ¶ *Et in ministerium regis*] Ad colligenda tributa Regni usibus destinata.

32. *In omne ministerium Dei & regis*] Heb. *ad omnem rem Dei & rem regis:* quod interpretare ut præcedentia, ad materiam Templi, & ad tributa.

CAP. XXVII.

VATABLUS.

1. Turmarum, המחלקות] Ad verb. *divisionum:* h. e. turmarum quæ numerum certum & definitum continebant: sic in sequentibus. Describit turmas quæ singulis mensibus serviebant Regi, sive ministrabant.

3. *De filiis,* מן בני] i. De nepotibus.

4. *Et Micloth dux,* ומקלות הנגיד] *Et Micloth princeps,* q. d. Secunda turma attributa fuit Dodai, hujusque vicarius fuit Micloth.

5. *Pro mense tertio,* לחודש השלישי] i. Attributi mensi tertio.

6. *Fortis inter triginta & super triginta,* גבור בשלושים ועל השלושים] i. Fuit unus è triginta fortibus & strenuis illis viris, imò verò illis præfuit, 2 Sam. 23. 20.

7. *Quarti,* הרביעי] In hoc & in sequentibus versibus subaudiendum ex v. 5. *Princeps exercitûs;* ut legas, *Princeps exercitûs quarti mensis.*

11. *De stirpe Zarhitarum,* לזרחי] Ad verb. *de Zarhita.* Plena locutio quæ hanc declarat legitur v. 14. *de filiis Ephraim.*

16. Fuerunt præterea *super tribus Israelis,* ועל שבטי ישראל] Sub. *duces.* Narrat qui præfuerint singulis tribubus. Ad verb. *Et super tribus Israel.* ¶ *Filius Zichri,* בן זכרי] Quia multi fuerunt *Eliezer* nominati, subjunxit patrem.

18. *De fratribus Davidis,* מאחי דויד] Subaudiunt Hebræi אשר היה, i. qui erat unus ex fratribus Davidis.

21. *In Gilead,* גלעדה] i. Quæ erat ultra Jordanem. Hîc videntur omitti Gaditæ: sed ii nomine *Rubenitarum* comprehenduntur, ut doctioribus placet: idem igitur dux Rubenitarum & Gaditarum.

24. *Sed non complevit,* ולא כלה] Ratio scribitur suprà 21. 6. quia abominabile fuit verbum Regis ipsi Joab. ¶ *Propter hoc,* בזאת] Quòd scilicet David jussisset numerare populum. ¶ *Et non ascendit,* &c. ולא עלה המספר] Hebraismus, Numerus iste quem Joab supputaverat, non fuit relatus in numerum Annalium Regis Davidis. Post versum istum Hebræi adscribunt hanc dictionem חצי quâ significant hîc esse dimidium libri, quod ad versiculos attinet.

32. *Intelligens, & scriba,* מבין וספר] *Prudens, & jurisperitus.*

34. *Post Ahithophel autem,* ואחרי אחיתופל] i. Post mortem Ahithophel hi fuerunt à consiliis Regis.

GROTIUS.

1. PRincipes familiarum] Qui 24 millibus præerant. Tanta erat multitudo virorum militaris ætatis ut sine incommodo mense quoque vicena quaterna millia in armis essent, quibus exacto mense succedebant alii atque alii: nec redibat labor ad quenquam nisi anno exacto.

16. *Tribubus præerant*] Non militantibus.

23. *Noluit autem David numerare eos à viginti annis inferiùs, quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israel quasi stellas cœli*] Nimii laboris fuerat juniores numerare; ità multi quotidie succrescebant ex Dei promisso.

25. *Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel*] Is Gazophylax fuit qui à minoribus quæstoribus accipiebat pecunias, eásque aut erogabat aut servabat. ¶ *His autem thesauris qui erant in urbibus & in vicis & in turribus præsidebat Jonathan filius Oziæ*] i. Tributis.

26. *Operi autem rustico & agricolis qui exercebant terram*] Agros scilicet regios. Sic & sequentia intellige.

30. *Super camelos verò Ubil Ismaelites*] Nam Ismahelitæ ob camelorum in sua terra copiam ad eos tractandos peritissimi.

32. *Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens & literatus*] i. Legis peritus. Id enim propriè significat Hebræum סופר.

CAP. XXVIII.

VATABLUS.

1. IN Jerusalaim, אל ירושלם] Istud ad verbum *Congregavit* referendum est.

2. *Ego cum corde meo,* אני עם לבבי] Sub. *Statueram.* Vel, ut alii, *Ego cum corde meo fui,* i. cogitavi, sive cogitaveram apud me, aut statueram. ¶ *Domum quietis arcæ,* בית מנוחה לארון] Significat Templum in quo quiesceret Arca federis. ¶ *Et scabello pedum Dei nostri,* ולהדום רגלי אלהינו] Sic vocat Arcam, quòd super eam Deus præberet se præsentem per miracula. ¶ *Et præparavi,* והכינותי] *Et præparaveram.*

4. *In seculum,* לעולם] i. Per totam vitam meam: sive multo tempore. ¶ *Me voluit,* בי רצה] *Singulari amore est me prosecutus.* Vel, *me amavit.*

7. *Si fortiter agat faciendo præcepta mea,* אם יחזק לעשות מצותי] Hebraismus: Si pro virili fecerit præcepta mea: si fortis fuerit faciendis præceptis meis. ¶ *Sicut & hodie,* כיום הזה] Sub. *facit.* Oratio concisa, q. d. *Si perseveraverit servare Legem meam.*

8. *In*

8. *In oculis*, &c. 'לעיני וגו] Hebraismus, *Coram toto Israele, qui congregatio est Jehovæ, & audiente Deo.* ¶ *Et hereditare faciatis,* והנחלתם] *Et possidendam jure hereditario tradatis.*

9. *Scito,* דע] *Cognosce.* ¶ *Abjiciet te,* יזניחך] *Abhorrebit à te.*

10. *Sanctuario,* למקדש] *Ipsi Sanctuario*, sive, *ipsi Sanctitati*, i. arcæ federis Jehovæ, q. d. Non ut illic ipse habitet, sed ut illic reponatur arca federis. Vult Templum ædificari, non propter se, sed ut in eo Arca requiescat.

11. *Similitudinem porticûs,* תבנית האולם] *Exemplar* [*figuram*] *porticûs*, i. Templi. Id acceperat David aut per revelationem, aut Samuelis manu.

12. *Omnium quæ fuerant in spiritu cum eo,* כל אשר היה ברוח עמו] Sing. Heb. pro plur. omnia quæ animo & mente conceperat se facturum. ¶ *Et in thesauros,* ולאוצרות] *Et in cellas.* ¶ *Sanctitatum,* הקדשים] i. Consecratorum.

14. *In aurum,* לזהב] i. In vasa aurea, q. d. *ad faciendum vasa aurea*: ità ut primum ל principii versûs serviat accusativo, secundum istud dativo: perinde acsi dicat, Non dedit solùm formam & exemplar, sed etiam certum pondus auri ad facienda vasa aurea. Seipsum explicat mox sequentibus, cùm dicit *pro omnibus vasis*, &c. ¶ *Singulorum ministeriorum,* עבודה ועבודה] Ad verb. *ministerii & ministerii*, i. diversorum ministeriorum.

15. *Et lucernis eorum,* ונרותיה] Ad verb. *& lucernis ejus.* Singulare pronomen pro plurali; aut expone, *pro lucernis uniuscujusque eorum.* ¶ *Pro candelabro & lucernis ejus,* למנורה ונרותיה] Sing. Heb. pro plur. *pro singulis candelabris & lucernis eorum*, vel, *pro unoquoque candelabro & lucernis cujusque candelabri.* ¶ *Secundùm ministerium*, &c. בעבודת מנורה ומנורה] i. Ut singulorum candelabrorum ministerium exigebat.

17. *Et pro fuscinulis, & craticulis,* והמזלגות והמזרקות] *Et in tridentes, & pelves,* מזלג *fuscinula*, sive *instrumentum ferreum tridens quo extrahuntur carnes de olla.* מזרק Hebræi dicunt esse *vas ex quo spargitur aqua aut sanguis vel vinum.* ¶ *Et acerris,* והקשות] *Et calamis mediis.* De his vide Exod. 25. 29.

18. *Et pro figura quadrigæ,* ולתבנית המרכבה] *Et in figuram equitatûs currûs*, vel, *equitaturæ currûs*, i. Cherubim, h. e. pro conficiendis Cherubim super quos Deus insidebat. Hîc המרכבה pro *insidente* capitur, & non pro *curru quatuor equorum.* ¶ *Qui expandebant,* לפורשים] Sub. *alas.* Hîc ל pro ה.

19. *Omnia in scriptura de manu Jehovæ super me,* הכל בכתב מיד יהוה עלי] *Omnia* supradicta *scripto* [*scripturâ*] *de manu Jehovæ super me*, i. manu & digito Dei scripta, q. d. omnia ista Jehovah scripsit manu suâ & digito suo, & misit ad me, ut ea familiariùs doceret. ¶ *Figuræ,* התבנית] *Exemplaris*, sub. *ipsius mihi à Deo dati.*

20. *Confortare, & roborare,* חזק ואמץ] *Viriliter age, & confortare.*

21. *Omnes spontanei in sapientia,* לכל נדיב בחכמה] Hîc ל redundat, & sing. Heb. pro plur. omnes liberales, sapientes, vel docti, q. d. Omnes adjuvabunt te & Sacerdotes & Levitæ, ipsi etiam artifices ultro & liberaliter tibi offerent operas suas doctas, qui de arte & industria sua liberales sunt, ad omne opus & ministerium Templi. ¶ *In omnibus verbis tuis,* לכל דבריך] Sub. *erunt tecum*, i. erunt parati obsequi mandatis tuis, & exsequi mandata tua. Vel, in omnibus negotiis tuis tibi aderunt.

GROTIUS.

3. *Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, & præpositos turmarum qui ministrabant regi, tribunos quoque & centuriones*] Vide quæ dicta initio capitis 13.

8. *Custodite & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri*] Servare cognita, & ut cognoscatis date operam. Neque enim tuetur quenquam supina ignorantia.

9. *Tu, Salomon fili mi, scito Deum patris tui*] Verbis rebúsque agnosce unum esse verum Deum quem ego colui mundi opificem. ¶ *Et servito ei corde perfecto & animo voluntario*] Deus non factis tantùm coli vult, sed vel præcipuè animo, quippe animi inspector, ut sequitur: quod omnibus quidem, sed maximè tamen Regibus, cogitandum. Diogenes Stoicus, δεῖ γὰρ τὸ ἄριστον ὑπὸ τῶ ἀρίστω τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἡγεμονοῦν ὑπὸ τῶ ἡγεμονοῦντος. ¶ *Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit*] Seneca epistolâ 84. *Nihil Deo clausum est: interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* ¶ *Si quæsieris eum, invenies: Si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum*] Agit Deus cum hominibus decretis conditionatis.

11. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem*] In Hebræo plus est, *quod fuerat in spiritu cum eo*, i. dedit ei formam conspicuam, qualem Deus animo ipsius inscripserat, ut dicitur infrà 19.

17. *Et leunculos aureos*] Rectiùs alii hîc & in verbis sequentibus vertunt κεφφουρές. Græci, ut sæpe in obscuris, servarunt Hebræam vocem καφουρὲ, quod Theodoretus interpretatur σκεύη τινὰ χρυσᾶ ἐν οἷς ἔφερον τὴν σεμίδαλιν τῷ ἐλαίῳ. Kimchi *cochlearia* intelligit Leonum & Boum formæ, initia culparum Solomonis.

CAP. XXIX.

VATABLUS.

1. *Non enim hominis*, &c. 'כי לא לאדם וגו] i. Ædes & templum istud non homini sed Deo ædificatur: eóque erit ingens.

2. *Præparavi,* הכינותי] Sub. *necessaria.* ¶ *Ad aurum*, &c. 'לזהב וגו] Hebraismus, *ad conficienda vasa aurea*: sic in sequentibus, *pro conficiendis vasis argenteis, æneis, ferreis, & pro instrumentis ligneis.* ¶ *Stibinos,* פוך] *Stibii*, vel, *fuci*, i. similes fuco. ¶ *Et diversorum colorum,* ורקמה] Significat *opus variis coloribus figuratum*, & *opus acu factum*: significat item *varietatem colorum quæ est in pennis avium.*

3. *Quòd mihi beneplacitum sit erga domum,* ברצותי בבית] Ad verb. *in beneplacito meo in domum.* Hebraismus, Quòd unicè diligam domum Dei mei. ¶ *In peculiari thesauro aurum,* סגלה זהב וכסף] Gallicè, *en mon cabinet.* Significat *peculiarem locum.* Alii, *thesaurus auri & argenti.* ¶ *Pro domo Sanctuarii,* לבית הקודש] *Pro domo sanctitatis*, i. pro Templo Dei sacrosancto exstruendo.

4. *Tria millia*, &c. 'שלושת אלפים וגו] Declarat quæ erant in illo peculiari thesauro. ¶ *Ad incrustandos,* לטוח] *Ad obducendos.*

5. *Aurum,* לזהב] Et hîc ל pro ה, ut c. 28. v. 18. ¶ *Ad aurum,* לזהב] i. Pro conficiendis vasis aureis, ut v. 2. ¶ Quod est *in manu artificum,* ביד חרשים] i. Quod fit manu artificum. ¶ *Ut impleat,* למלואות] Sub. *muneribus.* Hebraismus, Quis est qui ultro & liberaliter conferre aliquid velit ut illud det Domino pro conficiendo Templo? q. d. Siquis ultro & spontè offerre velit in opus Templi offerat.

6. *Spontè igitur obtulerunt,* ויתנדבו] *Exhibuerunt sese igitur liberales*, vel, *liberalitate usi sunt*, i. spontè & ultro dederunt. ¶ *Operis Regis,* ו מלאכת המלך] i. Operis exterioris. In fine 27 capitis v. 26. de his Principibus loquebatur.

7. *Et drachmarum,* ואדרכונים] Doctiores existimant hanc dictionem significare genus monetæ argenteæ nobis ignotæ: fortasse erat aurea, quia sequitur, *& argenti*, &c.

9. *Cùm spontè offerrent ipsi,* על התנדבם] *Quòd liberalitate essent usi*, sub. *erga Deum & templum ejus.*

10. *Benedixit itaque,* ויברך] Hebraismus, Gratias itaque egit.

11. *Tibi,*

11. *Tibi*, לך] *Tua eſt. Ad te pertinet.* ¶ *Super omnes in caput*, לכל לראש] i. Exaltatio & magnificentia quæ eſt ſuper omnes principes à te proficiſcitur.

12. *A facie tua* ſunt, מלפניך] Hebraiſmus, à te ſunt, & à te proficiſcuntur. ¶ *In manu quoque tua* eſt *magnificare*, ובידך לגדל ולחזק לכל] q.d. Potes omnes reddere magnos, & eorum magnitudinem conſervare.

13. *Confitemur nos tibi*, מודים אנחנו לך] *Damus tibi gloriam & laudem.*

14. *Ut obtineamus vires*, כי נעצור כוח להתנדב] *Ut prævaleamus*, i. ut tantam liberalitatem quanta eſt iſta oſtendere valeamus.

15. *Nec eſt exſpectatio*, ואין מקוה] *Nec eſt ſpes*, q.d. Citò præterimus hanc vitam.

17. *Dum liberalitatem exerceret*, &c. להתנדב לך] *Paratum liberalitatem ſuam exercere erga te*, q.d. Conſideravi libenter populum tuum paratum offerre tibi ultro munera. Tunc ל non capietur pro ב. Quidam his verbis jungunt quod præcedit, *ut cum gaudio liberalitatem exerceret erga te*, i. cùm liberalitatem cum gaudio exerceret.

18. *Hoc in ſeculum imaginationem*, &c. זאת לעולם ליצר וגו'] Per appoſitionem dictum, *imaginationem*, &c. exponit enim pronomen demonſtrativum *hoc*, nempe *imaginationem*, ſive *figmentum*, &c. i. da populo tuo bonam hanc mentem perpetuò, ut te agnoſcat.

19. *Quam præparavi*, אשר הכינותי] i. Ad cujus ſtructuram impenſas & neceſſaria præparavi.

22. *Coram Jehovah*, לפני יהוה] i. Ante arcam Jehovæ. ¶ *Jehovæ*, ליהוה] i. In gratiam Jehovæ.

23. *Super ſolium Jehovæ*, על כסא יהוה] *Solium Jehovæ* vocat ſolium Davidis, quòd illum conſtituiſſet Jehova Regem ſuper Iſraelem, aut quòd Rex populi Jehovæ eſſet.

24. *Dederunt manum*, &c. נתנו יד וגו'] Hebraiſmus, Obedierunt Salomoni.

28 *Satur diebus*, &c. שבע ימים וגו'] Hebraiſmus, *Plenus ad ſatietatem uſque diebus, opibus, & gloriâ.*

29. *Priora & poſteriora*, הראשונים והאחרונים] i. Quæ geſſit dum eſſet ætate florenti & decrepitâ. ¶ *In verbis*, על דברי] Hîc & mox *verba* pro *libro* & *hiſtoria* accipit.

30. *Cum omni regno ejus, & fortitudine*, עם כל מלכותו וגבורתו] i. Cum univerſa ejus regnandi ratione & ſtratagematibus ejus, ſive egregiè & magnâ animi fortitudine geſtis. ¶ *Et temporibus quæ tranſierunt ſuper eum*, והעמים אשר עברו עליו] Hebraiſmus, Cum tribulationibus quæ ipſe & Iſrael pertulit.

GROTIUS.

2. **E**T *quaſi ſtibinos*] Stibio ſimiles.

4. *Tria millia talenta*] Totidem è monumentis Davidis abſtulit Hyrcanus ab Antiocho Pio obſeſſus, teſte Joſepho. ¶ *De auro Ophir*] Hîc etiam Lxx habent ἐκ σωφίρ. Vide quæ dicta 1 Reg. 9. 28.

8. *Per manum Jahiel Gerſonitæ*] Qui cum filiis ſuis huic rei erat præpoſitus, ſuprà 26. 22.

9. *Lætatúſque eſt populus cùm vota ſpontè promitterent*] *Hilarem datorem amat Deus*, 2 Cor. 9. 7.

14. *Quis ego, & quis populus meus, ut poſſemus hæc tibi univerſa promittere?*] Unde nobis materia hujus liberalitatis niſi abs te? ¶ *Tua ſunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*] Sic Chriſtiani Græci in oblationibus dicunt, τὰ σὰ ἀπὸ τῶν σῶν.

15. *Peregrini enim ſumus coram te*] Non proprietarii, ſed tui coloni.

18. *Cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat*] Facere id dicitur Deus cùm nihil à ſua parte deſiderari patitur, dans bonos magiſtros, & auxilia non neceſſaria tantùm ſed & affluentia.

20. *Adoraverunt Deum, & deinde regem*] Pari geſtu, animo diſtincto. Joſephus de poſteriori iſta veneratione, συνεχαίρησαν δὲ καὶ Δαβίδῃ περὶ πάντων ὧν αὐτοῦ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ἀπέλαυσαν.

22. *Et unxerunt ſecundò Salomonem filium David*] Ut jam pleno jure Regem & parentem nemini: nam hoc poſt mortem Davidis infrà narrandam contigit.

24. *Dederunt manum & ſubjecti fuerunt Salomoni regi*] Poſtrema hæc addidit Latinus interpres, ut Hebræum loquendi genus, *dederunt manus ſuas ſub Solomonem Regem*, rectiùs intelligeretur. Etiam apud gentes è Germanis ortas manus inter genua ponere ſubjectionis ſignum.

25. *Deditque ei gloriam regni*] Majeſtatem & opes.

26. *Regnavit*] *Regnaverat*, & mox, *mortuus erat*: nempe cùm Solomon, ut antè dictum eſt, pleno jure regnaret.

29. *In libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis*] Unde ſumpti ſunt libri illi quatuor quos SAMUELIS duos & duos REGUM Hebræi appellant.

30. *Sive in cunctis regnis terrarum*] Nempe in Philiſtina, Moabitide, Amalecitide, Syria Damaſcena, quæ bello ſubegit; in Ammonitide & aliis Syriæ partibus quarum res bello accidit.

ANNO-

ANNOTATA
AD LIB. II.
PARALIPOMENON.

CAP. I.

VATABLUS.

1. Roboratus est autem, ויתחזק] *Praevaluit autem. Confirmatus est autem.* Apud Hebraeos unicus est liber, sed à Latinis est divisus in duos, quòd in primo de Regno Davidis, in secundo de Regno Salomonis agatur. ¶ *In regno suo,* על מלכותו] Hic על pro ב. ¶ *Magnificavitque eum in excelsum,* ויגדלהו למעלה] Hebraismus, Reddidit eum magnum & excelsum.

2. *Dixitque,* ויאמר] Subaudiendum aliquid, nempe quòd apud se decreverat ire in Gabaon: quod ex sequente versu intelligitur.

3. *In excelsum,* לבמה] i. Ad altare. Sic dicitur Hebraeis, quòd elevetur à terra. Saepius in malam partem accipitur, hic in bonam.

4. *Sed arcam,* אבל ארון] *Arcam autem.* ¶ *Extenderat enim,* כי נטה] *Fixerat enim.*

5. *Et requisivit illud,* וידרשהו] Sub. *altare aeneum,* vel, *tabernaculum.* Aut, *requisivit eum,* nempe *Deum.*

6. *Obtulit autem,* ויעל] Ad verb. *Et ascendere fecit.* Verbum est conjugationis Hiphil.

8. *Fecisti cum Davide,* &c. עשית עם דויד וגו׳] q.d. Tu multis beneficiis affecisti patrem meum & me, cùm in Regem me elegisti.

9. *Stabile sit verbum tuum,* יאמן דברך] i. Rata sit promissio & firma quam fecisti Davidi patri meo.

10. *Ut egrediar coram,* &c. ואצאה לפני וגו׳] Hebraismus, Ut versari mihi liceat cum populo isto prout Regem decet omni tempore. ¶ *Judicabit,* ישפוט] *Judicare poterit,* sub. *sine tua gratia,* aut *sine summa sapientia.*

11. *Istud,* זאת] i. Ista cogitatio.

12. *Ut non fuerit,* &c. אשר לא היה וגו׳] i. Quantae non contigerunt Regibus qui ante te regnarunt, nec iis qui post te erunt contingent. Alii exponunt, *id quod non contigit Regibus qui fuerunt ante te, nec iis,* &c.

13. *Ab excelso,* לבמה] i. Ab altari, ל pro מן.

14. *Congregavitque,* &c. ויאסף וגו׳] Vide eadem, 1 Reg. 10. 26. ¶ *Et cum Rege,* ועם המלך] Antecedens pro relativo, *secum,* sive *apud se.*

16. *Nam congregatio,* &c. ומקוא סוחרי וגו׳] Dictio מקוא duo significat, *congregationem,* & *telam byssinam,* propter coactionem filorum. Hinc quidam vertunt totum versum, *Et eductio equorum quae erat Salomoni, erat ex Aegypto, & eductio telae byssinae: mercatores Regis congregationem capere solebant pretio,* vel, *permutatione,* i. Salomoni educebantur equi ex Ægypto, & tela byssina: mercatorésque Regis capere solebant congregationem equorum & telae byssinae pretio & permutatione aliarum rerum quas ferebant in Ægyptum. Alii scribunt, telam byssinam mercatores pretio, vel permutatione, eduxisse; non autem equos, propterea quòd Pharao permisisset Salomoni educere equos ex Ægypto quotquot vellet, & aliis vendere, pretiúmque accipere quod Pharaoni daturi fuissent si eduxissent. Gallicè, *Il luy bailla traicte de chevaulx.* Artem lini in Ægypto viguisse magis quàm in aliis terris apparet ex Jes. 19. 9. & Ezech. 27. 7.

17. *Caeterum ascendebant,* ויעלו] Sub. *mercatores.* ¶ *Quadrigas,* מרכבה] *Currum.* Per *currum* singulas quadrigas intelligit: quemadmodum & per *equum* singulos equos. Quadriga constabat quatuor equis; & emebatur sexcentis nummis argenteis. Singuli itaque equi quadrigae centum quinquaginta argenteis emebantur. ¶ *Equum verò,* וסוס] i. Singulos equos.

GROTIUS.

2. Praecepitque Salomon] Heb. *dixit Salomon:* Hortatus est eos. Solebant enim in sacris maximè Reges consensum adhibere populi, ut diximus ad librum superiorem 13. 1.

5. *Erat ibi coram tabernaculo Domini*] Ante fores, ut & postea in Templo. ¶ *Quod & requisivit Salomon*] i. Adiit.

CAP. II.

VATABLUS.

1. Dixit autem, ויאמר] i. Statuit apud se. ¶ *Et domum regno suo,* ובית למלכותו] Significat Regiam quam sibi aedificaturus erat.

2. *Bajulorum,* סבל] Ad verb. *oneris.* In 1 Reg. 5. 15. legitur *portantium onus.* ¶ *Caedentium,* חוצב] Sub. *lapides in lapicidina quae erat in monte.* ¶ *Tria millia & sexcentos,* שלושת אלפים ושש מאות] Hic Praepositorum trecenti ponuntur ultra numerum qui 1 Reg. 5. 16. legitur. Verùm illic enumerantur Praepositi praepositorum, non autem hic. Ità Hebraei.

3. *Huram,* חורם] Hic 1 Reg. 5. 1. dicitur *Hiram,* ubi eadem scribuntur. ¶ *Sicut fecisti,* כאשר עשית] Deest aliquid quod subaudienduum est, *Fac mecum sicut,* &c. ¶ *Cedros,* ארזים] i. Ligna cedrina.

4. *Ædifico,* בונה] Praes. Heb. pro fut. *aedificaturus sum.* ¶ *Ad sanctificandum illi,* להקדיש לו] i. Ut eam illi consecrem: vel, ut in ea ipse sanctificetur & glorificetur. ¶ *Et ut disponam dispositionem,* ומערכת] *Et dispositionem,* sub. *panum,* vel, *agnorum super altare,* ut quidam volunt. ¶ *In seculum hoc est super Israelem,* לעולה זאת על ישראל] Hebraismus, Israel tenebitur perpetuò offerre sacrificia Jehovae propter accepta beneficia.

5. *Ædifico,* בונה] Praes. Heb. pro fut. *aedificaturus sum.*

6. *Obtinebit vires,* יעצר כוח] *Retinebit virtutem,* i. quis eâ virtute praeditus erit ut illi possit domum aedificare? q. d. Nullus poterit eo dignam domum aedificare. ¶ *Sed ad suffiendum coram eo,* כי אם להקטיר לפניו] Ante

Ante כי אם hæc subaudienda, *statui ædificare domum, non ut eâ capi possit, sed ut incensum adoleam in conspectu ejus*, i. ut eum quomodocunque colam. Per hoc unum cujus meminit alia vult intelligi: nam per *incensum* reliqua intelliguntur quæ fiunt in Templo.

7. *Sapientem*, חכם] *Industrium, peritum.* ¶ *Qui sciat operari*, לעשות] Ad verb. *ad faciendum.* ¶ *Cum sapientibus*, עם החכמים] i. Cum peritis artificibus.

8. *Et coralia*, ואלגומים] Ad verb. *algumim.* Vide 1 Reg. 5. 11.

9. *Et mirabilis*, והפלא] *Et inclyta.*

10. *Et ecce*, &c. והנה וגו'] Hæc leguntur 1 Reg. 5. 11. ¶ *Dedi tritici contusi*, נתתי חטים מכות] Præt. Heb. pro fut. *decrevi dare*, sive *daturus sum.* Quidam vertunt, *triticum excussum flagellis è spicis*, sed id non est in usu: ideo melius est si intelligas, ut in libris Regum, pro *farina*, i. *tritici contusi cororum viginti millia daturus sum servis tuis.* ¶ *Batorum*, בתים] In Regibus legitur *cororum*: ut videas Corum & Batum eandem esse mensuram. *Vini* nulla illic fit mentio.

11. *Per scripturam*, בכתב] *Scripto; per epistolam.*

13. *Prudentem*, יודע בינה] Ad verb. *cognoscentem intelligentiam.* ¶ *Qui erat Huram*, &c. לחורם אבי] i. Cujus operâ pater meus Huram utebatur.

14. *Omnem cælaturam* כל פתוח] i. Sculpturas varias. ¶ *Et excogitare omnem cogitationem quæ dabitur ei*, ולחשוב כל מחשבת אשר ינתן לו] Hebraismus, Et ingeniosè excogitare omnis generis opus ingeniosum vel industrium quod proponetur illi.

16. *Prout opus fuerit tibi*, ככל צרכך] *Quotquot tibi necessaria fuerint.* ¶ *Deportanda curabis*, תעלה] Ad verb. *ascendere facies*, sub. *ab eo portu.*

17. *Peregrinos*, הגרים] *Proselytos.* ¶ *Post dinumerationem illam*, אחרי הספר אשר] *Post numerum illum quo*, &c.

18. *Fecitque*, ויעש] *Constituitque.* ¶ *Ad faciendum operari populum*, להעביד את העם] *Qui adigerent populum ad opus.* Vel, *qui populum ad laborem urgerent, qui instarent operi.*

GROTIUS.

7. *ET qui sciat sculpere cælaturas*] Opera intus refugientia.

14. *Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius*] Licebat enim feminis Hebræis nubere marito extraneo, salvâ religione suâ. Lex faciliùs putavit viros posse à feminis depravari quàm feminas à viris.

16. *Ratibus*] Heb. רפסדות ex Græco ῥαψῳδία, quod *contexturam carminum* significat, translatum ad ratium contexturam. Non Esdræ tantùm sed & Danielis temporibus Græca quædam vocabula in Hebræum Chaldæúmque sermonem commercio penetraverant.

17. *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos*] Heb. הגרים, *advenas.* Eos intellige qui Legi se non subjecerant, sed præcepta Noæ data servabant. Nam qui Legi se subjecerant pari jure cum civibus agebant.

CAP. III.

VATABLUS.

1. *IN loco quem præparaverat*, אשר הכין במקום] Verba inversa Heb. quæ noster interpres suo ordine vertit.

2. *Cœpit*, inquam, *ædificare*, ויחל לבנות] De hac Templi ædificatione vide 1 Reg. 6. 1.

3. *Et ista* sunt divisiones quibus *fundatus est*, &c. ואלה הוסד וגו'] *Hæ autem sunt dispositiones quibus innixus est Selomoh cùm jaceret fundamenta templi*, aut, *quibus ex consilio peritorum artificum usus est dum pararet exstruere Templum.* ¶ *Longitudo*, האורך] Sub. *fundamentorum.* ¶ *In mensura prima*, במדה הראשונה] *In dimensione priore.* Hæc dicit quòd simul jacta sint fundamenta *Hecal* & *Devir*, q. d. Quando descripserunt prima fundamenta, non separaverunt Adytum sive Oraculum à Templo, i. *Hecal*: sed postea separaverunt, ac postea dederunt dimensionem, Templo suam, & Oraculo suam: unâ designatione designarunt primùm fundamenta duarum primarum partium Templi, nempe Hecal & Devir, quæ fuerunt 60 cubitorum: cæterùm ex 60 illis cubitis 20 Oraculo & 40 Templo attributi sunt. Templi longitudo spectatur ab Occidente ad Orientem, & latitudo à Septentrione ad Meridiem.

4. *Et porticus*, והאולם] *Vestibulum autem.* Vide hæc eadem 1 Reg. 6. 3.

5. *Super illud*, עליו] Sub. *aurum*, i. insculpsit in illis laminis aureis *palmas & catenas*, vel *opere catenato.*

6. *Domum*, את הבית] Sub. *illam majorem.* ¶ *Ad gloriam*, לתפארת] *Ad ornatum, ad decorum.* ¶ *Parvaim*, פרוים] Numero duali dicitur apud Hebræos: fortasse est locus ille qui nostro tempore dicitur *Le grand Perron, & le petit Perron*: nam est maxima affinitas nominum. Locus erat ex quo aurum deportabatur. Tertiò quoque anno revertebatur illinc classis Salomonis.

8. *Sanctitatis sanctitatum*, קודש הקדשים] *Sancti sanctorum*: significat Oraculum, de quo 1 Reg. 6. 20. ¶ *Secundùm latitudinem domûs*, על פני רוחב הבית] Ad verb. *in facie latitudinis domûs*, i. respondebat latitudini domûs magnæ, h. e. Templi.

9. *Clavorum*, למסמרות] Quibus scilicet erat opus ad obducendos parietes auro.

12. *Atque ità ala*, וכנף] Ad verb. *Et ala.*

13. *Et expansa erant*, &c. פורשים וגו'] Ad verb. *explicabant cubitos viginti*, i. explicatæ occupabant cubitos 20. Nota hîc nomine *alarum* comprehendi etiam corpus ipsorum Cherubim. ¶ *In domum*, לבית] i. Aspiciebant partem illam internam Sancti sanctorum. Quod quidam dicunt pro hoc scribi in libris Regum (locum tamen non indicant) *faciem unius versam fuisse in faciem alterius*, ità intelligendum esset, Facies illorum non erant versæ ad ostium Templi, sed ad parietes illos qui erant in lateribus. Nam Cherub qui erat in parte dextra videbatur respicere parietem lateris sinistri, & contrà Cherub qui erat in parte sinistra respiciebat parietem lateris dextri. Ità concordabunt loci.

14. *Velum*, את הפרוכת] *Operimentum, propitiatorium.* Vide Exod. 25. 17. ¶ *Et aptavit ei*, ויעל עליו] Ad verb. *& ascendere fecit super illud*, i. assuit, sive adjecit, ipsi velo aliquot Cherubim.

15. *Triginta quinque in longitudine*, שלושים וחמש אורך] Loquitur de longitudine ambarum columnarum simul; verùm de longitudine apparente, non autem de vera: nam vera ambarum columnarum longitudo scribitur 1 Reg. 7. 15. ubi singulæ columnæ dicuntur habuisse *octodecim cubitos in longitudine*; hîc verò ambabus tribuuntur tantùm *triginta quinque cubiti*, propterea quòd singulæ videbantur habere 17 cubitos & semis: nam singularum columnarum dimidium cubiti abscondebatur in capitello. Convenit igitur hic locus cum illo ex primo Regum. ¶ *Super caput ejus*, על ראשו] i. Quod impositum erat summitati & vertici singularum columnarum.

16. *Sicut in Oraculo*, בדביר] Subintelligendum fuit כ Similitudinis, i. fecit catenas similes catenis quæ erant in Oraculo. ¶ *Quæ posuit in illis catenis*, ויתן בשרשרות] q. d. Illa malogranata inclusit in illis catenulis. Duo ordines erant malogranatorum, & in singulis ordinibus erant centum: idcirco in prædicto loco Regum, ver. 20 numerantur ducenta malogranata in singulis capitellis.

GROTIUS.

7. *PORrò aurum erat probatissimum*] Heb. פרוים. Interpretantur Hebræi quidam aurum tale fuisse quod juvencorum (qui פרים Hebræis) sanguinem colore referret. At LXX regionis nomen esse credidere: ponunt enim ἐκ

φαρϰίμ. Quidam conjiciunt esse *Parbatiam* Susianes, distinctam fortè olim in duas urbes, nam forma nominis in Hebræo textu est dualis. Graviter errant qui Americæ partem *Peruanam* intelligunt solo nominis sono ducti. Ea verò regio illis temporibus cognita non fuit, nec, ut ego credo, habitata; & nomen illud indigenis ignotum accepit ab Hispanis qui primum hominem sibi obvium eo nomine repererunt.

CAP. IV.

VATABLUS.

2. Fecit quoque mare fusile, ויעש את הים מוצק] Vide 1 Reg. 7. 23.

3. *Similitudo quoque boum*, &c. ודמות בקרים וגו׳] In Regibus dicitur *Tubercula autem instar colocynthidum subter labium ejus per circuitum*, &c. quæ vice appositionis erunt huic loco. ¶ *Decem cubitis*, עשר באמה] *Per decem cubitos*. Quidam exponunt istud hoc modo, *Decem figuræ, sive similitudines, boum erant in singulis cubitis*, i. in singulis cubitis erant decem capita boum. Nam perisphæria erat triginta cubitorum: cæterùm habebat trecenta capita boum: quo fit ut singuli cubiti habuerint decem capita boum. ¶ *In fusione illius*, במוצקתו] Sub. *maris*, q. d. Boves illi non erant appositi, sed fusi & efformati unà cum ipso mari.

5. *Tria millia*, שלושת אלפים] In primo Regum tantùm ponuntur *duo millia*. Dicendum hìc addi quod prætermissum videbatur illic, ea enim est mens authoris hujus libri.

6. *Opus*, את מעשה] i. Victimam.

7. *Secundùm normam eorum*, כמשפטם] *Secundùm ritum suum*, i. eâ ratione quâ fieri debebant.

8. *Crateras*, מזרקי] *Pelves*. Alii, *phialas*.

12. *Columnas duas*, עמודים שנים] Epilogus est prædictorum. ¶ *Et funiculos*, והגלות] *Et hemisphæria illa*.

13. *In fastigio*, על פני] Ad verb. *super faciem*. Præcedenti versu dixit *super capita*.

16. *Pater ejus*, אביו] Nempe regis Salomonis. Hìc relativum præcedit suum antecedens. Vocat autem *patrem Salomonis* quòd eum Solomon revereretur & singulari honore prosequeretur. ¶ *Mundo*, מרוק] *Purificato, terso, polito*.

17. *In regione Jarden*, בככר הירדן] *In planitie quæ adjacebat Jordani*. Vel, *in campestribus Jordanis*. ¶ *In densitate terræ*, בעבי האדמה] i. In argilla. Alii, *in cavernis* [vel, *cavitatibus*] *in terra*: dicunt enim quidam hæc magna vasa facta fuisse sine modulis, q. d. Fudit hæc magna vasa fossis in terra factis.

18. *In magna copia*, לרוב מאוד] *In multitudine valde*. ¶ *Investigabatur*, נחקר] *Investigari poterat*, quòd scilicet putaretur ferè infinitum. ¶ *Æris*, הנחושת] Sub. *quod habebat Salomon*.

19. *Fecit ergò*, ויעש] *Fecit, inquam*.

20. *Ut ardere facerent ea juxta ordinem*, לבערם כמשפט] *Ut accenderent ea secundùm morem*.

21. *Flores quoque*, &c.] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Perfectum aurum*, והפרח מכלות זהב] Ad verb. *Perfectiones auri*, i. erat perfectissimum & purissimum.

22. *Ostium insuper domûs, fores ejus*, ופתח הבית דלתותיו] Phrasis Hebræa, pro *fecit januas* [seu *fores*] *introitûs ejus domûs*, sub. *interiores*. Vel, *& fecit januas in introitu domûs*.

CASTALIO.

10. AD *dextrum latus Orientale secundùm Meridiem*] *Dextrum latus* vocat habitâ ratione mundi. Nam Templi quidem sinistrum latus est Meridies, si ab Oriente ingrediaris.

GROTIUS.

9. FEcit etiam atrium sacerdotum] In ambitu basilicæ Templi, ubi & cellæ structæ Sacerdotibus. ¶ *Et basilicam grandem*] Heb. *& atrium magnum*: i. subdiale in usum populi.

CAP. V.

VATABLUS.

1. SAnctificationes Davidis, קדשי דויד] i. Quæ consecraverat David Deo.

2. *Familiarum*, האבות] Ad verb. *domorum*, i. majorum, h. e. familiarum. ¶ *Ut ascendere facerent* להעלות] *Ut transferrent*.

3. *In solennitate quæ est mense septimo*, בחג הוא החודש השביעי] Ad verb. *in ipso festo, ipse est mensis septimus*. Hìc deest aliquid; quia nulla antè facta fuerat mentio mensis, q. d. *in festo dedicationis, quod festum celebrabatur mense Septembri, qui est mensis septimus*. Olim September erat primus mensis; sed post egressum ex Ægypto fuit septimus: nam tunc cœpit Martius dici *septimus*. In 1 Reg. 8. 2. integra est locutio: ubi quem hìc vocamus *Septembrem* dicitur *mensis fortium*. Vide illic annotationem.

4. *Levitæ*, הלוים] In primo Regum dicuntur *Sacerdotes* tulisse. Id duobus solvitur modis: Quia omnes Levitæ sunt Sacerdotes: Ergo [illegible] Sacerdotes, & Levitæ tulerunt. Si de Levitis qui no[illegible] Sacerdotes, dic initio Levitas tulisse usque ad Temp[illegible], Sacerdotes verò à Templo usque ad Sancta sanctorum.

5. *Sanctitatis quæ* fuerant *in tabernaculo*, הקודש אשר באוהל] *Sancta quæ* erant *in tabernaculo*, quod scilicet Moses fecerat, quódque David curaverat asportandum in Sion.

8. *Expandebant alas*, פורשים כנפים] Unus scilicet unam, & alter alteram alam.

9. *Et extraxerunt*, ויאריכו] *Et produxerunt*, sub. *partem vectium versùs frontem & ingressum Oraculi*. Seipsum mox declarat. ¶ *Coram Oraculo*, על פני הדביר] *Ad faciem* [vel, *frontem*] *Oraculi*. ¶ *Foris*, החוצה] i. Extra Oraculum. ¶ *Fuitque*, ויהי] In 1 Reg. 8. 8. dicitur *Fueruntque ibi*, &c. ut de vectibus loqui videatur.

10. *Quando pepigit Jehovah*, &c. אשר כרת יהוה וגו׳] *Quibus* tabulis *pepigerat Jehovah cum*, &c. Ad Heb. 9. 4. scribitur fuisse in ea *virga Aharonis, Manna, & Tabulæ*. Hebræi dicunt in Arca tunc fuisse tantùm fragmenta Tabularum; Virgam autem & Manna, cùm transferretur Arca, fuisse adempta.

11. *Omnes enim Sacerdotes*, &c. כיכל הכוהנים וגו׳] Parenthesis diligenter observanda, quæ perficitur circa finem 13. versûs. ¶ *Classes*, למחלקות] *Vices*, vel *ordinem ministeriorum*.

12. Néque *Levitæ cantores*, והלוים המשוררים] More Hebræorum præcedentem negationem subaudivit noster interpres, *Neque servaverunt suum ordinem Levitæ cantores*, &c. i. qui fungebantur officio cantorum. ¶ *Ex omnibus, de Asaph*, &c. לכולם לאסף וגו׳] *Omnes, nempe Asaph, Heman, Jeduthun, & filii eorum, & fratres eorum*.

13. *Jehovam*, ליהוה] Sub. *dicendo*, vel *dicentes*. ¶ *Nube*, ענן] *Vapore, caligine*. Id significabat Dei præsentiam & favorem.

GROTIUS.

13. COnfitemini Domino quoniam bonus] Canebant enim Psalmum 136. solitum adhiberi rebus lætis. Vide & 7. 3. & 20. 21.

CAP.

CAP. VI.

VATABLUS.

1. *Dixit*, אמר] *Dixerat* cùm scilicet deprehendit Deum esse præsentem, q. d. Nunc cognovi Deum esse præsentem, suâque præsentiâ ostendit me sibi rem gratam fecisse. Præsentem autem scio ex eo quòd video Templum plenum caligine in qua dixerat præsentem sese exhibiturum. Vide hæc eadem & 1 Reg. 8. 12.

12. *Ex adverso*, נגד] *In conspectu*. ¶ *Et expandit manus suas*, ויפרוש כפיו] Sub. *ad cœlum*, quod v. seq. posuit.

13. *Ac flexit genua sua*, ויברך על ברכיו] Ad verb. *& genuflexit super genua sua*, i. flexis genibus, & expansis manibus in cœlum, dixit.

15. *Secundùm diem hanc*, כיום הזה] i. Sicut hodie videmus adimpletum.

17. *Confirmetur*, יאמן] *Stabiliatur*, i. fit stabilis & certa promissio tua.

18. *Sed num verè habitabit*, &c. כי האומנם ישב וגו'] *Verùmne est quòd habitaturus sit*, &c. *cùm nec cœlum nec terra te capere possit?* Vel, *Verène habitaturus est Deus*, &c.

20. *Orabit*, יתפלל] Quidam per præsens vertunt *orat*.

22. *Et detulerit illi juramentum*, ונשא בו אלה] *Et exegerit ab eo juramentum*. Vide 1 Reg. 8. 31.

23. *Reddendo impio*, להשיב לרשע] *Reverti faciendo in impium*. Vel, *redire faciendo* [sub. *suam injustitiam*] *improbo*.

24. *Et conversi fuerint*, ושבו] Subaudiendi ex primo Regum *ad te*.

30. *Quia tu nosti cor ejus*, אשר תדע [illegible]לבבו] *Cujus tu nosti cor*.

32. *Venerint, inquam*, ואבו] *Cùm venerint*, vel, *si venerint*.

34. *Miseris eos*, תשלחם] *Emiseris eos*, i. populum tuum, propter afflictionem quam Prophetis revelaveris.

35. *Et facias judicium eorum*, ועשית משפטם] Sub. *de inimicis eorum*, h. e. redde eos superiores ut vincant inimicos, q.d. Ulciscaris eos de inimicis ipsorum.

37. *Et reverti fecerint*, יהשיבו] *Et revocaverint*, sub. *peccata sua*, i. Meminerint se peccasse, meminerint peccatorum suorum.

40. *In loco isto*, המקום הזה] Ad verb. *loci hujus*.

41. *Fortitudinis tua*, עוזך] i. Per quam ostendisti fortitudinem tuam. Vide posteriores duos istos versus ferè ad verbum in Psalmo 132. 8. ¶ *Induantur salute*, ילבשו תשועה] Hebraismus, Fer opem Sacerdotibus tuis atque ministris, ac protege illos. ¶ *In bono*, בטוב] Sing. Heb. pro plur. *in bonis*, quibus scilicet eos affeceris.

42. *Christi tui*, משיחך] Se *christum* sive *unctum* appellat Salomon, q. d. Nè patiar repulsam. ¶ *Memento misericordiarum*, &c. זכרה לחסדי דויד עבדך] Hebraismus, Exaudi orationem meam propter promissiones factas Davidi servo tuo, patri meo.

CASTALIO.

12. *Astans apud lavacrum æneum*] Fecerat enim suggestum instar lavacri æneum.

GROTIUS.

13. *Fecerat Salomon basim æneam*] i. Suggestum in modum conchæ, ut aiunt Hebræi. ¶ *Et posuerat eam in medio basilicæ*] Intellige *in medio atrii*, sive *subdialis*, nam basilica propriè היכל.

29. *Si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus*] Amplius in Hebræo, *Omnem orationem omnémque supplicationem quæ facta fuerit ab homine quocunque, aut ab universo populo tuo Israel*. Copulativa enim conjunctio hîc, ut alibi sæpe, posita est pro disjunctiva. Sensus est, Exaudi quæ hîc fient preces sive privatas sive publicas.

42. *Nè averteris faciem christi tui*] Aliæ editiones Latinæ *averseris* rectiùs, i. rogo nè me Regem abs te factum averseris.

CAP. VII.

VATABLUS.

1. *Cùmque finem fecisset*, &c. וּכְכלות שלמה וגו'] Vide 1 Reg. 19. 1. ¶ *Et gloria*, וכבד] i. Nubes quæ Deum præsentem esse significabat.

2. *Suam*, יהוה] Antecedens Heb. pro relativo *Jehovæ*.

4. *Victimam*, זבח] Sing. pro plur. *mactabant victimas coram Jehova*, qui visibili signo in igne & in nube declararat se esse præsentem.

6. *In custodiis suis*, על משמרותם] i. In officiis & functionibus suis.

7. *Fecit*, עשה] i. Sacrificavit.

8. *Solennitatem*, את החג] *Festum illud*; i. solennitatem Tabernaculorum, solennitatem illam quæ celebrabatur eo tempore, nempe septimo mense Septembri. ¶ *Ab ingressu Hamath*, &c. מלבוא חמת וגו'] q.d. Congregati sunt ex universa Terra sancta in Jerusalem. Describit hîc duos terminos Terræ sanctæ, Septentrionalem & Meridionalem.

9. *Die octavo collectam*, ביום השמיני עצרת] A primo scilicet die festi Tabernaculorum, qui fuerat xxv dies Septembris. Octavo die post primum diem festi Tabernaculorum congregabatur universus populus, in quo non licebat exercere officia vilia. Septem diebus manebant in tabernaculis; octavo autem conveniebant omnes ad audiendum verbum Dei; & eum diem vocat *collectam*. ¶ *Altaris*, המזבח] Illius nempe ænei. Duo festa celebrarunt sine intervallo; *Dedicationem* nempe, septem diebus, quorum primus fuit dies VIII mensis septimi; & protinus festum *Tabernaculorum*, septem quoque diebus, quorum primus fuit xv ejusdem mensis; & octavo die proximè sequente, i. XXIII. *Collectam*, i. festum Congregationis. ¶ *Et solennitatem*, והחג] Sub. *Tabernaculorum*.

10. *Die autem vicesimatertiâ*, וביום עשרים ושלושה] In 1 Reg. 8. 66. dicitur vicesimo secundo die populo datam fuisse potestatem abeundi in domos suas: & hîc dicitur eo die celebratum fuisse festum quod *Collectam* vocat. Quidam Hebræorum scribunt vicesimosecundo die datam fuisse copiam abeundi à Salomone, sed neminem abiisse ante vicesimumtertium diem: dicúntque in libris Regum positam esse diem quâ datâ est abeundi potestas, hîc verò diem sequentem quâ se receperunt in ædes suas. Alii aiunt authorem hujus libri loqui de iis qui habitabant procul à Jerusalem, qui remanserunt, quòd non liceret eo die festo tantum itineris facere; in libris autem Regum locum intelligi de iis qui non ità procul à Jerusalem habitarent quin ipsis liceret etiam die ipso festo sese recipere in ædes suas. ¶ *Super bono*, על הטובה] i. Super beneficiis quæ Jehova contulerat Davidi & Israeli. ¶ *Davidi*, לדויד] q.d. Quia videbant promissionem Davidi factam de Salomone Rege Israelis futuro, qui & ædificaturus erat Templum, adimpletam.

11. *Ejus*, שלמה] Anteced. Heb. pro relativo. ¶ *Prospere fecit*, הצליח] Verbum sine conjunctione: i. omnia felicia expertus est in ea ædificatione.

12. *Sacrificii*, זבח] Sing. Heb. pro plur. *sacrificiorum*, i. in qua mihi sacrificetur. Vide hæc 1 Reg. 9. 2.

14. *Super quos invocatum est nomen meum*, אשר נקרא שמי עליהם] Hebraismus, pro *populus meus qui appellatur de nomine meo*. ¶ *Et exquisierint faciem meam*, ויבקשו פני] Hebraismus, Imploraverint opem meam. ¶ *Et sanabo terram eorum*, וארפא את ארצם] q. d. Condonatis illorum peccatis, dabo pluviam tempore suo, auferam locustas, & pestem illam.

15. *Loci hujus*, המקום הזה] i. In loco isto factam.
16. *Elegi*, בחרתי] Sub. *locum istum*. ¶ *Ut sit nomen meum ibi*, להיות שמי שם] i. Vocando domum istam *domum meam*.
19. *Aversi fueritis*, תשובון] Sub. *à via bona in malam*. In Regibus dicitur, *Si avertendo aversi fueritis vos & filii vestri à me*. ¶ *Et dereliqueritis*, ועזבתם] *Et transgressi fueritis*. ¶ *Quæ dedi coram vobis*, אשר נתתי לפניכם] *Quæ proposui vobis*.
21. *Fuit*, היה] In libro Regum est futurum, sic *futura est sublimis*, excelsa, & magni nominis. ¶ *Erit stupori*, ישום] In libro Regum hæc præcedenti versui conjuncta sunt, idem tamen sensus utrobique. ¶ *Et dicit*, ואמר] Sub. *transiens per eam*.

GROTIUS.

1. *Ignis descendit de cœlo*] Ità Deus in hoc Templo duobus modis se testatum fecit, per *nebulam*, suprà 5. 14. & per *ignem*, ut olim in deserto. Adde quæ dicta ad Gen. 4. 4.
3. *Et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide adoraverunt*] Hebrææ voces magis significare videntur *vultus humi dejectos & corpus inflexum*.

CAP. VIII.

VATABLUS.

1. *In fine viginti annorum*, מקץ עשרים שנה] *Exactis viginti annis*. Hæc scribuntur 1 Reg. 9. 10.
2. *Quas dederat Huram ipsi Selomoh*, אשר נתן חורם לשלמה] In 1 Reg. 9. 11. dicitur *Salomon dedisse viginti urbes ipsi Hiram*; hic contrà. Dicunt interpretes Salomonem dedisse viginti urbes ipsi Hiram, & vicissim ipsum Hiram dedisse viginti urbes Salomoni in patria sua, quò pax inter ipsos esset stabilior & firmior.
3. *Et prævaluit ei*, ויחזק עליה] i. Expugnavit eam.
4. *Thesaurorum*, המסכנות] Sic vocat urbes in quibus asservabantur quæ necessaria erant bello gerendo. Quidam vertunt *urbes munitissimas*.
5. *Munitas muris*, &c. מצור חומות דלתים ובריח] Ad verb. *munitionis murorum, portarum & vectium*.
6. *Quadrigarum*, הרכב] Ad verb. *currûs*. Sing. Heb. pro plur. *curruum*. ¶ *Beneplacitum Selomoh*, &c. חשק שלמה אשר חשק] *Desiderium Selomoh quod desideravit*. Quidam liberiùs vertunt, *quicquid denique pro voto suo Salomon ædificare voluit*. Vide 1 Reg. 10. 19.
8. *Consumpserant*, כלום] *Perdiderant*. ¶ *Fecit tributarios Selomoh*, ויעלם שלמה למס] Ad verb. *ascendere fecit eos Selomoh ad tributum*. Hebraismus.
9. *In opere suo*, למלאכתו] i. In ædificatione Templi & regiæ, non exegit operas à filiis Israel, sed à proselytis: nam dicitur in libro Regum, *De filiis verò Israelis non fecit Selomoh servum ullum*.
10. *Ducenti & quinque*, חמשים ומאתים] Enumerantur plures in primo Regum, nempe *quingenti quinquaginta*: sed illic omnes enumerantur, hic tantùm præcipui. ¶ *Qui dominabantur populo*, הרודים בעם] i. Qui exigebant operas à populo. In Regibus dicitur, *qui præerant populo qui faciebat opus*.
11. *Sanctitas sunt*, &c. קודש המה וגו'] i. Consecrata sunt, q. d. Sanctificata est domus Davidis per ingressum Arcæ in eam.
13. *Et per singulos dies ut offerrent*, ובדבר יום ביום להעלות] Ad verb. *Et in re diei in die suo ut offerrent*, sub. *sacrificia*, i. ut juxta ritum cujusque diei offerrent holocausta.
14. *Divisiones*, מחלקות] i. Vices: classes. ¶ *Per singulos dies*, לדבר יום ביומו] Ad verb. *in re diei in die suo*, i. in iis quæ singulis diebus fieri debebant. Vel, *secundùm ritum & morem uniuscujusque diei*.
16. *Præparatum autem erat omne opus*, ותכון כל מלאכת] i. Parata erat impensa operis Selomonis ad jacienda fundamenta, & ad absolvendum totum opus.
17. *In terra*, בארץ] Sub. *quod mare erat in terra Edom*.

GROTIUS.

6. *Et urbes equitum*] In quibus equos alebat ex Ægypto advectos, 1 Reg. 10. 28. hoc libro 1. 14. & infrà 9. 25. Vide Basilium 1 Macc. 3. 39.
9. *Porrò de filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis*] Nempe perpetuis operis, ut extranei: sed horum alii aliis succedebant, 1 Reg. 5. 13.
11. *Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eò quòd sanctificata sit; quia ingressa est in eam arca Domini*] Sensus est, Regia angustior est quàm ut Regis familiam & Reginæ capiat: quod autem Soli adjacet, id ob reverentiam Arcæ isthac portatæ purum servari debet.
13. *Juxta præceptum Mosis*] Rex Legis custos.
14. *David homo Dei*] Deo tum in rebus aliis tum in hac præcipuè acceptissimus, 1 Sam. 13. 14. Neh. 12. 24. Act. 7. 46. & 13. 22.
15. *Nec prætergressi sunt de mandatis regis tam Sacerdotes quàm Levitæ*] Regiæ curæ pars est efficere ut & Sacerdotes suum faciant officium.

CAP. IX.

VATABLUS.

1. *In Jerusalaim*, בירושלם] Aut conjunge verbo præcedenti, *venit in Jerusalem*: aut subaudi verbum quod 1 Reg. 10. 1. legitur, *Et ingressa est Jerusalem*.
2. *Nec latuit quicquam ipsum Selomoh*, ולא נעלם דבר משלמה] Ad verb. *& non absconditum fuit verbum à Selomoh*.
4. *Et holocaustum ejus*, ועליתו] Vide annot. in libro Regum.
8. *Jehovæ Deo tuo*, ליהוה אלהיך] *Pro Jehova Deo tuo*. Antecedens loco relativi, *pro se, qui est Deus tuus*.
9. *Et non fuerunt talia aromata qualia*, ולא היה כבושם] Sing. Heb. pro plur. i. nunquam postea visa fuerunt talia aromata. In libro Regum, *Non venerunt talia aromata ultrà in tanta multitudine, quæ dedit*, &c.
10. *Ligna algummim*, עצי אלגומים] Doctiores existimant fuisse Ebenum. Tabulæ enim ebeni in maximo erant pretio. Vide librum Regum.
11. *Tigna*, מסלות] Doctiores interpretantur *laquearia*, vel *ornamenta columnarum*. Nam vox Hebræa ab *exaltando* dicitur. In libro Regum, *fulcra*. *Mesilloth* igitur sunt *illa additamenta quæ apponuntur laquearibus aut columnis ornamenti causâ*, q. d. Operuit columnas aut laquearia ebeno.
12. *Quicquid ipsa expetivit*, את כל חפצה אשר שאלה] Ad verb. *omnem voluntatem quam ipsa petivit*, i. quicquid in votis habuit. ¶ *Præter id quod*, &c. מלבד אשר הביאה אל המלך] Doctus inter Hebræos, nonnullis subauditis ex libro Regum, exponit, *præter id quod Rex Selomoh dederat vice ejus quod attulerat Regina Saba ad Regem*.
15. *Insumebantur in scutum unum*, יעלה על הצנה האחת] Ad verb. *ascendit super scutum unum*. Fut. Heb. pro præt. perf. quod per imperf. vertitur. Hebraismus, Insumebatur in singula scuta. Vide 1 Reg. 10. 16.
16. *Trecenti numi aurei*, שלוש מאות זהב יעלה] In libro Regum dicitur, *tres minæ insumebantur in singulos clypeos*; hic verò, *trecenti numi aurei*. Illic *libra* seu *mina* capitur pro *centum aureis*; sive centum aurei valent libram unam. Nam & ipse Chaldæus vertit *librim*, i. *libram*.

18. Basis

18. *Basis quoque,* וכבש] Propriè hæc dictio significat *basim quandam acclivem quâ res superposita fit sublimior.* ¶ *Tenentia,* מאחזים] Istud refertur & ad gradus & ad basim: acsi dicat, Quæ omnia adhærebant ipsi throno sive solio. ¶ *In loco sessionis,* על מקום השבת] *Juxta locum sedis*: i. adjuncta sedi ipsius throni, quibus innitebantur brachia sedentis.

20. *Aurea,* זהב] Sub. היו *erant.*

23. *Quærebant faciem Selomoh,* מבקשים את פני שלמה] Hebraismus, *Invisebant Salomonem*: vel, *magno desiderio tenebantur invisendi eum.*

24. *Annuatim,* דבר שנה בשנה] Ad verb. *rem anni in anno suo.* Hebraismus, pro *singulis annis.*

25. *Quatuor millia,* ארבעת אלפים] In 1 Reg.4.26. dicuntur fuisse Salomoni *quadraginta millia equorum,* hîc tantùm *quatuor.* Verùm illic loquitur de equis qui erant in stabulis, hîc tantùm de stabulis. Erant quatuor millia stabulorum, in singulis stabulis decem equi: si multiplices 4000 per 10. efficietur numerus *quadraginta millium.* ¶ *Equitum,* פרשים] Sic vocat eos qui agendorum equorum artem norunt. Gallicè, *Les picqueurs du Roy.*

26. *Et dominabatur,* ויהי מושל] Ad verb. *Et fuit dominans.*

28. *Et de cunctis terris,* ומכל הארצות] *Et ex cateris regionibus*; vel, *provinciis.*

29. *In verbis,* על דברי] i. In libris, vel historia. ¶ *Contra Jarobam,* על ירבעם] Aliquid subaudiendum, sic, *qui prophetavit contra Jarobam.* Vide de morte Salomonis 1 Reg.11.41.

CASTALIO.

12. PRæter ea quæ ei suâ sponte dedit Rex] Quædam postulanti dedit, quædam ultro. Correxi autem hunc locum ex 3 Reg.10.13.

15. *Scuta ex auro ductili sexcentenaria*] Ad verbum sic, *Insumptis auri ductilis sexcentis in unum scutum*: id quod de *Siclis* intelligendum est, quoniam Siclis ponderant Hebræi: ut si Latinè saxum dicas *centenarium,* intelligetur *centum librarum,* quia Libris utuntur Latini. Item si hominem dicas *sexagenarium,* de *annis* dicas, quoniam ab annis numeratur ætas. Atque eodem modo in reliquis. Jam quòd hîc clypei *trecentenarii* dicuntur, cùm 3 Reg.10.17. scriptum sit *in singulos insumptas esse trinas minas,* apparet Minam centum valere Siclos.

18. *Fornix à tergo*] Ea pars quæ à tergo est, & fornicatur. מאחריו legendum videtur, ut in 3 Reg.10.19. Alioqui si מאחוים legas, non constabit sententia.

GROTIUS.

5. DE *virtutibus & sapientia tua*] Quæ in ista etiam domesticæ rei εὐταξίᾳ apparebat.

22. *Magnificatus igitur est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis & gloria*] Nempe sapientiæ, ut explicat locus huic respondens 1 Reg. 10. 23. Poterat ei dici,

Dî tibi divitias dederant, artémque fruendi.

25. *Quadraginta millia equorum in stabulis*] Heb. *quater mille stabula equorum,* nempe singula stabula equis denis. Vide 1 Reg.4.26.

26. *Exercuit etiam potestatem super cunctos reges*] Græci, ἦν ἡγούμενος πάντων τῶν βασιλέων. Rerum erat arbiter.

29. *In verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitæ, in visione quoque Addo Videntis*] Vide suprà 1 Par. 29.29.

CAP. X.

VATABLUS.

2. TUM *reversus est,* וישב ירבעם] Ad verb. *& reversus est Jarobam.* Hebræi aliquando sæpius repetunt antecedens, ut hîc, quod Latini omittunt. Vide 1 Reg.12.1.

5. *Adhuc tres dies,* עוד שלושת ימים] Sub. *transeant.* In 1 Reg. legitur, *Abite adhuc tres dies.* Hebraismus, pro *Revertimini ad me die tertio.* Atque ità debere exponi apparet ex infrà scriptis verbis, v. 12. ubi eadem sententia à Rege dicta aliis verbis scribitur, *Quemadmodum locutus fuerat Rex, dicendo, Revertimini ad me die tertio.*

7. *Si fueris in bonum populo huic,* אם תהיה לטוב להעם הזה] Hebraismus, pro, *Si fueris benignus,* vel *comem te præstiteris, populo huic.* In 1 Regum legitur, *Si hodie fueris servus populo huic.* ¶ *Et complacueris eis,* ורציתם] *Et prosequaris eos favore.*

8. *Qui stabant coram illo,* העומדים לפניו] i. Qui illi astabant, qui illi erant ab auribus & consilio.

13. *Relicto consilio seniorum,* ויעזוב המלך רחבעם את עצת הזקנים] Ad verb. *& dereliquit Rex Rehabam consilium senum.*

16. *Quisque,*&c. איש לואהליך ישראל] Duo verba subaudienda sunt ut perficiatur oratio, *Quisque abeat, ô Israel, abi in tentoria tua.*

18. *Roboravit seipsum ut ascenderet,* התאמץ לעלות] Hebraismus, pro *viribus & animo resumptis ascendit currum celerem,* quo uti solebant in re urgenti: vel, *ascendit currum insignem aliquem.*

GROTIUS.

15. ERat *enim voluntatis Dei*] Heb *erat hoc effectum à Deo,* nempe cor obdurando. Græci, ἦν μεταστροφὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ.

16. *Populus autem universus, rege duriora dicente*] In Hebræis codicibus est *rege non audiente illos*; quidam codices addunt ראו ante כי, i. cùm videret populus se à Rege non audiri. Sic & 1 Reg.12.16.

CAP. XI.

VATABLUS.

1. VEnit *ergò,* &c. ויבוא וגו'] Ex 1 Reg.12.20. huc transferendus est versus, ut cohæreat principium hujus capitis, qui sic habet, *Fuit itaque, cùm audisset universus Israel quòd reversus esset Jarobam, miserunt, ac vocaverunt eum ad congregationem, & Regem constituerunt eum super universum Israelem: non fuit post domum Davidis nisi tribus Jehudah sola. Venit ergò Rehabam,*&c. ¶ *Ut reduceret,* &c. להשיב את הממלכה לרחבעם] Ad verb. *ut reduceret Regnum ad Rehabam.* Antecedens pro relativo, i. ut constitueret sibi Regnum: vel, reverti faceret ad se.

5. *In Jehuda,* ביהודה] i. In portione attributa tribui Judæ.

11. *Munita,* את המצורות] *Munitiones*; i. urbes illas munitas: q. d. Posuit omnia necessaria ad munitionem in illis. ¶ *Et cellaria cibi,* ואוצדות מאכל] Ad verb. *& thesauros cibi*; i. horrea escarum.

12. *Et fuit ei Jehudah,* &c. ויהי לו יהודה ובנימן] i. Regnavit super tribum Juda & Benjamin.

13. *Qui* erant *in universo Israele,* אשר בכל ישראל] i. Qui erant sparsi per omnes tribus Israel. ¶ *Astiterunt juxta eum,* התיצבו עליו] *Collegerunt se ad eum.*

14. *Levitæ,* הלוים] *Levitarum* nomine comprehenduntur & Sacerdotes & Levitæ; quia omnes Sacerdotes erant Levitæ, non contrà. *Nè ministrarent Jehovæ,* מכהן ליהוה] *Nè Sacerdotis ministerio fungerentur Jehovæ.*

15. *Et dæmoniis,* ולשעירים] Propriè *Faunos & Satyros* significat, quòd *pilosi* apparerent suis cultoribus. שעיר enim *pilosum* significat. De his vide Esa.34.14.

16. *Et post eos,* ואחריהם] i. Post Sacerdotes & Levitas, h.e. secuti sunt eos. ¶ *Qui dederant cor suum,*&c. הנותנים את לבבם וגו'] Hebraismus, Qui tenebantur religione veri Dei: vel, Qui timebant Jehovam.

17. *Roboraverunt itaque*,&c. ויחזקו את מלכות וגו׳] q.d. Hac ratione factum est ut Regnum Roboam staret firmum tribus annis.

23. *Et docuit* eum: *dispersit autem*, ויבן ויפרוץ מכל בניו] *Et curavit eum docendum*; *& distribuit*, &c. instituendum curavit eum: reliquos autem filios suos distribuit per omnes provincias Judæ & Benjamin. ¶ *Et petivit*, וישאל] i. Habuit plures uxores: vel, studuit ei rei ut plurimas uxores haberet.

GROTIUS.

5. ÆDificavit *civitates munitas in Juda*] Limitem munivit contra Decem tribus.

11. *Ciborumque horrea*] Apothecas, ut in bello fieri solet.

12. *Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium*] Unde armaret militem. Nota tria hæc suspectis temporibus necessaria servando Regno.

13. *Sacerdotes autem & Levitæ qui erant in universo Israel venerunt ad eum*] Memores promissorum Davidi factorum. Horum exemplum secuti & alii eximiè pii, infrà 16.

21. *Uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta*] Modum excessit. Vide Deut.17.17.

22. *Constituit verò in capite Abiam filium Moacha ducem super omnes fratres suos; ipsum enim regem facere cogitabat*] Quia ipsi ut primogenito Regnum debebatur (ut infrà 21.3.) ideo eum assuefecit imperio, summam sub se rerum ei credens.

23. *Quia sapientior fuit & potentior super omnes filios ejus, & in cunctis finibus Juda & Benjamin, & in universis civitatibus muratis*] Aliter in Hebræo, *Et erudire faciebat & dispergebat de omnibus filiis suis in cunctis terris Juda & Benjamin, in omnibus urbibus munitis.* Filios minores natu noluit unà esse in uno loco, nè fortè factionem aliquam inciperent, sed per varia oppida limitanea eos distribuit, additis magistris & inspectoribus. ¶ *Prabuitque eis escas plurimas*] *Dedit illis Panagia*, ut loquuntur Galli, exemplo Abrahami Gen. 25.8. quod & Josaphatus secutus legitur 21.3.

CAP. XII.

VATABLUS.

1. CUM *confirmasset*, כהכין] Sub. *Dominus.*

6. *Justus* est *Jehovah*, צדיק יהוה] q.d. Justè punimur propter peccata nostra.

7. *Fuit verbum ejus*, &c. היה דבר יהוה וגו׳] Ad verb. *Fuit verbum Jehovæ ad Semaaiah, dicendo.* Antecedens Heb. loco relativi. Hebraismus, Jehova locutus est ad Semaiam, his verbis. ¶ *Humiliati sunt*, נכנעו] i. Agnoverunt peccata sua, resipuerunt. ¶ *Brevi evasionem*, כמעט לפליטה] *Brevi liberationem*; sub. *quandam*: i. brevi liberabo eos ab ea afflictione. Ad verb. *secundum breve* [sub. *tempus*] *evasionem.* Dictio כמעט in eadem significatione legitur & Psal.2.12. ¶ *Stillabit*, תתך] *Effundetur*; i. non diu durabit: vel, *& non* ultrà *effundetur.*

8. *Ut sciant servitutem meam*, &c. וידעו עבודתי ועבודת ממלכות] i. Ut experimento discant quanta sit differentia inter servitutem meam & Regum aliarum nationum.

10. *Cursorum*, הרצים] Hic loquitur de cursoribus qui erant à corpore Regis, quòd *pedibus sequerentur* Regem, sic dictis.

12. *Ut non disperderet eum prorsus*, ולא להשחית לכלה] Ad verb. *& non ad perdendum ad consumptionem.* Subaudiendum *fuit*, sic, *& non* fuit *ad disperdendum*, sub. *Jeroboam & nos*, *& ad consumptionem.* q.d. Ira Domini non fuit ut perderet & consumeret illum populum, sed ut converteret illum ad se per illam castigationem. ¶ *In Jehudah fuerunt res bonæ*, ביהודה היה דברים טובים] Hebraismus, *Res bonas* vocat felices & prosperas: q.d. Res quoque Jehudah bene se habuerunt. Istud pendet ab eo quod præcessit, *Aversa est ab eo ira Jehovæ.* Quidam referunt ad homines, acsi dicat, Siquidem Jehudah fuerunt gesta bona. Sed prior opinio melior.

13. *Corroboratus est itaque*, ויתחזק] Post illam plagam scilicet. ¶ *Et regnavit*, וימלך] q.d. Non fuit destitutus regno. ¶ *Et septemdecim annis regnavit*, ושבע עשרה שנה מלך] Ergò duodecim annis regnavit post illam calamitatem.

15. *In sermonibus*, בדברי] Sic vocat historiam. ¶ *Dum recensent seriem generationum*, להתיחש] *Dum generationum series recensetur*; vel, *texitur.* ¶ *Et fuerunt bella*, ומלחמות] Subaudiunt Hebræi היו *fuerunt*, i. perseverarunt bella inter ambos quamdiu vixerunt.

GROTIUS.

3. ET *Troglodytæ*] סכיים in Hebræo, quos σκηνίτας verbum verbo reddens dixit Ptolemæus. Apud Plinium in his locis est oppidum Suchæ.

7. *Quia humiliati sunt, non disperdam eos*] Simile vide 1 Reg.21.29.

8. *Ut sciant distantiam servitutis meæ & servitutis regni terrarum*] Discimus hinc pœnam non semper tolli, sed sæpe minui tantùm, culpam agnoscentibus: deinde, in servitute minus mali esse quàm in internecione: qua de re egimus l.2. De J.B. ac P. c.24. §.6. &, Deo servire nolentibus hanc pœnam imponi ut duris Regibus serviant.

15. *Et Addo Videntis, & diligenter exposita*] Heb. *dum genus recenset.* Librum suum Addo inscripserat γενεαλογίαν, & singulis quorum nomina recensebat addiderat rerum gestarum ab ipsis breviarium. Quod hîc reperitur התיחש, id γενεαλογεῖν vertunt Græci 1 Par.5.1. & 7.40. & 9.1. Esdræ 2.62.

CAP. XIII.

VATABLUS.

1. REgis, למלך] Pro *regni* positum est. ¶ *Super Jehudah*, על יהודה] Duas tribus intelligit, Judam & Benjamin.

2. *In Jerusalaim*, בירושלם] i. Super duas tribus, quarum sedes erat Jerusalem.

3. *Instruxit itaque*, ויאסר וגו׳] i. Aciem illam quam congregaverat ut resisteret ipsi Jeroboam, instruxit, sive ordinavit cum exercitu militum strenuorum & bellicosorum, constantem quadringentis millibus virorum electorum. Hic non comprehendit impedimenta: nam de electis tantùm loquitur. ¶ *Cum eo*, עמו] i. Adversus eum. ¶ *Potentium viribus*, גבור חיל] Robustissimos & bellicosissimos intelligit.

4. *E monte*, &c. מעל להר וגו׳] i. E cacumine montis Semaraim. q.d. Ascendit in fastigium montis Semaraim, qui est unum ex jugis Ephraim, & indè habuit orationem plenam pietatis & artis.

5. *Pacto salis*, ברית מלח] *In fedus salis*, i. federe firmo & inviolabili, quòd Sal arceat corruptionem: aut quòd Sal soleat adhiberi sacrificiis. q.d. Federe percusso, adhibitis ceremoniis fieri solitis in percutiendo federe. Apud Hebræos non feriebatur fedus sine sale, quòd apud illos, ut nec apud alias nationes, nulla federa pangerentur sine sacrificiis, in quibus semper adhibebatur sal. Dicit itaque Abijah, Pater meus à Deo accepit Regnum jure hereditario quod perpetuò durare debet, nec tibi illud usurpare licet. Vide eandem locutionem & Num.18.19.

7. *Vacui*, רקים] *Vani*, i. nihili & inutiles. Idem significat & ריקא Chaldaicè, cujus mentio est Matth.5.22. ¶ *Filii impii*, בני בליעל] *Filii Belijaal.* Vide Deut. 13.13.

13. 13. ¶ *Et corroboraverunt se contra Rehabam*] ויתאמצו על רחבעם] Hebraiſmus, Totis viribus reſtiterunt ipſi Roboam. ¶ *Puer & tener corde*, נער ורך לבב] i. Imbellis, & mollis, ſive imbecillo animo. Erat juvenis animo, non ætate, quia unum & quadraginta annos natus erat cùm regnare cœpit. De teneritudine cordis ſic Levit. 26. 36. *Inducam teneritudinem cordis in cor eorum in terris inimicorum ſuorum, & perſequetur eos ſonus folii impulſi.* ¶ *Et non roboravit ſe ante eos*, ולא התחזק לפניהם] Hebraiſmus, Non reſtitit illis forti atque audenti animo.

8. *Statuitis*, אומרים] Ad verb. *dicitis*. Hebraiſmus, Statuitis magno animo reſiſtere Regno Jehovæ.

9. *Ejeciſtis*, הדחתם] *Expuliſtis*; ſub. *patriâ*. ¶ *Terrarum*, הארצות] i. Aliorum regnorum, ſive alienarum nationum quæ colunt deos alienos. ¶ *Ut impleat*, למלא] i. Ut conſecret.

10. *Nos verò*, &c. ואנחנו וגו'] Ad verb. *Et nos, Jehovah Deus noſter*. Hebraiſmus, pro *Jehovah autem eſt Deus noſter*, ſive *eſt Deus nobis*.

11. *Singulis matutinis & ſingulis veſperis*, בבוקר בבוקר ובערב בערב] Ad verb. *in manè, in manè, & in veſpera, in veſpera*. ¶ *Cuſtodimus enim* &c. כי שומרים וגו'] *Obſervamus enim obſervantiam Jehovæ*: i. ſervamus ceremonias ejus.

12. *Pro duce*, בראש] Ad verb. *in caput*; vel, *in capite*. ¶ *Deus ille*, האלהים] q.d. Deus ille verus eſt nobis pro duce, & pro ſummo noſtro bono: vel, præcipuum locum apud nos obtinet; deinde Sacerdotes ejus. ¶ *Ut inſonent*, להריע] *Ut jubilent*; *ut clangant*: i. clangore ſuo pugnam in vos accendant.

13. *Et fuerunt*, ויהיו] Sub. *turmæ Jeroboam quæ erant in ea acie, erant illi à fronte*.

15. *Vociferati ſunt autem*, ויריעו] Sub. *initio pugnæ & ſub conflictum*. De more antiquorum fiebat ad terrendum hoſtes.

17. *Et percuſſerunt*, &c. ויכו בהם וגו'] Ad verb. *Et ceciderunt in eis Abijah & populus ejus cadem magnam*.

20. *Neque retinuit robur*, ולא עצר כוח] i. Vires Jeroboam ità ſunt labefactatæ, ut nunquam eas recuperarit quamdiu Abdias regnavit.

21. *Corroboratus autem*, ויתחזק] i. Confirmato imperio, ſive regno.

22. *Et viarum ejus*, ודרכיו] i. Et morum ejus, ſive inſtituti ejus vivendi: q. d. *res & dicta*. ¶ *In libro*, במדרש] A דרש *inquiſivit*; *interrogavit*; *percontatus eſt*. Sic dicitur liber, quòd in illo digerantur *inquirenda*. Aliquando & ספר & מדרש conjunguntur, ut infrà 24. 27. *Scripta ſunt in volumine libri Regum*: i. in libro in quo digeruntur geſta Regum, quæ inquirens ibidem potes invenire.

CASTALIO.

3. **Q**uadraginta *millibus lectorum militum*] In Hebræo eſt *quadringenta*, itémque mox *octingenta*, & in victoria *quingenta millia*. Sed cùm ſit hic numerus incredibilis, ſequi malui Græcum & Latinum interpretem, & Joſephum, qui omnes in hoc conveniunt.

5. *Salito fœdere*] Inviolabili.

GROTIUS.

2. **M**ichaia] Heb. מיכיהו, ſed credibile eſt olim ſcriptum fuiſſe מעכה, quomodo eſt ſuprà, & in libris Regum. Eadem *Aſa mater* dicitur 1 Reg. 15. 10. ubi *mater* ſignificat *aviam*. ¶ *Filia Uriel*] Cui alterum nomen *Abſalom*, ſuprà 11. 20, 21. 1 Reg. 15. 2, 10.

3. *Cùmque iniiſſet Abia certamen*] i. Infeſto exercitu ingreſſus eſſet fines hoſtiles, ut ex ſequentibus apparet.

4. *Qui ait, Audi, Jeroboam, & omnis Iſrael*] Oratio hæc appoſitè facta & ad terrendos hoſtes & ad ſuos cohortandos. Oſtendit enim Abia pro ſe eſſe ſucceſſionem legitimam, ſacra & Sacerdotes apud ſe. Non erat Abia religioſus, ut apparet 1 Reg. 15. 3. ſed religionis velo uti norat, ut multi Reges.

8. *Habetiſque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos*] Illud poſterius ו, quod Latinus hìc vertit *atque*, rectiùs verti per adverſativam poteſt; Magna quidem veſtra eſt turba: ſed habetis imagines contra Legem, propter quas Deus vobis iraſcitur. Vide Judith 5. 18, 19. Hoc erat fundamentum conſilii quod dedit Balaamus.

13. *Ignorantem Judam ſuo ambiebat exercitu*] Nam qui numero præpollent id agere ſolent ut hoſtem undique includant. Conſidera verba ſequentia. Exemplum vide apud Frontinum l. 2. c. 3. num. 16. apud Tacitum Annal. 2. ubi de Cariovalda ſermo. Venatores in ſuo adverſùs feras bello *indaginem* id vocant.

18. *Et vehementiſſimè confortati filii Juda eò quòd ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum*] Erat hic populus melior Rege. Sæpe Deus populo parcit ob Regem; ſæpe & Regi ob populum.

CAP. XIV.

VATABLUS.

2. **B**onum *& rectum eſt in oculis Jehovæ*, הטוב והישר בעיני יהוה] Hebraiſmus, Fecit quod placebat & gratum erat Domino.

3. *Alieni*, הנכר] i. Deorum alienorum.

4. *Juſſitque*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit*. Sed hìc pro *imperare* ac *jubere* accipitur.

5. *Et quievit regnum coram eo*, ותשקוט הממלכה לפניו] Hebraiſmus, Eo regnante vixerunt pacificè: quia impietatem & idola deſtruxit.

7. *Adhuc* exſiſtente *terrâ noſtrâ coram nobis*, עודנו הארץ לפנינו] Ad verb. ſubaudito ב, *dum adhuc ea* eſt, nempe *terra, coram nobis*; i. in poteſtate noſtra: i. dum adhuc imperamus regioni huic, ſive dum adhuc imperium hujus regionis eſt penès nos.

8. *Portans ſcutum*, &c. נושא צנה וגו'] i. Exercitus munitus atque inſtructus clypeis & haſtis. ¶ *Viri robuſti*, גבורי חיל] Ad verb. *viri virtutis*, vel *roboris*: i. milites ſtrenui & bellicoſiſſimi.

9. *Egreſſus eſt autem*, ויצא] Sub. *de patria ſua*. ¶ *Æthiops*, הכושי] i. Rex Ægypti.

11. *Non* eſt *apud te*, &c. אין עמך לעזור בין וגו'] *Magnum* vocat fortem. Hebraiſmus, pro, *ſine ulla differentia ferre ſoles opem potenti & infirmo: & is cui tuleris opem, tandem vincet*. q.d. Sumus multò inferiores numero; ſed tuâ operâ freti ſuperabimus. ¶ *Deus noſter tu es*, אלהינו אתה] q.d. Illi fidunt viribus humanis, nos autem auxilio Divino: proinde fave nobis. ¶ *Homo*, אנוש] *Mortalis, infirmus*.

13. *Ut non eſſet eis vita*, לאין להם מחיה] i. Ceciderunt uſque ad internecionem multi Æthiopes. ¶ *Contriti ſunt*, נשברו] *Confracti ſunt*.

14. *Pavor Jehovæ erat ſuper eos*, פחד יהוה עליהם] Hebraiſmus, terruerat eos Deus.

15. *Quamplurimas*, לרוב] Ad verb. *in multitudine*.

GROTIUS.

5. **E**t *abſtulit de cunctis urbibus Juda aras & fana, & regnavit in pace*] Abſtulit ex locis publicis. Ex locis privatis poſtea infrà 15. 8. Sic & Chriſtiani Imperatores orbem Paganiſmo purgarunt per gradus quoſdam.

7. *Dixit autem Juda, Ædificemus civitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus & portis & ſeris, donec à bello quieta ſint omnia*] Tempore pacis de bello cogitandum eſt.

9. *Zara Æthiops*] Æthiopes, numero hominum validi, ſæpe ad mare uſque Syriacum bellando venere, ut olim Cepheus.

11. *Domine, non eſt apud te ulla diſtantia, utrùm in paucis auxilieris an in pluribus*] Eadem ſententia 1 Sam. 14. 6. Vide quæ ibi diximus.

13. *Tule-*

13. *Tulerunt ergò spolia multa*] Nempe de interfectis; nam Hebræa vox hîc est שלל, unde σκῦλα Græcis, eodem significatu.

14. *Et multam prædam asportaverunt*] *Præda* hîc in Hebræo בזה; id Græci elegantiores dicerent λάφυρα, sed nostri interpretes sæpe διαρπαγὴν vertunt, sæpe & προνομὴν, quorum illud de urbibus, hoc de agris dici solet.

15. *Sed & caulas ovium destruentes*] אהלי מקנה, quod retinuere Græci, Ἀλιμαζονεῖς, significat *tentoria pecuariorum*, i. Arabum Scenitarum, qui federati Æthiopibus Scenitis.

CAP. XV.

VATABLUS.

1. *Super Azariahu*, &c. ועזריהו וגו׳] Ad verb. *Et Azariahu filius Oded fuit super eum Spiritus Dei*. Hebraismus, Azarias autem afflatus est Spiritu prophetico. Istum Azariam v. 8. vocat *Oded*: erat enim binomius. Hîc autem vocat *Azariam*, ut Oded filium intelligamus, non patrem: uterque enim dicebatur *Oded*.

2. *Ante Asa*, לפני אסא] *Obviàm Asa*. ¶ *Cum fueritis cum eo*, בהיותכם עמו] i. *Dominus aderit vobis quamdiu eum non deserueritis*. Vel, *Dominus adfuit vobiscum*, sive tulit vobis opem, *quamdiu adhæsistis ei*.

3. *Dies autem multi*, וימים רבים וגו׳] Hebraismus, *Longo tempore fuit Israel absque vero Deo*, vel *sine vero Dei cultu*, aut *sine cultu veri Dei*, & *sine Sacerdote Legem docente*. ¶ *Et absque Lege*, וללא תורה] Semper fuit Lex, sed non docebant eam populum Sacerdotes.

4. *Reversus est autem*, &c. וישב בצר לו על יהוה] i. Resipuit, cùm fuisset in illa jam dicta tribulatione. Loquitur de tribulatione nota & insigni quæ fuit sub Zerah Rege Æthiopum. Quidam dicunt præterita poni pro futuris, de captivitate Babylonica intelligentes; minùs tamen rectè. ¶ *Et requisierunt*, &c. ויבקשוהו וימצא להם] i. Opem ejus inquisierunt in tribulatione, & opem illis tulit.

5. *Non erat pax egredienti & ingredienti*, אין שלום ליוצא ולבא] Hebraismus, Non erat tutum egredi urbe suâ, & in eam redire: h.e. non erat tutum iter facere.

6. *Et conciderunt gens gentem*, וכותתו גוי בגוי] *Et contritæ sunt gentes à gentibus*. ¶ *Omni angustiâ*, בכל צרה] *Omnis generis calamitatibus*.

7. *Debilitentur*, ירפו] *Remissæ fiant*. ¶ *Operi vestro*, לפעולתכם] *Opus* illorum vocat fiduciam quam habebant in Deum.

8. *Oded*, עודד] De hoc vide v. 1. ¶ *Confortatus est*, התחזק] *Fortificatus est*; i. cœpit bono esse animo ac forti. ¶ *Et tulit de medio*, ויעבר] Ad verb. *& transire fecit*; i. abolevit abominanda idola.

9. *Transfugerant ad eum*, נפלו עליו] Ad verb. *ceciderant ad eum*; i. defecerant ab Israele, & confugerant ad Asa.

12. *Inierúntque fedus*, ויבואו בברית] Ad verb. *Et venerunt in pactum*.

16. *Matrem suam amovit Asa Rex*, אם אסא המלך הסירה] Ad verb. *matrem Asa Rex amovit*. Ordinem vocum mutavit noster interpres ut dilucidior esset sensus. Vide hæc eadem 1 Reg. 15. 13. ubi & annotavimus quæ juvare videbantur. Exemplum & indicium summæ integritatis Asæ.

17. *Excelsa autem non removerunt*, והבמות לא סרו] Ad verb. *Excelsa autem non recesserunt*. De istis excelsis dictum est 1 Reg. 15. 14. ¶ *Omnibus diebus ipsius*, כל ימיו] i. Quamdiu vixit.

18. *Sanctificationes patris sui, & sanctificationes suas*, את קדשי אביו וקדשיו] i. Quæ pater consecraverat, & quæ ipse consecraverat.

19. *Nec fuit bellum*, ומלחמה לא היתה] Sub. *à bello illo Æthiopico*.

CASTALIO.

8. *Nefas*] Nefarios deos.

GROTIUS.

1. *Azarias autem filius Oded*] Vocatus & ipse, ut pater, *Oded*, ut apparet infrà 8. in Hebræo; sed ab eo distinctus altero *Azariæ* nomine.

2. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo*] Heb. *dum vos fuistis cum eo*. Græci, ἐν τῷ εἶναι ὑμᾶς μετ᾽ αὐτοῦ. Bene admodum. Nec longè abit illud Sallustii, *Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam Divino numine invisi; neque bonum neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi, sed ex natura diversa præmia bonos malósque sequi*.

3. *Transibunt autem multi dies in Israele*] In Hebræo non est illud *transibunt*; unde rectiùs quod deest impleas per *fuerunt*. *In Israele*, i. in Decem tribubus: *fuerunt*, sub Jeroboamo. ¶ *Absque Deo vero*] Absque vera pietate in Deum. ¶ *Absque Sacerdote doctore*] Nam Sacerdotes omnes tribui Judæ se adjunxerant. ¶ *Et absque lege*] Nam Decem tribus cùm multa alia contra Legem tum & Theraphim habebant.

4. *Cúmque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum*] Rectiùs, *si conversus fuisset*: neque enim id evenit.

5. *In tempore illo*] Hoc tempore, quamdiu Deum aspernantur. ¶ *Non erit pax egredienti & ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum*] Nusquam tuta erit sedes; ità infesta erunt omnia non externis tantùm bellis sed & internis discordiis. Impletum hoc vaticinium vide 1 Reg. 15 & 16 & 20. 2 Reg. 9. & 10. & 15.

6. *Pugnabit enim gens contra gentem*] *Gentem* intellige *tribum*. Et vide quæ dicta Matth. 24. ¶ *Et civitas contra civitatem*] Fieri non poterat quin eveniret ubi nulla certa erat Regni successio, sed quisquis Regem occidisset Regnum sperabat, sæpe non sine adversario: qualia Romæ tempora ante Vespasianum. ¶ *Quia Dominus conturbabit eos in omni angustia*] Committet eos inter se multo cum sanguine ac malis omnibus quæ bella civilia comitari solent.

7. *Vos ergò*] Vos ex tribu Judæ & Benjaminis cum Sacerdotibus & Levitis. ¶ *Confortamini*] Animos sumite. Res vobis est cum hominibus Deo exosis. ¶ *Et non dissolvantur manus vestræ*] Nè pigramini. ¶ *Est enim merces operi vestro*] Magna erunt militiæ in illos vestræ præmia; si nempe Deum colatis ex Lege.

8. *Abstulit idola*] Vide suprà 14. 5. ¶ *Ex urbibus quas ceperat montis Ephraim*] Urbes ad tribum Benjaminis pertinentes à Rege Decem tribuum bello captas receperat Asa, suprà 13. 19. Eas ad Legis observationem reduxit, ut æquum erat. ¶ *Dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini*] In Hebræo pro *porticus* est אולם, unde Latinum *aula*. Sic autem propriè dicitur *quod concluditur porticibus quatuor*, ut Servius ait ad tertium Æneidos. Erat autem altare holocaustorum Sacerdotibus ex basilica venientibus in parte prima subdialis sive aulæ.

11. *Immolaverunt Domino in die illa de manubiis & præda quam adduxerant*] Non sunt duæ voces in Hebræo, sed una, שלל, quæ alibi, ut diximus, σκῦλα, at hîc per κατάχρησιν quandam τὴν λείαν significat.

13. *Si quis autem non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur*] Si quis aut publicè aut privatim deos coluerit alios, moriatur, ex lege Deut. 17. 2.

16. *Amovit nè esset domina*] Nè honorem Augustæ obtineret. Vide quæ dicta 1 Reg. 15. 13.

17. *Excelsa autem derelicta sunt in Israel*] In fundis privatis. ¶ *Attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus*] Etiam optimi Reges non statim omnia quæ improbant corrigere possunt, ut alibi quoque indicavimus: sunt *quibusdam flagitiis impares*, ut Tacitus loquitur.

19. *Bellum non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa*] Quia 1 Reg. 15. 16. dicuntur toto vitæ suæ

suæ tempore inter se bellasse Asa & Bahasa, ideo quidam hîc legunt *quintum annum*, omissâ *tricesimi* notâ.

CAP. XVI.

VATABLUS.

1. ET *ædificavit*, ויבן] i. Munivit, cinxit muro & fossâ. Vide hæc 1 Reg. 15. 17.

3. *Mitto*, שלחתי] Præt. Heb. pro præs. ¶ *Ut recedat*, ויעלה] *Et ascendere fac.*

4. *Et omnes thesauros*, ואת כל מסכנות] *Et omnia horrea*. In 1 Reg. legitur *cum universa terra Nephthali*.

5. *Et cessare fecit*, וישבת] *Et intermisit*; *& quiescere fecit*.

8. *Æthiopibus & Lubim*, הכושים והלובים] Sub. *à te devictis*, suprà 14. 9. ¶ *Ingentes*, לרוב] Ad verb. *in multitudine*; i. copiosus. ¶ *Supra modum multis*, להרבה מאד] Ad verb. *ad multiplicandum valde*.

9. *Ut robustum se ostendat,&c.* להתחזק עם לבבם שלם אליו] Ad verb. *ut roboret se cum corde eorum perfecto ad ipsum*; ut ostendat se potentem & fortem: vel, ut ostendat potentiam suam erga, sive apud, illos qui illi credunt corde perfecto. ¶ *Propterea posthac*, כי מעתה] Ad verb. *quia ex nunc*; sive, *ex hoc tempore*.

10. *Carceris*, המהפכת] i. Subversionis. Doctus inter Hebræos *nervum* sive *compedes* exponit. Alius quidam dicit fuisse instrumentum è duobus confectum lignis inter quæ erat locus colli, ut illic vinctorum collum includeretur. ¶ *Indignatus fuerat contra illum*, בזעף עמו] Ad verb. *in ira cum eo*; i. indignè tulit reprehensionem illam.

12. *Usque ad summum*, עד למעלה] i. Usque ad summam partem corporis grassatus est morbus.

14. *In sepulcris suis*, בקברתיו] Fortasse plurali numero utitur quòd esset magnum sepulcrum. q. d. In sepulcro illo amplissimo & multorum cadaverum capace. ¶ *Et accubare fecerunt eum*, וישכיבוהו] i. Et imposuerunt eum. ¶ *Repleverant*, מלא] Sub. *homines*. Sing. Heb. pro plur. *replevit*, sub. *is qui replevit*. ¶ *Et diversis speciebus aromatum*, וזנים מרוקחים] *Et odoramentis*. Gallicè, *des drogues*. ¶ *Combustione magnâ admodum*, שרפה גדולה עד למאד] Ad verb. *combustione magnâ usque valde*: i. constructâ lignorum pyrâ maximâ.

GROTIUS.

1. ANno autem trigesimo sexto regni ejus] Alii legendum putant *vicesimo*. ¶ *Muro circumdabat Rama*] Munimenta circa eam urbem multa fecit. Vide 1 Reg. 15. 17.

7. *Quia fiduciam habuisti in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo*] Qui Deus tibi rectè agenti victoriam de Israelitis per Azariam promiserat suprà 15. 7.

8. *Nonne Æthiopes & Libyes multò plures erant*] Suprà 12.

9. *Adversum te bella consurgent*] i. Adversùs filium tuum. Vide mox c. 18, & 20.

10. *Jussit eum mitti in nervum*] Tanquam læsæ majestatis reum: malè. Prophetarum enim officium erat castigare etiam Reges.

11. *Scripta sunt in libro regum Juda & Israel*] Non in illis libris quos nos habemus, sed in amplioribus quos scripserant Prophetæ suprà nominati, 12. 15.

12. *Et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est*] Non reprehenditur quòd medicorum usus sit operâ, sed quòd Deum seriâ pœnitentiâ ac prece non adierit, sine quo nihil valet medicorum auxilium.

14. *In sepulcro suo quod foderat sibi in civitate David*] In caverna quam sibi novam juxta aliorum Regum monumenta fecerat. ¶ *Et unguentis meretriciis*] Putavit esse masculinum pro feminino זנות, sed est vox Chaldæa, terminatione tantùm Hebræa, significátque *varia genera* cujusque rei, usupatúrque de *penu* Psal. 144. 13. de *cantu vario* Dan. 3. 5. & ponitur pro מין Hebræo apud Chaldæos interpretes Gen. 1. 11, 12. Græci hìc non malè γένη μύρων.

CAP. XVII.

VATABLUS.

1. ET *invaluit contra Israelem*, ויתחזק על ישראל] *Et fortificavit* [vel, *roboravit*] *se contra Israelem*: i. robur ac vires suas ostendit contra Israelem: h.e. viribus vicit Israelem.

3. *Primis*, הראשונים] *Prioribus*; i. in ea ætate priori in qua purè servivit Deo. Honesto vocabulo excludit & tegit Davidis adulterium & homicidium. ¶ *Nec quæsivit idola*, ולא דרש לבעלים] i. Opem ab idolis non imploravit. *Requirere deum alium* est ejus opem implorare.

4. *Neque egit secundùm opus Israelis*, ולא כמעשה ישראל] q.d. Non est imitatus opera & idololatriam Israelitarum, qui à Deo vero ad idolorum cultum defecerant.

5. *In manu ejus*, בידו] Quidam vertunt *manu sua*, i. potentiâ Divinâ: ut ad *Jehovam* referas. ¶ *Ità ut fuerint*, ויהי לו] Ad verb. *& fuerunt ei*.

6. *Elevatum est præterea cor,&c.* ויגבה לבו וגו'] *Et exaltatum est cor ejus*, &c. q.d. Nihil habuit priùs quàm ut observaret præcepta Jehovæ: i. quotidie magis ac magis dabat operam ut cor suum ad Dei voluntatem componeret per omnia.

10. *Ità ut non pugnaverint adversùm*, ולא נלחמו עם] Ad verb. *& non pugnaverunt cum*, &c. i. Ità ut non fuerint ausi bellum gerere contra Jehosaphat.

11. *Et argenti vectigal*, וכסף משא] Exponit quid per *munus* intelligat, nempe argentum pro vectigali.

12. *Vadens & crescens usque in sublime*, הולך וגדל עד למעלה] Hebraismus, pro, *subinde promovit ac crevit quoad attingeret supremum honoris gradum*. ¶ *Thesaurorum*, מסכנות] i. Urbes munitas: quòd in hujusmodi urbibus soleant reponi thesauri, & quæ pertinent ad munitionem urbis.

13. *Et opus multum fuit ei in,&c.* ומלאכה רבה היה לו וגו'] Hebraismus, Et urbes Juda magno studio ac sumptu munivit, sive multùm occupatus fuit in eo opere. ¶ *Et viri bellicosi*, ואנשי מלחמה] Ad verb. *& viri belli*.

14. *Iste autem est numerus eorum*, ואלה פקודתם] Describit numerum illorum fortium virorum. ¶ *Principes millium*, שרי אלפים] Sic vocat Tribunos.

15. *Et ad manum ejus*, ועל ידו] i. Et juxta eum: h.e. proximus ab eo.

GROTIUS.

2. COnstituitque militum numeros in cunctis urbibus *Juda*] Magnam curam habuit muniendi limitis, tum augendo præsidio, ut hîc & infrà 19. tum nova munimenta exstruendo infrà 12.

3. *Ambulavit in viis David patris sui primis*] Talis fuit qualis David ante visam Bethsabeam.

5. *Et dedit omnis Juda munera Josaphat*] Ut mos erat in Oriente, præsertim in Regni auspiciis, 1 Sam. 10. 27.

6. *Cúmque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini*] Audentior factus est ad cogendam plebem in obsequium Legis. ¶ *Etiam excelsa & lucos de Juda abstulit*] Legit ועוד, ut nunc habent Hebræi codices. Eruditi tamen viri existimant scriptum hìc olim fuisse ולא, ut conveniat hæc historia cum eo quod est 1 Reg. 22. 43. & infrà 20. 33. q.d. Nè hic quidem, quanquam multò cæteris audentior, ausus est amovere excelsa è locis privatis.

7. *Misit de principibus suis Benhail & Obdiam & Zachariam & Nathanael & Micheam, ut docerent in civitatibus*

tibus Juda] Docere & explicare Legem non tantùm Sacerdotum erat & Levitarum, quorum sequetur mentio, sed omnium eruditorum: quod & nunc observatur apud Judæos. Peritissimi autem legum esse debebant qui Regi à consiliis erant.

9. *Habentes librum legis Domini*] Quem interpretabantur populo, Neh. 8. 9.

CAP. XVIII.

VATABLUS.

1. *Quammaxima*, לרוב] Ad verb. *in multitudine*. ¶ *Et affinitate junctus est*, ויתחתן] *Et matrimonio junctus est: socer factus est.*

2. *Descenditque post aliquot annos*, וירד לקץ שנים] Ad verb. *Descenditque* [sub. *de Jerusalem*] *in fine annorum*. In 1 Reg. 22. 2. dicitur, *Anno tertio descendit Jehosaphat rex Juda ad Regem Israelis.* ¶ *Persuasitque ei*, ויסיתהו] *Illexitque eum*; vel, *incitavit eum.*

3. *Sicut ego sic tu*, &c. כמוני כמוך וגו'] Vide annot. in 1 Regum.

5. *An quiescam*, אם אחדל] *An desistam?* Sic v. 14. ¶ *Et tradet*, ויתן] *Tradet enim*: sub. *urbem & cives ejus.*

7. *Ut requiramus Jehovam ab eo*, לדרוש את יהוה מאותו] i. Ex quo interrogare licet voluntatem Jehovæ.

8. *Festinare fac*, מהר] *Accelera*; i. citò voca.

14. *Et tradentur*, ויתנו] Sub. *Syri.*

18. *Audite*, שמעו] Alloquitur eos qui astabant. In 1 Reg. alloquitur Regem.

31. *Et persuasit illis Deus ab eo*, ויסיתם עליו אלהים ממנו] Dimovit eos à sententia, nè illum persequerentur: vel, incitavit illos ut descenderent ab illo.

33. *Traxit arcum in simplicitate sua*, משך בקשת לתומו] i. Attracto nervo arcûs sagittam emisit, non animo percutiendi Regem, sed in incertum. Vide in 1 Regum.

34. *Invaluit autem prælium*, ותעל המלחמה] Ad verb. *Et ascendit prælium*: i. Invaluit & crevit prælium. q. d. Commissum fuit atrox prælium. ¶ *Tenebat se rectum*, היה מעמיד] i. Dissimulabat vulnus, tenens se rectum, nè sui animum desponderent.

GROTIUS.

3. *Ut ego, & tu; sicut populus tuus, sic & populus meus: tecùmque erimus in bello*] Contra præceptum Dei per Azariam suprà c. 15. Ideo meritò reprehenditur infrà 19. 2. & 20. 37.

CAP. XIX.

VATABLUS.

1. *In pace*, בשלום] i. Incolumis, Obiter innuit miraculum quo evasit incolumis.

2. *Obviam ei*, אל פניו] Ad verb. *ante eum*. ¶ *Ira*, קצף] Sub. *descendere debuerat*; i. merueras propterea indignationem Domini.

4. *Habitavit itaque*, וישב] *Sedit autem*; sub. *aliquantisper*. ¶ *Et reversus est, ut iter faceret per populum*, וישב ויצא בעם] Ad verb. *& reversus est, & exivit per populum*: i. iterum egressus est per populum. Fortasse per populum quem offenderat malo exemplo: vel, per populum cui præerat, q. d. Peragravit totam regionem sibi subditam. ¶ *Et revocavit eos*, וישיבם] *Et reduxit eos*: i. eum populum operâ Sacerdotum & Levitarum retraxit à cultu idolorum ad verum Dei cultum, quem majores coluerant.

5. *Per singulas urbes*, לעיר ועיר] Ad verb. *in urbe & urbe.*

6. *Facitis*, עושים] Præs. Heb. pro fut. ut quibusdam placet, *facturi sitis.* ¶ *Non enim homini judicabitis*, כי לא לאדם תשפטו] i. Non enim vices hominis judicando geretis, sed Dei. q. d. Vos estis vicarii Dei, non hominum. ¶ *In negotio judicii*, בדבר משפט] *In negotio judiciali*; i. in causis quas judicatis. Hoc dicit nè existiment injusti Judices Deum latere quid judicent: ipse enim testis est, videns judicia.

7. *Custodite, & facite*, שמרו ועשו] *Observate* [sub. *justitiam*, vel *Legem*] *& facite*, sub. *judicium*; i. judicate secundùm leges: h. e. justè judicate. Quidam vertunt, *Cauti ergo sitis, & satagite.* ¶ *Iniquitas, & acceptio*, &c. עולה ומשוא וגו'] q. d. Nam Deus noster abhorret ab *acceptione personarum, & receptione munerum* quibus corrumpi solent Judices. Illud משוא, pro quo *acceptionem* vertit Interpres, propriè significat *elevationem*, ut legas *elevatio faciei*; quia quibus favemus, vultum ostendimus.

8. *Ad judicium Jehovæ, & ad causam*, למשפט יהוה ולריב] *Propter judicium Jehovæ, & propter causam*; vel, *litem*: i. ut quasi vicarii Jehovæ cognoscerent & judicarent causas & lites. ¶ *Et reversi sunt in Jerusalem*, וישבו ירושלם] *Et reversi sunt*, nempe Levitæ & principes familiarum, sive patriarchæ, ex locis in quibus habitabant, *in Jerusalem*, propter litem & judicium.

9. *In fide & corde perfecto*, באמונה ובלבב שלם] i. Fideliter ità ore judicabitis ut corde sive mente sentietis.

10. *Et omnem causam*, וכל ריב] Sub. *judicabitis*, q. d. Timebitis Dominum, & in timore Domini reddetis jura fratribus vestris. ¶ *In urbibus suis*, בעריהם] i. In aliis urbibus à Hierosolymis: provocabant enim ad Judices Hierosolymitanos. ¶ *Inter sanguinem & sanguinem*, בין דם לדם] q. d. Cùm fuerit controversia de ratione cædis, i. Cædésne fuerit voluntaria, an fortuita. ¶ *Statuta*, לחוקים] *Ceremonias*; sub. *judicabitis.* ¶ *Admonebetísque eos*, והזהרתם אותם] Sub. *ut caveant postea à litibus*: debent enim Judices arcere homines à litibus. ¶ *Neque erit ira super vos*, והיה קצף עליכם] Præcedens negatio repetitur: alioqui affirmare videretur quod negat, *Et Dominus non irascetur vobis.* ¶ *Sic facietis*, &c. כה תעשון וגו'] i. Si hæc feceritis, non delinquetis.

11. *Super vos*, עליכם] Sub. *erit*; i. præerit vobis in omni negotio quod pertinet ad rem Divinam. ¶ *In omni negotio regio*, לכל דבר המלך] Sub. *præerit vobis*; i. in omni causa ad Regem pertinente. ¶ *Et præfecti*, ושוטרים] *Et magistri*; i. erunt præfecti vestri, h. e. judicabunt de negotiis vestris levioribus: non enim omnes causæ Hierosolymitarum agebantur ab illis Judicibus Hierosolymitanis, sed tantùm graviores. Causæ civium cognoscebantur à Levitis, causæ autem Regiæ à Zebadiah. ¶ *Confortamini, & facite*, חזקו ועשו] q. d. Fungimini officio vestro forti ac generoso animo. ¶ *Cum bonis*, עם הטוב] Sing. Heb. pro plur. *cum bonis.* q. d. Aderit & favebit bonis Judicibus, mercede eos donabit. Quidam Hebræorum sic exponit, *Aderit ei qui fecerit bonum*, i. justitiam.

CASTALIO.

11. *In omni re Jovana*] In religionis causis.

GROTIUS.

4. *Usque ad montem Ephraim*] Ad urbes quas Asa bello ceperat, suprà 15. 8.

5. *Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca*] i. In urbibus aut noviter structis aut bello acquisitis effecit ut essent Judices XXIII, qui de causis civilibus & capitalibus, non exceptis, cognoscerent.

6. Non

6. *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini*] Deut.1.17.

8. *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas & Sacerdotes & principes familiarum ex Israel*] Cùm numerus ad paucos recidisset, omissâ cooptatione metu Regum, quibus suspecta erat Synedrii auctoritas (de quo vide dicenda infrà 21.4.) more legitimo impleri numerum jussit partim ex Sacerdotibus & Levitis (qui quòd ab aliis laboribus vacarent Legis studio erant aptissimi) partim ex eruditis aliarum tribuum. Vide omnino quæ diximus ad Deut.17.

10. *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum*] Nam oppidani isti judices in causis difficilioribus relationem faciebant ad Synedrium, tum quòd ibi essent homines doctiores, tum nè super paribus rebus variè judicaretur, & indè nascerentur discordiæ. ¶ *Inter cognationem & cognationem*] Ubi quæritur quis mortuo succedere debeat. ¶ *Ubicunque quæstio est de lege*] Præmittit nomen generis, subjecturus deinde species. ¶ *De mandato*] De iis præceptis quæ evidentem in se honestatem habent: id enim מצוה. ¶ *De ceremoniis*] De præceptis positivis ad ritus pertinentibus. ¶ *De Justificationibus*] De præceptis quæ ad modum exercendorum judiciorum pertinent. ¶ *Ostendite eis*] Docete eos quid facere debeant.

11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent præsidebit*] Heb. *Amaria Sacerdos caput super vos in omni verbo Domini.* Is Amarias eo tempore נשיא fuerat, i. *Princeps Senatûs.* Ejus erat sententiâ suâ præire cæteris in omnibus eis quæ lege Dei erant definita. ¶ *Porrò Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit quæ ad regis officium pertinent*] Is Zabadias fuerat secundus in Senatu, quem אב בית דין vocabant. Cùm autem tribum Judæ diu sub Rege rexisset, aptissimus erat qui ἐν πολιτικοῖς σχήμασι cæteris præiret suâ sententiâ. Synedrium non tantùm judiciis maximis præerat, & ad aliorum Judicum relationes respondebat, sed & Regi in rebus magnis, putà de bello suscipiendo aut non suscipiendo, consilium dabat, ut notatur Thalmude tit. De Rege c.5. §.3. & apud Maimoniden tit. De Rege c.5. 2. Josephus in explicatione Legis de Rege, πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τῶ ἀρχιερέως καὶ τῆς γερουσιαςῶν γνώμης. ¶ *Habetisque Levitas magistros coram vobis*] Heb. *apparitores Levitæ coram vobis*: i. Parati erunt illi ad jussa vestra exsequenda. Apparitores Magistratuum & judiciorum exsecutores è Levitis sumebantur.

CAP. XX.

VATABLUS.

1. *Et cum eis de Ammonitis*, ועמהם מהעמונים] i. Cum illis qui mentiti sunt se esse Ammonitas. Quidam Hebræorum intelligunt de Amalecitis, qui habitu & linguâ mentiti sunt se esse Ammonitas.

2. *Venerunt autem*, ויבואו] Sub. *exploratores.* ¶ *De trans Mare*, מעבר לים] Hoc intelligitur de mari Mortuo: nam stagna magna etiam *maria* dicuntur in S. literis, q.d. De locis quæ sita sunt ultra mare mortuum. ¶ *Ipsa est En-gedi*, היא עין גדי] i. Quæ postea dicta est Engadi.

3. *Et posuit Jehosaphat faciem suam ad quærendum*, ויתן יהושפט את פניו לדרוש] Hebraismus, pro, *convertit sese ut consuleret Deum*, q. d. Cùm timuisset, imploravit opem Divinam. ¶ *Et prædicavit*, ויקרא] *Indixitque.*

4. *Ut quærerent Jehovam*, לבקש מיהוה] *Ut peterent* [sub. *petitionem*] *à Jehova*, i. ut rogarent Dominum ut averteret iram suam. ¶ *Etiam de universis urbibus*, &c. גם מכל ערי וגו'] q. d. Convenere non solùm Hierosolymitani, sed etiam ex aliis urbibus in Jerusalem.

5. *In domo Jehova*, בבית יהוה] Omnia ædificia quæ adjecta erant Templo dicebantur *Templum Domini*; quoniam dicitur in solennitatibus venisse omnes Judæos Jerusalem in Templum, & illic orasse. Hoc intelligitur de appendicibus & adjectis ædificiis ipsi Templo: quæ omnia censebantur *Templi* nomine. Alioqui nunquam fuisset capax ipsum Templum tantæ multitudinis. Porrò Reges non orabant in ipso Templo, sed in atrio populi, ut vides 1 Reg. 6. 38. in schemate Templi tecti cum porticu. ¶ *Ante atrium novum*, לפני החצר החדשה] Quodnam fuerit *atrium* istud *novum* ignorare se fatentur doctiores: colligunt tamen ex eo quòd illi præponatur articulus ה, tum illud fuisse notum admodum.

9. *Judicii*, שפוט] i. Justo Dei judicio immissus propter scelera populi; nempe bellum. ¶ *Vel pestilentia, vel fames*, ודבר ורעב] Copulativæ pro disjunctivis. ¶ *Nomen siquidem tuum*, &c. כי שמך בבית הזה] i. Hic te præsentem exhibes, & hîc invocari solet nomen tuum. ¶ *In angustiis nostris*, מצרתנו] *De tribulatione nostra*, i. cùm fuerimus in afflictione.

11. *Retribuunt*, גמלים] Sub. *illud beneficium.*

12. *Judicabis eos*, תשפט בם] i. Judicia tua exercebis in eos?

13. *Coram Jehova*, לפני יהוה] Significat *coram templo Domini.*

14. *De filiis*, מן בני] i. De nepotibus. De viro insigni hîc loquitur: idcirco ponitur ejus genealogia. Est autem Hebraismus, *Jahaziel autem filius*, &c. *fuit super eum Spiritus Jehovæ*, pro, *Super Jahaziel autem filium*, &c. *fuit spiritus Jehovæ*, i. afflatus fuit Spiritu Divino.

15. *Non vestra erit*, &c. לא לכם המלחמה וגו'] q. d. Non vos, sed Deus erit qui pugnabit pro vobis adversùs multitudinem istam.

17. *Non vestrum*, &c. לא לכם להלחם] i. Non intererit vestrâ pugnare, vel Non erit vestrum officium pugnare in hoc bello: tantùm spectatores eritis. ¶ *Salutem Jehovæ vobiscum*, את ישועת יהוה עמכם] Hebraismus, quâ ratione Deus servaturus est vos.

19. *Voce magnâ in excelsum*, בקול גדול למעלה] i. Voce quàm altissimâ.

20. *Et roboramini*, ותאמנו] *Et estote fideles*, ità quidam Hebræorum. Alii futurum tempus retinent, *& corroborabimini.*

21. *In decore Sanctuarii*, להדרת קודש] *In decore Sanctitatis.* Sic vocat cœlum, intelligens sedem Dei elegantissimam. ¶ *Dum egrederentur*, בצאת] Sub. *Judæi & Hierosolymitani.* ¶ *Ante accinctos*, לפני החלוץ] Subaudiendum verbum, *qui, inquam, canerent coram armatis militibus.*

22. *Cum clamore & laude*, ברנה ותהלה] Sub. *laudare Jehovam.* Alii, *clamorem & laudem.* ¶ *Insidiantes contra*, &c. מארבים על בני עמון] i. Fecit ut filii Ammon & habitatores montis Seir ex insidiis adorirentur Moabitas. ¶ *Et percusserunt sese*, וינגפו] *Et mutuis vulneribus sese confoderunt.*

23. *Insurrexerunt præterea*, ויעמדו] Ad verb. *Et steterunt.* ¶ *Cúmque finem fecissent*, וככלותם] Sub. *præliandi.* ¶ *Adjuverunt*, &c. עזרו וגו'] i. Confoderunt se mutuis vulneribus.

24. *Mortui jacebant in terra, nec ullus evaserat*, פגרים נפלים ארצה ואין פליטה] Ad verb. *cadavera, cadentes in terram, & non evasio.*

25. *Multum divitiarum, & cadavera onusta supellectile concupiscibili*, לרב ורכוש ופגרים וכלי חמודות] Ad verb. *in multitudine, & divitias, & cadavera, & vasa desideriorum.* Id est (ut vertit interpres noster) *multum divitiarum, & cadavera onusta supellectile desideriorum*, sive *desiderabili*: h. e. rebus pretiosis, ut annulis, torquibus, & similibus. Intelligit omnem ornatum pretiosum quo solent sæpe insigniri milites. Vox Hebræa רכוש, pro qua vertit interpres *divitias*, significat hîc quod Gallicè dicimus *le bagage*, ut intelligamus etiam jumenta. ¶ *Absque pondere*, לאין משא] i. Magnam vim ac copiam, ità ut nullum esset pondus certum neque certus numerus. ¶ *Tribus diebus*, &c. ויהיו ימים שלושה בוזים וגו'] Ad verb. *& fuerunt dies tres diripientes*, &c. q. d. Non potuerunt uno die diripere; tam multa erant.

26. *Beracha*,

26. *Beracha: quia autem ibi benedixerunt Jehova,* ברכה כי שם ברכו את יהוה] *Benedictionis: quia enim ibi benedixerunt Jehova.* Vel *Gratiarum actionis: quia* autem *ibi gratias egerunt Jehova,* &c.

27. *Et Jehosaphat in capite eorum,* ויהושפט בראשם] Hebraismus, *Josaphat inter eos primas tenebat.* Vel, *Josaphat duce & praefecto.* ¶ *Laetificaverat enim eos,* &c. כי שמחם וגו׳] *Exhilaraverat enim eos,* &c. q. d. Dederat enim illis Jehovah victoriam de inimicis suis.

29. *Cum inimicis Israelis,* עם אויבי ישראל] *Contra inimicos Israelis.*

34. *Priorum & posteriorum,* הראשונים והאחרונים] i. Quae gesta sunt initio regni ejus, & sub finem ejusdem. ¶ *In verbis,* בדברי] i. In gestis, vel in historia. ¶ *De quo fit mentio in libro,* אשר הועלה על ספר] Ad verb. *qui ascendere factus est super librum*, i. qui scriptus est in libro, &c. q. d. *De hoc Jehu fit mentio in libro Regum Israelis.*

35. *Societatem iniit,* אתחבר] *Adjunxit sese.* ¶ *Qui impiè egit faciendo,* הוא הרשיע לעשות] i. Impietati studuit.

36. *In Tharsis,* תרשיש] In 1 Reg. 22. 49. legitur, *quae irent in Ophir pro auro.*

CASTALIO.

1. *Ammonitae, & Idumaeorum pars*] Heb. *& Ammonitarum pars.* Sed absurdum esset dicere *Ammonitas, & Ammonitarum partem:* & historia ostendit adfuisse Idumaeos Seiris montis incolas; quorum hic mentionem omissam esse non est verisimile.

GROTIUS.

3. *Praedicavit jejunium*] Id enim accendit preces.

6. *Domine Deus patrum nostrorum*] Egregia oratio, quae & fiduciam in Deum & causae justitiam breviter exponit.

10. *Declinaverunt ab eis, & non interfecerunt eos*] Deut. 2.

14. *In medio turbae*] Solebant Prophetiae recitari praesente populo, ut & in N. Federe.

15. *Omnis Juda, & qui habitatis Jerusalem, & tu, rex Josaphat*] Eum qui praecipuus est postremo loco nominat. De loquendi hoc genere egimus ad Marcum, 16. 7.

19. *In excelsum*] Altissimâ voce.

20. *Credite Prophetis ejus*] Tum aliis, tum Jahazieli.

21. *Confitemini Domino, quoniam in aeternum misericordia ejus*] Vide quae dicta suprà 5. 13.

23. *Namque filii Ammon & Moab consurrexerunt adversus habitatores montis Seir ut interficerent & delerent eos: cùmque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi mutuis concidere vulneribus*] Potuere tunc dicere Judaei de Ammonitis, Moabitis & Idumaeis quod de Bructeris, Chamavis & Angrivariis dicit Tacitus in Germania; *Nunc Chamavos & Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos deorum, nam nè spectaculo quidem praelii invidere. Super 60 millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certè odium sui.*

26. *Venit ergò Josaphat & omnis populus cum eo ad detrahenda spolia mortuorum*] Haec erant *Salmacidùm spolia, sine sanguine & sudore.*

33. *Veruntamen excelsa non abstulit*] Vide suprà 17. 6.

37. *Quia fedus habuisti cum Ochosia, percussit Dominus operatua*] Vide supra 18. 3.

CAP. XXI.

VATABLUS.

1. *Israelis,* ישראל] Aliquando *Israel* pro tribubus omnibus accipitur, aliquando pro duabus tantùm: propterea Rex Juda dicebatur *Rex Israel*; acsi diceret *Regis filiorum Israel*, nempe tribûs Juda & Benjamin.

3. *Eis,* להם] Nempe fratribus Jehoram.

4. *Et cùm corroborasset sese,* ויתחזק] Ad verb. *& corroboravit sese.*

7. *Lucernam,* ניר] Per *lucernam* intelligit Regnum; quòd Reges (ut alio loco dictum est) debent praelucere subditis. *Lucernam* igitur, h. e. dignitatem Regiam, illustrem & praeclaram.

11. *Et fornicari fecit,* ויזן] q. d. Fuit causa idololatriae omnibus habitantibus in Jerusalem. ¶ *Et impulit,* וידח] Ut scilicet caderet labens jam & nutans. Metaphora ab eo qui jamjam lapsurus est, & impellitur, q. d. Impulit Judaeos ad idololatriam, alioqui jam pronos ad cultum idolorum.

12. *Scriptura,* מכתב] i. Epistola quaedam. ¶ *In hanc sententiam,* לאמור] Ad verb. *dicendo.*

14. *Percutit,* נוגף] Praes. Heb. pro fut. *percussurus est.*

15. *Tu autem eris in infirmitatibus,* ואתה בחליים] *Te autem* percussurus est *in multis morbis*, i. afficieris multis & gravissimis morbis. ¶ *Per singulos dies,* ימים על ימים] Ad verb. *diebus post dies*, i. in dies, sive quotidie.

16. *Ad fines,* על יד] i. Qui erant vicini & finitimi Aethiopibus.

17. *Jehoahaz,* יהואחז] Hîc fuit trinomius: nam c. 22. 1. vocatur *Ahazias*, sive *Ohozias*; sexto autem versu ejusdem capitis dicitur *Azarias.*

18. *Infirmitate cui,* &c. להלי לאין מרפא] *Morbo incurabili.*

19. *Fuit autem,* &c. ויהי וגו׳] Ad verb. *Et fuit, in diebus à diebus & secundùm tempus egrediendi finis annorum duorum.* i. Factum est autem post aliquot annos, & maximè postquam advenit finis duorum annorum postremorum vitae Joram. ¶ *Infirmitatibus malis,* כתחלואים רעים] *Morbis pessimis*, vel *gravissimis.* ¶ *Combustionem secundùm combustionem,* שרפה כשרפת] *Rogum juxta rogum*, i. non affecerunt eum eo honore quo majores afficere solebant Reges.

20. *Ambulavitque absque* ullo *desiderio,* וילך בלא חמדה] Hebraismus, pro, *vixit inglorius, sine ullo honore.* Gallicè, *sans qu' aucun le regrettat.* Nam ab eo tempore quo destitutus fuit à Domino, fuit privatus omni honore & dignitate. ¶ *Et sepelierunt eum,* ויקברוהו] *Sepelierunt tamen eum.*

CASTALIO.

2. *Filii fuere Josaphati Judaea regis*] In Hebraeo est *Israelitarum regis.* Sed *Judaea* legit vetus & Graeci interpretes, & ità postulat historia.

GROTIUS.

4. *Occidit omnes fratres suos gladio*] More vicinorum Regum, de quibus Plutarchus Demetrio, τὸ μὲν γὰρ ἀδελφοὺς ἀναιρεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι τὰ αἰτήματα λαμβάνουσιν οὕτω συνεχωρεῖτο, κοινόν τι νομιζόμενον αἴτημα καὶ βασιλικὸν ὑπὲρ ἀσφαλείας. Tacitus de posterioribus Judaeorum Regibus: *Fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita, Regibus ausi.* ¶ *Et quosdam de Principibus Israel*] De Synedrio, ut credibile est, homines Legis amantes & eximiae apud populum auctoritatis. Nam talibus Regibus, ut Sallustii verba usurpem, *boni quàm mali suspectiores sunt, sempérque aliena virtus formido-*

formidolosa est. Tacitus *non minus periculum esse* ait *ex magna fama quàm ex mala; & ob virtutes certissimum exitium.* Hæc fuit causa cur Herodes totum Synedrium tolleret.

12. *Litera ab Elia propheta*] Josephus, κομίζεται παρ' Ἠλίου τοῦ προφήτου ἐπιστολή, & post recitata verba, ταῦτα μὲν ἐδήλου διὰ τῆς ἐπιστολῆς ὁ Ἠλίας. Lxx, ἦλθεν αὐτῷ ἐν γραφῇ παρὰ Ἠλίου τοῦ προφήτου λέγων, ubi supplendum πίναξ, vel simile quid. Credidere ergò ab Elia postquam humanis rebus ereptus est scriptam hanc epistolam: quod non est cur magìs miremur quàm quòd Judas Macchabæus somnio Divinitus immisso vidisse scribitur 2 Mach. 15. Oniam Sacerdotem & Jeremiam Prophetam pro populo orantes.

15. *Donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies*] Qui solet esse longæ δυσεντερίας exitus. Hunc interitum habuere impii Reges duo, Antiochus illustris & Agrippa:

Εἰς τί τὰ σπλάγχνα τοῖς οὐ σπλαγχνιζομένοις;

17. *Nisi Joachaz, qui minimus natu erat*] Idem est hoc nomen cum nomine *Ochozias*, particulis transpositis.

19. *Non fecit ei populus secundùm morem combustionis, exsequias*] Ut Asæ fecerant suprà 16. 24. Egregium institutum, ut mortuis Regibus pro meritis major minórve honor haberetur.

20. *Sepelierunt eum in civitate David*] In honorem patris Josaphati, ut infrà 22. 9. ¶ *Veruntamen non in sepulcro regum*] Seorsim, in memoriam culparum ejus.

CAP. XXII.

VATABLUS.

1. P*Riores*, הראשונים] i. Majores natu, qui eum præcedebant.

2. *Quadraginta duorum annorum*, &c. בן ארבעים ושתים שנה וגו'] Oritur hîc magna controversia: nam in fine præcedentis capitis Joram dicitur *natus fuisse 32 annos cùm regnare cœpit, & regnasse 8 annis*; qui omnes in unum collecti ascendunt ad 40 annos tantúm: hîc autem Ochozias dicitur *fuisse natus 42 annos cùm regnare cœpit.* Quare filius videretur antiquior patre. Item 2 Reg. 8. 26. dicitur *fuisse annos duos & viginti natus cùm regnare cœpit Ochozias*, hîc autem 42. Sed quæ author hujus libri dicit, intelligenda sunt de administratione Regni quam accepit ipse Ochozias patre mortuo; & quæ in secundo libro Regum, de administratione Regni quam accepit vivente patre. Regnum autem vivente patre administravit 20 annis, atque ob id in fine præcedentis capitis dicitur Joram fuisse inglorius. Joram autem pater Rex fuit 27 annis.

6. Erant ei] Alii subaudiunt *affligebant illum.*

7. *Conculcatio*, תבוסת] Per *conculcationem* intelligit mortem & interitum. ¶ *Ad Jehu*, &c. אל יהוא וגו'] *Obviàm Jehu filio*, &c.

8. *Cùm judicium faceret*, בהשפט] *Cùm disceptaret.* ¶ *Et filios fratrum*, &c. ובני אחי וגו'] Doctiores hæc includunt parenthesi, & in nominativo vertunt, sic, *Filii autem fratrum Ahaziahu ministrabant* [ad verb. erant *ministrantes*] *ipsi Ahaziahu.*

9. *Non erat autem domui*, &c. ואין לבית וגו'] q. d. Qui superstites fuerunt de familia Ochoziæ, non potuerunt occupare Regiam dignitatem. Quæ sequuntur usque ad finem capitis leguntur 2 Reg. 11. 1.

CASTALIO.

6. D*Escendit ad eum visendum Israele ægrotantem Ochozias*] Heb. *Azarias*, sed in vetere & Latina & Græca interpretatione legitur *Ochozias*, & in 4 Reg. 9. & ità habet historia.

GROTIUS.

1. C*Onstituerunt autem habitatores Jerusalem*] i. In solio locarunt, ut infrà 23. 20. nam Regnum jure ipsi debebatur, sine ullis populi suffragiis.

2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias*] Vix videtur id consistere posse cum eis quæ habemus 2 Reg. 8. 26. Rectior ergò lectio Lxx, ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο.

3. *Mater enim ejus impulit eum ut impiè ageret*] Solent apud Reges imbecillis judicii multùm valere matres.

6. *Ochozias filius Joram rex Juda*] Sic & Græci, Ὀχοζίας. Nec aliter hoc nomen scribitur in eadem historia 2 Reg. 8. 25, 29. quare per errorem videtur hîc in Hebræo irrepsisse עוריהו pro אחזיהו.

7. *Quem unxit Dominus ut deleret domum Achab*] i. In hoc eum excitavit, cùm eum per Elisæum jussit ungi 2 Reg. 9. 6.

10. *Et interfecit omnem stirpem regiam domûs Joram*] Vix est ut דבר reperiatur pro *perdere*, nam in Psal. 2. 4. nihil vetat verti *loquetur.* Hinc quidam præferunt eos codices qui hîc habuere ותאבד, quomodo 2 Reg. 11. 1.

CAP. XXIII.

VATABLUS.

1. A*Nno autem septimo*, ובשנה השביעית] Sub. *ab imperio Athaliæ*, vel *à morte Ochoziæ.* ¶ *Confirmatus est Jehoiada, & assumpsit*, התחזק יהוידע ויקח] *Sumpto animo Jehoiadah assumpsit*, particula *secum in federe*, quæ in fine versûs legitur, huic verbo jungi debet, *assumpsit secum in federe*, q. d. *& iniit cum illis fedus.*

2. *Levitas*, את הלוים] Nomine *Levitarum* hîc Sacerdotes & Levitas intelligit. ¶ *Israelis*, לישראל] Hîc *Israel* pro Judæ tribu accipitur, non pro decem tribubus.

3. *Cum Rege*, עם המלך] Sub. *Joas.* ¶ *Dixerat verò*, ויאמר] Priùs scilicet quàm fedus iniissent cum Rege. Ordo rerum gestarum non semper servatur in scriptura. ¶ *Regnabit*, ימלוך] *Regnet.* ¶ *Sicut locutus est*, &c. כאשר דבר וגו'] i. Sicut promisit Dominus nepotibus Davidis.

4. *Qui venitis ad Sabbathum*, באי השבת] Subaudienda quædam, *qui venitis* ut fungamini officio vestro *hebdomade sequente.* Vide hæc 2 Reg. 11. 5. ¶ *In janitores*, לשוערי] i. Servabit limina portarum, h. e. præerunt portæ Meridionali atrii: in eo autem populus orabat.

5. *Ad portam Fundamenti*, בשער היסוד] De hac vide 2 Reg. 11. 6.

6. *Sanctitas*, קודש] i. Sacrosancti. ¶ *Observent custodiam Jehova*, ישמרו משמרת יהוה] i. Fungantur officio suo in atrio illo magno Jehovæ.

7. *Instrumenta sua in manu sua*, וכליו בידו] Hîc ו redundat, quod apparet ex v. 10. ubi sic egirur, ואיש שלחו בידו, Hebraismus, in manu sua tenentes arma.

8. *Classes*, את המחלקות] i. Distributiones Sacerdotum & Levitarum, hi erant distributi in duas classes tantùm, nempe in eos qui functi erant suo officio, & eos qui proximâ hebdomade functuri erant.

10. *Domûs*, הבית] Per *domum* intelligit Sancta sanctorum, sive Adytum.

13. *Qua cùm circumspexisset*, ותרא] Ad verb. *Et vidit*, sub. *quæ in Templo fiebant.* ¶ *Et scientes laudare*, ומודיעים להלל] *Et qui erant periti laudandi*, sub. *Deum*, sub. *in instrumentis musicis.*

16. *Inter se*, &c. בינו וגו'] In 2 Reg. 11. 17. legitur, *inter Jehovam & Regem & populum, ut esset populus Jehovæ; item inter Regem & populum.*

18. *Præpositos domus*, &c. 'פקודות בית וגו] *Præfecturas in domo Jehovæ in manu Sacerdotum & Levitarum*, i. magistratus quos detulit Sacerdotibus ac Levitis. Talis debebat esse verborum ordo, *ut offerrent cum gaudio & cantibus musicis holocausta*, &c. *per manus*, i. secundùm dispositionem, *Davidis*.

19. *Et non ingrediebatur*, &c. 'ולא יבוא וגו] q. d. Illi non permittebant ut ullus immundus ingrederetur.

20. *Et deduxit*, ויורד] Ad verb. *& descendere fecit*.

GROTIUS.

2. *Et principes familiarum Israel*] Per *Israelem* hîc intellige Judam & Benjaminem συνεκδοχικῶς.

3. *Filius regis regnabit*] Ei jure debetur Regnum.

5. *Ad portam quæ appellatur Fundamenti*] Ità dicta fuit quòd in loco declivi sita esset, per quam è regia in Templum scandebatur. Eadem *Scutariorum* in libro Regum.

18. *Juxta dispositionem David*] Memoratam 1 Par. 26. 18. Hanc ille diu neglectam in usum revocavit.

CAP. XXIV.

VATABLUS.

1. *Joas*, יואש] In 2 Reg. 12. 1. dicitur *Jehoas*, quia hujusmodi nomina patiuntur contractionem.

5. *Egredimini ad urbes Jehudah*, צאו לערי יהודה] q. d. Relictis Hierosolymis concedite in urbes Jehuda.

6. *Principem*, הראש] Subaudi ex v. 11. כוהן *Sacerdotem*, ubi integra locutio legitur. Significat enim *summum Sacrificum*, sive *Sacerdotem*. ¶ *Munus*, את משאת] *Donum*, vel *oblationem*, aut, *vectigal constitutum à Mose*.

7. *Omnes sanctificationes domûs Jehovæ*, כל קדשי בית יהוה] *Quæcunque erant consecrata domui Jehovæ*, i. cultui Dei. ¶ *Impenderunt*, עשו] Ad verb. *fecerunt*, q. d. Omnibus iis quæ dicata erant abusi sunt in cultum idolorum.

8. *Dixit igitur Rex*, ויאמר המלך] Subaudienda quædam, nempe, *ut facerent arcam*.

9. *Et promulgarunt*, ויתנו קול] Ad verb. *Et dederunt vocem*, i. voce præconis divulgarunt. ¶ *Donum*, משאת] *Oblationem*. Vide Exod. 30. 12. de dimidio siclo dando per capita.

10. *Et attulerunt*, ויביאו] Sub. *munera*, vel *pecuniam*. ¶ *Donec consummassent*, עד לכלה] i. Donec omnes ad unum, vel quibus erat in animo, conjecissent pecuniam in arcam, nè intelligas, *quousque implerent arcam*.

11. *Afferebat*, יביא] Sub. *is qui afferebat*, q. d. Quo tempore afferebatur arca illa. ¶ *Ad præfectum*, אל פקודת] *Ad magistratum*. ¶ *Per manum Levitarum*, ביד הלוים] i. Jussu Sacerdotum & Levitarum. ¶ *Primi*, הראש] i. Summi. ¶ *Per singulos dies*, ליום ביום] Ad verb. *de die in diem*, quoties scilicet arca erat plena. ¶ *Argentum in multitudine*, כסף לרוב] *Pecunia ingentem vim*.

12. *Cæsores*, חוצבים] Sub. *lapidum*.

13. *Operarii*, עושי המלאכה] Ad verb. *facientes opus*. ¶ *Et sanatum est opus*, ותעל ארוכה למלאכה] Ad verb. *& ascendit medicina super opus*; i. ruinæ Templi fuerunt instauratæ. Comparat ruinam vulneri: metaphora sumpta à corporibus. ¶ *In dispositionem suam*, על מתכנתו] i. In pristinum statum.

14. *Cùm autem consummassent*, ובכלותם] Ad verb. *Et secundùm consummare ipsos*, i. cùm operi postremam manum imposuissent.

15. *Saturatus diebus*, וישבע ימים] Ad verb. *& saturatus est diebus*, Hebraismus, cùm vixisset ad saturitatem usque.

16. *Quòd fecisset bonum*, &c. 'כי עשה טובה וגו] Hebraismus, Quòd multis beneficiis cumulasset Israelem, fuissetque pius in Deum & templum ejus.

17. *Et incurvaverunt se Regi*, וישתחוו למלך] *Et adoraverunt Regem*, vel, *venerunt eum salutatum*: de more scilicet, & allocuti sunt de religione & aliis rebus. Persuaserant enim, mortuo Pontifice, nobiles Regi ut relinqueret Templum, in hæc fortasse verba, *Quid tibi cum his ceremoniis? vivito more tuo*, & alia hujusmodi.

19. *Et misit*, וישלח] Sub. *Jehovah*. ¶ *Ut revocarent illos ad se*, להשיבם אל יהוה] Ad verb. *ut reverti faceret illos ad Jehovam*. Anteced. pro relat. ¶ *Et testificati sunt eis*, ויעידו בם] *Et invocarunt testes in eos*, i. cœlum & terram atque omnes creaturas in testes vocarunt; ut sic inexcusabiles convincerentur infidelitatis & rebellionis. ¶ *Et non auscultaverunt*, ולא האזינו] *Et non perceperunt auribus*, i. non audierunt, h. e. respuerunt eorum verbum.

20. *Spiritus autem Dei induit Zechariah*, רוח אלהים לבשה את זכריה] Hebraismus, Actus fuit Spiritu Dei Zacharias. Ut peccatum aggravet, meminit patris Prophetæ. ¶ *Et stetit de super populum*, ויעמד מעל לעם] i. Stetit in loco qui erat supra populum, h. e. in loco editiore quàm populus, q. d. Ascendit suggestum, ut ità declamaret in mores Regis & Principum ejus.

22. *Misericordia*, &c. 'החסד וגו] i. Beneficentiæ quâ eum affecerat Joiada pater ejus. ¶ *Videat Jehovah & requirat*, ירא יהוה וידרוש] *Videbit Jehovah, & requiret*, sub. *cædem meam de manu vestra*, i. sumet ex vobis supplicium propter cædem hanc factam, ut sit prophetia.

23. *In revolutione anni*, לתקופת השנה] *Post revolutionem anni*, sub. *illius*, vel, *anno revoluto*. Confer hæc cum eo quod 2 Reg. 12. 17. scribitur.

24. *Exercitum in multitudine valde*, חיל לרוב מאד] Hebraismus, Quàm maximum exercitum Judæorum. ¶ *Fecerunt judicia*, עשו שפטים] Sub. *Syri*. Hebraismus, Affecerunt illum variis suppliciis.

25. *Et cùm recessissent ab eo*, ובלכתם ממנו] Sub. *Syri*. ¶ *Propter sanguinem filiorum*, בדמי בני] Hebraismus, Ob mortem Zachariæ, qui unus erat filiorum Jehoiada. Vel sing. est pro plur. Vel sic scripsit author hujus libri quòd iste Zacharias esset vice multorum filiorum ipsi Jehoiadæ.

27. *Et quomodo multiplicatum fuerit munus apud eum*, ורב המשא עליו] i. Quomodo multiplicatum fuerit vectigal illud Mosis propter eum, sive illo authore. Fuit enim Joas author illius vectigalis, sive muneris & doni, de quo suprà v. 9. Alii, *filii autem ejus*, quódque *multiplicatum est munus*, sive *vectigal illud*, sub. *Mosis*, i. impositum à Mose populo Israel jussu Domini. Loquitur de dando dimidio siclo ordinato à Mose Exod. 30. 12. quem iste Joas sæpius exegit.

GROTIUS.

6. *Pecuniam quæ constituta est à Mose servo Domini*] Heb. *munus Mosis servi Dei*, i. e. talem oblationem qualis usurpata fuit Mosis temporibus.

17. *Qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis*] Παρέφρασεν illud quod in Hebræo est *audivit rex eos*. *Regum opus sæpius assentatio quàm hostis evertit*, ait Curtius. *Multorum* autem *Principum aures*, ut cum Tacito loquar, *nihil accipiunt nisi jucundum & læsurum*.

20. *Filium Joiadæ*] Qui Joiada cur in Euangelio *Barachia* dicatur vide quæ notavimus ad Math. 23. 35. ¶ *Et stetit in conspectu populi*] Heb. *super populum*, i. concionatus est ex loco superiore, unde faciliùs ab omnibus exaudiretur.

22. *Ait, Videat Dominus & requirat*] Quod fecit Deus per bella externa & domesticam conjurationem.

24. *In Joas quoque ignominiosè exercuere judicia*] i. Graviter

viter illum Syri torserunt. Omnis vindicta *judicii* nomine apud Hebræos significatur. Illud *ignominiosè* præter Hebræum addidit hîc Interpres.

CAP. XXV.

VATABLUS.

3. *CUM roboratum esset Regnum super eum*, אשר חזקה הממלכה עליו] Hebraismus, Cùm Regno suo pacificè potiretur. Pro *super eum* in 2 Reg. 14. 5. ubi hæc historia scribitur, legitur *in manu ejus*.

5. *Invenitque ex eis*, וימצאם] Ad verb. *invenitque eos*. ¶ *Egredientium ad pugnam*, &c. יוצא צבא וגו'] Hebraismus, Aptorum ad militiam, hominum bellicosorum. *Tenentes lanceam* vocat gestantes lanceam.

7. *Jehovah non est cum Israele*, אין יהוה עם ישראל] i. Non favet Israeli, nempe filiis Ephraim.

8. *Est enim fortitudo Deo*, &c. יש כוח באלהים וגו'] Hebraismus, Deus potest adjuvare quem vult; & contrà, perdere quem vult, i. superiorem reddere, vel inferiorem.

9. *Est Jehovæ*, &c. יש ליהוה וגו'] *Est in potestate Jehovæ dare tibi*, &c.

10. *In ira furoris*, בחרי אף] Hebraismus, *valde irati*.

11. *Corroboratus*, התחזק] i. Cùm cœpisset esse animo forti & fidenti.

12. *Crepuerunt*, נבקעו] *Rupti sunt*, i. omnium corpora fuerunt rupta.

13. *Filii autem exercitûs*, ובני הגדוד] *Filios exercitûs* vocat milites exercitûs, & exercitum ipsum, more Hebraico. ¶ *Diffusi sunt*, ויפשטו] Redundat hîc ו. Alii vertunt *irruerunt*, significat *irruere & excurrere ad prædam*. ¶ *Ex eis*, מהם] i. Ex filiis Juda.

15. *Quæsisti*, דרשת] *Consuluisti*.

16. *Regi*, למלך] De se loquitur in tertia persona; acsi dicat, *Quis te consiliarium meum fecit?* ¶ *Quare percutient te?* למה יכוך] Sub. *satellites*, vel *ministri mei*, q. d. Desine, vel dabis pœnas. ¶ *Cogitaverit*, יעץ] *Statuerit*.

18. *Hujusmodi responsum*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. Vide hæc 2 Reg. 14. 8.

19. *Dixisti*, אמרת] i. Cogitasti apud te. ¶ *Percussisti*, הכית] De se loquitur in tertia persona, pro *percussi*, i. reportavi victoriam de Idumæis. ¶ *Tunc elevavit te cor tuum*, ונשאך לבך] i. Tunc cœpisti esse magno animo, & magnos honores ambire. ¶ *Ad honorificandum*, להכביד] Sub. *te*, i. ut magno honore te dignum putares, *ut honorificares te*. ¶ *Miscebis te* mecum *in malum*, תתגרה ברעה] *Rixaberis* mecum *in malum*.

20. *Quæsierant*, דרשו] *Consuluerant*.

24. *Reduxit*, וישב] Quidam ex præcedenti versu subaudiunt verbum *adduxit*; & istud vertunt *reversúsque est*, sic, *filios quoque nobiles adduxit, ac reversus est in Someron*.

27. *Defecit Amasiahu à Jehovah*, סר אמציהו מאחרי יהוה] Ad verb. *Recessit Amasiahu de post Jehovam*, i. à vestigiis Jehovæ.

28. *In civitate Jehudah*, בעיר יהודה] In 2 Reg. 14. 20. legitur *in Civitate Davidis*.

CASTALIO.

28. *SEpultus est in urbe Davidis*] Heb. *in urbe Judææ*.

GROTIUS.

6. *MErcede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum*] Bis peccavit Amasias, priùs quòd societatem cum Decem tribubus iniit, contra interdictum Prophetæ Azariæ suprà 15. deinde quòd eos bello impetivit ipse non lacessitus, contra interdictum Dei, 1 Reg. 12. 24. Debuerat illos suis discordiis relinquere, & bellum, si ab illis inferretur, repellere.

7. *Venit autem homo Dei ad illum*] An Amos pater Esaiæ, ut sentiunt Hebræi?

9. *Habet Dominus unde tibi dare possit multò his plura*] Satis dives est qui Dei causâ pauperatur.

12. *Ad præruptum cujusdam petræ*] Illius à quo nomen habet urbs Arabiæ *Petra*: Josephus hîc. Vide 2 Reg. 14. 7.

16. *Non consiliarius regis es*] Sanè erat, & quidem à Deo Regi datus. Nihil faciebat alienum à suo munere. Vide Jer. 1. 10.

20. *Noluit audire Amasias eò quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium*] Quos Deus vult perdere eis mentem excæcat.

24. *Et apud Obededom*] Posteros ejus intellige, qui progenitoris nomine hîc appellantur. Sic dicimus *Israelem*, *Judam*, aliáque.

CAP. XXVI.

VATABLUS.

1. *UZzijahu*, עזיהו] In 2 Reg. 14. 21. dicitur *Azarias*.

2. *Eloth*, אילות] In Regibus dicitur *Elath*. Civitas ad mare Rubrum, unde *sinus Elaniticus*,

3. *Sedecim annorum*, בן שש עשרה שנה] Vide 2 Reg. 15. 2.

5. *Intelligentis visiones*, המבין בראות] *Periti in visionibus*. ¶ *Quæsivit Jehovam*, דרשו את יהוה] Infinitivus cum affixo pronomine, pro, *tempore quo is consulebat Jehovam*.

8. *Abiitque nomen ejus*, וילך שמו] Sic est Heb. ad verbum ut vertit noster interpres, i. divulgatáque est fama ejus. ¶ *Quia robustus fuit*, &c. כי החזיק וגו'] Hebraismus, Fortiter & viriliter egit supra modum.

9. *Et munivit eas*, ויחזקם] Ad verb. *& roboravit eas*.

10. *Et fodit*, ויחצוב] *Exciditque, sciditque*. ¶ *Agricolæ*, אכרים] Sub. *erant illi*, i. habebat agricolas. ¶ *Et in Charmel*, ובכרמל] *Et in agro fertili*, vel, *arboribus consito*. Vide Levit. 2. 14. significationem hujus dictionis. ¶ *Diligebat terram*, אוהב אדמה היה] i. Erat agriculturæ studiosus.

11. *Quo recensiti fuerant*, פקודתם] Ad verb. *numerationis suæ*. ¶ *De mandato*, על יד] Ad verb. *ad manum*, i. de imperio.

13. *Et sub imperio eorum*, ועל ידם] Ad verb. *Et ad manum eorum*. ¶ *Pugnantium*, עושה מלחמה] Ad verb. *facientium bellum*. ¶ *Contra inimicum*, על האויב] i. Contra eum inimicum qui auderet Regem ad bellum provocare.

15. *Arte artificis*, מחשבת חושב] Ad verb. *cogitatione cogitantis*, i. machinas quasdam ingeniosè excogitatas. ¶ *Ad jaculandas sagittas*, לירוא בחצים] *Ut jacularentur tela*. ¶ *Egressúmque est nomen ejus procul*, ויצא שמו עד למרחוק] Ad verb. vertit interpres, i. divulgata est fama ejus in regionem longinquam. ¶ *Mirabilem sese præstitit, adjuvando*, הפליא להעזר] i. Mirabilem sese præstitit, comparando sibi undique vires quibus inimicis resisteret. Quidam vertunt, *eò quòd mirificè sibi paravit auxilia*. ¶ *Donec roboratus est*, עד כי חזק] *Usque dum fortis exstitit*.

16. *Corrumperet sese*, להשחית] *Perderet sese*.

17. *Sacerdos*, הכוהן] Sub. *summus*: plena est locutio ver. 20.

18. *Steterúntque contra Uzzijahu*, ויעמדו על עזיהו] i. Restiterunt Oziæ. ¶ *Ad gloriam*, לכבוד] *Honori*.

19. *Suffimentum*, מקטרת] *Thuribulum*.

21. *Fuitque*, &c. ויהי וגו'] Vide hæc sequentia 2 Reg. 15. 5.

23. *In agro sepulturæ qui erat Regibus*, בשדה הקבורה אשר למלכים] i. In agro sepulcrorum Regum: non fuit sepultus in sepulcris Regiis, sed in agro ubi erant Regia alia sepulcra.

GROTIUS.

4. **F***Ecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus*] i. Factis Legem secutus est, non tamen solidâ pietate, suprà 25. 2.

5. *In diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum*] Heb. *intelligentis in visionibus Dei*, i. periti in explicandis veterum Prophetiis. Hæc est ἑρμηνεία ἀποκαλύψεων 1 Cor. 14. 26.

6. *Destruxit murum Geth*] Si hæc & quæ sequuntur deinceps ad comma usque 15. rectè consideremus, videbimus hunc Regem non tantùm agriculturæ (quod infrà dicitur) sed & rei bellicæ fuisse bene peritum, & pro populi sui salute solicitum. Nam hostium in limite munimenta destruit, suos fines bene munit operibus, præsidiis, armis, machinis.

15. *Quas in turribus collocavit & in angulis murorum*] Bene admodum Vegetius, l. 4. c. 2. *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, nè ad ictum arietis esset dispositus, sed sinuosis anfractibus, jactis fundamentis, clausere urbes, crebrioréfque turres in ipsis angulis ediderunt, propterea quia si quis ad murum tali ordinatione constructum vel scalas vel machinas voluerit admovere, non solùm à fronte sed etiam à lateribus, & propè à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur.* Tacitus in descriptione Hierosolymorum, *Sed urbem arduam situ opera moléfque firmaverant, queis vel planè satis munirentur. Nam duos colles immensùm editos claudebant muri per altum obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent.* Valerius Flaccus, ubi ejusdem urbis sub Tito oppugnationem describit,

— *Solymo nigrantem pulvere fratrem,*
Spargentémque faces, & in omni turre furentem.

18. *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron*] Ex lege Exod. 30. 7, 38. Regis erat non adolere, sed facere ut Sacerdotes adolerent. Vide infrà 27. 2.

20. *Et festinatò expulerunt eum*] Heb. *festinare fecerunt.* Græci non aliter, κατέσπευσαν αὐτὸν ἐκεῖθεν. Non vi usi sunt, sed monitis ex Lege, quæ leprosos in urbe, nedum in Templo, conspici nolebat. Hanc interpretationem firmant sequentia, *Et ipse etiam perterritus acceleravit egredi*, nempe nè Deum graviùs offenderet.

21. *Habitavit in domo separata*] Extra urbes & oppida, ut lex Mosis jubet, cui & Reges suberant, nisi sicubi æquitas exceptionem dictaret.

CAP. XXVII.

VATABLUS.

2. **E***Rat corrumpens*, משחיתים] Hebræi subaudiunt *vias suas*, i. erat corruptis moribus.

3. *Excelsam*, העליון] *Altissimam*, ea erat Orientalis. ¶ *Arcis*, העופל] *Ipsius turris*, quæ *Ophel* ab *altitudine* dicitur.

4. *In monte*, בהר] i. In montanis. ¶ *Palatia*, בירניות] *Ædes sumptuosas.*

5. *Et roboratus est super eos*, ויחזק עליהם] *Et superavit eos.*

GROTIUS.

3. **E***T in muro Ophel multa construxit*] Sic & Græci. Videtur significare *fauces* quasdam sive *angustias*, unde σκοτεινὸν & ἄδυτον alibi ea vox vertitur. Et per similitudinem sic appellatur pars humani corporis per quam fit egestio; ut 1 Sam. 5. 6, 9, 12. & 6. 4, 5.

6. *Corroboratúsque est Joatham*] Prosperè egit.

7. *Et omnes pugnæ ejus*] Contra Syros & Decem tribus, 2 Reg. 15. 37.

CAP. XXVIII.

VATABLUS.

1. **V***Iginti annorum*, בן עשרים שנה] Vide hæc 2 Reg. 16. 2.

3. *Et combussit*, &c. ויבער את בניו באש] *Lustravit filios suos igni.* Infrà 33. 9. dicitur, *Et transire fecit filios suos per ignem.*

5. *Ceperúntque ex eo prædam*, וישבו ממנו שביה] Ad verb. *Et captivaverunt ex eo captivitatem*, i. ceperunt ex filiis Juda captivos multos. ¶ *Qui percussit eum*, &c. ויך בו מכה גדולה] i. Fecit in ejus exercitu stragem magnam.

6. *Filios roboris*, בני חיל] i. Robustissimos, sive bellicosissimos.

7. *Potens*, גבור] *Fortis, tyrannus.* ¶ *Ducem domus*, נגיד הבית] i. Præfectum prætorio.

9. *En propter iram Jehova Dei*, &c. הנה בחמת יהוה וגו׳] Hebraismus, *En quia Jehova Deus Patrum vestrorum iratus erat contra Jehudah*, &c. q. d. Vos non debetis vobis arrogare victoriam, sed Deo. ¶ *In furore*, &c. בזעף עד לשמים הגיע] q. d. In furore maximo illos occidistis. Ea res maxima est cujus extremum usque ad cœlum pervenit.

10. *Statuitis*, אומרים] Ad verb. *dicitis*, sub. *apud vos.* ¶ *Nónne verè*, &c. הלא רק אתם וגו׳] *Nónne verè vobiscum peccata* quædam sunt *contra Jehovam*, &c. q. d. Peccaverunt filii Jehudah, & vos quoque peccastis: illi victi sunt propter sua peccata; videte nè idem vobis eveniat; nam non caretis culpâ eóque debetis ignoscere fratribus.

11. *Captivitatem*, השביה] i. Filios Israel captivos. ¶ *Alioqui ira furoris*, כי חרון אף] Ad verb. *& ira furoris*, &c. i. alioqui graviter irascetur contra vos Deus.

13. *In delictum* contra *Jehovam* erit *super nos*, לאשמת יהוה עלינו] Ad verb. *in delictum Jehovæ super nos.* Illud *Jehovæ* persona patiens est, i. obnoxios vos culpæ reddetis apud Dominum. ¶ *Vos statuitis addere super peccata nostra*, אתם אומרים להסיף על חטואתנו] Ad verb. *vos dicitis ad addendum*, &c. i. vos statuitis eos adducere in Samariam, graviter in Dominum delinquendo, h. e. ut sit delictum in Dominum super nos, q. d. Satis supérque peccatum est à nobis abs que eo ut denuò peccemus.

14. *Exercitus*, החלוץ] Ad verb. *miles ille armatus.*

15. *Qui nominati sunt*, אשר נקבו] *Qui expressi sunt*, vel, *expositi*, q. d. Prædicti homines. ¶ *Infirmum*, כושל] *Vacillantem, nutantem.* ¶ *Ad fratres eorum*, אצל אחיהם] *Juxta fratres eorum.*

16. *Misit*, שלח] Sub. *legatos.*

18. *Diffuderunt se per urbes*, פשטו בערי] *Impressionem fecerunt in urbes.* Ostendit in quæ discrimina incidant qui Deo derelicto ad humana præsidia confugiunt. ¶ *Et villas ejus*, ובנותיה] *Et viculos ejus.*

19. *Israelis*, ישראל] Hîc *Israel* pro duabus tribubus accipitur, atque ità Regem Jehudah vocat *Regem Israelis.* ¶ *Cessare fecerat de Jehudah*, הפריע ביהודה] *Cessare fecerat* [vel, *revocaverat*] *ipsum Jehudah*, i. avocaverat populum Jehudah à cultu veri Dei. Alii, *nudaverat populum Jehuda*, sub. *bonis operibus.* Ista interpretatio doctioribus non placet, quòd mox seipsum exponat, dicendo, *prævaricando prævaricatus fuerat contra Jehovam.*

20. *Qui fuit illi oneri*, &c. ויצר לו ולא חזקו] *Qui oppressit eum*, [vel, *affecit eum angoribus*] *nec fortificavit eum*, i. fuit illi oneri, reduxítque eum ad summam penuriam pecuniæ: nam exhausit eam totam. Doctus inter Hebræos exponit intransitivè, *Et affectus est doloribus & angoribus, nec fortificavit eum*, i. nec restituere potuit illi

urbes

urbes quas Palæsthini ceperant. Sequenti versu seipsum exponit cùm dicit, *Et non fuit illi auxilio.*

21. *Divisit enim,* כי חלק] i. Insumpsit magnam pecuniam ex domo Jehovæ, & ex thesauris domus Regiæ, quam dedit, &c.

22. *Erat angustiis affectus,* הצר לו] *Afflixerunt eum,* vel *oppresserunt.* ¶ *Ipse* est *Rex Ahaz,* הוא המלך אחז] Sub. *de quo loquor.*

23. *Qui percusserant eum,* המכים בו] Sub. *opinione suâ,* ità namque sibi persuaserat. ¶ *Ruina,* להכשילו] *Scandalo.* Ad verb. *ad corruere faciendum eum.*

24. *Vasa,* את כלי] *Supellectilem.*

72. *In civitate in Jerusalaim,* בעיר בירושלים] *In civitate,* nempe *in Jerusalem,* & non in Civitate Davidis, quia fuerat idololatra.

CASTALIO.

16. *Ad regem Assyriæ petitum auxilium*] Heb. *Ad reges Assyriæ,* sed vetus & græca & Latina versio habet *Regem,* & ità fert historia, quemadmodum & paulò pòst Achazus *Israelitarum Rex* non rectè dicitur, repugnante historiâ, & iis duabus quas dixi versionibus.

GROTIUS.

3. *In valle Benennom*] Quæ & *Gibinnom,* i. *Vallis Hinnomi,* unde *gehenna* nomen ad significanda tormenta vitæ alterius. ¶ *Et lustravit filios suos in igne*] Vox יבער est ambigua: nam & *consumptionem* & *transitum* significare potest. Græci hîc διῆγε. De utroque significatu egimus ad Deut. 18. 10.

4. *Et sub omni ligno frondoso*] Non in lucis tantùm sed & sub magnis arboribus sacra faciebant gentes Hebræis vicinæ, Deut. 12. 2.

5. *In manus regis Syriæ*] Posteriùs id accidit quàm quod narratur 2 Reg. 16. 5.

7. *Elcanam quoque secundum à rege*] LXX, τὸν διάδοχον τοῦ βασιλέως.

9. *Occidistis eos atrociter*] Bella cum popularibus quàm cum externis leniùs gerenda.

10. *In servos & ancillas*] Ut mancipia extranea illos habetis. ¶ *Quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro*] Heb. *Nonne verè vos, vobiscum peccata contra Deum vestrum?* Ità incipit sermonem quasi dicturus esset, *Vos peccastis:* sed mutavit constructionem κατὰ τὸ σημαινόμενον. Peccasse eos indicat contra legem Deut. 15. 12.

14. *Dimiseruntque viri bellatores prædam & universa quæ ceperant*] In signum pœnitentiæ plus fecere quàm jussi erant: nam & captivos statim dimiserunt, & res bello captas reddiderunt.

15. *Unxisséntque propter laborem*] Fatigationi subvenit unctio: notat Celsus l. 1. c. 3.

20. *Adduxitque contra eum Thelgathphelnasar regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit*] Non bene conveniunt hæc cum historia 2 Reg. 16. 7, 8, 9. Quare putant eruditi על hîc positum pro אל, ut Gen. 38. 12. & alibi: præterea duas literas לא hîc abundare, ut sensus sit, *Et venit ad eum Thelgathphelnasar Rex Assyriæ, & ipsum in angustiis constitutum sustentavit,* quod si recipimus, etiam versu sequente delendum erit לא.

22. *Ipse per se Rex Achaz immolavit diis Damasci*] In Hebræo illud *ipse Rex Achaz* finit præcedentem periodum, & notat Kimchi illud הוא sæpe cum despectu dici, ut Gen. 36. ult. Num. 26. 9. Addit Kimchi locum Gen. 5. 5. Esth. 1. 1. de quibus dubitari potest.

4. *Clausit januas templi Dei*] Ut sacra ubivis potiùs quàm in loco legitimo peragerentur, infrà 29. 7. Eas fores aperuit filius, infrà 29. 3.

CAP. XXIX.

VATABLUS.

1. *Abijah,* אביה] In 2 Reg. 18. 2. dicitur *Abi,* ubi hæc eadem scribuntur.

5. *Nunc,* עתה] q. d. Mortuo patre Rege impio, sub quo cultus Dei verus cessaverat. ¶ *Immunditiam de Sanctitate,* את הנדה מן הקודש] *Immunditiam de Sanctuario,* idola intelligit, atque omnia quibus Sacerdotes idolorum utebantur in cultu idolorum.

6. *Derelinquentes eum,* ויעזבוהו] Ad verb. *& dereliquerunt eum.*

8. *In commotionem, in desolationem,* לזועה לשמה] *In commotionem, in stuporem,* i. vexavit eos & desolavit.

9. *Gladio,* בחרב] *In gladium,* sub. *illum cujus meminit.* ¶ *In captivitatem illam,* בשבי] De qua suprà capite præcedente.

10. *Nunc* igitur *cum corde meo,* עתה עם לבבי] Hebraismus, Postquam hæc vidi, constitui, &c.

15. *Fratres suos,* את אחיהם] Nempe alios Levitas. ¶ *Cum verbis Jehovæ,* בדברי יהוה] *De rebus Jehovæ.*

17. *In prima,* באחד] Ad verb. *in una,* pro *prima,* more Hebraico. ¶ *Sanctificare,* לקדש] V. 16. verbo *mundandi* usus est. Octo dies consumpserunt in mundando Templo; cujus tres erant partes, Vestibulum, Templum, & Atrium sive Sancta sanctorum.

18. *Dispositiones,* המערכת] i. In qua disponebantur panes propositionis.

24. *Et expiaverunt sanguinem eorum super altare,* ויחטאו את דמם המזבחה] i. Expiando sparserunt sanguinem eorum super altare. Quidam vertunt *expiarunt sanguine eorum altare.* ¶ *Jussit,* אמר] Ad verb. *dixit.* Sic ver. 27.

25. *Statuitque,* ויעמד] Sub. *Rex.* ¶ *Per manum Prophetarum ejus,* ביד נביאיו] Quidam subauditâ conjunctione vertunt, *& per manum Prophetarum ejus,* exponúntque, *quia præceptum hoc est præceptum Jehovæ & præceptum Prophetarum ejus,* sive, *præceptum istud traditum fuit à Jehovah & Prophetis ejus.* Hebræi verò exponunt, *quia præceptum illud quod datum est per manum Prophetarum Dei, est præceptum datum per manum Dei,* q. d. Præcepta quæ traduntur per Prophetas Dei, sunt ab ipso Domino Deo. Alii posteriorem hanc partem versûs exponunt, *quia à Jehova præceptum est ministerio Prophetarum, sive per Prophetas suos,*

26. *Steterunt itaque,* ויעמדו] Sub. *in templo.*

27. *Cœpit canticum Jehovæ,* החל שיר יהוה] i. Cœperunt canere Jehovæ voce assâ & instrumentis canticum, quale illud, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* ¶ *Et per manus instrumentorum Davidis,* ועל ידי כלי דויד] Hebraismus, & cum instrumentis musicis à Davide inventis in laudem Dei. Frequentissimum autem est Hebræis nomen *manûs* adjicere ubi quid factum significare volunt operâ alicujus & ministerio: quod etiam inanimatis accommodant, ut hoc loco. Latinis prorsus inusitatum, qui solis ablativis instrumentalibus uti solent.

28. Dominus *autem cantici,* &c. והשיר משורר וגו'] Quæ hîc subaudienda sunt reddunt locum obscurum. Est autem Hebraismus, pro, *cantores canebant, & tubicines tubis canebant. Dominum cantici* vocat cantorem, & *dominum tubarum* tubicinem sive eum qui tubâ canit. Sic sæpius cum aliis nominibus jungitur hoc nomen *dominus.*

29. *Cúmque perfecissent offerre,* וככלות להעלות] *Cúmque finem fecissent offerendi,* sub. *holocausta.* Alii, *Cúmque finem facerent sacrificandi.* ¶ *Et adoraverunt,* וישתחוו] Sub. *Jehovam.*

31. *Verbis Davidis,* בדברי דויד] i. Psalmo à Davide composito. ¶ *Usque ad lætitiam,* עד לשמחה] Hebraismus, *cum magna animi lætitia.*

31. *Posthac locutus*, ויען] Ad verb. *Et respondit.* ¶ *Implestis manum vestram Jehova*, מלאתם ידכם ליהוה] Hebraismus, pro *consecrastis.* Vide Ezech. 43. 26. ¶ *Et laudes*, ותודות] *Et gratiarum actiones.* ¶ *Holocausta*, עולות] i. Victimas quæ cremarentur in holocaustum.

32. *Holocaustorum*, העולה] Sing. Heb. pro plur.

33. *Sanctificationes verò*, והקדשים] *Sanctificata verò*, i. numerus hostiarum sanctificatarum Jehovæ.

34. *Veruntamen sacerdotes*, רק הכוהנים] *At Sacerdotes.* ¶ *Pauciores erant*, &c. היו למעט ונו'] Ad verb. *fuerunt pauci, & non potuerunt pellem depellere omnibus holocaustis.* ¶ *Recti corde*, ישרי לבב] Hebraismus, pro *alacrioribus* & *pronioribus*, q. d. *Levitæ erant proniores ad sanctificandum seipsos quàm Sacerdotes.*

35. *Præterea* fuit *holocaustorum ingens copia*, וגם עולה לרוב בחלבי] Ad verb. *Etiam holocaustum in multitudine.* ¶ *Ad holocaustum*, לעולה] i. Pro singulis holocaustis, sive in singula holocausta.

36. *Quòd præparasset*, &c. על ההכין האלהים לעם ונו'] i. Quòd Dominus gratiam dedisset populo ut citò res tota perficeretur.

CASTALIO.

19. **S**UO *crimine incestaverat*] הזונה legendum est, ut ultima sit litera He, nam ità postulat sententia, & Græcus vertit ἐμίανεν, & Latinus *polluerat.*

GROTIUS.

5. **A***uferte omnem immunditiam à Sanctuario*] Omnia quæ ad idololatriam pertinent. Simul dictum, simul factum: eoque insignior fuit hæc in melius mutatio, infrà 36.

8. *Tradiditque eos in commotionem & in interitum*] Heb. *in commotionem & stuporem.* Græci, εἰς ἔκστασιν καὶ εἰς ἀφανισμὸν: i. terrores illis panicos immisit, ut suprà 20. 22.

16. *Ad torrentem Cedron*] *In Topheth*, sive *Vallem Hinnomi*, ut 2 Reg. 23. 10, 12.

21. *Et hircos septem pro peccato*] Septem hircos ob multitudinem & diuturnitatem peccatorum. Heptas sacris propria.

22. *Susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare*] Ex lege Levit. 8. 15.

23. *Imposueruntque manus suas super eos*] Ex lege Levit. 8. 22.

24. *Ut holocaustum fieret*] Quo Deus ut omnium rerum Dominus agnosceretur. ¶ *Et pro peccato*] Ad expiationem.

25. *Secundùm dispositionem David. Regis & Gad Videntis & Nathan Prophetæ*] 1 Par. 23. 5. & 25. 1. 2 Par. 8. 14. & 23. 18. Rex id instituerat, approbantibus ejus consilium Prophetis.

31. *Implestis manus vestras Domino*] Consecrastis vos ministerio, ut Exod. 28. 41.

34. *Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent*] Id enim Sacerdotum erat, Levit. 1. 6. ¶ *Unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos*] Exemplum hoc illustre est auctoritatis Regiæ (consulto, ut credibile est, Synedrio) in relaxando legis Divinæ vinculo ex necessitate. Simile habemus infrà 30. 2, 3. Notatum hoc Maimonidæ Ductoris dubitantium 3. 14.

CAP. XXX.

VATABLUS.

1. **A***D universum Israelem*, על כל ישראל] Hic pro omnibus tribubus *Israelem* accipit. Ezechias namque, tametsi Rex solius Judææ esset, invitavit tamen etiam Israelitas ut Pascha celebrarent simul.

2. *Mense secundo*, בחודש השני] Faciunt mense secundo quod faciendum fuerat mense primo, ut scribitur Exod. 12. 18. & Num. 19. 3.

3. *Tempore ipso*, בעת ההיא] Nempe primo mense, de quo ver. 2.

4. *Et placuit*, ויישר] Ad verb. *Et recta fuit*, i. Id rectum visum est, sive Istud placuit.

5. *Et constituerunt*, &c. ויעמידו דבר להעביר קול] Ad verb. *Et statuerunt verbum ut transire facerent vocem.* ¶ *Quia non multo* jam tempore, כי לא לרוב] Ad verb. *quia non in multo.*

6. *Ad eos qui evaserunt vobis*, אל הפליטה הנשארת לכם] Ad verb. *ad evasionem quæ remansit vobis*, i. in gratiam vestram, h. e. ad eos qui evaserunt, nec venerunt in manum Regum Assyriorum.

8. *Date manum Jehova*, תנו יד ליהוה] i. Obtemperate Jehovæ invitanti vos per nos. ¶ *Et avertetur*, וישוב] *Ut recedat.*

9. *Misericordiam consequentur*, לרחמים] Ad verb. *In miserationes*, sub. *erunt.*

12. *Fuit manus Dei*, היתה יד האלהים] *Manus* pro *favore* & *gratia Domini*, qui nos reddit aptos operibus bonis, q. d. Judam quoque suo favore prosecutus est Jehovah. ¶ *Cor unum*, לב אחד] *Mentem eandem.* Magnum consensum significat.

14. *Surrexerunt autem*, ויקומו] *Surgere* magnam alacritatem significat, q. d. Magnâ animi alacritate surgentes removerunt altaria exstructa in honorem idolorum.

15. *Mensis secundi*, לחודש השני] Quia fuerant præpediti mense primo, idcirco distulerunt in secundum mensem, ut in principio hujus capitis dictum est ver. 3. ¶ *Pudore suffusi*, נכלמו] Pudebat namque eos suæ negligentiæ cùm viderent populum tam alacrem.

16. *Sanguinem*, את הדם] Agni scilicet Paschalis exceptum à Levitis.

17. *Victimarum Pesah*, הפסחים] Qui non mundaverant se, abstinebant ab immolatione agni Paschalis, & pro his immolabant Levitæ. ¶ *Ad sanctificandum*, להקדיש] *Ut sanctificarent*, sub. *illas victimas*, i. ut piè & sanctè illas offerrent Domino. Ordo est, *Levitæ insistebant*, vel, *præerant, mactationi, ut sanctificarent illas victimas Domino.*

18. *Attamen comederunt*, כי אכלו] Ad verb. *quia comederunt.* Quidam vertunt *sed comederunt.* ¶ *Expiet eum*, יכפר בעד] *Sit propitius illi*, vel *benignus & clemens, pronus ad ignoscendum.* Istud perficitur v. seq. Atque observa sententiam imperfectam distingui in Sophpassuc, *Sit propitius omni præparanti cor suum.*

19. *Qui totum cor suum paravit*, כל לבבו הכין] *Omnem* scilicet *cor suum præparantem ut requirat*, &c. ¶ *Quamvis non* sit purificatus, &c. ולא כטהרת הקודש] Ad verb. *& non secundùm purificationem sanctitatis*, quam scilicet instituit Moses, q. d. Si spectes animum, erant mundi; si ritum & ceremonias, non erant. Dominus autem respicit internam munditiem.

20. *Et sanavit populum*, וירפא את העם] Sub. *ab impuritate sua*, i. pro mundo & purificato habuit eum.

21. *Singulis diebus*, יום ביום] Ad verb. de *die in diem.* Subauditur מן præpositio. ¶ *Cum instrumentis fortitudinis Jehovam*, בכלי עוז ליהוה] Sub. *laudabant. Instrumenta fortitudinis* vocat tubas, quarum sonitus erat vehementior.

22. *Locutus est autem ad cor omnium Levitarum*, וידבר יחזקיהו על לב כל הלוים] Hebraismus, pro *allocutus est lenibus verbis omnes Levitas.* Vide Esa. 40. 2. & Osee 2. 14. ¶ *Intelligentium intellectum bonum*, &c. המשכילים שכל טוב ליהוה] Per *intellectum bonum* hîc intelligit peritiam. *Intelligentes* itaque *intelligentiam bonam* vocat peritissimos in arte musica, q. d. Qui doctè concinebant Psalmos in honorem Domini. ¶ *Sacrificia solennitatis*, את המועד] Ad verb. *solennitatem*, vel *celebritatem.*

23. *Ut facerent*, לעשות] Sub. *celebritatem*; i. ut celebrarent festum. ¶ *Feceruntque septem diebus*, ויעשו שבעת

שבעת ימים] *Celebraverúntque septem dies* alios.

24. *Obtulit*, חרים] i. Tradidit. Alii, *seorsum dedit*. ¶ *Quamplurimi*, לרוב] Ad verb. *in multitudine*; ut scilicet satìs esse possent ad immolandas victimas.

26. *Tale aliquid*, כזאת] Ad verb. *sicut hoc*.

27. *Exauditáque est vox eorum*, וישמע בקולם] *Exaudivítque vocem eorum*: sub. *Jehovah*. Seipsum exponit mox sequentibus. De hac benedictione vide Num.6.23. ¶ *Sanctitatis ejus*, קדשו] Hîc relativum est loco antecedentis. Mox declarat quid vocet *habitaculum ejus sanctum*, nempe *cœlum* ipsum.

GROTIUS.

2. *Inito ergò consilio regis & principum & universi cœtûs Jerusalem*] Vide quæ dicta suprà 1 Par.13.1. *Universum cœtum* intellige συναγωγὴν μεγάλην constantem ex Synedrio gentis, ex Senatu urbano Hierosolymorum & ex Senatoribus aliquot aliunde evocatis. Vide quæ dicta ad Matth.10.17.

5. *In universum Israel*] Etiam ad Decem tribus missi, non qui juberent Regis nomine, sed qui eos quoque, utpote legi Divinæ obstrictos, sui officii commonefacerent. Vide mox 11,25,26. ¶ *Multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est*] Heb. *pridem enim non fecerant ut scriptum est*. Excusati ab hac ceremonia fuerant ob Regum minacia interdicta, sicut olim ob continua per desertas terras itinera Jos.5.

7. *Nolite fieri sicut patres vestri & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum*] Heb. לשמה, ut suprà 29.8. ibi ἀφανισμόν, hîc ἐρήμωσιν vertunt LXX. Duobus modis Rex Judæos docet bene uti consanguineorum calamitatibus, cavendo nè per easdem culpas in eadem mala incidant, & Deum precando ut illi subleventur. Vide sequentia.

12. *In Juda verò facta est manus Domini, ut daret eis cor unum*] Simile Act.4.32.

17. *Eò quòd multa turba sanctificata non esset; & idcirco immolarent Levitæ Phase his qui non occurrerant sanctificari Domino*] Heb. *Multi enim erant in cœtu qui non erant sanctificati, & Levitæ insistebant immolationi Paschatum pro omni qui non erat mundus ut ea sanctificarent Deo*. *Paschata* vocat victimas illas quæ fieri solebant XIV mensis Nisan, nunc autem, ob causam quæ inciderat, fiebant XIV mensis sequentis. In primo Exitu quisque mactavit agnum vel hœdum Paschalem; postea verò semper id fuit Sacerdotum, ut ex Josepho discimus non uno in loco, ut notavimus ad Matth.26.18. sed hîc auctoritate Regiâ Levitæ participes facti muneris Sacerdotalis, ut suprà 29.34.

18, 19. *Magna etiam pars populi de Ephraim & Manasse & Issachar & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est. Et oravit pro eis Ezechias, dicens, Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis quòd minùs sanctificati sunt*] Ecce alia relaxatio Legis Levit.15.31. & 22.4. Num.9.6. Causa est quòd Lex ea tempora respexit quibus non ità multi essent immundi atque nunc erant. Ritualia instituta facilè cedunt non necessitati tantùm sed & utilitati publicæ.

22. *Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum*] i. Benignè ac blandè eos est allocutus.

27. *Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ, benedicentes populo*] Sacerdotes quidem extensâ manu, verbis solennibus, Levitæ autem accinendo fausta omina.

CAP. XXXI.

VATABLUS.

1. *Quisque ad possessionem suam, in urbes suas*, איש לאחזתו לעריהם] Ordo inversus, pro *in urbes suas, quisque in possessionem suam*.

2. *Divisiones*, את מחלקות] *Ordines, vices, classes*. ¶ *Secundùm ministerium suum*, כפי עבודתו] *Pro officio suo*. ¶ *Ad holocaustum*, לעולה] Nempe *ut* sacrificarent *holocaustum*. ¶ *In portis castrorum Jehovæ*, בשערי מחנות יהוה] i. In Templo in quo omnes Israelitæ conveniebant. Describitur hîc ministerium Levitarum & Sacerdotum.

3. Erat *ad* offerendum *holocausta*, לעולות] Describit officium Regis circa sacrificia. q. d. Regis partes erant dare de substantia sua victimas quibus holocausta fierent, &c. ¶ *Et solennitatibus*, ולמועדים] *Et statis feriis*.

4. *Sacerdotibus*, הכוהנים] Quidam aliquid subaudiunt, nempe, *quæ debebatur Sacerdotibus*, &c. ¶ *Ut confortarentur*, למען יחזקו] *Ut fortificarent sese*; i. ut alacriùs fungerentur Divino officio quod scriptum est in Lege Domini: vel, *implerentque Legem Jehovæ*.

5. *Cúmque multiplicata esset res ista*, וכפרוץ הדבר] *Cúmque multiplicatus esset sermo iste*. Quidam liberiùs vertunt, *Cúmque hoc verbum Regis divulgatum esset*. ¶ *Multiplicaverunt*, הרבו] *Auxerunt*; i. in magna copia obtulerunt primitias. ¶ *Adduxerunt*, הביאו] *Intulerunt*; sub. in templum Domini.

6. *Atque decimas sanctitatum quæ sanctificata erant*, ומעשר קדשים המקודשים] Sing. Heb pro plur. *decimam* pro *decimas sanctas quæ consecratæ erant*. ¶ *Acervatim*, ערמות ערמות] Ad verb. *acervos, acervos*: i. fecerunt plurimos acervos ex illis.

7. *Acervos illos fundare*, הערמות ליסוד] Hebraismus, *jecerunt prima fundamenta illorum acervorum*: i. cœperunt facere illos acervos decimarum in victum Sacerdotum & Levitarum.

8. *Et benedixerunt*, ויברכו] *Et gratias egerunt*. *Benedicere Domino* est gratias illi agere: *benedicere* autem *populo* est omnia prospera & felicia illi precari.

9. *Interrogavit verò*, וידרוש] *Tum interrogavit*.

10. *Oblationes*, התרומה] *Oblationem primitiarum*: תרומות erant oblationes quæ tempore Legis separabantur Domino; ut erant primitiæ frugum, ex quibus quædam coram Domino à Sacerdote in altum elevabantur, & ob id hoc nomine appellabantur. ¶ *Comedimus*, &c. אכול ושבוע ונו׳] Infinit. Heb. pro indicativis, Ad verb. *comedere, & saturari, & relinquere usque in multitudine*. ¶ *Et multitudini*, &c. והנותר את ההמון הזה] Ad *populum* referri debet. Quidam Hebræorum de residuis frugibus intelligunt, exponentes, *& superesse fecit multitudinem hanc*. Quæ expositio doctioribus non probatur.

11. *Jussit autem*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit*. ¶ *Gazophylacia*, לשכות] *Horrea, cellas*.

12. *Et sanctificata*, והקדשים] *Et quæ consecrata erant*. ¶ *Fideliter*, באמונה] Ad verb. *in veritate*, vel, *cum fide*. ¶ *Secundus*, משנה] i. Secundæ dignitatis ab illo: h. e. vicarius.

13. *Præpositi de manu Chonaniahu*, פקודים מיד כונניהו] Hebraismus, instituti à Chonenia. ¶ *Secundùm imperium*, במפקד] Ad verb. *in præcepto*; i. jussu. ¶ *Ducis*, נגיד] Quem hîc vocat *ducem domûs Dei*, v.10. appellavit *Sacerdotem summum*.

14. *Super sponte oblata Deo*, על נדבות האלהים] Ad verb. *super liberalitates Dei*. ¶ *Ut daret*, &c. לתת תרומה ונו׳] *Ut distribueret oblationes Jehovæ, & Sancta sanctorum*; i. ea quæ Deo erant consecrata & dedicata.

15. *Ad manum autem ejus*, ועל ידו] i. In potestate autem illius & illi subditus erat Eden. ¶ *Cum fide*, באמונה] Hebraismus, Homines spectatæ fidei. ¶ *Juxta divisiones*, במחלקות] *Per turmas*; sive, *divisiones*.

16. *Præterquam progeniei*, &c. מלבד התיחשם ונו׳] Hic versus ex superiori pendet, & sic ex Hebræo vertendus, inverso paulùm ordine, *Rem diei in die suo*; [i. portionem quotidianam] *omni ingredienti domum, præter progeniem eorum in maribus* [i. sexûs masculini] *ab eo qui natus erat tres annos & suprà, propter ministerium* [vel, *in ministerium*] *eorum, in ceremoniis* [vel *observationibus*] *suis, & in turmis suis*: vel, *divisionibus*.

17. *Per*

17. *Per domum patrum suorum,* לבית אבותיהם] i. Per familias suas. ¶ *Secundùm observationes,* &c. במשמרותיהם במחלקותיהם] *In observationibus suis, & in turmis suis.*

18. *Omni cœtui,* לכל קהל] Quidam ל per *id est* vertunt, ut sit velut summa præcedentium, *id est omni cœtui.* ¶ *Fide illorum sanctificabant,* &c. באמונתם יתקדשו קודש] *Fide illorum sanctificabant sese sanctificatione sanctâ:* i. dependebant ab illis.

19. *Qui expressi sunt per nomina,* אשר נקבו בשמות] i. Suprà nominati.

20. *Bonum* erat, *& rectum, ac verum,* הטוב והישר והאמת] *Bonum* respicit Ezechiam, *rectum* Sacerdotes, *verum* sive *veritas* Deum. q.d. Rectè se gessit erga Deum ac proximum.

CASTALIO.

10. Quod ad *satietatem comesum sit, superesse*] Quod Levitis superfuerat, qui decumis vescebantur.

GROTIUS.

1. IN *Ephraim quoque & Manasse*] i. In illis oppidis quæ Reges Juda per bella sibi acquisiverant: nam extra loca suæ ditionis idola frangendi legem non habebant, ut notant & Hebræi & Augustinus ad locum Deut. 7. & 12. Sic interpretare & quod sequitur de *filiis Israel* v. 6.

11. *Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini*] Novas cellas addi jussit ad eas quas struxerat Solomon. Hunc sensum colligimus ex Græcis, Καὶ εἶπεν Ἐζεκίας ἑτοιμάσαι παστοφόρια εἰς οἶκον Κυρίου.

12. *Fuit autem præfectus eorum*] Gazophylacas Templi nominat majoris ac minoris gradûs.

13. *Ex imperio Ezechiæ Regis & Azariæ Pontificis*] Nam & Regiæ curæ pars est efficere ut Deo dicata rectè administrentur. Vide 2 Reg.22.

CAP. XXXII.

VATABLUS.

1. POst hac *& veritatem eorum.* אחרי הדברים והאמת] Hebraismus, His gestis quæ verissima sunt. Describitur instauratio Regni Juda. ¶ *Et ingressus est Jehudah,* ויבוא ביהודה] *Venit, inquam, in* terram *Jehudah.* Aut ב pro על ponitur, *contra Jehudah.* ¶ *Et dixit se perrupturum,* &c. ויאמר וגו'] *Dixit* pro *cogitavit.* q.d. Statuítque illas capere sibi, perruptis muris.

2. *Ad bellum,* למלחמה] Sub. *inferendum,* i. vidisétque Sennacherib venientem rectà ut oppugnaret Jerusalem.

4. *Quà de causa venient,*&c. למה יבואו וגו'] i. Quare committemus ut cùm venerint Reges Assyriæ, inveniant aquas multas?

5. *Confortatúsque est,* ויתחזק] *Fuitque forti animo.* ¶ *Et reparavit turres,* ויעל על המגדלות] Ad verb. *& ascendere fecit* [sub. *medelam*] *super turres.* Hebraismus, Turres dirutas instauravit. ¶ *Et foris murum alterum,* ולחוצה החומה אחרת] q.d. Altero muro cinxit urbem quæ jam erat mœnibus cincta. ¶ *Roboravit & Millo in Civitate Davidis,* ויחזק את המלוא עיר דויד] i. Instauravit sive munivit plateam illam quæ dicebatur *Millo,* quæ erat juxta civitatem Davidis, i. Sion. Nam Millo erat platea intra urbem juxta mœnia. ¶ *Gladios valde multos,* שלח לרוב] *Tela multa admodum.* Ad verb. *in multitudine.* Quidam vertunt *pugiones.*

6. *Posuit item principes bellorum super populum,* ויתן שרי מלחמות על העם] *Constituit insuper imperatores super populum, qui bellum gererent.* ¶ *Ad plateam portæ urbis,* אל רחוב שער העיר] *In platea* quæ adjacebat *portæ urbis.* ¶ *Locutúsque est ad cor eorum, dicendo,* וידבר על לבבם לאמור] Hebraismus, Allocutus est eos blandis verbis, consolans eos in hunc modum. De hac locutione vide c.30.22.

7. *Confortamini, & roboramini.* חזקו ואמצו] i. Estote fortes ac robusti animo. ¶ *Plures sunt quàm cum illo,* רב מעמו] *Multitudo* est *major quam cum illo.* q.d. Trahit secum magnum exercitum; at longè major exercitus Angelorum aderit nobis. Per *multitudinem* intelligit auxilium Divinum & exercitum Angelorum. Seipsum mox sequentibus explicat.

8. *Brachium carneum,* זרוע בשר] Ad verb. *brachium carnis.* Significat Homines, quorum vires sunt imbecilles.

9. *Posthac misit,*&c. אחר זה שלח] Vide hæc pluribus verbis descripta 2 Reg. 18. 17. ¶ *Contra Lachis,* על לכיש] *Juxta Lachis;* i. oppugnabat Lachis. ¶ *Et omne regnum ejus,* וכל ממשלתו] i. Universus populus Regni ejus. q.d. Obsidebat Lachis cum ingenti exercitu. ¶ *Dicendo,* לאמור] *In hac verba.*

10. *In quo,* על מה] i. In qua re.

11. *Seducit,* מסית] Significat *suadere,* sive *persuadere;* significat & *persuadendo imponere.*

12. *Excelsa ejus,* את במותיו] Sub. *Dei cui innitimini.* Utitur hîc Sennacherib falsis pro veris, ut probet quod vult. Neque enim sustulerat Ezechias altaria Dei, sed tantùm idolorum. ¶ *Uno,* אחד] *Unico.* In 2 Reg. 18.22. legitur, *Coram altari hoc incurvabitis vos in Jerusalaim.*

13. *Nunquid potuerunt,* איכול יכלו] Ad verb. *nunquid valendo valuerunt?* De diis gentium terrarum vide ver. 15.

15. *Simile,* כזאת] Ad verb. *sicut hoc,* i. tale quidpiam. ¶ *Ullus Deus universa gentis,* כל אלוה כל גוי] Sic vertendum esse ut vertit noster interpres, docet versus 17. in quo sic legitur, *Sunt dii gentium terrarum qui non,* &c. Idem enim significat, *Dii universa gentis & regni,* & *Dii gentium terrarum:* nam hîc *Regna* vocat quæ illic *terras;* hîc sine regimine omnia, illic in regimine.

16. האלהים] q.d. Qui est Deus verus.

17. *Probris afficiendo,* לחרף] i. Quibus probris afficiebat. ¶ *Terrarum,* הארצות] Sub. *à me, & à majoribus meis devictarum, sunt inferiores & infirmiores viribus meis, qui non,*&c.

18. *Clamabant autem,* ויקראו] Quid clamaverint scribitur 2 Reg.18.18.

19. *Et locuti sunt,* וידברו] Sub. *servi Sennacherib.* ¶ *Sicut contra deos,* כעל אלהי] Sub. *locuti fuerant;* aut verte *tanquam contra deos,* &c.

20. *In cœlum,* השמים] i. Ad Deum qui sedem habet in cœlis.

21. *Omnem potentem exercitûs,* כל גבור חיל] *Robustissimum quemque viribus.*

22. *Et deduxit eos à circuitu,* וינהלם מסביב] q.d. Suâ misericordiâ ità deducendo servavit eos ut non timerent sibi ab iis qui erant in circuitu suo. ¶ *Ac dixit illi,* ויאמר לו] Sub. *Jehova;* i. precatus est Jehovam, ut scilicet daret ei signum sive portentum.

25. *Sibi factam,* עליו] Ad verb. *super eum;* i. beneficiorum acceptorum à Domino non est recordatus Ezechias, quamvis in eum multa contulisset Dominus. ¶ *Et fuit contra eum ira,* ויהי עליו קצף] *Propterea fuit contra eum ira.* Alii, *ità ut indignatio excitaretur contra eum.* Iram Jehovæ intelligit, ut ipse declarat v. seq.

26. *Ab elatione* בגובה] *A superbia.* Hîc ב pro מן.

27. *Omniúmque vasorum concupiscibilium,* ולכל כלי חמדה] *Omnisque supellectilis desiderii;* i. pretiosæ, sive (ut alii exponunt) ex qua voluptas capitur.

28. *Et apothecas fructûs,* ומסכנות לתבואת] *Et horrea* [*cellas, repositoria*] *proventûs;* sub. *fecit sibi.* ¶ *Et ordines stabulis,* ועדרים לאורות] i. Ordine quodam disposuit stabula illa animalium. q.d. Fecerat stabula in quibus habebat varia animalia; & ea stabula disposuerat & collocaverat certo quodam ordine.

30. *Scaturiginem,* את מוצא] Ad verb. *exitum.* De Gihon

Gihon vide libellum Interpretationum nominum Hebraicorum. ¶ *Et prosperatus est*, ויצלח] *Et felicia expertus est*; i. omnia illi prosperè cesserunt.

31. *Attamen propter legatos*, וכן במליצי] Ad verb. *Et sic in legatis*: vel, *interpretibus*. Gallicè, *les truchemens*. Quidam vertunt, *Sic tamen propter legatos*, &c. & exponunt, *Tamen sic felicem & prosperè agentem Deus dereliquit*, &c. ¶ *Quod factum erat in terra*, אשר היה בארץ] *Quod* dicebatur *factum* in ea *regione*, propter Ezechiam scilicet. Intelligit de umbra Solis, & de horologio retrorsum acto. Vide 2 Reg. 20. 11, 12. ¶ *Ut scirent*, לדעת] Sub. *legati*. Vel, *ut omnes scirent quid haberet in animo*: vel, *ut sciret*, sub. *Deus*.

33. *In excelso sepulcrorum*, במעלה קברי] i. In excellentioribus sepulcris: vel, *in excellenti sepulcrorum*: aut *insigniori*. ¶ *Et honorem fecerunt ei*, וכבוד עשו לו] *Et gloriam exhibuerunt*.

CASTALIO.

31. *Super ostento quod in ea regione acciderat*] Cùm solarii umbra retrocessit.

GROTIUS.

4. *Et obturaverunt cunctos fontes, & rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes, Ne veniant reges Assyriorum & inveniant aquarum abundantiam*] Hosti aquarum usum eripere inter belli artes ponitur. Vide Frontinum 3.7. & historias passim.

7. *Viriliter agite*] Boni Imperatoris est in bello militum virtutem verbis accendere. Maximi autem momenti est, si militi persuadeatur Deum ejus armis favere. Facit id semper Belisarius apud Procopium.

16. *Humiliatúsque est postea*] Nihil magis Deo displicet quàm superbia, quæ per gradus quosdam se promovens tandem ad Dei contemptum pervenit. Nihil contrà Deo gratius quàm si homines se Deo comparatos res nihili esse agnoscant, & culpas etiam leviores submissè deprecentur. Vide Mich. 6. 8. Græca sententia est,

Ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.

Nec spernenda ista Philemonis,

Ὅταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ,
Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ φύσει γαυρούμενον.
Ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
Τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα·
Ἐπαίρεται γὰρ μεῖζον, ἵνα μεῖζον πέσῃ.

Videtur autem ea maximè fuisse culpa Ezechiæ, quòd coram legatis Babyloniis honorem Deo quem debebat non habuerit, infrà 31.

31. *Ut interrogarent de portento quod acciderat super terram*] De strage illa in castris Sennacheribi 2 Reg. 19. 35.

CAP. XXXIII.

VATABLUS.

3. *Reædificavit namque*, וישב ויבן] Ad verb. *Et reversus est, & ædificavit*. Vide 2 Reg. 21. 1. ¶ *Et servivit eis*, ויעבוד אותם] Nempe stellis cœli, quas *militiam cœli* vocaverat.

6. *Fecit & pythonem & magos*, ועשה אוב וידעוני] i. Pythonem consulebat, & magiam exercebat. ¶ *Multa mala designavit*, &c. הרבה לעשות הרע וגו׳] Ad verb. *multiplicavit ut faceret malum in oculis*, &c. i. quamplurima mala designavit Domino vidente.

7. *Sculptile simulacri*, את פסל הסמל] i. Simulacrum sculptile; vel est singulare pro plur. *simulacra sculpta*: in Regibus legitur *sculptile luci*. Hujus fit mentio v. 15.

8. *Constitui*, העמדתי] In Regibus legitur *dedi*; i. daturus sum. ¶ *Ità duntaxat si observaverint facere*, רק אם ישמרו לעשות] *Modò observent ut faciant*, &c. i. modò diligenter adimpleant, *omnia quæ præcepi illis per Mosen*, omnia, inquam, quæ præcepi illis, i. *universam Legem & statuta & judicia*.

10. *Locutus est autem*, וידבר] Sub. *per Prophetas*.

11. *Catenis duabus*, בנחושתים] Vide Jer. 39 7.

12. *Cùm verò angustiis esset affectus*, וכהצר לו] Ad verb. *Et secundùm angustiam illi*: i. Cùm in angustias adductus esset. ¶ *Et humiliavit se*, ויכנע] *Et abjecit se*; i. admodum submissus factus est, *in conspectu Dei*.

13. *Et exorabilis fuit ei*, ויעתר לו] *Et exoratus est ei*; vel, *exauditus est ei*. Seipsum mox sequentibus exponit.

14. *Et ad introitum portæ*, ולבוא בשער] *Et quà itur ad portam*. ¶ *Et circumdedit*, וסבב] Sub. *muro*. Plena locutio legitur suprà 14.7. ubi sic legimus, *Ædificemus civitates istas, & circumducamus muros & turres*. ¶ *Et exaltavit eum*, ויגביהו] Sub. חומה *murum*. Relativum sine antecedente: i. valde altum fecit murum.

15. *Alienigenæ*, הנכר] i. Alienos. ¶ *Et simulacrum*, ואת הסמל] Vide v. 7.

18. Scripta sunt] Istud subauditum est ex v. seq. ubi locutio plena legitur.

19. *Exorabilis fuit ei* Deus, והעתר לו] i. Exauditus sit à Deo. Vide v. 13. ¶ *Hozai*, חוזי] Quidam tanquam appellativum vertunt *in verbis* [sive *commentariis*] *Prophetarum*.

23. *Delictum*, אשמה] Sing. Heb. pro plur. *delicta*; i. multa scelera patravit: aut, sceleribus scelera adjunxit.

GROTIUS.

2. *Fecit autem malum coram Domino*] Hic aliorum Regum peccata unus commisit universa, nihílque reliquum fecit quo Dei legem cultúmque possit evertere.

5. *In duobus atriis domûs Domini*] In atrio Israelis & in atrio Gentium. Sic Hebræi.

14. *Usque ad Ophel*] Vide suprà 27.3.

15. *Et abstulit deos alienos & simulacrum de domo Domini*] Dici de eo poterat, Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.

17. *Attamen populus immolabat in excelsis Domino Deo suo*] *Pauca tamen priscæ suberant vestigia fraudis*. Multi de populo Deum verum colebant, sed in locis illicitis.

19. *Contemptus*] מעלו, quod Græci vertunt ἀποστάσεις αὐτοῦ. ¶ *In sermonibus Hozai*] Græci חוזי sumunt pro communi nomine: vertunt enim ἐπὶ τῶν λόγων τῶν ὁρώντων, i. in scriptis Prophetarum. Idem nomen suprà 19.2. & 29. 30. & infrà 35.15. interpretes vertunt προφήτης.

20. *Et sepelierunt eum in domo sua*] In horto aliquo; non in sepulcris Regum.

CAP. XXXIV.

VATABLUS.

3. *Duodecimo verò anno*, ובשתים עשרה שנה] Sub. *Regni sui*; h.e. cùm attigisset vicesimum annum. ¶ *Jehudah & Jerusalaim*, את יהודה וירושלם] i. Regionem & urbes Juda.

4. *Destruxeruntque coram eo*, וינתצו לפניו] *Everterúntque eo spectante*. ¶ *Et simulacra*, והחמנים] Facta scilicet in honorem Solis, quæ erant superposita illis altaribus.

5. *Super altaria*, על מזבחותים] Ut scilicet eâ ratione illa contaminaret. Nam id contaminabatur quod cadaver attigisset.

6. *Malleis suis*, בהר בותיהם] Sub. *diruit ac destruxit*.

7. *Simulacra*, החמנים] Solis simulacra intelligit, de quibus v. 4.

9. *Liminis*, הסף] *Vasorum*; סף *pelvim, craterem*, sive *phialam* significat: unde doctus inter Hebræos dicit esse nomen generale vasorum quibus in domo utimur, præsertim pro vino.

10. Faci-

10. *Facientium opus*, עושה המלאכה] i. Architectorum. Confer hæc cum 2 Reg. 22.4. ut clariùs intelligas. Vide & paulò pòst v. 17.

11. *Artificibus & cæmentariis*, לחרשים ולבונים] *Fabris ferrariis, & fabris lignariis.* ¶ *Ad commissuras*, למחברות] Per *commissuras* intelligit ea quæ fiunt commissis lignis & compositis. q.d. Ad opera lignea tradiderunt ligna. ¶ *Et ad contignandas*, ולקרות] *Et ad compingendas.*

12. *De filiis*, מן בני] i. De nepotibus. ¶ *Ad urgendum*, לנצח] Sub. *operas*; qui exigebant operas. ¶ *Musicis*, שיר] Ad verb. *cantici*. *Intelligentes in instrumentis cantici* vocat peritos musices & doctos organorum seu instrumentorum musicorum pulsandorum.

13. *In quolibet opere*, לעבודה ועבודה] Ad verb. *in opere & opere*; i. in singulis ministeriis.

14. *Per manum Moseh*, ביד משה] Hebraismus, operâ & ministerio Mosis.

16. *Atque etiam retulit Regi rem*, וישב עוד את המלך דבר] Ad verb. *& retulit adhuc ad Regem verbum*: i. & insuper Regi retulit quid egissent de negotio quod illis commiserat. ¶ *Faciunt*, עושים] Quidam per futurum vertunt, *facturi sunt*. Ad ver. *facientes*; sub. *fuerunt*; i. fecerunt.

17. *Conflaverunt namque*, ויתיכו] *Fuderunt namque.* Quidam per præsens, *Curant autem fundendum.*

20. *Servo suo*, עבד המלך] Ad verb. *servo Regis*; antecedens pro relativo.

21. *Stillavit*, נתכה] *Conflatus est*; *liquefactus est.*

22. *Et qui erant Regis*, ואשר המלך] i. Ministri Regis. ¶ *Vestium*, הבגדים] Sub. *Sacerdotalium*, vel (ut alii) *Regiarum*. ¶ *In domo doctrinæ*, במשנה] *In domo disciplinæ*. Quidam *in Secunda*: i. in loco secundæ dignitatis à Templo. Vide in 2 Reg. 22. 15. ¶ *Hujusmodi*, כזאת] Ad verb. *juxta hoc*, i. tale.

25. *Et stillabit*, ותתך] *Et liquefactus est: & conflatus est.*

26. *Verba quæ audisti*, הדברים אשר שמעת] Quædam subaudienda: nam est sermo concisus. Vide 2 Reg. 22. 18.

27. *A facie Dei*, מלפני אלהים] De se loquitur Deus in tertia persona, mox in prima, cùm dicit, *Humiliasti, inquam, te coram me.*

28. *Ego namque colligam te*, &c. הנני אוספך אל אבותיך וגו'] Hebraismus, Faciam ut moriaris ut patres tui, ac sepeliaris in uno è sepulcris tuis. ¶ *In pace*, בשלום] i. Sine ulla molestia & animi angore propter afflictiones quas inducam te mortuo. Mox seipsum declarat cùm dicit, *Nec videbunt*, &c. ¶ *Universum malum quod*, &c. בכל הרעה אשר וגו'] i. Ullam afflictionem, sive aliquid calamitatis ejus magnæ, quam ego, &c. ¶ *Verbum*, דבר] i. Responsum Prophetissæ.

31. *In statione sua*, על עמדו] i. Constitit in loco suo. In 2 Reg. 23. 3. legimus, *Stetit autem Rex juxta columnam, & pepigit fedus coram Jehova, se ambulaturos*, &c.

32. *Et stare fecit* pacto *omnes qui inventi sunt*, ויעמד את כל הנמצא] Ad verb. *Et stare fecit omnem inventum*. Quidam exponunt *stare fecit in loco*, vel *statione sua*. Alii, *stare fecit*, pro astrinxit pacto quod pepigerat suo & totius populi sui nomine, accipiunt: nam in libro Regum legimus, *Et stetit universus populus in fœdere*. Neque enim solus Rex pepigit fedus se ambulaturum, &c. sed ei federi astrinxit & populum suum.

33. *Removit autem*, ויסר] *Jam autem removerat.* ¶ *Et coegit*, ויעבד] *Et subjugavit*. Ad verb. *& servire fecit*: i. subjecit quotquot in terra Israelis invenit, etiam exteros, & coegit servire Deo. ¶ *Non recesserunt à tergo Jehovæ*, לא סרו מאחרי יהוה] i. Non destiterunt sequi Jehovam.

GROTIUS.

3. *Octavo autem anno regni sui, cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David*] i. Cùm annorum esset XVI *puer*, i. adolescens jam Regiæ administrationis factus compos: nam tutela durabat ad finem anni XIII. ¶ *Duodecimo autem anno postquam regnare cœperat*] Cùm jam ad XX ætatis annum pervenisset, & plus auctoritatis esset consecutus.

6. *Sed & in urbibus Manasse & Ephraim*] Vide quæ suprà 31. 1.

33. *Fecit omnes qui residui erant in Israel servire Domino Deo suo*] Quantum potuit repressit populum nè palàm quid in Legem committeret. Alioqui populi depravatio ab hoc tempore cœpit gliscere, Jer. 3. 6, 8. & 25. 3. Ezech. 4. 6.

CAP. XXXV.

VATABLUS.

3. *Qui erudiebant*, המבינים] *Qui instituere debebant*: sub. *in Lege*. ¶ Et *qui consecrati erant*, הקדושים] Et *qui dicati erant*. Ad verb. *sancti*. ¶ *Arcam sanctitatis*, את ארון הקדוש] Arcam federis intelligit. ¶ *Non erit vobis onus in humero*, אין לכם משא בכתף] i. Non feretis posthac Arcam super humeros vestros. ¶ *Servite Jehovæ*, &c. עבדו את יהוה וגו'] i. *Servite Jehovæ*, carminibus laudem ejus extollendo; *& populo ejus*, mactando victimas pro peccatis illorum. q. d. Antea mihi serviebatis ferendo Arcam; nunc verò *servite Jehovæ*, canendo carmina in ejus gloriam; *& populo ejus*, sacrificando pro illis.

4. *Per familias vestras*, לבית אבותיכם] Ad verb. *per domum patrum vestrorum.*

5. *In Sanctuario*, בקודש] *In statione sancta.* ¶ *Secundùm classes familiarum*, לפלגות בית האבות] Ad verb. *secundùm divisiones domûs patrum*. Quidam, *secundùm distinctionem domûs patrum*. ¶ *Fratrum vestrorum filiorum populi*, לאחיכם בני העם] i. Fratrum vestrorum, h.e. populi aliarum tribuum (per appositionem enim positum est *filiorum populi*) quæ vos nullâ dignitate antecellunt. *Filios populi* vocat populum, sive plebem, idiotismo Hebraico. Vide v. 7, & 12. Item Esa. 22. 4. Jer. 17. 19. & 26. 23. Comparat tribum Leviticam cum reliquis; & ratiocinatur à minori ad majus: nam si in reliquis tribubus censentur singuli secundùm domos sive familias & capita, tribus Levi, quæ dignitate reliquas antecedebat, debuit hanc distinctionem colere & servare majore curâ. Proponit igitur Josias Levitis fratres suos in exemplum, nè legitimum censum negligant qui debebant aliis viam monstrare. Vide v. 12. ¶ *Et* secundùm *divisionem domûs patris*, וחלוקת בית אב] *Et* in *ordine domûs patrum.*

6. *Ut faciatis*, לעשות] *Ut faciant.*

7. *Filiis populi*, לבני העם] Sic vocat plebeios aliarum tribuum præter tribum Leviticam, quæ nullo honoris gradu excellebant.

10. *Præparato itaque ministerio*, ותכון העבודה] i. Præparatis iis quæ necessaria erant ad celebritatem Paschæ.

11. *Immolaveruntque*, וישחטו] Sub. *Levitæ*. Nam Levitæ mactabant victimas, & sanguinem excipiebant; quem deinde tradebant Sacerdotibus, ipsum sparsuris super altare. ¶ *De manu eorum*, מידם] Relativum sine antecedente, nempe *Levitarum.*

12. *Removerunt autem* de *holocausto*, ויסרו העולה] *Abstulerunt autem* illa de *holocausto*, nempe pecudes, agnos, &c. h.e. non obtulerunt in holocaustum pecudes, agnos, hœdos, & boves quos populo dederant Josias & principes. Non enim vult significare in hac celebritate cessasse holocaustum, ut patebit paulò pòst; sed significat subduxisse partem pecudum, quam non obtulerunt in holocausta, in quibus omnia absumebantur, nè omnibus absumptis partem non acciperet populus. ¶ *Filiorum populi*, לבני העם] i. Populorum aliarum tribuum. Quia

Quia suprà v. 5. commendaverat Josias distinctionem, nequa fieret adulterina commistio, nunc testatur historia mandatum hoc non fuisse neglectum, sed habitâ ratione legitimi census distributas fuisse singulis suas portiones. Quidam vertunt *filiis populi*, h. e. populo, sive vulgo, & plebi nullâ dignitate præcellenti.

13. *Et assaverunt*, ויבשלו] Hæc vox in omnibus Scripturæ locis significat *elixare* præterquam hîc, ubi *assare* significat. ¶ *De more solito*, כמשפט] Ad verb. *secundum judicium*. ¶ *Sanctificata autem*, והקדשים] *Sanctitates autem*; i. hostias consecratas Deo. q. d. Posteaquam assaverunt agnos Paschales, alias victimas coxerunt aquâ, ac paraverunt sibi in escam. ¶ *Et porrexerunt cum celeritate*, ויריצו] Ad verb. *& currere fecerunt*. ¶ *Filiis populi*, בני העם] i. Plebeiis.

14. *Posthac verò*, ואחר] i. Posteaquam Levitæ assaverunt agnos Paschales, & alias victimas elixarunt populo, paraverunt sibi escam, & Sacerdotibus. Seipsum mox exponit.

15. *Parabant*, הכינו] Præt. perf. Heb. vertendum per imperfectum.

16. *Paratum est itaque omne ministerium*, ותכון כל עבודת] Ut v. 10. ¶ *Ut celebrarent*, לעשות] Ad verb. *ut facerent*.

17. *Qui reperti sunt*, הנמצאים] i. Qui aderant.

20. *In Charchemis*, בכרכמיש] Hæc urbs non procul sita ab Euphrate erat Assyriorum, quam oppugnaturus erat Necho. Verebatur autem Josias nè ipse Necho per Judæam iter faciens, ipsam occuparet. Vide hæc paucis descripta in 2 Reg. 23. 29.

21. *Qui mittens*, &c. וישלח וגו'] Ad verb. *Et misit* [sub. *Necho*] *ad eum nuncios, dicendo*. ¶ *Quid mihi & tibi*, מה לי ולך] i. Quid mihi in hac re commune est tecum? ¶ *Non contra te hodie*, לא עליך אתה היום] Ad verb. *non contra te, teipsum hodie*: sub. *sum dimicaturus*. Aut אתה redundat. ¶ *Contra domum belli mei*, אל בית מלחמתי] *Contra familiam prælii mei*: i. mihi inimicam, contra quam bellum gero. Hebraismus. *Desine à Deo*, חדל לך מאלהים] *Desiste à Deo*: q. d. Vide nè resistere velis Deo, à quo mittor contra Regem Assyriorum: illo authore ac monitore hoc bellum suscepi.

22. *Non avertit autem*, &c. ולא הסב וגו'] i. Non est reversus à Rege Ægypti. ¶ *Mutavit se*, התחפש] *Mutavit vestes*. Gallicè, *Il se disguisa*. ¶ *Ex ore Dei*, מפי אלהים] Sub. *profectis*.

23. *Transferte me*, העבירוני] *Educite me hinc*. *Æger factus sum valde*, החליתי מאד] q. d. E vulnere sagittæ laboro gravissimé.

24. *De curru illo*, מן המרכבא] i. De curru de quo pugnabat. ¶ *Et imposuerunt eum*, וירכיבוהו] Ad verb. *& equitare fecere eum*. ¶ *Secundum*, המשנה] i. Qui ejus erat qui eum sequebatur. ¶ *In sepulcris*, בקברות] Aut significat *sepulcrum sumptuosissimum & pulcherrimum*, vel *unum sepulcrorum*.

25. *Lamentatus est quoque*, &c. ויקונן וגו'] Quidam sic vertunt, *Composuit autem Jeremias lugubre carmen de Josia, quod cecinerunt omnes cantores & cantatrices in lamentationibus suis propter Josiam*. ¶ *Dixerúntque*, &c. ויאמרו וגו'] i. Meminerunt Josiæ in lamentationibus suis: h. e. luxerunt eum. ¶ *Quas dederunt in statutum*, ויתנום לחוק] Ad verb. *& dederunt illas* [sub. *lamentationes*] *in consuetudinem*. q. d. Mos fuit postea eas lamentationes cantu celebrare.

26. *Et misericordiæ ejus*, וחסדיו] i. Beneficia quæ contulit in familiares & subditos suos & alios, quæ fecit *juxta id quod scriptum est in Lege Jehovæ*.

GROTIUS.

3. **L***Evitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est*] Legit המבונים. Alii codices habent המכונים, Levitis, quorum erat præparare in usum Israelis res sacras; quod cum sequentibus bene cohæret. Nec aliter legere Græci, quanquam aliter vertunt, nempe δυνατοῖ· habet enim participium illud etiam istam significationem.

6. *Immolate phase*] Confer quæ suprà 30 פסח semper Theodotion vertit φασὲκ non, ut alii interpretes, πάσχα. Theodotionis autem interpretationem in Paralipomenis & aliis quibusdam libris recepit Græca Ecclesia. In Græcis quibus utimur libris initio Esdræ positum est caput 35. Paralipomenon & magna pars 36. ex LXX, ubi semper πάσχα non φασὲκ.

20. *In Charcamis*] Putant quidam esse *Cercusium* apud Ammianum l. 23.

21. *Quid mihi & tibi est, Rex Juda?*] Nihil inter nos controversiæ est: noli negotium quærere, καλὸν ἀσυχία. ¶ *Contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinatò ira præcepit*] Per Jeremiam, ut credibile est. Nam Deus per Prophetas suos etiam alienis à vera pietate Regibus sæpe dabat mandata, ut 2 Reg. 9. 7.

25. *Jeremias maximè; cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant*] Fuit ergò Jeremias Hebræis quod aliquantò pòst Simonides Græcis, de quo Catullus,

> *Tristius lacrymis Simonideis.*

Et Horatius,

> *Cea retractes munia næniæ.*

Alia autem fuit hæc Jeremiæ nænia ab ea quam nos habemus de excidio Urbis.

CAP. XXXVI.

VATABLUS.

1. **E***T tulerunt*, &c. ויקחו וגו'] Vide hæc 2 Reg. 23. 30.

8. *Et abominationes ejus*, ותועבותיו] Cultum idolorum & defectionem à vero Deo intelligit. ¶ *Super eum*, עליו] i. In corpore ejus cùm jam mortuus esset. Intelligit stigmata quædam impressa corpori ejus, qualia imprimere solent impostores hominibus credulis & superstitiosis: solebant enim sibi imprimere notas idolorum quibus serviebant. Sic etiam Judæi nostri temporis solent sibi quædam imprimere.

9. *Octo annorum erat*, בן שמונה שנים] In 2 Reg. 24. 8. dicitur istum *natum fuisse decem & octo annos cùm regnare cœpit*; hîc verò, *octo*. Doctiores Hebræi dicunt regnasse cum patre decem annos; & sine patre, i. eo mortuo, solùm tres menses. Natus igitur erat octodecim annos cùm regnare cœpisset solus, ut dicitur in prædicto Regum loco: tantùm illic non adduntur *decem dies* quos hic author adjecit, tum quòd tam pauco tempore iste Rex regnasset mortuo patre, tum quòd id prætermissum esset in Regibus. ¶ *Cùm regnare cœpit*, במלכו] Sub. *cum patre*. ¶ *Regnavit*, מלך] Post mortem patris scilicet.

10. *In reversione autem anni*, ולתשובת השנה] Post revolutionem autem illius anni: i. revoluto anno à captivitate Joachin. Vide hæc 2 Reg. 24. ¶ *Cum vasis concupiscibilibus*, עם כלי חמדת] *Cum vasis desiderii*: i. unà cum supellectile pretiosa Templi, quæ habebatur in magno pretio. ¶ *Fratrem ejus*, אחיו] i. Patruum ejus, ut est in 2 Reg. 24. 17. ubi iste nominatur *Mathaniah*, qui postea mutato nomine dictus est *Sidcijah*.

12. *Malum*, הרע] Hoc de idololatria intelligendum est. ¶ *Nec humiliavit se*, &c. לא נכנע וגו'] i. Non egit pœnitentiam adhortante & admonente Jeremiâ verbis Jehovæ.

13. *Qui jurare fecerat eum per Deum*, אשר השביעו באלהים] *Qui eum adjuraverat per Deum*: q. d. Qui pollicitus fuerat ipsi Nabuchodonosor se ei servaturum fidem, interposito juramento. ¶ *Roboravítque cor suum*, ויאמץ את לבבו] *Obstinavítque animo suo*.

14. *Auxerunt prævaricationem*, הרבו למעול מעל] Ad verb. *Multiplicaverunt prævaricari prævaricationem*.

15. *Manè*

15. *Manè surgendo & mittendo*, השכם ושלוח] Metaphora à diligenti patrefamiliâs; i. quotidie exhortando & admonendo eos per Prophetas suos quos mittebat ad eos. Similis locutio & Jer. 11.7. & 25.3,4. & 26.5. & 32.33. ¶ *Pepercit*, חמל] *Misertus est; indulsit*. Alii, *parcere cupiebat*.

16. *Et errabant in Prophetis ejus*, ומתעתעים בנביאיו] *Et illudebant Prophetis ejus*. ¶ *Ità ut nulla esset curatio*, עד לאין מרפא] i. Donec ascenderet furor Dei incurabilis.

19. *Destruxerúntque*, וינתצו] *Confregerúntque*, vel, *subruerúntque*. ¶ *Palatia ejus*, ארמנותיה] *Ædes magnificas ac sumptuosas ejus*. ¶ *Omnia item vasa*, &c. וכל כלי ונו'] Ad verb. *Et omnia vasa desideriorum ejus, ad delendum*, i. omnem supellectilem ejus pretiosam combusserunt, ità ut delerent ac perderent omnia.

20. *Regnum Paras*, מלכות פרס] *Regnum Persidis*, i. donec Regnum Chaldæorum translatum fuit ad Persas Cyrus enim Persarum Rex invasit & obtinuit illud Regnum Babylonicum.

21. *Ut impleretur*, &c. למלואות ונו'] Prædixerat Dominus per Jeremiam, fore ut populus Israel serviret servitutem per septuaginta annos apud Babylonios: de quo vide Jer. 25.11. & 29.10. ¶ *Donec perficeret terra sabbatha sua*, עד רצתה הארץ את שבתותיה] Terram sanctam intelligit. Quid sit *terram celebrare sabbathum suum*, vide Levit. 25.2. Et hujus sabbathismi terræ non voluntarii comminationes vide Levit. 26.43.

22. *Chores*, לכורש] Lxx verterunt Κῦρος, *Cyrus*. De hoc fit mentio & Esa. 24.28. & 25.2. ¶ *Qui edictum promulgavit*, ויעבר קול] Ad verb. *& transire fecit vocem*, sub. *præconis*. ¶ *Scripto*, במכתב] Ad verb. *per scriptum*, i. edicto, ipso scripto non tantùm voce præconis promulgato.

23. *Rex Paras*, מלך פרס] q. d. *Et nunc Imperator Babylonis*. Quia nuper invaserat Regnum Babylonicum, ideo hic retinuit nomen dignitatis pristinæ, nempe *Rex Persarum*. ¶ *Quis inter vos*, &c. מי בכם מכל עמו ונו'] *Quis est ex vobis*, id est, *ex universo populo ejus cum quo sit Jehova Deus ejus? veniat, & ascendat*, i. Quis ex vobis, h. e. ex universo populo ejus, quem incitet sive moveat Jehova Deus ejus ut revertatur in Jerusalem? veniat, atque ascendat in Jerusalem, perinde acsi dicat, Facio ei potestatem ut ascendat ac revertatur in Jerusalem, ut ædificet domum Domino Deo suo. Vide initium libri Esdræ, v. 3. ubi eadem verba leguntur.

CASTALIO.

8. QUibus fuerit moribus præditus] Ad verb. *Quid inventum fuerit in eo*. Jam *inveniri* pro *esse* aut *existere* aut *exstare* dicitur, quoniam nihil inveniri potest quod non sit: ut Phil. 2.8. *Figurâ inventus est ut homo*, i. exstitit homo. Et Latinè, *Hic unus inventus est qui id posset*, h.e. unus exstitit. Et 2 Par. 19.3. *Res bona inventa sunt in te*, h.e. insunt in te quædam laudabilia.

9. *Annum ætatis agens octavum*] Octavumdecimum.

GROTIUS.

9. OCto annorum erat Joachin cùm regnare cœpisset] Cùm regnare inciperet pater ejus, cujus suprà mentio. Hunc sensum postulat locus 2 Reg. 24. 8.

13. *A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum*] Etiam malis & irreligiosis Principibus fides data servanda est: non enim sunt extra humanam societatem. Quòd si & jusiurandum accesserit, ut hic, ejus violationem Deus ut suam injuriam vindicat. Vide quæ diximus l. 2. De J. B. ac P. c. 13. §. 15, 16. & l. 3. c. 19. §. 2, 5, & 13.

20. *Donec imperaret Rex Persarum*] Cyrus, qui Judæos in patriam restituit.

21. *Et celebraret terra sabbata sua*] Quia Judæi tum cæteras leges tum illam de anno Sabbatico non observaverant, ideo Deus Sabbatum longum, i. Lxx annorum, indixit Terræ. Vide Jer. 25, & 29.

22. *Anno autem primo Cyri Regis Persarum*] Hæc verba ad finem usque eadem sunt unde suorum temporum historiam Esdras incepit. Is mos libros continuandi est antiquus quem & Procopius sequitur fine Vandalicorum & Gotthicorum initio.

ANNOTATA

AD LIB. I.

ESDRAE.

CAP. I.

MUNSTERUS.

1. ANNO *primo Chores*] Hic est quem nostri vocant *Cyrum*, qui primo anno non Regni sui sed Monarchiæ monitus à Deo populum Jehudæorum abire permisit. Successit autem iste Dario in Imperio, quippe cui Darius Rex Persarum ante devictum Babyloniorum Regnum, prole masculâ carens, dedit filiam in uxorem, atque Regnum Medorum in dotem. Fuit enim nepos ejus ex sorore. Et cùm Darius non toto anno regnasset post subactum Imperium Chaldæorum, successit illi Cyrus; & simul eodem anno completi fuerunt septuaginta anni quos prædixerat Jirmeias in consolationem Jehudæorum. Et Cyrus advertens sibi supernè concessam victoriam tam potentis & invictæ Babylonis, gratificaturus Deo cœli populum suum atque vasa Sanctuarii Hierosolymam remisit, Civitatem & Templum instaurari præcepit, & humaniter tractavit Jehudæos: Sed postea inductus per consiliarios mandatum revocavit. Huic successit Cambyses hostis omnis religionis; sub quo Jehudæis nihil faustum fuit. Post hunc factus est Rex Darius alius, cujus anno secundo Jehudæi iterum ædificare cœperunt in Templo: & sexto ejus anno absolutum est. Septimo autem anno venit Ezra cum magna parte populi. Anno vicesimo misit Rex Nehemiam, qui intra 12 annos reparavit portas Jerusalem.

VATABLUS.

VATABLUS.

Quis fuerit iste Esdras, sive Ezra, hujus libri author, ex septimi capitis hujus libri v. 1, 6, & 11. doceri potes, ubi genus suum, séque *Scribam velocem in Lege Mose* fuisse scribit. Hebræi dicunt ipsum fuisse qui librum Verborum Dierum scripserit, quòd eadem verba in principio hujus libri habeat quæ in fine illius leguntur: utut sit, videtur voluisse illius historiæ seriem continuare.

1. *Anno primo,* ובשנת אחת] Ad verb. *Et anno primo.* Aut ו redundat: Aut, ut hæc historia fini libri secundi Paralipomenon attexatur, & velut continuatio quædam esse videatur, cùm idem repetat quod illic habetur, sic vertendum est, *Anno, inquam, primo.* ¶ *Chores,* לכורש] Lxx verterunt Κῦρος, *Cyrus.* Is Cyrus est qui primus devicto Astyage transtulit Regnum Medorum ad Persas. Agit autem de reductione populi Israelitici in patriam sub ipso Cyro Rege Persarum. Primo igitur anno, inquit, quo Cyrus regnare cœpit in Babylone super Chaldæos qui antea regnabat in Perside. ¶ *Ut perficeretur,* &c. לכלות ונו׳] Vide ipsa eadem verba 2 Par. 36. 22. Quidam vertunt *tempore quo completum erat,* vel, *cùm compleretur,* aut, *quando complebatur,* i. quando incipiebat compleri Prophetia Domini dicta per Jeremiam, tunc enim cœpit Dominus visitare populum suum. ¶ *Spiritum,* את רוח] i. voluntatem. ¶ *Paras,* פרס] *Persem,* sive *Persidem* significat.

3. *Sit Deus ejus eum eo, & ascendat,* יהי אלהיו עמו ויעל] *Cum quo sit Deus ejus, ascendat,* ו redundabit ante verbum, nisi vertas, *ascendat itaque,* i. qui ab eo incitatur ut revertatur. Hanc esse veram lectionem ostendit versus quintus, ubi legitur, *Surrexerunt omnes quorum excitaverat Deus spiritum ut ascenderent.* ¶ *Et ascendat,* ויעל] Per me licet illi reverti. Do illi facultatem revertendi. ¶ *Atque ædificet,* ויבן] *Atque instauret.* ¶ *Ipse est Deus,* הוא האלהים] Observanda parenthesis: nam quod mox sequitur præcedentibus jungi debet, q. d. Qui est verus ille ac solus Deus.

4. *Remanserit ex omnibus,* הנשאר מכל] *Reliquus erit in omnibus,* &c. i. cogetur remanere propter inopiam rerum necessariarum ad iter. ¶ *Sublevabunt,* ינשאוהו] *Sublevent.* Vel, *dono donent eum concives ejus.* ¶ *Viri loci sui,* אנשי מקמו] *Homines loci ejus.* Per *homines loci* sive *concives* nostri intelligunt Gentes; Hebræi verò Judæos qui decreverant remanere in Chaldæa: neminem enim cogebat Cyrus abire. *Cum oblatione,* עם הנדבה] *Ultra supra oblationem:* i. cum eo quod spontè offerent pro domo Dei: h. e. præter id quod liberaliter concives illi mittent per manus illorum pro instaurando Templo, q. d. Non tantùm permitto vobis reditum in patriam, sed etiam ut discedatis cum muneribus amplis.

5. *Omnes quorum excitaverat,* לכל העיר] *Cum omnibus quorum excitaverat.*

6. *Roboraverunt manus eorum,* הזקו בידיהם] *Firmaverunt manus eorum,* i. omnes vicini eorum ornarunt eos donis ac muneribus: nam ab illis vicinis acceperunt multa dona ac munera. ¶ *Substantia & jumentis,* ברכוש ובבהמה] *Supellectile* [*opibus, divitiis*] *& pecoribus.* ¶ *Præter omne quod sponte oblatum est,* על כל התנדב] *Ultra id quòd spontè quisque offerebat.*

7. *Protulit,* ההוציא] Sub. *è sacrario regio.*

8. *Per manum,* על יד] i. Operâ. ¶ *Thesaurarii,* הגזבר] i. Qui præerat thesauro Regis. ¶ *Qui numeravit ea,* ויספרם] i. Consignavit illi, & numero reddidit. ¶ *Sesbasar,* לששבצר] Ità vocabatur Zorobabel apud Chaldæos.

9. *Et iste numerus eorum,* ואלה מספרם] *Hæc autem* sunt vasa illa *in numero suo,* i. hic est numerus illorum vasorum. ¶ *Polubra aurea,* אגרטלי זהב] *Phialæ aureæ.* ¶ *Cultri,* מחלפים] Quibus scilicet utebantur Sacerdotes & Levitæ in mactandis & præparandis victimis.

10. *Secundi,* משנים] i. alii ab illis. Alii vertunt, *cochlearia aurea,* &c. *vasa alia,* sub. *à supradictis.* Hoc versu & præcedente intelligit ex magnis vasis Templi tantùm, ut ait ex doctioribus Hebræorum alter.

11. *Omni vasorum,* &c. כל כלים ונו׳] Describitur summa sive numerus omnium vasorum Templi tam parvorum quàm magnorum, ut ait ex doctioribus Hebræorum alter. *Omnia extulit,* הכל העלה] Ad verb. *Omnia* illa vasa *ascendere fecit,* i. extulit, sive exportavit. ¶ *Quando ascendit captivitas,* עם העלות הגולה] q. d. Quando summo desiderio ac summâ diligentiâ & cum summa animi lætitia (studium enim quoddam significat istud verbum in conjugatione secunda) qui transmigraverant in Babylonem, ascenderunt ut reverterentur in Jerusalem.

CLARIUS.

1. *Anno primo Cyri*] Anno primo non Regni sui sed Monarchiæ monitus à Deo populum Judæorum abire permisit. Successit autem iste Dario in Imperio, quippe cui Darius Rex Persarum ante devictum Babyloniorum Regnum, prole masculâ carens, dedit filiam in uxorem, atque Regnum Medorum in dotem. Fuit enim nepos ejus ex sorore. Et cùm Darius non toto anno regnasset post subactum Imperium Chaldæorum, successit illi Cyrus: & simul eodem anno completi fuerunt Lxx anni quos prædixerat Jeremias in consolationem Judæorum. Et Cyrus advertens sibi supernè concessam victoriam tam potentis & invictæ Babylonis, gratificaturus Deo cœli, populum ejus atque vasa Sanctuarii Hierosolymam remisit, Civitatem & Templum instaurari præcepit, & humaniter tractavit Judæos: Sed postea persuasus per consiliarios, mandatum revocavit. Huic successit Cambyses hostis omnis religionis; sub quo Judæis nihil faustum fuit. Post hunc factus est Rex Darius alius; cujus anno secundo Judæi iterum ædificare cœperunt in Templo: & sexto ejus anno absolutum est. Septimo autem anno venit Ezras cum magna parte populi. Anno vicesimo misit Rex Nehemiam, qui intra 12 annos reparavit portas Jerusalem.

GROTIUS.

Apparet & ex hoc scripto & ex fama apud Hebræos recepta Esdram virum fuisse & valde eruditum & mirè φιλοπάτριδα; cui comparari fortè possit Sempronius ille Romanis dictus σοφός.

1. *Ex ore Jeremiæ*] Cap. 25 & 29 & 45. ¶ *Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum*] Regum benevolentia unum ex instrumentis Dei optimis per quæ piis bene facit. ¶ *Traduxit vocem in omni regno suo*] Publicari fecit per omnia Regna sua. ¶ *Etiam per scripturam*] Ad sensum melius, *idque scripto.*

2. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli*] Magna sanè Imperia; Persarum, jure nascendi; Medorum & Chaldæorum, jure victoriæ. Tanta autem est evidentia hujus veritatis, Unum esse Deum summæ hujus artificem, ut etiam ii Reges ac Principes qui non tam animi consensu, quàm quòd receptis erroribus non auderent contrà ire, multitudinem deorum colebant, sæpe tamen ad veri illius Dei confessionem conscientiæ vi adigerentur. Exemplum illustre habemus in Nabuchodonosoro Dan. 2. 47. & 3. 28. & 4. 34, 35, 36, 37. Et Cyrus & Darius pro se orari in Templo Hierosolymitano voluere, ut notat Josephus. Alexander Magnus Deo Judæorum victimas obtulit, teste eodem. Fecere idem Ptolemæus Philadelphus, Augustus quoque & Tiberius, & Caii tempore Vitellius, ut ex eodem Josepho & Philone discimus. Reges plurimi dona Templo dedere, etiam Sosius coronam auream. Neque verò Judæi in Templo cum sacrificiis preces pro suis tantùm popularibus obtulêre, sed pro omni humano genere, ut notat Philo, speciatim pro Lacedæmoniis & Romanis. Non erant ergò eorum Sapientes ἄμικτοι, ἀλόφυλοι, quales habebantur partim malâ extraneorum

rum interpretatione partim ob culpam vulgi rudis. Vide quæ diximus l. 2. De J. B. ac P. c. 15. §. 8, 9.

3. *Quis est in vobis de universo populo ejus? sit Deus illius cum ipso*] Efficax locutio; Quis est Israelitarum qui tanti Deum facit ut isthuc redeat? Deus ei fit propitius. A me nihil desiderabitur.

4. *Excepto quod voluntariè offerent*] Heb. עם, quod hic non exceptivum est, sed declarativum. Græci vertunt σὺν τοῖς ἄλλοις τοῖς κατ' εὐχὰς προτεθειμένοις. Cùm jure recepto non liceret collectas facere impermissu Regis, permittit hic Rex ut qui Judæorum redire in patriam nollent (neque enim ulli imponebat necessitatem.) contribuerent ad reponendum Templum Dei, quantum vellent, de argento, auro, de rebus mobilibus (id enim est רכש) déque aliis rebus quæ Deo offerri jus fásque est. Interpretanda hæc ex loco Exodi 35. Nullam cuiquam contribuendi necessitatem Cyrus imponit, sed contribuendi dat licentiam: qualem & Macedones Reges postea & Romani dedere. Vide quæ diximus Matth. 17. 24.

5. *Et omnis cui Deus suscitavit spiritum*] Eadem locutio cum illa apud Livium 6. *Dii prohibebunt hæc, inquies, sed nunquam propter te de cœlo descendent: tibi dent mentem oportet ut prohibeas.* Verba enim talia Divinum quidem beneficium significant, sed bene acceptum.

7. *Rex quoque Cyrus protulit vasa Templi Domini quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in Templo Dei sui*] Multum hoc in Rege Persa, quòd Deum mundi Opificem diis patriis, i. hominum commentis, præferre ausus est.

8. *Mithridatis*] Nomen frequens apud Persas, à deo *Mithra.* ¶ *Annumeravit ea Sassabasar principi Judæ*] Προστάτῃ τῆς Ἰουδαίας. Unde nonnulli hunc eundem existimant qui postea *Zorobabel* dicitur 3. 2, 8. & 4. 2. Nam plurimi primores Judæi, dum sub Chaldæorum agebant dominatu, nomen habebant aliud patrium sive domesticum, aliud Chaldaicum sive aulicum. Vide Dan. 1. 7. Vide & quæ de Nehemiæ altero nomine jam mox dicemus. ששבצר nomen boni ad divitias ominis, ex *bysso* & *auro* compositum. At זרבבל significat miseriam populi Israelitici eo tempore *exsulantis in Babylone.* Ità viri pii inter aulæ honores (nam Zorobabel Regii corporis custos fuit σωματοφύλαξ, ut Josephus loquitur 11. 4.) admonebantur nè exuerent συμπάθειαν adversùs suos populares.

9. *Phialæ aureæ*] Σπονδεῖα hîc Græcus interpres. Vide quæ diximus ad Gen. 44. 2. Josephus ψυκτῆρας vertit.

10. *Scyphi aurei triginta*] Heb. כפורי, quod retinuere Græci quidam. Vide 1 Par. 28. 17.

CAP. II.

MUNSTERUS.

Habet hoc capitulum catalogum eorum qui è Babylone Hierosolymam ascenderunt.

63. *Hathirsata*] Hic est Nehemia; sic dictus quasi התיר שתא, i. *qui dispensavit potum.* Fuit enim pincerna Regis. Vel potest esse, ut dicit Aben Ezra, quòd sit *Hathirsatha* in lingua Chaldaica nomen dignitatis.

70. *Cunctus Israel in urbibus suis*] Hic locus objici potest Jehudæis, qui contendunt solùm tribum Jehuda & tribum Binjamin rediisse in Terram promissionis. Hîc autem duæ tribus vocari non possunt *cunctus Israel.*

VATABLUS.

1. *Provinciæ,* המדינה] Sub. *Babylonicæ.* Alii, *Terræ sanctæ*, i. qui diu habitaverunt in Chaldæa. Vel, *qui nati,* sive *orti, erant in regione Israelis.* Significat enim *incolatum* aut nativitatem.

2. *Qui venerunt cum Zerubbabel,* אשר באו עם זרובבל] Hos separavit ab aliis, h. e. à plebeiis, de quibus sequenti versu, quòd essent insigniores, clariores ac illustriores. ¶ *Virorum populi,* אנשי עם] i. Vulgi, sive plebis, sub. *est iste qui sequitur,* q. d. *Iste numerus qui sequitur, est catalogus vulgi.*

3. *Filii Paros,* בני פרעש] Quoties hæc dictio בני, i. *filii,* jungitur nominibus locorum, significat *habitationem.* Priùs enim significat *filios, nepotes, posteros*; posteriùs, *homines, cives, incolas.* Id annotavimus, quòd in sequentibus aliquando jungitur nominibus urbium, aliquando nominibus virorum.

6. *Filiorum Jesua,* לבני ישוע] i. Qui erant ex filiis sive nepotibus Jesua, vel, qui originem ducebant à Jesua, aut, qui genus suum referebant ad Jesuam, sic v. 16. Jesua ille & Joab fuerunt suo tempore viri insignes & clari.

16. *Ipsi Hizcijah,* לחוקיה] i. Qui erant ex nepotibus Ezechiæ viri cujusdam clari, qui quidem erat illorum avus, ut vides v. 6.

21. *Filii Beth-lehem,* בני ביתלחם] i. Viri, cives aut incolæ urbis Beth-lehem. Nomina sunt locorum.

30. *Filii Magbis,* בני מגביש] Nomina sunt virorum propria.

31. *Alterius,* אחר] Nempe à suprà enumerato: totidem enim fuerunt filii alterius.

34. *Filii Jereho,* בני ירחו] Nomina urbium.

36. *Sacerdotes,* הכוהנים] i. Sequitur catalogus Sacerdotum qui reversi sunt de Babylone in Jerusalem. Priùs enim recensuit filios Judah & Benjamin; nunc transit ad filios Levi, & incipit à Sacerdotibus. ¶ *Domus Jesua,* לבית ישוע] i. Qui erant de familia Jesua viri insignis & clari.

40. *Filiorum Hodaviah,* לבני הודויה] Ut v. 6. *filiorum Jesua.*

43. *Nethinæi,* הנתינים] Ità dicti quasi *dati*, sive *donati*, aut *ordinati*, i. consecrati ministerio Templi. Ipsi enim traxerunt originem à Gabaonitis: Fuerúntque constituti primùm à Josue, deinde à Davide, in hoc scilicet ut cæderent ligna & comportarent aquam in usum sacrificiorum.

55. *Filii servorum Selomoh,* בני עבדי שלמוה] Hi erant à reparationibus sive instauratione Templi; fuerúntque annumerati cum Nathinæis.

59. *Domum patrum suorum,* בית אבותם] Familiam majorum suorum, i. de qua familia essent, duceréntque originem.

62. *Quæsierunt scripturam suam,* &c. בקשו כתבם וגו'] i. Diligenter scrutati sunt catalogum genealogiæ suæ, sive qui per genealogias descripti erant. ¶ *Inventi,* נמצאו] Sub. *in eo catalogo.* ¶ *Et elongati sunt,* ויגואלו] *Ideo rejecti sunt.*

63. *Thirsatha,* התרשתא] Erat nomen officii vel dignitatis apud Chaldæos, vel nomen viri cujusdam clarissimi apud Judæos, putà Nehemiæ. ¶ *De sanctitate sanctitatum,* מקודש הקדשים] i. De sacrosanctis Sacerdotum escis. ¶ *Cum Urim & Thummim,* לאורים ולתמים] Vide Exod. 28. 30. i. qui dignus sit gestare Urim & Thummim, sicut tempore primi Templi.

64. *Tanquam vir unus,* כאחד] i. simul, vel in unum collecta. Orationem integram leges c. 3. 1.

65. *Hi erant,* אלה] *Qui* erant.

68. *Et de principibus patrum,* ומראשי האבות] Ut c. 1. 5. i. aliquot ex præcipuis patribus, sive Patriarchis tribuum. ¶ *In domum Dei,* לבית האלהים] *Pro domo Dei*, i. liberaliter, non coacti, obtulerunt de opibus suis munera. ¶ *Ut erigerent eam,* &c. להעמידו על מכונו] Ad verb. *ut stare facerent eam super basim suam,* i. ut instaurarent eam à fundamentis ipsis.

69. *Secundum vires suas,* ככוחם] *Pro virili sua*, i. pro facultatibus suis: Intelligit de tota congregatione unà cum Principibus suis, & iis qui de Regno Cyri spontè obtulerunt de opibus suis. ¶ *In thesaurum operis,* לאוצר המלאכה] *Thesauro operis*, i. Templi.

70. *Et de populo,* ומן העם] i. Pars sive portio aliqua populi, aliquot de plebe. ¶ *Et universus Israel,* וכל ישראל] Significat reliquos Israelitas.

CASTALIO.

CASTALIO.

63. **D***Onec exsisteret Pontifex Claritatis & Integritatis*] Qui ex Dei oraculo (adhibito Aharonis monili, in quo CLARITAS ET INTEGRITAS scriptum erat) sciscitaretur an illi ex Sacerdotum genere essent.

CLARIUS.

63. **E***T dixit Athersatha eis*] Hic est Nehemias, sic appellatus quòd *dispensaret potum*: fuit enim pincerna Regis. Vel potest esse quòd *Athersatha* in lingua Chaldaica sit nomen dignitatis.

70. *Universúsque Israel*] Hic locus objici potest Judæis, qui contendunt solùm tribum Juda & tribum Benjamin rediisse in Terram promissionis. Hæ autem duæ tribus vocari non possunt *universus Israel*.

GROTIUS.

1. **H***I sunt autem provinciæ filii*] i. Homines Judæi gente, sed nati in Chaldæis partibus. Recensio hæc sæpe numeris differt ab ea quæ est Neh. 7. & in quibusdam Græcis exemplaribus hîc deest, ut & caput sequens. Fortè ex Nehemiæ libro huc translata est à descriptoribus ista recensio, & quæ sequuntur ad comma 68. Nam & qui infrà nominatur *Athersata* est ipse Nehemias, ut apparet Neh. 8.9. & quod scribitur hîc dixisse, id secundo demum itinere, cùm post Templum Urbs ædificaretur, evenit, ut cognoscere est Neh. 7. 70. Præterea Mardochæus, cujus hîc nomen exstat, fuit in comitatu posterioris itineris, non prioris, ut Hebræi consentiunt.

69. *Auri solidos*] In Hebræo Græca vox דרכמונים, i. *drachmas*, ut & Neh. 7. 70. Non id mirum, cùm, ut alibi diximus, jam à Danielis temporibus multæ Græcæ voces in Chaldæum sermonem penetrassent. Contrà *mina* vox & *hinis* ex Syriaco sermone in Græciam venere.

CAP III.

MUNSTERUS.

1. **M***Ensis septimus*] Hic est Tisri, Septembri nostro respondens. Et in hoc mense exstruxerunt altare propter terrorem hostium, ut scilicet cum holocaustis Deum invocantes illius auxilium sentirent contra inimicos suos.

VATABLUS.

1. **M***Ensis septimus*, החודש השביעי] Is est mensis תשרי, qui respondet partim nostro Septembri, partim Octobri. ¶ *Congregati sunt*, &c. ויאספו וגו'] i. Congregati sunt omnes nullo excepto.

2. *Filius Sealthiel*, בן שאלתיאל] Non generatione sive naturâ, sed educatione. Educaverat enim eum Sealthiel patruus suus: erat itaque pater ipsius nutritius. ¶ *Ædificaverúntque*, ויבנו] *Instauraverúntque*. ¶ *Ut offerrent super illud holocausta*, להעלות עליו עולות] i. Ut cum oblatione holocaustorum precarentur Dominum.

3. *Firmaverunt autem*, ויכינו] *Collocaverunt autem. Concinnaverunt*. ¶ *Quòd timerent*, &c. כי באימה עליהם] Id *enim* fecerunt *ob timorem* qui erat *super eos*, i. præ timore quo tenebantur ob vicinos hostes populos.

4. *Juxta numerum*, &c. במספר וגו'] Ad verb. *in numero, juxta ritum, rem diei in die suo*, i. servatâ ratione numeri victimarum pro ratione & dignitate dierum. Alia enim erant sacrificia in solennitatibus quàm in aliis diebus.

5. *Et postea*, ואחרי כן] i. Post festum Tabernaculorum obtulerunt holocaustum juge, sive quod singulis diebus fieri solet. ¶ *Et in Calendis*, &c. ולחדשים וגו'] *Et* holocaustum *neomeniarum, &* holocaustum *omnium* aliarum *solennitatum Jehova sanctificatarum, &* holocaustum *omnium qui sponte offerebant munus liberale Jehova*. ¶ *Sanctificatis*, המקודשים] i. In honorem ac reverentiam Domini institutis ac consecratis.

6. *A die primo*, מיום אחד] q. d. Non solùm cœperunt à festo illo Tabernaculorum, sed à primo die mensis: attamen nondum jacta erant fundamenta Templi Jehovæ.

7. *Latomis & opificibus*, לחוצבים ולחרשים] *Fabris lignariis & artificibus*. ¶ *Ad mare Jappe*, אל ים יפוא] i. Ad portam maris Joppe, quod erat proximum ipsi Jerusalem. ¶ *Juxta voluntatem*, כרשיון] *Juxta preceptum*. Alii, *juxta facultatem à Cyro Rege Persarum eis datam, sive qua à Cyro Rege illis facta erat*.

9. *Stetitque*, &c. ויעמוד וגו'] i. Electi fuerunt isti ut præessent, &c. ¶ *Tanquam vir unus*, כאחד] i. Simul, sive pariter. ¶ *Filii eorum*, בניהם] Sub. *electorum*.

10. *Indutos*, מלובשים] Sub. *vestibus sacerdotalibus*. ¶ *Per manus Davidis*, על ידי דויד] i. Recitando ac decantando Psalmos Davidis.

11. *Concinebant autem*, ויענו] *Canebant*, vel, *Dicebant autem*. ¶ *Et confiterentur*, ובהודות] i. Et gratias agerent. ¶ *Dum laudarent Jehovam*, בהלל ליהוה] i. Dum Sacerdotes & Levitæ decantarent Psalmum illum in honorem Jehovæ. ¶ *Quòd fundata esset*, על הוסד] i. Quòd viderent jaci fundamenta.

12. *Senes*, הזקנים] i. Qui jam erant provecta ætate. ¶ *Dum fundarent*, &c. ביסדו זה הבית בעיניהם] i. Ipsis cernentibus ac videntibus hujus Templi fundamenta jaci. ¶ *Et alii multi vociferabantur*, &c. ורבים בתרועה וגו'] Ad verb. *Et multi in vociferatione in lætitia elevando vocem*.

13. *Ità ut populus non discerneret*, &c. ואין העם מכירים קול וגו'] Ad verb. *Et non populus cognoscebat vocem vociferationis lætitiæ à voce fletus populi; quia populus vociferabatur vociferatione magnâ, & vox audiebatur usque ad longinquum*, vel, *remotum*, sub. *locum*. Erat itaque vox illa confusa, conflata scilicet ex lætitia & mæstitia; unde excitabatur strepitus ac tumultus magnus inter eos.

CLARIUS.

1. **M***Ensis septimus*] Hic est Tisri, Septembri nostro respondens. Et in hoc mense exstruxerunt altare propter terrorem hostium, ut scilicet cum holocaustis Deum invocantes illius auxilium sentirent contra inimicos suos.

GROTIUS.

2. **Æ***Dificarunt altare*] Nolentes scilicet dum Templum struitur à sacrificiis vacare.

7. *Ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe*] Confer 2 Par. 2. 16.

11. *Concinebant in Hymnis & confessione Domino, Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel*] Vide 2 Par. 5. 13. & ibi dicta.

12. *Qui viderant Templum prius cùm fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum*] Distingue sic, *Qui viderant Templum prius cùm fundatum esset & hoc Templum in oculis eorum*. In Hebræo nihil opus nisi accentum trajicere. Non respondebat hoc Templum magnitudini ejus quod Solomon struxerat, Agg. 2. 3. Aberat præterea Urim & Thumim, Neh. 7. 65. in Hebræo.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

6. **A***Hasueros*] Jehudæi post autorem Seder Olam communiter sentiunt hunc Assuerum successisse

 Cyro,

Cyro, duxisséque Esther Jehudæam, & ex ea sustulisse Darium, qui ædificari permisit civitatem Jerusalem. Nostri verò aiunt Cambysen filium Cyri patri in Regno successisse, & quòd *Arthahsastha* seu, ut nostri legunt, *Artaxerxes*, commune fuerit nomen Regum Persarum, sicut *Cæsar* Romanorum. Et secundùm R. S. scripserunt adversarii Jehudæorum duas accusationes contra Jehudæos; unam ad Arthahsastham, quem putat Cores vel Cyrum fuisse, & alteram in principio Regni Assueri succedentis Cyro in Imperio.

10. *In tempore isto*] Quidam putant hîc כענת idem esse quod כעת, alii accipiunt pro nomine loci, & alii pro *ultra*. Reliqua fideliter reddidimus ut ab Hebræis exponuntur.

VATABLUS.

1. Audierunt autem, וישמעו] *Cúmque audissent*, &c. Hoc capite describit impedimenta quibus prohibiti sunt Judæi ab ædificatione Templi ab iis qui habitabant in Samaria & in urbibus ejus, quos scilicet ex Assyria illuc transtulerat Asar-haddon, qui successerat in Regno ipsi Sennacherib, ut scribitur 2 Reg. 17. 24. & 19. 37. ¶ *Filii transmigrationis*, בני הגולה] i. Ii qui transmigraverant in Babylonem, & illinc redierant, permittente ac jubente Cyro Rege Persarum.

2. *Et ad capita patrum*, ואל ראשי האבות] i. Ad præcipuos patres tribuum, sive Patriarchas. ¶ *Ædificabimus*, נבנה] *Ædificemus*, sub. *templum Domino*. ¶ *Sicut vos, quæremus Deum vestrum*, ככם נדרוש לאלהיכם] i. Nos colemus Deum vestrum ut vos facitis. Id non dicebant ex animo, sed ut imponerent illis, & hâc ratione impedirent eos & averterent ab ædificatione Templi. ¶ *Et ei immolavimus*, ולא אנחנו זובחים] Legitur & לא pro לו, *& non sacrificavimus*, sub. *alteri Deo quàm vestro*. ¶ *Ascendere fecit*, המעלה] *Transtulit*: posteaquam scilicet abductæ fuissent Decem tribus in Assyriam per Salmanasar.

3. *Non vestrâ, sed nostrâ interest*, לא לכם ולנו] Ad verb. *Non vobis & nobis*. Vel, *Nihil vobis & nobis*, i. vobiscum, sub. *commune est, ut ædificetis*, vel, *ut ædificemus*, q. d. Vos estis idololatræ: nos autem colimus Deum verum. ¶ *Pariter*, יחד] i. Nos omnes unanimi consensu. ¶ *Rex Paras*, מלך פרס] i. Qui antequam assecutus esset Imperium Babylonicum, Rex erat Persarum.

4. *Dissolvebat manus*, מרפים ידי] Hebraismus, debiles ac remissas reddebat, q. d. Conabatur ac studebat avertere eos ab ædificatione Templi. Significat *adimere animos*. Gallicè, *descourager*.

5. *Ut dissiparent consilium eorum*, להפר עצתם] i. Ut dissuaderent illis nè ædificarent, q. d. Mittebant qui consulerent eis ut desisterent ab incepta Templi ædificatione.

6. *Accusationem*, שטנה] Ad verb. *odium, inimicitias*. Quidam vertunt, scripturam *odii*, i. epistolam plenam odii & inimicitiarum.

7. *Nam in diebus*, ובימי] Ad verb. *Et in diebus*, i. Nam tempore Artaxerxis: is est Assuerus. *Artaxerxes* Persicum est nomen. Alii dicunt hunc fuisse Cambysen filium Cyri. ¶ *In pace*, בשלם] i. Tempore pacis: h. e. necdum odio detecto ac patefacto. ¶ *Et reliqui socii ejus*, ושאר כנותו] Ad verb. *Et residuum societatum ejus*, sub. *Mithridatis*. *Societates* vocat turmas. ¶ *Et explicata*, ומתורגם] *Et exposita*, i. dictata linguâ Chaldæâ, q. d. Epistola illa scripta erat literis & sermone Chaldæis.

8. *A Commentariis*, בעל טעם] Ad verb. *magister sapientiæ*, i. qui erat à consiliis. Gallicè, *Le chanceleir*. ¶ *Hujusmodi*, כנמא] *Ad hunc modum*.

9. *Tunc*, אדין] i. Tunc omnes isti unanimi consensu scripserunt ad Regem contra Judæos. ¶ *Dinaie, & Apharsathchaie*, &c. דינא ואפרסתכיא] Nomina sunt populorum qui adhibiti sunt in consilium contra Judæos, *Dinai, Apharsathachai, Tarpelai, Apharsai, Archavai, Bablai*, i. Babylonii *Susanchai*, i. qui habitabant in Susan, *Dahavai, Elmai*, fortè sunt Elamitæ.

10. *Asnappar*, אסנפר] Is est Sennacherib. ¶ *Et gloriosus*, ויקירא] *Et inclytus, clarus, magnanimus*. ¶ *Et habitare fecit eos*, והותב המו] i. Adduxit eos in locum Decem tribuum. Samaria enim fuerat antea sedes Decem tribuum. ¶ *Trans Flumen*, עבר נהרה] Euphratem intelligit per excellentiam. Euphrates separabat terram Israel ab imperio Babylonico: dicebantúrque populi isti qui tunc habitabant in urbibus Samariæ *habitare trans Euphratem* respectu Babyloniorum. ¶ *Et Cheeneth*, וכענת] Nomen gentis, seu populi.

11. *Et Cheeneth*, וכענת] Sub. *salutem dicunt*.

12. *Notum sit*, ידיע להוא] q. d. Optamus notum esse Regi. ¶ *Et muros fundaverunt*, ושוריא שכללו] i. Murorum fundamenta jecerunt. ¶ *Et parietes composuerunt*, ואושיא יחיטו] *Et fundamenta compegerunt*. Ad verb. *consuerunt*.

13. *Ædificata fuerit*, תתבנא] *Instaurata fuerit*. ¶ *Vectigal*, בלו] *Censum*, qui scilicet dabatur pro singulis capitibus. ¶ *Et reditum annuum*, והלך] Doctus inter Hebræos exponit illa munera quæ solent dari Regibus in adventu ipsorum, aut quando iter faciunt per aliquam regionem. ¶ *Lædes*, תהנזק] *Nocumento afficies*, sub. *si id permiseris*. Vel, *lædet*, sub. *hæc urbs, si instaurata fuerit*.

14. *Pro omni vicissitudine salis palatii quem comedimus*, כל קבל די מלח היכלא מלחנא] Ad verb. *quoniam sale palatii saliti sumus*, i. propterea quòd sal è palatio allatum comedimus: h. e. quòd in palatio educati fuimus. Alii, *propterea quòd destructionē Templi destruximus*, i. fuimus causa quòd Templum quod erat in Jerusalem destructum fuerit. ¶ *Et contemptum*, וערות] Propriè *nuditatem verendorum* significat, i. turpitudinem: accipitur & pro *contemptu*. ¶ *Non est pulchrum nobis*, לא אריך לנא] i. Non decet nos, vel, *non convenit nobis*.

15. *Quæras*, יבקר] *Inquiras*. Ad verb. *quærat*, sub. *aliquis, mandante ac jubente Rege*. ¶ *Historiarum*, דוכרניא] Ità dicitur historia à *reminiscentia*, q. *memoriale*, i. ut consulas historias & annales. ¶ *Et defectionem faciunt in medio ejus*, ואשתדור עבדין בגוה] *Et seditionem facere solent in medio ejus*. ¶ *A diebus seculi*, מן יומת עלמא] i. Ab omni ævo.

16. *Portio* quæ est *trans Flumen*, חלק בעבר נהרא] i. Portio quæ tibi debetur ab iis qui sunt trans Flumen, vel potiùs, *nullam hereditatem*, sive *possessionem, in regione quæ est ultra Euphratem, habiturus es*. Per *regionem quæ est ultra Flumen* intelligit terram Israel, quam amnis ille Euphrates separabat ab Imperio Babylonico, ut dictum est, ver. 10.

17. *Verbum*, פתגמא] i. Responsum, q. d. Respondit Rex ad epistolam supradictam. ¶ *In Semariah*, בשמרין] i. In urbibus provinciæ Samariæ. ¶ *Pacem*, שלם] Sub. *misit, inquam*, i. misit epistolam quâ dicebat illis salutem. ¶ *Et Cheeth*, וכעת] Per contractionem positum pro *Cheeneth*, i. & ad populum qui dicebatur *Cheeth*.

18. *Manifestè lecta est*, מפרש קרי] *Exposita* [*explicata*] & *lecta fuit*.

19. *Positum est decretum*, שים טעם] *Lata est sententia*, i. ego à vobis admonitus statui ac decrevi, sub. *quòd legerentur historiæ*. ¶ *Et quæsierunt*, ובקרו] *Et scrutati sunt*, sub. *historias*. ¶ *Insurgit*, מתנשאה] Ad verb. *elevatur, elevari solet*. ¶ *Et rebellio*, &c. ואשתדור מתעבד בה] *Et defectio fit* [*fieri solet*] ab habitantibus *in ea*.

20. *Vectigal*, *& reditus annuus*, בלו והלך] Vide hæc ver. 13.

21. *Ponite edictum ut cessent viri illi*, שימו טעם לבטלא גובריא] *Ponite statutum* [*decretum*, i. statuite, sive decernite] *ut cessare faciant* [*faciatis*] *homines illos*. ¶ *Præceptum*, טעמא] *Decretum, statutum*, sub. *aliud*, i. donec à me aliter statutum fuerit. Gallicè, *Jusques à tant que par nous en ait estre autrement ordonne*.

22. Et

22. *Et cavete*, &c. [והזהירין הוו שלו למעבר על דנה] Ad verb. *& cauti sitis errorem facere super hoc*, i. videte nè erretis in hoc. ¶ *Crescet corruptio*, &c. [ישגא וגו] *Multiplicabitur destructio* [*detrimentum, damnum*] *in perniciem Regum?* sub. *vestrâ culpâ, si id permittatis.*

23. *Cùm primùm autem*, [אדין מן די] Ad verb. *Tunc ex quo.* ¶ *Et sociis eorum*, [וכנותהון] *Et societate* [*turmâ, sodalitio*] *eorum.* ¶ *Brachio & robore*, [באדרע וחיל] i. Vi & exercitu, vel, vi & armis.

24. *Cessavit*, [בטילת] *Intermissum fuit.* ¶ *Et cessavit*, [והות בטלא] *Et fuit intermissum.*

CLARIUS.

6. IN *regno autem Assueri*] Judæi communiter sentiunt hunc Assuerum successisse Cyro, duxisséque Hester Judæam, & ex ea sustulisse Darium, qui ædificari permisit civitatem Jerusalem. Nostri verò aiunt Cambysem filium Cyri patri in Regno successisse, & quòd *Artaxerses* commune fuerit nomen Regum Persarum, sicut *Cæsar* Romanorum. Et putant quidam scripsisse adversarios Judæorum duas accusationes contra Judæos, unam ad Artaxersem, quem putant Cyrum fuisse, & alteram in principio Regni Assueri succedentis Cyro in Imperio.

GROTIUS.

1. A*Udierunt autem*] Etiam hujus capitis commata sex prima in Græcis desunt. ¶ *Hostes Juda & Benjaminis*] Chutæi maximè, intus inimici, sed amicitiam simulantes interdum, ut Josephus nos docet.

2. *Ecce nos immolavimus victimas*] Deo vestro scilicet, 2 Reg. 17. 32, 41. ¶ *A diebus Asor-Hadan*] Idem est qui nominatur 2 Reg. 19. 37.

3. *Nos ipsi soli ædificabimus*] Nam illi Chutæi ità Deum colebant ut fictitios etiam deos colerent; ideóque ad communionem Templi admitti non possent.

6. *In regno autem Assueri*] Editiones quædam Latinæ hîc adjiciunt *Ipse est Artaxerxes.* Sic in Estheræ libro qui אחשורוש Hebræis, Græcis interpretibus & Josepho est Ἀρταξέρξης, quanquam Josephus hunc etiam *Cyrum* vocatum dicit. Videtur post Cyrum illum Magnum nomen gentilitium fuisse Persarum Regibus Ξέρξης & Ἀρταξέρξης, præter nomen quod habebant ante Imperium. Omnes Reges post illum memoriosum dictos *Artaxerxas* ait Diodorus Siculus l. 15. Etiam Darius ab Alexandro devictus Jacchiadæ ad Dan. 7. 5. dicitur *Artaxerxes.* Id unde fit dicam, ש litera Græcis per ξ verti solebat, ut השום, Αξωμα. Est enim utriusque literæ idem ferme sonus, sed transpositus quomodo Dores pro συρίζω dicunt συρίσδω, & adspiratio ex media voce *Abraham* à Græcis in frontem translata est. Tum verò gutturales sæpe omittuntur, ut multis exemplis ostendimus annotatis ad l. 1. De V. R. Chr. ubi de Ammone agimus. Ergò אחשורוש, omissis gutturalibus, est *Xwerx:* & quia *w* durior est in media voce, maximè post consonantem per se duram, ideo & hæc omissa est à Græcis, factúmque *Xerx*, & cum Græca terminatione *Xerxes. Art* verò est additamentum quoddam honorificum, ut *Sa* apud Persas posteriores. Significat *magnum*, interprete Herodoto l. 6. *Herva*, interprete Hesychio. Apparet ex nominibus plurimis: qualia sunt *Artabanus*; *Artavasdes*, qui & *Artabazus*; *Artochmes*; *Artochetes*, qui & *Artayctus*; *Artanes*; *Artagenes*; *Artaphernes*; *Artembanes. Artaxerxis* in Perside nomen etiam Romanorum Imperatorum temporibus apud Herodianum & Lampridium invenias. Idem *Xerxes* dicitur Aurelio Victori. Ex hoc ergò tam communi nomine quis hic Rex fuerit sciri non potest, nisi adsint temporum argumenta, quæ quàm sint obscura ostendunt eruditissimorum qui ætatem in iis rebus triverunt in hunc diem certamina. Eum de quo hîc agitur Cambysen esse volunt multi, alii Smerdim Magum; Estheræ maritum, alii Cambysen, alii Darium Hystaspis, alii Artaxerxem Memoriosum, alii Artaxerxem Longimanum. Horum omnium operosis ac litigiosis disputationibus perlectis, quid est quod dicat aliquis, ex iis maximè quibus non est multum ad ista otii, nisi illud Terentianum, *Fecisti probè: incertior sum multò quàm dudum.*

5. *Conduxerunt adversùs eos consiliatores*] Frequens aulis malum. *Adferebant venalia cuncta præpotentes liberti*, ait Tacitus Hist. 5.

8. *Reum Belteem*] Hic Prætor erat Regius, qui cum aliis vice Regis res trans Euphratem curabat. Vide infrà 5. 6.

9. *Apharsatachæi*] Hi sunt Παρσατακῆται.

10. *Quas transtulit Asenaphar*] Nomen alterum Salmanassaris, ut videtur.

12. *Civitatem rebellem & pessimam*] Credibile id fiebat ob instituta Judæorum diversa ab aliis. Ob id *teterrimam gentem* dixit Tacitus, qui & hoc habet, *Præviderant conditores ex diversitate morum crebra bella.* Item, *Empto jure muniendi, struxere muros in pace tanquam ad bellum.*

13. *Tributum & vectigal & annuos reditus*] Vide hæc tria & infrà 20. Videtur intelligi *tributi* nomine quod in capita datur, *vectigalis* quod in merces, *redituum* quod de agris.

14. *Memores salis quod in palatio comedimus*] Quia salarium habemus à Rege. At Chaldæus, *propter demolitionem Templi quod demoliti sumus.* Nam מלח sæpe significat *consumere.* Vide quæ dicta ad Marc. 9. 49.

19. *Et recensuerunt, invenerúntque*] Jusserat Rex perquiri quæ de Judæis erant in Regum commentariis. Vide infrà 5. 17. & 6. 2. Esth. 2. 23. & 6. 1.

20. *Et dominati sunt omni regioni qua trans Fluvium est*] Nempe David & Salomon.

21. *Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur*] Non est è re Regum ut populi ab ipsis devicti urbes habeant populo plenas, munimentis validas. ¶ *Donec si fortè à me jussum fuerit*] Edictum hoc à sola Regis voluntate pendebat, non erat inter leges Persarum immutabiles.

24. *Tunc intermissum est opus Domûs Domini*] Neque enim contra imperium Regis fieri quicquam debebat, nisi expresso Dei jussu, qualem habemus 5. 1, 2. Ei autem Divino jussui postea & Regis jussus accessit, 6. 7. Græci post hæc inserunt ea quæ sunt in libro apocrypho qui ESDRAE *Tertius* dicitur cap. 3. quæ & Josephus habet.

CAP. V.

MUNSTERUS.

5. R*Esponderunt* Jehudæi *per epistolam*] Sensus est, Habebant apud se literas Regis Cyri in quibus illis concessum erat ut exstruerent Templum, & ex illis literis responderunt adversariis suis, quòd non temere & sine autoritate Regis opus inchoassent.

8. *Ponderosis*] Qui scilicet advolvebantur propter nimium pondus. Significat enim גלל *volvere.* Alii exponunt *lapidem* שיש *marmoreum.*

VATABLUS.

1. A*D Jehudæos*, [על יהודיא] *De Jehudæis.* ¶ *Super eos*, [עליהון] i. Qui erat cum eis. Afflabantur enim Spiritu Dei. Alii, *quod invocatum erat super eos.*

2. *Filius*, [בר] i. Nepos.

3. *Et socii earum*, [וכנותהון] *Et sodales* [*turma*] *eorum.* ¶ *Præceptum*, [טעם] *Decretum, statutum, edictum*, i. Quisnam statuit ac præcepit, vel, cujus potestate atque edicto freti ædificatis hoc templum? ¶ *Et muros*, [ואושרנא] Singularis numeri est hæc vox, & propriè *robur* significat, accipitur tamen pro *muris*, quòd robur urbis partim sit in mœnibus. Dicúntque deduci à שור, & א redundare. ¶ *Fundaretis*, [לשכללה] *Perficeretis?*

4. *Tunc*, [ארין] Verba sunt Thatthenai & sociorum ejus, inducit enim author libri eos adhuc loquentes.

5. *Oculus autem*, [ועין] Intelligit providentiam & favorem Dei. ¶ *Et non fecerunt cessare eos*, [ולא בטלו המו] i. propterea non potuerunt tantum efficere ut illi intermitterent opus tantisper dum negotium referretur ad Darium.

7. *Verbum*, [פתגמא] i. Epistolam. ¶ *Et sic*, &c. [וכדנה כתיב בגוה] Ad verb. *& juxta hoc scriptum erat in medio ejus*, sub. *epistolæ*. ¶ *Pax omnis*, [שלמא כולא] i. salutem plurimam dicunt.

8. *Lignáque ponuntur in parietibus*, [ואע מתשם בכתליא] i. Parietes teguntur tabulis ligneis, h. e. cedrinis.

9. *Quis posuit vobis præceptum*, [מן שם לכום טעם] Vide hæc v. 3, & 4.

10. *Et etiam de nominibus eorum interrogavimus eos*, [ואף שמהתהום שאלנא להום] *Praterea nomina sua petimus ab eis*. ¶ *Qui* sunt *duces eorum*, [די בראשהום] Ad verb. *qui in capite eorum*, i. qui præerant illis.

11. *Ejusmodi autem verbum responderunt nobis*, [וכנמא פתגמא התיבונא] Ad verb. *Et sic verbum reddiderunt nobis*. ¶ *Quam Rex Israelis magnus*, &c. [ומלך לישראל רב בנהי] Ad verb. *Et Rex Israel magnus ædificaverat eam* [i. Salomon potentissimus, vel opulentus] *& consummaverat* [sive *perfecerat*] *eam*.

12. *Chaldæi*, [כסדיא] i. Qui regnabat in Chaldæa. ¶ *Transmigrare fecit*, [הגלי] *Transtulit*.

14. *Eduxerat*, [הנפק] *Extulerat*, *transtulerat*. ¶ *Et tulerat*, [והיבל] *Et asportaverat*, vel, *deferenda jusserat*. ¶ *Ducem*, [פחה] Sub. *transmigrationis*, i. eorum qui de captivitate Babylonica revertebantur in Jerusalem ac Judæam.

15. *Abi*, *depone*, [אזל אחת] *Proficiscere*, *depone*, i. colloca, sive constitue. Sine conjunctione verba, q.d. Citò transfer illa in Templum.

17. *Si Regi bonum* sit, [הן על מלכא טב] i. Si Regi videatur, aut placuerit. ¶ *In domo thesaurorum*, [בבית גנזיא] Vide c. 6. 1. ¶ *An ità sit quòd*, [הן איתי די] *Sitne quòd*, i. itáne res habeat quòd, &c. ¶ *Ut readificarent*, [למבנא] Sub. *Judæi*. Vel, *ad ædificandum*, i. de exstruenda sive instauranda æde. ¶ *Et voluntatem suam*, [ורעות מלכא] Ad verb. *& voluntatem Regis*. Antecedens pro relativo, i. voluntatem suam super hac re Rex mittat ad nos.

C L A R I U S.

5. *Et tunc satisfacerent*] Alius vertit, *& tunc responderunt Judæi per Epistolam de hac re*, ut sit sensus, Habebant apud se literas Regis Cyri in quibus illis concessum erat ut exstruerent Templum, & ex illis literis responderent adversariis suis, quòd non temere & sine authoritate Regis opus inchoassent.

G R O T I U S.

5. *Oculus autem Dei eorum factus est super senes Judæorum*] Deus eis favit, ità ut & Regiorum in illis partibus ministrorum animos illis conciliaret.

6. *Exemplar Epistolæ*] Consultationis.

8. *Lapide impolito*] גלל *marmor* intelligunt Hebræi; Græci, διὰ λίθων ξυςῶν πολυτελῶν.

17. *In Bibliotheca*] In tabulario.

CAP. VI.

M U N S T E R U S.

1. *In castro quod est in provincia Media*] Hic videtur fuisse titulus illius scrinii, alioquin quomodo volumen potuit inveniri *in Babylone & in castro Media*?

3. *Parietes ejus connectant*] Alii sic vertunt, *fundamenta ejus ad ferendum ponderosos lapides collocent*.

14. *Et Arthahsastha*] Aben Ezra putat hunc fuisse Dariaves, ut sit iste sensus, *Dariaves, qui & Arthahsastha*.

V A T A B L U S.

1. *Tunc*, [באדין] i. Hoc intellecto. ¶ *Posuit præceptum*, [שם טעם] *Fecit edictum*, sub. *ut perquirerent an ità res haberet*. ¶ *In domo librorum thesaurorum*, [בבית אספריא] i. In bibliotheca ubi thesauros reponebant, vel reponere solebant, sub. *& non invenerunt illic*. Deinde perquisierunt in aliis regionibus. Postea sequitur proximo versu, *Et inventum est*, &c. Olim duplices fuerunt bibliothecæ: aliæ erant in quibus reservabantur libri qui spectabant ad eruditionem, aliæ verò in quibus reponere solebant libros qui pertinebant ad rem nummariam: etiam alii sunt libri rationum, & alii libri sapientiæ ac philosophiæ. Hic autem loquitur de libris rationum, ut & c.5.17.

2. *In Madai*, [במדי] i. Medai. ¶ *Et sic*, [וכן] *Et hujusmodi*, vel *tale*. ¶ *In eo*, [בגוה] Ad verb. *in medio ejus*. ¶ *Memoriale*, [דכרונה] *Commentarium* intelligit.

3. *Posuit*, [שם] *Fecit*. ¶ *De domo*, [בית] i. De æde, sive templo Dei. ¶ *Domus ipse readificetur*, [ביתה יתבנא] *Domus ipsa ædificetur*, aut, *exstruatur*, vel, *ædificabitur*. Initium est edicti. Alii incipiunt edictum paulò suprà, sic, *Dominus Dei qua est in Jerusalem*, *domus*, *inquam*, *ædificetur*, vel, *ædificabitur*. ¶ *Qua est locus in quo immolant*, [אתר די דבחין] *Quæ erit locus in quo immolabunt*, vel simpliciter, *locus in quo immolabunt*, &c. ¶ *Et parietes ejus colligentur*, [ואשוהי מסובלין] Ad *colligare* est, primæ conjug. Alii, *& fundamenta ejus contingantur*, vel *contingentur*.

4. *Parietes*, [נדבכין] *Ordines*, sub. *parietum*. Dicunt aliam fuisse rationem hujus Templi ædificandi, ipsúmque aliter ædificatum fuisse quàm hîc præscripserit Cyrus; quòd postea mutaverit sententiam ad exhortationem & ex consilio Sapientum ac Doctorum Legis. ¶ *E lignis novis*, [די אע חדת] *E lignis recentibus*. In libro Regum *è tabulis cedrinis*. ¶ *Et sumptus*, [ונפקתא] q.d. Permitto ut Templum Hierosolymitanum instauretur, ídque sumptu proprio.

5. *Reddant*, [יהתיבון] *Restituant*, sub. *ministri ac servi Regis*. ¶ *Et vadant*, [ויהך] *Et eant*, *& proficiscantur*, sub. *vasa illa*, i. referantur. Mutatio numeri. ¶ *Et reponas*, [ותחת] Mutat personam, & convertit sermonem suum ad Zorobabelem, quem vocavit suprà *Sesbasar*: *Deponas*, inquit, *omnia illa*.

6. Eorum qui sunt] Vel, regionis quæ sita est. ¶ *Apharsechaie*, [אפרסכיא] i. Apharsachæi. ¶ *Remoti estote indè*, [רחיקין הוו מן תמה] i. Procul recedite à Jerusalem ubi instauratur Templum Dei: nolite esse impedimento iis qui instaurant illud.

7. *Dimittite ut fiat domus*, [שבוקו לעבידת בית] *Sinite opus domûs*, i. ut fiat ac perficiatur Templum hoc Dei. ¶ *Ducem*, [פחת] Subaudi verbum præcedens, *dimittite* vel *finite*.

8. *Quod facturi estis*, [די תעבדון] i. Quod volo vos facere. ¶ *Nempe ut de substantia*, [ומנכסי] *Nempe ut de opibus*, *facultatibus*. Declarat seipsũ cùm mox dicit, quæ est tributũ. ¶ *Qua est tributũ trans Flumen*, [די מדת עבר נהרה] *Quas habet ex tributo trans Flumen*. Alii, *de tributo* regionis quæ est *ultra Flumen*, i. quod solvere solent qui habitant ultra Euphratem. ¶ *Ut non faciant cessare*, [די לא לבטלא] Sub. *eos qui ædificant Templum*, i. ne efficiant ut intermittatur instauratio Templi. Alii, *ne cessent*.

9. *Et id quo indiguerint*, [ומה חשחן ובני] Aliquid subaudiendum, sic, *Et à me factum est*, *inquam*, *decretum*, *ut id quo*, &c. ¶ *Sive boves*, &c. [ובני תורין ודכרין ואמרין] Ad verb. *& filii boum*, *& arietes*, *& agni*, &c. Solebant enim hæc omnia adhiberi & commisceri sacrificiis, oblationibus & libaminibus.

10. *Suffi-*

10. *Suffimenta*, ניחוחין] *Odores suavissimos*: vel, *fragrantissimos*.

11. *Verbum hoc*, פתגמא דנה] i. Hoc meum decretum; vel constitutionem. ¶ *Diruatur lignum*, יתנסח אע] i. Diruendo extrahantur ligna. ¶ *Et erectum*,&c. וזקיף יתמחא עלוהי] i. Et in eo ligno quod remanserit in domo sua rectum sive erectum, deleatur: i. perdatur, h.e. suspendatur. ¶ *Sterquilinium fiat propter hoc*, נולו יתעבר על דנה] i. Sit tanquam sterquilinium, hoc est prorsus destruatur quòd contravenerit huic meo edicto.

12. *Dissipet* ימגר] dejiciat: sub. in terram. ¶ *Ut mutet*, להשניא] Ad verb. *ad mutandum*; vel *immutandum*; sub. *hoc meum decretum & constitutionem meam*.

13. *Miserat*, שלח] Sub. *per epistolam*.

14. *Secundùm prophetiam*, בנבואת] *In prophetia*; per quos scilicet Dominus jusserat ac mandaverat ut instaurarent Templum. ¶ *Filii*, בר] i. Nepotis, *Iddo*. ¶ *Chores*, &c. כורש ונו'] i. Cyri, Darii, & Artaxerxis Regis Persarum. Dicunt hunc Artaxerxem fuisse filium Darii; & tempore ejus absoluta fuisse quæcunque pertinebant ad ornatum Templi.

15. *Adar*, אדר] Est mensis duodecimus, qui respondet partim nostro Februario, partim Martio. ¶ *Qui*, די] Sub. *annus*.

16. *Transmigrationis*, גלותא] i. Qui de transmigratione redierant. Plena locutio legitur infrà v.21.

18. *In divisionibus suis*, בפלגתהון] *In partitionibus suis*: i. juxta classes suas. Fecerunt ex Sacerdotibus diversas classes, juxta quas vicissim rem sacram agerent Deo in Templo. Similiter & ex Levitis, ut ipsi per vices suas ministrarent.

21. *Et omnis qui subduxerat sese*,&c. וכל הנבדל ונו'] i. Qui de infidelitate Gentium conversi erant ad fidem; h.e. proselyti.

22. *Et convertisset*, &c. והסב לב ונו'] Hebraismus, Reddidisset illum eis propitium, qui antea erat animo infenso in eos. Meminit hîc *Regis Assyriorum*, quòd tunc qui Rex erat Persarum erat etiam Rex Assyriorum; at Rex Assyriorum abduxerat Decem tribus captivas. ¶ *Ad confortandum eos*, לחזק ידיהם] Ad verb. *ad roborandum manus eorum*; i. ut fortificaret eos.

CASTALIO.

2. *INventúsque est Ecbatanis*] In Chaldæo est, *Amatha*: sed & Vetus & Josephus verterunt *Ecbatana*: quo fit, ut locus ille aliter Chaldaicè, quàm aliis linguis, vocatus esse videatur, ut fit & in multis aliis.

CLARIUS.

2. *IN castro quod est in provincia Mediæ*] Putant quidam hunc fuisse titulum illius scrinii: alioqui quomodo volumen potuit inveniri *in Babylone* & *in castro Mediæ*?

GROTIUS.

2. *VOlumen*] Τόμος, ut & Esai.8.1. Alibi κεφαλὶς dicitur, ut & Hebr.10.7.

8. *Scilicet ut de arca Regis, id est, de tributis quæ dantur de regione trans Flumen, studiosè sumptus dentur viris illis*] Hâc beneficentiâ Cyrum vicit. Cyrus Judæis conferre ad opus permiserat: Hic Rex etiam de suo sumptum facit. Vide infrà 7.20,21,22. & Neh 11.23. in Hebræo.

10. *Oréntque pro vita regis*] Vide suprà 1.2. Etiam pro Lacedæmoniis orarunt Judæi.

11. *Ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem*] *Mutaverit*, i. contrà fecerit. ¶ *Tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur*] Mos erat Persarum de damnati domo lignum sumere de quo suspenderetur.

21. *Et omnes qui se separaverant à coinquinatione gentium terræ ad eos*] i. plenè proselyti qui se Legi subjecerant. Aliis enim de Paschate manducare non licebat.

22. *Quoniam lætificaverat eos Dominus, & converterat cor regis Assur ad eos*] Confer 7.27.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

12. *VIro integro*] Hebraica vox גמיר significat *omnium bonorum absolutionem*. Unde quidam hunc locum sic vertendum censent, *Rex Regum Ezræ Sacerdoti incolumitatem & diuturnitatem*.

VATABLUS.

1. *POst hac autem in regno*, ואחר הדברים האלה במלכות] i. His gestis regnante Artaxerxe. Describitur genealogia Esdræ, quæ ascendit usque ad Aharonem primum illum ac summum & præcipuum Sacerdotem, à quo ille descendit. Dicunt Hebræi omnes Reges Persarum appellatos fuisse hoc nomine *Arthasastha*, linguâ Persicâ: nostri verterunt *Artaxerxem*.

6. *Ascendit è Babel*, עלה מבבל] i. Profectus est & rediit è captivitate Babylonica in Jerusalem. q.d. Fuit unus ex illis qui redierunt, &c. ¶ *Scriba velox*, סופר מהיר] *Scriba promptus*; i. legisperitus sive legisdoctor doctissimus & exercitatissimus in Lege Dei. Hi enim *Scribæ* dicebantur quòd officium eorum esset describendi Legem. Qui Matth.22.35. & Luc.10.25. dicitur *Legisperitus*, sive *Legis doctor*, idem Marci 12.28. appellatur *Scriba*. ¶ *Juxta manum Jehovæ Dei sui super ipsum*, כיד יהוה אלהיו עליו] Hebraismus, Juxta magnam illam gratiam, vel, pro magno illo favore quo prosequebatur Ezram Dominus Deus: sive, prout favit illi Deus.

7. *Ascenderunt autem*, ויעלו] Sub. *cum eo*.

8. *Regis*, למלך] Nempe Darii.

9. *Juxta manum Dei sui bonam super eum*, כיד אלהיו הטובה עליו] Hebraismus, de quo v.6. i. per gratiam Dei. Reditum prosperum atque incolumem tribuit gratiæ Dei.

10. *Ut requireret*, לדרוש] *Ut perquireret, investigaret*; i. disceret. ¶ *Ac faceret*, ולעשות] i. Adimpleret eam. ¶ *Præceptum & judicium*, חוק ומשפט] Sing. Heb. pro plur. *statuta & judicia*: i. judicialia. Alii, *ritus* [*ceremonias*] *& judicia*.

11. *Epistolæ*, הנשתון] Esdras cùm accingeret sese itineri, accepit literas à Rege.

12. *Rex regum*, מלך מלכיא] i. Regum maximus. ¶ *Consummato*, גמיר] *Perfecto, absolutissimo*: i. doctissimo, & omnibus numeris absoluto. ¶ *Et ipsi Cheeneth*, וכענת] Sub. *salutem dicit*. Nomen est gentis quæ habitabat ultra Euphratem in terra Israelis.

13. *Positum est decretum*, שים טעם] *Factum est edictum*: i. à me decretum est quòd, &c. ¶ *Quicunque spontaneus est*, כל מתנדב] *Quicunque sponte suâ*; sub. *sese obtulerit*: i. quicunque voluerit ire, vel, cuicunque placuerit ire, per me licebit ut eat.

14. *Quemadmodum*, כלקבל די] Ad verb. Gallicè redderemus, *Tout ainsi que*: pendet sententia, quæ perficietur in fine versûs 17. subaudiendo, *ità facias*. ¶ *Et septem consiliariorum ejus*, ושבעת יעטוהי] Septem illi consiliarii erant viri sapientissimi, doctissimi & prudentissimi, qui assistebant Regi, erántque illi à consilio. ¶ *Missus es*, שליח] *mitteris*. ¶ *Ut inquiras in Jehudæam*,&c. לבקרא על יהוד ונו'] i. Ut inquiras an Jehudæi & Hierosolymitæ servent Legem Dei quam habes in promptu, sive quam tenes. Quidam vertunt, *ut visites Jehudaam & Jerusalem*, &c.

15. *Tabernaculum*, משכנה] *Tentorium, habitaculum*. i. Templum. Ad verb. *cujus in Jerusalaim tabernaculum ejus*.

16. *Et omne argentum & aurum*, וכל כסף ודהב] i. Omnem pecuniam. ¶ *Cum spontaneis populi*, עם התנדבות עמא] i. Cum iis qui sese liberales ostenderunt: sive, qui liberalitatem suam exercuerunt erga populum.

18. *Facite*, תעבדון] q.d. Per me licebit vobis facere quod voletis.

19. *Porrò vasa quæ*, &c. ומאניא די מתיהבין לך] i. Porrò vasa quæ concredita sunt fidei tuæ, ut cedant *in usum templi Dei tui, depone coram Deo in Jerusalem*; vel, *coram Deo Jerusalem*: i. civium Jerusalem: h.e. quem colunt Hierosolymitani.

20. *Et cætera quæ fuerint necessaria*, ושאר חשחות] Ad verb. *residuum necessitatis*; i. rerum necessariarum, *domûs*. ¶ *Quæ convenerit te*, די יפל לך] *Quæ decuerit te*.

21. *Omnibus thesaurariis*, לכל גזבריא] i. Vobis omnibus qui præestis arcæ publicæ, & habitatis in regione quæ sita est ultra Euphratem.

22. *Et sal quod non scriptum est*, ומלח די לא כתב] *& salis quantum non est scriptum*; vel *non scribitur*: i. salis mensuram non descriptam, sive præscriptam & præfinitam sed indefinitam & incertam.

23. *Quicquid fuerit ex decreto*, &c. כל די מן טעם אלה שמיא] *Quicquid Deus cœli præceperit fieri*. ¶ *Cujus ut quid futura est ira*, די למה להוא קצף] *Cur enim committemus ut sit ira*: sub. *Dei*.

24. *Omnibus Sacerdotibus*, לכל כהניא] i. nullis Sacerdotibus. q.d. Volo omnes istos esse immunes: nolo quempiam esse qui possit imponere illis tributum, &c. ¶ *Imponet*, למרמא] Ad verb. *injiciet*.

25. *Quæ est in manu tua*, די בידך] i. Quam habes in promptu.

26. *Judicium fiat de eo*, דינה להוא מתעבד מנה] q.d. Volo judicium fieri de eo: i. morietur, aut mittetur in exilium: vel, multabitur multâ pecuniariâ, aut retrudetur in carcerem, pro exigentia vel circumstantia peccati. ¶ *Ad eradicationem*, לשרושי] i. Ad exsilium. ¶ *Et ad vinciendum*, ולאסורין] Aut, *ad carceres*, sive *vincula*.

27. *Benedictus*, ברוך] i. Laudetur ab omnibus. ¶ *Tale quidpiam*, כזאת] Ad verb. *secundum hoc*.

28. *Et super me inclinavit*, &c. ועלי הטה וגו׳] i. Quíque reddidit me gratiosum Regi: dignum misericordiâ & gratiâ. ¶ *Confortatus*, התחזקתי] *Corroboratus*. i. Tunc cœpi esse forti animo pro gratia & favore quo me prosequebatur Deus meus, & congregavi, &c. ¶ *Ut ascenderent mecum*, לעלות עמי] Sub. *de Babylone in Jerusalem*.

CASTALIO.

6. *Acutè eruditus*] Heb. *Literatus celer*: sed *celeritas* pro *acumine* ponitur: ut etiam Latinè dicitur *ingenii celeritas*. Est autem ספר (qui Græcè *γραμματεὺς* à *literis* appellatur) aliquando *doctus* & *eruditus*; ídque vel conjunctè, ut paulò pòst hunc locum ספר דאת idem est quod *νομοδιδάσκαλος* *legisperitus*, aut *professor*, quem Plato lib. De legib. 6. vocat *ἐξηγητὴν*, h.e. *interpretem*, vel absolutè, ut Esa. 33. tum nos *literatum*, aut *eruditum* appellamus. Nonnunquam est *Scriba Regis*. Item *Judaica secta Scribarum*: tum nos *Scribam* interpretamur.

GROTIUS.

6. *Et ipse scriba velox in lege Mosis*] Græcè, *γραμματεὺς εὐφυὴς ὢν ἐν τῷ Μωϋσέως νόμῳ*. מהיר sæpe *diligentem* significat. *Scriba* est Doctor Legis. In eo studio comprehendebatur notitia rerum Divinarum, jurísque Pontificii ac Civilis. Horum eruditissimus erat Esdras 7. 10, 11, 12. Exstabat ergò Lex toto exsilii tempore inter Judæos, ut apparet & Dan. 9. 13. Esdras allatis optimis exemplaribus accuratam Legis dedit *ἔκδοσιν*, addidítque Historias sequentium temporum, cum Propheticis libris, & iis Poeticis qui auctoritatem obtinebant.

12. *Rex regum*] Non immeritò sic se appellabant Reges Persæ: habebant enim etiam Reges in obsequio suo, ut ex Æschyli Persis alibi notavimus. Tales erant Armeniæ, Cypri, Cariæ, Sidonis Reges, & alii.

14. *Et septem consiliariorum ejus*] Hi erant Satraparum præcipui, qui Regi semper aderant, Esth. 1. 14. Qua de re vide quæ notavimus ad Matth. 18. 10. ¶ *Ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui*] His verbis *αὐτονομία* Judæis conceditur, & *αὐτοδικία* infra 25, 26.

18. *Sed & si quid tibi & fratribus tuis placuerit*] Esdræ auctoritatem Rex dedit: ille aliorum quoque Sacerdotum consilium adhibebat.

24. *Ut vectigal & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos*] Hic Sacerdotibus, Levitis & Templi ministris omnibus datur *ἀτέλεια*, à multis postea Regibus confirmata, ut ex Josepho discimus.

26. *Et legem Regis*] Nempe hanc legem quæ Judæis suarum legum exercendarum facit jus.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

17. *Casiphia*] Videtur per vocem illam innui locus juxta mare Caspium, aut juxta montes Caspios.

26. *Vasa argentea*] R. S. hunc locum sic exponit, ככר בכל כלי *quòd quodlibet vas habuerit pondus unius talenti*. Aben Ezra quoque idem sentit, & ordinat textum in hunc modum, כלי כסף למשקל הככרים מאה De pondere talenti diximus, 1 Reg. 9.

VATABLUS.

1. *Patrum eorum*, אבותיהם] i. Familiarum. In hoc capite recensentur nominatim per genealogias suas principes familiarum sive duces qui unà cum Esdra ascenderunt de transmigratione Babylonica in Jerusalem, regnante in Babylone Dario Rege. ¶ *Qui ascenderunt*, העולים] Repeti debet quod præcessit, *genealogia, inquam, eorum qui ascenderunt*, vel, *nempe genealogia*, &c. ¶ *In regno Arthasastæ Regis*, במלכות ארתחשסתא המלך] i. Regnante Artaxerxe Rege.

3. *Et cum eo genealogia masculorum*, ועמו התיחש לזכרים] Hebraismus, Id est, qui dux erat centum quinquaginta virorum insignium, egregiorum, magnanimorum ac bellicosorum: vel, Qui secum ducebat centum quinquaginta insignes, &c. Idem in sequentibus nomine *masculi* significabit.

5. *Filius Jahaziel*, בן יחזיאל] Subticet nomen proprium istius.

13. *Novissimis*, אחרונים] *Postremis*; vel, *qui erant postremi*: i. qui postremo loco secuti sunt Esdram.

15. *Qui venit*, הבא] *Qui incurrit*; *influit*: i. exoneratur. ¶ *Diebus tribus*, ימים שלושה] Ad eos scilicet congregandos. ¶ *Post hæc consideravi populum*, ואבינה בעם] i. Recensui numerum, sive quantus esset numerus plebeiorum & Sacerdotum. Gallicè, *Ie fei la reveue*.

17. *Et præcepi eis*, ואוצאה אותם] i. Præcepta ac mandata dedi illis. ¶ *Duce in Chasiphiah loco*, הראש בכספיא המקום] i. Qui præerat loco illi fortissimo ac munitissimo, & fortè inexpugnabili. ¶ *Posuique in ore eorum verba quæ loquerentur*, ואשימה בפיהם דברים לדבר] Hebraismus, significat *admonere aliquem eorum quæ dicturus sit*. q. d. Dictavi illis quæ loquerentur. ¶ *Nethinim*, הנתינים] Legitur & הנתונים *positos*: i. qui collocati erant in, &c.

18. *Juxta manum Dei nostri bonam super nos*, כיד אלהינו הטובה עלינו] Hebraismus, *pro favore Dei nostri erga nos*, sive *quo prosequebatur nos*. De hoc suprà 7. 6, 9. ¶ *Virum intelligentem*, איש שכל] Ad verb. *virum intellectûs*: i. sapientissimum ac prudentissimum.

20. *Quos posuerat*, שנתן] *Quos tradiderat*: i. dedicaverat operi ac ministerio Levitarum. ¶ *Expositi fuerunt nominibus*, נקבו בשמות] *Designati fuerunt nominibus*: sub. *suis*.

21. *Ut affligeremus nos*, להתענות] i. Ut affligeremus corpora nostra: ut hâc ratione testaremur nos peccatores esse, & peccasse in Dominum. ¶ *Ut quæreremus*, &c. לבקש ממנו דרך ישרה לנו] i. Et peteremus ab eo ut ostenderet nobis viam rectam.

22. *Erubui enim*, [כי בושתי] *Siquidem puduit me.* q.d. Habui rationem nominis Dei. ¶ *Manus Dei nostri*, &c. [יד אלהינו וגו'] q.d. Solet Deus noster tueri ac protegere quotquot requirunt eum, & illis ostendere fortitudinem suam; furorem autem suum contra omnes qui deficiunt ab ipso. ¶ *In bonitate*, [לטובה] *In bonum.*

23. *Et petivimus à Deo nostro propter hoc*, [ונבקשה מאלהינו על זאת] i. Fecimus petitionem nostram ad Deum, ut ostenderet nobis viam rectam. ¶ *Et placatus est nobis*, [ויעתר לנו] *Et exoratus est nobis*: i. exaudivit preces nostras.

24. *De principibus Sacerdotum*, [משרי הכוהנים] i. Ex iis qui inter Sacerdotes primas tenebant.

25. *Et appendi eis argentum*, &c. [ואשקלה להם את הכסף] i. Appensum, vel in pondere tradidi argentum. ¶ *Et vasa illa*, [ואת הכלים] i. Quæ mihi concredita fuerant: suprà 8.19. Appositivè *oblationem*, &c. ¶ *Et universus Israel*, &c. [וכל ישראל הנמצאים] i. Omnes Israelitæ qui inventi sunt, sive qui erant in Babylone.

26. *Centum talentorum*, [מאה לככרים] i. Ad pondus centum talentorum. q.d. Omnia vasa argentea simul appenderunt centum talenta. Alii distinguunt post *centum*, tanquam fuerint centum vasa argentea, & unumquodque vas appenderit centum talenta: q.d. *vasa argentea centum, totidem talentorum.*

27. *Et crateres aureos*, [וכפורי זהב] *Et pelves aureos.* Alii, *Et cochlearia aurea.* ¶ *Ærea aurei coloris boni*, [נחושת מוצהב טובה] *Æris fulgentis* [*fulvi, splendentis*] *boni*: i. pretiosi ac probati. ¶ *Desiderabilia ut aurum*, [חמודות כזהב] i. Pretiosa tanquam aurum optimum. q.d. Duo vasa ænea pretiosissima & elegantissima.

28. *Sanctitas Jehovæ, & vasa sanctitas*, [קודש ליהוה והכלים קודש] i. Dicati ac consecrati Domino, vasa quoque dicata & consecrata Domino. q.d. Par est ergò ut rem Deo consecratam curetis deferendam in Templum suum.

29. *Vigilate & custodite*, [שקדו ושמרו] i. Diligenter custodite illa. q.d. Ego committo illa fidei vestræ. ¶ *Appendatis*, [תשקלו] i. In pondere tribuatis, & reddatis ac deponatis ea. ¶ *In cubiculis*, [הלשכות] *In exedris; gazophylaciis.*

30. *Et Levitæ*, [והלוים] Qui scilicet adjuncti erant illis Sacerdotibus. ¶ *Ut adducerent*, [להביא] *Ut deferrent*; vel, *deferendum curarent.*

31. *Profecti autem sumus à flumine*, [ונסעה מנהר] *Promovimus autem à ripa fluminis.* ¶ *Mensis primi*, [לחודש הראשון] Is est mensis Nisan. ¶ *Et manus Dei nostri*, &c. [ויד אלהינו וגו'] Hebraismus de quo antea. *Manum Dei* vocat gratiam & auxilium. q.d. Deus noster auxiliatus est nobis, liberavítque nos ab inimicis nostris & iis qui insidiabantur nobis in via.

32. *Tandem pervenimus*, [ונבוא] Ad verb. *Et venimus.*

35. Porrò *qui venerant de captivitate filii transmigrationis*, [הבאים מהשבי בני הגולה] Ad verb. *Venientes de captivitate filii transmigrationis.* i. Qui venientes fuerant cum Esdra de captivitate Babylonica, id est, filii transmigrationis: h.e. qui transmigraverunt in Babylonem, unde postea unà cum Esdra reversi erant. ¶ *Duodecim*, [שנים עשר] Erant enim duodecim tribus in Israele. ¶ *Hircos* sacrificii pro *peccato*, [צפירי חטאת] Ad verb. *hircos peccati*: i. in sacrificium pro peccato. ¶ *Omnia*, [הכל] Sub. *inquam, illa obtulerunt.*

36. *Leges Regis*, [את דתי המלך] *Edicta Regis*: i. epistolam Regis quæ continebat edicta supradicta. ¶ *Ejus*, [המלך] Ad verb. *Regis.* Antec. pro relativo. ¶ Qui erant] Vel, regionis quæ erat. ¶ *Et exaltaverunt*, &c. [ונשאו וגו'] i. Satrapæ illi & duces Regis exaltaverunt populum illum qui redierat è captivitate Babylonica.

GROTIUS.

15. *AD fluvium qui decurrit ad Ahava*] Græci, Θεραν ποταμόν. Putant eruditi אהוא esse *Adiabenam* sic dictam ab *Adiava* fluvio, si Marcellino credimus. A nomine Θεραν non abludit *Thersara* illis in locis, cujus apud Ptolemæum mentio.

17. *In Chasphia loco*] *In Caspiis*; nam & inde evocandi erant Judæi. At LXX vertunt τόπον γαζοφυλακίου, à nomine כסף, quod *argentum* significat.

21. *Et prædicavi ibi jejunium*] Tanquam deductor coloniæ à Rege constitutus.

22. *Erubui enim petere à rege auxilium*] Prudenter, nè Rex minùs edoctus res Divinas vana crederet quæ de Dei in se benevolentia & vaticiniis sibi editis Judæi publicabant.

34. *Descriptúmque est omne pondus in tempore illo*] Omnium mobilium ad Templum datorum factus est inventarius: quod & in privatis familiis faciendum censent qui œconomica præcepta dederunt.

35. *Vitulos duodecim pro omni populo Israel*] Unum pro quaque tribu.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

11. *AB ore ad os*] i. Impleverunt eam usque ad summum.

13. *Tu adegisti*] Sive, *tu prohibuisti in inferiori loco peccata nostra, nè sursum ascenderent contra nos*, juxta illud Psaltis, *Projecisti in profundum maris omnia peccata eorum.* Et hæc est expositio Aben Ezræ. R. Salomon sic exponit, *Tu depressisti quasdam iniquitates nostras, ut non ultionem sumeres de omnibus.*

VATABLUS.

1. *ACcesserunt ad me*, [נגשו אלי] i. Admoverunt sese. q.d. Suâ sponte & ultro venerunt ad me. Gallicè, *s'approcherent de moy.* ¶ *Populus*, [העם] Intellige *plebem* ac *vulgum.* ¶ *Terrarum*, [הארצות] i. Aliarum regionum ac provinciarum, nempe Chananæorum. Seipsum mox declarat. ¶ Sunt abominationes eorum] Istud subauditum est ad perficiendam sententiam: i. opera eorum mala similia sunt operibus Chananæorum, &c. eadem faciunt quæ facere solebant Chananæi, &c.

2. *De filiabus eorum*, [מבנותיהם] Mulieres autem illæ alliciebant & pertrahebant viros suos ad cultum deorum alienorum. ¶ *Et manus principum*, &c. [ויד השרים וגו'] i. Principes quidem & magistratus, omnium primi cœperunt hoc facto transgredi Legem Dei, & prævaricari in eam.

3. *Quod verbum*, [את הדבר הזה] *Quam rem*: nempe Legem Dei esse violatam. ¶ *Vestimentum meum*, [את בגדי] *Vestem meam*; i. pallium: pro veste exteriore hîc accipitur. ¶ *Capillos*, [משער] *De pilis*; i. partem pilorum & barbæ. ¶ *Ac sedi stupens*, [ואשבה משומם] *Et desedi pavidus*; *attonitus*: præ admiratione scilicet. q. d. Scissione vestimentorum meorum, &c. volui ostendere ac testari dolorem cordis mei, & zelum quem habebam ob transgressionem Legis Dei.

4. *Pavidi*, [חרד] *Trepidantes*; i. omnes timentes verbum Dei. ¶ Filiorum *transmigrationis*, [הגולה] i. Eorum qui transmigraverant in Babylonem, unde tamen postea redierant duce Zorobabele. ¶ *Usque ad sacrificium vespertinum*, [עד למנחת הערב] i. Usque ad tempus quo fieri solet sacrificium vespertinum.

5. *Curvavi me super genua mea*, [ואכרעה על ברכי] *Accidi in genua.*

6. *Super caput*, [למעלה ראש] Hebraismus, Adeò multiplicatæ sunt ut excedant capita nostra: h.e. ut obruant nos. q. d. Obruti sumus iniquitatibus nostris. Metaphora sumpta est ab aquis. ¶ *Usque ad cœlum*, [עד לשמים] Hyperbole, adeò creverunt ut cœlum ipsum pertingere videantur.

7. *Fuimus*, [אנחנו] *Sumus.* ¶ *Et in pudorem vul-*

tus;

tùs, ובבושת פנים] *Et in pudorem faciei:* i. in confusionem. ¶ *Secundùm diem hanc*, כהיום הזה] i. Ut videre est: vel ut hoc quoque die apparet.

8. *Nunc autem modico momento*, &c. ועתה כמעט רגע וגו'] Ad verb. *Et nunc juxta parvum* [*modicum*] *momentum*; vel *parùm momenti:* Hebraismus, in quo nonnulla subaudienda, acsi dicat, Cùm magna & multa essent peccata nostra, modico momento, sive subitò ac repentè, misertus est nostri Dominus Deus noster. ¶ *Homines evasionis*, פליטה] Hebraismus, pro *evasoribus:* i. ità ut relinqueret ex nobis aliquot qui evaderent, servarentur ac liberarentur. ¶ *Clavum*, יתד] *Paxillum*; i. sedes certas, fixas, stabiles ac permanentes. Solent enim è paxillis dependere vestes & cætera hujusmodi. ¶ *Oculos nostros*, עינינו] Oculos mentis intelligit sive animi: i. ut ostenderet nobis justitiam suam & misericordiam, & ità agnosceremus peccata nostra, ac tandem resipisceremus. ¶ *Vitam modicam*, מחיה מעט] *Modicum vitæ*; i. parùm respirationis, refrigerii & solatii.

9. *Quia servi eramus*, כי עבדים אנחנו] Declarat præcedentem versum, *Servi enim eramus Regis Babyloniorum*, &c. ¶ *Sed inclinavit*, ויט] *Sed extendit.* ¶ *Ut daret nobis vitam*, לתת לנו מחיה] i. Ut fineret nos vivere, & aliquantulum respirare. ¶ *Ut exaltaret*, לרומם] *Ut erigeret.* Istud præcedenti verbo ità connectunt, *ut in vita nostra*, sive *nobis viventibus*, *nostròque tempore*, *exstrueretur*, sive *instauraretur*, *Templum*. ¶ *Et instauraret*, ולהעמיד] Ad verb. *& stare faceret.* ¶ *Sepem*, גדר] Sic vocat munimentum atque mœnia: i. ut tuti incoleremus Judæam & Jerusalem citra injuriam hostium. Solent enim sepes arcere feras ab agris.

10. *Post hac*, אחרי זאת] i. Posteaquam omnia illa evenerunt nobis? ¶ *Nam dereliquimus*, כי עזבנו] Quidam exponunt, *cùm dereliquerimus præcepta ac mandata tua.*

11. *Quæ præcepisti*, &c. אשר צוית וגו'] q.d. Non potuimus ea ignorare. Vide Deut. 7. 1. ¶ *Terrarum*, הארצות] i. Aliarum nationum. ¶ *Ab ore ad os*, מפה אל פה] i. Usque ad summum. Metaphora à vase quod plenum est ad labra usque. Gallicè, *de bort a bort.*

12. *Neque quæratis pacem eorum & bonum eorum*, ולא תדרשו שלומם וטובתם] Hebraismus, Nè curetis salutem eorum: nihil posthac sit vobis cum illis commune. Eandem locutionem habes Deut. 23. 5. ¶ *Ut confortemini*, למען תחזקו] *Ut roboremini*; i. ut sitis fortiores illis: vel, ut fortiores facti possitis illis resistere.

13. *Prohibueris*, חשכת] *Cohibueris*; sub. *teipsum:* vel, *iram tuam.* ¶ *Nè essemus deorsum propter iniquitates nostras*, למטה מעונינו] Hebraismus, Cohibueris te nè propter iniquitates nostras deprimeres nos ac pessundares: vel, nè prorsus inferiores essemus inimicis nostris, ut resurgere non liceret nobis: nam statim subjicit, *Et dederis evasionem talem.* Sic Deut. 28. 13. *Ponètque te Jehovah in caput, & non in caudam; erisque duntaxat sursum, & non deorsum, quando obedieris*, &c. Alii vertunt, *infra iniquitates nostras*; i. non punivisti nos pro ratione peccatorum nostrorum, & prout eramus meriti. Ex doctioribus Hebræorum alter exponit, *Tu prohibuisti in inferiori loco peccata nostra, nè sursum ascenderent contra nos:* juxta illud Mich. 9. 19. *Et projiciet in profunda maris omnia peccata nostra.* Magni nominis apud illos vir sic interpretatur, *Tu depressisti quasdam ex iniquitatibus nostris, ut non sumeres ultionem de omnibus.* ¶ *Talem*, כזאת] Ad verb. *secundùm hoc:* i. qualis nunc apparet.

14. *Ad dissipandum*, להפר] *Ut dissipemus.* ¶ *Et ad affinitatem contrahendam*, ולהתחתן] Hic ו pro *id est* positum. Exponit enim quæ peccata intelligat, nempe *affinitatem contrahere*, &c. ¶ *Abominationum istarum*, התועבות האלה] i. Qui has abominationes admittere solent. ¶ *Irasceris contra nos*, תאנף בנו] Sub. *si hac fecerimus.* ¶ *Residuum & evasio*, שארית ופליטה] i. Ut neminem in nobis relinquas qui evadat?

15. *Quoniam residui sumus*, &c. כי נשארנו פליטה וגו'] q. d. Multi quidem ex nobis perierunt, idque justo Dei judicio: aliquot tamen servati sunt magnâ ipsius Dei nostri misericordiâ, ut hodie apparet. ¶ *In delictis nostris*, באשמתינו] i. Peccatores. ¶ *Neque enim*, &c. כי אין וגו'] *Non enim est consistere in conspectu tuo super* [*contra*] *hoc:* i. non sunt nobis vires, h.e. opera bona aut merita, ut possimus resistere tibi, & quibus tegere possimus hanc nostram transgressionem ac prævaricationem.

CASTALIO.

8. *Palum*] Firmitatem & mansionem.
9. *Septum aliquod*] Urbs.

GROTIUS.

2. *Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis*] Quod sine exceptione vetitum de feminis Cananæis, Hethæis, Pherezæis & Jebusæis. De cæteris autem idem constitutum à Sapientibus nisi feminæ istæ Legem susciperent. Vide quæ diximus ad 1 Reg. 11. ¶ *Manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima*] Bene, ut Sophocles,

Κ' ἐκ αἰτιῶμαι κεῖνον, ὡς τὲς ἐν τέλει.

3. *Scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens*] Vestem lacerare mos Judæis ubi Deum offendi vident: diximus ad Matth. 26. 65. Comas verò vellere, lacerare, laniare, mos omnium propè gentium; cujus mentio apud Homerum, qui dixit τίλλοντό τε χαίτας, Virgilium, Ovidium, Senecam, Martialem. Aliud est radere comam: quod in luctu ob mortuos fieri ideo Lex vetat quòd vicinæ gentes id usurpabant.

6. *Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam*] Egregia confessio & deprecatio. Viri pii κατὰ κοίνωσιν loquuntur de culpis, nè nimiùm arroganter se cæteris eximere videantur. Quale illud est Bruti, *Quòd si Romanos nos esse meminissemus.* Vide infrà 10. 2. & Dan. 9. Neh. 1. 6.

CAP. X.

MUNSTERUS.

3. *Percutiemus fedus*] Non quòd novum inierint cum Domino Deo fedus, sed instauraverunt & renovaverunt fedus quod Deus olim inierat cum universo Israele.

8. *Ab ecclesia captivitatis*] h. e. A cœtu qui rediit à captivitate Babylonica & jam inhabitabat Judæam & Jerusalem.

14. *Stent nunc*] Capitur hic *stare* pro *præfectum esse negotio:* ut sit sensus, *Præficiantur principes nostri*, &c.

VATABLUS.

1. *Et confiteretur*, וכהתודותו] *Et fateretur*, sub. *peccata sua & peccata populi.* ¶ *Et deprimeret sese*, ומתנפל] *Et demitteret sese in terram*, i. humi prostratus.

2 *Tunc locutus est*, ויען] Ad verb. *Et respondit.* ¶ *Quòd duximus*, ונושב] Sub. *in uxores.* Ad verb. *& duximus.* ¶ *De populis terræ*, מעמי הארץ] i. Quæ sunt de filiabus populorum alienigenarum. ¶ *At nunc spes est*, &c. ועתה יש מקוה וגו' *Nunc autem* adhuc *spes est* aliqua *Israeli super hoc*, i. aliquid spei est Israeli ut convertatur ad Dominum, & resipiscat, q. d. Nos quidem peccatores sumus; at Deus noster misericors est. Alii exponunt, *Spes est Israeli*, acsi dicat, Possunt Israelitæ abjicere à se uxores suas alienigenas. Alii, *Nunc ergò si est spes Israeli super hoc, nunc, inquam, percutiamus*, &c. Alii, *Nunc autem éstne spes Israeli super hoc?* ità ex doctis Hebræorum alter.

3. *Percutiamus fedus*, &c. נכרת ברית וגו'] q. d. Resipiscamus

sipiscamus abjiciendo uxores nostras alienigenas. ¶ *Mulieres*, נשים] Sub. *alienigenas*: ut v. 10. ¶ *Et natos ex eis*, והנולד מהם] i. Liberos earum.

4. *Surge*, קום] Quia jacebat humi. ¶ *Ad te pertinet res*, עליך הדבר] Ad verb. *super te res*, i. tuum est istud facere. ¶ *Et nos* erimus *tecum*, ואנחנו עמך] i. Nos aderimus ac favebimus tibi, feremúsque opem. ¶ *Confortare & fac*, חזק ועשה] i. Forti animo aggredere rem ipsam. His verbis utuntur Hebræi ad exhortationem.

5. *Ut facerent secundùm verbum hoc*, לעשות כדבר הזה] i. Ut ità facerent.

6. *Lugebat*, מתאבל] *Mœrebat*. Alii, *quòd lugeret propter transgressionem transmigrationis*, i. eorum qui de transmigratione Babylonica redierant in Terram sanctam.

7. *Et voce præconis significarunt*, ויעבירו קול] Ad verb. *Et transire fecerunt vocem in Jehudah*, &c.

9. *Vicesimâ* die *mensis*, *ipse* erat *mensis nonus*, הוא חודש התשיעי בעשרים בחודש] Ad verb. *ipse* est *mensis nonus*, *in vicesima mensis*, i. vicesimâ die mensis noni. ¶ *Propter rem illam*, על הדבר] *Ob negotium illud*: ob quod scilicet convenerant illuc. ¶ *Et propter pluvias*, ומהגשמים] Erat enim tunc tempus pluviosum.

10. *Ut adderetis delicto Israelis*, להוסיף על אשמת ישראל] *Ut adderetis* delictum *delicto Israelis*, i. ut adderetis delicta delictis Israelis, h. e. ut delicta Israelis auctiora & majora faceretis.

11. *Date confessionem*, תנו תודה] i. Fatemini peccatum vestrum coram Domino. Alii, *Date laudem Jehovæ*, vel, *gloriam*, i. agnoscite vos esse peccatores, & resipiscite.

12. *Sic secundùm*, &c. כן כדבריך עלינו לעשות] Ad verb. *Sic secundùm verbum tuum super nos ut faciamus*, i. ità ut dicis debemus sive tenemur facere.

13. *Neque est vis ad standum foris*, ואין כוח לעמוד בחוץ] *Neque est virtus* [*neque sunt vires*, sub. *populo*] *ut consistat foris*, i. sub dio. ¶ *Multi sumus qui*, &c. הרבינו לפשוע בדבר הזה] Ad verb. *multiplicavimus transgredi in hac re*.

14. *Stent*, *obsecro*, &c. יעמדו נא שרינו לכל הקהל] Hebraismus, *Præficiantur principes nostri universæ multitudini*. Vel, *Stent principes nostri*, sub. *in hac re*, i. cognoscant de hoc negotio, *donec*, &c. ¶ *Duxerit*, ההושיב] Ad verb. *habitare fecerit*, sub. *secum*. ¶ *Veniat*, יבוא] Sub. *ad principes istos*. ¶ Sint] Alii subaudiunt, veniant, ¶ *Singularum urbium*, עיר ועיר] Ad verb. *urbis & urbis*. ¶ *A nobis propter hoc*, ממנו עד לדבר הזה] *A nobis usque ad hanc rem*, i. à peccatis nostris usque ad pœnitentiam nostram, h. e. donec propositâ resipiscentiâ nostrâ, vel per resipiscentiam nostram, placemus Deum nostrum iram in nos.

15. *…untamen*, אך] q. d. Non omnes principes præfecti fuerunt huic negotio, sed isti tantummodo qui hîc recensentur. ¶ *Constituti fuerunt super hoc*, עמדו על זאת] Ad verb. *steterunt super hoc*, i. præfecti fuerunt huic negotio.

16. *Per domum patrum suorum*, לבית אבותם] i. Per familias suas. ¶ *Per nomina*, בשמות] Sub. *fuerunt designati*, i. & omnes quidem nominatim. ¶ *Ut quærerent rem*, לדריוש הדבר] *Ut inquirerent rem*, i. ut cognoscerent de hoc negotio.

17. *Perfecerúntque*, &c. ויכלו וגו'] i. Perstiterunt in hoc negotio per tres menses, nempe usque ad mensem primum quo illud absolverunt.

19. *Et dederunt manum suam*, &c. ויתנו ידם להוציא נשיהם] Hebraismus, Tunc ejecerunt, sive expulerunt, uxores suas alienigenas. ¶ Venerunt *cum ariete pecorum*, איל צאן] Dederunt *arietem ovium*, vel, *gregis*, i. captum è grege. ¶ *Pro delicto suo*, על אשמתם] i. In expiationem delicti quod admiserunt in ducendis uxoribus alienigenis.

20. *Et de filiis Immer*, ומבני אמר] Sub. *inventi sunt*. Et sic infrà.

23. *Ipse* est *Celitah*, הוא קליטה] i. Qui alio nomine dicitur *Celitah*.

25. *Et de Israele*, ומישראל] i. De plebe, sive plebeiis.

44. Quibusdam *autem ex eis erant mulieres quæ posuerant filios*, ויש מהם נשים וישימו בנים] Ad verb. *& erant ex eis mulieres, & posuerant filios*, i. quibusdam ex illis alienigenæ illæ mulieres procreaverant liberos, qui & ejecti fuerunt unà cum matribus. Alii interpretantur, *quæ exposuerunt liberos suos arbitrio ac voluntati Judicum, ut ejicerent eos, aut retinerent.*

GROTIUS.

3. *Percutiamus fedus cum Domino Deo nostro*] i. Reconciliemur Deo. ¶ *Ut projiciamus universas uxores & eos qui de his nati sunt*] Ergò vigebat apud Hebræos jus illud quod apud Romanos constituit Theodosius L. *Non dubium* C. de Legibus & Constitutionibus Principum, ut ea quæ lege prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia sed pro infectis etiam habeantur. Cur ergò Paulus Apostolus conjugia Christianorum aut Christianarum cum paganis dissolvi ex parte Christiana non vult, 1 Cor. 7? Corinthiis loquitur, & his qui cum Corinthiis pari jure erant, apud quos talibus conjugiis nulla lex aut Dei aut hominum obstabat. Filii autem hîc jubentur matrem sequi, ut in illicitis nuptiis fieri solet; accedente & hâc causâ, nè educati in superstitionibus alios pueros corrumperent.

4. *Tuum est decernere*] Qui & summam habes Legis peritiam, & à Rege Persarum potestatem habes.

5. *Adjuravit*] Dei nomine adhibito eos officii monuit.

8. *Juxta consilium Principum & Seniorum*] Esdras potestate quam à Rege acceperat non usus nisi ad monendos populares, deinde decernendi libertatem Senatui reliquit. ¶ *Auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur de cœtu transmigrationis*] *Auferetur*, intellige, *ità ut Deo sacra fiat*. Id enim significat verbum יחרם. Lxx, ἀνιερωθήσονται τὰ κτήνη αὐτῶν, καὶ αὐτὸς ἀλλοτριωθήσεται ἀπὸ τοῦ πλήθους τῆς αἰχμαλωσίας. Josephus, ἀπαλλοτριωθήσεσθαι τοῦ πλήθους, τὴν οὐσίαν κατὰ τὴν τῶν πρεσβυτέρων κρίσιν ἀφιερωθήσεσθαι. Exsilium non erat inter pœnas Legis, sed licebat Senatui novis decretis novas pœnas addere.

14. *Et cum his Seniores per civitatem & civitatem, & Judices ejus*] Delegati ab oppidorum Senatoribus ad communem Senatum veniant, & attestentur facta divortia.

15. *Igitur Jonathan filius Azahel & Jaasia filius Thecue steterunt super hoc*] i. Ex Sacerdotum ordine hi duo isti negotio præfecti fuere, nimirum inter illos principes quos constitutos modò dixit.

ANNO-

ANNOTATA
AD LIB.
NEHEMIAE.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Liber iste Nehemiæ non separatur in Hebræo à libro Ezræ, sed uterque liber est una continuata historia. Et quando in initio hujus libri dicitur; *Anno vicesimo mensis Chisleu ego Nehemias fui in arce Susan*, ostendit initium sequentis capitis ad quid referatur ille Vicesimus annus, nempe ad Artaxerxem.

VATABLUS.

1. *Verba Nehemiah*, דברי נחמיה] i. Sequuntur sermones vel gesta Nehemiæ. ¶ *Chisleu*, כסלו] Is est mensis nonus, November. ¶ *Anno vicesimo*, שנת עשרים] Regni scilicet Artaxerxis, quem Darium fuisse dicunt Hebræi. ¶ *Ego eram in Susan palatio*, ואני הייתי בשושן הבירה] *Cùm essem in Susis regia*, sive, *in regia*.

2. *E fratribus meis*, מאחי] i. Sociis, vel sodalibus meis, h. e. ex Judæis. ¶ *Ipse & viri de Jehudah*, הוא ואנשים מיהודה] i. Unà cum aliquot comitibus; venit, inquam, è Judæa: refertur ad initium versûs. ¶ *De Jehudæis viris evasionis*, על היהודים הפליטה] i. De rebus ac statu Jehudæorum qui evaserant & salvi redierant in Terram sanctam. ¶ *De captivitate, & de Jerusalaim*, מן השבי ועל ירושלם] i. De captivitate Babylonica, & de statu urbis Jerusalem.

3. *In provincia*, במדינה] Judææ scilicet. ¶ *In malo magno & opprobrio*, ברעה גדולה ובחרפה] *In afflictione maxima & ignominia*, i. vehementer affliguntur, & probris afficiuntur.

4. *Sedi, ac flevi, luxique per dies*, ישבתי ואבכה ואתאבלה ימים] *Sedi*, nempe humi, vel in cinere, more lugentium; *& flevi*, i. deploravi miseriam ac calamitatem fratrum ac popularium meorum; *luxique diebus aliquot*, Gallicè, *certains jours*. ¶ *Coram Deo cœli*, לפני אלהי השמים] q. d. Coram Deo omnipotente, qui condidit machinam illam cœlestem, qui fecit cœlum & terram.

5. *Fortis, magne*, האל הגדול] *Deus maxime*.

6. *Attendens*, קושבת] Sub. *orationi meæ*. ¶ *Confiteor namque*, ומתודה] Ad verb. *& confiteor*. ¶ *Quæ peccavimus*, אשר חטאנו] *Quibus peccavimus*. Vel, *qui peccavimus*. Alii, *quia peccavimus*.

7. *Graviter peccavimus tibi*, חבול חבלנו לך] Ad verb. *perditione perdidimus* [vel, *corruptione corrupimus*, sub. *præcepta tua*] *Tibi*, i. in dedecus tuum: nam qui peccant videntur quasi perdere sive corrumpere præceptum ac mandatum. Hic pro *peccare* accipitur. ¶ *Quæ præcepisti*, אשר צוית] i. Quæ tradidisti ac præcepisti servanda nobis per Mosen servum tuum.

8. *Prævaricabimini*, תמעלו] Sub. *in me & præcepta mea*. Vel, *transgrediemini*, sub. *præcepta ac mandata mea*, i Cùm transgressi fueritis, *ego dispergam vos*, &c. Vide Deut. 30. 1. Postquam confessus est peccata sua, proponit & quasi ob oculos ponit promissiones Dei quas fecit resipiscentibus. *Vos prævaricabimini*, &c. q.d. Ut vestrum est & vobis peculiare prævaricari in me & transgredi præcepta mea, ità meum est & meâ interest punire vos & affligere, atque pœnas sumere de vobis. Proponit nobis Deus infirmitatem nostram, & simul commendat justitiam suam.

9. *Cùm autem reversi fueritis ad me*, ושבתם אלי] *At si revertamini*, vel, *reversi fueritis ad me*. ¶ *Et custodieritis præcepta mea & feceritis*, ושמרתם מצותי ועשיתם] Quidam exponunt, *si custodieritis corde præcepta mea, & opere*, sive *reipsa, feceritis*. Oportet enim comprobare resipiscentiam cordis. ¶ *Expulsio vestra*, נדחכם] Sing. Heb. pro plur. *expulsi vestri*, i. siqui à patria vestra ejecti fuerint in regionem remotissimam, quæ videatur contingere cœlum ipsum. Nam finitor sive horizon nostri hemisphærii videtur contingere eam regionem quam terminat.

11. *Et da eum in misericordias*, &c. ותנהו לרחמים וגו׳] i. Da illi misericordiam coram viro isto Artaxerxe, h. e. fac ut ejus misereatur vir iste. Finis est orationis, quæ quidem plena est pietatis & eruditionis. Sequentia pertinent ad caput sequens *Ego autem eram*, &c.

GROTIUS.

1. *Verba Nehemiæ*] Hujus profectio annis evenit 72 post illam Esdræ. Vidit Esdram eique supervixit. ראשי הגולה *capita deportatorum* vocantur Zorobabel, Mardochæus, Josua Josedecides, & Nehemias. Hi, simúlque Prophetæ Aggæus, Zacharias, Malachias, eminuerunt in magno illo conventu 120 virorum qui Hebræis dicitur συναγωγὴ μεγάλη. Huic Nehemiæ Camillum comparo: Ambo magnæ virtutis, seditionibus agitati, patriæ suæ restituti. Josephus hoc ei reddit elogium: Ἀνὴρ ἐγένετο χρηστὸς τὴν φύσιν, καὶ δίκαιος, καὶ περὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς φιλοτιμότατος, μνημεῖον αἰώνιον αὐτῷ καταλιπὼν τὰ τῶν Ἱεροσολύμων τείχη. ¶ *In Susis castro*] Susa urbs nota per Historicos & Poetas, sic dicta ob amœnitatem ex nomine *lilii*, quod שושן Hebræis, σοῦσα Persis, ut notat Athenæus: unde & σούσινον μύρον sive χρῖσμα *unguentum è lilio*, memoratum eidem Athenæo, Theophrasto, Dioscoridi.

9. *Etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, indè congregabo vos*] Deut. 30. 3, 4.

11. *Ante virum hunc*] Regem intelligit, velut digito eum monstrans. ¶ *Ego enim eram pincerna regis*] Latinè dicas *poculorum minister*: Multis Hebræis multæ apud Reges exteros non modicæ dignitates obtigere; ut Danieli & sociis ejus, Zorobabeli. Idem & posteris temporibus evenisse videas apud Mahumetanos Reges in Hispania, Africa, Ægypto, Perside, & Turcarum Imperio.

CAP.

CAP. II.

MUNSTERUS.

8. PRO *portis palatii*] Templum quidem jam erat exstructum, sed portæ muri civitatis, & portæ domûs atrii quod erat per circuitum Sanctuarii, nondum erant reparatæ: ideo pro illis postulavit ligna.

VATABLUS.

1. N*Isan*, ניסן] Is est mensis primus respondens partim Martio, partim Aprili. Describit Nehemias occasionem quam nactus petiit facultatem à Rege eundi in Judæam, ut instauraret ac muro cingeret Jerusalem. ¶ Erat] Alii subaudiunt *attulerunt*. ¶ *Non eram autem*, &c. ולא הייתי רע לפניו] i. Non solebam esse coram eo vultu tristi, sed hilari ac jucundo. Alii, *& non eram ingratus coram eo*, i. illi, h. e. eram illi gratissimus.

2. *Malum cordis*, רוע לב] i. Malitia animi, h. e. id non accidit tibi nisi ex malitia cordis, q. d. Tu machinaris ac moliris quippiam mali in corde tuo. Vox Hebræa significat & *tristitiam*.

3. *Domus*, בית] Pro *loco* accipiendum est. ¶ *Igni*, באש] i. Magno illo incendio quo flagrabat cùm expugnata fuit?

4. *Pro quanam re postulas?* על מה זה אתה מבקש] i. Quidnam à me petis?

5. *Coram te*, לפניך] i. Tibi. ¶ *Ut readificem eam*, ואבננה] i. Ut instaurem eam, q. d. Per te mihi liceat ire in Jehudah, & instaurare Jerusalem.

6. *Quousque*, עד מתי] *Quamdiu*, i. Quantum temporis insumes in eo itinere faciendo? ¶ *Coram Rege*, לפני המלך] i. Regi, sic v. 1. Sequenti versu scriptit, *Si Regi bonum est*. ¶ *Postquam dedi ei tempus*, ואתנה לו זמן] Aut hîc ו per *Postquam* vertendum est, *Dedi mihi facultatem abeundi posteaquam dedi ei tempus aliquod quo reversurus essem*. Aut talis esse debet ordo, *Et dedi illi tempus, & placuit Regi, & misit me*.

7. *Est bonum*, טוב] i. Placet.

8. *Pomarii quod* est *Regi*, הפרדס אשר למלך] *Paradisi Regis*, vel, *saltûs Regis*. ¶ *Ad contignandum portas palatii, quæ* erant *domui*, לקרות את שערי הבירה אשר לבית] Verbum קרה significat *componere tigna*, sive *trabes*, i. ad exstruendas portas palatii domûs sive ædis, h. e. Templi Dei. Templum quidem ædificatum erat, sed appendices Templi non erant exstructæ. ¶ *Et murum*, ולחומת] i. Portas muri quo cingitur mons Sion, in quo exstructum est Templum ipsum. ¶ *Quam ingressus fuero*, אשר אבוא אליו] *Quam ingrediar*, h. e. domum in qua habitem cùm pervenero illuc. ¶ *Dedit itaque*, ויתן] Sub. *Epistolas*. ¶ *Juxta manum*, &c. כיד וגו'] Hebraismus, pro *favore & gratia Dei mei erga me*, sive *quo prosequebatur me Deus meus*.

9. *Miserat autem*, וישלח] i. Mandaverat ut mitterentur.

10. *Audiens verò*, וישמע] *Cùm autem audisset*, sub. *adventum meum*. Isti erant inimici Judæornm. ¶ *Displicuit eis displicentiâ magnâ*, וירע להם רעה גדולה] Hebraismus, *displicuit eis maximopere*; sive, *agerrime tulerunt*. ¶ *Ut quæreret bonum filiis Israelis*, לבקש טובה לבני ישראל] Hebraismus, Qui consulere vellet commodis filiorum Israel, sive, Cui res filiorum Israel curæ essent.

11. *Tandem veni in Jerusalaim*, ואבוא אל ירושלם] Ad verb. *Et veni* [vel, *ingressus sum*] *in Jerusalem*. ¶ *Ubi mansi*, ואהי שם] Ad verb. *& fui ibi*.

12. *Et viri pauci*, ואנשים מעט] Ad verb. *& virorum parùm quid*; i. paucus numerus: h.e. cum paucis. ¶ *Cuiquam*, לאדם] Ad verb. *homini*. Sic v. 10. *Quòd venisset homo*; i. aliquis. *Nemini indicavi*, inquit, *quid Deus induxisset in animum meum*. ¶ *In Jerusalaim*, לירושלים] *Ipsi Jerusalem*; vel, pro *Jerusalem*, sive *in gratiam Jerusalem*.

13. *Per portam Vallis*, בשער הגיא] Sub. *Josaphat*; i. per quam ibatur ad Vallem Josaphat. ¶ *Ante fontem Draconis*, ופני עין התנין] *Contra fontem Draconis*: i. ad locum qui erat contra, vel eregione fontis, aut coram fonte Draconis. ¶ *Igni*, באש] q. d. Incendio illo quo conflagravit in expugnatione.

14. *Piscinam*, ברכת] Hæc dictio ex doctorum Hebræorum sententia significat *aquam congregatam*, sive *collectam*; sive *locum lapidibus calcéque constructum quò pluviales colliguntur aquæ, vel è fonte hausta*. ¶ *Jumento sub me, ad transeundum*, לבהמה לעבור תחתי] Ad verb. *jumento ad transeundum, sub me*. Ordinem convertit noster interpres, obscurum alioqui. i. *jumento cui insidebam, per quam transire possem*. q. d. Non potuit jumentum meum illac transire.

15. *Per torrentem*, בנחל] Nempe *Cedron*.

16. *Nesciebant quò abiissem, & quid facerem*, לא ידעו אנה הלכתי ומה אני עושה] *Nescierunt* [*non noverunt*] *quò abiissem, & quid fecissem*. ¶ *Atque optimatibus*, ולחורים] *Et nobilibus*. ¶ *Opus*, המלאכה] Sub. *urbis*, i. qui operabantur in reparatione murorum. ¶ *Hucusque*, עד כן] Magni nominis apud Hebræos vir exponit עד עתה *usque nunc*, i. ad hoc usque tempus. Ex doctioribus illorum alter exponit עד עשיתי כן לא הגדתי להם *quousque fecissem sic, non indicavi eis*. Quidam vertunt *hoc*, sive *hoc ipsum*, vel, *tale quidpiam*. In exemplari Grammatices docti illius inter Hebræos legitur על כן. Alii verterunt *itidem*, sive *similiter*.

17. *Malum in quo sumus, quia Jerusalaim*, הרעה אשר אנחנו בה אשר ירושלם] *Calamitatem in qua sumus, quòd Jerusalaim desolata sit*, &c. ¶ *Venite, & ædificemus*, לכו ונבנה] i. Agite, instauremus, &c. ¶ *Ut non*, ולא] Ad verb. *& non*, i. ut posthac alii non afficiant nos probris.

18. *Manum*, את יד] i. Gratiam, sive favorem, vel opem, sive auxilium quo Deus meus me magnopere adjuvit, q. d. Magnum illum favorem quo Deus meus me prosecutus fuerat. De hoc Hebraismo vide v. 8. ¶ *Surgamus & ædificemus*, &c. נקום ובנינו וגו'] i. Agite, sine ulla mora instauremus: tunc cœperunt esse bono animo ac forti. ¶ *In bono*, לטובה] *Propter bonum illud*, i. propter magnum illum favorem Dei erga se. Vel respicit beneficentiam sive beneficium Regis: acsi dicat, Cùm intellexissent Deum & Regem sibi favere.

19. *An contra Regem rebellatis*, העל המלך אתם מורדים] i. Vultísne à Rege deficere?

20. *Quibus respondi*, ואשיב אותם דבר] Ad verb. *Et reddidi eis verbum*. ¶ *Dabit nobis prosperum successum*, יצליח לנו] Ad verb. tanquam tu dicas cum Plauto, *prosperabit nobis*. ¶ *Surgamus & ædificemus*, נקום ובנינו] *Surgemus & ædificabimus*, i. sine ulla mora instaurabimus urbis nostræ muros. ¶ *Vobis autem nulla est portio*, &c. ולכם אין חלק וגו'] Ad verb. *& vobis non pars, & justitia, & memoria*, &c. i. in hac structura nulla est vobis portio, nullâ ratione ad vos pertinet, cùm sitis Samaritani & alieni à religione nostra: præterea non est vobis meritum ullum, h. e. nunquam estis benemeriti de Jerusalem; neque memoriam vestri ullam relinquetis in ea.

CLARIUS.

8. PRO *portis palatii*] Templum quidem jam exstructum erat, sed portæ muri civitatis, & portæ domûs atrii quod erat per circuitum Sanctuarii, nondum erant reparatæ: ideo pro illis postulavit ligna.

GROTIUS.

1. E*T levavi vinum*] Non antè vices ministerii ad ipsum redierant.

3. *Civitas domus sepulcrorum patris mei*] Multum moventur animi monumentis majorum. Nihil de reli-

gione,

gione, nihil de cultu addit, scit cui loquatur.

4. *Et oravi Deum cœli, & dixi ad regem*] Qui preces ad Regem præferre vult, priùs ad Deum perferat, cujus in manu corda sunt Regum.

8. *Ad Asaph custodem saltûs Regis*] *Paradisi*, ut habet textus Hebræus. Sic autem vocabatur regio illa quæ à Libano ad Antilibanum se porrigit. ¶ *Portas turris domûs*] Regia videtur intelligi: nam Templum Esdras perfecerat. Non vocat autem *regiam*, nè Regi suspicionem injiciat rerum novarum. Ea ipsa regia infrà indicari videtur in Hebræo per *solium principis*, 3. 7.

10. *Et audierunt Sanaballat Choronites*] Regulus in Moabitide, cujus pars *Choronaim* Esa. 15. 5 Jer. 48. 3, 5, 34. Hic Sanaballetes is est qui postea Alexandro Magno consilium dedit excitandi Templum Garizitanum ad dividendos Hebræos. ¶ *Et Tobias servus Ammonites*] *Servum* intellige subditum Regi Persarum.

12. *Et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem*] Nehemias, ut aulicus, didicerat & tacere & loqui in tempore.

13. *Murum Jerusalem dissipatum*] Est & hîc in Hebræa voce הם litera ם qualis initio aut mediâ voce scribi solet posita in fine, non minùs quàm Esa. 9. 17. Non putem subesse mysterium, sed primi scriptoris licentiam imitatos exscriptores.

16. *Magistratus autem nesciebant quò abiissem*] Illi qui hucusque illas ruinas Persarum Regis nomine servaverant. Ostendit id oppositio sequentium. ¶ *Judæis & sacerdotibus & optimatibus & magistratibus*] Numero 150, infrà 5. 17. Vide & 4. 14, 19.

20. *Vobis autem non est pars & justitia & memoria in Jerusalem*] Simile vide 1 Esdræ 4. 3. Hoc dicit, Neque in labore partem habebitis, neque in merito, neque in fama.

CAP. III.

MUNSTERUS.

1. SAnctificaverunt eam] Capitur hîc *sanctificare* pro הזמין *sumptuosè & magnificè præparare*. Sacerdotes igitur primam muri reparaverunt portam & magnam muri partem. Et *ad manum illorum*, h. e. à termino illorum, ædificabant viri Jereho certam muri portionem.

7. *Pro solio ducis*] h. e. Fecerunt opus muri, ubi Dux habebat locum mansionis. Quidam tamen accipiunt כסא pro nomine proprio, alii putant פחת עבר esse proprium nomen, sicut & suprà quidam vocatur פחת מואב *dux Moab*.

8. *Roboraverunt*] Capitur hîc עזב ferè sicut Exodi 23. pro חזק, & פלך pro מחוז *termino*, & מדה *mensura* pro חלק *portione* muri.

11. *Mensuram secundam*] Alii vertunt *partem alteram*.

20. *Prorupit ex indignatione*] Aben Ezra sic exponit hunc locum, *Fremuit in seipso quòd ædificium tam tardè surgeret; & in fremitu illo erexit certam muri partem.*

VATABLUS.

1. POsthac surrexit, ויקם] Ad verb. *Et surrexit.* Hoc capite describitur quo modo, quóve ordine murus Jerusalem instauratus fuerit, & à quibus. ¶ *Et frater ejus*, ואחיו] i. Qui erant de eadem familia, aut tribu; vel socii, sive sodales ejus. ¶ *Pecorum*, הצאן] *Gregis*. Fortè per hanc portam ingrediebantur greges in urbem. ¶ *Apparaverunt eam*, קדשוהו] Ad verb. *sanctificaverunt eam*, i. insignem & claram reddiderunt. ¶ *Turrim*, מגדל] *Arcem*, sic infrà. Omnes hæ turres erant in muro urbis.

2. *Et juxta locum*, ועל ידו] *Et juxta manum ejus*, i. juxta eum: sic infrà.

3. *Hasenaah*, הסנאה] Est potiùs cognomen sive agnomen quàm nomen proprium, quod tamen pro nomine proprio ponitur. ¶ *Contignaverunt eam*, קרוהו] *Tigna & trabes ejus posuerunt*, i. tignis ac trabibus texerunt eam.

4. *Instauravit*, החזיק] Sub. *murum*. Ad verb. *fortificavit*, & sic infrà.

5. *Thecoita*, התקועים] i. Habitatores Thecoa. ¶ *Majores verò eorum*, ואדיריהם] *Fortes verò eorum*, i. præclarissimi & præstantissimi eorum. Magni nominis apud Hebræos vir exponit, *divites eorum*, i. qui inter eos ditiores erant. ¶ *Non adduxerunt*, לא הביאו] *Non induxerunt, immiserunt, imposuerunt*, sub. *in jugum*. ¶ *Domini sui*, אדניהם] Qui scilicet præfectus fuerat toti familiæ in instauratione muri urbis, h. e. non paruerunt domino ac præfecto suo, mandanti ac præcipienti ut laborarent in instauratione muri. Metaphora à bobus & aliis jumentis qui colla sua in jugum inserunt ut laborent in agro.

6. *Portam verò Veterem*, ואת שער הישנה] *Portam verò Veteris*, vel, *Antiquæ*, sub. *piscinæ*, cujus scilicet meminit Jesaias 22. 11. ¶ *Contignaverunt eam*, קרוהו] Vide ver. 3.

7. *Viri*, אנשי] i. Cives. ¶ *Pro solio ducis*, לכסא פחת] *Usque ad solium ducis*.

8. *Aurifices*, צורפים] Qui erat de familia *aurificum*. Nomen est familiæ. ¶ *Filius Haracahim*, בן הרקחים] i. Nepos *Haracahim*, vel *pigmentariorum*, sive, *aromatariorum*. Est etiam nomen familiæ. ¶ *Jerusalaim*, ירושלם] i. Murum Jerusalem.

9. *Princeps mediæ partis regionis*, שר חצי פלך] *Dux dimidiæ regionis*, vel, *dimidii unius regionis*. Jerusalem distributa erat in regiones, ut Roma quoque olim distributa fuit, quarum dimidiæ parti unius iste præerat.

10. *Et contra domum suam*, ונגד ביתו] *Et eregione domûs suæ.*

11. *Mensuram secundam*, מדה שנית] i. Portionem alteram muri quæ proxima erat illi quæ jam instaurata erat ab Hattus.

12. *Halohes*, הלוחש] Cognomen potiùs quàm nomen proprium; significatque *incantatorem*. ¶ *Dimidiæ partis regionis*, חצי פלך] Vide ver. 9. *dimidiæ regionis*, vel, *dimidii unius regionis*. ¶ *Ipse & filiæ ejus*, הוא ובנותיו] i. Unà cum filiabus suis.

13. *Vallis*, הגיא] Sub. *Josaphat*. Ut suprà 2. 13. ¶ *Ædificaverunt eam*, בנוהו] *Exstruxerunt* [*instauraverunt*] *eam*. ¶ *Stercorum*, השפות] *Sterquilinii*. Ut suprà 2. 13.

15. *Pomarii*, השלח] Significat *hortum arborum pomiferarum*, ab *extensione*, quòd huc & illuc extendat ramos, sive propagines suas pomiferas. ¶ *Juxta hortum*, לגן] Alii subaudiunt, quæ decurrebat in *hortum*, vel defluebat in *hortum*. Alii nihil subaudiunt, vertentes *pomarii horti Regis*, i. quod erat in horto Regio.

16. *Post eum*, אחריו] Quod priùs dixit, על ידו *juxta manum* [vel, *locum*] *ejus*, nunc exponit dicens, *Post eum*. ¶ *Sepulcra Davidis*, קברי דויד] Nomen loci, i. usque ad locum qui erat, vel est, contra, sive eregione Sepulcrorum Davidis. ¶ *Affabrè factum*, העשויה] Ad verb. *factam*, i. quæ mirâ arte & miro ingenio atque industriâ constructa erat. ¶ *Domum fortium*, בית הגבורים] Nomen loci in Jerusalem.

17. *Dimidiæ partis regionis*, חצי פלך] Vide v. 12.

18. *Fratres eorum*, אחיהם] i. Alii Levitæ. ¶ *Dimidiæ partis regionis Ceilah*, חצי פלך קעילה] i. Alterius dimidii regionis, sive vici, Ceilah.

19. *Ascensùs armorum*, עלות הנשק] Nomen loci, sic fortasse dicti quòd in eo angulo reponerentur arma. ¶ *Anguli*, המקצוע] Usque ad *angulum*: illum scilicet insignem; *flexuram*, sive *curvaturam*, *muri*, quales solent esse in muro cingente urbem.

20. *Accendit sese*, החרה] *Inflammavit sese*, q. d. Iratus est in seipsum quòd nondum instaurasset murum.

22. *Viri planitiei*, אנשי הככר] i. Qui habitabant in planitie,

planitie, sive campestribus Jordanis, aut Jericho, habebant tamen etiam domus in urbe Jerusalem.

24. *Mensuram secundam,* מדה שנית] i. Portionem alteram, ut v. 11. ¶ *Usque ad angulum, usque ad angulum, inquam,* עד המקצוע ועד הפנה] *Usque ad flexuram* illam insignem, vel, *curvaturam.* Posterior particula ponitur expositivè, quòd nomen פנה sit generalius.

26. *In arce,* בעופל] *In munitione* illa scilicet insigni, sub. *instauraverunt.* ¶ *Prominentem,* היוצא] Ad verb. *egredientem,* sic ver. seq.

27. *Illius arcis,* העופל] i. Quo cingebatur arx illa insignis.

28. *A porta Equorum,* מעל שער הסוסים] *A superiori loco portæ Equorum.* Nomen loci.

29. *Post eum,* אחריו] i. Post ultimum illorum, sive ex illis.

30. *Sextus,* הששי] Sub. *filiorum ejus,* habuerat enim Salaph multos filios, quorum ille erat sextus. ¶ *Mensuram secundam,* מדה שני] i. Portionem alteram, ut ver. 11.

31. *Aurificis,* הצורפי] *Conflatoris.* Nomen appellativum, non proprium. ¶ *Portæ Præcepti,* שער המפקד] Nomen loci, ut & *cœnaculum Anguli.*

32. *Aurifices & negotiatores,* הצורפים והרוכלים] i. Ii qui cognomine dicebantur *aurifices* sive *conflatores,* & *mercatores.*

CASTALIO.

7. *Usque ad solium Prætoris Syriæ*] Usque ad eum locum secundùm quem solium Prætoris erat.

CLARIUS.

1. *Ipsi sanctificaverunt eam*] Capitur hîc *sanctificare* pro *sumptuosè & magnificè præparare.* Sacerdotes igitur primam muri reparaverunt portam, & magnam muri partem. Et à termino illorum ædificabant viri Jericho certam muri portionem.

20. *Prorumpens ex indignatione*] Fremuit in seipso quòd ædificium tam tardè surgeret; & in fremitu illo erexit certam muri partem.

GROTIUS.

1. *Portam gregis*] Προβατικὴν Joan. 5. 2.

5. *Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini*] Tacitus Annal. 3. *Præcipuum munus Annalium reor, nè virtutes sileantur, útque pravè dictis factísque ex posteritate & infamia metus sit.*

9. *Princeps vici Jerusalem*] Heb. *princeps dimidiæ partis Jerusalem,* & eodem modo infrà 12. ità ut intelligi debeant duo fuisse præfecti operibus, ad duo scilicet Urbis latera. Vide infrà 4. 19.

12. *Sellum filius Alohes*] Alii לוחש commune esse nomen putant, & hunc Sellum filium fuisse *incantatoris,* i. alicujus periti ad serpentes incantandos.

30. *Post eum*] Quidam Hebræi codices habent hîc & paulò pòst אחרי *post me,* ut suum quoque laborem Nehemias modestè magis innuat quàm arroganter jactet, ut & infrà 4. 16. & 5. 16. Josephus, ἐπεχείρησε δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ τῶν οἰκετῶν συλλήψεως πρὸς τὴν οἰκοδομίαν. Magnum hoc in tantæ auctoritatis viro.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

8. *Negotium anceps*] Heb. *errorem,* seu *interturbationem.*

10. *Cementum multum*] Heb. *pulvis multus,* quod quidam exponunt de *ruderibus ruinarum.*

23. *Nisi propter aquas*] Putat hîc R. Aben Ezra *aquas* accipi pro רחיצה *lotura,* sicut & Vulgata editio hîc habet *baptismum.* Alii legunt sic, *nec meiendi quidem gratiâ.*

VATABLUS.

1. *Ædificaremus,* אנחנו בונים] *Instauraremus.* ¶ *Exarsit ira illi,* ויחר לו] *Incaluit ira illi,* i. succensuit, iratus est. ¶ *Et subsannavit,* וילעג] *Et cœpit subsannare.*

2. *Fratribus suis,* אחיו] i. Concivibus suis, vel sodalibus, aut sociis. ¶ *Imbecilles,* האמללים] *Infirmi, debiles,* q. d. Frustrà laborant. ¶ *Fortificabuntur?* היעזבו להם] *Corroborabuntur?* Redundat להם, q. d. Nunquid suppetent illis vires ad absolvendum opus illud? ¶ *Nunquid sacrificabunt?* היזבחו] *Nunquid immolabunt?* i. offerent hostias in dedicatione Templi, ut solebant? ¶ *In die,* ביום] Sub. *illa ab eis præfixa?* i. quâ statuerunt se perfecturos opus illud? ¶ *Nunquid vivificabunt,* &c. היחיו וגו'] Hebraismus, Nunquid restituent in pristinum statum lapides illos muri jam redactos in cinerem, qui scilicet usti fuerunt in expugnatione urbis? Ad verbum legitur, *& ipsi exusti sunt?* ו per *cùm* versum.

3. *Murum,* חומת] Anteced. pro rel. *illud.*

4. *Dáque eos in prædam,* ותנם לבזה בארץ שביה] Hebraismus, abeántque in captivitatem, & diripiantur bona eorum.

5. *Deleatur,* תמחה] q. d. Versetur tibi semper ante oculos, ut semper memineris ejus. ¶ *Irritaverunt ædificantes,* הכעיסו לנגד הבונים] *Ad iram provocaverunt ædificantes,* sub. *ipsos,* i. nos. Ad verb. *irritaverunt in conspectu ædificantium,* i. *ad iram provocarunt nos coram ædificantibus,* ut exponit doctus inter Hebræos.

6. *Et colligatus est,* ותקשר] *Et compactus est.* ¶ *Ad faciendum,* לעשות] i. Ad perficiendum, sub. *opus illud.*

7. *Sanati essent muri,* עלתה ארוכה לחומות] Ad verb. *ascendisset medicina* [*malagma, emplastrum*] *super muros,* i. quòd instaurati ac reparati essent muri. Metaphora sumpta à chirurgis, qui imposito malagmate sive emplastro vulnera curant: quæ dum coeunt, sanantur: ità muri, cùm obthurantur & instaurantur, videntur sanari. Vide eandem locutionem, 2 Par 24. 13. ¶ *Interrupta concludi,* הפרוצים להסתם] *Fracta* muri *obthurari,* i. conjungi. ¶ *Exarsit ira eorum,* ויחר להם] *Succensus est furor eorum.*

8. *Ei,* לו] Pronomen istud refert *Nehemiam,* vel *populum Hierosolymitanum,* i. ut redderent eos palatos & errantes ac vagantes, sive inopes consilii, ut nescirent quid facturi essent. Alii exponunt, *ut molirentur eis insidias;* aut, *verterent eos in fugam.*

9. *Tum oravimus,* ונתפלל] Ego scilicet & Principes populi. Plebs enim despondebat animum & desperabat de viribus suis. ¶ *Contra eos,* עליהם] *Juxta eos,* qui scilicet laborabant in instauratione & reparatione muri. ¶ *A facie eorum,* מפניהם] i. Nè quippiam detrimenti acciperent ab hostibus, néve hostes adorirentur eos imprudentes ac incautos ac nihil tale cogitantes.

10. *Portantis,* הסבל] *Bajuli.* Sing. pro plur. *Dixerunt autem Jehudæi, Infirma ac debiles facta sunt vires bajulorum,* i. eorum qui portant lapides ac reliqua necessaria ad instaurationem muri. ¶ *Et humus multa est,* והעפר הרבה] *Et pulvis multus est,* i. calx cum arena, ex qua fit intritum, comportandum ad murum ipsum. ¶ *Nec possimus,* לא נוכל] Sub. *liberè.* Alii vertunt, *ut non possimus instaurare murum.*

11. *Nesciant, neque videant,* לא ידעו ולא יראו] i. Nè resciant quid eis moliamur, neque videant nos donec aggrediamur eos, atque obruamus incautos & nihil tale cogitantes, ut eos intermittere faciamus reparationem muri.

12. *Decem vicibus,* עשר פעמים] i. Multis vicibus, sive frequenter. Numerus certus pro incerto. Quidam vertunt, *Quando autem venerunt Judæi illi qui habitabant juxta illos, & dixerunt nobis,* &c. ¶ *Ad nos,* עלינו] i. Ad vos, non enim separant sese ab aliis Judæis, h. e. volunt nos adoriri imprudentes ac incautos & nihil tale cogitantes.

gitantes. Istud *unde revertemini* significat tempore quo revertemini à cibo; vel, sub noctem.

13. *In ipsis summitatibus saxorum*, בצחחים] Significat *locum elevatum & altum in petra*, sic dictum quòd sit *aridus atque siccus*, ut ait doctus inter Hebræos.

14. *Cùmque aspexissem, surrexi*, וארא ואקום] Sub. *aciem instructam*. Ad verb. *Et vidi, & surrexi*, i. Cùm aspexissem instructam aciem, surgens dixi, i. habui orationem ad optimates. ¶ *A facie eorum*, מפניהם] i. Ab eis. ¶ *Et pugnate*, והלחמו] Sub. *alacriter*, sive *alacri animo*.

15. *Notum factum esset nobis*, נודע לנו] i. Detectæ essent nobis eorum insidiæ. ¶ *Dissipavit*, ויפר] Ad verb. *& dissipavit*, ו tantùm convertit fut. in præt. ¶ *Et reversi sumus*, ונשב] *Itaque reversi sumus*.

16. *Verùm à die illa, altera pars*, ויהי מן היום ההוא חצי] Ad verb. *Et fuit à die illa, media pars*. ¶ *Operabantur*, עושים במלאכה] Ad verb. *faciebant in opere*.

17. *Et altera*, ואחת] Sub. *manus*.

18. *Tubâ*, בשופר] Sub. *illâ militari & bellicâ*.

19. *Tunc dixi*, ואומר] Ad verb. *Et dixi*. ¶ *Multum & latum est*, הרבה ורחבה] i. Magnum & spatiosum. ¶ *Separati sumus*, נפרדים] *Disjuncti sumus*, vel, *divulsi ab invicem*. Seipsum mox declarat cùm dicit, *remoti*, vel *distantes*, *alter ab altero*, i. alii ab aliis.

21. *Nos itaque*, ואנחנו] Ad verb. *Et nos*. Quidam vertunt, *Nos interim operabamur*. ¶ *Et media pars eorum*, וחצים] Nempe juvenum qui illic aderant, de quibus ver. 16. ¶ *Ab ascensu auroræ*, &c. מעלות השחר וגו'] i. A tempore quo ascendit aurora supra horizontem, h. e. ab ortu auroræ, *usque dum egrederentur stellæ*, i. apparere inciperent. Videntur enim antea quasi esse in cubiculis in quibus delitescant, h. e. ab aurora usque ad noctem.

22. In *opus*, מלאכה] i. Noctu custodiant nos, & interdiu operentur in muro.

23. *Nec ego nec fratres mei*, &c. ואין אני וגו'] Ad verb. *Et non ego, & fratres mei, & pueri mei, & viri custodes, qui erant post me, non nos exuentes*. Redundat אנשי. Et אנחנו *nos*, pro *eramus*, i. non, inquam, eramus exuentes nos, h. e. nunquam exuebamus nos, sive deponebamus vestes & arma, sive per diem, sive per noctem. ¶ *Quisque deponebat illud* ad *aquas*, איש שלחו המים] Ad verb. *cujusque depositio* [*exspoliatio*] *ejus ad aquas*, i. quisque exuebat vestes suas tantùm cùm vellet sese mundare & sanctificare, à שלח, quo utitur Chaldæus pro *exuere* & *exspoliare*. Istam expositionem annotat doctus inter Hebræos, atque etiam magni nominis apud illos vir. Ex doctioribus illorum alter exponit, *cujusque ensis* erat in manu sua etiam *ad aquas*, expiatorias scilicet sive lustratorias, i. quando ibat ad aquas illas expiatorias, h. e. cùm vellet sese expiare & lustrare.

GROTIUS.

3. SI *ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum*] Ut Remus Romana mœnia. Ità contemptum opus tutiùs crevit, Deo hoc dirigente.

9. *Et posuimus custodes super murum*] Justa defensio ex Regis edicto contra Satrapas edictum Regis frangere parantes. Vide prudentiam Nehemiæ, qui diu noctúque custodias non intermittit, partem populi opponit hosti, alios operi intentos esse jubet, & nè hos quidem inermes; planè ut in castris muniendis fieri solet.

12. *Factum est autem venientibus Judæis qui habitabant juxta eos*] Magni in bello usûs est habere apud hostes qui nobis faveant.

14. *Domini magni ac terribilis mementote*] Cujus Prophetas hujus operis habemus auctores.

20. *In loco quocunque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos*] Τὸ ἐγκλαδισικόν. Vide Procopium Gothic. 3.

23. *Unusquisque tantùm nudabatur ad baptismum*] Heb. *Unusquisque dimittebat illud* (nempe vestimentum) *ad aquas*. Exceptio est ejus quod præcesserat: Non deponebamus vestimenta nostra, nempe nisi καθαρισμῶ ἕνεκα, *ob ablutiones* aut Lege præceptas aut moribus introductas. Vide Marc. 7. 4, 8.

CAP. V.

MUNSTERUS.

5. NUnc *autem nos subjicimus*] Alii legunt, *& ecce in servitutem redegerunt nos, filios nostros*, &c. at hic sensus ex Hebraismo haberi nequit nisi אנחנו pro אותנו capiendum contendas.

6. *Iratus sum*] In Hebræo propriè est *iratum est mihi*, pro *doluit mihi*.

VATABLUS.

1. POpuli, העם] Sub. *pauperis & egeni*. Describitur inclementia & inhumanitas, imò crudelitas, Judæorum invicem. ¶ *Fratres suos*, אחיהם] Sub. *divites & opulentos*.

2. *Accipiamus igitur*, ונקחה] q. d. Cùm familia nostra multa sit & numerosa, cogimur accipere frumentum pretio, ut vivamus.

3. *Pignori damus*, עורבים] i. Parati sumus dare pignori ut accipiamus à fratribus nostris frumentum in fame quâ premimur & penè conficimur, loquitur de fame quadam insigni.

4. *Pro tributo*, למדת] i. Ut penderemus ac solveremus tributum. Gallicè, *le taille*. Vide radicem מדד.

5. *Subjicimus*, כובשים] i. Subjicere cogimur, q. d. Nos & illi sumus eadem caro, i. ex eodem genere: ipsi tamen aspernantur carnem suam, & nullam rationem nostri habent, neque volunt subvenire inopiæ ac necessitati nostræ. ¶ *Quæ subjiciuntur*, נכבשות] i. Quæ serviunt. ¶ *Facultas*, לאל] *Virtus*, i. non habemus quo eas redimamus. ¶ *Et agros nostros*, &c. ושדותינו וגו'] *Agri namque nostri & vineæ nostræ* sunt aliorum.

7. *In me*, עלי] *Apud* [*contra*] *memetipsum*. Quidam vertunt, *Et consilium iniit animus meus apud me*, i. capto apud memetipsum consilio, contendi, rixatus sum, litigavi cum optimatibus. ¶ *Et posui contra eos*, ואתן עליהם] i. Et congregavi contra eos: ut visâ tantâ multitudine puderet eos scelerum suorum.

8. *Secundùm facultatem quæ est in nobis*, כדי בנו] *Pro virili nostra*. Gallicè, *selon nostre possibilite*. ¶ *Et vos etiam*, וגם אתם] Sub. *qui deberetis redimere fratres vestros*. ¶ *Et vendentur nobis?* ונמכרו לנו] i. Ut postea redimamus eos?

9. *Præterea dixi*, ויאמר] Ad verb. *Et dixit*, sub. *Nehemias*, tertia persona pro prima. ¶ *Ambulabitis*, תלכו] i. ambulare debetis. ¶ *Propter probrum Gentium*, &c. מחרפת הגוים וגו'] i. Nè malè audiamus apud Gentes quæ odio nos prosequuntur?

10. *Et ego quoque*, &c. וגם אני וגו'] Respondet tacitæ objectioni: potuerant enim dicere alii, *Nos mutuavimus eis pecunias & frumentum*. ¶ *Usuram hanc*, את המשא הזה] *Debitum hoc*, q. d. Dimittamus nos omnes fratribus debitum.

11. *Et centesimam partem argenti*, &c. ומאת הכסף וגו'] *Et centum nummos argenti, & frumentum, vinum, & oleum quod exigitis ab ei*. Ex doctis Hebræorum alter subaudit *siclos*. Alii vertunt, ut noster interpres, *centesimam partem*, &c. quam scilicet exigere soletis pro usura, &c. quæ omnia vos mutuavistis illis quæstûs sive usuræ gratiâ.

12. *Et adjuravi illos*, ואשביעם] i. Coegi eos jurare quòd facerent sicut dictum est.

13. *Vestimentum meum*, חצני] i. Oram, sive fimbriam, vestis

vestis meæ. Alii, *sinum meum*; ità scilicet ut nihil remaneret in sinu meo. q. d. Malè precatus sum iis qui aliter facerent, idque adhibito signo exteriore. ¶ *Compleverit*, יקים] Ad verb. *statuerit*; i. adimpleverit ac ratam fecerit hanc rem: h.e. qui hoc non fecerit. ¶ *De domo sua*, מביתו] Refertur ad verbum *excutiat*. ¶ *Et de labore suo*, ומיגיעו] i. De opibus ac facultatibus quas opere suo peperit ac congregavit. ¶ *Juxta verbum istud*, כדבר הזה] i. Ità ut dictum fuerat.

14. *Ducis*, הפחה] i. Qui solitus erat, sive debebat, dari Ducibus.

15. *Gravaverunt*, הכבידו] i. Grave, sive gravius, tributum imposuerunt populo. His versibus commemorat Nehemias quæ contulit beneficia in hunc populum cui tum ipse præerat. ¶ *Post*, אחר] *Præter*; *ultra*: i. postquam accepissent ab eis 40 illos siclos argenti olim constitutos Ducibus pro victu suo. ¶ *Dominati sunt*, שלטו] i. Tyrannidem exercuerunt in populum, & malè illum tractarunt. ¶ *Propter timorem Dei*, מפני יראת אלהים] i. Quòd Deum timerem.

16. *Instauravi*, החזקתי] Sub. *partem quandam*. ¶ *Emimus*, קנינו] Sub. *à pauperibus*. Singulare est pro plurali: aut intellige, *Ego & fratres mei*. ¶ *Pueri mei*, נערי] *Pueros* hîc vocat famulos suos.

17. *Jehudæi insuper*, והיהודים] Qui scilicet inter eos erant illustriores. ¶ Erant] Vel, alebantur.

18. *Parabatur*, היה נעשה] Ad verb. *fuit factum*. Declarat quænam fuerit impensa. ¶ *Electæ*, ברורות] i. Pingues: quòd eligantur quæ pinguiores sunt. ¶ *Intra decem autem dies*, ובין עשרת ימים] i. Decimo quoque die: sub. *excipiebam illos*. ¶ *Cum omni genere vini ad copiam*, בכל יין להרבה] Ad verb. *in omni vino*, *ad multiplicandum*; i. in magna copia, nè vinum deesset: nam aliis diebus dabatur vinum in mensura certa. ¶ *Panem Ducis*, לחם הפחה] Vide v. 14.

19. *In bonum*, לטובה] i. Ut benefacias mihi.

CASTALIO.

14. V*Ictu prætorio non viximus*] Collato à populo cellæ nomine, ut solebat Prætoribus conferri.

GROTIUS.

2. A*Ccipiamus pro pretio eorum frumentum*] Licebat enim patri in necessitate filium aut filiam vendere. Exod. 21. 7.

4. *Mutuò sumamus pecunias*] Nempe sub onere usurarum, ut apparet infrà 7. contra legem Exod. 22. 25. Levit. 23. 36, 37. Deut. 23. 19, 20. ¶ *In tributa regis*] Ut habeamus unde tributa pendamus Regi Persarum. Simile illud Taciti de Frisiis, quibus à Romanis tributum impositum, *Ac primò boves ipsos, mox agros, postremò corpora conjugum aut liberorum servitio tradebant*, Annal. 4.

5. *Sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt*] Non minùs nos homines sumus, non minùs circumcisi. ¶ *Nec habeamus unde possint redimi, & agros nostros, & vineas nostras alii possident*] Luere liberos non poterant, quia & bona eorum pignori tenebantur. Ideo Cæsar *per arbitros factâ æstimatione, quanti res ante bellum fuissent, eas creditoribus transdi* voluit, *ut & timorem novarum tabularum tolleret, & debitorum tueretur existimationem*, 3. De Bello civili.

6. *Et iratus sum nimis*] Heb. *& consultavit cor meum in me*: nam eo significatu vox מלך Chaldæa sæpe reperitur in Thargumin.

8. *Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos*] Nos, Zorobabel, Esdras, Nehemias omnem dedimus operam apud Regem ut populares nostros ex servitute in libertatem ac patriam restitueremus. In Hebræo pro *redemimus* est *acquisivimus*. ¶ *Vendetis fratres vestros*] Id enim exspectandum erat cùm non luerentur. Videte quæ ad Matth. 18. 25.

10. *Æs alienum concedamus quod debetur nobis*] Heb. *remittamus, quæso, hoc onus*, i. usuras, ut intelligi datur ex sequentibus.

11. *Reddite eis hodie agros suos & vineas suas*] Quasi in Jubilæo, cui parem lætitiam hoc tempus habebat.

13. *Et dixit universa multitudo, Amen*] Q. d. *Volumus ac jubemus*.

14. *Annonas quæ ducibus debebantur*] *Duces* intellige eos quos Rex Persarum regioni isti & habitatoribus præfecerat, ut diximus 2. 16.

15. *Et ministri eorum depresserunt populum*] In Græco Sixtinæ editionis hîc est ἐξεσιάζοντα, ut apud Lucam 22. 25. Nehemiæ valde similis fuit Cato Major, qui sociis nulla in parte gravis fuit, ac nè ea quidem accepit quæ mos ferebat, quòd diceret *malle se cum optimis de virtute quàm cum ditissimis de pecunia certare*.

17. *In mensa mea erant*] Id quoque dignum viro Principe, viros nobiles, sive populares sive extraneos, magnificè excipere.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

6. G*Æsem*] Hebraismus hîc habet *Gasmu* pro *Gesem*, superadditâ scilicet literâ Vau, sicut in simili casu יתר & יתרו pro eodem accipiuntur.

9. *Nunc igitur, ô Deus*] Incidit Nehemias ex ingenti affectu in orationem ad Deum.

10. *Sequestratus*] Heb. *clausus*, vel *retentus*, fingens scilicet se habere Spiritum Dei: & ob id sequestrabat se à reliquis.

17. *Nobiles Jehuda*] h.e. principes & magnates Jehudæorum, qui habebant fœdus cum Tobija Israelita impio, qui magis favebat Gentibus quàm suo populo. Cujus simile hodie in Ungaria videre licet.

VATABLUS.

1. I*Nterruptio*, פרץ] *Ruptura*, *fractura*; sub. *ulla*. In hoc capite describit insidias quas paraverant hostes populi Israelitici cùm murus ille jam penè esset instauratus. ¶ *Attamen usque ad hoc tempus*, &c. גם עד העת ההיא וגו'] *Nec tamen ad hoc usque tempus valvas statueram in portis*.

2. *His verbis*, לאמור] Ad verb. *dicendo*. ¶ *Et conveniamus pariter*, ונועדה יחדו] Gallicè, *pour parlementer ensemble*. ¶ *In villis in campo Ono*, בכפרים בבקעת אונו] *In pagis* [*vicis*] qui sunt *in valle Ono*. Nomen est loci.

3. *Et non possum descendere*, ולא אוכל לרדת] *Ideo non possum descendere*: sub. *ad vos*. Utitur hoc verbo quòd Jerusalem sita esset in loco eminentiore.

4. *Juxta verbum hoc quatuor vicibus*, כדבר הזה ארבע פעמים] i. Hac de causa quater. ¶ *Juxta verbum hoc*, כדבר הזה] i. Sic, ut priùs dictum est.

5. *Eisdem verbis*, כדבר הזה] Ad verb. *juxta verbum hoc*. ¶ *Et epistola aperta in manu ejus*, ואגרת פתוחה בידו] i. Habebat epistolam in manu sua.

6. *Et Gasmu dicit*, ונשמו אומר] Id est, *idque Gasmu asserit*. Is est Gesem Arabs cujus antea meminit. ¶ *Secundùm verba hæc*, כדברים האלה] Quæ scilicet narrantur inter Gentes. Magni nominis apud Hebræos vir jungit hæc verba cum principio versûs, *In qua scriptum erat juxta hæc verba*: i. hoc pacto.

7. Est *Rex in Jehudah*, מלך ביהודה] q. d. Jam habemus Regem præter Artaxerxem. ¶ *Audietur à Rege secundùm verba hæc*, ישמע למלך כדברים האלה] i. Narrabuntur Regi talia. ¶ *Et consilium ineamus pariter*, ונועצה יחדו] Ut scilicet eluas à te hanc infamiam & hoc crimen. Epistola enim illa Sanballat accusabat Nehemiam & Jehudæos læsæ majestatis.

8. *De corde tuo fingis ea*, מלבך אתה בודאם] i. Ex te finxisti illa. q. d. Mentiris.

9. *Omnes ii terrent*, כלם מיראים] *Omnes hæ* [sub. *gentes*] *terrent* ; ità magni nominis apud Hebræos vir : i. metum ac timorem incutere conantur nobis, ut abducant nos ab opere ipso. Alter ex doctioribus illorum, *Vos omnes terretis* : i. terrere conamini : nam est particip. Heb. *terrentes* : ut utroque modo vertere possis. Verbum בירואם exponit idem magni apud illos nominis vir verbo Gallico *controuver*. ¶ *Debilitabuntur*,&c. ירפו ונו'] i. Debiles factæ manus eorum desistent ab opere ipso, & non perficietur. ¶ *Conforta*, חזק] *Confirma* ; *corrobora*, ô *Sanballat*, *me ad opus ipsum*, & *ne deterreas*. q.d. Tu potiùs cohortare me ad opus quàm deterrendo avoces me ab illo.

10. *Clausus*, עצור] Sub. *in domo sua* ; i. qui continebat se domi. Vel, qui abstinebat ab omnibus voluptatibus & deliciis, ut solent Prophetæ. Narrat Nehemias alias insidias quas sibi paraverant hostes per pseudoprophetas. ¶ *Conveniamus*, נועד] i. Recipiamus nos, vel Confugiamus, sive Concedamus, *ad domum Dei*. ¶ *Intra*, אל תוך] Ad verb. *in medio*. ¶ *Templi*, ההיכל] Antec. pro relat. *ejus*, sub. *super nos*. ¶ *Veniunt*, באים] Præs. Heb. pro fut. *venturi sunt*. ¶ *Hâc quidem nocte*, &c. ולילה באים להרגך] Ad verb. & *nocte veniunt ad occidendum te*, pro, & *quidem hâc nocte primâ venturi sunt*, *inquam*, *Samballat* & *alii hostes*, *ut te occidant*.

11. *Num quisquam similis mei*, האיש כמוני] *Nunquid aliquis qualis ego sum*. q.d. Debeóne ego, quem Deus tantis beneficiis affecit, fugere metu mortis ? ¶ *Qui ingrediatur templum*, & *vivat*, אשר יבוא אל ההיכל וחי] i. Qui ingredi possit Templum, quem Deus non statim interficiat? quòd scilicet Templum violaverit. ¶ *Non ingrediar*, לא אבוא] *Nequaquam ingrediar* : non enim licet mihi ingredi: q. d. Si facerem quæ hortaris, peccarem in me, fugiendo scilicet ; & Deum, ingrediendo Templum ipsum.

12. *Et cognovi*, & *ecce*, ואכירה והנה] Subaudiendum aliquid, hoc modo, *Dedi operam ut cognoscerem essétne verus Propheta* ; & *deprehendi quòd non misisset eum Deus*, h.e. eum esse pseudoprophetam : nam veri Prophetæ mittuntur à Deo. ¶ *Et Sanballat conduxit eum mercede*, וסנבלט שכרו] *Aut Samballat conduxerat eum*.

13. *Quia mercede conductus fuerat*, למען שכור הוא] Subaudiendum aliquid, quale, *Hæc*, *inquam*, *dicebat*, *propterea quòd mercede*, &c. Vel, *Deus*, *inquam*, *non miserat illum* ; *nam*, &c. ¶ *Ut timerem*, & *facerem sic*, *atque peccarem*, למען אירא ואעשה כן והטאתי] i. Ut metum ac timorem mihi incuteret, & facerem ut dicebat, atque ità peccarem. ¶ *Essétne illis*,&c. והיה להם לשם רע] *Essetque illis in famam malam* : sub. *adversum me* ; i. ut haberent quod mihi tanquam crimen impingere possent. ¶ *Ut probris me afficerent*, למען יחרפוני] Cùm scilicet me illorum metu aufugisse cognoscerent.

14. *Noadiah*, לנועדיה] Nomen mulieris, quæ etiam sibi Prophetæ nomen sumebat. ¶ *Qui terruerunt me*, אשר היו מיראים אותי] i. Qui terrore conati sunt avocare me ab opere ipso.

15. *Elul*, לאלול] Mensis est qui partim Augusto nostro respondet, partim Septembri. ¶ *Quinquaginta duobus diebus*, לחמשים ושנים יום] *Quinquagesimo secundo die* : postquam scilicet misit Sanballat epistolam illam ad Nehemiam.

16. *Audissent*, שמעו] Sub. *murum esse perfectum*. ¶ *Et conciderunt*,&c. ויפלו ונו'] i. Humiliati sunt valde. q.d. Existimaverunt se jacturam magnam fecisse nominis sui & rerum suarum.

17. *Crebras epistolas*,&c. מרבים חורי ונו'] Ad verb. *multiplicabant optimates Jehudah epistolas suas euntes*, [i. *missas*] *ad Tobijah*. Hebraismus, quem vertit noster interpres, *Crebras ac frequentes epistolas mittebant ad Tobiam*, & *ab eodem frequentes etiam recipiebant*.

18. *Habebant juramentum ejus*, בעלי שבועה] i. Conjuraverant cum ipso Tobia.

19. *Bonitates ejus dicebant*, טובותיו היו אומרים] *Merita ejus* [*benefacta* ; *magnificentias*] *narrabant*, vel, *recitabant*. ¶ *Et sermones meos*, ודברי] Quòd scilicet epistolas quasdam misisset Tobias ut me terreret, ut ab instauratione muri desisterem.

CLARIUS.

10. QUI *erat sequestratus*] Fingens scilicet se habere Spiritum Dei ; & ob id sequestrabat se à reliquis.

GROTIUS.

3. MIsi *ergò ad eos nuncios*, *dicens*, *Opus grande ego facio*, & *non possum descendere*] Dolos vitare ac dissimulare satis est. Calumniæ autem animosè refutandæ sunt, ut facit in sequentibus Nehemias.

11. *Num quisquam similis mei fugit ?*] Tyrtæus,

Ζωὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
Ὅστις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ
Νωλεμέως, αἰσχρῆς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
Ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος.

¶ *Et quis ut ego ingredietur Templum*, & *vivet ?*] i. Vitæ tuendæ causâ. *Templum* intellige basilicam illam in quam Sacerdotibus solis ingredi jus erat.

12. *Quòd Deus non misisset eum*] Habebat enim pro se Prophetas indubitatos Jeremiam, Aggæum, Zachariam, Malachiam.

14. *Memento mei*, *Domine*, *pro Tobia* & *Sanballat*] Heb. *Memento*, *mi Domine*, *Tobiæ* & *Sanaballatæ*. Redde illis paria.

18. *Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus*] Arcano fœdere cum Tobia colligati.

19. *Et Tobias mittebat epistolas ut terreret me*] Pari tenore quo suprà 6.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

70. QUidam *proinde*] Hîc rursum redit Nehemias ad texendum historiam suam. Hucusque enim recensuit quid scriptum invenit in Commentario seu libro Genealogiæ.

73. *Mensis septimus*] Patet id dictum de Septembri seu Tisri, qui mox sequitur mensem Elul.

VATABLUS.

2. PRæcepi, ואצוה] i. Præcepta ac mandata dedi. ¶ *De Jerusalaim*, על ירושלם] i. De portis Jerusalem claudendis & aperiendis suo tempore. Alii de custodiendis portis exponunt. ¶ *Vir*, כאיש] Hîc כ Affirmantis est potiùs quàm Dubitantis: acsi dicas, *quòd ipse proculdubio esset vir verax*. ¶ *Præ multis*, מרבים] Scilicet *hominibus*. Vel, ut alii, *à multis*, scilicet *diebus* ; i. à multo tempore.

3. *Ne aperiantur*, לא יפתחו] *Non aperientur* : propter insidias hostium. ¶ *Ipsis adstantibus*, הם עומדים] *Ipsis assistentibus* : i. ipsis custodibus assistentibus in portis. ¶ *Et tenebunt*, ואחזו] Ad verb. & *tenete*. Confusio numeri, pro *tenebunt*, sive *apprehendent* : sub. *valvas*, sive *fores illas*, *donec vectibus clauserint illas*. Alii exponunt, & *teneant*, i. jungant, *eas vectibus*. q.d. Non relinquent portas apertas. ¶ *Constitui itaque custodes habitantium*, והעמיד משמרות יושבי] i. Statui custodes habitatores Jerusalem ; sive, constitui circum Jerusalem custodes habitatores ejus.

4. *Locis*, ידים] *Spatiis* ; i. spatiosa erat.

5. *Genealogia*, היחש] *Census*. Liber iste generationis non est ille qui descriptus est secundo capite Ezræ, sed scriptus fuit aliquot annis post illum : non enim conveniunt in aliquot numeris particularibus filiorum, quòd successu temporis multi aucti sint liberis, alii orbati. ¶ *Primum*,

mum, בראשונה] *Initio*, sub Zorobabele scilicet. ¶ *In eo*, בו] Sub. *quod sequitur*.

6. *Provinciæ*, המדינה] *Regionis*; sub. *Judææ*. Confer hæc omnia cum secundo capite Ezræ, ubi similia ferè omnia.

7. *Azariah, Raamiah*, עזריה רעמיה] Isti duo in Ezra dicuntur *Seraiah, Reelaiah*, quòd habuerint duo nomina. ¶ *Nahamani*, נחמני] Superadditur iste numero illi qui habetur in Exra.

21. *De Hizcijah*, לחזקיה] i. Qui erat de domo ac familia Hizcijah.

25. *Filii Gibon*, בני גבעון] i. Cives. Sic sequenti versu, & pluribus aliis. Quoties enim בני vel אנשי nominibus urbium præponitur *incolas* sive *cives* significat.

34. *Elami*, עילם] Nomen viri & urbis.

39. *Sacerdotes*, הכוהנים] i. Sequuntur Sacerdotes, vel filii Sacerdotum, aut nomina Sacerdotum. Vel, Sequitur numerus sive catalogus, &c. Et sic infrà de Levitis, Cantoribus, Janitoribus, & Nathinæis.

43. *Hodijah*, להודיה] In Ezra dicitur *Hodaviah*.

57. *Filii servorum Selomoh*, בני עבדי שלמה] Hi præerant operationibus Templi, curantes ejus ruinas. Si quid enim erat quod minaretur ruinam, statim instaurabatur ab illis.

61. *Et semen suum*, וזרעם] i. Genus suum, unde ducerent originem.

64. *Quæsierunt scripturam*, בקשו כתבם] *Inquisierunt* [i. consuluerunt] *scripturam suam*; h. e. librum in quo descripti erant ii qui per seriem generationum recensiti erant. ¶ *Est inventa*, נמצאו Sub. *scriptura illa*: i. non fuerunt inventi in eo libro, nè unus quidem illorum. ¶ *Et ideo repudiati sunt*, ויגואלו] *Ideóque rejecti fuerunt tanquam indigni*: i. privati fuerunt dignitate Sacerdotali.

65. *Thirsatha*, התרשתא] i. Nehemias, qui ità dictus est sermone Chaldæo. Vide c. 8. 9. ponitur enim vice cognominis: aut est nomen magistratûs sive dignitatis apud Chaldæos. Hebræi aiunt ità dictum fuisse quòd licuerit ei bibere de vino Gentilium, quòd esset pincerna Regis Artaxerxis. ¶ *De sanctitate sanctitatum*, מקודש הקדשים] i. De cibis Sacerdotum qui erant sancti. ¶ *In Urim & Thumim*, לאורים ותומים] Necessariò de Christo intelligendum esse locum istum scribunt quidam: nam Urim & Thummim quæ Moses posuerat in Rationali, non fuerunt in secundo Templo: i. non fuerunt postea posita. Vide Exod 28. 30.

70. *Dederunt*, נתנו] Sub. *munera*. In fine præcedentis versûs est finis libri genealogiæ. ¶ *In thesaurum*, לאוצר] Sub. *operis*, ut v. 71. ¶ *Sacerdotum*, כוהנים] i. Sacerdotales, quibus uterentur Sacerdotes in Templo.

CASTALIO.

63. In *illorum nomen concesserat*] Galaadita factus fuerat.

65. *Atersatha*] Is erat Nehemias, ut sequenti capite declaratur, v. 9.

GROTIUS.

3. Non *aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis*] i. Ante clarum mané. ¶ *Cúmque adhuc assiderent clausæ sunt portæ & oppilatæ*] Claudebantur portæ præsentibus Hamane & Hananiâ.

5. *Ut recenserem eos*] Et veteres urbanas familias in Urbem revocarem. ¶ *Inveni librum censûs eorum qui ascenderant primùm*] Cum Esdra: unde factum est ut hæc recensio Esdræ libro satis incommodè & non sine mutatione quadam insereretur, ut diximus Esdræ 2.

6. *Isti filii Provinciæ*] Nati in Chaldæa.

64. *Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non invenerunt, & ejecti sunt de sacerdotio*] Paria enim sunt, ut aiunt Jurisconsulti, *non esse* & *non apparere*. Et qui in qualitate jus suum fundat, probare eam debet. Debebant autem docere & se esse ex Aaronis gente, & uxores suas cives. Notat id hîc Josephus.

65. *Dixitque Athersatha*] i. Nehemias, ut apparet 8. 9. ¶ *Donec staret Sacerdos doctus & eruditus*] Heb. *Sacerdos cum Urim & Thumim*: quod & Græci volunt cùm dicunt ἱερεὺς φωτίζων. Urim & Thumim, ut alibi meminimus, in secundo Templo non erat. Sperabat Nehemias aliquando futurum ut Deus ea restitueret, & sic ad obscura responderet.

Hucusque refertur quid in commentario scriptum fuerit; exin Nehemiæ historia texitur] Hoc neque in Hebræo est neque in Græco, neque verò suo loco est positum: nam à commate 6 historia Nehemiæ est.

CAP. VIII.

VATABLUS.

1. Tantùm *vir unus*, כאיש אחד] i. Simul. ¶ *Scribæ*, הסופר] i. Doctoris Legis. Vide Ezræ 7. 5. ¶ *Præceperat*, צוה] i. Tradiderat Dominus populo Israelitico servandam ac custodiendam.

2. *Et omnium intelligentium audiendo*, וכל מבין כשמוע] *Et omnium intelligentium ad audiendum*, vel, *ut audirent*: qui per ætatem audita intelligere ac percipere poterant. Vox Hebræa מבין hîc non indicat Scientiam aut Eruditionem, sed Ætatem. Pertinet enim hæc particula ad juniores, superior verò ad eos qui erant provectioris ætatis.

3. *Ante plateam*, לפני הרחוב] Innuit suggestum fuisse collocatum non in meditullio, sed in extremitate quadam, unde tamen facilè ab omnibus conspici poterat. ¶ *A luce ipsa*, מן האור] i. A principio diei. ¶ *Et intelligentibus*, והמבינים] i. Iis qui jam per ætatem audita intelligere poterant, ut v. 2. ¶ *Et aures*, &c. ואזני] i. Erántque ipsi arrectis auribus ad ea quæ legebantur.

4. *Super suggestum*, על מגדב] Vox ista *turrim* significat, ideo autem suggestum vocat *turrim*, quòd turris figuram præ se ferret, essétque figuræ orbicularis 2 Par. 6. 13. dicitur Salomon *fecisse* כיור, i. *suggestum*, *instar conchæ*, כיור enim *concham* significat, quæ rotunda est. ¶ *Propter verbum*, לדבר] *Ob hanc rem*, i. ea de causa.

5. *Supra universum populum erat*, מעל כל העם היה] i. Universo populo supereminebat, h. e. in altiore loco erat quàm populus. ¶ *Stetit*, עמדו] i. Recti steterunt, honoris causâ.

6. *Amen, amen*, אמן אמן] Particula Confirmantis & Assentientis. Nomen est substantivum, & significat *veritatem*, q. d. *Veritas sit*, i. Ità sit, Ità accidat. Hîc autem geminatur ad majorem confirmationem.

7. *Jesua autem*, וישוע] Isti erant Sacerdotes. ¶ *Intelligere faciebant*, מבינים] i. attendere faciebant populum ad Legem. ¶ *In loco suo*, עמדם] Ad verb. *in statione sua*, i. erat ubi stabat, vel, erat stans.

8. *Explanatè*, מפורש] *Explicitè, distinctè*. Ex doctioribus Hebræorum alter exponit, *declarato*, vel, *exposito*, sub. *verbo*, h. e. vocabulis distinctis & explicatis. Quidam vertunt *lecturam*, i. quod legebatur. ¶ *Et apposuerunt intellectum*, ושום שכל] i. Adverterunt animum.

9. *Qui intelligere faciebant populum*, המבינים את העם] i. Attendere faciebant populum ad Legem. Vide v. 7. ¶ *Sanctus*, קדוש] i. Consecratus. Declarat Nehemias universo populo diem illam sanctificatam & consecratam esse Jehovæ.

10. *Pinguia*, משמנים] q. d. Agite comedite hodie escas opiparas ac pingues. ¶ *Dulcia*, ממתקים] *Suavia*, i. optima vina: nam hîc *dulce* & *suave* pro *potu dulci* & *suavi* accipitur, q. d. Agite hodie festum cum gaudio & lætitia. ¶ *Partes*, מנות] *Portiones*, i. Munera escarum, & portiunculas. ¶ *Ei cui nihil est paratum*, לאין נכון לו] i. Iis qui nullum cibum habent paratum. ¶ *Est fortitudo vestra*, היא מעוזכם] i. Divino gaudio efficiemini fortiores, sive, ob gaudium Divinum reddentur animi vestri fortiores & alacriores.

11. *Silere faciebant*, מחשים] *Tacere faciebant*, nè scilicet fleret. ¶ *Tacete*, הסו] q. d. Nolite flere. ¶ *Et nè doleatis*, ואל תעצבו] *Nolite ergò dolore affici, nolite vos conficere mœrore.*

13. *Ut intelligerent*, ולהשכיל] Ad verb. *& ad intelligendum.* Hîc ו redundat.

14. *Quam præceperat*, אשר צוה] *Quod præcepisset.* ¶ *In solennitate ipsa*, בחג] *In ipso festo*, nempe Tabernaculorum, i. celebrandum esse festum Tabernaculorum mense septimo.

15. *Et audiri facerent, ac transire vocem*, ואשר ישמיעו ויעבירו קול] i. Prædicarent, ac voce præconis proclamarent. Magni nominis apud Hebræos vir aliquid subaudit, *Præceperunt ergò ut prædicarent ac voce præconis significarent in omnibus aliis urbibus suis, & in Jerusalem*, &c. ¶ *Arboris densæ*, עץ עבות] Dicunt עבות esse speciem quandam Myrti; fortè quam Plinius *exoticam* vocat, quámque variis frondium ordinibus constare dicit.

17. *Sic*, כן] i. Talia tabernacula.

18. *Legit autem*, ויקרא] Nempe Ezra. ¶ *A die primo*, מן היום הראשון] Sub. *solennitatis.* ¶ *Collectam*, עצרת] Non à collectione pecuniæ, sed à congregatione populi in unum, i. *concionem*, h. e. festivitatem celeberrimam. Sic autem dicebatur à עצר *prohibuit*, quòd eo die arceretur sive prohiberetur populus ab omni opere servili.

CASTALIO.

16. *Sibique passim fecerunt umbracula apud sua tecta*] Hæc extra urbem fieri jusserat Deus. Sed hîc metuebantur hostes.

GROTIUS.

1. *Et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi*] Urbe structâ, & impletâ civitate, restabat, ut in memoriam revocarentur leges secundùm quas vivendum erat.

2. *Et mulierum*] Quæ seorsim suum locum habebant.

5. *Super universum enim populum eminebat*] Legebat de loco superiore.

7. *Silentium faciebant in populo ad audiendam legem*] Hoc est quod Romani dicebant; *Favete linguis.*

8. *Et legerunt*] Esdras aliique diversis in locis plateæ, ut hîc 9. & 9. 4. Simile habes Act. 2. ¶ *In libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur*] Heb. *Et legerunt in libro in lege Dei exposita, ponendo intellectum, & intellexerunt in lectione.* Quorum primum illud Thalmudistæ sic interpretantur; *Lectum fuisse librum sermone Chaldaico, quem populus meliùs intelligebat*; alterum, *distinctè lectum per periodos & commata*; tertium, *etiam accentus pronunciatos.*

10. *Nolite contristari: gaudium enim Domini est*] Ovidius,

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

& Horatius,

———*malè ominatis*
Parcite verbis.

Aristides, εὐφημεῖν τοῖς πανηγύρεσι.

12. *Et mitteret partes*] Sportulas pauperioribus.

13. *Congregati sunt principes Familiarum universi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam*] Nempe ut ipse rituum peritus indicaret quomodo lex ad istud tempus pertinens implenda esset.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

15. *Pro qua levasti manum*] *Levare manum* symbolum est jurisjurandi, acsi diceret; *Quam jurejurando promisisti.*

17. *Posuerunt caput*] h. e. Elegerunt ducem sub cujus nutu reverterentur in Ægyptum.

30. *Protraxisti super eos*] Sensus est, Distulisti eum eis annis multis.

VATABLUS.

1. *Porrò vicesimaquartâ die*, &c. וביום עשרים וארבעה] Notandum quòd festum Tabernaculorum celebrabatur decimaquartâ die mensis septimi, & עצרת *collecta* vicesimasecundâ ejusdem. Separaverunt ergò sese filii Israel ab alienigenis vicesimatertiâ die, & vicesimaquartâ jejuni & induti ciliciis ac conspersi pulvere stantésque confessi sunt peccata sua.

2. *Separaverant autem sese ab*, &c. ויבדלו זרע ישראל וגו'] Ad verb. *Et separaverant sese semen Israel ab*, &c. i. genus. Antecedens repetitum. ¶ *Et steterunt, ac confessi sunt*, ויעמדו ויתודו] i. Stantes coram Jehova ingenuè fassi sunt se esse peccatores, majorésque suos peccatores quoque fuisse.

3. *Surrexeruntque in loco suo*, ויקומו על עמדם] *Surrexeruntque in statione sua*, i. & manserunt in loco stantes: erant enim erecti. Sic v. seq. ¶ *Confessi sunt*, מתודים] Sub. *coram Domino, se peccatores esse.*

4. *Surrexit autem super gradum*, ויקם על מעלה] Sing. Heb. pro plur. *Surrexerunt*, i. erecti steterunt in gradu, h. e. suggestu in quo stare solebant Levitæ: stabant enim in loco altiore quàm populus.

5. *Surgite*, קומו] Hortabantur Levitæ populum ut laudarent Dominum, benedicerentque illi, ac gratias agerent. Solebant autem stare cùm orarent & laudarent Deum. Istud *Surgite* potiùs videtur poni vice adverbii Hortantis, esséque particula Hortantis aliquem ad opus, q. d. Agitè, rumpite moras. ¶ *Et benedicant*, ויברכו] Convertit sermonem suum ad Deum; acsi dicat, *Et dicite coram eo, Benedicant omnes*, &c. ¶ *Gloriæ tuæ*, כבדך] i. Glorioso tuo nomini. ¶ *Et excelso*, ומרומם] *Et sis exaltatus*, i. exalteris. Vel, *sit exaltatum*, i. exaltetur nomen tuum omni genere benedictionis & laudis.

6. *Tu es ô Jehova solus*, אתה הוא יהוה לבדך] i. Tu, ô Jehovah, à teipso es, & omnia creasti. ¶ *Cœlum, cœlum cœlorum*, את השמים שמי השמים] Ex doctis Hebræorum alter per *cœlum* intelligit firmamentum; & per *cœlum cœli*, sive *cœlos cœlorum*, sphæras cœlestes. Latini verò per *cœlum* intelligunt firmamentum & sphæras illas cœlestes; & per *cœlos cœlorum* cœlum empyreum, in quo sunt Spiritus cœlestes. Per *universum exercitum eorum* Hebræi intelligunt universam multitudinem Stellarum; Latini autem, multitudinem tam Stellarum quàm Spirituum cœlestium. ¶ *Vivificas quoque omnia hæc*, ואתה מחיה את כולם] i. quòd stant, moventur & vivunt, hoc habent à te. Id pertinet ad gubernationem ac regimen.

7. *Posuistique nomen ejus*, ושמת שמו] Hebraismus, pro, *mutato nomine vocasti eum Abraham.*

8. *Confirmastique*, ותקם] *Et adimplesti: rata fecisti* i. stetisti promissis.

10. *Unde fecisti*, ותעש] Ad verb. *& fecisti*, i. itâ peperisti ac comparasti tibi famam qualis hodie quoque est.

11. *Tanquam lapidem*, כמו אבן] Sub. *cadentem*, i. quasi jaceres, vel jecisses, lapidem *in aquas validas*, aut *fortes*, h. e. vehementes ac impetuosas: altas ac profundas significat: solent enim quæ tales sunt cum impetu decurrere.

12. *Ut illustrares*, להאיר] *Ut illuminares.* ¶ *Ambulaturi erant*, ילכו] *Ambularent, ingrederentur, irent.*

14. *Sanctum tuum notum fecisti*, קדשך הודעת] *Sacrosanctum tuum* [vel, *tibi sanctificatum*] *indicasti*, i. docuisti.

15. *Panem insuper de cœlo*, הלחם משמים] *Et panem* cadentem *de aere*, i. manna, quod significat *donum*, q. d. cibum à Deo datum. ¶ *Tandem dixisti*, ותאמר] Ad verb. *& dixisti.* ¶ *Propter quam levasti*, &c. אשר נשאת את ידך] Hebraismus, Quam jurasti te daturum illis, i. quam jurando promisisti te daturum illis.

16. Et

16. *Et induraverunt cervicem suam*, ויקשו את ערפם] *Induraverúntque cervices suas*, i. fuerunt inobedientes, rebelles & contumaces. Metaphora ab Equis qui nolunt obedire sessoribus suis, & aliis animantibus aut feris quæ domari non possunt. Hîc indicat ingratitudinem ejus populi. ¶ *Nec audierunt præcepta tua*, ולא שמעו אל מצותיך] *Nec paruerunt præceptis tuis*.

17. *Ac conversi sunt ut reverterentur*, ויתני ראש לשוב] Ad verb. *& dederunt* [*posuerunt*] *caput ut reverterentur*, sub. *in Ægyptum, ubi servierant servitutem*. ¶ *Veniarum*, סליחות] *Remissionum peccati*. Verbum enim *parcere*, significat, & *remittere peccata*. ¶ *Clemen & misericors*, חנון ורחום] *Misericors & miserator*. ¶ *Longanimis*, ארך אפים] Ad verb. *longus irarum*, i. tardus ad iram. Significat eum qui non facilè aut quacunque ex causa irascitur. ¶ *Non dereliquisti eos*, ולא עזבתם] Hic ו redundat, *non deseruisti eos*, sub. *in afflictionibus & tribulationibus eorum*, i. non subtraxisti ab eis favorem tuum, opem & auxilium: id enim significat *Deseri à Deo*.

18. *Qui eduxit te*, אשר העלך] Ad verb. *qui ascendere fecit*. ¶ *Fecerúntque convitia magna*, ויעשו נאצות גדולות] Sub. *in Deum*, sic v. 26.

19. *Non dereliquisti eos in deserto*, לא עזבתם במדבר] i. Non permisisti eos perire fame in deserto, ut v. 17. ¶ *Columna nubis*, את עמוד הענן] Ut v. 12. ¶ *Ut lucere faceret eis viam*, להאיר להם ואת הדרך] *Ut illustraret* [*ut illuminaret*] *eis viam per quam*, &c.

20. *Man quoque tuum*, ומנך] i. à te datum, ut v. 15.

21. *Non inveteraverunt*, לא בלו] i. Non fuerunt vetustate consumpta. ¶ *Intumuerunt*, בצקו] More scilicet conspersionis sive pastæ fermentatæ. Vel, *non fuerunt inquinati, contaminati, fœdati*, sub. *luto*, ut inquinari solent digiti ejus qui farinam subigit, q. d. *impastati*, h. e. calcei eorum non fuerunt pertusi, attriti aut vetustate consumpti.

22. *Quos divisisti in angulum*, ותחלקם לפאה] i. Disjecisti eos in angulos multos, h. e. dispersisti eos in varias orbis partes, adventante Israele, ad cujus adventum illi aufugerunt.

24. *Chenaanæos*, הכנענים] Per *Chananæos* intellige & alios populos qui habitabant in ea regione. ¶ *Secundùm voluntatem suam*, כרצונם] i. Pro voto & arbitrio suo.

25. *Ceperunt præterea*, וילכדו] *Expugnaverunt præterea*. ¶ *Et deliciis affluxerunt*, ויתעדנו] *Et deliciis operam dederunt*, i. voluptuosè vixerunt.

26. *Post corpus suum*, אחרי גום] i. Post tergum suum; i. neglexerunt ac spreverunt. ¶ *Qui testificabantur contra eos*, אשר העידו בם] *Qui testabantur contra eos*, i. admonebant eos, advocatis sive adhibitis testibus. Solebant Prophetæ cùm admonerent populum, invocare testes Cœlum & Terram, & alios.

27. *Clamaverunt*, יצעקו] *Vociferati sunt*.

28. *Cùm verò esset illis quies*, וכנוח להם] Sub. *ab inimicis*, i. cùm primùm quietam ac tranquillam vitam agere cœpissent. ¶ *Reversi sunt ad faciendum malum*, ישובו לעשות רע] Hebraismus, Iterum fecerunt malum.

29. *Contestatus verò es illos ut converteres eos*, ותעד בהם להשיבם] *Et testatus es contra eos, ut reverti faceres eos*, &c. i. admonuisti eos quasi adhibitis ac convocatis testibus &c. ut v. 26. ¶ *Nec audierunt præcepta tua*, ולא שמעו למצותיך] *Nec paruerunt præceptis tuis*. ¶ *Quæ faciet homo, & vivet in eis*, אשר יעשה אדם וחיה בהם] i. Quæ si fecerit quispiam, vivet per ea. ¶ *Recedentem*, סוררת] *Declinantem*, *refugum*, vel, *refugientem*, sub. *onus*, i. subtraxerunt vel subduxerunt humeros suos ab onere præceptorum tuorum more ferarum & animantium indomitorum. Vide Zach. 7. 11. Quidam vertunt *perversum & indomitum*. ¶ *Et non audierunt*, ולא שמעו] Hic ו pro *id est* positum est, *id est*, *non obedierunt tibi*.

30. *Attamen protraxisti*, ותמשך] *Attamen prolongasti*. Hebraismus, Attamen sustinuisti atque exspectasti eos multo tempore annon reverterentur ac resipiscerent. His indicatur immensa bonitas ac clementia Domini Dei. ¶ *Et contestatus es illos*, ותעד בם] *Et testatus* [*testificatus*] *es contra eos*, i. admonuisti illos, ut v. 29.

31. *Non fecisti eos in consumptionem*, לא עשיתם כלה] *Non fecisti eis consumptionem*, i. non consumpsisti ac perdidisti eos.

32. *Nè parva res videatur coram te*, אל ימעט לפניך] *Nè sit modica res coram te*. Ad verb. *nè minuatur*, i. noli parvipendere, vel contemnere. ¶ *Qui invenit nos*, אשר מצאתנו] Hebraismus, quem sustinuimus. ¶ *Regum Assur*, מלכי אשור] Qui scilicet captivas abduxerunt Decem tribus.

33. *Veritatem fecisti*, אמת עשית] i. Meritò ac justè afflixisti nos.

34. *Quæ testificatus es eis*, אשר העידות בהם] Ut v. 29, 30.

35. *Et in bonitate tua multa*, ובטובך הרב] i. In bonis & opibus illis ingentibus. ¶ *Quam tradideras coram eis*, אשר נתת לפניהם] *Quam posueras in conspectu eorum*.

37. *Et fructum suum multiplicat*, ותבואתה מרבה] *Et proventum* [*fruges, fructum suum*] *multiplicat*, i. producit terra illa Regibus, i. in gratiam & utilitatem Regum externorum. ¶ *Et in tribulatione maxima sumus*, ובצרה גדולה אנחנו] i. In summa, tribulationem magnam sustinemus ac patimur. Commendat justitiam Dei, & damnat injustitiam hominum.

38. *Et tamen*, ובכל זאת] *Et nihilominus*. Ad verb. *Et cum toto hoc*, vel, *cum tota hac*, sub. *tribulatione*, i. Quamvis magnam hanc tribulationem patiamur. ¶ *Percutimus fidelitatem, & scribimus*, כורתים אמנה וכותבים] *Pepigimus* fedus *fidelitatis, & scripsimus*, sub. *fedus illud in tabella*, vel *libello*, i. pepigimus fedus de servanda fidelitate cum Deo nostro, & scripsimus illud in libello, vel, scripsimus, nempe libellum obligatorium. ¶ *Et in libello illo signato*, ועל החתום] i. Descripta sunt in libello illo nomina principum, &c. q. d. *Principes nostri*, &c. *subscripserunt nomina sua, adjecto suo signo*.

GROTIUS.

3. L*Egerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur*] Alternis *legebant* & *confitebantur*, i. laudabant Deum (vide infrà 5.) ídque temporibus quatuor diei, à prima hora ad tertiam, à tertia ad sextam, à sexta ad nonam, à nona ad duodecimam.

6. *Tu fecisti cœlum & cœlum cœlorum*] Duo tribuit Deo, quòd & Opifex sit, & Servator universi. ¶ *Et tu vivificas omnia hæc*] Sata, Animantia, Homines.

7. *De igne Chaldæorum*] De Ur. Nomen proprium loci, quod & apud Ammianum exstare monuimus. Oratio hæc Nehemiæ egregia est & ἐμπαθὴς tum in beneficiis Dei tum in culpis populi prædicandis; & haberi potest pro compendio omnis Historiæ ad hæc tempora.

10. *Cognovisti enim quia superbè egerant contra eos, & fecisti tibi nomen sicut & in hac die*]

Ζεὺς γὰρ κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.

Nec ulla materia dignior in qua vim suam ostentet.

17. *Et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis*] Eò notabiliùs ingrati erant Judæi quòd multa miracula ipsis, non & aliis gentibus, Deus exhibuerat. Vide Matth. 11. 21.

20. *Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos*] Spiritum propheticum qui in Mose fuit.

21. *Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum*] Catullus,

Otium & cives priùs & beatas
Perdidit urbes.

Juvenalis,

Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit.

Sallustius, *Quòd si Regum atque Imperatorum animi virtus in pace ità ut in bello valeret, æquabiliùs atque constantiùs sese res humanæ haberent; neque aliud aliò ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facilè*

iis

iis artibus retinetur quibus initio partum est: verùm ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.

36. *Terra quam dedisti patribus nostris ut comederent panem ejus & quæ bona sunt ejus, & nos ipsi servi sumus in ea*] Ipsa patria nobis patria non est: nam αὐτονομία aliqua à Persis concessa ipsos imperio Persico non eximebat.

37. *Et fruges ejus multiplicantur regibus*] Gravia pendunt tributa: de quibus Esdra 6. 8. & 7. 24. ¶ *Et jumentis nostris*] Per angarias, quod repertum ut & vox ipsa Persica.

38. *Percutimus fedus, & scribimus*] Renovamus patrum promissa.

CAP. X.

MUNSTERUS.

29. V*Eniebant ad fedus*] Heb. *veniebant in exsecrationem & juramentum.* Est enim jurijurando adjuncta exsecratio, cui se devovent si pactum & fedus non servaverint.

31. *Et in onere cujuscunque manûs*] i. In omnis generis oneribus; sicut & Germani dicunt, **aller hand beschwerd.**

VATABLUS.

1. I*Nter signatos autem*, ועל החתומים] i. Hi autem sunt qui signaverunt, sub. *tabellam illam.* Vel, Nomina autem eorum qui signaverunt tabellam illam, hæc sunt. ¶ *Thirsatha*, התרשתא] Ponitur vice cognominis sive agnominis. Est enim nomen magistratûs apud Chaldæos.

14. *Capita*, ראשי] i. Principes, acsi dicat, *Porrò isti sunt Principes populi qui subscripserunt.*

28. *Sacerdotes, Levitæ*, &c. הכהנים הלוים] De *Sacerdotibus, Levitis*, &c. ¶ *Et omnis separatus à populis terrarum*, וכל הנבדל מעמי הארצות] *Et quotquot separaverant* [*subduxerant*] *sese à populis terrarum*, i. qui relictis populis, sive provinciarum alienigenis, venerant, & conversi fuerant ad Legem Dei, h. e. proselytæ, &c. ¶ *Omnis sciens, & intelligens*, כל יודע מבין] Acsi dicat, *in summa, quotquot præditi erant cognitione & intellectu.*

29. *Apprehenderunt*, מחזיקים] Sub. *libellum illum*, sive *tabellam*, i. approbaverunt, siue amplexati sunt. ¶ *Et venerunt cum exsecratione & juramento*, &c. ובאים באלה ובשבועה וגו'] Ad verb. *& venerunt in exsecrationem & juramentum ad ambulandum*, &c. i. promiserunt, idque exsecratione atque juramento adhibito ac interposito, se ambulaturos, &c. & servaturos, ac facturos, &c.

30. *Populis terræ*, לעמי הארץ] i. Alienigenis, qui non sunt de genere nostro.

31. *Et quamcunque annonam*, וכל שבר] Vox Hebræa (ut dicit ex doctioribus Hebræorum alter) significat *triticum* & *hordeum*, aliis significat *fruges* & *annonam*. ¶ *Non accipiemus*, לא נקח מהם] Ad verb. *Non accipiemus ab eis.* Redundat *ab eis*: i. non ememus. ¶ *Et in die sancto*, וביום קודש] i. Aut in alio die sacro & consecrato Deo. ¶ *Quódque dimittemus annum septimum*, ונטוש את השנה השביעית] i. Anno septimo nihil colligemus, neque colemus terram, sed relinquemus pauperibus quicquid terra ipsa eo anno sponte ac ultro producet. ¶ *Et exactionem universæ manûs*, ומשא כל יד] i. Omnem exactionem, sive omnia debita.

32. *Et statuimus super nos*, &c. והעמדנו עלינו וגו'] i. Imposuimus nobis, sive recepimus, præcepta, h. e. recepimus nos daturos ac soluturos hoc anno ultra summam solitam, tertiam partem sicli pro necessariis Templi. ¶ *In opus*, לעבודת] i. In cultum. Sequenti versu declarat quid vocet *cultum*, nempe *in panem propositionis*, &c.

33. *Sabbatha*, השבתות] i. In omne id quod fieri solet in Sabbathis. ¶ *Et in sancta*, ולקדשים] *Et in sanctificata*, sive, *sanctificationes*: significat quæcunque offeruntur non pro peccato. ¶ *Ad expiandum Israelem*, לכפר על ישראל] i. Ad placandum Deum pro Israele, sive ad removendam iram Dei, quâ iratus est Israeli. ¶ *Et omne opus*, &c. וכל מלאכת] Id perinde est acsi diceret, *in summa, in omne opus*, &c.

34. *In domum patrum nostrorum*, לבית אבותינו] Per appositionem dictum, i. in qua coluerunt Deum majores nostri. ¶ *Ut arderent*, לבער] *Ad comburendum* [sive *cremandum*] *ea*, i. ad fovendum ignem illum cœlestem qui erat in altari.

35. *Et afferemus*, ולהביא] Subaudiendum aliquid, *Et polliciti sumus quòd afferremus.* Respicit enim præcedentia. ¶ *Primitiva terræ nostræ*, את בכורי אדמתנו] Per *primitias terræ* Hebræi intelligunt manipulum & duos panes. ¶ *Cujuscunque arboris*, כל עץ] Dicunt Hebræi hoc intelligi de septem tantùm speciebus arborum quæ enumerantur in Scriptura.

36. *Afferemus*, להביא] Ad verb. *ad afferendum*, i. & quòd afferemus sive adducemus primogenita, & sic ver. 37.

37. *Pastarum nostrarum*, עריסותינו] *Conspersionum nostrarum.* ¶ *Operum nostrorum*, עבודתינו] i. Cultûs nostri, sive culturæ nostræ.

38. *Aderit verò Sacerdos*, &c. והיה הכוהן וגו'] i. Capiet decimas unà cum eis. ¶ *In ipsa cubicula*, אל הלשכות] Quæ scilicet sunt in Templo.

39. *Domum*, את בית] i. Cultum Templi.

CASTALIO.

31. O*Mne debitum remissuros*] Vide Deut. 15. 1.

38. *Pontifex autem Aharone prognatus*] Vide Num. 18. 9. & infrá.

GROTIUS.

1. S*Ignatores autem fuerunt*] Fuit πολιτεία ἀριστοκρατικὴ μετ' ὀλιγαρχίας ab hoc tempore ad tempora Asmonæorum. Pauci Principes, ut Zorobabel, Nehemia, Esdras, regebant populum de consilio Senatûs & aliorum Magistratuum. Postea magìs ad δημοκρατίαν flexit status, ut notat Josephus; & indè, ut fieri solet, tyrannides.

27. *Et reliqui de populo*] Σπέρμα τι καὶ λείψανον ἐκ τῆς συμφορᾶς, Josephus.

28. *Omnes qui poterant sapere*] Heb. *Omnis sciens, intelligens*, i. omnes qui ad rationis usum pervenerant.

29. *Spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & jurandum ut ambularent in lege Dei*] Heb. *Hi se associabant popularibus suis optimatibus per diras & juramentum* (obligantes scilicet se) *ad incedendum in lege Dei.* Sensus est, Quod illi duces & Senatores signaverant, id ipsi verbis adhibitis, etiam diris in peccantes, & jurisjurandi religione, ratum fecerunt. Ità Principum erat προβούλευμα, scitum omnium.

30. *Et ut non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris*] Præter promissum generale de implendis legibus universis, quædam leges speciatim exprimuntur, quia difficiliores observatu videri poterant; De non sumendis Uxoribus ex vicinis populis, addito etiam ob rationem præsentis temporis interdicto de filiabus in eorum matrimonium non dandis; De servando Sabbato, & anno Sabbatico; & De Collectis ad usus Templi ac sacrificiorum: item De Primogenitis, Primitiis, Decimis. De servando Sabbato præceptum vide quàm diligenter observari fecerit Nehemias 13. 15, & seq.

38. *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum*] i. Ubi decimæ dabuntur Levitis, è Sacerdotibus quidam inspectores aderunt, ut ipsam decimam decument, ex lege Num. 18. 26.

CAP.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

23. *PRæceptum regis* Darii] In Hebræo non est *Darii*, sed nos explicationis gratiâ adjecimus. Alii tamen magis placet ut per hunc *Regem* intelligamus David ipsum, qui talia ordinaverat, ut patet 2 Paralipomenωn seu Annalium 25.

24. *Erat loco regis*] Alii legunt *ad manum regis*. Sed quomodo *erat ad manum Regis*, cùm Regem non haberent? nisi illud de Rege Persarum intelligas.

VATABLUS.

1. *UT adducerent unum è decem*, להביא אחד מן העשרה] i. Ut caperent decimum quemque qui habitaret in Jerusalem urbe sanctâ, cæteri verò habitarent in aliis urbibus: diviserant enim universum Israelem in decem partes.

2. *Spontaneis ad habitandum*, המתנדבים לשבת] i. Qui sponte suâ & ultro sese obtulerunt ut habitarent in Jerusalem.

3. *Principes*, ראשי] Magni nominis apud Hebræos vir dicitur hîc non numerari nisi qui inter eos erant clariores & insigniores.

4. *De filiis Jehudah & de filiis Benjamin*, מבני יהודה ומבני בנימין] i. Aliquot ex hominibus tribûs Judæ & Benjamin, sive aliquot homines tam de tribu Jehudah quàm de tribu Benjamin. ¶ *De filiis*, מבני] Qui erat *de filiis*, i. de nepotibus.

5. *Chol-hozeh*, כל חוה] Cognomentum vice nominis proprii. ¶ *Filii Hasiloni*, בן השלני] i. Qui cognomento dicebatur *Silonites*, quòd esset è Silo.

6. *Fortes*, חיל] Ad verb. *fortitudinis*, vel, *roboris*, i. bellicosi ac militares; vel, strenui: respicit potiùs animum.

9. *Sennah*, הסנואה] Aut est nomen mulieris, aut cognomentum viri quod ponitur vice nominis proprii. ¶ *Secundus*, משנה] Sub. *dignitate*, secundus scilicet à Principe, & vicarius Principis.

11. *Princeps*, נגיד] *Dux*, i. præerat Templo.

12. *Ædis*, לבית] i. Templi.

14. *Potentes robore*, גבורי חיל] i. Fortes in bello; viri bellicosi ac militares. ¶ *Haggedolim*, הגדולים] i. Magnatum, h.e. unius ex magnatibus, magnis ac claris viris.

16. *Externum*, החיצונה] i. Præerant operi externo Templi, sive quod fiebat extra Templum.

17. *Principis, primus confitens in oratione*, ראש התחלה וגו׳] *Principis*, qui *initio* Psalmi *laudabat in oratione ipsa*, i. principis cantorum, sive musicorum, qui psallendo primus laudare solebat Dominum tempore orationis publicæ, q. d. qui princeps erat musicorum, & præcentor. ¶ *Secundus*, משנה] Sub. *ab Asaph*.

20. *Residuum item Israelis Sacerdotum & Levitarum*, ושאר ישראל הכוהנים הלוים] *Et reliqui Israelitæ, Sacerdotes & Levitæ*.

21. *Et Siha*, &c. וציחא] i. Quibus præpositus erat Siha & Gispa.

22. *Super opus domûs Dei*, לנגד מלאכת בית האלהים] i. Præerant reparationibus Templi.

23. *Præceptum Regis* erat *super eos*, מצות המלך עליהם] i. Rex præceperat illis, & fidebat eis de curandis Templo necessariis. ¶ *Et firmitas*, &c. ואמנה] *Et constantia super cantores per singulos dies*. Anteced. pro rel. *super ipsos*. *Quia* (inquit doctus inter Hebræos) *non deficiebat eis cibus*, sive *annona*. Exponi potest *& constitutum*, i. cibus constitutus & quotidianus cantoribus. Alii vertunt ad verbum, *& fidelitas super cantores* erat *res diei in die suo*. Ordo autem talis erit, *& res diei in die suo* erat *fidelitas super cantores*, i. & quæ quotidie necessaria erant cantoribus ipsis concredita. Vel, *fidelitas super cantores erat ad dandum quæ quotidie necessaria erant*, i. ut proferrent pecuniam è thesauro Regio pro his quæ quotidie necessaria erant in Templo.

24. *Ad manum Regis*, &c. ליד המלך לכל דבר לעם] Hebraismus, Cujus operâ utebatur Rex in omni re pro qua convenire solebat populum.

25. *In viculis suis*, בשרותם] Sub. *habitaverunt filii Jehudah*, i. pars filiorum, sive aliquot è filiis. Istud subauditur ex mox sequentibus.

35. *Valle Artificum*, גי החרשים] *Ge-haharasim*. Nomen loci.

36. *Porrò* aliquot *Levitarum*, &c. ומן הלוים מחלקות יהודה לבנימין] Ad verb. *Et de Levitis in divisionibus Jehudah à Benjamin*, i. porrò autem aliquot ex Levitis habitaverunt in confinio terræ Judah & Benjamin.

GROTIUS.

1. *REl'qua plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi essent in Jerusalem*] Præter quòd veteres urbanæ familiæ in Urbem revocatæ sunt, etiam ex aliis oppidis & vicis pars decima eò deducta, quo frequentiùs habitaretur meliúsque defenderetur.

3. *Principes provinciæ*] i. Qui è Chaldæa venerant. ¶ *Habitavit autem unusquisque in possessione sua in urbibus suis, Israel, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi*] i. Recensebo jam præcipuos eorum qui Hierosolymis habitarunt; cùm alii ex populo, nonnulli etiam ex Sacerdotibus & Levitis, in aliis oppidis habitarent, quos non recenseo. ¶ *Et filii servorum Salomonis*] 1 Reg. 9. 21. Esdr. 2. 55.

11. *Achitob princeps domûs Dei*] Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, nam Pontifex Maximus erat Eliasib.

22. *Et Episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani*] פקיד Hebræum ἐπίσκοπος vertitur, ut & Num. 4. 16. & 31. 14. Jud. 9. 28. 2 Reg. 11. 15. 19. 2 Par. 34. 12, 17. bene admodum. Sic Athenis ἐπίσκοπος vocabatur *Præfectus juri dicundo ad oppida ditionis Atheniensium missus*. Et in rebus Indorum Arrianus *eos qui cognita ad Magistratus referrent* eodem vocat nomine. Cicero ad Atticum à Pompeio se ait constitutum ἐπίσκοπον *oræ maritimæ*. Digestis tit. De muneribus & honoribus *episcopi* vocantur *qui præsunt pani & venalibus rebus*. Est nomen curæ magis quàm dignitatis. Ideóque id maluerunt Christiani Ecclesiarum Præsides quàm Judaicum ἀρχισυναγώγε, ראש הקהל.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

23. *IN libro Verborum dierum*] Hic est liber Annalium, quem nostri vocant *Paralipomenωn*.

28. *Filii cantorum*] Hebraismus est pro *cantoribus*, sicut dicitur *filius hominis* pro *homine*, *filii Prophetarum* pro *Prophetis*.

36. *Ultra domum David*] Alii legunt *supernè ad domum David*.

VATABLUS.

1. *AScenderunt*, עלו] E Babylone scilicet in Jerusalem. Describitur catalogus Sacerdotum & Levitarum qui è captivitate Babylonica reversi sunt in Jerusalem, duce Zorobabele. ¶ *Et Jesua*, וישוע] Is erat summus Sacerdos.

7. *In diebus Jesua*, בימי ישוע] Sub. *fuerunt*.

8. *Super hymnos* erat, על הוידות] *Super laudationes* Dei erat, i. præerat laudibus Divinis, h.e. erat præcentor.

9. Erant *coram eis in custodiis*, לנגדם למשמרות] i. In classibus suis, h.e. fungebantur etiam officio suo tempore suo. In 1 Par. 23. 6. scribitur Levitas distributos fuisse in 24. custodias sive classes.

12. *Ipsi Seraiah*, לשריה] *In custodia Seraiah*, i. in classe & vice Seraiæ erat Meraiah, princeps familiæ scilicet. Sic in sequentibus.

17. *Piltai*,

17. *Piltai*, פלטי] Iste erat duarum classium; vel subticetur nomen ejus qui erat in priore classe.

22. *Usque ad regnum*, על מלכות] Hic על pro עד. Alii vertunt *in regno*, i. regnante Dario Persâ.

24. *Coram eis*, לנגדם] i. Fungebantur etiam suo officio, suo tempore, in laudando Deo, & gratiis agendis. ¶ *Custodia contra custodiam*, משמר לעומת משמר] i. Vicissim, sive per vices.

25. *Portarum*, השערים] Sub. *Templi.*

27. *Requisierunt*, בקשו] i. Accersiverunt. ¶ *Tum in laudibus, tum in cantico*, ובתודות ובשיר] i. In laudibus Divinis & canticis.

28. *Filii cantorum*, בני המשוררים] Sic vocat cantores. ¶ *Tum de planitie*, ומן הככר] Quidam vertunt, *& venerunt de planitie.*

29. *Ædificaverunt*, בנו] *Ædificaverant.*

30. *Et mundati sunt*, ויטהרו] *Et purificati sunt*, vel, *expiati sunt.* Aut, *Et mundaverunt* [vel, *expiaverunt*] *sese*, ante dedicationem scilicet. ¶ *Portas quoque*, ואת השערים] Sub. *Urbis.*

31. *Ascendere itaque feci*, &c. ואעלה וגו'] Describit rationem ipsius Dedicationis. Primùm enim distribuit Nehemias universam multitudinem, quæ magna erat, in duas turmas; quarum altera progressa est ad dexteram ipsius muri partem, & altera ad sinistram: quæ tandem coierunt in unum locum, qui non procul distabat à Templo ipso. ¶ *Choros*, תודות] Sub. *laudantium.* ¶ *Progressionésque*, &c. ותהלוכות לימין] *Processionésque*]sub. *unius*, i. primi, *chori*, iverunt] *ad dexteram*, q. d. Quorum alterum jussi procedere sive progredi ad dexteram. ¶ *Stercorum*, האשפות] Gallicè, *de la voirie.* Pro intelligentia horum & cognitione sitûs portarum & aliorum locorum videndum est caput tertium hujus libri.

32. *Et dimidium principum*, וחצי שרי] Distributi enim fuerant Principes in duas partes, ut & reliquus populus.

36. *Fratres verò ejus*, ואחיו] Sub. *Zachariæ.* ¶ *Ante eos*, לפניהם] i. Præcedebat eos.

37. *Civitatis Davidis*, עיר דויד] i. Montis Sion.

38. *Et ego* eram *post eum*, ואני אחריה] i. Quem ego sequebar. Chorus iste secundus progressus est ordine opposito sive retrogrado ab eo qui descriptus est suprà cap. 3. ¶ *Et media pars populi*, וחצי העם] i. Unà cum altera parte populi.

39. *Veteris*, הישנה] *Antiquæ*, sub. *piscinæ.* ¶ *Portam Pecorum*, שער הצאן] Porta ità dicebatur quòd per eam inducerentur oves quæ necessariæ erant pro sacrificiis faciendis. ¶ *Et steterunt*, ועמדו] Nempe illi qui erant in choro illo secundo.

40. *Et ego*, &c. ואני וחצי הסגנים עמי] i. Ego quoque unà cum dimidia parte magistratuum.

41. *Cum tubis*, בחצוצרות] Sub. *erant*, i. Sacerdotes canebant tubis, & cantores ore sive voce.

42. *Audiréque fecerunt*, וישמיעו] Sub. *vocem*, i. clarè cecinerunt.

44. *In die illa*, ביום ההוא] i. Eodem die. ¶ *In thesauros oblationibus*, לאוצרות התרומות] i. Ut essent vice thesaurorum, in quibus reponerentur oblationes, primitiæ ac decimæ.

45. *Et custodierunt custodiam*, &c. וישמרו משמרת וגו'] *Et observaverunt observationem Dei sui, & observationem*, &c.

46. *Et viri cantici, laudis, & laudationum Deo*, ושיר תהלה והודות לאלהים] i. Musici, sive cantores canentes cantica laudatoria, quíque Deum laudabant.

47. *Per singulos dies*, דבר יום ביומו] Ad verb. *rem diei in die suo.* ¶ *Sanctificabant præterea Levitas*, &c. ומקודשים ללוים והלוים מקדשים וגו'] i. *Sanctificabat* populus ipse *Levitas*, h.e. dabat Levitis decimas sacras, quæ sacræ sive consecratæ erant Deo (id enim hîc propriè significat *sanctificare aliquem*, i. dare illi rem sacram, cujusmodi sunt decimæ) *& Levitæ sanctificabant filios Aharon*, i. dabant filiis Aharon Sacerdotibus decimas, nempe decimam decimæ, sive decimam ex decimis.

GROTIUS.

9. Unusquisquè *in officio suo*] *Suis vicibus ministrabat*: id enim hîc שמרה, & infrà שמר 22. Græci hîc εἰς τὰς ἐφημερίας, & infrà ἐφημερίαν πρὸς ἐφημερίαν. Vide quæ dicta Lucæ 1. 8.

11. *Genuit Jeddoa*] Τὸν Ἰαδοῦ LXX, & hîc & infrà 22. Idem est Ἰαδδοῦς Josepho, quem narrat occurrisse Alexandro Tyri & Gazæ victori. Sic Historia Canonis Hebræi finit in ipsa luce temporum, i. in Alexandri Magni rebus, unde omnia jam clara, etiam de Judaicis rebus per tot Græcos scriptores, quorum multi nunc interciderunt, ut apparet ex Hieron. scriptis ad Dan.

22. *In regno Darii Persæ*] Codomanni quem vicit Alexander.

30. *Et mundati sunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum*] Prius enim erat ut Sacerdotes se mundarent quàm ut mundare alios possent. Idem sensu sublimiore de Sacerdotibus Christianis intellige.

46. *Et sanctificabant Levitas, & Levitæ sanctificabant filios Aaron*] i. Sacras res, puta decimas, dabant Levitis, & Levitæ de suis decimas dabant Sacerdotibus.

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

3. Omnem *mixturam*] *Mixturam* vocat quicquid ex Gentibus se Israelitis immiscuerat & cum eis è Captivitate ascenderat.

4. *Tobijæ*] Fuit Tobija ille socius Sanballat, Jehudæus impius & apostata, qui cum rectoribus terrarum conabatur impedire structuram Templi & Civitatis, atque satagebat cum eis occidere Nehemiam, ut suprà c. 6. dicitur. Et huic tanto nebuloni Sacerdotes Templi, interim quo Nehemia instauratâ Urbe in Babylonem concesserat, gazophylacium quod Templo adhærebat locaverunt, in quod sua reponeret, exclusis decimis & aliis obventionibus unde Levitæ Templi & Sacerdotes sustentabantur. Atque hîc finem habet canonica Scriptura Veteris Testamenti. Tertius enim & quartus liber Ezræ apud Hebræos non sunt, etiamsi tertius pro majori parte ex libro Paralipomenon sit conflatus. De Machabæorum libris alio diximus loco.

6. *Obtinui precationem à rege*] Heb. *Postulatus sum à rege*, postulatus scilicet per Judæos ut Rex me à se Hierosolymam dimitteret.

VATABLUS.

1. In *auribus populi*, באזני העם] Hebraismus, *audiente populo.* ¶ *Quòd non ingrediantur*, אשר לא יבוא] i. *Non debeant ingredi.* Vel, אשר redundat, & vertetur, *non venient*, aut, *non ingredientur.* Hæc scribuntur Deut. 23. 3.

2. *Quia non prævenerunt filios Israelis cum pane*, כי לא קדמו את בני ישראל בלחם] *Non enim venerunt obviam* [*occurrerunt*] *filiis Israelis cum pane*, qui scilicet offerri solet lassis. ¶ *Adversus eum*, עליו] Nempe Israelem, i. adversùm illos.

3. *Universam misturam*, כל ערב] *Universam turbam miscellaneam*, i. omnes alienigenas qui se adjunxerant Israelitis.

4. *At antea*, ולפני מזה] i. Ante hanc separationem alienigenarum ab Israelitis. ¶ *Sacerdos*, הכהן] Ille scilicet magnus, i. summus Pontifex. ¶ *Propinquus ipsi Tobijah*, קרוב לטוביה] i. Necessitudine conjunctus ipsi Tobijah hosti Judæorum.

6. *Verùm dum hæc omnia agerentur*, ובכל זה] Ad verb. *Et in omni hoc.* ¶ *Et in fine dierum*, ולקץ ימים] i. Anno uno exacto. quòd annus integer ac completus constet omnibus suis diebus. ¶ *Postulavi*, נשאלתי] Voce passivâ utitur, acsi diceret, *magnis precibus egi cum Rege, atque obtinui ut liceret mihi per eum reverti in Jerusalem.*

7. Propter

7. *Propter Tobijah*, לטוביה] i. In gratiam Tobiæ. ¶ *Ut faceret ei*, לעשות לו] *Faciendo ei, permissu*, i. quòd permisisset exstruendum illi in atriis Templi cubiculum.

9. *Ac jussi*, ואומרה] Ad verb. *Et dixi*, sub. *ut mundarent*.

10. *Cognovi praterea*, &c. ואדעה וגו׳] i. intellexi quòd Israelitæ desiissent dare partes ac portiones debitas Levitis. ¶ *Opus*, המלאכה] Sub. *Dei in Templo*, i. facientes cultum Divinum.

11. *Propterea increpavi*, ואריבה] Ad verb. *Et increpavi*. vel, *objurgavi*. Aut, *litigavi cum magistratu*, sive, *causam egi adversus magistratum*. ¶ *Cur derelicta est*, מדוע נעזב] Sub. *à vobis*. ¶ *Et statui illos*, ואעמדם] Sub. *Levitas & cantores*, i. restitui eos in locum suum in quo antea erant.

12. *In thesauros*, לאוצרות] i. In horrea quæ ad id destinata fuerant.

13. *Juxta manum autem eorum*, ועל ידם] Hebraismus, *juxta eos erat*. ¶ *Et ad eos* erat, ועליהם] i. Officium eorum erat distribuere partes ac portiones fratribus suis ex iis quæ collecta ac congregata erant in horrea illa.

14. *Et in observationibus ejus*, ובמשמריו] i. In ceremoniis ejus.

15. *Acervos*, הערמות] Sub. *manipulorum*. ¶ *Onerantes item asinos vino*, &c. ועומסים על החמורים ואף וגו׳] Ad verb. *& onerantes super asinos & etiam vinum*, *& uvas*, *& ficus*, *& quodvis onus*. Describitur zelus Nehemiæ qui ferre non potuit Sabbatum violari. ¶ *Et contestatus sum*, ואעיד] *Et testificatus sum*, sub. *contra*, sive *adversus*, *eos*, i. adhibitis testibus admonui eos, *die quâ vendebant escas*, nequo pacto id facerent. V. 21. plena est locutio.

16. *Tyrii quoque ipsi habitabant in ea*, *afferentes*, הצורים ישבו בה מביאים] *Sorim quoque ipsi qui habitaverunt in ea*, *afferebant*. ¶ *In Jerusalaim*, בירושלם] Idque *in Jerusalem*, q. d. Idque in Jerusalem urbe sancta, cujus cives præ cæteris debuerant observare ad unguem præcepta ac mandata Dei.

17. *Idcirco objurgavi*, ואריבה] Ut V. 11. ¶ *Qua est res hac mala quam*, מה הדבר הרע הזה] *Quidnam sibi vult hoc quod*, &c.

18. *Annon sic fecerunt*, &c. הלוא כה עשו וגו׳] q. d. Omnia mala quæ nos & patres nostri passi sumus, & quæ perpessa est urbs ista, evenerunt nobis ob violationem Sabbati; vos autem vultis denuo inducere iram Dei super populum, violatione ipsius Sabbati?

19. *Obtenebrata essent*, צללו] i. Obtenebrescere cœpissent. ¶ *Ante sabbatum*, לפני השבת] i. Jam appetente ac imminente Sabbato, quod quidem incipiebat à vespera in occasum Solis. ¶ *Dixi*, ואמרה] i. Jussi ut clauderentur fores, vel januæ. ¶ *Ne introduceretur*, לא יבוא] *Ne intraret*, *nè ingrederetur*, i. inferretur aut importaretur per eas in urbem.

21. *Et contestatus sum eos*, ואעידה בהם] *Et testificatus sum contra eos*, i. coram testibus interminatus sum illis; vel, monui eos nè postea tale quidpiam admitterent. Vide ver. 15. ¶ *Manetis vos ex adverso*, אתם לנים נגד] *Vos pernoctatis* [*noctem agitis*] *eregione muri*, &c. ¶ *Manum*, יד] Sub. *fortem*, h. e. turbam hominum quæ vos cædet, vel comprehendet & in carcerem conjiciet.

22. *Dixi praterea*, ואומרה] i. Jussi Levitas mundari, vel mundare sese. ¶ *Ut mundarent sese*, אשר יהיו מטהרים] *Ut expiarent sese*, vel, *purificarent*. ¶ *Ad custodiendum portas*, שומרים השערים] Ad verb. *custodientes portas*, i. ut essent custodes portarum. ¶ *Et sanctificarent*, &c. לקדש את יום השבת] Et *ad sanctificandum diem Sabbati*. *Sanctificat Sabbatum* qui quod præcepit Dominus in eo fieri facit.

23. *Qui duxerant*, השיבו] Sub. *in uxores*. Per hos tres populos intelligit & reliquos.

24. *Et filii eorum*, ובניהם] *Et ex filiis eorum*, vel, *earum*, ut sit מ pro ו acsi diceret, *media pars eorum loquebatur*, &c. ¶ *Et secundùm linguam*, &c. וכלשון עם ועם] Istud refertur ad initium versûs, *loquebantur Asdodicè*, *& sermone singulorum populorum*. Ad verb. *populi & populi*.

25. *Propterea contendi cum eis*, ואריב עמם] *Ideo objurgavi eos*. ¶ *Et maledixi eis*, ואקללם] i. Ejeci eos è synagoga. De excommunicatione intelligunt. Describitur severitas Nehemiæ. ¶ *Et adjuravi eos*, ואשביעם] Sub. *in hunc modum*, *Non dabitis*, &c. *& non accipietis*. *Si* pro *non*: aut subaudiendum, *Hoc & hoc faciat vobis Deus*.

27. *Et vobis nunquid obediemus*, ולכם הנשמע] *Vobis ergo obediemus*, &c. parebimus vobis, inquam, qui non estis tanti quantus erat Solomon? ¶ *Ducendo*, להושיב] Sub. *in uxores*.

28. *Propterea fugavi eum à me*, ואבריחהו מעלי] Ad verb. *& fugavi*.

29. *Recordare eorum*, זכרה להם] Sub. *in malum*. Vel, *Recordare* hujusce rei *illis*: i. in perniciem illorum. ¶ *Contra eos qui polluunt Sacerdotium*, על גאלי הכהונה] *Contra pollutores* [*inquinatores*] *Sacerdotii & federis*, &c. Declarat illud *Recordare*, quod præcessit, i. qui cùm debuissent esse bono suo exemplo aliis tamen malo exemplo conati sunt *polluere Sacerdotium ipsum*, *fedus quoque sacerdotale & Levitarum*.

30. *Observantias*, משמרות] i. Ordines, h. e. distribui Sacerdotes & Levitas per classes ac vices.

31. *Atque oblationi lignorum*, ולקורבן העצים] i. Constitui, inquam, ordines in oblatione lignorum, ad fovendum ignem illum cœlestem qui perpetuò ardebat in altari. ¶ *Primitivis quoque*, ולבכורים] Sub. *constitui ordines*, i. quæ offerri deberent Deo. ¶ *Recordare mei*, זכרה לי] *Memento* horum omnium *mihi*, i. in gratiam mei, *Deus mi*, *in bonum*, i. ut postea benefacias mihi.

GROTIUS.

1. *Et inventum est scriptum in eo*] Deut. 3. 3.

3. *Separaverunt omnem alienigenam ab Israel*] i. Natos ex gentibus, quibus lex noluerat esse jus connubii & honorum.

6. *In omnibus autem his non fui in Jerusalem*, *quia anno 32 Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem*] Rediit ad officium suum aulicum: & post aliquod tempus iterum à rege impetravit veniam eundi Hierosolyma.

8. *Quod fecerat Eliasib Tobiæ*] Ob affinitatem, homini alienigenæ, non tantum intrare intra septa Israelitica, quod vel ipsum nefas fuerat, sed & servare res sacras permiserat. Vide suprà 6. 18. & infrà 28.

9. *Sacrificium*] מנחה, de quo Levit. 2. ¶ *Et projeci vasa domûs Tobiæ*] Domesticam ipsius supellectilem. Fecit hoc pro potestate sibi à Rege Persarum concessa, ut in facto extraordinario.

13. *Quoniam fideles comprobati sunt*] In Hebræo, *habiti sunt*, Fama eos commendabat quæ non errat semper, sæpe eligit: consensu monstrabantur: nemo omnes decepit.

14. *Memento mei Deus meus pro hoc*] Sic & infrà 22. 29, 31.

21. *Numquid non hac fecerunt patres nostri*, *& adduxit Deus noster super nos omne malum hoc*, *& super civitatem hanc*] Respicit ad Jeremiam 17. 21, & sequentibus.

21. *Manū mittam in vos*] Agam pro meo jure, ut suprà 9.

25. *Et objurgavi eos*, *& maledixi*] Per illud *maledixi* Abenesdras intelligit duo excommunicationis genera נדוי & חרם: sed ea crediderim in exsilio usurpata, cùm jus vitæ necisque penes Persas esset, atque iterum cùm capitalia judicia ad Romanos devenissent. Nam in lege nulla earum pœnarum mentio, neque in veteri historia populi illius. Verius ergo est Nehemiam gravibus verbis, etiam cum iræ divinæ comminatione, usum in istos legirupas.

28. *De filiis autem Joiada filii Eliasib sacerdotis magni gener erat Sanaballat a Horonites*] Imò, *gener erat Sanabelleta Horonita*. Id enim Hebræa exigunt, sed & Græca. ¶ *Quem fugavi à me*] Non Sanabelleten Satrapam in Moabitide, sed illum nepotem Eliasibi jussi abire, ex decreto Esdræ 10. 8.

31. *Et in oblationibus lignorum in temporibus*, *& in primitivis*] Effeci scilicet ut servaretur decretum memoratum suprà 10. 34 35. In cujus rei memoriam institutus solennis dies ξυλοφορίων, cujus meminit Josephus 2, Belli Judaici.

ANNOTATA
AD LIBRUM
ESTHER.

CAP. I.

MUNSTERUS.

Contigit iste historia citra ullam controversiam tempore captivitatis Babylonicæ, quando omnes Jehudæi apud Persas, Medos, Assyrios & Chaldæos in exilio agebant; sed quis iste fuerit Ahasueros, qui Esther Jehudæam uxorem duxit, in dubium vertitur. Hebræi communiter ità sentiunt, quòd iste Ahasueros genuerit ex Esther Darium Persam, cujus regni anno secundo fuit exstructum templum Jerosolymitanum. Fuit & alius Darius Medus, sed qui illum aliquot annis præcessit. Vide Aben Ezram Danielis quinto in fine. Idem autem dicit, hujus historiæ scriptorem fuisse Mordochæum, id quod ex ultimo capite hujus libri colligit.

VATABLUS.

Liber Esther, *Hebraicè* מגלת אסתר VOLUMEN ESTHER] Ex doctioribus Hebræorum alter dicit Mardochæum fuisse hujus historiæ scriptorem: quod colligit ex eo quòd capite nono hujus libri, v. 20. scribitur his verbis, *Scripsit itaque Mordochai verba hæc*, &c. Quæ autem hîc gesta leguntur, acciderunt tempore Captivitatis, quando omnes Judæi apud Persas, Medos, Assyrios & Chaldæos in exsilio agebant.

1. *Accidit*, ויהי] Ad verb. *Et fuit*. Hîc ו convertendi futurum in præteritum, non copulandi munere fungitur. ¶ *Ahasueros*, אחשורוש] Quis fuerit Assuerus iste qui Esther Judæam duxit in uxorem, dubium est. Hebræi uno consensu scribunt istum Assuerum genuisse ex Esther Darium Persam, cujus Regni anno secundo fuit exstructum Templum Hierosolymitanum. Fuit & alius Darius Medus, sed qui istum aliquot annis præcesserit. Componitur autem nomen ex tribus integris, אחש *magnus*, & ו, i. *&*, atque רוש *caput*.

2. *Cùm sederet rex*, &c. כשבת המלך וגו'] q. d. Cùm rebus summâ tranquillitate & altâ pace frueretur, posteaquam redegerat in potestatem suam quicquid erat ab India usque ad Æthiopiam: *cùm*, inquam, victis hostibus *sederet in solio suo quod erat in Susan urbe illa regia metropolitana*.

3. *Robur* autem *Persidis*, &c. חיל פרס וגו'] Subaudiendum aliquid, cujusmodi, *Facto autem convivio robur Persidis*, &c. i. potentissimi quique Persidis ac Mediæ, nempe satrapæ, &c. ¶ *Coram illo*, לפניו] i. Remanserunt coram illo in aula, & cum eo versabantur.

4. *Tantisper dum ille ostentaret*, בהראותו] Ad verb. *in ostendendo eum*. ¶ *Magnitudinis suæ*, גדולתו] *Magnificentiæ ejus, majestatis*.

5. *In atrio*, &c. בחצר גנת ביתן המלך] Ad verb. *in vestibulo horti palatii ejus*. Anteced. Heb. pro relat.

6. *Aulæum*, &c. חור כרפס וגו'] Ad verb. *Candidum, viride, & color hyacinthinus, tentum*. Sing. pro plur. & color pro rebus coloratis, q. d. Aulæa candida, & viridia, hyacinthinique coloris tenta erant. ¶ *In circulis argenteis, & columnis marmoreis*, על גלילי וגו'] i. Alligata semicirculis argenteis, qui infixi erant columnis marmoreis. Vel potiùs *tenebantur* & comprehendebantur aulæa illa *funibus byssinis super semicirculos argenteos*, i. funibus trajectis per circulos argenteos, sive fibulas argenteas, *& super columnas marmoreas*, i. qui funes byssini fulciebantur & retinebantur columnis marmoreis. His tentoriis tam pretiosis protegebantur ab injuria Solis.

7. *Propinabant autem*, והשקות] *Porrigebant autem*, sub. *vinum*. Bibere faciebant. Infinit. est per præt. imperfectum vertendum. ¶ *Varia*, שונים] Ad verb. *iterata*, i. diversa, q. d. Vasis aureis diversis porrigebant vinum. ¶ *Pro facultate regia*, כיד המלך] Ad verb. *secundùm manum Regis*, i. vinum regium abundabat pro magnificentia sive munificentia regia. Gallicè, *selon le pouvoir du Roy, ou comme il appartient à ung Roy*.

8. *Secundùm legem*, כדת] i. Hâc lege, sive certâ quadam lege institutâ. ¶ *Præceperat*, יסד] Ad verb. *fundaverat*, i. inviolabiliter observandum ordinaverat, q. d. Potatio certâ quadam lege erat instituta, nemo erat qui cogeret sodalem bibere: quia sic firmissimè servandum præceperat Rex, nè scilicet ullus cogeretur: præceperat, inquam, unicuique Præfecto domûs suæ ut facerent pro voluntate & arbitrio uniuscujusque. ¶ *Cujusque*, איש ואיש] Ad verb. *viri & viri*.

9. *Regia*, המלכות] Ad verb. *regni*, i. in regia, sive palatio.

10. *Die septimo*, ביום השביעי] i. Postremo die illius convivii ab Assuero celebrati. ¶ *Dixit*, אמר] Pro *mandavit*, sive *præcepit*, positum est.

11. *Ut ostenderet*, להראות] *Ut spectandum præberet, spectare faceret*. ¶ *Decora aspectu erat*, טובת מראה היא] Ad verb. *bona aspectu ipsa*.

12. *Ad mandatum*, &c. בדבר המלך וגו'] Ad verb. *in verbo Regis quod in manu eunuchorum: & iratus*, &c. ¶ *Iráque ejus*, &c. וחמתו בערה בו] Hebraismus, *furore magno excanduit*.

13. *Scientibus tempora*, יודעי העתים] i. Qui callebant quæ retroactis temporibus gesta fuerant à majoribus: qui vetusta multa exempla tenebant memoriâ. ¶ *Coram omnibus scientibus*, &c. לפני כל יודעי דת ודין] Subaudiendum aliquid, sic, *talis erat Regis mos introducendi coram peritis legis & juris, deliberationem eorum quæ facere volebat*, h. e. referendi de re ardua ad peritos legum & jurium. Observanda parenthesis quæ proximo versu finitur.

14. *Propinquus autem illi*, והקרוב אליו] Sing. Heb. pro plur. i. qui primæ apud illum erant authoritatis. ¶ *Videntes faciem*, &c. רואי פני וגו'] Hebraismus, qui versabantur in cubiculo Regis, & erant ejus familiares, quíque primas obtinebant in Regno, sive in administratione Regni. Observa finem parenthesis in fine hujus versûs.

15. *Secun*

15. *Secundum legem*, כדת] i. Secundùm rationem legum. ¶ *Per manum eunuchorum*, ביד הסריסים] Hebraismus, *quem mandaverat per eunuchos*.

17. *Egredietur enim verbum*, כי יצא דבר] Hebraismus, Divulgabitur enim factum, &c. i. facinus istud perveniet ad aures omnium mulierum. ¶ *Ut contemnant maritos suos in oculis suis*, להבזות בעליהן בעיניהן] Ad verb. *ad faciendum spernere viros suos in oculis suis*: i. arroganter, abjecto omni pudore, & magno fastu, qui declaratur per oculos. q. d. Unde fiet ut abjecto pudore spernant mulieres viros suos. ¶ *Dum dicent*, באמרם] Ad verb. *in dicere ipsos*; sub. *narratores*. Phrasis Hebraica, relativum sine antecedente: i. dum dicetur, nempe quòd Rex, &c. ¶ *Jusserat*, אמר] Ad verb. *dixit*. ¶ *Et non venit*, ולא באה] i. Recusavit venire.

18. *Die quoque illo*, והיום הזה] Quo scilicet facinus Vasthi pervenerit ad aures illarum. Aut potiùs vertendum est, *Et de die illo loquentur principes mulieres Persidis & Mediæ, quæ audiverunt facinus Reginæ, cunctis*, &c. i. hanc diem in ore habituræ sunt, & de eo quod factum est hoc die, commentabuntur apud omnes maritos suos. ¶ *Domina*, שרות] *Principes*: i. uxores principum. ¶ *Et abundè magnus*, וכדי] Ad verb. *& secundùm sufficientiam*; i. tunc eveniet ut uxores contemnant viros suos, & mariti excandescant in uxores suas.

19. *Egrediatur verbum Regium à conspectu ejus*, יצא דבר מלכות מלפניו] Hebraismus, Promulgetur nomine regio sententia. ¶ *Neque transeat*, ולא יעבור] *Neque prætereat*; vel, *obliteretur*: i. sit sententia irrevocabilis. ¶ *Quòd non veniet*, אשר לא תבוא] *Quòd nunquam ventura sit*. ¶ *Quódque regnum ejus dabit*, ומלכותה יתן] i. Et dignitatem ejus regiam daturus sit.

20. *Quamvis magnum sit*, כי רבה היא] Ad verb. *quia magnum est*: imperabat enim multis satrapiis & provinciis. ¶ *Tam magnis quàm parvis*, למגדול ועד קטן] Ad verb. *à magno & usque ad parvum*.

21. *Hoc verbum in oculis Regis & principum*, הדבר בעיני המלך והשרים] Hebraismus, *hac sententia Regi & Principibus*.

22. *Ad singulas provincias*, אל מדינה ומדינה] Ad verb. *ad provinciam & provinciam*. ¶ *Secundùm scripturam suam*, ככתבה] i. His characteribus scriptas quibus uti solebant illæ provinciæ. ¶ *Juxta linguam ipsorum*, כלשונו] i. Eâ linguâ quâ loquebantur. ¶ *Et loquatur*, &c. ¶ ומדבר בלשון עמו] i. Et promulget linguâ propriâ & vulgari edictum regium uxoribus, ut ab illis intelligi possit. Quidam exponunt, *& ut cogant uxores suas loqui sermone suo vulgari*.

CASTALIO.

1. Asuerus] Hic Græcis vocatur *Artaxerxes*, Xerxis filius, autore Josepho.

DRUSIUS.

1. ET *fuit in diebus*] Copula & otium agit in Latio; satis enim, *Fuit in diebus Asveri*; quod cohæret cum illo, *fecit convivium cunctis Principibus suis*: acsi diceret, *Accidit tempore Asveri ut is faceret convivium omnibus Principibus suis*. Sic Ruth 1.1. *Et fuit in diebus cùm judicarent Judices, & fuit fames in terra*. Latinè, *Accidit quo tempore Judices judicabant ut esset fames in terra*. ¶ *Ahasveros*] Vel *Achasveros*, in quo *ch* pro *h*, Het, ut in *Rachab*, *Rachel*, *Charbona* & similibus. Veteres libri partim *Asverus*, partim *Assuerus*. In eo congruunt universi quòd syllabam unam elidunt ex *Ahasveros*. Sed & ultimam immutant ad consuetudinem Latinam, *Asveros*, *Asverus*; ut *Chores*, *Cyrus*; *Dariaves*, *Darius*. Igitur in *Asverus* duplex archaismus: Primùm enim elisa Het cum sua vocali, *Ahasveros*, *Asveros*; deinde ultima mutata ad consuetudinem quam diximus. Quanquam verò etiam apud Megasthenem Persam reperitur scriptum *Assuerus* s geminatâ, tamen ex *Ahasveros*, ut nunc legunt, scribendum citra controversiam *Asverus* unicâ *s*, καὶ τελευταῖα β̄ως· est enim *v* in nomine Persico non vocalis sed consonans, ut in *Dariaves*. Dixi de scriptura: dicam nunc de etymo. Dictus *Ahasveros*, ut mea fert opinio, nomine composito ex *Ahas* & *Veros*. Utrumque autem Persicum. *Ahas*, i. *magnus*, autoribus Ebræis, frequens in compositionibus. Argumento sunt *Ahastheranim*, *Ahasdarphanim*, Græci dicerent Ἄχος vel Ὦχος. *Veros*, vel certè *Va-Ros*, ut sint duæ dictiones, Scaliger De emend. temporum lib. 6. legit Ὀάρης sive Ὀάρσης. Ὦχος Ὀάρης conjunctim Ὀξυάρης *Oxyares*, i. *Ahasveros* vel *Achasveros*. Hic à Græcis vocatur *Xerxes*, ut idem nos docuit, quartus à Cyro, qui Græciam bello vexavit, quemadmodum prædictum fuerat ab Angelo Dan. 11. cui successit in imperio Artachsastha, ut colligitur ex Ezræ 4.7. Perperàm igitur interpretes Græci pro *Asvero* referunt nobis *Artaxerxem*. Nam quin Artachsastha sit Artaxerxes non est ullo modo dubitandum. Græcos interpretes secutus videtur Josephus. Sic enim scribit Orig. Jud. lib. 11. cap. 6 Τελευτήσαντος δὲ Ξέρξου, τὴν βασιλείαν εἰς τὸν υἱὸν Κῦρον, ὃν Ἀρταξέρξην Ἕλληνες καλοῦσι, συνέβη μεταβῆναι. Si hoc verè scribit, fuit Estheræ maritus non Xerxes, sed Artaxerxes cognomento Μακρόχειρ, i. *Longimanus*: quam sententiam tuentur nostræ pietatis homines haud infimi subsellii. Mihi placet quod Scaliger de hac re prodidit, quem autorem nunc sequemur dum meliora edocti erimus. Is enim est Scaliger ut ab eo in temporum ratione temere discedendum non sit. Vide Observ. l. 12 c. 24. ¶ *Ipse est Ahasveros*] Hoc adjectum videtur differentiæ causâ quia plures fuerunt ejus nominis, ut credibile est. Certè duo memorantur in S. literis. Nam præter hunc, de quo Esdras quoque intelligendus Esræ 4.6. etiam *Asverus* dictus est pater Darii Medi, ut habetur Dan. 9.1. ¶ *Qui regnabat*] Qui imperio tenebat centum & viginti septem provincias. ¶ *Ab India usque ad Æthiopiam*] Inclusivè, ut loquuntur. Tale est, *A puero ad senem. A parvo ad magnum*. Xerxis verba sunt apud Herodotum, quæ etiam Scaliger adduxit, Δεινὸν μὲν ἂν εἴη πρῆγμα εἰ Σάκας μὲν, καὶ Ἰνδοὺς, καὶ Αἰθίοπας, καὶ Ἀσσυρίους, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ καὶ μεγάλα ἀδικήσαντα Πέρσας οὐδὲν, ἀλλὰ δύναμιν προσκτᾶσθαι βουλόμενοι κατεστρεψάμενοι δούλους ἔχομεν, Ἕλληνας δὲ ὑπάρξαντας ἀδικίης οὐ τιμωρησόμεθα. *India*, Ebraicè *Hodu*, inserta Nun, Ἀραβικῶς *Hondu*, ex quo *Hendia* sive *Hindia*, quod nos scribimus ac pronunciamus *India* sine aspiratione. *Hendia* reperies hîc in libris Chaldæorum. ¶ *Septem & viginti & centum*] Latinè *centum & viginti septem* vel *centum viginti septem*, ut vetus editio habet. ¶ *Provincias*] Græci ἀρχὰς, Persæ *satrapias* vocant: rectèque Josephus hunc locum sic interpretatus est, καὶ καταστήσας ἀπὸ Ἰνδίας ἄχρις Αἰθιοπίας τῶν σατραπιῶν ἑκατὸν εἰκοσιεπτὰ ὑσῶν ἄρχοντας. Verba Herodoti, quæ leguntur in Observationibus l. 12. c. 13. semper mendosa mihi visa sunt; sed mutare ea non fui ausus, neque adhuc audeo sine antiquis libris. Quid tamen si legatur ἀρχὰς κατεστήσατο ἑκατὸν εἴκοσι, i. *centum viginti*, ut propiùs accedat ad numerum 127? Nam cùm Asverus Xerxes Dario proximè successerit, vix credibile provincias fuisse sub illo centum viginti septem, sub hoc viginti duntaxat. Ubi conjicio Herodoti locum corruptum fuisse, robur accedit meæ conjecturæ ex verbis his Josephi, Τῷ δὲ τρίτῳ τῆς βασιλείας ἔτει Δαρεῖος ὑποδέχεται λαμπρῶς καὶ μετὰ πολλῆς παρασκευῆς τούς τε περὶ αὐτὸν καὶ τοὺς οἴκοι γεγονότας, καὶ τῶν Μήδων ἡγεμόνας, καὶ σατράπας τῆς Περσίδος, καὶ τοπάρχας τῆς Ἰνδικῆς ἄχει τῆς Αἰθιοπίας, καὶ τοὺς στρατηγοὺς τῶν ἑκατὸν εἰκοσιεπτὰ σατραπιῶν, ex l. 11. c. 4.

2. *Cùm sederet*] Scholiastes Ebræus alter exponit, *cùm planè confirmatus eßet in regno suo*: alter, *cùm quiesceret à bello Indico & Æthiopico*. Vatabli ad hunc locum notæ habent, *Cùm rebus summâ tranquillitate & altâ pace frueretur, posteaquam redegerat in potestatem suam quicquid erat ab India usque ad Æthiopiam: cùm, inquam, victis hostibus sederet in solio suo quod erat in Susan urbe illa regia ac metropolitana*. Hactenus Vatablus. Quæ omnia ejusmodi sunt ut præstitisset ea silentio transmittere. Neque enim verba Ebræa aliud innuunt quàm Asverum Su-

fis sedem regni habuisse cùm ista acciderent. Sardus de Rege Persarum, *Hyeme degit Susis, æstate in Ecbatanæ montibus, autumno Persepoli, vere Babylonia. Vere, ait Plutarchus, Susis, hyeme Babylonia.* ¶ *In Susan regia*] Infrà, *in Susan palatio*, 8.14. omnino meliùs. Nam *regia*, i. *domus regis*, infrà v. 5. aut *domus regni*, 5.1. *Bira* autem est *Armon*, i. *palatium*, ut Grammatici tradunt: ab eo *βάρις* verbum *βαρχώσιον* Palæstinæ, quod & Theodotio usurpat Dan. 8.5. Et interpres Græcus Psalmorum ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων dixit cùm significare vellet *palatia eburnea*. Cæterùm codex Ebræus habet *Hechal* hoc postremo loco. De Templo usurpatur 1 Par. 29.1. Sed & Neh. 7.2. similiter, ubi Græcus edidit τῆς βειρά· vult dicere τῆς βάρεως. Neh. 1.1. ἐν Σουσανβειρά· corrige meo periculo ἐν Σούσαν ἀβειρά, i. *in Susan Habira*. Redeamus domum. Pro *in Susan regia* Græcus edidit ἐν Σούσοις τῇ πόλει, eodémque modo interpres Latinus; qui tamen in Daniele *in Susan castro* posuerat, tanquam ibi aliud significaret. Fuit tempus cùm existimarem & apud Santem esse *in Susan civitate*; sed postea cùm collatis exemplaribus interpretationem ejus tanquam in trutina cœpi perpendere, aliter deprehendi. Vertit enim certè consensu exemplarium hoc loco Santes *in Susan regia*. Jam diximus *in Susan civitate*, i. *Hair*. Qui emendare hunc locum voluerunt verterunt *in Susan metropoli*: alii, *in Susan urbe regia*. Sed quæ vox nè *urbem* quidem significat, quomodo significabit aut *urbem regiam*, aut *metropolim*? Non enim profectò *Bira* ipsa urbs vocabatur; sed locus erat ejus nominis in urbe aut prope urbem. Neque solet autor Megellæ cùm urbem significat hoc modo loqui, sed *urbem* vocat in qua etiam Judæi commorabantur, *Biram* in qua Rex Regisque officiarii. Locus iste erat in Elam Hamedina, ut ex Daniele didicimus, cujus se vidisse ruinas testatur Benjamin in Itinerario; in hoc falsus, de animi mei sententia, quòd apud Danielem per *Medina* civitatem intellexerit, cùm ibi potiùs denotet regionem vel certè territorium Susorum, in quo & ipsa urbs erat, & is locus qui propriè *Susan Habira*. Ità mihi videtur. Vide Animadvers. l. 1. c. 42.

3. *In anno tertio*] Pronomen hîc abundat; nec Stephani codices illud agnoscunt. Quare inducendum, meo animo. Ad verb. *In anno trium regnare ipsius.* ¶ *Quo regnavit*] Est cur malim *anno tertio regni sui*. Hic annus primus erat à subacta Ægypto, ità ut credibile sit hoc convivium factum partim ob rem bene gestam, partim ut cum purpuratis suis deliberaret de bello Græco, quod demum quinto abhinc anno gestum fuit: de quo Herodotus Polymniâ in principio. Vide infrà 2.16. ¶ *Robur Persidis*, &c.] *Coram illo erat* subaudiendum. In quibusdam editionibus Pagnini, *exercitui Persico & Medico, & principibus majoribus, & principibus provinciarum qui erant ante se.* Quæ omnia cum superioribus cohærent referenda ad illud, *fecit convivium*. Tremellius & Junius hunc locum sic convertunt, *Principibus copiarum Persiæ & Mediæ, regulis & præfectis provinciarum coram se*: non displicet. Quanquam enim τοῖς *principibus* hîc abest à codice Ebræo, tamen, cùm in eodem commate paulò antè præcedat, repeti indè potest ἀπὸ κοινοῦ, ut solet. ¶ *Satrapæ*] *Pharthemim*, forma nominis Græca πρότιμοι, i. *Paratimi*: nomen dignitatis apud Persas & Chaldæos Dan. 1.2. Camius in libro Radicum, *Paratimi sunt principes & magnates genere illustres*. Aben-ezra, *Vocabulum est peregrinum, forsan Chaldaicum aut Persicum*. Dicti *Paritimi*, ut Camius pater censet, quasi *Euphratæi*. Nam Euphrates linguâ Ebræorum *Pherath*. Ab hac mente Arias posuit *principes Euphratæi*, sic emendans quod in veteribus Pagnini, *Principes majores*. Sed hæc talia sunt ut iis relictis meliora ac certiora nobis quærenda sint. Fortasse *Paratimi* hîc dicuntur qui apud Xenophontem ὁμότιμοι *Homotimi*. Vide quæ notamus lib. 12. Observat. cap. 14. Non enim libet ea repetere. ¶ *Principes provinciarum*] Græcus interpres τοῖς ἄρχουσι τῶν σατραπιῶν, i. *satrapiarum*. Profectò enim quanquam in Bibliis Regiis legitur τῶν σατραπῶν, tamen constat legendum σατραπιῶν· quod mirum est non animadvertisse interpretem illum qui hîc

transtulit *principibus satraparum*. Nam quod ignoravit in Ebræo legi *Medinoth*, i. *provinciarum*, quoquomodo nosci poterat, si saltem hanc tam insignem mendam vel ex libris Basileæ editis sustulisset.

4. *Ut ostenderet*] Ad verb. *in ostendendo ipsum*. Quid? an ideo excepit servos suos ut eis ostenderet opulentiam suam per dies 180? Verosimile non videtur. Rectius ergò *dum ostenderet*, quod & diversa lectio habet & Ebræi codices comprobant. Nam *ut ostenderet*, i. *Leharotho*. Sensus hic est, *Dum ostentat opulentiam ac magnificentiam regni sui, consumpti sunt dies centum octoginta. Quibus expletis fecit convivium*, &c. Posset etiam verti *cùm ostendisset*, hâc sententiâ, *Cùm ostendisset opulentiam suam per dies 180, illique dies jam expleti essent, fecit convivium septem dierum*. Sed prior sententia, meo animo, verior. ¶ *Divitias gloriæ regni sui*] H.e. regni sui gloriosi. Tremellius & Junius, *divitias, gloriam regni sui*. Sic, *Honorem, decorem magnitudinis suæ*. Hæc tralatio accentum pro se habet, ideóque mihi non placere non potest. ¶ *Diebus multis*] Præoptem *dies multi*: ut subaudiatur *fuerunt*, aut tale quid. ¶ *Octoginta & centum*] In quibusdam editionibus, *nempe octoginta & centum*; addita vox quæ in Ebræo desiderari videbatur. *Octoginta & centum*; nos diceremus potiùs *centum octoginta*, aut *centum & octoginta*. Sed Ebræi numerum minorem præponunt, ut *septem & viginti & centum*. Non tamen semper id faciunt. Apud Josephum Gorionis *centum & octoginta & quinque*.

5. *Dies illi*] Centum octoginta, qui consumpti fuerunt in ostentatione regiæ opulentiæ. ¶ *Omni populo*] Omnibus qui inventi sunt in Susan Habira. Et dicit *qui inventi sunt* pro *qui erant*. Sic, *non est inventus in ore ejus dolus*: non fuit. Omnino plus est *qui inventi sunt* quàm si dixisset *qui habitabant*. Nam certè multi tum erant in Susan Habira qui tamen ibi minimè habitabant. ¶ *Fecit convivium*] Quidam in ea sententia sunt ut putent Asverum duo convivia exhibuisse, quorum uno exceperit purpuratos suos, altero plebem tantùm: sed falluntur. Constat enim ex v. 11. huic convivio interfuisse etiam proceres ac magnates Persidis: nam scriptum ibi est, *ut ostenderet populis & principibus pulchritudinem ejus*. Non igitur duo convivia exhibuit, sed unum tantùm. Quod ampliùs confirmat sententia quam elicui præter alios interpretes ex versu proximè præcedenti, qui mihi versus (ut dicam quod res est) insertus videtur extra institutum sermonem de convivio, includendus ob id parenthesi, quantum quidem judicare possum, cum hujus versûs principio: sed nihil adfirmo. ¶ *A minimo ad maximum*] q.d. Nemine excepto. ¶ *Convivium septem dierum*] Tremellius & Junius, *convivium septem diebus*. Ab his Critici Ebræorum Massoritæ faciunt, qui sub *Mistheh* vocabulo *convivium* denotante posuerunt Segol, h.e. *e* breve, cùm ratio Grammatica postulet Sere, h.e. *e* longum, ut vertatur *convivium septem dierum*. ¶ *Palatii Regis*] Hanc interpretationem hausit ex Camio. In libro Radicum, *Bithan, palatium*. Libri Græci τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως· probo ut *Bithan* sit *Baith*, i. *domus*. In Latina vetere *Bithan Hamelech* est *nemus regio cultu & manu consitum*: de quo ampliùs quærendum puto. Vide Jarium in Comment. ad h. l. Chaldæorum interpres habet *in atrio horti interioris Regis*. Expressit sensum qui est in *Baith* cùm ità dicimus *Mebaith*, i. *intra*: cujus contrarium *Mibus S Sade*, i. *extra*. Ad hanc sententiam & Abenezra explanat. Quæ ad hunc versum scribo, illustratione egent. Non enim hoc volo, falli planè eos qui affirmant simpliciter duo convivia fuisse; sed eos qui hoc ità affirmant ut alteri dicant interfuisse Principes, alteri populum tantùm. Hos apertè refellit textus. Reliquum in suspenso relinquimus, ut quisque opinetur de eo quod velit. Nam fieri sanè potest unum idémque convivium his verbis designari: fieri etiam potest ut duo convivia diversa notentur, quorum prius duraverit dies 180, posterius 7 duntaxat, quo excepti fuerint, præter Principes ac servos Regis, omnes qui tum erant in Susan Habira, tam parvi quàm magni.

6. *Aulæum candidum*] *Hur* cum *h* Het libri Ebræi est

est propriè *candor*. Nam *candidus*, i. *Hor*; unde *Horim*, homines nobiles, sic dicti quòd candidas vestes olim gererent. Infrà legimus 8.15. *exivit à rege in veste regni, & hyacinthi, & candoris: veste candoris*, i. candida. Sed quid faciemus illâ voce *aulaum*, quæ non legitur in Ebræo? Scio ibi esse *Hur Charphas*; & fieri potest ut *Charphas* sit *carbasus*. Certè Pollux κάρπασον vocat. Est autem *carbasus* genus lini. Item pro *velo* sumitur. Ità sensus erit, *carbasa candida & hyacinthus*. Ad verbum, *candor carbasi*, ut *viriditas herbæ*; locutio nota vel ex libris à me editis. Hæc verò asseverare ut explorata ac certa nolumus. Scimus tamen ex hujusmodi conjecturis veritatem sæpenumero erutam esse. ¶ *Et viride*] Copula & non habetur in codice Ebræo. Tremellius & Junius hîc non discrepant: *viridia* enim in illis est: quibus patrocinatur autor Jerosolymitanæ usus interpretamento quod *prasinum* colorem designat. Quinetiam D. Camius in libro Radicum Ebraicarum, *Charphas*, inquit, *est genus coloris, & dicunt quòd sit color viridis*. Aben-ezra homo doctus scribit *linguâ Cedarenâ esse colorem similem candido qui conspiciatur in serico*. Vetus habet *carbasini*. Græca καρπασίνοις. Apud Suidam, Καρπάσινοι, κορτῖναι· ineptè: neque enim *carbasina* sunt *cortina*, non magìs sanè quàm *byssina*, aut *purpurea*: sed est epitheton sine re, *carpasina* pro *carpasina cortina*: patet ex hoc ipso loco, quem Suidas, quanquam dissimulato libro, ibi adducit. ¶ *Funibus byssinis*, &c.] Ad verb. *in funibus byssi*, &c. ¶ *In circulis*] Vel *ad circulos*. ¶ *Et columnis marmoreis*] Nihil muto: tamen si Græcos sequemur, vertendum *& columnis Parii lapidis*; ità *Ses* erit λίθος Πάριος sive, ut ipsi scribunt, Πάρινος. Quam interpretationem eò libentiùs adduxi quòd ex monumentis τῶν ἰδιδασκάλων appareat diversum quid esse *Sais* & *marmor*. Scriptum enim in iis est *& lapidibus Saisa & marmore*. Porrò *marmor* hîc ediderunt præter Santem etiam prisci translatores Chaldæus & Latinus. ¶ *Aurei & argenti*] Ad verb. *auri & argenti*. ¶ *Super pavimentum porphyriticum*] Priùs erat ἐπὶ λιθοστρώτῳ σμαραγδίτῃ, & in Latina vetere *super pavimentum smaragdino stratum lapide*. Sed in exemplari Chaldaico *stratum crystallis*: ex quo fortè Arias expiscatus est *super pavimentum crystalli*. Si verum est quod Santes posuit, *Bahat* in nostra lingua valet *porphyrites*, h. e. marmor rubens purpuræ in modum. In libro Significationum Ebraicarum, *Aiunt esse id quod Arabum linguâ Balnat vocatur; éstque simile marmori Sais*. ¶ *Et marmoreum*] *Ses*, *marmor*, ut suprà. Dicitur & *Sais* 1 Par. 29.2. Apud Camium libro ubi vocum sensa collegit, *Sais barbare Marmor. Sed in Scriptis Magistrorum f. m. videntur esse duæ species: dicunt enim, lapidibus Saisa & Marmera, h. e. Marmore*. Hactenus Camius. Thargum quod ab Urbe nomen habet, *Ses*, *marmor*. Vetus interpres hunc locum sic convertit, *& Pario stratum lapide*; suprà verterat *& columnis marmoreis*, cùm tamen idem verbum sit in Ebræo. Græca Ecclesia legit καὶ πιννίνοις· quæ lectio semper mihi suspecta fuit: & fieri potest ut ea vox aut locum commutarit aut aliunde irrepserit. Quod eò magìs credo quia sequitur καὶ Παρίνῳ, i. *Parii lapidis*. In primo Παραλειπομένων vetus omnis interpretatio *marmor Parium*; comprobat suspicionem meam. ¶ *Et Parium*] Quæ sit suspicio nostra de Græca lectione jam diximus: ex ea Santes hausit *& Parium*. In Chaldaica Hierosolymitana versum comperior *& Dora civitatum maris magni*: sensus est, *Et Dora lapide, qui invenitur in civitatibus iis quæ adjacent mari Magno* sive *Mediterraneo*. *Dora* nomen est lapidis. Declarant ea quæ nunc apponam. Scriptum est in commentario quodam Ebraico super hunc librum, *Samuel ait lapidem pretiosum esse in civitatibus maritimis, qui Dora nuncupetur*. Et in libro Radicum Ebraicarum, *Magistri affirmant Dar lapidem esse pretiosum qui in civitatibus maritimis, & Dora alio nomine dici. Item aiunt, si ponatur in medio triclinii, lucem adferre meridianâ clariorem. Sed & partim eorum dixerunt quòd vocatus sit eo modo Dar à libertate quam conciliat mercatoribus eos divites ac opulentos reddendo*. Hæc ibi: quæ quidem profectò parùm solida mihi videntur, sed ex quibus discimus tamen *Dar* nomen lapidis esse. Cave ergò à Tremellii *habitatione & circumposito apparatu*, cum neque infrà neque suprà sit quod eam interpretationem admodum juvet, quam neque autoritate ullâ neque exemplo confirmat: tantùm conjecturâ nititur. Sed ex conjectura eadémque levi solicitare receptam sententiam, suámque pro illa temere intrudere, quod hîc & alibi sæpe fecerunt interpretes illi, culpandum videtur. Vide Observ. nostras l. 9. c. 13. ¶ *Et hyacinthum lapidem*] Emendant *& lapidem mercatorum*. Sed quis lapis mercatorum? Habet codex Ebræus *Sohareth* vel, si mavis, *Sochareth*. De hoc in libro Radicum, *Lapis est pretiosus, cujus appellatio fortè ab eo quòd semper sit in manibus mercatorum. Mercator enim Soher dicitur per h, Het*. Hæc Camius: cui in etymologia non admodum assentior. Nam adducor ut credam aliunde appellationem habere. Et quanquam hæc ità obscura sunt ut de iis quicquam temere non sit affirmandum, tamen censeo potiùs ità appellatum à *rotunditate*; unde & *scutum* dictum *Sohera* à forma *sc. scuta*, i. rotunda; *rotundum* enim significant Ebræi eo vocabulo *Soher*. Sed fortasse fallor, & dictus ità lapis ille quòd triclinia eo sternerentur. Sanè *Beth Asbarantha* est *triclinium*, in quo per circuitum accumbunt. De hac re scripsi & admonui pridem cap. 74. cent. 1. Miscell.

7. *Et propinabant*] Ad verb. *propinare*. Græcè meliùs dicas καὶ ἐπότιζον, i. *potum præbebant*: aut est nomen ex infinito, & subintelligitur *erat*. ¶ *Vasa à vasis varia*] Emendatum in Bibliis regiis, *vasa à vasis iterantes*; sed frustrà, aut ego frustrà sum. Interpres sententiam optimè expressit; verbum è verbo, *vasa à vasis iterantia: iterantia*, i. varia, diversa; ut, *Leges eorum iterantes ab omni populo*, i. diversæ à legibus aliorum populorum. Subintelligitur utrobique verbum substantivum, ut sit, *leges eorum mutantes erant*; *vasa iterantia erant*: ídque more in ea lingua protrito. Hunc locum vetus translator expressit his verbis, *Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur*. Vide cent. 1. Miscell. cap. 16. ¶ *Vinum regium*] Ad verb. *regni*. ¶ *Multum*] *Multum ac præstans* libri veteres; non improbo. ¶ *Secundùm potentiam Regis*] Ad verb. *manum*. Sic loqui solet Ebraica consuetudo, ut dicat *secundùm manum Regis*, vel *pro manu Regis*: cujus locutionis exemplum licet invenire apud Josephum Gorionis lib. 3. *Dedit munera secundùm manum Regis*; sensus est, Pro facultate, aut copia Regis; Pro opibus Regiis.

8. *Secundum legem erat*] Quâ cautum nè alter alterum cogeret ad bibendum. Sed fortasse aliter distinguendum, vertendúmque *& potum secundùm legem nemo exigebat*, hâc sententiâ, Nemo potum ab altero exigebat, nemo alterum cogebat, ut tum consuetudo erat. Ex hac mente Græca Ecclesia legit, Ὁ δὲ πότος οὗτος οὐ κατὰ προκείμενον νόμον ἐγένετο· in quo νόμος aliud nihil est quàm *consuetudo*, ut notamus l. 12. c. 7. Observat. Quod si contemnimus, prius sequemur, quod mihi omnino probabilius videtur, præsertim cùm verbum Ebraicum *Dath* pro *consuetudine* in hoc libro non usurpetur, quod sciam. Tremellius, *potum nemo ex jure exigebat*: ambiguè. Nam exponi potest, *potum nemo exigebat ex jure*, i. legitimè; quod falsum est: deinde ut exponatur *ex mente legis*, tamen minus *exigere potum* quàm *cogere ad bibendum*: sed hoc minutum: itaque de eo non contenderim. ¶ *Non erat qui cogeret*] Vel *nemo cogebat*. Ad verb. *non cogens*; abest verbum substantivum, ut solet. ¶ *Sic disposuerat*] Vel *constituerat*, aut *præscripserat*. Cur? Haud dubiè quia potatio non ampliùs legitima erat, h.e. ex præscripto legis, quæ tum pravâ consuetudine inoleverat. Facio conjecturam ex Xenophonte. Ait *lege cantum fuisse apud veteres Persas nè amphora* (προχοΐδας vocat) *ad convivia importarentur, quòd existimarent minùs tum corpora tum mentes debilitari si quis non nimium hauriat. Nunc verò*, inquit, *has non importari restat id quidem, tantum verò bibunt* (loquitur de Persis sui temporis) *ut non importent, sed ipsi exportentur, quando nimirum recto corpore* non

non amplius extre possunt. Habetur hoc lib. 8. De institutione Cyri. ¶ *Cum omni magistro domûs suæ*] Codex Ebræus pro *cum* habet *super*, quod tamen rejicio, vertóque *præscripserat unicuique magistro domûs suæ* (h.e. omnibus dispensatoribus suis) *ut facerent pro voluntate cujusque.* Sensus est, *ut tantum vini præberent quantum quisque vellet*, vel potiùs, *nè plus præberent quàm quisque vellet.* Josephus hunc locum sic interpretatur, προσέταξε δὲ καὶ τοῖς διακόνοις μὴ βιάζεσθαι πίνειν τὸ ποτὸν αὐτοῖς συνεχῶς προσφέροντας, ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις γίνεται. ¶ *Cujusque*] Ebraicâ phrasi hoc dicitur, *viri & viri.*

9. *Etiam Vasthi*] *Vasthi* scripserim libentiùs quàm *Vasti*; est enim Thau in scriptura Ebraica. Tamen si quis malit *Vasti*, non admodum repugnabo. In Græcis Bibliis reperio Ἀσὶ, mendum perpetuum pro Οὐασὶ sive, ut est apud Josephum, Οὐάστη· sed placet Οὐασθὶ vel Οὐασθί. *Vasthi* Οὐασθὶ, ut *Varos* Οὐάρος, unde Ὀξυάρης, qui & *Ahasveros*, ut diximus. ¶ *Convivium feminarum*] Quarum videlicet mariti apud Regem cœnabant. Nam mos Persarum ut conviviis virorum non interessent uxores. Adhibuit ergò Regina, ut credibile est, uxores purpuratorum, & fortassè eas omnes feminas quæ tum præsentes erant in Susan Habira. ¶ *In domo regni*] Ἐν τοῖς βασιλείοις· h.e. *in regia*, quæ & *domus regis* 2.8.

10. *Die septimo*] Eodémque postremo convivii. ¶ *Cùm jocundum esset*] Græcus, ἡδέως γενόμενος ὁ βασιλεύς. Latinus, *cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potionem vino incaluisset*: uterque malè: prior enim minus, alter plus dicit quàm in Ebræo sit. Nam neque simpliciter ibi *hilaris fuisse* lectum, neque *post nimiam potionem incaluisse vino*, sed ità ad verbum, *cùm bonum esset cor Regis in vino.* Sensus autem est, Cùm animus ei esset vino hilarior; cùm cor suum vino exhilarasset. Scitum illud, *Vinum lætificat cor hominis*; quod apud Davidem esse, nemo jam duntaxat literarum Sacrarum ἐκ ἀγύμνος ignorat. ¶ *Propter vinum*] Alii *vino*, quod magis arridet. ¶ *Dixit*] *Dixit* hîc valet *edixit, præcepit, mandavit.* Vide lib. 1. cap. 4 Animadversionum. ¶ *Mehuman*] Vel *Mahuman*; antiqua consuetudo. Libri veteres. *Mahuman* Græci scribunt Μαυμὰν, ex quo *Mauman*; sed placet *Mahuman* cum aspiratione. Ex prisca consuetudine sunt & *Bagatha, Bazatha, Abgatha* apud interpretem veterem. In Collectaneis nominum propriorum, *Mahuman, Turbatus vel Tumultuans, vel Multitudo.* Etiámne Persicum nomen ad origines Ebræorum referemus? Quid ineptius? Sic in eodem libro, *Cyrus, quasi Pauper, aut Venter.* Non ferendum. Nè illud quidem, *Asverus, Magnus & caput.* Nam *Rys* in *Ahasveros* Persicum est, non Ebraicum. Idem judicandum de aliis nominibus quæ in hoc libro; quæ ferè omnia Hieronymus nec interpretata reliquit: prudenter sanè; & ità virum boni judicii facere decet. ¶ *Charbona*] Vel *Harbona.* Hujus mentio infrà 7. 9. Apud Josephi interpretem Latinum nominatur *Sabuchadar*, apud Josephum ipsum, h.e. in exemplari Græco, Σαβουχάδας. ¶ *Zethar*] Per è longum. Perperàm *Zarath* in quibusdam libris Latinis. In Græcis sincerioribus Ζηθαρ, optimè. ¶ *Qui ministrabant ante faciem Regis*] Emendo, *qui ministrabant faciei Regis*; quod sic legitur in Ebræo ad verbum, *qui ministrabant facies Regis*; quæ locutio bifariàm Ἑβραΐζει· primùm in constructione verbi *ministro*; deinde in eo quod *facies regis* dicit pro ipso *rege.* Hoc Santem non animadvertisse mirum videri non debet, cùm nè Tremellio quidem in mentem venerit ut quicquam hîc immutaret, qui tamen illo posterior multò fuit.

11. *Cum diademate regni*] Aut *cum cidari regia*, quod magis placet, quia *diadema* inter & *cidarim* nonnulla differentia est: *Chether* autem est *cidaris*, ut notamus l. 12. c. 12. Observat. Hic locus me dubitare facit de eo quod suprà scripsi. Scripsi *domum regni* & *domum regis* idem esse: ità tum opinabar. Nunc mihi differre videntur, ut cùm dicimus *cidaris regni*, & *cidaris regis.* Nam profectò quæ Regis est cidaris dici potest *cidaris regni*, sed non contrà: idque ex hoc loco manifestum est. Sic fieri potest ut domus ea in qua Vasthi feminarum convivium fecit alia fuerit ab ea quæ infrà 2.8. *domus regis* dicitur. Docti igitur viderint: ego nihil decernere ausim. ¶ *Populis*] Qui erant in Susan Habira. ¶ *Decora aspectu*] Formâ egregiâ ac liberali, καὶ κάλλει τὰς γυναῖκας ἁπάσας ὑπερβάλλουσα, Josephus.

12. *Et renuit*] Cur vocata ad Regem venire noluerit, causam reddit Josephus satis probabilem, qui, si modò interpretari potuero, his ferè verbis utitur, *Similiter Vasthi regina muliebre convivium in regia habuit, cujus formæ pulchritudinem, quâ cæteris omnibus feminis præstabat, cùm Rex simul accumbentibus vellet ostendere, missis eunuchis jussit eam venire ad convivium. Quæ, quòd leges Persarum vetarent uxores conspici ab extraneis, cùm eas servare proposuisset, non accessit ad Regem. Cúmque sæpius eunuchos mitteret ad ipsam, nihilominus mansit recusans venire.* Hactenus Josephus. ¶ *Ad verbum regis*] Ad verb. *in verbo*; ad mandatum Regis spadonum ministerio perlatum. ¶ *Per manum*, &c.] Per eunuchos; elegans & antiqua dictio, cujus exempla passim licet invenire. Exod. 9. 35. *Quemadmodum locutus est Dominus per manum Mosis.* 2 Sam. 11. 14. *Scripsit David literas ad Joab, quas misit per manum Uriæ.* 1 Reg. 3. 1. *Confirmato regno per manum Salomonis.* Exod. 35. 29. *quod Dominus jusserat fieri per manum Mosis.* In his omnibus locis verbum è verbo est *in manu.* ¶ *Eunuchorum*] Tremellius & Junius, *aulicorum*; non probo. ¶ *Itáque ejus succensa est in eo*] Vehementi irâ incensus fuit. Addit Josephus ipsum propterea convivium solvisse: cui favere videntur quæ infrà mox sequuntur; potest ità esse, tamen quid si dicamus consultationem illam factam inter pocula? ut illud v. 14. *& propinquus ei* hanc sententiam contineat, & proximè ei in mensa assidebant. Certè Persas de rebus etiam gravissimis non nisi potos consultare solitos, notius est ex historia quàm ut probari debeat.

13. *Scientibus tempora*] Εὖ εἰδόσι χρόνων· acsi diceret, *scientibus res gestas singulorum temporum: qui historiam docti & ab usu rerum peritissimi erant*: hoc interpres Chaldæus dixit, *scientibus scientiam temporum.* Nam *scientia temporum* aliud nihil est quàm cognitio historiæ & annalium. Ex hac mente capiendum 1 Par. 12. 32. *è filiis Issachar scientibus intelligentiam temporum.* ¶ *Sic consuetudo Regis*] Ebraicum exemplum *verbum* habet, quod hîc valet à Salomone scholiaste *consuetudo*; quem Santes autorem secutus mihi videtur. Tu considera nè magis sit interpretari, *Sic res erant Regis*: (nam *verbum* pro *re* sumi notum est) ut hoc dicat, *Quia res Regis eo modo agi ac consultari solebant*, videlicet coram peritis legum & juris. *Res Regis*, i. causæ, querelæ, lites, negotia Regis. Tremellius hunc locum sic interpretatur, *Nam sic negotium Regis exponebatur omnibus noscentibus jus & judicia.* Huc referri possent quæ apud Herodotum tertio volumine, οἱ δὲ βασιλήιοι δικασταὶ, κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται Περσέων, ἐς ὃ ἀποθάνωσι, ἤ σφι μή παρευρεθῇ τι ἄδικον μέχρι τούτου· οὗτοι δὲ τοῖσι Πέρσῃσι δικάζουσι, καὶ ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων θεσμῶν γίνονται, καὶ πάντα ἐς τούτους ἀνακέαται. Si vacat, lege & præcedentia, quæ brevitatis ergò à nobis hîc omissa sunt. ¶ *Legem & judicium*] Vel *legis & judicii.* Sic est in Ebræo. *Judicium*, aut *jus*; idque magis, quò magis considero, placet. *Din* etiam *litem* significat: thema *Dan, judicavit, litigavit.* Vide Animad. lib. 1. cap. 12.

14. *Et propinquus ei*] Utrùm affinitate? ut hoc dicat, *& cognati ejus*: an loco? aut potiùs dignitate? Sic Vatablus; *Et propinquus ei. Vult dicere qui prima apud illum autoritatis erant.* Aliquantò pòst ait, *qui sedebant primi in regno.* ¶ *Charsena*] Ut *Mares, Marsena*; *Augustus Augustinus*; Sic *Chares, Charsena. Chares*, nisi me fallit opinatio, ut & *Chores*, qui Latinè *Cyrus*, id est, *Sol.* ¶ *Meres*] Vel, *Mares*, quod antiquè lectum pro *Meres*, ut *Habel* pro *Hebel.* ¶ *Memuchan*] Olim erat *Mumchan*: pro eo Critici Massoritæ reposuerunt *Memuchan*; Fortè ex libris melioribus. Vetus interpres *Mamuchan*, firmat hanc postremam lectionem. Apud Josephum Μαλχαῖος. Quid si Μαυχαῖος aut Μαμυχαῖος; postremum est

Mumcha-

Mumchanus, formâ nominis Græcâ ex *Mumchan*. Μεχαῖος etiam scriptum lectum in Bibliis Græcis Basileæ impressis. ¶ *Septem principes*] Vocantur Ezræ 7. 14. *septem consiliarii regis*. Apud hos τῶν νόμων ἐξηγητὰς erat, autore Josepho. ¶ *Paras*] Poscit Antiquitas & Orientis consuetudo *Pharas*. *Pharas & Madai*, i. *Persiæ ac Mediæ*, aut *Persarum ac Medorum*. ¶ *Videntes faciem Regis*] Regis intimi ac summè familiares, qui Regem oculis usurpabant. Neque enim cuivis licebat videre Regem. Nam *apud Persas*, ut scribit Justinus is qui Trogum in epitomen redegit, *persona Regis sub specie majestatis occulitur*. Atque huc pertinet quod infrà de Hamane, *& faciem Hamanis operuerunt*, videlicet nè videret Regem, quem tantopere offenderat. Siquidem cui Rex iratus erat ex familiaribus, ei statim vultus obvelabatur, tanquam indigno qui Regem oculis usurparet. ¶ *Qui sedebant primi in regno*] Qui primam ac præcipuam dignitatem obtinebant in regno Persiæ. Nam Persarum satrapæ pro dignitate cujusque sedes habebant apud Regem, idque ex Cyri instituto. Vide Observat. l. 12. c. 25. Quibus addo ex scholiis Ebraicis ad hunc locum; *In libro Regum Persidis*, ut Aben-ezra ait, *scriptum inventum est apud Persas fuisse quatuor ordines Principum, qui suis sedibus singuli distincti erant, ità ut primi ordinis satrapæ primo loco sederent, & sic deinceps*. ¶ *Primi*] *Risona*, i. *primò*: subintelligitur enim Beth, ut sit *Barisona*.

15. *Secundùm legem quid faciendum*] Ordo & constructio, *Dixit sapientibus scientibus tempora, Quid faciendum reginâ Vasthi secundùm legem?* Verba illa *dixit sapientibus scientibus tempora* habentur suprà v. 13. quæ interjecta, includenda sunt parenthesi. ¶ *In reginam Vasthi*] Trem. *reginâ Vasthi*, placet. ¶ *Sermonem*] Quo eam accersiverat ad se per eunuchos. Hoc vult, Quia accersita per eunuchos non paruit. ¶ *Regis Ahasveros*] i. Meum. Tale est, *Et dixit Dominus, Ascende ad Dominum*.

16. *Memuchan*] Scriptum hîc *Mumchan* in exemplari Ebræo, lectum *Memuchan*: notant Massoritæ. ¶ *Peccavit*] Vel *iniquè egit*. Græcis ἠδίκησε. Peccavit autem *contra Regem* facto, *contra principes & populos* exemplo.

17. *Verbum Reginæ*] Fama de hoc facto reginæ. ¶ *Ut contemnant*] Ea causa erit ut contemnant suos maritos. ¶ *Dum dicent*] Ad verb. *cùm dicent ipsi*: & subintelligitur *homines*. Ideò non malè reddunt qui reddunt *cùm dicetur*. ¶ *Dixit*] Edixit, jussit. ¶ *Ut ducerent*] Maluissem *ut adducerent*. ¶ *Non venit*] Noluit venire.

18. *Et die hâc*] Jam hoc ipso die objicient factum reginæ maritis suis. Admonet Vatablus verti posse *de die isto*; quòd cùm aliquamdiu cogitans examinassem, veni in hanc opinionem verti etiam posse *& diem hunc*: quod eò magis placet quia in Ebræo non sit *Alhajom*, neque *Bajom*, sed simpliciter *Hajom*. ¶ *Dicent*] Objicient. ¶ *Dominæ*] Rectiùs *principes* feminæ. Vetus habebat *principum conjuges*, præclaré. ¶ *Verbum reginæ*] Factum reginæ. ¶ *Ad omnes principes regis*] Omnibus regiis principibus. ¶ *Et abundè magnus*] *Plùs satis*. Tremellius: valde probo. Ad verbum, *planè satis*. Alii *secundùm sufficientiam*. Sed quis unquam ità locutus est, *secundùm sufficientiam contemptus & ira?* Ego sine ulla dubitatione præferendum censeo *plùs satìs contemptûs & iræ*: ex quo intelligi potest in *Chedai* vocabulo Ebraico Chaph ἀληθινὸν esse, non τοχαςικὸν, aut ὁμοιωματικόν. ¶ *Et ira*] Inter conjuges. Ebraicè *Ceseph*, de quo Observat. l. 1. c. 24. ¶ *Si Regi bonum est*] Malim *si Regi bonum videtur*, vel *si Regi placet*. Sic vetus interpres elucidat. ¶ *Egrediatur*] Prodeat, promulgetur. ¶ *Verbum*] Edictum, decretum. ¶ *A conspectu ejus*] Nomine ejus. *Regium*] Ad verb. *regni*. ¶ *Inter leges*] Trem. *inter jura*. Ad verb. *in legibus*. Vetus habet *juxta legem*: videtur legisse Chaph in loco Beth, aut secutus est interpretem Græcum, qui hîc edidit κατὰ τοὺς νόμους Μήδων καὶ Περσῶν, i. *Chedathe*. ¶ *Neque transeat*] Subintellige *quisquam*. *Transire* hîc valet *transgredi*, *violare*, ut 3. 3. *Cur transis præceptum Regis?* Verior expositio *neque transeat*, neque revocetur; vel potiùs, ut nè revocetur: acsi diceret; *Decretum tale sit quod revocari non possit*. Vide infrà 9. 27, & 28. Nam quæ relata in leges Persarum ac Medorum rescindi non poterant Dan. 6. 8. ubi & eandem locutionem, quanquam aliis verbis, reperire licet. ¶ *Quòd non veniet*] Decreti sententia hæc sit, nè Vasthi regina posthac veniat in conspectum Regis, & ut Rex ejus regnum det alteri eâ meliori. ¶ *Coram Rege*] Josephus, ἔδοξε τὴν Ὀυάςην ἐκβαλεῖν, καὶ δοῦναι τὴν ἐκείνης τιμὴν ἑτέρῃ γυναικί. Si hoc rectè Josephus, per verba illa *non veniet coram rege* à thoro, per sequentia à Regno expellitur. ¶ *Regnum ejus*] Regiam ipsius dignitatem. ¶ *Dabit Rex*] Detur ejus regnum alteri eâ meliori. Dura sententia: sed sciendum Persas erga uxores duros & atroces semper fuisse. Plutarchus Themistocle, τοῦ βαρβαρικοῦ γένους τὸ πολὺ, καὶ μάλιστα τὸ Περσικὸν, εἰς ζηλοτυπίαν τὴν περὶ τὰς γυναῖκας ἄγριον φύσει καὶ χαλεπόν ἐστιν. Athenæus lib. 13. in principio, ὡς δεσπότης ἄρχει τῆς γαμετῆς ὁ βασιλεύς: de Persa sermo est. ¶ *Sodali*] Vel potiùs *sociæ* aut *proximæ*, i. alteri: purus putus Hebraismus. Vide quæ scripsimus l. 7. c. 12. Observat.

20. *Verbum Regis quod faciet*] Decretum quod faciet. ¶ *Quia magnum est*] *Quod latissimum est*, tralatio vetus: non displicet; ut *Chi* hîc sumatur pro *Aser*. Trem. *ut ut magnum est*. Aben-ezra *tametsi magnum est*. Alius interpres *quàm latè patet*. Plures interpretationes adduxi, meum illud servans, ut vobis relinquerem judicium: vos igitur eam eligetis quam ad locum aptiùs convenire judicabitis. ¶ *Tam magnis quàm parvis*] Ad verb. *à magno usque ad parvum*: Omnibus sine exceptione: proverbiale.

21. *Placuit*] Ad verb. *bonum fuit*. ¶ *Verbum*] Ὁ λόγος hæc res, hæc sententia. ¶ *Juxta verbum*] *Juxta consilium*, editio vetus.

22. *Et misit*] Rex, vel *missæ sunt*, ut, *reputavit ei pro justitia*: ἐλογίσθη, *reputatum fuit*. ¶ *Ad omnes provincias Regis*] Ad verb. *ad provinciam & provinciam*. Ebraicâ consuetudine loquendi *regis* posuit pro eo quod est *suas*, vide suprà v. 15. ¶ *Secundùm scripturam suam*] *Earum* malim quàm *suam*. Potest etiam verti *ad unamquamque provinciam secundùm scripturam ejus*. Videtur hoc velle, *Misit literas cujusque provinciæ characteribus scriptas*. Nisi potiùs hoc dicit, *scriptas fuisse literas illas cujusque regionis stilo & modo scribendi*. ¶ *Ad singulos populos juxta linguam ipsorum*] Ad verb. *ad populum & populum secundùm linguam ejus*. ¶ *Et loquatur secundùm linguam populi sui*] Vivat more patrio, & servet consuetudinem popularium suorum. Locutio, meâ sententiâ, merè proverbialis, quam neque Tremellius neque Vatablus intellexisse videntur. Vide Observat. l. 11. c. 10. Tremellii verba sunt hunc locum interpretantis, *quòd dicit quisque linguâ populi sui*. Nolo καταψηφίσασθαι. Si Ebraica verba diligenter attenderis, eàque cum eis quæ præcedunt in eodem versu contenderis, intelliges profectò meam, non Tremellii, expositionem veram esse.

GROTIUS.

VIde quæ diximus ad initium Paralipomenωn. Sæpe mulieres Hebræis plurimùm profuerunt: etiam in Polonia quædam *Esther* nomine. Estherem, de qua hic est liber, comparo Hersiliæ, quæ Sabinis popularibus suis pacem & civitatem Romanam optimis legibus obtinuit. LXX huic historiæ somnium quoddam Mardochæi præmittunt, quod non est in Hebræo.

1. *In diebus Assueri*] De Assuero nihil ampliùs quod dicam habeo, quàm quod dixi Esdræ 4. 6. Darium Persam hujus Assueri sive, ut Græci interpretes & Josephus efferunt, Artaxerxis & Estheris filium fuisse Hebræi sentiunt. ¶ *Ab India*] הדו.

2. *Susan*] Vide Nehem. 1. 1.

3. *Fecit grande convivium cunctis principibus & pueris suis*]

suis] In Hebræo: *servis suis*: quomodo vocare subditos mos est Orientis. Græci hîc posuere, τοῖς φίλοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι. Vide infrà 5. Etiam Romani Imperatores sæpe epulo excepere cum senatu etiam plebem. In epulo Domitiani Statius;

Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille, simul jussit decumbere mensis.

¶ *Et præfectis provinciarum*] *Provincia* hîc in Hebræo, מדינה, quod nomen etiam nunc in Hispania quibusdam regionibus manet.

8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum*] Quod alioqui apud reges fieri solet.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero.

Etiam apud Romanos bibendi modimperatores erant & magistri. Græci interpretes hoc loco: ὁ δὲ πότος οὗτος οὐ κατὰ προκείμενον νόμον ἐγένετο. οὕτως δὲ ἠθέλησεν ὁ βασιλεύς, καὶ ἐπέταξε τοῖς οἰκονόμοις ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων.

3. *In palatio*] Sub tecto, non in hortis, ut rex: id feminarum pudori erat convenientius.

10. *Itaque die septimo, cùm rex esset hilarior & post nimiam potationem incaluisset mero*] Nam & quæ sequuntur plus impetûs habent quàm rationis. At Deo jus est decreta sua etiam sic exsequendi: voluit rex ostentare Persis formam uxoris suæ, quod nec feminæ decorum, nec regi tutum erat: sed reges quicquid velint facilè inveniunt sententiæ suæ approbatores: neque deest his lusciniolis sua cantio. ¶ *Septem eunuchis qui in conspectu ejus ministrabant*] Vox סריסים *spadones* significat: talibus autem hominibus etiam nunc Orientis reges ad ministeria feminarum uti solent. Heptas celeber apud Persas numerus, Vide infrà 14. ¶ *Præcepitque Mauman*] Hîc est Aman in Græco.

12. *Quæ renuit*] Fortè superbioribus verbis quàm oportebat, ut quæ regem præ amore sibi putabat obnoxium. Alioqui erat contra mores quòd rex jusserat: nam de Persis Plutarchus Themistocle; οὐ μόνον τὰς γαμετὰς ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτός, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κεκλεισμένας· ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις, ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι. Josephus hoc loco: φυλακῇ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἳ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγορεύκασι. ¶ *Et nimio furore succensus*] Ubi ad vinum ira accessit, haud facilè retinet modum. Multa talia in Alexandri historia.

13. *Interrogavit Sapientes*] Magos: itá huic mori assueverat, ut nè ebrius quidem ejus oblivisceretur. ¶ *Qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum*] Josephus, τοὺς ἑπτὰ τῶν Περσῶν οἳ τὴν τῶν νόμων ἐξήγησιν ἔχουσι παρ' αὐτοῖς. Multùm spectatur in iis qui consilium regi daturi sunt cognitio juris patrii. *Ad consilium de republica dandum caput est nosse rempublicam*, ait Cicero 2. de Oratore. Sic Imperator Severus Alexander clarissimorum in jure virorum usus est consiliis, Ulpiani, Pomponii, Celsi, Modestini, Pauli, Proculi, Venuleii. ¶ *Qui videbant faciem regis*] Vide quæ diximus ad Matth. 18. 10.

16. *Responditque Mamuchan*] Primus fortè sententiam à rege interrogatus.

18. *Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvi pendent imperia maritorum*] Nam ut regis itá reginæ vitia imitari genus obsequii judicatur. Josephus hoc loco, οὐδὲ μία γὰρ τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς αἰδῶ ποιήσεται, παράδειγμα τὴν τῆς βασιλίσσης ὑπερηφανίαν πρὸς σὲ τὸν κρατοῦντα ἁπάντων ἔχουσα. ¶ *Scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est*] Apparet quandam fuisse formam legum faciendarum apud Persas, secundùm quam factæ leges omninò erant immutabiles, ut illæ quæ *sacra* apud Romanos vocabantur. Vide Dan. 6. 8, 12, 15. & Procopium, ubi agit περὶ Λήθης φρουρίου. Videtur autem forma quæ leges faciebat immutabiles, hæc fuisse, ut non regis tantùm, sed & principum signis muniretur. Vide Dan. 6. 17.

19. *Sed regnum illius altera quæ melior est illâ accipiat*] Gravis pœna pro culpa levi, si tamen culpa.

22. *Diversis linguis ac literis*] Nam ad quemque populum linguâ cujusque rex scribebat, infrà 3. 18.

CAP. II.

VATABLUS.

1. POst hæc, אחר הדברים האלה] Ad verb. *Post verba hæc*, i. *His factis*. ¶ *Recordatus est*, זכר] Istud non solùm ad mentem refertur, sed etiam ad sermonem, q. d. Sermonem habuit de facinore illius in conspectu suorum ministrorum.

2. *Quærant*, יבקשו] Sub. *ii quibus id muneris impositum fuerit*. Similis locutio & 1 Reg. 1. 2. i. quærantur puellæ virgines, &c.

3. *In domo mulierum*, אל בית הנשים] Sub. *regiarum, in gynæceo*. ¶ *In manu*] אל יד] Subaudiendum verbum *tradentes*, i. committentes fidei regiæ. ¶ *Detque purificatoria earum*, ונתון תמרקיהן] Infinit. Heb. pro fut. *& det mundatoria earum*, i. quibus sordes corporis detergere solent, & cutem suam ungere, séque ornare, h. e. mundum muliebrem.

5. *Vir Jehudæus*, איש יהודי] i. De tribu Juda. ¶ *Vir Jemini*, איש ימיני] Significat eum fuisse de stirpe Benjamin: hoc dixit ut ostendat eum fuisse de semine Regio.

6. *Demigraverat*, הגלה] *In captivitatem abductus fuerat*.

7. *Nutriebat autem*, ויהי אומן] Ad verb. *Et fuit nutriens*. ¶ *Ea est Esther*, היא אסתר] Latinè, *quæ alio nomine dicitur Esther*.

8. *Cùm auditum esset verbum Regis*, בהשמוע דבר המלך] *Posteaquam promulgatum fuit mandatum [edictum] Regis*. ¶ *Ad manum Hegai*, אל יד הגי] i. Et tradita fuit ipsi Hegai custodi mulierum.

9. *In oculis, ejus*, בעיניו] i. Illi eunucho. ¶ *Suscepitque misericordiam coram illo*, ותשא חסד לפניו] *Accepitque gratiam coram illo*. Hebraismus, pro *accepta fuit illi*. ¶ *Propterea acceleravit*, &c. ויבהל וגו'] Ad verb. *& acceleravit purificatoria ejus & portiones ejus ut daret illi*, i. hinc factum est ut quamcitissimè fieri potuit tradiderit illi quæ erant ei necessaria ad ungendam cutem. Sic v. 3. ¶ *Dignas*, הראויות] *Convenientes*, i. ut exponit doctus inter Hebræos, *honorabiles, quæ essent dignæ ut ministrarent illi*. ¶ *Et mutavit ea*, &c. וישנה ואת נערותיה לטוב בית הנשים] *Et mutavit eam & puellas ejus in meliorem partem domûs mulierum*, i. derelicto & mutato pristino domicilio, transtulit eam unà cum puellis in præstantiorem partem totius gynæcei. Potest & sic verti, *Et mutavit eam & puellas ejus in melius* in *domo mulierum*, i. In meliorem habitum, h. e. reddidit eas formosiores & elegantiores in gynæceo.

11. *Quotidie autem*, ובכל יום ויום] *Et in omni die & die*. ¶ *Ut resciret pacem*, לדעת את שלום] Hebraismus, *ut sciret quâ valetudine esset Esther*.

12. *Expletis juxta*, &c. מקץ היות לה וגו'] Ad verb. *in fine cùm essent ei secundùm legem mulierum, duodecim menses*, i. postquam explevisset illic annum integrum, juxta legem de mulieribus latam. ¶ *Myrtino*, המור] Sic meliùs quidam transferri putant quàm *myrrheo*. Duodecim menses præteribant antequam mulieres accederent ad Regem: interim dabant operam ungendæ cuti prioribus sex mensibus oleo myrteo; posteriore semestri aromatibus ungi solebant. ¶ *Et purificatoriis mulierum*, ובתמרוקי הנשים] *Et mundatoriis mulierum*, i. quibus mulieres illæ nobiles ac principes uti solebant. Vide v. 3, & 9.

13. *Et sic*, ובזה] Ad verb. *Et cum hoc*, i. tam exactâ purificatione præmissâ. *Hâc ratione. His comparatis*. ¶ *Quicquid* illa *dicebat*, &c. כל אשר תאמר ינתן לה לבוא עמה] i. Quicquid illa postulabat ut elegantior esset, dari solebat ei, ut illud comitaretur ipsam: ut illud secum ipsa asportaret quando proficisceretur è gynæceo ad Regem.

Regem. Quidam vertunt, *& quamcunque diceret, dabatur ei, ut cum ea ingrederetur illæ gynaceo.*

14. *Ipsa intrabat,* היא באה] *Ipsa veniebat,* i. singulæ mulieres veniebant. ¶ *Secundam,* שני] Ità quidam Hebræorum exponunt: erant enim duo gynæcea, alterum uxorum, alterum concubinarum. Doctus inter illos exponit *secundò,* sive *iterum.* ¶ *Voluisset eam,* חפץ בה] *Optaret eam, deperiret.*

15. *Non quæsivit quicquam,* לא בקשה דבר] Quo scilicet elegantiùs ornaretur, aut elegantior facies ejus appareret, q. d. Contenta erat suo ornatu; contemnebat omnem fucum: solebant enim mulieribus intraturis ad Regem dare quæcunque ipsæ optarent, ut placerent Regi. ¶ *Et ipsa retulit gratiam,* ותהי אסתר נושאת חן] Ad verb. *Et fuit Esther ferens* [*referens*] *gratiam.* Antecedens pro relativo, i. conciliavit sibi favorem, q. d. Erat grata omnibus videntibus eam. Vide eandem locutionem infrà cap. 5. 1.

16. *Sublatáque est,* ותלקח] *Abductáque fuit.* Ad verb. *Et transumpta fuit.* ¶ *Tebeth,* טבת] Mensis est quem *Decembrem* nominamus.

17. *Retulitque gratiam & misericordiam,* ותשא חן וחסד] Hebraismus, *conciliavit sibi favorem & gratiam illius.* ¶ *Et posuit,* וישם] *Adeò ut posuerit.*

18. *Convivium Esther,* את משתה אסתר] Per appositionem dictum; nempe quod celebrabatur propter Esther novam conjugem. ¶ *Atque requiem provinciis fecit,* והנחה למדינות עשה] *Atque provinciis quietem largitus est,* i. provinciarum tributa minuit. ¶ *Dona,* משאת] Sing. Heb. pro plur. *munera,* i. largitus est munera pro magnificentia Regia.

19. *Secundò,* שנית] Istud refertur ad tempus secundarum nuptiarum, habitâ ratione priorum nuptiarum Vasthi, & posteriorum ipsius Esther, i. tempore secundarum nuptiarum.

21. *Ex custodibus liminis,* משומרי הסף] i. Janitoribus. Alii, *ex custodibus vasorum,* sub. *argenteorum & aureorum,* vel, *supellectilis regiæ.* ¶ *Et quæsierunt mittere manum in regem,* ויבקשו לשלוח יד במלך] i. Et consilium ceperunt de invadendo Rege.

23. *Scriptúmque est,* ויכתב] Sub. *facinus istud in Annalibus Persidis & Mediæ.*

CASTALIO.

13. G*ynaceo*] *Domo mulierum.*

DRUSIUS.

1. P*Ost hæc*] *Post verba hæc.* Ebraicum loquendi genus, quo usus est & autor primi Maccabæorum Græcè ad hunc modum scribens, μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα συνήγαγε Τιμόθεος παρεμβολὴν ἄλλην, c. 5. 37. Vetus interpres, *His ità gestis,* eleganter. ¶ *Cùm quievisset*] Apparet cùm ex hoc versu tum ex Josepho Regem in magno desiderio fuisse conjugis abjectæ, quam ob non ità magnum peccatum magno supplicio affecerat; cujus supplicii, ut ait Josephus, eum postea pœnituit. Quod tamen conjecturâ probabilius quàm autoritate certius est. ¶ *Recordatus*] Mentione factâ apud ministros suos. ¶ *Quod fecerat*] Vasthi regina. ¶ *Ejus quod decretum erat*] Sciebat enim quod inter jura Regni authentica relatum esset, ex Persarum & Medorum legibus, quæ irrevocabiles erant, rescindi non posse. Itaque Josephus, μὴ φέρων τὴν διάζευξιν, καταλλαγῆναι μὲν αὐτῇ διὰ τὸν νόμον οὐκ ἠδύνατο. ¶ *Super eam*] Contra eam. Sed *super ea* magìs implet aures meas. Trem. *in ea.*

2. *Et dixerunt*] Ideo dixerunt. ¶ *Ministri ejus*] Qui ei ministrabant. Josephus, *amici ejus:* satìs audacter. ¶ *Quærant Regi puellas*] *Quærantur Regi puellæ,* doctè, ut alia, interpres vetus. ¶ *Decoras aspectu*] Bonâ ac liberali specie, formosas. Ad verb. *bonas aspectu.*

3. *Præficiat præfectos*] *Constituat procuratores* Tremellius & Junius. ¶ *In omnibus provinciis*] Josephus, καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, nimis liberè. ¶ *Et congregent*] Qui congregent, *&* pro *qui* passim obviàm: hoc primum: deinde *congregent* positum (videtur certè) pro *congregent & adducant.* Simile est, *capies carbones ignis super caput ipsius,* pro *capies & pones.* Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *Pulchram*] Ad verb. *bonam.* ¶ *In Susan regia*] Emenda *in Susan regiam,* est enim *El* in exemplari Ebræo. ¶ *In domum mulierum*] Ad domum puellarum virginum. Hæc domus communi vocabulo appellabatur *gynaceum:* illa verò in qua uxores & pellices dicebatur *gynaceum alterum* sive *secundum;* cui præerat eunuchus Saasgaz. ¶ *In manu*] Antiqui libri *sub manu,* sed placet *in manum,* valet autem *in curam. Manus* pro *cura,* ut, *excisus sum à manu tua,* &c. *In manum tuam commendo spiritum meum:* sensus est, *in tutelam tuam.* ¶ *Hege*] Qui est infrà 8. *Hegai:* unde *Hegæus,* idem nomen; tantùm immutata forma. ¶ *Mulierum*] Puellarum virginum. Nam uxores & pellices custodiebat Sasagazus eunuchus feminarum. ¶ *Et det*] Qui det. Ad verb. *& dare.* ¶ *Purificatoria earum*] *Thamrucin,* eo nomine venit quicquid pertinet ad mundum mulierum: propriè σμήγματα. Nam *Marac* σμήχω *abstergo.* In libro Radicum, *Thamruc vocatur ornatus feminarum, quia abstergit ac mundat sordes carnis.* Antiqua editio habebat, *& accipiant mundum muliebrem, & cætera ad usus necessaria.* Græca verò, καὶ δοθήτω σμῆγμα καὶ ἡ λοιπὴ ἐπιμέλεια, neutrum displicet.

4. *Pro Vasthi*] Loco Vasthi. ¶ *Res*] Ὁ λόγος, hæc res. Apud Sophoclem πάντα λόγον valet *omnem rem.* Exstat, nisi fallor, in Ajace flagellifero. *Verbum* pro *re* notum jam lippis atque tonsoribus.

5. *Vir Jehudæus*] Aut *vir* hîc valet *quidam,* aut est pleonasmus *vir Jehudæus* pro *Jehudæus* simpliciter, ut *viri Athenienses. Jehudæus* autem, i. *Judæus:* quam scripturam per tot secula receptam, cui omnium aures jam assueverunt, ego retinendam censeo. Quod tamen dictum velim cum venia eorum qui aliter sentiunt. Nolo enim de his rebus cum quoquam contendere, nè περὶ σκιᾶς ὄνου, ut dicitur. ¶ *In Susan regia*] Josephus satìs oscitanter hunc locum interpretatur: sic enim interpretatur, συναχθεισῶν δὲ πολλῶν, εὑρέθη τὶς ἐν Βαβυλῶνι κόρη παρὰ τῷ θείῳ Μαρδοχαίῳ τρεφομένη, in quo bifariàm discedit ab historia Sacra, Primùm, quia Mardochæum nominat Estheræ θεῖον, h. e. *patruum* vel *avunculum.* Vide Observat. l. 8. 14. Deinde, quia scribit *inventam fuisse* Estheram *Babyloniæ* παρὰ Μαρδοχαίῳ, ex quo sequitur denique & Mardochæum ibi fuisse cùm puellæ conquirerentur: quod apertè falsum est. Testimonium ecce dilucidum, In hoc loco verbis minimè ambiguis scriptum est, *Vir Judæus erat in Susan Habira.* Sed nè miremur: nam hujusmodi nævi in Josepho insolentes non sunt. Sciunt omnes quibus scriptor ille duntaxat insolens non est. ¶ *Mordochai*] In Ebraicis hic est *Mordechai.* Alibi legitur *Mordochai,* ut 4. 12, 13. & apud Chaldæos semper. Vetus omnis lectio *Mardochai;* unde *Mardochæus.* Parùm interest hoc an illo modo legas. Nam vocalem *a* veteres sæpe permutabant cum *o.* Hinc *Mar* & *Mor, Artaxerxes* & *Artoxerxes, Artabazanes* & *Artobazanes.* ¶ *Filius Simhi*] Emenda *filii Simei,* aut *filius* hîc valet *nepos. Simei* antiquè lectum pro *Simgi.* Nam *Simhi* eorum est qui putarunt Ain aspirationem esse. ¶ *Vir Jemini*] Mirum cùm sequentia verba ad *Cis* referenda sint, non ad *Mordochæum,* quare non hîc verterit Santes aut ejus postea corrector Montanus *viri Jemini.* In eodem luto hærent Tremellius & Junius. Sed quid facias istis interpretibus, qui Mardochæo annos tribuunt nonaginta octo suprà centum? *Viri Jemini,* i. Benjamitæ, rectéque Josephus & Lxx. ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, & noster *de stirpe Benjamin.*

6. *Qui demigraverat*] Vel, *qui deportatus fuerat;* idque verius puto. Cæterùm pronomen refertur ad *Kis* proavum Mardochæi, non ad Mardochæum ipsum, ut vulgò existimatum est; unde ætas tributa Mardochæo quanta non cadit in hominem illius ævi, aiunt enim illum vixisse annos 198. Quis hoc credat affirmantibus sine teste, sine historia? Kis igitur Benjamita abductus est Babylonem

cum

cum Rege Jechonia: hujus filius Simei; illius Jair pater Mardochæi. En tres γενεαὶ à Nabuchodonosoro ad Mardochæum patruelem Estheræ. Et sanè à capto Jechonia ad διάβασιν Ξέρξου putantur anni 120, ab aliis 140. Sed nimis multa de re perspicua. ¶ *E Jerusalaim*] Jerosolymis. *Jerusalaim* apud Chaldæos legitur *Jerusłem*: ab eo est *Jerusalem*, quod perperàm Græci adspirant. ¶ *Cum transmigratione*] Magis probo *cum deportatione*: nam *transmigratio* latiùs patet: *cum deportatione* autem, i. *cum deportatis*: res pro hominibus, ut *captivitas* pro *captivis*, *custodia* pro *custodibus* ipsis. ¶ *Quæ demigraverat*] Quæ deportata fuerat, ut suprà. ¶ *Cum Jechoniah*] Priùs *Jechonia* sine He, quod placet. Item malo *Juda* vel *Jehuda* quàm *Jehudah*: nam Latina consuetudo non scribit He in fine. Est ergò necessitatis, ut cùm Græcè Ἀβραάμ scribimus pro *Abraham*. ¶ *Quam demigrare fecerat*] *Quam deportaverat*, vel, si mavis, *quem deportaverat*, ut referatur ad ipsum *Jechoniam*: sententiâ salvâ id fieri potest. ¶ *Nabuchadnesar*] Olim *Nabuchodonosor*, qui Ναβουχοδονόσορος Josepho & Beroso, Jeremiæ verò *Nabuchadnesar*, & *Nabuchodrosoros* Megastheni. ¶ *Rex Babel*] i. Babylonis aut Babyloniæ. *Babel* dicta quasi *Balbel* a *confusione* linguarum. Thema *Balal confudit*. *Babel* ergò *confusio*, videlicet σύγχυσις, non αἰσχύνη. Vide Observ. l. 11. c. 23.

7. *Et nutriebat*] Is nutriebat. In Ebræo *nutriens*; sed intelligitur *erat*, ut mos est linguæ illius. ¶ *Hadasa*] Vel *Hadassa* cum duplici S. Apud Chaldæos *Hadas myrtus*: ergò *Hadassa* eadem quæ *Myrrhina*. Nam *myrtus* μυῤῥίνη. Neque est *Atossa*, ut Tremellius arbitratur. In veteribus *Edissa*: abest aspiratio, ut sit *Hedissa*, quomodo haud dubiè interpres ille descripsit. Vide Observ. nostras l. 12. c. 3. ¶ *Ipsa est Esther*] In historia profana *Amestris*, ut Cæsaris filio placuit. *Amestris*, *Ham-Esther*, ut *Zoroaster*, *Zoro-Esther*: utrumque Persicum est: olim ambigebam; nunc assentior scribenti *Estheram* nominatam postquam ad thorum Regis accessisset, quæ priùs *Hadassa* dicebatur, videlicet cùm privatam vitam ageret. Hoc tam magis probo quàm probè scio solitum eo modo commutari nomina apud Persas. Ergò Esther sententiâ Scaligeri, cui tamen in eo non assentior, eadem quæ Amestris, vel potiùs Hamestris. Estque nomen Persicum; *Hadassa* verò Chaldaicum est. De Amestri uxore Xerxis ità meminit Herodotus septimo volumine, καὶ ἄρχοντα παρείχοντο Ὀτάνεα τὸν Ἀμήστριος πατέρα τῆς Ξέρξεω γυναικός, & aliquantò pòst, ἐπεὶ καὶ Ἄμηστριν τὴν Ξέρξεω γυναῖκα πυνθάνομαι γηράσασαν, &c. Quò minùs assentiar Scaligero affirmanti Estheram & Amestrim eandem esse me movet locus Herodoti quem adduxi, Καὶ ἄρχοντα παρείχοντο Ὀτάνεα τὸν Ἀμήστριος πατέρα, &c. tum etiam alter qui est in libro eodem, Τεσσαράκοντα ἄρχουσι, ὁ Ἀρταβάνου καὶ Σμερδόμενης ὁ Ὀτάνεω Δαρείου ἀμφότεροι ἐόντες ἀδελφεῶν παῖδες Ξέρξῃ ἐγίνοντο ἀνεψιοί: quo loco apertissimè Otanes Xerxis patruus appellatur. Non ergò Amestris Esthera si fuit filia Otanis. Quis autem non videt consequi ex iisdem locis, cùm Otanes *Darii frater* nominetur & *pater Amestris*, Xerxem & Amestrim cognatione patrueles fuisse? ¶ *Filiam patrui sui*] Vetus habebat *filiam fratris sui*, ut ex eo & ex Josepho facilè error creari potuerit, qui invaluit hactenus apud omnes interpretes, quem refutamus in Observationibus l. 8. c. 14. Mirus verò in hoc errore Latinorum codicum consensus est: tamen eò labor ut credam excidisse vocem, & initio scriptum fuisse ab interprete *filiam fratris patris sui*; quod hausit ex libris Græcorum, in iis enim lectum θυγάτηρ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτῆς. Fuit enim certè Mardochæus patruelis Estheræ, non patruus. Quod, præter codices Ebræum & Græcum etiam Severus adsignificat in Historia sacra ad hunc modum scribens, *Erat eâ tempestate Regi in matrimonio Vastis quædam mira femina pulchritudinis. Cujus cùm formam omnibus prædiceret, die quodam cùm publicum convivium dabat, adesse reginam demonstrandæ pulchritudinis gratiâ jubet. Illa verò stulto Rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere jussa abnuit. Quâ contumeliâ barbarus animus permotus uxorem matrimonio ac regiâ depellit. Igitur cùm in locum ejus puella Regis conjugio quæreretur, reperta est Esther cæteras specie vincere. Hæc Judæa, ex tribu Benjamin, utroque parente orba, à Mardochæo patruele educta, cùm ad regales nuptias duceretur, mandante educatore, genus ac patriam occultavit.* Hactenus Severus. Cæterùm patruelem *fratrem* dicit imitatione Ciceronis, qui sic locutus est in quinto De finibus in principio, *frater noster cognatione patruelis, amore germanus*. Quæ de Latina lectione disputavi refelli videntur Interpretis verbis quæ habentur cap. 8. 1. *confessa est enim ei Esther quòd esset patruus suus*: nam si patruus, tum Esthera filia fratris, non patris fratris ipsius. Sed hoc falsum esse declarant tum Græca interpretatio tum Ebræorum codicum sine ulla varietate consensus. Viderit ergò Interpres, si ità scripsit: nobis id curæ erit scilicet? ¶ *Patrui sui*] Abihailis. Libri Græci Ἀμιναδάβ: mendum insigne in iis libris pro Ἀβιχαῖλ. Vide infrà ver. 15. ¶ *Non enim erat ei pater & mater*] Orba erat utroque parente. *Et mater*, aut mater; ut in illo, *Qui percusserit patrem & matrem*, sensus est, *patrem aut matrem*. Legitur apud Mosem. ¶ *Pulchra specie*] *Pulchra formâ & bona specie*, Tremellius, quod placet. *Formâ*, corporis & aptâ membrorum figurâ. *Specie*, oculorum, aut coloris suavitate quadam. ¶ *Pater ejus*] Abihail sive Abi-hail. ¶ *Accepit eam sibi in filiam*] Adoptavit sibi eam filiam. *In filiam*, pro filia; ut, *fuit ei in nutricem*. In monumentis veterum Ebræorum exponitur *in uxorem*: ex quo fortean Græci ἐπαίδευσεν αὐτὴν ἑαυτῷ εἰς γυναῖκα. De hac re admonui pridem in Observationibus meis l. 8. c. 14. Posset aliquis suspicari, cùm olim *Beth* legerint (paret ex manuscriptis Hieronymi) pro *Bath*, eos deceptos ambiguitate vocis. Nam *Beth* etiam *domus*. Sed tum inserta litera Joth, quæ nulla est in *Beth* cùm pro *filia* ponitur, nisi si etiam tunc adscripta olim ad indicandum *e* breve. Doctiores viderint. Mihi non libet diutiùs immorari in expositione nequam & nulli rei. Satis si sciamus *Bath* hoc in loco *filiam* significare, non *uxorem*. Nam *uxor Issa* dicitur. In Chaldaicis reperio, *Accepit eam in domum suam; & vocabat eam filiam*, quod sic intelligo, *vocabatur ab ea filia*, erat ei pro filia. *Vocare*, ut in illo, *minimus vocabitur in regno cœlorum*.

8. *Verbum Regis*] Edictum Regis. ¶ *Et lex ejus*] Et decretum ejus. ¶ *Multæ*] Quadringentæ, ut Josephus prodidit. ¶ *Hegai*] Pertinaciter errarunt librarii Græci, ut & hîc & aliis in hoc libro locis Γαὶ pro Ἠγαί perpetuò scriberent. Est autem hîc *Hegai* qui suprà *Hege*, ut diximus. *Hegai*, i. *Hegaus*. ¶ *Tunc sublata fuit*] Hic & exponitur per *tunc*. Nam in Ebræo ad verbum *& sublata fuit*. ¶ *Mulierum*] Puellarum virginum.

9. *In oculis ejus*] Hegæi custodis feminarum. ¶ *Et suscepit misericordiam*] Trem. *cùm obtineret benignitatem ab eo*: Non placet. Quid si, *& obtinuit gratiam apud illum*? Hæc interpretatio confirmatur primùm ex nota illa Vatabli, *accepit gratiam coram illo, fuit ei accepta*: deinde ex antiquitate. Sanè quidem Græcus hîc edidit καὶ εὗρε χάριν ἐνώπιον αὐτοῦ, & Latinus consimiliter, *& invenit gratiam in conspectu ejus*. Postremò ex lingua Chaldaica. Nam in ea lingua *gratia Hesda* dicitur; unde *Disa Dehesda*, i. *caprea gratiæ*. Ergò *Hesed gratia*. Et est nomen μέσον, ut *gratia* apud Latinos, quæ & bona & mala. Scio me hæc novè dicere, & contra usum idiomatis Ebræi: sed meminisse debemus hunc librum compositum fuisse post captivitatem Babylonicam, ut mirum non sit si autor aliquando χαλδαΐζῃ. ¶ *In conspectu ejus*] Trem. *ab eo*: valde improbo. ¶ *Et accelerari fecit*] Emenda, *acceleravit mundū ejus, & partes ejus dare ei*. Sic loqui solet Latina consuetudo ut dicat *acceleravit dare*, *properavit*, *maturavit dare fugere*, cujus rei exempla apud Plautum & alios passim licet invenire. Nam Sallustius, ut exemplum producam, *Quod in Catalina*, inquit, *maturasset pro curia signum dare, eo die post conditam urbem pessimum facinus patratum foret*. Quorsum ista? inquies. Ut deliberes rectùmne sit *acceleravit dare*, an *celeriter dedit* pro eo reponendum, cùm utrumque pariter Latinum sit, prius etiam concinnius videatur.

deatur. *Et partes.* *Manoth* appellant Ebræi *fercula quæ apponuntur unicuique in convivio singulatim.* Sunt ergò partes μερίδες aut μοῖραι, & in singulari *Mana* est μερίς. Xenophon De institutione Cyri lib. 8. *Sed cùm & comedentem & bibentem ipsorum more suaviter viderent, ac, si quo die festo epulum præberetur, experirentur eum aliis potiùs de parte sua largiri quàm amplius requirere.* Græcè est, τῆς ἑαυτοῦ μερίδος. ¶ *Septem puellas*] Quæ ei ministrarent. ¶ *Dignas ut daret ei*] Trem. *quas visum fuerat dare ei.* In olim conversis *septem puellas speciosissimas*; forsan non malè. Nam *Mare species.* Vulgò enarrant *dignas quas ei attribueret.* Quid si, *acceleravit dare ei septem puellas spectatas?* ¶ *[illegible] vit eam in bonum domûs mulierum*] Partim interpretum sic, *transtulit eam puellásque ejus in meliorem partem gynacei*; partim hoc modo enarrant, *dedit ei puellísque ejus conditionem optimam in gynaceo.* Tu igitur judicium adhibebis, ídque eliges quod ad locum optimè convenire judicabis.

10. *Populum suum*] Τὸ ἔθνος ἐξ ὅτου εἴη τυγχάνουσα, Josephus. ¶ *Nec cognationem suam*] Trem. *genus suum.* Omnes editiones antiquæ *patriam suam*: quod non admodum probo: est enim infrà, *quomodo potero videre exitium generis mei?* cui loco aptè parùm convenit *patria mea.* Præterea *patria*, i. *Ares moledeth.* *Patriam* Chaldæus hîc dicit *locum nativitatis*, ut Latini *natale solum.* ¶ *Quia Mardochai preceperat ei nè indicaret*] Nè miremur hoc præcepisse eum, qui nè ipse quidem genus aut populum suum indicaverat: paret ex 3. 4. Nam homo prudens, qui natus & eductus erat in exsilio, sciebat Judæos passim contemptui haberi, præsertim apud aulicos, inter quos versabatur, & versatus erat ante traductam Estheram, ut perspici potest ex v. 4. hujus capitis. Nam verba illa *Erat Judæus in Susan Habira* omninò significant Mardochæum, cùm puellæ conquirerentur, in aula Susiana fuisse, & non Babyloniæ, ut Josephus scriptum reliquit.

11. *Et quotidie*] Trem. *quolibet die*, ad verb. *in omni die & die.* ¶ *Domus mulierum*] In qua puellæ virgines. ¶ *Ut cognosceret pacem Esther*] Quò cognosceret ut valeret. Nomine *pacis* significant Ebræi quod Græci dicunt ὑγιαίνειν, χαίρειν, & εὖ πράττειν. ¶ *Quid fieret de ea*] Quid fieret eâ. In Ebræo est ad verb. *in ea.*

12. *Tempus*] *Thor.* Trem. *terminus*: non placet. Vide quæ scripsimus de hac voce Observat. l. 2. c. 21. ¶ *Singularum puellarum*] Ad verb. *puellæ & puellæ.* ¶ *In fine cùm essent ei*] Ad verb. *à fine esse ei.* Postquam explevisset duodecim menses lege præscriptos puellis virginibus: hoc significat cùm ait, *secundùm legem mulierum.* Nam lex erat quæ jubebat ut puellæ annum unum manerent in gynæceo, ibíque se ornarent, sex mensibus attributis oleo myrrheo, & totidem aromatibus reliquóque mundo, exacto demum anno intromittebantur ad Regem per vices: hæc certissima sunt; non egent probationis. ¶ *Duodecim menses*] Ex hoc loco emendandus Josephus, scribendúmque ἐπὶ μῆνας ιβ, ubi vulgò ἐπὶ μῆνας ϛ', i. *per menses sex*, quomodo sanè Ruffinus presbyter olim & legit & interpretatus est. Sed numeri nimiùm faciles corruptu. Quo adducor Josephum scripsisse *per menses duodecim*: tamen non affirmo. ¶ *Sex mensibus*] Sex menses priores attributi erant oleo sive unguento ex myrrha confecto: posteriore semestri adhibebant aromata & reliquum mundum muliebrem. ¶ *Oleo myrrheo*] Ità legendum, non *myrtino.* Nam *myrtus* alio vocabulo *Hadas* appellatur. *Mor* autem consensu interpretum omnium tam veterum quàm novorum, quos adhuc vidi, est *myrrha.* Quò magis miror quid in mentem venerit hominibus doctis ut explosâ vetere lectione *myrrhino* pro ea *myrtino* reposuerint. Talis audacia ferenda non est. Vide l. 11. c. 1. Observat.

13. *In hoc*] Trem. *cum eo*, vult dicere *cum eo mundo*; aut ità uncta & ornata. ¶ *Omne quod dicebat*] Quicquid postulabat. ¶ *Veniendo cum ea*] *Ut veniret cum ea.* Sensus est, ut unà inferretur in domum Regis. ¶ *Usque ad*] Hoc in loco *usque ad* valet *ad*; ut in illo, *Revertimini usque ad me, dicit Dominus*: sensus est, *ad me*, simpliciter. ¶ *Domum Regis*] *Regis cubiculum* interpres vetus: non omnino displicet.

14. *Vespere intrabat*] Introibat ad Regem, ut is cum ea rem haberet ac propter dormiret. ¶ *Ad domum mulierum secundam*] In qua pellices & concubinæ. ¶ *Ad manum*] In curam, in custodiam. ¶ *Sahasgaz*] Malo *Saasgaz.* Antiqui omnes libri *Sasagazi*, nimirum à recto *Sasagazus*, quæ forma nominis Latina ex *Sasagaz.* ¶ *Concubinarum*] Τῶν παλλακίδων. Athenæus lib. 13. in principio, Παρὰ Πέρσαις ἀνέχεται ἡ βασίλεια τὸ πλῆθος τῶν παλλακίδων, διὰ τὸ ὡς δεσπότην ἄρχειν τὴν γαμετὴν τὸν βασιλέα. ἔτι δὲ καὶ διὰ τὸ τὴν βασιλίδα, ὥς φησι Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς, ὑπὸ τῶν παλλακίδων θεραπεύεσθαι· προσκυνοῦσι γοῦν αὐτήν. ¶ *Nisi voluisset eam*] Nisi eâ delectatus eam vocasset. ¶ *Per nomen*] Ad verb. *in nomine.* Nominatim, aut, nomine.

15. *Tempus Esther*] Vices Estheræ, ordo Estheræ. Vide Observ. l. 12. c. 21. ¶ *Abihail*] Vel *Abichail*, plumâ non interest hoc an illo modo scribas. Admonui suprà de mendo editionis Græcæ: nam in ea *Aminadab* scriptum pro *Abichail*; quod ut credam interpretum esse nullo modo adduci possum. Libentiùs scribis hujusmodi menda imputaverim. Quis enim nescit ab exscriptoribus optimos quosque liberos vitiis talibus scatere. ¶ *Non requisivit quicquam*] Ebræi hoc dicunt, *non requisivit verbum.* Sensus est, Contenta fuit eo ornatu quem Hegæus eunuchus ipsi conveniri judicabat, nec ampliùs requirebat. ¶ *Suscepit gratiam*] Gratiosa fuit in oculis omnium spectantium eam. Legitur & *invenit gratiam* eodem sensu.

16. *Sublatáque est Esther*] Παρελήφθη *assumpta est*, sermo brevis, i. *assumpta & traducta*, ut Matth. 4. 5. *Tunc assumit eum diabolus in sanctam urbem*, assumptum transtulit. ¶ *Mense decimo*] Sic & Vulgata nostra. Græca habet Καὶ εἰσῆλθεν Ἐσθὴρ πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν βασιλέα τῷ δωδεκάτῳ μηνί, ὅς ἐστιν Ἀδάρ. Nec dissentit Josephus, καὶ γάμον ἀγήγησε(?) ποιεῖ τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ ἑβδόμου ἔτους τῆς αὐτοῦ βασιλείας Ἀδὰρ καλουμένῳ. Quod sanè falsum esse docet tum ipsa veritas Ebraica, cui nullâ ratione contradici potest, tum alii etiam interpretes. Sanè quidem, adstipulante etiam Chaldæo, translata fuit Esther in regiam Asveri mense decimo, qui *Tebeth* vocatur. Sed fieri hoc potest ut nuptiæ primùm celebratæ sint mense duodecimo. Atque hâc ratione excusari posset aliquo modo Josephus. Sed quo pacto Græcam declarationem tueri possum non video: fortean ea mutata fuit ad exemplar Josephi, cùm priùs legeretur τῷ δεκάτῳ μηνί, ὅς ἐστι Τηβήθ. Docti expendent. ¶ *Ipse est mensis Tebeth*] Tebeth mensis qui hîc vocatur voce, ut opinor, Chaldaicâ, dicebatur Persis *Dimech*, ab Arabibus *Sauel*, ab Ægyptiis *Tybi*, à Romanis *December.* Hieronymus de hoc scribit Ezec. 29. *Porrò juxta* LXX *decimus mensis, qui Ebraicè appellatur Tebeth, & apud Ægyptios* Τυβὶ, *apud Romanos Januarius dicitur, eò quòd apud illos anni sit Janua omni calore sublato, hiberni frigoris continet principatum*: & verè scribit, nam ex parte Decembri nostro, ex parte Januario respondebat. ¶ *Anno septimo regni ejus*] Qui negant Asverum Xerxem esse, hinc argumentum sumunt, quòd Xerxes septimo anno imperii sui maximo ac gravissimo bello distineretur: quod sanè verum est. Sed cur non potuit eodem anno rei uxoriæ operam dare? Demus eum veris tempore trajecisse in Græciam, deinde reversum sub finem anni uxorem duxisse Estheram: quid hîc absurdi? nisi fortè illud ἀδύνατον ut quis eodem anno & uxorem ducat & bellum gerat per duces suos. Quid? an ità distentus fuit Xerxes bello Græciæ ut cogitare non potuerit de re uxoria? Esto: atqui historia non dicit nuptias celebratas eo anno, sed hoc tantùm, *Estheram deductam in domum regni.* Jam fieri potest ut nuptiæ primùm factæ sint anno sequente. Quare non est quòd ullam hinc victoriam speret Funccius. Nullo enim modo sententia ejus hac quidem in parte obtineri poterit. Nam profectò non est Asverus iste alius quàm Xerxes; quod sic doceo. Ezræ quarto qui medius inter Darium Persam & Artachsastham vocatur *Asverus.* Porrò Darius Persa consensu interpretum est Darius Hystaspis F. Jam constat ex Herodoto inter Darium hunc & Artaxerxem cognomento

nomento Longimanum Xerxem imperasse. Ergò Xerxes citra controversiam est Asverus; Qui anno secundo imperii sui compescuit rebellantem Ægyptum; Tertio ineunte fecit convivium Principibus suis, repudiavit Vasthin, deliberavit de bello Græciæ inferendo; Eundem annum & tres sequentes consumpsit in apparatu; Septimo ineunte, qui fuit quintus à domita Ægypto, expeditionem fecit adversus Græcos. Docet Herodotus lib. 7. ad hunc modum scribens, Ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος ἐπὶ μὲν τέσσαρα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τὰ πρόσφορα τῇ στρατιῇ, πέμπτῳ δὲ ἔτεϊ ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος. Cùm verò res in Græcia ex voto non succederent, relicto ibi Mardonio cum parte exercitûs, in Persidem rediit. Quo reverso, accidit quod hîc narratur. Quòd si Asverus iste Xerxes non est, quis ergò erit? Nam Darius esse non potest, cùm is alio nomine *Dariaves* in S. literis appelletur; neque etiam Artaxerxes, qui *Artachsastha* in iisdem literis nominatur. Jam verò quod adferunt de Atossa & Hadassa, id tale est ut nihil magis ipsorum sententiæ adversetur. Quid? an Atossa eadem quæ Hadassa, cùm constet ex Herodoto Atossam eam quæ Dario nupta filiam Cyri fuisse? Igitur neque hâc parte defendi poterit doctissimus vir; qui si viveret, sententiam nunc mutaret, certò scio.

17. *Præ omnibus mulieribus*] Præ omnibus puellis virginibus. ¶ *Suscepit gratiam & misericordiam*] Obtinuit gratiam & favorem. *Hesed* est *gratia*, ut dictum est: eadem *Hen* dicitur: per *h*, *het*: sed differunt, quia illud magìs Chaldaicum, hoc merè Ebraicum est: conjungit ergò duo synonyma: Fortè & hoc in loco ἐξηγητικῶς ponitur pro *id est*, ut in illo,

Judicium Paridis, spretæque injuria formæ.

¶ *Diadema regni*] *Cidarim regni*. Hanc soli Reges & Reginæ gestabant in capite. Neque rectè Severus, *adeò ut eam æquatam imperio insigni regio veste purpureâ donaret*: non enim vestis erat purpurea, sed aliud quiddam, ut perspici potest ex historia Xenophontis. Igitur cidarim imposuit, non vestem purpuream, ut Severus scribit, qui Græcos secutus nonnunquam à vero aberrat. ¶ *Regnare fecit*]. Reginam fecit loco Vasthi.

18. *Convivium Esther*] Nuptias Estheræ: rectè igitur Josephus τὸν γάμον Ἐσθῆς. Eodem planè modo exponunt utriusque linguæ interpretes veteres; quod & sententia ità postulat, & usus comprobat. Nam Syri & Ebræi nuptias significant vocabulo *convivii*. In causa est, ut opinor, quia nuptias honesto convivio terminabant; non ducebant choreas, ut hodie. Hoc convivium durabat ad dies septem, ut legitur apud traductorem Græcum. Quanquam hoc conjecturâ probabilius quàm autoritate certius est. Vide Observ. l. 12. c. 15. ¶ *Et requiem provinciis fecit*] Immunitatem provinciis largitus est: tributa provincialium minuit. *Requiem* Herodotus ἀτελείην dixit, de Smerdi Mago eo qui post Cambysem regnavit, dum ait, Διαπέμψας γὰρ ὁ μάγος ἐς πᾶν ἔθνος, τῶν ἦρχε, προεῖπε ἀτελείην εἶναι στρατηΐης καὶ φόρου ἐπ' ἔτεα τρία, &c. quæ sic convertunt, *Nam missis ad singulas nationes quibus imperabat edictis, Magus immunitatem tributorum ac vacationem militiæ in triennium tribuit. Atque hoc quidem statim adeptus imperium edixit.* Vide quæ habentur Observ. l. 12. c. 6. *Secundùm potentiam Regis*] Pro copia Regis; pro opibus Regiis. Ad verb. *secundùm manum Regis*.

19. *Dum congregarentur*] Elegerim *cùm congregatæ essent*. ¶ *Secundò*] Acsi diceret *in gynæceum secundum*. Non enim domum singulæ ad suos se receperunt, quemadmodum Tremellius & Junius opinati sunt, sed manserunt in custodia Sasagazi eunuchi custodis pellicum regiarum. Nam earum quæ semel cum Rege consuetudinem habuisset postea cum alio nulla congrediebatur, ut rectè Aben-ezra observat. Igitur bis congregatæ fuerunt, semel cùm deducerentur virgines omnes ad Hegæum eunuchum, & iterum cùm è domo Regis omnes convenissent in domum feminarum alteram cui præerat Sasagazus, ità mihi videtur: aliam lucem quam adferam huic loco non habeo. Si quis meliora novit, candidè impertiat: hæc est mea symbola. ¶ *Sedebat*] Versabatur, aut morabatur: more videlicet Persico. Nam apud Persas ad januam interdiu obambulabant homines aulici, quò præstò essent Regi, si fortè operâ eorum uti vellet. Græcus hîc edidit ἐθεράπευεν ex qua Severus, *Quâ tempestate Mardochæus inter proximos Regis erat, pro virili portione negotiorum familiarium curator.* Potest ità esse; tamen verba Ebræa hoc non significant. ¶ *In porta Regis*] Ἐν τῇ αὐλῇ interpres Græcus, πρὸς τοῖς βασιλείοις Josephus.

20. *Progeniem suam*] Genus suum, familiam suam: ad verb. *nativitatem suam*. Severus, *mandante educatore, genus ac patriam occultavit, admonita nè paternarum traditionum imme[illegible] in matrimonium alienigenæ captiva succederet, Genti[illegible] participaret.* Totum hoc olet glossam Judaicam. ¶ *Et populum*] Non indicabat ex quo populo, aut unde domo esset. ¶ *Et sermonem*] Præcepta. ¶ *Faciebat*] Faciens erat. ¶ *Cùm nutriretur secum*] Cùm alumna esset apud illum. Pro *secum* melius est *cum illo*, sive *apud illum*.

21. *Sedente*] Cùm adhuc sederet ac versaretur, ad verb. *sedens* erat. ¶ *Irati sunt*] Verbum è verbo, *iratus est Bigthan & Theres*. Sed cur infensi fuerunt? In Græca vetere ὅτι προήχθη ὁ Μαρδοχαῖος, i. *quoniam provectus fuerat ad honores Mardochæus*. Consimilia leguntur in Chaldaica Jerosolymitana. Mirum unde illa desumpta sint. ¶ *Bigthan*] In antiquis libris Latinis *Bagathan* legitur. Itaque quod apud Josephum Βαγαθῶο videndum nè Βαγαθάνα legi debeat: quanquam si quis malit Βαγαθῶνα scribere, non pugnabo, dum hoc teneatur in ultima hujus nominis syllaba esse literam ν. ¶ *Et Theres*] Olim *Thares*. Apud Josephum καὶ Θεοδέστου corruptè, ut puto. ¶ *Ex custodibus liminis*] Πυλωροὶ dicuntur ab Herodoto qui custodiebant Regii cubiculi januam, nempe qui hîc *custodes liminis*. Virgilius dixit *servos ad limina*: nisi potiùs atrienses significat. Sunt quibus magìs placet interpretari ex Ebræo *custodes supellectilis*. Non admodum laudo. ¶ *Et quæsierunt mittere manum in Regem*] cogitarunt de occidendo Rege: conati sunt interficere eum. Josephus Gorionis usurpat eundem sermonem de iis qui saxo vulneraverunt Regem Agrippam in obsidione Seleuciæ, Hist. Jud. l. 6. c. 74. *Non est nobis ampliùs spes vitæ, postquam manum immisimus in Regem Agrippam.* Vide quæ scripsimus Observ. l. 12. c. 23.

22. *Et innotuit*] Judicio Barnabazi Ebræi, qui servus fuerat alterius eunuchi. Josephus, Βαρνάβαζος τις τῶν εὐνούχων οἰκέτης τοῦ ἑτέρου, τὸ γένος ὢν Ἰουδαῖος, συνεὶς τὴν ἐπιβουλὴν, τῷ θείῳ κατεμήνυσε τῆς γυναικὸς βασιλέως. ¶ *Res*] ὁ λόγος hæc res. ¶ *Et nunciavit*] Fortè per Hathachum eunuchum.

23. *Super lignum*] In patibulo. Vide Miscell. cent. 1. cap. 63. *In libro Verborum dierum*] Ἐν ἡμερολογίοις ἢ ὑπομνήμασι, *in diario Regum, in chronicis* sive *annalibus*. Nam erat profectò *Liber Verborum dierum* commentarius singulorum non modò dierum sed etiam annorum res gestas continens. Dico *annorum*, quia *dierum* vox Ebræis etiam Annos denotat. Vide Animad. l. 1. c. 1. Dicitur & *Liber Memoriæ*, quia memoriæ causâ conficiebatur. Hîc notandus mos Persarum sanè laudabilis, quem utinam Principes nostri observarent. In more positum erat apud Persas ut quæcunque publicè aut privatim notatu digna acciderent ea in commentarios referrent: ad eam rem ex publico certos homines alebant: nos *librarios* sive *scribas* vocaremus. Itaque scribit Plutarchus, cùm inter Græcos & Persas fieret prælium navale illud cui Themistocles interfuit, Xerxem in aureo solio sedentem spectasse conflictum multis adhibitis scribis, *quorum munus*, inquit, *erat, ut quæque res in prælio gereretur, excipere*. ¶ *Coram Rege scriptum*] *Coram Rege*, h. e. præsente Rege; vel, *in libro Verborum dierum coram Rege*, qui erat coram Rege, quo Rex memoriæ causâ utebatur; vel, *in libro Verborum dierum Regis*, in quo Regis acta descripta erant.

GROTIUS.

2. *Quærentur regi puellæ virgines ac speciosæ*] Nam

Successore novo vincitur omnis amor.

¶ *In*

¶ *In domum feminarum*] *In domum puellarum.* Nam alia erat domus earum quæ jam mulieres factæ essent, infrà 14. ¶ *Accipiant mundum muliebrem & cætera ad usus necessaria*] In Hebræo una vox מרקים, quæ & mundum & ornatum continet. Apparet id infrà 12.

5. *De stirpe Jemini*] Id est, Benjamini, ut hîc Græci & Josephus. ¶ *Qui translatus fuerat de Jerusalem*] Id est, cujus majores translati fuerant: sæpè enim Hebræi parentum & liberorum nomina inter se mutant. Confer Esdræ 1.2.

7. *Qui fuit nutritius filiæ fratris sui*] Imò *patrui*, ut est in Hebræo. Græci, θυγατὴρ Ἀμιναδὰβ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Nutritium τὸ τροφὸν, sive θρεπτῆρα, etiam Cæsar dixit Belli civilis 3. *Erat in procuratione regni, propter ætatem pueri, nutritius ejus eunuchus.* ¶ *Quæ altero nomine vocabatur Esther*] Hanc esse Amistrin quidam putant. ¶ *Sibi eam adoptavit in filiam*] *Accepit sibi in filiam*, est in Hebræo: id est, eo affectu eam educabat acsi filia esset: infrà 20. Josephus, ἔστεργε γοῦν αὐτὴν ὡς αὐτοῦ θυγατέρα.

9. *Quæ placuit ei*] Præfecto gynæconitidos, docto spectatori formarum.

15. *Quæ non quæsivit muliebrem cultum*] *Tanta est fiducia formæ.*

17. *Et posuit diadema regni in capite ejus*] Fecit Sultanam.

18. *Et dedit requiem universis provinciis*] Levamenta aliqua onerum ipsis concessit, ut reges in nuptiis facere solent. Græci bene, ἄφεσιν ἐποίησε. ¶ *Ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem*] Dedit Estheri ἀνακαλυπτήρια. Anthyllam urbem regis Persarum uxoribus in calceamentum datam ait Herodotus libro 2.

19. *Cúmque secundò quærerentur virgines*] Est ἐπάνοδος· referendum enim hoc ad illa quæ suprà 2. 2.

20. *Necdum prodiderat Esther patriam suam & populum suum juxta mandatum ejus*] Nè aut ipsi ex gente odium, aut genti ex ipsius fortuna invidia crearetur. ¶ *Et ità cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quò eam parvulam nutriebat*] Rarum planè in regina, ità observare propinquum. Pleræque nolunt meminisse quid fuerint.

21. *Irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi*] Nempe quòd timerent nè per hoc conjugium Mardochæus ad magnam potentiam perveniret. ¶ *Qui janitores erant, & in primo palatii limine præsidebant*] Erant ἀρχισωματοφύλακες, ut hîc habent Græci.

22. *Quod Mardochæum non latuit*] Indicium ei faciente Barnabazo servo alterius eunuchorum. Sic Josephus.

23. *Quæsitum est*] Quæstio habita est. Græci, ὁ βασιλεὺς ἤτασε τοὺς δύο εὐνούχους. ¶ *Et appensus est uterque eorum in patibulo*] Ἀνεσταύρωσε, ait Josephus minùs propriè, quomodo & Græci interpretes infrà 7.10. At hîc iidem interpretes, ἐκρέμασε. Pœna frequens in Perside. 5.14.7 9. ¶ *Mandatúmque est historiis & annalibus traditum coram rege*] Breviùs in Hebræo, *Et scriptum est in libro verborum dierum coram rege.* Id est, scripta hæc res est in diurnis quæ apud regem asservabantur. Vide infrà 6. 1,2.

CAP. III.

MUNSTERUS.

HAbent Hebræi in hoc libro multas & varias opiniones quas nec ex textu, nec sanâ ratione probare possunt. Et primùm quidem de convivio Assueri in hunc modum scribunt, causam indignationis regiæ contra Israelitas suis figmentis talem assignantes: בא המן הרשע במלאת הימים האלה ודבר לשון הרג על ישראל למלך לאמר אומה זו משונה במעשיהם אם רצונך תאבדם אמר לו ומה נעשה כי אלהיהם גדול הוא וישׁ לנו ללמוד מפרעה אמר לו המן אלהיהם שונא זמה עשה להם משתה וגזר עליהם שיבאו למשתה ויאכלו וישתו ויעשו כרצונם ומיד אלהיהם כועס עליהם כון ששמע זה מרדכי אמר להם. אל תלכו לבית המשתה כדי שלא יהא לשטן פתחון פה עליכם.

Porrò de Vashti regina tale commentum somniarunt. Fuit, inquiunt, Vashti filia Baltasar, & quia inobediens fuit regi, jugulata est nuda in sabbato. Sed quare nuda & in sabbato? Respondent, eò quòd illa voluit sabbato mulieres Hebræas nudas adigere, contra legem Domini, ad labores. Alii verò aliud adferunt figmentum, nempe, שבא גבריאל ועשה לה זנב לפיכך לא באה אל המלך Vides stultitiam Judæorum. De ratione nominis Esther ità scribunt. Esther, inquiunt, primùm vocata fuit הדסה *Hadasa*, deinde verò אסתר idque à cælando כי היתה מסתרת את דבריה דכתיב אין אסתר מגדת מולדתה Quærunt etiam cur Mordochæus appelletur Judæus, cùm fuerit de tribu Binjamin, & respondent: Eò quòd fuit de regno Jehuda, cui paruerat quoque tribus Binjamin, vocatur hîc Judæus. In Medras verò Esther hæc adducitur ratio: שהיה עוסק בתורה כל ימיו ולא נטמא פיו בכל מאכל טמא נקרא יהודי שכפר בע"ז שכל הכופר בע"ז נקרא יהודי דכתיב ואשתו היהודיה והלא בת פרעה היתה אלא על שכפרה בע"ז של אביה קראה הכתוב יהודיה.

His & similibus næniis replent miseri homines libros suos. Nolui autem hæc Latinè reddere, quòd latinus lector nihil utilitatis hinc consequeretur.

VATABLUS.

1. POsthac, אחר הדברים האלה] Ad verb. *post verba ista.* ¶ *Magnificavit*, גדל] i. Evexit ad magnam dignitatem. ¶ *Qui* erant *secum*, אשר אתו] i. Qui in aula Regis versabantur.

4. *An starent verba Mardochai*, היעמדו דברי מרדכי] *An stabilia forent verba Mordochai*, i. utrùm perseveraturus esset in sententia. ¶ *Indicaverat enim*, &c. כי הגיד להם וגו'] Hâc indicatione ostendebat id Judæis non licere, ut deferret talem honorem creaturæ, potissimùm arroganti, qualis erat Haman: qui honos soli Deo debetur.

6. *Contempsit verò in oculis suis*, ויבז בעיניו] i. Parvipendit, sive *pro nihilo duxit, mittere*, &c. ¶ *Propterea quæsivit*, ויבקש] Ad verb. *& quæsivit*, i. omne studium suum posuit in hoc, *ut perderet totam gentem Judæorum.* ¶ *Populum Mordochai*, עם מרדכי] Per appositionem dictum, i. de qua stirpe erat Mardochæus.

7. *Nisan*, ניסן] Sic dicitur ab Hebræis Martius: dicunt tamen partim nostro Martio, partim Februario respondere. ¶ *Duodecimo*, שתים עשרה] Ex quo scilicet regnare cœperat. ¶ *Jecit pur*, הפיל פור] *Cadere fecit* (nempe aliquis è famulis Haman) *pur.* Vox est Persica, quæ idem significat quod גורל Hebræis, & Latinis *Sors*; atque ità interpretatur ipse hujus libri author. ¶ *De die in diem*, &c. מיום ליום ומחודש לחודש שנים עשר] *A die in diem, & à mense in mensem duodecimum*; i. singulis diebus singulorum mensium, singulis quoque mensibus usque ad duodecimum: à mense primo usque ad mensem duodecimum; i. postremum: h.e. sortitus est singulis diebus & singulis mensibus, quo mense, & quo die mensis res posset confici. Nam paulò antè dicit mense primo cœpisse. His significatur anxium ejus studium in perdendis Jehudæis. ¶ *Adar*, אדר] Februario nostro respondet.

8. *Quidam*, אחד] Ad verb. *unus.* Sic nos, *Il y a un peuple.* *Unum* pro *Quidam* usurpamus per contemptum. ¶ *Dispersus*, מפזר] i. Habitans in diversis regionibus. ¶ *Ab omni populo*, מכל עם] i. A legibus omnium populorum. ¶ *Idcirco Regi non est utile*, ולמלך אין שוה] Ad verb. *& Regi non est utile*: vel, non conducit, aut prodest sinere eos in pace habitare in regno suo.

9. *Si Regi placet*, אם על המלך טוב] Hîc על pro

אל. Ad verb. *si super Regem est bonum.* ¶ *Facientium opus*, עושי המלאכה] Sic vocat Thesaurarios qui præsunt arcæ Regiæ, sive ærario Regis.

11. *Datum tibi*, &c. נתון לך וגו'] i. Pecunia illa quam polliceris, tibi datur: servato eam tibi: simúlque do tibi populum quem petis.

12. *Vocati sunt itaque*, ויקראו] *Mox vocati sunt.* ¶ *Prorsus ut præcepit*, ככל אשר צוה] Ad verb. *Secundùm omne quod præcepit.* ¶ *Qui præerant singulis provinciis*, אשר על מדינה ומדינה] Ad verb. *qui super provinciam & provinciam.* ¶ *Secundùm scripturam cujusque*, &c. ככתבה וגו'] Sub. *provinciæ*; i. characteribus singularum provinciarum.

13. *Ut dissiparent*, להשמיד] *Ut delerent.* ¶ *Parvulos*, טף] Sing. Heb. pro plur. ¶ *Et prædam eorum*, ושללם] i. Bona illorum.

14. *Exemplar scripturæ ut daretur lex*, פתשגן הכתב להנתן דת] i. Summa literarum erat ut promulgaretur lex quædam. ¶ *Manifestum*, גלוי] Nempe exemplar scripturæ; i. quæ literæ manifestabantur, vel innotuerunt populo.

15. *Data*, נתנה] i. Promulgata; vel, affixum est decretum in Susan. ¶ *Sedebant ad bibendum*, ישבו לשתות] Hebraismus, *bibebant*, vel *agitabant convivia.* ¶ *Perplexa erat*, נבוכה] *Turbata erat admodum*; i. Judæi qui erant in Susan, turbati erant vehementer propter legem adversùs eos latam. Continens pro contento; multi enim Judæi erant in Susan.

CASTALIO.

13. **D**Ecimo tertio die] In Græco est *decimo quarto*; sed mendum esse ostendit tota historia.

DRUSIUS.

1. **H**Aman] Ità perpetuò scribendum hoc nomen; perperámque *Aman* in veteribus quibusdam libris. Est autem nomen peregrinum; ideo anxiè laborandum non est in ejus interpretatione. Neque audiendi sunt qui interpretantur *Conturbantem* aut *Tumultuantem.* Multò minùs audiendi sunt qui exponunt *Præparantem.* Nihil enim horum verum esse potest nisi probent dictionem Ebraicam esse, aut idem significare quod apud Ebræos. Sed quis ferat istos homines qui etiam Græcis nominibus etymologias Ebraicas attribuunt? ¶ *Filium Hammadatha*] Vel *Hamadathæ*, i. Ἀμαδάθου, quemadmodum in Græcis codicibus legitur. Quare quod apud Josephum Ἀμαδάνου scribitur, non est dubium quin Ἀμαδάθου legi debeat. In Latinè olim versis reperio *Amadathi*, fortean ex Græco Ἀμαδάθου quod tamen rectum habet, ut puto, non Ἀμάδαθος sed Ἀμαδάθας, videlicet ex *Hamadatha.* Porrò *Amadathi* legitur etiam apud Ruffinum presbyterum interpretem Josephi. Nomen est compositum ex duobus simplicibus *Ham* & *Datha*, quorum illud reperire licet in Ἄμνσεις, hoc perspicuè est in *Pharsandatha, Aridatha*, & similibus. ¶ *Agageum*] *Qui erat de stirpe Agag*, interpres vetus; cui consentanea interpretatur paraphrastes Chaldæus. Sic enim interpretatur, *Post illa magnificavit Rex Asverus Hamanem Hamadathæ filium, qui erat è semine Agag filii Amalec.* Ergò *Agagæus* gentile est ab *Agag* Rege Amalecitarum, de quo 1 Sam. 15.8. Itaque vetus scriptor Josephus, Ἀμὰν δὲ Ἀμαδάνου μὲν υἱὸν, τὸ δὲ γένος Ἀμαληκίτην, εἰσιόντα πρὸς βασιλέα προσεκύνουν οἵ τε ξένοι καὶ Πέρσαι. Et certè si verum ut *Agagæus* gentile sit ab *Agag*, de quo diximus, valde credibile est hunc Hamanem τὸ γένος Amalecitam fuisse. Sed hem! pugnat huic sententiæ non nemo; primùm Sulpicius Severus, qui eum *Persam* vocat; deinde alii, qui *Macedonem.* *Persam* vocat Severus Hist. sacræ lib. 2. *Erat eâ tempestate*, inquit, *Regi Haman quidam perfamiliaris, quem æquatum sibi adorari more Regum præceperat. Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens odia Persæ in se graviter accenderat*: nec scio sanè unde illud acceperit. *Macedonem* vocat vetus ille interpres Græcus Esth. 9. 24. ὡς δὲ Ἀμὰν Ἀμαδάθου Μακεδὼν, τῇ ἀληθείᾳ ἀλλότριος τῶν Περσῶν αἵματος· & autor additionum apocrypharum Esth. 16. 8. *Haman filius Hamadathi gente Macedo.* Huc pertinent ex v. 9. ejusdem capitis, διὰ γὰρ τῶν τρόπων τούτων ᾤηθη λαβὼν ἡμᾶς ἐρήμους, τὴν τῶν Περσῶν ἐπικράτησιν εἰς τοὺς Μακεδόνας μετατάξαι. Neutrum horum verum si verum Hamanem Amalecitam fuisse. Sed fortasse Amalecita non erat, quanquam Agagæus. Quid enim vetat ex stirpe Agag Persam esse aut Macedonem si is natus sit in iis regionibus? Jam illud quoque fieri potest, ut Agag iste non Amalecita sed Macedo aut Persa fuerit. Quis enim contrà statuere opinando ausit in tanta historiæ obscuritate? ego sanè ambigo ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ. Sed his rebus in medium relictis, quid illud sit quod hoc loco in editione Græca Βουγαῖος legitur, quærendum accuratè puto. An legi debeat Ἀγαγαῖος; aut magis ut interpres in mente habuerit Bogem illum de quo ità scribit Herodotus septimo libro, Τῶν δὲ ἐξαιρεθέντων ὑπὸ Ἑλλήνων οὐδένα βασιλεὺς Ξέρξης ἐνόμισε ἄνδρα ἀγαθὸν εἶ μὴ Βόγην μοῦνον, τὸν ἐξ Ἠϊόνος. τοῦτον δὲ αἰνέων οὐκ ἐπαύετο. καὶ τοὺς περιεόντας αὐτοῦ ἐν Πέρσῃσι παῖδας ἐτίμα μάλιστα, ἐπεὶ καὶ ἄξιος αἴνου μεγάλου ἐγένετο Βόγης. Erat autem Boges iste Macedo; quod significant hæc verba τὸν ἐξ Ἠϊόνος. Nam Eion urbs Macedoniæ, quæ & Amphipolis dicebatur, quam præterfluit Strymon fluvius. Herodotus in libro eodem, ἐς ὃ ἀπίκετο ἐπὶ ποταμόν τε Στρυμόνα, καὶ πόλιν Ἠϊόνα, τῆς ἔτι ζωὸς ἐὼν ἦρχε Βόγης. Et lib. 8. ἐπειδὴ Ξέρξης ἀπελαύνων ἐξ Ἀθηνέων ἀπίκετο ἐς Ἠϊόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι. De hac re, quibus otium est, diligentiùs inquirent, vel propter additiones apocryphas. Nescio enim quàm rectè id fiat ab hominibus eruditis qui eis falsi crimen imponunt ex loco tam dubio ac controverso. ¶ *Et elevavit eum*] Et extulit eum. ¶ *Et posuit thronum ejus*] Malo *sedem ejus*, τὴν ἕδραν αὐτοῦ. Vide Observat. l. 12. c. 25. In epistola Artaxerxis Esth. 4. 8. Ἀμὰν ὁ δευτερεύων τῷ βασιλεῖ rectè sanè. Nam cui sedes erat supra omnes proceres, is *secundus à Rege* dicebatur: quod ex additionibus apocryphis ampliùs confirmant verba illa quæ habentur Esth. 16. 8. ὥστε ἀγορεύεσθαι ἡμῶν πατέρα καὶ προσκυνούμενον ὑπὸ πάντων, τὸ δεύτερον τοῦ βασιλικοῦ θρόνου πρόσωπον διατελεῖν· quæ vetus noster interpres sic convertit, *adeò ut noster pater vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus.* ¶ *Super omnes principes*] Supra sedes omnium principum qui apud se erant. Ad verb. *desuper.* Aben-ezra, *Super omnes principes*; *sensus est, Supra omnes sedes principum. Siquidem procerum quisque sedem habebat in domo regni.*

2. *Omnes servi Regis*] Omnes aulici. ¶ *In porta Regis*] Ἐν τῇ αὐλῇ interpres Græcus, h. e. *in aula.* ¶ *Incurvabant se & genuflectebant*] Ergò *Misthahave* est *genuflecto*; hoc falsum est: significat enim *procidere in faciem*, quod προσκυνεῖν dicunt. Meliùs igitur Interpres Vetus, *flectebant genua & adorabant Haman.* ¶ *Sic enim præceperat eis*] Emenda *ei.* Est Ἑβραϊσμὸς dictum pro *de eo*; ut, *dicunt animæ meæ*, de anima mea; *dic mihi quòd soror mea sis*, de me. Josephus hunc locum sic interpretatur, Ταύτην αὐτῷ τὴν τιμὴν Ἀρταξέρξης κελεύοντος γίνεσθαι optimè. ¶ *Nec incurvabat se nec genuflectebat*] Idem error qui suprà: corrige, *nec genuflectebat, nec incurvabat se*, vel potiùs *nec prosternebat se.* *Nec incurvabat se*, more apud Persas recepto, qui Regibus suis Divinum honorem exhibebant. Itaque dixit Æschylus *Persas Deorum loco habere Reges.* Q. Curtius, *Rex curru paulò antè vectus, & Deorum à suis honoribus cultus.* Artabanus apud Plutarchum, ἡμῖν πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος. Justinus lib. 6. *Conon, diu Rege per epistolas frustrà fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit: cujus aspectu & colloquio prohibitus est quòd eum more Persarum adorare nollet.* Quorsum ista? inquies. Quia ad hunc locum Severus, *Erat eâ tempestate Haman quidam Regi perfamiliaris, quem æquatum sibi adorari more Regum præceperat.* Jam tenemus cur Mardochæus Hamanem venerari noluerit, videlicet quia Judæis οὐκ ἐν νόμῳ ἄνθρωπον προσ-

προσκυνέειν, ut verbis utar quibus Herodotus usus de Lacedæmoniis iis qui Xerxem jussi adorare pertinaciter recusarunt: historia exstat septimo volumine, ἐντεῦθεν δὲ ὡς ἀνέβησαν ἐς Σοῦσα, καὶ βασιλέϊ ἐς ὄψιν ἦλθον, πρῶτα μὲν τῶν δορυφόρων κελευόντων, καὶ ἀνάγκην σφι προσφερόντων προσκυνέειν βασιλῆα προσπίπτοντας οὐκ ἔφασαν ὠθεόμενοι ὑπ' αὐτέων ἐπὶ κεφαλὴν ποιήσειν ταῦτα οὐδαμά· οὔτε γάρ σφι ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν. Latinè sic, *Dehinc ascenderunt Susa, & in conspectum Regis venerunt: principio jubentibus satellitibus ac vim afferentibus ut procumbentes Regem adorarent, negaverunt se, vel si in caput protruderentur, hac ullo modo facturos: neque enim sibi esse consuetudinem hominem adorandi.* Rectè igitur Josephus, Μαρδοχαῖος δὲ διὰ σοφίαν καὶ τὸν οἴκοθεν αὐτῷ νόμον οὐ προσεκύνει τὸν ἄνθρωπον. Nam non solùm consuetudo sed etiam lex domestica Judæorum disertè vetat honorem Deo debitum ulli mortalium exhibere. Sed de hac re audiamus ipsum Mardochæum. In precatione quæ legitur in additis ad hunc librum, *Tu scis, Domine*, inquit, *non me contumeliâ neque superbiâ neque gloriæ cupiditate fecisse ut superbum Hamanem non colerem. Etenim libenter vel ejus pedum vestigia pro Israelitarum salute deoscularer. Sed id feci ne hominis gloriam Dei gloriæ præponerem, nec quem præter te Dominum meum adorarem.* En caussam, ni fallit opinio, veram quam habuit homo pius ut faceret contra mandatum Regis! Quæ si non admittitur, vix est ut hoc ejus factum aliter excusemus. Neque enim Judæis hîc assentior, qui asserunt Hamanem in veste imaginem gestasse, propter quam non licuerit Mardochæo ipsum adorare. Quod si erat, miror cur nos id celaverit autor Megellæ. Tamen hoc commentum Judæis ità placet: ipsum autem invenies in monumentis τῶν διδασκάλων, quod & paraphrastes Chaldæus retulit, & Aben-ezra suffragio approbat. Paraphrastes imaginem ἀνδριάντα vocat, usus voce Græcâ, quam ait Hamanem in pectore gestasse; ideóque Mardochæum, quamvis ità Rex præcepisset, eum adorare noluisse; fabulæ. Scio Persis olim in usu fuisse vestes pictas καὶ ζωωτάς, queîs intextæ erant animalium formæ, & flosculi; qualis illa Darii palla, quam *aurei accipitres*, ut est apud Curtium lib. 3. *velut rostris inter se corruerent, adornabant.* Sed primùm incertum est an Haman talem vestem gestaverit: deinde ut concedatur eum pictâ veste indutum fuisse cùm occurreret Mardochæo, quid hoc ad rem? certè non debuit Mardochæus propterea civilem honorem ei non præstare, præsertim cùm ità Rex de eo præcepisset. Sic mihi videtur; aliis fortasse aliter. Sed pono meam sententiam, salvo aliorum judicio; nihil adfirmo. Finem faciam, si hoc unum priùs addidero. Quæ de odio Judæorum in Amalecitas nonnulli huc adducunt, parùm excusant Mardochæum, ac nescio an aliena sint à proposito (siquidem pro certo non constat utrùm Haman Amalecita fuerit) imò sapiunt nescio quid Judaicum, ut mirer si sapiant iis quibus pectus sapit.

3. *Servi Regis*] Vetus *pueri Regis*, cui usitatum *puerum* dicere pro *servo*: idipsum autem à Græcis accepit, qui ità usurpant vocem παῖδα, ut in illo, *Laudate servi Domini*, παῖδες Κύριον. ¶ *Cur tu transgrederis*] Cur facis contra mandatum Regis? Cur non genuflectis nec procumbis in Hamani occursu?

4. *Per singulos dies*] Ad verb. *die & die.* Quotidie. ¶ *Et non audiret eos*] Non obtemperaret eis. ¶ *Nunciaverunt*] Ad verb. *& indicaverunt.* ¶ *An starent verba Mardochæi*] Vult dicere *utrùm perseveraret in sententia*: sic interpres vetus enarrat, & bene, meo animo. ¶ *Nam indicaverat eis*] Cùm ab eo quærerent quæ caussa esset cur non observaret mandatum Regis. ¶ *Quòd esset Jehudæus*] Ad verb. *quòd ipse Jehudæus*: quibus non licet hominem adorare, Lege ità prohibente.

5. *Repletus est furore*] Addit Josephus ipsum dixisse, *Liberi Persæ me adorant: Hic autem servus cùm sit tamen hoc facere dedignatur.*

6. *Et contempsit*] Μικρὸν ἡγήσατο, i. *parùm esse duxit*, Josephus. ¶ *Mittere manum*] Perdendo eum. ¶ *Indicaverant enim ei*] Non dubium quin servi Regis. ¶ *Populum*] Τὸ ἔθνος, *populares.* ¶ *Propterea quæsivit*] Ad verb. *& quæsivit.* ¶ *Disperdere*] Ἀφανίσαι. Ad hunc locum Josephus, καὶ γὰρ φύσει τοῖς Ἰουδαίοις ἀπηχθάνετο, ὅτι καὶ τὸ γένος τῶν Ἀμαληκιτῶν, ἐξ ὧν ἦν αὐτὸς, ὑπ' αὐτῶν διέφθαρτο. Eadem Ebræi scribunt, & paraphrastes, & Burgensis: non omnino certa sunt. Imò olent Rabbinismum. ¶ *In omni regno*] Maluissem *in universo regno.*

7. *Mense primo*] Anni Mosaici. ¶ *Nisan*] De hoc mense Hieronymus in comment. Hag. 2. *Nonus est mensis, quem nos Novembrem vel Decembrem dicimus. Nisan enim apud Ebræos mensis est primus, qui appellatur mensis Novorum, eo tempore quo Pascha faciunt, id est incipiente veris exordio, qui secundùm Lunæ cursum sæpe quandam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili.* ¶ *Jecit*] *Sortilegus* sub. aut tale quid; non malè hoc Latinè reddas *jacta fuit.* Sic interpres vetus *missa est sors.* Idem adjecit *in urnam*, quod neque ità legitur in Ebræo, neque planè certum est: potuit enim sors vel in sinum conjici, ut apud Salomonem, *Sors in sinum conjicitur, sed à Domino judicium ejus*: vel in hydriam, ut apud Ciceronem 4. in Verrem; vel in situlam, ut in Plauti Casina: vel denique in galeam, ut apud Homerum Iliad. η. ¶ *Pur*] Poscit antiqua scribendi consuetudo *Phur.* Dictio est Persica, ut Aben-ezra observat. Perperàm ergò interpres vulgatus, *missa est sors, quæ Ebraicè dicitur Phur.* Hac de re scripsi in Observationibus meis, quæ non repeto: tu ea vide, si vacat, l. 12. c. 5. ¶ *Hoc est sortem*] Vel *sortes*, quæ sunt instrumenta sortitionis. *Goral* enim utrumque significat. Cicero de his 2. De divinatione, *Dicendum igitur putas de sortibus. Quid enim sors est? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet.* Vide Animad. l. 2. c. 21. ¶ *De die in diem*, &c.] *Quo die & quo mense gens Judæorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui dicitur Adar*, doctè, ut alia multa, interpres vetus. ¶ *Adar*] Vox Chaldaica sive Syriaca. 2 Mach. 15. 36. *decreverunt habere celebritatem tertiadecimâ die mensis Adar, qui dicitur voce Syriacâ.* Græcè est, Ἀδαρ λέγεται τῇ Συριακῇ φωνῇ. Hinc non vanè quis colligat & reliqua nomina mensium quæ partim in hoc libro partim alibi leguntur Syriaca esse.

8. *Dixitque Haman*] Trem. *dixerat enim*; non displicet. ¶ *Quidam*] Ad verb. *unus.* ¶ *Divisus*] Vel *dissipatus*: διεσπαρμένον. ¶ *Diversæ*] Leges habent ab aliorum omnium populorum legibus diversas. Ad verb. *mutantes sunt.* Josephus hunc locum ità interpretatur, οὔτε θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, οὔτε νόμοις χρώμενον ὁμοίοις. ¶ *Et leges Regis*] Hoc dicit quia Mardochæus non paruit præcepto Regis, de quo suprà. ¶ *Regi non est utile*] Non æquum est neque expedit ut eos diutiùs toleret. ¶ *Dimittere eos*] Malo *sinere eos*, ut Tremellius edidit.

9. *Ut ipsi perdantur*] In Ebræo *ut perdant eos*, vel potiùs *ad perdendum eos*: nota locutio. ¶ *Decem millia talentorum*] Josephus, μυριάδας ταλάντων ἀργυρίου δ', quæ sic convertit interpres vetus, *quadraginta millia pecuniarum talenta.* Locus iste ab aliis intelligitur de Talento Ebraico, ab aliis de Babylonico. Qui de Babylonico intelligunt, juvantur loco quodam Herodoti ex Thalia. Locus hic est, ἀρχὰς δὲ καὶ φόρων πρόσοδον τὴν ἐπέτεον κατὰ τάδε διεῖλε. τοῖσι μὲν αὐτέων ἀργύριον ἀπαγινέουσι εἴρητο Βαβυλώνιον σταθμὸν τάλαντον ἀπαγινέειν· τοῖσι δὲ χρυσίον ἀπαγινέουσι, Εὐβοεικόν. Ubi notabis in argento usum Talenti Babylonii apud Persas. Sed quia hoc volumen conscriptum est linguâ Ebraicâ, autore, ut plerique omnes censent, Mardochæo, haud planè improbanda videtur sententia eorum qui hæc referunt ad Talentum Ebraicum, quod æstimatur valere Coronata duo millia quadringenta. Ex quo conficitur subducto calculo *decem millia Talentorum argenti valere* quater & vigesies decies centena millia

 Corona-

Coronatorum. Sed si cui magis placet de Babylonico Talento hæc dicta accipere, sciat à me, cùm septem Ebraica Talenta viginti quatuor Babylonica efficiant (etenim Talentum unum Ebraicum & pars sexta ejus Talenti quatuor Babylonica implent) sciat, inquam, à me Babylonici generis decem millia efficere Ebraica Talenta fermè tria millia, h. e. septies decies centena millia Coronatorum, si rectè ineo calculum. ¶ *Pendam*] Cur hoc promittit? ἵνα μὴ ζημιωθῇ τοὺς φόρους τοὺς παρ᾽ αὐτῶν γινομένους, Josephus. ¶ *Manibus facientium opus*] Ad manus facientium opus Regis, h. e. Quæstorum sive Thesaurariorum, aut procurantium negotia Regis. Vide l. 11. c. 11 Observat. Tremellius & Junius hunc locum sic interpretantur, *ad manum præfectorum huic operi, ut inferant in thesauros Regis*. Vetus interpres habebat, *& decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ*, *Arcariis*, h. e. Quæstoribus eorum quæ in arcam Regis inferebantur. Usus est eodem nomine idem interpres Rom. 16. 23. *Salutat vos Erastus arcarius civitatis*. In Græco est οἰκονόμος. ¶ *Ut adducant*] Pendam quæ inferant, aut, pendam ad manus facientium hoc opus ut inferant: acsi diceret, quibus hoc munus incumbit ut pecuniam regiam in fiscum inferant; qui fisco sive arcæ regiæ præfecti sunt. ¶ *In thesauros Regis*] Codex Ebræus hoc dicit, *in gazam Regis*. Vide quæ scripsimus de hac voce Observ. l. 12. c. 2.

10. *Annulum suum*] Sigillum regium, quo signaret literas, de quibus infrà. Quidam hîc annotant, *dedit annulum in signum potestatis quam ei faciebat, cujus moris exemplum habes Gen. 41. 42. & 1 Mac. 6. 15.* ¶ *Agagai*] Vel *Agagæo*, ut habet lectio varians. ¶ *Hosti Jehudæorum*] Trem. *oppressuro Jehudæos*.

11. *Argentum*] Τὸ ἀργύριον, videlicet decem illa millia quæ pollicitus es. ¶ *Et populus*] Placeret *ille populus*: nempe quem tibi dari vis. ¶ *Ut facias de eo*] Acsi diceret, *Permitto eum tuæ potestati; fac illo quod tibi visum erit*. A Josepho doctè hic locus interpretatur, καὶ τὸ ἀργύριον αὐτῷ χαρίζεται, καὶ τοὺς ἀνθρώπους, ὅ,τι ποιεῖν αὐτοὺς ὅ,τι βούλεται.

12. *Scribæ Regis*] Οἱ γραμματεῖς τοῦ βασιλέως. ¶ *Mense primo*] Qui est Nisan. ¶ *Juxta omnia quæ præcepit*] Trem. *omnino prout præceperat*. ¶ *Ad principes Regis*] Vetus editio *ad satrapas Regis*, vehementer probo. Vide Observationes nostras l. 12. c. 13. Satrapæ Πέρσαις *Asdarpanes* appellantur, & formâ nominis Ebraicâ *Ahasdarphanim*, cujus sigulare *Ahasdarphan*, compositum nomen ex *Ahas* & *Darphan*, vel, si magis placet, *Dar* & *Phan*, ut compositio sit ex tribus simplicibus, *Ahas*, *Dar* & *Phan*. Hoc pono, non statuo, non adfirmo. ¶ *Super singulas provincias*] Ad verb. *super provinciam & provinciam*. ¶ *Singulorum populorum*] Ad verb. *populi & populi*. ¶ *Et singularum provinciarum*] Malè vertit. emenda, *ad quamque provinciam*. Ad verb. *provinciæ & provinciæ*, idque referri debet, meo animo, ad sequentia. Hoc dicit, Scriptum est ad unamquamque provinciam secundùm scripturam ejus. & ad unumquemque populum secundùm linguam ejus. Nihil certius. ¶ *Cujusque*] Ad verb. *ejus*. ¶ *Annulo Regis*] Sigillo regio.

13. *Et ut mitterentur*] In olim translatis erat; *& missæ sunt*: haud dubiè meliùs & rectiùs. *Per manum cursorum*] Animadvertendus modus loquendi: est enim elegans & perfrequens apud Ebræos *in manu cursorum*, i. quod Latinè dicimus, *per cursores*. Hi Persarum linguâ *angari* dicebantur, sive, ut Rufinus scribit, *aggari*: de quibus Observat. l. 12. c. 19. ¶ *A puero usque ad senem*] Tam pueros quàm senes. ¶ *Parvulos & mulieres*] Σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις, Josephus. ¶ *Tertiadecima*] Apud Josephum hic locus depravatus est: legitur enim in eo τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ pro eo quod est τῇ τρίτῃ καὶ δεκάτῃ, nec Ruffinus presbyter eum errorem olim animadvertit: nam & apud illum etiam legitur *quartadecimâ die*. ¶ *Spolia eorum*] *Bona eorum* interpres vulgatus, ut & Græci τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν. Cogitandum an eodem intellectu ceperit Jesaias cùm de Messia loquens inquit, πρὶν ἢ γνῶναι τὸ παιδίον καλεῖν πατέρα ἢ μητέρα, λήψεται δύναμιν Δαμασκοῦ καὶ τὰ σκῦλα τῆς Σαμαρείας. Ponitur eodem sensu infrà 8. 11. & à Salomone Prov. 1. 13. ut & in illo, *dividere spolia cum superbis*. Vide quæ scripsimus super hac voce in Quæstionibus nostris, l. 2. quæst. 40.

14. *Exemplar scripturæ*] Trem. *exemplum hujus scripti*. *Phathsegen* ἀπόγραφον sive, ut Græci, ἀντίγραφον, *exscriptum*. Dictio Aramæa, ut Jarius censet. Ezræ 4. 11 legitur *Pharsegen* pro eodem. Non omittenda veteris interpretis sententia qui *summam* interpretatur, ut sensus sit, Summa literarum erat ut edictum per omnes promulgaretur provincias, quò manifestum fieret omnibus populis, ut essent ad illum diem parati. R. Nathan hoc intellectu sumpsisse videtur cùm ità exponeret *Phathsegen* τύπος est enim τύπος *summa*; unde τυπωδῶς *summatim*, καὶ τύπῳ λέγειν, ἢ ἐν τύπῳ εἰπεῖν, *summatim dicere*. ¶ *Manifesta*] Lego *manifestum*: quod refertur ad *exemplar*, hâc sententiâ, *exemplar literarum patefactum fuit omnibus populis*; quod & ipsi Pagnino placuisse video. ¶ *Parati ad diem hanc*] ἕτοιμοι εἰς τὴν προειρημένην ἡμέραν videlicet ad decimam tertiam mensis duodecimi.

15. *Cursores*] Angari. ¶ *Impulsi*] Trem. *citati*: placet. ¶ *Verbo Regis*] Rege ità jubente; vel potiùs, *egressi sunt cum verbo*, h. e. edicto, *Regis*. ¶ *Data est*] Vetus editio, *pependit*: alii, *promulgata est*. ¶ *Sederunt ad bibendum*] Πρὸς εὐωχίαις καὶ πότοις ἦσαν, interpretatur Josephus, & bene, meo animo. Nam appellatio *convivii* apud Ebræos à *bibendo*, ut & Græcum συμπόσιον, quod etiam πότον dixit autor primi Machabæorum 15. 15. καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς πότον μέγαν, i. *convivium*. Nam quod hîc refert interpres Græcus ἐκωθωνίζοντο non tam in *eos qui epulantur & convivia inter se agitant* quàm in *eos qui potu se ingurgitant* competit. κώθων enim *potus* est *inordinatus*, *qui non fit sine temulentia & ebrietate*. ¶ *Et civitas Susan*] *Judæi qui Susis erant*. Sic habet editio vetus, & rectè. Habitabant enim Judæi in urbe, non in Susan Habira. Ex quo liquet quantum intersit inter *Susan Habira* & *Susan urbem*. In Susan Habira Rex agebat cum ministris suis aulæque asseclis, inter quos & Mardochæus; in urbe Judæi erant, ut diximus. Quare falluntur qui hæc tam diversa inter se confundunt. *Susa* dicimus, *Susorum*, & *Susa*, *Susæ*. Q. Curtius lib. 5. *Jam Susam, jam cætera ornamenta regni causámque belli victorem occupaturum*, & aliquantò pòst, *Jámque Susam adituro Abulites regionis ejus præfectus cum donis regalis opulentiæ occurrit*. ¶ *Perplexa fuit*] Ἐταράσσετο interpres Græcus, ἐν ταραχῇ ἦν Josephus. In Ebræo legitur *Nabocha*. Thema est *Buch*. Sed interpres Latinus is quem *Vulgatum* dicimus à *Bacha* deducit: idem videtur legisse *Nibcha* aliis vocalibus; non placet.

GROTIUS.

1. *Post hac rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi qui erat de stirpe Agag*] Ortus ex regibus Amalecitis, cum qua gente Deus & sibi & Hebræis bellum esse voluerat internecinum, Exod. 17. 14, 15, 16. neque unquam seponi ex animo contumelias, quas ea gens Hebræis intulerat Deut. 25. 17, 18, 19. ac proinde nulla cum illis esse amicitiæ commercia. ¶ *Et posuit ejus solium supra omnes principes quos habebat*] Jus προεδρείας ipsi inter Satrapas dederat. Simile vide 2 Reg. 25. 38.

2. *Flectebant genua & adorabant*] *Honorem ei exhibebant*, præcipuè *genua flectendo*, ut olim Ægyptii Josepho Gen. 41. 43. minores alii prostrato corpore, quomodo regem venerari mos Persis, ut Plutarchus nos docet Themistocle: scriptor verò Latinus de Vitis imperatorum Conone.

4. *Dixerat enim se esse Judæum*] Ac proinde ex sua lege nefas sibi ullum honorem exhibere homini nato è stirpe devota divinitus: nam alioqui Judæis non illicitum erat reges & principes eo modo venerari, quem mos Orientis receperat. Sic David Saulem προσεκύνησε πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ὡς ἔθος, narrante Josepho.

6. Pro

6. *Pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas*] i. Parùm se dignum putavit se in uno homine ulcisci, nisi & omnem *gentem genti* originis suæ inimicam everteret.

7. *Missa est sors in urnam quæ hebraicè dicitur Phur*] Imò *Persicè* sic dicitur: *Hebraicè*, ut textus hìc habet גורל. Mos erat Persarum & vicinarum gentium, sortibus certo modo jactis explorare dies rei propositæ prosperos aut adversos: id in hac re sæpè fecit Aman: tandémque invenit diem, quem sortes prosperum promittebant: at Deus exemplum dedit ingens quàm ista sint inania. Ab hoc superstitioso jactu sortium dies isti פורים, ut infrà legimus 9. 31. unde corrigendus Josephi codex, in quo legimus: διὰ ταῦτα μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς φρουραίους· legendum φουραίους. Idem error in additamento Græco ad hanc historiam: τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν φρουραί· legendum φουραί. Ità autem vocat totum hunc librum, qui à Mardochæo ad Judæos missus fuerat, posteà versus in Græcum à Lysimacho. Eosdem dies alio nomine ab Amane *Aman* vocatos discimus Codicis Theodosiani L. Judæos, titulo de Judæis, nam in Codice Justinianeo ea vox corrupta est.

8. *Et à se mutuo separatus*] Voluit dicere *ab aliis separatus*, Josephus hoc loco: ἔθνος ἄμικτον, ἀσύμφυλον, οὔτε θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, οὔτε νόμοις χρώμενον ὁμοίοις, ἐχθρὸν δὲ καὶ τοῖς ἔθεσι, καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τῷ σῷ λαῷ καὶ ἅπασιν ἀνθρώποις· Et in ipso edicto quod sequitur: δυσμενὲς ἔθνος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλλόκοτον. Quæ quid in se veri, quid falsi habeant faciliùs intelliges, si videas quæ diximus de Jure Belli ac Pacis libro 2. cap. 15. §. 19. Tacitus de Judæis: *Separati epulis, discreti cubilibus.* Cicero pro Flacco: *Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat.* Juvenalis de iisdem Judæis:

> *Romanas autem soliti contemnere leges,*
> *Judaicum ediscunt & servant, & metuunt jus.*

9. *Et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ*] Exercebat pretiosa odia.

10. *Tulit ergò rex annulum quo utebatur de manu sua*] Ut Alexander detractum annulum digito Perdiccæ tradidit.

12. *Ut quæque gens legere poterat*] Vide quæ suprà 1. 22.

13. *Ut occiderent & delerent omnes Judæos*] Sic *Mithridates unâ epistolâ octoginta millia civium Romanorum in Asia per urbes negotiandi gratiâ dispersa interemit.* Verba sunt Valerii Maximi libri 9. cap. 2. Appianus rem eandem sic refert: Μιθριδάτης σατράπαις ἅπασι καὶ πόλεων ἄρχουσι δι' ἀπορρήτων ἔγραφε, τριακοστὴν ἡμέραν φυλάξαντας, ὁμοῦ πάντας ἐπιθέσθαι τοῖς παρὰ σφίσι Ῥωμαίοις καὶ Ἰταλοῖς, αὐτοῖς τε καὶ γυναιξὶν αὐτῶν, καὶ παισὶ, καὶ ἐλευθέροις ὅσοι γένους Ἰταλικοῦ, κτείναντάς τε ἀτάφους ἀπορρῖψαι, καὶ τὰ ὄντα αὐτοῖς μερίσασθαι πρὸς βασιλέα Μιθριδάτην. Florus: *Quid atrocius uno edicto ejus: cùm omnes qui in Asia forent Romanæ civitatis homines interfici jussit?* ¶ *Missi sunt per cursores regis*] Græci, διὰ βιβλιοφόρων. Intellige *Angaros* quos *veredarios* infrà vocat Latinus interpres 8. 10. ubi pariter Græci, διὰ βιβλιοφόρων. Suidas ἀγγάρους interpretatur γραμματοφόρους ἐκ διαδοχῆς.

15. *Et cunctis Judæis qui in Susan erant flentibus*] Sensum magis expressit quàm verba quæ in Hebræo sic habent: *& civitas Susa erat perplexa.* Intelliguntur enim per Susa Judæi qui plurimi Susis erant. ¶ *Pependit edictum*] Sic Tertullianus adversùs Marcionem 4. *Augustianis censibus adhuc tunc fortassis pendentibus.*

CAP. IV.

VATABLUS.

1. **E**T *cinere*, ואפר] Sub. *aspersit caput*, more lugentium.

3. *Saccus & cinis*, &c. שק ואפר וגו׳] i. Multi utebantur loco strati cinere & sacco: hoc est, induti sacco, jacebant in cinere.

4. *Quibus induerent*, &c. להלביש וגו׳] Ad verb. *ad induendum Mardochæum & ad detrahendum saccum*, &c. i. quibus detracto sacco indueretur. ¶ *Et non recepit*, ולא קבל] *Sed recipere noluit.*

5. *Quem constituerat ante illam*, אשר העמיד לפניה] i. Quem Rex præfecerat custodiæ Reginæ. ¶ *Et præcepit ei*, ותצוהו] i. Dedítque ei mandata de Mardochæo.

7. *Et expositionem*, ואת פרשת] *Et declarationem*, i. quomodo Haman tulisset pecuniam quam pollicitus fuerat se appensurum, &c.

8. *Legis*, הדת] *Ordinationis.* ¶ *Et ut peteret*, ולבקש] Sub. *petitionem.* Vel, *ut peteret à conspectu ejus* salutem *pro populo suo*, i. ut petitionem faceret à majestate regia pro salute populi sui.

10. *Et præcepit*, &c. ותצוהו וגו׳] *Et præcepit illi de Mardochæo*; i. mandavit ut quæ diceret ipsa, renunciaret Mardochæo, nempe quæ sequuntur.

11. *Unica lex ejus est ad interficiendum*, אחת דתו להמית] *Unicâ lege latâ à Rege, interfici debet*, q. d. Unicâ lege sancivit Rex ut omnis interficeretur qui ad ipsum ingrederetur non vocatus. Vel, sine cunctatione interfici debet juxta ejus legem. ¶ *Et vivet*, וחיה] Is *enim vitâ donabitur.* ¶ *Jam triginta diebus*, זה שלושים יום] *His triginta diebus.* Vel, *ab hinc triginta diebus.*

12. *Et renunciaverunt*, ויגידו] Sub. *nuncii missi ab Esther.*

13. *Nè putes*, אל תדמי] *Nè cogites. Nè imagineris.* ¶ *Quòd servari possis*, להמלט] Ad verb. *ad servari.* Infinitivus est, i. Nè putes apud temetipsam servari te posse, q. d. Nè existimes te servatam iri aliis pereuntibus.

14. *Respiratio & evasio stabit*, רוח והצלה יעמוד] *Dilatatio & liberatio emerget*, vel, *exsistet*, aut, *eveniet*, i. Judæi aliâ ratione liberabuntur. ¶ *Perveneris*, הגעת] Ad verb. *attingere facta sis*, i. quis novit an evecta sis ad dignitatem istam Regiam ut liberares populum tuum hoc tempore calamitoso?

16. *Qui reperiuntur*, הנמצאים] i. Qui habitant. ¶ *Noctu & interdiu*, לילה ויום] i. Tribus diebus integris. Jejunium hoc dicitur *triduanum* per synecdochen, quia tertio die abjecit Esther saccum, & postea induta vestibus regalibus adiit Regem: prima namque dies jejunii constitit tantùm alterâ parte diei naturalis: cœperunt enim jejunare à prandio cùm primùm exposuit rem ipsam illis: quod factum est die, non nocte. ¶ *Quod non est secundùm legem*, אשר לא כדת] *Quod tamen* est *præter morem.* ¶ *Peribo, peribo*, אבדתי אבדתי] Præterita Heb. pro fut. i. si contingat me perire, actum erit de me, vel lubens peribo, q. d. Lubens periclitabor de vita pro salute populi mei.

DRUSIUS.

1. **E**T *scidit vestimenta sua*] Mos vestes lacerandi usitatus erat non solùm apud Ebræos sed etiam apud Persas, ut observamus l. 12. c. 1. ¶ *Indutus est sacco*] Vel *induit saccum.* Vide Observationes nostras loco citato. ¶ *Et cinere*] *Induit cinerem*, h. e. vestem cinere conspersam. Genus loquendi ut cùm dicimus *induere regnum* pro eo quod est *vestem regni.* Sic *induere gloriam*, i. *vestem gloriæ.* ¶ *In medium urbis*] Per mediam urbem. Josephus totum hunc versum ità interpretatur, ὁ δὲ Μαρδοχαῖος μαθὼν τὸ γινόμενον, περιρρηξάμενος τὴν ἐσθῆτα, καὶ σάκκον ἐνδυσάμενος, καὶ καταχεάμενος σποδίαν, διὰ τῆς πόλεως ἐφέρετο. ¶ *Urbis*] Susorum, quæ & *Elam Hamedina*, ut Ebræi volunt; sed quàm rectè viderint. ¶ *Et clamavit*] Βοῶν ὅτι μηδὲν ἀδικῆσαν ἔθνος ἀναιρεῖται, i. *insontem nationem deleri vociferans*, Josephus; interpres Græcus. Glossema est natum, ut opinor, ex ignoratione moris antiqui, de quo jam dicturus sum. ¶ *Magno & amaro*] More barbarico, cujus moris exempla passim obvia in libris. Vide Observationes, nè cogar dicta dicere.

2. *Et venit usque ad locum*] In Ebræo *usque ante portam Regis*, h. e. in plateam quæ ante portam Regis. Vide infrà 6. ¶ *Qui erat coram porta Regis*] Ἕως τῶν βασιλείων ἦλθε, ἦ πρὸς αὐτοῖς ἐστὶ· οὐ γὰρ ἐξῆν εἰσελθεῖν αὐτῷ τοιοῦτον ἐσκευασμένῳ σχῆμα, Josephus. ¶ *Non enim fas erat*] Non licebat per consuetudinem, aut quia lex erat apud Persas quæ hoc vetaret. ¶ *In veste sacci*] *Cum veste sacci*, h. e. indutum sacco, in quo duo notanda; primùm enim est *in* loco *cum*, ut suprà *egressi sunt impulsi in verbo Regis*; deinde illud *veste sacci* valet *sacco*: elegans & antiquum genus loquendi. Tale est *fluvius Euphratis*. Ejusdem generis sunt, *Herba Lapathi*, *Urbs Roma*, & quæ alia Grammatici annotarunt.

3. *Et in qualibet provincia*] Ad verb. *in provincia & provincia*. Τὸ δ' αὐτὸ καὶ πάντες ἐποίουν ἐν ταῖς πόλεσιν Ἰουδαῖοι, ἐν αἷς τὰ περὶ τούτων προετέθη γράμματα, θρηνοῦντες, καὶ τὰς κατηγγελμένας αὐτοῖς συμφορὰς ὀδυρόμενοι, Josephus. ¶ *Quem verbum Regis*] Quocunque edictum Regis perlatum est. ¶ *Et lex ejus*] Et decretum ejus. ¶ *Saccus & cinis*] Hoc significat, Multi sacco induti in cinere jacebant: more videlicet lugentium, ut Jon. 3.6. *operuit se sacco, & sedit in cinere*.

4. *Puella Esther*] Pedissequæ Esther, famulæ Esther. ¶ *Et Eunuchi ejus*] Qui ut ipsi ministrarent à Rege ei dati erant. ¶ *Et nunciaverunt ei*] Ἀπήγγειλαν δὲ Μαρδοχαῖον ἐν οὕτως οἰκτρῷ σχήματι πρὸ τῆς αὐλῆς ἑστῶτα, Josephus. ¶ *Et doluit*] Ταραχθεῖσα πρὸς τὴν ἀκοὴν, Josephus: *dolens exhorruit*, Tremellius, *consternatus est*, interpres vetus. ¶ *Ut induere faceret*] Malo *ad induendum Mardochæum, & amovendum saccum ejus ab eo*. Hoc vult, Misit vestes quas deposito sacco indueret, quò venire posset in aulam Regis. ¶ *Non recepit*] Noluit accipere vestitum illum.

5. *Hathach*] Josephus scripserat Ἀθαχὸς, ut conjicio, id à scribis corruptum primùm in Ἀχαθὸς, deinde additâ literâ unâ atque alterâ factum Ἀχεράθεος, pro quo in Bibliis Basileæ impressis Ἀχραθαῖος, cùm alii Ἀθαχ habeant, quæ est vera hujus nominis scriptura. Ἀθαχ scriptum lectum in Complut. ¶ *Quem constituerat*] *Quem ei rex ministrum dederat*, interpres vetus, & benè, meo animo. Posset etiam verti, *quos constituerat ante illam*, hâc sententiâ. Unum ex eunuchis iis quos Rex ei attribuerat, ut eorum operâ ad quæ vellet uteretur. Harum interpretationum melior est in omnes partes quam postremo loco posui, quanquam interpretum nemo eam meminerit. Qui judicio pollent mihi facilè assentient. ¶ *Et præcepit ei super Mardochai*] Trem. *mandata dedit ei de Mardochai*, antea Vatablus sic exposuerat, infrà v. 10. *Præcepit ei de Mardochæo*, h. e. mandata ei dedit quæ referrent ad Mardochæum. ¶ *Quid hoc esset*] Quid sibi vellet vestitus ille lugubris. ¶ *Et propter quid hoc*] Et cujus rei causâ eum induisset; aut, cur missum à se vestitum accipere noluisset.

6. *Ante portam Regis*] Ante regiam, vel ante fores regiæ.

7. *Omne quod acciderat sibi*] Historiam capitis secundi. ¶ *Et expositionem argenti*] De quo 3. 9. Trem. *Et præstitutam pecuniæ summam*: apud Josephum lego τὴν χρημάτων ὑπόσχεσιν, ἣν τὴν ἀπώλειαν τοῦ ἔθνους ὠνήσατο παρὰ τοῦ βασιλέως Ἀμάνης. ¶ *Thesauris Regis*] Ad thesauros Regis. ¶ *Propter Jehudæos*] Ad verb. *in Jehudæos*. *In* pro *ob*; ut in illo, *servivit in Rachel*, i. *propter Rachelem*. Trem. *contra Jehudæos*. Non displicet.

8. *Exemplar*, &c. Τὸ ἀντίγραφον τῶν ἐν Σούσοις προτεθέντων. ¶ *Scriptura legis*] *Scriptura decreti*, i. scripti decreti, aut exemplar libellorum decreti. ¶ *Quæ posita*] Ut Tremellius annotat, *in arcano consilio Regis*; ut alii, *quæ pependit in Susan*. ¶ *In Susan*] Utrùm in Susan Habira; an in urbe Susan? ut ordo ac sensus sit, *Dedit ei exemplar decreti quod factum ad evertendos Judæos in urbe habitantes*; sic Aben-ezra: non sapit palato meo: statuamus ergò sermonem brevem esse, & *in Susan* positum pro *in Susan Habira*. Vide suprà 3. 15. ¶ *Ad precandum illum*] Magis probo *ad deprecandum*. ¶ *Ad quærendum*] Vel *ad rogandum*. ¶ *A facie ejus*] i. Ab eo, idem erit si vertas *à conspectu ejus*. Trem. *in conspectu ejus*, valde displicet.

9. *Verba Mardochai*] Quæ Mardochæus ei dixerat.

10. *Præcepit ei ut diceret*] Antea erat, *jussit ut diceret*, in Ebræo autem, *mandata dedit ad Mardochæum*.

11. *Populus provinciarum*] Provinciales, acsi diceret, Etiam vulgo ea res nota est, iisque qui procul ab aula absunt. ¶ *Vir & mulier*] Vir aut mulier. ¶ *In atrium interius*] Vide quæ scripsimus Observat. l. 12. c. 22. ¶ *Qui non fuerit vocatus*] Satis erat *non vocatus*, ἄκλητος. ¶ *Una lex ejus est ad interficiendum*] Alius mallet *ut interficiatur*, vel *ut interficiant eum*, quanquam pronomen *eum* non habetur in Ebræo. Agathocles hoc dixit, θάνατος ἡ ζημία· nam in tertio περὶ Κυζίκου ubi agit de aqua aurea quam Persarum Rex solus cum filio natu maximo bibebat, τῶν δ' ἄλλων, inquit, ἐάν τις πίῃ, θάνατος ἡ ζημία, ex Athenæo. Nicolaus existimat & verò etiam affirmat hanc legem latam fuisse de consilio ac sententia Hamanis post factum decretum adversùs Judæos, nè quis interveniens illud impediret: sed mihi non persuadet: cui adversatur vel illud, *Omnes provinciales*. Quomodo enim ea lex innotescere potuisset in remotis provinciis si tum primùm lata? judico igitur legem antiquiorem fuisse. ¶ *Præter eum ad quem*] Πλὴν εἰ μή τινα σώζειν βουλόμενος προτείνειεν τὴν χρυσέαν ῥάβδον, Josephus. ¶ *Extenderit*] More Persico. Rex enim sceptrum extendebat cùm aliquem ad se vocaret: saltem hoc signo significabat eum qui intrabat à se accersitum esse. ¶ *Virgam auream*] Vel *sceptrum aureum*. ¶ *Et vivet*] Valet *ut vivat*, ut nè interficiatur: σώζεται συγγνώμης τυχὼν, Josephus. ¶ *Jam triginta diebus*] *Hic est trigesimus dies*, Tremellius & Junius.

13. *Ut responderent ipsi Esther*] Melius *ut referret ad Esther*, vide infrà ver. 15. ¶ *Quod servari possis*] Ad verb. *eruere te*. ¶ *In domo Regis*] Quòd sis in domo Regis.

14. *Si silendo silueris*] Trem. *si omnino silueris*; ea vis est in anadiplosi Ebraica. ¶ *Respiratio*] Salus. ¶ *Ex loco alio*] Ἀλλαχόθεν interpres Græcus, i. aliunde. Vet. Lat. *per aliam occasionem*; prius verius. Josephus παρὰ τοῦ Θεοῦ· probarem si in sequentibus legeretur *Ahar* per geminum *a*; nam *Macom* inter epitheta Dei. Vide Quæst. lib. 2. quæst. 61. ¶ *Peribitis*] Ὑπὸ τῶν ὀλιγωρηθέντων *ab iis quos nunc despicatui habetis*, Josephus. ¶ *Et quis scit*] Sermo dubitantis; acsi diceret, *Fortean propter tempus quale istud est ad Regnum pervenisti*. ¶ *Istud*] Leg. *ejusmodi*; aut, *quale istud*. Heb. *sicut istud*. Hoc significat, Fortè non adepta esses Regnum nisi Deus per te servare voluisset populum suum hoc periculosissimo tempore. ¶ *Ad regnum*] Ad hoc regnum; cum emphasi.

15. *Ut responderent ipsi Mardochai*] Malo *ut referret ad Mardochæum*: *referret*, inquam, & non *referrent*, quamvis ità Tremellius ediderit, quia hæc dicta sunt uni Hathacho, qui Estheræ sermonem ad Mardochæum referebat, & contrà.

16. *Congrega*] Εἰς ἐκκλησίαν συνάγαγε, Josephus. ¶ *In Susan*] Urbe. ¶ *Qui reperiuntur*] Qui sunt: malè Vatablus *qui habitant*. ¶ *Tribus diebus*] Vel potiùs *tres dies*. Siquidem eo casu enunciant Latini tempus continuum. Vulg. *tribus diebus & tribus noctibus*; nescio an recipiendum sit. Nam tertio die Esther ad Regem adiit. Non ergò tres dies & tres noctes duravit hoc jejunium: ecce enim ait, *ego & puella mea jejunabimus sic*. Duravit tantùm duas noctes, unum diem plenum, & duos non plenos. Eodem modo locutio est Matth. 12. 40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ità erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes*. Adverte animum. Judæi diem naturalem incipiunt à vespera. Christus sepultus fuit feriâ sextâ, resurrexit feriâ primâ sequente; qui nobis est dies Dominicus; & tamen: sed hæc Theologis discutienda relinquamus. ¶ *Jejunabo sic*] Jejunabo similiter tres dies tam interdiu quàm noctu. ¶ *Tunc*] Tertio die. Libri qui à Stephano vulgati, *& ità ingrediar ad Regem*. In Ebræo ad verb. *& in sic*.

¶ *Quod*

¶ *Quod non est secundùm legem*] Quod est contra legem, ut videre licet v. 11. suprà. ¶ *Quandocunque peream, peream*] Acsi dicat, *Si pereundum est, peream sanè.* Trem. *cùm perierim, periero:* idem annotat isto modo locutionem esse Gen. 43. 14. *cùm orbatus ero, orbatus ero:* id notaverat antea scholiastes Ebræus Aben-ezra, à quo ille accepisse videtur.

GROTIUS.

1. *Quæ cùm audisset Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti*] Nullum omisit signum, quo suam non tam pro se quàm pro popularibus solicitudinem testaretur. ¶ *Voce magnâ clamabat*] Adjiciunt Græci, quid clamaverit; αἴρεται ἔθνος μηδὲν ἠδικηκός. Sic & Josephus, ὅτι μηδὲν ἀδικῆσαν ἔθνος ἀναιρεῖται.

2. *Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare*] i. Lugentem, ut apparet infrà 4.

3. *Crudele regis dogma*] i. Edictum, ut Lucæ 11. 1.

11. *Auream virgam*] i. Sceptrum.

13. *Ne putes quia animam tuam tantùm liberes quia in domo regis es præ cunctis Judæis*] In Hebræo, *Ne imagineris tibi fore ut temet* (unam scilicet) *de Judæis omnibus serves, idque in domo regis.* Ubi tot inimici, tot observatores.

14. *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi: & tu & domus patris tui peribitis*] Quippe

———Tam malum est
Semper tacere quàm malum est semper loqui.

¶ *Quis novit utrùm iccirco ad Regnum veneris*] Simile Gen. 45. 5.

16. *Et comedatis & bibatis tribus diebus*] Benè hoc interpretatur Josephus, ἐδωδῇ καὶ ποτῷ τοῖς ἡδέσι ἀποταξαμένη. ità enim ibi legendum. Tales erant Xerophagiæ istæ Tertulliano memoratæ, in quibus abstinebatur omni jurulentiâ & viridioribus quibusque pomis; nè quid vinositatis vel ederetur vel potaretur. ¶ *Et ego cum ancillis meis similiter jejunabo*] In Hebræo, *cum puellis meis:* sic & Lxx καὶ αἱ ἄβραι μου. Eæ sunt, ut alibi diximus, ministræ comites. Harum altera dominam prodeuntem manu sustentabat, altera portabat syrma. Josephus hîc. Vide ea quæ dicemus ad Judith 8. 26. ¶ *Et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens*] Sunt quædam tam violentæ περιστάσεις, ut in iis legem servare velle sit in leges præcipuas peccare. Addam quædam ex Valerio Maximo, *P. Scipio, cùm ad necessarium reipublicæ usum pecuniam ex ærario promi opus esset, idque quæstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, privatus claves poposcit, patefactóque ærario legem utilitati cedere coëgit.* 3. c. 7. n. 1. *Ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis auctoritas convellitur.* 3. c. 8. n. 6. *Agesilaus cùm adversùs rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi continuò abrogavit quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant: itaque ut semper esse possent leges aliquando non fuerunt.* 7. c. 2. n. 12. Sic & Lacedæmonios cùm ad Pylum captos infamiæ eximerent, dixisse ait Appianus, κοιμάσθων οἱ νόμοι τήμερον. ¶ *Tradénsque me morti & periculo*] In Hebræo, *& si moriar, moriar:* magnanima vox feminæ: Græci: ἐὰν καὶ ἀπολέσθαι με δέῃ. Josephus, ὑπισχνεῖτο, κἂν ἀποθανεῖν δέῃ, τοῦτο ὑπομένειν. Loquendi genus huic geminum Gen. 43. 14. in Hebræo.

CAP. V.

VATABLUS.

1. *Ut indueretur,* ותלבש] Sub. *vestimento;* aut *indumento:* verbale nomen eleganter suppletur ab Hebræis quod in verbo includitur, ut hîc vides. ¶ *E regione domûs regiæ,* נוכח בית המלך] i. Et atrium erat eregione domûs regiæ. ¶ *In domo regni,*&c. בבית המלכות וגו'] i. In palatio regio, eregione ostii domûs Regis.

2. *Tulit gratiam in oculis ejus,* נשאה חן בעיניו] Hebraismus, pro *grata fuit illi,* sive, *gratiosa fuit apud illum.* Similis locutio & suprà 2. 15.

3. *Usque ad dimidium,*&c. עד חצי וגו'] Ad verb. *usque ad dimidium regni, & dabitur tibi. Usque ad dimidium regni,* sub. *pete,* vel *sit petitio tua, certè mos geretur tibi.* Vel, *etiamsi petitio tua fuerit dimidium regni, dabitur tibi.*

5. *Citò accersite,* מהרו] Ad verb. *Festinate, Accelerate.*

6. *In convivio vini,* בשמתה היין] i. Inter pocula, sive inter bibendum. ¶ *Usque ad dimidium,*&c. עד חצי וגו'] Vide v. 3.

8. *Juxta verbum Regis,* כדבר המלך] i. Ut Rex jussit, proponam petitionem meam.

9. *Loco,* ממנו] Ad verb. *ab eo.* Relativum sine antecedente.

10. *Continuit autem se,* ויתאפק] i. Dissimulavit indignationem suam.

11. *Addiditque,* ויאמר המן] Ad verb. *Et dixit Haman.* ¶ *Accersivit,* הביאה] Ad verb. *fecit venire.*

13. *Quandocunque,* בכל עת] Ad verb. *in omni tempore;* vel *toto tempore.*

14. *Præparent,* יעשו] Ministri scilicet. ¶ *Postea ingredere,* ובוא] *Et ingredere.* Imperat. pro fut. q.d. *Quo facto ibis cum Rege lætus.*

DRUSIUS.

1. *Die tertio*] Qui erat 15 mensis Nisan. Rectéque Annales Ebræorum, *Quintadecimâ Nisan venit Esthera in conspectum Regis. Sextadecimâ suspensus est Haman.* Trem. *completo die tertio.* Hoc si erat, mirum cur non potiùs scriptum sit, *à fine diei tertii.* Sic enim aliàs loquuntur Ebræi. Atqui jejunium istud triduanum fuit: fuit; sed isto modo quo diximus, ut causa nulla sit cur à nativo verborum sensu recedamus. ¶ *Regio vestimento*] *Induit se vestimento regni,* i. regio: vel potiùs, *induit se regno* (nam vox *vestimento* non legitur in Ebræo) h.e. veste regiâ, ut sit locutio qualis in illo, *induit se sacco & cinere,* pro eo quod est *vestimento cinere consperso.* Ejusdem generis est *dormire mortem,* pro *somnum mortis.* ¶ *Et stetit*] Comites habuit duas ancillas, ut Josephus scribit, quarum una eam incumbentem leniter sustentabat ac ducebat, altera sequebatur ponè manibus tenens syrma vestis ejus. Quæ videri potest sumpsisse ex Bibliis Græcis: in iis enim ità scriptum est, παρέλαβε τὰς δύο ἄβρας· καὶ τῇ μὲν μιᾷ ἐπηρείδετο ὡς τρυφερευομένη, ἡ δὲ ἑτέρα ἐπηκολούθει κουφίζουσα τὴν ἔνδυσιν αὐτῆς. ¶ *Contra domum*] E regione, aut ex adverso, domûs. ¶ *Regis*] In qua Rex habitabat: erátque pars Regiæ, quæ mox *domus regni* dicitur. ¶ *Super solium regni*] De throno Regum Persarum. Athenæus, ὁ δὲ θρόνος, inquit, χρυσοῦς ἦν, ὃν περιειστήκεισαν τέσσαρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ' ὧν διετέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν, *Solium aureum erat quatuor columellis cinctum gemmis ornatis aureis: in quorum superficie expansa vestis varii coloris purpurea.*

2. *In atrio*] Interiore. ¶ *Tulit gratiam*] Obtinuit gratiam. ¶ *Extendit*] Protendit, porrexit. Ad hunc locum quæ Josephus, quæ Græci addiderint, videre est in ipsorum libris: mihi non libet ea nunc adducere. ¶ *Virgam auream*] Sceptrùm aureum quod manu gestabat. ¶ *Tetigit*] Utrùm manu an ore? Vetus interpres hoc postremum significavit, cùm ità verteret, *Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ipsius:* prius interpretatur Chaldæus; sic enim interpretatur, *extendit manum suam, & tetigit caput virgæ ipsius.* Sed quid causæ esse dicemus cur hoc fecerit? an erat signum summissionis? aut tetigit virgam periculi vitandi in quo erat? Nam, ut ait Josephus, ὁ ἀπτόμενος αὐτῆς ἀκίνδυνος ἦν.

3. *Ad dimidium regni*] Subintellige *pete*: acsi diceret, *Pete usque ad dimidium regni, & impetrabis.*

5. *Citò accersite*] In Hebræo est *Accelerate Hamanem*: elegans & antiqua dictio. ¶ *Ut faciat verbum Esther*] Ut veniat ad convivium ad quod Esthera eum vocat.

6. *In convivio vini*] *Postquam vinum bibisset* interpres vetus: non omnino displicet: præoptem tamen *in ea parte convivii in qua vinum bibebatur.* Vide Observationes nostras l. 12. c. 15. Trem. *cùm bibisset vinum.* Josephus μεταξὺ πίνων, i. interprete Ruffino, *inter poculorum lætitiam*: quomodo alius dixit *inter pocula.* Græcus ἐν τῷ πότῳ. ¶ *Quæ petitio tua*] Trem. *Quod postulatum tuum, & quæ petitio tua.*

8. *Si inveni gratiam*] *Invenire gratiam* est quod suprà dixit *tollere gratiam*: cujus interpretamentum *obtinere gratiam.* Hoc igitur dicit, *Si obtineo gratiam in oculis tuis, & si tibi bonum videtur.* ¶ *Veniat*] Cras. Invitat eos denuò ad convivium quod postridie facere instituerat. ¶ *Cras faciam*] Tum exponam petitionem meam.

9. *Die ipsâ*] Illo die. ¶ *Jocundus corde*] Ad verb. *bonus corde*: hilari animo, περιχαρὴς uno verbo dixit Josephus; & causam adjecit, quòd solus cum Rege vocatus esset ad convivium Reginæ. ¶ *Cùm vidisset*] Cùm videret Mardochæum, quòd non assurgeret sibi honoris causâ. ¶ *Nec sè movisset*] Neque se loco moveret. De hoc facto disputari potest in utramque partem, ut & in laude ponatur, & in vitio. Nam laudandus videtur Mardochæus quòd non assurrexit Hamani, primùm, quia homo improbus erat: dicit autem David, *Contemptus in oculis ejus* (loquitur de homine pio) *improbus & timentes Domini honorat*: deinde, quia inimicus. Scitum enim illud Ben-Syræ, *Qui honorat inimicum, similis est asino*: postremò, constantiæ causâ hoc ei faciendum fuit. Nam viri constantis est permanere in sententia, nec temere mutare. Cùm igitur antea Hamani honorem nullum exhibuisset, si id nunc fecisset, existimatum fuisset metu periculorum aut mortis fecisse. Sed & qui hostis est populi Dei, is nullo honore dignus censetur. Contrà culpandus videtur Mardochæus propter tres causas. Prima est, quia præceptum erat à Rege ut omnes summissè venerarentur Hamanem. Quòd si per legem Dei eum adorare non potuit, saltem assurgere debuisset; quòd lex Dei nusquam vetat. Altera est, quòd hoc facto populares suos in summum discrimen adduxit, nedum seipsum. Tertia, quòd peregrinus & exsul cùm esset, eò magis ipsum observare tenebatur, quem Persæ omnes indigenæ observabant. Adderem plura nisi vererer nè quis mihi illud, *Faber cùm sis, tractas non fabrilia.* ¶ *Repletus*] Ad verb. *& repletus.*

10. *Continuit se*] Vet. *dissimulavit iram.* ¶ *Zeres*] Antiquè *Zares*; ut *Habel, Hebel.* Ex *Zares* factum deinde *Zarasa*, quod est *Zorasa* in quibusdam libris. *Nam veteres in multis nominibus o* pro *a* usurpabant. Ex hac postrema scriptura emendandi codices Græci, qui habent Ζώσαρα, vitio, ut credibile est, librariorum. Nam in melioribus Ζώρασα· quomodo haud dubiè scribendum est. Vide 6. 13.

11. *Et multitudinem filiorum suorum*] Trem. *& amplitudinem filiorum suorum*: minùs probandum. Herodotus lib. 1. *Apud Persas*, inquit, *secundùm bellicam fortitudinem potior ducitur numerosa sobolis procreatio. Et qui quamplurimos liberos ediderit, huic Rex, tanquam strenuum quippiam præstiterit, singulis annis munera mittit.* Videatur Aben-ezra ad hunc locum. ¶ *Quibus magnificaverat*] Vide 3. 1. ¶ *Eum*] Supra *sedem ejus.*

12. *Vocatus sum ab ea*] Ad verb. *vocatus ei sum*, vel potiùs *vocatus ei.* Sensus autem est, *ab ea.*

13. *Totum hoc non est utile mihi*] Hæc omnia nihil me juvant, nihil delectant, quamdiu ad regiæ januam sedentem video Mardochæum.

14. *Aptent*] Aptetur, fiat. Ad verb. *Faciant.* ¶ *Lignum*] Patibulum, crux. ¶ *Quinquaginta cubitorum*] Altum quinquaginta cubitos. ¶ *Manè*] Cras mané. Stephani editio *crastinâ die*: secùs est in Ebræo. ¶ *Postea ingredere*] Ad verb. *& ingredere.* ¶ *Aptari jussit*] *Fecit*, i. jussit fieri: notum genus loquendi.

GROTIUS.

1. Induta est Esther regalibus vestimentis] Ovidius
———Auferimur cultu:

2. *Osculata est summitatem virgæ ejus*] Heb. *tetigit*: i. manum sceptro submisit.

3. *Etiamsi dimidiam partem regni petieris, tibi dabitur*] Sic & infrà 7. 2. mos loquendi regibus: sic & Marci 6. 23. Vide quæ ad Matth. 14. 7.

4. *Ut venias ad me hodie & Aman ad convivium quod paravi*] Post preces opus est prudentiâ, quæ Estheri non defuit. Non statim promit animi cogitata: sed disponit occasiones.

10. *Et Zares uxorem suam*] Euripides Andromachâ:

Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ.

12. *Quamdiu videro Mardochæum*] Non sciebat Estheri tam propinquum, & sciebat mortem non meritum. Erat Aman talis, qualem scriptor Oetæi Herculis ob oculos ponit:

Colit hic reges, calcet ut omnes
Perdátque aliquos, nullúmque levet.
Tantùm ut noceat cupit esse potens.

Egregia & rara illa laus in Senecæ Consolatione ad Polybium: *Nemo potentiam ejus injuriâ sensit.*

CAP. VI.

VATABLUS.

1. *Fugerat somnus à Rege*, נדדה שנת המלך] i. Noctem illam duxerat insomnem. ¶ *Dixit itaque*, ויאמר] *Dicere* pro *jubere* frequentissimum Hebræis. ¶ *Monumentorum*, הזכרונות] Ad verb. *memoriarum*; i. historiarum: ut scilicet illarum lectione falleret tempus nocturnum. ¶ *Verborum dierum*, דברי הימים] Per appositionem dictum, *librum monumentorum*, i. librum annalium.

2. *Inventúmque*, וימצא] Hanc historiam vide suprà 2. 21. ¶ *Liminis*, הסף] *Supellectilis*; i. vasorum aureorum.

3. *Non est factum*, &c. לא נעשה וגו'] i. Nihil prorsus honoris aut præmii repensum fuit illi à Rege.

5. *Regi pueri ejus*, נערי המלך אליו] Ad verb. *pueri Regis ad eum.*

6. *Cogitabat autem*, ויאמר] Ad verb. *& dixit.* ¶ *Cui optet*, &c. למי יחפוץ וגו'] i. Quem Rex majore honore afficeret quàm me? q. d. Neminem.

8. *Afferant*, יביאו] Sub. ministri Regis. ¶ *Quod impositum est*, ואשר נתן] i. Quod imponi solet. Alii hanc clausulam vertunt, *& in cujus* equi *capite impositum est* diadema. *Nam apud Persas*, inquit quidam Hebræorum, *solebat equus deferre diadema regni*: & certè postea non meminit coronæ; ut conjicere liceat hujus Hebræi opinionem esse veram.

9. *Tradant præterea*, ונתון] Infinit. pro fut. plur. tertiæ pers. *consignent.* ¶ *Antesignanis*, הפרתמים] *Nobilissimis ducibus exercitûs.* Vel (ut alii volunt) hæc vox significat *eos qui absente Imperatore exercitui præsunt.* Alii vertunt *in manum unius ex principibus Euphratis*: i. qui trans Euphraten habitabant.

10. *Nè cadere facias*, &c. אל תפל וגו'] Hebraismus, pro *cave nè prætermittas quicquam ex*, &c.

12. *Proripuit sese*, נדחף] Ad verb. *impulit sese*: i. quàm citissimè potuit recepit se in domum suam.

13. *Sapientes ejus*, חכמיו] Hîc vocat *sapientes* quos vocaverat *amicos*: i. quorum consilio uti solebat. ¶ *Ante cujus conspectum cœpisti cadere*, אשר החלות לנפול לפניו] i. Quo inferior esse cœpisti. ¶ *Sed cadendo cades*,

des, &c. כי נפול תפול לפניו] Hebraismus, Prorsus ab illo vinceris & superaberis.

DRUSIUS.

1. Fugerat *somnus Regis*] Rex insomnis erat. ¶ *Et dixit ut afferrent*] Jussit afferri. ¶ *Librum monumentorum verborum dierum*] Pro *monumentorum memoriarum* legitur in Ebræo; & est sensus, In quo memoriæ rerum quotannis vel etiam quotidie gestarum continentur: nisi potius ut *liber memoriarum* sit ὑπόμνημα, h.e. *commentarius memoriæ causâ conscriptus*. Sic Tremellius *librum commentariorum, chronica*; minus arridet. ¶ *Et lecta fuerunt*] Ut credibile est, ad fallendum tempus noctis, quam Rex insomnem ducebat. Literis proditum est solitum Persarum Regem matutinis horis excitari his verbis, *Surge, cogita quæ te cogitare voluit Mesoromasdes.* Sed hæc aliena fortasse quibusdam videbuntur.

2. *Et inventum est scriptum*] Libet adducere quæ ad hunc locum scribit Josephus, Τοῦ δὲ βασιλέως διὰ νυκτὸς ἐκείνης ἀφαιρεῖται (ὁ θεὸς) τὸν ὕπνον. ὁ δ' οὐ βουλόμενος ἀργῶς ἀπολέσαι τὴν ἀγρυπνίαν, ἀλλ' εἴς τι τῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ διαφερόντων αὐτὴν ἀναλῶσαι, τὸν γραμματέα κομίσαντα καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων τὰ ὑπομνήματα καὶ τῶν ἰδίων πράξεων, ἀναγινώσκειν αὐτῷ προσέταξεν. κομίσαντος δὲ καὶ ἀναγινώσκοντος, εὑρέθη τὶς δι' ἀριστείαν ἔν τινι γέρας εἰληφὼς χώραν· ἧς καὶ τὸ ὄνομα ἐγέγραπτο. ἕτερον δὲ διὰ πίστιν δωρεᾶς τετυχηκότα μηνύων, ἦλθε καὶ ἐπὶ Βαγαθῶ καὶ Θεοδέστην τοὺς ἐπιβουλεύσαντας εὐνούχους τῷ βασιλεῖ, ὧν Μαρδοχαῖος μηνυτὴς ἦν γενόμενος, &c. ¶ *Ex custodibus luminis*] Hos Josephus appellat φυλάσσοντες τὴν αὐλὴν alii, ἀρχισωματοφύλακες, ut interpres Græcus.

3. *Honoris*] Hîc *honoris* vocabulum accipio ut in illo, *Honora medicum*: &, *duplici honore digni sunt*: sensus est, *duplici præmio*. ¶ *Et magnificentiæ*] Aut magnificentiæ: nomen est ab eo verbo quo usus 3. 1. ¶ *Propter hoc*] Pro hoc indicio. ¶ *Non est factum cum eo quicquam*] Nihil omnino honoris aut amplitudinis in eum collatum est. Fals̀o igitur Severus Additiones apocryphas secutus de Mardochæo ità scribit, *Is compositas à duobus spadonibus Regi insidias prodiderat, atque eò charior summisque honoribus donatus.* Quid si diceremus eum initio munera accepisse absque honore? ut aliud sit *dare munus*, aliud *tribuere honorem*, qualis videlicet hîc tributus legitur jussu Regis Mardochæo. Certè quidem in Additionibus ad hunc librum disertè scriptum est, *datis ei pro delatione muneribus*: quod tamen & Josephus negat, & mihi non videtur. Vide quæ scripsimus Observat. l.12.c.16.

4. *Tum dixit Rex*] Priùs *percontatus est de hora noctis*, inquit Josephus, μαθὼν δὲ ὡς ὄρθρος ἐστὶν ἤδη, προσέταξε τῶν φίλων ὃν ἂν πρὸ τῆς αὐλῆς εὕρωσιν ἤδη παρόντα, τοῦτον αὐτῷ δηλοῦν. ¶ *In atrio*] Exteriore. Observat. l.12.c.22. ¶ *Ut diceret Regi*] Ut cum Rege ageret de suspendendo Mardochæo in patibulo quod ei erexerat ἐν τῇ αὐλῇ, ut est apud Josephum; cui tamen in eo non assentior.

5. *In atrio*] Josephus πρὸ τῆς αὐλῆς, imperitè. Idem paulò pòst, καὶ τὸν Μαρδοχαῖον εὑρὼν πρὸ τῆς αὐλῆς σάκκον ἐνδεδυμένον· qui locus apertè facit contra v. 10. proximè sequentem. Nam certè si in porta Regis sedebat, jam saccum exuerat. Nam ad portam illam sacco induto venire non licebat, ut habetur 4.2. Vide & 5.9.

6. *Quid faciendum est*] Quid facere decet. ¶ *Viro*] Ad verb. *in viro*. ¶ *Cujus Rex vult honorem*] Priùs erat *quem Rex honorare desiderat*. Trem. *cujus honore Rex delectatur*. ¶ *In corde suo*] In animo suo. apud se: ac si dicat, *Cogitabat apud se neminem esse cui Rex plus honoris deferre vellet quàm sibi.*

8. *Vestem regiam*] Ad verb. *regni*, i. interprete Josepho, *quam Rex gestabat*. Idem στολὴν eandem vestem appellat & πορφύραν, ut & interpres Chaldæus, *indumentum purpureum quo indui solet Rex*. Secùs est apud interpretem Græcum, καὶ στολὴν βυσσίνην ἣν ὁ βασιλεὺς περιβάλλεται. Xenophon l. 8. De Cyri institut. *Post quos jam Cyrus ipse prodibat in conspectum è portis in curru cum tiara recta & tunica purpurea semialba (alii verò semialbam habere non licet) & femoralibus circum crura colore hysgini tinctis, & toto purpureo candye.* ¶ *Super quo equitat Rex*] Ad verb. *quo equitavit Rex super eo*. Rex semper equo vehebatur, aut curru, ut probamus autoritate Athenæi, l.12. c.12. Observat. Vide locum. *Equitat*, equitare solet: hoc Ebræi per tempus præteritum enunciant. ¶ *Et detur*] *Et ponatur*, rectiùs alii. Imponatur, inquit, capiti ejus cidaris regia. ¶ *Diadema regium*] Est cur malim *cidaris regia*. Nam *Chether cidaris*, quæ Græcis κίταρις, & τιάρα. Xenophon loco suprà citato, *Habebat & circum tiaram diadema, idémque signi cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore signum illud retinent.* Ex quo videmus aliud esse *diadema* aliud *tiaram*, quæ & *cidaris*. Porrò diadema purpureum erat. Curtius lib.6. *Purpureum diadema, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* De cidari idem lib.3. *Cidarim Persæ capitis vocabant insigne: hoc cœrulea fascia albo distincta circuibat.*

9. *Viri ex principibus*] Unius alicujus ex principibus. ¶ *Principibus majoribus*] *Paratimis*; dictum de istis satìs supérque cap.1. Trem. *qui reguli sunt*; non laudo. ¶ *Et equitare faciant*] Trem. *transvehant eum equo illo per plateam civitatis*. ¶ *Per plateam*] Ad verb. *in platea*. Quidam *in foro urbis*. Sed negat Herodotus Persas foris uti, lib.1. οἱ Πέρσαι ἀγορῇσι οὐδὲν ἐώθασι χρῆσθαι, οὐδέ σφι ἐστὶ τὸ παράπαν ἀγορή. Quæ tamen intelligenda de foro rerum venalium. Nam forum erat apud Persas quod *liberum* vocabant, in quo & regia & archiva reliqua exstructa erant. Xenophon Cyropædiâ, ἔστιν αὐτοῖς ἐλευθέρα ἀγορὰ καλουμένη, ἔνθα τά τε βασίλεια καὶ τἄλλα ἀρχεῖα πεποίηται. ¶ *Et clament*] Sub. *præcones*.

10. *Et equum*] *Et equum illum*, ut suprá. ¶ *Ne cadere facias*] Dictio merè Ebraica: quam ità explanant, *Ne omittito quicquam eorum quæ à te dicta sunt*: probo.

11. *Et equitare fecit eum*] Trem. *& transvexit eum*. ¶ *Et clamavit ante eum*] Curavit ut ante eum proclamaretur; simile ut *fecit lignum*: aut, *clamavit præco*. ¶ *Sic fiet*] Trem. *Ita faciendum est*; non improbo.

12. *Et operto capite*] Ad verb. *opertus capite*, vel potiùs *capitis*; signum lugentium. Vide Observ. l.12.c.1.

13. *Zeres*] Antiquè *Zares*, ut diximus. Nam quod apud Graios Ζάσαρα mendum habet; scribendum enim Ζώρασα aut Ζάρασα, ut sit *Zarasa* pro *Zares* formâ nominis Chaldaicâ. In Collectaneis nom. propriorum, *Zares, Extranea miseria, vel, Extranea hereditas. Zar extraneus*; *Res, paupertas*; item *Jaras hereditatem adiit*: huc haud dubiè respexit autor libri illius. Sed quis ei assentiatur Persico nomini etymon Ebraicum attribuenti? Nam, ut scias, *Zeres* nomen Persicum est, non Ebraicum: quod apparet vel ex terminatione, quæ in *s*, Sin, quam Dores *San* vocant, ut Herodotus testatur. Sic terminantur *Chores, Dariaves, Ahasveros*, & alia ejus generis. Vide Observ. l.12.c.24. ¶ *Sapientes ejus*] *Sapientes quos habebat in consilio*, interpres vetus. ¶ *Si de semine*] *Si* hoc in loco alii accipiunt pro *etsi*; alii pro *quandoquidem*: ut sensus sit, *Quandoquidem tibi cum hac gente res, non est quòd speres fore ut superior evadas.* ¶ *Ante cujus conspectum cœpisti cadere*] Cui inferior esse cœpisti. ¶ *Cadendo cades*] Trem. *omnino cades*; & rectè.

14. *Pervenerunt*] Magìs probo *advenerunt*, ut est apud Tremellium. ¶ *Eunuchi Regis*] Apud Josephum οἱ τῆς Ἐσθήρας εὐνοῦχοι· perperàm: indicant & sequentia, Σαβουχάδας δὲ τῶν εὐνούχων εἷς. Nam Sabuchadas is est qui in historia Ebraica *Harbona* dicitur; hoc certum ex ipso Josepho. Jam illud quoque certum, Harbonam fuisse unum ex spadonibus Regis: paret ex c.7.9. & ex 1.10. *Hic cùm videret crucem erectam in domo Hamanis, sciscitatus est ex uno è famulis ipsius quid sibi ea crux vellet & quorsum ibi erecta esset: cùmque didicisset erectam esse ut Mardochæus reginæ patruus in eo suspenderetur, Hamanémque ejus rei gratiâ Regem interpellaturum, tum quidem siluit; postea,* cùm accidissent ea quæ mox referentur, *rem omnem Regi aperuit*; ità Josephus: neque ego indignum duxi quod hîc annotarem, unde unde tandem acceperit; nam de eo mihi non constat. ¶ *Præparaverat*] Heb. *fecerat*.

GRO-

GROTIUS.

1. *Jussitque sibi afferri historias & annales*] Diurna, ut diximus suprà 11. 23. γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν, Græci hoc loco: mos autem erat Persarum libris inscribere nomina eorum qui regi operam navassent egregiam. Herodotus Urania: φύλακος δὲ εὐεργέτης βασιλῆος ἀνεγράφη. Xerxes in epistola ad Pausaniam: κεῖσταί σοι εὐεργεσία ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ ἐσαεὶ ἀνάγραπτος. Exstat apud Thucydidem 1. Procopius Gothicorum 2. φίλον μὲν αὐτὸν ἐν τοῖς μάλιστα Χοσρόη βασιλεῖ ἐκ τοῦ ἔργου τούτου ἰσχυρισάμενος ἔσεσθαι, Πέρσαις δὲ ἀνάγραπτον ἐπ' εὐεργεσίᾳ εἰς τὸν πάντα αἰῶνα.

3. *Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est?*] Digna cura regum magnitudine, nullum insigne benefactum sine præmio relinquere. Turpe regi, beneficiis vinci.

6. *Cogitans quòd nullum alium rex nisi se vellet honorare*] Specimen egregium hominis superbi & dulci fortunâ ebrii.

8. *Debet indui vestibus regiis*] Vide Gen. 41. 42. infrà 8. 15. ¶ *Et imponi super equum qui de sella regis est*] Quo rex uti solet. ¶ *Et accipere regium diadema super caput suum*] Tiaram inflexum qui regulis concedebatur, cùm rectum, qui & cidaris, solus rex magnus gestaret, Herodotus libro 7. כתר, quod hic in Hebræo est, satis latè patet, & qualecunque insigne honoris significat, ità ut Josephus transtulerit στρεπτὸν χρυσοῦν. Suprà ubi de Augustæ ornamento agitur, eadem est vox 1. 11. 2. 17.

9. *Clamet & dicat: Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare*] Simile vide Gen. 41. 43.

13. *Cui respondebant sapientes quos habebat in consilio*] Quorum operâ in sortibus jaciendis usus erat, 3. 7. ¶ *Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere*] Ex fato populorum de singulorum fatis judicabant. Judæi gravissimè oppressi, à Cyri temporibus contra spem omnem resurgere cœperant: de Amalecitis audierant oraculum esse, eos Judæorum manu perituros.

14. *Et citò eum*] Cunctabundum ob mala ista omina.

CAP. VII.

VATABLUS.

1. *Ad bibendum cum Esther*, לשתות עם אסתר] i. Ad convivium paratum ab Esther.

2. *In convivio vini*, במשתה היין] i. Inter pocula. Potissima enim pars convivii sita erat in vino. ¶ *Usque ad dimidium regni*, עד חצי המלכות] Sub. *pete*, ut suprà 5. 3.

3. *Regi*, על המלך] Hic על pro אל ¶ *Detur mihi anima mea*, תנתן לי נפשי] Hebraismus, Postulo ut mihi & populo meo liceat vivere, nè pereamus.

4. *Ut disperdamur*, &c. להשמיד וגו'] Ad verb. *ad delendum* [vel, *perdendum*] *ad occidendum* [vel, *jugulandum*] *& ad perdendum.* ¶ *Compensare posset damnum Regis*, שוה בנזק המלך] *Sarcire* [*exæquare*] *posset jacturam Regis*, datâ scilicet pecuniâ, q. d. Nullus pecuniâ ullâ sarcire posset jacturam quam faceret Rex si Judaicus populus servitutem servirent. Hoc dicit propter pecunias quas Haman Regi obtulerat. Rex autem magnam fecisset jacturam pereuntibus Judæis: nam multa ab illis tributi nomine accipiebat.

5. *Cujus cor persuasit illi*, אשר מלאו לבו] Ad verb. *cujus replevit eum cor ejus*, i. cujus cor incitavit ipsum, sive quem incitavit cor ipsius, h. e. qui sibi persuasit ut venderet vos? q. d. Quis tam temerarius ut audeat tantum facinus aggredi?

6. *Territus est*, נבעת] *Obstupuit, turbatus fuit*, q. d. Non potuit ultrà ferre conspectum Regis & Reginæ.

7. *In furore suo*, &c. בחמתו וגו'] i. Mirum in modum iratus discessit à convivio. ¶ *Ad hortum*, אל גנת] Subaudiendum verbum, *ut iret ad hortum.* ¶ *Ut peteret*, &c. לבקש על נפשו] i. Ut vitam suam peteret ab Esther, h. e. ut ipsa intercederet apud Regem nè moreretur. ¶ *Completum esset sibi malum à Rege*, כלתה אליו הרעה מאת המלך] *Consummata esset sibi afflictio à Rege*, i. videbat sibi mortem imminere à rege: *malum* vocat perniciem, miseriam & afflictionem.

8. *Ceciderat*, נופל] *Corruerat, decubuerat*, i. jacebat more supplicum ad pedes Esther quæ jacebat super lectum. ¶ *Opprimere*, לכבוש] Ad verb. *ad opprimendum*, sub. *venis*, i. audes, sive conaris vim inferre Reginæ? ¶ *Me præsente*, עמי] Ad verb. *mecum.* ¶ *Verbum illud*, &c. הדבר יצא וגו'] i. Statim ut hæc dixit Rex, ministri ejus operuerunt faciem ejus, nè posthac videretur à Rege, & magìs succenseret illi. Solebant enim Persæ operire faciem ejus in quem Rex esset iratus. Alii vertunt, Statim ut *verbum illud egressum est ab ore Regis, tunc facies ejus fuerunt tectæ*, sive *opertæ*, i. præ pudore operuit faciem suam, sive erubuit mirum in modum. Alii, *corruit facies ejus*, i. effectus est tristis admodum.

9. *En etiam lignum*, גם הנה העץ] *En adhuc lignum*, vel, *patibulum.* ¶ *Qui locutus est bonum pro Rege*, אשר דבר טוב וגו'] i. Qui rem utilem Regi nunciavit: detexit enim insidias eunuchorum.

DRUSIUS.

1. *Ad bibendum cum Esthera*] Ad Estheræ convivium. Nam convivium sic appellant Ebræi à *bibendo*, ut Græci συμπόσιον ergò *ad bibendum* valet illud *ad epulandum*; ut suprà, *sederunt ad bibendum*, 3. 15.

2. *Die secundo*] Die secundi convivii. ¶ *In convivio vini*] Severus, *cùm jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset.* Vide suprà 5. 6. Memoriæ proditum Reges Persarum uti solitos vino Chalibonio. Iidem aquam bibebant quæ *aurea* dicebatur, capitis pœnâ propositâ si quis illam in potu adhibuisset præter Regem & filium Regis. Sed & potus eis erat aqua ex Choaspe fluvio, qui Susas præterlabitur: cujus rei autor est Herodotus, ut facilè crediderim in mensa Regis primùm aquam, deinde vinum appositum fuisse, quæ pars convivii propriè dicta sit *convivium vini.* Sic olim judicavi; nec adhuc pœnitet. ¶ *Usque ad dimidium regni*] Apparet aliquid desiderari, & sanè desideratur *pete*, aut copula *&* in sequentibus abundat.

3. *Et respondit Esther*] Severus hîc, *Esther genibus Regis advolvitur:* quod vanum videtur, cùm mensæ accumberent. ¶ *Si inveni gratiam in oculis tuis*] Si quid apud te valeo; Si in ulla gratia sum apud te. ¶ *Anima mea*] Vita mea. Sic accipitur aliquando apud autores profanos. Sallustius, *quem quisque locum pugnando vivus ceperat, eum amissâ animâ corpore tegebat.* ¶ *Pro petitione mea*] Trem. *ad postulatum meum.* Verbum è verbo *in petitione mea.* Sensus est, Peto ut mihi & populo meo vita concedatur. ¶ *Populus meus*] Vel, *populi mei*; ut repetatur *vita* ἀπὸ κοινοῦ. ¶ *Pro postulatione mea*] Trem. *ad petitionem meam.* Vet. *Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro.*

4. *Venditi sumus*] Vetus interpres *traditi sumus:* ità quidem verbum Ebraicum aliquando significat; sed hîc respexisse videtur mihi Esthera ad oblationem pecuniæ quam se Haman soluturum esse in fiscum promiserat dummodo Judæi perderentur, de qua 3. 9. & 4. 7. itaque meliùs interpres Græcus ἐπράθημεν. ¶ *Ad disperdendum*] Trem. *quos perimant, interficiant & perdant.* ¶ *Ad perdendum*] Valet illud *ut perdant nos homines*, neque malè vertit qui vertit *ut perdamur.* ¶ *Quòd si*] Ad verb. *Et si.* ¶ *In servos venditi fuissemus*] Non dicit *ad servitutem dediti*, sed *venditi.* Nam in mente habuit lucrum quod Regi accessisset si tot millia hominum decreto publico vendita fuissent. ¶ *Hostis nequaquam compensare posset*] Ad verb. *non recompensaret.* Haman non poterit sarcire

sarcire damnum quod Regi obveniet ex cæde Judæorum. Alia expositio; Non æstimat adversarius damnum quod Rex faciet ex laniena ista: alioqui potius suasisset Judæos omnes in servitutem addici; quod Regi Regnóque utilius fuisset. Sed non malè etiam verteretur *Sar adversitas*, hoc modo, *adversitas non æquiparatur cum damno Regis*: acsi dicat, Parum esset Judæos omnes deleri, nisi etiam Rex maximum damnum indè consequeretur; quippe qui magnam vim pecuniæ quotannis ab eis tributi nomine accipiat. Trem. *Sed non est iste hostis utilis, damnosus est Regi.*

5. *Quis iste, & ubinam iste*] Verba hæc indicant animum Regis ex ira graviter commotum fuisse, eodèm pertinet geminatio verbi *dixit*. ¶ *Cujus cor persuasit ei*] Qui hoc facere in animum induxit suum. Ad verb. *Qui replevit cor suum ut faceret sic.*

6. *Pessimus iste*] Sic Interpres Vetus: & placet. ¶ *Territus est*] Obstupuit, attonitus fuit. ¶ *A facie Regis & Reginæ*] Vetus, *vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens*: non improbo.

7. *Surrexit*] *Surrexit & abiit*: unum pro duobus. Isto modo phrasis est apud Salomonem, *capies carbones ignis super caput ipsius*, pro *capies & pones*. Exemplorum talium pleni sunt libri. ¶ *In furore suo*] Iratus. ¶ *A convivio vini*] Josephus simpliciter ἐκ τοῦ συμποσίου· fortean *convivium vini* dicebatur pro *lauto & opiparo*, quòd in talibus vinum adhiberetur. Severus, *sed Rex amici memor paulisper cunctatur, deliberandique gratiâ modicùm secessit.* ¶ *Ad hortum palatii*] In hortum regiis ædibus contiguum. Vetus *in hortum arboribus consitum*. Chaldæus *in hortum interiorem*. Vide suprà 1.5. ¶ *Mansit*] Remansit, substitit: Ad verb. *stetit*; ut, *terra in perpetuum stat*, i. manet. ¶ *Ut peteret pro anima sua*] Rogaret Reginam pro vita sua. ¶ *Vidit quòd completum esset*] Vidit sibi omnino impendere, aut definitum esse, malum à Rege.

8. *Ceciderat*] Prociderat ante Estheram ut eam oraret pro vita sua. ¶ *Super quo erat Esther*] In quo Esther accumbebat. ¶ *Num etiam ut subagitet*] Duriusculè versum: malim, *Etiámne ad subigendam Reginam mecum est in hac domo? Subigere* hîc est comprimere, stuprare, βιάζεσθαι. Non malè etiam vertas, *Etiámne Reginam me præsente domi comprimat?* ¶ *Mecum*] Me præsente, vel *apud me*. ¶ *In domo*] In domo convivii vini: acsi dicat, An ideo mecum est in hac domo ut uxorem meam comprimat? ¶ *Verbum egressum est ex ore Regis*] Hæc Rege elocuto. ¶ *Operuerunt*] Sub. *ministri*, sive *eunuchi*, Regis. Vide quæ observamus ad hunc locum l.12. c.18.

9. *Harbona*] Vel *Charbona*; pluma non interest hoc an illo modo scribas. Hic apud Josephum *Sabuchadar* vocatur sive, ut exemplar Græcum habet, Σαβουχάδας. ¶ *Unus ex eunuchis coram Rege*] Ex eunuchis Regis. *Eunuchus coram Rege*, perelegans loquendi genus: nos diceremus, *ex eunuchis qui ministrant coram Rege*. ¶ *En etiam lignum*] τοῦτο γὰρ αὐτῷ πυνθανομένῳ τῶν οἰκετῶν εἰπεῖν, ὅτε καλέσων αὐτὸν ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἔλθοι πρὸς αὐτόν, Josephus. ¶ *Lignum*] Patibulum. ¶ *Qui locutus est bonum pro Rege*] Malo *qui bene locutus est de Rege*. Sensus est, *Qui detectâ conjuratione spadonum bene de Rege meritus est.* Tales Persicâ linguâ *Orosangæ* dicebantur: de quibus l.12. cap.16. Observat. ¶ *Altitudinis*] Vel *altum*, quinquaginta cubitos.

10. *In ligno*] *In patibulo illo*, cum emphasi. Patibulum alio modo *lignum geminum* appellatur, & *lignum suspendii*. & *lignum* simpliciter, h.e. *Es per s*, Sode, quæ vox etiam *arborem* designat. ¶ *Quod paraverat pro Mardochæi*] Quantò meliùs *quod paraverat Mardochæo*. ¶ *Quievit*] Sedata est.

GROTIUS.

2. POstquam *vino incaluerat*] Quod amoribus suscitabulum est.

3. *Dona mihi animam meam pro qua rogo*] Quid poterat dici ingeniosius? nam & ipsa Judæa erat.

4. *Cujus crudelitas redundat in regem*] Multa enim tributa rex capiebat è Judæis. Qui regi proponit vel honestissima, rectè fecerit, si etiam de utilitate aliquid addat.

8. *Super lectulum corruisse in quo jacebat Esther*] Cœnabant ergò in lectulis, ut Græci & Romani. ¶ *Etiam reginam vult opprimere*] Vide quàm sit lubricus in aula viventium status, ut suspiciones, sæpe etiam non veræ, ad eorum perniciem valeant. Aman tamen hoc malum à Deo erat meritus: etenim Reginam opprimere voluerat, quanquam alio sensu. ¶ *Statim operuerunt faciem ejus*] Nempe adstantes aulici caput obnupserunt: quod fieri solitum iis quibus Rex iratum se ostenderat, notavit Abenesdra.

9. *Dixitque Harbona*] Hîc in Græco est Βουγαθάν, in Josepho Σαβουχάδας· unde apparet quantum in nominibus propriis variaverint codices. ¶ *Appendite eum in eo*] Ex vetere verbo,

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

& illo,

——— τοῖς αὑτῶν πτερροῖς
Ἁλισκόμεσθα.

10. *Suspensus est itaque Aman*] Ταῦτ' ἐστι τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας, dicebat Aratus Sicyonius.

CAP. VIII.

VATABLUS.

1. DOmum, [את בית] i. Familiam. ¶ *Ingressus est ante Regem*, [בא לפני המלך] i. Admissus fuit in conspectum Regis, h.e. in familiam regiam: q.d. Exaltatus fuit. ¶ *Quid ipse sibi esset*, [מה הוא לה] Sic etiam Gallicè, *ce qu'il luy estoit*: i. indicavit esse suum patruelem.

2. *Receperat*, [העביר] Ad verb. *transire fecerat*. ¶ *Posuit*, [ותשם] *Constituit*; i. præfecit familiæ Haman.

3. *Addidit præterea*, [ותוסף] Sub. *priori postulationi*. Quidam vertunt, *Rursum quoque Esther locuta est.* ¶ *Ut irritam faceret*, [להעביר] Ad verb. *ut transire faceret*: i. depelleret & abigeret à se & à populo suo insidias quas struxerat eis Haman. Seipsum mox exponit.

5. *Placet*, [טוב] *Bonum sit.* ¶ *Ac placeo in oculis ejus*, [וטובה אני בעיניו] Ad verb. *& bona* sum *in oculis ejus*: i. grata & chara sum illi. Rem eandem pluribus verbis effert, ut affectum suum magis exprimat. ¶ *Ut revocentur*, [להשיב] Ad verb. *ad retractandum*: vel, *revocandum*. ¶ *Cogitationis*, [מחשבת] *Machinationis*: i. quæ continent machinationem Haman. Seipsum mox exponit.

6. *Potero videre*, [אוכל וראיתי] Ad verb. *potero, & videbo*: i. potero vivere, si videam, vel videndo calamitatem quæ eveniet populo meo? Eadem locutio mox sequitur. ¶ *Perditionem cognationis meæ*, [באבדן מולדתי] *Perniciem* [*interitum*] *generis mei*? i. populi mei. Vel, *quòd intereat cognatio mea*? aut, *cùm interierit*, ut redundet ב. Aut, *interire eos*, appositivè *cognationem meam*: ut sit ב vice כ. aut ב refert *animas*, & sic erit infinitivus, & per Cames; alioqui nomen, & per Pathah.

8. *Prout vobis videbitur*, [כטוב בעיניכם] *Ut visum vobis fuerit.* Ad verb. *sicut bonum* est *in oculis vestris*. ¶ *Non licet revocare*, [אין להשיב] Ad verb. *non ad revocandum*.

9. *Tempore illo*, [בעת ההיא] i. Mox, illico, tunc, illo ipso tempore. ¶ *Omnino ut præcepit*, [ככל אשר צוה] Ad verb. *juxta omnia quæ præcepit*. ¶ *Centum*, &c. [ומאה וני'] Subaudiendum, *ad principes, inquam, centum*, &c. ¶ *Juxta scripturam earum*, [ככתבה] i. Characteribus quibus uti solent.

10. *Velocissima animalia*, [הרכש] *Opes regias*; i. Animalia pretiosa, sive magni pretii: vel, animalia velocissima: unde *dromedarios* quidam verterunt. ¶ *Mulos*, [האחשתרנים]

האחשתרנים] Doctus inter Hebræos dicit hanc vocem significare *animalia magna & honorabilia ex duobus generibus, Equâ & Asino.*

11. *Quòd Rex daret,* אשר נתן המלך] Subaudiendum, *Scripsit, inquam, Mardochæus quòd Rex daret,* sive *permitteret, Judæis,* &c. ¶ *Et starent pro anima sua,* ולעמד על נפשם] Hebraismus, tuerentur vitam suam, ac defenderent sese. ¶ *Oppugnantium,* הצרים] *Tribulantium:* i. qui ipsos invaserunt, vel, *oppugnantes:* ut referat *omnem exercitum.*

12. *Die uno,* ביום אחד] Subaudi, *Ut starent, inquam, pro anima sua,* sive *tuerentur vitam suam, die uno, nempe decimotertio.* Versus iste pendet à principio versûs præcedentis, *Scripsit quòd Rex daret,* &c.

13. *Exemplar scripturæ,* פתשגן הכתב] i. Summa literarum quas misit erat talis. ¶ *Ut daretur lex,* להנתן דת] *Ut poneretur decretum;* i. ut promulgaretur lex, vel ferretur, nota omnibus populis. ¶ *Ut essent,* ולהיות] Hic ו redundat.

14. *Animalia velocissima,* הרכש] Vide v. 10.

15. *Et cum corona,* ועטרת] Subauditur ב, *in corona:* i. *redimitus coronâ aureâ magnâ, & ornatus pallio byssino & purpureo.*

16. *Id est lætitia,* ושמחה] Ad verb. *& lætitia.* Hic ו pro *id est* positum declarat quod dixerat *lucem obortam Judæis.*

17. *Cecidit pavor,* &c. נפל פחד היהודים עליהם] i. Timebant sibi à Judæis.

DRUSIUS.

1. *Eodem die*] Ad verb. *In die illo.* ¶ *Domum Haman*] Familiam Hamanis omnésque ejus facultates. Severus, *ità Haman cruci affigitur, omniáque bona ejus Mardochæo data.* Quæ sanè intelligenda. Non enim ea bona data Mardochæo à Rege, sed Estheræ, quæ postea Mardochæum eis præfecit. ¶ *Quid sibi esset*] Quæ sibi intercederet cum eo cognatio. Lat. Vulg. *quòd esset patruus suus.* Sic & Aben-ezra. Mirum in re tam perspicua virum tantum hallucinari. Certum enim est Mardochæum & Estheram patrueles fuisse, h. e. ἀνεψιὸς. Vide 2. 5.

2. *Et abstulit*] *Removit.* Detraxit sibi è manu. ¶ *Quem receperat*] Quem abstulerat Hamani. Ad verb. *transire fecerat.* ¶ *Posuit in domo*] Præposuit eum domui Hamanis. Posset exponi *dedit ei bona Hamanis,* ut *ponere* sumatur pro *dare,* quemadmodum in illo, *& posuit mihi Deus semen pro Habel;* sensus enim est, *& dedit.* Sic δοῦναι & τιθέναι permutantur apud Graios.

3. *Addiditque Esther & locuta est*] Iterum locuta est, videlicet post suspensum Hamanem. ¶ *Rogavit eum*] Deprecata est eum. ¶ *Irritam faceret*] Ad verb. *transire faceret.* ¶ *Malitiam Haman*] Seipsum explicat cùm ait *& cogitationem ejus quam cogitavit contra Judæos.* Nam & hîc sumitur pro *id est* ἐξηγητικῶς. Intelligit autem literas quas Haman nomine Regis ad perdendos scripserat Judæos. ¶ *Agagita*] Vel *Agagæi.*

4. *Virgam auream*] Sceptrum aureum, quod in manu habebat. Ad verb. *virgam auri.*

5. *Si inveni gratiam*] Si quid gratiâ valeo. ¶ *Rectáque res*] In Ebræo, *& rectum verbum coram Rege.* Hîc *rectum Chaser* dicitur, cùm in frequentiore usu sit *Jasar* eo quidem sensu. Tremellius hunc locum sic interpretatur, *hoc est, si recta videtur hæc res coram Rege: &* pro *hoc est,* ut suprà. ¶ *Ac placeo in oculis ejus*] Ad verb. *& bona ego in oculis ejus.* ¶ *Ut retractent*] Ad verb. *ut reducant:* ut revocent, ut rescindant. ¶ *Literas cogitationis Haman*] Constructio Ebraica poscit *literas cogitationem Haman;* potest etiam verti *ut revocentur literæ cogitatio Haman.*

6. *Videre*] Ebr. *& videbo.* ¶ *Quod inveniet populum meum*] *Quod obventurum est populo meo,* Tremellius & Junius. ¶ *Potero videre*] Ebraicâ phrasi hoc dicitur *potero & videbo.* ¶ *Perditionem cognationis meæ*] Vel *interitum generis mei.* Ebr. *in perditionem.*

7. *Quòd miserit*] Struendo eis exitium; aut *miserit* valet *mittere cogitarit.*

8. *Jehudæis*] Corrige *pro Judæis;* perspicuè verum. Siquidem literæ scriptæ sunt non ad Judæos tantùm, sed etiam ad satrapas, duces & præfectos provinciarum. ¶ *Prout vobis videbitur*] Ad verb. *sicut bonum est in oculis vestris.* ¶ *Annulo Regis*] i. *Meo,* nomen loco pronominis. ¶ *Scripturam*] Literæ scriptæ nomine Regis & signatæ annulo Regis irrevocabiles sunt. Proinde opus est ut vobis aliâ ratione consulatis quàm edicti revocatione, cùm illud ex lege Persarum ac Medorum revocari nullo modo possit. Videatur Aben-ezra in commentariis ad hunc locum.

9. *Ipse est Sivan*] In Latina vetere *Siban, b* pro *v,* ut in *Jabe,* Δαβὶδ, & similibus exemplis. In Græca ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ, ὅς ἐστι Νισα. Emenda meo periculo ἐν τῷ τρίτῳ μηνὶ, ὅς ἐστι Σιυάν. Σιυάν, i. *Sivan.* Mentio hujus Baruchi 1. 8. τῇ δεκάτῃ τοῦ Σιυάν· error natus ex imperitia librariorum, qui nomen minùs notum permutarunt cum notiore. Notius enim nomen est *Nisan.* Scitum illud, *Vara vibiam sequitur;* itaque & pro ἐν τῷ τρίτῳ scripserunt ἐν τῷ πρώτῳ· est enim Nisan in ordine mensium primus. Hic mensis ab Atticis vocatur Βοηδρομιὼν, Macedonibus Δαίσιος sive Δαισιος· respondet partim Maio partim Junio nostro. ¶ *Vigesimatertiâ*] Ad verb. *tertiâ & vigesimâ.* ¶ *Ad principes*] Trem. *ad satrapas;* vehementer probo *Asdarpanes.* Vide quæ scripsimus Observ. l. 12. c. 13. ¶ *Principes provinciarum*] Trem. *præfectos provinciarum;* & hoc probo. ¶ *Centum & viginti septem*] Ad verb. *septem & viginti & centum.* ¶ *Singulis provinciis juxta scripturam earum, & singulis populis juxta linguam eorum*] Ad verb. *provinciæ & provinciæ juxta scripturam ejus, & populo & populo juxta linguam ejus.*

10. *Per manum cursorum in equis*] Duo hîc notanda; primum hoc *per manum cursorum,* quod tantundem valet acsi dicas *per cursores:* deinde notanda locutio, quæ sanè perelegans est, *cursores in equis;* hos Latini *veredarios* appellant, nisi fallor. ¶ *Equitantium velocissima animalia.* Trem. *equitantes in equis angariis.* Ergò *Reches equi angarorum?* non opinor: Primùm quia id nomen ab *equo* perspicuè distinguitur 1 Reg. 4. 28. deinde scriptum est Mich. 1. 13. *Junge currum τῷ Reches;* nam ad currus non jungebantur equi angarorum, ut existimo. Dicam de hac voce plura aliàs, si Deus potestatem faciet. ¶ *Mulos*] Trem. & Jun. *Regios cursores.* Horum sententiâ *Astheranes* hîc sunt quos Suidas *Astandas* vocat: fortè ità est, & *Astandæ* dicti quasi *Astanræ,* versâ *R* literâ in *D;* ut *Rodanim, Dodanim; Arvocatus, Advocatus.* Communis opinio tenet *Astheranes* vocari mulos ex equa & asino, quam tuentur ex Ebræis Aben-ezra & D. Camius. Hos secutus est deinde Santes, cujus interpretationem ut nec probo, nec refello: ità in medium, ut quisque de eo opinetur quod velit, relinquo. Vide Observ. l. 12. c. 13, & 19. ¶ *Filios equarum*] Trem. *natos angaris.* *Rammach angarus;* de quo tamen ampliùs quærendum puto. In lingua Arabica *Ramcha equa:* hinc vulgatum illud *filios equarum.* Notatum hoc in scholiis Aben-ezræ, & apud Camium libro ubi vocum sensa collegit. Fortè *Rammachim veredarii,* qui sic dicti à *veredis* equis cursûs velocissimi. Nihil affirmo. Quod effugerat, non effugit. In scholiis Jarii, *Astheranes sunt cameli ejus generis miræ velocitatis.* Non adduxissem ista nisi in schedis meis reperissem, *Sethar camelus Persicè.* Andreas Bellunensis, *Astir linguâ Persicâ Camelus; unde Astergar, spina cameli. Aster* integrum est *Ahaster:* hujus plurale *Asteran, cameli dromades* (ut *Presstegan, apostoli*) & formâ nominis Ebraicâ *Astheranim.* Libet adjicere conjecturam aliam, quæ mihi cùm hæc scriberem quasi sub manu nata; *Ahas* in lingua Persarum, *magnus; Sethar, camelus:* junctim *Astheranes,* in suo genere *cameli cursu præstantes & velocitatis eximiæ.* Conjectura est, fateor, quæ mihi neutiquam probatur; tamen eam præterire nolui, ut aliis darem latiùs de hac voce cogitandi occasionem.

11. *Quod dedit*] Refertur ad verbum *scripsit*, hoc sensu, *Scripsit nomine Regis concessisse eum Judæis*, &c. ¶ *In omnibus & singulis civitatibus*] Vel *in qualibet civitate*. Ad verb. *in omni civitate & civitate*. ¶ *Ut starent pro anima sua*] Ut tuerentur vitam suam, ut pugnarent pro vita sua. *Stare* hic est quod Euripides dixit Græcè loquens ὁρθὸς ἀσπίδα εἶναι, Ennius *sub armis cernere*. Sic accipio Psal. 94. 16. *quis stabit mihi cum malis?* ut hoc dicat, Quis mecum pugnabit contra malos? ¶ *Omnem exercitum*] Trem. *omnes copias*. ¶ *Oppugnantium eos*] Quæ adversantur eis. Trem. *quæ hostiliter invadent ipsos*. ¶ *Parvulos & feminas*] Refertur ad τὸ *ut perderent*. ¶ *Spolia eorum*] Bona eorum. Vide Quæstionum lib. 2. quæst. 40.

12. *Die uno*] Trem. *die eodem*: Videlicet quo Haman statuerat delere ipsos Judæos. ¶ *Decimatertiâ*] Ebr. *tertiâ decimâ*.

13. *Ut daretur*] Ut proponeretur, ut constitueretur. ¶ *In omnibus & singulis provinciis*] Ad verb. *in omni provincia & provincia*.

14. *Animalia velocissima*] Reches. De hac voce fusè diximus in Miscellaneis nostris. ¶ *Mulos*] *Camelos dromadas*. Jarius olim exposuit. Vide quæ scripsimus suprà ver. 10. voce *equarum*. ¶ *Egressi sunt accelerantes & festinantes ad verbum Regis*] Trem. *prodierunt celere ac citato cursu cum verbo Regis*. *Edictum Regis perferentes*, Interpres Vetus: probo. ¶ *Data est*] Proposita est.

15. *In veste regali*] Amictus veste regiâ. Trem. *cum indumento regio*, placet. ¶ *Hyacinthinâ & candidâ*] Ad verb. *Hyacinthi & candoris*. A *candore* nobiles dicti sunt *Horim*, quasi *candidati*. Ejusdem coloris vestes induebant olim diebus festis ac lætis: ex quo illud, *Quovis tempore vestimenta tua candida sunto*. Sed hæc πάρεργα fortasse nonnullis videbuntur, ¶ *Et amictu byssino*] Trem. *Et stolâ byssinâ*. Ebr. *byssi*. ¶ *Purpureo*] Ad verb. *purpuræ*, vel *purpurâ*. ¶ *Civitas Susan*] Judæi qui Susis erant. ¶ *Exsultabat*] Ità Vetus Interpres: nec dissentit Camius in libro Radicum. Trem. *lucebat*. Sic & Aben-ezra. Usus est hoc verbo David, Psal. 104. 15. *Ut nitidam reddat faciem præ oleo*. Est & vox hinnientis equi propria.

16. *Lux*] Σωτήειον φέγγος, Josephus. ¶ *Et lætitia*] *Lux & lætitia* valet Tremellio & Junio *illustris lætitia*. Alii, in queis Vatablus, legunt, *lux, id est, lætitia*. Nam *lucis* metaphora *lætitiam ac salutem* denotat, ut in illo, *Lux seminata est justo*, & Job 3. 20. *dedit afflicto lucem*. Quomodo etiam Homerus locutus est Iliad. ζ.

——— φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκαν.

Itaque scholia hîc annotant, φόως, τουτέστι χαρὰν, σωτηρίαν. ¶ *Et honor*] Trem. *& gloria*.

17. *In omnibus & singulis provinciis, & in omnibus ac singulis civitatibus*] Ad verb. *in omni provincia & provincia*, &c. ¶ *Verbum Regis*] Edictum Regis. ¶ *Attigit*] Pervenit. ¶ *Dies jocundus*] Ad verb. *dies bonus*. Trem. *hilaria*. Elias Levita Germanus Thesbite, *Diem bonum appellant statas ferias & festa solennia, quæ* Regalim *dicuntur, item diem lætum in quo convivia agitant, etiamsi dies ille festus non sit. Sic dicunt, Summus Sacerdos faciebat diem bonum fratribus suis Sacerdotibus postridie festi Expiationum, postquam cum pace ingressus & egressus erat è loco quod Sanctum sanctorum vocatur. Item dicunt, Faciam ego diem bonum nostris Magistris*. ¶ *E populis terræ*] E plebe, è vulgo promiscuo. ¶ *Efficiebantur Judæi*] In Ebræo est *Judaizabant*, id à Josepho interpretatur περιτεμνόμενοι τὰ αἰδοῖα, à Jario, *Giora*, sive *proselyti, fiebant*, à nostro interprete, *Judæorum religioni & ceremoniis jungebantur*. Græcus verò habet, καὶ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμνοντο καὶ ἰουδάϊζον, omnes rectè. ¶ *Quia cecidit*] Quia eos invasit metus Judæorum.

GROTIUS.

1. **D**IE *illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum*] Totam confiscationem criminosi dedit Estheræ. Jus erat Regum Persarum, ut & Hebræorum, elargiri confiscata. Nulli autem æquius erat hæc bona dari quàm ei quæ per Amanem in summum adducta periculum fuerat. ¶ *Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus*] *Patruelis*: vide suprà 2. 7. Id in aula ignotum hactenus: quanquam aliquid ejus rei scivisse videntur duo isti eunuchi de quibus suprà 2. 21. fortè & ille de quo habuimus mentionem 4. 5—13.

2. *Constituit Mardochæum super domum suam*] Summum fecit rei domesticæ suæ inspectorem.

5. *Effice ut novis epistolis veteres Aman literæ insidiatoris & hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regni provinciis perire præceperat, corrigantur*] Non erat illud edictum factum eo more quo leges sacræ & immutabiles, qualis illa suprà 1. 19.

8. *Ut epistolis quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere*] Idem fecerat antea Aman 3. 12. Talibus literis omnes parebant, tanquam plenam voluntatis Regiæ pro eo tempore fidem facientibus. Sic Græci, ἐκ τῶν αὐτοῖς ἀντιπέμψει. Josephus, τοῦ δ' ἀναγνωσθέντας τὰς ὑπὸ τῆ βασιλικῆ σημαντῆρος ἠσφαλισμένας ἐπιστολὰς, οὐδὲν περὶ τῶν ἐγγεγραμμένων ἐναντιώσεσθαι.

10. *Et missæ per veredarios*] Heb. *In manu cursorum in equis qui vectabantur sumptu regio, & Astandarum qui in mulis*: רכש *sumptum de Regiis facultatibus* interpretatur & R. Abraham. Desunt autem, ut sæpe, hîc in Hebræo illud *&*, item *qui*, addita à nobis ad sensum implendum. Ἀςάνδαι vox Persica, quâ significantur οἱ γραμματοφόροι ἐκ διαδοχῆς, qui aliàs ἄγγαροι. Ea vox hîc & infrà 14. plenè scribitur האחשתרנים. Græcè autem contractior exstat apud Plutarchum Alexandro, Hesychium, Suidam, Eustathium.

11. *Ut starent pro animabus suis*] Jus naturæ munit auctoritate Regiâ. Simile edictum Valentiniani 1. *Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicunque militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit, permissâ cuicunq; licentiâ digno illico supplicio subjugetur, ac mortem quam minabatur accipiat, & quod intendebat incurrat. Melius enim est occurrere in tempore quàm post exitum vindicari. Vestram igitur vobis permittimus ultionem, & quod serum est punire judicio, subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat ut latroni.* Et Arcadii exstat codice Justinianeo, titulo, *Quomodo liceat unicuique sine judice se vindicare, vel publicam devotionem*.

17. *Et festus dies*] Cujus memoria apud Judæos in hunc diem durat. Vide & 9. 17. ¶ *In tantum ut plures alterius religionis & secta eorum religioni & ceremoniis jungerentur*] i. Fierent גרי צדק *pleni proselyti*. Græci interpretes hîc, περιετέμνοντο καὶ ἰουδάϊζον. Sed & hi & Josephus à multis extraneis aiunt susceptam circumcisionem, ut sibi securitatem hoc modo pararent, metuentes & libertatem edicto datam & potentiam Mardochæi, quod & quæ in textu sequuntur verba videntur innuere, & quæ legimus infrà 9. 2, 3, 4.

CAP. IX.

VATABLUS.

2. **E**T *lex ejus*, ודתו] *Et decretum ejus*, vel, *ordinatio*. ¶ *Et oppositum fuit*, ונהפוך] Infinit. Heb. pro, *& conversum fuit*, vel, *id in contrarium versum est*.

2. *Congregaverunt se*, נקהלו] Istud dependet à principio superioris versûs. ¶ *Et nemo stetit coram*, &c. ואיש לא עמד וגו׳] i. Nemo illis resistere potuit: quia omnes Gentes timebant sibi à Judæis.

3. *Et satrapæ*, והאחשדרפנים] Doctus inter Hebræos interpretatur *Principes magnos qui jugiter manent apud Regem*,

Regem, & ejus vident faciem. Estque dictio composita ex אחש, quod Chaldaicè *magnum* significat; & דר *manere*, & פנים *facies*. ¶ *Et facientes opus quod erat Regis*, ועשי המלאכה אשר למלך] i. Procuratores Regii, sive negotiorum Regiorum, qui res Regis tractabant.

4. *Ibat*, הולך] *Volitabat, vagabatur, discurrebat.* ¶ *Promouebat & crescebat*, הולך וגדול] Ad verb. *ibat & magnus fiebat.* Infinit. Heb. pro præt.

5. *Plaga gladii*, מכת חרב] Ad verb. *percussione gladii.* ¶ *Et fecerunt*, &c. ויעשו וגו'] *Et tractaverunt inimicos suos pro voluntate sua.*

10. *Sed in prædam*, &c. ובבזה וגו'] i. Bona eorum non diripuerunt.

11. *Die ipsa*, ביום ההוא] *Eodem die*, i. Mox relatus fuit ad Regem numerus eorum qui interfecti fuerant in Susan. ¶ *Venit numerus*, בא מספר] Hebraismus, pro *ei innotuit*, sive *relatus fuit ad Regem.*

12. *Regis*, המלך] i. Meis: De se loquitur in tertia persona. ¶ *Quænam ergo postulatio tua*, ומה שאלתך q. d. Et tamen si istud tibi non satisfacit, pete quicquid ultrà volueris, & dabo tibi.

13. *Detur*, ינתן] *Permittatur, concedatur.* ¶ *Secundùm legem hodiernam*, כדת היום] *Secundùm ritum hujus diei*, i. liceat quoque Judæis interficere hostes suos die crastinâ sicut fecerunt hodie.

14. *Data fuit itaque lex*, ותנתן דת] i. Promulgatum fuit edictum.

16. *Steteruntque pro anima sua*, ועמוד על נפשם] Hebraismus, *defenderunt sese.* Infinit. Heb. pro præt. ¶ *Et quieverunt*, ונוח] i. Licuit illis quiescere. ¶ *Sed in prædam*, ובבזה] i. Abstinuerunt ab omni præda.

17. *Die decimo tertio*, ביום שלושה עשר] Principium hujus versûs pendet à præcedenti versu, *Interfecerunt, inquam, decimo tertio die*, &c. Aut ו in ועמוד & ונוח præcedentis versûs verti debet per *ut*, hoc modo, *ut starent pro anima sua, & quiescerent ab inimicis suis: & interfecerunt*, &c. ¶ *Feceruntq; eum*, ועשה אותו] Infinit. Heb. pro præt. i. eo die convivia celebrarunt cum ingenti lætitia. Vide ver. 18, 19. item 22, ubi præcepit Mardochæus diem istum quotannis celebrari.

18. *Decimâ tertiâ ejusdem*, בשלושה עשר בו] Duobus diebus licuit Judæis in Susan interficere inimicos suos, nempe 13. & 14. mensis duodecimi.

19. *Et diem festum*, ויום טוב] Ad verb. *Et diem bonum.* Nos etiam vocamus diem festum *Un bon jour*, i. decimumquartum diem cum lætitia & conviviis diem festum agunt, mittentes munera sive particulas cibariorum amicis suis.

20. *Verba hac*, את הדברים האלה] i. Quæ hactenus gesta sunt. Hinc colligunt Judæi Mardochæum hujus libri authorem esse. ¶ *Propinquos & remotos*, הקרובים והרחוקים] *Qui procul ac propè habitabant.*

22. *Juxta dies*, כימים] i. Juxta numerum dierum illorum. ¶ *Quieverant*, נחו] i. Quietem sibi paraverant. ¶ *Bonum*, טוב] i. Festum & jucundum. ¶ *Ut facerent illos*, &c. לעשות אותם וגו'] i. Hos dies celebrarent cum lætitia, agitando convivia, & in illis mittendo particulas cibariorum ad amicos suos, & munera pauperibus.

23. *Sese facturos quod inceperant*, את אשר החלו לעשות] Ad verb. *quod inceperant ad faciendum.* Ordinem turbatum reposuit interpres noster.

24. *Quoniam Haman*, כי המן] Reddidit rationem cur celebrati sint hi dies à Judæis. ¶ *Et jecerat pur*, והפיל פור] i. Missis sortibus delegerat diem in quo perderet omnes Judæos.

25. *Dixit cum Epistola*, אמר עם הספר] i. Præcepit Rex adjectâ epistolâ. ¶ *Cogitatio ejus*, מחשבתו] *Machinatio ejus.*

26. *Vocaverunt dies istos*, קראו לימים האלה] *Vocare solent dies istos*, nempe 14. & 15. ¶ *De nomine pur*, על שם הפור] i. Nomenclaturâ deductâ à *pur*, quod linguâ Persicâ significat *sortem.* ¶ *Propter omnia verba*, &c. על כל דברי וגו'] i. Propter omnia quæ in hac epistola narrantur gesta esse. ¶ *Super hoc*, ועל ככה] i. Præter id quod Judæi viderunt cùm hæc gererentur. ¶ *Pervenit ad eos*, הגיע אליהם] Sub. *rumore.*

27. *Super se, & super semen suum*, עליהם ועל זרעם] i. Pro se & pro semine suo. ¶ *Adjunctos illis*, הנלוים עליהם] i. Qui erant adjuncturi sese illis: h. e. religioni & cultui illorum. De proselytis loquitur. ¶ *Neque præteribit*, ולא יעבור] i. Statuto irrevocabili. ¶ *Juxta scripturam eorum*, &c. ככתבם וגו'] i. Et lecturos linguâ Hebraicâ illam Epistolam, idque suo tempore.

28. *Memorabiles & solennes*, נזכרים ונעשים] Ad verb. *memorati & facti*, i. memorabuntur & celebrabuntur per omnes & singulas ætates, cognationes, provincias, sive satrapias, & urbes. ¶ *Non transibunt*, לא יעברו] *Non præteribunt*, i. perpetuò celebrabuntur à Judæis.

29. *Omni fortitudine*, את כל תוקף] *Pro viribus*: vel, *omni studio, & summâ authoritate.* ¶ *Ut confirmaret*, &c. לקים את אגרת הפורים] i. Ut ratam & approbatam redderet epistolam scriptam de Sortibus hâc secundâ vice. Quidam Hebræorum scribunt Judæos aliquando intermisisse celebrare hos dies: & ideo Esther & Mardochæum denuò scripsisse ut confirmarent epistolam de Sortibus scriptam, ut celebrarent dies illos.

30. *Verbis pacis & veritatis*, דברי שלום ואמת] i. Plenas humanitatis & veritatis, h. e. humanas & veras. Versus iste pendet à superiori.

31. *Ut confirmarent*, לקיים] *Ut approbarent*, i. ut celebrandos susciperent. ¶ *Temporibus suis*, בזמניהם] i. Quandiu viverent. ¶ *Receperunt super animam suam & super semen suum*, קימו על נפשם ועל זרעם] i. Polliciti sunt pro se, & pro semine suo. ¶ *Jejunia*, דברי הצומות] Subaudiendum aliquid, nempe *se observaturos jejunia.* Ad verb. *verba jejuniorum*, i. jejunium & preces illas quæ solent fieri illis diebus.

32. *Confirmavit*, קים] *Approbavit*, i. instituit hos dies Sortium: & sermo ille sive institutio illa scripta fuit in Annalibus.

DRUSIUS.

1. Decimatertiâ] Ebr. *tertiâ decimâ.* ¶ *Ejusdem*] Ad verb. *in eo.* ¶ *Verbum Regis*] Edictum Regis. ¶ *Ut fieret*] Trem. *quo propè erat ut verbum Regis & jus ejus fieret.* Hoc significat, cùm edictum Regis jam esset exequendum. ¶ *Eo die*] Ad verb. *in die.* ¶ *Dominari eis*] Ad verb. *in eos.* ¶ *Oppositum fuit*] Et accidisset contrà ut Judæi dominantes opprimerent hostes suos. Trem. *aut è converso quo dominium exercituri erant Judai ipsi in osores suos.*

2. *Congregaverunt*] Eo, inquam, die & eo mense coiverunt Judæi in urbibus ubi habitabant per omnes provincias Regis Asveri. ¶ *In inquirentes malum ipsorum*] In eos qui quærebant ipsis malefacere. ¶ *Nemo stetit*] Ad verb. *vir non stetit.* ¶ *Quia cecidit pavor eorum*] Quia omnes populi metuebant sibi ab eis.

3. *Et omnes principes provinciarum*] In Græca, οἱ γὰρ ἄρχοντες τῶν σατραπῶν· Interpres, *nam principes satraparum*: puto legendum τῶν σατραπιῶν, ut apud Josephum ἄρχοντες τῶν σατραπῶν, ut suprà 1. 3. καὶ τοῖς ἄρχουσι τῶν σατραπιῶν. Vide quæ notamus ad illum locum. ¶ *Et principes magni*] Ebr. *Asdarpanes.* Lectio varians habet *satrapæ*, quam reperies in editis à Roberto Stephano. Mihi non omnino displicet ut *Asdarpanes* sint *satrapæ.* Vide quæ scripsimus Observ. l. 12. c. 13. ¶ *Et facientes opus quod erat Regis*] Græcus, καὶ βασιλικοὶ γραμματεῖς· quomodo etiam Josephus. Sed Trem. & Jun. *& curatores operum quæ erant Regi.* Vide suprà 3. 9. & Observ. l. 11. c. 11. ¶ *Extollebant Jehudæos*] Εἶχον ἐν τιμῇ τοὺς Ἰουδαίους, Josephus optimè: *sublevabant Jehudæos*, Tremellius: minùs placet. ¶ *Quia cecidit pavor Mardochai super eos*] Ὁ γὰρ ἐκ Μαρδοχαίου φόβος συνηνάγκαζεν αὐτοὺς σωφρονεῖν, Josephus.

4. *Fama ejus*] Ad verb. *auditio ejus*, ut Jer. 6. 24. *auditionem de eo accepimus*, & 49. 23. *auditionem malam audiverunt*,

verunt, i. rumorem. Sic & Euangelista locutus est Matth. 14. 1. ἤκουσεν Ἡρώδης ὁ τετράρχης τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ, i. *famam Jesu*. ¶ *Vir*] ὁ ἀνήρ· q. d. *Vir ille insignis*: honorifice positum. ¶ *Proficiebat & crescebat*] Ebr. *ibat & magnus evadebat*, magis ac magis crescebat, indies major evadebat. Trem. *pergebat magnus esse*. Tale est illud Prov. 4. 8. *it & lucescit*, Latine *magis ac magis lucescit*, item illud Gen. 8. 5. *& aqua ibant & deficiebant*, magis magisque deficiebant: purus putus Ebraismus.

5. *Plagâ gladii*] Trem. *percussione gladii*. ¶ *In inimicis suis*] *In* abundat, aut vertendum *in osores suos*, ut *in* sumatur pro *contra*, ita Tremellius & Junius. ¶ *Secundùm voluntatem suam*] Pro voluntate sua, ad arbitrium suum.

6. *Et perdiderunt*] Ad verb. *& perdere*: nota enallage. ¶ *Quingentos viros*] Hunc numerum notat Josephus literâ φ. ¶ *Viros*] Ex domesticis & clientibus Hamanis, ut nonnulli volunt, qui habitabant in Susan Habira.

7. *Parsandatha*] *Pharsandatha* omnes libri veteres: recte. Nam P Latinum insolens ignotúmque. Ebraeis elementum erat. Compositio nominis ex *Pharsan* & *Datha*. *Datha* Graecâ an Persicâ terminatione *Dates*? ergò *Pharsandatha*, *Pharsandates* vel *Parsandates*. Sic *Aridatha*, *Aridates*; ut *Tyridates*, *Mithradates*, *Autophradates*, *Spitradates*. ¶ *Dalphon*] *Delphon* editio vetus, *e* pro *a*, ut *Beth*, *filia*; *Chermel*, *Carmelus*. Sic *Phermestha*, *Esphatha*, *e* habent in loco *a*. Sic *Heva*, *Hava*. ¶ *Aspatha*] Poscit antiqua consuetudo *Asphatha* vel *Esphatha*, ut *Pharsandatha*.

8. *Poratha*] *Phoratha* omnes libri veteres, quomodo haud dubiè scribendum ità postulante consuetudine Orientis. ¶ *Aridatha*] Vel *Aridates*. Simplicia sunt *Ari* & *Dates*. *Ari* est in *Ariaramnes*, *Ariobarzanes*, & similibus. Vide *Pharsandatha*.

9. *Parmastha*] Leg. *Pharmastha*, aut *Phermestha*. Pharmastha & Vaizatha reperies in genealogia Hamanis, de qua mox. ¶ *Arisai & Aridai*] i. *Arisaus*, *Aridaus*. Composita videntur ex *Ari*, de quo suprà. ¶ *Vaizatha*] Vet. *Jezatha*: legerim *Vaiezatha*, nisi mavis *Vezatha* cum diphthongo ex Ὀυαιζαθά, ut Ἰεσσαὶ *Jesse*. Sed placet *Vaizatha*, ut *Vaicra*. *Vaidabber*.

10. *Filii Hammadatha*] Thargum hujus libri 5. 1. *Ne trade Jacobi filios in manus Haman Hammadatha filii, Ada* [*Ain*] *filii, Biznai filii, Apholitos filii, Diosos filii, Pheros filii, Hamdan filii, Thalion filii, Athenisomom filii, Harum filii, Harsom filii, Segar filii, Negar filii, Pharmastha filii, Vaizatha filii, Agag filii, Sumcar filii, Amalec filii, Eliphaz filii, Esau illius improbi filii*. ¶ *In prædam non miserunt manus suas*] Abstinuerunt ab omni præda. Cur hoc? Opinor nè damnum inferrent fisco Regis, & simul ut ostenderent se non pecuniæ causâ hanc cædem patrare, sed tantùm defendendi sui, & quòd necessitas ità postularet; cùm edictum Regis aliter revocari non posset.

11. *Die ipsâ*] Eodem die, videlicet 13 mensis Adar. ¶ *Venit numerus*] Relatus fuit ad Regem eorum numerus qui in Susan Habira fuerant occisi.

12. *Regis*] Positum pro illo, *regiis*, aut est nomen loco pronominis, *in reliquis provinciis meis*, h. e. regni mei. ¶ *Quid fecerunt*] vel potiùs, *quid fecerint*? Sensus est, Cùm tantus sit numerus occisorum in Susan Habira, quantum putas esse numerum eorum qui occisi sunt in reliquis provinciis regni nostri?

13. *Detur*] Concedatur. ¶ *Cras*] 14 mensis Adar. ¶ *Ut faciant secundùm legem hodiernam*] Ut faciant cras in urbe quod hodie factum est in Susan Habira. Liceat quoque Judæis decem filios Hamanis in patibulo suspendere. Ad verb. *secundùm legem hodie*: elegans dictio. Sic *Ægyptus hodie*, pro *hodierna*. *Via longè*, i. *longinqua*.

14. *Dixit Rex*] Jussit ità fieri: καὶ τοῦτο μὲν προσέταξε τοῖς Ἰουδαίοις ὁ βασιλεύς, μηδὲν ἀντιλέγειν Ἐσθήρῃ βουλόμενος, Josephus. ¶ *Data est lex*] Propositum fuit edictum. ¶ *In Susan*] Urbe.

15. *Qui erant in Susan*] Qui Susis erant, h. e. in urbe Susorum. ¶ *Sed in prædam*] Nullius facultates prædæ habuerunt. Vide suprà v. 10.

16. *Reliqui quoque Jehudai*] Ad verb. *Et reliquum Judaorum*. ¶ *Et steterunt*] Vel, *ut starent pro anima sua, & quiescerent ab inimicis suis*: ac si diceret, Congregati sunt pro suæ vitæ defensione, & pro quiete ab hostibus consequenda. Ebr. *stare*, *quiescere*. ¶ *Occiderunt*] Ad verb. *occidere*. ¶ *In prædam*] *In spolia*, h. e. in bona hostium suorum: aut, *ad prædandum*. Hieron. *prædas de substantiis eorum agere noluerunt*. Josephus, καὶ οὐδενὸς τῶν ἐκείνοις ὑπαρχόντων ἥψαντο κτημάτων. ¶ *Quinque & septuaginta millia*] In Josephi Græco exemplari ἑπτακισμύριοι καὶ πεντακισχίλιοι optimè. Sed apud interpretem vulgò legitur *septuaginta sex*, in aliis *septuaginta septem*: erratum in numeris: fortè error ex similitudine ς & ε, quorum alterum 5. alterum 6 notat.

17. *Die tertiâ decimâ*] Dependet à verbo *occiderunt*, aut *congregati sunt*, ex versu superiore. ¶ *Fecerunt eum*] Fecerunt eum diem diem convivii & lætitiæ ἑορτάσιμον ἐποίησαν καὶ εὐωχήθησαν. Pro *eum* magis est vertere *eam*: nam præcedit *die tertiâ decimâ*. De Santis translatione loquor: alioqui malim *die decimo tertio* & *fecerunt eum*.

18. *In Susan*] Urbe. ¶ *Quieverunt*, *fecerunt*] Ad verb. *quiescere*, *facere*. ¶ *Eum*] Eum diem, nempe decimum quintum mensis Adar.

19. *Idcirco*] Propter victoriam quam eo die consecuti erant ab hostibus suis. ¶ *Villici*] Trem. *pagani*: magis probo: seipsum mox explicat cùm ait *qui habitant in urbibus non muratis*. ¶ *Non muratis*] Ad verb. *in urbibus pagorum*. Pagus intellige quas nunc linguâ communi *villas* vocant, cùm *villa* domus olim una fuerit virorum nobilium; unde nominantur *Metelli villa*, *Ciceronis villa*, & aliorum similium. Trem. *habitantes in pagis civitatum*. ¶ *Diem* 14 *mensis Adar*] Hic dies appellatus fuit postea *Festum*, sive *Dies*, *Mardochai*, Græcè ἡ Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα, de qua mentio usurpatur 2 Mach. 15. 37. his verbis, τῇ τρισκαιδεκάτῃ τοῦ δωδεκάτου μηνὸς, Ἀδὰρ λέγεται τῇ Συριακῇ φωνῇ, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Μαρδοχαϊκῆς ἡμέρας: quæ vetus translator sic convertit, *Tertiâ decimâ die mensis Adar, quæ dicitur voce Syriacâ, pridie Mardochai diei*. Dicebatur & *festum Sortium minus*. ¶ *Et missionis partium*] Mittebant eo die partes sive portiones alter ad alterum. Cæterùm *partes* intelligit, nisi fallor, quæ Græci *apophoreta*, Latini *missilia* sive *res missiles* appellant. Eas partes veteri ritu mittebant sibi mutuò, interdum autem apponebant convivis, quas vel domum poterant auferre, vel mittere quò volebant: unde nominantur *missilia*. Has partes autor Voluminis *Manoth* vocat. Vetus interpres *ciborum & epularum partes*, Josephus μερίδας, Tremellius *portiones*, Thargum hujus libri *Manoth*, *dona*, vel *munera*. ¶ *Unusquisque proximo suo*] Leg. *uniuscujusque*: ad verb. *viri socio suo*, h. e. alterius ad alterum.

20. *Verba hæc*] Hasce res. ¶ *Propinquis & remotis*] Tam propinquis quàm remotis. Trem. *propinquos & longinquos*: vehementer placet. Ordo ac constructio, *misit literas ad Judæos propinquos & remotos qui erant in omnibus proviniiis Regis Asueri*. Huic constructioni firmandæ est genus masculinum in vocibus *propinquos* & *remotos*, cùm *provinciæ* dicantur *Medinoth* genere feminino.

21. *Statuendo eis ut facerent*] Trem. *instituendo eis ut celebrarent*. ¶ *Diem* 14] Festum Sortium minus, ut diximus. ¶ *Et quintam decimam*] Festum Sortium majus. ¶ *Per singulos annos*] Quotannis: Hoc phrasi Ebraicâ dicitur *in omni anno & anno*. Sic *die die*, i. quotidie.

22. *Juxta dies illos*] Trem. *pro ratione dierum quibus quieverunt Jehudai ab inimicis suis, & mensis qui conversus est eis*, &c. Hoc significat, *Statuit ut eos dies festos ac latos quotannis agerent, quemadmodum fecerant iis diebus quibus quietem fuerant adepti ab hostibus suis, & eo mense qui conversus fuerat eis à mœrore in lætitiam*. ¶ *Jucundum*] Ebr. *bonum*. ¶ *Quisque proximo suo*] Vel, *cuique* [illegible] *proximo suo*. *Missionis quisque proximo*

suo constructio est ut *secundùm eversionem Sodomam & Gomorram.* Latinè sic, *Sodoma & Gomorra.* Nam quia dicimus, *evertere Sodomam & Gomorram:* ideo verbale nomen eundem casum retinet. Sic apud Graios ἡ ὑπηρεσία τῷ Θεῷ: nam talis constructio verbi ὑπηρετεῖν in illa lingua. Docti intelligunt quid velim. ¶ *Donorum*] Mittebant quoque dona egenis. Hujusmodi dona Ebræi scriptores *Sedacoth*, h. e. *eleemosynas*, vocant. ¶ *Pauperibus*] Trem. *egenis.* Ebr. *Ebjonim:* unde nominantur *Ebion*, & *Ebionita.* Huc respexit Hieronymus cùm ità scriberet, *Theodotio quasi pauper & Ebionita.* Epiphanius, Ἐβίων γὰρ ἔχει ἀπὸ Ἑβραϊκῆς εἰς Ἑλλάδα φωνὴν τὴν ἑρμηνείαν Πτωχός. Thema est *Abah avere.* Nam qui pauper est semper avet, cùm careat rebus iis quibus vita sustentatur.

23. *Et susceperunt Jehudai*] Trem. *ità receperunt quoque Jehudai se facturos quod inceperant.* Verbum Ebraicum est *Cibbel*, h. e. *recepit. Recepit Judæi*, enallage numeri, ut *Bestiæ clamat, Puella incedit*, τὰ ζῶα τρέχει. Hujus figuræ ea vis ut si diceret, *Quisque Judæorum recepit.* ¶ *Quæ cœperunt*] Malo *quæ cœperant.* Ordo est, *receperunt se facturos quæ cœperant*, vel sanè, *receperunt quæ cœperant facere*, ut *recipere* hîc sit quod vetus interpres retulit, *susceperunt in ritum solennem.* ¶ *Et quod scripsit*] suprà 20. Vide varias lectiones.

24. *Agagites*] Alii *Agagæus.* ¶ *Pur*] Scribo *Phur.* Sic interpres vetus, *Phur, quod nostrâ linguâ vertitur in Sortem.* Vox est Persica, ut Scholia Ebraica observant. Vide Observ. l. 12. c. 5. ¶ *Ut contereret eos*] Trem. *ad fundendum eos.*

25. *Venisset*] Excidit pronomen, ut sit, *cùm autem venisset ipsa*, subintellige *Esthera.* Nihil certius. ¶ *Dixit Rex cum epistola*] Dictio *Rex* abest à codice Ebræo: ideo scribenda charactere minuto. *Rex*, inquit, *edixit per epistolam*, h. e. missis ea de re literis. ¶ *Convertatur*] Alii malunt *Revertatur.* ¶ *In caput ipsius*] Huc pertinet εἰς τὴν κεφαλήν σου. item, *quod tuo capiti sit.* Usus est hoc sermone David Psal. 7. 16. *Revertatur labor ipsius in caput ipsius.* Fortè sumptum à sacris Ægyptiorum. Nam Ægyptii capiti hostiæ, postquam illud diris devovissent, ità imprecabantur, ut siquid mali aut ipsis immolantibus aut universæ Ægypto futurum esset, id in caput illud converteretur: quod deinde, imprecatione factâ, in flumen projiciebant, aut Græcis mercatoribus divendebant, quorum copia erat; Herodot. l. 2. ¶ *Suspendant quoque eum*] Rectius videtur, *itaque suspenderunt eum*, quomodo etiam Tremellius edidit. Certum enim est Hamanem suspensum fuisse priusquam epistola cujus hîc meminit missa esset. ¶ *In ligno*] In patibulo.

26. *Dies istos*] 14, & 15 Adar. ¶ *Purim*] Non *Purim* sed *Phurim*, prisca consuetudo. Tralatio vetus, *Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, id est, Sortium; eò quòd Phur, hoc est, Sors, in urnam missa fuerit.* Phurim Josephus scripserat Φουραίους· id mutarunt scioli in φρουραίους, unde interpretatur Ruffinus, *appellantes eos Conservatores.* Hoc antea à nobis observatum fuit. Vera interpretatio Φουραίους, i. *Sortium*, quasi κληρωτηρίαν dicas. Ante hos dies erat Jejunium Esther, quod regulariter incidit in 13 Adar; Phurim autem in 14 & 15, ut diximus. Porrò valde credibile est, quod etiam Scaliger annotat, jejunium hoc jam olim observari desiisse post institutam solennitatem ob partam victoriam de Nicanore, quæ incidit in 13 Adar pridie diei Mardochæi, ut habetur in secundo Machabæorum capite ultimo. Sanè diei lugubri & jejunio non convenit festivitas. ¶ *De nomine Phur*] *Haphur* est in Ebræo, h. e. *sortis illius:* cum emphasi. ¶ *Propter omnia verba*] Ad verb. *super omnibus verbis.* ¶ *Et id quod viderunt*] Trem. *& propter id quod viderant hujus rei.* ¶ *Super hoc*] Ad verb. *in sic.* ¶ *Pervenit ad eos*] Rumore nuncio.

27. *Super se*, &c.] Trem. *in se & in semen suum, & in omnes qui essent se adjuncturi eis.* ¶ *Semen suum*] Posteros suos. ¶ *Copulatos sibi*] Capiendum de proselytis. Hoc significat, *in omnes qui se ad ipsarum religionem aggregaturi essent.* ¶ *Nec præteribit*] Trem. *ut non pereat.* Porrò *transire* intelligitur quod aut revocatur aut intermittitur. ¶ *Se celebraturos*] Ad verb. *fore ut faciant.* ¶ *Juxta scripturam eorum, & juxta tempus eorum*] Trem. *secundùm rescriptum eorum, & secundùm condictum tempus eorum.* ¶ *Singulis annis*] Vel *in quolibet anno.* In Ebræo est *in omni anno & anno.*

28. *Fient*] Celebrabuntur. ¶ *In omni generatione & generatione*, &c.] Qualibet ætate, familiâ, provinciâ, urbe. ¶ *Non transibunt*] Non intermittetur ipsorum solennitas. ¶ *A semine eorum*] Apud posteros eorum.

29. *Et scripsit Esther regina*] Hæ literæ scriptæ sunt anno proximo sequenti, qui erat 13 à quo Regnum acceperat Asverus. Chronicon Ebræorum majus, quod *Seder Olam Rabba* vocatur, disertis verbis hoc significat, ubi habet, *Illo tempore anno sequenti contigit quod scriptum est Esth. 9. 29. Scripsitque Esthera regina filia Abihail, & Mardochæus Judæus.* ¶ *Omni fortitudine*] Quanto fieri potuit studio ac contentione. Trem. *ad omnem ratihabitionem, i. quicquid potuit pertinere ad illius consuetudinis confirmationem & autoritatem.* ¶ *Secundò*] Dies Phurim sive Sortium priùs confirmati erant à Mardochæo, suprà v. 20. postea, quòd neglecti & intermissi, ut credibile fit, essent, ideo necesse fuit eos iterum confirmari: quod factum literis ipsius Reginæ, cujus haud dubiè autoritas tum maxima erat inter Judæos.

30. *Et misit*] Mardochæus. Trem. *Quas literas Mardochæus misit.* ¶ *Ad centum viginti septem*] Ad verb. *ad septem & viginti & centum.* ¶ *Verba pacis*] Pacem & constantiam iis precatus. *Verba pacis*, i. pacem; ut *verba fraudum*, fraudes; *verba jejuniorum*, jejunia: de quo mox Trem. *verbis prosperitatis ac firmitatis præmissis.* ¶ *Veritatis*] Monuit eos per literas ut vel constantiæ causâ eos dies celebres agerent, quos jam in se & in semen suum semel celebrandos solenniter recepissent. In notis Vatabli, *misit literas plenas humanitatis ac veritatis*, h. e. *humanas & veras.* Fortè, *pacis ac veritatis*, i. veræ ac solidæ pacis.

31. *Secundùm quod*] Latinè *quemadmodum.* ¶ *Firmaverunt*] Malim *firmaverant*, stabiliverant. ¶ *Super animam suam*] In seipsos, vel, ut Tremellius, *apud seipsos.* Sensus est, *quemadmodum statuto ea de re facto receperant in se &: in semen suum.* ¶ *Verba jejuniorum*] Genus loquendi antiquum & elegans: *verba jejuniorum* pro *ipsis jejuniis.:* ut apud Davidem *verba fraudum*, ut apud Plautum *res voluptatum*, ut apud scriptores Græcos χρῆμα τῶν νυκτῶν, pro *ipsis fraudibus, voluptatibus, noctibus.* Horum jejuniorum mentio in Zacharia, quæ instituta fuerunt propter captam urbem & incensum Templum mensibus Thammuz, Ab, Thesri & Tebeth, ut Aben-ezra scribit. Quidam hunc locum enarrant de jejunio Estheræ, quod regulariter incidit in 13 Adar. Non tamen semper in eum diem incidit. Cùm enim neomenia Adar incurrit in feriam secundam, jejunium Esther semper incidit in 11 Adar feriâ quintâ, ut ante me Cæsaris filius annotavit.

32. *Et sermo Esthera*] Edictum Estheræ. Trem. *Cùm itaque edictum Estheræ stabilivisset res istas, conscriptum est in libro hoc:* valde placet. Alii, in queis Jarius & Nicolaus, *Rogavit sapientes illius ætatis ut hanc historiam in numerum Sacrorum codicum referrent.* Hieronymus, *Ratio Sortium & quicquid hoc libro continetur Estheræ edicto confirmata fuerunt.* Sunt qui & aliter exponant, ἐγράφη εἰς τὸ βιβλίον, i. *in librum illum.* Existimant autem fuisse librum vulgo ejus ætatis notum in quo hæc Sortium ratio descripta fuerit. Quod si ità est intercidit hic liber cum aliis nonnullis qui memorantur sparsim in libris Sacris, ut *Liber Recti*, item *Liber Salomonis*, & *Medras Iddo*, & *liber Bellorum Domini*, & *Annales Regum Israel.* Vide Abenezram.

GROTIUS.

3. N*Am et provinciarum judices & duces & procuratores, omnisque dignitas, qui singulis locis ac operibus præerant, extollebant Judæos*] Temporum erant homines, ut sunt ejus generis plerique.

4. *Quem*

4. *Quem principem esse palatii*] Heb. *magnum esse in domo Regis*; quippe summum inspectorem domûs Reginæ: quæ non modica dignitas, præsertim sub Rege satis uxorio. ¶ *Fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat*] Non miror; nihil enim citiùs cognoscitur quàm quis in aula plurimùm valeat. Adeò ad id omnium arrectæ sunt aures.

6. *Extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum*] Mutavit Interpres ordinem qui in Hebræo est, ubi nomina propria præcedunt, sequitur id quod commune est. Planè in hoc libro major quàm in aliis libris fuit interpretum libertas, fortè & librorum in scribendo varietas.

10. *Prædas de substantiis eorum tangere noluerunt*] Nam habebant hi sua bona præter paterna, de quibus suprà 8. 1. Abstinuerant Judæi à direptione bonorum quæ Rex ipsis concesserat 8.11. nè cupiditatis magìs suæ quàm salutis rationem habuisse viderentur. Simile est Gen. 14. 22. & infrà 15. 16. Et antiquitus sententia illa apud Hebræos obtinebat, Si quis Israelitam aut bona ejus prodere voluisset gentibus, aut si quis totam Judæorum universitatem magnâ affecisset contumeliâ, nihil mali facturum Israelitam si ei perniciem procuraret, bonis tamen ejus relictis heredi.

13. *Et decem filii Aman in patibulo suspendantur*] i. Corpora eorum mortua ponantur ostentui, more Hebræo.

23. *Susceperúntque Judæi in solennem ritum*] Vide & infrà 31. Neque enim prohibitum erat populo Judaico præter dies festos in Lege institutos alios instituere in beneficiorum à Deo acceptorum memoriam. Sic & jejunia quædam post Legem instituta, 2 Reg. 25. 28. Jer. 41. Zach. 7. 3, 5. & 8. 19. Mardochæus & Esther hac in re auctoritate præiverunt, non imperio.

26. *Atque ex isto tempore dies illi appellati sunt Phurim*] Quod nomen & nunc manet. Vide suprà 3. 7.

30. *In centum viginti septem provinciis*] Vide suprà 1. 1.

32. *Et in omnia quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continetur*] Heb. *& scriptum est in libro*: i. tota hæc res in Acta publica relata est.

CAP. X.

VATABLUS.

2. **O***Mne autem opus fortitudinis ejus ac potentiæ ejus*, וכל מעשה תקפו וגבורתו] Hebraismus, *Quicquid fortiter ac potenter gessit*. ¶ *Et expositio*, ופרשת] *Et declaratio*. ¶ *Quem magnificavit Rex*, אשר גדלו המלך] Quâ magnificavit eum Rex; i. reddidit eum magnum: h.e. ad summas dignitates extulit. ¶ *In libro Verborum dierum*, על ספר דברי הימים] i. In libro Annalium, in Annalibus & Diariis.

3. *Quærens bonum*, &c. דורש טוב לעמו וגו'] Hebraismus, *studens commodo & utilitati populi sui, comitérque alloquens omnes populares suos*. Quidam legunt, *loquens pacem omni semini ejus*, nempe populi: h.e. comiter alloquens omnes suos populares & familiares ex populo suo. *Quærere bonum alicujus* phrasi Hebraicâ est Studere commodis ejus.

DRUSIUS.

1. **S***uper terram*] In regiones continentis; in continentem. Trem. *imposuit tributum regioni*, hoc sensu, *ab aliis tributum exegit, Judæos immunes fecit*: minùs probo. ¶ *Ahasveros*] Ità lectum in Ebræo; sed scriptum hoc in loco *Ahasres*, omissâ Vau literâ; ex notis Massoriticis.

2. *Omne opus fortitudinis*] Omnia facta fortia ejus. ¶ *Ejus*] Regis Ahasveros. ¶ *Expositio magnitudinis*] Trem. *explicatio amplitudinis*. ¶ *Verborum dierum*] h.e. *Diarii*, sive *Annalium*. ¶ *Madai & Paras*] Alibi est *Paras & Madai*, h.e. *Persarum & Medorum*, vel *Persidis ac Mediæ*. ¶ *Paras*] Scrib. *Pharas*; ità poscit ratio Antiquitatis. Hodie hæc regio *Farsi* appellatur.

3. *Mardochai*] Μαρδοχαῖος. Simplicia sunt *Marda* sive *Mardo*, & *Chai*, i. *Chæus*. Prius est in *Mardontes*, alterum in *Artachæus*, Ἀρταχαῖος, Ἀρταΰντης. Μαρδοχαῖος, Μαρδόντης. ¶ *Secundus à Rege*] Vel *secundus ad Regem*. Fallor aut pro eo legitur *secundus Regis* 2 Par. 28. 11. ut idem sit *secundus Lamelech* & *secundus Hamelech*, sicut *Psalmus* τῷ Δαβὶδ & *Psalmus* τοῦ Δαβίδ. Porrò *secundus à Rege* dicebatur qui secundum imperii gradum obtinebat, μετὰ βασιλέα ἔχων προεδρίαν, ut Josephi verbis utar explicantis hunc locum. Cicero dixit *secundus ad regium principatum*. Hieronymus *secundus à Rege*. Sic dicimus *secundus à summo Sacerdote*. Vide Animadvers. l. 2. c. 64. ¶ *Magnus Judæis*] Josephus scribit eum fuisse τῶν πρώτων παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις. Et certè Ezræ 2. 2. (si modò idem est) recensetur inter primos qui cum Zorobabele ascenderunt ex captivitate Babylonica. Ex quo Aben-ezra colligit, cùm jam postliminio reversus esset, & videret ædificationem Urbis ac Templi ex voto non succedere, relictâ Judæâ profectum fuisse unà cum Esthera patruele in Susianam, ibíque in aula versatum apud Regem, nec cognitum quòd Judæus esset priusquam contigissent ea quæ referuntur suprà capite tertio. ¶ *Multitudini fratrum suorum*] Plerisque Judæis. ¶ *Quærens bonum*] 1 Mach. 14. 4. de Simone principe, καὶ ἐζήτησεν ἀγαθὰ τῷ ἔθνει αὐτοῦ, καὶ ἤρεσεν αὐτοῖς ἡ ἐξουσία αὐτοῦ καὶ ἡ δόξα αὐτοῦ πάσας τὰς ἡμέρας· ex hoc loco interpretor *acceptus multitudini fratrum suorum*, ἤρεσε τοῖς πολλοῖς τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. ¶ *Loquens pacem*] Consulens saluti & prosperitati: ut, *locutus bene de Rege*, i. benemeritus, suprà nescio quo in loco. Sic, *Benedicat tibi Deus in Sion*; benefaciat. ¶ *Semini suo*] Posteris suis, vel, genti ac popularibus suis.

AD
SANTIS PAGNINI
TRANSLATIONEM
VARIÆ LECTIONES.

CAP. I.

1. **A***Hasveros*] Ità Stephanus; editio anni 28 *Achasveros*; quam scripturam retinent Biblia regia. ¶ *Septem & viginti & centum*] Steph. *centum & viginti septem*. Talis ordo numerorum apud Latinos.

2. *Cùm sederet Rex*] Steph. cum quo Helvetica exemplaria conveniunt, *cùm sederet Rex ipse*.

3. *In anno tertio*] Exemplar Lugdunense, *anno tertio*. Steph. & Helvetii, *anno tertio ex quo regnare cœpit*. ¶ *Robur Persidis*] Ità Steph. & aliæ quædam editiones. Biblia regia habent *exercitui Persico & Medico, principibus majoribus, & principibus provinciarum qui erant ante se*.

4. *Ut ostenderet*] Steph. *tantisper dum ostentaret*; quomodo etiam Helv. legunt. ¶ *Decoris*] Lugd. *gloriæ*. Sic etiam habent Antverpiæ impressi. ¶ *Octoginta & centum*] Steph. *centum octoginta*.

5. *Omni populo qui inventus est*] Steph. *universo populo qui inveniebatur*. ¶ *Septem diem*] Steph. *septem diebus*: & rectiùs, nisi fallor.

6. *Et hyacinthinum tentum*] Editio anni 28. *coloris candidi & hyacinthinum*, Stephani, *& color hyacinthinus tenta* [*erant*.] ¶ *Hyacinthum*] Steph. *hyacinthinum*.

7. *Varia*] Lugd. *variata*. Sic etiam Biblia regia habent. ¶ *Secundùm potentiam Regis*] Steph. *pro facultate regia*.

8. *Potatio verò erat*] Ità Steph. alii, *& potus erat*, videlicet Lugd. & Antverp. ¶ *Sic disposuerat Rex cum omni*] Steph. *sic præceperat Rex omni*.

9. *In domo regni*] Libri editi à Stephano, *in domo regia*.

10. *Cùm jucundum esset cor Regis propter vinum*] Steph. *cùm exhilaratum esset cor Regis à vino*. ¶ *Abagtha*] Editio anni 28. *Bagtha*, perperàm. ¶ *Ante faciem Regis*] Steph. *in conspectu Regis*.

11. *Ut adducerent Vasthi Reginam in conspectum Regis*] Lugd. *ut ducerent Vasthi reginam coram Rege*. Sic etiam Biblia regia.

12. *Ad verbum Regis quod fuerat per manum eunuchorum*] Steph. *ad mandatum Regis quod per eunuchos mandaverat*. ¶ *Et iratus est*] Steph. *unde iratus est*; ad sensum optimé.

13. *Sic erat*] Steph. *talis erat*.

14. *Charsena*] Pleræque editiones *Carsena*; & mox *Tarsis* pro *Tharsis*.

15. *Quid faciendum in Reginam*] Editio anni 28, *quid facere in reginam*. Biblia regia, *quid agendum cum regina*. Steph. *quid faciendum de regina*.

17. *Dixit ut ducerent Vasthi reginam ante se*] Steph. *jusserat introduci Vasthi reginam ad se*.

18. *Verbum reginæ*] Steph. *facinus reginæ*. ¶ *Et abundè magnus contemptus & ira*] Lugd. *& erit hujus rei gratiâ abundans contemptus*. Sic codex regius.

19. *Transeat quòd non veniat*] Lugd. *transgrediatur quòd non ingrediatur*. ¶ *Dabit sodali*] Lugd. *det alteri*; quomodo etiam legunt Biblia regia..

20. *Audietur*] Sic R.B. in Lugd. reperio *audiat*, sed malè. Steph. *exaudiatur*. ¶ *Quia magnum est*] Steph. *quamvis magnum sit*. ¶ *Tam magnis quàm parvis*] Biblia edita anno 28, *tam majori quàm minori*.

22. *Linguam ipsorum*] Editio Lugd. & Antverp. *juxta linguam ejus*; minùs rectè.

CAP. II.

1. *Quod decretum erat*] Lugd. & Reg. *quod dispositum erat*.

2. *Quærant Regi puellas virgines*] Editio anni 28. *Quærantur Regi puellæ virgines*.

3. *Præficiat*] Steph. *constituat*; & mox, *omnibus provinciis*: abest præpositio. ¶ *In domum*] Steph. *in domo*.

4. *Puella*] Steph. *puella illa*. ¶ *Placuit res*] Steph. *Hæc res placuit*.

5. *Cis*] Ità Steph. alii minùs rectè pro *Cis* scribunt *Chis*.

6. *Demigraverat*] Lugd. & Reg. *transmigratus fuerat*. ¶ *Quæ demigravit*] Lugd. & Reg. *quæ transmigrata est*. ¶ *Demigrare*] *Transmigrare fecerat*.

8. *Ad manum*] Lugd. *per manum*. Reg. *in manum*. Paulò antè Steph. habebat *in manu*.

9. *In conspectu ejus, & accelerari fecit*] Steph. *coram illo: propterea acceleravit dare ei*. ¶ *Et partes*] Steph. *& portiones ejus*. ¶ *Ut daret ei*] Abest à Steph.

11. *Ut cognosceret*] Steph. *ut resciret*.

12 *Cùm attigisset*] Sic impressi anno 28. Reg. *cùm appeteret*. Steph. *Cùmque advenisset*. ¶ *In fine cùm essent ei secundùm legem mulierum 12 menses*] Steph. *expletis juxta legem mulierum duodecim mensibus*: & aliquantò pòst *myrtino* pro *myrrheo*. Vide l.11.c.1. Observ. ¶ *Purificatoriis*] *Purificationibus*. Lugd. & Reg. minùs placet.

13. *Et in hoc puella*] *Et sic puella* habet Steph. ¶ *Veniendo cum ea*] *Ut veniret cum hoc*, idem.

14. *Per nomen*] Steph. *nomine*.

16. *Tebeth*] Ità scribendum hoc nomen, non *Tebet*, ut est in Bibliis Antverpiæ excusis.

17. *Et suscepit gratiam*] *Retulitque gratiam*. Stephanus: valde probo. ¶ *Regnare fecit*] Steph. *constituit eam reginam*: eadem sententia.

20. *Sicut erat cùm nutriretur secum*] Steph. *perinde ut cùm erat in educatione apud illam*.

21. *Mordochai sedente*] Steph. *Mordochai autem sedebat*. ¶ *Theres*] Editio anni 28. & Reg. *Teres*, per *t* simplex.

22. *Et dixit Esther regi*] *Esther autem dixit Regi*, Steph.

23. *Super lignum*] Steph. *in ligno*.

CAP. III.

1. *Elevavit eum*] Steph. *extulit illum*.

2. *Nec incurvabat se nec genuflectebat*] Sic legitur in Stephani libris, eámque lectionem firmant præcedentia. Tamen editio anni 28, *nec genuflectebat nec adorabat*: quomodo legunt & Antverpiæ excusi.

4. *Cùm dicerent ad eum*] Steph. *cùm sic loquerentur ad eum*. ¶ *Nunciaverunt*] Ant. *& indicaverunt*.

6. *In Mordochai solùm*] Ità Steph. habet; aliæ editiones, *in Mordochai tantummodo*. ¶ *In omni regno*] Dictio *omni* abest à plerisque libris, sed malè: legitur enim in codice Ebræo.

7. *Jecit Pur*, &c.] Editio anni 28, *projicere fecit sortem (ipsa est Goral: id est Sors) coram Haman, quâ die & quo mense deberet id agere: & cecidit duodecimo (ipse est mensis Adar.)*

9. *Ut adducant*] Steph. *ut perferant*.

10. *Et removit*] *Detraxit autem*, Steph. ¶ *Agagæi*] *Agagæo*, idem.

11. *Ut bonum est in oculis tuis*] *Secundùm quod placet*, editio anni 28. & cod. Reg.

12. *Juxta omnia quæ præcepit Haman*] Steph. *prorsus ut præcepit Haman*, ¶ *Qui sunt super singulas provincias*] Steph. *qui præerant singulis provinciis*. ¶ *Cujusque*] Sic Steph. at Lugd. *unicuique propriam*; quomodo etiam legit codex Antverp.

13. *Et ut mitterentur epistolæ*] Steph. *& missæ sunt literæ*. ¶ *Parvulos*] Lugd. & Ant. *parvulum*. ¶ *Spolia*] Steph. *prædam*; minùs placet.

14. *Ut daretur*] Lugd. *ut poneretur*. ¶ *Manifesta*] Steph. *manifestum*, quod referendum ad *Exemplar scripturæ*.

CAP. IV.

1. *Indutus est*] Steph. *induit se*.

2. *In veste sacci*] Sic est in Steph. & in Ebræo. Lugd. *cùm indutus esset sacco*.

3. *Quem verbum Regis & lex ejus attigit*] Steph. *ad quem verbum Regis & lex ejus pervenerat*.

4. *Doluit*] Editio Plantini, *indoluit*. ¶ *Ut induere faceret ipsum Mordochai & removere faceret saccum ejus ab eo*] Steph. *quibus induerent ipsum Mordochai, & detraherent saccum ejus ab eo*.

5. *Hathach*] Ità Steph. editio anni 28, *Hathac*; perperàm. ¶ *Quem constituerat ante illum*] Lugd. & Reg. *quem stare fecit coram se*.

6. *Ante portam*] Steph. *è regione portæ*.

7. *Quod dixerat Haman se appensurum*] Lugd. & Reg. *quam dixit Haman appendere*.

8. *Ut disperdere faceret eos*] Steph. *ut disperderentur illi*. ¶ *Ad quærendum*] *Ut peteret*, Steph.

11. *Ad interficiendum, præter eum ad quem extenderit Rex virgam auream, & vivet*] Editio anni 28, *ut mori faciat nisi extenderit ad eum Rex virgam auream & vivat*: ità leguntur etiam hæc verba in codice Regio.

14. *Si propter tempus istud perveneris ad Regnum*] Lugd. & Reg. *si in tempore simili attingere facta sis ad Regnum*.

16. *Pro me*] Steph. *propter me*. ¶ *Quandocunque peream, peream*] Steph. *quando peribo, peribo*.

CAP. V.

1. *Et fuit die tertio & induit se Esther regio* vestimento, *& stetit*] Steph. *Evenit autem die tertio ut indueretur Esther regio vestimento, & staret*. ¶ *Contra domum Regis*] *E regione domûs regiæ*. Steph. & mox, *è regione ostii domûs*.

2. *Tulit gratiam*] Editio anni 28, *recepit gratiam*. ¶ *Quæ erat in manu ejus, & accessit*] *Quam manu tenebat, tunc accessit*, Steph.

5. *Quod fecerat*] Steph. *quod apparaverat*.

6. *Quæ*

6. *Quæ est petitio tua, & dabitur tibi, & quæ inquisitio tua*] *Quæ est postulatio tua, & dabitur tibi, quæ, inquam, est petitio tua*: ità Steph.

9. *Nec se movisset ab eo*] *Nec se movisset loco*, Steph.

11. *Quòd elevasset eum*] Steph. *quibus extulisset eum.*

12. *Quod fecit*] Steph. *quod paraverat.*

13. *Totum hoc non est utile mihi toto tempore quo video*] Steph. *omnia hæc non prosunt mihi quandocunque ego video.*

14. *Aptent*] Steph. *præparent.* ¶ *Manè*] Steph. *crastinâ die.*

CAP. VI.

1. *Somnus Regem*] *Somnus à Rege*, Steph.

6. *Viro*] Steph. *de homine*; & mox, *cogitabat autem Haman* pro *dixitque Haman*: &, *Cui optet Rex facere honorem plusquam mihi?* pro *Cui volet Rex fac. hon. magis quàm mihi?*

8. *Et detur diadema regium in capite ejus*] Steph. *Et diadema regium quod impositum est capiti ejus.*

9. *Et tradant vestem illam & equum illum in manu*] Editio anni 28, *& detur vestimentum & equus per manum*: & mox, *induat*, &, *equitare faciat*, pro *induant* & *equitare faciant.* ¶ *Principibus majoribus*] Steph. *antesignanis*; &, *cujus honorem Rex optat*, pro *cujus honorem Rex vult.*

11. In Lugd. & Reg. *clamabant* legitur pro *clamabat*: nam sic est in Ebræo & in Stephano.

12. *Proripuit sese ad domum suam*] Editio Antonii du Ry, *festinavit ad domum suam.*

CAP. VII.

2. Editio quæ prodiit anno 28, *pete, & fiet tibi*: secus est in Ebræo.

4. *Ad disperdendum, ad occidendum, & ad perdendum*] *Ut disperdamur, jugulemur, & perdamur*, ex Steph. ¶ *Venditi fuissemus*] Ità Steph. Editio quæ prodiit anno 28, *venderemur*; quomodo etiam legunt Biblia Regia.

5. *Cujus cor persuasit illi ut faceret sic?*] *Qualis est hic qui replevit cor suum ut faceret sic?* editio anni 28.

6. *Pessimus iste*] Sic reperi in Steph. priùs erat *malus iste.*

8. *Num etiam ut subagitet Reginam me exsistente in domo?*] Steph. *Nónne etiam vis opprimere reginam me præsente in domo?*

9. *Charbona*] Steph. *Harbona*; verior scriptura. ¶ *Ipsi Mardochai*] Lugd. *pro Mardochai.* ¶ *Pro Rege*] Lugd. *super Regem*; malim *super Rege.*

10. *Paraverat*] Ità Steph. alii, *parari fecerat.*

CAP. VIII.

2. *Removere fecit*, Plantini codex & alii nonnulli, pro *abstulit.*

5. *In conspectu ejus, rectàque res videtur Regi*] Editio anni 28, *ante eum, & conveniens est res ante Regem.* ¶ *Ut retractent literas*] Steph. *revocentur literæ.*

6. *Cognationes meæ*] Ità Steph. priùs erat *progeniei meæ.* Sic habent B.R.

8. *Scripturam enim quæ scribitur nomine Regis & signatur annulo Regis non licet revocare.*] Lugd. *Scripturæ enim quæ scribuntur nomine Regis & signantur annulo Regis non retractabantur.*

9. *Quæ sunt ab India usque ad Æthiopiam*] Editio anni 28, *qui erant ab India usque ad Æthiopiam.*

10. *Cursorum in equis*] Steph. *Cursorum equestrium*: *cursor in equis* ut *miles in sagittis*: de quo genere loquendi vide Animad. l. 1. cap. 20.

11. *Quod dedit Rex Jehudæis qui erant in omnibus & singulis civitatibus*] Steph. *Quod Rex daret Jehudæis.* Editio anni 28, *quas dedit Jehudæis qui erant in singulis civitatibus.* Reg. *Quod dedit Rex Jehudæis qui erant in singulis civitatibus.* ¶ *Oppugnantium eos*] Editio anni 28, *qui opprimerent eos.*

13. *Ut daretur lex in omnibus & singulis provinciis manifesta*] Editio anni 28, *dare legem in qualibet provincia manifestam.* Exemplar editum à Plantino, *ut poneretur decretum in qualibet provincia manifestum.*

14. *Animalia velocissima, mulos*] Editio anni 28, *equos, velocissimos mulos*; fortè scribend. *equos velocissimos, mulos*, mutatâ distinctione.

15. *Amictu byssino & purpureo*] Ità Steph. Editio anni 28, *amictus bysso & purpurâ.* B. R. *amictu byssi & purpuræ.*

17. *Et lex ejus*] Abest à B.R. & à Lugd.

CAP. IX.

1. *Decretum ejus*] Sic Lugd. at Steph. *lex ejus.*

3. *Principes magni*] Sic legitur 1. 3. Steph. hîc *satrapæ.*

4. *Proficiebat*] Steph. *promovebat.*

5. *In inimicis suis*] Editio anni 28, *contra odio habentes illos.*

12. *Petitio tua, & dabitur tibi? & quæ requisitio tua*] Steph. *postulatio tua, & dabitur tibi? & petitio tua.*

16. *Pro anima sua*] Editio anni 28, *pro animabus suis*; aliter est in Ebræo.

19. *Diem bonum*] Steph. *diem festum.*

20. *Propinquis & remotis*] Steph. *propinquos & remotos.*

22. *Partium*] Steph. habet, *particularum* pro *partium.*

23. *Et susceperunt Jehudæi quæ cœperunt facere, & quod scripsit*] *Receperunt verò Jehudæi sese facturos quod inceperant quódque scripserat*, Steph.

24. *Ut contereret*] Lugd. *ut deleret.*

25. In eadem editione, *cum epistola altera*: sed vox *altera* non habetur in Ebræo. ¶ *Suspendant quoque eum*] Lugd. *& suspenderunt eum.* Apud Plantinum, *& suspendant eum*; rectum videtur.

26. *De nomine Pur*] Lugd. *propter sortem*: & paulò pòst, *quid viderunt*, & *quid contigit*, pro *quod viderunt*, & *quod pervenit.*

27. *Copulatos sibi*] Steph. *adjunctos illis.* ¶ *Nec præteribit se celebraturos duos dies illos*] Lugd. *ut non transgrediatur, ut facerent duos dies hos.*

28. *Memorati*] Steph. *memorabiles & solennes.*

29. *Hanc secundò*] Steph. *istam secundam.*

31. *Dies Purim istos juxta tempora sua secundùm quod statuit eis Mordochai Jehudæus & Esther regina, & secundùm quod firmaverunt*] Steph. *dies Sortium istos temporibus suis, quemadmodum injunxit illis Mardoch. Jeh. & quemadmodum receperunt.* ¶ *Verba jejuniorum*] Ità est in Ebræo. Steph. *jejunia*; talis sensus dictionis: *verba jejuniorum* ut *verba fraudum.*

32. *Verba Sortium istarum, & scriptum est in libro*] Steph. *verba Sortium ista, & scriptus est in libro.*

CAP. X.

2. *Quà magnificavit eum Rex*] Steph. *quem magnificavit Rex.*

3. *Mordochai enim Jehudæus secundus à Rege Ahasveros, & magnus apud Jehudæos*] Editio Lugdunen. & Reg. *Quomodo Mordochai Jehudæus secundus Regi Ahasveros, & magnus Jehudæis.*

SUMMA

SUMMA HUJUS

LIBRI.

ANNO regni sui tertio Asverus, qui & Xerxes, post domitam Ægyptum, convivium fecit septem dierum, quo excepti fuerunt quotquot tum erant in Susan Habira, Esth. 1.3. Repudiavit Vasthin Reginam, quòd vocata à se venire recusasset, 1.21.

Anno 6 contigerunt ea quæ narrantur cap. 2. colligo ex v. 11. ejusdem capitis.

Anno 7 mense 10 qui *Tebeth* dicitur, traducta fuit Esthera ad domum Regis, 2.16. mense 12 ejus nuptiæ celebratæ; Josephus.

Per id tempus quo Mardochæus ad Regis portam sedebat, Bagathan & Thares, duo Eunuchi de numero janitorum, Regi Asvero infensi ei manum inferre conati sunt. Quam rem ubi didicit Mardochæus Estheræ reginæ indicavit; Esthera porrò Regi enunciavit. Quæsitâ & deprehensâ re illi ambo in patibulo suspensi sunt, & ea res in commentarium coram Rege relata est.

Postea Rex Hamanem evexit, eique secundam in Regno dignitatem tribuit, 3.1. Hæc & quæ deinde sequuntur usque ad v. 7. acciderunt inter hunc annum & duodecimum Regis Asveri.

Anno 12 mense primo, h.e. Nisan, Haman sortem jecit, 3.7.

Die 13 hujus mensis missæ literæ ad satrapas contra Judæos, 3.12. Mardochæus saccum induit, 4.1. De hac re Estheram certiorem facit per Hatachum Eunuchum suum, 4.6. utque Regem adeat deprecatura pro Judæis rogat, 4.13. Jejunium Estheræ incipit, 4.15.

Die 15. mensis ejusdem Esthera nec vocata Regem adit, 5.1. Chronicon Ebræorum majus. Jejunium finit. Invitat Regem ad convivium cum Hamane, 5.4. Finito convivio erecta crux in domo Hamanis ad suspendendum Mardochæum, 5.14.

Hâc nocte lecti sunt Annales Persarum coram Rege, 6.1.

Die 16 venit Haman ad Regem summo manè: mandatur ei ut faciat quæ narrantur c.6.

Eodem die Haman iterum venit ad convivium, ad quod unà cum Rege vocatus erat, 7.1. accusatur ab Esthera, 7.6. ejus vultus obnubitur, 7.8. suspenditur in patibulo quod erectum fuerat Mardochæo, 7.10. Hæc mense primo, qui *Nisan* dicitur.

Mense tertio, i. Sivan, 23 ejus mensis missæ literæ pro Judæis, 8.9.

Mense 12 qui Adar ab Ebræis appellatur, 13 ejus mensis, qui fuerat trucidandis Judæis destinatus, occiderunt Judæi in Susan Habira 500 viros, 9.6. in reliquis urbibus 75000, 9.16. Decem filii Haman in crucem acti, 9.7.

Die 14 occiderunt in urbe 300 viros. Eundem diem festum agunt Judæi pagani, 9.18. Dicebatur olim *dies Mardochai*, 2 Mach. 15. & *festum Sortium minus*. Ebræi.

Diem 15, qui postea *festum Sortium majus* appellatus, festum egerunt Judæi Susani, 9.18.

Anno Asveri 13 contigit quod habetur Esth. 9.29. Chronicon Ebræorum majus.

GROTIUS.

1. REx verò Assuerus omnem terram & cunctas maris insulas fecit tributarias] i. Novum quoddam tributum provinciis imposuit, auctore Mardochæo. Sunt enim Judæi magni artifices talium. Vide mox 3.

2. *In libris Medorum atque Persarum*] Heb. *In diurnis Regum Mediæ & Persidis.*

3. *Secundus à rege Assuero*] i. Cujus consiliis Rex plurimùm utebatur, suprà 8.2. & 9.4.